Lr. de la Librería del Rl. Colegio de S.ta Cruz de la Fé Vniv.d de Granada
R. 10 98

RR. PP. BARTHOLOMÆI

MASTRII
DE MELDULA,
ET BONAVENTURÆ
BELLUTI

De Catana Ord. Minor. Convent. Magistr.

Tomus Tertius

CONTINENS DISPUTATIONES AD MENTEM

Scoti in Aristotelis Stagiritæ

Libros { De Anima. / De Generatione, & Corruptione. / De Cœlo, & Metheoris.

Editio novissima a mendis, quæ prius irrepserant, expurgata.

VENETIIS, MDCCLVII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

Es de la Librería del R.l Colegio de S.ta Cruz de la Ciud.d de Granada
R. 10 48

RR. PP. BARTHOLOMÆI

MASTRII

DE MELDULA,

ET BONAVENTURÆ

BELLUTI

De Catana Ord. Minor. Convent. Magiſtr.

Tomus Tertius

CONTINENS DISPUTATIONES AD MENTEM

Scoti in Ariſtotelis Stagiritæ

Libros { De Anima. / De Generatione, & Corruptione. / De Cœlo, & Metheoris.

Editio noviſſima a mendis, quæ prius irrepſerant, expurgata.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

VENETIIS, MDCCLVII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

AD LECTOREM

Circa ea, quæ ad Libros de Generatione, & Corruptione pertinent.

F. Bartholomæus Maſtrius Meldulenſis.

OMNE *bellum ſumitur facile, cæterum ægerrime deſinit, nec in ejuſdem poteſtate initium ejus, & finis eſt, incipere cujus etiam ignavo licet, deponitur, cum victores volunt*, Tucid. 1. *Itaque cum tuas vires, tum vim fortunæ, Martemque belli communem propone animo*. Liv. 30. *Nam licet omne tecum Græciæ robur trahas; licet arma longe, lateque miles explicet, fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt*. Senec. Theb. *Quicquid igitur præter opinionem in bello evenire poteſt, priuſquam aggrediare, conſidera*. Saluſt. Jugurt.

In hoc tomo nonnulla P. Ferchii placita, eo quia & contra communem, & præſerrim Scoti ſententiam, juxta quam ſcripſeram, videbantur, omni urbanitate ſervata rejeci, quo vehementer ille commotus ſub ſpecioſo Defenſionis titulo calamum veneno potius, quam attramento perfuſum in me, Collegamque meum ſtrinxit, cui proinde lege ductus de vim vi licite repellenda reddidi panem fractum, licet intuitus, locis in hoc tomo citatis, e contra vero P. Poncius in ſuo curſu philoſophico nonnulla alia placita noſtra leviter perſtrinxit, cui mitiſſime, & ob majorum reverentiam ſemper ſuppreſſo nomine in editione ſecunda Phyſicæ quibuſdam adjectis additionibus breviter reſpondi, ſed hac ipſa reticentia irritatus ſumpta ſcribendi occaſione ex epiſtola Typographi, ut inquit ipſe, perſonati adeo excanduit, ut ipſe quoque apologiam non minus acrem in me, Collegamque meum invulgaverit quia rurſus provocatus in arenam deſcendo, & occaſione ex hujus tomi recuſione deſumpta reſpondeo: itaque vides, Lector, quam ſit verum Tucididis dictum, *bellum facile incipere, ægre deſinere*. Patres ſunt iſti ambo Franciſcani inſtituti, Min. Conv. unus, Min. Obſerv. alter, inſignis ambo litteraturæ, viri, ætate, & doctrina provecti, & in Rep. litteraria famigerati, licet genii omnino diſſimilis, Ferchius namque adeo Ariſt. auctoritati tribuit, ut quantumcumque efficaci ratione armatus ſecum diſputes, totum ſpernat, niſi hoc Ariſt. auctoritate munieris dicens, *hoc totum ex vobis eſt, nihil ex Ariſt.* Pontius e contra adeo rationi addictus eſt, ut parum Scoti præceptoris auctoritatem, & nihil pœnitus Ariſt. æſtimet, quem rariſſime, ne dicam numquam, citat. Cum tamen Philoſophiam conſcripſit, quam tradidit Ariſt. & hanc quidem juxta ſemitam Scoti Doctoris ſubtilis, & qui auctoritate utuntur, appellat per contemptum Philoſophos, & Scotiſtas textuales.

Ambo auctores iſti indignati, quod Juvenes ſenibus occurrere, & reſpondere ſint auſi, auctoritate freti, quam ſecum fert ſenectus, & fama apud plurimos in Religione concepta, unanimiter veluti duo Elephanti (ut alterius illorum verbis utar) tanto impetu, & ſpretu in nos, quaſi minutulos mures irruerunt, ut ſola vocis gravitate, & aſpectus torvitate nos abſorbere, exſpectorare) & ſicut terriculamenta infantes) examinare ſint arbitrati, & qualemcumque æſtimationem, quam nobis opera impreſſa conciliaverant radicitus evellere, ſi Deo placuiſſet. At quia *ſæpe contemptus hoſtis cruentum certamen edidit* Liv. 21. & *nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet*. Vell. 11. & ut fert adagium: *Habet omnis capillus umbram ſuam, habet & muſca ſplenem, & ineſt formicæ bilis*, & interdum animalcula quædam viliſſima ingentes dejecere beſtias, ut propriæ famæ conſulerem nimis dilaniatæ, Collegæque mei animum erexi, homines eſſe illos duntaxat conſideravi, & nihil ultra; calamum arripui, & ambobus utcunque reſpondi ſolus, & ſicut licuit ipſis adagium contemnere: *Qui duos inſectatur lepores, neutrum capit*, ita neque me terruit aliud conſimile, *Nec Hercules contra duos*; an vero, ut inquit ille, & *noſtro ſequatur de vulnere ſanguis*, & *meum telum cuſpidem habeat acuminatum, & mihi ſint vires, & mea tela nocent*; dijudicabis tu, amice Lector; *nihil tam firmum, cui periculum non ſit etiam ab invalido; leo ipſe aliquando minimarum avium pabulum fit*. Curt. lib. 7.

Fateor tamen id penitus præter intentum nihil accidiſſe, etenim ut in epiſt. ad Lect. tomo phyſico primæ editionis præfixa, fueram proteſtatus, adverſus exteros, hoc eſt, aliarum Scolarum extra Subtilem cultores, & ſectatores ſcribere propoſueram; neque unquam in mentem venit in confratres, & condiſcipulos, nec quidem verbum habere: *at æmulatio*, inquit Curt. *inter concives, & domeſticos facilius exoritur*, hæc Ocham in Scotum præceptorem impulit; hæc Durandum in D. Thomam, Catherinum in Sotum in Dominicana familia, hæc Vaſquez in Suarez in Societate invexit; hæc igitur quoque contentionis noſtræ cauſa fuit, quæ ulterius perrexit forte, quam fraterna charitas patiatur, nam *arma non ſervant modum, nec temperari facile, nec reprimi poteſt ſtricti enſis ira*, ait Senec. Quoniam igitur ſatis hinc inde dimicatum, & *ſapientes pacis cauſa bellum gerunt*, ait Saluſt. ad Cæſ. & *melior, tutiorque eſt certa pax, quam ſparata victoria*, teſte Liv. 30. & *camelus deſiderans cornua etiam aures perdidit*, & *Leonem extimulare, crabrones irritare, formicarum nidos deturbare, ſemper periculoſum*, & *res in foro noſtro vertitur*, & *exteteris tragediam facimus*, & *domeſticum theſaurum calumniari, vinetaque propria cædere veſanum eſt*, & *in bellis civilibus omnia miſera, etiam ipſa victoria*. Cic. in epiſt. Ut omnes Seraphici parentis ſanctiſſimo obtemperemus præcepto: *Non litigent, neque contendant verbis*, &c. *callebat enim adagium fratrem iræ acerbiſſimæ; Apage furias, faceſque belli*. Liv. 21. *poſt acerrimam pugnam canere receptui prudens*, & *laudabile, uſque ad internecionem dimicare furioſum*, & *belluinum*. Cic. cit. *Venimus ad ſummam limam*, & *utrinque plus aloes, quam mellis*. Caduceatoribus jam opus eſt, non factioſis, qui ſatis inter fratres hactenus rixas, & jurgia diſſeminarunt non ſint notabili Religionis detrimento. Vocatus reſpondere debui, provocatus me tueri, laceſſitus injuriam pro viribus propulſare, hoc enim fortitudinis munus eſt apud Cic. 1. de off. non diffiteor chriſtianam fortitudinem, ac religioſum magis in perferendo, & tolerando emicare, attamen fragilitati naturæ aliquid condonandum eſt, *Qui velit ingenio cedere, rarus erit*, inquit Poeta; ſed ſi naturæ leges hucuſque ſum ſecutus, religioſæ fortitudinis jura in poſterum ſequi polliceor, quæ pro Cynoſura patientiam, pro gubernaculo prudentiam, pro portu denique pacem habet; video contentionem noſtram tandem eo deveniſſe, quod ad oſtentationem potius ſit, quam ad veritatem: ſic apud te proteſtor, benigne Lector, nominis avidior patientis Religioſi, quam contentioſi Scholaſtici.

Quam virtutem adhuc magis oſtentare promitto in toleranda quorumdam ſciolorum petulantia, qui cum exiguæ ſint magnitudinis, tum mole, tum virtute, inter proceres tamen noſtræ Scholæ annumerari cupientes; ut dent proverbio locum, *etiam corchorus inter olera*, elato ſupercilio in nos ſcriptitant, ſuperbo judicio noſtra damnant, & pennas nido majores extendere volentes, non ex veritatis ſtimulo, ſed ex invidentia, ac animi imporentia errores exprobrant, quos non cognoſcunt. *Gallus quiſque in ſuo ſterquilinio plurimum poteſt*. Pumiliones iſti, vel potius graticuli Æſopici in mentem venire faciunt lepidum Ciceronis factum lib. 4, apophteg. relatum 25. cum enim Lentulum generum ſuum exiguæ ſtaturæ hominem prælongo gladio videret accinctum, *quis*, inquit, *alligavit generum meum gladio? videbatur homo gladio alligatus, non gladius homini*, ita prorſus de iſtis dicere poſſemus, cum contra nos armati diſputando, vel potius nugando procedunt; ſyllogiſmum diceres longiorem ipſis, *convicia, ſi iraſcare, agnita videntur, ſpreta expoſcunt*, inquit Tacit. 4. ann. his propterea in poſterum ſpretis, ac diſſimulatis ſtudia mea proſequar, & eo alacrius, quo *tibi*, erudite Lector, magis accepta eſſe conſpiciam. Vale, hæreatque cordi fixum dictum illud. *Non judex fueris partes ni audieris ambas*, & aliud apud Plutarcum, in Solone. *Omnibus in magnis difficile eſt, ut placeas*.

INDEX DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM

In Libros de Anima.

QUÆSTIO PROOEMIALIS.

Quodnam sit horum librorum subjectum.

DISPUTATIO I.

De essentia, & speciebus Animæ.

Quæst. 1. EXplicatur prima definitio animæ. 15
Quæst. 2. In quo consistat ratio vitæ in actu primo. 16
Appendix. An possit vivens destrui virtute accidentis. 18
Quæst. 3. Quotuplex sit anima; ubi de numero potentiarum, & graduum animatorum. 20
Quæst. 4. An quælibet anima sit actus corporis informans, vel assistens, & quomodo. 21
Quæst. 5. An quælibet anima sit indivisibilis. 23
Quæst. 6. An animæ divisibiles sint omogeneæ, vel æthereogeneæ. 26
Quæst. 7. De animarum origine. 27
Append. De Anima rationali. 28
Quæst. 8. An istæ animæ simul reperiantur in eodem vivente. 28
Quæst. 9. De informatione, & sede animæ. 31
Artic. 1. Explicantur quædam partes corporis animalis. ibid.
Artic. 2. Quæ partes corporis informentur ab anima. 32
Artic. 3. Quænam sit præcipua pars in vivente, a qua cæteræ dependeant. 35
Quæst. 10. An omnis anima sit immortalis. 36
Quæst. 11. Explicatur secunda definitio animæ. 41

DISPUTATIO II.

De potentiis, & actibus vitalibus in communi.

Quæst. 1. AN potentiæ distinguantur ab anima, & quomodo. 42
Artic. 1. Potentiæ non distinguuntur realiter ab anima. ibid.
Artic. 2. Potentiæ distinguuntur formaliter ab anima. 44
Quæst. 2. Quid sit actus vitalis. 46
Quæst. 3. An actus vitalis pendeat ab anima essentialiter, ut sine illius concursu nequeat produci. 49
Quæst. 4. Quomodo potentiæ specificentur per actus, & actus per objecta quoad unitatem, & distinctionem. 50

DISPUTATIO III.

De habitibus animæ.

Quæst. 1. AN dentur, & quid sint habitus. 54
Quæst. 2. Quæ potentiæ sint habituum capaces. 55
Quæst. 3. De causa effectiva habituum. 57
Quæst. 4. De unitate, extensione, & intensione habituum. 59
Quæst. 5. Quomodo habitus concurrant ad actus. 60
Quæst. 6. De habituum desitione. 61

DISPUTATIO IV.

De potentiis vegetantis, & sentientis animæ in communi.

Quæst. 1. QUæ sint potentiæ vegetantis animæ, & quomodo distingnantur. 63
Quæst. 2. De potentiis animæ sensitivæ in communi, earumque activitate. 65
Quæst. 3. Quodnam, & quotuplex sit objectum sensibile. 66
Quæst. 4. An dentur, & quid sint species sensibiles. 69
Quæst. 5. De causa materiali, & effectiva sensibilium specierum. 70
Artic. 1. Assignatur causa materialis sensibilium specierum, ubi de unione speciei cum potentia. 71
Artic. 2. Quæ res possint efficere species sensibiles. 72
Artic. 3. Productio, dissolubilitas, intentio, conservatio, & distinctio specierum declarantur. 75
Quæst. 6. De muneribus specierum sensibilium, ubi de activitate, & similitudine ipsarum. 77
Quæst. 7. An sensus erret circa suum sensibile. 80

DISPUTATIO V.

De potentiis sensitivis in particulari.

Quæst. 1. NUmerus, & perfectio externorum sensuum assignatur. 82
Quæst. 2. De sensu visus. 83
Artic. 1. De organo, & subjecto visus; quibusque conveniat. ibid.
Artic. 2. De lumine. 85
Artic. 3. De colore. 89
Artic. 4. Medium, modus, & objectum visionis declarantur. 92
Artic. 5. Varia quæsita circa visum declarantur. 96
Quæst. 3. De sensu auditus. 97
Artic. 1. Efficiens, quidditas, subjectum, & species soni assignantur. 98
Artic. 2. De voce, ubi an locutio proprie reperiatur in brutis. 100
Artic. 3. Quo pacto sonus perveniat ad aures. 101
Quæst. 4. De sensu olfactus. 104
Quæst. 5. De sensu gustus. 107
Quæst. 6. De sensu tactus. 108
Artic. 1. Quod sit organum, & quotuplex sit tactus. ibid.
Artic. 2. Objectum, medium, & modus sensationis tactus explicantur. 109
Quæst. 7. Expediuntur quedam generaliter pertinentia ad sensus externos. 113
Quæst. 8. De sensibus internis. 116
Artic. 1. De subjecto, & organo sensus interni. 117
Artic. 2. De objecto sensus interni. ibid.
Artic. 3. De actibus sensitivis internis, an sint indicativi, & discursivi. 120
Artic. 4. Ubi quid sint facultates sensitivæ, internæ, quibusque conveniant, explicatur. 122
Artic. 5. De numero internorum sensuum. 124
Quæst. 9. De appetitu sensitivo. 126
Quæst. 10. De actibus, & passionibus appetitus sensitivi. 128
Quæst. 11. De potentia loco motiva. 131
Quæst. 12. De quibusdam affectionibus animalium. 132
Artic. 1. De somno, vigilia, somniis. ibid.
Artic. 2. Ubi de cæteris passionibus. 135

DISPUTATIO VI.

De potentiis animæ rationalis, & primo de intellectu, ac ejus actibus.

Quæst. 1. AN intellectus sit potentia immaterialis, & inorganica, ubi de conversione ejus ad phantasmata. 137
Quæst. 2. An intellectus sit pure potentia passiva in ordine ad actum intelligendi, ubi de causis intellectionis. 139
Artic. 1. Intellectus active concurrit ad intellectionem. ibid.
Artic. 2. Intellectus non est causa totalis, sed tantum partialis intellectionis, esto magis principalis. 140
Quæst. 3. De intellectione, ac verbo mentis. 142
Artic. 1. Intellectionis natura explicatur. 142
Artic. 2. Declaratur natura verbi mentalis, ejusque productio. 146
Append. An in Beatis visio Beatifica sit Verbum. 149
Quæst. 4. De necessitate specierum intelligibilium ad actus intelligendi, ubi de memoria intellectiva. 151.

Artic. 1.

Index Disputationum, Quæstionum, & Articulorum.

Artic. 1. Necessariæ sunt species intelligibiles ad cognitionem abstractivam. ibid.
Append. De speciebus intelligibilibus. 155
Artic. 2. Ad cognitionem intuitivam non est necessaria species intelligibilis. 157
Quæst. 5. De causa efficiente specierum intelligibilium, ubi de intellectu agente, & possibili 159
Artic. 1. Necessarius est intellectus agens ad species intelligibiles producendas cum phantasmate. ibid.
Artic. 2. Explicatur natura intellectus agentis, & possibilis, ac eorundem distinctio. 162
Artic. 3. Utriusque intellectus munera assignantur, & officia. 165
Quæst. 6. De objecto nostri intellectus. 167
Artic. 1. Constituitur objectum adæquatum intellectus nostri ex natura potentiæ. 168
Artic. 2. Assignatur objectum intellectus nostri pro statu isto, unde varia quæsita resolvuntur de cognoscibilibus a nobis. 171
Quæst. 7. De cognitione universalis, & singularis. 175
Artic. 1. Resolutio quæsiti quoad cognitionem singularis. ibid.
Artic. 2. Resolutio quæsiti quoad cognitionem universalis. 181
Quæst. 8. An primo cognoscatur singulare, vel universale, & inter universalia an magis, vel minus universale. 182
Quæst. 9. An intellectus plura simul intelligere possit uno, vel saltem diversis actibus. 189
Quæst. 10. De triplici intellectus operatione, apprehensione, judicio, & discursu. 192
Artic. 1. Examinatur prima intellectus operatio. ibid.
Artic. 2. Expenditur secunda intellectus operatio. 195
Artic. 3. Declaratur tertia intellectus operatio. 198
Quæst. 11. De cognitione intuitiva, & abstractiva. 199
Quæst. 12. De cognitione comprehensiva. 203

DISPUTATIO VII.

De voluntate, ac ejus actibus.

Quæst. 1. QUæ, & qualis sit voluntas, & num ipsa sola sit libera. 206
Quæst. 2. Quæ sit libertas voluntatis nostræ, & qualis libertatis usus. 208
Artic. 1. Tres esse gradus libertatis nostræ, præcipuum vero esse indifferentiam contradictionis. ibid.
Artic. 2. Explicatur libertatis usus, & quod voluntas sit libera eodem, quo operatur, instanti. 210
Quæst. 3. Quæ, & qualis sit prima radix nostræ libertatis, tam extrinseca, quam intrinseca. 212
Artic. 1. Sola libertas divinæ voluntatis, non ejus efficacia, est prima radix intrinseca libertatis creatæ. ibid.
Artic. 2. Prima radix extrinseca libertatis nostræ non est indifferentia judicii, sed ipsius potentiæ volitivæ. 214
Artic. 3. Voluntas non determinatur ab ultimo judicio practico intellectus. 216
Quæst. 4. Quo pacto actus voluntatis sit liber, ac ejus omissio. 219
Artic. 1. Resolutio quæsiti de libertate actus. ibid.
Artic. 2. Resolutio quæsiti de libertate commissionis. 222
Append. De actibus humanis. 225
Quæst. 5. De objecto voluntatis, ubi varia expediuntur quæsita de volitionibus a nobis. 226
Append. De fine præfixo, seu præstituto. 231
Quæst. 6. An, & quomodo debeat objectum ab intellectu voluntati proponi, ubi explicatur ejus concursus ad actum voluntatis. 235
Artic. 1. Declaratur modus, quo objectum proponi debet voluntati, ut operetur. ibid.
Artic. 2. Expenditur modus, quo objectum cognitum, vel ejus cognitio ad actum voluntatis concurrit. 239
Quæst. 7. De variis actibus voluntatis. 241
Artic. 1. De intentione, & electione. ibid.
Artic. 2. De imperio. 243
Quæst. 8. An voluntas intellectui nobilitate præstet. 246

DISPUTATIO VIII.

De Anima separata.

Quæst. 1. DE statu, & conditione animæ separatæ. 249
Quæst. 2. De Cognitione, & modo cognoscendi animæ separatæ. 252
Artic. 1. Quid amittat anima separata, quidve retineat spectans ad cognitionem, & modum cognoscendi. ibid.
Artic. 2. Quænam cognoscat anima separata, & quomodo, 255
Quæst. 3. De loco, motuque locali animæ separatæ. 257

INDEX RERUM NOTABILIUM

In Libro de Anima.

Numerus prior significat Disputationem, posterior vero marginalem denotat numerum.

A

Abstractio speciei intelligibilis a phantasmate fit ab intellectu agente, abstractio universalis a singularibus ad intellectum possibilem. 6. 229. abstractio magis universalis difficilior est abstractione minus universalis. 6. 248. & 254.

Accidens quo pacto nos ducat in cognitionem substantiæ, 6. 181. & seq. quomodo prius cognoscatur, quam substantia. 6. 188. accidens relativum non intelligitur per propriam speciem. 6. 190. accidens specificum propinquius est sensibus accidente generico. 6. 255. atque ideo magis movet sensum, quam illud. 6. 266.

Actio tres habet conditiones. 2. 49. actio de genere qualitatis quæ sit, 5. 325. quo pacto distinguatur in immanentem, & transeuntem. 6. 30.

Actus quadrupliciter dicitur primus. 1. 5.

Actuum vitalium alii perfecti, alii imperfecti. 2. 25. vitalitas in imperfectis dicit ordinem ad principium vitale. ibid. actus vitalis perfectus non est receptio speciei in potentia. 2. 27. est qualitas includens duos respectus ad potentiam ut productivam, & receptivam, & tertium ad objectum ut ad terminum. 2. 29. formaliter dicit solam qualitatem, connotat respectus. 2. 32. quid sit ejus vitalitas. 2. 33.

Actus vitales imperfecti intrinsece petunt esse a potentiis. 5. 41. perfecti possunt a Deo produci totaliter, etiam ut vitales sunt. 2. 41. actus specificantur ab objectis formalibus, non intrinsece, sed extrinsece. 2. 48. & seq. distinctio objectorum infert distinctionem actuum, non tamen identitas objecti infert identitatem actuum. 2. 50.

Actus est causa totalis habitus. 3. 22. quilibet actus causat aliquid de habitu in potentia. 3. 24. si actus est intensus, causat habitum perfectum. 5. 25.

Actus sensitivi externi causat proprias species in sensibus internis. 4. 80. actus est naturalis, & formalis similitudo objecti, ideoque dicitur species ejus expressa. 6. 274. actus intellectus quomodo sit supra seipsum reflexivus. 6. 281. actus voluntatis conditionati dantur, & quinam sint. 7. 111. ac etiam datur actus neuter voluntatis veluti medius inter intensionem, & electionem. 7. 120.

Actus voluntatis perfectior est actu intellectus. 7. 204.

Adeps quid sit, & a quo causetur. 1. 109. non informatur anima. 2. 116.

Æstimativa quid sit. 5. 285. quibus conveniat 5. 290.

Amor concupiscentiæ, & amicitiæ. 7. 107. & 176. non potest ad malum terminari. 7. 108. neque ad objectum indifferens, ut sic, ibid. quando diversitas cognitionum inducat diversitatem amorum. 7. 171. an amor amicitiæ separari possit ab amore concupiscentiæ. 7. 184.

Anima in communi propriè est subjectum in his libris. procem. n. 1. an sit physicæ considerationis. ibid. 8. ipsius cognitio valde excellens, & utilis. ibid. 10.

Est actus substantia is. 1. 1. non est corpus. 1. 3. est actus informans non assistens. 1. 4. quo sensu dicatur actus primus. 1. 5. est triplex, negativa, sensitiva, & rationalis. 1. 32. istius divisionis sufficientia. 1. 33. & seq. divisiones graduum animatorum, & potentiarum declarantur. ibid.

Non constat ex materia, & forma. 1. 54. non quælibet est divisibilis. 1. 56. divisibilis est omogenea, non ætherogenea. 1. 72. unica sola reperitur in quolibet vivente. 1. 88. successive plures animæ reperiuntur, ut vivens prius vivat vita plantæ, deinde vita animali. 1. 95. anima perfectior quomodo contineat imperfectiorem. 1. 100. est in toto corpore, non in una sola parte. 1. 113. non informat partes mere excrementitias. 1. 115. informat partes solidas. ibid. item dentes, cornua, rostra, plumas, ungues, & probabiliter capillos, & pilos, non tamen partes fluidas. 1. 116.

Prima definitio animæ, quodque sit actus primus corporis &c. explicatur. 1. 1. seq. Secunda definitio quod sit principium, quo vivimus, &c. explicatur. 1. 166. & sequ. hæc est una definitio, non multiplex, & convenit animæ in communi, non alicui speciei. ibid. an sit quidditativa, vel descriptiva. 1. 169. quomodo prima definitio demonstretur per secundam. 1. 170.

Anima est principium *quod* productionis, & receptionis actuum, potentia est principium *quo*. 2. 13. active concurrit ad actus 2. 27.

Anima nostra quomodo a nobis cognoscatur pro statu isto. 6. 194. ac etiam accidentia illi inhærentia, ut sunt actus, habitus, & species intelligibiles. 6. 197. & seq.

Animæ vegetativa, quæ non sit sensitiva, est in plantis. 1. 32. quo pacto immanenter operatur. 1. 36. est forma informans. 1. 39. non constat ex materia, & forma. 1. 48. quælibet est divisibilis in partes entitativas. 1. 50. est omogenea. 1. 72. educitur de potentia materiæ. 1. 78. est mortalis. 1. 138. est principium trium operationum, nutritionis, auctionis, & generationis, licet non in omnibus simul exerceat, nec quolibet tempore. 4. 1. quomodo definiatur. 4. 4.

Anima sensitiva, quæ non sit rationalis, est in animalibus, non in plantis. 1. 32. est forma informans. 1. 39. non constat ex materia & forma. 1. 54. quælibet est indivisibilis in partes entitativas. 1. 56. est omogenea, non ætherogenea. 1. 72. educitur de potentia materiæ. 1. 78. est mortalis. 1. 138. quas potentias habeat. 4. 12. quomodo definiatur. ibid. non reperitur in animali simul cum vegetativa. 1. 88.

Anima rationalis est solum in homine. 1. 32. est forma informans etiam ut rationalis. 1. 40. multiplicatur numero ad multiplicationem hominum sine transmigratione de uno in aliud corpus. ibid. non est pars divinæ substantiæ, nec perfectior, vel æque perfecta cum Angelis, sed imperfectior. 1. 53. non constat ex materia, & forma. 1. 54. est indivisibilis in partes entitativas. 1. 56. producitur a Deo in corpore, non ante corpus. 1. 79. ipsam esse immortalem est de fide, non tamen naturaliter demonstrabile pro statu isto. 1. 140. sit a Deo, & secundum Arist. non creatur, sed producitur media quadam actione inter creationem, & eductionem. 1. 163. & seq. non reperitur in homine simul cum vegetativa, & sensitiva. 1. 88. ad quem finem uniatur corpori. 8. 18.

Anima rationalis separata quo pacto ad Physicum spectet qu. procem. num. 8. & disp. 8. num. 1. in statu separationis non acquirit novum per se existendi modum. 8. 2. non est ejusdem naturæ cum Angelis. 8. 3. an possit dici semipersona, & semisuppositum. 8. 3. an status separationis sit ei naturalis, vel violentus. 8. 4. status conjunctionis illius cum corpore mortali est ei naturalis. 8. 6. status separationis ab eodem adhuc magis naturalis. 8. 6. status conjunctionis cum corpore immortali est absolute omnium connaturalissimus. 8. 7. anima separata non habet appetitum naturalem ad reunionem cum corpore mortali, ut sic, bene tamen ad corpus immortale. 8. 9. quo pacto talis appetitus non sit frustra. 8. 10.

Anima separata omnes spirituales potentias, & in organica retinet, sensitivæ vero, & vegetativæ in ipsa abolentur. 8. 12. potentiæ enim omnes sensitivæ, & vegetativæ, organicæ, & materiales sunt in composito ex anima, & corpore fundatæ. 8. 12. utitur intellectus agente ad abstrahendas species ab objectis materialibus. 8. 12. potentiarum organicarum duplex consideratio. 8. 13. quomodo identificentur, & distinguantur ab anima intellectiva 8. 14. tenet species, & habitus intellectuales in statu conjunctionis acquisitos. 8. 15. qui habitus & species licet in prima acquisitione dependentiam habuerint a phantasmatibus; non tamen deinceps ab eis in conservari dependent. 8. 15. perfectiori modo, quo conjuncta componendo, & discurrendo, intelligit. 8. 16. cognoscit quæcumque antea per easdem species prius acquisitas noverat. 8. 18. res antea ignotas per species ex illis collectas ope illius agentis agnoscit. 8. 20. objectum antea ignotum tam abstractive, quam intuitive cognoscit. 8. 20. quomodo seipsam, suas potentias, suos actus, & species noscat. 8. 23. non recipit a Deo in separationis instanti species. 8. 23.

Anima separata ubi degat. 8. 24. est capax motus localis. 8. 25. potestque semet localiter movere. 8. 27. virtus motiva animæ, alia organica, alia inorganica. 8. 28. sunt omnino alterius rationis. 8. 29. unam exercet in corpore, aliam extra corpus. 8. 29. probabile est esse eandem virtutem. 8. 30. quomodo dici possit organica, & inorganica. 8. 31. potest quoque alia a se movere instar Angeli. 8. 42. quia non solem movet, ut forma corporis, sed etiam ut spiritus per se subsistens. 8. 33. hæc virtus motiva animæ separatæ est facultas distincta ab intellectu, & voluntate. 8. 33.

Animal vide Anima vivens.

Apis an habeat auditum. 5. 120. an habeat imaginativam. 5. 292.

Appetitus triplex, naturalis, sensitivus, & rationalis. 1. 31. & 5. 306. an sit naturaliter cognoscibile dari in homine appetitum naturalem ad semper esse. 1. 151. & seq. quomodo feratur in bonum conveniens, aut fugiat malum disconveniens. 5. 266. appetitus sensitivus datur in homine, & in brutis, estque potentia elicitiva actus. 5. 307. objectum ipsius est bonum, delectabile, & utile. 5. 308. an totaliter canset proprium actum. 5. 309. cuilibet cognoscitivæ correspondet proprius appetitus. 5. 310. appetitus sensitivus in homine non est liber. 7. 8. cur appetitus brutorum non sit liber. 7. 52.

Appetitus dividitur in concupiscibilem, & irascibilem. 5. 312. quid uterque sit, & quod objectum respiciant. ib. non sunt duæ potentiæ realiter distinctæ. 5. 314. appetitus communis residet in cerebro, particularis residet in organo sensus particularis. 5. 318. appetitus sensitivus obedit voluntati politice, non despotice. 5. 320. etiam in ordine ad supernaturalia. ib. non est ex se liber. 5. 321.

Actus appetitus concupiscibilis, & irascibilis qui sunt. 5. 322. & sequ.

Apprehensio simplex quomodo exerceatur. 6. 290. ejus objectum nedum sunt termini simplices, sed integra quoque propositio. 6. 291. non tamen complexe eam attingit, & cum determinatione ad alteram partem, sed mere complexe. 6. 293. in ea reperitur veritas. 6. 300. non tamen falsitas proprie loquendo. 6. 302. quomodo in ea per accidens falsitas contingat. 6. 304. apprehensio integræ propositionis distincta est ab apprehensionibus terminorum, & actus illius superadditus. 6. 307. nec formaliter, nec virtualiter judicium includit. 6. 293. sufficit ad movendam voluntatem quoad actus inefficaces. 7. 153. non autem quoad efficaces nisi belluino more feratur in finem, sed requiritur judicium. 7. 154. & hoc debet esse practicum, non speculativum. 7. 155.

Arteria quid sit, & per quid differat a venis. 5. 369. movetur motu pulsationis. 5. 339.

Audacia quid sit, & ad quam potentiam spectet. 5. 324.

Auditus quas afferat utilitates. 5. 6. ejus perfectio, & nobilitas 5. 7. quomodo juvet scientiis. 5. 9. quid sit. 5. 117. quodnam sit ejus sensorium. 5. 119. quibus animalibus conveniat. 6. 520. quod sit ejus objectum. 5. 121.

Auditio fit per species intentionales soni. 5. 147. fit in tempore, & quandoque post visionem. 5. 155. quandoque terminatur non ad sonum, sed ad species soni. ibid. medium auditus deferens species quodnam sit. 5. 158.

Auris describitur tam quoad externas, quam quoad internas partes. 5. 117. & 118. in qua parte consistat sensorium auditus. ibid. & 119.

B

Balbutientes cur impediti in locutione. 5. 132.

Beatitudo quod sit æterna, an naturaliter cognoscatur. 1. 150. & seq.

Bonum quo sensu dicatur voluntatis objectum. 7. 106. an solum bonum sit voluntatis objectum. 7. 117. Bonum utile habet propriam bonitatem distinctam a bonitate finis, licet ad illum ordinatam. 7. 118. ideo suo modo pertinet ad objectum formale voluntatis. 7. 116. bonum non est objectum voluntatis secundum esse, quod habet a parte rei, sed potius secundum esse apprehensum. 7. 151. ex duobus bonis æque propositis potest quodlibet voluntas amplecti, & ex duobus inæqualiter propositis potest amplecti minus efficaciter propositum. 7. 158. bonum necessitat voluntatem quoad exercitium. 7. 173. bonum triplex honestum, delectabile, & utile. 7. 176.

Bruta quomodo percipiant negationes. 4. 21. proprie loquuntur inter se. 4. 135. quomodo operentur propter finem. 5. 268. non discurrunt, nec habent veras artes. 5. 279.

C

Cartilago quid sit. 5. 117.

Cerebrum quoad omnes partes describitur. 1. 105. ipsius temperamentum declaratur. 1. 106. non est præcipuum membrorum corporis, nec sedes animæ. 1. 132.

Cognitiva quid sit. 5. 289. est solum in homine. ibid.

Cognitio duplex intuitiva, & abstractiva. 6. 328. discrimen earum fuse examinatur. 6. 329. & seq. assignatur verum discrimen earum tam ex parte principii, quam termini. 6. 334. nedum numero, sed etiam specie differunt. 6. 335. etiam respectu ejusdem objecti assignari possunt. 6. 336. nec naturaliter, nec supernaturaliter exerceri potest intuitiva cognitio sine objecto præsente. 6. 338. & seq. intellectiva intuitiva nequit haberi per speciem. 6. 106. & seq. bene tamen sensitiva. 5. 216. & seq. ratio hujus discriminis assignatur. 6. 332.

Cognitio comprehensiva quid sit, & ejus conditiones. 6. 345.

Vide Comprehensio.

Cognitio item multiplex actualis scilicet habitualis, vel virtualis, & rursus distincta, vel confusa. 6. 236. rursus confusa duplex. 6. 258. confusa a toto genere præcedit distinctam. 6. 250. & 259.

Color quot species habeat. 5. 52. quæ sit causa effectiva coloris. 5. 58. color non est superficies, sed qualitas de tertia specie. 5. 59. color alius permanens in subjecto, alius ab extrinseco agente pendet, & hic est duplex; vel enim videtur e quocunque loco, vel e certo, & determinato. 5. 60. quilibet horum colorum, specie distinguitur a lumine. ib. & seq. lumen non est principium formale dispositivum coloris. 64 65. lumen est coloris causativum. 5. 67. color verus, & apparens in quo differant. 5. 69. color reperitur in mixtis, & elementis, & astris, non solum in superficie, sed etiam in profunditate. 5. 80. explicantur definitiones colorum. 5. 82. & seq. color, ut videatur, debet illuminari. 5. 103. in quo consistat hæc dependentia. 5. 105.

Comprehensio quid sit, & ejus appellatio. 6. 346. duæ ejus præcipuæ conditiones. ib. debet exprimere omnes formalitates ex natura rei, & formaliter in objecto existentes. 6 348. non est necesse quod explicet quæ in objecto continentur solum virtualiter, & eminenter. 6. 350. quomodo intelligatur, quod debeat exprimere totum objectum, & totaliter. 6. 354. qualis esse debeat adæquatio inter actum comprehensivum, & objectum comprehensum. 6. 355. an creatura possit ab intellectu creato comprehendi. 6. 358.

Concupiscibilis potentia quid sit, & quod objectum habeat 5. 312. non differt realiter ab irascibili. 5. 314. quos actus habeat. 5. 322. & 324.

Contingentia in rebus oritur primordialiter a libertate divinæ voluntatis. 7. 32. & seq.

Cor describitur. 1. 104. est principalius membrum corporis, & animæ sedes. 1. 132. ex unitate, vel pluralitate cordis dignoscitur unitas, vel pluralitas animalium. 1. 134. movetur motu pulsationis, & quomodo. 5. 369.

Cornua animalium sunt animata. 1. 116.

Corpus animatum proprie est subjectum in his libris procem. n. 1. varias continet partes, & quæ sint. 1. 102. & seq. est quoddam continuum. 1. 114.

Corpus sumitur tripliciter. 1. 4. per quid differat a spiritu. 1. 57. & seq.

Creatio duplex. 1. 145. temporanea in sent. Arist. non datur. 1. 163. & seq.

D

Delectatio spectat ad voluntatem. 5. 322. & 327. est passio, non actus. ib. a quo causetur. 5. 322.

Dentium natura, numerus, & officia. 1. 111. sunt animati. 1. 116. non sentiunt. 1. 121.

Desiderium quid sit. 5. 322.

Desperatio quid sit, & ad quam potentiam spectet. 5. 324.

Discursus proprie non convenit sensui. 5. 276. est tertia intellectus operatio. 6. 321. distinguitur realiter a prima, & secunda intellectus operatione. 6. 322. in quo ejus essentia consistat. 6. 324. est actus simplex, non compositus. 6. 325. consistit formaliter in judicio illativo consequentis ex antecedenti. ib.

Divinare per somnia quando liceat. 5. 363.

Dolor spectat ad appetitum sensitivum. 5. 322. est passio appetitus sensitivi, non sensatio, aut qualitas tangibilis. 5. 334. a quo causetur. 5. 338.

Dubitatio ad quam operationem intellectus attineat. 6. 288.

E

Echo quid sit, & quomodo fiat. 5. 161.

Electio est actus voluntatis. 7. 178. respicit media in ordine ad finem. 7. 178. an sit idem actus cum intentione, vel diversus. 7. 179. est actus in se formaliter liber, & non in causa tantum. 7. 184. vide Intentio.

Ens reale est primum, & adæquatum objectum intellectus nostri ex natura potentiæ. 6. 168. intellectus objectum est primum cognitum primitate adæquationis, non originis. 6. 269. poni potest objectum voluntatis in eadem amplitudine, ac est intellectus. 7. 104.

Excrementa, quænam sint. 1. 102. an sint animata. 2. 115. & seq.

F

Facilitas ad operandum non est simplex impedimentorum amotio, sed vera qualitas. 3. 1.

Falsitas quid sit, & quotuplex. 4. 116. & 6. 293. non reperitur in simplici apprehensione, quæ est prima intellectus operatio. 6. 301. quomodo per accidens in ea contingat. 6. 303. proprie reperitur in secunda operatione. 6. 327.

Finis non est adæquatum omnino objectum voluntatis. 7. 115. est objectum formale, & primarium intentionis. 7. 183.

Fletus tria continet, motum oris, vocem, seu gemitus, & effusionem lacrymarum. 5. 376. quoad duo priora potest convenire omnibus respirantibus, quoad tertium soli homini convenit. ibid. requiritur intellectualis cognitio, & dolor in appetitu. ib. cur sit diuturnior risu. 5. 378. cur quidam sint magis proni ad fletum. ibid.

Forma duplex, informans, & assistens. 1. 4. forma perfectior potest imperfectiorem continere tripliciter. 1. 87.

Formica an videat. 5. 20. an habeat imaginativam, & memoriam. 5. 292.

Fulgor intra oculum quid sit, & quomodo videatur. 5. 83.

G

Gaudium, vide Delectatio. Voluptas,

Generatio quo sensu sit opus naturalissimum viventium. 4. 3.

Gradus animatorum dividuntur in quatuor genera. 34. & 35.

Gustus quas afferat utilitates. 5. 6. ejus perfectio, & necessitas. 5. 7. est connexus cum tactu, differt tamen ab illo. 5. 176. quibus animalibus conveniat. 5. 177. quodnam sit organum. 5. 179. & 188. ad gustationem prærequiritur contactus. 5. 183. an exigat medium. 5. 198. an percipiat saporem secundum omnem gradum. 5. 208. elicit sensationem recipiendo species. 5. 214.

H

Habitus dantur. 3. 1. eorum definitio. 3. 2. subjectantur in potentiis, non in essentia, nec in rebus omnino determinatis. 3. 3. in voluntate, intellectu, & potentiis sensitivis internis tam cognitionis, quam appetitivis, sive in hominibus existant, sive in brutis, vere recipiuntur habitus respectu cujuscunque objecti. 3. 7. quid requiratur ut potentia sit habituum susceptiva. 3. 11. potentiæ vegetativæ, sensitivæ, externæ, & loco motivæ non respiciunt habitus. 3. 13.

Non dantur habitus inditi a natura. 3. 21. habitus totaliter ab actu producuntur. 3. 22. a quolibet actu causaturaliquid de habitu in potentia. 3. 24. ab uno actu intenso potest causari perfectus habitus. 4. 25. specificatur ab objecto formali, non materiali. 3. 30. quilibet est intensibilis. 3. 32. intenditur a quocunque actu etiam remissiori. 3. 34. de facto non intenditur in infinitum. 3. 36.

Habitus in ordine ad potentiam exercet causalitatem quasi formalem, in ordine autem ad actus causalitatem effectivam. 3. 39. concurrit ad substantiam actus, non ad modum. ib. concurrit etiam ad actus seipso intensiores, imo excedentes vires potentiæ. 3. 43. quo pacto concurrat ad actus alienos. 3. 47.

Habitus corrumpuntur effective ab actibus contrariis. 3. 47. item ad variationem subjecti, si sunt materiales. 3. 52. non tamen corrumpuntur ab actibus disparatis. 3. 53. nec ex sola actuum propriorum cessatione. 3. 54.

Homo non prius vivit vita plantæ, postea vita animalis, & tandem vita hominis. 1. 88.

Humiditas duplex, aquea, & aerea, illa concurrit ad saporem. 5. 180.

Humores in corpore quot sint. 1. 106.

I

Jecur describitur. 1. 103.

Imaginativa quid sit. 5. 285. est triplex. 5. 292. quibus conveniat. ib. & 290. habet vim causandi varios effectus tam in proprio corpore, quam in alieno, & quomodo. 5. 379. & 380.

Immortalitas duplex est. 1. 138.

Imperium duplex, politicum, & dispoticum. 5. 319. proprie est actus voluntatis, non intellectus. 7. 185. probabile est ab electione non distingui. 7. 190. quomodo a voluntate exerceatur in cæteras potentias. 7. 161. & seq.

Impossibile duplex. 8. 111. quo pacto esse possit voluntatis objectum. 7. 112.

Ingenium est varium in diversis hominibus. 5. 340.

Intellectio, vide intelligere, Cognitio, Operatio intellectus.

Intellectus quo sensu dicatur nullius corporis actus. 2. 10. intellectus est principium *quo* productionis, & receptionis intellectionis proprie loquendo anima est principium *quod*. 2. 13. est potentia immaterialis, & inorganica. 6. 1. pendet tamen pro hoc statu in sua operatione a potentia organica. 6. 3. quid sit intellectus in prima, & secunda motione. 6. 5. in utraque motione necessaria est pro hoc statu conversio intellectus ad phantasmata. 6. 6. in statu innocentiæ tali conversione opus non fuisset. 6. 7. probabile est in sententia Scoti forte nec etiam pro statu isto in quacunque intellectione necessariam esse conversionem ad phantasmata. 6. 8. unde oriatur talis dependentia intellectus a phantasia in operando. 6. 12. oritur potius ex decreto Dei, quam ex natura potentiæ. ib. intellectus active concurrit ad intellectionem. 6. 14. ejus inde terminatio ad intellectionem activa est, non passiva. 6. 17. non tamen est causa totalis, sed tantum partialis, nam cum ipso quoque concurrit objectum. 6. 18. est tamen causa magis principalis. 6. 20. quo pacto intellectus, & objectum constituant intellectionis principium. 6. 21. singuli sunt causæ partiales partialitate causæ, sed totales totalitate effectus. 6. 23. quo sensu intellectus sit causa movens mota ab objecto. 6. 25.

Intellectus agens, & possibilis. 6. 117. agens est causa efficiens specierum intelligibilium. 6. 118. in ordine ad objecta materialia, non spiritualia. 6. 120. non est tamen causa totalis, quia concurrit quoque phantasma, licet sit magis principalis. 6. 121. non est principium externum, & separatum, sed internum, ac intrinseca differentia animæ nostræ. 6. 131. velut vera animæ rationalis facultas, quæ ad instar propriæ passionis ab ea dimanat. 6. 135. quomodo dicatur illustrare phantasmata. 6. 149.

Intellectus possibilis quoque est altera facultas rationalis animæ. 6. 139. non est pura potentia in genere entis, sed tantum in genere intelligibilium. ib. in hoc sensu dicitur tabula rasa, in qua nil est depictum. ib. non distinguitur realiter hæc facultas ab illa. 6. 141. nec etiam formaliter in rigore. ib. quare in rigore non geminat intellectivam potentiam. ib. actio illustrandi phantasmata convenit intellectui agenti, nec est diversa a productione speciei intelligibilis. 6. 151. & seq. actio productiva intellectionis competat ne intellectui agenti, vel possibili. 6. 157. & seq. quinam intellectus sit nobilior. 6. 146.

Intellectus practicus, & speculativus non geminant potentiam intellectivam. 6. 145.

Intellectus nostri objectum adæquatum ex natura potentiæ, & secundum naturalem inclinationem est ens reale in tota sua latitudine. 6. 162. sed objectum naturalis attingentiæ est ens finitum & limitatum. 6. 163. non autem quidditas rei materialis. 6. 164. non est autem ens in tali communitate objectum universaliter motivum, sed vel motivum, vel terminativum pro varia entium conditione. 6. 165. & in hac amplitudine servat talem unitatem, & primitatem, qualis sufficit ad constitutionem objecti adæquati alicujus potentiæ. 6. 166. est objectum in tali communitate, non ut supponit simpliciter, vel personaliter, sed absolute. 6. 167. & est objectum sub ratione ipsa entis, non sub ratione veri. 6. 168.

Intellectus nostri objectum adæquatum pro statu isto est quidditas rei sensibilis formaliter, vel virtualiter. 6. 179. cur rectius ponatur quidditas rei sensibilis, quam rei materialis. 6. 180. quomodo intellectus cognoscat seipsum pro statu isto, quosque actus, & habitus. 6. 194. & seq.

Intellectus noster plura simul, & semel potest intelligere per modum plurium. 6. 272. non tamen uno, & eodem actu, sed pluribus. 6. 273. & 279. nisi forte objecta illa essent subordinata in ratione superioris, & inferioris. 6. 278. nequit tamen plura, & plura in infinitum sic attingere. 6. 282. nec æque perfecte. 6. 283. bifariam intellectio dici potest perfecta & imperfecta. ib. cur voluntas possit eodem actu plura objecta disparata simul attingere, non intellectus. 6. 285.

Intellectus non est potentia libera, sed naturalis. 7. 8. neque etiam est radicaliter liber. 7. 40. & 53. non determinat voluntatem ad operandum. 7. 51. proponit tamen objectum voluntati, ut circa illud operari possit. 7. 148. non imperat voluntati, sed deservit monendo, & referendo, sicut Consiliarius Principi. 7. 203. intellectus habet rationem servi, & voluntas Domini. 7. 182.

Intellectus extra corpus liberior, & expeditior in operando. 8. 18. non indiget conversione ad phantasmata. 8. 6. & 21. vide Anima separata.

Intelligere, & intellectio non est actio physica termini productiva. 6. 29. nec intelligere est formaliter agere, & producere. 6. 33. neque formaliter consistit intellectio in passione vel receptione. 6. 34. sed tantum in qualitate vitali, qua intellectus intentionaliter assimilatur objecto, eique vitaliter conjungitur. 6. 35. licet pro statu isto per respectum tendentiæ in objectum explicari soleat. 6. 36. sic pariter intelligere formaliter est vitaliter operari exprimendo objectum. 6. 37. & solum præsuppositive est pati. 6. 37. & 43. duplicem sibi identificat respectum, scilicet repræsentantis ad repræsentatum, & tendentiæ in objectum. 6. 38. & 45. in ordine tamen ad objectum primarium, non vero secundarium. 6. 46. intelligere, & dicere ordinantur ut actio, & effectus, non autem ut duo effectus ab eadem causa. 6. 54. intelligere proprie spectat ad intellectivum possibilem, non agentem. 6. 158.

Intelligibilitas, quæ est affectio entis realis qualis sit, an motiva, vel terminativa. 6. 169. quomodo conveniat negationibus, privationibus, ac entibus rationis. 6. 175. & seq.

Intentio est actus voluntatis. 7. 178. interdum est unus, & idem actus cum electione, quandoque diversus. 7. 179. potest ad finem comparari tripliciter. 7. 179. quando sunt actus distincti, adhuc hunc sunt ejusdem speciei, *licet* probabiliter quoque possit oppositum sustineri. 7. 183. objectum formale, & primarium intentionis est finis. 7. 183.

Ira quid sit, & ad quam potentiam spectet. 5. 324.

Irascibilis potentia quid sit, & quod objectum habeat. 5. 312. non differt realiter a concupiscibili. 5. 314. quos actus habeat. 5. 324.

Judicium multipliciter sumitur. 5. 275. an competat sensui ib. & seq. est secunda intellectus operatio. 6. 308. non distinguitur ab assensu, vel dissensu propositionis. 6. 309. est actus simplex non compositus, apprehensioni superadditus. 6. 302. non est actus absolutus, sed collativus. 6. 314. qua ratione dicatur compositio, & divisio. 6. 315. qua ratione specialiter in eo reperiatur veritas, & falsitas. 6. 318. non semper est necessarium ad movendam voluntatem. 7. 153. duplex est, practicum, & speculativum. 7. 154.

L

Lac quid sit. 1. 108. non est animatum. 1. 116.

Lachrymæ unde proveniunt, & quæ sit earum materia. 5. 377. possunt provenire a pluribus causis, sed præcipuæ ex dolore, & lætitia. 5. 378.

Libertas soli voluntati convenit. 7. 8. tres ejus gradus. 7. 11. in quo gradu cum necessitate cohærere possit. 7. 12. libertas essentialis, seu dominii cum necessitate cohærere potest; non autem libertas contrarietatis, & contradictionis. 7. 13. libertas voluntatis nostræ præcipuæ consistit in indifferentia contradictionis. 7. 17. quid sit libertatis usus, & quomodo differat a libertate potentiæ. 7. 19. convenit voluntati etiam in eo, quo operatur in instanti. 7. 21. libertas proxima, & remota. 7. 26. quænam sit essentialis voluntati. ib. prima radix extrinseca libertatis nostræ est libertas divinæ voluntatis. 7. 32. intrinseca vero est indifferentia activa ipsius volitivæ potentiæ, non autem indifferentia judicii. 7. 40. libertas convenit voluntati creatæ proprie, ut productiva actus, non ut operativa. 7. 44. quomodo præsertim libertas specificationis pendeat ex indifferentia judicii. 7. 43. & 47. libertas physica, & moralis. 7. 48. essentialis, & accidentalis. ib. liberum quo pacto differat a voluntario. 7. 80. libertas contrarietatis, & contradictionis fuse declaratur. 7. 84. libertas servatur etiam circa objecta æque proposita. 7. 158. libertas est actus accidentalis, non essentialis. 7. 70. ponit in eo solam denominationem extrinsecam. 7. 68. idem actus sit de libero necessarius. 7. 70. potest puram omissionem afficere. 7. 81. libertas attenditur in actu, quando existit, non quando futurus est. 7. 21.

Ligamentum, seu vinculum in junctura quid sit. 5. 345.

Lingua describitur quoad partes. 5. 178. est sensorium gustus. 5. 179. & 188. an habeat proprium saporem. 5. 208. & 211.

Loquela quid sit. 5. 134. proprie reperitur non solum in hominibus, sed etiam in brutis. 5. 135. loquela hominum quibus differat a loquela brutorum. 5. 137. quomodo possit a nobis percipi brutorum loquela. 5. 139.

Lumen, *Lux*, *Lucidum* quid sint. 5. 22. lumen est specie distinctum a luce. 5. 23. per se producitur in instanti, per accidens in tempore. 5. 25. educitur de potentia subjecti. 5. 27. recipitur tam in diaphano, quam in opaco, tam in profunditate, quam in sola superficie. 5. 29. lumen est species lucis, potestque videri per lumen secundarium tanquam per propriam speciem. 5. 33. a duobus lucidis in medio non unum lumen intensius, sed duo lumina numero distincta producuntur. 5. 34. lumen rectum fractum, & reflexum propria reflexione fit immediate a lucido; reflexum vero impropria reflexione fit a lumine primario. 5. 43. lumen primarium, & secundarium sunt alterius rationis. 5. 45. dependet in fieri, & conservari ab objecto. 5. 47. luminis definitio explicatur. 5. 51. lumen differt ab albedine, & perspicuitate. 5. 57.

Lumen non est principium formale dispositivum coloris. 5. 65. est alicujus coloris causativum. 5. 66. requiritur ad visionem ex parte medii ac etiam ipsius sensorii visus. 5. 86. requiritur etiam ex parte objecti. 5. 103.

M

Malum ut tale nequit esse objectum amoris. 7. 108. necessitat voluntatem quoad specificationem, non quoad exercitium. 7. 173.

Materiale per quid differat a spiritu. 1. 51. & seq.

Media habent propriam bonitatem distinctam a bonitate finis, licet ad illum ordinatam. 7. 118.

Medulla spiritualis est ejusdem rationis cum cerebro. 1. 110. medulla, quæ est ossium nutrimentum, est alterius rationis. ib. non est animata. 1. 116.

Membrum unicum in vivente debet esse sedes animæ, non plura. 1. 130. tale in animalibus est cor, non cerebrum. 1. 132. in generatione tamen quæ sunt principaliora, prius effo mantur. ib.

Memoria dupliciter sumitur, & quid utraque sit. 5. 286. quibus conveniat. 5. 299. præter sensitivam admittenda est memoria intellectiva, ut est recordativa præteritorum. 6. 88. retinet species indelebiliter. 6. 89. ideo oblivio oritur ex parte memoriæ sensitivæ, non intellectivæ. 6. 90. intellectiva pro statu isto pendet a sensitiva. 6. 89. memoria intellectiva non est potentia ex natura rei ab intellectu distincta. 6. 91.

Meninges quid sint. 1. 150.

Motiva virtus an conveniat omnibus animalibus. 4. 12. est distincta a cognitiva, & appetitiva. 5. 342. est causa totalis motus progressivi, licet aliæ duæ concurrant ut dirigens, & applicans. ib. obedit dispotice voluntati in homine, nec necessario debet intervenire actus appetitus sensitivi. 5. 344. residet in musculis, ut in organo. 5. 346.

Motus in animali est duplex, vitalis, & animalis, & hic dividitur in imperfectum, & perfectum. 5. 341.

Musca habet memoriam. 5. 292.

Musculi quid sint. 5. 346. sunt instrumentum motivæ potentiæ. ibid. quot reperiantur in animali. ibid.

N

Nasus describitur quoad partes externas, & internas. 5. 163.

Natura transit ab imperfecto ad perfectum, quomodo intelligatur. 6. 260.

Natura universalis: vide Universale.

Negatio an percipiatur a sensu. 4. 20. & 5. 259. quomodo cognosci dicatur ab intellectu per oppositam affirmationem. 6. 177.

Nervus est sensorium principale tactus. 5. 188.

Notitia, vide Cognitio.

Nutritio duplex. 1. 30. proprie solis viventibus convenit. ib.

O

Objectum in his libris quodnam sit procem. n. 1. objecta quomodo specificent actus, & potentias. 2. 48. quando diversarum potentiarum sint objecta diversa. 2. 52. quo pacto assignari debent objecta adæquata potentiarum. 2. 53. & 154. & 6. 167. objectum intellectus, vide intellectus, in objecto cuilibet potentia duplex potest notari primitas communitatis scilicet, & virtualitatis. 6. 166. objecta materialia, & sensibilia quo sensu dicantur potentia intelligibilia, & ab intellectu agente transferri de ordine in ordinem. 6. 115. & 123. & 206. & 207. objectum debet proportionari potentiæ in movendo, non in essendo. 6. 219. quomodo cum potentia uniri debeat ad causandam cognitionem. 6. 21. & 63. duplex est, materiale, & formale, proximum, & remotum. 6. 286. vide voluntatis objectum. num objectum intellectus sit nobilius objecto voluntatis. 7. 214. objecti ad potentiam qualis debeat esse proportio. 8. 18.

Oblivio quomodo fiat. 5. 288. quo pacto solvatur. ibid. & seq. vide Memoria.

Oculi figura. 5. 10. situs. 5. 11. *humores*, *tunicæ*, & colorum varietas. 5. 12. musculi, & nervi. 5. 13. temperamentum. 5. 14. acies oculi quænam sit. 5. 97. non potest oculus elevari ad videndum Deum, nec aliud spirituale. 4. 22. & seq.

Odor est qualitas de tertia specie. 5. 165. provenit præcipue ex dominio siccitatis. 5. 166. requiritur calor concoquens. 5. 167. quomodo eadem pars potest esse saporosa, & odorosa. 5. 168. quo pacto diffundatur per medium. 5. 170. medium est corpus fluidum. 5. 169. multiplicatur realiter in medio per evaporationem. 5. 170. producit species intentionales. 5. 171. an percipiatur secundum quemlibet gradum. 5. 208.

Olfactus quas afferat utilitates. 5. 6. ejus perfectio. 5. 7. quibus conveniat. 5. 162. quodnam sit sensorium. 5. 164. cur ad olfactum aspiratio aeris sit necessaria in respirantibus. ib. objectum est odor. 5. 165. medium est aer, & aqua, & corpus fluidum. 5. 169.

Omissio pure libera est possibilis. 7. 81.

Operatio intellectus triplex. 6. 288. quomodo prima exerceatur. 6. 290. habet pro objecto nedum simplices terminos, sed integram quoque propositionem. 6. 291. habet propriam veritatem. 6. 300. non tamen falsitatem. 6. 302. quomodo per accidens in ea contingat falsitas. 6. 304. quæ sit secunda intellectus operatio. 6. 309. est actus simplex, non compositus, apprehensioni superadditus. 6. 313. non est actus absolutus, sed collativus. 6. 315. qua ratione dicatur compositio; & divisio. 6. 316. qua ratione in ea specialiter reperiatur veritas, & falsitas. 6. 319. quæ sit tertia intellectus operatio. 6. 322. est realiter distincta a prima, & secunda. 6. 323. est actus simplex, non compositus. 6. 326. consistit formaliter in judicio illativo consequentis ex antecedenti. ib.

Oris descriptio. 5. 178.

P

Passio de genere qualitatis quid sit. 5. 326.

Pericardium quid sit. 1. 104.

Perſpicuum quid ſit & quotuplex. 5. 51. ſi perſpicuitas differt a lumine, & albedine. 5. 57.
Phantaſia quid ſit. 5. 285. quibus conveniat. 5. 290.
Phantaſma: vide ſpecies ſenſibiles, quo pacto phantaſmata ſint neceſſaria ad intelligendum. 6. 6. quare unum phantaſma fortius alio moveat. 6. 93. concurrit cum intellectu agente ad productionem ſpecierum intelligibilium. 6. 106. quomodo ab illo illuſtrari dicatur. 6. 137. phantaſma valens imprimere ſpeciem ſingularis poteſt etiam imprimere ſpeciem univerſalis. 6. 230.
Pili qua materia fiant. 1. 112. an ſint animati. 1. 116.
Pinguedo quid ſit, & a quo cauſetur. 1. 109. non eſt animata. 1. 116.
Plantæ vivunt, *non ſentiunt*. 1. 32.
Plumæ ſunt animatæ, 1. 116.
Potentiarum vitalium genera quo ſenſu quinque aſſignantur. 1. 34. & 35.
Potentiæ animæ ſumi poſſunt vel pro formali, vel pro fundamento. 2. 1. potentiæ pro fundamento ſumptæ aliæ ſunt inorganicæ, aliæ organicæ; & iſtæ vel ſunt completæ, vel incompletæ. ib. potentiæ animæ non diſtinguuntur realiter ab anima. 2. 2. anima eſt principium *quod* actuum, potentiæ ſunt principium *quo*. 2. 13. potentiæ diſtinguuntur ab anima formaliter. 2. 15. etiam in ſe diſtinguuntur formaliter. 2. 18. active concurrit ad actum. 2. 27. ab actu denominatur productiva, receptiva, & operativa. 2. 31. in quo conſiſtat vitalitas potentiæ. 2. 34. potentiæ ſpecificantur ab actibus, non intrinſece, ſed extrinſece. 2. 48. quando diſtinctæ petunt diſtincta objecta. 2. 52.
Potentiæ ſunt receptivæ habitum. 3. 3. quid requiratur, ut ſint habituales. 3. 11. quæ potentiæ poſſunt, vel nequeunt recipere habitus. 3. 7. & 13.
Potentiæ animæ vegetantis ſunt tres, nutritiva, augmentativa, & generativa. 4. 1. non tamen neceſſario in omnibus ſimul adſunt. ib. primæ duæ non differunt inter ſe realiter. 4. 5. generativa eſt realiter ab illis diſtincta, ib. nutritiva eſt multiplex juxta varietatem ſpecificam partium corporis. 4. 8.
Potentiæ animæ ſenſitivæ quæ ſint. 4. 12.
Vide Appetitus, Senſus.
Potentiæ animæ rationalis, Vide Intellectus, Voluntas.
Privatio an percipiatur a ſenſu. 4. 20. & 5. 259.
Pruritus quid ſit. 5. 339.
Pulſus quid ſit, & quomodo fiat. 5. 369. cauſa efficiens, & finalis hujus motus quæ ſint. 5. 370.

Q

Qualitas tangibilis eſt adæquatum objectum tactus. 5. 194. dividitur in ſeptem contrarietates. ib. qualitas tangibilis per ſe percipitur a tactu 5. 200. an percipiatur qualitas organi, eſt dubium. ib. qualitates primæ, ut intentionaliter agant in organum tactus, debent prius in illud agere realiter. 5. 206. qualitates tangibiles primæ ſolum ſecundum excellentias percipiuntur, ſecundæ vero probabiliter ſecundum omnem gradum. 5. 204. oppoſitum eſt etiam probabile. 5. 210.

R

Radius opticus quid ſit, & quotuplex. 5. 97. quinam ſit axis opticus. ib.
Recipiens debet eſſe denudatum a natura recepti, & quomodo intelligatur. 6. 138.
Recordatio quid ſit. & quod objectum habeat. 5. 286. cur facilius recordemur eorum, quæ in pueritia acciderunt. 5. 287.
Vide Memoria.
Reflexio hominis propria cur ſolum fiat e corpore polito. 5. 45.
Relatio propriam non imprimit ſpeciem. 6. 190.
Reminiſcentia quid ſit. 5. 278.
Reſpiratio quid ſit, & quomodo fiat. 5. 365. quæ ſit cauſa efficiens. 5. 366. quæ ſit cauſa finalis reſpirationis. 5. 367. aer non aqua reſpirationi inſervit. ib. reſpiratio eſt naturalis prout naturale opponitur violento, an prout opponitur voluntario, eſt partim naturalis, partim arbitraria. ib. quibus conveniat reſpiratio. 5. 368.
Reſurrectio quo pacto naturalis dici poſſit. 8. 10.
Riſus quid ſit. 5. 371. poteſt cauſari a cauſa externa, & interna. ibid. quomodo cauſetur a cauſa externa, & præcipue ex titillatione. 5. 372. & ſeq. quomodo fiat ab intrinſeca cauſa. 5. 375. quod ſit objectum riſus. ib. riſus præexigit non ſolum cognitionem ſenſitivam, ſed aliqualem intellectivam. ib. ſoli homini convenit. ib.

S

Sanguis non eſt animatus. 1. 116. eſt pars ſubintegralis ipſius animalis. 1. 125.
Sapor eſt qualitas præcipue proveniens ex dominio humidi. 3. 166. requiritur calor conſequens. 5. 167. quomodo eadem pars poteſt eſſe odoroſa, & ſaporoſa. 5. 168. quomodo definiatur. 5. 180. ſpecies ſaporis. 5. 182. an percipiatur ſecundum quemlibet gradum. 5. 280.
Semen quid ſit. 1. 108. non eſt animatum. 1. 116.
Senſatio an repræſentet objectum diviſibiliter, an vero indiviſibiliter. 4. 88. ſenſatio vera, & ſenſatio falſa de eodem objecto ſunt alterius rationis. 4. 128. quæ ſit cauſa erroris in actu ſenſus. 4. 129. num contraria eadem ſenſatione ſentiri poſſint. 6. 287.
Senſibile dupliciter ſumi poteſt. 4. 19. quid in ipſo dicat ſenſibilitas. ib. debet eſſe ens reale. 4. 20. corporeum, & materiale. 4. 22. non ſpirituale etiam de potentia Dei abſoluta. 4. 23. debet eſſe ſingulare, ratio tamen movendi ſenſum eſt natura communis, ſingularitas eſt conditio. 4. 28. debet eſſe accidens, non ſubſtantia. 4. 31.
Senſibile aliud per ſe, aliud per accidens, ſenſibile per ſe aliud proprium, aliud commune. 4. 34. ſenſibilia communia ſunt quinque. 4. 35. non habent propriam ſpeciem. 4. 60. a ſenſibili communi ſpecies ſenſibilis proprii pendet. 4. 62. non recipit ab illo modum aliquem. 4. 63.
Senſibile excellens ut ſenſibile eſt, per accidens læderet ſenſum. 5. 221. poſitum ſupra ſenſum non ſemper facit ſenſationem. 5. 24. & ſeq.
Senſus producit, & recipit in ſeipſo ſenſationes. 4. 14. nequit percipere ſpirituale. 4. 22. & ſeq. ſenſus agens quid ſit. 4. 53. non datur. 4. 55. ſenſus non ſemper errat. 4. 118. nec ſemper dicit verum. 4. 119. tripliciter impediri poteſt, ne recte operetur 4. 120. quæ ſit cauſa erroris in ſenſu. 4. 122. quo pacto ſenſus non decipiatur circa ſenſibile proprium, ſed circa commune. 4. 125. & 126.
Senſus alii externi, alii interni. 5. 1. externi ſunt quinque, eorumque ſufficientia aſſignatur. ib. & ſeq. quinam ſit perfectior. 5. 7.
Senſus per accidens læditur a ſenſibili excellenti, ut ſenſibile eſt. 5. 221.
Senſus externus non percipit proprios actus, nec eſt reflexivus. 5. 228. non ſemper eſt ejuſdem ſpeciei in homine, & in brutis. 5. 230. an ſit perfectior in homine, quam in brutis. 5. 232. non poteſt ferri in objectum abſens. 5. 234. an poſſit cognoſcere objectum exiſtens ſub modo indiviſibili. 5. 239. an formet idolum; ſeu ſpeciem externam. 5. 245.
Senſus externus datur etiam in brutis. 5. 246. organum eſt cerebri medulla. 5. 248. recipit objecta ſenſuum externorum, non tamen eorum convenientiam, ac diſconvenientiam niſi cognitione experimentali. 5. 254. & ſeq. cognoſcit etiam privationes, & negationes ſed non per ſpecies inſenſatas. 5. 259. percipit actus externos ſenſitivi appetitus, & probabiliter proprios actus. 5. 260. an cognoſcantur per ſpecies diſtinctas a ſpeciebus objecti. 5. 261. poteſt plura ſimul cognoſcere. 5. 264. objectum adæquatum ipſius eſt ſenſibile in communi in ſua univerſalitate. 5. 271.
Senſus internus habet multos actus. 5. 272. & 305. dum imaginatur, componit objecta apprehenſa, non ſpecies illorum. ib. non judicat, neque diſcurrit. 5. 276. quot, & quæ ſint facultates ſenſitivæ internæ. 5. 283. quibus animalibus conveniant. 5. 290. non ſunt plures potentiæ realiter diſtinctæ, ſed una tantum. 5. 264.
Senſus communis eſt unus, & quid ſit. 5. 283.
Serum quid ſit, ejuſque cauſa effectiva. 1. 109. non eſt animatum. 1. 116.
Siccitas duplex, ignea, & terrea, iſta concurrit ad ſaporem 5. 180.
Similitudo triplex, formalis, virtualis, & objectiva. 4. 109.
Singulare non movet ſenſum ſub ratione ſingularitatis, ſed naturæ communis. 4. 28. non cognoſcitur intuitive ab intellectu noſtro pro ſtatu iſto. 6. 203. abſolute tamen ſic cognoſci poteſt & de facto cognoſcitur ab intellectu Angelico, & humano ſoluto 6. 205. ſingulare ſenſibile eſt actu intelligibile, & non potentia tantum. 6. 206. eſt per ſe, & directe intelligibile. 6. 208. & 211. a nobis etiam pro ſtatu iſto concipitur ſub conceptu proprio, ut a communi diſtinguitur notitia abſtractiva. 6. 209. imprimit propriam ſpeciem nedum in ſenſu, ſed etiam in intellecta. 6. 213. non ramen ita propriam, ut eum repræſentet ſub ratione propria ſingularitatis, & ducat in conceptu ejus propriam ex propriis. 6. 214. unde aliud eſt ſingulare cognoſci pro ſtatu iſto, aliud ſub ratione ſingularitatis. 6. 215. ſingulare nequit per ſpeciem univerſalis adæquate repræſentari. 6. 224.
Singulare materiale ſenſibile eſt primum cognitum a nobis primitate originis. 6. 239. non quidem ſingulare ſignatum, ſed vagum. 6. 244. & ſingulare ſpecici ſpecialiſſimę. 6. 246.
Subſtantia materialis pro hoc ſtatu non attingitur a nobis ſub propria ejus ratione. 6. 281. ſed tantum arguitive ſub conceptu proprio ex communibus deducto. 6. 182. neque per propriam ſpeciem, ſed alienam. 6. 185. prius cognoſcitur accidens, quam ſubſtantia, cognitione confuſa. 6. 188. & eo magis ſubſtantia immaterialis, nec ſub propria ratione intelligitur, nec per propriam ſpeciem, ſed per alienas ſcilicet rerum ſenſibilium, & ſub conceptu proprio ex communibus. 6. 192. & 193. duplex via inveſtigandi hujuſmodi conceptus de ſubſtantiis ſeparatis. 6. 193.
Somnia quid ſint, & quibus competant. 5. 358. homo incipit ſomniare circa quartum, vel quintum annum. 5. 359. cauſa efficiens ſomniorum non eſt animus noſter, ut cognoſcens futura. 5. 361. poſſunt ſomnia cauſare Deus, Angeli, Dæmones, cerebri humores, infirmitates, &c. 5. 360. quando liceat divinare per ſomnia. 5. 363. & ſeq. ſomnia a Deo cauſata ſunt in triplici differentia ibid.
Somnus quid ſit. 5. 348. provenit ex impedimento defluxus ſpirituum vitalium ad ſenſus externos. ibidem, hoc impedimentum ex multis capitibus oriri poteſt. 5. 349. & ſeq. quæ ſit cauſa finalis ſomni. 5. 351. debet eſſe moderatus. ibidem. omni, & ſoli animali convenit. 5. 352. quo pacto ſit paſſio ſenſus communis: 5. 353. non neceſſario in ſomno omnes potentiæ ſenſitivæ manent impeditæ. 5. 354. cur ſomnus quandoque eſt longior, & profundior, quandoque brevior, & levior, 5. 355. an prius conveniat animali, quam vigilia. 5. 357. cur in ſomno res majores appareant. 5. 360.
Sonus eſt objectum auditus. 5. 121. quomodo fiat, & quot requirantur corpora. ibidem. conditiones corporum percutientium quæ ſint. 5. 122. corpus intermedium quas habeat conditiones. 5. 123. an poſſit omne corpus fluidum inſervire, an ſolus aer. ibidem. quæ ſint cauſa efficiens ſoni. 5. 124. eſt qualitas a motu diſtincta. 5. 125. a motu ut a conditione dependet in fieri, & conſervari. 5. 162. quodnam ſit ſubjectum ſoni. 5. 128. & 142. in ictu an unus vel duplex ſonus cauſetur. 5. 129. & 143. quæ ſint ſpecies ſoni. 5. 131. per quid differant ſonus, vox, & ſermo. ibid.
Sonus non neceſſario ſecundum eſſe reale pervenit ad aures. 5. 144. & ſeq. pervenit ſemper ſecundum eſſe intentionale. 5. 147. non multiplicatur realiter poſt primam productionem 5. 148. cur ſonus percipiatur poſt ictum 5. 153. & ſeq. ubi varia alia dubia declarantur; ſonus internus quomodo fiat 5. 160. ſonus reflexus quid ſit & quo pacto fiat 5. 161.
Species ſenſibiles cur ſic vocentur 4. 36. dantur in ſenſibus externis, & internis 4. 38. non ſunt corpuſcula ſubſtantialia, ſed qualitas alterius rationis ab objectis 4. 41. recipiuntur in medio proportionato, & in potentiis ſenſitivis, vel completis, vel partialibus organicis 4. 46. deducuntur de potentia ſubjecti 4. 49. quam unionem habent cum potentia 4. 51. & 52.
Non cauſantur effective a ſenſu 4. 45. ſed totalitee ab objectis. ibid. & ſeq. ſenſibile per accidens ſcilicet ſubſtantia non habet propriam ſpeciem ſenſibilem neque in ſenſibus internis. 4. 57. ſenſibile commune non habet propriam ſpeciem 4. 60. nec cauſat modum aliquem in ſpecie ſenſibilis proprii 4. 63. hæc tamen ab ipſo dependet, ipſumque nata eſt repræſentare cum proprio ſenſibili 4. 62. & 64. dantur ſpecies ſenſibiles internæ repræſentantes actus internos ab ipſis productæ. 4. 80. ſpecies ſenſibiles internæ objectorum a quo cauſentur 4. 82. & 83.
Diviſibilitas ſpecierum multiplex 4. 84. ſpecies ſunt diviſibiles in eſſendo, & in repræſentando 4. 85. in quolibet puncto medii reperiuntur ſpecies omnium partium objecti, non tamen efficiunt intenſiorem ſpeciem 4. 88. quomodo ſpecies tam externa, quam interna intendatur 4. 94. ſpecies ſenſibilis, ut ſic de ſua ratione formali non pendet ab objecto in conſervari 4. 96. corrumpuntur ad corruptionem ſubjecti 4. 97.
Species ſenſibiles tam internæ, quam externæ active concurrunt ad actus 4. 103. partialiter tamen cum potentia partialitate cauſæ non effectus 4. 104. ſunt ſimilitudines objecti, non objectivæ nec formales, ſed virtuales. 4. 110.
Species viſibiles poſſunt in ſe per alias ſpecies videri 5. 33. dependent in fieri, & conſervari ab objecto 5. 47. immittuntur ad oculum ab objecto ad modum pyramidis 5. 98.
Species audibiles ſoni dantur 5. 147. incipiunt emitti, ubi fit ſonus. ibid. ſunt aliarum productivæ 5. 153. & ſeq. per quod medium deferantur 5. 158.
Species odoris dantur 5. 171. & 214. per quod medium deferantur 5. 169.
Species in guſtu, & tactu dantur 5. 214. quæ ſit ratio 5. 216.
Species non eſt immaterialior, quo magis ab objecto diſtat 5. 225. ſpecies inſenſatæ non dantur 5. 254.
Species intelligibiles non ſunt ejuſdem naturæ cum objectis, ſed alterius rationis 4. 41. & ſeq. educuntur de potentia ſubjecti 4. 49. quam unionem habent cum potentia 4. 51. & 52. ſunt neceſſaria ad cognitionem abſtractivam. 6. 62. potiſſima ratio hujus neceſſitatis deducitur ex memoria intellectiva, & recordatione præteritorum. 6. 67. tota ſpeciei neceſſitas attenditur ex parte objecti ad ſupplendum ejus concurſum. 6. 71. hoc ſupplementum ex tribus capitibus eſſe poteſt neceſſarium. ibid. ſpecies potius, quam objectum in ſpecie, eſt comprincipium intellectionis. 6. 74. intenduntur, & remittuntur. 6. 75. permanent, & conſervantur poſt actum intelligendi. 6. 76. imo etiam poſt mortem, unde quamvis deſe ſint delebiles, & corruptibiles, conſervantur tamen ex perennitate ſubjecti ib. non ſunt neceſſariæ ad cognitionem intuitivam. 6. 83. quin potius ſunt prorſus ineptæ. 6. 85. & 86. intervenire poſſunt ut effectus prævius ad ipſam notitiam intuitivam. 6. 93. cauſa efficiens illarum eſt intellectus agens cum phantaſmate. 6. 106. an intellectus poſſibilis quaſdam alias ſpecies ex productis ab intellectu agente valeat efformare. 194. & 230. an ſaltem ſpecies generum abſtrahere poſſit. 6. 112.
Species ſubſtantiæ num dentur pro ſtatu iſto. 6. 172. & 173. an ſpecies ſingularis. 6. 212. & 213.
Species ſingularis poteſt repræſentare univerſale. 6. 238. non poteſt dari ſpecies impreſſa, nec expreſſa plurium quiditatum diſparatarum repræſentativa. 6. 274.
Poſſibi is eſt ſpecies impreſſa divinæ eſſentiæ. 4. 52.
Speculum repræſentat objectum, non ſpecies objecti. 5. 42. & 6. 90.
Spes quid ſit, & ad quam potentiam ſpectet. 5. 324.
Spiritus per quid differat a corpore. 1. 51. & ſeq.
Spiritus vitales, & animales quid ſint, & quomodo fiant, 1. 107. non ſunt animati 1. 116.
Subſtantia quælibet an agat mediis potentiis formaliter diſtinctis. 2. 19. & 20. non eſt per ſe ſenſibilis. 4. 31. non habet ſpeciem ſenſibilem in cogitativa hominis. 4. 57.
Sympathia: *Vide* Antipathia.

T

Tactus quas afferat utilitates. 5. 6. ejus perfectio, & neceſſitas 5. 7. omnibus animalibus convenit. 5. 184. quodnam ſit ſenſorium. 5. 186. eſt unus ſenſus ſpecie ſpecialiſſima. 5. 191. quod ſit objectum. 5. 194. per ſe nullum requirit medium. 5. 196. per ſe percipit qualitatem objecti, ſed dubium eſt, an percipiat qualitatem organi. 5. 200.
Tactus percipit excellentias primarum qualitatum, ſecundarum vero quemlibet gradum. 5. 204. oppoſitum eſt etiam probabile. 5. 210. recipit ſpecies objecti. 5. 217.
Talpa an habeat viſum. 5. 21.
Tendo quid ſit. 5. 345.
Tenebræ eſt non ens, & differt a nigredine. 5. 57. quomodo lædant viſum. 5. 223.
Timor quid ſit, & ad quam potentiam ſpectet. 5. 324.
Titillatio venerea non eſt ſenſus diſtinctus a tactu. 5. 5. titillatio in quibuſdam partibus corporis unde cauſetur. 5. 219. quomodo cauſet riſum. 5. 372. & ſeq.
Totum duplex, actuale, & potentiale. 6. 256. & 262.
Triſtitia ſpectat ad voluptatem. 5. 322. & 327. eſt paſſio, non actio. ibid. a quo cauſatur 5. 332.

V

Ubicatio an ſit ſenſibilis, habeatque propriam ſpeciem. 4. 60.
Venæ per quid differant ab arteriis. 5. 369. cur non pulſant ibid. & ſeq.
Verbum mentis non eſt terminus per intellectionem productus. 6. 32. ſed eſt ipſa actualis intellectio. 6. 47. non quæcumque, ſed illa tantum, quæ eſt naturaliter genita, & producta a memoria fœcunda 6. 48 unde duæ conditiones requiruntur ad verbi mentalis conſtitutionem, ibid. verbi mentalis definitio. 6. 50. vere, & proprie producitur a memoria fecunda per actionem a ſeipſo diſtinctam. 6. 51. producitur per actum dicendi, non intelligendi. 6. 53.
Veritas quid ſit, & quotuplex. 4. 116. & 6. 293. convenit ſimplici apprehenſioni, quæ eſt prima intellectus operatio. 6. 299. quomodo ſpecialiter conveniat ſecundæ operationi. 6. 318.
Vigilia quid ſit. 5. 248. omni, & ſoli animali convenit. 5. 352. a quo cauſetur. 5. 356. an prius conveniat animali, quam ſomnus. 5. 357.
Vide Somnus.
Virga ignita in gyrum commota cur circulum repreſenter. 5. 49. & 50.
Viſio fit per intromiſſionem, non per extramiſſionem. 5. 91. viſionem fieri per lineam rectam explicatur. 5. 97. videre res per pyramidem, quid ſit. 5. 98. cur res duobus oculis inſpecta non appareat geminata. ibid. res duobus oculis inſpecta clarius videtur, quam uno tantum. 5. 99. fit per ſe in inſtanti. 5. 100. num album & nigrum eadem viſione videri poſſint. 6. 286.
Viſio Dei in beatis non eſt verbum. 6. 48. non eſt comprehenſio. 6. 357.
Viſus quas afferat utilitates. 5. 6. ejus perfectio præ cæteris ſenſibus. 5. 7. quomodo juvet ſcientiis. 5. 9. ſenſorium viſus eſt humor oculi cryſtallinus. 5. 16. viſiva potentia non eſt una numero, ſed geminata. 5. 18. quibus animalibus conveniat. 5. 20. & 21.
Medium viſus duplex internum, & externum. 5. 83. ad viſionem objecti externi requiritur medium externum. ibid.

hoc medium debet esse plenum. 5. 84. debet esse illuminatum 5. 86.

Objectum visus adæquatum quodnam sit. 5. 201. color, ut videatur, requirit lumen in se receptum. 5. 103. varia quæsita de visu resolvuntur. 5. 108. & seq.

Vita duplex in actu primo, & in actu secundo. 1. 10. item alia productiva, seu physica, alia operativa, seu intentionalis. 1. 14. quid sit vita in actu primo, & physica. 1. 15. reperitur in Deo, Angelis, & viventibus materialibus. 1. 13.

Vitalitas actus quid sit. 2. 33. vitalitas potentiæ in quo consistat. 2. 34.

Vivens per quid differat a non vivente. 1. 15. non prius vivit vita plantæ, deinde vita animalis. 1. 95. an habeat simul plures animas. 1. 88.

Ungues e qua materia fiant. 1. 112. sunt animati. 1. 116.

Unio objecti cum potentia qualis esse debeat. 6. 21. & 63.

Unio animæ rationalis ad corpus ad quem finem sit. 8. 18.

Universale Metaphysicum, seu natura a singularitate præscindens est idoneum objectum cognitionis intuitivæ. 6. 226. cognitio abstractiva universalis, ut sic, ad intellectum spectat, non ad sensum. 6. 227. cognosci potest per propriam speciem, & per speciem ipsius singularis. 6. 228. facta comparatione inter universalia minus universale est primum cognitum primitate originis. 6. 247. minus universale facilius abstrahitur, quam magis universale. 6. 248. & 254.

Voluntas est potentia appetitiva spiritualis, & inorganica intellectui correspondens. 7. 1. est ex natura rei ab intellectu distincta. 7. 2. ejus definitio assignatur ibidem. active se habet in ordine ad actus suos. 7. 3. non est potentia naturalis, sed libera. 7. 5. immo ipsa sola est libera, aliæ vero potentiæ, non nisi participative, & dependenter ab ea. 7. 8. est libera etiam in eo, quo operatur, instanti. 7. 21. an possit cogi, & vim pati in actibus suis. 7. 127. prima radix extrinseca libertatis nostræ est libertas divinæ voluntatis. 7. 32. intrinseca vero est indifferentia activa ipsius volitivæ potentiæ, non differentia judicii. 7. 40.

Voluntas nostra potius, ut productiva, quam ut operativa est libera. 7. 44.

Voluntas non determinatur ab ultimo judicio practico intellectus. 7. 50. & seq. nec quoad libertatem specificationis, nec exercitii. 7. 54. errare potest nullo præcedente defectu in intellectu absolute loquendo. 7. 55. regulariter tamen præcedere solet defectus cujusdam considerationis 7. 63. quomodo dicatur sequi ductum intellectus ibid. ejus actus conditionati dantur. 7. 111.

Voluntatis objectum statuitur. 7. 104. potest poni ens in tota sua amplitudine, vel per bonitatem restrictum. ibid. an prærequirat finem formaliter apprehensum. 5. 266. potest appetere impossibilia actu inefficaci. 7. 112. non solum finis, sed etiam media continentur aliquo modo sub objecto formali voluntatis. 7. 115. & seq. potest voluntas versari circa bonum a ratione utriusque præscindens actu quodam neutro inter intentionem, & electionem. 7. 120. in incognitum ferri non potest nec naturaliter, nec divinitus. 7. 148. quia solum per cognitionem fit ei objectum apte præsens. 7. 149. talis cognitio esse debet intellectiva. 7. 152. & sufficit quod sit apprehensiva, ut moveatur voluntas ad operandum. 7. 153. quando esse debeat judicativa. 7. 154. ex duobus bonis æqualiter propositis potest voluntas eligere quod voluerit, & ex duobus inæqualiter propositis potest elicere minus bonum, seu minus efficaciter propositum. 7. 158. & seq. neque objectum, neque ejus cognitio est causa totalis volitionis, 7. 164. probabile tamen est cognitionem objecti concurrere partialiter, licet minus principaliter. 7. 164 adhuc tamen probabilius est voluntatem esse causam totalem suorum actuum.

Voluntas circa quodcunque objectum in via est libera saltem libertate exercitii. 7. 173. etiam in patria retinet intrinsece talem libertatem circa objectum ipsum beatificum, & solum extrinsece necessitatur ad ejus fruitionem. 7. 174. & 175.

Voluntas sibi ipsi imperat, & intellectui. 7. 191. imperat appetitui sensitivo politice tamen, non dispotice. 5. 320. & 7. 192. imperat potentiæ motivæ dispotice. 7. 192. indirecte tandem, & per accidens imperat potentiæ vegetativæ. 7. 193. qua energia applicet inferiores potentias ad operandum. 7. 195. non eas physice prædeterminat 7. 195. sed eas movet per quandam naturalem sympathiam. 7. 198. probabile etiam est eas movere per concursum simultaneum ad earum operationes. 7. 197.

Voluntatis actus enumerantur. 7. 176. conditionati dantur, & quinam sint. 7. 111. ac etiam datur actus neuter veluti medius inter intentionem, & electionem. 7. 120. qui tamen ab intentione latius sumpta non differt. 7. 176. intentio, & electio sunt præcipui actus voluntatis ad quos cæteri reducuntur. 7. 177. imperium est actus voluntatis. 7. 185. probabile est ab electione non distingui. 7. 190.

Voluntas intellectui nobilitate præstat. 7. 203. intellectus habet rationem servi lucem præferentis, & voluntas Domini. 7. 211.

Voluntarium quid sit, & quomodo a libero differat. 7. 89. positivum & privativum. 7. 87.

Voluptas spectat ad appetitum sensitivum. 5. 322. est passio appetitus sensitivi, non sensatio, aut qualitas. 5. 334. a quo causetur 5. 338.

Vox per quid differat a sono, & sermone. 5. 131. habet varia instrumenta. 5. 132. quomodo definiatur. 5. 133. convenit solum animalibus respirantibus. ibid. sub se tanquam speciem continet loquelam. 5. 134.

INDEX DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM

In Libros de Generatione, & Corruptione.

QUÆSTIO PROOEMIALIS.

Quodnam sit horum librorum adæquatum subjectum. 263

DISPUTATIO I.

De Primis Qualitatibus.

Quæst. 1. AN Calor, Frigus, siccitas, & humiditas sint formæ positivæ a rebus ipsis calidis, frigidis, &c. distinctæ. 264

Quæst. 2. An Calor, & Frigus, siccitas, & humiditas sint in omnibus corporibus formæ accidentales, an potius in quibusdam subsantiales, & quomodo definiantur. 265

Artic. 1. In omnibus esse formas accidentales demonstratur. 266

Artic. 2. Explicantur definitiones istarum qualitatum ab Arist. traditæ. 268

Quæst. 3. An istæ Qualitates sint omnium primæ. 270

Quæst. 4. An omnibus istis Qualitatibus conveniat Activitas, & resistentia, & quomodo. 272

Quæst. 5. An Qualitates contrariæ possint esse simul in eodem subjecto, & quomodo. 274

Artic. 1. Contraria possunt simul coexistere naturaliter in gradibus remissis. 275

Artic. 2. Contraria possunt simul coexistere supernaturaliter in gradibus intensis. 277

Quæst. 6. Quænam ex his Qualitatibus conveniat Elementis, & in quo gradu. 279

Artic. 1. Singulis Elementis propriæ assignantur Qualites. ibid.

Append. De Calore Aeris, & Frigiditate Terræ. 283

Artic. 2. Determinatur intensio qualitatum in singulis Elementis. 285

Quæst. 7. An qualitates Symbolæ Elementorum, aliorumque corporum sint ejusdem speciei. 287

DISPUTATIO II.

De Actione, & Reactione.

Quæst. 1. AN Simile possit agere in Simile. 290

Artic. 1. An requiratur dissimilitudo inter Agens, & Passum. ibid.

Artic. 2. An ista dissimilitudo debeat esse secundum proportionem majoris inæqualitatis. 292

Quæst. 2. An idem possit in seipsum agere Actione Univoca. 294

Artic. 1. An Qualitas per antiperistasim, & reflexionem intendatur. ibid.

Artic. 2. Assignantur causæ majoris Intensionis in antiperistasi, & reflexione. 295

Quæst. 3. An omne Agens repatiatur in agendo. 298

Quæst. 4. De Sphæra activitatis agentis. 300

Quæst. 5. De Terminis potentiarum. 302

DISPUTATIO III.

De alteratione.

Quæst. 1. QUædam de Alteratione dilucidantur. 305

Quæst. 2. An Intensio fiat per realem acquisitionem qualitatis. 306

Artic. 1. Per Intensionem nova qualitas acquiritur. ibid.

Artic. 2. In Intensione præcedens qualitas non deperditur. 309

Quæst. 3. An istæ partes intensivæ qualitatis sint omogeneæ, vel ætherogeneæ. 311

Quæst. 4. Ubi complete explicatur tota compositio Intensionis, & extensionis qualitatis. 314

Quæst. 5. An Alteratio possit successive, & continue fieri. 315

Quæst. 6. Consideratur Alteratio ut dispositio ad generationem substantialem. 318

DISPUTATIO IV.

De Rarefactione, & Condensatione.

Quæst. 1. AN per Rarefactionem, & Condensationem aliquid acquiratur, vel deperdatur. 320

Quæst. 2. An per Rarefactionem, & Condensationem aliqua substantia acquiratur, vel deperdatur. 321

Quæst. 3. An per Rarefactionem acquiratur nova quantitas, & deperdatur per Condensationem. 328

Quæst. 4. An per Rarefactionem, & Condensationem acquiratur nova qualitas. 331

Quæst. 5. Quid revera per Rarefactionem, & Condensationem tamquam terminus acquiratur. 333

Appendix De Motu locali. 340

DISPUTATIO V.

De Generatione, & Corruptione.

Quæst. 1. AN sint, & quid sint generatio, & corruptio substantialis. 341

Artic. 1. Generationem, & corruptionem substantialem extare in rerum natura, ubi de factione ex nihilo. ibid.

Artic. 2. Natura generationis substantialis declaratur. 345

Artic. 3. Corruptionis natura explanatur. 348

Quæst. 2. De subjecto, & termino generationis, & corruptionis. 353

Artic. 1. Assignatur subjectum, & terminus generationis. ibid.

Apppend. De Causalitate Materiæ & Formæ. 357

Artic. 2. De subjecto, & termino corruptionis. 358

Quæst. 3. An in rerum naturalium generatione, & interitu fiat resolutio usque ad materiam primam. 360

Artic. 1. In viventibus non fit statim resolutio usque ad materiam primam. 361

Artic. 2. In cæteris compositis fit resolutio usque ad materiam primam. 363

Quæst. 4. An generatio unius sit corruptio alterius, & e contra, ubi de earum connexione, & ordine. 366

Quæst. 5. An generatio, & corruptio fiant in instanti, vel successive, ubi discutitur, num forma substantialis suscipiat magis, & minus. 370

Artic. 1. Generatio, & corruptio successive fiunt, & in tempore. ibid.

Art. 2. Successionem generationis, & corruptionis non provenire ab intrinseco formæ substantialis, quasi secundum se suscipiat magis, & minus, sed ab extrinseco. 373

Quæst. 6. De causis generationis, & corruptionis. 376

Quæst. 7. An quod est corruptum possit denuo produci, & generari naturaliter, vel saltem supernaturaliter. 378

Artic. 1. Resolutio quæsiti quoad potentiam supernaturalem. ib.

Artic. 2. Resolutio quæsiti quoad potentiam naturalem. 382

Q. 8. An res adhuc existens divina saltem virtute possit reproduci 385

DISPUTATIO VI.

De elementorum generatione.

Quæst. 1. AN elementa sint generabilia, & corruptibilia. 408

Quæst. 2. An quodlibet elementum ex quolibet alio elemento generari possit, & quomodo. 392

Quæst. 3. An facilior, & citior sit transitus inter elementa symbola, quam inter dissymbola, 394

Quæst. 4. Num ex congressu duorum elementorum possit tertium oriri. 396

DISPUTATIO VII.

De Generatione corporis mixti, seu de Mixtione.

Quæst. 1. QUid sit mixtio, miscibile, & mixtum. 397

Quæst. 2. Quo pacto fiat alteratio previa ad mixtionem 398

Quæst. 3. Quomodo elementa maneant in mixto. 399

Artic. 1. Ostenditur, & explicatur continentia virtualis elementorum in mixto. 400

Artic. 2. Solvuntur objectiones. 401

Quæst. 4. De temperamento mixtorum. 404

Quæst. 5. De causis effectivis mixtorum, ubi specialiter agitur de conversione aquæ in vinum. 406

Quæst. 6. De corruptione mixtorum, ejusque speciebus. 409

DISPUTATIO VIII.

De viventium generatione, nutritione, & augmentatione.

Quæst. 1. QUid sit, & qualis viventium generatio. 410

Quæst. 2. De causis generationis viventium per propagationem productorum. 411

Artic. 1. De semine. ibid.

Artic. 2. Quomodo parentes concurrant ad generationem prolis. 413

Q. 3. De causis generationis viventium nascentium ex putri. 416

Quæst. 4. De viventium nutritione. 419

Artic. 1. De nutrimento. ibid.

Artic. 2. De potentia nutritiva, ejusque actu nutritionis. 421

Quæst. 5. An per nutritionem acquiratur nova substantia. 423

Quæst. 6. An nutritio continuo, & secundum omnes viventis partes fiat. 426

Q. 7. An vivens toto tempore vitæ idem numero permaneat. 427

Quæst. 8. De augmentatione. 431

Quæst. 9. De diminutione, & morte viventium. 433

Appendix Generalis. 438

Responsa ad objectiones Poncii. 444

INDEX RERUM NOTABILIUM

In Libros de Generatione, & Corruptione.

Numerus prior significat Disputationem, posterior vero marginalem denotat numerum.

A

ACCIDENS non permanet idem in genito, quod fuerat in corrupto in compositis unam dumtaxat formam habentibus. 5. 89. & seq. nec propria virtute, nec virtute substantiæ attingit generationem ejus. 149. nequit esse nutrimentum. 8. 54.

ACTIO potest fieri in distans. 2. 1. alia univoca, alia æquivoca. 2. 2. ad actionem non sufficit dissimilitudo in densitate, vel mole inter agens, & passum. 2. 3. actio æquivoca potest cadere inter similia virtualiter tam in specie, quam in gradu, univoca vero saltem requirit dissimilitudinem in gradu. 2. 4. hæc dissimilitudo debet esse secundum proportionem majoris inæqualitatis. 2. 15.

Ex suo conceptu formali semper importat influxum positivum, & petit terminum realem per ipsam productum. 5. 39.

AER est humidus, & calidus suapte natura. 1. 66. & seq. & solum ab extrinseco frigidus 1. 72. extra Aristot. placitum probabile est esse dumtaxat humidum suapte natura, calidum autem, vel frigidum ab extrinseco ibid. est humidus in summo. 1. 76. calidus prope summum. 1. 80. potest se solo inservire pro nutrimento. 8. 54

ÆTAS quid sit, & quotuplex. 8. 127. anni antiquorum erant ejusdem rationis cum nostris. 8. 131. Antiqui Patres cur longius vivebant. 8. 132.

AGENS potest agere in distans. 2. 1. aliud univocum, aliud æquivocum. 2. 2. multipliciter potest esse simile, vel dissimile passo ibid. ut agat, non sufficit, quod sit passo dissimile in densitate, vel mole 23. agens æquivocum potest agere in simile virtualiter tam in specie, quam in gradu: univocum requirit saltem dissimilitudinem formalem in gradu: 2. 4. hæc dissimilitudo debet esse secundum proportionem majoris inæqualitatis 2. 15 agens agit secundum omnes partes, patitur tamen secundum aliquas, non necessario secundum omnes 2. 19. agens nequit in seipsum univoce agere 2. 23. neque actione recta, neque reflexa. 2. 29. quando post actionem reassumit vires. 7. 58.

Quid sit sphæra actionis agentis. 2. 59. agens immediate agit in totam sphæram quandoque ut causa totalis, quandoque ut partialis. 2. 60. potest agens in superficie ambiente producere æqualem qualitatem illi, quam habet, vel saltem intensiorem, quam sit in partibus medii. 2. 62. potest etiam quandoque in parte aliqua sphæræ uniformiter agere, licet regulariter agat uniformiter difformiter. 2. 64. non statim agit in totam sphæram. 3. 73.

Potentia activa agentis multipliciter potest terminari. 2. 68. quoad perfectionem est intrinsece versus maximum terminata, & etiam versus minimum. 2. 69. habet quoque terminum quoad numerum actionum. 2. 71. requirit etiam determinatam molem, & virtutem excedentem passi resistentiam. 2. 72. si effectus in instanti est producibilis, talis terminus est intrinsecus, si in tempore, erit extrinsecus ibid. in ultima superficie sphæræ agens producit indivisibile extensivum qualitatis cum aliqua intensione ejusdem. 2. 76. assignantur termini aliarum potentiarum. 2. 81. agens applicatum non impeditum continue agit, non per morulas interpolatas. 3. 63. qu d agens producat in primo instanti. 3. 71. & 72.

ALTERATIO multipliciter sumitur. 3. 1. quid sit. 3. 2. differt a generatione. 3. 3. si generatio esset impossibilis, adhuc alteratio foret possibilis. 3. 4. ejus species quæ sint. 3. 6. alia est intensiva, alia extensiva. 3. 7. in intensione nova qualitas acquiritur, in remissione deperditur. 3. 12. in adventu hujus novæ qualitatis prior non amittitur, sed permanet, in remissione non totaliter destruitur, & alia de novo generatur. 3. 25. alteratio tam extensiva, quam intensiva potest fieri continue, & successive. 3. 62.

ANIMA etiam rationalis petit proprias dispositiones. 3. 74. non tamen idcirco educitur de potentia materiæ, sed de foris venit. 5. 143. est immortalis, & cum semel a corpore abit, non amplius per circulationem redit in corpora humana. 5. 168. & hoc verum etiam in Arist. sententia. 5. 169. absurdius est in Philosophia tenere animam immortalem cum debito redeundi in corpora humana, quam ipsam absolute mortalem asserere. 1. 158. & 172. utrumque impium, & nostræ fidei perniciosum ex æquo ibid.

ANIMALIS organizatio in utero. 8. 28. & 29. ejusdem gestatio in utero, & nativitas. 8. 31.

ANNIHILATIO quid sit, & quomodo a corruptione differat. 5. 42. quare nihil sit terminus ejus. 5. 43. & seq. an panis in Eucharistia dici possit annihilari. 5. 44.

ANTIPERISTASIS quid sit. 2. 24. per ipsam intenditur qualitas. 2. 26. causa efficiens hujus intensionis assignatur. 2. 32. & seq.

AQUA est humida, & frigida. 1. 69 frigida in summo. 1. 76. humida prope summum. 1. 80. qua ratione extinguat ignem. 1. 88. potest in vinum converti. 7. 52. potest se sola inservire pro nutrimento. 8. 54.

AUGMENTATIO sumitur bifariam. 8. 102. augmentationis propriæ dictæ conditiones ibid. quot in ejus exercitio interveniant ibid. in quo formaliter consistat. 8. 104. est vere, ac proprie motus. 8. 107. est actio productiva quantitatis partialis. 8. 108. differt a nutritione. 8. 105. non est formaliter extensio localis. 8. 106. continuatio novæ quantitatis cum alia non est ejus acquisitio. 8. 111. non durat toto tempore vitæ 8. 112. periodus durationis ejus ibid. ejus causa assignatur. 8. 114.

C

CALOR definitur, & ejus definitio declaratur. 1. 18. & seq. in summo competit igni. 1. 76. aeris prope summum. 1. 80. cælestis, & elementaris sunt ejusdem speciei. 1. 86. item vitalis, seu animalis. 1. 87. caloris vitalis acceptio duplex valde notabilis. 1. 91. active concurrit ad eductionem formæ substantialis, extenuationem, & terminationem partium. 7. 10.

Calor innatus, & naturalis quid sit, & in quo resideat. 8. 50. quomodo consumat humidum radicale. 8. 51. agit in illud. 8. 122. caloris naturalis actiones duplicis generis. 8. 144.

COCTIO quid sit 64. ejus effectus ibid. ejus species. 8. 65. coctiones præcedentes nutritionis quot. 8. 67.

COMPLEXIO quid, & quotuplex. 7. 41. sanguinea magis confert ad vitam. 8. 121.

COMPOSITI, & COMPOSITUM dupliciter sumi possunt, quæ duplex acceptio valde notanda est 5. 61.

CONTRARIA in gradibus remissis possunt naturaliter simul esse in eodem subjecto. 1. 45. & in eodem possunt simul exerceri motus contrarii ad qualitates contrarias in eisdem gradibus 1. 51. opponantur ex suis entitatibus formalibus, & non tantum ex gradum intensione. 1. 53. expulsio tantum aptitudinaliter est per se effectus contrarietatis, non actualis ibid supernaturaliter possunt simul esse etiam in gradibus intensis. 1. 57. quædam tamen nec in gradibus intensis, nec remissis simul esse possunt, nec naturaliter, nec supernaturaliter. 1. 54. unum contrarium ex se refugit aliud. 2. 33. & 34. nec per se nec per accidens aliud contrarium causat. 3. 28.

CONVERSIO quid sit, & per quid a generatione differat. 5. 22. & 31. eucharistica quo sensu dicatur substantialis, & transubstantiatio. 5. 585.

CORPUS mixtum est subjectum in his libris q. procem. 2. organicum non importat solam materiam primam cum accidentium varietate. 5. 80. sed cum forma corporeitatis, seu mixtionis ib. corpus pro altera parte non ponitur directe in præd camento. 5. 81

Corporis animalis organizatio. 8. 28. & 29. ejusdem animatio ib.

CORRUPTIO substantialis datur in rerum natura. 5. 2. sumi potest in ratione mutationis, vel actionis destructivæ. 5 35 non est una mutatio cum generatione. sed diversa, & illi opposita ib. est vera, & realis mutatio, licet non positiva. 5. 36. in ratione destructionis non importat actionem distinctam a generatione. 5. 39. quo sensu eadem actio sit unius formæ generativa, & alterius destructiva. 5. 40. definitur sub ratione mutationis. 5. 42. quo pacto ab annihilatione secernatur. 5. 43. quo pacto a generatione. 5. 45. definitur sub ratione actionis destructivæ ibid. respectu naturæ universalis est naturalis, & etiam aliquo modo per se intenta saltem secundario. 5. 46. respectu naturæ particularis in uno sensu dici potest naturalis, in alio non. 5. 47. ejus subjectum, ac terminus assignantur tam sub ratione nutritionis, quam destructivæ actionis 5. 64. & etiam causa efficiens. 5. 153.

Corruptio mixti alia naturalis, alia violenta. 7. 63.

CORRUPTIO idem numero potest reproduci, sive fit permanens, sive successivum supernaturaliter. 5 155. non autem naturaliter secundum communem naturæ cursum. 5. 167. nulla tamen impotentia intrinseca assignari potest ex parte causarum naturalium, sed solum extrinsecum impedimentum. 5. 173. quamdiu res existit, nec naturaliter, nec supernaturaliter potest reproduci. 5. 181.

CREATIO quid sit & quomodo a generatione distinguatur 5. 26.

Den-

D

DEnsitas juvat ad agendum, non tamen supra vires agentis. 2. 11. vide Rarum, & Densum.

Dentes nutriuntur etiam transacto incrementi tempore. 8. 92.

Deus. Non est alienum a Philosopho ad Deum recurrere in quibusdam casibus, ut ad auctorem naturæ. 5. 151. hoc tamen fieri non debet, nisi in casu magnæ necessitatis. 5. 147.

Digestio, Vide Coctio.

Diminutio est formaliter motus deperditivus. 8. 117.

Dispositio, quomodo dispositiones concurrant ad generationem substantialem. 5. 95. doctrina de dispositionibus apud Thomistas valde inconsequens. 5. 97. quid sit intelligendum per dispositionem ultimam. 5. 123. alia inservit eductioni formæ, alia conservationi, alia operationi. 2. 75. alia spectat ad naturam specificam, alia ad individualem. 3. 76. quomodo incipiant, & desinant 3. 81. & seq. quæ præcedunt generationem fiunt ab agente, quæ subsequuntur, fiunt a forma genita. 3. 77. quo pacto terminentur in intensione, & extensione. 3. 78. & seq.

Dissimilitudo inter agens, & passum multiplex. 2. 2. alia est secundum proportionem æqualitatis, alia secundum proportionem majoris inæqualitatis, & alia secundum proportionem minoris inæqualitatis. 2. 14.

E

EFfectus quamdiu existit nequit denuo reproduci, nec naturaliter, nec supernaturaliter. 5. 181. corruptus autem potest reparari idem numero saltem a potentia supernaturali. 5. 155.

Elementa singula proprias habent qualitates eis connaturales 1. 63. & binæ non contrariæ singulis necessario assignantur. 1. 64. eas habent a propriis substantialibus formis, non autem totaliter a Cœlo. 1. 70. una qualitas convenit illis in summo. 1. 76. altera prope summum. 1. 80. esto probabile sit quibusdam utramque in summo convenire. 1. 82. qualitas elemento conveniens citra summum non est remissa per admixtionem contrarii. 1. 81.

Elementa sunt corpora miscibilia concurrentia ad mixtionem 7. 6. possunt omnia concurrere, non est tamen necesse ibid. & 37. virtualiter remanent in mixto. 7. 18. tam virtualitate accidentali, quam substantiali. 7. 23. & 24. quo pacto unum elementum prævalet in mixto. 7. 25. sunt generabilia, & corruptibilia. 6. 2. ex quolibet potest aliud quodcumque generari immediate, sive sint simbola, sive dissimbola. 6. 8. quænam sint simbola, ac dissimbola elementa. 6. facilior, & citior est transitus inter elementa simbola quam dissimbola ibid. variæ rationes hujus transitus. 6. 18. & seq. vera ratio assignatur. 6. 22. licet ex congressu elementorum simbolorum nequeat tertium specie diversum ab eis emergere, bene tamen potest ex congressu dissimbolorum. 6. 25. quænam sit causa efficiens in tali casu tertii illius elementi. 6. 31.

Elementa singula possunt inservire pro nutrimento. 8. 54.

F

FAmes quid sit, & quænam ejus causæ. 8. 70.

Fœmina active concurrit ad generationem. 8. 22. etiam ad organizationem corporis tam vi seminis, quam virtute propria, præter oviparam. 8. 30. immediate quoque ad eductionem animæ materialis, & informationem. 8. 32.

Forma quælibet substantialis determinat sibi proprias dispositiones. 3. 74. quasdam sibi determinat ratione speciei; quasdam ratione individui. 3. 75. & 76. materialis non fit ex nihilo, sed ex materia, tamquam ex subjecto. 5. 15. & 143. & hoc sufficit ad excludendam factionem ex nihilo. 5. 16. quælibet talis est corruptibilis, non æterna. 5. 66. ac etiam generabilis. 6. 144. plures formæ substantiales subordinatæ dantur in viventibus. 5. 78. forma nova pro nullo instanti consistit cum veteri in eadem materia. 5. 109. explicatur modus, quo unam alteram expellit. 5. 100. forma substantialis non suscipit magis, & minus. 5. 127. nec divisibiliter, nec indivisibiliter, nec simul, nec successive. 5. 132. quid re vera importet suscipere magis, & minus. 5. 135. formarum seminarium, & inchoationes non debent admitti. 5. 143. & seq. producitur ab agente immediato, non a separato. 5. 145. in formis duplex processus. 8. 10.

Frigus est forma positiva, & non sola privatio caloris. 1. 2. definitur, & ejus definitio declaratur. 1. 18. & seq. aquæ competit in summo. 1. 76. terræ prope summum, esto etiam oppositum sit probabile. 1. 82. non est adæquata congelationis causa. 1. 76. per se, & active concurrit ad eductionem formæ substantialis, & terminationem partium. 7. 10.

G

GEneratio substantialis datur in rerum natura. 5. 2. differt ab alteratione. 3. 3. sumi potest in ratione productionis, vel mutationis. 5. 18. quo sensu una non includit essentialiter aliam; imo sunt ab invicem separabiles. 5. 19. definitur sub ratione productionis. 5. 22. etiam sub hac ratione est actio distincta ab alteratione. 5. 24. ejus terminus proprie est compositum, non forma; quæ potius est terminus eductionis. 5. 24. & est terminus adeo ei appropriatus, ut nequeat creatione produci proprie dicta. 5. 27. qua ratione distinguatur a creatione. 5. 26. definitur sub ratione mutationis. 5. 31. ad eam ut sic requiritur quod privatio præcedat duratione formam in materia. 5. 19. definitur sub ratione conversionis quod sit mutatio totius in totum nullo sensibili remanente, ut subjecto eodem, quæ definitio adamussim explicatur. 5. 32. & seq. subjectum ejus in ratione mutationis est materia, terminus forma de novo acquisita, non compositum. 5. 49. in ratione productionis, seu actionis subjectum ejus est generans, terminus totalis, & *qui* compositum, formalis, & *quo* forma, non unio. 5. 51. compositum est talis terminus, non solum ut includit naturam, sed etiam singularitatem. 5. 52. subsistentia vero est terminus dumtaxat extrinsecus, & mediatus, ibid. non est necesse terminum formalem in generatione accipere esse de novo per eam. 5. 53.

Generatio unius est corruptio alterius, potest intelligi formaliter, causaliter, & concomitanter. 5. 100. explicatur in sensu concomitante. 5. 103. qualiter veritatem habeat in omni generatione & corruptione substantiali ibid. non autem in accidentali. 5. 104. connexio generationis cum corruptione non precise ex causa materiali desumenda est, sed præsertim ex efficiente. 5. 103. explicatur in sensu causali. 5. 106. introductio formæ novæ præcedit expulsionem antiquæ, non e contra. 5. 107. explicatur in sensu formali. 5. 114. generationis causa efficiens assignatur. 5. 145. & 148.

Generatio, & corruptio inanimatorum successive fiunt, & in tempore. 2. 85. 116. quid sufficiat ad successivam formæ introductionem. 5. 121. talis successio non evenit ex intrinseca latitudine formæ substantialis, sed ab extrinseco ratione præviarum dispositionum. 5. 127. ideo dici solent successivæ per accidens. 5. 126.

Generatio viventium quid sit. 8. 1. cur Spiritus Sancti productio in divinis non sit generatio. 8. 2. & 3. qualis, & quanta in viventibus debeat esse similitudo inter generans, & genitum. 8. 7.

Genitores ambo active concurrunt ad generationem 8. 22. ambo debent concurrere ad generationem naturalem prolis, si sunt distincti in sexum virilem, & femineum. 8. 26. sunt causæ essentialiter subordinatæ. 8. 27. habent potentias activas specie diversas ibid. alii vivipari, alii ovipari, alii vermipari. 8. 30. attingunt medio semine organizationem corporis ibid. non attingunt unionem animæ rationalis. 8. 33.

Gradus quotuplex sit. 3. 52. in qualitate quid sit ibid. quo reperiuntur. 3. 53. sunt omogenei. 3. 37.

H

HUmiditas forma activa, & non tantum passiva 1. 3. definitur, ac ejus definitio declaratur. 1. 28. & seq. aer convenit in summo. 1. 86. aquæ prope summum. 1. 80. duplex ejus acceptio valde notabilis. 1. 78. active concurrit ad eductionem formæ substantialis, ad terminationem vero, & extenuationem partium passive. 7. 10.

Humidum aliud radicale, aliud nutrimentale. 8. 120. item aliud aqueum, aliud aereum. 8. 121. aereum magis confert ad vitam ibidem.

Humores in corpore possunt esse nutrimentum ejusdem. 8. 52. in corpore sunt quatuor, & quid singuli. 8. 68.

I

JEcur quid. 8. 68.

Ignis est calidus, & siccus. 1. 65. calidus in summo. 1. 76. siccus prope summum, esto probabiliter sustineri possit esse quoque siccum in summo. 1. 82. forsan potest esse nutrimentum. 8. 54. & 58.

Intensio qualitatis, vide qualitas. Alteratio.

L

LAc reperitur etiam in hominibus. 8. 23.

Lignum vitæ quam virtutem habuerit conservandi hominem longævum. 8. 135.

Lumen non intenditur in medio accedente alio luminoso. 2. 12.

M

MAter, vide Fœmina, non attingit unionem animæ rationalis. 8. 33.

Materia habet actum entitativum. 5. 6. est subjectum generationis substantialis sub ratione mutationis. 5. 31. & sub hac acceptione generationis potest denominari materia generari. 5. 34.

Mixtio quid sit, & quotuplex. 7. mixtio propriissime sumpta definitur. 7. 4. non distinguitur essentialiter a generatione mixtorum, quæ fiunt ex aliis mixtis. 7. 5.

Miscibilia quæ sint, & quas requirant conditiones. 7. 2. quatuor elementa sunt proprie miscibilia. 7. 6. possunt omnia concurrere ad mixtionem, non est hoc necessarium ibid. & 37. liquores an sint miscibilia. 7. 7.

Mixtum quid sit, & quotuplex. 7. 3. virtualiter continet elementa. 7. 18. virtualitate tam accidentali, quam substantiali. 7. 23. & 24. formaliter continet primas qualitates ibid. non necessario fit ex omnibus elementis. 3. 37. unum mixtum potest aliud simile generare, non tamen hæc virtus omnibus convenit. 7. 52.

Moles juvat ad agendum, non tamen supra vires agentis. 2. 11.

Mors alia naturalis, alia violenta. 8. 120. violenta quomodo contingat ibid. necessario convenit viventi. 9. 125. causæ mortis naturalis assignantur ibid. & seq.

Index Rerum Notabilium.

Motus contrarii ad contrarias qualitates in gradibus remissis possunt simul exerceri circa idem subjectum. 1. 51. idem numero potest a Deo reproduci. 5. 156. ejus unitas, & identitas non pendet essentialiter a tempore extrinseco. 5. 162. & seq.

Mutatio univoce convenit positivæ, & deperditivæ. 5. 42. non dicit ex se conceptum necessario positivum, sed a positivo, & privativo præscindit ibid.

N

NIhil fit ex nihilo quo sensu intelligendum sit. 5. 12. est propositio ab Aristotele prolata etiam de mente propria. 5. 16.

Nutrimentum quid sit, & quotuplex. 8. 52. quo sensu debeat crassescere. 8. 61.

Potentia nutritiva quid sit. 8. 62. aliæ virtutes ei inservientes. 8. 63.

Nutritio duplex impropria, & propria. 8. 49. & seq. nutritionis actus qui proprie fit. 8. 72. in nutritione fit acquisitio propriæ materiæ, & formæ. 8. 76. digestiones præcedentes nutritionis actum quot. 8. 67. nutritio est successiva, non instantanea. 8. 86. non fit continuo, & sine intermissione. 8. 87. nec secundum omnes partes proportionales, sed aliquotas. 8. 91.

O

OBjectum horum librorum assignatur, q. procem. 2.

Odor dupliciter fumi potest. 8. 53. ut significat odori seram exhalationem probabile est non esse nutrimentum. 8. 54.

Ossa nutriuntur etiam transacto incrementi tempore. 8. 92.

P

PAcastatæ quid sint. 8. 22.

Pater active, & passive concurrit ad organizationem corporis vi seminis, non propria virtute. 8. 33. probabile est etiam vi seminis attingere eductionem animæ materialis. 8. 32. non attingit unionem rationali animæ. 8. 33.

Pori dantur in corpore. 8. 50.

Potentia agentis; vide Agens. Potentia nutritiva; vide Nutrimentum.

Privatio quomodo intelligatur a privatione ad habitum non dari regressum. 5. 178.

Putredo quid sit. 7. 64. quæ requiratur ibid. definitio Arist. est causalis. 7. 65. calor ambientis est causa putredinis, non frigus. 7. 67. per quid putredo differat a combustione ibid. quæ putrescant. 7. 66. & 68. cur in putrefactione frequentius generentur animalia ibid.

Q

QUalitas habet partes intensivas omogeneas. 3. 37. quomodo intendatur, & remittatur, vide Alteratio.

Primæ qualitates sunt formæ positivæ. 1. 2. a corporibus ipsis reipsa condistinctæ. 1. 4. sunt in eis formæ accidentales, non substantiales. 1. 9. & seq. definiuntur, ac eorum definitiones declarantur. 1. 18. & seq. sunt quatuor, nec aliæ dantur virtuales in elementis priores illis. 1. 27. dantur tamen in mixtis. 1. 30. inter sensibiles, & caducas illæ quatuor sunt omnium primæ. 1. 32. quo sensu dicantur primæ ib. & seq. singulæ habent potentiam activam univocam ad agendum in contrarium. 1. 37. in activitate talem servant ordinem, ut calor sit aliis omnibus activior, deinde frigus, postea humiditas, & tandem siccitas ibid. in resistentia vero servant ordinem oppositum 1. 39. quo sensu siccitas, & humiditas dici soleant qualitates passivæ 1. 38. prædictus ordo agendi, & resistendi variari potest ex varia ipsarum combinatione. 1. 41. contrariæ possunt simul coexistere in gradibus remissis naturaliter. 1. 45. neque ex contrariis in esse remisso fit simplex quædam tertia qualitas media. 1. 47. possunt indifferenter coexistere tam in gradibus æqualibus, quam inæqualibus. 1. 49. non solum in fieri, & in pugna, sed etiam in esse quieto. 1. 50. non tantum qualitates activæ, sed etiam non activæ ibid. supernaturaliter vero esse possunt simul etiam in gradibus intensis. 1. 57. binæ non contrariæ naturaliter conveniunt singulis elementis. 1. 64. una in summo 1. 76. altera prope summam. 1. 80. & hæc non est remissa per admixtionem contrarii. 1. 81. probabile tamen est in quibusdam elementis utramque in summo reperiri.

Quænam sint simbolæ, & quæ dissimbolæ qualitates. 1. 83. simbolæ in quibuscunque corporibus sunt ejusdem speciei specialissimæ. 1. 84.

Qualitas alia intensiva, alia extensiva. 3. 51. intensiva componitur ex gradibus ibidem, & seq. dantur in qualitate indivisibilia continuativa partium tam intensionis, quam extensionis, & terminativa. 3. 58. hæc indivisibilia sunt triplicis generis. 3. 59. qualitas spiritualis cur nequeat extendi. 3. 60.

Qualitates quædam sunt noxiæ substantiali formæ, quædam proficuæ. 4. 74. & seq. omnes quatuor primæ qualitates active, ut instrumenta concurrunt ad eductionem formæ substantialis, ad extenuationem vero, & terminationem partium calor, & frigus per se active concurrunt; humidum vero, & siccum passive. 7. 10.

Quantitas dupliciter acquiritur, & deperditur 8. 116.

R

RArefactio, & Condensatio vere contingunt in rerum natura. 4. 1. non fiunt beneficio vacuitatis, ac repletionis ejus, neque per penetrationem, & eductionem partium ejusdem corporis, sed per aliquid revera additum, vel deperditum in corporibus. 4. 2. & seq. & hoc non est substantia extranea in poros corporum rarescentium intrusa, aut exclusa dum condensantur, si proprie de illis sit sermo. 4. num. 8. & seq. multiplex est acceptio rari, & densi valde notabilis. 4. 15. non producitur nova quantitas in rarefactione, nec in condensatione corrumpitur neque totaliter, neque partialiter. 4. 20. nec per eas acquiritur nova qualitas, ut per se terminus talium mutationum. 4. 32. sed tantum nova extensio localis partium locati major, vel minor ad prædicamentum ipsius pertinens 4. 41. unde proprie; & formaliter sunt motus locales ad situm. 4. 42. & 50. quo sensu possit Deus exiguum corpus absque rarefactione, & additione materiæ in magnam molem ampliare. 4. 52.

Rarum, & densum non spectant ad prædicamentum qualitatis. 4. 32. sed ad cathegoriam situs. 4. 41. eorum definitiones explicantur. 4. 37. quod est tardum, & velox in quantitate successiva, est rarum, & densum in permanenti. 4. 4. & 43.

Reactio quid sit, ejusque conditiones. 2. 44. multipliciter accidit. 2. 45. non datur in generatione, nec in auctione. 2. 46. potest dari in alteratione secundum eandem partem, & contrarietatem, ac etiam in mora locali 2. 47. & 48. quando agens potest ad reactionem reassumere vires. 7. 58.

Reflexio quid sit. 2. 25. alia recta, alia obliqua. ibid. per ipsam intenditur qualitas. 2. 27. causa efficiens hujus intensionis est primum agens. 2. 39.

Remissio vide Alteratio, est motus formaliter deperditivus 8. 119.

Resistentia quid sit, & quotuplex. 1. 35. & 36. licet semper sit minor actione contrariæ qualitatis, non tamen semper est minor actione propria. 1. 41. quando exerceatur a passo erga agens. 2. 21.

Resolutio vide Mors.

Resurrectio mortuorum supernaturalis. 5. 178.

S

SAnguis menstruus quid. 8. 21.

Semen quid sit. 8. 10. & 11. non est animatum. 8. 17. ipsius vasa assignantur. 8. 22.

Siccitas est forma positiva, non sola privatio humiditatis. 1. 2 est ipsa quoque forma activa. 1. 3. definitur, ac ejus definitio declaratur 1. 18. & sequent. terræ competit in summo 1. 76. igni prope summum, esto etiam oppositum sit probabile. 1. 82. per se concurrit, & active ad eductionem formæ substantialis, ad extenuationem vero, & terminationem partium passive. 7. 10.

Similitudo inter agens, & passum multiplex. 2. 2.

Sitis quid sit, & quænam ejus causæ. 8. 73.

Sudor quid. 8. 70. ejus causæ. ibid.

T

TEmperamentum quid, & quotuplex. 3. 41. & 42. dantur de facto octo temperamenta difformia, nec naturaliter repugnat temperamentum æquale ad pondus. 3. 43. non est tamen evidens dari de facto. 7. 46.

Tempus idem numero potest a Deo reproduci. 5. 155. & 165.

Termini potentiarum fuse assignantur. 2. 28. & seqq.

Terra est ficca, & frigida. 1. 69. ficca in summo. 1. 76. frigida prope summum, licet probabiliter sustineri possit esse quoque in summo frigidam. 1. 82. potest se sola inservire pro nutrimento. 8. 54.

Totum realiter a partibus unitis distinguitur. 5. 62. verus, & legitimus sensus hujusmodi distinctionis. 5. 63.

V

VEnarum origo quæ. 8. 68. Cava vena quæ. 8. 69.

Venter an frigidior in æstate, & calidior in hyeme. 2. 37.

Vinum potest aquam in se convertere. 7. 52. potest inservire pro nutrimento. 8. 54.

Vita alia accidentalis, alia substantialis. 8. 120.

Vivens habet necessitatem moriendi. 8. 125. & 126. in viventibus non fit resolutio usque ad materiam primam statim, ac immediate. 5. 78. bene tamen in cæteris compositis. 5. 89. mediate vero fit etiam in ipsis viventibus. 5. 88. fit quoddam per propagationem, quoddam ex putri, quoddam utroque modo. 8. 36. aliud perfectum, aliud imperfectum. ibid. habet intrinsecum principium corruptionis. 8. 122.

Viventia ex putri genita habent causam finalem, 8. 36. ipsorum causa effectiva est Deus. 8. 38. materialis est substantia putrescens concocta, formalis est anima. ibid. quæ simul sunt ex semine generabilia, & ex putri, sunt ejusdem speciei. 8. 41.

Vivens quomodo idem numero perseveret toto tempore vitæ. 8. 46. quanto tempore potest vivere sine cibo. 8. 87. & seq. non nutritur secundum omnes partes proportionales. 8. 91.

Unio non est terminus formalis generationis, nec in ratione mutationis, nec productionis, sed forma dumtaxat. 5. 49. 50. & seq. sed est terminus unitionis. 5. 51.

INDEX DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM In Libros de Cœlo.

QUÆSTIO PROOEMIALIS.

Quodnam sit horum librorum adæquatum subjectum. 479

DISPUTATIO I.

De corpore simplici.

Quæst. 1. QUid sit corpus simplex, & quotuplex, ubi de mundi unitate. 480

Artic. 1. Ostenditur quidditas corporis simplicis in communi. ibid.

Artic. 2. Numerus simplicium corporum declaratur. 481

Quæst. 2. Quem ordinem servent inter se ista corpora simplicia, & an unum per se constituant mundum appellatum. ibid.

Quæst. 3. An mundus habuerit esse a se, vel ab alio. 482

Quæst. 4. De figura, & perfectione mundi. 483

Quæst. 5. De inceptione, & desitione mundi. 484

Artic. 1. Ostenditur inceptio mundi temporanea. ibid.

Artic. 2. Mundi desitio declaratur. 486

DISPUTATIO II.

De corpore Cœlesti.

Quæst. 1. DE structura, & numero cœlestium corporum, 486

Artic. 1. Structura cœlestis sphæræ declaratur. ibid.

Artic. 2. Numerus cœlorum proponitur. 488

Quæst. 2. De essentia, & natura cœlestium corporum. 490

Artic. 1. An corpus cœleste sit ex materia, & forma compositum. ibid.

Artic. 2. An materia cœli sit ejusdem rationis cum sublunari, & ejus forma sit anima. 492

Artic. 3. De Astris, ubi de via lactea, maculis Solis, & Lunæ. 495

Artic. 4. Quo pacto cœlestia corpora inter se differant. 498

Quæst. 3. De incorruptibilitate, & perfectione cœlestium corporum. 499

Quæst. 4. De motu locali cœlorum. 499

Artic. 1. Quænam cœlestia corpora, & quot motibus moveantur. ibid.

Artic. 2. An motus cœli sit naturalis. 502

Artic. 3. An cœlum a principio intrinseco, vel extrinseco moveatur. 503

Artic. 4. Numerus motorum orbium statuitur. ibid.

Quæst. 5. Quid sint lux, & lumen, & quibus conveniant in cœlis, ubi de scintillatione, & Eclypsi. 505

Quæst. 6. De quibusdam aliis accidentibus cœlorum, & an specie a sublunaribus differant. 508

Quæst. 7. De cœlestium corporum actionibus in sublunaria. 509

Artic. 1. Quæ cœlestia corpora agant in hæc inferiora. 510

Artic. 2. Quinam effectus producantur ab astris. 511

Artic. 3. Quid possint Astrologi ex siderum observatione præcognoscere. 514

Artic. 4. Quibus instrumentis cœli influant in hæc inferiora. 517

DISPUTATIO III.

De gravibus, & levibus.

Quæst. 1. QUid sint gravitas; & levitas, & num quælibet sit una specie. 520

Quæst. 2. A quo gravia, & levia moveantur ad propria loca. 522

Quæst. 3. Explicantur proprietates quædam motus naturalis gravium, & levium, præcipue quoad velocitatem. 525

Quæst. 4. An gravia, & levia in propriis locis gravitent, & devitent. 529

Quæst. 5. A quo moveantur violenter projecta. 530

Quæst. 6. An detur quies in puncto reflexionis. 534

Dubium appendix. An duo corpora pura possint immediate se tangere. 536

DISPUTATIO IV.

De elementis in particulari, ubi etiam de Metheoris.

Quæst. 1. QUædam elementis communia declarantur. 538

Quæst. 2. De igne, & Metheoris igneis. 539

Artic. 1. An vere detur elementum ignis, & extet sub concavo Lunæ, ac ad ejus motum moveatur. ibid.

Artic. 2. De motu ignis in orbem sub concavo Lunæ. 542

Artic. 3. An ignis inferior sit verus ignis, & ejusdem speciei cum superiori. 543

Artic. 4. Ubi de cometis. 544

Artic. 5. De reliquis impressionibus ignitis. 549

Quæst. 3. De aere, ac Metheoris aereis. 552

Artic. 1. De regionibus aeris. ibid.

Artic. 2. Ubi de Ventis. 554

Artic. 3. De Iride, aliisque imaginibus in aere apparentibus. 556

Quæst. 4. De aqua, & terra, eorumque Metheoris. 558

Artic. 1. An terra sit altior mari. 559

Artic. 2. An globus ex terra, & aqua conflatus habeat idem centrum cum universo, ubi de trepidatione terræ. 560

Artic. 3. An globus iste ex terra, & aqua compactus moveatur circulariter. 562

Artic. 4. Ubi de Aquis. 565

Artic. 5. De Metheoris aqueis. 566

Artic. 6. Ubi de terra. 569

Artic. 7. De Metheoris terreis. 572

INDEX RERUM NOTABILIUM

In Libros de Cœlo, & Metheoris.

Numerus prior significat Disputationem, posterior vero marginalem denotat numerum.

A

ACCIDENS quo sensu sit tempore posterius substantia. 1. 37.
AERIS elementum in tres distribuitur regiones. 4. 66. termini, penes quos distinguuntur; non sunt immobiles, & fixi. ibid. secunda regio quorundam montium cacumina non attingit. 4. 67. nedum situ, sed etiam secundum accidentales affectiones distinguuntur. 4. 68. media regio perpetuo frigida est 4. 68. vera causa frigiditatis ejus. 4. 69.
ÆQUINOCTIALIS quid sit, & quando fiat æquinoctium. 2. 6.
ANIMA non producitur a cœlis. 2. 200.
ANTIPODES reperiuntur. 4. 160. alii dicuntur Antaci, alii Perœci. ibid.
AQUA an sit supra cœlos. 2. 37. an excedat terram. 4. 96. quo pacto cum terra unum globum constituat. 4. 95. est depressior quam terra. 4. 100. movetur motu equilibrationis. 4. 129.
ARS chimica an possit efficere metalla. 4. 189. & seq.
ASTRA non sunt elementaris naturæ, sed secundum Arist. sunt corpora simplicia, secundum Theologos ex materia, & forma composita. 2. 74. a cœlis differunt in opacitate, & diaphaneitate, non in densitate. 2. 76. alia sunt fixa, alia errantia. 2. 77. fixorum numerus, & magnitudo. 2. 78. astra secundum Arist. inter se, & a cœlis specie differunt, secundum veritatem a cœlis specie differunt inter se aliqua specie, & aliqua solo numero. 2. 98. sunt intrinsece corruptibilia, sed extrinsece incorruptibilia. 2. 110. an de novo aliqua astra fiant. 1. 112. & seq. sunt imperfectiora viventibus. 2. 119.
Moventur ad motum orbium. 2. 128. probabile est in seipsis etiam moveri. ibid. quænam, & cur scintillent. 2. 163. & seq. sunt sphæricæ figuræ. 2. 175. non sunt perfecte opaca. 2. 176.
Astra omnia influunt in hæc inferiora. 2. 185. quædam per se producunt etiam frigus, & humiditatem. 2. 192. quædam quoque subsstantiales formas. 2. 196. non tamen animam. 2. 200. nec formam corporeitatis perfectorum viventium totaliter. 2. 201. quid possint in homine causare. 2. 207. & seq. quid possit ex cognitione astrorum præsagiri, fuse habetur. 2. 212. & seq. per lumen non producunt calorem. 2. 239. agunt per occultas influentias. 2. 243.
ASTROLOGIA judiciaria an sit licita. 2. 213. & seq.
AXIS quid sit. 2. 3.

C

CALIGO. Vide Nebula.
CALOR quo pacto fiat a motu. 2. 235. & seq. non producitur a luce, vel lumine. 2. 239.
CAPRA saltans quid sit, & quomodo fiat. 4. 60.
CASTOR, & Pollux quid sit. & quomodo fiat. 4. 60.
CENTRUM quid sit. 2. 3. est duplex magnidinis, & gravitatis. 4. 105. utrumque est duplex, Physicum, & mathematicum. 4. 106. an centrum universi sit idem cum centro terræ. 4. 108.
COELUM est effective a Deo etiam secundum Arist. 1. 23. tripliciter sumitur. 2. 49. numerus cœlorum. 2. 30. & seq. cœlum non est elementaris naturæ. 2. 39. secundum Philosophos non est compositum ex materia, & forma, sed tantum secundum Theologos. 2. 41. Materia cœli est ejusdem rationis cum sublunari. 2. 57. forma cœli non est anima. 2. 62. cœli secundum Arist. specie differunt, secundum veritatem tantum numero, ab astris vero specie 2. 98. quam perfectionem quodlibet cœlum habeat. 2. 108. est imperfectius quolibet vivente. 2. 119. secundum veritatem cœlum est intrinsece corruptibile, & extrinsece incorruptibile. 2. 110.
Cœli circulariter moventur. 2. 127. primo mobili inferiores unico moventur motu reali, sed attemperato. 2. 129. naturaliter moventur. 2. 135. si pars cœli extraheretur a proprio loco, neutraliter moveretur. 2. 137. moventur ab extrinseco, non ab intrinseco. 2. 138. motores sunt intelligentiæ. 1. 141. primum mobile secum rapit inferiores orbes ibid. non movetur a Deo immediate. 2. 143. quodlibet cœlum proprium habet motorem. 2. 147. Motor movet per potentiam motricem formaliter ab intellectu, & voluntate distinctam. 2. 148. probabile est, quod imprimat impulsum. ibid. Velocitas motus cœlestis ibid. non est cœlo ratio, vel conditio simpliciter agendi. 2. 229.
Cœli præter Empyreum non sunt lucidi. 2. 157. non habent primas qualitates, neque quæ ex mixtione illarum proveniunt 2. 171. non causant sonum ex motu 2. 172. sunt sphæricæ figuræ. 2. 174. non habent differentias positionum proprie sed similitudinarie. 2. 178. accidentia cœlestibus, & sublunaribus communia sunt ejusdem speciei. 2. 181.
Cœli præter primum mobile non influunt in hæc inferiora. 2. 185.
CHIROMANTIA an sit licita. 2. 212.
CIRCULI cœli alii majores, alii minores, illi sunt sex, isti sunt quatuor 2. 3.
CLIMA quid sit, & quotuplex, 4. 165. habet longitudinem, & latitudinem. ibid.
COLOR verus quomodo ab apparente differat. 2. 171.
COLURI quid sint. 2. 12.
COMETES Metheorum principale inter ignea. 4. 34. non est una erratica stella, vel plurium simphasis. 4. 35. non ex materia cœlesti, sed sublunari. 4. 36. qualis sit ista materia. 4. 36. sit in regione sublunari, non cœlesti. 4. 39. quanta sit ejus parallaxis. 4. 39. extraordinario modo potest a Deo exponi in regione cœlesti. 4. 41. quid præsagire possit. 4. 42. ex se non magis portendit mortem Principum quam aliorum. 4. 42. ejus altitudo quanta. 4. 45. quare ex Telescopio modicum suscipiat incrementum. 4. 46. parallaxis non est tuta via ad ejus altitudinem vestigandam. 4. 47. probabilius est gigni in regione aeris, quam ignis 4. 48. variæ ejus figuræ, atque colores. 4. 48. corpus ejus fit per veram accensionem, & non per simplicem a Sole illustrationem. 4. 49. cauda vero vel barba fieri interaum potest per solam illustrationem, non tamen semper. 4. 49. quomodo contingat hæc inflammatio. 4. 50. cur cauda cometæ protendatur in adversam Soli partem. 4. 50. motus, & tempus cometæ. 4. 51. quanta sit ejus duratio. 4. 51.
CONTACTUS inter corpora dura quo pacto fiat. 3. 99. & seq.
CORONA, sive Halo quid sit, & quomodo fiat. 4. 94. cur frequentius sub Luna, quam sub Sole contingat. ibid.
CORPUS simplex est subjectum, in lib. de cœlo q. proem. 2. quid sit. 1. 4. dividitur de facto in quinque corpora simplicia, de possibili in alia plura. 1. 9.
Corpora gravia, & levia naturaliter non moventur per se a medio, vel cœlo, 3. 21. & 22. a seipsis moventur. 3. 30. moventur per breviores lineas. 3. 37. ipsorum figura valde confert ad motum. 3. 39. velocius in fine moventur, quam in principio, & qua de causa. 3. 41. & seq. non tamen si in infinitum moverentur. 3. 51. duo corpora inæqualia in gravitate, vel levitate æqualiter moventur. 3. 52. in propriis locis non gravitant, nec levitant. 3. 60. violenter moventur impulsu impresso a proiiciente 3. 65.
Corpora dura an se tangant medio corpore fluido. 3. 99. & seq.
CREATIO æterna datur in sent. Arist. 1. 26.
CREATURA permanens potuit esse ab æterno; non successiva. 1. 39. & seq.

D

DELINEATIONES in fronte, & in manibus quid significent. 2. 212.
DENSUM quid sit. 2. 75. densitas distinguitur a gravitate. 3. 4.
DEUS quomodo sit omnipotens, & infinitus in sent. Arist. 1. 26. non movet cœlum immediate. 2. 143.

DIA-

DIAMETER quid sit. 2. 3.
DIES naturalis, & artificialis quid sint. 4. 163.
DILUVIUM particulare naturaliter fit, universale vero supernaturaliter. 4. 135.
DRACO volans quid sit, & quomodo fiat. 4. 60.

E

ECLYPTICA quid sit. 2. 11.
ECLYPSIS quid sit, quotuplex, & quo pacto fiat. 2. 167. & seq.
ELEMENTUM quid sit, & quotuplex. 4. 1. elementa quomodo considerantur in libr. de cœlo quæst. proem. 7. quæ sint ipsorum loca naturalia in universo. 3. 13. sunt quatuor. 4. 2. an dentur elementa pura. 4. 4. quodnam ex ipsis sit dignius. 4. 5. quam retineant figuram, 4. 6. quam proportionem inter se servent in magnitudine. 4. 7. vide Corpus simplex.
EMPYREUM quomodo sit compactum, & quæ munera exerceat. 2. 186.
EPICICLI dantur, & quid sint. 2. 25. dividuntur in quatuor partes. 2. 26.
EXHALATIO quid sit. 4. 173. quomodo accendantur in aere. 4. 56. & 61.

F

FIGURA mobilis valde confert ad motum. 3. 39.
FLUMINA, FONTES ex qua materia generentur, 4. 126. & seq. causæ assignantur, cur foras erumpant. 4. 129. & seq. habent varias proprietates, & quidam fluunt, & refluunt. 4. 157.
FLUXUS, & refluxus, vide Mare.
FRIGUS per se producitur ab astris. 2. 192.
FULGUR quid sit, & cur modo cum tonitru contingat, modo non. 4. 54. quando simul contingunt, prius percipitur fulgur, quam tonitru. 4. 55.
FULMEN quid sit, & quomodo a fulgure differat. 4. 57. diversæ ejus species. 4. 57. varii, atque mirabiles ejus effectus. 4. 58. & 59.

G

GALAXIA, vide via lactea.
GLACIES quid sit, & quomodo fiat. 4. 145.
GLOBUS ex terra, & aqua compactus est in centro universi. 1. 16. ejus circumferentia, & diameter. 4. 7. quando fuit factus. 4. 96. est sphæricus. 4. 97. an habeat idem centrum cum universo. 4. 108. non movetur circulariter. 4. 112. & seq.
GRANDO quid sit. 4. 142. causa materialis, & efficiens. 4. 143. frequentius decidit in vallibus, & planis arboribus consitis ibid. figura, moles, & locus, in quo fit, explicatur. 4. 144.
GRAVITAS est forma positiva. 3. 1. est principium motus deorsum: estque duplex. 3. 2. est accidens a densitate distinctum. 3. 4. a quo causetur. 3. 8. & 9. non omnes sunt ejusdem speciei. 3. 10. est principium motus deorsum. 3. 24. quæ sit intensio gravitatis. 3. 33. sumi potest, vel in actu primo, vel in actu secundo. 3. 58.

H

HALO, sive Corona quid sit, & quomodo fiat. 4. 94. cur frequentius sub Luna, quam sub Sole fiat ibid.
HEMISPHÆRIUM quid sit. 2. 8.
HIATUS, & vorago quid sint, & quomodo fiant. 4. 94. non sunt in cœlo, sed in aere ibid.
HUMIDITAS per se producitur ab astris. 2. 192.

I

IGNIS elementum datur sub concavo Lunæ. 4. 10. ideo qui apud nos est, semper nititur ascendere. 4. 11. cur non sphærice, sed pyramidaliter ascendat. 4. 13. cur ibi non luceat, & videatur. 4. 15. cur non comburat hæc inferiora. 4. 16. cur apud nos continuo egeat pabulo. 4. 17. cur ibi non sit otiosum. 4. 18. movetur circulariter ad motum orbis Lunæ. 4. 22. an motus ille sit simplex, vel mixtus. 4. 24. non est naturalis, nec violentus, sed neuter. 4. 27. ignis apud nos existens est ejusdem speciei cum superiori. 4. 29. non stat simul cum alia forma substantiali. 4. 29. & 33. differt ab eo quibusdam tantum accidentibus ex parte materiæ. 4. 31. & 32.
Ignis fatuus quid sit, & quomodo fiat. 4. 60.
Ignis lambens quid sit, & quomodo fiat. 4. 60.
Ignes subterranei dantur. 4. 62. eorum materialis causa, ac efficiens. 4. 63. eorum diuturnitas unde. 4. 63.

IGNITÆ impressiones minoris momenti describuntur. 4. 60.
IMPULSUS producitur per motum a virtute motiva. 3. 49. quid sit ibid. distinguitur a levitate, & gravitate. 3. 42. omnis impulsus est ejusdem speciei ibid. quando, & quomodo fiat. 3. 74. quomodo recipiatur in subjecto. 3. 75. est causa motus resilientiæ. 3. 77. & 79. quomodo desinat. 3. 80. an replicaretur ad localem replicationem projecti. 3. 85. cessante motu non statim desinit esse impulsus. 3. 95.
INSULÆ quid sint, & quo pacto causatæ. 4. 172. an quædam fluitent in aquis. ibid.
INTELLIGENTIÆ vide Cœlum.
IRIS quid sit, & quomodo contingat ex naturalibus causis 8. 83. nequit arcus ejus semicirculum excedere. 8. 84. cur alta appareat demisso Sole, & demissa alto ibid. tres præcipue ejus colores, & unde talis colorum varietas consurgat. 4. 85. & 86. fiunt per reflexionem lucis Solaris ad nubem oppositam, non vero per refractionem. 4. 86. quartus etiam color datur in iride ibid. potest interdum habere duos colores, vel unum tantum ibid. non sunt veri colores, sed apparentes. 4. 87. numquam eadem iris a diversis aspicitur, nec in eodem loco ibid. non aspicitur ultra tria milliaria. 4. 89. causa ejus effectiva est lumen solare ibid. Luna quoque iridem suam causare potest ibid. quot irides simul causari possint, 4. 90. causa ejus materialis est nubes rorida. 4. 91. iris etiam ante diluvium effulsit. 4. 92. quomodo post diluvium fuerit signum fœderis inter Deum & homines, nec amplius futuri diluvii ibid.

L

LANCEA quid sit, & quomodo fiat. 4. 60.
LAPIDES aliqui concipiunt lumen, ut lapis Bononiensis. 2. 155. quænam sit causa conceptionis hujus luminis. 2. 156. materia lapidum est mixtum ex vapore aqueo, & halitu terreo. 4. 177. an aliud possit esse materia lapidum. 4. 178. & 179. causa efficiens quæ sit. 4. 181. variæ proprietates. 4. 182. & 183.
LEVIA vide Corpora.
LEVITAS est forma positiva. 3. 1. est principium motus sursum, estque duplex. 3. 2. est accidens a raritate distinctum. 3. 3. a quo causetur. 3. 8. & 9. non omnes sunt ejusdem speciei. 3. 10. est principium *quo* motus sursum. 3. 24. sumi potest vel in actu primo, vel in actu secundo. 3. 58.
LOCUS naturalis rerum in universis quis sit. 3. 13.
LUCERNÆ Antiquorum semper ardentes. 4. 64. vel sunt fabulosæ, vel ad operam Dæmonis, ac interdum ad divinum miraculum referendæ. 1. 65.
LUMEN quomodo a luce differat. 2. 151. quotuplex sit ibid. est forma accidentalis. 2. 152. quibus corporibus in cœlis conveniat. 2. 157. & sequ. non causat calorem. 2. 239.
LUNA est maculata. 2. 93. quid sint istæ maculæ. 2. 94. non est corpus scabrosum, & montuosum. 2. 93. & 95. movetur in seipsa. 2. 128. an sit ex se lucida. 2. 159. eclypsatur, & quomodo. 2. 168. & seq. quomodo sit opaca. 2. 162. & 176.
LUX quomodo a lumine differat. 2. 151. est accidentalis forma. 2. 152. quibus corporibus cœlestibus conveniat. 2. 157. & seq. non est productiva caloris. 2. 239.

M

MANNA quid sit, & quomodo fiat. 4. 138. differt a manna Hebræorum in deserto ibid.
MARE unde habuit originem 4. 124. ejus divisio. 4. 125. salsedo non est marinæ aquæ intrinseca, sed potest ab illa separari. 4. 146. causa effectiva hujus salsedinis assignatur. 4. 147. causa finalis explicatur. ibid.
Mare movetur a Septentrione in Austrum, & qua de causa. 4. 148. movetur etiam ab ortu in occasum, & hujus rei causa. 4. 149. fluxus, & refluxus maris quid sit, & quomodo fiat. 4. 150. non fit a calore Solis resolventis aquas, nec a terrestribus halitibus certis temporibus excitatis, nec ex resilientia aquæ ex uno littore ad aliud. 4. 151. fit a Sole, sed principalius a Luna. 4. 152. non tamen causat per rarefactionem, aut condensationem. 4. 153. sed in nostro æmisphærio per motum localem 4. 154. in æmisphærio oppositio principaliter provenit a gravitate aquæ. 4. 156.
MATERIA est effective a Deo etiam secundum Arist. 1. 23.
MEDIUM multipliciter ad motum resistit. 3. 39.
MEL quomodo fiat. 4. 138.
MERIDIANUS circulus quid sit, & quotuplex. 2. 7.
METALLA ex quibus generentur. 4. 184. & seq. quæ sit causa efficiens. 4. 187. an possint fieri ab arte. 4. 189. & seq.
Proprietas Metallorum. 4. 190. variæ species. 4. 191.

ME-

METOSCOPIA an sit licita. 2. 212.
MINERALIA varia. 4. 192.
MONTIUM origo, & causæ. 4. 167. & 168. ipsorum figura est pyramidalis, & cur. 4. 169. quanta sit altitudo. 4. 170. quoad altitudinem crescunt, & decrescunt. 4. 171.
MOTUS duplex simplex & mixtus, & quid uterque sit. 1. 4. & 6. motus non est cœlis ratio agendi, aut conditio sine qua non. 2. 229. sine motu cœli inferiora possunt agere. 2. 231. quo pacto motus causat calorem. 2. 235. & seq.
Motus resultans a contrario est naturalis. 3. 29. a quo causetur. ibid. a quo fiat motus naturalis gravium, & levium. 3. 24. & 30. fit per lineam breviorem. 3. 37. figura corporis mobilis valde confert ad motum. 3. 39. est velocior in fine, quam in principio, & qua de causa. 3. 41. & seq. non tamen si in infinitum protenderetur. 3. 51. motus duorum inæqualium in gravitate, vel levitate est æqualis in velocitate. 3. 52.
Motus violentus est quadruplex. 3. 63. motus projectorum principalius sit ab impulsu. 3. 65. minus principaliter a medio. 3. 70. motus violentus cur velocior in medio, quam in principio, & fine. 3. 76. & 78. motus resilientiæ a quo fiat. 3. 77. & 79. motus projectorum cur unus sit altero velocior. 3. 86. & 87.
Motus duplex, rectus, & reflexus, & hinc multiplex. 3. 88. inter istos motus non necessario semper intercipitur quies. 3. 90.
MUNDUS dupliciter sumitur, materialiter, & formaliter. qu. procem. 5. de facto unus est, de possibili plures esse possunt. 1. 9. non est unum per se. 1. 19. secundum Arist. Mundus etiam ut comprehendit incorruptibilia, dependet in esse a Deo. 1. 23. Mundi figura. 1. 30. 31. ejus perfectio. 1. 32. & seq. fuit ab æterno secundum Arist. 1. 37. de facto incœpit in tempore, potuit tamen esse ab æterno quoad permanentia, non quoad successiva. 1. 36. & seq. incepit verno æquinoctio, & spatio sex dierum. ibid. potest in æternum durare. 1. 52. quo pacto definet. ibid.

N

NADIR quid sit. 2. 7.
NEBULA, seu caligo quid sit. 4. 137. dupliciter fieri potest. ibid.
NECROMANTIA, & aliæ hujusmodi divinationes an sint licitæ. 1. 252.
Nix quid sit, & quomodo fiat. 4. 141. causa caloris, & frigoris explicatur. ibid.
NUBES quid sit. 4. 135.

O

OPACUM quid sit. 2. 75.
ORBES vide Cœlum.
ORIZON quid sit, & quotuplex. 2. 8.

P

PARALLAXIS quid sit. 2. 84.
PARELIUS quid sit, & quomodo fiat. 4. 93. quot simul contingere possint. ibid. Luna quoque suos efficit parelios. ibid.
PERFECTUM quo sensu sit prius tempore imperfecto. 3. 37.
PERSPICUUM quid sit. 2. 75.
PHISIOGNOMIA an sit licita. 2. 212.
PLANETÆ quando sint directi, retrogradi, vel stationarii. 2. 26. eorum numerus, situs, & domus. 2. 89. Saturnus, & Jupiter alios habent asseclas. 2. 90. diversos effectus causant in his inferioribus. 2. 100. habent proprias domus in zodiaco. 2. 188. vide Astra.
PLUVIA quid sit. 4. 135. alia dicitur imber, alia nimbus, alia pluviæ, ibid. diversitas guttarum unde sit. ibid. qua de causa quandoque lactis, sanguinis, & similium pluvia contigerit. ibid.
POLI quid sint. 2. 3. sunt duo in mundo, arcticus, & antarcticus. 2. 4.
PRUINA quid sit, & quando fiat. 4. 140.

Q

QUIES duplex privativa, & negativa. 3. 88. inter motum rectum, & reflexum non necessario debet mediare quies privativa. 3. 90. cur conveniat terræ. 4. 1.

R

RARUM quid sit. 2. 75. raritas distinguitur a levitate. 3. 4.
REFLEXIO radiorum duplex. 1. 162.
ROS quid sit, & quando decidat. 4. 138. est signum serenitatis. ibid.
RUBIGO quid sit, & quomodo fiat. 4. 138.

S

SACCARUM quid sit. 4. 138.
SOL est in cœlo, non in centro mundi. 1. 16. movetur semper sub eclyptica. 2. 11. quo die mensis ingreditur in signis zodiaci. ibid. varias habet maculas. 2. 91. earum figura, situs, & motus. ibid. quid sint. 2. 92. eclypsatur, & quomodo. 2. 170.
SOLSTITIUM quid sit, & quotuplex. 2. 12.
SONUS non causatur a motibus cœlorum. 2. 172.
SPHÆRA quid sit. 2. 3. alia concentrica, alia excentrica. 2. 22.
STELLÆ, vide Astra.
SUBSTANTIA quo sensu sit prior tempore accidente. 1. 37.
SYDUS discurrens quid sit, & quomodo fiat. 4. 60. etiam interdiu quandoque contingit.

T

TERRA est in centro mundi. 1. 16. ejus circumferentia, & diameter. 4. 7. an excedat aquam. 4. 96. quo pacto cum aqua unum globum constituit. 4. 95. est sphæricæ figuræ. 4. 97. est altior mari. 4. 100. an habeat idem centrum cum universo, & an trepidet. 4. 108. non movetur circulariter. 4. 112. & seq. cur quiescit in medio universi. 5. 118. dividitur in quinque zonas, & quæ sint. 4. 158. omnes zonæ sunt habitabiles. 4. 159. hinc dantur antipodes. 4. 160. variæ explicantur habitationes terræ cum suis proprietatibus. 4. 163. & 164. dividitur in diversa climata. 4. 165. dividitur etiam in montes, planities, & insulas. 4.
TERRÆMOTUS a quibus causis proveniunt. 4. 174. & 175. sonus, locus, tempus, duratio, & dilatatio eorundem. 4. 176.
TONITRUUM quid sit, & quomodo fiat. 4. 52. & 53.
TROPICUS quid sit, & quotuplex. 2. 13.
TURBO tres præcipuas habet species, quæ sunt Ecnephias, Typhon, & Præster. 4. 82. quid sint, quomodo fiant, an inter se differant. ibid.

V

VAPORES quid fiant. 4. 134. non distinguuntur specie ab aqua. ibid.
VAS plus aquæ continet in imis, quam in jugis montium. 4. 98.
VENTI quid sint, & eorum multiplex materia. 1. 74. nedum exhalatio, sed etiam vapor, & aer, sunt eorum materia. ibid. causa eorum effectiva. 4 76. a quo moveantur lateraliter, & cum tanto impetu. 4. 79. causa cessationis eorum. ibid. quot sint, & quibus vocentur nominibus. 4. 80. quas habeant proprietates. 4. 81.
VIA lactea quem locum, & figuram habeat. 2. 79. non est res Metheorologica. 2. 82. & seq. sed cœlestis. 2. 87.
VIRGÆ quid sint, & quomodo fiant. 4. 94.
VIVENTIA sunt perfectiora corporibus cœlestibus. 2. 119. alia perfecta, alia imperfecta. 2. 198. nequeunt a stellis produci. 2. 20.
UNIVERSUM. Vide Mundus.
VORAGO, & Hiatus quid sint, & quomodo fiant. 4. 94. non sunt in cœlo, sed in aere. ibid.

Z

ZENITH quid sit. 2. 7.
ZODIACUS quid sit. 2. 9. ejus signa. ibid. habet latitudinem. 2. 11. est duplex, unus in primo mobili, alter in cœlo stellato. 2. 19.
ZONÆ quot sint in cœlo. 2. 15.

DISPU

DISPUTATIONES

In Aristotelis Stagiritæ Libros

DE ANIMA.

Quibus ab Adversantibus tum Veterum, tum Recentiorum jaculis

SCOTI PHILOSOPHIA VINDICATUR.

BREVIS EXPOSITIO TEXTUS LIBRORUM DE ANIMA.

LIBER PRIMUS.

In quo refutantur opiniones Antiquorum de Anima.

CAPUT I.

A text. 1. *usque ad* 19.

1 Præsens caput est proœmium totius operis, qua ratione Arist. more rheotorico reddit auditores benevolos, dociles, & attentos; reddit benevolos, ostendendo dignitatem, & utilitatem horum librorum: dignitatem quidem; nam omnis scientia est honorabilis, & bona, ac per se appetibilis, sed una est honorabilior, & magis appetibilis, quam altera, aut propter certiorem demonstrandi modum, aut propter majorem dignitatem objecti, sed animæ scientia habet certissimum modum demonstrandi, quia procedit a notis per experientiam, habetque dignissimum objectum, quia animata primum locum obtinent inter materialia, ergo hæc scientia inter digniores est connumeranda. Utilitatem ostendit, quia confer ad omnem scientiam, cum agat de principio effectivo, & subjecto cujuscunque scientiæ, qualis est intellectus; sed præcipue est utilis philosophiæ naturali, cujus objectum principale est corpus animatum, de quo non potest haberi scientia sine animæ notitia, quæ est ipsius formale principium constitutivum. Deinde reddit auditores dociles proponendo ea, quæ de anima sunt tractanda, & patefaciendo ordinem inter illa; nam prius inquit se acturum de substantia, & quidditate animæ, deinde de passionibus ipsius, quarum aliæ sunt propriæ ipsius animæ, quæ scilicet proveniunt, & recipiuntur immediate in ipsa anima, ut intelligere, & velle, aliæ communes, quæ toti conjuncto ex anima, & corpore primo conveniunt, ut omnes materiales operationes.

Reddit quoque auditores attentos, ostendendo difficultatem hujus scientiæ: multiplex difficultas in hoc tractatu reperitur; primo enim est difficultas circa methodum investigandi substantiam animæ, an sit demonstratio, vel divisio, aut compositio, vel omnes simul, & quo pacto debeant animæ applicari; variorum enim varia sunt principia. Secundo est dubium de genere animæ, an sit substantia, vel aliud prædicamentum, num actus, vel potentia. Tertio, num anima sit divisibilis in plura, vel indivisibilis; & si divisibilis, num sint ejusdem speciei, an differant speciei, & genere, & num possint unica definitione in universali definiri, vel per plures definitiones necessario definiri debeant; & ne quis suspicaretur, dum dixit animam in communi, & in universali definiri, ipsum ponere universale platonicum, subjungit propositionem illam satis vulgatam: *Universale aut nihil est, aut posterius est*, de qua agemus in metaph. dum de natura communi differemus. Si autem esset indivisibilis in plures animas specie distinctas, sed solum in plures potentias, adhuc aliæ insurgunt difficultates; nam primo est dubium quoad ordinem, num scilicet agendum sit primo de tota anima, mox de potentiis, vel vice versa, & de potentiis adhuc dubitatur tam de distinctione, quam de operationibus, & objecto, quod ab Aristot. in text. 10. vocatur *Oppositum*.

2 Pergit deinde a text. 11. proponere difficultates hujus scientiæ ex parte passionum animæ, & inquit, quod duplex est via deveniendi in rerum cognitionem, una a priori per definitionem subjecti, altera a posteriori, ab effectibus, & per accidens, hæc enim magnam partem conferunt ad cognoscendam substantiam, seu quidquid est; prima via difficile est investigare naturam animæ, ut visum est: secunda via non minus est difficile, nam est dubium, an passiones, & operationes animæ sint communes, & habentis, idest compositi, & corpori communicatæ, an vero detur aliqua operatio, & passio propria ipsi animæ, & præcipue dubium est de ipso intelligere, si est imaginatio, idest, si est actus potentiæ sensitivæ, quæ dicitur imaginatio, ut antiqui putabant, aut si non est; nam si non potest exerceri sine imaginatione, non videtur esse operatio propria, nec sine corpore contingeret intelligere. Et hæc difficultas est valde necessaria, & utilis ad investigandam cognitionem ipsius animæ, nam si est aliqua propria animæ, ipsa erit separabilis a corpore; si autem nulla sit passio, & operatio propria, non erit separabilis, sed se habebit ut rectum, cui cum competat hæc conditio, ut tangat æneam sphæram perfecte rotundam in puncto, non tamen id facier rectum segregatum a suo subjecto, cum sit aliquid materiatum a subjecto pendens; quid autem hic intelligat Arist. per operationem propriam, an scilicet ipsum intelligere simpliciter, quod est inorganica actio, quamvis organicam phantasiæ præsupponat, an vero intelligere omnino independens a phantasia, est dubium apud Doctores; hoc secundum majus fundamentum habet in textu. Ex his omnibus manet probata propositio illa, quam in initio proposuerat, ut auditores redderet attentos, scilicet Scientiam de anima esse de numero difficiliorum.

3 In sequentibus textibus intendit ostendere scientiam animæ ad physicum spectare, pro quo supponit operationes animæ sensitivæ esse cum corpore, quod probat, quia illæ passiones animæ, quibus patitur corpus, sunt communes animæ, & corpori, seu ut ait Arist. sunt cum corpore, sed omnes passiones sensitivæ, consequenter vegetativæ animæ (de quibus est minor difficultas) sunt hujusmodi, nam mansuetudo, timor, ira, gaudium, amor, odium, &c. sunt talis conditionis, quia illis afficimur, turbamur, agitantur *spiritus*, ergo, &c. tum quia dependent a corporis temperamento, nam aliquos experimur multis illatis injuriis non irasci, ut flegmatici, alios ex minima occasione multum irasci, ut colerici, aliquos absque ulla causa, vel saltem minima, valde timere, ut melanconici, & mulieres, alios e contra, ergo cum sequantur corporis temperamentum, erunt passiones corpori communes. Ex hoc colligit passiones animæ corpori communes esse rationes in materia, idest formas materiatas, & consequenter definitiones earum debere esse tales, ut materiam includant, definitio enim explicat definitum, quod si materiam involvit, etiam definitio talis esse debet. Hinc deducitur Physici munus esse considerare de omni anima, aut hujusmodi, idest aut saltem de ea, quæ hujusmodi passionum naturalium est principium, quod etiam docuit 6. Metaph. 3.

Ut autem probet hoc ultimum corollarium, notat Arist. quod unumquodque eorum, de quibus facta est *mentio*, vario modo definitur a physico, & dialectico (ubi per dialecticum intelligit artificem utentem regulis Logicalibus, illisque applicantem aliis scientis) nam dialecticus per omnia vagatur, & definit per formam, ut iram definit per esse appetitum vindictæ, appetitus enim stat loco formæ, at physicus definit per materiam, ut iram esse motum sanguinis circa cor; at quoniam formæ physicæ sunt in materia, idcirco docet Arist. dari tertium genus definitionis includens materiam, & formam; & hoc tertium genus ad physicum proprie spectare, nam physicus considerat corpus naturale, quod ex materia, & forma constituitur; genus definiendi per formam solum spectat ad dialecticum, qui per omnia vagatur, ad mathematicum, qui considerat res separabiles a materia non secundum esse, sed secundum considerationem, & ad metaphysicum, qui res utroque modo a materia separabiles contemplatur; at genus definiendi per materia solam, vel a nullo artifice accipitur, quia materia ex se ignota, definitio vero debet esse per notoria, saltem ad physicam spectare debet, licet non sit physica definitio, idest perfecta. Ex quibus patet, quod cum passiones animæ jam recensitæ sint formæ in materia, de illis agere erit muneris physici.

CAPUT II.

A text. 19. usque ad 36.

4 AB hoc secundo capite incipit tractatus de Anima, & in præsenti recitat quasdam opiniones Antiquorum circa naturam, & quidditatem animæ, & quoniam animatum ab inanimato duabus præcipue *differentiis secernitur*, motu, & sensu, accipiendo motum pro eo, qui est in potentiate moventis, & ad opposita loca, qualis viventibus sensitivis convenit, nam alio genere motus etiam non viventia sunt prædita (hic Arist. maxime loquitur de anima sensitiva, & rationali, quia nondum demonstraverat vegetativam esse veram animam, sicut etiam antiqui de his duabus disputabant) idcirco antiqui Philosophi quidditatem animæ, quia a cæteris formis differt, ex his duobus investigabant, vel scilicet ex motu, vel ex sensu, vel ex utroque simul.

Prima opinio eorum, qui ex motu essentiam animæ declarabant, fuit Democriti, & Leucippi, hi enim quia putabant principia rerum naturalium esse athomos, omniaque ex his constare, ex alia parte videbant animam in viventibus esse principium motus, & consequenter debebat etiam se movere, *nihil* enim, dicebant, potest aliud movere, nisi ipsum quoque movens moveatur, idcirco ponebant animam constare ex illis athomis, quæ maxime idoneæ sunt ad se movendum, & alia corpora, tales sunt, quæ sphærica figura sunt prædita, quare ponebant animam esse quid constitutum ex athomis sphæricæ figuræ, istæ enim possunt omnia penetrare, & reliqua movere. Secunda non multum distans a præcedenti fuit Pythagoræorum, quorum alii ponebant animam esse corpuscula quædam per aerem se moventia, alii vero non hæc ramenta, sed quod movet illa, esse dixerunt animam, itaut omnes isti conveniant in hoc, quod animam docuerunt esse seipsam moventem, & alia propter ipsam moveri, quod etiam asserait Plato, & Anaxagoras mentem, quæ primo movet omnia, animam statuit.

5 Deinde a tex. 25. enumerat opiniones eorum, qui animæ quidditatem ex sensu, & cognitione investigabant, quibus omnibus hoc erat commune principium, scilicet cognitionem fieri per assimilationem, & simile nonnisi simili cognosci posse; ex quo postea quilibet deducebat animam componi ex eisdem principiis, quibus cætera corpora constare asserebant, sic quia Empedocles omnia ex quatuor elementis tanquam ex materia, & ex lite, vel amicitia tanquam ex forma constare posuit, animam dixit esse unumquodque istorum, ut omnia hæc, & ex eis constituta dignoscere possit. Similiter Plato, quia posuit animam ex numeris constare, ex uno tanquam ex materia, quod ideam vocabat, & ex numeris tanquam ex forma (quos numeros etiam describebat per quantitatem continuam, per lineam enim intelligebat numerum binarium, quatenus duobus claudituir punctis, per latitudinem ternarium, quia prima figura plana præter sphæricam est triangulus, per profunditatem, quaternarium) *idcirco animam docuit constare ex idea unius*, & ex aliis numeris, ut omnia cognoscere possit.

A text. 28. proponit opiniones investigantium animæ quidditatem *ex motu*, & sensu, unde posuerunt animam esse principium motivum, & cognoscitivum simul, & sicut in principiis rerum naturalium dissentiebant, sic etiam discordes fuerunt in explicatione talis principii; nam alii posuerunt esse numerum seipsum moventem, alii ignem, utpote magis incorporeum, quam cætera elementa, alii aerem, alii vaporem quendam medium inter aerem, & aquam motivum, & cognoscitivum, alii virtutem quandam motivam corporum, sicut magnes movet ferrum, alii aquam, alii sanguinem, & alii, quod sit naturæ immortalis, & divinæ, seu cœlestis; quas omnes opiniones ad tria reducit Arist. quia tres sunt conditiones animæ, prima, quod sit simplex, ideo subtilissima, secunda, quod sit cognoscitiva, idcirco ex similibus, tertia, quod sit motiva, unde & incorporea.

CAPUT III.

A text. 36. usque ad 54.

6 INcipit nunc Arist. relatas opiniones de anima confutare, & in hoc cap. ostendit animam non esse ignem, neque magnitudinem, aut ex magnitudine constare, neque seipsam movere.

Primo igitur evertit universale antiquorum fundamentum, scilicet, quod si aliquid movet, debeat quoque moveri, & hoc facit aliquibus rationibus usque ad tex. 45. tum quia ostensum est in 7. & 8. Phys. opus non esse omne movens seipsum *movere*; Tum quia illud per se movetur, quod secundum seipsum movetur, illud per accidens, quod secundum aliud, si anima per se moveretur, certe vel *augmentatione*, vel diminutione, vel alteratione, aut latione, vel omnibus & quocunque ex his motibus moveretur, necessario deberet localiter moveri, hic enim *motus* omnibus præsupponitur, nam mobile vel est quantum, vel quantitatem acquirit, & consequenter vel est in loco, vel locum acquirit, at anima nequit localiter moveri, quia non est in loco, cum sit sicut forma in materia; Tum quia si per se movetur, ergo naturaliter, & per consequens violenter quoque posset moveri, & quiescere, at nullus motus, vel quies violenta potest animæ assignari; nisi poneretur esse aliquod elementum, vel ex illis constans; Tum quia si per se moveretur, posset egredi a corpore, & recedere vel secundum totum, vel secundum partem, & iterum ingredi, & sic mortuum resurgere posset, quod est falsum. *Tum quia quod per se movetur* nullo alio suppposito movente, non potest moveri secundum accidens, quia quod sic movetur, ab alio movetur, animal autem potest ab *alio moveri*, ut cum pellitur, quo motu anima quoque per accidens movetur. Tum quia omnis motus est remotio ejus, quod movetur, secundum quod movetur, ut motus localis est remotio mobilis a loco, ergo anima non est essentialiter motus, ut quidam dicebant, quia sic a seipsa recederet. Tandem falsum est, quod ajebat Democritus, scilicet corpuscula illa, quibus anima constat, propter sphæricam figuram semper secum trahere corpus, nam sic sequeretur animal nunquam quiescere, sed esse in continuo motu. Tum quia anima non naturali necessitate videtur movere corpus, sed electione quadam & intellectione.

7 Deinde arguit contra Platonem asserentem animam esse magnitudinem, ubi non semper sensum Platonis, sed plerumque verba insectatur, quia tropice loquebatur, non scientifice, arguit igitur primo, quia animam universi ponebat pure spiritualem, & intellectualem, non sensitivam, ut in brutis, aut desiderativam, ergo nec organa habere debet, nec magnitudinem innatam. Tum quia intellectus, & intellectio in continuitate proportionatur, at intellectiones non efficiunt unam quantitatem continuam, sed consequenter se habent, ergo neque intellectus unum continuum est. Tum quia asserebat Plato, intellectum tangendo res intelligere illas, hoc autem est falsum, quia vel tangeret illas, secundum totam simul magnitudinem, aut secundum partem, aut secundum punctum; non tertium, quia si tangeret secundum omnia puncta, cum hæc infinita, & per consequens impertransibilia, intellectio, & tactus talis rei nunquam finietur; idem sequitur, si asseratur primum, & quod res nunquam semel intelligi poterit, sed infinities, sicut infinitæ sunt partes; si secundum ad quid ponitur circulatio in Cœlis (nam Plato conversionem ponebat necessariam ad intellectionem, ut fiat contractus secundum quamlibet partem) tum quia si una pars non est necessaria ad intellectionem, neque altera, non est major ratio de una, quam de altera. Tum quia impertinens est iste modus intellectionis, si enim intellectus est divisibilis, quomodo tanget rem indivisibilem? & si est indivisibilis, quomodo tanget rem divisibilem? & tamen utrunque intelligit; alias quoque rationes subjungit contra istum modum, quas brevitatis causa omittimus.

Tandem redarguit antiquos, qui de anima loquentes nihil determinarunt de corpore, & tamen inter animam, & corpus proportio debet esse, sicut inter motivum, & *mobile*, unde quæ liber anima proprium sibi vindicat corpus.

CAPUT IV.

A text. 54. usque ad 72.

8 PRosequitur Arist. incœptam disputationem contra antiquos, & præsertim in hoc cap. impugnat duas opiniones, prima erat, quod anima sit harmonia quædam, & temperamentum contrariorum; secunda quod sit numerus seipsum movens. Contra primam arguit, tum quia harmonia, & temperamentum, est ordo, dispositio, vel mixtio contrariorum secundum proportionem, quæ omnia sunt accidentia, at anima est substantia, harmonia non est principium efficiens, sed effectus motus, quia resultat ex rebus ordinatim motis, vel est motus ipse, anima autem ab omnibus ponitur principium motus. Tum quia harmonia potius dicitur de corporeis virtutibus, ut sunt pulchritudo, robur, sanitas, &c. nec operationes animæ possunt harmonice definiri, intelligere enim, irasci, timere, &c. non dicunt harmoniam quandam. Tum quia harmonia vel dicitur de magnitudinibus, cum scilicet partes apte inter se uniuntur, ut in statua, & hoc pacto anima non est harmonia, quia in partibus corporis multiplex unio, & compositio reperitur, quare oporteret explicare, in qua peculiariter consistat, quod nec putare possumus; vel dicitur de elementis per mixtionem concurrentibus, & neque hoc sensu anima dici poterit harmonia, quia non est una mixtio in omnibus partibus corporis, alia enim est mixtio carnis, alia ossis, & sic in uno animali plures essent animæ, quod est falsum.

9 Subjungit postea duas dubitationes, prima est, quia in corpore sublata harmonia mixtionis tollitur anima, & e contra sublata anima destruitur harmonia corporis, ergo sunt idem inter se, cui objectioni facile occurritur negando consequentiam, nam multa ad invicem dependent in esse, ut destructo uno, aliud corrumpatur, ut patet in substantia, & accidente, in relativis, &c. & tamen non sunt idem inter se. Secunda est quia videtur anima per se moveri, dicimus enim animam tristari, gaudere, timere, confidere, irasci, ratiocinari, sentire, quæ omnia *important motum*. Huic objectioni respondet hæc omnia proprie non convenire animæ, sed toti conjuncto, quia non exercentur sine corpore; unde dicere animam irasci, simile est, ac si quis dicat eam texere, vel ædicare. Solum est dubium de intelligere, intellectus enim videtur secundum se impossibilis, & incorruptibilis: attamen non idcirco intelligere erit operatio animæ, sed totius hominis, quia licet non fiat in corpore medio organo, ut sentire, præsupponit tamen organum, qua ratione læso organo ipse intellectus corrumpi, & destrui dici potest quoad exercitium, propter quam connexionem homo dicitur intelligere, non anima, quæ sine corpore nec amare, aut reminisci poterit.

Refutat deinde secundam opinionem asserentem animam esse numerum se *moventem*; nam si est unitas nequit seipsam movere, quia impartibilis, & omne movens dividitur in partem per se moventem, & per se motam, Tum quia a numero ablata unitate remanet numerus specie distinctus, at si ab anima auferas aliquam partem, quæ remanet, est adhuc ejuidem speciei. Tum quia unum punctum ab alio non differt, nisi positione, quia unum est in hac parte corporis, aliud in alia, ergo si anima esset punctum, vel unitas, ab aliis animalibus sola positione differret. Tum quia si numerus punctorum, & unitatum est anima, quia hic numerus est in omnibus corporibus, omnia haberent animam. Tum quia anima secundum ipsos est a corpore separabilis, punctum inseparabile, quæ rationes faciunt contra Platonem explicantem numeros per quantitatem *continuam*, ut *notavimus c. 2.*

CAPUT V.

A text. 72. usque ad finem.

10 IN hoc ultimo cap. impugnat primo, opinionem docentem animam esse corpus quoddam subtilissimum, quia cum anima quælibet sit in corpore, jam duo corpora simul essent in eodem loco; quæ ratio facit contra ponentes animam esse numerum athomorum, vel punctorum, aut unitatum, cum enim ponant corpus ab anima moveri, certe in uno corpore erunt multa puncta, vel sphærulæ, parum enim refert, si dicatur corpus moveri a parvis sphærulis, aut unitatibus magis, hinc falso definierunt quidam animam, per hoc, quod sit numerus seipsum movens, nam per definitionem demonstrantur passiones de subjecto; at per esse numerum moventem nequeunt passiones animæ demonstrari.

Deinde aliam urget *opinionem constituentem animam ex elementis* ut possit omnia cognoscere, quia simile simili cognoscimus; at si hoc esset verum, ergo non solum ex elementis, sed ex omnibus aliis rebus anima constare deberet, nam mixta sunt ab elementis distincta; insuper deberet esse in omnibus decem prædicamentis, & principia omnium generum essentialiter continere, quia hæc omnia cognoscit. Tum quia sentire, & cognoscere est quoddam pati, at simile non potest a simili pati. Tum quia ex omnibus rebus paucissima cognoscerentur a nobis, quia anima paucissimis est similis, imo Deus ipse esset insipientissimus, quia non habet discordiam, quæ tamen secundum Empedoclem est in omnibus mortalibus. Tum quia si anima est unum, vel plura elementa omnia essent animata. Tum quia *elementa* habent rationem materiæ, & consequenter sunt imperfecta, anima autem est omnium præstantissima, ergo non est elementa. Tum quia fundamentum est insufficiens, nec concludit, quod sit insufficiens, prob. quia ponunt *ex elementis*

constare, ut possit cognoscere, & movere, at non omnis anima est movens, & sentiens; plantæ sunt animatæ & non sentiunt, multa animalia localiter non moventur; nec concludit, quia ex *hoc* quod *debet* cognoscere omnia, *non* sequitur necessario ex omnibus elementis constare, sufficeret enim altera pars contrarietatis, puta quod sit calida, & humida, vel e contra ad cognoscendum etiam oppositum, nam per rectum non solum cognoscimus ipsum rectum, sed etiam obliquum.

11 Tertio, aliam confutat opinionem asserentem animam esse toto universo permixtam, ita ut universum sit animatum, se. queretur enim ignem, & aerem esse animatos, & consequenter animalia; insuper, quia ignis, & aer diuturniores sunt brutis, jam ipsorum anima esset perfectior anima Equi, vel Leonis, quæ omnia sunt falsa. Tum quia falso innititur fundamento, nam ideo posuerunt elementa animata, quia totum debet esse ejusdem rationis cum partibus, quare si universum est animatum, etiam elementa, quæ sunt partes ipsius, ex quo etiam sequi necesse est animas omnium viventium esse similares, & ejusdem rationis, quod implicat.

Tandem proponit aliquas dubitationes, quarum *prima* est, anima est principium sentiendi, opinandi, concupiscendi, localiter movendi &c. est dubium, an hæc omnia a tota anima proveniant, vel unum ab una parte animæ, alterum ab altera? secunda est, num ipsum vivere consistat in aliquo uno horum, aut in pluribus, aut in omnibus, & an aliqua alia causa sit ipsius.

12 Pro solutione primæ difficultatis refert opinionem Platonis ponentis triplicem animam in corpore, aliam in cerebro, aliam in corde, aliam in hepate, quam impugnat, quia cum sint disparatæ non subordinatæ, quid est, quod illas simul continet? non corpus, nam potius anima continet corpus, quam e contra, videmus enim dum anima est in corpore, corpus non putrescere, ac separata anima partes corporis ab invicem dissolvi; ergo aliquid aliud dari debet continens simul illas animas, quod vel est unum, vel multiplex, si secundum, redit eadem dubitatio, si primum, jam hoc erit anima. Tum quia si anima est multiplex, & partibilis in corpore, sicut tota continet totum corpus etiam unaquæque pars continebit partem corporis determinatam, hoc autem de intellectu nequit dici, quia non est alligatus organo. Tum quia plantæ, & animalia quædam divisa vivunt, sentiunt, & moventur, ergo unica anima, & ejusdem speciei in toto corpore, quod si diu non permanent partes illæ divisæ, hoc provenit ex defectu organorum, non ex parte animæ; quare eadem anima secundum omnes partes erit in omnibus corporis partibus. Concludit tandem formam plantarum esse quoddam genus animæ, in hoc enim vegetandi genere conveniunt plantæ, & animalia, & licet vegetativa possit a sensitiva separari, ut in plantis, non tamen e contra.

LIBER SECUNDUS.

In quo de Anima in se, ac de vegetante, & sentiente tractatur.

CAPUT I.

A text. 1. usque ad 12.

13 INcipit nunc agere de Anima ex propria sententia, & primo intendit definitionem ipsius assignare, quod ut assequatur præmisit divisiones aliquas; prima est entis in decem genera generalissima, ex qua divisione vult inferre animam esse substantiam. Secunda est substantiæ, quam dividit in materiam, formam, & compositum, quæ divisio non est substantiæ in tota sua communitate, neque ut est supremum genus, quia Angeli comprehenduntur sub substantia hoc *duplici modo* accepta, nec materia, & forma sunt per se, & directe species supremi generis, sed est divisio substantiæ materialis, & physicæ, ut abstrahit a completa, & incompleta; monet deinde materiam secundum se non esse hoc aliquid, idest determinatum quid ad certam speciem, sed esse potentiam, formam vero esse id, secundum quod jam dicitur hoc aliquid, & esse actum.

Tertia divisio est de actu in primum, & secundum, quam divisionem Mercenarius explicat cum Averroe, quod actus primus sit forma non operans, actus vero secundus sit forma, ut operatur, eo quia hic dividit *illum* actum, quem assignavit in secunda divisione, hunc autem dixit esse formam substantialem, & cum materia unum per se constituit, talis autem non est operatio ipsa, sed forma. At satis se declarat Aristot. in text. dum exemplificans divisionem istam adducit exemplum de scientia, & speculari, speculatio autem est pura operatio; quapropter per actum *primum intelligit ipsam* formam, per secundum operationem ipsius; nec est verum, Arist. divisisse actum, quem assignaverat in secunda divisione, sed occasione illius divisit actum in communi ad primum, & secundum, ut explicaret formam, quam *dixit esse* actum, non esse actum secundum, sed primum. Quarta divisio est ipsius corporis substantialis, & physici, quod *prius* comparat cum materia, forma, & corporibus artificialibus, dicens corpus physicum esse maxime substantiam, quam sit materia, forma, & artificialia; deinde illud *dividit* in inanimatum, & animatum, seu in vivens, & non vivens, hæc autem divisio non est primæ

corporis in communi, istud enim primo dividitur in simplex, & mixtum, sed hanc prætermisit, quia suo non inserviebat proposito. Notandum etiam, quod vita potest sumi dupliciter, scilicet pro vita substantiali, a qua emanant vitales actiones, & est anima, & pro vita accidentali, quales sunt ipsæ operationes vitales.

14 His divisionibus præacceptis pergit Philosophus ad investigandam animæ definitionem, & primo supponendo, quod anima non sit materia, quod est evidens, ostendit non esse corpus altera parte, nam corpus non est in subjecto, imo potius habet rationem subjecti, sed anima est in corpore, ut in subjecto, nec est corpus pro toto composito, hoc enim est vitam habens, hoc est animam, & includit corpus pro altera parte, ex quo sequitur, quod cum anima sit substantia, a sufficienti divisione quod sit forma, actus corporis; Actus autem cum sit duplex, primus, & secundus, inquit Arist. quod anima non est actus secundus, sed primus, nam secundus est accidens, non substantia. Cum igitur anima sit actus primus corporis, explicandum est cujus corporis sit actus, & inquit, quod hoc corpus debet esse organicum, & instrumentale, quod probat exemplo plantarum, de quibus minus videtur verificari esse organicas, nam partes plantarum videntur ordinatæ a natura ad opera diversa; folium enim est ordinatum, ut sit cooperimentum fructiferi; fructiferum factum est gratia fructus, & radices sunt similes oribus animalibus, & trahunt alimentum, medulla autem cordi proportionatur. Ex quibus deducitur communis animæ definitio, quod sit *actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis*: & hanc definitionem explicat duobus exemplis, ut ostendat animam esse veram corporis viventis formam substantialem, primum desumitur ab artificialibus, nam si securis esset quid naturale, & non artificiale, certe forma securis esset ipsius forma substantialis, & id, a quo sumitur quod quid est, & esset specificum securis, & remota forma, non amplius esset securis, nisi æquivoce; sic se habet anima in ordine ad vivens. Deinde subjungit exemplum physicum de oculo, nam vis visiva est substantia ejus, quia ablata vi visiva non esset amplius oculus, nisi æquivoce, modo sicut se habet pars animæ sensitivæ ad partem corporis viventis, ita tota anima ad totum corpus, sed pars animæ sensitivæ in parte corporis viventis est substantialis forma, a qua sumitur esse specificum, ergo &c. Ex quibus deducit, ly *potentia vitam habentis*, non habere intelligi de potentia essentiali ad vitam in actu primo, sed accidentali ad vitam in actu secundo.

Tandem colligit, quid sit ex prædicta definitione manifestum, & quid immanifestum; manifestum ex hac definitione est, quod anima non est separabilis a corpore, aut saltem aliquæ partes ejus, sive potentiæ, sunt enim aliquæ partes ejus, seu potentiæ, de quibus est manifestum, cum sint organo alligatæ, quod sunt a corpore inseparabiles, licet etiam sint aliquæ, quæ cum nullius sint corporis actus, a corpore separabiles esse videntur. Est autem adhuc immanifestum, num anima uniatur corpori per informationem, aut non, sed solum ut motor mobili, & ut natus navi, ut opinabatur Plato: unde concludit animam pro nunc esse sufficienter definitam in communi, & in universali, donec in sequentibus ejus definitio propria investigetur, nam semper communia debent præcedere propria, & specialia.

CAPUT II.

A text. 12. usque ad 33.

15 Intendit Arist. in præsenti alteram animæ definitionem assignare magis specie, qua postea priorem vult probare, quod ut faciat, primo proponit methodum, quam est observaturus, inquiens se velle procedere a notioribus nobis ad notiora; natura notiora enim nobis manifestant id, quod est notius secundum rationem, idest definitio manifestatur per effectus, & sensibilia. Deinde supponit definitionem dupliciem esse, unam, quæ dicit quid est, aliam, quæ dicit propter quid; addi solet tertia, quæ dicit utrumque: prima est conclusio demonstrata, secunda est medium, tertia est tota demonstratio sola positione terminorum differens, de quibus in Logica; institutum igitur Arist. hic est talem definitionem animæ tradere, ut ex ipsa, & superiori fiat una, quæ sit tota demonstratio sola positione terminorum differens, itaut una per aliam possit demonstrari.

Ut autem hanc definitionem investiget, incipit a notioribus nobis dicens animatum ab inanimato differre per ipsum vivere, quod potest sumi vel pro actu primo, vel pro actu secundo, per utrumque distinguitur vivens a non vivente, sed per secundum tanquam per notius. Hoc vivere multipliciter dicitur, unde assignat quatuor gradus vitæ, scilicet vegetativum, sensitivum, locomotivum, & intellectivum, & quando unum aliquod istorum inest alicui, illud vivere dicitur; qui gradus non se habent ut disparati, sed secundus præsupponit primum, tertius secundum, quartus tertium, non e contra, unde in plantis est solum primus gradus, estque communis omnibus viventibus, in brutis reperitur sensitivus, qui saltem quoad tactum convenit omnibus animalibus; hinc deducitur, animam esse principium horum graduum, seu harum vitalium operationum.

16 Proponit deinde duas difficultates, prima est, num quilibet horum graduum in vivente dent intelligere propriam animam specie ab alia distinctam, itaut quot gradus reperiantur in vivente, tot etiam adsint animæ specie distinctæ, an vero solum denotent plures potentias ejusdem animæ. Secunda est si significant solum plures potentias, an illæ potentiæ distinguantur inter se formaliter, seu definitione, & loco, seu subjecto. Respondet huic secundæ dubitationi, & quo ad primam partem ait vere potentias in ista definitione, & formaliter distingui, quia & actus, a quibus specificantur, specie distinguuntur, aliud enim est sentire, aliud opinari & intelligere; quo ad secundam partem an distinguantur subjecto, ait in quibusdam viventibus simul reperiri in omnibus partibus, & sunt, quæ divisionem patiuntur, ut sunt plantæ, & insecta animalia, nam videmus vermes in partes divisos moveri secundum omnes partes, & si pungantur refugiunt, quod est signum doloris, & consequenter sensus, unde in eadem parte adsunt potentiæ vegetativa, sensitiva, & locomotiva. Solum dubitatur de potentia intellectiva, quia cum sit inorganica, non videtur esse aliqua determinata parte corporis. Possunt etiam hæ potentiæ subjecto distingui non considerando illas in uno vivente, sed in diversis, nam sic separari possunt, ut dictum est. Primæ dubitationi explicite non respondit, quia admittendo assumptum secundæ dubitationis, scilicet quod dicant potentias, jam implicite negavit hos gradus in eodem vivente dicere plures animas species distinctas.

His præacceptis accedit deinde assignandam definitionem propriam animæ, qua probari possit definitio supra tradita, & inquit, quod quælibet actio nobis ex duobus convenire potest, ex forma tanquam ex actu, & ex materia tanquam ex subjecto, ut sanari convenit nobis ratione sanitatis, tanquam ex forma, & ratione corporis, tanquam ex subjecto, sic operationes istæ vitales a forma, & subjecto in nobis proveniunt, anima autem non habet rationem corporis, & subjecti, ut supra ostensum est, ergo erit forma, & quoniam forma non est extra subjectum, ut ad actiones concurrit, sed in eodem subjecto, cujus est actus, idcirco anima, ut est principium operationum vitalium, erit in corpore tanquam actus ipsius. Ex quibus elicit definitionem propriam animæ quod sit *id, quo vivimus, & sentimus, & movemur, & intelligimus primo*, addit ly *primo*, ut innueret, animam esse actum secundum, qualis est ipsa vitalis operatio, qua tales sumus secundo, sed primum. Hac definitione potest prior jam assignata probari; nam id, quo primo vivimus, &c. est actus primus corporis physici organici, anima est hujusmodi, ergo &c.

17 Procedit postea a tex. 27. ad declarandas potentias vitales, & gradus viventium, & inquit, quod quinque sunt potentiæ vitales, scilicet vegetativa, sensitiva, appetitiva, loco motiva, intellectiva; at gradus, a quibus proveniunt sunt tantum quatuor; eo quia sensitiva, & appetitiva semper comitantur ad invicem, nam in animalibus saltem est sensus tactus, at hunc sensum semper comitatur potentia appetitiva, ergo non separantur ad invicem, sed ubi est una, ibi est altera, min. prob. quia omne sensitivum debet cognoscere alimentum, quo nutritur, quia sensu ducitur in suis operationibus, at alimentum habet primas qualitates, quæ sunt objecta actus, ergo quodlibet sensitivum habet cognitionem alimenti, & consequenter famem, & sitim patietur, quæ sunt appetitus cibi & potus: tum quia sensu tactus percipimus dolorem, & voluptatem, qui sunt passiones appetitivæ potentiæ, ergo semper appetitus est cum sensu. Quapropter primus gradus viventium est vegetativus, qui habet potentiam nutritivam; secundus est sensitivus, quem sequuntur duæ potentiæ sensitiva, & appetitiva; tertius est locomotivus, qui habet ultra istas enumeratas potentiam ad motum progressivum; quartus est cogitativus, seu intellectivus, qui addit potentiam rationalem, ut in homine, & si quid est aliud altius, aut melius homine, quod addidit Arist. propter existimantes cœlestia corpora esse animata anima intellectiva. Tandem subdidit has potentias se habere sicut imperfectum, & perfectum, quæ enim est prior, & communior, est etiam imperfectior, cæterisque præsupponitur, quæ est posterior, & minus communis, est perfectior, & alias præsupponit, non autem præsupponitur illis, ut patet inductione, planta habet tantum esse vegetativum, animalia imperfectissima habent ad minimum sensum tactus, & vegetativum, animalia magis perfecta præter tactum habent alios sensus, & potentiam motivam progressive, tandem homo præter hæc habet intellectum, & discursum.

CAPUT III.

A text. 33. usque ad 51.

18 Declarata essentia animæ in se, nunc pergit ad animas in speciali, earumque potentias, & quoniam ordine generationis, & communitatis vegetativa est prima, idcirco in præsenti agit de ipsa, cujus duas præcipue potentias assignat, scilicet generativam, & nutritivam (quæ adhuc continet augmentativam) Explicat primo generativam potentia, & quoniam potentiæ dignoscuntur per actus, hinc agit de ipso generare, de quo docet esse naturalissimum operum, quæ reperiuntur in viventibus, ad quod tres requiruntur conditiones, prima ut animal generans sit perfectum in ætate, secunda, quod non sit mutilum, & tertia, quod non sit ex putri genitum (de quibus conditionibus egimus disp. 8. de Gen. quandocunque interveniunt hæ conditiones, vivens est sibi similis generativum, ut animal producit animal & planta plantam, quo autem sensu generare sibi simile dicatur naturalissimum opus viventis dicemus disp. 4. q. 1. Declarat deinde, quomodo anima se habeat ad generationem, & inquit, quod concurrit in triplici genere causæ, scilicet formalis, efficientis, & finalis; se habet ut formalis causa, quia est forma generantis, & geniti; ut causa efficiens, quia omnes operationes vitales ab anima trahunt originem; & tandem est finis, quia propter animam natura præparat corpus, tot instrumentis, & organis præditum.

Ex

Ex his infert animam non solum esse causam efficientem generationis, sed etiam alterationis sensitivæ, & nutritionis, ac augmenti, unde prosequitur ad explicandam aliam rationem hujus animæ, quæ est nutritio: & primo impugnat Empedoclem ponentem causam effectivam nutritionis, & augmenti esse elementa in plantis, ita tamen, quod pars inferior quæ sunt radices, a terra, superior vero, scilicet rami ab igne sursum pergente augeantur, hoc dupliciter improbat, tum quia non recte assignatur pars inferior, & superior in plantis, nam radices habent rationem superioris, rami vero inferioris, ut diximus disp. 2. de Cœlo num. 177. tum quia elementa in mixto, nisi ab aliquo perfectiori contineantur, separabuntur, & ad propria loca tendent, ergo augmentum non debere elementis tribui, sed potius illi perfectiori continenti elementa. Improbat etiam alios antiquos, scilicet Democritum, & Leucippum, asserentes causam nutritionis, & augmenti esse ignem, eo quod ignis videtur maxime nutriri, & augeri: tum quia augmentum ignis est interminatum, & in infinitum crescit, si apponeretur combustibile, ac viventia habent terminum intrinsecum magnitudinis, qui terminus non a materia, sed a forma provenire debet, quare inquit Arist. licet ignis sit causa nutritionis, & augmenti, quatenus calor maxime inservit his actionibus, non tamen principalis causa, hæc enim est anima.

19 Explicata causa effectiva nutritionis, & augmenti, declarat deinde ipsum alimentum, quod est objectum augmentativæ, & nutritivæ potentiæ (de nutritione enim & augmentatione quomodo fiant, jam dixerat in lib. de Gen.) De hoc alimento primo quærit, an debeat esse contrarium viventi; partem affirmativam probant aliqui, nam in nutritione vivens agit in elementum, ut illud in se convertat, at omnis actio est inter contraria, & dissimilia, negativa ab aliis suadetur, quia contrarium non nutrit, & conservat, sed destruit aliud contrarium, at alimentum nutrit, & conservat vivens. Mediam viam tenet Arist. quod scilicet si alimentum consideretur in principio actionis, sic est contrarium, in fine vero est simile viventi, tunc enim est decoctum, & conversum in substantiam aliti. Deinde asserit alimentum tripliciter considerari posse, primo ut quantum est, & sic est objectum augmentationis, secundo ut substantia est, & hoc pacto spectat ad nutritionem: tertio, tanquam quid superfluum remanens ex nutritione, & augmentatione, & hoc modo est materia generationis, nam semen fit ex superfluo alimenti.

Tandem ex dictis colligit definitionem potentiæ nutritivæ, & generativæ. Potentia nutritiva est *principium conservans habens ipsam, secundum quod est hujusmodi*, generativa vero est *principium generandi tale, quale ipsum*; de quibus in quæstionibus, & subjungit calorem his actionibus se habere ut principium *quo* non principale, sed instrumentale.

CAPUT IV.

A text. 61. usque ad 66.

20 Intentum Arist. in præsenti c. est agere de potentiis sensitivis in communi, in reliquis sequentibus cap. aget de ipsis in particulari. Et primo ait potentias sensitivas esse passivas, quod probat, quia sentire est alterari, nam potentia sentiens aliter se habet nunc, quam prius, alterari autem est patiendo species, aut saltem actum sensationis, tum quia (quod proponit per modum dubii) ideo sensus se ipsum, & quod in se habet, non sentit, quia ut sentiat, debet ab alio immutari, aliter si alio non indegeret, posset seipsum sentire, sicut combustibile seipsum non comburit, sed alio eget, a quo pati debet, hoc autem est esse passivum.

Secundo, ut ostendat, quo pacto potentia sensitiva immutetur ab objecto, supponit prius, quod aliquid dupliciter potest esse in potentia ad actum, vel proxime, ut cum quis habet habitum scientiæ, vel remote, quando solum habet potentiam habitu non informatam, inter quos modos hæc est differentia, quod habens potentiam proximam potest absque prævia alteratione in actum exire, at habens potentiam remotam, nisi prius alteretur, recipiendo habitum, non exiet in actum. Secundo, supponit distinctionem passionis, quæ dupliciter sumi potest, vel proprie pro receptione disconvenientis qualitatis disponentis ad corruptionem, vel improprie, pro receptione cujuscunque qualitatis etiam perficientis. Quibus adnotatis declarat, quomodo potentia sensitiva reducatur ad actum, & ait, quod sensus secundum potentiam remotam reducitur ad actum a generante, sic semen, quod est in potentia remota ad sensationem, fit in potentia propinqua a generante, cum fit actu sensitivum, quando autem est jam in potentia proxima, quia actu habet sensum, reducitur ad actum secundum ab ipso objecto sensibili, sicut intellectus ab intelligibili reducitur ad actum intellectionis, cum hac tamen differentia, quod intelligibile est in ipso intellectu, & in ipsius potestate, at sensibile est extra potentiam sensitivam, (est sermo de potentiis externis) & hoc quia intellectus est universalium, quæ sunt in ipsa anima, sensus vero est singularium extra existentium; unde intellectus habitu informatur, idest specie intelligibili potest in actum exire, quando volumus, at sensus, quia requirit objectum existens in debita approximatione, nequit sensationem causare, nisi adsit objecti præsentia, & motio; quomodo etiam se habet intellectus in prima intellectione, antequam fit specie intelligibili informatus.

21 Tertio, explicat ipsum sensibile in communi, & ait, quod triplex est sensibile, quorum duo priora per se sentiuntur, hoc est ratione sui, non alterius, tertium vero per accidens; sensibilium per se aliud est proprium, & est, quod non contingit alio sentiri, sed unico tantum, & circa quod non contingit decipi, ut sonus est sensibile proprium auditus, color visus, odor olfactus, &c. quomodo autem non contingat error circa hoc sensibile, dicemus disp. 4. qu. 7. sensibile commune est, quod pluribus sensibus percipitur, & hæc sunt quinque, scilicet motus, quies, numerus, figura, magnitudo. Sensibile secundum accidens est, quod ex se non immutat sensum, sed ratione alterius, sic filiatio Petri in ordine ad Franciscum patrem per accidens ex se sentitur, scilicet ratione albedinis, & figuræ, qua ratione dicimus vidisse filium Francisci: Tandem subjungit sensibile per accidens ex se non agere in sensum, sed ratione alterius, at sensibile per se esse immutativum sensus ex se, & perfectius sensibile proprium, quam commune, quia ab illo sensitiva potentia specificatur.

CAPUT V.

A text. 66. usque ad 77.

22 Incipit nunc explicare potentias sensitivas in particulari, & primo visivam tanquam nobiliorem, cujus objectum ait esse visibile, hoc autem est color, & quædam alia qualitas, quibus non habemus unum nomen commune, ut est in sono, odore, &c. sed oratione, seu pluribus nominibus designantur, ut color, & lux sunt objectum visus. Explicat primo colorem, & ait, quod est *id, quod est in eo, quod secundum se visibile est*, idest quod inest alicui, quod est visibile secundum se, hoc autem non debet accipi, itaut sit ex se, & secundum propriam rationem formalem visibile, sed secundum se, idest, quia in se ipso habet causam, ut sit visibile, scilicet quia fundat, & recipit colorem, qui ex propria ratione formali est visibilis. Describit etiam colorem, quod *sit motivus ejus, quod est secundum actum perspicui*; ex quo deducit colorem non esse sine lumine visibilem, idcirco prius de lumine agendum. Ut autem explicet lumen, supponit, dari corpus perspicuum, quod definit, esse visibile non secundum se, sed propter externum colorem; lumen autem est actus perspicui, ut perspicuum est, quæ omnia suis locis disputationibus susius examinabimus. Deinde infert contra Empedoclem, lumen non esse corpus, tum quia pervadit totum aerem, & sic duo corpora simul; tum quia tenebræ est privatio luminis, at privative opposita circa idem subjectum versantur; corpus autem non est in subjecto, tum quia medium illuminaretur in tempore, & successive, nam corpus istud deberet diffundi ab Oriente in Occidentem, & quia motus localis nequit fieri in instanti, fieret in tempore, non quidem imperceptibili, quia licet hoc posset admitti de spatio exiguo, non tamen spatium vastum potest imperceptibiliter pertransiri, sed perceptibili tempore, contra experientiam.

23 Concludit ex his, perspicuum esse coloris susceptivum, quia susceptivum coloris non debet habere colorem, sicut susceptivum soni non habet sonum, perspicuum autem, seu transparens nullum habet colorem, quando scilicet est perspicuum in potentia, hoc est, cum tenebrosum existit, nam quando est actu illuminatum, & perspicuum, habet colorem. Secundo colligit, quamvis omnes colores *sint visibiles in lumine*, quædam tamen in medio illuminato ab *externo lumine non videntur*, ut sunt quæ in tenebris lucent, nam solum nocte *videntur*, diu vero apparent solummodo colorata, eo quia color in lumine videtur, unde si quis colorem poneret supra oculum, non videret, quia non moveret color medium illuminatum, quo mediante movetur sensorium visus. Tertio, infert contra Democritum ad visionem necessario requiri medium, quia color est motivus perspicui in actu, unde si esset vacuum, nulla fieret visio. Quarto, occasione hujus inducit medium requiri ad sensationem in omnibus sensibus. Et declarat medium soni esse aerem, odoris autem aerem, & aquam: ex quo loco deducitur illud axioma; *Sensibile positum supra sensum impedire sensationem*, quod quo pacto sit intelligendum, explicabimus in quæstionibus.

CAPUT VI.

A text. 77. usque ad 92.

24 Determinat nunc de auditu, qui inter sensitivas potentias secundum locum sibi vindicat; & primo explicat objectum, quod est sonus, supponendo distinctionem quandam soni, quod alius sit in actu, cum producitur a corporibus sonoris, alius in potentia, cum potest produci, non continetur autem in potentia cujuslibet corporis, nam quædam corpora sunt, quæ nullum possunt causare sonum, ut spongia, lana, &c. requirunt igitur corpora sonantia aliquas conditiones, scilicet, quod sint solida, concava, & lenia. Tria autem corpora ad sonum exiguntur, scilicet percutiens, percussum, & medium, ratio est, quia sonus fit ex percussione, & ictu, nullum autem corpus seipsum percutit, sed aliud, & quia percussio est *motus localis*, qui non fit sine medio, idcirco præter corpora se percutientia requiritur medium, quod ex ictu resiliat forriter, aliter si leniter expelleretur, nullus fieret sonus, aut saltem non ita perfectus; hoc autem medium est aer, & etiam aqua, sed minus accommodate.

Secundo, determinat de Echo, qui est sonus quidam reflexus, & ait fieri, quando ab aere uno fracto propter vas, seu aliud corpus concavum, quod aerem terminavit, & prohibuit ulterius frangi, iterum ipse repellitur, quod patet exemplo pilæ a

pariete resilientis; & subjungit Echo videri semper fieri, licet non semper ita clare, quod probat exemplo luminis, quod a quocunque corpore reflectitur, sed ab uno clarius, ab altero obscurius, ita de sono dicendum videtur; hinc commendat antiquos quosdam ponentes vacuum tanquam dominum soni, per vacuum intelligentes ipsum aerem, qui tanquam medium inservit.

25 Tertio, determinat de modo, quo fit auditio, & primo ait, duplicem esse aerem, alter elementaris est, alter vero innatus inter aures inclusus, & congenitus, qui est substantia quædam animata, & sensorium auditus; quod autem detur talis aer, probat in tex. 84. a signo, nam digito apposito in aure, sentitur sonus quidam in aure ad modum cornu, qui sonus causatur in aere innato, hic enim semper movetur motu intentionali auditionis, non proprio motu, ut sic enim est immobilis, sicut pupilla, ut omnes colores percipiat, nullum habet colorem, sed motu ab extraneo producto; fit igitur sonus, quando aer movetur a sonativo corpore continuo usque ad auditum, seu aerem innatum; quod non debet intelligi de motu locali, non enim semper aer in sono commotus pervenit ad aures, ut dicemus in disp. sed de motu intentionali producendo species audibiles in medio aere usque ad sensorium auditus. Dubitat deinde, an corpora se percutientia sint ambo causativa soni, vel alterum illorum, & respondet utrunque causare sonum efficienter, quia sonus non fit ex quacunque aeris resilientia, sed ex illa, quæ fit cum valida percussione, quo pacto utrumque concurrit ad expellendum fortiter medium, percutiens ut impellens, percussum ut resistens, utrumque autem potest habere rationem percutientis, & percussi, quia omne agens in agendo repatitur, dummodo ambo sint solida.

26 Tandem agit de differentiis, & speciebus soni, sed præcipue de voce: primo igitur dividit sonum in acutum, & gravem, quæ differentiæ per translationem desumptæ sunt a tactu, nam acutum dicitur quod in parvo tempore multum movet sensum, & in tactu pungit, grave autem, seu obtusum, quod in multo tempore parum movet sensum, & in tactu potius pellit, quam scindat, vel pungat, sic etiam sonus dicitur acutus, vel gravis, velox vel tardus. Sed præcipua soni species est vox, quæ est sonus animalis respirantis, unde nec inanimata, nec animalia non respirantia edunt vocem; requiritur adhuc, ut sit cum intentione aliquid significandi, quia voce utuntur animalia ad significandos animi conceptus; requiruntur etiam instrumenta præcipue guttur, & pulmo; quæ etiam sunt instrumenta respirationis: hinc definiri solet: *Vox est percussio respirati aeris ab anima, quæ est in his partibus, scilicet in pulmone, aliisque instrumentis, ad vocatam arteriam, cum intentione significandi*; sed quæ de voce addit, suis suo loco declarabimus, ne eadem bis repetamus.

CAPUT VII. & VIII.

A text. 92. usque ad 106.

27 IN his duobus capitibus agit Arist. de olfactu, & gustu. De olfactu, primo proponit difficultatem ad assequendam perfectam hujus sensus cognitionem, eo quia omnis nostra cognitio ortum habet a sensu, præcipue cognitio sensibilium, at sensus olfactus in nobis est imperfectior, quam sit olfactus multorum animalium, eo quia non percipimus, nisi excedentes odores, sicut animalia imbecillioris visus solum visibilia intensiora percipiunt. Attamen natura hanc imperfectionem supplevit tribuendo nobis perfectissimum gustum, & tactum, nam odores multam affinitatem, & proportionem habent cum saporibus, idcirco ex cognitione saporum possumus in cognitionem odorum pervenire, quod autem in nobis sit perfectissimus gustus, & tactus, probat, nam tactus in homine est perfectissimus; quoniam homo inter cætera animalia est prudentissimus, & maxime ingeniosus, perfectissimus autem tactus innuit optimum corporis temperamentum, quod valde inservit operationibus internis tum sensitivis, tum intellectivis, hinc ait Arist. *Duri carne inepti mente, molles carne bene apti*. Si igitur tactus in homine est perfectissimus, etiam gustus talis erit, quia est quidam tactus, ut infra.

Cum ergo odores nonnisi per analogiam ad sapores cognoscere nequeamus, hac ratione Arist. species odoris explicat per species saporis, & per easdem differentias circumscribit, itaut sicut dantur duæ extremæ differentiæ saporis, dulce, & amarum, & aliæ mediæ, si datur odor dulcis, & odor amarus, vel acutus, non enim habemus alia nomina ad explicandas differentias istas. Similiter sicut gustus non solum est cibi gustabilis, sed etiam ingustabilis (quod etiam auditui, & visui competit, ille enim est audibilis, & inaudibilis, iste visibilis, & invisibilis, quia opposita ad eandem spectant potentiam) sic quoque olfactus est odorabilis, & inodorabilis, tripliciter autem aliquid dici potest inodorabile, vel quia caret omni odore, vel quia parum habet odoris, vel tandem quia pravum, ac noxium continet, similiter ingustabile hoc triplici modo dici.

28 Declarat deinde medium odoris, & ait esse tam aerem, quam aquam, quia & pisces ad ciborum odores accurrunt, similiter multa animalia non exanguia; ex quo deducit tam respirantia, quam non respirantia olfacere, cum hac tamen differentia, quod respirantia solum olfaciunt, cum aerem attrahunt, at si aerem continent, vel expirant, nullum sentiunt odorem, etiam si in nasum odorabile intus ponatur; nam licet sit commune omnibus sensibus, ait Arist. sensibile positum supra sensorium impedire sensationem, specialiter tamen hoc habet locum in olfactu respirantium, ut nunquam fiat sensatio, nisi attrahatur aer, hoc tamen non est necessarium in non respirantibus: causam hujus discriminis assignat, quia organum non est omnino idem in omnibus, sicut enim dantur aliqua animalia, quæ oculos habent duros, & non coopertos pellicula quadam, alia quæ habent oculos molles palpebris contectos, in quibus si non discooperiuntur oculi, non fit visio, at in illis semper causatur visio, quia nunquam clauduntur oculi, ita in olfactu evenit, nam respirantia organum olfactus habent membranula quadam coopertum, quæ in respiratione dilatatur, & discooperit organum, quando non attrahitur aer, constringitur, & contegit sensorium, non respirantia vero habent sensorium omnino discoopertum, hinc respirantia, ut olfaciant, debent aerem attrahere, nam respirantia non habent hanc necessitatem, qua ratione pisces in aqua olfaciunt, nos autem in aqua nullum percipimus odorem, quia impeditur respiratio. Tandem explicat naturam odoris, qui est objectum hujus sensus, quod odor prout provenit ex sicco, sicut sapor ex humido, quod magis suo loco explicabimus.

29 De gustu acturus Arist. in c. 8. docet objectum ipsius esse gustabile, quod est quoddam tangibile, idest non percipitur a gustu, nisi tangatur; signum hujus est, quia gustus non fit per medium externum, sicut visus, sed per contactum absque medio, etiam cum existentes in aqua percipimus dulce, nam tunc dulce miscetur in aqua, illamque dulcem efficit; tum quia gustabile non percipitur, nisi media humiditate, nam etiam quando illam non habet, humectari prius debet a saliva, quæ ad hoc fuit a natura institura, at humidum est objectum tactus, ergo gustabile est quoddam tangibile. Subjungit postea gustus non solum esse gustabilis, sed etiam ingustabilis, quod tripliciter dicitur, sicut inodorabile, sed addit, quod ingustabile nullum habens saporem potest sumi dupliciter, vel negative, quia impossibile est illum habere, ut Angeli, vel privative, quia potest illum habere licet non habeat, & hoc modo sumitur hic, quæ distinctio applicari debet invisibili, inaudibili, & inodorabili, non solum autem gustabile, & ingustabile ad gustum pertinent, sed etiam potabile, & impotabile, nam potabile aliquid etiam continet saporis.

30 Explicat deinde conditionem sensorii gustus, quæ est, ut sit humidum in potentia, non in actu, fit autem postea humidum in actu ab objecto, ratio est, quia gustus a gustabili patitur, ergo necessario antequam patiatur non erit humidum, sed fiet postea humidum; quia omne agens agit in suum dissimile in principio actionis, sed postea illud assimilat sibi; hoc autem non est intelligendum de humido elementari, nam hoc semper adest in lingua, sed de humido saporifero, omne enim recipiens debet esse denudatum a natura recepti & consequenter si lingua haberet in se humidum saporiferum, hoc est aliquem saporem, non posset alia gustabilia percipere, ut patet in infirmis, quibus omnia videntur amara, propterea quod lingua plena hujusmodi humiditate sentiunt; debet quoque lingua esse humida in potentia, idest potens recipere intentionaliter humidum saporiferum, ad quod requiritur humidum elementare, unde lingua valde exiccata nullum percipit saporem.

Tandem declarat species saporis, quarum duæ sunt extremæ, aliæ mediæ naturam extremorum participantes, sicut in coloribus accidit, extremæ sunt dulce, & amarum, mediæ pingue, salsum, acre, austerum, acerbum, & acidum, quas species explicabimus disp. Ex quibus omnibus colligitur definitio gustus, qui est sensus perceptivus gustabilis; gustabile vero definitur, quod sit qualitas factiva actus ipsius, idest immutativa intentionaliter ipsius gustus.

CAPUT IX. & X.

A text. 106. usque ad 128.

31 IN nono c. pertractat Arist. de tactu, & tangibili, & primo proponit duas dubitationes, prima est, num sensus tactus sit unus, vel plures; secunda est de sensorio tactus an sit caro, & id quod in cæteris est simile carni idest pellis, cartilago, &c. an vero sit aliud quoddam intus, scilicet nervus. Primam dubitationem non decidit, sed dubitative illam agitat; arguit enim, quod plures sint, quia omnis visus sensus est unius contrarietatis, ut visus albi, & nigri, auditus soni gravis, & acuti, gustus dulcis, & amari, ad quæ cætera reducuntur, at sensus tactus est plurium contrarietatum, scilicet calidi, & frigidi, humidi, & sicci, duri, & mollis, ergo non unus, sed plures sunt sensus tactus. Quod si dicas, etiam in aliis sensibus dari plures contrarietates, ut patet in voce, quæ non habet solum grave, & acutum, sed asperum, & lene, parvum, & magnum, similiter in colore, & tamen audirus est unus sensus, quia omnes illæ contrarietates ad unum objectum commune reducuntur. Sed ait Arist. hoc non esse ita manifestum in tangibilibus, sicut in aliis sensibilibus, idcirco hanc dubitationem irresolutam relinquit, & problematice videtur resolvere; at non obscure habetur resolutio infra in tex. 128. & seq.

Non minus etiam dubitative videtur procedere resolvendo secundam difficultatem, nam ait, non esse satis firmam rationem illam qua moventur aliqui ad ponendam carnem pro sensorio tactus, ex eo scilicet, quod statim ac tangitur caro, sentimus tangibiles qualitates, quod probat exemplo, nam si pelliculam aliquam tenuem haberemus in digitis, adhuc statim perciperemus tangibilia, & tamen pellicula illa non se haberet ut sensorium, sed ut medium, idem dici poterit de carne; quapropter ideo tacta carne fit sensatio, quia est nobis conjuncta, & continua, magis quam pellicula illa; affert aliud exemplum, si aer circumstans esset nobis adnatus, connaturalis, & pars corporis nostri, certe non distingueremus medium visus, & auditus, quod modo ponitur aer ab eorum sensoriis propter conjunctionem, idem accidit in sensu tactus, nam judicamus carnem esse sensorium quia est nostro corpori conjuncta, magis igitur medium est immanifestum in sensu tactus, quam in aliis sensibus, quia caro debet esse pars corporis intrinseca, eo quoniam nequit animatum corpus constare ex aere, aut aqua, sed ex partibus solidis, in quibus cætera elementa reperiantur, nil aliud resolvit de hoc dubio in text. 109. 110. & 111.

32 Deinde movet aliam dubitationem, seu declarat, quod antea dixerat in c. præc. scilicet gustum esse quendam tactum; quod non est intelligendum, ut sint unus, & idem sensus, sed sunt duo, nam licet ubi est gustus ibi sit tactus, non tamen e converso, ubi est tactus, ibi est gustus, si enim qualibet carne perciperemus tangibile, & gustabile, posset quidem inferri unitas sensus, attamen hoc non accidit, ideo non unus, sed duo sunt sensus.

Tertio, aliud dubium tangit, num scilicet inter tangibile, & tangens sit aliquod corpus medium, itaut tactus habeat quoque medium externum; pars affirmativa suaderi potest, nam humidum, & udum non sunt sine corpore, sed omne humidum vel est aqua, vel aer, modo quando duo corpora in aqua se tangunt, non habent extrema, seu superficies siccas, sed humidas, ergo inter illas medjat aqua, & consequenter non se tangunt immediate, & quoniam eadem est ratio de aqua, & aere, si corpora in aqua non se tangunt immediate, nec etiam in aere; latet tamen magis nos hæc aeris mediatio, quam aquæ, sicut animalia, quæ sunt in aqua, nesciunt si udum tangat udum, & fiat aquæ mediatio. Quapropter ait Arist. non esse evidens, num aliqui sensus sentiant sine externo medio, cum tactus, & gustus, de quibus minus videtur, dici possit, quod sentiant per medium externum, ut patet ex dictis; solum est discrimen quod alia eminnus, & a longe sentimus, ut in visu, & auditu; alia cominus, & prope, ut in gustu, & tactu, semper tamen aliquo medio interjecto; ut patet evidenter in exemplo pelliculæ: adest etiam alia differentia, nam visibilia, & sonativa percipimus, quia medium movet nos, itaut objectum prius moveat medium, quam sensum, saltem prioritate naturæ, at in gustu, & tactu non est necessaria ista prævia motio medii, sed objectum immediate movet medium, & organum, quod probat exemplo percutientis clypeatum, qui immediate percutit clypeum, & clypeatum, non autem clypeus percutit clypeatum; quibus verbis dat innuere licet satis obscure, in aliis sensibus requiri medium externum per se, in gustu autem, & in tactu non necessario exigi hoc medium, sed per accidens se habere, qura saltem corpus humidum potest immediate tangere carnem. Ex his omnibus concludit in tex. 116. carnem in gustu, & tactu se habere ut medium ad modum aeris, & quæ in aliis sensibus, non quidem externum, sed internum.

33 Assignat tandem objectum tactus, & ait præcipue esse primas qualitates, quæ tanquam differentiæ elementorum assignari solent (quatenus tamen circumscribunt essentiales differentias) sensorum autem tactus erit pars corporis perceptiva harum qualitatum, & consequenter quæ sit in potentia ad illas, & per illas reducatur in actum; & quoniam hæc pars est corpus quoddam mixtum constans ex primis qualitatibus, idcirco nequit esse in potentia ad omnes gradus istarum qualitatum, sed solum ad excedentes, & exuperantes, & consequenter nonnisi has exuperantes percipere potest, non omnes; qua ratione natura constituit organum tactus medii cujusdam temperamenti. Addit deinde, quod sicut alii sensus sunt oppositorum, sic & tactus erit tangibilis, & intangibilis, intangibile autem dupliciter dicitur, primo, quod parvam habet tangibilem qualitatem; secundo, quod excedentem in supremo gradu, ut excessivus calor, & hoc lædit sensum.

34 In decimo c. Arist. aliqua docet omnibus externis sensibus communia; & primo asserit esse commune omni sensui esse susceptivum formæ sine materia, quod dictum explicat Scotus q. 5. de An. quod nunc forma recipitur cum materia, quando subjectum illam recipit secundum eundem essendi modum, quo est in agente, scilicet cum eisdem conditionibus agendi, & patiendi, quas habet in agente, & in proprio subjecto, quod esse dicitur realis modus essendi, ut calor in se, & in suo subjecto est calefactivus, frigori resistitivus, &c. & cum eisdem conditionibus inducitur ab igne in ligno; tunc forma recipitur sine materia, non quia sit a materia separata, sed quia in subjecto non recipitur cum eisdem conditionibus agendi, & patiendi, quod esse dicitur modus essendi intentionalis, ita se habet species sensibilis coloris, quæ non est calefactiva, nec frigori resistit, sed est simul cum illo, inquit ergo Arist. quod quilibet sensus est receptivus formarum sine materia, quia ut sensus est, non recipit sensibiles qualitates secundum esse reale, sed intentionale, quia objectum aut sensationem concurrit mediante specie: & affert exemplum de cera, quæ recipit figuram annuli sine materia, scilicet sine auro, vel ære, & sine illa materialitate, quam habet in annulo.

35 Secundo, asserit differre inter se sensorium, & potentiam sensitivam, nam sensorium est pars quædam corporis organica, & quanta, potentia vero in ipso recipitur, unde licet sint idem subjecto, idest simul reperiatur unita, sed unum ut subjectum, alterum ut forma. Ex quo deducit duo, primum, cur vehemens sensibile lædat sensum, quia scilicet sensorium, cum sit quoddam mixtum, consistit in quodam temperamento qualitatum, & quando sensibile excedit, lædit tale temperamentum, quo læso offenditur sensus, qui ab illo dependet. Secundum est, cur plantæ non sentiant, cum patiantur a sensibilibus qualitatibus, scilicet a calore, & frigore, & animam habeant; & respondet hoc esse, quia plantæ licet sint animatæ anima vegeta-

tiva, non tamen sensitiva, unde carent hoc temperamento sensorio, & potentia sensitiva, quæ est principium sensationis, hinc patiuntur solum actione reali, & naturali, non intentionali.

Tandem proponit aliud dubium, num aliæ res insensatæ possint pati ab objectis aliorum sensuum puta colore, sono, &c. pars negativa suaderi potest, quia sensibile dicit ordinem ad sensum, ergo solum in sensum potest agere, & solus sensus ab illo pati, at insensata carent sensu. Respondet tamen, quod primæ qualitates possunt in corpora inanimata agere producendo sibi similia, immo, & sapores, ac odores producunt, quia hæ secundæ qualitates a primis dependent, at aliæ qualitates sensibiles agunt, sed nec eodem modo, ac in sensibus, nec in omnibus corporibus; non agunt in omnibus corporibus, quia non omnia corpora sunt media aliorum sensuum, sed indeterminata, hoc est, diaphana; nec eodem modo, quia forma, seu species sensibilis non manet in aere, sed ab illo pergit ad sensum; non ob id autem aer dicetur sentire ex hoc, quod recipit species, & sentire fit quoddam pati; quia sentire ultra receptionem specierum dicit elicitionem actus, unde aer ab odore passus, non odorat, sed fit sensibilis.

CAPUT XI.

A text. 128. usque ad 136.

36 PRæsens caput a Græcis, quos multi ex Latinis sequuntur, ponitur initium tertii libri de Anima, magis tamen placet distributio, quam Arabes tradunt, hi enim secundum librum pergere dicunt usque ad tractatum de intellectu, & anima rationali, sic enim magis servatur ordo, & unitas materiæ, itaut in secundo libro habeatur tota, & completa declaratio animæ sensitivæ quoad omnes potentias, tum externas, tum internas, in tertio de sola rationali anima tractetur.

In hoc cap. intendit probare numerum quinarium externorum sensuum, de quibus egerat in superioribus, quem numerum probat, si plures sensus darentur, quam isti quinque, vel essent cum istis ejusdem rationis, vel diversæ; non primum, nam hoc non contingeret, nisi quia nostri sensus non tenderent in omnia sensibilia, scilicet visus non perciperet omnia visibilia, nec auditus omnia audibilia, &c. sed aliqua tantum, ideoque alii sensus necessarii forent, ut reliqua percipiantur ad eum modum, quo aliqui dicunt plures esse sensus tactus, unum, quo calorem, & frigus percipimus, alium, quo siccum, & humidum, sed hoc est falsum, quia visu omnia visibilia sentimus, auditu omnia audibilia, & sic de aliis, qua ratione satis clare colligitur, sensum tactus unum esse, non plures; quam dubitationem supra non resolvit.

37 Quod autem non dentur alii sensus diversæ rationis, probat tribus rationibus desumptis ex parte medii, sensorii, & objecti. Prima ratio ex parte medii est satis obscura, reduci tamen potest in hanc formam, nos sentimus per omne medium possibile, ergo non datur sensus ab istis diversus. Conseq. patet, quia inter medium sensibile, & sensum est proportio, & similitudo, itaut determinatus sensus postulet determinatum medium. Ant. prob. medium est duplex internum, & externum, per medium internum nos tactu, & gustu sentimus, per externum, quod est aer, & aqua, sentimus visu, auditu, & olfactu, ergo nos sentimus per omne medium; attamen quia contingit per idem medium diversa sensibilia sentiri, scilicet per aerem, sonum, & colorem, & e contra per diversa media idem sensibile, ut per aerem, & aquam colorem, vel sonum, ideo videtur subjungere Arist. hoc esse verum materialiter, non formaliter, scilicet, quod licet aqua, & aer sint diversæ rationis, attamen formaliter respectu visus habent rationem unius medii, quia ambo sunt perspicua, qua ratione ponuntur medium, & sic de aliis, ita ut alia ratione aer sit medium visus, & alia sit medium auditus.

Secunda ratio sumitur ex parte sensorii, pro qua supponit sensorium esse corpus mixtum, & consequenter constans ex quatuor elementis, & primis qualitatibus; non tamen potest habere temperamentum ignis, hic est nimis activus, & potius est aptus ad agendum, quam ad patiendum, neque temperamentum terræ propter maximam siccitatem, & opacitatem, unde remanent duo elementa, aqua, & aer, idonea pro temperamento organorum, quoniam facile agunt, & patiuntur, & aqua quidem dominatur in oculo, aer in auditu, utrumque vero proportionem habet cum odoratu, quo suppositum arguitur non dari sextum sensum externum, quia animalibus perfectis, de quibus natura est maxime sollicita, nullum deest sensorium, ergo neque sensus aliquis. Conseq. patet, quia si esset possibilis alius sensus, deberent habere diversum sensorium, ut patet, & sic animalibus perfectis hoc sensorium deesset. Ant. prob. quia istis animalibus non deest materia, ex qua constat sensorium, quæ est aqua, vel aer, ergo neque sensorium aliquod, aliter natura fuisset manca, si poterat animal perfectum perficere complete, & non perfecerit.

38 Tertia ratio sumitur ex parte objectorum, nam nullum sensibile assignari potest, quod ab istis quinque sensibus non sit perceptibile, ergo non dantur alii sensus distincti. Conseq. prob. quia diversæ potentiæ diversa habent objecta formalia adæquata. Antec. prob. quia omne sensibile vel est proprium, vel commune; proprium adæquate percipitur per hos quinque sensus, ut patet, commune autem non indiget sensu distincto, a quo per se cognoscatur, & cui sit proprium sensibile; nam sensibile unius sensus per accidens sentitur ab alio sensu, ut dulce per se sentitur a gustu, per accidens a visu; at sensibile commune per se perciperetur ab alio sensu distincto ab istis, jam per accidens ab his quinque perciperetur, quod est falsum, quia hoc sensibile motu sentimus, idest, movet sensum, & immutat per se.

Tandem reddit rationem, cur natura plures nobis concesserit sensus; & ait hoc esse, ut magis percipiamus sensibilia communia, nam si unicum haberemus sensum, scilicet visum, quo videremus albedinem, & magnitudinem, quæ est sensibile commune, pro eodem sumeremus utrumque, at modo albedinem a magnitudine distinguimus, quia hanc non solum visu, sed alio sensu etiam dignoscimus.

CAPUT XII.

A text. 136. usque ad 150.

39 TRadita jam completa cognitione sensuum externorum, pergit modo Arist. ad explicandas internas potentias sensitivas, & in præsenti agit de sensu communi; pro quo primo dubitat; num eodem sensu percipiamus objectum, & sensationem illius, an diverso; an scilicet eodem visu cognoscamus colorem, & coloris visionem, an visu cognoscamus solum colorem, visionem vero alio sensu; quod non alio sensu suaderi potest, quia nequit cognosci visio coloris sine colore, ergo si alio sensu cognosceretur visio, ab eodem necessario cognosceretur color, & sic idem color a duobus sensibus per se percipieretur; tum quia si alio sensu, vel iste esset propriæ sensationis perceptivus, vel alter sensus illam cognosceret, si primum, ergo idem dici potest de externo sensu, si secundum, daretur processus in infinitum. Quod alio sensu cognoscatur, probari potest, quia visus v. g. non percipit nisi coloratum, si visio videretur a visu, esset color, quod est falsum. Attamen addit Arist. hanc rationem non valere; quia dupliciter responderi posset, primo, quod non sit idem videre, & visu sentire, ac discernere; nam utique non videmus, nisi colorem, sed possumus discere non videndo colorem, ut cum tenebras percipimus, ac discernimus; sic dicere quis posset nos discernere visionem, quamvis illam non videamus, eo quia non est color; Secundo, responderi posset etiam ipsum videns idest visionem esse tanquam coloratum, quia a coloris specie dependet, sicut igitur ipsæ species, quia sunt repræsentativæ coloris, possunt videri, ut patet, cum abeuntibus sensibilibus remanent species, & imaginationes, idem de visione dici posset, quod sit aliqualiter colorata, quia a colore fit, illumque repræsentat.

40 Ut autem propositæ dubitationi satisfaciat, proponit sensum, & sensibile duobus modis considerari posse, vel ut ambo sunt in actu, vel ut in potentia, primo modo habent eandem actum, qui est sensatio, quæ est quandoque nominata, ut in visione visio, in auditione sonatio, quandoque innominata, & consequenter ut sic relative se habent, ut non possit esse auditus in actu sine sonativo in actu, unde nec auditio erit sine sonativo, aliter quia auditio reddit auditum in actu sine sonativo; at secundo modo poterit esse auditus sine sonativo, & e contra. Ex quibus videtur cölligi dubii solutio, quod non percipiatur sensatio ab eodem sensu, quia cum sensatio sit actus sensus, & sensibilis, & recipiatur in ipso sensu, nam actio, & passio pro re acta, & materialiter sunt simul in passo, non videtur percipi posse ab eodem sensu, & habere rationem motivi. Occasione cujus explicat, quo pacto vehemens sensibile lædat sensum, quod prius docuerat tex. 122.

41 Ex his pergit ad probandum præter quinque sensus externos dari *aliam* sensum communem omnibus sensibilibus; quod ut assequatur, præmittit quemlibet externum sensum hæc omnia habere, scilicet habere proprium sensibile pro objecto, residere in proprio organo, & cognoscere differentias proprii objecti. Hoc præhabito probat existentiam sensus communis hoc pacto; non solum discernimus differentias objecti unius sensus, scilicet differentias coloris in album, & nigrum, sed etiam differentias inter objectum unius sensus, & objectum alterius, scilicet inter dulce, & album, quod patet experientia, ergo aliquo sensu differentias istas cognoscimus: hæc consequ. constat, quia istæ differentiæ sunt sensibiles, ergo ab aliquo sensu dignoscibiles, sed iste sensus nequit esse aliquis ex externis, aut plures externi simul, ergo necessario erit quædam potentia distincta a cæteris, quæ dicitur sensus communis; minor quoad primam partem, prob. quia si sensus aliquis externus perciperet has differentias, maxime esset tactus, qui est omnium communissimus, sed iste nequit illas percipere, nam carne tangendo non discernimus inter album, & dulce, ut patet; neque diversis potentiis, nam sic eodem modo se haberet, ac si Petrus judicaret de una re, & Paulus de alia, qui ut patet non judicarent de ambobus, sed quilibet de propria re, ergo nec sensus illi possent judicare de differentiis talium objectorum, eo quia ponens differentiam inter duo oportet cognoscere utrumque. Si vero dicatur hoc posse fieri ab eodem sensu, vel diverso in diversis temporibus, hoc esset per accidens, quia cognitio illa debet per se in eodem tempore fieri; ergo necessario dari debet quædam potentia distincta judicativa de omnibus sensibilibus.

42 Contra traditam doctrinam instat in tex. 147. quia sequetur eandem potentiam simul moveri contrariis motibus, quia posset simul contraria percipere; nec valet, quod responderi solet, eamdem potentiam indivisibilem esse secundum rem, divisibilem, & multiplicem in potentia, & secundum rationem. Non valet, quia si secundum rem est una, & ut sic percipit contraria, jam indivisibile indivisibili tempore, hoc est simul, moveretur motibus contrariis. Ideirco aliam tradidit Arist. solutionem, & utitur exemplo centri, quod licet indivisibile habet tamen rationem principii, & finis, quibus rationibus potest diversas lineas terminare; sic inquit Arist. sensus communis licet unus in se, dici tamen potest principium, & origo externorum sensuum, quatenus ab illo emanant, & finis eorumdem, quatenus omnes actus illorum percipiuntur a sensu communi, unde habet rationem plurium, & ut sic poterit simul percipere contraria: quæ responsio non est a priori diversa, sed fere eadem: impugnavit tamen illam, ut magis declararet, unde in lib. de sensu, & sensib. c. 7. ad finem eadem usus est; quapropter dicendum potentiam, quando est universalis, posse esse plurium discretivam simul, etiam contrariorum, quia respectu illius non habent rationem contrariorum, eo vel maxime, quod species intentionales non contrariantur inter se, quamvis sint contrariorum, quæ est vera dubii solutio.

CAPUT XIII.

A text. 150, usque ad finem.

43 IN hoc cap. naturam phantasiæ, vel imaginativæ, seu interni sensus intendit explicare; & primo recitat opinionem Empedoclis, & Homeri confundentium intellectum cum phantasia, & sensu, unde dicebant idem omnino esse intelligere, & sentire, eo quod animam corpoream putabant esse; ut simile a simili percipi possit, de quo jam egit in superioribus, præcipue in 1. lib. hanc opinionem refutat, tum quia sensus est omnibus animalibus communis, intellectus hominibus solum; tum quia intellectus sæpe fallitur, sensus vero circa proprium sensibile non fallitur: hoc præsupposito, quod intellectus differat a sensu (per sensum hic intelligit externum) differentiam ponit inter phantasiam, seu imaginationem, & sensum externum, ac intellectionem, quam differentiam præcipue colligit ex diversitate actuum, ubi est notandum, hic Arist. varie sumere existentiam, nunc pro phantasia, nunc pro opinione, seu intellectiva potentia, eo quia nondum ab intellectu plene distinxerat, quod fecit postea in seq. lib.

Probat ergo imaginationem non esse opinionem; tum quia phantasia sequitur sensum externum, nec est sine illo, opinio vero sequitur intellectum, tum quia imaginatio est semper in nostra potestate, imaginamur enim quæcunque volumus, & quando volumus, non vero opinio, quia opinari dicit assensum alicujus veritatis, ad quem exigitur aliquod motivum; tum quia opinionem sequitur aliqua passio in appetitu, scilicet si est terribilium, sequitur dolor, si convenientium, sequitur delectatio, quod in imaginatione non accidit, sed movemur ac si ea omnia in aliqua pictura cerneremus. Deinde probat imaginationem non esse intellectionem, quia quæ sunt eadem, habent easdem differentias, & species, at imaginatio, & intellectio habent diversas species, intellectionis enim species sunt scientia, opinio, prudentia, & his opposita, ut ignorantia, error, imprudentia, &c. quæ non sunt species imaginationis.

44 Prosequitur quoque a text. 155. imaginationem a cæteris distinguere, & probat, primo non esse sensum (quod est intelligendum de externo) nam vel esset sensus in potentia, vel in actu; & tamen imaginamur, quando sensus externi, nec actu sentiunt, nec sunt in potentia proxima, ut in somnis accidit, & in cæco non a nativitate, qui nullo modo habet visum in actu, vel in potentia, & tamen potest imaginari colores, tum quia sensus semper adest, non autem imaginatio in actu secundo; tum quia non est sensus in actu, nam hic omnibus inest animalibus, non tamen imaginatio, nam formicæ, api, & similibus non competit: tum quia sensus in actu, si non est impeditus, est semper verus, non sic imaginatio; tum quia cum aliquid sentimus, habemus certitudinem de illo, unde dicimus hoc certo cognoscere, at cum aliquid imaginamur, non habemus talem certitudinem, idcirco non dicimus hoc certo cognoscere, sed sic nobis apparere. Et tandem quia clausis oculis non est visus in actu, & tamen actu imaginamur res visas. Deinde probat imaginationem non esse actum intellectus, quia non est de numero eorum actuum, qui semper sunt veri, ut est scientia, & assensus principiorum, quia imaginatio quandoque est falsa, nec est opinio, quæ est quandoque vera, & quandoque falsa, tum ex dictis, tum quia opinionem sequitur fides, fidem autem persuasio, & persuasionem ratio, at imaginationem nullum sequitur ex his, unde in brutis datur imaginatio, non autem fides, persuasio, vel ratio. Ex quibus deducitur imaginationem nec esse opinionem simul, & sensum, tum ex dictis, tum quia esset omnium idem actus, & tamen contingit, & opinionem, & sensum ab imaginatione discordari, ut imaginamur solem minorem terra, & ita sentimus, non tamen sic opinamur.

45 Intendit deinde explicare, quid sit imaginatio, postquam ostendit, quid non sit, pro quo supponit quatuor. Primum, quod contingit moto aliquo, ab ipso aliud moveri, ut bacalus movetur a manu mota: Secundum, quod imaginatio est quidam motus, quia fit per immutationem potentiæ ab objecto. Tertium, quod imaginatio non fit sine sensu, hoc est reperiri solum in animalibus sensitivis, & circa sensibilia. Quartum, quod a sensu in actu, vel ab objecto per sensum cognito potest alter sensus moveri. Ex his infert definitionem imaginationis, quod sit *motus a sensu secundum actum facto*, hoc est imaginatio est sensatio interna causata ex motione sensus externi ab objecto extra; imaginativa vero potentia erit principium talis sensationis internæ. Ex quo sequitur, quod cum sensus externi tam circa proprium sen-

sibile, quam circa commune, quandoque decipiantur, sic imaginatio est vera, vel falsa; quod intelligi debet de simplici apprehensione, nam dum componit, semper fallitur: Tandem quod pertinet ad nominis ethymologiam, ait Arist. a visu accepisse nomen tanquam a nobiliori sensu, nam phantasia Grece a lumine provenit, sine quo nihil videtur. Et quoniam hæc imaginatio est actio immanens, idcirco similis est sensibus externis, & ipsa maxime bruta utuntur, & etiam homo licet sit præditus intellectu, maxime quando ratio passione aliqua, vel somno obruitur.

LIBER TERTIUS.

Ubi de Anima intellectiva specialiter disseritur.

CAPUT I.

A text. 1. usque ad 19.

46 IN præcedenti libro determinavit Aristot. de gradu vitæ vegetativo, & sensitivo, in præsenti declarare intendit alios duos gradus, scilicet intellectivum, & secundum locum motivum, sed præcipue intellectivum tanquam nobiliorem, quamvis enim gradus secundum locum motivus sit communior, attamen subordinatur in homine intellectivo, quia movetur homo ab intellectu practico dirigente appetitum rationalem, idcirco a gradu intellectivo incipit, quem a posteriori explicat declarando potentias ipsius, ut fecit in præc. lib. de gradu vegetativo, & sensitivo, & in præsenti cap. intendit manifestare essentiam intellectus possibilis, qui est prima potentia animæ intellectivæ, explicando statum ipsius, cum est mere possibilis, & in potentia nihil habens eorum, quæ intelligenda sunt, ac etiam cum habet aliquo modo, quamvis actu non operetur, sed dicitur intellectus in habitu.

Proponit igitur Arist. in primo textu agere de parte animæ, quam partem aliqui intelligunt animam intellectivam, quatenus est pars subjectiva animæ in communi, & innuitur a Scoto 4. d. 43. q. 2. A. sed magis ad intentionem textus per partem intelligi debet intellectiva potentia, quæ est quædam partialis perfectio rationalis animæ, ut idem Doctor explicat in 2. d. 16. fol. ult. ait enim Arist. *De parte autem animæ, qua cognoscit anima, & sapit*, intellectus autem est principium *quo*, cognoscendi, anima vero rationalis est principium *quod*, de qua potentia (sive in eodem vivente sit separabilis magnitudine, subjecto, ut voluit Plato, qui intellectum posuit in cerebro, concupiscibilem in corde, sive ratione tantum, parum refert) considerandum venit, quomodo differat ab aliis potentiis cognoscibilibus, & quo pacto fiat ipsa intellectio.

47 Ut naturam intellectus possibilis explicet, illum considerat in hoc, & seq. cap. in duplici statu, in primo, quando nihil eorum habet, quæ intelligenda sunt, in secundo, quando jam est specie intelligibili informatus. Quoad primum ait, quod cum intelligere sit sicut sentire, ideo sicut sentire pati passione perfectiva, non corruptiva a proportionato sensibili, sic intelligere erit quoddam pati ab intelligibili, aut simile passioni, quia scilicet non est pati corruptivum, sed perfectivum (an autem hæc propositio sit vera formaliter, vel tantum concomitanter, dicemus in quæst.) ex hac similitudine deducit duo prædicata convenire intellectui possibili; Primum, intellectum possibilem esse impassibilem passione corruptiva, nam sicut sensus non corrumpitur a proportionato sensibili, nec intellectus corrumperur ab intelligibili; Secundum, quod intellectus est susceptivus formarum, seu specierum intelligibilium, non tamen sit hæc, idest de se non habens speciem aliquam actu, quo pacto se habet etiam sensus in ordine ad species sensibiles. Addit deinde aliud attributum intellectus, scilicet, quod omnia intelligat, in quo differt a sensu, qui non omnia sentit, quia nec omnia sunt sensibilia; ex quo sequitur, intellectum esse potentia omnia, & ab omnibus separatum, & immixtum, ut dicebat Anaxagoras, eo quia intus existens prohibet extraneum, idest quod actu est in aliqua potentia, prohibet, ut ipsa possit immutari ab alio extra, & obstruit, idest impedit ejus cognitionem, ut patet in gustu humore bilioso affecto; & in oculo habente humorem rubeum, ergo, quia intellectus omnia cognoscit, debet esse immixtus, & denudatus ab omnibus. Ex his omnibus colligitur intellectum possibilem, quo anima sapit, nullam aliam naturam habere in primo statu, nisi quod sit possibilis, & pura potentia in genere intelligibilium, & nihil sit actu eorum, quæ sunt, antequam intelligat, quod non est intelligendum, itaut nullam habeat entitatem, & sit purum nihil, sed quod nihil sit actu eorum, quæ sunt, idest non est aliquid actu intelligibile, antequam intelligat, ut fusius dicemus suo loco cum Scoto 1. d. 3. q. 7. Y.

48 Procedit deinde demonstrando aliud attributum intellectus possibilis, scilicet ipsum non esse addictum organo corporeo, nec uti corpore, ut instrumento, quod probat, nam si esset potentia organica, esset calidus, frigidus, & corporeis qualitatibus præditus, quod est falsum, quia sic non intelligeret omnia, ut supra dictum est; tum quia aliquod instrumentum determinatum ei deberetur, sicut cuilibet sensui competit, at nullum tale apparet. Ex quo duo colligit; primum, species intelligibiles non recipi in toto conjuncto, sed in ipsomet intellectu, qua ratione Platonem laudat, asserentem animam esse locum formarum, seu specierum, quod intelligi debet de sola anima intellectiva, ut declarat Doctor 1. d. 4. quæst. 6. M. ipsa enim sola species conservat intelligibiles, anima autem sensitiva non recipit immediate species sensibiles, sed hæ recipiuntur in organo, vel in toto conjuncto. Secundum, quod colligit, est discrimen quoddam inter sensum, & intellectum, non scilicet eodem modo pati sensum a sensibili, & intellectum ab intelligibili, nam sensus, cum sit potentia organica, læditur ab excellenti sensibili, ut patet experientia, non sic intellectus, qui est in organica potentia.

49 Explicato primo statu intellectus possibilis, considerat in tex. 8. secundum statum, in quo intellectus dicitur esse in habitu; docetque intellectum in habitu cum esse, qui cum fuerit singula factus, idest cum omnium similitudines in se habeat, dicitur sciens in actu, idest dicitur habere actum primum, quo possit potentia propinqua exire in actum secundum. In quo statu duo conveniunt ipsi intellectui, primum, quod possit intelligere, cum voluerit, est enim in potentia ad intellectionem, sed non eodem modo, quo in primo statu, nam in secundo statu est in potentia ad actum secundum, scilicet ad operationem; in primo vero statu est in potentia ad actum primum, non quod deficiat sibi aliqua ratio causalitatis, quantum est ex parte sui, sed pro quanto deficit sibi aliqua concausa, quæ debet esse præsens, ut fiat intellectio, & hæc est species intelligibilis, non enim intellectus est totalis causa intellectionis, neque species, sed ambo concurrunt ut causæ partiales; qua ratione intellectus in primo statu dicitur esse in potentia essentiali, quia est in potentia ad formam, quæ est principium operandi; in secundo statu dicitur esse in potentia accidentali, scilicet ad actum secundum, potestque dici in actu simul, & in potentia, in actu, quia habet actum primum completum, & in potentia ad operationem, & actum secundum; ita Doctor quol. 15. B. & 1. d. 3. quæst. 7. Y. Secundum S. quod competit intellectui in hoc statu, est, posse seipsum intelligere, quod non verificatur de intellectu in primo statu; nam nos dum sumus in via, solum intelligimus, quæ occurrunt ex phantasmatibus, & ideo nihil possumus potentia propinqua intelligere ante intellectionem alicujus imaginabilis, & consequenter nequimus intelligere nostrum intellectum, nisi prius intelligamus aliquod phantasiabile, tunc enim intellectus, considerando proprias operationes, venit in cognitionem causæ, seque intelligentem actu reflexo cognoscit.

CAPUT II.

A text. 9. usque ad 17.

50 IN hoc cap. aliquas proponit dubitationes contra præcedentem doctrinam, & solvit; Primo, dubitat contra illud assertum, quod intellectus omnia intelligat, dicens; Cum in aliquibus aliud sit magnitudo, & caro, hoc est res singularis, & aliud carnis, & magnitudinis esse, idest natura, & quidditas universalis (caro, & magnitudo ponuntur gratia exempli) sicut accidit in rebus, quæ sunt cum materia, nam in rebus sine materia idem est caro, & carnis esse, hoc est idem est singulare, & natura universalis, (posuit Arist. intelligentias omnes esse entia necessaria non composita ex natura, & differentia individuali, idcirco ait in abstractis a materia idem esse carnem, & carnis esse, idest essentiam, & singularitatem, de quo alibi) cum igitur in aliquibus differat res universalis, & singularis, quæri potest, num anima humana hæc omnia cognoscat, idest, singulare, & universale eadem potentia, an alia, & alia potentia. Huicdubitationi respondet; animam cognoscere singularia potentia sensitiva, universalia vero vel potentia separabili, hoc est realiter distincta a sensitiva, vel re quidem una, sed secundum rationem diversa, sicut linea recta realiter non differt a seipsa reflexa; quo in loco Arist. abstinuit se ab illa quæstione, an in homine rationalis anima realiter a sensitiva distinguatur, an vero sit eadem habens diversas formaliter potentias (quomodo autem sit verum intellectum non percipere singularia, dicemus in disp.) addit deinde hoc non tantum verificari in physicis, sed etiam in rebus mathematicis, in quibus singulare adhuc differt ab universali, & aliud est rectum, aliud esse recti.

51 Secundo, proponit duas alias dubitationes contra alia duo asserta, dixerat enim intellectum quodammodo pati, quia intelligere est quoddam pati; contra arguit, nam intellectus est ens simplex nullam habens materiam communem cum aliis rebus, ergo nequit pati ab objecto, quod enim patitur ab alio, debet cum illo communicare in materia. Aliud assertum fuit, intellectum se ipsum intelligere; quod impugnari potest, nam vel intellectus est intelligibilis, quatenus intellectus, vel quatenus participat aliud, merito cujus sit intelligibilis; non primum, quia sequeretur, omne intelligibile habere intellectum; prob. sequela, nam particula *quatenus*, cum se tenet reduplicative, ut in proposito, denotat illud, quod sequitur reduplicationem, esse causam formalem, & præcisam inhærentiæ prædicati cum subjecto, ergo si intellectus est intelligibilis, quatenus intellectus, jam erit causa, cur intelligibilitas conveniat rei, & sic omne intelligibile habetur intellectum, & esset unum specie, quod est falsum. Neque est intelligibilis ratione alterius, quia tunc non esset simplex, sed compositus, neque intelligeret, sicut nec alia intelligibilia intelligunt.

52 Respondet primæ difficultati, assumptum scilicet agens, & pa-

patiens debere communicare in materia, esse verum de passione corruptiva, non autem perfectiva, qualis est passio intellectus ab objecto, sed satis esse quandam proportionem, secundum quam unum est in potentia, & perfectibile, alterum est actus, & perficiens, sic intellectus possibilis ex sui natura est in potentia omnia intelligibilia, & se habet tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, progressu tamen temporis fit sciens in habitu per species intelligibiles, quod dici potest intelligere in habitu, fit sciens, & intelligens in actu per intellectionem. Ad 2. ait quod intelligibilium alia sunt per se intelligibilia, quæ scilicet carent materia, alia non per se intelligibilia, ut materialia, intelligibile primo modo potest esse simul intelligens, non autem intelligibile secundo modo, quod non est intelligendum quasi quod omne immateriale sit intelligens, nam universa est immateriale, non tamen intelligens, sed solum, quod non repugnat immateriale aliquod esse simul intelligens, unde ad argum. dici posset, intellectum esse intelligibilem, quatenus est ens, nam intelligibilitas est passio entis; esse vero intelligentem, ut intellectus est, neque hæc duo inter se pugnare, scilicet esse simul intelligibile, & intelligens, quia etiam intellectu fit aliquo modo idem cum quocumque intelligibili a se distincto, hoc est in esse intentionali. Cur autem intellectus non semper intelligit se, si est intelligens simul, & intelligibile, non respondet Arist. dici tamen poterit, hoc esse, quia se non immediate sed per alia intelligit; tum quia est phantasmatibus alligatus, unde sæpe considerat, quæ cum materia sunt conjuncta. Tandem addit, materialia non esse nisi potentia intelligibilia, quatenus beneficio abstractionis intelligibilium specierum fiunt immaterialia, unde nequit illis competere intellectus, quæ potentia immaterialis est.

CAPUT III.

A text. 17. usque ad 21.

53 EXplicando secundum statum intellectus possibilis Arist. docuit ipsum reduci de potentia ad actum, non secundum, sed primum, & completum recipiendo species intelligibiles, quibus dicitur singula factus; occasione hujus in prima parte præsentis cap. agit Arist. de intellectu agente; postea considerat intellectum possibilem in tertio statu, quando scilicet actu est sub intellectione.

De intellectu agente tribus prioribus textibus tria præstat, manifestat enim necessitatem, officium, & attributa. Ut necessitatem ostendat, format syllogismum, cujus major, & conclusio explicite habetur, minor vero implicite; syllogismus talis est; in omni natura idest in omni effectu; & re producta duo principia necessario requiruntur; alterum, quod est materia, que fit potentia omnia illius generis, alterum, quod sit actu, & efficiat, potentiamque ad actum promoveat, hæc major probatur ab Arist. exemplo artificialium, in quibus adest materia, quæ potentia est omnia artificialia in tali genere, adest etiam ars, quæ reducit materiam ad actum introducendo formam; hinc non debet intelligi hæc major, nec de materia proprie dicta, ut significat materiam primam, sed ut denotat omne receptivum alicujus de novo, ut intellectui possibili possit competere, nec de omni effectu, sed solum de illo, qui per mutationem causatur, nam cum producitur aliquod subsistens immateriale, non adest principium receptivum. Minor subintellecta est ista, sed intelligere est quidam effectus de novo in anima existens, ergo debent in anima hæ differentiæ reperiri, unum scilicet tanquam materia, & est intellectus possibilis, alterum tanquam efficiens, & actuans, & erit intellectus agens. Per ly intelligere in minori quidam explicant ipsam intellectionem actualem, rectius intelligi debet species intelligibilis, quæ intelligere habitualiter dicitur, constituens intellectum scientem in habitu, tum quia de intellectione actuali non est adhuc locutus Arist. in præcedentibus, sed solum de specie intelligibili; tum quia intellectus agens non est efficiens intellectionis actualis, sed tantum speciei intelligibilis. Per ly differentiæ in conclus. Zim. theor. 41. intelligit veras partes essentiales componentes intrinsece animam per modum actus, & potentiæ; at Scotus d. 2. 16. qu. un. E. rationabilius intelligit partiales perfectiones animæ, non enim anima in proprio esse constituitur ex intellectu agente, & possibili tanquam ex partibus, cum sint potentiæ ipsius.

54 Declarat postea munus intellectus agentis dicens, quod sicut intellectus possibilis est omnia fieri, idest omnium species intelligibiles recipere, sic intellectus agentis officium est omnia facere, idest omnium species intelligibiles producere (an totaliter, vel partialiter, dicemus in qu.) hanc doctrinam explicat exemplo luminis, nam sicut colores, antequam adsit lumen, sunt visibiles potentiæ, adveniente lumine fiunt actu visibiles, sic intellectus agens est habitus, idest forma quædam, quæ ad instar luminis facit potentia intelligibilia actu intelligibilia.

Patefacit ultimo naturam, & attributa intellectus agentis, & quatuor enumerat proprietates; quod scilicet sit separabilis, idest non affixus organo corporeo, immixtus, seu non compositus ex rebus materialibus, & sensibilibus, impassibilis, passione corruptiva, & substantia actus, seu, ut legit Doct. quol. 14. Si substantia in actu, quia scilicet nullius speciei est receptiva, vel quia est essentia quædam activa ad differentiam passibilis intellectus, qui est receptivus (hic locus varie legitur ab expositoribus ut videbimus disp. de intellectu qu. 5. art. 2.) Subjungit probationem, cur priora tria attributa conveniant intellectui agenti, nam si passibili conveniunt, multo magis agenti, quia agens est nobilius passo; quæ probatio absolute non concludit, non enim agens est semper perfectius simpliciter passo, sed quandoque secundum quid, ex quo non sequitur perfectiones convenientes passo necessario competere quoque agenti; in proposito tamen concludit, supponendo ex dictis intellectum agentem esse differentiam, & potentiam rationalis animæ, ac per consequens idem substantialiter, & realiter cum intellectu passibili, potentiæ enim solum formaliter ab anima differunt; quo supposito recte deducitur, quod si hæc attributa conveniunt intellectui passibili, multo magis agenti.

55 In secunda parte cap. quæ absolvitur text. 20. considerat intellectum passibilem in tertio statu, ut stat sub intellectione, & quatuor de ipso dicit, deinde quoddam corollarium colligit; primum, quod profert de intellectu in actu est, quod intellectus, dum exercet intelligendi, quem vocat scientiam secundum actum, est idem cum re intellecta, quod est intelligendum de identitate accidentali, seu intentionali; secundum, quod intellectus in actu in uno, eodemque individuo est tempore posterior intellectu in potentia, anima enim non statim in ipso ortu habet actum intelligendi, sed post aliquod tempus; admonet tamen, quod si indefinite loquatur, neuter intellectus est absolute prior, quia cum fuerint in ipsius sententia ponentis mundum ab æterno, infiniti homines, non poterit assignari intellectus in potentia unius, quin intellectus in actu alterius præcesserit illum. Tertium, quod intellectus in actu non est hujus conditionis, quod aliquando intelligat, aliquando autem non, sicuti est de intellectu in potentia, & in habitu, sed semper intelligit: quo loco non loquitur de intellectu agente, ut vult. Zab. lib. de mente hum. c. 10. sed de intellectu passibili in tertio statu, qui dicitur semper intelligere in sensu composito, ut stat sub actu. Quartum, quod intellectus in actu est separatus, idest immortalis, & perpetuus, non absolute, sed quo ad quod est, scilicet quo ad quidditatem, & essentiam, non quo ad intelligere, & secundum operationem, quam habet in corpore, unde operatio destruitur, substantia autem ejus semper manet. Ex his colligit, quod esto intellectus semper maneat, tamen post mortem non reminiscimur, idest post mortem remanet recordatio, seu memoria sensitiva, seu cogitativa, quem hic Arist. vocat intellectum passivum, ut exponit Scot. 4. d. 35. q. 1. in fine; ratio est, quia maximam habet propinquitatem ad verum intellectum, & hanc sensitivam virtutem, seu passivum intellectum ait esse corruptibilem, quia est vis in corpore, quo extincto, & ipse extinguitur; & addit, quod sine hoc, scilicet sine intellectu passivo, seu sine imaginatione nihil intelligit anima, non quod absolute, & simpliciter in quocunque statu, etiam separationis non posset anima intelligere, alioquin esset mortalis, sed vult dicere animam nihil posse intelligendo modo, quo utitur in corpore, scilicet recurrendo ad phantasmata, si careat phantasia. Hos textus uberius examinabimus disp. de intellectu q. 5. art. 2.

CAPUT IV.

A text. 21. usque ad 28.

56 INtendit Arist. in præsenti declarare actus intellectus, postquam naturam, & quidditatem ipsius explicuisset. Et primo distinguit duplicem intellectus operationem, alia dicitur simplicium apprehensio, quam appellat intellectionem indivisibilium, idest simplicium rerum, & terminorum, altera apprehensas componimus, & dicitur compositio, nomen autem compositionis large sumit, prout comprehendit propositionem tam affirmativam, quam negativam, nam si stricte sumeretur, solum affirmativæ competeret; non facit autem mentionem de tertia operatione, scilicet discursu, vel quia sub secunda subintellexit, vel quia communiter ab antiquis dividi solebat operatio intellectus in has duas; inter quas duplex adest discrimen; primum, quod circa primam operationem non contingit veritas, & falsitas, sed bene circa secundam; contingere autem potest veritas, quando conjunguntur, aut separantur, quæ conjungenda, vel separanda: sunt falsitas quando conjunguntur, quæ separanda sunt vel separantur, quæ sunt conjungenda, rursus in ordine ad tempus potest esse falsitas si scilicet extrema componuntur, quando non sunt unita, licet fuerint vel forent unita, aut separantur unita, quamvis antea fuerint unita (quod solum locum habet in contingentibus, nam propositiones necessariæ absolvuntur a tempore) ut si hodie dicatur Petrus albus, cum sit niger, licet fuerit albus. Secundum discrimen est, quod prima operatio antecedit secundam necessario, non enim possumus componere, nisi res apprehensas.

57 Hac distinctione assignata declarat primum membrum, scilicet apprehentionem indivisibilium, seu incomplexorum; & ait, quod indivisibile potissimum tribus modis capitur: primo modo sumitur pro eo, quod non est actu divisum, potest tamen dividi, & est quodcumque totum habens partes, quod tripliciter potest intelligi, primo ut totum quoddam in confuso, non dividendo illud in partes. Secundo dividendo in partes singillatim, & successivim illas intelligendo. Tertio intelligendo simul, & directe omnes illas partes: primo modo intelligitur ut totum quoddam indivisum, & in tempore indivisibili, quod vel intelligit instans, vel partem aliquam temporis, in qua conservetur intellectio, dicitur autem hæc pars indivisibilis, quia non dividitur actu, sed in toto illo tempore intelligitur totum: & in qua-

qualibet medietate idem totum intelligitur, non medietas totius. Si secundo modo intelligitur, jam tempus intellectionis divideretur, quia in una medietate una pars totius perciperetur, in alia medietate altera pars intelligeretur, & tandem si tertio modo intelligitur, fit in tempore indivisibili, quia in toto tempore, & in qualibet parte temporis omnes partes simul intelliguntur.

Secundo modo sumitur indivisibile secundum formam, & essentiam, & est, quod habet unam quidditatem, habetque similitudinem cum primo indivisibili, nam sicut in secundo est aliquid, scilicet essentia, quæ facit omnes partes totius esse unum, idest consPirare ad unam essentiam indivisibilem, sic forsan in primo inest aliquod indivisibile, quod est causa, ut continuum sit unum, quod in longitudine erit punctum, in latitudine linea, &c. hoc autem indivisibile secundum formam, & speciem, ait, intelligit ab anima indivisibili tempore, & indivisibili intellectione; & licet habeat hoc indivisibile partes, in quas potest dividi, juxta quarum divisionem potest dividi tempus, quo illæ feorsum concipiantur, & licet etiam hujus indivisibilis intellectio potest durare per tempus divisibile; tamen talis divisio illis accidit, qua ratione sic intelliguntur, nam cum præsefernt essentiam indivisibilem individuo tempore nata sunt percipi.

58 Tertio modo sumitur indivisibile pro eo, quod tam actu, quam potentia est tale, ut punctum in linea, instans in tempore, & hoc vocatur ab Arist. divisio, quæ super illud fit divisio continui, docetque monstrari, idest apprehendi ab intellectu non per se, sed per contrarium, seu quasi contrarium, scilicet per negationem continui, unde ad modum privationis cognoscitur, quæ nonnisi per positivum oppositum intelligitur, ut malum per bonum, nigrum per album; ubi notanter dixit ad modum privationis, quia punctum non est vere privatio, sed entitas positiva, Subinfert, modum hunc cognoscendi unum per aliud, ut privationem per habitum esse proprium illius facultatis, quæ est in potentia, & non in actu puro, & uti inest hoc contrarium, per quod intellectus manuducatur in cognitionem alterius, talis autem facultas est intellectus humanus; quod si aliquis intellectus datur, qui in seipso omnia unitive, & simpliciter comprehendit, itaur præcognitio unius contrarii non deducat eum in cognitionem alterius, talis erit actus purus liber ab omni potentia, qualis est ipsa divina mens.

In tex. 26. explicat secundam operationem intellectus, quam dictionem vocat, intelligendo nomine dictionis propositionem affirmativam, & negativam, & ait, quod omnis dictio vera est, vel falsa, intellectus autem non omnis, nomine intellectus prima operatio denotatur, & est sensus, quod non omnis operatio intellectus habet hoc, quod sit vera, vel falsa, sed solum secunda, illa autem, quæ est circa quod quid est, idest essentiam, est vera semper, (sumendo veritatem large) & est apprehensio essentiæ, ac prima operatio. Hoc autem manifestat exemplo sensus, dicens, quod sicut sensus visus circa proprium objectum non errat, sed semper est verus, potest autem contingere error applicatione, & compositione objecti, ut quod homo sit albus, vel lapis, sic intellectus, qua est potentia immaterialis in ordine ad essentiam abstractam a materia, & conditionibus individuantibus se habet. Tandem reassumit, quæ superius dixerat in tex. 19. de intellectu in actu, & in potentia, ac intellectum unum facere cum re intellecta.

CAPUT V.

A text. 28. usque ad 48.

59 INtellectiva operatio non solum dividitur in primam, & secundam, sed etiam in practicam, & speculativam, quapropter ut exacte declaret Arist. operationem intellectus, post explicationem primæ divisionis aggreditur in præsenti cap. secundam divisionem, quam ut explicet, præmittit in nonnulla, quæ sensui conveniunt. Primo igitur docet convenire sensitivo, idest sensui, qui est in potentia, ut a sensibili, seu objecto ad actum reducatur, non quidem motu, & alteratione proprie dicta, quæ ad corruptionem disponit, dicitque imperfectionem, sed alterius speciei, est enim perfectiva alteratio. Secundo, convenit ipsum sentire, quod est simplex cognitio sensitiva ipsius objecti sensibilis, & hanc operationem sensus assimilat primæ operationi intellectus, quam hic vocat dicere solum, & intelligere. Tertio, competit perceptio rei sensibilis sub ratione convenientis, vel disconvenientis, jucundi, vel molesti, assimilatque hanc operationem secundæ operationi intellectus, non quod sensus affirmet, vel neget, sed quia sicut intellectus affirmans unum alteri componit, sic sensus percipiens objectum, ut jucundum, videtur jucundum componere cum objecto. Quarto, convenit sensui movere, & causare appetitum sensitivum in actu, postquam enim facta est perceptio rei sensibilis sub ratione disconvenientis, aut convenientis, movetur appetitus sensitivus, vel ad prosequendum, si erit conveniens, vel ad fugam, si disconveniens; unde constituit sensus appetitum sensitivum in actu, nam dolere, & delectari, secundum quæ appetitus in actu constituitur, fiunt sensitiva medietate, scilicet habentur in appetitu in merito motus sensus cognoscentis bonum, vel malum, ut talia sunt; & hanc potentiam sensitivam vocat medietatem. Addit tamen non distingui appetitum prosecutivum a fugitivo, imo nec ambo a sensu differre, eo scilicet modo, quo Plato putavit, qui sensitivum in corde, appetitivum in jecore posuit, sed differre esse, seu ratione, & definitione, ubi not. quod non ob id est eadem distinctio inter potentiam cognoscentem, & appetitivam, ac inter appetitum prosecutivum, & fugitivum, hi enim sunt eadem numero potentia, at potentia cognoscens est distincta ab appetitiva, licet non modo platonico.

60 Hoc præaccepto incipit per applicationem manifestare, quæ de intellectu præcipue practico dicenda sunt, & ait, quod phantasmata respectu animæ intellectivæ se habent sicut sensibilia ad sensum, nam sicut sensibile movet sensum, sic phantasma intellectum, & sicut sensus apprehendendo sensibile ut conveniens, vel disconveniens movet appetitum ad prosecutionem, vel fugam, sic intellectus concipiendo objectum sub ratione boni, vel mali, movet appetitum ad prosecutionem, vel fugam, anima enim non intelligit sine phantasmate, occasione quorum agit de unitate sensus communis, quem ultimum appellat, & terminum externorum sensuum; & ait esse unum re, licet diversa exerceat munera, qua ratione idem de intellectu dicendum, quod sit unum re, licet plura sint phantasmata, quod probat argumento a commutata proportione, sicut enim se habet album ad nigrum, ita phantasma albi ad phantasma nigri, ergo a commutata proportione, ut se habet album ad suum phantasma, ita nigrum ad suum, si igitur phantasma albi, & phantasma nigri insunt uni, hoc est spectant ad unam potentiam, sicut album, & nigrum ad unam pertinent, ita potentia erit una, sicut ista, ergo sicut ista, quæ est sensus communis, est una re, plures ratione, ita intellectus. Habito igitur, quod intellectus movetur a phantasmatibus, dicatque de re prosequenda, aut fugenda, ostendit deinde modos, quibus excitatur intellectus practicus ad hæc dictamina habenda, & ad deliberandum de re prosequenda, aut fugienda, & ait, quod sicut in illis, idest in sensibilibus præsentibus movetur intellectus a phantasmatibus eorum ad operationem practicam, & percipit fugiendum, vel sequendum, sic & extra sensum, idest potest etiam moveri, & excitari intellectus practicus extra sensum, hoc est a sensibilibus absentibus per phantasmata, in quibus representantur illa sensibilia absentia, & per speciem intelligibilem, quam hic vocat intelligentiam, phantasmata enim conservantur in anima, scilicet in memoria sensitiva.

61 Determinata postea de intellectu speculativo a tex. 34. & ait practicum a speculativo secerni, quia cum intellectus cognoverit aliquid sub ratione jucundi, & molesti, boni, & mali, & ratione hujus cognitionis excitaverit appetitum rationalem ad fugam, vel prosecutionem, tunc in actione est, scilicet tunc dicitur intellectus practicus dirigens in actionem, & praxim, & per quod differt a speculativo; at specularivus est sine actione, idest non dirigit in actionem, sed simpliciter circa verum, & falsum versatur, ubi practicus versatur circa tale verum, & falsum non in communi, sed determinatum ad bonum, & malum. Insuper intellectus speculativus intelligit abstracta a materia, vel quæ considerantur tanquam abstracta, ut sunt entia mathematicalia, quæ secundum considerationem solum abstrihunt a materia sensibili, non secundum rem; an autem possit cognoscere aliquod totaliter a materia abstractum, ut sunt intelligentiæ, alibi dicetur.

Tandem conficit epilogum eorum, quæ hucusque de anima determinavit; & primo ait, animam esse quodammodo omnia, nam res omnes, vel sunt sensibiles, vel intelligibiles, anima est omnia intelligibilia medio intellectu, quo per species intelligibiles illis unitur, est omnia sensibilia per sensum, quibus mediis speciebus sensibilibus unitur. Secundo, ait intellectum, & sensum dividi ad modum intelligibilium, & sensibilium, sicut enim ista alia sunt in potentia, quandoque in actu; unde necesse est, ut sint in actu, quod habeant in seipsis vel res, vel formas rerum, seu species intelligibiles, non res, quia lapis non est in anima, ergo species lapidis. Tertio, quod intellectus, ut speculetur, necesse est phantasmata intueri, reddit rationem, quia omnis res naturalis est cum magnitudine, idest cum materia sensibili, & singulari, quare nihil naturale intelligi potest, nisi prius sentiatur a sensu. Tandem docet secundam operationem intellectus ab actu phantasiæ differre, quia illa fundat veritatem, & falsitatem, non iste; prima quoque operatio distinguitur, licet nequeat esse sine phantasmatibus.

CAPUT VI.

A text. 40. usque ad 59.

62 POstquam Arist. egit in præcedentibus de potentiis vegetante, sentiente, & ratiocinante, qui sunt tres gradus animantium, pergit modo ad declarandum quartum gradum locomotivum, non utcunque, sed progressivo motu, quem gradum ultimo loco explicat, quia cognitionem aliquam, vel sensitivam, vel intellectivam præsupponit. De quo duas movet dubitationes de principio hujus motus effectivo, num scilicet sit aliqua facultas animæ, vel ipsa substantia animæ, & si est facultas, an sit aliqua ex hactenus explicatis, scilicet vegetante, sentiente, vel intelligente. Primo resolvit negative secundam quæstionem ostendendo principium progressivi motus non esse aliquam ex his facultatibus. Non est potentia nutritiva, tum quia motus progressivus est unitus, ac præsupponit imaginationem, & appetitum, quia fit ad prosequendum bonum, vel fugiendum malum, quibus carent plantæ, nec facultas vegetatrix illa præsupponit: tum quia plantæ progressivæ moverentur, haberentque organa necessaria ad talem motum, nam non deficit natu-

natura in necessariis, & nihil facis frustra. Nec est virtus sensitiva, nam multa animalia carent isto motu, & immobiliter saxis inhærent, carentque instrumentis necessariis. Nec est intellectus, hic enim dividitur in speculativum, & practicum, non est intellectus speculativus, quia hic non tendit ad opus, sed in simplici contemplatione sistit, motus autem progressivus fit propter prosecutionem boni, vel mali fugam; nec est practicus, tum, quia adest quandoque dictamen practicum in intellectu, & nullus sequitur motus. Nec tandem erit appetitus propter eandem rationem, multoties enim appetimus, quæ tamen non quærimus, nec ullus sequitur motus, ut est in continentibus obtemperantibus rationi, non appetitui.

63 Declarat deinde, quænam sint principia hujus motus, & ait esse duo, scilicet intellectum, & appetitum, additque sub nomine intellectus comprehendi quoque imaginationem, quia non solum bruta, sed etiam homines quandoque ab imaginatione moventur, unde latius dici poterit principium esse appetitum, & cognitionem, non speculativam sed practicam; quod probat, quia motus progressivus fit propter aliquem finem obtinendum, vel fugiendum, sed tam appetitus, quam cognitio practica respiciunt finem illum, ergo erunt principia talis motus, appetitus quidem ut impellens, cognitio practica ut dirigens; Min. prob. quia appetitus movetur ab appetibili ut a fine, non movetur autem, nisi sibi proponatur a potentia cognoscitiva practica, ergo utrunque concurrit ad hunc motum. Quæ duo ait non ex æquo concurrere, sed unum alteri subordinari, scilicet intellectum appetitui, nam licet intellectus semper sit rectus, idest habitus primorum principiorum in rebus practicis, circa quæ non contingit errare, nec circa conclusiones immediate ex illis deductas, nihilominus contingit errare circa bonum in particulari, & quamvis intellectus recte dicter, appetitus tamen quandoque sequitur imaginationem, moveturque ab appetibili apparenter bono, quod est signum appetitum esse principale principium incessus. Istum appetitum subdit in homine duplicem esse, alterum, qui rationem sequitur, & dicitur voluntas, seu rationalis appetitus, alterum, qui imaginatione ducitur, & vocatur appetitus sensitivus, qui duo differunt inter se, nam quandoque experimur in nobis duas contrarias appetentias, ut scilicet voluntas appetat, quod refugit appetitus sensitivus, vel e contra; quæ contrarietas præcipue provenit, quia aliquando unum appetibile est nunc bonum, sed in futuro erit nocivum, & quia sensus versatur solum circa præsentia, idcirco appetit illud objectum, quicquid sit de futuro, at intellectus non solum est de rebus præsentibus, sed de præteritis, & futuris, qua ratione voluntas, quæ ab intellectu ducitur, refugit objectum illud tanquam futurum noxium.

64 Postea enumerat omnia, quæ concurrunt ad progressionem animalium, & ait tria esse, id, quod movet, id, quod movetur, & instrumentum, quo fit motus: quod movet est duplex, aut enim movet, & non movetur, aut movet, & simul movetur, principium movens immobile inquit esse appetibile, quod movet saltem motu intentionali appetitum, non tamen movetur; principium movens motum est appetitus, qui movet corpus, & movetur ab appetibili; sub quo etiam comprehenditur intellectus practicus, qui recipiendo speciem intelligibilem movetur ab appetibili, & simul movet dirigendo; quod simpliciter movetur, est animal; instrumentum vero est pars corporis, qua exercetur motus; de qua ait Arist. fusius differendum in libro de part. animal. pro nunc in summa, & breviter docet hanc partem esse, ubi potest esse principium, & finis motus, debereque esse immobilem, quod explicat exemplo cardinis portæ, in quo motus incipit, & desinit propter concavum cardinis, & convexum portæ; idem conspicitur in commissura ossium, quorum unum est concavum, alterum convexum, nec unquam separantur, sed concatenata ad invicem permanent; unde sicut in motu rotæ aliquid adest, quod est principium motus semper manens, qualis est axis, vel centrum, idem in motu animalis provenire est dicendum.

65 Tandem a text. 56. duo facit, primo explicat, quo pacto in animalibus imperfectissimis adsit principium motus, cum habeant tantummodo sensum tactus, deinde redit ad principium motivum in homine, illudque magis declarat; ait igitur in animalibus imperfectissimis dari appetitum, quia datur dolor, voluptas, restringuntur enim, si pungantur, quod est signum doloris, dilatantur, quod est signum voluptatis, at dolor, & voluptas sunt in appetitu, si autem datur in illis appetitus, debet quoque dari imaginatio, & cognitio, quia appetitus non fertur in incognitum, quare isti datur principium motus, attamen sicut appetitus est imperfectus, quia non fertur in objectum conveniens, vel disconveniens, nisi confuso modo, & indeterminate, sic cognitio est imperfecta, imperfectoque motu cientur. At in homine, qui est perfectissima imaginatio, quæ est deliberativa, estque conclusio syllogismi practici dictans bonum in particulari; deliberare vero est comparare multa sub una communi mensura (hæc est ratio convenientiæ mediorum in ordine ad finem) & quod convenientius est assumere reliquis prætermissis, qua ratione soli homini discurrenti convenit. Attamen quandoque in homine docet appetitum sensitivum vincere rationalem, quo casu homo duplici motu moveretur, scilicet corporis, & utriusque appetitus, non enim voluntas aliud appetereret ab appetitu sensitivo, nequit enim cogi, esseteque hoc contra ordinem naturæ, nam superior appetitus subjiceretur inferiori; quando tamen appetitus sensitivus subjicitur rationali, tunc ordinate proceditur, moveturque homo tribus motibus, scilicet motu corporis, motu appetitus sensitivi (supposito quod appetat objectum contrarium objecto voluntatis, aliter duobus tantum motibus moveretur) & motu voluntatis.

CAPUT VII.

A text. 59. usque ad finem.

66 IN hoc ultimo cap. primo comparat animæ facultates inter se, quænam scilicet sint necessariæ, quæve utiles tantum; & ait omne vivens necessario habere nutritivam potentiam, non tamen indigere sensitiva: primam partem probat, quia vitæ tempus dividitur in incrementum, statum, & decrementum, quæ nequeunt exerceri sine potentia nutritiva: Secundam partem ostendit, quia si esset aliqua sensitiva facultas necessaria, hæc erit maxime tactiva, ut pote omnium prima, & communis, sed nequeunt plantæ habere hanc facultatem, quia hæc consistit in mediocri temperie primarum qualitatum, qua plantæ carent propter nimiam terrestreitatem. Quod spectat ad animalia, asserit omnia animalia necessario indigere tactu, & gustu, quod probat, quia natura facultatem motivam concessit animalibus ob aliquem finem obtinendum, scilicet prosecutionem boni, & fugam mali, sed nequit hoc præstari sine tactu, & gustu, qui tactus quidam est, ergo &c. Dices, conchilia non moventur loco, & tamen sentiunt, ergo possunt hoc facere sine his sensibus; respondet non moveri, quia alimentum semper conjunctum habent; adhuc tamen exigitur tactus. Dices, etiam homo est rationali facultate præditus, ergo sine sensu posset sibi acquirere bonum, & noxium respuere. Respondet non posse fieri, quod corpus aliquod sit anima rationali informatum, & non sit sensibile, quia hæc unio corporis, & animæ, nec in bonum animæ esset, hæc enim corpori unitur, ut ministerio corporis rerum cognitiones acquirat, quod nequit fieri sine sensibus; nec in bonum corporis caderet, quia non ob id corpus fieret firmius, & diuturnius. Probat adhuc principale intentum, scilicet solum tactum, & gustum esse sensus necessarios simpliciter animali, reliquos vero secundum quid; nam omne corpus est tangibile, & tactu sensibile, etiam corpus animalis, unde poterit offendi a tangibilibus qualitatibus, ergo ut possit conservari, necessario debet illas cognoscere, ut noxias refugiat, proficuas prosequatur, ergo necessario indiget sensu tactus; quæ ratio non urget in plantis, & aliis corporibus, quia non exigunt temperamentum primarum qualitatum in quadam moderata mixtione, ut animalia, est etiam necessarius gustus, quia est tactus quidam, & versatur circa alimentum, quod est tangibile, quare debet animal illud cognoscere, ut possit noxium a proficuo discernere; eo vel maxime quod hi sensus agunt per medium internum, non externum; reliqui vero sensus non sunt ita necessarii, quia objecta ipsorum, nec sunt destructiva corporis, nec nutriunt, & agunt per medium externum, solum sunt necessarii secundum quid, quatenus inserviunt motui progressivo, quo mediante possint acquirere alimentum distans.

67 Secundo, probat propositionem quandam, quod corpus animalis necessario mixtum debeat esse, non simplex; quia omne animal debet habere sensus tactus, qui sensus constitit in temperie primarum qualitatum, ergo corpus animalis, quod est tactivum, in tali temperie consistit, & sic erit mixtum, non simplex; tum quia tactus non tangit per medium, scilicet medio aliquo simplici corpore; puta aere, vel aqua, sed ad summum mediante carne, quæ est medium internum, ergo non est corpus simplex, sed mixtum. Prob. conf. quia unumquodque organum proportionatur cum medio proprio.

Ex his omnibus deducit primo, quod destructo tactu necessario destruitur animal, quia tactus est sensus simpliciter animali necessarius; unde quod habet hunc sensum, necessario est animal. Secundo, quod exuperantiæ, & excellentia sensibilia corrumpentia sensum tactus sunt quoque corruptiva ipsius animalis, quod sine tactu conservari nequit. Tertio, solum tactum esse simpliciter necessarium animali, reliquos sensus tantum requiri ad bene esse, non ad simpliciter esse, visus enim est necessarius, ut videat in perspicuo scilicet aere, & aqua, gustus propter jucundum, & molestum, ut scilicet percipiat, quodnam alimentum juvet, vel officiat, auditus ut significetur aliquid ipsi animali, lingua ut significet aliquid alteri, de olfactu non loquitur, quia clarum est inter omnes sensus esse minimæ utilitatis. Ubi not. quod gustus, si sumatur secundum se, non est simpliciter necessarius, sed solum ad percipiendam voluptatem, qua moveatur animal ad quærendum cibum, & in hoc sensu loquitur hic Arist. alio modo sumitur, quatenus est tactui conjunctus in eodem sensorio, & hoc modo est simpliciter necessarius, & in hoc sensu est intelligendus Aristoteles, dum superius hoc asseruit de gustu.

QUÆ-

QUÆSTIO PROŒMIALIS.

Quodnam sit horum librorum subjectum.

QUod primo in aliquo tractatu prægnoscí debet, est materia, seu subjectum, de quo instituendus est sermo, & ad quod omnia dirigi debent, idcirco præsentem quæstionem præmittimus.

Prima opinio est Pauli Veneti, Tat. 1. de An. qu. 1. Joan. de Mag. ibid. An. Andr. qu. 1. Met. ad 2. princ. Hurr. Arriag. & aliorum, sustinens corpus animatum esse subjectum. Communior ponit animam ipsam pro subjecto, ita Regentes Parisienses in suo cursu philosophico ad mentem Scoti ab ipsis edito (ex quo deducitur Collegium Conimbr. Complut. & alia non esse Recentiorum inventum) diu a nobis in quampluris, & pervetustis Bibliothecis sedulo perquisito, & nunc demum reperto; in quæstionibus igitur super librum primum Arist. de Anim. quæst. 1. quæst. collater. 2. docent animam hic esse subjectum, sequitur Ruvius hic, qui multos alios citat. Inter has opiniones mediant Conimb. distinguunt enim, quod hi libri possunt considerari dupliciter, vel ut simpliciter cum libris parvorum naturalium constituunt unam partem philosophiæ, & in hoc sensu subjectum erit corpus animatum, vel ut solitarie considerantur, & hoc modo est anima ipsa, quod etiam amplectitur Joan. de S. Thom. Aliter tamen distinguunt Compl. asserunt enim, animam esse objectum formale *quo*, corpus vero animatum esse objectum formale *quod*.

Dicendum est, si subjectum partiale proprie sumatur, corpus animatum erit subjectum; si vero ample accipiatur, sic anima ipsa in communi, ut est principium viventium statui potest pro subjecto. Conclusio fere asseritur a Conimb. prob. & explicatur ex his, quæ diximus disp. 12. Log. qu. 2. art. 1. subjectum enim partiale proprie loquendo est species aliqua contenta sub objecto totali, eo quia in scientia qualibet distingui debent subjectum, passio, & principium ex 1. post 25. quare quod habet tantum rationem principii in scientia, non potest considerari ut subjectum, sed anima non est species contenta subjecto adæquato philosophiæ, quod est corpus naturale, sed principium constitutivum alicujus speciei sub illo contentæ (scilicet corporis animati, ergo corpus animatum erit subjectum proprie loquendo, non anima. Ruvius distinguit majorem, quod non est necessarium subjectum partiale contineri debere sub adæquato, ita ut de illo prædicetur in recto, sed sufficit, ut in obliquo prædicetur, quo pacto ens naturale prædicatur de anima, de qua est verum, quod sit pars entis naturalis.

2 Sed contra, quia sic etiam passio aliqua statui posset pro subjecto, & esset confundere rationem subjecti cum ratione principii, & passionis. Tum quia corpus animatum est præcipua pars contenta sub corpore naturali, ergo per se debet considerari in aliqua parte principali philosophiæ, & non sufficit, ut ait Ruvius, per se agi de anima, & de illa probari passiones tanquam de principio, satis est istas applicari corpori; non sufficit, quia non esset processus iste scientificus, passiones enim demonstrari debent de subjecto primo, per se, & immediato, & licet anima sit principium formale, non tamen est adæquatum, hoc namque est tota quidditas; tum quia per se intentum a scientia est subjectum quod se habet ut finis, principia vero, & passiones sunt intenta propter subjectum, ergo scientia per se debet agere de subjecto, & non secundario, ut possibile est cognosci ex cognitione tantum principii. Non considerabatur tamen adæquate nisi in libris de An. de part. & incessu anim. de sensu, & sensibili, & cæteris, qui de parvis naturalibus dicuntur; ratio est, quia corpus animatum tunc perfecte cognoscitur, quando consideratur quoad formam, quæ est anima, quoad materiam, quæ est corpus, & quoad proprietates, ut sunt operationes vitales, & similia: prima cognitio habetur in lib. de An. secunda in lib. de part. incessu, & hist. anim. tertia habetur in reliquis libris de parvis natur. unde falsum est, quod ait Ruv. de corpore scilicet animato in lib. parvorum natur. in his enim non habetur adæquata cognitio, ergo corpus naturale animatum erit subjectum in his lib. de An. neque ex hoc, quod solum in istis agitur de forma, idcirco, non debet dici subjectum istorum; nam sicut subjectum adæquatum, & totale dicitur subjectum eriam in illis libris, in quibus agitur de principiis ipsius, ut corpus naturale non solum dicitur subjectum in octo libris Phys. sed etiam in primo, & secundo, ubi agitur de principiis, aliter in nullo libro statui posset pro subjecto, quia in quolibet fere vel arguitur de aliquo principio, vel de aliqua passione; idem quoque erit dicendum de subjecto partiali.

3 Ex quibus inferas hos libros de An. re vera non constituere partem aliquam adæquatam philosophiæ, nisi simul cum aliis libris sumantur, in quibus omnibus habetur completa tractatio corporis animati, nam sicut anima est ens dimidiatum non propter se consideratum in philosophia, sed in gratiam viventis, quod constituit, ita, & cognitio de anima non erit pars quædam completa, & principalis philosophiæ, sed partialis, & dimidiata, scientia enim totalis habet dividi ad divisionem adæquati objecti, a quo sumit etiam unitatem; unde Arist. 4. Metheor. in fine proponens ea, de quibus agere deinceps intendit, non proposuit animam, sed animalia, & plantas, signum evidens hos libros de An. qui immediate post libros Metheor. ponuntur, non haberi ab Arist. tanquam partem principalem philosophiæ, nisi ut cum aliis unum completum tractatum integrant.

4 Si tamen subjectum partiale improprie, & ample sumatur, ut scilicet supponit pro omni eo, quod aliquo modo consideratur a scientia, sic anima statui potest subjectum; quia vere hic Arist. agit de ipsa anima tam in se, quam quoad species, ut se explicat in prin. & in lib. de sensu, & sensib. in prin. agitur tamen de ipsa, non quidem omnibus modis, quibus est cognoscibilis, aliter nullo modo spectaret ad Metaph. ergo sub modo speciali, qui convenire debet cum modo definiendi, nam & definitio, & ratio formalis considerandi sunt media in demonstratione, ergo quia anima hic definitur ut principium, & forma corporis animati, ut videbimus, ideo &c. Cum dicimus autem considerari ut principium, non loquimur formaliter pro illa relatione, sed fundamentaliter pro entitate illa, & fundamentali ratione illius relationis principii, ut sic enim est de essentia corporis animati, illudque constituit. Quod ajunt Compl. de illa distinctione objecti formalis *Quo*, & *Quod*, procedit ex falsa explicatione horum terminorum, de quibus fuse egimus in Log. dis. c.

5 In oppos. objicitur, quod corpus animatum non est subjectum in his libris. Tum quia hic non considerantur omnia, quæ spectant ad corpus vivens, ut patet. Neque est dicendum hos libros integrum tractatum de corpore animato componere cum reliquis libris de animalibus. Non valet ait Ruv. quia quæ hic aguntur, non conveniunt primo viventi, sed animæ, & ista mediante competunt corpori, ergo etiam si unam partem conficiant cum reliquis libris, illos potius ad hos libros de An. reducere debemus, & consequenter ad eorum subjectum, quod est anima, quam e contra. Tum secundo, quia cognitio potentiarum, passionum animæ, & ipsius corporis, dependet ab ipsa anima per se primo, qua cognita, & quibus passionibus, & potentiis de illa probatis, nil supereſt probandum, & cognoscendum, ergo licet in esse anima dependeat a corpore, in cognosci tamen oppositum est verum. Tum tertio, quia passiones animæ rationalis non solum illi conveniunt ut principio, sed etiam ut subjecto, ipsa enim est, quæ immediate intelligit, & vult; ego cognitio hominis ut intellectivi dependet ab ipsa anima, & tamen de homine ut rationali non agitur in reliquis libris, sed in istis, ergo hic anima, non corpus erit subjectum. Tum quarto quia hæc scientia non esset nobilior cæteris contra Arist. in tex. seq. prob. quia nobilitas scientiæ ab objecto, corpus animatum inter cætera physica entia non est nobilius, nam genus, sicut est corpus animatum, est imperfectius speciebus, ergo species hujus corporis, si sunt perfectiores, constituent perfectiores scientias. Tum quinto, quia anima hic definitur, de ipsa demonstrantur passiones, & omnia hic considerata habent attributionem ad ipsam, quæ sunt conditiones subjecti, ergo &c.

6 Resp. ad 1. ut ibi, ad primam impugnationem, præterquam quod assumptum universaliter intellectum est falsum, quia potentia vegetativæ, & sensitivæ completæ, de quibus hic agitur, conveniunt primo toti composito; tamen hoc eriam admisso, negamus sequelam, quia non solum in esse rei anima, & cognitio ipsius ordinabilis est ad corpus, & cognitionem ejusdem, sed etiam in esse scibilis, nam finis philosophiæ est tradere completam cognitionem corporis naturalis in communi, & specierum, & quicquid considerat, in gratiam istorum contemplatur, unde in tantum de anima agit, in quantum inservit cognitioni corporis animati, quod est præcipuum subjectum. Ad 2. per idem patet, quod cognitio passionum corporis animati per se primo non dependet ab anima, sed a forma totius, per se secundo ab anima tanquam a principaliori principio, negatur tamen cons. nam sequeretur non corpus naturale, sed substantialem formam esse subjectum in philosophia, quia cognitio corporis e cognitione formæ dependet; hinc non ex dependentia, sed ex intentione artificis desumendum est subjectum, ut dictum est in Log. disp. cit. tum quia etiam anima in esse rei ad corpus animatum ordinatur tanquam pars ad totum. Ad 3. dicimus passiones animæ rationalis convenire ipsi animæ conjunctæ ut *Quo*, non ut *Quod*, actiones enim suppositorum, ut diximus disp. 5. Phys. q. 13. art. 7. Ad 4. sequitur contra ipsum Ruvium non animam in communi esse subjectum, sed rationalem, quia hæc est nobilior; concludit igitur, quod inter partiales tractatus hujus corporis animati pars illa, quæ est de homine, est nobilior; at loquendo de partibus *principalioribus*, hæc, quæ est de corpore animato, est præcipua in philosophia. Ad 5. probat ultimam partem *nostræ conclusionis*; tum quia non omnia considerantur in gratiam animæ, nam ipsa anima consideratur in gratiam alterius, scilicet corporis animati.

7 Secundo arguitur contra aliam partem, quod hic anima in communi possit dici subjectum largo modo, nam sequeretur, quod etiam hic deberet agi de anima rationali, quæ est pars sub-

subjectiva animæ in communi, hoc autem est falsum, quia anima rationalis non est physicæ considerationis; quod prob. præcipue ex Arist. 1. de part. anim. c. 1. ubi ex professo movens hoc quæsitum, negative illud resolvit, & probat multis rationibus, quarum prima est hæc; quod scilicet sequeretur nullam aliam dari scientiam præter philosophiam, nam intellectus est omnium intelligibilium, & ad eandem scientiam pertinet agere de relativis, ut ad eandem attinet sensus, & sensibile; alias rationes adducit, quas retulimus disp. 9. Phys. qu. 2. art. 2. in 3. arg. princ. contra concluſ.

Pro hujus solutione est breviter videndum, num anima rationalis sit physicæ considerationis, de aliis enim non est dubium, cum sint formæ corruptibiles in materia immersæ sicut cæteræ formæ substantiales. Quidam absolute negant ad physicum attinere, ita Boet. Philop. Them. & alii apud Ruv. q. 1. Procem. de An. ex nostris Vulpes 2. p. tom. 2. disp. 44. ar. ult. sed asserunt esse considerationis Metaphysicæ; vel cujusdam mediæ scientiæ inter philosophiam, & metaphysicam. Alia extrema opinio sustinet totaliter ad Physicum spectare, ita Gandau. Morif. & Hur. in Procem. lib. de An. Alii distinguunt de anima, & secundum varias considerationes ad utramque pertinere; sed discrepant, nam Suarez disp. 1. Met. sect. 2. n. 18. & Conimbr. hic, q. 1. ar. 2. sustinent animam rationalem, ut corpori conjunctam, esse physicæ considerationis, ut a corpore separatam, metaphysicæ. Tol. vero q. 2. Procem. ait etiam ut corpori conjunctam aliquando ad mephysicum attinere, quatenus scilicet elevatur ad sublimium rerum contemplationem nullo modo depedentem ab ab operatione phantasiæ.

8 Dicimus tamen, quod anima rationalis, ut corpori unita, nullo modo, & secundum nullam operationem spectat ad metaphysicum, ut vero separata solum attinet ad metaphysicum secundo ea, quæ sunt propria illius status; ita Ruv. cit. Prima pars, quod ut conjuncta sit omnino physicæ considerationis, Prob. quia ut rationalis est pars compositi physici scilicet hominis, ut dicemus disp. seq. qu. 4. ergo ut sic est physicæ considerationis, quia ejusdem scientiæ est considerare totum, & partes, effectus, & causas; tum quia ut sic vere est natura, ut ostendimus disp. Phys. cit. & quoniam ut unita secundum omnes operationes dependet a phantasmatibus, ut dicemus disp. 6. q. 1. ubi etiam objectiones solvemus, ergo ut sic nullo pacto spectat ad metaphysicum, patet conf. nam Tol. idcirco oppositum asserit, quia sustinet in aliquibus operationibus animam ut unitam a phantasmatibus non dependere. Secunda pars, quod ut separata sit etiam physicæ considerationis, Prob. quia ut sic adhuc ens incompletum, & dicit essentialem habitudinem ad corpus, ergo secundum ista prædicata non abstrahit a materia sensibili. Tandem, quod secundum prædicata illi statui convenientia ut per se subsistere, a corpore independenter operari, & similia, pertineat ad metaphysicum, patet, quia ut sic abstrahit a materia sensibili; loquimur autem præcipue de philosophia pro statu isto.

Ex his ad rationem concedimus seq. & negamus falsitatem: ad probationem ex Arist. jam diximus dis. cit. Phys. rationem illam esse probabilem cum Mirandulano, non demonstrativam; deinde dicimus Arist. loqui de anima separata secundum ea prædicata, quæ ut sic ipsi conveniunt, quod patet ex ultima ratione, quam ibi adducit, quia scilicet est a materia abstracta, quod non convenit animæ, nisi sub tali consideratione; & recte concludit prima ratio ipsius, nam si Philosophus consideraret intellectum abstractum a materia, consequenter & omnia intelligibilia abstracta debebit considerare, unde non daretur metaphys. sequitur etiam a fortiori, quod deberet considerare ea, quæ solum secundum considerationem, & non secundum abstrahunt a materia, ut sunt entia mathematicalia.

9 Dices, ergo quia metaphysica est de intellectu abstracto, qui est omnium intelligibilium, etiam materialium, nulla alia erit scientia præter metaphysicam. Tum quia intellectus conjunctus est omnium intelligibilium etiam abstractorum a materia ex 3. de An. 4. ergo Philosophus de omnibus his agere deberet, & sic nulla alia scientia. Resp. totam vim hujus rationis consistere in illa propositione, quod relativorum est eadem scientia, quæ est vera, quando ista relativa secundum eundem considerandi modum se respiciunt, & considerantur, præcipue relativa secundum dici; non tamen est vera, si unum relativum consideretur uno modo, alterum debere etiam secundum alium modum considerari; hinc ad rationem dicimus, non concludere de metaphysica, sicut de philosophia, quia metaphysica considerat intellectum solum ut abstractum a materia secundum esse, & secundum considerationem, & consequenter intelligibile correspondens ut correlativum hoc modo debet considerare; & quia non considerat intellectum ut maieriæ conjunctum, nec intelligibile ut sic considerabit, hinc remanet philosophia, quæ res materiæ immersas considerat, remanebit etiam mathematica, quæ tantum res abstractas secundum considerationem contemplatur; at si philosophia esset de intellectu separato, haberet duos modos considerandi, scilicet proprium, qui est de rebus materialibus, & principaliorem, qui est de rebus abstractis secundum esse, & considerationem; ex quo sequitur, quod habebit tertium, qui est mathematicæ, juxta regulam illam, si de quo minus videtur in esse, & ineſt, ergo, & de quo magis. Ad aliud dicimus, quod licet intellectus conjunctus sit de omnibus, non tamen sequitur de illis omnibus debere philosophum agere, quia non omnia habent eundem considerandi modum cum intellectu conjuncto, sicut se habent sensus, & sensibile. Alias rationes circa hoc dubium solvimus disp. 6. Phys. cit.

10 Ex quibus omnibus primo deducitur; scientiam hanc de anima inter prima, ut ait Arist. in Procem. collocandam esse, non quod omnes alias certitudine, & nobilitate superet, nam metaph. quoad nobilitatem objecti, quod est ens, Deum sub se continens, & quoad certitudinem demonstrandi, non quidem quoad nos, sed quoad naturam, quia est de notioribus natura, excedit hanc scientiam, & mathematica superat quoad certitudinem demonstrandi quoad nos; superatur tamen ab ipsa quoad nobilitatem objecti, quia est aliquod subſtantiale, & in certitudine demonstrandi quoad naturam; superatur etiam metaphysica quoad certitudinem demonstrandi quoad nos, evidentior etiam nobis est scientia de anima, de qua habemus aliqualem experientiam, quam metaphysica; excedit etiam omnes partes philosophiæ naturalis, quia in reliquis libris agitur de corpore aliquo inanimato, vel communi; & quamvis in 8. Phys. agatur de primo Motore, non tamen ut de subjecto, vel secundum rationem essentialem, sed potius secundum rationem accidentalem, puta moventis, & ad hanc rationem omnia attributa, quæ ibi considerantur, habent attributionem; verum est tamen, quod ea pars, quæ est de corpore animato, quæ ex istis libris, & reliquis supra enumeratis integratur, excedit istam, sicut totum excedit partem, attamen inter partes istas hæc est perfectior, in qua de principio formali animati corporis agitur; hinc patet, cur inter primas sit enumeranda. Secundo deducit tractatum istum maximam utilitatem afferre, nam objectum, quod est anima, modo jam dicto, maximam affinitatem habet cum Intelligentiis, & consequenter confert ad ipsarum cognitionem; est utilis etiam Philosophiæ morali, quæ tota in actibus rationalis animæ versatur, & in habitibus; juvat Theologiæ, quæ agit de ultimo fine hominis, & de mediis, ut sunt actus, & auxilia supernaturalia habitus infusi, &c. quæ omnia in anima reperiuntur, unde cognitio præsupponitur animæ, & capacitatis potentiarum; confert tandem omnibus scientiis, quia quælibet scientia est habitus intellectualis, ergo cognitio intellectus, & principii, & subjecti, scilicet animæ, est maxime utilis.

DISPU-

DISPUTATIO PRIMA.

De essentia, & speciebus Animæ.

Absolvimus hucusque mundi tractationem universam; jam enim in iis, qui de Cœlo sunt, libris de sideribus, de planetis, de sphæris, de quadripartita magnorum corporum mole, quæ satis erat, explicavimus; ubi de mixtis quoque imperfectis, ut sunt Metheora, quasi obiter egimus; in libris de ortu, & interitu; quæ ad corpus mixtum, ejusque mutationes attinet, expendimus; integer tamen adhuc mundus supereſt contemplandus, qui non Microcosmus dici debet, ut multorum fert opinio, sed mundus magnus, in parvo hoc mundo collocatus, quo loquendi genere utitur Nazianzenus. Etsi enim corpus animatum sit in his libris subjectum, homo tamen præ reliquis consideratur totius mundi summa, siquidem cum sit media natura, extremas partes repræsentat, superiorem ut imago, inferiorem ut exemplar. Hujus igitur animati corporis, & hominis præcipuam partem scilicet animam in hoc tomo suscipimus examinandam, & prout feret occasio, aliqua etiam de corpore, cujus anima ponitur actus, contemplabimur. In præsenti agemus do quidditate ipsius animæ, & speciebus scilicet vegetativa, sensitiva, & rationali.

QUÆSTIO PRIMA.

Explicatur prima definitio Animæ.

Reliquis Antiquorum opinionibus, quas fuse Arist. impugnat in primo libro, definitur ab ipso Anima in 2. lib. text. 6. quod sit *Actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis*; & ut exacte hanc definitionem declaremus, singulæ particulæ sunt ponderandæ.

Dicitur primo, quod sit *Actus*, circa quam particulam tria occurrunt. Primum, an sit actus substantialis, vel accidentalis; Secundum si substantialis, an sit aliquod corpus, vel simplex actus; Tertium si est simplex actus, an sit assistens, vel informans.

Circa primum dubium, multi ex Antiquis putarunt esse accidens quoddam, quibus accedit Gal. lib. de locis affectis c. 6. & alibi, dicens animam esse temperamentum primarum qualitatum, & cum istis immutari. Sed falsitas hujus dicti prob. quia vivens, & non vivens, differunt essentialiter, & nonnisi per animam, corpus enim est quid commune, ergo anima non est accidens, sed substantia. Tum quia quælibet substantia corruptibilis est ex materia, & forma composita, ergo vivens erit hujus modi, cujus forma non est, nisi anima. Tandem principium motus, & operationum est natura, quæ est substantia ipsius rei naturalis, non accidens, sed in vivente sunt aliquæ operationes, quæ non sunt in cadavere, ut nutriri, sentire, moveri, intelligere, velle &c. ergo principium talium operationum erat quædam substantia, quæ in corruptione viventis recessit, talis est anima.

2 Dices; anima est, qua perempte moritur animal, sed dissoluto temperamento moritur animal, ergo &c. Tum 2. passiones, ut amor, ira, odium, &c. quæ ab anima communiter dicuntur provenire, ortum habent a temperamento, nam melancholici proni sunt ad tristitiam, colerici ad iram, ergo &c. Tum 3. definitio substantiæ non est per additamentum 7. Phys. 14. definitio animæ est data per additamentum, ergo. Tum 4. vel substantia prædicatur denominative de anima, & habetur intentum, vel quidditative, & sic directe collocabitur in prædicamento, quod est falsum. Tum 5. anima advenit enti completo, scilicet corpori, ergo est accidens.

Resp. ad 1. etiam in non viventibus corruptis primis qualitatibus corrumpitur corpus, & tamen adest forma substantialis; dicimus ergo majorem esse veram de perempte tanquam constituente vivens in esse, minorem tamen procedere de perempte tanquam dispositione necessaria ad conservationem viventis. Ad 2. per idem, quod temperamentum sit dispositio, non causa principalis, quia talis necessario est substantia. Ad 3. majorem esse veram, quando substantia consideratur absolute, non vero quando contemplatur in ordine ad aliud, & ut pars, nam ut sic non potest haberi conceptus quietativus, nisi in definitione addatur illud, cujus est pars; est tamen differentia inter formam substantialem, & accidentalem, quod in definitione substantialis formæ quod additur, facit unum per se cum forma, ut in proposito est corpus, at in definitione formæ accidentalis additum non facit unum per se cum illa; ita Scot. 4. d. 12. q. 1. L. Ad 4. patet ex dictis in Logica disp. 7. qu. 1. ar. 1. quænam substantia prædicatur quidditative de partibus substantialibus, aut denominative, & quænam constituit generalissimum prædicamenti substantiæ, vide ibi. Ad 5. corpus pro altera parte est ens essentialiter incompletum, quamvis constitutum ex materia, & forma, eo quia forma corporeitatis est animæ subordinata ex dictis in Phys. disp. 5. q. 6. ar. 1.

3 Circa secundum dubium; multi ex antiquis docuerunt esse corpus. Hoc tamen est falsum, quia anima est simul cum qualibet corporis parte, duo corpora naturaliter nequeunt simul esse. Tum quia non est corpus cæleste, nam habent diversa accidentia specie distincta, Cælum enim est inalterabile, solidum, diaphanum, anima est alterabilis, & proprie, neque solida, aut mollis, neque diaphana, aut opaca dici potest; neque est corpus elementare, quia non habet determinatos motus ad sursum, & deorsum, ut illa; neque mixtum, quia hoc etiam est determinatum ad motum a prædominante elemento; nec posset cognoscere multa accidentia, cognoscens enim debet esse denudatum a natura cogniti, ut suo loco dicemus. Tum quia anima rationalis est spiritualis, ut dicemus; ergo anima in communi, quæ est genus, nequit esse corpus.

Dices, Arist. 2. de Gen. anim. c. 3. ait: *Sed enim omnis anima, sive virtus, sive potentia corpus aliud participare videtur, idque magis divinum, quam ea, quæ elementa appellantur*; hinc. D. Aug. 22. de civit. c. 11. ait Arist. hujus opinionis fuisse; immo multi Sancti Patres hoc idem asserunt de anima rationali, nam D. Aug. Epist. 18. ad D. Hier. vocat animam corpus, & in Conc. Nicæno 1. act. 5. approbatur dictum Joannis Episcopi Thessalonicensis dicentis, non solum animam, sed Angelos quoque corporeos esse, unde infert pium esse usum pingendi Angelos corporeos. Tum 2. omnis cognitio fit per similitudinem quandam ex 2. de An. 62. sed anima cognoscit corpus; ergo &c. Tum 3. anima patitur a corpore, ut patet in phræneſi, & ebrietate, & e contra corpus ab anima, ut in pallore ex timore proveniente, sed ad mutuam actionem requiritur contactus, qui solum est inter corpora, ergo &c.

4 Resp. ad 1. Arist. vel loqui ad mentem Academicorum asserentium animam ante corporis unionem corpore illustri gaudere; vel si ad mentem propriam, non dicere animam esse corpus, sed habere corpus quoddam nobilius elementis, quale præcipue est nostrum; D. Aug. autem hoc attribuit Arist. ex Cic. 1. Tuscul. qui primus hoc dictum imposuit Arist. cum tamen 1. de An. cap. 5. clare hoc contra Democr. impugnet. Ad Patres, & D. Aug. dicimus in eodem ibidem corpus tripliciter sumi posse, primo pro omni natura, & essentia per se existente, quomodo convertitur cum substantia, & potest Deo convenire; Secundo pro natura limitata in certo genere, & determinato loco existente, extra quem non reperiatur, & sic solus Deus est incorporeus; & in hoc sensu intelliguntur Patres; Tertio, pro entitate extensa, & divisibili in partes quantitativas, quo sensu nos loquimur, & ut sic animæ non convenit, ut se declarat D. August. Concilium vero solum approbat intentum præcipuum illius Episcopi, nihil curando de ratione. Ad 2. patebit suo loco, pro nunc dicimus ex Scot. p. d. 3. qu. 3. C. ad cognitionem non requiri similitudinem in modo essendi, ut patet in cognitione sensitiva, sed similitudinem intentionalem per speciem, & in esse cognoscibili, species enim sunt similitudines virtuales objectorum, cognitio est similitudo formalis expressa. Ad 3. actionem non semper requiri contactum mathematicum, quantitativum, sed quandoque sufficere virtualem, qui non semper est inter corpora. Accedit, assumptum esse verum de actione per primas qualitates facta.

Circa tertium dubium, forma informans est, quæ materiam substantialiter informat, & dat esse specificum composito, tanquam differentiam generi additam, forma assistens est, quæ rei in proprio esse constitutæ advenit, & non dat ei aliquod esse, sed solum aliquam operationem, ad quam est in potentia, ut nauta navi, intelligentia Cœlo; quo notato dicimus, animam esse formam informantem, non assistentem, quia dat vivento esse specificum, de quo tamen agemus ex professo quæst. 4. Est igitur anima actus substantialis informans; ubi by actus circumscribit fundamentum illius actuationis, quod est illa partialis entitas; & loco hujus particulæ in textu græco habetur *Entelechia*, qui terminus non significat continuatam actionem, ut putavit Cicero 1. Tuscul. sed actum, seu formam completam, & consummatam, a qua res totaliter completur in esse ultimo, ad differentiam formæ corporeitatis, quæ est *in potentia* ad ulteriorem actum. De hac voce *Entelechia* multum contendunt Expositores: qui gaudent legere quæstionem de nomine, legant præcipue Dand. lib. 2. digress. 1. Dices, postquam Arist. hanc tradidit definitionem, inquit, non adhuc constare, an anima sit informans, vel assistens, ergo hic per actum *non intelligit* informantem. Resp. non constare, quia adhuc non probavit, non quod ita definitio non sit intelligenda.

5 Dicitur secundo, *Primus*; pro cujus notitia advertendum, actum dici primum quadrupliciter; Primo simpliciter, & sic solus Deus dicitur actus primus; Secundo, qui primo informat materiam, & sic non anima, sed forma corporeitatis dicetur actus primus in vivente; Tertio, quia est perfectior inter omnes actus infor-

informantes materiam. Quartò, quia est actus productivus alicujus operationis, & his duobus modis anima dicitur actus primus, licet Arist. in quarto sensu locutus fuerit, declarans enim actum primum, & secundum, illum comparat habitui scientiæ, hunc vero actuali operationi.

Dices, anima est perfectius, quod est in animali, ergo non actus primus. Prob. conseq. nam actus secundus est perfectior primo, quia est posterior generatione; ad ipsum actus primus ordinatur, in ipso consistit nostra felicitas, & informat eundem actum primum. Resp. neg. conseq. cum probat. & ad primam probat. hujus respondet Doctor quol. 13. Q. non omne generatione posterius esse perfectius, nisi quando proceditur in eodem genere, & ordine, modo actus secundus est accidens, primus est subsstantia, quæ perfectius actuat, quia constituit in esse simpliciter, at accidens constituit in esse secundum quid. Ad 2. posset responderi, primo quod non potest fieri recta comparatio in multum distantibus, idest in habentibus multas differentias, sed tantum in illis, quæ unicam tantum habent differentiam, ut patet ex princip. 3. Top. notat Scot. 49. qu. 1. ad ult. modo anima, & operatio distant prædicamento; vel dicendum, quod tunc ordinatum est imperfectius eo, ad quod ordinatur, quando illud est finis principalis, non vero quando se habet ut medium, quo res consequitur propriam perfectionem, in proposito actus primus ordinatur ad secundum tanquam ad medium, quo ipse attingit summum bonum, quod est Deus. Ad 3. sequitur solum esse perfectionem secundariam, & accidentalem, in qua necessario debet consistere nostra felicitas, non tamen simpliciter. Ad 4. similiter concludit majorem perfectionem secundum quid, quatenus quælibet potentialitas dicit perfectionem, attamen simpliciter perfectior, quia dicit perfectionem actualitatem secundum esse simpliciter.

6 Dicitur tertio *Corporis*, per quam particulam aliqui intelligunt partem materialem viventis, alii ipsum totum, coinstitutum; utramque expositionem amplectitur Scot. 4. d. 2. q. 1. I. & recte quidem, nam Arist. in illo cap. utroque modo accepit corpus in tex. 4. 7. & 10. pro parte materiali, at in eodem text. 10. ubi ait vivens esse in potentia ad vitam, & in tex. 36. ait, animam esse causam, principium corporis viventis, loquitur de toto constituto. Ratio hujus est, quia forma potest dici actus materiæ, quatenus ipsam informat, & actuat ut subjectum, & etiam est actus compositi, quatenus est pars essentialis actualis, & formalis ipsum in tali esse constituens. Verum est tamen, quod prima expositio difficulter salvatur ab illis, qui pluralitatem formarum in vivente non admittunt, ut est videre apud Suarez lib. de An. c. 2. ostendimus tum in physicis tum in lib. de Gen.

Dicitur quarto, *Physici* seu *naturalis*, ad differentiam corporis artificialis, quod poterat subintelligi, dum dicebatur corporis organici: etenim instrumenta solent organa vocari, sive sint artificialia, sive naturalia.

7 Dicitur quinto *Organici*, per quod nihil aliud intelligitur, nisi partes viventium & dissimiles, & etherogeneæ, quibus anima diversas efficit operationes, & munera, quæ partes in omnibus viventibus reperiuntur, licet in aliquibus sint ita exiguæ, ut vix appareant; in plantis vero pauciora organa inveniuntur, quam in animalibus, quia non habent operationes sensitivas, & nutritio in ipsis non fit ita perfecte, ut in animalibus; Circa istas tres particulas quatenus explicant corpus viventis pro altera parte, posset quæri, An partes istæ substantialiter, & specifice differant inter se, sed hoc diximus, in Phys. disp. 2. quæst. 4. ar. 2. & disp. 5. q. 6. ar. 1. & in lib. de Gen. disp. 5. quæst. 3. art. 1. Rursus num anima reperiatur in pluribus partibus corporis immediate secundum substantiam, an vero in una tantum, de quo habebimus infra speciale dem quæstionem.

8 Dicitur tandem *Potentiam vitam habentis*, quæ particula non videtur differre a præcedenti, quod enim est organicum, habet in potentia vitam, & e contra, unde nec Arist. utrumque simul posuit, sed modo unam, modo alteram, ut est videre in tex. 4. & 7. Not tamen, quod si per corpus organicum sumitur pars materialis, ly *vitam* debet accipi pro vita substantiali, & in actu primo; si vero sumitur totum constitutum ex anima, & corpore, ly *vitam* significat operationem vitalem, & in actu secundo, ad quam exercendam organa, ut instrumenta, deserviunt, ponitur vero hæc particula ad majorem explicationem.

9 Hoc modo explicata definitio patet, quod sit bona, quia ut intuenti constat, facit animam differre a quocunque alio, explicatque essentiam animæ, nam licet non sit pure quidditativa, quia ponitur corpus, quod non est de ejus essentia, attamen dat nobis intelligere quidditatem ipsius animæ per hoc, quod ait esse actum, unde Scot. 4. cit. docet hanc particulam actus esse de essentia animæ, qui actus non debet accipi formaliter pro illa relatione, sed fundamentaliter; neque est absurdum absolutum in ordine ad aliud definiri, quando ad illud dicit intrinsecam habitudinem.

Dices, hæc definitio videtur convenire formæ corporeitatis, & Angelis, dum assumunt corpora. Tum quia non convenit semper ipsi animæ, ut cum rationalis est a corpore separata, definitio autem semper debet convenire definito. Tum quia debebat addi in definitione, animam esse actum substantialem, & adimi ly naturalis, sufficiebat enim ly organicum. Resp. ad 1. formam corporeitatis non explicari hac definitione; nam si per corpus intelligitur totum constitutum, sic forma corporeitatis non se habet ut actus, sed potius ut materia; si vero intelligitur corpus pro altera parte, quia tunc totum corpus actuatur ab anima, patet, quod neque forma corporeitatis potest dici actus corporis, sed potius materiæ, tum quia hæc forma non est una simplex, sed quid aggregatum ex pluribus partialibus. Angeli vero non sunt actus informantes, sed assistentes, nec corpora illa possunt dici vere organica, nisi apparenter, cum nequeant operationes vitales exercere. Ad 2. illo casu anima dicetur actus aptitudinaliter, non actualiter, quod sufficit: imo in hoc sensu intelligi debet definitio. Ad 3. ly substantialis clare datur intelligi per ly actus primus, corpus enim vivens, ut tale, debet habere animam, & formam substantialem constituentem illud in tali esse; ly naturalis ponitur, ne quis putaret corpus artificiatum posse anima informari.

QUÆSTIO II.

In quo consistat ratio vitæ in actu primo.

10 Dicimus, animam esse principium vitæ, vita autem est duplex, vel in actu primo, vel in actu secundo, de hac dicemus disp. seq. dum de actuum vitalitate agemus, in præsenti quærimus, quid sit vita in actu primo, qua viventia essentialiter differunt a non viventibus, quæ formalitas nonnisi a posteriori assignari potest.

Aliqui Thomistæ dixerunt vivens in communi circumscribi per hoc, quod est habere in se principium movendi, non vivens per carentiam hujus principii, ut sæpe sæpius fecit Arist. 8. Phys. ita etiam explicat Cavellus disp. 1. de An. sect. 4. & 6. num. 1. Sed ex dictis dis. 3. de Cœlo, & disp. 15. Phys. patet falsitas hujus dicti, ostendimus enim idem posse seipsum movere, ut gravia, & levia, non a generante. Tum quia negant Thomistæ, Angelum in primo instanti suæ creationis posse peccare, quia actus ille refunderetur in Deum, ut in causam, cujus est dare Angelis esse perfectum, non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo, unde principium intellectionis Angeli, quam habuit in primo instanti, secundum ipsos esset Deus, sicut motum gravium ajunt esse a generante: sed prima intellectione Angelus vitaliter operatur, & actus ille est vitalis, quia vere cognoscit; ergo datur vita in actionibus ab extrinseco provenientibus, ergo non necessario vivens est sui ipsius motivum.

Alii dicunt, viventia illa esse, quæ ex se habent, ut immanenter operentur; ita Vulpes 1. part. tom. 1. disp. 7. art. 1. At non explicant adæquate rationem vitæ, nam etiam non viventia possunt immanenter operari, ut cum aqua se reducit ad pristinam frigiditatem, gravia se movent, & similia.

11 Alii explicant, quia viventia ut sic non possunt nisi immanenter operari, & in seipsis, ubi inanimata, licet aliquando immanenter operentur, possunt etiam actione ejusdem rationis transeunter, & in alienum suppositum agere. Quod dictum aliter explicatur ab Hurt. disp. de An. sect. 1. quod scilicet inanimata dicuntur illa, quæ tantum producere possunt effectum, seu terminum natura sua ab extrinseco producibilem, & quem possunt in quoliber statu ab alia accipere, ut frigus in aqua non solum potest provenire ab aqua, sed etiam ab aere, a nive, &c. viventia vero sunt, quæ effectus aliquos producunt, quos non possunt ab alio accipere sine proprio concursu activo, & passivo, tales sunt nutritiones, intellectiones, sensationes, &c. Hoc dictum impugnatur; tum quia ut dicemus disp. seq. omnes actus vitales possunt a Deo totaliter, & immediate produci, quod etiam sustinet ipse Hurt. disp. 6. sect. 3. unus etiam Angelus potest intellectionem causare in intellectu alterius, ut ostendunt Scotistæ cum Scot. 2. d. 9. q. 2. dum de locutione disputant Angelorum, ergo isti effectus non petunt intrinsece, & essentialiter a viventibus produci, & eodem modo se habent, sicut immanentes effectus non viventium. Tum quia relationes sunt talis naturæ, ut nequeant, nisi ab extremis causari, passiones ab essentia, maxime in sententia distinguente realiter passiones, & essentiam, & universaliter qualitates quædam virtuales, quæ dici solent occultæ proprietates. Tum quia, ut arguit Arriaga, ramus, aut virga viridis insitione potest alteri arbori adiici, similiter membrum aliquod de recenti recisum maxime in animalibus imperfectis potest alteri uniri; vide ipsum fuse hoc argumentum prosequentem. Tum quia per motum progressivum, qui communiter censetur vitalis, acquiritur ubi, quod potest etiam ab extrinseco acquiri, ergo &c.

12 Arriaga disp. 2. de An. sect. 1. distinguit de duplici vita quod alia sit physica, alia intentionalis, illam ponit in aggeneratione viventis substantiæ in nutritione per intus sumptionem alimenti, istam in cognitione, & appetitione, illam communem ponit plantis, & animalibus, istam animalibus, Angelis, & Deo; ex quo infert sect. 2. vivens in actu primo esse, quod est principium operationis vitalis formaliter, unde concedit habitus tam naturales, quam supernaturales dici vitales, quia vere producunt actum vitalem, negat tamen hoc de speciebus, quia non sunt perfectiones intrinsecæ animæ, nec per se exigunt inhærere potentiæ, in qua producunt actus, sed possunt in subjecto produci, ut patet de speciebus sensibilibus, non sic habitus.

13 Hic tamen modus dicendi multipliciter displicet. Primo; quia ponit vitam, quamsipse physicam appellat, in sola nutritione; cum tamen secundum omnes Theologos, & Philosophos detur generatio vitalis, quæ solet definiri, quod sit origo naturalis viventis a vivente prin-

principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ, ut diximus disp. 8. de Gen. q. 1. unde potentia generativa inter potentias vegetantis animæ connumeratur. Et certo ut ipsemet arguit, alio modo vivens generatur a vivente, quam non vivens ab altero non vivente, ut ibid. explicuimus; cum igitur inter generationes viventium, & inanimatorum adsit revera discrimen, & communis Doctorum opinio (quæ in quæstionibus de nomine multum valet) propter hanc diversitatem generationem viventium vitalem vocavit, potentiamque generativam inter vitales connumeravit, cur non dicetur generatio viventis vita physica, sicut nutritio viventis talis dicitur, quia diversimode fit a nutritione ignis, & similium? Secundo displicet, quia negat omnino vitam hanc physicam in Deo, & tamen Pater per generationem vitalem producit Filium in divinis: licet sine imperfectione, & causalitate. Tertio displicet, quod negat vitam physicam in Angelis, & in animalibus solum admittit quoad nutritionem; nam sicut nutritio dicitur vita physica, quia per ipsam aliquod vivens partiale vere producitur, & caulatur, ita quia intellectus creatus, & sensus in productione actuum vere physice, & per veram actionem physicam agunt producendo aliquod vitale, dici debent habere vitam physicam, non igitur est ista distinctio recte explicata, & applicata: Quarto displicet, quod ponit habitus esse principia vitalia, non enim habent vitam intentionalem, quia licet producant intellectiones, & volitiones, non tamen cognoscunt, & volunt, nec vitam physicam, quia per ipsum hæc in nutritione consistit. Tum quia non solum vitales dici deberent, sed etiam vivettes; quæ locutio est nova, & inusitata in scholis. Nec differentia assignata de speciebus multum valet; nam si habitus, quia petunt inhærere in potentia elicitiva, dicuntur vitales, quia concurrunt ad actus vitales; multo magis species, quæ non concurrunt ad intensionem actus tantum ut concurrunt habitus, sed ad ipsam entitatem, quatenus sunt simpliciter necessariæ ad agendum, ut suo loco dicemus; quod autem ex se non inhæreant in eadem potentia, parum refert; tum quia hoc non videtur verum de speciebus intelligibilibus. tum quia hoc non videtur verum de speciebus intelligibilibus.

14 Pro resolutione advertendum ex disp. seq. q. 2. quod vitalitas in actu ex duplici capite sumitur, quando est cognitivus, vel appetitivus, vel ex parte principii productivi, vel ex parte objecti, in quo tendit, aut potius ex modo tendendi in ipsum; hinc duplex quoque vitalitas potest attendi in potentia vivente, una productiva, altera operativa, per primam producit actum vitalem, & si placet, posset appellari physica cum Arriaga, altera operativa, qua potentia potest tendere per actum productum in objectum, ita colligitur ex Scoto 1. d. 39. q. un. L. & hæc posset quoque intentionalis vocari; & de ista non loquimur hic ex professo, quia pendet multum ex cognitione vitalitatis actus, de qua disp. seq. qu. 2. solum erit sermo de vitalitate productiva, quo pacto ponit a posteriori circumscribi ut distincta a principio productivo non vivente.

15 Dicimus igitur, discrimen inter viventia, & inanimata non posse melius explicari, quam quod viventia in actu primo sunt illa, quæ habent in seipsis principium, quod per se est institutum ad acquirendam ipsi viventi, cujus est principium, perfectionem aliquam, quæ non est illi debita, ex vi propriæ generationis, sed est superaddita; sic augmentatio non est propria perfectio viventis ex vi generationis, aliter in illo instanti esset in statu violento, & nulla generatio foret naturalis; idem de generatione activa, sensatione, motu progressivo, intellectione, & volitione dicendum: At non viventia vel nullum principium habent, vel illud est per se, & primario solum ordinatum ad acquirendum aliquam perfectionem ipsis debitam ex vi generationis, ita ut absque illa sint in statu violento, ut patet de gravibus, & levibus, quæ tunc ab intrinseco moventur, quando extra proprium locum naturalem reperiuntur, & cum sunt in proprio loco, quiescunt. Diximus, quod principium sit per se, & primario institutum ad acquirendam viventibus perfectionem, quia si illam perfectionem in alieno supposito producant, ut cum Angelus causat in intellectu alterius intellectionem, hoc est de per accidens, & secundario, per se enim, & primario tale principium respicit proprium suppositum. Ex quo sequitur, quod istud principium debet esse per se, & primario principium operationis immanentis, licet secundario possit esse operationis transeuntis; ubi alia principia vel per se respiciunt operationem transeuntem, ut cum Cœli agunt in hæc inferiora, vel indifferenter respiciunt utramque operationem, ut ignis tam in seipso, quam in alieno supposito natus est producere calorem; aqua frigiditatem, &c. & si sunt aliqua principia, quæ immanenter operantur, ut gravitas, & levitas non tamen ad perfectionem prædictam ordinantur. Hoc dictum magis patebit ex solutione objectorum.

16 In oppos. obiicitur cum Hurt. & Arriaga; si modus tendendi in perfectionem sit idem in vivente, & inanimato, parum refert, quod illa perfectio sit debita ex vi generationis, vel non debita; ergo debet assignari aliud discrimen ex parte modi. Tum 2. potest aliqua perfectio debita ex vi generationis vitaliter acquiri a vivente, ergo nulla differentia; Prob. antec. minimum naturale est debitum animali ex vi generationis, quod paulatim actione contrariorum consumitur, & per nutritionem potest ab animali reparari, ergo &c. Tum 3. status naturalis alicujus rei est, cum habet totam suam perfectionem, ergo status naturalis viventis est, cum habet perfectam magnitudinem, & sic illa magnitudo, quæ vitaliter per augmentationem acquiritur, erit debita ex vi generationis. Tum 4. generare igni non est debitum ex vi generationis, & tamen in igne non est generatio vitalis, ergo &c.

Resp. ad 1. ex. identitate modi tendendi non potest argui identitas principiorum, aliter omnia agentia naturalia essent ejusdem rationis; hinc negatur assumptum, sufficienter enim circumscribitur differentia ex hoc, quod inanimata quamdiu sunt in statu naturali, nunquam moventur, animata vero adhuc ultra se perficiunt; quæ differentia vere est a parte rei, & possumus illam significare hoc nomine vitæ in actu primo. Ad 2. neg. antec & ad probat. dicimus involvere contradictionem, supponit enim animal determinare sibi minimum, & quod illud minimum possit diminui manente animali, jam enim non esset minimum; ideo dicimus per nutritionem vivens non refarcire minimum, sed potius augere illud. Ad 3. dicimus, discrimen esse inter statum violentum, & minus perfectum, cum hoc stat naturalitas status, non cum illo; quare vivens in principio est solum in statu minus perfecto, non violento, ut est grave sursum; & hoc considerando illud ut in primo instanti generationis: nam in progressu temporis utiquæ aliæ debentur perfectiones sed non ex vi generationis. Ad 4. negatur paritas, quia generario activa ignis est omnino transiens, at generatio vitalis est aliquo modo immanens, cum fiat principio vitæ conjuncto, & agat in partem aliquam propriæ materiæ, vide disp. 8. de Gen. quæst. 1.

17 Secundo, Deo debetur ex propria natura omnis perfectio, ex quibus aliquæ sunt vitales, ut intellectio, & volitio; imo Patri ut sic debetur filius, quia relativa mutuo se respiciunt, & tamen generatio illa divina vitalis dicitur. Item Angelo est debita cognitio, quam lapis cum centro, sicut magis violenter existeret homo cum illa magnitudine, quam habet in generatione, vel planta, quam lapis sursum, esset enim incapax omnis actionis vitalis, ergo si centrum est perfectio debita lapidi ex eo, quod habet potentiam ad illud, etiam Angelus, & homo habent potentiam ad intellectionem. Tum 2. perfectius est illud principium, quod potest, tam immanenter, quam transeunter operari, quam quod solum immanenter agit, sed principium vitale est perfectius non vitali, & hoc potest utroque modo agere, ergo multo magis principium vitale erit taliter activum. Tum 3. aliqua inanimata in proprio loco adhuc moventur, ut argentum vivum, & aer etiam nullo flante vento, ergo &c. Tum 4. augmentatio reperitur etiam in igne, & ejusdem rationis omnino videtur cum augmentatione viventium; ergo &c.

18 Resp. ad 1. quod attinet ad perfectiones divinas solum ostendere non habere Deum erga illas vitalitatem productivam, quod concedimus, non enim vere producuntur, sed solum pullulant a divina essentia, ut communiter docent Theologi. Vel dicendum Deo deberi omnem perfectionem etiam vitalem, non quatenus vivens est, quia non est de ratione viventis, quod sit semper in actu secundo, sed debetur, quatenus est tale vivens scilicet infinitum nullam admittens imperfectionem; si enim per impossibile Deus posset aliquid de novo accipere, posset de novo intelligere; similiter dicimus Patri deberi Filium, non quia vivens est, sed quia tale vivens, scilicet suppositum constitutum per paternitatem, quæ necessario respicit filium tamquam terminum; & quoad generationem vitalem in communi, conveniunt Pater æternus, animalia, & plantæ, & consequenter conveniunt in vita productiva. Negatur deinde Angelo ex vi productionis deberi intellectionem aliquam, si enim nullam haberet operationem, non esset in statu violento, sicut est lapis sursum, eo quia potentia Angeli est ad utramlibet, nec est naturaliter ad unum determinata; sicut si Sol nihil in hæc inferiora produceret, ut erit post judicium, non per hoc esset in statu violento; at lapidis potentia est ad unum determinata, & determinate respicit ubi deorsum; & ratio hujus disparitatis nequit assignari, nisi quia hoc est hoc, & illud; quod additur de homine, & plantis, possemus concedere progressu temporis, si homo existeret sub illa magnitudine, sub qua formatur, violenter existere, quia pro illa ætate deberur potentia proxima operandi, negatur tamen conseq. quia pro instanti generationis non est debita illi alia magnitudo. Ad 2. negatur major, aliter absolute probaretur potentias sensitivas debere transeunter agere, quia sunt perfectiores potentiis non vitalibus; non igitur ex majori, vel minori universalitate agendi semper licet inferre majorem, vel minorem perfectionem principii, sed præcipuæ ex perfectiori, vel imperfectiori effectu, quem producit; modo actus vitalis est perfectior quocumque alio accidente producibili ab agente creato, idcirco potentia vitalis est perfectior. Ad 3. dicimus, argentum vivum moveri propter nimiam gravitatem, quia cum fluidum sit, refugit terræ, vel tabulæ siccitatem, & in sphæram se colligit, & quia valde ponderat, quærit semper deorsum petere, ut aeri, qui circumferentia ipsius continetur, subsidat; potest etiam ab aere agitari. Motus aeris est ab extrinseco, quia semper motus aliquis fit in aere, vel saltem aliorum corporum. Ad 4. commodius dicemus qu. seq.

APPENDIX.

An possit vivens destrui virtute accidentis.

19 AFfirmat Poncius in Phys. disp. 9. num. 18. quia licet (inquit) non sit formalis repugnantia inter formam viventis, & accidens, est tamen talis repugnantia inter dispositionem requisitam ad formam viventis, & accidentis in aliquo gradu, unde si accidens introduceretur ab alio accidente in alio gradu, destrueretur vivens, nec id esset inconveniens, quia ad destructionem viventis, quæ fit per separationem animæ a corpore non requiritur introduci aliquam formam substantialem incompatibilem cum anima, & quoniam hoc asseruit Poncius improbando responsionem quandam Scoticam a nobis datam disp. 1. Phys. nu. 102. in qua negabamus accidens posse corrumpere vivens, ideo hanc ejus Doctrinam ibidem in Physica recusam breviter impugnamus. Primo quia hoc dicimus esse contra Scotum ibi a nobis citatum 4. d. 22. qu. 3. N. & clarius Lit. X. in illa additione, ubi negat accidens posse corrumpere dispositiones in eo gradu, quem sibi forma substantialis determinat, quæ Doctrina communiter recipitur in nostra schola.

20 Respondet in Apolog. num. 229. Scotum ibi non habere aliquid nobis favens, aut illi præjudicans; hæc enim sunt verba illius Lit. N *Uno modo* breviter dici potest, quod qualitas est principium actionis in passum habens contrarium, & hoc secundum quemliber gradum, secundum quem prius, & hoc in quantum est ex parte qualitatis activæ, sed propter subjectum in quo est contrarium quod determinat sibi aliquem gradum magis quam alium, possibile est, quod non possit in omnem gradum contrarii in quantum contrarium est in tali subjecto eodem modo, quo prius potuit. Ex hoc loco nihil aliud habetur quam quod qualitas non possit sola destruere omnem gradum qualitatis oppositæ, quando subjectum determinat sibi necessario aliquem gradum istius qualitatis oppositæ, ita ut non possit esse sine aliquo gradu ipsius; Hoc autem est evidens, quia non potest esse actio qualitatis absque subjecto, in quod agit, ergo non potest tollere a subjecto illum gradum, sine quo nequit esse subjectum, quod est directissimum intentum Scoti; Sed hinc nullo modo habetur, quod qualitas *non possit destruere qualitates contrarias in gradu requisito* ad conservationem viventis, quia quamvis destrueret illos in illo gradu, non sequitur, quod destrueret illas in gradu, in quo requirantur necessario ad esse subjecti, in quod agit; nam subjectum in quod agit qualitas alterans non est ipsum vivens, qua vivens; seu totum conflatum ex anima, & corpore, sed est ipsum corpus organicum, quamvis autem qualitas v. g. frigus destrueret calorem viventis in eo gradu, in quo requireretur connaturaliter ad viventis conservationem, non tamen destrui deberet in eo gradu, quo determinat sibi necessario objectum actionis.

21 Subdit deinde num. 230. quod quando Doctor Litt. O. dicit, quod nulla substantia possit corrumpi nisi a substantia, *manifeste loquitur de substantia*, quæ est subjectum immediatum alterationis corruptivæ, ut sunt substantiæ compositæ non viventes tam completæ quam incompletæ; nam de his procedit ratio ipsius, non vero de *substantiis viventibus*, quatenus viventibus, de quibus nil concludit ratio ejus. De his vero, quæ habet Doctor Litt. X. parum curat, quia est additio, non genuinus Scoti Textus: & ex hac responsione deducit tandem, quam negligenter ego cum Socio Doctore tractemus; quam querelam prosequitur num. 232. ubi autem cavendum a nobis quoties ex Scoto discurrimus, cujus experimentum potest haberi (inquit) hoc ipso loco, dicunt enim ex Scoto Lit. N. adverte citari a nobis etiam Litt. X. ut clarius loquentem, quod calor licet possit destruere alios gradus caloris non necessarios simpliciter subjecto, non possit destruere gradus necessarios simpliciter, non quia in se ipsis sint majoris virtutis, quam alii gradus, sed quia substantia pro illis pugnat, & resistit, major autem, & efficacior est concursus substantiæ, quam accidentis. Sed hanc doctrinam ultimam (scilicet Poncius) Scotus eo loco nec leviter quidem indicat, sed rationem potius dat, quam ego dedi supra, quia accidens nequit agere nisi in subjectum, unde non potest destruere subjectum producendo aliquid incompossibile subjecto, quia illud incompossibile non posset produci in subjecto, alias non esset incompossibile, nec posset produci sine subjecto, tum quia causa secunda nequit producere absque subjecto, unde nullo modo refundit Scotus causam, cur accidens non destruat gradus necessarios subjecto in majorem virtutem, & efficaciam substantiæ, nec poterat sane cum ulla probabilitate; nam quamvis substantia nullo modo ex se haberet virtutem conservativam accidentium, tamen accidens non posset propter rationem datam destruere gradus necessarios ad conservationem subjecti.

22 *Sed si unquam inique* nos incusavit Poncius de prava Scoti intelligentia, plane nunc iniquissime incusat; & si perverse unquam ipse explicuit Scotum, modo illum perversissime exponit, ut jam ex ipso contextu ejusque expositoribus prob. Itaque ad illam difficultatem probantem accidens separatum posse substantiam corrumpere, & quod potest in omnem gradum accidenti connaturalis, etiam posse in necessario naturaliter requisitum ad conservationem substantiæ, duplicem assignat viam respondendi Lit. N. Uno modo breviter (inquit) posset dici, quod qualitas est primum actionis in passum habens contrarium, & hoc secundum quemlibet gradum, secundum quem prius, & hoc quantum est ex parte qualitatis activæ, sed propter subjectum in quo est contrarium quod determinat sibi aliquem gradum magis quam alium, possibile est, quod non possit in omnem gradum contrarii, in quantum contrarium est in tali subjecto eo modo quo prius potuit, & ista responsio declarabitur ex sequentibus. Alio modo potest dici, quod & si possit in omnem gradum alterationis *in* quem potuit conjuncta, non sequitur quod possit in corruptionem substantiæ, ratio hujus est ista, quia generatio non potest a corruptione separari comparando ad agens naturale &c. *Unde inde in prima* responsione concedo accidens separatum quantum est ex se posse in quemcunque gradum, sed propter subjectum, in quo est contrarium, quod determinat sibi aliquem gradum magis quam alium, possibile esse quod non possit in omnem gradum contrarii, quam responsionem juxta præmissa magis declarat infra sub R. dicens, vel aliter dici potest, & planius quod gradus possunt esse ejusdem rationis, vel in se tantum, vel in se, & in comparatione ad subjectum. Si primo modo, falsa est illa propositio, quæ dicit, quod agens ejusdem rationis potest corrumpere illa quæ sunt ejusdem rationis, si enim non sunt ejusdem rationis in compatione ad subjectum, utpote quia subjectum determinat sibi alterum illorum, non autem necessario determinat sibi alios (nota bene, quod non ait qualitatem non posse se sola destruere ultimum gradum qualitatis oppositæ, quia non potest esse actio qualitatis absque subjecto in quod agit, ut *Poncius ait*, *sed quia sibi determinat illum*) bene potest aliquod agens corrumpere in tali subjecto unum gradum, vel plures non tamen illum ultimum quem subjectum sibi determinat, quia, ille non corrumpitur nisi ad corruptionem substantiæ; ita ibi Doctor.

23 In Secunda vero responsione, ut patet, admittit Doctor, posse accidens separatum omnem gradum accidentis conjuncti destruere, etiam ultimum, sed negat consequentiam, quod accidens possit corrumpere substantiam, quia omne corrumpens debet esse simul generans, at accidens separatum non est generans substantiam, ergo nec corrumpens. Cumque contra hanc secundam solutionem feciset quandam instantiam sub eadem litt. N. quia qualitas quæ potest in omnem alterationis præviæ ad generationem potest ad gradum incompossibilem formæ substantiali rei corrumpendæ, & ita in corruptionem, quia si non poterit inducere aliquem gradum incompossibilem formæ substantiali corrumpendæ, ergo *cum quocunque* gradu inducibili ab ipso potest stare forma substantialis corrumpendi, & ita per nullam alterationem potest corrumpendum corrumpi. Respondet immediate sub Litt. O. quod nunquam potest alterans inducere gradum incompossibilem alterabili, probatur ex ratione terminorum, quia non potest movens inducere gradum incompossibilem suo mobili, quia mobile manet in toto, ergo sub omni gradu per modum inducto, sed nihil manet sub aliquo sibi incompossibili, ergo, &c. ita ibi. Itaque vides, discrete Lector, quam inspienter confundat Poncius secundam responsionem cum prima, dum inquit n. 229. ex illa prima etiam ab ipso verbatim relata nil aliud haberi, quam quod qualitas non possit se sola destruere omnem gradum qualitatis oppositæ, quando subjectum determinat sibi necessario aliquem gradum istius qualitatis oppositæ, ita ut non possit esse sine aliquo gradu ipsius, quamvis non potest esse actio qualitatis sine subjecto in quod agit, & hoc esse directissimum intentum Scoti ibid. Vides inquam, quam oscitanter id dicat, quia hæc ratio quod non potest esse actio qualitatis sine subjecto in quod agit, non pertinet ad primam responsionem quam dicimus esse contra ipsum, sed ad secundam, & præter clarissima Scoti verba, quæ interpretatione non egent, ita quoque ipsum intelligunt, & exponunt ibi Tataretus, Aretinus, & alii Interpretes, ex quo deduci potest, num nos negligenter tractemus Scotum, an ipse ut nos incusat.

24 Neque minus violenta, & extorta est explicatio, quam affert Litteræ Scoti dicentis litt. O. quod nulla substantia potest corrumpi nisi a substantia, dum inquit Doctorem non loqui de quacunque substantia, sed tantum de illa quæ est subjectum *immediatum alterationis* corruptivæ, ut sunt substantiæ compositæ non viventes, tam completæ quam incompletæ; extorta (inquam) est hæc explicatio, & contra expressa Scoti verba, cujus propositio non est indefinita, substantia non potest corrumpi nisi a substantia, sic enim in aliquibus verificari posset, & in quibusdam non, sed est propositio universalis, nulla substantia potest corrumpi nisi a substantia, quamam autem sit vis, & energia propositionis universalis suppono Poncium scire, si summulas callet, & prorsus falsum est, quod ait rationem ibi a Scoto ad hoc adductum non probare universaliter de omnibus, sed tantum de non viventibus, ratio namque quam immediate ante hanc propositionem universalem facit, & appellat a priori, plane universaliter probat, quæ talis est, quia *prius naturaliter non corrumpitur* per aliquod posterius naturaliter, quicquid est inductum ab alterante, ut alterans est posterius naturaliter forma substantiali rei alterabilis, ergo per nihil tale inductum ab alterante corrumpitur substantia alterabilis, & talem esse sensum Scoti in ea quæstione fatentur ejus Interpretes supracitati Tataretus, & Aretinus, qui sub Litt. R. in fine §. ad 2. dico, ita concludunt intentionem Doctoris, ex omnibus elicitur, quod resolutio Doctoris in hac materia est ita, quod nullo modo forma substantialis, neque gradus, quem ipsa determinat ad conservationem sui, possunt corrumpi ab aliquo accidente sive existente in subjecto, sive extra; Doctrina vero quæ habetur sub lit. X. quo sensu imperfectius possit corrumpere perfectius, quamvis in quibusdam codicibus signetur tanquam additio, tamen in quibusdam non signatur, imo a præfatis expositoribus præsertim a Tatareto exponitur ut germana Littera Scoti, & quando etiam foret additio, non est rejicienda, quia consonat Doctrinæ antecedenti, quam docuerat de graduum determinatione, quæ passim, & plausibiliter recipitur ab omnibus Scotistis, ut apud omnes est videre in quæstione, an accidens possit producere substantiam, &c.

25 Secundo impugnabatur a nobis opinio Poncii de destructione viventis ab accidentibus, quia cum ipse quoque velit substantiam conservare propria accidentia sibi connaturalia, & necessaria resistendo contrariis, tenetur ostendere, quare substantia, quæ est majoris virtutis non plus valeat resistere quam accidens agendo? Respondet num. 231. quamvis daretur substantia, quæ conservaret accidentia, magis posse conservare in gradu sibi necessario, quam accidens destruere in eo gradu, tamen inde non sequeretur, quod posset ea conservare in quocunque gradu alio; imo contrarium est evidens quotidiana experientia, qua constat ex accidentibus connaturalibus substantiæ aliquos gradus per alia accidentia corrumpi, unde cum vivens qua vivens non sit causa conservativa accidentium materialium sibi connaturalium, sed potius corpus, quod est altera pars ipsius, quandoquidem illud corpus non requirat accidentia illi necessaria in omni gradu, in quo requiruntur ad conservationem animæ, bene potest fieri quod accidens contrarium illis possit illas corrumpere in eo gradu necessario ad animam, licet non corrumpat illa in gradu necessario ad conservationem corporis. Quod autem substantia conservans accidentia non sit tam potens ad ea conservanda quam aliud accidens ad ea destruenda in gradu, in quo requiruntur ad conservationem animæ, patet experientia quotidiana; nam aliquando nimio calore, aliquando nimio frigore moriuntur viventia, & absurdum esset dicere quod ille nimis calor, & *nimium frigus non* producerentur, aut saltem non possent produci in corpore viventis per alia similia accidentia.

26 Hæc responsio duo assumit, quæ probatione indigebant, primum est, quod vivens qua vivens non sit causa conservativa quorundam accidentium materialium sibi connaturalium, & ad ejus conservationem necessariorum in certo gradu, & quidem compertum est satis accidentia quædam inesse qui corpus vivens, qua tale, quæ nullo modo spectant ad corpus pro altera parte compositi, unde deficiente, vel abeunte viventis forma illa quoque accidentia deficiunt, signum evidens, quod a forma viventis conservabantur, & non a forma corporeitatis, atque adeo cum substantia sit majoris virtutis a toto genere quam accidens, dicenius quod substantia viventis, semper resister actioni accidentium contrariorum, nisi hæc quoque auxilium habeant substantiæ cui insident, quia substantia nequit corrumpi nisi a substantia, qua de causa inquit Doctor citat. lit. P. quod si tota substantia ignis in sphæra sua destrueretur, & manerent ibi omnia accidentia, gutta aquæ ibi posita nunquam destrueretur ab illis. Alterum etiam quod sine probatione proponitur est, quando vivens nimio frigore vel calore interit, hoc evenire præcise ex actione illorum accidentium, & non potius ex auditorio quoque substantiarum quibus insident, v. g. nivis vel ignis, quod si Poncio id videtur absurdum, non fat fuit hoc dicere, sed etiam probare debebat, nos enim Scoto absurdum potius opinamur oppositum ob rationem allatam.

27 Tertio impugnabatur Poncius, quia etiam ostendere tenetur, cum idem contingere nequeat in non viventibus, sicut non potest accidens virtute propria secundum ipsum destruere dispositionem necessariam ad animam, ita poterit destruere quamlibet aliam dispositionem necessariam ad formam non viventem, & cum illi corruptio unius sit generatio alterius, sequitur accidens posse substantiam generare. Respondet hanc rationem sibimet oppositisse disp. 9. Phys. ac proinde quod eam proponere non debebamus iterum, aut si proponere volebamus, ejus responsionem impugnare tenebamur, quod cum non fecerimus adhuc in ea responsione persistit remittendo Lectorem ad locum citatum, cum cautione, & fidejussione quod sit ei abunde satisfactum. Cæterum an ibi respondeat Poncius ad hanc instantiam, & quod respondeat nec dividi, quod meminerim, nec videre, cum Codicem ad manum non habeam: suspicor tamen non aliud respondere potuisse quam id quod ait ab initio hujus defensionis num. 228. dum reddens rationem esse viventium præcise posse ab accidente destrui, inquit, id non esse etiam viventia posse inconveniens, quia ad destructionem viventis, quæ fit per separationem animæ a corpore non requiritur introduci aliquam formam substantialem incompatibilem cum anima, seu aliquam novam substantiam generari, sicut contingit in non viventibus. Verum si ita responderet esset manifesta petitio principii. Thomista namque ex hoc quod accidens potest corrumpere substantiam, infert, quod possit quoque eam generare, quia nequit unam corrumpere, quin aliam generet, quare si dicamus posse accidens destruere substantiam viventem, quia ex tali corruptione nulla sequitur generatio alterius substantiæ, non sic substantiam non viventem, quia cum tali corruptione semper est annexa generatio alterius substantiæ, accidens autem nequit substantiam generare, si inquam ita responderetur, manifesta petitio principii committitur, quia responderetur per id, quod est in quæstione.

28 Postremo num. 133. nititur nos in contradictionem adducere, nam cum disp. cit. qu. 6. art. 3. num. 114. & 115. *proponeremus difficultatem* quæ art. præced. tacta fuerat num. 104. quod si ex majori virtute substantiæ ad conservanda accidentia, quæ sibi determinat, oriretur, quod accidens non posset destruere gradus necessarios, sequeretur etiam non posse alios destruere, &c. Respondemus substantiam non ita resistere, quin accidens possit destruere omnes gradus non obstante resistentia substantiæ, & cum contra opponeretur Scoti auctoritas dicentis, non posse contrarium accidens destruere qualitales, quas sibi forma determinat ut necessarias pro sui conservatione: Respondemus, Scotum duas dedisse responsiones, unam qua dicit, quod posset substantia determinare sibi aliquos gradus, quod propterea non possit accidens destruere, quamvis possit alios, quos non determinaret; aliam qua dicit quod accidens possit omnem gradum *accidentis* contrarii corrumpere, sed tamen quod non propterea corrumperet naturaliter substantiam, quartam solutionem primæ præferimus. Hanc nostram Doctrinam impugnat Poncius loc. cit. nam sequendo hanc secundam responsionem (inquit) recedunt a Doctrina, quam supra proposuerunt art. præcedenti, quod nimirum non possit accidens corrumpere gradum omnem, quia substantia fortior est ad resistendum, ergo contradicunt sibi, & quamvis Scotus habeat duas responsiones, quarum quælibet esset probabilis, tamen non licet Scotistæ ob illas in uno loco tenere unam Doctrinam absolute oppositam.

29 Deinde falsum est (inquit) quod Scotus in secunda responsione asserat, accidens separatum posse destruere omnem gradum accidentis conjuncti etiam ultimum, *nam in verbis ab ipsomet* citatis solum ait, quod etiamsi possit in omnem gradum alterationis, in quem potuit conjuncta, non sequitur quod possit in corruptionem substantiæ, aliud autem est dicere & si possit, & quod possit; primum autem dicit Scotus, secundum Adversarii; aliud etiam est dicere, quod possit in omnem gradum accidentis conjuncti etiam ultimum, aliud quod possit in omnem gradum, in quem ipsamet qualitas conjuncta posset, ex quibus secundum dicit Scotus, primum hi Patres egregii sunt, & fideles Scotistæ. Nec magis verum est, quod supponunt accidens conjunctum posse destruere omnem gradum accidentis contrarii etiam ultimum: neque oppositum docet Scotus litt. O. neque ibi dicit, ut toties in hac responsione repetit Poncius, quod accidens ideo nequeat ultimum gradum accidentis contrarii destruere, quem sibi determinat substantia corrumpenda, quia tunc actio qualitatis esset sine subjecto; & gradus *incompossibilis illi* non produceretur in subjecto; nihil, inquam, horum habet ibi Doctor, ut oculari fide quisque experiri potest, sed solum dicit quod alterans, ut sic, nequit *inducere aliquem* gradum incompossibilem alterandi,

randi, quia mobile manet in toto motu, ergo sub omni gradu per motum inducto, cum hoc tamen stat adhuc quod possit inducere aliquem gradum incompossibilem formæ substantiali cor rumpendæ, & sic destruere gradum ultimum, quem sibi illa determinabat; neque hinc sequitur, quod actio alterativa sit futura sine subjecto, & hoc quidem certissimum est, si materia prima supponatur esse immediatum subjectum accidentium, (ut ait Aretinus in hac responsione suppono) si vero supponatur esse substantia composita juxta mentem Doctoris, neque adhuc id sequitur, sed solum sequitur quod ad destructionem illius ultimi gradus statim terminatur actio alterativa, & immediate sequitur corruptio illius prioris substantiæ, & alterius generatio, non quidem ab alterante, ut sic, quia actio ejus supponitur terminata cum destructione ultimi gradus, sed quatenus generans, & ita expresse loquitur, & se declarat Doctor in eo loco, unde statim infert, quod nulla substantia corrumpi potest nisi a substantia &c.

QUÆSTIO III.

Quotuplex sit anima; ubi de numero potentiarum, & graduum animatorum.

32 UNam tantum animam scilicet rationalem reperiri dixerunt, qui bruta, & plantas rationis capacia esse posuerunt; ita Manichæi referente D. August. lib. 1. de Moribus Manich. 17. Quamplurimi ex antiquis duas tantum animas admiserunt, scilicet rationalem, & sensitivam, & hoc vel quia putarunt plantas sensu præditas esse, ut Emped. & Anaxag. quos sequitur Cardan. apud Scalig. exer. 138. vel quia plantas nullo modo in genere viventium existere docuerunt, ut Stoici, Demum Cajet. & Ægid. 2. de Anim. c. 3. quatuor animas juxta numerum graduum viventium posuerunt scilicet vegetativam, sensitivam, loco motivam, & rationalem.

Dicendum est reperiri animam vegetativam, quæ non sit sensitiva, & animam sensitivam, quæ non sit rationalis, & aliam quæ rationalis dicitur; Prima reperitur in plantis; Secunda in brutis; Tertia in homine, & consequenter tria esse animarum genera; ita Doctor 4. dist. 44. quæst. 1. & prob. Primo, quod plantæ vivant ex 1. ad Cor. 15. *Quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur*; & Joan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet*; patet etiam ratione, quia vere plantæ habent internum principium acquirendi sibi aliquam perfectionem non debitam illis ex vi generationis, nutriuntur enim, generant, & crescunt ad modum animalium, ergo si nutritio est actus ab anima proveniens jam plantæ erunt animatæ anima vegetativa; Tum quia areflunt manente eadem corporeitatis forma, ergo necessario aliquam animam habebunt; nam plures formæ solum in viventibus reperiuntur. Quod autem hæc anima in plantis sit puro vegetativa, non autem sensitiva, Prob. quia ubi est sensus, ibi est somnus, & vigilia, item organa sentiendi, & dolor; quæ enim sentiunt, si lædantur, aliquod doloris signum præbent contrahendo se, vel aliquem alium motum efficiendo, quorum nullum in plantis experimur. Tandem quod bruta præter sensitivam non sint rationalia, nec plantæ, sufficeret ad hoc ostendendum corollarium a Manichæis deductum; scilicet brutum aliquod occidere, solium, vel fructum excerpere, plantas evellere, homicidium esse, quod quam stultum sit, patet, quia comestio de medio tolleretur. Tum quia haberent libertatem, & bene vel male operarentur, essentque pœna, vel præmio digna; ergo vere datur anima sensitiva, quæ non est rationalis; de quo etiam agemus disp. 5. q. 8. art. 3.

33 Hinc communiter cum Arist. 2. de An. c. 3. tria animarum genera assignantur, vegetativum, sensitivum, & rationale; sufficientia hujus divisionis solet a posteriori desumi ex operationibus vitalibus; nam aliquæ operationes ab anima fiunt per organa, & qualitates corporeas præcipue primas, ut sunt operationes animæ vegetativæ; aliæ fiunt per organa corporea, sed per qualitates aliqualiter incorporeas, & intentionales, ut sensationes, & constituunt genus sensitivi; alia tandem fiunt independenter a qualitate materiali, organo corporeo, ut intellectio, volitio, & genus rationalis animæ astruunt.

34 Solent adhuc communiter cum Arist. 2. de An. 18. 27. & 29. quatuor gradus animatorum distingui, scilicet vegetativum, sensitivum, & loco motivum, & rationalem, sicut & quinque potentiarum genera, quæ sunt vegetativa, sensitiva, appetitiva, loco motiva, & intellectiva. Sufficientia harum divisionum non assignantur ex eodem capite; nam ratio divisionis graduum viventium sumitur ex separabilitate ab eodem subjecto, quandoque enim reperiuntur in aliquo vivente solum modo potentiæ vegetativæ, scilicet nutritiva, auctiva, & generativa; & sic erit primus, & infimus gradus viventium; quandoque reperiuntur, præter istas potentiæ sensitivæ sine potentia motiva, & sunt animalia quædam imperfecta, quæ nequeunt se localiter movere, & constituunt secundum gradum; Tertium constituit potentia motiva cum sensitivis, & vegetativis sine intellectiva; quæ deinde quartum constituit. Ratio vero divisionis potentiarum sumitur ex diversitate modi eliciendi operationes; nam potentiæ, quæ sine cognitione operantur, ut sunt vegetativæ, integrant primum genus; Secundum constituunt potentiæ sensitivæ, quæ in actum tendunt per organum, & species intentionales, in quo modo omnes conveniunt; Tertium constituitur a potentia appetitiva, quæ operatur per modum inclinationis, & tendentiæ in subjectum, ubi cognitiva per modum convertentis se in objectum agit, & hæc potentia appetitiva continet tam sensitivam, quam rationalem, quæ est voluntas, quia licet specie inter se differant, conveniunt tamen in modo operandi, Potentia vero motiva est quartum genus, quia operatur sequendo cognitionem appetitus viventis; Quintum tandem genus est potentia intellectiva, quæ licet in cognitione conveniat cum sensitiva, tamen habet diversum modum operandi, scilicet inorganice.

35. Circa duas divisiones advertendum, quod non ita assignantur, ut non possint aliter fieri, clarum enim est, quod tam gradus viventium, quam potentiarum genera possunt tripliciter dividi, sicut anima in communi, nam sicut sub anima sensitiva continetur anima pure sensitiva, & quæ est etiam loco motiva, ita poterat constitui unus gradus sensitivi, qui & sensitivum purum, & loco motivum contineret; vel si isti gradus in ordine ab subjectum, & propter separabilitatem sunt quatuor, eodem modo poterat anima dividi, idem de potentiis dicendum; imo divisio ipsius animæ poterat fieri bimembris, ut primo anima dividatur in eam, quæ absque cognitione vitaliter agit, & in eam, quæ per cognitionem operatur, quæ postea subdividitur in eam, quæ organice, & in eam, quæ inorganice operatur. Communis tamen usus inolevit, ut ista divisio fieret trimembris, ne tot subdivisiones multiplicarentur. Melius ergo fecissent Cajet. & Ægid, si tres gradus viventium assignassent juxta genera animalium, quam animas multiplicare contra communem modum loquendi, eo vel maxime quia illa divisio pure sensitivi, & loco motivi est subdivisio sensitivi in communi. Arist. vero solum enumeravit diversas operationes ipsorum viventium, & modo tres, ut in tex. 31. ubi vegetare, sentire, & intelligere, & tres gradus viventium assignavit, scilicet plantam, brutum, & hominem, modo quatuor, ut in text. 18. modo quinque ut in tex. 27. Vel si ex professo gradus viventium, & potentias his modis divisit, est divisio a posteriori, & per extrinseca, quæ poterat alio modo, & aliis capitibus assignari; unde in text. dividit sensitivum multipliciter in id, quod habet tantum sensum tactus, & in id, quod habet aliquem alium sensum, &c. Et hic dicendi modus expeditior est, quam obstinate defendere omnes istas divisiones, ac si aliter fieri non possent, ut faciunt nonnulli.

36 Contra arguitur primo, quod plantæ non sint animatæ. Tum quia potentiæ vegetativæ distinguuntur in nobis a Philosophis a potentiis vitalibus, & naturales solent appellari, præcipue quia istæ potentiæ per se videntur esse transeuntes, respiciunt enim materiam distinctam, quam agunt, & inducunt novam formam; hinc Scot. 4. d. 49. qu. 8. E ait, omnes formans sub sensitiva non operari immanenter. Tum secundo, quia operationes ipsius reperiuntur in non viventibus, præcipue nutritio, magnes enim ferro nutritur, & in suam substantiam convertit, si diutius retineat conjunctum ferrum, ut testatur Fernandus Mediçus tr. 2. de facult. q. 1. concl. 5. ignis quoque disponit alimentum, fugit partes subtiliores, excrementitias respuit, imo videtur augeri per intus sumptionem; nam dum flamma comburit lycnum, attrahit ad se per poros lycni oleum, vel ceram. Tum 3. hoc videtur sentire D. Aug. lib. de Spiritu, & An. c. 8. & 13.

Resp. ad 1. divisionem illam in potentias naturales, vitales, & animales a Physicis, & Medicis traditam esse divisionem potentiæ animasticæ in communi, genus autem includitur in suis speciebus, quare potentiæ vegetativæ erunt animatæ, & vitales; dicuntur autem naturales appropriate, quatenus assimilantur aliquo modo actionibus naturæ, & per qualitates corporeas exercentur, potentiæ vero vitales intelliguntur potentiæ motivæ, & animales potentiæ sensitivæ, ubi ly vitales non sumitur in sua communitate, prout cum animato convertitur, sed strictius. Cum additur, quod non sunt immanenter active, dicimus, actionem immanentem dupliciter sumi, vel stricte pro ea, cujus principium activum est etiam subjectum, receptivum, vel sensationes, & intellectiones, & hoc modo actiones vegetativæ non sunt immanentes, ut optime probat argum. & de istis loquitur Scotus, ut se declarat ibi; vel large pro illa, cujus principium est pars alicujus suppositi, & subjectum est altera pars ejusdem suppositi, & saltem ut per eandem actionem fiat pars illius suppositi; & hoc modo dicuntur immanentes, & sufficit ad rationem vitæ vegetativæ, quæ est infima in genere Vitæ. At dicimus nutritionem dupliciter fieri vel proprie per intus sumptionem alimenti, qua nutritum propria virtute cibum ad se trahit, & omnibus partibus dispensat, ut quælibet nutriatur, & augeatur, & hac nutritione sola viventia nutriuntur; unde nec ignis hoc modo nutritur oleo; nam illud non attrahit e poris lycni, ut deinde partibus dispenset, sed simul oleum cum lycno destruere, & in ignem convertere nititur. Vel sumitur impropriè per juxta positionem alimenti, & hoc pacto convenit inanimatis, ut diximus disp. 6. de Gen. qu. 4. Ad 3. dicimus, dubium esse, an sit ille liber Augustini; vel quod loquitur de vita pro principaliori significato.

37 Secundo, quod plantæ sentiant, Prob. nam habent potentias appetitivas, fugiunt enim noxia, & commoda prosequuntur, ut vitis fugit laurum, amat ulmum, cucumer odit, & fugit oleum; & quædam herba est habens vaginulas seminibus plenas, quæ si leviter perforentur, magna distumpuntur, quod est signum doloris; item ipsis datur uterque sexus, & ut fœcundentur, alias viriniores postulant, ut est videre in palmis; hinc Psal. 77. tribuitur plantis occisio, *& occidit in grandine vineas eorum*, occisio autem saltem sensitivis convenit.

Resp. triplicem esse appetitum, primum naturalem, qui consequitur formam, & naturam cujuscunque rei; secundum sensitivum, qui apprehensionem sensitivam immediate sequitur; & tertium rationalem, qui cognitionem subsequitur intellectivam, qualis est voluntas, in plantis est primus appetitus tantum, & hic sufficit, ut una planta habeat naturalem, & occultam sympathiam, vel antypathiam cum altera, nam etiam in non viventibus adest, ut in magnete, & ferro; præcipue quia hæc convenientia, vel disconvenientia fundatur in primis qualitatibus, hinc metaphorice uterque sexus illis applicatur; illa autem disruptio potius provenit ex teneritudine illarum partium, unde non fit nisi cum sunt valde maturæ. Ad illud Psal. respondet D. August. 1. de Civit. cap. 20. dicens; *Hoc genus vermm* (ideſt plantarum) *quamvis non sentiat, vivit, ac per hoc potest mori, & occidi*, unde occisio ibi sumitur, ut convertitur cum destructione cujuscunque viventis.

38 Tertio, arguitur contra numerum ternarium animarum; Tum quia si sunt tres animæ, vel tria genera, vel tres species, non primum, quia rationalis non est genus, nec secundum, quia sensitiva, & vegetativa specie differunt. Tum 2. anima cognoscitur per potentias, potentiæ per objecta, ergo quinque animæ, sicut potentiæ. Tum 3. quæ ordinatim ponuntur in aliqua serie, non faciunt plura membra, & numerum, ut patet in quolibet prædicamento, sed ita se habent istæ animæ, quia vivens dicitur de animali, & animal de homine, ergo &c. Resp. quod in rigore nec sunt tres genere, neque specie, quia sunt entia incompleta, sed tria genera, hoc est tres animæ distinctæ, quarum una constituit speciem specialissimam scilicet rationalis, reliquæ vero genera subalterna. Ad 2. patet ex dictis, quod numerus potentiarum, si eodem capite sumeretur, esset ternarius, sicut numerus animarum. Ad 3. dicimus istas animas sumi cum præcisione scilicet vegetativa tantum, sensitiva tantum, & aliis capitibus assignari, quomodo non se habent ut superius, & inferius, sed potius ut disparatæ.

QUÆSTIO IV.

An quælibet anima sit actus corporis informans, vel assistens, & quomodo.

39 DIximus qu. 1. per actum in definitione animæ intelligere Arist. actum informantem, non assistentem, ubi etiam explicuimus, quid sit forma assistens informans, promissimus hoc dubium exactius examinare, quod exequimur in præsenti quæstione, quæ eadem est cum illa, qua quæri solet, an hæc definitio univoce omnibus animalibus conveniat. Et quidem de anima vegetativa, & sensitiva non est dubium, quod sint actus informantes, illæ enim rationes, quæ ostendunt hoc de anima rationali, multo magis de aliis animabus concludunt; solum difficilium est de anima rationali.

Averr. 3. An. com. 5. Them. libr. 2. cap. 27. Averroistæ, quos citat. P. Faber theor. 67. Platonici, & quamplurimi Hæretici apud Suarez libr. 1. de An. cap. 12. putarunt animam rationalem esse homini assistentem, hominem vero in proprio esse constitui per aliam animam, quam vocant cogitativam, distinctam a phantasia brutorum, tanquam supremum gradum animæ sentientis. Ad hanc opinionem reduci possunt Suess. 12. Met. com 17. Cajet. 1. quæst. 76. art. 1. ad 1. Ferrar. 2. contra Gentes 58. §. *Ad primum horum*, & ex nostris P. Vulpes 2. p. tom. 2. disput 46. art. ult. asserentes animam rationalem esse corporis formam informantem secundum gradum vegetativum, & sensitivum tantum, non vero secundum rationalem, reduplicative, sed solum specificative, & identice. Qui vero ponunt animam rationalem ut sic esse formam informantem, adhuc differunt inter se; nam Achillin. quol. 3. dub. 4. & libro de Intellig. & Mirandul. lib. 32. de Everf. singuli certam. apud Conimb. 2. de Anim. cap. 1. quæst. 7. sustinent unam animam rationalem in omnibus hominibus collective sumptis reperiri. Alii vero licet animas rationales multiplicaverint numero, non tamen ad multiplicationem hominum, sed determinatas posuerunt, quæ successive diversa corpora informarent, vel humana solum, ut de mente Arist. defendit nuper Ferchius vest. 6. lib. 1. c. 10. & 14. vel corpora etiam brutorum, & plantarum, ut asserebant Pythagorici, ponentes transitum animarum de uno corpore in aliud, qui transitus *Metempsicosis*, seu transmigratio dicebatur; quam opinionem multi Hæretici amplexati sunt, præcipue Manichæi.

40 Dicendum est, animam rationalem secundum gradum intellectivum non solum esse formam informantem, sed etiam multiplicari ad multiplicationem hominum, & non dari transmigrationem illam de uno in aliud corpus sive humanum, sive brutale. Conclusio est communis cum Scoto 4. d. 43. qu. 2. art. 1. & quol 9. C. & seq. Prima pars, quod sit forma informans est de fide determinata in Concil. Vienn. & Later. sub Leone X. sess. 8. illamque docent fere omnes Patres, ut est videre apud Suarez citat. & quamvis soleat pro opposita

citari Nissenus lib. 2. de Anim. cap. 8. & Nemes. in lib. de Nat. hom. cap. 2. & 3. hic tamen, ut notat Suarez, non loquitur tam clare, ille talem librum non composuit. Prob. autem author. Aristot. 12. Met. 16. 17. ubimam rationalem ponit inter causas formales, causa autem formalis, cum sit quod quid est rei, informans est, non assistens, & 3. de Anim. 36. sic dubitat: *Utrum autem contingat aliquid separatum intelligere ipsum existente non separatum a magnitudine, an non, considerandum est posterius*, & loquitur de intellectu, quem in magnitudine ponit existentem, forma autem assistens a magnitudine est separata. Insuper 12. Met. 45. habet, quod substantiæ separatæ, quæ nullam materiam informant, sunt immutabiles omnino, & nulla possunt accidentia recipere de novo; & text. 51. ait earum intelligere esse earundem substantiam, quæ animæ rationali minime competunt. Tandem cum Arist. definivit animam per actum, loquutus est de anima in communi ad rationalem, & alias, quia tex. 7. & 8. ait definitionem illam esse valde universalem; & tex. 13. assignat divisionem illam in quatuor gradus animatorum, & tria animarum genera, ubi si per intellectivam descripsisset cogitativam, ut multi ex Averroistis asserunt, non esset bona, & sufficiens divisio; loquutus insuper est de actu informante; nam in tex secundo præmittit divisionem substantiæ in materiam, formam, & compositum, ubi loquitur de forma substantiali, quæ cum materia unum per se constituit informando illam; nam ait formam illam facere hoc aliquid, & tex. octavo esse quod quid est compositi, & istam formam ait esse actum primum, & animam; unde in tex. 7. docet ex anima, & corpore fieri unum, sicut ex cera, & figura, figura autem se habet ut forma informans, non assistens: ergo &c.

41 Secundo, Prob. a Scoto ratione ab operationibus desumpta; experimur in nobis cognitionem aliquam non organicam, cognoscimus enim sensibilia differre ab insensibilibus, item universalia, relationes rationis, quosdam actus reflexos, & qui non experitur in se tales actus, inquit Doctor, caret intellectu, sicut qui non videt, caret visu, ergo in nobis adest principium harum operationum. Experimur quoque posse nos velle, & nolle opposita objecta, qui actus nequit ab aliquo appetitu organico provenire; quia hic est ad unum determinatus; nec potest actum suspendere, ergo in nobis inest aliud principium spirituale istorum actuum, quod est anima.

Hæc ratio non admittitur ab Arriag. disp. 1. de Anim. sect. 2. quia potest esse, quod anima producat in nobis sua assistentia absque informatione hos actus, quia non apparet ratio ostendens evidenter unionem informationis necessariam esse ad eliciendos actus vitales; quæ responsio affinis est illi, quam tradunt aliqui Averroistæ, scilicet animam assistentem in nobis causare operationes, & nos intelligentes denominari, non quia operamur, sed quia recipimus intellectionem. Alii dicunt, nos intelligere non per proprias operationes, sed per actiones, & intellectiones animæ assistentis, quæ est nobis intime unita.

42 Sed ut ab hoc ultimo incipiamus; certe est magis intime nobis præsens Deus illapsum generalem immensitatem, quam ipsa anima, si esset forma assistens, & tamen non dicimur intelligere intellectu divino, nec experimur in nobis divinam intellectionem. Tum quia eodem modo se haberet homo ad animam sicut navis ad nauclerum, Cœlum ad Intelligentiam, obsessus ad dæmonem, in his enim alia unio non adest nisi assistentiæ, at nec navis, nec Cœlum, neque obsessus dicitur intelligere intellectu assistentis, nec tales operationes possunt experiri; ergo si anima in nobis esset assistens, non possemus dici formaliter intelligentes. Tum quia adest dependentia inter intellectum, & phantasiam, hac enim perturbata turbatur quoque discursus, quod non fieret, si omnino anima esset assistens. Deinde contra primam responsi. quia est de fide hominem in suis actibus intellectivis, & volitivis mere passive non se habere, ut habetur in Concil. Trid. sess. 6. Tum quia actus vitales sunt immanentes, ergo quod est principium elicitivum, est etiam receptivum, & e contra. Tum quia actus isti sunt immateriales, quia de objecto immateriali, ergo debent recipi in subjecto immateriali; nam accidens spirituale nequit inhærere subjecto extenso; quod si hoc asserunt Averroistæ de substantia spirituali, multo magis fateri debebunt idem de accidenti spirituali; hoc supposito necessario debet admitti in homine potentia aliqua spiritualis recipiens tales actus, quæ non erit aliqua ex sensitivis, neque cogitativa Averrois; nam omnes istæ sunnt materiales, ergo necessario dabitur anima rationalis informans, non assistens. Tum quia quod ita se movet, ut habeat dominium sui motus, tum quoad substantiam actus, tum quoad circumstantias omnes, ut pro arbitratu suo possit moveri, & non moveri, non solum passive, sed etiam active se habet ad illum motum, ita se habet homo respectu intellectionis, ergo &c. minor patet *experientia*, major probatur, quia nullum eorum, quæ scimus mere passive se habere ad aliquem motum, habet dominium illius nutu; ut apparet in lapide sursum projecto, in navi, quæ a nauta dirigitur, in Cœlo, quod ab intelligentia movetur, nec datur instantia in contrarium. Alias responsiones vide apud P. Fabrum cit.

43 Tertio, arguit Arriaga, si anima esset forma assistens posset ad libitum deserere corpus, sive dispositum, sive indispositum, & iterum se illi unire, quandoque modo se habet, eo quia tunc anima esset in corpore ut in loco, ergo sicut anima separata libere se potest movere, nec ullum locum respicit tanquam connaturalem,

& determinatum, quia spiritus non patitur a corporali, ita quando esset per assistentiam unita corpori, posset vel perpetuo in illo manere, vel ab libitum discedere, & redire.

Quarto, quasi a priori ostenditur contra Vulpes esse formam informantem etiam ut rationalem, & reduplicative; nam homo essentialiter distinguitur a brutis per gradum rationalitatis, aliter homo esset quoddam brutum, ergo anima rationalis ut sic reduplicative erit forma informans; Prob. conseq. quia forma informans est, quæ dat esse specificum non assistens. Nec valet responsio Vulpes animam ut rationalem esse formam hominis, ut *quo* quatenus dat esse specificum, non tamen ut sic reduplicative informare corpus, sed sufficere, ut specificative, & identice informet. Non valet, impugnatur enim ratione Scoti, quam ex professo format quol. 9. infra C. contra D. Thom. homo ut homo reduplicative est unum per se constitutum ex corpore, & anima ut rationali reduplicative, ergo anima ut rationalis reduplicative informat corpus: antec. patet, & conceditur ab ipso: conseq. prob. a Scoto, compositum quicquid habet, & est, habet, & est ex partibus, non ut divisis, sed ut unitis, dicitur enim unum, quia una pars se habet ut actus, altera ut potentia ex 7. Met. 60. & lib. 8. tex. 15. ergo quia partes hominis sunt corpus, & anima ut rationalis reduplicative, hæc duo ut sic debent se habere actus, & potentia. Nec juvat, quod addit Vulpes, Scotum ibi ad hominem arguere, non ex propria sententia. Non juvat, quia propositiones in se veræ sunt, & intentum Scoti ibi est ostendere animam secundum gradum intellectivum informare materiam, quamvis sit immaterialis; tunc autem arguitur ad hominem, quando assumitur principium aliquod adversariorum, & infertur propositum, modo propositiones a Scoto assumptæ non sunt D. Thomæ, sed Aristotelis, & in se sunt veræ. Hinc non sine erroris periculo potest hæc opinio defendi; præcipue quia Concilia parum curassent definire animam rationalem ut sentientem, & vegetantem esse formam informantem hominis, & non ut rationalem reduplicative, si enim hæc esset intentio Conciliorum, solum determinassent, animam sentientem in rationali eminenter contineri, & non reperiri in homine plures animas distinctas, quod patet esse prorsus alienum a mente Conciliorum; cui Vulpes non respondet.

44 Secunda pars concl. quod animæ multiplicentur ad multiplicationem hominum, & non detur ulla transmigratio, est de fide in Conc. Later. cit. determinata, & patet ex Sacra Scriptura: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum;* Et Lucæ 16. anima Lazari dicitur in sinu Abrahæ quievisse, anima vero divitis sepulta in inferno fuisse; docetur etiam ab Arist. 2. Phys. 26. dicente ad aliam formam aliam materiam, & 2. de Anim. 26. unumquemque actum esse in propria materia. Tum quia nequit in omnibus una numero anima reperiri, quia videmus multos homines de eadem re diversa judicare, & opposita, item velle, & nolle idem objectum, qui actus in ipsa rationali recipiuntur, ergo si unica esset anima jam duo actus oppositi simul inessent, quod implicat. Tum quia eadem forma esset simul in pluribus subjectis, quod etiam implicare ostendimus disp. 5. Phys. Contra transmigrationem animarum in corporibus humanis, jam diximus disp. 5. de Gen. quæst. 7. art. 2. quod etiam urget Pytagoricos, eo vel maxime, quod inter homines, & bruta non esset distinctio, nisi penes corpora, non penes formam, quæ distinctio est materialis, non formalis, & specifica.

45 Contra primam partem arg. primo quamplurimis authoritatibus Aristot. Prima sumitur ex 1. de Anim. 49. ubi ait, fugiendum est dicere mentem esse unitam corpori; & tex. 82. vocat intellectum antiquissimum, forma autem est simul cum corpore ex 12. Met. 16. Secunda sumitur ex 1. de Anim 65. ubi tribuit intellectui, quod innascitur, tanquam substantia existens; & text. 92. non posse fingi, ait, quam partem corporis occupet intellectus. Tertia sumitur ex 2. de An. 11. dicit enim quasdam animæ partes separari posse a corpore, propterea quod nullius corporis sunt actus: hinc in text. 21. & in 3. de An. text. 4. 6. 7. 15. & 16. docet intellectum esse immixtum, & separatum a materia. Quarta, ex lib. 10. de moribus c. 7. ubi significat hominem non per intellectum esse hominem, sed intellectum esse quoddam anima humana divinius; hæc sunt verba. *Non oportet (ut quidam monent) unumquemque eum sit homo, humana, & cum sit mortalis, cogitare mortalia, sed quatenus licet, immortalem se reddere, omniaque efficere, ut ex præstantissimo omnium, quæ in eo sunt, vigam traducat*, ideoque 4. de part. anim. c. 10. hominem propter animam vocat divinum, non esset autem divinus, nisi mens humana esset divina forma, & separata, & 12. Met. 51 ait intellectum divinum esse a materia separatum, proindeque indivisibilem, cui comparat intellectum humanum, quem & carere materia, & indivisibilem esse docet. Quinta sumitur ex 2. de Gen. anim. cap. 3. ubi ait solam mentem extrinsecus accedere, & esse divinam, quia nihil cum ejus actione communicat actio corporis; quod repetit 3. de An. 12. Sexta, & clarior accipitur ex 2. de An. 11. ubi ait immanifestum esse, sit actus corporis anima, sicut nauta actus navis; quod tamen in 8. Phys. 28. absolute asserit, animam scilicet habere se ad corpus, sicut nauta ad navim.

46 Resp. ad 1. in primo loco loquitur Arist. de Anima mundi, & de Cœli motore in secundo ad mentem Emped. asserentis intellectum esse Deum. Ad 2. per ly substantia existens circumscribit subsistentiam partialem animæ, quam habet in corpore consistens in hoc, quod a materia non dependeat, nec ex ejus materia educatur; in altero loco vult innuere non esse potentiam inorganicam, ut dicebant Antiqui. Ad 3. per idem resp. debet enim intellectus, esse separabilis, idest non affixus organo, immixtus idest separatus ab omni alia re, tanquam non constans realiter ex illis, & universaliter nullo modo organicus, sicut sunt potentiæ sensitivæ, quæ actuant aliquam partem corporis organicam. Ar dicimus Arist. clare ibi asserere vitam hominis ex intellectu haberi; attamen homo ut homo duas habet operationes, cum sit mediæ quasi naturæ, & habet speculari, & alia corporalia opera exercere, primo modo vocatur quid divinum, quia assimilatur ipsi Deo, secundo modo appellatur homo, quia magis accedit ad res creatas, & inferiores, absolute tamen secundum utrasque operationes est homo; & sic patet ad id de part. anim. ad illud vero de 12. Met. dicimus illam comparationem obiter fuisse adductam, & consequenter non tenet in omnibus, sed solum in hoc, quod intellectus divinus indivisibiliter intelligit, idest sine discursu, sed totum objectum simul ex hoc, quod caret materia, sicut se habet, inquit Aristot. intellectus humanus quandoque cum scilicet intelligit sine discursu, in qua re fit comparatio, non in carentia materiæ, non enim intellectus humanus indivisibiliter, idest sine discursu semper intelligit. Ad 5. dicimus per ly extrinsecus advenire denotari independentiam animæ a materia in productione; cum dicitur esse quid divinum, est locutio comparativa, unde 1. Phys. 80. formam quid divinum vocat respectu materiæ; cum ait non habere materiam communem, loquitur in ordine ad actionem, & passionem physicam, quæ nequit esse, nisi inter ea, quorum materia est una, modo anima, & objectum non habeant talem materiam; non tamen sequitur animam non informare corpus. Ad 6. respond. ibi tantum dubitative loqui, non assertive, quia non adhuc perfecte constabat animam rationalem esse actum corporis; in 8. vero Physic. loquitur universaliter de omni anima, unde concluderet etiam omnem animam esse assistentem, quod est aperte falsum; hinc dicimus, quod nauta ad navim duobus modis referri potest: Primo quatenus eam non informat: Secundo, quatenus eam gubernat, & regit, comparatio est de secundo, non de primo.

47. Secundo, potentia debet objecto conformari, sed anima intelligit universalia a materia abstracta, imo ipsa est, quæ separat, & abstrahit universalia a materia, & recipit species universalium, ergo &c. Tum 4. recipiens esse denudatum a natura recipit, ergo cum anima intelligat formas materiales, debet esse immaterialis. Tum 3. sequeretur hominem non esse generabilem, & corruptibilem, quia constaret ex partibus incorruptibilibus; imo esset spiritualis. Tum 4. accidens spirituale nequit recipi in subjecto materiali; ergo neque forma substantialis spiritualis, antec. est Scoti quol. 14. B. Tum 5. si esset forma informans, ergo naturaliter ad corpus inclinatur, ergo status separationis esset violentus, & per consequens resurrectio esset naturaliter cognoscibilis, quia nullum violentum perpetuum. Tum 6. cum sit nobilissima forma, informaret nobilissimo modo scilicet inseparabiliter, quod est falsum. Tum 7. anima per corpus impeditur a sua operatione perfectissima, qualis est contemplatio, ergo non est forma corporis, quia forma, & subjectum ad invicem non se impediunt, sed adjuvant.

48. Resp. ad 1. conformitas requisita non debet esse simpliciter, & in essentia, aliter Angelus intelligens intuitive materialia, deberet esse materialis, seu secundum quid, & in esse intentionali, merito scilicet specici, quæ est similitudo objecti ex Scot 1. dist. 3. quæst. 3. O. hinc satis est, ut possit illas similitudines recipere, quæ sunt universales in repræsentando, non in essendo; unde neg. conseq. sufficit enim ad illa munera obeunda, quod non sit actus, & potentia organica, cum quo stat, quod sit forma informans. Ad 2. antecedens est verum de eo, quod subjective recipit aliquid, non de eo, quod tantum objective recipit, aliter cum intelligit immaterialia, non deberet esse immaterialis. Ad 3. neg. sequent. cum prob. nam primo corpus est corruptibile; deinde ad conservationem compositi debet esse unio partium. Nec homo spiritualis est censendus, cum propter corporis materialitatem, tum propter animæ spiritualitatem, quæ est talis naturæ, ut ordinem ad corpus in se involvat, cum sit partialis entitas, non quod ipsa sit formaliter corporea, sed forma corporis dicitur. Ad 4. negatur paritas, quia forma accidentalis necessario pendet a subjecto in conservari, unde si esset tota in toto, & tota in qualibet parte subjecti, dependeret simul a pluribus causis totalibus, quod implicat; at anima rationalis non dependet a subjecto, cum sit immortalis; ideo potest extensum subjectum informare. Ad 5. ex dicendis disp. ult. separatio animæ a corpore non est animæ violenta, imo secundario naturalis, quia petit amissibiliter informare corpus; vel si concedatur prima conseq. negatur secunda, solum enim concluditur possibilitas resurrectionis, non futuritio; nec probatio est universaliter vera, præcipue quia nec naturaliter potest ostendi immortalitas animæ, ut dicemus: propositio enim illa est vera ut notat Scot. 4. d. 43. q. 2. S. quando inclinatio naturalis est ad aliquem primum actum, & sic violentia opposita non est perpetua, non vero quando est ad actum secundum, & perfecti ad perfectionem communicandam, sicut est anima respectu corporis. Ad 6. neg. sed quia non quo forma est nobilior, eo arctius sibi unit materiam, quia unio, & in-

& informatio dependet a dispositionibus corporis, quibus destructis, destruitur quoque unio; aliter quia plantæ sunt nobiliores lapidibus diutius durare deberent. Ad 7. licet impediatur a corpore, tamen per corpus exercet multas naturales operationes, ut videre, flere, loqui &c. quod sufficit, ut sit forma corporis; tum quia istud impedimentum non est de intrinseca ratione hujus informationis, in resurrectione namque auferetur, hinc ait Doct. 1. d. 3. quæst. 3. G. & 2. d. 11. B. connexionem istam inter potentias sensitivas, & intellectum in operando esse pœnalem.

49. Tertio, ad idem; Angelus nequit informare materiam propter sui immaterialitatem, ergo neque anima. Tum 2. anima est immortalis, indivisibilis, spiritualis, per se subsistens, non dependens a dispositionibus corporis, ergo est assistens. Prob. conseq. quia quod est immortale a parte post, est etiam immortale a parte ante, ex 1. de Cœlo cap. 10. ideoque anima existebat ante corpus; item quod materiam informat, natum est dividi ad divisionem materiæ; rursus quæ maxime distant, ut corporale, & spirituale, non possunt uniri, sicut nec quod per se subsistit, potest in alio recipi, & tandem quia omnis forma informans pendet a dispositionibus corporis ex 2. de An. 24. & 26. ergo &c. Tum 3. sequeretur materiam, sive corpus intelligere, quia forma communicat suum effectum formalem subjecto, effectus autem formalis animæ est intelligere. Tum 4. saltem, ut rationalis anima non est principium alicujus operationis corporis, quia intelligere est operatio solius animæ, in ipsa recipitur, nec intellectus alligatur corpori, ergo ut sic non est informans. Tum 5. si ut rationalis esset informans, ergo etiam si non esset virtualiter sensitiva, adhuc informaret, quod est falsum, quia non esset actus corporis organici, ergo &c. Tum 6. sequeretur potentiam esse abstractiorem, a materia, quam sit substantia, cujus est potentia; nam intellectus non esset ullo modo in materia, ipsa vero anima esset in materia, hoc autem est falsum, quia tam potentia, quam operatio ejusdem esset perfectior ipsa anima.

50 Resp. ad 1. Scot. quol. 9. Angelum non posse formare materiam, non quia est immaterialis, sed quia est suppositum completum per se subsistens, anima autem est entitas essentialiter incompleta, non subsistens incommunicabiliter, & suppositaliter, ideo neg. paritas. Ad 2. dicimus, quod immortalitas non repugnant cum informatione, ut infra; unde etiam si anima præextitisset ante corpus, adhuc posset illud informare, ut erit in resurrectione. Neque indivisibilitas repugnat ut in q. seq. Neque spiritualitas; nam licet hæc sit ratio, cur anima distet in essendo a corpore, tamen si est incompleta & partialis non impedit informationem, ad quam non requiritur proportio in essendo, sed solum quod unum sit per se actus, alterum per se potentia; Neque subsistentia partialis incompleta, ut dictum est in Phys. Neque tandem anima pendet a *dispositionibus* corporis quoad esse, sed solum quoad informationem. Ad 3. dicimus formam accidentalem, quia non facit unum per se cum subjecto, utique communicare suum effectum formalem subjecto; substantialem vero, quia constituit unum per se, communicare suum effectum composito, non subjecto, unde ignis urit, non materia, oculus videt, non corpus. Ad 4. animam rationalem ut sic esse principium operationis compositi, quod constituit, vere enim homo intelligit per animam, & mereri, ac demereri dicitur, unde intellectio, & volitio est operatio hominis, & hoc sufficit, ut dicatur forma informans, quia non potest constituere, nisi informet; accedit, quod locutio, risus, fletus, & similia proveniunt ab anima ut rationali, ex dicendis suo loco, & tamen sunt primo actiones totius. Ad 5. dato casu, tunc necessario prærequiritur anima sensitiva in corpore cum aliis formis subordinatis, & sic esset actus corporis organici. Ad 6. intellectivitas sumitur dupliciter, vel pro fundamento, quo scit entitatem ipsius animæ, vel formaliter pro potentia intellectiva formaliter distincta ab essentia animæ: primo modo sumpta vere dicitur informare corpus, non autem secundo modo, quia non est potentia organica, neque ex hoc dicetur perfectior, quia essentia animæ licet informet corpus, non tamen dependet a corpore, ubi intellectus pendet ab essentia, a qua fluit, & intellectio ab utraque in fieri conservari.

51 Quarto, arguit Vulpes, Scotus 1. d. 3 q. 3. G. quol. 14. art. 2. & alibi ait, modum intelligendi animæ pro statu isto dependenter a phantasmatibus non esse illi connaturalem, sed pœnalem, itaut possit ex propria natura a materia omnino independenter intelligere, ergo ut rationalis ex propria natura non petit *in corpore* existere, sed extra corpus, ergo ut sic non informat materiam; Prob. hæc conseq. quia forma informans petit ex propria natura in materia existere, non extra illam, & sic duo contradictoria secundum idem verificarentur de anima, & quod petat naturaliter esse in corpore, & naturaliter esse extra illud. Tum 2. sensitiva, & vegetativa in homine ideo sunt gradus materiales permixti, & corruptibiles, non quia educuntur de potentia materiæ, sed quia ipsam informant, ergo gradus intellectivus, qui est separabilis, immaterialis, & incorruptibilis non erit informans. Tum 3. ex Scot. quol. 9. G. &4. d. 43. q. 2. potentiæ sensitivæ, & vegetativæ in homine sunt materiales, & per se primo totius conjuncti, non sic potentiæ rationales animæ ut sic, cujus ratio non videtur esse, nisi quia anima ut sensitiva, & vegetativa informat corpus, non ut rationalis, aliter etiam ut sic esset materialis, saltem si non respectu alicujus partis, respectu totius corporis. Accedit, & fortius, ossa ex dicendis ideo non formantur in gradu sensitivo, quamvis tota entitas animæ in ipsis reperiatur, quia non sunt capacia alicujus sensitivæ operationis, ergo a pari, quia corpus humanum non est capax intellectionis, & volitionis, quæ sunt operationes gradus rationalis, non informabitur tali gradu.

52 Resp. ad 1. neg. conseq. aliter esset in corpore violenter, idcirco dicimus animam esse ad utrumque indifferentem, licet plus ad corpus inclinetur, quam extra; nec sunt duo contradictoria; nam habet simultatem potentiæ, non potentiam simultatis; nec est de ratione formæ informantis, quod determinate respicit materiam. Ad 2. vel loquitur de gradibus illis, ut sunt complete constituti ex potentia, & organo, vel de realitatibus animæ, quæ sunt gradus partiales, & inchoati; primo modo sunt materiales, & corruptibiles, quia constant ex parte corruptibili, non quia informant; nam constituuntur, non informant; secundo modo negatur, quod sint materiales formaliter, cum sint realiter animæ identificati, sed solum virtualiter, non quia informant, sed quia habent vim exercendi operationes materiales, *ideo nego* conseq. non enim informatio arguit necessariam a materia dependentiam, etenim si aliqua forma crearetur a Deo, & postea infunderetur materiæ, illam informaret, & tamen non dependeret, esset que materialis, separabilis, & independens, informatio enim est ab eductione distincta. Ad 3. patet idem, gradus enim intellectivus, quia nullam continet virtualiter operationem materialem, non dicitur materialis, licet corpus informet: Ad aliud dicimus operationes intellectivæ esse etiam hominis, & totius conjuncti licet non per se primo, saltem per se secundo, homo enim dicitur formaliter intelligens, & volens, quod non posset esse, nisi quia intercedit substantialis unio inter corpus, & animam ut rationalem, quæ unio, quia non adest inter Cœlum, & *Intelligentiam*, *idcirco* non dicitur Cœlum formaliter intelligens; accedunt operationes risus, fletus, locutionis, &c. Arguit deinde multis authoritatibus Arist. docentis animam rationalem ad metaphysicum pertinere, quia separabilis; At de hoc diximus q. Procem. & si concluderent, sequeretur, *animam* ut rationalem nullo pacto attinere ad physicum, quia ut sic esset separata actu, & aptitudine secundum ipsum; & tamen de ipso agit Philosophus in his libris.

53 Quinto, contra 2. partem arg. multitudo numeralis non convenit formis a materia independentibus ex 12. Metaph. 49. anima rationalis est independens a materia, ergo &c. Tum 2. mundus secundum Arist. est æternus, ergo si animæ multiplicantur, darentur infinitæ animæ in actu, quod repugnat. Resp. ad 1. Arist. ibi per materiam intelligere differentiam individualem, a qua non abstrahit rationalis anima. Ad 2. hanc difficultatem non esse solum de animabus, sed de hominibus, diebus, &c. urgere, ut vidimus disp. 10. Phys. qu. 3. ubi in fine solvimus hanc rationem, & disp. 5. de Gen. q. 7. art. 2.

Ex his colligitur, quam male opinati sunt, qui dixerunt, animam rationalem partem esse divinæ substantiæ, vel ens aliquod creatum perfectius, aut saltem æque perfectum cum Angelis; etenim esse compartem, & cum corpore in compositionem venire dicit maximam imperfectionem, quod Deo nequit convenire; neque Angelis qui sunt entia completa, & perfecta, ergo animal imperfectior est Angelis, quamvis longe perfectior quacunque alia forma; Hinc de homine dicitur in Psalm. 8. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*. Hoc autem colligitur ex Scot. 2. d. 17. q. 1. & quol. 9. art. 2. Dices, ex Gen. 1. habetur, *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*; ubi Aug. 2. super Gen. ad litt. fuisse de substantia flantis secundum illud Joan. 20. *insufflavit, & dixit, accipite Spiritum Sanctum*, ergo &c. Resp. inspirare hic sumi metaphorice, quatenus dicit tantum originationem ab alio, non proprie, ut dicat communicationem propriæ substantiæ; & metaphorice etiam flatus ab Aug. de substantia flantis dicitur esse, quatenus ab illo originatur. Vide Contar. qu. de immortalit. animæ c. 5. & 6.

QUÆTIO V.

An quælibet anima sit indivisibilis.

54 Divisio physica, ut ad præsens spectat, duplex est, vel in partes essentiales in materiam scilicet, & formam, vel in partes integrales, & entitativas: & ex opposito duplex adest indivisio, vel in partes essentiales, vel in integrales; de prima indivisione non est dubium, quin quælibet anima sit indivisibilis; nam si ex materia, & forma esset composita, esset corpus, non quidem inanimatum, & vivens, ergo haberet in se principium vivendi, & operationum vitalium, de quo potest quæri, an sit indivisibile, vel non; si secundum, erit processus in infinitum, si primum, tale principium animam vocamus, nec est necessitas multiplicandi tot animas. Tum quia *nullum corpus est forma* alterius corporis, sed bene e contra unum corpus potest esse subjectum, & materia alterius formæ, sed anima est formæ corporis organici, ergo &c. Et quamvis Doct. q. 15. de An. probabilem putet opinionem D. Bon. ponentis animam rationalem, & Angelos ex materia, & forma constare, *imo* ex materia ejusdem rationis cum nostra, quem dicendi modum sequitur Cavellus ibi, tamen in 2. d. 1. q. 5. T. & 4. d. 6. q. 10. M. & quol. 9. oppositum aperte docet, & rationabiliter quidem; nam materia nostra ex sua ratione formali habet partes entitativas independenter a forma

substantiali, & quantitate, ergo si esset in Angelis, & anima rationali, jam forent divisibiles extensive, & materiales, quia ut dicemus, per habere has partes spiritus differt a re material i. Vel si poneretur materia quædam spiritualis, saltem esset causa corrupti ilitatis, quia ex dictis dip. 2. Phys. q. 8. art. 3. materia propter potentiam contradictionis est radix corruptibilitatis, nam esset in potentia saltem ad alias formas spirituales. Tum quia hoc in anima minus videtur posse habere locum; nam materia ista deberet esse forma corporis, & consequenter esse actus formalis, contra rationem materiæ, ut arguit ipse Doctor 2. dist. 16. qu. unic. §. *alia opinio*, vide disp. 2. Phys. quæst. 4. art 1. In secundo ergo sensu disputatur quæstio de divisibilitate in partes entitativas.

55 In hac quæstione quatuor adsunt opiniones, duæ extremæ, & duæ mediæ. Prima extrema est Platonicorum asserentium omnem animam esse indivisibilem, quos ex Peripateticis sequitur Simpl. 1. de An. com. 17. Thienensis 2. de An. super tex. 16. & videtur esse Joan. de Mag. 2. de An. q. 2. dub. 2. Alia extrema est multorum, dicentium omnem animam divisibilem esse, etiam rationalem, saltem sistendo lumini naturæ, licet de fide aliter sit sentiendum, ita Jand. 3. de An. qu. 5. Pompon. lib. de nutrit. cap. 11. Zab. lib. de parrit. animæ cap. 11. & alii. Prima media est D. Thom. 1. p. q. 76. art. 8. ubi Cajet. Bannes, & Ripa, Ferrar. 2. contra gentes cap. 72. Alb. 1. de An. cap. ult. Complut. disp. 5. Jo. de S. Thom. q. 2. art. 1. Suarez lib. de An. cap. 23. (licet in Met. disp. 15. sect. 10. num. 32. sit cum Scoto) & alii, docentes, quod viventium alia sunt, quorum partes abscissæ adhuc vivunt, ut plantæ, & inter animalia lacertæ, vermiculi, coluber, &c. & hac ratione vocantur imperfecta; alia sunt quorum partes abscissæ non vivunt, ut Leo, Equus, &c. qua ratione dicuntur perfecta; tunc asserunt animas imperfectorum esse divisibiles, perfectorum vero indivisibiles, sicut est anima rationalis. Secunda media est Scoti in 1. d. 2. q. 7. EE. & in 4. d. 1. q. 5. supra B. & d. 43. q. 2. art. 2. & d. 44. q. 2. B. solum animam rationalem docentis esse indivisibilem, cæteras autem divisibiles; ipsum sequuntur Dur. Apollin. Marsil. Albert. de Saxon. Ruvius, Aversa, Tolet. Perer. Murcia, Hurt. Arriaga, estque communior; Conimbr. vero 2. de An. c. 1. q. 8. has medias sententias problemetice defendunt.

56 Dicendum est cum Scoto solam animam rationalem esse indivisibilem, cæteras vero divisibiles. Prima pars de anima rationali Prob. ex Arist. de An. 21. ubi postquam præmisit ani. mam ad divisionem corporis divisibilem esse, excludit ab hac propositione animam rationalem, & in 3. de An. num. 32. supra cit. passim docet, intellectum esse immixtum, immaterialem, & separatum a materia. Prob. deinde ratione; anima rationalis est spiritualis; ergo est indivisibilis. Antec. prob. tum ex Sacra Script. ubi passim anima humana vocatur Spiritus, ut 1. Corint. c. 1. & 5. & Eccles. 12. tum etiam ratione, quam tangit Scot. in 4. d. 53. cit. & quol. 9. art. 2. reperitur in nobis aliqua cognitio spiritualis, & immaterialis, quæ scilicet respicit objectum immateriale, & spirituale, quæ cum sit accidens, debet in aliquo subjecto recipi immateriali, & spirituali, tale subjectum est anima nostra, quia omne aliud in homine est materiale, ergo anima nostra est spiritualis.

57 Consequentia principalis, in qua consistit difficultas, Prob. in hoc differt materiale ab immateriali, & corpus a spiritu, quod materiale habet partium extensionem, immateriale vero minime, ergo si anima rationalis est immaterialis, & spiritualis, erit quoque inextensa; antec. prob. ex confutatione aliorum modorum distinguentium materiale a spirituali. Quidam enim docent differre per quantitatem. Sed falso, quia quantitas est extrinseca, & accidentalis; substantia autem materialis ab intrinseco differt a spiritu, & per essentialia, unde si quantitate spoliaretur, adhuc diceretur materialis. Quidam assignant pro differentia, quia materialia constant ex materia, & forma, non sic spiritus. Sed contra, quia accidentia quædam, ut primæ qualitates, materia, & forma in seipsis consideratæ, & singillatim, item Cœlum in sententia Aristot. non constant ea materia, & forma, & tamen inter entia materialia connumerantur. Alii, quod spirituale magis per se subsistat, quam materiale. Neque est verum discrimen, quia magis subsistit homo, qui est suppositum omnino incommutabile, quam anima ipsa rationalis, quæ etiam separata non dicitur persona, & suppositum, & tamen homo est materialis, anima est spiritualis; tum quia accidentia spiritualia nullo modo subsistunt, cum a subjecto dependeant; non tamen dicuntur materialia. Quidam docent differre, quia materialia dependentiam habent a materia, non ita spiritualia dependent. Neque hæc differentia est sufficiens; nam corpus cœleste in sententia Aristot. & Cœlestia accidentia non dependent a materia, quia hæc non reperitur in Cœlis, & tamen sunt materialia. Tum quia ipsa materia non est spiritus, & tamen nequit hoc esse, quia a seipsa dependet; nam dependentia est ad alterum, non ad se. Dices materiam differre a spiritu per ordinem ad quantitatem, quam recipit. Sed contra, quia adest difficultas de quantitate per quid a spiritu differat; si enim dicas differre per ordinem ad materiam, jam committis circulum, & causas sibi esse invicem causas in eodem genere causandi.

58 Arriaga disp. 1. de An. sect. 4. subject. 6. quamvis nobiscum sentiat in conclusione de indivisibilitate animæ, dissentit tamen in hoc principio, sed docet rationem corporis consistere in impenetrabilitate cum alia re ejusdem speciei, unde definit corpus, quod sit substantia impenetrabilis cum alia ejusdem speciei; rationem vero rei corporeæ in communi consistere, vel quod sit substantia impenetrabilis cum alia ejusdem speciei, vel quæ commensuratur cum re hoc modo impenetrabili; commensurationem autem istam ait esse dependentiam naturalem a re impenetrabili vel ut a subjecto, vel ut a forma; quæ ratione gradus intensivi qualitatis licet sint ad invicem penetrabiles, dicuntur tamen materiales, propter ordinem, quem dicunt ad rem impenetrabilem, quæ est substantia corporea. Ex quibus infert, dari posse substantiam corpoream carentem partibus, & in puncto existentem, dummodo sit cum alia impenetrabilis; e contra dari quoque posse substantiam extensam secundum partes entitativas, sed spiritualem, si est cum alia ejusdem speciei penetrabilis; unde rationem spiritualitatis ponit in carentia impenetrabilitatis, vel in carentia ordinis ad rem impenetrabilem.

59 Verum falsitas hujus dicti pendet ex duobus principiis demonstratis, tum disp. 7. Log. q. 2. ar. 1. tum disp. 9. Phys. q. 1. primum est, quod quantitas sit accidens realiter distinctum a substantia; & cæteris accidentibus, cujus formalitas consistit in extensione partis extra partem in ordine ad locum, seu explicatur per impenetrabilitatem ad eumdem locum, alterum est, substantiam, quæ potest esse subjectum quantitatis, & omne accidens extensum habere partium multitudinem extensivarum independenter a quantitate; unde substantia spoliata quantitate remaneret extensa in loco, sed penetrabiliter, qua ratione potest ad punctum reduci. Ex quibus patet, quod nequit esse de ratione substantiæ materialis impenetrabilitas, cum ab intrinseco sit penetrabilis; Accedit, quod est implicantia in adjecto asserere dari posse substantiam indivisibilem punctualem, & impenetrabilem, ut enim ostendimus disp. 9. Phys. qu. 1. art. 1. indivisibile additum indivisibili non facit majus, sed est totaliter penetrabile; vide ibi. Remanet ergo quod materiale non ob aliam rationem a spiritu differt, nisi quia materiale habet partes extensas facientes molem extensivam, sive penetrabilem, spiritum vero carere hac extensione partium entitativarum. Objectiones contra hunc modum dicendi addemus infra.

60 Secundo, principaliter probari potest; quia si anima rationalis esset divisibilis, certe non posset salvari immortalitas ipsius; quod prob. quia in instanti generationis anima ita commensuratur corpori, ut totum corpus informetur ab anima, & tota anima informet corpus, nec datur pars aliqua animæ extra corpus, ergo vel in augmentatione eadem anima, quæ prius erat restricta, postea dilataretur, quod est falsum, quia migraret de subjecto in subjectum, & eadem materia antea informaretur duabus formis disparatis; vel nova pars formæ adveniret pro nova parte materiæ, quæ formæ pars de novo produceretur a vivente; nam nutritio est actio naturalis, & consequenter dependenter a subjecto, quod est esse corruptibile, & generabile. Similiter in diminutione, vel abscissione alicujus membri pars illa animæ, quæ prius informabat materiam, quæ fluxit, nequit se contrahere ad materiam remanentem, quia nec unio effective fit a forma, neque eadem materia duabus formis naturaliter informatur; neque remanet extra corpus separata ab alia parte animæ, quia sic ex una anima efficerentur duæ, neque unita illi parti adhuc informanti, esset enim ridiculum assere formam dari, cujus una pars sit in corpore, altera extra corpus, seu circa ipsum; tum quia hæc pars extra corpus esset intelligens, & posset aliquos actus exercere oppositos actibus alterius partis, & sic simul mereri, & demereri; quæ omnia sunt absurda; quare sequeretur destrui, & simul fluere cum parte corporis, quod est afferere animam mortalem.

61 Secunda pars, quod cæteræ animæ sint divisibiles, etiam perfectorum animalium, patet primo ex Arist. cit. solam animam rationalem excipientem a divisibilitate; & in lib. de juvent. & senect. cap. 1. postquam hanc divisionem cum vita omnibus partibus divisis concesserit plantis, & animalibus imperfectis, loquens de perfectis subjungit: *Optima autem constituta animalia hoc non patiuntur, propterea quod naturæ ipsorum, ut probabile est, maxime una est; quapropter, & parvum sensum quædam faciunt divisæ particularum: quia habent aliquam animalem passionem.* Ex quibus verbis, quamvis adversarii suam quærant elicere opinionem, propterea quod Arist. ait ista animalia habere naturam maxime unam, attamen non loquitur de omnimoda unitate, quæ cum indivisibilitate convertitur, sed solum de unitate, quæ divisionem cum permanentia partium divisarum in genere viventium excludit, ut patet ex illis verbis, *quapropter & parvum sensum faciunt quædam divisæ particularum*, ideſt, quod pro aliqua morula illæ particulæ divisæ habent animam: non tamen diu permanentem, idem habet lib. de incessu anim. cap. 5. Accedit ratio adducta pro priori parte; nam si indivisibilitas arguit spiritualitatem, imo secundum Thomistas est præcipuum medium ad demonstrandam animæ immortalitatem, ut videbimus, quia, inquiunt, arguit independentiam a subjecto, sequitur evidenter nullam animam a rationali esse indivisibilem, quia quælibet est materialis, mortalis, & a subjecto dependens.

62 Deinde singillatim probat. & primo de anima plantarum res est manifesta; nam rami abscissi remanent adhuc viventes, non secus ac essent duæ arbores, unde agricolæ ex illis insitiones varias conficiunt. Idem quoque apparet in animalibus imperfectis, ut in lacertis, lumbricis, &c. partes enim divisæ retinent sensum, & motum; qua in re insigne est testimonium D. Aug. lib. de quant. animæ c. 31. ubi refert, cum rusticaretur in agro Liguriæ, dissectum vermem multipedem in plures partes, singulas eumdem retinuisse motum, quem habebat totum animal ante divisionem, ac si quælibet pars integrum fuisset animal. Neque dicas cum Ficino lib. 1. de Plat. theol. cap. 3. in divisione duas de novo produci animas. Non valet, cum quia urgeri possunt omnes rationes, quibus impugnatur forma cadaveris de novo producta in morte animalis, eo quia non apparet agens potens statim has formas producere, tum quia numquam in corruptione alicujus generatur idem specie de novo, sed aliud specie diversum. Tum quia dici posset in qualibet divisione non viventis idem evenire, non enim posset disparitas assignari, nisi petatur principium.

63 Idem ostenditur de animabus perfectorum; si anima equi, v. g. esset indivisibilis, sequeretur, vel quod a materia non dependeret, vel quod idem effectus produceretur, & naturaliter penderet a pluribus causis totalibus, aut ab una totali, & altera partiali, quæ omnia sunt falsa: sequela prob. quia in generatione forma equi adæquate educitur de tota materia ad generationem requisita, in nutritione vero eadem anima deberet se extendere ad novam materiam, a qua si dependeret, jam idem effectus plures causas haberet in eodem genere adæquatas, vel unam adæquatam, alteram partialem; si non dependeret, ergo informaret materiam absque eo, quod de illa educatur, quod proprium est solius animæ rationalis.

Multipliciter respondent. Primo, quod in nutritione, & adventu novæ materiæ anima equi a tota illa adæquate pender, nam prior materia propter adventum alterius attemperat suum concursum, & ubi erat totalis, fit partialis. Secundo, quod solum dependeat a prima materia, non ab alia de novo adveniente. Tertio, quod etiam ab ista nova dependeat non in fieri, sed in conservari, non tamen educatur de illius potentia.

64 Prima tamen responsio est falsa; quia licet quando plures causæ simul applicantur, agant ad effectum medium, attamen quando est jam applicata, & exit in actionem sibi adæquatam, non videtur impediri ab illa actione per causam ejusdem rationis, impedimentum enim provenit a contrario, non a simili. Tum quia vivens virtute angetur, & inducit animam in materia alimenti, ergo si anima dependeret in esse a nova materia, jam seipsam effective educeret de potentia illius, quod est falsum. Tum quia in illo instanti, in quo advenit nova materia, in qua anima debet introduci, anima præsupponitur existens, & adæquate conservata in esse a priori materia, ergo nequit in eodem instanti ab alia dependere, & tamen ponitur in illo instanti introduci in nova materia, & consequenter ab illa dependere, quod si tunc dependet, neque in tempore sequenti dependebit. Secunda responsio est falsa, quia sequeretur etiamsi ab equo abscinderetur pars aliqua principalis, dummodo remaneat prima materia, quæ fuit in generatione, numquam equum moriturum, aut animam interituram, quod est falsum: sequela patet, quia forma non destruitur ad destructionem subjecti, a quo minime pendet in esse. Nec minus est falsa tertia responsio; tum quia anima equi in conservari dependet adæquate a materia generationis, ergo ab alia nequit in conservari dependere, neque adæquate, neque inadæquate; tum quia si pendet in conservari, ergo etiam educitur, hoc enim est educi de potentia materiæ, ac dependere in esse ab illa, ut diximus disp. 2. Phys. qu. 7. art. 2.

65 In oppos. contra primam partem argum. primo, quod omnis anima, etiam rationalis sit divisibilis: ex Arist. qui 8. Phys. 78. & 79. probat primum motorem indivisibilem esse, quia non est in materia; ex quo sequitur, omne, quod est in materia, ut est anima rationalis, esse indivisibile; & 3. de part. anim. cap. 10. assignans causam, cur capita abscissa hominum non loquantur, ait esse carentiam organorum vocis, quod si anima rationalis indivisibilis esset, hanc indivisibilitatem debebat assignare pro causa. Tum 2. adest experientia, nam multi post capitis abscissionem se moverunt, & funt locuti. Tum 3. omne, quod recipitur per modum recipientis recipitur, sed corpus, quo anima rationalis recipitur, est extensum, ergo &c. Tum 4. homo est extensus, & in qualibet parte adest anima, ergo ipsa quoque est extensa. Tum 5. sequeretur, animam a seipsa distare, quatenus scilicet est in diversis partibus; item esset simul in pluribus locis; moveretur simul, & quiesceret. Tum 6. sequeretur quamlibet partem hominis esse hominem, & intelligere, quia in qualibet parte esset tota essentia animæ cum suis potentiis, quæ realiter ab ipsa non distinguuntur. Tum 7. quando totum est in aliquo, nihil illius debet esse extra, alioquin non debet esse totum in illo, ergo si tota anima est in pede, nihil illius erit in capite. Tandem anima rationalis est eadem realiter cum sensitiva, hæc est extensa, ergo & illa.

66 Resp. ad 1. Arist. non probare indivisibilitatem primi motoris ex hoc, quod caret materia, sed quia cum sit infinitum, nequit esse in materia, & consequenter erit impartibile, ut dicemus in Met. non tamen ex hoc sequitur, quod nullum indivisibile etiam finitum, & limitatum, possit esse in materia; ad secundum locum dicimus carentiam organorum esse unam ex causis, & hoc sufficere, maxime quia indivisibilitas animæ solum concluderet de homine, non de aliis animalibus. Ad 2. aliquam locutionem quandoque fuisse ex miraculo, ut in Sanctis, quandoque naturaliter, non ab anima ibi inexistente, sed a spiritibus animalibus, & vitalibus ante abscissionem virtute animæ motis, in quibus manet adhuc ille impetus. Ad 3. anima rationalis est virtualiter divisibilis, sicuti Angelus est in loco divisibili per virtualem sui diffusionem, & sic recipitur per modum recipientis, non formaliter, sed virtualiter. Ad 4. urgere contra negantes formam corporeitatis in homine, non enim homo est per animam extensus, sed bene tota anima omnem partem extensam informat, ut tota sit in toto, & tota in qualibet parte; ut in simili explicuimus de existentia in loco divisibili rerum spiritualium disp. 11. Physic. q. 5. art. 2. Ad quintum distantiam proprie sumi in ordine ad diversa, & adæquata loca, manus, & pes respectu animæ sunt loca inadæquata, secundum quæ est tantum distantia extrinseca, secundum quid, & per accidens; nec inconvenit simul esse idem in pluribus locis inadæquatis, & moveri, ac quiescere secundum illa, quia non est contradictio, cum non sit secundum idem. Ad 6. in qualibet parte concedimus reperiri essentiam animæ, & potentias propter rationem assignatam, negamus tamen quamlibet partem esse hominem, & intelligere, nam animal illud dicitur, quod se habet ut totum quoddam perfectum ex integro corpore constitutum, & ex anima; & in hoc sensu intelligi debet definitio animalis, cum dicitur, quod sit substantia corporea animata sensitiva, ideſt, quædam perfecta, & totalis substantia. Et quamvis secundum potentias sit in qualibet parte; attamen si potentiæ sunt organicæ, non exercet in qualibet parte suas operationes propter defectum organorum; si vero inorganicæ ut intellectus, & voluntas, negamus adhuc partem intelligere, quia ex Scor. quol. 9. F. operatio, quæ competit formæ, ut est quoddàmodo illimitata perfectio, si communicetur toti, communicatur ei, quod est in actu per formam sic illimitatam, tale est totum, non pars, unde solum homo dicitur intelligere, non manus, quia anima hominem solum respicit ut adæquatum constitutum. Ad 7. assumptum esse verum, quando est in illo adæquate. Ad ult. patebit inf. q. 8.

67 Secundo, argui potest ad idem ex Arriaga, non implicat aliquod spirituale divisibile integraliter, ergo ex hoc quod anima sit spiritualis, non necessario inferri debet, quod sit indivisibilis; antec. prob. Tum quia qualitates spirituales possunt habere partes intensivas, ergo etiam extensivas, eo vel maxime, quia partes intensivæ qualitatis, si extendantur, evadunt extensæ. Tum quia punctum caret omni parte, & tamen non est spirituale, ergo spirituale non constituitur per indivisibilitatem. Tum 3. ubicatio Angeli, motus, & unio substantialis animæ rationalis cum corpore sunt spirituales, & tamen dividuntur ad divisionem loci, & corporis, ergo &c. Tum 4. quando videtur longum terræ spatium, non videtur eadem indivisibili visione, quia non eodem modo videtur, sed propinquum clarius, remotum obscurius, ut suo loco dicemus, unde deduci solet videri visione divisibili, ergo quia visio intellectualis, quæ simul habetur de illo spatio, est magis intensa de uno objecto propinquo, quam de alio remoto, jam hæc quoque erat divisibilis in partes integrales, sicut corporalis. Tum 5. si esset eadem indivisibilis intellectio de toto Cœlo, aut Mari, sequeretur, quoties Musca, vel aliquod minimum obstaculum mediat, mutari totam intellectionem, quod est absurdum.

68 Resp. ad 1. negando assumptum, ad probationem negamus paritatem, quia partes intensivæ eandem respiciunt subjecti partem, ideoque rei spirituali possunt convenire; licet non spiritui (de cujus ratione est, quod sit per se subsistens, & indivisibilis) at extensio repugnat, cum facit molem; neque hoc est pertere principium, quia a posteriori arguimus nullam aliam differentiam assignari posse inter materiale, & spirituale; cum additur, partes intensas fieri posse extensas, responsio patet in disp. 3. de Gen. q. 4. in fin. ubi assignavimus rationem, cur partes intensæ qualitatis spiritualis nequeant fieri extensæ, neque a Deo. Ad 2. punctum, etsi non habet partes, attamen est aliquid corporis, quatenus corpus est, quia est continuativum ipsius, ideo non spirituale, sed corporeum dicitur, licet non fit corpus; at anima nec habet partes, nec est aliquid corporis, quatenus corpus est, sed est aliquid corporis animati, quatenus animatum est, non enim anima est, qua corpus, & per consequens nequit dici formaliter corporea, neque ut *quo*, ut infra dicemus. Ad 3. difficultates illas urgere adversarios, & recentiores ponentes ubicationem, motum, & unionem entitates quasdam modales absolutas, nos autem dicimus esse puros respectus; neque ponimus unum respectum totalem in Angelo ad totum locum, sed tot respectus, quot sunt partes *loci*; similiter de unione idem asserimus, ut fuse diximus disp. 11. Phys. q. 5. art. 2. Ad 4. in casu posito non datur unica visio corporalis in oculo integrata ex pluribus partibus extensis, & repræsentans totum illud spatium, sed adsunt plures visiones extensæ, seu compenetratæ, quæ tamen non faciunt unam visionem intensiorem, eo quia ut suo loco dicemus ad intensionem actuum, & specierum non sufficit, quod plures sint ejusdem speciei in eodem subjecto, sed requiritur adhuc, ut repræsentent objectum intensius; idem de intellectionibus dicendum, scilicet quod erunt in intellectu tot intellectiones visibiles extensive, quot species adsunt in illo, non enim implicat intellectum simul posse plura cognoscere, ut dicemus disp. 6. Ad ult. dicimus per idam non mutari omnem intellectionem, sed quæ solum terminabatur ad illam partem spatii. Et si hæc duo argumenta concluderent, sequeretur de facto animam rationalem esse divisibilem extensive, & quod talis intellectio, si esset extensa, nonnisi in subjecto extenso recipi deberet, & sic intellectus esset extensus, quod est contra ipsum.

69 Ter-

69 Tertio, arguitur contra secundam partem, ex Arist. 1. de Anim. 94. asserente, omnem animam indivisibilem esse; & 1. de Gen. 35. docente in augmentatione partem secundum formam manere, non autem partem secundum materiam, ergo forma est indivisibilis, aliter acquireretur etiam de novo. Tum 2. nulla operatio formæ extentæ facta in una parte subjecti remittit aliam operationem factam in alia parte subjecti; sed in animalibus vehemens operatio unius partis impedit operationem alterius, ut vehemens dolor tactus impedit operationem visus, ergo idem est principium omnium; sic etiam videmus, quod læso pede animalis statim imaginativa, quæ in capite est, percipit dolorem, & potentiam motivam imperat ad fugam; quæ omnia arguunt indivisibilitatem animæ. Item animalia perfecta habent vim discernendi inter duo objecta simul proposita, & eligendi amicum, respuendi vero inimicum, ergo si equus v. g. dextro pede percipit aquam calidam, & sinistro frigidam, necesse est, ut principium cognoscendi sit idem, non quidem proximum (hoc enim est pes) sed principale, quod est anima, nam ponens differentiam inter duo oportet cognoscere utrumque. Tum 3. omnis forma extensa potest recipere contraria in summo secundum diversas partes, sed anima sensitiva nequit hæc contraria recipere, summa enim tristitia in una parte remittit delectationem in alia, ergo, &c. Tum 4. sicuti in homine una parte sublata statim moritur totum, ita in quolibet animali perfecto accidit, non enim apparet in membris divisis ulla vitalis operatio, ergo omnes istæ animæ erunt indivisibiles. Tum 5. quando aliquid crescit per additionem formæ, quanto plus crescit, tanto majorem vim habet, nam addita forma, additur quoque virtus, sed animalia perfecta in grandi mole constituta minores habent vires, ut patet experientia, ergo &c.

70 Respond. discrepare inter se expositores circa visionem illius textus, unde Argyropolus vertit *divisibilem*; potest tamen facile explicari, quod loquatur de indivisibilitate essentiali, & specifica; ad secundum locum patet ex dictis disp. 8. de Gen. num. 81. quid ibi per partes secundum formam intelligat Arist. cum Scoto 4. d. 44. q. 1. partem scilicet constantem ex materia, & forma, sed habentem vim conservandi seipsam in toto; vide ibi. Ad 2. & 3. dicimus, solum probare partes animæ diversorum membrorum omnes cohærere, & omnes potentias esse sibi mutuo subordinatas, quia constituunt unum vivens, & in una anima radicatas, urgere tamen ponentes potentias realiter distinctas; & si valerent, concluderent omnes animas etiam imperfectorum animalium esse indivisibiles, quia hæc mutua potentiarum, & membrorum correspondentia in ipsis quoque reperitur. Ad 4. dicimus formas perfectorum animalium in parte materiæ asservari non posse, non quia indivisibiles sint, sed quia majori accidentium apparatu, & pluribus egent organis, quæ in disjunctione destruuntur; tum quia idem evenit animalibus imperfectis, si secundum latitudinem secentur; tum quia nec est clarum, an modico tempore partes illæ vivant, ut visus est innuere Arist. in lib. de juvent. & senect. cap. 1. & experimur hoc in pullis, & gallinis, quæ abscisso capite, tantisper vivunt. Ad 5. Zabarella negat minorem; nam lib. de part. an. c. 13. vult, si cætera sint paria, semper majorem vim esse in majori corpore; si autem quandoque minores habent vires, id est, quia maxima copia spirituum requiritur ad tantam molem regendam, quam natura non potest facile procreare. Vel negatur major universaliter, nam etiam in iis, quæ habent animas extensas contrarium videmus, arbor enim si nimium crescit, non tanta virtute fructificat, quia alimentum in tot, ac tam porrectas partes distributum non æque sufficit omnibus.

71 Tandem arguitur; quia anima est actus corporis organici, ergo eadem anima, quæ est in una parte, erit etiam in alia, aliter daretur anima, quæ corpus homogeneum informaret; tum quia quando ad informationem alicujus formæ, inquit Jo. de S. Th. plures partes materiæ requiruntur necessario, forma comparatur ad illa omnia indivisibiliter, quia essentialiter partes illæ diversæ requiruntur, ita se habet anima in ordine ad corpus etherogeneum animarum, ergo respectu talis informationis erit indivisibilis. Resp. si valeret, concluderet quoque omnem animam esse indivisibilem, quia quælibet est actus corporis organici, & respectu harum partium quælibet anima indivisibiliter se haberet; imo & quælibet forma substantialis, quia quælibet secundum Thomistas exigit minimum naturale pro sui conservatione, & quamvis multum insudet Jo. de S. Th. ut disparitatem ostendat, nihil tamen concludit, imo totum concedit implicite de qualibet anima, ut consideranti, patebit. Dicimus ergo, definitionem illam toti animæ convenire, quæ secundum se poscit corpus etherogeneum, cum hoc tamen stat, quod quælibet informet partem homogeneam cum necessaria, & essentiali dependentia ad aliam compartem; cum infertur, ergo indivisibiliter respicit illas partes; distinguimus, vel ly indivisibiliter excludit multitudinem partium entitativarum, & sic falsa est conseq. vel excludit divisionem cum permanentia illarum partium in esse, & concedimus; ex quo non sequitur animam perfectorum animalium esse totam in toto, & totam in qualibet parte, sed tantum diu permanere non posse in eo statu.

QUÆSTIO VI.

An Animæ divisibiles sint homogeneæ, vel etherogeneæ.

72 Quidam ex asserentibus unicam tantum formam in viventibus reperiri, convicti rationibus illis, quibus a Scotistis distinctio inter partes corporis viventis probatur, asserunt, animas divisibiles ex diversis partibus specie quodammodo distinctis constare, ita ut alia sit pars formæ, quæ in equo oculum informet, alia, quæ aures, alia, quæ ossa; & sic quodammodo animam quid etherogeneum esse dicunt, ita Suar. disp. 15. Met. sect. 10. n. 31. & seq. lib. 1. de An. c. 2. Hurt. de Anim. disp. 2. sect. 5. & seq. qui alios citat, præcipue Ant. And. sed falso, quia hic Author non loquitur de anima, sed de forma corporeitatis.

Dicimus tamen cum communi animas divisibiles non esse etherogeneas, sed uniformes in toto corpore; Hæc conclusio conformior est principiis Scoti, qui in 3. d. 4. & in 4. d. 11. q. 3. totam diversitatem specificam partium corporis formis illis partialibus tribuit, non animæ. Prob. ex Arist. 1. de Anim. 58. ubi sic loquitur: *similiter autem inconveniens, & rationem mixtionis esse animam, non enim eandem habet rationem mixtio elementorum, secundum quam caro, & secundum quam os, accidet igitur, & multas animas habere, & secundum totum corpus*, quibus verbis docere intendit Arist. animam non esse formam mixtionis, & reddit rationem, quia alioqui oporteret in animali tot animas ponere, quot sunt partes etherogeneæ ipsius; item tex. 94. cum docet omnem animam indivisibilem esse, exploratum est quod de alia loqui non potest indivisibilitate, nisi de ista in partes diversarum rationum; Tum quia data opposita sententia sequitur quodlibet animal non esse unum per se, & in unica specie, sed tantum unum unitate ordinis, & continuationis, & in diversis speciebus, quod est falsum; sequela prob. illa solum faciunt unum per se physicum, & substantiale, quæ se habent ut actus, & potentia, sed nec oculus est actus auris, nec e contra, & idem de aliis partibus, ergo &c. illa namque mutua dependentia unius partis ab alia, nec continuitas ipsarum non sufficit ad constituendum unum per se substantiale, & specificum. Accedit, quod nunquam arbores propria virtute possent fructus producere, sed eorum productio esset æquivoca, & totaliter a causa superiori; Probatur seq. perfectior pars in arbore est fructus, ergo nequit ab alia parte imperfectiori produci, nullum enim imperfectius potest perfectius generare; imo quare anima, quæ est in trunco, non potius convertit totam substantiam alimenti in seipsa, sed alias quoque animas partiales, & specie diversas producit, ut sunt illæ, quæ in foliis, & fructibus reperiuntur, cum naturalissimum sit cuilibet viventi, sibi simile génerare?

73 Dices hanc etherogeneitatem non esse tantam, ut ad specificam distinctionem perveniat, sed in eadem specie sistere, sicut se habent album ut duo, & album ut quatuor. Sed contra, quia ex dictis disp. 2. Phys. q. 4. art. 2. & disp. 5. de Gen. q. 3. art. 1. diversitas partium corporis est specifica; tum quia diversitatem istam inter substantialia individua ejusdem speciei respuimus disp. 5. cit. qu. 5. art. 2. dum ostendimus substantiam non susceptre magis, & minus; etherogeneitatem autem graduum confutavimus disp. 3. de Gen. q. 3. & tandem quia adhuc argumentum factum de arbore concludit, nam fructus est perfectior, ergo non posset produci ab alio imperfectiori licet ejusdem speciei.

Contra hanc concl. instat Hurt. sint duæ formæ equorum separatæ, & uni illarum abscindatur pars, quæ capiti correspondebat, jam tunc non remanent æquales inter se; forma igitur mutilata vel potest informare denuo corpus equestre, vel non; nequit dici primum, quia caput non viveret, & consequenter nec totum corpus; si secundum dicatur, ergo sequitur partem abscissam esse diversæ rationis ab aliis, aliter remanentes poterunt informare caput. Resp. faciliter dato casu, cum illæ animæ sint divisibiles, non posse totam materiam ut prius informare, sicut nec si forma ignis separata divideretur, posset totam materiam, quam prius informabat, informare, sed partem, cum hoc tamen discrimine, quod forma ignis poterit quamcumque partem materiæ denuo informare, quia una non dependet ab alia in esse, at anima illa necessario informabit partes illas, a quibus vita aliarum partium dependet, tale est caput, cor, &c. ponimus enim quamlibet partem animæ indifferentem ad quamlibet partem corporis, sed cum tali dependentia, ut præexigat prius caput, & cor informare, quam reliquas partes, ut infra.

74 Secundo, insurgit idem; forma quæ est in capite determinate petit dispositiones capitis, & illi repugnant dispositiones pedis, ergo forma capitis est a forma pedis diversa. Probat. anteced. caput ut caput petit organa diversa ab organis pedis; talis autem determinatio non provenit a materia, quæ est in differens, ergo a forma, igitur capitis forma determinate petit illas dispositiones, & quæcumque aliæ sibi repugnant. Si dicas totam formam secundum omnes partes collective sumptas determinare sibi omnia illa organa, quamlibet vero partem distributive acceptam indeterminate respicere quodlibet organum. Contra si quælibet pars formæ indeterminate respicit omnia corporis organa, ergo tota forma non poterit illa determinate respicere. Probat. consequent. quia quod habet compositum, necessario habet a parte constitutiva,

tiva, vel totaliter, vel partialiter, ut quia homo determinate est sensibilis, habet ab anima, quæ est ad sentiendum determinata, non indeterminata; nam quod convenit composito ut *quod*, necessario parti alicui ut *quo* convenire debet, vel partialiter, vel totaliter, sed nulla pars formæ determinate respicit caput, cor, oculos, &c. ergo neque tota forma; compositum enim præsertim integrale non est aliud præter partes unitas. Confirm. si forma, quæ est in esse, est etiam indifferens ad carnem, item forma, quæ est in cerebro, corde, &c. ergo potest in carne manere, ergo si Deus hæc omnia in carnem converteret, adhuc forma equina informaret totam illam materiam, ergo equus esset carneus; hæc breviter sunt, quæ congerit Hurt. a §. 130. usque ad 161.

75 Resp. animam dupliciter considerari posse, velut totum quoddam suo modo essentiale, & ut sic non respicit partes entitativas, & integrales, sed proprias realitates, genus scilicet, & differentiam; ac propriam naturam. Secundo, considerari potest ut totum integrale, quomodo ex partibus entitativis constat; tunc ad argum. negamus antec. & ad probat. concedimus caput petere illa organa; cum dicitur talem determinationem provenire a forma, distinguimus, a forma provenit, ut est totum essentiale, concedimus; anima enim ex sua natura petit talem organizationem informare, quæ est in toto corpore, dicitur enim actus corporis physici organici, unde est determinata ipsius essentia ad totam corporis organizationem; provenit a forma, ut est totum integrale, negamus, ut sic enim quælibet pars est indeterminata ad quodlibet organum informandum; aliter si tantum ad carnem, vel ossa esset determinata, non vere diceretur actus corporis organici, sed homogenei, quia tota anima non esset unum quid essentiale, & consequenter non habens unam definitionem. Cum impugnatur hæc responsio dicimus quamlibet partem formæ indeterminate respicere totum corpus, cum additur, ergo tota forma etiam indeterminate respiciet, distinguimus, tota forma, ut est totum essentiale, negamus, ut totum integrale, concedimus; cum demum additur, illa determinatio in composito debet a partibus provenire, concedimus, sed negamus partes animæ, ut est quid essentiale, esse partes entitativas, sed esse proprias realitates, a quibus habet anima, ut talem organizationem determinate petat.

76 Ad conf. forma, quæ est in esse, indifferens est ad carnem, ut quid integrale, potest enim carnem informare, non tamen est indifferens ad carnem, itaut non petat ut quid essentiale informare os, ex sua enim essentia petit corpus organizatum, quod ut sic respicit, tamquam suum adæquatum perfectibile, non aliter ac anima rationalis, & quia quælibet pars animæ est anima, & habet essentiam animæ, ideo quælibet pars secundum suam essentiam petit totum corpus, licet quatenus est quid integrans, sit indifferens ad hanc, vel illam corporis partem; hinc neg. conseq. quia cum essentia animæ respiciat totum corpus, nequit per potentiam Dei equum carne informare. Sit exemplum, relatio æqualitatis in palmo ad alium palmum fundatur in toto palmo, estque extensa sicut palmus, itaut una pars illius relationis sit in una parte, & alia pars in alia, sicut tota relatio in toto palmo, sic tamen quod una pars illius relationis in una parte fundata poterat in alia fundari, est enim indifferens singillatim, & distributive, non tamen sequitur, quod, etiam collective sit indifferens, itaut possit permanere, si aliquid a palmo auferatur, quia licet ut est quid integrale sit indifferens, attamen secundum suam essentiam respicit totum illum palmum necessario, quæ determinatio non provenit a partibus, sed ab essentia: Dicamus uno verbo, partem animæ esse indifferentem ad informandam hanc, vel illam partem, dummodo aliæ partes animæ informent alias partes corporis necessarias, concedimus; esse indifferentem, sive aliæ partes informent, sive non, negamus; sicut nec in sententia Hurtad. pars formæ capitis est ita determinata ad caput, ut nullo modo coexigat alias compartes.

77 Alia argumenta format Hurt. ex diversitate organorum delumpta, quæ militant contra negantes formam corporeitatis, concedimus enim illam diversitatem specificam in organis, sed negamus ab anima provenire, sed a forma corporeitatis, imo si hæc argumenta in brutis concludunt, etiam in homine fatendum erit animam rationalem divisibilem esse in partes etherogeneas, vel si sufficeret, quod anima rationalis virtualiter contineat esse carneum, osseum, &c. idem dici poterit de anima sensitiva, cum secundum ipsos possit continere formam corporis; non igitur erunt multiplicandæ partes istæ etherogeneæ.

An autem istæ animæ sint omnes æquales in perfectione, vel una perfectior quam altera, pendet ex dictis disp. 5. de Gen. qu. 5. art. 2. ubi ostendimus nullam substantiam suscipere magis, & minus, & ex professo dicemus in Metaph. disp. de principio individuationis.

QUÆSTIO VII.

De Animarum origine.

78 Quod attinet ad animas vegetativam, & sensitivam, jam diximus disp. 8. de Gen. qu. 2. quod tam animæ plantarum, quæ ex semine, vel ex putri oriuntur, quam eorum animalium ex putri, vel ex ovis genitorum, educuntur de potentia materiæ ab agente superiori scilicet Deo; vivipara vero educere animas propriorum fœtuum a gremio materiæ; vide ibi, ubi etiam determinavimus genita ex semine, & ex putri specie non differre. Solum igitur hic est dubium de anima rationali, a quo producatur, & quando, num scilicet ante generationem hominis, vel in ipso instanti generationis. Avicenna sustinuit, animam rationalem ab Intelligentia aliqua creata produci. Circa vero tempus productionis Origenes secutus Platonem asseruit, animas omnes extra corpora fuisse creatas, & propter peccata in corpore missas, tamquam in ergastula quædam; quod de anima Adæ videtur asserere Aug. 7. super Genes. ad lit. cap. 24. revera tamen nihil assertive ibi docet.

79 Veritas tamen est, animas rationales solum a Deo posse produci (sive de potentia materiæ educantur, sive non, de quo qu. 10.) & nonnisi in corpore, non ante corpus; ita Scot. 2. d. 17. qu. 1. & 4. d. 1. qu. 1. §. *Ista ergo ratione*, lit. M. & KK. Prima pars habetur ab Arist. 2. de Gen. anim. cap. 3. dicente, *restat igitur, ut mens sola extrinsecus accedat, eaque sola divina sit*; & prob. quia nequit ab homine produci, quia potentia generativa hominis est corporalis, & materialis, at anima rationalis est spiritualis; neque ab Angelo, quia substantia spiritualis non habet potentiam aliquam, qua mediante possit seipsam communicare producendo sibi simile; prob. quia non per intellectum, & voluntatem, nam istæ potentiæ in Angelis non producunt nisi accidens; non per potentiam executivam motivam, quæ solum motum localem respicit, si est a voluntate distincta; neque per aliam potentiam distinctam, quia talis non est assignabilis; aliter deberet etiam admitti in Deo; & sic quatuor essent personæ divinæ, tres communiter assignatæ, & quarta per istam potentiam producta; & secundum Philosophos deberet Deus aliam Intelligentiam similem in natura producere, sicut secunda Intelligentia producit tertiam. Hæc tamen ratio fusius examinatur in tractatu de creatione, vel de Angelis, pro nunc ista sufficiant.

80 Secunda pars est etiam Arist. 12. Metaph. 19. ubi docet causam efficientem posse esse priorem effectu, non tamen causam formalem, & loquitur quoque de anima rationali; imo est de fide, & oppositum damnatum in Concil. Bracarensi primo cap. 6. & ex Leone Papa epist. 10. ad Turibium; non potest tamen evidenter probari, sed philosophice loquendo solum persuaderi, inquit Doctor; nullum enim absurdum sequeretur, si ab æterno ponerentur productæ, sicut posuit mundum Aristoteles, vel in tempore apud illos Philosophos admittentes creationem; probatur tamen, quia prius est, quod est secundum naturam, quam quod est præter naturam, sed anima ex sua natura petit informare corpus, quam extra illud esse, ergo producitur in corpore, non extra corpus. Tum quia potentia præsupponitur actui naturaliter, ergo corpus animæ. Et tandem quia possunt animæ acquirere scientiam, quod patet esse falsum. Nec valeret dicere animas informando corpus oblivisci; non valet, quia sic potius violentarentur in informatione, quam naturaliter illam appeterent. Possent quoque mereri, vel demereri; quod est contra D. Paulum ad Rom. 9. ubi de Jacob, & Esau dicitur, *Cum nondum nati essent, nec aliquid boni, vel mali egissent*, &c,

Instabis; in materia est naturalis potentia ad recipiendam animam rationalem, ergo debet dari naturalis potentia activa ejusdem animæ, nam actus, & potentia debent esse ejusdem generis ex 5. Metaph. 17. Tum 2. potens in media, potest in finem 7. Metaph. 30. homo potest in media scilicet in dispositiones rationalis animæ, ergo in ipsam animam. Tum 3. animalia perfecta generant sibi simile, ergo etiam homo, qui est perfectissimum animal. Tum 4. ab uno omnino non est nisi unus effectus, quia non potest assignari ratio aliqua distinctionis, sed Deus est omnino unus, ergo unus effectus potest ab illo produci. Tum 5. perfectum est, cum potest sibi simile producere 2. de Anim. 34. ergo hanc perfectionem substantiis spiritualibus non debemus denegare. Tum 6. inferiora corpora per superiora producuntur, ergo idem de spiritibus dicendum. Tum 7. contra 2. partem, Gen. 2. requievit Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat, ergo postea non amplius creat animas, sed a principio omnes produxit. Arist. quoque dixit 2. de Gen. anim. cap. 3. mentem de foris advenire, ergo prius existit, quam corpus.

81 Resp. ad 1. sufficere potentiam activam in toto ordine universi, ut ait Doct. qu. 1. prolog. & hoc modo explicari debet Arist. quod actus in ratione activi proportionetur potentiæ in ratione receptivi. Ad 2. major si vere elicitur ex Arist. non est universaliter vera, sed ut in pluribus, nam calor potest producere dispositiones formæ ignis, non tamen ipsam formam. Ad 3. negatur paritas propter perfectionem spiritualis animæ. Ad 4. ait Doctor in 4. cit. CC. majorem esse veram de principio omnino uno, at in Deo datur cognitio distincta plurium, & multitudo cognitorum, quæ cognitio in Deo est substantia, & ideo potest plura producere, sat in Angelis est accidens. Ad 5. propositio Arist. est vera, ubi est possibilis communicatio similis naturæ, non in Angelis, & spiritibus, qui propter suam perfectionem non possunt nisi a perfectissimo agente produci. Ad 6. neg. conseq. sufficit enim in spiritualibus ordo perfectionis essentialis, non autem requiritur ordo causalitatis, ut est in corporibus. Ad 7. etiam Joan. 5. Christus ait; *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, quia propter illa quies intelligitur quoad productionem rerum de novo, non autem quoad conservationem specierum jam productarum;

ctum ; & quia species conservatur per productionem singularium, idcirco Deus adhuc operatur producendo singularia, & species etiam aliquas de novo, juxta illud semper aliquid novi profert Africa ; attamen illæ species aliquo modo præcesserunt in rebus jam creatis a Deo ; Aristotéles vero illis verbis circumscribit tantum causam productivam animæ rationalis, non tempus productionis.

APPENDIX.

De Anima rationali.

82 QUoniam vero anima rationalis a solo Deo producitur, non defuerunt, qui hac ratione dixerunt, animam rationalem esse formam substantialem omnino supernaturalem ; & ita præsertim ex nostris loquitur, & discurrit Author controversiarum inter Scotistas part. 1. controv. 23. quod hac ratione probat, quia ex Scoto per hoc supernaturale distinguitur a naturali, quod primum habet a solo Deo produci, non secundum ; cum ergo anima rationalis a solo Deo producatur, forma supernaturalis dicenda est, non vero naturalis. Cæterum lib. 1. sent. disp. 6. quæst. 2. num. 85. & seq. jam fuse ostendimus omnino ridiculum esse, animam rationalem ea ratione appellare formam supernaturalem, nam quamvis a solo Deo producatur per creationem, adhuc tamen forma naturalis dicenda est, quia ad eam naturam disponit producendo corpus organizatum, & hac ratione nec dicitur miraculose conferri, nec tamquam forma supernaturalis, sed mere naturalis, ut Scotus conceptis verbis docuit 3. dist. 24. qu. un. C. ex quo patet falsum esse, quod frequenter ait Author ille loc. cit. essentiam entis supernaturalis in hoc consistere, quod aliquid ob suam perfectionem petat a solo Deo produci per creationem, alioquin hinc evidenter deduceretur omnia, quæ a causis efficientibus creatis produci non possunt, esse entia supernaturalia, unde non tantum anima rationalis sed Angelus quoque, qualitates cœlestium corporum, mundus ipse, & alia id genus entia supernaturalia forent, quod nemo dixerit.

83 Et ideo scite advertit Scotus 2. dist. 3. qu. 11. C. non ea omnia accidentia, quæ a causis secundis efficientibus produci non possunt, eo ipso esse supernaturalia, nam qualitas Cœli a tota natura creata produci non potest, sed a solo Deo est concreata, & tamen adhuc non est supernaturalis, non alia ratione, nisi quia est perfectio ex naturali Cœli constitutione requisita ad ejus esse, & operari, sine qua nec conservaretur, nec operaretur in hæc inferiora ; & ideo disp. 6. cit. nu. 67. & 68. in fine non ex hoc capite præcise deduximus supernaturalitatem alicujus accidentis, vel formæ, quia a nulla causa creata cum generali concursu Dei causari non potest ; sed etiam quia tale accidens est supra exigentiam intrinsecam, & proximam totius naturæ creatæ, per quam illud exigit, ut conditionem necessario requisitam ad suum esse, & conservari ; quando enim accidens in aliqua creatura productum est conforme tali exigentiæ, & aptitudini proximæ, quamvis etiam a solo Deo productum esset, adhuc naturale esset, & non supernaturale, quia est infra debitum naturæ, & non supra, illudque Deus producit, ut totius naturæ author, quo etiam modo producit animam rationalem, atque ideo nullatenus forma supernaturalis dici potest.

84 Respondet prædictus Author disp. 7. Phys. qu. 5. concl. 5. ridiculum non esse asserere animam rationalem secundum se inspectam esse formam supernaturalem secundum substantiam, cum a solo Deo petat fieri ; hoc enim clarissime docet Scotus 3. dist. 23. qu. un. sup. M. & d. 26. qu. un. F. Sed Scotus utroque loco citato nec verbum quidem habet de anima rationali, tantum abest, ut hoc ibi clarissime doceat, quocirca pluries diximus minime fidendum esse huic Authori semper in ore Scotum habenti, ut plurimum enim nec verbum quidem Doctor habet de ea re, pro qua citatur, ut quisque experiri poterit. Deinde subdit animam rationalem communiter non dici supernaturalem nec ejus infusionem in corpus organizatum, non quia non ita sit secundum se inspecta, sed quia producitur, & corpori infunditur a Deo, ut authore naturæ, & ita ordine rerum naturali, & præfixo exigente, ratione cujus productio formæ, & infusio ipsius non dicitur miraculosa ex Scoto 3. dist. 24. qu. un. litt. C. ubi ait, quod quando Deus assistit, ut generalis causa ad aliquem effectum causandum, si natura disponit, non dicitur miraculose conferri, nec illud collatum dicitur esse supernaturale, sed magis naturale, ut patet de corpore organizato, & infusione animæ, quod etiam repetit 4. dist. 12. qu. 4. litt. P. & Q.

85 Sed evidenter constat, hoc totum contra ipsum militare, nam Doctor inquit, quod quando natura disponit ad aliquam formam, & Deus eam producit, ut Author naturæ, etiamsi totaliter, ac immediate eam producat, non proinde dici debere ens supernaturale, vel formam supernaturalem, sed magis naturalem ; si ergo secundum Scotum id sufficit, ut forma aliqua simpliciter, & absolute naturalis dicatur, etiamsi a solo Deo per creationem producatur anima rationalis, non tantum ex divina ordinatione erit forma naturalis, ut ait præfatus Author, sed etiam simpliciter, & secundum se inspecta ; alioquin ita etiam pariter discurrendum esset de Angelis, de qualitatibus Cœlorum, & de materia prima, quia sunt entia immediate a solo Deo producta, quod nimirum sint entia supernaturalia secundum se inspecta, & naturalia solum ex divina determinatione, ac ordinatione, eadem enim ratio de his militat, ac de anima rationali ; ergo si illa non bene appellarentur entia supernaturalia secundum se inspecta, etiamsi immediate a solo Deo producta, idem pariter de anima rationali censendum est. Quare cum nec ratione, nec sufficienti authoritate probat Author ille animam rationalem secundum se inspectam esse formam supernaturalem, hoc utique censendum est unum ex dictis ex solo suo cerebro sine ullo prorsus fundamento, atque ideo a communi tam Philosophorum, quam Theologorum sensu recedendum non est, quod anima rationalis etiam secundum se inspecta sit forma secundum substantiam naturalis, quamvis a solo producta, & corpori organizato immediate a Deo infusa. Denique lib. 1. sent. disp. 6. cit. num. 62. 70. & 286. 295. ostendimus nullum conceptum supernaturalitatis assignari posse, qui substantiæ creatæ, vel creabili bene possit adaptari, atque ideo omnino chimericam, & commentitiam esse hanc substantiam supernaturalem creatam, quam de facto Author præfatus admittit loc. cit.

QUÆSTIO VIII.

An istæ animæ simul reperiantur in eodem vivente.

86 NOn est quæstio cum Platone, quem sequutus est Gal. lib. 7. de Decr. Hippoc. dicente tres animas in homine reperiri loco, & subjecto disjunctas, vegetativam in hepate, sensitivam in corde, & rationalem in cerebro ; nam ex dictis qu. 6. patet falsitas hujus opinionis, non enim esset homo unum per se compositum. Neque est sermo cum Manichæis duas animas rationales ponentibus in homine, quarum una ad bonum, altera ad malum excitaret. Hæc enim opinio tamquam erronea damnata fuit in octava Synodo generali Canon. 11. eo quia anima rationalis est ultima forma specifica hominis, ergo nequeunt duæ animæ rationales unum per se hominem constituere, deberent enim adinvicem subordinari, quod non convenit ultimis formis specificis. Quæstio igitur est, an in eodem animali reperiantur anima vegetativa, & sensitiva, & in homine etiam rationalis, tamquam formæ realiter distinctæ, licet subordinatæ, sicut nos ponimus cum anima formam corporeitatis. Affirmant Philop. 1. de Anim. 91. Zabar. lib. de Facult. animæ cap. 8. Grand. 7. Physic. qu. 8. at Och. quol. 2. qu. 20. & Mairon. 2. dist. 15. qu. 1. in homine præter rationalem ponunt sensitivam distinctam, quem dicendi modum probabilem putant Regentes Parisienses 2. de Anim. qu. 1. in qu. 1. collater.

87 Pro resolutione not. quod continentia virtualis est triplex. Primo enim una forma aliam virtualiter dicitur continere, quia potest eam producere, ut Sol respectu caloris. Secundo, quia cum sit perfectior, potest materiam perficere perfectiori gradu, & consequenter etiam gradu formæ imperfectioris, sed eminentiori modo, ut forma mixti perfectius perficit materiam, quam formæ elementorum, & in hoc sensu loquitur Scot. in 4. d. 49. qu. 13. B. Tertio, quia potest operationes, & effectus formales, alterius formæ causare, unde ratio formalis inferioris formæ potest superiori accommodari, & in hoc sensu nos dicimus animam imperfectiorem contineri a perfectiori, sicut enim vegetativa dicitur principium formale, quo sentit animal, & vegetat, rationalis principium formale, quo vegetat, sentit, & intelligit homo, non est tamen necesse, ut anima perfectior, v. g. rationalis possit in omnes operationes etiam proprias aliarum formarum, ut sunt actus hinniendi, rugiendi, &c. sed sufficit ut sit principium operationum communium, & consequentium sensitivam, & vegetativam secundum rationes formales communes, quæ sunt actus sentiendi, & vegetandi, quatenus omnibus viventibus conveniunt, sicut non nisi illas animas secundum rationes communes virtualiter continet, non secundum rationes determinatas per peculiares differentias.

88 Dicimus, in quolibet vivente unam tantum animam reperiri, cæteras inferiores continentem. Hæc conclusio est Scoti 2. d. 1. qu. 5. O. & d. 15. qu. un. ad 1. princ. & 4. d. 11. qu. 3. R. & d 44. qu. 1. A. & quamvis ab omnibus fere admittatur, attamen non probatur satis firmis rationibus, nam tam exteri, quam Scotistæ utuntur illis rationibus, quibus forma corporeitatis impugnari solet, unde solvuntur faciliter ab adversariis, ut nos fecimus disp. 2. Phys. qu. 4. art. 2. & disp. 5. qu. 6. art. 1. & disp. 5. de Gen. qu. 3. ita præcipue arguit P. Faber. Theor. 72. ait enim (& est tertia ratio in ordine) quod si essent tres animæ in homine, tunc Franciscus per animam sensitivam esset in aliquo genere, & consequenter in aliqua determinata specie, aliter daretur a parte rei genus sine specie, & individuo, ergo non posset de novo advenire rationalis anima ; huc spectant 4. 5. & 6. ratio. At idem dici potest de forma corporeitatis, quæ constituit necessario Franciscum in aliqua determinata specie, aliter daretur genus a parte rei sine specie, ergo non posset anima de novo advenire. Arguit etiam, quia istæ animæ necessario essent subordinatæ, ut una se habeat ut potentia, altera ut actus, ergo esset quid compositum, ergo non possent corpus informare, quia repugnat compositum habere rationem formæ. Sed facile retorquetur, istas animas esse subordinatas inter se, sicut forma corporeitatis subordinatur animæ, ad quam est in potentia, non quod prius fiat unio inter istas formas, & postea compositum ex ipsis resultans informet materiam ; sed quod corpus con-

constitutum ex materia, & forma corporeitatis tamquam adæquatum perfectibile informatur ab anima ; idem de composito ex corpore, & anima vegetativa dici potest respectu sensitivæ. Addit deinde multas authoritates Arist. quæ propter consuetam obscuritatem possunt multipliciter explicari ab adversariis, cum nulla clara, & expressa habeatur,

89 Alii probant, quia tunc anima rationalis esset pure intellectiva, sicut Angelus, ergo non posset informare materiam, sicut nec Angelus potest. Facile tamen responderi potest. Primo, rationem non concludere de sensitiva in brutis. Secundo, neg. conseq. quia Angelus est ens spirituale completum, anima vero incompletum, & partiale. Alii, ut Avicenna, probant, quia sensario, & nutritio impediunt contemplationem, & e contra, ergo istæ actiones ab eadem anima proveniunt. Potest tamen negari conseq. nam impedimentum posset provenire propter connexionem, & subordinationem animarum, & dependentiam unius ab alia in operando ; intellectus enim pro statu isto alligatus est sensibus, & spiritus vitales, animales, sanguis, & similia actionibus vegetativæ, & sensitivæ inserviunt.

90 Vulpes 2. p. tom. 4. disp. 49. art. 9. probat ; vegetativa, & sensitiva tunc realiter a rationali distinguuntur, quando considerantur ut contractæ per proprias differentias specificas ad proprias, & ultimatas species ; quomodo in homine simul esse non possunt, at si considerantur ut abstractæ a propriis differentiis, & secundum gradum genericum, quo sensu reponuntur in homine, non distinguuntur realiter, quia se habent ut superius, & inferius, ergo in homine non reperiuntur tres animæ realiter distinctæ. Confirm. quia tres animæ realiter distinctæ sunt realiter separabiles, sed istæ animæ non sunt separabiles, nisi quatenus in pluribus speciebus reperiuntur ex Arist. 2. de Anim. 15. ubi ait vegetativam ut in plantis separari a sensitiva, & rationali, istæ vero numquam a vegetativa, ergo sunt in eadem specie, quia sunt inseparabiles, erunt realiter identificatæ. Sed hæc ratio cum confirm. impugnat corporeitatis formam, si enim ratio vegetativæ ut contracta ad aliquam speciem non est in homine, sed solum ut abstracta ab omnibus differentiis, & secundum gradum genericum, quomodo est realiter identificata ? ergo ratio corporis ut per formam corporeitatis contrahitur ad determinatam speciem licet partialem non erit in homine, sed solum ut abstracta, quomodo est quoque realiter identificata ? ergo non debet poni in homine, & alio vivente forma corporis ab anima realiter distincta. Similiter, & confirmatio ; anima enim est inseparabilis a forma corporis, quia sine illa nequit informare corpus, ergo est realiter cum illa identificata : tum quia authoritas Arist. solum asserit non reperiri gradum sensitivum sine vegetativo, nec rationale sine utroque, sed bene e converso, quod solum exigentiam essentialem inter ipsos gradus concludit, non identitatem ; aliter idem dicendum esset de gradu corporis,

Alii probant, quia in animali esset substantia plantæ, & in homine substantia bruti, quod nefas est dicere, imo homo prius fuisset planta, postea brutum, ultimo homo. Sed respondent, quod si per brutum intelligitur animal constitutum ex corpore, & anima sensitiva ejusdem rationis cum sensitiva alterius animalis ab homine, & per plantam compositum ex corpore, & anima vegetativa alterius plantæ ; neg. seq. quia non haberent istæ animæ subordinationem ad invicem ; si vero per brutum intelligitur universaliter compositum ex quocumque corpore, & quacumque anima sensitiva, concedunt assumptum, sed negant falsitatem, quia homo per animam rationalem solum dicitur homo.

91 Via naturali validius nequit probari, quam a posteriori ; sicut enim Scotus in 4. d. 11. qu. 3. existentiam formæ corporeitatis ostendit præcipue propter contractionem, quæ est immediata ratio distinguendi, quatenus scilicet abeunte anima adhuc remanet corpus, ergo vivens non est corpus per animam, sic a contrario dicemus, abeunte rationali in homine non manet sensitiva, nec vegetativa, & recedente sensitiva in bruto non remanet vegetativa, sicut semper remanet forma corporeis, ergo illæ animæ non sunt realiter distinctæ in eodem vivente ; antec. patet experientia, conseq. prob. non magis anima imperfectior a perfectiori dependet, quam forma corporeitatis ab anima, imo hæc, cum sit imperfectior, est magis dependens, ergo non necessario recedente rationali debent reliquæ animæ statim corrumpi, sicut nec statim forma corporis corrumpitur.

Dices, eadem dispositiones requiri pro conservatione cujuslibet animæ, idcirco si una propter contrarias dispositiones perit, etiam altera destruetur. Contra, quia forma perfectior non requirit æquales dispositiones, ac imperfectior, ut patet in mixtis, & in viventibus perfectis respectu imperfectorum ; ergo falsum est animas omnes requirere æquales dispositiones. Tum quia secundum adversarios prius infunditur vegetativa, postea per novas dispositiones sensitiva, & tandem quando illud compositum est magis dispositum, advenit rationalis. Dices etiam, ideo omnes animas simul recedere, quia mors evenit propter destructionem caloris naturalis, qui est fundamentum vegetativæ, & nutritivæ, ideoque mors semper primo rendit ad destructionem vegetativæ ; unde & si hæc separatio non succedit secundum totum, contingit tamen secundum partem quandoque, nam aliqua viventis pars aliquando amittit sensum, licet adhuc nutriatur. Contra quia sicut in aliqua parte fit corruptio, & mors sensitivæ, non tamen vegetativæ propter calorem ibi sufficienter præsentem, ita aliquando in toto debet evenire.

92 Secundo principaliter probari potest fere a priori : anima sensitiva in animali est principium, quo animal nutritur, augescit, & aliud animal generat, ergo in ipso sensitiva continet vegetativam ; patet conseq. quia illæ sunt operationes animæ vegetativæ ; & ex hoc quod in animali istæ actiones reperiuntur, deducunt adversarii in ipso reperiri potentias vegetativas, & animam vegetativam ; antec. prob. in nutritione, & augmentatione animalis acquiritur de novo non solum nova pars formæ corporeitatis, sed etiam ipsius animæ sentientis, quod enim nutritur, & augetur, est aliquod sentiens non tantum aliquod vegetans, similiter in generatione acquiritur de novo anima sensitiva, ergo principium istarum operationum est anima sensitiva. Probat. hæc conseq. quia vegetativa, cum sit imperfectior, non potest esse ratio producendi perfectius.

Dices per se acquiri partem animæ vegetativæ, ad quam postea consequitur pars animæ sentientis, cujus est dispositio. Contra, ergo animal reduplicative ut animal non augetur, nec nutritur, quod est falsum, quia non solum fit deperditio aliarum formarum, sed etiam animæ sentientis, ergo debet dari nutritio per se ordinata ad restitutionem animæ sensitivæ, & partis sentientis animalis ; tum quia hoc non habet locum in generatione, in qua quod per se generatur, est aliquod animal ut sic, quia natura intendit generare sibi simile, non tantum in genere, sed etiam in specie. Dices etiam, dari quidem hanc nutritionem, & generationem animalis, ut sentiens est, sed debere adhuc dari potentias vegetativas, quibus acquiratur pars animæ vegetativæ. Contra, quia hoc est multiplicare entia sine necessitate, sic enim animal esset dupliciter vegetans, nutriens, & generans ; tum quia jam habemus, rationem formalem animæ vegetativæ includi in sensitiva ; quod negabat. Ex his deducimus in homine non debere multiplicari animas, si enim non repugnat unam animam virtualiter contineri in anima perfectiori, non erit hoc denegandum respectu animæ perfectissimæ, qualis est rationalis, præcipue quia nulla sequitur implicantia, ut videbimus in solutione objectionum.

93 Tertio, hoc idem probari potest theologice ; nam in primis adsunt multæ authoritates, Athan. in symbolo, *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita &c.* & in Clement. unica de summ. Trin. habet. Christum assumpsisse partes nostræ naturæ unitas, corpus scilicet & animam rationalem ; nec Sancti Patres, dum de anima hominis loquuntur, neque Sacra Scriptura faciunt hanc distinctionem, sed semper in singulari loquuntur ; & in lib. de Eccles. Dogmat. cap. 15. hoc traditur ut dogma certum ; hæc enim sunt verba : *Neque duas animas esse dicimus in homine, sicut Jacobus, & alii Syrorum scribunt, unam animalem, qua animetur corpus, & immixtæ sit sanguini, & alteram spiritualem, quæ rationem ministret, sed dicimus unam esse, eamdemque animam in homine, quæ & corpus sua societate vivificet, & semetipsam sua ratione disponat :* idem habet D. August. de spiritu, & anima cap. 9. & Dam. 2. de fide cap. 12. Accedit ratio, quia in morte Christi anima sensitiva ipsius non remansit cum corpore, quia non fuisset corpus illud vere mortuum, quod est hæreticum ; nec remansit separata a corpore, & Verbo unita, ficut anima rationalis ; quia nullus umquam Patrum hoc asseruit, sed tantum de anima rationali docent mansisse Verbo unitam post mortem ; neque fuit corrupta ; nam hoc est contra Damasc. dicentem, quod Verbum semel assumpsit, numquam dimisisse, quod dictum de partibus essentialibus communiter intelligitur ; quo argumento Rubionis 1. dist. 16. qu. 1. art. 3. convictus sententiam Ochami deseruit ; sed Parisienses nituntur respondere aliter explicando authoritates istas, idcirco non tam evidenter convincit.

94 In oppos. objic. primo authorit. Prima, ex Sacra Scriptura, ubi spiritus in homine ab anima distinguitur, ut 1. ad Thessal. 5. *Deus pacis sanctificet vos, ut integer spiritus vester, & anima, & corpus servetur*, & Dan. 3. *Benedicite Spiritus, & animæ justorum Domino*, per spiritum autem communiter anima rationalis intelligitur. Secunda, desumitur ex Arist. lib. de vita, & morte cap. 1. ubi habet hæc verba : *Numero autem necesse est unam, & eamdem esse particulam in animali, qua & animal est, & vivit, ipso autem esse plures, & diversas* : ubi per *esse* intellexit essentias, & animas in eodem animali ; & 3. de Anim. 1. vocat rationalem partem animæ, si tamen alias virtualiter contineret, esset tota anima completa : & tex. 66. ait in ossibus non adesse vim sensitivam, & tamen nutriuntur, ergo solum vegetativa informantur, ergo plures animæ in eodem ; rursus 2. de Gen. anim. cap. 3. ait hominem prius vivere vita plantæ, deinde vita animalis, demum vita hominis ; ubi non est sermo de operationibus, sed de substantia, inquit enim. *Non simul fit animal, & homo, nec simul animal, & equus ;* fit autem animal, vel homo per animas, non per operationes. Tertia est *Scoti 1. d. 17. qu 3. XX. V. ad primum de numeris*, dicentis animam intellectivam addi sensitivæ, ergo duæ animæ in homine.

95 Resp. ad 1. animam hominis etiam in singulari significari in scriptura Sacra ; ideo dicimus, quando spiritus ab anima distinguitur, hoc esse secundum officia, non secundum substantias, ut spiritus dicatur anima secundum proportionem superiorem, quatenus scilicet respicit æterna, anima vero secundum portionem

nem inferiorem, & in ordine ad creata. Ad primum locum Arist. facile resp. est enim pro nobis, quia ait, *Numero autem necesse est unum, & eamdem esse particulam in animali*, &c. cum autem addit, *ipso autem esse*, &c. non loquitur de anima, aliter sibi statim contradiceret, sed de diversis gradibus essendi, qui ab eadem anima sumuntur: in secundo loco loquitur de parte subjecti, nam rationalis continetur tamquam species sub anima in communi etiam ut continet sensitivam, & vegetitativam, quia istæ quatenus virtualiter-continentur, non faciunt species distinctas, sed vegetativa tantum, & sensitiva tantum specie inter se distinguuntur, & a rationali; non quod illæ negationes per ly *tantum* importatæ sint differentiæ essentiales, sed illas circumscribunt. Ad 3. locum resp. animam secundum essentiam esse in omnibus partibus viventibus, sic ossa anima rationali, sensitiva, & vegetativa informantur, non tamen esse in omnibus partibus quoad omnes actus, & operationes propter impedimenta in illis reperta; hinc ossa non sentiunt propter improportionem temperamenti, quod est nimis terreum, quæ tamen terrena materia fuit illis necessaria, ut sua duritie, & firmitate reliquum corpus stabiliret. Ad 4. Thomistæ dicunt dari successionem illam animarum, itaut ad adventum sensitivæ corrumpatur vegetativa: Sed falso, quia sic vegetans non destrueretur, nam semper adessent dispositiones ipsius, cum sint etiam sentienti necessariæ: tum quia numquam simile in animalibus produceretur a simili; tum quia si ideo in conceptu negatur anima sentiens, quia non adest propria operatio, ergo quia ante partum, & multis mensibus post partum non apparent operationes animæ rationalis in homine, deberet etiam hæc anima denegari. Expeditius igitur explicatur quoad operationes, itaut prius exerceat operationes vegetativæ, deinde sensitivæ, & tandem rationalis, & hoc propter indispositionem materiæ, quæ non ita perfecte potest statim præparari; cum vero dicitur loqui de substantia, falsum est, ly enim *fit* non sumitur pro factione passiva quoad actum primum, sed quoad actum secundum, quo sensu necessario intelligendus est Arist. 7. Polit. cap. 15. dum ait in pueris partem irrationalem præcedere rationalem, inquit enim, *Patet id in pueris, quibus statim ira, & appetitus, & concupiscentia existit, ratio, & mens procedente ætate in illis fiori natæ sunt*. Ad Scot. dicimus sumere animam sensitivam, & rationalem non physice, pro illis entitatibus, sed metaphysice, pro gradu scilicet generico, & specifico.

96 Secundo, arguitur ratione. Tum quia operatio propria arguit propriam formam, in homine sunt operationes animæ vegetativæ, & sensitivæ, ergo &c. Tum 2. operationes genere differentes, contrariæ, & quarum una sit actus appetendi naturaliter, altera appetendi libere circa idem objectum non possunt esse ab eadem anima, in homine sunt hujusmodi operationes, intellectio enim genere differt a sensatione, & idem homo idem objectum eodem tempore appetitu sensitivo appetit, quod appetitu rationali refugit, vel utroque appetitu idem appetit, aut refugit, sed illo naturaliter, isto libere, ergo &c. Tum 3. operationes vitales sunt immanentes, & recipi debent in eodem principio effectivo, sed sensationes, & vegetationes non recipiuntur in anima rationali, ergo &c. Tum 4. unica forma dat unicum esse, aliter idem esse sumeretur a pluribus formis, scilicet anima rationali, equina, canina, &c. sed in homine sunt tria esse, ergo &c. Tum 5. data hac sententia, non posset univocatio in animalibus, & in viventibus salvari, quia univocatio attenditur penes aliquam naturam ab univocatis participatam, ergo si in homine non ponerentur formaliter anima vegetativa, & sensitiva, non haberet aliquam naturam ab aliis viventibus participatam.

97 Resp. ad 1. majorem esse veram cum hac glossa, arguit operatio propriam formam, vel aliam superiorem virtualiter includentem illam. Ad 2. differentia generica operationum non arguit semper differentiam genericam principiorum, ut patet in Sole, imo in vegetativa plantarum, productio enim seminis est actio specie distincta a nutritione; solum igitur arguit diversitatem potentiarum, in una superiori forma virtualiter alias continente; nec operationes contrariæ etiam semper inferunt diversitatem specificam principiorum, quia eadem voluntas potest simul velle idem objectum efficaciter, & nolle inefficaciter, ut in projectione mercium in mari evenit ad salvandam vitam; idem appetitus sensitivus canis vult cibum, ut delectabilem, & illum respuit propter virgam, solum igitur aliquando diversas arguunt potentias, maxime quia isti actus non sunt vere oppositi, quia non respiciunt objectum secundum eamdem rationem, sed secundum diversas, scilicet ut delectabile est volitum, ut inhonestum est nolitum, idem dicendum de appetitu naturali, & libero, sicut intellectus, & voluntas hoc modo etiam differunt. Neque dicas potentias illas esse contrarias. Nam solum in actu secundo aliquo modo pugnant, potius sunt disparatæ. Ad 3. dicimus, sicut principium totale effectivum sensationum non est anima rationalis, sed totum compositum ex anima, & corpore, ita hoc totum est receptivum; ut suo loco patebit. Ad 4. sicut illa tria esse in homine sunt realiter identificata, sic ab una realiter forma proveniunt, quæ tamen sit plures virtualiter; neque est inconveniens, quod idem esse non ultimatum, & genericum sumatur a pluribus formis, esse enim coloris sumitur ab albedine, & a nigredine. Ad 5. neg. seq. & ad probat. dicimus non requiri ad univocationem metaphysicam, qualis est illa generis, quod detur aliqua forma realis realiter, & physice participata, hoc enim est proprium physicæ univocationis, & speciei specialissimæ, sed sufficere, ut in toto constituto sit realitas aliqua in illis inclusa, sic in proposito realitas animalis est in homine, & equo, attamen in homine hæc realitas sumitur ab anima rationali, in equo ab anima equina; ut patet in exemplo allato coloris.

98 Tertio, ad idem; anima rationalis est incorruptibilis, inextensa, non educta de potentia materiæ, quorum opposita aliis animabus conveniunt, ergo non possunt in unam substantiam convenire; præcipue quia corruptibile, & incorruptibile plusquam genere differunt 10. Metaph. 26. Tum 2. homo est formaliter corruptibilis, ergo ab aliqua forma sic denominatur, non a rationali, ergo a sensitiva. Tum 3. Scotus quol. 16. Y. ait, non ideo unam formam excludere aliam, quia illam virtualiter continet, ergo ex ista continentia virtuali rationalis animæ non debemus alias expellere ab homine.

Resp. ad 1. sensitivam, & vegetativam in homine non habere illa prædicata opposita, bene tamen ut in brutis, & plantis reperiuntur, non enim ista prædicata sunt de ratione formali sensitivæ, vel vegetativæ ut sic, sed quatenus constituunt bruta, & plantas. Ad 2. dicimus causam præcipuam corruptionis esse materiam ex dictis in physicis quatenus est in potentia contradictionis ad formas, & ab ista homo corruptibilis radicaliter denominatur, formaliter, & proxime a forma totius. Ad 4. dicimus ibi Scotum loqui de continentia virtuali primo modo, & in genere causæ efficientis, quo agens æquivocum formam aliquam a seipso diversam in se producit, ut patet legenti textum.

99 Quarto, anima rationalis non potest virtualiter continere vegetativam, & sensitivam, ergo tres animæ in homine; antec. prob. Primo, sensitiva de sua ratione formali est extensa, ergo virtualiter in anima rationali nequit contineri, sicut eadem ratione forma corporis virtualiter non continetur in anima, antec. prob. quia est materialis, non spiritualis, & per hoc materialia a spiritualibus distinguuntur ex dictis supra, tum quia operationes ejus sunt materiales, ergo & potentiæ a quibus proveniunt. Secundo, si vegetativa, & sensitiva essent potentiæ animæ, cum habeant quoque alias potentias, ut generandi, videndi, audiendi, &c. jam darentur potentiæ potentiarum, quod est falsum. Tertio, quia potentiæ sunt effectus quasi formales animæ, at effectus formalis a nulla prorsus causa provenire potest alia ab ea cujus est. Quarto sequeretur, quod magis differrent potentiæ auditivæ equi, & asini, quam potentia auditiva, & visiva hominis, quia illæ a diversis specie formis proveniunt, istæ ab eadem; hoc autem est falsum, quia istæ genere differunt, illæ nequaquam.

Resp. neg. antec. & ad 1. prob. neg. etiam antec. cum probatur dicimus, quod sensitiva de sua ratione formali non est materialis, sed præscindit, esse enim principium *quo* formale sentiendi, & vegetandi non includit necessario materialitatem, & extensionem, ut includit hoc, quod est esse principium *quo* formale corporis. Nec ex hoc, quod operationes sensitivæ sint materiales, inferri debet materialitas potentiarum, nisi de potentiis adæquatis sit sermo, quæ includunt etiam organa, at potentiæ animæ partiales, & incompletæ possunt esse inextensæ. Ad 2. dicimus animam rationalem virtualiter vegetativam includere esse habere potentias vegetativæ, non substantiam vegetativæ, distinctam a propria, ideo non dantur potentiæ potentiarum. Ad 3. effectus formalis necessario provenit a propria causa, vel ab alia virtualiter illa continente, in sensu exposito in not. ut ad sequens clarius dicemus. Ad 4. neg. sequela, & ad prob. neg. conseq. quia distinctio potentiarum non est sumenda penes id, a quo originantur, aliter intellectus, & voluntas essent ejusdem speciei; sed penes operationes, & objecta, ad quæ tendunt; ut disp. seq. qu. ult. dicemus.

100 Quinto, & si rationalis virtualiter alias contineat, adhuc necessario in homine requiruntur aliæ animæ formaliter, ergo &c. antec. prob. homo est formaliter sentiens, & vegetans, ergo per formam, quæ actu, & formaliter in ipso reperiatur, a qua tale esse recipiat, hæc autem nequit esse anima rationalis, quod prob. quia forma dans esse per informationem dat illud esse quod in se formaliter habet secundum substantiam, sed rationalis anima secundum substantiam, & formaliter non continet sensitivam, sed tantum virtualiter, ergo &c. patet exemplo de forma Solis, quæ ideo non denominat Solem formaliter calidum, sed tantum virtualiter, quia solum virtute continet in se calorem, non formaliter, & actualiter; quo argumento utimur ad ostendendum rationalem non excludere corporeitatis formam.

Resp. neg. antec. & ad prob. neg. minor subillata, cum prob. concedimus majorem cum hac limitatione, quod non requiritur, ut forma dicatur formaliter talis, sed solum quod sit principium formale constitutivum *compositi in tali esse, sicut albedo* dicitur alba ut *quo*, non ut *quod*, & hoc secundum proprium esse actuale; anima quoque rationalis non est formaliter sentiens, aut vegetans, nisi ut *quo*, & hoc secundum verum, reale, & actuale esse, quod in se habet; cum dicitur deinde in min. quod tantum virtualiter, non formaliter continet, dicimus, quod continet virtualiter in genere causæ efficientis, & primo modo in not. assignato non continet actualiter, ut in exemplo Solis adduc-

adducto; quod continet virtualiter in genere causæ formalis (quales sunt alii duo modi) & secundo modo tantum, adhuc non continet actualiter formam illam, sicut forma mixti actualiter non includit formas elementorum; at quod continet virtualiter tertio modo, vere actualiter in se habet illam formam secundum propriam rationem formalem, quia est principium, quo compositum accipit illud esse, sic se habet rationalis anima respectu sensitivæ, & vegetativæ. Dicitur autem virtualiter continere (quamvis adhuc formaliter, & actualiter dici possit continere, ut colligitur clare ex Scot. 2. d. 2. qu. 6. E.) respiciendo sensitivam tantum, & vegetativam tantum, quæ solum materiam perficiunt quoad proprios gradus, at rationalis, ultra illos gradus excedit ulterius, & propter istum excessum solet appellari virtualis continentia: & quoad istum excessum soldm est intelligenda comparatio illa, quam facit Scot. in 2. d. 15. ad 1. cum ait, formam mixti continere formas elementorum ad eum modum, quo rationalis continet sensitivam, & vegetativam, scilicet virtualiter; non enim est in omnibus comparatio, aliter vel forma mixta mixti esset principium, quo mixtum esset aqua, aer, &c. vel rationalis anima non esset principium formale sentiendi in homine; quare similitudo currit de excessu in gradu perfectionis, & de continentia virtuali secundo modo tantum; nam forma continens virtualiter tertio modo, continet quoque virtualiter secundo modo.

QUÆSTIO IX.

De informatione, & sede animæ.

101 UT statum quæstionis melius percipere possimus, prius explicandæ erunt principaliores partes corporis organici, loquemur autem de corpore animalis, maxime de homine tamquam de præcipuo analogato, deinde num omnes illas partes informet anima, an aliquas tantum; & tandem, quænam pars in corpore principem locum teneat, in qua tamquam in præcipua sede resideat anima.

ARTICULUS I.

Explicantur quædam partes corporis animalis.

102 PArtes corporis animalis aliæ sunt similares, & homogeneæ, quæ scilicet habent eamdem rationem cum suis particulis, ut os, caro, nervi, &c. aliæ dissimilares, & etherogeneæ, quæ ex similaribus componuntur; ut caput, manus, &c. similarium partium aliæ sunt solidæ, ut caro, pellis; aliæ fluidæ, ut sanguis, aliique humores, & spiritus, tam vitales, quam animales, item pinguedo, sevum, adeps, medulla, semen, lac, &c. Rursus dividi solent partes corporis, quod aliæ per se pertinent ad constitutionem corporis, & sunt quæ organis inserviunt, & ad primam consistentiam compositi corporis pertinent, aliæ dicuntur excrementitiæ, quæ ex partibus inutilibus alimenti gignuntur, & istarum aliæ sunt mere excrementitiæ, quæ tamquam inutiles expelluntur a corpore, ut fæces, saliva, aliæ sunt excrementitiæ innatæ, quæ naturaliter ex ipso corpore proveniunt, & ad ornamentum, ac alios usus deserviunt, ut pili, ungues, pennæ, squamæ, &c.

Inter partes solidas tria membra specialiter veniunt consideranda, cum enim corpus animalis in tres partes, seu cameras primo dividatur, scilicet in ventrem, in thoracem, & caput, in qualiber harum unum membrum residet tamquam principalius cæteris, in ventre est jecur, in pectore cor, in capite cerebrum.

103 Jecur, sive hepar est sanguis, cæterorumque humorum officina secundum Medicos, de quo diximus disp. 8. de gen. num. 68. situs est in suprema ventris parte, itaut stomaco incumbat, eumque foveat, figuram propriam nullam habet, in quibusdam animantibus, unicum est, & totum-continuum, in quibusdam in plures partes dississum; substantia illius est fere spongiosa, mediocriter mollis, rubra, & sanguinea, ac si esset sanguis coagularus, quomodo in ipso generetur sanguis, fiat humorum segregatio, & sanguinis ad cor transmissio, diximus disp. cit.

104 Cor principium vitæ, secundum Arist. in medio animalis natura statuit, & in thorace, tamquam in munitissima arce collocavit; nam ossibus obvallavit, exinde pericardio involvit, quod est membrana quædam firmissima, & veluti mænibus incluśit, inter pericardium, & cor humorem quemdam seorsum aquæ persimilem intersudit; sive is humor, ut serum exsudat ex aliis membris, sive ex cordis vaporibus frigore membranæ densatis generetur, frigida siquidem est omnis membrana. Cor in homine est aliquanto brevius, & latius, quam in plerisque animalibus, quia thorax quoque in homine brevior est, & latior; unde est figuræ pyramidalis, cujus basis medium thoracis occupat, nucro tamen, sive cuspis in anteriora, & sinistra declinat secundum Arist. 3. de par. anim. cap. 4. at Galen. 6. de usu partium cap. 7. docet, cor etiam in homine secundum omnem dimensionem, & æquilibrium esse in medio thoracis, hoc est certum, quod dum restringitur in motu cuspis propter convexitatem diaphragmatis flectit ad sinistram. Materia cordis est caro quædam dura, quasi media inter carnem, & nervum, & præsertim est infima parte propter concursum omnium fibrarum; hinc crassiore utitur alimento, non enim nutritur tenui sanguine finibus ejus contento, sed crassiore illo, quia jecore per venam cavam ascendit, & antequam ingrediatur sinum, suscipitur ea vena, quæ quia ad modum impositæ coronæ cordis basim ambit, coronaria appellatur. Solum equi, & boves cujusdam generis os habent in corde, teste Arist. 3. de part. anim. cap. 4. & hoc quia præ magnitudine os illud tamquam adminiculum subditum est, quomodo totum etiam corpus ossibus sustentatur, & continetur; de finibus cordis dicemus infra.

105 Cerebrum est corpus album, & molle, magis tamen in anteriori parte capitis, quam in posteriori, quæ cerebellum appellatur, & ejusdem fere rationis est in homine, & reliquis animalibus, nisi quod in homine servata proportione corporis est multo major illius quantitas, quam in ullo animali, & viri etiam plus habent cerebri, quam fœminæ. Totum cerebrum in plures partes dividitur; primo est ipsa massa cerebri, quæ dicitur medulla; quam circumdant duæ membranæ, *meninges* vocatæ; quarum una cerebri propinqua; quia magis tenuis, & lenis, pia mater dicitur, altera remotior cerebro, sed cranio capitis proximior, quia magis dura, & solida, vocatur dura mater. Extant intra cerebri medullam quatuor sinus, & veluti anfractus ad spirituum animalium generationem inservientes; primi duo sunt in dextera, & sinistra anteriori parte cerebri longo ductu a fronte rerrorsum tendentes, sed obliquo, candidissimo, & aqueo humore pleni, tum ne obscurus, & tenebricosus, sed clarus, purus, & quam maxime fieri poterat limpidus evaderet spiritus; tum ut frigidiori loco melius temperari posset. Hi duo sinus tamquam ad cavitatem quamdam deorsum in cerebri medio terminantur, quæ tertius censetur sinus; quartus est in cerebello angustissimus omnium, & forma calami.

106 Constat apud omnes temperamentum cerebri esse debere frigidum, & humidum, tum quia in calido cerebro, temerarii, furibundique fuissent motus, & sensiones, ut fere toler evenire phreneticis, vel gravi capitis dolore vexatis, licet a calore spirituum vitalium e corde ascendentium aliquantulum retundatur talis frigiditas; debuit esse molle, & humidum, tum propter sensiones, quæ in capite vigent, tum propter nervorum propagationem, quæ ex dura, & consistenti materia non fieret, nam flexibiles esse debent; cumque cerebrum in supremo loco deberit collocari, si duram accepisset substantiam, nimium omnino gravasset caput. Illud etiam mirabile, quod cum cerebrum sit omnium sensuum principium, ipsum tamen sit sensuum expers, aut parum possidet; unde communiter asseritur, dolores, quæ sæpe sentiuntur in capite, membranarum sunt, non substantiæ cerebri. Moveri etiam cerebrum certissimum est, non tamen animaliter, hoc est motus ille non est in nostra potestate, neque ut nobis libuerit, intenditur, aut remittitur, sed naturaliter, ac necessario, unde motu cerebri fit sternutatio, tunc enim colligit se, & contrahit ad noxiæ rei exclusionem, quodque est in thorace tussis, in ventre singultus, aut ructus, hoc in cerebro sternumentum est.

107 Quod attinet ad partes fluidas corporis, jam de quatuor humoribus scilicet sanguine, pituita, seu flegmate, colera, seu flava bili, & melancholia, sive atra bili, quomodo fiant, *cujusque sint conditionis*, & *qualitatis*, *diximus* disp. 8. de Gen. num. 68 & seq.

Spiritus est sanguinis tenuissima pars in corde, vel cerebro perpurgata, & inde distributa ad functiones vitæ; fit autem hoc modo; Vitalis vis in corde residet, ubi est fons præcipuus, & maximus caloris nativi, ab eo autem spiritus vitales hac ratione generantur: A vena cava derivatur ramus quidam in dextrum ventriculum cordis, quo sanguis in cor influit, cor vero perpetuo movetur motu dilatationis, & constrictionis: dum ergo dilatatur, ventriculus ejus dexter repletur sanguine, eoque ibi effervescente partes tenuiores sanguinis percolantur in sinistrum per membranulam quamdam interjectam inter utrumque ventriculum, ubi amplius calore sinistri ventriculi perficiuntur. Sanguis itaque percolatus maxime subtilis, & calidus, alteriusque jam coloris effectus a reliquo sanguine, spiritus vitalis appellatur a Medicis. Porro quando cor rursus motu constrictionis movetur, *spiritus generati* in sinistro ventriculo per arterias expelluntur ab eo originem trahentes, ac per totum corpus, ut vitam tueantur, egrediuntur. Sunique spiritus isti separati quidem ab aliis membris, non enim possent impelli sine membrorum offensa, & destructione, cum quibus forent continui, at inter se sunt continui, non distincti quasi athomi. Maxima vero spirituum vitalium pars cerebrum petit, ut inde spiritus animales, & sensitivi generentur, & per meatus ad id destinatos organa sensuum ibeunt ad sensationes eliciendas; unde secundum communiorem specie a prioribus non differunt, sed solum ex accidente per hoc, quod frigiditate nativa cerebri infrigidantur, & humectantur; ita rem explicat Molina 1. p. qu. 22. art. 3.

108 De semine quid sit, & quomodo fiat *diximus disp.* 8. de Gen. qu. 2. art. 2. Huic simile est lac, quod *nil aliud est*, quam sanguis per venas ad ubera attractus, *ibique de novo concoctus*, & a glandulosa *mammillarum substantia in albedinem*, & dulcedinem alteratus; potissimum autem generatur ex sanguine menstruo, quo quia abundant fœminæ, illæ solæ lac habere communiter: quod autem ex illo fiat. Prob. quia juvenculæ, sicut & vetulæ lac non habent, quia destituuntur illo sanguine; &

ex

ex Arist. lib. 4. de Gen. anim. cap. 8. lactantibus non fiunt purgationes menstruæ, neque lactantes concipiunt, & si conceperint, lac extinguitur, quoniam eadem lactis, & menstruorum materia est: an autem in viris quoque lac reperiatur, tetigimus disp. cit. num. 23.

109 Adeps, & pinguedo idem sunt imo & sevum, ex Arist. 3. de hist. anim. cap. 17. & si inter hæc aliquod videatur esse discrimen, pinguedinem enim ita aliqui distinguunt ab adipe, ut extremitatibus musculorum, membraneisque partibus, ac nervosis adeps adhæreat, pinguedo vero cute, & carne interludatur; sevum magis diversum est & magis crassum, ac terreum, aptumque magis concrescere, & in animalibus altera tantum parte dentatis, ac cornigeris maxime invenitur. Causa efficiens pinguedinis est calor moderatus ex Arist. 2. de part. anim. cap. 5. & 1. de Gen. anim. cap. 18. & 19. contra Fernel. qui non vult pinguedinem calore generari, sed frigore illarum partium, in qua sanguis attenuatus impingit, quod esse falsum, patet, quia nulla pars animalis est tam frigida, ut possit sanguinem congelare, imo calidioribus animalis partibus pinguedo adnascitur, ut patet in renibus, & ventre inferiori, ubi adest axungia, quæ est adeps purior, quia magis prope intestina, cor autem quia calidissimum, non habet pinguedinem, quia nimius calor multum sanguinem facit vaporare, unde laboribus pingues ventres extenuantur; at hyberno tempore frigore densatur cutis, & sic non permittit transpirare sanguinem; attemperatur item calor, qui est pinguedinis effectivus, idcirco pinguiores sumus in hyeme.

110 Circa medullam distinguendum est de medulla, quæ est in spina dorsi, & de illa, quæ est in reliquis ossibus, prima enim videtur esse ejusdem substantiæ cum cerebro, illique continua, maxime cum ex illa oriantur, ut patet ex anathomia, nervi non pauci, sicut etiam e cerebro, quare neque cedit in alimentum spinæ dorsi, sicut reliquæ medullæ, sed vertebræ illæ alio occultiori succo nutriuntur; quod etiam est dicendum de illis ossibus, in quibus nulla manifeste apparet medulla nutriens, qualia sunt Leonis ossa apud Arist. 3. de hist. anim. cap. 7. quæ tota fere solida sunt. Secunda autem, quæ proprie medulla dicitur, est sanguis magis concoctus, & per poros ossium in illorum interna transmissus, ut sit illorum alimentum.

111 Inter partes excrementitias, quæ tamen inserviunt, ab aliquibus numerantur dentes, qui non eamdem omnino naturam cum cæteris ossibus habere videntur ex 2. de Gen. anim. cap. 4. Ipsorum officium est cibum stomaco præparare, & ad vocis efformationem concurrere, triginta in hominibus numerantur in quibusdam plures, vel pauciores; dividuntur in incisores, caninos, & molares; incisores quaterni sunt in utraque maxilla anterius collocati, & isti prius oriuntur, quia prius officium est fecandi, quam molendi ex 5. de Gen. an. cap. 8. canini authiores sunt, & aptiores ad frangendum, si quid incisores superare non possunt, funtque quatuor, reliqui sunt molares, qui duplices, triplices, & quadruplices radices habent, plures etiam in superiori maxilla, quia penduli in illa dentes hærent, reliqui singulas radices habent, unde etiam citius cadunt; sed maxime pueris, quia nimis teneri sunt, quare excidunt, ut natura meliores possit reponere, & maxillæ valde delicatæ inhærent; in senectute tamen decidunt propter caloris, & humoris inopiam, quo fit, ut & nervus, qui dentem implantabat, contrahatur, & ipsa radix contracta ampliorem alveolo relinquat locum, vel ipse alveolus deficcatus radici spatium præstat excidendi. Dentes omnes, ut notat Fallopius, in se cavitatem habent magnam, aut parvam pro diversitate molis, quæ cavitas linitur quadam membrana tenuissima sensu exactissimo prædita, quam aliqui ex minimis venis, nervis, & arteriis contextam esse contendunt, nam in intima cavitate dentes, dum inflammantur, videntur pulsare, at pulsus nequit esse, nisi ubi est arteria. Si pars aliqua solum frangitur, non iteum perficitur, quoniam truncus in maxilla remanens renovationem prohibet, quo exacto libera est natura, ut ex nova accedente materia, si robustus sit calor, novum dentem reponat.

112 Pilorum materia est excrementum quoddam crassum fuliginosum, quod exiens per poros, indurescit, & aliud supervenions propellit, & in longum protenditur, & si pori sunt recti, etiam pili recti nascuntur, si vero curvi, & cutis dura, capilli, & pili crispi proveniunt; nam dum conantur cutim erumpere, aliquantulum in se reflectuntur, & retinent quamdam figuram reflexam. Unguium autem materia est excrementum nervorum, arteriarum, & ligamentorum, de quibus dicemus disp. 5. qu. 11. ideft de plumis, rostris, cornibus, aliisque similibus dicendum; vide de his partibus corporis Angestum de propr. form. pag. 159. Dandinum in libris de corpore animato, Zanardum de Universo humano, & Anathomicos; hæc pauca pro nostro instituto sufficiunt.

ARTICULUS II.

Quæ partes corporis informentur ab anima.

113 In hac difficultate primo refellenda est opinio quorumdam antiquorum asserentium animam non informare quamlibet partem exercentem aliquam vitalem operationem, sed solum unam partem, e qua deinde totum regeret corpus ad modum regis non residentis in qualibet regni parte, sed in una determinata, & ex illa totum gubernat regnum; quam partem alii dixerunt esse caput, alii cerebrum, alii supercilia, alii pectus, alii aliquem locum corporis occultum, ex quo pro opportunitate in quamlibet partem discurreret ad modum aranei, ut referunt Conimbr. 2. de Anim. & cap. 2. quæst. 9. art. 2. & Ruv. tract. de modo inform. animæ quæst. 4.

Hic dicendi modus est falsus, ut expresse habet Arist. 2. de Anim. 19. dum animas plantarum divisibiles ponit. Tum quia quælibet pars corporis vivens exercet aliquam operationem vitalem; ergo quælibet talis est informata anima, antecpater, quia saltem quælibet nutritur, & augescit; conseq. prob. quia operatio vitalis est immanens, & in principio elicitivo recipi debet; unde ex operatione arguitur semper animæ præsentia. Tum quia animal non dicitur constare ex anima, & capite, aut cerebro, vel pectore, sed ex toto corpore, ergo totum corpus erit formaliter animatum. Probat. conseq. quia non vivens nequit esse pars intrinseca viventis constitutiva, aliter esset quid aggregatum per accidens; ita Doctor 4. d. 1. quæst. 5. supra B. & d. 49. quæst. 14. C. ubi & si de anima rationali loquatur, a fortiori idem est de aliis dicendum.

114 Dices, Arist. 1. de motu anim. cap. 7. ait, *Non oportet in unoquoque esse animam, quid in quodam principio corporis existente alia quidem vivere, quia adnata sunt, facere autem opus proprium propter naturam*, ubi videtur clare asserere quasdam partes ideo vivere, non quia habeant in se animam, sed quia adnatæ sunt, sive continuæ, & conjunctæ cum eo membro, in quo est anima; idem videtur asserere in lib. de juvent. & senect. cap. 1. Tum quia anima nequit informare partes discontinuas, sed partes corporis sunt discontinuæ, quia specie differunt, & specie diversa nequeunt continuari ex 5. Phys. 31. ergo &c. Tum 3. anima nequit informare partes etherogeneas, nisi homogeneas informet, ex quibus etherogeneæ constant, sed homogeneæ non sunt perfectibile proportionatum respectu animæ, hæc enim est actus corporis organici, ergo &c. Accedunt rationes, quibus, ut videbimus art. seq. ostenditur præcipuam partem in corpore esse cerebrum, vel cor, nam etiam videntur ostendere solum cerebrum, aut cor ab anima informari.

Resp. Arist. ibi solum voluisse docere, animam specialiter, & principaliter residere in una parte, a qua omnes aliæ quo ad operationes vitales dependent, & tamquam a principio, & origine vitam in alias partes diffundat, non tamen docere, partes illas neque independenter, neque dependenter ab anima informari; quæ autem sit illa pars, dicemus art. seq. hoc etiam ostendunt rationes ibi adducendæ. Ad 2. dicimus partes corporis animatas esse continuas inter se saltem secundum aliquas partes, nam ossa continuantur carni per quosdam nexus, vel apparentes, & visibiles, vel immanifestos propter parvitatem; cerebrum enim de quo magis dubitari solet, est continuum cum medulla dorsi, quæ dicitur spinalis, quamvis sit discontinuum cum membranis, & cranio capitis, quomodo intelligendus est Arist. 2. p. anim. c. 7. dum cerebrum discontinuum ponit; nec est verum specie differentia non posse continuari universaliter, nisi cum hac limitatione, quod scilicet continuativum non sit ejusdem rationis cum partibus continuatis, ut diximus sæpius in Phys. & in lib. de Cœlo. Ad 3. probaret animam nullam partem actuare, dicimus ergo partes homogeneas esse perfectibile animæ inadæquatum, & secundarium, non adæquatum, & primarium, tale enim est organum, quæ organa in omnibus viventibus reperiuntur, sive sint animalia, sive plantæ licet interdum non appareant. Posset etiam argui tum ex distinctione potentiarum ab anima, de quo disp. seq. tum ex indivisibilitate ejusdem, de quo diximus sup. qu. 5.

115 Hac opinione rejecta videndum est, num omnes partes, quæ reperiuntur in corpore informentur ab anima. Circa quod in primis est certum apud omnes, partes mere excrementitias non esse animatas, sed potius ut inutiles expelli, quia nullam vitalem operationem habent; ex opposito certum est, etiam partes solidas, quæ ad primam consistentiam corporis spectant, esse vere animatas, ut docet Scotus 4 d. 44. qu. 1. supra A. quia pertinent per se ad rationem corporis organici; dubium remanet de aliis, puta sanguine, humoribus, semine, lacte, adipe, dentibus, unguibus, & pilis. Aliqui enim universaliter docent esse animatas, & præcipue de sanguine hoc asserunt Cajet. 1. p. qu. 119. art. 1. Tol. 2. de Anim. qu. 4. Hurt. disp. 1. de An. sect. 6. qui hoc negat de semine, & sanguine monstruo, Arriag. disp. 1. sect. 9. Compl. disp. 6. qu. 1. qui alios Thomistas citant. Alii negant de partibus fluidis, & concedunt de aliis, & hoc vel eadem anima totius, ut Ruv. cit. qu. 8. & 9. Roccus 2. de An. qu. 5. & seq. vel propria anima pure vegetativa, distincta ab anima totius, ut D. Bon. in 4. d. 44. qu. 2. Dur. qu. 1. Averfa qu. 45. sect. 4. & 5. Alii negant de pilis, & concedunt de unguibus, ut Moris. disp. 1. de An. qu. 2. Tallef. lib. 2. controv. Med. cap. 4. & Hurt. cit. Alii demum absolute de omnibus negant, ut Fern. lib. 2. Physicol. c. 2. Fracast. 2. de An. Dand. lib. 3. de corpore anim. c. 4. Onufr. tract. 1. de An. disp. 2. p. 2. qu. 5.

116 Dicendum est, partes fluidas non informari anima, dentes vero, cornua, rostra, plumas, & ungues esse animatos non anima distincta, sed eadem totius; capilli autem, & pili an informentur, necne, utrumque esse probabile. Prima pars de partibus fluidis est Scoti 2.d.18.qu.un.& 20.qu.2.3.d.3.q.2.& 4.d.10.q.4.A.& d.44.q.1.per totum supponit, quod nutrimentū non habeat formam nutriti, ex quo sumitur ratio fundamentalis hujus dicti: alimentum non potest esse animatum eadem anima, qua vivit nutritum (ut demus Hurtado posse vivens alio vivente nutriri) sed sanguis est ultimum alimentum, & principale ipsius viventis in omnium sententia, & ex Arist. 3. de part. anim. cap. 5. ergo &c. major probat. nutritio est mutatio substantialis alimenti in substantiam aliti, unde solet aggeneratio vocari, ergo debet in alimento nova forma induci, & præcedens perire, at si sanguis est animatus, quæ forma inducitur de novo, & quæ perit? certe anima esset inducta, & deperdita.

Resp. Hurt. unam partem viventis alteram alere, ut caro nutrit ossa, & stomachus deficiente cibo vicinas partes urit, & fames contingit, & hoc propter diversa partium temperamenta, unde si anima divisibilis habet partes etherogeneas, una pars consumit aliam, at in rationali, quæ est indivisibilis, una pars consumit temperaturam alterius. Addit Arriaga non omnem nutritionem esse conversionem substantialem, sed aliquam esse accidentalem, ut *in proposito* caro solum accidentaliter e sanguine nutritur introducendo in illo proprias dispositiones.

117 *Sed* ut ab hoc ultimo incipiamus, quod nutritio sit substantialis actio, patet ex communi omnium consensu, intelligitur enim actio illa, qua vivens propriam substantiam restaurat, quam actione caloris naturalis in humidum radicale amisit, & in significato vocabulorum communis consensus maxime urget. Tum quia falsum est unam partem viventis ex alia nutriri, aliter seipsum vivens destrueret. Prob. seq. quia una pars est specie distincta ab alia per formas partiales, modo si ossa verb. gr. ex carne nutrirentur, jam deberet forma carnis corrumpi, & consequenter pars animæ informans carnem destrueretur, si anima est indivisibilis, aut saltem unio animæ indivisibilis cum carne cessaret, quia ad destructionem prioris formæ destruitur forma posterior, vel unio ipsius. Tum quia *in sententia* ipsorum lac, & semen non sunt animata, ergo neque sanguis, qui est illorum materia, ex qua fiunt, erit animatus. Conseq. prob. quia sanguis in lac, & semen convertitur virtute viventis, ergo si esset animatus, jam vivens seipsum destrueret convertendo partem animatam in aliam non animatam, quod est contra naturam cujuslibet agentis, quodlibet enim appetit esse, & vivere.

Respondent Thomistæ duplicem sanguinem esse in homine, imperfectum, qui nutritioni inservit, & hic non est animatus, & dicitur nutrimentalis, alterum perfectum, & naturalem magis decoctum, & purificatum, & hic est animatus, nec inservit nutritioni, nisi quatenus sit magis perfectus, inquiunt Complut. itaut ubi prius habebat gradum vitæ vegetativæ; quando erat sanguis, per *nutritionem convertitur in carnem*, & acquiritur eadem anima sub gradu perfectiori scilicet sensitivo. Ab hac ultima responsione non multum distat Tolet. dicens sanguinem animа informari solummodo secundum gradum corporis mixti, & in nutritione acquirere gradum viventis.

118 Hæc tamen distinctio de duplici sanguine videtur adinventa ad illudendum Aristotelem, & rationem, cum nullum signum appareat hujus distinctionis sanguinum in corpore animalium, totus enim sanguis inter se continuatur, iisdem continetur vasis, & eadem ubique habet accidentia. Nec quod additur de gradibus illis, est verum; nam gradus isti sunt idem realiter, maxime in ipsorum etiam sententia non admittente plures animas in vivente, ergo *si anima informat aliquam materiam*, informabit illam secundum totam physicam entitatem, quam habet, & consequenter secundum omnes gradus inclusos in illa entitate, ergo nequit anima tribuere sanguini gradum corporis, deinde gradum vitæ vegetantis, & tandem gradum sentientis. Dices, acquiri de novo hoc, quod est posse exercere perfectiores operationes, scilicet vegetantis, aut sentientis animæ. Contra, quia in sententia ipsorum hæc non poterit esse substantialis mutatio, sed accidentalis, nam non acquiritur nova pars, vel novus gradus animæ, ut dictum est, neque nova potentia, quia si non est realiter ab anima distincta, jam præcesserat, si realiter distinguitur, ut ipsi docent, erit accidens; neque acquiritur nova pars corporeitatis formæ, hanc enim negant *in vivente*, ergo in hac nutritione solum fieret acquisitio aliquarum dispositionum requisitarum ad operationes vegetantis, aut sentientis animæ; ergo per hanc nutritionem non fieret restauratio substantiæ deperditæ per actionem caloris naturalis.

119 Secundo, prob. principaliter, sanguis non est continuus cum ulla parte animalis, ergo non est animatus. Conseq. patet ex 5. Phys. 39. ubi habetur simpliciter unum necesse est esse continuum, at quod una forma substantiali informatur, simpliciter est unum; antec. est Arist. 2. de part. anim. cap. 3. ubi circa finem sic ait, *Non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est, sed in corde, ac venis quasi vasis continetur*, vas autem non est continuum cum liquore contento; & patet clarissime in anathomicis, nec enim in corde, vel ullo alio membro apparent ulla signa, cujusmodi essent fibræ, vel simile quid, quibus continuetur, ut ajunt Complut. sed scisso corde totus sanguis effluit, sicut fracto vitro tota aqua dispergitur. Responsio Hurt. & Arriag. dicentium sanguinem continuari cum jecore, aut venis, est ex iis, quæ facile dantur, & difficile probantur, nam in jecore nullum est continuationis signum, sed ex illo tamquam spongia exprimitur. Quod vero addunt, hoc argumento potius ostendi ossa non esse animata, quia difficilior eorum apparet continuatio, falsum est, ut

enim observat Vesal. lib. 1. de hum. corp. febr. cap. 3. & 4. ligamenta, quibus vertebræ ossium, & cartilagines, quibusque ossa conjunguntur, ita solent innasci ipsis ossibus, ut difficillimum sit ipsa discernere; idem dicimus de nervis, qui habent extrema similia musculis, quibus figuntur, & ejusdem videntur esse substantiæ. Neque tandem dicas cum Vasq. cui hæc ratio non satisfacit, quamvis nobiscum sentiat, animam scilicet posse informare partes continuas physice, ideft substantialiter, quamvis discontinuas mathematice; esse autem continuas physice explicat ex eo, quia habent unam formam substantialem. Contra enim est, quia committitur manifesta nugatio, est namque dicere posse informare partes, quas informat. Prob. quia sunt continuæ solum per ipsam formam substantialem formaliter, *sed possunt informari*, quia sunt continuæ, ergo possunt informari, quia informantur.

120 Tandem nulla operatio vitalis reperitur in sanguine, hæc enim maxime esset nutritio, quod est falsum, quia non augetur, nisi per juxtapositionem; sed unde hoc probatur, inquit Arriaga, & quo pacto constat? Dicimus hoc fieri manifestum ex anathomica arte, quia totus sanguis, & quilibet alius humor in jecore generantur, & facta humorum segregatione per partes corporis diffunduntur, quod est augeri per juxtapositionem, non per intus sumptionem alimenti. Ex quibus idem inferas de aliis partibus fluidis, quia sunt etiam alimenta, & minus inserviunt corpori, quam sanguis specialiter de semine diximus disp. 8. de Gen. qu. 2. art. 2.

121 Secunda pars de dentibus, & aliis ibi enumeratis, quod informentur anima. Prob. nam dentes ex 2. de gen. an. cap. 4. sunt ejusdem naturæ cum ossibus, eodemque utuntur alimento, *quamquam in eo discrepent*, quod non primo oriuntur, sicut ossa, essent enim inepti ad fugendum; oriuntur autem septimo a nativitate mense, aut citius, si lac nutricis fuerit calidum; & certe dens suam medullam habet, ut reliqua ossa, nutriuntur ex illa, & augescunt secundum omnem dimensionem, quousque augetur vivens, & quoniam attritu ciborum secundum longitudinem atteruntur, & minuuntur, idcirco toto vitæ tempore secundum hanc dimensionem augentur, habent nervos, & venulas, ex quibus alimentum sumunt. Addunt aliqui dentes etiam sentire. Sed minus probabiliter, nam dolor ille potius est in carne conjuncta, aut in nervo, quam in dente, sicut nec ossa propter terrestreitatem sentiunt. Ungues esse animatos probari potest ex auctione secundum omnem dimensionem, unguis enim ad planam *superficiem resectus, non modo crescit*, sed etiam rotundatur, & acuminatur; unde fibris abundat ut arborum folia, quod clarius patet in unguibus equorum, & similium; clarissime etiam idem conspicitur in rostro, & cornibus animalium. Pennæ quoque avium animatæ videntur, quia pennæ tenerrimæ sæpe sanguine in cavo plenæ inveniuntur, & resectæ ita recrescunt, ut pristinam figuram cultelatam recipiant, ut antea, ejectis ab utroque latere plumulis eodem colore, & ordine, quo erant prius, quod nequit fieri solum per juxtapositionem a radice plumæ, tunc enim solum promoveretur cum illa resectione, nec mutaretur figura.

122 Verum quia non ita manifeste hoc augmentum fit in pilis, & capillis secundum omnem dimensionem, idcirco determinate non asserimus esse animatos; nam dici posset augeri ex meris excrementis secundum *longitudinem tantum*: fuaderi tamen potest animatio, quia in *incisione non solum crescunt, sed etiam acuminantur, ut plumæ, quod si augerentur per juxtapositionem*, deberent semper fieri crassiores, aut saltem uniformiter manere. Accedit, quod pili, & capilli, ut aliqui oculati observarunt, sunt cavi, & perforati, & in ipsorum radicibus humor quidam reperitur, ut in pennis, quod indicat augmentum fieri per intus sumptionem ad modum viventium. Hinc notat Arriaga non alia ratione quandoque homines ex vehementi apprehensione mortis imminentis, in una nocte sola incanuisse, nam si fieret augmentum per juxtapositionem, humor ille, qui est causa canitiei solum ad radicem capillorum applicaretur, & sic non posset tam brevi spatio reddere capillos albos; melius ergo dicetur, applicationem illius humoris fieri per intus sumptionem in toto capillo per poros; tenuitas enim non impedit poros, nam pedes quorumdam animalculorum sunt tenuiores, & tamen sunt animati, & per poros attrahunt alimentum.

123 Quod autem *non habeant animam distinctam* ab *anima* totius. Prob. ex hoc, quod non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nullum autem inconveniens sequitur, si anima totius informarentur. Tum quia post mortem animalis semper deberent ungues, & pili crescere, nam anima permaneret, & materia, utpote magis excrementitia post mortem, copiosior adesset, quod non experimur, nisi raro, quo casu unde proveniat talis auctio, dicemus infra. Tum quia Verbum non solum partes corporis necessarias assumpsit, sed etiam, quæ ad ornatum pertinent, ut sunt ungues, & capilli, ut communiter docent Theologi, ergo si hæ partes *habuissent* proprias animas, certe in triduo mortis Christi Verbum fuisset illis partibus animatis unitum, & consequenter poterat tunc dici per idiomatum communicationem Deum *exercere* opera vitæ corporalis, quod nullus umquam Patrum asseruit. Nec in Sacramento altaris ex vi verborum pili, & ungues essent sub speciebus panis, quia revera *sunt corpora omnino distincta*, imo & suppositа diversa; se haberent *enim* ut arbores in terra radicati. Accedit, quod aliæ partes se habent ut folia in arboribus, quia interveniunt ad naturam, & conservationem aliarum partium, ergo

sicut folia non habent animas distinctas ab anima totius, neque ungues, & pili.

124 In oppos. argum. 1. quod sanguis sit animatus; nam Levit. 15. habetur, *Anima omnis in sanguine est*, ubi D. Augst. quæst. 57. in Levit. ait, *Aliquid vitale est in sanguine, quia per ipsum maxime in hac carne vivitur, ipsam vitam corporis vocavit animam*; & in lib. quæst. veteris, & novi Testam. ut refertur dist. 32. quæst. 2. Can. *Moyses*, inquit, *anima certe quia spiritus est, in sicco habitare non potest; ideo in sanguine sertur habitare*. Neque dicas, inquit Zanard. 2. de Anim. lect. 16. §. 2. animam esse in sanguine propter dependentiam, quatenus ab eo fovetur, & alitur. Nam scriptura dicit animam in sanguine esse, non ab eo dependere. Deinde Concil. Trid. sess. 13. capit. 3. determinat animam esse sub utraque specie vi naturalis connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, inter se copulantur, ergo supponit Concilium esse connexionem animæ, & sanguinis. Tum 2. sæpe in Sacra Scriptura sanguis dicitur vera pars hominis, sicut est caro; Matth. 16. *Caro, & sanguis non revelavit tibi*; sic Innocent. 3. in extrav. de celebrat. Miss. & Cajus Papa in decret. ad Felicem; apud Concil. etiam Trident. cit. & Ephesinum in Epist. ad Nestor. sanguis dicitur pars Christi Domini ad modum carnis, ergo sicut caro est animata pars hominis, ita sanguis. Per quod excluditur communis responsio, quod sanguis dicatur pars, quia necessario requiritur ad conservationem corporis. Nam authoritates allatæ comparant sanguinem cum carne. Tum quia ait Arriaga, etiam calor, & quantitas dicerentur partes hominis, quia necessario requisitæ; quod si dicas hæc esse accidentia, non substantiam, ut est sanguis; præterquam quod hoc parum referret, qua pars, ut in proposito a nobis explicatur, est, quæ necessario ad hominis conservationem requiritur, quod illis accidentibus vere convenit; adhuc instatur de aere, qui est substantia quædam necessaria ad conservationem hominis, & tamen a nullo ponitur pars illius, ergo ad rationem partis exigitur animatio. Unde homo sine sanguine est mutilus, & ad operationes vitales exercendas prorsus ineptus. Accedit etiam ratio Theologica; quia Verbum unica unione hypostatice assumpsit naturam humanam, & corpus mediante anima, & tamen assumpsit etiam sanguinem, ut est communis Theologorum opinio, ergo sanguis est animatus. Probat. consumpsit, aliter non unica unione assumpsisset, quicquid assumpsit, nam humana natura & sanguis essent duæ naturæ adæquate distinctæ. Nec mediante anima, quod est falsum, quia sic assumpsisset naturam irrationalem; quod Deo inconvenit, fieret enim communicatio idiomatum, & valeret dicere Deus est sanguis, & e contra sanguis est Deus, quod a nullo asseritur.

125 Resp. animam esse in sanguine non tamquam in subjecto animato, sed tamquam in eo, a quo dependet, vita enim fovetur & alitur a sanguine, unde licet non sit pars primo integralis corporis animalis, quia non est formaliter animatus, est tamen pars integralis in secundo gradu, seu est pars subintegralis, ut alii loquuntur, quia & est ejusdem prædicamenti cum partibus vere integrantibus, & ita est in corpore, ut sine illo esse non possit; & in hoc sensu intelligenda est authoritas ex Levit. nec replica Zanardi urget, quia solemus etiam dicere vitam nostram esse in manu Dei, in manu Principis, quia in conservari dependet. In eodem sensu exponi potest D. Augst. quamvis vere videatur esse pro opposita sententia. Ad Concil. Trid. dicimus animam habere connexionem cum sanguine non immediatam, sed mediatam; ipsa enim quia est actus corporis, habet connexionem cum corpore, corpus autem cum sanguine tamquam parte subintegrante. Ad 2. patet, quo sensu sanguis sit pars hominis, nec est verum, authoritates illas in eodem sensu asserere carnem, & sanguinem esse partes hominis. Ad aliam replicam dicimus, neque calorem, aut quantitatem, neque aerem esse partes hominis, quia calor, & quantitas sunt accidentia, pars autem integralis, aut subintegralis alicujus substantiæ debet esse substantia; aer autem licet necessario requiratur ad conservationem, non tamen dicitur pars, quia non est ordinatus per se ad conservandum, & constituendum corpus viventis, at sanguis est per se ordinatus ad fovendam vitam, quia est ultimum alimentum, de quo nutriri debet animal, insertque plurimis vitalibus actionibus; qua ratione homo exanguis recte dicetur mutilus. Ad 3. dicimus pro nunc (est enim res mere theologica) quod Verbum unica unione totali assumpsit humanitatem, pluribus tamen partialibus unionibus assumpsit etiam partes tam essentiales, quam integrantes, aut subintegrantes, & universaliter quicquid erat de integritate illius humanitatis; nec est verum, omnia Verbum assumpsisse mediante anima, quia in triduo corpus inanime erat Verbo unitum; unde non implicat naturam irrationalem assumi a Deo & fieri idiomatum communicationem; hinc in rigore sermonis propositiones illæ sunt concedendæ; licet communiter fiant de tota natura humana, & passionibus illi convenientibus. Dices, sanguis esset natura totalis, & completa, sicut & humores, ergo non partiali unione, sed totali Verbum fuisset illi unitum, quod est falsum. Resp. sicut quia inservit corpori suo modo dicitur pars subintegralis, licet in se sit ens completum, sic pariformiter illa unio dicetur partialis.

126 Secundo argum. ex Arist. 3. de hist. anim. cap. 19. *Semper quamdiu vita servatur, sanguis unus animatur, & fervet*; unde 2. de part. anim. cap. 2. de sanguine discutrit, ac si esset vera pars corporis, & addit, quod nutritur, & augetur, quæ sunt opera vitæ, & cap. 7. docet animam in spiritibus residere. Tum 2. sanguis movetur ad faciem, si quem pudeat; ad interiora, si quis timeat; bullit, dum irascimur, quæ nonnisi ab anima possunt evenire media apprehensione, & appetitu. Tum 3. quatuor humores se habent in homine parvo mundo, sicut quatuor elementa in magno universo, sed elementa in mundo non solum sunt materia transiens mixtorum, sed etiam habent rationem partis in universo, & a forma totius universi informantur, ita humores erunt materia transiens viventis per nutritionem, & erunt vere partes animæ totius informatæ. Tum 4. sanguis est organum, & instrumentum, quo vivens aliquas operationes exercet, ergo est animatus; Conf. patet ex inductione in aliis organis, ut sunt manus, auris, oculus, &c.

Resp. ad 1. dum Arist. ait sanguinem animari, vult innuere transitionem sanguinis in carnem, & cæteras partes per nutritionem, eo quia est alimentum proximum, non tamen quod dum sub forma sanguinis permanet, sit animatus; dicitur etiam augeri non vitaliter, & per intussumptionem, sed per juxtapositionem, quo sensu dici posset nutriri, eo modo, quo ignis etiam dicitur nutriri (si tamen hoc additum vere reperiatur apud Arist. vide textum) dicitur quoque residere in spiritibus, non ut in subjecto, sed ut in illis, a quibus dependet, ut diximus. Ad 2. dicimus motus illos fieri per sympathiam partium corporis, in quibus continetur sanguis, motis enim, & alteratis partibus illis per imaginem sanguis etiam movetur; de qua membrorum consensione pulcherrime discurrit Fracastor. lib. de Sympath. cap. 15. quod enim non moveatur ab anima, patet, quia sæpe erubescimus, & pallescimus, cum minime vellemus; & quod ex eo motu nihil inferatur pro animatione, patet, quia etiam in timore solent viscera commoveri, & excerni excrementa, sudor erumpere in nimio risu, oculi lacrymari, in nausea solet stomachus reddere cibum, imaginantibus aliquibus aliquid sapidum saliva solet ad os confluere, quæ tamen animata esse, quamvis hoc modo moveantur, nemo admittit. Ad 3. paritas nec currit in omnibus, nec quod assumitur de elementis, quod sint informata anima totius universi est verum, etiam in sententia Thomist. quare sicut elementa, quia sunt materia mixti, non sunt informata forma mixti, ita humores, quia sunt materia transiens viventis, non erunt informati anima viventis. Ad 4. sanguis non dicitur proprie organum animæ, hoc enim est pars quædam corporis etherogenea constituens unum completum principium cum potentia animæ, at sanguis est homogeneus; solum dicitur instrumentum, quatenus suo calore fovet, & inservit actionibus vitalibus, instrumentum autem hoc modo sumptum non necessario debet esse animatum, quia sanguis numquam attingit immediate actum aliquem vitalem, sed actionem quamdam prævian, ad quam non requiritur animatio.

127 Tertio, contra dentium animationem argum. ex 2. de Gen. anim. cap. 4. ubi Arist. ait dentes tangere ossa, non continuari cum illis; at partes animatæ sunt inter se continuæ. Item sponte decidunt, usu conteruntur, & per totam vitam crescunt, quod est signum crescere non vitaliter, nam animata habent certam periodum auctionis, & magnitudinis. Tum 2. contra alias partes viventium est determinata magnitudo, at ungues, & capilli non habent determinatam magnitudinem, sed semper crescunt. Tum 3. si unguis extrinsecus signetur atramento, signum illud numquam crescet in omnes dimensiones, sed tantum expelleretur sursum invariata magnitudine, ergo pars illi signo subjecta non crescit per auctionem vitalem: idem est de maculis albis, aut nigris, quæ solent apparere in ungibus, & a radice sursum propelluntur invariata magnitudine. Tum 4. Arist. 3. de hist. anim. cap. 1. ait pilos resectos non amplius crescere, neque provenire ab incisura facta, sed a radice; idem docet cap. 12. de pennis avium, quod recisæ non crescant, sed decidant. Tum 5. hæc omnia fiunt ex excrementis, quæ a natura expelluntur extra corpus, ut partes animatæ non debent fieri ex his, quæ negliguntur a natura. Tum 6. ergo quilibet capillus fuisset in Christo unitus Verbo, & sic etiam separatus adhuc remansisset unitus, nam quod semel assumpsit numquam dimisit, inquit Dam. quod tamen est falsum.

128 Resp. ad 1. Arist. solum voluisse dentes cum ossibus immediate non continuari, sed mediis ligamentis (quid sint ligamenta, dicitur disp. 5. qu. penult.) & per nervos. Nec sponte decidunt, sed ex morbo aliquo, aut defectu virtutis vitalis ut in senibus, ut diximus num. 104. Tum quia ex hoc, quod decidant, solum infertur quandoque emori, sicut neque quia caro fluit, idcirco dum manet, non est animata. Ex continua vero accretione potius debemus vitam illis tribuere, & recte natura hanc continuam reparationem dentium instituit, ut cibus stomacho præparetur; non dicitur tamen proprie accretio, sed nutritio, quia non semper plus de substantia dentium acquiritur, quam deperditur, ut etiam contingit in carne. Ad 2. negatur minor, ut patet experientia tum in unguibus, cornibus, & rostris, ac pennis avium, tum in capillis fœminarum, & jubis equorum. Ad 3. dicunt aliqui, omnem animati partem etiam ipsum cutem vestiri extrinsecus quadam pellicula, quæ in cute dicitur cuticula, & inanimata ubi est, & corpori superinducta, ne ulla vera pars corporis nuda sit: hanc ergo etiam unguis habet; quoniam vero inanimata est, neque vera nutritione nutritur, nihil mirum,

rum, si illi impressæ notæ extrinsecus vera viventium auctione non augerentur. Idem dicunt de albicantibus, vel nigris illis notis, quæ tamen si intra ipsam unguis substantiam reperiantur, & nunquam figuram mutent, vel situm, dicendum est illas esse verum excrementum; non enim difficile est, ut ubi alimentum excrementum confluit, aliquid vere excrementi intercipiatur; exemplum est manifestum in calculis, qui inter animatas rerum partes intercipiantur; illud igitur excrementum, cum non nutriatur, quia non vivit, semper eadem magnitudine, & figura effertur. Dices, sed unde scitur de ista cuticula, & quod non sit animata? Resp. id doceri a Dandino lib. 3. c. 6. qui cuticulam ait esse efflorescentiam veræ cutis exiccatis illius fordibus, circa illam postea concrescentem, quod vero non sit animata, patet, quia sæpe videmus illam mutari sine ullo sensu, ut in attritu, in scabie, in vulnere, igne admoto, infusione ferventis aquæ, in longo itinere, nec ullum signum vitæ habetur in ipsa, idem docet Veslingius in Syntagmate Anatomico c. 1.

Verum admissa hac cuticula, non probatur manifeste non esse animatam, quia quod nullus sensus habeatur, folum infert non sentire, potest tamen vegetare, eo vel maxime quod magis attinet ad corpus hæc cuticula, quam pili, ut ipse Veslingius docet, ergo si isti sunt animati, etiam illa cuticula. Dicimus, ergo recte asseri in respons. de notis illis albis, vel nigris in substantiam unguium apparentibus, at de notis ab extrinseco impressis dicimus hoc esse, quia non æqualiter fit auctio secundum omnes dimensiones, sed magis secundum longitudinem, idcirco citius propelluntur quam dilatentur.

Ad 4. primum locum intelligi debere, quod a radice crescant entitative, quia per illam sumit augmenti vim, & robur, deinde quia sensibilius apparet augmentum. Secundus locus, ne experientiæ ipsi repugnet, explicari debet, quod persæpe decidant, antequam matureſcant: ex quo dicto non debilitatur nostra probatio, nam pennæ congenitæ ab initio parvulæ conspiciuntur, progressu temporis secundum omnes partes augentur, ut patet. Ad 5. non est inconveniens partes excrementitias, sed inservientes viventi, vel ad ornatum, vel ad fovendas alias partes principaliores, ut folia conservant fructus, generari ab excrementis, quia sicut deficiunt in perfectione a cæteris partibus animatis, ita etiam fient ex materia imperfectiori. Ad 6. concedimus primam sequelam, negamus secundam, sicut neque toti materiæ carnis Verbum semper fuit unitum; dictum vero Damasceni intelligitur de partibus principalioribus. Sicut nec in resurrectione omnes capillos, quos habuit in vita reassumpsit, sed illos tantum, qui ad ornatum satis erant; quod etiam eveniet in Beatis.

129 Quarto, quod hæc excrementa non sint animata anima totius, sed propria, Prob. quia pili, & ungues semper crescunt etiam in senectute, imo in morbo magis crescunt, & tamen virtus animæ totius est valde tunc temporis debilitata; & quod magis urget, etiam post mortem animalis quandoque crescunt quod est signum manifestum ab anima propria augeri; sicut ex variis animalium excrementis varia animalcula sentitiva generantur. Tum quia satis videtur absurdum hæc excrementa in homine informari anima rationali spirituali, etiam secundum gradum rationalitatis, deberent enim saltem sentire.

Respond. ideo cum corpora ægrotant, aut senescunt, magis crescere capillos, quia ut ait Arist. 2. de Gen. anim. cap. 4. plus excrementi remanet ad eos augendos, quia minus alimenti consumitur ad nutriendas partes præcipuas ob debilitatem sive morbi, sive senectutis; & quandoque quia deficiunt excrementa proportionata, deficiunt etiam pili; non officit igitur debilitata virtus animæ, quia nec requiritur magna vis, & suppletur ex copiosiori materia. Post mortem vero dicimus, vel non vere augeri, sed apparenter, ex quia cutis, & caro in mortuis deficcatur, & contrahitur, unde illa crescere videntur, quia cum sint dura, in eadem magnitudine persistunt; vel si crescunt, in eo casu erit quædam auctio per juxta positionem excrementi, quod a modico calore expellatur; non autem erit vera auctio vitalis, quia sic deberet semper contingere, & multum temporis durare; quod non experimur. Ad aliud negamus absurditatem, quia non sunt partes mere excrementitiæ, sed aliquo modo inserviunt homini, ideoque possunt ut unitæ ab anima rationali informari, etiam secundum gradum discursivum, non tamen est necesse, quod omnes operationes vitales exerceant, quia nec ossa sentiunt, ut diximus.

ARTICULUS III.

Quænam sit præcipua pars in vivente, a qua cætera dependeant.

130 Hæc difficultas coincidit cum illa, quæ de sede animæ disputari solet, per sedem enim animæ intelligitur pars aliqua principalis corporis, cum qua per naturam primo connectitur, & ex qua modo aliquo pendet, vel pro esse, & conservatione, ut animæ mortales, vel pro suo munere fungendo, ut anima rationalis: unde hæc quæstio nequit institui de aliis formis præter animam, cum enim subjecta habeant plane

homogenea, non potest unius partis potior esse ratio, quam alterius. Illud tamen statuendum cum Piccol. de sede animæ cap. 8. & cæteris Doctoribus, sedem animæ unicam esse debere, non plures, sive non plura principalia membra debere numerari, sed unum, quod absolute sit primum; cum enim ordo sit dispositio plurium inter se, & ad unum primum ex 5. Met. 16. membra vero ordinata esse nemo non videat, eaque suo ordine constituere animal unum, necesse est interea esse aliquod primum; quod si prima membra fuerint plura, vel erunt conjuncta, & complicata, vel non; si secundum, animal non erit unum; si primum, igitur deber dari forma in unum redigens, quæ cum una esse debeat, unam in corpore sedem expetit. Deinde cum homo si sparvus mundus, & magni compendium ex 8. Physic. 17. sicuti in magno mundo unicum est primum principium, unum mobile primum, & sedes primi Motoris, ita & longe magis in parvo mundo unica statui debet prima sedes. Ex quibus patet falsam esse sententiam assignantium triplicem sedem animæ in corpore, scilicet in jecore, in corde, & in cerebro.

131 Insuper notat. hanc animæ sedem non posse esse partem aliquam ex ignobilibus, sed ex principalioribus, & consequenter ex numero solidarum, nam partes fluidæ ex art. præced. non informantur anima; unde male quidam ex Stoicis pro sede assignarunt spiritus vitales, vel sanguinem puriorem existentem in arteria cava cordis, ut Diogenes, aut totum sanguinem, vel calorem. Et inter partes solidas erit assignanda, quæ perfectior est, & minus dependens, imo a qua cæteræ partes pendent; & omissis multorum veterum opinionibus, Duæ præcipuæ sententiæ adsunt in hac re: prima adscribitur Platoni, Galeno, & Medicis; quos sequuntur complures Sancti Patres apud Conimb. 1. de Gen. cap. 5. qu. 1. Hurt. disp. 17. de Anim. sect. 9. Suarez lib. 3. de Anim. cap. 3. & alii, docentes principatum, & sedem animæ cerebro convenire: Secunda est Arist. 2. de Gen. anim. cap. 4. lib. 3. de par. anim. cap. 3. & 4. & lib. de juvent. & senect. cap. 1. & 2. quibus in locis sedem animæ ait esse cor; ipsum sequuntur fere omnes Peripatetici, licet non in omnibus, nam non solum ait cor esse sedem animæ, sed etiam esse organum sensus communis, imo & aliquarum sensationum externarum, in quo dissident multi ponentes sensum communem in cerebro, non in corde, & sensationes externas exerceri quoque in externis sensoriis, ut nos etiam suo loco dicemus; solum igitur in præsenti agitabimus quæstionem de principatu membrorum corporis, & sede animæ, an cordi, vel cerebro tribui debeat.

132 Dicendum est sedem animæ esse cor, non cerebrum, & omnia membra quoad vitam a corde dependere; ita sustinet Scot. 4. d. 49. qu. 14. C. & qu. 10. de An. solet probari quamplurimis rationibus, quæ facile solvi possunt; præsertim ex hoc, quod cor est primo animatum ab anima; sed jam disp. 8. de Cœlo num. 28. ostendimus cum probabiliori primo generari omnes partes principaliores, & præcipue illas tres hepar, cor, & cerebrum, quod adhuc ostenditur ex fine istarum partium, propter quem authores dicunt hepar, aut cor primo informari; nam finis hepatis est præbere alimentum; sed cui parti, si nulla alia adsit? finis cordis est fovere calore cæteras partes, aut cibis nutrire, sed quas? si cæteræ non adsunt? tum quia cerebrum, quia frigidissimum est, & humidum, non potest fungi suo munere, si non foveretur a corde; cor tabesceret, & suffocaretur nimio calore, si beneficio cerebri non temperaretur, aut refrigeraretur a pulmonibus, ergo istæ partes simul efformantur, & informantur.

133 Probatur ergo conclusio ex hoc, quod illud censendum est membrum præcipuum in animali, cui primo competit temperamentum præcipuum, & necessarium, non quidem ad aliquam operationem, sed ad conservationem ipsius vitalis substantiæ, sed tale est cor, non cerebrum, aut jecur, ergo cor est membrum princeps in animali: major patet, min. probat. quia temperamentum necessarium ad vitæ conservationem constitit in calido, & humido, ut diximus disput. 8. de Gener. quæst. ult. & omnes concedunt, sed tale non competit cerebro, quod ex sua natura est frigidum; neque primo jecori, nam licet hoc quoque sit calidum, & humidum, attamen cor est fons omnis caloris in animali, quod patet ex hoc, quia sanguis concoctus a jecore licet sit calidus quoque, & humidus, non tamen est in tanta perfectione, ut actionibus animæ tamquam instrumentum inserviat, sed solum ut alimentum, & materia se habet, in quam virtus vitalis agat per nutritionem; at sanguis concoctus a corde, qui sunt spiritus vitales, & a corde per totum corpus per arterias diffusi, est perfectioris conditionis, unde active instrumentaliter concurrit ad vitales operationes, nec se habet ut præcipue materia, & ex defectu horum spirituum cessant animasticæ actiones, quamvis sanguis jecoris valde abundet. Neque refert, quod ad sensationes requiruntur spiritus animales, qui sunt spiritus vitales a corde ad cerebrum transmissi, ibique magis deputati. Non refert, quia spiritus isti a cerebro solum accipiant migrationem quamdam caloris propter cerebri frigiditatem, unde non differunt a vitalibus substantialiter, sed accidentaliter; cum igitur agant, & inserviant sensationibus propter calorem migratum, qui duo dicit, scilicet calorem, & migrationem, seu frigus, & principalior sit calor in agendo, quam frigus, certe potius agent ut instrumenta cordis, quam cerebri.

134 Accedit principaliter, quod illud membrum in animalibus debet esse præcipuum, cujus vicem gerens in plantis est princi-

palius, sed in plantis quod gerit vicem cordis, ipsique proportione correspondet, habet rationem sedis animæ, scilicet quod est fons caloris, nec datur membrum, quod cerebro proportione respondeat, ergo &c. assumptum patet, quia sicut anima in communi continet sub se vegetativam, sensitivam, & rationalem, a quibus abstrahitur ratio animæ in communi; ita ab hac, vel illa sede animæ in particulari abstrahi debet ratio sedis animæ in communi, ergo si ex parte plantarum ratio sedis abstrahitur ab illa, quæ proportione correspondet cordi in animalibus, etiam in istis ratio sedis a corde abstrahi debebit. Tum quia ex dictis quæst. præc. non dantur tres animæ in vivente, sed unica tantum, ergo hæc residere debet in unico membro, itaut si secundum unum gradum residet in corde, etiam secundum alios, nam gradus ita realiter non distinguuntur; sed quoad gradum vegetativum anima residet in corde, tamquam in propria sede, etiam secundum Medicos, nam a corde proveniunt actiones vegetantis animæ mediis calore, & spiritibus vitalibus, ergo secundum alios gradus quoque in eodem corde sedem habebit. Tandem illud est principes membrum in animali, ex cujus læsione provenit animalis interitus, sed ex læsione cordis saltem notabili statim moritur animal; sed si cerebrum offendatur, licet perturbentur actiones sensitivæ, non tamen statim advenit mors, unde cerebrum est vaporibus, & excrementis obnoxium, cor autem quamlibet pravam dispositionem non compatitur, ergo &c. Huc spectat adnotatio Piccol. cit. cap. 12. quod sæpe varia monstra visa sunt destituta capite, & reliquis omnibus membris deformata, sed destituta corde, vel instituta corde secus formato numquam visa sunt; & ex unitate vel pluralitate cordis dignoscitur animal esse unum, vel plura, non ex cerebro, si enim cor unum, vel duo fuerit, animal quoque vel unum, vel duo judicari debet; unde duo corda necessaria exposcunt duo capita, sed duo capita stant cum uno corde, quod est signum, cor esse fundamentum totius fabricæ animalis, sedem animæ, & membrum principalissimum; unde in Scriptura Sacra, ut denoterur anima, & mens, potius corde denotatur, quam cerebro, ut Matth. 18, *de corde exeunt cogitationes, homicidia, & furta* &c. cap. 15. *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* hinc etiam homines, ut notat Lipsius lib. 3. Physicol. discep. 18. animam in testimonium adducturi, manum pectori admovent.

135 Sed contra hanc doctrinam pro cerebro argui potest ex istu quem caput obtinet in homine, scilicet in sublimi, ut in cæteris possit influere; de quo D. Ambr. lib. 6. exam. cap. 9. *Primum omnium cognoscamus humani corporis fabricam instar esse mundi, siquidem ut Cælum eminet aeri, terræ, mari, quæ membra velut sunt mundi, ita & caput inter reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimum esse omnium, tamquam inter elementa Cælum, arcem inter reliqua urbis mœnia.* Tum 2. ex anathomia; nam Gaulus, & Columbus nobiles anathomici referunt se ligasse canem supra tabulam, & thorace disecto, citissime ligasse quatuor vasa cordis, mox exemisse cor, canem solvisse, eumque aliquamdiu sine corde latrasse, sensisse, ambulasse, huc etiam spectat, quod de testudine avulso corde alii narrant: P. etiam Josephus a Costa lib. 5. hist. Ind. cap. 22. narrat juvenem Hispanum locutum post cor extractum; & Gal. apud Hurt. disp. 17. de Anim. sect. 9. se vidisse testatur victimas evulsis extis ambulantes. Tum 3. illud membrum cæteris nobilitate præferri debet, cui altiores potentiæ competunt, at ita se habere caput liquet ex eo, quia in ipso sensus omnes insunt tum interni, tum externi, qui tanto illi plus dignitatis conferunt, quanto ad intellectricem vim propius accedunt. Tum 4. constat ex anathomica arte nervos, per quos ministrantur spiritus animales ad sensationes obeundas a cerebro oriri. Tum 5. læso cerebro animal privatur sensu, & motu, ergo omnes istæ actiones fiunt dependenter a cerebro. Tum 6. somnus est privatio operationis primi sensorii, somnus autem in capite caussatur, nam cor a sua operatione propter somnum minime quiescit. Tandem vita animalis potissimum ex sanguine pendet, sed hic non a corde provenit, ergo cor non est membrum princeps; minor patet, quia sanguis ab hepate trahit originem, a quo etiam venæ proveniunt.

136 Resp. ad 1. ex sublimitate situs non debere argui dignitatem præ cæteris, non enim collocatur in sublimi, ut in cæteris membris possit influere, nam aptior est locus medius, sicut civitas, quæ totius regni sit caput, non debet esse in angulo ejusdem regni collocata, sed in medio, tamquam centro, quia facilius ad illam ex omni parte conflui poterit; & ad D. Ambros. responderi potest verbis D. Hier. ad Fabiolam; *Plato animæ principatum cerebro tribuit, Christus vero pectori, & cordi. Nemo enim dicet, turrim, quæ in altum exurgit, ut civitatem tueatur, esse nobiliorem civitate, nec speculatorem exercitu digniorem, cujus bono invigilat, eadem autem capitis est ratio.* Ad 2. quod attinet ad historiam canis, Piccol. cit. cap. 13. refert, quosdam peritos anathomicos enixos fuisse idipsum in cane probare, & nihil illis ad votum accidisse; sed esto historia ipsa, & cæteræ omnes experientiæ sint veræ, salvandæ tamen sunt per spiritus in venis, nervis existentes provenientes a cerebro, & corde primo productos; & hoc ipsum fateri debent adversarii, quando contra ipsos adducimus historias animalium, quæ abscisso capite mota dicuntur, tunc enim cerebrum influere non potuit. Ad 3. quidam negant sensus internos in capite residere, quod esse falsum suo loco ostendemus, concedimus igitur internos sensus, & externos præcipuos extare in capite, negamus tamen majorem, nam illud est membrum præcipuum, *sine cujus influxu nullum* alind potest agere, aliter oculus esset nobilior corde, nam oculo convenit videre, cordi vero solum sensus tactus; hæc autem dependentia cæterorum membrorum non est in ordine ad caput, nam sensus nisi in capite residentes nullum possunt habere exercitium, nisi corde suppeditante spiritus, nam cor suo calore, & spiritibus a variis instrumentis proximis modificatis, varia explet officia; cerebrum igitur solum locus est, in quo præcipua animæ residentis in corde officia explentur; neque ex hoc debemus arguere animam in cerebro residere, quia Sol perfectiores operationes exercet in hæc inferiora, quam in Cælo, in quo solum lumen producit, at hic multa substantialia generat, & tamen non idcirco residere dicitur in his inferioribus, non igitur residentia debet argui ex digniori operatione, sed ex independentia in operando.

137 Ad 4. concedimus nervos a cerebro oriri, sed negamus spiritus originem ducere a cerebro, sed a corde, solum enim mitigantur a cerebro, & quoniam principalius concurrunt spiritus ad sensationes, & motum, quam ipsi nervi, idcirco & actiones istæ fiunt dependenter a corde: hinc Gal. ipse lib. 5. de Decretis cap. 3. hoc idem docet, dum ait, quod solum cor exemptum ex visceribus omnibus, naturalem suam functionem, & motum servat, quippe quod & sibimetipsi, & aliis omnibus agitationis sit origo, quod si ita est, igitur cor a nullo alio membro pendet, sed sibi sufficit ad vivendum, & operandum. Ad 5. non quidem læso cerebro privatur animal motu, & sensu, sed læso ventriculo cerebri, nam teste Gal. 7. de decretis cap. 3. cranio ablato, membranisque, ipsa etiam cerebri substantia amota, dummodo nullus sinus lædatur, minime tamen animal motu, sensuque privari; sed quicquid sit de hoc, negamus cons. solum enim infertur, immediate alia membra dependere a corde, sed non ob id ostenditur cerebrum esse independens ab aliis, in quo consistit ratio principatus; at jam vidimus cerebrum in operari dependere a corde, a quo recipit spiritus. Dices, ergo etiam dici debet, cor a jecore dependere, quia ab ipso accipit sanguinem. Negamus consequentiam, quia ut diximus jecur subministrat solum materiam cordi, non activam virtutem, nam sanguis jecoris est forte specie distinctus a spiritibus vitalibus; cor autem transmutat sanguinem in spiritus, & activitatem instrumentalem accipiunt a corde; unde jecur solum habebit rationem ministri famulatorii, sicut ars ædificandi est nobilior ea, quæ domibus ædificandis materiam suppeditat; at cerebrum non dat spiritibus virtutem activam, sed illam tantum modificat. Ad 6. potius est pro nobis, nam si cerebrum per somnum privatur operatione propria, non autem cor, certe nobilius erit cor, quia non tam extraneis humoribus est obnoxium; negamus igitur somnum esse privationem operationis primi sensorii, sed tantum operationis sensuum. Ad ult. patet ex dictis, sanguinem a jecore ministratum esse solum materiam; at spiritus vitales esse præcipua instrumenta animæ ad operationes vitales efficiendas. Vide Piccol. citat. Zab. lib. de part. animæ ab initio maxime cap. 4. Dand. lib. 3. cap. 16. Contar. de An. quæst. de essus. animæ.

QUÆSTIO X.

An omnis anima sit immortalis.

138 In hac quæstione primo refellenda est Platonicorum opinio asserentium omnem animam esse immortalem, cui favet Ferchius vestig. 6. lib. 1. cap. 2. dum omnem formam substantialem in sententia Aristot. probabiliter docet sustineri posse esse immortalem; loquimur autem de immortalitate, non prout dicit repugnantiam ad desitionem, sic enim soli Deo convenit, ex 1. ad Timot. 6. *Qui solus habet immortalitatem*, sed quatenus significat negationem desitionis juxta propriam naturam, quamvis posset non esse, si Deus denegaret concursum. Probatur igitur non omnem animam esse immortalem, nam sensitiva, & vegetativa sunt materiales, divisibiles, ab agente creato producuntur, & consequenter de potentia educuntur materiæ, nam agens creatum ex dictis in physicis agit dependenter a materia, ergo sunt corruptibiles, sicut cæteræ formæ substantiales, opinionem enim illam Ferchii refutavimus suse disp. 5. de Gen. qu. 2. art. 2. assumptum prob. saltem in nutritione, in qua ut diximus disp. 8. de Gen. q. 5. acquiritur nova pars formæ virtute ipsius viventis convertentis alimentum in propriam substantiam. Accedit, quod si rationalis anima habet operationem independentem a corpore, & adhuc evidenter non demonstratur, quod sit immortalis, ut dicemus, quanto magis vegetativa, & sensitiva, quæ nullas exercent operationes nisi a corpore dependentes, & in corpore immersas debent dici mortales, & a corpore quoad esse essentialiter dependentes?

139 Dices; vita non potest mori, cum sint contraria, sicut lumen non potest obtenebrari, sed anima est essentialiter vita, cum sit principium, quo vivimus, ergo &c. Tum quia corpus moritur per discessum animæ, anima a seipsa nequit discedere, ergo &c. Respon. mortem, & corruptionem sumi posse dupliciter, vel prout opponitur mutationi acquisitæ, vel ut opponitur productioni: primo modo respicit subjectum, ipsumque denominat, secundo modo discit

cit non esse, & desitionem rei, quæ erat, sicut productio respicit esse rei, quæ non erat; & sic solum terminum respicit, non subjectum, tunc major est vera de morte primo modo, non secundo modo, sicut lumen non obscuratur tamquam subjectum, sed desinit esse, & in non esse transit. Per quod patet ad confirmationem.

Solum igitur quæstio reducitur ad animam rationalem; cujus prima opinio ipsam quoque ponit mortalem, ita Epicurus, & ex Peripateticis Alexandræi, in quam sententiam quamplurimi etiam ex Sanctis Patribus trahunt ipsum Aristot. Communior opinio ipsam asserit immortalem, & hanc immortalitatem docet esse naturaliter cognoscibilem, illamque agnovisse Aristot. ita Recentiores fere omnes, & præsertim Ferchius cit.

140 Dicendum est tamen, animæ rationalis immortalitatem esse de fide, & pro statu isto, quamvis efficacissimis rationibus probetur, non tamen vera, & rigorosa demonstratione ostendi posse: Aristotelem autem, licet hanc veritatem agnoverit, illam tamen non ita clare, & indubitanter docuisse, sed cum aliqua formidine ad oppositum. Concluso est Scoti quoad omnes partes in 4. d. 43. qu. 2. art. 2. quem sequuntur Cajet. in cap. 9. ad Rom. & in cap. 3. Eccles. Scalig. exerc. 307. Arriaga disp. 10. sect. 1. imo & omnes fere Recentiores, quamvis enim isti primo asserant in conclusionibus esse hanc veritatem naturaliter demonstrabilem, attamen in probationibus fatentur rationes illas convincere re intellectum bene institutum, unde solum verbis discrepant a Scoto. Quod sit de fide prob. ex Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere;* Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*, ex Concil. Vienn. sub Clem. V. & Later sub Leone X. sess. 8. Quod autem non sit naturaliter demonstrabilis, Prob. quia nequit a priori demonstrari, cum animæ quidditatem non cognoscamus pro statu isto, nisi a posteriori, qua via non apparet ista immortalitatis necessitas, ut fuse in respons. objectionum patebit, quibus adversarii putant demonstrare hanc immortalitatem. Tum quia tot Philosophi non errassent, nec Arist. ita obscure hanc veritatem insinuasset, nec D. Augustin. lib. de Trin. cap. 8. dixisset, difficile valde esse animæ immortalitatem probare, si esset hæc veritas naturaliter pro statu isto demonstrabilis.

141 Deinde quod Arist. agnoverit hanc veritatem, Prob. ex multis locis ipsius, ut est videre apud Expositores integros libros de hac re componentes; & præcipue colligitur ex 1. de Anim. 66. & lib. 2. tex. 19. 20. 21. & 22. quibus in locis intellectum vocat perpetuum, incorruptibilem, divinum, impassibilem, a corpore separabilem; & 12. Meth. 16. & 17. ait non inconvenire animam intellectivam permanere post mortem, & 2. de Gen. anim. cap. 3. ait, & cæteras animas educi de seminis potentia, rationalem vero extrinsecus accedere, eamque solam divinam esse; quæ loca, quamvis ab adversariis de intellectu agente, qui secundum ipsos est Deus, interpretentur; attamen supposito, quod intellectus agens non sit aliquid extra animam ex dicendis suo loco, clare sequitur nostrum assertum; sed præsertim duo ultima loca de ipsa anima debent intelligi, nam in 12. Met. fit comparatio inter causas motivas, & formales, illas ait esse ante effectum, non istas, & statim subjungit, aliquam posse postea permanere, scilicet animam rationalem, intellectus vero agens etiamsi esset Deus, non est causa formalis, nec umquam dubitari potest, an possit permanere. In 2. de Gen. anim. facit comparationem inter vegetativam, sensitivam, & rationalem, illas ex semine haberi docet, hanc vero *quonam tempore, quomodo*, & unde eam recipiant *homines licet* valde dubium sit, proponit tamen explicare, quo in loco loquitur de anima rationali, quæ est forma hominis, non de Deo, ut patet ex ipsa dubitatione, quam facit, non enim est incertum, Deum non incipere esse, nec est dubium non recipi in homine, & tandem huic dubitationi respondet, mentem extrinsecus accedere.

Tandem, quod habuerit formidinem ad oppositum hujus veritatis, patebit ex dicendis in objectionibus; etenim hæc veritas aliquo pacto cum quibusdam principiis Aristot. pugnat; non negamus tamen, quod possint illa loca ad bonum sensum deduci propter consuetam loquendi obscuritatem, sed an talis fuerit ipsius mens, ex textu expresse non habetur. Tum quia quando immortalitatem asserit, fere semper opposuit aliquam particulam dubitativam, *Si fortasse, videtur*, & similia. Magis tamen ad immortalitatem inclinavit, quia immortalitatem expresse pluries asserit, licet non demonstraverit, mortalitatem vero numquam, sed solum ex quibusdam principiis, & propositionibus deducitur.

142 In oppos. primo objic. ostendendo animam rationalem esse mortalem. Ex Gen. 37. *Non interficiamus animam ejus*, Eccles. 2. significatur, nil amplius superesse homini post mortem de laboribus suis; & cap. 3. *Unus est interitus hominis, & jumentorum, & æqua utriusque conditio; sicut moritur homo, sic & illa moriuntur, similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius*; ergo sicut animæ jumentorum sunt mortales, etiam anima hominis mortalis erit. Sap. 2. *Ex nihilo facti sumus, & post hoc erimus quasi non fuerimus*. Similiter in 6. Syn. act. 11. Sophronius ait animam rationalem immortalem esse per gratiam, quod dictum approbatur a Conc. act. 13. Tum 2. si anima remanet post mortem, cum sit forma corporis, & consequenter inclinationem habeat ad corpus, jam erit in statu violento, quod est falsum, quia secundum Arist. nullum violentum perpetuum. Tum 3. anima est forma corporis corruptibilis, ergo ipsa quoque erit corruptibilis, quia debent inter se proportionari, unde dici solet molles carne apti sunt ingenio, quia scilicet inter corpus, & animam cadit similitudo. Tum 4. vel separata naturaliter existeret, vel præter naturam, non primum, quia tunc mors homini esset intenta a natura; neque secundum, quia semper esset in statu violento, quod beatitudini repugnat. Item vel melius, vel pejus existeret, non primum, quia mors effet eligibilior vita, neque secundum, propter rationem assignatam. Tum 5. *esse* actum corporis est prædicatum quidditativum ipsius animæ, ergo nequit sine corpore reperiri. Si dicas, esse actum in potentia; hoc est falsum, quia implicat aliquid esse actum, & non esse actualiter actum, sicut repugnat aliquid esse actum, & non esse actualiter animal.

143 Resp. ad 1. locum script. per animam ibi intelligi vitam totius, non animam, quæ est forma partialis in cap. 2. Eccl. est sermo de istis temporalibus rebus, in cap. 3. vel id asseritur in persona stultorum secundum Gregor. 4. dialog. cap. 4. vel secundum Hieron. intelligi quoad corporis conditionem, & esse totius, in cap. 2. Sap. illa sunt verba impiorum, quod colligitur ex his, quæ Sapiens subjunxit, *Hæc cogitaverunt impii, & erraverunt*. Tandem Sophronius accipit gratiam large, prout beneficium creationis, & conservationis comprehendit. Ad 2. resp. ex Scot. in 4. d. 43. quæst. 2. art. 3. quod quando aliquid habet inclinationem ad actum primum, ut est materia respectu formæ, tunc si illo caret, est in statu violento, si vero inclinatio illa est ad actum secundum, ut in proposito, anima enim inclinatur ad corpus, quia communicat illi suum esse, si caret hac communicatione, non est simpliciter in statu violento, ut supra diximus, & infra disp. ult. dicemus fusius; vide Ferchium Vest. 6. num. 182. & seq. Ad 3. dicimus proportionem consistere, quia corpus vere se habet ut potentia, anima ut actus, & sicut vere proportionantur inter se, quamvis anima sit spiritualis, corpus autem materiale, *ita* quoque proportionantur, licet anima sit incorruptibilis, corpus vero corruptibile; propositio autem illa, quod molles carne &c. non concludit similitudinem in natura inter animam, & corpus, sed connexionem, & unionem inter potentias, unde affectiones hominis sæpe sequuntur temperamentum corporis, & quia molles carne sunt optimæ phantasiæ, ideo etiam sunt optimi ingenio, ex naturali unione, & nexu inter intellectum, & phantasiam pro statu isto. Ad 3. ex dicendis disput. ult. animam ut compartem corpus appetere, in ipso naturaliter existere, extra ipsum non ita naturaliter, quia solum illud appetit informare amissibiliter, & eo ipso quod aliquando informavit corpus, satiatus est ejus appetitus, quamvis aliquam inclinationem adhuc retineat; non tamen est in statu violento, quia ex sua natura est indifferens ad utrumque statum, & in statu separationis perfectius exercet suas operationes. Ad 5. esse actum si sumitur fundamentaliter, dicit entitatem animæ, & sic est prædicatum quidditativum, nec est separabile ab anima, quia separata adhuc est talis entitas partialis ex se perfectiva corporis, si vero sumitur formaliter, dicit aptitudinem ad informandum, & est passio, actualis vero informatio est accidens; hinc ad argum. dicimus animam esse semper actualiter actum pro fundamento, vel pro passione sumptum, non tamen ut dicit actualem informationem.

144 Secundo ad idem; anima rationalis educitur de potentia materiæ, ergo *non est immortalis, conseq.* patet, probat. antec. anima rationalis fit *in materia*, & numquam extra illam prius est ex qu. 7. ergo de potentia materiæ educitur, nam educi est formam fieri, & conservari in materia. Dices, animam creari, non educi, quia in priori instanti naturæ est in se & terminat agentis actionem, quam uniatur materiæ, quod non convenit aliis formis, istæ enim a materia dependent. Contra terminus creationis debet esse aliquod per se, & in se subsistens, sed anima non existit in se, & per se cum creatur, sed in corpore, ergo &c. major patet, quia terminus ille per se fit, non per accidens, debet ergo esse in se, non in alio, quod enim est in alio, semper fit ad productionem illius, minor prob. existentia non mensuratur instanti naturæ, sed temporis, at in nullo instanti temporis anima in se, & solitarie existit, quicquid sit de instanti naturæ, ergo &c. Tum 2. anima nostra in operari dependet a corpore, oportet enim intelligentem phantasmata speculari, ergo etiam pendet in esse, quia operari sequitur esse; tum quia *tunc* separata maneret otiosa.

145 Resp. ad 1. ut ibi; ad impugnationem dicimus creationem dupliciter sumi, vel proprie, scilicet pro productione alicujus rei existentis in se simpliciter ex nihilo tamquam ex parte, & tamquam ex subjecto & quomodo Angeli, & formæ separatæ sive subsistantiales, sive accidentales ex Scot. 3. d. 11. qu. 1. A. possunt esse terminus creationis, non vero compositum, quod semper præsupponit materiæ & formæ causalitates, a quibus essentialiter dependet; vel minus proprie, scilicet pro productione alicujus rei existentis in se, idest dicentis *ex propria* natura ordinem ad efficiens solum, & nullo *modo ad materiam*, in qua est, quoad productionem, & *in hoc sensu* anima dicitur creari, & terminare per se *actionem agentis* in priori instanti naturæ, quatenus scilicet in suo esse secundum naturalem exigentiam solum dicit ordinem ad efficiens, non ad materiam, in qua reperitur, quia non necessario petit fieri in materia, & consequenter ab illa non dependet, ut ex quo tamquam ex subjecto, nec educitur ex illa, quia ex dictis disp. 2. Phys. educi de potentia

materiæ est, formam in suo esse, fieri, & conservari juxta naturalem exigentiam præexigere materiam tamquam subjectum, ad argum. igitur dicimus, majorem, si ly per se, & in se existere sumitur ac non in alio, esse veram de creatione proprie dicta, si vero sumitur ac independenter ab alio tamquam ex quo, concedimus illam, sed negamus minorem in hoc sensu, quo pacto etiam quod taliter fit, potest dici propria productione, & per se fieri; & solum illæ formæ fiunt per accidens, quæ juxta proprias naturas dependenter ex alio, & in alio fiunt, & conservantur. Ad 2. varie respondent, qui sustinent animæ immortalitatem esse naturaliter demonstrabilem; breviter tamen dicimus cum Scot. 1. d. 3. quæst. 3. G. animam ex propria natura secundum veritatem non pendere a corpore in operari, sed solum pro statu isto, qui status est pœnalis; unde intelligere absolute loquendo abstrahit ab hac dependentia a corpore, ut patet in Angelis; hæc tamen pœna non est naturaliter demonstrabilis; hinc separata adhuc intelligeret, non esset otiosa, ut dicemus disp. 6. quæst. 1.

146 Tertio, alia pars, qua negamus hanc veritatem posse naturaliter demonstrari, impugnatur rationibus illis, quibus Doctores conantur hanc veritatem demonstrare, quæ quidem sunt valde efficaces, sed non sunt demonstrationes evidentes puro Philosopho, quin possit illas solvere, quod erit nostrum intentum in præsenti; arguitur igitur, quia nulla forma per se subsistens est generabilis, & corruptibilis, quia habet esse inseparabile a seipsa, sed anima est hujusmodi, ergo &c. Tum 2. omnis corruptio est cum contrarietate, sed in anima rationali nulla est contrarietas, quia recepta in animo non sunt contraria, pertinent enim ad eamdem scientiam, ergo &c. Tum 3. anima habet potentias infinitæ capacitatis, *intellectus enim*, & voluntas in nullo creato ente quiescunt, ergo dari debet alius status, in quo Deum videndo, ipsoque fruendo perfecte quiescant, patet conseq. potentia potens in proprium objectum potest in omnia sub illa contenta, objectum intellectus est ens, voluntatis bonum, ergo valent quoque attingere Deum. Tum 4. si infinita est capacitas, ergo infinita duratio, quia qualis est proprietas, talis est rei essentia. Tum 5. libertas voluntatis a nulla creatura potest impediri, ergo voluntas est immortalis, quia sicut ejus operatio non potest impediri, ita nec ejus essentia, & existentia, nam qualis est operatio, talis est essentia. Tum 6. voluntas se primo movet ad suas operationes, & est ipsarum domina, ergo est immortalis. Prob. conseq. quod se primo movet, & non movetur ab alia causa, est æternum, quia si deberet interire, deberet moveri ab alio naturali agente.

147 Resp. ad 1. ex Scot. cit. vel ly per se esse, & subsistere sumitur, ut ab esse in alio inhærendo distinguitur, & sic omnis forma substantialis esset immortalis, vel sumitur, ut circumscribit existentiam compositi, & sic est falsa major, & minor; vel sumitur pro ut dicit omnimodam independentiam a materia, & sic vera major, sed minor est mere credita, & a puro Philosopho negaretur. Prob. tamen a Thomistis ex independentia actionis a corpore; sed de hoc infra. Ad 2. diceret Philosophus purus animam non per se corrumpi, sed ad corruptionem compositi propter adventum contrariorum in ipso; tum quia sicut dispositiones requisitæ ad animationem dicuntur qualitates connaturales respectu animæ; ita dispositiones contrariæ, sicut destruunt animationem, sic animæ contrariæ suo modo dici possunt, idest incompossibiles, quod sufficit ad corruptionem. Ad 3. ex Scot. quæst. 1. prol. & Lich. 1. d. 1. quæst. 1. potentias esse infinitæ capacitatis extensive, non intensive, hinc negamus evidenter deduci conseq. & ad probat. major est vera de potentia in ordine ad objectum naturalis attingentiæ, non naturalis inclinationis; modo non est naturaliter notum ens in quantum ens est objectum intellectus ex natura potentiæ, hoc enim est quidditas rei sensibilis, ut dicemus disp 6. Dices, ens in quantum ens est objectum metaphysicæ, ergo ut sic erit objectum naturaliter attingibile, & adæquatum nostri intellectus. Negamus conseq. quia ens ut ens, quatenus est objectum metaphysicæ, est unum de numero intelligibilium, quia secundum proprium sunm conceptum, & proprias passiones potest cognosci ex abstractione a rebus sensibilibus; ex quo solum sequitur Deum secundum conceptum communem, vel propvium desumptum ex communibus etiam naturaliter a nobis cognosci, & in hoc naturaliter quietari. Ad 4. si illa capacitas esset intensive infinita, transeat, si extensive, negatur conseq. aliter quia paries habet talem capacitatem ad recipiendos colores in infinitum, esset incorruptibilis. Ad 5. ex libertate voluntatis solum arguitur, quod sit immaterialis, unde antecedens, si simpliciter intelligitur, est falsum, quia diceret Philosophus operationem ejus impediri posse per ipsius destructionem, quod non est contra libertatem ejusdem; sicut operatio Angeli vere impediretur, si destrueretur a Deo; si vero illud anteced. intelligitur pro eo tunc, quando anima est, conceditur. Ad 6. negamus conseq. cum probat. id enim, quod interire potest, non est necesse, quod a creatura moveatur, sed sufficit, quod ab aliquo dependeat, a quo possit separari, tale esset corpus, ut infra.

148 Quarto, ad idem, Deus, & Angeli sunt immortales, quia sunt intellectivi, rationales, spirituales, & simplices, anima est hujusmodi, ergo &c. Tum 2. in hac vita anima rationalis est semper in lucta cum sensibus, ergo alius debet dari status, in quo quiete perficiat proprias actiones. Tum 3. nulla res corrumpitur ab eo, in quo sua perfectio consistit, sed animæ perfectio consistit in separatione, & abstractione quadam a corpore, ergo per separationem a corpore non corrumpitur. Tum 4. quod corrumpitur cum corpore, magis, ac magis declinat declinante corpore, at intellectus in senibus viget, ergo, &c. Tum 5. *quæ incipiunt, & definunt*, per eamdem potentiam habent utrumque; anima a Deo habet esse, ergo nonnisi a Deo destruetur, non ab aliquo naturali agente. Tum 6. *esse rei* corruptibilis subjacet motui, & tempori, sed intellectus perficitur, cum extra motum existit, non in motu, nam perficitur in quiete contemplationis, & sedatis perturbationibus, ergo non subjacet motui.

Resp. ad 1. Deum, & Angelos dici immortales, quia a nullo alio pendent, a quo separari possint, non sic anima, quæ dicitur a corpore dependere. Ad 2. neg. conseq. quia felicitati, qualem notum est naturaliter homini competere pro statu isto, non repugnat lucta rationis cum sensibus, sed solum repugnat dominium sensus supra rationem, unde rationalis appetitus tunc naturaliter quiescit, quando dominatur sensibus eliciendo actus secundum rectam rationem; tum quia voluntas ex imperiis rectis potest derelinquere in sensu habitum, quo ipse sensus delectabiliter moveatur ad virtutes ex Scot. 3. d. 33. & sic absque pugna dominari. Ad 3. dicimus explicando min. consistit, diceret Philosophus, in separatione secundum *operationem, non quidem omnimoda*, quia semper habet quamdam dependentiam a corpore, ut infra, sed in separatione ab organis, quatenus per organa non operatur. Ad 4. inquit Doctor intellectum esse incorruptibilem in operando, in hoc sensu, quatenus non est corruptibilis, sicut potentia organica, quæ ad corruptionem organi corrumpitur, & debilitatur, non in se quoad operationem, quia si senex acciperet oculum juvenis, videret ut juvenis, inquit Arist. 1. de Anim. 65. unde secundum Philosophum tam potentia visiva, ut ab organo præcedit, quam intellectiva non debilitantur, simpliciter tamen, diceret Philosophus, intellectum esse corruptibilem, & absolute mortalem etiam in operando per destructionem ipsius quoad esse; & ad majorem dicimus, veram esse de ea, quod in operando est corruptibile corruptione, qua virtus organica completa corrumpitur, scilicet propter organi debilitatem; tum quia decrepiti etiam imperfecte discurrunt propter declinationem internorum sensuum, unde dicitur, *Senes bis pueri*. Ad 5. neg. majorem, animæ enim ex putri genitorum producuntur a Deo, & tamen a naturali agente destruuntur. Secundo, sicut naturale agens, diceret Philosophus, est causa aliquo modo, cur Deus introducat animam in corpore disponendo, scilicet, & præparando materiam, sic corrumpens dispositiones illas est etiam suo modo causa, quare Deus non conservet amplius esse ipsius animæ in corpore. Ad 6. dicimus in intellectione requiri quietem in sensibus, sed vere est motus in intellectu recipiente de novo intellectionem ex dictis disp. 15. Physic. qu. 6. art. 4.

149 Quinto, habemus naturalem appetitum ad cognoscendum Deum distincte, & clare, & ad semper esse, ergo anima est immortalis, patet conseq. quia non datur appetitus naturalis ad impossibile; anteced. prob. statim ac Deum apprehendimus, & æternitatem, statim illum appetimus cognoscere distincte, istam vero habere, naturaliter enim fugimus mortem, unde dicebat Apostolus, *Nolumus nos expoliari, sed supervestiri*, illud autem naturaliter desideratur, quod statim ac apprehenditur, appetitur actu elicito, quia ista promptitudo non videtur esse, nisi ex inclinatione naturali. Respondet Doctor citat. quod vel anteced. intelligitur de desiderio naturali, quod non est actus elicitus, sed naturalis inclinatio, & tunc negaretur a Philosopho in nobis hanc inclinationem reperiri, quæ nequit probari, nisi primo demonstretur possibilitas, vel intelligitur de desiderio naturali, qui est actus elicitus, sed conformiter inclinationi naturali, sed negaret Philosophus actum esse conformem naturali, nisi prius ostenderetur existentia talis inclinationis; cum vero probat. ex illa promptitudine, ait, etiam bruta apparent semper esse, & naturaliter fugiunt mortem, & tamen sunt mortalia, quare ille solus actus elicitus erit juxta naturalem inclinationem, qui est secundum rectam rationem; modo non est naturaliter notum hoc desiderium elici conformiter rationi rectæ, quia oportet prius possibilitatem, & inclinationem naturalem cognoscere; voluntas vero est etiam impossibilium, ut suo loco dicemus.

150 Contra naturaliter fugimus mortem, ergo naturaliter appetimus vitam, & secundum propensionem naturæ; quia fugiens juxta naturalem inclinationem unum oppositorum fugit propter amorem alterius oppositi, mors, & vita opponuntur. Tum quia 2. de Gen. 59. natura semper desiderat, quod melius est, at esse, ait Arist. est melius, quam non esse, ergo natura desiderat esse, ergo habemus talem inclinationem naturalem. Resp. Scot. hoc quoque convincere de brutis, quare ex hoc quod fugit mortem pro nunc naturaliter, sequitur, ergo amat pro nunc naturaliter vitam, & sic quolibet instanti signato, non tamen sequitur, ergo pro infinito tempore, quia hoc non est, nisi per fidem notum. Ad Confirm. Arist. ibi seipsum declarare, subdit enim: *esse autem quot modis dicimus, in aliis dictum est, hoc autem in omnibus impossibile existere, propterea quod longe a principio distant, reliquo modo complevit totum Deus continuam faciens generationem;*

quasi dicat, cum esse dicatur dupliciter, scilicet specificum, & numericum, hoc impossibile est naturam in omnibus desiderare, illud vero possibile, & sic conceditur in homine, & anima rationali naturam desiderare semper esse *in specie, non in* individuo, quia hoc esse possibile non constat.

151 Sexto, omne ens habet suum finem a natura institutum, *in quo perfectissime* quietatur, delectatur & beatur, sed anima nostra in hac vita non assequitur talem finem, ergo debet dari alia vita; min. prob. tum quia numquam perfectissime quiescit, ut patet; tum quia talis finis maxime esset cognitio substantiarum abstractarum, ut inquit Arist. quod est falsum, quia sic soli sapientes consequerentur finem, at finis ultimus debet saltem consequi a majori parte; tum quia perfecta beatitudo omne malum excludit, quod non contingit in hac vita. Resp. Scot. omne ens in suo fine quietari eo modo, quo est possibile illi enti, & tunc neg. min. ad 1. prob. dicimus quiescere in cognitione Dei, non clara, sed possibili pro statu isto, & perfectissime, quatenus est circa objectum, in quo unitive & eminenter omnia bona continentur; non est autem cognoscibile naturaliter alio modo posse perfectius quietari. Ad 2. negatur falsitas, & ad prob. dicimus non esse inconveniens paucos assequi proprium finem, dummodo natura dederit omnibus sufficientia instrumenta scilicet intellectum, & voluntatem ad assecutionem finis, juxta illud, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Ad 3. dicitur non esse de ratione beatitudinis possibilis secundum naturalem cognitionem, exclusionem omnium malorum, & cujusque indigentiæ carentiam, nisi ex parte objecti, sed de ratione beatitudinis ex fide cognita; unde nec Arist. aliam assignavit beatitudinem, quam cognitionem Dei in hac vita.

Dices, naturaliter est notum beatitudinem debere esse sempiternam, ergo &c. assumptum prob. August. 13. de Trinit. cap. 3. si homo amitteret beatitudinem propter mortem, aut volens amitteret, aut nolens, aut neutro modo; si primum, quomodo beata erat illa vita, quam noluit, qui eam habebat? jam enim non esset summum volibile; si secundum ergo timeret, & sic tristaretur; si tertium, ergo non curaret de suo maximo bono, quod est inconveniens. Resp. Doctor, quod Philosophus purus volens amitteret illam, quia debet secundum rectam rationem velle conditionem propriæ naturæ, recta autem ratio ostendit Philosopho non habenti fidem, ut videtur sibi, quod conditio suæ naturæ sit mortalitas tam animæ, quam corporis, & ideo debet velle, sicut vitam amittere, sic quoque vitam beatam; cum dicitur, quod non est vita beata, quæ non erat amata ab habente illam, verum est, si non esset amata, quando est possibilis, & conveniens amanti, sed sic esse convenientem pro semper, non est naturaliter notum.

152 Septimo, anima exercet multas operationes omnino a corpore independentes, ergo habet esse a corpore independens, & separabile, patet conf. quia res sicut se habet ad esse, ita ad cognosci; ant. prob. in intellectione, & maxime in extasi, & raptu, nam tunc omnino a sensibus non dependet, imo in extasi perfecta omnes corporeæ actiones cessant; tum 2. quia potest Deus immediate producere species in anima, & tunc intelligeret, ergo dependentia intellectus a sensibus non est intrinseca, sed extrinseca, & accidentalis; tum 3. ex Ferch. n. 79. imaginatio vel per se ordinatur ad intelligere, vel per accidens; si per se, & prædicatum per se infert prædicatum de omni ex 1. post. 36. ergo in omnibus animalibus erit organum præparatum ad intelligere, & sic quia Deus, & natura nihil faciunt frustra 1. Cœli 32. in omnibus animalibus erit intelligere; tum 4. ex eodem ibid. potentia conjungitur objecto ad *operationem* vitalem media phantasia, at ista conjunctio potentiæ cum objecto non impedit separabilitatem simpliciter, nam 8. Met. 3. compositum affirmatur esse simpliciter separabile, sed animal, & album sunt composita, quorum alterum est potentia, vel eam habens, alterum est subjectum, ergo intellectus ab objecto phantasmate, atque a phantasia simpliciter separabilis erit non obstante conjunctione cum objecto. Confirm. animam, ex eo quod spiritualia intelligit, concludit esse spiritualem, ergo ex eo, quod immortalia percipit, debemus arguere ipsius immortalitatem, quia actus, potentia, & objectum proportionari debent inter se.

153 Resp. primo neg. conseq. calor enim in aqua operatur omnino independenter ab aqua, hæc enim non concurrit ad calefactionem, imo potius impedit, & tamen nequit naturaliter sine aqua existere; ad probat. dicimus propositionem illam non debere universaliter intelligi, sed solum secundum aliquas *proportiones inter operationem*, & *ejus principia requisitas*, scilicet quod sicut operatio est limitata, corporea, vel incorporea, &c. ita principium, aliter quia quælibet intellectio est corruptibilis, sic anima erit corruptibilis. Secundo, resp. negando ant. pro statu enim isto anima a corpore dependet etiam in intellectione, ut dicemus disp. 6. qu. 1. non quidem tamquam ab organo, ut est in visione, sed tamquam ab eo, a quo accipit species, oportet enim intelligentem phantasmata speculari. Ad 1. prob. dicimus in extasi naturali animam non esse omnino abstractam a sensibus, at in extasi supernaturali, & divina, & si hoc admittamus, tamen non est via naturali notum. Ad 2. conceditur Deum posse hoc facere, sed negatur hoc esse naturaliter cognoscibile. Ad 3. dicimus imaginationem secundum Philosophos non ordinari per se ad intelligere, intellectum tamen per se exigere imaginationem, ut possit res habere præsentes præsentia objectiva, sicut sensus externi non ordinantur per se ad internos, sed interni per se præexigunt externos, ut possint operari; unde solum sequitur imaginativam posse reperiri sine intellectiva, & non e contra. Ad 4. si valeret, probaret animam separari posse ab objecto & separatam otiose existere, quia sine objecto nequit operari, ex quo adhuc infertur in operando a corpore dependere, & consequenter etiam in essendo; diceret ergo Philosophus animam posse ab hoc, vel illo objecto separari, non tamen ab omni, quia tunc frustra esset in universo, Deus autem, & natura nil faciunt frustra: sicut nec sensus internus potest reperiri sine omni externo, eo enim ipso quod animal caret omni externo sensu, non vivit. Ad confirm. si valeret, deduceretur, quod esset mortalis, quia etiam mortalia intelligit; proportio igitur requisita inter objectum, & potentiam est in ratione motivi, & mobilis, non in modo essendi, nisi quando proportio motivi, & *mobilis infert* etiam proportionem in modo essendi, ut in proposito; ideo enim ex spiritualitate objecti infertur spiritualitas animæ, quia nullum spirituale potest esse *motivum objectum* alicujus materialis potentiæ, ut disp. 4. dicemus, dum de objecto sensus erit sermo, at bene potest aliquod immortale movere mortale ad *sui cognitionem*, sicut in sententia Arist. Cœlum est incorruptibile, & movet oculum corruptibilem, sufficit enim assimilatio intentionalis, non realis, & in esse.

154 Octavo, evidens naturaliter est, animam rationalem esse spiritualem, ex dictis qu. 5. sed spiritualitas arguit independentiam a corpore etiam secundum esse; ergo evidens quoque erit naturaliter, animam a corpore non dependere, minor prob. tum quia esse spirituale idem est, quod esse immateriale, & esse immateriale idem est, ac a materia non dependere; tum quia ideo in abscissione alicujus membri in homine dicimus animam rationalem non *dividi*, & corrumpi, sicut sensitiva corrumpitur, & dividitur in quolibet alio animali, quia illa est independens a corpore, hæc vero dependens; imo hoc argum. est *Scoti*, ait Ferch. num. 96. *in quol.* 9. H. ubi ex operatione immateriali tamquam ex medio adæquato infert Doctor separabilitatem animæ in essendo a materia, medium autem adæquatum est proprium, ergo est medium demonstrativum, non dialecticum.

Resp. distinguendo min. spiritualitas arguit omnimodam independentiam, & totalem, negaretur a Philosopho, dicente animam dependere a præcipuis partibus, sine quibus homo nequit esse, & maxime quas sibi determinat in prima productione, non quod in illis extendatur, sed quod necessario illas exigat, sicut necessario exiguntur ad informationem; arguit aliquam independentiam scilicet ab illis partibus, & membris, sine quibus homo adhuc viveret, & conceditur; & de istis partibus currit argumentum formatum quæst. 5. a quibus cœteræ animæ brutales in esse dependent. Scotus vero solum ait posse ex isto medio spiritualitatis concludi separabilitatem a materia in essendo, quod quidem concedimus, est enim medium efficax, non tamen ait ex illo posse demonstrari, quod intendimus in præsenti cum eodem in 4. cit. nec ait esse medium adæquatum, & proprium, seu demonstrativum. Accedit, quod ibi disputat contra D. Thom. a quo asseritur spiritualitatem esse medium demonstrativum. Quod additur, quod spiritualitas dicat independentiam a materia, patet esse falsum ex quæst. 5. Dices, si anima esset mortalis, ergo educeretur de potentia materiæ, hoc autem est *impossibile*, ut ostendimus quæst. 5. de animabus perfectorum animalium. Resp. aliqui forte negarent impossibilitatem, loquendo de minimo requisito in generatione; rectius diceretur non educi, nec creari, sed productione quadam media, ut dicemus in fine hujus quæst.

155 Nono, evidens est naturaliter mundum a Deo pendere, & gubernari, nec posse in Deo ullum cadere defectum, & malum; sed si anima esset mortalis, sequeretur, Deum esse injustum, & inordinatum, ergo &c. min. prob. justum est, ut boni præmio, mali vero pœna afficiantur, sed ut plurimum mali in hac vita prosperantur, & boni multa patiuntur incommoda, imo innumeras a malis deferunt injurias, ergo debet dari alia vita, in qua omnium sit retributio; quo argumento sæpe utitur Scriptura Sacra ad defendendam divinam justitiam, ut Abacuc 1. *Quare via impiorum prosperatur*, &c. & 1. ad Corinth. 15. *Si in hac vita tantum sperantes essemus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. D. Petrus referente S. Clem. lib. 3. recognit. dicebat, si Deus justus est, ergo anima rationalis immortalis est. Patres quoque hac ratione convicti afferunt evidentem esse animæ immortalitatem; præsertim Chrysost. hom. 4. de prov. *dicens*, qui de animæ immortalitate dubitat, etiam dubitare posset, an in meridie sit dies; imo quælibet quoque barbara natio hanc retributionem agnovit.

Resp. Scot. litt. V. non esse evidens naturaliter Deum quoad moralia hunc mundum gubernare secundum Leges justitiæ punitivæ, & præmiativæ, quamvis clare pateat, Deum quoad esse naturale entium recte hunc mundum disponere; præcipue quia etiam secundum Theologos si Deus de *potentia* absoluta damnatos vellet beare, & beatos damnare, non diceretur adhuc injustus, cum sit supremus Dominus *omnium*, nec aliquod debitum retributionis habet, quod requiritur, ut vere injustus diceretur; subjungit Scotus, quod & si hæc gubernatio evidenter constaret, adhuc tamen justus, *in ipso* virtutis actu præmium acciperet, & malus in peccato pœnam.

156 Quod præmium, inquit Hurt. accipiet miles pro patria, & legibus vulneratus? nempe vulnerum dolorem, quibus est con-

fossus; quam pœnam fur, & adulter, nisi divitias, & voluptatem? Tum quia inquiunt Complut. præmium, & pœna debet esse data a gubernatore, quod autem sequitur ex ratione virtutis, & vitii, id non habet rationem præmii, neque pœnæ proprie, sed passionis consequentis naturas illorum. Resp. præmium esse illam consolationem non ex vulneribus simpliciter provenientem, sed ex bonitate actus, & virtutis, bonum enim est objectum voluntatis, & multo magis bonum honestum, quod si voluntas illud consequetur, propriam habebit delectationem; ex oppositio in malis pœnam esse, quam describit D. Aug. 1. confess. c. 12. *Justisti, Domine, & ita est, ut pœna sit sibi omnis animus inordinatus*; sicut enim bonum causat delectationem, ita malum vermem, & tristitiam in conscientia, & voluntate, quatenus est contra naturam rationalem ratione utentem. Ad Compl. concedimus non habere rationem proprie præmii, & pœnæ; large tamen possunt dici præmium, & pœna, in eo sensu, quo dicere solemus homicidam, v. g. multa incommoda sustinentem, ut inimicum occidat, simul peccatum, & pœnitentiam agere. Tum quia non sunt facienda bona propter retributionem, sed quia in se bona sunt, ut dicemus.

157 Deinde cum additur, hoc argumento uti Scripturam; non per hoc sequitur esse demonstrationem, sed solum rationem valde evidentem; & hoc intendunt D. Petrus, Chrysostomus, & alii Patres, præsertim apud fide illuminatos magni ponderis est; aliter si esset vera demonstratio, non diceret D. Aug. 13. de Trin. cap. 9. animæ immortalitatem vix paucos esse assecutos humanis rationibus, doctrinisque subtilissimis. Tandem quælibet natio hanc agnovit retributionem vel ex traditione, vel ex miraculis, vel ex maxima ratione harum probabilitate; non enim omne, quod asseritur, ostenditur demonstrative; etiam in philosophia ex 2. de Cœlo 60. ubi ait Arist. multa difficilia præcipue de astris probari parvis sufficientiis, & persuasionibus, vel propter vulgarem omnium Philosophorum opinionem; & 1. Eth. cap. 3. inquit, *Est eruditi exactum ipsum in unoquoque genere efflagitare, quatenus fert ipsius rei natura*. Tum quia lumen naturale propter inclinationem, quam habet ad veritatem, si aliquando distincte ipsam nequit attingere, non propter hoc in contrariam vertitur partem, sed quantum poterit ad ipsam conatur pervenire.

158 Decimo, si anima esset mortalis, ergo nullus deberet pro republica, aut justitia mortem appetere, cum inde sibi nullum bonum advenire possit, imo summum malum scilicet mors, & per consequens secundum rectam rationem potius esset eligendum male agere, quam mori, cum minus malum sit semper eligendum. Tum 2. quia nullus esset Dei timor, nulla religio, nulla justitia, maxime quia Deus in hac vita non solet statim peccata punire; daretur item locus vitiis, nam si solum in hac vita esset sperandum, quid utilitatis esset tanto labore virtutem comparare? hinc D. Aug. 6. conf. c. ult. *Si animus*, inquit, *mortalis est, Epicurus in animo meo palmam habet*. Tum 3. tunc hominis beatitudo parum a brutorum felicitate discederet, & dici posset, vitia, & voluptates esse virtutes, & juxta rectam rationem. Tandem deberent expeti bona temporalia, nam ad actus virtutis exercendos requiritur sanitas, vires, & similia.

Resp. ex Scot. in 4. cit. P. cum Arist. 9. Eth. cap. 9. neg. conseq. quia fortis, & si nesciat animæ immortalitatem, debet exponere se morti pro republica, quia secundum rectam rationem commune bonum est præferendum privato, & proprio, & maximum bonum sibi tribuit exercendo illum virtutis actum, quo bono se privaret, imo vitiose viveret, quia melius est maximum bonum etiam momentaneum, quam remissum bonum longius, vel vita vitiosa; neque mors est summum malum, sed peccatum est hoc malum, ideoque semper fugiendum, etiam cum vitæ periculo, quo casu mors esset bona, & appetibilis. Ad 2. neg. assumptum, quia adhuc ignorata animæ immortalitate, recta ratio dictat, ut bene vivatur, & non more pecudum traducatur vita, non enim sunt facienda bona spe retributionis, & fugienda mala formidine pœnæ, sed virtutis amore. D. Aug. tantum facit rationem quamdam probabilem, non demonstrativam, ex hoc, quod homines magis a præmio moventur, quam a bono virtutis in se. Ad 3. neg. etiam assumptum, quia felicitas hominis activa consisteret in exercitatione virtutum, contemplativa in cognitione substantiarum abtractarum; nec prudentia, & ratio recta dictaret virtutes in voluptatibus, & vitiis consistere, quia actus boni ex propria natura tales dicuntur, non quia anima est immortalis. Ad 4. dicimus posse temporalia expeti, dummodo ad virtutes ordinentur, & juxta regulam rationis. Tum quia virtus præcipue consistit in actibus internis.

159 His rationibus aliter respondet Arriaga, scilicet solum probari animam post mortem posse permanere, non tamen necessario in æternum duraturam; posset enim aliquis asserere, animam esse talis naturæ, ut post discessum a corpore seipsam desinat, sicut inquiunt Philosophi de impetu, qui absque contrariis paulatim deficit; quod dictum non tam facile impugnari poterit contra obstinatum intellectum.

Ex his omnibus colligitur primo cum Scoto cit. in fine qu. maximas esse gratias referendas misericordiæ Creatoris, qui nos per fidem in his, quæ eruditissimi attingere non poterant, certissimos reddidit. Secundo, quomodo opinio de immortalitate naturaliter sit evidentior, quia evidentiores pro se rationes habet, quarum præcipuæ sunt quatuor ultimæ.

160 Undecimo, instari potest ostendendo Arist ex professo mortalitatem sustinuisse. Primo, authoritatibus, quia sæpe ait in Physicis agere de formis corruptibilibus, ut 1. Physic. 83. & 2. Physic. 17. ait formam esse sola ratione separabilem; 8. Phys. 92. quæ per accidens se movent esse corruptibilia; & 7. Meth. in fine, ait, partes, quæ manent destructo toto, esse elementares, & materiales; & 12. Meth. 39. docet nostram beatitudinem non esse perpetuam, & 3. Eth. cap. 6. post mortem nihil boni, aut mali posse accidere; item 2. de Anim. 26. animam, ait, non posse sine corpore esse, & 3. de Anim. 39. phantasmate indigere ad intelligendum. Tandem sunt duæ authoritates clarissimæ, una in 1. de Cœlo 126. ubi negat id, quod incipit esse, posse perpetuari; altera in 3. de Anim. 20. ubi ponit intellectum possibilem corruptibilem. Tum 2. principia apud Arist. sunt mundi æternitas, & infiniti repugnantia, at supposita immortalitate dicendum, vel quod esset infinitum in actu, quia jam infinitæ hominum generationes præcessissent, quod repugnare etiam in rebus spiritualibus ostendimus disp. 10. Physic. quia repugnat ex sua ratione formali infinita multitudo, & per accidens est, quod reperiatur in rebus corporeis, vel spiritualibus; vel dicendum, quod mundus non esset ab æterno contra ipsum Arist. 8. Physic. & alibi. Tum 3. nihil absurdius in sententia Philosophi quam creationem de novo, & temporaneam admittere, sed si animam immortalem poneret, necessario creationem de novo teneretur admittere, ergo &c.

161 Resp. ad 1. authoritates illas solum dubieratem Arist. concludere, præsertim, quia non tam clare loquuntur, quin explicari possint; ad primas enim duas dicimus esse propositiones indefinitas, vel loqui de formis corruptibilibus, idest corruptibilium, quomodo explicatur tertia. Ad 4. dicimus formam quoque esse elementum idest principium; vel quod ibi solum erat sermo de principio materiali. Ad 5. & 6. loqui de beatitudine totius conjuncti, non animæ. Anima non est sine corporis aptitudine, quia semper est pars; nec intelligit, dum est conjuncta sine phantasmate; authoritas primi de Cœlo, nisi explicetur de eo, quod per se generatur, quale est compositum, urget pro opposita parte, maxime quia videtur Arist. universaliter loquutus. Ultima explicatur de imaginativa, quam intellectum vocat propter propinquitatem. Ad 2. variæ sunt responsiones Doctorum; Fetchius cit. duas tradidit, prima est in sententia Arist. mundum non esse ab æterno. Secunda supposita mundi æternitate concedit transmigrationem animarum non quidem in corpora cujuscumque speciei, ut Pythagorici asserebant, seu ejusdem speciei; itaut Deus quando communicavit esse toti universo, concessit etiam esse plurimis animabus intellectivis perpetuo duraturis, & cum e corporibus exeunt, iterum novis corporibus uniuntur ea naturæ lege, ut quæ prior exierit ex humano corpore, prius revertatur in corpus ordine circulari, qui ordo proprie similis est illi, qui observatur hic Patavii inter naves vulgo appellatas, *le barche della Volta*, dum Venetias pergunt, nequit enim una navis denuo iter facere Venetias versus, nisi prius omnes aliæ propriam navigationem expleverint.

162 Sed quod prima responsio sit falsa de mente Arist. ostendimus disp. 1. de Cœlo num. 37. & certe miramur qua fronte Ferch. audeat negare mundi æternitatem esse Assertum Aristotelicum, dum Arist. ipse ex professo tot rationibus comprobarit, imo & demonstrasse putaverit, & deinde subtilissimus Præceptorum acriter carpit, eo quod doceat, Arist. non manifestasse expresse propriam sententiam de animæ immortalitate, qua in re tam varie est locutus, ut quamplurimi non solum dubium fecerint, sed etiam certum de mortalitate; verum unusquisque abundat in proprio sensu. Secunda responsio jam fuit tamquam fabulosa refutata disp. 5. de Gen. q. 7. ar. 2. Negligamus igitur has responsiones tamquam præ cæteris minus peripatheticas, & merito, quia & ipse Ferchius num. 96. negligit inquirere sententiam Doctoris subtilis. Responsio ergo est, vel quod numerus animarum non esset carhegorematicè infinitus, sed syncathegorematicè, ut diximus disp. cit. vel quod æternitas mundi repugnat etiam supposita animæ mortalitate, ut disp. 16. Physic. ostendimus, unde non mirum si ex æternitate mundi sequatur mortalitas animæ, aut infinitum in actu, ex falso enim nonnisi falsum consequitur.

163 Ad 3. dicimus, hoc argum. debere etiam solvi ad Adversarios (nisi velimus dicere aliquod spirituale posse a materia educi, & dici materiale, quia a materia pendet, non quod sit extensum, quod an sit verum, aliis relinquimus judicandum) nam tenendo, etiam animæ mortalitatem, cum propter spiritualitatem non possit educi a materia, non poterit ab aliquo agente creato fieri, sed a Deo, & cum non sit eductio, esset creatio. Hinc Scot. quol. 21. P. & seq. 2. d. 17. qu. 1. & 4. d. 43. qu. 2. M. inquit, Arist. non minus fuisse dubium de animæ rationalis desitione, quam de inceptione, non enim suam expressit sententiam, solum dixit in 2. de Gener. anim. cap. 3. mentem extrinsecus accedere, idest a Deo fieri, non explicando an per creationem, & per se producatur, an vero per accidens, hoc est ad productionem alterius. Quare subjungit Doctor, in sent. Arist. animam non fieri propria productione, sed per accidens ad productionem compositi, id enim per se fit, & propria productione, quod est ens subsistens, & solitarie, id vero per accidens, quod fit ad productionem alterius, & in se nullo modo terminat actionem agentis, sed terminat in alio; modo in sent. Catholicorum anima rationalis propria fit in productione, quia prius ter-

minat se actione, quam intelligatur unita materiæ, ut supra diximus, ubi hanc terminationem explicuimus per hoc, quod nullo modo præexigit ex sui natura materiam quoad esse, fieri, & conservari; ideoque vere admittimus ipsam creari; datur quoque actio per se terminata ad compositum, tanquam ad aliquod complete subsistens. At in sent. Arist. debemus dicere, animam fieri non per se, sed per accidens media quadam actione, quæ nec eductio proprie, nec creatio sit, non enim est eductio, quia non dependet a materia tanquam ex subjecto, quod necessario præexigat in sua factione; neque est creatio, quia non ponitur actio Dei prius ad animam terminata in se quam materiæ sit unita, & consequenter non fit propria actione, sed eo ipso quod terminat actionem, terminat ut in materia, non ut in se.

164 Neque inferas, ergo præexistit materia in suo fieri, & consequenter educitur. Non sequitur, quia ut notat Doctor cit. ista non est propria præexigentia materiæ, sed potius coexigentia, & consequenter non est dependentia a priori, sed solum quædam necessaria coexigentia amborum: & hoc quia secundum Arist. novitas effectus totaliter dependentis a prima causa reduceretur in aliquam variationem ipsius causæ efficientis, qua ratione novam creationem negavit, ne poneretur primum agens mutabile, ideo oportet assignari aliqua novitas in causis secundis, propter quam effectus modo proveniat a prima causa, & non prius; & talis in proposito erit novitas receptivi, scilicet corporis organizati: ecce quomodo ista non est vera dependentia animæ a corpore tanquam a subjecto, & priori, sed potius ut a conditione sine qua non, & a concomitanti; & hac ratione illa actio non est creatio. Hæc omnia adinvenit Scotus, ut contradictionem falveret in principiis Arist. & propter reverentiam, quam illi profitebatur. Attamen citius alii se expediunt; vel quod Arist. creationem temporaneam admiserit saltem implicite; vel quod dubius remanserit in decisione hujus quæsiti de origine animæ, sicut & de ipsius desitione semper hæsitavit, quæ est opinio Scoti.

165 Videat ex his Ferchius, si opinio immortalitatis est consequens ad omnia principia Arist. vel aliquam includat repugnantiam, & si rationabiliter Doctor asseruerit Arist. dubium; quamvis enim expresse non docuerit animam mortalem, nunquam tamen solvit dubia emergentia ex immortalitate animæ, ex mundi æternitate, ex negatione infiniti, & ex negatione orationis temporaneæ, quod facere debebat, & certe minus absurdum est imponere Arist. hanc hæsitationem, quam circulationem animarum, cum hæc circulatio sit æque impia, ac mortalitas animæ, ut diximus disp. 5. de Gen. qu. 7. art. 2. At inquit Doctor quol. 21. Q. habet hæc verba: *Quia certum fuit Aristotelem secundum sua principia posuisse animam intellectivam esse a Deo immediate, & ad hoc attingere potest ratio naturalis, cum sit immortalis*, ergo per Scotum Aristoteles certo tenuit istam conclus. *Anima rationalis est a Deo immediate* propter istud principium, *Anima rationalis est immortalis*, at cercitudo conclusionis pendet ex certitudine principii, ergo multo magis Arist. fuit certus de illo principio, ergo non dubius; igitur vel Scotus sibi contradicit in 4. cit. vel in quol. mutavit sententiam.

Resp. Scotum ibi solum asserere Aristot. fuisse certum animam a Deo immediate fieri, quod etiam nos asserimus, hoc autem dictum stat tam cum mortalitate animæ, quam cum immortalitate, ut diximus, non tamen docere Ar. hoc sustinuisse propter illud principium, sed addidit originationem animæ a Deo posse probari absolute per animæ immortalitatem, non quod hæc sit ratio evidenter demonstrativa, sed multum probabilis.

QUÆSTIO XI.

Explicatur secunda definitio animæ.

166 HAnc quæstionem breviter expedimus, quia solum continet quasdam difficultates. Arist. 2. de An. 24. secundam tradidit definitionem, dicens, anima est *principium primum, quo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus*; circa quam definitionem aliqua dubia examinabimus pro ipsius intelligentia.

Primum dubium est, an ista definitio sit una, vel multiplex, & cui conveniat. Ægidius hic putat esse quatuor definitiones, quatuor genera animarum explicantes, & brevitatis tamen causa in unam redactas. Simpl. autem unicam esse putat, sed animæ rationali convenire, quia nulli alteri animæ hæc omnia munera conveniunt; ita etiam Tatar. qu. 1. §. *secundo sciendum*. Vera tamen sententia affirmat esse unam tantum definitionem animæ in communi convenientem; quod facile probatur hac ratione, quia Arist. 2. de An. 12. ait non solum dandam esse definitionem animæ, quæ sit conclusio; sed etiam investigandam esse aliam, quæ sit veluti causa, & notior, per quam prima demonstretur, ergo sicut prima definitio animæ in communi convenit, ita secunda, aliter non posset prima per istam demonstrari; & sicut definitum unum est, ita & definitio unica erit. Pro solutione tamen objectionis adversæ explicanda erit hæc definitio.

167 Dicitur ergo primo, quod anima sit *principium* scilicet internum, quæ particula datur intelligi, prout principium constituitur cum ly *quo*, hoc est formale, & intrinsecum, per quod excluditur Deus, & Angeli, qui sunt principia externa. Secundo ponitur *primum*, ad differentiam potentiarum, quæ sunt principia quasi secundaria operationum, ut anima est principium radicale, & primarium. Tertio additur, *vivimus*, quod dupliciter sumi potest, primo generice, ut est quid commune ad omnes operationes vitales; Secundo, supertice pro operationibus animæ vegetativæ, hic secundo modo sumitur, quicquid dicat Cajet. nam frustra aliæ particulæ ponerentur; tum quia deberet addi operatio vegetantis animæ, sicut & aliarum animarum operationes ponuntur. Aliæ particulæ explicant operationes graduum animatorum; & istæ non sumuntur copulative absolute, quia sic soli animæ rationali conveniunt; neque disjunctive, idest anima est principium, quo vel vivimus, vel sentimus, &c. quia plures ex iltis particulis eidem animæ conveniunt, & potius esset divisio, quam definitio, sed accipiuntur disjunctive cum copulatione ad præcedentes; unde est sensus, anima est principium, quo vegetamus, vel etiam sentimus, aut quoque movemur, vel tandem insuper intelligimus; quo pacto explicata definitio soli animæ in communi convenit, quatenus in ordine ad suas species consideratur; ubi prima definitio explicat animam in ordine ad corpus, non vero ut respicit species; estque recte tradita, quia & soli animæ convenit, & ipsam ab omni facit differre, explicatque naturam animæ perfecte, ut in ordine ad species, & operationes inferiorum consideratur.

168 Dices; hæc definitio ab Arist. appellatur propria, & specialis, ergo non convenit animæ in communi. Tum 2. Arist. tex. 24. etiam corpus, & materia dicuntur principia, quibus vivimus, sentimus, &c. ergo non facit ipsam differre ab omni alio. Tum, anima rationalis nec semper est principium vitæ, ut quando est separata, definitio autem semper convenire debet: nec quando est conjuncta, est principium, *quo* intelligimus, sed *qua* intelligit, ergo &c. Tandem unius rei unica est definitio. Resp. primam definitionem dici communem, quia anima in se explicabatur per illam, hæc vero specialis, non quia alicui speciei conveniat, sed quia anima in communi in ordine ad species declaratur, & insuper quia per ipsam facilius colligi possunt singularum animarum definitiones, quam ex prima. Ad 2. dicimus corpus excludi per ly primum, quia licet corpus sit, quo homo vivit, quia sine ipso nequit homo vivere, hoc tamen corpus habet ab anima, & ideo anima est primum principium vitæ. Ad 3. dicimus vel definitionem intelligi aptitudinaliter, quo sensu semper animæ convenit, vel si actualiter, hoc ideo est, quia anima separata non esset physicæ considerationis; sed de hoc egimus in qu. procem. Ad aliud dicimus, animam non esse ultimate, *quæ* intelligit, sed nos fumus, qui intelligimus ultimate, quo pacto anima est principium *quo*, non *quod*. Ad ult. non implicat idem pluribus definitionibus explicari, quarum quælibet sit in suo genere adæquata, sic se habet anima in proposito.

169 Secundum dubium est; an ista definitio sit quidditativa, an vero descriptiva. Ad quod breviter respondemus, præmittendo prius, quod in hac definitione duo includuntur, scilicet principium, & operatio, & utrumque dupliciter sumi potest; primo principium sumi potest radicaliter, fundamentaliter, & sic dicit entitatem, & essentiam animæ; Secundo formaliter, quomodo dicit relationem illam principii aptitudinalem, vel actualem ad operationes principiatas; operatio etiam dupliciter sumitur, primo ut effectus rei, a qua procedit; secundo, ut habet rationem finis, in quem res ordinatur, res enim est ob suam operationem 2. Cœli 17. & 9. Meth. c. 9. auditum enim habemus, ut audiamus. Tunc respondemus ad quæsitum, quod si hæc definitio considerctur, ut traditum per principium primo modo sumptum, est quidditativa, quia datur per propria prædicata essentialia, & quidditativa; si ut traditur per principium secundo movo inspectum, est descriptiva, quia illa relatio, sive actualis, sive aptitudinalis est extra essentiam animæ. Si vero consideretur, ut tradita est per operationes primo captas, est quoque descriptiva, & accidentalis; ut patet, quia effectus est extra essentiam, imo consequitur essentiam animæ; attamen si secundo modo spectetur, tunc quamvis non dicatur proprie quidditativa, quia finis non est de quidditate rei, est tamen utra definitio per propriam causam, & priori suo modo.

170 Ex his facile solvi potest aliud dubium, an per secundam definitionem demonstretur prima definitio, & quomodo. Et quidem quod demonstretur ab Arist. patet ex 2. de An. 12. ubi hoc proponit, scilicet aliam definitionem assignare, per quam prima demonstretur, & explicetur, adducendo exemplum de quadrato habente duas definitiones, quarum una per alteram demonstretur, & in tex. 24. per hanc secundam definitionem demonstrat primam, & concludit. Quomodo autem illam demonstret, an a priori, vel posteriori, sequitur ex jam dictis; si enim illa definitio consideretur, ut est per principium assignata, & hoc in primo sensu, sic est discursus a priori, quia data per veram causam; etenim causa, per quam anima est actus corporis, illudque perficit, est, quia animæ competit ex natura sua esse principium operationum vitæ, & prius est esse in se, & ordo ad se, quam ad aliud, anima per propriam definitionem ordinatur ad corpus, per secundam in hoc sensu explicatam consideratur ut absolutior, & magis in se. Tum quia Arist. in tex. 12. ait velle secundam definitionem assignare, per quam, tamquam per causam primam, demonstret & assignet exemplum de definitionibus quadrati, quarum una ut causa alteram demonstrat; hæc explicatio nobis magis placet. Idem quoque dicendum, si operationes secundo modo

& ut finis accipiantur; licet non videantur operationes proprie habere rationem finalis causæ, sed large. At si principium secundo modo, & operatio primo modo sumantur, clare patet esse discursum a posteriori, & ab effectu: prius enim est anima actus corporis, quam sit actuale, & formale principium operationum, & qui operetur sumendo tamen actum corpori pro fundamento; & ad Ar. dicunt aliqui sumere causam non quidem in essendo, sed in inferendo, quatenus effectus est ratio inferendi causam. At hæc acceptio causæ est vere impropria, cum confundat terminos, idcirco prima expositio est resolutior.

DISPUTATIO SECUNDA.

De potentiis, & actibus vitalibus in communi.

EXplicuimus essentiam tam animæ in communi, quam etiam specierum quoad aliqua prædicata; attamen quia vivens in tali esse constituitur per habere intrinsecum principium acquirendi sibi perfectionem non debitam illi ex vi generationis, idcirco post declarationem essentiæ animæ, quæ est principium viventis essentialiter constitutivum, de istis actionibus vitalibus est agendum; & quoniam actiones istas viventia dicuntur exercere mediis potentiis vitalibus, rationabiliter de utriusque potentiis scilicet, & actibus disputationem instituimus.

QUÆTIO PRIMA.

An potentiæ distinguantur ab anima, & quomodo.

Dvertendum ex Scot. 2. d. 16. G. quod potentia dupliciter sumi potest, primo pro formali, quomodo dicit relationem principii ad principiatum, & in hoc sensu non loquimur de ipsa in præsenti; secundo, pro materiali, & denominato, & est proximum fundamentum illius relationis, quod scilicet est immediatum principium operationis animæ. Hæc autem potentia ex eodem Scoto in 4. d. 10. q. 7. A. & d. 45. qu. 2. A. & d. 45. q. 3. M. alia est organica, ut sunt omnes potentiæ animæ vegetativæ, & sensitivæ, quæ organis utuntur, & hæc dupliciter sumi potest, vel pro toto conjuncto perfectione animæ, forma mixtionis constituente organum corporis, quod totum includit, utrumque essentialiter, sic potentia visiva dicit organum oculi, & perfectionem animæ illud informantem; vel sumitur partialiter, & inchoate, quo sensu dicit illam animæ perfectionem, qua ad visionem cum organo concurrit. Aliæ dicuntur inorganicæ, ut sunt intellectus, & voluntas; sermo in præsenti non est de organicis completis, clare enim patet ut sic ab anima realiter distingui, & separari, manet namque anima rationalis, & non totum conjunctum, & sic de aliis, sed de organicis partialibus, & inorganicis.

In hac q. sunt quatuor sententiæ, duæ extremæ, & duæ mediæ. Prima extrema ponit distinctionem realem inter animam, & potentias, asserens istas esse accidentia quædam de secunda specie qualitatis, ita Thomistæ omnes, quos ex recentioribus sequuntur Conimb. 2. de An. c. 3. q. 4. Zabar. de facult. an. c. 4. Contar. de An. q. 2. Fons. 5. met. c. 5. q. 1. sect. Suar. disp. 18. Mer. sect. 3. Aversa q. 47. sect. 1. Ruv. tr. de potent. in gen. q. 1. Morisf. disp. 1. de An. qu. 11. Amicus 2. Phys. tr. 12. de causa effic. q. 10. Tol. 2. de An. q. 9. Val. 1. p. disp. 6. q. 3. Mol. d. 45. art. 1. & alii. Secunda opinio extrema nullam distinctionem agnoscit inter animam, & potentias, sed eandem animam, ajunt, immediate, & per se omnes operationes efficere, & ut concurrit v. g. ad intellectionem, nuncupatur intellectus, ut ad volitionem, voluntas, &c. ita Nominales omnes, quos sequuntur Hurt. disp. 4. de An. Arriaga disp. 3. Jessius lib. 2. de hum. bono. c. 8. num. 48. Dand. 2. de An. digress. 14. Prima media sententia docet, potentias animæ vegetativæ, quæ sunt generativa, nutritiva, & augmentativa, identificari cum anima, potentias vero sensitivæ, & intellectivæ esse realiter distinctas; tribuitur Dur. 1. d. 3. p. 2. q. 2. & Bon. ibid. & sequitur Suar. lib. 2. de Ani. c. 1. Secunda media sententia est Scoti 2 d. 16. qu. un. qui solum distinctionem formalem agnoscit inter animam, ejusque potentias; sequuntur Scotistæ, præsertim Regentes Parisienses 2. de An. qu. 1. in q. 4. collaterali.

ARTICULUS PRIMUS.

Potentiæ non distinguuntur realiter ab anima.

1 Hæc conclusio primo probari potest omnibus rationibus, quibus disp. 7. Phys. q. 6. art. 2. & 3. ostendimus substantiam esse immediate activam, tum alterius substantiæ, tum etiam accidentium. Deinde probari potest authoritatibus, nam in lib. de spiritu, & An. qui August. tribuitur, vel saltem Hugoni Victorino c. 4. habetur de potentiis animæ esse quidem proprietates diversas, sed essentia una, & D. Aug. serm. 3. de temp. tr. 15. in Joan. 10. confes. c. 14. Bern. serm. 11. in Cant. asserunt animas, & potentias unum esse inter se. Nec valet Recentiorum responsio, hos Patres scilicet ita fuisse locutos, non propter identitatem, sed ob intimam conjunctionem animæ cum potentiis, & inseparabilitatem in operatione. Non valet, quia quantuncunque sint inseparabiles inter se, nunquam tamen possent unum dici in essentia, si distinctionem admittunt realem. Idem quoque colligi potest ex Ar. ubicunque de istis potentiis discriminatim loquitur confundens illas cum anima, sed quia authoritates istæ non sunt ita claræ, quin aliquam admittant explicationem, vel extorsionem, idcirco ad rationes accedimus.

Ratione prob. Scoto cit. anima est per se principium intellectionis, & volitionis ergo hos actus non producit per potentias realiter distinctas, antec. patet, aliter si per accidens concurreret, jam per accidens mereretur, peccaret, beatificaretur, &c. quod est falsum; cons. prob. quando actus primus per accidens convenit alicui, actus secundus etiam per accidens tribuitur eidem, ergo si potentiæ, quæ ponuntur actus primus intellectionis, & volitionis, sunt accidentia realiter distincta ab anima, per accidens conveniunt animæ, & consequenter intellectio, & volitio, quæ sunt actus secundi, per accidens provenirent ab anima.

3 Negant cons. & ad prob. ajunt, potentias non esse accidentia per accidens convenientia animæ, sed per se, quia se habent ad modum passionum, suntque instrumenta, quibus utitur anima ad exercendas vitales operationes; unde potentiæ per se dependent ab anima in operari tanquam a principio principali. Sed contra, ex hoc potius deduci deberet animam immediate concurrere ad actus influxu distinctio ab influxu potentiarum; & consequenter frustra ponerentur istæ potentiæ distinctæ realiter ab anima; tum quia si anima concurrit immediate, nonnisi influxu immanenti, cum sit vitalis, ergo actus in seipsa reciperentur, ergo potentiæ, quæ vere ponuntur recipere actus, non distinguuntur realiter ab anima; assumptum prob. quia si potentiæ sunt instrumenta animæ, influxus ipsarum erit instrumentalis, si anima est causa principalis, influxus animæ erit quoque principalis, ergo erit ab influxu potentiarum distinctus, idem enim influxus nequit esse instrumentalis, & principalis, quia simul esset perfectior, & imperfectior, ut disp. cit. arguebamus. Tum quia si potentiæ sunt principia instrumentalia, & anima non ageret, nisi mediis potentiis, jam anima esset causa instrumentalis, seq. prob. quia causa principalis *quæ* agit per rationem formalem *qua* principalem, & si hæc ratio non esset principalis, sed instrumentalis, causa non diceretur principalis, sed instrumentalis, ergo anima præter influxum potentiæ debet habere proprium distinctum ex seipsa immediate.

4 Accedit etiam, quod animam uti potentiis tanquam instrumentis vel dicit aliquam activitatem immediate in anima respectu actus, & attinentem ad genus causæ efficientis, vel dicit simplicem substentationem potentiarum, quatenus potentiæ naturaliter petunt recipi, & inhærere ipsi animæ; si primum, habetur intentum, scilicet animam immediate agere, non medio realiter distincto; si secundum, ergo actus liberi non possent animæ imputari ad laudem, aut vituperium, sed solummodo voluntati, prob. sequitur, illi principio per se imputantur actus liberi, quod ita concurrit ad illos, ut possit non concurrere, quod si necessario, & naturali modo se habet, non imputaretur illi; sed anima quoad substentationem potentiarum naturali modo se habet, imo nec in genere causæ efficientis, sed tantum materialis, ergo si dicitur causa actuum, quia utitur potentiis, & talis usus solum consistit in illa substentatione, quæ est mere naturalis, nec pertinens ad genus causæ effectivæ, sed materialis, non erunt actus liberi imputabiles ipsi animæ, sed soli voluntati. Tum quia si per impossibile voluntas esset separata, & peccaret, hoc peccatum non tribueretur animæ, sed voluntati, quamvis voluntas etiam ut separata diceretur instrumentum animæ, ratio est, quia anima non concurreret ad peccatum, sed sola voluntas, ergo licet sit unita, neque anima diceretur causa peccati, prob. quia per unionem anima concurrit materialiter erga voluntatem, non efficienter.

5 Secundo, probari potest ratione desumpta ex ipsomet Suarez sect. 5. videmus ex nimia unius potentiæ attentione circa propriam actionem impediri operationem alterius potentiæ, & debilitari, sic oculus, quamvis speciem visibilem in se recipiat si tamen anima non attendit, non fit visio, ergo anima immediate concurrit ad actiones vitales, non mediis potentiis realiter distinctis; cons. prob. quando duo principia realiter inter se differunt, & non sunt contraria, unum non impeditur ab altero in operando; quare si adest illud impedimentum, erit,

erit, quia anima per se ad omnes actus concurrit. Dices, hoc provenire ex defectu spirituum vitalium, qui necessario ad actus requiruntur, unde si ad unam potentiam confluunt, destituunt alteram. Sed contra, quia illi spiritus non casu in tanta copia ad illam potentiam fluunt, aliter non esset major ratio cur potius ad istam, quam ad illam pergant, ergo hoc provenit ex aliquo principio universali, & intrinseco, a quo taliter moveantur, quod erit anima. Dices quoque cum Aversa quæst. 48. sect. 2. hoc provenire, non quia anima immediate concurrat, sed ob intimam conjunctionem, & subordinationem potentiarum, & ob limitationem animæ; nequit enim anima simul nimis intensa exercere operationes; sicut nos etiam diximus disp. præc. num. 82. dum ostendimus ex hoc medio non inferri unitatem animæ in homine. Contra, quod vere, & physice influit in actus secundum ipsum non est anima, sed potentia, quæ quamtumvis sit animæ conjuncta, adhuc non subordinatur alteri potentiæ; v. gr. visiva non subordinatur auditivæ, ergo ex nimis intensa actione visivæ potentiæ non debet impediri actio auditus, quia limitatio pertinet ad virtutem activam, quæ non esset anima, sed potentia; exemplum vero de unitate animæ in homine non est ad propositum, quia vere una anima subordinaretur alteri animæ, & consequenter operationes unius ad operationes alterius; at in proposito istæ potentiæ solum ab anima tanquam a communi tertio, & indifferenti dependerent, non ex se invicem.

6 Accedit principaliter, quod potentiæ animæ vegetativæ non possent esse accidentia, quia habent substantiam pro termino, accidens autem nequit attingere productionem substantiæ, ut fuse probatum est disput. 7. Physic. cit. Tum quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem necessitas cogit multiplicandi has potentias tanquam realiter distinctas, quia rationes adverfariorum non solum sunt solubiles, ut ipsimet Adversarii fatentur, præcipue Suarez, & Vasq. immo & retorqueri possunt, ut videbimus. Huc etiam spectant rationes, quibus Nominales omnem distinctionem auferunt ut in seq. art. a fortiori enim urgent distinctionem realem.

Contra hoc assertum instatur primo authoritatibus Sacræ Script. & Patrum, nam Lucæ 10. dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua & totis viribus tuis*, ubi per vires intelliguntur potentiæ, quæ distinctæ ponuntur ab anima; hinc D. Dion. de Cœlest. Hierarch. c. 11. distinguit in Angelis virtutem, & operationem a substantia Angeli ad differentiam simplicitatis divinæ, sed in Deo istæ potentiæ formaliter distinguuntur, ergo in Angelis, & anima realiter distingui debent, aliter nulla differentia; idem habet D. Aug. 6. de Trin. c. 6. & D. Anfel. de concord. grat. & lib. arb. c. 19. ait, quod potentiæ sic sunt in anima, sicut in corpore membra; Boet. in lib. divis. inquit animam dividi in potentias, sicut totum in partes virtuales. Accedunt authorit. Arist. nam 3. de Anim. in 1. loquens de intellectiva inquit: *De partem autem animæ*, &c. & 1. Eth. cap. 6. ait, quemadmodum in corpore est visus, sic in anima est mens, & alias in alio, quæ omnia non possunt esse vera sine reali distinctione, nam pars, & membrum realiter a corpore distinguuntur, & a toto; & in lib. de mem. & remin. cap. 10. vocavit memoriam passionem, & habitum, quæ pertinent ad prædicam. qualitatis; unde non solum a Philosophis, verum etiam a Dam. in sua Logica hæ potentiæ ad secundam speciem qualitatis scilicet naturalem potentiam, vel impotentiam reducuntur.

7 Resp. primam authorit. non esse ad propositum, quia sequeretur, potentias se solis agere, & animam quoque, immo diversos actus exercere; quare sensus est, Deum amari debere absque scissione, ut ait Glos. & super omnia, velut ait Lyranus in c. 6. Deut. per animam intelliguntur potentiæ internæ, per vires intelliguntur externæ; vel solum colligitur distinctio formalis, quam solum convincunt authoritates Dion. & Aug. nec urget, quod in Deo adsit etiam hæc formalis distinctio, nam in Deo hæc distinctio est sine compositione, ideoque stat cum summa simplicitate, at in nobis est cum compositione, quare excludit perfectam simplicitatem, & hæc est ratio, cur Patres per istam distinctionem quærunt Deum a natura rationali distinguere; cum additur, quod sunt partes, &c. respondet Scot. lit. F. & M. quod non debet intelligi in rigore, quia pars non est ejusdem essentiæ cum toto & altera comparte, quando totum est ætherogeneum, ut est corpus, estque pars prior origine toto, at istæ potentiæ secundum S. Aug. q. de Trin. c. 5. & n. 2. adductum sunt ejusdem essentiæ, & una includit totam essentiam animæ, neque sunt priores anima; quare inquit Doctor, erit sensus, quod sint partiales perfectiones formaliter distinctæ, & paritas currit quoad distinctionem ex natura rei repertam inter corpus, & membra, & inter animam, & potentias, illa tamen est realis, ista formalis. Idem dicimus ad Arist. in 3. de An. quamvis explicari possit de anima intellectiva, quæ est pars subjectiva animæ in communi, non de intellectu. In 1. Eth. comparatio non est quoad distinctionem, sed quoad officia, sicut enim visus regit totum corpus ostendendo pericula, estque principalior inter sensus externos, sic mens, ut utramque potentiam rationalem complectitur regit totam animam, estque principalior potentia. In lib. de mem. & remin. Arist. memoriam vocavit passionem, & habitum, quia memoria dicit duo, intellectum scilicet cum specie intelligibili, propter quam habitus, & passio vocari potest, & tandem per naturalem potentiam, & impotentiam, ait Doctor, non debere intelligi ipsamet potentias, sed potius facilitatem, & difficultatem utendi illis, ut diximus in Logica.

8 Secundo, secundum omnes Theologos in anima reperitur imago Trinitatis, & perpetuo, sed in Trinitate sunt tria realiter inter se distincta in unitate essentiæ, ergo ita in anima, sed hæc tria non possunt esse actus, quia non semper manent, ergo erunt potentiæ. Tum 2. quod recipit magis, & minus, non est substantia, ex dictis disp. 5. de Gen. qu. 5. art. 2. sed istæ potentiæ ex Aug. 15. de Trin. cap. 13. recipiunt magis, & minus; & ex Scot. 4. d. 49. q. 14. H. potentia animæ tam visiva, quam motiva intenditur in Beatis, ergo &c. hinc D. Anfel. de casu diab. cap. 8. inquit, quod istæ potentiæ, & si non sunt substantiæ, non sunt tamen nihil. Tum 3. potentia ad operandum præsupponit essentiam ultimo terminatam, atque completam per actum essendi, quem prius respicit, quam operationem, ergo potentia est accidens, nam quicquid advenit enti jam completo in sua essentia, & per suam subsistentiam, est accidens ipsius. Tum 4. nulla substantia est immediate activa, sed quælibet mediis accidentibus agit, ut patet *inductione; elementa enim localiter moventur per gravitatem* & levitatem, & ad invicem agunt per primas qualitates, unde dicebat Arist. lib. de sensu, & sensil. c. 2. ignem, non agere quatenus ignem, sed quatenus calidum, idem in mixtis apparet, magnes enim trahit ferrum per qualitatem virtuale, quæ ferro per contactum communicatur; in viventibus quoque opera animæ vegetativæ fiunt mediante calore, opera sensitivæ mediis organis corporeis; idem in causis cœlestibus conspicitur, agunt medio motu, & lumine, ergo cum istæ potentiæ sint animæ concessæ a natura ad operandum, erunt accidentia.

9 Resp. ad 1. ex Sot. cit. quod in anima perpetuo non est imago Trinitatis formaliter, sed tantum virtualiter, quia potentiæ non distinguuntur realiter, formaliter vero est, quatenus anima est sub actibus suis. Ad 2. dicimus non potentias, sed habilitates, & facilitates earum suscipere magis, & minus, ut loco ibi citat. diximus; Scotus vero, caute est ibi intelligendus, cum enim dicit virtutem animæ intendi, non loquitur de intensione intrinseca, ut fit in calore per additionem novi gradus, sed extrinseca per remotionem impedimenti ex parte corporis, quamvis videatur loqui de prima; hoc enim est, quia quodcunque dicatur, salvatur adhuc ratio, cur velocior erit motus in Beatis, & perfectior visio; hinc disjunctive loquitur dicens, quod modo in anima virtus non est sufficiens ad motum, hoc est, vel quia est impedita a corpore, vel quia in se est diminuta. D. Anfel. vel intelligitur formaliter, quia istæ potentiæ non sunt substantia, sed aliquid substantiæ; vel conditionate tantum loquitur, ut inferat, quod non sunt nihil. Ad 3. neg. antec. prius enim habet natura omnia, quæ sunt illi realiter identificata, quam subsistere dicatur, quia subsistentia est realiter distincta; concedimus autem essentiam prius respicere actum complectum, & perfectum essendi quam operationem; sed ex hoc solum sequitur quod prius debet dici subsistens, quam operans, non tamen quam potens operari dicatur. Ad 4. neg. assumptum, ut dictum est disp. 7. Phys. cit. & ad inductionem illam concedimus substantias agere mediis accidentibus dispositive, ut in *exemplis adductis in generatione elementorum*, at postea se ipsis producere formam substantialem, agunt etiam mediis accidentibus aliquos effectus accidentales, ut est localis motus, & similia; non tamen id est universaliter verum, ut disp. cit. q. 6. ar. 3. diximus, & in proposito præsertim de potentiis, cujus disparitatis ratio assignatur in probat. conclus.

10 Tertio, anima definitur per actum, ergo si est immediatum operandi principium, sicut semper est actus, sic semper operaretur, quod est falsum. Tum 2. actus, non est immediatum principium recipiendi actum, anima est actus, ergo non potest immediate recipere operationes, quæ sunt actus. Tum 3. anima est actus corporis, sed intellectus non est actus corporis ex 2. de Anim. 11. ergo inter se realiter differunt, conseq. patet, quia si essent idem realiter, non posset anima absque intellectu informare. Tum 4. actus, & potentia debent proportionari inter se, ergo si actus harum potentiarum saltem sensitivæ, & intellectivæ est accidens, potentiæ quoque erunt accidentia; nam substantia non est proportionata, sed nimis distans. Tum 5. si hæ potentiæ essent realiter identificatæ cum anima, jam reperirentur in rationali a corpore separata, sed hoc est falsum, quia sic anima separata posset videre, phantasiari, sentire &c.

Resp. ad 1. ex Scot. neg. paritatem consequentiæ, quia causa formalis non potest carere suo actu, sed bene causa efficiens, ut patet, hinc solum sequitur, quod anima, quandiu est *in corpore* actu est principium potens operandi, sicut actu *semper* informat; aliter quia intellectus secundum ipsos est actus animæ, quam informat, & in quam recipitur, etiam semper intelligeret. Ad 2. negat Doct. majorem, quantitas enim recipit qualitates & substantia omnia accidentia, & tamen tam quantitas, quam substantia sunt actus. Ad 3. Scot. 4. d. 43. q. 2. K. quod cum dicitur, intellectus est separatus, est nullius corporis actus, &c. debet intelligi in ordine ad operationes, scilicet quod quatenus est propriæ operationis principium, non est quædam potentia organo alligata, ut cæteræ sensitivæ, non negatur tamen quin entitas illa realis, quæ est intellectus, sit corporis forma, scilicet anima rationalis;

nalis; attamen quia intellectus dicit principium operandi in anima, & istud principium præscindit a quolibet organo, idcirco absolute dicitur, quod intellectus non est forma corporis, ad hanc autem diversitatem sufficit formalis distinctio, ut etiam notat Scot. 2. d. 16. B. Ad 4 si valeret, nullum accidens a substantia proveniret, unde nec potentiæ essent ab anima, nec substantia secundum ipsos produceretur ab accidenti; satis igitur anima intelligitur proportionata per illas potentias, quæ ad illos actus sunt ordinatæ, proportio enim requisita non est in entitate, nisi in causis univocis, sed in activitate ut vere effectus contineatur in virtute activa causæ. Ad. 5. vera est conseq. de potentiis organicis incompletis, ut dicunt illos gradus perfectionales, qui non nisi virtualiter dicuntur materiales, & extensæ in anima rationali, non tamen de potentiis organicis completis, quæ vere sunt extensæ, & materiales, & destruuntur ad corruptionem totius, ut adnotavimus num. 1.

11. Quarto, minus sunt eadem illa, quorum unum non includitur in alio, immo est totaliter extra ipsum, quam illa, quorum unum est de intrinseca ratione alterius, sed potentiæ animæ ita se habent, ut una non includatur in alia, nec in essentia animæ, partes vero sunt de intrinseca ratione compositi subsantialis, & tamen distinguuntur realiter a toto secundum Scotum, ergo multo magis potentiæ ab anima, & inter se debent realiter distingui. Confirm. nulla creata entia possunt inter se magis identificari, licet sint eadem in tertio, quam faciant relationes originis in Deo, quæ cum essentia sunt idem realiter, inter se vero realiter differunt, ergo potentiæ, quamvis essent cum anima realiter eadem, inter se vero erunt realiter diversæ; assumptum prob. quia quod aliqua formaliter distincta realiter identificentur, provenit secundum Scotum ex perfectione illorum infinita, vel saltem unius extremi, sed nullum creatum potest esse perfectius relationibus orginis; ergo &c.

Resp. neg. anteced. si illa, quæ ad invicem non se includunt, identificentur in tertio, imo ex hoc, quod aliquid essentialiter includitur in alio, deducimus, quod sit essentialiter idem illi, quæ identitas essentialis stat cum reali distinctione, ut de toto, & partibus diximus dis. 5. Phys. potentiæ, quamvis formaliter non se includant, sunt tamen realiter una res, & una essentia cum anima. Ad confirm. resp. ex Scot. 2. d. 8. q. 4. in fine explicamdo maj. nam vel loquitur de rebus in suis formalitatibus acceptis, quomodo ab illa unione in tertio præscindunt, & sic concedimus majorem cum prob. quia ut sic nullam habent rationem identitatis, cum nullum sit formaliter infinitum, *vel loquitur de illis*, ut includunt illam unionem in tertio, & sic est falsa, quia propter illam unionem realem non possunt realiter manere distincta, ut remanent relationes originis in Deo, quia istud tertium creatum non est ita illimitatum, ut essentia divina, & ideo non potest sibi realiter identificare aliqua permanentia adhuc realiter distincta. Dices, istud tertium creatum non est formaliter infinitum, ergo non habet, unde possit sibi aliud identificare. Resp. duplex est identitas realis, una perfecta, qua scilicet aliqua etiam præscindendo ab unione, & in abstracto unum de altero adhuc prædicatur, & ad istam requiritur infinitas; altera imperfecta, qua licet aliqua identificentur, quia non sunt duæ res, sed potius formalitates, & realitates, attamen ut ab unione præscindunt, & in abstracto non valent de se invicem prædicari, ut rationalitas, & animalitas, & ad hanc non requiritur infinitas in altero extremorum.

12 Quinto, impossibile est unum, & idem realiter, etsi formaliter diversum, esse ejusdem rei productivum, & non productivum, receptivum, & non receptivum, sed intellectus est productivus intellectionis, & receptivus ejusdem; non autem voluntas, hæc enim est productiva volitionis, & ejusdem receptiva, ergo &c. major prob. ideo calorem, & frigus dicimus esse distantia, quia producibile ab uno non est ab alio producibile, & corpus est a spiritu realiter distinctum, quia receptibile a corpore recipi nequit a spiritu. Tum 2. intellectus movet voluntatem ad agendum, ergo est realiter ab illa distinctus, sicut movens, & motum. Tum 3. sicuti accidentia materialia se habent ad eorum principia, & subjecta, *ita* accidentia spiritualia ad sua principia, & subjecta, sed impossibile est, quod unum realiter licet formaliter plura, producat, & non producat albedinem, recipiat, & non recipiat illam, ergo &c. Tum 4. magis arguitur esse distincta illa, quorum unum est productivum alicujus, & receptivum, non alterum, quam illa, quæ possunt idem producere, & recipere, sed duo intellectus possunt eandem intellectionem producere, & recipere, & tamen sunt realiter distincti, voluntas autem nullatenus potest producere, & recipere intellectionem, ergo &c.

13 Respond. hæc argumenta, quæ a Nominalibus conficiuntur contra Scotum, magis contra ipsos concludere asserentes eandem animam re, sed ratione tantum diversam esse ejusdem rei productivam, & non productivam, receptivam, & non receptivam; ideirco neg. major, ad salvandam enim contradictionem non necessario requiritur non identitas realis, ut patet in omnibus formaliter distinctis, quæ diversa possident attributa; ad probat. dicimus ex Scot. 2. d. 1. qu. 6. B. quod distinctio per operationes est distinctio a posteriori, unde prius res est ex se talis naturæ, quam dicat ordinem ad actum secundum, non ergo recte semper infertur realis distinctio ex diversitate operationis, sed solum distinctio principiorum quoad proprias rationes formales, calor vero, & frigus, corpus, & spiritus ex propriis rationibus sunt ex se incompossibilia in eodem, ideo sunt realiter distincta; non sic intellectus, & voluntas, ac aliæ potentiæ. Ad 2. imo ex hoc cap. Hurt. & Arriaga inferunt identitatem formalem ut in seq. art. ubi etiam respondebimus huic rationi. Ad 3. dicimus animam esse proprium, & verum receptivum intellectionis, & volitionis, sed intellectionis mediante intellectu, volitionis mediante voluntate; sicut enim intellectus, & voluntas sunt rationes producendi, ita & recipiendi; & in hoc sensu intelligi debet dictum Scoti, intellectus recipit, & producit intellectionem, non anima, quia v. g. ipse est ratio, qua anima producat, & recipiat; cum ergo dicitur impossibile est quod idem realiter producat, & non producat intellectionem, vel est sermo de principio *Quod*, & concedimus, anima enim non potest dici, quod recipiat, & non recipiat intellectionem; vel est sermo de principio *Quo*, & negamus, quia stat, quod unum sit ratio productiva, & receptiva unius, & non alterius, absque eo quod realiter distinguantur. Ad 4. similiter dicimus, quod procedit de principiis *Quæ*, non *Quibus*, quales sunt potentiæ, tum quia Petrus, & Paulus realiter differunt, conveniunt vero in ratione formali, at relatio creaturæ ad Deum, item passio sunt realiter cum Petro, & Paulo identificata, & tamen alia est ratio formalis unius, alia alterius; quare deducitur tantum in suis rationibus formalibus magis differre, si a tertio, in quo identificantur, abstrahatur, quam duo intellectus inter se. Istæ tamen rationes proprie spectant ad tractatum de identitatibus, & distinctionibus, quia faciunt contra distinctionem formalem in communi, de quo in Met. pro nunc vide disp. 1. Log. qu. 5. art. 2. in explicatione distinctionis formalis.

14 Tandem arguit Joan. de S. Thom. qu. 2. de Anim. art. 2. & est fundamentum Thomist. potentiæ specificantur ab operatione, sed operatio cujuslibet substantiæ creatæ est accidens, quia adest, & abest, etiam illa, quæ ad substantiam terminatur, ergo quælibet potentia activa substantiæ erit accidens; major est Arist. ut dicemus qu. 4. min. patet, conseq. probat. hoc est specificari ab actione, ac dicere intrinsecum ordinem ad illam, ergo si actio est accidens, etiam potentia erit accidens. Prob. conseq. quia substantia nequit ab actione specificari, quia in se, & in sua specie, & quidditate non pendet ab actu secundo, qui est accidens, quod necessario supponit totam substantiam completam, cum ab illa sustentetur; hinc potentia est ignobilior actu, quia ordinatur ad illum. Tum quia istæ potentiæ recipiunt habitus realiter distinctos, intellectus habitum fidei, voluntas habitum charitatis, qui habitus separantur, ergo & potentiæ, quæ per tales habitus operantur, realiter inter se distinguuntur.

Resp. concedendo potentias specificari ab actibus, non quidem in sensu Thomist. quod ab actibus accipiant differentias essentiales, sed a posteriori, ordo enim ad actus non est de quidditate potentiæ, ut dicemus qu. 4. non implicat autem substantiam dicere ordinem ad accidens in hoc sensu, sicut essentia dicit ordinem ad passiones, & potentias, quæ in sent. Thomist. sunt accidentia realiter distincta; hinc non sequitur potentias præsupponere actus, & esse imperfectiores actibus; imo si potentia esset actu imperfectior, non posset illum producere, sed alia causa principalior requiretur. Ad confirm. sicut eadem essentia animæ in se recipit potentias per Thomistas realiter distinctas, & mediate actus, & habitus harum potentiarum, ita secundum nos eadem essentia animæ mediis potentiis formaliter distinctis recipit actus, & habitus realiter distinctos, ut diximus ad præcedens. Alias rationes vide d. 7. Phys. qu. 6. ar. 2. &3. contra primam concl.

ARTICULUS II.

Potentiæ distinguuntur formaliter ab anima.

15 Hæc conclusio est præcipue contra Nominales, Hurt. & Arriagam, & alios solam rationis distinctionem agnoscentes inter animam, & potentias; eamque docet Scot. 2. d. 16. cit. & prob. primo authoritatibus adductis art. præc. nam D. Aug. in lib. de Spir. & Anim. cap. 4. & 13. loquens de potentiis animæ, ait *proprietates quidam multæ sunt, sed essentia una*; quæ authoritas nequit explicari de anima, quatenus sub diversis actibus existit, ut ait Rubionus, quem sequitur Hurt. nam ut sic non potest anima dici proprietas, sicut neque ut sic una essentia; imo realiter anima, ut sic a seipsa differt, & essentialiter, sicut homo albus, & homo niger reduplicative loquendo differunt essentialiter, & specie; intelligitur ergo de ipsis potentiis formaliter. Accedit authoritas Ansel. de casu diab. cap. 8. referente Scot. cit. sup. A. dicentis, quod potentiæ istæ, & si non sunt substantiæ, non sunt tamen nihil, ubi non est sermo de ipsa anima, ut est sub actu, quia sic non dicitur proprie potentia, quæ actum antecedit, sed de ipsis potentiis formaliter, quæ proprie non sunt substantia, sed aliquid substantiæ, ut etiam ait D. Aug. tract. 15. in Joan. de intellectu, quod non est anima, sed aliquid animæ; faciunt etiam aliæ authoritates, quibus Thomistæ probant distinctionem realem.

Secundo, prob. ratione; potentiæ animæ tam inter se, quam in ordine ad animam fundant prædicata contradictoria, ergo actualiter ex natura rei distingui debent, conseq. patet ex dictis dis. 1. Log. q. 5. art. 2. distinctionem formalem dari probavimus; ant. prob. potentiæ dicuntur communiter originari ab anima, & fluere, etiam præscindendo ab actibus, item anima dicitur corporis forma ex 1. de Anim. 11. non tamen intellectus, aliæ potentiæ dicuntur organicæ, aliæ inorganicæ, & quod fortius est, voluntas est potentia libera, intellectus potentia naturalis, ergo nequit idem principium esse intellectus, & voluntas. Prob. conseq. liberum, & naturale sunt primæ differentiæ dividentes principium activum in communi, ut fuse ostendit Scot. p. d. 2. q. 7. & quol. 16. art. 2. & 3. ex Ar. 2. Phys. 49. ubi dividit causam activam in naturam, & propositum, idest in naturalem, & liberam, ergo nequeunt eidem principio convenire. Tum quia esse principium naturale est esse ex propria natura determinatum ad agendum, esse vero liberum est esse sui ipsius determinativum, ut dicemus disp. 7. ergo nequit anima omnino in se distincta circa idem objectum dici principium naturale, & liberum antecedenter ad actus, aliter esset determinata, & non determinata quod contradicit.

16 Resp. Rubionus 2. d. 17. q. 2. posse idem principium respectu diversorum esse naturale, & liberum, non respectu ejusdem, ut voluntas divina ad intra est principium necessarium, ad extra liberum, voluntas creata respectu volitionis est principium liberum, at quando concurrit, ad intellectionem sui ipsius, naturaliter concurrit, idem dicendum de objecto, quod respectu intellectionis est principium naturale, at respectu volitionis est principium liberum, sicut libera est volitio, ita anima respectu volitionis est libera, respectu intellectionis est naturalis.

Contra, primæ differentiæ alicujus generis nequeunt ullo pacto alicui simul convenire nec respectu ejusdem, nec respectu diversorum, ut patet de rationali, & irrationali, sed naturale, & liberum sunt primæ differentiæ principii activi, ergo &c. tum quia intellectus, & voluntas sunt circa idem objectum, non circa diversa, ut suo loco dicemus, ergo adhuc urget argumentum contra ipsum. Accedit, quod ratio liberi non est ratio principii naturalis, & utraque ratio in anima reperitur antecedenter ad actus, ergo debent in ipsa actualiter distingui, conseq. patet rationibus illis, quibus distinctio formalis ostenditur in Log. loc. cit. Confirm. ex Scoto p. d. 8. q. 4. G. ubi de essentia divina loquitur; aut anima alio modo se habet ad productionem volitionis quam se habuit ad productionem intellectionis, aut non; si primum, ergo haberur aliqua distinctio inter intellectum, & voluntatem; si secundum, ergo volitio, & intellectio erunt ejusdem rationis, quia idem manens idem natum est facere idem. Dices, animam, ut respicit intellectionem dici intellectum, ut volitionem, dici voluntatem. Contra vel est eadem omnino ratio hoc, quod est esse intellectum, vel voluntatem, vel est diversa; si primum, viget argumentum, si secundum, vel hæc diversitas dicit illos respectus ad actus, & hæc non sufficit, quia illi respectus non sunt rationes agendi; vel dicit rationes diversas agendi formaliter, & habetur propositum. Vide Scot. cit. & d. 13. D. & in 4. d. 46. q. 3. ad 2. princip. ubi ostendit, quod nulla realis diversitas effectuum potest salvari per diversitatem rationis in causa, sed requiritur necessario diversitas, saltem formalis; hæc ratio magis firmabitur in respons. ad 1.

17 Nec exempla adducta aliquid valent, nam voluntas divina, tam ad intra, quam ad extra libere agit licet ad intra necessario, ad extra contingenter. Voluntas creata in ratione objecti terminative ad intellectionem concurrit, non motive, quia sicut est substantia identice, ita immediate non movet, sed anima est illa, quæ movet ad sui intellectionem, & suarum potentiarum; hinc voluntas divina, quia respectu intellectus creati movet in ratione objecti, saltem cum essentia concurrit ad motionem, movet libere. Objectum tandem si ad volitionem concurrit active, de quo dis. 7. nonnisi naturaliter concurrit, volitio tamen dicitur simpliciter libera propter causam principalem, scilicet voluntatem, quæ libera est. Vide Licher. p. d. 1. q. 4. respondendo ad Ocham, & male ibidem a Bargio reprehenditur dicente voluntatem ut potentiam esse liberam, ut objectum esse naturalem, jam enim curreret argumentum adversariorum.

Dices; hæc ratio tantum probat intellectum, & voluntatem distingui inter se, non tamen ut est universalis, quia aliæ potentiæ sunt naturales non liberæ, ergo istæ saltem ab anima non distinguuntur, Respondemus, utique hanc rationem peculiarem esse quoad illam divisionem principii in naturale, & liberum, quæ fusius examinatur in Theologia, & disp. 7. aliqua dicemus; attamen de aliis potentiis posset idem quoque ostendi, quatenus habent inter se aliquam diversitatem, suppositis præcipue illis authoritatibus, quod potentiæ fluant, originentur ab anima, & se habeant veluti partes, vel passiones. Bene tamen est verum, quod non adsunt rationes convincentes, & necessariæ; hinc Scot. in 2. d. 16. lit. I. ait, istam viam scilicet negando omnem distinctionem formalem inter potentias, & animam sufficeri, si salvari aliquæ authoritas possent, quæ ponunt, quod potentiæ exeunt, & fluunt ab essentia, & hujusmodi. Omnino tamen videtur ponenda distinctio inter animam, & intellectum, ac voluntatem, & inter intellectum, & cæteras potentias, etiamsi istæ non dentur ab anima distinctæ; quia anima est principium informans respectu hominis, intellectus vero non dicitur hominem informare. Neque dicas cum Rub. sensum hujus propositionis esse intellectum, non esse formam informantem corpus, idest anima, quatenus est principium intellectionis est principium alicujus operationis inorganicæ, & a corpore abstrahentis. Non valet, quia non solum est verum, intellectionem a corpore abstrahere, sed etiam intellectum antecedenter ad operationem, ergo intellectus non dicet animam cum respectu ad intellectionem, quia anima etiam secundum gradum intellectivum est forma informans corpus.

18 Remanet igitur, quod formaliter distinguantur ab anima; quod explicat Scotus, & probat, quia potentiæ unitivæ dicuntur in anima contineri, ergo non sunt omnino idem animæ, quia secundum Dion. de div. nom. cap. 8. continentia unitiva non est eorum, quæ sunt omnino idem, quia illa non uniuntur, nec est eorum, quæ manent distincta ea distinctione, qua fuerunt distincta ante unionem, ergo quæ sunt unum realiter, manent formaliter distincta, antec. patet, quia anima vegetativa, & sensitiva, quæ reperiuntur in brutis, dicuntur contineri in rationali, & in ipsa uniri. Negat vero, quod ista unitive contenta, alia sunt de natura continentis, ut sunt prædicata quidditativa, alia vero subsequuntur naturam continentis, & quasi posteriora, ut sunt passiones subjecti, & potentiæ, non quod potentiæ sint veræ, & formaliter passiones, quia sic tantum dicerent aptitudinem, & relationes aptitudinales, sed sunt realitates quædam realiter cum anima identificatæ, quibus anima proxime dicitur potens operari, & ab ipsa emanant ad modum passionis a subjecto. Ex quibus inferas etiam inter se potentias formaliter distingui.

Contra arg. 1. ex Rubion. nulla est necessitas ponendi talem distinctionem. Prob. quia non multiplicitas actuum specie distinctorum, quia Sol eadem virtute calefacit, & deficcat, nec in aliis substantialibus formis multiplicantur istæ potentiæ; nec diversitas agendi naturaliter, & libere, organice, vel inorganice, &c. quia anima est agens principale horum actuum, istæ potentiæ sunt instrumentales; ergo eadem anima secundum propriam essentiam (quomodo dicitur agens principale) aget naturaliter, libere, organice, inorganice, ergo frustra adessent distinctæ potentiæ. Confirm. secundum Scotum, anima est beatificabilis immediate, quanto enim ordinatum ad finem immediatius attingit finem, tanto nobilius est, ergo si aliqua forma imperfectior attingit seipsa finem absque media potentia, ut patet in aliis formis substantialibus, & in accidentibus, idem de anima dicendum. Accedit, quod sicut res intelligibilis se habet ad intelligibilitatem, ita res intellectiva ad intellectivitatem, sed res intelligibilis seipsa est talis, non medio aliquo formaliter distincto, ergo &c.

19 Resp. neg. assumptum, & ad probat. dicimus Scot. in p. d. 26. ad 2. princ. esse dubium, an quælibet substantia sit principium activum seipsa, an vero per aliquam perfectionem identice contentam, sicut dicimus de anima; attamen in part. d. 13. N. respondeo ad argum. Adami clare ait, tunc debere multiplicari principia agendi in aliqua re, quando effectus distincti ab illa re provenientes requirunt ex suis rationibus aliquam priorem distinctionem in principiis, ut est in proposito, quia agere naturaliter, & libere sunt duo oppositi modi agendi, & ideo nequeunt eidem omnino convenire absque aliqua distinctione; cum ergo aliæ substantiæ naturaliter agant, non est necessaria illa multiplicatio rationum formalium agendi, ut est necessaria in anima; hinc etiam diximus, non esse necessariam distinctionem potentiarum sensitivarum ab anima, quia quælibet naturaliter agit, nisi ad salvandas authoritates illas, quare ad primam probat. negamus paritatem de sole, & anima propter istam rationem; Ad 2. dicimus potentias istas non esse in rigore instrumenta, quia hæc non attingunt terminum principalis agentis ex disp. 8. Phys. q. 7. & distinctus est influxus agentis principalis ab influxu instrumenti, anima vero immediate non agit in intellectionem ut principalis causa, nec intellectus instrumentaliter, sed potius potentiæ sunt rationes agendi in anima, quare concedimus eandem animam agere naturaliter, & libere, non tamen secundum eandem rationem, sed secundum diversam, quæ diversitas a parte rei debet reperiri ad salvandam contradictionem.

20 Dices, secundum Scot. 4. d. 43. quæst. 3. cit. nequit diversitas effectuum salvari, nisi per diversitatem saltem ex natura rei in causa, non per diversitatem rationis, ergo vel quælibet substantia aget mediis potentiis, vel nulla. Tum quia quando una substantia producit unum effectum, vel aliter se habet, ac quando producit alterum diversæ rationis, vel non; si secundum, ergo non potest causare diversos effectus, ut supra dicebamus; si primum, ergo diversæ potentiæ erunt in substantia, & tamen Scotus in dist. 13. cit. concedit omnia attributa immediate emanare ab essentia, non per alias potentias.

Respond. Scot. loqui de effectibus necessario postulantibus diversitatem in causa, & inquit, quod ista diversitas non sufficit, ut sit rationis; modo tales effectus sunt illi, qui diversis modis petunt produci inter se incompossibilibus, nec ad unum tertium reducibilibus, ut est producere libere, & naturaliter; at quando effectus sunt eodem modo producibiles, possunt ab eodem omnino principio illimitato produci, maxime si est liberum, ut est voluntas, quæ respectu ejusdem objecti potest volitionem, & nolitionem elicere; vel si est principium per simplicem emanationem, ut est essentia respectu passionum, tunc enim statim in omnes passiones erumpit, nec tempore antecedit; at quando est principium per veram productionem, estque naturale, utique requiritur aliqua determinatio, per quam producat, & non aliud, talis autem in Sole est diversitas materiæ, in anima diversitas organorum (substinendo, quod aliæ potentiæ non sint distinctæ) in intellectu diversitas objecti, & speciei intelligibilis. Ad aliam probat. patet, quod principium per emanationem, ut est essentia respectu attributorum, & ex eo quod eodem modo petunt emanare, & essentia est radix ex propria ratione, non diverso modo se habet; neg. vero conseq. quia essentia se habet *ut principium illimitatum*, & potest ut sic ad plura,

plura se extendere. Nota tamen, quod Scot. in p. d. 13. H. in illa additione videtur favere huic opinioni Nominalium.

Ad 1. confirmat princ.° argum. dicimus animam immediatius debere finem attingere, sed possibili modo, at implicat animam sine potentiis agere ex dictis; nec paritas de aliis formis urget, quia anima est talis naturæ propter suam illimitationem in modis agendi; neque hoc dicit imperfectionem; quia etiam dicimus Deum mediis potentiis producere, non per solam essentiam; unde quod taliter agat, nec est propter perfectionem animæ, nec propter imperfectionem, sed quia est talis naturæ, imo propter ejus perfectionem scilicet propter illam illimitationem in modo agendi. Ad 2. negamus paritatem, & quia objectum semper naturaliter concurrit, non libere, & quia essentia animæ est corporis forma, quod intellectui non convenit.

21 Secundo, arg. ex Hurt. idem principium debet esse immediate intellectivum, & volitivum, ergo intellectus, & voluntas ex natura rei non distinguuntur; antec. prob. principium volitivum debet moveri per actualem repræsentationem objecti, nil enim volitum, quin præcognitum, sed non potest sic moveri, nisi in se recipiat intellectionem, ergo &c. Minor prob. intellectio non repræsentat objectum, nisi illi potentiæ, cui immediate unitur, sicut quælibet forma communicat suum effectum formalem subjecto, cui unitur; tum quia si Petrus debet excitari ad amorem alicujus objecti, parum refert, quod reperiatur in Joanne cognitio illius objecti, nisi ex ista cognitione alia generetur in Petro. Confirm. voluntas potest velle, & nolle objectum, at non potest hos actus elicere, nisi cernat in objecto rationem boni, & mali, a quibus moveatur ad electionem, ergo &c.

Resp. ex dictis, cum communiter dicitur intellectus intelligit, voluntas vult, sensum esse, animam secundum rationem intellectivam intelligere, & secundum rationem volitivam velle, itaut ipsa anima est, quæ immediate intelligit, & vult immediatione causæ, non vero immediatione rationis agendi, quæ ratio non est realiter distincta, aliter ageret mediate mediatione causæ, sicut calor aquæ, vel ignis; tunc ad argum. distinguimus antec. debet esse immediate intellectivum, & volitivum, idest per eandem rationem formalem, negamus, non per aliquid realiter distinctum, sed per seipsum realiter, concedimus; & ad probat. dicimus improprie dici voluntatem moveri ab intellectu, proprie vero est anima, quæ ut intelligens novet seipsam ut volens; imo ex hoc deducitur nostra conclusio, quia si ut intelligens movet seipsam ut volens, non potest ratio intelligendi esse eadem cum ratione volendi, aliter secundum eandem rationem moveret, & moveretur; unde concedimus totum argumentum loquendo de principio *Quod*, non vero de principio *Quo*. Ad confirmat. per idem dicimus, arg. probare de principio *Quod*, non de principio *Quo*; imo cum voluntas ut voluntas sit potentia cœca, non potest ipsi formaliter competere intelligere, sed tantum realiter identice.

22 Contra, anima in tantum dicitur agere, in quantum potentia agit, non e contra; potentiæ ideo agunt, quia anima agit, ergo anima nequit movere voluntatem ad volendum, sed id vult, quod voluntas amat, ergo & si anima habeat in se intellectionem, non idcirco *voluntas* movebitur ab ipsa, ergo ipsa voluntas debet cognoscere, ut possit velle; prob. ista ultima conseq. quia per intellectionem in intellectu existentem non potest moveri; quia non est voluntati unita, neque ex hoc quod intellectio ultimate est in anima, ut dictum est. Resp. argum. urgere Thomistas ponentes distinctionem realem inter animam, & potentias; nos vero dicimus animam proprie, & immediate concurrere ad actus, quia non mediat alia causa, & solum dicuntur mediare potentiæ tanquam rationes formales agendi realiter identificatæ, hinc intellectio realiter in anima recipitur per intellectum, ut per rationem formalem recipiendi.

Tertio, ex eodem; ex hoc quod potentiæ sint in eadem anima radicatæ, non sequitur per hoc, quod actus unius repræsentet objectum alteri, ergo & si intellectus, & voluntas sint in eadem anima, non ob id intellectio potest voluntati repræsentare objectum; antec. prob. tactus etiam reperitur in aliis sensibus, quia est per totum corpus diffusus, & tamen non percipit objectum illorum; item sensus internus ab externo dependet in operando, & tamen præter unionem in anima requritur, quod internus recipiat ab externo speciem sensibilem, ergo voluntas præter radicationem in anima cum intellectu, debet aliquid recipere ab intellectu, ut operetur, quod nequit esse, nisi intellectio. Tum 2. anima cum specie impressa est causa adæquata intellectionis, ergo non indiget aliqua potentia media, antec. prob. illa est causa adæquata, cui omnes formalitatis effectus possunt attribui, modo in intellectione reperitur spiritualitas, & vitalitas, & ratio imaginis objecti; quæ omnia non excedunt animam cum specie impressa, ergo &c. Tum 3. anima, & potentiæ habent eandem definitionem, ergo sunt idem formaliter; antec. prob. potentia ex 9. Meth. est principium agendi, item anima definitur, quod sit principium intelligendi. Tum 4. sicut materia prima absque alio medio recipit formam, & dicitur esse in potentia passiva, sic anima seipsa absque alio addito poterit esse activa.

23 Resp. ad 1. si sint radicatæ solum unione subjectiva, sicut accidentia plura in eodem subjecto, concedimus totum argum. quod valde urget Thomistas; si vero sint radicatæ unione identitatis realis, negamus antec. & ad illas probationes dicimus, sensus illos esse inter se realiter distinctos, sumuntur enim ut sunt potentiæ adæquatæ, hinc est, quod alia unio requiritur, quilibet enim est causa principalis proprii actus, at intellectus, & voluntas tantum formaliter distinguuntur, & solum sunt rationes agendi, non causæ principales. Vel dicendum cum Scot. 2. d. 3. q. 10. L. negando paritatem, quia potentia appetitiva, quia non est cognitiva, non est nata habere objectum præsens aliter, ac sit præsens potentiæ cognitivæ propriæ, & correspondenti appetitivæ, secus est de potentiis cognitivis etiam subordinatis, quia cum quælibet sit cognitiva, & alterius generis, quælibet etiam nata est habere objectum sibi præsens secundum proprias præsentialitates, seu species. Ad 2. si sumitur anima in seipsa, prout excludit omne aliud realiter distinctum, concedimus, si ut excludit omne formaliter distinctum, negamus, quia anima ut sic est indifferens ad agendum naturaliter & libere; hinc ad producendam intellectionem debet ab aliquo determinari, quæ sit ratio agendi naturaliter, talis est intellectus. Ad 3. dicimus, animam esse principium primum *Quod*, potentiam vero *Quo*. Ad 4. posset retorqueri, quia potentia materiæ est quid distinctum formaliter a materia; negamus adhuc paritatem, quia recipere formas non requirit diversos modos recipiendi, sicut producere intellectionem, & volitionem.

24. Tandem arg. ex D. Aug. de Spir. & An. c. 4. & 13. ubi ait: *Anima secundum sui operis officium variis nominibus nuncupatur, dicitur namque vitalis, dum vegetat; spiritus, dum contemplatur; sensus, dum sentit; animus, dum sapit; ista tamen non differunt in substantia, sicut in nominibus, quoniam omnia ista anima una est*: idem asserunt D. Bern. serm. 11. in Cant. & Isid. lib. 11. Ethimol. Item Arist. 1. de An. 64. ait, hominem operari anima, quod repetit 2. de An. 49. & 50. & 1. de An. 65. intellectum vocat substantiam; & 2. de An. 9. inquit, si oculus esset animal, potentia visiva esset ejus forma, unde sæpe sæpius confundit istas potentias cum anima. Tandem Scotus in 2. d. 16. parum ante B. docet, animam esse immediatum principium operandi; & lit. D. ait animam esse immediatum actuum susceptivum.

Resp. omnes istas authoritates innuere tantum realem identitatem animæ cum potentiis, sic D. Aug. est eadem anima realiter, quæ variis nominibus appellatur, quibus non correspondet diversitas essentiæ, & rei, sed tantum proprietatum, ubi ibid. se explicat, anima vero dicitur principium operandi, & susceptivum immediatum ab Arist. & Scoto, quia ipsa est immediatum *Quod*, tamen debet habere rationes formales agendi, & recipiendi, quæ sunt potentiæ, & propter istam identitatem realem sæpe anima pro potentiis accipitur, & e contra. Quæ rationes, & authoritates valde urgent Thomistas.

QUÆTIO II.

Quid sit actus vitalis.

25 Accipiendum est pro quæst. intelligentia, actus vitales esse in duplici differentia, aliqui enim sunt imperfecti, ut generatio, nutritio, augmentatio, & motus localis, vel progressivus; alii vero sunt perfecti, ut actus cognoscitivi, & appetitivi sensuum tam externorum, quam internorum, & potentiarum inorganicarum intellectus scilicet, & voluntatis. Actus primi generis faciliter declarantur, in his enim debemus distinguere terminum acquisitum, & ipsam acquisitionem, vel actionem, terminus enim vel erit compositum substantiale, ut in generatione, vel pars substantiæ viventis, ut in nutritione, vel ubi ut in motu progressivo, actio vero erit ipsa generatio, nutritio, vel motus; quæ omnia in Phys. disp. 15. & in lib. de Gen. disp. 8. fuerunt explicata. Solum addere debemus, quid dicat vitalitas in ipsis, quod quidem ex dictis disp. præc. qu. 2. planius patebit, principium intrinsecum acquisitivum propriæ perfectionis non debitæ ex vi generationis vitalis in istis actionibus dicet hoc est provenire a tali principio intrinseco; sicut libertas in actu primo est indifferentia principii ad elicere, & non elicere aliquem actum, & libertas in actu secundo erit respectus actus producti a tali principio, quatenus poterat produci, vel non produci; ut disp. 7. dicemus.

26 Difficiliter tamen explicantur actus secundi generis, etenim. Prima opinio asserit hujusmodi actus non esse nisi receptionem ipsam specierum objectorum in potentiis, ut receptio speciei visibilis in oculo est ipsa visio, auditus est receptio speciei soni in aure, intellectio receptio speciei intelligibilis in intellectu, &c. citantur pro hac opinione Gotfr. quol. 4. Ægid. quol. 3. qu. 12. Suess. lib. 5. de intellectu cap. 9. & in lib. de sensu agente, Tol. 2. de Anim. qu. 12. & alii. Secunda opinio satis communis apud Thomistas ponit actus istos in actione potentiarum in genere actionis consistere, quam actionem aliqui dicunt non habere terminum, sed ad objectum immediate terminari; alii solummodo quando objectum est absens, ponunt qualitatem aliquam esse terminum per illam actionem productum, quæ dicatur species objecti expressa, at quando objectum est præsens potentiæ, nullum terminum productum ponunt; demum alii universaliter istum terminum requirunt. Tertia, satis frequens apud Recentiores, ponit istos actus consistere in illa qualitate a potentia per veram productionem producta; addunt tamen aliqui, ad hoc ut vitalis dicatur, includere formaliter actionem istam, & passionem, itaut intelligere verb. gr. formaliter dicat hæc tria actionem potentiæ producentis, qualitatem productam, & passionem, seu receptionem istius qualitatis in potentia; ita Hurt. disp. 6. de Anim. sect. 1. & 2. quibus ex parte adhæret P. Faber. theor. 78. in fine docens intelligere formaliter consistere in receptione intellectionis in potentia, idem enim judicium de aliis actibus est faciendum.

27 Dicimus primo ad actum vitalem non sufficere receptionem speciei in potentia, sed requiri quoque actionem ipsius potentiæ vitalis. Conclusio est fere communis, & colligitur ex Scot. quol. 13. & 1. d. 3. qu. 7. E. & seq. prob. ex D. August. 9. de Trin. cap. ult. & 2. de Trin. cap. 5. dicente cognitionem, & visionem gigni ex objecto, & potentia; & ex Arist. 2. de Anim. 36. & 37. ubi ait animam in genere causæ efficientis concurrere etiam ad operationes sensitivas, & de sensu, & sensib. cap. 2. inquit sensibile facit agere sensum, & qu. Met. 16. distinguens actionem in immanentem, & transeuntem, ad primum revocat visionem, felicitatem animæ, speculationem, & similia, qui ait, recipiuntur in eodem principium, non mere passivum. Secundo prob. ratione Scoti, quia stante sent. Adversariorum sequeretur primo, quod numquam posset intellectus falsum cognoscere, vel apposito de novo assentiri, quia species semper repræsentat objectum naturaliter, sicuti est, & eodem modo semper informat. Secundo non possent de novo causari discursus, propositiones, secundæ intentiones, reflexiones, &c. quia species illa, cum sit causa naturalis, statim causabit, quicquid potest producere, ergo habet causare omnem cognitionem possibilem; & quia intellectus potest in infinitum supra se reflectere, vel supra suos actus produceret infinitas intellectiones. Tertio, eodem modo quilibet intelligeret, si species esset ejusdem rationis, nec daretur unus altero perfectius intelligens, quia illa informatio est relatio, & ejusdem rationis, & tamen experimur tam in sensu, quam in intellectu posito eadem repræsentante (inquit Doctor lit. H.) perfectius quempiam intelligere, si attentius, & magis conatur ad intelligendum; imo propter magnum conatum quandoque potentia sensitiva lædirur; hæc autem attentio arguit potentiæ concursum ad activitatem. Quarto, tolleretur libertas ab homine, quia aliquid non dicitur libere recipere formam aliquam, nisi quia libere potest illam producere. Quinto, in Angelis nonnisi a Deo causaretur nova intellectio, quia jam ipsi tenent non recipere species, nisi a Deo.

28 Tertio, principaliter arguit Doctor, quia in oculo dormientis causatur species, recipitur, si oculis apertis dormiat, nam tunc potest quis in pupilla imaginem propriam inspicere; similiter in aure species soni recipitur, aliter, inquit Doctor, non excitaretur a vehementi sono, & tamen nulla fit sensatio, ut patet. Tum quia species etiam manent in potentiis, absque quod potentiæ vitaliter operari dicantur, ergo præter receptionem speciei requiritur aliqua actio potentiæ. Tum quia vivens a non viventi distinguitur penes principium activum actus vitalis, non penes receptivum, ut diximus disp. præced. qu. 2. Tum quia potentia appetitiva non recipit in se species objectorum, ut suo loco dicemus, ergo sufficienter assignatur ratio actus vitalis receptionem speciei. Et tandem totus hic discursus confirmari potest ex eodem Scot. cit. quia Deus in ratione vitæ univocatur cum viventibus creatis, & actus vitalis divinus cum actu vitali creato, sed in Deo non reperitur ista receptio speciei, ergo &c.

29 Dicimus secundo per istam actionem produci terminum aliquem de prima, vel tertia specie qualitatis includentem tres respectus, duos ad potentiam, scilicet producti ad producens, & recepti ad recipiens, & tertium ad objectum, ad quod tendit ut ad terminum, diciturque respectus tendentiæ, vel attingentiæ. Quoad omnes partes est Scoti cit. quem fere omnes recentiores sequuntur, quos cit. & sequitur Arriag. disp. 6. de An. sect. 2. Prima pars prob. actio propria, & vera est causalitas agentis, estque relatio de prædicamento relationis, vel actionis ex dictis in Log. & in Phys. disp. 7. ergo nequit dari sine termino, sicut nec relatio sine extremis, nec causa in actu sine effectu, ita Scot. p. d. 27. qu. 1. F. in qua conclusione aliqui discrepant, ut Aversa qu. 58. sect. 3. dicens istum terminum seipso produci a potentia, non media actione. Sed hæc discrepantia provenit ex diversitate principiorum, sustinet enim actionem non esse relationem, sed modum aliquem absolutum, de quo egimus loc. cit. sufficit in præsenti, quod vere admittat istum terminum productum de prædicamento qualitatis; iterum tamen agemus disp. 6. qu. 3. art. 2. Similiter, quod asserunt aliqui Thomistæ, actionem immanentem non necessario semper aliquem habere terminum, quamvis ad prædicamentum actionis pertineat, patet ex dictis in Logica, quod sit falsum, tangetur disp. 6. art. 1. actio enim immanens si pro operatione accipiatur, non pertinet ad prædicamentum actionis, in quo relatio agentis ad passum collocatur; si vero pro relatione productionis hujus operationis, patet falsitas ex dictis.

30 Secunda pars quod scilicet ille terminus sit de qualitatis prædicamento, prob. a Scot. 1. d. 3. qu. 6. V. & quol. 13. art. 3. inductione, quia non est substantia, adest enim, & abest; nec quantitas, quia hæc tantum in corporibus, & etiam in non viventibus, reperitur, actus autem vitalis reperitur solum in viventibus, & etiam in spiritualibus, nec est habitus, situs, quando vel ubi propter eamdem rationem; nec est actio, aut passio, quia hæc non per se accipiunt esse, sed per ipsa aliud dicitur accipere esse, nam actio est secundum quam in id, quod subjicitur, agere dicimur, ergo non potest esse actio, nisi aliquod subjectum patiatur, sed nihil patitur, nisi mutetur recipiendo in se aliquam novam formam, ergo ista nova forma non potest esse actio, sed accipit esse per actionem. Nec potest esse relatio, quia terminus a potentia vitali productus est ultima perfectio ipsius secundum Arist. 1. Eth. cap. 9. & 12. Met. 51. & ex Aug. 1. de Trin. cap. penult. ubi habet, visio est tota merces, sed nulla relatio potest esse ultima perfectio potentiæ vitalis, ergo &c. Min. prob. quia ultima perfectio maxime appetitur etiam appetitu naturali, at relatio non appetitur, sed fundamenta appetuntur; quare concludendum est esse in prædicamento qualitatis in prima, vel tertia juxta dicta in Logica.

31 Tertia pars, quod fundet illos tres respectus, potest colligi ex quol. cit. & in 1. d. 39. L. quæ probatur, & explicatur simul, actus enim ille producitur a potentia, & in potentia recipitur, ut patet, ergo dicet ad illam relationes producti, & recepti. Insuper actus vitalis cognoscitivus, & appetitivus respicit proprium objectum, non tantum ut causam, quando objectum potest concurrere ad causandum actum, quomodo dicet relationem producti ad producens, verum etiam ut terminum, in quem tendit, unde sine illo nequit intelligi, quia potentia vere per actum percipit vitaliter objectum, in illud tendit, illi intentionaliter unitur, & circa illud operatur, hinc recte dicetur actum dicere relationem attingentiæ ad objectum, quæ relatio distincta est ab illis duabus ut patet, quia est ad diversos terminos formales. Ex quibus deducitur, potentiam ab actu tripliciter denominari, scilicet productivam, receptivam, & operativam; productivam, ut active concurrit ad actum, receptivam, ut in se recipit illum, operativam, quatenus per actum vitaliter percipit, & attingit objectum.

32 Dicimus 3. actus vitalis, ut intellectio, auditio, visio, &c. non potest intrinsece, & formaliter dicere aliquem ex illis respectibus, nec qualitatem illam cum aliquo, vel omnibus respectibus, sed tantum illud absolutum includens in nobis respectus illos. Conclusio quoad omnes partes colligitur ex dict. 39. cit. quol. 13. fere per totum; & prob. primo tota simul; quia actus vitalis in communi est univocus viventi creato, & increato; sed in Deo actus vitalis, qualis est intelligentia ingenita, & volitio improducta; & essentialis, solum dicit entitatem absolutam de ratione formali absque aliquo respectu, non enim dicit respectum producti, & recepti, ut communiter concedunt Theologi; nec attingentiæ, quia iste respectus nequit in Deo esse realis; sed tantum rationis, cum etiam creaturas intelligat, & velit, ad quas nequit realiter referri ex dictis in Logica, actus vero vitalis ut sic dicit aliquid reale, ergo in nobis etiam dicet quid absolutum. Secundo, prob. fingillatim; prima pars, quod non dicat aliquem respectum, patet ex dictis in præced. concl. tum quia relatio proprie est forma mortua, & necessario infurgit, ut actus vitalis, est, qui constituit vivens in esse viventis in actu secundo, & aliquis actus, scilicet voluntatis est formaliter liber, ergo &c. Secunda pars, quod non dicat aggregatum ex absoluto, & respectivo, patet ex illa generali ratione, quod nulla relatio nec transcendentalis potest esse de essentia absoluti, ut diximus in Logica; aliter esset ens per accidens.

Respondet Hurt. §. 73. quod ens per accidens est duplex, vel quod est ex rebus diversorum prædicamentorum, & sic concedit actum vitalem esse ens per accidens, vel quod est ex duobus se essentialiter non connotantibus, & sic negat esse ens per accidens, quia vere qualitas actus connotat respectus illos. Hæc tamen responsio confundit significatum formale cum per se connotato; communiter enim ens per accidens dicitur illud, quod non habet unam essentiam, quæ nequit fieri ex rebus diversorum generum, & in hoc sensu loquimur, aliter etiam ex subjecto, & accidente ex extremis, & relatione fieret unum per se, quia unum connotat per se aliud: vide disp. 6. quæst. 3. art. 1. Quod tandem in nobis illud absolutum includat respectus, patet ex dictis in præc. concl.

33 Diximus intrinsece & formaliter duplici ratione; primo, quia si spectetur actus vitalis quatenus vitalis secundum id, quod exprimitur a nobis pro statu isto, sic vitalis actus dicet illam tendentiam in objectum, cum enim ultimæ differentiæ rerum pro statu isto nos lateant, non possumus assignare quidditative differentiam ultimam constituentem qualitatem illam in esse vitalis actus, sed illam circumscribimus per respectum tendentiæ ipsius potentiæ in objectum per actum, quo prius informata illi unitur, & intentionaliter copulatur; possemus tamen dicere, quod operatio vitalis est intentionalis perceptio, vel possessio objecti, & vitalis quædam formalitas absoluta contrahens illam qualitatem ut differentia ad genus vitalis actus, quasi per modum cujusdam transitus intentionalis potentiæ vivæ in objectum, illud percipiendo, vel possidendo, si est appetitiva. Secundo, quia si vitalis accidentaliter sumatur, sic dicet respectum actus producti ad potentiam vivam producentem, sicut enim potentia viva dicitur talis, etiam ut producit actum illum in seipsa ex dictis disp. præc. quæst. 2. sic actus ut ab illa proveniens vitalis potest denominari, quatenus ab aliquo vivo, ut vivo procedit; attamen hæc vitalis non est intrinseca, & essentialis actui, vel saltem non est realiter identificata, quia ut dicemus in seq. qu. potest sine ista reperiri; non potest tamen esse sine respectu transcendentali ad objectum; idcirco vitalitatem intrinsecam & essentialem per respectum tendentiæ ad objectum explicamus, non per respectum ad potentiam producentem.

34 Ex his colligitur primo, quod vitalis potentia potest dici, quod consistat in actuali elicitione proprii actus, quæ fundamentaliter dicit entitatem potentiæ, formaliter relationem producentis ad productum, ut est in omnibus causis effectivis; & ratio est, quia proprium viventis est acquirere sibi novam perfectionem, ut sæpe dictum est, & habetur a Sc. quol. 13. FF. & hanc utilitatem si libuerit, po-

poteris cum Arriaga appellare vitalitatem physicam, quia exercetur media causalitate physica.

Colligitur 2. hoc, quod est vitaliter operari in potentia non dicere respectum producentis, vel recipientis actum, sed potius tendentiam illam potentiæ in objectum medio actu vitali quo unitur objecto, percipit illud, & illi intentionaliter copulatur, licet in nobis productio, & receptio præsupponatur; quod ostenditur, quia producere v. gr. *intellectionem* non est *intelligere*, ut docet Scot. cit. & 1. d. 3. qu. 7. Y. sicut esse formaliter album non est producere albedinem, sed illam in se habere; tum quia potentiam intelligere, audire &c. est, ipsam respicere objectum, at ut productiva, non respicit objectum, sed actum, ergo ut sic non dicitur formaliter operari; tum quia potest actus vitalis a Deo produci, ut dicemus quæst. seq. per quem actum posset potentia in objectum tendere; & tandem quia *vitaliter operatur intellectus divinus*, & tamen respectu intellectionis ingenitæ non dicitur productivus. Deinde vitaliter operari neque est recipere actum, nam ex Scot. 1. d. 39. cit. recipere de sua ratione formali dicit imperfectionem, unde removetur a Deo, at vitaliter operari dicit perfectionem de sua ratione formali; tum quia hoc, quod est recipere, est quid mortuum, unde cuilibet subjecto etiam non vivo convenit; quapropter vitaliter operari erit potentiam modo vivo per actum respicere objectum, illud *percipit, illique unitur*, quod quidem nil aliud est nisi tendentia actus in objectum. Verum est tamen, quod sicut hæc tendentia in actu ex se dicit entitatem absolutam, sed ut explicatur a nobis dicit respectum; sic potentiam tendere in objectum medio actu ex se dicit entitatem potentiæ, quatenus per entitatem actus *absolutam intentionaliter* transit in objectum, illudque percipit, at secundum id, per quod a nobis explicatur, dicet potentiam per respectum *tendentiæ* fundatum in actu respicere objectum; & circa illud operari, & hæc vitalitas cum eodem Arriaga vocari poterit intentionalis. Tandem in nobis prærequiruntur ad vitalitatem operativam, seu intentionalem respectus productionis, & receptionis, ut diximus, sed cum hoc discrimine, quod productio non necessario simpliciter prærequiritur, quia potest actus a Deo infundi in potentia, ut dicemus; at receptio necessario præexigitur in nobis, quia ut potentia operetur vitaliter, debet actum in se habere.

35 Contra 1. concl. arg. authorit. D. Aug. de Trin. cap. 2. dicentis, *illa informatio sensus, quæ visio dicitur, a solo imprimitur corpore, quod videtur*, sed quod imprimitur a corpore est species, ergo &c. Tum 2. ex 2. de Anim. 138. ubi habetur, quod idem sit sonatio, & auditio, quia idem est activi, & passivi, sed sonatio causat speciem soni in aure, ergo illa species soni causata erit idem cum auditione. Tum 3. Arist. ubique ponit potentias esse mere passivas præcipue sensitivas. Tum 4. 2. de Anim. 29. inquit Arist. sensitivum assimilari habenti habitum scientiæ, sed ille solum ad unum actum *est in* potentia scilicet scientiam, ergo potentia sensitiva ad unum tantum actum erit in potentia, scilicet ad speciem. Tum 5. statim ac species *objecti in potentia recipitur*, objectum repræsentatur potentiæ, quod est percipi ab ipsa, ergo frustra alius ponitur actus.

Resp. ad 1. ex Scot. 1. d. 3. qu. 6. N. in simili, D. August. per visionem ibi non *intelligere* actum vitalem, sed speciem objecti, quæ virtualiter visio dici potest, quatenus *est causa visionis* formalis, sicut in 15. de Trin. cap. 10. speciem intelligibilem scientiam vocat; & Arist. 3. de Anim. 37. ait, animam esse quodammodo omnia, quia per sensum est sensibilia, & per scientiam scibilia, ubi per scientiam intelligitur præsentia habitualis objecti in memoria intellectiva, quæ præsentia habitualis est species intelligibilis, & dicitur scientia virtualiter. Ad 2. Arist. ibi solum afferere sensum, & sensibile eumdem actum producere, & hoc quia *objectum mediante specie* concurrit ad sensationem; aliter secundum Arist. sensus concurreret active ad productionem speciei, quod est falsum, ut suo loco dicemus; tum quia jam admittitur activitas potentiæ. Ad 3. neque nos, neque Arist. passivitatem negare a potentiis, sed cum hac activitatem quoque ponimus, magis tamen sensus vocavit potentias passivas, quia solum agunt producendo sensationem, at patiuntur recipiendo, tum sensationem, tum speciem objecti, & quia contra veteres loquebatur ponentes sensum nihil recipere ab objecto; tum quia non datur sensus agens. Ad 4. similitudinem consistere in hoc, quod habens habitum est potens elicere, ita habens potentiam sensitivam. Ad 5. per speciem secundum Scotum in 1. d. 3. cit. repræsentatur objectum non formaliter expresse, sed virtualiter, ut dicemus disp. 4. Posset quoque argui, quod idem nequit agere in seipsum, de quo egimus in Ph. d. 7.

36 Contra secundum, arg. probando actus vitales esse actiones, vel alium respectum; nullum entium præcise consistit in fieri, & successione, nisi sit actio, & passio, sed actus vitalis consistit in fieri, ergo &c. Min. prob. ex Aug. 4. super Gen. c. 8. ubi ait, quod aer præsente lumine non est factus lucidus, sed fit lucidus, quia non manet lucidus absente luminoto, ergo quia actus non *manet absente* potentia dicitur semper fieri. Tum 2. Arist. 9. Met. 16. dividit actionem in immanentem, & transeuntem, in prima collocat actus vitales, ergo &c. Tum 3. intelligere est quoddam pati ex 3. de an. 2. & 7. Phys. 20. negat Arist. ad scientiam esse motum, quia sciens maxime ad aliud refertur, & 10. Eth. cap. 2. negat operationes virtutis esse qualitates.

Resp. Scot. 1. d. 3. qu 6. in fine actionem tres habere conditiones: prima est, quod sit in continuo fieri, idest quod æque ab agente pendeat tam in principio, quam in fine: secunda, quod sit circa aliquod receptivum, & tertia, quod habeat terminum productum, hinc neg. major, arguitur enim ab una conditione ad omnes, actus vitalis assimilatur actioni in prima & secunda conditione, non in tertia, quæ est completiva rationis formalis actionis. Dices etiam actus vitalis habet terminum productum scilicet habitum ut disp. seq. dicemus. Resp. actum in ordine ad habitum habere rationem causæ effectivæ, at actio dicitur habere terminum productum tamquam principium denominandi formaliter agens. Ad 2. ait si per actionem immanentem intelligitur actus vitalis, illa divisio est æquivoci in sua æquivocata, si vero intelligitur actio illa, quæ habet terminum in ipso agente, sic est univoci in sua univocata, sed nihil ad rem, de quo fusius in Log. dictum est. Ad 3. Resp. quol. 13. §. *Ad ista*, & ad 1. authorit. ait non intendere Arist. ponere intellectionem in genere passionis, sed solum docere, ad hoc ut aliquis intelligens denominetur, debere recipere in se intellectionem, quare intelligere est pati concomitanter, non formaliter. Ad 2. Resp. lit. R. & S. primo, quod Arist. loquitur secundum sent. Platonis dicentis scire esse tantum quoddam reminisci, quod confirmat in Comment. ibid. Secundo, inquit non negare absolute per se motum, sed illum motum, qui fit ad aliquam formam non necessario præsupponentem inductionem alterius prioris, unde concedit motum in sensibus, at negat in intellectu, quia non mutatur intellectus ab objecto extra, sed ab objecto intra, scilicet in specie intelligibili relucente; & sic cum dicit sciens, maxime ad aliud refertur, est sensus, ad aliud, idest ad objectum intra, non extra, quod est *primum alterans*, & respicitur a sensu. Ad 3. ait per operationes virtutis, felicitatem, & delectationem intelligere Arist. elicitiones actuum vitalium, & actiones proprie dictas, quæ non sunt qualitates, & tamen sunt bonæ; quod sufficit pro intentione ipsius, quia tantum intendebat probare, non omne bonum esse qualitatem in esse quieto, quæ *non pendet in fieri*, & conservari ab agente. Posset quoque contra eamdem concl. argui ex Aversa, quod actus vitalis non dicat relationem producti ad potentiam, sed seipso producatur; quas rationes adducemus disp. 6. qu. 3. art. 2.

37 Contra 3. concluf. argum. primo; ultima perfectio creaturæ rationalis non potest esse sine reali relatione ad objectum perfectissimum, sed quidam actus vitalis est ultima perfectio creaturæ rationalis, ergo actus vitalis debet per se dicere relationem aliquam; major probat. quia si summa perfectio diceretur aliquid, ut est ad se, ipsa substantia rei hoc modo esset perfectio summa, quia substantia est quocunque accidente perfectior, 7. Meth. 4. ergo si accidens ponitur ultima perfectio, hoc erit, quia unit potentiam ultimo fini, & sic illa relatio erit perfectio summa. Tum 2. Aug. 13. de Trin. cap. 5. Beatus est, qui habet, quicquid vult, & nihil mali vult; tunc sic, quando in concretis est prædicatio per se primo modo, sequitur prædicatio in abstracto per se primo modo, ut album est coloratum, ergo albedo est color, igitur si hæc est vera in primo modo, beatus est, qui habet, &c. quia est definitio beati, ergo beatitudo erit habitio cujuscunque bene voliti, sed habitio, vel habere est quædam relatio, beatitudo vero est actus vitalis, ergo a primo ad ultimum actus vitalis includit formaliter relationem. Tum 3. Arist. 5. Met. 20. docet relationem tertii modi esse tantum in substantia alterius extremi, sed actus respectu objecti est relativum tertii modi, ergo in sua substantia, & essentia est relatio. Tum 4. potentia mediante relatione immediatius unitur proprio objecto, quam mediante absoluto, ergo perfectius unitur media relatione, quam medio absoluto, ergo ultima perfectio, quæ est actus vitalis potentiæ, consistit in relatione. Tum 5. sicut se habet materia ad formam perfectissimam, ita potentia ad objectum perfectissimum, sed materia perficitur a forma media relatione unionis, ergo &c.

38 Resp. ad 1. ex Scot. quol. 13. Q. majorem in nobis esse veram, quia ad actum nostrum consequitur semper illa relatio, quæ in Dei beatitudine non reperitur; sed potest illa major dupliciter intelligi, nam ultima perfectio potest intelligi vel aliqua *summa perfectio* per se una, vel integrata ex illa, & omnibus necessario concomitantibus, primo modo summa perfectio est illud absolutum, quod perfectius est etiam ipsa relatione, nam si Petrus haberet illud absolutum sine relatione, adhuc esse beatus, ut est in Deo, non tamen e contra, at secundo modo dicit etiam respectum, non quidem formaliter, sed concomitanter; cum dicitur est summa perfectio, in quantum unit ultimo fini, respondet Doctor, quod illa reduplicatio potest *intelligi fieri*, vel ratione relationis, & sic neg. quia relatio non est ratio essendi ultima perfectio; vel reduplicat fundamentum proximum connectens, & sic est verum, cum additur, substantiam rei esse quocunque accidente perfectiorem, dicimus beatitudinem non attendi penes perfectionem actus primi, sed actus secundi. Ad 2. respondet, si ly habere significat veram relationem, sic non est definitio, sed descriptio per illud, quod necessario concomitatur beatitudinem, si vero significat operationem, qua habetur, & percipitur objectum, juxta illud D. Aug. lib. 83. qq. qu. 35. habere Deum est ipsum cognoscere, tunc habere beatificum non dicit formaliter relationem, sed concomitanter. Ad 3. resp. lit. V. sensum esse, relationem tertii modi fundari tantum in essentia unius extremi, quia non est mutua, at relationes primi, & secundi modi fundari in ambobus extremis, non autem quod sit de intrinseca ratione substantiæ ullius extremi. Ad 4. potentiam unni objecto posse duplici-

citer, intelligi, vel in ratione objecti præcise, vel in ratione objecti perceptibilis, aut appetibilis, primo *modo immediatius* unitur media relatione, secundo modo medio actu, non enim relatio est perceptiva formaliter objecti; & ista secunda unio est perfectior, quam prima, & ideo neg. consequ. Ad 5. comparationem debere fieri inter materiam, & formam ex una parte, & inter potentiam, & actum ex altera, quia actus est, qui inhæret, & formaliter perficit potentiam, objectum vero solum extrinsece, hinc sicut perfectio materiæ non est illa unio, sed forma illa unita, sic perfectio potentiæ non est illa unio actus cum potentia, & illa receptio, sed ipse actus, quæ est entitas quædam absoluta; hinc Scot. p. d. 1. q. 1. H. dicebat potentiam *intrinsece* satiari aliquo finito recepto, at extra, seu terminate non satiari, nisi in aliquo infinito.

39 Secundo arg. ex Hurt. ostendendo tam actionem, quam passionem esse de essentia actus vitalis; tum quia vivens creatum ut sic dicit essentialiter actionem, & passionem in actu primo, quia est potentia se *movens ab intrinseco*; ergo vivens in actu secundo dicit essentialiter actionem, & passionem actuales, & terminum; prob. consequ. quia vivens in actu secundo est exercitium actus primi activi, sed tale exercitium est formaliter actio, & passio, ergo &c. Tum 2. principium activum creatum in tali ratione constituitur formaliter per principium activum in seipso, ergo intelligens in actu secundo ut sic formaliter constituitur per actionem in seipso, sicut calefactivum per calefactionem. Tum 3. si actio productiva non esset de essentia intelligentis, sequitur, posse a Deo produci creaturam aliquam, quæ non sit activa intellectionis, & adhuc intellectiva, similiter, quod sit creatura non activa volitionis, sed adhuc volitiva; nam si actio non includitur formaliter in ratione intellectui, & volitioni, poterit separari ab illis; sed hoc est falsum, quia sic esset actus vitalis non immanens; tum quia daretur ratio voluntarii, & non a principio intrinseco, quod est *contra definitionem* voluntarii; & tandem quia daretur creatura cognoscens bonum esse amandum, sed non posset se movere in illud, quia libertas in actione consistit. Tum 4. idem est intelligere creatum, & dicere, hoc autem dicere significat productionem secundum Scotum, ergo intelligere significat productionem; Major prob. ex Matt. 9. *Dixerunt Pharisæi intra se, hic blasphemat*, quibus Christus objecit, *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* ergo idem est dicere, ac cogitare, seu intelligere. Tum 5. Arist. in fine prædicam. qualit. ait nihil prohibere idem in pluribus generibus enunciari, ergo non implicat actum vitalem includere absolutum, & respectum.

40 Resp. vel Hurt. loquitur de essentia vitalis actus, vel solum de vivente in actu secundo, seu de exercitio actuali vitalis potentiæ; si primum dicatur, argumentum non est ad rem, quia actus vitalis non est exercitium potentiæ productivæ, sed terminus illius exercitii, & de isto loquimur in præsenti; si secundum, concedimus vivens in actu secundo formaliter, & ut sic dicere potentiam cum actione, seu cum illa relatione producentis, sicut ignis ut causa in actu secundo dicit entitatem cum relatione causæ, & hoc si loquimur de exercitio potentiæ vitalis ut productivæ, non ut operativæ, quo pacto dicet potentia cum actuali tendentia medio actu, ut patet ex dictis; quod vero addit etiam passionem esse de conceptu formali, est omnino falsum, & procedit ex illo falso principio, quod actio, & passio sunt idem realiter, de quo in Phys. disp. 7. addimus etiam, quod neque vivens ut sic potest illa duo scilicet esse productivum, & operativum æque importare, quia sunt duæ rationes vivendi alterius rationis. Ad 2. resp. per idem, sed cum dicitur, quod principium vivens constituitur, pro ut in seipso agit, ly in se ipso connotat passionem, non tamen est de conceptu formali principii activi, aliter activum, & passivum essent ejusdem rationis essentialis. Ad 3. admittimus sequelam, & negamus falsitatem, & ad 1. probat. dicimus non esse de ratione actus vitalis, quod sit necessario immanens, ut cum ipso Hurt. dicemus q. seq. ad 2. probationem patebit etiam in q. seq. ad aliam, non urgere, quia & si non posset se *movere* producendo, posset operando *licet non libere*. Ad 4. ex dicendis disput. 6. quæst. 3. intelligere formaliter consistit non in productione intellectionis, sed in tendentia in objectum per actum; productio autem intellectionis vocari solet dictio, seu dicere, hinc negatur major; nam sicut dicere vocaliter non est verbum, sed productio verbi, ita dicere mentaliter non est intellectio, sed productio intellectionis, ad probationem dicimus Pharisæos duo fecisse, scilicet produxisse operationem, seu cogitationem, quod explicatur per ly *dixerunt*, & cogitasse, quod innuitur per ly *hic blasphemat*, Christus huic secundo objecit, non primo, quia productio actus peccaminosi ideo est mala, quia actus productus est malus. Ad 5. respondet Scotus quol. 13. in fine illam authoritatem non esse veram de uno per se, sed de uno per accidens, quod uno nomine enunciari potest. Alias objectiones vide infra disp. 6. q. 3. art. 1. & 2. sæpe cit. & disp. 8. Log. q. 2. dum adversarii conantur ostendere relationes transcendentales esse de essentia absoluti.

QUÆSTIO III.

An actus vitalis pendeat ab anima essentialiter, ut sine illius concursu nequeat produci.

41 UT innuimus in præced. qu. actus vitales distinguuntur in imperfectos, & perfectos, imperfecti dicunt actio-

nes illas, quibus termini acquiruntur, scilicet generationem, *nutritionem*, & *motum localem*, perfecti vero dicunt qualitatem in potentiis productam cum illis respectibus; inter quos actus hæc est differentia, quod imperfecti dicunt solum respectum; nam motus formaliter est respectus ex disp. 15. Phys. q. 1. perfecti vero dicunt qualitatem productam a potentia, & consequenter dicunt productionem aliquam passivam ad potentiam, cui productioni correspondet activa in potentia, quæ productio activa dici potest actio vitalis, & similis est actibus imperfectis, cum hac tamen differentia, quod termini istorum non dicuntur actus vitales, non enim illa pars substantiæ, vel compositum totum, aut Ubi, quæ acquiruntur nutritione, & motu locali, dicuntur vitales actus; at termini illarum actionum vere vitales erunt, quia per illos potentiæ modo vivo in objectum tendunt. Et de istis *actionibus clare patet*, quod ut vitales dicunt essentialem dependentiam ad potentias; etenim si Deus ex materia alimenti educeret formam carnis, illamque præexistenti carni viventis uniret, non per hoc vivens proprie nutriri diceretur; sicut neque si Deus produceret aliquod vivens, vel in aliquo loco collocaret, dici posset animal generare, vel localiter se movere; ita si Deus produceret intellectionem in intellectu Petri, non posset intellectus Petri denominari producens. Solum igitur quæstio extenditur ad actus vitales perfectos, & sensus est, an volitio, intellectio, & sensatio possint esse sine actuali concursu potentiæ, saltem per Dei potentiam; quia naturaliter in nobis est clarum, & solum potest esse dubium de Angelis, & animabus separatis, an scilicet posset unus Angelus in intellectu alterius *producere aliquam intellectionem*, de quo Scotus 2. d. 9. q. 1. hoc tamen non est præsentis negotii.

Prima opinio universaliter negat hos actus sine potentiæ concursu posse a Deo produci; ita Thomistæ fere omnes Cajet. 1. p. qu. 26. art. 3. Vasq. p. 2. disp. 9. Aversa qu. 48. sec. 1. Ruv. 3. de An. tr. de actu intellect. possib. q. 5. & ex nostratibus videtur sequi Vulpes 2. p. tom. 3. disput. 104. art. 6. in fine; quam opinionem aliqui explicant posse quidem istos actus fieri in ratione cujusdam qualitatis, non vero ut sunt vitales, ita Scoto 4. d. 49. quæst. 22. art. 4. Capr. ibid. q. 4. art. 3. Hurt. vero disp. 6. de An. sec. 3. & 4. concedit posse fieri etiam ut sunt vitales, attamen si in anima ponerentur, non per hoc volens intelligens, aut sentiens denominari posset, eo innixus fundamento, quod ad vitalitatem requiritur quoque actio potentiæ.

42 Dicendum est tamen, actus istos non ita a potentiis dependere, quin a Deo *immediate non possint produci*, sive in potentiis, sive in seipsis existentes, & hoc etiam ut vitales sunt, & si in potentia ponerentur, vere potentiam illam denominari operantem vitaliter. Hæc conclusio expresse docetur a Scoto 1. d. 3. q. 7. I. & q. 8. C. & in 3. d. 13. qu. 3. O. & d. 14. q. 1. B. & in 4. d. 49. qu. 11. non obscure insinuatur, & in 2. cit. hoc sustinet naturaliter in Angelis evenire, ipsum sequuntur Nominales omnes, & ex Recentioribus Hurt. cit. Suarez disp. 48. Met. sec. 2. n. 12. Mol. 1. p. disp. 12. art. 2. d. 1. Conimb. 1. de gen. c. 4. q. 10. art. 2. Arriaga disp. 6. de An. sec. 2. subsec. 4. estque communior. Prima pars, quod possit *illos* Deus producere tam in potentiis, quam extra, Prob. ex *illo principio*, quod Deus possit supplere omnem causalitatem causæ secundæ efficientis, maxime *in absolutis*, nec *adversarii possunt in proposito aliquam* rationem assignare, cur implicet, nisi petendo *principium*, ut patebit ex solutionibus objectionum, in *his enim* quæstionibus de potentia absoluta Dei, nequit sententia affirmativa probari, seu possibilitas, nisi attendendo non repugnantiam, quod fit solvendo rationes contrariorum, vel ab aliquo simili. Secunda pars, quod etiam ut vitales possint produci, Prob. quia vitalis in istis actibus dicit differentiam essentialem, ergo debent produci ut vitales, quia res nequit esse sine sua essentiali differentia. Tertia pars, quod scilicet si actus ille est in potentia, denominabit eam formaliter operantem, Prob. ex superiori quæst. nam ad operationem nihil facit productio actus, sufficit qualitas cum tendentia potentiæ. Solum dubitari posset de voluntate, quæ est libera, an posito actu debeat *necessario* rendere in objectum, an vero adhuc libera remaneat. De quo dubio dicemus disp. 7. q. 3. art. 2. quod scilicet necessario tendet, nec posset non tendere, aliter *possent* simul *duo actus oppositi ineste voluntati*, ita tamen quod per unum tantum tendat, non per alium, quod est falsum, quia actus isti ex suis rationibus formalibus repugnant simul esse, quod non esset verum, si non denominarent voluntatem necessario operantem; nam repugnantia ex isto capite assignatur, quod voluntas simul prosequeretur objectum, illudque respueret. Quod totum confirmari potest ex Conc. Trest. 6. c. 5. ubi loquens de actibus quibusdam supernaturalibus a Deo operatis in nobis sine nobis, habet, *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti inspirationem, neque homo ipse nihil omnino agit inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest*. Ubi Concil. videtur aperte asserere in actibus istis, quoad productionem hominem mere passive se habere, & activitatem exercere, quatenus potest *illos continuare*, vel abjicere.

43 In oppositum objic. Non potest dari operatio vitalis sine attentione, at sine actione *potentiæ nulla* est attentio, ergo &c. Tum 2. intellectio est verbum mentis secundum Scot. sed verbo mentis est *simpliciter essentialis* habitudo ad potentiam producentem, quia perit naturaliter produci, ergo &c. Tum 3. intellectio ex sua intrinseca ratione est conceptus mentis, *sicut enim ex viro*, & fœmina fetus con-

cipitur, ita ex potentia, & objecto fœtus, quæ est intellectio, gignitur, ergo non potest, immediate, & totaliter produci a Deo. Tum 4. intellectio est imago objecti expressa per speciem, at imago essentialiter dicit respectum ad originans, de quo expressa est, ut ait D. Aug. lib. 83. qq. q. 73. duo qua sunt similia, sed neutrum est imago alterius, quia non est de illo expressum, ergo a solo Deo saltem intellectio, produci nequit. Tum 5. actus vitalis de sua ratione est actio immanens, ergo petit produci a principio, in quo recipitur.

44 Resp. ad 1. *attentionem esse tendentiam* potentiæ per actum in objectum, non productionem actus, Deus enim maxime per actus improductos attendit, absque aliqua productione. Ad 2. ex dicendis disp. 6. q. 3. art. 2. Verbum materialiter dicit entitatem intellectionis, formaliter relationem producti modo naturali ad producens, quæ est ab intellectione separabilis, unde non quælibet intellectio ad verbum, & sic intellectio a Deo causata esset actus vitalis, non tamen verbum. Ad 3. & 4. dicimus, *hoc quod est esse conceptum mentis*, aut imaginem objecti non esse de ratione intellectionis, sed esse respectus superadditos realiter distinctos, & separabiles, solum convenientes intellectioni, quando ab intellectu producitur; dicitur tamen intellectio similitudo expressa objecti constituens intellectum intentionaliter simile objecto, quæ similitudo non semper dicitur imago, in plus enim se habet similitudo, ut patet ex Aug. cit. & hæc similitudo habetur per entitatem actus, & tendentiam in objectum. Ad 5. respon. Rada to. 1. *Contr. 7. in fine*, quod de ratione actionis immanentis, quæ est actus ultimus, non est, quod maneat in efficiente *illa*, sed in operante, & agente per eam, Expeditius respondet Bassol. 2. d. 9. qu. 2. §. *Ad primum istorum*, negando actum vitalem esse actionem immanentem de sua ratione formali, sed accidere *illi* hoc quod est produci ab eodem principio, in quo recipitur, unde divisio illa actionis in immanentem, & transeuntem est per accidentalia, non per essentialia. Dices, repugnat actioni transeunti, quod sit ab eodem principio recipiente illam, sed necessario petit esse a principio distinctio a subjecto, ergo repugnabit actioni immanenti, quod sit a principio extraneo. Resp. Bassol. antea. esse verum reduplicative, non specificative, sicut repugnat homini nigro ut sic disgregare visum, & in eodem sensu conceditur de actione immanenti.

45 Secundo, vivens a non vivente distinguitur per habere in se principium activum propriæ *perfectionis*, ergo si actus adveniret potentiæ omnino ab extrinseco, nullo modo posset per illum vitaliter operari. Prob. conseq. quia illi potentiæ ut sic nullo modo convenit ratio viventis, quæ in principio productivo fundamentaliter, & in actuali actione formaliter consistit. Tum 2. & si intellectio non posset in lapide collocari propter sui spiritualitatem, posset tamen visio, vel auditio, qui sunt actus materiales, ergo lapis viveret, vel audiret, quia forma equit non tribuere suum effectum formalem subjecto, cui innæret. Tum 3. non videtur gustatio, vel auditio per se posse hxistere, imo & omnis sensatio externa, quæ est intuitiva cognitio, de cujus ratione est, ut ab objecto causetur, nequit augem objectum concurrere ad actum vitalem, nisi simul cum potentia. Tum 4. *secundum communiorem Theologorum* sententiam Deus non potest ex se producere actum erroris in intellectu, & odii Dei in voluntate, ergo &c. Tandem instatur de volitione, quæ de sua ratione est actus voluntarius, sed voluntarium dicit habitudinem ad principium activum intrinsecum, definitur enim quod sit a principio intrinseco cognoscente singula. Accedit, quod sequeretur posse voluntatem ferri in incognitum, si scilicet Deus poneret in ipsa volitionem objecti incogniti ab intellectu, quod est falsum.

46 Resp. ad 1. valere de vita productiva, & physica, non de operativa, & intentionali, ut sæpe diximus. Ad 2. si lapis haberet visionem, non videret, quia videre formaliter non est habere visionem, sed per ipsam vitaliter tendere in objectum, quod non *competit lapidi*; neque *videre est primus effectus* formalis visionis, sed informari visione, ad quem significandum non est adhuc excogitatum simplex vocabulum. Ad 3. ex dicendis disp. 6. q. 11. de ratione cognitionis intuitivæ non est, quod active ab objecto fiat, sed quod terminetur ad objectum in se existens, hinc sensationes externæ possent solitarie existere, dum modo haberent objectum existens ad quod dicerent relationem transcendentalem. Ad 4. actus illos repugnare produci a Deo, non quia actus vitales sunt, sed quia tales actus, & ex propriis rationibus formalibus, ideo non debet inferri conseq. universalis. Ad ult. dicimus, quod voluntarium potest sumi dupliciter, pro eo, quod est secundum inclinationem voluntatis, & sic concedimus actum illum productum a Deo esse voluntarium, non tamen hoc voluntarium *illa* definitione definitur, sed prout cum libero convertitur, quo sensu actus ille non esset liber, sed necessarius; quia libertas creata consistit in indifferentia ad posse producere, & non producere, ut disp. 7. dicemus; neque libertas proxima, & passiva est intrinseca, & essentialis actui, ut ibidem ostendemus. Ad aliam aliqui concedunt totum & negant falsitatem. Alii dicunt in casu debere Deum producere in intellectu cognitionem illius objecti, quia ponunt ordinem essentialem inter potentias istas, earumque actus; de quo dicemus disp. 7. q. 6.

QUÆSTIO IV.

Quomodo potentiæ specificentur per actus, & actus per objecta quoad unitatem, & distinctionem.

47 Receptissima in schola Thomistarum sententia est, potentias ita ab actibus specificari, & actus ab objectis, ut ab eorum unitate, vel distinctione indispensabiliter pendeat unitas, vel distinctione specifica potentiarum, non quidem in eo sensu, quasi actus, & objecta dent unitatem, & distinctionem illis intrinsece seipsis constituendo potentias; nam certum est hoc pacto nec objecta actus, nec actus potentias constituere, & distinguere, siquidem omnia ista per se, & directe ad distinctas pertinent species, & multoties ad distincta genera, sed ab eis extrinsece specificari, tanquam per terminos ordinis intrinseci, & essentialis, quem potentiæ dicunt ad actus, & mediantibus actibus ad objecta, ita D. Thom. p. p. quæst. 77. art. 3. Cajet. Banncz, & alii ejus Expositores ibidem Ferrar. lib. 2. de anim. quæst. 9. Conimbr. 2. de anim. cap. 3. qu. 5. Suarez lib. 2. de anim. c. 2. Ruvius ibid. cap. 3. q. 8. Morisan. disp. 1. de anim. qu. 12. Complut. disp. 7. de anim. q. 1. Jo. de S. Th. qu. 2. de anim. art. 3. qui alios antiquiores citant.

Declarant autem Auctores isti id esse intelligendum de actibus adæquatis, non inadæquatis, ac rursus de objectis formalibus, non vero materialibus: debet intelligi de actibus adæquatis, quia dari quidem possunt in eadem potentia plures actus inadæquati specie diversi secundum suas peculiares rationes, & objecta, quæ attingunt, ut assensus, & dissensus in intellectu, volitio, & nolitio in voluntate, qui tamen conveniunt in aliqua ratione universaliori, secundum quam specificant potentiam; ut v. gr. assensus, & dissensus conveniunt in ratione *præcipua imaginis, & repræsentationis objecti*; nam hæc est ratio adæquate constituens actum intellectus, ut distinguitur ab actu voluntatis, qui tendit in objectum per modum impulsus; debet etiam intelligi de objectis formalibus, non materialibus, quia possunt in una entitate materiali objecti fundari diversæ formalitates objectivæ diversis potentiis respondentes, v. gr. in lapide fundatur formalitas visibilis ut coloratum, & tangibilis, ut frigidum, & intelligibilis, ut substantia, possunt etiam plura objecta e contra entitative, & materialiter diversa convenire in una formaliter objectiva, videmus enim corpora substantialiter diversa, ut lapis, lignum, homo, convenire in una ratione colorati, & proportione movendi visum; ex quo fit unitatem, vel distinctionem potentiarum ex *objectis materialibus* non rite desumi, sed ex *formalibus* tantum; & hæc est communis opinio priscorum nemine discrepante; non desunt tamen ex Recentioribus, qui dicant etiam ex objectis *materialibus interdum* actus, & potentias specificari posse, ut Hurtad. disp. 5. de anim. sec. 5. Arriag. disp. 3. de anim. num. 139. & ex nostris Smisinch. tr. 2. de Deo uno disp. 6. num. 261.

48 Dicendum est pro resolutione quæsiti, nec actus per objecta, nec potentias per actus intrinsece, & essentialiter specificari, quasi ab objectis indispensabiliter suam desumant unitatem, & distinctionem, actus proxime, & potentiæ remote, sed tantum extrinsece, & manifestative modo mox explicando, & hoc quidem ab objectis formalibus, non vero materialibus. Conclusio est Scoti loc. infra cit. quam passim Scotistæ defendunt contra Thomistas Tatar. 2. de an. q. 2. Jo. de Mag. ibid. Faber. Theor. 75. Cavell. disp. 1. de anim. sec. 19. Rocus 2. de anim. qu. 23. Philopon. Apollin. & Venet. 2. de anim. ad tex. 33. Thien. ad tex. 29. Jandun. 2. de anim. q. 8. Mercen. in suis dilucid. & alii quamplures, & quoad omnes partes singillatim probatur; & in primis, quod nec actus per objecta, nec potentiæ per actus intrinsece, & essentialiter specificentur, docet Doctor 2. d. 16. ad 2. & 3. d. 14. quæst. 1. E. & expresse quol. 13. art. 3. HH. & probat ibidem, quia aut hoc intelligitur, ita quod objecta sint constitutiva, & distinctiva formalia actuum, & actus potentiarum, & hoc non, cum constet objectum esse extra ipsum actum, & actum a potentia prorsus distinctum, & sic non posse esse differentiam ejus intrinsecam; vel ita intelligitur, ut ordo potentiæ ad actum, actus ad objectum sit eis essentialis, & intrinsecus, atque ideo rationem habeat differentiæ intrinsecæ, ut re vera intelligunt Thomistæ; & neque hoc dici potest, quia actus vitales sunt entitates absolutæ de genere qualitatis, ut ostendimus qu. 2. ac proinde a suo formali, ac intrinseco conceptu respectum omnem excludentes; potentiæ item animæ, licet formaliter sumptæ, ut dicunt relationem principii ad operationes principiatas, sint res essentialiter respectivæ, si tamen spectentur, ut sunt fundamentum talis relationis, quo quidem sensu sumuntur, cum dicuntur esse facultates, & partiales *perfectiones* animæ *sunt* res absolutæ, ut sic enim habent rationem substantiæ, & realiter identificantur essentiæ animæ, ut Doctor erudite declarat 2. dist. 16. qu. un. ergo in nullo sensu possunt re vera actus per objecta, & potentiæ per actus intrinsece, & essentialiter specificari. Nec juvat familiare Thomistis effugium, quod cum hæc relatio, quam potentiæ dicunt ad suos actus ad objecta, sit transcendentalis, non prædicamentalis, bene potest in eis entitatibus *absolutis essentialiter imbibi*, quia entitas absoluta a sua quidditate excludit relationem prædicamentalem, non transcendentem. Non valet; nam jam disp. 8. Log. q. 2. demonstravimus, quod licet relatio transcendentalis realiter identificetur cum rebus absolutis, & per hoc præsertim a prædicamentali secernatur, formaliter tamen, & essentialiter identificari non potest, quia universaliter loquendo verum est respectum non esse de essentia absoluti, alioquin idem formaliter, & quidditative simul, & semel esset ad se, & non ad aliud, & consequenter ad se, & non ad se, quod est implicatorium, quæ hic repetere non oportet, cum ex *professo id ibi demonstremus*.

49 Conf. ex doctrina Scoti 2. d. 1. q. 6. in corpore quæsiti, & omne ens, quod est principium alicujus operationis, ideo est tale principium, quia est in se tale ens, unde si quæras primam distinctionem Solis a planta, non est quia Sol generat, vel genevare potest plura, & diversa mixta, non autem planta, sed quia Sol in se habet talem formam, a qua tam variæ generationes prodire possunt, non vero planta; sic igitur in proposito facultates animæ, licet sint a natura ordinatæ ad suas operationes edendas, non tamen ita ut per eas essentialiter specificentur, & distinguantur, quia hujusmodi facultates prius sunt talia entia in se, & quia talia sunt, ordinantur ad tales operationes edendas, non autem alias, sic v. g. voluntas ordinatur ad velle, & nolle, non autem ad assensum, vel dissensum, quia est potentia appetitiva, non cognitiva, ergo potentiæ per actus, aut relationem ad illos nequeunt per se, & essentialiter distingui, & specificari, sed tantum extrinsece, & a posteriori. Denique idipsum probat quoque Doctor 2. d. 24. q. un. ad 2. de potentiis in ordine ad objecta, quia Arist. de anim. 130. & 132. in potentiis organicis potius ex distinctione potentiarum arguit distinctionem objectorum, quam e contra; nam ex ratione talis *mixtionis* in tali organo, puta visus, concludit illam potentiam esse istius objecti, & non alterius, & pro tanto sequitur, quod distinctio objectorum facit distinctionem potentiarum, quia tale objectum limitatum, & distinctum non percipitur, nisi a tali potentia, & numquam ab alia, quæ quidem potentia est limitata ad tale objectum *talis mixtionis organi*, ergo potentiæ tam organicæ, quam inorganicæ specie distinguuntur ab invicem per suas proprias differentias, & formalia constitutiva antecedenter ad actus, & objecta, & idem dicendum de actibus respectu objectorum.

50 Secundo, quod neque extrinsece manifestative actus, & potentiæ sumant ab objectis indispensabiliter, & necessario suam unitatem, & distinctionem ostendit Doctor 3. d. 15. quæst. 1. ad 2. ubi docet quod etiam si distinctio objectorum semper concluderet distinctionem actuum, & potentiarum, non tamen unitas objecti specifica semper concludit unitatem actus, & potentiæ, quia diversæ specie potentiæ diversis specie actibus possunt circa idem objectum versari nedum materiale, sed etiam formale, quod probat, quia *idem objectum* est objectum omnis intellectus beati, & etiam omnis voluntatis beatæ, nec tamen volitio est ejusdem speciei cum intellectione, possunt enim isti actus formaliter distingui, licet non habeant objecta formalia distincta, & possunt etiam causaliter distingui aliunde, quam ab objectis, quia ab ipsis potentiis, tanquam a causis sus essentialibus, ita Doctor ibidem; Quod etiam confirmari potest ex eo, quod docet p. d. 3. quæst. 3. §. *his visis*, ubi vult idem esse omnino objectum intellectus, & voluntatis, & sub eadem ratione formali, sicut enim voluntas nequit habere actum suum circa ignotum, ita non potest habere actum suum circa objectum sub aliqua ratione intellectui ignota. Nec dicas, non esse objectum intellectus sub ratione veri, & voluntatis sub ratione boni; hoc enim infra ex professo refuramus. Nec minus dicas cum Cajet. p. p. q. 1. ar. 3. posse considerari entitatem objecti secundum se, & ut habet rationem scibilis, aut amabilis, a qua scibilitate, & amabilitate distinguuntur potentiæ, ut per objecta formalia. Nam intelligibilitas, & amabilitas ex parte objectorum nihil sunt realiter præter substantias ipsas objectorum, quæ secundum se sunt intelligibiles, & amabiles, ut in Metaph. dicemus; tum quia quando istæ rationes in eodem subjecto distinguerentur, sane ad summum formaliter distinguerentur, vel ratione ratiocinatæ, ac proinde adhuc non sufficerent ad refundendam inter intellectum, & voluntatem tantam distinctionem, quantam inter ipsas ponunt Thomistæ, qui eas distinguunt realiter, ut arguit Doctor 4. d. 49. quæst. 4. Nec sufficit, quod ajunt Complut. cit. quod distinctio objectorum non causat distinctionem realem in potentiis per modum constitutivi formalis, & intrinseci, sed per modum primæ radicis, a qua veluti diversi rami scilicet diversæ potentiæ suo modo procedunt, constat autem non requiri tantam distinctionem in prima radice, quantam in ramis ab eadem originatis. Non valet, quia si distinctio, & unitas objectorum est causa præcisa distinctionis, & unitatis potentiarum, ut intendunt Thomistæ, possumus contra ipsos urgere maximam illam topicam, quæ valet in causis præcisis, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum, si ergo potentiæ simpliciter, & absolute distinguuntur per ordinem ad objecta, quanta erit distinctio objectorum, talis, & tanta erit ipsarum potentiarum, non major, alioquin ex alio capite jam distinguerentur, quam ex ipsis objectis; nec exemplum adductum de ramis, & radice est ad propositum, sed potius ad oppositum, quia rami in radice potius uniuntur, quam distinguantur.

51 Tertio, adhuc probatur, & magis explicatur conclusio declarando, unde revera sit petenda specifica identas, vel differentia actuum, ut hinc facilius innotescat, unde quoque sit auspicanda unitas, & *distinctio potentiarum*; ad *hujus rei de-*

clarationem notat Doctor 2. d. p. quæst. 6. lit. G. quamcunque differentiam sufficere simpliciter ad distinguendum, sed non quamcunque identitatem satis esse ad identificandum simpliciter, quo fit, ut ad perfectam identitatem specificam actuum constituendam necessario simpliciter requiritur identitas potentiæ, & identitas objecti sub eadem ratione movendi, & terminandi; cæterum ad distinctionem specificam eorundem sufficit diversitas vel potentiarum præcise, vel objectorum præcise, & hoc vel absolute, vel saltem secundum diversamrationem movendi, & terminandi; Et quidem quod interdum sufficiat sola potentiarum diversitas apparet ex antea dictis de actibus beatificis intellectus, & voluntatis comparatione ejusdem objecti beatifici sub eadem ratione formali utramque potentiam beantis, nec tamen intellectio est ejusdem speciei cum volitione, sed adhuc specie distinguuntur ex distinctione suorum principiorum, præcise ut Doctor monet 3. d. 14. cit. q. p. d. 2. Nec dicas adhuc in hoc casu hos actus specie distingui ex diverso modo tendendi in idem objectum, quia intellectus tendit per repræsentationem, voluntas per pondus, vel impulsum. Quia magis oppositi modi tendendi sunt per fugam ab objecto, & per accessum ad illud, quod fit per odium, & amorem, quam modi tendendi per repræsentationem, & per amorem objecti, ut bene notavit Arriag. & tamen repræsentatio, & amor non pertinent ad eandem potentiam, pertinent vero amor, & odium, ergo ex diverso modo tendendi præcise non sufficienter infertur actuum, & potentiarum distinctio; tum quia hoc etiam concesso, adhuc sic dicendo attenderetur distinctio actuum ex parte principiorum, quorum virtute sic, vel sic tendunt, non autem ex parte objecti. Quod vero etiam interdum sola sufficiat differentia objectorum absolute secundum subsistantiam, facile probatur, quia intellectio accidentis, & substantiæ *in eodem intellectu* specie distinguuntur, non certe ex parte potentiæ, quæ eadem prorsus est respectu utriusque, ergo ex parte objectorum præcise. Quod tandem quandoque sufficiat sola ratio diversa movendi, & terminandi ex parte ejusdem objecti satis conspicuum est in notitia intuitiva, & abstractiva, quæ in eadem potentia cohærent respectu ejusdem rei, & sub eadem ratione formali, ut dicemus disp. 6. q. 11. & tamen specie distinguuntur, plus itaque requiritur ad inferendam identitatem specificam actuum, quam ad inferendam distinctionem, & cum sufficienter a potentiis distinctionem habere possunt, non necessario distinguuntur etiam per objecta.

52 Quarto, ulterius Doct. 1. d. 3. q. 3. p. 2. §. *ad rationes*, ut explicet, quo sensu verum sit, distinctas potentias habere distincta objecta, notat sub lit. C. quod potentiæ *distinctæ* tripliciter se habent ad invicem, vel enim sunt omnino disparatæ, & coindistinctæ, vel subordinatæ, & tunc, vel in eodem genere, sicut cognitiva superior, & inferior, vel in alio genere potentiarum, sicut cognitiva ad suam appetitivam; potentiæ disparatæ primo modo (ait Doctor) habent objecta omnino distincta, quia nulla etiam, ex quo sunt disparatæ, est per se operativa circa objectum alterius, & tales sunt sensus exteriores inter se comparati, ut visus, auditus, &c. potentiæ, quæ se habent secundo modo, habent objecta prima subordinata, ita quod sicut potentia superior potest habere per se actum circa quodcunque circa quod potest potentia inferior, ita objectum primum potentiæ superioris continet sub se primum objectum potentiæ inferioris, undeprimum objectum visus secundum suam *communitatem continetur ut inferius* sub primo objecto sensus communis, & hujusmodi potentiæ partim habent idem objectum, partim non, quatenus objectum *inferioris* potentiæ continetur sub objecto superioris, sed non e converso; tertio tandem modo potentiæ sic se habent, quod si appetitiva adæquatur cognitivæ in operando circa quæcunque objecta, idem est objectum primum utriusque, & sub eadem ratione formali ex parte objecti, jam ergo constat quomodo non est universaliter verum potentias distinctas habere distincta objecta, sed id specialiter verificari de potentiis disparatis, & nullo modo invicem subordinatis, & ideo non recte semper distinctio potentiarum attenditur penes distinctionem objectorum. Rursus declarat Doct. 1. d. 6. qu. un. D. cum potentiæ dicuntur distingui per actus, id debere *intelligi* de actibus adæquatis, non inadæquatis, nempe intellectus per intelligere, ut sic, non per hoc, vel illud intelligere, voluntas per velle, non per hoc, *vel illud velle*, sensus per *sentire* &c. reddit rationem in 2. d. 16. q. un. ad 2. prin. quia licet potentiæ distinguantur per actus, non tamen oportet, quod sit tanta distinctio in potentiis, sicut in actibus, licet sit aliqua, una enim potentia visiva est plurium colorum; & adhuc melius 2. d. 24. ad 2 quia solum per actum adæquatum concipitur potentia tendere *in objectum* suum adæquatum, ut oculus per visionem in colorem, auris per auditionem in sonum, &c. sed per actus inadæquatos tendit *in objecta* inadæquata, ut per hanc visionem in album; per aliam in nigrum, non ergo ad multiplicationem horum actuum debent plurificari, & distingui potentiæ, sicut *enim sola* objecta adæquata dicuntur specificare potentias modo jam explicato, sic & potentiæ dicuntur distingui per actus tendentes *in talia objecta, eo modo*, quo Pater *talis dicitur in ordine* ad filium, ut sic, non in ordine ad hunc, vel *illum* filium; possunt autem ab eadem potentia oriri plures actus *inadæquati specie diversi*, ut ab eodem *intellectu* assensus, & dissensus, ab eadem voluntate amor, & odium, quia potentia est causa æquivoca, in qua possunt plures *effectus diversi* contineri.

53 Quinto, præterea sicut *distinctarum* potentiarum non sunt necessario distincta objecta, *ita* nec uni potentiæ semper unum *correspondere objectum quamplures* affirmant, hinc Rubiom

2. d. 13. quæst. 1. tenet nulli potentiæ sensitivæ unum, & adæquatum correspondere objectum, a quo specificetur, cujus fundamentum est, quia objectum adæquatum potentiæ non potest esse nisi vel illud, in quod potentia potest adæquate, quia videlicet in nihil aliud potest, vel illud, quod ab ipsa potentia percipi potest, etiam aliis omnibus, quæ ab ipsa percipi possunt, est commune, sed nihil unum potest esse respectu potentiæ sensitivæ tale, ut apparet, nullum enim objectum est adæquate v. gr. visibile, nec omni visibili commune existens, quia sensus non percipit universalia, sed tantum singularia, cum solus intellectus sit universalium, ergo &c. imo nulli prorsus potentiæ in hoc sensu unum, & adæquatum correspondere objectum tenet Arriag. disput. 7. Phys. sect. 3. cum Hurtad. cujus præcipuum fundamentum est negatio præcisionum objectarum cum Nominalibus, unde vult coloratum, ut sic, quod ponitur adæquatum objectum visus, non esse aliquam abstractam formalitatem ab omnibus coloribus in particulari, quæ adæquate respiciatur a potentia visiva, sed esse omnes colores in particulari collective sumptos, & sic ab omnibus coloribus in particulari simul sumptis vult potentiam visivam specificari, adeo quod si deficeret aliquis color, non amplius permaneret eadem specie potentia visiva, quæ modo est, quia non maneret idem respectus; nam ille indivisibiliter respiciebat omnes, & in hunc modum discurrit de objectis aliarum potentiarum, & specificatione earum. Et Doctor 2. d. 24. qu. un. ad 2. licet hoc neget de potentiis organicis, quibus ob determinatam mixtionem necessario correspondere debet unum determinatum, & adæquatum objectum, ut visui color, auditui sonus, a coloribus enim particularibus puta albo, & nigro, & ab aliis, ad quæ se extendit potentia visiva, quæ ad illa limitata est, abstrahitur quoddam commune univocum; nihilominus probabile putat opus non esse, quod potentiæ non organicæ puta intellectui correspondeat unum hoc modo, & adæquatum objectum, & hoc propter perfectionem, & illimitationem intellectus ad omne ens se extendentis, itaut in tanta latitudine nullum sibi possit assignari objectum, & unius rationis, & subdit hunc dicendi modum teneri posse, si negetur ens reale esse commune univocum Deo, & creaturæ; Quod si quis objiciat distinctionem objectorum facere distinctionem potentiarum, ergo si multa objecta correspondent intellectui non unum, tunc intellectus non erit una potentia; Occurrit Doctor assumptum esse verum de potentiis organicis, quæ non sunt abstractivæ, sed non de potentiis inorganicis, quæ sunt adeo abstractissimæ, quod sunt totius entis.

54 Cæterum cum præcisiones objectivæ, naturæ communes, ac ipsamet entis univocatio jam in nostra præsertim Schola adeo communi calculo sint receptæ, ut piaculum foret ea negare, dicendum est, quod licet absolute loquendo necesse non sit uni potentiæ unum, & adæquatum præfato modo correspondere objectum, adhuc enim specificari posset ab illis pluribus immediate, ad quæ se extendit, ut Arriag. dicebat; tamen cuicunque potentiæ, ut modo sunt constitutæ, unum, & adæquatum correspondet objectum, a quo specificatur, ut v. gr. ens ut ens intellectui, color visui, sonus auditui, &c. cum autem in tali communitate statuimus objecta prima, & adæquata potentiarum, non utique sumi debent pro ipsis conceptibus abstractis, ut supponunt simpliciter, quia color, ut est quid commune abstractum, non videtur, cum sensus nunquam a singularitate præscindat naturam, & albedo, & nigredo secundum suas rationes specificas, & individuales non percipientur a sensu, & idem esset de objectis inadæquatis aliarum potentiarum; neque sumi debent, ut supponunt personaliter pro hoc, & illo colore, pro hoc, & illo sono, ut dicebat Arriag. quia tunc ratio generica coloris foret prorsus invisibilis, nec potentiæ ullam prorsus unitatem expectarent a suis objectis, & visibilitas non per se primo demonstraretur de colore, sed æque primo de hoc, & illo colore, qui est error notatus ab Arist. 1. Post. cap. 3. cum passio superioris immediate de inferiori demonstratur; debent itaque objecta prima, & adæquata potentiarum assignari, ut supponunt absolute, tam scilicet pro ratione generali, & conceptu abstracto coloris, soni, entis, &c. quam pro specificis, & individualibus suorum inferiorum; sic enim salvatur ex una parte unitas objecti adæquati, & ex alia quod objecta inadæquata attingantur a potentia etiam secundum rationes suas peculiares, cum hoc tamen discrimine inter intellectum, & sensum, quod intellectus potest etiam attingere naturam a singularitate præcisam, sensus vero minime, per quod patet ad fundamentum Rubion. licet enim sensus attingere nequeat naturam sine singularitate, illam tamen attingit cum singularitate, imo ut infra dicemus etiam respectu sensus natura est ratio movendi, ut notat Doctor. 2. d. 2. qu. 1. C. & singularitas sola conditio; & hunc modum assignandi prima, & adæquata potentiarum objecta significavit Doctor. qu. 1. Prolog. X. & 1. d. 3. q. 3. D. & 2. d. 3. q. 11. E. & denique loc. jam cit. 2. d. 24. qu. 2. ad 2. & hoc modo assignando objecta potentiarum adhuc sequitur quod inferebat Arriag. quocunque objecto in particulari deficiente non permansuram eandem potentiam, quæ modo est; quia respectus transcendentalis, quem potentia dicit ad objectum, licet non immediate, & per se primo attingeret particularia, ut volebat Arriag. negans præcisiones objectivas, attingeret tamen mediate, & per secundo, quia assignatur objectum in communitate, non simpliciter, sed absolute, ut declaratum est, licet oppositum sit æque, & magis probabile ex dictis disp. phys. q. 2. n. 8.

55 Sexto tandem, quod illa qualiscunque unitas, vel distinctio, quam potentiæ, & actus ab objectis desumunt, spectanda sit ex objecto formali, non materiali, probatur, supposita tamen prius communi consueta horum terminorum explicatione (quam deducimus disp. 12. Log. qu. 2. art. 1. profligatis quibusdam, quas sine ullo fundamento Recentiores nonnulli invenerunt) nimirum quod objectum materiale sit res considerata, formale vero ratio sub qua consideratur, unde & modus considerandi interdum appellatur; ut enim ibi dicebamus de objecto scientiæ, potest aliqua res in seipsa considerata esse objectum diversarum scientiarum, ut patet de homine, qui ut ens naturale pertinet ad philosophiam, ut sanabilis ad medicinam, ut dirigibilis in moribus ad moralem, homo itaque est objectum materiale, & tale dicitur ob indifferentiam, quam habet, ut omnibus illis scientiis consideretur; naturalitas, sanabilitas, dirigibilitas sunt objectum formale, quia se habent ut differentiæ contrahentes materiale objectum ad proprium, & definitum modum considerandi hujus, & illius scientiæ, ita horum terminorum explicationem innuit Arist. 2. Phys. 17. & Doctor qu. 3. prolog. §. *ex his dictis*; supposita igitur hac explicatione objecti formalis, & materialis, de qua nemo prisorum Scholasticorum unquam dubitavit, probatur, potentias, & actus, qualemcumque sumunt ab objectis specificationem, hanc a formalibus agnoscere, non a materialibus; nam una, & eadem res potest a diversissimis potentiis spectari, diverso tamen modo, & sub diversa ratione formali v. gr. (ut tradamus exemplum communioris opinionis) calor tamquam tactilis a sensu tactus, tanquam verus ab intellectu, tanquam bonus a voluntate, quo casu plures potentiæ habent idem objectum materiale, sed formale diversum, ergo potentiæ, & actus cum dicuntur ab objectis specificari, hoc debet intelligi de formalibus, & primariis, non de materialibus, & secundariis, quia circa idem materiale versari possunt plures potentiæ, & plures actus specie diversi; Et hac ratione Doctor 1. d. 1. qu. 2. §. *quantum ad istum articulum*, ait actum unum attingentem duo objecta, quorum unum sit primarium, & alterum secundarium, semper eundem permansurum perseverante eodem objecto primario, quantuncunque varietur secundarium, quia essentialiter specificantur ab illo, non ab isto. Quod adhuc magis evidenter constat de actibus voluntatis in genere moris, ubi a fine, & objecto motivo, quod est formale, sumunt speciem suam actus circa media, ut Doctor innuit 3. d. 28. unde actus continentiæ, vel humilitatis elicitus ob amorem Dei non pertinet essentialiter ad speciem illarum virtutum, sed ad speciem charitatis, ut fusius dicitur p. 2. in tract. de actibus humanis, & hæc est communior opinio apud Morales; maneat ergo specificationem actuum, & potentiarum sumi ab objectis formalibus, non materialibus, ad quod quando etiam probationes deficerent, solus sufficere deberet communis, & unanimis Antiquorum Scholasticorum consensus, qui hac de causa visiones Beatorum statuerunt ejusdem speciei, licet diversa objecta materialia, idest diversas creaturas in Deo respiciunt, eo quod habeant idem objectum formale.

56 Adversus prædicta arguitur; Primo, probando potentias per actus, & actus per objecta essentialiter specificari quo ad unitatem, & distinctionem ex tritissima illa auctoritate ex 2. de anim. 33. *potentiæ distinguuntur per actus, & actus per objecta*. Nec valet frequens Scotistarum solutio ex Scot. quol. 13. art. 2. Arist. loqui de distinctione a posteriori, & per manifestationem, quatenus notior est nobis distinctio objectorum, quam actuum; & actuum, quam potentiarum; non autem de distinctione a priori, & per intrinseca. Nam id manifeste repugnat textui; ubi dicit, quod *priores sunt potentiis actus*, atque ideo loquitur de distinctione a priori, cujus ratio est, quia licet actus sint posteriores potentiis in existendo, seu in exercitio, sunt tamen priores in intentione, & per modum finis, quia potentiæ sunt propter operationes.

Resp. in primis notandum esse, quod Bargius advertit 1. d. 2. par. 2. §. *& tunc ad illud secundi de Anim.* non habere Arist. loc. cit. enunciatum, quod communiter allegatur, sed verba Arist. sunt hæc, *priores enim potentiis actus, & operationes secundum rationem sunt*, ubi *secundum rationem* idem valet, quod secundum ordinem cognoscendi, itaut ratio accipienda sit pro notificatione; quatenus nobis prius innotescunt actus, quam potentiæ, ut ibi quamplures Expositores declarant; Quod si argumentum fundetur in communi, & vulgata illius auctoritatis usurpatione, rursus notat Doctor 4. d. 14. q. 1. ad 2. ex illa auctoritate, ut vulgo usurparur, non deduci, quod actus habeat unitatem ab unitate objecti, sed tantum distinctionem ex distinctione eorum, unde ex vi illius concedit objecta specie distincta concludere specificam quoque distinctionem in actibus, & potentiis, non tamen unitatem objecti semper inferre unitatem actus, & potentiæ, quod satis idoneo declarat exemplo de motu, & termino, quia distinctio termini motus concludit distinctionem in motu, prout motus est forma fluens; si illa forma sit ejusdem rationis cum forma terminante motum, sed non oportet unitate termini motus concludere unitatem motus, quia Ubi omnino idem potest acquiri diversis motibus secundum speciem, ut motu circulari, & motu recto. Potest etiam concedi, ait Doctor quol. cit. Arist. loqui de distinctione a priori considerando actus, non prout habent rationem effectus, sed prout induunt rationem finis potentiæ, ut volunt Thomistæ, sed adhuc contra nos nihil habent, quia licet talis distinctio sit a priori, non adhuc tamen erit per intrinseca, sed vel per extrinseca principia, quæ sunt finis, & efficiens, quia actus sunt finis potentiæ, & ob-

& objecta concausæ necessario requisitæ, vel simul cum potentiis eliciant actum affective. Dices, absoluta non distinguuntur per extrinseca, sed per intrinseca. Resp, Doctor non distingui per extrinseca tamquam per formalia distinctiva, nec etiam sicut per terminos relationis essentialiter inclusæ in actibus, vel potentiis, ut contendunt Thomistæ, sed manifestative, velut per terminos relationis transcendentalis, & realiter identificatæ; nam in hoc sensu, inquit Doctor, possunt absoluta distingui per aliqua extrinseca, sicut causata per causas proprias sive per illa, ad quæ habent propriam dependentiam in entitate, & unitate, & talia sunt objecta respectu operationum, & potentiarum. Dices, relationes in potentiis ad actus, & in actibus ad objecta sunt adeo eis consubstantiales, ut implicantibus objectis forent impossibiles actus, & implicantibus actibus forent impossibiles potentiæ, eo modo, quo implicante forma implicaret quoque materia, & id ob necessariam, ac indispensabilem connexionem extremorum relationum transcendentalium. Resp. hoc tantum inferre identitatem realem ordinis potentiarum ad actus, & actuum ad objecta, non autem formalem, & essentialem, quia implicante objecto implicarent actus, & potentiæ per locum tantum ab extrinseco, non ab intrinseco, eo modo, quo implicante passione repugnat quoque subjectum, ut implicante motu implicaret corpus naturale, neque idcirco rite inferri posset motum esse de essentia corporis naturalis, aut relationem ad illum. Instabis rursus; potentia, & actus ita referuntur ad objectum, ut illorum essentia, & distinctio nec a Deo, & Angelis concipi queat, nisi per ordinem ad illud, ergo quamvis objectum ad essentiam actus non pertineat, nec actus ad essentiam potentiæ, tamen ordo ad illa necessario, & essentialiter imbibitur in eis.

57 Resp. neg. assumptum, a nobis enim nec actus perfecte concipi potest, nisi in ordine ad objectum, nec potentia, nisi per ordinem ad actum, quia ut notat Doctor quol. 13. ad 1. prin. voces communiter impositæ ad significandum operationes, & potentias important ex vi nominis relationem absoluto annexam, quare semper oportet cointelligere objectum in ratione termini, unde si vox præcise imponeretur ad significandam entitatem absolutam, quæ est in operatione, & per se in genere qualitatis, significatum illius vocis posset quidditative intelligi non cointellecto objecto in ratione termini; vide, quæ ad hoc propositum diximus disp. 8. Log. qu. 2. ad p. contra 2. concl. Urgebis iterum, potentiæ essentialiter habent deservire animæ ad eliciendos actus in ordine ad objecta, ergo prædictæ potentiæ essentialiter debent esse proportionatæ in ordine ad utrumque, quandoquidem id, quod essentialiter habet deservire in ordine ad aliud, debet necessario esse commensuratum, & proportionatum in ordine ad illud. Resp. potentias animæ essentialiter habere deservire animæ, & essentialiter proportionatas esse, & coaptatas ad actus, & objecta in secundo modo dicendi per se, non in primo, nisi solum exigitive, & radicaliter, quo pacto diximus etiam disp. 5. Phys. qu. 5. art. 5. materiam esse essentialiter potentiam formæ susceptivam; ratio hujus est, quam supra assignavimus ex Doctore 2. d. 1. qu. 6. §. *dico tunc*, quia in quacumque natura prior est ratio actus primi secundum se, quam in comparatione ad actum secundum, cujus potest esse principium, quoniam actus primus non constituitur in esse per actum secundum, cum illum saltem natura præcedat, nec per relationem ad illum, quia fundamentum aliquo modo supponitur relationi, sed per hoc, quod est principium exigitivum talis relationis, & ordinis ad actum secundum.

Secundo e contra objicitur, quod neque a posteriori recte potentiæ distinguantur per actus, & objecta; nam actus prorsus specie diversi sunt ab eadem potentia, ut amor, & odium a voluntate, scientia, & opinio, assensus, & dissensus ab intellectu; in diversa objecta tendit eadem potentia, ut intellectus in sensibile, & intelligibile, & idem objectum e diversis potentiis cognoscitur, ut color a visu, sensu communi, & intellectu. Imo potius objectum videtur specificari a potentia, quam e contra, quia objectum formale alicujus potentiæ denominatur ab ipsa potentia, ut visibile e visu, intelligibile ab intellectu.

58 Resp. jam ex dictis constare, quod cum potentiæ dicuntur distingui per actus, hoc intelligi debere de actibus adæquatis potentiarum, non inadæquatis, & ita indicavit Arist. ipse 2. de an. 22. dum sensitivum ob opinativo, idest intellectivo discernit, quia sentire alius est actus ab opinari, seu intelligere, qui quidem sunt actus adæquati illarum potentiarum, & quidem illi actus, ut assensus, & dissensus in intellectu, volitio, & nolitio in voluntate dicuntur specie distinctæ præcise ex parte objecti; nam ex parte potentiæ potius sunt ejusdem rationis, cum ab ea eodem modo procedant, unde assensus, & dissensus, scientia, & opinio conveniunt in ratione repræsentationis, in dependentia a specie impressa, in necessitate, qua fiunt, &c. in quibus non conveniunt cum odio, & amore, quæ non fiunt a specie, sed prærequirunt cognitionem manifestantem objectum, ideoque ab eadem potentia fiunt; diximus autem supra ut actus censeantur specie distincti, opus non esse, quod distinguantur ex utroque capite, tam scilicet ex parte objecti, quam potentiæ, sed sufficere distinctionem, ex uno capite. Ad illud de unitate ejusdem objecti respectu diversarum potentiarum, & diversitate objectorum respectu ejusdem potentiæ constat jam ex dictis potentias subordinatas, quales sunt visus, sensus communis, & intellectus ibi enumerata, non postulare diversa objecta, quia superior versatur circa objectum inferioris. Ad aliud tandem neg. assumptum cum probatione, quia objectum formale secundum rem semper est aliquid ex parte ipsius objecti, in quo omnia, quæ sub adæquato illius potentiæ objecto continentur, univoce, vel saltem analogice conveniunt, sed quia hæc ratio objectiva sæpius est occulta, idcirco eam explicare solemus, & circumscribere per denominationem extrinsecam objecti a potentia, unde dicimus visibile esse objectum formale potentiæ visivæ, eo quod aliter exprimere nesciamus id, quod commune est luci, & colori; præterquamquod cum dicimus visibile esse objectum visus, audibile auditus, per visibile, & audibile non tam intelligimus denominationem illam extrinsecam a potentiis derivatam, quam intrinsecam aptitudinem illorum objectorum ad videri, & audiri.

59 Tertio, objicitur ad probandum nulli potentiæ etiam de facto unicum, & adæquatum correspondere objectum, quia tale esset quid abstractum ab omnibus inadæquatis, illisque commune, sed sensus universale percipere non potest. Tum 2. quia respectus realis nequit esse, nisi ad terminum realem, ut omnes fatentur, sed coloratum, ut sic, abstractum a coloratis particularibus nihil est reale, ergo ad illud non potest esse respectus realis in potentia visiva. Tum 3. quia si objectum formale visus v. gr. est color, tunc nihil caderet sub visu, nisi sub tali ratione, & sic nec albedo, nec nigredo viderentur ut tales, sed solum sub ratione generica coloris, & idem esset de objectis inadæquatis aliarum potentiarum. Tum 4. etiam si ex parte objecti esset aliqua formalitas abstracta ab omnibus coloratis in particulari, adhuc ista non esset objectum adæquatum visus sine coloratis in particulari, quia deficiente colorato aliquo particulari, non permaneret eadem potentia visiva, quæ modo est, ut solide probat Arriag. cit. ergo objectum specificativum visus non est aliquod unum, sed omnia colorata in particulari simul sumpta, & sic de objectis aliarum potentiarum. Tum denique eodem discursu idem ostendi potest de intellectu, & rursus quia non solum ens reale est intelligibile, sed etiam ens rationis, quibus nil esse potest commune univocum, ergo objectum intellectus non potest statui aliquod unum.

Resp. ad 1. etiam sensum posse percipere naturam, quia etiam in sensatione natura est ratio movendi, licet non ut præcisam a singularitate, ut intellectus, cum qua tamen conjuncta adhuc suam retinet intrinsece communitatem, & ideo vere sensus attingit naturam, ultra singularitatem, licet non nisi cum ea conjunctam. Ad 2. neg. minor; nam ut in Met. dicemus ex professo, & jam innuimus disp. 8. Log. qu. 1. dantur naturæ communes a parte rei in singularibus diffusæ, eisque realiter identificatæ, unde natura communis coloris, vel albedinis bene terminare potest respectum realem potentiæ visivæ. Ad 3. valeret argumentum, si color poneretur objectum adæquatum visus; ut supponit tantum simpliciter pro ipsa natura coloris ab inferioribus abstracta, at jam diximus, & colorem, & quodcumque aliud objectum debere statui adæquatum, ut supponit absolute, nimirum tam pro se, quam pro suis inferioribus. Ad 4. pariter per illud dumtaxat concluditur colorem in communi non esse objectum adæquatum visus, ut supponit simpliciter, sed ut supponit absolute, non tamen probat esse objectum, ut supponit personaliter, quemadmodum arbitratur Arriag. Ad ult. de objecto intellectus patet per idem, si eodem discursu arguatur, quod quidem non est ens commune reali, & rationis; sed ens reale tantum secundum duplicem primitatem communitatis scilicet, & virtualitatis, & licet juxta primam ens rationis non contineatur sub ente reali, tamen juxta secundam bene ad ipsum reduci potest, ut infra dicemus disp. 6. qu. 6. Quod si teneretur ens commune reali, & rationis esse adæquatum objectum intellectus, & negaretur univocatio ejus ad utrumque, tunc ultro totum esset concedendum, intellectui nimirum unum, & adæquatum non correspondere objectum, sed multa immediate, & hoc consentaneum esset ejus perfectioni, ac illimitatæ virtuti, ut ait Doctor cit. d. 24.

60 Quarto, tandem objicitur probando actus specificari quoque ab objectis materialibus, & secundariis, quia nullus negare potest magis differre duo actus inter se, qui propter eamdem rationem formalem ament duos media specie diversa, unus unum, alter alterum, quam differant duo alii actus, qui & motivum, & media ejusdem omnino speciei habeant, cum ergo hi tantum numero differant, plane illi specie differre debent, quia inter numericam, & specificam differentiam nulla dantur media. Tum 2. quia visiones duorum alborum plus differunt, quam hæc visio hujus albi, & ista visio hujus albi, licet omnes repræsentent rem sub ratione albedinis, quæ potest dici earum primum, & formale objectum; illa autem major differentia, quæ est inter visiones duorum alborum est essentialis, quia una visio unius albi ita ex sua essentia, & intrinseca ratione terminatur ad unum album, ut non possit terminari ad alterum album, ad quod altera visio pariter essentialiter terminatur, si vero est discrimen essentiale, & majus, quam individuale, minus vero, quam genericum, non potest esse nisi specificum. Tum 3. quia actus tam essentialiter respicit objectum materiale proximum, quam ipsum objectum formale, utrumque enim respicit per suam essentiam, & non per aliquid sibi superadditum, ergo ab objecto materiali diverso diversus erit actus, sicut a formali, paret consequentia, quia ordo, & relatio diversa est a diversitate termini, quem respicit essentialiter. Tum 4. quia terminus, seu objectum materiale, licet minus principaliter respiciatur, respicitur tamen essentialiter, ergo ex ejus variatione deber actus absolute variari, sicuti licet materia sit pars minus principalis hominis, sufficit tamen ejus varietas, ut homo varietur in specie, ratio est, quia malum, quale est diversitas ex singulari defectu provenit. Tum 5. ideo objectum formale diversificat actum, quia ipsum in se est di-

versum, & non potest tribuere solum unam partem diversitatis, quin totam actui ad ipsum terminato tribuat; atqui objectum materiale quoque est in se diversum, nec potest communicare partem diversitatis sine altera, quia hæc quasi communicatio est necessaria, & indivisibilis, ergo debet objectum materiale diversificare, non secus ac formale. Tum 7. quia si potest objectum, quod essentialiter respicitur, non tribuere actui suam diversitatem, poterit etiam quis dicere, nec ab objecto formali diversificari actum, seu ulterius requiri diversitatem utriusque objecti formalis, & materialis. Tum 7. quia negari nequit in ordine ad prudentem æstimationem notabiliter differre actum, quo quis vult ob Deum summe dilectum vitam profundere ab actu, quo ob eumdem finem vult moderate bibere, sed hi actus differunt solum in objecto materiali, ergo diversitas hujus objecti sufficiens est ad diversificandos actus in specie. Tum denique quia quis neget diversos esse in specie discursus inferentes ex iisdem præmissis valde diversas conclusiones? certe qui hoc negaret, facilius etiam posset negare, non differre inter se specie actus inferentes eamdem conclusionem ex diversis principiis, ergo dicendum est ab utroque objecto actus, & potentias diversificari; sic arguit Arriag. loc. cit.

1 Resp. neg. conseq. quia intra lineam differentiæ individualis datur magis, & minus; nam utique magis differunt album ut sex, & album ut tria, quam duo alba ejusdem intensionis, & tamen hæc, & illa non nisi numero differunt, licet illa magis accidentaliter differant ex diversitate intentionis. Ad 2. neg. minor cum probatione, quod enim visio unius albi ita limitetur ad illud, ut non possit idem numero manens terminari ad alterum album, procedit ex ejus individuali differentia, non ex ejus essentia, & natura, ratione cujus est potius ejusdem omnino rationis cum visione alterius albi, & solum essentialiter secernitur a visione nigri, aut alterius coloris specie diversi. Ad 3. neg. assumptum, cum enim objectum materiale, & formale, seu primarium, & secundarium eodem actu attinguntur, quod esse possibile ostendit Doctor 1. d. 1. qu. 2. & Bassol. adhuc magis luculenter 2. d. 38. qu. unic. tunc respectus attingentiæ ad objectum secundarium est omnino accidentalis, & superadditus actui, ut docent ibidem; quando vero sunt diversi actus respectu utriusque objecti, etiam si respectus attingentiæ in actu sit ei realiter identificatus etiam in ordine ad objectum materiale, sideoque illud non respiciat per respectum ei realiter superadditum, adhuc tamen negatur, quod ita essentialiter eum respiciat, ut ab eo speciem sumat, hanc enim a formali dumtaxat objecto desumit, a materiali vero ad summum mixtam sumit numeralem, aut distinctionem. Ad 4. patet per idem, ideoque ex objecti materialis variatione, si actus mutatur, non nisi variationem numeralem suscipere potest. Ad 5. objectum formale diversificat actum, non ex eo simpliciter, quia sit in se diversum, sed quia principaliter, & ex instituto respicitur ab actu, ut objectum materiale materialiter solum, & secundario, ac velati per accidens recipitur, & hinc est, quod etiam si diversificetur, non potest in actum refundere diversitatem saltem specificam, & essentialem. Ad 6. conceditur conseq. sed negatur objectum materiale essentialiter ab actu respici. Ad 7. notabilis illa differentia inter illos duos actus profundendi sanguinem, & moderate bibendi ex motivo amoris Dei non transcendit specificam accidentalem; nam in essentiali bonitate prorsus conveniunt, cum ambo sint in specie charitatis essentialiter, vide disp. 7. qu. 7. art. 1. Ad ult. concesso antecedente neg. conseq. quia falsum est, quod in argumento supponitur, præmissas esse objectum formale scientiæ, & conclusionem materiale, ipsa enim est proprie objectum formale scientiæ, ut fuse in Log. demonstravimus disp. 12. Denique hæc argumenta, si bene pensentur, nedum probant diversitatem objectorum materialium sufficere ad diversificandos specie actus, etiam si objectum formale sit unum, & idem, atque ideo duas cognitiones tendentes in duo objecta materialia specie distincta esse specie diversas, etiamsi sint sub una ratione formali, sed pariter quoque probant unitatem objecti materialis sufficere ad unitatem specificam actuum, etiamsi objecta formalia sint diversa, & sic tenentur dicere Adversarii, quod duo discursus eamdem inferentes conclusionem ex diversis principiis essent ejusdem speciei, quia objectum materiale in isto casu, quale secundum ipsos est conclusio, respectu præmissarum est unum, & idem, quod tamen nec ipsi concedunt. Quod si dicant in tali casu actus diversificari specie ex diversitate objectorum formalium, tunc contra ipsos retorqueri possunt sua argumenta; quod objectum materiale, & si minus principaliter respiciatur ab actu, adhuc tamen respicitur essentialiter, ideoque suam in actu unitatem, vel diversitatem refundere debet, unde ex hoc capite Adversarii quoque tenentur argumenta illa dissolvere.

DISPUTATIO TERTIA.

De Habitibus actus.

Antequam ad potentias, & actus animæ in speciali descendamus, præsentem disputationem præmittimus, eo quia ut videbimus, habitus se habet ut comprincipium saltem minus principale cum potentia ad producendos actus; loquimur autem de habitibus naturalibus, hoc est naturaliter acquisibilibus; non de supernaturalibus, qui solum a Deo producuntur.

QUÆSTIO PRIMA.

An dentur, & quid sint habitus.

1 NOmen habitus hic non sumitur in ea significatione, qua usus est Arist. in prædicamento qualitatis primam speciem assignando, sed pressius accipitur, ibi enim per habitum intellexit omnem illam qualitatem disponentem subjectum ad agendum, quæ tamen difficile removeatur a subjecto, illique firmiter adhæreat, sive ista radicatio proveniat ex frequentatione actuum, sive ex diuturnitate temporis, sive ex peculiari ratione subjecti, sive quia est talis naturæ, ut apta sit firmiter hærere, qualis ponitur scientia; at hic in prima tantum acceptione sumitur, scilicet pro qualitate disponente subjectum ad agendum, non quidem quod det illi simpliciter agere, qua ratione species objecti multoties nomine habitus sortitur, ut notat Scot. 2. d. 3. quæst. 10. K. sed quod det illi melius agere, unde necessaria secundum quid dicitur, ubi species est necessaria simpliciter; quæ qualitas ex frequentatis actibus sit radicata in subjecto.

Quod vero dentur isti habitus, est communis sententia cum Scoto passim citando in hac disp. præsertim p. dist. 17. q. 2. & 3. d. 34. G. & patet experientia, etenim videmus homines usu acquirere facilitatem quandam agendi, quam prius non habebant, ergo aliquam formam de novo habent; non enim hæc facilitas potest esse quædam impedimentorum remotio, ut quidam dixerunt; nam si quis haberet impedimenta ad aliquos actus eliciendos, scilicet virtutis, non idcirco esset impeditus ad oppositos actus vitii, imo magis promptus esset, & tamen videmus homines in principio tam promptitudinem acquirere ex frequentatione actus mali, quam ex continuo usu boni, ergo illa promptitudo non est mera negatio, sed positivum aliquod; eo vel maxime quia tantum inclinat ad similes actus, ex quibus generatur.

2 Ex his elicitur definitio habitus, quod sit *qualitas quædam ac prima specie qualitatis, permanens, disponens subjectum, non quidem ad simpliciter agendum, sed ad prompte, faciliter, & expedite operandum, ex frequentatione actuum acquisita in potentiis animæ*, ita colligitur ex Scot. 4. d. 6. q. 10. O. Quod sit qualitas, patet, quia cum sit aliquo modo activa, non potest ad aliud accidentis genus reduci. Quod ad primam speciem pertineat, est clarum ex dictis in Log. disp. 7. q. 3. art. 2. quia in hac specie qualitates illæ collocantur, quæ disponunt subjectum ad agendum, sed ab extrinseco proveniunt; nam quæ intrinseco competunt, in secunda specie reponuntur. Dicitur permanens, ad differentiam actuum, qui cito transeunt, & cum dependentia continua ad potentiam in conservari manent. Dicitur disponens, &c. ad explicandum munus ipsius ut supra diximus, & ad differentiam qualitatum non disponentium subjectum ad agendum. Quod vero aliqui addunt cum Arist. 5. Met. 25. quod sit disponens ad bene, vel male agendum; hoc potius est divisio habitus, quam definitio; tum quia sufficit genus actionis assignare; præcipue quia secundum Scotum sicut dantur in genere moris actus indifferentes, nec boni, nec mali, ita ex illis poterunt generari habitus indifferentes. Dicitur ex frequentatis actibus acquisita ad differentiam habitus infusi, quia a Deo immediate infunditur in anima.

3 Tandem additur in potentiis animæ; quia de subjecto habituum potest esse duplex opinio, vel quod sit essentia rei, vel potentia. Verum loquendo de habitibus acquisitis communis est fere omnium sententia in potentiis, non in essentia immediate subjectari, itaut essentia sit subjectum remotum, potentia subjectum proximum, seu essentia sit subjectum *Quod*, potentia subjectum *Quo*, ita Scot. 3. d. 33. M. & in 2. d. 26. & in 4. d. 5. qu. 11. & d. 49. qu. 2. I. ubi & si de habitibus infusis loquatur, doctrinam tamen generalem affert; Prob. quia res activæ sunt in duplici differentia, aliquæ enim agunt immediate per essentias, ut sunt inanimata, quæ potentias distinctas formaliter non habent, ut diximus disp. præced. qu. 1. art. 2. vel per potentias agunt, ut animata; primi generis nullo modo recipiunt habitus ex Arist. 6. Eth. cap. 1. dicente nihil eorum, quæ sunt naturaliter, assuesci, ut lapidem ferri sursum, aut ignem deorsum; rationem assignat Scot. 2. dist. 3. q. 10. K. quia habitus non generatur in summe determinatis ad actus, & quæ omnino violenter ad oppo-

sitos actus se habent, ut patet, ergo &c. hinc a posteriori videmus, nunquam lapidem ex continuo ferri sursum, vel deorsum magis habilitari, & disponi; nec aquam, ex eo quod æpius se infrigidat, acquirere habitum. Accedit, quod habitus nonnisi per actus immanentes generantur, at in non viventibus tales actus sunt vel motus, ut in gravibus, & levibus, vel primæ qualitates, aut aliæ ex his provenientes, at motus non potest habitum producere, ut dicemus; nec primæ qualitates, aut aliæ causatæ ex primis, quia subjectis conveniunt in determinata intensione, & si daretur habitus ad illas, tunc naturaliter subjectum seipsum intenderet ultra propriam naturam, quia potentia habituata intensius operatur, quam non habituata; & hæc est ratio, cur non dantur habitus in rebus summe determinatis, requiritur enim aliqua indeterminatio saltem ad intensionem actus, ut q. seq. dicemus. Neque dicas, quod citius operetur, & si non intensius; quia nec talem majorem velocitatem experimur.

4 Animata vero non recipiunt habitus in essentia, sed in potentiis, quia ut ait Scot. 2. d. 26. cit. quando aliqua forma est indeterminata secundum virtutem activam ad plura, illud, quod præcise respicit unam actionem determinatam, non respicit eam, in quantum est indeterminata, sed in quantum est potentia determinata respectu alicujus actionis, aliter posset eam perficere in ordine ad quemcumque actum suum, & sic esset indeterminatum, quod est falsum, sed anima est indeterminata secundum plures potentias ad plura producenda, habitus vero ad unam speciem actionis, ut patet, ergo &c. Tum quia actus, & habitus in eodem subjecto existunt, quia & actus habitum producunt, & habitus ad actus concurrit, sed omnis actus immediate est in potentia, ergo &c.

5 Solum posset dubitari de habitibus infusis, quoniam secundum Thomistas gratia est quidam habitus immediate in essentia animæ subjectatus; attamen hæc difficultas pendet ex alia, an scilicet habitus charitatis, & gratiæ realiter distinguantur; nam si negativa opinio asseratur cum Scoto 2. d. 26. negandum quoque erit immediate recipi in essentia animæ, sed potius in essentia voluntatis, sicut charitas; si vero cum Thomistis affirmetur, sic posset sustineri essentiam animæ immediate gratiam recipere; sed tenentur quoque fateri gratiam habitualem non concurrere immediate ad actus supernaturales, qui a potentiis emanant, præcipue secundum ipsorum placitum ponentium potentias esse realiter ab anima distinctas. Quapropter dicendum habitum omnem sive infusum, sive acquisitum, qui ad elicitionem actus concurrit, reperiri in proximo, & immediato principio actus propter rationes assignatas. An vero possint dari alii habitus non influentes in actus, nec in potentiis recepti, non est præsentis negotii.

Posset quoque contra istam definitionem instari quibusdam authoritatibus Arist. quibus videtur habitus reponere in prædicamento relationis, præcipue 7. Phys. 17. sed jam sæpius solutæ sunt tum disp. 15. Phys. tum disp. præced. qu. 2. Dices etiam, Arist. 5. Met. 25. docet habitum etiam ad se disponere, unde sanitatem, temperamentum, & similia habitus vocat. Sed dicendum Arist. ibi habitum sumere in tota latitudine, & generice: nos vero de quadam specie habitus hic loquimur, ut innuimus num. 1.

QUÆSTIO II.

Quæ potentiæ sint habituum capaces.

6 MUltiplices potentiæ assignantur in viventibus juxta pluralitatem animarum, ut in disp. seq. videbimus, primo enim sunt potentiæ animæ vegetativæ, quæ in generativam, nutritivam, & augmentativam solent dividi, deinde adsunt potentiæ sensitivæ tam externæ, quam internæ, tam cognitivæ, quam appetitivæ, ac etiam potentiæ loco motivæ, sive in homine reperiantur, sive in brutis; & tandem sunt potentiæ rationales, scilicet intellectus, & voluntas; de his omnibus intelligi potest quæstio; & ut ab ultima incipiamus: Negant aliqui recentiores apud Arriag. disp. 9. de An. sect. 3. habitus generari in voluntate, quod videtur etiam docere Ocham quodl. 3. q. 17. at Div. Thom. 1. part. q. 40. art. 5. absolute negat habitum in voluntate circa bonum in communi, ad quod voluntas secundum ipsum est naturaliter determinata. In intellectu negant universaliter habitus quidam Thomistæ, Arriag. cit. sect. 2. Hurt. disp. 16. de An. sect. Alii vero specialiter negant habitus, vel circa prima principia, & res evidentes, ita Scoto 1. de just. & jure q. 4. art. 1. Valent. q. 3. de habitibus punct. 1. Palat. 3. d. 23. q. 1. Ricard. art. 1. q. 2. Dur. 1. d. 24. q. 1. & ex nostris Bassol. 2. d. 39. q. un. ar. 2. vel negant circa res probabiles, & obscuras, eo quod opinio non sit de se qualitas firma, & stabilis, ita Scotus in prædicam. qual. & Val. q. 1. de habit. punct. 1. Potentiis sensitivis internis, tam cognitivis, quam appetitivis negant habitus Hurtad. & Arriag. cit. item Suarez disp. 44. Met. sect. 3. Almain. 1. moral. cap. 17. Vasq. p. 2. disp. 78. Moris. in prædicam. qualit. maxime, ut reperiuntur in brutis; concedunt etiam potentiis brutorum Durand. Major, Martyr. d. 33. Angest. 6. 5. mor. §. 1. concl. 9. Salas 1. 2. tract. 10. disp. 2. sect. 2. & 7. Lorca de habit. disp. 5. Guevara lib. 1. de inter. sens. tract. 5. & 6. quos citat, & sequitur Aversa q. 49. sect. 2. Locomotivæ potentiæ præter citatos de sensitivis negat etiam habitus Aversa citatus, tribuunt Ocham, Gab. Major, Almain. apud Aversum; A potentiis tandem sensitivis externis, & vegetativis universaliter, tam Theologi, quam Philosophi auferunt habitus.

7 Dicimus primo potentias rationales, & sensitivas internas, sive in hominibus existant, sive in brutis, esse vere habituabiles in ordine ad quodcumque objectum. Ita Scotus 3. d. 32. Pro cujus probatione videndum est, quid requiratur, ad hoc ut aliqua potentia sit capax habitus. Hurt. docet requiri necessario, ut potentia seipsa sit indifferens, libera, & nullo modo determinata ad actus, quia si est necessaria, posito objecto, & omnibus prærequisitis ad agendum statim agit, & quantum potest, ergo non erit capax habitus, qui ad expeditius, & promptius agendum datur, etiam positis omnibus requisitis ad actionem.

Sed contra, quia videmus, intellectum usu, & consuetudine facilitari circa aliquos actus, ut patet præcipue in practicis, stante enim perfectissima cognitione regularum artis, & scientiæ adhuc intellectus non prompte, & expedite illas applicat in principio, sed exigitur aliquis usus, ex quo acquiritur facilitas progressu temporis, quæ facilitas erit habitus, & tamen intellectus est potentia naturalis, & necessaria. Resp. facilitatem illam provenire ex imperio voluntatis, vel ex majori specierum perfectione acquisita ex reiteratione actuum.

8 Contra quia secundum omnes Theologos datur in intellectu fides acquisita, quæ est facilitas quædam ad assentiendum rebus fidei ex testimonio humano: quæ facilitas non provenit totaliter a voluntatis imperio, quia ut probat Scot. 3. d. 23. G. aliqui sunt, qui vellent magis assentire, & tamen minus assentiunt, ut cum petebant Apostoli Luc. 17. *Domine adauge nobis fidem* (ibi tamen potest esse sermo de fide infusa, sed idem proportionaliter de acquisita dicendum) ergo intensio, & major facilitas in credendo non est voluntatis imperio, dantur quoque alii habitus, ut ars, prudentia, scientia, &c. qui nequeunt esse species rerum ex reiteratione actuum perfectius repræsentantes objecta; nam species non inclinant intellectum, nisi ad cognitionem propriorum objectorum, quæ repræsentant, at facilitas de novo ab intellectu acquisita per usum non tantum inclinat intellectum ad cognitionem rerum prius cognitarum, sed omnium consimilium. Tum quia species non se tenet ex parte potentiæ, sed ex parte objecti, unde concursus speciei est omnino alterius rationis a concursu potentiæ, ergo quantumcumque augeatur, & perficiatur species, non poterit intrinsece facilitare potentiam ad agendum; nec est verum, quod ait Arriaga, speciem se tenere ex parte utriusque. Non est verum, quia sic nobilior esset species, quam potentia, quia eminenter contineret concursum objectivum, & potentialem, quod est falsum; prima conseq. prob. quia nequit res unius rationis intendi ab alia alterius rationis, objectum, & potentia sunt omnino alterius rationis, & unum nequit per aliud suppleri. Tum quia species in intellectu nunquam corrumpuntur, ut suo loco dicemus, at facilitas ista potest destrui, imo potest facilitas ad oppositum actum acquiri, ergo facilitas est a speciebus distincta, patet conseq. nam species contrariæ etiam intensissimæ simul manent in intellectu, & tamen nequit intellectus esse intense propensus ad assensum, & dissensum; vide disp. 6. n. 75.

9 Idcirco aliqui asserunt, de quibus videtur esse Suarez cit. quod adhoc ut potentia sit habituabilis, non requiritur necessario indifferentia libertatis immediata, sed indifferentia ad plura, & hoc vel quia in eliciendis actibus patitur difficultatem, ut est intellectus, vel quia rationi, & voluntati subditur, ut sunt potentiæ sensitivæ tam apprehensivæ, quam appetitivæ in homine; nam appetitivæ secundum se naturaliter inclinantur ad sensibilia, delectabilia, & ex subordinatione habent quoque inclinationem appetendi illa, non solum ut delectabilia, verum etiam ut simpliciter bona hominis judicantur, scilicet in ordine ad rectam rationem; apprehensivæ vero non solum ab objecto moveri, & determinari possunt, verum etiam ex imperio rationis, & hoc est fundamentum, cur negant habitus in brutis, quæ simpliciter ad unum sunt determinata, & ab objecto tantum moveri possunt, quare se habent ut lapis ad descendendum.

10 Sed primo quoad intellectum sequeretur in nobis non gigni habitum quoad prima principia, circa quæ nulla adest difficultas; neque in Beatis esse aliquem intellectualem habitum propter eamdem rationem. Tum quia difficultas illa non provenit ex parte potentiæ, sed quia objectum non est clare ostensum, quam difficultatem possent quoque habere potentiæ sensitivæ brutorum, ergo eadem ratio hic, & ibi. Quoad indifferentiam ex subordinatione impugnatur hæc opinio, quia libertas illa participata licet conferat ad habituandam potentiam, non tamen videtur necessaria; etenim ex hoc quod appetitus sensitivus rationi subdatur, non ideo aliquid ab illa recipit, sed solum ad imperium rationis per naturalem sequelam operatur circa objectum, ad quod est naturaliter inclinatus, & *intrinsece* naturaliter operatur, solum extrinsece agit libere, ergo *stante* ista opinione intrinsece appetitus non erit habituabilis *sed extrinsece*, idest sicut libere operatur non per *libertatem sibi inexistentem*, quod est intrinsece libere operari, *sed per libertatem* extrinsecam sibi, sed intrinsecam voluntati, *ita habituabilis* erit, non per habitum sibi inhærentem, *sed voluntati*; patet conseq. quia si indifferentia libertatis requiritur *necessario* ad habitum, eo modo quo indifferentia alicui potentiæ convenit, pariformiter, & posse habituari. Accedit, quod actus producit habitum, non quia potentia

est ad oppositos actus indifferens, sed ex propria natura, & per accidens est respectus actus, quod potentia sensitiva subdatur rationi, & participet indifferentiam, quia si non esset potentia indifferens, adhuc actus haberet eandem entitatem, & activam virtutem, ergo indifferentia ista non est simpliciter necessaria ad recipiendos habitus. Ex quo sequitur idem dicendum de potentiis brutorum, quæ fere sunt ejusdem rationis cum potentiis humanis sensitivis; quare vel solum in voluntate erunt habitus ponendi, vel si in aliis humanis potentiis reponuntur, etiam brutis erunt concedendi.

11 Asserimus igitur, quod habitus ex dicendis infra, ponitur in potentia, ad hoc ut facilius, promptius, citius, & intensius operetur potentia, non quod necessario omnia ista debeat causare in potentia, sed sufficit aliquod istorum, quia potentia, quæ natura sua producit instantanee actum, etiamsi habituata sit, nequit citius operari, quare potentia illa habituabilis erit, quæ vel aliquam patitur difficultatem in operando, ut promptius, & facilius operetur, vel si est ad plura indeterminata, quoad elicitionem actus delectabilius, & promptius ad unam partem se determinet; vel tandem si nullam patitur difficultatem, nec est ad plura indeterminata, adhuc tamen potest intensius operari, itaut si non repugnat ipsi actum intensiorem supra proprias vires habere, debemus dicere, quod sit habituabilis, ut intensius operetur. Quænam vero potentia sit talis, nequit a priori cognosci, sed tantum a posteriori, quando scilicet videmus, potentiam ex frequenti exercitatione licet eadem omnino permaneat, perfectius tamen operari, signum evidens ipsi non repugnare actum perfectiorem, & esse habituabilem. Quæ doctrina colligitur ex Scot. 2. d. 3. q. 10. ad 2. pro prima opinione, ubi dubitative loquens ait, quando potentia est summe habilitata, non esse habitus receptivam, secus vero loquendo non est summe habilitata; per hoc autem quod est esse summe habilitatam intelligitur, ut innuit Lich. ibid. esse ex sua natura determinatam potentiam ad recipiendos actus determinatæ perfectionis, & intensionis, ut etiam non obscure insinuavit Scot. 3. d. 33. D. at ex altera parte secundum Scotum datur potentia, quæ potest habere actum intensiorem, quam seipsa possit elicere.

12 Hac doctrina posita pro majori, subjungimus minorem ad probandam conclus. sed quælibet ex enumeratis est hujusmodi respectu cujuscumque objecti, ergo quælibet est habituabilis; major est sufficienter probata; min. prob. primo de voluntate, quæ habet indifferentiam liberam, & est ad contrarios actus, & objecta, item potest intensius, & remissius operari, & videmus, quod ex frequenti usu intensius operetur, idem apparet de intellectu, ut dictum est; de appetitu sensitivo in homine idem est evidens, qui enim rebus sensibilibus sæpius vacant, magna difficultate retrahuntur ab illis, & maxima facilitate prosequuntur illa. De cognitiva prob. ex Arist. de mem. & remin. c. 3. dicente consuetudinem multum conferre ad bene memorandum, quod patet experientia; Neque potest dici, hoc provenire ex majori specierum perfectione; quia ut diximus de intellectu species non inclinant indeterminate ad omnes actus similes, sed ad propria objecta; at facilitas in memoria juvat non solum ad res cognitas, sed etiam ad alias de novo apprehendendas. Neque dicas cum Arriaga ex frequenti usu puriores gigni spiritus, purgarique organum excrementis, & ex hoc oriri facilitatem illam. Non valet, quia licet verum sit puriores spiritus valde juvare memoriam, attamen potentia memorativa non consistit in spiritibus, sed in toto conjuncto ex organo, & potentia animæ, in quo species residere debent, & ipsa immediate operatur facilius, & intensius, ergo vere acquirit novum habitum. Tum quia spiritus facillime exhalant, & transeunt, unde fere spatio paucorum dierum quasi totaliter renovantur, unde ex perfectione ciborum poterunt perfectissimi spiritus generari, adhibita etiam corporis purgatione medio aliquo medicamine, & tamen non statim experimur facilitatem in memoria, nisi post langam actuum exercitationem, ergo facilitas est quid distinctum a spiritibus perfectis. Ex quibus prob. de potentiis brutorum; quia si non requiritur libertas aliqua in potentia, & ex alia parte videmus bruta de novo assuefieri ad aliquos actus, ita ut intensius, promptius, & facilius post usum operentur, non erunt ipsis denegandi habitus; hinc Arist. 1. Met. c. 1. dicebat brutis quodammodo prudentiam, & disciplinabilitatem convenire, & D. Aug. lib. 83. qq. q. 36. ait animalia bruta consuetudine fieri mansueta, & domita. Fatemur tamen perfectiores habitus reperiri in potentiis sensitivis humanis, & circa plura objecta, sicut quoque perfectius ex seipsis sunt operativæ.

13 Dicimus secundo, potentiam vegetativam, & sensitivam externas non recipere habitus, neque potentiam loco motivam, sive in homine sint, sive in brutis, est communis, & prima pars de potentia vegetativa probari potest ex Scoto 2. d. 3. q. 10. K. ubi universaliter docet potentias summe ad unum determinatas non habere habitus, sed potentia vegetativa est hujusmodi; nam videmus experientia ex continuatione nutritionis nullam facilitatem de novo acquiri, imo potius debilitari. Tum quia talis habitus, cum sit accidens, non posset inclinare, & concurrere ad nutritionem, quæ est substantialis, sed tantum ad alterationem præviam, quæ fit mediis primis qualitatibus, ad quas non dari habitum, diximus q. præc. Secunda pars de sensibus externis prob. ex eodem Scot. cit. quia nullam habent indifferentiam, nec etiam intensionis circa objecta, nisi quatenus modo perfectius, nunc imperfectius applicantur objecta, vel quatenus media virtute motiva imperio voluntatis subduntur, & tamen in virtute motiva non dantur habitus, ut dicemus, ergo, &c. hinc Arist. 2. Eth. c. 1. dicebat; *Non enim ex eo quod sæpe vel vidimus, vel audivimus, sensus & videndi, & audiendi accepimus.*

14 De potentia tamen motiva est dissidium inter Scotistas; nam præcipue Vulpes 2. p. tom. 3. disp. 103. art. 4. affirmat, fretus Scoti authoritate in 3. d. 33. M. respondendo ad 3. objectionem contra decisionem quæstionis, quæ talis erat, si ex hoc, quod appetitus sensitivus voluntati subjicitur, est receptivus habitus, ergo etiam in parte corporis frequenter mota ex voluntatis imperio potest generari habitus, & etiam in inanimatis, & irrationalibus, quibus voluntas utitur. Cui objectioni respondet concedendo, quod in parte corporis potest esse habitus, sicut patet in manu scriptoris, & cytharædi, manus enim inexercitata inhabilis est in illa facultate, quæ est ad cytharizandum, exercitata autem est habilis, conceditur autem hoc ulterius de irrationali, ut de equo ad actus quosdam, ad quos est assuefactus, sed in mere inanimatis non invenitur, hæc Scotus.

15 Attamen verior est negativa sententia cum eodem Scoto in 4. dist. 49. quæst. 14. G. & seq. ubi loquens de agilitate corporis glorioši negat ipsam esse habitum quendam, & formam reddentem corpus ad expeditius, & aptius localiter movendum, sed tantum esse ablationem duplicis impedimenti ex parte corporis, unum est in junctúris, & organis membrorum, & nervis, qui magis flexibiles, & subtiles erunt, ex quibus sequitur major trahibilitas, & applicabilitas ad motum, alterum in corpore, quod est repletum humoribus grossis, & caput fumositatibus, & multis talibus, quæ reddunt hominem pigrum; & hæc autem amovebuntur, & spiritus boni, & subtiles dabuntur, per quos reddetur corpus glorioši multum agile ad motum. Quam opinionem probat, quia nulla qualitas dari potest, quæ inclinet ad omnem differentiam positionis in motu, & ad omnem locum; nam videmus omnem qualitatem inclinantem ad aliquem motum vel actionem, inclinare quoque ad determinatum motum, & determinatam actionem, & hoc patet de forma nobilissima, quæ est charitas, ergo forma imperfectior non potest esse indeterminata ad quodlibet Ubi; talis autem foret habitus iste in potentia motiva generatus, Nec valet responsio Vulp. dicentis discrimen esse, quia virtus motiva animæ pro hoc statu est imperfecta, & ideo potest per habitum perfici, & intendi, at in Beatis est perfecta, & intensa, idcirco habitus est supervacaneus. Non valet, quia omnes potentiæ in Beatis sunt perfectæ, & tamen sunt capaces habituum, etiam secundum ipsum, ergo idem dicendum de motiva potentia. Accedit principaliter, quod habitus acquisitus generatur ex frequentatis actibus a potentia elicitis, sed actus potentiæ motivæ nequeunt generare habitus, ergo &c. prob. min. tales actus sunt motus locales, sed motus localis sive formaliter, sive materialiter sumptus scilicet pro forma fluente, quæ est Ubi acquisitum, non habet talem virtutem, quia est respectus, ex dictis in Phys. qui est qualitate imperfectior, & de genere sterilium, ergo &c.

16 Ad authoritatem igitur Scoti dicimus, Doctorem parum ibi curasse hoc quæsitum decidere, intentum enim suum erat ostendere voluntatem esse vere subjectum virtutis, & hoc deducit ex concessis ab adversariis dicentibus dari habitus in appetitu sensitivo, ergo inquit Scotus multo magis in voluntate, quæ est sensitivi appetitus imperativa, & determinativa; ex quo licet adversarii inferebant dari quoque habitus in potentia motiva, eo quia & ipsa voluntati subjaceat; admittit hoc Scotus, quia nihil contra suum principale intentum infertur, unde semper dicit *conceditur*. Ad exemplum vero de habilitate in manu acquisita ad cytharizandum dicimus ex ipso Scoto in 4. citat. habilitatem illam solum esse ablationem quandam impedimenti assignati, sicut in instrumentis quibusdam artificialibus contingit, quæ in principio non ita recte inserviunt, sicut progressu temporis, quo magis attemperantur, & disponuntur.

17 Contra 1. concluſ. objic. primo, quod non dentur habitus in voluntate; Tum quia habitus naturaliter agunt, voluntas autem libere operatur, ergo nequeunt concurrere ad actum liberum. Tum 2. voluntas non fertur in incognitum, illa major intensio proveniens ex habitu esset incognita. Tum 3. quod non dentur in intellectu circa prima principia, prob. quia circa illa est summe determinatus, unde nequit circa illa contingere error; & quod neque dentur circa res opinabiles prob. quia habitus est qualitas firma adhærens potentiæ, opinio vero per hoc a scientia distinguitur, quod hæc firme adhæret, non illa. Tum 4. quod non dentur in brutis, quia habitus est, quo utimur, cum voluntas, bruta non habent talem potestatem, sed necessario agunt, ergo &c.

Respond. ad 1. habitum esse causam subordinatam potentiæ, & hoc modo potest ad actum liberum concurrere, quamvis sit naturalis causa, ut infra. Ad 2. assumptum esse verum de objecto, non de actu, aut intensione ipsius, non enim ut appetitus operetur, debet potentia cognitiva præcognoscere actum ipsius appetitus, sed tantum objectum. Ad 3. dicimus ad id de primis principiis summam illam determinationem non obstare, quia adhuc habet indeterminationem quo ad intensionem, & remissionem actus, ut explicuimus supra; ad id de opinione diximus quæst. præcedent. radicationem opinioni non convenire ex propria natura, cum ab objecto contingenti provenìat, hoc enim modo scientiæ competit, quæ est de objecto necessario, at potest opinioni aliunde convenire scilicet ex actuum frequentatione; & quando Aristot. definivit habitum, quod sit qualitas firma, non locutus est solum de firmitate ex ratione propria derivante, sed ex quocumque capite scilicet, vel ex temporis diuturnitate, ut febris ethica, vel ex tenacitate subjecti, ut species intelligibilis respectu intellectus, vel ex ratione qualitatis propriæ, ut est scientia, vel ex frequentatione actuum, ut est opinio, unde qui assuescunt alicui opinioni, difficulter ab illa removentur. Ad 4. assumptum procedit de habitibus humanis, non de omnibus.

18 Contra 2. concluſ. argum. primo, quod potentiæ vegetativæ competant habitus, nam quidam solent assuefieri tam in quantitate, quam in qualitate ciborum; plantæ quoque si soleant frequentius irrigari, si deinde ab irrigatione cessetur, statim arescunt, ubi aliæ non ita irrigatione assuefactæ diu durant. Tum 2. de potentiis sensitivis externis, quia ex usu possunt aliqua objecta placere, quæ prius dispicebant, præcipue in visu, & gustu, ergo &c. Tum 3. si illa potentia est habituabilis, quæ perfectiores actus potest habere, ergo quia lapidi non repugnat velocius deorsum moveri, & potentiis sensitivis externis perfectiores actus habere, erunt quoque habituales. Tum 4. de potentia motiva probat. quia potest esse, quod aliquis sit in membris naturaliter summe dispositus, adhuc tamen non habet promptitudinem ad motum requisitam, quam usu postea acquirit, ergo præter ablationem impedimenti datur aliquis novus habitus. Tum 5. secundum Scotum in 3. d. 33. H. in potentia indeterminata ad suos actus saltem mediate ex imperio voluntatis potest ex usu generari habitus, sed potentia motiva est indeterminata ad suos actus, quatenus subjacet dispotice voluntati ex eodem in 4. d. 42. §. *Ad quæst. secundam*, litt. N. ergo &c. Tandem non implicat dari formam, quæ inclinet ad omnem differentiam positionis in motu, & ad omnem locum, ut patet de impulsu, qui ex determinatione, & modificatione agentis modo ad hunc, modo ad illum locum movet, ut diximus disp. 3. de Cœlo qu. 5. ergo non implicat dari habitum inclinantem ad motum localem secundum omnem differentiam.

19 Resp. ad 1. assuefactionem illam non provenire ex habitu, sed ex vario viventium temperamento, quod per consuetudinem mutari potest, ut diximus disp. 3. de Gen. q. 6. & notat Aversa; unde qui parco cibo utitur, progressu temporis debilitatur naturalis calor, ut nequeat absque nocumento plus comedere, idem dicendum de qualitate ciborum, vide disput. cit. plantæ quoque ex continua irrigatione humorem fluidum, & tenuem acquirunt, qui facilius evanescit. Ad 2. ait idem, provenire non ex novo habitu, sed ex immutatione qualitatum, & dispositionum, vel per apprehensionem, in qua proprie generatur habitus. Ad 3. concedimus hanc propositionem, omnem potentiam habituabilem esse capacem perfectiorum actuum, non tamen hanc, omnem potentiam capacem perfectiorum actuum esse habitualem, quia ad habitum non sufficit capacitas potentiæ, sed requiritur activitas actuum, a quibus habitus generatur; hinc in rebus inanimatis nulla potentia est habituabilis, quia vel est ad motum localem, vel ad qualitates, motus localis nequit habitum producere, cum sit respectus, neque qualitates, quia ad istas potentia est determinata etiam quoad intensionem, ut diximus qu. præced. per hoc patet ad exemplum de lapide; quod additur de sensitivis potentiis externis per idem respondetur non esse habituabiles, quia actus ipsarum non sunt productivi habituum, quod nobis innotescit a posteriori, quia nunquam ex eorum usu experimur in nobis novam facilitatem; nisi potentia intrinseca in organis perficiatur quoad humores, nervos, spiritus, ut erit in Beatis post judicium, unde statim ac perficitur potentia in organis absque alia frequentatione actuum experimur perfectiores actus, signum evidens facilitatem illam non ab habitu, sed a amutatione temperamenti, & dispositionum causari.

Ad 4. ait Aversa ad motum regulatum soni, vel manus pictoris non solum requiri agilitatem manus, sed etiam directionem potentiæ motivæ, quæ directio fit a potentia apprehensiva, & regulativa supposito imperio voluntatis, & quia etiam naturaliter dispositus non habet statim istam directionem, quæ usu acquiritur, & est habitus existens in potentia apprehensiva, hinc est, quod in principio non habet promptitudinem illam, quam deinde acquirit per usum, quo etiam membra magis disponuntur. Ad 5. patet ex dictis, eo quod motus non est productivus habitus. Ad ult. neg. paritas quia impulsus non generatur ex mota, ideoque poterit esse aliquo pacto indifferens; at quia habitus generaretur ex motibus actualibus, ex se esset solum inclinatus ad consimiles motus ex una parte, & ad omnes motus ex alio capite, quia ad omnes concurreret. Vel dicendum, quod illa ratio Scoti est probabilis; sed verum fundamentum sumi debet ex hoc, quod motus localis est impotens ad causandum habitum.

QUÆSTIO III.

De causa effectiva habituum.

20 Certum est, quemcumque habitum naturaliter acquisitum posse a Deo totaliter infundi in potentia, quia nullam essentialem dependentiam habet ab aliqua causa creata, quia posset a Deo suppleri.

Soleat tamen hic quæri, an possit dari habitus aliquis a natura potentiis inditus; sed ex dictis disp. 7. Log. q. 3. art. 2. si daretur, non vere, & proprie diceretur habitus de prima specie, sed naturalis potentia, vel impotentia, per hoc enim hæ duæ species differunt, quod tam in prima, quam in secunda specie reponuntur, qualitates subjectum disponunt ad agendum, sed in prima, quæ ab extrinseco adveniunt, in secunda, quæ a natura tribuuntur; & solent passim habitus vocari large, quatenus cum habitu conveniunt in illa firmitate, & inhæsione in subjecto; sic colligitur ex Scot. 2. d. 16. q. un. P. & 4. d. 6. q. 10. O. ubi docet nos a natura præter potentias formaliter ab anima distinctas habere quoque quasdam facilitates, vel difficultates ad agendum, & utendum potentiis. Et recte quidem, nam videmus varias inclinationes, & facilitates homines habere, alii enim sunt habiles ad studia, & quædam exercitia, alii inhabiles, quidam perspicaces, quidam heberes ingenio; & multo magis in appetitu apparent in quo residentes variæ inclinationes vel ad virtutes, vel ad vitia; & quamvis hæ inclinationes magnam cognoscant dependentiam e vario corporum temperamento, attamen non sunt denegandæ qualitates quædam inhærentes immediate in ipsis potentiis sensitivis, nam aliqui sunt omnino ejusdem temperamenti quoad primas qualitates, sed quoad istas habilitates multum differenter; quarum causæ præcipuæ assignari debent cœlestes influxus, unde quandoque progressu vitæ ad variationem influentiarum variantur.

21 In potentiis vero rationalibus intellectu scilicet, & voluntate potius contrarium asserendum cum Scoto 2. d. 39. loquente de syndaresi, & conscientia, non enim in nobis experimur facilitates istas inditas a natura distinctas ab ipsis potentiis, & earum inclinationibus, sed sufficere poterunt vires innatæ potentiarum. Et cum authoritate vel scripturæ, vel Sanctorum, aut Arist. asserunt in nobis dari connaturalem habitum principiorum, vel lumen naturale, aut legem, &c. debent expliciari de actuali notitia, vel de lumine naturali ipsius intellectus, quo facillime talia percipit; sed hoc non est præsentis negotii, cum proprie sub habitu non comprehendantur, vide Aversam q. 49. sect. 3. sermo igitur est de acquisitis habitibus ab extrinseco provenientibus, & quærimus, a quo causentur tanquam naturaliter a proxima, & immediata causa effectiva.

Prima opinio est Dur. in 3. d. 33. q. 2. Rubion. q. 5. Burid. 2 Eth. cap. 3. q. 1. disp. 2. & probabilem putat Coninch. de fide, spe, & charit. disp. 7. dub. 1. quæ docet potentiam immediate in seipsa causare habitum, actu tamen mediante, vel ut actione media, sicut placuit Burid. vel tanquam dispositione prævia, ut Durand. vel ut effectu prævio, ut Rubion. Secunda est Hurt. disp. 16. de An. sect. 6. dicentis tam potentiam, quam actum ut causas partiales per se, & immediate ad habitus concurrere. Qui vero per actus asserunt totaliter causari, diversimode loquuntur, quidam enim dicunt necessario plures actus requiri ad productionem habitus, & solum per primos potentiam vel disponi ad receptionem habitus, sicut guttæ priores disponunt lapidem mollificando, posteriores vero excavant, vel non haberi habitum sub statu perfecto, ut communior asserit Quidam cum D. Thom. p 2. qu. 51. art. 3. distinguunt: nam si loquamur de habitu scientiæ, sic propter evidentiam per unicum actum inquiunt acquiri habitum sub statu perfecto: si tamen de aliis habitibus sit sermo, tunc plures actus exiguntur, vel propter inevidentiam rei, vel indifferentiam potentiæ ad utrumlibet, ita Aversa q. 49. sect. 4. qui alios citat.

22 Dicimus primo, habitus produci ab actibus consimilibus illis, in quos habitus inclinant, tanquam a causis totalibus; communis cum Scot. p. d. 12. q. 1. G. & d. 17. q. 2. V. quamvis autem sit ita communis hæc opinio, non tamen probatur evidenter; nam licet verum sit, actum non posse concurrere ad productionem habitus tanquam actionem, quia ut visum est disp. præc. q. 2. actus vitales non nisi grammaticaliter dicuntur actiones, & vera actio nequit esse, aut intelligi sine proprio termino, actus autem potest ab habitu separari, & perfecte intelligitur sine ordine ad habitum; attamen si dicatur actus esse dispositiones, vel melius effectus prævios cum Rub. non facile a Doctoribus impugnatur.

Vasq. namque & Suarez probant, quia dispositio requisita, si requiritur ad introductionem formæ, etiam ad conservationem exigitur, nisi prærequiratur solum ad tollenda impedimenta: at actus separatur ab habitu, & in potentia nuda nullum adest impedimentum tollendum, ergo &c. Hæc ratio non concludit, nam primo non probat actus esse totales causas; Secundo, quia assumptum in majori negatur ab adversariis exemplo mollitiei ceræ, quæ necessario requiritur ad introductionem formæ sigilli; non tamen ad conservationem; Tertio, quia solum urget Durandum, non autem Rubionum. Aversa sect. 5. probat ex hoc, quod actus est habitu perfectior, ergo potest

potest habere virtutem productivam habitus. Hæc conseq. non tenet, quia etiam potentia est perfectior habitu, ergo potest quoque esse causa, vel totalis, vel partialis habituum; tum quia non quodlibet perfectius potest quodlibet imperfectius producere, aliter homo posset equum, vel lapidem generare. Vulpes 2. p. tom. 3. disp. 104. art. 6. probat ex eo, quod omnis potentia vitalis est productiva sui actus, receptiva ejusdem, & per eundem operativa, & omnis actio potentiæ vitalis, si est grammaticalis de genere qualitatis, est præcise ipsamet operatio vitalis, si fuerit propria de genere actionis, præcise terminatur ad actum vitalem, ergo nullo modo potentia respicit habitum tanquam causa effectiva. Sed antecedens, in quo vis argumenti consistit, non probatur ab ipso, nisi Scoti authoritate, quod tamen ab adversariis negatur, dicunt enim etiam potentiam habere actionem non solum circa actus, verum etiam circa habitum, quæ actio licet non sit vitalis in ordine ad terminum, erit tamen vitalis in ordine ad principium, sicut motus progressivus dicitur esse a potentia vitaliter motiva, & effectiva vitaliter motus.

23 Melius ergo nequit probari, nisi ratione, quam insinuat Doctor 1. d. 12. cit. loquens de voluntate; si voluntas esset causa sive totalis, sive partialis habitus, libere illum produceret, quod est falsum, quia ut ipse docet in Collat. 66. §. *Ad quæstionem*, quantumcumque voluntas eliciens actus justitiæ nollet, quod ex istis sequatur, & generetur habitus justitiæ in ipsa, adhuc tamen justitia produceretur, & quando habitus est productus, etiamsi voluntas vellet illum destruere, non potest statim in principio, nisi post actuum contrariorum exercitium, quod non esset, si libere produceretur, quia etiam libere conservaretur, ergo nullo modo voluntas immediate concurrit ad productionem habitus. Ex quo idem sequitur de aliis potentiis dicendum, quia eodem modo se habent voluntas, volitio, & habitus voluntatis, ac intellectus, intellectio, & habitus intellectus; assumptum patet, quia voluntas, etiamsi esset partialis causa, adhuc tamen esset principalior, quam actus, & consequenter tota causatio denominaretur ab ipsa voluntate; sed voluntas nequit agere, nisi libere, ut diximus disp. præced. q. 1. art. 2. & dicetur disp. 7. eo quia naturale, & liberum sunt differentiæ dividentes principium activum in commuui. Diximus in concl. produci ab actibus consimilibus illis, ad quos habitus inclinant, quia habitus v.g. temperantiæ in actus temperantiæ inclinat, nec per actus fortitudinis fuit genitus, nam quod corrumpitur, destruitur a suo contrario, & consequenter producitur a contrario corrumpenti, ut frigus corrumpitur a contrario calore, & producitur a frigore, quod est calori contrarium, sed habitus vitii corrumpitur ab actibus virtutis, & virtus ab actibus vitiosis, ergo vitium producitur ex actibus malis, & virtus ex bonis.

24 Dicimus secundo, quod quilibet actus causat aliquid de entitate habitus in potentiis juxta propriam activitatem, & juxta dispositionem potentiæ, itaut si potentia est nuda non habituata habitu contrario, actus si est remissus, causat parum de habitu, & in statu imperfecto, & adveniente secundo actu augetur habitus, & si est intensus, causabit statim habitum intensum, & in statu perfecto, quamvis possit denuo per alios actus intendi, & hoc est etiam de habitibus scientiæ, & similium intelligendum; at si potentia est opposito habitu habituata, actus etiam intensus non poterit causare habitum perfectum, sed imperfectum. Conclusio ista prob. & explicatur simul. Prima pars, quod quilibet actus causat habitum, habetur ex Scot. 1. d. 17. q. 3. RR. & 3. d. 36. K. & clarius in 4. d. 16. q. 1. A. & patet, quia primus actus est ejusdem rationis, & activitatis cum sequentibus, ergo si sequentes causant habitum, etiam primus, quia est causa naturalis non impedita, cum potentia supponatur nuda, & consequenter disposita, non enim aliud requiritur ad dispositionem subjecti, nisi quod contrariis formis expolietur, ut patet de aere respectu luminis. Tum quia vel primus actus causat aliquid, vel nihil in potentia; non secundum, quia est causa naturalis approximata, & etiam quia nec sequens actus causaret, eodem enim modo se haberet respectu potentiæ, ac primus; si primum, ergo vel est aliquid ejusdem rationis cum entitate habitus, & habetur intentum; vel diversæ rationis, & hoc est falsum, quia nulla dispositio alterius rationis ad receptionem habitus prærequiritur, quando potentia est nuda, si est habituata opposito habitu, nequit iste habitus corrumpi, nisi per introductionem habitus oppositi, sicut frigus intensum non incipit destrui, nisi per aliqualem caloris introductionem.

25 Dices, qualitatem illam primo introductam esse dispositionem, cum sit facile mobilis, & habitus postea introducitur, quando jam est de difficili mobilis a subjecto. Sed tunc est quæstio de nomine, nam habitus in statu imperfecto est idem cum ista qualitate de facili mobili, quæ dispositio dicitur, non enim habitus, & dispositio differunt specie ex dictis in Log. Ex quo patet etiam idem de scientia dicendum, nam licet hæc qualitas propter evidentiam, & necessitatem medii ex sua natura sit de difficili mobilis, attamen propter remissionem, quam habet in initio, ex hoc capite facile potest removeri (supposita illa opinione, quod habitus desinat esse, nisi actibus foveatur, de qua dicemus q. ult.) unde nequit dici totaliter habitus perfectus, nisi postquam per sequentes actus intendatur.

Secunda pars, quod actus intensus causet habitum perfectum, est Scoti 2. d. 5. q. 1. C. ubi habet, quod actus intensissimus æquivalet pluribus remissis, quia est perfectior, ergo si plures remissi possunt habitum in statu perfecto producere, etiam primus actus intensissimus illis æquivalens in virtute activa (Scotum sequitur Hurt. cit.) qui habitus, cum non habeat terminum intrinsecum quoad intensionem, erit adhuc intensibilis per sequentes actus, sicut quælibet alia qualitas. Tertia pars de potentia indispositа habetur a Scot. 3. d. 33. B. dicente in vitioso noviter converso non statim per primum actum fuisse corruptum totum habitum vitiosum, & patet experientia, quia adhuc difficulter eligit iste talis bonum honestum, & potest explicari exemplo adducto de calore, & frigore. Nota tamen, quod non est necesse, ut actus causet habitum juxta propriam intensionem, quo scilicet actus ut quatuor causet habitum ut quatuor, ut patet experientia, sed causabit juxta aliqualem proportionem, quæ nobis non facile innotescit; potest tamen provenire ex imbecillitate, activitatis actus, & eo remissius aget, quo potentia est magis indifferens ad plura, vel magis contrarie habituata.

26 Contra 1. concluſ. argum. primo authoritate Scoti 1. d. 17. q. 2. K. §. *Contra istam opinionem arguo sic*, in ratione secunda, & in responsione litt. V. ubi videtur concedere potentiam esse causam communem actus, & habitus. Tum 2. habitus est perfectior actu, ergo nequit ab ipso totaliter produci, antec. probat. quia habitus est causa æquivoca actus, quæ semper est effectu perfectior; insuper ex 3. top. cap. 1. bonum diuturnius est melius, habitus est diuturnior actu. Tum 3. si actus esset totalis causa habitus, ergo separatus a potentia, vel si in ipsa, ut ait Coninch. reperiretur in potentia modo mortuo, scilicet si a Deo introduceretur, adhuc habitum causaret, quod est falsum, seq. prob. quia jam haberet eandem activam virtutem. Tum 4. ad habitum non est per se motus ex 7. Phys. 17. inquit Dur. ergo nequit ab actu produci.

Resp. ad 1. Scotum ibi vel loqui de causa mediata, vel parum curasse ibi hoc decidere, cum non esset proprius locus; quicquid enim sustineretur, non lædit intentum ipsius, quod erat habitum effective concurrere ad actum. Ad 2. resp. neg. antec. cum Scot. 4. d. 49. q. 1. ad 5. actus enim immediatius unit potentiam cum proprio objecto, & habitus ordinatur ad actum quia est propter ipsum, unde & si species intelligibilis necessario requiratur ad intellectionem, non tamen est perfectior; & ad 1. probationem ait esse causam æquivocam partialem, non totalem, quæ est necessario perfectior; ad aliam inquit assumptum valere cæteris paribus, non vero in habentibus alias proprietates, hinc habitus quamvis in duratione excedat actum, est tamen excessus secundum quid, ut patet de specie intelligibili respectu intellectionis; & albedo unius anni, inquit Doctor, non est simpliciter, & essentialiter perfectior albedine unius diei; at actus simpliciter excedit in aliis perfectionibus ipsum habitum. Ad 3. si actus esset separatus, non posset habitum causare, non quidem propter defectum virtutis, sed propter defectum conditionis agendi, nam ut in potentiam agat, requiritur, ut ipsam vitaliter afficiat, eique per inhærentiam fit approximatus, & unitus; & quoniam si produceretur a Deo, adhuc vitaliter afficeret potentiam, & si non ut productivam, saltem ut operativam ex disp. præc. q. 3. idcirco concedimus tunc habitum causare. Ad 4. sæpius explicuimus intentum Arist. ibi, vide q. 1. in fine.

27 Secundo, arguit Coninch. habitus non tam augetur ex perfectione actus, verum etiam ex conatu potentiæ, quo enim quis magis conatur, eo majorem facilitatem acquirit, ergo habitus a potentia quoque immediate producetur, patet conseq. quia ista major perfectio habitus non posset refundi in actum, qui imperfectior supponitur esse quoad intensionem, ergo a potentia; primum antec. prob. ab ipso exemplis, sint duo discentes scribere, & magister apprehensa manu unius simul formet cum eo characteres, alter vero magno conatu seipso conetur characteres formare ad exemplar præceptoris ipsi propositum, primus perfectius scriberet, sed secundus magis proficeret propter majorem conatum. Secundum exemplum; sint duo æqualiter propensi ad aliquam virtutem, & eliciant duos, vel tres actus, sed unus propter maximas tentationes magno conatu, & cum maxima difficultate eliciat actus remissos, alter vero talibus carnis tentationibus intensiores actus producat; certum est quod prior majorem facilitatem acquiret in eliciendis deinceps actibus, transactis tentationibus, quam posterior, propter majorem conatum, quamvis actus fuissent remissiores. Confirm. voluntas cessante actu vitioso conservat habitum vitiosum, ergo concurrit ad ejus productionem, antec. patet, quia habitus permanet; conseq. prob. quia quod potest conservare, potest etiam producere.

28 Resp. ex dicendis disp. 7. ex duplici ratione sumi majorem, vel minorem intensionem in actu, scilicet, vel ratione liberi, vel ex ratione voluntarii, quando actus elicitur cum difficultate, & contra impetum voluntatis, tunc est magis liber, & minus voluntarius, quando elicitur ex maximo impetu, est magis voluntarius, & minus liber, unde conatus potentiæ, quo est major, eo perficit, & intendit perfectionem liberi in actu; tunc ad argum. neg. antec. loquendo immediate, concedimus mediate, quatenus conatus potentiæ est causa perfectioris, & intensioris libertatis in actu, non enim potest dari major conatus in potentia, quin assignetur actus aliquo modo perfectior, quia conatus est applicatio virtutis activæ, & quo magis applicatur virtus, eo perfectiorem effectum debet producere; ad 1. exemplum concedimus posteriorem scriptorem perfectiorem habitum acquirere propter intensiorem actum internum ex perfectiori conatu, & applicatione potentiæ provenientem, quamvis actus externus scilicet formatio characteris sit imperfectior; similiter ad secundum dicimus priorem producere actus remissiores in ratione voluntarii, sed intensiores in ratione liberi, & sic proportionatur activitas hinc inde. Neque dicas rationem voluntarii esse diversam a ratione liberi, ergo non producent eundem habitum. Non valet, quia sicut non obstante hac diversitate actus, tamen sunt ejusdem speciei, si versentur circa idem objectum, sic idem causabitur habitus ab illis actibus, nam & habitus ab objectis specificantur. Ad confirm. dicimus voluntatem tantum mediate habitum conservare, quatenus non producit actus contrarios illum destruentes, ut infra; non immediate.

29 Contra secundam conclus. dubitatur, nam sæpius dici solet, habitum usu, & consuetudine acquiri, & explicatur exemplo guttarum excavantium lapidem, ergo nullus habitus per primum actum perfecte acquiritur, imo sicut priores guttæ causant dispositionem, scilicet lapidis mollitiem distinctam specie ab excavatione, ita priores actus debent causare aliquas dispositiones, quibus potentia disponitur ad recipiendos habitus ad aliis actibus. Tum quia habitus scientiæ per primum actum generatus non potest destrui, nisi per actum erroris, qui nequit esse in intellectu, postquam habuit perfectam cognitionem, evidentem de objecto, ergo talis habitus per primum actum perfecte acquiritur. Resp. nos ita loqui, quia regulariter non fiunt actus intensi, vel quia potentia non est nuda, sed opposito habitu aliqualiter affecta, vel quia quilibet habitus est adhuc perfectibilis per actus subsequentes; exemplum vero non currit quoad illam diversitatem dispositionis introductæ, & effectus principalis, sed solum sicut priores guttæ disponunt, & subsequentes excavant lapidem, ita priores actus disponunt introducendo qualitatem habitus imperfectam, posteriores vero introducunt formam perfectam. Ad 2. jam diximus valere notum dictum suppositа illa probabili opinione, quod habitus desinant esse, si fuerint actibus destituti; tum quia poterit esse, quod intellectus progressu temporis obliviscatur actus scientifici, & propter aliquod impedimentum in errorem labatur, ut dicemus q. ult. & tandem, quia habitus ille adhuc est per alios actus perfectibilis.

QUÆSTIO IV.

De unitate, extensione, & intensione habituum.

30 Quod attinet ad unitatem, & extensionem, seu multiplicitatem habituum, nihil in præsenti occurrit dicendum; satis enim egimus disp. 12. Log. q. 3. dum unitatem, & multiplicitatem scientiæ investigavimus, idem enim faciendum est judicium de aliis habitibus, cujuscumque sint potentiæ, ac de habitu scientiæ, quod scilicet propriam unitatem sumant ab objecto formali, & multiplicentur ad multiplicationem objectorum, non materialium, sed formalium, a quibus habent specificari, ut de potentiis, & actibus docuimus disp. præc. q. 4.

31 Quod spectat ad intensionem, supponendum est ex disp. 3. de Gen. intensionem qualitatis fieri per additionem gradus ad gradum, qui non sunt ætherogenei, sed homogenei; nec esse indivisibiles in partes entitativas, ut videtur afferere Vulpes 2. p. to. 3. disp. 104. art. 4. sed divisibiles, & consequenter quoque in tempore acquisibiles, ut cum Scoto 2. d. 2. q. 9. N. & O. docuimus disp. 3. cit. Nec authoritas Scoti in 1. d. 17. qu. 2. S. ab ipso addueta aliquid valet, quia est quædam additio, & standum est doctrinæ ex professo traditæ ab ipso Scoto in 2. cit. ubi non solum de extensione qualitatis loquitur, sed etiam de intensione. Actus igitur sicut primo producti sunt conflatitii habitus, ita postea multiplicati intendunt illum per productionem graduum; & si potentia erit nuda, & determinata, & actus instantanee producuntur, habitus instantanee etiam intendentur, quia agens non impeditum, & naturale agit, quantum potest, ergo in illo instanti, in quo producitur actus, quia habet virtutem non impeditam, causabit, & intendet habitum, quantum poterit, at si potentia est indeterminata ad plura, vel impedita contrario habitu, aut actus successive, & in tempora produceretur, vel intenderetur, habitus quoque successive intenderetur; ratio primi est, quia quando adest impedimentum, agens non subito, & totaliter vincit contrarium, & producit effectum, ut patet de igne respectu manus frigidæ, & explicuimus disp. 2. de Gen. qu. 1. ergo a pari actus v. g. temperantiæ in intemperato habituato non statim causat, vel intendit habitum, quantum potest, sed successive, & in hoc casu quo magis permanet idem numero actus, eo magis intendit habitum, quia non statim exhauritur activitas ipsius; ratio secundi, quia causa tunc causat, quando est, ergo si est in tempore, vel successive acquirit virtutem majorem, in tempore quoque causabit.

32 Secundo, supponendum est, talem intensionem, & augmentum secundum gradus convenire omnibus habitibus, sicut omnes habitus sunt qualitates, quibus tanquam passio convenit suscipere magis, & minus ex dictis in Log. Non enim audiendus est Salas p. 2. tract. 10. disp. 4. sect. 2 negans habitus cognoscitivos intensibiles esse, eo quia nec actibus cognitivis convenit talis intensio, nam in apprehensione potentia non magis, vel minus percipit objectum, quamvis magis, vel minus attente, & in judicio non magis, vel minus intense, sed solum magis, vel minus clare, aut certitudinaliter, attentio autem, claritas, vel certitudo non est intensio. Sed fallitur, nam ut *vidimus* q. 2. *in intellectu* vere reperitur major, vel minor facilitas, & usu acquiritur; actus quoque possunt intendi quoad proprias entitates, imo major attentio, vel claritas arguit intensivam perfectionem in actu.

His præacceptis solum potest esse quæstio, an habitus non solum intendatur per actus perfectiores, & intensiores habitu, verum etiam æquales, vel remissiores. Dupliciter autem actus potest dici intensior habitu, vel in gradu, vel in activitate, quia enim actus ex se non habet tantam activitatem, quanta est intensio ipsius; ut diximus, potest esse, quod detur actus intensior in gradu, non autem in activitate, puta si actus ut quinque est causativus habitus tantum ut unum, si produceretur talis habitus, esset proportionatus activitatis actus, quia adæquat virtutem activam ipsius, non vero in gradu, si vero habitus esset ut quinque, solum esset proportio in gradu, & intensione, non vero in virtute cum actu ut quinque. Dubium præcipue procedit de actibus remissioribus, vel æqualibus quoad activitatem.

33 Negativam sententiam sustinent Thomistæ cum D. Thom. p. 2. qu. 52. art. 4. Suarez disp. 44. Mer. sect. 10. Morif. in prædicam. qualit. qu. 11. Aversa qu. 49. sect. 6. Pro qua sent. citatur a Vasq. p. 2. disp. 80. cap. 1. Scotus, eo quia in 4. d. 21. qu. 2. F. & d. 22. q. un. art. 2. sustinet augmentum gratiæ non semper a Deo dari in hac vita pro quocumque actu meritorio, præcipue quando actus est remissior; imo P. Faber de pœnit. disp. 42. cap. 3. asserit, Scotum fuisse hujus opinionis, quam etiam ipse putat veram citans Scotum in p. d. 17.

34 Dicimus, habitum intendi per quemlibet actum, etiam remissiorem in virtute activa, & in gradu: ita Scot. 1. d. 17. qu. 3. RR. arguendo contra Gofr. in secunda ratione, quem sequuntur Dur. ibid. q. 8. Gabr. 3. d. 23. q. 1. ar. 3. dub. 4. Vasq. citat. Salas p. 2. tract. 10. disp. 4. sect. 2. & alii. Probatur primo ex hoc, quod agens æquivocum intendere potest effectum, etiamsi perfectior existat, & supra virtutem agentis, ut fuse ostendimus disp. 2. de Gen. q. 1. art. 1. sed actus respectu habitus est agens æquivocum, ut patet, ergo & si actus sit remissior, potest intendere habitum intensiorem. Secundo, prob. specialiter, quia si hoc non esset; sequeretur non augeri habitum per actus æque intensos ac primus actus, vel remissiores illo, quod tamen est contra experientiam, non enim quilibet semper elicit intensiores actus, quam fuerit primus; & si æqualibus actibus mandandi memoriam aliquis se exerceret, certe acquireret majorem facilitatem, & promptitudinem, quam haberet in principio.

Resp. Suarez, & Aversa actus illos remissiores primo actu, vel *illi* æquales augere habitum ex eo, quod primus non causavit habitum sibi æqualem, unde actus remissio adhuc erit intensior habitu licet respectu primi actus dicatur remissior. Addit Suarez, quod *primus actus non causavit* habitum, quantum potuit, & hoc vel propter dispositionem potentiæ contrario habitu informatæ, vel propter indifferentiam ipsius; at secundus, quia reperit potentiam magis dispositam, & inclinatam, potest intendere, quousque tamen ad proprium gradum perveniat, non ultra, quia gradus sunt ætherogenei, & diversæ perfectionis in se spectati.

35 Contra, quamvis actus secundus in gradu excedat habitum a primo causatum, non tamen excedit in virtute, supponendo primum actum causasse, quantum potuit, si scilicet potentia non esset indifferens, sed determinata, & habitum contrarium non haberet, aut primus ob diuturnitatem uniat omnem resistentiam; vel si secundus actus esset proportionaliter remissior, quantum potentia ob suam indifferentiam impedivit causalitatem primi actus, & tamen in his casibus adhuc habitus intenderetur, ergo habitus semper poterit intendi ab actu remissiori, tam in gradu, quam in virtute. Prob. conseq. quia proportio requisita inter causam, & effectum attendi debet quoad virtutem activam explicatam disp. 2. de Gen. qu. 1. præcipue in agentibus æquivocis. Quod ait Suarez de gradibus atherogeneis, jam impugnatum est disp. 4. de Gen. q. 3.

36 Contra istam concluſ. argum. sit habitus ut quatuor inclinans ad actum ut quatuor, si intenderetur ab actu ut tria, itaut evadat habitus ut quinque, & ad actum ut quinque inclinet, ergo actus ut tria saltem mediate concurreret ad actum ut quinque, quod est falsum. Tum 2. effectus non potest excedere in perfectione suam causam, habitus ut quinque excederet actum ut tria, ergo &c. Tum 3. similes actus similem generant habitum, ergo & intendunt, ergo habitus generatus ab actu ut quatuor, nequit intendi ab actu ut duo, aliter in infinitum posset augeri. Tum 4. adsunt authoritates adductæ a Vasq. e Scoto in 4. cit. quibus accedit authoritas ex 1. d. 3. q. 6. V. ubi docet Doctor actum non semper producere habitum, ut patet, inquit, in habentibus habitum intensissimum, ut in Beatis, quod non proveniet ex alia ratione, quam propter remissionem actuum, ergo non quilibet actus auget habitum. Tandem est commune axioma apud Philosophos, timide non posse agere in simile, quod multis rationibus, & exemplis comprobari solet.

Resp. ad 1. neg. conseq. quia *non totus habitus* ut quinque est effectus actus ut tria, sed solum gradus de novo additus. Ad 2. patet per idem. Ad 3. negamus ad intensionem habitus

requi-

requiri, quod actus sint similes in gradu, sufficit enim similitudo in natura licet sint remissiores in gradu, & cum infertur augmentum in infinitum, negamus seq. si est fermo de eodem actu, concedimus, si loquatur de aliis possibilibus, quantum est ex natura potentiæ, de facto tamen non erit augmentum habitus in infinitum, ut docet Scot. 2. d. 7. quæst. un. Y. ubi habet hæc verba, *Ad aliud dico, quod habitu existente, perfecto, vel in summo, quantum potest perfici in tali subjecto, vel secundum terminum sibi præfixum a sapientia divina, omnes actus sequentes nihil augent, sed tantum procedunt ex habitu jam generante, quemadmodum actus Angeli boni non augent habitum charitatis ejus, nec effective, nec meritorie, quia ille est in termino, vel secundum capacitatem subjecti, vel saltem secundum terminum sibi præfixum a Deo, sed omnes illi actus procedunt ex plenitudine illius habitus sic perfecti.* Ad 4. dicimus authoritates adductas a Vasq. non urgere, quia nunquam Scotus ibi asseruit actum remissum non augere gratiam, sed solum docuit, resurgentem a peccato mortali recipere gratiam a Deo proportionatam actui doloris peccati, & pœnitentiæ, non autem acquirere gratiam illam amissam per peccatum quamvis omnia opera meritoria reviviscant, & in hoc sensu intelligi debet, quod ait Scotus ibi, non per quemcumque actum meritorium Deum statim augere gratiam, scilicet quod per actum contritionis non auget priorem gratiam amissam, sed tantum infundit gratiam secundum proportionem intensionis actus: quamvis ibi valde topice loquatur Scotus, ut patet legenti, & notavit Bargius 1. dist. 17. super q. Scoti de augmento charitatis; attamen in p. a nobis relato tanquam verum supposuit quemlibet actum remissum augere habitum intensum; imo non solum ibi loquitur de agente æquivoco, sed etiam de univoco, tamen in illa additione aperte se declarat, & doctrinam allatam restringit solum ad æquivocum; ad authorit. ex 1. d. 3. q. 6. patet ex dictis ad præcedens cum eodem Scoto in 2. d. 7. Ad ultimum jam disp. 2. de Gen. q. 1. fuse declaravimus illud axioma, quomodo verificetur in agentibus univocis, & quomodo in æquivocis; vide ibi, nam & objectiones in contrarium diluimus.

QUÆSTIO V.

Quomodo habitus concurrant ad actus.

37 CErtum est, habitum juvare potentiam in elicitione actus, hic enim est finis habitus, propter quem datur a natura; sed est dubium quomodo concurrat, & in quo genere causæ.

Scotus in p. d. 17. q. 2. M. probabilem putat opinionem illam asserentem, habitum non concurrere effective ad actum, sed solum inclinare potentiam ad actum ipsum informando, sicut si gravitas, aut impulsus non esset causa effectiva motus deorsum, inclinaret tamen lapidem ad ubi deorsum; qui concursus a quibusdam reducitur ad genus causæ materialis, quasi quod habitus sit dispositio disponens ad recipiendum actum, ab aliis reducitur ad genus causæ formalis, quatenus habitus informando potentiam reddit illam inclinatam, & propensam ad actum, ita Hurt. disp. 16. de An. sect. 7. additque habitum antecedenter ad actum exercere cum potentia suum munus inclinandi potentiam ad actum, sicut preces respectu alicujus gratiæ petitæ. Ab hac opinione parum distat Avers. q. 49. sect. 8. citans Baccon. Dur. Rubion. & alios, vult enim habitus non esse proprie causam actus, sed se habere respectu potentiæ tanquam rationem agendi, non quidem simpliciter necessariam, sed qua dicatur potentia promptior, & facilior ad agendum, dat exemplum, sicut clarior cognitio finis est ratio, cur voluntas vehementius appetat finem.

38 Qui concedunt habitum esse causam effectivam, adhuc sunt diversi, nam aliqui negant esse causam effectivam substantiæ actus, sed tantum alicujus modi, qui secundum Gotfr. quol. 9. q. 4. referente Scoto citat. erit intensio ipsius actus, ad secundum Vasq. p. 2. disp. 83. cap. 2. est facilitas quædam, & delectatio in actu ex consuetudine elicito reperta. Alii vero concedunt habitum esse causam effectivam totius entitatis actus, sed quidam ex his se restringunt ad actus minores, vel æquales in intensione cum habitu, non vero ad intensiores; v. gr. si habitus est ut tria, & actus ut quatuor, habitus ad tres tantum gradus concurrit, & nullo modo quartum attingit, sed sola potentia, ita Suarez disp. 44. Met. sect. 6. Moris. in prædicam. qualit. qu. 7. imo nec actus excedentes vim naturalem potentiæ, ut si potentia nuda solummodo actum ut quatuor nata sit elicere, non potest etiam habituata perfectissime elicere actum ut quinque.

39 Dicimus primo, habitum non esse tantum formam inclinantem, aut rationem agendi, sed causam effectivam, non quidem alicujus modi actus, sed totius entitatis, & substantiæ actus; ita Scot. p. d. 3. q. 7. infra E. & dist. 17. q. 2. I. & 4. dist. 49. q. 2. ad principalia; Prima pars prob. ab ipso Scot. quia habitus habet hæc quatuor, scilicet reddere potentiam operantem delectabiliter, faciliter, expedite, & prompte, & hoc, quia inclinat potentiam ad actum, sed hæc omnia respiciunt potentiam ut activam, non ut passivam, ergo potius habitus se habebit ut causa activa, & efficiens, min. prob. quia facilitari, expediri, & prompte operari convenit illi principio, quod potest difficile reddi, impediri, & retardari, & hoc proprie est principium activum, non passivum.

Dices cum Scot. litt. M. & X. principium activum propter indispositionem subjecti potest impediri, & retardari, ideo habitus, quia disponit subjectum ad recipiendum actum, habet hæc munera. Vel cum Hurt. (quod tangit etiam Scotus litt. X.) quod facit hæc omnia quatenus in genere causæ formalis, cum sit quædam inclinatio ad actus, informando potentiam, reddit ipsam inclinatam ad actum. Sed quamvis hæ responsiones reddant oppositam opinionem probabilem, posset tamen adhuc instari; & contra primam, quia potentia habituata præscindendo a subjecto sive disposito, sive indisposito, sed ut activa est considerata, dicitur magis perfecta, & inclinata ad elicitionem actus, etiamsi per impossibile posset producere actum in subjectum indispositum, ergo potius habitus respicit potentiam ut activam, quam ut passivam. Tum quia agens, dummodo non habeat subjectum indispositum positive, sed nudum, introducit formam perfectiorem, quam potest producere, ergo si habitus se teneret ex parte principii passivi, æque potentiam in seipsam nudam, vel habituatam produceret similes actus, & eodem modo, quod est falsum, patet consequentia, quia actio agentis non retardatur, nisi a contrario. Contra secundam, quia vel habitus informando potentiam auget virtutem ipsius, vel non, si secundum ergo eodem modo se habet potentia sive habituata, sive non, & consequenter eundem semper causabit actum; si primum, ergo non tantum in genere causæ formalis, verum etiam efficientis concurret ad actum, quatenus adjuvat coagendo, & multiplicando vim activam, non enim potest intrinsece augere potentiam, cum non sit intensibilis, sed solum auget extrinsece. Huc spectat dictum D. Aug. lib. de bono conjug. cap. 21. *Habitus est, quo aliquid agitur.*

40 Accedit principaliter ex Scoto litt. I. quo utitur Arriaga pro nostra sent. quod potentia habituata minorem conatum adhibet ad producendum v. gr. actum ut quatuor, quam si esset sine habitu, ergo habitus debet supplere concursum activum potentiæ, qui nonnisi per alium concursum activum suppleri debet; antec. patet experientia, conseq. prob. quia major, vel minor conatus potentiæ est major, vel minor concursus ejusdem. Dices cum Aversa habitum esse rationem agendi potentiæ, non causam. Sed vel per rationem agendi intelligit id, quo causa influit in effectum, vel conditionem ipsius causæ; si primum, ergo quia habitus est quid realiter distinctum a potentia, non solum erit *quo*, sed etiam *quod*, ut calor in igne est utrumque, & sic habetur intentum; si secundum ut videtur ipse innuere in exemplo adducto de motivo voluntatis, & respondendo ad tertium jam coincidit cum Hurt. & impugnatur adhuc, quia vel est conditio sine qua non, & hoc est falsum, quia potentia non habituata aliquando producit perfectiorem actum, quam faciat habituata; vel est conditio quædam juvans solum; at non videtur, quomodo possit explicari juvamen istud, cum se teneat ex parte potentiæ, nisi per concursum partialem licet subordinatum, quia potentia non acquirit novam vim activam intrinsece, immo potentia non habituata semper ageret, quando non est impedita, juxta intensionem potentiæ habituatæ; accedunt rationes supra adductæ.

41 Secunda pars, quod habitus concurrat ad totam entitatem actus, non ad solum modum, prob. a Scot. in 4. citat. universaliter; prius essentialiter non potest dependere ab aliqua causa, a qua non dependeat posterius essentialiter, sed actus est prior essentialiter suo modo, ergo nequit iste modus ab habitu totaliter dependere, a quo actus nullo modo dependeat; vel si poneretur, quod potentia concurrat ad istum modum, sic habitus esset superfluus; major patet, quia si non dependeret ab illo, posset esse sine illo, sine quo tamen prius essentialiter non potest esse, & sic non esset posterius essentialiter. Accedit, quod habitus, & potentia se habent ut causa prima, & secunda, quia sunt causæ subordinatæ, at tales causæ non habent effectus distinctos, quia respectu neutrius hæc diceretur prima, illa secunda.

42 Secundo, prob. in speciali, & primo quod non sit causa intensionis tantum, probat 1. d. 17. cit. G. quia intensio actus non est aliquod accidens ipsius, sed gradus intrinsecus, seu pars integralis intensiva ex dictis disp. 3. de Gen. ergo nequit habitus causare intensionem, quin causet aliquam entitatem actus, neque potentia causare actum, quin illum producat in certo gradu. Accedit, quod quando aliqua causa naturalis concurrit cum libera, quamvis in agendo sit illi subordinata, quando tamen agit, necessario quantum potest agit, ergo si habitus concurrit ad intensionem actus, & voluntas solum ad substantiam actus, semper voluntas eliciet actum intensum, juxta activitatem habitus, etiam si ex modico, vel maximo conatu operaretur. Quod vero non producat facilitatem in actu prob. quia quod potentia faciliter, vel difficulter operetur, non est modus actus potentiæ. Tum quia difficultas in eliciendo non est sola carentia facilitatis, sed quid positivum, scilicet retardatio potentiæ proveniens ab habitu opposito, & tamen ista difficultas non est modus actus, sed potentiæ, quia habitus oppositus nihil causat in actu opposito, ergo neque facilitas erit aliquid pertinens ad actum, sed ad potentiam. Tum quia supra ostendimus habitum concursu proprio supplere concursum potentiæ, sed potentia attingit entitatem actus, ergo etiam habitus.

43 Di-

43 Dicimus secundo, habitus cum potentia concurrere potest ad actus seipso intensiores, & etiam excedentes vires potentiæ. Colligitur ex Scot. 1. d. 17. q. 2. I. Prima pars prob. si habitus ut duo respectu actus ut quatuor solum ad duos primos gradus concurreret, ergo potentia in eliciendo illum actum facilius primos gradus eliceret, quam reliquos, quod est contra experientiam; seq. prob. quia ad primos, juvatur directe ab habitu, non ad alios. Secunda pars prob. ex habitu, & potentia integratur perfectior causa, quam sit potentia sola, ergo potest produci perfectior a potentia habituata, si secundum omnes vires ageret, quam a potentia nuda. Resp. Suarez, tunc vere integrari perfectiorem causam ex duabus partialibus, quando in altero agente partiali est virtus ad illam majorem perfectionem effectus, quod non adest in præsenti, nam potentia ex se est determinata v. gr. ad quartum gradum, & habitus non potest excedere quartum gradum, quia non augetur, nisi ab actibus intensioribus, qui solum ut quatuor possunt esse a potentia. Hæc tamen responsio est falsa, quia sufficit, quod in toto aggregato ex causis partialibus adsit virtus proportionata ad effectum producendum, præsertim in causis æquivocis, duo enim pondera ut unum possunt producere impulsum ut duo, qui in nullo illorum seorsim virtualiter continetur. Tum quia falsum est fundamentum, quod habitus solum ab actibus intensioribus augeatur, ut vidimus q. præc. Tum quia si potentia ageret totis viribus, produceret actum ut quatuor, ergo tunc habitus nihil ageret, & tamen est causa naturalis.

44 Quapropter concludit Scot. litt. I. quod potentia, & habitus sunt duæ causæ partiales actus, tam quoad substantiam, quam quoad modum, non tamen ex æquo concurrentes, ut duo trahentes navim, sed essentialiter ordinatæ, ita tamen quod inferior non accipiat virtutem a superiori; causa vero superior erit potentia, & quia utitur habitu, est illimitatior extensive, causat saltem mediate habitum, & tandem quia si habitus esset causa superior, voluntas habituata necessitaretur in operando. Dat exemplum litt. R. si esset in lapide gravitas, quæ non esset sufficiens principium activum motus deorsum, esset tamen partiale, illa gravitas cum potentia principaliter movente posset agere, ita quod potentia alia motiva ex æquali conatu agente, & se sola, defensus esset tardior, quam esset ille defensus proveniens a potentia movente simul cum gravitate; attamen potentia motiva extrinseca cum majori conatu posset æque velociter, vel magis movere corpus, cui nulla inesset gravitas; ita in proposito habitus movet potentiam quasi quodam pondus in genere quasi causæ formalis, qui tamen ex se non sufficit ad elicitionem actus, sufficit tamen sola virtus potentiæ; sed quando ambo concurrunt, sed ita quod non sit major conatus ex parte potentiæ nunc, quam prius, perfectior elicitur actus, quam fieret a sola potentia. Et hoc, subjungit Doctor, potest quilibet experiri, nam habituatus perfectius operatur seipso non habituato, etiamsi æquali agerer conatu, quæ major perfectio necessario in activitatem habitus est refundenda, quod non esset, si habitus non esset principium activum.

45 Contra 1. conclus. arguitur, unius actionis una est potentia, quia una actio requirit principium formale per se unum, quo eliciatur, sed ex habitu, & potentia fit unum per accidens, ergo &c. Tum 2. accidens non est principium agendi in subjectum proprium, actus recipitur in eodem subjecto, in quo est habitus, ergo habitus non est principium activum potentiæ in ordine ad actum. Tum 3. potentiæ sensitivæ non sunt activæ, quia sensus secundum Dam. ducitur, non ducit, ergo habitus in ipsis non est activus. Tum 4. nulla specie distincta sunt sibi invicem causæ æquivocæ, quia causa æquivoca eminenter continet effectum, & consequenter est perfectior, sed actus, & habitus differunt specie, & actus est causa habitus, ergo &c. Tum 5. duo effectus quando sunt respectu causæ communis ordinati inter se, primus secundum totam speciem præcedit secundum, itaut non varietur iste ordo in quibuscunque individuis, sed actus, & habitus respectu potentiæ sunt effectus ordinati, & actus aliquis præcedit habitum de necessitate, non e contra, ergo habitus omnino non præcedit actum ut causa ejus per se. Tum 6. actus est causa æquivoca perfectior, quam sit habitus, ergo si potentia cum habitu potest in actum perfectum, multo magis ut est sub actu generativo habitus, posset in illum actum, quod est falsum. Tum 7. si habitus supplet causalitatem aliquam potentiæ, ergo posset dari habitus aliquis, qui totaliter suppleret causalitatem potentiæ, quod implicat.

Resp. ad 1. ex Scot. sæpe cit. lit. T. unius actionis unam esse potentiam, & unum principium in uno ordine, possunt tamen esse plura in diverso ordine, dummodo constituant unum principium unitate ordinis in principiando, sive ista faciant unum per se, sive unum per accidens, ita se habent habitus, & potentia. Ad 2. negat majorem, ut patet de specie intelligibili respectu intellectionis. Ad 3. negat assumptum, quia sensus est etiam activus, sed non libere, & hoc vult Dam. non enim sensus ducit, idest non habet dominium super actionem, sed ducitur, quia determinatur ab objecto ad agendum. Ad 4. ait majorem esse veram de causis totalibus, de quibus etiam procedit probatio, non vero de causis partialibus, sicut est habitus respectu actus. Nec urget, quod ait Aversa, causam partialem æquivocam debere continere effectum secundum aliquam proportionatam rationem; Quia habitus partialiter continet actum, cum sit quasi semen actus, & solum ad similes actus inclinat, non idcirco tamen est nobilior, quia non continet totaliter. Ad 5. respondet duos effectus inter se posse habere ordinem mutuum in ratione causæ partialis; tum quia potentia non est causa immediata habitus. Ad 6. neg. conseq. quia non est necesse perfectius posse in quodlibet producibile ab imperfectiori, ut Sol producit aurum, non tamen omnem effectum causatum ab auro. Ad 7. neg. seq. quia non sunt causæ ejusdem ordinis, sed alterius, ut patet de intellectu, & specie intelligibili.

46 Secundo, potentia se sola potens est causare actum tam secundum substantiam, quam secundum intensionem, ergo frustra ponitur alia concausa partialis, quia nulli debet attribui activitas aliqua, vel alicui denegari perfecta causalitas, nisi necessitas urgeat. Tum 2. major facilitas in elicitione non infert causalitatem habitus erga actum, ergo &c. antec. prob. ante actionem voluntas sentit se inclinatam ad actum, & facilitatem; itaut facilitas præcedit actionem, sicut difficultas e contra præit actionem, ut patet in homine gulofo sed temperate comedente, ergo ante actionem habitus exercet suum munus, quod est inclinare potentiam ad actum. Tum 3. quia habitus esset potentia, cumhabeat eandem virtutem.

Resp. ad 1. negando potentiam habere virtutem producendi actum tam intensum, si cum æquali conatu ageret, concedimus, si cum majori conatu; & quoniam non semper potentia agit, quantum potest, & tamen usu perfectiorem actum elicit, idcirco inferendum est, habitum quoque ad actum concurrere, quare non est necessarius simpliciter, nec omnino superfluus. Ad 2. ait Arriaga habitum duplicem exercere causalitatem, prima est erga potentiam in genere quam formalis, quia fit media informatione, & est facilitare, & inclinare potentiam ad actum, & hæc præcedit actionem, ut recte probat argum. Secunda est erga actum in genere causæ efficientis coagendo cum potentia ad actum intensum, & hæc non præcedit. Dices habitus exerceret causalitatem formalem erga potentiam media informatione, quia semper informat illam, semper quoque experiremur in nobis talem propensionem ad actum, effectus enim causæ formalis nequit impediri, quod tamen est contra experientiam. Respondet idem neg. conseq. quia sicut voluntas nequit operari nisi prævia cognitione objecti, sic neque experimur talem propensionem, nisi præcedat cognitio illius objecti, & quia non semper habetur talis cognitio, ideo nec semper experimur inclinari, hæc enim facilitas est effectus formalius secundarius, & extrinsecus, non primarius, qua propter non semper ponitur, etiamsi habitus continuo informet potentiam. Ad 3. neg. seq. potentia se sola potest causare actum, & est ab habitu independens, ut habitus dependet a potentia, & se solo nihil potest efficere.

47 Contra 2. arguit Suarez, habitus nonnisi per intensiores actus producitur, ergo non concurrit ad productionem illorum, quia sicut in sola potentia est virtus productiva actuum generantium habitum, ita in sola potentia erit virtus producendi actus intendentes habitum. Tum 2. habitus esset simpliciter necessarius ad producendos actus excedentes vires potentiæ, & non tantum secundum quid, quod est contra definitionem habitus. Tum 3. tunc habitus ab illo actu intensiori intenderetur, & consequenter quamvis se solo non posset iterum intendere illum actum, si permaneret, attamen cum potentia posset intendere, & intenso actu intenderetur denuo habitus, & sic essent sibi invicem causæ, & fieret processus in infinitum.

Resp. neg. antec. ex dictis qu. præced. Ad 2. neg. seq. sufficit enim quod potentia possit similes actus in specie producere, ad hoc ut dicatur necessarius secundum quid; aliter quia non potest cum eodem conatu producere actum ita intensum sine habitu, sicut facit cum habitu; jam respectu istius actus habitus esset necessarius simpliciter. Ad 3. non esse sibi invicem causas respectu ejusdem, sed diversorum, scilicet in ordine ad illos novos gradus productos, ut innuimus qu. præced. ubi etiam negavimus de facto processum in infinitum.

Quomodo autem concurrat habitus ad alienos actus diximus in Log. disp. 12. q. 3. dum extensionem habitus scientiæ explicuimus; solum hic est not. non concurrere ad istos actus per verum influxum realem, qui cum gradus generici non distinguantur realiter a specificis, sed tantum formaliter, non potest aliqua causa physica unum gradum attingere non attingendo alterum, non solum ergo concurret inclinando potentiam ad objectum genericum.

QUÆSTIO VI.

De habituum desitione.

48 MUltis de causis solent habitus corrumpi, quas omnes oportet examinare.

Primo habitus corrumpuntur a contrariis actibus; ita Scotus 3. p. 33. B. & dist. 36. C. ubi advertendum, actum non corrumpere formaliter habitus, sed tantum virtualiter, quæ oppositio pertinet ad genus agentis æquivoci, quare effective concurrit; & quia non datur actio corruptiva per se, sed tantum per accidens, hinc actus prius debet producere habitum proprium, quia postea formaliter concurret ad destructionem oppositi habitus, juxta dicta disp. 5. de Gen. qu. 4. quo casu phi-

philosophandum erit sicut in aliis qualitatibus contrariis, scilicet subjectum habere capacitatem ad determinatos gradus, & quandocumque habitus oppositi non excedunt illam capacitatem, unum non destrui ab alio, ut de calore, & frigore non excedentibus gradus intensos diximus disp. 1. de Gen. qu 5. art. 1. ratio esse potest, quia nulla apparet disparitas; Tum quia si quis haberet aliquem habitum temperantiæ, si exerceatur in actibus intemperantiæ, in initio etiam acquirit facilitatem ad illos, & æqualiter videtur inclinatus ad utrumque. Attamen si quis vellet asserere, habitum esse talis naturæ, ut secundum introductionem unius habitus corrumpatur tantundem de opposito, quamquam sit difficilis probationis, est etam difficilis impugnationis; corrumpuntur autem habitus ab actibus juxta proprias activitates.

49 Dices, scientia, error, & opinio sunt inter se incompossibiles, sicut & actus ipsorum, ratio est, quia habitus erroris inclinat ad affirmationem, vel negationem alicujus prædicati de aliqua re, quam inclinationem omnino destruit actus scientiæ; unde Doctor in 3. dist. 24. M. loquens quomodo scientia stet cum opinione, ait, quod habitus contrarii, si causant effectus incompossibiles, sunt incompossibiles in causando, tales sunt scientia, opinio, & error, quia actus eorum etiam in gradibus remissis sunt incompossibiles.

Resp. neg. assumptum, ratio est, quia si aliquis haberet opinionem, vel errorem habitualem, & postea demonstrationem acquireret, si post aliquod tempus obliviseretur illius medii demonstrativi, adhuc esset promptus ad eliciendos syllogismos illos sophisticos, vel probabiles, signum evidens, quod non fuit totaliter corruptus ille habitus. Tum quia non est major ratio de habitibus temperantiæ, & intemperantiæ, ac de habitibus scientiæ, & erroris; ad probat. dicimus non esse paritatem de actibus, & de habitibus, quia etiam actus temperantiæ, & intemperantiæ sunt omnino incompossibiles; ratio disparitatis est, quia actus proxime, & immediate tendunt in objectum, ut habitus remote, potentialiter, & per modum inclinationis; patet autem non repugnare, potentiam inclinatam in aliquod objectum actu tendere in oppositum, at repugnat in duo objecta opposita simul tendere. Ad Scotum dicimus, non dotuisse absolute habitus incompossibiles, sed addidisse notanter *in causando* quia verum est non posse habitus oppositos habere simul proprios actus, & quamvis ibi dicat scientiam destruere opinionem, non tamen se explicat, an statim, vel paulatim corrumpat, quare explicari debet juxta ea, quæ de aliis oppositis habitibus asserit, scilicet actus oppositos eo modo corrumpere oppositum habitum, quomodo proprium producunt efficienter, non formaliter, nec statim totaliter, sed paulatim. Instabis, si hoc esset, ergo quia species impressæ contrariorum stant simul in esse intenso, eo quod esse principium oppositorum actuum nullam dicit oppositionem, etiam habitus, quia spectant ad actum primum, possent esse simul in esse intenso. Resp. neg. consec. quia species sunt principia simpliciter necessaria completiva potentiæ in actu primo proximo; at habitus sunt inclinationes non simpliciter necessariæ ad actus, & sicut eadem potentia ut sic potest in opposita, ita potest esse informata oppositis speciebus, at sicut non potest esse æquæ inclinata ad opposita, quia inclinatio non relinquit potentiam indifferentem, ut faciunt species, sed trahit illam ad unam partem, ideo nequit esse habitibus contrariis informata *in gradibus intensis*; unde habitus erit quid medium inter actum, & potentiam.

50 Dices etiam; fit aliquis habens habitum vitii intensum ut octo, eliciat actum virtutis oppositum, in eo instanti, in quo elicitur actus, pro priori naturæ supponitur habitus vitii ut octo, quia tunc retardat voluntatem ab illo actu, ergo habitus vitiosus per totum illud instans existit, aliter idem in eodem instanti temporis esset, & non esset, ergo pro eo instanti temporis actus nihil causat de habitu virtutis, nec postea, quia habet activitatem eandem, quam habebat in instanti, ergo &c.

Huic argumento respondet Arriaga, supponendo nullum actum existit pro solo instanti, sed pro aliquo tempore quantumvis minimo, hinc respondet actum pro primo instanti, in quo libere fit, non producere habitum bonum, nec minuere vitiosum, sed in secundo instanti, quia tunc necessario existit, & voluntas non est amplius indifferens, sed determinata, unde nec retardatur amplius, sicut prius. Sed hæc responsio non satisfacit, quia *si in primo instanti actus nequit producere habitum bonum propter impedimentum oppositum*, ergo neque in secundo instanti, ut arguebatur, quia majorem activitatem postea non acquirit, ut ostendimus disp 2 de Gen. num. 16. Tum quia falsum est actum esse necessarium post primum instans, quia sicut libere elicitur, ita libere continuatur, & conservatur, aliter post instans non esset peccatum, de cujus ratione est, quod sit liberum.

Respon. igitur in eodem instanti temporis, in quo actus elicitur, produci habitum bonum, & remitti vitiosum, si actus est tantæ activitatis, ut possit superare impedimenta; nec est verum in illo instanti voluntatem retardari ab habitu vitioso secundum totam intensionem illius habitus, sicut retardabatur ante *illud instans*, quia antea voluntas non superabat resistentiam, in instanti superat determinando se ad actum bonum; eo vel maxime quod non requiritur ad causationem, quod causa tempore præcedat effectum ex dictis disp. 8. Phys. quæst. 2. art. 2. & introductio formæ novæ est prior natura expulsione formæ antiquæ ex disp. 5. de Gen. quæst. 4.

51 Sed contra insurgit Arriaga in instanti elicitionis actus voluntas prius natura fuit indifferens etiam ad actum oppositum, ergo in eo instanti pro priori naturæ extitit habitus oppositus, prob. consec. quia ille habitus hic, & nunc, si voluntas voluisset elicere actum vitiosum, erat futurus concausa illius actus, at omnes concausæ actus sunt in priori naturæ instantis illius in quo poterat esse actus, ergo etiam habitus fuit in illo instanti. Respond. hanc replicam sumere vim ex falso intellectu instantium naturæ, quæ non debent explicari per verbum est, non enim instans naturæ est mensura existentiæ rei, itaut in uno sit, & in alio non existat, sed per verbum intelligi cum fundamento in re, vel quia adest dependentia inter illa, ut diximus disp. 9. Log. & falsum est, voluntatem in priori instanti naturæ esse vere indifferentem ad actum oppositum in sensu, quem inrelligit Arriaga, quia tunc haberet actum in eodem instanti temporis, quia illum elicit, & simul non haberet, quia intelligitur indifferens, seu sine actu, quod ipse Arriaga nec etiam concederet. Dicitur ergo voluntas in priori instanti naturæ indifferens, non quia non habeat actum, sed intelligitur talis, quatenus est independens ab actu, & universaliter in eo sensu, in quo quælibet causa dicitur præcedere natura suum effectum, ut diximus disp. 8. Phys. cit. hinc ad argum. admittimus antec. in sensu explicato, & negamus consec. ad prob. *negamus etiam in eo instanti temporis* voluntatem in sensu composito potuisse elicere actum vitiosum, quia nunquam fuit sine actu bono in illo instanti, poterat in sensu diviso, si non determinasset se ad actum bonum, & consequenter poterat habitus vitiosus concurrere ad actum vitiosum, ex quo non debet inferri habitum vitiosum existere in illo instanti, sed in tempore præcedente; vide infra disp. 7. quæst. 2. art. 2.

52 Secundo, habitus corrumpi possunt ad variationem subjecti; dupliciter autem potest subjectum variari, vel quoad entitatem, vel quoad dispositiones; primo modo variatur, cum per nutritionem restaurantur partes corporis, & consequenter organa potentiarum, in quibus resident habitus materiales, qui necessario ad destructionem illius partis destruuntur, ideoque in nova parte non erit habitus, nisi per exercitium actuum de novo generetur: quo casu habitus potest esse intensior in una, quam in altera parte, quæ variatio intensionis minuit inclinationem potentiæ, & habitus activitatem; Secundo modo per quasdam novas qualitates possunt corrumpi habitus in organis sensitivis, sicut & species sensibiles, idcirco interdum [illegible] lum species, verum etiam inclinationes corporis ad [illegible] ipsius permutantur, signum est, quod etiam post [illegible] cuperationem non habetur facilitas pristina. Et quo [illegible] dum nos potentia sensitiva completa non dicit duo, [illegible] tertium completum ex potentia partiali animæ, & [illegible] tegratum, in quo toto immediate recipiuntur actus, [illegible] habitus quoque in toto completo existunt. Quæ doctrina est vera de omnibus habitibus sensitivis contra Suarez [illegible] Met. sect. 12. num. 15. ponentem habitus quosdam in potentiis animæ distinctos ab habitibus organorum.

53 Tertio Val. part. 2. q. 5. de habit. punct. 2. & Aversa qu. 49. sect. 10. concedunt habitus, non solum per actus contrarios, verum etiam disparatos corrumpi, quatenus potentia, cum sit limitata, & habitus sit major quædam inclinatio ultra virtutem innatam potentiæ, non poterit potentia ad tot, & varia objecta esse simul propensa, idcirco per novos habitus disparatos minuuntur habitus præcedentes destituti a suis actibus; & hoc, inquiunt, patet experientia, quod quis cum incipit assuefieri circa aliquod objectum, debilitatur prior inclinatio, nec simul est ad varia intense inclinatus.

Sed urgeri potest hic modus ex hoc, quod habitus circa potentiam non exercet causalitatem effectivam, non enim producit aliquid in potentia, sed *solum* in genere causæ formalis per informationem inclinando ipsam ad proprios actus, ergo limitatio virtutis activæ in potentia parum refert ad receptionem habituum, quia si habitus *respicit* potentiam in genere causæ formalis, respicitur a potentia in genere causæ materialis, quomodo subjectum est veluti infinitæ capacitatis, nisi formæ inter se repugnent, ergo habitus disparati nullo modo se impediunt informatione potentiæ. Ad experientiam in contrarium dicemus infra.

54 Quarto, Ocham in 4. d. 12. ad 1. Gabr. in 3. d. 23. q. 1. art. 3. dub. 6. Argent. qu. 1. art. 1. ad 6. & inclinat Salas, p. 2. tr. 10. disp. 6. sect. 3. asserunt habitus etiam otio corrumpi per cessationem ab actibus, quia, inquiunt, pendent in fieri, & conservari ab actibus, non quod cessante actu statim cesset habitus, quia sic nullus daretur habitus, sed vel quod cessante actu habitus statim incipiat diminui, vel quod persistat per aliquod tempus, quo transacto, nisi denuo foveatur actibus, incipiat destrui, sicut dicitur de impulsu.

Sed communior opinio tenet oppositum, nunquam scilicet ex cessatione actuum habitus corrumpi; posset colligi ex Scot. 2. d. 3. q. 10. F. & 4. d. 6. q. 10. O. & d. 45. q. 1. A. & q. 3. F. & L. docente habitum esse qualitatem permanentem de difficili mobilem a subjecto; & potest probabiliter suaderi, quia si cessante actu statim deficeret paulatim habitus, si quis eliceret actus remissos cum aliqua mora, nunquam acquireret habitum, quia prima pars a primo actu causata deficeret ante adventum secundi actus, si vero permaneat per aliquod tempus,

sus, & postea cessat, jam deberet assignari aliqua causa destructionis, & variationis. Tum quia vel cessat continuo, vel per moras intermedias, aut totaliter, & subito, non tertium, nam experimur post longum tempus habitum diminutum, non totaliter destructum, non secundum, quia cum partes illæ sint ejusdem rationis, non est major ratio, cur una diu duret; quam altera; nec primum, quia *licet per tempus permaneret*, tamen quia inciperet desinere, brevi intervallo destrueretur totus habitus, quod est contra experientiam.

55 *Dices, experientia* constat, habitus sola cessatione ab actibus destrui, ita Aristot. de longitud. & brevit. vitæ c. 2. ubi ait, scientiam deperdi sola oblivione, quæ oblivio est per cessationem actuum; & 2. Eth. c. 3. in fine ait virtutem ab iisdem, a quibus fit, augeri, & corrumpi, cum scilicet non eodem modo existunt, idest augeri per usum, corrumpi per non usum; & lib. 8. cap. 5. inquit, diuturnam absentiam non solum operationes, verum etiam amicitias dissolvere per oblivionem. Scotus etiam 4. dist. 14. qu. 1. D. docet quamcumque dispositionem, vel habitum post fluxum temporis desinere esse, nisi firmaretur per frequentes actus, Respon. habitus sola cessatione actuum, vel oblivione per accidens corrumpi, quatenus cessatio ab actibus est in causa ut in plurimum, quod eliciantur actus *oppositi, sic qui non exercet actus temperantiæ*, sæpius exercet actus intemperantiæ, quapropter etiam hoc modo habitus intellectuales, & spirituales corrumpuntur; vel si tales actus non elicerentur, habitus sensitivi corrumpuntur ad destructionem subjecti, & cessatio ab actibus est causa, quod non restaurantur; ex quo fit, quod etiam habitus intellectus, & voluntatis non possit exire in actus suos, quia pro statu isto nihil intellectus intelligit, nisi prius species sensibilis moverit phantasiam, & quoniam ista species corrumpitur, idcirco quamvis intellectus habeat speciem intelligibilem, non tamen potest intelligere, ut suo loco dicemus, idem de habitibus asserendum, quod quamvis intellectus sit habituatus, non tamen potest exire in actum, nisi prius phantasia operetur. Per idem ad Scoti authoritatem, non enim ibi se declarat, an per se, vel per accidens corrumpatur habitus.

Instabis, etiam posita ista operatione phantasiæ adhuc intellectus, vel voluntas difficulter operantur, & prius faciliter operabantur, ergo habitus illi fuerunt sola destrione actuum corrupti. Negatur consec. quia difficultas illa provenit a potentia sensitiva, cui potentia rationalis est alligata, & hoc quia non est habituata, sicut prius, & consequenter movet potius ad oppositum. Per hæc patet ad experientiam adductam a Val. & Aversa.

DISPUTATIO QUARTA.

De potentiis vegetantis, & sentientis animæ in communi.

Post replicationem eorum, quæ ad animam pertinent in communi, ad species est descendendum, & quoniam quæ de ipsis animabus vegetativa, sensitiva, & rationali in se spectatis inquiri possunt, jam in prima disputatione fuerunt discussa, num scilicet sint corruptibiles, vel incorruptibiles, divisibiles, aut indivisibiles, &c. solum de potentiis earum remanet agendum; in præsenti sermonem instituimus de potentiis vegetativæ, & sensitivæ, de primis pauca dicemus, quia fuse de ipsis egimus disp. 8. de Gen. de secundis solum tractabimus in communi; in sequenti ad particulares potentias devenimus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quæ sint potentiæ vegetantis animæ, & quomodo distinguantur.

1 PRincipium vegetandi esse vere animam diximus superius disput. 1. quæst. 3. quæ ratione communitatis est omnium animarum prima, ut habet Aristot. 2. de An. 34. nullum enim vivens reperitur corporuum, quod hujusmodi gradu non polleat. Hujus animæ præcipuæ operationes tres solent assignari, scilicet nutritio, augmentatio, & generatio, de quibus fuse egimus in lib. de Gen. disp. 8. non quod necessario in omnibus viventibus debeat simul, & semper has exercere operationes, nam licet nutritio, & augmentatio omnibus conveniat, non tamen generatio, reperiuntur *enim* quædam plantarum, & animalium species, quæ solum ex putri sunt generabilia, nec possunt univoce generari, ut diximus disp. cit. q. 3. & hæc generandi impotentia non competit illis ab extrinseco, & propter aliquod impedimentum, sicut contingit in spadonibus, sed potius ab intrinseco, & ex propria natura, nam quæ ab extrinseco eveniunt, non necessario toti speciei competunt, sed aliquibus individuis; cum igitur videamus omnia hujusmodi viventia hunc generandi defectum habere, concludendum est a principiis specificis, & ab intrinseco provenire; sicut etiam experimur de anima sentiente, quæ non exercet in omnibus sensitivis easdem operationes, quædam enim carent visu, quædam olfactu, &c. Imo nec in iis viventibus in quibus anima vegetativa est harum trium operationum principium, simul illas exercet; verum quidem est nutritionis, & augmentationis actus esse connexos, sumendo augmentationem pro acquisitione cujuscumque quantitatis, ut patet ex disp. cit. de Gen. & statim ac vivens incipit vivere, incipit quoque nutriri, & augeri, non tamen tunc est potens generare, nisi postquam ad ætatem pervenerit perfectam. Juxta igitur harum trium operationum genera tres solent vegetativæ animæ assignari potentiæ, scilicet potentia nutritiva, potentia augmentativa, & potentia generativa, quas non esse qualitates quasdam, aut primarum qualitatum temperamentum patet ex dictis disp. 2. q. 1. & disp. 8. de Gen. n. 62.

2 Potentia nutritiva inservit, ut vivens seipsum conservet in esse, ne propter caloris actionem tandem destruatur: augmentativa ut perfectam molem acquirat, & generativa, ut vivens seipsum semper conserver, non quidem in individuo, nam est naturaliter impossibile, sed in specie. Præter istas actines dantur quoque alii actus hujus animæ, ut sunt tractio alimenti, cibi concoctio, superflui expulsio, necessarii, & utilis retentio, & similes, qui actus, qui ad illas tres operationes ordinantur, idcirco non solent numerari tanquam distincti actus, sicut neque potentiæ illis correspondentes, quia sunt famulatrices illis tribus enumeratis. Dices Aristot. 2. de Anim. 34. duos tantum actus enumerat, scilicet generare, & alimento uti; tum quia 1. de Gen. anim. cap. 20. ait generare esse omni viventi commune, ergo hæ potentiæ simul in omnibus adsunt. Resp. per ly uti alimento comprehendit Aristot. potentiam nutritivam, & augmentativam, eo quod actus isti sunt ad invicem connexi; ut deinde declarat in text. 38. & seq. vel quia sunt eadem realiter potentia, ut dicemus. Ad aliud dicimus, sensum non esse, quod omnium viventium in genere, in specie, & individuo commune sit generare, sed omnium viventium in genere animatorum, sive informata sint anima rationali, sive sensitiva tantum, sive solum vegetativa, quia ex omnibus istis generibus aliquæ species, imo plures sunt, quæ sibi simile generant, unde ly commune supponit pro generibus singulorum, non pro singulis generum.

3 Ex his operationibus generationem ait Aristot. 2. de An. 34. esse inter cætera naturalissimum opus viventium perfectorum, & quæ mutilata non sunt, aut solum ex putri generabilia: idcirco quærunt Doctores rationem, cur ab Aristot. generatio naturalissimum opus fuerit appellata; sed non est immorandum, clare enim ibi se explicat Aristot. dum allatam propositionem subjungit; *Ut ipso semper, & divino participent, secundum quod possunt, omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia, quæcumque agunt secundum naturam*, & text. 35. *Quoniam igitur communicare non possunt ipso semper, & divina continuatione, propterea quod nihil corruptibilium idem, & unum numero permanere; secundum, quod potest participare unumquodque sic communicat, hoc quidem magis, illud vero minus, & permanet non ipsum, sed quale ipsum, numero quidem non unum, specie autem unum*; quibus verbis evidenter se declarat Aristot. cur actio generativa sit opus naturalissimum, nam inter omnes inclinationes naturales præcipua est illa, qua cunctæ res appetunt esse, & permanentiam perpetuam, ut primo enti divino assimilentur, vel ut esse semper habeant, quod participative divinum dici potest; at quoniam impossibile est, vivens idem numero semper durare, cum sit corruptibile, idcirco providit natura de hac potentia generativa, qua producendo aliud simile in specie assequitur vivens aliqualiter propriam conservationem, & si non in individuo, saltem in specie, quam per nullam aliam operationem consequi posset, per nutritionem enim licet conservetur individuum in esse, & consequenter etiam species, non tamen perpetuo, quia ut vidimus disp. 8. de Gen. q. ult. omne vivens per actionem nutritivam tandem consumitur.

4 Per quod solvitur objectio, quam facit Suarez 2. de An. cap. 7.

cap. 7. n. 6. qua nititur ostendere nutritionem esse magis connaturalem viventi, quia ordinatur ad conservationem propriam in se, generationem autem in alieno individuo, magis autem urget bonum proprium, quam alienum, & commune; Non obstat, quia nutritio licet ordinetur ad conservationem individui, non tamen perpetuam, nam cum nutritione stat etiam partialis quædam destructio viventis propter reactionem alimenti, ut diximus loc. cit. hinc nunquam per istam actionem assequetur *conservationem* perpetuam specie; urgeret utique si æque bene per utramque posset acquirere hunc finem, nam tunc ad nutritionem esset inclinatio non solum ut est acquisitiva boni in communi scilicet conservationis speciei, sed etiam boni proprii, ubi per generationem solum bonum commune habetur; *quapropter nutritio est conservativa* speciei, & individui, sed temporanee, generatio vero est conservativa solius speciei, sed perpetuo; inclinatio autem naturalis non est ad conservationem in tempore; sed perpetuo. Hac ratione Arist. 2. de An. 49. definivit animam vegetativam, quod sit, *principium generandi tale, quale ipsum generans est*, quæ definitio est data per causam finalem, ut ipsemet se explicat; adæquatius tamen posset definiri, quod sit *principium primum, & radicale in vivente nutritionis, augmentationis, & generationis*, ut omne genus vegetativum comprehendatur.

5 Dubitari tamen solet, an hæ potentiæ complete sumptæ, ut scilicet ex animæ facultate, & organo constant, sint inter se realiter distinctæ, an vero sint una potentia realiter, & solum multiplex formaliter, vel ratione (quomodo ab anima distinguuntur, diximus disp. 2. q. 1.) Prima opinio ponit distinctionem realem inter illas, ita major pars Thomist. quos citant, & sequuntur Complut. disp. 8. de An. qu. 3. Joan. de S. Thom. qu. 3. art 3. item Contar. tom. 3. qu. de potentiis animæ cap. 6. Roccus 2. de An. q. 27. Aversa q. 50. sect. 6. & 8. idem quoque videtur sentire Tat. 2. de An. q. 1. § *Dubitatur primo*, & alii. Altera opposita est negativa, quam tenent Dur. 1. d. 3. p. 2. qu. 2. Vales. lib. 2. controv. cap. 19. Conimb. 2. de An. c. 4. q. un. Ruv. tr. de pot. an. veget. q. 2. Moris. disp. 1. q. 2. Suarez 2. de An. c. 9. & 10. Cavellus disp. 2. de An. sect. 15. idem quoque sentiunt de potentia nutritiva, & augmentativa. Tol. 2. de An. q. 10. & Dan. digress. 27.

Dicimus tamen potentiam generativam esse realiter a nutritiva, & augmentativa distinctam, has vero probabilius esse realiter non differo. Hæc conclusio conformior est nostris principiis, & Scoti doctrinæ, nam in 4. d. 10. qu. 7. A. & d. 44. q. 2. A. & d. 45. qu. 3. M. loquendo de potentiis organicis, & corporalibus quasi supponit realiter inter se differre. Prima pars, quod generativa sit ab aliis realiter distincta, prob. nam ex Scoto cit. potentiæ istæ completæ dicunt formam illam constitutam ex facultate animæ, & parte illa corporis organica, sive sit caro, sive os, aut cartilago, ut diximus, disp. 2. n. 1. sed partes istæ corporis specie distinguuntur inter se, ut cum Scoto ostendimus disp. 2. Phys. q. 4. art. 1. & disp. 5. de Gen. q. 3. art. 1. ergo formæ constitutæ specie differunt; hæc ratio multum urgere debet Scotistas, & qui formam corporeitatis admittunt in viventibus, potentiasque ab anima realiter non distinguunt. Confirm. potentia generativa est duplex, alia in semine, alia in vivente, prima est realiter distincta a nutritiva, ut omnes concedunt, nam nutritiva est potentia vitalis, at virtus seminalis est inanimis, & in subjecto realiter distincto, quale est semen. Potentia generativa viventis etiam realiter differt, quia non est ad eundem terminum cum nutritiva, hæc enim terminatur ad substantiam viventis animatam, illa vero ad semen, quod specie differt, quia etiam in corpore est inanimatum; habent quoque modum operandi diversum; nam nutritiva intus assumit alimentum, illudque in substantiam partialem convertit, generativa expellit semen a se ad generationem alterius viventis; habent insuper organa distincta, quia illa est per totum corpus diffusa, hæc autem solum in parte concoctiva seminis, & conservativa, imo in quibusdam animalibus non reperitur, ut sunt insœcunda; separatio autem arguit realem distinctionem.

6 Resp. potentiam generativam nunquam separari a nutritiva, licet actus separentur, sic videmus in pueris in quibus utraque reperitur, non tamen actus propter imperfectionem ætatis, & debilitatem, vel propter defectum membri organici, quod etiam in non generantibus est universaliter dicendum; neque separantur subjecto, quia generativa, licet in parte determinata semen producat, quod provenit ex peculiaribus accidentibus, attamen per totum corpus est diffusa, quia per totum corpus fit nutritione generatio aliqua substantiæ viventis, quæ esto sit partialis, non officit, quia specie non est a totali distincta. Quamvis etiam habeant diversos actus, & modos operandi, non idcirco debemus inferre distinctionem realem, quia potest aliqua potentia plures, & diversos actus exercere, quando sunt inadæquati, vel unus alteri subordinatur, sic productio seminis, quia est ad generationem ordinata, poterit ab eadem potentia exerceri.

7 Sed hæc responsio multa continet falsa; falsum enim est in omnibus reperiri potentiam nutritivam simul cum generativa, quamvis enim si per potentiam generativam intelligatur potentia productiva quomodocumque substantiæ viventis, possit admitti, quia ut sic cum nutritiva etiam coincidit, unde nutritio dici solet aggeneratio, & potentia nutritiva aggenerativa; attamen si potentia generativa sumatur pro illa, quæ est seminis productiva, & ad generationem alterius viventis convenit, est signum ab intrinseco, & per se convenire, non ab extrinseco, & accidentaliter, sic dicimus talpam carere potentia visiva, non solum actu visionis, quia visio a tota specie removetur; ratio est, quia natura nil facit frustra, ergo non tribuit alicui principium operandi, cui deinde deneget instrumenta operationi necessaria, & hoc per se, & ab intrinseco, aliter principium illud frustraretur suo fine, & natura duo contraria simul intenderet, scilicet operationem, dum concedit principium operativum, & negationem operationis, dum per se tribuit impedimentum, seu non dat necessario requisita ad operandum; per se autem illa intenduntur a natura, quæ toti speciei conveniunt, & semper. Falsum etiam est, has potentias non distingui a subjecto, etiam cum in eodem inveniuntur individuo; nam potentia generativa solum ad seminis productionem extenditur, quod specie differt ab aliis partibus animati corporis, & non tantum per accidentia, sed etiam per formam substantialem, quæ est potentia generativa corporis, cum nullum accidens possit attingere productionem substantiæ; ergo hæ potentiæ respiciunt terminos specie distinctos, specifice quoque distinguentur. Falsum quoque est hos actus esse subordinatos, nam seminis productio, *non* est nutritioni ordinata, sed generationi totali; & licet essent subordinati, hæc tamen subordinatio simpliciter non infert identitatem specificam potentiarum, aliter sensus externi non differrent ab internis, nec isti ab intellectu, nec intellectus a voluntate, neque potentia motiva ab appetitiva, cui subordinatur. Tandem, quod additur de actibus illis inadæquatis, si valeret, dici etiam posset eandem omnino esse potentiam sensitivam externam, quæ diversos actus sensationum inadæquatos eliciat; quomodo autem potentiæ specificentur ab actibus, diximus disp. 2. q. 4.

8 Secunda pars, quod nutritiva ab augmentativa non distinguatur realiter, quamvis ab asserentibus potentias esse qualitates ab anima realiter distinctas, difficile probetur; faciliter tamen in nostra schola ostenditur, nam potentia nutritiva realiter est ipsamet substantia vivens, quæ sibi acquirit novam substantiam, tum propter augmentum, tum propter restaurationem deperditi, eadem autem substantia est productiva quantitatis actione æquivoca, unde semper actus isti sunt connexi, nec est ponenda qualitas aliqua productiva quantitatis, nam hæc est subjectum qualitatis, & omnium accidentium, ut diximus disp. 3. Phys. q. 3. art. 2. & consequenter præsupponi debet cuicumque qualitati materiali; an autem distinguantur inter se formaliter, patet ex dictis disp. 2. q. 1.

Ex his deducitur, potentiam nutritivam in vivente non esse unam specie, sed multiplicem, sicut partes corporis viventis specie differunt; insuper potentiam concoctivam *alimenti*, quia est alicujus substantiæ productiva, quando per concoctionem alimentum substantialiter mutatur, nec realiter a nutritiva distingui, quæ in organo illo concoctivo existit, sed eadem substantia utrumque facit, quod etiam de nutritiva existente in organo potentiæ generativæ est dicendum, quod scilicet realiter a generativa *non* distinguatur, sed eadem substantia seipsam nutrit, & semen producit, quia substantia est immediate activa substantiæ; ab aliis tamen potentiis partialibus specie distinctis specifice quoque distingui. At potentias alias scilicet conservativam, attractivam, expulsivam, &c. proponi posse realiter distinctas a nutritiva, si per istas potentias intelligantur accidentia quædam, aut humores concurrentes ad istos actus, quomodo disp. 8. de Gen. nu. 68. diximus flavam bilem ad intestina profluentem sua mordacitate causare excrementorum expulsionem.

9 Contra primam partem concluf. arguitur ex Aristot. 2. de Gen. anim. cap. 4. ubi ait eandem facultatem vegetabilis animæ generare sibi simile, & augere, sicut idem alimentum est, ex quo augetur, & ex quo constituitur primum, & 2. de An. 42. inquit: *Quoniam autem eadem potentia anima est vegetativa, & generativa, de alimento necessarium est determinare primum, separatur enim ab aliis potentiis opere hoc*, & text. 54. ait, *Vegetativa enim anima, & aliis, & prima, & maxime communis potentia est animæ, cujus sunt opera generare, & alimento uti*. Tum 2. nulla adest necessitas multiplicandi has potentias; nam eadem virtus nutritiva potest ex eodem alimento efficere sanguinem, medullam, & lac juxta exigentiam diversarum partium carnis, ossis, &c. ergo eadem virtus poterit ex sanguine semen conficere. Tum 3. habent idem objectum scilit alimentum, ex Arist. cit. ergo sunt eadem potentia, nam potentiæ, & actus specificantur ab objectis. Tum 4. habent eundem finem, qui est productio substantiæ vivæ, & licet una terminetur ad partialem, altera ad totalem substantiam, parum refert, quia hæ substantiæ sunt ejusdem rationis, & solo numero differunt; sicut eadem potentia ignis generat alium ignem distinctum, vel seipsum auget; & ramus abscissus deinde plantatus per eandem virtutem, qua prius nutriebatur, deinde acquirit partes, & figuram arboris completæ. Tandem etiam nutritiva potentia est omnium membrorum formativa, sicut est generativa.

10 Resp. ad Arist. vel loquitur de identitate generica, non de specifica; vel loquitur de gradu animæ vegetativæ, quem nomine vegetativæ potentiæ nominat, & ait, quod idem gradus est, qui per nutritivam, & generativam potentiam idem respicit alimentum, & objectum, & hoc opere distinguitur ab aliis gradibus animæ, qui non versantur circa alimentum, in quo tota versatur vegetativa. Ad 2. falsum est, potentiam nutritivam carnis esse ejusdem speciei cum potentia nutritiva ossis, ut diximus, ideoque sanguinem, lac, & medullam multi specie distinguunt; sed quicquid sit de hoc, certum est, semen specie differre ab his omnibus propter virtutem formativam corporis, quæ est propria ipsius substantialis forma. Ad 3. habent idem objectum remotum, non proximum, nam nutritiva respicit pro termino substantiam animatam partialem ex alimento, producibilem, generativa vero substantiam seminis ex eodem alimento. Ad 4. quamvis habeant eundem finem ultimatum, diversimode tamen illum respiciunt, nam nutritiva est ordinata ad reparationem deperditi, & ideo intrinsece respicit substantiam partialem, at generativa est ordinata ad substantiam totalem per se, & hoc sufficit, ut dicantur diversæ potentiæ, nam ut diximus disp. 2. q. 4. circa idem objectum sub diversa ratione consideratum possunt actus, & potentiæ specie distinctæ versari, imo & sub eadem ratione, dummodo distinctio sumatur vel ex diversitate modi tendendi, vel ex alio capite; nec exempla de igne, & ramo aliquid valent, ignis namque per se respicit productionem ignis, & de per accidens est igni, quod generet, vel aggeneret, non enim proprie nutritur, ideoque eadem potentia sufficit; ramus plantatus eadem potentia se conservat, quia hæc actio non est simpliciter generativa, at non eadem potentia producit semen, quia seipsum nutrit secundum omnes partes. Ad 5. nutritiva est omnium membrorum formativa, non totaliter, sed partialiter, non mediate, sed immediate, at generativa est formativa omnium membrorum totaliter, non partialiter, mediate scilicet virtute seminis, non immediate, quod sufficit ad distinctionem realem arguendam.

11 Secundo argum. contra 2. partem concluf. Tum quia nutritiva habet pro objecto alimentum, ut substantia est, augmentativa idem alimentum, sed ut est quantum ex Arist. 1. de Gen. cap. 5. ergo diversi actus erunt circa hæc objecta, quales sunt nutritio, & augumentatio, & consequenter diversæ potentiæ, substantia enim, & quantitas differunt prædicamento. Tum quia separantur ad invicem, nam nutritio est in toto tempore vitæ, augmentatio solum tempore incrementi. Resp. ex dictis disp. 2. q. 1. ubi statuimus potentias realiter ab anima non distingui, & qu. 4. ubi specificationem potentiæ ab objectis declaravimus, quod scilicet non necessario debet esse tanta distinctio in principiis, quanta in principiatis, intellectio, & volitio realiter distinguuntur, non tamen intellectus, & voluntas, sic nutritio, & augmentatio realiter distinguuntur, possunt tamen ab eodem realiter principio produci, substantia eadem est alrerius substantiæ, & accidentium connaturalium productiva, absque eo quod in se plura principia realiter distincta contineat, solum posset ex hoc inferri distinctio formalis, non realis. Ad 2. patet ex dictis disp. 8. de Gen. qu. 8. quod auctio, quæ semper comitatur nutritionem, & qua vivens fit majus, solum connotative differt, & secundum majus, & minus, ideoque cessat auctio solum quoad conatum, quæ est minor illa quantitas præcedens. Tum quia, & si cessaret, adhuc non concluderet, nam etiam in sene cessat potentia nutritiva, non tamen illam ponunt adversarii a nutritiva juvenis distinctam potentiam realiter.

Cæterum quæ de istis potentiis, & actibus ipsarum solent adhuc pertractari, fuse explicuimus disp. 8. de Gen.

QUÆSTIO II.

De potentiis animæ sensitivæ in communi, earumque activitate.

12 ANimæ sensitivæ, quæ est animalis forma essentialis, & constitutiva, tres communiter assignari solent operationes vitales, sensio, sive sensatio, appetitio, & motus localis, atque ideo tres dantur potentiæ animæ sensitivæ in communi, scilicet cognitiva, seu sensitiva, appetitiva, & loco motiva, prima res sensibiles percipit, unde dividi solet in externam, & internam; secunda appetit commodum, & consequenter *incommodum* fugit, & dividitur a quibusdam in irascibilem, & concupiscibilem, tertia inservit ad acquirendum bonum concupitum, & fugiendum malum apprehensum, estque duplex, perfecta, quæ motum progressivum causat de loco ad locum, & imperfecta, quæ solum efficit imperfectum quendam motum localem, scilicet dilationis, & constrictionis. Hæc tria potentiarum genera animam sensitivam comitantur in omnibus animalibus, licet non necessario secundum omnes species, nam multa animalia carent quibusdam sensibus externis, & internis, & multa sunt, quæ potentiam motivam perfectam non habent, qua ratione Arist. 3. de An. 45 asserit potentiam motivam non convenire omnibus animalibus, quod est intelligendum de potentia perfecta, nullum enim est animal, cui saltem imperfecta potentia motiva non competat, ut idem asserit text. 56. cum enim non habeant alimentum sibi conjunctum, non est opus progressive moveri, sed solum, dum percipiunt conveniens, dilatant se, dum vero patiuntur disconveniens, sese constringunt; hujus generis præcipue sunt plantæ illæ, quæ operationes quasdam animæ sensitivæ videntur habere, nam si suaviter illas contingas, se dilatant, at compunctæ se contrahunt, sic refert Scalig. exer. 112. p. 421. de quadam arbore in insula Limbubon, cujus frondes in terram lapsæ reptione quadam seipsas movent, nam tactæ abeunt, & refugiunt, & arbor in provincia Puriferanea, quæ homine, aut animali appropinquante, quasi verecunda contrahit ramos, recedente expandit, unde pudica solet appellari; & herba Baraas apud Joseph de bello Jud. lib. 7. cap. 23. quæ non patitur se effodi, recedit enim de priori loco, si quis velit eam contingere, donec urina fœminæ, vel sanguis menstruus ei effundatur; Hinc *Zoophita* a Græcis, ab Hermolao Barbaro *plantanimalia*, ab aliis *plantanimes* dicuntur, ob mediam quandam naturam, quam habent inter animalia, & plantas, cum animalibus enim conveniunt in sensibus, cum plantis in forma, & figura; Quapropter anima sensitiva definiri potest, quod sit *forma animalis, qua tanquam principio percipit objecta sensibilia, appetit salutaria, & loco movetur*, quomodo autem istæ potentiæ, prout sunt quid aggregatum ex organo, & animæ facultate, inter se distinguantur, patebit ex dicendis disp. seq.

13 Solum in præsenti videndum est, an istæ potentiæ, præsertim cognitiva, habeant aliquam activitatem respectu sensationum, an vere mere passive se habeant. Prima opinio asserit potentiam sensitivam nullo modo active ad sensationem concurrere, *sed tantum passive*, vel recipiendo sensationem ab alio causatam, puta a specie objecti, vel ab aliqua alia substantia, ut putavit Alb. in sum. de hom. p. 2. tr. de sensibus, & alia apud Theophilum 2. de An. circa text. 52. vel quia ipsammet receptionem speciei ab objecto causatæ in potentia judicarunt esse formaliter sentire, ita Ægid. tract. de cognit. Angel. qu. 1. Venetus in sum. de An. cap. 10. Suess. lib. de sensu agente, Thien. 2. de An. com. 61. & Tol. q. 12. Alii apud Conimb. 2. de An. cap. 6. qu. 1. & Tol. cit. ex *oppositio asserunt potentias sensitivas esse* mere activas, nullo modo passivas, eo quia sensationem causant non in seipsis, sed in organo. Alii mediant distinguendo de sensu, quod sicut datur intellectus agens & passibilis, ita quoque detur sensus agens, cujus sit sensationem producere, & sensus passibilis, seu possibilis, qui actum *illum* recipiat; ita Jan. 2. de An. q. 16. Apollin. quæst. 13. & quidam alii.

14 Dicimus tamen potentias sensitivas esse simul activas, & passivas producendo, & recipiendo in seipsis sensationes; ita communis sententia tum veterum, tum recentiorum cum Scoto qu. 12. de An. & 1. d. 3. qu. 7. fere per totum, & maxime, §. *Conclusio istarum duarum opinion.* & probari potest primo, quod sint activæ, eo quia omnes aliæ potentiæ vitales sunt hujusmodi, *nam de potentiis vegetantis animæ ostendimus disp.* 8. de Gen. esse activas, de potentiis rationalibus ostendemus disp. 6. qu. 2. ergo idem de sensitivis dicendum, imo hoc idem probavimus esse de ratione vitalis potentiæ, seu viventis in communi. Tum 2. ex Arist. 2. de An. 36. & 37. ubi docet, animam esse effectivam causam motus localis, augmentationis, & alterationis, scilicet sensationis; & 9. Met. 16. ait visionem esse actionem immanentem a visu causatam; & de sens. & sensib. c. 2. inquit *Sensibile facere egere sensum*.

15 Deinde prob. impugnando oppositas opin. & primo sensatio non est sola speciei receptio, quia ut ait Doctor in 1. cit. H. major attentio, vel conatus potentiæ posito eodem repræsentante facit actum perfectiorem, ut patet experientia, unde quandoque lædituf visus propter *majorem attentionem*, at receptio est semper eadem, ergo sensatio præter istam receptionem dicit quandam actionem ex parte potentiæ, attentio enim dat intelligere concursum activum potentiæ. Tum quia, inquit Doctor, datur receptio speciei in potentia absque sensatione, nam in oculo cæco manente tamen sic mixto, ut prius, causatur species, similiter in oculo dormientis, & in aure causatur, & recipitur species, aliter non excitaretur quis a vehementi sensibili, nisi species esset in oculo, vel in aure, & tamen nulla fit sensatio; idem etiam contingit, ut notat Arist. de sens. & sensib. cap. 8. dum nimis attente aliquid cogitamus, tunc enim non videmus, neque audimus, & tamen species adhuc imprimuntur in organis, & magis apparet in sensu interno, in quo diu manet species absque actu. Quod si dicas requiri advertentiam animæ; jam admittis actionem ex parte animæ. Tum quia urget Doctor, & est argum. Arist. de sens. & sensib. c. 2. quod formar contra Democr. dicentem visionem esse imaginem objecti in oculo receptam; species illa non solum recipitur in sensu, sed etiam in medio, ergo si receptio illa est formaliter visio, etiam medium, sicut dicitur recipiens, diceretur etiam videns; Si dicas non valere conseq. quia recipientia sunt alterius rationis: Hoc nihil est, & inquit Doctor, quia sicut albedo est ejusdem rationis in lacte, & in equo, & ideo utrumque est formaliter album propter eandem *rationem albi in utroque receptam, quamvis recipientia sint* alterius rationis, idem de specie dicendum. Nec valet, quod addunt, speciem in sensu recipi secundum esse accidentale, & intentionale, in medio vero, secundum esse tantum accidentale; non valet, quia species etiam in medio habet hanc rationem, quod sit objecti repræsentativa, quia hoc est *de sua ratione* formali, & consequenter, cum sit inseparabilis ab ipsa, ubicumque erit, semper habebit eandem rationem; ergo præter receptionem speciei datur actus *sensationis distinctus*.

16 Hic autem actus nequit a specie, vel objecto totaliter produci, quia cum sit vitalis, nequit a *non vitali* totaliter causari; tum quia ait Doctor, species magis esset potentia sensitiva, quam sensus, & ipsa separata haberet eundem actum, sicut calor separatus calefaceret; tum quia sentire non esset propria perfectio ipsius sensus,

quia nihil videtur essentialiter ordinari ad illam operationem, ad cujus principium se habet in potentia contradictionis, sicut ad accidens per accidens, ut patet in ligno cujus propria perfectio non est calefieri, ex quo lignum se habet ad calorem, sicut ad accidens, per accidens accedunt etiam præcedentes rationes. Neque produci potest ab aliqua alia substantia, tum propter easdem rationes: tum quia non est hæc substantia assignabilis, ergo remanet, quod causetur a potentia, vero an totaliter, vel partialiter, dicemus infra.

Secundo, quod hæc potentia sit etiam ejusdem actus receptiva, probat, non enim est vera opinio illa, quod sensatio in organo *recipiatur*, nam ut ait Arist. de somno, & vig. cap. 1. sensatio non est solius animæ, neque corporis, sed totius conjuncti; tum quia organum, ut ab anima præscindit, non est vivens, at sensatio est actus vitalis, petitque in subjecto animato, & vivente recipi. Non minus est falsa illa sententia distinguens de sensu agente, & possibili, nam esto daretur sensus agens (de quo infra qu. 5. art. 2.) hic non poneretur in ordine ad sensationem, sed respectu speciei, sicut intellectus agens talis dicitur, quia efficit speciem, non intellectionem, hæc enim & ab intellectu possibili producitur, & ab eodem recipitur, ut suo loco dicemus, ergo quicquid sit de ista distinctione, certe eadem potentia sensitiva producet sensationem, & recipiet, accedunt rationes mox adducendæ in contrarium. Hæc doctrina est etiam intelligenda de potentia appetitiva, & aliqualiter de potentia loco motiva, quamvis enim primo, & per se non recipiat motum, secundario tamen, & ratione totius *etiam est motus progressivi* receptiva, quem in toto causat animali, quod sufficit, quia motus localis non est actus ita vitalis, & immanens, ut est sensatio.

17 In oppos. obiic. primo, quod sensus sit mere passivus, ex Arist. 2. de An. 37. 51. 118. & alibi sæpe asserente sensum esse passivum; & tex. 29. assimilante animal habens istas potentias habenti habitum scientiæ, quatenus scilicet est proxime ad operandum paratum ad sentiendum recipiendo speciem ab objecto; & tex. 138. & seq. docente eundem actum esse subjecti sensibilis, & sensus, ac simul actionem, & passionem, actionem, ut est ab objecto, passionem, ut recipitur in sensu. D. etiam Aug. 11. de Trin. c. 2. ait, quod forma impressa visui ab objecto dicitur visio. Tum 2. si sensus esset activus, certe posset se sentire, vel aliud sine objecti concursu, quod est falsum. Tum 3. tunc omnes operationes sensitivæ essent ejusmodi speciei, nam manente eodem activo, & passivo, sicut est sensus, manet idem effectus, quod est falsum, quia visio albi specie differt a visione nigri. Tum 4. cognitio fit per assimilationem potentiæ ad objectum, sed vera assimilatio fit tantum per impressionem speciei, ergo &c. Tum 5. potentia reducitur ad actum secundum, & determinatur ad eundem per speciem objecti, ergo species erit activa sensationis, non potentia, hæc enim se habet ut determinabilis, & passive. Tum 6. ergo posset potentia sensitiva causare sensationem in alia potentia distincta, sed ejusdem rationis, prob. seq. ratione Scoti, qua in 2. d. 9. q. 2. probat intellectum posse causare intellectionem in intellectu alterius, omne motivum alicujus passivi est motivum omnium passivorum ejusdem rationis, quia omnis potentia habens commune aliquod pro passivo primo, habet quodcunque inferius contentum sub illo communi, igitur cum sensus sit potentia passiva sensationis, si est activus, quælibet potentia ejusdem rationis, etiam in alieno supposito, erit proportionatum passivum.

18 Resp. ad 1. sensum passivum dici ab Arist. non tamen dici non esse activum, magis tamen exprimitur passivitas, quam activitas, quia arguebat contra veteres negantes sensum pati ab objecto; tum quia bis patitur, & recipiendo speciem ab objecto, & sensationem ipsam; tum quia sentire necessario supponit receptionem sensationis, non autem elicitionem ejusdem, quia si per impossibile, imo a Deo produceretur sensatio in sensu, sentiret, etsi non eliceret; assimilat autem potentiam habitui, & sicut iste concurrit active ad actum ex dictis disp. præced. ita & potentia; vocat insuper sensationem actum objecti, & sensus, quia ab utroque producitur, & magis apparet actio ex parte objecti, quia hoc mere active concurrit, ubi sensus utroque modo se habet. D. Aug. non est intelligendus formaliter, sed concomitanter, ad eum modum, quo dici solet intelligere esse quoddam pati, de qua suo loco. Ad 2. & 3. aliquid valerent, si sensus esset causa totalis sensationis, requiritur autem concursus objecti, saltem terminativus. Ad 4. neg. min. nam assimilatio formalis, per actualem cognitionem fit, non non per speciem impressam, nisi vitaliter. Ad 5. probat solum necessitatem objecti, non totalem activitatem ejusdem. Ad 6. non esse eandem rationem de potentia intellectiva separata, & potentiis organicis, istæ enim cum sint organicæ, & materiales, sunt fibimet ipsis solis applicatæ, & ideo solum immanenter possunt agere, non transeunter, ita Doctor qu. 12. de An. cit.

Secundo, atqui potest, quod non sit simul potentia passiva, aliter frustra daretur intellectus agens; & etiam *illis* rationibus, quibus ostenditur idem non posse agere, nec movere seipsum. Sed jam diximus, intellectum agentem non poni propter productionem *intellectionis*, sed speciei; rationes illæ sunt solutæ in Phys. disp. 7. qu. 4. art. 2. & disp. 15. q. 8. art. 2. vide hanc eandem fere quæstionem de potentia intellectiva disp. 6. q. 2.

QUÆSTIO III.

Quodnam, & quotuplex sit objectum sensibile.

19 SEnsus dupliciter sumi potest, primo stricte, quatenus dicit unam ex potentiis animæ sentientis, quo pacto ab appetitiva, & loco motiva condistinguitur; secundo, large prout circumscribit gradum illum vitæ medium inter vegetabilem, & rationalem, quomodo dicit principium radicale sentiendi, appetendi, & loco movendi, animamque sensitivam denominat, & in hac consideratione etiam potentia appetitiva, & loco motiva possunt appellari potentiæ sensitivæ; sicut rationale si stricte sumatur pro potentia apprehensiva, & discursiva, de solo intellectu dici potest, at si large accipiatur, prout significat gradum vitæ intellectualis, etiam voluntati convenit. Juxta hanc duplicem sensus acceptionem sensibile, quod est a sensu denominatum, potest dupliciter accipi, vel prout derivatur a sensu in prima *acceptione*, & sic solum denominat objectum potentiæ sensitivæ, & ab appetibili distinguitur, quod est objectum appetitivæ; vel prout oritur a *sensu in secunda significatione*, & hoc modo dicit omne id, quod potest tanquam objectum obiici potentiis animæ sentientis, unde & objectum appetibile poterit sensibile vocari; & hoc pacto sumitur in præsenti. Quid autem dicat sensibilitas in objecto, pendet ex declaratione, quid addat intelligibilitas in objecto intellectus, est enim fere eadem res, idcirco pro nunc breviter dicimus sensibilitatem posse dupliciter sumi, vel formaliter, & sic dicit quandam aptitudinem, & passionem objecti, qua potens est concurrere ad actum sensationis, vel immediate, vel mediante specie, aut saltem illum terminare; secundo, sumitur fundamentaliter, & dicit radicem talis aptitudinis, quæ est objecti essentia. De hoc objecto duo præcipue sunt inquirenda, primum est, quot conditiones exigantur, ad hoc ut res possit esse sensibilis; secundo, quotuplex sit hoc objectum.

20. Quoad primum; quatuor conditiones assignari solent, ut res aliqua dicatur sensibilis; prima est, ut sit ens reale, per quam excluduntur entia rationis, & negationes, ac extrinsecæ denominationes; secunda, quod sit corporeum, seu materiale, per quam segregantur res spirituales; tertia, quod sit singulare, qua ratione naturæ communes non dicantur cadere sub sensu; quarta, quod sit accidentale ad differentiam substantiæ, quæ non ponitur per se sensibilis, sed tantum ratione accidentium; quælibet harum conditionum est discutienda.

Prima igitur conditio est, quod sit ens reale; ratio est, quia objectum per se sensibile movet sensum immittendo speciem sui, ut in sequ. quæst. dicemus, quæ est ens reale, ergo necessario objectum debet esse ens reale, nam non ens nequit speciem sui causare, & hæc conditio ab omnibus recipitur. Arriaga tamen disput. 5. de An. sect. 5. videtur docere, posse bruta apprehendere puras negationes, puta negationem lucis, coloris, &c. apprehensione quadam negativa, non per species a negationibus causatas, sed a Deo infusas, quibus formant apprehensiones aliquas negativas, non est ibi color, non est ibi Sol, &c. Movetur, quia ex una parte non possumus brutis denegare cognitiones negationum, nam terrentur umbra hominis, vident, ubi sunt portæ, fenestræ vacuitates, & ursus volens in hominem projicere lapides, non eligit quoscunque, sed parvos, quos potest sustinere, ergo percipit parvitatem lapidis, quæ formaliter est negatio majoris quantitatis, non enim solum percipit lapides, sed lapides ut parvos. Ex alia parte non videtur rationabilior modus, quo apprehensiones istæ haberi possunt, quam per species prædictas, Deus enim etiam de bestiis est sollicitus, ut necessaria ad tuendam vitam subministret, sine tamen hac cognitione negationum vix possunt pedem movere; hoc autem multis ostendit impugnando aliorum responsiones.

21 Verum quicquid sit de istis speciebus, an possint dari (ex eo quod si dari potest saltem in intellectu separato species expressa, quæ attingat negationem, illamque formaliter repræsentet, idem dici posset forte de specie impressa, quod possit virtualiter repræsentare negationes aliquas) Non apparet tamen tanta necessitas, ut tot species infusæ adsint in brutis; nam vel essent congenitæ ab instauti generationis, & sic vel oporteret fere infinitas species negationum infusas admittere, quod non est rationabile, vel quod una species sit plurium negationum repræsentativa, quod est falsum, ut probat Doctor de speciebus angelicis in 2. d. 3. quæst. 10. tum quia hæ species essent perfectissimæ, ergo non deberent denegari homini perfectissimo animali; vel istæ species infunderentur in tempore a Deo, & hoc etiam sine fundamento asseritur, quia tunc Deus aliquid de novo se solo producit, quando per causas secundas non potest poni effectus, modo possumus salvare actiones brutorum sine istis speciebus. Nam quando ait, bruta ab umbra terreri, hoc evenit, quia umbra ut plurimum non est privatio totalis lucis, sed habet lumen quoddam secundarium figuratum juxta corporis figuram, cujus est umbra, ideoque potest movere sensum, vel si totaliter abesset omne lumen, tunc non apprehenderent apprehensione quadam simplici, & affirmativa umbram illam, si enim nos ne-

nequimus intellectu quia perfectior est potentia sensitiva, simili apprehensione concipere negationes, quin entia rationis fingamus, sed solum judicio quodam divisivo concipimus, quatenus scilicet cognoscimus subjectum non cognita forma in subjecto; quanto minus bruta potentia sensitiva potentiæ tam perfecte negationes apprehendere? solum igitur concipiunt tenebras, vacuitates, portas, &c. quatenus in illis locis non apprehendunt aliquod corpus, vel lucem, ut apprehendunt in aliis locis, similiter rursus apprehendit lapides parvos, ut proportionatos propriis viribus, non quidem percipiendo formaliter carentiam majoris quantitatis, sed rudi, & materiali modo; qua ratione phantasia brutorum non erit formaliter collativa, ut fusius dicemus disp. seq. quæst. 8. ubi satisfaciemus etiam dubiis Arriag. quæ contra ipsum dicendi modum proponit, vide etiam disp. 3. Log. quæst. 4. art. 1. Et in hoc sensu intelligendus est Arist. dum 2. de Anim. 96. 103. 120. & 138. ait visum esse visibilis, & invisibilis, &c.

22 Secunda conditio est, quod sit corporeum, & materiale, non spirituale, quæ conditio ab omnibus recipitur, naturaliter loquendo; solum dubitatur, an saltem supernaturaliter possit potentia sensitiva elevari ad videndum objectum spirituale. Arriaga disp. 5. de Anim. sect. 1. & 2. negat ab his potentiis materialibus posse divinitus spirituale cognosci, concedit tamen non repugnare potentiam aliquam materialem cognoscitivam rei spiritualis, imo & ipsius Dei, idem sentit Valent. 1. p. disp. 1. qu. 12. d. 8. Opposita opinio est communior, quod scilicet *absolute* repugnet potentiam materialem tendere in objectum spirituale; ita colligi potest ex Scoto 4. d. 49. qu. 4. A. ubi ait, solam potentiam immaterialem posse per operationem suam attingere perfectum bonum, in quo solo; ut in objecto est beatitudo, ergo sentit potentiam materialem non posse Deum percipere, & consequenter nullum spirituale objectum; clarius in eodem 4. d. 10. q. 9. A quo loco docet, Angelum, & substantiam separatam non posse videri ab oculo corporeo quia caret illis principiis, quæ requiruntur in aliquo objecto ad actum sensationis, scilicet quantitate, & qualitatibus sensibilibus, & d. 43. q. 2. §. *Respondeo*, idem docet per totum; & d. 49. q. 11. ad 2. Et quidem de potentiis, quæ de facto dantur, faciliter probari potest assumptum, nam potentia de sua ratione *formali ita* potest *verisari circa proprium* objectum adæquatum, ut nequeat ab intrinseco extra illud tendere, nam ab objecto adæquato specificatur, & si posset in aliud tendere, vel saltem divinitus elevari objectum, illud non esset adæquatum, & mutaretur natura ipsius potentiæ, sed potentiæ sensitivæ pro objecto adæquato respiciunt ens materiale, nec quodlibet, sed aliquod tantum, ut patet, ergo nequeunt respicere objectum spirituale; tum quia lignum ex hoc, quod nullo pacto vitaliter operatur, arguimus ex propria natura non esse vitaliter operativum, & consequenter neque de potentia absoluta Dei, sine mutatione intrinseca naturæ, ergo quia videmus potentias materiales nullo pacto ferri in spirituale, debemus inferre, hoc illis ab intrinseco competere.

23 *Dilucilius* tamen ostenditur hoc idem de potentia aliqua materiali possibili; verum ratio allata non parum urget, nam potentia materialis de sua ratione formali videtur postulare objectum materiale, non spirituale, aliter si tendere posset in utrumque, posset quoque elicere actum materialem, & spiritualem, materialem quidem, quia ipsa materialis est, & quando objectum esset materiale, non posset assignari causa spiritualitatis actus, cum nullum materiale possit esse causa totalis alicujus immaterialis; posset quoque elicere actum spiritualem, quia si potest respicere objectum spirituale, & circa illud operari, cur non etiam actum spiritualem producere simul cum illo objecto? & sic ista potentia esset universalior intellectu. Confirm. vel ista potentia per actum spiritualem tenderet in spiritum, vel per actum materialem, non primum, quia actus iste deberet recipi, & subjectari in tota extensa potentia, & ab illa dependeret in genere causæ materialis, & quia esset totus in toto, & totus in qualibet parte (aliter esset extensus, & materialis) certe a qualibet parte dependeret in esse tamquam a causa totali, quia quælibet pars concurreret ad totum actum, cum in qualibet parte totus actus recipiatur, & ab illa educatur, ergo idem effectus dependeret a pluribus causis totalibus, quod implicare ostendimus disp. 8. Phys. Si dicas, actum illum esse materialem; tunc quia præcipuum medium, quo demonstratur immaterialitas intellectionis, & animæ rationalis, est hoc, quod actus iste ad aliquod immaterale terminatur, si materialis actus posset ad spirituale terminari, præcluderetur omnis via demonstrandi immaterialitatem animæ rationalis contra protervos.

24 Accedit principaliter, quod si daretur potentia sensitiva cognitiva rei spiritualis, certe posset omne spirituale, & immateriale percipere, & etiam *omne* materiale, quod est falsum; seq. prob. quia non esset major ratio de uno, quam de altero; nam quod ait Arriag. posse se determinari potentiam istam ad certum genus entium spiritualium, sicut visus v. gr. non est totius entis materialis, sed determinati; non valet, quia ideo potentiæ nostræ sensitivæ quamvis materiales, non sunt omnium entium materialium, quia ut ait Doctor 4. d. 43. qu. 2. C. & 2. d. 24. quæst. un. ad 2. sunt potentiæ organicæ; & omne organum determinatum ad certum genus sensibilium ex 2. de Anim. 118. & sequ. nam consistit in media proportione extremorum illius generis; at hæc potentia, si daretur, non esset quid medium inter extrema spiritualia determinati generis, sed potius esset medium inter spirituale, & corporale, quare poterit in omne spirituale, & multo magis in omne materiale, plus enim differt materiale a spirituali, quam duo materialia inter se, scilicet color, & sonus; ergo si poterit in illa, etiam in ista; falsitas prob. quia posset etiam attingere in objecto rationem intelligibilitatis, item universale, relationes reales, & rationis, quæ omnia proprie ad intellectum spectant, & dicuntur intelligibilia, non sensibilia, nulla autem potentia ait Doctor litt. F. potest cognoscere aliquid sub ratione universaliori, quam sit ratio proprii objecti, ergo sensus non potest percipere aliquod objectum sub ratione intelligibili, nisi velis confundere intellectum cum sensu.

25 Contra prædicta argum. quia potest oculus elevari a Deo ad videndum substantias spirituales, imo Deum ipsum, ut habetur multis in locis Sacræ Script. nam Exod. 12. dicitur Moysen conversatum esse cum Deo facie ad faciem, & Isai. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, Tob. 19. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*, & ibid. *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum*, qui locus nequit intelligi de visione intellectuali facta in carne scilicet in corpore, sed de visione per carnem scilicet per oculum corporeum; nam postea subjungit, *Quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt*, si loqueretur de oculo intellectuali, non dixisset *oculi mei*, sed *oculus meus*, unus enim est intellectus in nobis, ergo intelligitur de ipsis oculis corporeis. Tum 2. vel repugnat oculo corporeo visio spiritualis quia vitalis est, vel quia spiritualis; non primum, quia oculis est etiam vitalis potentia; neque secundum, nam potest corpus elevari ad existendum in loco modo spirituali, ut est de corpore Christi in Eucharistia, esto, sit materiale, ergo idem de oculo dicendum. Tum 3. non repugnat, intellectum elevari ad videndum Deum, ergo neque implicat oculum elevari ad videndum spirituale, magis enim distat Deus ab intellectu, quam res spiritualis creata ab oculo. Tum 4. potest anima rationalis informare corpus extensum, ergo visio spiritualis oculum corporeum. Tandem potest oculus videre lucem supernaturalem, quæ in Cælo reperitur, ergo etiam Angelus, prob. conseq. quia Angelus est ordinis naturalis cum oculo, unde minus distat, quam lux supernaturalis. Hinc D. Aug. 22. de Civ. Dei cap. 29. movens hanc quæstionem concludit, posse Deum videri saltem ab oculis Beatorum, quatenus habent modum quemdam specialem supernaturaliter a Deo concessum.

26 Resp. Moysen, & Isaiam vidisse Dominum non in propria natura; sed per apparitionem factam ab Angelo in corpore assumpto. Tertia authoritas exponitur non de visione Dei, sed de providentia divina, quam ex his, quæ circa ipsum accidebant, agnoscebat, & hanc scientiam experimentalem divinæ providentiæ propter evidentiam vocat oculi visionem. Quarta authoritas intelligi debet de visione, quam habebunt Beati in die judicii, de quo ibi loquebatur; dum dixit; *In novissimo die de terra surrecturus sum*, &c. tunc enim Beati conspiciendo Christum, videbunt divinam essentiam oculo intellectuali, quod explicatur *illis verbis*, *In carne mea*, &c. & sanctissimam Christi humanitatem oculis corporeis, quod datur intelligi per ly, *& oculi mei conspecturi sunt*, quare est fermo de Deo humanato. Ad 2. si valeret, magis concluderet, posse oculum elevari ad percipiendum sonum, quæ perceptio vitalis est, & materialis; dicimus igitur repugnare propter utrumque, nam licet conveniant in ratione generica vitalitatis, non tamen specifica, & quia transcendit objectum adæquatum; nec exemplum de corpore Christi in Eucharistia aliquid urget; tum quia facilius possunt elevari ad aliquod supernaturale potentiæ non vitales, quam vitales; tum quia existentia illa non est forma absoluta spiritualis existens in corpore tota in toto, & tota in qualibet parte, sed solum est quidam respectus integratus ex pluribus præsentiis partialibus, quot sunt partes proportionales loci, ut explicuimus disp. 11. Physic. qu. 5. art. 2. unde non sequitur, eumdem effectum a pluribus causis totalibus dependere, ut *eveniret*, si forma spiritualis absoluta accidentalis inexisteret subjecto extenso.

27 Ad 3. neg. paritas, licet enim in entitate magis distet Deus ab intellectu creato, *non tamen* quoad proportionem objectivam, nam Deus continetur sub objecto naturalis inclinationis intellectus creati, unde naturaliter haberi potest conceptus aliquis de Deo proprius, sed ex communibus desumptus, ex quo deducimur reperiri in intellectu aliquam activitatem saltem inchoatam ad videndum Deum; at res spiritualis nullo pacto continetur sub objecto sensus, quia est prorsus insensibilis propter sui immaterialitatem. Ad 4. neg. etiam paritas, quia anima rationalis non est forma dependens a corpore, & habet propriam subsistentiam, non sic forma accidentalis, quæ in eductione dependet a subjecto in esse, vel si a Deo produceretur, *saltem* informando deinde subjectum inhæreret illi, quod est existere dependenter a subjecto. Ad 5. neg. dari lucem supernaturalem quoad entitatem, *sed solum* quoad *modum*, *quatenus* a Deo causatur, hinc lux illa cælestis non excedit objectum naturale visus, & potest oculus elevari recipiendo aliquod *juvamen*; unde ficut ex hoc, quod *intellectus creatus ex se* potest habere aliquem actum circa Deum, concludimus, *posse ipsum* Deum intueri, si elevatur, Deumque esse sub objecto intellectus, sic quia videmus oculum exercere aliquem actum circa lumen pro statu isto, deducere debemus lucem Beatorum, & si specie distingueretur a luce nostra (probabile enim est solum differre in intensione) adhuc

contineri sub objecto visus ex natura potentiæ; vide Scotum 4. d. 49. q. 15. D. August. non assertive, sed dubitative solum est ibi locutus, imo Epist 6. & 111. oppositum docet, an autem materiale debeat existere divisibili, vel *indivisibili* modo ut sentiatur, dicemus qu. 7.

28 Tertia conditio est, quod tale sensibile sit singulare, ita habet Arist. 2. de An. 60. dicens scientiam esse universalium, sensum vero singularium. Attamen quia in cognitione singularis tria interveniunt, scilicet natura specifica, & communis, singularitas, seu hæcceitas, & tandem ipsum singulare constitutum, certum est, quod ipsum singulare est id, quod percipitur; & se habet ut principium *quod* movendi sensum, controvertitur tamen de principio *quo*, & ratione formali movendi sensum, an scilicet sit natura communis singularis, an vero singularitas ipsa. Qui negant naturas communes a parte rei actu distinctas differentiis individualibus, negant quoque naturam esse rationem movendi, sed ajunt ipsum singulare sub ratione singularitatis movere sensum; Scotus vero in lib. de An. q. 22. ubi Cavellus, & 2. d. 3. q. 1. G. ubi Lichetus, sustinet rationem formalem movendi esse ipsam naturam, singularitatem tamen esse conditionem sine qua non; & quoniam quæstionem hanc late pertractant Canon. 1. Phys. q. 2. art. 1. concl. 6. Tromb. 1. Met. qu. 6. & 7. Ant. And. ibid. Faber theor. 87. idcirco paucis illam dilucidabimus.

Dicit ergo Doctor, quod ratio formalis movendi sensum; & principium *quo* producendi speciem est ipsa natura communis, quod probat efficacissime, quia secundum illud potentia movetur ab objecto, secundum quod apprehendit illud, sed potentia sensitiva apprehendit singulare secundum naturam communem, non secundum singularitatem, ergo &c. major patet, quia ratio movendi est etiam ratio cognoscendi, min. prob. potentia cognoscens objectum sub aliqua ratione potest illud distinguere ab omni non habente illam rationem, patet, quia idem est principium constitutivum alicujus, & distinctivum ejusdem ab omni alio, quod tale non est illo principio, ad quamlibet enim entitatem sequitur propria unitas, sed nequit sensus ponere differentiam inter duo singularia præcisis omnibus extrinsecis accidentibus, scilicet figura, situ, tempore, &c. solum manentibus naturis, & singularitatibus illorum, imo si accidentia extrinseca essent omnino similia, non posset unum ab altero discernere, ut sunt duo radii Solis, radius enim semper innovatur, similiter flamma, & tamen sensus judicat esse eundem radjum, eandemque flammam, & si duo homines essent similes inter se, vel duo ova simul compenetrata in eodem loco, nullam differentiam perciperet sensus, ergo quod percipit, non est singularitas, sed natura communis, quia singularitas non est ratio assimilandi, sed distinguendi, quare si perciperetur, cognosceret sensus illa esse duo singularia distincta. Accedit, quod sicut in actione reali principium formale agendi est natura, singularitas vero est solum conditio sine qua non, ut omnes concedunt, eo quia illud est principium formale agendi, quod est ratio, cur agens assimilet passum sibi, quam *assimilationem* intendit in actione, tale autem est natura, non singularitas, quia in illa agens, & passum conveniunt, in ista differunt, ergo idem dicendum *de actione intentionali*, per quam objectum intentionaliter assimilat sibi potentiam media sensatione, scilicet quod natura sit ratio movendi, singularitas conditio sine qua *non*.

29 Dices contra; si sensus perciperet singulare quoad naturam, non quoad singularitatem, ergo esset potentia abstractiva, præscinderet enim naturam a singularitate, hoc autem solum intellectui convenit. Tum 2. sequeretur, quod singulare ut sic non haberet propriam speciem in sensu, & sic sensus percipere naturam universalem, quod est absurdum, quia sensus est singularium. Tum 3. species repræsentat id, a quo producitur, & sub illa ratione secundum quam gignitur, sed species producitur ab objecto, ut singulare est, quia actiones sunt singularium, ergo, &c. Tum 4. sequeretur numerum singularium non esse per se sensibilem, contra Arist. 2. de An. c. 6. ponentem numerum, vel sensibile commune. Tum 5. sequeretur eodem modo singulare percipi a sensu, & ab intellectu, scilicet quoad naturam communem, & tamen singularia peculiari modo dicuntur a sensu cognosci ex 2. de Anim. 60. & 1. post. 45. Tum 6. omnis sensatio extra animam est singularis, ergo objectum, a quo causatur, est singulare. Tandem sensus distinguit majus album a minus albo, ergo percipit singularitatem, nam in natura communi conveniunt, & solum penes singularitates differunt.

30 Resp. ad 1. neg. seq. illa enim potentia ait Trom. cit. est abstractiva, quando concipit objectum includens plures rationes cognoscibiles secundum unam illarum abstrahendo ab alia prius cognita, ut se habet intellectus, modo sensus non cognoscit distincte naturam, & singularitatem, & deinde non solum concipit naturam, sed indistincte, & confuse *cognoscit* singularitatem cum natura non concipiendo differentiam inter illa; at intellectus dicitur potentia abstractiva, & quia abstrahit speciem *intelligibilem* a conditionibus individuantibus, & quia naturam percipit sine singularitate. Ad 2. neg. seq. quod enim habet speciem in sensu, est ipsum singulare, quia se habet ut *quod* cognoscitur; licet ratio cognoscendi non sit singularitas, sed natura. Ad 3. distinguimus min. si enim ly, *ut singulare est* sumitur reduplicative, est falsa, quia ratio formalis movendi non est singularitas, sed natura; si sumitur specificative, est vera, nam vere singulare est, quod agit, & singularitas est conditio agendi. Ad 4. ait Doctor in lib. de Anim. numerum cognosci eo modo, quo singularia cognoscuntur distincta a sensu, quod sit non per differentias individuales, sed per alias conditiones extrinsecas, ut sunt locus, tempus, figura, magnitudo, &c. Ad 5. ex eodem sensum cognoscere singulare intuitive solum, intellectum vero etiam abstractive, idcirco cognitio singularium appropriatur sensui. Ad 6. concedimus totum, non tamen sub ratione singularitatis, sed naturæ. Ad 7. & est præcipua difficultas, quam conficit Ocham, non negamus absolute singulare ut sic non cognosci, nam vere sensus, & intellectus illud percipiunt, non tamen distincte, itaut percipiant, & attingant singularitatem, quæ est differentia individualis intrinseca, & propria hæcceitas, quare concedimus singularitatem cognosci confuse per differentias individuales extrinsecas, & discernimus per istas differentias unum singulare ab alio; & quia gradus in qualitate se habent ut conditiones individuantes extrinsecæ, accidunt enim naturæ specificæ, ut explicuimus disp. de Gen. q. 4. idcirco bene possumus discernere magis album a minus albo per istos gradus, absque eo quod distincte attingamus differentias individuales intrinsecas, non enim gradus est differentia contrahens naturam communem ad esse singulare, imo est quid constitutum ex natura, & differentia, quia est quædam pars integralis intensiva; & idem argum. confici potest de magnitudine majori, quam a minori discernimus per partes extensivas majores, non per proprias individuales hæcceitates, unde sicut magnitudo extensiva ponitur inter conditiones individuantes extrinsecas, sic etiam magnitudo intensiva qualtatis.

31 Quarta conditio objecti sensibilis est, quod sit accidentale, ita Scot. 1. d. 3. qu. 3. K. & d. 22. qu. 1. & 2. d. 13. qu. un. & habetur expresse ab Arist. 2. de An. 63. & 65. ubi docet nullam substantiam esse per se sensibilem, sed sentiri mediis accidentibus; & probari potest inductione, nam non est sensibilis sensu interno, quia ut dicemus, substantia non habet propriam speciem sensibilem, neque sensu aliquo externo, hi enim pro objecto respiciunt aliquod accidens, ut patet discurrenti, & nos disput. seq. explicabimus; neque pertinet ad sensitivum appetitum, quia hæc potentia non fertur, nisi in objectum a cognitiva potentia sensitiva apprehensum. Tum quia si substantia esset per se sensibilis, certe possemus ejus absentiam cognoscere, sicut per speciem ejusdem præsentiam perciperemus, & sic possemus naturaliter cognoscere in Sacramento Altaris substantiam panis abesse, quod est falsum.

32 Contra istam doctrinam primo insurgere possunt *illi* Thomistæ, qui putant substantiam propriam habere speciem in cogitativa potentia, unde posset dici sensibilis saltem ab aliquo interno sensu, sed de *hoc dicemus* qu. 5. art. 1. Adest etiam Cæsar Cremon. apud. Ragus. disp. 15. p. 3. cap. 36. & seq. qui sustinens primas qualitates esse formas elementorum substantiales, consequenter asseruit substantiam esse per se sensibilem, quod probat multis authoritate Arist. qui pluribus in locis corpora substantialia sensibilia nuncupavit, ita 2. de Gen. 7. & 2. de An. 28. docet nos calidis, frigidis, humidis, & siccis nutriri, eorumque, quæ nutrimur, nos per se sensum tactus habere, at nutrimentum est substantia, non accidens. Neque dicas substantiam esse utique sensibilem, non per se sed per accidens; Nam sequeretur, nos per accidens habere sensum nutrimenti, ergo magis proprie haberemus de nutrimento sensum gustus, quam tactus, contra Arist. Tum 2. ex 1. de Gen. 23. in alteratione fit contrariorum mutatio eodem manente subjecto sensibili, sed hoc subjectum est substantia ex seipsa non per alias qualitates, ergo ex seipsa est sensibilis. Tum 3. in propositionibus formalibus prædicatum vel est de essentia subjecti, vel proprietas, vel accidens commune, hæc propositio est vera formaliter, *substantia materialis est sensibilis*, ergo ly sensibilis erit proprietas, vel accidens commune, vel essentiale prædicatum; non primum, quia secundum nos convenit etiam accidentibus, neque secundum, quia etiam in nostra sententia convenit solum accidentibus, ergo erit prædicatum essentiale. Tum 4. sensibile, & intelligibile dividunt ens, hoc constituit ens abstractum, illud vero ens materiale, ergo sicut ens abstractum est per se intelligibile, ita ens materiale, qualis est substantia composita, erit per se sensibilis.

33 Resp. faciliter ens sensibile dupliciter sumi vel pro eo, quod ex se est tale, potestque immediate terminare actum sensationis, vel prout circumscribit aptitudinem illam in substantia recipiendi accidentia vere sensibilia, quo pacto substantia materialis, & corporea per se dicetur sensibilis, idest potens subjectare sensibilia accidentia; aptitudo enim illa est proprietas in secundo modo conveniens substantiæ ex dictis disp. 3. Physic. qu. 2. si primo modo accipiatur sensibile (quo sensu loquimur in præsenti) sic denominative, & mediate convenit substantiæ ratione accidentium, non ex seipsa; si secundo modo, concedimus, substantiam dici posse per se sensibilem, sed nil contra nos, ex qua doctrina facillime objectiones allatæ diluuntur.

Hæ sunt conditiones necessario requisitæ ad objectum sensus; verum non omne accidens universaliter est sensibile per se, nam relationes præcipue nullo pacto sentiuntur; imo nec omnes qualitates, quod passim declarabitur ex dicendis.

34. Quoad 2. quæstionis partem, quotuplex scilicet sit sensibilis;

Primo

Primo dividitur ex 2. de An. 64. & 65. in sensibile per se, & in sensibile per accidens, illud est, quod ex se, & immediate terminat actum sensationis, caditque sub sensu; istud est, quod est unitum sensibili per se, sive nihil conferat ad istud sensibile, ut est relatio filiationis in Petro, vel similitudinis (dicimus enim vidisse filium Francisci, quamvis relationem illam non attingamus, dummodo videamus Petrum filium, qui est relationis fundamentum) sive aliquo pacto pertineat, ut substantia, hæc enim concurrit ad sensationem subsistentando accidentia, quæ sunt per se sensibilia, similiter qualitates virtuales hoc pacto dici possunt sensibiles, quatenus sunt causæ quarundam qualitatum per se sensibiliuni. Sensibile per se dividitur *ex eodem ibid. in sensibile proprium*, & commune, illud dicitur, quod ab uno solo sensu percipitur, ut color a visu, sonus ab auditu; istud inquit Arist. est, quod ab omnibus sentitur, quod non est intelligendum, ut necessario ad hoc ut objectum dicatur sensibile commune, debeat ab omnibus sensibus percipi, solum enim quædam accidentia sunt, quæ aliqualiter videntur ab omnibus sentiri, sed sufficit, quod saltem a duobus cognoscatur, ut ipsemet Arist. se declarat in lib. de sensu, & sensib. c. 4. non est intelligendum de sensibus tum externis, tum internis, sic enim nullum sensibile proprium daretur, quia nihil percipitur a sensibus externis, quin ab internis quoque non cognoscatur, nec datur objectum ab internis sensibile, quod sub aliquo externorum non cadat; sed præcipue hæc divisio datur in ordine ad sensus externos.

35 Sensibilia communia quinque numerantur ab Arist. scilicet motus, quies, numerus, figura, magnitudo. Alii pauciora posuerunt, motum, & quietem removentes, alii ut Perspectivi plura assignarunt, scilicet distantiam, situm, discretionem, asperitatem, & curvitatem &c. Verum quia in divisionibus juxta varias acceptiones possunt plura, & pauciora membra reperiri, & divisio Arist. jam est in scholis recepta, non est cur ab Arist. sententia recedamus. Primo ergo assignatur motus, qui & visu, & tactu percipitur, ut patet similiter de auditu, & olfactu, nam aliquatenus cognoscimus per sonum, & odorem, si sensibile a nobis recedat, vel accedat, item & gustu, ut cum cibum in ore movemus; hoc autem non est intelligendum formaliter, quasi quo vere formalitas motus, quæ consistit in illo respectu explicato disp. 15. Phys. quæst. 1. cadat sub sensu, sed materialiter, prout dicit partes illas fluentes successive; & perfectius percipitur memoriæ adminiculo; ad motum reducitur duratio, & tempus, quod materialiter coincidit cum motu. Secundo est quies, nam oppositorum est eadem disciplina; quod etiam non debet intelligi formaliter, ut dicit simplicem motus privationem, sed materialiter pro permanentia rei in eodem statu, quo pacto dicit quid positivum. Tertio, ponitur numerus, qui materialiter sumptus percipitur etiam ab omnibus; diximus materialiter, ut significat res numeratas, nam si formaliter sumeretur, ut dicit collationem rerum numeratarum ad invicem, solum ab hominibus percipitur vi rationis, ut ait Arist. sect. 30. probl. qu. 5. Quarto est figura, quæ a visu, & a tactu cognoscitur, ut patet, & ad hanc reducuntur asperitas, curvitas, rectitudo, & alia similia a Perspectivis numerata, sunt enim species quædam figuræ; & hæc etiam non debet accipi formaliter, qua ut sic dicit respectum, sed materialiter pro partibus rei figuratæ sic inter se dispositis. Tandem numeratur magnitudo, quæ etiam ab eisdem sensibus cognoscitur; & ad hanc pertinent distantia, & situs, nisi hunc ad figuram velimus reducere. Caterum an sensibile commune propriam emittat speciem dicemus infra qu. 5. art. 2.

QUÆSTIO IV.

An dentur, & quid sint species sensibiles.

36 PEr species sensibiles intelliguntur qualitates quædam productæ in medio potissimum diaphano ab objectis sensuum usque ad organa potentiarum sensitivarum inclusive, quæ qualitates sint ex sua natura representativæ objectorum, a quibus producuntur; vocantur species, eo quod rem spectandam exhibeant, unde etiam dicuntur picturæ, simulacra, idola rerum sensibilium; dicuntur etiam sensibiles, non quidem ut *Quæ* (quamvis etiam possint percipi sensibus, ut dicemus, primario tamen sunt institutæ ad repræsentanda objecta) sed ut *Quibus*. Solent etiam nuncupari species intentionales, non eo sensu, quo entia rationis dicuntur habere esse intentionale, & non reale sed quia habent esse diminutum, & quodammodo recedens a realitate objectorum; tum quia concurrunt ad cognitionem sensitivam, quæ dicitur intentio. De istis speciebus, primo quærimus existentiam, an dentur, deinde quid sint; in sequentibus postea causas, & munia investigabimus.

37 Prima opinio negat dari has species sensibiles, vel universaliter tam in sensibus externis, quam internis, vel saltem licet admittat in internis, tollit tamen ab externis; citantur Porph. lib. de sensu, Plotin. enead. 4. lib. 5. Dur. 2. d. 3. q. 6. Gabr. q. 2. Ocham 2. q. 15. & 17. Buccafer. 3. de An. Piccol. lib. de hum. mente c. 8. Contar. in qu. animasticis q. 9. Provenzalis lib. de sensibus cap. 7. Gianninus in disp. de hum. & speciebus cap. 27. & seq. Dand. 2. de An. digress. 31. & quidam alii. Secunda, & communis sententia species istas admittit tum in internis, tum in externis sensibus, ita supponit Doctor 1. d. 3. q. 6. & 7. & 2. d. 13. & in lib. de An. qu. 17. sed est difficilum deinde, an species istæ sint in omnibus externis sensibus, an solum in quibusdam; at de hoc dicemus disp. seq. sufficit nobis modo indefinite ostendere dari in utrisque sensibus istas species.

Inter admittentes species est adhuc differentia, ut explicent illarum quidditatem, quidam enim veteres docuerunt, species istas esse corpuscula quædam a corporibus egredientia, & pervenientia ad sensus; *alii* vero *concesserunt* esse qualitates, sed ejusdem rationis cum qualitatibus sensibilibus, itaut species caloris sit calor, albedinis albedo, & sic de singulis, licet in esse remissiori; ita Valles. lib. 2. controv. c. 26. & Celsus Mancinus lib. de Synagia Platonica c. 5. At Complut. disp. 18. de An. qu. 3. qui quamplures alios Thomistas citant, volunt speciem esse eandem omnino naturam objecti numero, ut species albedinis v. g. sit eademmet numero albedo, quæ est in pariete, sed cum hac differentia, quod in pariete habet esse naturale, in sensu habet esse intentionale, quare tota differentia, quæ reperitur inter speciem, & objectum secundum ipsos, se tenet non quidem in essentia, & quidditate, sed in modo essendi; idem etiam docent de speciebus intelligibilibus substantiæ. Frequens tamen, & ab omnibus fere amplexa sententia est, species istas esse qualitates alterius omnino rationis, & naturæ a objectis, quæ repræsentant.

38 *Dicimus primo*, dari *species sensibiles in* sensibus internis & externis, ita Doctor cit. & est communis tum apud Thomistas, tum Neothericos Recentiores, probat. primo author Aristot. nam sæpe ait sensum pati ab objecto, ut 7. Phys. 12. & 2. de An. 52. 59. & 62. & locis adductis num. 17. quod intelligi debet propter receptionem specierum; & text. 61. & 74. clare ait objectum diffundere, & multiplicare se in medio usque ad sensum; & text. 121. ait sensum esse *susceptivum formarum sine materia*, quod nequit intelligi de actu sensationis, ut exponit Contaren. nam tex. 138. idem repetens inquit, *Unumquodque sensorium susceptivum est sensibilis sine materia*, sensatio autem non dicitur sensibilis, sed objectum est sensibile, quare debet explicari de objecto, quod recipitur in sensorio sine materia, quatenus species repræsentans objectum aliqualiter deprurata a materia producitur ab objecto in sensu; & tandem de speciebus internorum sensuum id clarissime asserit lib. de mem. & remin. cap. 2. ubi reddens causam, cur præteritorum recordemur, hoc refert ad rerum imagines in sensu interno impressas, vide eundem lib. de sensu, & sensili cap. 2. & 3. & lib. de somniis cap. 7. & 5. de gen. anim. c. 1.

39 Deinde prob. conclus. experientia, & quidem, quod dentur in sensu interno, est manifestum ex Arist. cit. in lib. de mem. & rem. non enim possemus de præteritis aliquem actum habere, nisi adesset aliquid supplens vicem objecti, nam ad sensationem non sufficit sola potentia, sed requiritur objectum, vel aliquid ejus vices gerens, in actu autem recordationis objectum non est præsens, ideoque exigitur species tanquam illius vicaria. Quod autem etiam adsint in sensibus externis, pro nunc ostenditur in sensu visus, & auditus. In sensu visus dari species, patet *ex reflexione*, quæ *fit in speculo, nam*, & nos ipsos, & res tergo positas intuentur in speculo, Solem, & Lunam, quæ supra nos sunt, in aqua videmus infra nos, imo partem capitis nostri posteriorem cum duobus speculis sibi apte respondentibus, ut quotidie experiantur mulieres in capitis sui ornatu. Varietas etiam perspiciliorum id demonstrat, quædam enim exhibent res majores, alia minores, quædam ita adaptata sunt, ut cominus res videantur, quædam ut eminus, alia rem eandem repræsentant centies, aut pluries, ut difficulter nummum unum quis poterit designare digito. Res in aqua majores apparent, & propius, qua ratione baculus fractus conspicitur. Nummus aliquis iniiciatur in cntinum vacuum superius patens, itaut existens in fundo catini ob altitudinem laterum ejus, & ob notabilem distantiam non videatur, si vas illud aqua repleatur, incipit videri; quæ omnia nequeunt salvari, nisi ex diversitate diaphaneitatis medii, in quod objectum species immittit. Si corpus opacum interiiciatur inter objectum, & oculum, impeditur visio, similiter si est in anima distantia. Si quis unum oculum deprimeret cum palpebra, aut attolleret, idem objectum geminatum conspiceret, eo quia species non recta ad oculos perveniret. Idem etiam patet in auditu, nam ex reflexione soni efformatur Echo, quæ non est reflexio ipsius soni, nequit enim aer tam exiguus ab ore progrediens tam cito, & ad tantam distantiam deferri, itaut quandoque ejusdem vocis species fiat reflexio, & in concione, ut ad aures omnium audientium simul perveniat; Sed de his experientiis plura dicemus disput. seq. cum de sensibus in particulari agemus.

40 Resp. Contar. imagines in speculo non esse species visibiles realiter extra objectum existentes, *sed esse meram actionem* præsentiæ rei visibilis potentis speculum attingere, suamque in eo figuram effingere; quæ actio, cum non sit factio, non necessario habebit effectum realem, qui dicatur species. Alii dicunt colores objectorum se multiplicare in medio alios similes producendo ejusdem rationis, sed remissiores, eo quod subjectum medium est rarius, & istos colores in speculo videri, & reflecti, non species visibiles; idem de sono dici poterit, quod scilicet seipsum multiplicet alium sonum ejusdem rationis producendo.

Prima responsio de se ruit, dum actionem admittit sine termino,

vel enim est vera actio de genere actionis, & hæc necessario exposcit terminum productum, vel est actio grammaticalis, quo sensu actus vitales actiones immanentes nuncupantur, & hoc est falsum, tum quia etiam isti actus per veram actionem producuntur; tum quia non fiunt transeunter, sed immanenter, at objectum has imagines extra se causat, etiam in ipso oculo; & tandem negari nequit, quin imagines illæ sint absolutæ entitates, sive vocentur actiones, sive effectus objective, & has imagines nos dicimus esse species sensibiles objecti, Secunda etiam responsio nullum habet fundamentum, quia ut dicemus concl. seq. sunt alterius, non ejusdem rationis. Tum quia aer non est susceptivus coloris, qui corpus mixtum affectum temperamento primarum qualitatum exigit pro subjecto, non pura elementa. Neque dicas hoc verificari de colore primario, non de secundario ab alio producto. Nam si sunt ejusdem rationis, idem etiam exposcunt subjectum ejusdem temperamenti. Solet etiam hæc conclusio pluribus rationibus probari; sed infra cum de muneribus harum specierum agemus, illas examinabimus, & præcipue disput. seq. qu. 6. art. 2.

41 Dicimus 2. species sensibiles non esse corpuscula substantialia, sed qualitates de prima, vel tertia specie, alterius rationis, & imperfectiores propriis objectis; ita communis cum Scot. cit. præsertim 2. d. 13. § *De secundo*, & 4. d. 44. q. 3. A. & d. 45. q. 2. ad 2. quod non sint corpuscula quædam, prob. quia ab objectis producuntur, quæ sunt accidentia ex dictis qu. præc. tum quia daretur naturaliter penetratio corporum, tum istorum cum medio, tum inter se, nam in qualibet parte medii reperiuntur simul plures species diversorum objectorum; tum cum sensibus ipsis, nam species in potentiis recipiuntur, ergo non sunt corpuscula substantialia, sed accidentia, non quidem de prædicamento quantitatis propter eandem rationem, quia scilicet compenetrarentur in eodem subjecto, sed de prædicam. qualitatis, ac de prima, vel tertia specie juxta dicta disp. 7. Log. qu. 3. art. 2.

Secundo quod sint alterius rationis ab objectis, docetur a Scot. 2. d. 3. q. 9. I. & prob. ex Arist. 2. de An. 121. & 138. ubi species vocat formas sine materia, non loquitur autem de materia partis, quia quodlibet accidens est etiam sine hac materia, cum sit forma simplex, neque de materia inhæsionis, quia hæc communis est omnibus accidentibus, etiam ipsis speciebus, per materiam ergo intellexit naturam realem qualitatis sensibilis, a qua deficit species. Tum quia contraria in summo nequeunt simul esse in eodem subjecto naturaliter, sed species summi nigri possunt esse in eodem medio, vel organo, quia possumus utrumque simul videre. Tum quia species etiam in sensu recipiuntur, ergo si species nigri in oculo esset nigredo, ipsa permanente in oculo omnia nigra apparerent, ut patet; cum in oculo aliquis noxius humor descendit, tunc enim omnia ejusdem coloris cum illo humore cernuntur. Tum quia si unus color est alterius similis productivus, certe si nigrum opponeretur prope nivem, albedo nivis deberet causare in nigrum aliquam albedinem quantumcunque remissam, & nigredo illa aliquam nigredinem in nive, & consequenter tam nix, quam nigrum illud forent remissiora, quam antea, quod est contra experientiam, imo videtur nigrius prope nivem; nam opposita juxta se posita magis eluescunt.

42 Resp. Complut. *hæc omnia convenire objectis non ex propria natura absolute*, sed ut habent esse reale, & modum essendi naturalem, non tamen ut habent modum essendi intentionalem, ideoque possunt species contrariorum simul esse in eadem potentia. Sed in primis, passiones, quæ a quidditate profluunt, semper comitantur ipsam quidditatem, qualemcunque essendi modum habeat, quia est causa præcisa passionum, ut quidditas est, sic essentia hominis, quia ut sic est causa risibilitatis, ubicumque est hæc essentia, semper habebit annexam risibilitatem, ergo quia contrarietas est quadam proprietas albedinis, & nigredinis ab illarum quidditatibus profluens, si species habeant easdem quidditates, habebunt etiam eadem proprietates, & repugnantias. Tum quia ideo species albedinis per ipsos est essentialiter color, & omnia alia prædicata quidditativa, quia habet repræsentare albedinem secundum illa prædicata, ergo quia repræsentat non solum secundum prædicata quidditativa, sed etiam secundum alia, quæ illi conveniunt in esse reali, etiam ista prædicata deberent competere speciei, quod non concederent. Deinde intelligibile quidem est, quomodo eadem omnino natura objecti numero sit in potentia licet secundum alium essendi modum, nam species est totaliter causata non solum ut dicit modum essendi, sed ut dicit quidditatem, & ab objecto causatur, ut dicimus, ergo si species quidditative est ipsamet entitas objecti, jam idem seipsum produceret, licet sub alio essendi modo, quod implicat. Tum quia quando corrumpitur albedo, non solum corrumpitur modus essendi naturalis, sed totaliter destruitur, etiam quoad quidditatem, quam habebat a parte rei: ita etiam quando destruitur species albedinis, totaliter corrumpitur, ut nihil ejus remaneat in rerum natura, ergo nequit habere eandem numero naturam cum albedine licet diverso modo essendi, aliter eadem quidditas numero esset destructa, & adhuc existeret, quod implicat. Neque recurras ad diversitatem modi essendi; quia hæc non salvat contradictionem; nam species illa secundum totam entitatem, & essentiam, quam habet a parte rei, corrumpitur; huc faciunt, quæ diximus disp. 11. Phys. q. 9. & disp. 5. de Gen. q. 7. ostendendo idem nullo pacto posse novam productionem terminare adhuc existens, vel destrui in uno loco, & non in alio. Et maxime apparet improbabilitas hujus opinionis in speciebus intelligibilibus, ut sic enim in intellectu angelico reperiretur quidditas hominis, asini, bovis, &c. imo quia per ipsos Angeli superiores intelligunt per pauciores species, itaut una species superioris plura repræsentet, quam species inferioris, jam si species est ejusdem naturæ cum objecto, eadem species esset ejusdem naturæ cum rebus diversorum generum; scilicet eadem species esset ejusdem rationis cum bove, & leone, quod omnino implicat. Vide qu. seq. art. 1. & qu. 6.

43 Tandem, quod sint imperfectiores, probat. nam sunt effectus æquivoci ab objectis causati totaliter, si de speciebus externis loquantur, species internorum sensuum sunt etiam effectus illarum specierum, itaut potentia sensitiva non est activa, neque partialiter specierum, ut dicemus qu. seq. sed effectus æquivocus est semper essentialiter imperfectior sua causa totali, ergo &c. Tum quia habent esse diminutum, & deficiens, qua ratione intentionales vocantur, nec tanta virtus requiritur in causa ad producendas istas species; unde qualitates, quæ non sunt alterius similis activæ, adhuc possunt has species efficere, ut patet in coloribus.

Contra concl. istas multipliciter argui potest, tum in superfluitate, tum ex aliis difficultatibus, quæ occurrunt, puta ex divisibilitate, activitate, repræsentatione, causatione, & similibus, quæ omnia in sequentibus quæstionibus disjudicabimus; pro nunc arguitur, quod non dentur istæ species. Tum ex Arist. in lib. de sensu, & sensib. cap. 2. ubi contra Democr. itum improbat ejus opinionem circa visionem, dicebat enim visionem fieri speciebus ex objectis prodeuntibus, at Arist. concedit sensibilia agere, negat tamen has species ab actu sensationis distinctas, unde 2. de An. 141. ait eundem actum esse rei sensibilis, & sensus. Tum 2. si darentur hæ species, certe prius deberent cognosci a potentia, quam ipsis mediis cognoscantur objecta, aliter cognosceretur ignotum, scilicet objectum, per aliud ignotum, quod esset species, & apparet in imagine, quæ tunc ducit in cognitionem imaginati, quando est prius cognita, at hoc est contra experientiam, nunquam enim prius has species percipimus. Tum 3. quod non sint accidentia, sed substantiæ, prob. quia nullam denominationem tribuunt subjecto, at si essent accidentia, deberent inhærere, & consequenter denominare subjectum, insuper destruerentur ad corruptionem subjecti, ut enim diximus disp. 8. de Gen. quælibet pars viventis renovatur, & corrumpitur, quod maxime de cerebro esset dicendum, quod est fluidum, ergo species in illo receptæ laberentur ad corruptionem cerebri, & sic non possemus de præteritis recordari, quod est contra experientiam, ergo dicendum est non esse has species accidentia, sed substantias. Tum 4. quod sint ejusdem rationis cum objectis, prob. species istæ se habent, ut imagines, & simulacra objectorum ex Arist. lib. de mem. & remin. cap. 2. at imago, & pictura est ejusdem rationis cum imaginato, colores enim sunt ejusdem speciei in utroque. Tum 5. ad idem, ita se habet color ad speciem in medio, sicut lumen objecti ad lumen medii, sed hæc duo sunt ejusdem rationis, ergo & illa. Tandem similitudo non cadit inter species distincta, ergo si species est similitudo objecti, erit ejusdem speciei.

44 Resp. ad 1. Arist. ibi reprehendere Democritum, *non quia* potuit species visibiles ab objecto in sensu causatas, sed quoniam asseruit receptionem harum specierum esse visionem; in text. 141. vel loquitur de ipso actu sensationis, qui ab utroque causatur objecto, & potentia, vel si exponeretur de speciebus, dicuntur idem actus materialiter, sicut 3. Phys. 20. docuit eandem formam, ut est ab agente, esse actionem, ut recipitur in passo, passionem, prima tamen expositio est magis textui conformis. Ad 2. patebit ex dicendis qu. 6. Ad 3. ex Scoto 1. dist. 13. qu. un. I. non esse imposita simplicia nomina significantia denominationes omnes a formis desumptibiles, unde species istæ denominant subjectum nominibus compositis; puta oculus dicitur informatus speciebus; imo lumen, quod est species lucis, denominat aerem simplici denominatione scilicet luminosum; ad id de corruptione specierum dicemus qu. seq. Ad 4. etiam dicemus infra q. 6. dum similitudinem istam explicabimus. Ad 5. neg. min. nam ut dicemus disp. sequ. lume[illegible]st lucis species, & alterius rationis a luce luminosi corpo[illegible]. Ad 6. dicemus qu. 6.

QUÆSTIO V.

De causa materiali, & effectiva sensibilium specierum.

USque modo causam formalem specierum declaravimus, dum earum quidditatem, & essentiam explicuimus, pro exacta cognitione aliàs causas investigare debemus, in præsenti materialem in qua, seu subjectum, & efficientem inquirimus, ac quomodo in fieri dependeant, & in conservari ab agente, causam finalem assignabimus in qu. sequ. dum munera, propter quæ existunt in rerum natura, aperiemus, & quo pacto ab illis exerceantur; sit ergo.

A R-

ARTICULUS PRIMUS.

Assignatur causa materialis sensibilium specierum, ubi de unione speciei cum potentia.

45 PEr causam materialem, ut innuimus, non intelligimus materiam partis, hac enim carent omnia accidentia, sed solum materia in qua, seu inhæsionis subjectum: Hoc autem ab Arriaga disp. 4. de An. sect. 4. subsect. 1. ponitur materia prima respectu specierum externorum sensuum tam in homine, quam in brutis, respectu vero specierum internorum in homine ab eodem assignatur materia, in brutis autem in ipsa anima. Ab aliis subjectum ponuntur spiritus animales, citantur ab Aversa pro hac opin. Dur. Hugo de S. Victore, Avic. Riccard. Capreol. & alii. A quibusdam assignantur organa ipsa sensuum, prout dicunt partem illam corporis a facultate animæ informatam; ab aliis totum conjunctum in parte corporis organica, & animæ facultate.

46 Dicendum est tamen, species sensibiles, & ut in subjecto fundari in medio proportionato, & ultimate vel in ipsis potentiis sensitivis totalibus, & completis, ut dicunt quid constitutum ex parte illa organica corporis, & animæ facultate, vel in parte organica corporis, non in materia prima, ut anima, vel spiritibus Solis, e quorum subjectorum potentia vere educuntur. *Conclusio habetur a Scot. 1. d. 3. q. 6.* M. & 4. d. 45. q. 3. C. probatur autem primo, quod recipiantur in medio proportionato, nam species visibiles in aere, & in aqua recipiuntur, similiter species soni; item probabile est species istas, & etiam internorum sensuum in spiritibus recipi, ut notat Aversa q. 53. sect. 4. quatenus existentes in sensibus externis species recipiunt, & ad internos confluentes (sunt enim fere in continua agitatione) species deferunt internis sensibus, unde videntur inservire tanquam medium; eo vel maxime, quod ex agitatione spirituum, variæ excitantur sensationes in nobis, requiruntur enim ad actus potentiæ sensitivæ, unde si quis oculis apertis dormiret, reciperet species, non tamen causaretur visio propter nuditum spirituum impeditum. Non sunt autem spiritus isti ultimata subjecta, quia species recipiuntur in eisdem potentiis, a quibus debent sensationes procedere, cum concurrant partialiter ad producendum actum; spiritus autem non sunt potentiæ sensitivæ, nec ab ipsis actus immediate dimanat. Neque in materia prima recipiuntur immediate, quia ex dictis in Physic. & in lib. de Gener. in viventibus datur forma corporeitatis. Similiter neque debemus asserere recipi immediate in anima sensitiva, nam accidentia materialia subjectantur immediate in quantitate, vel saltem illam supponunt in subjecto ex disp. 3. Phys. quæst. 3. at anima non recipit in se quantitatem, sed illam supponit in corpore pro altera parte, ergo potius deberent hæ species collocari in corpore, quam in anima; recipiuntur igitur immediate in potentiis sensitivis, a quibus actus eliciuntur.

47 An autem insint toti potentiæ completæ, an solum organicæ parti corporeæ, & ipsa mediante toti composito, est dubium, unde ipse Doctor varie est locutus, nam in 1. cit. docere videtur potentiam completam habere speciem, quia hæc recipitur in parte corporis organica, *non in toto composito*, hoc idem videtur supponere in 2. d. 11. q. un. & 1. d. 3. q. 7. ad 1. primæ opin. at in 4. cit. & alibi etiam videtur asserere, species in toto conjuncto recipi immediate. Et certe sunt rationes pro utraque parte valde probabiles, nam quod immediate *in potentia completa* fundentur, suaderi potest, quia species intelligibiles in intellectu immediate recipiuntur, qui est potentia elicitiva actus, ergo idem de specie sensibili dicendum: tum quia Arist. sæpe docet potentiam pati ab objecto recipiendo speciem, quod de potentia completa intelligi debet; tum quia species debet actuare potentiam, ut ad elicitionem actus exeat actione immanenti, ergo in ipsa potentia completa species debet inesse.

48 Ex altera parte suaderi satis probabiliter potest, quod in solo organo pro altera parte corporis fundentur, quod tenet Barg. 1. d. 3. q. 6. §. *Ad rationes alterius opinionis*, quia accidentia illa, quæ immediate consequuntur totum compositum, in ipso etiam immediete recipiuntur, tales sunt sensationes, & actus passionum, at quæ competant ratione corporis, denominant quidem totum conjunctum, non tamen illi immediate in sunt ex dictis disp. 5. Phys. q. 13. art. 1. ad 7. at hæc species videntur sequi formam corporis pro altera parte, quia si oculus post mortem retineret eandem diaphaneitatem, vere posset in ipso imprimi species visibilis, non enim impedit mors, & inanimatio oculi, quia etiam in aere omnino inanimato recipiuntur, ergo etiam quando animal est vivum, species recipitur in parte organica corporis, non in toto conjuncto, patet consequ. quia hæc ratione albedo est in corpore pro altera parte, non in toto completo; tum quia si hoc non esset, deberent species geminari tum in parte organica, quæ est subjectum aptum, & proportionatum, tum in potentia completa. Unde ad rationes illatas dici posset cum Scoto sufficere præsentiam speciei in parte organica, quæ intrinsece componit potentiam sensitivam completam; ratione cujus dicitur pati ab objecto, & immanenter operari. Si quis autem assereret nervum sensorium non subjectum capax specierum, nisi informetur anima, non posset satis evidenter impugnari, idcirco problematice hanc partem tuemur.

49 Tandem, quod educantur de potentia subjecti, patet, quia totum esse specierum est quid causatum, non quidem per veram creationem, nam agens creatum nequit creare, ergo per veram eductionem de potentia subjecti, ad quam non requiritur alteratio prævia, & successio temporis, ut patet de lumine. Complut. disp. 18. de An. qu. 4. ajunt speciem objecti dupliciter considerari, vel in esse entitativo, & reali, vel in esse cognoscibili, primo modo concedunt educi de potentia subjecti, quia est accidens, non tamen in secundo sensu, nisi identice, quatenus esse cognoscibile est identificatum cum esse entitativo, & reali. Verum vel hoc esse cognoscibile in specie est formaliter ens reale a parte rei, vel solum identice, non secundum, quia per ipsos nil aliud dicit, nisi essentiam, & quidditatem objecti, quæ est formaliter ens, non identice; si primum, ergo vel erit substantia, vel accidens, in hæc enim ens adæquate dividitur, non est substantia, quia identificatur cum esse accidentali, quod substantiæ nequit convenire, ergo erit accidens, & consequenter eductum de potentia subjecti, & inhærens. Præterquamquod hæc responsio fundatur in illo dicto, quod species sit eadem objecti quidditas secundum modum essendi intentionale, quod supra impugnavimus num. 42. Et tandem magis urgetur de speciebus sensibilibus, istæ enim sunt species accidentium, ergo sive considerentur quoad modum essendi, sive quoad quidditatem, & essentiam, semper erunt accidentia, accidens autem de sua ratione formali est inhæsivum, & e *subjecti potentia educibile*.

50 Cæterum hujus occasione videndum est, quo pacto ex potentia, & specie fiat unum; Thomistæ enim ut est videre apud Compl. cit. & Joan. de S. Thom. q. 6. de An. art. 3. asserunt speciem intelligibilem dupliciter fumi, vel formaliter, & hoc modo dicit essentiam objecti præcisam, & puram, vel materialiter, quomodo dicit eandem essentiam cum modo essendi naturali, vel intentionali, sic species Gbarielis, qua Michael cognoscit Gabrielem, formaliter est eadem species, qua Gabriel seipsum cognoscit, quia dicit eandem essentiam, at materialiter differunt, quia in Michaele est accidens, in Gabriele est substantia: consequenter dupliciter species unitur potentiæ, vel ut species est formaliter, & sic unitur in esse intelligibili, & repræsentativo, vel secundum esse materiale, & entitative, & sic unitur per inhærentiam, quia species, de qua loquimur, est entitative accidens. Et quod unio secundum intelligibilitatem sit ab unione per inhærentiam distincta, probant, quia species in esse entitativo dependet a potentia, at secundum esse intentionale non dependet, quia ut sic dicit objecti quidditatem, quæ non accipit esse aliquod a potentia; tum quia secundum istud esse specificat potentiam, & actum, illamque determinat, *non secundum illud esse*; tum quia quando potentia non operatur, adest unio inhæsiva, per entitatem, non tamen in esse intelligibili, ergo hæc unio est ab illa distincta; quando vero operatur, tunc novo modo uniri debet cum potentia, quia ut operetur, debet potentia præsupponi actuata a specie, *non ratione ejus*, quod est, sed ratione ejus, quod continet, scilicet objecti repræsentati, a quo actus specificatio sumitur, sicut calor aliter operatur ut in se est, seu ut calefaciens, & aliter ratione ejus, *cujus vices gerit, ideft ratione virtutis animæ*, vel ignis; tum quia si esse accidentale est materiale speciei, ut species est, & hæc de sua ratione formali debet uniri potentiæ, certe alia erit unio inhæsiva, & alia unio in esse repræsentativo, illa erit per accidens, hæc per se. Addunt Compl. hac unione potentiam sive sensitiva, sive intellectiva, species, & objectum fieri unum per identitatem realem admittentem tamen distinctionem realem, non actualem, sed potentialem, qua ratione possunt denuo separari; & in hoc sensu explicant propositionem illam satis vulgatam ex Averroe desumptam. *Ex potentia, & objecto fieri magis unum, quam ex materia, & forma*; quia nunquam ex unione ista materia evadit, & fit forma, vel e contra; at potentia fit objectum, & in illud transformatur in esse saltem repræsentativo; videturque hæc opinio habere fundamentum in Ar. q. 3. de An. 17. 18. 37. & 38. & alibi docet, intellectum fieri quodammodo omnia.

52 Hæc doctrina multa continet falsa; & primo distinctio illa speciei, prout dicit essentiam objecti, & ut dicit modum essendi, jam fuit q. præc. refutata. Tum essentia quia species v. g. Gabrielis si formaliter dicit essentiam, & quidditatem Gabrielis, formaliter erit substantia, quia Gabriel secundum propriam essentiam est in prædicamento substantiæ, *nam illa essentia* ut sic, non ut habet modum essendi realem, includit conceptum substantiæ spiritualis, ergo nullo pacto poterit poni in prædicamento accidentis; quemcunque modum essendi de novo recipiat, patet consequi nam prius non variatur ad variationem posterioris; neque eadem *res etiam* secundum diversas formalitates *potest* ad duo prædicamenta spectare ex dictis disp. 6. Log. q. 2. & 4. Tum quia falsum est genus intelligibilium esse distinctum a genere entitatum, imo cum intelligibilitas sit *passio entis*, quod est per se primo intelligibile, erit per se primo ens. Tum quia ut dicemus q. seq. species non est essentialiter objectum, sed imago, & similitudo objecti, non formalis, sed *virtualis*, ergo non est eadem objecti essentia. Deinde falsum est, speciem duplici reali unione uniri potentiæ, sed *statim* ac potentiam informat ut accidens, intelligitur, etiam unita in ratione intelligibilis, cum sit una entitas simplex, nec possit modo secundum unam formalitatem, modo secundum aliam uniri; verum est tamen, quod ista unio

potuit considerari, & secundum rationem genericam unionis accidentalis, & secundum specificam talis unionis cujusdam accidentis virtualiter repræsentantis objectum, quo potentia est sufficienter in actu primo constituta, & in hoc sensu posset admitti hæc duplex unio formaliter distincta, non realiter; nisi etiam per hanc *unionem intelligere velint* attingentiam objecti, factam a potentia medio actu cognitionis; tunc enim potentia potest dici in objectum transformata, illique intentionaliter assimilata. Sed hæc transformatio, & assimilatio non fit per verum transitum potentiæ in entitatem objecti, & veram identitatem, ut dicebant Complut. nam quæ sunt ad invicem separabilia, ut sunt potentia, species, & subjectum, nequeunt realiter identificari, ut contra eosdem ostendimus disp. 8. de Gen. num. 79. Tum quia ut ait Arriaga sequeretur intellectum fore bovem, asinum, equum, & stabulum, dum hæc omnia intelligit, quod est grossipedaliter dictum.

62 Unio igitur hæc non est vera, & realis cum objecto, nisi in esse intelligibili, & repræsentativo, sicut imago dicitur Cæsar non realiter, sed repræsentativæ; imo hoc potius debet intelligi de potentia, ut est sub actu cognitionis, quam ut sub specie, nam cognitio est perfectior similitudo objecti, quam species, illa enim est similitudo formalis, hæc virtualis, aut saltem minus formalis, ut dicemus quæst. 6. & in hoc sensu intelligendus est Arist. cit. Ex quibus colligas, quam levi fundamento Thomistæ negant possibilitatem speciei impressæ repræsentantis essentiam divinam, dicunt enim quod tunc essentia divina existeret sub modo accidentali in intellectu creato, eo quia species est eademmet essentia objecti numero; & quia intellectus evaderet deus; Utrumque enim est falsum in rigore, & formaliter loquendo, verum autem, si metaphorice, & similitudinarie intelligatur, quo pacto intelligi debet illa propositio Averrois, quæ cum cum sit petra scandali Thomistarum, potius est simpliciter neganda; eo vel maxime quod magis urget speciem expressam, quæ est formalis similitudo, quam impressam; vide Scotum p. d. 3. qu. 3. § *Congruentia etiam illa*.

ARTICULUS II.

Quæ res possint efficere species sensibiles.

53 OMissis quibusdam opinionibus ponentibus causam effectricem specierum sensibilium, vel Deum, vel intelligentiam quandam a corporibus separatam, vel Cœlum saltem tamquam instrumentum intelligentiæ, hæc namque opiniones tamquam inveteratæ, & nullo fundamento innixæ in desuetudinem abierunt in scholis, nulla enim apparet ratio nos cogens, ut ad Deum, vel Intelligentias recurramus, cum in his inferioribus appareat sufficiens virtus activa illarum, vide Zab. in lib. de sensu agente. Et de his loquendo, quia ad sensationem interveniunt sensus, & objectum, primo dubitari potest, an species sensibilis producatur a potentia sensitiva, qua ratione dicatur sensus agens, sicut species intelligibilis producitur ab intellectu agente, an vero totaliter a sensibili objecto. Deinde quia objectum *sensibile* est duplex per se, & per accidens, dubitari potest de sensibili per accidens, quale est substantia, an habeat aliquam speciem sensibilem; Tertio, sensibile per se dividitur in proprium, & commune, idcirco de communi dubitari solet, an habet propriam speciem sensibilem, an vero cognoscatur per speciem sensibilis proprii. Rursus quæri potest, an actus sensationis externæ causet propriam speciem in sensu interno; item de speciebus internis rerum ad extra dubitatur, a quo causentur.

54 Primo igitur quæri potest, an species sensibiles producantur a sensu (sive totaliter, sive partialiter cum objecto parum refert) & consequenter utrum detur sensus agens; parzem affirmativam docuerunt Jand. 2. de An. q. 16. Apollinaris q. 13. & quidam alii. Suarez lib. 5. de An. c. 9. distinguit de speciebus sensibilibus, aliæ enim pertinerent ad sensus externos, & has negat fieri a sensibus, aliæ spectant ad internos, & has concedit fieri ab internis sensibus, quare admittit sensum agentem internum; quem modum probabilem putat Castellus disp. 2. de An. sect. 1. hanc eadem sententiam tenentur sustinere illi Thomistæ, quo referunt, & sequuntur Conimbr. 3. de An. c. 5. q. 5. ar. 1. dum asserunt cogitativam hominis elicere a specie impressa accidentis speciem subsstantiæ singularis in ea latentem.

Pro resolut. advertendum est, quid sit sensus agens, ut enim loquendo de intellectu agente dicemus disp. 6. q. 5. ar. 1. non attenditur hæc activitas in ordine ad sensationem, nam sic deberemus distinguere in qualibet potentia rationem agentis, & passivi, nec est dubium, quin detur in hac significatione potentia sensitiva agens, cum sit activa proprii actus, ut diximus qu. 2. sed sumi debet hæc activitas in ordine ad speciem sensibilem, an scilicet sensu extrahat ab objectis species sensibiles propria virtute, sive totali, sive partiali. Hinc non recte Contar. p. 2. qu de intellectu agente cap. 3. & alii concludunt dari sensum agentem ex activitate erga sensationis actum, nam deberet etiam distinguere voluntatem, & appetitum omnem sensitivum in agentem, & possibilem; hoc suppositio,

55 Dicimus non dari sensum agentem; hæc conclusio communis est in Peripatho, & licet non habeatur expresse a Scoto, tamen evidenter elicitur ex illis locis, in quibus ostendit existentiam intellectus agentis, eo quia rationes illæ non habent locum in sensibus; probat ergo, ut supra diximus loc. cit. dari intellectum agentem ex hoc capite quod. 15. § *De tertio primi articuli*, & p. d. 3. q. 6. D. & 2. d. 3. q. 11. ut scilicet transferat objectum de ordine in ordinem, idest de ordine sensibilium, & materialium ad ordinem intelligibilium, & immaterialium, quæ actio nequit totaliter a phantasmate fieri, cum sit materiale, ideoque requiritur concursus spiritualis potentiæ, qua ratione non admittitur intellectus agens respectu objecti spiritualis, nam cum sit actu intelligibile, non indiget hac actione translativa, sed seipso totaliter gignit speciem sui in intellectu; cum igitur objectum sensibile, ut percipiatur a sensu non indigeat, ut transferatur de ordine in ordine propter materialitatem potentiæ, non erit multiplicandus sensus agens, semel enim admisso in una potentia, deberet in omnibus concedi, & sic decem potentiæ sensitivæ externæ; hinc Doctor 4. d. 44. q. 3. videtur supponere objectum totaliter causare speciem sensitivam in sensu.

56 Et quidem de speciebus externorum sensuum patet, nam objectum totaliter in medio producit illas, ergo etiam in sensu absque concursu potentiæ. Tum quia si necessarius esset iste concursus, maxime foret, quia species excederet in perfectione objectum, puta si esset spiritualis, ut evenit in specie intelligibili, hoc autem non contingit, nam species sensibilis materialis est, cum sit extensa, & in subjecto recipiatur extenso; & quamvis dici soleat immaterialis, & spiritualis, hoc non est absolute intelligendum, quasi veram habeat spiritualitatem, sed relate ad ipsum objectum, eo quia habet esse diminutum, & minus materiale, non enim est ita sensibilis, ut objectum, imo ab aliquibus ponitur omnino insensibilis. De speciebus sensuum internorum probat, quia sensus *internus non potest* totaliter efficere has species, quia nec intellectus agens est totaliter activus intelligibilium, sed simul cum phantasmate, & eædem *rationes*, quibus *hoc probamus* disp. cit. ostendunt idem de sensu interno; neque potest partialiter, quia eo ipso quod in objecto, vel aliquo alio admittimus activitatem aliquam speciei, debemus assignare rationem, cur hæc activitas non sit totalis, sed partialis, ne frustra, & ad libitum multiplicentur principia activa, in proposito non adest aliqua ratio, ut diximus; & præcipue, quod non detur cogitativa agens in homine, patebit ex mox dicendis; rationes adversariorum ex dictis facile solvuntur, & ex dicendis in fine articuli.

57 Secundo dubitatur, num sensibile per accidens immittat propriam speciem; non est autem sermo de illo sensibili per accidens, quod nihil confert ad sensationem, ut est relatio, clarum enim est non posse speciem causare, quæ cum sit ens absolutum, nequit fieri a respectivo, quod est imperfectius; neque tam alacriter negarentur relationes a recentioribus, si proprias species sensibiles haberent; sed præcipue loquimur de sensibili per accidens, quod confert ad sensationem qualis est substantia, & de ista est una opinio, quod detur species sensibilis in potentia cogitativa hominis, ita Conimb. cit. & Thomistæ aliqui docentes cogitativam potentiam, cum apprehenderit speciem sensibilem accidentis, deinde eruere speciem substantiæ ibi latentem.

Sed oppositum est verius cum Scot. 1. d. 3. q. 3. K. & 2. d. 13. ut diximus n. 31. si enim cogitativa hanc speciem erueret, hoc erit, quia ibi lateret, nam nisi adesset, nunquam posset species illa elici, sicut si thesaurus non existeret in terra occultus, nunquam posset fossione inveniri; ergo quando substantia non manet sub accidentibus, species substantiæ sub speciebus accidentis non lateret, & consequenter non posset erui a potentia cogitativa, ergo naturaliter possumus cognoscere mysterium Eucharistiæ, quod est falsum. Dices occultari tale mysterium, quia Deus producit in cogitativa speciem substantiæ, ac si adesset. Contra, nam sic Deus concurreret immediate ad actum erroris, quod implicat, quia possent excusari infideles, eo quia talem speciem experirentur in seipsis. Tum quia sensus externi non percipiunt substantiam, nec habent speciem illius, ergo neque sensus interni, illi enim se habent ut januæ istorum, inde sub speciebus accidentium nequit latere species substantiæ, si hæc nequit transire per sensus externos.

58 Dices cum Conimb. Arist. 3. de An. 10. ait cognitionem hujus carnis singularis pertinere ad potentiam sensitivam; & D. Aug. 10. de Trin. c. 10. corporum cogitationem imaginatrici potentiæ attribuit. Tum quia facilius est speciem substantiæ e specierum accidentium latebris eruere, quam ab uno singulari ad aliud progredi discurrendo, hoc facit cogitativa potentia, ergo etiam illud. *Respond.* Ar. ibi solum tribuere sensui cognitionem singularis, non autem docere hanc cognitionem distincte terminari ad individuum substantiæ, ut substantia est, sed solum ut accidentibus subsstat, quod est confuse, & implicite cognoscere, quod concedimus, sensus enim cognoscendo accidentia implicite attingit substantiam subjectantem illa; & hoc modo intelligitur D. Aug. Ad rationem quicquid fit de minori, negamus majorem, quia valde difficile, imo impossibile est, invenire, quod non reperitur, species substantiæ non latet sub speciebus accidentium, ideoque nunquam sensus internus poterit illa eruere.

59 Tertio, quæri solet de sensibili per se, an omne immittat in sensum propriam speciem, & præsertim est sermo de sensibili communi, nam de *sensibili proprio* res est clara, quod propriam causet speciem, saltem si percipitur a sensu receptivo speciei; quod addimus propter illos, qui negant sensus olfactus, gustus, & tactus mediis speciebus sentire, de quo disp. seq.

Prima opin. est affirmativa, ita Avic. lib. 6. nat. c. de tactu, Ægid. 2. de

de Anim. cap. 6. Jand. quæst. 8. Philalithæus in digress. circa tex. 55. Roccus 2. de Anim. qu. 32. & citari solet pro ista Scotus 4. d. 12. qu. 3. ad 2. princ. Hanc tamen sententiam aliqui limitant ad aliqua tantum sensibilia communia, ita Cajet. 2. de Anim. cap. 6. & Javel. qu. 24. Arriaga vero disp. 4. de Anim. sect. 1. sub sect. 6. hoc solum concedit de ubicatione. Aversa qu. 52. sect. 4. admittit sensibilia communia in ordine ad tactum, si essent a sensibilibus propriis separata, scilicet si esset aliquod corpus privatum tangilibus qualitatibus calore, frigore, &c. immittere proprias species, de facto tamen semper concurrere ad unam speciem adæquatam cum proprio sensibili. Est etiam aliud discrimen inter istos Doctores, quidam enim *volunt has species produci a communi sensibili independenter a* proprio, alii dependenter, itaut si non esset proprium sensibile, nullo pacto commune produceret speciem; rursus aliqui volunt percipi distinctis actibus, alii uno solo. Secunda sententia negat sensibile commune causare propriam speciem distinctam a specie proprii, sed per eamdem percipi utrumque a sensibus; ita fere omnes Thomistæ, & Recentiores, sed differunt, eo quia aliqui volunt per eamdem omnino speciem, alii vero addunt hanc speciem produci a proprio sensibili, sed modificari a communi, in quo tamen consistat ista modificatio non est una omnium sententia.

60 Dicendum est, probabilius esse sensibile commune non habere propriam speciem, sed cognosci per speciem proprii *sensibilis*. *In hac concl. Scotus loc. cit. est* problematicus, & utramque partem ut probabilem admittit; attamen in 4. d. 49. qu. 13. ad 2. in negativam partem inclinat, dum negat Cœlum, quamvis magnitudine prædirum posse intentionaliter immutare manum illud tangentem, & in qq. de Anim. qu. 22. ad 1. contra 3. concl. Prob. autem primo, de numero, motu, quiete, & figura, nam hæc omnia secundum id, quod formaliter dicunt, nequeunt causare speciem, quia numerus non est quid distinctum a rebus numeratis, nec est aliquod ens reale per se, imo est quid a ratione dependens ex dictis in Logica disp. 7. quæst. 2. art. 1. Motus formaliter est quid respectivum ex disp. 15. Phys. qu. 1. Quies, si sumitur pro privatione motus, est non ens, si sumitur pro consistentia in eodem loco, *est ipsa ubicatio*, quæ etiam formaliter est ens relativum ex disp. 11. Phys. qu. 3. art. 2. Similiter figura est relatio quædam ex disp. 7. Log. qu. 3. art. 2. quæ formalitates, cum sint imperfectiores speciebus sensibilibus, quæ saltem sunt entia absoluta de genere qualitatis, non poterunt has species causare.

Dices cum Arriag. ubicationem (quam tamen ipse distinguit a quiete, unde videtur multiplicare sensibilia communia) clare a nobis videri, sicut videtur ipsa albedo, æque enim cognoscimus albedinem esse in hoc loco, ac ipsam albedinem in se, licet non videamus formalitatem ipsius, quia hæ cognitiones intuitivæ sunt valde imperfectæ; idcirco datur species ubicationis in visu. Sed contra, quia hac ratione debebat etiam species admittere figuræ, magnitudinis, & unitatis; æque enim *cognoscimus albedinem circularem* esse, vel palmarem, & ejus unitatem, ac ipsam albedinem in se, ergo si ex hoc argui potest dari speciem figuræ, numeri, &c. Cum igitur non cognoscamus entitates istorum *sensibilium communium*, *signum* evidens non dari species repræsentantes illa. Si dicas saltem materialiter hæc omnia dicere aliquas reales entitates, ergo secundum istas poterunt causare species. Contra, quia tales entitates vel sunt qualitates sensibiles, vel ipsa quantitas, de primis concedimus immittere species, quæ non distinguuntur a speciebus proprii sensibilis, ut nec distinguuntur illæ qualitates; quantitas non est a magnitudine distincta, quæ est sensibile commune; quare tota difficultas reducitur ad quantitatem, seu magnitudinem.

61 Secundo, igitur probat. conclusio de magnitudine (quæ ratio etiam valet aliis) si magnitudo causat proprias species, vel eadem producit pro omnibus sensibus, quos immutat, vel diversas; non *primum*, quia *nequit* eadem species plures sensus immutare, sicut enim quilibet habet proprium operandi modum, ita petit proprium motivum ab aliis distinctum, aliter possemus dicere omnes species sensibiles esse ejusdem rationis; tum quia quilibet sensus habet proprium, & adæquatum objectum comprehendens sub se omnia sensibilia ab illo sensu, extra quod nequit sensus vagari, cum habeat ab illo specificari, ergo determinatum habebit modum, quo immutatur. Neque secundum, quia quodlibet sensibile, sicut determinatam habet entitatem, ita determinatam immittit speciem; tum quia sequeretur posse sentiri diversis actibus, sicut diversæ essent species moventes, & tamen experimur eodem actu percipi colorem, figuram, magnitudinem, &c. idem de sono dicendum, & tangibili qualitate. Dices, posse sensibile commune per eamdem speciem movere visum, & tactum, non quidem sub propriis rationibus formalibus, sed sub ratione sensus in communi. Contra, ergo etiam species soni posset movere visum non ut visus est, sed ut sensus est, quod est falsum; tum quia sensus non præscindit, ergo nequit percipere aliquod objectum ut sensus est, & non ut visus; tum quia actus visus est visio, sicut auditus est auditio, non ergo est distinguenda actio hæc ab illa. Accedit principaliter quod non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed sufficienter salvatur cognitio communis sensibilis per speciem sensibilis proprii, ut patebit ex solutione argum. ergo &c. & hæc est efficacior ratio, quæ potest haberi pro hac conclusionis parte; unde Doctor, cum problematice loquutus est in 4. cit. *nonnisi* de quantitate mentionem fecit, nam quod alia sensibilia non immittant speciem, clare ostenditur ex ipsorum formalitatibus. Ex quibus impugnatur dictum Aversæ, si enim sensibile commune conjunctum cum proprio non causat propriam speciem distinctam, ut ipse etiam concedit, neque si esset separatum poterit causare, nam si talem habet activitatem, cum sit agens naturale, semper illam ponet in esse, sive conjunctum, sive separatum.

62 Difficilius est tamen explicare, quo pacto species ista sensibilis proprii repræsentet commune sensibile, nam in primis nequit negari speciem sensibilis proprii aliquo modo pendere a sensibili communi, quia vere hoc sensibile commune per se cognoscimus, nec se habet ut sensibile per accidens; nec potest per se *immediate cognosci sine* specie, quia de hoc sensibili habemus speciem in intellectu, ergo aliqua præcedere debet de eodem in sensu; tum quia majorem proportionem habet sensibile proprium cum potentia sensitiva, quam commune, ergo si illud non percipitur absque specie, multo minus istud sine specie percipietur; quare species ista poni debet dependens a communi sensibili, & consequenter hoc variato, necesse est aliqualiter speciem variari, sicut etiam aliqualiter variatur actus sensationis, scilicet si sensibile proprium sit sphæricum, vel quiescat, si evadit quadratum, vel movetur, aliqua variatio quoque in specie debet fieri, aliter non esset major ratio, cur modo repræsentet illud quadratum vel sub motu, & non antea; & hoc est, quod ajunt Doctores pro parte *negativa has species modificari a sensibili communi*.

63 Ex alia parte non videtur, quomodo possit sensibile commune modificare speciem sensibilis proprii; nam quod communiter dici solet, *sensibile* commune causare modum aliquem in specie, quo mediante repræsentatur a specie, & attingitur a sensu, impugnari potest, eo quia tales entitates modales sæpe sæpius refutavimus, præcipue in Log. disp. 8. qu. 12. art. 1. & in Phys. dum de causalitate, ubicatione, aliisque modis a recentioribus adinventis asseruimus. Tum quia eædem difficultates fieri possunt contra istum modum, quæ formantur contra speciem partialem, quæri enim potest, an modus iste sit ejusdem rationis in omnibus sensibus, an diversæ, si primum, ergo eadem ratione poterit assignari species aliqua partialis a sensibili communi producibilis, quæ talis sit naturæ, ut omnes sensus possit immutare, si secundum ergo etiam dici poterit, sensibile commune posse producere diversas species, *eo quod sit virtualiter multiplex in activitate*. (quod asserunt Compl. disp. 9. de Anim. qu. 3. de hoc sensibili in ordine ad modos, scilicet quod propter sui virtualem multiplicitatem producat diversos modos juxta diversitatem specierum, sensuum, & sensibilium propriorum) potentiam habeat producendi diversas species partiales, quæ potentia illimitata determinetur ad hanc, vel illam speciem ex concursu hujus, vel illius proprii sensibilis, & sensus. Tum quia deberet in actu etiam poni modus quidam distinctus ab entitate correspondens modo a sensibili communi causato, quo mediante attingatur quantitas, quod videtur falsum, quia per nullam entitatem modalem potentia vitaliter tendit in objectum, & operatur, sed per proprium actum; quapropter vel negari debet modus *iste distinctus a specie sensibilis proprii*, *vel concedi* potest sensibile commune immittere propriam speciem partialem; ex quibus patet, quam rationabili fundamento Scotus hanc quæstionem problematice determinavit, quamvis ad negativam partem magis inclinaverit.

64 Idcirco probabilior modus defendendi hanc opinionem est, quem tradunt Aversa, & alii, scilicet quod eadem species sensibilis proprii nata sit repræsentare suum objectum cum omnibus affectionibus sensibilibus, tam propriis, quam communibus, sicut enim ista semper comitantur proprium sensibile, sed sine ipsis reperitur, ita dici poterit speciem esse talis naturæ, ut repræsentet non solum objectum, sed etiam omnes affectiones comitantes, eo vel maxime, quod cætera communia sensibilia a quantitate materialiter videntur esse partes sensibilis proprii; hinc ad variationem harum affectionum variatur quoque species ipsa, vel partialiter, vel totaliter juxta dicenda art. seq. de *indivisibilitate specierum*; Numerus repræsentatur non per unicam speciem, sed per plures, nam sicut non est, nisi plures unitates aggregatæ, sic nequit nisi a pluribus speciebus repræsentari. Quod totum potest explicari exemplo actus visionis, aut alterius sensationis, idem enim actus repræsentat objectum cum omnibus conditionibus individuantibus, & affectionibus sensibilibus, qui juxta variationem harum conditionum, vel objecti variatur, idem pariformiter de specie dicendum.

65 In oppos. objic. 1. ex Arist. de Anim. 66. docente colorem esse per se visibilem, quia in se habet causas, ut sit visibilis, scilicet potentiam activam specierum, sed *sensibile* commune est per se sensibile, ut diximus, ergo &c. Tum 2. species nata est repræsentare objectum, a quo gignitur, ergo species coloris repræsentabit solum colorem, a quo producitur, non quantitatem. Tum 3. quantitas est realiter distincta a *colore*, & *magis distinguitur*, quam *sonus*, *ergo* si eadem species nequit repræsentare colorem, & sonum, multo minus colorem, & quantitatem, eo *vel maxime*, quod species est ejusdem speciei cum re repræsentata, nequit autem idem esse ejusdem rationis cum rebus *diversorum* prædicamentorum. Tum 4. sequeretur nullo pacto distingui a sensibili per accidens, qualis est substantia, vel relatio, nam ista etiam per speciem sensibilis proprii cognoscuntur, qua ratione dicuntur sen-

sensibilia per accidens. Tum 5. vel sensibile commune causat aliquid distinctum a specie sensibilis proprii, vel nihil; si primum, ergo speciem; si secundum, ergo non per se percipitur, sed per accidens. Tum 6. in intellectu datur species sensibilis communis distincta a specie sensibilis proprii, a mathematica enim consideratur quantitas abstracta ab omnibus qualitatibus, ergo etiam in sensu erunt species distinctæ istorum sensibilium.

66 Resp. ad 1. sensibile proprium esse sensibile per se primo, at sensibile commune esse sensibile per se non primo, quia nequit cognosci, nisi cum sensibili proprio, ideoque proprium sensibile est causativum speciei, non autem commune. Vel dicimus Arist. solum docere sensibilitatem colori convenire per se in secundo modo perfeitatis, eo quia habet in se causam hujus prædicati, quæ est propria quidditas, sic enim definitur prædicatum per se in secundo modo, ut diximus in Log. quo pacto etiam sensibile commune habet hanc proprietatem per se a propria quidditate. Ad 2. species habet repræsentare non solum objectum, sed etiam omnes affectiones sensibiles illius, ut sunt sensibilia communia. Ad 3. neg. paritas, nam licet in esse rei magis distent quantitas, & color, quam sonus, & color, attamen in esse sensibilis non ita se habent: color enim, & sonus se habent ut duo objecta omnino disparata, at quantitas se habet, ut conditio, & affectio coloris, quatenus est sensibilis; quod argum. valde urget Thomistas asserentes speciem esse omnino formaliter ejusdem rationis cum objecto. Ad 4. lata est differentia inter sensibile commune, & per accidens, hoc enim non movet potentiam, nec terminat actum sensationis, neque se solo, neque cum alio; at illud per se terminat actum, & movet potentiam, non se solo, sed unitum cum sensibili proprio, vere sensus attingit magnitudinem objecti, non autem substantiam, aut relationem; ita colligitur ex Scot. 2. d. 9. qu. 2. T. Ad 5. dicere possumus sensibile commune simul cum proprio, & dependenter ab ipso causare eamdem speciem proprii sensibilis, non distinctam; vel si non habet actionem partialem, dici poterit sensibile proprium ex se causare speciem repræsentantem ipsum cum omnibus conditionibus, qua ratione dici possunt per se sensibilia, quatenus vere terminant actum sensationis. Ad 6. non valet paritas, quia intellectus, cum sit potentia abstractiva, poterit unam entitatem ab alia præscindere, quæ tamen ab eadem specie repræsententur.

67 Secundo potest sensibile commune percipi non cognito proprio sensibili, ergo sensibile commune habet propriam speciem, conseq. patet, quia cognitio illa fieret per speciem, non quidem sensibilis proprii, quia non cognoscitur, ergo sensibilis communis; antec. prob. tum quia a longe videmus magnitudinem corporis, non colorem. Noctu percipimus magnitudinem aulæ, & maxime animalia. Si quis prope Cœlum existens manu illud tangeret, solum quantitatem perciperet, non tangibilem qualitatem, impediretur enim, imo, & comprimeretur, ac dolorem sentiret, supponendo Cœli soliditatem. Idem eveniret, si corpus aliquod esset omni tangibili, & visibili qualitate spoliatum a Deo, tunc enim visus videret, & manus tangeret figuram, & quantitatem illius. Idem quoque esset si corpus aliquot haberet qualitates tangibiles in æquali omnino gradu cum qualitatibus manus, nam in eo casu non sentirentur corporis qualitates. Sæpe oculis clausis videmus corpus opacum de novo ante oculos positum, & tamen nullum prospicimus colorem.

68 Resp. neg. antec. ad 1. probat. dicimus tunc cognosci etiam aliquem colorem imperfecte propter distantiam. Noctu sine ullo prorsus lumine non cognoscimus sensu externo magnitudinem aulæ, sed solum imaginatione; si tamen adest aliquod lumen, tunc etiam exteriori sensu videretur medio colore parietum quantitas aulæ, vel spatii. Tangens Cœlum ait Doctor 4. d. 49. qu. 13. ad 1. princip. non immutaretur aliqua tangibili qualitate, intentionaliter solum tangere dicetur, quatenus Cœlum resisteret penetrationi, ex qua resistentia argueremus præsentiam quantitatis; & posset propter compressionem manus causari aliquis dolor; idem eveniret, si daretur corpus cum sola magnitudine, & figura, resisteret enim manui, non tamen videretur a visu. Corpus habens qualitates in æquali gradu posset sentiri quoad duritiem, vel mollitiem, aut saltem resisteret penetrationi. Oculis clausis proprie non videmus novam præsentiam corporis opaci, sed solum non amplius sentimus lumen illud, quod propter palpebrarum poros cernebamus, ex quo deinde arguimus interpositionem opaci inter nos, & luminosum.

69 Tertio, si corpus album solam figuram variaret, vel propter rarefactionem majorem occuparet locum, nova visio fieret, antea enim videbatur album v. gr. ut quadratum, & in majori spatio, postea ut rotundum, & in minori spatio; ergo nova species intervenit, quæ non erit sensibilis proprii, hoc enim sicuti idem permanet, ita eamdem causat, & conservat speciem, ergo tota variatio erit ex parte speciei sensibilis communis. Tum 2. si commune sensibile, non haberet propriam speciem, sed eamdem cum proprio, non magis sensus erraret circa commune, quam circa proprium, quod est falsum. Tum 3. ex Arriaga saltem ubicatio per se percipitur a visu, & aliis sensibus, aliter si solum perciperet visus essentiam albedinis, non cognosceret illam ad hoc latus potius quam ad illud, sursum, aut deorsum, in hac vel illa distantia, sed omnino a loco abstraheret, imo nec intellectus posset percipere figuram, quia nec posset scire, quam ubicationem res ipsa haberet.

Resp. ad 1. sicut ad variationem figuræ sequitur variatio sensationis, ita etiam sequitur variatio speciei impressæ, nam sicut sensatio habet repræsentare formaliter objectum cum omnibus conditionibus, & affectionibus sensibilibus, ita species impressa hæc omnia virtualiter repræsentat; quapropter objectum aliam, & aliam speciem causat, cum variantur conditiones, & sensibilia communia, quod magis declarabimus art. seq. Ad 2. neg. seq. error enim in sensu ex multiplici capite provenit, ut dicemus qu. ult. Ad 3. vel Arriaga hac ratione intendit solum ostendere ubicationem percipi a sensu, & hac concedimus, quia ubicatio ista coincidit cum quiete, quæ est una ex sensibilibus communibus; vel intendit probare percipi propria specie distincta a specie albedinis, & sic negamus conseq. aliter sustinere deberet etiam alia communia sensibilia habere proprias species, quia vere attinguntur a sensibus; concedimus igitur ubicationem a nobis cognosci, non tamen per speciem distinctam, quia est una ex conditionibus sensibilibus, & materialiter aliud non dicit, nisi rem locatam, & corpus ambiens, in tali parte universi; vide disp. 8. Log. qu. 12. dum formalitatem situs, & ubi explicamus, & Joan. de Lugo disp. 5. de Sacram. Euch. sect. 4.

70 Quarto, dubitatur, num actus sensitivi externi proprias producant species in sensibus internis, cui dubitationi affirmative respondemus cum Scoto 3. d. 14. qu. 3. & 4. d. 45. qu. 3. art. 1. estque communis apud Doctores, & probari potest ex actu recordationis, qui habet terminari ad actum externum ut præteritum, ut cum Scoto cit. dicemus disp. seq. ergo necessario in nobis erit species impressa illius actus, antec. patet experientia, in parte enim sensitiva habetur memoria præteritorum, etiam in brutis, conseq. patet, quia ad actum cognitionis exigitur concursus potentiæ, & objecti, vel alterius gerentis vices illius, objectum proximum recordationis, quod est actus præteritus externus, nequit concurrere ad recordationem, quia non est in se præsens, aliter non esset recordatio præteriti ut sic, sed præsentis, ergo species illius concurrit, & consequenter erit propriæ speciei productivus; non enimporterit assignari alia causa magis proportionata, quam actus ipse.

Dices, dum actus externus est, non cognoscitur a sensu interno, quia sensus non est reflexivus supra actus sensitivos, ergo nequit habere speciem illius. Tum quia cognitio, cum sit actio immanens, non est productiva alterius distincti. Tum 3. species dependet a suo objecto in fieri, & conservari, ergo nequit species interna ab actu produci, si ab eodem postea non conservatur. Tum 4. quandoque actus externus est nimis distans, ut cum tangitur pes, tactus iste non videtur posse producere speciem sui in sensu interno, qui residet in cerebro, quomodo enim posset species diffundere per medium? Tum 5. quæ spectant ad sensum internum sunt perfectiora, quam quæ ad externos attinent, ergo actus externi saltem non erunt causæ totales specierum.

71 Resp. ad 1. ex Scot. cit. supra D. etiam admisso antecedente, de quo infra, negatur conseq. sufficit enim ut actus imprimat speciem in sensum, sicut objectum imprimit speciem sui in sensum externum, antequam cognoscatur ab illo. Ad 2. cognitio dicitur actio immanens sine termino per illam producto, quia non est actio de genere actionis, sed tantum grammaticaliter, potest tamen esse causa effectiva speciei. Ad 3. dicemus art. seq. Ad 4. patet ex dictis art. præc. species istas mediis spiritibus ad sensum internum deferri, sicut enim ad sensationem hi spiritus necessario requiruntur, sic etiam ipsis mediis sensatio poterit speciem sui causare in sensu interno. Ad 5. actus externus sensitivus est perfectior specie impressa interno sensu, ideo potest esse causa illius.

72 Major difficultas est de speciebus internis objectorum ad extra, a quo producantur; nam in sensu interno non solum dantur species actuum externorum, sed etiam rerum ad extra, ut patet in somniis, quæ species sunt alterius rationis ab externis, sicut & potentiæ sunt omnino alterius rationis, diversum actum, & operandi modum habent, ergo etiam diversas exigunt species, quæ non fiunt ab ipso interno sensu, cum ex dictis non detur sensus agens; merito igitur quæri solet, a quo causentur. Quidam dicunt fieri ab objecto immediate, quia species habet repræsentare rem, a qua fit, ergo si species repræsentant objecto, ab illo producentur. Alii hoc negant, eo quia in dormiente oculis apertis causantur species externæ, non tamen internæ in phantasia, ergo objectum non est immediata causa specierum internarum; idcirco asserunt produci ab ipsis externis sensibus, non ut sic, sed media sensatione tamquam conditione requisita, non ut concausa. Alii nolunt sensus externos causare has species, quia sic objectum nullo modo concurreret ad sui cognitionem, neque mediate, neque immediate, contra commune axioma, quod ex cognoscente, & cognito paritur notitia; tum quia sensus externus potius esset productivus speciei propriæ, quam speciei alienæ: quapropter docent ipsam speciem externam esse causativam internæ. Hoc autem aliis non placet, quia hæc species est imperfectior specie interna; tum quia in dormiente datur externa, ut diximus, sine interna; tamen causa naturalis non impedita agit, quantum potest; ideoque actum ipsum sensationis ponunt pro causa speciei internæ; tum quia si non adesset actus, numquam fieret species interna, & quo perfectior est actus, eo perfectior species producitur.

73 In hac difficultate probabilior dicendi modus est ponere tam spe-

speciem externam, quam actum sensationis causare speciem in sensu interno; quod actus sensationis concurrat, patet ex modo dictis; quod etiam species externa sit partialis causa, prob. quia objectum debet habere concursum aliquem saltem mediatum ad cognitionem internam per aliquid, quod gerat vices illius, hoc autem potius est species impressa, quam actus, quia species se habet veluti semen objecti; tum quia si actus esset totalis causa, jam produceret totaliter duas species alterius rationis in eadem potentia, scilicet speciem sui, & speciem objecti, quod non videtur rationabiliter dictum; tum quia ex hac positione cessant omnes difficultates, quæ possent fieri; tum quia similitudo actus ad objectum est formalis, species autem habet similitudinem virtualem cum objecto, ergo assignari debet aliqua causa habens talem similitudinem, hæc autem erit species externa; tum quia probari potest exemplo phantasmatis, quod ex se concurrit ad speciem intelligibilem objecti causandam; unde propositio illa speties repræsentat solum id, a quo producitur, valet in ordine ad eandem potentiam, non respectu potentiarum subordinatarum, species enim intelligibilis non phantasma, sed objectum ostendit. Si autem diceretur, species internas non esse perfectiores externis (nam quod dicantur spirituliores, & immateriliores, solum significatur esse minoris entitatis, & magis intentionales, quod potius arguit imperfectionem, quam perfectionem) posset sustineri species externas esse totales causas internarum, licet cum advertentia potentiæ sensitivæ externæ tanquam conditione sine qua non. Et si poneretur objectum immediate causare species internas posita tamen advertentia externi sensus ut conditione, forte a veritate non recederet.

Alia, quæ possent quæri de speciebus, scilicet, an una species possit aliam speciem causare sive univoce, itaut non omnes ab objecto producantur, sed una alteram producat, sive æquivoce, quæ sit sui ipsius repræsentativa, itaut etiam objective se habeat ad cognitionem, item an dentur species insensatæ in sensu interno, & per eas sensus percipiat affectiones rerum, videbimus disput. sequ. cum de sensibus in particulari agemus, supponunt enim cognitionem multorum ibi pertractandorum, scilicet naturæ, visionis, luminis, soni &c.

ARTICULUS III.

Productio, divisibilitas, intensio, conservatio, & destructio specierum declarantur.

74 CIrca productionem specierum dubitatur a recentioribus, quo pacto producantur ab objecto, an scilicet divisibiliter, vel indivisibiliter; pro quo advertendum, species sensibiles, cum sint materiales, & de subjecto materiali, ac extenso educantur, in eodemque subjecto inhæreant, esse divisibiles subjective, sive ut ajunt Recentiores, extensive in essendo ex partibus entitativis extensis constantes, ut etiam patet de aliis accidentibus materialibus, quæ ad divisionem subjecti dividuntur; & in hoc sensu non loquimur in præsenti; alia divisibilitas, vel *indivisibilitas assignari solet* in speciebus, quæ dicitur objectiva, & in repræsentando; ut si species ita repræsentant objectum, ut tota repræsentet totum, & quælibet pars etiam totum objectum, & quamlibet illius partem, dicitur indivisibilis in repræsentando, & objective, & consequenter objectum illam producet indivisibiliter, totum scilicet objectum efficiet totam speciem, & singulæ partes objecti totam speciem, & quælibet pars producet speciem non solum repræsentativam sui, sed totius objecti, & omnium aliarum partium; si vero species repræsentet ita objectum, ut tota repræsentet totum, & pars partem, v. g. album palmare videatur per speciem, cujus una pars repræsentet dimidiam partem palmi, altera alteram, dicitur divisibilis in repræsentando, & objective; & objectum *divisibiliter illam* producet, puta totum objectum totam speciem, & quælibet pars objecti propriam partem speciei repræsentativam tantum sui ipsius. Quæstio igitur est, an objectum producat speciem divisibiliter, ac *indivisibiliter*, ex cujus decisione habetur quoque explicatio secundi in titulo articuli positi, scilicet divisibilitatis specierum.

Prima sent. asserit, species indivisibiliter ab objecto produci, esseque indivisibiles in repræsentando, ita Conimb. 2. de An. c. 6. q. 2. art. 2. Aquilon. 1. opt. prop. 70. Bannes 1. p. q. 78 art. 3. dub. 3. ad 2. Tol. 2. de An. q. 34. Morisc. disp. 2. de An. q. 17. & Aversa q. 53. sect. 3. & 5. Oppositam opinionem amplectuntur Ruvius 2. de An. tract. de object. & specieb. sensib. q. 8. Suar. 3. de An. c. 2. Hurt. disp. 12. sect. 5. Arriaga disp. 4. sect. 7. Cavellus disp. 2. de An. sect. 14. & alii.

75 Dicendum est cum secunda sent. species divisibiliter ab objecto produci. Prob. primo de objecto ætherogeneo, & difformiter constante ex coloribus valde diversis, nequit enim albedo v. g. & nigredo, aut rubedo ab eadem specie repræsentari, cum sint specie omnino distinctæ, sed idem objectum, puta imago, potest ex istis coloribus formari, ergo &c. Resp. Aversa, quando objecta sunt distincta, & totalia, repræsentari a diversis speciebus, at quando unum integrant totale, ab eadem repræsentari, sicut eadem est visio, qua videntur, ratio est, quia determinatio visionis, & speciei est ab objecto totali, non partiali. Contra, magis differunt album, & nigrum unita, & continuata, quam duo alba disjuncta, sed hæc repræsentantur diversis speciebus, ergo & illa. Tum quia quando album, & nigrum sunt disjuncta, causant species non solum disjunctas, sed etiam alterius omnino rationis, ratio est, quia rationes formales causandi, quæ sunt propriæ quidditates albi, & nigri, sunt alterius rationis, & specie differunt, ergo quando sunt cóntinua, & unita, diversas quoque species causabunt, non eandem. Prob. conf. quia per istam unionem non variantur rationes formales illorum, & accidit albo, quod uniatur nigro, ergo si quod est de per se in causatione speciei, permanet idem, scilicet quidditas, & solum quod est de per accidens, variatur, puta unio, vel separabilitas, album, & nigrum semper easdem species causabunt, five unita, five disjuncta; Quibus rationibus ostenditur, hæc objecta non videri unica visione, sed pluribus; & quod addit de determinatione ab objecto totali proveniente, concedimus assumptum, sed negamus duos colores specie differentes integrare unum totale objectum, sunt enim duo objecta totalia per se, & partialia per accidens, quomodo autem intelligendus sit Doctor, dum qu. 8. de Anima ait sensum uno actu percipere contraria, dicemus disp. 6. num. 276.

76 Secundo, prob. hoc idem de objecto homogeneo, si haberet diversam figuram, & situm, ut est statua marmorea, vel impressio a sigillo facta, nam species repræsentans caput, nequit repræsentare brachium, vel pedem, cum sint alterius figuræ, & sicut si essent distincta, distinctas quoque species causarent, pariformiter quando sunt unita, aliam, & aliam producent speciem. Idem quoque ostenditur de partibus omnino similaribus, *eo quia licet quælibet distinctam numero entitatem* habet ab alia, quamvis sint unitæ, & per istam unionem non transeunt totaliter in unam entitatem simplicem, sed proprias retinent entitates, quarum una non est alia, ita quoque diversas species saltem partiales, causabunt; species enim solum habent repræsentare res, a quibus causantur. Nec valet, quod ait Aversa, posse, ac debere quamlibet partem objecti totalis producere seipsam repræsentativam sui, & aliarum partium, quia non sola ipsa operatur, sed cooperatur simul cum omnibus aliis partibus, unde omnes concurrunt ad producendam unam speciem communem omnibus. Non valet, hoc enim impugnatur; quomodo namque ex ista cooperatione potest una pars acquirere virtutem producendi speciem repræsentativam alterius partis, quam speciem non produceret, si esset sola, & tamen per istam cooperationem non acquirit intrinsece novam activitatem, sed eandem omnino retinet? certe sicut cooperatio aliud non dicit, nisi operationes partiales duarum partium distinctas inter se, itaut una non sit alia, nec unius operatio sit alterius partis, sed unam totalem operationem integrantes, vel dicet operationem eandem unius partis connotando operationem alterius; ita terminus istius cooperationis erunt duæ species partiales, quarum una non est alia, & species unius non sit repræsentativa alterius, licet unam speciem totalem integrent totalis subjecti; aut saltem erit idem terminus, qui per eandem operationem efficiebatur, sed connotando terminum oparationis alterius partis.

77 Tertio, universaliter prob. sit objectum quatuor palmorum, & deregatur primus illius palmus, tunc species producta in medio non repræsentabit, nisi primum palmum, detegatur deinde successive secundus palmus, vel tunc producitur nova pars speciei repræsentans secundum palmum, & habemus intentum; vel prima species invariata, quæ prius repræsentabat unum palmum, postea repræsentat utrumque, & hoc est falsum, quia vel dependeret in esse a secundo palmo, & sic idem effectus naturaliter dependeret simul a pluribus causis totalibus, quod implicat, vel non dependeret ab illo; ergo neque repræsentaret illum, species enim est repræsentativa illius objecti tantum, a quo ponitur, & dependet in esse, aliter dicere possemus speciem exigui lapidis posse totum mundum repræsentare. Vel tandem (quod asseritur ab Aversa) fieret alia nova species de novo repræsentas utrumque palmum priori destructa; & hoc quoque est falsum, quia species istæ se haberent ut plura indivisibilia, quæ nequeunt successive, & continuo acquiri, ut demonstravimus disp. 3. de Gen. q. 3. contra Hurt. ostendendo partes qualitatis non esse ætherogeneas, quia alteratio non posset *esse continua*; Tum quia si mari adderetur, vel minueretur una tantum aquæ gutta, tota variaretur species sensibilis, quod est difficile captu. Accedit principaliter ex Arriaga, quod si eadem omnino species indivisibiliter repræsentaret totum objectum, & quamlibet ejus par em, jam oculus æqualiter videret partem proximam, & remotam. quod est falsum, seq. prob. quia si est eadem potentia, & eadem species repræsentans eadem omnino sequitur visio; deberet etiam repræsentare quamlibet partem etiam minimam, quod est contra experientiam.

78 Ex his sequitur, quod cum quælibet pars respectu speciei se habeat ut agens omnino independens ab alia comparte, & agens quodlibet in agendo agat in medium sphærice, quando non est impeditum, ut cum Scoto 2. d. 13. qu. un. ad 3. diximus disp. 2. de Gen. qu. 3. in quolibet puncto *medii* quælibet objecti pars produceret propriam speciem, itaut in quolibet puncto sint species omnium partium objecti, *dummodo* ab *illis partibus* ad *illud punctum duci possit linea recta*; quod patet experientia, quia in quolibet puncto *medii non* una sola pars, sed omnes partes objecti videntur; quæ species uniuntur inter se, si partes repræsentatæ sunt unicæ, uniamque speciem totalem efficiunt; quæ unio nequit *dici* extensiva ex parte subjecti, quia uniuntur in *eodem* puncto, extensio autem attenditur penes diversas partes *subjecti*; neque dici potest intensiva, quamvis enim hæ species uniantur in eadem parte subjecti, sintque quan-

quandoque ejusdem rationis, ut cum videtur album palmare, non idcirco efficiunt speciem intensiorem, quia non sunt repræsentativæ plurium partium intensivarum objecti, sed extensivarum; quare rationabiliter hæc unio dici solet extensio objectiva, unio autem intensiva speciei non solum requirit unitatem partis subjecti, sed etiam unionem partium intensivarum objecti, ut dicemus. Si vero objecta repræsentata sunt disjuncta, etiam species istæ, quamvis in eodem puncto medii existant, erunt discretæ; ratio est, quia species habet non solum repræsentare objectum quoad entitatem, sed etiam quoad omnes conditiones sensibiles, inter quas est numerus, & figura, ideoque si objecta sunt duo numero distincta, & diversas habeant figuras, easdem *conditiones debent* species repræsentare. Idem proportionaliter dicendum de sensatione, scilicet quod in qualibet parte pupillæ, sicut sunt omnes partes speciei partium objectivarum, ita etiam sint partes sensationis repræsentantes omnes partes objecti, eo quia quælibet pars pupillæ est sufficiens ad videndum objectum, quæ sensationes partiales unintur inter se, vel discretæ remanent; ut de speciebus diximus. Hinc si una pars objecti auferretur, tolleretur etiam pars speciei, & pars sensationis illi correspondens, aliis remanentibus.

79 Objicies in oppos. lumen in medio ità producitur a luminoso, ut luminosi partes conjungantur ad illuminandum per modum unius agentis, itaut totum lumen productum, & quælibet ejus pars dependeat a toto luminoso, & a qualibet ejus parte, & non hæc pars luminis ab hac parte luminosi, & tamen in sententia Scoti lumen est species lucis; similiter ignis secundum omnes partes per modum unius conjunguntur ad *causandum calorem*, & *quodlibet aliud* agens ita se habet in actione, ut diximus sæpe in lib. de Gen. disp. 2. ergo etiam objectum ita se habebit in productione speciei. Tum 2. experientia constat plurima minuta corpuscula etiam singula simul conjuncta videri, quæ seorsim non viderentur, ut plura grana tritici, plures arbores in silva, quod non potest aliunde provenire, nisi quia se mutuo juvant ad productionem speciei, & quasi per modum unius agentis perfectioris conjuncta perfectiorem speciem, & magis extensam producunt, per quam videri possunt omnia, & singula; cum tamen separata non possent producere, nisi imperfectam, & insufficientem visioni, ergo omnia corpuscula producunt speciem per modum unius agentis indivisibilis; imo in nostra sententia docente ad agendum requiri determinatam molem, ut minor non sufficiat, juxta dicta disp. 2. de Gen. qu. ult. hoc est necessario asserendum, illud enim minimum sensibile indivisibiliter producet speciem sui, nam si divideretur, non posset amplius agere. Tum 3. impossibile videtur, ut in exigua pupilla, & in uno puncto medii tot partes speciei reperiantur, quot sunt in excelso monte, imo in toto Cœlo, ergo potius dicendum quamlibet speciei partem esse repræsentativam totius objecti, & cujuslibet partis ejusdem. Tum 4. docent Perspectivi, & habetur etiam a Scot. 4. d. 10. qu. 9. quod visio, seu speciei productio fit ad modum pyramidis, cujus basis est in superficie objecti visi, conus autem in quovis puncto medii, sive in centro oculi, in quovis spatio medii existente; hinc exiguum corpus prope oculos impediet visionem magni montis, quod si prope objectum poneretur, nonnisi exiguam illius partem occultaret, quia pyramis, quo magis accedit ad cuspidem, eo magis restringitur, & minori obstaculo potest *impediri*, quo magis recedit, & ad basim accedit, eo magis dilatatur, igitur totum objectum indivisibiliter, & per modum unius producit speciem, aliter non projiceretur species ad modum pyramidis a toto objecto. Tandem si quælibet pars independenter ab altera ageret, cum quælibet pars assignabilis in infinitas alias proportionales sit divisibilis, nulla erit pars, quæ primo ageret, nisi poneretur quantitatem ex indivisibilibus finitis constare, quod est falsum.

80 Resp. primo ad id de lumine negando indivisibiliter a luminoso produci, quia secundum nos est species lucis, ut dicemus disp. seq. & patet, quia si quis vitrum aliquod coloratum apponat medietati candelæ, una pars luminis apparet colorata, quod non esset, si totum lumen a qualibet parte dependeret, ac procederet; exemplum de igne, & *aliis* agentibus naturalibus non est ad rem, esto enim hæc agentia per modum unius producant suos effectus, non tamen ita se habet *objectum in ordine* ad speciem, ratio est, quia alii effectus habent solum rationem effectus, ideoque virtualiter continentur in qualibet causa, dummodo sit ejusdem rationis, calor v. gr. quia est ab igne producibilis, virtualiter continetur in quolibet igne, quapropter ipsius productio potest ascribi toti igni, & cuilibet parti ignis; at species non solum habet rationem effectus, sed etiam imaginis; hinc quia imago non solum determinatur ad causam in specie, sed etiam in individuo, nam debet repræsentare objectum cum omnibus conditionibus individuantibus, & sensibilibus, non continentur virtualiter, nisi in tali determinato individuo, quapropter species repræsentans unam partem objecti nonnisi in illa virtualiter continetur, quia illam solam potest repræsentare, ejusque gerere vices, nec poterit ipsius productio cuilibet parti objecti ascribi, sed uni determinatæ. Dices, ratio producendi speciem sensibilem non est singularitas, sed natura, quæ in omnibus partibus objecti homogenei reperitur, ex dictis qu. 3. ergo species virtualiter continetur in qualibet objecti parte. Resp. naturam esse rationem formalem producendi, singularitatem, conditionem agentis, & rationem cognitam saltem confuse, quod sufficit, ut pars speciei repræsentans hanc partem objecti non sit ab alia comparte producibilis, sæpe enim ad variationem alicujus conditionis variatur actio.

81 Ad 2. concedimus dari minimum sensibile constans ex aliis partibus, cujus species etiam est in alias partes divisibilis, quarum quælibet a propria objecti parte dependet, non a qualibet, hinc non producitur ab illo minimo indivisibiliter, licet una pars sine altera non possit agere, eo quia deficeret una conditio, quæ est proportionata moles; sicut igitur in minimo sensibili una pars est conditio necessaria ad agendum simpliciter alteri parti, *quamvis* species partialis ab una parte producta non dependeat ab alia, ut a causa, sed ut a conditione; ita dici poterit multitudinem corpusculorum esse conditionem uni ex illis, ut longius emittat propriam speciem; quam faceret se solo, non autem quod omnia ad invicem se juvent, & ut una causa concurrat ad productionem indivisibilis speciei. Vel dicendum unum granum tritici v. gr. ex se immittere speciem, sed valde remissam, ut non sufficiat ad immutandum visum, additis autem aliis granis in eodem puncto medii multiplicantur species illæ ejusdem rationis, & remissæ, quæ non conficiunt unam speciem totalem, nisi apparenter, & confuso modo; sicuti nec objecta illa partialia efficiunt unum per se objectum totale, sed omnes illæ simul aggregatæ possunt immutare visum, eo modo, quo plures trahere navim possunt, non singuli. Ad 3. neg. assumptum, quia species penetrantur ad invicem, nec conficiunt molem, ut patet in sensibus internis. Ad 4. *assertum a Perspectivis intelligi* debet de objecto totali, quatenus in eodem centro oculi quælibet pars totalis objecti per lineam rectam potest speciem immittere, quæ omnes figuram pyramidalem conficiunt integraliter, non tamen est intelligendum, ut una simplex species indivisibilis ad modum pyramidis projiciatur ab objecto. Ad 5. sicut partes illæ integrant unum objectum totale in illas divisibile, sic etiam producunt speciem totalem in plures partes divisibilem, & licet non detur una pars, quæ primo agat, idest, quæ non sit in alias partes divisibilis, & ab illis independens in agendo, hæc tamen pars est independens in agendo ab alia comparte, scilicet una medietas ab alia medietate; licet dependeat a partibus, quas includit, & hoc sufficit, quod non esset satis in sententia adversariorum, qui ponunt partem determinatam in productione speciei non solum dependere a partibus in illa inclusis, sed etiam ab aliis non communicantibus.

82 Secundo, ad idem; si species sunt divisibiles, ergo deberent educi de potentia materiæ, ad quam eductionem prærequiritur prævia alteratio, & sic in instanti non fierent. Tum 2. si in eodem puncto medii essent plures species, ergo repræsentarentur objecta in eodem situ, quod est falsum. Tum 3. saltem sensatio non erit divisibilis, possent enim omnes species per modum unius comprincipii concurrere ad unam visionem repræsentativam omnium objectorum, quorum illæ sunt species, nam in sensu interno fit una cognitio per plures species, ut cum conceptus montis aurei elicitur per species montis, & auri; & in intellectu per plures species plurium objectorum fit una cognitio, ut cum fingimus ens rationis, aut cum a pluribus singularibus abstrahimus universale; ergo idem evenit in sensibus externis, scilicet quod per plures species fiat una visio repræsentans plura objecta, ita tamen ut perfectius tendat in id, cujus species magis directe accipit. Tandem ex 2. top. 4. contingit plura scire, cogitare vero nonnisi unum, ergo non contingit habere plures visiones.

83 Resp. ad 1. concedendo primam seq. ex quo non sequitur deinde necessario in tempore fieri, quia non habent contrarium, sed possunt in instanti educi absque alteratione prævia, ut patet de lumine. Ad 2. neg. seq. quia quælibet dicit propriam oppositionem ad proprium objectum, quod repræsentat; ut patet in lineis, quæ uniuntur in centro, sed inter se variè distant. Ad 3. posse concedi de potentiis internis totum argum. quia actus ipsarum sunt magis abstracti, at sensus externi, quia sunt magis materiales, & immediate respiciunt objecta, prout sunt a parte rei, nonnisi diversis actibus illa percipiunt, quamvis Dandinus lib. 2. digress. 13. oppositum docear. Ad 4. Arist. intelligi de perfecta cognitione, magis enim intellectus, & perfectius, cum sit potentia spiritualis, potest ad plura tendere, quam sensus, pluribus enim intentus minor est ad singula sensus; cum hoc tamen stat, quod adhuc potest sensus plura cognoscere per modum plurium, simul enim videmus album, & nigrum, audimus diversos sonos, & differentias inter hæc omnia cognoscimus, quod est cognoscere plura ut plura.

Ex his explicatæ remanent productio specierum, & divisibilitas subjectiva, & objectiva quoad extensionem subjecti, & objecti. Ex eisdem deduci potest dilucidatio intensionis specierum, quod erat tertium in hoc art. propositum, de quo fuse Ruvius cit. qu. 9. & Arriaga sect. 5.

84 Breviter tamen dicimus, species esse etiam intensive divisibiles secundum proportionem ad objecta, quæ repræsentant, itaut si albedo v. gr. est ut quatuor, producit speciem repræsentativam sui intensam ut quatuor, & si deinde intenderetur successive, etiam species intenderetur per acquisitionem novorum graduum intensionis juxta dicta in lib. de Gen. disp. 3. & patet experientia; nam potentia percipit intensionem, & remissionem objecti, ergo habet speciem intensam proportionaliter, vel remissam; tum quia si extensio in objecto facit divisionem extensivam in specie, ergo intensio objecti causabit divisionem intensivam; tum quia adsunt omnes rationes adductæ pro speciarum divisibilitate.

litate. Verum in hoc est not. quod non solum objectum causat speciem secundum intensionem proportionatam propriæ entitati, sed etiam illam in medio producit uniformiter, aliter posset *in infinitum* causare speciem, si uniformiter semper illam produceret, ut diximus disp. 2. de Gen. qu. 4. hinc experimur potentiam perfectius percipere objectum proximum, quam remotum. Major tamen est difficultas in speciebus internis, a quibus augeantur intensive, si scilicet ex iteratis actibus circa idem objectum intendatur prior species, vel producantur aliæ de novo. Ad hoc dicimus, quod loquendo de speciebus objectorum abstrahentibus a quibusdam circumstantiis loci, figuræ, &c. vere intenduntur; & idem dicendum de speciebus actuum, maxime, cum sæpius recordamur ejusdem actus; si verò species non ita abstrahunt ab his *conditionibus*, imo illas repræsentant principaliter, sic potius novæ generantur, licet quia sunt similes inter se, etiam priores intenduntur, ut *etiam diximus disp.* præc. quæst. 4. de habituum intensione ab actibus alterius speciei, sed ejusdem generis, vide disp. 6. q. 4. art. 1. ad 2.

85 Circa quartum de speciebus propositum quomodo scilicet species in conservari dependeant ab objectis, communis sententia est, species, & si non omnes, saltem majori ex parte, & præcipue visibiles, ne momento quidem temporis in subjecto conservari posse sine actuali dependentia ab objecto, ita Conimb. de Anim. cap. 6. qu. 2. Ruvius tr. de objectis, & spec. sensib. qu. 13. Aquilon. lib. 1. optic. propos. 52. Moncæus in locis theolog. disp. 5. cap. 6. Zab. lib. de sensu agente cap. 3. Aversa qu. 53. sect. 6. Suarez lib. 3. de Anim. cap. 12. Arriag. disp. 4. de Anim. sect. 6. Salas p. 2. tr. 10. disp. 2. nu. 72. Gabr. 2. d. 7. qu. 4. *Major* d. 3. qu. 9. Dand. 2. de *Anim. circa* tex. 138. & alii. In contrarium opinatur Vasq. 1. p. disp. 38. nu. 9. Nicol. Leonicus lib. de somniis p. 3. Celsus Mancinius lib. de somniis, & Syneſi per somnia cap. 5. Fons. 5. Met. cap. 28. q. 6. sect. 2. & alii, posse scilicet species aliquanto tempore, sed brevissimo sine præsentia objecti conservari, maxime illas, quæ ab aliquo vehementi objecto imprimuntur in oculo, favet D. Aug. lib. 11. de Trin. cap. 2.

86 Dicimus species sensibiles de sua ratione formali non dependere in conservari ab objectis; hæc conclusio sic in generali prolata communis est, nam dantur aliquæ species sensibiles, quæ non dependent in conservari ab objectis, sed diu possunt permanere, ergo de ratione formali speciei sensibilis in communi non est *ista* dependens conservatio, conseq. patet; quia quod convenit superiori, convenit etiam inferiori; ant. probatur primo de speciebus sensibilibus internis, quæ etiam destructis *objectis diu retinentur in memoria*, unde recordamur præteritorum, ut docet Scotus 1. d. 11. & 4. d. 45. qu. 3. de speciebus externis idem experimur in speciebus soni secundum aliquos, quæ permanent aliquantulum post sonum, quod etiam asseritur ab aliquibus de speciebus odoris; species tactus, & gustus videntur dependere in conservari ab objectis, similiter species visibiles, de quibus omnibus dicemus disp. seq. in propriis locis; quapropter loquendo de speciebus sensibilibus in communi, de quibus est sermo in præsenti, non possumus determinare, an dependeant ab objectis in conservari, an non, quia quædam species in particulari dependent, quædam aliquantulum temporis durant, quædam vero diu conservantur; ideoque hæc difficultas spectat ad tractatum de speciebus in particulari.

87 Quoad ultimum, quomodo scilicet corrumpantur species; idem fere dicendum, quod disp. præc. qu. ult. diximus de habitibus, loquendo de speciebus, quæ diu permanere possunt, ut sunt internæ; nam licet non corrumpantur per species contrariorum, eo quia species non contrariantur inter se, sicut habitus oppositi, species enim nigredinis est cum specie albedinis compossibilis, non solum in medio, sed etiam in ipsa potentia, ut ibidem innuimus, & sæpe in hac disp. quoniam non est species ejusdem rationis cum objecto. Attamen corrumpuntur ad variationem subjecti, sicut habitus, ut colligitur ex Scot. 4. d. 45. qu. 3. H. & 1. d. 3. qu. 6. N. potest autem subjectum variari, vel quoad entitatem, cum per nutritionem restaurantur partes corporis, & priores deperduntur, vel quoad dispositiones, unde ait Arist. in lib. de mem. & remin. c. 1. quod senes, & pueri sunt male reminiscitivi propter nimiam *humorum abundantiam*; vel propter aliquam aliam *indispositionem* organi, vel læsionem, ex qua varietate oritur major, vel minor perfectio memorativa potentiæ.

Dices, Scotus in 1. cit. ait species sensitivas deleri quoque per contrarium formaliter, ergo corrumpuntur per oppositas species. Rursus, si ad destructionem subjecti variarentur species, cum cerebrum sit fluidum, & tenuioris substantiæ, certe faciliter totum permutatur, & brevi tempore, unde species totaliter corrumperentur, & consequenter non possemus recordari illarum rerum, quæ multo tempore ante acciderunt, contra experientiam.

88 Resp. ad 1. ex Barg. ibid. quod per ly contrarium formaliter non intelligit Doctor speciem aliquam formaliter oppositam alteri speciei, sed qualitatem aliquam, quæ formaliter contrarietur qualitati conservativæ speciei, qualis est dispositio in organo requisita, quæ potest corrumpi per adventum oppositæ, vel quæ sit formaliter opposita qualitati productivæ speciei, si scilicet calor existeret in manu, produceret speciem sui in sensu tactus, posset hæc species destrui per frigus adveniens, quæ est qualitas formaliter opposita calori. Ad 2. varie respondet Arriaga disp. 4. de Anim. sect. 7. breviter tamen dicimus, cerebrum, licet sit fluidum, non tamen ita faciliter permutari propter caloris tenuitatem, frigiditatem innatam; deinde in reparatione novæ partis cerebri reparari quoque partem illam speciei per destructionem subjecti deperditam, vel a novo actu sensationis illius objecti, sive externæ, sive internæ, vel ut alii dicunt, a parte speciei remanente, quæ sit alterius similis productiva; quod tamen multum libenter admittimus.

Solent etiam alii duo modi assignari, quibus corrumpuntur species, primus est, quem innuit Aversa q. 53. sect. 6. per adventum aliarum specierum in *majori copia*, eo quia eadem pars organi non sit tot specierum receptiva, & capax, pluribus enim intentus minor est ad singula sensus, & nisi exercitatione foveantur species illæ, penitus corrumpuntur; secundum est, quem docet Arriaga cit. eo quia species sunt talis naturæ, ut petant absentia actuum alio tempore durare, non tamen semper, ideoque seipsis desinere, ut de impulsu, speciebus soni asseri solet, & de habitibus secundum aliquos.

89 Verum primus modus non debet poni tamquam a priori modo diversus, itaut vere una species aliam expellat, cum enim sint compossibiles in eadem parte subjecti, & compenetrabiles, nec una apponatur alteri, nulla erit ratio ex parte specierum, quare se debeant invicem expellere; solum dici poterit partem sensitivam exercitatione habituari, & disponi ad retentionem specierum, quæ dispositio sit qualitas quædam habitualis, sine qua species non tam fixæ imprimuntur in cerebro, unde *faciliter evanescunt*, *sicut facilius* deperditur qualitas, quæ non sit radicata tenaciter in subjecto, quam alia magis fixa, licet minus intensa; hæc autem dispositio in cerebro innotescit nobis a posteriori, eo quia experimur facilius nos memoriæ mandare, speciesque acquisitas retinere, si continuo exercemur.

90 Secundus modus, quamvis habeat locum in speciebus soni, & in impulsu, quia statim desinunt, non tamen est admittendus in qualitatibus diu permanentibus, itaut post diuturnam moram incipiant seipsis desinere, & fluere; nam ut disp. præc. diximus de habitibus, vel species istæ cessarent continuo, vel per moras intermedias; non primum, quia & si per aliquod tempus durarent, attamen quando inciperent desinere, brevi intervallo totaliter destruerentur, quod est contra experientiam, quia ut ipsemet Arriaga fatetur, sæpe contingit nos tam vivaciter recordari rerum jamdudum præteritarum, sicut quæ de recenti *transierunt*, quod si hæc recordationis remissio proveniret, quia species diuturnitate remittitur ex se, ac fluit, non brevi intervallo desineret; sequela prob. tum exemplo specierum soni, & impulsus, qui statim ac incipit fluere, brevi consumitur; tum quia non est tam magna specierum intensio, ut multum exigat tempus ad destructionem; tum quia deberet assignari ratio, cur si potest diu in eadem intensione conservari, & in esse quieto, deinde absque ulla variatione, & ex seipsis incipiant desinere. Neque secundum, quia cum partes illæ intensivæ sint ejusdem rationis, non erit major ratio, cur hæc v. gr. destruatur hodie, & aliæ conserventur; cur hodie incipiat speciei remissio, & postea interrumpantur. Hinc Doctor in 2. d. 3. qu. 10. F. docet speciem ad modum habitus se habere, & ut formam permanentem; quare *sicut habitus* non est de se qualitas fluxibilis, ut diximus, neque species de sua ratione evanescet.

91 *Dices cum Arriaga*; potest dari, imo de facto datur entitas petens ex se conservari per aliquod tempus, non tamen semper, ut patet de impulsu, & speciebus soni, ergo species sensitivæ internæ erunt talis naturæ, patet conseq. quia experimur, has species progressu temporis deficere, nisi novis actibus intenderentur, etiam si subjectum sit recte dispositum, unde non eadem intensione recordamur post decem annos, quam post unum quadrantem, quod provenit ex paulatina specierum remissione; nec est necesse, quod statim corrumpantur, sed sufficit, si admodum lente desinant esse. Resp. neg. conseq. ratio est, quia videmus res ex seipsis defectibiles non diu durare, sed breviter corrumpi, ut patet in exemplis adductis; quare prorsus voluntaria est illa paulatina, ac ferotina desitio, & experientia est pro nobis, nam quandoque brevi tempore oblivisci mur rerum, quamvis cum magna attentione perceptarum, e contra diu recordamur aliquorum, etiam si species illæ non *fuerint in tanta intensione*, & tam vehementi attentione acquisitæ, & tamen si oblivio proveniret ex paulatina specierum remissione, totum oppositum contingere deberet; quapropter desitio specierum in proportionatam, vel improportionatam subjecti dispositionem est referenda, quia scilicet propter majorem, vel minorem subjecti dispositionem magis, vel minus renaciter inhærent; quæ indispositio potest postea per actuum iterationem suppleri, quibus species illæ intenduntur, & renovantur.

QUÆSTIO VI.

De muneribus specierum sensibilium, ubi de activitate, & similitudine ipsarum.

92 Duo præcipua munera habet species, concurrere ad actum cognitionis, & repræsentare objectum tamquam similitudo ipsius, quæ munera communia sunt etiam speciebus intelligibilis

bilibus, idcirco de ipsis iterum agemus disp. 6. qu. 2. ubi de causis intellectionis disputabimus, & qu. 4. tractando de necessitate specierum intelligibilium, hinc plura ad hanc quæstionem pertinentia videnda erunt locis citatis.

Quoad primam quæsiti partem, quomodo species ad sensationis actum concurrat, supponendo potentiam sensitivam active concurrere ex dictis qu. 2. sunt, qui putant speciem sensibilem nullum activum concursum habere ad actum, sed solum materialiter, aut in genere causæ formalis concurrere, disponendo scilicet, excitando, & determinando potentiam ad actum, ita qui sustinent idem de speciebus intelligibilibus; item Javell. 3. de Anim. qu. 4. Tol. 2. de Anim. qu. 12. Zab. lib. de sensu agente cap. 8. & 9. Ex oppositio communis tum veterum, tum *recentiorum opinio concedit omnibus speciebus sensibilibus*, sive externis, sive internis partialem activitatem erga sensationem, & ex nostris sequitur Cavellus super qu. 12. de Anim. & Smisinch tr. 2. de Deo uno disp. 6. qu. 1. Media sententia docet species internas effective concurrere ad sensationem, externas vero solum ut effectus prævios ab objectis emanare, & hæc est communis apud Scotistas sustinentes ad cognitionem intuitivam non posse speciem concurrere, sed objectum immediate, ita Tatar. 2. de Anim. qu. 2. §. 2. *Secundo sciendum*, Bassol. q. 1. prol. art. 2. 2. Mairon. qu. 15. prol. art. 1. Vulpes p. p. disp. 19. art. 2. Barg. 1. d. 3. qu. 6. ad 2. princ. & aliis externis quoque sensationum externarum.

93 Dicendum est cum 3. sent. species internas activas esse actuum internorum, & externas externorum; prima pars, quod species internæ active concurrant, colligitur ex D. Aug. 11. de Trin. cap. 2. ubi universaliter ait cognitionem ex cognoscente, & *cognito gigni, ergo si potentia non est totalis causa* cognitionis, sed objectum concurrere debet, & in sensibus internis non potest objectum immediate agere, quia interni solum mediantibus externis patiuntur ab objectis recipiendo species, sequitur non objecta immediate, sed species, ad sensationem concurrere; idem quoque colligitur ex 2. de Anim. 59. & 60. ubi docet Arist. potentiam non esse causam totalem, sed objectum visibile, & audibile active ad actus concurrere, ergo idem de sensibus internis dicendum.

Deinde prob. ratione, quia certum est nudam potentiam non esse principium sufficiens, & completum ad eliciendum actum, sed requiri objecti concursum, vel immediatum, vel mediatum, per speciem, ut etiam adversarii fatentur, ratio est, quia posset potentia quodcumque objectum sive præsens, sive absens percipere, & quocumque tempore, quod est falsum; hic autem concursus debet poni effectivus, nam si concurreret solum disponendo, vel determinando potentiam, jam in ordine ad actum objectum vel species se haberet ut conditio sine qua non, quod non recte asseritur, eo quia tunc a posteriori deprehenditur aliquid esse causam alicujus effectus, & non solam conditionem, quando in ipso effectu peculiaris ratio, aut formalitas invenitur tali causæ attribuenda, quia totalis formalitas non ponitur in ipso, nisi per talis causæ influxum, similitudo enim semper arguit causalitatem, eo quia agens intendit assimilare sibi effectum, & principium effectivum est principium distinguendi, & assimilandi, aliter omnis causa partialis poni posset conditio sine qua non; hinc filius, quia assimilatur quandoque matri, ponitur active ab illa produci; cum igitur in actu sensationis inveniatur peculiaris ratio correspondens, non solum potentiæ, qualis est vitalitas, sed etiam objecto, quæ *est similitudo*, in repræsentando sane ex hoc concludendum est, potentiam, & objectum simul ad cognitionem concurrere active; & hæc est principalis ratio, qua passim utuntur Doctores.

94 Hac tamen ratione sobrie utendum est, nam si ita accipiatur, una formalitas in effectu attingatur ab una causa, & alia ab altera, ratio non valet in proposito, quia effectus cognitionis, cum sit simplicissimus, indivisibiliter procedit a potentia, & objecto, nec una formalitas assignari potest in effectu, quæ ab omnibus, & singulis simul non attingatur, quia licet sint causæ partiales partialitate causæ, sunt tamen totales totalitate effectus; in eo igitur sensu est accipienda, ut diversæ illæ formalitates in effectu repertæ diversas arguant causas concurrentes partialiter, non quidem partialitate effectus, sed sola partialitate causæ. Dices, ex duabus causis partialibus ad eumdem effectum communem concurrentibus potest unaquæque aliquid ipsius effectus attingere, ut constat de duobus calidis, quorum quodlibet per se potest aliquem gradum caloris producere, sic ergo etiam erit in proposito, quod potentia unam attinget formalitatem *in actu*, species alteram. Resp. assumptum licet possit verificari in causis univocis divisibilem effectum producentibus, ut in exemplo caloris allato, at in causis æquivocis, quæ præsertim producunt effectum entitative indivisibilem, ut sunt in proposito potentia, & objectum respectu cognitionis, est prorsus falsum, quia cum effectus sit indivisibilis, non potest quicquam ejus produci ab aliqua causa, quin totus producatur, non enim vitalitas sensationis est quid realiter a repræsentatione distinctum; sed est eadem omnino realiter entitas; atque ideo respectu ejus non possunt assignari plures causæ partiales partialitate effectus, sed tantum partialitate causæ.

95 Dices, ex proportione similitudinis cognitionis cum objecto non semper arguitur dependentia, & causalitas, ergo hæc ratio non est efficax, ant. prob. nam cognitio relationis, entis rationis, & similium habet repræsentationem proprii objecti, & tamen ab illo non causatur; similiter effectus assimilatur ideæ artificis, a qua tamen physice non dependet. Resp. neg. ant. & ad exemplum de cognitione relationis commodius dicemus disp. 6. qu. 2. art 1. quod additur de idea, non urget, nam etiam effectus active ab illa dependet, concurrit enim in genere causæ efficientis ad effectum, licet non distincta causalitate ab agente, ut diximus disp. 7. Phys. qu. 7. præterquam quod non est ad propositum, nam potentia intellectiva extra non concurrit efficienter, sed solum dirigendo, & consequenter nec conceptus objectivus, qui est idea, potest fundare in se physicam causalitatem, at ad intra respectu cognitionis vere est efficiens causa, ideoque species illa manens poterit active quoque concurrere. Cæterum quo pacto hæc duo, potentia scilicet, & species constituant unum principium totale cognitionis, dicemus disp. 6. qu. 2. ar. 2. ubi etiam rationes in contrarium solvemus.

96 Secunda pars concl. de specie externa prob. ex D. August. 11. de Trin. cap. 5. dicente: *Visio, quæ fit in sensu cernentis, quasi parens est speciei corporis, ex qua fit, sed parens non proprie, & vere, unde nec ista vera proles est, sed quasi proles*; Tum 2. si species non concurreret ad actum cognitionis active, sequeretur, quod etiam per spatium inane posset videri objectum, vel per medium densum, opacum, & obstaculi impedimentum, quod est falsum, seq. prob. quia potens agere in distans actione alterius rationis, qua agit in medium, si hæc impedjtur, non idcirco cessat agere in distans, ut patet de Sole, qui in ea rem agit illuminando, in visceribus terræ generando metalla, quamvis propter opacitatem terræ nequeat partes subterraneas illuminare, ergo licet objectum non possit producere species propter vacui, vel obstaculi impedimentum, adhuc posset ad visionem concurrere cum potentia, quæ esset actio alterius rationis a productione specierum. Tum 3. visio intenditur, & remittitur juxta intensionem, aut remissionem specierum, ergo ab illis producitur, aliter non esset ratio, cur proportionaliter ad remissionem specierum remittatur visio. Tum 4. in speculo videtur res a tergo existens, ad quam visionem nequit objectum immediate concurrere, sed species reflexa est, quæ agit; similiter nummus in fundo vasis positus aqua pleni prospicitur ex certo loco, e quo non videretur, si aqua non esset, eo quia propter variationem medii refrangitur radius, qua refractione potest attingere nummus potentiam visivam, ergo objectum non immediate concurrit ad visionem, sed media specie; idem clarius apparet in sono, qui nequit nisi per speciem concurrere ad auditum, nam quando sit auditio, sonus non adest secundum aliquos, sed solum species soni in medio usque ad potentiam multiplicata, & tamen tunc ajunt, sonum audiri immediate, *non speciem soni*, licet hoc in nostra sententia sit falsum, ut suo loco dicemus; saltem est verum in sententia Scoti species posse videri, & audiri, & consequenter jam habebunt activitatem producendi sensationem propriam tamquam objectum, ergo non se habent solum ut effectus prævius. Et tandem quia omnino superfluæ essent species istæ, nec posset adduci aliqua ratio, cur producantur ab objecto; nam quod ajunt aliqui, speciem determinare potentiam, disponere, & excitare, vanum est, quia sufficeret sola objecti præsentis, sicut hæc sola satis est, ut intellectus intuitive cognoscat objectum sine specie. Si dicas prærequiri, ut producat speciem in sensibus internis; hoc etiam est omnino superfluum, quia dici posset objectum media sensatione causare species internas; nam licet non possit objectum immediate agere in sensus internos, poterit tamen media sensatione.

97 Neque Scotus est alienus ab hac opinione, nam in 1. d. 3. qu. 3. C. ait oculum videre objectum per speciem, & qu. 4. G. docet visionem fieri per speciem, & qu. 6. B. ait speciem coloris repræsentare organo colorem, & litt. M. inquit objectum esse præsens organo per speciem, & 2. d. 3. qu. 9. N. ait speciem sensibilem in oculo esse rationem cognoscendi; quod etiam repetit d. 13. qu. un. C. & per totam illam qu. ac in 4. d. 44. qu. 3. & in lib. de Anim. qu. 12. hanc activitatem speciem videtur supponere. Quando igitur in 2. d. 9. qu. 2. C. inquit speciem non concurrere active ad visionem, sed solum ut effectum prævium, loquitur in sententia aliorum, eo vel maxime, quod hac doctrina utitur tamquam exemplo ad explicandam actionem in distans, unde ut notat Licher. ibi, videtur Doctor in hac re problematicus; magis tamen videtur inclinare ad activitatem specierum, ut patet ex tot *locis adductis*.

98 Contra hanc determinationem instari potest ex hoc, quod cognitio externorum sensuum est intuitiva, de cujus ratione est, quod producatur ab objecto existente, ut existens est, & in se præsens, ergo species non concurrit ad actum, sed objectum immediate, qua ratione in cognitione intellectuali intuitiva species solum concurrit, ut effectus prævius, non ut causa. Sed huic difficultati plenissime satisfaciemus disput. 6. qu. 11. dum discrimen assignabimus inter intuitivam, & abstractivam cognitionem, & qu. 4. art. 2. dum speciem intelligibilem tamquam causam intuitivæ intellectionis respuemus, eo quia species intelligibilis, cum sit permanens, inservit memoriæ intellectivæ, & ideo ab objecto causatur, ut effectus prævius, at species sensibilis externa raptim transit, quia pendet ab objecto in fieri, & conservari, unde nequit memoriæ inservire, & si non esset causa cognitionis externæ, esset quidam effectus omnino superfluus.

99 Aliud præcipuum specierum munus est esse similitudinem objecti, pro quo duplex, seu triplex similitudo distinguitur a recentioribus, formalis, virtualis, & objectiva; formalis similitudo est, quæ objectum repræsentat ad modum imaginis, sicut se habet cognitionis actus; virtualis consistit in hoc, quod sit semen, & virtus productiva illius, quod formaliter repræsentat objectum, sicut ars picto-

ris, v. gr. potest dici virtualis similitudo hominis, quia est virtus productiva imaginis formaliter repræsentantis hominem; objectiva illa dicitur, quæ se habet ut medium cognitum, & est imago alicujus rei, quæ prius cognita ducit in cognitionem prothotypi, ut est imago Cæsaris in tabella depicti. Cum igitur species sit similitudo objecti, quia habet repræsentare objectum, dubitatur, an sit similitudo objectiva, idest, quod prius debeat cognosci a potentia in seipsa, deinde manuducat in cognitionem objecti; vel si non se habet ut medium cognitum, sed solum ut ratio cognoscendi, an sit ratio formaliter repræsentans, vel tantum virtualiter.

Durand. 2. d. 3. qu. 6. Greg. d. 7. qu. 3. art. 1. Major. d. 3. qu. 9. docent speciem objective repræsentare objectum, qua scilicet est medium *Quod*, immediate terminans sensationis actum, qua apprehensa sensus deinde percipiat objectum, ut evenit in imagine; & consequenter sustinere debent speciem esse quoque similitudinem formalem objecti, Communis opinio asserit esse solum rationem cognoscendi, & medium *Quo*, sed discrepant authores inter se, nam Compl. disp. 18. de Anim. qu. 2. ajunt esse similitudinem formalem, citantque D. Thomam, Cajet. Ferrar. Bannez, Naziarum, Ledesmam, nec multum discedit Joan. de S. Thom. qu. 6. de Anim. art. 3. Ex adverso omnes fere recentiores sustinent esse solum similitudinem virtualem, non formalem, nec objectivam.

100 Dicimus, speciem non esse similitudinem objectivam, & medium *Quod* respectu objecti, nec esse similitudinem formalem in sensu, quo loquuntur Compl. Prima pars, quod non sit species objectiva, est Scoti in 2. d. 3. qu. 9. N. & quol. 14. GG. & seq. prob. quia species objectiva non repræsentat, an objectum sit prope, an procul, nam intuens imaginem Cæsaris, numquam percipiet, an Cæsar sit prope, at species sensibilis repræsentat distantiam. Tum quia qui videt imaginem Cæsaris, non cognoscit per illam Cæsarem, nisi hunc aliunde cognovit, ergo si species est similitudo objectiva, oportebit, & hanc percipere, & objectum aliunde cognoscere, ut per hanc objectum cognoscamus. Tum quia quando videmus albedinem in pariete; non cernimus speciem albedinis, quæ est in oculo, vel aere, sed ipsam albedinem immediate; neque objectum sensus est species sensibilis, sed ipsa qualitas, quæ immediate attingitur a sensu, ut color a visu, sonus ab auditu, calor a tactu, sapor a gustu, odor ab olfactu, at si species esset medium *Quod*, ipsa poni deberet objectum sensus, quia primo, & per se attingeretur; sic quia per creaturas materiales ducimur in cognitionem substantiarum abstractarum, objectum motivum per se nostri intellectus pro statu isto sunt creaturæ materiales, non substantiæ abstractæ. Diximus respectu objecti, quia in præsenti loquimur solum de specie, prout concurrit ad cognitionem objecti, num scilicet requiratur, quod semper præcognoscatur, ut possit percipi objectum, an autem ipsa species quandoque possit habere rationem objecti, & cognosci per aliam speciem, dicemus disp. seq.

101 Secunda pars prius declarari debet, nam non est negandum, speciem dici posse formale repræsentativum objecti, quomodo loquitur Doctor quol. cit. & 1. d. 35. *in fine*, quatenus scilicet conditinguitur a medio *Quod*, istud enim dicitur virtualiter continere cognitionem illius, quod facit cognoscere, non formaliter, quia non se habet ut ratio cognoscendi, non concurrit cum potentia per exhibitionem propriæ entitatis, quæ exhibitio requiritur ad genus formalis causæ, at tam species, quam actus se habent, ut medium *Quo*, & dicunt rationes formales cognoscendi respectu potentiæ, quia concurrunt per exhibitionem propriæ entitatis; at si species, & tactus ad invicem comparentur, species potius dici debebit similitudo virtualis objecti, quam formalis, quia species attinet ad actum primum, constituitque objectum actu cognoscibile, ut docet Scotus 1. d. 3. qu. 6. §. *Ad argum. in oppos.* & quol. cit. cognitio vero spectat ad actum secundum, constituitque objectum actu cognitum, & reddit potentiam formaliter cognoscentem, quod autem est tale in actu primo, & habitualiter, aptius dicitur esse tale virtualiter, sicut quod est tale in actu secundo, dicitur esse tale formaliter; quapropter potest species dici similitudo formalis, & virtualis objecti; formalis, ad differentiam medii *Quod*, & quatenus est medium *Quo*, virtualis, & differentiam actus cognitionis, qui expressius, & actualius repræsentat objectum, unitque illi potentiam.

102 Cæterum nullo pacto dici potest species similitudo formalis objecti in sensu Thomistarum, quia scilicet sit eadem entitas objecti sub modo essendi non naturali, sed repræsentativo: hoc enim implicare ostendimus supra qu. 4. dum probavimus speciem esse omnino alterius rationis ab objecto. Tum quia si species esset eadem objecti quidditas in esse repræsentativo, ad quid deinde ponitur species expressa, seu actus secundus? *sufficienter enim intelligeretur potentia constituta formaliter* cognoscens objectum, eique intentionaliter assimilata per speciem formaliter repræsentantem objectum. Neque differentia quam Complut. assignant, aliquid faceret, dicunt enim speciem impressam, & expressam, quamvis sint eadem omnino natura objecti, differre vero quoad modos repræsentandi, nam impressa repræsentat per modum habitus, & permanenter, expressa per modum actus, & transeunter. Non valet, quia assimilatio potentiæ cum objecto, per quam intentionaliter illi unitur, non attenditur in modo essendi, quia in hoc differunt, *sed potius* in natura, & quidditate objecti, quam attingit potentia, ergo si species est eadem objecti quidditas, sufficientissime potentia intelligitur assimilata per speciem. Tum quia perfectior est assimilatio permanens, quam transiens, unde visio beatifica ponitur actus semper permanens, ergo si species, & actus solum differunt, quia illa permanenter repræsentat, iste transeunter, illa erit isto perfectior, quod est falsum. Tum quia habitus, & dispositio differunt per hoc, quod est habere esse permanenter, & transeunter; & tamen non per hoc specie differunt, ergo si solum species impressa, & actus differunt penes istos modos, & in quidditate conveniunt, non distinguerentur specie, quod est falsum, quia actus est effectus speciei æquivocus, non univocus.

103 Contra primam partem arguitur ex D. Aug. 11. de Trin. cap. 4. ubi ait de sensibus internis: *Quod est ad corporis sensum aliquod corpus in loco, hoc est ad animi aciem similitudo corporis, in memoria; & quod est aspicientis visio ad eam speciem corporis, ex qua sensus formatur, hoc est visio cogitantis ad imaginem corporis in memoria constituta*; quod etiam docet Arist. lib. de mem. & remin. cap. 2. ubi ait in recordatione nos cernere phantasmata tamquam imagines rerum. Tum 2. species est vicaria, & vices gerens objecti, ergo quod terminat actum cognitionis est species. Tum 3. ad sensationem requiritur objectum præsens, sed in sensibus internis non est objectum præsens, sed species repræsentans objectum; ergo, &c. Posset etiam argui de auditu, qui non ad sonum, sed ad speciem soni videtur terminari, & de visu per radios reflexos, ut cum intuemur res in speculo, fed de his in propriis locis.

104 Resp. comparationem D. Augustini solum esse quoad motionem, quatenus sicut corpus movet sensum externum, ita species movet internum, non quoad terminationem. Arist. vero assimilatur species picturis, quatenus ambo repræsentant, non tamen quoad modum repræsentandi, quia pictura est medium *Quod*, species medium *Quo*. Ad 2. species dicitur vicaria objecti quoad motionem, non quoad terminationem. Ad 3. dicunt aliqui in cognitione abstractiva terminum esse objectum non in se, sed ut in specie repræsentatum, estque modus iste loquendi familiaris apud Scotistas. Sed hoc est caute intelligendum, quia ut arguit Mair. 1. d. 3. qu. 10. aut objectum relucens in species est aliquid aliud ab ea, vel non; si primum, cum non sit objectum extra, jam objectum extra non cognosceretur; tum quia non posset assignari, quodnam sit istud reale in potentia existens a specie distinctum, & in ea relucens; si secundum, ergo species vere cognosceretur objective. Idcirco respondet, quod in cognitione intuitiva objectum terminans est res in se, at in abstractiva, qualis ponitur cognitio sensitiva interna, est ipsum objectum, ut præscindit ab esse extra, & ab esse intra, & hoc circumscribere intendunt Scotistæ, cum asserunt objectum ut in specie relucens terminare cognitionem abstractivam; sicut quando totaliter etiam loquuntur de motione, scilicet, quod objectum in specie movet phantasiam, circumscribunt speciem objecti; vide Bargium 1. d. 3. qu. 6. ad 2. princ.

Contra 2. partem arguunt Compl. ex Arist. cit. & 2. de Anim. 121. docente, quod sicut impresso annulo ferreo, vel aureo in cera maner forma, & effigies annuli sine materia ejusdem, ita objectum sensibile immittit propriam speciem, quæ est ipsius natura, sine materia, ergo sicut effigies annuli est similitudo formalis, talis etiam erit species: & tex. 62. docet potentiam per receptionem speciei fieri talem, quale est ipsum objectum, ergo si species non esset omnino eadem cum objecto, & similitudo formalis, non fieret potentia per ipsam similis objecto, sed potius dissimilis. Tum 2. species est primario instituta ad repræsentandum objectum, cum habeat esse intentionale; ergo est formale repræsentativum, conf. probat. quia quod solum virtualiter convenit alicui, non est primum, quod ei convenit, fed esse formaliter tale; ratione cujus continet virtualiter aliud, ut lux Solis est virtualiter calida, & quod primo ei competit, non est esse virtualiter calidam, fed esse formaliter lucem, ratione cujus virtualiter continet calorem, ergo si species esset virtualiter repræsentativa, non esset instituta primo ad repræsentandum, fed ad essendum formaliter in illo esse, ratione cujus esset virtualiter repræsentativa. Tum 3. productio verbi, & speciei expresse est quædam generatio vitalis, non simpliciter in creatis, scilicet secundum esse naturale, sed secundum quid, & in esse repræsentativo, ergo debet esse in similitudinem naturæ ad suum principium in esse repræsentativo, ergo species erit omnino similis objecto: patet hæc ultima conf. quia species expressa est similis objecto, & tamen ab impressa immediate producitur, ergo species debet esse omnino eadem, & similis objecto. Tum 4. similitudo fundatur in unitate naturæ, & si est similitudo in unitate specifica præcise, & cum differentia in individuo, similitudo erit in specie, & dissimilitudo in individuo, si vero similitudo erit in natura tam secundum speciem, quam *in individuo*, sub diverso tamen modo essendi considerata, tunc identitas, & unitas inter extrema talis quoque erit, sed species ad objectum dicit similitudinem hujusmodi, tam in specie, quam in individuo, & solum differunt in modo essendi, ergo eamdem habebit identitatem. Tum 5. inter ea, quæ essentialiter differunt, nulla potest esse similitudo, sed potius dissimilitudo, at species dicitur omnino similis objecto, ergo essentialiter, & quidditative non differunt. Tandem Arist. 7. Met. 23. ait *Ab arte autem fiunt quorum forma in anima, formam autem dico ipsum, quod quis erat esse uniuscujusque*, ergo species, quæ est forma in anima, est ipsa quidditas objecti.

105 Resp.

105 Resp. ad 1. Si valeret exemplum in omnibus, probaret speciem esse quoque objectivam similitudinem, ut est imago; quare proportio consistit in hoc, quod species, & imago sunt similitudinis in repræsentando, ut diximus in Log. disp. 10. qu. 2. quæ duplex est, perfecta, & convenit proprie judicio intellectus, quo determinate de re aliquid cognoscitur, & judicatur, quod convenit a parte rei; & imperfecta, & hæc cuicumque cognitioni convenire potest, etiam simplici apprehensioni, quatenus in cognitione ad objectum intervenit quædam conformitas, & similitudo in repræsentando, unde dicimus, nos vere apprehendere hominem esse animal rationale, vere albedinem videre, audire sonum, quæ veritas potest dici simplex, & incomplexa ad differentiam veritatis complexæ, & judicativæ. Ex opposito falsitas quoque est duplex perfecta, & imperfecta, prima erit difformitas judicii, quo determinate affirmamus, quod non est, vel negamus, quod est; secunda est difformitas cujuscumque cognitionis, qua res non exprimitur, sicuti est in se, & de ista loquimur in præsenti, an scilicet sensus possit errare, & decipi percipiendo sensibile aliter ac sit in se, & qua ratione contingat.

107 In hac re fuerunt duæ extremæ sententiæ antiquorum; prima fuit Academicorum, asserentium nihil certum esse in sensibus, sed omnia erroribus ita expolita, ut nulla sit eis adhibenda fides. Secunda fuit Epicureorum docentium sensus numquam errare circa sensibile. Alii mediant, negant enim proprie, & per se reperiri errorem in sensu, quia semper in cognitione sensitiva adest conformitas ad objectum, quod apprehendit, etiam quando sensus videtur apprehendere externam, aliter ac sit, quia tunc non apprehendit illam, sed aliam loco illius; per accidens tamen dicitur falli, & occasionaliter, quatenus est causa, quod intellectus falso judicet de objecto, ita Suarez disp. 9. Met. sect. 1. n. 16. & Conimb. 2. de An. cap. 6. qu. 6. art. 2. Alii vero admittunt errorem per se, non solum per accidens in actibus sensitivis, licet non in omnibus.

108 In hac re primo certum est, sensum non semper in suis actibus errare, quin verum percipiat; ita Doctor p. d. 3. qu. 4. art. 1. & 2. ubi hoc probat contra Academicos ex D. Aug. & rationibus, nam videmus quædam ab omnibus sensibus, quando non adest impedimentum, eodem modo cognosci, quædam non ita cognosci, ergo quando ab omnibus eodem modo percipiuntur, signum evidens vere a sensibus cognosci, non falso. Tum quia hoc est de fide, nam fides est notitia certa, & vera, & nonnisi mediis sensibus habetur, Joan. ult. *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*, & ad Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, & iterum: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* & Joan. epist. 1. cap. 1. *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, &c. annuntiamus vobis*; ergo si sensus semper errarent, non posset haberi in intellectu notitia aliqua certa, & vera, nec ulla scientifica cognitio, quia omnis nostra cognitio pro statu isto ortum habet a sensibus.

109 Secundo certum est in cognitione sensitiva intervenire quandoque aliqualem errorem, ut patet experientia, & ostendit Doctor cit. nam baculus in aqua fractus apparet, infirmi dulcia gustant tamquam amara, conspiciens per vitrum coloratum omnia videt illius coloris, res minus perspectæ minores videntur, & si sunt quadratæ, apparent rotundæ, & quamplura in dies experimur exempla, ut nefas sit dubitare. Verum non idcirco debemus omnem fidem sensibus denegare, omnemque certam cognitionem, & scientificam in intellectu; quia ut plurimum sensus non errant, & quando falluntur, possunt corrigi ab intellectu, ut optime demonstrat Doctor cit. G. puta in exemplo baculi in aqua corrigitur sensus visus ab intellectu, tum per sensum tactus oppositum sentientis; tum per unam propositionem quiescentem in anima; scilicet, *Nullum durius frangitur ad tactum alicujus mollii sibi cedentis*, quæ propositio nota est ex terminis, nec potest de illa dubitare intellectus, ex alia parte percipit baculum esse duriorem aqua, & aquam illi cedere, ex quibus infertur necessario baculum in aqua non frangi, & sensum visus errare, non autem sensum tactus.

110 Difficile tamen est assignare causam, ratione cujus sensus dicitur falli; pro quo est advertendum, quod tripliciter potest sensus impediri, ne rectas eliciat sensationes, primum impedimentum provenire potest ex parte organi, si esset affectum aliqua contraria dispositione, ut si in oculo esset aliquis humor noxius tendens ad rubedinem, omnia apparerent rubra, qui iterica laborant infirmitate, album tamquam pallidum vident, infirmi etiam quandoque organum gustus habent humore bilioso, & amaro imbutum, qua ratione dulcia apprehendunt ut amara; secundum impedimentum potest esse ex parte medii, si scilicet est vaporibus affectum, unde ob id astra quandoque rubra cernuntur, sic cernens per vitrum coloratum, quodlibet objectum similis coloris conspicit; item si in densitate, & opacitate differt, varias causabit sensationes, hinc baculus partim in aqua, partim in aere existens fractus, vel curvus apparet, quia aliter immittit species per aquam, aliter per aerem, qui est medium magis rarum, & diaphanum; tertium impedimentum potest esse ex parte ipsius objecti, si esset nimis distans, quo casu album apparet fuscum, & quadratum cernitur rotundum, difficultas igitur consistit in hoc, quia sensatio v. gr. amaritudinis fit non sine ipsa amaritudine, vel specie ipsius, species autem non causatur nisi ab amaritudine existente, quæ non adest in præsenti; quod si dicas, fieri ab humore bilioso amaro, sequeretur sensum tunc non decipi, quia vere apprehendit rem, sicuti est a parte rei.

Fonseca 1. Met. cap. 2. qu. 3. sect. 8. docet sensationem illam fieri per speciem objecti, quod apprehenditur, scilicet in infirmis sensationem amaritudinis per speciem ipsius, non per speciem dulcedinis, in iride per species illorum colorum apparentium, non per speciem lucis, ideoque fallitur sensus, quia percipit rem, aliter ac sit. Ruvius tract. de object. & spec. sensib. qu. 16. vult has sensationes fieri per species objecti, ut in se existentis, scilicet per speciem lucis in iride, & per speciem dulcedinis in infirmis, & consequenter quod sensatio sit ejusdem omnino rationis, ac si objectum in se absque errore sentiretur, puta quod ejusdem omnino rationis sit gustus sensatio, cum mel percipit dulce absque errore, & eum propter organi indispositionem ut amarum apprehendit.

111. Pro resolutione dicimus primo, sensationes istas esse alterius rationis, & diversæ speciei; prob. quia non minus sensus infectus percipit amaritudinem, cum mel gustat, ac quando vere gustat cibum amarum, non minus visus percipit ruborem in pagina propter rubrum vitrum, ac si vere pagina esset rubra, ergo hæ sensationes sunt ejusdem rationis, & e contra sensatio, qua mel percipitur ut dulce, & qua sentitur ut amarum, erunt alterius rationis. Tum quia sensatio amaritudinis mellis in eo sensu infecto, & sensatio dulcedinis ejusdem causant species alterius rationis in sensibus internis, & etiam in intellectu repræsentantes amaritudinem, & dulcedinem, vereque sensus, & intellectus inter ista discernit, ergo sensationes illæ sunt etiam specie distinctæ, & alterius rationis, antec. patet, conseq. prob. eodem Ruv. principio, quia species naturaliter non causatur, nisi ab objecto existente in rerum natura, sed si sensationes illæ non essent alterius rationis, nulla esset sensatio amaritudinis potens causare speciem illius in sensu interno, & intellectu. Si dicas posse speciem illam causare propter indispositionem organi, ergo etiam dici poterit speciem dulcedinis mellis posse producere sensationem amaritudinis propter organi indispositionem, eadem enim utrobique militat ratio.

112 Dicimus 2. sensationes istas causari ob diversum concursum variarum specierum; explicatur prob. simul, nam cum v. g. adest impedimentum ex parte organi, qualitas illa propter majorem vicinitatem, & activitatem inficit objectum, vel speciem objecti, & quia vehementius movet sensum, omnia percipiuntur ejusdem qualitatis; sic humor ille biliosus inficit cibos, & amaros facit apparere, ut ait Ar. 2. de An. 104. *Ut cum quis prægustaverit fortem saporem, gustet alterum, & ut ægrotantibus amara omnia videntur, propterea quod per linguam plenam hujusmodi humiditate sentiunt*; sic quoque navigans cernit littus moveri, quia sensus mobiliter, & successive novas, & novas species ejusde objecti respicit; visus itericus omnia prospicit palli-

QUÆSTIO VII.

An sensus erret circa suum sensibile.

106 Omnis cognitio, cum sit repræsentativa, & expressiva objecti, habet fundare relationem quamdam similitudinis, & conformitatis ad objectum, quando scilicet illud exprimit sicuti est, & hæc conformitas, & similitudo dicitur veritas cognitionis in repræsentando, ut diximus in Log. disp. 10. qu. 2. quæ duplex est, perfecta, & convenit proprie judicio intellectus, quo determinate de re aliquid cognoscitur, & judicatur, quod convenit a parte rei; & imperfecta, & hæc cuicumque cognitioni convenire potest, etiam simplici apprehensioni, quatenus in cognitione ad objectum intervenit quædam conformitas, & similitudo in repræsentando, unde dicimus, nos vere apprehendere hominem esse animal rationale, vere albedinem videre, audire sonum, quæ veritas potest dici simplex, & incomplexa ad differentiam veritatis complexæ, & judicativæ. Ex opposito falsitas quoque est duplex perfecta, & imperfecta, prima erit difformitas judicii, quo determinate affirmamus, quod non est, vel negamus, quod est; secunda est difformitas cujuscumque cognitionis, qua res non exprimitur, sicuti est in se, & de ista loquimur in præsenti, an scilicet sensus possit errare, & decipi percipiendo sensibile aliter ac sit in se, & qua ratione contingat.

107 In hac re fuerunt duæ extremæ sententiæ antiquorum; prima fuit Academicorum, asserentium nihil certum esse in sensibus, sed omnia erroribus ita expolita, ut nulla sit eis adhibenda fides. Secunda fuit Epicureorum docentium sensus numquam errare circa sensibile. Alii mediant, negant enim proprie, & per se reperiri errorem in sensu, quia semper in cognitione sensitiva adest conformitas ad objectum, quod apprehendit, etiam quando sensus videtur apprehendere externam, aliter ac sit, quia tunc non apprehendit illam, sed aliam loco illius; per accidens tamen dicitur falli, & occasionaliter, quatenus est causa, quod intellectus falso judicet de objecto, ita Suarez disp. 9. Met. sect. 1. n. 16. & Conimb. 2. de An. cap. 6. qu. 6. art. 2. Alii vero admittunt errorem per se, non solum per accidens in actibus sensitivis, licet non in omnibus.

108 In hac re primo certum est, sensum non semper in suis actibus errare, quin verum percipiat; ita Doctor p. d. 3. qu. 4. art. 1. & 2. ubi hoc probat contra Academicos ex D. Aug. & rationibus, nam videmus quædam ab omnibus sensibus, quando non adest impedimentum, eodem modo cognosci, quædam non ita cognosci, ergo quando ab omnibus eodem modo percipiuntur, signum evidens vere a sensibus cognosci, non falso. Tum quia hoc est de fide, nam fides est notitia certa, & vera, & nonnisi mediis sensibus habetur, Joan. ult. *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*, & ad Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, & iterum: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* & Joan. epist. 1. cap. 1. *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, &c. annuntiamus vobis*; ergo si sensus semper errarent, non posset haberi in intellectu notitia aliqua certa, & vera, nec ulla scientifica cognitio, quia omnis nostra cognitio pro statu isto ortum habet a sensibus.

109 Secundo certum est in cognitione sensitiva intervenire quandoque aliqualem errorem, ut patet experientia, & ostendit Doctor cit. nam baculus in aqua fractus apparet, infirmi dulcia gustant tamquam amara, conspiciens per vitrum coloratum omnia videt illius coloris, res minus perspectæ minores videntur, & si sunt quadratæ, apparent rotundæ, & quamplura in dies experimur exempla, ut nefas sit dubitare. Verum non idcirco debemus omnem fidem sensibus denegare, omnemque certam cognitionem, & scientificam in intellectu; quia ut plurimum sensus non errant, & quando falluntur, possunt corrigi ab intellectu, ut optime demonstrat Doctor cit. G. puta in exemplo baculi in aqua corrigitur sensus visus ab intellectu, tum per sensum tactus oppositum sentientis; tum per unam propositionem quiescentem in anima; scilicet, *Nullum durius frangitur ad tactum alicujus mollii sibi cedentis*, quæ propositio nota est ex terminis, nec potest de illa dubitare intellectus, ex alia parte percipit baculum esse duriorem aqua, & aquam illi cedere, ex quibus infertur necessario baculum in aqua non frangi, & sensum visus errare, non autem sensum tactus.

110 Difficile tamen est assignare causam, ratione cujus sensus dicitur falli; pro quo est advertendum, quod tripliciter potest sensus impediri, ne rectas eliciat sensationes, primum impedimentum provenire potest ex parte organi, si esset affectum aliqua contraria dispositione, ut si in oculo esset aliquis humor noxius tendens ad rubedinem, omnia apparerent rubra, qui iterica laborant infirmitate, album tamquam pallidum vident, infirmi etiam quandoque organum gustus habent humore bilioso, & amaro imbutum, qua ratione dulcia apprehendunt ut amara; secundum impedimentum potest esse ex parte medii, si scilicet est vaporibus affectum, unde ob id astra quandoque rubra cernuntur, sic cernens per vitrum coloratum, quodlibet objectum similis coloris conspicit; item si in densitate, & opacitate differt, varias causabit sensationes, hinc baculus partim in aqua, partim in aere existens fractus, vel curvus apparet, quia aliter immittit species per aquam, aliter per aerem, qui est medium magis rarum, & diaphanum; tertium impedimentum potest esse ex parte ipsius objecti, si esset nimis distans, quo casu album apparet fuscum, & quadratum cernitur rotundum, difficultas igitur consistit in hoc, quia sensatio v. gr. amaritudinis fit non sine ipsa amaritudine, vel specie ipsius, species autem non causatur nisi ab amaritudine existente, quæ non adest in præsenti; quod si dicas, fieri ab humore bilioso amaro, sequeretur sensum tunc non decipi, quia vere apprehendit rem, sicuti est a parte rei.

Fonseca 1. Met. cap. 2. qu. 3. sect. 8. docet sensationem illam fieri per speciem objecti, quod apprehenditur, scilicet in infirmis sensationem amaritudinis per speciem ipsius, non per speciem dulcedinis, in iride per species illorum colorum apparentium, non per speciem lucis, ideoque fallitur sensus, quia percipit rem, aliter ac sit. Ruvius tract. de object. & spec. sensib. qu. 16. vult has sensationes fieri per species objecti, ut in se existentis, scilicet per speciem lucis in iride, & per speciem dulcedinis in infirmis, & consequenter quod sensatio sit ejusdem omnino rationis, ac si objectum in se absque errore sentiretur, puta quod ejusdem omnino rationis sit gustus sensatio, cum mel percipit dulce absque errore, & eum propter organi indispositionem ut amarum apprehendit.

111. Pro resolutione dicimus primo, sensationes istas esse alterius rationis, & diversæ speciei; prob. quia non minus sensus infectus percipit amaritudinem, cum mel gustat, ac quando vere gustat cibum amarum, non minus visus percipit ruborem in pagina propter rubrum vitrum, ac si vere pagina esset rubra, ergo hæ sensationes sunt ejusdem rationis, & e contra sensatio, qua mel percipitur ut dulce, & qua sentitur ut amarum, erunt alterius rationis. Tum quia sensatio amaritudinis mellis in eo sensu infecto, & sensatio dulcedinis ejusdem causant species alterius rationis in sensibus internis, & etiam in intellectu repræsentantes amaritudinem, & dulcedinem, vereque sensus, & intellectus inter ista discernit, ergo sensationes illæ sunt etiam specie distinctæ, & alterius rationis, antec. patet, conseq. prob. eodem Ruv. principio, quia species naturaliter non causatur, nisi ab objecto existente in rerum natura, sed si sensationes illæ non essent alterius rationis, nulla esset sensatio amaritudinis potens causare speciem illius in sensu interno, & intellectu. Si dicas posse speciem illam causare propter indispositionem organi, ergo etiam dici poterit speciem dulcedinis mellis posse producere sensationem amaritudinis propter organi indispositionem, eadem enim utrobique militat ratio.

112 Dicimus 2. sensationes istas causari ob diversum concursum variarum specierum; explicatur prob. simul, nam cum v. g. adest impedimentum ex parte organi, qualitas illa propter majorem vicinitatem, & activitatem inficit objectum, vel speciem objecti, & quia vehementius movet sensum, omnia percipiuntur ejusdem qualitatis; sic humor ille biliosus inficit cibos, & amaros facit apparere, ut ait Ar. 2. de An. 104. *Ut cum quis prægustaverit fortem saporem, gustet alterum, & ut ægrotantibus amara omnia videntur, propterea quod per linguam plenam hujusmodi humiditate sentiunt*; sic quoque navigans cernit littus moveri, quia sensus mobiliter, & successive novas, & novas species ejusde objecti respicit; visus itericus omnia prospicit palli-

pallida, vel rubeo humore affectus omnia conspicit rubra, quia species rerum inficiuntur ab illa qualitate, quæ in parte vicinore oculorum propriam immittit speciem, quæ propter propinquitatem fortius movet visum, & omnia ejusdem coloris facit apparere; hæc quoque est ratio, cur per medium coloratum cernimus omnia ejusdem coloris; similiter, quando est variatio dispositionum medii in crassitie, & diaphaneitate, quia species franguntur, & non perveniunt recta linea ad visum, & consequenter faciunt apparere objectum in alio loco, puta in eo, unde radius recta linea incipit movere potentiam, qui locus propior est illo, in quo residet pars baculi existens in aqua, species vero alterius partis in aere existentis, quia transeunt per medium uniforme, non franguntur, sed recta linea a baculo ad oculum mittuntur, unde repræsentant baculum in eodem loco, in quo est, & propter hanc diversitatem repræsentationis baculus apparet fractus, vel curvus. Tandem quando impedimentum est ex parte objecti, causa erroris est ipsa species objecti, si enim est nimis distans, quia omne agens agit uniformiter difformiter, species in majori distantia est imperfectior, & per consequens imperfectius repræsentat objectum, hinc album apparet fuscum, magnum conspicitur parvum, quadratum cernitur rotundum. Et quoniam ex commixtione lucis, & opacitatis resultant colores apparentes, idcirco dantur species illos repræsentantes, ut in iride, & collo columbæ; quapropter causa erroris sensus semper est species aliqua sensibilis, vel a proprio objecto simul cum aliis admixta, & causata, vel aliqualiter a medii dispositione, vel conditione objecti alterata.

113 Contra prædicta insurgit Ruvius, quia vel cibus inficitur ab humore biliosо recipiendo veram amaritudinem, vel per applicationem alicujus humoris, scilicet salivæ, vel alterius similis; non primum, quia sapor solum fit ex alteratione primarum qualitatum, & non est alterius similis productivus, non videtur autem tam brevi tempore posse fieri alterationem in primis qualitatibus, ut varietur dulcedo in amaritudinem; si secundum, ergo quia ista applicatio fit secundum extimas partes, non secundum internas, solum partes extremæ percipientur amaræ non internæ, quæ tamen immittunt speciem dulcedinis, & consequenter quia istæ sunt in majori copia, superabunt amaritudinem extremorum, unde semper cibus dulcis sentiretur, quod est contra experientiam. Tum quia sensus non diceretur errare, quia perciperet objectum ut est repræsentatum a parte rei per speciem. Tum 3. nequit objectum cognosci a sensibus externis, nisi sit existens, & immittat speciem sui, sed in melle nulla est amaritudo, ergo nequit sensus habere speciem amaritudinis a melle, nec illam in melle percipere. Quod fortius urget in coloribus apparentibus, quia colores in iride & in collo columbæ a parte rei non existunt, ergo non possunt producere species repræsentantes ipsos. Si dicas, species istas produci a luce, & opacitate; præterquam quod est falsum, quia species a proprio objecto habet produci, non ab alio specie distincto, ut species albedinis ab ipsa albedine non a nigredine, lux autem, & color specie differunt; adhuc urgetur, quia in cognitione intuitiva saltem objectum in propria existentia debet terminare illam cognitionem, non autem ut relucet in specie, sed colores illi vere non existunt, sed sunt apparentes, ergo nequeunt terminare visionem coloris rubei, aut viridis, sed hæc visio erit ejusdem rationis cum illa, qua lumen, vel lux conspicitur sine deceptione.

114 Resp. cibum utroque modo inficі; nam per admixtionem salivæ alteratur cibus, ut omnes concedunt, & ideo potest etiam amaritudinem recipere, licet non tam subito, sed præcipue quia partes humectantur, & quamvis sint externæ, adhuc producent speciem amaroris, nec internæ sufficient ad vincendum totaliter amaritudinem; nam impediuntur ab externis, sicut si corpus totaliter nigrum albo quodam corpore tenue liniretur, itaut nigredo transpareat aliquantulum, certe plures sunt partes nigredinis, quam albedinis, & tamen istæ sufficienter impediunt illas, ne perfecte videantur; præterquamquod quia gustus fit per contactum, qui exercetur per partes extimas, si hæ sunt impeditæ, parum juvant internæ ad sensanem. Ad 2. consideretur sensatio in ordine ad objectum, prout est a specie repræsentatum, concedimus nunquam proprie falli, & in hoc sensu vera est sententia Suarez, & Conimb., quo sensu etiam loquuti sumus in Logic. disp. 3. q. 4. art. 1. & disp. 4. de Cœlo nu. 88. attamen deceptio, vel veritas potius attendi debet in ordine ad objectum in se existens, & a parte rei, aliter raro esset falsitas in intellectu, quia semper fere percipit objectum, ut a specie repræsentatur; tum quia ex eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa, non ex eo, quod res repræsentatur a specie, & quia sensus non apprehendit objectum, sicuti est, ideo dicitur decipi; ita docet Arist. 2. de An. 63. & 161. Dices vere mel ab humore biliosо affectum est amarum, ergo apprehendit illud, sicut est. Resp. in hoc casu fallitur, quatenus judicat deinde amaritudinem illam esse intrinsecam melli; attamen cum videntur objecta rubra, vel pallida propter ruborem, aut pallorem medii, vere sensus non apprehendit illa, ut sunt in se, ideoque fundat difformitatem ad illa, & falsitatem. Quod additur de coloribus apparentibus, solvemus disp. seq. petit enim longiorem discussionem de luminis, & coloris natura.

Secundo arguitur ex Arist. 2. de An. 63. docente, sensum circa sensibile proprium non decipi, bene tamen circa sensibile commune, ergo circa proprium objectum non errat sensus.

115 Pro solutione hujus difficultatis multum laborant expositores, ut ostendant, quo modo contingat error circa commune sensibile, & non circa proprium; eo vel maxime, quod æque sensus videtur errare circa utrumque. Si enim dicatur, sensum posse errare circa objectum proprium materiale, seu ut est a parte rei, non autem formale, & ut a specie repræsentatur; aut non posse errare circa proprium, dummodo non adsint impedimenta assignata, vel aliquod ex illis; hoc idem de sensibili communi poterit dici; nam necessario apprehenditur a sensu, prout a specie repræsentatur, & si adsint omnia requisita, non contingit error circa illud. Si dicatur non committi errorem circa proprium in genere, ut visus non errat circa colorem in communi percipiendo, quod non est color, ac si esset color, nec auditus circa sonum, ut cognoscat non sonum pro sono; falli tamen circa proprium in specie, accipiendo unam speciem pro alia: hoc idem de sensibili communi dici potest; numquam enim contingit percipere non sensibile commune pro sensibili; licet possit decipi in particulari, accipiendo scilicet motum pro quiete, ut cum apprehendimus astra ut quiescentia, cum tamen moveantur, & e contra quietem pro motu, ut accidit navigantibus, quibus littus apparet moveri; item potest una figura accipi pro alia.

116 Pro resolutione advertendum, quod duobus in locis hoc asseruit Aristot. videlicet in 2. de An. 63. & in text. 161. & utrobique *se clarissime explicat, in quo sensu loquatur*; adest tamen hoc discrimen, quod in text. 63. ait sensum non decipi circa proprium sensibile, non tamen subjungit posse decipi circa sensibile commune, sed hoc est ab expositoribus additum; in text. 161. ait quidem circa commune sensum errare, sed adhuc idem concedit circa proprium, & solum affert differentiam, quod circa proprium parum contingit falli, circa commune sæpius, hæc sunt verba textus, *Sensus quidem propriorum est verus, aut quam paucissimum habens falsum, quod enim album sit, non est falsus, si autem album hoc, aut aliud quiddam, falsum est*; *Circa communia maxime jam est decipi secundum sensum*. Quapropter in primo loco Arist. docuit sensum circa proprium non decipi, loquendo de proprio in genere, qualis est color respectu visus, sonus respectu auditus, sapor respectu gustus, &c. ut ipsemet se exponit, ait enim, *Dico autem proprium quidem, quod non contingit alio sensu sentiri, & circa quod non contingit decipi, ut visus coloris, & auditus soni, & gustus saporis, sed unusquisque judicat de his, & non decipitur, quod color sit, neque quod sonus, sed quid sit coloratum, aut ubi, aut quid sonans, aut ubi*: deinde definiens commune sensibile ait; *Communia autem motus, quies, numerus, figura, magnitudo, hujusmodi enim nullius sunt propria, sed communia omnibus*; ubi ut patet, non addit, quod circa illa contingit decipi, eo quia nequit error accidere circa sensibile commune in genere, sed solum in specie, ut diximus, illa enim quinque se habent ut species sub sensibili communi, sicut albedo, & nigredo sub colore; nam omnia illa quinque spectant ad eundem sensum, sicut omnes species coloris ad visum. In secundo loco docuit pluries decipi circa sensibile commune, quam circa proprium, quia etiam cum objectum est distans, quandoque non contingit errare circa proprium, sed solum circa commune, ut patet in astris, quæ licet maxime distantia, apparent tamen lucida, unde visus non errat circa lucem, quæ est sensibile proprium, & tamen quiescentia, parva, & plana cernuntur, cum sint in continuo motu, rotunda, & ingentis molis; quod est errare circa sensibile commune; sic navigans non errat circa colorem littoris, sed circa quietem. Ratio hujus assignari solet, quia sensibile proprium movet per propriam speciem, at sensibile commune per speciem sensibilis proprii, ideoque species fortius movet pro sensibili proprio, quam pro communi, & consequenter facilius decipitur sensus circa commune, quam circa proprium.

117 Ex his colligas, sensum, ut percipere possit objectum suum particulare, debere carere natura, vel gradu sui objecti; quod magis declarabitur disp. seq. dum agemus de sensu tactus.

Solet adhuc quæri de objecto sensibili in communi, quomodo se gerat in ordine ad sensum, scilicet num necessario debeat esse præsens in se, an vero sufficiat, quod in specie reluceat; an debeat existere modo divisibili, itaut si indivisibiliter existeret, ut Corpus Christi in Eucharistia, possit videri, saltem supernaturaliter; item num si supra sensum ponereturr, faceret sensationem, an vero necessario requirat medium interjacens; rursus num vehemens sensibile lædat sensum, & similia; sed hæc omnia nec ad objectum sensibile in communi, nec ad sensum ut sic attinent, sed potius ad sensibile externum, & ad sensus externos in particulari, ideoque solutiones harum difficultatum in seq. disp. adducemus q. 7.

DISPUTATIO QUINTA.

De potentiis sensitivis in particulari.

Post traditam intelligentiam de potentia sensitiva in communi, ad speciales potentias nunc descendimus; quia ut innuimus præced. disp. quæst. 2. prima sui divisione hæc potentia dividitur in sensitivam, appetitivam, & loco motivam; sensitiva vero in internam, & externam; primo de externis agemus, quia priores sunt in operando, præexiguntur enim internis sensibus, deinde de internis, postea de appetitiva potentia, ac ejus passionibus, eo quia appetitus cognitionem præsupponit objecti proprii, & consequenter posterior est in operando ipsa cognitiva potentia, & tandem de potentia loco motiva, quæ est appetitivæ subordinata, & ultima in operando, ut videbimus.

QUÆSTIO PRIMA.

Numerus, & perfectio externorum sensuum assignatur.

1 Dividuntur sensus exteriores ab internis, eo quia sensus interiores intra cranium, & in cerebro exercent proprias functiones, nec habent organa, sive instrumenta extrinsecus posita, sicut exteriores, quorum organa omnia sunt extra cerebrum, sed a cerebro dependentia, ut videbimus.

Quinque autem esse sensus corporis externos omnium tum Philosophorum, tum Theologorum concordat authoritas (uno excepto Scaligero, qui titillationem venereamm pro sexto sensu distincto ab aliis addidit exerc. 286. sect. 3. & 297. sect. 4.) scilicet visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum: hujus numeri rationem assignavit in 2. de An. a text. 128. ut vidimus in expositione textus. Aliam sufficientiam attulit Doctor in lib. de An. quæst. 6. & primo supponit, quod omnis cognitiva potentia elicit propriam operationem per quandam assimilationem proprio objecto, quod non potest præstare, nisi immutetur ab illo per receptionem speciei, & a diversis objectis diversæ species imprimuntur per diversas immutationes in organis factas; duplex est autem immutatio in genere, alia naturalis, qua forma recipitur in passo secundum esse reale simile formæ in agente existenti; alia intentionalis, seu animalis, qua forma recipitur non secundum esse reale, nec secundum conditiones, quas habet a parte rei, sed intentionale, quia scilicet species formæ recipitur in organo, qua potentia potens est sensationem elicere. Hoc supposito probat Doctor numerum quinarium sensuum externorum ex diversitate immutationis organi ab objecto, quia aliquando sensus immutantur intentionaliter tantum, aliquando vero etiam naturaliter; si primum, sic est visus, qui solum species recipit ab objecto, nec aliqua naturalis mutatio intervenit in visione; si secundum vel hæc immutatio naturalis ex parte objecti, vel ex parte organi; si primum, aut fit mediante motu locali, & sic est auditus, qui fit a sono multiplicante se per aerem usque ad auditum per motum localem; aut fit per motum alterationis, & est olfactus, odor enim evaporat ab objecto mediante calefactione, unde in hyeme vix odoratur corpus odorabile; si vero immutatio est ex parte organi, vel fit per eandem qualitatem sensibilem, & sic est tactus, qui v. g. ab eodem calore, & naturaliter, & intentionaliter immutatur, vel fit per aliam, & sic est gustus, qui naturaliter immutatur a qualitate tangibili, intentionaliter vero a sapore; secundum autem motum quantitatis non fit peculiaris mutatio, quia quantitas est sensibile commune, ideoque non requirit proprium sensum. Cum igitur omne objectum sensibile quinque modis fit immutativum organi sensitivi, sequitur, quinque erunt exteriores sensus.

2 Verum hæc ratio, sicut & illæ, quas adducit Aristot. in text. non sunt demonstrativæ, itaut ostendant non posse simpliciter dari alios sensus externos, ut optime advertunt Doctores, quia nulla apparet repugnantia, quod alii sensus dari possint de potentia Dei absoluta alterius rationis ab istis, & immutabiles ab aliis qualitatibus sensibilibus, aliisque modis ab istis diversis, quia & potentia Dei est infinita, & species rerum possibiles sunt fincathegorematice infinitæ tam in numero, quam in perfectione; solum ergo sunt probabiles rationes. Et certe evidentius nequit ostendi hic numerus, quam ab experientia, quia scilicet quinque sensus reperiuntur saltem in perfectis animalibus, & sunt specie inter se distincti, cum habeant diversa omnino adæquata objecta, diversosque eliciant actus, a quibus habent specificari potentiæ; nec alios sensus ab istis experimur, ergo de facto solum quinque externi sensus dantur, nec plures, nec pauciores. Tum quia omne sensibile, vel est visibile, vel audibile, vel odorabile, vel gustabile, vel tangibile.

3 Contra arguitur primo, quod sint pauciores; Tum quia inferius non distinguitur a superiori, nec ponit numerum cum eo, sensus gustus est inferior ad sensum tactus, imo est quidam tactus ex 2. de An. text. 101. & 2. de part. anim. cap. 3. ergo, &c. Tum 2. unus est intellectus erga omne intelligibile, unus sensus communis erga omne sensibile, unica potentia motiva in omnibus membris; ergo unus sensus externus. Tum 3. unica est sensitiva virtus in cerebro residens, quæ postea in organis diversos efficit actus, ergo unica potentia sensitiva externa, prob. conseq. quia cerebrum est principale instrumentum sensationum externarum, nam etsi oculus integer, & sanus existat, si nervus opticus est læsus, impeditur visio, quia nequeunt species visibiles ad cerebrum permeare, signum evidens, omnes sensationes fieri in cerebro.

Resp. ad primum, gustum, ut suo loco dicemus, esse quodam modo tactum, non formaliter, sed materialiter, quatenus sapor, quod est objectum formale gustus, est quædam qualitas secunda a primis qualitatibus proveniens, quæ sunt objectum formale tactus. Ad 2. neg. paritas, quia quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt in superioribus unita, & maxime quia sensus externi requirunt organa specie diversa ut possint diversas species objectorum recipere, determinataque exigunt dispositiones, ut notat Doctor 2. d. 3. q. 8. ad 3. non sic intellectus, & sensus communis; potentia vero motiva est eadem in omnibus membris, unumque operandi modum habet. Ad 3. neg. assumptum, quia ut ex dicendis patebit, diversa sunt organa, & sensoria externa a cerebro distincta, si cerebrum esset immediatum instrumentum sensus, in ipso solum fierent sensationes externæ, aut saltem, quo magis membra distarent a cerebro, eo imperfectiores elicerent sensationes, quod est falsum, quia tactus maxime viget in extremis digitorum; quare ad arg. dicimus in casu visionem impediri, quia ad sensationem exiguntur spiritus animales, qui a cerebro per nervos derivant, & hæc effluxio impediretur propter læsionem nervi optici. Neque dicas saltem ante læsionem erant in nervis alii spiritus, ergo poterat per illos exerceri sensatio. Non valet, quia spiritus facile effluunt, & exhalant, ideoque exigitur perennis quidam fluxus, & refluxus spirituum e cerebro.

4 Secundo argum. quod sint plura, quantitas, figura, &c. sunt per se sensibilia, ergo debent habere proprios, & peculiares sensus, patet conseq. quia magis differt magnitudo a colore, quam sonus ab eodem, sonus enim, & color sunt ejusdem prædicamenti, at color, & magnitudo differunt prædicamento, ergo si sonus, & color petunt diversos sensus, multo magis magnitudo, & color. Tum 2. unus sensus est tantum unius contrarietatis, sensus tactus est plurium contrarietatum, ex 2. de Anim. 106. quia quatuor sunt primæ contrarietates, ergo tactus non est unus, sed multiplex. Tum 3. dari debet quædam potentia sensitiva externa, quæ animadvertat objecta singulorum sensuum; nam sæpe ex inadvertentia non eliciimus sensationes, quamvis sensus sint informati speciebus, & hæc advertentia est distincta ab actibus horum quinque sensuum, quia præcedit, ergo sex potentiæ externæ. Tum 4. fames, sitis, dolor, voluptas, & similia sentiuntur, sed id non fit per aliquem sensum ex enumeratis. Tum 5. delectatio, seu titillatio venerea licet sequatur ad sensum tactus, est tamen diversa, habet organa propria, & in parte corporis determinata fit, ergo sicut gustus est sensus distinctus, licet præsupponat tactum, eo quia non est in toto corpore, sed in parte certa, & habet delectationem distinctam, idem de titillatione dicendum; hinc ait Scaliger gustum esse institutum a natura ad conservationem individui, titillationem ad conservationem speciei.

5 Resp. ad 1. ex Scot. cit. magnitudinem & colorem licet in esse rei magis differant, quam color, & sonus, attamen in esse sensibili, & objectivo magis convenire, quia quantitas est sensibile commune, sonus est sensibile proprium. Ad 2. ait idem primas qualitates in esse sensibili convenire in quodam genere innominato, quod posset vocari tangibilis qualitas, sicut omnes colores conveniunt in hoc genere visibilis qualitatis in esse sensibili, de quo suo loco. Ad 3. dicimus advertentiam potentiæ non esse quid distinctum ab actione potentiæ, sed esse ipsammet tendentiam potentiæ in objectum per elicitionem actus sensationis, quæ aliquando impeditur, quia potentia est circa aliud objectum vehementer applicata. Ad 4. illa omnia, si sumuntur pro actu sentitivi appetitus, non sentiuntur per se sensu externo, si sumuntur materialiter, sic percipiuntur saltem sensu tactus; nam fic fames dicit compressionem stomachi provenientem ex eo, quod venæ vacuæ alimentum e stomacho attrahere conantur; dolor supponit læsionem corporis, quæ vel est separatio partium perfectiorum, aut

aut contractio, aut dilatatio, quæ fit, aut frigore, vel calore, compressione, vel disjunctione partium, tristitia supponit contractionem cordis, voluptas ejusdem dilatationem, & ratione horum actuum dicuntur a sensibus externis percipi. Ad 5. neg. paritas, quia in sensu gustus adest nova delectatio proveniens ex sensatione aliarum qualitatum a tangibilibus, scilicet a sapore, idcirco est sensus distinctus a tactu, at delectatio venerea non provenit, nisi ex sensatione qualitatum tangibilium, & licet sit in determinata parte corporis, hoc provenit, quia ibi maxime viget sensus tactus propter multitudinem venularum, & nervorum, ac propter optimam temperiem materiæ transeuntis leniter adblandientis, maxime aptæ ad sensationem tactus præcipue propter calorem, cujus est dilatare cot, accedit etiam vis imaginativa, quæ magnam habet partem in operationibus animalium, vide q. 10.

6 Quoad nobilitatem, & perfectionem horum sensuum sunt, qui auditum præferunt, alii tactum, communiter visus præ cæteris commendatur; Auditus quidem est utilis interdiu, & noctu, vigilantibus, & dormientibus, nam dormientes sono perterriti possunt se tueri, facit quoque hominem animal sociabile, est enim in narratione, & auditione societas; & maxime ad acquirendas scientias inservit, quisque enim nostrum doctore indiget, ut pleniorem habeat cognitionem rerum omnium, imo sine auditu non posset homo Deum ipsum cognoscere, ejusque divinam Legem apprehendere, similis bestiis omnino evadit, unde Arist. de sensu, & sensib. c. 1. in fine ait, *Quare a nativitate privatorum utroque sensu* (scilicet visu, & auditu) *prudentiores sunt cæci mutis, & surdis.* Tactus est nobilis propter suam communitatem, omni enim animali convenit, nam nullum animal sine eo existere potest ex 3. de An. 62. bonum autem quo communius, eo præstantius. Nec gustus caret propria utilitate, maxime enim inservit ad conservationem corporis. Olfactus inter omnes sensus minimam habet necessitatem, & minimam utilitatem confert, quia odores non sunt necessarii ad vitam tuendam, imo quia multo plures sunt fætidi odores, quam optimi, sequitur ex olfactu hominem majorem percipere tristitiam, quam oblectationem. Utilitas, necessitas visus, & perfectio ex multis capitibus oritur, nam est objecti nobilioris, & universalioris, sicut est lux, & color, lux enim convenit etiam cœlestibus corporibus, estque inter omnia alia sensibilia qualitate simplicior, purior, & immaterialior. Actus insuper videndi est certior quolibet alio actu sensibili cæteris paribus, unde objecta visus fortius movent phantasiam, & intellectum, ut patet in somniantibus, qui magis somniant de rebus visis, quam de aliis perceptis ab aliis sensibus; tum quia potest duo contraria simul distincte cognoscere, quod aliis sensibus non competit, vel saltem non ita perfecte, quia vel sensatio unius impedit alterius sensationem, vel si ambo contraria percipiuntur, hoc fit indistincte, & confuse. Possemus etiam per visum cognoscere magnitudinem cujuscumque molis, quod nequit fieri aliis sensibus, & tandem organum visus est nobilioris complexionis cæteris sensoriis.

7 Pro resolutione tamen distinguendum est de perfectione, ut secimus disp. 4. de Cœlo n. 5. dum comparavimus elementa inter se quoad perfectionem, videlicet, quod si attendamus nobilitatem penes majorem, vel minorem utilitatem, sic sensus gustus, & tactus sunt cæteris præferendi, quia gustus, & tactus sunt simpliciter necessarii ad conservationem animalis, quod potest sine aliis sensibus vivere, non tamen sine istis; unde vocari solent sensus necessitatis, cæteri vero dicuntur sensus commoditatis, & ultimum locum tenet olfactus, ut diximus; at si nobilitas consideretur in gradu essendi, quæ est vera acceptio, sic visus est aliis præferendus, sequitur auditus, deinde olfactus, postea gustus, & ultimo tactus; ita communis cum Arist. in lib. de sensu, & sensil. cap. 1. probat hoc Doctor in lib. de An. q. 6. cit. eo quia perfectius immutatur visus, quam alii sensus, scilicet cum minori mutatione, nam solum intentionaliter mutatur ab objecto; auditus, licet immuretur intentionaliter cum mutatione naturali, hæc tamen se tenet ex parte objecti, & solum fit per motum localem, qui est primus motuum; post hunc sequitur olfactus, qui admittit in objecto majorem mutationem naturalem, qualis est alteratio; gustus minorem mutationem naturalem in se admittit, quam tactus, ille enim immutatur a qualitate distincta a proprio objecto, iste vero a proprio objecto; ex perfectiori autem operandi modo arguitur perfectio major, vel minor potentiæ; accedunt rationes adductæ pro visu; hinc naturaliter magis diligimus visum, quam quemlibet alium sensum, ex quo deducit Arist. in proœm. met. majorem illius perfectionem.

8 Dices, sensus auditus facit magis scire, quam visus, cæci enim a nativitate, aliqua apprehendunt, imo & prudentissimi evadunt quandoque, quod nunquam experimur in surdis a nativitate, ut docet Arist. lib. de sensu, & sensil. c. 1. Tum 2. visu non ita certificatur intellectus noster, nam baculus in aqua repræsentatur a visu fractus intellectui, a tactu vero integer ostenditur; & Leo Papa in serm. Paschæ, prætulit tactum Thomæ visui ejusdem quoad certitudinem cognitionis fidei. Tum 3. tactus est plurium contrarietatum, visus est tantum unius contrarietatis. Tum 4. primæ qualitates sunt nobiliores secundis, & tamen sunt objecta tactus, secundæ vero sunt objecta aliorum sensuum, ergo si tactus habet nobilius objectum, erit perfectior. Tum 5. magis odio habemus oppositum tactus, quam oppositum visus, quia oppositum tactus destruit animal, ergo magis diligimus tactum, quam visum, ergo tactus est perfectior.

9 Resp. ad 1. dupliciter possumus scire, vel per disciplinam, vel per inventionem, secundo modo magis juvat visus, quam auditus, primo modo magis confert auditus, non tamen per se, sed per accidens, scilicet non ratione proprii objecti sensibilis ut sic, sed per accidens ratione alicujus convenientis objecto auditus; objectum enim auditus est sonus ut sic, cui accidit, quod significet internos animi conceptus, hæc namque significatio convenit sono ex voluntate primi instituentis; ratione hujus significationis juvat auditus ad acquirendas scientias, non quatenus sonus est; quare solum infert perfectionem utilitatis, non absolutam. Ad 2. assumptum est verum, si visus impediretur in visione, ut in exemplo baculi adducto, at cæteris paribus semper visus magis certificat intellectum; D. Leo intelligitur de objecto prius per visum cognito, nam accedente deinde tactu, magis certificatur intellectus. Ad 3. patet ex dictis n. 5. Ad 4. non concludit de visu, qui ad lucem se extendit independentem a primis qualitatibus; nec etiam universaliter concludit de aliis, quicquid sit in esse rei, tamen in esse objectivo, & sensibili habent secundæ qualitates perfectiorem immutandi modum, quam primæ, ut diximus. Ad 5. concludit solum majorem perfectionem necessitatis, non absolutam; quod concedimus.

QUÆSTIO II.

De sensu visus.

A Visu incipimus, ut a principaliori, de quo videbimus primo, quidnam sit illud, quod ex parte corporis concurrat ad constituendum visivum potentiam totalem, & completam, quod organum, seu sensorium appellari solet, deinde objectum ipsius explicabimus, & tandem modum, quo fit visio, ex quibus innotescet potentia visiva partialis ex parte animæ; loquemur autem præcipue de sensoriis, & organis humani corporis, utpote nobilioribus.

ARTICULUS I.

De organo, & subjecto visus, quibusque conveniat.

10 Organum, seu instrumentum, quo potentia visiva animastica utitur ad visionem eliciendam, est oculus, cujus figuram, situm, fabricam, & temperamentum breviter explicabimus, deinde in qua determinata parte resideat visiva potentia, & tandem quibus conveniat animalibus.

Oculi figura maxime accedit ad sphæricam, hæc enim figura in se est perfectissima, & oculo convenientissima, nam sic facile moveri potest in omnem partem; tum quia, ut inquiunt Perspectivi, nisi oculus esset rotundus, non posset percipere, nisi objectum sibi æquale, & quidem directe oppositum, nam visio, ajunt, fit per lineas rectas ab objecto perpendiculariter cadentes in oculum, quare concursus fit in centro oculi, unde si oculus esset planus, non possent ab objecto majori duci ad oculum plures lineæ perpendiculariter cadentes in oculum, quia cum lineæ perpendiculariter cadentes in planum sint parallelæ, non possunt a se magis esse separatæ, quam in oculo, & numquam occurrerent in centro oculi.

11 Situs oculorum est convenientissimus, scilicet in suprema corporis parte, tanquam in specula, ut inde animal mala toti corpori imminentia prospicere, & præcavere possit, & pariter bona etiam deprehendere, & sectari, qua de re vide plura apud Conimbr. 2. de An. c. 7. qu. 6. & in probl. de sensibus sect. 1. non tamen collocantur oculi in vertice, sed paulo dimissius, idque ea parte, ad quam fit motus (licet quædam animalia ut cancri in vertice retineant, attamen habent tunicam validam, qua facilius ab offensis sese tuentur) tum quia si essent in vertice, forent inutiles, & nonnisi Cœlum contemplari possent; parum tuti essent ab injuriis pluviarum, pulverum, aut similium; at vero eo loco recte muniuntur, latent intra cavitatem osseam, & fronte, naso, ac genis prominentibus, quasi vallis, ac propugnaculis cinguntur; præterea superne proteguntur a superciliis, quæ sudorem e fronte defluentem imbibunt, ne sua acrimonia oculum lædat, denique palpebris tanquam veste teguntur, quarum extremitates quibusdam pilis instructæ tanquam flabellis continuo ab oculis pulviculos arcent. In duplici vero loco sunt collocati oculi, geminosque tribuit natura, quia ea est utilitas visus, atque necessitas, ut eo ægre carere animus possit, atque ideo gemines concessit natura, ut si unus deficiat oculus, superfit alter; & ut facile possint omnia intueri.

12 Ad fabricam, & structuram oculi concurrunt tres humores, quinque tunicæ, sex, vel septem musculi, & duo nervi, quæ omnia sic sunt dispositæ: Primo in centro oculi est humor crystallinus, sic dictus, quod pelluciditate sua crystallum referat, non tamen duritie. Secundo, est exigua tunica undique complectens illum humorem crystallinum, seu *glacialem*, quæ ob subtilitatem *Aranea*, ob nitorem *Specularis* nuncupatur, & ex ipsa, & crystallino humore pupilla oculi conflatur. Tertio, globulum istum sequitur humor quidam crassior, non omnino fluidus, *Vitreus* appellatur, quia vitro liquefacto similis, in quo pupilla innatat, sic tamen, ut aliqua sui parte emineat extra humorem vitreum, sicut si ligneus globulus in aqua immersus existeret. Quarto, sequitur tunica *Beticularis* dicta, quod in illa sint multæ venulæ sese intersecantes ad nutritionem oculorum concessæ, quæ tunica ambis totum humorem vitreum, non tamen ea parte, qua crystallinus humor supra vitreum extat. Quinto, est tunica

alia, quæ a figura dicitur *uvea*, quia est uvæ folliculo similis, a quo pendulo detracto, foramen relinquitur, sic tunica ista foramen habet; nam reticularem totam ambit, & parrem illam pupillæ illo foramine relinquit discoopertam; a colore dicitur nigrum oculi; quia non est ejusdem coloris cum reliquis, sed ad nigrum tendens, ut sua opacitate species in pupilla receptæ reflectantur, ut contingit in speculo; non est tamen in omnibus ejusdem coloris, sed variis, maxime in hominibus, unde varietas oritur oculorum in colore, ut aliqui sint cæsii, seu glauci, quales sunt oculi felium, leonum, noctuarum (est enim quidam color subviridis albo mixtus) aliqui sunt nigri, alii flavidi, &c. Sexto sequitur tertius humor *Albugineus* dictus similis albo ovi, qui etiam pupillam non obtegit, nec partem aliquam uveæ tunicæ; ab aliis *Aqueus* vocatur, ut sua humiditate pupillam humectatam conservet. Septimo, est quarta tunica, quæ dicitur *Cornea*, quia dura, & pellucida est ad modum corneæ laminæ subtilissimæ, totum oculum, etiam pupillam ipsam muniens duritia sua, non tamen impedit, quia transparens. Octavo, est alia exigua pellicula totum oculum ultimo ambiens quæ *Pericranium* vocatur, quia oritur a tunica ambiente calvariam, dicitur etiam *Adhærens*, *Adnata*, nam totum oculum firmat.

13 Ad hanc oculorum compositionem quasi extrinsece spectant sex musculi (ab aliis septem numerantur) & duo nervi; musculi sunt veluti ligamina quædam, quibus oculi moventur ad quamlibet partem sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, & in circumferentiam, vide Vesalgium in Syntagmate Anathomico c. 15. Duo nervi oculis inservientes *Visorii* dicuntur, vel *Optici*, qui a cerebro dimanant & ad oculos tendunt, ita tamen ut qui a dextera oritur, tendat ad sinistram, & qui a sinistra, incedat ad dexteram, & in unum coeant, itaut ex amborum concavitatibus fiat una concavitas; deinde rursus dividuntur, & ad geminos oculos terminantur, suntque duabus tunicis obtecti, interna tenui, a qua uvea tunica provenit, externa dura, a qua cornea ducit originem; ab his nervis spiritus animales a cerebro in oculos diffluunt, & ab oculis ad cerebrum species deferuntur.

14 Temperamentum oculi a Galeno & aliis ponitur igneum; rectius ab Arist. lib. de sensu, & sensil. cap. 2. ponitur aqueum scilicet humidum, & frigidum, & patet ex variis humoribus, quibus componitur, & in expurgatione multum exit humiditatis; tum quia in fœtu oculi ultimo loco perficiuntur, quia humor, & frigus, quibus abundant oculi, difficilius concoquuntur, ut ad certum temperamentum redigantur; quia si calidi essent, metuendum foret, ne nimium exarescerent, atque ita suo officio fungi non posset, oculus enim nimium siccus non bene videt; tum quia si essent igneæ substantiæ, essent quoque lucidi luciditate ignea, unde in tenebris lucerent, & illuminarent aerem. Et quamvis oculi felium, aliorumque *animalium* noctu luceant; hoc non arguit totius oculi temperamentum igneum esse, sed tantum, ut dicemus, habere lumen quoddam insitum; tum quia non est universale in omnibus. Nec obstat, quod oculi velocissime moveantur, quasi quod sint igneæ naturæ; sicut ea animalia, in quibus abundat calor, agilius moventur, quam ea, in quibus abundat flegma; tum quia quæ sunt naturæ colericæ, & igneæ-flammeos pene habent oculos. Non valet, quia velocitas motus referri potest in lubricitatem eorundem, in causam motivam, & copiam spirituum, qui per nervos opticos ad oculos derivantur; hinc quia homines colerici plures, & vivaciores spiritus transmittunt ad oculos, videntur habere oculos, quasi igneos. Nec tandem refert, quod Arist. ipse in probl. sect. 31. art. 30. vocaverit visum igneum; Nam hoc vel dicit vulgariter, & in sensu populari; vel igneum vocavit respiciendo copiam spirituum, non ipsam oculi substantiam; hæc enim ut patet ex ipsa oculi incisione, aquea est, & a cerebro humido, & frigido originem ducit.

15 Explicatis partibus oculi, ex quibus integratur, videndum est, in qua parte ut in subjecto proxime resideat visiva potentia, certum enim est, visionem non fieri in omnibus istis partibus; nam una læsa, scilicet humore albugineo, adhuc potest fieri visio; Avicenna 6. natur. p. 3. c. 8. Crivell. lib. 1. perspect. c. 9. concl. 6. Vitell. lib. 3. theor. 2. verum organum visus, & sensorium ponunt in illa conjunctione nervorum opticorum, & ita videtur sentire Scot. 1. d. 3. q. 4. G. sequitur Fernandez lib. de facult. tract. 1. q. 4. ad 4. & alii. Medici fere omnes cum Gal. l. 8. de usu partium c. 6. Conimb. 2. de An. cap. 7. q. 7. art. 3. Ruv. tract. de sensu visus q. 8. Suarez 3. de An. c. 18. Aversa q. 54. sect. 1. Roccus 2. de An. q. 36. Contar. de An. qu. de visione cap. 8. Zab. lib. 1. de visu l. 8. Moris. disp. 2. de An. q. 7. Arriaga disp. 5. sect. 3. n. 43. Hurt. disp. 17. sect. 2. ex nostris Cavellus disp. 2. de An. sect. 9. dub. 5 & quamplures alii organum statuunt in humore crystallino. Alii in aliqua ex illis tunicis præcipue aranea, ita Tol. 2. de An. q. 16. At Complut. disp. 10. de An. q. 6. Jo. de S. Th. q. 5. art. 1. & Bannez p. p. q. 78. art. 3. tract. de visu dub. 2. docent, potentiam visivam complete integrari ex crystallino humore, & nervis opticis, & præcipue ex illa parte, ubi prædicti nervi conjunguntur.

16 Dicimus tamen cum communiori sensorium visus in humore crystallino constitui debere, non in tunica aliqua præcise, nec in nervis opticis; ita videtur supponere Arist. 1. de gen. anim. cap. 5. & 1. de hist. anim. cap. 9. & lib. de sensu, & sensil. cap. 1. & prob. de tunicis, quia tunicæ sunt membra ad alia ordinata, unde potius sunt propter humores, quam e contra, unde nec sensus interni in tunicis cerebri resident, sed in ipso cerebro; non negamus tamen quin tunica aranea inserviat pupillæ, imo videtur pars integralis, & ad summum posset poni simul cum crystalloide constituere completum sensorium.

Deinde, quod in nervis opticis non fiat visio prob. quia nervi sunt naturæ terrestris secundum Medicos, dispositio autem sensorii visus est transparentia, & diaphaneitas, quam nervi propter terrestreitatem non habent, sed potius sunt coloris subfusci. Tum quia intus sunt tecti tunica uvea, ut diximus, quæ est colorata, ergo si essent sensoria visus, omnia objecta viderentur ejusdem coloris cum uvea, sicut si pupilla esset rubro colore læsa, omnia apparerent rubra. Resp. Joan. de S. Th. nervos illos esse perspicuos, non terrestres, nec subfuscos, eo quia a cerebro humido, & frigido derivant, a quo participant illam perspicuitatem, licet pupilla sit magis diaphana, quia se habet quasi medium. Sed hoc assumptum est contra omnes Medicos, & experientiam ipsam, clare enim patet, nervos omnes etiam opticos esse terrestris naturæ, non transparentes, quam quam a cerebro proveniant; tum quia color tunicæ uveæ semper *impediret visionem*. Accedit principaliter, quod cum nervi sint homogenei, non esset major ratio, cur solum in illa conjunctione fieret visio, & non potius extenderetur usque ad cerebrum. Et tandem quia fundamentum, quo authores isti multiplicant hæc visionis principia, quod est unitas numeralis potentiæ, nullum est, ut mox videbimus solvendo objectiones.

17 Ex his sequitur a sufficienti divisione sensorium visus esse ipsam oculi pupillam, quæ veluti gemma in centro oculi est collocata, lucida, transparens ad modum speculi habens a tergo corpus opacum, ut possit reflexio fieri specierum; unde quia sensus visus maxime a nobis diligitur, ut innueret Sacra Scriptura præcipuum visionis instrumentum esse pupillam, habetur Psal. 16. *Custodi me ut pupillam oculi*, & Zachar. 2. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*.

Contra arguitur. Tum quod nervi sint sensorium visus ex Arist. lib. de sens. & sensil. c. 2. *Non in ultimo oculi anima, aut anima sensitivum est, sed manifestum, quoniam interius*. Tum 2. & est Achilles adversariorum, potentia visiva est una, & visio elicita circa objectum est una, ergo unum subjectum, non duo, tale erit nervus opticus unitus; assumptum prob. quia sicut sufficit unus gustus pro omnibus saporibus, unus odoratus pro omnibus odoribus, unus intellectus pro omnibus intelligibilibus, una philosophia pro omnibus conclusionibus, cur non sufficit unus visus pro omnibus visibilibus, an quia natura providit duas potentias, ut si una amitteretur, remaneret altera? ergo etiam poterat providere tres, vel quatuor; deinde idem debeat observare in gustu, qui est magis necessarius, quam visus. Tum 3. essent duo accidentia numero distincta ab eadem anima, scilicet duæ potentiæ visivæ. Tum 4. Arist. cit. refert, aliquos fuisse, qui vulnerati circa tempora scissis poris continuantibus pupillam visivo principio, subito amiserunt visum, sicut si lucerna extinguatur, ergo nervi optici sunt sensorii visus. Tum 5. si duplex est potentia visiva, ergo quodlibet objectum geminatum videri deberet, quod est falsum. Tandem humor crystallinus est corpus ex primis qualitatibus constans, ergo erit coloratus, color enim insequitur primas qualitates, ergo non erit aptus visioni, nam receptivum debet esse denudatum a natura recepti, aliter omnia viderentur similis coloris illi existenti in humore: tum quia humor non est animatus, ergo non poterit esse sensorium visus; tum quia ad læsionem tunicæ aqueæ visus etiam læditur.

18 Resp. ad 1. per ly *ultimo oculi* Arist. intelligere superficiem externam oculi, per ly *interius* intelligere crystalloidem, & pupillam. Ad 2. neg. antec. duplex enim est potentia visiva numero distincta in animali, ad prob. dicimus, licet unus sit gustus, duos tamen esse olfactus, & auditus, ut suo loco dicetur; neqs hoc est inconveniens; nam etiam secundum adversarios pupilla est de integritate sensorii, si ergo una tantum sufficiebat pro visu, cur natura illas geminavit; vel cur etiam non geminavit linguam? quare ratio a posteriori erit eadem, quam Joan. de S. Th. assignat pro duplicatione pupillarum, scilicet ut facilius possit animal haurire species ex omni parte venientes, idem nos dicimus de toto organo, esse scilicet duplicatum, ut facilius animal possit omnia visibilia prospicere in quacunque parte loci existant. Accedit principaliter, quod concursus ille nervorum non semper intervenit, nam refert Vesal. lib. 4. de fabrica corporis hum. c. 4. se Patavii anathomica arte vidisse hominem in quo nervi optici non erant conjuncti; & quod *ille* semel observavit in uno homine, hoc idem experitur quotidie in cancris, & aliis similibus animalibus; unde si nervi essent sensorii visus, jam in illo homine, & in cancris duplex potentia visiva admitti debet; quare paritas intellectus, & quorumdam sensuum non currit, nam intellectus est incorruptibilis, non sic oculi, & quidam sensus geminantur; & multo minus exemplum de habitu philosophico, qui non est unus numero pro omnibus conclusionibus, ut diximus in Log. disp. 12. q. 3. art. 2. Ad 3. neg. seq. quia potentiæ non sunt accidentia animæ, sed ipsi realiter identificatæ; & licet admittatur seq. nullum tamen esse absurdum, quia non essent in eodem subjecto, sed diversis.

19 Ad 4. hoc evenire, quia per nervos opticos deferuntur spiritus animales, qui sunt necessarii ad visionem, hinc si unus claudatur oculus fit intensior visio, quia spiritus illi in majori copia confluunt ad alterum oculum, quod non esset, si sensorium esset nervus conjunctus. Ad 5. si valeret, jam eadem vox geminata perci-

pi

pi deberet propter duplicem potentiam auditivam; neg. igitur conseq. & rationem assignabimus art. 4. dum modum, quo fit visio explicabimus. Ad 6. dicimus, humorem illum non esse coloratum; nam etiam crystallus est corpus mixtum, & tamen ex se nullum habet colorem, ad hunc enim requiritur adhuc densitas, & opacitas ex parte corporis, quamvis pupilla appareat nigra, hoc provenit propter copiam humoris, qui nequit a visu penetrari, ut patet in mari, quod nigrum apparet in alto, propter aquarum copiam, non ita secus littus experimur. Negamus quoque humorem hunc non esse animatum, longe enim diversus est a quatuor illis humoribus corporis, illi enim non continuantur cum corpore, at humor cristallinus non est omnino fluidus, sed quasi congelatus, unde poterit continuari cum partibus solidis; & licet ad læsionem tunicæ araneæ lædatur etiam visus, hoc est, quia humor crystallinus etiam læditur, conservatur enim ab illa. Doctor autem in p. cit. ex professo de hac re non egit, sed potius juxta aliorum opinionem intendit assignare diversos modos, quibus illuditur sensus; imo multoties supponit visionem fieri in ipso oculo, ut in 2. d. 3. q. 9. N. & d. 13. & maxime in 4. d. 10. q. 9. dum ait speciem produci per modum pyramidis, cujus basis est in ipso objecto, sonus vero in centro oculi; & in 2. d. 3. q. 9. ad 3. ait organum visus esse perspicuum, sive non terminatum, quod de humore verificatur, non de nervis.

20 Demum ut sciamus quibus animalibus hæc visiva potentia conveniat, breviter dicimus cum Aversa qu. 51. sect. 4. & Conimbr. 3. de An. cap. 1. q. 1. art. 4. nulla animalia motu progressivo carentia esse hoc sensu prædita, cum enim semper in eodem loco persistant, eidemque corpori adhæreant, non indigent visu, ut possint victum, & nutrimentum sibi conquirere. Quæ autem hoc motu gaudent, adhuc multa reperiuntur sine visiva potentia, ut quidam vermes, inter quæ connumerari solent limaces, & formicæ, hæc enim animalia videntur cornibus viam, & victum inquirere, nec ullum vestigium oculorum in illis apparet; quod tamen de formicis est dubium; nam & aliquod oculorum signum in grandioribus conspicitur, & tam varias, & ordinatas efficiunt actiones, ut sine visu difficile possent exerceri; idem quoque de limacibus ab aliquibus dubitatur, quia & noctu gradiuntur, & herbas, ac cibos eligunt, & discernunt. De balænis quoque dubitari solet, an visu polleant, eo quia ut refert Plin. lib. 9. c. 62. dum reptant in mari, pisciculos habent, Musculos appellatos, qui præeuntes viam illi demonstrant, & per mare conducunt, ne ruant in vada, quorum nulla esset necessitas, si oculos haberent. Sed recte asserunt Conimbr. balænas vere oculatas esse, cum sint ex animalibus valde perfectis, attamen quia oculos habent aliquantum impeditos gravi superciliorum pondere, utuntur pisciculis illi tanquam ducibus, ut securius incedant per mare, & vada evitent.

21 Specialiter tamen est dubium de talpa, an visu sit prædita; affirmativam enim partem sustinent Simpl. Alber. Dand. Cardanus, & alii, eo quia in ipsis cernuntur oculi cum eisdem partibus, scilicet humore nigricante albugineo circumdante, sunt tamen pellicula quadam obtecti satis pellucida, qua possunt licet imperfecte, & obscure aliquid videre, ut nos etiam experimur, quando clausis oculis aliquid lucis conspicimus, unde aliquando e cavernis ad quærendum cibum exeunt, quod sine visu facile fieri nequit; tum quia natura nihil facit frustra, si ergo talpa esset de se cæca, ad quid natura oculos *illi* tribueret? certe sine oculis illam efformasset, ut fecit alia cæca animalia. Neque frustra illa pellicula oculos talpæ cooperuit; tum ne offenderentur terra, in qua fere semper animal istud moratur, tum ne luce læderentur, dum quandoque e latebris, & cavernis ad lucem egreditur; idem quoque videtur sentire Arist. 2. de An. 132. Oppositam opinionem satis probabiliter alii sustinent cum eodem Arist. libr. 1. de hist. anim. c. 9. & lib. 4. c. 8. eo quia licet in talpa umbra quædam, & vestigium aliquod videatur oculorum, non tamen constant ex partibus sufficientibus ad visionem, sed sunt veluti inchoati oculi; cui opinioni nil obstat, quod dicebatur pro opposita; nam non frustra oculos inchoavit natura, quin & aliis animalibus etiam quædam membra concessit, quæ tamen nullo usui inserviunt, sic mulis dedit instrumenta generationis, & tamen nequeunt generare, sufficit ergo, quod dederit ad ornatum; Cibum quærere *possunt ex* perfecto olfactu, *quem Plinius tribuit* talpæ lib. 10. cap. 69. & certe in hac re nihil firmum stabilire potest.

ARTICULUS II.

De lumine.

22 AD objectum visus pertinere lucem, lumen, & colorem videbimus infra, idcirco explicandæ erunt naturæ, & quidditates iltorum, in præsenti de luce, & lumine agemus; quæ consideratio est valde difficilis in Philosophia, lux enim quam grata est oculis corporis, ut pote quia omnia exponit, manifestat, tam inimica est oculis mentis, quibus innumeras diffundit difficultatum tenebras; aliqua igitur dubia movebimus supponendo prius ex dictis disp. 2. de Cœlo lucem, & lumen non esse corpora, aut substantiales formas, sed accidentales; item quod lux est forma inhærens luminoso corpori, ut lux in Sole, in igne, &c. lumen vero est forma a corpore luminoso producta in alio corpore ex se non lucido, ut cum aer tene-

brosus illuminatur, forma illa de novo producta dicitur lumen: rursus supponenda est illa distinctio, quam ibi tradidimus de triplici radio, tecto, reflexo, & refracto, & de lumine primario, ac secundario; his præacceptis.

23 Primo quæritur, an lumen sit a luce specie distinctum, & alterius rationis, an vero solo numero differat, & ejusdem rationis; Qui sustinent lumen in medio habere solum esse reale, non intentionale, de quibus infra, dicunt etiam non differre a luce, nisi numero, sicut calor ignis non nisi numero differt a calore producto in aere ab eodem ignis calore.

Dicendum est tamen cum Scoto 2. d. 13. lumen esse omnino alterius rationis a luce, ipsiusque productionem non esse univocam, sed æquivocam; & est communis apud asserentes lumen in medio habere esse intentionale; probatur ex his, quæ disp. 2. de gen. qu. 1. art. 1. diximus; ostendimus enim in agentibus univocis simile non posse agere in simile, nec unam qualitatem intendi ab alia ejusdem speciei, & gradus, at in agentibus æquivocis oppositum evenire: cum igitur videamus lumen suo modo intendi a corpore lucido minus intenso, vel æqualiter, neque ob id corpus lucidum augeri in luce, sed semper in eodem permanere gradu, debemus inferre, productionem hanc luminis non esse univocam, sed æquivocam, assumptum patet, quia si essent duo luminosa ut unum in eadem parte medii perfectius aliquo modo producunt, quam quodlibet seorsum, sicut accidit in duobus gravibus ut unum, quæ impulsum intendunt ut duo; quæ ratio valde urget in sententia adversariorum docentium in additione luminis fieri veram, & perfectam intensionem, quod necessario quoque debent asserere, dum lumen ponunt ejusdem rationis cum luce.

24 Respondent posse duo agentia univoca agere *in idem* subjectum producendo effectum intensiorem, non quidem seipsis, sed effectu illo, quem quodlibet seorsum produceret, eo quia cum agant uniformiter differenter, effectus in distantiis productus est semper remissior, & imperfectior. Contra licet hæc responsio locum habeat, quando ex additione agentium augetur saltem virtus extensiva, unde potest integratum ex illis agere in distantius, & facilius; attamen si ex illis non fit aliquod agens magis extensum, numquam intenderetur effectus; & adhuc quando fit, nunquam intenditur intensione excedente qualitatem singulorum, ut ibi diximus; modo videmus lumen augeri ex quacunque additione lucidi corporis, itaut ex hoc deberemus arguere, si esset ejusdem rationis cum luce, lumen intendi ultra intensionem lucis singulorum: Tum quia fit corpus lucidum ut tria, quod respectu puncti A alicujus medii producat lumen, ut unum, applicetur e parte opposita aliud lucidum ut tria in tali proportione, & distantia, ut in eodem puncto fit productivum etiam luminis ut unum, tunc in eodem puncto erunt duo lumina ut unum, vel unum lumen ut duo, ergo æquivoce a luce producitur; antec. patet experientia, consequ. prob. quia agens univocum, dum reperit subjectum assimilatum propriæ virtuti activæ, non agit in illud, æquivocum vero agit, ut disp. cit. fusius probavimus, ergo &c. Accedit principaliter, quod lumen est ens intentionale, estque species lucis, ut dicemus, ergo est alterius rationis a luce, prob. consequ. quia species est alterius rationis ab objecto, ut diximus disp. præced. Aliquas objectiones solvemus infra.

25 Secundo quæritur, an luminis productio in medio, quæ dicitur illuminatio, fiat *in instanti*, *vel in tempore*; quidam volunt fieri in tempore imperceptibili; ita Regentes Parisienses ut probabile docent 2. de An. quæst. 2. in quæst. 1. collater. & ex professo Scalig. exerc. 298. art. 2. Basson. 2. de Cœlo intent. 2. Verius est fieri per se in instanti, per accidens autem posse fieri successive, & in tempora; ita communis, & prob. nam successio provenit ex resistentia medii ad motorem, vel ex contrariis, lumen non habet contrarium, nec medium quoad extensionem ex improportionatum, vel resistit corpori lucido, ergo fit in instanti; min. prob. quia si extensio, & divisibilitas medii impediret actionem instantaneam luminosi, certe si spatium illud palmare distans ab ipso Sole non illuminaretur in instanti, sed in tempore, licet imperceptibili, tam vasta est distantia inter Solem, & nos, imo & ad oppositam Cœli partem, & adeo quasi imporportionata proportio inter spatium illud palmare, & totum reliquum spatium, ut non jam in tempore imperceptibili, *sed potius* perceptibili Sol illuminaret nostrum hemisphærium. Accedit, quod quando lucidum movetur, in instanti terminativo causat *radium per totum spatium*, quem prius non causaverat, ergo in instanti illuminat medium proportionatum; consequ. patet, antec. prob. quia in illo instanti, & non antea lucidum habet peculiarem habitudinem ad certas partes spatii, illas perpendiculariter respiciens, quo pacto diffunditur radius ad illas, ergo in illo instanti radius fuit causatus, *non* enim migrat de subjecto in subjectum. Verum est tamen, quod si lucidum successive applicatur medio, & per motum nonnisi in tempore illud illuminabit, hoc autem erit per accidens non per se; vide Bassol. 2. d. 13. qu. un. ar. 2. & Mairon. ibid. q. 3.

26 Contra arguitur, si tanta virtus agit in *tanto* tempore, major virtus aget in minori ex 7. Phys. 32. & seq. ergo si candela illuminat *in* instanti, Sol, *qui est major* virtus, illuminabit in minori, quam in instanti, quod est falsum. Tum 2. sola distantia sine contrarietate causat successionem, ut patet in motu locali, ergo distantia medii *in illuminatione* causabit successionem. Tum 3. fe-

cundum

cundum Perspectivos radius prius, & citius pervenit ad aliquod perpendiculariter, quam non perpendiculariter, ergo pars medii perpendiculariter illuminata citius illuminabitur, quam alia, ergo successive. Tum 4. in aperitione fenestræ, aula, non in instanti, sed successive illuminatur, quia aperitio, cum sit motus localis, fit in tempore, ergo &c.

Resp. ad 1. assumptum valere, si fieret comparatio in ordine ad mensuram divisibilem, quale est tempus, non in ordine ad mensuram indivisibilem, ut est instans. Ad 2. tunc distantia causat successionem, quando agens non intelligitur æque omnibus partibus virtualiter præsens, & applicatum; ut est in motu locali respectu Angeli, qui non est virtualiter præsens simul omnibus partibus spatii, sed successive, non enim est præsens spatio, nisi per suam entitatem, quæ nequit esse simul in pluribus locis adæquatis, at alterans est æque toti sphæræ activitatis applicatum, & si a contrario non impeditur, adhuc ageret in instanti, si forma quoque non esset successive acquisibilis; quorum nullum intervenit in præsenti. Ad 3. assumptum est verum quoad activitatem: quia agens fortius agit perpendiculariter, non tamen quoad velocitatem, æque enim velociter agit, sive perpendiculariter, sive non. Ad 4. in illo casu si successive illuminaretur aula, hoc erit per accidens, quia lucidum successive applicaretur; attamen simul illuminaretur pars aulæ propinquior fenestræ, & remotior, si non adesit impedimentum.

27 Tertio dubitatur, num lumen educatur de potentia subjecti: Negativam partem sustinuit Plotinus 4. Ennead. lib. 5. cap. 6. cui libenter assentiret Contar. de An. 9. de visione c. 6. nisi Aristotelis authoritas oppositum reclamaret; ex quo patet apud quosdam Philosophos plus valere authoritatem Arist. ipsa ratione; probatur autem affirmativa pars, quia si lumen a subjecto non penderet in esse; jam posset in acuto diffundi contra Arist. 2. de An. 74. Tum quia accidens omne a subjecto, cui inhæret, dependet in esse, ergo educitur quoque de potentia ejusdem, hoc enim est educi, ac dependere in fieri a subjecto, ut diximus in Phys. quod si in conservari dependet, multo magis in fieri, istud enim infertur ab illo. Tum quia agens producens aliquid independenter a subjecto, creat illud, ut patet ex definitione creationis, ergo si lucidum produceret lumen independenter a subjecto, illud crearet, quod implicat. Nec valet, quod ajunt, assumptum esse verum de qualitatibus proprie sumptis, & materialibus, quæ propter conformitatem cum subjecto nata sunt inhærere, & de potentia subjecti educi: non de qualitatibus intentionalibus, & spiritualibus, quæ minorem habent sympathiam cum corpore, quale est lumen, quod aliud non est nisi præsentia lucidi habens entitatem intentionalem, & spiritualem. Non valet; nam de quacumque qualitate, sive materiali, sive spirituali, semper est verum, quod si a subjecto independenter producitur, talis productio foret creatio. Deinde falsum est, lumen habere proprie esse spirituale, quia est extensum per totum subjectum, licet aliqualiter spirituale dicatur comparative ad qualitates magis reales, & sensibiles, ut universaliter diximus de quacunque specie sensibili disp. præc. n. 56. Falsum etiam est, lumen solum dicere præsentiam lucidi; nam præsentia formaliter dicit respectum, lumen est forma absoluta, præsentia est quid præsuppositum productioni luminis, se habet enim ut approximatio agentis passo, at lumen est forma producta in medio a lucido præsente; unde potest de potentia Dei absoluta lucidum esse præsens, & non illuminare medium, quo casu esset præsentia lucidi, & nullum lumen.

28 Dices, forma, quæ educitur de potentia subjecti, etiam recedente agente, dummodo maneat subjectum, adhuc permanet; item requirit in subjecto porentiam transmutativam, & consequenter contrariorum susceptivam; lumen recedente luminoso evanescit, nec habet contrarium. Tum quia forma, quæ est tota in toto, & tota in qualibet parte, non educitur de potentia subjecti, ut patet de anima rationali, sic est lumen, cum sit spirituale, ergo &c. Resp. negando majorem esse universaliter veram quoad utramque partem; Similiter ad 2. neg. minor. quia lumen divisibiliter existit in medio, totum in toto, & pars in parte.

Quarto quæri potest, num lumen in solo diaphano, & transparenti recipiatur, an etiam in corpore opaco. Aliqui docent lumen in solo perspicuo, & diaphano recipi, in opaco vero solum extrinsece, & per quandam adhærentiam, quatenus scilicet illuminat aerem, vel aliud diaphanum contiguum opaco, ex qua illuminatione conspicitur opacum; hunc dicendi modum probabilem putat Arriaga disp. 4. de An. n. 10. & seq. Ac Ruvius 2. de An. tract. de sensu visus q. 4. qui Cajet. & Tol. citat, asserit lumen non solum in diaphano, sed etiam in opaco subjectari, & non tantum in externa superficie, hoc enim putat impossibile, sed etiam in partibus profunditatis illi superficiei proximioribus.

29 Dicendum est, lumen non solum recipi in perspicuo, sed etiam in opaco, & non semper secundum aliquam profunditatem, sed quandoque etiam secundum solam superficiem. Quod recipiatur in opaco, colligitur ex Scoto 2. d. 13. dum explicat radium reflexum; nam reflexio fit quando occurrente corpore opaco, antequam terminetur virtus activa luminosa, lumen diffunditur in partem oppositam, & eo major fit reflexio, quo corpus opacum est magis politum, ergo lumen intrinsece attingit corpus opacum, prob. conseq. quia si solum extrinsece illuminaretur, seu si vere lumen non reciperetur in corpore opaco, parum referret, quod sit magis, vel minus politum, sufficeret enim ad reflexionem quæcumque opacitas. Nec satisfacit, quod ait Arriaga, majorem lævigationem se habere ut conditionem, sine qua non reflecteret lumen, vel colorem, aut corpus politum esse productivum alterius lucis, quando juvatur ab alia luce, ideoque fieri reflexionem illam. Primum non valet, quia reflexio in motu locali fit per contactum pilæ resilientis cum pariete impediente, ergo etiam in illuminatione debet lumen intrinsece attingere corpus opacum, licet sit conditio sine qua non. Tum quia eodem fere modo fit reflexio luminis a speculo, & ab auro pelito; nam utrobique gignitur lumen primarium, ut dicemus, ergo sicut lumen intrinsece attingit speculum, ita quoque attinget aurum. Nec secundum aliquid veritatis habet; nam ut videbimus, corpus lucidum est illud, quod causat radium rectum, & reflexum, nec apparet quomodo lux possit virtualiter contineri in albedine, aut alio colore, cum sit perfectior.

30 Deinde, quod non necessario recipi debeat in profunditate, prob. nam licet ut plurimum, corpora opaca, quia sunt versus externas partes rariora, quam interius, idcirco illuminentur secundum aliquas partes, tamen potest dari corpus aliquod ita opacum, ut sit uniformiter densum tam interius, quam exterius, quo casu lumen non posset recipi, nisi in intima superficie, aliter si aliquæ partes possent illuminari, omnes aliæ quoque illuminarentur, quod est falsum. Nec valet quod in casu corpus illud esset porosum, qua ratione lumen posset per poros illud penetrare. Non valet, quia ex hoc quod pori illuminentur, non ob id lumen penetrat profunditatem opaci, quia pori sunt pleni aere, vel alio corpore raro, quod a lumine quasi penetratur, & circumdatur superficie illius corporis, cujus sunt pori, quare esto lumen penetret poros, non tamen profunditatem corporis, sed solam superficiem attinget. Tum quia argumentum urget de parte non porosa mediante inter unum, & alterum porum, quæ nonnisi secundum superficiem illuminaretur.

31 Dices, Arist. 2. de An. 69. definit lumen, quod sit actus perspicui, quatenus perspicuum est; ergo non potest illuminare opacum, aliter esset etiam actus opaci. Tum quia Scotus in 4. d. 49. q. 15. ad 1. clare ait susceptivum luminis esse pervium, seu transparens. Et tandem, si opacum secundum superficiem solam illuminaretur, jam daretur accidens extensum quoad latitudinem, non quoad profunditatem, quod est impossibile, sicut implicat dari corpus longum, latum, & non profundum. Resp. infra definitionem illam explicabimus. Scotus vero loquitur de subjecto secundum omnem dimensionem, quo pacto solum corpus pervium est subjectum luminis, non opacum, hoc enim illuminatur secundum profunditatem. Ad aliud concedimus sequelam, negamus falsitatem, neque paritas urget, quia corpus de sua ratione formali includit trinam dimensionem, ideo repugnat esse non profundum, at qualitas, si recipitur in subjecto indivisibili quoad profunditatem, ut in casu esset superficies opaci, non potest non esse indivisibili tali dimensione.

32 Quinto, quæritur, num lumen habeat in medio esse reale, vel intentionale; notanter diximus *lumen in medio*, quia non proponimus dubitationem tam de luce, quam de lumine, ut faciunt adversarii, eo quia putant lucem, & lumen esse ejusdem rationis, quod tamen esse falsum supra ostendimus, loquimur igitur de lumine a corpore lucido in medio producto, & idem est, ac quærere, num lumen sit species visibilis lucis, an vero sit res, quæ videatur, res enim & intentio hic accipiuntur, non quidem, ut res significet ens reale, intentio vero ens rationis, sed prout res significat id, quod est per se objectum potentiæ sensitivæ, intentio vero, ut significat id, quod est ratio qua potentia suum percipit objectum, quo sensus denotat speciem sensibilem. Prima opinio negat lumen esse speciem, & habere esse intentionale, sed solum esse reale; ita passim Thomistæ cum D. Th. 1. p. q. 67. art. 3. Complut. disp. 10. de An. q. 1. Joan. de S. Th. q. 7. art. 2. Tol. 2. de An. qu. 17. Conimb. 2. de Cœlo c. 7. q. 2. & seq. Ruv. tract. de visu q. 2. & 3. Moris. disp. 2. de An. q. 6. Suarez 3. de An. c. 14. Aversa q. 53. sect. 7. Arriaga disp. 4. de An. sect. 3. dum negant speciem visibilem posse terminare visionem, & alii. Secunda opposita opinio est Ægyd. 2. de An. tex. 76. dub. 2. & 3. Thienensis ibi, Contar. de An. q. de vis. c. 5. tribuens lumini esse dumtaxat intentionale, quatenus solum est ratio, qua cognoscatur lux, non tamen quod terminet visionem. Media sententia est Scoti 2. d. 13. utrumque esse tribuens lumini, tam reale, quam intentionale, quem sequuntur præter Scotistas Baccouus, & Dur. ibid. Zab. lib. 1. de visu c. 6. Piccol. lib. de sensu visus c. 8. Burid. 2. de An. q. 17. nec multum discrepant Cajet. & Bannes p. qu. 67. art. 3.

33 Dicendum est, lumen primarium esse speciem visibilem lucis, ipsum tamen videri per lumen secundarium tanquam per propriam speciem; ita Doctor cit. & prob. primo, quod lumen primarium sit species lucis, illud, quod positum supra sensum non impedit sensationem, sed potius facit devenire in cognitionem alterius e directo oppositi, est species visibilis illius, tale est lumen primarium respectu lucis, ergo &c. Major prob. quia sensibile positum supra sensum impedit sensationem 2. de An. 73. & patet de specie in speculo, quæ in oculo recepta non impedit visionem; imo per ipsam oculus videt objectum, min. etiam patet; nam si corpus lucidum diffundendo radios per medium imprimit in oculo lumen, tantum abest, quod radius luminosus impressus impediat visionem, quod potius per illum oculus conspiciet corpus lucidum, & si radius ille

ille non imprimeretur, nunquam oculus videret lucidum, ergo lumen erit species illius, habet enim omnia munera speciei visibilis, nec alia species visibilis apparet repræsentativa lucis. Si dicas, hoc esse speciale luminis, quod oppositum supra sensum juvet, non impediat alterius visionem; Vel quod lux non media specie, sed ipsa videatur; Non valet, quia conficitur quæstio de nomine, si enim lumen est ratio videndi aliud scilicet lucem, per lumen enim primarium videtur lux, jam dici poterit species; & absque ullo fundamento asseritur lucem sine specie videri, cum vere lux in oculo imprimat radium luminosum.

34 Confirmatur ratione Scoti, quam tangit 5. Met. qu. 7. si lumen non esset species lucis, sequeretur, quod si duo lucida applicarentur eidem medio, non duo lumina, sed unum intensius producerent, sed hoc est falsum, ergo &c. sequela prob. quia formæ, quæ natæ sunt intendi, & remitti, si in eodem subjecto concurrunt, faciunt unam intensionem, ut patet de calore, qui si alteri calori advenit in eodem subjecto, efficit calorem intensiorem, at species visibiles in eodem medio non coeunt in unam perfectiorem, puta si in eodem medio essent species duarum albedinum, non integrarent unam speciem perfectiorem, ratio est, quia impossibile est, quod per eandem speciem magis intensam videatur simul, & distincte magis, & minus intensum, sed oculus per species videt distincte illa duo alba, licet unum sit intensum, alterum remissum, ergo non per eandem speciem intensiorem, sed per duas omnino distinctas; si igitur lumen non esset species, duo lumina deberent unum intensius constituere; falsitas prob. quia si essent duo lucida aliquantulum inter se distantia eidem medio applicata, in quo extaret columna, vel aliud corpus opacum, hæc duo lucida duas umbras oppositas causarent, ut patet experientia, ergo quodlibet producit lumen distinctum, patet conseq. quia umbra est privatio lucis, ergo si sunt duæ privationes, erunt duo lumina. Tum quia si tres lucernæ illuminarent medium per aliquod foramen, cui essent applicatæ non simul, sed in diversis locis existentes, & non in directum, illuminarent medium per tria lumina distincta; nam quælibet illuminaret partem sibi directe oppositam, ergo etiam in illo foramine lumina non essent inter se unita, ut unum perfectius integrent.

35 Resp. ex hoc non argui discretionem luminum in medio, sed solum intensionem, & remissionem, itaut ubi sit umbra, lumen sit remissius, eo quia unum agens ibi agit; ubi non est umbra, ibi sit intensius propter geminatam actionem; similiter in alio casu, in foramine illo lumen est intensius, quia tres actiones ibi exercentur, in tribus parietis partibus lumen est remissius, quia in qualibet parte una est actio illuminativa.

Contra; nam si lumen esset qualitas realis alterius ejusdem rationis productiva, ut sustinent adversarii, licet illa parte, ubi est umbra, reperiatur lumen remissius, attamen lumen existens in partibus hinc inde circumstantibus deberet progressu temporis se diffundere, etiam ubi est umbra, ut patet de calore, qui etiam se diffundit in partem medii, ad quam ignis directe nequit pervenire, si ergo lumen nunquam diffunditur, & solum a lucido in directum projicitur ad modum speciorum visibilium; non est, cur rationem speciei denegemus luminis, eo vel maxime, quod cum speciebus convenit in omnibus proprietatibus, tam in productione, quam in conservatione, & repræsentatione lucis, & si oculus supponitur lumini, statim conspicit lucidum.

36 Secundo, quod lumen secundarium (quale est illud, ubi est umbra) sit species luminis primarii, itaut vere lumen primarium terminet visionem, & consequenter non solum sit intensio, sed etiam res; prob. a Doctore, quia per lumen secundarium vere conspicimus primarium, non enim tunc videmus lucem Solis v. gr. sed lumen a Sole productum, dummodo sit ad aliquod opacum terminatum; hoc namque convenit omni speciei visibili, quod scilicet non solum sit intentio, seu ratio videndi aliud, sed etiam in seipsa possit per aliam speciem videri quando est ad opacum terminata, ut patet, cum radius pertranſit vitrum coloratum, apparet color in pariete, qui color est species coloris vitri; nam si oculus illi supponeretur, videretur vitrum; movetur quoque ad motum vitri. Quo casu non videretur objectum in se, sed ipsa species, quia diffusio illa speciorum usque ad oculum, & luminis, ubi est umbra, non fit ab objecto, vel a lucido, sed ab ipsis speciebus, & lumine primario ut dicemus nu. 44. species autem habent repræsentare id, a quo producuntur.

37 Contra prædicta arguitur primo, quod lumen non habeat esse intentionale. Tum quia species nequit causare effectum materialem, neque medium denominat; lumen utrumque facit, causat calorem, & aerem illuminatum denominat; species non est res visa, sed ratio videndi, lumen autem videtur. Tum 2. in tenebris existentes videmus lucem a longe, non per lumen, quia nullum lumen ibi datur, ergo species lucis non est lumen, sed aliquid aliud. Tum 3. modus essendi naturalis, & intentionalis sunt superioris, & inferioris ordinis, valdeque diversi, ergo nequeunt eidem lumini convenire; unde species odoris non odoratur, species saporis non gustatur, ergo nec species visibilis videtur. Tum 4. si lumen esset species Solis, aut lucis, jam ex quacunque parte medii illuminati posset videri Sol ab oculo in quocunque situ existente, etiam e regione ejus non posito; nam oculus habens speciem objecti, etiam a tergo existentis, necessario illud videt; hoc autem est contra experientiam. Tum 5. res intentionalis non est per se in genere, & directe propter esse diminutum, quod habet, sed lumen est in tertia specie qualitatis, ergo &c.

38 Resp. ad 1. negando assumptum, quia & species soni valde intensæ alterant sensum auditus, & si essent nomina imposita, vere denominarent medium, sicut illud informat; species quoque licet sit ratio videndi, potest esse res visa, quia entitatem aliquam realem habet, ut patet in exemplo coloris in pariete; ita Doctor cit. Ad 2. in tenebris dari quoque aliquod lumen usque ad oculum multiplicatum, quod licet non sufficiat ad illuminandum perfecte medium, satis tamen erit ad causandam visionem lucis vide n. 89. Ad 3. neg. assumptum quia eadem entitas respectu unius dici potest intentionalis, quatenus est ratio tendendi in illud, & respectu alterius potest dici realis, quia cum sit in se ens reale, poterit terminare sensationis actum; dat exemplum Scotus de signo, quod secundum D. Aug. lib. 1. de Doctr. Christ. c. 1. est res, & signum, & tamen ponitur distingui a re, eo quia in hac distinctione rei, & signi res sumitur pro illo ente, quod nullo modo est signum; sic in hac distinctione intentionis, & rei, res accipitur pro eo, quod nullo modo est intentio; licet intentio quoque sit res; & ad paritatem illam de speciebus aliorum sensuum, quamvis admitteretur assumptum, eo quia species illæ possent poni meræ intentiones (quod tamen in speciebus soni est falsum) negatur paritas de speciebus visibilibus, quia sicut visus est perfectior cæteris sensibus, ita species visibiles sunt aliis sensibilibus speciebus perfectiores, & consequenter possunt esse quoque sensibile; tum quia habemus experientiam in his speciebus, non in aliis. Ad 4. procedit ex falso intellectu opinionis Scoti; ac si assereret quodlibet lumen esse speciem lucis, tunc enim vere urgeret argum. at Scotus solum lumen primarium docet esse speciem lucis, ideoque nisi hoc lumen adesset in oculo, nunquam Sol, vel lux cerneretur. Ad 5. negatur major, quia sicut intentio est vere ens, ita habet suum genus, & differentiam; imo omnes species intentionales sunt in tertia specie qualitatis. Omittimus rationes Suarez, quia fundantur in hoc, quod lumen non sit species, quia est visibile; hoc autem non officit.

39 Secundo arguitur, quod non sint duo lumina in medio a duobus lucidis causata, sed unum, & consequenter, quod lumen illud intensius non sit species; assumptum autem probatur, quia lumen a pluribus lucernis productum perfectius illuminat medium, clariora, & magis visibilia reddit objecta, remotius projicitur, quam lumen unius lucernæ, ergo est intensius, patet conseq. quia si essent duo lumina distincta, non producerent perfectiores effectus, nec remotius jacerentur, unaquæque enim lucerna illam solam distantiam illuminaret, in quam posset ex se agere sine alia. Tum 2. nulla potest assignari differentiu inter lumen productum a duabus lucernis, quarum quælibet sit productiva luminis ut duo, & inter lumen productum ab una lucerna productiva luminis ut quatuor, ergo sicut illud est unum lumen intensum ut quatuor, ita etiam illud lumen. Tum 3. lumen procedit a lucidis uniformiter difformiter, ergo quo lumen producitur remotius, eo intensius est in partibus propinquioribus lucernis, sed lumen trium lucernarum longius jacitur, quam unius tantum, ergo etiam erit intensius prope ipsas, quam si ab una sola efficeretur. Tum 4. si æque intensum esset lumen ab una lucerna, atque a tribus, lumen ab aliis lucernis productum esset otiosum, quod nunquam natura permittit; ita arguunt Suar. disp. 18. Met. sect. 9. & Avers. 1. de Gen. q. 43. sect. 3. Tandem duo ignes non producunt duos calores, sed unum intensiorem, ergo idem de lumine dicendum.

40 Resp. hæc argumenta non solum ostendere idem lumen produci a pluribus lucernis, sed etiam eandem speciem intensiorem produci a pluribus coloratis ejusdem rationis; nam plures arbores perfectius videntur a longe, & remotius, quam una arbor, si plura vitra colorata exponerentur radiis solaribus perfectiorem colorem causarent in pariete, quam unum vitrum, & sic de aliis, hoc tamen de speciebus non concederent; quapropter difficultas est communis; idcirco dicimus ex istis perfectioribus effectibus, qui habentur a lumine causato a pluribus lucernis, non necessario gigni debere intensius lumen, sed solum quod sint plura lumina distincta, ratio est, quia effectus illi sunt æquivoce causati a lumine, & una ex proprietatibus agentis æquivoci est, quod possit agere in simile, & intendere effectum intensiorem seipso, ut diximus disp. 2. de Gen. q. 1. unde verum est, quod in effectibus univocis valet arguere ab intensione effectus ad intensionem causæ, & si effectus est unus, & intensus, debet assignari causa æque, vel magis intensa, & non sufficit, quod dentur plures causæ partiales remissiores, scilicet a calore productus est intensus ut duo, non sufficit, quod dentur duo calida ut unum, sed necessario debet dari calidum intensum ut duo pro causa; at si effectus est æquivocus, ex intensione effectus potest inferri, vel causa æque intensa, vel plures causæ remissæ, puta si impulsus causatus est ut duo, debemus inferre, vel quod fuit productus a gravi ut duo, vel a duobus gravibus ut unum, eo quia agens æquivocum potest agere in simile; & hoc est valde notandum in hac materia, & a nemine, quem viderimus, observatum. In proposito sunt duo lumina distincta a duabus lucernis producta æquivoce, & cum effectus luminis sit reddere medium clarius, res coloratas visibiles, & immutare potentiam ad visionem lucis, qui omnes sunt effectus æquivoci, sequitur, quod si plura adsint lumina in medio, perfectius medium illuminabitur, res coloratæ perfectiores species producent, & potentia perfectius immutabitur; solum dubitari posset de distantia majori, ad quam pertingunt plures

lucernæ, non una solum; sed ad hoc satisfecimus disp. præced. n. 91. eadem enim difficultas de pluribus lucidis, ac de pluribus corpusculis a longe visis. Ad 2. adest hæc differentia, quod quando est lumen productum ab una lucerna, nonnisi unica causatur umbra, quando vero sunt plures lucernæ, plures efficiuntur umbræ. Deinde esto nulla apparet differentia quoad sensum, ratio vero concludit esse diversa lumina, quia habent diversa repræsentare. Ad 3. solum concludit illa lumina esse intensiora prope luminosa, quam remote. Ad 4. neg. sequela; nam quamvis non efficiant illa lumina unum lumen perfectius, causant tamen perfectiores effectus. Ad 5. neg. paritas, quia ut diximus disp. præc. nu. 88. & 94. adhoc ut species evadat intensior, cum sit imago objecti, non sufficit, quod plures sint in eodem subjecto ejusdem rationis, sed requiritur quoque intensio objectiva, quod in aliis qualitatibus non exigitur.

41 Tertio, arg. ex Arriaga, quod species nullo pacto possit videri, sed semper objectum conspici ab oculo, etiam in casu illo ruboris vitri per radium in pariete causati. Tum quia species non est similitudo formalis objecti, nec ejusdem rationis cum illo, ut diximus disp. præc. q. ult. unde species rubri non est rubra formaliter, ergo quod videtur in pariete, non est species, sed ipsum objectum. Tum 2. si rubor ille esset species, non objectum, sequeretur, quod species in oculo recepta impediret visionem alterius contrarii, quod est falsum; sequela prob. quia rubor ille in pariete visus non magis opponitur alteri colori contrario, quam ipse rubor vitri, ergo sicut iste positus super sensum impediret visionem alterius, imo omnia rubra faceret apparere, idem de specie esset dicendum. Tum 3. si per leve foramen lumen ingreditur in obscurum cubile, & excipiatur in charta, intrant etiam species arborum, hominum, &c. extra existentium, unde & colores virides inspiciuntur in charta, imo in quolibet puncto chartæ sunt species de toto fere objecto, eo quod ex quolibet chartæ puncto possunt duci rectæ lineæ ad quamcunque fere partem objecti, ergo si species viderentur in charta, deberent in quolibet puncto videri species de omnibus partibus objecti; quod est contra experientiam. Tum 4. in speculo non species, sed objectum videtur, ergo in pariete non species, sed ipse rubor vitri conspicitur.

42 Resp. ad 1. & 2. commodius dicemus art. seq. num. 63. dum naturam coloris explicabimus. Ad 3. neg. conseq. quia species non sunt similitudines formales objecti, hoc est ejusdem omnino naturæ, neque similitudines objectivæ, & media cognita, ideoque diversa est omnino visio, quæ fit de objecto mediis speciebus, & quæ fit de ipsis speciebus mediis aliis, illa videtur objectum, ista videntur species, quæ sunt alterius rationis ab objecto, nec eodem modo se habent ut objecta cognita, & ut rationes cognoscendi, unde concedimus, videri omnes species, quæ sunt in charta, non tamen omnes partes objecti, quia istas non repræsentant, nisi quando se habent ut rationes cognoscendi. Ad 4. concedimus cum Scoto 2. d. 13. E. & 4. d. 10. qu. 9. in fine in speculo immediate videri rem ipsam, non species illius, quamvis a Conimb. & Rubio citetur pro parte opposita, imo P. Vulpes p. p. disp. 19. art. 2. Doctorem trahit in oppositam sententiam, verba tamen ipsius sunt ita clara, ut nullam admittant dubitationem; ratio hujus est, quia id, quod videtur in speculo, sæpe remotius a nobis apparet, quam ipsum speculum, at vero si species ipsa videretur, non debet apparere cum illa profunditate, sicuti quæcumque imago in speculo picta non apparet, nisi eadem cum speculo distantia; Præterquam quod species, vel non producitur, nisi in superficie speculi, vel nonnisi in profunditate vitri transparente: tum quia imago in aliquo subjecto depicta potest ex quocunque situ videri, non autem id, quod in speculo cernitur, nisi quando quis est in linea reflexionis, ut dicemus: tum quia id, quod videtur in speculo, sæpe non percipitur ab iis, qui res eminus videre non possunt, licet speculum sit valde propinquum, quod si oculariis adhibeant, videbunt objectum remotum vicinitate speculi non immutata, adsunt tamen contra hanc positionem dubitationes aliquæ, quas art. ult. dissolvemus; ex hoc autem non debet inferri in qualibet reflexione videri rem in se, sed quandoque visionem terminari ad ipsam speciem, ratio est, quia non quælibet species reflexa causatur ab objecto immediate, nisi propria, & perfecta reflexione, ut mox dicemus, idecque quando objectum est causa utriusque immediata, per utramque videtur objectum, quando vero est causa speciei directe productæ, non autem illius, quæ quasi reflexe producitur, sed hæc a primaria specie causatur, tunc per primam videtur objectum, per secundam cernitur prima species.

43 Sexto, dubitari potest, num omne lumen producatur immediate a corpore lucido, an vero unum lumen ab alio producatur, & idem dubium moveri potest de qualibet alia visibili specie. Ad quod breviter dicimus supposita distinctione triplicis radii recti, reflexi, & fracti, ac duplicis reflexionis propriæ, & impropriæ assignata disp. 2. de Cœlo n. 162. quod causa immediata luminis recti, fracti, & reflexi propria reflexione est ipsum lucidum, luminis autem reflexi impropria reflexione est lumen a lucido productum, ita Scot. in 2. cit. prima pars prob. de lumine recto ex dictis disp. 2. de Gen. q. 4. ubi determinavimus agens agere immediate in tota sphæra activitatis, ergo dum lucerna v. g. illuminat aerem, immediate producit lumen in toto aere illuminato, & non unum lumen ab alio lumine producetur, vide ibi. Deinde, quod lumen refractum producatur, etiam a lucido immediate, prob. quia per tale lumen videtur immediate lucidum, species autem est representativa illius, a quo causatur; tum quia agens, dum non est propria virtus exhausta, agit quantum potest vinci, adhuc aget, licet aliqualiter retardetur, ergo producens lumen refractum est ipsum lucidum, prob. conseq. quia lumen refractum est, quando occurrit medium alterius dispositionis, & diaphaneitatis, antequam terminetur virtus lucidi, ergo poterit in illud novum medium occurrens agere. Tandem, quod lumen reflexum propria reflexione causetur etiam a lucido, prob. tunc enim fit propria reflexio, quando lumen reflectitur a corpore terso, & polito, nec fit ad omnem loci partem, sed ad illam tantum, quæ est opposita angulo incidentiæ, puta si radius incidens facit cum corpore occurrente angulum rectum, reflexio fit per eandem lineam radii incidentis; si vero facit angulum obliquum ex uno latere, reflexio fit per lineam obliquam oppositam ex alio latere, unde res existens versus sinistram partem speculi, non videtur, nisi a parte opposita; nunquam igitur causatur hæc reflexio versus omnem partem, ergo causa hujus reflexionis est ipsum lucidum, prob. conseq. quia si lumen reflexum fieret a lumine recepto in speculo, vel obstaculo, non fieret reflexio ad unam partem tantum, sed ad omnem differentiam situs, quia omne agens multiplicat se sphærice, vel hemisphæricæ. Tum quia per hunc radium immediate videtur ipsum lucidum, ut patet. Tum quia virtus agentis non est terminata.

44 Ex quo patet secunda pars, quod scilicet causa productiva luminis reflexi impropria reflexione sit lumen primarium a lucido corpore productum; nam impropria reflexio luminis est, cum obstaculum non est tersum, nec politum, unde non fit reflexio luminis ejusdem rationis cum primario, nec ad unam partem solam, sed ad omnem situs differentiam, ergo nonnisi lumen illud a lumine primario fiet; tum quia per lumen secundarium non ipsum lucidum videtur, sed lumen primarium a lucido productum, tum quia hæc duo lumina sunt alterius omnino rationis, & secundum est species primi; tum quia hemisphærice diffunditur e lumine primario, quod est signum esse ab illo productum. Ex quo colligi potest, quod quando videtur color vitri rubei in pariete, species usque ad oculum diffusa non est radius reflexus proprie, & immediate a colore vitri causatus, sed est alia species a prima existente in pariete causata, quia diffunditur versus omnem partem; Quod sine fundamento, & gratis negat Arriaga disp. 4. n. 135.

45 Dices, cur non fit semper propria reflexio? Ad hoc dicimus, quia ad hanc requiritur, quod obstaculum sit politum, & tersum; cur autem requiratur hæc conditio, non potest reddi sufficiens ratio, nisi experientia ipsa; potest etiam dici, quod in corpore non polito propter inæqualitatem superficiei radius directus veluti absorbetur, & in cavitatibus illis discontinuatur, hinc non potest reflectere, ut patet etiam in reflexione pilæ, quæ si incidat in corpus molle, non resilit, sed impetus ille in illa mollitie extinguitur, & amittit vires reflexionis. Dices etiam, cur lumen secundarium non ponitur ejusdem rationis cum primario, & solum quod differant secundum magis, & minus? Resp. hoc deduci ab ipsa experientia; nam videmus maximam differentiam inter lumen primarium, & secundarium etiam in ipso confinio utriusque luminis, quod non eveniret, si essent ejusdem rationis, non enim est probabile, quod agens aliquod agat intensissime in certa spatii, & immediate post agat valde remisse, sed debet agere uniformiter difformiter, ac proportionaliter remittit actionem juxta distantiam partium spatii, ergo si hæc lumina essent ejusdem rationis, certe Sol illuminans hanc partem parietis tam intense, non illuminaret partem immediate sequentem tam remisse; tum quia species est semper alterius rationis ab objecto, quod repræsentat; tum quia si esset ejusdem rationis, vel unum esset alterius productivum, vel utrumque a Sole; si primum, cum quodlibet agens univocum sit progressu temporis in aliqua sphærula productivum effectus; si non ejusdem intensionis, saltem valde similis, debebit primarium lumen in parte propinquiori intendere secundarium juxta propriam intensionem, aut valde similem, quod non experimur; si secundum eadem ratione Sol debebit secundarium intendere juxta, vel prope intensionem primarii, quod nec etiam apparet, ergo dicendum hæc duo lumina esse omnino alterius rationis.

46 Septimo, dubitari solet, num lumen dependeat a lucido non solum in fieri, sed etiam in conservari, quod potest quoque exposci de aliis visibilibus speciebus. Qui sustinent species saltem tantisper sine objecto conservari posse, quos citavimus disp. præc. nu. 95. idem etiam asserere debent de lumine, & speciebus visibilibus, imo de istis præcipue loquuntur; nam probant exemplo visionis, si quis enim multum aspiciat ad unum colorem, clausis oculis aliquanto tempore eundem colorem adhuc intuetur, imo ipsum cernit in aliis objectis; idem contingit, si quis aspexerit Solem, vel cancellos luce perfusos: item si virga ignita gyretur in orbem, videtur circulus igneus, etiam ubi ignis non est, quod non potest referri, nisi in speciem ignis existentem in oculo: hinc ajebat Arist. lib. de insomniis cap. 2. de An. 138. *Abeuntibus sensibilibus insunt sensus, & imaginationes in ipsis sensoriis*, idem etiam docet D. Aug. 11. de Trin. cap. 2. Nec valet quorundam responsio, hoc evenire, non quia revera videantur illa objecta, sed ex nostra imaginatione; nam ex illis visionibus fit tanta impressio in sensu interno, ut appareat nos exterius videre, quæ solum interius cogitamus, ut evenit in dormientibus, & phrænetieis, nec potest hæc imaginativa potentia statim

statim corrigi a ratione, quia voluntas nostra non habet supra illam plenum, & dispoticum dominium. Non valet, quia licet hoc totum locum habeat in phræneticis, & melancholicis, qui multa sibi videntur videre, quæ non vident, frustra tamen imponitur hominibus sapientibus, nullique vitio obnoxiis; posset enim voluntas saltem pro tantillo temporis errorem istum imaginationis corrigere, quod tamen non fit, durat enim talis visio, velimus, nolimus, donec species sensim evanescant, ut observavit Vasquez p. 1. disputat. 38. & quod voluntas non habeat plenum dominium, solum infert, quod non possit absolute, & totaliter imaginationem avertere, non tamen, quod pro aliquantula mora non possit alio tranferre imaginationem, ut experimur in quolibet alio actu. Et tandem hoc ipsum probat proprietas lapidis Bononiensis, qui, ut monuimus disp. 2. de Cœlo num. 155. & 156. lumini expositus, splendorem concipit, & tamquam carbo accensus evadit, sed deinde paulatim evanescit, qui splendor aliud non erit, quam lumen productum ab alio lumine, & consequenter species quædam.

47 Verum licet hic dicendi modus sit satis probabilis, probabilior tamen est opposita opinio, quod lumen, & quælibet alia species visibilis ab objecto externo producta dependeat in fieri, & conservari ab objecto; ratio est, quia quæ non pendent in conservari, non statim ad remotionem objecti cessant, sed aliquantulum persistunt, & si incipiunt destrui, hoc fit paulatim, non subito, ut patet in impulsu, & habitu secundum aliquos, lumen autem ad remotionem lucidi statim destruitur, nec paululum persistit in aere, similiter omnis alia species: Neque exemplum de oculo ostendit ipsum lumen permanere in oculo; quia si adhuc extaret, non posset videri, nam tunc non haberet rationem objecti, sed potius esset ratio cognoscendi; tum quia etiam si ipsum lucidum posset, deberet conspici in majori intentione, nam lumen illud, quod videtur, etiam notabili tempore durat, & insensibiliter remittitur, ergo non posset remoto lucido statim ad tam remissum gradum pervenire, qualem experimur habere, dum primo claudimus oculos, ergo aliquid distinctum erit a specie lucis in oculo causata; id ipsum ostendit exemplum de lapide Bononiensi non urgere. Tum, quia deberet assignari ratio, cur solum in oculo persistat lumen, non tamen in aere, vel aqua, aut alio perspicuo, in quo validissima actione imprimitur a Sole.

48 Quapropter dicendum est cum Mairone in prol. sent. qu. 19. a lumine, aliisque visibilibus speciebus alterari organum visus, itaut quandoque a vehementi luce nimium incalescat, imo rarefiat, & quasi ebulliat, ex quo fit, ut magna spirituum animalium copia concurrat, & eo major, quo vehementius imprimitur species in oculo, in quibus spiritibus causantur a lumine, & speciebus visibilibus aliæ species pro sensibus internis, quæ sunt de genere permanentium, & vel istæ, vel aliquæ aliæ consimiles intuentur ab oculis, & quia sunt exilis naturæ, tandiu durant, quandiu spiritus illi permanent in oculis; & hæ species a Scoto p. d. 3. q. 4. G. appellantur ex D. Aug. cit. reliquiæ visionis; de his etiam loquitur Arist. cit. sed præcipue intelligi debet de actibus phantasiæ. Eodem modo dicendum est ad exemplum lapidis Bononiensis, scilicet a lumine aeris causari lumen aliud distinctum de genere permanentium aliqualiter, quod tamen deinde paulatim desinat; & in hoc sensu intelligendum est, quod disp. cit. de Cœlo dicimus, species objecti fortiter impressas amoto objecto aliquantulum durare.

49 Urgeri tamen adhuc potest exemplo virgæ igitæ, in hoc enim casu non possumus dicere a speciebus ignis imprimi aliquas alias species in oculo permanente, quibus oculus deinde percipiat ignitum circulum. Etenim si hæc esset causa, sicut species productæ sunt debilioris, & imperfectioris naturæ, deberent repræsentare remissiorem splendorem, quam sit in re extra, ut experimur, quando clausis oculis percipimus Solem, vel colorem aliquem, & tamen circulus ille ignitus eodem modo conspicitur, & in tali intensione, ac si vere existeret a parte rei; tum quia in hoc casu si oculos claudimus, vel avertimus, non videmus amplius circulum ignitum, ergo non dantur in oculo species illæ productæ. Aliqui respondent permanere nonnihil visionem in oculo, idcirco quia dantur simul visiones illius virgæ, ut successive movetur, apparet, ac si vere daretur simul circulus igneus, & virga simul esset in tota circulatione. Verum hæc responsio examinabitur disp. seq. 11. num scilicet dari possit visio intuitiva, quæ non terminetur ad objectum existens ut sic.

50 Melius ergo dicetur cum Mair. citar. & Rubion. qu. 2. prol. art. 3. (hic tamen etiam amplectitur præcedentem solutionem) revera oculum non videre, nisi virgam ignitam successive motam, sensum vero internum judicare esse circulum ignitum, nam propter velocem motum circularem causantur a virga ignita visiones ordinatim, ac si vere esset circulus igneus, quæ visiones, cum sint valde consimiles, & consimiliter causatæ propter velocitatem motus, judicantur a potentia superiori, in qua simul sunt species ipsarum, ac si essent simul & igniti circuli, unde visus vere solum percipit virgam ignitam circulariter, & successive motam, circulus vero ignitus est objectum superioris potentiæ erronæ judicantis. Dices, etiam oculus percipit circulum igneum simul, ergo error non solum est in potentia superiori, sed etiam in oculo. Negatur antec. visus enim non absolute percipit circulum, aliter non cerneret motum, sed percipit virgam circulariter, & successive motam, quod patebit, si quis adverteret differentiam, quæ est inter visionem igniti circuli permanentis, non enim eodem modo se habet oculus hic, & ibi, quod est signum in visione virgæ vere non percipi ab oculo circulum ignitum.

51 Tandem explicanda erit definitio luminis tradita ab Arist. 2. de An. 69. dum dixit, *Lumen est actus perspicui secundum quod perspicuum est*; quod perspicuum ante definierat dicens, quod sit *visibile non secundum se, ut simpliciter dicam, sed propter externum colorem*; quare, ut luminis definitionem percipiamus, prius explicare debemus definitionem perspicui.

Perspicuum idem est, quod transparens, & luminis receptivum, estque triplex; vel est perspicuum secundum totum, & hoc dicitur omnino interminatum, quia nullo modo terminat visionem, ita se habent Cœlum, ignis elementaris, aer, aqua, & quædam mixta ex his, ut vitrum, cristallus, &c. licet adhuc hæc differant secundum magis, & minus; ista perspicua videri non possunt, nisi ab aliquo opaco terminentur; aliud est perspicuum, quod secundum magnam partem penetratur a visu, non secundum totam profunditatem, & hoc est adhuc interminatum, quia non est a nobis assignabilis terminus nostram visionem terminans, sicut sunt omnia fere corpora lucida, & quidam lapides pretiosi: aliud tandem perspicuum est, quod secundum extremam superficiem penetratur a visu, & hoc dicitur terminatum, quia vere terminat nostram visionem, ut sunt omnia corpora opaca. Quando igitur Arist. definivit perspicuum, locutus est de primo solum, non de aliis, quia locutus est de illo, prout inservit visioni tanquam medium videndi; & ait non esse secundum se visibile, sed per externum colorem, ubi per externum colorem lumen intelligit; sumpto colore lato vocabulo, & patet, quia volens explicare, quinam sit color iste reddens perspicuum visibile, & in actu, subjungit definitionem coloris; ex quo patet, nec omne perspicuum secundum totum diaphanum definisse, sed quod ex se non est lucidum, unde ignis in propria sphæra, si poneretur lucidus (de quo disp. 4. de Cœlo num. 15.) non comprehenderetur sub hac definitione, modo sub tenebra, ut declarat text. 72. Dicitur autem perspicuum visibile, quando est illustratum, quia nos videntes aliquod opacum intra perspicuum, hoc etiam per accidens videre dicimur. Dices, etiam opacum est visibile per externum lumen. Resp. opacum præter lumen externum habere in se aliam rationem visibilitatis, quæ est color, unde est per se visibile, at totaliter diaphanum nullum habet colorem, & solum a lumine redditur visibile; idcirco in definitione de perspicuo fit mentio tanquam de principaliori.

Ex quibus patet definitio luminis, quod sit actus perspicui, ut sic, nam sicut albedo est actus albi reddens corpus actu album, ita lumen est actus perspicui, ut sic, idest quatenus est capax luminis, & per lumen dicitur actu perspicuum, & transparens, sine lumine est solum in potentia.

ARTICULUS III.

De colore.

52 IN colorum visione, & varietate certum est, pulchritudinem universi externam magna ex parte consistere, idcirco investigatio naturæ, & quidditatis ipsorum est maxime Philosopho digna, ac necessaria. Et quidem quoad varietatem spectat, innumerabiles sunt colorum species, non solum quia quodlibet fere corpus proprium sibi vindicat colorem; verum etiam quoniam ex varia ipsorum mixtione novæ fere insurgunt species. Attamen septem numerari solent principales species, ad quas cæteræ tanquam ad genera subalterna reduntur; quarum duæ sunt extremæ, Album scilicet, & Nigrum, dicuntur extrema, quia in genere colorum maxime distant; medium est Viride, quod æque videtur distare ab extremis; aliæ quatuor sunt species, duæ inter album, & viride, scilicet Puniceum, seu Croceum, & Cæruleum, seu Citrinum, aliæ duæ assignantur inter viride, & nigrum, & sunt Purpureum, & Rubrum, licet secundum aliquos, & quidem satis probabiliter, hæc duo saltem quo ad aliquas species ad hæc reducibiles videantur potius mediare inter album, & viride. De his igitur coloribus primo investigabimus causas effectrices, deinde causam formalem, seu naturam, & quidditatem. Tertio, causam materialem, & subjectivam, & tandem definitiones ab Arist. assignatas explanabimus.

53 Ut assignentur causæ colorum effectrices, multum discrepant inter se Philosophi; nam Zamb. lib. 1. de visu c. 2. distinguit de coloribus, quod quidam sunt veri, & reales, alii apparentes, & spirituales; Colores veros, ait, non generari ex primis qualitatibus, quia & in Cœlis reperiuntur, a quibus longe absunt primæ qualitates, sed potius ex varia mutatione perspicuitatis; nam perspicuum illud dicitur, quod est pervium, nec terminat visum propter tenuitatem partium, si igitur perspicuum incrassetur, visum terminabit, & in superficie loco perspicuitatis habebit colorem, quo movebit, & terminabit visum; condensatio autem ista, vel fit absque admixtione alterius corporis, sed solum rarum mutatur in densum, & hic modus locum habet in *cœlestibus*, unde astra differunt a Cœlis in densitate, ideoque sunt colorata albedine splendenti, seu luce; Vel fit non per solam constipationem, sed per admixtionem quoque *opaci*, quomodo accidit in sublunaribus,

bus, in quibus e quatuor elementis tria sunt perspicua, scilicet aqua, aer, & ignis elementaris, unum est opacum scilicet terra; Duobus quoque modis potest fieri hæc mixtio, vel sine mutatione substantiali, sed sola elementorum permixtione, & hoc pacto elementa perspicua in condensatione fiunt alba, ut patet, cum aqua congelatur, sic etiam aer, ignis vero, quia maxime tenuis, non solum fit albus, sed etiam lucidus, ut patet in flamma, quæ eo minus alba, & lucida est, quo magis est unita crassiori materiæ, qua ratione carbones, & ignis in ferro sunt minus albi, ac minus lucentes. Secundo, potest fieri cum vera mutatione substantiali, qua fit mixtum, & sic quia ignis amittit propriam naturam, ideo mixtum acquirit colorem non lucidum, sed varium juxta variationem mixtionis, licet aliqua, quia in illis parum est terreitris opaci, & plurimum aquæ, aliquid retineant lucis, & saltem noctu lucida apparent, ut sunt oculi felium, & noctilucæ, de quibus loquitur Arist. 2. de An. 72.

54 Ex his deducit Zab. perspicuitatem, lucem, & albedinem esse ejusdem naturæ, nam perspicuum condensatum fit album, idque vel splendens, ut ignis, vel non splendens, ut aqua, & aer; ex opposito tenebra, & nigredo erunt quoque ejusdem naturæ, nam tenebra lumini opponitur, nigredo albedini, ergo sicut lumen, & albedo sunt ejusdem naturæ, ita tenebra, & nigredo, & tenebra erit in corpore pervio interminato non luminoso, nigredo vero erit in corpore denso, terminato, & non albo, unde Arist. lib. de sensu, & sens. c. 3. & lib. 2. Meteor. tract. de Iride nigrum vocat privationem albedinis. Deinde adhuc infert, albedinem esse colorem proprium trium elementorum perspicuorum, nigredinem vero elementi opaci, quod est terra, eo quia quod uni convenit per participationem, alicui debet competere per essentiam, at colores competunt mixtis per participationem elementorum, ergo elementis conveniunt per essentiam, non quidam colores mixti, sed simplices qui sunt extrema, scilicet album, & nigrum.

55 Colores tamen apparentes, ait, fieri ex mixtione specierum colorum realium, sicut enim ex mixtione reali albi cum nigro fit color rubeus realis, ita ex mixtione specierum albi, & nigri fit color rubeus apparens; sic Sol est albus, exhalatio terræ, vel nubes est nigra, si lumen, quod est species Solis, pertransit per aerem atrum, fert ad oculum speciem mixtam, quæ ruborem repræsentabit; dicitur autem color apparens; non quia sit falsa apparentia, quia vere in illo aere adest rubedo, sed quatenus apparet esse, ubi revera non est, puta vel in Sole, vel in collo columbæ, &c. distinguuntur hi colores inter se, quod realis dependet a subjecto, quod si destrueretur, etiam color desineret esse, & ad motum subjecti moveturr; at apparens pendet ab agente, nec movetur ad motum subjecti, ut patet in colore producto in pariete, a colore vitri existentis in phiala, qui ad motum phialæ movetur. Ab hac opinione non multum discedit Dand. 2. de An. digress. 35.

56 Alii vero productionem colorum non solum adscribunt diaphaneitati, & opacitati, sed etiam saltem in sublunaribus primis qualitatibus, & elementis varie inter se commixtis; unde mixta, in quibus est prædominium aereum, vel aqueum cum humido scilicet ac perspicuo, sunt alba; si dominatur ignis attenuans suo calore opacitatem terræ, fiunt lucida, si excedit terra, propter opacitatem, & siccitatem fiunt nigra; ita Contar. de An. quæst. de vis. c. 2. cum Arist. in lib. de coloribus (si tamen est liber ille Aristotelicus) ubi etiam habetur, quod humidum in siccum conversum fit nigrum, ut patet in fumo, & in tectoriis cisternarum sub aqua; quod si adhuc ignis actione expurgatur, fit album cum aliquali pallore, ut in cineribus, & tandem si magis exuratur, acquirit perfectam albedinem, ut videmus in calce. Alii colorem album adscribunt, non uni elementari qualitati, sed variæ primarum mixtioni, ut referunt Conimbr. 2. de An. c. 7. q. 3. nam quandoque fit ex humore aqueo non concocto, ut in radicibus absconditis in terra; quandoque cum calidum externum destruit internum naturale, qua ratione senes canescunt; quandoque cum calidum accedit humido, ut in lacte quod concoctione fit album, & in semine, at si calidum jungitur cum sicco terreo, efficit nigrum, ut patet in habitantibus regiones calidas, qui sunt fusci, vel nigri coloris.

Alii albedinem non calori tribunt, aliter grando, nix, & similia alba essent calida, sed potius sicco, unde cineres, arenæ, lapides propter siccitatem albescunt; alii vero ipsi frigido, unde in frigidis regionibus homines sunt albi coloris, panis calidus est minus albus, quam frigidus, flegma inter humores, cum sit frigidum est album; idem conspicitur in nive, glacie, &c. alii ipsi raritati, nigredinem vero densitati; sed si hoc esset verum, fumus, & caligo haberent albedinem, ebur, & marmor propter densitatem essent nigra; communiter nigredo calori tribuitur, ut in carbone, fumo, caligine, Æthyope, & in pagina, ac pluma exustis conspicitur. Cæruleus color, & viridis ab aliis ponitur trahere originem ab humido, unde herbæ, aer, mare, &c. hujus coloris cernuntur.

57 In hac opinionum varietate, primo contra Zab. est, quod donit densitatem opponi perspicuitati, esseque causam colorum, cujus oppositum ostendimus disp. 2. de Cœlo n. 75. densum enim opponitur raro, & solum est causa, quod color carius, & perfectius conspiciatur, sive album sit, sive nigrum, aut viride. Secundo, quia negat primas qualitates posse generare colores, cum tamen experientia sit in contrarium, ut patet ex tot exemplis modo adductis. Tertio quia colores negat in profunditate corporum, quod esse falsum, ostendemus infra. Quarto, quia ponit perspicuitatem, lucem, & albedinem esse ejusdem rationis, cum tamen albedo opponatur nigredini, lux, aut lumen tenebræ, & perspicuitas opacitati, aer enim tenebrosus non est opacum: tum quia albedo, si esset in oculo, impediret visionem alterius coloris, at perspicuitas, & lumen juvant visionem, albedo est entitas realis, lumen est entitas intentionalis, ut magis ostendetur infra, dum distinctionem coloris a lumine probabimus. Quinto, quia perperam asserit tenebram a nigredine non differre, nisi penes raritatem, & densitatem; tenebra enim est mera lucis privatio, & non ens, ut ait Arist. 2. de An. 70. tum quia si tenebræ essent quid positivum lumini contrarium, non posset lumen in instanti introduci in tam vasto spatio, contrarietas enim est causa successionis; nec Arist. ibi hoc docuit, sed solum similitudinarie, & analogice intelligi debet, quatenus omne contrarium infert privationem alterius oppositi; vide Contar. cit. cap 7. Tandem quia colores tribuit elementis solum propter opacitatis, & perspicuitas differentiam, ut opacitas sit causa nigredinis, perspicuitas albedinis, quia & astra sunt opaca, & tamen lucida, ut disp. cit. diximus; aer in tenebris non est opacus, sed tenebrosus, & tamen per ipsum tenebra est nigredo.

58 Quapropter concludendum est, colores causari posse tum a mixtione lucis, & opacitatis, tum a vario primarum qualitatum temperamento, ut innuimus disp. cit. num. 171. & disp. 4. num. 87. & seq. verum est tamen, quod quandoque quædam mixtio harum qualitatum nullum causat colorem, ut in crystallo evenit, & in pupilla oculi, sed solum diaphaneitatem, & perspicuitatem. Cæterum quænam qualitas, aut qualitatum mixtio causet hunc, vel illum colorem, nulla potest assignari certa regula, & universalis, ut optime notat Aversa q. 54. sect. 2. & patet ex tam variis dicendi modis adductis, quorum quilibet suas habet experientias. Tum quia sæpe quæ habent idem temperamentum, sunt omnino diversi coloris, ut videmus in pennis avium; & e contra cum diversis temperamentis stat coloris identitas; quare potius fateri debemus nostram ignorantiam circca originem colorum in speciali, solum dici posse formam substantialem circa colores inseparabiles, ut sunt nigredo in corvo, albedo in cygno, ex se concurrere ad illorum productionem.

59 Circa causam formalem coloris, quæ est ipsius quiddítas, omissa Pythagoreorum opinione asserentium colorem a superficie corporis non distingui, unde consequenter illum ponebant in prædicamento quantitatis, quem dicendi modum videntur sequi Provenz. p. 2. de sensili cap. 12. & Celius Mancinius lib. de Synagia Platonica cap. 23. cujus falsitas apparet tum quia etiam in profundo dantur colores, ut dicemus; tum, quia quantitati nihil est contrarium, at colores ad invicem contrariantur; tum quia nequit hoc habere locum in coloribus apparentibus, quia de novo fiunt absque variatione superficiei; & tandem color est sensibile proprium visus, superficies vero est sensibile commune, hinc concludendum est, colorem esse de genere qualitatis; & ut sensibilis est, ad tertiam speciem attinet; specialiter tamen quæri solet, an sit entitas specie distincta a lumine, an vero ejusdem rationis cum illo.

Avic. 6. natur. p. 3. cap. 1. Albert. in summ. de hom. 9. de subst. coloris, Cæsalp. lib. 5. qq. perip. q. 7. sustinent colorem essentialiter esse ipsum lumem in opaco diversimode receptum; citantur etiam pro hac sent. Capr. 2. d. 14. qu. 1. ad. 1. contra 2. concl. Scalig. exerc. 325. art. 5. Scarmilionus lib. 1. de color. cap. 6. & probabilem putat Mair. in prol. q. 19. sed diversimode explicant opinionem, quidam enim volunt lumen esse totam essentiam coloris, apparere tamen hunc, vel illum colorem juxta variam radiorum reflexionem proximiorem, vel remotiorem; quidam volunt colorem pro formali dicere lumen, pro materiali vero dicere, vel opacitatem corporis, vel temperamentum primarum qualitatum, & secundum quod corpus habet hanc, vel illam opacitatem, vel hoc, aut illud temperamentum, conspicitur hic, vel ille color; & si nullum est lumen, nullus quoque color quoad formalitatem remanet, sed solum quod materiale. Complut. disp. 10. de An. qu. 2. docent lumen esse principium formale coloris dispositivum. Communis opinio distinguit a lumine colores veros, non autem apparentes; at Jo: de S. Thom. qu. 7. de An. art. 2. tam veros, quam apparentes specie distinguit a lumine.

60 Dicendum est, colores omnes esse specie a lumine distinctos: Conclusio colligitur ex Scot. quol. 16. R. 2. d. 13. & 4. d. 49. quæst. 15. Explicatur prius conclusio, colores enim sunt in duplici differentia, alii sunt permanentes in subjecto, qui ad mutationem subjecti mutantur, & diu conservantur, & quocumque extrinseco remoto, ut albedo in pariete, nigredo in corvo, &c. alii non sunt permanentes in subjecto, sed ab extrinseco agente dependent non solum in fieri, sed etiam in conservari, unde non ad motum subjecti, sed ad motum agentis moventur, & hi adhuc differunt, nam aliqui e quocumque situ conspici possunt, ut cum e vitro colorato pertransit radius luminosus, & terminatur ad parietem in quo etiam color similis colori vitri cernitur e quocumque loco; aliqui vero e certa parte, determinatoque situ tantum videntur, sic se habent colores in collo columbæ, in iride, in cauda pavonis ex reflexione luminis causati, hi enim non videntur ab omnibus ubicunque existentibus, sed solum qui reperiuntur in determinato loco, in quo fit certa radio-

radiorum reflexio, hinc diximus disp. 4. de Cœlo num. 86. idem a diversis aspectam non apparere in eodem loco, quia ad alium, & alium locum fit alia, & alia reflexio luminis; quinam autem ex his dicantur veri colores, & qui apparentes, dicemus infra.

61 Probatur modo conclusio; & primo, quod colores permanentes specie a lumine distinguantur, tum quia si a lumine non distinguerentur, non essent tam fixi, & permanentes, sed variabiles ad luminis variationem; nec specie inter se different, nec ad invicem contrariarentur; sicut nec lumen ab alio lumine differt specie, nec ei est aliquid contrarium positive. Resp. hæc omnia verificari de colore, non quidem quoad formale luminis, sed quoad materiale, quod est temperamentum, vel opacitatis, vel primarum qualitatum, & quia hoc materiale permanet in subjecto; idcirco colores isti permanentes dicuntur. Contra, videmus sæpe duo corpora ejusdem densitatis, & opacitatis, vel ejusdem temperamenti primarum qualitatum diversos habere colores, & e contra ejusdem esse coloris, etiam si habeant distincta temperamenta, ut supra diximus, ergo diversitas specifica colorum, & contrarietas nequit salvari quoad materiale, sed verificabitur quoad formale colorum. Dices in nostra sententia dari debet aliqua causa effectiva colorum, licet nobis occulta, & hæc erit materiale coloris, sive sit opacitas, sive primæ qualitates, sive aliquid aliud. Contra, quia idem est ac dicere, non solum causam effectivam colorum esse occultam, sed etiam ipsam essentiam. Tum quia distinctio per materialia non est essentialis, sed accidentalis: Tum quia color entitas realis, non intentionalis, unde positus supra visum impedit sensationem, at lumen est entitas intentionalis ex dictis art. præced. unde si color esset lumen, certe rubore existente in oculo non apparerent omnia objecta rubra, sicut nec quando habetur species albedinis, impeditur visio nigredinis, sed simul potest oculus utrumque colorem cernere. Accedit, quod conspicimus v. gr. in pariete albedinem, & lumen Solis, & illam ab isto distinguimus; modo si color esset ipsum lumen, nulla daretur nigredo realis, hæc enim & albedini, & aliquo modo ipsi lumini videtur opponi, unde dicitur expers omnis luminis. Et tandem quis dicat lumine absente omnes colores perire? Solet adhuc probari hoc assumptum ex definitione, quam tradidit Arist. de colore, & lumine; sed quoniam ab adversariis adduci solet in favorem propriæ sententiæ, ideo differimus illam usque ad finem articuli, dum sensum illius definitionis aperiemus.

62 Secundo prob. conclusio de colore transeunte, qui potest e quocumque loco videri, qualis est color in pariete causatus a radiis Solis per vitrum coloratum transeuntibus; iste enim color est alterius rationis a colore vitri, ut habet Scotus in 2. cit. 2. F. quia est species intentionalis illius, & si reciperetur in oculo causaret visionem coloris vitri, nec aliam impediret, albedinem parietis non destruit, dependet a luce, ad motum luminosi movetur, quæ omnia colori vitri non competunt. Deinde est etiam a lumine diversus, ut colligitur ex Scoto cit. G. & ad 3. princ. quia non est lumen reflexum per propriam reflexionem, hoc enim non diffunditur in omnem loci partem, sed solum ad partem oppositam lineæ incidentiæ, ut diximus num. 43. at ille color undequaque conspicitur; nec est lumen primarium hæmisphærice multiplicatum per lumen secundarium, quia sic tale lumen ubique rubrum videretur, sive adesset vitrum coloratum, sive non, quod est falsum, ergo præter tale lumen aliquid aliud est, quod videtur, & tale erit species illa coloris terminata ad opacum, quæ dum est in diaphano, non apparet, nisi quousque ad opacum terminetur, quod esse proprium cujuslibet speciei ostendit Doctor cit. Verum est tamen, quod lumen exigitur, ut possit species in pariete terminata alias sui ipsius manifestativas producere, ut patet experientia, si enim radius luminis non transiret per vitrum, adhuc vitri color proprias emitteret species ad parietem, non tamen viderentur, quia propter carentiam luminis non valent alias species producere, & se hæmisphærice multiplicare, nam ut dicemus art. seq. lumen est necessarium, ad hoc ut color species emittat; & quamvis ad colorem realem sufficiat quodlibet lumen, tamen ad colorem intentionalem requiritur lumen primarium, utpote quia minoris entitatis, quod totum nos docet experientia, accedunt rationes mox adducendæ, quæ etiam faciunt pro parte præcedenti.

63 Ex his manent soluta illa duo argumenta, quæ art. præced. n. 42. adduximus ex Arriaga; & ad primum, cum dicitur, quod species non est similitudo formalis objecti, nec ejusdem rationis cum illo, concedimus de formalitate, & ratione specifica, negamus de generica, sic enim videmus in lumine, quod aliqualem habet proportionem cum luce, cujus est species, deficit tamen a ratione lucis, sic species illæ in pariete apparentes proportionantur cum colore vitri, deficiunt tamen, ut patet intuenti, tum in intensione coloris, tum in entitate. Ad 2. neg. seq. cum sua probatione, species enim contrariorum sunt inter se compossibiles; & propositio illa sensibile positum supra sensum impedit sensationem, valet in visu de illo, quod solum est sensibile, non de illo, quod etiam est simul intensio.

64 Tertio, probatur idem de coloribus ex determinato tantum loco apparentibus, ut sunt colores iridis in collo columbæ, &c. isti namque ejusdem omnino rationis videntur esse cum aliis coloribus, saltem in ratione generica coloris: imo quidam tam perfecti, & vividi apparent, ut nullus color permanens perfectior esse possit, ut patet præsertim in coloribus ex crystallo triangulari apparentibus; item videntur habere suas oppositiones, & contrarietates inter se, terminant visionem ejusdem rationis cum visione, qua color permanens cernitur; causant species, tum externas, tum internas colorum distinctas a specie luminis, nequit enim negari speciem causatam a viriditate iridis esse distinctam a specie luminis, & esse veram speciem viriditatis, quia talem speciem causat in sensu interno, ut arguebamus disp. præced. num. 121. contra Rivium, ergo causa hujus speciei non erit lumen, sed color, species enim repræsentat objectum, a quo fit. Tum quia nequit sensus externus percipere objectum, nisi sit existens in se, quia cognitio externa sensitiva est intuitiva, de cujus ratione est, quod terminetur ad objectum in se, non ut in specie repræsentatum, ut dicemus disp. seq. qu. 11. ergo si oculus in iride percipit viriditatem, hæc debet existere a parte rei, & terminare visionem. Quapropter vel dicendum est, omnes colores a lumine distingui, vel nullos, quidquid enim adducetur pro distinctione colorum permanentium a lumine, retorqueri potest, & ostendit distinctionem aliorum colorum; eo vel maxime, quia nos ponimus colores aliquos transeuntes a lumine distinctos, & quidquid his rationibus dicetur, potest applicari ab adversariis rationibus ostendentibus distinctionem colorum permanentium a lumine, ut consideranti patebit.

65 Tandem ex his colligitur, non recte a Complur. lumen appellari principium formale coloris dispositivum; quamvis enim requiratur ad emissionem specierum visibilium, non tamen necessario ad constitutionem intrinsecam, & entitativam coloris, unde recedente lumine, adhuc res sunt coloratæ, licet non videantur. Nec refert, quod ajunt, tunc lumen manere saltem virtualiter, ratione cujus virtualis permanentiæ poterit dici formale principium. Non valet, quia sæpe sæpius tum in Phys. tum in lib. de Gen. ostendimus hanc virtualem permanentiam non sufficere ad actualem causalitatem, sed requiri actualem existentiam.

In oppos. objic. primo ex Arist. 2. de An. 73. ubi definiendo colorem ait, *esse motivum perspicui secundum actum, actus autem perspicui lumen est*, & lib. de sensu, sensil. cap. 3. inquit, quod sit *externitas perspicui in corpore determinato*, lumen autem est, quod in superficie opaci recipitur. Tum quia abfente lumine nullus color inspicitur, signum evidens colores cum lumine deleri; unde Virg. Æneidos 6. *Rebus nox abstulit atra colores*, & in quodam Hymno Ecclesiæ, qui habetur fer. 4. ad laudes, dicitur, *Rebus jam color redit vultu nitentis sideris*. Tum 3. lumen, & color participant eandem proprietatem visibilitatis, ergo eandem habent naturam, ex identitate enim passionis recte infertur identitas naturæ, ad quam passio consequitur. Tum 4. color est participatio lucis, unde a fonte disgregat, & dissipat visum, quia multum participat lucis. Tum 5. color est objectum adæquatum visus, ergo est idem cum lumine, quia unius potentiæ unicum est adæquatum objectum.

66 Respond. ad 1. dicemus in fine art. Ad. 2. dicimus recedente lumine remanere colores quoad entitatem, celari tamen quoad visum, quo sensu intelligi debet, cum dicuntur colores per noctem a rebus auferri, quia scilicet absconduntur, & teguntur visui, unde in Hymno fer. 5. ad Matut. habetur, *Nox atra rerum contegit terræ colores omnium*. Ad 3. dicemus artic. seq. Ad 4. si valeret, ostenderet nigredinem non esse colorem; dicuntur igitur colores participare de natura lucis, quia sub objecto visus lux est principalius contentum. Ad 5. patebit art. seq.

Secundo mutantur colores sine ulla mutatione facta primarum qualitatum, sed solum penes opacitatem, vel perspicuitatem, quia scilicet perfectius, vel imperfectius recipitur lumen, ergo color non videtur a lumine distinctus, antec. prob. si quis cornu caprinum, quod nigerrimum apparet, dividat in tenues laminas, sive ramenta, ex nigro fiet album, & tamen per divisionem nulla fit mutatio temperamenti. Neque dicas colorem illum esse apparentem, quia permanens est, & constans. Tum 2. diversum lumen diversos causat colores in eodem corpore, igitur signum est, vel ipsum colorem esse tale lumen cadens in tale corpus, vel ut minimum lumen multum conferre ad rationem coloris, & esse principium formale, antec. facile est experiri, atque ejus rei testes sunt pictores, qui lumine candelæ non possunt colores suos applicare, errarent enim gravissime, præsertim in quibusdam coloribus, qui omnino alii apparent; idem experiri licet apud eos, qui pannum vendunt, nam panni non præseferunt eum colorem, dum illuminantur candela, quam dum illuminantur a Sole. Tum 3. si a Deo auferretur a corpore qualitas illa, quæ secundum nos dicitur color, certe lumen cadens in tale corpus reflecteretur, quia cum tale corpus sit futurum opacum, non transmitteret ultra se lumen, ergo videretur, & consequenter sub ratione coloris, ergo color non est a lumine distinctus.

67 Resp. ad 1. colores non solum causari *ex vario temperamento* primarum qualitatum, sed etiam *ex permixtione* luminis, & opacitatis, & quando color undequaque videtur, & etiam quando ex una parte solum, *primus causatur ex* sola permixtione luminis cum opaco, in qua *intervenit* reflexio imperfecta, & ex varia permixtione varius *insurgit* color, qui constans est, & permanens, dum eadem opacitas permanet ex parte corporis, quantuncumque varietur lumen: secundus vero pendet ex certa oppositione luminis ad nostrum aspectum in reflexio-

flexione perfecta, quæ solum in certa parte fit ; ex hoc dicimus cornu caprinum integrum nigrum apparere, quia propter crassitiem minus luminis admittit, at divisum in lamínas, quia est non nihil transparens, plus recipit luminis, & fit album, hinc qui tractant de coloribus, communiter dicunt, quod alba sunt illa, quæ multum lucis recipiunt; hoc tamen non est intelligendum universaliter, nam requiritur ex parte corporis aliqua dispositio; lapides enim pretiosi penetrantur a lumine, non tamen albi apparent, sed vel rubri, vel purpurei, vel cærulei, &c. ex quo deducitur ipsum lumen non esse formaliter colorem, sed causativum coloris; quo casu concedimus recedente lumine nullum adesse similem colorem, scilicet qui a lumine causatur, & pendet in conservari. Ad 2. dicimus aliquando colores non apparere, quales sunt defectu luminis sufficientis, nam cum oporteat eos illuminatos esse, ut videantur, si non illuminentur sufficienti, quod postulant, lumine, non apparebunt, quales sunt ; sic album nimis distans fuscum cernitur propter improportionem, quam habet cum potentia. Ad 3. dato casu corpus illud solum videri ut luminosum, non ut coloratum, nisi dicamus ex permixtione luminis cum opacitate resultare quendam colorem, sub quo videretur ; sed si a Deo hæc etiam resultantia impediretur, solum lumen esset visibile.

68 Tertio arguitur, quod colores iridis & similium non sint a lumine distincti, nam sæpius diximus cum Scoto 2. d. 13. agens omne sphærice, vel si est impeditum, hæmisphæriee diffundere suam actionem, ergo si color iridis esset quid realiter a lumine causatum potens immittere proprias species ad producendam visionem, jam sphærice, vel hæmisphærice illas immitteret, & consequenter non ex determinato situ videretur, sed ex omni loco, ut est rubor in pariete causatus a rubore vitri illuminato a radio solari, hoc tamen est contra experientiam. Tum quia color apparens, qualis est color iridis, per hoc a vero distinguitur, quod verus color est entitas realis a lumine distincta, apparens vero est ipsummet lumen reflexum ad nostrum aspectum, per quam reflexionem e corpore opaco factam apparet coloratum, ut docuimus disp. 4. de Cœlo num. 87. & 88. ergo si color iridis, & similium esset color a lumine distinctus, esset verus color, & nullus daretur apparens, contra communem sententiam distinguentem colorem in verum, & apparentem.

69 Respond. ad 1. utique omne agens talis esse naturæ in agendo, quod sphærice, vel hæmisphærice immittit propriam actionem, & hoc quia sic nos docet experientia, at eadem quoque experientia nobis ostendit colorem ex reflexione luminis causatum non agere hæmisphærice, sed solum in partem certam, ad quam fit reflexio; ratio hujus discriminis a priori difficulter assignatur; dici tamen poterit, colorem rubri vitri in pariete causatum posse agere hæmisphærice, eo quia non dependet[a] lumine, nisi quatenus terminatur ad opacum, & ut sic causatur; licet deinde non reflectat, & consequenter poteſt ex se ad omnem partem immittere species; at color iridis non solum pendet a lumine, prout terminatur ad opacum, sed etiam ut certam habet oppositionem ad nostrum aspectum in reflexione, & quia lumen requiritur, adhoc ut color species causet, ut dicemus art. seq. lumen reflexum, a quo iridis color causatur, & dependet, non est in qualibet parte spatii, sed in certa, & determinata; idcirco color iridis non sphærice, sed in parte determinata species producit, & consequenter non videtur undequaque. Ad 2. dicimus etiam in nostra sententia dari possunt colores veri, & apparentes ; nam primo ut diximus disp. 2. de Cœlo num. 171. veri colores possunt dici, qui permanenter insunt subjecto per causam internam independenter a lumine, apparentes autem erunt illi, qui transeunter existunt in subjecto, nec totaliter a causa interna producuntur, sed etiam a lumine causantur, quo sensu color in pariete a vitro coloraro factus; color iridis, &c. dicentur apparentes. Secundo, color verus ille dici poterit, qui ab omnibus existentibus in qualibet situs differentia cerni potest, apparens, qui solum causatur a lumine habente certam proportionem cum nostro aspectu, & non ab omnibus videtur, sic color iridis erit apparens, color in pariete a vitro colorato proveniens erit verus, sicut & color permanens; non admittimus autem hanc distinctionem veri, & apparentis coloris in sensu adversariorum, & quamvis disp. 4. cit. de Cœlo secuti simus communem sententiam de apparentia colorum, hoc fecimus, quia non erat ibi proprius locus hujus rei, & satis erat pro resolutione illius quæsiti de iride: tum quia color transiens, quia a lumine pendet in fieri, & conservari, dici solet a Doctoribus lumen reflexum, re tamen vera hæc locutio non verificatur formaliter, sed causaliter, quo loquendo modo quandoque Doctor uti videtur.

70 Quoad causam materialem, seu subjectivam colorum res est facilis negotii, nam sustinendo colores non solum a primis qualitatibus provenire, sed etiam ex permixtione opacitatis, diaphaneitatis, lucis, & luminis, non solum mixta poterunt in se recipere colorem, sed etiam elementa, imo & astra, ut diximus disput. 2. de Cœlo num. 171. nec tantum in superficie erit color, sed etiam quandoque in profunditate, non enim est verisimile lac solum in superficie esse album, non in profunditate, ratio est, quia si color a primarum qualitatum temperamento provenit, quia hoc temperamentum est tam in superficie, quam in profunditate, utrobique erit color ; si vero causatur ex mixtione luminis cum opacitate, quia lumen potest in profunditate corporis absorberi, & misceri, etiam ibi causabit colorem, an autem color sit solum visibilis in superficie, an etiam in profunditate, mox dicemus.

71 Tandem duplex definitio assignari solet de colore; prima sumitur ex 2. de An. 67. dum ait Arist. *omnis color motivus est ejus, quod est secundum actum perspicui, & hoc ipsius natura* ; Secunda sumitur ex lib. de sensu, & sensil. cap. 3. ubi inquit, *Quare color utique erit perspicui in corpore determinato extremitas*. Circa expositionem harum definitionum multum laborant Commentatores, brevibus tamen rem expediemus. Et primo supponendum est, his definitionibus non explicasse Aristot. naturam coloris secundum se, sed in ordine ad visum, & quatenus visibilis est; Et quidem prima definitio facilis est; quia omnis color ex dictis proprias immittit species ad visivam potentiam, & hoc per medium actu illuminatum, quod lumen necessario requiritur, ut dicemus art. seq. & per consequens movebit medium illud, non motione reali, sed intentionali. Nec obstat, quod etiam lux movet perspicuum, illuminando ipsum per lumen, quod est species lucis, unde etiam intentionaliter movet; non obstat, quia lux movet quidem perspicuum per speciem luminis, sed ipsum simul in actu constituit per idem lumen, at color movet perspicuum supponendo jam in actu per lumen constitutum, & hæc est differentia inter lucem, & colorem ; ex quo patet ad primam rationem positam num. 65. pro qua etiam notandum, ut diximus artic. præced. & dicemus etiam seq. colorem in definitione perspicui sumi lato vocabulo, ut quid commune ad lumen, & propr um colorem.

Secunda definitio difficilis est, varieque a Doctoribus explicatur: Quidam ajunt dici extremitatem, non quidem de genere quantitatis, sed de genere qualitatis, quatenus color est quædam qualitas resultans præcipue ex mixtione perspicui, & opaci, color est extremitas idest, terminus resultans ex tali mixtione; quo sensu etiam color in profunditate corporis existens, quia adhuc ibi est talis mixtio, potest dici extremitas perspicui, & opaci; & sic explicata hæc definitio videtur declarare coloris naturam aliquo modo in ordine ad se.

72 Alii explicant de ipso colore in ultima superficie corporis opaci, & terminati existente, eo quia putant non definiri colorem, nisi ut visibilem, visus autem, ajunt ad externum colorem solum terminatur; & quamvis sint aliqua corpora, non solum colorata, sed etiam aliqualiter transparentia, ut sunt gemmæ, electrum, &c. adhuc tamen est advertendum, quod vel illa corpora sunt æqualiter colorata, & sic solum color superficiei cernitur, vel intus habent alium colorem, vel eundem intensiorem, & sic concedunt videri talem colorem per illud corpus coloratum, non tamen ut habet rationem colorati, sed ut habet rationem perspicui, & medii, per quod species alterius coloris defertur ad oculum. Nec refert, quod lumen etiam sit extremitas perspicui terminati; Nam lumen ex se indifferens est ad perspicuum, & opacum, color vero non nisi in corpore habente aliquam opacitatem potest subjectari, non in totaliter diaphano. Alii facilius se expediunt, explicant enim hanc propositionem, non ut veram definitionem, sed ut propositionem quandam, quæ ut plurimum verificatur, & de colore existente in corpore perfecte opaco, quomodo solum in superficie est visibilis. Sed hæc expositio non satis consona videtur textui ; consule Arist. ibi, & Doctorem in 4. dist. 49. qu. 15. ad 1. princ. & elige, quæ tibi probabilior videtur.

ARTICULUS IV.

Medium, Modus, & Objectum visionis declarantur.

73 Circa primum in titulo art. propositum, duplex medium distingui solet, scilicet internum, & externum, internum dicitur, quod mediat inter pupillam, quæ est sensorium visus, & oculi tunicam, quæ vocatur cornea, externum est quodlibet corpus medians inter objectum, & oculum ; ad pariendam visionem alicujus existentis in tunica cornea, vel in adhærente sufficere internum medium, quod est humor vitreus, & aqueus, nos docet experientia, nam quandoque ex compressione oculi ad unam partem cernimus fulgorem quendam, quandoque conspicimus quasi muscas, vel alia animalcula volitantia propter humorem quendam in dictis tunicis existentem, in quibus etiam fulgor ille reperitur. Eadem quoque experientia nobis ostendit ad videnda objecta externa non sufficere solum medium internum, sed requiri etiam externum, itaut si objectum superponeretur ipsi oculo, non videtur; hinc orta est illa propositio satis vulgata, & colligitur ex 2. de An. 73. & 75. quod sensibile positum supra sensum non facit, imo impedit sensationem, cujus veritatem passim examinabimus agendo de sensibus in particulari, & quæst. 7. in proposito de visione est verissima; & ratio specialis adduci solet, quia ut habet Doctor quol. 15. R. 2. d. 13. C. & in lib. de An. quæst. 4. ad visionem requiritur lumen in medio, & in organo, imo & in ipso objecto, unde si objectum superponeretur oculo, jam oculus obumbraretur, & consequenter non posset videre; hinc moveri solet quæstio de medio externo requisito, quas conditiones debeat habere.

74 Et quidem certum est, debere esse perspicuum, & pervium ; si enim esset opacum, non solum impediret lumen, sed

sed etiam species objecti visibiles, unde quod de hinc dici solet, quod videat post parietem, est fabulosum, neque Doctor 4. d. 49. quæst. 15. ad 1. hoc affirmat, sed tantum ut exemplum ab aliis adductum recitat. Similiter quod de quibusdam aquarum, aut mineralium inspectoribus refertur, inspicere scilicet venas aquarum, aut mineralium in subterraneis existentes, nisi utantur quibusdam signis, & indiciis naturalibus, est prorsus fabulosum, & vanum, vel arte Dæmonum id efficiunt; vide Conimbr. 2. de An. c. 7. quæst. ult. Certum quoque est debere esse plenum, non vacuum, lumen enim, & visibiles species, cum sint accidentia, requirunt subjectum, in quo recipiantur, quomodo autem intelligendus sit Scotus 2, d. 9. quæst. 2. C. diximus disp. præc. num. 107. Certum etiam est aliquod lumen requiri ad visionem, saltem proportionatum, nam in tenebris nihil videmus, & si lumen esset excedens, læderet organum visus, & impediret visiones aliarum rerum, at contemperatum maxime juvat ad visionem, unde perfectius videmus cum intensiori lumine, quam cum remissiori; unde autem proveniat, quod aliqua nocte conspiciantur, & non die, dicemus art. seq.

75 Remanet solum quærendum, num medium illud debeat esse actu illuminatum, an vero sufficiat, quod objectum tantum illustretur lumine, quod alii sub aliis verbis investigant, num scilicet lumen requiratur ex parte medii, an vero ex parte objecti, vel ex parte utriusque, sed quod attinet ad objectum, dicemus infra in fine art. modo tantum agemus de medio. Prima opinio negat ad visionem necessario requiri medium illuminatum, ita Avic. lib. 9. natur. p. 3. cap. 1. Joan. de Magistris 2. de An. quæst. 5. Hurt. disp. 17. de An. sect. 2. Suar. tom. 3. de An. cap. 17. Arriaga disp. 5. sect. 3. subsect. 2. & alii, asserentes lumen esse necessarium ex parte objecti, non medii, probabilem putat Cavell. disp. 2. de An. sect. 9. dub. 2. Kuvius tractat. de visu quæst. 5. ait lumen ex parte medii requiri ad visionem coloris, at respectu lucis non exigi medium illuminatum. Communis opinio affirmat universaliter lumen ex parte medii esse necessarium, ita Doctor quol. 15. R. 2. d. 13. C. & in lib. de An. quæst. 4. sequuntur ex recentioribus Conimbr. 2. de An. cap. 7. quæst. 4. Tol. quæst. 17. Aversa quæst. 54. sect. 3. Zab. lib. 1. de visu cap. 9. & seq. Piccol. lib. de visu cap. 14. Contar. quæst. de visione cap. 6. estque frequentior apud Thomistas.

76 Dicendum est, lumen exigi ex parte medii ad videndum colorem, & lucem, imo esse necessarium etiam ex parte ipsius sensorii visus, scilicet humoris crystallini; & quidem, quod requiratur ad videndam lucem, in nostra sententia est evidens, cum enim lumen sit species lucis, & species necessario diffundi debeat per medium usque ad oculum, jam eo ipso medium illuminatur, & in hoc sensu intelligenda est conclusio scilicet de lumine proprio, non alieno, ut enim notat Doctor in 3. d. 14. qu. 1. ad 3. F. & 4. d. 49. qu. 11. H. quanto magis objectum est in se lux, tanto minus propter ipsum requiritur de lumine; quapropter sententia Ruvii admitti potest, quia videtur loqui de lumine alieno. Prob. autem de colore, primo ex Arist. 2. de An. 67. & seq. ubi ex professo hoc docet, definit enim perspicuum in actu per hoc, quod sit illustratum, & actuatum a lumine, colorem vero, quod sit motivus intentionaliter perspicui in actu, idest jam illuminati, ergo ad motionem coloris, seu ad immissionem specierum prærequiritur in medio lumen, vide text. 73. Cum igitur secundum Arist. perspicuum, ut possit species recipere, debeat esse actu illuminatum, sequitur, quod etiam organum visus, qui est humor crystallinus, cum sit perspicuus, & transparens, ut sit subjectum aptum ad recipiendas species visibiles colorum, debeat quoque prius illuminari, unde lib. de sensu, & sensibili cap. 2. ait, *Fiditur autem sicut exterius non sine lumine, ita & interius*, & deinde paulo post addit, *Quare necessario est perspicuum, & receptivum luminis id, quod interius oculi est*; de sententia igitur Philosophi nullus est ambigendi locus.

77 Difficile tamen hujus rei rationem aliquam a priori assignare, maxime ab illis, qui negant lumen esse speciem lucis; probat autem hoc Doctor quol. cit. quia ad hoc, ut color agat in visum, requiritur alia causa concurrens ad agendum, scilicet lumen, tanquam causa principalior, ut videbimus, causa autem secunda, seu minus principalis non est in potentia propinqua, nisi alia scilicet prima, & principaliori concurrente, ergo color non potest agere in medium, nisi prius lumen in illud agat illuminando, & illustrando. Dices cum Suarez, hoc solum probare lumen ex parte medii per accidens requiri, ut scilicet objectum illuminetur, & ratione objecti, non ostendere autem medium non illuminatum esse incapax specierum colorum, quod esset probandum, ut concludatur lumen ex parte medii prærequiri. Contra quia quando duæ causæ productivæ duorum effectuum sunt subordinatæ inter se, ut una non agat sine altera respectu communis subjecti, etiam effectus causæ subordinatæ dependebit ab effectu alterius causæ, ut non possit produci in communi subjecto sine altero effectu, dependentia enim in producere recte infert dependentiam in produci, cum igitur color nequeat agere in medium producendo species, nisi prius lumen agat, species coloris in aere erit dependens a specie luminis, & consequenter prærequirit in aere lumen, ex quo debemus arguere lumen esse necessarium ea parte medii. Tum quia, & si non adsit pro nostra sententia ratio evidenter ostendens intentum, nec etiam pro opposita est aliqua ratio convincens, ut videbimus, quare præstat a communi, & ab Arist. non recedere.

78 Contra hanc doctrinam insurgunt quibusdam experientiis, eo quia si objectum est illuminatum licet medium prope potentiam sit obscurum, adhuc intuemur objectum, ut patet cum noctu videmus quædam objecti lucida, e profundis puteis in meridie conspiciuntur stellæ ; existentes in obscuro cubiculo cerninus objecta in luce permanentia; & si medium est tenue illuminatum, objectum vero intense, perfecte videtur, e contra si medium est perfecte illuminatum, objectum vero remisse, eo quia sit in obscuriori loco, imperfecte videtur, ergo tota necessitas luminis est ex parte objecti, non medii. Neque dicas, in medio obscuro reperiri aliquid luminis usque ad potentiam diffusum, sufficies ad causandum visionem. Non valet, quia quando conspicimus lucem valde distantem, nullatenus possumus videre objecta prope nos existentia, ergo non est probabile ibi lumen aliquod reperiri, quod sit sufficiens ad visionem rerum e longinquo, non tamen ad prospicienda objecta prope existentia. Tum quia multa animalia noctu vident, & nix in obscuro cubiculo inclusa prospicitur, & tamen nullum est lumen.

79 Resp. in his casibus semper adesse tam in potentia, quam in medio prope ipsam lumen aliquod sufficiens ad visionem, quod necessario fatendum est, quia si videtur lucidum a longe, vel objectum illuminatum, & lux nonnisi per lumen primarium tanquam per speciem videtur, lumen vero primarium per aliud lumen secundarium, necesse erit lumen ad potentiam usque pervenire, nequit enim fieri visio sine specie objecti. Quod autem additur, objectum illuminatum perfecte videri in medio non perfecte illuminato, at objectum remisse illuminatum imperfecte conspici in medio intense illuminato, solum infert necessitatem luminis in objecto, non enim lumen in medio est præcisa causa visionis, sed requiritur species objecti, quæ nequit causari, nisi adsit lumen in ipso objecto, imo hoc principalius requiritur, hinc est, quod medio imperfecte illuminato objectum perfecte illustratum clare conspicitur, non e contra. Quod insuper additur, nullum lumen prope nos experiri, parum refert, quia lumen, & quælibet alia species visibilis non potest in medio perspicuo videri, nisi terminetur ad aliquod opacum, in quo terminatum possit alias species producere sui ipsius repræsentativas, major autem virtus requiritur ad producendas alias species, ad quas concurrit ut causa totalis, quam ad causandam visionem, respectu cujus est causa partialis, ut patet in specie vitri colorati, quæ ubique est repræsentativa coloris, & quamvis ad opacum terminetur, non est adhuc aliarum specierum productiva, nisi a radio luminoso adjuvetur : idem de lumine dicendum, quod propter sui remissionem, nequit terminatum ad corpora opaca prope nos se diffundere, & illa manifestare, potest tamen lucida remota repræsentare, quamvis remissum ; eo vel maxime quod lux non indiget alieno lumine, ut videatur, bene tamen coloratum objectum. Ad aliud dicemus infra num. 107. facit enim contra exigentiam luminis ex parte objecti.

80 Circa secundum principale in titulo art. propositum de modo scilicet quo fit ipsa visio, multa difficilia quidem solent quæri, eo quia admirabilis, & pene inscrutabilis est actio visiva, ut enim ait Lessius lib. 6. de perfect. div. c. 2. *Celeritas tanta est, ut in puncto temporis plusquam 80. millionis milliarium conficit* (*tantum enim & amplius distant stellæ a terra secundum Astronomos*) *tanta vero capacitas, ut totam Cœli medietatem comprehendat, imo si non obstaret terra posset intra se condere totum mundum, tam vero arcana est ejus operatio, ut hactenus nemo mortalium assequi potuerit*. Primo igitur quæri solet, num visio fiat per intromissionem, an vero per extramissionem, idest an oculus in visione recipiat aliquid ab objecto, an vero aliquid extra se emittat, & diffundat.

Celebris in hac re est opinio Platonicorum, aliorumque apud Ruv. 2. de An. tract. de visu qu. 7. asserentium visionem fieri per extramissionem; quæ tamen non eodem modo a sequacibus defenditur; quidam enim volunt simpliciter fieri per extramissionem radiorum visualium, vel fulgoris ab oculo, & ad objectum terminatorum, qui illud illuminent, & visibile reddant, & tunc oculum elicere visionem; alii, quod radii visorii ad objectum terminati, & æqualiter ab ipso alterati redeunt deinde ad oculum, & causant visionem ; alii, quod in reditu radiorum simul associentur illis species visibiles objecti, & in oculum simul recipiantur, alii tandem, quod prius objectum immittat in oculum propriam speciem, deinde egredi ab illo radios visuales usque ad certam distantiam, in quibus adest vis efficiendi visionem in aere; hi omnes præter primos videntur docere visionem fieri simul per intromissionem, & extramissionem.

81 Dicendum est, visionem fieri per solam intromissionem specierum ab objecto diffusarum per medium illuminatum, & in oculis receptarum: ita Peripatheticorum Scola cum Arist. 2. de An. 67. 74. & 121. & lib. de sensu, & sensili. cap. 2. quam ut veram sæpe supponit Doctor in 1. d. 3. quæst. 6 & 7. & 2. d. 13. & alibi. Prob. primo ex communibus, nam cæteræ potentiæ sensitivæ taliter operantur, eo quia sunt potentiæ vitales cognoscitivæ, actio enim *vitalis est actio immanens*, ut diximus disp. 2. quæst. 2. ergo *idem* de potentia visiva est dicendum, cum visio sit actio *perfecte vitalis* inter alias actiones externas. Neque oculus esset formaliter videns, sed potius aer, vel aliud extra, in quo reciperetur visio, ut enim diximus disp. cit. quæst. 3. magis pertinet ad rationem vitalitatis,

tis, quæ consistit in operatione potentiæ circa objectum, receptio actus, quam productio, unde potest productio suppleri a Deo, at nequit fieri, quod potentia operetur, quin actum habeat in se. Tum quia visio si fieret in aere, deberet aliquo modo ipsum aerem denominare, denominatio autem visionis est reddere formaliter subjectum videns.

82 Deinde specialiter ostenditur. Tum quia hæc radiorum ab oculis emissio videtur imperceptibilis, non enim apparet qua virtute pupilla oculi admodum exigua, in omnia, quæ videmus, & maxime diffita, ut in totum Cœli hæmisphærium possit radios suos, & lumen diffundere, quod non inconvenit objecto, quia non est tam parvum, & emittit species proportionaliter ad molem. Tum quia sequeretur oculos, quo splendentiores, & fulgidiores existerent, eo perfectiores esse in visione, quia essent magis illuminativi, quod est contra experientiam, nam oculi felium, & animalia nocticula habent oculos lucidiores simul, & debiliores. Tum quia lumen istud per aerem diffusum deberet conspici in tenebris, quæ potius juvant suo modo ad visionem parvi luminis, quam illud destruant, unde gemmæ, & similia noctu videntur lucida non diu. Tum quia experientia reflexionis in speculo est validissima ad probandam nostram sententiam; non enim possemus in speculo inspicere, quæ retro inveniuntur, quia radii visorii non attingerent illa objecta; vel si dicas ad illa reflecti, non deberent conspici in speculo, sed ubi existunt. Tum quia si isti radii ponerentur substantiæ quædam, & corpuscula, ut aliquibus placet, multo magis apparet absurditas hujus opinionis, nam sic totus aer esset illis plenus, fieret corporum penetratio, & potentia visiva nimis debilitaretur, ut evenit in emissione sanguinis, seminis, & spirituum.

83 Nec minus absurda illa radiorum reflexio, & reditus ad oculum, nam si fieret per motum localem (quomodo esset dicendum si radii illi essent corpuscula) jam motus ab oculo ad Cœlum, & e Cœlo ad oculum fieret in instanti, aut saltem in tempore imperceptibili, quod non minus est imperceptibile; si fieret per alterationem, si scilicet radii essent accidentia multiplicata per medium, unde tanta vis in oculis, ut causent reflexionem a tanta distantia, puta a Cœlo stellato, si Sol omnium activissimus non protendit suam actionem reflexivam radiorum, nisi usque ad secundam aeris regionem. Tum quia deberet videri objectum quantumcunque parvum e quacunque distantia; quia si radii possunt Cœlos illustrare, multo magis sublunaria, & terrestria etiam minima. Demum vel in regressu nudi revertuntur, & sic frustra ponitur egressus, & regressus radiorum, vel aliqualiter alterati, & quia non essent substantiæ, sed accidentia, deberet qualitas illa diffundi per totum medium usque ad oculum, quod est multiplicare entia sine necessitate, nam sic sufficit species ab objecto immissa absque radiorum effusione.

84 In oppos. arguitur primo ex Aristot. qui 2. de Cœlo 48. probabilem putat hanc opinionem, & 5. de Gen. anim. cap. 2. ait, eos, qui habent retrusos oculos, & infossos, melius, & longius videre quam qui habent prominentes, quia actio illorum magis tendit in directum, nec tam cito dissipatur, ut actio istorum, ergo supponit visionem fieri per actionem oculorum extra se; & 3. Meteor. sum. 2. c. 3. de quodam homine refert Antipheron Orietanus appellato, quod semper ante oculos habere sibi videbatur imaginem propriam, cujus rationem assignans ait, accidisse ex debilitate visus, seu visibilium radiorum, qui in propinquo aere frangebantur, & tanquam ex opaco speculo reflectebantur. Hujus quoque sententiæ videtur esse D. Aug. lib. 6. musicæ. Accedit experientia; nam feles emittunt ex oculis radios, quibus de nocte aer aliquantum illuminatur. Mulieres aliquæ speculum maculant, pueros fascinant, ac lædunt; basiliscus suo intuitu hominem interficit. Tum quia nebulam prope nos circumfusam non videmus, sed solum quæ a nobis distant, signum evidens visiones fieri per extramissionem radiorum, qui cum in initio sint validiores, possunt nebulam illam penetrare, & illustrare, at progressu debilitantur, unde in nebulam illam impingunt, & tanquam quid opacum repræsentant; at si fierent per intromissionem, melius cerneremus nebulam propinquam, quam remotam.

85 Resp. Arist. in 2. de Cœlo utramque opinionem adduxit, quia non erat proprius locus; imo in hac re, notant Doctores sæpe Arist. loqui in sententia Platonis, quæ tunc temporis erat communior; & sic respondent ad locum ex 5. de gen. anim. sed hic locus explicari potest de actione objecti in potentiam, eo quod scilicet objectum commodius moveat oculos refossos, melius enim uniuntur species, uti cum per tubum rem distantem contemplamur, at in oculis prominentibus species magis diffunduntur. Ad casum Antipherontis multipliciter responderi solet; vel quod ab oculis infirmis humor quidam crassus exibat condensans aerem circumstantem, e quo propria imago reflectens videbatur propter visus imbecillitatem: vel quod ob læsionem imaginativæ potentiæ, non vere exterius, sed falsa apprehensione imaginabatur seipsum videre, ut in phræneticis accidere solet. Authoritas D. Aug. non urget, quia loquitur secundum Platonicos. Ad illas experientias dicimus non fieri per actum unionis immediate, sed per alias actiones conjunctas; emissio enim lucis ex oculis felis provenit ex diaphaneitate oculi ejus, & luce aliqua intus residente; oculi quarundam mulierum emittunt noxias quasdam qualitates impertinentes ad actum visionis; idem dicendum de basilisco. Tandem ad exemplum de nebula negamus, causam illam esse ibi assignatam; sed quoniam, quæ prope nos sunt, ut illuminentur, remissiori indigent lumine, quam quæ longe distant, idcirco paucitas luminis sufficiens est, ut reddat aerem nebulosum circumstantem luminosum, & perspicuum. Tum quia si res est propinqua, facile videmus meatus, & foramina, quæ sunt in illa, at si longe distat, videtur ut quid continuum, & hac ratione aer nebulosus prope nos tam crassius apparet, & facile a visu permeatur, at remote existens condensatus cernitur, quia ejus perspicuitas, & raritas non tam distincte prospicitur.

86 Secunda, per tubum opticum res clarius videtur, & existentes in profundo puteo intuentur stellas, quia radii visuales magis uniuntur inter se, & longius protenduntur. Tum 2. sensibile positum supra sensum impedit sensationem, ergo non fit per intromissionem. Tum 3. non possemus cognoscere situm, & distantiam objecti; species enim non potest repræsentare distantiam, quæ non est sensibile per se; imo semper ejusdem molis appareret objectum, sive prope, sive remote existeret, nam species naturaliter repræsentaret semper idem objectum omnes partes. Tum 4. impossibile videtur, quod species rerum tantæ magnitudinis, multitudinis, varietatis, imo & contrarietatis, qualia sunt objecta, quæ unico intuitu videmus, simul reperiantur in eadem exigua, & parvula pupilla. Tum 5. objectum ex diffusione istarum specierum certe dilaberetur, ut de oculis quoque arguebamus. Tandem si species diffunditur ab objecto attingendo speculum, non jam anteriorem partem faciei deberemus aspicere, sed potius posteriorem, sicut si quis personatam faciem sibi anteponit, partem concavam illius intuetur.

Respond. per tubum res clarius videtur, quia species visibiles inter se colliguntur & fortius movent sensum, sed præcipue propter vitra inter se taliter disposita; existentes in profundo putei stellas cernunt, quia ut ait Scot. 2. d. 9. quæst. 2. lumen majus offuscat lumen minus quatenus excellens sensibile prius agit in visum excellenter, ita quod actuat ipsum secundum totam ejus capacitatem, & quandoque ipsum immutat cum dolore, unde post excellentia sensibilia minus sentimus alia sensibilia, quia potentia, vel organum debilitatur; & hac ratione Sol impedit visionem stellarum. Ad 2. valet de sensibili reali non intentionali. Ad 3. etiam urget adversarios; at jam diximus disput. præced. 35. distantiam reduci ad sensibile commune, quod per speciem sensibilis proprii habet repræsentari; nec semper ejusdem molis potest species repræsentare objectum, quia quo longius protrahitur, eo est imperfectior, imperfectiusque movet potentiam, & repræsentat objectum. Ad 4. impossibile esset, si species essent crassiores, & ejusdem rationis cum rebus sensibilibus, at sunt alterius rationis, & inter se compossibiles, ut patet de speciebus phantasiæ, quæ longe plura repræsentant ordinatim absque confusione, nisi adesset aliqua organi læsio. Ad 5. magis concludit de oculo, quia deberet ad tam magnam distantiam trajicere visuales radios, etsi exiguæ molis; negatur igitur assumptum, sicut nec Sol dilabitur propter luminis continuam diffusionem, & calor, si perpetuo duraret, semper caleficeret, non tamen consumeretur; eo vel maxime quod productio specierum est intentionalis, nec fit ad omnem distantiam, sed ad determinatam juxta molem, & virtutem objecti. Ad 6. neg. seq. quia species visibilis est ejusdem rationis; nec habet partem anteriorem, & posteriorem, sed est simplex, & semper idem objectum repræsentat tam recte, quam reflexe, nec se habet ut facies illa personata, alia argumenta levioris momenti, vide apud Contarenum.

87 Hoc determinato videndum est adhuc, quo pacto species diffundantur ab objecto in oculum; pro quo supponendæ sunt ex perspectiva aliquæ definitiones: Prima est, *radius opticus, seu visualis est, per quem objectum visibile movet potentiam*: sive dicas, *esse lineam imaginabilem, per quam objectum actionem suam continuat, ut tandem moveat potentiam ad visionem*, non secus ac a lucerna emittitur verus luminis radius; Radii optici multi sunt, quot scilicet sunt partes objecti visibilis extensi; & ex eis unus est, qui vocatur *Axis opticus*, & definitur quod sit *illa linea pertransiens per centrum in oculis, & directe, ac perpendiculariter terminatur ad objectum, estque media in pyramide visuali*, quam mox explicabimus, & hoc quando visio fit per obtutum directum; pars illa in superficie oculi, per quam transit ista linea, vocatur Acies oculi: hoc supposito, explicandæ sunt aliquæ propositiones, quibus Perspectivi declarant modum visionis.

Prima oppositio, *Non videmus, nisi ea a quibus secundum quamlibet partem visam ad centrum oculi duci potest linea recta*, quæ proportio fundatur in illo communi dicto, *visio fit per lineam rectam*, quod dictum intelligendum est de visione illius potissimum partis, in quam rectissime dirigitur obtutus, quæ solum est minimum physicum, vel punctum, in quod dirigitur axis opticus; nam radius visualis, cum cadit, se habet ad instar radii luminosi (lumen enim est species lucis ex dictis, & consequenter eodem modo se habent lumen, & species visibiles aliorum objectorum) radius vero luminosus cadens in medium densius refrangitur, seu curvatur ad perpendicularem, ut diximus disput. 2. de Cœlo num. 151. quare omnes radii præter axem non veniunt recta linea ad pupillam oculi, quia scilicet ex aere cadunt in medium densius, nempe in varios oculi humores, per quos transire debent, priusquam

quam perveniant ad pupillam; unde dictum illud in rigore verificabitur de parte terminante perpendicularem, seu axim opticum. Vel intelligi adhuc potest, quod ab objecto usque ad extremam oculi superficiem radius visualis recta linea pertingat, idque solummodo in visione, quæ fit per medium simplex, idest uniforme quoad densitatem, & raritatem, & in visione, quæ fit actione directa; nam in ea, quæ fit per medium difforme, varie refranguntur radii, vel ad perpendicularem, vel a perdendiculari, ut diximus disput. citat. in ea etiam, quæ fit actione reflexa, clarum est non esse lineam rectam,

88 Secunda propositio, *Videmus rem per pyramidem* explicatur; inter partes corporis visi quædam objiciuntur pupillæ *directe, & perpendiculariter, alia vero lateraliter*, quæ omnes emittunt species in ipsam pupillam, cum vero pupilla sit angustior rebus ipsis, fit, ut species istarum partium coeant in centro oculi, ubi fit visio, itaut cuspis, seu conus istius pyramidis sit in pupilla, basis vero in objecto in cujus medio est linea axis opticus dicta a centro oculi ad partem objecti directe, seu perpendiculariter oppositam; & quia visio talis partis est distinctior, & certior, ideo dicere solent, nos certificari de re visa per axem, unde quo rectius objectum oculo opponitur, eo perfectius videtur, quia radii sunt axi viciniores. Insuper quia objectum conspicitur duobus oculis, hinc duæ sunt pyramides, quæ solummodo in ipso objecto totaliter conveniunt, in reliquo medio vel totaliter discrepant, *ut fit juxta ipsos oculos, vel tantum partialiter, ut est prope basim*, & consequenter sicut sunt duæ pyramides, ita sunt duo axes, quia in idem punctum conspirant, idest in quod punctum dirigitur acies unius oculi, in illud dirigitur acies alterius; Et hæc est ratio, cur eadem res quamvis duabus inspiciatur oculis, gemina non apparet, quia scilicet ambo axes in idem punctum uniformiter incidunt tam objecti, quam loci, unde quia in uno loco videtur, unica apparet; e contra si pupilla unius oculi comprimatur, quia disjunguntur axes, & quamvis ad idem punctum objecti terminentur, non tamen ad eundem locum, tunc objectum geminatum intuetur, & in duobus locis; licet enim in illo loco non adsit vere objectum, attamen quia potest adhuc oculus sic compressus *propter suam sphæreitatem recipere species ab illo objecto*, potest etiam moveri ad visionem, quæ tamen ad alium locum terminatur.

89 Tertia propositio, *Res duobus oculis conspecta clarius videtur, quam unico oculo*, probatur experientia; ponatur naso asserculus, non quidem ut plano, sed ut una acie naso incumbat, & proponatur visui objectum aliquod aliquantum remotum ab asserculo; experietur aliquam partem ipsius objecti, & præsertim eam, quæ in medio est, ab utroque oculo conspici, aliquas vero tantum ab uno, & partem mediam clarius videri, quam videantur eæ, quæ ab uno tantum oculo conspiciuntur, quod patebit, si quis curiose advertat, & asserculum aliquantum agitet, advertet, utrimque projici aliquam umbram. Verum circa veritatem hujus propositionis advertendum, quod asserculus inter utrumque oculum interjectus, & inter utrumque axem interpositus, si ad usque axes pertingat, & non ulterius, nullam partem objecti occultabit potentiæ, eo quia axes illi terminant utramque visionem, faciet tamen, ut partes hinc inde obscurius videantur, & nulla clarius, quia nulla erit, quæ ambobus oculis inspiciatur; *Si autem asserculus excedat axes*, tunc eripiet potentiæ aliquam partem objecti, item non possent axes ad idem punctum objecti terminari propter impedimentum; Quare requiritur, quod asserculus non contingat axes, ut partem mediam relinquat visibilem ab utroque oculo.

90 Quarta propositio; *Manente eadem distantia objecti visibilis & potentiæ, corpus interpositum si est majus ipsa potentia, idest magis extensum, quam distent oculi a se invicem, quo est potentiæ vicinius, eo majorem partem objecti eripit, quo remotius, eo minorem partem*; *e contra si est minus extensum, quam oculi, quo est remotius, eo majorem, quo vicinius, eo minorem tegit partem. Si tandem est æquale in extensione, eandem partem semper occultabit, sive vicinius, sive remotius*. Hæc propositio similis est omnino illi regulæ de corpore luminoso, & opaco quoad projectionem umbræ, quam tradidimus disput. 2. de Cœlo num. 167. corpus enim luminosum erunt oculi, corpus opacum erit corpus interpositum, & umbra erit pars objecti occulta a corpore interposito, iisdem rationibus probatur, quibus ibi regulam illam ostendimus. Ex his propositionibus facile solves multa problemata, quæ circa visum occurrunt, ut videbimus art. seq.

Tandem circa modum visionis esset inquirendum, an visio fiat in instanti, vel in tempore; at solutio hujus difficultatis pendet ex his, quæ diximus art. 1. circa productionem luminis, & specierum, an fiat in instanti, vel in tempore, eodem enim modo producitur visio.

91 Circa tertium denique, quodnam sit adæquatum objectum visus, conveniunt omnes ad potentiam visivam spectare colorem, & lucem; unde objectum adæquatum erit quid commune hæc duo comprehendens, quod ab aliquibus vocatur qualitas visibilis, ab aliis color, sumendo colorem lato vocabulo quatenus significat omnem actum diaphani, quomodo lumini adaptari potest, & in hoc sensu videtur loqui Arist. 2. de An. 66. dum ait ipsum visibile esse colorem; & lib. de sensu, & sensil. cap. 1. omne corpus esse coloratum, ita Zab. & Contar. sæpe cit. ab aliis vocatur lux extendendo lucem ad colorem, quatenus quilibet color dicitur lux participata, ita Mairon. 2. d. 13. q. 2. & Regentes Parisienses 2. de Anim. qu. 2. in qu. 1. collater. sed est difficilium de nomine; est tamen hic not. quod Tatar. 2. de An. qu. 3. § *Secundo sciendum*, ait nullam qualitatem posse poni pro adæquato objecto, sed bene visibile in communi, quatenus se extendit ad sensibilia communia. Hæc etiam est lis voluntaria, quia Doctores, dum qualitatem visibilem ponunt pro objecto adæquato, loquuntur de sensibili proprio adæquato, quod etiam comprehendit sensibile commune, non quidem ut inferius continetur e superiori, *sed reductive, quia est aliquid illius*, sicut multa reductive spectant ad objectum adæquatum intellectus.

92 Hæc tamen differentia assignari solet inter lucem, & colorem, quod lux, & lumen sine colore possunt videri, non tamen color sine lumine; hinc solet quæri num lumen requiratur ex parte medii tantum, an etiam ex parte objecti, idest an color, ut videatur, requirat lumen ex sua ratione, an solum propter medium. Prima opinio docet lumen solum ex parte medii requiri; ita Averr. Ferrara, Aquar. Ægid. Tol. Fland. Tand. Thien. Ruvius, Zanard. quos citant, & sequuntur Complut. disp. 10. qu. 5. Communior opinio affirmat requiri ex parte objecti, ita illi, quos citavimus num. 85. sed valde inter se discrepant de causa necessitatis luminis, nam quidam volunt lumen esse formam coloris constituens illum actu visibilem, ubi prius erat in potentia visibilis, alii docent colorem, & lumen causare proprias species partiales integrantes unam totalem, per quam videntur, itaut in ratione visibilis se habeat color tamquam modus luminis; alii, quod lumen solum sit dispositio necessaria, adhoc ut color imprimat propriam speciem causare; alii tandem, quod lumen sit partialis causa productiva speciei coloris,

93 Dicendum est, lumen requiri ex parte coloris, ut possit color immittere species in oculo; ita Doctor 2. d. 13. C. in lib. de anim. quæst. 4. & præcipue quol. 15. R. probari solet authorit. Arist. 3. de Anim. 18. dum ait lumen reddere colores de potentia visibiles, actu visibiles; & lib. de sensu, & sensil. cap. 4. dum definit colorem, quod sit extremitas perspicui in corpore determinato, ly perspicui idem sonat, ac illuminati; & 2. de Anim. 86. dum inquit, quod acutum, & grave non percipiuntur absque sono, sicut non videntur colores absque lumine; quæ authoritates varie explicantur ab adversariis; probatur igitur ratione; & quidem a priori nequit assignari, sed solum a posteriori; eo quia videmus, nullum colorem percipi posse sine lumine, sed lumen absque colore esse visibile, ergo aliqua dependentia a lumine erit in colore, non quidem in entitate, quasi quod destructo lumine destruantur colores, sed quoad visibilitatem; hoc totum conceditur ab omnibus, sed ajunt adversarii hanc exigentiam luminis esse ex parte medii, quia medium non illuminatum non est subjectum capax speciearum. Attamen hoc subtilius est indagandum; color enim non indiget lumine in medio simpliciter, sed ut tale lumen multiplicatum usque ad potentiam, illam illuminet, videanturque simul cum colore, sed nequit hoc fieri, nisi lumen intrinsece recipiatur in corpore colorato, ergo color non solum dependet a lumine ex parte medii, sed etiam ex parte sui ipsius; major patet experientia, & ex dictis supra nu. 86. dum ostendimus lumen exigi etiam in oculo; minor prob. ex his, quæ docet Doctor 2. citat. quod *lumen, & quælibet alia species non est* visibilis, nec se multiplicat, nisi terminetur ad aliquod opacum, hinc radii solares de nocte non apparent, & tamen intercipiuntur inter nos, & conum, & supra conum pyramidis umbræ terræ; & existens in careere opaco, & tenebroso, ubi per opposita foramina transiret radius solaris, non videret, ita quod nusquam reflectente se ad opacum, non videret illum radium, si corpuscula illa non frangantur; similiter si medium illuminatum esset infinitum, & non terminatum ad corpus opacum, Sole existente supra orizontem nihil videretur, quia non esset terminans; hæc Doctor, si ergo color indiget lumine multiplicato usque ad potentiam, ut possint species immittere, nec posset lumen multiplicari per radium visualem rectum nisi terminetur ad aliquod opacum directe oppositum potentiæ, certe præexigit lumen non solum in medio, sed etiam in seipso terminatum, ut possit deinde immittere species per medium in oculum.

94 Secundo prob. ratione desumpta ex experientia; clarior, vel obscurior visio coloris non dependet præcise ex majori, vel minori lumine medii, sed *multo magis ex majori, vel minori* lumine in ipso colore recepto, ergo non solum est necessarium lumen ex parte medii, sed etiam ex parte coloris; conseq. patet, antec. probatur, objectum intense illuminatum clarius videtur ab oculo existente in loco obscuriori, & e contra si objectum est in loco obscuriori, non ita clare videtur ab existente in loco luminoso, ergo major est dependentia coloris a lumine recepto in seipso, quam a lumine medii; aliter ejusdem species æquales deberet causare in utroque medio obscuro.

Resp. hoc provenire, quia actio *intentionalis coloris maxime* pendet a lumine illustrante aerem colori *propinquum*, & circumstantem, & nequit color intensius *illuminari*, quin aer proximus *clarius illuminetur*; *ratio hujus est*, quia color propter suam materialitatem requirit majorem dispositionem in aere, in quem immediate agit, quam *species intentionalis coloris*, quæ est spiritualior, & ideo poterit species coloris in aere illustrio-

ſtriori producta aliam gignere in aere obſcuriori ; non ſic color . Sed contra ; nam agens fortius agit in proximum, quam in remotum, quando cætera ſunt paria, at quando eſt aliqua diverſitas ex parte paſſi, tunc poteſt eſſe actio in diſtans fortior, vel æqualis cum actione in proximum, quod fuſe oſtendimus diſput. 7. Phyſic. qu. 4. art. 3. multis experientiis, eo quia diſtantia paſſi compenſatur ex perfectiori diſpoſitione materiæ diſtantis , ergo color exiſtens in obſcuro loco , ſi lumen exigeretur ſolum ex parte medii , perfectiores ſpecies immitteret in medium diſtantius , ſed luminoſius , quam in aerem propinquum , aut ſaltem deberet æquales ſpecies producere in medio obſcuro ſive proximo , ſive remoto, immo in illo perfectiores propter propinquitatem . Nec refert , quod dicitur , ſpeciem propter ſuam immaterialitatem non requirere tantum luminis , ut requirit color ; Non valet , quia ex dictis objectum eſt , quod immediate agit per totam ſphæram ; Tum quia immaterialitas ſpeciei ſolum infert minorem entitatem , & conſequenter minorem activitatem , ideo enim dicitur immaterialior , quia eſt exiguæ entitatis ; ergo ſi poteſt ſpecies in medio illuminato producere in ipſorum ſententia ſpeciem in medio obſcuro clare repræſentantem colorem , multo magis poterit color , etiam ſi in medio obſcuro exiſteret producere ſpeciem clare repræſentantem ipſum colorem ; ergo concludendum eſt , lumen magis præexigit in colore , quam in medio .

95 Difficile tamen eſt aſſignare, in quo talis dependentia conſiſtat, an ſcilicet requiratur lumen ut cauſa formalis, vel partialis; breviter tamen omiſſis aliis modis, quos fuſe impugnat Ruvius, dicimus cum Scot. cit. hanc dependentiam provenire ex naturali ptæexigentia in cauſando, itaut color ex ſua ratione petat lumen prius agere in medium, & in organum, quando enim ſunt duæ cauſæ ſubordinatæ in agendo , ſecunda non eſt in potentia propinqua ad agendum, niſi prima prius agat , color, & lumen ſunt duæ cauſæ productivæ propriarum ſpecierum , & lumen eſt prius naturaliter colore , illumque ſibi ſubordinat , quare color tunc eſt in potentia propinqua ad producendas ſpecies , quando lumen propriam produxit, & quia nequit lumen hoc efficere, niſi terminetur ad opacum , e quo poſtea directe immittat radios viſuales in organum, ſequitur evidenter, lumen debere neceſſario recipi in colore , illumque illuminare; hinc ait Doctor quol. cit. *Ad hoc autem, quod color agat in viſum, requiritur alia cauſa concurrens ad agendum, ſcilicet lumen, ideo tunc ſolum color eſt viſibilis in potentia propinqua, quando eſt actu illuminatus;* nota hæc ultima verba , ſi enim ſuſtineret neceſſitatem luminis ſe tenere ſolum ex parte medii , inferret ſolum tunc colorem eſſe in potentia propinqua ; quando aer eſt illuminatus, at deducit debere colorem actu illuminari, quia ſcilicet non poteſt lumen propriam cauſare ſpeciem niſi in opaco recipiatur . Unde non recte Tatar. & Gadius ſuper hunc locum Doctor. inferunt de mente ipſius lumen partialiter cum colore concurrere ad productionem ſpeciei coloris, hoc enim non habet Doctor, immo in 2. clare docet utrumque eſſe productivum propriæ ſpeciei licet cum dependentia ordinis, & præexigentiæ in cauſando .

96 Contra arguitur ex Ariſtot. definiente colorem, quod ſit motivus perſpicui in actu, ideſt medii actu illuminati, & lumen dicitur actus perſpicui, non coloris , ergo tota neceſſitas luminis eſt ex parte medii , non coloris . Tum 2. color ex ſua natura eſt viſibilis per ſe , & hæc eſt ipſius proprietas a natura emanans , ergo independenter ex ſeipſo a quolibet alio extrinſeco, patet conſeq. quia proprietates conveniunt rei ab intrinſeco . Tum 3. objecta aliorum ſenſuum ſunt per ſe ſenſibilia abſque indigentia alterius extrinſeci , ergo idem de colore dicendum . Tum 4. multa animalia noctu vident , & nix in obſcuro cubiculo adhuc videtur , ergo lumen non eſt neceſſarium . Tum 5. nihil eſt ponendum tanquam neceſſario requiſitum ad viſionem abſque urgenti ratione , etiam ut ſimplex diſpoſitio , in propoſito nulla adeſt ratio demonſtrans neceſſitatem luminis ex parte objecti . Tum 6. nulla forma perfectior inſervit pro diſpoſitione imperfectioris , lumen eſt perfectius colore , ergo &c. major patet , quia diſpoſitio concurrit in genere cauſæ materialis, quæ cauſalitas infert imperfectionem . Tandem virtus completa in aliquo ordine non requirit aliud extrinſecum tanquam ex parte ſui neceſſarium , etiam tanquam conditionem , ſeu diſpoſitionem , niſi habeat rationem approximationis, & applicationis talis virtutis ad operandum , ut patet de potentia appetitiva , quæ indiget cognitiva , ut oſtendat objectum, & ſe habet per modum approximationis , ſed color habet virtutem ſufficientem producendi ſpecies completas in ordine ſuo, & lumen non ſe habet per modum approximationis, ergo ex parte ſua non indiget lumine , ſed ſolum ex parte medii.

97 Reſp. ad 1. recte colorem dici motivum perſpicui illuminati, quia lumen etiam in medio exigitur ; nequit tamen inferri lumen non eſſe neceſſarium ex parte coloris, quia reſpectu luminis non dicitur motivum, non fecit tamen mentionem de lumine in colore, quia lumen non eſt cauſa partialis motionis intentionalis coloris, ſed tantum cauſa præexigitiva in cauſando ; qua ratione poſtea lumen dicitur actus perſpicui , non coloris, ut diximus num. 51. Ad 2. concedimus colorem eſſe ex ſe viſibilem, ſed ut videatur, præexigit actionem luminis . Ad 3. neg. paritas; ratio eſt ipſa experientia. Ad 4. animalia, quæ noctu cernunt, emittere aliquod lumen ab oculis illuminans objecta, quod lumen licet exiguum, ſufficiens eſt ad cauſandam imperfectam viſionem in illis: nix videtur , quia omnis color eſt participatio luminis, & maxime albedo , quando eſt intenſa, ut in nive ; quare non eſt mirum , ſi noctu conſpicitur , quia valde participat de lumine . Ad 5. patet ex probatione concluſ. Ad 6. Aſſumptum non videtur verum in illis formis , quæ ambæ ordinantur ad perfectiorem formam , ut ſe habent lumen, & ſpecies coloris, quæ ad viſionem ordinantur, ut ad formam perfectiorem ; tum quia hæc dependentia potius eſt reducenda ad genus cauſæ efficientis, quam materialis , eo quia eſt dependentia inter cauſas ſubordinatas, quarum ſecunda nequit agere, prima non agente, non ſunt tamen ſubordinatæ in ordine ad eundem effectum , ſed ad diverſos, quorum unus præſupponitur ab altero. Ad ultimum, dicimus, actionem luminis ſe habere per modum applicationis, ex hoc, quod cauſa præexigens aliam in cauſando, non intelligitur perfecte, & in potentia proxima applicata, inquit Doctor, niſi alia concurrente; & exemplum de potentia appetitiva, & cognitiva eſt valde idoneum in hac re.

ARTICULUS V.

Varia requiſita circa viſum declarantur.

98 QUoniam ea, quæ ad viſum, & ejus objectum pertinent, diverſa admodum ſunt, & multa, præſertim ubi ad particularia deſcenditur, vix fieri potuit, ut ea omnia titulo uno comprehenderemus ; idcirco per varia quæſita, & problemata, quæ reſtant in hac materia, ſine ullo ordine, pro ut occurrent, explicabimus: de qua re Conimb. in Problematis quinque ſenſuum ſect. 1.

Petes primo, Quomodo aliqui media nocte ſomno experrecti fere æque clare videant , ac interdiu , ut de Tiberio refert Svetonius in ejus vita c. 48. imo in felibus , leonibus , aliiſque animantibus , quæ noctu prædam venantur , illud proprium eſt ? Reſpond. id fieri ex abundantia luminoſorum ſpirituum , qui in corporibus certi temperamenti generantur, & ab oculis diffuſi medium uſque ad certam partem illuſtrant ; imo ſatis veriſimile eſt , in quovis oculo aliquid lucis latere licet modicum, unde in vehementi commotione oculorum nonnunquam apparet quidam ſplendor , atque in ira quaſi ſcintillæ ex oculis emicant propter multitudinem ſpirituum , qui ad oculum concurrunt , ſuntque igneæ , ac lucidæ naturæ . Nec eſt inveriſimile omnia corpora , quæ ſunt lucidi coloris , proprium aliquod lumen habere, quod a quibuſdam noctu conſpici poſſit , ab aliis vero non ; neque enim omnes prædicti ſunt æquali facultate videndi ; & patet de nive, ut diximus num. præced.

99 Secundo , Cur aliqui diu non poſſint oculos in rem aliquam defixos tenere ? Reſpond. id provenire ex inopia, & debilitate ſpirituum vitalium , eadem etiam de cauſa ſenes difficilius vident, quam juvenes: tum etiam quia pellicula involvens humorem cryſtallinum præ ſiccitate contrahitur , & rugatur, & præſertim in ſenibus, unde ignis multum oculis nocet, quia nimium exſiccat .

Tertio , cur ebriis appareant omnia circumagi ; item pueris , poſtquam ſe aliquandiu gyrarunt , & rotarunt ? Reſpon. in ebriis id provenire a larga ſpirituum copia, unde naſcuntur alii ſpiritus calidi , & valde mobiles , qui ſuo motu inquietant organum viſus; deinde in ebriis copioſiores ſunt ſpiritus, & minus cocti, ex quorum fecibus naſcitur lippitudo, ob eandemque cauſam viſus obtunditur ; nervi quoque optici ob talem ſpirituum abundantiam laxantur, nec ſuſtinent pupillarum æqualitatem. In pueris agitatione illa multum commoveri ſpiritus, unde toti commoti, & magna copia tendunt ad oculum, quem perturbant .

100 Quarto , cur ſenes objectum aliquod aſpecturi a ſe illud aliquantulum amoveant , alii vero , ut luſci , propius admoveant ? Reſp. id contingere ſenibus , quia parum habent interni luminis , removent vero objectum , ut illud extrinſecum tanquam ex parte ſui neceſſarium , etiam tanquam conditionem , ſeu diſpoſitionem , niſi habeat rationem approximationis, & applicationis talis virtutis ad operandum , ut patet de potentia appetitiva , quæ indiget cognitiva , ut oſtendat objectum, & ſe habet per modum approximationis , ſed color habet virtutem ſufficientem producendi ſpecies completas in ordine ſuo, & lumen non ſe habet per modum approximationis, ergo ex parte ſua non indiget lumine , ſed ſolum ex parte medii.

97 Reſp. ad 1. recte colorem dici motivum perſpicui illuminati, quia lumen etiam in medio exigitur ; nequit tamen inferri lumen non eſſe neceſſarium ex parte coloris, quia reſpectu luminis non dicitur motivum, non fecit tamen mentionem de lumine in colore, quia lumen non eſt cauſa partialis motionis intentionalis coloris, ſed tantum cauſa præexigitiva in cauſando ; qua ratione poſtea lumen dicitur actus perſpicui , non coloris, ut diximus num. 51. Ad 2. concedimus colorem eſſe ex ſe viſibilem, ſed ut videatur, præexigit actionem luminis . Ad 3. neg. paritas; ratio eſt ipſa experientia. Ad 4. animalia, quæ noctu cernunt, emittere aliquod lumen ab oculis illuminans objecta, quod lumen licet exiguum, ſufficiens eſt ad cauſandam ali-

aliquod notatum in charta cuſpide aciculæ difficulter tangitur ; aperto autem utroque oculo, facillime ; ebrii etiam , quia radii viſuales ob titubationem oculi non ſunt fixi, difficulter faciunt congredi duos digitos inter ſe ; idem contingit aſpicientibus objectum procul diffitum etiam duobus oculis, non enim advertuntur diſtantiæ objectorum remotorum , cum per eamdem pene lineam videantur, hinc Cœlum apparet nobis inhærere in ambitu Orizontis , columnæ , & arbores recto ordine inter ſe diſpoſitæ, cum remotæ ſint, ſimul eſſe videntur .

101 Sexto, Cur aliqua noctu videantur lucida, interdiu colorata, uti ſunt ligna quædam putrida, vermes, oculi felium, &c. ? Reſp. quia cum colore quarumdam rerum admixta eſt lux interna, quæ quia noctu non ſubeſt aliqua lux major, quæ illam offuſcet, videri poteſt, non autem de die, lux enim Solis impedit ; qua de cauſa ſtellæ non apparent de die , imo ipſe ignis ſub die vix videtur lucere ; at vero color iſtarum rerum nocte non videtur , quia ut color videatur , putat eſſe neceſſarium lumen externum .

102 Septimo, Quomodo per anguſtum foramen poſſimus rem magnam videre, ſi oculus foramini admoveatur , ſi autem removeatur, non poſſimus pene videre majorem partem objecti , quam ſit ipſum foramen; & e contra ſi lapidem exiguum poſitum inter oculum noſtrum , & vaſtum aliquod objectum propius oculo admoveamus , majorem objecti partem occultabit ; item cur cum ſimus vicini muris alicujus civitatis, pauciora ex illa videamus ædificia, quam cum remoti eramus ? Reſp. quia viſio fit per emiſſionem radiorum ad modum pyramidis, cujus cuſpis eſt in centro oculi, in quo lineæ viſuales concurrunt, ſi oculus eſt prope foramen , radii viſuales cauſant majorem angulum , & conſequenter magis ſe dilatant verſus baſim pyramidis, magnamque molem objecti comprehendunt ; at ſi elongetur oculus, quia radii viſuales debent per foramen tranſire, ut ad oculum perveniant , conſtringuntur inter ſe , & minorem angulum cauſant in oculo , & conſequenter non tam ſe dilatant verſus baſim . Ad id de lapide pendet ex dictis num. 100. pyramis enim verſus cuſpidem eſt anguſtior , ideoque parvus lapis ſufficiens eſt ad occultandum objectum , quia potens eſt impedire, ſi eſt prope oculum , concurſum radiorum , at ſi elongetur , quia radii viſuales verſus baſim magis inter ſe diſtant , nequit lapis ille totaliter occultare objectum . Similiter quia murus civitatis eſt major oculis, & corpus interjectum excedens latitudinem diſtantiæ oculorum , quo propius eſt oculis , majorem partem objecti obtegit , quo remotius , minorem, idcirco murus ille a longe pauciora ædificia, e propinquo plura abſcondit .

103 Octavo, Cur oculus optime videat e tenebris? Reſp. quo pauciores actiones verſantur circa idem ſubjectum , eo minus termini iſtarum actionum permixti ſunt , atque exinde puriores in ſe exiſtunt, itaque in hoc caſu, cum unum ſolummodo objectum agit in oculum , prius videtur , quam ſi multa alia agant ; quando vero prope oculum medium illuminatur , oculus ita turbatur actione iſtius lucis , ut aliud objectum diſtincte non percipiat .

Nono , Cur baculus media ex parte aqua immerſus fractus videatur? Reſp. radios, dum medium eſt difforme , non pervenire recta linea ad viſum, ut ſæpe dictum eſt, nam refrangunter, vel a perpendiculari , vel ad perpendicularem ; jam vero radii , qui ab illa parte baculi , quæ aquæ eſt immerſa , ad viſum diriguntur , tranſeunt per medium difforme , idque a denſiori rarius, nempe ab aqua in aerem , refranguntur itaque a perpendiculari , unde fit ut baculus eo loco appareat , unde radius recta linea moveat potentiam, atque ita pars illa, quæ eſt in aqua, alio loco , quam videatur , ſit ; pars vero illa , quæ eſt extra aquam, cum mittat radios per medium ſimplex , & uniforme , mittit eos rectos , ac proinde apparet eo loco , quo eſt; cum itaque hæc appareat eo loco, quo eſt, alia alio, neceſſarium eſt, ut baculus fractus appareat, vel curvus. Hæc etiam eſt ratio, cur res repræſentata in ſpeculo non appareat, ubi eſt, ſed in ſpeculo; quia ſcilicet ſpecies eſt talis naturæ, ut ibi repræſentet objectum , ubi incipit produci , & quia per reflexionem in ſpeculo incipit ſpecies quaſi de novo produci , idcirco rem in ſpeculo manifeſtat , non ubi eſt . Hæc quoque eſt ratio, cur una res inſpecta quibuſdam perſpicillis varios angulos , & quadraturas habentibus , mirum in modum apparet multiplicata ; quoniam ſcilicet ſpecies varie per illos angulos refranguntur, & diſcontinuantur , & quaſi multæ ſpecies totales movent potentiam , unde objectum idem repræſentant in diverſis locis, & multiplicatum .

104 Decimo , Cur ſub crepuſculum , & tenebras res , quæ prope ſunt, remote videantur ? Reſp. id oriri ex communi alia imaginatione, ea enim quæ interdiu remota ſunt, confuſe, & indiſtincte cernimus, unde fit , ut cum in tenebris , & crepuſculo res confuſe videamus, procul diſtare eas arbitrentur. Ex hac communi imaginatione contingit error circa tactum, ut notat Mairon. qu. 19. prol. nam ſi quis decuſſatis duobus digitis unius manus ſphærulam contingit per ea latera , per quæ nos ſolemus rem unam tangere, putabit ſe tangere duas ; tum quia illud digitorum poſitione comprimuntur aliquantulum latera , quæ compreſſio facit , ut non ita perfecte ſphærula tangatur , ſed quaſi confuſo modo.

Undecimo , Cur ſi poſt cryſtallum ſpeculi ponatur charta , aut aliud corpus durum, vel molle immediate, & abſque aere intermedio tangens illam, conſpicitur, etiam ſi ſpecies aliorum corporum reflectantur in ſpeculo, & tamen plumbum, aut cha-

lybs poſt cryſtallum exiſtens in ſpeculo non videtur? Reſp. Arriaga diſp. 4. de Anim. num. 15. chalybem eſſe talis naturæ ut lævigatus reflectat lumen , unde ex ipſo ſpecula perfecta confici ſolent ; quapropter cum liquefactus applicatur cryſtallo propter planam ipſius ſuperficiem , & lævigationem , acquirit chalybs æqualem ſuperficiem, & valde planam, unde fit potens reflectere ſimul cum cryſtallo ſpecies rerum viſibiles.

105 Duodecimo, Cur res in ſpeculo apparent, non in ſuperficie, ſed in profundo, & poſt ſpeculum; cur etiam latera inverturtur, ut ſiniſtrum appareat dextrum, & e contra ; in aquis etiam omnia cernuntur ordine inverſo, caput infra , pedes ſupra ; culmina turrium in profundo aquæ, fundamenta prope ſuperficiem. Reſp. rationem eſſe, quia ſpecies non ſolum eſt repræſentativa objecti, ſed etiam diſtantiæ, & quia objectum diſtat a ſpeculo a parte ante , & propter reflexionem , non in loco, ubi eſt, cernitur , ſed in ipſo ſpeculo , in quo ſit reflexio, hac ratione apparet tantum a ſuperficie ſpeculi diſtare verſus profunditatem ejuſdem , quantum a parte ante a ſuperficie diſtat ; quæ eſt quoque ratio , cur in aquis ſuprema apparent infima, & e contra infima cernuntur ſuprema, eo quia caput, & turrium culmina magis diſtant ab aquis , quam pedes , & fundamenta. Similiter dextrum apparet ſiniſtrum, quia ſpecies dexteræ reflectuntur a parte ſiniſtra ſpeculi , & quoniam tunc ſpecies repræſentant reflexe, idcirco objectum, in ſe, & ut in ſpeculo relucens ſe habet, ac ſi eſſent duo ſe invicem reſpicientes, quo caſu pars dextera unius correſpondet ſiniſtræ alterius.

106 Decimotertio, Cur in ſpeculis aliquos circulos, aut ſphærulas habentibus objecta apparent multiplicata , at ſi in eodem ſpeculo ſuperponeretur charta, vel ſi ſpeculum in duas medietates divideretur , quæ medietates poſtea uniantur , unum objectum repræſentaretur non multiplicatum . Reſp. quod attinet ad ſphærulas illas idem dicendum , quod ſupra aſſeruimus de perſpicillis angulos habentibus, franguntur enim ſpecies in illis ſphærulis , ac ſi eſſent tot ſpecula totalia , unde & objectum multiplicatum repræſentant, ſicut ſi duo ſpecula in diverſa poſitione collocarentur , idem objectum eſſet in ambobus repræſentatum ; at quando charta ſuperimponitur ſpeculo , vel ſi duæ medietates ejuſdem ſpeculi diviſæ juxta ſe invicem ponerentur, objectum dimidiatum repræſentabitur , non multiplicatum, quia ad apparentem multiplicationem objecti exigitur & diſcontinuatio ſpecierum , & diverſa ſpeculorum poſitio in ordine ad objectum , ſcilicet quod ſi unum recte conſpicitur ab objecto , aliud oblique , & ſecundum diverſas lineas ; & hæc ſufficiant de viſu .

QUÆSTIO III.

De ſenſu auditus.

107 POſt viſum ordine perfectionis ſequitur auditus, qui eſt facultas percipiendi ſonum, cujus nobilitatem, ac neceſſitatem ex parte explicuimus quæſtione 1. & antequam ad objectum, & modum auditionis accedamus, prius ſenſorium, & ſubjectum auditus , quibuſque animalibus conveniat , eſt aperiendum .

Senſorium auditus , & organum ut plurimum in capite eſt collocatum hinc inde circa temporum extremitates, licet adſint quædam animalia , quæ auditum quidem poſſident , ſed organum , & ſenſorium in illis non apparet . In hoc organo quod primo nobis ſeſe offert, eſt auris, cujus ſtructura eſt accommodatiſſima ad accipiendos ſonos , eſt cartilaginea , non nimis dura , ſeu oſſea , ne frangatur , nec nimis mollis , ne facile confundatur , cartilago enim eſt pars quædam corporis durior carne , & mollior oſſe ; prominet aliquantulum , ut ſicut ſupercilia natura inſtituit prominentia tamquam oculorum propugnacula, ſic aurem poſuit ad defenſionem interioris organi , intus eſt quorumdam anfractuum abundans , per quos ſonus varie fractus ad potiſſimam auditus officinam tranſmittunt ; hæc via taliter obliqua verſus finem eſt valde anguſta , ne aqua , vel aliud extrinſecum per illam ingrediens læderet organum auditus , imo humorem quemdam craſſum , & aerem continet, ut ſi aliquæ beſtiolæ ſe intruderent in aure , *illo* humore tamquam viſco detineantur . Per hanc viam non habetur aditus patens ad partes capitis internas , ideoque *Foramen cæcum* nuncupari ſolet , deinde enim in quamdam cavitatem orbicularem , quæ ex una parte verſus aurem membrana quadam ſubtiliſſima eſt cooperta *Tympanum* , ſeu *Miringa* appellata ; ſubſtentatur hæc membrana tribus oſſiculis , primus dicitur *Malleus*, ſecundus *Incus* , tertius *Stapes* a figuris , quas habent, & in cavitate tympani ſunt poſita ; ſubſequitur deinde os quoddam *Labyrinthus* vocatum , eo quod *plurimis* foraminibus varie inter ſe occurrentibus , & multis obliquitatibus conſtat ad modum labyrinthi ; & tandem adeſt alia cavitas *Cochlea* dicta, eo quia quibuſdam ſpiris , ac gyris ad modum cochleæ eſt prædita ; quæ oſſa ejuſdem magnitudinis ſunt in homine jam adulto , ac in infantulo nato de recenti , & hoc propter neceſſitatem hujus ſenſus , qui ad diſciplinabilitatem maxime inſervit , idcirco debuit a natura ſtatim perfici , ut homo erudiri quam primum poſſit , in medio cochleæ a cerebro diffunditur nervus *auditorius* nuncupatus , per quem communicantur hiſce partibus ſpiritus animales .

108 Hæc omnia patent per artem anathomicam; sed præter ista communiter a Doctoribus in cavitate tympani substantiam quamdam tenuem ponunt ad modum aeris, unde *Aer innatus* per quamdam analogiam dicitur, estque animata, quæ licet anathomica arte non sit observata, eo quia propter subtilitatem, & tenuitatem facile evanescit; ratio tamen id suadet, quia non apparet aliquod corpus crassum replens cavitatem illam; neque dici debet aere elementari repleri, quia faciliter corrumperetur propter propinquitatem cum cerebro humido, & frigido, a quo ingrossari deberet, unde faciliter quoque læderetur sensus auditus: hæc est aurium admirabilis structura, tudi penicillo, quantum satis est, delineata.

Cæterum in qua parte hujus fabricæ peculiariter 'consistat sensorium auditus, non est una omnium sententia; Themistius 2. de Anim. ad tex. 83. asserit esse spiritus animales a cerebro diffusos. Vesalius lib. 1. de hum. corp. fabrica cap. 8. docet esse illa tria officula, quibus est affixa Miringa, similitudine sumpta ex malleo, & incude fabrorum, nam sicut malleus in percussione incudinis efficit sonum, ita malleolus ille per aerem externum usque ad tympanum deductum in sono agitatur, & in incudem incurrens edit sonum. Avic. & Albert. ponunt sensorium in nervo auditorio a cerebro procedente. Tolet. 2. de An. qu. 21. collocat in ipso tympano, seu membrana; eo quia quod primo attingitur a sono, vel ipsius specie est membrana ista, nec potest ulterius penetrare, quare in hac attingentia fiet auditio, sequitur Moris. disp. 2. de Anim. qu. 9. Communis fere omnium opinio cum Arist. 2. de Anim. 8. & 2. de part. anim. cap. 10. *statuit in illa substantia aerea; etenim sensorium debet* esse proportionatum receptaculum specierum; sed aer est proportionatum subjectum specierum audibilium, ergo quod aeri correspondet in auris structura, qualis est hæc substantia, debet poni pro sensorio, sicut organum visus ponitur substantia quædam aquæ similis, eo quia aqua est magis accommodata ad reflexionem visibilium specierum, & magis speculo similis; tum quia sicut organum visus ponitur, quod est magis septum, & vallatum, qualis est pupilla, pariformiter organum auditus erit hæc substantia undique circumdata vallis, & propugnaculis munita. Tandem Compl. disp. 11. qu. 6. & Joan. de S. Th. qu. 5. art. 3. tam in aerea substantia, quam in nervo auditorio adæquate constituunt organum auditus, & ut salvent unitatem numeralem hujus potentiæ, docent hos nervos prope cerebrum conjungi, deinde separari, & ad aures propria via progredi, ut evenit in visu.

109 Verum in hac re certum esse debet, quod nec spiritus animales, nec illa officula possunt esse sensorium auditus, illi enim sunt prorsus inanimati, ista non sunt prædita anima sensitiva; tum quia ossa propter maximam terrestreitatem non sunt idonea ad motionem intentionalem: tum quia motus ille, & percussio malleoli est arbitraria, non enim malleolus elevatur ab incude, & deinde illam percutit, sed simul absque disjunctione hinc inde aliquantulum agitantur, ut docent Anathomici; Membrana non videtur congruum organum, frustra enim natura tot alia instrumenta præpararet intus in fabrica hujus organi, quare potius se habebit ad modum tunicæ corneæ in oculo. De nervo auditorio, quamvis posset probabiliter affirmari, attamen sicut diximus de visu, nervi potius inserviunt ad deferendos spiritus, quam ad producendas sensationes; hoc autem est advertendum, quod ista nervorum conjunctio, & postea separatio, quam admittunt Compl. videtur prorsus voluntaria, & ut salvent necessitatem unitatis numericæ in auditiva potentia, a nullo tamen anathomicæ artis perito hoc est animadversum, quod sciamus. Quare remanet sensorium esse substantiam aeream, quam tamen potius poneremus in cavitate cochleæ, quam in cavitate tympani; tum quia est propinquior nervo auditorio; tum quia ad hoc natura videtur posuisse labyrinthum ante cochleam, ut species per illos anfractus, & obliquitates pertranseuntes impetum obtundant, & suaviter moveant sensum, nec lædant; quod si esset in cavitate tympani, nulla appareret ratio, cur deinde collocarit natura labyrinthum, & cavitatem cochlearem; verum est autem, quod de his duobus, scilicet labyrintho, & cochlea pauci faciunt mentionem, cum tamen experientia ipsa nos doceat reperiri in aurium ædificio.

110 An autem hic sensus omnibus animalibus conveniat, pars negativa est certior; nam licet grandiora animalia illo sint prædita, de formicis tamen, muscis, pulicibus, pediculis, & similibus oppositum potius docet experientia, nullum enim experimur signum auditus. Sed præsertim de apibus dubitari solet, an audiant, unde Arist. 1. Metaph. cap. 1. negavit apes audire juxta multorum sententiam, at lib. 9. de hist. an. c. 40. affirmavit, & certe hoc est probabilius, supponendo, quod solet de apibus referri, & ipsemet Arist. cit. narrat, scilicet, quod aliquibus diebus vox aliqua sentitur, antequam adveniat migrationis tempus; item quod vespertino tempore in signum denominationis, & matutinis horis in signum vigilantiæ, & laboris quædam apis susurrando circumeat; rursus sonitu gaudere, & congregari, & similia, quæ omnia sine auditu nequeunt tam facile committi.

His præacceptis explicanda est natura objecti hujus potentiæ auditivæ, & modus, quo exercetur auditio.

ARTICULUS I.

Efficiens, quidditas, subjectum, & species soni assignantur.

111 OBjectum auditus aliud non esse, quam sonum, certissimum est; sonus autem causatur, ut patet, vel violenta percussione, vel divisione, & consequenter unum corpus simpliciter non est sufficiens ad efficiendum sonum, sed plura requiruntur. Arist. 2. de Anim. 78. docet tria corpora semper concurrere ad sonum, duo percutientia, & unum medium, quod atteritur, frangitur, agitatur, intercipitur, v. gr. dum excitatur sonus in ære campanæ, est malleus percutiens, æs percussum, aer interceptus, collisus, agitatus. Qui dicendi modus non acceptatur ab aliquibus, eo quia multoties ex collisione duorum corporum ad invicem fit sonus, ut cum virga agitatur per aerem; cum ante terræmotum boatus, & vagitus subtus terram sentiuntur, tonitruum fit ex nube, & exhalatione accensa; cum pannus, vel papyrus scinditur, aer crepitat; vox animalis, & sonus tibiæ, ac fistulæ non fiunt, nisi ex percussione instrumenti cum aere, qui soni sunt valdeperfecti, cum vehementes sint, & dearticulati; per quod excluditur expositio Conimbr. asserentium dictum Aristot. habere locum in sono perfecto. Rectius respondet Ruvius intervenire in quolibet sono tria corpora realiter distincta, ut Arist. sed non necessario discontinua; fieri enim potest, ut solum percutiens, & percussum sint discontinua, elisum vero, seu intermedium non sit discontinuum, idque vel a percutiente, vel a percusso, ut in exemplis allatis, nam cum virga percutitur aer, tunc est simul aer corpus percussum, & etiam intermedium; imo etiam fieri potest, ut omnia sint continua, nam ex elisione unius partis cum altera potest excitari sonus, ut agitatione ventorum in aere.

112 Horum corporum percutientium conditiones tres assignavit Arist. ut commode excitetur sonus; prima est, quod sint dura, & resistentia, ut medium interjectum frangant, & comminuant; ex qua fractione, & comminutione proxime videtur oriri sonus; hinc mollia, ut spongia, non edunt sonum, quia non faciunt ictum, sed sine difficultate cædunt, quod est intelligendum ut in plurimum, & de sonativo perfecto, non imperfecto, nam ut diximus, potest fieri sonus a corporibus fluidis, & in hoc sensu etiam est intelligendus Arist. 2. de Anim. 82. dum ait: *Sonativum est, quod motivum est aeris continuitate usque ad auditum*; scilicet de sonativo perfecto; & ut in plurimum. Secunda conditio est, quod debent esse levia, sive tersa, præsertim, si sint plana; ratio est, quia aer impactus in superficiem æqualem totus, & facile extruditur, si vero corpora sunt aspera, & inæqualia, pars hærebit in cavitatibus, & secundum partes non totus comminuetur. Tertia, ad efficiendum intensiorem, & prolixiorem sonum debent esse concava, qualia sunt tympanum, tuba, organa, campana; ratio est, quia aer inclusus ad latera sæpius percutitur, sæpiusque agitatus, & commotus egreditur. Cæterum corpora percutientia multum juvare ad sonorum varietatem constat experientia, & ratio est, quia pro eorum conditione aer elisus varie agitatur, & atteritur, quod si in illis ipsis corporibus solidis aer contineatur, plurimum confert ad intensiorem sonum; hinc dicunt inter metalla maxime sonare argentum, inter ligna fagum. His conditionibus quartam adiice, ut corpus percussum sit maxime liberum, & quantum fieri potest, aer undique circumstet, unde campanæ ex solo filo pendulæ melius sonant, quam fixæ, vel manu comprehensæ, debet enim corpus illud aliquantulum tremere, sive quod ajunt, friare.

113 Conditiones corporis intermedii sunt, quod sit molle, divisu facile, & violenter potens resilire, quæ proprietates conveniunt corpori fluido secundum magis, & minus, maxime tamen aeri, utpote omnium humidissimo, imo & igni quatenus est tenuissimæ substantiæ; hinc dubitari solet, num corpus intermedium necessarium ad sonum sit solus aer, an etiam aqua & quodlibet aliud corpus fluidum. Simpl. Tol. Ruvius hic, Arriaga disp. 5. nu. 50. Cavellus disp. 2. sect. 10. Moris. disp. 2. q. 10. & Suar. *lib. 3. de Anim. cap. 19.* affirmant aquam posse inservire tamquam intermedium corpus ad causandum sonum, licet non ita perfectum, sicut nec tam perfecte conveniunt conditiones assignatæ, sicut aeri. Comment. super tex. 76. Alb. tract. 3. c. 18. Ægyd. comm. 77. Javellus qu. 73. Bannes 1. p. qu. 78. art. 4. tract. de auditu dub. 3. Hurt. disp. 17. sect. 3. Compl. disp. 11. q. 3. Joan. de S. Th. qu. 7. art. 3. & alii negant alia fluida præter aerem posse sonum causare, quatenus intermedia. Utraque opinio habet pro se Arist. & quælibet quærit trahere ad se, nam in 2. de Anim. 76. & 79. medium soni ponit aerem, at medium odoris quid commune ad aerem, & aquam; at in 4. de hist. an. cap. 9. aperte asserit sub aquis pisces, & maxime ranas sonos edere. Verum in hac re sola experientia posset litem dirimere, quæ tamen difficulter haberi potest, nam quotiescumque authores primæ sententiæ afferunt aliquod exemplum, si in illo casu adest aliquod aeris, vel poterit adesse, ut in ranis, libenter authores alterius opinionis totum concedunt propter aerem admixtum, at si nullus interveniat aer, ut eum pisces sub aquis moventur, negant fieri sonum, sed solum cum pisces usque ad superficiem perveniunt, & deinde denuo sub aquis immerguntur, quia aerem attingunt, & aliquid ipsius in aqua ingreditur, caulatur sonus; & quidem hujus sumus testes, quod piscibus etiam magnis sub aquis natantibus nullum adhuc sonum perceperimus, quod valde confirmat secundam opinionem, certum etiam est ignem posse esse medium interjacens ut pater cum duo dura se percutiunt in flamma. An autem aqua possit esse medium recipiens species soni dicemus inferius. Quo pacto Beati in patria corporibus assumptis loquentur, diximus disp. 2. de Cœlo num. 126.

114 Ex his patet causam effectivam soni esse corpora sonantia, & se percutientia, non quidem causam per accidens, ut asserit Ruvius hic qu. 2. sed ut causam per se, nam quædam corpora sunt ex propria natura causativa soni, quædam non, ergo quæ causant sonum, vere influunt in illum; & mirum est, quod animalia sint causa per accidens vocis, & solum causa universalis, & prima per se influat in voces animalium, & sermones hominum. Nec refert, quod corpora sonantia causent sonum per impulsum ab extrinseco impressum, & per motum resilientiæ medii, per quos solum intenditur per se localis præsentia, non sonus. Non valet, quia impulsus, & motus localis non est ratio agendi sonum, sed tantum conditio prærequisita, at ipsa corpora, ut habent tales conditiones, sunt causæ æquivocæ soni. An autem omnia tria corpora per se ut causæ concurrant, vel solum duo percutientia, & intermedium tamquam conditio requisita, posterior pars videtur probabilior, & habet fundamentum in Arist. 2. de Anim. 79. dum ait. *Non est autem soni dominus aer, neque agua, sed oportet solidorum percussionem fieri ad invicem*, ubi per ly *Dominus* circumscribitur causa effectiva; eamque docet Ruvius cit. & hæc de causa efficienti soni; sequitur ut causam formalem, & materialem, seu subjectivam investigemus, ut possimus cognoscere propriam soni quidditatem.

115 Circa causam formalem soni, quidam apud Tol. 2. de Anim. quæst. 19. asserunt, sonum non distingui a motu locali, non quidem corporis percutientis, sed resilientis, & intermedii, quam opinionem ipse Tol. probabilem judicat. Communis tamen sententia sonum docet esse qualitatem de tertia specie; & probat. quia potest esse motus sine sono, ut constat. Tum quia motus percipitur pluribus sensibus, cum sit sensibile commune, sonus uno sensu tantum. Tum quia in motu locali est ipsa realitas motus, & Ubi acquisitum, quæ non percipiuntur ab auditu, imo difficulter ab intellectu concipiuntur, cum sint relationes, est ipsum corpus, quod movetur, & istud neque est ab auditu perceptibile. Tum quia habent diversa accidentia, sonus enim dicitur acutus, vel gravis, motus tardus, aut velox. Tum quia sonus potius fit ex percussione solidorum, quam ex resilientia medii, ut si quis malleo percutiens campanam ante ictum sistat, adest motus aeris, non tamen sonus.

Dices, Arist. 2. de Anim. 65. clare docet sonum esse motum resilientis medii. Tum 2. quia omnis qualitas denominat proprium subjectum, sonus nullum corpus denominat formaliter sonans, nam percutientia solum extrinsece tamquam ab effectu denominantur sonantia. Tum 3. si sonus esset qualitas realis, sequitur omnes fere sonos differre specie, ut sonum acutum, & gravem, imo omnes voces humanas; quod enim sola intensione non differant, patet, quia quantumvis sonus gravis intendatur, non efficitur umquam similis acuto. Tum 4. si esset qualitas, cum non sit prima, esset secunda, non apparet autem, quo pacto sonus possit a primis qualitatibus causari. Tum 5. solus motus est ens successivum, sonus est entitas successiva, ergo est motus, non qualitas.

116 Resp. ad 1. propositionem illam esse veram causaliter, quatenus est data per causam instrumentalem, qualis est motus. Ad 2. sonum non denominare subjectum, quia non sunt adinventa, & imposita nomina, quæ significarent denominationem convenientem hujus formæ respectu subjecti, non enim omne accidens est denominativum proprii subjecti, ut in simili de speciebus docet Scot. 2. d. 13. I. Ad 3. sive concedatur totum argumentum, sive dicatur omnes illas differentias esse accidentales, parum refert, & tenentur etiam adversarii solvere, de hoc tamen dicemus in fine artic. Ad 4. dicimus sonum, licet immediate a primis qualitatibus non causetur, quia non est qualitas diu permanens in subjecto, & a motu locali dependet, tamen mediate a primis derivari, tum quia fit a duritie, & densitate, quæ a primis dependent; tum quia temperamentum primarum qualitatum valde confert ad causationem soni, unde quædam corpora sunt magis, quædam minus sonora. Ad ultimum clarius patebit ex dicendis art. 3. pronunc dicimus sonum, ut experientia docet, dependere in fieri, & conservari a motu, tamquam a conditione requisita, & ideo habere quoddam esse successivum non per se, sed ratione motus, & licet post motum adhuc sentiatur quandoque sonus quidam valde remissus, ut post campanæ percussionem, & in fidibus cymbali constat; hoc tamen provenit, ut notat Aversa, quia remanet adhuc in illis corporibus motus quidam tremoris, qua ratione si manibus apprehenderentur, quia cessaret tremor ille, desineret quoque ille sonus; an autem diferatur per aerem dicemus art. 3.

117 Tertio, quæri solet, quod nam sit subjectum soni secundum esse reale, an scilicet corpora percutientia, an medium interceptum. Prima opinio extrema est Averæ qu. 54. sect. 5. statuentis sonum recipi in ipsis corporibus se percutientibus, non in aere intercepto, & collisio, nisi quando concurrit ut corpus percutiens. Altera extrema subjectum asserit esse solum ipsum aerem ex vi percussionis resilientem, ita omnes fere recentiores. Tertia media utramque præcedentem amplectens est Veneti apud Palud. 2. de Anim. ad tex. 85. Vega lib. 1. de arte medendi fol. 144. & aliorum, in præsenti solum examinabimus, an recipiatur in corporibus se percutientibus; nam de medio commodius dicemus art. 3.

118 Dicendum est, partem affirmativam magnam habere probabilitatem, quamvis negativa non sit improbabilis; prob. prima pars, si corpora se percutientia solum essent causa effectiva soni, & non receptiva, sequeretur, quod dummodo in duobus corporibus qualitates requisitæ ad expulsionem aeris sint ejusdem rationis, quales sunt durities, & lenitas, & æqualis sit ictus, idem conficeretur sonus, quod est contra experientiam, quia unum lignum, vel metallum clariorem, vel obscuriorem causat sonum, quam alterum, ut patet in instrumentis ex diversis lignis fabrefactis, vel metallis, sequela prob. quia si tota diversitas soni proveniret ex majori, vel minori ictu, & resilientia aeris, qualitates illæ per se influerent in sonum, quæ sunt causæ ictus, & resilientiæ medii, cæteræ tantum per accidens concurrerent, ergo si illæ qualitates essent ejusdem rationis, eumdem omnino sonum causarent, ergo præter qualitates effectivas soni dantur aliæ, quæ sint dispositiones receptivæ a primis qualitatibus provenientes, vel quæ sint ipsæmet primæ qualitates taliter temperatæ, quod sint rationes causativæ soni immanenter accedente locali motu, a quibus provenire potest tanta sonorum diversitas, ut quandoque minor ictus quorumdam corporum majorem causet sonum, quam major ictus aliorum corporum, & tamen ista fortius & citius facerent aerem resilire. Tum 2. quia per sonum cognoscuntur saltem per accidens corpora se percutientia, sicut ad visionem coloris per accidens cognoscitur corpus coloratum, ergo sicut istud est subjectum coloris, sic illa erunt subjectum soni. Tum 3. quando duo corpora sola interveniunt ad sonum, ut *in motione virgæ* per aerem, aer ut corpus a virga percussum recipit sonum, ergo quando corpus percussum est ab aere distinctum, recipiet quoque sonum, & quoniam propter reactionem in percussione quodlibet corpus dici potest percutiens, & percussum, quodlibet erit subjectum soni. Tum 4. sonus proprie fit in contactu corporum se percutientium, ibique percipitur fieri sonus, at in contactu non est ibi aer, sed sola corpora se percutientia, ergo potius videtur sonus recipi in istis corporibus, quam in medio. Et tandem adest experientia illius tinniti, qui sentitur in campana, & in fidibus cymbali adhuc transacto sono: hæc opinio non obscure insinuatur a Joan. de Mag. 2. de Anim. qu. 6. §. *Primo sciendum*.

119 Dices, si hoc esset, ergo Cœli causarent sonum, & posset quoque in vacuo fieri sonus, si duo corpora solida se percuterent, quod est falsum. Tum 2. vel unicus sonus causatur, vel duplex; non primum, quia non posset, nisi in uno subjectari, nec esset major ratio de uno, quam de alio: non secundum, quia semper duplex deberet audiri sonus, imo quia corpora se percutientia quandoque sunt diversæ rationis, consequenter diversum omnino sonum causarent, & tamen oppositum experimur unicum scilicet sonum. Tum 3. sonus non fit per immediatam actionem unius corporei in aliud, sed per fractionem aeris medii, ergo fit actione transeunte a corporibus se percutientibus, ergo *in illis immanenter non recipitur*. Tum 4. corpora percutientia quandoque sunt nimis dura, & crassa, ergo nequeunt esse subjectum soni, patet conseq. quia hac ratione aqua probabiliter negatur posse esse medium soni, quia nimis crassa in comparatione ad aerem, adsunt aliæ rationes ostendentes recipi in medio, maxime quæ desumuntur a delatione soni usque ad aures per medium, & quædam Arist. authoritates ad idem, de quibus art. 3.

Resp. ad 1. solum ostendere necessitatem corporis medii resilientis ad causandum sonum, quod conceditur, licet si admitteretur sonus in vacuo secundum esse reale, non intentionale, nihil esset absurdum, & Cœli non causant sonum, quia propter lenitatem summam non se percutiunt; prima tamen responsio est expeditior. Ad 2. dici potest *duplicem* sonum causari, vel ejusdem, vel alterius rationis juxta diversitatem corporum percutientium, & potest esse, quod magis in uno, quam in alio recipiatur corpore, imo quod nullo pacto in aliquo recipiatur, si scilicet esset omnino indispositum ad recipiendum; sic vox animalis præcipue recipitur in aere percusso, aliqualiter in arteriisque aliisque instrumentis, & licet sint duo soni, percipiuntur tamen ut unus confuso modo, licet sint alterius rationis, ad invicem modificantur. Ad 3. convincit solum sonum utroque modo produci posse: tum quia sonus pendet non solum a motu resilientis medii, sed etiam ab ictu. Ad 4. negatur assumptum, nam impulsus aliæque similes qualitates recipiuntur in corpore solido; nec exemplum de aqua urget, aliud enim est inservire tamquam medium resiliens, & aliud esse subjectum soni.

120 Secunda pars, quod scilicet assertio negativa suam habeat probabilitatem, patet ex rationibus modo adductis, præcipue secunda. Tum quia rationes pro prima parte sunt solubiles, nec tam evidenter concludunt. Ad primam enim ajunt Complut. disput. 11. quæst. 2. in quoliber sonoro corpore reperiri qualitatem quamdam productivam *soni transeunter in* medio, & quoniam diversa est ad diversitatem temperamenti mixtorum, hinc diversus oritur sonus. Ad 2. per sonum devenimus in cognitionem *corporis sonori*, sicut effectus dat cognoscere causam. Ad 3. imprimitur in aere sonus, non ut habet rationem corporis percussi, *sed ut habet rationem* medii resilientis. Ad 4. ex contactu corporum se percutientium aer resilit, & frangitur.

violenter, hinc actione transeunte causatur in aere sonus, & quia immediate fit sonus in aere circumstante, idcirco ibi percipitur. Ad 5. perseverare tinnitum illum, eo quia aer in poris campanæ existentis, vel circumstantis ex præcedenti commotione adhuc agitatur, & donec quiescat, causatur ille exiguus sonus. Ex quibus dignoscere poteris probabilitatem utriusque sententiæ, de quibus iterum dicemus art. 3.

121 Tandem sonus dividitur in multas species per varias differentias, quarum præcipuæ sunt grave, & acutum, quæ videntur specificæ, & essentiales, quia in eadem specie soni gravis, vel acuti datur intensior, & remissior sonus, ergo nequeunt sonus gravis, & acutus differre penes magis, & minus, sed specifice, tum quia sicut in aliis sensibilibus qualitatibus puta colore, sapore, odore, &c. dantur species essentialiter diversæ, idem dici debet de sono. Sonus acutus fit, cum parum aeris agitatur, nam propter exiguitatem celeriter movetur, gravis vero fit, cum copiosus aer colliditur, & consequenter segnius movetur, quod patet in organis, aliisque instrumentis. Specialiter tamen in hac materia assignari solet quædam divisio soni in sonum, vocem, & sermonem, quæ tria differunt sicut superius, & inferius, nam omnis sermo est vox, & quælibet vox est sonus, non e contra; nam sonus provenit a quavis collisione corporum, proindeque etiam inanimatis convenit, vox est sonus ab animalibus factus, ut animalia sunt, *cum imaginatione aliquid significandi*, ut latratus canum; sermo est vox articulata manifestativa conceptuum mentis, quo pacto est homini propria, & quoniam Arist. hic subjunxit aliqua de voce tamquam animalibus propria, idcirco post explicationem soni in communi, aliqua de hac specie dicemus.

ARTICULUS II.

De voce, ubi, an locutio proprie reperiatur in brutis.

122 Antequam definitionem vocis ab Arist. traditam explicemus, prius modum, quo formatur, & instrumenta *necessaria ad ejus formationem debemus declarare*.

Varia sunt instrumenta vocis, & sermonis maxime in homine. Primo, sunt pulmones instar follium molles, ut spongiæ, & rari, qui aerem ad se trahunt ad respirandum, ad vocem enim opus est respiratione. Secundo, musculi thoracis, inter costas contexti, quorum virtute motiva pulmones comprimuntur, & magna vi aerem attractum propellunt. Tertio, aspera arteria, quæ est via, per quam aer per pulmones attrahitur, & ab iis remittitur, extenditque se a faucibus, per anteriorem partem colli usque ad pulmones; dicitur aspera, quia inæqualis est per anfractus circulares ducta ex materia simili cartilagini, vel ossi. Quarto, est larynx, nam in summitate arteriæ habet latum exitum, non nihil prominentem sub mento, *qui vulgo dicitur morsus*, vel pomum Adami, & in deglutione sursum fertur, in hoc dantur varii musculi ad diversos sonos efformandos; hinc dum cantant aviculæ, apparet diversus motus plumarum in collo; quod imitantur excellentes cantores efformantes vocem in faucibus, sive in exitu asperæ arteriæ. Quinto, est membrana aliqua cartilaginosa, quæ claudit ostium laryngis, ne quid cibi, vel potus incidat (cibum enim deglutimus per aliam viam, quæ dicitur gula, *in* cujus summitate est cavitas satis ampla, & appellantur fauces) hæc membrana in respirationem aperitur, & vicissim clauditur; dicitur *lingula*, quia ad instar linguæ est aliquantum oblonga: Græce vocatur, *Epiglottis*. Sexto, est caruncula quædam pendula ex fundo palati, & dicitur *gurgustio*, *columnella* a figura, quam habet, & *uvula*, nam quandoque ad instar uvæ ex concursu humoris inflatur: in hæc duo sciliçet gurguglionem, & lingulam impactus, aer emissus a pulmonibus causat sonum, qui appellatur vox. Septimo, est lingua, quæ maxime necessaria est ad formandam vocem articulatam, per linguam enim aer a pulmonibus emissus varie eliditur cavitatibus palati, & dentibus, qua ratione valde mobilis est, unde multis musculis est prædita; attamen si musculi isti sunt molliores propter excessum humiditatis, ut in pueris, ebriis, aliisque cerebro valde humido præditis, balbutiem causant, quia nequeunt firmiter stabiliri. Octavo, est palatum *ipsum* ad instar fornicis partim leve, partim asperum ad sonos diversimode efformandos. Nono, sunt dentes, qui sua duritie, & situ intrinsecus cavo vocem melius repercutiunt; hinc qui carent dentibus, & maxime anterioribus difficulter, & imperfecte vocem efformant; prout autem quis lingua palatum, aut dentes tangit, prout que deducit labia, aut contrahit, ita diversas syllabas format, & dictiones, ut experientia constat.

123 His præsuppositis, declaranda est definitio vocis, quam tradit Arist. 2. de Anim. 90. dum ait, *Vox est percussio respirati ab anima, quæ est in his partibus advocata arteria cum imaginatione aliqua*, dicitur *percussio* non formaliter, sed causaliter, quo sensu etiam sonus dicitur elisio, idest est sonus causatus a percussione respirati aeris, dicitur, *ab anima, quæ est in his partibus*, per quod intelligit pulmones, & alia instrumenta, ut alios sonos etiam ab animali producibiles a voce distinguat, ut est stridor dentium, motus labiorum; dicitur *cum imaginatione aliqua*, quia vox etiam in brutis habet repræsentare inter nos affectus, hinc tussis non est vera vox quia non fit cum imaginatione aliqua.

Ex quibus patet, vocem solum animalibus convenire, & licet inanimatis quandoque tribuatur, est hoc per metaphoram, & similitudinem, ut notat Arist. tex. 87. Non tamen omnibus animalibus convenit, sed iis tantum, quæ respirant, & habent pulmones; unde exanguia, & pisces nullam vocem edunt, possunt tamen causare sonum aliquem, & præsertim quædam exanguia, ut apes, cicadæ, vespes, &c. murmur efficiunt per attritionem aeris membrana aliqua subtili causatam, ut docet Arist. lib. de invent. cap. 11, & 4. de histor. anim. cap. 9. vide Conimbr. 2. de Anim. cap. 8. qu. 3.

124 Vox in hac significatione comprehendit sub se locutionem, & sermonem, seu loquelam, quæ ut colligitur ex 4. de histor. anim. cap. 9. non est aliud, quam vox articulata, itaut vox rationem generis habeat, & materiæ, articulatio rationem differentiæ, & formæ; articulus vero non est, nisi distinctio quædam, seu interceptio adveniens voci, cum enim vox natura sua sit uniformis, fusa, & continuata, articulo accedente, in pluribus videtur esse intercepta, & disrupta, idest non uno tractu fusa, & *continuata*, *sed interpellatione* quadam; v. gr. *OOO*, ita fuse distincte, & continuate clamorem emittendo, habet rationem vocis, at si litteram *C* præponendo adjungimus, quæ habet rationem articuli (articuli enim in hominis loquela sunt litteræ, ut dicemus) jam *Co*, vocem articulatam idest divisam, & interruptam producimus, quo sane modo vox in loquelam migrat, sitque vox articulata metaphorice ab ossium articulis denominatione desumpta, nam sicut articuli *sunt nodi quidam, qui ossium continuatione* quodammodo intercipiunt, ita & loquela, quæ est quædam articulata vox, videtur pluribus disrupta, non uno tractu fusa, atque continuata; vel loquela dicitur vox articulata idest distincta, & aperta, sumpta denominatione ab articulis, qui nominibus additis rem certam, & distinctam significant, sed prima similitudo est magis idonea. Hæc igitur vox in articulos divisa per litteras, & syllabas, ac dictiones dicitur sermo, & homini proprie convenit, quo proprios animi, ac mentis affectus exprimit, & in quo civilis conversatio, & humana societas principaliter consistit; de cujus significatione jam diximus disp. 2. Log.

Verum non erit abs re occasione hujus investigare, an loquela, & sermo non solum in hominibus, sed etiam in brutis reperiatur, itaut bruta vere emittant articulatas voces, quibus inter se proprios animi affectus communicent. Et quidem ut notat doctissimus Hieronymus ab Aquapendente in suo opusculo de hac re edito, pars affirmativa quibusdam prima facie monstrum in Philosophia videbitur, sermo siquidem inter animalia ita homini proprius videtur, ut per hunc sensibiliter a vulgo homo secernatur a brutis.

125 *Nihilominus si res bene*, & serio perpendatur, concedendum est dari loquelam suo modo in brutis; ita author cit. quam probat authoritate antiquorum Philosophorum, Porphir. siquidem libr. 3. de abstinentia ab esu carnium, & Plutarcus omnino loquelam in brutis admiserunt; imo Porph. citat. profert ex veterum memoria Melampum, Tiresiam, & ante hos Apollonium Thianeum brutorum colloquia intellexisse, de quo præsertim varias refert experientias. Extat etiam adhuc clarissima authoritas Arist. 4. de historia animalium capit. 9. dum ait illis præsertim animalibus loqui datum fuisse, quibus lingua mediocriter lata, vel tenuis est; & in fine in luscinia, locutionem ponit; cum eam modulos suos pullos docere ait, versusque quos imitetur; ipsius verba sunt hæc. *Et aviculatum nonnullæ aliud vocem eamdem mittunt, quam sui parentes, si præceptæ paterna caverint educatione, moribusque & cantibus cæterarum avium assueverint. Tum vero Luscinia modulos suos pullos docere, versusque quos imitarentur, tradere visa est, utpote, cum non perinde locutio, ut mox per naturam provenire, sed acquiri posset per disciplinam, & studium, unde homines quoque locutione utuntur varia, cum vocem omnes reddant eamdem*.

126 Probat. etiam ratione, nam in brutis dantur instrumenta locutionis, quod certe negari nequit in Picis, & Psittacis, dantur etiam voces significantes varios affectus, & juxta affectuum varietatem varie efformant vocem, alio enim modo eam emittunt, cum timent, alio cum vocant, alio cum ad edendum invitant, vel ad pugnam provocant, hinc venator ex latratus diversitate advertit canem modo quærere prædam, modo invenisse, & cepisse, modo temere vagari; bubulcus ex vario bovis mugitu, tunc vitulum quærere, modo esurire, vel sitire, nunc in venerem incitari cognoscit; quæ voces vere sunt articulatæ, quia experimur bruta suas voces propriis notis ab invicem discernere, & articulare, canis enim latratum suum, qui de se uniformis esset, diversis ejulatibus, & concisis, quasi diversis articulationis modis distinguit, & separat. Accedit, quod Aristot. 2. de Anim. 77. fistulæ quodammodo locutionem admisit, & vocem articulatam, quatenus fistula absque digitorum motu vocem solam edit, cum digitorum vero motu in foraminibus alternatim applicatorum profert vocem interruptam, & articulatam, licet quoniam non est cum imaginatione aliqua, tantum similitudinarie dicitur vox, & locutio, ergo quia animalia possunt edere vocem uniformem, & quandoque illam interrumpunt, & varie dissecant, habentque imaginationem aliquam in prolatione harum vocum, *intendunt enim proprios affectus indicare*, non erit eis deneganda propria locutio.

127 Sed ut clarius hæc veritas appareat, adnotanda est similitudo, & differentia inter locutionem hominum, & brutorum. Conveniunt itaque, quia utrumque idioma articulis constat, tam homines, quam belluæ per articulorum compositionem loquelam faciunt. Differunt vero, quia articuli humani sermonis sunt litteræ, sed brutalis alii, & aliis brutorum loquela est *simplicior*, hominum vero est magis composita, hæc enim litteris, syllabis, dictionibus, & oratione constat, & magis elaborata est, ut patet ex progressu infantis, qui prius vagire dicitur, deinde mussitare, post balbutire, antequam distincte loquatur. Belluæ articulos suos non efformant lingua, & labiis, *sed in faucibus* media larynge, & lingula, at homines vocales voce, & gutture, consonante lingua, & labiis proferunt, ut ait Arist. 4. de histor. cit. nam labia hominibus *mollia* ad loquendum data sunt, brutis vero dura, & rigida ad cibum potius capiendum; hinc est, quod longe distinctior, & clarior est hominum locutio, quam brutorum. Adest etiam alia differentia, quia loquela brutorum in unaquaque specie est naturalis, quoad omnes ejus partes, tam scilicet quoad articulos, quam quoad eorum compositionem, & hinc est, quod bruta ejusdem speciei se invicem percipiunt; at hominum locutio tam quoad articulos, quam quoad eorum compositionem est ad placitum, & artificiosa, quia nec litteræ apud omnes sunt eædem, nec earum compositio, & quamvis vocales apud *omnes forent eædem*, & eodem modo proferantur, ut aliqui contendunt, tamen quia compositio earum non est eadem, hoc sufficit ad diversitatem idiomatum, itaut una natio aliam non intelligat. Dedit autem natura brutis unius speciei eumdem loquendi modum, tum ut se invicem perciperent, tuerentur, & mutuo se juvarent, & ad propagationem invitarent; qui modus est distinctus a modo loquendi brutorum alterius speciei, tum ne unum misereretur cum bruto alterius speciei, & accideret monstra, tum ne agnus voce deceptus ad lupum, lepus ad canem curreret; quod etiam observavit natura in hominibus, quorum loquela in initio erat unius idiomatis, sed post Gigantum temeritatem confusio linguarum orta est, ut narrat Scriptura.

128 In *oppos. objic. ex* Arist. 4. de hist. anim. cap. 9. & 5. de gener. anim. cap. 7. docente hominis esse proprium loqui, & oratione solum hominem inter animalia uti, quia ipse solus litteris articulat, ergo cum bruta in suis vocibus litteras non exprimant, non erit in illis loquela; non est autem sermo de quibusdam vocibus, quas longo usu ab hominibus didicerunt, ut sunt Picæ, & Psittaci, quia omnes concedunt his verbis proprie non loqui, quin non proferunt illas cum imaginatione significandi aliqua, sed de vocibus a natura inditis. Tum 2. in vocibus animalium articuli non discernuntur, ergo eorum vox erit inarticulata, nec poterit locutionem constituere. Tum 3. si vox animalium artieulata foret, utique ab aliquo homine intelligeretur, sed a nemine intelligitur, difficile quidem est modum assignare voces illas intelligendi. Tum 4. nulla necessitas fuit, quod dederit natura locutionem brutis, nam ad suos affectus manifestandos vox simplex videbatur sufficiens, quia ipsa est unica earum, quæ sunt in animo passionum, unde cupiditas, timor, gaudium, dolor, & cæteræ animi affectiones per varias vocis differentias satis indicantur, magna enim vox solet iram ostendere, parva pacatum animum, &c. Accedit, quod varia sunt animalium genera, quæ non solum loquela, sed etiam voce sunt destituta, ut patet de vermibus, formicis, piscibus, &c. & tamen sunt expressiva propriorum affectuum, ergo ad hunc finem loquela non fuit in brutis necessaria.

129 Resp. ad 1. Arist. ibi docere articulos, & locutionis humanæ elementa esse litteras, & negat tales articulos in vocibus brutorum inveniri, nisi materiali quodam modo in quibusdam, unde solus nemo proprie loquitur hac voce articulata, sed non propterea negat in vocibus animalium peculiares articulos ab articulis humanæ vocis omnino diversos. Ad 2. *neg. conseq.* quia etiam inter homines vox unius nationis illiterata videtur, & consequenter inarticulata alteri nationi, quæ litteras, & elementa illius non percipit, sic nobis Persæ, Syri, Indi sine articulis humanis loqui videntur, eo quia in eorum vocibus litteras suas distinguere nescimus, unde fertur temporibus Attilæ populos Hunnos Italis visos non loqui, sed latrare; ex hoc ergo quod in vocibus brutorum suos articulos dignoscere nescimus, non valet inferre, quod revera illis careant. Ad 3. jam diximus *multos* percipere *locutionem* brutorum tum exemplo venatoris, & bubulci, tum Tiresiæ, & aliorum ex Porph. & Plutarco. Modus autem licet sit difficilis, non tamen impossibilis. Democritus referente Plinio lib. 10. cap. 49. ex quorumdam avium confuso sanguine serpentem gigni voluit, quem quicumque comederit, ille avium *colloquia* intellecturus sit; sed hoc est plane fabulosum; quare poterit dignosci brutorum loquela ex variis observationibus affectuum & motuum corporis, juxta enim varietatem affectuum articuli brutorum modo simplices sunt, & puri, modo compositi; exemplum erit in cane cubiculum Heri ingredi cupiente, primo enim promit articulatam vocem affectum desiderii indicantem, postmodum si nequit intrare, alterum profert articulum sono graviori ex desiderio, & dolore commixtum, & tandem articulum profert solum dolorosum scilicet ululatum: gestus

etiam corporis qualitatem articuli indicat, nam ex fuga canis vociferantis arguere possumus articulum illum esse timoris; si canem videamus latrantem, & in viatorem irruere, possumus arguere articulum illum esse iræ, &c.

130 Ad 4. dicimus vocem se sola, & si posset cum suis differentiis aliquas animi passiones indicare, non tamen omnes, & quidem confuso modo solum indicat & indistincte, quod patet in mutis, vox reperitur sine loquela, & tamen per eam nequeunt suos conceptus exprimere, *nisi varios corporis motus* adhibeant, neque sine his a nobis intelligi possunt. Cum igitur bruta perfecta varias animi affectiones habeant, necessarium fuit ad eorum conservationem voci adjungere loquelam ad eam varietatem exprimendam distincte, & clare, unde gallina alios promit articulos, dum ovum emittere cupit, *alios*, dum emisit, alios dum pullos ad se allicit, alios, dum cubitum vadit, alios, dum exurgit, vel cibum petit, & sic de *singulis*. Ad aliam confirm. dicimus naturam *omnibus* dedisse animalibus modum, & viam suos affectus manifestandi, sed aliis perfectius, aliis imperfectius, & obscurius juxta dignitatem specierum, ac etiam eorum necessitatem; affectus enim animi quinque modis manifestari possunt, aspectu, corporis gestu, sono, voce, loquela; animalia igitur imperfecta voce carentia, ut formicæ, araneæ, vermes, &c. visu, aut vario corporis motu suos affectus ad invicem manifestabunt; sic etiam *pisces*, ex quibus aliqui licet vocem non forment, quia pulmone carent, tamen sonum quemdam efficiunt, ac stridorem; volatilia omnia vocem, & etiam locutionem habuerunt, & quadrupedia omnia, quædam clarius, quædam obscurius, juxta eorum dignitatem, vel munus obeundum, unde canis ad varia munera a natura *institutus magis*, *quam equus*, & *si perfectior*, clariorem videtur habuisse loquelam; ita Hieronymus cit. ubi fuse hanc materiam pertractat.

ARTICULUS III.

Quo pacto sonus perveniat ad aures.

131 Duplex sonus reperitur, externus unus, internus alter, hic fit in ipso sensorio auditus, ut cum in auribus tinnitus quidam auditur, ille exercetur in corporibus extra organum auditus existentibus, difficultas est de sono externo, de interno aliqua dicemus in fine articuli; & quoniam *multis dubiis* scatet; idcirco illa ordinatim proponemus, & solvemus claritatis gratia. Quæritur igitur, quo pacto sonus ad aures pertingat, hoc est an perveniat secundum esse reale, an secundum esse intentionale, hoc est, an ipsa entitas soni recipiatur in aure, an sola species ipsius, ut fit in visione; quæ difficultas non habet locum in sententia Aversæ afferentis sonum tantummodo in corporibus se percutientibus objectari, nisi quando aer concurrit tanquam alterum corpus percutiens, nam tunc posset deferri usque ad aures, ut cum per fistulam quis alteri serinocinatur, aer ab ore egressus cum eodem sono ad aures pertingit, *in aliis casibus clarum est*, sonum non posse secundum realem entitatem devenire ad aures; quia corpora sonum recipientia absunt ab auribus; quapropter ut ordinate procedamus.

Primo videndum est, num sonus recipiatur secundum realem entitatem in *medio resiliente*; quæ difficultas facile solvetur suppositis probabili sententia allata art. 1. quod corpora se percutientia non sint subjectum soni, clare namque sequitur medium esse subjectum, nihil enim aliud remanet; hinc dubitari solum potest suppositis alia sententia, quod corpora se percutientia in seipsis recipiant sonum, an simul etiam causent in medio resiliente, itaut sonus causetur ab ipsis immanenter, & transeunter; negat Aversa, affirmat Venetus, & alii, quos ibi citavimus.

132 Dicimus partem affirmativam esse probabiliorem; prob. ex Arist. lib. de sensu, & sensil. cap. 7. & 2. de An. 77. 78. & 85. ubi videtur docere medium actu sonum recipere; solet etiam probari, tum ex hoc, quod flante vento, & aerem versus unam partem impellente sonus sentitur intensius, & remotius, quam in parte opposita: tum quia a longe prius videtur actus, quam percipiatur sonus, quæ omnia indicant aerem in se recipere sonum; sed de his dicemus infra. Probatur autem quasi a priori; sonus opposita sententia corporum se percutientium, quod in se recipiant sonum, est probabilis tum immanenter, tum transeunter, nam malleus v. g. percutiens campanam producit transeunter sonum in campanam, qui etiam immanenter a campana causatur in *seipsa*, ad eum modum, *quo* impulsus utroq; modo est producibilis, nam projiciens lapidem non solum causat impulsum in lapide, sed etiam in proprio brachio, & lapis descendens, & in seipso, & in medio, vel corpore occurrente causat impulsum ex dictis disp. 3. de Cœlo q. 5. Rursus aer est subjectum capax soni, quia quando *concurrit* tanquam alterum corpus percutiens in se recipit sonum, estque satis applicatus corporibus percutientibus, quia ex eorum percussione resilit, movetur etiam *localiter*, ergo *quamvis* non concurreret active tanquam medium ad productionem soni, non est cur negemus corpora se percutientia sonum imprimere in aerem propinquum, patet *conseq.* nam agens applicatum passo non impeditum agit, quantum potest. Accedit, quod in causa alloquentis per fistulam aer ut *perveniens* ad aures non habet rationem percutientis, quia sic respicit instrumenta vocis,

sed potius habet rationem medii, quatenus ex percussione antecedenti, quam habuit cum palato, lingua, &c. resilit, & per fistulam pervenit ad aures, & tamen ut sic subjectat sonum, ergo non implicat medium ut sic esse subjectum soni.

133 Dices, ergo triplex *sonus* simul causaretur, contra experientiam; tum quia sonus non percipitur, nisi in eodem loco, in quo fit ictus, & percussio, quo loco non adest aer, quia resilit; tum quia potius sonus causatur a motu percussionis quam resilientiæ, nam si quis movens malleum campanæ, ut percutiat, & in ipsa percussione sistat manum, jam aer resilit, non tamen fit solus, ergo motus aeris omnino per accidens se habet ad sonum. Resp. concedendo assumptum, non recipitur autem, nisi ut unus, ut diximus num. 129. ad aliud dicimus aerem resilientem non multum distare a corporibus percutientibus, idcirco non sentitur sonus in aere receptus in alio loco, sed omnes tres simul, quod enim parum distat, nihil distare videtur; tum quia modificatur ab aliis sonis receptis in corporibus percutientibus, unde totus sonus percipitur in loco ictus, & aeris resilientis; ad ultimum ostendit solum percussionem esse necessariam ad sonum, eo quia non quælibet resilientia aeris sufficit ad sonum, sed debet facta cum violentia, ut evenit in ictu, & refractione.

134 Secundo supposito, quod sonus recipiatur in aere medio, & resiliente, dubitatur, num secundum suum esse reale deferatur usque ad aures: affirmant Avic. Simpl. Alex. Alb. apud Tol. qu. 21. Provenzalis p. 2. de sensibus cap. 31. & Dandinus 2. de Anim. digress. 43. & qui negant species sensibiles.

Communior sententia negat sonum necessario semper ad aures pervenire secundum esse reale, prob. non necessario pervenit idem numero sonus inhærens aeri resilienti, nisi etiam idem aer pertingeret, accidens enim non migrat de subjecto in subjectum, aer autem nequit idem numero aures omnium audientium attingere, deberet enim in minutissimas partes disrumpi, nam cum aer in ore loquentis sit exiguus, quomodo poterit idem omnino ad tam diversas, & remotas partes pervenire, cum audientes plurimi quandoque sint?

135 Quapropter alii dicunt, non eumdem aerem, nec eumdem sonum numero sed specie attingere auditum, quatenus aer commotus a corpore percutiente, & sono informatus commovet aliam partem aeris, in qua etiam producit sonum, & ista aliam, usque dum ad aures deveniat, quæ commotio non fiet secundum lineam rectam, ut fit emissio specierum visibilium, sed in gyrum, & versus omnem partem eo modo, quo lapis in aquam projectus causat multas circulationes: Neque hoc mirum esse debet, nam aer propter tenuitatem est facile mobilis, & quandoque cum tanta vehementia, ut arbores discerpat, quod contingit in tonitru; & experientia compertum est expulsione tormenti bellici ad multa terrarum spatia concuti aerem; currus transiens per plateam totum ædificium, & campana totam turrim quamvis firmissimam commovet; & eo magis apparet in exemplo allato de aqua, quæ densior est aere, & tamen ad projectionem exigui lapilli ad magnam distantiam movetur illis circulis, qui majores, ac majores semper fiunt, donec per angustias riparum, aut alia de causa desinant fieri.

Sed contra, esto enim concedamus, quandoque ex violenta, & pervalida corporum percussione magnam fieri commotionem aeris, ut in exemplis allatis, *non tamen est verisimile*, ut cum quis ex alta turri loquitur, aut exigua campana pulsatur, fieri ad tam magnam distantiam, & tam cito æris commotionem, etiam adverso vento, imo si duo, vel plures ex opposito loquerentur, aut canerent, ut evenit in choreis, & concentibus musicalibus, jam motus aeris factus ab uno impediretur ab alio, ut videmus evenire in aqua, in qua si duo lapides projicerentur aliquantum distantes, circuli *illi occurrentes* se se impediunt, nec ultra progrediuntur, & consequenter non sentiremus omnium voces, quod est contra experientiam. Tum quia motus localis fit successive, auditio in certa, & proportionata distantia, simul fit a remote, & prope existentibus intra illam distantiam. Tum quia in sententia illorum asserentium *solum aerem esse medium soni*, non aquam, non posset hoc sustineri, nam sonus secundum esse intentionale recipitur in aqua, quia pisces audiunt in aqua, ut dicemus, & tamen aer tunc non ingreditur aquam, nulla enim apparet commotio. Tum quia sonus factus intra vas æneum undequaque clausum percipitur, & tamen non est asserendum aerem externum commoveri ab existente aere intra vas propter poros ejusdem vasis, hoc enim apparet incredibile, cum pori sint admodum pauci, *nec recta pergunt*, sed diversimode, & per varios anfractus, unde potius ex ista commotione fieret novus sonus, quam perciperetur internus.

136 Accedit principaliter, quod si sonus deferretur secundum esse reale usque ad aures, numquam perciperemus sonum distantem, sed quemlibet juxta aures, sicut ibi reperitur, quod est contra experientiam, sequela prob. tum quia unum ens reale non est repræsentativum alterius, hoc enim convenit *solum enti* intentionali; tum quia ideo dum quis per fistulam loquitur ad aurem alterius, sonum percipitur prope aerem, non in ore loquentis, quia aer propter angustiam fistulæ magis unitus, & continuatus pervenit cum sono recepto usque ad aurem, ergo si sonus campanæ realiter ad aures perveniret, perciperetur *non in proprio loco*, sed prope aures. Ajunt consequentiam negandam esse, quia distantia primi soni percipitur ex modo findendi aurem, est itaque diversus modus, prout sonus primo fit in loco viciniori, vel remotiori; quod confirmant exemplo, nam tormenta bellica non audiuntur in aere patenti, quæ tamen audiuntur in pelvi terræ infossa, si auris ei applicetur, quia nemper aer in pelvi melius commovetur in ordine ad sonum efficiendum; qua ratione obsessi explorant, an hostis agat cuniculos; in ista enim pelvi plene *singuli* ictus *malleorum*, aut ligni audiuntur. Sed potius hæc exempla confirmant nostram experientiam, nam propter commotionem factam in aere incluso in pelvi ibi percipitur sonus, non alibi, licet ex hoc arguamus deinde sonum aliquem remotius causari, at aperto aere nullo pacto prope aurem sentimus sonum, quam tamen experiri deberemus, si realiter prope aures commoveretur aer, ibique reperiatur sonus, sicut percipimus in pelvi, & fistula.

137 Cum igitur sonus secundum esse reale non perveniat semper ad aures, dicendum erit pervenire secundum esse intentionale, & per proprias species audibiles, non solum quando auditio fit in loco distanti, sed etiam quando aer commotus est prope aurem, aer enim ille non potest ingredi sensorium auditus tum propter auris anfractus, in quos impingeret aer, tum propter membranas tympani, valde enim læderetur sensorium, si cum aere innato in cavitatibus illis simul aer elementaris reciperetur; solum ergo species intentionales penetrant sensorium; hinc colligitur solutio alterius dubii, ubi scilicet incipiat *species*rum emissio, nam etiam in eodem loco sonus potest esse secundum esse reale, & intentionale, si adesset potentia.

Contra arguitur ex Arist. qui 2. de Anim. 82. sonativum definit, quod sit motivum unius aeris continuatione usque ad auditum; quæ motio nequit intelligi de intentionali per species, sed de reali per productionem soni, quia solum objectum movet intentionaliter medium, sonativum autem non est sonus, sicut color movet intentionaliter medium, non causa coloris effectiva, & lib. de sensu, & sensil. cap. 7. duo asserit, primum, quod sonus prius movet medium, quam sensum, quod nequit verificari de motione intentionali, quia species diffunduntur in instanti, cum non habeant contrarium, ergo de motione reali medio motu locali: secundum, quod docet, est, cum plures sunt intra sphæram alicujus soni, non omnes audire eumdem sonum numero, sed specie, ergo multiplicatio non fit per species, sed per realem productionem soni, probat. conseq. quia species repræsentant eumdem numero sonum, ut patet de colore, qui idem numero ab omnibus videtur, quia visio fit per species, ergo si auditio fieret per species, omnes eumdem numero sonum audirent. Tum quia multitudo sonorum impedit distinctam singulorum perceptionem, sed si species advenirent ad aures, id non accideret, quia species non sunt contrariæ, nec *impossibiles*. Hæc, & alia argumenta facilius infra nu. 156. solventur, dum passim quasdam alias difficultates diluemus.

138 Tertio, potest adhuc inquiri, num sonus licet non multiplicetur secundum esse reale usque ad aures, saltem in aliqua parte sphæræ viciniori corporibus se percutientibus multiplicetur ad certam distantiam. Conimbr. 2. de Anim. cap. 8. quæst. 2. art. 2. qui Cajet. & D. Thom. citant, item Complut. disput. 11. quæst. 5. Joan. de S. Thom. quæst. 7. art. 3. & alii sustinent sonum, postquam in prima productione fuit productus in aere resiliente, multiplicari in aerem continuum secundum esse reale in gyrum ad certam distantiam majorem, vel minorem juxta violentiam, & intensionem percussionis, quod explicant exemplo lapidis in aqua projecti.

Vera sententia, & apud recentiores communis est, sonum nullo pacto post primam productionem secundum esse reale se multiplicare, & probat. præcipue quia nulla apparet necessitas, nec aliqua ratio ostendens istam multiplicationem, ut patebit ex solutione rationum, non enim debent entia multiplicari sine necessitate. Tum quia vel iste sonus multiplicatur ex motione simplici aeris, quatenus a resiliente aere alter impellitur, & agitatur in gyrum, vel ab aere resiliente ut informato sono, itaut sonus sit ratio agendi univoce; non primum, quia aeris commotio facta v. gr. ab aere resiliente ex percussione cymbali non videtur tam valida, ut sonum producat, major enim aeris commotio fit a vento, aut a baculo vel lapide decidente, & tamen nullus sonus percipitur. Si dicas, non percipi propter exiguitatem; quomodo ergo, si est imperceptibilis, asseritur produci, maxime quod in his rebus nonnisi experientia duce possumus naturam, & proprietatem indagare: tum quia plus requiritur ad multiplicationem realem, quam intentionalem, ergo si sonus iste est impotens ad causandas species, quia est imperceptibilis, multo minus posset alium realem sonum causare, unde hæc multiplicatio nonnisi in prima gyratione fiet; tum quia esset sonus omnino alterius rationis a primo producto. Neque secundum, quia qualitates secundæ non videntur univoce activæ, & idem de coloribus dici posset; tum quia deberet semper percipi sonus quidam continuatus, & numquam unicus ictus statim transiens audiretur, quod est contra experientiam; sequ. patet, quia sicut novus, & novus sonus producitur, ita etiam deberet audiri.

139 Nec juvat, quod ajunt Compl. quod re attentius considerata numquam statim percipitur totus sonus, nam semper prope finem illius soni nonnihil minoris intensionis aliquantulum obscurius audi-

auditur, quod magis patet in sono resultante ex corpore concavo, qualis est campana. Non juvat, quia si illa productio esset vera, certe non tam remisse perciperetur sonus, quia agens agit *uniformiter difformiter*, & paulatim remittitur in sua actione, nec exemplum adductum valet, imo est ad oppositum, concedimus enim post sonum factum in corporibus concavis sentiri sonum aliquem remissum, & obscurum sed falsum est, hunc sonum a priori generari, sed est novus sonus causatus ex aere, & corpore concavo aliquantulum se percutientibus post primum ictum; at nostra difficultas est, num sonus in aere primo causatus multiplicet se per sphæram activitatis in gyrum, ut asserunt adversarii, quæ multiplicatio non fieret adhuc circa corpora primo se percutientia, sed in loco distanti, nec ab ipsis corporibus primo causantibus sonum, sed ab aere primo recipiente sonum impellente alium in gyrum, ecce quomodo exemplum campanæ est ad oppositum.

Dices, ex *collisione* vehementi duorum corporum solidorum potest aer tanto impetu resilere, ut fortiter percutiat proximiorem aerem, quantum requiritur ad novam generationem soni, & sic deinceps usque dum generetur sonus valde remissus, ergo sonus se realiter multiplicat in propria sphæra. Resp. rarissime ex collisione duarum partium aeris resultare sonum, nisi adsit aliquod corpus durum, & nonnisi ex maxima agitatione simplicis aeris generatur sonus aliquis obscurus, *imo fere semper* aliquod solidum intervenit, ut patet inventis.

140 Quarto, principaliter dubitatur, & est præcipua difficultas in hac materia, quo pacto scilicet species soni per medium difundatur usque ad organum, an in instanti, & totæ simul, & vel successive, & quidem quod totæ simul non amittantur per medium, constat experientia in tonitru, in explosione tormenti bellici, & in cædentibus ligna, in quibus prius videtur fulgur, flamma, elevatio fecuris, quam audiatur sonus inde proveniens. Ex alia parte species istæ totæ simul produci deberent, eo quia contrario carent, ergo sicut ob eandem rationem species visibiles totæ simul producuntur in tota sphæra activitatis, ita species audibiles. Tum quia sonus statim transit, non durat, unde eodem modo quoad durationem percipitur prope, & remote, licet prius prope, quam remote, quare quando remote auditur, non est, ergo nec etiam poterit tunc species causare, ad causandum enim existentia exigitur.

Huic difficultati, primo respondent Conimbr. 2. de Anim. cap. 8. quæst. 1. art. 2. ideo species soni successive diffundi, non sic species visibiles, quia illæ sunt magis materiales, sicut sonus etiam est magis materialis, quam objectum visibile. Sed hæc responsio non satisfacit; tum quia vel per esse magis materiale intelligitur magis dependere a materia, & subjecto, vel esse crassiores, vel quia pendent a motu, si primum, hoc non inducit successionem in causatione, quia magis pendet a subjecto relatio, quam quælibet alia accidentalis forma, cum sit minimæ entitatis, & tamen in instanti quandoque resultat: si secundum potius apparet oppositum, quia species audibiles diffunduntur per medium crassius, ut dicemus, non sic species visibiles, quare potius audibiles videntur subtiliores: si certum solum infertur *sonum* fieri dependenter a motu, & consequenter speciem etiam a motu dependere, non tamen, quod causent auditionem post soni productionem. Tum quia adhuc difficultas permanet in suo robore, quomodo scilicet species producantur in loco remotiori, quando sonus non est sed transiit.

141 Ruvius tract. de auditu quæst. 4. aliter respondet, & primo supponit sonum fieri medio motu locali resilientiæ aeris a solido percussi, & hoc postulare ex sua ratione formali, & consequenter petere successive fieri; & quia modus operandi sequitur modum essendi, sicut successive fit, sic etiam successive producit proprias species; non sic objectum visus, quod licet quandoque successive immittat species visibiles, hoc est per accidens, quia successive applicatur medio, ut patet in Sole successive illuminante *medium*. Rursus adnotat, sonum permanere quamdiu permanet motus resilientiæ aeris, per quem fit, & quoniam hoc motu aer circulariter impellitur per impulsum a percussione receptum, sequitur, quod post percussionem magis accedit uni loco remoto, quam antea, unde poterit causare post accessum species in illo remotiori loco, & non antea; & hæc est ratio, inquit, cur sonus aliquantulum post ictum percipitur in remotiori, quia debet appropinquari aer illi loco, qui videtur esse extra sphæram activitatis *soni*, ut existit in loco ictus. Ex quo deducitur etiam ratio, cur flante vento distinctius sentitur sonus in ea parte, versus quam ventus spirat, quam in parte opposita, quia scilicet aer, cui sonus inhæret, a vento magis impellitur versus illam partem, & quia propius accedit, clariores causat species. Accedit alia ratio, cur prius fiat visio, quam auditio, nam sicut visus est perfectior auditu, ita objectum visus est perfectius, & consequenter licet successive ambo producant species, citius tamen, & remotius objectum visus immittit proprias species, quam sonus.

142 Hæc doctrina sufficiens non est ad sedandas difficultates; nam in primis esto aer per ictum resiliat, transacto tamen isto statim quiescit, quia sicut est facilis agitationis, ita quoque faciliter quietatur, unde si in aula fieret magna aeris perturbatio quibuslam instrumentis, statim ac cessaret motus horum instrumentorum, cessaret quoque aeris commotio, hinc si in illa candela accensa inferretur, flamma nec tantillum commoveretur, ergo non est necessitas, quod aer transacto ictu tam valide adhuc commoveatur; eo vel maxime quod aperto aere multi sæpe adsunt venti; ut non finerent aerem ordinatim in gyrum moveri, sed ventorum impulsu poterit totaliter in unam partem impelli. Tum quia signetur punctum spatii, in quo terminetur productio specierum facta in prima causatione soni, qua ratione sonus auditur, quando fit, & ultra illud punctum species soni tunc non adsunt, nisi aer accedat per motum resilientiæ, signetur deinde aliud punctum spatii, in quo ultimo potest sentiri sonus propter accessum aeris ad illud per motum resilientiæ, qua ratione non sentitur, nisi post ictum, certe spatium interceptum inter ista duo puncta longe majus est, quam primum, ergo aer per motum *resilientiæ deberet* accedere usque ad primum punctum, imo ultra illud, ut possit causare species in ultimo puncto, & hoc per circuitum, quod videtur impossibile, quia aer resiliens est exiguæ molis, & prius non occupabat, nisi v. gr. locum palmarem, quomodo deinde poterit occupare tam ingens spatium? Accedit, quod existens in primo puncto spatii jam assignato deberet audire continuo sonum, & semper intensiorem, quia ad illud punctum aer subjectans *sonum* magis accedit, & consequenter intensiorem speciem in illo puncto causabit, quod est contra experientiam.

143 Magis idonea responsio huic difficultati est, quam tradunt Tatar. 2. de An. q. 3. §. *Dubitatur secundo*, & Aversa q. 54. sect. 6. ajunt enim sonum, statim ac producitur, simul immittere proprias species, & successive, sicut successive etiam fit, & hoc usque ad certam distantiam spatii, in quo ab omnibus ibi existentibus *simul percipitur*, *sive prope sint sonoro* corpori, sive remote; unde in concione vox simul ab omnibus auditur, licet non æqualiter distent a concionante, attamen species soni sunt talis naturæ, quod in conservari non ita dependeant ab objecto, quin tantisper non permaneant, & conserventur a Deo, sunque aliarum productivæ in ulteriori parte spatii, & deinde statim desinant, & istæ aliarum usque in finem sphæræ; quare diffusio specierum per totam sphæram fiet successive per partes spatii ceffando in præcedentibus, & incipiendo in subsequentibus. Ex quo sequitur primo, in parte remotiori sonum audiri post ictum, quia species ibi fuerunt post ictum a primis productæ; non idem evenit in visione, quia species illæ immediate ab objecto producuntur, ideoque in eodem tempore per totam sphæram activitatis. Secundo, quod flante *vento* sonus clarius, & remotius sentitur versus partem illam, in quam ventus impellit, quia aer habens in se species soni aliarum productivas magis propellitur illuc, quam in partem oppositam, & consequenter remotius sentitur sonus, quod non contingit in visu, quia species ab objecto immediate gignuntur, ideoque invariato objecto species ad eandem distantiam semper immittuntur, quamvis aer agitetur a vento. Tertio, quod non est *necesse* sonum continuo audiri usque dum species ad ultimum punctum perveniant, quia in partibus præcedentibus non conservantur, sed desinunt esse.

144 Solum dubitari potest, quo pacto auditio, quæ est cognitio sensitiva externa, & consequenter intuitiva, possit terminari ad sonum non existentem in se, sed in specie, cum de ratione talis cognitionis sit ordo ad objectum in se existens ex dicendis disp. seq. q. 11. quod autem talis auditio terminetur ad sonum, patet, quia percipimus sonum, ubi fit; quod si species sentiretur, ut in visione speciei visibilis contingit, cum scilicet videtur in pariete species vitri colorati, certe audiremus sonum, non ubi fit, sed ubi species existit. Ex opposito difficile est asserere sonum sentiri, tum quia non existit; tum quia species repræsentat id, a quo producitur, ergo si secunda species non producitur a sono, sed a prima specie, hanc repræsentabit, non illum; tum quia deberent poni hæ species ejusdem rationis, cum repræsentent idem objectum, & sic unam speciem univoce ab altera producibilem, quod tamen in aliis speciebus negamus, & potius deberet poni sonus univoce activus.

145 Hæc est potior difficultas in hac materia, cui pro viribus satis facimus asserendo non sonum immediate percipi in loco remoto propter rationes allatas, sed species soni, ut de visibilibus speciebus in simili supra diximus, & ad improbationem dicimus re vera sonum e longinquo auditum non repræsentari, ubi fit, nisi ipso visu videatur ictus, tunc enim per sensum communem judicamus ibi fieri sonum, at quando non videtur percussio corporum, non exacte percipimus distantiam soni, imo quandoque sentitur sonus e propinquo, licet remote fiat, *sic tonitrua* quandoque apparent prope fieri, licet multum distent, & in sonitu campanæ, vel simili flante vento, quod evenit, quia species secundæ non ipsum sonum, sed species ab illo productas repræsentant, quæ propinquiores sunt ipsi sono. Cui non placet hic modus dicendi, alium probabiliorem adinveniat. *Fundamentum tamen* hujus dicti, & diversitatis specierum audibilium a visibilibus, non est aliud, quam naturæ, & quidditates utriusque speciei, *quæ naturæ a nobis per experientiam dignoscuntur*, quæ est rerum magistra, & quoniam aptior respondendi modus nobis non occurrit, videturque *colligi* ex Scot. 2. d. 12. q. 12. G.

146 Ex his respondetur ad rationes adductas n. 147. & ad 1. authorit. Arist. dicimus sonativum movere medium usque ad auditum, quatenus *producit sonum*, *qui est causa motionis intentionalis*,

& mediate, non immediate; vel ideo hoc dixit, quia sonativum est etiam subjectum soni, non tantum efficiens. Patet etiam veritas primi dicti in lib. de sensu, & sens. cum enim species soni successive per se producantur, prius perveniunt ad medium, quam ad potentiam propter motum localem, a quo dependent, ut notat Scot. citat. Quod deinde ait Arist. intelligi debet in hoc sensu, scilicet quod multi audiunt eumdem sonum numero, qui primo producitur, sed non per sensibile immediatum idem numero, scilicet per eamdem speciem numero, quia est alia species in propinquo, alia in remoto, ita Tatar. super hunc locum, & has species intellexit Arist. dum dixit unumquemque sentire per quosdam motus, & passiones primi soni. Ad aliam rationem dicimus etiam in visu multitudinem objectorum impedire distinctam singulorum cognitionem, non quia species sint inter se incompossibiles, sed quia pluribus intentus minor est ad singula sensus, idem de auditu dicendum.

147 Quinto supposito, quod species diffundantur usque ad auditum per medium, dubitari adhuc potest, quodnam sit medium aptum ad recipiendas species audibiles. Hurt. disp. 17. sect. 3. docet solum aerem esse medium receptivum specierum soni, Avers. qu. 54. sect. 6. Compl. disp. 11. qu. 4. Ruv. tract. de aud. qu. 4. non solum aerem, sed etiam aquam statuunt medium specierum, estque communis cum Arist. 2. de Anim. 79. & 4. de hist. anim. cap. 8. Arriaga disp. 4. num. 42. & disp. 5. sect. 3. subsect. 3. non tantum ignem, aerem, & aquam, sed etiam alia solida corpora statuit pro subjecto.

148 Hæc ultima opinio est satis probabilis, ostenditurque pluribus exemplis; nam de aqua, etiamsi non admitteretur medium aptum ad causandum sonum realem, adhuc poterit in se recipere species soni, nam pisces in aqua strepitus audiunt, & statim ad ima confugiunt, hinc piscatores silentium indicunt adstantibus in piscatione, alii pisces ad vocem hominis accurrunt, ut præcipue de delphinis fertur; & Plin. lib. 10. cap. 70. de piscina Cæsaris narrat quod pisces ibi existentes propriis nominibus vocati statim accurrebant (quod tamen aliquid fabulosi habet) & ne dicatur cum Hurtad. fugere ad aspectum hominum, non ad vocem; hoc idem experimur, cum aqua est turbida, & quando homines non videntur. Natantes sub aquis referunt sonos audire, licet ab Hurt. hoc negetur, sed hujus natantes fiat judices. In fluminibus sentitur sonus causatus a lapidibus, quos secum defert aqua in profundo, (quod exemplum probat etiam aquam esse medium soni secundum esse reale.) Accedunt aliæ experientiæ de corporibus solidis, quæ multo magis id ostendunt de aqua, in cubiculo enim clauso audiuntur soni externi, lapis inclusus in vase æneo undique clauso sentitur; percussa trabe ex una parte perfectius sentitur sonus, si auris apponatur alteri extremitati, quam si prope ictum apponatur, non tamen trabi applicata; similiter sonus percussionis parietis, aut tecti intensior sequitur in alio cubiculo illi parieti, vel tecto correspondenti, quam ubi fit, quæ omnia indicant, non solum species soni, sed etiam ipsum sonum recipi in solidis corporibus.

Respondent, in his corporibus reperiri poros aere plenos, per quos diffunduntur species. Attamen, ut recte advertit Arriaga, isti pori non necessario per omnes partes ita se occurrunt, ut numquam in partem solidam impingant, imo rari sunt, qui ex una extremitate ad aliam perveniant, ergo necessario species per solidum transire debent; tum quia hi pori non salvant, cur sonus perfectius sentiatur in alia extremitate, & non prope ictum & percussionis locum, nam licet dentur in magna multitudine, nisi ponantur species in solido recipi, remissius ibi sentiretur propter impedimentum medii. Accedit, quod fluvio congelato vix dantur pori in glacie, & tamen sentitur sonus aquæ subtus decurrentis.

149 Dices, aqua auri imposita, seu capite in aqua demerso impeditur auditus, idem efficit, quodlibet corpus crassum, & durum interjectum inter potentiam, & objectum, nam vitrum, quia nullos, vel raros poros admittit, impedit fere totaliter auditionem, digitus auri appositus idem causat; ratio est, quia sicut diaphaneitas, & opacitas medii sunt causæ perfectioris, & imperfectioris visionis, sic crassities, vel tenuitas medii se habet in ordine ad auditum. Hinc Arist. 2. de Anim. 76. medium auditus ponit aerem, olfactus vero aerem, & aquam; & tex. 82. sonativum definit per esse motivum aeris, sicut color est motivum perspicui. Resp. hoc argumento solum probari crassitiem medii aliqualiter, non totaliter impedire auditum, quod concedimus, & docet Arist. cit. quia in illis casibus adhuc sentitur aliqualis sonus; tum quia licet aqua esset medium improportionatum respectu hominum, quoniam sua frigiditate, ac humiditate læderet organum, non tamen respectu piscium, quorum est locus naturaliter conservativus; ad rationem posset negari omnimoda paritas, & hoc quia sic ostendit experientia, quæ nobis dat intelligere naturas rerum, & proprietates. Ad Arist. dicimus assignasse medium principale auditus, qui est aer, & per hoc definisse sonativum scilicet in ordine ad perfectissimum sonum, qui potest fieri; & quamvis aer sit etiam medium principale olfactus, tamen specialius pertinet ad auditum, quam ad olfactum, tum quia in multorum sententia aer est semper necessarius ad productionem soni realis, ut diximus num. 123. tum quia semper aliqualiter intervenit, saltem prope organum, non sic in olfactu.

150 Sexto, de sono interno dicendum est fieri immediate in ipso aere innato, quod dupliciter contingere potest, vel propter concursum noxii humoris, ex cum ex nimia humiditate, & frigiditate descendit in auribus humorum copia causans tinnitum quemdam, & veluti sibilum; secundo, potest evenire absque concursu alieni humoris, quod explicat Arist. 2. de An. 84. quia aer innatus in illis cavitatibus tympani, aut labyrinthi, vel cochleæ movetur proprio motu, vel ex concursu spirituum, vel a propria natura causato ad conservationem, unde causat sonum quemdam tenuem, quem experimur præcipue, cum digitum auri apponamus, nam tunc præcluditur via sonis externis, ne ingrediantur, & spiritibus internis, ne effluant, sed in aere interno permaneant. Ex quo decidi potest dubium illud, num sonus in aere interno sit signum bonæ, vel pravæ dispositionis organi; si enim loquamur de primo sono, est signum indispositionis, si de secundo sono significat optimum temperamentum auditus, ut videtur innuere Arist. 2. de Anim. 84. Nec refert, quod Arist. tex. 83. aerem dicat innatum esse immobilem, loquitur enim de immobilitate, quatenus numquam effluit, sed semper intus manet intra illas cavitates, vel de immobilitate opposita motui aeris externi, qui ictibus, & percussionibus est subjectus, ex quibus sonus externus causatur; an autem hic sonus fiat mediis speciebus, dicemus num. 218.

151 Ex his deducitur ratio, cur aliquando causetur sonus quidem reflexus Echo appellatus, de quo agit Arist. 2. de Anim. a tex. 80. sicut enim in visu contingit per reflexionem videre rem aliquam, ubi non est, scilicet in profundo speculi, ex hoc quod species visibiles reflectuntur a corpore terso, & polito; sic in auditu sæpe contingit, quod occurrente corpore aliquo concavo, lævigato, & solido intra sphæram activitatis soni, & consequenter impediente ulteriorem progressum soni, reflectitur sonus, & vox, quæ primo fuit audita auditione directa, denuo percipitur reflexe. De modo autem, quo fiat talis reflexio, sunt variæ sententiæ, nam qui asserunt sonum realem per medium diffundi usque ad auditum, asserunt quoque in reflexione sonum realiter reflectere. Qui docent aerem in gyrum moveri usque ad auditum, volunt aerem impingendo in obstaculum retrocedere usque ad auditum, & novam auditionem causare. Nos autem ad consequenter dicta ponimus reflexionem istam non esse soni realis, nec necessario aeris agitati, sed ipsarum specierum, ut evenit in visu, cum hoc tamen discrimine, quod in visu, quia species dependent in fieri, & conservari ab objecto, non fit actio reflexa, nisi adhuc permaneat actio recta, unde radius reflexus præsupponit in esse semper radium rectum, & idem objectum ambo repræsentant, quia ab eodem fiunt; at species soni, quia non dependent tam exacte in conservari ab objecto, nec diu conservantur, & una producitur ab alia, potest fieri actio reflexa, absque eo quod adsit actio recta, sic species jam ob obstaculum perventæ causant reflexe alias species in medio, in quo per actionem directam prius erant aliæ species, sed tempore reflexionis sunt consumptæ, hinc est, quod ante formationem reflexæ vocis non sentitur alia vox directa, quia non amplius in illo medio permanent species; nec est idem objectum repræsentatum, sed diversum, ut dicemus num. 154. Attamen sicut in visu objectum reflexe videtur in speculo, quia ibi incipit specierum reflexio, sic in auditu sonus non percipitur, ubi fit, sed prope corpus reflectens, a quo incipit reflexio audibilium specierum; & quemadmodum in visione reflexa res non apparet in superficie speculi, sed in profundo, quia species habent repræsentare distantiam objecti; pariformiter in Echo vox non auditur in eadem intensione, ac sentitur auditione directa, sed remissius, quia suo modo species illæ reflexæ debent repræsentare distantiam soni; vel melius debent repræsentare differentiam inter sonum, & speciem per secundam repræsentatam, quæ est remissior, & alterius rationis, & sicut in reflexa visione totum objectum repræsentatur; sic etiam in auditione reflexa totus sonus formatus reflectitur; non audiuntur tamen regulariter, nisi ultima verba, quoniam dum loquimur, organum impeditur ab auditione directa, nec potest reflexe percipere, nisi quando cessamus loqui, hinc solum ultimas voces sentimus. Tandem sicut in visione, non una, sed multiplex potest fieri specierum reflexio juxta multiplicitatem, & positionem corporum reflectentium, ut patet in speculis certo modo dispositis. Ita in Echo contingere potest, quod pluribus vicibus reflectatur vox, si plura sint corpora concava certo ordine disposita, ut quandoque septies reflectatur vox; teste Plin. lib. 36. cap. 15. imo Dandinus 2. de Anim. digress. 44. affirmat experientia comperisse in quadam villa prope Mediolanum ex quodam palatio usque ad vigesies vocem reflecti, quod quidem est mirabile dictu; vide Ruv. tract. de aud. qu. 5. Aliquas curiositates de auditu vide apud Conimbr. in Probl. sect. 2. & 3.

QUÆSTIO IV.

De sensu olfactus.

152 Sensu olfactus, qui est quædam potentia sensitiva perceptiva odoris, non omnia gaudent animalia, quæ enim motu progressivo non moventur, sed affixa certis locis semper permanent, nullum habent vestigium olfactus; inter se moventia progressivo motu quæ-

quædam etiam hoc sensu privata videntur, ut quidam vermes, licet quia cibos determinatos quærunt, ut comedant, aliquale indicium hujus sensus innuunt, in quibus, sicut & in cæteris non respirantibus incertum est sensorium, & organum, ut notat Arist. 2. de part. anim. c. 16. at respirantia naso utuntur ad odorandum, nasus enim inservit tum respirationi, magis namque naribus, quam ore respiramus, & quidem longe salubrius, ut testantur Medici, tum pulchritudini, tum ad purgandum cerebrum, & ad olfaciendum; quibusdam animalibus ut elephantis nasus officium manuum præstat, naso enim carpunt cibos, & ori admovent.

153 Nasus itaque prout dicit quid aggregatum ex omnibus partibus inservientibus olfactui, dividitur in partes internas, & externas, nasus secundum partes externas dividitur in partem osseam, quæ est superior, & cartilagineam, quæ est inferior quasi fornex cooperiens duo foramina inter se cartilagine quadam sejuncta, quæ nares appellantur, quæ foramina in duas vias dividuntur, unam deducentem ad cerebrum, alteram ad finem palatus, & ad guttur, per istam transit aer in respiratione usque ad cor, per illam expurgatur cerebrum, & deferuntur odores. Deinde in summitate nasi reperiuntur duo parva tubercula mamillarum similitudine, quæ ideo dicuntur, *processus mamillares*, vel *papillares*. Sub his invenitur os quoddam habens plura foramina, & in iis duo majora respondentia naribus, quod a similitudine dicitur *cribrum*, vel *os spongiosum*. Super has caruncules tanquam tegumentum adest pellicula quædam, sed tunica exanguis continuata cum tunica, quæ ad palatum, guttur, & linguam extenditur. Adsunt etiam duo nervi e cerebro prodeuntes, & ad dictas caruncules terminati, quibus spiritus vitales, & species deferuntur. De his conveniunt tam Philosophi, quam Anathomistæ; dubium est tamen, quod Arist. 2. de An. 100. & de sensu, & sensib. c. 5. in respirantibus ponit duas membranulas, juxta caruncules mamillares, quæ claudunt foramina, per quæ fit respiratio, nec aperiuntur, nisi aspiratione, & respiratione clauduntur, quo fit, ut odores vix percipiamus, nisi aspirando: Anathomistæ vero has membranulas non observant; idcirco Conimb. & Aversa explicant Arist. de tunica exangui, quæ in aspiratione aliquantulum elevantur pro aeris ingressu. Item Provenzalis p. 2. de sens. cap. 39. ponit has caruncules esse minutis foraminibus præditas, & poris, in quibus vapor quidam crassus existit, sicut est aer innatus in auribus.

154 Circa sensorium immediatum olfactus tot sunt opiniones, quot partes internæ enumeratæ, quælibet enim proprios habet Patronos, imo a quibusdam ipsum cerebrum secundum partes anteriores ponitur. Communis tamen sententia sensorium statuit in illis carneis tuberculis; nam primo cerebrum nequit esse sensorium externi sensus, sed potius interni; tum quia cerebrum videtur improportionati temperamenti ad recipiendos odores, cum sit frigidum, & humidum, materia vero odoris sit calida, & sicca cum humiditate admixta. Nec possunt esse nervi, quia eadem est ratio de aliis nervis aliis sensoriis inservientibus, ac de istis, sed illi ex dictis non sunt organa, sed solum pro spiritibus, & speciebus vehendis inserviunt, ergo &c. Neque erit Cribrum, quia ossa non sunt sensitiva; Neque membrana cooperiens, hæc enim per totum nasum expanditur; & tamen sentimus in parte determinata, scilicet in summitate; ergo erunt processus mamillares, quibus si addatur humor ille crassus, parum refert; attamen verius, & rationabilibus est ponere unicum corpus pro sensorio immediato, quam duo corpora diversa; nec aliud videtur aptius ad hoc munus, caruncular enim illæ dicuntur aereæ, & humeæ naturæ, quale debet esse organum odoratus.

Dices, cerebrum recreatur, vel læditur odoribus, ergo illos in se recipit, & percipit, ergo est sensorium; accedit, quod processus mamillares sunt ejusdem naturæ cum cerebro. Tum quia, nisi cerebrum esset organum, certe nullatenus opus esset aspiratione ad odorandum; imo possemus nos sentire odores ciborum tam in stomaco, quam in ore existentium. Resp. cerebrum lædi, vel recreari odoribus, quatenus sunt quædam qualitates noxiæ, vel proficuæ, non quia intentionaliter percipiat; tum quia cum odore diffunditur semper quidam substantialis vapor, ut infra. Respiratio est necessaria, quia caruncular illæ sunt tectæ tunica exangui, quæ dilatari debet, ut odores percipiantur, sicut palpebræ contegentes elevari debent, ut fiat visio, dilatantur autem respiratione; qua etiam ratione nequimus odores ciborum in ore existentium percipere, quia in aspiratione aer per os ingrediens non ascendit ad nasum, sed recta tendit ad laringen, & sic semper tubercula illa erunt contecta tunica exangui.

155 Secundo, venit explicandum objectum olfactus, quod est odor; circa quem aliqui antiqui dixerunt odorem formaliter esse substantialem vaporem exhalatum, quam opinionem videtur approbasse Arist. sect. 13. problem. q. 5. Vera tamen sententia, & communis cum Arist. lib. de sensu, & sensil. cap. 6. docet odorem esse accidentalem formam de tertia specie qualitatis; quod probari potest theologice ex mysterio Eucharistiæ, in vino enim consecrato permanet odor cum cæteris accidentibus. Tum quia adest, & abest præter subjecti corruptionem, ut patet; Nec tandem est verisimile, quod aromata, & similia tandiu conservarent odorem, si continuo vaporosam emitterent exhalationem. Cum igitur sit accidens, commodius reduci nequit, quam ad tertiam speciem qualitatis.

156 Causæ vero effectivæ odoris licet in particulari nequeant determinate assignari; certum est tamen a temperamento primarum qualitatum pendere; quapropter in puris elementis non reperitur odor, licet si permixta, & impura sint, aliquem habeant odorem, ut patet de terra arida, & postea madefacta, sed præcipue odor oritur ex prædominio siccitatis; odor enim & sapor maximam habent affinitatem, (ideirco aliqua de sapore hic dicemus) sed in sapore, seu in ejus subjecto dominatur humiditas, in subjecto odoris siccitas; quod experientia constat, nam aridæ regiones, ut Arabia, Syria, &c. gignunt optimos odores; deinde res odoriferæ, si nimium humectentur, amittunt odorem, ideoque in Ægypto flores sunt parum odoriferi propter Nili exundantiam, & nebulosum aerem; eadem quoque est ratio, cum organum olfactus a natura siccum factum sit, quod si humore e cerebro defluente inficiatur, redditur hebetior olfactus; atque hinc redditur causa cur qui minus valent odoratu secundum Arist. sint ingeniosiores, quia scilicet tales habent amplum, & humidum cerebrum, quod sua excrementa in odoratum demittit, unde vitiatur. Hinc etiam dicuntur canes maxime valere odoratu, quia sunt sicco cerebro, & pleni rabie; non est tamen hoc certum ingenii signum, quia potest odoratus aliunde vitiari, & cerebrum alia via purgari. Non exigitur tamen sola siccitas, sed etiam aliquid humiditatis requiritur, patet, quia post modicam pluviam, terra prius nimis atida gratiores reddit odores, quæ adurantur, & nimis arescunt, amittunt odorem. In sapore vero e contra dominari humiditatem etiam patet, quia multa corpora tunc sapida fiunt, cum humectantur; indicio est etiam, quod organum gustus natura sit humidum, & in ore perpetuo versetur saliva, qua cibi in ore humectentur, ut eorum sapor percipi possit. Cum igitur contrariæ qualitates in sapore, & odore denominentur, sit, ut quæ vehementer olent, amara sint, dulcia vero raro sint odorosa. Est etiam alia differentia, quod odor proxime subjectetur in substantia tenui, & sicca, sapor autem in densiori, & humida.

157 Notandum insuper, quod ad utriusque generationem opus est calore humidum concoquente, ac temperante; ad odorem multum conferre calorem constat, quia tunc maxime percipitur odor, cum odorifera calescunt, & incenduntur, e contra frigus nocet odoribus, unde quæ ex congelatione nascuntur odore carent. De sapore etiam patet, quia sapores frigore intereunt, & ubique terrarum fructus incremento caloris dulcescunt, qui in frigidis locis sunt amariores. Hæc omnia autem in universali, & ut plurimum intelligenda sunt, nam multa sunt odore similia, sapore dissimilia, & e contra. Species odoris quamplurimæ dantur, ut patet, licet ut docet Arist. 2. de An. 95. propter imperfectam odorum cognitionem, & vocabulorum penuriam nescimus proprias differentias specificas assignare, & illam circumscribimus nominibus differentiarum saporis, vide Conimb. 2. de An. c. 9. q. 2.

Contra prædicta instatur primo, quod odor sit substantia, tum ex Arist. cit. Tum quia odor nutrit, confortat cerebrum, & cor, quandoque lædit; & poma continua odoris evaporatione corrumpuntur, quæ non evenirent, si odor esset accidens; item flores magis olerent, & cætera odorifera e propinquo, quam a longe, quia agens fortius agit in proximum, quam in remotum, at contra est, cujus ratio alia non est, nisi quia vapor odoriferus, & substantialis magis diffunditur, & recedit a floribus. Tum 2. eadem cibi pars est odorifera, & saporosa, ergo si causa odoris esset prædominium siccitatis, saporis vero dominium humiditatis, in eadem parte duæ qualitates contrariæ in gradibus intensis reperirentur. Tum 3. aquæ stillatitiæ sunt prædominæ, & odoriferæ; item moschus, & zibettum sunt sanguis, vel sudor quorumdam animalium, qui humidi sunt, ergo odor non oritur ex prædominio siccitatis.

158 Respond. Arist. ibi vel loqui secundum vulgatam opinionem illius temporis, vel in sensu causali, quia vaporosa exhalatio est causa diffusionis odoris; attributa illa conveniunt odori, prout supponit pro vaporosa exhalatione, ut notavimus disp. ult. de gen. & corrupt. n. 55. & maxime nutrire, non pro ipso accidente, quod etiam potest favere, & lædere, sicut idem potest efficere calor, quamvis sit accidens. Deinde si omissio odoris esset corruptionis causa, certe nullum odoriferum diu conservaretur, contra experientiam; ratio ergo, cur aliqua corrumpantur, est, quia cum humida sint, calor externus humidum, & calorem internum ad exteriora evocat, causatque exhalationem quamdam explicatam disp. 7. de Gen. qu. 6. ratione cujus evaporationis quandoque flores magis e longinquo olent, quia vapor ille est pars magis odorifera, & a calore extrahitur ad locum remotum, ubi adest magis depuratus, at in re odorifera est permixtus partibus crassioribus; quandoque tamen, imo ut plurimum contingit oppositum. Ad 2. dicimus cum aliquibus cibos illos esse ætherogeneos, & secundum partes subtiliores, & sicciores esse odoriferos, secundum crassiores, & humidiores esse saporosos, vel expeditius dicimus regulas affignatas esse veras ut plurimum; cæterum causa certa, & determinata, seu quodnam temperamentum sit hujus, vel illius odoris causa, vel saporis, est nobis ignotum, ut de coloribus diximus nu. 58. Melius hoc dominium explicari potest in hoc sensu, quod una qualitas secunda proveniat præcipue ex prædominio unius primæ qualitatis supra oppositam, potest dupliciter intelligi, vel ex prædominio intensionis, & gradus, scilicet quod humiditas v. g. sit causa saporis, quia intensior siccitate, & contra

tra siccitas intensior sit causa odoris, & hoc non semper requiritur, vel intelligitur de prædominio quoad causationem, quatenus una prima qualitas ex sui natura est magis causativa alicujus secundæ qualitatis, quam sua contraria, sive sit intensior illa, sive remissior, & in hoc sensu est universaliter verum, odorem provenire ex prædominio siccitatis, saporem ex prædominio humiditatis; unde quia eadem pars habet utramque qualitatem, ideirco poterit simul esse saporosa, & odorosa; non negamus tamen intensionem primæ qualitatis multum conferre ad intensionem secundæ qualitatis ab illa dependentis. Per idem ad 3.

159 Hæc qualitas odoris diffundi solet per medium, quod ut docet Aristot. de An. 97. & 4. de hist. anim. cap. 8. est aer, & aqua; de aere patet, nam quæ respirant, nonnisi per inspirationem, & attractionem aeris olfaciunt; similiter de aqua, nam pisces in aqua olfaciunt; unde ad quosdam cibos odorosos accurrunt, ut piscatores experiuntur quotidie, & referunt Conimb. hic, & tamen in aqua non existit aer, statim enim sursum evolaret, sub nomine aquæ comprehenduntur alia corpora fluida; non tamen aqua est medium aptum pro animalibus respirantibus, sicut enim aqua impedit respirationem, quæ est illis necessaria ad olfaciendum, ita quoque impedit olfactum. Alia corpora solida non videntur idonea ad deferendos odores, nisi sint valde porosa, vel rimulas habeant, per quas possit aer pertransire, & hoc quia sic ostendit experientia. Dubium tamen est, quo pacto odor per hæc media diffundatur, an secundum esse reale, an secundum esse intentionale, vel secundum utrumque.

Qui negant species sensibiles, negant quoque odorem diffundi secundum esse intentionale, quibus ex recentioribus adhærent Hurt. disp. 12. de An. sect. 1. & Arriaga disp 4. sect. 1. subsect. 5. unde asserunt odorem a re odorifera diffundi usque ad potentiam secundum esse reale, quod dupliciter explicari solet, vel quod odor multiplicetur per realem productionem in medio, sicuti solet multiplicari calor, & frigus; vel non per productionem, sed per quandam exhalationem, eo quia calor Solis, vel ambientis resolvendo res odoriferas attenuatione quadam extrahit ab illis quasdam siccas exhalationes subtiles, quæ sunt odoris subjectum, ipsumque usque ad potentiam deferunt. Alii ex opposito negant odorem diffundi per medium secundum esse reale, sed tantum secundum esse intentionale. Alii utrumque admittunt, & multiplicationem realem explicant, vel in primo, vel in secundo sensu, aut in utroque horum; nomina reperies apud Ruvium, Aversam, & Complut. hic. Pro resolutione

160 Dicimus primo probabilius esse odorem multiplicari in medio realiter, non per realem productionem, sed per evaporationem; Quoad primam partem hæc conclusio suaderi potest primo ex communi ratione qualitatis secundæ, quæ non videtur univoce activa, & alterius similis productiva, ut inductione constare potest; & maxime convincit illos, qui species admittunt in coloribus, nam si odor potest se realiter usque ad potentiam multiplicare per medium, idem dici posset de colore. Tum quia odor est qualitas pendens a temperamento primarum qualitatum, ergo in subjecto, cui inhæret, hoc temperamentum exposcit, & specialiter quod siccum prædominetur, ergo medium, quale est aer, & aqua, non est idoneum subjectum pro odore, nam in ipsis non adsunt omnes primæ qualitates attemperatæ, nec prædominium siccitatis, cum aliquali calore. Neque dicas, assumptum esse verum de odore primo producto, & æquivoce a primis qualitatibus, non de odore secundario producto, & univoce ab alio odore. Non valet, quia si illi odores sunt ejusdem rationis, easdem dispositiones petunt in subjecto: Tum quia elementa pura dici possent subjecta omnium secundarum qualitatum, ut coloris, saporis, &c. dommodo ab aliis qualitatibus ejusdem rationis producantur, quod non admittitur. Dices, saltem in mixtis posset odor univoce multiplicari, in his enim adest temperamentum primarum. Hoc est voluntarie, & sine fundamento asserere, quia si adest in mixtis hoc temperamentum, reperitur etiam odor correspondens; tum quia si odor est talis naturæ, cuicumque comparetur, talis erit: & tandem quia omnia salvantur absque tali multiplicatione reali, ut dicemus. Secunda pars, quod multiplicetur per evaporationem, patet experientia, nam res odoriferæ affidua odorum evaporatione evanescunt, & absumuntur, unde res odoratæ incensæ facilius percipiuntur, quia igne excitatur fumus, & exhalatio, ut patet in thure, & aliis similibus suffumigiis. Addidimus in concluf. ly probabilius, quia rationibus adductis non satis firmiter oppugnatur contraria sententia, majorem tamen habent probabilitatem.

161 Dicimus 2. ad olfactum necessariam esse multiplicationem odoris secundum esse intentionale, seu per species sensibiles. Colligitur ex Scoto in lib. de An. q. 4. & probari solet, quia odor sentitur in locis admodum remotis, nam dicuntur vultures ad quingenta milliaria odorem cadaverum percipere, quod de aquilis etiam asseritur: Sed hoc parum urget, quia pulveres Montis Æthnæ, & Vesuvii ventorum vi ad tale spatium fuisse delatas referunt historici, & tamen graviores, & crassiores sunt ipsis exhalationibus, quanto ergo magis exhalatio supposito casu, quæ tenuis est, poterit ad loca valde remota deferri impulsu ventorum, maxime si exhalationes in magna copia existant, puta exhalationes cadaverum emittantur e loco, ubi multa hominum millia cæsa sint? Melius probari potest, quia exhalationes non reperiuntur in quolibet puncto medii, aliter in aula nihil aeris existeret, & tamen in quolibet puncto aulæ percipitur odor, ergo cum ibi non reperiatur odor ex dictis concluf. præc. erunt species odoris. Tum quia exhalationes, cum sint tenuissimæ substantiæ, si evaporant aperto aere, ut plurimum sursum feruntur, nisi a vento alibi deferantur, & saltem non se immergunt in aquis, quia hic esset motus violentus, qui nequit ab intrinseco fieri, sed causam exposcit extrinsecam, quæ in præsenti non assignatur; at videmus res odoriferas in aere constitutas percipi a piscibus sub aquis existentibus, ut patet de crocodilis, qui ad odores carnium in arboribus data opera a piscatoribus appositarum ex aquis emergunt, ergo &c. Tum quia multæ res odoriferæ non evaporant, ergo saltem in his requiritur specierum multiplicatio, ant. patet, quia ex continua evaporatione causatur non solum diminutio, sed etiam consumptio, & putredo rei odoriferæ, at multa aromata, quamvis in odore acuta, diu retinent odorem. Nec juvat dicere cum Complut. posse hanc evaporationem continuo fieri, & longo tempore absque consumptione rei odoriferæ, quia est valde tenuis, & subtilissima. Non valet, nam & odor perceptus est acutissimus, & ingens, & tempus est diuturnum, unde exigua exhalatio non erit sufficiens. Tum quia deberet apparere progressu temporis notabilis variatio.

162 His rationibus sufficienter ostenditur necessitas specierum, quando exhalatio ad organum non pervenit, & supponendo, quod odor non sit alterius ejusdem rationis productivus. Cæterum ut universalis sit conclusio probari debet olfactum nonnisi mediis speciebus fieri posse, etiam quando exhalatio organum pertingit; quod tamen est difficile; nam quod ajunt aliqui objectum etiam præsens potentiæ in esse reali non posse illam immediate immutare, quia sensibile positum supra sensum non facit sensationem; negatur ab adversariis assumptum, nec probatur, nisi authoritate Arist. quæ vel negatur universaliter esse veram, vel glossatur, ut videbimus q. 7. Quod alii addunt, objectum non posse propter sui materialitatem concurrere ad cognitionem, quæ spiritualis est, ideoque requiritur species, quæ est immaterialior. Recte ait Arriaga, hæc tantum esse verba ad terrendum, & sine fundamento asserta, nam sicut objectum, quamvis crassum, potest esse causa totalis speciei, quæ est subtilior, cur nequit immediate cum potentia, si est debite approximatum, concurrere ad sui cognitionem? eo vel maxime, quod potest cum intellectu separato immediate concurrere ad sui intuitivam cognitionem, ut dicemus disp. seq. quæ tamen est vere supiritualis, & immaterialis, ergo multo magis poterit concurrere immediate ad cognitionem sensitivam, quæ revera materialis est, & solum spiritualis similitudinarie, & comparative dicitur. Alii probant, quia exhalatio cum organo solum in superficie se tangunt, unde non posset percipi odor, nisi qui in superficie existit, objectum enim debet intime uniri potentiæ. Sed respondere possent, vel quod odor in exhalatione existens produceret alium in potentia, & sic objectum esset intime unitum potentiæ, vel quod sufficiat contactus ille, ut possit objectum sui cognitionem producere, & hæc est intima præsentia, quæ requiratur inter objectum, & potentiam, non major. Hæc tamen difficultas non est specialis de olfacto, sed communis sensibus gustus, & tactus, ideo differatur usque ad q. 6.

163 Contra prædicta objic. quod odor se realiter multiplicet; nam Arist. 2. de An. 127. ait medium scilicet aerem pati ab odore, ut redoleat, at redolere est habere in se odorem; unde comparationem facit cum sono, & clarum est, aerem realiter in se recipere sonum; Quod etiam apparet experientia, nam parum aquæ odoriferæ alteri puræ permixtum totam reddit odoriferam; & si aliquid odoriferum manibus tangamus, manus nostræ etiam lotæ adhuc redolent, quod est signum realis productionis novi odoris; item odor in aere diu sentitur, at species statim cessant. Resp. Arist. loqui de passione intentionali, non reali, nec facit comparationem cum aere realiter subjectante sonum, sed intentionaliter immutato a sono. Ad illas experientias dicimus totam aquam odoriferam percipi ex permixtione perfecta, & ex productione specierum in reliquis partibus aquæ; manus nostræ redolent ex contactu rei odoriferæ, quia in poris aliqui vapores remanent, quorum aliqui sunt maximæ adhærentiæ, nec facile lotione tolluntur; aer diu redolet, vel propter exhalationes in illo existentes, vel propter species remanentes, quæ non exacte pendent in fieri, & conservari ab odore, ut de speciebus soni diximus.

164 Secundo, quod semper olfactus fiat per evaporationem exhalationum usque ad organum pertingentium; Tum quia odores plerumque cerebrum confortant; adeo ut Arist. lib. de sensu, & sensil. cap. 5. dixerit, eos institutos a natura ad cerebrum temperandum; e contra multi valde nocent, quæ explicari nequeunt, nisi fiant ratione exhalationis. Tum 2. quoties odorari volumus, attrahimus aerem, & respiratione exhalationem illam odoriferam ad organum transmittimus. Tum 3. adverso vento flante non possunt percipi odores ad maximam distantiam, ergo signum est exhalatione percipi, quæ tunc a vento in adversam partem propellitur. Tum 4. si fieret per species, perciperentur odores flatim quia in instanti producuntur, & quocunque tempore, & tamen olfactus fit cum aliqua mora, & in hyeme, quia propter frigus constringuntur corporum odoriferorum pori, & impeditur evaporatio, non bene percipiuntur odores. Tum 5. si per species fieret, certe perciperemus distantiam objecti, ut patet in auditu, & visu

visu, at hoc non experimur, imo semper percipimus odorem, ut præsentem. Tum 6. species sensibiles contrariorum sunt compossibiles in eodem organo, & quælibet proprium objectum repræsentat, at si in aliqua aula essent duo corpora diversimode redolentia, non perciperemus distincte illos odores, sed potius quendam medium ex illis integratum, ergo olfactus non fit per species, sed potius per vapores, qui adinvicem permixit concurrunt ad effectum medium.

165 Resp. ad 1. odorem id præstare, non quatenus supponit pro accidente, sed pro odorifero vapore, qui alias qualitates habet annexas proficuas, vel noxias cerebro, & quia sæpius olfactus fit per attractionem hujusmodi vaporis. Quidam etiam concedunt species intentionales, eo quia sunt etiam reales entitates, posse cerebrum alterare. Ad 2. respirationem esse necessariam ad olfactum jam diximus, & hac respiratione quandoq; attrahimus exhalationes, quandoq; aerem speciebus informatum. Ad 3. est ad oppositum, quia si sola evaporatione fieret olfactus, totaliter impediretur in parte vento adversa, quia nulla exhalatio diffunderetur adversus ventum, cum igitur aliqualis percipiatur odor, sequitur fieri debere per species; verum odor non multum remote proprias immittit species, & exhalationes a vento in contrariam partem impelluntur, idcirco fortius, & remotius ex illa parte percipitur odor. Ad 4. non possunt statim percipi odores, tum quia ut plurimum præcedit evaporatio, quæ fit in tempore; tum quia prærequiritur motus respirationis; tum quia ut quidam ajunt species illæ non diffunduntur in instanti, sed in tempore, quia nec in instanti applicatur corpus odoriferum, sed in tempore, nec successio semper provenit a contrarietate, sed quandoque ab impotentia agentis non potentis ponere effectum in esse totum simul. Quod additur de frigore impediente olfactum, dicimus hoc tantum concludere ad percipiendos odores requiri aliquem calorem, ratio est, quia sicut frigus retundit ipsum odorem, ita quoq; hebetat vires, ne possint perfecte concurrere ad olfactum, ut evenit etiam in colore, qui species causat perfectiores, vel imperfectiores, juxta perfectionem, vel imperfectionem luminis. Ad 5. sicut species odoris non tam efficaciter repræsentant objectum, nisi sit propinquum, ita neq; satis distincte habent repræsentare distantiam objecti, quia ut plurimum proveniunt ab exhalationibus, quæ non multum ab organo distant, & suo modo repræsentant quoq; distantiam, quatenus magis, vel minus intense repræsentant. Ad 6. sæpe dictum est, corpus odoriferum non multum ad distans immittere species, ideoq; in casu commisceri ad invicem vapores illos, & unum odorem medium constituere, qui a specie quadam media repræsentabitur. Hæc duo ultima argumenta reddunt opinionem oppositam probabilem.

QUÆSTIO V.

De sensu Gustus.

166 Gustum esse sensum distinctum specie a tactu, innuimus qu. 1. & rationabiliter quidem, nam licet hi duo sensus conveniant, tum quia objectum debet realiter uniri cum sensorio externo in utroq; scilicet sapor in esse reali cum lingua, & calor cum carne, tum quia in utroq; potissimum voluptas observatur, attamen est magnum discrimen, nam primo differunt objectis formalibus, a quibus habent specificari potentiæ, objectum enim gustus est sapor, qui est qualitas secunda, tactus vero objectum sunt primæ qualitates. Secundo, differunt in modo percipiendi, quia gustus percipit suum objectum semper cum humido, non sic tactus; Tertio, differunt organo, gustus enim est in una parte corporis scilicet lingua, tactus est per totum corpus diffusus; Quarto discrepant fine, nam tactus pertinet ad corpus forinsecus, gustus ad conservandum corpus intus. Tum quia possunt separari, nam sæpe accidit, ut in infirmis, quod amittatur gustus in lingua, tactu incolumi permanente. Et quamvis Arist. 2. de An. 101. loquens de objecto gustus dicat gustabile esse tangibile quoddam; & 3. de An. 64. ac sensu, & sensil. c. 2. asserat gustum esse tactum quendam; hoc tamen intelligi debet de tactu non in rigore quatenus est sensus ab aliis condistinctus proprii objecti perceptivus, sed communiter, ut significat sensum indigentem objecto contiguo, ut possit illud percipere, & absq; medio externo, quo pacto est quid commune ad gustum, & tactum; vel intelligi debet materialiter, & concomitanter, non formaliter.

167 Convenit sensus iste omnibus animalibus, inquit Arist. 2. de An. 28. & lib. 3. 63. & sensu, & sensil. c. 1. eo quia quodlibet animal potentiam habet nutritivam, alimentoq; indiget, ut substenteturr, gustus autem inservit perceptioni alimenti. Verum non est hoc intelligendum absolute universaliter, sed solum de animalibus non valde imperfectis; sunt enim quædam animalia adeo imperfecta, ut nihil præter sensum tactus, & motum quendam dilatationis, & restrictionis videantur habere commune cum cæteris animalibus, in effigie autem corporis ad naturam plantarum accedunt, talia sunt, quæ Zoophyta, vel plantanimalia appellari consueverunt, & omnia quæ vel saxis, vel arenæ, vel limo adhærent, ut sunt Holothurii, Stella marina, Pulmo marinus, Urtita, spongiæ &c. unde a radicibus videntur sumere alimentum, ut plantæ; & ita notavit Arist. ipse 2. de An. 17. & lib. 3. 66. & de somno, & vig. c. 2.

168 Organum gustus residet in ore; os dicitur totum illud spatium quod deductis labiis usque ad imas fauces interjacet, in quo dentes, lingua, palatum, & gurguglio residents. Dentes sunt ossa omnium durissima, intus cava venulis, & nervis prædita gingivis firmiter affixa, & radicata, numero sunt triginta duo, ut plurimum, quorum molares viginti ad conterendum cibum, incisores octo, canini quatuor, suntq; magis apti ad incidendum cibum. Lingua in medio residet; est pars carnea, rara, & laxa spongiæ instar, stabilitur tanquam base ad radicem quodam osse valido, circundatur tenui tunica, quæ etiam toti ori est communis, constat novem musculis motui inservientibus; habet duos nervos fere ab occipite, & spinali medulla exortos, quorum unus crassior, & durior, & linguæ, ac laryngi smusculo inseritur, movetq: linguam, alter est mollior ad dignoscendos sapores destinatus; habet quoq; venas, & arterias, & in medio linea quadam apparet divisa. Tandem in radice linguæ sunt duæ glandulæ carneæ; & vocantur *tonsiliæ*, inservitque ad gignendam ex humoribus salivam, quæ ad gustum est valde necessaria. Palatum est pars oris superior instar fornicis modice concava, foraminibus pertusa, quibus e cerebro pituita in os descendit, aliquatenus aspera: Gurgurglionem explicuimus nu. 132.

169 Dubium est, in qua parte specialiter consistat sensorium gustus. Certum est in humore salivali, dentibus, & gurgurglione non consistere gustum, nec in tonsillis, sed bene in lingua, & palato, utroq; enim gustamus, cum hac tamen differentia, quod in lingua ut notat Arist. 1. de hist. anim. c. 11. sensorium gustus residet principalius in cuspide, minus principaliter in radice (de qua radice intelligitur Arist. cum in 4. de part. anim. c. 11. gustum posuit in gula, accepit enim gulam pro ipsius initio, in quo extant radices linguæ) at in palato perfectius existit in fine versus gurguglionem, imperfectius versus dentes, quia ibi caro est mollior, hic asperior; ar animalia lingua carentia aliud membrum habent, quod fungitur officio linguæ. An autem in tota lingua, vel in nervo resideat, dicemus q. seq. quia est dubium commune cum tactu.

170 Objectum gustus est sapor, qui ab Arist. lib. de sensu, & sensil. c. 4. definitur, quod sit *passio facta a sicco in humida gustus, qui secundum potentiam alterativa in actum*. Dicitur *passio* quia est qualitas de tertia specie, & stat loco generis, dicitur *facta a sicco*, ut denotetur, saporem non esse qualitatem primam, sed secundam, a primis causatam, sed maxime a sicco, & humido; siccum autem est duplex igneum, & terreum, primum est in materia admodum exili & tenui, secundum est in materia crassiori, siccum concurrens ad saporem non est igneum, quia propter tenuitatem est parum idoneum ad gustum, sed est siccum terreum, magis aptum propter crassitiem; similiter humidum est duplex, aereum, quod est subtile, & tenue, & aqueum crassum, & grossius, intelligitur definitio de humido aqueo, non aereo propter eandem rationem, eoquia gustus est potentia valde materialis, idcirco exigit objectum materiale, & crassum. Specialiter tamen ait Arist. est passio facta a sicco in humidum, non ab humido in siccum, non quia siccum in ordine ad saporem debeat prædominari, quia ut diximus n. 166. sapor consequitur humidum, sicut odor siccum, sed quia humidum, ut recte concurrat ad causationem saporis, debet a sicco modificari, & attemperari, unde his verbis exprimitur actio principalior humidi in saporem, attemperatio sicci in humidum, ut possit causare saporem; non excluditur ob id actio caloris, nam ex dictis n. 167. hæc etiam exigitur ad concoquendum utrumq; Dicitur alterativa gustus secundum potentiam in actum, ut exprimatur objectiva saporis; quæ consistit in actione alterativa sensus gustus, per quam actionem non debet intelligi immutatio quoad primas qualitates, quia licet sapidum, eo quod habeat in se has qualitates, immutet per ipsas sensum gustus, non tamen sapor ut sic, hic enim est tantum immutativus hujus sensus actione intentionali, hinc per hanc alterationem debet hæc actio intentionalis accipi, quæ suo modo est etiam alteratio ex dictis dis. 15. Physq. 5.

171 Dices, multa corpora saporosa sunt valde sicca. ut cineres, Zingiber, &c. imo multa pharmaca inserviunt ad deficcandam humiditatem, & tamen habent saporem; fames est appetitus calidi, & sicci, tale autem est alimentum, seu corpus saporosum, ergo sapor non provenit ex prædominio humidi in siccum. Tum quia si sapor esset quædam qualitas realis, a qualibet gustativa potentia percipererur, quod est falsum, quia cibi grati uni animali, sunt alteri nocivi, & ingrati, cibus uni dulcis est, alteri amarus. Resp. solum probare in aliquibus siccitatem quoad intensionem prædominari humiditati, quod concedimus, non tamen saporem insequi siccitatem, ut diximus nu. 168. Ad id de fame dicimus cibum habere duo, immutare gustum intentionaliter, esseq; objectum illius, & nutrire ut alimentum, esseq; objectum appetitus, qui reperitur in fame, propter primum habet saporem ab humiditate præcipue provenientem, propter secundum habet calorem, & siccitatem in sensu explicato jam disp. 8. de Gen. n. 74. quare non est sub eadem ratione objectum gustus, & famis. Ad 2. id provenire propter diversum temperamentum potentiæ sensitivæ, imo & ipsorum animalium, unde videmus etiam, quod eidem homini aliter sapit cibus ægroto, quam bene se habenti, idq; quia lingua aliis, atq; aliis humoribus abundat.

172 Species saporis a Conimb. 2. de An. c. 10. q. 1. art. 2. octo enumerantur, scilicet Dulcis, ut in melle, ficubus, & similibus invenitur; Amarus, ut in absynthio, felle; Pinguis, ut in butyro, lacte; Salsus, ut in sale, aqua maris; Acer, ut in pipere, allio; Acerbus, seu Ponticus, sive Stipticus, ut in fructibus immaturis; Acidus, ut in oleis; & Acutus, ut in aceto, quæ species aliis nominibus ab aliquibus appellari solent, & varie quoque multiplicari. Unum circa hoc est advertendum, quod licut in coloribus, & odoribus dantur duæ qualitates extremæ, & maxime inter se distantes, reliquæ sunt mediæ, & accedentes ad aliquod ex extremis, sic in saporibus duo sunt maxime distantes

ſtantes inter ſe, reliqui mediant. Hæc extrema ab Ariſt. ponuntur Dulce, & Amarum, eo quia conſideravit ſapores in ordine ad guſtum, modo inter ſapores dulcis habet maximam cum guſtu convenientiam, amarus maximam diſconvenientiam; a Galeno vero, & Platone ponuntur ſapores acerbus, & acutus, eo quia conſiderantur ſapores in ordine ad temperamenta, quæ conſequuntur, quo pacto dulcis, & amarus non ſunt extrema, dulcis enim conſequitur ex temperamento calido, & humido, amarus ex vehementi calore, & ſiccitate, quæ combinationes inter ſe non maxime diſtant; hæc conſideratio accidentalis eſt, quia cum eodem temperamento aliquando invenitur diverſitas ſaporum, & cum diverſitate temperamentorum identitas ſaporum, idcirco prior conſideratio eſt penes eſſentialia, & magis certa.

173 Cæterum an ſapor moveat potentiam aliquo mediante tanquam medio externo, vel interno, & an moveat immediate, vel mediis ſpeciebus, dicemus q. ſeq. eadem enim eſt difficultas cum tactu: Solum hic eſt not. quod adhuc ut ſapor moveat potentiam guſtativam ad ſui ſenſationem, ut plurimum prius debet illam immutare immutatione reali quoad primas qualitates; quia nequit exerceri ſenſatio guſtus ſine tactu, & maxime quoad humiditatem, a qua derivatur ſapor, ut notat Ariſt. 2. de An. 104. tunc enim perfectius guſtatur ſapor, quando e cibo ſuccus quidam extrahitur, quo imbibitur lingua; & quoniam cibus quandoq; eſt valde ſiccus, & durus, ut poſſit talis humor extrahi, providit natura de ſaliva, qua humectatur cibus, & organum, unde quando lingua eſt nimis arida, ut in infirmis accidit, nullus percipitur ſapor.

QUÆSTIO VI.

De ſenſu Tactus.

174 SEnſus tactus, qui eſt omnium imperfectiſſimus, & maxime materialis, eſt etiam omnium communiſſimus, nullum enim animal reperitur, quod hoc ſenſu non polleat, ut notavit Ariſt. 2. de An. 27. & lib. 3. tex. 60 unde ex tactu potiſſimum dignoſcimus vivens eſſe ſenſitivum, & a plantis differre, hinc etiam animalibus infimæ conditionis competit, ut ſunt Zoophyta, & plantanimalia; ratio eſt, quia eſt maxime neceſſarius ad tuendam vitam, nam ut ait Scot. diſt. 15. §. *Contra iſtar*, ſolus tactus percipit convenientia, & diſconvenientia naturæ, ut poſſint animalia ſe defendere a contrariis extrinſecis corruptivis; qua ratione per totum corpus diffunditur, de hoc igitur ſenſu videbimus primo ſenſorium, quodnam ſit, & quotuplex ſit iſte ſenſus, deinde objectum ipſius, & modum declarabimus, quo exercetur.

ARTICULUS I.

Quod ſit organum, & quotuplex ſit tactus.

175 CIrca primam partem articuli not. quod nequit eſſe difficultas de partibus illis, quæ anima ſenſitiva, quoad actum ſecundum non informantur, ut ſunt oſſa, nam organum ſenſus debet in ſe talem animam recipere, ſed ſolum de partibus corporis ſenſitivis, quarum aliquæ ſunt caro, cutis, cartilago, & ſimilia, aliæ ſunt nervi per totum corpus diffuſi, quibus ſpiritus animales communicantur membris a cerebro, partes primi generis modo ſub nomine carnis comprehenduntur. Omiſimus in præſenti opinionem Thomiſt. in ſua paraphraſi cap. 39. & 40. & Simpl. ſuper tex. 116. ponentem organum tactus ſolummodo in corde, ex hoc quod Ariſt. pluribus in locis, ut in lib. de ſenſu, & ſenſil. cap. 2. & 2. de part. anim. cap. 10. ſenſum tactus, imo & guſtus docet ſedem habere in corde. Hoc namq; falſum eſt, nam non eſſent hi ſenſus externi, ſed interni; tum quia aliæ partes corporis videntur ſenſum tactus habere, ut dicemus. Nec Ariſt. fuit hujus opinionis, ut videbimus, & ſolum ibi voluit aſſerere radicem horum ſenſuum eſſe cor, quia putavit nervos a corde, non a cerebro derivari, ſicut cor poſuit ſedem animæ ſenſitivæ.

Prima igitur opinio extrema ponit ſenſorium tactus, in quibuſdam nervis per totum corpus ad modum cujuſdam retis diffuſis, ſicut videmus in foliis arborum; ita Comment. 2. de An. com. 16. Gal. 11. de uſu partium cap. 16. Fernel. lib. de facult. animæ c. 6. Veſal. lib. 6. c. 17. Alb. 2. de An. tract. 3. c. 31. Ægid. ſuper tex. 108. Tand. q. 29. Bannes 1. p. q. 78. art. 3. dub. 2. de tactu, Complut. diſp. 14. q. 4. Joan. de S. Th. q. 5. art. 6. & alii quamplures, eandem ſententiam videtur ſequi Scot. in lib. de An. q. 2. ubi Cavellus in adnot. & Regentes Pariſienſes 2. de An. q. 2. in q. 4. collater. Secunda extrema in ſola carne ſtatuit ſenſorium tactus, citantur Averr. lib. de ſenſu, & ſenſil. Provenzalis p. 2. de ſenſibus c. 51. Alex. 2. de An. c. de tactu, Philop. ad tex. 124. & alii. Media ſent. utramq; extremam amplectitur, eſtque communis apud recentiores, ut Coninb. Ruv. Dandinus 2. de An. c. 11. Averſ. q. 54. ſect. 13. Suarez lib. 3. de An. c. 27. Hurt. diſp. 17. ſect. 5. Arriaga diſp. 5. ſect. 1. ſubſect. 5. Moriſ. diſp. 2. q. 13.

176 Dicimus non ſolum nervos, ſed etiam cutem, carnem, &c. eſſe ſenſoria tactus, ita tamen quod caro a nervis dependeat. Hæc concluſio videtur doceri a Doctore cit. quamvis enim in corpore quæſiti dicat carnem eſſe medium tactus, nervos eſſe organum, tamen reſpondendo ad tertium, quod erat tale, ſenſatio tactus fit in aliqua parte, ubi, non eſt nervus, inquit quod, *ubicunque eſt tactus in animali, ibi eſt nervus in ratione organi, non autem requiritur, quod ſit ibi nervus formaliter in qualibet parte carnis, ſed ſufficit, quod ſit juxta, vel prope realiter, vel virtualiter, & ſic eſt in qualibet parte virtualiter, quia virtute nervi prope exiſtentis qualibet pars poteſt ſentire tangibile*: ex quibus patet, ut etiam advertit Cavellus in ipius ſententia carnem aliquo modo ſentire, & eſſe organum tactus dependenter a nervis. Qua ratione Ariſt. varie eſt locutus, nam 1. de hiſt. anim. cap. 2. & lib. 2. de part. anim. cap. 1. & 5. affirmat carnem eſſe organum tactus; at 2. de An. 109. docet eſſe tantum medium, internum tamen, & conjunctum, unde tex. 116. carnem, & linguam in ordine ad guſtum, & tactum ſe habere ut aerem, & aquam ad alios ſenſus, quod eſt ſe habere ut medium, non ut organum, & concludit ſenſorium tactus intus latere; quæ loca, niſi velimus aſſerere Philoſophum ſibi contradicere, vel mutaſſe ſententiam, melius nequeunt explicari, quam in hoc ſenſu, quod ſcilicet idcirco negaverit carnem eſſe ſenſorium tactus, quia eſt dependens a nervis, qui ſunt principale ſenſorium. Nec refert, quod illam comparat aeri, & aquæ; nam comparatio conſiſtit in hoc, quod tam caro, quam aer ſunt medium aliquo modo, ſed aer eſt medium purum, caro autem eſt etiam organum minus principale, ut notat Averſa cit. & videtur docere Scot. cit. ad 1. imo Ariſt. ipſe 2. de Anim. 146. hoc idem videtur aſſerere, dum carnem ſenſorium non ultimum appellat.

177 Fundamentum hujus ſententiæ nil aliud eſt, quam ipſa experientia, cui certe non ſatisfaciunt adverſarii, & ſine valida ratione illam negant, quamvis enim aliquas afferant reſponſiones, quæ difficulter poſſunt impugnari, eo quod nonniſi experimento oſtendi poteſt illarum falſitas, attamen intellectus non quietatur, dum ſine urgenti motivo cogitur relinquere ſenſum; experientia eſt, quod carne percipimus tangibilia, percipimus ex tactu carnis dolorem, vel delectationem, quæ ſine ſenſatione non habentur. Ajunt, hanc ſenſationem proprie fieri in nervo propinquo, in carne tanquam medio. Neque hoc eſt abſurdum, nam Ariſt. ipſe tex. 109. docet ex hoc, quod tactum experimur in carne, non recte inferri carnem eſſe ſenſorium, ait enim: *Utrum autem ſic ſentiens intus, aut non, ſed mox caro, nullum videtur eſſe ſignum fieri ſenſum, ſimul atq; res tanguntur. Etenim tunc ſi quis circa carnem extenderit ut pelliculam cum fecerit, ſimiliter ſenſum mox, cum tetigerit indicat, & tamen conſtat, quod non eſt in hoc ſenſorium.* Verum hoc nimis arduum videtur; nam dolor, & ſenſatio in illa parte ſentitur, ubi caro pungitur, non in parte propinqua; nec Ariſt. aliter docuit, ibi enim inveſtigat ſenſorium principale, & radicale tactus, quales ſunt nervi, non caro, ut dicemus. Tum quia ſenſatio tactus poteſt fieri in epate, corde, pulmone, pericranio capitis, & ſimilibus, in quibus juxta communem Anathomicorum ſententiam non adſunt nervi, niſi valde diſtantes, fingere autem etiam in his partibus nerviculos quoſdam, ut faciunt adverſarii, & ſtructuram corporis ſuo arbitratui accommodare. Accedit, quod caro eſt animata, non ſolum anima vegetativa, ſed etiam ſenſitiva, & falſum omnino eſt ſolos nervos hac anima informari, aliter nec cerebrum, nec cor, nec aliæ principales partes animalis eſſent animata, quod implicat, ergo aliquam operationem anima ſenſitiva in illis exercere debet, nam carni terreſtreitas, & ſiccitas, ut eſt in oſſibus, non obſtat, talis nequit eſſe niſi ſenſatio tactus, nam cæteræ ope rationes *ſenſitivæ determinata* habent organa. Quod autem oppoſitum ſine fundamento aſſeratur, mox videbimus ſolvendo rationes in oppoſ. Accedit tandem, quod oporteret ponere nervos iſtos non ſolum in ſuperficie corporis extenſos, ſed etiam ſecundum profunditatem.

178 Deinde quod nervi ſint etiam ſenſorium tactus, patet quoque experientia, quia dum punguntur, afferunt dolorem; & quoniam nervi deſerunt ſemper ſpiritus animales, ſine quibus nulla fieret ſenſatio, ſequitur, carnem eſſe ſenſorium tactus minus principale, nervos vero magis principale; in ſenſu enim tactus nervi aliquid plus habent, quam in ſenſu viſus, auditus, &c. in his enim ſolum inſerviunt ut deferentes ſpiritus animales, in tactu vero etiam concurrunt ut organum, quod nobis oſtendit ipſa experientia, quam in aliis ſenſibus non habemus; quod ſi quis ex hoc vellet deducere, nervos opticos eſſe ſenſorium viſus, & auditorios auditus, &c. forte non facile poſſet impugnari; magis tamen fundamentaliter hoc de tactu aſſeritur propter experientiam, quam de cæteris ſenſibus. Ex quibus patet, quid dicendum ſit de ſenſu guſtus, an ſcilicet ſolus nervus ſit organum, vel ſola caro linguæ, an utrumque, hoc enim tertium videtur expeditius; vide nu. 179.

179 In oppoſ. objicies rationem fundamentalem adverſariorum, quia ſcilicet ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem, ut docet Ariſt. 2. de Anim. 15. 98. & 116. at tangibile poſitum ſupra cutem cauſat ſenſationem, ergo caro non eſt ſenſorium tactus, ſed medium. Tum 2. ſi caro eſt ſenſorium, maxime quia ipſa carne ſentimus tangibilia, at hoc non urget, quia ut ait Ariſtot. 2. de An. 109. ſi quis ſupra carnem extenderet pelliculam, adhuc ſentiretur tangibile, & tamen illa pellicula non eſſet ſenſorium tactus, ergo neque de carne ex hoc inferri debet, quod ſit ſenſorium. Tum 3. ex lib. de ſenſu, & ſenſil. cap. 2. in fine organum tactus debet eſſe terreum, caro porius eſt aerea, cum ſit calida, & humida, ergo &c. Tandem quod nervi nequeant eſſe ſenſorium tactus, videtur eſſe Ariſt. 1. de An. 79. ubi ait oſſa, nervos, & pilos nihil ſentire.

Ad 1. & 2. dicemus tum art. ſeq. dum de medio tactus agemus, tum qu. ſeq. dum propoſitionem illam examinabimus, *ſenſibilem poſitum ſupra ſenſum non facere ſenſationem*. Ad 3. Ariſt. ibi ſolum docere ſenſorium guſtus, & tactus tribui terræ, non quia debeat eſſe frigidum, & ſiccum, ſed quoniam cum ſint ſenſus magis materiales, ipſorum organa debent eſſe magis conſiſtentia, & magis participare de ſicco terreo, quam alia ſenſoria, unde magis conſiſtens eſt caro, quam oculi pupilla, aer innatus, & proceſſus mamillares; imo organum tactus debet eſſe quoddam medium in participando primas qualitates, ut dicemus, magis autem mediare videtur caro, quam nervi,

caro, quam nervi, unde ipſimet adverſarii aſſerunt nervos abſque carne non eſſe ſenſorium, nec ſenſationem efficere, eo quia humectari debent a carne. Ad ult. dicimus nervos conſideratos ſecundum temperamentum innatum, quia ſunt frigidi & ſicci, minus apti ſunt ad ſenſationem, & hoc voluit ibi aſſerere Ariſt. attamen quoniam calefiunt, & humectantur tum a ſpiritibus, tum a carne, acquirunt temperamentum idoneum ad tactum.

180 Circa 2. partem difficultatis propoſitæ, an tactus ſit unus, vel multiplex in ſpecie, eſt una opinio, quod licet materialiter, ſeu quoad organum ſit tactus unus ſpecie, attamen quoad principium formale, quod eſt ſenſitiva potentia, ſit multiplex, vel ſecundum numerum contrarietatum inter primas qualitates, quo pacto ſenſus tactus eſſet duplex, vel ſecundum numerum contrarietatum aliarum tangibilium qualitatum ſecundarum, ut enim dicemus ar. ſeq. objectum tactus non ſolum ſunt quatuor primæ qualitates, ſed aliæ etiam ſecundæ, ut mollities, & durities, aſperitas, & lenitas, &c. itaut cuilibet contrarietati propria ſenſitiva potentia correſpondeat, ita Caj. Ægyd. Tand. Apoll. Themiſt. Avic. Alb. Cardan. apud Ruvium tract. de tactu q. 6. item Flandr. & Javel apud Joan. de S. Th. q. 5. ar. 6. & Regentes Pariſienſes 2. de An. q. 2. in q. 4. collat. qui omnes multiplicant tactum plus, vel minus; imo ipſe Doctor in lib. de An. q. 1. duplicem ponit tactum pro duplici contrarietate primarum qualitatum, & ſequitur Cavellus ibid. Oppoſita opinio, quod unicus ſpecie ſit hujuſmodi ſenſus, eſt communior apud recentiores. At Joan. de Mag. & Tatar. hic diſtinguunt de tactu, quod poteſt tripliciter ſumi, vel pro organo, vel pro potentia animæ, & his duobus modis ajunt eſſe unum ſpecie, tertio ſumitur pro diſpoſitione qualitativa, ſecundum quam organum diſponitur ad recipiendum ſpecies ſenſibiles, & in hoc ſenſu inquiunt eſſe duplicem, quia alia eſt diſpoſitio pro receptione calidi, & frigidi, & alia pro receptione ſicci, & humidi.

181 Dicimus ſenſum tactus eſſe unum ſpecie ſpecialiſſima; hæc concluſio colligitur ex Scot. 2. d. 3. q. 8. ad. 3. ubi ait, quod ex determinato numero potentiarum colligi debet determinatus numerus organorum, actionum, & objectorum, ergo e converſo ex determinato numero organorum colligi debet determinatus numerus potentiarum, ſed organum tactus eſt unum, & non plura pro diverſitate contrariarum qualitatum, eadem enim parte corporis ſentimus calorem, & ſiccitatem, vel qualitates oppoſitas, ergo unica eſt potentia tactiva, non ſpecie multiplicata. Ex quo deducitur ratio pro concluſione, nam organum tactus eſt unum, ut diximus, potentia ſenſitiva non eſt quid ab anima realiter diſtinctum, & ad ſummum ſolum formaliter differt, & reſpectu unius determinati organi unica potentia, & unica formalitas aſſignatur, non duplex, ſicut naturaliter unum corpus ab unica forma informatur, non a pluribus ſimul, ſi formæ ſunt diſparatæ, ergo non dantur plures potentiæ animæ informantes idem organum. Tum quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, nulla autem neceſſitas urget multiplicandi has potentias, ut patebit ex ſolutione objectionum. Quod ajunt Joan. de Mag. & Tatar. de multiplicatione qualitatum non obſtat, loquimur enim nos de potentia ſenſitiva ſubſtantiali, non aceepta pro aliquo accidente; imo in hoc ſenſu poteſt exponi Scot. in lib. de An. q. 1. ut ipſemet ſe explicat in reſponſ. ad 2. dum ait, quod *in eodem nerveo eſt alia qualitas, ſecundum quam eſt diſcretivus humidi, & ſicci, & alia, ſecundum quam eſt diſcretivus frigidi, & calidi*, ecce quod non loquitur de potentia ſenſitiva ſubſtantiali; tum quia locus ex 2. ſent. eſt majoris authoritatis apud nos; tum quia in 1. Met. q. 2. n. 10. ex hoc, quod tactus percipit duas contrarietates, debitative infert eſſe duplicem ſenſum.

182 Contra arguitur ex Ar. 2. de An. 107. & 108. ubi ex profeſſo movet hoc dubium, & reſolvit eſſe plures ſenſus, probatque quia unica potentia ſenſitiva eſt unius contrarietatis perceptiva, ut patet *inductione*, at tactus eſt perceptivus plurium contrarietatum calidi, & frigidi, humidi, & ſicci duri, & mollis, doloris & voluptatis, famis, & ſitis, ergo &c. Nec valet, ait Ar. quod etiam oculus percipit plures contrarios calores, auditus plures contrarietates vocis, nam hæc omnia conveniunt in unica ratione generica ſcilicet caloris, ſoni &c. at tangibiles qualitates nequeunt reduci ad unam genericam, aliter primæ qualitates non eſſent quatuor. Accedit ratio Scoti, nequit eadem ſenſitiva potentia ſimul habere duos actus perfectiſſimos, quia unus perfectiſſimus adæquat ſibi totam virtutem potentiæ in illo actu, at ſi haberet ſimul alium actum, non eſſet reſpectu primi adæquata virtus potentiæ, & ſic actus ille eſſet adæquatus, & ſimul non eſſet; ſed tactus poteſt habere ſimul actus perfectiſſimos, quia percipit aquam ſimul ut frigidam & humidam, & non per unum actum, quia objecta ſunt diſparata, & ſpecie diſtincta, ergo non eſt tactus una potentia. Confirm. adhuc, quia idem organum materialiter eſt perfectibile a duabus potentiis animæ, ergo ex unitate organi corporei non recte infertur unitas potentiæ, ant. prob. nam eadem lingua, & nervi, imo quodlibet organum alterius ſenſitivæ potentiæ eſt etiam organum tactus, hic enim per totum corpus diffunditur.

183 Reſp. Ar. ibi ſolum dubitative loqui, non aſſertive, ut patet ponderanti textum; & nihil reſolvere; imo in tex. 128. nobis favet, ut diximus in expoſitione, nec ratio dubitandi aliquid urget, nam eſto omnes illæ qualitates quo ad eſſe reale non viſunt univocari ſub ratione tangibilis qualitatis, quatenus omnes eodem modo immutant ſenſum tactus, ſub qua ratione generi-convenienter, vel diſconvenienter, ut colligitur ex Scot. 3. diſt. 15. §. *Contra iſta*, vel alio modo; quod additur de dolore, & voluptate dicemus infra dum de iſtis paſſionibus agemus, inquirendo præcipue ſubjectum ipſarum, an ſit potentia cognitiva, an appetitiva. Ad 1. confirm. neg. aſſumptum, ſi actus illi ſunt circa diverſa objecta diſparata, quod patet in viſu, qui ſimul poteſt perfectiſſime videre album, & nigrum, quæ ſunt contraria, multo magis ſenſus tactus poterit ſimul percipere calidum, humidum, quæ ſunt qualitates diſparatæ; cum dicitur actum perfectiſſimum adæquare virtutem potentiæ, negatur, niſi ſit ſermo de virtute in ordine ad illud objectum. Ad 2. quæ reddit opinionem oppoſitam probabilem, ſicut & præcedens, dicimus eſſe diſparem rationem, quia ſenſus tactus propter ſuam communitatem, & univerſalitatem eſt ubique per totum corpus diffuſus, ideoque eſt cum aliis ſenſibus compoſſibilis; at duo ſenſus tactus in eodem organo ſunt ſuperflui, quia unus ſufficit erga omnem tangibilem qualitatem, ſicut una potentia viſiva, quamvis calor, & lux ſint duo objecta, nam conveniunt in una ratione viſibilis qualitatis.

ARTICULUS II.

Objectum, medium, & modus ſenſationis tactus explicantur.

184 QUalitas tangibilis, quæ eſt adæquatum objectum potentiæ tactivæ, ab Ar. 2. de gen. 8. in ſeptem contrarietates dividitur, ſcilicet in calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum, grave, & leve, durum, & molle, lubricum, & aridum aſperum, & lene, craſſum, & tenue. Primæ duæ contrarietates jam fuerunt explicatæ diſp. 1. de Gen. dum de primis qualitatibus diſſerunimus, grave, & leve declaravimus diſp. 3. de cœlo, hæc autem ſentimus, quando attollendo, vel ſuſtinendo illa aliquem impulſum nobis imprimunt, unde ſi lapidem in terra exiſtentem tangimus, non percipimus illius graviratem. Durum eſt, quod diviſioni reſiſtit, molle, quod facile cedit diviſioni, ſed aliqualiter retinens proprios terminos, ut cera, alioquin ſi diffflueret, & propriis terminis non ſe contineret, non differret ab humido, & hæc ſentimus, quando aliquem impulſum imprimimus in illis. Lubricum eſt humidum aliquid paſſum, ideſt commixtum cum terreo ſubtili, qua ratione eſt tenax, & unctuoſum ut oleum; alii dicunt lubricum eſſe, ſuper quod non bene conſiſtimus, aut non bene continetur manibus, aridum eſt, quod calore reſolvente humidum, quaſi congelatur, & conſiſtit. Aſperum, quod partibus inæqualibus conſtat, quarum aliquæ extolluntur, aliquæ deprimuntur; lene, quod ſecundum omnes partes eſt æquale in ſuperficie; verum iſta duo proprie non ſunt qualitates, ſed ſpecies figuræ, unde ſe habent ut ſenſibile commune. Tandem tenue eſt, quod ſubtiles habet partes, quibus facile alteri admiſcetur illud pervadens, & quaſi penetrans; craſſum eſt huic oppoſitum, quod groſſiores, & conſiſtentes habet partes. Quatuor ultimas contrarietas Ar. reduxit ad humidum, & ſiccum, nam durum, aridum, aſperum, & craſſum originem ducunt a ſicco, molle vero, lubricum, lene, & tenue ab humido: hinc primæ quatuor qualitates ſunt objecta principalia tactus, an autem dolor, & voluptas etiam pernineant ad objectum hujus ſenſus, videbimus q. 10.

185 De medio tactus, ſuppoſita diſtinctione medii in externum, & internum, quam adduximus n. 83. prima opinio ſuſtinet ad tactum ſemper per ſe requiri medium externum, ſcilicet aerem, *vel aquam*, aut *aliud corpus humidum*, & ſi hoc medium non adeſſet, nulla fieret ſenſatio tactus, ita Avver. 2. de An. com. 113. & ſeq. Ægid. ibid. Tand. qu. 20. Secunda opinio docet medium externum ſolum exigi in tactu corporum ſolidorum, non fluidorum, ita qui ſuſtinent, corpora dura non po ſſe immediate ſe tangere, de quo egimus diſp. 3. de Cælo qu. 6. in dub. appendice. Tertia opinio aſſerit hoc medium externum per ſe non requiri, ſed ſolum internum, ita qui docent carnem non eſſe ſenſorium tactus, ſed medium internum; imo & qui dicunt carnem eſſe ſenſorium tactus, diviſi ſunt, eo quia aliqui ſuſtinent nunquam objectum carni applicatum ſentiri illa parte carnis ſecundum quam ſit contactus, hæc enim inſerviunt ut medium, ſed alia proximiori, quæ ſe habebit ut organum.

186 Dicendum eſt ad actum *nullum* medium neque externum, neque internum per ſe requiri, ſed tantum quandoque per accidens intervenire; ita communis, & habetur a Scot. q. 3. de An. & 8. Met. q. 3. in fine addit. Prob. primo de medio externo, nam aer, & quodlibet corpus fluens immediate nos tangit, & ſi manus eſſet in aqua, vel igne, non poſſet mediare aer, quia in utroque caſu violenter exiſteret, & ſaltim corrumperetur ab igne. Neque dicas, animal, dum eſt in elemento connaturali, non pati ab illo nec realiter, nec intentionaliter, quia locus connaturalis eſt ſimilis locato ſecundum qualitates, at ſi alteratur, tunc intervenirent nova corpora, per quæ poſſet locus agere in locatum animal, & ſentiri. Non valet, quia non ſatisfacit, cum animal eſt in loco violento; tum quia etiam dum eſt in loco naturali, adhuc poteſt pati a loco, ſaltem ſi ab extrinſeco alteraretur, puta ſi aer calefieret, vel a ſole, vel ab igne, ut in hypocauſtis, tunc ſentitur calor aeris abſque externo medio, *in hac enim alteratione nullum corpus intervenit. Deinde quod etiam in tactu* duri corporis non opus ſit externo medio, patet ex dictis diſp. cit. de Cœlo, ubi fuſe oſtendimus duo corpora *dura immediate ſe tangere*; quod *multo magis eſt afferendum in* ſenſu tactus, ubi ſemper intervenit unum corpus *molle*, quod eſt caro.

187 Secundo prob. de medio interno ex dictis art. præc. nam ſi caro eſt organum tactus, & *hæc immediate* tangit corpora, certe hoc fiet abſque ullo medio; *ſimiliter* idem eveniret, ſi nervus immediate tangeretur carne denudatus. Reſpondent, in nervo fieri ſenſationem, etiam carne denudato propter duas tunicas, quibus cingitur, a duabus meningibus cerebri proveniente. Vel

fieri

fieri sensationem in parte proximiori, non in parte, qua fit contactus. Vel tandem denudato nervo non fieri sensationem propter carentiam medii. Sed istæ responsiones sunt prorsus voluntariæ, prima enim nihil salvat, quia quando nervus non est carne denudatus, tunicæ illæ non se habent ut medium, sed ut organum, Ar. enim solam carnem pro medio tactus assignavit, ergo etiam quando adest sine carne, erunt organum tactus, non medium, patet conf. quod per se convenit alicui, quocunque extrinseco remoto semper conveniet. Secunda est magis voluntaria, *nam esse sensorium* tactus est recipere species, & simul cum illis elicere sensationem, esse solum medium est recipere tantum species, illasque sensorio communicare, non elicere actum, si ergo pars nervi, vel carnis tacta habeat ex se virtutem causandi sensationem, jam talem virtutem exercebit, quando est tacta, cum sit agens naturale. Tandem tertia responsio nonnisi experientia potest valide impugnari; accedit, quod nulla ratio urget in contrarium.

188 *Tertio*, quod per accidens quandoque sensus tactus admittat medium externum, patet experientia, nam ut ait Ar. 2. de An. 109. si super digitos extenderetur aliqua pellicula, adhuc sentiretur corpus tangibile; item si aer, vel aqua mediaret, ut si manus se tangerent in aqua, perciperentur qualitates tangibiles mediante aqua, in qua tanquam *in medio externo reciperentur* species; similiter si accedamus prope ignem, sentimus calorem ignis, non solum aeris, qui minor est, unde si removeretur ignis, non amplius sentiremus tam intensum calorem, & tamen mediat aer: percussio in clypeo sentitur a clypeato; debet tamen hoc medium esse capax primarum qualitatum, & præcipue molle, & non excedentis mollis. Rationes in oppositum, vel solutæ sunt disp. cit. de Cœlo, vel ex dictis tum hic, tum ar. præc. facile diluuntur. Ex quibus etiam patet, quid dicendum sit de sensu gustus.

189 Circa modum, quo exercetur hæc tactus sensatio, aliqua dubia examinanda erunt; Primum est, num ad hoc ut percipiatur qualitas tangibilis requiratur, quod existat ipsi organo, vel sit ab illo separata, & solum contigua, quod sub aliis verbis solet etiam proponi, an scilicet qualitas, quæ tactu percipitur, sit illa quæ est in organo, aut in objecto tangibili, vel utraque. Prima opinio extrema affirmat solam qualitatem existentem in organo percipi a tactu. Secunda docet solam qualitatem objecti sentiri, nullo modo qualitatem organo inexistentem, ita Jo. de S. Thom. q. 7. art. 7. Suarez lib. 3. de An. c. 26. Ruvius tr. de tactu q. 5. Alii mediant, quod utraque percipiatur, sed divisi sunt, nam Aversa q. 54. sect. 15. loquendo de primis qualitatibus activis (nam de secundis omnes concedunt percipi solum, quæ sunt in objecto) admittit qualitatem objecti simpliciter sentiri, distinguit tamen de qualitatibus organi, *nam* si sunt in temperamento connaturali, asserit non percipi, si excedunt, tunc cognosci. Cavellus super q. 3. de An. & Compl. disp. 14. q. 1. ajunt qualitates organi non percipi ab ea parte, in qua reperiuntur, sed a parte propinqua Tol. 3. de An. q. 2. & Vallef. lib. 2. controv. Medic. c. penul. sustinent qualitatem objecti percipi *dependenter* a qualitate organi, ut hæc possint sine illa cognosci, non tamen e contra.

190 Dicimus qualitatem objecti per se percipi a tactu, non per *qualitatem organi*, de hac tamen est dubium, an percipiatur. Prima pars expresse habetur a Scot. 3. d. 15. ar. 1. & 4. d. 44. q. 3. ubi docet objectum non solum immutare realiter sensum tactus, sed etiam intentionaliter, quod est sensum percipere ipsius qualitates. Et prob. a Scoto, quandoque manu sentimus intensiorem calorem, quam sit calor inexistens manui, ergo tunc sentitur calor ignis v. g. non calor manus, conf. patet, prob. ant. si quis manum frigidissimam habens approximaret illam igni, tunc *in* manu vehemens sentitur dolor causatus, non quidem a calore existente in manu, hic enim est exigimus propter frigoris impedimentum, ergo a calore ignis per actionem intentionalem, ergo quod tunc ibi sentitur est qualitas ignis; idem evenit, dum manum prope ignem tenemus: percipitur enim tunc maximus calor, qui amplius non sentitur amoto igne, & tamen calor in manu ab igne productus non statim evanescit per absentiam ignis. Ex quo sequitur contra Tol. non ideo qualitatem objecti sentiri a sensu, quia sentitur qualitas in organo ab objecto producta, quasi quod qualitas objecti mediate, & tanquam per effectum percipiatur, sed ex se, & immediate. Tum quia ait Doctor, possunt hę actiones objecti separari, potest enim ignis v. g. agere saltem de potentia absoluta Dei intentionaliter causando sensationem in potentia, non realiter producendo calorem, quod esse probabilius asserere ita futurum in damnatis post judicium fuse ostendit in 4. cit. & q. 4. de An. Tum quia id maxime constat de aliis qualitatibus non activis, ut duritie, mollitie, &c. vere enim quæ in objecto existunt, percipiuntur.

191 Quod autem sit dubium de qualitatibus organo inhærentibus (loquitur de primis activis) suaderi potest, quia non adsunt rationes satis convincentes; hinc ex Scoto nihil certum habemus, nam in q. cit. de An. videtur ad partem affirmativam inclinare, & quamvis a Cavello explicetur, quod debeat intelligi parte propinqua illi, cui qualitas inheret, hæc tamen explicatio voluntaria est; at in 3. & 4. cit. videtur supponere solum objectum immutare potentiam intentionaliter, & causare dolorem, de qualitate *organi nunquam* loquitur. Probabilior tamen videtur pars negativa, quia idem experimur in aliis sensibus, quorum nullus est perceptivus qualitatis illi inhærentis, sic lingua non percipit proprium saporem, sive innatum, sive adventitium, quinimo tactus ipse non percipit propriam duritiem, vel mollitiem, asperitatem, vel lentitatem, etiam si excedant gradum *connaturalem*, ergo neque primas qualitates excedentes proprium temperamentum. Tum quia semper sentiremus qualitates istas, & nostrum temperamentum, & continua sensatione tactus semper esemus contra experientiam; Neque *dicas propter consuetudinem* non experiri; nam posset ista consuetudo, vel propter sonum aut infitmitatem interrumpi. Hoc aliqui probant axiomate illo *sensibile positum supra sensum non facere sensationem*; quæ ratio est insufficiens ut videbimus q. seq. Melius ostendi posset a fine, quia natura tactum animalibus concessit, ut possent noxia devitare, convenientia prosequi, quare sensus tactus ex sui natura videretur perceptivus rerum extra, sed qualitatum objecti, non seipso existentium, has enim nequit devitare vel prosequi, nisi ut ab objecto causantur.

192 Dices, febricitantes calorem febrilem per totum corpus sentiunt diffusum, & si quis prope solem existeret, perciperet vehementem calorem, non Solis, quia caret calore formali, ergo in seipso existentem. Tum quia qualitas inexistens organo est per se sensibilis, debite organo approximata, imo compenetrata; ergo principalius sentiri debebit. Tum 3. si ignis v. g. non produceret calorem in manu, nunquam sentiretur, ergo calor ignis nonnisi medio calore in manu producto percipitur. Tum 4. saltem calor existens in una parte posset aliam immutare respectu cujus se habebit ut objectum. Tum 5. velociter currens descendendo si retinet se in cursu, sentit repugnantem impetum in se existentem, ergo etiam poterit sentiri proprius calor.

Hæ rationes oppositam reddunt satis probabilem; dicimus tamen ad primum febricitantes sentire calorem sanguinis, & spirituum, ac humorum, qui per totum corpus diffunduntur, & se habent ad modum objecti, cum realiter ab organo distinguantur, idem de existente prope Solem dicendum. Ad 2. dicunt qualitatem organi in esse rei esse illi magis unitam, non in esse sensibilis, ad hoc enim requiritur distinctio subjectorum propter rationes allatas; tum quia sensatio fit per *species*, quæ transeunter natæ sunt produci. Ad 3. solum probat dependentiam naturalem unius actionis ab alia, quod scilicet non possit agere intentionaliter, nisi prius agat realiter immutando potentiam non tamen identitatem actionis, quia cum actione reali remissa stat actio intentionalis intensa, ut ostendimus cum Scoto; hinc est, quod intentionalis non fit in instanti, quia dependet a reali, quæ est successiva. Ad 4. patebit n. 208. & seq. Ad 5. dicimus non valere paritatem, quia impetus ille est adventitius licet a propria gravitate productus, ideoque se habet ut qualitas exuberans, qua ratione mediate sentitur propria gravitas propter resistentiam.

193 Secundo dubitatur, num adhoc ut qualitas tangibilis percipiatur, debeat excedere in gradu qualitatem organi, seu an sensu tactus percipiat solum excellentias, & exuperantias *qualitatis* tangibilis, an etiam gradus æquales, & remissiores; cum enim organum tactus sit corpus quoddam mixtum, necessario debet in se continere primas qualitates, & quæ ad illas consequuntur, ut sunt aliæ secundæ qualitates tangibiles, puta durities, mollities, asperitas, lenitas, &c. quæ debent in organo reperiri in esse temperato, ut alias qualitates sentire possit; idcirco quæritur; num si lapis v. g. esset æque calidus, ac manus, vel remissior, calor iste lapidis perciperetur a manu, an necessario debeat excedere calorem manus in gradu, qui excessus ab Ar. vocatur exuperantia, & excellentia; & potest moveri quæstio tam de activis qualitatibus, & primis, quam de aliis secundis non activis.

Prima extrema opinio affirmat tactum percipere qualitatem in quocunque gradu sive intensiori, sive remissiori, sive æquali, sive sit prima, sive secunda. Altera extrema solum concedit percipere, quo ad gradus intensiores tam primarum, quam secundarum qualitatum, estque communis apud recentiores. Tertia media hoc sustinet solum de primis qualitatibus, non secundis; ita Murcia 2. de An. disp. 10. qu. 2. & Aversa qu. 54. sect. 14.

194 Dicimus, sensum tactus solum excellentias sentire primarum qualitatum, aliarum vero probabile est sentire omnem gradum, sive intensiorem, sive remissiorem. Hæc conclusio quoad primam partem habetur a Scot. q. 15. de An. ad 1. princ. estque Ar. 2. de An. 118. solet probari ex hoc, quod omne recipiens debet *esse denudatum* a natura recepti, ut colligitur ex Arist. cit. Sed quantum valet hæc propositio, patebit ex dicendis. Itaque rectius probari nequit, quam experientia ipsa; videmus enim nos manu intense calida non percipere calorem remissiorem alterius scilicet aquæ, vel lapidis, sed potius frigus aquæ superans calorem ejusdem, & si objectum est æque calidum cum manu, nullum percipere calorem; ex alia parte cognoscimus minorem mollitiem in objecto, quam sit mollities manus; cognoscimus *minorem* gravitatem, ergo qualitates primæ non agnoscuntur, nisi secundum exuperantias, secundæ vero secundum quemlibet gradum discernuntur.

Resp. Complut. minorem mollitiem solum cognosci per accidens, quatenus percipimus majorem duritiem, quo pacto cognoscimus etiam minorem calorem, quatenus agnoscimus intensius frigus. Ad id de gravitate dici posset, non sentiri propriæ gravitatem, sed impulsum ab illa causatum.

195 Contra, experimento res constat, si extremitates duorum digitorum se tangant, experiri æqualem mollitiem in ambobus, ergo si percipitur æqualitas harum qualitatum, poterit cognosci etiam remissio, eadem enim est ratio tam hic, quam ibi; Tum quia ex hoc, quod æqualis, vel major mollities existat in manu, non idcirco impeditur, quin minor mollities objecti possit causare species tangibiles, ergo neque impediri debet illius sensatio, ant prob. actio productiva specierum est æquivoca, non univoca, at agens æquivocum est talis naturæ, quod potest agere in simile, si

si subjectum est capax, ut ostendimus disp. 2. de Gen. q. 1. non sic agens univocum; conf. prob. contra Conimb. 2. de An. c. 11. q. 3. ar. 3. admittentes species causari a qualitate remissiori, non tamen inde percipi, quia qualitates activæ (inquiunt) non percipiuntur, nisi prævia reali alteratione; nam potentia per illas species est sufficienter constituta in actu primo, objectum est præsens, potentia non distracta, sed applicata, ergo pariet sensationem, alteratio enim illa realis non videtur requiri ex parte potentiæ, *sed potius ex parte objecti*, ergo si non adest, potius qualitas non producet species, quam potentia speciebus informata non causet cognitionem. Ex quibus etiam confirmatur exemplum *de gravitate*; nam gravitas suo modo est a tactu cognoscibilis, saltem mediate, & ab effectu, ergo si erit remissior, neque mediate cognosci deberet; neque posset *impulsum* causare, sicut ab adversariis non admittitur, qualitatem remissiorem posse species producere.

196 Dices, ergo etiam qualitates activæ, quia immittendo species æquivoce agunt, poterunt in omnino similes agere, & sic posset minor, vel æqualis qualitas sentiri, vel debet assignari ratio disparitatis, quæ difficillissime poterit adduci, quod enim dicitur, qualitates activas in actione intentionali pendere ab actione reali, ut prius debeant agere realiter, quam intentionaliter, quod videtur asserere Scot. 4. d. 49. q. 33. H. & quoniam simile, vel remissius nequit agere univoce in aliud simile, vel intensius, hinc est, quod qualitas remissa, vel æqualis nequit species immittere in manum. Hæc ratio est prorsus voluntaria, & petit principium, cur activæ *poscant alterationem præviam*, realem, non aliæ, eo vel maxime, quod primæ sunt majoris activitatis. Tum quia productio specierum fit in instanti, quia fit, *statim* ac corpora se tangunt, qui contactus, cum sit terminus ultimus motus localis, in instanti acquiritur, alteratio vero fit in tempore, ergo hæc non præexigitur necessario ad productionem specierum; ita arguit Ruv. tract. de tactu q. 4. Tum quia Scot. 3. d. 15. §. *Contra ista*, & 4. d. 44. q. 3. ait has actiones separari posse, & unam esse sine alia; sic etiam docet lib. de An. q. 4.

Resp. rationem assignatam esse optimam, nec esse voluntariam, sed in ipsa experientia fundatam; cur autem primæ qualitates hanc præviam alterationem exposcant, quamvis activiores, non aliæ, a priori nulla potest reddi ratio, quam propria ipsarum natura, imo nec Angelus ipse posset aliter respondere, sicut nec aliam rationem possemus assignare, cur v. g. color nequeat species producere, nisi prius illuminetur, cur homo sit discursivus, cur gustus ad sensationem præexigat contactum, &c. nisi cujuslibet propria natura nobis per experientiam manifestata. Ad aliud dicimus ante contactum potest objectum alterare organum alteratione reali, quæ, cum fit actio transiens, non exposcit contactum; tum quia etiam in ipso instanti contactus agens in pannum aliquod indivisibile causat, ut diximus disp. 2. de Gen. q. 4. quod sufficit, non enim asserimus cum aliquibus actionem intentionalem ita dependere a reali, ut proportionaliter correspondeat illi, etiam in intentione, quia ut diximus, cum actione remissa reali stat actio intensa intentionalis; sed sufficere, quod aliqua realis actio præcedat. Scotus vero vel loquitur supernaturaliter, quod non necessario debent actiones istæ assimilari in intensione, sed una remissior esse queat quam altera.

197 Sed adhuc objici potest tum ex Arist. 2. de An. 118. ubi postquam docuit tactum solas exuperantias sentire, dat exemplum tam de primis qualitatibus, quam de duro, & molli, ergo vel omnes qualitates tangibiles sentiri possent secundum omnes gradus, vel nullæ. Tum 2. organum gustus habet proprium saporem, *eo* quia est quid mixtum ex primis qualitatibus, ad quas insequitur sapor, qui est qualitas secunda, & patet comedenti linguas animalium, & tamen lingua percipimus omnes sapores; idem de odoratu dicendum, nam processus mamillares, cum habeant proprium temperamentum, habent quoque proprium odorem, *nihilominus agnoscimus omnem odorem*, secundum quemlibet gradum, ergo idem de sensu tactus dicendum. Tum 3. omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti, ratio est, quia quod est in potentia ad aliquid, nequit illud habere, ergo nequit æquales, vel remissiores qualitates secundas percipere tactus, cum illas possideat, vel si hæc ratio non valet in his qualitatibus, neque concludet in primis. Tum 4. ad sensum tactus non requiritur, nisi quod qualitates sint subjecto distinctæ, sive sint continuæ, sive contiguæ, ergo si possent sentiri qualitates similes, certe una pars ageret in aliam, saltem intentionaliter, sicut una pars quoad primas qualitates potest realiter agere in aliam, & etiam causare sensationem, & sic semper esemus in continua sensatione mollitiei, duritiei, & aliarum qualitatum, quod est contra experientiam.

198 Ad 1. Resp. Aversa per ly durum, & molle Ar. circumscribere humidum, & siccum, a quibus derivantur, eo quia in tex. præcedenti assignans differentias qualitatum tangibilium, enumeravit quatuor primas qualitates, de his igitur etiam locutus est in tex. subsequenti. Ad 2. aliqui respondent sensorium gustus non habere saporem formaliter ut organum est, sed solum materialiter, ut est corpus quoddam mixtum; Aliqui admittunt lingua omnes sapores in quocunque gradu cognosci, quia sapor ipsius propter consuetudinem non percipitur, eo quia ab assuetis nulla fit passio. Prima responsio non satisfacit, quia sive materialiter, sive formaliter sumpta habeat lingua saporem, sufficit, quod eadem realis entitas habeat in se saporem, & quod omnia in eodem subjecto recipiantur, ut paritas currat. Secunda, nec etiam satisfacit, quia hæc consuetudo posset interrumpi tum somno, tum diutina infirmitate, & consequenter recuperata valetudine sapor linguæ posset percipi, tunc currit argumentum. Dicimus ergo admittendo proprium saporem in lingua, adhuc posse omnes sapores seu secundum quemlibet gradum cognosci, eo quia ut sapor sentiatur, sufficit, quod æquivoce intentionaliter agat, ad quam actionem nihil facit sapor linguæ, quia potest agens æquivocum agere *simile*, ut *diximus*; idem de odoratu dicendum; at qualitates tangibiles primæ, ut agant intentionaliter, prius debent agere realiter, ut dictum est. Cur autem non ita eveniat in visu, & auditu, dicere possumus hoc esse propter majorem immaterialitatem, & perfectionem horum sensuum, qua ratione exigunt majorem depurationem a conditionibus objecti. Ad 3. dicimus propositionem illam fere eandem esse cum illa, quod inter agens, & passum necessaria est dissimilitudo, vel quod *simile* non potest agere in *simile*, *idcirco eodem modo exponenda*, quomodo alias declaravimus disp. 7. de Gen. q. 1. ar. 1. vide ibi; an autem ex hac propositione probaverit Arist. suum intentum, videant expositores textus; de hoc tamen agit P. Faber theor. ult. Ad 4. si valeret, ostenderet utique nos semper sentire debere *mollitiem*, & duritiem omnium partium, quia una pars est mollior, vel durior altera; concedimus igitur qualitates primas existentes secundum excessum in una parte sentiri ab alia parte, eo quia in illam agit realiter producendo calorem, vel frigus, & consequenter agit intentionaliter; ad percipiendas qualitates secundas, quia non agunt, nisi intentionaliter, requiritur applicatio contactus, qui requirit corpora contigua, non contigua.

199 Dices, ergo saltem quia caro tangit os, & se habet ut *contigua*, *semper deberemus sentire duritiem ossis*; similiter linguæ caro, si habet proprium saporem, deberet immittere species in nervum, qui etiam sensorium gustus ponitur, & sic semper experiremur saporem linguæ, quæ omnia sunt falsa. Resp. ad 1. nos propter consuetudinem non experiri talem sensationem, non enim potest interrumpi sensatio duritie, sicut sensatio saporis carnis linguæ; Ad 2. dicimus, quod admisso sapore in lingua necessario negari debet sensorium gustus esse nervum, sed solam carnem linguæ, nervum vero solum inservire ad deferendos spiritus vitales, sicut inserviunt nervi optici ad sensorium visus; quod dici nequit de sensorio tactus, eo quia experimur tam carnes, quam nervos sentire. Per hæc patet ad argum. positum num. 202.

200 Hæc omnia probabiliter asserimus: nam dici etiam potest expeditius, magisque Aristoteli, Scotoque conformiter, sensum tactus non percipere, nisi exuperantia cujuscumque qualitatis, tam primæ, quam secundæ, ex hoc quod recipiens debet esse in potentia, & denudatum a natura recepti; & ad experientiam de mollitie dicimus vere, & proprie nos non percipere æqualitatem hujus qualitatis in duobus digitis, sed tantum indirecte, quatenus non percipimus majorem, vel minorem mollitiem, majorem, vel minorem duritiem, idcirco judicamus has qualitates esse æquales; sicut etiam cum tangimus manu tepidă objectam æque calidum, dicimur attingere tepiditatem objecti, quatenus non sentimus majorem, vel minorem, majus, vel minus frigus. Ad id agente æquivoco jam adest instantia in visu, in quo si adest aliquis color realis, non potest ab alio colore pati, omnia etiam apparent ejusdem coloris cum humore noxio existente in oculo; quare hoc erit peculiare sensibus, quod ut cognoscant sua objecta, & patiantur intentionaliter ab illis, debent esse denudata a *naturis illorum*; *quia enim hæc actio intentionalis* est immaterialior, quam actio realis, idcirco subjectum actionis intentionalis debet esse purius, & defecatius a conditionibus objecti. Hinc Doctor 2. d. 3. q. 8. ad 3. propositionem illam, omnis potentia organica debet esse denudata a natura objecti, ait verificari *in omnibus* sensibus exterioribus, præter quam in tactu, in quo est specialis difficultas; nam tactus ex se, cum sit quid mixtum, debet constare ex primis qualitatibus, quas tamen habet pro objecto; ideoque nonnisi secundum exuperantias alias percipiet, idem de aliis qualitatibus dicendum, unde tactus non est cognoscitivus, & a natura institutus ad percipiendum omnem gradum, sed solum excedentem.

201 Hac doctrina admissa negare deberemus linguam habere *proprium saporem*, & processus mamillares proprium odorem, nam sicut pupilla oculi, eo quia est a natura instituta ad videndum quemlibet calorem, & secundum quemlibet gradum, idcirco ab eadem natura fuit *illi concessum temperamentum quoddam*, cui nullus insequitur color, sic dici poterit de lingua, quod fuerit realiter temperata, ut ex se nullum habeat saporem, nec organum olfactus odorem; & quamvis si linguam comedimus, gustemus peculiarem saporem, hoc evenit, quia licet sit eadem *caro viva*, & *mortua*: *non tamen idem temperamentum*, sed in morte alteratur, sicut etiam in vita alterari poterit per admixionem humoris alieni, ut contingit in febricitantibus. Quod si admitteretur proprius sapor in carne linguæ, dicendum *erit* organum esse solam carnem linguæ, & gustum nonnisi exuperantias saporis percipere. Nec mireris si in his rebus tam ambigue, & quasi perplexe incedimus, quia non est sapientis judicii obstinate uni tantum parti adhærere sine convincenti ratione, *imo ex hoc imbecillitatem*, & *ignorantiam humani intellectus*, quam propter peccatum incurrimus, colligere *debes*, quod neque de his rebus, quas sensibus ipsis externis experimur, possumus pro statu isto determinatam, & exactam acquirere cognitionem.

202 Attamen, quoniam sive prima, sive secunda via incedatur, semper *admittitur*, aliquem sensum *percipere solas exuperantias*, ideo contra hoc arguitur, quia quælibet qualitas tangibilis quantumcumque remissa potest causare speciem sui, cum sit ex se sensibilis, & cum in hoc *naturaliter* agat, sequitur, quod si esset sensui approximata, adhuc causaret speciem, nullum enim apparet impe-

impedimentum, & per consequens sensationem. Si dicas impediri a sensu simili, vel intensiori qualitate informato. Contra hoc est, quia sensus ex se petit determinatos gradus qualitatis, ut sub paucioribus nequeat reperiri, ergo qualitas remissior his gradibus non erit per se sensibilis, nam quod est per se sensibile, requirit sensum potentem illud percipere, modo nullus sensus daretur, qui posset percipere qualitatem illam remissam, quia nullus existere potest sub remissiori. Tum 2. sensus externi non sunt præcisivi, ergo quando calor ut octo immittit species in manum calidum ut quatuor, manus non solum percipit quatuor gradus caloris, e quibus exceditur, sed etiam primum, & secundum gradum, aliter ab illis præscinderet, ergo omnes, & singulos gradus percipit, non exuperantias tantum. Tum 3. sequeretur sensum tactus non posse percipere delectationem de proprio objecto, sed tantum dolorem, prob. seq. quia voluptas, & delectatio habetur in perceptione objecti proportionati potentiæ, dolor in perceptione objecti excedentis proportionem illam, ergo si solas exuperantias agnoscit, solum dolorem haberet de objecto, nunquam delectationem.

103 Resp. ad 1. si teneatur prima via, quod solum sentiantur exuperantiæ primarum qualitatum; patet responsio, cur non possit qualitas remissa immittere species, quia scilicet nequit realiter agere; at supposita secunda via, dicimus ex se posse speciem causare, si organum non esset impeditum a simili qualitate, quod patet, quia si ab extrinseco temperamentum organi remitteretur, statim qualitas illa produceret species; Ad id, quod additur, quod qualitas remissior temperamento minimo organi esset prorsus insensibilis, dicimus urgere asserentes gradus qualitatis esse ætherogeneos, eo quia si terminus parvitatis temperamenti tactus esset v. g. calor ut unum, jam primus gradus caloris a nullo sensu percipi posset; at quoniam gradus qualitatis sunt homogenei ex dictis disp. de Gen. per accidens est, quod ille gradus sit primus, quia poterat esse ultimus, & sic percipi a sensu. Ad 2. præcisio tunc fit, quando unum ab alio abstrahitur, seu præscinditur consideratione, dummodo tamen utrumque cadat sub considerationem potentiæ præscindentis; aliter visus percipiendo colorem lactis non cognoscendo dulcedinem, præscinderet, & in hoc sensu soli intellectui convenit; non sic evenit in casu, quia quando sensus percipit exuperantias, non attingit solummodo gradus excedentes, illi enim ut sic non excedunt, ut si v. g. organum esset calidum ut quatuor, lapis ut quinque, organum non attingit solummodo quintum gradum, quia quintus gradus ut sic non est aliud, quam unus gradus remissior gradibus organi, sed attingit totum calorem ut quinque, sicut totus calor immutat sensum, & totus calor dicitur excedere calorem organi; verum est, quod si non esset quintus gradus; quia tunc esset æqualis calori organi, non sentiretur, & idem accidit in actione reali. Ad 3. non quælibet exuperantia est potentiæ improportionata, sed quæ solum lædit potentiam, ut explicabimus seq. idcirco poterit sensus percipere, non solum dolorem, sed etiam delectationem a sensatione objecti.

264 Tertio, principaliter quæri solet, num objectum tactus ad tactionem concurrat immediate, an vero per speciem; quod immediate concurrat docent Tol. 3. de An. q. 2. Valesc. lib. 2. contr. medic. c. penul. Hurt. disc. 12. de An. sect. 1. Arriaga disp. 4. sect. 1. subsect. 5. qui duo idem asserunt de objecto gustus, & olfactus.

Vera, & communior sententia species quoque admittit in sensu tactus, & consequenter etiam in gustu, & olfactu; quæ opinio quanto est communior, tanto est difficilioris probationis, unde Doctor potius illam supponit, quam probet, ita in 4. d. 44. q. 3. & lib. de An. q. 4. & 5. docet tamen illam Arist. 2. de An. 121. & seq. Solet probari, quia objectum, cum sit nimis crassum, nequit immediate concurrere ad sensationem, quæ est immaterialior. Secundo, quia sensibile positum supra sensum non facit sensationem. Tertio, quia potentia est indeterminata ad plures actus producendos, ergo circa talem actum determinari debet ab objecto; non sufficit autem extrinseca determinatio per assistentiam, quia sic intrinsece potentia esset adhuc indeterminata, & consequenter non posset in actum exire, ergo requiritur species. Quarto, quia potentiæ vitales cognoscitivæ, non solum sunt activæ, sed etiam passivæ, quia scilicet patiuntur ab objectis, quod non est intelligendum de actione aliqua reali, ergo intentionali, propter immissionem specierum; assumptum prob. quia potentiæ vitales cognoscitivæ per hoc a vitalibus non cognoscitivis distinguuntur, quod istæ feruntur ad sua objecta, illæ trahunt ad se objecta; quod est recipere in se objectum per speciem. Quinto, quia cognitio est quidam partus proveniens e potentia, ut a fœmina, ab objecto, ut a viro, ergo sicut fœmina, non solum active ad prolem concurrit, sed prius patitur a viro recipiendo semen, ita potentia prius patitur ab objecto recipiendo speciem, quæ est in semine objecti. Sexto, actus potentiæ est similitudo objecti, ergo debet provenire a potentia in actu primo assimilata objecto, quod nequit esse, nisi speciem in se reciperet. Septimo, operatio vitalis de sua ratione formali petit fieri a principio intrinseco, & fit intra idem principium, cum sit actio immanens; hoc autem principium non est sola potentia, sed etiam objectum, ergo ante operationem hæc duo intime uniri debent, ut unum quasi compenetratum fiat principium, in quo resideat operatio, hoc autem nequit fieri, nisi objectum sit præsens intime ipsi potentiæ, & patet, quod unio per contactum non facit hanc unitatem principii, ergo necessario species debet inesse potentiæ. Hæ sunt rationes principaliores, quibus Doctores probant necessitatem specierum, vel in communi, vel sensibilium, adsunt aliæ, quæ specialiter faciunt pro intelligibilibus, de quibus disp. seq. q. 4. ar. 1.

205 Sed certe nulla ex his rationibus concludit, vel æque demonstrat quælibet etiam in cognitione intuitiva intellectiva necessario speciem intervenire, quod esse falsum ostendemus disp. seq. q. 4. ar. 2. Prima, & secunda ratio soluta fuit supra n. 172. tertia, disp. seq. q. 4. ar. 1. quarta, non valet, nam assumptum negaretur, quod potentiæ vitales cognoscitivæ patiantur ab objectis, & cum probatur, diceretur, quod in tantum dicuntur trahere ad se objecta, quia per proprios actus illa intra se exprimunt, illisque intentionaliter assimilantur per cognitionem, non quod aliquid ab objectis recipiant, nam species sensibiles secundum communiorem totaliter fiunt ab objecto, unde cum potentia non cuncurrat active, non poterat dici ad se trahere objectum per receptionem speciei, quia trahere insinuat actionem quamdam, receptio autem, est mera passio, & concludenter etiam de cognitione intuitiva intellectuali. Quinta de eadem quoque concluderet; nec urget, quia similitudo consistit in hoc, quod sicut mas, & fœmina sunt duæ causæ subordinatæ ad producendam prolem, sic objectum, & potentia, aliter sequeretur, quod sicut mas est principalior causa, sic objectum principalius concurreret, quod est falsum: Tum quia solum habet vim, quando objectum est absens, quia tunc aliquid dari debet supplens vices illius, at quando est præsens, non videtur necessaria species. Sexta quoque concluderet de eadem cognitione; dicimus igitur potentiam in actu primo esse sufficienter assimilatam per præsentiam objecti in se concurrentis cum ipsa ad actum, neque aliud exigitur, nam assimilatio in causa æquivoca non est formalis, sed virtualis, idest supponi debet in causa virtus productiva effectus, hæc virtus vere esset in potentia, & objecto absque specie. Septima, quæ est Ruvii tract. de gustu q. 1. nil valet, nam disp. 2. q. 3. diximus actum vitalem posse transeunter effici; tum quia sufficit, quod insit principio vitaliter operanti, quale est potentia, non objecto, quod patet ex ipso Ruvio, ibi enim negat essentiam divinam intuitive per speciem videri, eo quia essentia divina est intime præsens intellectui beato, & tamen non est dicendum visionem beatam subjective inhærere in principio incompleto ex intellectu, & essentia divina, sed solum in intellectu, essentia enim nequit recipere in se accidens creatum; hinc assumptum est falsum; alias rationes confutabimus disp. seq. q. citat.

106 Ut igitur hanc conclusionem aliqualiter probemus, advertendum id, quod ex Scot. 1. d. 7. q. un. V. notavimus disp. 7. Phys. q. 6. art. 2. quod scilicet nequit assignari certa ratio, qua demonstretur a priori formam aliquam esse productivam alicujus effectus, vel non esse, hæc enim maxime esset perfectio entitativa, quæ tamen nihil concludit, cum multæ formæ mixtorum non sint activæ alterius similis, & tamen formæ elementares imperfectiores habent talem activitatem. Insuper not. ex dictis ibid. ar. 3. quod licet aliqua forma sit productiva formæ alterius rationis, non idcirco debemus inferre esse quoque causativam effectus æquivoci ab ista producibilis, ut v. g. forma substantialis est productiva gravitatis, quæ est causativa impulsus, & motus deorsum, ex hoc quod gravitas contineatur in virtute formæ substantialis, non sequitur etiam impulsum, & motum deorsum immediate contineri in virtute substantialis formæ, sed solum mediate.

207 Probatur modo conclusio, quod tactus fiat immediate per species; contingit aliquando tactum fieri per speciem, ergo semper fit per speciem; ant. prob. contingit aliquando objectum tactus habere medium extrinsecum, ut diximus n. 198. ergo quandoque fit per species, ista cons. prob. quia ideo per adversarios negatur tactum fieri per species; quia objectum est valde approximatum potentiæ, itaut sit contiguum cum illa, & eadem ratione requiritur species in visu, & auditu, quia objectum est distans, ergo si objectum tactus quandoque est distans, causabit species ad sui tactionem. Tum quia si semel admittamus objectum distans posse immediate concurrere ad sensationem, idem debemus asserere in visu & auditu, & sic universaliter omnes species negare, est contra experientiam; Cons. primi enthimematis prob. si semel admittamus in objecto tangibili virtutem productivam specierum, debemus etiam asserere illas semper producere, etiam quando est contiguum potentiæ, quia etiam tunc est agens naturale non impeditum, & consequenter non concurrere immediate ad sensationem, sed mediante specie; patet ita cons. nam si adest species, quæ est sufficiens causa sensationis cum potentia, ad quod ponere novum concursum objecti? certe vel concursus speciei, vel objecti esset superfluus. Tum quia si admittamus potentiam activam sensationis immediatam in objecto, debemus etiam asserere, quando est distans, immediate concurrere, & sic species non concurreret active, sed solum tanquam effectus prævius, quod disp. præc. q. ult. refutavimus; seq. prob. quia distantia non impedit actionem, cum possit agens agere immediate in distans, dummodo sit intra sphæram activitatis, ergo sicut potest objectum causare in potentia species proprias, poterit etiam causare sensationem immediate, satis enim intelligitur approximatum potentiæ, si sit in debita distantia, quod possit in illam agere.

208 Ex his debemus idem inferre de dolore, scilicet quod etiam approximatum potentiæ, sit causativus solius speciei, non sensationis, quia etiam odor immittit species, & quandoque fit per medium externum. Idem quoque dicendum de sono, etiam quando fit prope organum absque medio. Et tandem idem de gustu erit concedendum, eo quia licet non habeat medium externum, attamen sufficienter hoc videtur concludi ex paritate rationis cum cæteris externis sensibus; nam si cætera objecta sensibilia agunt per species in sensus, non est, cur sapori hoc erit

erit denegandum, eo vel maxime, quod contiguitas cum organo infert immediatam actionem in sensationem, ut dictum est. Quapropter a posteriori concludendum est, nullum objectum sensibile immediate concurrere ad sensationem, sed mediate species dici solet vicaria, vices gerens, & semen, seu instrumentum objecti. Accedit authoritas tot Philosophorum, tum veterum, tum recentiorum, quæ in re dubia magni æstimanda est.

Contra potest argui, quia objectum sensibile potest immediate concurrere ad intellectionem intuitivam sui secundum nostra principia, & dicemus disp. seq. qu. 4. art. 2. ergo multo magis poterit immediate concurrere ad sensationem, vel si ad hanc requiritur species media, idem dicendum in cognitione intuitiva, ut asserit Smisinch. Tum 2. species requiritur ut vicaria objecti, & ut suppleat vel illius absentiam, aut improportionem, sed objectum tactus neque distat, neque est improportionatum potentiæ, ergo &c. Nec valet, quod dici solet objectum esse præsens in esse reali, non in esse intentionali: Non valet, quia esse intentionaliter præsens est habere proportionatam virtutem ad causandas intentionales sensationes, sed objectum secundum propriam naturam habet talem virtutem, ergo si est præsens secundum esse reale, erit etiam præsens secundum esse intentionale.

209 Resp. ad 1. negando paritatem, cujus ratio a posteriori assignari potest ex differentia speciei sensibilis, & intelligibilis, illa enim dependet in fieri, & conservari ab objecto, unde raptim transit, nec potest repræsentare objectum, nisi præsens, at intelligibilis non pendet in conservari ab objecto, estque indelebilis, qua ratione repræsentat objectum, sive præsens, sive absens, & consequenter nequit concurrere ad intuitivam cognitionem, sed objectum debet concurrere immediate, species vero sensibilis potest concurrere, ut dicemus disp. seq. q. 11. quod autem non detur species intelligibilis raptim transiens ostendemus contra Smisinch. disp. seq. q. 4. art. 2. Ad 2. species dicitur vicaria, & supplere vices objecti, non quatenus supplet virtutem productivam objecti respectu sensationis, itaut objectum in se vere habeat talem vim, sed dicitur vicaria, quia ipsa mediante objectum dicitur concurrere ad sensationem, & in hoc sensu posset concedi, objectum, quamvis potentiæ contiguum, non esse præsens intentionaliter potentiæ, quia in se non includit virturem productivam intentionalium sensationum, sed tantum specierum; hoc autem agnoscimus a posteriori, ut patet ex probatione concl. Neque ex hoc, quod objectum potest speciem causare, sequitur posse quoque concurrere ad sensationem, sicut concurrit species, ut notavimus n. 216.

Petes, unde in quibusdam partibus a tactu oritur titillatio? Respond. Conimb. in titillatione duo inveniri, horrorem scilicet quendam, quo refugimus attrectationem, & permixtam aliquam voluptatem, quæ accidit in iis partibus corporis, in quibus est accerrimus sensus, quia ibi arteriæ multæ terminantur; ut sub axillis, & plantis, ad has enim partes cum attrectatione manus aliquantulum rarescunt, solent accurrere spiritus, & copia materiæ prurientis quæ causat voluptatem.

QUÆSTIO VII.

Expediuntur quædam generaliter pertinentia ad sensus externos.

210 PRimo quæritur de omnibus externis sensibus, num excellens sensibile lædat sensum; Circa quam difficultatem certum est sensum a sensibili quandoque lædi, quod experientia constat; certum est etiam, læsionem hanc præcipue fieri in organo sensus, cum enim sit corpus quoddam mixtum, & ut organum expostat determinatum temperamentum, poterit per alterationem destrui temperamentum istud, vel ex parte alterari, & consequenter impedire operationem sensationis, quæ ab organo dependet tanquam a causa partiali; certum etiam est alterationem istam effici ab objecto, ut eus quoddam naturale est, seu ut est agens per qualitates naturales, & contrarias, ut sunt primæ: sola difficultas remanet, num etiam ut est agens intentionale, seu ut species sensibiles producit, posse sensum corrumpere; negant Ruvius 2. de An. c. 11. q. un. & Jo: de S. Tom. q. 4. art. 2. affirmant Cajet. 2. de An. ad text. 123. & 143. Ferrara q. 21. Aquar. ib. Tol. lib. 3. q. 4. Bannes 1. p. q. 78. art. 3. de sensibus in com. dub. 5. Compl. disp. 9. q. 4.

211 Dicendum objectum sensibile, ut sic, idest, ut immittit intentionales species, posse lædere sensum, non quidem per se, sed per accidens; ita colligitur ex Scot. 2. d. 3. q. 8. ad 3. & 4. d. 44. q. 3. & d. 49. q. 13. ad 2. & habetur 2. de An. 123. Prima pars, quod ut agens intentionale possit lædere sensum, prob. quia lux, & albedo intensa disgregant visum, ipsumque labefactant; vehemens sonus lædit auditum, sed hoc nequeunt præstare, nisi per species, ergo &c. min. prob. quia si non per species causarent hos effectus, maxime esset, quia ut ait Ruvius, lux est causativa caloris, albedo licet ex se non habeat talem virtutem, attamen major lucis reflexio fit in albedine, quam in nigredine, aut alio colore, & propter istam reflexionem intensiorem intensior calor producitur in medio, qui erit læsivus organi visus. Vehemens sonus lædit auditum, quia propter propinquitatem aer valde agitatus pertingit ad aures, commovet, & conturbat tali commotione organum auditus. Sed istæ responsiones non salvant experientiam. Prob. primo de luce, quæ non est ex sua ratione formali causativa caloris, ut ostendimus disp. 2. de Cœlo n. 339. & 240. Tum quia hoc etiam admisso, non salvatur experientia de albedine, nam reflexio illa lucis facta in albedine nequit tam intensum calorem producere, quin intensus sit frigus productum a nive in hyeme, & tamen adhuc albedo in nive valde lædit organum visus, ergo non rationes caloris, sed ex seipsa albedo est disgregativa visus, tum quia hæc est passio albedinis, ergo ab intrinseco illi convenit, non ab extrinseco, & per accidens. Similiter agitatio illa aeris in sono facta v. g. a tibicine non est tam vehemens, (maxime si homo esset in cubiculo undequaque clauso, & sonus foris fieret) ut excedat agitationem aeris a turbine, & impetuosis ventis causatam, & tamen hæc non lædit auditum, ergo sonus non ratione motus aeris, sed propriarum specierum offendit organum. Tum quia vehemens sonus non tantum lædit organum, sed dolorem capitis causat, ergo si hoc eveniret propter commotionem aeris, quamvis in surdo non esset organi læsio, quia jam est corruptum, deberi tamen sonus ingens in illum dolorem capitis inferre, quod est contra experientiam.

212 Quod autem non sit causa per se hujus læsionis. Prob. quia organum sensus lædit ur, quatenus destruitur proprium temperamentum primarum qualitatum, sed nullum objectum ut tale est destructivum primarum qualitatum per se, & immediate, ergo &c. Major patet, min. prob. quia objectum vel est conveniens, vel disconveniens sensui; si primum, constat non lædere organum, perfectio enim constituit, non destruit; si secundum, adhuc non opponitur per se immediate primis qualitatibus, quia notat Doct. 4. d. 44. q. 3. E. cum una qualitate in esse reali potest dari species, & sensatio alterius oppositæ, etiam in summo, ut patet de manu nive congelata, & igni applicata, in qua reperitur frigus in summo, & sensatio valida caloris. Tum quia unum contrarium nonnisi ab altero contrario expellitur, ergo primæ qualitates solum inter se pugnant, ergo per se, & immediate non destruuntur a sensationibus, vel sensibilibus speciebus; quod si hoc est verum in sensu tactus, ubi videtur major repugnantia inter primas qualitates in esse reali, & species ipsarum sensibiles, multo magis verificabitur in aliis sensibus, quorum species repræsentant qualitates secundas. Ratio ergo, cur objectum disconveniens destruit temperamentum organi, est, quia objectum excellens, & disconvenies, vel causat vehementem dolorem, ut notat Doct. cit. qui dolor destruit saltem indirecte connaturale temperamentum: vel quia propter sui excellentiam requirit maximam potentiæ applicationem, ad quam requiritur maximus spirituum concursus, qui excessivo calore alterant proprium organi temperamentum, & hoc forte voluerunt asserere authores primæ sententiæ, & possent hæ duæ opiniones inter se conciliari.

213 Dices, manus congelata cum dolore calefit, & tamen calor est illi conveniens, ergo non solum objectum disconveniens, sed etiam conveniens lædit sensum. Resp. licet calor sit tunc manui conveniens, modus tamen, quo introducitur, est violentus, & cum pugna propter frigus intensum existens, & hac ratione causat dolorem. Dices etiam, tenebras in hoc sensu dici posse per accidens lædere sensum, quatenus ad oculum existentem in tenebris nihil videntem nullus sit concursus spirituum, qui suo calore foveant organum, & consequenter sit læsio ex nimia frigoris intensione, unde diu inclusi in obscuro loco, si repente ducerentur ad lucem, obcæcarentur, & tamen major est læsio, quæ provenit ab objecto, quam a tenebris, ergo si ista per accidens, illa erit per se. Resp. læsionem a tenebris causatam esse magis per accidens, tum quia ex recessu caloris, tum quia tenebræ non sunt entia positiva, at objectum excellens & est causa concursus spirituum, & spiritus propriæ activitate agunt in organum.

Secundo, quæri solet, num sensibile positum supra sensum impediat sensationem, & est fermo non de qualitate inhærente organo, sed de adhærente, seu in corpore contiguo sensui existente, ut cum manus tangit aquam. Prima opinio satis communis apud Thomistas affirmativa, & universalis de omnibus externis sensibus. Ab hac propositione Suarez lib. 3. de An. c. 27. & Conimb. 2. de An. c. 11. q. 3. excipiunt gustum, & tactum: Ruvius 3. de An. c. 1. q. 3. excipit etiam olfactum. Tandem Scotus in lib. de An. q. 4. quem sequuntur Tol. 3. de An. c. 10. q. 2. & Aversa q. 54. agendo de medio singulorum sensuum excipit quoque auditum, & solum visum ait per se indigere medio ad videndum objectum, maxime colorem.

214 Hæc sententia de visu prob. a Scoto, quia ut color percipiatur, indiget lumine ex dictis q. 2. art. 4. similiter potentia debet esse illuminata, at si objectum superponeretur oculo, jam obumbraretur tam oculus, quam objectum, ergo impediretur visio; de lumine autem non est tam clarum, an necessarium sit medium, quia potest esse, quod fulgor in tenebris visus, non immediate prope pupillam existat, sed in aliqua tunica, inter quam, & pupillam mediet aliquis humor. De aliis sensibus, quod necessario non indigeant medio, sed si superponerentur organo, percipiuntur, patet inductione ex dictis, nam sonus in aure sentitur, ut patet de tinnitu, & sibilo intra organum ipsius; odor per evaporationem potest immediate uniri processibus mamillaribus; de sapore, & qualitatibus tangibilibus res est clara, quæ omnia suis locis declaravimus.

Sed præcipue ostenditur evertendo fundamenta Thomistarum; nam primo probant hanc propositionem esse universaliter veram, eo quia sensibile positum supra sensum impediat sensationem, quia inter species, & sensum, ut fiat sensatio, debet esse proportio, itaut sicut potentia valde accedit ad immaterialitatem, sic etiam species debent esse immateriales, quæ statim ab objecto prodeunt, licet sint immaterialiores, & minus crassæ ipso objecto, attamen non sunt ita immateriales, sicut potentia sensitiva, quæ est immaterialior non solum formis naturalibus, quæ simpliciter dant esse, sed etiam anima vege-

ativa, ergo indiget medio, in quo species veluti subtilientur, & attenuentur, & juxta majorem, vel minorem sensus immaterialitatem, indigent majori, vel minori medio, in quo crassitiem deponant.

225 Hæc ratio propriè consistit in quodam verborum apparatu, & multa continet falsa, & sine fundamento asserta; nam in primis urgetur ex hoc, quod objectum valde materiale potest immediate concurrere ad sui intuitivam cognitionem cum intellectu, quæ est potentia vere immaterialis, ergo non requiritur hæc proportio inter speciem, & potentiam in immaterialitate. Tum quia nequit intelligi, in quo consistat hæc major crassities, quam habet species, dum statim exit ab objecto, & deinde amittit per medium, nisi dicatur cum Complut. disp. 9. q. 3. esse, quod agens fortius agendo in propinquum, quam in distans producit speciem intensiorem in principio, remissiorem in progressu; sed ista immaterialitas potius officit sensationi, quam juvet, ergo non est ad propositum; assumptum probat, intensio in specie dicit perfectionem, sicut & in qualibet alia forma accidentali, & e contra remissio dicit imperfectionem, ergo ex hoc, quod species est remissior, non fit magis proportionata sensui, & magis potens ad conficiendam sensationem; aliter quo species esset remissior, eo perfectius perciperetur objectum, & sic perfectius videretur, vel audiretur a longinquo, quam a proximo, quod est contra experientiam. Tum quia falso intensio appellatur materialitas, & remissio immaterialitas, nam gratia ut decem esset imperfectior, quam gratia ut unum, quia hæc esset propter remissionem immaterialior. Tum quia ad hominem intensio, & remissio in qualitate secundum Thomistas, non fit per additionem gradus ad gradum, sed per majorem, vel minorem radicationem in subjecto, at forma est in se æque simplex, ergo idcirco species in organo erit subtilior, & immaterialior, quia non erit multum in subjecto radicata, quod poterit accidere, etiamsi objectum immediate, & primo immitteret speciem in organo, & ex alia parte volunt Thomistæ ex objecto, seu specie, & potentia fieri magis unum, quam ex materia, & forma, unde species in sent. ipsorum erit semper valde radicata in potentia, & consequenter valde intensa, & materialis. Tandem quandoque medium est sola quædam tunica multum tenuis, ut patet in gustu, cibus enim humiditate alteratus penetrat poros linguæ & prope nervum existit, non apparet autem, quo pacto species per medium tam exiguum amittat tantam crassitiem, ut proportionata evadat potentiæ, & ut in ipsa tunica existit, sit improportionata, & nimis crassa.

216 Deinde adhuc arguunt, quia si sensibile positum supra sensum posset causare sensationem, posset quoque sine specie sentiri. Probat. seq. quia species, ut immediate exit ab objecto, non est magis immaterialis, quam sit ipsa immaterialitas objecti in se, ergo posset quoque sensationi servire, sicut species; imo & sensus ipse posset se ipsum sentire causando in se speciem sui. Tum quia potentia sensitiva est perfectior potentia naturali, sed hæc requirit indistantiam applicationis agentis ad passum, ergo potentia sensitiva est independens a tali indistantia. Accedit authoritas Arist. qui 2. An. 73. 98. & 116. aperte asserit sensibile positum supra sensum non sentiri; ita arguit Joann. de S. Thom. qu. 4. art. 3.

217 Hæ quoque rationes nihil concludunt; prima enim videtur committere circulum, nam existentiam specierum Thomistæ ut plurimum probant per istam propositionem, quod sensibile positum supra sensum non faciat sensationem, modo propositionem istam ostendunt per hoc, quod si sentiretur, frustra essent species; en quod circulum committunt. Quapropter neg. seq. quia ut diximus num. 216. non debet specierum existentia inferri ex hoc, quod objectum distet a potentia, quia hæc distantia impertinens est, cum possit adhuc objectum distans in proportione debita concurrere ad intellectionem intuitivam; nec est verum speciem esse æque immaterialem cum objecto, cum primo exit ab illo; nam species, cum sit entitas intentionalis, ex sua ratione formali semper erit minus materialis objecto. Neque tandem sequitur, posse sensum seipsum sentire, quia species fit actione transeunte, non immanenti, ut diximus supra. Secunda quoque ratio solum concluderet, potentiam non indigere indistantia ad operandum, sed posse cum objecto distanti elicere sensationem; non autem ostendit necessario objectum debere distare. Magis urget authoritas Arist. cui Aversa qu. 52. sect. 15. respondet, in tex. 73. ipsum loqui de visu, cui est necessarium medium; in tex. 98. de olfactu respectu corporis solidi odorosi, quod semper sentitur mediis speciebus; in tex. 116. loqui de carne quatenus respectu organi principalis, dicitur medium, non organum; sed revera Arist. in text. 98. & 116. universaliter loquitur; quod magis patet ex text. 75. Doctor citat. ait intelligi debere de sensibili, prout actione reali agit in sensum, ut sic enim non efficit sensationem, sed ut est agens intentionale. Alii, quod Arist. intendat solum asserere sensibile positum supra sensum, non idcirco propter hanc approximationem (quo casu maxime videtur ex se immediate posse concurrere ad sensationem) poterit sentiri, nisi species immittat, quæ debent cum potentia concurrere ad actum. Suarez explicat de sensibili inhærente organo, non de contiguo. Quæ expositiones an sint de mente Aristotelis, videant, qui jurarunt in verba ipsius.

218 Tertio, dubitatur, num sensus externi percipiant proprios actus, quod est quærere, num sint reflexivi supra seipsos; Provenzalis p. 3. de sensib. cap. 2. affirmat, sed communis sententia negat, ita Doctor q. 9. de An. & quol. 14. in fine, & prob. experientia ipsa, nunquam enim tactus reflectit supra tactionem, nec auditus supra auditionem, sed si aliquam cognitionem habemus de istis actibus, causatur a sensu communi, ut dicemus infra. Accedit, quod actus isti non continentur sub objectis adæquatis externorum sensuum, ut patet; tum quia si non sentit qualitatem sensibilem sibi inhærentem, quæ tamen continetur sub objecto adæquato, multo minus sentire potest proprios actus.

Dices, Arist. 2. de An. 138. docet visum se videre, quia coloratus est; imo esse perceptivum tenebræ, sicut auditus percipit silentium, ergo supra se reflectit, quod etiam videtur affirmare Scotus in 4. d. 45. q. 3. art. 1. in fine; respondet Cavellus super qu. de An. cit. visum cognoscere se non per reflexionem, sed in actu exercito, seu non ut rem cognitam, sed ut rationem cognoscendi; vere enim cognoscimus oculum in otio non esse, sicut dum existit in tenebris, at perfecte hoc cognoscere tanquam objectum cognitum spectat ad sensum communem; hoc modo quoque dici poterit nos percipere tenebras, quatenus non percipimus lumen; exactius tamen hæc difficultas declarabitur, dum infra idem de sensibus internis inquiremus; vide Scot. p. d. 3. q. 3. K. in illa additione.

219 Quarto quæritur, num sensu isti externi sint ejusdem perfectionis in homine, & in brutis, quoniam duplex est perfectio, alia proveniens ex natura, & quidditate, & dicitur specifica, & essentialis, alia proveniens ex conditionibus individuantibus, quæ dicitur accidentalis, & utraque potest esse quæstio; De prima fere communis est opinio omnes sensus externos in homine, & in brutis esse ejusdem perfectionis essentialis, quia docet, sensus istos non differre specie; sed tam humanos quam brutales esse ejusdem speciei; Regentes Parisienses tamen 2. de An. dum de his sensibus agunt, & Aver. qu. 51. sect. 4. omnes istas potentias sensitivas specie distinguunt ad distinctionem animarum, quibus alligantur; De secunda perfectione Tol. 2. de An. q. 24. Cavellus in comment. ad q. 6. de An. num. 6. Suarez lib. 3. de An. c. 29. & alii sustinent omnes sensus absolute perfectiores esse in homine, quam in brutis; at communiter sustineri solet, hominem in sensu tactus, & gustus universaliter excedere omnia animalia, in cæteris autem excedi, & si non ab omnibus saltem a quibusdam.

220 Dicimus primo, sensus externos in homine, & brutis quandoque esse ejusdem speciei, quandoque diversæ; hæc conclusio colligitur ex Scot. 2. dist. 1. q. 5. D. ubi ponit potentiam vivivam ejusdem rationis in bove, & aquila; Prob. & explicatur simul, nam sensus isti sunt quid integratum ex organo, & potentia animæ, tanquam ex partibus componentibus, ergo quando organa differunt specie, potentiæ compleræ etiam differunt, videmus autem non semper in omnibus animalibus organa esse ejusdem speciei, ut in propriis locis adnotavimus, quæ diversitas non est accidentalis in sententia nostra ponente formam corporeitatis in vivente, sed substantialis. Quandoque vero organa sunt ejusdem rationis, & solum penes quædam accidentia differunt, ut in exemplo adducto de visu bovis, & aquilæ, utrobique enim organum videtur esse humor crystallinus, & in homine, ac aliis animalibus, ergo sunt ejusdem rationis, & perfectionis essentialis, patet conseq. quia nulla apparet ratio distinctionis, cum sint circa idem objectum; solum ex hoc, quod ab animabus specie distinctis derivant, possent species multiplicari; sed hæc ratio non urget, quia ut notat Doctor cit. non est necesse ponere tantam distinctionem in contentis, quanta reperitur in continentibus, & e contra, quod probat multis exemplis, unitas enim quæ est passio entis identice contenetur in lapide, & in homine, & tamen unitas lapidis non differt specie ab unitate hominis, sicut homo, & lapis inter se, e contra potentiæ sensitivæ, & intellectivæ formaliter quasi specifice distinguuntur inter se, & tamen in eadem anima rationali identificantur; qua ratione concludit, intellectum angelicum, & humanum specie non differre; & maxime in sentent. Aversæ distinguentis potentias realiter ab anima hoc erit asserendum, idem enim accidens specie potest a diversis agentibus produci.

221 An autem quando distinguuntur, non solum hæc distinctio attendi debeat penes organa, sed etiam penes potentias animæ partiales, est dubium; nam ex uno capite apparet distinctio etiam inter potentias, quia si diversa organa petunt, signum est distinctionis specificæ, ex hoc enim arguimus distinctionem animarum specificam; ex alio capite, quia essentialior est ordo potentiæ ad objectum, quam ad organum, & istæ potentiæ habent idem objectum, puta omnes potentiæ visivæ colorem, & lucem, omnes auditivæ sonum, &c. possent poni ejusdem speciei, itaut inter potentias completas sit distinctio quædam specifica materialis. Si teneatur primum; ad id identitate objecti dicendum, quod licet ex diversitate objectorum recte inferatur distinctio potentiarum, non tamen ex identitate objecti licet inferre identitatem potentiarum, ut diximus disp. 2. q. 4. Tum quia sonus v. g. ponitur objectum adæquatum potentiæ auditivæ in communi, quæ tanquam genus contineret sub se alias potentias specie distinctas, respectu quarum sonus in communi non erit adæquatum objectum, sed inadæquatum, & adest aliqua differentia, qua sonus attingitur ab una, & non ab alia, licet non agnoscatur a nobis.

222 Dicimus 2. perfectione accidentali, & ex conditionibus individuantibus desumpta hominem excedere bruta omnia in sensu gustus, & tactus, & forte etiam in auditu, non tamen in cæteris; Prob. de tactu, quia hic consistit in temperamento æqualis ad pondus primarum qualitatum, ut possit omnes excessus illarum percipere, unde quo magis tactus accedit ad qualitatem, eo perfectior est, constat

stat autem carnem hominis præ cæteris magis accedere ad æqualitatem, ut diximus disp. 7. de Gen. q. 4. idem probat. de gustu, quia tactus quidam est; de auditu quoque, nam quamvis animalia quædam acutius audiant, ut talpæ, attamen non videntur percipere omnes soni differentias, & concentus musicos ad amussim, ut facit homo, nisi velimus dicere in homine provenire ratione perfectioris sensus communis. In visu tamen patet, quod exceditur ab aquila, & lince, perspicacius enim vident, & remotius; in odoratu a vulture, & cane, qui tenuissimos quosdam odores percipiunt, & in majori distantia: Quod si dicas, bruta non percipere omnes differentias colorum, & odorum, sicut homo, & consequenter non exedere hominem simpliciter in his sensibus, sed secundum quid; sicut assumptum non facile probatur, nec etiam facile impugnatur; quod enim ajunt aliqui sensum tactus in homine esse perfectiorem, & consequenter, quia alii sensus postulant diversa temperamenta, in homine propter tactum non habebunt proprium temperamentum in perfecto statu; hoc parum urget, quia tactus in homine dicitur perfectior, non quia in omnibus partibus æqualiter vigeat, sed solum in pluribus, unde potest esse, quod in odoratu v. g. adsit temperamentum connaturale, quod consistit in excessu siccitatis, & consequenter tactus in tali organo non sit ita perfectus. Nec ex alia parte negare debemus absolute bruta percipere omnes differentias, si enim percipiunt tenuissimos odores, non est, cur nequeant alias differentias agnoscere, licet hoc nobis sit ignotum.

223 Dices, sensitiva in homine, quia conjuncta naturæ rationali, & perfectior, quam in brutis, ergo etiam potentiæ sensitivæ. Tum quia simia in comendendo multum gesticulatur; aranea levissimum muscæ motum percipit, ergo homo ab his exceditur in gustu, & tactu. Tum 3. bruta ex odoribus non capiunt dolorem, & delectationem vel saltem non ab omnibus, ut homo, signum evidens non tam perfecte illos attingere, ut homo. Resp. ad 1. neg. conseq. ex dictis in concl. præc. Ad 2. simia non ex majori gustu, sed ex levitate naturæ in comedendo gesticulatur; aranea est in continuis excubiis ad capiendam prædam, ideo faciliter percipit muscæ motum; tum quia motus ille non est ita levis, concutit enim totam telam, atque adeo araneam ipsam; tum quia perfectio tactus colligi debet in ordine ad primas qualitates, non ad motum. Ad 3. solum concludit sensus istos ex variis capitibus dici posse excedere, & excedi, perfectiores, & imperfectiores.

Quinto, examinandum occurrit, num sensus externi possint ferri in objectum absens, & solum in specie repræsentatum. Affirmativam partem possibilem esse non solum supernaturaliter, sed etiam naturaliter, sustinet Burid. de An. q. 21. & 22. communis recentiorum sententia eam limitat de potentia Dei absoluta, non naturaliter.

224 Nostra tamen sententia negat hoc fieri posse tam naturaliter, quam supernaturaliter; cujus probatio pendet ex dicendis disp. seq. q. 11. cognitionem scilicet intuitivam per hoc essentialiter ab abstractiva differre, quia illa dicit respectum transcendentalem ad objectum in se præsens, illa vero præscindat ab existentia objecti, cum igitur cognitio externorum sensuum sit intuitiva, & respectus transcendentalis sit realiter identificatus fundamento, non poterit ab intuitivo actu neque a Deo separari. Dices, saltem posset Deus infundere in sensibus externis cognitionem abstractivam objecti, & per hanc in objectum absens tendere. Contra, quia ad hanc cognitionem non posset species objecti concurrere, quia hæc ex sua ratione est productiva cognitionis intuitivæ, cum sit nata repræsentare objectum vere præsens; quare hæc cognitio deberet produci totaliter a Deo. Nec posset per hunc actum sensus externus tendere, quia ex propria natura habet, ut intuitive operetur, est enim cognitio ipsius experimentalis, cum sit in ordine potentiarum prima, sicut sensus interni, quia præexigunt ex sui natura cognitionem sensitivam externam, nequeunt immediate ferri in objectum in se, ergo sine fundamento asseritur, sensus externos posse elevari a Deo ad elicitionem cognitionis abstractivæ.

225 Contra instatur multis experientiis, quod possit fieri sensatio externa absente objecto; nam ludificati arte necromantica per species a Dæmone impressas vident quasi præsentia, quæ re vera sunt absentia. Somniantes, dum absentia imaginantur per sensum internum, eadem intuitive cognoscunt per externum; & timidi, ac debile sensorium habentes imaginantur se sentire per sensum exteriorem tanquam præsentia, quæ vere absentia sunt, & ex vi fortis imaginationis vere in illis datur sensatio exterior circa absentia, & non existentia. Aspiciens Solem, vel senestræ cancellos, clausis deinde oculis adhuc cernit Solem ipsum, vel lumen, & tamen potest esse non præsens. Dum virga ignita velociter movetur in gyrum, apparet circulus igneus, ubi non est ignis. Id ipsum etiam patet, nam sensus exterior sæpe fallitur intuendo rem aliter, quam re vera se habeat, ut constat, tum in exemplis allatis, tum in exemplo de baculo apparente in aqua fracto, & de existente in navi, cui arbores in littore existentes moveri videntur, & dum quis compresso uno oculo objectum duplicatum cernit, in his enim casibus, & similibus decipitur sensus, & datur cognitio intuitiva sine objecto præsente, ut percipitur, quia nec datur baculus fractus in aqua, nec motus in arboribus in littore existentibus, nec objectum duplicatum.

226 Resp. negando exempla allata probare intentum, cum enim Necromantici oculos illudunt repræsentando quasi præsentia, quæ sunt absentia, hoc fit virtute Dæmonum, quædam corpuscula aspectui obiicientium ex aere, & vaporibus compacta, quæ varie luce affusa varias absentium figuras ostentant (diximus enim supra nu. 69. colores etiam apparentes esse entitates reales a luce distinctas) & sui speciem visibilem ad sensum transmittunt. In somniantibus non operatur sensus exterior, cum in ejus ligatione somnus consistat, sed imaginativa, quæ absentia tanquam præsentia imaginatur, eo quia cum sit materialis, non abstrahit a conditionibus individuantibus, sed solum a præsentia rei immediata; sic etiam in timidis, & debili sensorio prædictis absente objecto sensibili revera sensus exterior non operatur, sed imaginativa vehementer inclinata per speciem relictam ex vehementi motione sensus externi, per quam speciem etiam præsentialitas ipsa repræsentari potest; veluti objectum cognitum. Ad id de Sole, cancellis, & virga ignita diximus n. 49. ubi etiam D. Aug. & Arist. explicuimus. Verum etiam est sensum sæpius decipi, & falli circa suum sensibile, sed ut advertit Doct. 1. d. 3. q. 4. G. id non contingit circa objectum ipsum secundum substantiam, quasi illud non attingatur, sed potius illud loco ipsius, nam oculus vere videt baculum in aqua, arbores in littore, & objectum, quod duplicatum apparet; sed deceptio contingit circa aliquam objecti circumstantiam, puta quia non videntur in tali situ, nec in tali distantia, ob illusionem in medio, vel organo, & se habebit ut visio intuitiva confusa; de qua disp. seq. q. 11. potest tamen in quibusdam casibus talis adesse in sensibus illusio, ut revera per sensationem non attingatur objectum, sed ejus species, quæ tunc redditur sensibilis ut *quod*, ut diximus de lumine intra oculum viso, & similibus n. 83. Rationes probantes posse hoc saltem supernaturaliter fieri, vide disp. seq. qu. 11. in fine.

227 Tandem quæri potest, supposito, quod objectum sensibile debeat esse præsens, num necessario, ut sentiatur, debeat existere divisibili modo, & extenso, an vero sufficiat, quod indivisibiliter, & inextense existat, & specialiter dubitari solet de corpore Christi existente in Eucharistia, num possit percipi a sensibus, & licet de omnibus sensibus sit quæstio, proponitur tamen præcipue de visu, ex cujus determinatione deinde colligitur resolutio de aliis sensibus. Hæc quæstio est diversa ab illa, quam resolvimus disp. præc. q. 2. c. aminando secundam conditionem objecti sensibilis, ibi enim loquebamur de re in se spirituali, hic de re corporali, ut existit sub modo spirituali.

228 Prima sent. affirmat Christi corpus posse oculo corporeo videri, ut in Eucharistia existens, non solum supernaturaliter, sed etiam naturaliter; ita Nominales in 4. d. 10. Secunda extrema negat posse videri tam naturaliter, quam supernaturaliter; Ita Riccard. 4. d. 10. art. 5. q. 1. Palud. & Capr. q. ult. Hisp. q. 1. ar. 3. Suarez 3. p. to. 3. disp. 35. sect. 4. Beccan. de Sacram. c. 19. q. 6. Ruv. 2. de An. tract. de object. & spec. sens. q. 12. Tertia sententia media docet hoc naturaliter fieri non posse, sed bene supernaturaliter; hujus tamen authores divisi sunt, nam quidam putant posse oculum corporeum supernaturaliter videre Corpus Christi, etiam ut sub modo indivisibili existit; est communis apud Thomist. citantur etiam D. Bon. Alensis, Vvaldens. & ex professo sustinent Vasq. 3. disp. 191. cap. 2. & Joan. de Lugo de Sacram. Euchar. disp. 9. sect. 2. Alii vero adhuc distinguunt, negant enim naturaliter Corpus Christi videri posse in Eucharistia quocunque modo consideretur, at supernaturaliter loquendo asserunt Corpus Christi, ut sub modo indivisibili existit, & reduplicative non posse videri, sed bene ut tali modo præscindit, & quatenus habet esse extensum fundamentaliter, & positionem de genere quantitatis, ita P. Faber in 4. disp. 44. Arret. d. 10. q. 9. art. 1. & ult. Mairon d. 11. q. 6. Bassol. d. 10. q. 4. ar. 3. & alii Scotistæ passim; utrumque modum tamquam probabilem amplectuntur Rubion. 4. d. 10 q. 8. & Coninch. de Sacram. q. 76. art. 7. Rada tamen 4. p. controv. 9. art. 4. ait posse Deum causare visionem Corporis Christi in Eucharistia, non tamen per hanc posse oculum tendere in Corpus Christi; & ita explicat Scotum in 4. d. 10. q. 9. Cavellus tandem disp. 3. de An. sect. 14. manet dubius.

229. Dicendum est naturaliter nullo modo Corpus Christi in Eucharistia posse videri, supernaturaliter autem neque videri posse, ut sub modo indivisibili existit; an autem ut a tali modo præscindit, possit videri, non est ita clarum. Prima pars, quod nullo pacto naturaliter sit visibile, habetur a Scot. cit. & in 4. d. 12. q. 2. B. & prob. ab ipso, quia visio naturaliter fit per multiplicationem specierum ad modum pyramidis, cujus basis est in objecto, & conus in oculo, ut diximus n. 98. modo si Corpus Christi naturaliter videri in Eucharistia posset, quia extra Hostiam non existit, an basis hujus pyramidis non excederet quantitatem Hostiæ, & sic Corpus Christi naturaliter videretur sub æquali quantitate cum Hostia, & sphæricæ figuræ, quod est falsum. Tum quia naturalis visio petit fieri ab objecto per immissionem specierum in oculo, sed Corpus Christi existens in Eucharistia nequit species in oculo producere, ergo &c. min. probat. quia agens naturale, ut naturaliter agat, requirit conditiones naturaliter requisitas ad agendum, quarum una, & principalis est, quod sit naturaliter præsens, & approximatum passo localiter, sed Corpus Christi in Eucharistia non habet connaturalem præsentiam, nec est oculo approximatum localiter, quia est *ibi*, non ut in loco naturali, ut notat Doctor d. cit. q. 5. D. & q. 6. C. & q. 7. B. Tum quia species naturaliter producitur ab objecto *divisibiliter* tota a toto objecto, & pars a parte, & *indivisibiliter* repræsentat objectum, ergo nequit produci a Corpore Christi existente in Eucharistia indivisibiliter, nec illud ut ibi repræsentare.

230 Secunda pars, quod nec etiam *super* naturaliter possit videri, ut sub modo indivisibili existit, est Scot. d. 10. q. 9. cit. quam probat, quia Corpus Christi ut *hic* nequit esse terminus visionis corporalis, neque per miraculum, ergo &c. assumptum probat, quia Corpus

Christi ut hic reduplicative dicit modum quendam indivisibilem, & spiritualem, qui nequit contineri sub objecto visus, nam si formaliter sumatur, dicit respectum ex disp. 11. Phys. q. 3. art. 2. si fundamentaliter dicit Corpus Christi præsens Hostiæ totum toti, & totum cuilibet parti; primum est prorsus insensibile ex dictis disp. præc. q. 3. cum sit relatio, & potentia etiam virtute Dei absoluta nequit tendere extra proprium objectum; Secundum quamvis sit quantum, & coloratum, attamen nequit illa visio repræsentare illud sic replicatum, quia vel tota repræsentaret totum, & pars totum, & quamlibet partem, & hoc implicat, quia etiam visio esset quid spirituale; tum quia jam in ratione termini dependeret a pluribus causis totalibus, quia non minus dependeret a toto corpore, quam a qualibet minima parte; vel tota repræsentaret totum, & pars partem, & sic non repræsentaret Corpus Christi modo inextenso, sed extenso. Accedunt rationes, quibus disp. præced. q. 3. probamus spirituale non esse sensibile.

231 Tertia pars, quod non sit tamen evidens posse Deum causare in oculo visionem Corporis Christi in Eucharistia existentis, ut tamen ab isto indivisibili modo præscindit, & solum ut habet propositionem de genere quantitatis, probat, quia expresse non docetur a Scoto, solum enim ibi asserit posse Deum causare visionem in oculo, & probat ex hoc, quia est forma absoluta, ergo sine contractione potest fieri sine respectu præsentialitatis ad objectum, vel quocunque tali respectu; quibus verbis potius innuit opinionem illam asserentem visionem intuitivam posse esse sine respectu tendentiæ ad objectum, quo sensu fuerat locutus q. 5. præc. quam velit oculum illa visione tendere in objectum, ut præscindit ab esse inextenso; unde expositio tradita a Rada est magis congrua, quam quæ a Fabro, & Arrer. traditur. Suaderi tamen potest, quia si implicaret, maxime quia visio, cum sit intuitiva, necessario debet terminari ad objectum præsens, & existens, ergo etiam ad modum, quo existit, ergo deberet necessario terminari ad objectum existens modo extenso, vel inextenso, non autem ut ab his præscindit. Sed hoc non obstat, quia etiam naturalis visio est intuitiva, & tamen non necessario terminatur ad omnem modum objecti, ut patet, cum res a longe videtur, quæ non apparet sub propria figura, & colore, aut sub motu, sed confuso modo conspicitur; ergo si naturaliter potest visio præscindere ab aliquo modo objecti, sub quo existit, non improbabiliter asseri potest de potentia Dei absoluta dari posse visionem, quæ terminetur ad objectum in se, & in tali loco existens, secundum quod habet positionem de genere quantitatis præscindendo a modo extenso, vel inextenso, & magis patebit ex solutione objectorum.

232 Contra primam partem arguitur, quod possit naturaliter Corpus Christi videri; potest immittere species in oculo, ergo potest videri, anteced. probat. si non posset, maxime quia caret modo connaturali essendi in loco, sed hoc non obstat. Prob. quia non minus, imo magis est conditio necessaria ad agendum subsistentia, quam locatio naturalis, quia subsistentia est intrinseca agenti, locatio est extrinseca, & accidentalis, sed quamvis agens careat propria, & connaturali subsistentia, adhuc potest propriis viribus exire in actiones connaturales, ut patet in humanitate Christi, ergo &c. Tum 2. si non posset videri, ergo Beati intuendo Eucharistiam fallerentur, quod non videtur congruum illi statui. Tum 3. lux indivisibilis posset videri, quia posset se multiplicare sphærice, & saltem in speculo reflexio fit a puncto ipsius, ergo licet Christus indivisibiliter existat in Sacramento, adhuc posset species immittere. Tum 5. quandoque in hoc Sacramento Christus videtur sub forma pueri, apparet caro, & sanguis, ergo si non videtur, est, quia Deus non vult concurrere, ut fides habeat meritum. Tum 5. ex Scoto hic habetur, quod Angelus licet sit præsens localiter diffinitive, adhuc est proportionaliter præsens corpori, quod localiter movet, & si haberet virtutem alterandi, alteraret illud, ut ibi præsens, ergo non requiritur ex parte moventis existentia corporalis ad hoc, quod alteret organum ad sensationem; hæc Doctor, quibus directe ostenditur posse Corpus Christi immutare sensum, licet indivisibiliter existat; vel ratio Doctoris nihil concludit contra Riccard. & D. Thom.

233 Respond. ad 1. neg. anteced. cum probatione, nec paritas assumpta de substantia valet, hæc enim non pertinet ad actionem, solum singularitas necessario requiritur, unde accidentia separata adhuc possunt agere, subsistentia igitur spectat solum ad complementum naturæ, non ad agendum, unde suppositum dicitur agere tantum ultimata denominatione, ut fusius in Metaphysica dicemus, at præsentia localis est conditio necessaria ad agendum connaturali actione; & si argum. valeret, probaret etiam posse agens naturaliter agere non debite approximatum, quia etiam hæc est conditio extrinseca. Ad 2. negat Doctor sequelam, quia nec etiam nos fallimur in Eucharistia quoad sensus, nam vere ibi accidentia reperiuntur, quæ sentimus; est tamen discrimen, quod beati intellectu videant ibi non esse substantiam panis, sed Corpus Christi, quod nobis minime competit. Ad 3. negat Doctor assumptum, quia ut vidimus disput. 2. de Gen. ad agendum requiritur determinata quantitas, lux ergo punctalis non posset species diffundere; neque exemplum de speculo valet, quia ut vidimus quæst. 2. artic. 2. radius rectus, reflexus & fractus ab eodem agente fiunt, non a qualitate recepta in corpore reflectente. Ad 4. est dubium apud Theologos, an quando eveniunt tales apparitiones, quod videtur, sit vere caro, & sanguis Christi, an aliquid habens solum talem figuram; sed quicquid sit de hoc, in proposito non urget, quia loquimur de Corpore Christi indivisibiliter existente, in illis apparitionibus, quod videtur, est extensum. Ad 5. dicimus rationem Doctoris valere contra D. Thom. quia iste videtur assumere ad quamlibet actionem physicam requiri contactum, & hanc conditionem esse agentis in communi, quod recte impugnat Doctor exemplo Angeli; at loquendo de agente corporeo, conditio illa, quod sit localitet præsens, & approximatum passo modo circumscriptivo, & extenso, est necessaria ad actionem; Dices, Scotus ibid. in respons. ad 2. lit. A. ait ex hoc, quod color non habet in Eucharistia ordinem ad locum eo modo, quo quantitas, solum sequi colorem non coextendi extensioni quantitatis, non autem quod non possit alterare medium, ergo agens extensum per Scotum poterit immittere species, etiam si inextenso modo existat. Respond. doctrinam illam esse ad hominem, & solum impugnari, non quia sit falsa, sed quoniam probatur sufficienter, agens extensum indivisibiliter existens non posse agere, etiam supernaturaliter, at nos in prima parte conclusionis loquimur naturaliter; quod etiam dici poterit ad præced. objectionem.

234 Contra tertiam partem arg. Vel species, aut visio repræsentans Corpus Christi, ita se haberet, ut tota repræsentaret totum, & pars etiam totum, vel tota repræsentaret totum, & pars solum partem; non primum, quia sic indivisibiliter repræsentaret, quod neque nos admittimus, neque secundum, quia modus ille est divisibilis, quem tamen non habet objectum. Tum 2. Corpus Christi est organicum, & ut sic existit in Eucharistia, ergo non potest videri nisi ut organicum, sed ut sic includit figuram, & extensionem, ergo &c. Tum 3. sensatio quælibet est extensa, & divisibilis, ergo semper repræsentabit objectum modo divisibili, quia inter repræsentans, & repræsentatum debet esse proportio. Tum 4. visio, ut diximus, fit ad modum pyramidis, vel ergo basis hujus pyramidis, quæ est in objecto, est divisibilis, & sic objectum videretur ut extensum, vel indivisibilis & sic solum indivisibile objecti videretur, non objectum. Tum 5. existentia in intuitiva cognitione necessario debet videri, sed Corpus Christi in Eucharistia habet existentiam indivisibilem, ergo &c. Tum 6. nequit substantia spiritualis videri oculo corporeo, quia indivisibiliter existit, ergo idem de Corpore Christi dicendum. Tandem hæc sensitiva cognitio esset abstractiva, quia præscinderet a modo existendi, & tamen supra diximus hanc cognitionem repugnare sensibus externis.

235 Resp. hæc argum. reddere oppositam opinionem probabilem, attamen, quia non evidenter ostendunt implicantiam, præstat illa solvere, ne absque valido fundamento timeremus omnipotentiam divinam. Ad 1. igitur dicimus visionem illam, vel speciem a Deo productam totam repræsentare totum, & partem solum objecti non quidem ut habet positionem de genere situs, quod est extense videri, & divisibiliter, sed solum ut habet positionem de genere quantitatis, quæ præscindit ab esse divisibiliter, vel indivisibiliter in loco. Ad 2. dicimus seipsum destruere, si enim Corpus Christi, ut in Eucharistia est organicum, & ibi non habet figuram, & extensionem de genere situs, certe organizatio non consistit in tali figura, & extensione; quare dicimus adhuc videri ut organicum, quatenus videntur partes formæ corporeitatis licet non ut extensæ, sed in seipsis. Ad 3. dici posset sufficere, quod repræsenter aliquod extensum, & divisibile fundamentaliter, non formaliter, non est necesse, quod inter repræsentans, & repræsentatum sit quoad omnia proportio, satis enim est, quod proportionentur cognitio, & sensibile proprium, licet non repræsentetur sensibile commune, quia illud est per se primo sensibile, istud per se secundo, & dependenter ab illo, quare non repugnat illud sine isto videri. Ad 4. assumptum valet de visione naturaliter producta ab objecto; tunc enim immittuntur species ad modum pyramidis, in casu visio fieret a Deo, & terminaretur ad objectum in se præscindendo ab esse in loco divisibili, vel indivisibili. Ad 5. videretur utique existentia, & localis præsentia, non tamen modus ipsius; ut concluderet ratio, deberet ostendi implicantia visionis existentiæ objecti præscindendo a modo divisibili, & indivisibili, hoc tamen non satis evidenter demonstratur per rationes adductas, quod si aliqua afferretur demonstratio pro ista implicantia, libenter acquiescimus. Ad 6. Respond. Doctor negando paritatem, quia Corpus Christi, cum sit quantum, & coloratum licet indivisibiliter existat, habet, unde possit terminare visionem præscindendo a modo indivisibili, at substantia spiritualis non solum videri nequit quia indivisibiliter existit, sed etiam quia secundum propriam entitatem est extra latitudinem objecti sensibilis. Ad ultim. cognitio illa non esset proprie abstractiva, quia non præscinderet ab existentia absolute, & in se, sed improprie, quatenus præscindit a modo existendi.

Cæterum num sensus externi forment idolum, seu speciem expressam, & difficultas solum inter Thomistas ponentes actus vitales actiones de genere actionis, & ex his, quæ dicemus disp. sequ. de verbo mentis; patebit hujus difficultatis resolutio.

QUÆSTIO VIII.

De sensibus internis.

236 PRoponimus quæstionem de sensibus internis in numero plurali, non quia pro comperto habeamus vere plures internos

ternos sensus reperiri realiter distinctos, sicut plures extant interni, hoc enim erit examinandum, sed quoniam communiter solent plures assignari interni sensus saltem ratione officiorum, ut fusius dicemus art. 3.

In præsenti supponendum est vere in brutis reperiri potentiam aliquam internam sensitivam ab externis distinctam, ut etiam docet Scotus pluribus in locis, & ex professo 4. d. 45. q. 3. & q. 9. de An. quod probatur adhuc, quia bruta meminerunt rerum præteritarum, hoc autem fieri nequit per sensum externum, qui percipit tantum res præsentes ex supra dictis; tum quia animalia in eodem subjecto distinguunt colorem a sapore, sed non distinguunt per aliquem sensum externum, ergo per aliquem internum; major patet experientia; canis v. g. accurrit aliquando ad rem aliquam deceptus colore putans esse cibum, at cum gustavit relinquit; min. vero prob. quia non potest aliqua potentia cognoscere distinctionem inter aliqua duo, nisi utrumque possit apprehendere, nam si unus homo v. g. solum cognosceret album, alter tantum nigrum, nec aliquis illorum solus, nec ambo simul possent percipere differentiam inter album, & nigrum, at nullus sensus externus potest se solo saporem, & colorem apprehendere, quia nullus potest transcendere proprium objectum adæquatum, ergo nullus externus potest illa distinguere, nec plures simul, cum sint potentiæ disparatæ, non subordinatæ. Tum quia experimur nos sentire, & non per sensus externos, qui non sunt propriorum actuum perceptivi ex dictis qu. præc. ergo per aliquam superiorem potentiam sensitivam; ut notat Doctor quol. 24. in fine: idem demonstrant somnia, quæ non solum accidunt in nobis, sed etiam in brutis, nam quandoque canes, dum dormiunt, latrant. Aliquas dubitationes diluemus infra, petunt enim cognitionem objecti hujus potentiæ, & modi tendendi in illud, ac aliorum.

Supposito igitur, quod detur hæc interna potentia sensitiva, primo inquiremus de subjecto, seu organo, deinde de objecto, numero, & actibus ipsius.

ARTICULUS I.

De subjecto, & organo sensus interni.

237 NOn est sermo in præsenti de principali sede animæ sensitivæ, de hac enim diximus supra disp. 1. qu. 9. sed de organo immediato sensus interni, licet enim admittatur cor esse principalem animæ sedem, adhuc posset inquiri, num organum interni sensus sit cerebrum, vel alia pars, sicut oculus non est prima sedes animæ, est tamen immediatum organum visivæ potentiæ, in quo visio exercetur: idcirco quærimus in præsenti, quodnam sit immediatum subjectum potentiæ internæ sensitivæ, in quo exerceantur sensationes internæ.

Prima opinio tribuitur Arist. lib. de juvent. & senect. cap. 2. lib. 2. de part. an. c. 17. & 10. & lib. 2. de gen. anim. c. 4. asseritque cor esse immediatum organum interni sensus; sequuntur quamplures Peripatetici, Avver. Them. Alex. Apoll. Concil. Buccius, Provenza, & alii apud Aversam q. 55. sect. 1. secunda opinio statuit subjectum immediatum esse cerebrum, estque frequens tum apud Platonicos, & Medicos, tum apud Recentiores, ut videre est apud eundem Aversam cit. est tamen discrimen, in qua parte cerebri immediate consistat; cerebrum enim ut diximus disp. 1. cit. habet ipsam substantiam cerebri medullam vocatam, habet duas membranas ipsum contegentes Meninges dictas, quarum una dicitur pia mater, altera dura mater; habet etiam intra se quatuor sinus, vel cellulas, seu ventriculos, ideoque divisi sunt Doctores, quidam enim in meningibus collocant sensorium sensus interni, favet Dand. lib. 3. de An. digress. 15. alii in ipsis sinibus, seu ventriculis; ita specialiter P. Faber. theo. 100 cap. 1. & alii in ipsa cerebri medulla, ita Aversa cit. estque communior cum Gal. lib. 7. de Decret. Hippocr. & Plat. c. 3.

238 Dicimus, instrumentum immediatum interni sensus non esse cor, sed cerebrum, non secundum Meninges, vel cellulas, sed secundum medullam, & substantiam ipsam cerebri; ita Doctor q. 10. de An. ubi Cavoll. & prob. ab ipso prima pars; quia sensus communis accipit suam immutationem a sensibus particularibus, ideoque debet prope sensus externos existere, hi autem sunt in capite. Tum quia homo existens in navi judicat res exteriores moveri, licet sint immobiles, & hoc propter motum capitis, non cordis; Tum quia ex studio excedenti homo dolet capite, quia vires sensitivæ interiores multum laborant, & capiti applicantur remedia, sicut etiam cum est læsa phantasia. Tum quia si læditur cerebrum, patitur quoque sensus internus; nervi, qui sensationibus inserviunt, a cerebro ducunt originem; per somnum perturbantur internæ cogitationes, quia caput fumositatibus abstruitur, licet cor adhuc vigilans existat; cogitationes, & somnia capiti tribuuntur tum in scrin. ut Dan. 2. tum a Sanctis Patribus ut Cryssost. in c. 4. ad Ephes. Ambr. 6. exam. cap. 9. Aug. in Psal. 29. Greg. in c. 9. Job, & alii. Nec obscure insinuatur ab Arist. 2. de par. anim. c. 7. & 10. lib. 3. c. 7. & lib. 4. c. 10. sect. 3. probl. q. 3. & 4. de somno, & vig. c. 2. & 4.

239 Secunda pars, quod consistat in sola medulla, Prob. Meninges enim non sunt aptum instrumentum interni sensus, quia potius sunt partes subservientes cerebro, & propter cerebrum a natura institutæ in ipsum circumambirent, & defenderent, ergo non sunt sensorium sensus interni, hoc enim debet esse pars quædam per se a natura intenta, & una ex principalioribus totius corporis, cum sit organum nobilissimæ potentiæ inter sensitivas. Tum quia ambæ nequeunt esse, quia organum potentiæ non est unum aggregatione, nisi ponerentur plures sensitivæ potentiæ

internæ, quod esse falsum, ostendemus infra. Tum quia si essent organum, læsis his tunicis læderetur sensus internus, contra experientiam, nam teste Gal. cit. etiam omnino denudato cerebro, nullum patitur detrimentum internus sensus, pateretur autem, si ipsa cerebri medulla offenderetur, ergo organum non erunt Meninges. Neque possunt esse illi ventriculi; Tum quia deberent sensus interni multiplicari juxta numerum cellularum, quod non est necessarium, ut dicemus. Tum quia non illæ cavitates essent organum, sed potius humor aliquis, vel substantia in illis inclusa, talis autem non est nisi spiritus animales, quia nec sunt animati, nec semper ibi permanent, sed in continuo fluxu per totum corpus diffunduntur, unde non esset major ratio, cur potius in spiritibus existentibus in illis cellulis consisteret organum interni sensus, & non spiritibus per totum corpus diffusis, cum sint ejusdem rationis. Quapropter remanet, ut ipsa medulla cerebri sit aptum instrumentum pro sensu interno, quæ, cum sit materiæ aliquantulum fluxilis, nec nimis duræ, nec nimis mollis, commode poterit recipere species sensibiles. An autem tota medullæ substantia sit organum, vel aliqua pars, patebit ex dicendis art. 3.

240 In oppos. arg. quia cerebrum non est continuum reliquo corpori, sensu caret, & sanguine, ut medulla ossium, nervi a corde derivantur, non a cerebro; cum quibus pungitur in manu, vel pede, videtur naturaliter punctio illa penetrare usque ad cor, quod etiam usurpatur in communi usu loquendi, apud quem etiam est valde familiare homines sapientes cordatos, ignavos vero vecordes vocari; imo Scriptura ipsa cogitationes internas tribuit cordi, *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria*; Matt. 9. & 15. Tum quia in sent. Arist. cor est principium omnis operationis vitalis, & sedes animæ, & appetitus, ergo etiam sensationis internæ. Tum 3. multa animalia carent cerebro, habent tamen sensum internum; ut sunt insectilia, quæ in plures partes divisa, secundum omnes vivunt, & sentiunt, unde sensum internum per totum corpus diffusum videntur habere. Tandem Scot. q. 10. de An. cit. asserit organum phantasiæ consistere in prima concavitate cerebri, ergo organum non consistit in medulla.

241 Resp. falsum esse, cerebrum non continuari reliquo corpori, continuatur enim per medullam spinalem, & per nervos, ut diximus disp. 1. n. 107. Nec esse certum omni prorsus sensu tactus carere, sed hoc admisso, adhuc potest esse sensorium sensus interni, imo hoc est valde accommodatum ipsius officio, si enim ponitur, inquit Aversa, instrumentum potentiæ, quæ est veluti judex omnium externorum sensuum, consonum est, ut omni externo sensu vacet. Falsum est nihil sanguinis in venulis continere: Nec esse ejusdem naturæ cum medulla ossium, hæc enim non est animata, & habet se ut alimentum, at medulla cerebri est animata, & una ex præcipuis partibus corporis. Neque nervos a corde, sed a cerebro derivari, ut notavimus disp. 1. n. 107. cum peritis Anatomicis. Punctionem dici, aut putari usque ad cor penetrare, quia arteriæ usque ad cor pertingunt vel propter naturalem subordinationem, quæ facit, ut tactis minus præcipuis partibus, principaliores, inter quas est cor, maxime id percipiant, aut commoveri videantur. Nec urget illud familiare eloquium, nam etiam in usu est, quod sapientes dicantur pollere cerebro, ignavi vero carere; unde modus ille loquendi vel fundatur in opinione asserente cor esse sedem animæ principaliorem; vel per cor intelligunt ipsam animam, & mentem, quo pacto intelligenda est divina Scriptura, præcipue quia ibi est sermo de malis volitionibus, quæ nonnisi a voluntate proveniunt, & in ipsa subjectantur, non in corde. Ad 2. de sent. Arist. jam diximus disputationem cit. intelligi debere de principio originario, non immediato, & si de hoc loquitur, esse dimittendum, an autem sit sedes appetitus, dicemus qu. seq. Ad 3. concedimus in illis animalibus propter imperfectionem cerebro carentibus, non cerebrum, sed partem illam proportionalem cerebro correspondentem esse organum interni sensus; imo in quibusdam hic sensus per totum corpus videtur diffusus, quia cum quælibet pars abscissa moveatur, motus hic ab appetitu communi causatur, qui nonnisi ab interno sensu movetur, quapropter in qualibet parte horum animalium erit sensus internus, & appetitus. Ad Scotum dicimus ibi non loqui ex propria sententia, sed ad mentem Avicennæ, ut ibi se declarat; at paulo infra decidendo hoc dubium de organo sensus communis, clare docet in cerebro residere.

ARTICULUS II.

De objecto sensus interni.

242 QUÆ possunt objici interno sensui ad duo membra vidéntur reducibilia, vel enim sunt sensationes ipsæ, vel res ad extra; si loquamur de rebus ad extra, vel sunt res ipsæ sensibiles per se externis sensibus sive propria, sive communia, ut color, sonus magnitudo, &c. vel sunt quædam affectiones harum rerum sensibilium, scilicet convenientia, vel disconvenientia, amicitia, inimicitia, huc spectant etiam privationes, & negationes; ut tenebræ, &c. si loquamur de sensationibus, seu actibus sensuum, vel sunt sensationes sensuum externorum, ut visio, auditio; vel internorum, qui adhuc distinguuntur; potentiæ enim internæ aliæ sunt cognoscitivæ, aliæ appetitivæ, hinc actus interni sunt hujus, vel illius potentiæ. De his omnibus videndum est, num a sensu interno sint cognoscibilia; quæ sub alia distinctione solent secerni a Doctoribus, scilicet in res sensatas, & insensatas; res sensatæ sunt, quæ immediate per se, & directe cognoscuntur a sensibus externis, qualia sunt

sensibilia propria, & communia, res insensatæ sunt, quæ ab externis non attinguntur, sed a solis internis, sub hoc genere continentur sensationes tum externæ, tum internæ, affectiones rerum sensibilium, & privationes, si hæc omnia ab interno sensu cognoscuntur, primæ dicuntur sensatæ, quia a sensu interno non cognoscuntur, nisi prius ab externis non sentirentur, aliæ dicuntur insensatæ, quia immediate, & primo cognoscuntur ab interno sensu, non ab aliquo ex externis.

243 Quidam volunt ab interno sensu solum percipi sensu sensibili externa loquendo de rebus ad extra, non autem affectiones, nec privationes, vel negationes, quidam (& est frequentior modus dicendi apud Thomistas, & Recentiores) concedunt percipi affectiones, & adhuc negationes. Quoad alterum genus cognoscibilium scilicet sensationum, est etiam discrimen, nam aliqui absolute negant, a sensu interno percipi aliquem actum sensitivum, sive externum, sive internum, alii admittunt solum de externis, alii concedunt de actu appetitivo, & negant de actu ipsius interni sensus; alii tandem etiam hunc cognosci affirmant; Authores harum opinionum expresse non recensemus, quia esset nimis tædiosum propter opinionum varietatem, videri possunt apud Doctores, inter disputandum tamen aliquos referemus, apud quos est adhuc altercatio, quomodo hæc omnia cognoscantur, si scilicet quodlibet percipiatur propria specie, an vero aliena,

244. Dicimus primo, sensum internum percipere quidem objecta sensuum externorum, non tamen ipsorum convenientiam, vel disconvenientiam, amicitiam, aut inimicitiam, & hoc primis actibus quod infra declarabimus.

Prima pars, quod objecta sensibilia externorum sensuum percipiant, est communis, & docetur a Scoto pluribus in locis præcipue q. 9. & 10. de An. & patet ex rationibus, quas adduximus in initio quæst. ostendendo dari sensum internum ex hoc, quod ponit, & cognoscit differentias inter omnia sensibilia externa. Tum quia intellectus non movetur immediate a sensu externo, sed interno, seu ab objecto ut cognito a sensu interno, ergo necesse est, sensum internum omnia sensibilia ab externis percipere; hæc enim ab intellectu cognoscuntur.

Secunda pars, quod non cognoscat affectiones insensatas primis actibus, seu amicitiam, & inimicitiam, convenientiam, & disconvenientiam, expresse docetur a Scot. 1. d. 3. q. 2. F. nec obscure colligitur ex 4. d. 45. q. 3 art. 1. eamque amplectitur Hurt. disp. 17. de An. sect. 8. hinc Cavellus super q. 9. de An. non Scotice loquitur, dum admittit magis probabilitet species rerum insensatarum in sensibus internis. Prob. autem, quia sensus internus v. g. ovis videndo lupum, vel perciperet inimicitiam media specie sensibili ipsius lupi, vel media alia specie, vel absque ulla specie; non tertium, quia ad quamlibet cognitionem maxime sensitivam requiritur concursus objecti media aliqua specie; Non primum (quod asseritur a Suarez lib. 3. de An. c. 9. & Aversa q. 55. sect. 2.) quia hæc species ejusdem rationis est ut existit in ove, & in altero lupo, ergo si ex se est repræsentativa lupi, ut disconvenientis, non solum ovi talem repræsentaret, sed etiam alteri lupo, quod est falsum,

245. Respond. non necessario speciem lupi repræsentare lupum ut inimicum æstimativæ alterius lupi, esto æstimativa lupi sit ejusdem rationis cum æstimativa ovis, ratio est, quia cognitio ista non pendet totaliter a specie, sed requiritur instinctus naturæ, & quia alius est instinctus naturæ lupi, alius ovis, hinc est quod lupus sua æstimativa percipit alterum lupum ut amicum per eandem speciem, per quam ovis percipit ut inimicum, Addunt Compl. disp. 15. de An. q. 3. hunc instinctum aliud non esse, quam radicationem potentiæ æstimativæ in hac, vel illa natura, ratione cujus æstimativa v. g. ovis solum nata est percipere convenientiam, & disconvenientiam naturæ ovis, & has species solum recipere, unde species lupi nata est repræsentare lupum, & convenientem, & disconvenientem, determinatur tamen ab æstimativa, quod scilicet cum æstimativa ovis repræsentat lupum solum ut disconvenientem, quia hæc potentia stante radicatione in tali natura, solum ut sic nata est percipere lupum, at cum æstimativa alterius lupi repræsentat tantum ut convenientem, quia sic est perceptiva illius,

246 Sed instinctus iste, vel radicatio potentiæ in natura non est ratio, cur æstimativa non possit objectum cognoscere, sicut natum est a specie repræsentari, nec potest determinare speciem, ut repræsentet objectum hoc, vel illo modo, ergo si species lupi est repræsentativa illius ut convenientis, vel disconvenientis, cuicumq; potentiæ eodem modo repræsentabit; assumptum prob. instinctus iste non est aliud, quam naturalis sympathia, vel antipathia objecti cum natura, itaut quia natura lupi naturaliter est opposita naturæ ovis, non autem naturæ alterius lupi, idcirco æstimativa ovis apprehendet lupum ut disconvenientem, æstimativa alterius lupi ut convenientem, sed si hæc doctrina esset vera, sequeretur, quod quando objectum aliquod habet naturalem convenientiam cum duabus naturis specie diversis, ab æstimativis earundem deberet percipi ut conveniens, sed hoc est falsum, ergo &c. sequela patet, falsitas, prob. nam multæ herbæ sunt medicinales, & convenientes nobis & brutis, & tamen nos apprehendendo speciem unius herbæ ex istis experimur nullam percipere convenientiam, nec appetitum nostrum moveri ad prosecutionem, ergo nec in brutis movebit species illa æstimativam illorum ad cognoscendam convenientiam, aliter deberemus ponere sensus internos perfectiores in brutis, quam in nobis, cujus oppositum omnes fatentur propter propinquitatem cum potentia intellectiva; idem de disconvenientia dicendum, multa enim venena bruta refugiunt, quæ nos minime cognoscimus, quamvis eadem accidentia externis sensibus percipiamus. Accedit, quod colores, figura, magnitudo, vox, & accidentia externa lupi non sunt disconvenientia ovi, sed potius natura ipsius lupi est disconveniens, sed species sensibilis solum repræsentat accidentia lupi, non naturam, ergo nequit repræsentare disconvenientiam, major patet, quia ut ait Doct. cit. si ovis mutaretur quoad accidentia externa in lupum, non idcirco esset alteri ovi disconveniens, & inimica.

247 Neque dici potest secundum, scilicet quod cognoscat media alia specie; vel enim est alia species solum modaliter, vel realiter; quomodocunque asseratur, semper urgeri poterit experientia in nobis, quod non percipimus talem convenientiam, aut disconvenientiam. Tum quia debet assignari causa producens talem speciem distinctam realiter a specie sensibili, vel modum huic superadditum, de qua causa multum laborant adversarii, Quidam enim apud Ruvium tract. de sens. internis q. 11. & tenet Arriaga disp. 5. de An. s. 5. dicunt infundi a Deo, vel a principio generationis animalium, vel ad præsentiam objectorum, aut specierum sensatarum. Sed hic modus est omnino voluntarius, ut diximus disp. præc. nu. 55. & seq. quia vel Deus hoc facit ut author naturæ, ergo non solum brutis, sed etiam nobis deberet has species insensatas concedere, quas tamen non experimur, vel hoc facit ex sua liberalitate, & beneplacito, sed hæc divina liberalitas, & voluntas solum nobis innotescit per divinam Scripturam, nullibi tamen reperitur in Scriptura Sacra fuisse revelatum, Deum infundere in æstimativa brutorum species insensatas. Quidam docent produci ab æstimativa mediis speciebus sensatis, quia in eodem objecto cognito plura cognoscit superior potentia, quam inferior, ut patet de intellectu, & sensu, ille enim plures formalitates attingit in objecto, quam iste, sic æstimativa ovis a sensu communi recipit quandam speciem repræsentantem accidentia externi lupi, virtualiter tamen, & quasi secundario, cum sit semen objecti, repræsentat disconvenientiam, idcirco æstimativa elicit speciem insensatam, quæ immediate concurrat ad cognitionem inimicitiæ. Quidam volunt, objectum ipsum producere has duas species distinctas sensatam repræsentantem accidentia externa, & insensatam repræsentantem inimicitiam. Contra primum modum est, quod ponit quendam sensum agentem refutatum disp. præc. contra secundum, quod asserit objectum immediate agere in sensum internum; tum quia si sunt species realiter distinctæ, posset una remanere sine altera, & sic species insensata moveret agnum ad fugam lupi repræsentans illum ut inimicum, absque eo quod agnus cognosceret accidentia lupi. Contra utrumque est, quod nostra æstimativa, quæ nobilior est, vel æque nobilis cum æstimativa bruti, deberet has species abstrahere, vel in ipsa objectum causare speciem insensatam, quod non experimur; & in casu ovis in lupum immutatæ extrinsece non posset æstimativa elicere, & suffodere, inquit Doctor, species insensatas, quia nec formaliter, nec virtualiter ibi reperiretur, sicut nunquam posset inveniri thesaurus, quacumque suffossione facta, si prius in illo loco non extaret; neque posset ovis sic immutata talem speciem causare, quia vere non esset inimica; & tamen adhuc ovis metueret.

248 Notantes diximus, primis actibus; nam nequit negari post notitiam aliquam experimentalem de aliquo objecto posse bruta apprehendere convenientiam alicujus objecti, vel disconvenientiam, sic canis fugit hominem tenentem baculum, quia ab illo fuit percussus, appetit cibum, cujus delectationem percepit, quærit illum, & denuo redit ad eundem locum, quod facit beneficio memoriæ retinentis species tam objecti, quam actus sensationis, & delectationis, quibus speciebus poterit internus sensus, vel æstimativa percipere suo modo convenientiam objecti, unde recedimus in hoc ab Hurt. absolute negante internum sensum posse convenientiam, vel disconvenientiam objecti percipere; quomodo autem se habeat appetitus in his primis actibus, dicemus in solutione objectionum.

249 Dicimus secundo, sensum internum aliquo modo percipere negationes & privationes, non tamen per species proprias insensatas; ita colligitur ex Scot. 1. d. 3. q. 3. K. præcipue in illa additione; quod cognoscat negationes, & privationes, patet, vere enim concipimus non videre in tenebris, imo ex tenebris ipsis incutitur horror quidam in nobis; bruta cognoscunt carentiam filiorum, magnumque sentiunt dolorem. Non tamen fit hæc cognitio per speciem aliquam repræsentantem negationes, quia nulla poterit assignari causa hujus speciei effectiva, non ipsa negatio, ut patet, cum sit non ens, non affirmatio opposita, nam lux, vel species lucis nequit producere speciem repræsentantem tenebras, quia nullum oppositum est productivum sui oppositi, neque sensus potest ab illis abstrahere hanc speciem, quia non est agens, neque talis species potest virtualiter in illis contineri, sicut continetur species intelligibilis in specie sensibili: Solum igitur cognoscuntur privationes actu quodam quasi divisivo per affirmationem oppositam, aut ejus speciem, ut de cognitione intellectiva docet Doctor 1. d. 23. D. & dicemus disp. seq. qu. 6. art. 1. species igitur vituli v. g. in memoria existens movet sensum vaccæ ad cognitionem, & appetitum ad amorem, & quia non adest cognitio visiva in oculo, hic sensus communis cognoscit vitulum absentem, seu vitulum non esse præsentem, quæ cognitio est causa desiderii, quod est amor rei absentis. Quapropter non immediate sensus communis fertur in negationem, nam si nunquam præcessisset cognitio positivi oppositi, non perciperet negationem, scilicet si vacca non habuisset cognitionem vituli, non apprehenderet carentiam vituli, sed quod percipit, est vitulus non præsens, vitulum percipit per speciem in memoria relictam, absentiam, qua-

quatenus non habet actum visionis in oculo, quem prius habebat. Hoc autem non est intelligendum formaliter, ut vere advertat rationem futuri, præsentis, aut præteriti, sed materialiter, & confuso quodam modo.

250 Dicimus 3. sensum internum cognoscere actus sensuum externorum, appetitus sensitivi, & probabiliter proprios actus, ita Scotus quol. 14. in fine 4. d. 45. q. 3. a. 1. ubi licet probabiliter pro utraque parte disputet, in fine tamen art. in partem affirmativam inclinat; idem habet q. 9. de An. eltque communis. De sensationibus externis prob. ex 2. de An. 145. & lib. 3. tex. 31. patet etiam experientia, nam bruta potentiam habent memorativam, ut infra ostendemus, ad cujus actum requiritur non solum objecti cognitio, sed etiam perceptio actus externi; nam ut ait Doctor cit. recordatio est cognitio actus alicujus præteriti ipsius recordantis, unde non recordamur Petrum fedisse, nisi quia recordamur nos vidisse, vel nosse fedisse Petrum, ergo bruta habent per sensum internum percipere externas sensationes; hinc videmus quandoque amissa quærere in eodem loco, ubi prius inveniebant, quod est signum recordari se in illo loco vidisse objectum, & de illo delectationem percepisse, ex desiderio cujus moveantur ad inquisitionem; item quandoque appetunt actus aliquos externos elicere, ergo appetitus movetur ex cognitione illorum actuum, ut convenientium, hæc autem cognitio nequit esse, nisi internæ potentiæ sensitivæ.

251 Sed dubium est, an cognoscantur hi actus distinctis speciebus ab illis, quibus objecta percipiuntur, an vero eadem speciebus repræsentet objectum, & actum externum. Cavellus in q. 9. de An. utramque partem problematice defendit; communior opinio non multiplicat species, sed eandem sufficere ait pro utroque, sicut eadem species repræsentat sensibile proprium, & commune; potestque suaderi, quia ut vidimus disp. præc. q. 5. ar. 2. non sufficit objectum ad causandam speciem in sensu interno; sed requiritur actus externi sensus, color enim potest causare speciem sui in dormiente oculis apertis, nulla tamen species ob id imprimitur in sensu interno propter carentiam visionis, cum igitur actus externus requiratur necessario, videtur cum objecto integrare unam causam totalem productivam speciei in sensu interno, quæ utrumq; habeat repræsentare. Tum quia posset una species ab altera separari, & sic v. g. remanere species actus sine specie objecti, unde posset fieri recordatio actus sine objecto, quod videtur falsum. Hæ tamen rationes non multum urgent, nam ex hoc, quod requiratur externus actus, ut objectum causet speciem sui in sensu interno, solum infert, actum esse conditionem requisitam, non tamen concausam speciei cum objecto. Nec secunda ratio valet, imo est ad oppositum, nam quandoque recordamur nos audisse aliquid ab aliquo, non tamen distincte reminiscimur rei auditæ, quod est habere speciem actus, non tamen objecti, licet oppositum non accidat frequenter, imo nunquam, quod scilicet recordamur objecti, non actus, quia actus necessario exigitur; nihil igitur determinatum de isto dici potest, licet probabilius, & Scoto conformius appareat esse distinctas species, quia sunt diversa objecta.

252 Tandem quod cognoscat actus appetitus sensitivi, & proprios, probat. quoque experientia, nam nos, & bruta recordamur horum actuum, imo appetitus quandoque delectationem sensitivam concupiscit, ergo fuerunt propositi actus isti a potentia cognoscitiva interna; & valde urget ratio in sensitiva, quam art. seq. tuebimur de unitate sensus interni, ut sic enim negari nequit sensum esse supra suos actus reflexivum, ut cum recordamur non solum de objecto viso, sed etiam imaginato. Nec refert, quod ait Ruv. tract. de sens. inter. qu. 4. videlicet non esse inconveniens sensum per actum superiorem cognoscere alium inferiorem, licet ejusdem potentiæ, sicut nec repugnat, potentiam superiorem percipere actum inferioris potentiæ, non vero poterit idem sensus per actum ejusdem rationis alium similem cognoscere. Non valet, quia actus memoriæ est etiam reflexus super actum ejusdem potentiæ circa idem objectum; hinc ait Doctor cit. de an. quod imaginatio sentit actum proprium, imaginamur enim nos imaginari, & imaginatos fuisse, & memoramur nos memoratos fuisse, & somniamus nos somniare; qui actus non sunt intellectus, ut asserebat Suarez lib. 3. de An. cap. 11. sed ipsius potentiæ sensitivæ, quia recordatio sæpius iterata cadit etiam supra actum recordationis præteritum, & dum somniamus nos somniare, ac somnia narrare, certe non est actus iste intellectus, cum terminetur ad idola jam imaginata; & simul a phantasia alia formentur idola. Quomodo autem possit hoc fieri, & qua specie cognosci, non videtur aliud dici posse, quam ut colligitur ex Scot. cit. & Cavello ibid. actus sensus interni producat speciem sui ipsius in eadem potentia; & quamvis non accidat hoc in aliis potentiis, ut visio non causat speciem sui in oculo, & actione immanenti, sed in sensu communi, & actione transeunte; oppositum tamen contingit in hac potentia, quod notum fit ex conjecturis; & quia in ordine sensitivæ potentiæ est prima, & suprema.

253 Contra primam concl. arg. primo, quod non possit cognoscere sensus internus subjecta sensuum externorum, quia ejusdem objecti essent duæ potentiæ distinctæ, quod est falsum. Tum 2. potentia cognoscens differentias aliquorum comparat ea, quia differentia est quædam comparatio, sed sensus internus non est potentia collativa. Tum 3. habitudo differentiæ est quædam relatio, quæ non est per se sensibilis, ergo &c. Tum 4. si sensus internus omnia externa sensibilia percipit, ergo frustra darentur externi sensus, nam internus solus sufficeret. Tum 5. non videtur unam, & eandem potentiam posse tam diversa subjecta percipere, cum habeant tam diversos immutandi modos, tamque diversas exigant dispositiones in organis, ut difficulter hæc omnia poterunt in unum coire. Tum 6. aptius poterunt omnes sensus externi simul cognoscere omnia externa sensibilia, eorumque differentias, quam sensus internus, iste enim deberet pluribus actibus simul plura cognoscere, quod videtur excedere vires potentiæ sensitivæ; item simul deberet cognoscere contraria, quæ omnia vitantur, si poneretur animal cognoscere externorum sensibilium differentias non unico sensu interno, vel externo, sed pluribus externis simul.

254 Resp. ex Scot. cit. ad 1. non esse inconveniens de eodem objecto esse plures potentias subordinatas, ut sunt sensus externus, & internus, sed bene disparatas. Ad 2. sensum non percipere formaliter differentiam inter sensibilia, sed solum materialiter, quatenus percipit ea, quæ differunt, & rudi modo judicat unum non esse aliud, ut dicemus. Ad 3. ex eodem sensus percipit differentiam materialiter, & in fundamento, quia percipit ea, quæ differunt, non formaliter, & secundum se. Ad 4. neg. seq. quia sensus internus non est immediate immutabilis a sensibilibus externis; & quoniam hæc externa sensibilia sentiuntur ab interno, & externo sensu sensationibus diversis, non ejusdem rationis. Ad 5. assumptum esse verum in ordine ad potentiam inferiorem, non in ordine ad superiorem, & perfectiorem, ut patet in intellectu, qui omnia sensibilia cognoscit, intelligibilia. Ad 6. neg. assumptum: omnes enim sensus externi cognoscerent omnia sensibilia, sed non differentias illorum, quilibet enim perciperet proprium subjectum, ponens enim differentiam inter duo oportet cognoscere utrumque; nec est inconveniens sensum internum posse plura simul cognoscere, hoc enim etiam externo convenit, & contraria, ut cum simul videtur album, & nigrum; neque movetur motibus contrariis, nam licet objecta sint contraria, sensationes tamen, sicut, & species sensibiles possunt simul inesse, nec in toto rigore contrariantur.

255 Secundo arg. quod sensus internus cognoscat convenientiam, & disconvenientiam objecti, etiam primis actibus. Tum quia objectum formale appetitus sensitivi quoad prosecutionem est bonum conveniens, quoad fugam est malum disconveniens, nec potest tendere in objectum, nisi ut bonum, vel fugere, nisi ut malum, etiam in primis actibus, sicut voluntas quocunque actu semper appetit objectum, quia bonum, & respuit, quia malum: at cum sit potentia cœca, indiget potentia aliqua cognitiva ostendente rationem formalem objecti, quæ est potentia sensitiva interna, ergo hæc etiam in primis actibus percipiet convenientiam, & disconvenientiam objecti. Neq; dicas, sufficere appetitum moveri ex sola objecti apprehensione, qua posita movetur ex quodam instinctu naturæ, vel ad prosecutionem, vel ad fugam. Tum quia appetitus ex sua natura natus est moveri prævia cognitione objecti, non ut sic, sed ut boni, & convenientis, ergo si posset operari absque cognitione bonitatis, & convenientiæ objecti, posset quoque operari absque notitia objecti in se, nam tam istud, quam illud est contra ipsius naturam. Tum quia natura non deficit in necessariis, in casu deficeret, quia si ovis non perciperet lupum ut inimicum, non fugeret ab illo, & sic periret; rursus ad suavem Dei providentiam spectat tribuere unicuique proprium operandi modum, sed appetitui sensitivo competit operari ex prævia cognitione formalis objecti, ergo &c.

256 Resp. non esse novum in natura aliqua fieri ex naturali anthipathia, vel sympathia non solum in animalibus, sed etiam in insensatis, magnes naturaliter attrahit ferrum, ad præsentiam allii, aut adamantis impeditur; sed præcipue in animalibus hoc evenit, nam quandoque viso objecto, absque eo quod percipiamus rationem convenientiæ, naturali quadam sympathia amore afficimur, vel antipathia odio habemus; quandoque ex insolito quodam clamore, ac inopinato perhorrescimus, & timemus, & tamen in illo clamore nulla ratio disconvenientiæ percipitur, quia vere nulla est; quapropter idem erit dicendum in brutis, quando operantur primis actibus, scilicet moveri ex simplici apprehensione objecti instinctu naturæ, ac Deo dirigente ut prima omnium causa; cum dicitur objectum formale appetitus esse bonum conveniens, quod debet cognosci; respondemus sufficere, quod cognoscatur materialiter, idest res conveniens, non formaliter, ut conveniens, & utroque modo appetitus sensitivus natus est operari; an autem idem sit dicendum de voluntate, est dubium, videtur enim quod sicut cognitiva potentia illam dirigens, qualis est intellectus, est perfectior sensitiva, volens ex se se attingere convenientiam formaliter, pariformiter voluntas videtur operativa ex motivo bonitatis formaliter cognitæ; unde ad primam impugnationem negamus operari ex simplici apprehensione objecti, qua bonitas materialiter cognoscatur, esse contra naturam appetitus, ut patet ex additis exemplis.

257 Ad 2. neg. naturam in casu deficere in necessariis; quia indidit instinctum, & inclinationem, ut v. g. ovis ad visum lupi statim moveatur ad fugam; nec est novum, bruta in quamplurimis actionibus dirigi a Deo ut authore naturæ, & operari ex instinctu non ex prævia cognitione convenientiæ objecti; videmus enim canes, statim ac sunt geniti, mamillas quærere; quarum tamen nullam habent cognitionem externam expressam, & distinctam; deinde si necesse erit, ad expurgandum ventrem herbas quærunt ipsis primo ignoras; si venatici sint, licet nunquam lepores viderint, adhuc semitas quærunt. Nec est dicendum tunc a Deo infundi species quasdam insensatas, ut probavimus; quare remanet, ut ex solo naturæ instinctu operentur, posita objecti convenientis apprehensione licet non ut convenientis formaliter apprehensi; unde dici solet bruta ex se non operari formaliter propter finem, sed materialiter, quod

totum innotescit nobis a posteriori per experientiam maxime in nobis, ut ostendimus supra. Et in his actionibus non ordinant media ad finem, v. g. hirundo hoc anno nata nullam habet cognitionem de necessitate nidi ad pariendum ova, & pullos, neque species illorum, & per consequens nequit referre collectionem palearum ad nidum, & nidi confectionem ad fovendum, sed primo se offert ipsi palearum collectio, quam statim ex naturali instinctu appetitus appetit, deinde offertur mixtio cum luto, & hanc etiam appetit, postea volatus ad nidum, & nificatio, &c. & in hoc consistit directio Dei ut authoris naturæ, ut scilicet hæc objecta ordinatim repræsententur, & quod appetitus ex innata propensione ducatur ex illa apprehensione; non tamen quod species causet insensatas.

258. Contra 2. concl. in qua sustinemus, negationes concipi actu quodam divisivo præter rationes adductas disp. præc. num. 20. insurgit adhuc Arriaga disp. 5. de An. sec. 5. ostendendo sensus internos actu positivo immediate percipere negationes, non autem actu quodam divisivo, quod probat; quia si perciperent solo actu divisivo, sequeretur dari discursum in brutis, & actum reflexivum supra propriam substantiam; seq. probat. quia juxta nostrum dicendi modum brutum taliter cognosceret negationem, seu fenestram in pariete non impedientem egressum, video colorem hic, & ibi nihil video, ergo ibi nihil est; in hoc loco erant catuli, modo non adsunt, ergo si hic non sunt, alibi erunt; quod est discurrere, & cognoscere propriam substantiam, quia brutum cognosceret se non videre. Tum quia adhuc a primo ad ultimum perciperet negationem, dum ultimo ait ibi nihil esse.

Resp. hoc argumentum urgere quoque ipsum Arriagam, nam admissa specie insensata repræsentante negationem coloris certum est non posse cognoscere sensum hanc negationem, nisi etiam habeat cognitionem positivi oppositi, unde cæcus a nativitate non cognoscit negationem coloris, quia nullam habet notitiam coloris, ergo ut percipiat negationem istam, debet simul reflectere ad colores, & consequenter videtur facere quendam discursum, ac seipsum percipere non videntem colorem. Tum quia quando brutum cognoscit absentiam filiorum, non percipit illam ut sic in abstracto, sed in tali loco externo debet percipere se non videre ibi filios; quare semper erit quædam reflexio. Dicimus ergo sensum bruti percipere negationes actu quodam reflexo supra objectum alibi cognitum, & supra sensum externum actu in tali loco illud non cognoscentem, scilicet dum cognoscit in pariete foramen, hoc percipit, quia in aliis partibus parietis videt colores parietis, qui indicant impedimentum ad egressum, in foramine nullum videt colorem, hinc non apprehendit aliquod impedimentum, & consequenter egreditur ex aula, neque hoc est discurrere, quia unum non infertur ex alio, sed solum sunt duæ apprehensiones connexæ, hic est impedimentum, ibi nullum est impedimentum; eo vel maxime, quod non conficit perfectam reflexionem supra actum, & potentiam actus, itaut seipsum cognoscat, sed confuso modo unum post aliud cognoscit non deducendo unum ex alio. Præterquam quod non est necesse ad actionem; quod semper habeatur expressa, & formalis cognitio negationis impedimenti, sed sufficit, quod non sit cognitio obstaculi, in itinere enim non semper advertimus nos non impediri, sed satis est, ut nullam habeamus notitiam *impedimenti retardantis*.

259 Contra 3. concl. arg. primo, quod internus sensus non cognoscat sensationes externas. Tum quia nulla sensatio est per se sensibilis, quia sensibilia per se sunt qualitates vel primæ, vel secundæ, sensatio nulla est his. Tum 2. sensus intetnus non cognoscit externos, ergo neque actus ipsorum. Tum 3. non immittunt proprias species in sensum internum, ergo nequeunt cognosci, patet cons. quia ad quamlibet cognitionem requiritur potentia, & objectum, vel species ejus; ant. prob. quia sic in visione albi duæ species imprimerentur sensui interno, scilicet species albi, & visionis, & sic duo actus simul inessent in sensu interno, quod est falsum; tum quia posset destrui species objecti, & remanere species actus, & sic percipi actus sine objecto, quod est falsum. Tum 4. non habemus idolum de sensationibus externis, sed tantum de objectis sensibilibus, ergo sensu interno non percipiuntur sensationes externæ. Tum 5. tactio v. g. quæ fit in pede non potest transmittere ad cerebrum propriam speciem per nervos, aliter objectum non solum in pede sentiretur, sed fere per totum corpus; neque potest agere immediate in distans, ergo &c.

Resp. negando sensationem non esse per se sensibilem, & qualitatem secundam, licet non sentiatur a sensibus externis. Ad 2. negatur pariter, quia sensus, cum sit potentia substantialis, non est per se sensibilis, sensatio vero est accidens sensibile; sicut tactus non percipit substantiam ignis licet percipiat calorem, qui ab igne producitur. Ad 3. jam diximus probabiliter asseri posse sentiri per speciem propriam distinctam a specie objecti; nec esse falsum imprimi duas species, & repræsentata per illas simul rentiri; ad aliud concedi posset totum; vel dicendum, quod sicut actus dependet ab objecto, sic species actus a specie objecti, eo quia se habent ut unum quid in ordine ad sensum internum. Ad 4. dicimus etiam de actu, formari idolum, ut patet, cum recordamur de actu, non de objecto; regulariter tamen non advertitur tale idolum, sed solum de objecto, quia potentia trahitur ab objecto, quo est magis sensibile. Ad 5. non sentitur tactio per totum corpus, quia species per nervos immissæ ad cerebrum sunt alterius rationis a speciebus sensibilibus productis ab objectis, nec sunt natæ causare sensationem ejusdem rationis cum tactione, & cum uniuntur potentiæ externæ, sed alterius rationis, & ut unitæ sensui interno, qui solum est in cerebro.

260 Secundo, quod non percipiat proprios actus, prob. Tum quia nullus sensus, cum sit quantus, & extensus, est supra se reflexivus, ut docet Scot. 4. d. 43. q. 2. G. & d. 45. q. 3. art. 1. sicut quantitas, cum sit extensa non potest supra seipsam convertere. Tum 2. sensus externus non percipit proprios actus, ergo neque internus. Tum 3. sensus externus non sentit qualitatem sensibilem sibi inhærentem, ergo neque proprium actum. Tum 4. quando actus est præsens, non sentitur a sensu tanquam objectum *quod*, ergo multo minus quando est absens, & non existens. Tum 5. objectum sensus est limitatum, ergo nequit continere suum actum, qui altioris est ordinis, quod patet inductione in sensibus externis. Tum 6. si sentimus actum, cum sit extensus, deberemus percipere extensionem ipsius, imo & organum, a quo extenditur, nam quando sentimus accidens, sentimus etiam subjectum accidentis, at non percipimus extensionem organi, ergo &c.

Resp. sensum non esse perfecte reflexivum supra proprios actus, ut est intellectus, sed aliqualiter tantum, ut dicemus art. seq. cui reflexioni non obstat extensio, quantitas enim est ratio, cur una pars non possit propter extensionem reduci in loco alterius, non tamen impedit, quin potentia organica cognitiva per alium actum non possit supra se quasi reflectere, & cognoscere actum præteritum; Neque Scotus ibi oppositum docet, ut patet in fine ar. sed problematice hinc inde disp. Ad 2. neg. paritas propter majorem perfectionem interni sensus; tum quia experientia convincit. Ad 3. assumptum non videtur verum universaliter, ut patet de odore existente in organo; sed quicquid sit de hoc, neg. etiam paritas propter eandem rationem, ut diximus probando conclusionem. Ad 4. Doctor cit. negat cons. quia forte sensus non est perfecte reflexivus, ut advertat ad proprium actum existentem, ut facit intellectus, ideoque quando actus est præsens, solum advertit sensus ad objectum, a quo rapitur, non ad actum propter imperfectionem potentiæ. Ad 4. neg. cons. cum probationis paritate. Ad 6. similiter neg. seq. quia sufficit, quod percipiatur actus ipse præteritus; & si valeret, ostenderet, nec posse internum sensum percipere actus externos, quod est contra ipsum Ruvium, cujus est hæc ratio.

Ex his deducitur objectum adæquatum sensus interni esse sensibile in communi, & in sua universitate, sicut objectum intellectus ponitur intelligibile secundum totam communitatem acceptum.

ARTICULUS III.

De actibus sensitivis internis, an sint judicativi, & discursivi.

261 Septem solent a Doctoribus assignari actus interni sensitivi, ut advertit Ruv. tract. de sens. inter. q. 1. Primus actus est *discernere* objecta a sensibus externis apprehensa, quo judicamus unum objectum scilicet colorem videri a visu, non audiri ab auditu, frigus tangi a tactu, non gustari, &c. Secundus actus est *phantasiari*, cum scilicet objecta apprehensa cognoscimus, etiam postquam fuerunt cognita, & absentia sunt, ut patet in somno, & etiam in vigilia, dum consideramus jam sensata, licet actu ab externis sensibus non percipiantur. Tertius dicitur *imaginari*, quo ex duobus objectis simpliciter apprehensis unum tertium componitur, ut cum apprehenso monte, & auro imaginamur montem aureum; apprehenso hirco, & cervo imaginamur hircocervum, & differt hic actus a secundo, quod ille est solum simplicium, ut sunt ab externis sensata, iste vero est compositorum ex illis simplicibus; solum posset dubitari, num sicut actu isto componuntur simplicia objecta, ita quoque componantur species sensibiles, itaut ex specie montis, & ex specie auri resultet quædam species composita repræsentans montem aureum, an vero virtute illarum simplicium specierum sensus eliciat actum componentem objecta, & quidem hæc pars, quod non detur species composita videtur probabilior; tum quia deberet admitti sensus agens; tum quia in intellectione non dantur istæ species compositæ; tum quia si habet virtutem componendi species, eadem sufficit ad elicitionem actus compositi, unde hæc species videtur superflua, ita colligitur ex Scot. 1. d. 3. q. 2. F.

262 Quartus dicitur *æstimare*, quando scilicet objectum sensatum cognoscitur ut conveniens, aut disconveniens animali; quod posse contingere saltem post primos actus docuimus art. præc. Quintus actus dicitur *memorari*, quando scilicet cognoscimus objecta, prout fuerunt a nobis sensata, unde circa præterita tantum versatur; hi omnes actus assignantur tam in nob s, quam in brutis, reliqui duo sequentes ponuntur in nobis, eo quia, inquiunt aliqui, sensus interni propter consortium intellectivæ potentiæ, quæ rationalis est, perfectius operantur, participantque discursum quendam imperfectum; quare Sextus actus dicitur *cogitare*, quo sensu operatur circa sensibilia particularia præsentia eodem modo, quo intellectus circa universalia illorum discurrit, unde sicut intellectus operatur per discursum circa sensibilia, sic sensus simul suo modo circa eadem præsentia operatur, quod est aliquo modo discurrere; & quoniam non discurrit intellectus circa præsentia tantum, sed etiam circa præterita, idcirco dari debet in nobis. Septimus actus sensitivus comitans intellectum in hoc discursu, & dicitur *reminisci*, & fit cum quodam discursu aliqualiter inferendo unum sensibile ex alio, per quod distinguitur a memorari, pro his actibus septem assignantur facultates sensitivæ, de quibus art. seq.

263 Ut

263 Ut autem naturam, & quidditatem horum actuum perfecte cognoscamus, videndum est, num sint vere judicativi, & discursivi, aut saltem aliquis illorum, quod est quærere, cum potentia sensitiva vim aliquam habeat judicandi, & discurrendi, an solum apprehensiva sit sine judicio, & discursu, ex quo patebit postea, an vere omnes isti actus reperiantur in sensu interno, an aliqui tantum, & quo pacto exerceantur.

Prima extrema opinio quorumdam antiquorum tribuentium sensui vim judicativam, & discursivam, sive in homine, sive in brutis existat, & consequenter asserentium omnia bruta, aut saltem perfecta ratione pollere. Altera extrema sententia negat potentiæ sensitivæ judicium, & discursum in rigore, non solum ut existit in brutis, sed etiam ut reperitur in homine, ita ex recentioribus Tol. 3. de Anim. cap. 3. qu. 3. Suarez lib. 3. de Anim. cap. 6. Ruv. tract. de sens. inter. qu. 5. Aversa quæst. 55. sect. 4. & alii. Tertia sententia media distinguit de sensu, vel enim consideratur, ut est in brutis, & sic negat actus in ipsis esse judicativos, & discursivos, vel ut existit in homine, & hoc propter propinquitatem, & conjunctionem cum intellectu concedit quoddam judicium, & discursum participatum, non quidem circa universalia, sed circa particularia, ita quamplures ex Thomistis, quos citant, & sequuntur Conimb. 3. de An. c. 3. q. 2. item Contar. q. de sensibus internis, & alii Peripathetici.

264 Pro resolutione notat. quod judicium multipliciter sumi potest, ut colligitur ex Scot. 4. d. 47. qu. 1. sed prout ad præsens spectat, primo sumitur late pro quacumque certa cognitione rei etiam simplicis. Secundo minus late pro cognitione duorum, vel ad invicem unitorum, vel distinctorum, non tamen attingendo formaliter identitatem, vel distinctionem, quod fit per quamdam collationem, & conferentiam, sed solum materialiter attingendo extrema distincta, & unum non esse aliud, & hos duos actus indicavit Doctor cit. dum dixit: *Judicium generaliter accipitur pro quacumque notitia certa, & illo modo sensus etiam distincte apprehendens objectum, vel distinguens objectum ab objecto, ubi requiritur forte magis distincta apprehensio, dicitur judicium*; & in his acceptionibus vere competit sensui, unde inquit Arist. 2. de Anim. 145. & seq. sensus communis dicitur judicare de sensibilibus diversorum sensuum, & oculum judicare de albo, & nigro; imo Job. 12. habetur, *Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis saporem?* &c. 34. *Auris verba probat, & guttur escas*. Tertio modo sumitur judicium pro actu vere compositivo, vel divisivo, quo potentia apprehensis terminis determinate judicat hoc esse, vel non esse illud, attingendo distincte complexionem formalem extremorum, & de hoc est sermo in præsenti, num vere reperiatur in sensu; Idem de discursu quæritur, qui est illatio unius cognitionis rei ignotæ per notitiam alterius notæ.

265 Dicendum neque in brutis, neque in homine sensitivam potentiam elicere actum judicii, vel discursus; ita Scot. 4. d. 43. qu. 2. F. & seq. & d. 45. qu. 3. art. 1. & 2. & p. d. 1. qu. 5. in corpore qu. ubi loquitur de sensitivo appetitu, & ait, quod licet, quandoque inhæreat aliqualiter alicui propter se, idest non propter aliud negative, quia non est ejus referre ad aliud, non tamen contrarie, quia non appretiatur objectum, ut non referibile ad aliud. Prima pars de sensibus brutorum prob. ex Arist. 3. de An. 22. docente compositionem, & divisionem discursus esse munera propria ipsius intellectus: Tum quia esse discursivum, & rationale est differentia essentialis hominis, bruta vero irrationalia dicuntur in Sacra Scriptura ut 2. Petri 2. Tum quia si discurrerent, participarent etiam aliquam libertatem, quia non esset major ratio, cur magis debeant habere rationalitatem, quam libertatem, & in homine utraque reperitur; at consequens est falsum, quia sic possent mereri, & demereri, nam omne opus liberum comitatur esse imputabile ad laudem, vel vituperium, præmium, & pœnam, quod est contra fidem. Tum quia non judicant, ergo neque discurrunt; ant. prob. quia ex dicendis disp. seq. judicium idcirco dicitur compositio, & divisio, quia præsupponit necessario primam operationem intellectus, & simplicem apprehensionem, quæ est actus distinctus a judicio, & per hoc judicium intellectus vere, & determinate copulat, vel dividit extrema apprehensa; sensus brutorum non prius apprehendunt, & postea judicant actu distincto, sed eodem actu omnino apprehendunt simul, & judicant extrema unita, vel disjuncta absque aliqua collatione ad invicem, quod est judicare confuso, & materiali modo, ergo vere, & proprie sensus brutorum non judicant, & consequenter neque sensus ex sua ratione formali est judicativus, patet cons. quia si ex se talis esset, jam quilibet sensus haberet istam proprietatem, quod enim convenit generi, convenit cuilibet speciei illius generis; quod magis patebit ex solutione argumentorum.

266 Secunda pars de sensu humano probatur, quia videtur esse ejusdem rationis cum sensu brutorum. Neque dicas cum Bannes 1. p. qu. 78. art. 4. dub. 2. assumptum esse ut verum considerando sensum humanum in se, at ut concipitur unitus potentiæ intellectivæ, sic posse elevari, & supra suas vires agere, sicut Cœlum ex se multos effectus nequit producere, at quatenus unitum Intelligentiæ, multa exercet opera excedentia proprias vires; supremum enim infimi attingit infimum supremi. Non valet, quia sic posset oculus ut unitus sensui communi attingere operationem aliquam excedentem proprias vires, scilicet apprehensionem soni, licet nequeat ex seipso apprehendere, quod est falsum. Tum quia vel hæc elevatio fieret per receptionem alicujus augentis activam virtutem, & innatam, vel solum per extrinsecam assistentiam, & conjunctionem; non primum, quia intellectus nihil producit in potentia sensitiva, hoc enim esset materiale, quod nequit a spirituali provenire; tum quia hoc materiale non esset adhuc sufficiens ad elevandum sensum ad judicandum, & discurrendum, ad hos enim actus videtur exigi spiritualis potentia. Neque secundum, quia ut vidimus disp. 7. Phys. accidens neque in virtute substantiæ assistentis potest attingere substantiam, eo quia talis assistentia non auget virtutem activam, ita de potentia sensitiva in homine dicendum, quod quamvis sit intellectui unita, quia per hanc unionem non acquirit novas vires, si ex se est impotens ad judicandum, & discurrendum, etiam ut unita erit impotens.

267 Contra prædicta arguitur primo, quod sensus in brutis discurrant. Tum quia sunt bruta prædita cognitione aliqua scientifica, vel arte, habent dialecticam, nam si canis in trivio quæreret feram, si olfactu perciperet per duas vias non pertransisse feram, statim absque alio olfactu tertiam viam arripit, ac si ita secum discurreret, non pertransiit per primam, nec per secundam, ergo per tertiam; habent medicinam, multa enim remedia a bruris accepimus; habent astrologiam, prævident namque tempestates, serenitates, &c. habent plurimas artes, ut aranea artem texendi, hirundo ædificandi; habent prudentiam, & multas virtutes, quia in elephante prudentia elucet, in leone magnanimitas, in formica providentia, in columba simplicitas; unde non immerito Salomon Prov. 6. hominem rationale animal ad formicam mittit, ut sapientiam edisca. *Vade ad formicam o piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam*. Tum quia loquuntur ad invicem ex qu. 3. art. 2. proprios animi conceptus proferunt, & multi disciplinantur, ut patet præcipue in avibus, quarum juniores versus, concentusque a senioribus discunt; disciplina autem infert discursum. Tum 3. sensus non simpliciter apprehendit, sed determinate cognoscit objectum esse parietem album, vel nigrum, cibum esse convenientem, vel disconvenientem, non enim appetitus movetur ex simplici apprehensione, ut patet in nobis, nisi determinate percipiatur objectum esse conveniens. Neque dicas sensus eodem actu apprehendere, & judicare. Nam sic perfectius operarentur, quam intellectus, perfectior enim est potentia unico actu plura attingens, quam potentia hoc idem perficiens pluribus actibus, ergo si sensus unico actu apprehendunt, & componunt, intellectus duobus actibus, sensus perfectiores essent nostro intellectu. Tum 4. sensus possunt reflectere supra proprios actus ex art. præc. ergo judicare, & discurrere, prob. cons. eadem enim implicantia videtur esse secundum Scot. 4. d. 43. qu. 2. G. quod materialis potentia sit reflexiva, & quod sit judicativa, & discursiva.

268 Resp. ad 1. quamplurima animalia esse tam perspicacis cognitionis, ut valde accedant ad potentiam rationalem, unde imitantur homines in industria, arte, & virtutibus, numquam tamen operantur ex vero judicio, ac discursu, sed solum ex instinctu naturæ dirigentis; aliter quia plantæ mirum in modum proprios flores, & fructus producunt, & exornant, potentia quoque generativa in semine, quia corpus construit miro artificio, deberent dici rationales, quod est falsum, non igitur ex admirabili effectuum productione arguitur in causa judicium, aut discursus, neque ex operatione cum quacumque cognitione, sed tantum quando vere attingitur compositio extremorum, & illatio ignoti ex noto; cæterum si solum materialiter hæc omnia attingantur, cum hac imperfecta cognitione accedente instinctu naturæ possunt bruta hæc omnia exercere. Hinc negamus pollere cognitionibus scientificis, & artibus; ad exempla dicimus canem tertiam apprehendere viam ex instinctu naturæ, neque satis exploratum est, num odorem feræ ibi ullatenus apprehendat; sic videmus flammam inclusam, vel aquam omnes tentare vias, ut foras erumpat, non idcirco tamen judicio, & ratione poller. Illa bruta, quæ aliqua exercent medicamina, non agunt ex vero habitu, aliter essent nobis perfectiora, qui neque intellectu possumus herbarum virtutes cognoscere, sed solum supposita prima apprehensione appetitus naturali instinctu apperit, & addita experientia, quod sit conveniens, & juvet, vi memoriæ sensitivæ retinentis species horum omnium, iterum appetit, cum offertur occasio, & quandoque intensius, quia perfectius repræsentatur objectum appetitui. Idem etiam de astrologia dicendum, & de aliis artibus; neque sunt concedendæ etiam veræ virtutes, sed umbræ quædam virtutum in animalibus, qua ratione recte a Salomone proponitur homini formica tamquam exemplar, quia si bruta, in quibus nullum viget lumen rationis, adhuc in suis operationibus regulate procedunt, quanto magis homo id deberet præstare, cum sit rationali anima præditus?

269 Ad 2. concedimus bruta media locutione internas sensationes ad invicem patefacere, hoc tamen non est judicare, vel discurrere, sed solum manifestare rudi modo propria phantasmata, & apprehensiones; disciplina quoque, quæ in aliquibus invenitur, tantum arguit perfectiorem phantasiam, & memorativam potentiam, non judicativam, aut rationalem, quia non percipiunt, nec penetrant naturam, & convenientiam objectorum. Ad 3. admittimus sensum determinate cognoscere objectum, unde dicitur etiam aliquo modo judicare, ut innuimus supra, non tamen est judicium proprie, quia ut diximus, nec est vera compositio, sed actus quidam, qui aliquo modo simul est apprehensio, & compositio. Neque ex *hoc* infertur, sensum perfectiorem esse ipso intellectu, quia unico actu attingit, quæ intellectus duobus actibus percipit. Non valet, quia esset hoc verum, si æque perfecte attingeret sensus unico actu, ac intellectus duobus, at non sic evenit, valde enim confuse, & imperfecte percipit objectum sensus illo actu, ac faciat intellectus,

unde

unde quod sic operetur, provenit ex ipsius imperfectione. Ad 4. si perfecte reflecteret sensus supra proprios actus, scilicet percipiendo actum ipsum, conformitatem, vel disconvenientiam cum objecto, dependentiam a potentia, & ipsam potentiam cognoscentem, utique posset judicare, & discurrere: & de hac reflexione loquitur ibi Doctor; at reflexio sensus solum cadit supra actum præteritum, quatenus repræsentat objectum, nec ultra progreditur, ut dicemus articulo quinto, ideoque sicut imperfecte est reflexivus, ita est imperfecte judicativus.

270 Secundo argum. quod sensus in homine sit judicativus proprie, & discursivus, saltem participative ab intellectu; ex Arist. 1. Met. cap. 1. & 2. post cap. ult. concedente memoriæ sensitivæ ratiocinationem; & in lib. de mem. & remin. cap. 2. affirmante actum reminiscentiæ, quem tribuit memoriæ sensitivæ, esse syllogismum quemdam, quo unum ex alio deducitur, & 6. eth. cap. 11. & 3. de Anim. 20. vocante vegetativam potentiam rationem particularem, & intellectum passivum. Tum 2. sicut appetitus sensitivus in homine participat libertatem quamdam, quia voluntati unitus, ita cogitativa propter idem consortium cum intellectu aliqualem discursum participabit. Tum 3. nihil potest intellectus cognoscere, nisi cum dependentia a phantasmatibus, ergo nequit judicare, & discurrere circa universalia, nisi cum consortio phantasmatis judicantis, & discurrentis circa singularia illorum, hinc notitia primorum principiorum non acquiritur, nisi experientia circa singularia per sensus habita; ut docet Scot. 1. dist. 3. q. 4. E. Tum 4. si hoc non esset, ergo cogitativa, & reminiscentia, vel non essent in homine, vel reperirentur etiam in brutis, utrumque autem est falsum; seq. prob. quia si non essent judicativæ, & discursivæ, jam non differrent ab aliis potentiis; nec esset aliqua ratio, cur brutis denegarentur.

271 Resp. idcirco Arist. illa epitheta tribuit cogitativæ potentiæ, non quia sit vere discursiva, sed quia intellectus in discursu dependet ab alia, immediate movetur ab illa, illamque immediate dirigit, unde discursiva, vel ratio dicitur denominatione quadam extrinseca propter propinquitatem cum intellectu; non denominatione intrinseca, ut vere in illa adsit vis aliqua discursiva, licet ab intellectu derivata, ita monet Doctor 4. d. 45. q. 1. in fine. Ad 2. sicut appetitus non dicitur participare libertatem intrinsece, ut acquirat proprie vim operandi indifferenter, sed solum extrinsece, quatenus subditur voluntatis imperio, idem de sensu cognoscente dicendum; licet enim potentiæ sensitivæ ex consortio in homine cum potentiis rationalibus perfectius operentur, quam in brutis, non tamen possunt ex hoc transcendere proprios limites materialis potentiæ. Ad 3. concedimus, dum intellectus discurrit circa universalia, phantasiam operari circa singularia, & de uno ad aliud procedere comitando intellectum, non tamen discurrendo, quia non percipit dependentiam unius ab alio, neque cognitionem unius ex cognitione alterius infert, nam licet cognoscat objecta dependentia, non tamen reduplicative ut talia. Nec urget, quod additur de primis principiis; verum enim est cognitionem ipsorum haberi a cognitione sensuum externorum intuitiva, non quidem sensu interno discurrente, sed intellectu percipiente objectum a sensu externo cognitum, ex quibus cognitionibus intellectivis experimentalibus deducit postea intellectus propositionem universalem, ut ibidem docet Doctor. Ad ult. dicemus art. seq.

ARTICULUS IV.

Ubi, quid sint facultates sensitivæ internæ, quibusque conveniant, explicatur.

272 EX præcedenti art. constat non esse septem actus in sensibus internis, sed quinque; nam cogitare, & reminisci non sunt actus distincti in homine, a memorari, & phantasiari, in tantum enim ab aliquibus ponebantur diversi quia discursivos esse asserebant, quod ostendimus esse falsum; & quoniam singulis actibus propriæ correspondent in sensibus internis facultates operatrices illorum, idcirco in præsenti debemus illas explicare, quid sint, & in quibus animalibus reperiantur; an autem differant in eodem vivente realiter, & sint potentiæ diversæ ad modum externarum, dicemus art. seq.

Primo igitur actui, qui est discernere, correspondet facultas quædam illius eliciriva, quæ dicitur *Sensus communis*; pro cujus intelligentia est not. quod non dicitur communis, ut notat Scot. qu. 10. de Anim. communitate prædicationis, & universalitatis, itaut se habeat ut genus ad alios sensus, nam tale commune non habet actum distinctum ab actibus singularium, nec extra illa existit, iste autem sensus habet distinctum ab externis, & in alio loco, vel situ corporis reperitur. Neque dicitur communis, quia sit circa sensibilia communia, qualia sunt illa quinque enumerata ab Arist. scilicet magnitudo, numerus, motus, quies, & figura. Nam sensus iste non solum hæc sensibilia, sed etiam quæ sunt propria externorum sensuum cognoscit Dicitur ergo communis, quia omnibus externis sensibus, & eorum sensationibus præsidet judicando illa, unde se habet sicut centrum, ad quod omnes lineæ circumferentiæ terminantur, & veluti Rex in solio sedens, & judicans de actibus particularium sensuum ad ipsum terminatis. Ex quo deducitur unicum esse sensum communem sufficientem discernere inter omnia objecta omnium sensuum, & non plures, itaut detur unus sensus judicans inter objecta visus, & auditus, alter judicans inter objecta visus, & gustus; nam inquit Doctor si alia facultas judicaret inter album, & dulce, & alia inter album, & sonum, sic duæ facultates non subordinatæ judicarent de eodem objecto, scilicet albo, quod est falsum. Tum quia non esset major ratio, cur hæc facultas judicet potius hæc objecta, & non illa; & tandem quia unicus sensus sufficeret.

273 Dices, unica facultas unicum expoſcit organum, sensus communis nequit habere unicum organum, quia hoc debet esse in media proportione inter sensibilia, sed nulla media proportio una potest reperiri inter omnia sensibilia, nam unius contrarietatis est tantum unum medium; sensibilia autem sunt diversarum contrarietatum. Tum quia omnes sensus externi possunt simul percipere propria objecta perfectissime, impossibile autem videtur sensum communem simul posse percipere omnia illa perfectissime, quia una potentia unicum actum perfectissimum potest habere. Resp. Doctor citat. quod organum sensus communis est taliter proportionatum, quod formaliter sit determinatæ complexionis, virtualiter tamen contineat omnia organa secundum proprias complexiones; sicut quia olfactus in aliquibus animalibus sit per medium aqueum, in aliis per medium aereum, in aliis per utrumque, sic organum in primis est aqueum, in secundis aereum, in tertiis quid proportionatum utrique; neque exigitur exacta medietas in organo, quia vis sentiendi principalius attenditur ex parte animæ. Ad 2. ait, quod si unus sensus exterior perfectius percipit proprium objectum, quam alter, sensus communis perfectius immutatur a tali sensibili; at si æque perfecte perciperent, tunc negat hos actus esse perfectissimos, quia magis perfecte anima attendit per unum sensum, quam per duos simul; & dato, quod perfectissime externi sensus sentirent, quia tamen unum objectum de sua ratione formali est fortius immutativum, idcirco perfectius sentiretur a sensu communi; tandem addimus, quod si æque moverent; sensus communis posset illa omnia percipere, quia sunt objecta inadæquata, si non perfectissime, saltem perfecto modo.

274 Secundo actui, dicitur phantasiari, correspondet secunda facultas appellata *Phantasia*, & definitur ab Arist. 2. de Anim. cap. ult. quod sit motus a sensu secundum actum facto; ubi vere non phantasiam, sed actum ipsius describit, phantasia enim non est motus, sed principium motus, quomodo autem sit intelligenda hæc definitio, jam diximus in expositione textus; solum hic adnotare debemus, quod cum per sensum in actu intelligatur sensus externus, ut colligitur ex verbis ipsius textus, sequitur, quod allata definitio non solum actui phantasiæ, sed etiam sensus communis, & imaginativæ conveniat, quia quilibet est motus factus a sensu externo actuato per speciem, & externam sensationem, idcirco ut proprium actum phantasiæ explicet Arist. subjungit non quemlibet motum internum esse talem actum, sed quo percipimus, tam præsentia, quam absentia, per quod distinguitur a sensu communi, qui est solum sensibilium præsentium. Phantasia igitur est facultas, qua percipimus objecta jam sensata ab externis sensibus, etiam postquam sensata sunt, licet actu non sentiantur. Tertia facultas dicitur *Imaginativa*, qua animal objecta sensata componit simul. Quarta dicitur *Æstimativa*, qua objecta sensata cognoscuntur ut convenientia, vel disconvenientia, non quidem per species insensatas, sed per actus præcedentes, quibus animal expertum fuerit utilitatem, delectationem, & convenientiam objecti, vel his oppoſita. Hæ facultates aliter solent ab aliis explicari, scilicet quod imaginativa habeat percipere objecta simplicia absentia, phantasia vero illa sic apprehensa simul componere, vel quod una habeat retinere species, altera per illas cognoscere; hæc tamen varietas provenit, quia sustinent has facultates esse potentias realiter distinctas, idcirco varia munera illis attribuunt, ut possint hanc distinctionem ostendere; verum hæc distinctio realis ex hoc capite maxime est respuenda, ut dicemus art. seq.

275 Quinta facultas ponitur *Memoria*; quæ dupliciter sumitur, vel prout dicit conservationem specierum sensibilium, seu potentiam conservantem tales species, quomodo dicitur memoria fœcunda, & de hac loquitur Doctor 1. d. 3. q. 6. §. *Secundo quæro*, vel sumitur, ut est principium recordationis præteritorum ut sic, & in hoc sensu sumitur in præsenti; quam Doctor in 4. d. 45. q. 3. art. 1. declarat exponendo distincte actum ipsius, qui est recordari: inquit igitur, quod recordatio est cognitio, seu cogitatio actus alicujus præteriti ipsius recordantis, & hoc inquantum præteriti; ex qua definitione colligit quatuor sequi, quatenus recordatio habet pro objecto actum præteritum ipsius recordantis, & alia quatuor, ut est objecti inquantum præteriti. Primum, quod sequitur, quatenus est præteriti ut sic, est quod actus recordationis necessario debet esse posterior tempore ob ecto recordato, aliter non esset actus præteriti. Secundum quod potentia recordativa percipit fluxum temporis mediantis inter tempus, in quo fuit recordatum, & tempus recordationis, & hoc vel determinate, ut si quis meminerit ejus, quod superiori mense, vel anno aspexit, aut audivit, vel confuse, & indistincte, si solum recordetur ipsum antea vidisse, audivisse, &c. non tamen certo, & definito tempore. Tertium, quod objectum recordationis, quando objicitur recordationi, non est in se præsens, quia tunc non esset recordatio ejus ut præteriti, sed intuitio præsentis, non quod necessario debeat esse destructum, sed sufficit, quod non moveat ut præsens. Quartum, quod sit præsens per speciem, quia potentia, ut exeat in actum, debet habere concursum objecti mediante specie, & consequenter debet in se ipsa speciem conservare. Primum autem, quod sequitur ex hoc, quod recordatio est alicujus actus præteriti ipsius recordantis, est, quod recordatio erit duplicis objecti, unius remoti, vel ultimi, scilicet circa quod recordans habuit actum, & alterius ut proximi, qui est actus

ille præteritus tendens in objectum remotum; nam licet cognoscamus mundum creatum sub ratione præteriti, non tamen recordari dicimur mundi creati; quia non habuimus actum in præterito transeuntem super mundum creatum. Secundum, quod actus iste, qui est objectum proximum, quando existit, debet imprimere speciem sui in potentiam memoratricem, ut hæc postea possit exire in actum recordationis. Tertium, quod actus, seu objectum proximum debet esse actus proprius ipsius recordantis; unde nequit esse recordatio actus in alio existentis, etiam ejusdem rationis. Quartum, quod actus iste præteritus debet esse objectum potentiæ recordativæ, cui debet speciem sui imprimere.

276 Ex his deducitur, quod licet cognoscamus rem aliquam, ut præteritam, si tamen circa illam non habuimus actum ali quem cognitionis, non erit recordatio, sed cognitio nova, aut inventio. Deducitur etiam ratio, cur eorum, quæ in pueritia didicimus, diutius recordari solemus, non quæ alio tempore cognoscimus; causa est, quia animus in pueritia non est circa multa implicatus, & distractus, habetque maximam addiscendi aviditatem, primas illas species cum maxima jucunditate recipit, firmisque imprimit, unde propter magnam specierum intensionem quasi indelebiliter species illæ inhærent potentiæ; accedit admiratio excedens, qua pueri omnia ut nova suscipiunt; quæ causæ progressu temporis cessant. Hæc quoque est ratio, cur facilius memoramur, quæ fuerunt a nobis inventa; quoniam naturali propensione diligimus nostra, & ut nova cum magna intentione recipimus, intensioresque ob id producuntur species in nobis deletu difficiles; at quando species sunt remissæ, vel ex magna distractione potentiæ, vel improportione spirituum, tunc facile obliviscimur, sicut facile species dispergunturs.

277 Ex hac oblivione provenit reminiscentia, quæ est species quædam recordationis, ambæ enim sunt præteriti cogniti tamquam præteriti, sed cum hac differentia, quod recordatio, & memoria est cognitio rei præteritæ cognitæ nulla oblivione intermedia; at reminiscentia ut docet Scot. 4. d. 45. qu. 3. F. est cognitio rei prius cognitæ, sed postea obliræ, quæ iterum cognoscitur media ratione excitante species ad memorandum ex cognitione aliorum similium, vel propinquorum, aut connexionem aliquam habentium, nam quæ sunt inter se connexa, & ordinata, faciliter ad motionem unius reliqua commoventur. Hoc autem non est intelligendum, quod ipsa potentia sensitiva vere discurrat inferendo ignotum ex noto, sed solum ad cognitionem unius excitatur ab intellectu ad cognitionem alterius; qua ratione memoria sub ratione reminiscentiæ solum in homine ponitur, in brutis vero tantum habet rationem memoriæ; unde reminiscentia, vel dicit actum memoriæ intellectivæ, vel si est potentia sensitiva, connotat illum; idem de cogitativa dicendum, quæ in homine quoque tantum ponitur, in brutis vero dicitur vel æstimativa, vel phantasia, aut imaginativa juxta varia Doctorum placita.

278 Dices, aut homo est perfecte oblitus illius objecti, cujus est reminiscentia, & tunc etiam si denuo cognoscat illud, non idcirco dicetur reminisci, quia cum species actus præteriti sit notabiliter deleta, non poterit cognoscere illud sub ratione præteriti, sed potius cognitio illa se haberet ut nova; si non est perfecte oblitus, ergo non erit reminiscentia, sed memoria, quare hæc reminiscentia videtur impossibilis. Resp. ex Scot. in 4. dist. 45. qu. 3. H. & L. quod argumentum currit, si taliter species sensibilis actus præteriti esset deleta; attamen si esset aliqualiter perdita, ut ex se non posset concurrere ad actum, poterit vi intellectus discurrentis per collationem quamdam, vel usum aliarum similium specierum recuperari perfecte, & tunc accedente etiam memoria intellectiva virtute speciei intelligibilis in ipsa conservatæ scitur illud nunc recordatum esse illud, quod prius fuit cognitum, postea oblitum; & hæc est ratio, cur quandoque non possumus recordari alicujus prius cogniti, quamvis iterum illud cognoscamus, & apparet nobis, ac si numquam cognoverimus, quia scilicet species illius fuit totaliter deleta in memoria sensitiva.

Quæres primo, unde proveniat præsertim in homine illa vocum series, quas uno tractu proferimus. Secundo, cur potius unius rei facilius recordamur quam alterius. Tertio, cur quandoque cogitamus de re, de qua forte ante viginti annos non cogitavimus. Quarto, quomodo excitantur species, & cur facilius excitentur species recenter acquisitæ. Resp. ad 1. voces eodem modo pronunciari, quo prius sunt apprehensæ, estque veluti quædam specierum catena, quam uti directo filo sequimur, etiam memoriter eas voces, quas species repræsentant, pronunciamus, unde si aliquis annulus illius catenæ, ut ita dicamus, excidat, nisi statim religetur catena, reliquæ voces non veniunt; quandoque tamen indiscriminatim apprehendimus species, & tunc non adest ita necessaria colligatio specierum inter se, verum habemus delectum eorum, quæ rationabiliter dicenda sunt, & sic assuescimus bonis specierum combinationibus, itaut etiam somniando videamur discurrere. Ad 2. hoc provenire, vel quia species illius est illustrior, aut intensior, vel quia juxta propriam inclinationem naturalem. Ad 3. contingere vel propter novam combinationem aliquam, vel propter aliquod externum objectum simile perceptum a sensu externo. Ad 4. excitantur species modo superius declarato de reminiscentia; facilius tamen excitantur recenter acquisitæ, quia istæ sunt intensiores, & insunt substantiæ cerebri magis humidæ, unde facilius agitatur; ubi species antiquæ inhærent substantiæ crassiori, & sicciori, qua ratione successu temporis difficilius moventur.

279 Circa alteram quæsiti partem, an scilicet omnes istæ facultates reperiantur in brutis, vel aliquæ tantum, variant inter se Doctores, quidam enim animalibus imperfectissimis, ut sunt, quæ solum gustum, & tactum possident, negant sensum aliquem internum; alii concedunt solum sensum communem; alii tribuunt etiam phantasiam, seu imaginativam, & universaliter omnibus brutis probabiliter Doctor in 4. sæpe citat. negare videtur memoriam sensitivam.

Breviter tamen dicimus cum Aversa qu. 51. sect. 4. omnibus brutis omnes istos actus internos, & sensitivas facultates convenire, licet non omnibus æque perfecte; sed uni magis, alteri minus. Hæc conclusio conformior est doctrinæ, quam tradit Doctor cit. & probat, quia nullum animal est, quod saltem imperfecte non habeat duos sensus gustum, & tactum, ergo debet percipere differentiam horum sensibilium, & consequenter habere debet sensum communem distinguentem saltem hæc duo sensibilia, quando actu percipiuntur. Deinde omne animal habet appetitum sensitivum, quo appetit sibi conveniens, non solum quando est præsens, sed etiam quando est absens, & illo indiget, sic testacea se aperiunt ad recipiendum alimentum, quod actu non gustant, quædam dilatantur, alia constringuntur, quod est signum alicujus appetitionis, & consequenter possunt habere aliquam phantasiam, vel imaginativam, qua objecta absentia percipiant licet valde imperfectam. Rursus si in omnino bruto adest appetitus aliquis sensitivus, debet quoque concedi cognitio aliqua repræsentans objectum ut conveniens, aut disconveniens, quod est habere æstimativam; & forte etiam facultatem componentem unum sensibile cum alio, quam alii phantasiam, alii imaginativam vocant (de hac enim est valde dubium, an detur in omnibus, quia in imperfectissimis nullum signum apparet, quod indicet sufficienter in illis reperiri facultatem istam.) Et tandem habent aliqualem memoriam, quia si appetunt objectum conveniens, postquam fuit sensatum ab illis, valde probabile est retinere species illius delectabilis, illudque suo modo appetere tamquam objectum præteritum, & ut antea sensatum; unde vel repetunt certa quædam loca ad alendos filios, vel quærendos cibos, aut ad quiescendum, & latendum, vel si talem motum non habent, exercent tamen certas actiones ad sui conservationem, defensionem, & nutritionem, ut sunt dilatatio, restrictio, & similia; quæ indicant aliquam cognitionem præteriti, ut sic. Ex quibus patet multo magis, & in gradu perfectiori has facultates reperiri in animalibus perfectis, imo quædam tam perfecte possident imaginativam, & memoriam, quod sunt disciplinæ capacia, ut possit aliquid discere ab homine, si scilicet perfectum usum habent auditus, qui est sensus disciplinæ, & perfectam phantasiam, quoad sensata auditus, ut sunt canes, equi, psittaci, &c.

280 In oppos. arg. primo ex Arist. 2. post. 103. & 2. de Anim. 32. negat imaginationem omnibus animalibus convenire; & specialiter tex. 156. negat competere formicæ, api, & vermi; & 1. Met. cap. 1. negat memoriam omnibus inesse, sed solum, quæ prudentiæ, & disciplinæ sunt capacia. Item solet communiter dici, & desumiter ab Alb. 1. Met. cit. muscas, & papiliones carere memoria; eo quia muscæ expulsæ adhuc redeunt, quod est signum non recordari expulsionis, & actus; papiliones, etsi semiusti, obliti caloris ignis iterum ad lucernam accedunt; & D. Basil hom. 8. exam. a piscibus omnibus removet memoriam. Tum 2. quia ad memoriam requiritur, quod percipiatur actus aliquis ipsius recordantis ut præteritus; sed nequit hoc competere alicui potentiæ sensitivæ brutorum, ergo &c. prob. min. quia potentia sensitiva superior nequit percipere actum alterius potentiæ inferioris, quando est præsens, quia non est reflexiva, ergo multo minus poterit cognoscere, quando non est; & esto posset hunc actum sentire, nequit tamen percipere tempus, nam tempus est numerus motus secundum prius, & posterius, quod percipi non potest sine collatione posterioris ad prius, at nullus sensus est collativus; cum igitur non percipiat tempus, non poterit sensus cognoscere objectum sub ratione præteriti, vel præsentis, aut futuri, & per consequens neque habebit memoriam, quæ est perceptiva objecti, ut præteriti, neque sensum communem, qui cognoscit objectum præsens, neque æstimativam, quæ præcipue fertur in objectum absens, & futurum, seu ut possibile acquiri. Tum 3. recordatio non potest concludi esse in bruto ex ejus actibus, ergo non sunt multiplicandæ facultates sensitivæ in bruto, ant. prob. quia omnes actus brutorum, ex quibus magis posset concludi memoria in ipsis, vel sunt actus prudentiæ, vel providentiæ, ut de formica colligente grana ad eumdem locum, & tempore determinato, vel sunt actus justitiæ retributivæ obsequendi benefacientibus, & puniendi offendentes, vel pertinent ad conservationem speciei, ut est nidificatio avium, & pullorum nutritio, vel sunt actus disciplinæ, sed hi omnes possunt salvari sine memoria, ut ostendit Scot. 4. d. 45. q. 3. ar. 1. ergo, &c.

281 Resp. ad 1. Arist. in 3. de Anim. 56. & 57. admittit in omnibus brutis imaginativam potentiam; idcirco ne videatur sibi ipsi contradicere, dicimus non absolute ab animalibus imperfectis negare imaginationem omnem, sed quæ est perfecta, & circa omnia sensibilia; triplex enim gradus imaginationis datur, ut notat Ruvius tract. de sens. internis qu. 8. primus est imaginativæ imperfectissimæ, & infimæ, quæ se extendit solum ad sensata per gustum, & tactum, & hæc omnibus convenit, ut ait Arist. in 3. de Anim. cit. Secundus est imaginativæ perfectæ, quæ est cum recordatione, & ad plura alia se extendit, quam ad sensata per gustum, & tactum, & hæc non inest omnibus, convenit tamen

men formicis , & apibus , ut patet ex operibus ipsorum valde ordinatis, & artificiosis, quæ sine perfecta imaginativa non videntur exequi posse. Tertius gradus est perfectioris imaginativæ, quæ infert etiam capacitatem disciplinæ, & hæc denegatur ab Arist. formicis, apibus, & aliis brutis; eodem modo distinguendum est de memoria. Quod additur de muscis, & papilionibus potius est ad oppositum, ut notat Averſa cit. videlicet, quod ex illis actibus colligatur in ipsis memoria, quia eadem loca sæpe repetunt; quod dat intelligere fortius movere muscas, & papiliones phantasma alimenti, vel flammæ, aut lucis, quam terreat phantasma percussionis, vel caloris. Tandem quod dicitur de piscibus, debet intelligi de memoria perfectissima, videmus enim quod ad eadem loca redeunt ad quærendum cibos, vel latendum. Ad 2. neg. minor, ad prob. ait Doctor, vel quod etiam quando actus existit, cognoscitur a superiori facultate, nam licet non sit perfecte reflexiva, habet tamen aliqualem vim imperfecte reflectendi, ut diximus art. 2. Vel si concedatur non cognosci, quando est, non satis ostenditur non posse postea cognosci per speciem; prima tamen solutio est expeditior. Ad id de tempore, inquit, quod etiam tempus est sensibile, quia tam motus, quam numerus sunt sensibilia communia; sed brevius dici poterit tempus non posse cognosci a sensu formaliter sumptum, & distincte, ac determinate, ut sic enim exigitur quædam collatio, potest tamen percipi a sensu materialiter, confuse, & indeterminate, quatenus recordatur se aliquando vidisse, audivisse, &c. quod etiam in nobis accidit, neque tunc conficimus comparationem aliquam; sic etiam sensus est rei præsentis, vel futuræ, non quia percipiat formaliter coexistentiam illius rei cum tempore præsenti, vel futuro, sed quatenus percipit objectum actu movere exteriores potentias, vel non movere actu, non apprehenditur tamen ut impossibile, sed ut possibile, quia supposita cognitione movetur appetitus ad actum desiderii, spei. Ad 3. ait Doctor, quod licet probabiliter possent actus brutorum salvari non ponendo in eis proprie memoriam, sed solam imaginativam objecti; facilius tamen, & probabilius salvantur assignando illis memoriam.

ARTICULUS V.

De numero internorum sensuum.

282 PRima sententia unicum tantum ponit sensum internum, qui varios actus habet exercere, & ex illis varias deinde sumit denominationes, scilicet sensus communis, phantasiæ, &c. ita Alens. 2. p. qu. 7. membr. 2. sequuntur ex nostris Tatar. 2. de Anim. dub. 2. Cavell. super qu. 9. Scot. de Anim. concl. 4. estque communior apud Recentiores, amplectuntur enim Rev. Dand. Hurt. Suarez, Guevara, Philalthæus, Aversa, Arriaga, & alii in hanc quæst. Secunda sententia duas poni potentias sensitivas internas realiter distinctas, scilicet sensum communem, & phantasiam, illi tribuunt discernere inter objecta externorum, isti vero cæteras alias operationes, ita Conimbr. 3. de Anim. cap. 3. qu. 1. art. 3. Fonseca, Marcellus, Petrus Martinez, Forolivienſ. Prov. & alii apud Averſ. Tertia sententia tres multiplicat potentias internas, ita Nemes. l. 4. Phil. cap. 6. Fernel lib. 5. Physiol. c. 4. Piccol. lib. de sens. inter. cap. 7. Contar. de Anim. qu. de sens. internis, Tol. 3. de Anim. qu. 6. & P. Faber theor. 100. quas potentias distribuunt in sensum communem, memoriam, & potentiam quamdam mediam, quam judicativam, phantasiam, æstimativam, aut imaginativam vocant. Quarta sent. docet quatuor esse internos sensus, scilicet sensum communem, Imaginativam, æstimativam, & memorativam potentiam, non distinguens phantasiam ab imaginativa, ita Regentes Parisienses 2. de Anim. qu. 3. collat. & Thomistæ fere omnes cum D. Th. 1. p. qu. 78. art. 4. ubi Bannes, & alii interpretes, quos sequuntur, & citant Joan. de S. Th. de Anim. q. 8. art. 1. & Compl. dis. 15. per totum. Quinta sententia, quam ex nostris sequitur. Ant. Andr. 10. Met. q. 5. asserit numerum horum sensuum esse quinarium, illis enim quatuor addunt phantasiam. Nec minor dissensio est inter has sententias, ut assignent organa uniuscujusque potentiæ; hinc cellulas cerebri ad libitum assignant.

283 Dicendum est tamen cum prima sententia, unicam esse potentiam sensitivam internam, quæ omnes functiones, & actus usque modo explicatos valeat efficere. Hæc conclusio expresse non habetur a Scoto, attamen sicut ipse non ponit in 2. d. 16. potentias animæ realiter ab anima; & inter se distinctas, ne multiplicet entia sine necessitate, eadem ratione quia nulla urget ratio distinguendi has potentias inter se distinctione reali, imo omnia argumenta possunt retorqueri, non erunt multiplicandi sensus interni; assumptum patebit ex solutione objectionum; non obscure etiam colligitur ex 3. d. 17. qu. un. ubi præter sensus externos unum tantum internum videtur ponere, quem vocat imaginativam.

Primo igitur argum. in oppos. ex P. Fabro cit. qui nititur ostendere cap. 1. Scotum multiplicasse internos sensus; & in primis contra Ant. Andr. probar de mente Doctoris in 1. d. 3. quæst. 2. F. non debere admitti cogitativam, & æstimativam; deinde ex eadem dist. qu. 6. infra E. inquit de mente ejusdem distingui debere sensum communem a phantasia, nam volens ostendere præsentiam specierum intelligibilium in intellectu, sic arguit a minori ad majus, sensus communis habet species præsentes, non solum in inferioribus sensibus, sed etiam in proprio organo, ergo multo magis intellectus debet habere objectum præsens, non solum in phantasia, sed in seipso, ecce quod distinguit sensum communem a phantasia. Possunt tamen addi duo loca clariora, primus est in 4. d. 45. qu. 3. art. 1. ubi sæpe docet potentias internas sensitivas distingui in superiorem, & inferiorem; secundus locus est in lib. de Anim. qu. 9. ad 4. ubi supponit divisionem sensus interni in sensum communem, imaginativam, & memoriam.

Verum hæc loca non urgent, quia numquam ibi ex professo hanc exagitavit dubitationem; unde dicere possemus hanc multiplicationem sensuum accipere tamquam famosam, præsertim in qu. de Anim. In 4. vero d. 45. non absolute loquitur sed problematice disp. qua ratione videtur revocare in dubium, an potentia conservans species sensibiles sit eadem cum potentia cognoscitiva per illas species. Et tandem in p. d. 3. q. 6. potius favet nostræ opinioni, quatenus ait species recipi in sensu communi, quas species docet intellectum in phantasia habere præsentes, ergo pro eodem sumit phantasiam, & sensum communem.

284 Secundo arguitur, quod sensus communis, & phantasia distinguantur; nam Arist. 2. de Anim. a tex. 155. probat phantasiam, seu imaginativam esse potentiam a sensu communi distinctam; unde illam definiendo ait moveri a sensu in actu, ubi per sensum intelligit etiam communem, aliter si solum pro externo sumeretur, conveniret illa definitio cuilibet interno sensui, quod est contra intentum Arist. Tum 2. habent diversos modos, quibus immutantur, diversa objecta formalia, diversa organa, diversos quoque actus adæquatos, ergo sunt diversæ potentiæ, conseq. patet, antec. prob. quoad 1. partem, quia sensus communis immediate movetur a sensibus externis, phantasia vero ab illis mediate movetur, scilicet medio sensu communi. Quoad 2. partem prob. quia sensus communis percipit sensibilia externa, ut præsentia sunt, phantasia vero, ut præsciendunt a præsentia, vel absentia, quæ sunt duæ rationes formales distinctæ, quia objectum ut præscindens a præsentia, & absentia habet rationem magis abstractam, & immaterialiorem, quam objectum, ut præsens, hoc enim non præscindit ab existentia, ut illud. Quo ad 3. prob. quia organum sensus communis, quia est ordinatum ad facile recipiendum species, habet dominium humiditatis, organum vero phantasiæ, cum sit ordinatum ad bene retinendum species, prævalet in siccitate, unde sensus communis ponitur in anteriori parte capitis prope frontem tamquam humidiori, organum phantasiæ in parte remotiori a fronte, ut ficciori, hinc qui facile recipiunt, non bene retinent, & qui difficile recipiunt, bene conservant, & diutius species; ex quibus patet ultima pars de actibus, nam si habent objecta formalia diversa, & unum est abstractius altero, & a diversis speciebus inæqualiter abstractis causantur, nequeunt ab eadem potentia provenire, sed quilibet erit adæquatus respectu propriæ potentiæ, nequit enim eadem potentia maxime materialis uti speciebus inæqualis abstractionis, quia hoc arguit universalitatem, & perfectionem in potentia, unde quia species sensibiles externæ differunt in abstractione, non conveniunt eidem potentiæ, sed diversis.

285 Resp. ad 1. etiam Arist. in lib. de mem. & remin. c. 1. in fine docere phantasma, quod est species sensibilis phantasiæ, esse passionem sensus communis, quibus verbis expresse dat intelligere, per eadem sumere sensum communem, & phantasiam, quapropter dicimus cum Dand. & Averſa non considerasse ibi Arist. imaginationem, seu phantasiam pro potentia, sed pro actu, & functione distincta a functione sensus communis, unde imaginationem definivit per esse motum, non autem per esse principium motus, quod est proprium potentiæ; quapropter sumendo sensum communem, & phantasiam pro functionibus, & actibus secundis, qui appropriantur illis, concedimus esse realiter distincta; nam sensui communi appropriatur, discernere, & judicare inter sensata externa, ut actu cognoscuntur ab externis sensibus, phantasiæ vero, vel imaginativæ quod eadem cognoscat, etiam quando absentia sunt; quomodo autem intelligatur definitio phantasiæ, diximus art. præc.

286 Ad 2. negamus primo sensum communem, & phantasiam diversimode immutari, quia eadem potentia immutatur recipiendo species a sensibus externis, quæ species permanent etiam transacta sensatione externa; nec est verum sensum communem intuitive cognoscere objecta externa, quia intuitiva cognitio, ut supra dicemus disp. seq. debet terminari ad objectum in se præsens, non in specie, sensus autem communis cognoscit externa in specie, unde proprie est cognitio abstractiva, solum intuitiva dicetur concomitanter, quatenus est simul cum cognitione sensationis externæ, quæ est intuitiva; de qua cognitione loquemur disp. seq. qu. 7. art. 1. Quod autem non diverso modo immutentur, patet, quia vel esset species in phantasia producta ejusdem rationis cum specie sensus communis, vel diversæ; non primum, quia diversæ potentiæ natæ sunt immutari a speciebus alterius rationis, ut inductive patet in omnibus. Nec valet, quod ait Bannes 1. p. qu. 78. art. 4. dub. 5. has potentias distingui in ratione receptivi, non autem cognoscitivi, ideoque posse per species ejusdem rationis cognoscere. Non valet, quia sic ambæ cognoscerent objectum, sive præsens, sive absens, quod est contra ipsos Thomistas. Si asseratur secundum quod scilicet sint species alterius rationis; certe species phantasiæ, quia superioris potentiæ, essent immateriales; ergo non possent produci a speciebus sensus communis, quæ essent imperfectiores, nec ab objecto, hoc enim immediate non agit in phantasiam, nec a speciebus sensus communis, ut instrumenta sunt objecti, quia nullum instrumentum nec virtute propria, nec virtute principalis agentis attingit terminum principalem ex dictis disp. 7. Ph. ergo necessario esset admittendus sensus depurans species illas, quod est contra ipsos; remanet ergo, quod eadem omnino potentia immutetur per-

per species causatas a sensationibus externis, & ut habet cognitionem intuitivam actus externi, dicitur sensus communis; ut a tali cognitione præscindit, & separatur, dicitur phantasia, seu imaginativa; vide Scot. 2. d. 3. q. 9. C.

287 Negatur quoque secunda pars, quod habeant diversa objecta formalia: cum enim ambæ cognoscant objectum relucens in specie, ambæ abstractive cognoscunt illud, non una ut existens, altera ut absens, vel sub utroque modo; solum differunt quoad connotata, quatenus sensus communis dicitur exercere proprias functiones, dum actu, & intuitive cognoscit sensationes externas, quæ dum existunt, possunt taliter cognosci, phantasia vero non connotat hanc cognitionem intuitivam. Et dato quod haberent has cognitiones diversas, non est tamen hæc differentia sufficiens ad inferendam distinctionem specificam potentiarum; nam intellectus utroque modo potest cognoscere idem objectum; & sensus communis cognoscit intuitive actus externos, dum inexistunt, & abstractive, seu per speciem res sensatas externas: ipsamet phantasia per ipsos debet cognoscere objectum præsens, quando existit, & absens quando non existit, ergo hæc diversitas cognitionis non infert specificam distinctionem potentiarum. Nec juvat, quod ait Jo. de S. Tho. diversitates argui ab hoc quod est cognoscere tantum in præsentia objecti, & dependenter ab illa, quod convenit sensui communi; phantasiæ vero cognoscere independenter a præsentia objecti. Non juvat, quia committitur petitio principii, hoc enim est probandum, quod sensus communis non sit cognoscitivus, nisi in præsentia objecti; quod sicut facile, & sine ratione asseritur ab adversariis, ita facile fed cum fundamento negatur a nobis.

288 Negatur quoque tertia pars, quod hæ duæ facultates exigant organa diversa ex hoc, quod una est destinata ad bene recipiendum, altera ad bene retinendum, non enim ad hæc duo munera exercenda requiruntur necessario oppositæ dispositiones, & ad prob. dicimus cum aliquali siccitate posse adhuc stare facilitatem ad recipiendas species; nam quælibet cerebri pars, quantumcumque sicca, non est siccior nervis, hi enim sunt terrestriores, & sicciores, & tamen, cum sint sensoria tactus, cito recipiunt species sensibiles; similiter organum phantasiæ, quamvis esset siccius organo sensus communis, adhuc debet statim recipere species, quas debet etiam retinere, ergo siccitas illius organi non impediet facilitatem recipiendi species, antec. patet, quia statim ac sensus externus percipit aliquod objectum, supposita attentione potentiarum, simul interni sensus, & intellectus percipiunt illud, ergo simul etiam recipiunt species. Et sine fundamento negatur assumptum a Compl. requirentibus moram aliquam, ut phantasia recipiat species; hoc autem est contra experientiam, videmus enim nos statim intelligere, quod ab aliis audimus, ergo quia intellectus movetur a phantasia immediate, non a sensu communi etiam in sententia ipsorum, species statim recipientur absque mora in phantasia; quod autem non semper maneant deinde species illæ, potius innuit sensum communem non habere organum distinctum a phantasia. Accedit, quod multi homines fuerunt, qui statim ac librum aliquem legebant, non solum verbatim cito apprehendebant, sed etiam diu memoria retinebant, ut de Tostato, & aliis refert Hurtad. & ipsi Compl. hoc afferunt de D. Thom. ergo facilitas apprehendendi stat cum retentione specierum. Neque dicas cum Compl. hoc per accidens contingere propter perfectam proportionem mixtionis siccitatis cum humiditate, ut etiam se habet cera, quando non est nimis dura, nec multum liquefacta, tunc enim est facilis impressionis, & diuturnæ retentionis; per se tamen facilis receptio, & bona retentio exigunt oppositas dispositiones, illa scilicet prædominium humidi, ista prædominium sicci; distinctio autem sumi debet penes ea, quæ per se requiruntur, non quæ per accidens eveniunt. Non valet, quia jam demonstratum est tot experientiis facilem receptionem non exigere necessario prædominium humidi, sed optime stare etiam cum prædominio sicci, ut patet in nervis; ergo hoc prædominium humidi non per se exigitur ad facilem receptionem. Deinde admissa hac partium diversitate non idcirco inferri debet distinctio specifica potentiarum; quia ut vidimus qu. 6. art. 2. sensorium tactus est caro, & etiam nervi, quæ partes habent hanc diversitatem sicci, & humidi, & tamen est eadem specie potentia active in illis.

289 Ex his patet quoque falsitas quartæ partis, quod habeant diversos actus adæquatos, nam eadem potentia movetur ab iisdem speciebus repræsentantibus objecta exterius sensata sensibus externis; solum dicitur cognoscere objecta ut præsentia, quatenus intuitive percipit sensationes externas, quæ cum sint immediatæ, & sufficienter præsentes sensui interno, possunt in se cognosci, & ut existentes terminare cognitionem internam; at objecta externa semper eodem modo cognoscuntur, scilicet in specie. Verum est, quod actus illi etiam abstractive cognoscuntur a sensu interno, & ut relucent in specie, cum recordamur nos vidisse, audisse, &c. sed hoc non infert distinctionem specificam, nam eadem potentia intellectiva utroque modo percipere potest objecta. Neque sufficienter negatur paritas, eo quod intellectus est potentia universalior. Nam sicut ipsi solum hoc asserunt de intellecta, qui est immaterialis, sed etiam de phantasia, quæ est materialis, & negant de sensu communi, idem nos asserimus de potentia sensitiva interna sine multiplicatione potentiarum distinctarum realiter.

290 Tertio argum. quod æstimativa sit a sensu communi, & phantasia distincta, nam munus æstimativæ est percipere res insensatas, scilicet convenientiam, vel disconvenientiam rerum, sensus vero communis, & phantasia percipiunt solum res sensatas, impossibile autem est has duas actiones ab eadem potentia provenire, quod prob. nam plus differunt res sensata, & insensata, quam objectum ut præsens, & absens, ergo si hæc differentia sufficiens est ad distinguendum sensum communem a phantasia, multo magis illa differentia inferret distinctionem æstimativæ a phantasia. Tum quia sensus communis, & phantasia solum moventur ab aliquo occulto, ergo &c. Hæc tamen ratio faciliter solvitur, primo negando species istas insensatas ex art 2. Deinde illis admissis negatur, requiri potentiam distinctam, sed eamdem phantasiam posse utrumque cognoscere, sicut videtur asserere Arist. de Anim. 44. dum ait phantasiam movere appetitum, quod est percipere objectum conveniens, vel disconveniens, nam hæ sunt rationes formales movendi appetitum. Tum quia nequit cognosci ab aliqua potentia convenientia, aut disconvenientia, nisi etiam percipiatur res, quæ dicitur conveniens, vel disconveniens, ergo eadem potentia utrumque cognoscit; eo vel maxime, quod potentia sensitiva cognoscit convenientiam in concreto, scilicet rem convenientem. Neque dicas æstimativam apprehendere hoc esse disconveniens, non tamen percipere distincte hoc subjectum disconvenientiæ, sed hoc pertinere ad phantasiam. Contra hoc est, quia ovis, v. gr. non judicat simpliciter aliquod ens esse disconveniens, sed lupum esse disconvenientem, & copulat disconvenientiam cum accidentibus externis lupi, ergo eadem potentia utrumque debet apprehendere. Hinc est, quod numquam Arist. fecit mentionem de æstimativa, tamquam de potentia distincta.

291 Quarto argum. quod sint plures potentiæ. Tum ex Arist. lib. de mem. cap. 1. ubi memoriam distinguit a sensu, & æstimativa; & lib. de insomniis c. 1. clare ait: *Esse autem imaginato, & sensitivo aliud*, & ibid. inquit *Formandorum visorum*, scilicet phantasmatum, *facultatem eamdem esse, & sensitivam, quamvis essentia discrepent*, & 2. de Anim. 38. ait; *Abeuntibus sensibilibus manent sensus, & imaginationes in ipsis sensoriis*, ergo supponit plura organa, seu sensoria internorum sensuum, ergo plures sensus. Quod etiam confirmat ars anathomica docens in cerebro reperiri tres, vel quatuor sinus, sive cellulas, quæ nonnisi propter sensus internos tamquam organa fuerunt a natura institutæ. Tum 2. major, & distincta virtus requiritur ad componendas res simplices, quam ad singulas percipiendas, scilicet ad componendum montem aureum; quam ad percipiendum montem, & aurum, ergo phantasia, & imaginativa inter se distinguuntur. Tum 3. memoria non est potentia cognoscitiva, sed solum retentiva specierum, ergo est potentia ab aliis distincta, patet conf. quia aliæ potentiæ sunt cognoscitivæ; ant. prob. quia si esset cognoscitiva, semper actu cognosceret, cum habeat in se species objectorum, quod tamen est contra experientiam.

292 Resp. in prima, & secunda authoritate loqui de istis facultatibus, non ut potentiæ sunt, sed ut functiones diversæ ejusdem potentiæ, cum ibidem dicat memoriam esse passionem, vel habitum sensus, aut phantasiæ, & sensitivum idem esse doceat cum imaginativo; per idem ad 3. author. & ad 4. dicimus non loqui de sensoriis internis, sed externis; verum est, quod Arist. sæpe confundit has facultates, & unam pro alia accipit, & maxime phantasiam cum imaginativa, ideo nihil certi potest haberi de intentione ipsius. Quod additur de cellulis illis, jam diximus non posse esse sensoria sensuum internorum, eo vel maxime, quod fine fundamento aliquo una ponitur sensorium unius sensus, alia alterius, non enim est major ratio de uno sensu, quam de alio, quod magis sit in uno sinu, quam in alio, ut fuse ostendit Dand. imo hoc admisso, quia cellulæ istæ habent quamdam communicationem ad invicem, si in ipsis reperirentur sensus interni, certe unicus deberet poni, sicut ex omnibus illis cavitatibus una totalis videtur fieri. Ad 2. assumptum esse verum, si daretur potentia, quæ solum esset perceptiva simplicium, perfectior enim esset, quæ componeret illa, at modo eadem potentia potest utrumque perficere, nequit enim componere, nisi adhuc sit simplicium perceptiva, ut patet de intellectu. Ad 3. neg. ant. ad prob. neg. seq. quia non sufficit, quod species sint in potentia, sed requiritur applicatio, ut exeat in actum; ut patet de memoria intellectiva, & falsum est species reperiri in una potentia, & aliam distinctam per illas deinde cognoscere, requirit enim quod sit specie informata, ut agat, & cognoscat.

Quinto in uno animali datur unus sensus internus sine altero, quædam enim carent imaginatione 2. de Anim. 156. quædam memoria 1. Met. cap. 1. ergo sensus isti sunt inter se distincti. Imo in eodem animali quandoque separantur ad invicem, quibusdam enim læditur vis imaginandi, & non æstimandi. Item læsi in posteriori parte capitis nocumentum accipiunt in memoria, in anteriori vero parte in imaginativa; memoria quoque decrescit in senibus, accrescit judicium, ergo distinguuntur ad invicem, præcipuum namque signum distinctionis realis est separatio.

293 Resp. jam diximus art. præc. in omnibus animalibus reperiri suo modo omnes sensus, & ibi explicuimus Arist. sed quidquid sit de hoc, solum sequitur potentiam sensitivam in uno animali potentem omnes functiones exercere esse speciem distinctam a potentia in alio animali reperta, quæ solum quasdam operationes sit potens elicere, non tamen, quod in eodem animali sint distinctæ realiter potentiæ. Ad aliud dicimus non esse impossibile eamdem potentiam in eadem parte organi residentem impediri quoad unam functionem, non quoad alteram; sic videmus potentiam concoctivam cibi in stomaco, quæ plures habet actus subordinatos, ut attrahere, retinere, expellere alimentum, impediri quandoque in una actione, non in alia; sic una est po-

potentia motiva linguæ ad loquendum, & tamen potest in una actione impediri, non in alia, unde quidam sunt qui syllabam unam nequeunt alteri statim adjungere, sed in priori tantisper morari necessitantur, quidam sunt blæsi, quia certam, & determinatam litteram proferre non possunt, sed unam pro alia pronunciant, ut fluctum pro fructum; alii denique balbutiunt, quia nequeunt omnes syllabas proferre, & tamen est eadem potentia. Idem experimur in intellectu humano, multi enim tarde apprehendunt, & bene retinent, vel cito apprehendunt, & male judicant, unde oritur diversitas ingeniorum, quidam enim sunt ad humaniora studia idonei, inepti vero ad philosophica, quia hæc plus judicii requirunt, ad illa sufficit ingenium; similiter in philosophia quidam ad argumentandum sunt aptiores, qui scilicet ingenio valent, alii ad defendendum, ad quod requiritur judicium. Rursus eadem imaginativa circa unum objectum læditur, certamque materiam, non circa aliam, pariformiter multi insani recte æstimant in una materia, non in altera; non igitur ex hac diversitate argui potest specifica distinctio potentiarum, aliter essent multiplicandæ plures specie potentiæ imaginativæ, æstimativæ, &c. ratio hujus est, quia non quævis mutatio temperamenti vitiat quamlibet actionem. Dicitur autem memoria residere in cerebello, & in parte posteriori capitis, non quia ibi solum recipiantur species, & conserventur, sed quoniam præcipue ibi magis viget, quia non est tam humida sicut pars existens in sincipiti, hæc tamen diversitas solum facit accidentalem distinctionem, & quoad actus exercendos, non quoad potentias.

294 Concludendum est igitur, unicam esse potentiam sensitivam internam in unico organo, scilicet cerebro residentem, quæ varias functiones potest exercere, juxta quarum varietatem varia sortitur nomina, quibus sensus interni dantur intelligi, ac si essent re vera plures: nam hæc potentia ut percipit objecta exterius sensata, actiones externas, & recipit species, dicitur sensus communis; ut eadem objecta cognoscit, quando non sunt præsentia, dicitur phantasia, ab aliis imaginativa; ut illa objecta varie inter se connectit, dicitur imaginativa, ab aliis phantasia; ut eadem sensibilia percipit, ut convenientia, vel disconvenientia, movetque appetitum sensitivum, dicitur æstimativa; ut eadem objecta sæpius cognoscit ut præterita, & sensata aliis actibus, dicitur memoria, quæ si fit cum auxilio rationis quasi inquirendo prius cognitum, sed postea oblitum, ut in homine contingit, dicitur reminiscentia, si sumitur ut ex præteritis cognitis prævidentur futura imminentia, illaque vitantur, vel prosequuntur, dicitur prudentia sensitiva ad imitationem intellectivæ, & tandem si est ita perfecta memoria, ut valeant bruta apprehendere, & retinere quæ ab hominibus proponuntur, & mediis sensibus, maxime auditu & visu, percipiuntur, dicitur disciplinabilitas. Quæ operationes singillatim inspectæ, sunt inadæquatæ respectu potentiæ sensitivæ internæ, idcirco non inferunt diversas potentias, sicut in intellectionibus adest hæc actionum varietas, & tamen unicus est intellectus, quapropter sicut omnes intellectiones ad unam reducuntur, quæ dicitur intellectio in communi, estque adæquata intellectui respiciens omne intelligibile; sic actio adæquata potentiæ sensitivæ internæ erit sensatio interna respiciens pro adæquato objecto ipsum sensibile in communi. An autem in hac potentia sensitiva dentur plures formalitates, quarum quælibet concurrat ad propriam actionem, an vero eadem potentia realiter, & formaliter una, sed solum multiplex virtualiter immediate concurrat ad omnes, pendet decisio ex dictis disp. 2. quæst. 1.

QUÆSTIO IX.

De appetitu sensitivo.

295 Appetitus communiter dividi solet in naturalem, & cognoscitivum, naturalis, ut habet Doctor 3. d. 17. Q. & d. 18. in fin. & 4. d. 49. qu. 10. non est aliud, quam natura cujuscumque entis, ad sibi proportionatum inclinata, sic dicimus lapidem appetere Ubi deorsum, materiam appetere formam, & de hoc non loquimur in præsenti; cognoscitivus est potentia quædam nata sequi cognitionem proponentem objectum ut conveniens, vel disconveniens, & sicut duplex est cognitio, intellectiva scilicet, & sensitiva, sic datur duplex appetitus, unus rationalis sequens intellectum, & dicitur voluntas, de quo agemus disp. 7. alter sensitivus sequens cognitionem sensitivam, & de illo est sermo in præsenti, de quo plura videbimus.

296 Primo, quod detur talis appetitus sensitivus, quo animalia appetunt objecta sensibilia a sensu proposita ut convenientia, vel fugiunt apprehensa, ut disconvenientia, probat Arist. 3. de Anim. a tex. 40. experientia in nobis, nam quandoque appetimus aliquod delectabile, quod respuit voluntas propter aliquod noxium conjunctum ab intellectu ipsi voluntati ostensum; unde ut notat Scot. 2. d. 6. qu. 2. E. ex diversitate complexionum varii sunt appetitus in hominibus; quidam enim sunt naturaliter propensi in superbiam, alii in gulam, alii in luxuriam. Bruta quoque multa operantur ex hoc, quod aliqua appetunt convenientia, & disconvenientia refugiunt. De hoc appetitu loquitur Apostolus ad Rom. 7. dum ait, *Video aliam Legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, & ad Gal. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum*. Quod autem hic appetitus non sit mera inclinatio naturalis, ut est appetitus lapidis ad Ubi deorsum, sed vera potentia elicitiva appetitionis. Prob. quia inclinatio naturalis est ex se determinata ad certum objectum naturaliter proportionatum, & semper adest in re, cum sit realiter identificata, at appetitio est quid de novo causatum dependenter a cognitione, itaut si potentia cognoscitiva non repræsentaret objectum ut conveniens, eriam si esset ex se tale, numquam appeteretur ab appetitu, ergo debet dari potentia aliqua in animali appetitiva, tum quia amor, odium, & similes passiones sunt effectus appetitus, & in solis entibus cognitione præditis reperiuntur, ergo hic appetitus est distinctus a naturali. Verum est tamen, quod quandoque etiam dicitur naturalis, prout opponitur appetitui libero, scilicet voluntati; non tamen quod sit inclinatio naturalis. Tandem quod hæc potentia sit diversa a cognitiva, patet ex paritate appetitus rationalis cum intellectu, sicut enim istæ potentiæ distinguuntur inter se, ita & potentia sensitiva, cognitiva, & appetitiva, ut docet Scot. 3. d. 17. qu. un. in corpore quæsiti.

297 Secundo, quæri potest de objecto hujus appetitivæ potentiæ, hoc autem dubium manet determinatum ex dictis disp. 7. Phys. qu. 8. art. 2. ubi ostendimus objectum voluntatis esse bonum, nec posse voluntatem ferri in malum sub ratione mali, eadem autem est ratio de appetitu sensitivo; quare objectum ipsius quoad prosecutionem erit bonum, quoad fugam erit malum, & disconveniens. Cum autem bonum sit multiplex scilicet honestum, delectabile, & utile, & quodlibet dividatur quoque in verum, & apparens, (de præfixo hic non loquimur, quia spectat ad voluntatem, quæ est potentia libera) certum est, appetitum sensitivum non respicere bonum honestum, quia neque potentia cognitiva sensitiva potest hanc bonitatem attingere; solum ergo respicit bonum delectabile, & utile in particulari, non in universali, sive verum, sive apparens, quia hæc omnia potest sensus illi proponere ad prosequendum; idem proportionaliter dicendum de malo opposito, ut est objectum fugæ, & aversionis.

298 Tertio, quæritur, an hæc appetitiva potentia sit activa proprii actus, an solum passiva, & mere receptiva; & quidem quod sit activa, patet ex dictis disp. 2. ubi universaliter ostendimus omnem potentiam vitalem efficere proprios actus. Solum igitur dubitari potest, an sit causa totalis, an vero partialis. Henr. quod. 3. Greg. 2. d. 35. qu. 1. & 2. Gabr. qu. 1. dub. 3. Palud. in 4. d. 43. & alii sustinent, appetitum esse causam partialem concurrentem cum objecto proprii actus. Cajet. autem 1. p. qu. 80. art. 2. docet, objectum non concurrere active ad subsistantiam actus, sed ad specificationem. De hac tamen difficultate dicemus disp. 7. qu. 6. art. 2. ubi de appetitu rationali erit sermo.

299 Quarto, dubitatur, num cuilibet potentiæ cognitivæ correspondeat propria appetitiva, an vero unica sola sufficiat pro omnibus sensitivis cognoscitivis tum externis, tum internis. Quod unus tantum detur appetitus sensitivus, qui immediate moveatur a sensu interno, mediate ab externis, est communis sententia, & præsertim illam tuentur Arriaga disp. 5. de Anim. sect. 4. & Aversa qu. 56. sect. 1. qui oppositam ut noviter, ac temere cogitatam contra Hurt. impugnat.

Opposita tamen sententia, quod cuilibet sensui cognoscitivo correspondeat proprius appetitus non est ab Hurtado disp. 17. sect. 11. noviter inventa, quia ipsam tradidit Doctor in 2. d. 6. qu. 2. E. & in 3. d. 17. qu. un. in corpore quæsiti, & d. 15. D. nec est temere cogitata, cum pro se habeat probabilissimas rationes; etenim sicut cognitio dividitur in intellectivam, & sensitivam, sic etiam appetitus alter est rationalis, alter sensitivus, ergo sicut cognitio sensitiva alia est interna, alia externa, & non obstante, quod interna percipiat omne sensibile ab externis sensibus, adhuc multiplicantur externæ potentiæ sensitivæ, idem de appetitu dicendum, quod alter sit internus consequens sensum internum, qui sit circa convenientia, & disconvenientia omnium sensuum externorum, alii vero sint, ut ita loquamur, externi, quorum quilibet sequatur proprium sensum externum, & versatur circa conveniens, & disconveniens illius sensus; quod si dicatur cum Arriaga nullam esse necessitatem multiplicandi tot appetitus; assignet ipse necessitatem multiplicandi tot sensus externos, si internus attingit omnia sensibilia. Tum quia objectum conveniens visui non solum est perfectio totius animalis, sed immediatius est perfectio ipsius visus, ergo non solum erit juxta inclinationem totius animalis, sed etiam juxta inclinationem particularem visus, ergo a pari, sicut propter inclinationem universalem ponimus appetitum quemdam communem, ita ex inclinatione particulari inferre debemus appetitum particularem. Neg. consequentia ab Arriaga, quia non implicat, ait, dari naturam cognoscitivam non appetitivam. Sed quicquid sit de potentia absoluta Dei, non est cur de facto negemus hanc paritatem, quod omnibus aliis cognitivis conceditur propria appetitiva, & solis externis denegetur; cum & ipsæ apprehendant proprium bonum, quod ut sic apprehensum est appetibile.

300 Probatur adhuc, quia dolor est passio quædam ipsius appetitus, sicut delectatio, nec solum tactui, & gustui competit, sed etiam aliis sensibus, non enim est actus potentiæ cognitivæ, aut qualitas quædam sensibilis a tactu, & gustu, ut infra ostendemus, sed passio est in ipso appetitu, ut omnes concedunt, ergo ubi est dolor, ibi erit appetitus, sed dolor sentitur in qualibet parte corporis, imo quilibet sensus juvatur ab objecto convenienti, læditur a disconvenienti, quod juvamen videtur afferre in sensu voluptatem suo modo, læsio vero dolorem, ergo in quolibet sensu adest proprius, & particularis appetitus. Hæc ratio displicet etiam ipsi Hurt. eo quia non dolor ipse, sed objectum doloris sentitur, & in eodem loco, unde emittit species ad sensum communem, sicut lux videtur, unde incipit diffundere species. Attamen cum infra explicabimus essentiam doloris, patebit etiam vis hujus rationis.

Dices, communiter unus ponitur appetitus sensitivus, & Patres de ipso loquuntur tamquam de uno solo, ergo non sunt tot multiplicandi. Tum quia sensus externi non percipiunt objectum ut conveniens, aut disconveniens, hoc enim spectat ad internum vel mediis speciebus insensatis, ut inquiunt Thomistæ, vel vi facultatis memorativæ delectationis præteritæ, ut nos supra docuimus, sed sensus externi nullo ex his modis percipiunt objectum, ergo nequeunt immediate movere sensitivum appetitum, sed hoc præstabit sensus internus. Ad 1. resp. Scot. 3. d. 15. B. quod communiter loquimur de appetitu sensitivo tamquam de uno, quia est sermo de appetitu consequente imaginativam, quæ sicut est omnium sensibilium, sic etiam appetitus iste; re vera tamen debent multiplicari appetitus particulares, sicut & sensus multiplicantur. Ad 2. ex eodem 3. d. 15. B. quod causat dolorem, vel delectationem in appetitu, non est relatio illa convenientiæ, aut disconvenientiæ, sed absolutum illud, quod dicitur conveniens, aut disconveniens, quo apprehenso ex naturali instinctu appetitus complacet, vel displicet de illo, ut supra diximus, num. 266.

301 Quinto explicanda venit famosa distinctio appetitus in concupiscibilem, & irascibilem, quid sint hæc duo membra, & quomodo inter se differant; quæ distinctio locum habet tam in appetitu sensitivo, quam rationali.

Quantum ad primum nor. ex Scoto 3. d. 34. qu. un. F. quod quandoque animali proponitur objectum conveniens, aut disconveniens simpliciter, quandoque proponitur objectum conveniens, sed ab alio impeditum, ut non possit acquiri; circa primum appetitus habet actum prosecutionis, vel fugæ, & ut sic denominatur concupiscibilis, quatenus respicit bonum sensibile delectabile, & conveniens actu prosecutionis aut huic oppositum actu fugæ; circa vero secundum, primo habet actum concupiscentiæ circa bonum ostensum, & consequenter actum fugæ circa carentiam illius boni, puta canis appetit cibum, & refugit carentiam cibi; & quia prohibens cibum offendit canem appetentem, idcirco circa hominem prohibentem cibum, & offendentem habet canis actum quemdam refugiendi, non quidem ut est actus fugæ concupiscibilis, quia non intendit solum amovere impedimentum, sed actum respuendi, & repellendi, nam ultra amotionem impedimenti intendit vindictam, & punire de offensa, & hic est actus irascibilis, & objectum ipsius erit offendens, in quod tendit per actum vindictæ, seu repulsionis; quod si objectum illud erit præsens, & adhuc non punitum, tunc causatur dolor, seu mœstitia, eritque duplex, alia proveniens propter carentiam concupiti in concupiscibili, alia propter carentiam vindictæ in irascibili; unde actus iste vindictæ erit imperfectus, quia affimilatur actui desiderii, quatenus desiderat vindicare, & non vindicat; at quando actus vindictæ est perfectus, scilicet quando actu vindicat, tunc actus vindictæ assimilatur fruitioni, quia causat delectationem. Subdit Doctor, quod inter dolorem concupiscibilis, & irascibilis hoc interest, quod ille versatur circa carentiam concupiti, iste circa carentiam vindictæ, ilie fit cum restrictione, sicut delectatio opposita fit cum dilatatione, iste fit cum calefactione, quæ est accensus sanguinis circa cor. Quapropter appetitus concupiscibilis est circa bonum conveniens, aut disconveniens, appetitus irascibilis proxime erit circa impediens affectionem boni concupiti, & circa offendens, quatenus quærit illud vincere, & superare; qua ratione a Thomistis objectum irascibilis dicitur bonum arduum, quia finis hujus appetitus est victoria de offendente; quæ locutio potest admitti, nec est contra Scotum cit. quia ibi solum respuit hoc bonum arduum ut objectum in eo sensu, quo locutus fuerat in 3. dist. 26. §. *Contra illam opinionem*, ut scilicet significat vel bonum absens, vel bonum excedens facultatem potentiæ, aut bonum excedens omnia alia sibi contraria.

302 Quoad secundum, an isti appetitus inter se differant, tamquam duæ potentiæ realiter distinctæ, an vero sint eadem potentia respiciens diversa objecta inadæquata, & diversas functiones exercens; est prima opinio Thomistarum cum D. Tho. 1. p. qu. 81. art. 2. distinguens realiter hos appetitus, quam opinionem sequitur ex nostris Cavellus disp. 2. de Anim. sect. 7. sed ægre, libenter enim alteri oppositæ adhæreret, nisi authoritas Scoti ipsum urgeret. Altera opinio a recentioribus Scoto adscripta nullam realem distinctionem agnoscit inter hos appetitus, ut de potentiis sensitivis cognitivis internis diximus; eam sequuntur Gabr. 3. d. 26. qu. 1. art. 1. Navarrus in Manuali prælud. 3. num. 8. Suarez, Hurt. Arriaga, Aversa sæpe cit. Dand. 3. de Anim. digress. 39. Onuphr. de Anim. disp. 2. p. 1. qu. 3. dub. 1. & ex nostris sequi videtur Hiribar. tract. de actibus humanis disp. 20. sect. 4.

303 Dicimus, probabilius esse hos appetitus non esse realiter distinctos; hæc conclusio non obviat doctrinæ Scoti in 3. d. 34. cit. non enim ibi statuit oppositum, solum litt. G. ait quod irascibile, & concupiscibile magis videntur distingui in appetitu sensitivo, quam in voluntate, in hac enim habent solam distinctionem objectorum, in illo habere etiam videntur distinctionem organorum, & concludit, quod in voluntate illa distinctio non arguit distinctionem potentiarum, sed sicut idem intellectus dividitur in proportionem superiorem, & inferiorem, idem tendit in principia, & conclusiones, sic voluntas eadem potest tendere in objecta irascibilis, & concupiscibilis; at in d. 26. cit. videtur oppositum sustinere, unde rationes in contrarium solvit; quare nihil expresse habemus in Scoto de hac re, inhærendo tamen principiis ipsius negare debemus talem distinctionem realem, & ratio erit, quia non sunt multiplicandæ potentiæ sine necessitate, quod autem in præsenti non adsit talis necessitas, patebit ex solutione objectorum. Tum quia appetitus rationalis, scilicet voluntas dicitur simul concupiscibilis, & irascibilis etiam secundum Thomistas, ergo appetitus sensitivus eodem modo se habebit. Nec valet disparitas assignata a Thomistis, ut est videre apud Compl. disp. 22. qu. 2. quod voluntas sequitur eamdem potentiam cognoscitivam semper, idest intellectum; ideoque habet idem objectum cum intellectu, estque una, sicut intellectus, at appetitus sensitivus natus est sequi diversas potentias cognitivas, irascibilis enim sequitur phantasiam, concupiscibilis æstimativam: tum quia voluntas cum sit spiritualis, est eleyatior, potestque habere objectum universalius, at appetitus sensitivus, quia materialis est limitatus, non potest ferri in objectum ita universale. Non valet, quia & sensus internus est unus, sicut intellectus ex quæst. præced. nec materialitas sensus obstat, quia sufficit, ut feratur solum in bonum delectabile, ubi voluntas etiam respicit bonum honestum. Tum quia sicut eadem potentia, quæ prosequitur bonum, habet etiam se avertere a malo, eadem quoque videtur esse, quæ a se repellat malum impediens, uterque enim actus repellendi est ordinatus ad consecutionem objecti concupiti, ergo sicut actus fugæ a malo non arguit distinctionem potentiæ, eo quia provenit ab eodem fine remoto, qui est acquisitio boni concupiti, eadem ratione expulsio mali offendentis a se non arguet distinctionem potentiæ irascibilis, quia ortum ducit ab eodem fine remoto, scilicet a consecutione boni concupiti; hinc Suarez hoc totum probat ex illo Jacob. 4. *Unde bella, & lites inter vos? nonne ex concupiscentiis vestris?* Nec sufficit dicere cum Thomistis ex hoc sequi solum subordinationem harum potentiarum, non identitatem, cum non sit idem objectum formale proximum. Non sufficit, quia sic ex quacumque diversitate objectorum possent multiplicari potentiæ, quod est falsum; tum quia hæc diversitas objectorum adhuc reperitur in concupiscibili, & irascibili voluntatis, & tamen non infert talem distinctionem. Tum quia in naturalibus eadem gravitas est, quæ movet lapidem deorsum, & repellit impedientia talem motum, & facit fugere a loco sursum, unde quia tendit naturaliter deorsum, fugit a loco sursum, & expellit a se quodlibet obstaculum impediens, ergo idem de appetitu dicendum; quod magis patebit ex solutione objectionum.

304 In oppos. argum. concupiscibilis se habet ut potentia passiva, quia tendit ad objectum quasi per modum recipientis, irascibilis ut potentia activa, quia respicit objectum per modum agendi, acquirendo scilicet victoriam de illo, ergo sicut intellectus agens, & possibilis ex hoc capite sunt potentiæ distinctæ, ita concupiscibilis, & irascibilis. Tum 2. habent diversa objecta formalia, scilicet bonum delectabile, & bonum arduum, irascibilis enim respicit offendens non fugiendo, sed impugnando illud, suntque hæc objecta a diversis potentiis sensitivis proposita, ex quo deducitur non esse objecta inadæquata, sed adæquata. Tum 3. mutuo se impediunt, nam dum concupiscibilis delectatur in bono delectabili, quandoque insurgit irascibilis ad impugnandum obstacula, & impugnando impedit delectationem boni, nulla autem potentia habet actum impeditivum sui ipsius in actu principali. Tum 4. ardens ira minuit concupiscentiam. Tum 5. habent diversa organa, quia concupiscentia causat tristitiam restringendo, & si dilatat in lætitia, hoc causat molliendo, ita vero dilatat exasperando, quia est accensio sanguinis circa cor, nequit autem idem organum simul moveri contrariis motibus; ergo si habent organa diversa, etiam erunt diversæ potentiæ; quæ ratio est Scoti in d. 36. cit. Tum 6. adsunt authoritates Damasc. 2. fidei cap. 12. Nisseni lib. 4. Philos. cap. 4. & Arist. 3. de Anim. 46. & 2. de An. 27. & alibi, distinguentis irascibilem a concupiscibili, & rationali. Tandem non videtur hæc distinctio adaptari posse appetitui visivo, gustativo, olfactivo, &c. quæ enim irascibilis potentia potest esse in olfactu, in auditu, & tamen adest concupiscibilis, ergo istæ potentiæ distinguuntur ad invicem.

305 Resp. ad 1. quicquid sit de assumpto, negamus diversitatem illam sufficere ad inferendam distinctionem potentiarum, quia idcirco irascibilis quærit victoriam de offendente, ut possit acquiri bonum concupitum, eadem ergo potentia, sed diversis actibus, potest utrumque præstare, cum sit idem finis, ut patet in exemplo deducto de lapide per gravitatem tendente deorsum; nec verum est intellectum agentem, & possibilem esse potentias distinctas, ut disp. sequ. dicimus. Ad 2. etiam hæc diversitas objectorum adest respectu concupiscibilis, & irascibilis voluntatis, & tamen non infert in voluntate, nisi diversitatem actuum; falsum quoque est appetitum sensitivum quo ad concupiscibilem moveri ab uno sensu interno, quo ad irascibilem ab alio, non enim datur hæc multiplicitas sensuum internorum. Ad 3. ait Doctor d. 26. cit. §. *Contra illam opinionem*, in resp. ad 3. quod in hoc argumento admittuntur duo oppositæ; primum quod irascibilis sit impeditiva concupiscibilis, & per consequens contraria, & deinde quod defendat concupiscibilem propugnando, & tuendo illam a contrariis. Negamus igitur irascibilem per se impedire concupiscibilem, cum sit ordinata saltem remote ad consecutionem boni concupiti; per accidens tamen potest impedire, quatenus debet expellere contraria impedientia per se; imo ex hoc deducitur unitas potentiæ, quia una potentia est defensiva actus alterius potentiæ, & quod ab illa appetitur, irascibilis autem tota est propter conservationem concupiscibilis; tum quia idem concluderet de voluntate. Ad 4. similiter infert diversitatem actuum, sicut si concupiscibilis esset tota intenta circa odium unius objecti, tale odium impediret, ne tunc se applicaret ad amorem alterius, nam inter actus aliquos est quædam con-

contrarietas, licet sint ejusdem potentiæ; idem experimur in voluntate.

306 Ad 5. Gal. libr. 6. de usu partium cap. 18. Plato, Fernel. & alii posuerunt concupiscibilem in hepate, irascibilem in corde; sed non adest necessitas distinguendi organa, nam licet non possit moveri idem organum simul motibus contrariis, potest tamen successive; sicut non sequitur, lætitia dilatat cor, provenitque ex amore complacentiæ, dolor restringit, causaturque ab odio, ergo potentia elicitiva amoris erit distincta a potentia elicitiva odii, quia petunt organa diversa; sed solum quod reduplicative loquendo una caulat, seu petit quamdam dispositionem in organo oppositam dispositioni alterius, non ex diversitate potentiarum, sed actuum: Doctor autem hoc assumpsit tamquam probabile, & quia intentum ipsius erat ostendere concupiscibilem, & irascibilem non distingui in voluntate, idcirco prius explicat omnia capita, e quibus probabiliter deducitur horum distinctio in parte sensitiva, quæ sunt duo, scilicet vel ex parte organi, vel ex parte objecti; deinde ostendit ex nullo horum organi posse poni distinctionem in voluntate; non ex parte organi, quia est potentia inorganica, non ex parte objectorum, quia portio superior, & inferior in intellectu habent diversa objecta, & tamen est unus intellectus; fatemur autem Scotum hic favere oppositæ sententiæ. Ad 6. dicimus multiplicari ab illis authoribus appetitus in eo sensu, quo sensus interni plurificantur, ut scilicet dicunt diversas functiones. Ad ult. dicendum proprie hanc distinctionem verificari de appetitu communi, cujus est imperare potentias motivas ad expulsionem offendentis; neque ex hoc sequitur, nisi quod isti appetitus sint alterius rationis, ut in simili diximus de sensu interno brutorum, quatenus non habet easdem operationes in omnibus.

307 Sexto, quæri solet de organo appetitus sensitivi. Suarez libr. 5. de Anim. cap. 3. Aversa qu. 56. sect. 1. & alii sedem potentiæ appetitivæ cum Arist. 3. de part. anim. cap. 4. reponunt in corde; idem videtur supponere Doctor in 3. d. 34. supra H. Hurt. tamen disp. 15. sect. ult. Arriaga disp. 5. sect. 4. & Cavellus disp. 2. de Anim. sect. 7. sustinent in cerebro residere. Quæ opinio videtur conformior principiis Scoti, eo quia docet ipse cuilibet potentiæ cognitivæ correspondere propria appetitiva, quam non ponit loco distinctam a cognitiva, sed in eadem parte, & hoc deducit ex dolore, & delectatione, quam percipit quilibet sensus de proprio objecto, dolor autem, & delectatio, cum sint passiones appetitus, in ipso subjectantur, ita præcipue in 3. d. 17. hinc in d. 34. cit. potius videtur loqui secundum famosam opinionem ponentem appetitum in corde cum Arist. qui etiam sensitivam potentiam cognitivam collocavit in corde. Quapropter dicimus appetitus particulares residere in organis sensuum particularium, appetitum communem residere in cerebro, ubi etiam collocatur sensus internus, a quo talis appetitus movetur.

308 Dices, in Sacra Scriptura affectiones adscribuntur cordi, *De corde exeunt cogitationes*, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; Tum quia passiones appetitus maxime experimur in corde, ut dolor, lætitia, metus, ira, &c. Resp. ut diximus de sensu nomine cordis ibi denotari animam ipsam, & in secundo loco intensum affectum, & in unum objectum unitum, unde additur, *ex totis visceribus tuis*; Ad aliud dicimus passiones experiri circa cor, quia sanguis accurrit, & varios causat effectus, qui sensu tactus, & appetitu tactivo residente in corde præcipue sentiunt: Neque ex hoc accursu inferri potest ibi sedes appetitus; nam etiam sanguis quandoque accurrit ad faciem in verecundia, & tamen ibi non residet appetitus; quandoque ex metu commoventur venter, & viscera, in quibus non collocatur appetitus. Quod si velles sustinere oppositam opinionem; posses dicere appetitum communem in corde residere, moveri autem a sensu residente in cerebro propter naturalem subordinationem harum potentiarum, & in eadem anima radicatarum; sicut potentia motiva, eo quia appetitivæ subordinata, statim ad imperium ejusdem operatur, quamvis loco diffideat.

Tandem examinari solet, num in homine appetitus sensitivus obediat voluntati, & rationi; non loquimur autem nisi de actibus immediate ab ipso elicitis, nam de motu locali dicemus qu. 11. & in ordine tam ad res naturales, quam supernaturales, quatenus scilicet respiciunt Deum finem supernaturalem. Pro cujus resolutione not. quod duplex est imperium, unum politicum, seu civile, quo aliquis dominatur aliquorum habentium tamen potestatem resistendi, & non obediendi, quale est imperium Regis in subditos; aliud est dispoticum, seu servile; ut cum non adest talis facultas resistendi, & non obediendi.

309 Dicendum est, voluntatem imperare appetitui sensitivo politice, non dispotice, & etiam in ordine ad supernaturalia. Est communis, & docetur a Scoto 2. d. 29. qu. un. & 3. d. 33. F. prob. ex Arist. 1. polit cap. 3. Tum quia potest appetitus non obedire voluntati, & oppositum facere, ergo politice est subditus illi, non dispotice; ant. prob. experientia, quandoque enim experimur in nobis motus aliquos, & inclinationes sensuales contra nostram voluntatem, juxta illud D. Pauli ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*; & ad Galat. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum*; & Matth. 26. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; quandoque autem obedit, quod præstat voluntas non immediate imperando, quia appetitus cum sit potentia cœca non movetur a cognitiva potentia, voluntas autem non est cognitiva, unde si immediate imperaret appetitui sensitivo, cæcus cæcum duceret; sed imperat medio intellectu, quatenus facit, quod intellectus apprehendendo distinctius quidditatem, & circumstantias objecti delectabilis considerat aliquam rationem malitiæ, vel damnum ex illo consequens, qua mediante cognitione illustrat sensum internum, facit, ut aliter apprehendat objectum, proponatque appetitui sensitivo, & consequenter avertitur ab illo objecto, mitigaturque ipsius concupiscentia; nam licet omnis intellectiva cognitio ortum ducat a sensu, attamen postea dum intelligit, phantasia phantasiatur circa singularia ex naturali unione potentiarum, ut dispur. seq. dicemus; hinc est, quod sensus internus ope intellectus potest aliter apprehendere, semper tamen intra limites objecti sensibilis, & fine discursu, ut diximus: huc spectat illud Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, & Eccl. 18. *Post concupiscentias tuas ne eas*. Ex quibus sequitur etiam appetitum sensitivum obedire rationi quoad supernaturalia, quia dum hæc intellectus contemplatur, phantasmata ista repræsentant modo quodam sensibili, & in singulari phantasiæ, a qua appetitui ostenduntur ut bona ipsius appetentis, unde movetur ad illa appetenda, & ad amorem, vel desiderium, itaut quandoque in lacrymas prorumpat, ut sæpe contingit in sanctis; juxta illud Psalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*.

310 Dices; si appetitus potest non obedire rationi, ergo esset liber, quia illud agens est liberum, quod potest operari, & non operatur; hoc autem est falsum, quia libertas solum in voluntate reperitur, unde opus morale, & meritorium illud dicitur, quod est voluntarium, & a voluntate procedit propter libertatem, quam actui communicat; at si appetitus esset liber, tunc daretur opus bonum, vel malum, præscindendo a voluntate, quod est contra omnes Patres, & Theologos, ut dicitur in tract. de peccatis. Respondet Cajet. concedendo conseq. & negando falsitatem, ita p. 2. qu. 74. art. 4. Sed revera falsum admittit, ut diximus; Tum quia sequeretur idem posse peccare simul & mereri circa idem objectum, si scilicet circa objectum prohibitum appetitus eliceret actum prosecutionis, voluntas vero actum fugæ, per actum appetitus, quia esset liber, peccaret, per actum voluntatis mereretur; hoc autem implicat. Quare dicimus appetitum posse *non obedire*, non quia sit liber, sed quia potest aliter moveri a sensu interno, si scilicet tam vehemens sit ostensio delectabilitatis, ut non sinat averti sensum a ratione, potestque accidere in corpore physica quædam alteratio, quæ valde sensum ipsum contorqueat, & incitet; quo casu se haberet appetitus respectu rationis, sicut equus indomitus respectu sessoris, sessor enim non nisi politice imperat, quia potest esse, quod equus omnino resistet, & tamen non est agens liberum, sed naturale. Neque ex hoc infera; nostrum appetitum, quia superiorem habet supra se, idcirco esse imperfectiorem appetitu brutorum, quia nullum agnoscit supra se dominium. Non sequitur, imo potius inferri debet major perfectio in appetitu humano ex hoc, quod dirigatur a nobiliori potentia; sicut non idcirco homo erit imperfectior, quia legem divinam agnoscit, & ab illa ligatur, quam sint bruta, quæ nullis tenentur legibus.

QUÆSTIO X.

De actibus, & passionibus appetitus sensitivi.

311 COmmuniter confundi solent actus, & passiones appetitus, & pro eodem fere sumuntur, unde sex actus, seu passiones numerantur appetitus concupiscibilis, & quinque irascibilis; quamvis enim hi duo non constituant vere duas potentias realiter distinctas, quia tamen habent objecta diversa, hac ratione de ipsis loquimur, ac si essent duæ potentiæ distinctæ, sicut de intellectu practico, & speculativo, vel secundum proportionem superiorem, & inferiorem loquimur, ac si essent duo intellectus inter se distincti propter distinctionem objectorum.

Passiones concupiscibilis ponuntur amor, & odium, desiderium, & fuga, delectatio, & tristitia; ratio est, quia circa duo potest hæc potentia versari, vel circa bonum, vel circa malum, & utrumque potest tripliciter considerari, vel in se, & absolute, vel ut futurum, vel ut præsens; non consideratur ut præteritum, quia ut sic non est objectum appetitus, cum sit quid impossibile, ut assequatur, nisi apprehendatur ut præsens; si primo modo consideretur, sic est amor circa bonum, quo appetitus tamquam pondere aliquo fertur in illud, juxta illud, *Amor meus, pondus meum*, & odium circa malum, quo se avertit ab illo; si contempletur in futurum, sic est desiderium circa bonum, & fuga circa malum; si tandem ut præsens, est delectatio respectu boni, & tristitia respectu mali; ut notat. quod proprie loquendo differunt voluptas, & delectatio, dolor & tristitia; licet quandoque confundantur; voluptas enim & dolor pertinent ad appetitum sensitivum, delectatio, & tristitia ad voluntatem, ita Doctor 3. dist. 15. qu. unic. §. *Aliter potest dici*.

312 Passiones vero irascibilis quinque assignantur, scilicet spes, desperatio, audacia, timor, & ira; irascibilis enim respicit bonum arduum, seu victoriam impedientis affectionem boni concupiti; unde si hæc victoria concipitur ut possibilis, tunc est spes; si ut impossibilis, est desperatio; similiter irascibilis respicit malum evitandum, non ut sic, quia hoc pertinet ad concupiscibilem, sed in ordine ad aliquod tentans inducere malum illud, in quod insurgit irascibilis, & si excitatio mali, seu victoria de inducente malum concipitur ut possibilis, est audacia, quia appetitus accenditur,

dicur, & animatur contra illud; si apprehenditur ut impossibilis, aut valde difficilis, tunc est timor, quia appetitus desistit, & succumbit; tandem si malum est præsens, est ira, qua appetitus vindictam quærit de damno illato, circa bonum præsens nullum actum habet irascibilis, quia tale bonum ut sic spectat ad concupiscibilem.

313 Hæc doctrina communiter traditur a Doctoribus cum D. Thoma p. 2. a q. 28. res tamen est diligentius perscrutanda cum nostro Doctore; & primo videntur actus irascibilis assignati, scilicet spes, & desperatio ad concupiscibilem spectare; nam spes vel respicit bonum ut possibiliter consequendum, & sic non differt a desiderio efficaci, desiderare autem est actus concupiscibilis, ergo & sperare ut sic; hinc Doctor 3. d. 26. spei actum ponit in desiderio; vel spes respicit victoriam offendentis, quæ si apprehenditur ut possibilis erit audacia, ergo spes, & audacia non essent actus distincti quod est falsum; similiter audacia non videtur ab ira distincta, nisi quatenus audacia respicit offendens, ut futurum, ita ut præsens, & in hoc sensu audacia erit quædam ira, irasci enim dicimur tam contra actualiter offendentem nos, quam contra intendentem nos offendere. Desperatio etiam vel pertinet ad concupiscibilem, si sumitur, ut opponitur spei in primo sensu, scilicet ut dicit desiderium inefficax alicujus boni apprehensi ut impossibilis, vel a timore non differt, si explicatur in ordine ad victoriam ut impossibilem conceptam. Quapropter rectius actus irascibilis est irasci, ut docet Scot. 3. d. 34. F. ex Arist. 2. rhetor. irasci autem est appetere vindictam, & actus isti oppositus erit tolerantia offensæ, seu nolle propellere repellenda, & patienter sustinere, ratio est quia bonum, & malum sive possibile, sive impossibile est objectum concupiscibilis, & consequenter omnis actus respiciens bonum, vel malum quocunque modo, erit actus concupiscibilis, & non solum iste, sed etiam qui respicit consecutionem, & media, ejusdem enim potentiæ est respicere finem, & ordinare media ad consecutionem finis; hinc spes, & desperatio, audacia, ut respicit media difficilia, & timor ut respicit malum imminens, vel præsens, erunt actus concupiscibilis. Objectum autem irascibilis est offendens, unde actus ipsius non est simpliciter resugere a malo, sed insuper punire, & ultionem sumere de offendente; & ut hæc punitio, seu victoria offendentis apprehenditur ut possibilis, dici potest etiam audacia non in ordine ad superandum malum, sed in ordine ad punitionem offendentis; actus oppositus erit, non punire, vel quia moderatur potentia a recta ratione, & erit actus patientiæ, vel quia punitio apprehenditur ut impossibilis, aut valde difficilis, & est timor, non ut respicit malum, quia sic est actus concupiscentiæ, sed ut respicit offendens excedens vires timentis. Verum quia concupiscibilis, & irascibilis vere non sunt potentiæ realiter inter se distinctæ, hinc est, quod actus ipsarum confunduntur inter se, & qui uni competit, alteri tribuitur.

314 Major difficultas est delectatione, & tristitia, voluptate, & dolore, seu ut alii loquuntur de voluptate, & mœstitia, aut complacentia, & displicentia, an sint veri actus eliciti a potentia appetitiva, vel passiones consequentes actus elicitos, vel aliquid aliud; & ut difficultatem exacte explicemus, primo agendum erit de delectatione, & tristitia in voluntate, deinde de voluptate, & mœstitia, seu dolore in appetitu sensitivo, nam ex illarum cognitione deveniemus in notitiam istarum, & consequenter non nihil transcendemus limites hujus disputationis, quæ est de potentiis sensitivis, dum de voluntate, quæ est appetitus rationalis, adhuc differemus, in gratiam tamen appetitus sensitivi.

315 Pro decisione not. ex Scot. 1 d. 1. qu. 3. & 3. d. 15. §. *Aliter potest dici*, quod in potentia in ordine ad objectum duo reperiuntur, quorum unum dicitur actio, alterum passio, non quod sint vere de prædicamento actionis, & passionis, in his enim collocentur solum respectus, ista autem sunt veræ qualitates; sed talia dicuntur grammaticaliter, quatenus explicantur per verba activa, vel passiva; quapropter illa qualitas dicitur actio in potentia, quæ est vera operatio, & quæ vere tendit in objectum, eliciturque a potentia, ut est amor, intellectio, & quilibet actus, illa autem qualitas dicitur passio, respectu cujus potentia non est activa, sed mere passiva, illamque respicit ab extrinseco; est igitur controversia, an delectatio, & tristitia sint actus, vel passiones. Quidam putant esse veros actus, ut Greg. citand. Valq. p. 2. disp. 14. cap. 1. & 2. Salas tr. 1. d. 7. sec. 4. Lorca disp. 48. membr. 2. Montesin. disp. 6. q. 1. sed differunt, nam alii dicunt spectare ad intellectum, alii ad voluntatem; similiter qui sustinent esse passiones consequentes actus, discrepant, quod aliqui docent esse passiones intellectus, aliqui voluntatis.

316 Dicimus, delectationem, & tristitiam spectare, non ad intellectum, sed ad voluntatem; esseque passiones, non actus. Conclusio. quoad ambas partes docetur a Scoto 1. d. 1. qu. 3. & 4. d. 49. q. 7. & d. 14 q. 1. P. & d. 44. q. 2. & 3. d. 15. §. *Aliter dici potest*, & q. 11. de An. ad 4. & prob. quod ad voluntatem pertineant ex D. Aug. 14. de Civit. Dei cap. 6. ubi loquens de cupiditate, lætitia, & metu, & tristitia, ait, *Voluntas quippe in omnibus est, imo omnes nihil aliud, quam voluntas sunt*, & cap. 5. *Quid est cupiditas, & lætitia nisi voluntas in eorum consensiones, quæ volumus?* & 10. de Trin. cap. 10. *Fruimur cognitis, in quibus voluntas ipsis propter seipsa delectata conquiescat*. Probatur etiam ratione, quia delectatio & tristitia proveniunt ad objecto ut convenienti, & disconvenienti, ut bono, vel malo, sed hæc pertinent ad voluntatem, non ad intellectum, &c. unde tristitia definiri solet, quod sit de his, quæ nobis nolentibus accidunt ex D. Aug. 14. de Civitat. cap. 15. Tum quia nisi actus voluntatis accedat, & si adsit cognitio rei convenientis, vel disconvenientis, nulla est tristitia, aut lætitia.

317 Secunda pars, quod non sit actus, sed passio voluntatis, probat. a Scot. in 4. d. 46. cit. pœna est essentialiter tristitia, imo in natura intellectuali nulla alia pœna potest inesse sibi; sed pœna non est actus voluntatis, sed quid consequens, ergo neque tristitia erit actus voluntatis, & per consequens neque delectatio, quæ est opposita, min. probat. omnis actus voluntatis, sive sit nolle, sive sit velle, est voluntarius, quia voluntas voluntarie elicit nolle, aut velle, sed nulla pœna voluntatis est voluntaria, sed omnis est involuntaria, aliter non esset pœna, ergo &c. Tum quia ex eodem in 3. citat. tristitia non est actus volitionis, ut patet, neque actus nolitionis, quia potest esse actus iste nolitionis in Beatis, & tamen nullam habent tristitiam, ut Deus & Beati nolunt peccata, & tamen eveniunt, quod si tristitia esset formaliter actus nolitionis eorum, quæ accidunt, jam formaliter tristarentur, quod est falsum. Tum quia ait Doctor ibi, antequam adveniat malum, quod timetur, homo habet actum nolitionis, non tristitiam, posito objecto nolito tristatur, & eo magis, quo plus noluit, & tamen non est in eo alia nova operatio, nec simpliciter, nec secundum aliquem gradum, secundum quem non præfuit. Ex opposito potest argui de delectatione, quod non sit actus volitionis eorum, quæ nobis volentibus accidunt, quia multa eveniunt secundum intentionem diaboli, ut sunt peccata, & tamen est incapax cujuscumque delectationis. Tum quia Arist. 10. ethic. cap. 4. & 5. negat sæpe voluptatem esse operationem, sed ait esse finem, qui ex operatione pullulat, sicut pulchritudo, & decor in iis, qui ætate vigent.

318 Ad hæc respondet Greg. 1. d. 1. q. 2. ar. 2. solum probare non omnem volitionem esse delectationem, nec omnem nolitionem esse tristitiam; non tamen universaliter concludere de omni volitione, & nolitione; admitti aliquam delectationem in diabolo, juxta illud Psalm. *Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero*, & tandem ait non omnem actum voluntatis liberre, & voluntarie elici a voluntate, sed aliquem voluntas necessario elicit, ut est actus nolendi objectum intense læsivum; ita fere respondet Cajet. p. 2. quæst. 31. ar. 4. ubi ait delectationem, & tristitiam non esse velle, & nolle, sed actus quosdam a voluntate ut natura elicitos.

Sed ut ab hoc ultimo incipiamus, falsum esse assumptum ostendimus disp. 7. cum de libertate voluntatis agemus: quod ait de delectatione diaboli, non est præsentis negotii. Et tandem quod docet non omnem nolitionem esse tristitiam, non valet, quia maxime esset illa, quæ esset de iis, quæ nobis nolentibus accidunt, aliter definitio Aug. non esset recta, hæc autem nolitio vere reperitur in Beatis in ordine ad peccata, & tamen nullam habent miseriam, nec habere possunt. Tum quia tristari non est conforme inclinationi voluntatis, omnis tamen actus sive volitionis, sive nolitionis est juxta propriam inclinationem, quæ naturaliter est profecutiva boni, & fugitiva mali, ergo nullus actus *voluntatis* potest esse tristitia.

Resp. proinde aliter Vasq. p. 2. disp. 14. cit. c. 2. tristitiam esse de his, quæ nobis nolentibus accidunt, & sunt mala nobis, Deo autem nihil est malum, ideo non tristatur: Beati quoque nullum possunt habere malum; & licet quandoque nos tristemur de malo amicorum, hoc est, quia illud malum a nobis reputatur ut nostrum; modo hominibus nullum potest accidere malum, quod possit a Beatis ut proprium reputari, nisi peccatum, nam alia mala, ut tribulationes, non æstimantur a Beatis ut objecta disconvenientia; attamen eo ipso quod homines peccant, jam non sunt amici Dei, & Beatorum, idcirco non habent contristari de malo amicorum; accedit summa delectatio beatitudinis, quæ omnem excludit tristitiam. Hæc responsio falsum continet, quod scilicet non possimus tristari nisi de propriis malis, vel de malis amicorum, quæ tanquam nostra reputantur; nam Sancti in hac vita sæpissime tristabantur de peccatis hominum, imo Christus ipse videns civitatem Jerusalem considerans obstinationem illius flevit super illam; & tamen nec Sancti, nec Christus tristabantur de peccatis tanquam propriis malis; neque tunc Judæi obstinati erant amici Dei, & Christi. Quod additur de delectationis incompossibilitate cum tristitia, confirmat nostram rationem, si enim tristitia esset nolitio alicujus positi in esse, jam daretur in Beatis, & consequenter redderet illos tristes, sicut albedo necessario reddit parietem, in quo existit, album; cum igitur tristitia sit incompossibilis cum summa delectatione, & in Beatis detur talis nolitio, certe erit a tristitia distincta.

Aliter adhuc respondet Lorca loc. cit. inquit enim eventum mali contra voluntatem efficacem, & simpliciter inferre tristitiam, non vero eventum mali contra voluntatem antecedentem, & inefficacem, & cum nihil accidat contra voluntatem Dei efficacem, inde fit, ut tristari nequeat; & hinc etiam rationem deducit, cur neque Beatis tristitia inesse possit, quia nempe voluntas eorum adæquate conformis est voluntati divinæ, & nihil fit, quod voluntati eorum sit contrarium simpliciter. Neque hæc responsio satisfacit, quia licet Deus non velit observationem mandatorum voluntate efficaci, & consequenti, efficaci tamen voluntate voluit obligationem ad illam, quia de facto nos efficaciter obligavit ad servanda mandata, cum igitur homo mandata non servat, aliquo modo obviat efficaci Dei voluntati, quatenus voluntatem suam non conformat præceptis efficaci voluntate divinalaris, & per consequens aliquid Deo accidit contra voluntatem

ejus efficacem, ergo ratio, cur in Deum tristitia non cadat, non est, quam assignat hic Author; Deinde Beati tenentur velle efficaciter a nemine Deum offendi, unde Angelus custos pro viribus fatagit hominem a peccato retrahere, & ad bonum allicere per sanctas inspirationes, ergo cum homo peccat, aliquid accidit, quod est contrarium voluntati Beatorum simpliciter, & tamen non tristantur, ergo ratio, cur tristitia non afficiantur, aliunde petenda est.

319 Contra prædicta arguitur quamplurimis authoritatibus tum D. August. tum Arist. asserentium, has passiones esse actus, operationes, & motus voluntatis; Nec respondere valet has propositiones intelligi debere causaliter, non formaliter. Non valet, nam D. Aug. 14. de civit. cap. 5. ait, *Quid est cupiditas, & lætitia, nisi voluntas in eorum consensione, quæ volumus, & quid est metus, atque tristitia, nisi voluntas in dissensione ab his, quæ nolumus?* ubi similis est prædicatio de cupiditate, & lætitia, de metu, & tristitia, sed quod cupiditas sit volitio, est prædicatio formalis, ergo hæc quoque erit formalis, lætitia est volitio. Tum 2. delectatio, & tristitia possunt esse meritoriæ, & demeritoriæ, ergo sunt actus voluntatis. Tum 3. delectatio est quid vitale, vitaliter enim delectamur, ergo erit actus elicitus a potentia vitali. Tum 4. si erit passio, ergo ab intrinseco causaretur, non apparet autem, quænam possit esse causa effectiva hujus passionis, voluntas enim non potest ab extrinseco pati.

320 Respon. cum Scoto cit. authoritates illas vere intelligendas esse causaliter, non formaliter; neque replica aliquid valet, quia nec est necesse, ut illæ prædicationes sint similes, & formales, sed una potest esse formalis, altera causalis, vel si sunt ambæ formales, lætitia, & tristitia non supponent pro passionibus, sed pro causis effectivis, ut enim dicemus, actus voluntatis est causa partialis passionum. Ad 2. faciliter respondetur, ut opus aliquod sit meritorium, aut demeritorium, sufficere, ut mediate dependeat a voluntate, quo pacto passiones quoque dependent, ut dicemus. Ad 3. etiam dicimus delectari non esse vitaliter operari, nisi causaliter, & præsuppositive, unde delectatio, ait Doctor, non respicit bonum tanquam objectum, sed potius ut causam efficientem, est enim quid consequens ad actum vitalem respicientem bonum ut objectum, qua ratione dici solet delectationem esse circa bonum, tristitiam circa malum.

Ad 4. certum est, voluntatem non esse immediatam causam harum passionum, ut enim ait Scot. 3. d. 15. D. quia sic quoque essent immediate in ipsius potestate, sicut volitio, & nolitio, & sic tristitia esset voluntaria, & posset voluntas statim cessare, quod est falsum, quia posito nolito, non videtur tristitia esse in potestate voluntatis. Neque potest causari ab objecto immediate, contra Faber. 3. disp. 39. Vulpes 2. p. disp. 85. art. 1. & Pitigian. 3. d. 15. art. 6. quia quandoque objectum in se est quid privativum, vel ens materiale, nullum autem istorum potest agere in voluntatem; neque ut cognitum, quia ut sic non habet esse reale, nisi esse ipsius intellectionis. Hinc ait Doctor in 4. d. 14. qu. 1. P. duo concurrere ad causandas istas passiones scilicet actum apprehensionis objecti, & actum voluntatis; primus non sufficit, quia non statim ac apprehendimus objectum conveniens ut præsens, aut disconveniens, causatur in voluntate gaudium, vel tristitia, sed requiritur, quod sit volitum, vel nolitum a voluntate, ergo ad hos duos actus gaudium, & tristitia consequuntur tanquam effectus ad suas causas; & in hoc sensu intelligendus est Doctor, cum in 3. d. 15. §. cit. in 4. d. 44. quæstion. 2. & 3. & alibi sæpe docet objectum causare passiones in voluntate, quatenus est conveniens, & disconveniens, non ut ly quatenus reduplicat relationes convenientiæ, aut disconvenientiæ, sed ut reduplicat naturam; & actum cognitionis inservire, ut approximationem; non enim est sensus, quod ipsum objectum cognitum sit causa passionum, sed entitas talis actus repræsentantis illud objectum, ut præsens; unde in libr. de An. quæst. 11. ad 4. ait objectum conveniens cum perceptione causare delectationem; & ad quintum delectationem non immediate causari ab apprehensione convenientis, sed actu dilectionis mediante, & de immediata causa delectationis, & tristitiæ, ita quoque opinantur Cavellus scholio in p. quæstion. disp. 15. 3. sentent. numer. 11. & Hiribar. tr. de actibus humanis disp. 14. sec. 2. quo loci fuse pertractat hoc quæsitum.

321 Dices, probabilior est opinio, quod voluntas non recipiat ab intrinseco neque partialiter suum actum, cur potest recipere passionem? Tum quia potest voluntas imperare intellectui apprehensionem præsentiæ objecti disconvenientis, & habere circa illud nolitionem, ergo si ad hos actus sequitur tristitia, hæc erit voluntati voluntaria, saltem mediate, quia voluntarie ponit causas, & tamen diximus tristitiam, & pœnam non posse esse voluntaria. Respondet Doctor in 3. cit. ad 1. disparitatem esse, quia voluntas ut elicitiva actus est libera, & ideo si ab extrinseco reciperet actum, læderetur ejus libertas, de quo dicemus disp. 7. at voluntas, ut est sub actu, non est ita libera, quia est ad unam partem determinata, & cum se habeat ut potentia necessaria necessitate consequentiæ, poterit pati ab extrinseco. Ad 2. respondet in 4. d. 14. quæst. 1. Q. concedendo quandoque voluntatem posse esse causam totalem remotam tristitiæ, quando scilicet est causa, cur adsint illi duo actus, qui sunt causæ partiales, & consequenter tristitiam, & pœnam esse tunc voluntariam; quando autem dictum est, omnem pœnam esse involuntariam, intelligendum est de pœna secundum se comparata ad voluntatem secundum affectionem commodi, tamen potest esse voluntaria voluntate secundum affectionem justitiæ acceptante pœnam illam, & voluntarie applicante causas; at si tristitia esset actus voluntis, tunc secundum esset voluntaria, nam quilibet actus est interpretative volitus a voluntate, quia libere elicitus.

Demum nota in hac materia, quod Doctor in 3. d. 15. F. affert unum modum causandi tristitiam, vel delectationem in voluntate, tanquam probabilem, scilicet quod appetitu sensitivo immutato ab objecto convenienti, vel disconvenienti, & consequenter delectante se, vel tristante de illo, si tale objectum esset ab intellectu voluntati præsentatum, posset tunc voluntas absque aliquo actu elicito habere in se aliquam delectationem, & tristitiam propter connexionem voluntatis cum appetitu sensitivo; quo pacto poneretur aliqua delectatio, vel tristitia surreptitia præcedens actum omnem voluntatis; & sic sola cognitio esset causa totalis tristitiæ; Sed re vera hunc modum ibi non amplecritur.

322 His visis de delectatione, & tristitia ut passionibus appetitus rationalis, deveniendum est ad voluptatem, & dolorem, quæ ponuntur passiones appetitus sensitivi, & quamvis ex dictis colligi posset decisio quæsiti, est tamen peculiaris difficultas, nam quidam distinguunt voluptatem, & dolorem a complacentia, & displicentia, hæc concedunt ad appetitum sensitivum pertinere, vel tanquam actus, vel tanquam passiones, illa vero ajunt ad potentiam sensitivam cognitivam spectare præcipue tactivam, vel tanquam sensationes, & actus, ut Valesc. contr. 4. capit. 4. Dand. 2. de An. digress. 60. & Arriaga disp. 5. in fin. unde dicunt, voluptatem esse sensationem noxii; vel tanquam objectum, eo quia putant esse qualitates quasdam secundas tangibiles, vel gustabiles, ex quarum perceptione resultet, postea in appetitu sensitivo delectatio, & mæstitia, seu complacentia, & displicentia, ita Aversa quæst. 54. sec. 14.

Dicimus tamen, voluptatem, & dolorem non esse sensationes, nec objecta sensus externi, sed passiones appetitus sensitivi; ita Scot. d. 15. cit. & 4. d. 44. quæst. 2. & 3. quod non sint sensationes, probat 10. eth. cap. 4. vel 6. ubi habet ad actum perfectum sequi delectationem, & loquitur ibi de actu sensitivo, ergo voluptas, & dolor non sunt sensationes externæ. Tum quia si dolor esset sensatio objecti disconvenientis, quo intensior esset dolor, eo perfectius in suo genere perciperetur objectum disconveniens, quod tamen est contra experientiam, nam qui atrocissimos patiuntur dolores, adhuc nesciunt assignare objectum istud disconveniens, cujus sit conditionis, & naturæ. Tum quia objectum tactus sunt sensibiles qualitates, & præcipue primæ, ergo si dolor, & voluptas essent sensationes tactivæ, & haberent pro objecto primas qualitates, & sic dolor, & voluptas nonnisi ex primis qualitatibus orirentur, quod esse falsum infra ostendemus.

323 Deinde quod non sint qualitates secundæ per se sensibiles a sensu tactus, & gustus, probat. quia qualitas tangibilis per contactum semper sentitur, manu enim tangimus frigus cujuscumque corporis, aut calorem, ergo cum manu tangimus vulnus alicujus, non solum deberemus sentire calorem, aut humiditatem vulneris, & carnis, sed etiam qualitatem istam doloriferam, quæ reperitur in eadem parte carnis cute discoopertæ, secundum quam fit contactus, quod tamen non experiuntur; similiter nervus discoopertus, si vel leviter tangatur, maximum inducit dolorem, certe nequit nervus hanc qualitatem in se causare, quia deberet etiam illam in manu producere, æque enim manus est receptiva, & sensitiva doloris, neque manus erit causa propter eandem rationem, ergo dolor non erit qualitas quædam per se sensibilis. Tandem quod sint passiones, probat. ex dictis de lætitia, & tristitia, eodem enim modo se habent respectu appetitus sensitivi, ac illæ respectu rationalis; quod magis patebit ex solutione objectionum.

Objicies ex Aversa, quod voluptas, & dolor ad appetitum non spectent: Tum quia vere sentimus dolorem in determinata parte corporis, cum enim manus, vel pes aduritur, quod dolet, est manus, unde ibi applicantur remedia; at ibi non est appetitus. Tum 2. ad appetitum non spectat percipere, & sentire, sed prosequi, vel refugere, sed vere sentimus dolorem, ergo non spectat ad appetitum. Tum 3. prius sensus externus patitur extra dolorem, quam ab interno proponatur appetitui, ut patet, & deinde post apprehensionem sensus interni sequitur displicentia in corde, ergo &c. Tum 4. transacto dolore illum apprehendimus, & de illo tristamur, & tamen non dicimur dolere, ergo dolor non spectat ad appetitum, sed ad sensum externum. Tum 5. ex D. Aug. 3. de lib. arb. cap. 14. dolor est sensus divisionis, vel corruptionis impatiens. Tum 6. appetitus secundum nos correspondet cuilibet potentiæ cognitivæ, etiam externæ, ergo si voluptas, & dolor essent passiones appetitus, certe in omni sensu deberet reperiri dolor, & voluptas, quod saltem in sensu visus, & auditus est falsum, nam dum inspicimus objectum pulchrum, aut deforme, non in ipsa pupilla oculi sentimus voluptatem, vel molestiam, sed in animo; & cum sonos suaves, vel molestos sentimus, delectationem, aut dolorem non in ipso sensorio auditus recipimus, sed in animo. Tandem potentia appetitiva præexigit cognitionem objecti convenientis, aut disconvenientis, sed quandoque percipimus dolorem, aut voluptatem absque alia sensatione prævia, ergo

ergo dolor, & voluptas erunt qualitates per se sensibiles a sensu; min probat. experientia, nam qui articulares patiuntur dolores, aut renales, nullam habent sensationem, præterquam perceptionem dolorum, ergo dolor non erit passio appetitus, sed qualitas sensibilis.

324 Respond. ad 1. in manu sentiri dolorem, quia ibi residet appetitus sequens sensum cognitivum tactus, ut diximus q. præced. Ad 2. sentimus dolorem sensu interno, qui est perceptivus, non solum actuum appetitus, sed cujusliber passionis, unde & illius recordatur. Ad 3. concedimus totum assumptum, sed negamus dolorem existentem in membris non esse passionem appetitus particularis. Ad 4. tristitia illa pertinet ad appetitum sensitivum communem, & internum, potestque dici dolor, ut distinguitur a tristitia in voluntate, & etiam mæstitia, ut distinguitur a dolore appetitus particularis, & externi. Ad 6. D. August. intelligi debet causaliter, non formaliter, ut in simili diximus supra de delectatione, & tristitia voluntatis. Ad 6. concedimus sequelam cum Aristot. 10. Eth. cap. 4. ubi ait. *In unoquoque sensu voluptatem fieri, perspicuum est, quippe cum & visiones, & audiriones esse jucundas dicamus*, & quidem in tactu, gustu, & olfactu patet, in visu, & auditu, prob. quia sicut diximus q. 7. vehemens sensibile, etiam ut sensibile, est læsivum sensus, quia ut sic est disconveniens, ergo ut sic natum est inferre dolorem ipsi sensui, & ex opposito sensibile proportionatum, quia est conveniens, & perfectivum sensus, causat voluptatem, unde nimis visus a colore viridi confortatur, a nimis albo disgregatur, sic etiam de sono dicendum: quæ omnia arguunt proprias voluptates, & proprios dolores in quolibet sensu; verum est tamen, quod magis sentitur dolor, & voluptas in sensu tactus, & gustus, sicut qualitates ab istis sensibiles sunt magis activæ, quam sonus, & calor.

325 Ultima difficultas pro solutione alterius difficultatis, quænam scilicet sit causa doloris; circa quam Arist. 6. top. cap. 3. Gal. lib. 4. de simpl. medic. facult. cap. 2. Portius lib. de dolore cap. 3. & 4. Argen. lib. de causis symptom. cap. 15. & alii adæquatam causam doloris statuunt dissolutionem continui, sive incisione, sive alterationem causatam. Alia opinio sustinet, causam doloris non esse divisionem, sed qualitatum primarum intemperiem; cujus authores adhuc inter se discrepant; nam quidam volunt solam intemperiem caloris, & frigoris causare dolorem, siccitatem vero, & humiditatem non per se, sed per accidens, ut scilicet sunt causa restrictionis, vel dilatationis partium; ita Avic. 2. primi doctor. 2. sum. 2. cap. 19. & Conciliator differ. 77. Alii vero omnes primas quatuor qualitates asserunt esse per se causas, ita Averr. 2. Collectan. c. 21. & lib. 4. c. 21. & lib. 4. c. 46. Utranque opinionem de divisione continui, & intemperie amplexi sunt Conimbr. 2. de An. c. 11. q. 2. ar. 2. & Dand. 2. de An. digress. 60. Utranque etiam opinionem ex opposito reprobavit Suarez libr. 5. de An. cap. 5. ubi etiam Portium citat, & assignavit pro causa proxima doloris qualitatem quandam doloriferam causatam ex intemperie primarum qualitatum. Tandem Nicander Josius lib. de volupt. & dolore c. 6. quem sequitur Aversa q. 54. sect. 14. omnes istas opiniones approbavit, unde docuit dolorem provenire ex divisione continui, ex intemperie qualitatum, ex compressione, ex percussione, ex humore aliquo noxio, & similibus, itaut causa adæquata omnes alias complectens erit læsio corporis apta ad inducendum dolorem.

326 Dicendum est cum hac ultima sententia nec divisionem solam, neque intemperiem primarum qualitatum esse adæquatas causas doloris, sed posse quoque ex alio capite oriri; & universaliter omnes reduci possunt ad; disconvenientiam objecti cum potentia, sicut causa voluptatis erit convenientia; ita colligitur ex Scoto 3. d. 15. & 4. d. 44. quæst. 2. & 3. Probatur quoad singula; & primo quod divisio possit esse causa ex Arist. sect. 5. probl. 26. ubi causam, cur post longum iter femora magis doleant, quam tibiæ, ait esse, quia caro femorum est magis unita, & dolor causatur propter continui disjunctionem. Tum quia experimur, statim ac caro pungitur acu, sentiri dolorem; quo casu nequit assignari pro causa intemperies aliqua qualitatum, nam non apparet quæ intemperies tunc fiat, ut sit apta ad inferendum tantum dolorem, cum adsit quandoque major intemperies, & tamen nullus percipitur dolor, aut non tam intensus; Neque assignanda erit qualitas quædam doloriferа de novo producta, ut dicebat Suarez; quia nec etiam apparet, quænam sit qualitas ista tam cito producibilis, & in conservari dependens a ferro dividente, quæ tamen sit ex se insensibilis, ergo ipsamet continui disruptio erit causa doloris; unde diversa partium incisio diversum causat dolorem, qualiscunque fiat alteratio: ratio hujus a priori videtur esse, quia perfectus status animati corporis est continuitas partium, ergo quando dissolvuntur, est in statu disconvenienti. Quod autem non sit adæquata causa probat. quia etiam ex intemperie provenire potest dolor, quia & alteratio primarum qualitatum constituit vivens in statu improportionato; hinc immoderatus calor, aut frigus, maxime quando alteratio istorum est subita, & magna, causant dolorem, sic febricitantes dolorem sentiunt in ossibus, & nervis ex intensione caloris causatum; Neque excessus caloris solum, aut frigoris est causa doloris; sed etiam humidi, aut sicci licet remissioris propter remissiorem activitatem, quia & hæ qualitates sunt activæ, & per se pertinent ad rectam harmoniam corporis animati; qua ratione fames, quæ est defectus humoris subſtantialis, & fitis, quæ est defectus humoris roridi, causant dolorem. Quod si dicatur has qualitates causare dolorem, quia causant aliquam partium disjunctionem, calor rarefaciendo, frigus condensando, & per consequens ab aliis separando; siccum similiter constringendo, atque ab aliis segregando, ut in terra nimis rarefacta apparet; humidum sua acutie comprimendo, & disruptionem causando, ut patet in phlegmate vitreo, quod, inquiunt Medici, in intestinis inclusum causat dolores cholicos, dum propria acutie videtur intestina perforare. Certe hæc responsio non tam facile impugnari posset, nisi in ea improportione, quam habet intemperies cujuslibet qualitatis cum corpore animato, quia scilicet objectum disconveniens ex sua natura est tale, & non quia causat effectum disconvenientem, ergo ex se est causativum doloris, non ratione effectus.

327 Neque hæc duo sunt adæquata causa doloris, nam percussione, & compressione sentitur dolor, & si non fiat tam ingens qualitatum alteratio, aut scissio partium; ex. concursu quandoque alicujus humoris noxii fit dolor, ut patet; unde pruritus est quidam dolor ex tali concursu humoris, aut vaporis, vel similis sub cute proveniens. Qualitas autem illa doloriferа, si in aliquo casu admitteretur, forte non esset improbabilis; at in omnibus illam ponere est prorsus irrationabile. Et quoniam oppositorum eadem est ratio, causa voluptatis varia erit, sed in communi assignari poterit convenientia objecti cum potentia, seu objectum conveniens, itaut quando corpus redit ad statum connaturalem, & convenientem, magnam percipit voluptatem. An autem objectum immediate concurrat ad istas passiones causandas, an vero media cognitione sensitiva, patet ex dictis supra de passionibus voluntatis.

328 Dices cum Suarez, causa doloris debet tactu percipi, divisio non percipitur tactu, quia cognoscere divisionem est nosse numerum partium ex divisione provenientium, quem numerum nequit tactus percipere, sicut neque seipsum cognoscit. Tum quia transacta divisione, & sensatione ferri dividentis permanet dolor; & quandoque divisio non sentitur, sed dolor tantum inde proveniens, ergo divisio nequit esse causa doloris. Tum 3. neque illa intemperies potest esse causa, quia deberet sentiri exuberantia qualitatis excedentis, & noxiæ, & consequenter deberet percipi, num dolor causetur a calore, vel frigore, quod tamen nescitur, ergo intemperies qualitatum non videtur sufficiens causa doloris. Respon. ad 1. divisionem percipi, simul ac percipitur instrumentum dividens, quia tunc fit quidam contactus cum violentia, & modo improportionato, hac divisione causatur dolor, quia partes petunt esse inter se unitæ. Ad 2. probat solum divisionem non esse causam adæquatam, concedimus post divisionem sentiri adhuc dolorem, tum propter alterationem qualitatum, tum propter humorum concursum, tum etiam propter discontinuationem partium adhuc permanentem; & si divisio quandoque non percipitur, quia cito fit, vel propter levitatem, aut inadvertentiam, non ideirco negare debemus absolute non causare dolorem, cum oppositum etiam experiamur. Ad 3. quandoque etiam percipitur excessus ille qualitatis, unde per applicationem contrariorum sentimus refrigerium, & voluptatem, quandoque non percipitur, vel quia est in partibus intimioribus, vel quia ex alio capite provenit.

Ex his patet, quid sit dicendum ad ultimam difficultatem, semper enim dolorem præcedit sensatio illius, quod est causa doloris, licet quandoque non advertatur, vel propter excessum doloris, vel quia est in partibus internis, in quibus non tam facile experimur sensationem tactivam, at vere pars illa sentit humorem noxium, vel intemperiem qualitatum, aut aliud simile quodpiam.

QUÆSTIO XI.

De potentia loco motiva.

329 Hæc est alia potentia vitalis communis omnibus animalibus, quia omnia animalia aliqualiter ex seipsis moventur; duplex motus distingui solet, naturalis unus, seu pure vitalis, qui scilicet non fit ex directione alicujus potentiæ cognitivæ, talis est motus cordis, pulmonum, arteriarum, pulsus, &c. alter dicitur animalis, qui scilicet pendet a cognitione, & appetitu, & de isto motu, seu de principio istius motus loquimur in præsenti; quia adhuc est duplex, vel perfectus, ut est motus progressivus animalium, vel imperfectus, ut est motus dilatationis, & restrictionis in ostraceis, zoophitis, & plantanimalibus, hic enim fit dependenter a potentia cognitiva, & appetitiva; de qua potentia locutus est Arist. 3. de An. a text. 40. usque ad 59. ubi determinat potentiam loco motivam differre a nutritiva, sensitiva, & intellectiva tam practica, quam speculativa, & concludit esse cognitionem practicam, sive intellectivam, sive imaginativam, simul cum appetitu vel rationali, vel sensitivo; hinc ortum duxit prima dubitatio circa hanc potentiam, num scilicet sit distincta ab his duabus. Negativam partem sustinent aliqui, aut saltem si potentiam aliquam *distinctam* admittunt, negant illam esse activam, sed ajunt esse mere passivam in ratione dispositionis disponentis membra ad motum ab appetitu immediate causatum; citantur D. Thom. p. p. q. 75. art. 3. & 2. contra contra Gentes cap. 82. Ferrar. ibid. cap. 2. d. 1. qu. 2. ad argum. Aureol. Quidam vero licet admittant activitatem hujus potentiæ, negant tamen esse totalem, sed partialem propter immediatum concursum appetitus.

330 Dicendum est, potentiam motivam esse distinctam ab appetitiva, & cognitiva, esseque causam totalem motus elicitivam proxime, appetitivam vero concurrere remote ut imperan-

tem, cognitivam tandem ut dirigentem; conclusio est communis, & docetur a Scoto 2. d. 42. q. 4. N. & 4. d. 10. q. 7. & d. 49. q. 14. Prima pars, quod detur hæc potentia distincta probat. ex Arist. 2. de Anim. 18. & 24. Tum quia motus progressivus præcipue imperatur ab appetitu interno, & universali, quia dirigitur a cognitiva percipiente differentias objectorum, convenientias, & disconvenientias, si non formaliter, saltem fundamentaliter, quod pertinet ad sensum internum, qui habet movere appetitum communem, & internum, sed hic appetitus est in determinato organo, scilicet corde, vel cerebro, vis autem motiva est diffusa fere per totum corpus. Tum quia membra quandoque moventur independenter ab appetitu, cum nobis inconsiderantibus palpebræ, manus, aut pes moventur, ergo datur vis aliqua distincta. Ex quo deducitur alia pars, quod hæc virtus sit causa totalis proxima, non partialis, cum præveniat appetitum. Tum quia appetitus respicit objectum bonum per prosecutionem, malum per fugam, & hi sunt actus adæquati ipsius, at motus localis non continetur sub his actibus, ergo nequit appetitus immediate concurrere ad motum localem sive totaliter, sive partialiter. Et hoc magis patet in homine, ubi principalior appetitus est spiritualis, & inorganicus, potentia vero motiva, & localis motus est organicus. Tum quia hæc potentia motiva est vitalis, cujus est esse elicitivam proprii actus.

Quod autem appetitus concurrat imperando, patet, quia potentia motiva est ex se indifferens ad quemlibet motum, & quando movet, non temere, & in incertum tendit, sed propter aliquem finem movet, ergo indiget determinante, & ordinante ad talem finem, hæc autem potentia est ipsemet appetitus, cujus est moveri a bono finis; & quoniam appetitus est cæcus ex se, nec fertur in incognitum, necessario debet dari potentia dirigens, qualis est potentia intellectiva, vel imaginativa, ut arguebat Arist. cit.

331 Contra arg. ex Arist. 3. de An. cit. & libr. de animalium motu, ubi loquens de ista potentia docet esse appetitum principaliorem causam motus, non potentiam distinctam. Tum 2. frustra fit per plura, quod potest exequi per pauciora, modo posito appetitu efficaci, & dispositione membrorum statim sequitur motus, nec aliud videtur necessarium; unde juxta intentionem, & efficacitatem appetitionis motus intenditur. Tum 3. si motus isti præveniunt appetitum, ergo appetitus nullam causalitatem exercet circa illos. Tandem non videtur quomodo exerceatur istud imperium; nam si appetitus imprimit aliquid physicum ipsi potentiæ, ergo dici poterit seipso causare motum, si nihil imprimit, ergo adhuc potentia motiva manet indeterminata ad motum. Respon. ad 1. Arist. vere admittere potentiam motivam distinctam, ut patet in locis allegatis, & in 3. de An. 56. dum organum hujus potentiæ declarat: locutus est autem præcipue de potentia appetitiva, tanquam de principaliori. Ad 2. negamus posse appetitum exequi immediate talem motum, cum motus iste non contineatur sub actu adæquato ipsius, nec appetitus sit agens transeunter; & si valeret, ostenderet nullos esse sensus externos, quia posito appetitu efficaci, & remoto impedimento statim fit visio, & eo intensior quo efficacior est appetitus; solum igitur concludit appetitum imperare, & potentiam motivam statim obedire. Ad 3. multi negant motus posse prævenire actum appetitus, & quidem satis probabiliter, nam ajunt etiam in somno, & in motibus primo primis adesse actum aliquem appetitus saltem sensitivi; quod si teneatur oppositum, ut innuimus in prob. negamus adhuc conseq. quia etiam visio præcedit appetitum, & tamen potest ab illo postea imperari. Ad 4. imperium istud consistere in naturali radicatione harum potentiarum in eadem anima, & in naturali subordinatione potentiæ motivæ ad appetitivam, quæ faciunt, ut posito efficaci actu in appetitu statim potentia motrix ponat in esse, non autem per impressionem alicujus physicæ entitatis; de quo fusius disp. 7. q. 7. art. 2.

332 Petes, cum in homine sit duplex appetitus scilicet rationalis, & sensitivus, cuinam appetitui subdatur potentia motiva, & an possit uni tantum obedire. Respondemus ex Scot. in 2. cit. N. & R. potentiam motivam dispotice obedire voluntati, itaut nunquam moveat contra ipsius imperium, excipe tamen motum agitationis innataralis cordis ex aliqua perturbatione, vel passione causatum, & motum quorundam membrorum generationi inservientium, qui duo motus sæpe fiunt contra voluntatis imperium ex vehementia sensitivi appetitus, unde non videtur in his habere dominium dispoticum, sed politicum; Nec necessario requiritur actus etiam appetitus sensitivi, ut videntur docere Conimbr. 3. de An. c. 13. q. 5. art. 4. cum D. Thom. 1. p. q. 80. art. 2. nam sæpe videmus, & docet Arist. in text. nostram voluntatem velle aliquid, & motum imperare appetitu sensitivo actu reluctante, cum dominetur illius dominio solum politico. An autem semper sit necessarium in homine imperium positivum voluntatis, vel sufficiat quandoque solus appetitus sensitivus ad causandum motum, voluntate mere negative se habente; hæc pars videtur probabilior cum Scoto cit. & patet in somno, tunc enim vis rationis est alligata, & tamen multi exercentur motus vi appetitus sensitivi; quod si dicatur cum Aversa etiam in hoc casu, & in motibus primo primis intervenire aliquem actum voluntatis licet indeliberatum, certe non ita facile impugnabitur; nisi ex illo capite, quod possit dari [illegible] omissio libera; nam voluntate suspendente omnem actum, videtur posse appetitum sensitivum aliqualiter operari, & imperare; vide disp. 7. n. 47.

333 Secundo, dubitatur de organo hujus motivæ potentiæ, & instrumento, quo utitur ad causandum motum. Pro cujus notitia advertendum, quod ut docet Arist. cit. idcirco a natura fuisse juncturas constitutas in corpore, ut possit facile exerceri motus iste arbitrarius, & progressivus, unde constant ex osse concavo, & altero convexo in illo concavo incluso, ut instar portæ supra cardines motæ possit una pars moveri altera quiescente, super quam mota innitatur. Verum ne juncturæ ossæ in motu ad invicem dissolverentur, providit natura de substantia quadam exangui, alba, & similari, quæ *Vinculum*, aut *ligamentum* vocari solet ab officio vinciendi, & ligandi ossa, unde est solida, & dura, sed minus quam cartilago; inservit ad motum, ut ossa expedite, & sine læsione sequantur musculos. Insuper ad motum hoc vinculum non sufficit, quia cum requiratur sensus aliquis, & spiritus animales, qui a cerebro per nervos communicantur per totum corpus, ideo prope vinculum adest instrumentum quoddam, quod vocatur *Tendo*, estque secundum Gal. membrum aliquod compositum ex vinculo, & nervo, quæ duo ut compositionem quandam facerent in minutissimas fibras sunt divisa, quod mixtum est quid durius nervo, propter mixtionem vinculi, & mollius vinculo propter mixtionem nervi; & ne propter subtilitatem fibrarum jacturam aliquam patereturn, interposuit natura carnem, quæ inter fibras illas implicata fulciret, & firmaret tendonem. At Dand. lib. 3. de part. homog. c. 13. tendonem vult esse ejusdem substantiæ cum vinculo, solumque differre propter aliquam carnis permixtionem, quod probat, eo quia nervi non semper in tendone cum vinculo permiscentur; sed quicquid sit de hoc, sufficit nobis, quod detur iste tendo cujus officium est, ossa nectere, eorumque flexionibus, & motibus famulari.

334 Tandem adest *musculus*, qui est præcipuum motus organum, & instrumentum, & dividitur in tres partes, in principium quasi caput, in quo incipit nervorum in fibras divisio; in medium, quod venter dicitur, ubi fibræ illæ magis sunt inter se distinctæ, magisque abundat interjecta caro, eo quia sua relaxatione, vel restrictione maxime facit ad motuum flexionem, vel extensionem; & in finem, qui cauda, vel chorda appellari solet, ubi denuo fibræ illæ uniuntur magis, fere nulla interposita carne, & prope tendonem; solet tamen Musculi nomen, sicut & tendonis extendi ad totum instrumentum a ligamento diversum, estque hoc totum verum organum motivæ potentiæ immediatum, quo tanquem habenis utitur appetitus ad movendum corporis membra, estque tam ingens musculorum copia, ut Medici ad quingentos viginti novem musculos numerarint. Et quoniam omne corpus mixtum proprium exposcit temperamentum, hinc musculi debent esse præditi quibusdam qualitatibus, præcipue calore animali per spirituum animalium influxum soto; unde quandoque ex harum qualitatum defectu, membra omnino inepta evadunt ad conficiendum motum, ut contingit in nimia defatigatione, vel cum repentino, & nimio terrore terremur, in primo enim casu spiritus animales ex labore effluunt, in secundo ex timore ad interna confugiunt, & membra externa remanent viribus, & calore destituta. Ex quibus etiam deducitur, quod vis motiva remote resident in cerebro, non in corde, quia ut sæpe dictum est, nervi a cerebro, non a corde trahunt originem.

QUÆSTIO XII.

De quibusdam affectionibus animalium.

335 PRo complemento hujus disputationis aliqua remanent dicenda de quibusdam passionibus convenientibus omnibus, aut aliquibus animalibus, de quibus egit Arist. in libris illis, qui de parvis naturalibus nuncupantur; ut sunt somnus, vigilia, somnium, respiratio, &c. de quibus etiam clare, & succincte tractat Aversa q. 56. a sect. 3. usque ad finem; rem tamen brevius expediemus duobus articulis.

ARTICULUS I.

De somno, vigilia, & somniis.

336 INter animalium passiones primum locum obtinent somnus, & vigilia propter eorum communitatem, nam omnibus animalibus aliqualiter conveniunt, ut videbimus; ut autem perfectam possimus de somno, & vigilia habere notitiam, eorum causas investigare debemus.

Notandum est igitur, quod cum principium omnis sensationis indigeat spiritibus animalibus ad operandum a cerebro per quosdam meatus devenientibus, si his destituitur, cessat omnis sensatio externa, quando vero adest horum spirituum deflexus ad organa externa, potentiæ sensitivæ exteriores proprias exercent functiones; & cum somnus sit impotentia quædam sentiendi, ut ait Arist. lib. de somno, & vig. c. 1. vigilia vero sit potentia expedita sentiendi, sequitur, quod causa proxima, & immediata efficiens somni erit impeditio defluxus spirituum animalium e cerebro ad sensus externos, causa vero vigiliæ erit ablatio talis impedimenti, & communicatio spirituum, nam sicut somnus, & vigilia privative opponuntur, quia vigilia dicit expeditum exercitium sensuum externorum, somnus carentiam talis exercitii, ita quoque causæ immediatæ ipsorum quasi privative habent opponi.

337 Multipliciter autem potest impediri talis spirituum defluxus,

xus, & ex multis capitibus oriri, quæ omnia erunt causæ remotæ somni. Primo, & est satis commune, contingit, ut ait Arist. cit. eo quia virtute nutritiva decoquente cibos in stomacho, cibus resolvitur in vapores, & fumositates quasdam, propter levitatem ad cerebrum ascendentes, ubi refrigerantur propter innatam cerebri frigiditatem, exilemque calorem; & consequenter incrassantur, unde meatus omnes, per quos spiritus externis sensibus communicantur, occupant, prohibentque deflexum, qua ratione organa externa concidunt, ineptaque evadunt ad proprias exercendas actiones, ex quo provenit tandem somnus, seu cessatio cujuscunque operationis. Ex hoc capite provenit, quod aliqui cibi maximum inducunt somnum, ut papavet, mandragora, vinum, solium, &c. quia scilicet sunt valde vaporosi, & multum vaporis ad caput emittunt. Hæc etiam est causa, cur in pueris, & in loco humido major somnus causatur, propter humoris copiam. Hæc quoque est ratio, cur initio somni partes externæ, & superiores sunt frigidiores, internæ vero calidiores; nam ex copia humoris crassescentis spiritus ad interna revocantur, quæ calefiunt ab ipsis, externa vero propter carentiam spirituum, & humoris frigidi præsentiam frigefiunt, at progressu temporis auctis spiritibus a calore virali, vireque reassumentibus, superant contrarium humorem, & externa quoque calefaciunt.

338 Secundo, potest provenire hæc spirituum prohibitio ex nimia corporis fatigatione, tum quia propter laborem consumuntur spiritus, & quousque de novo generentur, remanent externæ partes viribus destitutæ ad operandum: tum quia labore agitatæ partes corporis evaporant humores ad cerebrum, & obstruuntur meatus ad externa; nisi labor esset ita excedens, ut etiam omnes humores consumat, doloremque in membris causet; nam tunc potius esset causa vigilantiæ. Tertio, oriri potest ex intensa aliqua operatione etiam interna; nam in hoc casu valde consumuntur spiritus, ideoque deficiunt in externis, unde musca, & sono facile evocatur somnus; verum quoque est, quod si nimis attenta foret alicujus rei cogitatio, avertet somnum, quia omnes corporis spiritus ad cerebrum evocaret. Quarto, ex morbis humores corporis commoventibus, & in fumositates resolventibus potest quoque contingere. Quinto, solet evenire a virtute cerebri retentiva spirituum ad se refocillandum, sicut quælibet pars corporis habet vim retinendi alimentum necessarium, & superfluum dimittendi, aliisque de causis potest etiam evenire.

339 Causa finalis somni est virium, spirituumque reparatio propter conservationem animalis; nam cum per sensationes externas consumentur spiritus, vireque amittantur, indiget animal vacatione, & quiete, ut calore ad interna evocato perfectior fiat nutritio, alii generentur spiritus, quibus restaurentur vires ob conversionem alimenti in substantiam aliti. Debet tamen esse moderatus; nam nimius somnus valde nocet, eo quia partes externæ multo tempore sensationibus, & spiritibus destitutæ, torpent, siccantur, ineptæque fiunt ad operandum, hinc post diuturnum somnum expergefacti nec lucem valent conspicere, nec incedere, nec operationem ullam perfecte exercere; tum quia ex nimio somno cibus propter excessum caloris festine decoquitur, unde & multæ superfluitates, ac excrementa generantur, & calor ipse saltem per accidens debilitatur; nam deficiente cibo calor in humidum radicale incipit agere, ex quo sequitur destructio ejusdem caloris, ut diximus disp. ult. in lib. de Gen. At si e contra est valde brevis somnus, etiam obest, quia spiritus ad externa evocati relinquunt interna frigidiora, hinc imperfecta cibi concoctio, major cruditatum copia, exigua spirituum restauratio, & consequenter carentia eorundem in externis, virium provenit debilitas.

340 Ex his colligitur primo somnum plantis non convenire, sed animalibus, eo quia virtus sensitiva indiget quiete, ut renoventur, & restaurentur spiritus, non autem vegetativa; nam nutritiva consumendo restaurat, ideoque nutritione refocillantur vires, licet quia non perfecte progressu temporis restaurat, advenit tandem ultima quies, quæ est mors; at sensitiva operando consumit, non reparat spiritus, hinc est, quod indiget quiete intermedia, ut possit deinde reassumere proprias operationes. Et quoniam omne animal exercet aliquam sensationem mediis spiritibus, idcirco omni animali conveniet somnus quantuncunque imperfecto, quia quodlibet indiget hac quiete interpolata, quod est dormire; unde somnus ab Aristone exactor diligentissimus vectigalis vocabatur, quia de tempore nostræ vitæ dimidiam exigit, & aufert partem.

341 Colligitur 2. quo sensu intelligendus est Arist. dum lib. de somno, & vig. c. 2. dixit, somnus est passio sensus communis; hoc enim primo intelligi potest, ut ly communis cadat supra passionem, quatenus omnibus sensibus convenit; vel ut cadat supra sensum, ac si diceret esse passionem sensus communis, non quod sensui communi tantum conveniat, nam etiam convenit externis; sed quia, ut notat Tatar. in qu. de somno, & vig. §. *Tertio feiendum*, nulli sensui externo per se primo convenire potest, nam tunc aliis vel non competeret, vel dependenter ab illo, quod est falsum; sed per se primo convenit sensui communi, quia restauratio spirituum ad cerebrum spectat, quod est organum sensus communis, unde ex defectu spirituum in cerebro sequitur defectus in aliis, sensibus externis, non e contra. Et quamvis in somno sensus communis quandoque operetur, ut dum somniamus, ait Tatar. ibi, quod tunc proprie non sentimus, sed phantasiamur, sentire enim est cognoscere res sensibiles mediis externis sensibus, phantasiari est percipere per species reservatas in phantasia. Vel dicas hoc solum probare independentiam sensus communis ab externis, istis enim dor-

mientibus, non necessario ille dormit, at sensu communi sopito, cæteri quiescunt.

342 Colligitur tertio, quod quandoque in somno omnes sensus tam externi, quam interni ligantur, ut nullus exerceat sensationem aliquam, cum scilicet omnes spiritibus animalibus careant; quandoque (cum scilicet spirituum copia non est tam exigua, ut cerebrum maneat illis omnino destitutum) interni sensus non sunt ligati, itaut valeant aliquas operationes exercere licet valde confusas, & perturbatas, ut patet in somniis, nam sicut aqua quiescens omnia distincte repræsentat, commota vero repræsentat illa confuse, & majora, quam sint in se, ita spiritus ex vaporum copia agitati res ostendunt majores, & perturbato modo; quo casu intellectus quoque confuse potest operari, & potentia appetitiva; quandoque non solum potentiæ internæ manent expeditæ, sed etiam potentia motiva, unde sæpe accidere solet nos in somno aliquos motus efficere, scilicet loqui, ridere, clamare, incedere; potest quandoque sensus aliquis externus non ligatus remanere a somno, si scilicet meatus illi, per quos effluunt spiritus ad organa externa, non obstruantur, sic qui dormiendo ad interrogata respondent, habent auditum expeditum, & quandoque aliqui etiam visum, unde per loca periculosa incedunt; regulariter tamen omnes sensus externi cum potentia motiva ligantur a somno, & facilius sensus externi, quam potentia motiva, quia illi spiritus recipiuntur ab anteriori parte cerebri, quæ est magis humida, & propter humoris majorem copiam facile obstruuntur nervi, & meatus, qui non tam ampli extant; at potentia motiva vim recipit, ac spiritus a posteriori parte, quæ est siccior, & per ampliores meatus communicantur spiritus, unde non tam facile potest effluxus impediri. In his tamen casibus est advertendum, quod post somnum recordamur operationum internarum, non tamen motuum, aliarumque externarum actionum; ratio est, quia operationes internæ, ut somnia, relinquunt species in memoria, at operationes externæ scilicet motus, locutio, &c. nonnisi mediis sensationibus externis possunt causare species in sensu interno, quæ cum non adsint in his casibus, aut saltem non sit attentio potentiæ perfecta, non causabunt de seipsis memoriam in internis sensibus.

343 Colligitur quarto, cur somnus aliquando est profundior, & longior, aliquando levior, ac brevior, hoc enim potest provenire ex duplici causa, vel ob majorem, aut minorem humorum copiam obstruentium meatus spirituum, vel ob angustiores, aut ampliores meatus; unde eadem humorum quantitate in duobus existente, potest alter profundius, & longius dormire, si strictiores habebit vias spirituum, alter vero levius, & brevius propter amplitudinem viarum, unde non tam facile impediuntur, & facilius absterguntur.

344 Colligitur quinto, quod cum oppositorum eadem sit ratio, sicut causa somni est impeditio transitus spirituum ab internis ad externa, sic e contra causa vigiliæ erit aperitio viarum, & transitus spirituum ad externa organa. Hoc autem dupliciter potest evenire, vel quod ipsum animal ex se excitetur, quod dicitur proprie expergisci, vel ab alio, quod vocatur excitari; ut notat Arist. cap. 6. primo modo etiam dupliciter potest contingere, vel naturali quodam modo, & est, quando consumptis jam humoribus, & restauratis per nutritionem spiritibus, ad externa denuo effunduntur; vel evenit modo quodam quasi violento, ut cum ex passione aliqua doloris vel timoris ab aliqua imaginatione imminentis mali causati fit magna totius corporis commotio, ut spiritus per totum ab internis ad externa evocentur. Si ab alio excitatur animal; contingit, quia organum alicujus sensus externi a valido objecto veluti excitatur, & pungitur, quæ ratione virtus corporis regitiva illuc immittit spiritus, quando commotio est valida, tanquam in auxilium partis oppugnatæ, unde solvitur somnus per spirituum præsentiam: sic clamore, tactu, odore, & lumine possunt homines excitari.

345 Tandem de somno, & vigilia quærit Arist. lib. 5. de ortu an. cap. 1. an somnus conveniat animali prius, quam vigilia. Aversa cum Arist. citat. docet prius convenire animali somnum, quam vigiliam, nam dum primo generatur animal habet esse quoddam simile statui plantarum; tum quia prius est esse, quam operari, ergo statim ac animal habet esse sensitivum, non necessario operari debet per sensus, ergo si quiescit, jam dormit; tum quia non fit transitus de extremo ad extremum, nisi per medium, at somnus est quoddam medium inter status non vivendi, & vivendi. Dand. autem 3. de An. digress. 8. Argenter. lib. 1. de somno, & vig. c. 29. docent prius convenire vigiliam. Sed videtur quæstio de nomine, nam si per somnum intelligatur quæcunque cessatio ab operatione sensitiva, sic somnus prius conveniet animali, ut probat Arist. citat. non enim necessario in infusione animæ sensitivæ, statim animal quoad actum secundum sentit; hæc tamen acceptio non est rigorosa, & propria, unde idem Philosophus dicebat quietem illam esse plusquam somnum, & similem statui plantarum; si vero per somnum intelligatur cessatio, & quies a sensationibus propter consumptionem spirituum, & ut per ipsum restaurentur, quæ est propria acceptio somni, sic prior est vigilia, nam spiritus consumuntur sensatione, quod est vigilare; tum quia somnus proprie est privatio vigiliæ, ergo tunc competere dicetur, quando nata est convenire animali vigilia, at *in illo* instanti infusionis animæ in corpore, aut in tempore immediate sequenti, non potest convenire vigilia, & operatio propter imperfectionem organorum, ergo neque somnus, quia privatio, & forma opponuntur in subjecto in ordine ad idem tempus, unde catulus ante nonum diem non dicitur privatus visu.

346 Altera proprietas animalium assignatur somnium, quod a Philosopho definitur, cap. 1. de somniis, quod sit phantasma apparens in somno, seu apprehensio phantasmatis, & cognitio facta, dum dormimus; pro cujus notitia not. est, quod diximus supra num. 345. in somno non semper sensum internum omnino ligari, nisi quando est vehemens humorum copia, ut omnino obruant spiritus animales, vel quando sunt tam exigui spiritus, ut a virtute regitiva totius ad ventrem evocentur propter concoctionem, aliasque necessarias functiones; quando igitur sensus internus liber, & solutus manet, tunc potest operari circa phantasmata, quæ sunt species rerum ab externis sensibus cognitarum, & in phantasia, seu memoria reservatæ, & hæc sensatio phantasmatum facta in somno dicitur somnium. Qui autem plures sensus internos assignant, multum laborant, ut explicent, cujus sensus interni sit somniare, a qua difficultate nos sumus liberi sustinentes unicum esse internum sensum, itaut ejusdem potentiæ passiones sint somnus, & somnium, scilicet sensus communis, & interni; unde non solum hominibus competit somniare, sed etiam brutis maximę quadrupentibus, & fœcundis, ut docet Arist. 4. de histor. anim. c. 10. quod confirmat exemplo canum in somno latrantium, ubi etiam de oviparis dubitat, an somnient.

347 Cum igitur ad somniandum requiratur solutio sensus interni, & exiguitas vaporum, sequitur, quod qui caput habent multis fumositatibus repletum, non possunt somniare, ut sunt pueri infantes qui circa quartum, vel quintum annum somniare incipiunt, ut ait Arist. citat. & similiter adulti valde humidi; quales fuerunt, quos refert Arist. ibid. & Plin. lib. 10. cap. 75. Plut. lib. de oraculis, qui aut nunquam somniarunt, aut post multum temporis; quod etiam de populis Atlanticis asserunt Herod. lib. 4. & Rhodiginus lib. 27. c. 16. Hæc etiam est causa, cur in somni initio non somniamus, in medio valde confuse, in fine clare, & distincte, non secus ac si vigiles essemus, in initio enim vapores valde abundant, in medio aliquantum vigent, in fine sunt fere consumpti. Insuper quia somninm est cogitatio phantasmatum, sequitur, quod ea sæpius somniamus, quæ firmius cognovimus per sensus externos, horum enim phantasmata sunt intensiora, & vigorosiora in mente, vel quæ sunt magis conformia nostræ complexioni, melancholici enim tristia, & horribilia, colerici bella, cædes, flegmatici aquas, sanguinei risus, & jucunda somniat.

348 Causæ vero varietatis tot somniorum plures esse possunt; nam in primis Deus ipse potest aliqua somnia in nobis causare, ut legitur multis in locis Sacræ Scripturæ de somnio Jacob, Joseph, Pharaonis, Job, Nabuchodonosor, &c. non tamen est omnium somniorum causa, quod præcipue patet de somniis impuris, & malis. Angeli quoque possunt somnia in nobis causare, ut patet, cum sæpe sæpius in somno sunt sanctis hominibus locuti; Dæmones etiam Deo permittente talem habent potentiam: Item aspectus Cœlorum; nam ut diximus in lib. de Cœlo astra dominium habent directum supra nostra corpora, hinc possunt humores, & phantasmata commovere juxta effectus, quos habent in hæc inferiora causare; humores denique corporis, complexio, & infirmitates possunt varia, & diversa somnia efficere, ut diximus. Causa vero, cur ut plurimum tam diversa fiunt somnia de rebus, quæ nullam habent inter se connexionem, est ipsa spirituum commotio, quia enim a vaporibus agitantur, omnia confuse, & sine ordine repræsentant; hinc est, quod semper res in somno majores apparent, quam in se existant, exiguus enim strepitus tanquam tonitruum, minima defluens pituita, inquit Arist. tanquam mel dulce, parvus calor tanquam ignis vehemens percipitur, quod evenit ex spirituum perturbatione, qui nec ordinate, nec ut in se sunt, repræsentant sensui, sicut aqua commota grandiora repræsentat, quæ in se continet, ac quando est tranquilla.

349 Addunt Stoici, & Platonici aliam causam scilicet animum nostrum, qui futurorum omnium habet ex se cognitionem, non cognoscit tamen illa in vigilia, eo quia est ab objectis externis perturbatus, & oppressus, in somno autem est veluti ab his expeditus, & in seipsum revertitur, unde facile potest futura cognoscere; præterquam quod totum aerem plenum esse Dœmonibus, dicebant, qui rebus humanis præsident, cum quibus anima nostra in somno a corpore egressa tanquam cum similibus congressum habet, & de futuris instruitur, itaut somnia secundum istos aliud non sunt, quam cognitiones quædam animæ nostræ independenter a corpore operantis, aut familiare colloquium cum Diis. Sed hæc prorsus vana, & fictitia sunt; in somno enim potius perturbatur intellectus, quam liberior evadat in intelligendo, cum pro statu isto a phantasmatibus dependeat in operari; nec potest anima in somno deserere corpus, cum animal dormiendo adhuc vivat; tum quia naturaliter fieret resurrectio, mors enim est animæ separatio a corpore, resurrectio est ejusdem reunitio cum corpore, ergo si in somno anima egreditur a corpore, animal moritur, si redit, resurgit; tum quia idem esset de animis brutorum somniantium dicendum.

350 Ex his solvi potest dubitatio illa, an liceat per somnia divinare futura; de qua plures extant opiniones; nam Stoici, Ethnici, Academici, Pythagorici, & alii affirmant, & ita ex professo asseruerunt Artemidorus Daldianus in lib. de interpret. somniorum, & Apomasar in libro inscripto Apotelesmata, seu de significatis somniorum. Ex adverso Epicurus, Zenophanes, Metrodorus, Cicero in lib. de divinat. & alii negarunt fidem ullam somniis adhibendam esse; nam *veluti talorum jacta*, inquit Cicer. lib. 2. *talis sæpius jactis optatus tandem efficitur numerus, ita casu interdum ex pluribus somniis id, quod somniamus, evenit*. Arist. lib. de divinat. per somnia videtur mediam viam tenere, quod a quibusdam licet futura divinare, quæ scilicet sunt causæ, vel signa rerum, non tamen ab illis, quæ casu, & fortuito eveniunt.

351 Verum ex causarum explicatione efficientium somnia facilis est solutio; somnia enim, quæ a Deo immittuntur, vera fideliter enunciant, similiter quæ ab Angelis bonis fiunt; hæc autem sunt in triplici differentia; quædam dicuntur oracula, quando Deus, & Angeli apertis utuntur verbis, ut cum Angelus in somnis apparuit Joseph, ut in Ægyptum figeret cum puero Jesu, & Maria Matre ejus, Matth. 2. & cum de puritate Beatissimæ Virginis reddidit certiorem. Quædam dicuntur visiones, quando ostenditur futurum, ut evenire debebit; quædam proprie dicuntur somnia, cum scilicet aliquid sub figura ostenditur, unde interpretatione indiget; ut fuit somnium Pharaonis, Nabuchodonosor, &c. Quando ergo certo constiterit somnium a Deo, vel Angelo provenire, tunc licebit ab aliquo pio viro, si opus erit, interpretationem quærere, Deus enim non temere, & casu talia immittit somnia, sed ob aliquem finem ad salutem animæ directum, idcirco si obscura sunt, declarationem illorum per specialem illuminationem alicui indicat, ut fecit cum Josepho & Daniele; raro tamen hoc fit a Deo, ideoque non debemus *omnia somnia illi attribuere*.

Quæ proveniunt a Dæmone, tanquam vana, & pernicioſa sunt abjicienda, utpote quia a patre mendacii animas nostras fallere, & perdere cupiente, & maxime si intervenit aliqua superstitio, ut quod quibusdam vestibus, aut herbarum foliis utaris; tum quia futurum non potest prævideri, nisi ex cognitione alicujus habentis naturalem connexionem cum illo, utpote quia est effectus, vel causa, modo somnia ista nullam prorsus connexionem habeant cum rebus futuris.

352 Somnia causata ab astris, quia sunt effectus naturales, possunt indicare aliquod futurum ab ejusdem causis producendum, unde si quis somniaret in crastinum fore serenitatem, aut pluviam, quia causæ celestes specialem quandam qualitatem causarunt in illo similem qualitati serenitatem, vel pluviam causanti, poterit divinare, quia tunc somnium habet cum effectu naturalem quandam connexionem. Similiter quæ causantur ex complexione, licet ex illis arguere humorum copiam in corpore, ut faciunt Medici, proceditur enim ab effectu ad causam. At quæ temere, & casu fiunt, nullam certitudinem futurorum in se continent: unde non licet ex illis divinare; & quoniam ut in plurimum somnia casu eveniunt, & si quandoque interveniunt causæ naturales, earum tamen activitas facile ex concursu aliorum perturbatur; hinc est, quod fallax est omnino hæc divinatio per somnia. Quod si quandoque eveniunt, quæ somniamus, casu accidit, ut dicebat Cicero, & confirmatur ab Arist. cit. ubi addit melancolicos sæpius somniare futura, quam faciunt cæteri, eo quia melancolici, ut pote magis cogitabundi, plurima cogitant, unde mirum non est, si quæ evenient, etiam cogitare contingat. Ex quibus concludendum, quod cum adeo difficilis sit hæc divinatio, faciliter accidere poterit, ut Dæmones animabus nostris insidiantes nos decipiant, & perdant; quapropter rationabiliter hæc divinatio prohibita fuit a Jure civili l. *Si excepta* C. de Maleficiis; a Jure Canon. cap. *Non observatis* 26. q. 7. & a Jure divino Levit. 8. & Deuter. 18.

ARTICULUS II.

Ubi de cæteris passionibus.

353 Respiratio quoque inter animalium passiones connumerari solet, licet non omnibus conveniat, si proprie sumatur, at si pro quacunque refrigeratione acciperetur, sic non solum animalibus omnibus, sed etiam cuicunque viventi convenit, ut dicemus. Respiratio ergo proprie dicta duplici constat motu, scilicet attractione aeris ad cor per pulmonem, & asperam arteriam facta, quæ dicitur inspiratio, & ejusdem aeris expulsione, quæ vocatur expiratio. Inspiratio, seu attractio aeris fit hoc modo; dum aer ore, aut naribus attrahitur, elevatur epiglottis, vel lingula claudens ostium Laryngis, & liberum relinquit iter aeri per laryngem, & asperam arteriam, (de his membris diximus q. 3. art. 2.) quæ in duas partes dividitur prope pulmones, quarum quælibet in duabus alis pulmonis intruditur per plures rivulos, ut aer attractus totum pulmonem penetret, qui per arteriam venosam in sinum cordis spargitur, illudque refrigerat; deinde per eandem viam egreditur, & fit expiratio, & quoniam motus omnis fit virtute musculorum, hinc ut possit pulmo elevari in inspiratione, & veluti inflari aere, & in expiratione comprimi, pluribus musculis providit natura, itaut ab aliquibus numerentur unus, & quinquaginta, inter quos præcipuus est ille diaphragma vocatus, qui adjunctis musculis intercostalibus elevationem, & compressionem thoracis causant, quando thorax elevatur, dilatantur pulmones ad instar follium, & aerem excipiunt, quando comprimitur, pulmones constringuntur, & aer expellitur, fitque expiratio.

354 An autem causa præcipua hujus motus respirationis sit pulmo, vel diaphragma, itaut pulmo ideo dilatetur, quia diaphragma elevat pectus, ne detur vacuum, vel contra, ideo diaphragma elevat pectus, quia ex se dilatatur pulmo; priorem partem sequitur Galenus, eo quia pulmo nullum musculum in se habet, ergo ex se nequit moveri, sed movetur ad motum alterius, ne detur vacuum; unde læso diaphragmate, pulmo cessat moveri. Posteriorem partem sequitur Dand. 2. de An. digres. 29. cum Arist. lib. de respir. cap. ult. & quidem satis probabiliter; nam respiratio est actio pulmonibus, & cordi necessaria, imo propria pulmonum, non thoraci, aut diaphragmati, ergo vis motiva debet in ipsis pulmonibus, & corde residere; attamen quia ad dilatationem pulmonum necesse est totum thoracem dilatari, ideireo providit natura de musculis tanquam inservientibus, & ministris, non tanquam causis principalibus motus pulmonum, unde propter mutuam connexionem nequit dilatari thorax, quin inflentur pulmones & e contra, quod si læso diaphragmate cessat pulmonum motus, hoc evenit, quia aer subingrediens nimis refrigerat; nec obstat *carentia* musculorum in pulmonibus; quia jam admittunt Medici sine illis adhuc moveri per accidens ad motum thoracis; musculi enim *sunt necessarii ad motum arbitrarium, non ad naturalem*, qualis est motus pulmonum. Principium igitur primum hujus motus est calor cordis ex novo sanguine generato auctus, diffunditur cum sanguine per arterias pulmonum, qua ratione inflantur, attollitur thorax, in quem subingreditur aer, ut locum repleat, quia sua frigiditate calorem pulmonum, & cordis retundit, qua ratione pulmones coincidunt, aeremque expellunt, ut patet in follibus: & quia novus semper advenit calor, idcirco nova causatur inflatio, novaque respiratio.

355 Ex his deducitur causa finalis respirationis; instituta enim est a natura ad refrigerandum calorem cordis, ne animal ex illius excessu intereat; calor namque potest extingui vel a contrario, vel per marcorem inquit Arist. quatenus scilicet propter *excessum cito destruit proprium pabulum, ex quo per accidens* sequitur ejusdem caloris extinctio. Deducitur etiam, cur ad respirandum non aqua, quæ frigidior est, sed aere utitur natura, quia ut notat Dand. cit. aer facilius attrahitur, & expellitur, & ubique præsto adest, at aqua nec ubique reperitur, nec facile recipitur, & sua tenacitate, & viscositate non cito expelleretur, sed tenaciter adhæreret, unde brevi totum calorem extingueret. Colligitur quoque, motum istum esse naturalem, sumendo naturale, prout opponitur violento, at ut a voluntario distinguitur est partim naturalis, partim voluntarius, simpliciter enim prævenit nostrum appetitum, & fit independenter ab illo, unde etiam respiramus in somnis; subjicitur tamen etiam aliqualiter nostro arbitratui, quia possumus paulisper retardare *respirationem*, vel accelerare.

356 Nec obscure potest ex his deduci, quibus animalibus conveniat respiratio; si enim finis respirationis est refrigeratio caloris, ne per marcorem extinguatur, cum omne vivens habeat proprium calorem innatum, qui humido radicali depascitur, videtur omne vivens respirare debere; quod est falsum. Dicendum est tamen tantum sequi omne vivens refrigerari debere, non tamen respirare, nisi ubi multum calor excedit; hinc plantæ, quia modicum caloris habent, non respirant; sed sufficit, quod aqua, & aere ambiente refrigerentur; idem de exanguibus animalibus, quæ parva sunt, dicendum, & fere de omnibus piscibus, ut enim ait Arist. c. 4. & 5. si respirarent pisces, deberet intra aquam reperiri aer, quod est falsum, nec extra aquam morerentur, sicut neque terrestria in aqua suffocarentur; refrigerantur ab aqua ambiente per fistulas ad interiores partes penetrante, & deinde ejicitur. Sunt tamen aliqui pisces pulmones habentes, qui respirant, ut delphini, aquatilia pedestria, ut *focæ*, *cocodrilli*, ranæ, quia tamen parum habent caloris, possunt a respiratione diu cessare. Inter terrestria, quæ volatu bombum efficiunt, ut vespæ, cicadæ, proprie non respirant, attamen membranam tenuem habent, qua aer commotus refrigerat, fonumque causat, ut notat Arist. lib. de juvent. c. 11. hinc cicadæ in meridie maxime canunt, quia tunc magis indigent refrigeratione.

357 Non multum a respiratione differt pulsus, qui est motus quidam dilatationis, & compressionis cordis, & arteriarum, quæ elevatio, & compressio diastole, & systole vocatur; arteriæ parum *differunt a venis, nisi* quod arteriæ, quia tenuissimum sanguinem, & vitalem spiritum continent, sunt crassiores, & durioribus tunicis constant; non sic venæ, quæ solum alimentarem sanguinem per corpus distribuunt; cor igitur, & arteriæ pulsant, & motu elevationis, & compressionis moventur, non venæ. Cor movetur ex Dand. cit. in dilatatione versus latitudinem, & fit brevius secundum longitudinem, cum sit figuræ pyramidalis, quando vero comprimitur, fit strictius secundum latera, longius versus cuspidem; similiter arteriæ elevantur, & comprimuntur juxta motum cordis, sed cum hac differentia, quod quando cor dilatatur, arteriæ comprimuntur, quando comprimitur, illæ dilatantur, & pulsant: Verum est tamen, quod experimur simul pulsare pectus, & arterias: hoc autem obstat, imo quod diximus, confirmat: nam quando dilatatur cor, quia tunc contrahitur secundum longitudinem, cuspis cordis recedit a pectore (cor enim per cuspidem pectus respicit) quando comprimitur, quia fit longius, cuspis accedit ad pectus, & *pulsationem* causat; quare cum etiam pulsus arteriarum simul fiant, sequitur tunc dilatari arterias, quando comprimitur cor.

358 Causa hujus motus communiter assignatur calor naturalis tamquam animæ instrumentum, caloris enim est dilatare, frigoris condensare, cum ergo calor maxime vigeat in corde, & in spiritibus vitalibus, fervescunt, & veluti ebullunt, advenience frigore aeris media respiratione, tunc mitigantur, & comprimuntur, ut patet in olla fervente, in qua calor dilatat aquam, at frigus aeris etiam inflati illam comprimit, & veluti constringit; hæc igitur est causa hujus motus cordis. Hæc quoque poterit assignari causa motus arteriarum, quæ cum sint sanguine tenuissimo, & faciliter fervescente plenæ, ratione caloris elevantur, sed a frigore circumstantium partium, in quas impingunt, comprimuntur, & a seipsis ad propriam figuram redeundo, venæ autem, quia sanguine crassiori sunt plenæ, non ita elevantur, quia nec sanguis ille ebullit. Cui accedit, quod in dilatatione claudunturcordis orificia, dum comprimitur, aperiuntur, & ex uno excipitur sanguis a vena cava, qui est materia spirituum, ex altero spiritus

genitus in arterias effunditur, & consequenter arteriæ in depressione cordis inflantur, & elevantur per receptionem novi spiritus, & caloris; hinc est etiam, quod venæ non pulsant, quia sanguinem illum a corde non recipiunt. Hinc etiam sequitur, quod in febri, & timore quosdam quasi saltus experimur in corde, & arteriis, quia *scilicet* augetur calor vel propter morbum, vel propter sanguinis copiam accurrentis ad cor; similiter in somno, in juvenibus, laborantibus propter majorem copiam caloris, vehementior sentitur pulsus, quam in vigilia, in senibus, & quiescentibus. Ex quibus patet finis hujus motus, inservit namque ad respirationem, & ad diffusionem spirituum in arterias per totum corpus; unde vere motus iste erit naturalis, non solum ut opponitur arbitrario, præcedit enim omnem cognitionem sensus, sed etiam ut opponitur violento, est enim conformis inclinationi totius animalis, cujus conservationi inservit.

359 Tres aliæ passiones animalium numerantur, scilicet vox, risus, & fletus, de voce diximus qu. 3. art. 2. de risu copiose scripserunt præsertim Nicander Josius, Antonius Laurentinus Politianus, Celsus Mancinius, & Elpidius Berretarius, quorum quilibet opusculum edidit de risu, breviter tamen, & quantum satis erat, de risu egit Aversa cit. qu. 56. sect. 8. idcirco pau*cis rem complectemur, sicut & de fletu.*

Risus igitur est motus quidam localis causatus a virtute motiva residente in musculo diaphragmatis, seu septi transversi, seu succinctura, ut ait Arist. 3. de part. anim. c. 1. ad cujus agitationem extenduntur simul musculi thoracis, faciei, & oris usque ad buccas, ad quem motum consequitur quidam sonus vocis, qui si erit validus, dici solet cachinus. Iste motus ex duplici causa provenire potest, interna, & externa; hæc multiplex potest esse; nam titillatione potest causari risus, similiter ex vulnere in præcordiis fieri risum refert Arist. 3. de part. an. c. 10. quasdam etiam herbas, & animalia tali veneno affecta reperiri proferunt Dioscor. l. 6. c. 14. Plin. lib. 24. c. 17. & Strabo lib. 11. ante medium, ut suo veneno risum exitalem tamen producant in homine; causa vero interna est affectus quidam lætitiæ causatus ex perceptione alicujus objecti ridiculi.

360 Quando risus a causa provenit externa, faciliter potest explicari, quomodo causetur, præterquam in titillatione; nam in vulnere præcordiorum potest contingere, quod talis generetur ibi calor ex concursu humorum, & spirituum, quod moveat diaphragma, & reliquos intercostales musculos usque ad os, & producatur risus; similiter ex veneno illorum animalium, & herbarum efficiatur similis calor ejusdem effectus risus causativus. At in titillatione res est explicatu difficilior. Quidam ajunt, talem risum non esse verum, sed apparentem; quod esse falsum, manifeste conspicitur, vere enim interna commoventur. Arist. 3. de part. anim. cap. 10. quem sequitur Aversa cit. ait provenire, quia ex partibus illis, in quibus fit titillatio, propter naturalem connexionem arteriarum generatur in diaphragmate celeriter calor movens illud, & risum causans. Sed hæc *ratio* videtur etiam *insufficiens*; quia non apparet, quo pacto, cum titillatio fit in palma pedis, statim generetur calor ille in diaphragmate. Tum quia hæc causatio esset naturalis actio, ergo a quocumque fieret *hæc titillatio, semper* causaretur calor ille, & risus, quod est falsum, quia nec omnes patiuntur titillationem, & qui illam sentiunt, si seipsos tangerent, nec titillatio, nec risus proveniret, & tamen si ex illo contactu generaretur aliquis calor, a quocumque fieret contactus, semper causaretur talis effectus.

361 Suarez lib. 5. de An. c. 5. respondet ex eodem Arist. sect. 5. probl. qu. 6. Partes, in quibus fit titillatio, esse acutioris sensus, qua ratione aliqua causatur delectatio, sed hoc non sufficit; nam etiam requiritur aliqua admiratio, unde, ut titillatio causet risu, debet esse furtiva, & repentina, quod non accidit, cum nos ipsos tangimus, & si quandoque est præcognita, tunc non nisi remissus causatur risus: vult ergo, quod causa risus sit delectatio proveniens a titillatione furtiva, quæ admirationem causet. Neque hæc responsio satisfacit, quia experimur titillationem *prævisam non solum remissam*, sed in aliquibus intensum quoque risum causare: tum quia si nosmetipsos in illis partibus tangeremus, quia adesset hæc delectatio præcognita, deberet causari risus aliquis, saltem remissus, quod non evenit.

Respondemus igitur in titillatione duo intervenire, primum est aliqualis voluptas, & lenitio causata ex contactu aliquarum partium corporis, quæ propter cutis tenuitatem, & arteriarum copiam sunt valde sensitivæ, unde statim ac tanguntur, fit spirituum accursus, & quodam quasi pruritu voluptatem causant: secundum est horror quidam, & fuga attrectationis; nam magis inhorrescimus, quando aliquid insolitum nobis accidit, quam aliquod assuetum, hinc quia contactus sub axillis, aut plantis pedum non est ita frequens, molestior est nobis, quam tactus aliarum partium corporis, & eo molestior, si fieret ab aliis, quam a nobis, quia quæ a nobis fiunt, videntur quasi connaturalia, & in sita nobis, & consequenter minus illa percipimus, quam dum ab aliis exercentur; ex hac ergo fuga, seu dissensione *nostri appetitus* respectu attrectationis tamquam molestæ apprehensæ causatur metus quidam, & horror, & consequenter accursus spirituum ad cor, ut in quolibet metu contingit; ex quibus deducitur, quod in titillatione duo quasi opposita interveniunt, scilicet voluptas quædam in tactu, quæ ex consequenti debet causare in corde dilationem quamdam, & spirituum affluxus ad partes externas; *deinde* horror quidam illius contactus, non quidem quia repentinus sit, & non prævisus, sed quia insolitus, qui horror causare debet restrictionem quamdam cordis, & spirituum accursum ad cor, quæ duæ causæ, cum sint oppositæ, & simul applicatæ, potest esse, quod agant ad effectum medium, & talis conditionis, quod motum causet in diaphragmate, & cæteris musculis,

lis, & consequenter risum; & quoniam cum nosmet ipsos tangimus, non adest talis horror, sed sola voluptas contactus, similiter si ab aliis sæpius tangeremur, neque apprehenderemus talem horrorem propter assuefactionem, idcirco in his casibus neque titillatio, neque risus efficitur; accedit quoque correspondentia musculorum, & arteriarum cum diaphragmate, hinc risus in titillatione videtur causatus partim ab intrinseco, partim ab extrinseco. Alia ratio nobis non occurrit melior in hac materia, quæ licet sit objective ridicula, revera tamen non parvam in se continet difficultatem,

362 Quando autem risus causatur totaliter ab intrinseco, ut nulla causa externa physice concurrat (ut evenit in titillatione, ad quam physice concurrunt contactus, & apprehensio illius, ut molesti) tunc dicitur effici ab effectu quodam lætitiæ proveniente ex perceptione alicujus objecti ridiculi; quod ut cognoscamus, duo videnda sunt, scilicet quodnam sit objectum illud, quod habet rationem ridiculi, seu sit potens movere ad risum; deinde a qua potentia debet hoc objectum cognosci, num a sensitiva, vel necessario rationali,

Quoad primum, varie assignatur objectum risus; nam omnes conveniunt, quod debet esse jucundum afferens lætitiam, ut enim ab interno causetur risus, necessario requiritur voluptas in corde, quæ illud dilatando faciat effluere vitales spiritus usque ad musculum diaphragmatis, a quibus movebitur, & efficietur risus; attamen quia non omne jucundum movet ad risum (nam licet quandoque ex vehementi lætitia causetur in facie quædam veluti species, & umbra risus, revera tamen non est risus, sed hilaritas) idcirco quærunt Doctores investigare differentiam contrahentem jucundum in communi ad esse ridiculi, & constituentem objectum adæquatum risus; unde varie solet hæc differentia circumscribi; videlicet, quod sit jucundum novum afferens admirationem; vel repentinum, vel habens argutias: Aversa sequens Josium, & Mancinum, ait esse turpe sine dolore; per turpe intelligit id, quod est aliquo modo indecens, & inconveniens alicui; vel ratione subjecti, ut est facies histrionis deformata, vel ratione temporis, aut loci, vel aliis modis; additur tamen sine dolore, nam turpe, quod molestat, provocat fletum, non risum, ut cum facies amici est ex vulnere deformata; ita videtur docere Arist. in Poetica c. 2. dum ait: *Ridiculum a turpi proficiscitur, ridiculum enim aliquo pacto peccatum est, & turpitudo sine dolore, minimeque noxia; perinde ac ridicula statim appareat deformis facies distorta sine dolore.*

363 Verum in hac re non solum est attendenda conditio objecti in se, sed etiam in ordine ad ridentem, idem enim objectum respectu unius se habet ut ridiculum, non autem respectu alterius, eo quia aliter ab uno apprehenditur, quam ab alio, præsertim si respectu unius est novum, non respectu alterius, imo respectu ejusdem in uno tempore causat risum, non in alio, quia in illo erat novum, admirationem causans, non in isto tempore; quapropter possumus circumscribere rationem ridiculi, quæ proprie poni potest objectum risus, omnibus modis assignatis, quia omnes explicant conditionem aliquam requisitam ad objectum risus.

Ex his patet ad 2. dubitationem; certum enim est objectum illud movere appetitum sensitivum ad voluptatem, unde causatur cordis dilatatio, & consequenter intervenire debet sensitiva cognitio, quæ vel est visiva, vel auditiva, nam omne ridiculum vel visu, vel auditu percipitur non aliis sensibus; hinc juxta variam corporis complexionem alii sunt magis, alii minus inclinati ad risum. An autem requiratur etiam cognitio intellectiva; pars negativa suadetur tum exemplo infantium, qui post quadragesimum diem nativitatis authore Plin. 7. in procem. incipiunt ridere, & tamen non sunt apti ad exercendam operationem intellectivam; tum quia hoc videtur supponere Arist. 3. de part. an. c. 10. & sect. 15. q. 6. & 8. risum scilicet ad sensitivam partem spectare. Affirmativa pars docetur a Berrettario, eo quia risibilitas ponitur tanquam passio rationalitatis; tum quia solus intellectus est perceptivus in objecto hujus, quod est esse ridiculum, & discretivum ab aliis; & hæc pars, quæ a Josio, & Aversa defenditur certe est probabilior; non quod necessario prærequiratur perfecta cognitio intellectiva, sed sufficit aliqualis cognitio, quæ adhuc in infantibus reperitur, qui licet incipiant ridere a quadragesimo nativitatis die, risus tamen ille est ab extrinseco causatus, præsertim titillatione, vel solum est quædam vultus hilaritas, non ab intrinseco, nisi transacto aliquo tempore, in quo saltem imperfecte possunt uti intellectiva potentia.

Hinc inferas solum hominem inter omnia animalia esse risibilem, tum quia solus homo habet instrumenta ridendi, scilicet musculos illos faciei; tum quia solus homo ratione utitur; & inter homines magis rident, qui sunt magis admirativi, quia fere omnia apprehendunt ut nova, unde pueri, utpote inexpertes magis rident, quam senes, & stulti, quam sapientes; sanguinei etiam, quia magis abundant spiritibus, sunt magis risivi, quam melancholici, vel pituitosi.

364 Passio risui opposita est fletus, in quo tria simul ut plurimum interveniunt, motus oris, vox, seu gemitus, & lacrymarum effusio; motus causatur eodem modo, ut in risu, sed a diversa causa, in risu enim causa erat voluptas dilatans ipsum cor, at in fletu causa est dolor restringens, & comprimens cor, & consequenter pulmones, & diaphragma, ac reliquos musculos, & quia causa est diversa, diversus quoque est motus oris in risu, & in fletu. Vox, seu gemitus ex eodem capite oritur; nam dolor comprimit pulmones, & consequenter fortius, & per angustiorem transitum emittunt aerem per asperam arteriam, ut notat Arist. sect. 11. probl. qu. 13. & 15. ubi ex hoc reddit rationem, cur flentes acutiorem emittunt vocem, ridentes vero graviorem; eo quia aer fortiter, & subtiliter emissus a pectore reddit vocem acutiorem, in risu vero dilatantur pulmones, & meatus aeris, nec cum impetu expellitur aer. Si fletus, ut hæc duo significat, accipiatur, sic dici potest brutis respirantibus etiam convenire, non soli homini, quamquam sit adhuc discrimen tum in motu oris, tum in voce, & proprie in brutis ejulatus, non fletus vocatur.

Effusio lacrymarum ab oculis est proprie fletus, & soli homini convenit, sicut risus, imo a puncto nativitatis videtur homini competere, licet proprie gemitus potius dici debeat, quam fletus, adhuc namque videtur necessaria quædam intellectiva cognitio concipiens objectum doloriferum, sicut in risu, oppositorum enim eadem est ratio. Hinc non quælibet lacrymarum effusio dicitur proprie fletus, sed quæ a dolore causatur; pro quo est explicanda materia lacrymarum, & quo pacto effluant ab oculis, & ob quam causam,

365 Accipiendum est igitur ex disp. 8. de Gen. n. 68. quod inter quatuor humores, qui in jecore fiunt, & segregantur, unus est, qui pituita, vel flegma, aut aqueus humor dicitur, aut serum sanguinis, quem ubique comitatur, ne condensetur, & concrescat; & quamvis specialem sedem non habeat in corpore, sed ubique diffundatur, specialiter tamen videtur residere in partibus illis, quæ sunt in continuo motu, qua ratione indigent humectatione, ne continuo motu incalescant, & exsiccentur, talis est humor in pericardio, quæ est membrana continens ipsum cor, ad instar vesicæ, cor enim suscipiens sanguinem ab epate cum tali humore, quem segregat, & humorem ad pericardium transmittit, sanguinem vero intra se attrahit; talis etiam est humor in partibus mollioribus, & universaliter humor a corpore fluens, qui dicitur sudor; residet etiam specialiter in cerebro, & in oculis, quæ sunt partes molliores corporis; & iste est humor in fletu emissus ab oculis, in quorum cavitatibus sphærulæ quædam carneæ conspiciuntur *Spongiæ lacrymarum* dictæ; sicut enim spongia compressione emittit aquam, sic compressione facta in oculo spongiæ illæ emittunt humorem, & lacrymas, quamvis quando fletus est vehemens, non solum ab illa parte, sed a toto oculo effundantur lacrymæ propter abundantiam humoris, at quando est moderatus, ab illa spongia incipit fletus. Non igitur lacrymæ immediate a corde proveniunt; nam ut advertunt Anathomici, non adsunt isti meatus a pericardio ad oculos, sed immediate proveniunt ab humore in oculo residente, quo effuso succedit humor cerebri, aliarumque partium; nam pars, quæ sicca evadit, ubi prius erat humida, est bibula ex sua natura; & humorem attrahit a propinquiori; dicuntur tamen a corde provenire, quatenus dolor, & compressio cordis est causa fletus.

366 Multipliciter autem potest hæc lacrymarum effusio causari; scilicet vel ex infirmitate oculorum, & capitis, vel ex confricatione oculorum, qua calefiunt, & comprimuntur oculi, unde humor ille foras erumpit, vel ex fumo, aut succo, vel vapore acri, & mordaci caput petente, ut in esu cæparum, & similium; aut risu pervalido, quatenus motu illo corporis aliqualiter comprimuntur oculi: Specialiter tamen lacrymæ funduntur ex aliquo affectu cordis, tam gaudii, quam doloris; ex gaudio lacrymatur, si præcipue adest amoris teneritudo; nam ex lætitia dilatatur cor, majoremque spirituum copiam emittit, unde partes illæ, in quibus vigent spiritus, propter abundantiam turgent, & consequenter petunt dilatari, tale est cerebrum, & etiam oculi, & quia non adest locus, idcirco humor inclusus comprimitur, & effluit ex oculis, & hæc est commotio, quæ sentitur interius. Tandem ex dolore quoque causantur lacrymæ, quia dolor vim habet constringendi, & exprimendi internum humorem; & hic est proprie fletus. Ex quibus inferri potest, cur fletus sit diuturnior risu; nam dolor causatur ex re alicujus momenti, unde valde movet affectum, diuque durat commotio, risus vero e re levi; hinc faciliter quietatur commotio; inferri etiam potest, cur quidam sunt magis prompti ad lacrymandum, ut præsertim sunt mulieres, & pueri, quia scilicet vel magis abundant humore, vel quia facilius commoventur ad gaudium, aut dolorem.

367 Tandem superest dicendum de virtute quadam activa imaginativæ potentiæ in ordine ad impressiones quasdam externas in corpore tam proprio, quam alieno; nam ex timore causatur pallor, & tremor, ex ira accensio sanguinis circa cor, & calor per totum corpus, ex verecundia rubor in facie: ex vehementi apprehensione agitantur humores in toto corpore, itaut morbum inducant, aut sanitatem, & alias alterationes, ac si vere fuissent causatæ a causis naturalibus; ex quo ortum duxit dictum illud *Imaginatio facit casum*; unde quamplures, inter quos Conimb. 1. de Gen. c. 9. q. 1. art. 2. dixerunt vere imaginativam potentiam habere talem virtutem physicam causandi hujusmodi effectus, saltem mediis speciebus intentionalibus; imo non solum circa proprium corpus, sed addunt Avic. lib. 6. natur. sect. 4. cap. 4. & Algazel 5. Phys. cap. 9. hos eosdem effectus posse causare in corpus alienum, ut patet in fascinatione & impressionibus a parentibus causatis in corpore prolis præcipue matris, dum proles gestatur in utero; pluvias quoque & tempestates posse causare, licet non omnibus est hæc vis concessa.

368 Verum ut notat Aversa q. 56. sect. ult. non potest vis imaginativa per se, & directe in proprio corpore causare effectus illos, morbos, sanitatem, &c. itaut sit causa æquivoca per se physica, sed bene per accidens, & indirecte ratione vehementis commotionis humorum, ut patet experientia, si enim quisque talem haberet virtutem, posset ad libitum, si non perfectos, & intensos, saltem imperfectos, & remissos causare in seipso tales effectus, quod est falsum; attamen quia vere ex varietate affectuum varie commoventur humores, & eo vehementius, quo vehementiores extant

tant affectus, potest quandoque contingere, quod talis, ac tanta fiat commotio, ut temperamentum, & symethria qualitatum destruatur & morbus causetur, vel e contra; & hoc quia virtus motiva, & attractiva humorum subditur imperio imaginativæ, & maxime in homine, in quo adest potentia rationalis, & voluntas. Similiter in corpore alieno non potest per se immediate agere, & si quandoque ab aliquibus opera quædam admiranda conficiuntur, vel sunt miracula, & virtute divina, vel arte magica, & ope Dæmonum fiunt, fascinatio autem fit, non vi imaginativæ, sed quia ab oculis exeunt vapores quidam maligno humore infecti, qui corpus fascinati attingentes, male illud afficiunt. Major difficultas est de impressionibus factis in corpore prolis, cui respondent aliqui provenire ex spiritibus, qui speciebus intentionalibus informati repræsentantibus objecta imaginativæ concurrunt ad locum generationis, & vitalium specierum, imprimunt in corpore prolis imaginem objecti imaginati, & concupiti. Hunc tamen modum recte impugnat Aversa, quia species cum sint intentionales, non videntur posse producere effectum aliquem realem in corpore, qui est perfectior illis. Alii dicunt imaginativam solum per modum directionis causare hos effectus, quatenus dirigit virtutem formativam. Sed falso, quia virtus formativa non est agens per cognitionem, sed pertinet ad animam vegetativam: Melius dici poterit virtutem formativam propter radicationem in eadem anima subdi imaginativæ, quæ est potentia superior, & ex naturali subordinatione, & ex connexione operari juxta affectum, & apprehensionem tam imaginativæ, quam sensitivi appetitus, sicut potentia motiva quoque agit juxta imperium imaginativæ, hæc autem virtus formativa non solum in semine decisо; sed etiam in ipsa matrice reperitur, estque virtus ipsius matris, ut diximus disp. 8. de gen. qu. 2. vide Aversam cit. & Thomam Fienum libr. de Viribus imaginationis.

Dices; cur notæ istæ potius in una parte, quam in alia inuruntur, & præsertim cur in iis partibus corporis fœtus, in quibus mater prægnans sese fricavit? quod est tam multis experientiis confirmatum, ut negari nequeat. Aliqui respondent hoc casu evenire. Possumus tamen dicere, causam esse quia materiali confricto sensit partem illam tactam, non solum sensum sensu tactus, sed etiam imaginativa potentia, quæ simul fortiter apprehendit objectum concupitum, hinc non solum applicat virtutem formativam ad imprimendas notas illas, sed etiam ad impressionem in tali parte corporis determinata,

Quæres adhuc, cur fructus, vel aliud simile, puta vinum figuratum in carne pueri uvarum tempore magis rubescat, quam quolibet alio tempore? Huic dubio difficillime certe respondetur adæquate, & potius divinatio quædam assignabitur, quam vera responsio; dici tamen poterit, hoc ex influxu astrorum provenire, sicut enim tunc temporis astra magis influunt in uvas, quam aliis temporibus, unde & illas perficiunt, maturasque reddunt, ita quoque peculiarem habent influxum in quodlibet habens aliquam similitudinem, & connexionem cum uvis, & vino, qualis est nota illa corpori impressa; hæc enim & si non in forma substantiali, saltem in figura, & proprietate quadam convenit cum vino: Hæc etiam est ratio, cur vinum in linteum album effusum tempore vindemiæ ita maculat, & rubore tingit, ut difficillime sine lixivio deleatur, quod aliis temporibus non accidit, quia scilicet propter peculiarem astrorum influxum vino maxime convenientem, magis roboratur, firmiusque adhæret.

DISPUTATIO SEXTA.

De potentiis animæ rationalis, & primo de Intellectu, ac ejus actibus.

Post tractationem de potentiis in particulari animæ vegetantis, ac sentientis, nunc agendum est de potentiis animæ intellectivæ, quales sunt Intellectus, & Voluntas; quæ enim ad ejus substantiam pertinebant, ut origo, immaterialitas, informatio, immortalitas, &c. ac ad ejus potentias in communi ut earundem ab ipsa anima discretio, & a se invicem, jam in superioribus disputationibus, quas de anima in communi, ejusque speciebus, & potentiis instituimus, discussa sunt: unde in præsenti solæ potentiæ rationalis animæ remanent considerandæ; Quia vero tum in essendo, tum in operando intellectus ordine naturæ voluntatem præcedit, ut in progressu ipso patebit, prius de Intellectu, ejusque actibus in presenti disp. sermonem habebimus, & mox de Voluntate in sequenti.

QUÆSTIO PRIMA.

An intellectus sit potentia immaterialis, & inorganica, ubi de conversione ejus ad phantasmata.

1 Omine intellectus hic intelligimus partialem illam animæ facultatem, qua homo cognoscit, & sapit, ut loquitur Arist. 3. de Anima ab initio; & cum quærimus ejus immaterialitatem, non tam loquimur de ejus immaterialitate in essendo, de qua satis supra diximus disp. 1. quam in operando, ut sensus sit, an talis animastica facultas suas exerceat operationes per organa, hoc est, determinatam corporis partem, veluti sensus, qui suas exercet per organa determinata, ut visionem per oculum, auditionem per aurem, &c. Avempac. & Albumazar apud Averr. lib. 3. de Anim. comm. 5. & Alexand. ibidem cap. 4. intellectum quoque statuerunt potentiam organicam seu organis alligatam in operando, verum etiam in essendo; nam componebant illum, nedum ex materia, & forma, sed etiam ex elementorum mixtione generationi, & corruptioni prorsus obnoxim. Alii vero quamvis ipsum fateantur immortalem, adhuc tamen organis alligant in operando, ita Joan. Huart. lib. de discernendis ingeniis cap. 5, & 6.

Dicendum tamen est cum communi Philosophorum, intellectum esse potentiam immaterialem, & inorganicam. Ita Scotus quol. 9 D. ubi air, quod intellectio est operatio immaterialis per oppositum ad operationes sensitivas, quæ dicuntur organicæ, quia exercentur per organa determinata, & sic materiales, quod requirunt determinatam partem corporis determinate complexionatam, & per oppositum intellectionem operatio non organica, non enim per aliquam partem corporis determinatam exercetur, & hoc modo intellectus dicitur esse nullius partis corporis actus, intelligendo sic, ut in nulla parte, vel per nullam partem proprie exerceat operationem suam, sicut potentiæ sensitivæ, ita ibi Doctor, quod amplius declarat 4. d. 43. q. 2. §. *respond.* & d. 45. q. 3. & alibi frequenter, docetur palam ab Arist. tum loco a Doctore citato 2. de Anim. 11. ubi intellectum appellat nullius partis corporis actum, quia non est alligatus organo corporeo, tum 3. de Anim. 6. ubi ait, *neque rationabile est, ipsum mixtum esse cum corpore, qualis enim quidam utique fieret calidus, aut frigidus, & ei instrumentum aliquod esset, sicut sensitivo, nunc autem nullum est*; tum ratione, quia omnis potentia organica languescit, si organum debilitetur, unde experimento compertum est hac de causa omnem virtutem organicam lædi a vehementi sensibili protinus quod organum lædatur, secus est de intellectu, ut docet Arist. 1. de Anim. 65. qui tantum abest, ut lædatur ab excellenti intelligibili, quod potius perficitur, ac roboratur; imo languente corpore intellectus magis vigere videtur, ut constat in senibus, qui prudentiores sunt, ac sapientiores juvenibus; Tum etiam quia facultas organica ob suam materialitatem, & alligationem ad determinatam corporis partem limitatur ad cognitionem rerum sensibilium, & singularium, nec virtutem habet reflexivam supra proprios actus, at intellectus his limitibus non coercetur, non enim sola sensibilia attingit objecta, sed etiam incorporea, & spiritualia, non sola singularia, sed universalia quoque, & insuper virtutem habet perfecte reflexivam supra proprios actus, quæ omnia ex progressu hujus disputationis constabunt, ergo potentia organica nullatenus esse potest. Denique probatur evidenter, quia potentia intellectiva remanet in anima separata corrupto organo corporeo, ergo non est potentia organica illi addicta: consequentia patet, quia potentia organica interit, & destruitur destructo organo, & toto conjuncto, cui erat alligata in sua operatione, ut constat de omnibus potentiis sensitivis, sic cruto oculo perit potentia videndi integra, & completa, quæ sola est proxime potens exercere actum videndi, esto remaneat partialis animæ facultas, quæ est sola potentia remota, & inchoata; probatur assumptum, quia animæ separatæ sunt præditæ intellectu, ut est potentia proxima ad intelligendum, cum sint beatæ ante corporum resumptionem, beatitudo autem sine intellectione consistere nequit.

2 Ac in oppositum objici solet, Primo, quod intellectus impeditur in suis functionibus facta læsione cerebri, ut patet in phræneticis, & amentibus, ergo est potentia organica, patet consequentia, quia non secus colligimus visum esse potentiam organicam, nisi quia ejus operatio impeditur læso oculo; Deinde quia nisi intellectus esset organicus, homo per quamlibet partem corporis intelligeret, quod est falsum, dicitur enim homo per cerebrum intelligere, non per manus, vel pedes; consequentia patet; nam totum organum determinat virtutem, & dispositionem operandi potentiæ, ergo quæ non sic determinantur, per singulas corporis partes operari possunt. Demum intellectus noster in omni sua cognitione, & operatione a sensu dependet, adeo ut nunquam intellectus intelligit, & versatur circa aliquod objectum, quin etiam sensus interni illud cogitent, qua de causa dicebat Arist. 3. de An. 30. & 39. oportere intelligentem phantasmata, speculari, ergo saltem dum est conjunctus corpori, est potentia organica, vel saltem modo organico operatur, quamvis enim non habeat organum proprium,

eget

eget tamen alieno, scilicet organo imaginationis objecta intelligibilia sibi repræsentantis.

3 Resp. ad 1. neg. conseq. ad probationem dicimus aliter impediri intellectum læsione cerebri, aliter visum ratione oculi, & quamlibet aliam potentiam læsione sui organi, intellectus enim in tantum impeditur extrinsece, quatenus scilicet phantasmata, a quibus in hac vita pendet intellectus in sua operatione, sunt indispositа ob læsionem cerebri, quod impedimentum simile est ei, quo visus aliquando extrinsece impeditur, ne videat objectum, ex nimia scilicet ejus distantia, aut indispositione medii, totum enim hoc impedimentum extrinsecum est oculo, ac veluti per accidens, quia intrinsece non est male dispositus; at cum oculus est læsus, tunc potentia visiva intrinsece est impedita, quominus videat, & sic contingit de qualibet alia potentia organica, cum enim intrinsece constituatur ex organo, & partiali animæ perfectione, eo ipso quod organum est læsum, ipsa quoque intrinsece, & per se vitiata censetur; at intellectus non ita vitiatur ex læsione organi, unde saltem per divinam potentiam fieri posset, quod intellectus etiam in hac vita puras habeat intellectiones læso cerebro; quod ergo ex læsione phantasiæ amittatur usus rationis, & intellectio perturbetur, evenit ex ordine potentiarum, & independentia, quam habet intellectus pro statu isto a phantasia, quia enim intellectus utitur internis sensibus, veluti januis, si vitientur, sequuntur etiam detrimenta in inrelle&tu; unde ex hoc non sequitur intellectum esse potentiam organicam; sed tantum pro hoc statu pendere in operando a potentia organica. Ad 2. quantum est ex parte intellectus, dici posset animam in quacumque corporis parte intelligere, quia sicut anima rationalis est tota in toto, & tota in qualibet corporis parte, ita & intellectus ei realiter identificatus, modo tamen dicitur potius intelligere in capite, & per cerebrum, quam in aliis corporis partibus, quia sensus, quorum ministerio eget in sua operatione, in capite, & cerebro residet, non alibi. Ad 3. admisso antecedente, adhuc negatur conseq. nam etiam sensus interni indigent externis, ut sib iobjecta subministrent, neque exinde sensus externos dicimus esse organa internorum, ita in proposito, quamvis intellectus indigeat phantasia sibi objectum offerente, non hinc deducit phantasiam esse organum intellectus, sed tantum intellectum pro statu isto poscere, dum operatur, potentiam organicam ancillantem, scilicet phantasiam, ac ejus famulatu indigere.

4 Ad majorem dictorum intelligentiam duo dubia hic examinare oportet, quæ cum hac quæst. magnam habent affinitatem, cum ex eorum recta solutione immaterialis intellectus in operando maxima ex parte dependeat. Primum est, an in omni prorsus intellectione pro statu isto necessaria sit conversio intellectus ad phantasmata, hoc est, dum intellectus in specie intelligibili contemplatur universale, an opus sit phantasiam tunc temporis simul, & semel in phantasmate seu specie sensibili singulare imaginari, nihil enim aliud est intellectum converti ad phantasmata, ut docet Doct. p. d. 3. q. 6. sub N. & Tatar. 3. de An. qu. 1. dub. 2. quam quod intelligens universale per intellectum imaginetur singulare sensibile per phantasiam. Alterum est, unde oriatur ista necessaria connexio intellectus cum phantasia in operando, num scilicet ex *intrinseca*, & *essentiali ratione* intellectus, ut sic, an potius ex conditione intellectus in statu conjunctionis cum corpore, vel aliunde.

5 Et quidem quoad primum dubium non est difficultas de intellectu in prima, ut ajunt, motione, hoc est in acquisitione specierum, & prima intellectione facta per eas, sic enim omnes concedunt intellectum phantasmatibus indigere; tum quia ex ipsis elicit species intelligibiles: tum quia primæ intellectiones ex objectis externis ortum habent, hæ autem species sensibiles in sensibus externis, & phantasmata in imaginatione producunt, ex quibus intellectio incipit; tandem quia in prima intellectione nil percipit intellectus noster in hac vita, nisi via sensus, qui species sensibiles transmittit ad phantasiam, cujus species dicuntur phantasmata, quæ subministrant objecta intellectui nostro: Tota ergo difficultas est de intellectu in secunda motione, num scilicet etiam post specierum acquisitionem, & primam intellectionem possit deinceps illis uti intellectionibus absque conversione ad phantasmata; Negant quamplures contendentes intellectum solum in prima motione phantasmatibus indigere, quibus Scot. favere videtur p. d. 3. q. p. ad princ. ubi expendens dictum Ar. 2. de An. phantasmata se habent ad intellectum, ut sensibilia ad sensum, ait id esse verum tantum in prima motione, non vero in secunda quantum ad omnem actum sequentem; præsertim vero asserunt isti intellectum in cognoscendis rebus spiritualibus non pendere ab actuali operatione sensus, quod experimento comprobatur in viris sanctis, qui in raptu, & extasi pure spiritualiter Deum contemplantur omnino independenter a sensibus, ita Avic. in tract. de An. Albert. lib. 3. tract. 2. cap. 19. Averr. Simplic. Themist. Philop. Tien. Venet. & 3. de An. circa tex. 30. & 39. Conimb. 3. de An. cap. 8. q. 8. Tolet. 2. de An q. 21. Roccus q. 24. Arriag. disp. 4. de An. n. 92. ubi etiam dubitat de prima omnino cognitione, nam si species phantasticæ, inquit, possunt excitari immediate, cur non etiam intelligibiles? & hanc partem multi amplectuntur Scotistæ ob authoritatem Doctoris allatam, & Cornunius de triplici statu animæ rationalis disp. 5. sect. 8. Alii e contra adeo necessariam putant hanc connexionem potentiarum superiorum, & inferiorum in operando, ut in nullo naturali statu valeat anima *conjuncta* corpori intelligere independenter a consortio sensus, unde etiam secluſa culpa, & in statu innocentiæ inquiunt, quod intellectus indigebat consortio sensus, quantum est ex natura rei; ita D. Thom. p. p. q. 94. art. 2. & q. 18. de verit. art. 2. & 5. quem sequuntur ejus Interpretes ibidem, Suarez lib. 4. de An. cap. 7. Ruvius 3. de An. tract. de actu intellectus possibilis quæst. p. Aversa q. 59. Morisan. in lib. de An. disp. 3. q. 8. Zanard. q. 32. Complut. disp. 1. q. 8. & alii Recentiores passim.

6 Dicendum est de lege ordinaria pro hoc statu necessariam esse conversionem ad phantasmata in omni intellectione; ita Doctor p. d. 3. q. 3. §. *Sed restat*, & q. 6. sub H. & 2. d. 3. q. 8. ad p. & d. 11. q. p. & 4. d. 45. q. p. ad 3. pro opin. & quol. 13. art. 2. P. & in lib. de An. q. 18. ubi idem tenet P. Cavellus, & P. Vulpes tom. p. part. p. disp. 30. art. p. & P. Sinisinch. de Deo uno tract. 2 disp. 5. n. 292. est expresse Arist. cit. 3. de An. 30. & 39. ubi universaliter pronunciat animam sine phantasmate non intelligere, probat Doctor in lib. de An. loc. cit. a posteriori (quia ratio a priori difficile potest assignari, ut mox dicemus dub. seq.) duplici experimento, quo etiam utitur S. Thom. p. p. q. 84. art. 7. primum est, quia læsa phantasia impeditur intellectus operatio; alterum, quia dum cupimus aliquid intelligere, formamus nobis ejus idolum, etiam dum Angelos, & alia spiritualia cogitamus, quæ sub sensu non cadunt, tunc enim phansiamur aliqua corporalia illis correspondentia, unde cum intelligimus Angelos, imaginamur alatos juvenes, cum concipimus Patrem æternum, phantasiamur venerabilem senem, non enim necesse est phantasiam versari in quocumque casu circa singulare sensibile, cujus universale contemplatur intellectus, sed sufficit, quod circa tale versetur, vel circa aliud simile, aut aliquo modo ad illud pertinens, ut constat in exemplis adductis; imo Doctor in 4. d. 45. q. 2. B. absolute negat, phantasiam in extasi ullam habere operationem, sed inquit, id apparere, quia in ea non distrahitur phantasia circa alia objecta sensibilia, nam per vehementem intellectus occupationem circa divina valde præpeditur phantasiæ operatio, adhuc tamen saltem remisse, & quasi imperceptibiliter diversatur circa ea sensibilia, a quibus spiritualia nata sunt abstrahi; quod si interdum extasis fit adeo sublimis, & perfecta, ut intellectus absolvatur penitus a sensuum ministerio, id utique divinæ virtuti tribuendum erit, & ratio est, quia dependentiam intellectus a functione sensuum solvere non est *naturæ* opus, sed supra naturam, ut D. Nazianz. orat. de Theolog. docuit, dicens impossibile esse *mentem quantumvis se cum fæce corporea ad sublimium contemplationem erigat, sensuum commercia destituere*, & Dionysius p. de cœlest. Hierarchia, & cap. 6. de divinis nominibus. Neque oppositum docuit Scot. loc. cit. p. d. 3. q. 1. ad p. princ. sed tantum vult habere, quod quantum ad primam motionem anima nihil intelligit sine phantasmate proprio illius, quod intelligitur, sed in secunda motione, & quantum ad actus sequentes primam intellectionem bene posse aliquid intelligi sine phantasmate proprio, pro statu enim isto cognoscimus substantiam, Deum, & Angelos, quæ non habent phantasma proprium, ob id tamen non negat, phantasiam enim in secunda intellectus motione diversari debere, saltem circa aliquod aliud objectum aliquo modo connexum superiori objecto; quod sub contemplatione intellectus cadit, ex quo intellectus ipse desumit, & abstrahit suam considerationem, sive ad instar cujus considerat res abstractas. Ac etiam absolute verum est non ita essentialiter pendere intellectum a phantasmatibus in secunda motione, sicut in prima, in qua accipit comprincipium efficiendi actum intelligendi, qua ratione dicebat Aristot. 3. de An. 8. & 8. Phys. 32. non egere amplius intellectum alio motore ad intelligendum, cum species impressas adeptus fuerit, unde in prima motione dependentia quadam essentiali pendet a phantasmate fundata in aliqua causalitate, in secunda vero motione dependentia accidentali; & secundum quid fundata in sola concomitantia, & naturali connexione illarum potentiarum infimul operando.

7 Instabis, magis dependet phantasia a sensibus externis, quam intellectus ab illa, quia intellectus est immaterialis, & abstractior a corpore, quam phantasia, sed hæc operari potest nullo sensu externo operante, postquam ab eis species recepit, ut patet in somno, ergo etiam & intellectus uti potest speciebus intelligibilibus jam comparatis, non operante phantasia. Neg. major, nam experientia docet magis dependere intellectum a cooperatione phantasiæ, quam phantasiam a cooperatione sensuum externorum, neque id arguit majorem materialitatem, & connexionem cum corpore in intellectu, quam in phantasia, quia talis dependentia intellectus est, sed ab alia extrinseca causa, quam mox subjiciemus.

An vero etiam in statu innocentiæ indiguisset intellectus conversione ad phantasmata, in partem negativam inclinat Doctor cit. in lib. de An. q. 18. ratio ejus est, quia in statu anima quoad actum suum non fuisset subjecta corpori, sed super ipsum, & sensus ejus habens dominium, quod per peccatum perdidit, & sic quodammodo subditur corpori pro hoc statu quoad actus suos. Hoc certum est, quod si conversio intellectus ad phantasmata non est connaturalis animæ corpori mortali unitæ, sed potius pœnalis, ideſt, inflicta nobis veluti pœna originalis culpæ, ut satis probabile judicat Doctor loc. cit. tunc in statu innocentiæ nulla fuisset hujus conversionis necessitas, & quia B. Virgo in famosa Scoti sententia caruit originali culpa, hinc deducit P. Cavellus loc. cit. ipsius intellectum in hac vita non indiguisse conversione ad phantasmata, quod valde pium est credere, cum in majorem tantæ Matris laudem cedat, neque constet de oppositо.

8 Hinc deducit Scotus loc. cit. in 4. d. 45. q. 3. H. & L. unde oblivio oriatur, *non enim proficiscitur ex deletione specierum intel-*

intelligibilium ab intellectiva memoria, cum hujusmodi species indelebiliter maneant ut infra dicemus, sed quia delentur a memoria sensitiva, a qua dependenter operatur memoria intellectiva, unde rursus nostrum corroboratur assertum, quia si semel adepta specie posset intellectus operari independenter a phantasia, nunquam contingeret intellectum oblivisci, quia species indelebiliter manent intellectu, & intellectus supponitur uti posse illis sine cooperatione phantasiæ. Unum tamen hic advertendum est in dictis Doctoris, quod cum ait operante intellectu circa suum objectum abstractum necessario cooperari debere phantasiam circa phantasma illi correspondens, hanc addit particulam, *si utraque habeat operationem perfectam*, ita loquitur p. 3. d. 3. q. 3. §. *Sed restat*, quod magis declarans in 4. d. 45. q. 1. ad 3. pro opin. inquit, *operatio phantasiæ requiritur ad intellectionem propter connexionem potentiarum superiorum, & inferiorum in agendo, si quidem superior non perfecte operatur circa aliquod objectum, nisi inferiores, quæ possunt operari, operentur circa idem, & hæc est ratio quare distractio potentiarum animæ circa diversa objecta impediunt operationes earum*; ex quibus videtur colligi posse de mente Doctoris posse intellectum interdum adeptis semel speciebus elicere aliquam intellectionem valde tamen tenuem, & remissam circa objectum abstractum absque cooperatione phantasiæ circa phantasma correspondens, & forte hac de causa quamplures Scotistæ tenuerunt intellectum non semper phantasmatibus indigere in secunda motione, pro quo Bargius p. disp. 3. q. 6. §. *ad aliud de Philosopho* duas adducit Scoti authoritates, unam in 4. dist. 45. q. 1. ad p. prin. alteram in p. d. 3. q. 4. in corpore quæsiti valde expressas.

9 Quoad secundum dubium supra propositum, unde scilicet oriatur hæc dependentia intellectus a phantasia in operando, certum est apud omnes non oriri ex natura intellectus, ut sic, alioquin anima separata non intelligeret, & ideo passim Authores dicunt provenire ex natura ipsius animæ pro suo statu naturali conjunctionis in corpore; dicunt *naturali*, ut excludant statum conjunctionis cum corpore glorioso, tunc enim anima ex congruentia talis status habebit, ut operari possit per intellectum absque consortio sensus: Quomodo autem hic naturalis status conjunctionis animæ cum corpore postulet talem dependentiam intellectus a phantasia in operando, conantur variis rationibus explicare, ut plurimum inutilibus. D. Th. cum suis inquit hoc ideo esse, quia intellectus, ut est nunc corpori conjunctus habet pro objecto proprio quidditatem materialem, de cujus ratione est, ut sit in aliquo singulari, quare nequit perfecte ejus natura cognosci, nisi cognoscatur in singulari, cum ergo cognitio singularis pertineat ad sensum, non poterit intellectus universale abstractum intelligere, nisi sensus attingat singulare concretum. Hæc ratio non valet, tum quia falsum assumit de objecto adæquato intellectus pro statu isto, ut infra videbimus; tum quia falsum est sensum attingere singulare sub ratione singularitatis, alioquin posset discernere inter duo singularia secluſis omnibus eis extrinsecis, quod constat esse falsum; tum quia etiam intellectus potest cognoscere singularia, ut inferius dicemus: tum quia saltem *in abstracto* potest intellectus cogitare naturam communem singularitate.

10 Alii Thomistæ ita rem explicant ex eodem D. Th. 3. p. q. 11. art. 2. anima rationalis pender pro hoc statu quodammodo a corpore, ita enim ipsum informat, ut omnino ei sese accommodet, & quasi ei obligata, ac quodammodo subjecta sit, quod non eveniet in gloria post resurrectionem, quamvis enim tunc quoque futura sit unita corpori, id tamen erit cum pleno dominio supra corpus, si ergo ex tali modo informandi imperfecto pender in suo esse a corpore, consequens etiam est, ut pendeat in operari; conseq. patet, quia nequit operatio esse absolutior a materia, quam potentia, cujus est operatio, cum operatio insit operanti secundum proximam operandi potentiam; ita Ruvius, & Complut. cit. At neque hæc ratio concludit, nam falsum est modo ita animam informare corpus, ut ab eo dependeat in esse, & conservari, quia non est corpori immersa, nec de ejus potentia educta, unde potius ex hoc capite concluderetur, oppositum scilicet animam operari posse independenter a corpore, etiam pro statu isto; tum quia non satis explicant, quid sit ista obligatio, & subjectio animæ ad corpus pro statu isto, & modus informandi imperfectus, vel enim intelligitur in hoc sensu, quod anima sit *forma* materiæ *immersa*, & hoc est falsum; vel in hoc sensu, quem Adversarii videntur intendere, quod non perfecte dominetur corpori, unde nequit corpus, quando vult, & quoquo vult, & sicuti vult movere, nec vigilare, dum libet, sed impedimentis ejus quasi premitur, & compellitur ab operatione cessare, & hoc sit ei subjici, & ab eo dependere in modo operandi, & informandi; & hoc etiam non sufficit; tum quia ex hoc, quod corpori subjiciatur in quibusdam operationibus, in quibus cum corpore communicat, & cum brutis convenit, quia ei competunt secundum gradum sensitivum, non bene deducitur, quod pariter subjiciatur in aliis operationibus spiritualibus, quæ ei conveniunt secundum gradum intellectivum; tum quia hæc qualiscumque subjectio, quam pro statu isto habet anima ad corpus, non videtur naturalis, sed potius pœnalis, ut docet Doctor q. 18. de An. ubi ait, *ex quo anima se deordinavit dimittendo divinum dominium, & se ab ejus subtrahendo subjectione, rationale fuit in pœnam hanc incidere, & amittere dominium proprium, quod habebat super corpus suum, & super sensum*, & ait hanc esse mentem Augustini, ut mox dicemus.

11 Suar. lib. 4. de An. c. 7. aliam assignat rationem, quia mirum intellectus pro statu isto non recipit species, nisi dum phantasia actu operatur: quare cum nequeat intelligere sine speciebus, *consequenter* nequit intelligere sine conversione ad phantasmata. Hic dicendi modus coincidit cum illo, quem refert, & rejicit Doctor qu. 18. cit. quorundam dicentium transeunte actu intelligendi non manere speciem, atque ideo semper necessarium esse novum recursum ad phantasmata in quolibet actu intelligendi; at *species intelligibiles non* remanere transacto actu intelligendi, est penitus falsum, ut postea videbimus, quamvis ergo ab initio, & ut ajunt in prima motione species non acquirat, nisi phantasia actu operante, tamen deinceps illis acquisitis, & retentis non amplius ex hoc capite indiget phantasia, unde vana prorsus est ratio Suar. ad hoc allata.

Aversa q. 58. sect. 2. ait rationem a priori hujus dependentiæ esse, quia intellectus noster, dum anima est unita corpori, cum rerum notitiam acquirat ministerio sensuum, licet possit se amplius elevare ad res abstractas, & superiores speculandas, tamen adhuc earum notitiam desumit ex rebus sensibilibus, unde non solum in acquisitione specierum dependet ex speciebus sensibilibus, sed etiam in actuali usu specierum, & actuali exercitio suæ operationis. Neque hæc ratio valet, quia licet verum sit pro hoc statu omnem nostram cognitionem ortum a sensu ducere, non hinc tamen statim inferre licet, quod in omni motione, & usu specierum *intellectus immediate* dependeat a sensu, nam dicet quis, sufficere, quod in prima motione sensu indiguerit, hoc enim sufficit, ut dicatur quæcumque cognitio ad illam sequens ortum a sensu ducere, sic enim quælibet dependebit immediate, vel mediate.

Morisan. cit. inquit verisimile esse hanc dependentia oriri ex sympathia istarum potentiarum inter se, eo quod sint radicatæ in eadem anima, hinc enim fit, ut simul, & concomitanter operentur. Neque hoc sufficit, quia sensus *etiam interior*, & exterior in eadem anima radicantur, & adhuc majorem sympathiam habent, & affinitatem inter se, quam sensus interior, & intellectus, & tamen sensus internus operatur non actu operante externo.

12 Dicendum igitur est cum Scot. loc. cit. hanc dependentiam non oriri ex natura intellectus, ut sic, quia tunc anima separata necessario sic intelligeret, nec ex eo, quod anima sit unita corpori, quia tunc post resurrectionem in gloria sic intellegeret; nec ex eo, quod anima unitur corpori mortali, quia in statu innocentiæ habebant homines corpora mortalia, & tamen non fuissent adstricti ad solum illum modum intelligendi; unde ergo provenire? Assignat Doctor duplicem causam, unam pro Theologis, alteram pro Philosophis: prima est originalis culpa, in cujus pœnam datus est nobis hic infimus, & adeo imperfectus modus intelligendi phantasmati alligatus, quam sententiam, inquit Doctor, docuisse inter alios præsertim August. 15. de Trin. cap. ult. ubi causam inquirens, cur acie fixa lucem divini Verbi intueri non possimus pro statu isto, sic inquit, *quæ causatur lucem ipsam acie fixa videre non possit, nisi utique infirmitas; & quis eam tibi fecit, nisi utique iniquitas?* non potest autem videri acie fixa veritas, nisi cum independentia a phantasmatibus, pro quo etiam dicendi modo qu. 18. de An. & 2. d. 3. q. 8. cit. Eustat. super 6. Eth. & Lincon. ibid. & 1. Post. juxta quem dicendi *modum* status *hic non erit* naturalis, sed prorsus pœnalis, atque ita defendit Vulpes cit. disp. 31. sect. 9. Altera causa pro Philosophis est naturalis ordo istarum potentiarum, adeo enim connexæ sunt intellectus, & phantasia pro statu isto in suis operationibus, ut superior operari nequeat absque famulatu inferioris: neque hæc est petitio principii, ut Ruvius, & Suarez Scoto objiciunt, sicut a pari utique principium non petimus, cum quærenti, cur actus secundus voluntatis semper prærequirat actum intellectus circa idem objectum, respondemus talem esse ordinem illarum potentiarum, imo potius reddimus rationem primam, & immediatam; notat tamen Doctor 2. d. 3. qu. 8. quod hæc causa non est naturalis absolute, sed tantum prout natura isto modo de facto instituta est, quia ordo præfatus inter intellectum, & phantasiam non est ex natura rei absolute loquendo, adeo ut talis dependentia intellectus a phantasia referenda sit ad voluntatem divinam sic disponentem sive ex sua libertate, & dominio, quod obtinet super omnia, sive ex justitia punitiva in pœnam originalis culpæ. Tandem Doctor utramque causam complectens in unam concludit loc. cit. quod hæc dependentia & alligatio intellectus ad phantasiam est ex peccato, & non solum ex peccato, sed etiam ex natura potentiarum pro statu isto, qui *quidem* status, ut *ipse* docet p. d. 3. q. 3. §. *sed restat*, non videtur esse, nisi stabilis permanentia legibus divinæ sapientiæ firmata: Itaque cum hæc conversio intellectus ad phantasmata in intelligendo non oriatur ex natura potentiæ, sed potius ex decreto Dei, aliaque causa extrinseca, minime lædit immaterialem, & inorganicum operandi modum ipsius intellectus, etiamsi in omni prorsus intellectione pro statu isto elicita necessaria foret.

QUÆSTIO II.

An intellectus sit pure potentia passiva in ordine ad actum intelligendi, ubi de causis intellectionis.

13 Negarunt Antiquiores nonnulli omnem activitatem intellectui in ordine ad actum intelligendi, asserentes ad illum non concurrere, nisi in genere causæ *materialis* actum ipsum in se recipiendo, & sustentando, ita Gotfred. quol. 6. q. 7. apud Scotum p. d. 3. q. 7. Jandun. 3. de An. q. 13. & 24. Venet. in summa de An. c. 3. & ipse D. Thomas p. p. q. 56. ar. 1. & qu. 79. art. 3. ad p. & qu. 85. art. 2. ad 3. & quicumque

Tho-

Thomistarum opinantur speciem intelligibilem esse totam rationem agendi ipsi intellectui, ita quod si agit, non nisi in virtute speciei agit, qua fœcundatur. Alii e regione, ut refert Doctor loc. cit. non solum dixerunt intellectum active concurrere ad intellectionem, verum etiam totam activitatem illi detulerunt, quam opinionem Scoti marginistæ ibidem Henrico adscribunt, & Præpositivo, quam postea secuti sunt Piccol. lib. 1. de mente humana cap. 7. & Zabar. eodem lib. & cap. Onuphrius tract. 2. de An. part. ult. q. & dub. 1. & alii non pauci. Communis opinio asserit tam potentiam, quam objectum, aut speciem ejus vicariam efficienter concurrere ad actum intelligendi, atque ideo ex utroque integram, & adæquatam causam constitui actus intelligendi; sed adhuc postea remanet quoque difficultas, an objectum concurrat per modum causæ principalis, aut potius instrumentalis; quod si utrumque concurrat per modum causæ principalis, num hoc sit objectum, vel potius intellectus, & in hoc quoque variæ sunt opiniones, quas singillatim referre non oportet.

ARTICULUS I.

Intellectus active concurrit ad intellectionem.

14 Conclusio est passim ab omnibus recepta, quam docuit Scot. in lib. de An. q. 12. & p. d. 3. q. 7. per totam, & quol. 15. & alibi sæpe; probatur primo authoritatibus, nam in Conc. Trid. sess. 6. can. 4. damnatur, qui in justificatione dixerit liberum arbitrium passive tantum se habere, ergo si per Concilium voluntas active concurrit ad suas operationes, pariter ex æquitate rationis idem de intellectu erit affirmandum, eo vel maxime, quia liberum arbitrium non sola consistit voluntate, sed actum quoque intellectus importat, liberumque judicium; & si Concilium id asserit de actibus supernaturalibus, quales sunt concurrentes ad hominis justificationem, qui sunt altioris ordinis; sane tanto magis id erit asseverandum de actibus naturalibus; Probatur etiam authoritate D. Aug. 9. de Trin. cap. ult. & 2. de Trin. cap. 5. & alibi, dicentis cognitionem, & visionem gigni ex objecto, & potentia; Demum ex Arist. 2. de An. 36. 37. ubi ait animam in genere causæ efficientis concurrere etiam ad operationes sensitivas & de sensu, & sensibili cap. 2. ait sensibile facit agere sensum, idem autem censeri debet de actu intelligendi, & 9. Met. 16. distinguens actionem in immanentem, & transeuntem ad primam revocat visionem, felicitatem animæ, speculationem, & similia, quia inquit recipiuntur in eodem principio, a quo procedunt, ergo anima, quæ recipit illa erit activum principium, non mere passivum; & 2. de An. 24. definit animam, quod sit principium, quo vivimus, sentimus, loco movemur, & intelligimus; & tex. 55. ait, quod si principium intellectionis non esset saltem ex parte animæ nostræ intrinsecum, nec in potestate nostra esset intelligere, idem colligitur ex tex. 59. & 60.

15 Deinde probatur rationibus, tum primo ex ratione generali potentiæ vitalis, quæ ratione vitæ dicitur sese movere ab intrinseco in actus suos, ut dictum est disp. 1. q. 2. Tum 2. quia alioqui non oporteret in potentia vitali ponere habitus disponentes; quia isti non ponuntur præcise ad patiendum, maxime in passo summe disposito, ut est potentia respectu sui actus. Tum 3. quia actus vitalis nequit totaliter a non vivente produci, quia ut sic est nobilior, ergo potentia active concurrere debet. Tum 4. quia effectus æquivocus, qualis est intellectio respectu speciei, foret perfectior sua causa, quod est falsum. Tum 5. si potentia vegetativa in ratione vitæ ponitur activa, ergo & sensitiva, & intellectiva, quæ in ratione vitæ sunt nobiliores. Tum 6. quia alioqui non fieret discursus, neque reflexio intellectus supra suos actus, neque fierent intentiones logicæ, quia intellectus non posset inferre unam propositionem ex alia, nec conferre unum objectum ad aliud, ex qua collatione tales intentiones fiunt. Tum tandem quia eodem modo quilibet intelligeret, nec daretur unus altero perfectius intelligens, & tamen experimur tam in sensu, quam in intellectu posito eodem repræsentante, & objecto æque movente hunc perfectius intelligere, si attentius, & perfectius conetur ad intelligendum, imo propter magnum conatum quandoque potentia sensitiva lædituir, hæc autem attentio arguit potentiæ concursum, & activitatem. His ergo rationibus ex Scoto loc. cit. collectis probari debet concursus activus intellectus ad actum intelligendi, non autem ex eo, quod vitalitas in actu dicat essentialem, & per se dependentiam ejus a principio vitali in genere efficientis causæ, ut facit P. Vulpes tom. 1. p. 1. disp. 39. art. 2. concl. 1. cum quibusdam Thomistis, quia talis ratio nedum probat potentiam vitalem active concurrere ad actus suos, sed necessario, & indispensabiliter sic concurrere, adeo ut nec per potentiam Dei absolutam possit ejusdem actus produci in potentia mere passive ipsa se habente, cujus tamen oppositum docet eadem disp. art. 8. P. Vulpes cum communi Scotistarum, & nos superius disp. 2. q. 3. at rationes, quas ex Doctore collegimus, probant solum regulariter, & ex natura rei intellectum, & quamcumque aliam vitalem potentiam active concurrere ad actus suos eliciendos, non tamen quod ita esse debet necessario, & indispensabiliter, quasi saltem per absolutam Dei potentiam oppositum contingere nequeat.

16 Contra positam concl. objic. quia Arist. 3. de An. tex. 2. intelligere inquit esse quoddam pati, & intellectum, cui tribuitur cognitio, & intellectio, vocat intellectum possibilem, seu passibilem, & patientem, quasi nullo alio modo ad intellectionem concurrat, quam patiendo, ac recipiendo. Tum 2. quia 2. de An. 52. ait, quod si sensus esset activus, non passivus, semper ageret, ergo a pari si intellectus esset activum principium intellectionis, semper intelligeret. Tum 3. cognitio fit per assimilationem, & conformitatem potentiæ cognitivæ ad objectum, sed vera assimilatio fit per impressionem speciei, vel similitudinis objecti in potentia, quæ impressio est causata effective ab objecto, & recepta in potentia, ergo &c. Tum 4. nihil potest in seipsum agere, quia agens, & patiens semper subjecto distinguuntur, & agens est actu tale, quale est passum in potentia, unde si idem ageret in seipsum, idem esset in actu, & in potentia respectu ejusdem. Tum 5. quia intellectus ab objecto, vel specie impressa determinatur ad hanc potius, quam illam intellectionem, ergo passive concurrit, non active, indeterminatio namque pertinet ad potentiam passivam, ut constat de materia prima. Tum demum, quia 3. de An. 8. & 8. Phys. 32. intellectus ante habitum, seu speciem est in potentia essentiali ad producendam intellectionem, postea vero est in potentia tantum accidentali, quia per eam veluti reducitur ad actum, ergo &c.

17 Resp. ad 1. Doctor in lib. de An. q. 12. ad 1. prin. & 1. dist. 3. q. 7. §. *ad authoritatem Philosophi*, & quol. 13. FF. & quol. 15. L. & 4. d. 12. q. 3. ad 5. per ea verba, quod intelligere sit quoddam pati, nolle Arist. affirmare intellectum mere passive se habere ad intellectionem, sed velle tantum innuere, quod non dicitur intellectus intelligere ea ratione, qua producit intellectionem, ut infra dicemus, sed solum ea ratione, qua ipsam recipit, an autem intelligere formaliter sit recipere intellectionem, vel solum præsupposito, discutiemus postea; vocatur autem intellectus patiens & passibilis respectu speciei intelligibilis, quam solum recipit, & non efficit, non autem respectu cognitionis; sicut e contra quædam alia facultas in ditione intellectiva, quæ dici consuevit intellectus agens, non talis denominatur respectu actus intelligendi quasi illum efficiat, sed respectu speciei intelligibilis, hanc enim efficit, ut mox apparebit. Ad 2. ait Doctor testimonium illud probare solum sensum non esse principium totale sensationis, quod neque nos hic asserimus de intellectu respectu intellectionis, sed tantum dicimus non mere passive se habere in ordine ad illam. Ad 3. inquit Doctor in lib. de An. loc. cit. ad ult. quod assimilatio bene requiritur ad cognitionem, sed non sufficit, nisi adsit judicium de objecto, cujus habetur similitudo impressa, vel expressa, & illud perficit assimilationem, & conformitatem, quæ constituit cognitionem. Ad 4. inquit 1. d. 3. q. 7. assumptum cum sua probatione valere tantum in agentibus univocis, non in æquivocis, in quibus agens est tale tantum in actu virtuali, quale est passum in potentia formali, ex quo nulla sequitur contradictio, quam solutionem fuse ibi declarat, & nos in Physicis. Ad 5. Resp. Scot. ibid. lit. BB. quod indeterminatio intellectus non est indeterminatio potentialitatis passive in ordine causalitatis, qualis est indeterminatio materiæ primæ, sed est indeterminatio activitatis quasi illimitatæ, quo sensu Sol est indeterminatus ad multos effectus, & ideo non determinatur per formam, quæ sibi sit ratio determinate agendi, sed tantummodo per præsentiam objecti, circa quod determinatum nata est esse determinata intellectio. Ad ult. intellectus ante receptionem speciei non dicitur ab Arist. in potentia essentiali, quia deficiat sibi aliqua ratio causalitatis in ordine suo, sed dicitur in potentia essentiali, quia deficit alia causa partialis, quæ cum eo constituit principium integrum, & adæquatum intellectionis, & tunc dicitur intellectus in potentia accidentali, sive propinqua ad agendum, ita Doctor sub litt. Y.

ARTICULUS II.

Intellectus non est causa totalis, sed tantum partialis utollectionis esto magis principalis.

18 Conclusio hujus articuli quoad utramque partem est Scoti locis supra citatis; & quidem quoad primam partem probari potest ea generali ratione, qua supra probavimus actum sentiendi ab objecto, quam potentia sensitiva produci, quo enim ad hoc par omnino est ratio de sensatione, ac intellectione, nam in intellectione quoque reperitur peculiaris ratio intellectui correspondens, scilicet spiritualitas in essendo, & pariter peculiaris ratio objecto, vel speciei proportionata, scilicet similitudo in repræsentando, ex quo deducitur manifeste, intellectum non esse totalem, & adæquatam intellectionis causam.

Sed ulterius pro intellectione adsunt speciales authoritates præsertim D. August. quas affert Doctor, non semel dicentis notiriam non a sola potentia gigni, sed etiam ab objecto, unde intellectum specie, vel objecto fœcundatum vocat parentem, & actum intellectionis prolem, solet insuper probari ratione satis recepta, quam innuit Doct. nam si intellectus esset totalis causa activa intellectionis, posset intelligere sine objecto exteriori, quia activum, & passivum sine extrinseco sufficiunt ad actum eliciendum, sic enim arguebat Arist. 2. de An. 52. de sensu, quod si esset activus totaliter, semper ageret. Nec valet dicere, inquit Doctor, objectum requiri, velut conditionem sine qua non; quia ex hoc sequitur, non esse tantum quatuor genera causarum, sed plura, vel saltem aliquid dependere essentialiter ab aliquo, quod non est causa ejus, ita arguit Doctor loc. cit. contra primam opinionem, & hac ratione utuntur Mairon. 1. dist. 3. q. 7. Regentes Paris. 3. de An. Faber theor. 77. c. 2. Vulpes cit. disp. 20. n. 6. & passim alii Scotistæ, Verum huic rationi non est multum fidendum, quia ut statim notatur ibi in additione, quæ ponitur pro extra, hæc ratio concluderet simili modo contra actionem voluntatis, quam putat probabiliter Doctor 2. d. 25. q. un. esse totaliter activam sui actus, unde ibi eam solvit in resp. ad 4. pro opin. ubi etiam explicat, quomodo teneat discursus Arist. de sensu 2. de An. tum quia multa sunt objecta nostri intellectus mere terminativa, quare in his, & similibus cognitionibus interyenit objectum solum in ratione termini, non tamen efficien-

tis, ut infra dicemus; tum tandem quia ex hac ratione tollitur omnis conditio sine qua non, quam tamen præter quatuor causarum genera admittunt Philosophi omnes, Doctor ipse 1. Met. q. 6. & 1. sent. d. 41. & 25. & 3. d. 2. q. 2. F. & alibi sæpe, quid autem interfit inter puram conditionem sine qua non, & veram causam, jam diximus in Phys. disp. 5. q. 4. art. 3. vide Bargium 1. d. 3. q. 7. ubi bene notat insufficientiam hujus rationis.

19 Potius ergo probanda est conclusio, ut probat ipse Doctor in corpore quæstii, quia scilicet tunc actus non esset similitudo objecti, cum nullo modo esset partus ejus, nec distingueretur essentialiter propter distinctionem objectorum, quia essentialis distinctio non est ab eo, quod non est causa; nec esset simpliciter perfectior intellectio perfectioris intelligibilis posito æquali conatu hinc inde ex parte intellectus, quia posita causa totali efficacius operante, sequitur perfectior actio, & ita anima esset causa totalis ubicumque ipse ex parte sui perfectius ageret ex majori conatu, perfectiorem intellectionem produceret, & ita intellectio Dei non esset perfectior intellectione musicæ; videtur etiam, quod tunc esset infinita virtus in intellectu, quia ad unam intellectionem unius rationis requiritur aliqua perfectio in causa illius intellectionis, & ad aliam intellectionem perfectioris objecti major perfectio requiritur, & sic deinceps, ergo habens hanc & illam, est perfectius, quam habens illam tantum, & ita habens infinitas tales, ut totalis causa, erit infinitæ perfectionis, (fundatur ista ratio in illa maxima, quam habet 2. d. 3. q. 10. §. *ista opinio*, quod ubi major pluralitas arguit majorem perfectionem, infinitas arguit infinitam) similiter non videretur, quomodo aliqua tota scientia contineretur vitualiter in objecto, si solus intellectus haberet causalitatem respectu actus, & habitus; ita discurrit Scot. loc. cit. & quol. 15. §. *de secundo*; quas rationes bene declarat Lichet. ibid. & fuse prosequitur Faber theor. 77. cit. Earum tamen penultimam de infinitate perfectionis inficiatur Mairon. cit. dicens, quod ita concludit, si ponatur intellectus causa partialis, ac si ponatur totalis. Sed valde decipitur, quia si intellectus ponitur partialis causa, tunc per eandem virtutem dicetur successive concurrere ad omnes illas intellectiones, nam excessus perfectionis unius intellectionis super aliam sumretur ex objecto loquendo de excessu perfectionis specificæ, at si ponatur causa totalis, tunc major, & major virtus, quæ requiritur ad perfectiorem, & perfectiorem cognitionem eliciendam, se teneret ex parte ejusdem intellectus totaliter, ita notavit Lichet. 2. dist. 3. q. 10. his itaque rationibus, concludit Doctor intellectum, & objectum esse causas partiales intellectionis integrantes unam totalem, & adæquatam, quas rationes late etiam prosequitur Bassol. 2. dist. 3. q. 4. art. 2.

20 Quod autem respectu cognitionum modo nobis naturaliter convenientium intellectus sit causa principalior, ac magis præcipua, quam objectum, Doctor 1. dist. 3. q. 8. §. *respondeo*, sic probat, quando causarum ordinatarum altera est indeterminata ad multos effectus quasi illimitata, altera autem quasi secundum ultimum virtutis suæ determinata ad certum effectum, illa, quæ est illimitatior, & universalior, videtur esse principalior & perfectior, ut constat de Sole, & particularibus generantibus, sed intellectus habet virtutem quasi illimitatam, & indeterminatam respectu omnium intellectionum, objecta autem a nobis naturaliter cognita habent virtutem determinatam respectu determinatarum intellectionum, quæ sunt ab ipsis, ergo intellectus est causa universalior, & principalior intellectionis, quam objectum: Notat tamen Doctor lit. C. quod aliquod objectum excedens valde facultatem partis intellectivæ, pura objectum beatificum, ut clare visum, posset poni habere totam causalitatem respectu visionis, aut certe principaliorem, quam intellectus, & hoc propter excellentiam talis objecti, & ob defectum partis intellectivæ; atque ideo apposite diximus in conclusione intellectum esse causam principaliorem, quam sit objectum, loquendo de cognitionibus nobis naturaliter convenientibus.

21 Quomodo autem ista duo scilicet intellectus objectum constituant integrum intellectionis principium, ita declarat Doctor 1. d. 3. q. 7. in corpore quæsiti, & quol. 15. H. & 2. d. 9. q. 2. S. causæ concurrentes ad unum effectum quandoque sunt ejusdem rationis, & ordinis, ut plures homines trahentes navim, quandoque vero alterius rationis, & ordinis, & hoc adhuc dupliciter, uno modo, itaut posterior virtutem suam mutuet a priori, ut evenit de causa prima, & secunda; alio modo, itaut non eam accipiat a priori, sed tantum ab ea dependeat in exercitio suæ virtutis, exemplum esse potest de parentibus, si mater habere ponatur virtutem in generatione prolis, tunc enim concurret equidem & ipsa ad generationem, non ita, quod accipiat virtutem a patre, sed dependendo dumtaxat ab illo exercitio propriæ virtutis, quam habet in actu primo independenter ab illo; itaque in proposito dicendum est de intellectu, & objecto, quod non concurrunt primo modo, scilicet veluti causæ ejusdem rationis, quia tunc virtus unius posset adeo augeri, quod se solo posset causare intellectionem; nec secundo modo, quia intellectus non habet virtutem suam activam ab objecto, nec e converso, sed unumquodque illam possidet in ordine suo independenter ab alio; quare restat, quod concurrant ad producendam intellectionem tertio modo, quasi velut pater, & mater ad prolem, nimirum tanquam duæ causæ partiales in unam totalem unitate subordinationis essentialis coeuntes, quarum una ab altera rationem agendi simpliciter non suscipit, esto una sine altera agere nequeat; Declarans vero hanc unitatem subordinationis essentialis lit. N. inquit non semper opus esse, quod causa totalis, & integra habeat veram, & per se unitatem, sed tantum sufficere in unoquoque ordine causandi unam per se ponere causam, unamque etiam per se causandi rationem, exemplum affert aptissimum, Sol in suo ordine causandi habet unam rationem causandi respectu prolis, & pater in suo ordine causandi est una per se causa unius rationis, sed causa totalis, quæ complectitur patrem, & Solem, non habet aliquam unam per se rationem formalem causandi, sicut non est una causa, nisi unitate ordinis; si ergo in proposito respectu intellectionis ponitur intellectus, tanquam una per se causa in suo ordine causandi, ac etiam objectum, tanquam altera per se causa unam habens in suo ordine per se causandi rationem, sed causa totalis, & integra nec est per se una, nec unam per se habens causandi rationem, sed tantum una unitate ordinis, quod iterum repetit 4. d. 12. q. 3. in fine,

22 In oppositum arguitur, Primo, quod objectum non sit partialis causa intellectionis, sed totaliter ab intellectu producatur; operatio vitalis nequit a principio non vitali procedere, quia tunc effectus suam excederet causam in perfectione, cum omne vivum melius sit non vivente, sed intellectio est vitalis operatio, ergo nequit ab objecto produci, sed totaliter producitur ab intellectu. Tum 2. quia intellectus producendo intellectionem cognoscit, & judicat, at objectum non cognoscit, nec judicat, ergo neque intellectionem non producit. Tum 3. elementa per propriam formam non tantum partialiter, sed totaliter agunt, cum tamen sint infima in ratione agendi in tota agentium naturalium latitudine, ergo tanto magis anima, quæ omnibus formis perfectior est, debet poni totale principium suæ operationis. Tum 4. intellectio est actio immanens ex 9. Met. 16. ergo nequit fieri a principio distincto ab eo, in quo recipitur. Tum 5. quia tunc distinguere oporteret formalitates in actu, ita nimirum, ut substantia, & vitalitas actus esset a potentia, specificatio ab objecto, quod tamen falsum est, quia hæc sunt omnino idem inter se, cum actus sit simplicissima qualitas. Tum 6. actus intelligendi causatur per dicere, ut mox patebit, at dicere convenit intellectui, non objecto. Tum 6. quia si objectum concurrit cum intellectu, tunc una per se operatio, qualis est intellectio, non erit ab una per se causa, sed ab ente per accidens, quia objectum cum intellectu non faciunt unum per se. Tum tandem, quia actus intelligendi est ens in actu, reale, & absolutum, objectum vero interdum est ens in potentia, rationis, & respectivum, ergo non semper hoc est causa illius.

23 Resp. Doctor cit. sub litt. P. majorem esse veram de causa totali, aut partiali magis præcipua, non autem de causa utcumque partiali, qualis in proposito ponitur objectum, potest enim non vivum esse causa partialis alicujus vivi, sicut Sol non vivus est causa partialis cum patre ad generandum filium; rationem istius responsionis assignat ipsemet 2. d. 3. q. 10. ad 3. princ. & 4. d. 12. q. 3. I. quia scilicet minime opus est causam partialem esse perfectiorem suo effectu, bene enim potest effectus exeedere talem causam in perfectione, quia reliquam perfectionem habere potest ex reliqua causa partiali, & affert exemplum de albedine, ejusque intellectione, dicens intellectionem esse perfectiorem albedine, quia quatenus est genita ab intellectu, est perfectio vitalis, unde ex hac alia causa partiali, scilicet intellectu, habet excessum perfectionis, qua excedit albedinem. Dices, Scotum hic videri, quod dividat formalitatem vitalitatis a cæteris in actu intelligendi, quasi hæc attingatur ab intellectu tantum non ab aliis. Negatur assumptum, quia ut ipse docet 1. d. 17. q. 2. V. quando plures causæ partiales subordinatæ concurrunt ad aliquem effectum communem per se unum numero, non sunt constituenda in eo plura distincta, divisim activitati propriæ illarum respondentia, sed idem effectus numero totus procedit a singulis, licet non totaliter, sed partialiter, unde dicuntur causæ totales totalitate effectus, sed partiales partialitate causæ, tota ergo vitalitas in actu est ab intellectu, & tota quoque ab objecto, quia utraque est causa totalitate effectus, cum nulla reperiatur formalitas in eo, quam una causa attingat sine alia, & solum unaquæque partialis est partialitate causæ, quare cum ait Doctor loc. cit. vitalitatem in actu attendi ex parte intellectus, & ex hoc intellectionem excedere albedinem, noluit negare, quin & hæc suo modo influat in vitalitatem actus, ut causa partialis, sed solum innuere voluit, quod ex parte intellectus debeat attendi, ut ex causa magis principali. Dices, dicrum videri asserere, quod objectum non vivum attingat etiam partialiter vitalitatem actus, ut enim est commune proloquium, nemo dat, quod non habet, quod adeo verum est, ut nec totaliter, nec partialiter dare illud possit, cum prorsus eo careat, quo igitur pacto poterit objectum non vivum communicare actui vitalitatem qua prorsus est destitutum? Resp. hoc non esse inconveniens partialiter, & minus principaliter, ut ajebat Doctor, quemadmodum absurdum non est puerum cum aliis hominibus navim trahere, & totam trahere, quia nulla est pars in qua cum aliis non imprimat impulsum, non enim unus unam partem trahit, & alter alteram, sed singuli totam trahunt, quia sunt causæ totales totalitate effectus; esto sint partialitate causæ; & ita passim videmus in causis partialibus, quod aliarum ope, atque consortio multos attingunt effectus, quos se solis *divisim* nunquam attingere possent, non ergo hoc *mirum esse debet in* proposito, quod in dies experimur in aliis; *eandem doctrinam* habet Doctor 2. d. 9. Q. & Bassol. 2. d. 3. q. 4. art. 2.

24 Ad 2. neg. major, quia ut supra diximus, & magis patebit postea, formalitas intellectionis potius consistit in recipere, vel habere intellectionem, quam in ejus productione, nam intelligere, ut inquit Arist. 3. de An. 2. potius est pati, quam

gere, unde ut notat Doct. p. d. 3. §. 7. Y. & quol. 15. L. intellectus non dicitur intelligere ratione, qua causat intellectionem, quia si Deus causaret illam intellectionem, non ob id diceretur intelligere ea intellectione, sed intellectus ille, in quo causatur intellectio; licet ergo objectum producat intellectionem, quia tamen eam non recipit, nec per eam operatur, ideo non dicitur intelligere, & judicare, ut etiam notat Tat. 3. de An. q. 1. 3. not. Ad 3. neg. Doctor paritatem, quia formæ imperfectiores bene possunt esse causæ totales respectu suarum operationum, quia earum virtus limitata est, ac determinata ad unum in specie, at virtus intellectus illimitata est indeterminata ad totum ens, ac proinde non potest in eo poni totalis causalitas respectu cognitionis totius entis, quia ejus virtus infinita evaderet, ut supra deducebamus. Ad 4. ait Doctor quol. 13. §. *Ad ista* per actionem immanentem intelligi posse vel illam, quæ remanet in agente, vel quæ non habet terminum per ipsam productum, & operatum, & subdit in hoc secundo sensu Arist. 9. Met. 6. appellasse visionem, & aliam quamcumque operationem vitalem actionem immanentem, ut patet ex illis verbis, *non est aliud opus præter actionem*, & in p. d. 3. q. 7. Q. docet posse etiam vocari actionem immanentem in primo sensu, quia actus intelligendi vere manet in agente, non tantum in supposito agente, quod non transeat extra suppositum, sed nec transit extra partem intellectivam, in sensitivam, nec extra intellectivam in appetitivam, nec extra principium ejus activum in aliam potentiam, sed manet in parte intellectiva, quæ est causa partialis ejus, non autem oportet, ait Doctor, actionem proprie dictam manere in sua causa totali, sed sufficit, quod maneat in sua causa partiali. Ad 5. neg. seq. nam cum intellectus, & objectum ponantur causæ totales totalitate effectus, & solum partiales *partialitate causæ*, *quicquid in effectu producitur ab una* producitur simul ab altera, & nulla prorsus formalitas assignari potest in ipso, quæ simul non attingatur ab omnibus, & singulis. Ad 6. dicere proprie est actus memoriæ fœcundæ ex August. 9. de Trin. hæc vero ex intellectu, & objecto constituitur, ut habetur in tract. de Trin. & infra dicemus q. 4. Ad 7. patet ex proxime dictis minime opus esse, quod quilibet effectus habeat unam per se causam, loquendo de causa totali, & integra, quia non tanta unitas requiritur in causis, quanta in effectu. Ad 8. dicitur cum Bargio aliquid posse movere intellectum multipliciter, nempe in se, in suo fundamento, in suo opposito, in suo inferiori, in suo effectu, sub suo accidente, in suo simili, & tandem in aliquo, quod est occasio movendi pro eo, semper enim in quacumque intellectione aliquo ex his modis concurrit objectum ad ejus productionem.

25 Deinde objicitur probando intellectum non esse causam magis principalem; quia in causis essentialiter ordinatis causa movens non mota nobilior est causa movente mota, at objectum primo modo concurrit, intellectus secundo modo, quia objectum sive in se, sive in specie præsens, sive in prima, sive in secunda motione semper aliquid vere producit in intellectu, non sic intellectus in objecto, ergo &c. Secundo, objectum concursu suo determinato concursum indeterminatum, & universalem intellectus determinat, ergo concursus ejus nobilior est. Tertio, illud est principalius in causando, cui magis assimilatur effectus productus, quia omne agens, quantum potest, effectum sibi assimilat, at actus magis assimilatur objecto, quam intellectui, cum sit ejus similitudo, ergo &c. Quarto, actus intelligendi magis ab *objecto distinctionem* habent, ac specificationem, quam a potentia, ergo ab objectis etiam magis habent entitatem, a quo enim res habet entitatem, habet quoque distinctionem.

Resp. majorem esse veram, quando causa movens mota movetur a movente non mota, quatenus movens, & agens reduplicative, & non quatenus mota tantum, sic enim causa secunda dicitur movere, ut mota a prima, non solum quia virtutem agendi ab initio recepit ab ea, sed præsertim quia in ipsa actuali actione, & motione essentialiter pendet a prima, nedum enim causa prima influit cum secunda immediate in effectum communem, sed etiam in eadem ipsam actionem, qua causa secunda formaliter denominatur agens, ut dicitur in tract. de concursu causæ primæ cum secundis; non sic autem objectum se habet respectu intellectus, partialiter enim cum intellectu influit tantum in effectum communem, sed nullatenus præstat virtutem agendi intellectui in ordine suo, & quantum spectat ad ejus causalitatem, nec ullo *modo influit in* propriam ejus actionem, & ideo intellectus est causa movens mota, non ut movens, & agens reduplicative, sed potius ut actum intelligendi recipiens; hanc solutionem innuit Doctor 1. d. 3. q. 8. ad 1. princ. sed magis expresse habet 2. d. 3. q. 8. sub F. ubi post multa concludit in hæc verba, *ad effectum tamen communem movetur anima ab objecto, non inquantum activa, sed inquantum receptiva illius effectus, & licet sit mota, non tamen est movens mota, quia non movetur ad movere active, sed ad recipere*: potest tamen dici movens motum ab objecto, quatenus ab eo sibi imprimitur species intelligibilis, ut declarat Doctor in lib. de An. q. ult. Ad 2. neg. assumptum Doct. 1. d. 3. q. 7. Bb. quia indeterminatio intellectus non est passiva, & materialis, sed activa, & virtualis, sicut est virtus Solis ad multa in his inferioribus causanda, ex quo fit, ut ex se sufficienter intellectus determinetur ad quamcunque intellectionem, ad quam ex se determinatus est, quotiescumque objectum, & species reducitur de potentia essentiali ad accidentalem, ergo vere determinatur ab eo. Neg. conseq. quia ut notat Doct. ibid. sub Y. & 2. d. 3. q. 8. sub F. non dicitur intellectus per speciem actuari, & determinari, quasi recipiat aliquid spectans ad causalitatem ejus propriam, eamque complens, totam enim virtutem agendi, quæ requiritur ex parte potentiæ, habet intellectus antecedenter ad quamcunque specierum receptionem, sed dicitur compleri, & determinari per accidens, ac veluti extrinsece, quatenus ei adjungitur alia concausa ad intelligendum necessaria.

26 Ad 3. inquit Doctor magis probare oppositum, quia effectus formaliter magis assimilatur causæ proximæ, & inferiori, quam remotæ, & principali, ut constat de filio respectu patris, & Solis, quia causa remota, & principalis, ut plurimum est æquivoca, atque ideo non nisi virtualiter effectum sibi assimilare potest; posset etiam dici, quod licet actus sit similior objecto, quam potentiæ, in repræsentando, nihilominus in essendo res e contra se habet, quia cum actus intelligendi sit qualitas spiritualis, objectum vero ut plurimum res materialis, & corporea, magis assimilatur intellectui quoad entitatem, quam objecto. Ad 4. sicut ab utroque in solidum actus habent entitatem pariter quoque distinctionem, & specificationem, & principalius ab eo, a quo magis præcipue causantur; magis tamen ab objectis manifestatur intellectionum distinctio, quam ab intellectu, quia ubi in intellectu, indeterminato quodam, ac *illimitato* modo continentur, in objectis secundum continentiam virtualem determinate continentur, de hac materia videatur Lic. quol. 15. §. *in isto articulo*, ubi multa movet, & resolvit dubia.

QUÆSTIO III.

De intellectione, ac verbo mentis.

27 Satis vulgaris, & famosa est in hac materia Thomistarum sententia affirmativam intellectionem esse formaliter actionem productivam cujusdam termini distincti, quem vocant verbum mentis, ac etiam imaginem, similitudinem, ac speciem expressam objecti, quo nomine distinguitur a specie intelligibili, quæ dicitur species impressa, unde consequenter velle videntur, quod intelligere formaliter sit hoc verbum mentis producere, quatenus mediante verbo, quod est expressa objecti similitudo exprimit, & declarat objectum, ita significat D. Thom. p. p. q. 27. art. p. & q. 34. art. p. & q. 8. de potentia ar. 1. & alibi, quem sequuntur passim Thomistæ circa eadem *loca*, Conimb. 3. de Anim. cap. 8. q. 3. Moris. disp. 3. de An. q. 6. Molin. p. p. q. 12. art. 2. disp. p. Gonz. ibid. disp. 25. sect. 4. Montesin. p. 2. disp. 3. q. 5. Fonsec. 5. Met. cap. 15. q. 10. sect. 2. alii recentiores Thomistæ, qui solum addunt intellectionem esse actionem virtualiter productivam termini, non formaliter, ita Complut. disp. 21. de An. q. 1. & Jo. de S. Thom. q. 21. art. 1. qui alios citant.

Altera sententia huic directe opposita asserit intellectionem potius esse passionem, ac receptionem, aut speciei intelligibilis, & impressæ, ut volunt Aureol. p. d. 35. q. p. Ægid. quol. 13. q. 12. Gotfr. quol. 4. Suessan. lib. 5. de intellectu cap. 9. aut verbi, & speciei expressæ, ut Ruvius velle videtur q. 3. de intellectu possib. & alii, qui consequenter dicunt intelligere esse formaliter actum intelligendi recipere juxta id, quod dicebat Arist. 3. de An. 2. intelligere est quoddam pati, quibus favet Doct. p. d. 3. q. 7. §. *authoritatem philosophi* quol. 15. lit. L. & alibi, ac tenet Faber theor. 77. c. 3.

28 Tertia sententia, satis frequens apud Recentiores docet intellectionem esse potius qualitatem quandam, quæ ab intellectu producitur, & hanc ipsam esse imaginem, ac speciem expressam objecti ac ipsum verbum mentis, dum ab eo naturaliter gignitur simul cum intellectu, qui eam efficit distincta quadam actione, quæ solet appellari dictio, unde consequenter inquiunt intelligere nec esse formaliter producere intellectionem, nec eam recipere, sed per eam viraliter operari tendendo in objectum: ita Scot. p. d. 3. q. 6. & 7. & d. 27. q. 1. ibidem Durand. Ocham, Gabriel, & omnes Nominales, Suarez disp. 48. Met. sec. 2. lib. 3. de An. cap. 5. & p. p. tract. p. lib. 2. c. 11. & 13. Vasquez 1. p. disp. 38. cap. 2. & disp. 112. cap 4. & disp. 141. c. 4. Onuphr. trac. 2. de An. disp. 1. Arriag. disp. 5. de An. n. 37. & alii Recentiores, licet in quibusdam discrepent a communi Scotistarum, ut ex dicendis patebit.

Quarta tandem opinio, ut omnibus det manus, hæc omnia complectitur, constituitque intellectionem, alium quemlibet vitalem actum creatum in actione, passione, & qualitate illa producta, & recepta in potentia vitali, unde consequenter docet, quod intelligere formaliter, & adæquate hæc omnia dicit, saltem in creatis, actionem potentiæ producentis, qualitatem productam, & passionem, seu receptionem istius qualitatis in potentia, ita Hurtad. disp. 6. de An. sec. 1. & 2.

De Verbo mentis pariter non est minor dissensio inter Authores; Thomistæ namque communiter affirmant verbum nostri intellectus esse similitudinem formalem, & expressam rei cognitæ productam per actum intelligendi; Alii dicunt esse ipsam speciem impressam priorem actuali intelligentia, pro qua citantur Ægid. & Suessan. loc. cit. Alii contendunt esse potius ipsum objectum cognitum per intellectionem, ita Aureol. apud Capreolum p. d. 27. q. 2. Alii esse utique objectum, non secundum esse cognitum, sed secundum esse reale, quod habet a parte rei. Scotistæ tandem asserunt cum Doctore 1. d. 27. q. 1. verbum esse ipsammet intellectionem, ut naturaliter productam a memoria fœcunda per actum dicendi; sequuntur Recentiores fere omnes supracit. pro tertia sententia, inter quos solus Aversa discrepat in hoc, quod negat verbum produci per distinctam actionem, quæ appelletur dictio, asserens immediate seipso ab intellectu procedere absque ulla actione media, quæ etiam fuit Nominalium sententia; & hoc ipsum asserunt Recentiores Thomist. cit. cum Cajet. & Capreol. de ipsa intellectione, quam distinguunt a Verbo.

AR-

ARTICULUS I.

Intellectionis natura explicatur.

29 Dicimus Primo, nec intellectionem esse actionem termini productivam qui dicatur verbum, aut species expressa objecti, neque intelligere formaliter esse verbum mentis producere. Conclusio est contra primam opinionem jam adductam, docetur a Scoto pluribus in locis p. d. 2. q. 7. sub Q. & d. 3. q. 6. sub V. & d. 27. q. 1. sub F. ex instituto, & quol. p. lit. V. quol. 2. art. p. E. quol. 13. A & alibi sæpe, sequuntur omnes Interpretes circa ea loca, Tatar. Viger. Lichet. Barg. Rada p. p. controvers. 7. Faber. in p. disp. 21. Vulpes tom. 2. part. 1. disp. 20. art. 6. & tom. 3. ejusdem partis disp. 42. art. 3. Herrer. in 1. disp. 10. q. 1. Ægid. Lusit. p. 2. lib. 4. de Beat. q. 2. art. 4. & passim alii Recentiores pro 3. sent. cit. Probat Doctor 1. d. 17. hac fundamentali ratione, intellectio non est actio vera, & physica alicujus termini productiva, sed tantum mere grammaticaliter sic appellata, ergo non bene statuitur productiva verbi mentalis; probatur assumptum, tum quia 9. Met. tex. 16. hac de causa *dicitur actio immanens*, quia præter ea non est aliud opus, & per hoc ibidem distinguitur ab actione transeunte, quæ habet aliquid operatum per ipsam tanquam terminum; videantur verba textus, quia clariora esse nequeunt; idem quoque habet p. ethic. cap. p. & lib. 6. cap. 5. Tum quia operationes vitales, inter quas præcipuum obtinet intellectio locum, dicuntur actus ultimi, & ultima perfectio operantis 8. Met. loc. cit. & p. Ethic. cap. 9. & finis ultimus potentiæ, tales autem non essent, si præter eas daretur ulterior terminus per ipsas acquisitus; Tum tandem quia si intellectio suapte natura est termini productiva, tunc impossibile foret nos intelligere intellectionem ipsam, quin simul intelligeremus aliquem terminum per ipsam produci, sicut impossibile est intelligere calefactionem, quin simul *intelligamus* calorem per ipsam produci, hoc autem est falsum, & contra experientiam; experimur enim nos intellectionem percipere, alium terminum non attingendo quam objectum, cujus est *similitudo*, & quamplures Thomistæ fatentur non per omnem intellectionem verbum produci, quod præsertim asseverant in visione beata, & cognitione, qua Angelus seipsum intuitive cognoscit.

30 Respondent aliqui Thomistæ, ex Capreolo 1. dist. 27. Arist. 9. Met. loc. cit. per hoc distinguere actionem immanentem a transeunte, quia per transeuntem producitur aliquod operatum receptum in externo subjecto ab operante diverso, sed quod producitur per actionem immanentem, recipitur in eadem potentia operante, unde nil aliud ex hoc deducitur, quam per operationes vitales non produci opus externum, non autem quod nullum opus absolute producatur. Contra hoc arguit Doct. quol. 13. §. *ad ista*, quamvis enim sensus istius distinctionis in imnanentem, & transeuntem a Capreolo assignatus sit verus, & proprius, non tamen est de intentione Arist. ibidem, nam ibi vocat actionem transeuntem, quæ habet terminum per ipsam productum sive maneat in agente, sive non; immanentem vero, quæ nullum prorsus terminum habet per ipsam productum; verba ejus sunt, *quorum non est aliud opus præter actionem ipsissimet actio est; ut visio in vidente, & speculatio in speculante*, quibus docet per actionem immanentem nullum absolute opus produci; at juxta expositionem Capreoli dicere debuisset, per transeuntes produci opus externum, per immanentes vero internum; Accedit, quod data hac expositione, male ibi constituereat Arist. operationem vitalem finem ultimum potentiæ viventis, nam potius finis ultimus esset id, quod per ipsam producitur. Et per hoc refellitur quoque Cajet. solutio 1. p. q. 27. art. 1. dub. 1. ubi inquit discrimen ab Arist. assignatum inter actionem immanentem, & transeuntem sic esse intelligendum, quod actio transiens necessario semper habet terminum per ipsam productum, non ita immanens. Nam Arist. absolute inquit, actiones immanentes nullum habere terminum, transeuntes habere, non autem per hoc distinguit, quod istæ semper habent terminum productum, illæ vero non semper; tum quia si actiones vitales haberent interdum terminum per ipsas productum, non semper essent finis ultimus, ultimaque perfectio potentiæ operantis, cujus oppositum ibi docet Arist. Nec valet, quod ait Cajet. adhuc in tali casu actionem immanentum dici actum ultimum finemque potentiæ, non quia nihil sit ea ulterius, sed quia hoc ipsum ulterius ea ordinatur ad illam, & sic terminus est propter actionem. Sane hoc est *irrationabile* prorsus, & contra rationem actionis, & termini per ipsam producti, quia actio ordinatur ad terminum velut medium ad finem, & inauditum est poni terminum propter actionem; nam potius actio est propter terminum, & ipsa exercetur, ut per ipsam quidpiam producatur, & oppositum est inintelligibile, quare dixit Arist. 1. Ethic. c. 1. terminum semper esse nobiliorem, & præstantiorem actione.

31 Recentiores Thomistæ, Complut. Joan. de S. Thom. cit. Banez. Nazar. Zumel. 1. p. q. 27. art. 1. rationibus Scoticis coacti fatentur intellectionem non esse actionem de prædicamento actionis, quia non fit cum motu, sed esse actionem de genere qualitatis, non quidem grammaticaliter dictam, sed veram, & propriam, quia etiam in prædicamento qualitatis reponuntur veræ, & propriæ actiones, nempe operationes vitales, quibus vere exercentur potentiæ viventium, quare ut plurimum dicunt habere terminum per ipsam productum ex natura rei distinctum, scilicet, verbum, interdum vero *non* habere, cum scilicet objectum est intime præsens seipso, ut in visione beata, adhuc tamen non amittere rationem vere actionis, quia ob sui eminentiam, & perfectionem habet simul rationem fieri, & termini producti respectu sui, quod quomodo sit possibile, declarant n. 99. & seq. doctrinæ quadam desumpta ex suis Salmatic. in tract. de visione Dei disp. 2. Equidem in hac materia de intellectione, & verbo mentis adeo varie loquuntur Thomistæ, ut vix unus Author conveniat cum alio, *imo* cum seipso; sed præsertim Recentiores Thomistæ citati loquuntur minus consequenter; nam in primis negant intellectionem esse actionem de genere actionis, & nobiscum conveniunt esse de prædicamento qualitatis, & adhuc asserunt esse veram, & propriam actionem; sane hoc est minus consequenter dictum, tum quia qualitas apud omnes non est productiva termini, sed potius forma per aliquam actionem producta; tum quia actio vera, & propria spectat ad prædicamentum actionis in via Thomistarum, nam in nostra schola aliter disponitur prædicamentum actionis ut constat ex dictis in logica. Rursus non cohæret, quod inquiunt, intellectionem interdum non habere verbum productum, & adhuc esse veram, & propriam actionem, quia ob suam eminentiam rationem actionis, & termini continet, ac quodammodo æquivalet actioni transeunti; Pluries experti sumus Thomistas, cum rerum formalitates explicare nesciunt, ad eminentias, & virtualitates rerum properare, & nunc suspicamur idipsum de prædictis Authoritatibus; de ratione actionis veræ, & propriæ est, quod habeat terminum vere per ipsam productum, & ex natura rei ab ea distinctum, ergo si interdum accidit, quod tali termino sit destituta, utique deficiet a ratione veræ, ac physicæ actionis, nec unquam sufficienter explicabitur, qualis sit ejus eminentia, quæ adhuc in tali casu eam retinear intra lineam veræ, & propriæ actionis.

32 Secundo principaliter probatur conclusio, quia verbum per intellectionem productum, ut quidpiam ab ea distinctum, est supervacaneum prorsus, & ad nihil deservit; Vel enim ponitur, ut actio intellectio suum habeat terminum per ipsam productum, ut volunt quamplures Thomistæ, & hoc vanum est, quia ut constat ex modo dictis, intellectio non est vera, & propria actio, sed *actio dicitur per quandam analogiam*, quam habet ad veram actionem, ut notat Doctor 1. d. 3. q. 6. in fine, & quol. 13. §. *ad ista*, nam vitalis operatio appellarur actio ob duas conditiones, in quibus actioni veræ assimilatur, prima est, quia semper est in fieri, sicut illa, æque enim dependet ab agente in secundo, & ultimo instanti, ac in primo, imo in quolibet, quousque durat; altera est, quia instar actionis proprie dictæ transit in objectum, sicut in terminum, esto non eodem modo, quia proprie dicta transit in terminum simpliciter accipientem novum esse per ipsam, at operatio vitalis transit in objectum, non simpliciter accipiens esse, cum secundum hoc esse naturaliter præexigatur, sed secundum esse quoddam diminutum, & cognitum; Vel ponitur ad habendam similitudinem, speciemque expressam objecti, ut volunt Conimb. cit. & neque hoc modo necessarium est verbum ab intellectione condistinctum, nam ipsamet intellectio est sufficiens similitudo, & actualis repræsentatio objecti, & ipsa intellectum informans reddit eum cognoscentem, & assimilat intentionaliter objecto; tum quia ex hoc capite actus voluntatis non haberet terminum productum, quia voluntas volendo non fit similis objecto sicut intellectus intelligendo; Vel ponitur ad habendam præsentiam objecti, quando non est per seipsum intime præsens, ut defendunt Complut. & Salmat. cit. & etiam hoc modo supervacaneum est verbum, quia vel desideratur præsentia objecti habitualis, ac veluti in actu primo, & hæc sufficienter habetur per ipsam speciem impressam, ut infra explicabimus, vel præsentia actualis, ac veluti in actu secundo, hæc sufficienter habetur per ipsammet intellectionem, per hanc enim formaliter, & actualiter objectum repræsentatur potentiæ eique famulatur; Et prorsus vanum est, quod quidam Thomistæ comminiscuntur cum Cajet. cit. cognoscentem intueri in verbo objectum velut in ejus imagine, & quasi speculo, quia dum quis cognoscit albedinem v. g. non cognoscit aliquam imaginem existentem in mente, & media illa albedinem, sed immediate percipit albedinem, & sic universaliter contingit, quod dum consideramus, & contemplamur aliquod objectum, constat nos non percipere aliud, quam illud ipsum de quo cogitamus, nullamque se nobis offerre imaginem mediantem, & ratio hujus est, quia tam species impressa, quam expressa sunt imagines tantum in repræsentando suorum objectorum, non autem in essendo, adeo ut prius in se cognosci debeant, ut deinceps nos ducant in cognitionem objecti, ut notavit Scot. quol. 14. §. *ad ista*, ergo qualitas producta ab intellectu, dum cognoscit, non est imago prius cognita ducens in cognitionem objecti, sed est repræsentatio formalis, & ipsamet objecti intellectio.

33 Tertio, hinc probatur intelligere non esse formaliter producere, & agere, quia ut docet Scot. p. d. 3. q. 7. Y. & quol. 13. FF. & quol. 15. L. actio productiva albedinis, vel caloris non facit album, vel calidum, sed id præstatur ab albedine, & calore per eam *actionem* productis, & ratio est, quia esse album est habere albedinem, non vero eam producere, ergo pariter actio, qua intellectus producit intellectionem, aut verbum mentis, non reddet ipsum formaliter intelligentem, sed id a qualitate producta præstabitur. Confir. quia si Deus causaret intellectionem in intellectu creato, ut possibile esse supra demonstravimus *disp. 2.* q. 3. utique non diceretur Deus ea intellectione *intelligere*, sed tantum intellectus ille, in quo causaretur *intellectio*; igitur & modo intellectus dicitur intelligere, non quia causat, sed quia recipit intellectionem, vel potius, quia per eam operatur. Accedit, quod objectum simul cum potentia *intellectiva* concurrit in eodem genere causæ efficientis, ac etiam Deus ipse in ratione causæ primæ ad efficiendum actum *intelligendi*, & tamen neque Deus, neque objectum ex *hac actione* dicuntur intelligere. Et

ratio

ratio a priori hujus *veritatis* est, quia ut diximus ibi, ratio vitalitatis in cognitione, aliisque actibus vitalibus perfectis non consistit essentialiter in vita physica, hoc est, in motu ab intrinseco, & origine a principio vivo, sed in vita intentionali, quæ in proposito importat expressionem objecti, & copulationem potentiæ cum objecto medio actu vitali, quod etiam expressis verbis docuit S. Thom. p. p. q. 34. art. p. ad 3. dum ait, *intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quædam intellectu nostro, dum intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ, in Deo autem fit per identitatem*; ita ille.

34 Diximus 2. intellectionem formaliter non consistere in passione, scilicet in receptione, vel speciei impressæ, vel expressæ. Conclusio est contra secundam opinionem, quam docet Doctor q. 12. de An. §. *alii ponunt*, & 1. dist. 3. q. 7. §. *conclusio istarum duarum*; & in primis, quod non consistat in receptione speciei intelligibilis, & impressæ, sicut neque sensatio in receptione speciei sensibilis in sensu patet ex disp. 2. q. 2. ubi hoc de omni actu vitali probavimus. Deinde, tum quia per receptionem, & inhærentiam intellectio respicit subjectum, nempe intellectum, non autem objectum, sed de ratione intellectionis, ut sic, est, quod exprimat objectum, & illi vitaliter uniat objectum, scilicet intellectum, ergo in receptione formaliter non consistit, esto prærequiratur. Tum quia per operationem vitalem potentia aliquo modo exercetur, sed per solam intellectionis receptionem omni alio præciso intellectus non exercetur, nisi per intellectionem receptam concipiamus ipsum tendere in objectum, ergo non in illa simplici receptione consistit. Tum tandem, quia in intellectu distracto potest recipi intellectio, & tamen stante distractione *non intelligeret*, vel admodum remisse, ergo &c. & idem esset, si Deus causaret intellectionem in dormiente, aut frænetico.

Ut hic occurrant Authores secundæ sententiæ de duplici receptione distinguunt, seu unione speciei, & intellectionis cum potentia; alia est mere materialis, quam mortuam appellant, quia fit sine attentione, seu conatu potentiæ, & talem ajunt esse receptionem speciei in visu dormientis oculis apertis, & receptionem intellectionis in intellectu distracto, & in tali receptione fatentur non consistere sensationem, seu intellectionem; alia est viva, quæ fit cum potentia attendente, ac veluti adhibente conatum, & hanc inquiunt esse formaliter sensationem, & intellectionem. Sed ex hoc ipso revincitur hujus opinionis falsitas, nam si verum est, quod in hac affert responsione, non quamlibet receptionem speciei impressæ, vel expresse esse sensationem, & intellectionem, sed illam solum, quæ vitalis est; hoc est, cum attentione, aut conatu intellectus, jam non in nuda, & simplici receptione ponit formalitatem intellectionis, prob. conseq. quia attentio, & conatus intellectus ad intelligendum utique non fit sine efficientia ipsius intellectus, aut saltem sine vitali tendentia ad objectum, quod quidem significare videtur ipsum attentionis nomen; Ex his constat intelligere non esse formaliter pati, nam per locum a conjugatis bene sequitur, intellectio non est passio, ergo intelligere non est pati.

35 Dicimus 3. quod esto in nostra intellectione tria illa concurrant actio, passio, & vitalis qualitas, non tamen intrinsece, & formaliter illa tria includit, sed tantum qualitatem illam vitalem, qua intentionaliter assimilatur *intellectus objecto, eique vitaliter* conjungitur. Ita Doctor locis omnibus cit. 1. d. 3. q. 6. & 7. sed ex instituto quol. 13. sequuntur omnes Authores 3. sent. Regent. Paris. 3. de An. q. 1. in 3. qu. collat. cum aliis Scotistis fuit probata disp. 2. q. 2. de actu in communi, sed adhuc probatur quoad singulas partes, & quidem quod in intellectu creato regulariter omnia illa tria concurrant, experientia constat, quia intellectus per actionem se reducit ad actum secundum intelligendi, & terminus illius actionis, qui est qualitas, recipitur in eo media passione, unde satis elegenter dixit Doctor p. dist. 39. litt. L. quamliber potentiam vitalem creatam cognitivam, aut appetitivam esse productivam, receptivam, & operativam, secundum diversas habitudines ex natura rei distinctas penes diversum genus causæ per eas importatum, est enim productiva sui actus in genere causæ efficientis, est ejusdem receptiva in genere causæ materialis, est tandem operativa, quatenus actum illum habens tendit vitaliter in objectum & exercetur quasi in genere causæ formalis; ibidemque significat solam hanc ultimam habitudinem spectare ad formalitatem vitalis operationis, vel saltem per eam circumscribi, alias vero tantum prærequiri ad operationem vitalem in nobis, productionem quidem per accidens, quia potest a Deo totaliter produci actus vitalis *in* potentia, receptionem vero necessario, ac indispensabiliter, quia ut potentia operari dicatur vitaliter, debet in se habere actum.

36 Quod autem intrinsece, & formaliter non includat illa omnia probat Doct. quol. 13. Aa. quia intellectio, sicut & quicumque vitalis actus, in universum est ens per se unum, & unius generis, nam communiter apud omnes ponitur in prædicamento qualitatis, ergo nequit illa omnia essentialiter includere, quia actio, passio, & qualitas sunt diversorum generum, & ex rebus diversorum generum nequit fieri ens per se unum 8. Metaph. 15. ut dictum est in Logic. Resp. Hurt. cit. §. 73. quod ens per accidens est duplex, *vel* quod est ex rebus diversorum prædicamentorum, & sic concedit actum vitalem esse ens per accidens, vel quod est ex duobus se essentialiter non connotantibus, & sic negat. Sed hæc responsio refutata est disp. 2. q. 2. Si dicas esse quoddam totum adæquate includens omnes illas formalitates, ut frequenter dicere solent Recentiores in explicandis rerum formalitatibus; Contra inquit Doctor, quia hoc totum re vera non potest dici aliquid per se unum essentialiter; sed tantum unum per accidens essentialiter includens alteram partem, sicut diceretur improprie, quod homo albus est essentialiter albus, hoc enim improprie dicitur, quia nihil essentialiter proprie dicitur de eo, quod non est in se aliquid unum essentialiter, sicut nihil potest esse verum de eo, quod est in se falsum, sicut est illud, cujus ratio includit repugnantiam, quod quia non est in se possibile, ideo nihil de eo dicitur possibile, sic in proposito, ei, quod non est per se unum, nihil potest esse vere, vel per se idem; Verum tamen est, quod diximus supra disp. cit. de vitalitate actus in communi, quod si actus iste spectetur secundum id, quod exprimitur a nobis pro statu isto, sic dicit illam tendentiam in objectum, ut notat Doctor quol. 13. M. nam sine isto respectu tendentiæ, & attingentiæ non concipimus potentiam vitalem operari circa suum objectum, & ideo pro statu isto differentiam ultimam constituentem qualitatem illam in esse vitalis actus circumscribere solemus per præfatum respectum tendentiæ, & attingentiæ, qui respectus in potentiis cognitivis se habet per modum repræsentationis, & expressionis intentionalis, & appetitivis per modum cujusdam possessionis, & amplexus, ut fusius loc. cit. & significat Doctor quol. cit. §. *nunc tertio*, ubi notat actus divinos habere plenam vitalitatem absque ullo respectu, quod etiam optime declarat Vulpes disp. 20. cit. art. ult. Restat ergo quod intellectio essentialiter dicat solam illam qualitatem vitalem, quod Scot. probat inductione p. d. 3. q. 6. V. & quol. cit. art 3. ut vidimus de omni actu vitali disp. 2. q. 2.

37 *Ex hoc etiam* deducitur, quid sit formaliter intelligere, quod est effectus formalis intellectionis, quem intellectui præstat per informationem, ut in nobis, vel per identitatem, ut in Deo, non enim est agere, vel pati, quia sine istis consistit intelligere divinum, quod univocatur cum nostro in ratione essentiali transcendentali, quod si hæc interveniunt ad intelligere nostrum, hoc solum est præsuppositive ex imperfectione, & limitatione potentiæ, ut notat Bargius p. d. 39. §. *& licet in nobis*, quæ non potest operari vitaliter per suum actum, nisi prius illum producat, ac in se recipiat; sed intelligere est vitaliter operari exprimendo objectum, hoc est, attrahere illud ad se intentionaliter, eique vitaliter uniri, ad quem effectum formalem præstandum non requiritur actio physica potius, quam ad effectum formalem cujuscumque alterius qualitatis; Hinc bene advertit Doct. quol. 13. ab initio, quod licet vulgariter nomina actionis, & operationis soleant confundi, tamen dum loquimur de potentiis vitalibus, hæc duo sunt prorsus distinguenda, nam actio significat actionem productivam, & elicitivam actus, vitalis operatio autem significat ipsummet actum vitalem, quo ipsum operans perficitur ultimate. Et verum est, potentiam vitalem tum producendo, tum operando exerceri vitaliter, sed diversimode, nam producendo actum vitalem exercetur vita physica & per illum operando, ac tendendo in objectum, exercetur vita intentionalis; primum exercitium spectat ad genus causæ efficientis, alterum vero ad genus quasi causæ formalis, quatenus actus per modum formæ constituit potentiam operantem, eamque cum objecto copulat, & unit intentionaliter, in quo genere causæ lux lucere, floresque florere dicuntur.

38 Consulto autem in conclusione addidimus intellectionem *essentialiter* dicere qualitatem viralem, qua intellectus assimilatur intentionaliter objecto, eique vitaliter conjungitur, ut indicemus duplicem respectum, quos cognitio saltem realiter sibi identificare videtur, primus est repræsentantis ad repræsentatum, quia unaquæque cognitio hoc habet ex natura sua, ut sit forma quædam imitativa, & repræsentativa sui objecti, ut Doctor indicat de specie impressa quol. 13. ad p. princ. quod eo magis asserendum est de specie expressa, quæ est formalis similitudo objecti, & *non* virtualis tantum, ut impressa; notat autem Scotus ibidem litt. O. id non debere intelligi de similitudine per communicationem ejusdem formæ, sicut est albi ad album, quia cognitio semper est accidens in creatis, objectum plerumque substantia, sed debet intelligi de similitudine per imitationem, sicut est *ideati* ad *ideam*; alter respectus vocatur ibi a Scoto lit. M. relatio attingentiæ alterius ut termini vel tendentiæ in alterum, ut in terminum, & hunc quoque cognitioni identificari val. de probabile est, ut docet Mairon. qu. 10. prolog. & ratio est, quia hic respectus convenit ei, ut vitalis est, unde per hunc respectum nuper dicebamus solere circumscribi *vitalitatem* actus, & ideo sicut vitalitas est ab actu vitali inseparabilis prorsus, ita quoque hic respectus, & licet de hac re Doctor loc. cit. non satis se declaret, tamen *in* 3. n. 15. q. un. ad p. princ. expresse docet respectum, quem dicit intellectio ad objectum in ratione termini esse ei consubstantialem, ac realiter identificatum, licet non formaliter, quia nunquam respectus intra formalem conceptum absoluti, ut docuimus disp. 8. Log. q. 2. & quamvis Doctor quol. cit. hos respectus videatur distinguere, satis tamen probabile est, unum, eundemque respectum transcendentalem in actu vitali importare, qui in actibus cognitivis se habeat per modum repræsentationis, & expressionis intentionalis, sicut in appetitivis per modum possessionis, vel amplexus intentionalis objecti, non enim cognitio alio modo attingit objectum, quam illud declarando, & exprimendo.

Solvuntur Objectiones.

39 IN oppositum objicitur, Primo, probando quod intellectio sit productiva termini, & intelligere sit agere, & producere; nam intellectio est actio vitalis, per quam vere exercetur potentia vitalis, ergo per eam producitur. Tum 2. quia intellectio secundum omnes ad aliud terminatur, ergo aliquid habet ope-

operatum, tamquam terminum. Tum 3. quia actioni immanenti non repugnat habere terminum productum, nam habitus fit ex frequentatis actibus. Tum 4. quia intelligere est vivere, vivere autem est operari aliquid ab intrinseco. Tum 5. intellectus, ut intellectivus duo dicit in actu primo, & esse productivum, & esse expressivum objecti, ergo nequit reduci ad actum secundum sine actione, & productione. Tum 6. actus vitalis est a principio intrinseco, ergo *includit* actionem, alioquin posset esse totaliter ab extrinseco. Tum 7. omnis actus intellectus est essentialiter intellectio, sicut visus visio, sed verbum producitur per actum intellectus, ergo per intellectionem. Tum 8. quia intellectus non producit verbum nisi per dictionem, sed non dicit, nisi intelligendo, ergo si producit verbum dicendo, producit intelligendo. Tum 9. quia alioqui dictio non esset actio vitalis, nam per actionem vitalem intellectus exprimitur, & declaratur objectum. Tum 10. quia a verbo *significante* actionem, qua producitur verbum, utique intellectus denominatur, & non videtur denominari posse, nisi intelligens, & cognoscens. Tum tandem, quia verbum vocale proportionatur mentali, ergo sicut vocale producitur per locutionem vocalem, ita mentale per locutionem mentalem, quæ dicitur intellectio.

40 Resp. ad 1. ex Scot. loc. cit. intellectionem esse tantum actionem æquivoce, & grammaticaliter, ac analogice ob quasdam conditiones, in quibus cum vera actione convenit, non autem univoce, & physice, ut supra declaratum est, & per eam exercetur potentia vitalis intentionaliter, non physice, scilicet operando, non producendo. Ad 2. ait Doct. ip. d. 27. *intellectionem* terminari ad aliquid, non in ratione effectus producti, sed in ratione objecti, ac declarari per illam. Ad 3. ait Doct. p. d. 3. q. 6. V. & q. 9. *in fine*, habitum generari ex actibus, non tamquam per actiones de genere actionis, ut in proposito vertitur quæstio, sicut calefactione producitur calor, sed actus potest esse principium *quo*, & ratio generandi habitum eo modo, quo dicimus ignem calore calefacere, quod nobis minime obest. Ad 4. sæpius distinctum est de duplici vitalitate, physica nimirum, & intentionali, illa includit quidem actionem physicam, non tamen ista, quæ sola est de intrinseco, & essentiali conceptu intellectionis, licet pro ut regulariter a nobis exercetur, annexam quoque habeat accidentaliter vitalitatem physicam, quatenus producitur a potentia, cui inhæret. Ad 5. cui maxime *innititur* Hurt. dicimus quamlibet potentiam vitalem creatam cognitivam, vel appetitivam, ut modo constituta est, esse productivam, receptivam, & operativam, ut ex Scoto notavimus p. d. 39. L. unde per suum actum vitaliter incumbat objecto, & operetur, intelligitur prius producere illum, & recipere; verum est itaque intellectum non reduci ad actum secundum, seu intelligentem fieri sine actione ab ipso orta, sed negatur hanc spectare ad formalitatem intellectionis, cum hæc habeatur in Deo sine tali actione. Dices, intellectus, ut intellectivus est formaliter productivus, ergo ut intelligens est formaliter agens, & producens. Neg. assumptum, quia intellectus divinus est formaliter intellectivus, & tamen non est activus, & productivus notitiæ essentialis, & ingenitæ. Dices cum Hurt. ergo poterit a Deo produci aliqua creatura, quæ non sit activa intellectionis, & tamen esset intellectiva. Hoc concedi potest absque ullo inconveniente, nisi inconveniens censeatur *creaturam rationalem aliter a Deo constitui posse*, quam de facto fuerit instituta. Sed ad hæc omnia quoque dici posset aliquid posse attinere ad vitalitatem potentiæ, & actus primi, quod non attineat ad vitalitatem actus secundi, quia potentia ex suo munere videtur fungi quoque debere vita physica, at actus secundus ex suo munere non petit vivere, nisi vita intentionali, & ideo arguere non valet, intellectus ut intellectivus est productivus formaliter, ergo pariter ut intelligens est producens.

41 Ad 6. jam superius dictum est non requiri essentialiter ad actum vitalem perfectum, quod efficiatur ab eo, in quo est, quia ejus vita intentionalis est non physica; naturaliter tamen in creatis modo ita efficiunt, atque ideo includit actionem, non quidem formaliter, sed præsuppositive tantum. Ad 7. Doct. p. d. 2. q. 9. Q. negat majorem, nam dictio est utique actus intellectus, sed non formaliter intellectio ipsa, sed tantum causaliter, unde pariter falsum etiam est omnem actum potentiæ visivæ esse formaliter visionem. Ad 8. neg. min. si formaliter sumatur, conceditur; si sumatur causaliter, & finaliter, quatenus intellectio est terminus dictionis, & intellectus creatus dicit, ut intelligat. Ad 9. gratis concedunt aliqui dictionem, & elicitionem in universum cujuscumque vitalis actus non esse vitalem, sed tantum dispositionem ad actum vitalem ordinatam, tamen admitti potest, quod saltem vivat vita physica, quia per talem actum potentia exercetur vitaliter physice; hinc tamen non sequitur, quod per ipsum exprimatur, & declaretur objectum, quia hoc attinet ad vitalitatem intentionalem, non physicam. Ad 10. ait *Doct. quol. 13. FF.* ex verbo *significante actionem* intellectum non denominari intelligentem, sed potius intelligificantem, si esset impositum tale verbum *intelligifico*. Ad ult. imo ex proportione verbi *mentalis* ad vocalem, ut notat Doct. p. d. 27. omnino colligi oppositum, quia sicut verbum vocale producitur per dictionem vocalem, ita mentale per mentalem, unde falsum est, locutionem mentalem esse ipsam intellectionem, cum potius sit actus productivus ejus.

42 Secundo objicitur probando e contra, quod intellectio sit passio, & intelligere pati, nam ita expressis verbis docuit Arist. 3. de Anim. tex. 2. intelligere est quoddam pati. Tum 2. quia esse album est habere albedinem, ergo esse intelligentem est formaliter habere intellectionem sibi inhærentem, quod sit media *receptione*, & certe intellectio intellectum informans non vide-

tur aliam denominationem illi præstare posse per talem informationem. Tum 3. quia Doctor quol. 13. FF. p. d. 3. q. 7. Y. & alibi explicat dictum illud Philosophi intelligere est quoddam pati per hoc, quod formaliter intelligimus non producendo, sed recipiendo. Tum 4. tunc intellectus intelligit formaliter objectum, quando fit ei expresse, & perfecte similis in esse quodam intentionali, sed intellectus fit talis recipiendo speciem expressam ejus, ergo &c. Tum 5. quia esto possit a Deo produci intellectio in intellectu creato, adhuc tamen numquam dicetur intelligens, nisi illam in se recipiat, & oppositum implicat contradictionem, ergo receptio pertinet ad essentiam intellectionis. Tum 6. nil aliud excogitari potest in potentia, dum operatur, nisi actio, qua producit suum actum, & passio qua eum recipit, cum ergo intellectio non consistat in actione debebit in passione formalizari. Tum tandem 3. de Anim. 8. & 8. Phys. 32. cum potentia suscipit speciem impressam, dicitur reduci de potentia ad actum, ergo sola receptio speciei est intellectio.

Resp. ad 1. *imo ex illo loquendi modo Arist. colligi*, quod intelligere non est formaliter pati, quia non ait absolute intelligere est pati, sed quodam pati, idest quodammodo pati, quatenus intelligere præsupponit recipere indispensabiliter, & ex necessitate, quo pacto non præsupponit producere, quia circumscripta quacumque productione posita sola actus receptione in potentia vitali, poterit potentia exerceri vitaliter loquendo de vita intentionali. Ad 2. aliud est loqui de effectu formali formæ in se, aliud de communicatione talis effectus, ad hoc utique requiritur receptio formæ in subjecto, non autem ad illud, nam effectus formalis formæ pendet ex ipsa essentia formæ, si ergo per esse intelligentem significamus denominationem ex forma intellectionis in subjectum derivantem, verum est ad hoc requiri receptionem, vel saltem identitatem cum tali subjecto, ut est in Deo, sed si per esse intelligentem significamus esse vitaliter operantem, & effectum formalem intellectionis in se, sane hoc modo a receptione præscindit, & consistit in sola illa tendentia ad objectum præscindendo ab inhærentia ad subjectum. Ad 3. Doctor ibi tantum vult innuere ad intellectionem requiri, & præsupponi receptionem in nobis magis, quam productionem, ob rationem allatam, & præsertim comparationem facit inter productionem, intellectionem, & receptionem; ex qua nimium magis denominemur formaliter intelligentes, num ex productione, vel receptione, & concludit magis denominari ex receptione, quam ex productione, habere enim qualitatem est esse quale, non autem eam producere; & in hoc sensu exponit *Arist.* dictum. Ad 4. neg. major, quia intelligere formaliter dicit illam unionem, & tendentiam in objectum media similitudine expressa, scilicet intellectione, quamvis in nobis præsupponit productionem, & receptionem. Ad 5. bene probatur per illud receptionem necessario, ac indispensabiliter in nobis prærequiri ex potentialitate, & imperfectione nostri intellectus, non tamen quod consistat in ea formaliter, quia ejus formalitas a receptione præscindit, ut constat in divinis. Ad 6. neg. assumptum, quia præter actionem, & passionem datur vitalis qualitas producta, & recepta, quæ dicitur operatio, & est finis, & perfectio operantis. Ad ult. non vult ibi Arist. quod per receptionem speciei *reducatur de potentia ad actum secundum*, sed ad actum primum integrum, & completum, quatenus tunc nulla amplius desideratur concausa, & quod loquatur de actu primo, non secundo, colligitur ex illis verbis, quæ subjungit, quod *est quidem, & tunc potentia quodammodo*; alias quasdam adducit Doctor authoritates tum Arist. tum D. August. faventes receptioni speciei, sed quia loquuntur de sensatione, eas omittimus.

43 Tertio arguitur, quod intellectio non sit qualitas, nam Arist. 10. Eth. ait cap. 3. virtutis operationes, & felicitatem, quam ait in contemplatione consistere, non esse qualitates. Tum 2. quia 7. Phys. 20. negat in parte intellectiva esse alterationem, sciens enim (ait Arist.) maxime ad aliquid dicitur. Tum 3. si per Scotum actus vitalis non est actio, quia deficit ei præcipua conditio actionis, quæ est habere terminum per eam productum, ergo non erit qualitas, quia habet unam conditionem, quæ qualitati non convenit, scilicet habere objectum, circa quod. Tum 4. intellectio, & quicumque alter actus vitalis nequit quidditative intelligi objecto non cointellecto, & ratio est, quia non significat aliud in se, & absolute in subjecto, sed potius dicit aliquid in potentia, quasi tendens in alterum ut in objectum, ergo non est qualitas, quæ est ens absolutum, & per consequens quidditative cognoscibilis quocumque extrinseco non cointellecto. Tum 2. quia *licet* respectus, quem dicit intellectio ad objectum in ratione principii, sit illi accidentalis, quia potest a Deo totaliter produci, tamen respectus, quem dicit ad illud in ratione termini, videtur ei essentialissimus, ita quod nec a Deo suppleri possit. Tum 6. qualitas, & quodcumque aliud absolutum non distinguitur specifice per aliquod extrinsecum, sed per propriam differentiam absolutam sibi intrinsecam, at intellectiones specie distinguuntur ex objectis, ergo &c. Tum 7. quia habitudo, quæ est perfectissima operatio, intantum est summa nostra perfectio, inquantum nos Deo conjungit objecto perfectissimo, sed talis unio non fit, nisi mediante relatione, ergo non consistit in simplici, & absoluta qualitate. Tum tandem quia cognitio est essentialiter repræsentatio, & expressio objecti, ergo non est omnino absoluta qualitas.

44 Resp. ad p. Doctor quol. cit. FF. *Arist.* ibi per operationes virtutis non intelligere actus ipsos vitales, quæ sunt ultimæ perfectiones *naturæ operantis*, sed *actiones elicitivas* eorum, quæ utique qualitates non sunt; vel si loquitur de actibus ipsis vitalibus, pressius sumpsit nomen qualitatis pro qualitate *stabili*, & permanenti, & in hoc sen-

su bene negat operationes virtutis esse qualitates, quia habent esse in fieri, & per solam cessationem operantis desinunt. Ad 2. ait litt. S. Arist. loqui ad mentem Platonis dicentis, scire esse quoddam reminisci tantum, non vero scire de novo, sed etiam colligitur ex Comment. ibid. deinde inquit non negare absolute per se motum ad scientiam, sed illum motum, qui fit ad aliquam formam non necessario præsupponentem inductionem alterius prioris, unde concedit motum in sensibus, at in intellectu negat, quia non mutatur intellectus ab objecto extra, sed ab objecto intra, scilicet in specie intelligibili relucente, & sic cum dicit sciens maxime ad aliud referri, debet intelligi ad aliud, idest ad objectum intra, & non ad objectum extra, quod est primum alterans, & respicitur a sensu; vide rursus aliam expositionem apud Doctorem ibid. & recognosce, quæ diximus disp. 15. Phys. q. 6. art. 4. ad 3. neg conditionem illam repugnare qualitati, bene enim potest objectum respicere per annexam relationem etiam interdum sibi realiter identificatam, esto non formaliter. Ad 4. ait quod. cit. ad arg. princ. quod si vox imponeretur ad significandam qualitatem absolutam solam, posset intellectio quidditative concipi non intellecto objecto, ut termino, verum voces modo impositæ ad significandas operationes relationem important, vel principaliter, vel connotative, exemplum affert de specie intelligibili, quæ est qualitas absoluta, & tamen communiter vocatur similitudo, non quia sit intrinsece, & formaliter relatio illa, quam importat similitudo, sed quia ex natura sua est quædam forma imitativa, & repræsentativa objecti, & ideo per hoc nomen species non tantum significatur absolutum, sed etiam talis respectu.

45 Ad 5. Vulp. disp. cit. art. 7. n. 6. negat intellectionem in ratione qualitatis, ullam sibi identificare relationem ad objectum, nec in ratione principii, nec in ratione termini, pro qua citat Scotum quol. 13. §. *de quarto principali*, & in 4. d. 10. q. ult. §. *ad quæstionem*, & quemcumque posse suppleri a Deo; Verum ut sæpissime notat Bargius longe probabilius est, respectum, quem dicit intellectio ad objectum in ratione termini, esse ei consubstantialem, ac realiter identificatum, ut expresse docet Doctor 3. d. 15. q. un. ad p. princ. & rursus in confesso est apud omnes, relationem repræsentantis ad repræsentatum in actibus cognitivis esse transcendentalem, ac proinde si non formaliter, saltem realiter eis identificatam, & ita significat etiam Doct. quol. cit. ad p. princ. dum ait, quod species intelligibilis ex natura sua est forma quædam imitativa, & repræsentativa objecti, quod si hoc dicit de specie impressa, eo vel maxime afferendum est de expressa, ut supra diximus, quæ est formalis similitudo objecti, & non virtualis tantum, ut impressa; non ergo negandum est intellectionem etiam in ratione qualitatis ullum sibi identificare respectum ad objectum in ratione termini; Scotus autem quol. 13. §. cit. manifeste loquitur de respectu intellectionis ad subjectum, non ad objectum, & in 4. d. 19. q. ult. loquitur quidem de respectu ad objectum, etiam in ratione termini, non tamen quocumque modo, sed tantum vult, corpus Christi, ut in Eucharistia, nec posse causare primo, ut hic, nec primo terminare visionem corporalem, quia tam causatio, quam terminatio talis requirit in objecto primo causante, vel terminante dispositionem debitam, scilicet præsentiam dimensivam, non loquitur ergo de quacumque terminatione omnino, sed de terminatione prima, quæ utique est a Deo supplebilis, ut constat de creaturis in essentia divina visis, ubi, nec movent, nec primo terminant, sed secundario dumtaxat: Sed contra hoc urget, quod ait Scot. 1. d. 1. q. 2. §. *quantum ad istum articulum*, ubi docet intellectum beati per eumdem actum videre posse modo plura, modo pauciora objecta secundaria per plures, vel pauciores respectus attingentiæ illi a Deo veluti ab extrinseco affixos, unde manifeste videtur hujusmodi respectum actus ad objectum in ratione termini ab eo realiter distinguere, cum possit sine illo existere, idem etiam significat de intellectu animæ Christi 3. dist. 14. q. 2. §. *sed si ista via*; tenet Mair. p. d. q. 4. Vulp. tom. 1. part. 1. disp. 25. art. 4. n. 9. & passim alii Scotistæ. Nonnulli Scotistæ, ut Smisinch. tr. 2. disp. 6. n. 178. negant hoc fieri posse per eumdem numero, vel specie actum, sed necessario id fieret per actus plures species diversos, unde consequenter tenet non tantum penes diversa objecta formalia cognitiones specie distingui, sed etiam penes materialia, & secundaria, ad authoritatem vero Scoti, inquit, non esse ibi locutum de actu eodem, numero, vel specie infima, sed vocavit actum eumdem specie quadam subalterna propter idem objectum primarium; & quidem juxta hunc modum dicendi nihil urget allata difficultas; Verum quia Doctor cit. expresse loqui videtur de eodem actu, nedum specie, sed etiam numero, & ut supra diximus disp. 2. q. 4. specifica actuum distinctio sumi præsertim debet penes objecta formalia, non materialia, liber a communi Scotistarum non recedere, & ad propositam difficultatem occurrendum est, quod dum dicimus respectum attingentiæ actus ad objectum in ratione termini ei realiter identificari, non est sermo de quocumque objecto, sed de illo, a quo actus pendet in esse, & fieri essentialiter, quale solum est objectum primarium, non vero de secundario, quod solum attingitur in virtute primi, nam hujusmodi attingentia est ei accidentalis sicut etiam accidentaliter a tali objecto dependet, atque ideo est a Deo supplebilis, & impedibilis, cum ergo Doctor loc. cit. loquatur de respectu tendentiæ in objectum secundarium, non primarium, minime obest nostræ determinationi.

46 Ad 6. ait Doctor sub HH. actus distingui per objecta quantum ad manifestationem, quia manifestior est distinctio objectorum, quam actuum, & ex illa, tamquam ex manifestiori innotescit ista, ut fuse declaravimus disp. 2. cit. Ad 7. ait Doct. quol. cit. Q. & 4. d. 49. q. 2. & 3. quod beatitudo creata necessario requirit relationem attingentiæ, quia est actus finitus, & limitatus, quæ proinde necessaria non est in actu beatifico divino ob ejus infinitatem, subdit tamen, quod hæc necessitas non infert identitatem essentialem hujus respectus cum actu beatifico, sed ad summum realem; cum vero dicebatur esse majori beatitudine ad summam perfectionem, inquantum nos unit cum ultimo fine, ait Doct. illam reduplicationem non debere intelligi, quod fiat ratione relationis, sed ratione qualitatis vitalis, quæ est fundamentum proximum ejus. Ad ult. jam superius ultro concessimus actum quemlibet cognitivum identificare sibi realiter respectum repræsentationis in ordine ad objectum, quod repræsentat, nam hic respectus apud omnes censetur transcendentalis, non tamen formaliter, & essentialiter, quia numquam respectus intrat conceptum formalem absoluti. At rursus huic solutioni obstare videtur, quod nuper attulimus ex Scoto p. d. p. qu. 2. & 3. d. 14. qu. 2. posse eumdem actum beatificæ visionis repræsentare modo plura, modo pauciora, aut nulla objecta secundaria, sane si ita est, isti respectus repræsentationis erunt ab actu re ipsa distincti, cum sine illis consistere possit. Deinde si semel actus est plurium repræsentativus, & expressivus suapte natura, sane impossibile est, ipsum informare intellectum, quin etiam ei conferat hunc effectum formalem, repræsentandi nimirum illa plura, sicut impossibile est visionem albi formaliter id exprimentem inhærere oculo, & album non videri, & ratio a priori est, quia hæc manifestatio fit in genere causæ formalis, ergo nullatenus impediri potest. Ad 1. dicendum ut supra de respectibus attingentiæ, quod solus respectus repræsentationis in ordine ad objectum primarium, a quo essentialiter dependet, identificatur cognitioni, non autem in ordine ad objectum secundarium, a quo non ita dependet. Ad 2. pariter dici posset, actum per se primo non esse repræsentativum, & expressivum, nisi objecti primarii, a quo pariter, ac essentialiter dependet, cætera enim objecta secundaria, non nisi per accidens, & concomitanter repræsentat, & ideo talis repræsentatio potest a Deo impediri; sed præsertim de actu beatificæ visionis, de quo urget difficultas, negandum est suapte natura, & ex vi sua repræsentare objecta secundaria, sic enim non nisi primarium repræsentat, cætera vero extrinsece tantum ratione claræ revelationis factæ in essentia per voluntatem divinam novos attingentiæ, seu repræsentationis respectus addentem entitati absolutæ actus beatifici in ordine ad objecta secundaria, ut fusius dicitur tract. de visione beata, & declarat Pater Vulp. tom. primo, prima p. disp. 25. art. 4. n. 9.

ARTICULUS II.

Declaratur natura Verbi mentalis, ejusque productio.

47 Dicendum Primo, quod verbum mentale est ipsa actualis intellectio, non quid ab ea distinctum. Conclusio est Scoti 1. d. 27. §. *ad quæstiones istas*, sequuntur Scotistæ, & Recentiores omnes citati pro 2. sent. quam ipse probat excludendo quicquid dicebatur ab Authoribus supra relatis in hac re, non enim in primis verbum mentale est species intelligibilis prior natura actu intelligendi, tum quia potius est effectus speciei, cum producatur ab intellectu specie fæcundato; tum quia repugnaret esse speciem sine verbo, quod est contra experientiam; non habitus, quia hic quoque causatur ex verbis frequentatis, neque est actus, sed ejus causa, vel effectus; non objectum, nec secundum esse reale, quod habet extra intellectum, nec secundum esse cognitum, quod habet in intellectu; non secundum primum esse, tum quia verbum producitur ab intellectu, at objectum secundum esse reale extra non producitur ab intellectu, sed præsupponitur; tum quia verbum mentis est intra intellectum, non extra; non secundum aliud esse, scilicet cognitum, quia secundum istud esse potius dicitur declaratum, & expressum per verbum; nec tandem est terminus aliquis per intellectionem producitus, quia ut fuse probatum est art. præc. intellectio re vera non est actio habens aliquem terminum per ipsam productum; quare a sufficienti divisione remanet, quod verbum mentis sit ipsamet nostra intellectio; quod etiam confirmat Doctor authoritatibus expressis D. Aug. nam 15. de Trin. c. 16. ait: *cogitatio quippe nostra perveniens ad illud, quod scimus, atque inde formata ad verbum nostrum est*, &c. 10. *formata quippe cogitatio de eo, quod scimus, verbum est*, & 9. de Trin. c. *9. conceptam rerum notitiam, tamquam verbum apud nos habemus*, &c. 22. *est quædam imago Trinitatis ipsa mens & notitia ejus, quæ est proles ejus, ac de seipsa verbum ejus*, & c. 10. ejusdem libri *recte quæritur utrum omnis notitia verbum sit, an solum amata notitia*, ubi supponit verbum esse notitiam. Confirmat hoc ulterius per simile de verbo vocali, formatur enim verbum vocale ad significandum, & declarandum illud, quod intelligitur, sed quod vox non statim formetur ab intelligente, inquantum intelligens, sed per aliquam potentiam mediam, scilicet motivam, hoc est imperfectionis in intellectu, si igitur statim gigneretur, vel formaretur, ut expressivum illius, quod latet in intellectu, & hoc virtute intellectus intelligentis, non minus esset verbum; objectum autem habitualiter cognitum latet in memoria, si igitur virtute illius statim causaretur aliqua intellectio actualis, quæ genita exprimat, & declaret illud objectum ibi latens, vere est ibi verbum, quia expressivum latentis, & genitum virtute ejus ad exprimendum ipsum; eamdem docent sententiam Ans. in monolog. c. 29. Dam. l. 1. de fide c. 18.

48 Notat tamen Doctor p. d. 27. cit. §. *idea istis*, quod licet verbum sit semper actualis ipsa intellectio, non tamen quæcumque intellectio est verbum, sed illa tantum, quæ est naturaliter genita, & producta a memoria fæcunda, idest ab intellectu simul cum objecto, vel in se præsente, vel in specie, quæ dicitur semen ejus, ex his enim duobus constituitur memoria fæcunda, ut Aug. sæpe docet 15. de

15. de Trin. adeo ut duæ conditiones præsertim requiruntur ad verbi constitutionem, & formalitatem, una est, quod ea intellectio, quæ verbi nomen suscipere debet, sit vere genita, & producta, altera est, quod sit producta per modum naturæ, idest non per actionem liberam, sed naturalem, defectu primæ conditionis intellectio essentialis in divinis verbum appellari non potest, esto enim ea naturaliter a memoria fæcunda fit, non est tamen ab ea vere producta, sed tantum emanatione quadam rationis resultata; defectu secundæ conditionis inquit Doctor quol. 14. art. 2. Bb. visionem Dei in beatis non esse verbum, qui esto sit naturalis divinæ essentiæ similitudo, non tamen naturaliter ab ea producitur, sed libere, cum ad eam concurrat ut volens, idem replicat quol. 15. art. 2. sub X. & sequuntur Scotistæ omnes circa ea loca, & Smisinch. tr. 2. de Deo uno disp. 6. n. 144. & seq. Rada 1. p. contr. 10. art. 2. Vulp. tom. 1. 1. p. disp. 24. art. 7. alii passim excepto Cavell. qui in lib. de An. disp. 3. sect. 3. n. 10. verius censet oppositum, scilicet visionem beatam esse verbum; ratio ejus est, quia non requiritur ad rationem generationis, vel prolis, quod utraque causa naturaliter concurrat, alioquin B. Virgo non fuisset Mater Dei, nec Deus ejus filius, quia Spiritus sanctus concurrit ad generationem ejus ut causa libera, non ut naturalis; quia ergo visio beata saltem ab intellectu beato naturaliter producitur, hoc sufficit, ut dicatur verbum, licet ex parte objecti procedat libere; ad quod etiam adducit authoritates quasdam D. Aug. ac ipsius quoque Doctoris visionem beatam verbum appellantium.

49 Verumtamen a communi Scotistarum recedendum non est, tum quia Doctor quol. 14. cit. expresse docet ex solo defectu divinæ essentiæ naturaliter non concurrentis ad visionem, sed libere beatos non habere verbum de illa; tum quia verbum semper appellat Augustinus a Doct. relatus prolem a memoria fæcunda genitam, at memoria fæcunda ex intellectu constituitur, & objecto ei præsente, vel in se, vel in specie, ergo de ratione verbi est, quod naturaliter gignatur a totali suo principio, nec sufficit, quod naturaliter procedat ab altero tantum; tum quia si hoc sufficeret, tunc Spiritus sancti productio esset generatio, & ipse esset Verbum, quia licet libere producatur ex parte potentiæ, adhuc tamen procedit naturaliter ex parte objecti; concludendum ergo est ad rationem Verbi requiri, quod utrumque principium naturaliter agat; & multo magis in objecto id necessarium est, tum quia verbum ab objecto specificatur, atque ideo magis ei assimilatur, tum quia in proposito objectum principalius concurrit, quam intellectus. Neque ratio in oppositum urget (alioquin concluderet Spiritus sancti processionem esse generationem, & ipsum esse filium) quia Christus, ut homo postulabat naturaliter gigni ab utroque parente, unde mere accidentale fuit illi, quod Spiritus sanctus, vel tota Trinitas suppleverit vices patris naturalis per concursum liberum, atque ideo hoc obesse nequit denominationi filii, quam fundavit ad concursum per modum naturæ exhibitum a B. Virg. quia quod est per accidens variare non potest quod est per se; hæc autem ratio non militat in productione Spiritus sancti, nec in productione visionis beatificæ, quia nec Spiritus sanctus petit naturaliter produci, seu per modum naturæ, neque visio beata a divina essentia ita causari, cum hæc immediate non agat ad extra, atque ideo nec ista verbum, nec ille filius dici possunt; D. Aug. autem cum interdum visionem beatam vocavit verbum, intendit docere beatos videre Deum notitia clara, & distincta, quæ sit perfecta, & expressa similitudo divinæ essentiæ, ut colligitur ex ejus verbis 14. de Trin. c. 17. dum inquit *cum videbimus eum sicuti est, tunc verbum nostrum non erit falsum*, & in eodem fere sensu locutus est Doctor, si quando visionem beatam verbum appellat; usus autem est interdum hoc modo loquendi ad excludendam rationem Thomistarum, quia & ipsi negant verbum produci in visione beata, quia scilicet nulla similitudine creata videri potest Deus, verbum autem est naturalis similitudo sui objecti; at Scotus, quia nedum expressam Dei similitudinem admittit esse possibilem, sed etiam impressam, visionem beatam ex hoc capite, quatenus scilicet est naturalis Dei similitudo, ultro contra Thomistas esse verbum affirmat; quia tamen ad completam verbi rationem non sufficit, quod sit naturalis sui objecti similitudo, sed etiam quod naturaliter ab eo procedat, hinc absolute loquendo negat visionem beatam esse verbum, quia esto sit naturalis divinæ essentiæ similitudo, non tamen ab ea est naturaliter genita.

50 Ex his deducit Scot. cit. litt. E. definitionem verbi mentis, quam ex Aug. colligit variis in locis, quod sit *actus intelligentiæ productus a memoria perfecta non habens esse sine actuali intellectione, repræsentans verbum divinum*, ubi per memoriam intelligitur intellectus objecto fæcundatus, vel ejus species, quæ est semen objecti, per intelligentiam intelligitur idem intellectus intellectione informatus, quæ est species expressa, verbum itaque appellat actum intelligentiæ, quia constituit intelligentem, sicut calor est actus calidi; dicitur actus a memoria productus, quia est proles memoriæ, in quo differt ab intellectione, non producta a memoria; sed aliunde; dicitur non habere esse absque actuali intellectione, non quia sit terminus illius, aut quid absolute ab ea condistinctum, sed ut ostendatur non omnino coincidere, & adæquate cum intellectione, quia in ratione verbi aliquid superaddit actuali notitiæ, nam eadem qualitas absoluta cum respectu ab objectum in ratione termini constituitur in esse notitiæ, & cognitionis declarantis, & exprimentis illud, & cum respectu ad objectum, & intellectum in ratione totalis principii naturaliter producentis verbum constituitur in ratione verbi, ut docet D. Aug. 9. de Trin. cap. ult. verbum appellans prolem mentis, unde verbum in ratione verbi necessario includit respectum naturaliter producti ad memoriam fæcundam naturaliter producentem; dicitur tandem repræsentans Verbum divinum, quia est secunda pars imaginis, de quo p. d. 3. q. 9. non autem quia adæquate illud repræsentet, multa enim discrimina inter hoc, & illud intersunt, & inter quæ præcipuum est illud, & valde ad rem nostram, quod verbum mentis nostræ constituit nos formaliter intelligentes, non autem Verbum divinum, quia Pater divinus non intelligit per notitiam genitam, sed per ingenitam, quæ est communis tribus divinis personis, unde Pater prius intelligit, quam Verbum producat; & ratio discriminis est, quia nos ex indigentia producimus intellectionem, ut scilicet per eam formaliter intelligamus, at Pater divinus non producit Verbum ex indigentia, seu ut intelligat, intelligit enim per notitiam ingenitam, quæ a divino intellectu producitur concurrente essentia per simplicem dimanationem, sed producit Verbum ex plenitudine perfectionis quia memoria fæcunda necessario, & naturaliter producit prolem, quæ in nobis est accidens, quia memoria fæcunda specie fæcundatur, quæ est accidens ab ea realiter distinctum, at memoria Patris producit prolem, quæ est substantia, & fecunda Trin. persona, quia fæcundatur essentia divina sibi realiter identificata, de quo fuse agunt in tr. de Trin. Theologi.

51 Dicimus 2. verbum mentale vere, & proprie produci a memoria fæcunda per actionem a seipso distinctam. Ita Doct. cit. p. d. 27. q. 1. & 1. d. 2. q. 7: Q. & quol. p. & ubicumque distinguit in intellectu nostro duos actus, alterum dicendi, alterum intelligendi, vultque istum esse illius terminum, ut propriæ actionis, per quam accipit esse; sequuntur Recentiores passim, sed quamplures eam inutiliter probant, alii minus consequenter tenent ad sua principia, ut statim dicemus. Probatur itaque primo authoritate expressa D. Aug. 9. de Trin. c. 7. ait *conceptam rerum veracem notitiam, tamquam verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus*, in quibus ultimis verbis agnoscit veram, & internam verbi generationem, quam appellat dictionem, ac proinde agnoscit quoque veram actionem, quia generario rei est vera actio illius productiva. Deinde ex paritate verbi vocalis, per quod devenimus in cognitionem mentalis, verbum enim vocale vere producitur per locutionem mentalis, & dicere corporeum, veluti per actionem distinctam, ergo pariter verbum mentale per locutionem, & distinctionem spiritualem produci debebit, velut per actionem distinctam. Rursus ex paritate Verbi divini, quod nequaquam dicimus seipso immediate a Patre produci, sed per veram actionem generativam, cujus ipse est terminus. Sed inquit Aversa, quod neque in ipso Deo distinguitur actio, seu productio, quasi medians inter Patrem, & Verbum, sed ex parte verbi ponitur productio passiva illi identificata, ex parte Patris productio activa illi pariter identificata, eo quod Filius per suammet personalem entitatem gignitur, & Pater per suam generat. Verum hoc non tollit quin generatio in divinis sit vera, & realis actio, quia Verbum accipit esse a Patre, quod autem generatio activa realiter cum generante identificetur, & generatio passiva cum genito, hoc non provenit ex rationibus earum formalibus, sed accidit ex summa simplicitate, & infinitate divina, ratione cujus omnia identificantur cum divina essentia, sicut etiam ex eadem oritur radice, quod Verbum in divinis sit substantia subsistens, ubi in nobis est purum accidens, unde ex hoc capite potius deducendum est oppositum, scilicet, quod sicut verbum nostrum ex limitatione sua est accidens, ita quoque ob eamdem limitationem petit actionem a seipso reipsa distinctam qua producatur. Accedit, quod etiam in divinis generatio actio realiter distinguitur a verbo genito.

52 Ratio a priori hujus conclusionis est, quia per actionem, qua res aliqua accipit esse a sua causa, intelligimus relationem dependentiæ in fieri ab illa, ut ergo videamus, an effectus accipiat esse per actionem a seipso distinctam, scrutandum est, an hic effectus ita essentialiter pendeat in esse, & fieri ab hac causa, ut a nulla alia causa prodire possit, quam ab ista, nec alio modo ab illo, quo oritur de facto, nam si nec ab alia causa, nec alio modo prodire potest, signum evidens est, dependentiam a tali causa esse illi essentialem, ac realiter identificatam per illam Scoti maximam 2. d. p. q. 5. §. *ad quæstionem istam*, omnis illa relatio est realiter identificata cum fundamento, sine qua, vel sine cujus termino fundamentum esse non potest; quod si ab alia causa potest oriri, argumento est, talem dependentiam ab eo reipsa distingui, esseque illi accidentalem, non essentialem, ob maximam oppositam; at in proposito idem numero actus vitalis potest a diversis oriri principiis, potest enim oriri a potentia cum habitu, vel sine habitu, cum una, vel altera specie impressa ex uno, vel altero Dei auxilio, loquendo de actibus supernaturalibus, imo potest totaliter a Deo imprimi, ergo oritur a potentia vitali per actionem a seipso diversam. Nec valet, quod respondet Aversa in his casibus pariter variari ipsum quoque actum, adeo ut varietas actionum redundet in actum productum; nam data hac solutione, falsum esset, quod communiter dicitur, habitum non dare simpliciter posse, sed faciliter probatur sequela, quia actus, qui fit a potentia cum habitu ita essentialiter penderet ab illo, ut nullatenus fieri posset sine illo, quantumcumque conetur potentia. Itaque ex hac ratione constat hujus conclusionis veritas, & parum consequenter eam tenere Authores illos, qui docent actum vitalem adeo essentialiter pendere a principio vitali, ut nullatenus sine illius concursu produci queat, si enim actus vitalis adeo essentialiter potentiæ vitali affigitur, jam dependentia ab eo erit illi realiter identificata, nec poni debebit actio *distincta*, qua producatur.

53 Dicimus tertio, verbum mentale produci per actum dicendi, non autem intelligendi. Conclusio est Scot. loc. cit. & facile probatur ex dictis, nam verbum mentale produci debet aliqua actione a

seipso distincta, sed talis actio nequit esse actus intelligendi, cum iste sit actus operativus, non productivus, ut enim visum est art. præc. intellectio est actio de genere qualitatis non de genere actionis, ergo necessario alter actus constituendus est intellectui, qui sit productivus, & cum verbo comparetur, velut actio cum suo termino, & congruenti vocabulo appellatur actus dicendi, seu dictio, metaphora desumpta a verbo vocali, quemadmodum enim hujus expressio appellatur dictio, eodem quoque nomine expressio verbi mentalis potest nuncupari, præsertim vero, quia SS. Patres plerumque hoc modo loquendi utuntur. Nec valet, quod passim solent respondere Thomistæ ipsammet intellectionem esse dictionem, & quod dicere est intelligere exprimendo, & exprimere intelligendo. Nam hos actus ex natura rei esse distinctos probat Doctor tam in divinis, quam in creatis, in divinis enim Pater memoria fœcunda vere producit Verbum, sed hujusmodi productio non est formaliter intellectio, ergo &c. prob. min. nam intellectio ibi est ingenita, improducta, communis tribus personis, ac proinde velut perfectio essentialis naturaliter antecedens ipsum dicere, quod est notionale spectans *ad constitutionem* Patris. Sed & hoc ipsum probatur in creatis, cum enim actualiter intelligimus, vere datur in nobis aliquid de genere qualitatis, quod appellari solet species expressa, ac etiam verbum; hoc autem non est aliquid ingenitum, & improductum, sed vere productum per actionem de genere actionis ab ipso prorsus distinctam, at id formaliter aliud non est, quam actualis intellectio, nam per istam constituimur formaliter intelligentes, ergo datur actio intellectiva dictio appellata, ab actuali intellectione distincta.

54 Hinc patet male Cajet. p. p. qu. 27. art. 1. dub. 1. Scoto impingere, quod docuerit dicere, & intelligere se se habere tamquam duos effectus subordinatos ab eadem causa, nullibi enim unquam in intellectu nostro Doctor ponit actum dicendi, & intelligendi tamquam effectus subordinatos, sed tamquam actionem, & effectum, dicere namque est effectio, & actus intelligendi effectus, seu terminus ejus, ita expresse habet p. d. 2. q. 7. ubi ait quod intellectus dictione producit, sicut ignis calefactione calefacit, & quol. 2. §. *de secunda ratione*, ubi ait, quod dicere est actio productiva termini scilicet intellectionis; diximus autem rem ita se habere in intellectu nostro, quia in intellectu divino utique intellectio, seu notitia ingenita se habent quasi duo effectus subordinati, quorum neuter est alterius causa, aut actio productiva ut Scotus docet loc. cit. in p. d. 2. q. 7. O. sed si etiam in divinis dicere comparetur cum notitia genita, quæ dicitur Verbum, tunc ibi quoque dicere comparatur cum verbo, velut actio cum suo termino. Hinc etiam colligitur quæstionem istam de Verbo mentis adeo operose inter Scotistas, & Thomistas controversam, an scilicet intellectio sit verbum, vel potius productio Verbi, esse magna ex parte de nomine; omnes enim concedunt, cum intelligimus, produci in intellectu aliquid de genere qualitatis, quam dicunt speciem expressam objecti, & verbum; concedunt etiam, quod hujusmodi qualitas est terminus alicujus actionis intellectivæ, & sic remanet sola quæstio de nomine, num qualitas in mente producta, vel potius ejus productio dici debeat intellectio, ipsa autem qualitas solum debeat appellari verbum, unde actus, quem Scotistæ appellant dictionem, Thomistæ vocant intellectionem, & quem illi vocant intellectionem, isti verbum appellant, & sic est dissensio in solo modo loquendi, in quo tamen nos Scotistæ magis convenienter loquimur, quam Thomistæ, quia intelligere non importat ordinem ad aliquem terminum productum per ipsum, sed solum ad terminum per ipsum representatum, quod proinde dicitur objectum, ut præcipue constat in divina intellectione, per quam nihil vere producitur in divinis; sed dicere importat ordinem ad verbum ipsa dictione productum, ac proinde productioni verbi melius nomen dictionis accommodatur, quam intellectionis: nec obstat, quod Arist. intellectionem appellaverit actionem 9. Met. 16. quia cum ibidem dicat esse actionem immanentem, eo quod per ipsam nihil fit, aperte docet, intellectione non fieri verbum, sed potius esse ipsum verbum, nec dici actionem, nisi æquivoce, & grammaticaliter, ut declaratum est art. præc.

55 In oppositum objicitur, Primo, probando verbum mentale non esse intellectionem, sed quid ab ea distinctum, nam ex Aug. 15. de Trin. cap. 10. Verbum, quod foris sonat, est signum verbi, quod intus latet, sed verbum exterius sonans non est signum intellectionis, sed rei intellectæ, ergo &c. prob. minor, quia alioqui hæc propositio, homo est animal, esset falsa, tunc enim sensus esset, quod intellectio hominis est intellectio animalis. Tum 2. quia 8. de Trin. cap. 6. ait, phantasia Carthaginis in memoria est verbum ejus, ubi per phantasiam intelligit speciem intelligibilem, ergo non est actualis intellectio. Tum 3. quia verbum datur, ut exhibeat objectum præsens secundum esse intelligibile, cum sit similitudo formalis rei intellectæ ex Aug. 15. de Trin. sed species intelligibilis hoc facit, ergo ipsa est verbum. Tum 4. nam verbum est aliquid per intellectionem productum, ergo non ipsa intellectio: patet antecedens, quia de ratione intellectionis est, quod res intellecta sit intra ipsum intellectum, quasi in actu secundo, sed hoc esse nequit, nisi per intellectionem producatur verbum, per quod res ipsa, quasi in actu secundo sit in intellectu, ergo &c. Tum tandem, quia in divinis constat intellectionem non esse verbum, cum sit communis tribus divinis personis.

56 Resp. Doc. p. d. 27. verbum exterius utrumque significare, & intellectionem, & rem intellectam, sed primo, & principaliter rem ipsam, intellectionem vero in ordine ad illam, quatenus est medium ordinatum ad rem significandam, nec ob id sequitur, propositionem illam, homo est animal, esse falsam, quia veritas propositionum non ex minus principali significato attenditur, sed ex præcipuo, & magis principali; & per hoc patet ad quoddam argumentum Compl. disp. 21. de Anim. n. 28. quod cum isto coincidit. Ad 2. vel Aug. ibi pro phantasia significat actualem imaginationem, vel dictum ejus (inquit Doctor) accipiendum est secundum sensum actualem, non formalem, ut sensus sit, quod phantasia Carthaginis est causa verbi Carthaginis, alioquin a seipso dissentiret, dicente 15. de Trin. verbum non pertinere ad memoriam, sed ad intelligentiam, & a memoria produci per actum dicendi. Ad 3. ait Doct. objectum fieri præsens intellectui tam per impressam, quam per expressam speciem, sed diversimode, nam per impressam fit præsens habitualiter in ratione objecti intelligibilis, ac veluti in actu primo, sed per expressam fit præsens actualiter in ratione objecti intellecti; falsa itaque est major, quod Verbum exhibeat objectum præsens secundum esse intelligibile, imo quia est formalis similitudo rei intellectæ, & non virtualis tantum, ut impressa, exhibet ipsum præsens actualiter, & in ratione objecti intellecti. Ad 4. neg. assumptum, ad cujus probationum neg. min. res enim extra, seu objectum, sicut per speciem impressam habet esse in intellectu, velut in actu primo, ita per expressam, seu per intellectionem habet esse intra intellectum, velut in actu secundo, quia per ipsam accipit esse cognitum, & intellectum, sicut paries per visionem accipit esse visum. Ad ult. licet intellectio, seu notitia *ingenita non sit* verbum, notitia tamen genita est verbum.

57 Secundo, contra secundam concl. arguit Aversa, probans verbum non produci per aliam actionem distinctam, hac enim de causa ait Arist. de Anim. 28. sentire, intelligere, &c. non esse motum, quia non fit nimirum per actionem distinctam; unde Aug. & Ansel. præter notitiam expressam objecti nullam aliam actionem agnoverunt. Tum 2. actus vitalis est operatio, & actio potentiæ vitalis, ergo non debet alia actio assignari, nam ad actionem non est actio, nec operationis operatio, alioqui daretur processus in infinitum. Tum 3. quia actus vitalis essentialem, & intrinsecum ordinem ad potentiam dicit, adeo ut sine illius concursu, nec fieri, nec conservari possit, ergo non fit per actionem distinctam, tunc enim debet distingui actio a termino quando potest existere, & conservari terminus absque actione. Tum 4. nam ex propria ratione ita conjungitur cum principio vitali, ut prorsus sit ab eo inseparabilis, & ad illud se habeat, tamquam modus ad rem, sed modus dependet essentialiter a re, & ideo per se, & non per actionem mediam, ergo &c. Tum tandem quia Arist. 9. Met. 16. hac ratione vocavit omnes actiones vitales immanentes; quia scilicet non sunt veræ actiones, quæ habeant terminum a se distinctum.

Resp. Arist. ibi concedere sentire esse motum, licet dicat esse aliam speciem motus ab eo, qui est actus imperfecti definitus 3. Phys. quia non est alteratio corruptiva, sed perfectiva, unde potius ex hoc deducere debemus oppositum, nempe actus vitales elici media actione, quia motus est semper cum actione conjunctus; illi Patres hanc actionem assignarunt, dum verbum a potentia gigni dixerunt. Ad 2. actus vitalis æquivoce solum, & grammaticaliter est actio, non autem vera actio, & prædicamentalis, ad quam solam verificatur non esse aliam actionem, quia daretur processus in infinitum. Ad 3. neg. assumptum, quia actus vitalis potest a Deo immediate produci, ac etiam in seipso conservari extra potentiam vitalem. Ad 4. pariter neg. assumptum, quo etiam concesso adhuc negari debet intellectionem esse modum potentiæ vitalis, cum sit perfectissima qualitas longe perfectior specie ipsa intelligibili, quam apud omnes constat non esse modum. Ad ult. vocat ibi Arist. actus vitales actiones immanentes, ut ostendat qualitates esse actiones mere grammaticaliter, non autem ut eis negaret propriam actionem, qua fiant, & ponantur in esse.

58 Tertio, contra tertiam concl. instant Thomistæ probando intelligere esse intellectualiter dicere, atque ideo verbum produci per actum intelligendi, nam Aug. 15. de Trin. c. 7. & Fulg. l. 3. ad Monym. c. 7. inquiunt, *cum mens apud se verbum habet, utique cogitando habet, quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare*, & hoc ipsum manifeste colligitur (ait Hurt.) ex illo Matth. 9. *dixerunt Pharisæi intra se, hic blasphemat*, quibus Christus objecit, *ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* per quod ostenditur idem prorsus esse dicere, & cogitare, seu intelligere. Tum 2. quia Aug. 5. de Trin. cap. 13. ait, quod verbum est visio de visione, ergo producitur per intelligere. Tum 3. quia unius potentiæ unicus est actus, cum potentiæ distinguantur per actus 2. de An. ergo dicere intellectus non distinguitur ab intelligere, sed sunt unus, & idem omnino actus verbi productivus. Tum 4. quia etiamsi essent actus distincti, adhuc afferri non posset major ratio, cur potius per actum dicendi verbum producatur, quam intelligendi, cum ambo sint actus secundi, & ab eodem principio scilicet a memoria. Tum 5. quia si actus iste dicendi non est intellectio; ergo jam non est actio intellectiva, cum omnis actio intellectus sit essentialiter intellectio. Tum 6. loqui mentaliter est formaliter intelligere, ergo si verbum producitur per locutionem mentalem, jam producitur per intellectionem, probatur assumptum, quia nemo loquitur, aut dicit, nisi quod cognoscit, & intelligit, ergo dicere formaliter est intelligere. Tum tandem quia dicere est productio verbi exprimentis rem, non quomodocumque sed ut intellectam, & cognitam, seu terminum intellectionis, sed res nequit reddi intellecta in actu, nisi per ipsum intelligere, ergo nec verbum ab intellectu procedere, nisi per intelligere.

59 Resp. ad 1. ex Scot. 1. d. 32. q. 1. §. *ad istum quæstionem*, interdum SS. Pa-

SS. Patres usurpare vocabulum dicendi, non in suo proprio significato pro actualiter producere notitiam, sed pro intentionaliter exprimere, ac declarare objectum, & hoc sensu loquuntur Aug. & Fulgent. loc. cit. vel dicas, quod dicere est cogitare casualiter, non formaliter, ad auctor. ex Evang. ductam resp. Pharisæos duo feciſſe, scilicet produxisse cogitationem quod explicatur per ly *dixerunt*, & cogitasse, quod insinuatur per ly *hic blasphemat*, huic secundo Christus objecit, non primo. Ad 2. ait Doct. Aug. ibi per visionem, de qua verbum procedit, intelligere scientiam habitualem, seu memoriam, ita enim se ipsemet exponit 15. de Trinit. cap. 11. Ad 3. resp. Doct. 1. d. 6 qu. un. B. distinguendo de duplici actu, alter est de genere actionis, alter de genere qualitatis, atque ita unius potentiæ unus actus, loquendo de hoc actu tantum, vel illo tantum, unius tamen potentiæ duplex esse potest actus, quorum unus sit de genere actionis, alter de genere qualitatis, necesse est enim cuilibet vitali potentiæ propriam assignare actionem, qua sibi comparet actum operativum, qui extat ultima ejus perfectio. Ad 4. neg. assumptum, rationemque disparitatis assignat Doctor p. dist. 2. qu. 7. lit. Q. quia scilicet intelligendi actus ex natura sua est operativus solum, & perficiens ultimate potentiam, cum sit duplex qualitas, actus vero dicendi ex natura sua est productivus, cum sit vera actio de genere actionis, vel potius de genere relationis. Ad 5. neg. sequela, cum ejus probatione, non enim opus est omnem actum intellectus intellectionem esse, ut constat de actione intellectus, qua species abstrahit a rebus, nec tamen est intellectio, ut apud omnes est in confesso, sic igitur in proposito actio productiva intellectionis *pertinens ad intellectum possibilem*, quæ appellatur *dictio*, est utique actus intellectus, & actio intellectiva, non tamen intellectio, quia per ipsam non denominatur intellectus formaliter intelligens, sed dicens, ac intellectionem producens, ita Doct. ibidem p. dist. 2. qu. 7. Q. & quol. 1. V. Ad 6. jam diximus ex Scoto 1. dist. 32. qu. 1. F. loqui, & dicere mentaliter utique interdum sumi ut idem est, quod declarare, repræsentare, exprimere objectum, tamen in rigore, & in proprio significatu indicat producere verbum, & notitiam, ut ex professo docet Scot. 2. d. 9. qu. 1. E. & in hoc sensu neg. assumptum cum ejus probatione, nam intellectus noster dicit verbum, priusquam intelligat, quia dicimus ex indigentia, ut per verfectionis, ac fœcunditatis, ut evenit in divinis; ubi proinde Pater æternus prius dicit, quam intelligat. Ad ult. major non est quoad omnia vera, liquidem verbum producitur ad exprimendam rem, non ut intellectam, & cognitam, sed potius ut intelligibilem, & per ipsummet verbum productum intelligitur, & cognoscitur; plura de verbo mentis vide apud Radam to. 1. contr. 7. & 8. Vulp. tom. 1. par. 1. disp. 20. art. 5. 6. & 7. ubi fuse de hac materia disputant.

APPENDIX.

An in Beatis Visio Beatifica sit Verbum.

60 Diximus disput. 6. de Anim. qu. 3. art. 2. num. 48. ex Scoto p. d. 17. §. *ideo estis*; quod licet Verbum sit semper ipsa actualis intellectio, non tamen quæcumque intellectio est Verbum, sed illa tantum, quæ *est naturaliter genita*, & producta a memoria fœcunda, idest ab intellectu simul cum objecto, vel in præsente, vel in specie, & ex his duobus memoriam fœcundam constituit, ut Aug. sæpe docet 15. de Trin. adeo ut duæ conditiones præsertim requirantur ad Verbi constitutionem, & formalitatem: Una est quod ea intellectio, quæ dicitur Verbum, sit vere genita, & producta, altera est quod sit producta per modum naturæ, ideſt non per actionem liberam, sed naturalem; defectu primæ conditionis intellectio essentialis in divinis Verbum appellari non potest, esto enim ea memoria fœcunda naturaliter sit, non tamen est ab ea vere producta, sed tantum emanatione quadam resultat ab ea, defectu fœcundæ conditionis, inquit Doctor quol. 14. art. 2. Bb. visionem Dei *in* Beatis non esse Verbum, quia esto sit naturalis Divinæ essentiæ similitudo, non tamen naturaliter ab ea producitur, sed libere, cum ad eum concurrat, ut volens, & idem replicat quol. 15. art. 2. X.

61 Huic Doctrinæ refragatur Pontius disp. 12. de anima nu. 99. & in Apol. pag. 101. num. 151. ubi contendit quamcumque cognitionem ab intellectu formatam esse Verbum, & consequenter vult visionem beatificam in Beatis esse Verbum, idque ad mentem Scoti (de qua præsertim quæritur in hoc puncto) nam in p. d. 2. qu. 1. nu. 17. expressissime asserit, quod in nobis Verbum perfectissimum erit in patria secundum Aug. 15. de Trin. & in eodem p. dist. 17. qu. 3. num. 15. tamquam inconveniens infert ex Doctrina eorum quos impugnat, igitur Beatus non habet Verbum de essentia Divina. Ad hoc responsionem quamdam generalem dedi disp. 6. cit. num. 49. quod si Augustinus interdum visionem beatam Verbum appellat, intendit docere Beatos *videre* Deum notitia clara, & distincta, quæ sit perfecta, & expressa similitudo Divinæ essentiæ, quo sensu semetipsum explicat 14. de Trin. cap. 17. dum inquit, dum videbimus eum sicuti est, tunc verbum nostrum non erit falsum, & in eodem sensu locutum esse Scotum, dixi, si quando visionem beatam Verbum appellat, & hoc etiam interdum feciſſe ad excludendam rationem Thomistarum, qua ipsi negant Verbum produci in visione beata, quia scilicet nulla creata simi-

litudine videri potest Deus; sic ergo explicandæ sunt authoritates adductæ, licet secunda nulla egeat explicatione præter eam, quam arguens ipse affert, cum inquit inconveniens illud inferri, non absolute, sed ex Doctrina eorum, quos impugnat.

62 Contra replicat Pontius in apol. num. 155. quod expositio hæc tortissima sit, aut non faciat ad propositum, nam vel visio clara, & distincta est verbum, vel non est Verbum, si est verbum, habetur intentum, si non est Verbum, ergo pessime diceret Augustinum illam esse verbum, & quemadmodum qui diceret visionem beatam esse lignum, etiamsi nihil aliud vellet, quam quod esset visio clara, & distincta, pessime loqueretur, quia lignum hoc non significat, nec visio clara est lignum, ita si visio clara non sit verbum, nec verbum significet claram visionem, pessime quis diceret, quod visio esset verbum, etiam si per hoc intenderet significare tantum quod esset clara, & distincta, ergo *illa explicatio* Augustini est torta, aut non facit ad propositum. Ex quo patet non valere etiam explicationem Scoti, quatenus dicitur eodem sensu locutus quo Augustinus, & quod additur ipsum eodem modo loquendi usum ad explicandam rationem, ob quam Thomistæ negant visionem beatam esse Verbum, omnino gratis dicitur, & falso, gratis quidem, quia nulla est ratio, ob quam colligatur, quod propterea sit eo usus, & si non esset verum quod visio illa non esset verbum, quamvis id non esset verum per omnes rationes Thomistarum, male diceretur absolute quod visio esset verbum, sed potius deberet dici quod esset verbum, quantum ad rationem Thomistarum, falso etiam tum propter rationem allatam, tum quia ipse absolute *infert in secundo loco*, tamquam *inconveniens*, quod *visio* beata non esset verbum contra alios authores quam Thomistas, ergo non est usus eo modo loquendi ad excludendum rationem Thomistarum, de qua neque mentionem facit in primo, aut secundo loco. Addit quod quemamodum nos exponimus Augustinum, & Scotum, ita posse facilius ab ipso Scotum exponi quol. cit. loqui de verbo, quod habet omnes conditiones, quas habent verba de facto a nobis producta circa creaturas, quæ verba producuntur naturaliter, ex hoc autem non sequitur quod verbum ut sic, exigat illas conditiones, nec consequenter quod visio beata non sit verbum, secundum quod exigitur ad verbum, ut sic, quamvis non sit verbum, ut exigunt verba creata naturalis ordinis, ergo si sufficit nostra expositio quominus dicatur nostra sententia esse contra Scotum, sufficiet ejus explicatio pro sua, ne contra Doctorem judicetur.

63 Respondeo, Pontium numquam adeo *inepte*, & *insulse* locutum, adeo ut hic quadret adagium *Pestillo retusior*, quod sic ostendo argumentum retorquendo in simili, si quæratur, an creatio Angeli possit dici mutatio, & responderet quis per distinctionem, quod si mutatio per hoc quod dicit rem aliter se habere nunc, quam prius, intelligatur significare transitum rei de non esse ad esse, tunc creatio Angeli est mutatio, quia Angelus transit de non esse ad esse, & si mutatio significet ulterius actuationem alicujus potentialis præexistentis, in hoc sensu mutationem non esse, quia in Angelo nulla talis pars potentialis præexistit, si inquam quis ita responderet, & ego instarem, vel creatio Angeli est mutatio, vel non est mutatio, si est mutatio, habeo intentum, si non est mutatio, ergo pessime *appellatur mutatio*, quemadmodum, si quis diceret, creationem esse lignum, etiam si nihil aliud vellet per hoc significare, quam quod sit transitus de non esse ad esse, pessime loqueretur, quia lignum hoc non significat, nec transitus de non esse ad esse est lignum, si inquam sic arguerem, nonne exfibilandus essem? ita plane, quia mutatio significat transitum rei de non esse ad esse, & transitus talis non est prædicatum impertinens ad mutationem, sicut est ad lignum, vel lignum ad talem transitum, sic adamussim res in proposito contingit, nam verbum significat claram, & distinctam rei notitiam ex ejus institutione, non sic lignum, & talis clara notitia non est prædicatum impertinens ad verbum, sicut est ad lignum, est ergo ineptissima paritas, & ridiculus arguendi modus, quemadmodum multis aliis exemplis id demonstrari posset; in hoc igitur sensu appellat August. verbum visionem beatam, quatenus est clara, & distincta Dei similitudo expressa, & ratio est, quam innuit Mairon. p. dist. 279. par. 1. quia nimirum Aug. varie locutus est de Verbo, interdum scilicet accipiendo istud pro specie, aliquando pro objecto, quatenus hæc omnia per quamdam *analogiam* ad Verbum possunt tale nomen participare, quod plane ligno convenire non potest.

Alia etiam explicatio, si quando Scotus Verbum appellaret visionem Beatorum, non est gratis assumpta, ut ait Pontius, quia non est applicata ad exponendum aliquem locum particularem cui non quadret, sed explicatio quædam *generalis*, quatenus Doctor non ex eodem capite negat a Boetio formari Verbum de Divina essentia, ex quo negant Thomistæ, quia nimirum dari nequeat similitudo expressa creata essentiæ Divinæ; imo ex hoc capite ultro concedit *visionem beatam* esse Verbum, & Verbum formare Beatos de *divina essentia*, unde si detur talis explicatio, non datur sine fundamento, & omnino gratis. Neque etiam est falsa, quia *non* quadret loc. cit. p. d. 27. qu. 3. nu. 15. nam *explicatio illa* datur ad loca, ubi de mente propria loqueretur, *sed ibi loquitur* ad hominem, & infert tamquam inconveniens ex Doctrina eorum, quos impugnat, ut bene notat Petrus in contradictionibus Scoti ad p. sent. d. 27. q. 3. imo, & concedit ipse Pontius supra relatus, unde mirum est, quomodo po-

stea statim dicat nu. 157. quod Scotus absolute infert in secundo loco (nempe p. d. 27. qu. 3.) tamquam inconveniens, quod visio beata non esset verbum, cum supra dixerit nu. 151. quod illud tamquam inconveniens infert ex Doctrina eorum quos impugnat, & non absolute, quæ est potentissima contradictio in eadem fere pagina. Quod tandem addit de explicatione illa, quam ait posse dari facilius loc. cit. ex quol. 14. est plane gratis omnino dictum, nam illæ duæ verbi conditiones, & quod sit productum, & quod sit per modum naturæ productum ab integro suo principio, non solum conveniunt verbo creato, quod circa creaturas naturaliter producimus, sed etiam conveniunt Verbo divino, unde cum sit ratio communis verbo creato, & increato, non exiguntur illæ conditiones ad verbum creatum, & naturalis ordinis præcise, sed ad verbum, ut sic, quatenus est commune creato, & increato; quare illa expositio omnino irrationabilis esset.

64 Deinde nu. 156. urget argumentum P. Cavelli disp. 3. de anima sect. 3. nu. 110. quia non requiritur ad rationem prolis, & generationis, quod utraque causa naturaliter concurrat, aliquin B. Virgo non fuisset Mater Dei, nec Deus ejus Filius, quia Spiritus sanctus concurrit ad generationem ejus ut causa libera, non ut causa naturalis, quia ergo visio beata saltem ab intellectu creato naturaliter producitur, hoc sufficit, ut dicatur Verbum, licet ex parte objecti procedat libere.

Responsum est ad id disp. 6. cit. nu. 49. negando consequentiam, quia Christus ut homo postulabat naturaliter gigni ab utroque parente, unde mere accidentale fuit illi quod Spiritus sanctus, vel tota Trinitas suppleverit vices Patris naturalis per concursum liberum, atque ideo hoc abesse nequit de nominatione filii quam fundavit ad concursum per modum naturæ exhibitum a B. Virgine, quia quod est per accidens variare non potest quod est per se, hæc autem ratio non militat in productione Spiritus sancti, nec in productione visionis beatificæ, quia nec Spiritus sanctus petit naturaliter produci, seu per modum naturæ, neque beata visio a Divina essentia ita causari, cum hæc immediate non agat ad extra, atque ideo nec ista Verbum, nec ille filius dici possunt.

65 Contra replicat Pontius, ergo solum non impedit rationem verbi in visione, quod actu non producatur naturaliter; sed ideo solum non erit verbum, quia ex se non postulat naturaliter produci, sed nihil amplius intendimus per illam probationem, quam hoc contra Scotistas, qui propterea excludebant visionem a ratione Verbi, & prolis, quia non producebatur actu naturaliter. Quod si dicamus eos voluisse per hoc quod visio propterea non esset verbum, quia non exigit produci naturaliter. Tunc probandum erit (inquit) quod sit de ratione verbi exigentia ad productionem naturalem, quod ab eo tam facile negabitur quam a nobis facile asseritur.

Respondeo negando consequentiam, committitur namque fallacia a secundum quid, ad simpliciter, ex hoc enim quod concedimus Christum dici Filium B. Mariæ, quia ad ejus humanitatem habuit naturalem influxum, neque hanc denominationem impediri ex eo quod Spiritus sanctus ad ejus generationem habuerit concursum liberum, quia id mere accidit humanitati Christi, qui postulabat ut homo, ab utroque parente naturaliter gigni, ex hoc inquam deducitur absolute neque impediri rationem verbi in visione, quod actu non producatur naturaliter, hoc sane inferri nequit sine fallacia a secundum quid ad simpliciter, quia Christus, ut filius Mariæ, de facto ab ea naturaliter processit, unde saltem ab una causa fuit naturaliter productus, licet non ab alia. Quomodo ergo hinc deducitur absolute quod visio beata possit adhuc retinere rationem verbi, etiam si non actu naturaliter producatur? in responsione non est concessum Christum ut Mariæ filium a nulla causa naturaliter processisse, de facto, imo dictum est ita processisse a Matre, & ideo pessime deducitur inde non impedire rationem Verbi in visione, quod actu non producatur naturaliter, simpliciter, & absolute loquendo, sed ad summum inferri potest, quod non impediet rationem verbi in visione, quod actu non producatur naturaliter ex parte objecti, quod adhuc negaremus stando in Doctrina nobis tradita ab Augustino in libris de Trinitate (a quo postea cæteri Theologi didicere) de notione verbi, illud namque semper appellat notitiam genitam a memoria fœcunda, unde cum memoria fœcunda integretur ex potentia, & objecto consequenter ab utroque principio per modum naturæ procedere debet notitia, ut rationem Verbi sibi vindicet, quod si id actualiter petit verbum in sententia Augustini, tanto magis ei conveniet aptitudinaliter, seu exigitive ita produci, nec umquam tam facile id a Pontio negabitur, sicut a nobis asseritur, & probatur.

Et ex hoc adhuc magis deprehenditur falsum esse, quod asserit in Apol. nu. 157. & fatetur jam pridem asseruisse disp. 12. de anima nu. 99. quod non sit de ratione formali Verbi, quod actu producatur ab intellectu, nam ut vidimus ex Augustino præcipua conditio Verbi est quod sit notitia genita ab intellectu. Et quamvis ibidem nitatur hoc ostendere contra nos ad hominem, quoniam ad rationem filii non requiritur secundum nos ex responsione data ad argumentum Cavelli, quod actu naturaliter producatur a Parente, quia alias Christus non esset filius Virginis, sed sufficit, quod aptus natus sit sic produci. Artamen hæc instantia fundatur in hac eadem impostura, quod hoc concesserimus, quod nullo modo concessum est, imo diserte diximus, Christum dici filium Virginis, quia per modum naturæ exhibuit suum concursum in ejus generatione, & naturaliter actu productus est ab ipsa, sed quia contendit ibi hanc controversiam reducere ad quæstionem de nomine, ut sui moris est, ulterius in hoc puncto progredi non

66 Postquam conatus est Pontius sua defendere a nostris responsionibus, nititur etiam nu. 152. & 153. nostras infirmare probationes præfati asserti, quod visio Beatorum non sit Verbum. Cumque hoc probaverimus Scoti testimonio quol. 14. Bb. clarissimo, & patentissimo, ubi hoc docet, & declarat ex professo; respondet huic loco duo alia loca ab ipso adducta præponderare, & ideo hinc non magis debere dici, quod Scotus teneat hanc partem, quam oppositam, sed ad summum, quod utramque probabiliter teneat, nec sibi contradicat. Addit deinde quod in quolibeto illo non dicit absolute quod visio Beatorum non sit Verbum, sed terminis probabilibus utitur, nempe *posset dici*, absolute ante loquitur in locis ab ipso citatis. Addit tandem omnes præferre resolutionem ipsius in sententiis quibuscumque aliis operibus, præsertim ubi ratio, vel authoritas aliqua aliarum magis favet resolutioni, quam haberet in aliis operibus.

Cæterum falsum omnino est illa duo loca ab ipso, vel potius a P. Cavello in Scoto versatissimo citata præponderare loco ex quolibetis, nam ut notat Pontius in contradictionibus Scoti ad 3. sent. dist. 27. qu. un. illa duo loca accipiuntur ex parte arguitiva, ubi non est accipienda aliqua determinatio, & præsertim in 2. loco nimirum p. dist. 27. infert illud tamquam inconveniens ex Doctrina eorum quod impugnat, ut fatetur Pontius ipse; quo igitur pacto hæc loca præponderare possent loco, ex quol. 14. ubi loquitur in parte Dogmatica, & responsiva, & diserte explicat hoc punctum de visione Beatorum, an sit Verbum, & reddit rationem cur non sit, ubi in locis ex p. sent. citatis vix habet duo verba, & in parte arguitiva; & plane friget omnino, quod ait Doctorem *esse ibi locutum* sub terminis probabilibus, posset dici; hæc enim est phrasis Scoto pro sua modestia satis familiaris, ut in eo versatis compertum est, qua etiam utitur cum magis resolute loquitur. Et denique in Subtilium Schola enutritis satis etiam compertum est, quaslibet quæstiones, eamdem habere authoritatem, quam quatuor Sententiarum, imo majorem, quia cum post illas scriptæ fuerint, ut fertur, censetur ultima voluntas Doctoris.

67 Addidimus deinde ad nostrum assertum firmandum, rationem ex Augustino deductam, quia Verbum appellatur semper ab eodem proles a memoria fœcunda genita, at memoria fœcunda ex intellectu constituitur, & objecto ei præsente, vel in se, vel in specie, ergo de ratione verbi est, quod naturaliter gignatur a totali suo principio, nec sufficit, quod naturaliter procedat ab altero. Tum quia si hoc sufficeret, tunc Spiritus sancti productio esset generatio, & ipse esset Verbum, quia licet libere producatur ex parte potentiæ, adhuc tamen naturaliter procedit ex parte objecti, ergo ad rationem Verbi requiritur, quod utrumque principium naturaliter agat, & multo magis in objecto id necessarium est, tum quia Verbum ab objecto specificatur, atque ideo magis ei assimilatur, tum quia in proposito objectum principalius concurrit, quam intellectus.

68 Respondet, quod licet vocet Augustinus Verbum prolem, non tamen dicit, quod omne verbum sit proles, sed si proles intelligatur in sensu, in quo visio beata non sit proles, ut volunt Adversarii, patet quod non voluit omne Verbum esse prolem, quandoquidem dicat visionem beatam esse prolem, & in descriptione Verbi principio de Trinitate decimo, nulla fit mentio de prole, sed descriptio convenit omni prorsus cognitioni productæ, sive omnis sit proles, ut ego existimo, sive non, ut putant Adversarii. Rursus non video (inquit nu. 54.) quomodo sequitur illa consequentia, Verbum est proles causata a memoria fœcunda, ergo debet naturaliter causari ab utraque causa constituente memoriam fœcundam; cur enim non sufficeret, quod causaretur a sola potentia naturaliter, præsertim quando ipsum objectum secundum se non concurrit, neque secundum speciem, sed mediante voluntate potente supplere defectum objecti, & speciei. Nec valet probatio, qua probant Adversarii id non sufficere; nempe quia inde sequeretur, quod Spiritus sancti productio esset generatio, nam admittendo quod non sit generatio, quia libere producitur non naturaliter, hoc debet intelligi de libertate ex parte potentiæ, nam productio Verbi non dicitur generatio ex productione naturali, nisi quia naturaliter producitur ex parte potentiæ, unde cum Spiritus sanctus non producatur naturaliter ex parte potentiæ, sed libere, sufficienter ex hoc capite distinguetur productio ipsius a productione Verbi ad non habendam rationem generationis, quemadmodum verbum habet.

69 Hæc responsio contrariatur omnino Doctrinæ quam tradidit D. August. de Verbo 9. de Trinit. cap. ultimo, ubi exactius de hoc puncto tractat quam in aliis omnibus locis, qua de causa ex eo præcipue loco Scotus desumpsit quæcumque de Verbo nobis scripta reliquit, ibi igitur expressis & diserte verbis ait, non omnem notitiam actualem esse Verbum, sed illam tantum, quæ est genita ex memoria fœcunda, quæ dicitur proles, & quæ ex objecto nascitur, ut proles ejus, referente Scoto quol. 14. Bb. & p. dist. 27. quæst. 3. §. *Ad quæstiones istas*, & infra §. *Ideo istis*, inquit quod quælibet notitia genita, quam August. vocat prolem, est Verbum, & ex his deducit definitionem Verbi, non autem ex p. de Trinit. cap. 10. quæ quidem definitio, cum dicat, Verbum esse notitiam productam a memoria perfecta, consequenter indicat notitiam, quæ est Verbum esse prolem, hæc enim est, quæ nascitur ex memoria perfecta, idest ab

ab intellectu, & objecto, & quidem ab utroque naturali processione. Et illa consequentia nostra (Verbum est proles causata a memoria fœcunda, ergo debet naturaliter causari ab utraque causa constituente memoriam fœcundam) est optima, quia si objectum sit præsens intellectui mediante voluntate, & non potius se ipso, aut per sui speciem non constituit memoriam, nec intellectum fœcundare dicitur, sed ut memoriam constituat, debeat fieri præsens intellectui naturaliter, & ut notitia ab eo producta dicatur Verbum, & proles debet naturaliter procedere nedum ab intellectu, sed etiam ab objecto, aliquin, si libere ab objecto procederet, esset proles intellectus tantum, sed non objecti, ex Doctrina August. & Scot. loc. cit. imo potius nec Verbum, nec proles absolute dicenda foret, quia, ut docet Doct. quol. 16. Litt. S. & T. quando voluntas concurrit cum causa naturali, ita quod voluntas sit causa principalior, totus effectus censeri debet libere produci, quare cum visio Beata producatur ab intellectu Beatorum, & a Divina voluntate gerente vicem objecti, tota censeri debet libere producta, atque ideo nullo pacto Verbum dici poterit, de cujus ratione est quod sit notitia genita, & per modum naturæ producta, quæ quidem ratio opinionem contrariam mirabiliter evincit.

70 Et hac eadem de causa valet quoque alia probatio nostra, falsum enim est, quod Verbi productio in Divinis dicatur generatio præcise, quia naturaliter producitur ex parte potentiæ, imo dicitur generatio, & Verbum, quia naturaliter procedit tam ex parte potentiæ quam ex parte objecti, & nascitur de objecto tamquam proles ejus, ut loquitur August. cit. 9. de Trinitate cap. ultimo, & Spiritus sancti productio non dicitur generatio, quia est *libera productio libertate essentiali*, nam ut dicebamus ex Scoto cit. quando voluntas concurrit cum alia causa naturali, tota actio dicitur libera simpliciter, & absolute loquendo, unde sicut in productione Spiritus sancti, quod naturaliter procedat ex parte objecti, non facit quod ejus productio sit generatio, quia libera processio ex parte potentiæ sufficit, ut tota processio dicatur libera, juxta regulam Scoti cum quol. 15. cit. ita in productione visionis beatæ, quod naturaliter procedat ab intellectu non facit, quod ejus productio dici debeat generatio, & notitia producta Verbum, quia ex alia parte essentia Divina ad eamdem visionem libere concurrit mediante divina voluntate, & tota actio libera censeri debet, quod sufficit ne dicatur generatio neque notitia producta Verbum &c.

QUÆSTIO IV.

De necessitate specierum intelligibilium ad actum intelligendi, ubi de memoria intellectiva.

71 Nomine specierum intelligibilium hic intelligimus in ordine ad intellectum idem omnino, quod supra intelligebamus per species sensibiles in ordine ad sensum, servata proportione, qualitates nimirum spirituales per modum permanentis, quæ sunt veluti semina objectorum ad fœcundandum intellectum pro eorum cognitione, & alterius rationis; ideoque dici solent eorum imagines, non in essendo, sed in repræsentando, non quidem formales, & actuales, nam talis imago, & similitudo est sola ipsa cognitio, & intellectio, de qua qu. præc. sed virtuales, quatenus vicem gerentes objectorum concurrunt eorum loco ad cognitionem pariendam, quæ attributa passim declaravimus disputatione quarta, explicando species sensibiles, dicuntur autem species intelligibiles, quia ab intellectu sunt phantasmate aliquo modo concurrente, & dici quoque solent expresse, quia ante intellectionem in intellectu possibili imprimuntur ad eum fœcundandum, manentque in eo actu transacto. De existentia itaque, ac necessitate harum specierum longe major dubitatio est, quam erat de existentia sensibilium, quia pro sensibilibus sensatas, & obvias habemus experientias, adeo ut vecors omnino sit habendus, ac sensibus destitutus, qui eas negare audet; at pro intelligibilibus non adeo obvia habemus experimenta, unde factum est, ut longe major sit cœtus Auctorum istas negantium, quam illorum, nam non solum illi, qui *species sensibiles* non admittebant, istas quoque intelligibiles consequenter negant, sed etiam quamplures ex illis, qui eas admittebant, dicentes eas solas sufficere quoque ut earum ope possit intellectus suas exercere operationes, quare concludunt species intelligibiles esse prorsus superfluas, sola siquidem phantasmata sufficiunt omnibus muneribus, pro quibus obeundis excogitatæ sunt species intelligibiles, ipsum namque phantasma sufficienter repræsentat intellectui objectum intelligibile, itaut ejus ministerio possit immediate elicere intellectionem sine ulla specie media, ita opinati sunt ex priscis Theologis Henric. quol. 4. qu. 7. & 6. Baccon 2. dist. 6. qu. p. art. 3. Durand. 2. dist. 3. qu. 6. Ocham 2. dist. 17. & ex recentioribus Philosophis Piccol. lib. de humana mente cap. 7. Zib. lib. de speciebus intelligibilibus cap. 5. Buccafer. 3. de Anim. sect. 22. Mer. cens. in suis diluc. & alii quam velut probabilem defendit Doctor qu. 17. de Anim. licet in fine quæstionis resolvat oppositum esse veriorem.

72 Communis tamen, ac receptissima in Peripato sententia species admittit intelligibiles, in omni cognitione, & intellectum agentem pro earum productione: ita S. Thomas prima p. qu. 48. art. 1. & 2. Av. de Anim. p. p. 5. cap. 6. Alb. summa de homine, Egid. quol. 2. qu. 25. & quol. 13. qu. 14. Averroes 3. de Anim. com. 6. Them. 3. de Anim. com. 21. & 26. Jand. 3. de Anim. qu. 14. & seq. Arim. 1. d. 3. qu. 1. & 2, d. 7. qu. 3. Zimar. theor. 82. Appoll. 3. de Anim. qu. 6. & seq. Alex. 1. de Anim. cap. de intell. agente & 2. de Anim. c. 15. passim Recentiores omnes Aversa. qu. 58. Sect. 5. Onuphr. tract. 2. disp. p. qu. 3. de Anim. Tol. 3. de Anim. qu. 21, Conibe. ibid. cap. 5. qu. 3. Hurt. disp. 12. de Anim. sect. 1, Arriag. disp. 4. de Anim, sect. 1. sub sect. 8. Ruvius 3. de An. tract. de intell. agent. Compl. ibid. disp. 18. Lichetus opusc. de intell. agent. lib. 5. Cottunius lib. de trip. statu anim. ration. disp. 8. & 9. & alii passim, imo & Platonici eas admiserunt, in hoc tantum a Peripateticis dissidentes, quod illi faciunt eas intellectui congenitas,

Media tandem sententia, quæ etiam nobis probabilior videtur, distinguit de cognitione abstractiva, & intuitiva (de quo duplici genere cognitionis agimus infra qu. 11.) & ait species intelligibiles necessarias utique esse ad primum cognitionis genus, non tamen ad notitiam intuitivam, ita Scot. 1. d. 3. q. 6. ubi Lichet. Barg. Viger. ac cæteri ejus *expositores*, Mairon. 1. d. 3. qu. 10. Faber theor. 79. c. 4. Vulpes t. 1. part. 1. disp. 19. art. 2. & 5. Tatar. Jo. de Mag. & cæteri Scotistæ in 3. de Anim. Gabriel 2. d. 3. qu. 2. Greg. 2. d. 2. qu. 3. art. 1. & alii Nominales, & randem nostri Regentes Parisienses 3. de An. q. 1. in 3. q. coll. §. *die primo*.

ARTICULUS I.

Necessariæ sunt species intelligibiles ad cognitionem abstractivam.

73 Conclusio est communis Auctoribus 2. & 3. sent. quam docet Scot. p. d. 3. qu. 6. per totam, & quol. 15. communiter probari soler, quia potentia intellectiva est de se indifferens ac indeterminata ad tot, adeoque varia objecta concipienda, ut necessario indigeat specie determinari ad hoc magis, quam ad *illud*; nec sufficit dicere determinari ab extrinseca præsentia objecti, nam intrinseca indifferentia potentiæ non nisi per intrinsecum aliquod tolli potest, quare si nec ipsum objectum extrinsecum ageret in potentia, nec potentia in objecto, non posset ad objectum ipsum determinari. Hæc ratio non concludit, licet enim potentia intellectiva habeat indeterminationem quamdam ad diversos intelligendi actus, & his mediantibus ad diversa objecta, illa tamen indifferentia, ut Doctor advertit 1. d. 2. qu. 7. litt. Aa. & qu. 17. de Anim. num. 18. non est passiva, qualem habet ad formas diversas materia prima, quæ proinde determinari indigeat per actionem extrinseci agentis, sic enim tota activitas intellectus ad intelligendum prorsus extrinseca foret, & a specie impressa emendicata, sed est activa propter illimitationem suæ virtutis, sicut Sol indeterminatam habet virtutem ad multa producenda in his inferioribus, ergo non eget intellectus specie impressa, ut passive determinetur per eam ad operandum potius circa hoc objectum, quam *illud*, sed facta debita objecti applicatione, tamquam alterius concausæ, sufficienter seipsum determinat, sicut Sol seipsum determinat ad hominis generationem potius, quam alterius animalis, concurrente ipso homine, tamquam causa inferiori determinata. Accedit, quod si intellectus imbutus esset speciebus omnium objectorum, vel unam haberet speciem universalem, plura, ac diversa objecta repræsentantem, ut ponit communis Thomistarum sententia in Angelis, adhuc intellectus maneret indifferens ad operandum potius circa hoc, quam circa illud objectum; & e contra si intellectus nonnisi unum dumtaxat objectum percipere posset, adhuc speciebus indigeret, frustra ergo ponuntur *species* ad determinandam illimitatam intellectus virtutem.

74 Alia ratio minus frequens apud Recentiores est, quia omnis actus cognitionis, cum sit repræsentatio, & similitudo expressa objecti, debet prodire ab eodem objecto, vel per se, vel mediante aliqua qualitate, quæ vocatur species intentionalis impressa, non possunt autem cum intellectu nostro immediate concurrere res ipsæ intelligibiles, ergo necessariæ sunt illi rerum species. Hæc pariter ratio parum, vel nihil concludit, manifeste enim principium petit cum sine probatione assumit in minori, quod quæritur, atque probandum erat, quare nimirum objectum non possit per se immediate concurrere cum intellectu ad pariendam notitiam. Vel enim id esset, quia materiale, & corporeum non sufficit ad causandum actum intelligendi, qui spiritualis est; & hoc non suffragatur, tum quia hæc ratio valet de causa totali, & integra, non vero partiali, & minus principali, sicut est objectum; tum quia si materiale, scilicet phantasma causare potest immediate speciem impressam, quæ est spiritualis, cur non etiam expressam? tum tandem, quia hæc ratio cessat omnino objectis spiritualibus. Vel id esset, quia deficit proportio moventis, & moti, phantasma autem non est *proportionatum motivum intellectus*, & propter materialitatem, & propter singularitatem. Sed neque hoc, tum quia hæc ratio cessat in objectis spiritualibus; tum quia non videtur minor proportio phantasmatis ad actum *intelligendi*, quam objecti materialis, sed hoc agere potest in intellectum separatum, ut dicemus disp. ult. ergo eodem modo phantasma; sed neque etiam singularitas phantasmatis obstare potest, quia ipsamet species intelligibilis ita singularitas est, sicut phantasmata. Vel tandem id esset, quia objectum debet unire intellectui, illique intime conjungi, ut secum constituat unam totalem causam intellectionis, constat autem objectum non posse illi ita conjungi realiter, cum sit extra intellectum, & ab eo separatum, ergo saltem debet ei conjungi intentionaliter mediante specie. Et neque hoc satisfacit, quia ut notat Doctor p. d. 3. qu. 7. M. non tanta requiritur unitas in causis, quanta in effectu, unde regulariter plures causæ ad producendum unum effectum concurrentes *solum* habent unitatem ordinis, sic igitur

in proposito inter objectum, & intellectum, ut unam integrent totalem intellectionis causam, sola sufficit unitas ordinis, debita nimirum objecti ad potentiam approximatio, & applicatio, ut supra notavimus qu. 3. concl. 2. unde inquit Doctor, quod accidit speciei, inquantum est causa partialis intellectionis, quod recipiatur in intellectu, eique inhæreat, si enim per se subsisteret, & intellectui assisteret ab extrinseco absque informatione cum debita applicatione, adhuc bene cum intellectu sufficeret ad causandam intellectionem. Tum quia modo phantasma concurrit cum intellectu agente ad causandam speciem intelligibilem, nec non nisi ab extrinseco ei conjungitur per quamdam assistentiam, ergo eodem modo conjungi poterit cum possibili ad causandam intellectionem, nec videtur cur hic major causarum unio, & intimior conjunctio reperiatur, quam ibi.

75 Rursus probari solet, quia objectum in phantasmate, & aliis potentiis inferioribus, cum sit materiatum, & extensum, non est actu sed potentia tantum intelligibile, quia in toto illo progressu semper manet in ordine sensibilium, opus igitur est, ut ab agente intellectu elevetur ad ordinem intelligibilium, & de potentia intelligibili fiat actu intelligibile, hoc enim sensu dicitur intellectus agens transferre res de ordine in ordinem, sed talis elevatio, & translatio non fit nisi per abstractionem speciei intelligibilis, in qua objectum apparet depuratum, ac veluti defæcatum a conditionibus materialibus. Sed in primis hæc ratio non concludit universaliter necessitatem speciei pro cognitione abstractiva quorumcumque objectorum, sed tantum pro cognitione sensibilium, & tamen certum est, spiritualia quoque ab intellectu saltem separato abstractive cognosci per speciem, deinde illa doctrina de objectis sensibilibus, & materiatis, quod non sint actu intelligibilia, sed potentia tantum, quamvis in ore omnium resonet, tamen nisi recte explicetur, est valde dubia, ac etiam falsa, tum quia & ipsa quoque sunt actu entia, & actu includunt rationem objectivam intellectus, quamvis enim sint intra ordinem sensibilium, non idcirco excluduntur ab ordine intelligibilium, quia intellectus est potentia illimitata, quæ vagatur per omnia entia, ut infra magis constabit: illa ergo doctrina intelligi debet de sensibilibus in ordine tantum ad intellectum con unctum, ut bene notat Lichet. p. d. 3. q. 6. §. *sed in ista litera*, quia enim in hoc statu nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, eo quod intellectus utatur sensibus, veluti januis, per quas solum, & non aliter objectis ad aulam intellectus datur ingressus, ideo sensibilia non dicuntur actu intelligibilia, idest immediate ab intellectu attingibilia, nisi prius per omnes sensus transierint, & ante talem transitum semper dicuntur potentia tantum intelligibilia; si ergo in hoc sensu tantum, & non aliter objecta sensibilia dicuntur potentia intelligibilia, ut magis infra patebit, dum erit sermo de notitia intuitiva, qui vult negare species intelligibiles, dicet, quod objectum in phantasmate est actu intelligibile quia per ulteriorem sensum transire non debet, & negabit, quod materialitas, & extensio repugnent cum actuali intelligibilitate, alioquin nec a Deo, nec ab Angelis intelligi possent objecta materialia, quatenus talia, nisi in sensu jam explicato, nam certe nulla intrinseca repugnantia afferri poterit, quam improportio quædam objecti materialis ad potentiam spiritualem, quæ solum obstat, ne possit esse causa totalis *intellectionis*, non autem quin possit esse partialis minus principalis, sic enim de facto ponitur causa speciei intelligibilis, de quo interim videatur Doctor 2. d. 3. qu. 11. & 4. dist. 45. qu. 2.

76 Alite ergo probari solet a nostris cum Scoto loc. cit. in hunc modum; intellectus per cognitionem abstractivam præsertim attingit naturas universales, & communes, sed natura talis apparere non potest in phantasmate, sed solum in specie intelligibili, ergo talis species est necessario admittenda pro tali cognitione, ut comprincipium ejus gerens vices objecti, major prob. quia illa præcipue dicitur abstractiva cognitio, per quam attingitur natura, nedum depurata a materialitate, & concretione materiæ, sed etiam a conditionibus individuantibus hic, & nunc, ita quod per speciem sola natura communis repræsentetur, minor patet, quia cum phantasma sit materiatum, & extensum, non nisi singulare repræsentat. Respondent, phantasma se solo absque ope speciei intelligibilis sub alio tamen, & alio lumine singulare, & universale repræsentare posse, nimirum per lumen phantasiæ repræsentare singulare, per lumen intellectus agentis repræsentare universale, seu naturam ipsam communem; phantasma enim utrumque includit, & naturam, & conditiones individuantes, natura sub his conditionibus materialibus attingitur a phantasia, sine istis conditionibus ab intellectu, hac enim ratione dicitur intellectus agens abstrahere naturam a conditionibus materialibus, quatenus hanc apprehendit non apprehendendo illas, sicut enim oculus lac videns apprehendit albedinem, quæ sui juris est, dimittendo dulcedinem, quæ non est sui juris, sic intellectus contemplando phantasma cognoscit quidditatem, quæ sui juris est, & sensibus derelinquit conditiones materiales, quæ non sunt sui juris, & in hunc sensum inquiunt Arist. dixisse 3. de Anim. 30. & 39. intellectum speculari in phantasmatibus quod quid est. Hæc solutio passim rejici solet, tum quia phantasma quantumvis objective irradietur ab intellectu agente, quia tamen in organo residet corporeo, & est extensum, consequenter nequit naturam sine materiæ conditionibus ostendere, & consequenter non nisi singularem, tum 2. quia phantasma cum sit causa naturalis, quando movet, agit secundum ultimum potentiæ suæ, & totam repræsentandi vim exercet, cum ergo naturam contineat conditionibus individuantibus immersam, nequit cum intellectu concurrere, prout in eo, quasi elucet solitarie natura communis, velut apparet in specie intelligibili. Tum 3. quia si universale, seu natura communis in phantasmate sufficienter repræsentatur, non in specie intelligibili, tunc universale erit in sensu, non in intellectu; tum tandem quia, ut Scot. arguit, ratio singularis, & universalis sunt oppositæ rationes, ergo phantasma nequit repræsentare objectum sub his rationibus oppositis, nec etiam sub diverso lumine, quia species, seu phantasma non habet virtutem repræsentativam a lumine, sed ex sua natura antecedenter ad lumen, alioquin idem phantasma sub diverso lumine posset repræsentare sonum, & colorem.

77 Verum his rationibus præfata responsio non sufficienter falsitatis convincitur, primo non urget, quia esse extensum, & materiale, item esse singularizatum, & individuale non tollit intrinsecam naturæ communitatem, ac indifferentiam, ut notat Doctor 2. d. 3. qu. 1. eo quia determinatio per differentiam individualem est prorsus ei extrinseca, sicut ergo in singulari extra hac ratione reservatur natura communis, & sunt in eo conditiones individuales, sicut in Sorte est humanitas, & Sorteitas, sic in phantasmate ipsius repræsentatur natura communis, & singulare, & in repræsentativo singularis, quod est phantasma, continetur repræsentativum naturæ communis, ut notavit ipse Doctor qu. 17. de Anim. §. *præterea ostendo*, dum probabiliter defendit oppositum conclusionis nostræ, imo hoc eodem modo sustinent præclari Scotistæ, & Scotus ipse, per speciem singularis minus, atque magis universale repræsentari posse, ut postea videbimus, & rationes allatæ contra præfatam solutionem æque bene impugnant repræsentationem universalis factam per speciem intelligibilem singularis, ac per phantasticam, ut jam constat de prima, & mox constabit de aliis. Instabis cum Fabr. loc. cit. naturam communem in suo singulari non retinere amplius communitatem suam per indifferentiam, cum per singularitatem sit determinata, ergo nec in phantasmate poterit ut talis repræsentari. Neg. assumptum, quia illa determinatio est extrinseca naturæ; tum quia illa instantia æque impugnat repræsentationem universalis factam per speciem intelligibilem singularis, ac per phantasticam. Secunda quoque ratio eadem ægritudine laborat, quod æque impugnat hanc, & illam repræsentationem, & absolute non urget, quia licet phantasma moveat ad utrumque idest ad intelligendam naturam cum conditionibus individuantibus, potest tamen intellectus saltem ex voluntatis imperio unum considerare non considerando aliud, vel utrumque simul considerare nimirum naturam ut per se, & intrinsece communem, per accidens, & extrinsece singularem. Tertia ratio non valet, quia ut ait Doctor qu. 17. de Anima universale pro secunda intentione non est objectum ejus directum, ac ejus operationem præcedens, nam potius ab ea talem accipit universalitatem, sed est universale pro prima intentione, idest pro quidditate rei absoluta, quæ quantum est de se, nec est universalis, nec singularis, sed indifferens, non autem opus est, quod natura sic universalis sit in intellectu subjective, sed tantum objective. Tandem neque quarta ratio multum urget, quia data hypothesi phantasma non repræsentaret naturam, nisi ut intrinsece communem, & solum extrinsece singularizatam, quæ duo non opponuntur, alioquin illa ratio æque bene impugnaret repræsentationem universalis factam per speciem intelligibilem singularis, aut minus universalis. Hac igitur de causa fatendum est, quod licet allata ratio valde urgeat in principiis Thomistarum, qui arbitrantur intellectum agentem, ita ex phantasmate species intelligibiles abstrahere, ut naturam depuret, non tantum a materialitate, & extensione, sed etiam ab individuatione, ita quod in specie abstracta sola natura communis repræsentetur, tamen apud nos non multum faceßit negotii, qui probabilius putamus speciem productam ab intellectu agente naturam repræsentare, adhuc cum conditionibus individuantibus, quæ in phantasmate relucebant, & intellectum possibilem esse illum, qui eam ulterius abstrahat a conditionibus illis considerando naturam puram illis postpositis; nam juxta hunc dicendi modum species intelligibilis, & phantasma non distinguuntur ex objecto repræsentato, sed ex propria entitate, quod phantasma sit ens corporale, & species intelligibilis spirituale, unde intantum intellectus agens dicatur abstrahere a concretione materiæ, inquantum producit species spirituales; si ergo in objecto repræsentato conveniunt species intelligibilis, & phantasma, poterit absolute loquendo natura communis per utrumque repræsentari, nisi aliunde impedimentum contingat, unde non abs re Doctor qu. 17. cit. de An. argumentum pro speciebus intelligibilibus deductum ex cognitione universalis non satis efficax putavit, sicut nec alia quædam, quæ adducit loc. cit. p. d. 3. q. 6. nam in lib. de Anim. qu. 17. dat modum illa solvendi: alias rationes pro speciebus in communi adduximus, & solvimus disp. præc. nu. 214. & seq.

78 Itaque cum Mairon. putamus pro speciebus intelligibilibus validiorem rationem adduci non posse, quam quæ deducitur ex memoria intellectiva, & recordatione præteritorum, & bene tangitur a Doct. 1. d. 3. qu. 6. in corpore quæsti §. *Ad quæstionem*, nam sine speciebus intelligibilibus post actum remanentibus talis recordatio videtur nequaquam fieri posse, & quando etiam in nobis id salvaretur per solam memoriam sensitivam dicendo, quod sicut per sola phantasmata intelligimus, sic etiam eorum beneficio dumtaxat recordamur, non autem speciebus intelligibilium; id tamen minime suffragatur in anima separata, quæ utique præteritorum recordatur, ut constat in Evangelio de divite, & multis aliis, & tamen phantasmata non habet. Sed ad id quoque respondet Doct. qu. 17. cit. in libr. de

de An. ut post unam intellectionem relinqui habitum virtute illius actus, qui habitus habet inclinare potentiam ad intelligendam alias eandem rem, & ipsam repræsentare, sicut posset species impressa, quæ solutio fundamentum habere videtur in doctrina ejusdem in lib. Sent. ubicunque tribuit habitui virtutem repræsentativam; Nihilominus responsio hæc non satisfacit, & optime refellitur a Mair. cit. tum quia repræsentativum objecti in causando non se tenet ex parte potentiæ; sed ex parte objecti, habitus autem se tenet ex parte potentiæ; tum quia non ex quolibet actu generatur habitus, sed de omni actu, quem habemus, possumus recordari; tum quia omnis actus intellectus potest esse objectum recordationis, ergo oportebit ponere tot habitus, quot recordabilia; tum quia omnes difficultates, quæ contra speciem impressam fieri solent, recurrunt contra habitum, si opponatur habere vim repræsentandi, puta quod posset fieri intellectio sine phantasmatibus &c. tum tandem quia si ponantur habitus in intellectu, qui habeant vim repræsentandi objecta, idem omnino erit, quod ponere species, nec erit discrimen, nisi in modo loquendi, quia quod unus appellat speciem, alius appellat habitum; ad loca vero Doctoris, quibus innuitur habitum habere vim repræsentandi luculenter satisfacit Bargius 1. d. 3. q. 6. in §. *ad quæstionem*.

79 Cavellus q. illa 17. cit. n. 21. fatetur hanc rationem esse cæteris efficaciorem, sed probat, ut problematice defendat cum Doctore ibidem sententiam negantem species, inquit, dici posse, quod anima separata accipit species recordativas præteritorum a Deo, & quod licet hoc neget Doct. 2. d. 3 q. 10. & 11. & 4. d. 45. q. 2. tamen ad hanc opinionem problematice tuendam facile illud admitteret. Verum Scot. illis in locis validis adeo rationibus refellit illum dicendi modum de effluxu specierum a Deo in Angelos, & animam separatam, ut nemo unquam sibi persuadere possit fore illum admissurum, sed potius hanc partem problematis, quam tuetur in lib. de An. desertrum, & alteri adhæsurum, ut postea fecit p. sent. d. 3. q. 6. tum quia hinc sequitur, Angelos, & animas separatas suæ naturæ dimissos nullius præteriti posse recordari, cum non valeant propriis viribus species rerum recordativas sibi comparare.

80 Contaren. junior q. de speciebus sensib. & intelligib. cap. 7. hac ratione convictus concedit species intelligibiles, non quidem præcedentes actum intellectionis, sed subsequentes ipsum, regulariter enim ex actu elicito derelinquitur in intellectu species impressa ejusdem, ut cum deinde objectum illius actus denuo velit intellectus contemplari, tunc absque ope phantasmatum, sed per proprias species ex actibus intellectus acquisitas hoc facere valeat, quæ concludit ad originariam, & primævam rei cognitionem speciem intelligibilem necessariam non esse, sed solum ad habitualem, quando scilicet intellectus rem alias inspectam intelligit, & memorat. Sed si allata ratio bene perpendatur, probat quoque species intelligibiles actum intellectus præcedentes, quia ut docet Scot. 4. d. 45. q. 3. in memoria duplex objectum reperitur, remotum scilicet, & est illud, circa quod memorans aliquando habuit actum, & proximum, scilicet ipse actus præteritus, qua talis, nec unum sine altero sufficit ad memorandum, quia species actus non nisi actum repræsentare potest, & ejus cognitionem excitare, ergo si non alia species reperitur in intellectu, nisi ipsius actus, & non etiam objecti, circa quod actus ille fuit elicitus, nunquam memoria habebitur de tali objecto. Accedit, rationem non deficere, quæ etiam independenter a memoria probat necessitatem specierum in omnino prima abstractiva cognitione, quam Doctor exaggerat 1. d. 3. q. 6. lit. F. & P. & prius adduxerat q. 14. de An. & est, quod si non contemplaretur objectum in proprio, & proportionato repræsentativo, quod est species intelligibilis, sed illud haberet tantum præsens in phantasmate, tunc esset deterioris conditionis, quam ipse potentiæ sensitivæ, quæ objectum suum habent præsens in proprio repræsentativo, non in alieno. Nec valet, quod ad hoc ait Contaren. cit. quod potius id esset dedecus, & imperfectio in anima, quia quo potentia nobilior est, paucioribus indiget instrumentis ad operandum. Nam species omnino necessaria est ad cognitionem abstractivam, ut repræsentet objectum, unde & ipsi quoque fatentur uti debere phantasmate, tanquam instrumento; sed longe melius est intellectui concedere propriam speciem intelligibilem, ut ea utatur tanquam proprio instrumento, quam in alieno repræsentativo præsentiam sui objecti emendicare; vide Doct. cit.

81 Hæc vero sententia de speciebus intelligibilibus expresse fuit Arist. pluribus in locis in lib. præsertim de An. nam. 2. de An. 8. ait intellectum in habitu operari posse, quando vult, ubi per intellectum in habitu intelligit intellectum, speciebus imbutum, & 3. de An. tex. 3. ait intellectum esse susceptivum formarum, idest specierum, & tex. 6. eundem appellat locum formarum, & tex. 17. ponit intellectum agentem ad abstrahendas species intelligibiles, ut dicemus q. seq. & tex. 37. & 38. ait intellectum fieri omnia, dum suscipit omnium rerum formas intentionales, & quod lapis non est in anima, sed species, & forma lapidis; Neque dicas per has formas, ac intentionales rerum similitudines intelligere Arist. ipsam rerum cognitionem; nam Arist. intellectum speciebus imbutum vocat intellectum in habitu, non in actu, qualis est cum actuali intellectione, & inquit per speciem intellectum reduci de potentia essentiali ad accidentalem, non autem ad actum. Fuit etiam expresse D. Aug. 12. de Trin. c. 2. & super Gen. c. 16. 45. & 96. & in lib. confess. c. 11. quas auctoritates ad litteram adducit Bargius q. cit. in §. *ad quæstionem*, quare quando etiam ob nostri ingenii tenuitatem ratio convincens non suppeteret pro speciebus intelligibilibus, sola tantorum virorum auctoritas, & communis omnium sensus sententiam hanc reddit valde probabilibrem oppositæ.

82 Sed ut magis appareat ex quo capite specierum necessitas sit attendenda, notandum est ex Scot. 4. d. 12. q. 3. ad 5. hanc necessitatem attendendam non esse ex parte potentiæ, ut videntur velle Thomistæ, quasi intellectus sine specie sit in completus in ratione potentiæ vitalis, ac intellectivæ; quia revera intellectus a specie nullam recipit virtutem, nullamve perfectionem ad ipsum pertinentem in ratione potentiæ intellectivæ, quia in ordine suo totam habet activitatem in ordine ad actum intelligendi; sed necessitas speciei tota attendi debet ex parte objecti ad supplendum nimirum ejus concursum, ut alterius concausæ necessario ad intellectionem requisitæ; Hoc autem supplementum ex tribus ad summum capitibus potest esse necessarium; primum est, quando objectum non est actu intelligibile, sed potentia tantum, qualia sunt omnia objecta sensibilia, & materialia in ordine ad cognitionem abstractivam, ut notat Doct. 1. d. 3. q. 6. lit. O. non enim sunt abstractive actu intelligibilia, nisi fuerint in specie præsentia, dum enim sunt præsentia in seipsis, cognitionem pariunt intuitivam, non abstractivam; Alterum caput est, cum objectum in se quidem est actu intelligibile, sed est absens, ideoque suppleri debet ejus præsentia per speciem, & hoc sensu unus Angelus dicitur indigere specie ad intelligendum abstractive alterum Angelum absentem. Tertium caput tandem est, quando objectum est intelligibile, & præsens præsentia entitativa quidem, quia non abest, non tamen objectiva, quia in ratione objecti valde excedit potentiam, unde ut habeatur præsentia objectiva, & intellectio sit in potestate intelligentis, opus est specie intelligibili, per quam proportionatur potentiæ, fitque illi præsens in ratione objecti; & ex hoc capite Doct. 2. d. 3. q. 9. ad ult. arbitratur fuisse Angelis concessam in via speciem repræsentantem divinam essentiam abstractive; ex primo igitur capite necessaria est in cognitione abstractiva, de qua tantum est sermo in hoc art. species intelligibilis in omnibus objectis materialibus, & sensibilibus; ex secundo capite necessaria quoque est in spiritualibus, ac mere intelligibilibus creatis, ex tertio tandem necessaria est etiam in objecto increato, ut abstractive cognoscatur ab intellectu creato.

Solvuntur Objectiones.

83 Adversus species intelligibiles, Primo arguitur, quod nulla sit earum necessitas, quia vel sunt necessariæ ad eliciendam intellectionem, & hoc non, quia sufficit intellectus possibilis cum objecto ipso, aut phantasmate; nam licet sit materialis, adhuc tamen potest cum intellectu, ut causa partialis minus principalis concurrere ad actum intelligendi, sicut ponitur concurrere ad productionem speciei intelligibilis; Vel ad repræsentandum objectum intellectui, & neque hoc, quia ad hoc quoque solum phantasma sufficit, sicut in aliis casibus satis est objectum repræsentari potentiæ superiori per actum potentiæ inferioris, ut voluntati per intellectum, appetitui per sensum, & hoc ipsum innuit Arist. 3. de An. cum ait intellectum speculari quod quid est in phantasmatibus. Vel ad assimilandum intellectum intentionaliter objecto, & neque hoc quia talis assimilatio sufficienter fit per ipsam intellectionem ab objecto causatam, & in intellectu receptam. Vel ad determinandam potentiam quæ de se indeterminata est ad operandum circa hoc, aut illud objectum, & neque hoc, cum hæc ut supra diximus sit illimitatio potentiæ activæ, non passivæ, & rursus quia solum objectum sufficit ad determinandam illam qualemcunque intellectus indifferentiam. Vel tandem ponetur ad uniendum objectum cum potentia, velut movens cum moto, & neque etiam hoc, ut paret ex dictis confutando secundam rationem ab aliis allatam pro conclusione; tum quia eadem difficultas recurrit pro causanda specie; nam ad illam quoque causandam in intellectu requiritur aliqualis unio objecti cum illo.

84 Resp. satis patere ex dictis, ad quid conducant species intelligibiles, sunt enim necessariæ pro cognitione abstractiva, & quidem in rebus materialibus ut de potentia fiant actu intelligibiles secundum illam cognitionem, in spiritualibus vero, ut objectum, cum fuerit absens fiat per speciem præsens, ut explicatum est supra, neque ad talem præsentiam faciendam sufficit phantasma, & probatio ad hoc adducta potius est ad oppositum; nam sicut sensus interior non cognoscit per speciem existentem in exteriori, sed per propriam, esto eam recipiat aliquo modo causatam a specie existente in sensu exteriori, & hoc est perfectionis in ipso: sic quoque dicendum est de potentia intellectiva, quod ei repræsentetur objectum per speciem propriam, & non alienam, quod enim est perfectionis in potentia inferiori, tribui quoque debet superiori, nisi manifesta appareat implicantia; exemplum autem de voluntate, & appetitu non valet; quia hic loquimur de potentiis cognitivis, ita Doct. cit. 1. d. 3. q. 6. F. & P. cum vero dicebat Ar. intelligentem quod quid est in phantasmatibus speculari; loquitur in sensu jam explicato in 1. qu. quatenus ob connexionem potentiarum nullum universale intelligit intellectus pro statu isto, cujus interim singulare phantasiæ non obverset ur, ita Doct. cit. lit. N. Dices etiam in phantasmate o jectum est præsens in ratione actu intelligibilis, ergo superfluit species. Neg. communiter assumptum, quia objectum in phantasmate continetur adhuc intra ordinem materialium, & sensibilium; sed eo concesso negat adhuc Doctor consequentiam loc. cit. P. & si enim intellectus possit habere objectum sibi præsens in potentia inferiori, non tamen summa præsentialitate possibili præcedere actum intelligendi, & sicut aliis

poten-

potentiis cognitivis, ita multo magis isti potentiæ debet concedi objectum esse summe præsens, quantum potest esse præsens ante actum cognoscendi, & hoc non salvatur, nisi in specie intelligibili, velut proprio repræsentativo. Dices rursus, præsentia objecti est causa præsentiæ speciei, non e contra, non enim quia species albi est in oculo, ideo album est præsens, sed e contra, ergo supervacaneum est species propter præsentiam objecti ponere. Resp. Doctor cit. ad 2. princ. duplicem esse posse præsentiam objecti ad potentiam unam physicam, & realem, quia quodlibet agens physicum est præsens passo, alteram intentionalem, qua proprie objectum dicitur præsens potentiæ in ratione cognoscibilis, licet igitur prius objectum sit præsens, quam species præsentia reali, & physica, non tamen præsentia intentionali, sic enim potius species est causa præsentiæ objecti in cognitione abstractiva, de qua nunc est sermo; hoc tamen non ita intelligendum est, quasi modo possit objectum extra immediate causare in intellectu nostro speciem intelligibilem, quia propter ordinem potentiarum non potest eam ita causare, nisi in sensu exteriori, unde remote solum causat speciem intelligibilem.

85 Secundo obiicitur, quia si necessaria est species ad cognitionem saltem abstractivam, vel ipsa species erit immediate causa intellectionis cum intellectu concurrens, vel potius objectum in specie relucens; non primum, quia tunc species ipsa intelligeretur, non objectum per ipsam repræsentatum, sed neque secundum, quia objectum in specie habet esse diminutum, & secundum quid dumtaxat, ergo nequit esse causa effectus realis, & physici, qualis est intellectio. Deinde omnis qualitas intenditur, & remittitur, quod de speciebus affirmari non potest, nam si per *multas* cognitiones augentur tunc semper magis inclinaretur intellectus ad intelligendum, & per consequens totaliter superfluerent habitus, qui tamen ab omnibus fere admittuntur; si per cessationem ab actibus remittuntur, tandem ab intellectu delerentur, quod communiter negatur a fautoribus specierum. Tandem si daretur species impressa præcedens, & manens post intellectionem, sequitur dari memoriam intellectivam ultra sensitivam, quod negat Arist. lib. de memoria, & reminiscentia cap. 1.

Resp. ad 1. in illo puncto dissentire Scotistas, quorum aliqui, ut Lichet. & Burg. cit. p. c. 3. q. 6. ad 2. princ. volunt, speciem ipsam, non objectum in specie, esse comprincipium cum intellectu abstractivæ cognitionis, alii e contra contendunt, ut Paulus Scriptor, non speciem, sed objectum in specie relucens causare intellectionem, & uterque dicendi modus innititur rationibus in argumento allatis pro utraque problematis parte, & quamplurimis Scoti auctoritatibus, quas adamussim recenset Burg. cit. teneas, quæ magis arridet, problematis partem, nobis tamen probabilior videtur opinio statuens speciem ipsam esse comprincipium intellectionis, non objectum in specie, ob rationem pro ea parte adductam; neque hinc sequitur tunc speciem ipsam intellectam iri, non objectum, ut urgebant alii, tum quia species non concurrit ad intellectionem nisi quatenus vicaria objecti ac loco ejus substituta, veluti semen ejus; tum quia *licet* sit principium cognitionis abstractivæ, terminus tamen ejus est objectum in specie.

86 Ad 2. de intensione, & *remissione specierum*, nonnulla est difficultas, quidam enim negant intendi, tum ob rationem allatam in argumento, quia scilicet superfluerent habitus; tum quia si id *esset*, maxime intenderentur ex repetitis actibus, at talis actuum frequentatio habitum generat, vel auget, non speciem, tum quia si ex actuum repetitione species augeretur, efficerentur postea actus intensiores & clariores, quod est contra experientiam, non enim quia sæpius repetimus salutationem Angelicam, aut nomen Romæ, clarius illa objecta cognoscimus, aut melius memoriter tenemus, quam antea faceremus. Oppositum tamen est verius, & expresse tenet Doct. 4. d. 45. q. 2. ad 3. princ. in reportat. 1. disc. 3. q. 5. Mairon. q. 10. Lichet. & Barg. cit. Arriag. d. s. 4. de An. sect. 6. & passim alii Recentiores; & probatur evidenti experientia, quia quo sæpius cognoscitur aliquod objectum, eo facilius excitantur species de illo, nonnisi quia per repetitionem actus novæ species productæ sunt prioribus similes, quibus proinde adjunctæ illis intendunt, sicut unus gradus caloris additus alteri, & hac de causa, cum sæpius repetitur lectio, vel concio, melius memoriæ mandatur; *experimur etiam in acquisitione scientiarum melius in dies*, clarius, & certius aliquam nos intelligere veritatem per actuum repetionem, quam faceremus ab initio, non nisi quia species illius objecti factæ sunt intensiores; Nec dici potest, id contingere beneficio habitus adgenerati ex actuum frequentatione; quia licet habitus juvet ad promptius, facilius, & expeditius operandum, ac etiam intensius, ac perfectius juxta sententiam tribuentem habitui activitatem, & partialem concursum ad actum, non tamen clarius, & distinctius cognoscendum, quia per habitum, ut habitus est, non habetur præsentia objecti, quæ necessaria est ad actum intelligendi, ut bene Licher. advertit solvendo rationes Ocham loc. cit. Et hinc constat ad motiva in oppositum, non enim supervacanei sunt habitus data intensione specierum, quia non ad idem deserviunt munus species, & habitus, species namque deservit ad clarius, & distinctius percipiendum idem objectum, habitus vero dat facilitatem, & promptitudinem *operandi*; & quia receptio actuum non solum deservit, ut facilius exciterur memoria de eodem objecto, sed etiam ut clarius percipiatur, hinc est, quod deservire potest tam ad intensionem habitus, quam speciei; verum tamen est circa aliqua objecta nos interdum adeo intentas habere species, ut nobis prorsus facilia sint, & obvia, & *ita contingit de salutatione Angelica*, & nomine Romæ sæpius repetitis, unde probabile est circa hæc & similia objecta, nec habitum nec speciem intendi (nam hæc eadem difficultas posset quoque de habitu fieri) quantumcunque actus repetantur, ut notavit Arriag. cit. concedendum ergo est species intelligibiles intendi posse, ac remitti, & consequenter quantum est de se corruptibiles esse, ac delebiles, unde autem illis obveniat perpetua conservatio, mox dicemus; an vero species intendi possit per actum seipsa remissiorem est communis difficultas speciebus, & habitibus, de qua diximus disp. 3. q. 4.

87 Ad 3. facile evadunt, qui cum Avicen. admittunt quidem species in intellectu, sed ajunt statim intellectione facta transire, sicut species visibiles facta visione statim evanescere. Sed species permanere post actum negari non potest, quia si in parte sensitiva species conservatur ad sentiendum objecta jam sensata, & pro eis conservandis ponitur memoria sensitiva, tanto magis poni debet intellectiva ad illas conservandas *in intellectu*; tum qui ut notat Doct. 1. d. 3. q. 6. N. longe melius conservantur species intelligibiles in intellectu, quam sensibiles in organo memoriæ sensitivæ, quia istæ saltem per læsionem, ac indispositionem organi, in quo subjectantur, corrumpi possunt, sed non illæ, tum quia sunt immateriales; tum quia imprimuntur intellectui, qui nunquam marcescit, qua de causa ait Doct. intellectum fuisse consulto ab Ar. non subjectum, sed locum specierum 3. de An. 6. appellatum, quia habet potissimam loci proprietatem, quæ est conservare locatum; imo in 4. d. 45. q. 1. & 3. declarat species adeo indelebiliter imprimi in intellectu, ut etiam maneant post mortem, cui consonat, quod habet D. Hier. in prolog. Bibl. *discamus in terris, quorum nobis scientia remanebit in cœlis*, quamvis ergo species intelligibiles sint suapte natura defectibiles, conservantur tamen ex perennitate subjecti, unde potius ratione subjecti, quam ratione sui illarum impressio censenda est indelebilis. Nec obstat actus, & habitus in intellectu quoque recipi, & subjectari, & tamen definere; Quia actus habet esse in fieri, ad instar entis successivi, & se habet per modum transeuntis, ut Doctor annotat quol. 13. D. d. at species habet modum permanentis, & est similitudo objecti, veluti in facto esse, habitus vero licet sit forma permanens, tamen habet contrarium, cujus actione destrui potest, at species, sive intelligibiles, sive sensibiles, contrario carent, nam species contrariorum v. g. albi, & nigri simul manent in eodem oculo, quare si alias contingat eis subjecto infidere incorruptibili, ut de intelligibilibus evenit, perpetuo conservantur in eo, ita Mairon. cit. sequuntur Scotistæ omnes, Conimb. lib. 3. de An. c. 5. q. 3. art. 2. Aversa q. 58. sect. 1. & alii passim, concedenda itaque est in parte intellectiva memoria sumpta pro potentia conservativa specierum repræsentantium objecta absolute præscindendo ab omni præteritione, quia tales species non pendent in conservari a præsentia alicujus objecti, neque ab actu intelligendi, nulla est enim ratio talis dependentiæ; præterea non habent contrarium, & sunt spirituales, ac in subjecto immateriali, ergo nulla est ratio, cur corrumpantur.

88 Sed nunquid concedenda est etiam in parte intellectiva memoria sumpta pro potentia, conservativa specierum præteritorum, quatenus præterita sunt, quæ proinde recordativa dicitur, de qua proprie locutus est Ar. cit. in lib. de memor. & reminisc. Negat D. Tho. p. p. q. 79. ar. 4. & 1. contra gentes c. 74. fundamentum ejus est, quia objectum intellectus est universale, quod abstrahit a fuisse, & fore, ergo non datur memoria intellectiva, quæ sit recordativa, sed tantum sensitiva. Oppositum docet Scot. 4. d. 45. q. 3 cum suis, Faber theor. 80. c. 3. Vulp. tom. p. par. 1. disp. 19. ar. ult. Reg. Parisien. lib. de memoria, & reminisc. Cavell. disp. 3. de An. sec. 2. & alii Recentiores passim; & patet experientia, experimur enim nos recordari præteritorum conceptuum rerum non tantum universalium, quas semel cognovimus, nec potest attingere memoria sensitive, sed etiam singularium, sic dives ille Lucæ 16. recordabatur fratrum suorum, Abraham & Lazari sine ministerio memoriæ sensitivæ; imo, & nos de præteritis acribus spiritualibus malis, quos sensus non attingit, pœnitentiam agimus, illos recogitando cum suis circumstantiis loci, & temporis, ita arguit Doct. cit. ab initio quæstionis, & in corpore §. *dico ergo*, unde aliqui putant ob auctoritates ex Evang. adductas esse de fide admittere memoriam intellectivam prout est recordativa præteritorum, alioqui anima separata recordari non posset eorum, quæ illi contigerunt in hac vita, cujus oppositum expresse habetur in Evang. Nec satisfacit, quod inquit D. Th. 1. p. q. 89. ar. 1. & q. 55. ar. 2. animam separatam accipere species præteritorum recordativas a Deo; tum quia tunc naturaliter, & quantum est de se, anima separata nullius præteriti recordaretur, tum quia etiamsi in Angelis admitteretur hæc infusio specierum a Deo, nulla tamen urget necessitas illam tribuendi animabus quoque separatis, quia potuerunt in corpore illas acquirere sensuum ministerio, & in officina intellectiva conservare etiam post mortem. Deinde arguit Doctor, majorem veritatem habet præteritum, quam futurum, quia præteritum habet veritatem quodammodo necessariam, futurum vero contingentem, sed futurum ut sic potest ab intellectu nostro cognosci, ergo & præteritum ut sic, ergo cum omni proprietate concedenda est memoria in parte intellectiva. Demum vel memoria dicit conservationem specierum, vel cognitionem præteriti, ut præteritum est, vel utrumque simul, sed omnia hæc in intellectu reperiuntur, ut constat ex dictis, ergo &c.

89 Nec fundamentum D. Th. validum est, dum enim assumit objectum intellectus nostri esse universale, quod abstrahit a fuisse, & fore, respond. Doct. cit. ad 2. prin. hoc esse verum quantum ad notitiam scientificam tantum, qualis est sola abstractiva, nam etiam singulare cognoscitur a nobis pro statu isto, ut postea dicemus, licet non sub ratione singularitatis, ut est ratio cognoscendi, nec cognitione scientifica. Neq; Ar. loc. cit. memoriam in parte intellectiva negare voluit, dum eam ponit in parte sensitiva, quia hoc non excludit illud, nec debet denegari potentiæ superiori cognitivæ, quod est perfectionis in inferiori, ita Doct. cit. ad p. prin. imo §. *de secundo* notat, Ar. in eodem loco expresse admittere memoriam intellectivam, dicit enim quorundam intelligibilium nos memorari, ut quod triangulus habet tres angulos, &c. & hoc quidem, quia didicit, & fuit speculatus; & quamvis dicat ibi, quod memoria intelligibilium non est sine phantasmate, non propter hoc negandum est memoriam esse in intellectu, sicut non negatur intelligere in intellectu, esto secundum *ipsum ibi nunquam intelligamus* sine phantasmate ob connexionem potentiarum pro statu isto, quia ergo pro statu isto memoria intellectiva pendet a sensitiva, non e contra, & sensitiva est veluti radix intellectivæ, ideo Arist. ibi tantum tribuit memoriæ sensitivæ, & quodammodo illam evehit supra intellectivam, & eadem de causa inquit, memoriam per se esse primi sensitivi, per accidens vero esse parti intellectivæ, ita loquitur Ar. non quia negare intendat veram memoriam in parte intellectiva, sed quia nulla recordatio pertinet ad intellectum, tanquam primario, & radicaliter ita sufficientem ad recordandum, ita Doct. cit. lit. K. & tandem ex hac causa Ar. ibi dicit, quosdam esse bene reminiscitivos, quosdam male propter diversitatem organi, quia memoria intellectiva pendet ex simulacro sensitivæ, in cujus organo perturbari possunt, ac interdum totaliter deleri species sensibiles, non ita intelligibiles in intellectu, unde bene concludit Mairon. cit. quod tota oblivio debet referri ad sensum, & non ad intellectum, quia species in sensu bene possunt deleri propter alterationem organi, non autem in intellectu, quod etiam docuit Scot. cit. lit. H. & L. quomodo autem intelligendus sit Arist. 3. de An. 20. dum ait nos non reminisci post mortem diximus in expositione textus cap. 3. in fine.

90 At Bargius p. d. 3. q. 6. §. *ad aliud de philosopho* instat, oblivionem sumi quoq; debere ex parte memoriæ intellectivæ propter deletionem, & amissionem specierum, & ratio ejus est, quia licet intellectus pendeat in sua operatione a phantasia in prima motione, non tamen in secunda, quod probat duabus Scoti auctoritatibus, altera in p. d. 3. q. 4 in corpore quæsiti, altera vero in 4. d. 45. q. p. d. prin. Verum hoc est contra communem Scotistarum, & aliorum, & quidem semel admisso species intelligibiles ab intellectu labi, *manifeste* sequitur animas separatas non recordari omnium, quæ in hac vita eis contigerunt, quod est contra testimonia scripturarum, & Patrum; vel dici debebit species saltem illorum objectorum, quæ deciderunt ab intellectu a Deo infundi in egressu animæ a corpore, quod supra impugnatum est: Quod vero intellectus in prima solum motione, & intellectione pendeat a phantasia, non in sequentibus, licet non sit omnino verum, ut dictum est q. p. hujus disp. eo tamen admisso in sensu ibidem declarato, non infert, quod oblivio sumenda sit ex deletione specierum intelligibilium, sed tantum quod memorari possumus aliquorum, non cooperante interim phantasia circa eorum phantasmata, quando vero memorari non possumus, hoc evenire ex perturbatione, vel deletione specierum sensibilium *dicemus, non autem intelligibilium*. Dices, si quorundam possumus recordari absque ope memoriæ sensitivæ, ergo & oblivisci absque ejus defectu. Quamquam antecedens non facile admiserimus, adhuc tamen eo admisso neganda est consequen. quia quod est perfectionis, tribuendum est potentiæ superiori, quod vero est imperfectionis, inferiori.

91 Hic tamen advertendum est, quod licet in parte intellectiva admittamus memoriam a sensitiva distinctam, nequaquam tamen censeri debere potentiam ex natura rei diversam ab intellectu, sicut intellectus ipse diversus ponitur a voluntate, cum eadem prorsus numero potentia ex diversa habitudine dicatur intellectus, intelligentia, & memoria, ut colligitur ex Doct. p. d. 27. q. p. K. & p. d. 5. q. 9. D. & 3. d. 26. q. un. ad 4. O. & quol. 15 ar. 3. quatenus enim nude accipitur pro ipsamet facultate animæ cognitiva præcise, dicitur intellectus, quatenus stat sub actuali intellectione, dicitur intelligentia, quatenus denique stat sub speciebus, dicitur memoria fœcunda, si *species absolute* considerentur, ut concausæ ad notitiam abstractivam concurrentes si vero considerentur, ut inserviunt ad recognoscenda objecta jam cognitæ, memoria recordativa, & potentia reminiscitiva appellatur, unde inter ista ad summum inferri nequit, nisi distinctio per connotata diversa, quatenus intellectus sub nomine memoriæ, & intelligentiæ connotat aliquam formam accidentalem ab ipso intellectu realiter diversam, scilicet speciem, vel notitiam, & hæc qualiscunque distinctio sufficit ad salvandam imaginem Trinitatis in anima nostra, qualis in ea dari potest, ut Doct. explicat loc. cit. p. d. 3. q. 9. Nec obstat quoddam bene intelligere, & male recordari; hoc enim evenit, quia ex parte phantasiæ impeditur intellectus, ne expedite recordetur, quod actuum tantum arguit distinctionem, non potentiarum, nam & intellectus ipse facilis est ad quædam objecta capienda, & ad alia difficilis, & tamen non idcirco a seipso distinguitur; sed de memoria intellectiva plura vide apud Doct. cit. 4. d. 45. q. 3. & de permanentia speciei post actum intelligendi in lib. de An. q. 14. ubi aliter explicat opinionem Avic. quam passim referatur.

92 Tertio tandem obiicitur, quia si in intellectu dantur species intelligibiles, jam necessaria non erit conversio ad phantasmata, imo sola species sufficeret cum intellectu. Tum 2. quia intellectus semper intelligeret, cum habeat objectum præsens in specie, & plura intelligeret, quia omnes, & singulæ species moverent toto conatu, nec est major ratio, cur cum una concurret quam cum alia. Tum 3. plura cognoscimus, quorum species non habemus, ut Deum, intelligentias, & alia, quæ sub sensu non cadunt, atque ideo sensuum ministerio nequeunt propriam speciem ad intellectum trahere. Tum 4. quia saltem per reflexionem in seipso experiretur intellectus hujusmodi species, sicut deprehendit actus, & habitus; Tum 5. quia Ar. de An. 5. ait intellectum nil esse actu eorum, quæ sunt, antequam intelligat, & tex. 14. esse tanquam tabulam abrasam, inqua nihil depictum est, quæ utique falsa forent, si species præcederent in intellectu actum intelligendi. Tum tandem quia non videtur assignari posse causa efficiens harum specierum, quia nec phantasma, cum sit quid materiale, nec intellectus *possibilis*, qui tantum recipit, nec intellectus agens, quia ex se est in differens ad producendum hanc potius, quam illam speciem.

93 Resp. ad 1. Doct. 1. d. 3. q. 6. N. ex connexione potentiarum intellectus, & phantasiæ pro statu isto non haberi usum speciei intelligibilis sine usu sensibilis in phantasia, ut explicatum est q. p. hujus disp. vel dicatur juxta aliam probabilem sententiam saltem in secunda motione cum sola specie intellectum operari posse absq; recursu ad phantasmata. Ad 2. neg. consequ. cum probatione, nam ut notat Scot. p. d. 3. q. 6. ad 3. princ. cujuscumque speciei singulare fortius movet sensum, ejus phantasma efficacius imprimitur, & primo movet intellectum, & quod istum primum actum non est in potestate nostra, quin intelligamus secundum *Aug. 3. de lib. arb. dicentem non est in potestate nostra, quin visis tangamur*, isto autem actu posito, deinceps est in potestate nostra cognitio actualis cujuslibet habitualiter noti & tunc ea species fortius movet, quæ ad movendum magis applicaretur per voluntatis imperium; si autem præteretur adhuc, unde fit, quod unum phantasma fortius alio moveat; dicendum, vel id ab objecto externo provenire, vel ab Angelo bono, aut malo humores commovente, vel a complexione peculiari hujus, & illius corporis, ratione cujus phantasia plus ad hæc sensibilia deterni natur, quam ad illa, & hinc est aliquos urgentius tentari, & allici ad unum vitium, quam ad aliud. Ad 3. licet omnis nostra cognitio abstractiva ab aliqua specie intelligibili oriatur, non tamen intellectus res quascunque cognoscit per proprias earum species, sed tantum illas, quæ sunt phantasiabiles, cætera vero, quæ non directe sub sensu cadunt, concipit indirecte per species extraneas, quæ majorem habent cum eis proportionem, ut dicemus in seq. Ad 4. Muir. q. 15. prolog. ait per actum reflexum, & arguitive cognoscere intellectum etiam species illi inhærentes, dum experitur se abstractive cognoscere objecta absentia, & memorari præterita, & discurrendo intelligit hæc aliter fieri non posse, quam species bis mediantibus, ut jam probatum est. Ad 5. negavit utique Arist. de An. tex. 5. esse aliquid in actu eorum, quæ sunt, antequam intelligat, non tamen negat esse aliquid in habitu; tex. vero 14. vel loquitur de intelligere in habitu, vel in actu, & in utroque sensu bene docet intellectum esse veluti tabulam rasam, in qua nil est depictum, habitualiter quidem, antequam species bis imbuatur, contra Platonem, qui species ponebat illi concreatas, & actualiter, antequam actualem intellectionem suscipiat. Ad ult. causa efficiens specierum est intellectus agens cum phantasmate, ut constabit qu. seq. alia quædam argumenta contra species intelligibiles adducta a Piccol. & Zab. levioris armaturæ soluta vide apud Fabrum loc. cit.

APPENDIX.

De speciebus intelligibilibus.

94 Queritur Pontius in sua Appendice Apolog. pag. 104. num. 146. fuisse sibi objectum, quod disp. 12. de An. nu. 22. præter Scoti mentem negaverit species intelligibiles, & inquit se rursus id affirmare, quamvis enim probabiliter teneurit Doctor dari illas species, non sequitur, quia probabiliter etiam tenuerit alteram sententiam ut constat q. 17. de An. Subdit deinde neque absolute se id docuisse, sed solum dixisse non esse necessarias quoad rationem, hinc autem non sequitur quod dixerit eas non dari, multa enim dantur, & dicuntur dari propter authoritatem aliquam, ac rationem probabilem, ad quæ asserenda non datur ratio aliqua necessaria, & quæ consequenter, si rationem spectes, non sunt necessario admittenda. Addit tandem nos disp. 6. de An. q. 4. respondere ad omnes rationes Scoti, quibus p. d. 3. q. 6. ostendit specierum necessitatem præter unam, quæ ipsa non sufficit ad sententiam nostram defendendam, scilicet de necessitate specierum in ea universitate qua videmur loqui, & solet teneri nostra sententia, unde deducit mirum esse quod nos per Typographum nostrum ei opposuerimus tanquam indicium parvi affectus erga Scotum, quod sæpe rationes ejus impugnet, cum nos meripsi loc. cit. idem faciamus, ideo concludit in nos bene quadrare adagium: *Væ tibi væ nigræ dicebat cacabus ollæ &c.*

95 Resp. nos quoque concedere Scot. q. 17. de An. docuisse sententiam species intelligibiles negantes tanquam probabilem, attamen in fine quæstionis resolvit oppositam veriorem esse illis verbis. Tene quam partem volueris, prima tamen videtur verior, & ita notavit ibi P. Cavellus *in Scholio*, ex quo factum est, ut postea in libris sent. p. d. 3. q. 6. ubi majorem habet authoritatem, parti affirmativæ absolute adhæserit Et quando in p. d. 3. q. 6. admittit *species intelligibiles*, utique non prætendit eas admittere ob solam authoritatem, aut rationem probabiliorem,

tem, sed ob rationem cogentem, ac veluti necessariam, ut colligitur ex verbis, quæ habet in resolutione quæstionis dicens: Ad quæstionem ergo dico, quod est necesse ponere in intellectu speciem intelligibilem priorem naturaliter actu intelligendi propter rationes jam positas ex parte objecti, ergo secundum Doctorem nostrum, si rationem spectes, necessario sunt admittendæ species intelligibiles contra id quod concludit Pontius, & omnino falsum est, quod addebat denique hic Auctor nos disp. 6. de anima q. 4. respondere ad omnes rationes (una excepta) quibus Doct. loc. cit. stabilivit specierum intelligibilium necessitatem, nam prima, secunda, & tertia ratio, quas ut inutiles rejecimus q. cit. art. 1. non adducuntur a Scoto; quarta ratio, quam Doct. cit. §. contra illam opinionem deducit ex parte universalitatis objecti, & ex parte præsentiæ ipsius intellectui, non absolute censetur inefficax a nobis loc. cit. imo num. 69. dicimus esse valde efficacem, ut deducitur ex parte præsentiæ objecti ipsi intellectui, & solum censetur inefficax, ut deducitur ex parte universalitatis objecti, neque id fecimus ex nostro capite, sed quia Doct. ipse q. 17. de anim. dedit modum solvendi rationem illam ex hac parte, ut protestati sumus num. 66. in fine.

96 Imo ibidem sub eodem num. dicimus rationem illam etiam ex hac parte, nempe ex parte universalitatis objecti valde urgere in principiis Thomistarum, ut ibi declaramus, & in hoc sensu ibi adduci a Scoto, ut efficacem, quatenus opinantes, contra quos ibi arguit cum Thomistis, in eo principio concordabant, quare irrationabiliter omnino in nos concludit adagium illud *Væ tibi &c.* quando namque Auctor ille rationes Scoti impugnat, & reiicit ut inutiles, illas absolute impugnat, & solvit ex proprio capite, & non quia Doctor alibi dederit modum illas solvendi, ut fecimus nos, quod num sit judicium paucei effectus erga Magistrum, judicet prudens Lector.

97 Secundo deinde Pontius num. 147. ponderat unicam rationem nostram ex memoria intellectiva, & recordatione præteritorum deductam, quæ haberi nequit absque speciebus post actum remanentibus, quod si dicas, nos pro statu isto posse recordari beneficio memoriæ sensitivæ, non sufficit hoc, quia sequeretur, animam separatam non posse recordari præteritorum, quod esset contra Evangelium. Sed hæc probatio (inquit ille) nullo modo probat dari species nisi ad actum recordationis, quando non adest aliquod aliud objectum determinativum intellectus, ergo non valet ad probandam necessitatem specierum in cognitione abstractiva universaliter. Conf. quia nos aliquas rationes pro necessitate specierum adductas reiicimus ex eo, quod universaliter non probent necessitatem specierum in omni cognitione abstractiva, ergo non debebamus hanc rationem proponere ad id probandum, cum universaliter non probet illam necessitatem, sed solum in casu recordationis.

98 Resp. in primis falsum esse nos hac unica ratione loc. cit. necessitatem specierum intelligibilium stabilire, quandoquidem num. 69. habemus hæc verba: Accedit rationem non deficere, quæ etiam independenter a memoria probat necessitatem specierum in omnino prima abstractiva cognitione quam Doct. exagerat p. d. 3. q. 6. Lit. F. & P. palam ergo imponitur nobis, quod hac dumtaxat ratione a memoria deducta necessitatem specierum probaverimus. Deinde ratio illa memoria deducta, quam Pontius carpit, ut insufficientem, non est nostra, sed Scot. loc. cit. ut P. Cavellus advertit q. 17. de anima num. 21. ubi ait etiam esse cæteris omnibus difficiliorem, & efficaciorem, si ergo Cavellus quem Pontius hic appellat Magistrum suum, judicat hoc argumentum efficax, & difficile, male censetur a Pontio inefficax, ac insufficiens quia non est Discipulus supra Magistrum. Tum quia & Scot. loc. cit. de anima, & Cavellus ibidem, ut partem oppositam tueantur, ut probabilem, alias responsiones huic argumento assignant ab ea, quam affert hic Auctor, signum evidens non esse satis fundatam. Denique responsio Pontii est illa eadem, quam ad hoc attulit argumentum Contarenus junior qu. de speciebus sensibilibus, & intelligibilibus, & nos adduximus, & refutavimus disp. 6. de an. q. 4. nu. 69. ubi ostendimus hanc rationem nedum demonstrare necessitatem specierum intelligibilium pro cognitione memorativa, ut ajebat Contar. & nunc replicat Pontius, sed etiam pro originaria, & primaria, & consequenter pro omni cognitione abstractiva, & ibidem addimus aliam Scoti rationem ostendentem specierum necessitatem independenter a memoria; frustra igitur adducit Pontius ad hanc rationem labefactandam responsionem aliorum a nobis impugnatam dissimulans.

99 Tertio præterea inquit se non negasse species in Angelis, & animabus separatis, sive a Deo infusas, sive ab ipsismet acquisitas, sed quod non esset necessitas ponendi illas pro hoc statu experientia teste, ergo quamvis anima haberet species recordativas, nihil hoc concludit contra ipsum, verum hæc solutio in terminis adducitur, & refellitur a Doct. p. d. 3. q. 6. Lit. F. & P. & a nobis q. 4. cit. nu. 69. ubi ostenditur, quod si ad hoc non sufficiunt phantasmata, nam si intellectus haberet objectum suum tantum in phantasmate præsens, & non in proprio repræsentativo, tunc esset deterioris conditionis, quam ipsæ potentiæ sensitivæ, quæ objectum suum præsens habent in proprio repræsentativo, non in alieno, quam rationem Pontius rursus dissimulavit. Deinde ex hoc quod anima separata recordetur præteritorum, & gestorum in hac vita, bene deducitur specierum necessitas, quia talis recordatio non nisi per species in hac vita acquisitas fieri deberet, quandoquidem ad infusas recurrere non possumus in via Doctoris illas negantis 2. dist. 3. q. 10. & 11. & 4. dist. 45. q. 2. & 3.

101. Resp. Pontius nu. 148. dici posse quod anima separata recordatur per species infusas a Deo, sicut dicunt Thomistæ de Angelis, neque esse contra Scotum, nam quamvis possint ipsimet intelligere objecta præsentia sine speciebus, & acquirere species, quibus ea intelligerent absentia, & quibus recordarentur eorum quando in ordine ad hoc semel illa objecta bene proponerentur, tamen si deberent aliqua intelligere, aut recordari, antequam objecta sufficienter applicarentur ad acquirendas ab ipsis species ad hoc necessarias, certum est, quod Deus ipse deberet infundere species illas, & sic nemo bonorum Scotistarum negat a Deo infusas multas species Angelis, sed solum dicunt quod ipsi possent intelligere aliqua, etiam si non infunderentur species, quia ipsimet possent species acquirere, quare cum velit Deus, quod anima separata recorderur præteritorum, & id non possit facere sine speciebus, ut supponitur, nec applicentur actus præteriti a quibus species hauriri possint, omnino non est inconveniens recurrere ad Deum.

102 Hanc quoque responsionem dedit Cavellus ejus Magister q. 17. de anima nu. 21. in fine, qui tamen non dicit, ut Pontius, non esse contra Scotum, imo ultro fatetur esse contra Scotum, & oppositum ejus omnino a Scoto doceri, sed tantum inquit, quod pro opposita opinione negante nimirum species intelligibiles problematice tuenda facile Scotus admitteret Doctrinam illam Thomisticam de effluxu specierum a Deo in Angelos, & animam separatam, unde plane mirum est, quomodo audeat dicere Pontius, responsionem hanc non esse contra Scotum, cum ipse Doctor ex professo docet contra D. Thomam loc. cit. animam separatam recordari præteritorum per species in statu conjunctionis acquisitas, & non a Deo infusas: Deinde dato etiam quod in casu ab ipso posito necesse esset recurrere ad species infusas pro habenda aliquorum recordatione, quæ antea non fuerunt sufficienter applicata ad acquirendas ab ipsis species ad hoc necessarias; tamen in sententia Doctoris semper stabilitum manet quod pro recordatione gestorum in hac vita necessariæ sunt species in statu conjunctionis acquisitæ, neque opus est recurrere ad species infusas, & de tali recordationis genere loquitur argumentum propositum, non autem de alio possibili, quod comminiscitur Pontius pro sua sententia tuenda. Deinde casus ille ab Adversariis positus mihi videtur fictitius, & repugnans, quo enim modo fieri potest, ut anima separata, vel Angelus aliqua intelligere, aut recordari debeant, quæ non fuerunt sufficienter applicata ad acquirendas ab ipsis species ad hoc necessarias? plane si objecta non sunt sufficienter applicata intellectui, intellectus ea intelligere nequit, & recordatio minus recordari, quia recordatio supponit talem applicationem objecti ad potentiam aliquando fuisse factam, cum recordatio non sit nisi ejusdem objecti veluti repetita cognitio. Demum ex præfata responsione sequitur, Angelum, & animam separatam suæ naturæ dimissos nullius præteriti posse recordari, nisi Deus infunderet species, quod valde vilificat naturam Angeli, & animæ intellectivæ, ut arguit Doct. 4. d. 45. q. 2. §. hic tenetur, & nos cum ipso disp. 6. de anima q. 4. num. 68.

103 Occurrit Pontius in append. n. 149. hanc sequelam ultimæ instantiæ inadvertenter a nobis deduci, quia quoties haberent actus, possent ab illis acquirere species recordativas, nec sequitur hinc quod de facto actus animæ in corpore causarent species illas, & consequenter, quod de facto admittendæ sint species, nam quemadmodum objecta spiritualia, & corporalia possunt absque dependentia a sensibus determinare intellectum animæ separatæ ad cognitiones, sive immediate sive mediantibus speciebus, & tamen sic determinare non possunt intellectum animæ conjunctæ, ita possent actus animæ separatæ relinquere post se species recordativas, quamvis non possent id facere actus animæ conjunctæ. Addit deinde quod quemadmodum præter species debet assignari causa aliqua determinativa intellectus separati, & excitativa unius speciei præ alia, ita illa causa sufficeret se sola ad causandam cum intellectu unam cognitionem præ alia absque speciebus, & hoc non tantum de recordativa cognitione loquendo, sed de quacunque alia, unde concludit manere adhuc a primo ad ultimum non esse rationem ullam, quæ necessario probat requiri species intelligibiles pro statu isto.

104 Cæterum instantia illa ultima contra succedentem responsionem, quod Angelus, & anima suæ naturæ relicti non possent recordari præteritorum, est Scot. loc. cit. dum probat recursum ad species infusas vilificare naturam Angeli, & animæ intellectivæ, & ideo ob reverentiam Doctoris, P. Cavellus q. 17. de anima n. 22. adducens hanc eandem instantiam non ausus est dicere sicut Pontius esse inadvertenter inductam; sed quidquid sit de hoc, dico hanc responsionem esse cum majori inadvertentia dictam, dum inquit, quod quoties Angelus, & anima separata haberent actus, possent ab illis acquirere species recordativas, atque ita præteritorum recordari absque asportatione specierum ab hoc statu, hoc inquam satis inadvertenter dicitur, quia ad actum recordationis, ut docet Doct. 4. d. 45. q. 3. G. duplex objectum requiritur, remotum scilicet, & est illud circa quod memorans aliquando habuit actum, & proximum, scilicet ipse actus præteritus qua talis, nec unum sine alio sufficit ad memorandum, quia species actus nonnisi actum repræsentare potest, & ejus cognitionem excitare, ergo si non alia species in intellectu reperitur nisi ipsius actus, & non etiam objecti, circa quod actus ille fuit aliquando elicitus in statu conjunctionis, nunquam memoria habebitur de tali objecto. Et cum ulterius subdit, neque hinc sequi quod de facto actus animæ in corpore causarent species illas, & consequenter quod de facto admittendæ sint species, aperte

aperte id negat contra Doct. 4. d. 45. q. 3. infra Lit. C. dicentem, quod objectum proximum recordationis est actus humanitatis præteritus, quod dum ille fuit in intellectu conjuncto, imprimebatur species ejus necessaria, & sic etiam passim loquuntur alii Doctores dicentes regulariter ex actu elicito derelinqui in intellectu speciem impressam ejusdem. Neque valet paritas de objectis externis sive spiritualibus, sive corporeis, & de actibus internis ipsius intellectus, quamvis enim illa nequeant intellectum conjunctum determinare sine dependentia a sensibus, quia ab intellectionibus transire debent mediis sensibus aliquo modo, illisque mediantibus proprias imprimere species, talem tamen ingentiam non habent actus ipsi intellectus, cum ei sint seipsis immediate præsentes, & adhærentes, & tandem quando etiam concederetur actus intellectus, cum eliciuntur non derelinquere in ipso suas proprias species pro statu isto, non hinc infertur, ut Pontius deducit, species intelligibiles de facto admittendas non esse, quia si non darentur species actuum intellectus, quæ sunt objecta proxima recordationis, adhuc dari possent species impressæ aliorum objectorum externorum, quæ sunt objecta remota recordationis.

115 In alia tandem responsione, quam ultimo assignat, falsum assumit, quod scilicet præter species debet assignari causa aliqua determinativa intellectus separati, & excitativa unius speciei præ alia, hoc enim aperte refellit Doct. 4. disp. 45. q. p. Lit. D. ubi movens difficultatem, si multæ species conservantur in intellectu separato, quæ prior moveret intellectum ad contemplandum objectum per ipsam repræsentatum, cum recurrere nequeat animus ad phantasmata efficacius vel inefficacius moventia? respondet, opus non esse, recurrere ad causam aliquam determinativam intellectus separati præter ipsas species, etenim supposita æqualis intellectus inclinatione ad multa objecta per species repræsentata, quod est efficacius, & fortius motivus prius movebit, & prius intelligeretur &c.

ARTICULUS II.

Ad Cognitionem intuitivam non est necessaria species intelligibilis.

106 Conclusio est Scori pluribus in locis, nam in p. 3. q. 6, dum asserit necessitatem speciei intelligibilis, protestatur se loqui de cognitione abstractiva, non autem intuitiva, & ita præsertim se explicat distertis verbis lit. K. & O dicens speciem impressam non esse causam præsentiæ objecti in actu primo, idest in ratione cognoscibilis, nisi in cognitione abstractiva; idem significat ubicunque cognitionem abstractivam per hoc ab intuitiva secernit, quod hæc postulat existentiam, & præsentiam objecti in se, velut rationem motivam, ac terminativam actus intuitivi, illa vero producitur a specie, & objectum in specie terminatur, ita in p. d. 2. qu. 2. art. 2. vers. *secundo sit*, 2. d. 3. q. 8. §. *ad quæstionem*, & q. 9. §. *ad quæstionem*, & q. 11. §. *respondeo*, & d. 9. q. 2. ad 3. & 3. d. 14. q. 3. §. *ad quæstionem*, & 4. d. 10. q. 8. §. *respondeo*, & d. 45. q. 1. §. *ad quæstionem* & d. 49. q. 11. §. *respondeo*, & q. 12. §. *respondeo*, quol. 6. §. *statim*, & quol. 13. §. *circa secundum*, & alibi sæpe, quibus omnibus in locis non solum docet speciem ad cognitionem intuitivam non esse necessariam, ut ejus comprincipium, quemadmodum in abstractiva concurrit, sed absolute affirmat cognitionem intuitivam per speciem intelligibilem omnino fieri non posse infusam, sive acquisitam; quam sententiam postea Scotistæ omnes unanimiter amplexi sunt contra Thomistas, uno duntaxat excepto Smisinc. (quod viderimus) qui tr. 2. de Deo uno disp. 6. q. p. asserit notitiam intuitivam quoque per speciem haberi posse; adverte autem hic esse sermonem de specie intelligibili & cognitione intellectiva, nam species sensibilis in sensibus externis bene concurrere potest ad sensationem eorum, quæ est cognitio quædam intuitiva.

107 Probatur itaque primo, ad cognitionem intuitivam non esse necessariam speciem, ut ejus comprincipium, quia species intelligibilis substituitur loco objecti ad supplendum immediatum ejus concursum, cum nimirum objectum, vel non est actu intelligibile, vel est absens, vel si est præsens potentiæ, non tamen est præsens in ratione objecti, ex his enim tribus duntaxat capitibus pendet speciei necessitas, ut dictum est art. præc, ergo cum objectum est actu intelligibile, ac debite præsens potentiæ secundum propriam existentiam sufficienter cum ipsa notitiam producet intuitivam, & concursus speciei supervacaneus erit, adveniente enim principali cedit illud, quod loco ejus substitutum erat, ita arguit Doct. 2. d. 3. q. 8. §. *ad quæstionem*, probans Angelum posse seipsum intuitive cognoscere absque concursu speciei. Conf. quia si species posset supplere vices objecti, etiam in cognitione intuitiva, sicut in abstractiva, tunc fieri posset intuitio absentis, quod est impossibile. Respondent in intuitiva objectum concurrere partialiter cum specie, & per intuitivam ab abstractiva distingui, in qua species totaliter concurrit. Contra est, quia tunc vel species subordinaretur objecto, vel objectum speciei, vel ambo concurrerent ex æquo, non primum, quia causæ essentialiter subordinatæ ita se habent, ut una sine altera operari non possit; cum ergo videamus speciem operari cum potentia absque concursu objecti, non utique censeri debet causa illi essentialiter subordinata; non secundum, quia causa perfectior imperfectiori nequit subordinari; tum quia si species, quæ deficit ab objecto, sufficit ad causandam cum objecto notitiam abstractivam, quare objectum in se immediate præsens potentiæ non sufficiet ad producendam cum ea intuitivam absque specie, neque tandem tertium, quia tunc virtus unius, cum operetur per causalitates ejusdem rationis, ita intendi posset, ut se solo sufficeret ad effectum, & sic vel solum objectum concurreret, quod est intentum, vel sola species absque ullo objecti interventu, & sic fieri posset intuitio absentis.

107 Secundo ex eo præcise notitia abstractiva, ac intuitiva essentialiter distinguuntur, quod abstractiva causatur ab objecto præsente potentiæ per speciem, & ad idem in ipsa specie præsens etiam terminatur, e contra vero intuitiva a re in propria existentia immediate causatur, & ad eandem sic etiam terminatur vel si a specie, non nisi a tali, quæ in fieri, & conservari pendeat ab objecto immediate seipso præsente, ut docet Scot. locis omnibus citatis, & nos ex instituto infra dicemus q. 11. ergo cognitio intuitiva per speciem intelligibilem, quæ non ita ab objecto dependet, haberi non potest, quare ad hujusmodi notitiam non solum necessaria non est, sed potius est prorsus inepta, ac insufficiens, alioquin periret essentiale discrimen, quod inter hanc, & illam versatur cognitionem. Resp. concursum speciei indifferentem esse ad intuitivam, & abstractivam cognitionem, atque ideo ex parte principii cognitiones istas non distingui, sed solum ex parte termini, quia una terminatur ab objectum in se immediate præsens propria præsentialitate, altera vero ab objectum tantum in specie præsens. Contra est, quia cum concursus speciei intelligibilis detur ad supplendum concursum objecti, cum fuerit absens, vel non actu intelligibile, sane nequit esse indifferens ad utrumque cognitionis, genus quia notitia intuitiva postulat objectum in se existens, ac immediate præsens; tum quia si objectum est debite præsens potentiæ, & actu intelligibile, non potest reddi ratio, cur possit ac debeat intellectionem terminare, ac non etiam causare, & principiare; tum quia quantum est ex parte termini, nihil potest assignari, ad quod intuitiva terminetur, ad quod non possit abstractivæ quoque terminari, nam infra ostendemus etiam abstractivam ad existentiam, & præsentiam rei posse terminari, ergo non tam ex parte termini, quam ex parte principii distingui debent, atque ideo Doctor frequenter ex rationibus formalibus hinc inde motivis distinguit illa duo cognitionum genera, ut est videre quol. 13. art. 2. §. *circa secundum*, dum inquit, *dicentur igitur cognitiones distinctæ, & hoc secundum speciem propter rationes formales motivas hinc inde*, & 4. d. 49. q. 12. §. *respondeo*, dum ait, *actus abstractivus, & intuitivus differunt specie, quia aliud, & aliud est ibi movens, hic enim movet species, ibi autem movet res præsens in se*, & sic etiam loquitur alibi sæpe.

108 Tertio, ulterius probat Doct. loc. cit. speciem intelligibilem non solum esse superfluam ad cognitionem intuitivam, sed etiam id prorsus repugnare, & ratio est, quia *impossibile est*, cognitionem intuitivam haberi per aliquid eodem modo se habens in repræsentando, sicut res sit existens, & præsens in se, sive non, intuitiva namque tendit in objectum, ut in se existens ac immediate præsens nedum specificative, sed etiam reduplicative, at species intelligibilis, quia habet modum permanentis, nec dependet ab objecto in conservari, rem indifferenter repræsentat existentem, vel non existentem, præsentem, vel non præsentem ergo nullatenus concurrere potest ad cognitionem intuitivam. Respond. Smisinc. cit. distinguendo de duplici specie, alia enim est, quæ nata est pendere ab actuali influxu objecti, quo deficiente evanescit, quam appellat intuitivam, alia, quæ nata est manere æque absente, ac præsente objecto, quam vocat abstractivam, unde tam in intellectu, quam in sensibus internis speciem conservantibus duplicem hujusmodi assignat speciem pro duplici cognitione generanda intuitiva, & abstractiva; intuitiva sensus interni causatur immediate a specie interno sensui impressa, & conservata ab actu sensus externi, dum durat sensatio exterior; intuitiva vero intellectus pro statu isto causatur immediate a specie intellectui possibili impressa, & conservata ab intellectu agente, & phantasmate, quamdiu durat sensatio exterior, ex quibus notitiis intuitivis in sensu interno, & intellectu relinquuntur species memorativæ, & abstractivæ evanescentibus speciebus intuitivis, quæ mediate, vel immediate pendebant ab objecto præsente, & movente in propria existentia, & in hoc sensu verum est omnem notitiam intuitivam naturaliter pendere ab objecto præsente, & movente in propria existentia, ita ille Auctor nu. 9. inde concludit nu. 11. quod cum Doct. negat intuitionem per speciem fieri posse, loquitur de specie, quæ nata sit manere æque præsente, ac absente objecto, talis enim species nata esse independenter ab actuali influxu objecti est abstractiva, & ideo inepta ad pariendam notitiam intuitivam.

109 Hæc distinctio de duplici specie equidem vera est, ac necessaria, ut infra dicemus q. 11. ac etiam verum est, notitiam intuitivam posse haberi per speciem, quæ pendet in esse ab actuali influxu objecti, adhuc tamen solutio multa falsa continet, nec argumento satisfacit, nam in primis absque ulla necessitate geminat in eadem potentia species ejusdem objecti, quarum una sit intuitiva, altera abstractiva, una transiens cum sensatione exteriori, altera permanens, quia species illa, quæ in phantasia permanet, transacta exteriori sensatione, & in intellectu transacta interiori, est illa eadem, quæ producta fuit dependenter ab illis, sed deinceps independenter conservata, ergo frustra geminantur species, quarum una producatur dependenter a sensatione exteriori, & cum ipso statim transeat, altera dependenter quidem ab ea producatur, sed independenter conserveturr, nam quod hæc solutio affirmat de secunda, nos asserimus de prima, ultra quam alia non erit species addenda. Deinde falso quoque tribuitur notitia intuitiva pro statu isto intellectui nostro, probabilius enim est, quod docet Bass. q. p. prolog. & nos infra dicemus, omnem nostram notitiam intellectualem, quam

habe-

habemus naturaliter, ac de lege communi esse abstractivam, & nullam intuitivam, & ratio est, quia nunquam intellectus noster pro statu isto fertur in rem extra, & in propria existentia, sed ut patet in aliquo repræsentativo v. g. phantasmate, aut specie intelligibili, qua etiam de causa cognitio phantasiæ potius dici solet abstractiva, quam intuitiva, ut notat Doct. 2. d. 3. q. 9. C. quia & ipse quoque terminatur ad rem in phantasmate, non autem in propria existentia, unde cognitio intuitiva sensibilium non nisi sensibus externis convenire videtur, qui immediate in objecta feruntur in propria existentia, atque præsentia. Tandem nunquam Doctor de hoc duplici specierum genere distinxit, in eadem potentia; nec aliam unquam speciem agnovit in intellectu, quam illam, quæ dependenter a phantasmate in eo imprimitur, & deinceps indelebiliter conservatur pro memoria conservativa, & de hac loquitur in omnibus locis supracitatis.

110. Quarto tandem probatur ex Scot. quol. 13. art. 2. quia intuitiva habet relationem attingentiæ actualem ad objectum præsens in propria existentia, ergo implicat dari talem notitiam non præsente objecto in propria existentia, sed tantum in specie, probatur conseq. quia relatio nequit esse sine termino, ergo si notitia intuitiva importat relationem attingentiæ actualem ad objectum in se immediate præsens, implicat fieri sine concursu objecti in propria existentia. Nec valet, quod inquiunt Scotistæ quamplures, relationem illam actualem posse absolute separari ab intuitiva cognitione, itaut dari possit intuitio absente objecto, & solum juxta ordinem naturalem requiri. Hoc enim prorsus impossibile arbitramur, quia relatio attingentiæ in quacunque notitia est transcendentalis ei realiter identificata, ut dictum est præced. art. p. aptitudinalis quidem cum abstractiva identificatur, actualis cum intuitiva, quod non obscure colligitur ex Doct. quol. cit. nam per relationem hanc attingentiæ actualem secernit intuitivam ab abstractiva notitia, & innuit ita se habere intuitivam ad relationem attingentiæ actualem, quemadmodum abstractiva se habet ad aptitudinalem, sed hæc identificatur cum abstractiva, ergo & illæ cum intuitiva; tum quia per hos respectus circumscribit ibi Doctor differentias specificas illarum cognitionum, at non solemus per effectus mere accidentarios, & separabiles rerum essentias circumscribere, sed potius per passiones, & affectiones inseparabiles, & necessario concomitantes, sic enim accidentis essentiam per aptitudinalem inhærentiam, non vero actualem, proxime circumscribimus, & quantitatis per aptitudinalem impenetrationem, non actualem, & sic de aliis, ergo cum per respectum attingentiæ actualem ad objectum in se immediate præsens Doctor insinuet differentiam specificam intuitivæ notitiæ, satis est verosimile hunc respectum illi identificari, & esse ab ea prorsus inseparabilem, ac ita ex Scotistis defendit Mairon. q. 17. & 18. prolog. de quo etiam infra agemus ex professo q. 11.

111 In oppositum arguitur Primo, quia cognitio sensuum externorum est intuitiva, & tamen fit per speciem, quod probat Smisinc. ex Doct. p. d. 3. q. 6' & 7. & 2 d. 9. q. 2. §. *ad quæstionem* & d. 13. q. un. per totam, & 4. d. 44. q. 3. & alibi sæpe. Tum 2. quia per species in speculo apparentes videntur res a tergo existentes, ut omnes fatentur, & Scot. cit. 2. dist. 13. lit. E. constat autem visionem illam esse intuitivam. Tum 3. quia Doct. 2. d. 3. q. 9. §. *ad quæstionem*, & 4. d. 45. q. 3. §. *dico ergo*, & §. *ad quæstionem*, docet intellectum nostrum prima cognitione, quam habet de sensibili repræsentato in phantasmate, hu usmodi sensibile cognoscere intuitive, talis autem cognitio habetur per speciem, ergo &c. Tum 4. quia quæcunque congerit Scot. 2. d. 3. q. 9. ad astruendam possibilitatem speciei abstractivæ distincte repræsentantis divinam essentiam, applicari possunt ad tuendam possibilitatem speciei intuitivæ, & de facto applicant Recentiores quamplures. Tum 5. quia licet de facto talem speciem intuitivam neget Doctor in beatis, certe non negat ob ejus impossibilitatem, sed propter ejus superfluitatem, ut patet 4. d. 49. q. 11. §. *respondeo*. Tum tandem quia videt Deus futura contingentia non quidem in se, cum non existant; sed in aliquo repræsentativo, & tamen talis notitia a Theologis dicitur intuitiva.

112 Resp. cognitionem sensuum externorum fieri per speciem, quia eorum species pendet in fieri, & conservari ab actuali influxu objecti præsentis, & ideo esse potest principium cognitionis intuitivæ; sed species intelligibilis æque manet præsente, vel absente objecto, & ideo illud indifferenter repræsentat, sive præsens, sive absens, quare nequit concurrere ad notitiam intuitivam. Ad 2. Vulp. loc. cit. ait ex Scot. 2. d. 13. q. un. in speculo videri imagines ab objecto immediate impressas, non vero res ipsas; hoc tamen directe repugnat verbis Doctoris, qui §. *dico tunc*, lit. E. expresse inquit, quod *per illum radium* (scilicet reflexum) *videtur res in se, non autem aliqua species impressa speculo reflectente*, ut ex professo diximus disp. præc. nu. 42. & idem rursus habet 4. d. 8. q. 9. in fine, quod in speculo videtur corpus ipsum, non ejus imago; falsum quoque est res ipsas videri per species speculo impressas, nam res ipsa a tergo existens immediate immediatione causæ multiplicat se in medio per speciem multiplicationem usque ad speculum, & inde ad visivam potentiam, ad speculum quidem per radium rectum, ad oculum vero per reflexum, per quem eundem radium causat quoque immediate immediatione causæ visionem in oculo, ita docet Doct. in report. 2. d. 13. q. un. & Mairon. q. 15. prolog. ubi ait, quod videns in speculo immediate intuetur seipsum per actum reflexum, licet sensus exterior judicet esse ibi speciem, quia sensus exterior consuetus est sic videre, scilicet per lineam rectam. Ad 3. Doctor illis in locis non docet, quod in argumento assumit Smisinch. sed tantum quod potentiæ intellectivæ tribui debet cognitio intuitiva, cum hoc perfectionem importet, & concedatur potentiæ inferiori, scilicet sensui, neque loquitur de intellectu conjuncto, sed potius abjuncto, quia in 2. loquitur de intellectu Angelico, & in 4. de anima separata, nec tandem ibi scribit cognitionem primam habitam ab intellectu de sensibili mediante phantasmate per speciem intelligibilem esse intuitivam, imo diserte docet esse abstractivam. Ad 4. verum est assumptum, quia quamplures solent a Thomistis adduci repugnantiæ, quibus ostendere conantur impossibilitatem speciei divinæ essentiæ, quæ non minus impressam, quam expressam impugnant; unde ex eis capitibus verum est æque repugnare speciem abstractivam, & intuitivam aut nullam, nihilominus adsunt postea speciales rationes, quibus aperte demonstratur ad cognitionem intuitivam speciem intelligibilem esse prorsus ineptam, ut vidimus. Ad 5. sufficiebat ibi Doctori negare in beatis speciem divinæ essentiæ ob ejus superfluitatem præscindendo ab hoc, quod sit possibilis, vel impossibilis, unde & nos supra tum ex superfluitate, tum deinde ex impossibilitate, & repugnantia demonstravimus speciem intelligibilem ad cognitionem intuitivam, velut concausam concurrere nec posse, nec debere. Ad ult. duplex est notitia intuitiva, alia immediata, quæ est rei in propria existentia, & præsentialitate, alia mediata, quæ est de re in aliquo objecto intelligibili supereminenter ipsam continere secundum totam entitatem, & cognoscibilitatem, & talis est notitia, quam Deus habet de rebus in divina essentia, quæ ob suam infinitatem verius, & distinctius repræsentat rem, quam sit in seipsa, non autem diminute, sicut facit species impressa, ita Doctor quol 6. lit. G. & quol. 14. lit. C. & 3. d. 14. qu. 3. B.

113. Deinde rursus obiicitur, quia objectum debet uniri potentiæ, ut sit sufficienter fœcundata, at objectum materiale non potest formaliter, & realiter uniri intellectui, nam lapis non est intellectus, ergo potentia nequit habere cognitionem intuitivam materialiorem, nisi per species. Tum 2. quia objectum materiale, ut sic, non est actu intelligibile, sed fit tale per speciem, ergo nulla ejus cognitio haberi potest, nisi per speciem. Tum 3. objectum debet proportionari potentiæ, at objectum materiale est improportionatum intellectui, qui est potentia immaterialis, ergo per simplicem, ac immediatam sui præsentiam ut sic, nequit intuitive intelligi, sed aliqua indiget specie. Tum 5. cognitio quælibet secundum Arist. non fit per extramissionem, sed per intromissionem, per hoc scilicet, quod cognitum est in cognoscente, at sic singulare materiale non potest ut sic in intellectu recipi, ergo &c. Tum 5. quia Arist. ubique ait materialia, & sensibilia non esse actu intelligibilia, sed potentia tantum, & fieri talia actu per speciem, & quod si materiale esset actu intelligibile, non oporteret ponere intellectum agentem, & quod omne actu intelligibile est sine materia, & quod in tantum est aliquid intelligibile, inquantum est immateriale, ex quibus omnibus fit, quod si hujusmodi objecta intuitive cognosci possunt, ut probabilior sententia tenet, hoc fieri nequit, nisi per eorum species intelligibiles. Tum tandem, quia omnis cognitio fit per assimilationem, ergo per speciem.

114 Resp. ad 1. tenendo probabiliorem opinionem scilicet, quod materialia, & sensibilia intuitive cognosci possint ab intellectu præcipue sensibus soluto, objectum debere utique uniri potentiæ, non unione quadam formali, & inhæsiva ad modum accidentis, sed tantum unione virtuali, qua unione plures causæ uniri solent ad eundem effectum communem, ut declaravimus q. 2. huius disp. art. 2. Ad 2. dici potest sensibile non esse actu intelligibile intellectione abstractiva, & fieri tale per speciem, quæ solutio innuitur a Doct. 1. d. q. 6. lit. P. ubi ait sensibilia non esse actu intelligibilia in se, sed tantum per speciem, & hoc quantum ad cognitionem abstractivam tantum, per quod innuit quantum ad intuitivam esse actu intelligibilia quantum est ex se, licet nen ita intelligi possint ab intellectu sensibus alligato, & eandem habet doctrinam in 2. d. 9. q. 2. lit. R. vel juxta dicta art. præc. cum dicitur sensibile non esse actu intelligibile, id absolute intelligibilitati repugnantem, sed tantum compatative, scilicet respectu intellectus alligati sensibus, ratione cujus alligationis nequit intellectus immediate attingere materialia objecta, sed tantum per species, quas consequitur sensuum ministerio, atque phantasmatum, ut ibi declaravimus ex Lichet. Ad 3. ait Doct. 4. d. 45. q. 2. majorem esse veram de proportione moventis ad mobile præcise, quo sensu neg. minor, quia inter potentiam, & objectum non requiritur proportio in essendo, quod etiam repetit d. 49. q. 11. quod si etiam ea proportione scilicet moventis ad mobile objectum materiale sit improportionatum intellectui sensibus alligato, non tamen soluto, imo quando in tali intellectu gignitur notitia abstractiva semper in eodem, & ejusdem objecti præceffit notitia intuitiva, cum ibi non fit transitus de uno sensu in alium, immediate enim objectum in se præsens offertur intellectui, & si aliquo modo præcedit species, hoc est in ratione effectus prævii, non autem concausæ ad talem notitiam. Ad 4. illud dictum est universaliter verum, quia species expressa semper recipitur in potentia, ac etiam impressa, vel tanquam ratio cognoscendi, vel saltem tanquam effectus prævius pro diverso genere notitiarum, intuitivæ scilicet, & abstractivæ. Ad 5. cum Arist. ait objecta materialia non esse actu intelligibilia, loquitur in ordine ad intellectum conjunctum ob rationem allatam, & propter hoc ponit intellectum agentem, ut objecta transferat de ordine sensibilium ad ordinem intelligibilium, idest immediate ab intellectu attingibilium modo prædeclarato: & dum ait, quod si materiale esset actu intelligibile, non oportet ponere intellectum agentem, debet sic intelligi, ad hoc nempe munus obeundum, ut transfert de ordine in ordinem, tunc enim esset objectum immediate absque transitu per sensus intelligibile; hinc tamen non sequitur, tunc absolute supervacaneum esse intellectum agentem, quia adhuc ex alio capite necessarius esset, nempe tanquam concausa cum objecto materiali concurrens ad productionem speciei intelligibilis, quam tale objectum totaliter producere non potest, cum sit effectus omnino spiritualis, qua ratione dumtaxat ponit Doct. 2. d. 3. q. 11. intellectum agentem in Angelis, & 4. d. 45. q. 2. in anima separata; & sic etiam cum ait omne actu intelligibile esse sine materia, loquitur de actu intelligibili ab intellectu conjuncto, qui immediate non fertur in objecta materialia, sed tantum mediate attingit in speciebus intelligibilibus. Ad ult. omnis cognitio fit per assimilationem, quia cognitio ipsa est actualis expressio, & assimilatio objecti.

115. Advertendum tamen est pro recta hujus art. intelligentia, quod cum hic asserimus speciem intelligibilem ad cognitionem intuitivam non esse necessariam; utique non intendimus eam prorsus excludere, potest enim ac debet intervenire saltem tanquam effectus prævius ad ipsam intuitivam notitiam; cum ergo unus v. g. Angelus alterum videt, ac intuitive cognoscit, præmittitur, & imprimitur ab objecto species in intellectu Angeli videntis, ut in eo impressa, & conservata constituat memoriam intellectivam, quæ omnino necessaria est, ne quotiescunque intellectus vult actum repetere circa objectum alias cognitum, cogatur redire semper ad aliud intuendum; sic etiam Scotistæ passim dicere solent, speciem quoque sensibilem in sensibus externis intervenire, velut effectum prævium; sed cum in eis memoria non detur, qua de causa species illæ sunt fluxiles, & transitoriæ, non videntur eo modo concurrere, ut effectum prævium, sed potius ut immediatam causam ipsius sensationis, ut supra diximus disp. 4. q. 6.

QUÆSTIO V.

De causa efficiente specierum intelligibilium, ubi de intellectu agente, & possibili.

VAriæ extant sententiæ de causa efficiente specierum intelligibilium, Plato namque asseruit esse innatas intellectui, & ab eo fuisse productas, qui animam creavit, scilicet a Deo, ut supra retulimus q. 2. hujus disp. ubi etiam Platonicum hoc figmentum refellimus statuendo intellectum esse puram potentiam in genere intelligibilium, & ut loquitur Arist. & cum eo totum Peripatum 3. de An. 14. esse tanquam tabulam, in qua nil depictum est; cum primum corpus ingreditur ad informandum, successu atem temporis illas acquirere sensuum famulatu, & ministerio; Avicen. ut communiter refertur, extimavit has species produci ab illa sua, & adeo ei familiari, intelligentia separata, quam appellabat formarum datricem, non quidem ab initio, cum anima creatur, vel corpori unitur, sed tunc solum in intellectum infundi, quando homo intelligit, & habet phantasmata proposita, ut determinent ad intelligendum; Sed & hoc quoque passim reiicitur, ut purum figmentum, quia experimur nos intelligere, cum volumus, & solis sensibus indigere ad abstrahenda intelligibilia absque ope cujusdam agentis separati; tum quia nunquam Avicen. sufficienter stabilivit illam suam intelligentiam formarum datricem, ut diximus disp. 2. Phys. q. 7. art. 1. tum quia contra hoc militant quæcunque obiici solent contra ponentes intellectum esse virtutem quandam separatam, ut postea videbimus.

116. Communis sententia ponit intellectum causam efficientem specierum, sed cum intellectus distinguatur in agentem, & possibilem ex 3. de An. 17. & 18. rursus est difficultas, an hoc sit peculiare munus intellectus agentis, vel an etiam possibili competere possit, quamvis enim communiter adscribatur agenti, tamen Conimb. 3. de An. c. 5. q. 5. art. 2. autumant species intelligibiles generum, ac etiam interdum specierum a solo intellectu possibili produci, quod & Thomistæ affirmant de quibusdam speciebus formatis ex aliis præconceptis ex D. Thom. 1. p. q. 12, art. 9. Sed etiam in communi opinione solum intellectum agentem statuente causam efficientem specierum; dubitatur, an solus intellectus agens sit causa totalis earum, num potius cum eo phantasma quoque concurrat partialiter, ut causa minus principalis, aut instrumentalis; primum tuentur multi dicentes phantasma solum materialiter, & exemplariter concurrere ad productionem speciei intelligibilis, quatenus præbet materiam intellectui agenti, quodammodo exemplar quoddam, ad cujus similitudinem intellectus agens producat species, ita Suarez lib. 4. de An. c. 2. nu. 32. Onuphr. tract. 2, disp. 1. q. 3. & alii, quem dicendi modum ut valde probabilem defendit Scot. q. 17. de An. & Cavell. ibidem annot. 3. Oppositum tuetur communis opinio volens phantasmata quoque in genere efficientis causæ concurrere ad speciem intelligibilem, quidam ut causa principalis, alii ut causa tantum instrumentalis, ita D. Thom. de verit. q. 10. ar. 6. & contra gentes cap. 77. Cajet. 1. p. q. 35. art. 2. & 3. de An. c. 2. Capreol. 2. d. 3. q. 2. art. 3. Ferr. 3. de An. q. 13. Ægid, quol, 15. q. 21. Soncin. 7. Met. q. 12, Conimb. 3. de An. cap. 5. q. 6. Tand. q. 15. Appollin. q. 6. Thien. cap. 5. Aversa quæst. 58. sect. 6. & alii Recentiores passim, & quia hoc spectat ad munus, ac officium intellectus agentis hæc res diversimode explicatur a diversis, adeo ut Lichetus opusc. de intellectu agente recenseat, examlnetque innumeros fere dicendi modos, quo sensu dicatur intellectus agens illustrare phantasmata, quos singillatim referre nimis operosum esset, ac inutile, nos totam hanc materiam, de intellectu agente, & possibili, de quo adeo fuse quidam pertractant, tribus articulis expedimus majori, quo fieri poterit, brevitate.

ARTICULUS I.

Necessarius est intellectus agens ad species intelligibiles producendas cum phantasmate.

117 COnclusio est Arist. de An. 17. & 18. ubi docet in anima constitui debere, non solum principium susceptivum specierum, qui proinde dicitur intellectus possibilis, vel potius passibilis, & dicitur omnia fieri, sed etiam principium effectivum illarum, qui proinde dicitur intellectus agens, & omnia facere; favet Scot. quol. 15. §. *de tertio primi articuli*, & p. d. 3. q. 6. D. & 2. d. 3 q. 11. ubi adeo tribuit intellectui agenti, ut quoque in Angelis constituat ad abstrahendas species a rebus materialibus immediate, ficut in nobis eas abstrahit a phantasmatibus, & est communis apud omnes Philosophos, ac Theologos admittentes species intelligibiles, quarum efficientem causam, aut solum intellectum agentem agnoverunt, aut saltem cum concursu phantasmatis; relictis autem quibusdam parvi momenti rationibus, quibus ostendi solet necessitas intellectus agentis ultra possibilem, ita breviter probari potest ex Doctor quol. cit. dantur species intelligibiles rerum sensibilium, in intellectu impressæ, sed talis specierum impressio, ac efficientia nequit fieri sine concursu intellectus agentis, ergo necessarius est intellectus agens pro earum productione, major constat ex q. præc. art. p. probatur minor, nam vel istæ species producerentur ab intellectu, qui dicitur possibilis, vel a phantasmate in intellectu conjuncto, aut objectis ipsis materialibus immediate in intellectu separato; non primum, quia ut arguit Doct. quol, cit. duplex convenit actio animæ nostræ, ut dicitur translativa objecti de ordine ad ordinem, idest de ordine sensibilium, & materialium ad ordinem immaterialium, & spiritualium, quæ proinde appellatur præparativa objecti, quia mediante specie objectum, quod erat tantum potentia intelligibile, fit actu intelligibile, atque ita proportionatur illi in ratione objecti; altera dicitur intellectionis productiva, quia objectum jam actu intelligibile factum, fit per ipsum actu intellectum, quamvis ergo posterior actio possit intellectui possibili adscribi, ut ultimus art. 3. prior tamen illi convenire nequaquam potest; & ratio est, inquit Doctor, quia potentia operativa supponit objectum suum, circa quod operatur, & proinde non potest illud sibi præparare per propriam ejus actionem, ergo actio illa præparativa objecti, quæ fit per abstractionem speciei, ita est propria intellectus agentis, ut possibili nequaquam adscribi possit. Species vero formatas ab intellectu possibili ex iis præconceptis speciebus a Thomistis excogitatas inferius rejiciemus qu. 6. art. 2. dub. 3. & rursus qu. 7, art, 2.

118 Sed quod neque secundum dici possit, scilicet species totaliter a phantasmate, aut objecto extra produci, & imprimi intellectui, non minus evidenter probatur, quia phantasma, & objectum sensibile extra est materiale, intellectus vero, ac species illi impressa spiritualis, ergo totaliter, ac immediate in intellectum agere non possunt, nec speciem intelligibilem producere, tum quia subjectum spirituale, & indivisibile non est idoneum receptivum actionis materialis, & corporeæ, qua ratione negat Doct. 4. d. 44. q. 2. ignem inferni physice cremare spiritus; tum quia agens materiale, & corporeum saltem naturaliter nequit, ut causa totalis, attingere effectum spiritualem, qui est superioris ordinis, quæ est doctrina Aug. 12. super Gen. ad lit. 16. ut refert Doct. quol. cit. M, debet ergo dari potentia spiritualis in anima nostra, quæ ex phantasmatibus producat species, & talis est intellectus agens, de quo nunc est sermo; & hac ratione Scotica passim utuntur alii Auctores ad ostendendam necessitatem intellectus agentis, cujus vis adhuc magis patebit in solutione objectionum in oppositum,

Dices cum Hurt. disp. 5. de An. sect. 1. utique necessarium esse intellectum agentem, non tamen ad productionem speciei impressæ, sed expressæ, seu ipsius intellectionis, quod etiam sensisse videtur Bassol. 2. d. 3. q. 4. art. 3. ubi ait hanc esse præcipuam, & principalem actionem intellectus agentis, & Contaren. disp. de intellectu agente, sibi ex hoc arguit ejus necessitatem. Contra, tum quia probabilius est actionem productivam intellectionis intellectui possibili convenire, ut infra dicemus, tum quia esto etiam adscriberetur agenti, ut probabile quoque censet Doct. loc. cit. tamen non ob hanc actionem constitui debet velut potentia a possibili condistincta, alioqui pari ratione ubicunque ponneretur potentiam esse activam ad propriam operationem, & cum hoc etiam potentiam receptivam talis operationis, ibi esset distinguere potentiam agentem, & possibilem, & sic admitti deberet voluntas agens, & possibilis, ac etiam pariter sensus agens, quod communiter negatur, cum ergo Philosophus hanc distinctionem potentiæ agentis, & patientis nonnisi in intellectu agnoverit, sequitur, quod ista differentia non est propter illa, quæ communiter inveniuntur in aliis potentiis, ut scilicet detur intellectus agens distinctus a possibili ob productionem speciei expressæ, ita arguit Doct. cit. lit. M. & rursus sub lit. P.

119 Hinc deducitur, intellectum agentem ob solas species rerum sensibilium esse necessarium, non autem rerum spiritualium: rationem assignat Doct. cit. lit. Q. quia actio causativa specierum

rerum

rerum spiritualium totaliter convenit ipsis rebus, cum enim sint actu intelligibiles, non egent extrinseca illustratione, qua transferuntur ad ordinem intelligibilium, unde prorsus se habent respectu intellectus, sicut sensibilia ad sensum, ex alia vero parte cum res materiales etiam in intellectu angelico proprias possint imprimere species, ut probat Doct. ex professo 2. d. 3. q. 11. & cum nequeant ratione suæ materialitatis agere totaliter in spiritum, ac speciem spiritualem totaliter producere, ut probatum est, consequens est, ut etiam in Angelis admitti possit, ac debeat *intellectus agens*, quia quod competit, & est perfectionis in inferiori natura, debet quoque competere superiori, de quo fusius dicemus in Met. disp. de intellectu angelico, nam in his lib. agitur de intellectu humano, præsertim conjuncto. Et hinc denique patet, cur necessarius sit intellectus agens, non autem sensus agens, quia species sensibiles, cum sint extensæ, atque corporeæ, sunt ejusdem ordinis corporei cum ipsis objectis, atque ideo objecta materialia possunt totaliter eas refundere absque alterius potentia, quæ dicatur sensus agens, ut pariter modo dicebamus de objectis spiritualibus in ordine ad intellectum, sed species intelligibiles sunt extra ordinem rerum corporearum, & superioris ordinis, atque ideo nequeunt illas totaliter causare, sed indigent ope intellectus agentis.

121 Cum autem hic asserimus *intellectum esse causam efficientem* specierum intelligibilium, sane id non asserimus, quasi sit causa totalis, & integra se solo, nam longe probabilius est, phantasma quoque, vel objectum extra in ordine ad intellectum separatum active concurrere, & in genere causæ efficientis, saltem minus principalis; tum quia ita expresse docet Scot. 1. d. 3. q. 8. lit. D. & quol. 15. & q. 4. d. 45. q. 2. §. *ad quæstionem*, & cum eo omnes fere Scotistæ; tum quia cum species impressa in suo ordine sit similitudo objecti, sicut expressa, omnes rationes, quibus supra probatum est expressam non totaliter ab intellectu produci, idipsum quoque de impressa concludunt, ut eas pertractanti patebit, unde qua ratione defenditur unum, debet quoque & alterum defendi, cum nulla in hoc appareat disparitas. Tum quia in specie intelligibili reperiuntur rationes, & formalitates utrique correspondentes, & proportionatæ, est enim in essendo similis intellectui agenti ob ejus spiritualitatem, & in repræsentando *similis objecto*, *vel phantasmati*, ergo *procedit* ex utriusque influxu, cum ex tali correspondentia formalitatum in effectu soleamus ejus deprehendere causas principales, unde hac ratione quoque concluditur phantasma non concurrere, ut merum instrumentum intellectus agentis, quia instrumento in sub ordine causandi nulla correspondet formalitas in effectu, quam attingat virtute propria, ut dictum est disp. 7. Phys. q. 5, sed tantum id reservatur causæ principali. Tum quia etiam male dicitur, quod phantasma concurrat materialiter ad speciei productionem, nam vel intelligunt, quod concurrat ut subjectum, in quo ipsa species recipitur, & hoc non, quia tale subjectum est intellectus possibilis, illi namque imprimitur species ab intellectu agente, non phantasmati; vel dicitur concurrere materialiter, tanquam subjectum, ex quo ipsæ species educantur, & neque hoc, quia licet in hac habitudine *ex quo aliud*, proprie consistat causalitas materialis, tamen ad hanc semper sequitur *habitudo in quo aliud*, ergo si phantasma non est subjectum, in quo species recipitur, neque erit subjectum, ex quo educitur, quia idem est subjectum in quo forma recipitur, & ex quo educitur, vel tandem concurrit, ut materia, circa quam operatur intellectus agens, & neque hoc, quia operatur tantum circa intellectum possibilem. Tum deinde, quia defendi non potest intellectum agentem species totaliter producere per solam assistentiam phantasmatum, ut ad eorum exemplar speciem effingat intelligibilem, sed vere debent ipsa quoque phantasmata concurrere, alioquin pariter defendere possemus objectum non concurrere ad speciem expressam, sed tantum ejus assistentiam requiri, ut ad ejus exemplar producatur, imo hac ratione negare possemus omnem causalitatem causis secundis in ordine ad suos effectus, eamque totam Deo tribuere, & dicere ex parte causarum secundarum solam requiri assistentiam, ut nempe ad præsentiam ignis ignem producat, & sic de aliis. Dum vero dicimus phantasmata simul cum intellectu agente concurrere ad speciei productionem, quid sit intelligendam nomine phantasmatum, an scilicet solæ species sensus interni, an etiam actus ipsi, discurrendum est consequenter ad ea, quæ superius diximus de productione specierum in sensu interno mediantibus externis disp. 4. nu. 82. & seq.

122 Contra existentiam, & necessitatem intellectus agentis multa obiiciunt hostes specierum relati qu. præc. primo quia ob id præcipue ponitur, ut faciat intelligibilia in actu, at res ipsæ a parte rei, & secundum se sunt actu intelligibiles eo ipso, quod habent propriam entitatem, & veritatem. Secundo, quia nullus datur sensus agens, nec voluntas agens, ergo nec intellectus agens, nam ita se habet intellectus ad intelligibilia, sicut sensus ad sensibilia, & voluntas ad *volibilia*. Tertio, quia alioqui, & in Angelis necessarius esset, cum & ipsi quoque materialia intelligant. Quarto, quia etiam admissis speciebus intelligibilibus adhuc intellectus agens videtur supervacaneus, cum solum phantasma ad earum productionem sufficere videatur, nam si quid obstaret, præsertim esset, quia agens corporeum nequit effectum spiritualem producere, qui est superioris ordinis, sed hoc non obstat, quia esto species excedat objectum materiale in una perfectione, scilicet spiritualitate, potest aliunde superari in alia, quæ est major, quia species semper est accidens, at objectum materiale interdum est substantia; tum quia ignis torquet spiritus, sacramenta corporea physice causant gratiam, & alia exempla suppetunt in contrarium. Quinto, quia quando etiam ad productionem speciei exigeretur concursus ex parte animæ, ipsa animæ substantia cum phantasmate sufficere videtur ad species producendas citra opem alterius facultatis, aut solius intellectus possibilis. Sexto, si daretur intellectus agens, id præsertim esset, ne idem simul agat, & patiatur, at hoc in actionibus, & passionibus æquivocis nullum est inconveniens. Septimo, vel ponitur intellectus agens, ut agat in phantasiam, vel in intellectum possibilem; non primum, quia nequit assignari, quid in ea producat, vel circa illam operetur, neque 2. quia intellectus possibilis de se dispositus est ad quamcunque speciem recipiendam, a quoque causetur. Octavo, species pertinet ad objectum, & est varia objecti, ergo totaliter ab eo produci debet, non ab intellectu. Tandem hic intellectus agens in anima separata foret pœnitus otiosus, quia non haberet phantasmata conjuncta, a quibus species abstrahere possit.

123 Resp. ad p. neg. minorem, nam res materiales quoad cognitionem abstractivam, ac in ordine ad intellectum conjunctum non sunt actu *intelligibiles*, *nisi per speciem*, *non quidem* quia materialitas sit conditio intrinseca repugnans intelligibilitati, ut communiter putatur, sed quia materiale pro statu isto non attingitur ab intellectu, nisi prius per omnes sensus transierit, in quo transitu paulatim depuratur, unde tandem cum ab intellectu attingitur, jam invenitur depuratum, & defæcatum a materialitate, & extensione. Ad 2. si comparatio fiat uniformiter, nempe intellectus ad intelligibilia in actu, & sensus ad sensibilia, valet paritas, & ideo supra dicebamus in ordine ad objecta spiritualia intellectum agentem necessarium non esse, quia totaliter emittunt suas species, nec debent transferri de ordine in ordinem, quia ambo intra ordinem spiritualium continentur, at si comparatio fiat difformiter, nempe sensus ad sensibilia in actu, & intellectus ad intelligibilia *in potentia*, uti sunt objecta materialia, neganda est paritas, quia objecta materialia esse possunt causæ totales specierum intelligibilium, quæ itidem materiales sunt, non tamen sensibilium, quæ sunt mere spirituales; negatur etiam de voluntate, & intellectu, quia ut notat Doct. quol. cit. P. quando objectum est actu intellectum, est quoque actu volibile, unde non requiritur aliqua actio ex parte voluntatis præparans objectum ipsi, ob quam admitti debeat voluntas agens, & idem docet lit. M. dum ait, quod ad hoc ut intellectum fiat actu volitum, non est necessaria translatio de ordine in ordinem, quia actu intellectum est sufficienter proportionatum voluntati. Ad 3. jam diximus ex Scot. in Angelis quoque necessarium esse intellectum agentem, quicquid Thomistæ reclament, probabile enim est posse accipere species a rebus, etiamsi de facto illas præhaberent a Deo infusas, ut contendunt Thomistæ. Ad 4. neg. rationem iliam non urgere, fundatur enim in eo *principio*, *quod imperfectius nequit producere perfectius* totaliter, late a nobis probato disp. 7. Phys. q. 6. corporeum autem a toto genere est inferioris ordinis ad incorporeum, & spirituale, & falsum est, quod objecta materialia moventia sensum sint substantiæ ipsæ materiales, ut sic, quia sensus non se profundat ad substantiam, nec illæ substantiæ sensum movent, nisi ut aceidentibus involutæ, & illa exempla quoque passim negantur a Doctore, nam & ignis torquet spiritus intentionaliter, & sacramenta causant gratiam moraliter. Ad 6. jam superius diximus animam operari mediis suis potentiis, & sic in proposito ad abstrahendas species a rebus materialibus indiget aliqua potentia, nec ista esse potest intellectus ipse possibilis ob rationem in probanda conclusione allatam, sed debet esse alia potentia, vel formaliter distincta, quæ dicatur *intellectus agens* vel saltem ratione officii, ut de sensibus internis diximus disp. præc. q. 8. art. 5. Ad. 6. jam diximus illam non esse præcisam rationem ponendi *intellectum agentem*, alioquin poni deberet sensus agens & voluntas agens, sed præcisa ratio est productio specierum intelligibilium. Ad 7. non requiritur intellectus agens, ut aliquid imprimat in phantasma, sed ut una cum illo speciem producat intelligibilem in possibili, ad quod munus solum phantasma non sufficit ob suam materialitatem. Ad 8. potest concedi sequela, quando objectum est ejusdem ordinis cum specie producenda, at non quando est ordinis diversi, nimirum objectum materiale, & species immaterialis, tunc enim objectum ope indiget intellectus agentis. Ad ultim. non erit intellectus agens otiosus in anima separata, quia & ipsa accipere potest species a rebus, sicut Angeli, ut ostendit Doct. 4. d. 45. q. 3. & nos dicemus disp. ult. alia argumenta Durand. Narbonensis, Scaligeri, Joan. de Guevara, & aliorum negantium intellectum agentem, videri possunt apud Licet. lib. p. de intell. agente, ubi adamussim eis satisfacit, nos ea non referimus, quia in relata plurimum recidunt, & ex eorum solutione facile eluuntur, præterquam quod nec omnes relati Auctores intendebant absolute negare intellectum agentem, nam re vera nobiscum ejus officium, & munia concedunt, sed negatur illum, velut potentiam ab intellectu possibili ex natura rei condistinctam, ut communiter solet a Peripateticis constitui.

124 Secundo, objicitur ad probandum posse intellectum possibilem species abstrahere saltem generum, quia omni impedimento sublato, quod primo a sensu externo, & interno percipitur, est singulare sensibile infimæ speciei, cujus phantasma una cum intellectu agente nonnisi imaginem impressam infimæ speciei producit, ut ergo deinde abstrahatur species naturam genericam repræsentans, munus erit intellectus possibilis. Conf. omnis causa naturalis non impedita edit primo nobiliorem, quem possit effectum,

ctum, speciei imago causetur ab intellectu agente, tamen imago generis causatur a possibili. Conf. 2. idem eodem modo se habens nonnisi idem efficit, si ergo intellectus agens, & phantasma ab initio in primo congressu nonnisi imaginem speciei infimæ genuerunt, sane neque deinceps poterunt imaginem generis parere, sed id speetabit ad intellectum possibilem. Tandem probatur, quia ratio allata ad excludendum intellectum possibilem ab hoc munere erat illa, quia potentia operativa non producit objectum suum, sed potius illud præsupponit, at hæc ratio falsum assumit, certum enim est intellectum possibilem cognoscere posse notitiam, quam producit, & in eam ferri velut in objectum, ergo producere potest objectum suum.

Resp. neg. conseq. probabile enim est, per eandem speciem minus universalis magis universale intelligi posse, vel si per diversam intelligitur, quod potest imprimere speciem minus universalis, potest quoque imprimere speciem magis universalis, ut Doctor inquit p. d. 3. q. 1. lit. F. & sic virtute ejusdem intellectus agentis ab eodem phantasmate singularis abstrahi possent species magis, & minus universalis. Ad Conf. neg. pariter conseq. nam ex antecedente, sequitur solum causari prius debere a phantasmate singularis speciem minus universalis, quod non obstat, ne possit deinceps quoque causari species magis universalis. Ad alteram Conf. valet illa *propositio* assumpta de *illo*, quod semper est omnino idem, tam formaliter, quam virtualiter, at in proposito phantasma singularis se habet, ut multiplex virtualiter, quia *continet naturam magis communem*, & minus communem, atque ideo in primo congressu cum intellectu agente speciem minus universalis parere potest, ut perfectiorem, deinceps vero in alio congressu speciem magis universalis, & si valet ratio adducta, sequeretur, quod intellectus possibilis tantum eliceret speciem generis infimi, non aliorum. Ad ult. neg. min. quamvis enim intellectus cognoscat etiam actum a se elicitum, hoc tamen non contingit nisi per alium actum reflexum, qui priorem elicitum supponit velut objectum, unde semper verum est, potentiam operativam supponere objectum motivum, & primarium, & non eodem actu producere, quo illud intelligit; secus tamen est de objecto secundario, & terminativo, hoc enim eodem actu effici potest, quo intelligitur, ut constat de entibus rationis, & secundis intentionibus, ut docet Scot. 2. d. 1. q. p.

124 Tertio arguit Cavell. cit. cum Scot. q. 17. cit. de An. probando phantasma active non concurrere ad speciem intelligibilem, quia tam phantasma, quam objectum extrinsecum imperfectiora sunt specie, & actu intelligendi, quia hæc sunt spiritualia, illa corporalia; Nec dici potest illos efficere virtute intellectus agentis, quia intellectus agens nihil producit in phantasmate, vel objecto, & contra hoc procedunt omnes rationes, quibus ostendit Doctor 4. d. 13. qu. 3. accidens non posse substantiam producere in virtute substantiæ. Tum 2. nam intellectus agens habet in virtute sua totaliter speciem intelligibilem, potest ergo se solo illam producere, probat. assumptum, quia ipse continet totam virtutem phantasmatis, cum sit eo virtuosius. Tum 3. inter duo agentia concurrentia ad eundem effectum debet esse proportio, sed inter agens materiale, sicut est phantasma, & spirituale, qualis est intellectus agens, *non* est proportio, ergo &c. Tum 4. agens in quantum agens est præstantius passo, si ergo phantasma agit aliquo modo in intellectum possibilem imprimendo illi speciem, perfectius erit illo. Tum 5. intelligentiæ cœlestibus corporibus non nisi corporalia in his inferioribus producunt, ergo tanto minus poterit intellectus agens mediante phantasmate speciem intelligibilem producere, quæ est spiritualis. Tum 6. corporale ut corporale, non agit in spirituale, sed phantasma est corporeum, intellectus spiritualis, ergo &c. major est Augustl. 12. super Genes. ad lit. Tandem phantasma nequit agere in voluntatem, ut probat Doctor 2. d. 25. ergo neque in intellectum, ita quoque discurrit Suarez loc. cit. lib. 4. de An. c. 2. a quo omnia more suo transcribit Onuphrius.

125 Resp. ad p. ex Scot. 2. d. 3. q. 10. ad 2. & q. 11. ad 2. quod cum dicitur imperfectius non posse producere perfectius, quia agens est præstantius passo, id debet intelligi de causa totali, aut saltem partiali magis principali, non autem de partiali minus præcipua, unde per hoc concluditur solum corporale agere non posse in spirituale totaliter, aut magis principaliter, non vero partialiter minus principaliter; & cum phantasma dicitur attingere speciem intelligibilem virtute intellectus agentis, & ab eo quodammodo elevatum, id non debet intelligi, quasi phantasma aliquid recipiat impressum ab intellectu agente, quo proportionetur ad talem effectum per modum instrumenti, sed hæc elevatio est prorsus extrinseca ejusdem rationis omnino cum illa, qua causa magis principalis suo actuali concursu dicitur elevare, & coadjuvare alteram minus principalem secum concurrentem, quæ quidem elevatio non extrahit phantasma extra lineam principalis causæ, nam elevatio facta in causa instrumentali fit per aliquam virtutem receptam in actuali motione, præterquamquod talis causa nunquam attingit terminum principalis agentis, ut dictum est disp. 7. Phys. q. 5. & hæc elevatio aptissime declaratur exemplo de puero habente virtutem, ut duo, ad trahendam navim resistentem ut quinque, eadem enim virtus adjuta a virtute ut quatuor potest ratem trahere, quam prius se sola trahere non poterat, & sic dicitur elevata ab altera causa, non quidem per majorem virtutem sibi inhærentem, sed adjuvantem. Dices ergo in hoc sensu quoque poterit accidens substantiam producere in virtute substantiæ. Neg. conseq. quia ut diximus disp. 7 cit. Physic. q. 5. tunc virtus activa argui potest in agente ad aliquem effectum, quando, & si nequeat totaliter illum producere, ex se tamen aliquam habet proportionem, & analogiam cum illo, ita quod in effectu producto aliqua formalitas illi causæ correspondens reperiri possit, quod non contingit de substantia, & accidente, nam accidens nullam habet proportionem, ac analogiam cum substantia, nisi in genere entis, nec aliqua *formalitas* præter istam inveniur in substantia ei correspondens, quæ cum non sit ratio peculiaris ipsius accidentis, sed omnibus communis, nullum nobis indicat influxum accidentis in substantiam. Cæterum in proposito duplex formalitas in specie intelligibili reperitur, est enim similitudo impressa objecti, & est in sua entitate spiritualis, prima peculiariter correspondet objecto, seu phantasmati, altera ratio intellectui agenti, ex quo arguimus, nec solum intellectum agentem, nec solum phantasma esse sufficientem causam speciei, sed ambo integrare totalem, & adæquatam causam; ac ut uno verbo dicamus, hic de causis speciei impressæ dicendum est idem prorsus, quod supra qu. 3. dicebamus de causis speciei expressæ, seu intellectionis, & sicut ibi diximus ad productionem actus vitalis posse partialiter concurrere, minus tamen principaliter principium non vitale, nempe speciem, vel objectum, ita pariter in proposito dicendum est posse in hoc sensu *corporale attingere effectum spiritualem*, non enim hic major videtur adesse improportio, quam ibi.

126 Ad 2. neg. assumptum, ut enim intellectus non continet totaliter intellectionem in sua virtute, ita neque speciem intelligibilem, quod vero sit phantasmate virtuosior, concludit solum, quod concurrit ut causa principalior, ac universalior illo. Ad 3. neg. minor ex 4. d. 45. q. 2. lit. A. ubi discurrit eleganter de hac proportione, & ratio negationis est, quia ad causandam speciem debent intellectus, & phantasma uniri non unione formali, & inhæsiva, sed virtuali tantum, ut aliæ causæ efficientes uniri solent; & inter duas causas ad effectum communem concurrentes non est necessaria proportio in entitate, sed in virtute, & causalitate, adeo ut simul unitæ adæquate contineant totam entitatem effectus. Ad 4. ait Doctor illud axioma verificari de agente totali, aut partiali magis principali, non autem minus principali, ut in proposito est phantasma. Ad 5. est absimilis longe disparitas, aliter enim utitur intellectus agens phantasmate, aliter intelligentia Cœlo, ad rectam namque horum inferiorum moderationem sufficit, quod intelligentiæ cum Cœlis effectus corporeos producant in hoc mundo sublunari. Ad 6. jam dictum est, assumptum verificari de solo agente totali, vel si de partiali quoque velis illud assumere, id intelligendum erit in ordine ad effectum corporeum, qui in re spirituali nequaquam recipi potest. Ad 7. neg. paritas, longe enim melius illæsa servatur voluntatis libertas, si negetur phantasma, vel objectum in illam agere, ut Doctor ostendit 2. d. 25. q. un. intellectus verò est potentia naturalis, sed de hoc dicemus disp. seq. q. 6.

127 Quarto, tandem arguitur ad idem, nam dici solet speciem intelligibilem gigni de phantasmate, hoc autem præferr causalitatem materialem, non efficientem. Deinde si concurreret cum intellectu in genere causæ efficientis, tunc species genita *foret materialis*, & *corporea*, quia *effectus sequitur* semper deteriorem partem integræ causæ. Præterea, quia explicari non potest, quo pacto, quave ratione phantasma elevetur ab intellectu agente ad productionem speciei intelligibilis, si nihil ab eo recipit, sola namque assistentia intellectus agentis, velut causæ principalioris ad talem elevationem sufficere non videtur. Rursus valde laborant Theologi in explicando, quomodo Deus possit ignem inferni elevare ad cruciandos spiritus, & sacramenta corporea ad causandam gratiam ob improportionem materialis causæ ad spiritualem effectum, cum ergo id vix possibile videatur per potentiam Dei absolutam, multo minus naturaliter ab agente naturali quotidie fieri poterit. Demum concessa tali elevatione jam concurreret cum intellectu in genere causæ instrumentalis, *non principalis*, hic enim est modus agendi causæ instrumentalis agere nimirum per elevationem factam a causa principali.

128 Resp. ad 1. Lichet. quol. 15. §. *de tertio*, cum dicitur species de phantasmate gigni, non debet intelligi ly *de* ut de causa materiali in eo sensu, ut indicet quandam continentiam virtualem speciei in phantasmate. Ad 2. negat. seq. nam conclusio dici solet sequi deteriorem partem, non autem effectus, sed bene dicitur assimilari causæ proximiori, & ita etiam est in proposito, nam in repræsentando species impressa magis assimilatur objecto, quam intellectui, licet in essendo magis assimiletur intellectui ob ejus immaterialitatem. Ad 3. jam satis declaratum est, quomodo talis elevatio fiat per solam assistentiam causæ magis principalis, & quomodo hæc sufficiat ad talem elevationem, quod satis etiam competenter declaratum est exemplo pueri trahentis navem cum aliis, quam se solo movere nequibat. Ad 4. id, quod Theologis videtur difficile, imo Doctori *nostro impossibile de igne inferni*, est, quod assumatur a Deo, ut causa totalis ad cruciandos spiritus per productionem *vehementis* caloris in eis, ut enim supra diximus, in hoc sensu *nequit* corpus agere in spiritum, *nec totaliter*, *nec partialiter*, quia effectus corporeus nequit recipi in re spirituali, *difficile* etiam videtur sacramenta physice causare gratiam *non* præcise ob eam improportionem causæ materialis ad *effectum* spiritualem, sed quia secundum communem gratia *creatur*, & sacramenta causant gratiam per primumm non *esse*, & aliis de causis. Ad ult. jam paulo supra ostendimus non quamcunque elevationem extrahere causam ab ordine causæ principalis.

ARTICULUS II.

Explicatur natura intellectus agentis, & possibilis, ac eorundem distinctio.

129 STatuta necessitate intellectus agentis species producentis, ac possibilis eas recipientis, nunc utriusque natura, ac essentia est indaganda per brevem resolutionem dubiorum omnium, quæ in hac materia contingere solent in schola Peripatetica.

Primo itaque dubitatur de intellectu agente, an sit principium quoddam internum animæ nostræ, an potius externum, & separatum. Alexander p. & 2. de An. docuit esse ipsum Deum, in hoc Platonem imitatus, qui rerum species asserueratur fuisse animæ nostræ inditas, sequuntur Alexandræi communiter, & inter Recentiores Zabar. lib. de mente agente; alii vero eandem opinionem amplexati sunt, sed dixerunt hoc agens separatum non esse Deum, sed aliam intelligentiam inferiorem, ita Avicen. lib. 6. natural. tr. 5. cap. 5. & 9. Met. c. 4. Algazel lib. de An. tr. 5. cap. 2. Averr. libr. de beatit. cap. 5. & in epit. Metaph. tr. 4. & 3. de An. digress. in tex. 5. & alii antiquiores Græci, & Arabes, licet Cottinius disp. 9. de triplici statu animæ rationalis sec. 7. pluribus ostendat, nec Platonem, nec Theophrastum, nec Themistium, nec Simplicium, aut ullum ex Philosophis Græcis constituisse intellectum agentem, vel possibile aliquod extrinsecum ab anima rationali, & substantiam aliquam separatam; Fundatur autem hæc sententia in ea ratione, quod non *videatur in eadem animæ substantia principium agendi*, & patiendi intrinseco conjungi posse, cum igitur in anima species recipiantur, necesse est principium, & agens, a quo imprimuntur, esse extrinsecum, & separatum; sed præsertim quoque inititur manifestis Arist. testimoniis, nam 3. de An. 19. vocat intellectum agentem immixtum, separatum, & impartibilem, & secundum substantiam actionem, & tex. 20. ait esse semper intelligentem, & in actu, & esse id, quod est, idest quod est actus purus, & ipsamet entitas; certum autem est hæc prædicata animæ nostræ non convenire, sed menti abjunctæ a materia, & præsertim primæ; comparat etiam ibi intellectum agentem ad possibilem, sicut ars comparatur ad materiam, & lumen ad colores, nunquam autem ars, & materia, lumen, & color sunt ejusdem naturæ; Scotus ipse qu. 13. de An. arguens pro hac opinione inquit, ipsi consonare Sacram Scripturam, quæ ponit Deum ipsum esse illud lumen, quod ponit Arist. intellectum agentem, unde Jo.p. ipse est, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & in Psalm. *signatum est super nos lumen vultus tui*, &c. & argumenta, quæ in capite qu. pro hac opinione adducit, non dissolvit, per hoc innuens, aut hanc opinionem esse probabilem, aut saltem nihil esse certum de intentione Philosophi, in quo posuerit intellectum agentem, ut ibi notat Cavell.

130 Opposita tamen sententia asserens intellectum agentem esse principium internum, ac intrinsecam differentiam animæ nostræ, communis est inter Latinos, quam inter Recentiores Philosophos acriter tuentur Cottun. loc. cit. Ragusejus disp. 22. Contaren. junior. tom. 3. disp. de intellectu agente, Fortunius Licher. opusc. cit. de intel. agent. toto libr. 2. & alii Auctores passim Thomistæ, Scotistæ, ac Neoterici nemine excepto. Ratio fundamentalis est, quam tangit Doctor p. d. 3. q. 9. & 2. d. 3. q. 11. quia oppositæ opinio nimis humanum intellectum vilificat, ut nequeat ex se, saltem ut causa proxima, suas edere operationes, sed omnem activam causalitatem aliunde expectare debeat, cum tamen ignis, aqua, cæteraque inanimata Deo non indigeant ad suas operationes edendas, nisi ut causa prima, & universali, & principium suæ activitatis internum habeant. Accedit, quod si ab aliqua intelligentia separata species nobis effluerent, utique ad intelligendum phantasmata necessaria non essent, quia sicut illæ species independenter a phantasmate fuerunt acquisitæ, ita independenter ab eo illis uti possemus. Sed & hæc sententia Arist. expressa videtur, nam initio lib. 3. de An. intellectum agentem, & possibilem, de quibus erat acturus vocat partem animæ, idest intrisecas ejus facultates, & tex. 17. differentias internas animæ nostræ, qualis non est Deus, nec aliqua alia substantia separata; nec dicere sufficit esse differentiam animæ nostræ, quatenus adjuvat ejus intellectionem, & ei unitur, quoad actum secundum; nam differentia animæ debet esse *in anima*, nedum quoad actum secundum, sed etiam quoad actum primum, & sicut intellectus possibilis ponitur vera animæ differentia, & non per quandam similitudinem, & metaphoram, ita pariter asserendum est de intellectu agente. Demum multa tribuit Arist. intellectui agenti, quæ Deo, aut alteri substantiæ separatæ nequaquam adaptari possunt, ait enim esse habitum, lumen, formam, & hominis differentiam, quæ substantiæ separatæ non conveniunt; tum quia Deus, & aliæ intelligentiæ præsertim secundum Arist. in hæc inferiora non agunt, nisi medio motu Cœli, & astrorum lumine, ut constat ex 8. Physic. & 12. Met. sed per motum, & lumen Cœli intellectio causari non potest, nec phantasmatum illustratio, nec productio specierum, ergo &c.

131 Nec quæ afferuntur in oppositum, urgent, ratio enim illa licet concludat aliquam distinctionem, & forte etiam ex natura rei inter principia agendi, & patiendi, non tamen concludit distinctionem realem omnino, atque separationem, quia eadem anima realiter bene esse potest principium effectivum specierum, ac eorundem receptivum secundum diversas realitates in eadem animæ entitate radicatas, imo hoc passim contingere videmus in omnibus actionibus immanentibus, quæ in eo principio recipiuntur, a quo dimanarunt. Arist. vero Auctoritatibus illis aliud innuere nolunt, quam animam nostram spiritualem esse, ac a materia separabilem, & immortalem, unde satis probabile est, quod inquiunt Conimbr. *in eo textu 19.* non constingui intellectum agentem contra possibilem, sed contra potentias sensitivas, quia uterque intellectus separabilis, & immixtus scilicet *organis corporeis*, & dicitur substantia actio, quia passione vacat corruptiva, unde quando postea a tex. 20. ait, *separatus vero id solum est immortale, perpetuumque, intellectus vero passivus extinguitur* per intellectum separabilem, & immortalem, utrumque pariter intellectum comprehendit, & per intellectum passivum qui corrumpitur, phantasiam intelligit, ut Doctor exponit 4. d. 45. q. 1. ad 3. quæ dicitur intellectus ob maximam propinquitatem, & connexionem cum intellectu, ut ibi exponit Tien. Sed neque etiam stando in opinione communi, quod tex. 19. loquatur de intellectu agente, ut contradistinguitur a possibili, aliquid inde deducitur pro Alexandræis, nam non omnes versiones ita jacent, & ubi vulgata legit *substantia actio existens*, Doctor quol. 15. §. de tertio primi art. legit *substantia in actu*, per quod attributum præsertim ab intellectu possibili distinguitur, qui est substantia in potentia, receptiva nimirum, & susceptiva specierum, sed admissa quoque *translatione communi* adhuc nil contra nos sequitur, quia tunc illa verba non ita debent accipi, ut significent actionem intellectus agentis esse ejus substantiam, sed solum naturam intellectus agentis esse substantiam operantem, & agentem ad differentiam intellectus possibilis, qui non est substantia agens, sed recipiens, & patiens; Sed acutissima inter omnes, ac fere quas habet innumeras, hujus textus expositiones est illa, quam tradidit Augustinus Card. Oregius q. sua de immortalitate animæ ad aures Aristot. in solutione objectionis quartæ, ubi ex textu Græco sic legit *ens substantia actionis*, valde autem differt dicere, intellectus agentis, *substantia actio est*, & intellectus agens est, *ens substantia actionis* nam in prima enunciatione actio in recto per verbum substantivum enunciatur de substantia intellectus agentis etiam in recto sumpto nomine substantiæ, in altera vero nec substantia est casus rectus, nec actionis; quare si Italice vertendum esset, quod textu græco legitur, ita diceremus, *Pintelletto agente per sostanza all'operazione*, atque ita nec substantia, nec actio est nominandi casus, & rectus, sed dandi, & obliquus, & hoc modo legendo textum nullus remanet dubitandi locus, num intellectus agens sit Deus, omnes enim agentes facultates sunt entia substantia actioni, idest entia per substantiam actioni, vel ad agendum ordinata, potentiæ namque cum speciem sumant ab actibus, sunt substantialiter ad actionem ordinatæ, quod est prædicatum ex diametro oppositum divinæ substantiæ, quæ cum sit suum esse, non potest ab alio speciem sumere; ita ingeniose exponebat vir ille, cujus memoria in benedictione est, omni pietate, ac eruditione refertus, quam expositionem velut inter omnes singularem, ac magis grato textui adaptatam hic referre volumus, a qua etiam parum differt alia, quam item ex græco attulit Ferchius vestig. 6. lib. 2. cap. 4.

132 In textu vero 20. non amplius de intellectu agente, sed de possibili loquitur, ut omnes fere expositores docent ac ipsemet Alexander, & de ipso loquitur, non in habitu, ut scilicet stat sub speciebus, sed in actu, ut stat scilicet sub actuali intellectione, in quo statu dicitur semper Intelligere, non quia secundum propriam entitatem, & quidditatem sit necessario conjunctus actui intelligendi, sed quia dum in actu est, idest dum actum intelligendi exercet, in sensu composito nequit non intelligere; cum autem addit hunc intellectum esse *id quod quidem est*, sane significare noluit esse purum actum, ac ipsammet entitatem, sed significat substantiam esse solum id, quod immortale est, ac perpetuum, unde ly *quod quidem est* ei æquivalet, *quod vere est*, imo alii ita transferunt; at apud Arist. id quod vere est, significat substantiam ab accidente condistinctam, ita lepide exponit, & ponderat Cottunius cit. ex textu græco disp. 5. sec. 6. Specificat autem intellectum secundum substantiam immortalem esse, ac perpetuum, ut excludat actum intelligendi, cui supponitur conjunctus, cum hic sermo fiat de intellectu in actu, nam actus intelligendi, ut modo fit dependenter a phantasmatibus, cessat abscendente anima, estque purum accidens illi, quare intellectus possibilis in actu solum secundum substantiam perpetuus est, ac immortalis, non secundum actum intelligendi, quem habet annexum; Aliter etiam exponit Ferchius cit. cap. 5. ut quando inquit Arist. *separatus autem est solum hoc, quod est*, sensus sit, in statu separationis solummodo hanc dignitatem adipisci, ut *sit hoc, quod est*, scilicet ut sit per se existens, & per se subsistens, quia intellectus possibilis in statu conjunctionis non erat per se subsistens, sed per se pars, ex quo etiam sequitur, per hunc intellectum non posse Deum significari, nam Deus semper per se subsistens, semper est hoc, quod est.

133 Neque illæ comparationes artis ad materiam, & luminis ad colores, quas inducit Arist. ad explicandam utriusque intellectus naturam, & conditionem accipi debent in omni rigore, palam enim est exempla ad illud solum applicari debere ad quod explicandum afferuntur, non ad omnia: dicitur ergo intellectus agens ars respectu possibilis, quatenus hic est veluti tabula rasa donec excipiat species ab illo, quibus quasi artificiose depingitur; dicitur lumen, quatenus illustrat phantasmata, resque potentia intelligibiles facit actu intelligibiles, quemadmodum lumen colores po-

potentia visibiles, facit actu visibiles. Nec tandem loca Scripturæ adducta favent Alexandræis, sed potius obsunt, quia ibi per lumen significatur intellectus nobis insitus, & innatus, quo Deum naturaliter cognoscimus, ut indicatur per illud *signatum est super nos lumen* &c. Doctor autem qu. illa 13. de Anim. nihil certi resolvit, quia re vera Arist. 3. de An. valde perplexe loquitur de hoc intellectu agente, quod ansam dedit Expositoribus litium, & controversiarum in hac materia, in qua solum est dubitatio de mente Arist. nam de re ipsa satis constat, tale principium effectivum specierum esse debere internum animæ nostræ; argumenta vero, quæ ibi Doctor adducit breviter ibidem dissolvit P. Cavellus; qui plura de hac re desiderat contra Alexandræos consulat Fabrum Ferchium, & alios Auctores loc. cit. qui fusissime agunt contra illos, præsertim Licet. toto libr. 2. illius operis, qua de causa alia non addimus.

Secundo, supposito intellectum agentem esse aliquid ex parte animæ nostræ, difficultas est, quid *hoc* sit; quidam dixerunt esse habitum primorum principiorum, & notionem dignitatum moti quia Arist. 3. de An. 19. intellectum agentem vocat habitum, quod de nullo alio intelligi potest, quam de habitu primorum principiorum, cujus opinionis meminit Doctor quæst. 13. de An. alii vero dixerunt intellectum agentem esse quandam formam substantialem, cui veluti materia corresponderet intellectus possibilis, ut proinde ex his duobus coaleisceret anima nostra, velut ex partibus essentialibus actuali, & potentiali, ita Jandun. 3. de Anim. q. 6. & Zimar. theor. 41. moti quia Arist. tex. 17. dicit intellectum agentem, & possibilem esse differentias animæ, quod non diceret, nisi essent partes essentiales ejus; & unum ponit puram potentiam, alterum purum actum.

134 Asserendum tamen est intellectum agentem esse utique aliquid internum ex parte Animæ nostræ, non tamen velut habitum primorum principiorum, aut formam substantialem ejusdem, sed velut veram animæ rationalis facultatem, quæ ad instar propriæ passionis ab ea dimanat. Probatur, & declaratur; non est habitus primorum principiorum, quia ipsa quoque principia novimus per species abstractas a singularibus, ut docet Arist. 2. Post. cap. ult. dum inquit cognitionem illorum ex sensibilibus fumi, ergo intellectus agens præsupponitur ad notitiam dignitatum, & habitum primorum principiorum; tum quia habitus iste se tantum extendit ad principia indemonstrabilia, atqui intellectus agens verfatur circa omnia intelligibilia: tum tandem quia vocatur ab Arist. separabilis, immixtus, impassibilis quæ attributa ægre habitui poterunt applicari; sed neque etiam bene ponitur forma substantialis animæ, & intellectus possibilis materia, quia ut generatim probat Doctor 2. d. 16. qu. unic. §. *alia opinio*, potentiæ animæ nequeunt in rigore poni partes animæ, nec integrales, nec essentiales, sed intantum sic appellantur interdum, quia sunt partiales perfectiones animæ, & in hoc sensu explicat Arist. dum. 3. de An. ab initio vocat intellectum animæ partem; sed præsertim dici ne queunt partes essentiales, veluti animam componentes, quia ut ibidem demonstrat Doctor, & nos cum ipso disp. 1. n. 42. anima rationalis non est substantia composita, sed forma simplex, unde Arist. 2. de An. tex. 2. postquam divisit substantiam in materiam, formam, & compositum, concludit text. 4. nec esse materiam, nec compositum, sed formam; tum tandem etiam qui componunt animam ex materia, & forma, non has partes constituunt intellectum agentem, & possibilem, sed alias, has vero intellectus agnoscunt, velut veras animæ facultates.

Nec fundamenta in oppositum valent, quia Arist non ait intellectum agentem esse habitum quendam, sed operari, facere omnia, ut habitus quidam facit omnia in suo genere; appellat etiam intellectum agentem, & patientem animæ differentias, quatenus sunt partiales animæ perfectiones, illum vocat actum, quia omnia facit actu intelligibilia abstrahendo rerum species, hunc vero puram potentiam, non quidem in esse reali, & in genere entis, sed in esse intentionali, ac in genere intelligibilium, quatenus de se est tanquam nuda tabella, & successive ab intellectu agente suscipit rerum species, prout se offert objectorum occasio, ut mox explicabimus; sed de hoc quæsito videatur Faber loc. cit. cap. 3. & 4. ubi fuse de illo pertractat.

135 Tertio dubitatur de intellectu possibili, an sit omnino pura potentia, & quidem Alex. p. de An. c. 24. opinatus est esse puram potentiam, tam in genere entis, quam in genere intelligibilis, ac proinde vocat illum solam animæ aptitudinem, & ait non tam esse similem tabellæ non inscriptæ, ut ait Arist. de An. 14. quam ipsius inscriptionis carentiæ, & eandem sententiam videtur tenere Aureol. apud Capreol p. d. 3. q. 3. Plato autem e contra in Memnone, & Phædro & lib. 10. de Repub. negavit esse puram potentiam, nedum in genere intelligibilium afferens animas nostras, antequam corporibus infundantur, rerum omnium speciebus imbutas esse, ac decoratas.

Media inter has sententia tenetur in Peripato, scilicet intellectum possibilem esse quidem puram potentiam in genere intelligibilium ac esse intentionali, non tamen in esse reali, ac in genere entis; probatur, illud in genere entis censetur pura potentia, quod nullum in se includit actum etiam entitativum eo modo, quo dicunt Thomistæ materiam primam esse nudam potentiam; illud vero in genere intelligibilium pura potentia reputatur, quod suapte natura, & ex sua primæva origine nullam habet congenitam speciem, & notionem rerum intelligibilium, sed ad omnes prorsus se habet in mera potentia subjectiva; sed *intellectus* ita se habet, quod ex se in genere entis aliquem includit actum, at in genere intelligibilis nullum, ergo in uno genere est pura, ac nuda potentia, non in alio; Major patet, prob. min. quoad primam partem Scot. p. dist. 3. qu. 7. lit. Z. quoniam potentia ad aliquod accidens nunquam fundatur, nisi in aliquo habente actualem entitatem, ut constat de superficie, in qua fundatur potentia ad recipiendum colorem, at intellectio, & species intelligibilis sunt formæ accidentales, ad quas intellectus possibilis est potentia, ergo in esse reali, & genere entis nequit esse pura potentia, qua de causa data opera Arist. 3, de An. 14. intellectum comparavit tabulæ abrasæ, in qua nil est depictum, non autem carentiæ ipsius inscriptionis, ut Alex. volebat, nempe ut ostenderet intellectum esse vere actu ens, & esse potentiam solum in genere *intelligibilium*, de quo *vide* plura apud P. Fabrum *theor. ult. cap. p.* Probatur eadem minor quoad alteram partem, quia species intelligibiles sunt omnino necessariæ ad intellectionem saltem abstractivam, ut postea videbimus, quia in ea gerunt vicem objecti, sine quo fieri nequit intellectio, sed anima in primæva sui origine corpus intrat, velut tabula abrasa, in qua nihil est depictum, ut ait Arist. 3. de An. 14. ergo est potentia susceptiva omnium illarum successu temporis; probatur minor, non enim verum est, quod ajebat Plato loco citato, humanos animos extra corpora fuisse procreatos rerum omnium cognitione præditos, & imbutos, & cum corpora intrant, secum deferre inditas rerum imagines, & notiones, ita tamen ut omnis ea cognitio fopiretur ob crassæ materiæ commercium, & veluti carceris ingressum, & postea temporis successu, & phantasmatum accessu velut excitata reviviscere, unde concludebat nostrum scire aliud non esse, quam puram reminisci; hæc itaque *omnia sunt* fabulæ, *nam & animæ humanæ non sunt ante corpora* procreatæ, ut disp. 1, q. 9. diximus, & nostrum scire non est purum reminisci, ut cum Arist. diximus ad lib. Post. & cum animæ corpora intrant, nihil speciei, nihil imaginis, nihil cognitionis rerum habent, alioquin statim anima posset illis uti, nec enim earum usus ope phantasmatum egeret, quia sicut absque illis species adepta esset, ita quoque speciebus uti posset absque illorum adminiculo.

136 Obiic. Primo pro Alexand. probando intellectum esse puram potentiam in genere entis, nam Arist. 3. lib. de An. tex. 5. inquit intellectum esse puram potentiam, & non esse aliam ejus naturam, quam quod possibilis sit. Tum quia omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti, nam intus existens prohibet extraneum ex eodem lib. tex. 4. at intellectus apprehendit totum ens, cum omnia *intelligat*, ergo erit natura ab omni gradu entis denudata, atque adeo non nisi mera animæ aptitudo, ac præparatio. Respon. hæc probare duntaxat ejus potentialitatem *in genere intelligibilium*, non in genere entis, itaque tex. 5. vult tantum intellectum esse puram potentiam sine speciebus, non simpliciter, sed in genere intelligibilium, unde subdit *nihil est actu eorum, quæ sunt, antequam intelligat*, scilicet donec informetur speciebus, tunc enim susciendo species fit unumquodque eorum, non quidem physice sed intentionaliter, ita Doct. p. d. 3. q. 7. Z. cui addimus, quod licet versio Argiropoli sic habeat, aliæ tamen non ita habent.

137 Ad aliud respondet Doctor in 2. d. 3. q. 8. ad 3. princ. explicans propositionem illam *omne recipiens* &c. quatenus applicat solis potentiis cognitivis, & inquit, quod si generaliter intelligatur de quacunque potentia cognitiva, sane concludit, intellectum esse nihil, ut argumentum Alex. deducit, quia intellectus secundum se est totius entis, & ita ipse nihil erit in genere entis; debet erga intelligi de potentiis materialibus, & organicis, organum enim sensus debet esse denudatum a natura recepti, id est, debet esse non tale, seu carens objecto secundum suum esse materiale, & sensibile, non tantum in actu, sed etiam in potentia, ita quod non sit susceptivum illius secundum esse materiale, secundum quod esse ipsum est objectum sensus, ut constat de colore, cujus receptivum secundum esse materiale est superficies corporis terminati, receptivum autem ejus fine materia est corpus perspicuum, sive non terminatum, & ita oppositæ dispositiones requiruntur in organo sensus, quod debet esse receptivum sensibilis sine materia, & in eo, quod debet recipere objectum secundum esse materiale, & ideo oportet organum sensus denudari realiter a forma, quam recipit intentionaliter; Ex hoc sequitur optime, ait Doctor, propositum Arist. in eo textu, quod intellectus non sit potentia organica, & corpori immixta, quod ibi probare intendebat, si enim requireret aliquod organum, illud esset determinatæ dispositionis, sicut est omne organum corporeum, & ideo non esset receptivus omnium formarum corporalium secundum esse immateriale, quia *non illius*, quod realiter, & physice obtinet, tamen hoc habito, quod sit potentia immaterialis, non oportet ipsum esse non tale realiter, quale illud, cujus debet esse receptum intellectualiter, non enim oportet oppositam esse dispositionem in receptivo alicujus realiter, & intentionaliter; supposito, quod intellectus non sit virus organica, quod tamen requereretur, si esset virtus organica, idem enim intellectus potest esse ipsemet realiter, & sui etiam receptivus intentionaliter per speciem, quia talia sic recepta intentionaliter non requirunt in recipiente determinatam dispositionem oppositamenti intelligibili reali: ita Doctor, unde concludit, quod illa propositio in potentiis cognitivis venit *intelligenda* de organicis tantum, si enim de *immaterialibus* quoque intelligatur, debebit *intellectus* suamet *natura poni* denudatus, & privatus, cum seipsum *intelligere possit*; ut concedit Arist. de An. 15. & 12. Met. 39.

Hanc eandem *solutionem* adhuc clariorem jam assignaverat Doctor

ctor in libro de An. qu. 15. ad. p. *in hæc verba;* vel secundum, quod receptivum dicitur aliquid recipere, vel secundum naturale, & sic oportet illud esse denudatum a natura recepti, vel secundum esse *intentionale*, & tale, si est receptivum organicum, necessarium est ipsum denudari a natura recepti, non totaliter, sed ab excellentia recepti, sicut sensus tactus ab excellentia tangibilium, si autem est receptivum non organicum, ut intellectus, non est vera illa propositio, quia tunc denudaretur a propria natura, cujus intellectionem potest recipere; Sed quare magis receptivum organicum, quam non organicum? dicendum, inquit, quod in corporalibus receptivum habet oppositam dispositionem respectu recepti, sicut recipiens colorem intentionaliter debet esse non terminatum, sed color receptus materialiter in objecto habet esse terminatum; ita Doctor, ex qua conformitate doctrinæ in lib. senten. & illis lib. de anima credere fas est, opus illud esse Doctoris genuinum.

138 Doctissimus Cottunius loc. cit. sec. 7. hanc propositionem intelligit etiam de potentiis immaterialibus, sed inquit verificari solum de objecto primario, non de secundario, nam oculus recepturus colores, tamquam objectum primarium, debuit utique esse absque colore, quia color quicunque naturaliter oculo inexisteret, profecto eum ab aliorum colorum receptione prohibuisset; At vero propria oculi quantitas non impedit eum, quo minus aliarum rerum quantitates percipiat, quia quantitas non est objectum primarium visus, sed secundarium, cum ergo primarium intellectus objectum pro statu isto sit quidditas rei materialis, vel sensibilis, ab ea dumtaxat denudatur, non vero ab intelligentiarum natura, aut a seipso. Negari nequit, quin hæc oppositio sit satis ingeniosa, & cæteris præstet, quas solent afferre alii Auctores, quas merito reiicit P. Faber loc. citato, obstat quod si hæc propositio intelligatur etiam de potentia intellectiva, argumentum urgebit considerando ipsam ex natura potentiæ, nam sic objectum ejus primarium, & adæquatum est ens finitum, ut intelligentias comprehendit, & animam ipsam, tunc redit ex integro difficultas, quod intellectus deberet esse seipso denudatus.

139 Obiic. deinde contra alteram conclusionis partem, quod intellectus nempe sit pura potentia in genere intelligibilium, nam ipse quoque cadit sub numero intelligibilium, seque ipsum intelligere potest ex Arist. superius cit. & tamen non est in potentia ad seipsum. Tum quia sicut intelligentiæ separatæ naturaliter omnia intelligunt per formas sibi a principio inditas, unde in libr. de causis proposit. 10. dicuntur intelligentiæ plenæ formis, ita pariter de animabus, quæ sunt rationis participes asserendum videtur, cum istæ valde imitentur intelligentiarum dignitatem. Resp. Doctor p. d. 3. q. 7. Z. intellectum etiam in ordine ad seipsum esse in potentia, quatenus intelligibilis est, quod ita declarat ibi, nam pro hoc statu primo *intelligimus illa*, quæ occurrunt ex phantasmatibus, & ideo nihil possumus potentia propinqua intelligere ante intellectionem alicujus imaginabilis, atque ita non possumus intelligere *intellectum*, nisi prius *intelligamus* aliquod phantasiabile, unde intellectus non est intelligibilis potentia propinqua, nisi post intellectionem aliorum, loquendo pro hoc statu, unde *illa propositio intellectus nihil est actu eorum, quæ sunt antequam intelligat*, quam habet Arist. cit. 3. de An. tex. 5. etiam de intellectu sui ipsius verificatur, & sensus est, non est aliquid actu intelligibile potentia propinqua, antequam intelligat, idest, nisi prius intelligat aliud, & hoc sensu etiam in ordine ad seipsum, quatenus est intelligibilis, dicitur esse in potentia. Ad aliud negari posset assumptum cum Scoto 2. dist. 3. q. 11. quo etiam concesso, adhuc negari debet paritas, quia anima rationalis pro statu isto conjuncta est corpori, & ratione status, sive pœnalis sit, sive naturalis, cogitur, ut intelligat, uti ministerio sensuum specierum objectorum hinc inde comparando ope intellectus agentis, qui illi ad hunc finem concessus est ab authore naturæ.

140 Quarto tandem dubitatur, qualis, quantaque distinctio intercedat inter intellectum agentem, atque possibilem? Thomistæ cum D. Thoma p. p. q. 79. art. 7. & 10. de An lec. 10. & in 2. d. 17. qu. 2. art. p. tenent distingui realiter, ita Joann. de S. Thom. qu. 10. art. p. Complut. disp. 20. q. 1. Bannez p. p. q. 79. art. 3. dub. 1. asserens esse communem Thomistarum, Cottun. cit. disp. 7. sec. 8. Zab. de mente agente cap. 10. Aversa q. 58. *sec. 6.* Ruvius tr. de intel. agent. qu. 4. & alii quamplures. Alii volunt esse eandem prorsus ex natura rei potentiam, quæ ex diversis muneribus, & officiis modo dicatur agens, modo patiens, atque ideo non distingui, nisi ratione, ita Piccol. Mercen. Suarez libr. 4. de An. cap. 8. Lichet. lib. 5. de intell. agent. cap. 20. Scotistæ tandem suam ingerunt distinctionem mediam inter utramque scilicet formalem, ita namque innuit Doctor quol. 15. cit. & 1. d. 3. qu. 18. litt. C. Faber *supracit.* Cavell. in qu. 13. de Anim. Onuphr. tr. 2. de An. disp. 1. q. 1. dub. 6. Ragusejus cit. disp. 22. cap. 9. idemque sentire videtur Contaren. qu. de intell. agent. cap. 4. & denique omnes nostri formalistæ tr. formal. art. 1. & Mairon. p. d. 36. qu. 2.

In hoc dubio debemus in primis tanquam exploratum habere, *hos duos intellectus* realiter non distingui, quod satis constat ex dictis in generali superius de distinctione potentiarum ab anima, ac inter se invicem: unde falso citatur a quibusdam Doctor pro prima sententia, quia inter nullas animæ potentias tale agnovit discrimen; & rursus non distinguit formaliter in eo gradu, quo distingui solet a nostris intellectus, & voluntas, itaut duas ex natura rei constituant potentias intellectivas, quemadmodum constituunt intellectus, & voluntas, quis enim non videt intra ambitum distinctionis formalis magis distingui intellectum, & voluntatem, quorum una est potentia cognitiva, altera appetitiva, quam intellectum agentem, & patientem? atque ideo satis oculate dixit Lich. p. d. 3. q. 6. §. *sed ista littera*, & q. 7. §. *ad argumenta opinionum* in fine, intellectum agentem, & possibilem non distingui formaliter velut duas potentias animæ, sed velut duas realitates, & partes perfectionales ejusdem potentiæ, quatenus uterque intellectus constituit unum intellectum humanum completum, & perfectum; de qua causa non abs re Onuphrius loc. cit. inquit distinctionem hanc aut rationis appellandam esse, cum tamen ex munerum diversitate, vel formalem incompletam, & inchoatam quia non est formalis in eo gradu, quo inter cæteras potentias reperitur; & talis distinctio sufficere videtur ad salvanda quamcunque distinctionem realem, videntur inferre inter intellectum agentem, & patientem, idem enim intellectus per eandem virtutem aut formaliter geminatam per continentiam duarum realitatum, aut solum virtualiter multiplicem ob suam illimitationem sufficiet ad omnia illa diversa munera obeunda, nam entitatum pluralitas, quantum fieri potest, est evitanda, & hanc sententiam, ut valde probabilem, docet Scot. q. illa 13. de An. in fine, & fuse probat Fortun. Lichet. lib. 5. c. 29. & seq. Bassol. 2. d. 24. q. 2. art. 3.

141 Sed obiicies distingui debere realiter, aut saltem ex natura rei formaliter in omni rigore, idque necessario deduci ex necessitate intellectus agentis, diximus enim art. p. dari debere intellectum agentem a possibili condistinctum ob abstrahendas species rerum materialium, utque illi objectum præparet faciendo actu intelligibile, quod erat tale potentia solum, quia nulla potentia operativa sibi objectum præparat, licet eadem possit actum circa illum elicere, ac etiam suscipere, hæc autem ratio, ut patet, aut distinctionem realem concludit inter illos intellectus, aut certe formalem in omni rigore, alioquin intellectus possibilis secundum peculiarem suam realitatem posset munus obire abstrahendi species; Quod si dicatur eandem potentiam intellectivam secundum diversas realitates producere species, easque recipere, sane ita dicendo distinguuntur velut duæ potentiæ ex natura rei, nam diversitas realitatum sufficit ad constituendam pluralitatem potentiarum in nostra sententia potentias non distinguente realiter, sed tantum formaliter.

Resp. neg. conseq. optime enim adhuc consistit necessitas intellectus agentis absque multiplicatione potentiarum, quatenus eadem potentia secundum eam formalitatem, quæ est operativa, nequit sibi objectum præparare, cum ut sic potius circa illud jam præsuppositum operetur, *sed* necessario illud sibi *præparat* secundum aliam formalitatem, quæ est productiva, & abstractiva specierum, nec sequitur has duas formalitates constituere duas potentias, quia utraque pertinet ad perfectionem, & complementum ejusdem potentiæ intellectivæ, & majorem adinvicem habent connexionem, ac affinitatem, quam intellectus, & voluntas, & ideo tantam distinctionem admittere nequeunt, quantam inter se compatiuntur intellectus, & voluntas. Dices, ergo admitti poterit sensus agens, & voluntas agens, quia, & ipsæ quoque sunt potentiæ operativæ, & productivæ. Neg. conseq. quia ipsæ sunt productivæ dumtaxat sui actus, non objecti, & speciei, potentia autem ex consueto loquendi modo denominatur agens, & patiens ex productione, & receptione specierum, non autem ex simplici productione, & receptione actus, sed ex hoc dicitur solum activa & passiva, ut monet Doctor quol. cit. atque ideo cum intellectus debeat sibi objectum præparare ex sensibilibus per abstractionem, ut ei fiat proportionatum, non ita sensus, ideo opus est in nobis intellectu agente, non sensu; sic etiam respondet Bassol. cit. 2. d. 24. q. 2. ubi nostram tuetur sententiam.

142 Secundo obiicitur ex Doctore qu. cit. de Anima, licet possit aliquid seipsum ad actum secundum movere, non tamen ad actum primum, quia nihil generat, aut producit seipsum, sed intellectus agens *movet* possibilem ad actum primum, quia ipsum reducit de potentia essentiali ad actum primum 8. Phys. 32. & 3. de an. 8. ergo &c. Conf. quia species intelligibilis additur intellectui tanquam comprincipium ad eliciendum actum cognitionis, at non videtur, quod idem ipse intellectus producere debeat aliud suum comprincipium, ut ambo simul deinde eliciant actum, sed convenientius erit agnoscere aliam potentiam distinctam, cujus officium sit producere speciem intelligibilem. Tandem valde diversæ operationes sunt cognoscere objectum eliciendo actum intellectionis, atque abstrahere, & producere species intelligibiles, neque hæ duæ operationes uniuntur in quodam communi operationis genere, quod sit uni potentiæ adæquatum, igitur convenienter pro iis duæ potentiæ distinguuntur sicut distinguuntur aliæ potentiæ pro diversis operationibus, ita urget Aversa cit.

Resp. ad p. ex eodem Scoto p. dist. 3. q. 7. lit. Y. quod cum dicitur intellectus possibilis de potentia essentiali ad accidentalem, & ad actum primum ab intellectu agente per receptionem speciei reduci, hoc non debet intelligi, quasi accipiat aliquod complementum pertinens ad ejus causalitatem, sed intellectus dicitur in potentia essentiali, quando alia causa partialis non est sibi præsens, quam oportet esse præsentem ad hoc, ut sequatur actio, & quando illa causa partialis est approximata, tunc dicitur in potentia accidentali, sive propinqua ad agendum, unde per actum primum in proposito intelligitur omne id, quod requiritur in causa, ut possit exire in actum, nec est inconveniens aliquam causam ita se movere ad actum primum, interdum enim propria actione causas naturales *impedimenta* amovere, & dispositiones requisitas sibi comparare ad actiones subsequentes. Ad Conf. neg. minor, multa enim videmus actione quadam prævia sibi comparare comprincipium

cipium secum concurrens ad propriam operationem subsequentem, sic acqua ad se frigus revocat, quod amiserat, quo comparato secum concurrit ad infrigidandum: quamvis ergo nil sibi possit acquirere principium primæ suæ operationis, quoniam hoc implicat, bene tamen actionum subsequentium. Ad ult. actiones illæ non sunt adeo diversæ, ut exerceri non possint ab eadem potentia per diversas formalitates, & quamvis non facile esset assignare commune genus operationis, in quo duæ illæ actiones conveniant, adhuc tamen certum est, majorem connexionem, & affinitatem illas inter se habere, quam habeant actiones intellectus, & voluntatis, aliarumque potentiarum adinvicem, atque ideo non tantam distinctionem in suis principiis arguere, quantam postulant operationes aliarum potentiarum; sed facile potest assignari commune genus operationis, in quo actiones illæ conveniant, & erit hoc, quod est attrahere objectum ad potentiam, nam per abstractionem speciei trahitur objectum ad potentiam in actu primo, & in similitudine habituali, per elicitionem vero actus trahitur objectum ad potentiam in actu secundo, & in similitudine formali, & actuali.

143 Tertio demum arguitur, quia unius potentiæ unicus est actus, at actus horum intellectuum sunt valde diversi, nam actus intellectus agentis est productio speciei intelligibilis, actus vero possibilis est pati ab illis, ac illis mediis intelligere. Tum 2. quia nequit esse idem principium saltem proximum tam agendi, quam patiendi, nam ratio activi, & passivi diversificat potentias. Tum 3. nequit eadem potentia seipsam ad actum reducere, ut constat de materia prima, quæ cum sit in pura potentia ad formas substantiales, non nisi ope intrinseci agentis sibi illas comparat, sed intellectus possibilis ita est pura potentia in esse intentionali, & ad species intelligibiles, sicut materia prima in genere entis, & ad formas substantiales. Tum 4. quia tunc a potentia cognoscitiva, qualis est intellectus possibilis, procederet aliquis actus, qui non esset cognitio, scilicet specierum abstractio. Tum tandem quia pariter possemus dicere intellectum, & voluntatem esse eandem potentiam inadæquate respicientem cognoscere, & velle, quia se habent ordine quodam, sicut facere species ordinatur ad ipsum cognoscere.

Resp. ad p. ex Scot. p. d. 6. q. un. lit. B. posse ejusdem potentiæ esse plures actus alterius generis, quorum scilicet unus sit productivus, & alter operativus, quod quidem passim cernitur in quacunque potentia vitali, quæ in se suum actum producit, & per eundem in se productum operatur; valet ergo illa major de actu ejusdem generis, quatenus ejusdem potentiæ non sunt plures actus operativi, vel productivi, non autem alterius generis. Ad 2. negatur assumptum, quia eadem potentia vitalis, ut nunc dicebamus, elicit, & recipit eundem suum actum, & ita evenit de quacunque actione immanente; ad probationem ejus ait Doctor quol. 15. lit. R. activum, & passivum non semper diversificare potentias pro absoluto, quia tunc voluntas, & quælibet potentia vitalis essent duæ potentiæ, cum in ordine ad suum actum sit activa, & passiva, sed tantum pro respectu, quia ut agens, & patiens fundat diversos respectus. Dices ergo saltem quoad absolutum idem erit agens, & patiens. Negatur conseq. quia intellectus nudus species recipit, & cum phantasmate illas producit, sicut una cum specie actum intelligendi producit, & eundem nude spectatus recipit; tum quia etiam ex parte ipsius intellectus geminari possunt formalitates, ut distinctæ rationes agendi, & patiendi, sed proinde dicendæ sunt diversæ potentiæ, quia ambæ ad eumdem finem ordinantur, & ad perficiendam, & complendam eandem potentiam. Ad 3. neg. major universaliter sumpta, quia potentiæ vitales passim se reducunt ad actum secundum, cum objectum est sufficienter præsens; negatur etiam minor, quia materia est omni prorsus activitate privata in ordine ad formas substantiales sibi comparandas, non ita intellectus respectu specierum, ad quas dicitur esse in pura potentia, quia nullam secum defert congenitam, non vero quia nullam habeat de se vim ad illas comparandas: & si paritas assumpta de materia tenet in omnibus, non solum agens intellectus poni debebit potentia realiter a possibili distincta, sed etiam separata, & extrinseca, quia tale est agens materiam reducens ad actum. Ad 4. nullum est absurdum concedere intellectui aliquem actum, qui formaliter non sit intellectio, ut notat Doctor p. d. q. 7. litt. Q. talis enim est actus productivus intellectionis, qui tamen ei conceditur. Ad ult. neg. conseq. nam ut constat ex dictis disp. 2. q. 1. ar. 2. longe major suppetit ratio ad distinguendum intellectum, & voluntatem, ut duas potentias, quam modo pro intellectu agente, & possibili, & quamvis etiam ibi actus intellectus ordinetur ad actum voluntatis, sicut in proposito abstractio speciei ad cognitionem ordinatur, ex alio tamen capite magna adhuc remanet disparitas, quia unus est actus cognitivus, alter appetitivus, atque ideo nunquam rite censeri poterunt actus inadæquati ejusdem potentiæ, sed omnino censeri debent actus operativi, & adæquati diversarum potentiarum; alia quædam argumentula vide apud Fabrum loc. cit.

144 Quæres, an saltem intellectus practicus, & speculativus gemineret potentiam intellectivam; Negative item respondendum est, quia intellectus practicus, & speculativus est una, & eadem potentia sub diversis actibus, & habitibus, sub habitu vel actu practico dicitur practicus, sub speculativo speculativus, at secundum diversitatem actuum, vel habituum non oportet distinguere potentias, alioquin intellectum opinativum a scientifico distinguere debemus, intuitivum ab actractivo; Ratio a priori est, quia objectum formale intellectus, sive practici, sive speculativi est unum tantum, scilicet ens, inquantum ens intelligibile, quod sub se continet, tam objectum practicum, quam speculativum, ergo istæ differentiæ potentiam essentialiter nequeunt diversificare, sicut potentia visiva unica est, quæ versatur circa album, & nigrum, etiamsi ista duo essentialiter distinguantur.

145 Dices, istæ differentiæ diversificant essentialiter actus, & habitus ex dictis disp. 12. loc. q. 5. art. 3. ergo & potentias. Accedit, quod Arist. 6. ethic. cap. p. & lib. magnorum moral. cap. 35. vocat intellectum practicum, & speculativum duas partes animæ genere diversas; Et 3. de An. 53. vocat intellectum practicum virtutem deliberantem, & intellectum speculativum principium intelligendi, & ait, has duas virtutes magis inter se distingui, quam irascibilem, & concupiscibilem, sed istæ sunt duæ potentiæ inter se distinctæ, ergo &c.

Resp. Negatur conseq. quia plura requiruntur ad faciendam distinctionem in potentiis, quam requirantur in actibus, vel habitibus, quia potentia est universalior actu, & habitu, nec potentia ex actibus generatur, sicut habitus, unde est necessario speculativus, si fit ex actibus speculativis, vel practicus si fit ex practicis, quia actus specie diversi eundem specie habitum gignere nequeunt. Arist. autem primis duobus locis, aut loquitur de ipsis habitibus, quos ibi nominat potentias, ut plerique exponunt, vel vult illos duos intellectus distingui inter se, velut duæ partes ejusdem potentiæ, non autem tanquam duas potentias totales, subdit autem genere distingui, non simpliciter, & secundum se consideratos, sed ex ordine ad habitus, quibus subsunt, ut ibi exponit Burlæus. Ad alium locum ex 3. de an. idem dici potest, quod loquitur ratione habituum, quibus subjacent. Solet quoque hic disputari quinam intellectus sit perfectior agens, an possibilis, quia altercatio licet sit minor in nostra sententia eos fere *non distinguente, nisi ex diversis muneribus*, tamen adhuc in ea potest habere locum ob munerum diversitatem; Scot. quol. 15. S. ait agens esse nobilius possibili præcipue ut respicit objecta sensibilia, quia præcise respectu illorum est agens in intellectum possibilem; dici potest agentem esse possibili perfectiorem, prout est in statu puræ potentiæ, & indiget formari per species, non tamen est nobilior ipso speciebus informato, & vitaliter operante, de quo vide Bargium p. d. 3. q. 4. in 4. art. & Mairon. cit. p. d. 36. q. 2. & Parisienses 3. de An. q. 1.

ARTICULUS III.

Utriusque intellectus munera assignantur, & officia.

146 Quamplures, & variæ functiones solent a Philosophis intellectui agenti attribui, & usque ad vigintiquatuor refert Lichet. lib. 3. de intellectu agente, sed ut bene notavit Aversa q. 58. sec. 6. multæ fuerunt *illi* delatæ ex falso supposito, quod sit substantia quædam separata, ac etiam in sententia vera, quod sit facultas interna animæ, quamplures etiam fuerunt *inutiliter*, & absque ullo *fundamento excogitatæ*; quare inter tot actiones, ac operationes illi adscriptas de duabus tantum erit nobis sermo, nimirum de illustratione phantasmatum, ac intellectione, & ratio est, quia ut docet Scot. quol. 15. §. *de isto articulo*, istæ duæ dumtaxat actiones videntur intellectui agenti competere posse, scilicet, illustrare phantasmata faciendo de potentia intelligibili actu intelligibile, & elicere actum intelligendi faciendo de potentia intellecto actu intellectum, reliquæ functiones illi attributæ aut sunt prorsus superfluæ, & fictitiæ, aut ad alteram illarum debent reduci, ut postea constabit.

Prima itaque actio illustrandi, & illuminandi phantasmata ab omnibus fere Philosophis agnoscitur, ut propria intellectus agentis, nam ita significat Arist. 3. de An. 18. dum inquit, intellectum agentem se habere ad intelligibilia, sicut externum lumen se habet ad colores, quos sua illustratione efficit actu visibiles, cum antea solum visibiles essent in potentia, sentit ergo Arist. proprium munus intellectus agentis esse illustrare phantasmata, tanquam spirituale lumen, qua illustratione objecta materialia fiunt spiritualia in suo repræsentativo, & quæ erant solum intelligibilia in potentia, fiunt intelligibilia in actu, qua de causa intellectus agens dicitur res transferre de ordine in ordinem, hoc est, de ordine sensibilium ad ordinem intelligibilium, & de ordine corporalium ad ordinem spiritualium.

147 Verum, quomodo fiat hæc phantasmatum illustratio, non eodem modo explicant Auctores, quidam volunt fieri per illuminationem solummodo objectivam, quæ fit per simplicem apparentiam objecti ex assistentia extrinseca luminis, sicut in opinione negante lumen inhærere colorato, sed tantum medio, color objective dumtaxat illuminari dicitur, sic ergo intellectus agens, ut primum conjungitur phantasmati, per solam assistentiam extrinsecam facit apparere objectum intelligibile in ratione intelligibilis, scilicet naturam ipsam communem, quia natura singularis pertinet ad sensum, atque ita volunt *intellectum* agentem non effusa a se luce, & in phantasmate recepta, sed manente in seipso, ac veluti interposito inter phantasma, & intellectum possibilem sui splendore solam naturam communem illuminare eo pacto, quo sol suo lumine diffuso in aere colorem pomi, non saporem illuminat, & demonstrat, quia *solus* color visibilis est, non sapor, talis fuit opinio Henrici quol. 4. q. 7. 8. & 21. & quol. 5. q. 14. ut refert Scot. p. d. 3. q. 6. §. *in ista quæstione*, quam adamussim amplexus est Cajet. p. p. q. 79. ar 3. & q. 85. art. 1. adhuc tamen admittens *species intelligibiles* a phantasmate sic illustrato produci, *sed certe minus* consequenter, quia ut dicebat Henric. juxta hunc dicendi modum, nulla est necessaria intelligibilis species, sed phantasma extrinsece irradiatum ab *intellectu agente* potest immediate intellectum

posti-

possibilem immutare, & huic opinioni adstipulantur quicunque dicunt intellectum agentem agere, & operari circa phantasmata, non actione positiva aliquid imprimendo, sed privativa, secernendo nimirum quidditatem, & naturam communem a conditionibus materialibus, ac individuantibus, quam etiam tenet Bacon. p. q. 2. art. 2. & 3.

Alii volunt, hanc illuminationem non solum esse objectivam, sed etiam formalem, scilicet per effusionem luminis spiritualis ab intellectu agente, & recepti in phantasmate, unde consequenter volunt intellectum agentem habere actionem realem in phantasmata, eis imprimendo qualitatem quandam realem lumini externo *similem*, & per eam sic illustrata immutant intellectum possibilem, aut immediate producendo in ipso intellectionem ipsam, aut saltem speciem *intelligibilem*, quem dicendi modum Piccolom. lib. 5. de mente humana cap. 6. adscribit Alexandro, & probabilem censet Tolet. 3. de an. q. 13. Alii volunt, hanc *illuminationem nec objective* fieri, nec formaliter, sed radicaliter tantum, quatenus phantasia radicata in eadem anima spirituali, in qua est intellectus agens, producit phantasmata illuminata, idest habilia, ut ab eis intellectus agens species abstrahat intelligibiles, & hæc habilitas reddit phantasma intelligibile in actu; ita Ferrara 3. de an. qu. 9. & 2. contra gent. cap. 77. Capreol. 2. d. 3. q. 2. art. 3. & alii.

148 Dicendum tamen, illustrationem phantasmatum ab intellectu agente nec fieri objective, neque formaliter, neque radicaliter, ut ajebant Auctores præcitati, sed effective, quatenus intellectus agens per suam actionem abstractivam illa elevat ad secum *comproducendum* speciem intelligibilem, in qua solum redditur objectum actu intelligibile, quod antea in phantasmatibus erat solum potentia intelligibile. Ita explicat Doctor hanc phantasmarum illustrationem p. d. 3. q. 6. §. *contra istam opinionem*, quæ erat Henrici, & quol. 15. cit. §. *de isto articulo*, & probatur quoad singulas partes, primo, quod talis illuminatio non sit objectiva præcise per solam extrinsecam assistentiam, probatur ex Scoto, quia in illa extrinseca assistentia non habet intellectus agens aliquam actionem in phantasmata, unde phantasma remanet intrinsece immutatum sicut antea, ergo nequit postea repræsentare aliquid actu intelligibile, quod prius non ostenderet: assumptum conceditur a Cajet. & conseq. de se patet, quia idem repræsentativum, & eodem modo se habens, semper eodem modo repræsentat, nam nullatenus intelligi potest phantasma manens idem, & eodem modo sine ulla sui mutatione repræsentare tamen diverso modo; Neque dicas, id contingere ex sola extrinseca illuminatione intellectus agentis, nam contra arguit Doctor, lumen non repræsentat formaliter, nec est ratio formalis repræsentativi, sed tantum est illud, in quo aliquid repræsentatur, alioquin idem phantasma repræsentare posset sonum, & colorem sub diverso lumine, ergo phantasma sub lumine intellectus agentis non repræsentat aliud, sed repræsentat idem, quod antea repræsentabat sub lumine phantasiæ, clarius tamen, ut patet de colore sub lumine Solis, & Lunæ; ergo phantasma absque intrinseca mutatione sui nequit repræsentare actu intelligibile, quod antea non repræsentabat. Deinde intellectus agens ab actione dicitur agens, & est vere potentia activa, inquit Doctor, ergo nequit phantasmata illustrare, nisi per veram actionem, dicere enim, quod intellectus sit vere agens, & nihil agat, est *penitus fictitium*, & implicatorium, qua etiam ratione rejicitur placitum dicentium intellectum agentem agere in phantasmata actione negativa, non positiva, nam id quoque implicat; quia actio ex suo genere dicit quid positivum, eique terminus realis, & positivus correspondet, ut diximus in lib. de gen. alias rationes, contra hunc dicendi modum Cajet. vide apud Fabrum theor. 78. c. 4. & apud Doctorem loc. cit.

149 Secundo, quod neque hæc illuminatio fiat formaliter per *impressionem*, & inhæsionem alicujus luminis in phantasmate effusi ab intellectu agente probat Scot. ibidem in p. d. 3. q. 6. sub lit. C. quia vel talis qualitas corporea esset, vel spiritualis; non secundum, quia repugnat hanc in subjecto recipi corporeo, & extenso, etiam per modum transeuntis, ut probatum est disp. 4. q. 23. excludendo instantiam de anima rationali, quæ recipitur in corpore; si primum, ergo intellectus agens non transferret objectum de ordine in ordinem, quia adhuc ea receptra remanet phantasma corporeum, & materiale, unde nec postea esset magis proportionatum ad immutandum intellectum possibilem, quam antea foret; Deinde ut supra arguebamus, lumen, sive adveniat objecto per solam assistentiam, sive per intrinsecam inhærentiam, non ei præstat, quod hoc, vel illud repræsentet, sed quod distinctius, & clarius repræsentet, ergo illuminatio intellectus agentis neutro modo rite ponitur, quia intellectus agens ita illuminat phantasmata, ut præparet, ac veluti de novo producat objectum intellectus possibilis in esse intelligibili.

Tertio, quod neque hæc illuminatio fiat radicaliter facillime probatur, tum quia per talem radicationem phantasiæ in eadem natura cum intellectu agente nulla exprimitur actio, nullumve munus intellectus agentis; tum quia ex tali radice, & communicatione non accipiunt phantasia, & actus ejus aliquam immaterialitatem, vel virtutem excedentem rationem corporeitatis, & materialitatis, quo magis proportionata maneant ad producendam intellectionem in intellectu possibili, aut speciem intelligibilem cum intellectu agente.

150 Quarto tandem, quod talis illustratio phantasmatum sit effectiva ratione effectus ex illis deducti ab intellectu agente scilicet ratione speciei intelligibilis, in qua redditur objectum intelligibile actu, probat Doctor quol. cit. lit. R. quia ait Arist. 3. de An. 18. intellectum agentem ad phantasma se habere sicut *lumen* ad *colores*, at *lumen* ad colores ita se habet, quod ubi in tenebris delitescentes species visibiles transmittere nequeunt ad oculum, postea commode cum lumine transmittunt, & visum immutant, & ratio est, inquit Doctor, quia quando causas oportet concurrere ad agendum, una earum non est in potentia propinqua ad agendum, nisi alia concurrente, ad hoc autem quod color agat in visum, requiritur alia causa concurrens ad agendum, scilicet lumen, ergo pari modo phantasma gignere nequit speciem intelligibilem, nisi concurrente actione intellectus agentis, atque ita, & non alio modo dicitur intellectus agens illustrare phantasmata, & in hoc sensu tenet comparatio facta ab Arist. intellectus agentis ad lumen, & phantasmatum ad colores; & in hoc denique sensu inquit, quod sicut lumen colores potentia visibiles facit actu visibiles, quia secum concurrendo eos elevat ad producendas species in oculum, ita intellectus agens res potentia intelligibiles, dum in phantasmatibus delitescunt, facit actu intelligibiles, cum elevat illa secum concurrendo ad productionem specierum intelligibilium, in quibus res sunt actu intelligibiles.

151 Ex hoc autem modo illuminandi phantasmata deducit Doctor p. d. 3. q. 6. sub lit. C. intellectum agentem per talem illustrationem nihil re vera causare in phantasmate, sed tantum in intellectu possibili, qui concurrente phantasmate speciem imprimit intelligibilem, adhuc tamen phantasma dicitur illustrare, non *intellectum possibilem*, quia ipsum elevat, & coadjuvat ad resundendas species intelligibiles in intellectum, qua ratione etiam lumen corporeum dicitur illustrare colores, ut diximus; tum quia phantasmata depurantur per talem actionem a conditionibus materialibus, non vero intellectus possibilis; huncque dicendi modum passim sequuntur non solum Scotistæ *omnes*, verum etiam Thomistæ melioris notæ, ut est videre apud Compl. disp. 20. de an. q. 2. qui a Scotistis in hoc solum dissidere videntur, quod ipsi volunt phantasma solum instrumentaliter concurrere cum intellectu agente, Scotistæ vero etiam principaliter, licet cum subordinatione ad intellectum, ut explicavimus art. p. q. 4. R. idem tenent Conimb. 3. de anim. c. 5. q. 4. art. 2. Ruvius tr. de intell. agent. q. 2. Aversa q. 58. sec. 2. Cottun. disp. 5. sec. 8. & alii.

152 Et ad hanc operationem producendi species intelligibiles reducuntur aliæ omnes, quæ solent agenti intellectui attribui, nam hoc ipso, quod producitur species de phantasmate repræsentans intelligibiliter objectum, quod erat in phantasmate sensibiliter, dicuntur phantasmata depurata, & illustrata, & translata de ordine in ordinem, scilicet de ordine sensibilium ad ordinem intelligibilium, & de ordine corporalium ad ordinem spiritualium, dicuntur res abstractæ a *materia*, & *conditionibus* materialibus, unde talis abstractio, depuratio, translatio, & alia id genus, hac unica actione perficiuntur, cum producitur species *intelligibilis*. Hinc tamen advertendum est, quod cum dicitur intellectus agens species, & res abstrahere a materia, non est intelligendum in sensu, quem passim solent Thomistæ docere, ut res necessario denudet a materia singulari, & conditionibus individuantibus, quasi hæc attingi nequeant ab actu intellectus; nam ut postea dicemus, bene potest abstrahi a rebus species singularis, imo hæc est prima, quæ abstrahitur ab intellectu agente, & res etiam quatenus materiales, & singulares, possunt terminare intellectionem, quantumvis spiritualem, quis enim neget, intellectum nostrum res materiales etiam sub ratione materialitatis attingere? non ergo dicitur intellectus agens abstrahere, & denudare res a materia, quatenus se habent in ratione objecti terminativi, sed dumtaxat quatenus se habent in ratione principii effectivi respectu cognitionis abstractivæ, quia talis cognitio a specie paritur, non ab objecto in se præsente, & quia species intelligibiles sunt prorsus immateriales, spirituales; ideo res in ipsis repræsentatæ dicuntur a materia abstractæ, ac denudatæ; & hoc est, quod nostrates dicere solent, objectum in specie repræsentatum abstrahere a materia, & *conditionibus individuantibus*, non semper velut a re cognita, quia dari potest species rei singularis, & materialis ipsam sub tali ratione repræsentans, sed velut a ratione cognoscendi, ut magis explicabitur q. seq.

153 Contra prædicta instat Vigerius noster p. d. 3. q. 4. in calce probans hanc phantasmatum illustrationem esse fictitiam, quia quod est illustrare phantasma, vel est causare aliquod lumen spirituale in phantasmate, & hoc non, quia phantasma non est susceptivum talis luminis spiritualis, cum sit subjectum corporeum; si vero dicatur, quod illustrare est concurrere cum phantasmate ad causandam speciem *intelligibilem*, hoc frivolum est, quia sic etiam phantasmati competeret illustrare, cum & ipsum quoque concurrat ad causandam speciem intelligibilem, unde pariter dicere possemus, phantasma illustrare intellectum agentem. Deinde Fortunius quoque Lichet. lib. 3. de intell. agent. cap. 32. multis impugnat hoc munus intellectus illustrandi phantasmata.

Resp. jam ex dictis constare quomodo, quoque sensu dicatur intellectus agens phantasmata cum vera, propriaque metaphora desumpta ex modo, quo lumen corporeum dicitur illustrare colores, nimirum quatenus actione sua elevat phantasmata ad producendam speciem intelligibilem in intellectu possibili eo modo, quo lumen externum colores elevat ad immittendas species in oculum; dicitur autem intellectus agens illustrare phantasma, non e contra, esto hoc etiam concurrat ad productionem speciei intelligibilis, quia intellectus agens est, qui concurrit prin-

principaliter, suoque concursu elevat phantasma ad productionem *speciei intelligibilis*, non e contra; Lichetus vero loc. cit. impugnat illustrationem objectivam, & formalem, non autem effectivam, nam & ipse quoque hanc postea admittit inferius lib. 5. c. 33. & seq.

154 Deinde idem Lichetus lib. 3. c. 41. pluribus impugnat munus jam a nobis delatum intellectui possibili transferendi species, & objecta de ordine sensibilium ad ordinem intelligibilium, id enim altero ex duobus modis contingere deberet, vel quod ipsa phantasmata de organo phantasiæ per actionem intellectus agentis *migrarent in substantiam intellectus possibilis* immaterialem, vel quod ipsa phantasmata transmutarentur ab intellectu agente in species ipsas intelligibiles; non primum, quia tunc accidens migraret de subjecto in subjectum, & quod mirabilius est, de materiali in immateriale; neque secundum, quia superfunt integra phantasmata in phantasia quoque, posteaquam in intellectu possibili productæ fuerint species intelligibiles. Rursus ut supra sæpius inculcavimus, res sensibiles, & materiales sunt & ipsæ quoque actus intelligibiles, nam & ipsæ terminare possunt actum cognitionis, quantumcunque spirituales, nec aliquid in se includunt, quod virtutem intellectus subterfugiat, qui est potentia illimitata, & indifferenter refertur in omne ens, sive sensibile, sive pure intelligibile, sive immateriale, sive universale, sive singulare, ut inferius dicemus, quilibet experitur se quoque res materiales, ut tales intelligere, ergo nullo modo necessaria est hæc translatio de ordine in ordinem,

Resp. nullo eorum modorum fieri prædictam translationem, sed solummodo per productionem speciei intelligibilis, ad quam conspirat intellectus agens cum phantasmate in genere causæ efficientis, unde nec phantasma transit de phantasia ad intellectum, sed nova species pænitus spiritualis producitur, nec in hujus speciei generatione species phantasticæ delentur, sed vere cum intellectu agente ad ejus generationem concurrunt. Ad aliud, verum est non in eo sensu res materiales esse potentia intelligibiles, quasi materialitas sit conditio intelligibilitati repugnans, & ab ea debeat intellectus abstrahere etiam in ratione objecti terminativi, & velut a re cognita, sed dicuntur potentia intelligibilia, tum quia ab intellectu conjuncto nequeunt immediate attingi, sed debent prius transire per sensus ad intellectum, tum quia ut notat Doctor quol. cit. R. sicut luminis actione colores de potentia visibiles dicuntur fieri actu visibiles, quia lumen est alia concausa requisita, ut species visibiles emittere possint, unde in tenebris non actu visibiles dicuntur, sed potentia tantum prædicta de causa, ita quoque res in phantasmate ante actionem intellectus agentis dicitur potentia tantum intelligibilis, quia deficit causa principalis requisita ad productionem speciei intelligibilis, qua accedente fit actu intelligibilis abstractive mediante specie, & in hoc transferri dicitur de ordine potentia intelligibilium ad ordinem actu intelligibilium.

155 Sed ut ad alteram actionem, quæ est producendi intellectionem, grassum faciamus, per quam objectum actu intelligibile fit quoque actu intellectum, non ita certum est, an comperat intellectui agenti, sicut de prima, quamplures enim eam adscribunt intellectui possibili, & tanquam communiorem, ac veriorem amplectuntur Conimb. cit. Onuph. tr. 2. disp. p. q. 1. dub. 4. Cottun. disp. 9. sec. 8. Vulpes p. p. tom. p. disp. 20. art. 4. Bannes p. p. q. 79. art. 3. dub. p. Tatar. 3. de anim. q. p. §. *quarto sciendum*, Bargius p. d. 3. q. 7. Lichet. lib. 3. cap. 11. & alii passim; e contra alii id volunt esse munus intellectus agentis, ita sentire videntur Alex. Themist. & Jandun. 3. de anima, & plurimi Scotistæ Mairon. p. d. 3. q. 6. Regentes Parisienses 3. de anim. p. q. ad q. 2. collaterat. Basol. 2. d. 3. q. 4. art. 3. Faber. Theor. 78. c. 2. Roccus 3. de anim. q. 13. id ipsum tenent Piccolom. lib. de humana mente c. 7. & 8. Mercen. in suis dilucidationibus, qui etiam cum negent species intelligibiles, consequenter non distinguunt hanc actionem intelligendi, & judicandi a prima actione illustrandi phantasmata, sed inquiunt illustrationem phantasmatum fieri, dum intellectus in ipso phantasmate immediate apprehendit quidditatem derilictis conditionibus materialibus, & hoc modo fieri abstractionem a conditionibus individuantibus, abstractio enim mentalis est unum intelligere alio non intellecto, unde eo ipso, quod intellectus in phantasmate intuetur quidditatem, & naturam, quæ est suum proprium objectum, relinquendo singularitatem, & conditiones materiales, quæ ad sensum spectant, sufficienter dicitur abstrahere res a materia, illuminare phantasma, de ordine in ordinem objecta transferre, & facere de potentia intelligibilibus, actu intelligibilia, quem dicendi modum amplectitur quoque Contar. q. de intellectu agente c. ult. itaque concludunt Auctores isti, quod quicquid in formanda intellectione occurrit ad passionem spectans, ut moveri, recipere, subjici, id agit intellectus per rationem differentiæ possibilis, quæ vero pertinent ad actionem, ut formare judicium de objecto, & actum intellectionis conficere, id agit idem intellectus per differentiam agentem.

156 Scotus quol. 15. cit. utramque partem propositi problematis probabilem reliquit, licet ex ultimis verbis, quæ habet in §. *si vero*, velint Scotistæ, quod magis ad unam declinaverit partem, inquit enim, *breviter si non teneretur distinctio potentiarum, nec re absoluta, nec relatione reali, sed tantum, quod idem absolutum quodammodo illimitatum est principium immediatum multorum actuum, & sic respectu alterius, & alterius dicetur alia, & alia potentia, tunc prima via probabilis videtur*, scilicet quæ tribuit intellectui agenti functionem intelligendi, hanc enim viam prius docuerat; ex relatis verbis concludit Faber Doctorem declinasse ad partes intellectus agentis, quia ipse in 2. d. 16. potentias animæ non distinguit realiter, nec re absoluta, nec relatione reali, sed formaliter tantum; ex eisdem vero concludit Vulpes cit. declinasse ad partes intellectus possibilis, quia in 2. loc. cit. & d. 3. q. 11. intellectum agentem formaliter distinguit a possibili, nec vult cum Nominalibus animam esse principium immediatum multorum actuum. Hæc lis est de lana caprina, quia ut notarunt Conimb. hæc dubitatio solum videtur habere locum in *sententia distinguente* realiter unum intellectum ab alio, at in nostra non distinguente illos realiter, imo nec in rigore formaliter, quemadmodum distinguuntur intellectus, & voluntas, eo quia sunt duæ perfectiones animæ pertinentes ad integritatem ejusdem potentiæ intellectivæ, quia una est præparativa objecti, altera operativa circa illud, non multum facessit negotii, quia cum sint una, & eadem potentia intellectiva, parum refert, quod uni vel alteri tribuatur, unde Arist. 3. de Anim. indifferenter utique adscribit *hoc munus* intelligendi, nam tex. p. ait se acturum *de parte animæ, qua & cognoscit anima, & sapit*; idest de potentia intellectiva, quam postea tex. 17. distinguit in agentem, & possibilem, & re vera non sunt rationes urgentiores pro una, quam pro altera parte, qua de causa Doctor loc. cit. utrasque dissolvit, ut apud ipsum videri potest, & apud P. Vulpes cit. licet hic Auctor firmius stet pro intellectu possibili; imo qualiscunque ponatur inter prædictos intellectus discretio, *infinuat* Doctor sub lit. T. aliam viam quoque sustinendi hoc problema, asserendo nimirum utrumque intellectum partialiter concurrere ex parte animæ ad intellectionem, itaut agens sit causa magis principalis, possibilis autem minus principalis, quæ etiam via sustineri potest absque ulla improbabilitate.

157 Adhuc tamen supposita distinctione formali inter agentem intellectum, atque possibilem, si penitus disquiratur, sub qua formalitate potius actum *intelligendi* exerceat, nam ut agens, vel potius, ut possibilis, juxta dicta superius de actu intellectionis proprie, & formaliter loquendo secundum neutram exercet actum intelligendi, nam ut ibi diximus quælibet potentia vitalis tripliciter considerari potest, ut activa sui actus, ut receptiva ejusdem, & demum ut operativa per illum, quia ergo intelligere nec formaliter est agere, nec formaliter pati, sed operari vitaliter, ideo hic actus competit intellectui, non ut agenti, vel possibili, sed ut operativo; productio tamen, & elicitio talis actus convenit ei ut agenti, vel activo, non ut passibili, vel passivo, unde notanda est amphybologia, qua solet proponi præsens quæsitum, quæritur enim cui intellectui conveniat munus intelligendi, & producendi intellectionem, quæ duo sunt valde diversa, quia ut *superius diximus*, *intelligere non* est formaliter agere, vel producere intellectionem; ne igitur committatur fallacia secundum plures interrogationes, ut unum, respondendum est ad illud quæsitum cum distinctione, nam si formo sit de productione intellectionis, hæc functio convenit intellectui, ut agenti, vel activo, quia producere actum vitalem est agere, si vero sit sermo de ipsa functione intelligendi, hæc non convenit intellectui neque ut agenti, neque ut possibili, sed ut operativa, quia *intelligere* nec est agere, nec pati formaliter, sed operari intentionaliter circa objectum.

158 Sed sive intellectui agenti, sive possibili adscribatur actio intelligendi, seu producendi intellectionem, nunquam tamen confundenda est, ut videntur fecisse Piccol. Mercen. & alii cum actione *illuminandi* phantasma, & *transferendi objecta de ordine* in ordinem, neque hæc est talis actio, ob quam necessario poni debet intellectus agens a possibili condistinctus; & ratio est, quia visus etiam in pomo apprehendit, quod sui juris scilicet colorem, relinquendo saporem, & sic judicat de suo objecto, & tamen non ob hoc constituitur sensus visus agens distinctus a possibili, ergo non per abstractionem factam per conceptus, sed per eam, quæ fit per species, distinguitur intellectus agens a possibili; tum quia falsum est, quod per tale *judicium*, ac apprehensionem objecta transferantur de ordine potentia intelligibilium ad ordinem actu intelligibilium, sed potius transferuntur de ordine potentia intellectorum ad ordinem actu intellectorum; tum tandem quia falsum omnino supponunt, nimirum quod natura adhuc phantasmatibus involuta sit actu intelligibilis, eamque in phantasmate intueatur intellectus, ut in repræsentativo sibi proportionato, quæ omnia falsa esse constat ex *dictis in superioribus*, quia natura, quamdiu sub involucris phantasmatis delitescit, est potentia tantum intelligibilis, sicut color in tenebris est tantum potentia visibilis, tum quia quando etiam concederemus, naturam in phantasmate esse actu intelligibilem, adhuc dicere non possemus intellectum in phantasmate illam intueri, & contemplari, quia ut docet Scot. p. d. 3. q. 6. F. & p. ad dignitatem intellectus pertinet habere sibi præsens objectum in proprio repræsentativo, non in extraneo; si enim *sensus interior non cognoscit per speciem existentem in* exteriori, sed per propriam, tanto magis id concedi poterit, ac debebit potentiæ superiori, qualis est intellectus, qua potissimum de causa q. 4. art. primo species admittebamus intelligibiles; vide alia apud Fabrum cit. cap. 4. contra hunc dicendi modum.

QUÆSTIO VI.

De objecto nostri intellectus.

160 QUæsitum hoc agitari potest de intellectu nostro, tum pro statu isto, in quo vires habet suas quodammodo ligatas sensibus, tum ex natura potentiæ, secundum quam considerationem a sensibus præscindit, ac veluti quocunque impedimento solutus consideratur, & ejus adæquatum objectum in utraque consideratione *hic inquirimus*, & per adæquatum

objectum intelligimus illud, quod non excedit ipsam potentiam, neque exceditur ab illa, nihilque intra ambitum illius objecti continetur, quod ad illam potentiam non pertineat, nec aliquid pertinet ad illam potentiam, quod sub illo objecto non contineatur, ut dictum est in log. Thomistæ in hac re non satis inter se conveniunt de mente D. Tho. cum enim p. p. q. 12. art. 4. & q. 84. art. 7. & q. 87. art. 3. statuisset quidditatem rei materialis nostri intellectus objectum, id aliqui absolute intellexerunt de objecto intellectus nostri ex natura potentiæ, ita Cajet. dictis in locis, & Capreol. p. d. 2. q. 1. & alii quamplures, in quo sensu opinio D. Thom. solide rejicitur a Doctore p. d. 3. q. 3. Alii vero volunt D. Thom. dum ait quidditatem rei materialis esse objectum adæquatum intellectus humani conjuncti, loqui de objecto intellectus pro hoc statu, non ex natura potentiæ, sic enim objectum ejus adæquatum est ens in tota sua latitudine, ita Javell. 3. de Anim. qu. de objecto intellectus, Bannes p. p. q. 74. art. 7. Complut. disp. 16. de Anim. q. p. & 2. alii Recentiores communiter, in quo sensu intellecta D. Thom. opinio parum, vel nihil distat a sententia Scoti, quam expressit p. d. 3. q. 3. & quol. 14. art. 2. & in lib. de An. q. 19. 20. & 21. ut bene adnotarunt Faber theor. 85. & Cavell. in q. 19. cit. de An. annot. qu. p. qui tamen ibidem demonstrant D. Tho. de objecto adæquato intellectus nostri ex natura potentiæ locutum esse, cum ait objectum adæquatum ejus esse quidditatem rei materialis, & in hoc sensu quoque eum citant Regentes Parisienses 3. de An. q. 2. ad qu. p. collater.

ARTICULUS I.

Constituitur objectum adæquatum intellectus nostri ex naturæ potentiæ.

160 PRo resolutione dubii quoad istum articulum, sciendum ex Scoto q. p. Prolog. lit. E. & X. objectum intellectus nostri ex natura potentiæ adæquatum dupliciter constitui posse, vel secundum naturalem attingentiam, vel secundum naturalem inclinationem dumtaxat; illud censetur adæquatum objectum primi generis respectu alicujus potentiæ, quando ejus cognitionem potentia assequi potest propriis viribus cum solo concursu generali Dei, & aliarum causarum naturalium; illud vero est objectum naturalis inclinationis tantum, quando potentia est capax suapte natura similitudinis ejus impressæ, sed propriis viribus, & secundum communem naturæ cursum nequit talem capacitatem explere, & ad actum reducere; & rursus objectum naturalis attingentiæ duplex esse potest, ut ex Scoto colligitur 4. d. p. q. p. lit. S. motivum, vel dumtaxat terminativum; illud dicitur objectum motivum, quod potentiam movet ad actum imprimendo in ea sui speciem impressam, vel expressam secum concurrendo in genere efficientis causæ; illud vero dicitur terminativum dumtaxat, quod mere terminat respectum attingentiæ ipsius actus, & nullo modo actum causat, & istæ rationes valde differunt in objecto, ut constat de intellectu divino, respectu cujus creatura est objectum terminativum, sed motivum est sola essentia divina, ut docent Theologi: hoc prænotato.

161 Dicimus Primo adæquatum objectum intellectus nostri ex natura potentiæ secundum naturalem inclinationem præcise esse ens reale in tota sua latitudine, at secundum naturalem attingentiam esse ens pressius sumptum, nempe finitum, & limitatum, motivum vel solum terminativum pro varia conditione entium; Conclusio est Scoti loc. cit. quæ ab omnibus passim Scotistis recipitur, & probatur, atque declaratur quoad omnes partes; Et quidem quoad primam partem, quod ens in tota sua latitudine, ut comprehendit finitum, & infinitum, sit objectum naturalis inclinationis, & capacitatis, non solum locis adductis habetur a Doctore, sed etiam in 4. dist. 49. q. 8. B & q. 11. E. & recipitur a Recentioribus Thomistis Complut. disp. 16. de An. q. p. Jo: de S. Th. q. 10. art. 3. & aliis, & probatur, quia intellectus noster ex natura potentiæ non solum abstractivæ cognitionis entis infiniti, sed etiam intuitivæ est capax tanquam perfectionis sibi maxime convenientis, ut probat Doctor q. p. Prolog. quia nulla est necessaria dispositio ad recipiendam visionem beatam, sed tantum ad eam active attingendam, ergo naturalis ejus inclinatio, & capacitas ad omne prorsus ens tam finitum, quam infinitum se extendit. Conf. quia ut arguit Doctor p. d. 3. q. 3. §. *contra istud*, alioqui non posset intellectus humanus elevari ad Deum videndum, si ens infinitum quoque sub ejus adæquato inclinationis objecto non caderet, & consequentia patet, quia nulla potentia cognitiva potest elevari ad cognoscendum aliquod objectum, quod sit extra latitudinem sui objecti adæquati, ut visus elevari non potest ut videat sonum.

162 Secundo probatur quoad aliam partem, quod objectum naturalis attingentiæ sit ens finitum, & limitatum, nam illud est objectum adæquatum naturaliter attingibile ab intellectu nostro ex natura potentiæ, ad quod, & quodlibet contentum sub illo distincte, & quidditative potest intellectus se extendere, sed intellectus humanus non potest sic diversari, nisi circa objectum, & limitatum, ergo &c. Major patet, quia illud communiter censetur objectum potentiæ proportionatum, hoc est, naturaliter ab ea attingibile, quod ipsa penetrare potest secundum omnes ejus rationes usque ad ultimam formalitatem ejus, idque potest propriis viribus absque elevatione, vel alieno auxilio, qua de causa licet Deus a nobis in via cognoscatur sub aliquo conceptu communi cum creaturis, aut etiam proprio ex communibus, tamen quia non attingitur sub conceptu proprio ex propriis, & quatenus est hæc essentia, ideo poni nequit objectum nostri intellectus secundum naturalem attingentiam, & licet in patria attingatur a Beatis sub conceptu proprio Deitatis, adhuc neque poni potest objectum naturalis attingentiæ; quia id fit cum elevatione, ac supernaturali auxilio, & quoad talem conceptum Deus est objectum voluntarium, si vult videtur, si non vult non videtur, ut ait S. Aug. lib. de videndo Deum, prob. minor, quia omne ens finitum, & limitatum, sive sit absolutum, sive relatum, dummodo terminus ejus non sit Deus sub propria ratione Deitatis, proportionatum est cum intellectu creato, quia illud non excedit, nec in ratione entis, nec in ratione motivi, concurrentibus ergo naturalibus causis poterit intellectus humanus absolute loquendo in omne ens finitum attingendo illud, ac penetrando usque ad ultimas ejus formalitates, ac differentias.

163 Ex quibus deducit Doctor cit. p. d. 3. q. 3. & quol. 14. art. 2. quidditatem rei materialis objectum adæquatum intellectus nostri statui non posse, nec naturalis inclinationis, nec naturalis attingentiæ, & ratio est, quia tunc intellectus noster non posset sese ad immaterialia objecta cognoscenda extendere, quia nulla potentia fertur extra sphæram sui adæquati objecti, hoc autem est contra experientiam, quia intellectus noster, nedum ex natura potentiæ, verum etiam pro statu isto habet de substantiis immaterialibus aliquos conceptus, non solum communes, sed etiam proprios ex communibus, & cognoscit Metaphysicalia, quæ abstrahunt a materia, vel per essentiam, vel saltem per indifferentiam, ergo &c. Male etiam ex alia parte loquuntur, qui ens in tota sua communitate ad finitum, & infinitum, finito tamen modo attingibile, statuunt objectum adæquatum naturalis attingentiæ, quia certum est Deum a Beatis non comprehendi, sed finito modo attingi, & tamen adhuc falsum est Deum, ut a Beatis videtur, esse objectum naturalis attingentiæ illorum, quia illum non vident, nisi mediante lumine gloriæ, & auxilio supernaturali, ergo Deus etiam finito modo attingibilis, dummodo sic attingatur distincte, & quidditative, objectum naturalis attingentiæ poni non debet.

164 Tertio, quod ens in tali communitate non sit objectum motivum universaliter, & absolute loquendo, sed vel motivum, vel terminativum pro varia entium conditione probatur, quia sub ente in tali communitate non solum ens reale absolutum, sed respectivum quoque comprehenditur, sed respectus nequit esse objectum motivum intellectus, sed dumtaxat terminativum, ergo &c. prob. min. quia objectum motivum dicitur illud, quod imprimit sui speciem, & cum potentia partialiter concurrit ad producendam sui notitiam, at ens respectivum non est tantæ virtutis, ut possit cum potentia concurrere ad comproducendam, vel speciem expressam, vel impressam, nec partialiter, nec totaliter, cum hæc sint entia absoluta, non potest autem imperfectius producere perfectius, ergo &c. Dices id probare, quod nequeat totaliter producere, contra, quia si ratio bene ponderetur, utrumque probat, quod ex eo evidenter constat, quia ens absolutum, quod ponitur objectum intellectus motivum, non potest ad sui notitiam concurrere, nisi partialiter, at minoris virtutis est a toto genere respectivum, quam absolutum, ergo nec totaliter, nec partialiter potest ad sui cognitionem concurrere in genere causæ efficientis, sed solum terminare, & hæc est communis doctrina Scotistarum, quicquid dicat Posnan. in p. d. 3. disp. sed de hoc magis art. seq.

165 Dicimus 2. ens in tota amplitudine, secundum quam statuitur objectum intellectus nostri ex natura potentiæ, tam naturalis inclinationis, quam attingentiæ, adhuc eam servare unitatem, & primitatem, qualis sufficit ad constitutionem objecti adæquati alicujus potentiæ. Conclusio est Doctoris p. d. 3. q. 3. §. *quantum ad 2. art.* poniturque ad declarandum unitatem, & primitatem objecti intellectus nostri ex natura potentiæ, non enim facile videtur talem ostendere unitatem, cum entia intelligibilia tot sint, & adeo diversa, id tamen declaratur a Scoto loc. cit. ubi notat duplicem in objecto alicujus potentiæ posse considerari primitatem, communitatis scilicet & virtualitatis, secundum illam sub se continet omnia, de quibus quidditative prædicatur, secundum istam sub se continet omnia, quæ aliquo modo in eo virtualiter continentur, & ab eo originem ducunt, quo sensu essentia divina dicitur primum, & adæquatum objectum intellectus divini, quia nil cognoscit, nisi quod ea formaliter, vel virtualiter continet, & repræsentat, in proposito inquit Doctor, nequit ens reale constitui objectum intellectus secundum priorem primitatem tantum, nempe communitatis; quia non prædicatur in quid de ultimis differentiis, suisque passionibus, ut Deo dante in Metaph. discentiemus, neque secundum posteriorem, nimirum virtualitatis, quia nihil præter Deum ita virtualiter continet cætera entia, ut ergo debita in eo assignetur unitas, & primitas respectu omnium intelligibilium sub se contentorum, statui debet objectum adæquatum, & primum secundum utramque primitatem simul, tam scilicet communitatis, quam virtualitatis, quatenus omne intelligibile, vel includit ens reale essentialiter, in quid, ut Deus, & decem prædicamenta, vel includitur in aliquo sic includente ens, ut sunt differentiæ ultimæ, vel demum virtualiter continetur in ipso ente, aut inferioribus ejus, ut sunt passiones entis; ens igitur reale secundum prædeclaratam latitudinem est objectum intellectus nostri ex natura potentiæ primum, & adæquatum secundum utramque primitatem simul, in ordine ad intelligibilia, quæ ipsum essentialiter includunt, & continentur in prædicamentis, habebit primitatem communitatis, & prædicationis, ad reliqua vero, ut sunt passiones ejus, ac ultimæ differentiæ, & entia rationis, primitatem virtualitatis, nam entia quoque rationis dicuntur in realibus contineri virtualiter, seu fundamentaliter, ut dictum est in log. disp. de ente rationis.

166 Cæ-

166 Cæterum est hic advertendum, quod cum ens reale statuitur objectum intellectus nostri ex natura potentiæ, sumi non deber, ut supponit simpliciter, nimirum pro illo conceptu abstracto entis, ut sic, quia potentia intellectiva tendere non posset in particularia entia secundum rationes earum specificas, neque ut supponit personaliter pro hoc, & illo ente in particulari, quia sic non haberemus unum per se objectum potentiæ specificativum, & ratio generalis entis foret inintelligibilis, sed ut supponit absolute tam pro ratione generali entis, quam pro specificis, & individualibus particularium entium, sic enim salvatur ejus unitas, & adæquatio secundum utramque primitatem jam declaratam: ita significavit Doctor q. 1. Prolog. X. p. d. 3. lit. D. & 2. d. 3. qu. 11. litt. E. & d. 24. ad 2. & alibi frequenter, & sic universaliter constitui habent objecta prima, & adæquata potentiarum, ut diximus disp. 2. qu. 2. ponitur ergo ens reale primum, & adæquatum objectum intellectus nostri ex natura potentiæ, præscindendo ab intelligibilitate motiva, & terminativa, secundum illam duplicem primitatem in hoc sensu, quod omne per se intelligibile est hujusmodi per dependentiam ad ens vel essentialiter, vel virtualiter, vel proxime, vel remote.

167 Dicimus 3. ens reale esse primum objectum, & adæquatum intellectus nostri ex natura potentiæ, quatenus ens est, seu sub ratione ipsa entis, non sub ratione veri. Conclusio est Scoti cit. p. d. 3. q. 3. p. 2. §. *his visis*, & q. 20. de Anim. & ponitur ad declarandam rationem formalem objecti intellectus, nam ut ex logicis constat, objecto adæquato cujuslibet potentiæ duplex pars, vel ratio solet assignari, una materialis, & est res ipsa, quæ in recto potentiam movet, aut saltem terminat, & dicitur ratio *quæ*, altera formalis, & est formalitas illa, sub qua res potentiam movet, aut actum ejus terminat, at proinde dici solet ratio *qua*, vel *sub qua*, quia in obliquo solum movet, vel terminat; ait ergo Doctor, ens sub formalitate veritatis in essendo non constitui adæquatum intellectus objectum, sed secundum rationem formalem quidditativam entis; quod probat in utroque loco cit. quia secundum prædictam rationem veri non habet ens communitatem prædicationis ad omnia intelligibilia, quia non prædicatur essentialiter, & in quid de illis, cum sit eorum affectio, nec habet primitatem virtutis ad illa, cum potius virtute contineatur in ente, & aliis intelligibilibus, quam e contra; tum quia intellectus non omnia entia attingit solum sub ratione veri, sed etiam sub ratione unitatis, & multitudinis, bonitatis, & malitiæ, & quatenus entia sunt, ut experientia constat; tum tandem quia etiam cum entia intelliguntur sub ratione veri, non quidditative, essentialiter attinguntur, cum sit prædicatum secundi modi eorum, vel ut affectio, sed intellectus potest attingere entia etiam secundum prædicata quidditativa. Restat ergo, quod ens sit objectum intellectus sub ratione entis, quia ut dictum est, intellectus omnia attingit, quatenus entia sunt aliquo modo, sive formaliter, & quidditative, realiter, & identice, quod enim rationem entis non aliquo modo participat ad intellectum nostrum nullatenus spectare potest, unde & ipsæ quoque negationes, ac non entia, ut cæcitas, & tenebræ solet a nobis concipi sub ratione aliqua entis ipsa efformando in entia rationis, ut dictum est in log. disp. de ente rationis, & per habitus, seu affirmationes oppositas divisive intelligi. Dici tamen solet ens esse objectum intellectus sub ratione veri, quia dum intellectus cognoscit, resultat veritas formalis, quæ est conformitas rei ad intellectum, nam veritati in essendo ex parte objecti correspondet veritas in cognoscendo ex parte intellectus, & quia intellectus tendit in objectum, ut illi se confor met intentionaliter percipiendo illud sicut est, hinc dici solet ens terminare actum intellectus sub ratione veri.

168 Ex dictis deduci potest, qualis sit intelligibilitas, quæ est affectio entis realis, an scilicet sit sola intelligibilitas motiva, ut quidam Scotistæ sustinent, an etiam terminativa, ut alii volunt, adeo quod ens rationis reducatur ad ens reale non tantum in ratione objecti motivi, sed etiam terminativi; facile namque utrumque defendi potest, primum quidem, quia & si intelligibilitas terminativa enti reali, & rationis communis poneretur, adhuc non hinc recte deduceretur univocatio entis ad ens reale, & rationis, quia intelligibilitas unius esset simpliciter, alterius secundum quid, ut bene notavit Barg. p. d. 3. q. 3. §. *quantum ad 2. art.* cum Vigerio, unde ratio communis utrique præscindi non posset, quæ univoca foret, cum ei, quod est simpliciter tale, & alteri, quod est secundum quid tale, nihil sit commune univocum; & ratio hujus est, quia sicut res se habet ad entitatem, ita ad intelligibilitatem, quia ergo ens reale est simpliciter tale, ens rationis tale secundum quid, ita pariter intelligibilitas unius esset simpliciter, alterius vero secundum quid; potest etiam & alter dicendi modus sustineri, quod non solum intelligibilitas motiva, sed terminativa sit entis realis propria, & tunc declaranda est intelligibilitas entium rationis, virtute entis realis, sicut declarari solet intelligibilitas creaturarum virtute divinæ essentiæ, ut Doctor explicat 2. d. p. qu. p. quare sicut essentia divina respectu divini intellectus in ordine ad cognitionem creaturarum nedum ponitur objectum motivum, sed etiam primario terminativum, creaturæ vero terminare dicuntur actum divini intellectus secundario tantum, nam ideo terminant, quia divina essentia prius natura terminat, sic pariter in proposito ens reale erit per se primo intelligibile tam motive, quam terminative; ens vero rationis in virtute entis realis erit intelligibile terminative, non quidem per se primo, sed tantum per se secundo, vide, quæ diximus de hac re disp. 3. log. q. 6. concl. 2. & Lichet. d. 3. q. 2. §. *quantum ad art. 2.*

169 In oppositum Primo objicitur contra p. concl. probando, quod ens reale in sua commoditate ad finitum, & infinitum non sit adæquatum objectum intellectus nostri, nam ens in tali latitudine est objectum adæquatum divini intellectus, excedit ergo capacitatem intellectus humani, qui finitus est, & limitatus. Deinde si esset ens adæquatum objectum nostri intellectus in ea latitudine, tunc posset a nobis cognosci Deus sub ratione Deitatis, quia continetur sub ente in tali communitate, potentia autem se extendit ad omnia, quæ sub suo objecto adæquato continentur; ergo &c. Tandem sequeretur ens infinitum etiam, ut sic cognitum, virtutem intellectus nostri cognitivam adæquare non posse, quia nullum membrum contentum sub objecto adæquato alicujus potentiæ adæquat illam potentiam, tale autem est ens infinitum, ergo &c. ita arguit Onuph. tract. 2. de Anim. disp. p. par. 2. q. p. suntque argumenta Alphonsi. Tolerani 3. de Anim. q. p. ut refert Faber loc. cit.

170 Resp. hæc & similia argumenta probare solum, ens in ea latitudine non esse objectum intellectus nostri naturalis attingentiæ, ut ibidem Faber adnotavit, non vero probant, quod non sit objectum naturalis inclinationis, seu capacitatis. Ad p. itaque neg. conseq. quia ut Doctor advertit p. d. p. q. p. ad 3. prin. ideo est objectum adæquatum intellectus creati, & divini quoad capacitatem, solumque differunt quoad attingentiam tum extensive, tum intensive, quatenus intellectus divinus plura in infinitum objecta, ac longe perfectiori modo attingit, quam creatus. Ad 2. valeret conseq. si ens in ea communitate poneretur objectum intellectus humani naturalis attingentiæ, quod conclusio nostra non asserit. Ad 3. idem concludit argumentum, si ens ut sic ponatur objectum adæquatum intellectus divini, & ideo neg. seq. quia divisio entis in finitum, & infinitum est veluti divisio albedinis in albedinem, ut centum, quia ejus ens infinitum saltem virtualiter includit ens finitum, & eminenter, atque ideo potest dici primum objectum primitate adæquationis quoad virtutem, seu continentiam virtualem cæterorum, licet non quoad prædicationem.

Dices, si ens, inquantum ens, est objectum naturalis inclinationis, non attingentiæ, tunc daretur potentia passiva naturalis absque activa correspondente, atque ideo frustra daretur in rerum natura. Nec sufficit, quod detur hæc potentia activa in tota coordinatione entium, quia Arist. 3. de An. 17. contendit correspondere passivæ in eadem natura; tum quia potentia passiva naturalis, & activa item naturalis, non autem supernaturalis, sunt correlativa. Accedit, quod respectu sensus non datur talis distinctio in objecto, quod aliud sit naturalis inclinationis, aliud naturalis attingentiæ, quia naturalis ejus capacitas cognoscendi omnino limitatur ad ejus connaturalem virtutem operativam, ergo idem erit in intellectu.

171 Respondet Doctor qu. p. Prolog. lit. Q. aliquam naturam inclinari posse ad aliquem actum ex sui nobilitate, qui causalitari agentis naturalis non subsit, unde non est necesse potentiæ passivæ activam correspondere semper in eadem natura etiam secundum Philosophum, ut idem notat 4. d. 43. q. 3. ad 1. & d. 49. q. 11. lit. R. quia potentia receptiva est in corpore ad animam intellectivam, & tamen tota natura creata nequit ipsam inducere, & si quandoque verificatur in natura creata, non tamen semper in eodem genere, vel specie, nam in sensu v. g. visus est potentia naturalis receptiva speciei sensibilis, non tamen activa, cum nullus detur sensus agens, sed illa est objectum alterius generis, & speciei, sufficit ergo, absolute loquendo, ne illa potentia passiva dicatur frustra, quod ei correspondeat activa saltem in tota coordinatione entium, nam illud solum dicitur frustra, quod suum finem nullatenus consequi potest; potentia vero activa, & passiva sunt correlativa transcendentalia universe loquendo, non autem prædicamentalia, & ideo negatur absolute, quod semper esse debeant in eodem genere, & quod si una est naturalis, altera quoque naturalis esse debeat; nec oppositum deducitur ex tex. 17. lib. 3. de An. vult enim ibi quod intellectus agens ita se habeat ad animam intellectivam, sicut se habet agens in rebus naturalibus, & adhuc magis in artificialibus agens non est pars per interna, quæ una cum materia rem naturalem constituat, neque ars est pars rei artificialis neque ejusdem generis, vel speciei, ut bene ponderavit Mercen. tom. p. dilucid. pag. 237. exponens illum textum. Ad aliud mirum non est, si non detur illa distinctio objecti naturalis inclinationis, & naturalis attingentiæ in potentiis sensitivis, quia ut ait Doctor qu. 1. prolog. sub Q & Y. id convenit potentiæ intellectivæ ob præeminentiam, quam habet supra sensitivam; maximæ enim dignitatis est in natura intellectuali, quod ordinetur ad perfectionem majorem, quam sit illa, ad quam viribus naturalibus pervenire potest; Neque illa distinctio de objecto naturalis capacitatis, & naturalis attingentiæ respectu intellectus nostri est peculiaris Scotistarum, eam namque etiam Thomistæ agnoscunt, & adhibent, licet sub aliis terminis, quod enim nos dicimus objectum naturalis inclinationis, ipsi appellant objectum adæquatum extensionis, ad quod nimirum potentia utrumque extendi potest sive propriis viribus, sive speciali auxilio elevata; & quod nos appellamus objectum naturalis attingentiæ, ipsi vocant objectum adæquatum intensionis; quod virtute sua naturali potentia attingere potest, ut est videre apud Cajet. p. p. q. 12. art. 4. & Compl. disp. 16. de An. q. 1. & alios Thomistas.

172 Instabis rursus, quod si ens commune ad finitum, & infinitum est objectum naturalis inclinationis, sequitur cognitionem Dei distinctam, & quidditativam, sive intuitiva sit, sive abstractiva, esse nobis saltem naturaliter debitam, etiam si non sit naturaliter attingibilis, quemadmodum creatio animæ humanæ est debita materiæ ultimo dispositæ ad illam suscipiendam, quia in ea est naturalis propensio, ac passiva potentia naturalis ad eam. Neg. conseq. quia creatæ res non constituunt in Deo, ut est author naturæ, naturale debitum ex sola naturali propensione ad aliquam perfectionem, sed etiam quia propriis viribus attingere possunt dispositio-

nem

nem aliquam ultimo ordinatam ad perfectionem illam & hac de causa infusio animæ humanæ est debita corpori organizato, quia agens naturale propriis viribus cum solo concursu generali Dei attingit dispositionem ad eam ultimo ordinatam ad perfectionem illam, & hac de causa infusio animæ humanæ est debita corpori organizato, quia agens naturale propriis viribus cum solo concursu generali Dei attingit dispositionem ad eam ultimo ordinatam, ut notat Doctor 3. d. 24. q. un. C. quod non contingit in propósito.

Secundo arguitur pro Thomistis sustinentibus quidditatem rei materialis esse adæquatum objectum ex D. Th. p. p. q. 12. art. 4. Objectum, & potentia debent esse commensurata secundum naturam, sed intellectus noster est conjunctus materiæ, ergo objectum ejus debet esse quid materiale, min. patet, probatur major, quia objectum, quod in modo essendi excedit naturaliter modum essendi potentiæ, non est potentiæ proportionatum. Deinde qualis est ordo cognoscibilium, talis esse debet ordo cognoscentium, sed cognoscibilia hunc habent ordinem, ut quædam habeant esse simpliciter in materia, ut substantiæ corporeæ, quædam non habeant quidem suum esse in materia, ita tamen ut non sint suum esse, ut substantiæ incorporeæ, quædam denique sint ita abstracta, ut sint suum esse, qualis est Deus, ergo est dare ordinem in cognoscentibus, itaut quoddam cognoscat ipsam Deitatem, ut intellectus divinus, quoddam alias immateriales substantias separatas, ut angelicus, quoddam materialia tantum, ut humanus. Tandem solam quidditatem rei materialis intellectus noster attingit, ergo ipsa sola est e us objectum, patet assumptum ex Arist. 3. de Anima 9. ubi ait quidditatem per intellectum attingi, sed individuum per sensum, palam autem est, illius rei duntaxat quidditatem attingi, & a nostro intellectu cognosci, cujus individuum cognoscitur a sensu, sed sensus cognoscit tantum individua materialia, ergo & intellectus tantum quidditatem materialem.

173 Resp. Doct. p. d. p. q. p. ad 2. prin. & d. 3. q. 3. §. *Congruentia etiam illa*, negando majorem cum ejus probatione, si per commensurationem intelligas relationem similitudinis inter objectum, & potentiam, quam necessario in aliquo naturali essendi modo, sive specifico, sive generico convenire debeant; conceditur tamen, si per commensurationem intelligas proportionem, sed tunc neg. conseq. quia proportio inter potentiam, & objectum potius petit dissimilitudinem inter ea in modo essendi, quia est proportio moventis ad mobile, & actus ad potentiam, ut manifestat Scotus exemplo materiæ, & formæ, quæ sunt inter se maxime proportionata, valde tamen dissimilia in natura, & modo essendi naturali; Nec infert, si dicas, cognitionem fieri per assimilationem; nam ut notat Doctor cit. 1. d. 3. qu. 3. litt. C. hoc verum est de assimilatione intentionali facta per speciem impressam, vel expressam, & in repræsentando, non de reali, & in essendo. Ad secundum, negatur quoque major, si intelligatur quoad esse, alioquin intellectus divinus non posset nisi seipsum cognoscere, & angelicus non nisi substantias immateriales, quod constat esse falsum, debet ergo intelligi quantum ad quandam proportionem, ut nempe inter cognoscentia talis proportio servetur, ut etiam circa idem objectum diverso modo, & cum majori, vel minori perfectione operentur; Dices, ergo saltem angelicus, & humanus intellectus specie non differunt, cum ex natura potentiæ tendant in idem objectum, & potentiæ per actus, & objecta specificentur; quod autem in idem tendant objectum naturalis attingentiæ, docet Scot. quol. 14. litt. P. ubi ait; quod objectum adæquatum intellectus nostri ex natura potentiæ non est aliquid specialius objecto intellectus angelici. Resp. satis probabile esse, ac verius intellectum angelicum, & humanum ejusdem esse speciei, ut docet Doctor 2. d. p. q. 7. sed quando etiam specie differrent, non recte inferretur identitas specifica inter eos ex sola identitate objectorum, adhuc enim aliunde possent inter se distingui, ut de intellectu & voluntate dici solet, quod versantur circa ens, ut ens, velut circa eorum adæquatum objectum, & tamen adhuc sunt distinctæ potentiæ. Ad 3. concludit ad summum quidditatem rei materialis esse objectum intellectus pro statu isto; non autem ex natura potentiæ, quod si Thomistæ hoc intendant, non dissentimus ab eis, ut constabit art. seq. verum, quia rationes D. Th. videntur quid amplius probare, opus fuit eas dissolvere.

174 Tertio arguit Ocham p. d. 8. qu. 3. contra 2. conclus. probando, quod ens reale non habeat illam duplicem primitatem respectu *omnium* intelligibilium, quia ens rationis, & secundæ intentiones sunt per se intelligibiles, & tamen ens neutram habet primitatem respectu eorum, non quidem communitatis, quia nihil est commune univocum enti reali, & rationis, nec etiam virtualitatis, quia illa primitas non est nisi respectu entium realium. Hoc idem ostendi potest de privationibus, & negationibus, quæ sunt per se intelligibiles, & actum intellectus terminant, nec tamen apparet, quam primitatem erga illa ens reale exerceat.

Resp. negando ens reale non habere primitatem virtualitatis etiam respectu entium rationis saltem remote, nam entia quoque *rationis* dicuntur *in realibus suo modo contineri fundamentaliter*, & inchoate, & secundæ *intentiones* dicuntur originari a *primis*, ut declaratum est tract. de ente rationis in log. Sic etiam pariter suo modo negationes, & privationes continentur virtualiter in ente reali, quia privationes, ita namque expresse docuit Arist. 1. de Anim. 85. & lib. 3. tex. 25. Verum est aliqua difficultas quomodo negatio possit per affirmationem cognosci, quia non videtur, quod unum oppositum possit aliud repræsentare, Ant. And. 4. Met. q. 2. distinguit de duplici affirmatione, una est, quam destruit, & excludit, alia quam præsupponit, & includit, ut ista propositio, homo non est asinus, excludit oppositam, quod homo est asinus, & præsupponit aliam affirmativam, quod homo est rationalis; inquit ergo, quod negatio cognoscitur per affirmationem, quam supponit, non vero per aliam, quam excludit; & hinc concludit negationem non habere distinctam formalitatem ab affirmatione inclusa, & quam supponit, bene tamen ab exclusa, quam destruit, & sic non sequitur unum oppositum repræsentare aliud oppositum. Jandun. 4. Met. q. 2. ait, quod negatio, & privatio cognoscuntur non per affirmationem oppositam, nec per illam, quæ est causa illius negationis præcise, sed per quamlibet aliam disparatam, v. g. non homo cognoscitur per aliud positivum ab homine, ut per Leonem, & Bovem, & similia, nam intantum cognoscimus non hominem, quia cognoscimus Leonem, Bovem, asinum &c. qui non sunt homines.

175 Neuter dicendi modus arridet, non iste Janduni, quia sane necesse non est cum concipimus non hominem determinate apprehendere Leonem, vel asinum, & cum concipimus non substantiam habere apprehendi accidens, imo, si nulla alia foret possibilis species præter humanam, certe adhuc possemus concipere non hominem, potest ergo absolute concipi non ens absque determinato conceptu alicujus entis; Nec etiam alter modus dicendi Ant. And. satisfacit, quamvis enim verum sit negationem cognosci etiam per affirmationem, quam præsupponit, non propterea negari debet, quod cognoscatur etiam per aliam, quam excludit, hoc namque expresse docuit Arist. loc. cit. imo ibi aliam non memorat affirmationem, quam oppositam, dum ait negationem cognosci per affirmationem, & hic videtur communis sensus omnium; tum quia non omnes negationes præsupponunt affirmationem in subjecto, cui conveniunt, sed illæ tantum, quæ competunt illi simpliciter, & necessario cum repugnantia oppositæ affirmationi, ut docet Doct. 3. d. p. q. 1. lit. G. & p. p. 23. sub E. ergo nequibunt istæ cognosci, nisi per affirmationem oppositam; tum tandem quia etiam hinc male deducit negationem non habere distinctam conceptibilitatem ab affirmatione, quam supponit, quod enim ex hoc, quod homo est rationalis concludatur non esse asinum, non sequitur hanc negativam non habere distinctam conceptionem a cognitione illius affirmativæ, imo potius sequitur oppositum, quia cognitio affirmativæ est causa cognitionis negativæ.

176 Potius ergo dicendum cum Arist. cit. & Scoto p. d. 23. lit. D. negationem præcipue cognosci per affirmationem oppositam, non ens per ens, tenebras per lucem, & ratio est, quia negatio sequitur ex natura rei talem affirmationem, cum oppositione ad illam, atque ideo affirmatio movens intellectum ad cognitionem sui movet eum quoque ad cognitionem sui oppositi, quia unum oppositorum movet quoque ad notitiam sui oppositi, saltem secundario, & indirecte, & in hunc sensum explicat Doctor loc. cit. dictum Arist. 1. topic. cap. 11. eandem esse scientiam oppositorum; & ut adhuc magis constet, quomodo verum sit, negationem nonnisi per affirmationem, & privationem per habitum concipi posse, advertimus ex Scot. 2. d. 6. q. p. ad 2. pro opin. lit. E. bifariam negationem, & non entia concipi posse, uno modo actu simplici per apprehensionem absolutam spectantem ad primam intellectus operationem, alio modo actu quoddam divisivo spectante ad secundam, sed utroque modo concipiuntur dependenter ab ente, ac forma positiva, nam primo modo fit, cum ea, quæ a parte rei nihil sunt in seipsis, finguntur ad modum venientis positivi, ut cum concipimus cæcitatem, quæ est sola carentia visionis, ad modum formæ positivæ; altero modo, in quo nulla intervenit fictio, fit cum judicamus unum non esse aliud, ut v. g. hic esse tenebram, quia lucem non videmus, aut oculum esse cæcum quia non est videns; constat autem uno, vel altero modo negationem non concipi, nisi beneficio affirmationis, & universaliter non ens intelligi per ens.

177 Quarto tandem arguit contra 3. concl. probando, quod ens sit objectum intellectus sub ratione veri, quia intellectus, & voluntas sunt distinctæ potentiæ, ergo habere debent distincta objecta formalia, quia potentiæ distinguuntur per objecta 2. de Anim. 33. cum ergo ens sit objectum formale voluntatis ut bonum, erit objectum intellectus ut verum. Conf. illud censetur objectum formale alicujus potentiæ, quod est motivum illius, sed ens est motivus intellectus, non secundum quod est, sed secundum quod verum est, eum movet quatenus conforme ad illum. Tandem ens est objectum intellectus quatenus intelligibile, sicut est sensus quatenus sensibile, ergo quatenus verum, quia verum de se dicit rationem intelligibilis, & manifestativi quatenus dicit relationem ad intellectum, qui percipit, & manifestat ipsum ens.

Respondet Scot. cit. p. d. 3 q. §. *bis visis*, & d. 20. de Anim. quod cum potentiæ distinctæ dicuntur habere distincta objecta formalia, id est intelligendum de potentiis, quæ sunt omnino disparatæ, ut sunt visus, & auditus, nam potentiæ subordinatæ, sive ejusdem generis, ut plures cognitivæ; sive diversi, ut cognitiva, & appetitiva, possunt habere idem objectum sub eadem ratione formali, nec potentiæ distinguuntur per objecta intrinsece, & formaliter, sed tantum extrinsece, & manifestative, ita quod si objecta sunt diversa, bene sequitur, potentias esse diversas, sed non e contra, si objecta non differunt, quod neque potentiæ differant, sed est fallacia consequentis a destructione antecedentis; plura enim requiruntur ad identificandum, quam ad distinguendum; vide, quæ diximus ad hanc rem disp. 2. q. 4. Ad Conf. negat minorem, quia objectum potius dicitur motivum potentiæ secundum rationem absolutam independenter a potentia, quam secundum aliquem respectum ad ipsam potentiam, unde Arist. 2. de Anim. 66. ait, quod objectum proprium visus non est visibile, ut refertur ad visum,

visum, sed est color, objectum auditus est sonus, cujus ratio videtur esse, quia tunc facile esset assignari prima objecta potentiarum, quia objectum primum cujusque potentiæ esset correlativum ad talem potentiam, puta visus visibile dicitur, quod potest attingi a visu, velut ejus objectum, & sic sensus esset, visibile est objectum visus, quia est objectum visus. Ad ultimum eadem ratione negandum est ens esse objectum intellectus ut intelligibile formaliter, quando id dicitur, intelligi debet fundamentaliter, & materialiter; nec ita intelligi debet, quod sensibile non sit etiam intelligibile, quia intellectus est potentia superior, quæ potest habere actum circa objectum inferioris, atque ideo ens intelligibile contradistinctum a sensibili non erit *intellectus* objectum, sed ens commune ad sensibile, & insensibile; & hanc Scoti sententiam passim sequuntur Recentiores, & præsertim Aversa q. 6. sec. 7. & Contar. *tom.* 3. qu. de objecto intellectus cap. 6. ubi optime diluit authoritates quasdas Arist. quibus innixus oppositum defendit Piccol. lib. de mente humana cap. 22. quas, quia sunt parvi momenti, missas facimus.

ARTICULUS II.

Assignatur objectum intellectus nostri pro statu isto, unde varia quæsita resolvuntur de cognoscibilibus a nobis.

178 Doctor p. q. Prolog. lit. E. & p. 3. q. 3. lit. B. & qu. 4. lit. F. & quol. 14. ar. 2. & alibi frequenter quidditatem *rei* sensibilis constituit adæquatum objectum intellectus nostri pro statu isto naturaliter attingibile; & quia dupliciter potest aliquid esse sensibile, primo proprie, & formali er, quatenus per suam propriam speciem potest immediate sensus immutare, secundo mediate, & per aliud, quatenus scilicet essentialiter continetur in re per se sensibili, vel saltem virtualiter, & occasionaliter declarat Doctor præsertim quol. cit. quod licet objectum motivum, imprimens sui speciem, sit quidditas rei sensibilis formaliter, & per se, sicut est omnis qualitas corporea, & extensa, objectum tamen terminativum, quod ntelligi potest sive per impressionem propriæ speciei sive alienæ, est quidditas rei sensibilis, ut sic, quomodocumque sit sensibilis, sive formaliter; & per se, sive per aliud, quatenus scilicet est inclusa essentialiter per se sensibili, uti se habent formalitates omnes superiores respectu inferiorum, vel saltem *virtualiter*, & *occasionaliter*, uti se habent quæcumque aliquam habent dependentiam in cognosci a re per se sensibili, quemadmodum se habet substantia respectu accidentis, res spirituales respectu corporalium, entia rationis respectu entium realium, hæc enim omnia pro statu isto novimus dependenter a rebus per se sensibilibus, quia omnis nostra cognitio ortum habet a sensu, si non formaliter, & immediate, semper saltem originaliter, & occasionaliter proxime, vel remote, nam virtute quidditatis sensibilis cognitæ, & ad causas ejus, & ad effectus quodammodo cognoscendos manuducimur; eandem doctrinam habet Doctor qu. 19. de Anim. & Arist. ipse lib. de memoria, & reminiscentia cap. 1. ubi docet etiam, quæ sine magnitudine sunt, & imaginationem, & magnitudinem intellectui objecta, & ratio est, quia ut docuit 3. de Anim. 30. pro statu isto oportet intelligentem phantasmata speculari, nec quicquam intelligere valemus, nisi cujus ansam potest nobis præbere phantasia; hic vero advertendum est, quod cum hic dicimus objectum motivum intellectus nostri esse quidditatem sensibilem pro statu isto, non loquimur de ipsa in se præsen e, sed in sua specie, & in suo proprio repræsentativo, quia ut supra diximus, extra speciem non est per se intelligibilis, sed potentia tantum.

179 In hac conclusione nobiscum conveniunt Thomistæ illi, qui quidditatem rei materialis constituebant objectum adæquatum nostri intellectus pro statu isto, & in hoc sensu mentem D. Th. explicabant, nam per quidditatem rei materialis idem videntur intelligere, quod nos intelligimus per quidditatem rei sensibilis, notat tamen Doctor rectius dici quidditatem rei sensibilis esse objectum, quam quidditatem rei materialis, quia quidditas rei materialis comprehendit quoque substantiam materialem, quæ tamen per se, & immediate sensibilis non est, sed ratione dumtaxat accidentium, quibus subsitat, unde quidditas rei materialis in plus se habet, quam quidditas rei sensibilis, in rigore loquendo, ex hac vero affignatione objecti intellectus nostri pro statu isto varia possumus resolvere quæsita de rebus pro hoc statu a nobis cognoscibilibus.

Primo dubitatur de substantia materiali, & corporea, an pro hoc statu attingatur ab intellectu nostro sub propria ejus ratione, & conceptu quidditativo; affirmant Thomistæ Soncin. 7. Met. qu. 14. Javell. q. 3. Conimb. 3. de Anim. cap. 5. q. 5. ar. 1. Cajet. 3. p. q. 76. ar. 7. Fonlec. 2. Met. c. p. qu. 2. sec. 6. Ferrar. lib. 3. de An. qu. 3. Apolin. qu. 12. & alii quamplures, qui consequenter admittunt etiam dari propriam speciem substantiæ repræsentativam sub propria ejus ratione, quæ quidem ab intellectu agente eliciatur, vel ex proprio substantiæ phantasmate, vel saltem ex eodem phantasmate accidentis. Suarez vero lib. 4. de anim. cap. 4. concedit quidem ab initio substantiam cognosci per species accidentium, addit tamen ex hac ipsa cognitione in intellectu relinqui propriam substantiæ speciem, & per hanc deinceps substantiam cognosci sub propria ratione, sequitur Onuph. tr. 2. disp. p. par. 2. q. 2. dub. 8.

180 Dicendum tamen est, substantiam materialem pro hoc statu a nobis attingi non posse sub propria ejus ratione per propriam speciem; ita Scot. 2. Met. q. 3. & 7. Met. q. 3. & p. d. 3. qu. 3. K. & d. 22. qu. p. & cum eo Scotistæ expositores circa ea loca, Cavell. annot. ad qu. 17. de An. concl. 4. Faber. Theor. 83. Vulp. to. p. par. p. disp. 19. art. 8. Roccus 3. de An. q. 11. Regentes Parisienses p. Phys. q. 2. ad 3. qu. collateral. Canonicus p. Phys. q. 2. art. Ferch. vestig. 10. cap. 3. Ruvius tract. de intellectu possibili qu. 4. Aversa qu. 58. sec. 4. & alii Recentiores passim: probatur ex Doctore loc. cit. quia pro statu isto omnis nostra cognitio ortum ducit a sensibus, qui non nisi ab accidentibus moventur per species sensibiles, at accidens nequit virtualiter continere substantiam neque in esse reali, neque in esse cognito quoad conceptum proprium, & quidditativum, aut quoad propriam speciem, quia ignobilius nequit virtute continere nobilius, & perfectius etiam in esse cognito, ut erudite probat Doct. quol. 14. art. 2. quamvis accidens possit nos ducere in cognitionem substantiæ quoad conceptus communes v. g. entis, & aliorum transcendentium, quia virtualiter continet illos, nequit tamen ducere in cognitionem ejusdem quoad conceptus proprios, & quidditativos, nec species accidentis potest virtualiter causare speciem substantiæ, quia accidens nequit virtualiter causare nisi speciem, & notitiam eorum, quæ in ipso continentur, nec ulterius ejus virtus protendi potest, nam sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci. Confir. quia phantasma accidentis nonnisi accidens, cujus est exemplar, repræsentat, ergo nequit concurrere, nisi ad producendam speciem, aut notitiam accidentis, vis enim ejus effectiva non excedit repræsentativam. Dices, *id fieri posse virtute intellectus agentis*. Contra, quia *intellectus agens determinatur* a phantasmate ad hanc, vel illam speciem eruendam, & quantum ad vim repræsentativam fit omnino similis phantasmati, unde eruitur, alioquin intellectus agens e quocunque phantasmate posset quamcumque speciem elicere, nequit ergo intellectus e phantasmate accidentis elicere speciem substantiæ. Dices cum Conimbr. & aliis substantiam singularem habere proprium phantasma, & ex eo erui ab intellectu speciem ejus intelligibilem. Contra, quia ut arguit Tromb. art. 2. formal. ab initio §. *advertendum*, phantasmata sunt a sensibilibus extra dicente Arist. 2. de Anim. circa finem, quod phantasia est motus factus a sensu secundum actum, cum ergo substantia non sit sensibilis, quia sensus noster non se profundat usque ad substantiam ex eodem 2. de Anim. consequenter nec phantasiabilis erit. Dices, utique phantasma substantiæ non haberi ex sensatione, quam ipsa fecerit in sensibus externis, sed id fieri mediante cogitativa virtute, quæ facultatem habet ex accidentium involucro proprium substantiæ phantasma eruere. Contra, talis facultas denegatur intellectui agenti etiam ab ipsis Conimbr. quod nimirum possit ex phantasmate accidentis eruere speciem substantiæ intelligibilem, ergo a fortiori id denegandum erit phantasiæ inferiori potentiæ, quod valeat ex accidentium involucro elicere proprium substantiæ phantasma, tum quia tunc admitti deberet internus sensus agens pro his eliciendis speciebus; quod nec ipsi concedunt.

181 Deinde idipsum experimento comprobari potest, quia si sumantur omnes definitiones, quibus rerum substantias explicare solemus, certe nullius adæquata, & propria apparebit essentialis differentia, sed vel passiones, vel effectus, vel quamplura in multis disperſa accidentia, qua ratione docebat Arist. 2. Post. *definitionem ex multis differentiis, quousque definitum adæquetur*, conflandam esse, quod est conficere *rerum conceptus* proprios, non quidem ex propriis, quia *ad talem conceptum* sufficeret immediata, & adæquata differentia, sed *proprios*, ut *ajunt*, ex communibus, qui nimirum ex *multorum prædicamentorum* collectione resultant, quæ singillatim sumpta aliis rebus conveniunt, sed collecta, & simul sumpta non nisi rei definiendæ, unde conceptus proprius ex propriis in hoc differt a conceptu proprio ex communibus, quod hic ab extraneis colligi solet, & in tantum dicitur proprius, quatenus distinguitur contra communem, qui pluribus rebus simul competere potest, ille vero ab ipsa re immediate, vel propria ejus similitudine habetur sine analogia, & ordine ad aliud, & sine ulla negatione alterius, quod optime declarat Scot. q. 19. de An. possumus ergo ad summum per accidentia, & eorum species habere aliquem conceptum substantiæ proprium ex communibus, non quia accidens virtualiter contineat illum proprie loquendo, sed quia occasione accidentium, & per alienas species excitatus intellectus per multam collationem, & discursum, argutive elicit tales conceptus proprios de substantia in hunc modum, ut Doctor explicat p. d. 22. q. in corp. quia enim videmus quantitatem, & qualitatem non posse per se stare, arguimus dari aliquod substratum, quod appellamus substantiam, & in hoc sensu voluit Arist. p. de Anim. 11. per accidentia propria nos posse ostendere a posteriori ipsum, quod quid est, non quasi accidentia contineant virtualiter cognitionem substantiæ, sed quia occasione illorum motus intellectus argutive elicit conceptum proprium ex communibus, quæ notitia de substantia, ut notat Bargius p. d. 3. q. 6. non est intuitiva, ut patet, nec etiam proprie abstractiva, quia non est per propriam speciem, sed potius est discursiva, quia habetur per discursum, & per alienas species, multamque collationem, qua ratione ad abstractivam reduci potest; & hi sunt conceptus quidditativi, quos de substantia pro statu isto habere possumus, quousque adhibemus loco definitionum, & quibus utimur pro medio in demonstratione ad concludendas proprias passiones de suis subjectis.

182 Dices, cur sicut intellectus ex accidentium phantasmatibus elicit argutive, & per discursum conceptum proprium substantiæ ex communibus, non *ita elicit conceptum ejus proprium* ex propriis, & proprium ejus speciem? *Resp. rationem esse*, quia conceptus proprii ex communibus *possunt utique* ab intellectu per ejus virtutem discursivam, & *argutivam* ex alienis speciebus deduci, at conceptus proprii ex propriis nullatenus haberi potest, nisi per pro-

propriam rei speciem, ut per ipsam immediate præsentem; quod vero intellectus possibilis possit ex alienis speciebus conceptum proprium ex communibus elicere, pendet ex virtute ejus cognitiva, & arguitiva, & quia *intellectus agens talem virtutem non habet*, cum ejus munus sit dumtaxat abstrahere species a rebus, ideo nequit cum phantasmate unius rei v. g. accidentis, speciem propriam alterius producere, scilicet substantiæ, sed tantum speciem ejus, quod per phantasma repræsentantur, ut probe notavit Ruvius cit. n. 148.

183 Denum, quod pro statu isto substantia non habeat propriam speciem, qua mediante cognoscatur per proprium conceptum, probat Scotus, quia si substantia immediate immutaret intellectum nostrum, cognosceret quoque in Eucharistia absentiam ejus, sicut visus absentiam lucis attingit quando lucem in aere non videt. Dices, hoc tantum producere de cognitione intuitiva, quæ requirit realem præsentiam objecti, non de abstractiva, quæ ab ea præscindit. Contra instat Doctor, quia abstractiva supponit intuitivam (nisi sit per species infusas) sed qui vidit hostiam consecratam, utique realem præsentiam panis non habuit, & tamen quoad notitiam abstractivam panis in Eucharistia non secus iste se habet, ac alter, qui *vidit hostiam non consecratam*; tum quia saltem contra eos Thomistas concludit, qui volunt cogitativam exprimere propriam speciem substantiæ singularis, quod non nisi interveniente intuitiva notitia fieri non posset, unde cogitativa saltem perciperet in Eucharista substantiam panis. Dices, hoc probare dumtaxat non posse species accidentium generare directe speciem substantiæ, posse tamen intellectum agentem occasione inde desumpta speciem substantiæ elicere per quandam suffossionem eo modo, quo Ovis videndo accidentia Lupi suffodit speciem inimicitiæ, quæ est insensata, & ad ejus intuitum aufugit. Contra, nam licet intellectus possibilis possit præfato modo ex speciebus accidentium conceptum proprium ex communibus de substantia elicere ob suam virtutem discursivam, & arguitivam, quia tamen intellectus agens *talem virtutem* non obtinet, nequit ex speciebus accidentium aliquam substantiæ speciem elicere, & falsum est, quod dicitur de ovis æstimativa, quod ex speciebus sensatis, scilicet accidentibus Lupi externis eliciat insensatam inimicitiæ, ut fuse ostendimus disp. præced. q. 8. ar. 2.

184 Sed nec etiam potest haberi propria substantiæ species pro statu isto, modo quo dicebat Suarez, quod nimirum utique ab initio cognoscatur substantia confuse, per species accidentium per conceptum proprium ex communibus, sed ex hac postea ipsa cognitione relinqui in intellectu propriam substantiæ speciem, & per hanc deinceps elici conceptum proprium ex propriis de substantia. Hoc itaque non satis rationabiliter asseritur, quia nos experimur alium conceptum non habere de substantia, quam proprium ex communibus pro statu isto, nam ut docet Scot. 4. dist. 12. q. 2. & quol. 13. lit. S. nec aliter, nec alio modo solemus pro statu explicare quidditatem substantiæ, quam per perseitatem, prout negat tam actualem, quam aptitudinalem *inhærentiam*, quæ *ratio simpliciter accidenti* repugnat, at iste conceptus non est simpliciter, & absolute quidditativus, qualis est ille, qui haberetur per propriam substantiæ speciem, nam sicut per duplicem affirmationem inhærentiæ quidditative non explicatur accidens, ita nec substantia per duplicem illius negationem, ergo pro statu isto nullam habemus speciem propriam de substantia, alioquin per illam haberemus quoque conceptum proprium ex propriis, & distinctissime ipsam cognosceremus, quod neque in prima notione, neque in sequentibus unquam experimur. Deinde repetita cognitio potius habitum generabit, quam speciem, quod si speciem generaret, potius sui speciem generaret, quam objecti, scilicet substantiæ.

185 Opponi tamen solet, quod substantia quoque propriam imprimat speciem pro statu isto, quia intellectus agentis est omnia facere 3. de Anim. 18. id est omnium rerum species abstrahere, ut communiter exponitur. Tum 2. quia intellectus possibilis ex uno objecto præsente per speciem propriam elicere potest conceptum alterius. ut rerum spiritualium per speciem corporearum, ergo pariter intellectus agens poterit ex speciebus accidentium colligere speciem substantiæ. Tum 3. nam phantasia virtutem habet eliciendi ex accidentibus sensatis per sensus externos species aliorum non sensatorum, ut supra dicebamus de cognitiva ovis eliciente speciem inimicitiæ ex arcidentibus Lupi, ergo a fortiori intellectus hanc virtutem habebit eliciendi speciem substantiæ, quamvis non sit sensata. Tum 4. phantasma non solum repræsentat accidentia sensibilia rei, sed aliquo modo etiam subjectum illorum, quod est substantia, quia accidentia in phantasmate non repræsentantur in abstracto, sed in concreto, ergo a phantasmate cum specie intelligibili accidentium species quoque imprimitur substantiæ. Tum 5. quia intellectus est capax talis speciei, ergo saltem concomitanter ex cognitione substantiæ primo habita per accidentia relinqui poterit. Tum 6. quia postea facilius substantiam ipsam cognoscimus, signum evidens fuisse in intellectu speciem ejus propriam relictam. Tum quia Doctor 2. d. 3. q. 11. ait substantiam propriam imprimere speciem in intellectu angelico, cur ergo non etiam in intellectu nostro? Tum 8. accidens in esse reali ad substantiæ productionem concurrit ut instrumentum, ergo tanto magis ad productionem speciei ejus. Tum tandem, quia si non datur propria ejus species ab intellectu agente producta, difficile est explicare, quomodo per speciem alienam substantia quidditative intelligatur, & sub proprio conceptu, qualem nunc habemus de substantia, hic enim nonnisi per propriam speciem potest haberi, & nullatenus videtur haberi posse perspeciem accidentis, quod est extraneum, & imperfectius ipsa.

186 Resp. ad p. ex Tromb. ar. formalit. ab initio dictum illud de *intellectu agente non ita debere intelligi*, ut respectu cujuscunque objecti possit abstrahere speciem ipsum formaliter repræsentantem, sed formaliter, vel virtualiter, aut saltem occasionaliter, quo quidem modo non inconvenit speciem accidentis ducere nos in cognitionem substantiæ per discursum multamque collationem. Ad 2. jam supra diximus intellectum possibilem posse ex specie aliena elicere conceptum alicujus objecti ob suam virtutem discursivam, & collativam, ut Doctor *innuit* p. d. 3. q. 2. F. sed non ita posse intellectum agentem ex quocumque phantasmate elicere cujuscunque objecti speciem, quia ad talem, vel talem speciem producendam determinatur a phantasmate, & ejus virtus abstractiva solum, *non* discursiva, vel arguitiva. Ad 3. pariter ex dictis patet assumptum esse falsum. Ad 4. non repræsentatur subjectum accidentium, nisi arguitive, & per discursum modo explicato, quatenus dum videmus quantitatem, & qualitatem non posse per se stare, arguimus dari subjectum, quod illa accidentia sustentat. Ad 5. esto intellectus sit capax talium specierum, attamen pro hoc statu non recipit, nisi species rerum phantasiabilium, sed phantasmata sunt a sensibilibus, 2. de Anim. circa finem, dicente Arist. quod phantasia est motus factus a sensu, substantia vero per se sensibilis non est, quia sensus ex eodem 2.de Anim. non se profundat usque ad substantiam. Ad 6. acquirit intellectus deinceps per novos actus repetitos majorem facilitatem, non per novam speciem, sed per novum habitum, *talis namque facilitas signum est habitus acquisiti, non speciei*. Ad 7. neg. paritas, quia intellectus noster est conjunctus, nec nisi mediantibus sensibus immutari potest per speciem, sub quibus substantia non cadit. Ad 8. neg. cum Soto 4. d. d. 12. q. 3. B. accidens ita instrumentaliter concurrere ad productionem substantiæ, ut eam attingat, concurrit enim attingendo tantum dispositionem aliquam ultimo ordinatam ad illam, ut dictum est in Phys. Ad ult. bene potest intellectus noster pro hoc statu discurrendo ex propria cognitione accidentium per species eorum propria acquisita deinceps formare proprium substantiæ conceptum ex communibus comparatum, & per species alienas, non quidem eam proxime, & adæquate repræsentantem, sed convertibilem, atque ei soli convenientem, quemadmodum ex corporeis creaturis per modum attributionis, aut negationis, similitudinis, aut dissimilitudinis proprium conceptum Dei, & Angelorum investigamus, ut docet Scot. p. d. 3. qu. 2. §. *quinto dico*; quamvis ergo conceptus substantiæ proprius ex propriis solum per propriam ejus speciem comparari possit, ac debeat, conceptus tamen proprius ex communibus potest ab intellectu investigari, per multam inquisitionem, & discursum per species accidentium modo explicato, unde in tali casu virtus discursiva intellectus supplet imperfectionem accidentis.

Dices, magis distat accidens a substantia, quam substantia a substantia, quia substantia, & substantia sunt ejusdem prædicamenti, non item substantia, & accidens, sed substantiæ unius cognitio non confert ad cognitionem alterius, ut substantia lapidis non confert ad cognitionem equi, ergo multo minus poterit accidentis cognitio juvare pro noscenda substantia, & ipsum quid est. Resp. quod esto magis disteat accidens a substantia, quam substantia a substantia quoad aliqua, non tamen quoad hoc, quod est ducere in cognitionem substantiæ, nam accidens, & passio quandam habent connexionem, & proportionem cum sua causa, quæ est, quod quid est rei, quam non habet una substantia cum alia, ob id per talia accidentia noscere possumus quid rei, non tamen per aliam substantiam.

187 Deinde arguitur posse substantiam pro statu isto cognosci sub propria ratione, quod enim per veram definitionem cognoscitur, utique sub propria ratione attingitur, at substantiæ quamplures ita cognoscuntur, ut præsertim de homine liquet, ergo &c. Tum 2. quia hoc negato omnis scientia periret, scientia enim est per proprias causas, & immediatas, & definitio substantiæ est medium demonstrationis. Tum 3. quia 7. Met. 15. habetur, quod substantia definitur quidditative sine additamento, ergo cognoscitur sub propria ratione, & per propriam speciem. Tum 4. nos utique discernimus quidditative substantiam ab accidente, ergo non. minus substantiam accidens attingimus sub propria ratione. Tum tandem quia frivolum est, quod communiter dicitur, substantiam cognosci per accidentia, nam 7. Met. c. 4. substantia est prior cognitione accidente, imo ipsa accidentia non concipiuntur, nisi in ordine ad substantiam, unde dicuntur definiri per additamentum, & infinitio substantiæ est principium notificandi accidens, & medium demonstrandi passionem de subjecto, non e contra, alioquin circulus committeretur.

Resp. neg. min. nam conceptus, quos de substantiis pro statu isto habemus, nullus est proprius ex propriis, sed tantum ex communibus, verum tamen est, apud nos consuetum esse illam vocare veram definitionem, quæ adæquate convertitur cum definito, quamvis ex pluribus, & diversis coalescat prædicatis, & dicitur vera, & propria, quatenus nec falsitatem continet, nel alteri convenit, & talis est etiam consueta hominis definitio (licet fit e melioribus, quas habemus) non enim omnino palam est, an rationalitas *sit propria*, & adæquata hominis *differentia*, *ita* quod intelligentiis non conveniat, cum & ipiæ quoque discurrant præter primam, secundum probabilem Scoti opinionem. Ad 2. præfata substantiæ definitio potest esse principium sufficiens humanarum scientiarum nobis pro statu isto possibilium, & quidem fatendum est, nos in hac vita carere perfecta, & omnino rigorosa scientia. Ad 3. dictum Aristot. intelligendum est de conceptu quidditativo substantiæ proprio non ex propriis, & per propriam speciem, sed ex communibus. Ad 4. patet per idem, nam per conceptum dumtaxat proprium ex communibus substantiam ab accidente discernimus pro statu isto. Ad ult. ait Doctor 2. dist. p. q. 5. lit. L. suo-

substantiam dici priorem accidente, cognitione, definitione, imo etiam tempore, quantum est ex se, & ex natura ejus propria, quatenus non repugnat ex sua parte esse, cognosci, ac definiri sine omni accidente, at non ita est de facto, & quoad nos, qui non aliquid percipimus pro statu isto, nisi mediis sensibus; sed ad totius argumenti solutionem addendum est, quod substantia etiam quoad nos est prior accidente quoad cognitionem distinctam, licet non quoad confusam, unde hic ordo modo servatur ab intellectu nostro in cognitione eorum, prius enim a nobis confuse cognoscitur accidens, quia prius sensibus objicitur, secundo ex cognitione confusa accidentium procedimus ad confusam substantiæ, videns enim intellectus transmutationem accidentium circa subjectum, colligit aliquid ibi substratum, deinde habita hac cognitione confusa substantiæ *multo examine*, & discursu, ulterius progreditur intellectus, investigando prædicata quidditativa substantiæ, & acquirit conceptum proprium ejus ex communibus, & notitiam distinctam *nobis possibilem* pro statu isto, & tandem inde regreditur ad vestigandam cognitionem distinctam accidentis per quod quid est substantiæ, quia accidens pendet in esse a substantia, & consequenter etiam in cognosci distincte, & in hoc sensu dicitur accidens cognosci in ordine ad substantiam, & per additamentum definiri, & definitionem substantiæ esse medium in demonstratione ad cognoscendum accidens, & sic patet, quomodo ad cognitionem substantiæ tam confusam, quam distinctam debet necessario præcedere cognitio accidentium, & quomodo rursus e contra ad cognitionem distinctam accidentium debet præcedere distincta substantiæ; neque in hoc ullus committitur circulus, nam ut *dictum est in log.* circulus in eo consistit, quod sit idem genus demonstrationis in primo, & secundo progressu, si autem sit in primo progressu alterum genus demonstrationis, alterum in regressu, non est circulus, siquidem circulus æqualiter fluit, regressus autem non, in proposito res secundo modo se habet, nam accidentia demonstratione a *posteriori* notificant definitionem substantiæ, hæc vero a priori procedit notificando accidens, & ideo non est circulus, quia non æqualis est fluxus, sed regressus; & per hoc dissolvuntur quæcunque contra hunc ordinem objiciunt Sonc. 7. Met. q. 13. & Javel. q. 3. absolute asserentes, substantiam prius cognosci.

188 Secundo deinde dubitatur de accidentibus substantiæ materialis, an & ipsa per propriam intelligantur speciem, vel per alienam ob connexionem aliquam cum ejus objecto, & quidem dubium non est de accidentibus per se sensibilibus; hæc enim sicut propria habent phantasmata, ita quoque proprias species intelligibiles, sed de sensibilibus per accidens, quales præsertim ponl solent relationes, quæ non attinguntur a sensu, nisi in virtute extremorum, visus enim percipit similitudinem duorum alborum, quatenus *attingit albedinem* utriusque, qua de re varia sunt placita; Conimb. n. 3. de An. c. 5. q. 5. non tantum quantitatem, cæteraque communia sensibilia contendunt habere propriam speciem intelligibilem, sed etiam relationes quamplurimas, imo non solum habere isthæc propriam speciem intellectu, verum etiam proprium idolum in phantasia, idque præsertim attribuunt virtuti phantasticæ, cum quantitas, & relatio communiter censeantur de genere sterilium, quod satis probabile putat Cavell. ad q. 17. de An. n. 9. & videtur tenuisse Mairon. p. d. 39. q. p. art. 4. ubi positionem, situm, distantiam &c. quæ in nostra præsertim schola non nisi respectus important pro formali, contendit visu percipi, quod postea fuse prosequitur Arriag. disp. 4. de An. 2. n. 63.

189 Dicendum est, quod licet sensibilia communia præsertim quæ entitatem *important absolutam*, propriam habere possint speciem intelligibilem, qua intelligantur, imo & proprium phantasma, id tamen de relationibus nequaquam concedendum videtur. *Conclusio est Scoti*, & Scotistarum ubicumque docentium relationes esse objectum dumtaxat intellectus terminativum, non motivum, eo quia non imprimunt sui speciem, in sensu, vel intellectu; probatur, quia sensibilia communia, sive propriam speciem emittant in sensus externos, sive non, per se sub sensu cadere dicuntur, & non mere per accidens ad instar eorum, quæ intantum sentiri dicuntur, inquantum conjuncta sunt illi, quod per se, & in se sentitur, quo sensu substantia Pauli dicitur sensibilis mediante albedine ejus, & ratio est, quia licet propriam non emittat speciem adhuc tamen species sensibilis proprii repræsentat illa, ut suo loco diximus, & constat de quantitate, qua de causa bene poterit ex specie sensibilis proprii generari phantasma proprium nedum sensibilis proprii, sed etiam, communis, & consequenter etiam propria *utriusque intelligibilis species*; *Id autem de relationibus* neutiquam asseri potest, cum enim sint inferioris ordinis ente absoluto, non videtur, quomodo possint producere proprium phantasma, ac speciem intelligibilem, cum hæc sint entia absoluta, nec dicas id fieri posse virtute phantasiæ, ac intellectus agentis secum concurrentium; nam phantasia active non concurrit ad productionem phantasmatum, sed hæc totaliter imprimuntur a sensibilibus externis, alioquin dari deberet internus sensus agens, quod communiter non admittitur; intellectus vero agens non nisi ex phantasmatibus species eruit, si ergo relationes proprium non habent phantasma, consequenter nec propriam habere poterunt speciem intelligibilem; atque ideo non immediate intelligentur per propriam speciem, sed per species extremorum, in quibus virtualiter continentur, tam quoad esse, quam quoad cognosci.

190 Sed objicies, situm rerum oculo percipi, earumque distantiam, & ex alio, & alio ordine objectorum fieri aliam, & aliam visionem, quod non esset, nisi ordo *ille imprimet* sui speciem in oculo, ergo si relatio potest movere visum, pari ratione & intellectum per propriam speciem. Accedit, quod phantasia brutorum effingit idolum amicitiæ, & odii, ut constat de agno, & Lupo, & aliarum quarundam relationum, ut diversitatis, & similitudinis inter aliqua objecta. Resp. neg. assumptum, quia ut dictum est disp. 4. n. 60. & situs, distantia rerum, & ordo objectorum non nisi pro materiali attingitur a sensu, quatenus nempe sub sensu cadunt eorum extrema, *licet* ille ordo sit quædam ratio connexa, & conditio sine qua non; ita Ant. And. 4. Met. q. 2. art. p. Ad conf. jam supra negatum est, phantasiam *vim* habere species insensatas ex sensatis suffodiendi, & agnum ita suffodere speciem inimicitiæ adversus Lupum; & quando etiam admittatur ita suffossio, non tamen in eo sensu concedenda est, ut sensus interior apprehendat relationes ipsas formaliter in se, sed ad eam sufficiet, ut tantum apprehendat earum fundamenta, ut etiam Conimb. ipsi fatentur.

191 Tertio dubitatur de substantiis immateralibus, ut sunt substantiæ separatæ, ac etiam anima nostra, num possint a nobis cognosci sub aliquo proprio, & quidditativo conceptu per propriam speciem pro statu isto; Et consequenter ad superius dicta negative respondendum est cum Scot q. 19. de Anim. & p. d. 4. qu 2. §. *quinto dico*, ubi ait, quod quæcumque de Deo cognoscimus pro statu isto, cognoscimus per speciem creaturarum, & p. d. 3. q. 7. Z. ubi docet intellectum se ipsum pro statu isto intelligere non posse, nisi ea cognitione, quæ per phantasmata haberi potest, & hoc ipsum distincte docuit Arist. lib. de mem. & remin. cap. p. ubi docet, quæ *sine magnitudine sunt*, & *imaginatione*, quales sunt substantiæ spirituales, a nobis intelligi per imaginationem, & magnitudinem intellectui objectam per arguitionem, & discursum, non vero per propriam earum speciem, quod quidem efficaciter probatur tum a posteriori, tum a priori, a posteriori quidem, quia si substantias spirituales, & separatas cognosceremus per propriam speciem, tunc distincte, & quidditative attingeremus Deum sub propria ratione Deitatis saltem per cognitionem abstractivam, & rursus demonstrative concluderemus dari præter Deum alias substantias separatas, quorum utrumque est falsum, quia nec existentia Angelorum demonstrative potest ostendi, ut dicemus in Met. & quicquid de Deo cognoscimus, constat non nisi per quandam creaturarum similitudinem a nobis comparari, ut inquit Apostolus, *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; probatur quoque a priori, nam quantumcumque discurrat intellectus circa hæc sensibilia, numquam ex eis comparari potest propria species substantiarum spiritualium; & ratio est, quia intellectus agens quidquid abstrahit, a phantasmatibus abstrahit, at spiritualia non habent propria phantasmata, quia hæc repræsentant extensum, & extense, cum sint species sensibiles, nec minus poterit ex phantasmate rerum corporearum eruere speciem spiritualium, quia ex communi omnium sententia virtus, & operatio intellectus agentis ad producendam speciem intelligibilem modificatur, & determinatur a phantasmate objective cum eo concurrens, adeo quod impossibile est, intellectum agentem alterius objecti speciem abstrahere, quam ejus, quod per phantasma repræsentatur; nec dicas in phantasmate rei corporeæ contineri virtualiter speciem substantiæ spiritualis, quia ut sæpius est inculcatum, nullum imperfectius potest virtualiter continere perfectius; & hæc ratio etiam de anima nostra ut corpori conjuncta concludit, quia adhuc in tali statu non habet proprium phantasma, a quo objective determinetur intellectus agens ad producendam ejus speciem per se immediate eam *repræsentantem*.

192 Restat igitur, substantias spirituales a nobis pro statu isto non nisi per speciem rerum sensibilium deprehendi posse, & non nisi conceptum proprium ex communibus per varias inquisitiones, ac discursus de illis haberi; duplicem autem viam investigandi hujusmodi conceptus de substantiis separatis insinuat Doct. p. d. 3. q. 2. & qu. 13. de An. ex sensibilibus prima via procedit per negationem, & remotionem, altera per positionem, & attributionem prima via vestigamus conceptum proprium ex communibus de substantiis separatis, cum discurrendo per res corporeas imperfectiones removemus ab eis; ita enim semotis imperfectioribus nos manuducunt in cognitionem substantiarum abstractarum, v. g. cognoscimus albedinem esse formam accidentalem alicujus subjecti, &c. tunc removemus ab ea id, quod importat accidentalitatem, corporeitatem, & informationem, nam hæc omnia imperfectionem involvunt, & retinemus solum rationem actus, & formæ, quia hoc est perfectionis, & sic cogitamus substantias abstractas esse actus, & formas per se subsistentes, immateriales, &c. Et hinc oritur altera via, qua semotis imperfectionibus substantiæ spirituali deferimus quicquid cognoscimus perfectionis in rebus corporeis, itaut ex pluribus perfectionibus hinc inde dispersis cumulus aggregetur substantiam spiritualem exprimens, & nonnisi illi conveniens, qui dicitur conceptus earum proprius, sed ex communibus comparatus, quia est per species alienas formatus: Si volumus v. g. ait Doct. p. d. 3. q. 2. §. *quinto dico*, conceptum aliquem quidditativum de Deo attingere, utimur speciebus creaturarum, puta specie boni, specie summi, specie actus, sic enim ista simul aggregando ascendimus ad concipiendum summum bonum, & actualissimum, eo fere modo, quo imaginativa utitur speciebus diversorum sensibilium ad imaginandum compositum ex *illis diversis*, sicut apparet imaginando montem aureum; eandem viam attributionis declarat Doctor qu. 19. de An. qua *possimus comparare* ex sensibilibus conceptum proprium *Dei nobis pro statu* isto possibilem, dicens, a pluribus entibus possumus abstrahere hoc, quod ens absolute, & a pluribus bonis *ipsum bonum*, & quia entia, & bona sunt ordinata, tandem *possimus* devenire ad summum bonum, quia non est in eis *processus in infinitum*, qui conceptus compositus soli Deo *convenit*, tamen per talem conceptum non cognoscimus ipsum sub ratione propria Deitatis.

193 Sic

193 Sic pariter, & animam noſtram pro ſtatu iſto non alio modo cognoſcere poſſumus; quam a poſteriori per ſuos effectus, nec alium poſſumus habere conceptum proprium de illa, quam compoſitum, & hinc inde collectum via remotionis, & attributionis, conſiderandæ nimirum (inquit Doctor q. 19. cit. de An.) quod entium quædam ſunt in potentia, quædam in actu, hoc autem ens in actu, ſi eſt compoſitum, duas habet partes conſtitutivas, quarum una eſt actus, & ſic apprehendimus, quid ſit actus; ulterius procedimus dividendo, quod actuum quidam eſt primus, quidam ſecundus: & ſic apprehendimus poſtea, qui eſt primus actus, poſtea dividimus illa, quæ actuantur, & ſic illa componendo adinvicem devenimus ad hoc, quod illud eſt corpus organicum phyſicum, quod ab anima actuatur, & ſic illa componendo invicem habemus conceptum quidditativum animæ noſtræ, & hic conceptus eſt animæ proprius, ita quod nulli alii ſpirituali ſubſtantiæ convenit; ſed adhuc anima per illum non attingitur ſub propria ratione, quatenus hæc anima, ita Doct. cit. quod ſatis lepide declarat exemplo trianguli, ad cujus proprium conceptum via remotionis, & attributionis pervenire poſſumus per cæteras diſcurrendo figuras, etiam ſi illum nunquam antea viderimus; Poteſt etiam & anima dignoſci quoad ſua prædicata quidditativa per proprios effectus, ut dicebamus, & notat Tatar. 3. de An. quæſt. 2. §. *tertio ſecundum*; experimur enim in nobis quoſdam actus cognoſcendi, & tunc ſyllogizando inquirimus, & arguimus, quod tales actus nequeunt eſſe corporei, nec virtutis extenſæ, quia hæc ob ſuam materialitatem non eſt ſupra ſeipſam, vel ſuos actus reflexiva, & hinc inferimus, quod potentia hos actus eliciens & apprehendens non eſt corporea, nec extenſa, & ſic de aliis conditionibus, per quas fit nobis notitia propria intellectus; idque innuit Ariſt. 2. de An. 8. cum ait intellectum ſeipſum intelligere poſſe, cum eſt ſciens, ad ſingula factus, ſcilicet per operationem reflexam.

194 Sed inſtabis, animam ſeipſam cognoſcere per propriam ſubſtantiam, quia anima non eſt minus ſibi intime præſens, proprioque intellectui proportionata, quam Angelus reſpectu proprii intellectus, ergo nullo indiget phantaſmate rerum materialium, aut ſpecie ſui, ut ſe cognoſcat. Conf. quia ſi cognoſcendo actus, quos elicit, in ſui cognitionem devenit, redit difficultas de actu, quomodo cognoſcatur, nam ſi per ſeipſum, vel per ſui ſpeciem cognoſcitur, idem quoque de anima ipſa dici debebit, cum actus ſit ſpiritualis, & inſenſibilis, ſicut illa, nec major difficultas ſit de uno, quem de alio. Demum quia hæc eſt expreſſa Auguſt. ſententia 9. de Trin. c. 3. quod anima ſeipſam per ſemetipſam novit, quoniam eſt corporea.

Reſp. aſſumptum eſſe rerum de anima in ſtatu ſeparationis, non in ſtatu conjunctionis, in quo declinat potius ad conditionem rerum corporearum, & ſenſibilium; unde in hoc ſtatu conſiderata non eſt actu intelligibilis, ſed potentia, ad inſtar aliarum rerum ſenſibilium, nec eſt ſibi ſufficienter præſens præſentia objectiva, ſed tantum entitativa, quare nec per ſeipſam intelligi poteſt, nec per propriam ſpeciem, cum non habeat proprium phantaſma, ſed omnino indiget ſpeciebus alienis, ut notat Doctor p. d. 3. q. 7. Z. Ad Conf. patebit ex ſolutione dubii ſequentis. D. tandem Auguſt. in hoc ſecutus eſt Platonem, qui in Alcibiade dicebat animam ſeipſam perpetuo intelligere, ubi explicat illud Oraculi Delphici, *Noſce teipſum*.

195 Deinde contendunt Thomiſtæ rerum immaterialium dari ſpecies quaſdam ex ſpeciebus primo conceptis formatas ab intellectu poſſibili, diſtinguunt enim duo genera ſpecierum intelligibilium, ut eſt videre apud Complut. diſp 18. q. 6. n. 79. ex D. Thom. p. q. 12. ar. 9. ad 2. & q. 78. art. 4. aliud earum, quæ nulla præcedenti cognitione intellectus objecti repræſentati per illas fiunt per abſtractionem ab intellectu agente, aliud earum, quæ fiunt ab *ipſo* intellectu poſſibili ex ſpeciebus prioribus poſt intellectionem objecti per eas repræſentati, ſicut enim imaginativa ex ſpeciebus montis, & auri format ſpeciem *montis* aurei, ita pariter intellectus ex ſpeciebus rerum materialium cum immaterialibus aliquam proportionem habentium format ſibi ſpecies proprias illarum; verum quia *hæ ſpecies non* ſunt immediate acceptæ ab ipſis rebus immaterialibus, ſed ex ſimilitudine rerum materialium, ideo confuſe, & imperfecte illas repræſentant, unde concedunt, quod licet res immateriales habeant pro hoc ſtatu propriam ſpeciem in intellectu noſtro, non tamen intelliguntur proprio, & diſtincto conceptu; ita docent Conimbr. 3. de An. c. 5. q. 5. Arriag. diſp. 4. de An. num. 97. & Complut. loc. cit. ubi hanc rationem adducunt, nam experimur, quod poſtquam per ſpecies materialium arguitive, & per diſcurſum cognovimus Angelum, poſſumus tranſacto aliquo tempore recordari illius abſque novo diſcurſu, & recurſu ad res materiales, quod argumento eſt, recordationem illam, non fieri per ſpeciem alicujus materialis, ſed per aliquam aliam relictam ex præcedenti diſcurſu: tum quia per frequentem intellectionem rerum immaterialium acquirimus majorem facilitatem ad eas percipiendas, nonniſi quia per eas intellectiones generatur ſpecies propria illarum, aut ſemel acquiſita magis actuatur, tum quia datur ſpecies expreſſa, ideſt conceptus proprius ex communibus rerum immaterialium, ergo dari quoque poterit ſpecies impreſſa pariter formata ex ſpeciebus aliorum.

Reſp. licet magnum non foret abſurdum tales ſpecies admittere pro rebus immaterialibus, quia & illas Scot. admittere videtur 2. Met. q. 3. nu. 2. & nonniſi conceptum proprium ex communibus de illis parere poſſunt, adhuc tamen verius eſt, & probabilius, neque tales ſpecies dari, tum quia abſolute loquendo ſpecies iſtæ videntur ſupervacaneæ, cum ex ſolis ſpeciebus rerum materialium ſimul congredientibus ſua virtute diſcurſiva poſſit intellectus elicere conceptus immaterialium, ut notat Doctor p. d. 3. q. 2. §. *quinto dico*, nec aliter nec alio modo imaginativa imaginatur montem aureum, niſi per congreſſum ſpecierum montis, & auri, non vero per novam ſpeciem ex eis formatam, ut ibi notat Doct. tum quia munus formandi ſpecies intelligibiles intellectui poſſibili nullatenus adſcribi poteſt, & præſertim implicat, quod per intellectionem alicujus objecti formet ſpeciem alterius objecti, quia intellectio nequit ad ſummum relinquere, niſi ſpeciem ſui, aut proprii objecti: tum tandem quia, ut ſæpe dictum eſt, proprias ſpecies pro ſtatu iſto adſcribi nequit niſi rei per ſe ſenſibili, & proprium phantaſma habenti, tales autem non ſunt res immateriales; præſtat ergo dicere intellectum poſſibilem propria virtute diſcurſiva ex ſpeciebus rerum materialium elicere conceptus immaterialium, non autem ſpecies; & ex frequenti intellectione earum nos ſentire majorem facilitatem ad illas deinceps concipiendas, non quod tunc acquiſita, aut magis actuata ſit jam ante acquiſita earum ſpecies, ſed quia magis actuamus ſpecies rerum materialium, tam in phantaſia, quam in intellectu, ex quibus ſpeciebus arguendo educimus conceptus rerum immaterialium, & falſum eſt nos recordari poſſe Angeli iam antea cogitati ſine cooperatione memoriæ ſenſitivæ, & abſque ullo prorſus diſcurſu: & licet detur ſpecies expreſſa rerum immaterialium: non hinc arguere debemus dari quoque impreſſam, ſed tantum abſolute dari poſſe, quod gratis concedimus: ſed de cognitione ſubſtantiarum abſtractarum amplius agemus in Met. interim videantur Scot. 2. Met. q. 3. Zerb. ibidem, & alii Scotiſtæ.

196 Quarto dubitatur de accidentibus ſubſtantiarum immaterialium, & præſertim animæ noſtræ inhærentibus, ut ſunt actus, habitus, & ſpecies intelligibiles, an & ipſa cognoſci poſſint per propriam ſpeciem, & quidditativo conceptu pro ſtatu iſto; & quidem habitus, & ſpecies non per proprias ſpecies ſed per alienas dignoſci, per arguitionem, & diſcurſum facile probari poteſt, nam ex majori facilitate operando ſolemus in intellectu, & voluntate habitum generatum deprehendere, & ex rerum præteritarum memoria arguimus in intellectu noſtro ſpecies intelligibiles conſervari, quia ſine illis memoria intellectiva conſiſtere non poſſet, ut in ſuperioribus oſtenſum eſt, verum tota difficultas eſt de ipſis actionibus intellectus, & voluntatis, iſti namque non per aliud, quam per ſe ipſos in illis potentiis deprehenduntur, dum intellectus experitur ſe intelligere, voluntas velle, unde aut per ſe ipſos immediate cognoſci debent intuitive ab intellectu, aut ſaltem per proprias earum ſpecies, quod tamen nulla tenus videtur fieri poſſe pro ſtatu iſto, quia actus iſti ſecundum proprias entitates ſunt ſpirituales, atque ideo improportionati reſpectu modi intelligendi, quem habet anima in corpore, in quo nihil poteſt per ſe intelligere, niſi *miniſterio* corporis, & ſenſuum ejus, & ideo nihil niſi corporeum, vel per ſpeciem corporis, qua de cauſa ſupra diximus nec ſubſtantias ſeparatas, nec animam intelligi modo poſſe per propriam ſpeciem.

197 Ruvius 2. de An. tract. de intell. poſſib. quæſt. 7. Suarez lib. 4. de An. cap. 5. & alii volunt, & iſtos quoque actus non niſi per ſpecies rerum materialium, & ad earum ſimilitudinem cognoſci poſſe, cujus fundamentum eſt ratio allata, quod ſunt entia ſpiritualia, atque ideo improportionata intellectui noſtro pro ſtatu iſto, ut immediate ab eo intelligantur, aut per propriam ſpeciem; ſubdens vero Ruvius modum, quo cognoſcuntur, inquit num. 209. actum cognoſci ab intellectu per cognitionem reflexam objecti materialis directe cogniti ab eo hoc modo, aut diſcurſu, ſi intellectus cognoſcat hominem, ſtatim reflecti poteſt ſupra eundem hominem, ut a ſe cognitum, & cognoſcens eum, ut a ſe cognitum; colligit ſe habere apud ſe notitiam, vel cognitionem ejus; actus vero voluntatis deprehendit ex aliquo ſigno externo, aut ex motu aliquo corporis, aut alicujus partis ejus, vel ex commotione appetitus ſenſitivi ab eo cauſata, quod ſi nihil horum procedat ab eo, ſolum poteſt per actum reflexum cognoſcere illud objectum fuiſſe voluntati propoſitum hoc, vel iſto modo, ideſt intenſa, aut vehementi propoſitione, vel remiſſa, ex quo per quaſdam conjecturas colligere poterit modum, quo voluntas erga illud affecta fuerit, ideſt an attracta, vel allicita ab eo, & ideo, an per actum liberum ei conſenſerit, vel non, ſed certo cognoſcere talem actum liberum fuiſſe in voluntate, aut non fuiſſe non poterit.

198 Dicendum tamen nobis videtur in hac ardua difficultate prædictis non obſtantibus intellectum actus ſuos intuitive cognoſcere poſſe ſaltem per aliam cognitionem reflexam, *illa*ſque ſpecies proprias intellectui imprimere, ratione quarum actibus tranſactis recordatur intellectus ſe hoc, vel illud intellexiſſe, & idem pariter dicendum videtur de *actibus voluntatis*; ita inſinuat Doctor 4. d. 49. quæſt. 8. C. & d. 43. quæſt. 2. §. *reſpondeo*, ubi fuſe probat nos experiri in nobiſmetipſis actus hujuſmodi intelligendi, & volendi per ſolam poſitionem horum actuum abſque recurſu ad aliquod materiale, & d. 45. q. 3. ubi ſub lit. C. ex neceſſitate memoriæ intellectivæ oſtendit actum intelligendi vel volendi imprimere ſuam ſpeciem in intellectu: Mairon. quæſt. 19 prol. idem tenet Tatar. 1. Phyſ. quæſt. p. §. *quarto ſciendum*; Lichet. 2. d. 3. quæſt. 8. §. *ad quæſtionem*; & probatur efficaciter, quia re vera experimur in nobis hujuſmodi actus adeo evidenter, ut ſi quis hoc neget experimentum non amplius homo eſt appellandus, aut Doctor, *ſed* brutum, at hæc cognitio experimentalis non videtur niſi intuitiva cognitio de actu ſibi inhærente, ac intime conjuncto, & quidem id experimur, ut dicebamus, per ſolam actuum poſitionem abſque recurſu ad aliquod materiale objectum, aliumve effectum ſenſibilem. Non enim ſatisfacit, quod Ruvius dicebat actum cognoſci ab intellectu per *cognitionem* reflexam objecti materialis directe cogniti, dum illud attingit ſub ratione cogniti; Quia ſub hac reduplicatione objectum nihil reale dicit præter actum rectum ad ipſum terminatum, ergo actus reflexus attingit actum rectum per ſeipſum proxime, & immediate, non vero mediante *ſpecie* objecti materialis. Deinde tranſacto actu recordatur intellectus ſe hoc, vel illud intellexiſſe, ergo manſit in eo ſpecies actus, ſi enim nihil remanſit, recordari *non* poſſet, quia requiritur objectum præſens ad operandum, ibi autem nec foret objectum præſens in ſeipſo, quia actus tranſivit, nec in ſpecie, ſi nulla imprimitur, dum actus viget, ergo intellectus noſter actus proprios intuitive cognoſcit, dum exiſtunt, & abſtractive per ſpecies eorum proprias, cum evanuerunt. Conf. quia licet objecta externa non tranſeant ad intellectum, niſi mediis ſenſibus, & per ſpecies intelligibiles ab intellectu agente abſtractas a ſenſibilibus, actus tamen intellectus, aut voluntatis non ha ent ingreſſum ad illum per ſenſus, quia ſunt ei intime conjuncti, & cum ſint mere ſpirituales, non egent ope intellectus agentis ad impreſſionem propriæ ſpeciei, ſed ſeipſis totaliter eas imprimunt; Conf. sdhuc; quia licet idipſum eadem ratione de anima aſſeri poſſet, quod ſeipſam intuitive cognoſcat, ut bene ſupra arguebatur, adhuc tamen non eſt tanta neceſſitas id aſſerere de intellectu, quanta eſt de ejus actu, intellectus namque cognoſci poteſt per *aliud* modo *jam explicato*; poſſumus enim in ejus notitiam devenire ex cognitione actuum, actus vero per aliud non videtur cognoſci, quia nil aliud datur regulariter, quod in cognitionem actus nos deducere poſſit, nam actus cognoſcimus, quatenus illos in nobismetipſis experimur; hinc concludit Mair. cit. anima nihil cognoſcit intuitive, niſi actus, alia vero, ut habitus ſpecies, & anima ipſa, deprehenduntur per diſcurſum, & arguitive ex ipſis actus exiſtentia.

199 Nec ratio dubitandi in oppoſitum allata omnino convincit, adhuc enim cum hoc aſſerto conſiſtit commune axioma, quod omnis noſtra cognitio ortum deducit a ſenſu, dependet a ſenſu proxime, vel remote, & ſic eſt in propoſito de cognitione iſtorum actuum, quam intellectus habet, nam iſti actus circa ſenſibilia verſantur, ſi ergo intellectus nequit *ſeipſum* cognoſcere, niſi ex ſuis actibus, nimirum reflectendo ſupra ſeipſum intelligentem, ut docuit Ariſt. 3. de An. 8. cum dixit intellectum *ſeipſum intelligere* non poſſe, niſi cum fuerit ſciens, & ſingula factus, palam fit hanc ipſam cognitionem actum intellectus originaliter a ſenſibus pendere, quia licet illi actus non habeant in phantaſia proprium phantaſma, adhuc tamen ſupponunt notitiam in intellectu aliorum objectorum phantaſiabilium; quorum cognitio neceſſario præexigitur cognitioni reflexæ actuum intellectus; imo ſi verum eſt, quod docet Scot. 4. d. 45. q. 3. H. & M. ſolam ſpeciem in memoria intellectiva non ſufficere in anima conjuncta ad recordandum, ſine alia ejuſdem objecti in memoria ſenſitiva, quia anima pro ſtatu iſto non utitur ſuis ſpeciebus, niſi phantaſia aliquo modo cooperante, jam ſatis patet etiam in cognitione actuum intellectus ſervari modum intelligendi conſuetum pro ſtatu iſto cum aliqua ſcilicet dependentia a phantaſia, nam intellectus non recordabitur ſe hoc, vel illud intellexiſſe, niſi phantaſia recordetur ſe illud aliquando cogitaſſe.

200 Advertendum tamen eſt in hac re, quod notavit Mairon. p. d. 3. q. 9. & in eadem q. cit. Arriag. diſp. 4. de An. num. 205. ubi noſtrum tenet aſſertum, eſto intellectus actus ſuos cognoſcat intuitive, dum eos in ſe experitur, adhuc tamen ita confuſe, & imperfecte eos cognoſcit, ut niſi de eorum exiſtentia vix de aliquo prædicato rationem reddere poſſimus, ſicut quando colorem eminus videmus, unde ſubdit diſcrimen inter cognitionem horum actuum, & cognitionem Dei, Angelorum, & aliarum ſubſtantiarum, hæc enim non confuſe cognoſcimus, ſed abſtractive in medio alio prius cognito, & per diſcurſum, ſecus vero noſtros actus, quos ſine diſcurſu immediate, valde tamen confuſe novimus; qua in re optime dicit Arriag. quia ſi intellectus clare, & diſtincte ſemet, ſuoſque actus, habitus, & ſpecies cognoſceret, utique non tot extarent de intellectu controverſiæ, de ejus ſpeciebus, & habitibus; adhuc tamen deſideratur ratio, cur anima ſibimet adeo perfecte præſens, & ejus actus adeo intime illi conjuncti intuitive quidem, ſed valde obſcure, & imperfecte cognoſcantur, quam Author ille non reddit; dici tamen poteſt id evenire ex hoc, quod actus intellectus proprio carent phantaſmate, circa quod phantaſia verſetur, dum ſupra illos reflectit intellectus, compertum enim eſt, cooperationem phantaſiæ operationem intellectus valde juvare ob connexionem, quam habent potentiæ ſuperiores & inferiores pro ſtatu iſto in operando circa idem objectum, ut notat Doctor 4. d. 45. q. 1. ſiquidem ſuperior non perfecte operatur circa aliquod objectum, niſi inferiores, quæ poſſunt operari, operentur circa idem, dum enim ſuperior verſatur circa unum objectum, & inferior circa *aliud occupatur*, tunc contingit diſtractio potentiarum; cum ergo actus intellectus, & voluntatis non habeant proprium phantaſma, circa quod phantaſia verſetur, dum intellectus ſupra illos reflectit, & occupatur, talis cognitio reflexa multum evadit remiſſa, & imperfecta; cui accedit, quod dum actus rectus exercetur, actus reflexus neceſſario eſt remiſſus, & imperfectus, quia potentia circa objectum directum occupata diſtrahitur; Nec aliud concludunt rationes Rubion. oppoſitum docentis quæſt. 4. prolog. art. 2. ubi ex eo negat intellectum noſtrum intuitive cognoſcere ſuos actus, quia nemo experitur ſe habere aliquam intellectionem æque claram, ſicut eſt ipſa viſio coloris; quod utique verum eſt, quia prædicta cognitio intuitiva eſt ſatis debilis, & imperfecta ob rationem allatam.

201 Qui tamen oppoſitum hujus aſſerti defendere vellet, nempe intellectum ſuos quoque actus non niſi abſtractive cognoſcere, ut communis docet, dicat cum Rubion. cit. intellectum experiri actus ſuos vocando notitiam experimentalem omnem illam, qua aſſentitur rei *ſignificatæ per propoſitionem* importantem ipſam exiſtentiam, intelligens enim, vel volens ſtatim aſſentit rei per iſtam propoſitionem ſignificatæ, ego intelligo, volo, &c. quod utique fieri poteſt ſine cognitione intuitiva, ut dicemus q. ſeq. ar. p. ad p.

Quinto tandem dubitari ſolet, an objectum intellectus ſit univerſale dumtaxat, ut frequenter Philoſophus inſinuare ſolet, an etiam ſingulare. ſed quia de hoc ſpecialis eſt concertatio inter Scotiſtas, & Thomiſtas, ad proloxitatem evitandam hujus articuli dubitationem rejicimus in ſeq. q.

QUÆSTIO VII.

De cognitione univerſalis, & ſingularis.

202 Hic præſertim eſt ſermo de ſingulari materiali, & ſenſibili, ac de cognitione tam intuitiva, quam abſtractiva, & quidem quantum ſpectat ad cognitionem intuitivam, aliqui ſuſtinent hoc genere cognitionis a nullo intellectu creato attingi poſſe ſive angelico, ſive humano, ſive conjuncto, ſive ſeparato, ita P. Vulpes to. p. par. p. diſp. 19. ar. 4. & diſp. 11. de Angel. ar. 2. Alii Scotiſtæ e contra defendunt etiam de facto ita attingi ab intellectu quocunque etiam humano, ita Rada 1. part. controv. 16. ar. 3. Cavell. diſp. 3. de An. ſect. 11. Smiſinch. p. 1p. tract. 2. diſp. 6. qu. p. Tataret. p. Phyſ. q. p. §. *quarto ſciendum*, Faber theor. 84. & 86. Jo. Canon. p. Phyſ. q. 2. art. p. Quantum vero ad cognitionem abſtractivam ingens eſt controverſia inter Thomiſtas, & Scotiſtas, illi namque docent objectum noſtri intellectus inter res materiales eſſe univerſalia a ſingularibus abſtracta, ipſa vero ſingularia cognoſci per ſenſum internum, ab intellectu vero non niſi indirecte, ac per quandam reflexionem attingi, ita ſignificavit S. Thom. p. p. qu. 86. ar. 1. quol. 12. q. 8. 2. contra gent. cap. 100. qu. diſp. de An. art. 20. quem omnes Thomiſtæ ſequuntur, quod antea docuerunt veteres quidam Peripatetici Philopon. & Alexand. 3. de An. text. 16. Themiſt. cap. 20. Averroes com. 19. & alii. Oppoſitum docet Scot. pluribus in locis ſcilicet in lib. de Anim. qu. 22. 7. Met. qu. 15. & in 2. d. 3. q. 11. & d. 9. q. 2. & 4. d. 45. q. 3. & quol. 13. art. 2. ac alibi frequenter, & cum eo Scotiſtæ omnes Faber theor. cit. Ant. And. 7. Met. qu. 13. Tromb. ibi qu. 7. Zerb. qu. 13. Tatar. p. Phyſ. q. p. art. 2. Ferch. veſtig. 10. cap. 5. Recent. Pariſ. p. Phyſ. q. 2. ad 3. qu. collat. Canon. p. Phyſ. loc. cit. Rocc. 3. de Anim. q. 8. Cavell. ad qu. cit. de An. Vulp. cit. ar. 9. ac cæteri omnes Recentiores, Zabarel. lib. de ordine cognoſcendi, Piccol. lib. 1. de mente humana, Raguſ. diſput. peripat. 23. Contaren. quæſt. de primo cognito cap. 5. & qu. de ſpeciebus intelligib. cap. 8. Suarez lib. 4. de Anim. cap. 3. Tolet. 3. de Anim. qu. 13. Ruvius ibid. trac. de intellectu poſſib. Averſa q. 58. ſec. 4. Perer. lib. 3. c. 17. Onuph. trac. 2 diſp. p. qu. 2. dub. p. qui alios citant, quæ etiam eſt communis opinio apud Nomin. Greg. p. d. 3. q. 1. art. 2. Ocham. q. 5. Bur. Marſil. Thien. lib. 1. Phyſ. & hi omnes conſequenter ſuſtinent dari in intellectu noſtro ſpecies directe, & per ſe ſingularia materialia repræſentantes, quod quomodo ſit intelligendum, poſtea dicemus.

De cognitione etiam univerſalis extat aliqua difficultas, quamvis enim omnes in hoc conveniant, quod cognitio univerſalis, ut ſic, pertinet ad intellectum, ut a ſenſu diſtinguitur, adhuc tamen dubitatur de modo, quo illud cognoſcat, an ſcilicet per propriam ſpeciem, num potius per ſpeciem ipſius ſingularis: primum ſuſtinent Thomiſtæ, in oppoſitum inclinant Scotiſtæ loc. cit. dubitatur etiam, an univerſale ſit objectum dumtaxat cognitionis abſtractivæ, an vero eſſe quoque poſſit cognitionis intuitivæ, quid autem ſit notitia intuitiva, & abſtractiva ſuperius quæſt. 4. aliqualiter declaratum eſt, & inferius qu. 11. adhuc magis declarabitur.

ARTICULUS I.

Reſolutio quæſiti quoad cognitionem ſingularis.

203 Quoad cognitionem intuitivam dicendum eſt, quod licet ſingulare materiale, & ſenſibile, quod nimirum ſubeſt accidentibus hic, & nunc quantitati, qualitati, &c. hoc genere cognitionis non attingatur ab intellectu noſtro pro ſtatu iſto, abſolute tamen attingi poteſt, imo de facto attingitur ab intellectu angelico, ac humano ſoluto. Concluſio hæc mediat inter opiniones extremas Scotiſtarum jam relatas, & duas habet partes, prima pars ſtatuitur contra eos, qui volunt ſingularia materialia, ſeu ſenſibilia pro ſtatu iſto etiam ab intellectu intuitive attingi, manifeſte colligitur ex Doct. 2. Met. qu. 3. num. 23. & quol. 6. G. ubi ait talem notitiam in nobis non experiri, & p. d. 3. quæſt. 6. & 7. ubi ſub lit. K. inquit; objectum cum potentia concurrere ad efficiendam intellectionem, & hoc in ſpecie intelligibili, quia alio modo non eſt præſens intellectui noſtro, ut actu intelligibile loquendo de *objecto ſenſibili*, & materiali, & hoc ipſum ibidem docent Lichet. Tatar. & Vigerius, ubi etiam explicant Doctorem, cum aliis in locis docet ſingulare ſenſibile non poſſe ab intellectu intuitive cognoſci, intelligi debere de intellectu conjuncto, quia pro ſtatu iſto talia objecta intrant ad intellectum per ſenſus, atque ita non niſi mediante ſpecie ſunt ei præſentia; hoc etiam tenent Baſſol. q. p. Prolog. ar. 2. & Rubion qu. 4. ubi non ſolum id aſſerunt de objectis ſenſibilibus, ſed univerſaliter de quocumque alio ob ecto, dicentes *omnem noſtram* notitiam pro ſtatu iſto eſſe abſtractivam, quod *omnino* non approbamus, quia ut dictum eſt q. præced. ar. 2. *in fine*, ſatis probabile eſt intellectum noſtrum ſaltem actus ſuos intuitive cognoſcere, imo Scot. 2. Met. q. 3. n. 24. dat modum defendendi notitiam intuitivam *in intellectu noſtro* etiam pro ſtatu iſto, dicens;

cens; *si teneatur quod intellectus hic vosset, cognoscere intuitive, potest dici, quod omnem actum distinctum sensus concomitatur aliquis actus intellectus circa idem objectum, & ista intellectio est visio*, licet ibidem probabilius oppositum putet, ut diximus.

204 Probat hanc partem asserti Rubion. loc. cit. pluribus rationibus, sed præcipuum fundamentum ejus aliis prætermissis evidenter deducitur ex conditione notitiæ intuitivæ, & modo intelligendi imperfecto, quo utimur pro statu isto, nam objecta præsertim sensibilia non attinguntur ab intellectu, nisi mediantibus sensibus, quia pro statu isto nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, adeo quod nunquam immediate in seipso præsentatur objectum sensibile intellectui, sed solum in specie intelligibili, quam intellectus agens abstrahit a sensibilibus, ergo nequit intellectus noster pro statu isto nullum objectum sensibile attingere intuitive; antecedens patet, consequentia probatur, quia notitia intuitiva per hoc præsertim abstractiva distinguitur, quod intuitiva terminatur ad objectum in se, & per se præsens, non in specie, aut alio representativo, sic enim esset cognitio abstractiva. Hinc refellitur responsio Fabri theor. 84. cap. 2. distinguentis de duplici notitia intuitiva, alia est cognitio rei existentis, & præsentis in se, quæ omnem excludit speciem, qualis est apud Theologos beatifica visio; alia est cognitio intuitiva, quæ est per speciem, sed per speciem sensibilem repræsentantem objectum sub existentia, & illis conditionibus, quæ omnino sunt in illo objecto, qualis est cognitio, quam habet visus de pariete, & talis est (inquit) cognitio intuitiva, quam modo habet intellectus de objectis sensibilibus sibi in phantasia præsentatis, quia phantasma repræsentat ei singulare cum omnibus conditionibus, quæ a parte rei sunt in objecto, & ideo est cognitio intuitiva. Hæc itaque responsio est prorsus falsa, quia confundit cognitionem intuitivam cum abstractiva, & omnino destruit formalitatem notitiæ intuitivæ, quæ apud omnes illa dicuntur esse, quæ terminantur ad objectum in se existens, & præsens, unde & cognitio phantasiæ respectu sensus particularis abstractiva dicitur, quia non terminatur ad objectum in seipso præsens, & existens, nec refert, quod phantasma repræsentet objectum secundum omnes conditiones, quas habet a parte rei, ideoque generet notitiam intuitivam; quia ut mox dicemus, dari potest species intelligibilis, quæ singulare repræsentet cum omnibus conditionibus, quæ relucebant in phantasmate, & tamen non generat notitiam intuitivam, sed abstractivam, & ratio est, quia hujusmodi notitiæ non distinguuntur ex objectis, & formalitatibus repræsentatis, sed præcise ex modo repræsentandi, ut inferius dicemus, quia omnis formalitas, quæ a parte rei reperitur in objecto, etiam existentia ipsa abstractive repræsentari potest in specie. Tandem quia ut docet Scot. p. d. 3. q. 6. F. & P. in phantasmate non sufficienter repræsentatur objectum intellectui, spectat enim ad ejus dignitatem illud attingere in proprio repræsentativo, qualis est sola species intelligibilis, qua ratione & ipse Faber theor. 79. astruit necessitatem specierum intelligibilium. Qui tamen notitiam intuitivam pro statu isto vellet concedere intellectui nostro, debet cum Smisinch. cit. geminare in intellectu duplicem speciem intelligibilem, unam, quæ pendeat in esse ab objecto immediate sensibus præsente, quo ablato evanescat, alteram, quæ remaneat ad memoriam constituendam: prima inserviet cognitioni intuitivæ, secunda abstractivæ; quam tamen specierum geminationem in eadem potentia non libenter recipimus supra q. 4. art. 2.

205 Altera conclusionis pars est contra Vulpium immerito negantem intellectui angelico, & humano soluto notitiam intuitivam singularium sensibilium, & probatur in primis manifestis Scoti testimoniis, nam 2. d. 3. q. 11. sub E. docet Angelum intuitive cognoscere complexiones contingentes de rebus materialibus, ut Sortem currere, non sedere, &c. Resp. Vulp. in uno ex citatis locis Scotum debere intelligi de singularibus rerum spiritualium; Sed quia id repugnat textui, ideo in alio loco dicit hujusmodi exempla, quatenus significant cursum, & sessionem omnino a sensibilitate præscindere, quia Angelus potest quoque currere, idest cum velocitate moveri, & in loco stare, quod est sedere, unde Angelus quoad solam partem immaterialem Sortis cursum, vel meam sessionem, seu stationem intuetur. Sed plane Doctor ibi intendit Angelum intueri complexiones contingentes sensibilium, etiam quoad eorum materialitatem, quod etiam clarius docet 2. d. 8. quæst. un. D. ubi ait omnes complexiones contingentes sensibilium, quas nos per oculos intuemur, Angelum videre per intellectum, at certum est nos intueri quasdam complexiones contingentes, quæ nullo prorsus modo a sensibilitate præscindunt, ut parietem esse album. Rursus Doctor in 4. d. 45. qu. 4. docet animam separatam intuitive noscere orationem vocalem, quam conjuncta poterat noscere per sensus corporis. Resp. Vulp. cum ait Doctor, quod anima separata potest intuitive noscere orationem vocalem, & mentalem, ly *intuitive* ad orationem mentalem tantum referri debere, *abstractive* vero, de qua etiam cognitione ibi loquitur, ad utramque. Sed hæc est manifesta textus extorsio, nam præsertim de intuitiva cognitione ibi loquitur, ut est ibi videre, de ea loquitur præcipue in ordine ad orationem vocalem. Dices, id etiam probare cognitionem intuitivam in intellectu nostro, quia & ipse cognoscit propositiones contingentes, & ex eis syllogizat. Resp. quomodo possit intellectus noster cognoscere propositiones contingentes de sensibilibus postea dicemus in solutione objectorum, interim dicimus adhuc etiam præstare id asserere de intellectu quoq; conjuncto quam negare de angelico, & separato, nam evidentius est intellectum angelicum has propositiones contingentes, & secundum earum materialitatem attingere, quam intellectum conjunctum singularia sensibilia non intueri; Sed & valde improbabile est, quod ad hanc ipsam objectionem affert Vulp. loc. cit. dum ait intellectum conjunctum non immediate cognoscere propositiones contingentes, & ex eis syllogizare, sed per actum phantasiæ; Sane pejus loqui non poterat, quia formare propositiones, & syllogizare proprium est intellectus, & quando id etiam aliquo modo phantasiæ concederetur, non propterea intellectui etiam conjuncto denegandum est, alioquin dicemus, Vulpium quando contra nostram arguit opinionem, phantasiari, non intelligere.

206 Deinde probatur quoque evidenti ratione, quia sensibile est actu ens, & non potentia, ergo est actu intelligibile, & non potentia tantum, ut etiam docet 2. d. 9. q. 2. infra R. Nec valet, quod ait Vulp. quod ens in communi dicitur esse objectum adæquatum intellectus sub conditione abstractionis a materia, idest ab esse extenso, & corporali, ideo sensibilia continentur sub ente, ut est objectum intellectus, quatenus virtute intellectus agentis transferri possunt de ordine materialium ad ordinem immaterialium. Non valet, quia ut optime advertit Lichet. p. d. 3. q. 6. §. *in ista littera*, quod dicitur de intellectu agente transferre res de ordine in ordinem; vera sunt loquendo de intellectu conjuncto pro statu isto, ubi sensibilia sunt tantum in potentia remota intellectui præsentia, & ideo dicuntur potentia tantum intelligibilia, nam album extra est intelligibile tantum in potentia remotissima, præsens vero virtuali phantasticæ per phantasma est quidem adhuc potentia tantum intelligibile, minus tamen remote; & tandem est præsens intellectui per speciem intelligibilem, dicitur actu intelligibile, non enim videtur, quam aliam actualitatem præstet species intelligibilis objecto sensibili præter istam, quod illud debite approximat intellectui, ut intelligatur, si vero album comparetur intellectui separato, ait Lichet. quod non sic transfertur de ordine in ordinem, idest de ordine sensibilis in ordinem imaginabilis, & de ordine imaginabilis in ordinem intelligibilis, quia sensibile secundum omnem suam conditionem est actu, & immediate a tali intellectu intelligibile, & sic album immediate saltem ut causa partialis, potest movere intellectum ex natura intellectus causando immediate sui cognitionem intuitivam nulla ejusdem albi sensitiva precedente.

207 Et ratio a priori hujus rei jam assignata est superius q. 4. ar. 2. quia materialitas, & sensibilitas horum objectorum non illa extrahit ex virtute, & ambitu potentiæ spiritualis, & intellectivæ, alioquin neque ab ipso intellectu divino sub his conditionibus attingi possent, & hæ ipsæ conditiones sunt ab intellectu cognoscibiles, scit enim intellectus discernere inter objecta sensibilia, & spiritualia, quod facere non posset, nisi utrorumque differentias attingeret, & hoc spectat ad dignitatem, & excellentiam potentiæ intellectivæ, quæ cum superior sit, sub ditione sua complecti debet quicquid cadit sub cognitione sensuum, quæ sunt potentiæ inferiores; concedenda ergo omnino est notitia intuitiva singularium sensibilium intellectui angelico, quinimo hoc necessarium esse videtur, non solum ad ejus dignitatem, sed etiam ad custodiam, quam gerunt de hominibus Angeli, ut enim quisque satagat circa suum custoditum, cognoscere debet omnes ejus actiones, tam materiales, quam immateriales, & ista demum, quæ nullo prorsus modo a sensibilitate præscindunt, ut habetur in Psalm. *An elis fuis mandavit de te, &c.* quod utique verum non esset, si materialia objecta intueri non possent.

208 Quo autem ad cognitionem abstractivam dicendum est, singulare materiale, & sensibile non solum absolute loquendo esse per se, & directe intelligibile, sed etiam a nobis pro statu isto proprio, ac directo conceptu attingi, ac proinde per propriam speciem, licet ita propriam, ut illud repræsentet sub propria ratione singularitatis. Conclusio est Scoti, & Scotistarum loc. cit. quam passim sequuntur omnes Recentiores extra Scholam S. Th. & probatur quoad omnes, & singulas partes.

Primo itaque quod singulare materiale, & sensibile absolute loquendo sit intelligibile, probatur, quia hoc singulare est ens, & perfectius ens, quam ipsum universale, quia supra naturam communem addit differentiam individualem, ergo habet propriam intelligibilitatem, nam intelligibilitas sequitur entitatem, cum ens ex dictis sit adæquatum intellectus ex natura potentiæ; Tum quia in singulari materiali, & sensibili nihil invenitur, quod intelligibilitati repugnet, nil enim aliud includit, quocumque modo sumatur, quam naturam, differentiam individualem illam contrahentem, existentiam, & cætera accidentia materialia, quæ hoc, vel illud individuum insequi solent, illudque reddunt sensibile, nulli autem istorum repugnat intelligibilitas, quia hæc omnia, & singula aliquam important entitatem, non diminuunt. Tum quia cum inquiunt Thomistæ materialitatem impedire intelligibilitatem, vel hoc afferunt de materia pro altera parte compositi, vel pro differentia individuali; non primum, quia tunc sequeretur nullam rem naturalem esse intelligibilem, quia omnis talis componitur ex materia, & forma, imo nec neutras universalis corporeas, quia altera pars earum est materia, neque secundum, quia tunc nec singularia spiritualia forent intelligibilia. Tum denique quia si singulari materiali, & sensibili per se repugnaret intelligibilitas, tunc sequeretur, quod neque Deus illud cognosceret, cum non possit in ea, quæ implicant contradictionem, ita arguit Doctor præsertim q. 22. de An. & cum eo Scotistæ citati.

209 Secundo probatur, quòd etiam a nobis pro statu isto concipiatur conceptu proprio, saltem ut a communi distinguitur, nam intellectus noster ponit differentiam inter universale, & singulare, ac etiam inter duo singularia, ergo utrumque cognoscit aliquo modo sub propria ratione, nam facultas ponens differentiam inter duo, cogno-

cognoscit utrumque aliquo modo sub propria ratione ut habetur 2. de An. 146. Tum 2. sicut conclusiones cognoscimus syllogismo, ita principia inductione 2. Prior. cap. 29. sed inductio est processus a singularibus ad universalia, sic autem discurrere pertinet solum ad intellectum, ergo cognosci singularia. Tum 3. incognita non possumus diligere, quia nil volitum, quin præcognitum, sed prius diligimus singulare, quam universale, quia præceptum est magis respectu singularis, quam universalis, unde in ep. canonica Joan. *qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* nec dicas ad dilectionem singularis sufficere cognitionem universalis, nam sequeretur, quod cognitio universalis sufficeret ad diligendum tale singulare, quod nunquam fuit cognitum a sensu. Tum 4. quia voluntas competit actum cognitatricis, ergo intellectus eum novit, quia voluntas non fertur in incognitum, sed hic est singularis. Tum 5. tenemur peccata nostra confiteri, de eisque conteri, non in universali tantum, sed in particulari, sed hi sunt actus tum rationalis, tum sensitivæ potentiæ, ergo &c. Tum 6. ars, & prudentia pertinent ad intellectum, & sunt circa singulare ex 3. Ethic. c. 3. imo & fides divina circa plura singularia versatur. Tum 7. experimur nos cognoscere singularia, hoc autem non est per potentiam sensitivam, quia non est reflexiva super actum suum, ergo per intellectum cognoscimus nos cognoscere singulare, sed intellectus nequit cognoscere singulare, nisi ipsum singulare cognoscatur. Tum 8. intellectus corrigit sensum circa singulare, & particulare, ut dum Solem judicat parvæ magnitudinis, remum in aqua fractum, ergo necessario illud singulare cognoscit. Tum denique probatur ratione a priori, quia semper potentia superior apprehendere potest ea omnia, quæ potest inferior ei subordinata, ut patet in sensibus interioribus, & exterioribus, cum ergo intellectus sit potentia superior ad omnes sensus, poterit ea omnia percipere, quæ a sensibus percipiuntur, ita arguunt Scot. qu. 22. de An. & Scotistæ loc. cit.

210 Ab his omnibus facile putat evadere Javell. 7. Met. q. 16. dicens intellectum utique cognoscere singulare, non quidem se solo, sed mediante cogitativa, & nil aliud probare adducta argumenta. Sed certe si bene ponderentur, quid amplius probant, ut bene notavit Bannes 1. q. 86. ar. 1. dub. 1. cum enim ita discurrit, omne animal rationale est risibile, Petrus est animal rationale, ergo est risibilis, sane hic discursus ad sensum pertinere non potest, tum quia discurrere est propria operatio intellectus, non sensus; tum quia cum hic discursus habet unam propositionem totam universalem, & aliam universalem ex parte, scilicet ratione prædicati, necessario pertinet ad intellectum, nec dicas in tali propositione objectum esse in cogitativa, prædicatum in intellectu; quia tunc percontabitur, ubi erit copula conjungens hos duos terminos, si dicas esse in intellectu, inferius etiam utrumque externum in intellectu esse, quia una potentia non potest comparare prædicatum cum subjecto, nisi utrumque cognoscat. Cajet. 1. p. q. 86. art. 1. aliam intulit responsionem ex D. Thom. ib. & ait, quod utique virtus superior potest illud, quod inferior, sed eminentiori modo; & sic verum est, inquit, quod intellectus cognoscit singulare, sed eminentiori modo, quam sensus, sensus enim cognoscit singulare materialiter, & concretive, intellectus vero immaterialiter, & abstracte, quod est cognoscere in universali, & sic etiam pariter inquit intellectum ideo cognoscere hanc propositionem, Socrates est homo, quia cognoscit universale Socratis in specie intelligibili. Hoc etiam prorsus vanum est, quia sic dicendo non defenditur objectum potentiæ inferioris subordinatæ percipi quoque a potentia superiori, quia singulare est objectum distinctum ab universali, cum supra naturam aliquid aliud addat, quod ab intellectu non attingeretur; deinde si non alia ratione illam propositionem cognoscit, Socrates est homo, nisi quia cognoscit universale Socratis, tunc eam non apprehenderet quoad utrumque extremum, sed tantum quoad prædicatum, & ignoraret, cui subjecto illud attribueret.

211 Tertio quia concedant Thomistæ singulare sensibile a nobis cognosci, non tamen directe, sed reflexe, & dicunt hoc solum probare allata argumenta, nunc probandum est tale singulare a nobis directe cognosci, quia re vera id manifeste convincunt allatæ rationes, cum demonstrent ita per se, & adæquate singularia, sicut universalia spectare ad cognitionem nostri intellectus; Tum quia primo, & per se singularia cognoscimus ut talia, & ex his ad universalium cognitionem discurrimus, & ratio est, quia intellectus pro statu isto dependenter a sensibus cognoscit, unde primo cognoscit, quæ per sensus percipiuntur, per hoc autem singularia percipiuntur, ut hæc albedo, illa nigredo, ergo prius novit intellectus hanc albedinem, & illam nigredinem, & ex his elicit cognitionem coloris, utpic, ut dicemus art. seq. ergo directe cognoscitur singulare, & non reflexe per speciem universalis. Tum quia, ut arguit Doct. q. cit. de An. abstractio universalis a singulari fit ab intellectu possibili, ut dictum est in log. disp. 4. q. 3. non autem ab agente, cujus est abstrahere speciem a phantasmate tantum, sed impossibile est abstrahere universalem a singulari non cognito singulari primo, & directe, aliter abstraheret ignorando, a quo abstraheret. Tum quia experimur, nos prius ex singularibus, quasi quibusdam gradibus, ad universalia ascendere, quam ex universalibus ad singularia descendere per reflexionem, ut patet in rudibus, qui singularia norunt, & ignorant, an detur natura universalis. Tum quia nulla potest reddi ratio, cur talis directa cognitio intellectui denegetur, nam vel negatur propter imperfectionem nostri intellectus, & hoc non, alias non conveniret sensui, vel propter perfectionem, & neque hoc, alioqui nec Deo, nec Angelo conve-

niret. Tum quia ut mox dicemus, singulare cognoscitur per propriam speciem, quam primo abstrahit intellectus agens a phantasmate, & non per speciem universalis, ejusque reflexionem, ut volunt Thomistæ. Tum quia nec ipsi Thomistæ sciunt explicare, quomodo fiat ista reflexio, & singulos modos hactenus a Thomistis excogitatos fuse refellunt Recentiores sup. cit. Suarez, Ruvius, Onuphrius, Cavell. ac etiam noster Tromb. loc. cit. & Doctor ipse qu. illa 22. de An. ab initio. Tum quia etiamsi intellectus non nisi reflexe, & per quandam conversionem ad phantasmata intelligeret singularia, adhuc tamen quando ita reflexe cognoscit singulare, formar conceptum proprium, & distinctum ejus, idque modo concedunt Recentiores Thomistæ, ut Bannes loc. cit. Jo. de S. Thom. q. 10. art. 4. hoc autem est, quod hic contendimus, nempe a nobis pro statu isto attingi singularia proprio, & quodammodo distincto conceptu, sive talis conceptus formetur directe, sive reflexe. Tum tandem quia nec etiam desunt Thomistæ, qui species quasdam admittant singularium formaliter, & directe illas repræsentantes relictas ex præcedenti intellectione, per quam arguitive, & indirecte cognoscitur singulare materiale, ita Complut. disp. 18. de An. q. 6.

212 Quarto quia dicere solent Thomistæ, singulare indirecte cognosci ab intellectu, quia non cognoscitur per propriam speciem, sed per speciem universalis, utrumque falsumest, probatur, quia species universalis nequit determinate, & ex integro repræsentare singulare, ut Doct. docet 2. d. 9. q. 1. §. *contra ista*, & 3. d. 14. q. 1. lit. A. ergo cum intellectus noster determinate cognoscit hoc, vel illud singulare, id erit per species earum proprias; probat. assumptum, quia sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci, sed singulare addit entitatem positivam super naturam communem, nempe differentiam individualem contrahentem, quam nec formaliter, nec virtualiter continet, ergo species universalis nequit esse ratio perfecte cognoscendi singulare secundum totam suam cognoscibilitatem. Nec dicas, naturam communem saltem potentialiter differentias individuales continere; quia talis continentia est tantum passiva per indifferentiam materialem, quam habet, ut per eas contrahatur, & ideo nequit esse ratio illas determinate cognoscendi. Nec minus dicas, speciem universalis determinari ad repræsentandum hoc, vel illud singulare ex occursu determinati phantasmatis, sicut ex ejusdem occursu dici solet intellectus agens determinari ad hanc potius quam illam specie intelligibilem producendam. Hoc enim nil aliud est, quam asserere, quod quia phantasia operatur circa tale singulare, intellectus determinatur, ut per speciem universalem possit cognoscere illud idem singulare, sed hoc est impossibile, quia operatio phantasiæ ad hoc est prorsus insufficiens, si intellectus per se, & in se non habeat principium sufficiens illius cognitionis supplens vicem objecti, species autem universalis non est sufficiens, sed necessario debeat esse singularis; tum quia in anima separata, & Angelis utique determinatur cognitio ad certa singularia absque occursu determinati phantasmatis; nec valet paritas assumpta de determinatione intellectus agentis, quia ejus indeterminatio est virtualis, at indeterminatio universalis est mere passiva.

213 Deinde adhuc specialius probatur, singulare sensibile sicut propriam imprimit sui speciem in sensu, ita quoque facere in intellectu possibili ope intellectus agentis, quia ex specie sensibili acquiritur species in intellectu, & hæc immediate abstracta adæquare debet totum ejus objectum, adeo ut non ex objectis repræsentatis, sed tantum ex modo essendi differant, quia una species est corporea, alia spiritualis, ergo cum hæc albedo, vel nigredo propriam imprimant speciem in sensu externo, & interno, propriam consequenter imprimet etiam in intellectu, quæ spirituliter exprimit, quicquid materialiter illa exprimebat in sensibus. Conf. quia species intelligibilis ex primo congressu intellectus agentis cum phantasmate procedit similis objecto repræsentato per phantasma, & ratio est, quia non producit speciem, nisi secundum exigentiam phantasmatis, & objecti per ipsum repræsentati, sed phantasma naturam repræsentat cum conditionibus individuantibus, ergo &c. Tum quia, ut docet Scot. q. cit. de An. ab initio, & Tromb. cit. ar. 1. duplex est abstractio, alia est speciei intelligibilis a phantasmate, & alia universalis a singulari, prima fit ab intellectu agente, altera ab intellectu possibili, quando nemconsiderat naturam in se, ut indifferentem ad quodlibet suppositum, eamque facit universalem, ergo species, quam primo abstrahit intellectus agens a phantasmate, est species singularis non universalis, alioquin universale fieret ab intellectu agente, non possibili contra sancita in Log. disp. 4. cit. Tum etiam, quia si comparatio fiat inter universale, & singulare; prius singulare cognoscitur, quam universale, ut postea dicemus art. seq. quia universale a singularibus jam cognitis elicitur, ergo singulare per propriam speciem cognoscitur. Tum præterea, quia in anima separata manent species singularium, quia retinet memoriam singularium quæ gessit in hac vita, ut constat ex colloquio divitis cum Abrahamo, de quo Doct. 4. d. 45. q. 3. ergo eas acquisiverunt *in hac vita*; vanum enim est dicere, quod sint ei de novo infusæ, *quia nulla est* necessitas, nec posset assignari ratio, cur potius harum, quam illarum rerum species infunderentur a Deo. Demum res materiales universales per Adversarios repræsentantur per *speciem* propriam, ergo etiam singulares poterunt sic repræsentari. Prob. consequ. quia tota repugnantia hujus rei videtur ex *eo pendere*, quod per qualitatem spiritualem res materialis repræsentetur, si ergo id difficultatem non facit in rebus materialibus universalibus, nec quoque facient in singularibus, parum refert, quod res materialis in communi, vel in particulari repræsentetur, cum

semper sit materialis. Dices, multum referre, quia cum res in particulari repræsentatur, modo materiali repræsentatur, scilicet cum conditionibus hic, & nunc, ubi quando repræsentatur in communi, repræsentatur modo spiriatuli. Hoc parum valet, quia res materialis etiam in particulari repræsentari potest modo spirituali ex parte speciei repræsentantis, ut patet in Angelis.

214 Quinto tandem, quod modo non detur species ita propria singularis, ut eum repræsentet sub ratione propria singularitatis, & ducat in conceptum ejus proprium ex propriis, quæ erat ultima pars assertionis, Doct. ubique asserit 2. d. 3. q. 11. solvendo secundam rationem Henrici, & d. 3. q. 1. lit. C, & 3. d. 14. q. 3. lit. 3. & 4. d. 45. q 3. ad princ. quod probat q. cit. de An. 7. Met. q. 15. validissima ratione, qua passim Scotistæ utuntur ad hoc probandum, quia inter duo singularia omnino similia in accidentibus extrinsecis v. g. duos lucis radios in eodem loco compenetratos, vel duo ova æque alba, magna, ac ejusdem figuræ, nec sensus, nec intellectus noster discernere valet, ergo pro statu isto non attingit singulare, qua tale intrinsece, seu intrinsecam individualitatem, seu per talem speciem, quæ ipsam exprimat, sed tantum per accidentia extrinseca per diversitatem nimirum figuræ, magnitudinis, loci, coloris, &c. Antecedens ipsa experientia docetur, & ostendimus disp. 4. nu. 28. Prob. conseq. quia cognoscens aliquid sub proprio conceptu ex propriis discernit illud ab omni alio, secluso extrinseco accidente; ratio a priori hujus dicti est, quia intellectus noster pro statu iste nil cognoscit, nisi quod suum phantasma gignere potest, loquendo præsertim de rebus materialibus, cum immediate non immutetur, nisi a phantasmate, sed differentia individualis, seu singularitas non est ratio gignendi phantasma, quia sola entitas naturæ est, quæ movet sensum, singularitas vero est conditio moventis, & ad summum pars tantum objecti sensati, ut dictum est disp. 4. cit. ergo non potest intellectui propriam speciem imprimere pro statu isto, & conf. quia singularitas non est per se formaliter sensibilis, ut patet ex ratione a posteriori adducta, nec virtute includitur in rebus per se sensibilibus, cum in eis sic contineantur res per se sensibiles quoad rationes communes, aut proprias ex communibus, ratio, non autem proprietas ex propriis; vide Scotistas ab initio quæst. citatos hoc diffuse probantes.

215 Verum quia hoc quintum dictum, in quo negamus haberi pro statu isto conceptum proprium singularis, & per propriam speciem, videtur repugnare præcedenti, in quo talem conceptum admittere videmur, quo deceptus Suarez lib. 4. de An. cap. 3. Scotum in ea retulit sententia, quæ conceptum proprium, & distinctum singularis admittit etiam pro statu isto, ut omnis dubitatio tollatur, & puratæ contradictionis occasio, notandum est ex Tromb. cit. ar. 2, quod aliud est singulare intelligi sub ratione singularitatis, sic quod singularitas sit ratio intelligendi, aliud est, quod singularitas dicatur esse objectum intellectum, aut pars objecti intellecti, primo modo singularitas non concipitur a nobis, quia sic concipere singularitatem est concipere ipsum distincte, & seorsum ab alia singularitate, & a sua natura, seu quidditate: secundo modo singularitas bene concipitur, & intelligitur a nobis, quia quando aliquod unum objectum concipitur adæquate, quicquid realiter, & essentialiter includitur in illo, secundario, & ex consequenti concipitur, sed totum singulare sic intelligitur, tanquam objectum adæquatum unius intellectionis, ergo etiam concipitur singularitas in ipso, non tamen sic, quod sit modus objecti intellecti, aut ratio intelligendi, ita ibi Tromb. qua de causa Regentes quoque Parisienses 1. Phys. loc. cit. inquiunt, quod intellectus etiam pro statu isto cognoscit differentiam individualem confuse, & indistincte, quia cognoscit eam, ut includitur in suo singulari constituto ex ipsa natura, & differentia individuali, sed non cognoscit differentiam distincte, ut est principium hujus determinatæ singularitatis distinctæ ab alia singularitate, ita Parisienses ibi, quæ doctrina est Scot. p. d. 2. q. 3. C. ad 2. pro opinione, ubi docet, quod aliud est singularitatem esse conceptam, ut objectum, vel partem objecti, aliud est singularitatem esse præcise modum concipiendi, sive sub quo concipitur objectum, quod exemplo satis apto declarat, quia cum dicimus *plurale est singulare*, objectum conceptum est pluralitas, sed modus concipiendi, idest modus, sub quo concipitur, est singularitas, sic etiam in intentionibus logicis cum dicimus, *singulare est universale*, quod concipitur, est singularitas, sed modus concipiendi, sub quo concipitur, est universalitas; sic igitur in proposito potest singulare ita cognosci, ut singularitas sit ratio cognoscendi, vel ut sit dumtaxat, aut objectum cognitum, aut pars objecti adæquate cogniti, primo modo distincte conciperetur singulare, & sub conceptu proprio ex propriis, & talem conceptum non habemus de singulari pro statu isto, nec speciem ejus propriam, secundo modo concipitur confuse, non quidem quia concipiatur sub solo conceptu universalis, sed quia licet concipiatur conceptu proprio, hic tamen non ex propriis desumptus est, & ex specie ipsa singularitatis elicitus, sed ex communibus, licet ex accidentibus extrinsecis illis soli individuo convenientibus, & non alteri (licet absolute alteri contradictorie non repugnent) unde ait Scot. q. 22. de An. §. *quarto dico* quod hic modus concipiendi singulare non est simplex, sed compositus ex conceptibus multarum circumstantiarum, ut patet, dum dicimus quod Sortes est unus homo albus, crispus, longus, &c. idem habet 7. Met. q. 15. ante solutionem principalium, quod late prosequitur Rubion. p. d. 3. q. 6. art. 1. & eleganter explicat.

Satisfit objectionibus.

216 IN oppositum arguitur, Primo, probando intellectum nostrum pro statu isto singularia sensibilia intuitive cognoscere, nam hæc videtur expressa Doct. sententia, quia in p. d. 3. 6. lit. N. ait, quod intellectus intelligens quicquid est relucens in specie intelligibili, videt illud in ipso singuli viso per phantasticam virtutem in phantasmate; expressius id habere videtur 4. d. 45. q. 3. lit. K. ubi inquit intellectus intuitive intellexit me videre album, & postea recordatur me vidisse album, imo ibid. §. *dico ergo*, diserte docet, intellectum non solum abstractive cognoscere universalia, sed necessario etiam intuitive cognoscere, quæ cognoscit sensus, ad quod probandum tres insinuat rationes, quas pro se Faber theor. 84. adducit. Prima est, quia potentia superior cognitiva in eodem supposito cognoscit, quicquid cognoscit inferior, & nobiliori modo, sed sensus novit singulare sensibile cum suis accidentibus tempore, loco, & intuitive, ergo & intellectus. Altera est, quia intellectus novit propositiones contingentes & ex eis syllogizat, at propositiones contingentes constant ex singularibus cum accidentibus hic, & nunc, & cognosci nequeunt per species, ut docet Scot. 2. d. 3. q. 11. sed per intuitionem conjunctionis extremorum. Tertia tandem, quia distincta memoria est ex distincta apprehensione rei cognitæ, at intellectus habet distinctam memoriam de singularibus cum his accidentibus, ergo &c. idem tandem docere videtur 3. d. 14. q. 3. in corpore quæsiti,

217 Resp. ad locum ex 1. sent. Doctorem ibi per illum loquendi modum significare voluisse necessariam connexionem phantasticæ operationis cum intellectiva pro statu isto, ut nimirum nihil abstractive cognoscat intellectus in universali, nisi phantasia circa ejus singulare operetur, nullatenus autem docere voluit intellectum immediate actu suo intueri sensibile in phantasmate, cum ibidem lit. P. expresse dicat sensibilia in phantasmate non esse sufficienter præsentia intellectui sub ratione actu intelligibili, sed tantum in specie intelligibili; Ad loca ex 4. sent. respondere opus non esset, cum in tota illa quæst. loquatur de intellectu animæ separatæ, cui non negamus cognitionem intuitivam sensibilium; sed quia quis contendere posset quod etiam de intellectu conjuncto loquatur, nam quædam ibi habet, quæ etiam intellectui conjuncto applicari possunt, ut argumentum de notitia propositionum contingentium, quod non minus de anima conjuncta urget, quam de separata, cum utrique competat, notandum est ex Scot. 2. Met. q. 3. n. 24. quod etiam intellectui conjuncto quædam notitia attribuitur, quæ ob connexionem, quam habet, cum intuitiva sensitiva, ipsa quoque concomitanter intuitiva appellatur, ut distinguatur ab abstractiva, quæ fit sine consortio intuitivæ sensitivæ; duplex enim est cognitio abstractiva, quam de objectis habet intellectus pro statu isto, una pure abstractiva, quæ fit absente objecto tam ab intellectu, quam a sensibus, ut cum per speciem cognoscimus objectum, quod abest, alia, quæ fit dum objectum est in se præsens sensibus externis, ut cum intelligimus album, quod actu oculis intuemur, quæ proinde concomitanter solum intuitiva dicetur, quatenus eam concomitatur intuitio sensitiva; cum ergo inquit Doct. loc. cit. intellectum nostrum intuitive sensibilia videre, loquitur tantum de cognitione intuitiva in secundo sensu, non in primo, ut nos *hic loquimur*; nec *rationes*, quas ibi Doctor adducit, quid amplius concludunt: Prima deducta ex dignitate intellectus probat, id convenire posse intellectui ex natura potentiæ, non autem de facto, imo in hoc sensu adducitur ab eodem Doct. quol. 6. lit. G. de facto vero non probat ei convenire, nisi cognitionem intuitivam concomitanter, quæ æquivalet intuitivæ sensitivæ simpliciter. Alia quoque ratio ex notitia contingentium deducta non aliud probat, talis enim cognitio intuitiva concomitanter in intellectu sufficit. ut ipse cognoscat propositiones contingentes, unde tunc intellectus dicitur intuitive cognoscere Petrum currere, quando oculus immediate cursum Petri cernit, etiamsi tam Petrum, quam cursum ejus per propias species cognoscat; unde & optime Rubion. advertit loc. cit. absque ulla intuitione per solam notitiam abstractivam cognitio propositionum contingentium in intellectu nostro pro statu isto salvari potest, dummodo eam concomitetur sensatio, seu cognitio intuitiva exterior, stante enim visione cursus Petri potest etiam intellectus hanc complexionem efformare quod Petrus currit, cui intellectus statim præbet assensum, eo quod percipit sensationem exteriorem, scilicet visionem cursus Petri actu existentem; videatur hic Auctor loc. cit. ubi bene declarat, quomodo ad notitiam contingentium non sit intellectui necessaria cognitio intuitiva, in quo puncto consistit tota difficultas. Etiam ratio parum urget, quia notitia memorativa potius pertinet ad abstractivam, quam ad intuitivam cognitionem, cum sit rei præteritæ, & absentis, & solum imperfecte dicitur intuitiva; eodem modo debet explicari Doctor in 3. d. 14. q. 3. vel dicendum cum Lichet. ibidem, loqui ex hypotesi, quod pro statu isto detur in intellectu cognitio intuitiva alicujus objecti.

218 Secundo, e contra obiic. probando singulare sensibile neque ab ipso intellectu separato intelligi posse intuitive, nam Scot. 2. d. 3. q. 8. expresse docet in corpore quæsiti, objecta materialia esse potentia intelligibilia, etiam in ordine ad intellectum angelicum, & loquitur ibi de cognitione quoque intuitiva, ut patet sub lit. D. & q. 11. statuit in Angelis intellectum agentem, nonnisi ut transferat objecta materialia de ordine in ordinem, ergo cum non nisi per speciem fiunt actu intelligibilia, nequeant etiam ab intellectu separato intelligi, nisi abstractive, non autem intuitive; & hoc est præcipuum fundamentum Vulp. loc. cit. ubi etiam quasdam rationes adducit, quæ cum aliis etiam urgentioribus solutæ sunt superius quæst. 4. hujus disp. art. 2. prope finem.

Resp. licet proprie loquendo sensibilia, & materialia dicantur potentia intelligibilia, præsertim in ordine ad intellectum conjunctum,

ctum, quia ad ipsum transire nequeunt, nisi mediis sensibus externis, & internis, adhuc tamen in ordine quoque ad intellectum separatum dici possunt potentia intelligibilia, quatenus nequeunt totaliter seipsis in intellectu imprimere species intelligibiles, ut possent objecta spiritualia, atque ideo quantum ad cognitionem abstractivam, quæ fit per speciem, intellectus separatus indiget translatione *illa* ab *intellectu agente facta, non* secus ac conjunctus, & in hoc sensu præcipue locutus est Doct. loc. cit. cum in Angelis ponit intellectum agentem, ut objecta transferat de ordine in ordinem, sed & in ordine quoque ad notitiam intuitivam possunt aliquo modo objecta sensibilia dici potentia intelligibilia respectu cujuscunque intellectus, quia nunquam possunt esse actu intelligibilia, nisi prius producant in intellectu speciem, velut effectum prævium, sicut potens producere duos effectus subordinatos, non dicitur in potentia proxima ad producendum secundum, nisi producto primo, & quia hanc speciem totaliter se ipso producere non potest objectum materiale, quia est effectus spiritualis, ideo indiget auxilio intellectus agentis, & inde dicimus intellectum agentem facere tale objectum actu intelligibile, etiam respectu angelici intellectus.

219 Tertio, objicitur probando singulare sensibile ab intellectu nostro percipi non posse, nam Arist. 1. & 2. Post. & 3. de anim. & aliis pluribus *in locis per hoc præsertim sensum* ab intellectu distinxit, quod singularia ad sensum, universalia vero ad intellectum pertineant. Tum 2. singulare materiale non est intellectui proportionatum, qui penitus est materiæ expers, at inter potentiam & objectum aliqua debet intercedere proportio. Tum 3. quia alioqui sensibus non indigeremus, qui ideo nobis a natura concessi sunt, ut per eos singularia sensibilia cognoscamus. Tum 4. nec etiam intellectu agente opus esset, qui ad hoc datus est, ut ex phantasmatibus singularia repræsentantibus abstrahat species repræsentantes universalia. Tum 5. res materiales potentia tantum sunt intelligibiles, & fiunt actu intelligibiles per abstractionem a materia 3. de Anim. 16. at per talem abstractionem significari nequit separatio rerum a materia partis, quia tunc neque in universali intelligerentur, ergo a materia individuali, unde cognoscendo, dicitur præscindere a conditionibus individuantibus. Tum 6. si posset esse objectum *intellectus, tunc esset definibile*, & de ipso posset esse scientia, quod est contra fancita a nobis cum Arist. in Logica. Tum tandem quia diversorum objectorum diversæ sunt potentiæ cognitivæ, cum hæ distinguantur per objecta, sed universale, & singulare sunt objecta diversa, ergo &c.

Resp. ad 1. Doct. q. 22. de An. in illis locis intendere Arist. quod sensus est singularium cum præcisione, quia non est universalium, intellectus autem non, quia ob suam illimitationem est cognitivus utriusque, quam solutionem magis declarat quol. 13. §. *circa secundum*, & alibi sæpe. Ad 2. inter potentiam, & objectum non est necessaria similitudo in essendo, sed sufficit proportio moventis ad mobile, & hæc bene intercedere potest intellectum, & singulare materiale, hoc enim saltem ut causa partialis ad *suæ speciei impressionem* cum intellectu concurrere valet, & talem proportionem cum intellectu concedunt ipsimet Adversarii phantasmati, quod tamen est materiale; quam solutionem magis declaratam vides apud Doct. 4. d. 45. qu. 2. A. Ad 3. neg. conseq. indigemus enim sensibus, ut per ipsos res cognoscibiles ad intellectum transferantur, quia pro statu isto nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, & expedit idem objectum cognoscere materiali, & spirituali cognitione, & quidem si argumentum valeret, etiam sensus communis superflueret, vel sensus particularis, cum attingant id em objectum. Ad 4. neg. etiam conseq. quia intellectus agens non ad hoc datus est præcise, ut universalia abstrahat a singularibus, cum tal s abstractio ad intellectum possibilem potius pertineat, ut diximus, quia ipse facit universalitatem in rebus, sed datur, ut abstrahat species a phantasmate spirituales, sive universalia repræsentet, sive singularia, quod cum sit materiale, nequit totaliter *eas intellectui possibili* imprimere, sed *ope* indiget intellectus agentis, quod magis explicat Tromb. cit. §. *deinde arguitur*. Ad 5. res materiales dicuntur potentia intelligibiles præsertim in ordine ad cognitionem abstractivam, & sic dicuntur fieri actu intelligibiles per abstractionem a materia, non quidem a materia individuali, sed extensa, & sensibili, quia in specie intelligibili, quæ pure spiritualis est, deponunt esse sensibile, & corporeum, & acquirunt esse spirituale, & inextensum, & in hoc sensu dicitur intellectus cognoscendo præscindere a conditionibus individuantibus, quæ rem materiali modo repræsentant, quia rem materialem cognoscit modo spirituali, non autem necessario præscindit a conditionibus constituentibus rem in esse singulari; sed & in hoc quoque sensu dicitur intellectus cognoscendo præscindere a *conditionibus individuantibus*, ut notat Doct. quol. 13. K. quia potest intellectus cognoscere objectum, non ut hic, & nunc, sensus autem nequit sic cognoscere objectum, quia est virtus limitata ad cognoscendum ipsum sub ratione existentis, sed non propter hoc intellectus determinatur ad cognoscendum objectum sub modo oppositio, quia indifferens est ad cognoscendum ipsum sub utroque modo, & ejus immaterialitas poscit immaterialitatem specierum in essendo, non in repræsentando. Ad 6. neg. conseq. quia non quicquid attingitur ab intellectu, est vere, & proprie scibile, ac definibile, sed illud tantum, quod habet omnes conditiones ad scientiam, & definitionem requisitas. Ad ult. ait Doct. quol. cit. & q. 22. de An. ad 2. illum arguendi modum valere in porentiis disparatis, non autem in subordinatis, ut sunt sensus, & intellectus in quibus superior facultas inferioris objectum cognoscere potest; & adhuc hujusmodi potentiæ recte per objecta distingui dicentur, non quidem per omnimodam objecti incommunicabilitatem, quasi una sit circa unum objectum, & alia circa aliud, sed per inæqualitatem, quatenus superior, circa totum objectum versatur, inferior vero circa partem objecti, & sic est in proposito, quod sensus *est circa singulare tantum*, intellectus vero circa singulare, & universale simul; solet autem universale dici proprium intellectus objectum, quia a solo intellectu percipi potest, non autem quia ipsum solum ab intellectu percipiatur.

220 Quarto probatur, quod singulare non directe ab intellectu percipiatur, sed reflexe, ita namque docuit Arist. 3. de An. tex. 10. ubi ait potentiam quidem sensitivam judicare per se singularia, intellectivam vero per se universalia, singularia autem veluti per reflexionem. Ex hoc unico textu Thomistæ suum dicendi modum sumpserunt de cognitione reflexa singularis, quem etiam admittere videtur Scot. q. illa 22. de An. §. *quarto dico*, & lib. 7. Met. qu. 15. §. *de secundo*, & ibidem Tromb. Ant. And. & alii Scotistæ, sed re vera quamvis ibi concedat Doctor dici posse singulare cognosci per reflexionem, longe tamen aliter *id* explicat, ac faciat S. Thom. ut bene Ragus. adnotavit loc. cit. cap. 9. nam D. Thomas vult absolute prius naturam percipi per *speciem intelligibilem*, deinde vero singulare per conversionem ad phantasmata, a quibus species abstracta fuit, ut est videre quæst. disp. de veritate qu. 2. art. 10. Scotus vero loc. cit. vult primo petcipi singulare vagum, mox naturam ipsam a singularitate præcisam, demum retrogreditur reflectendo considerationem naturæ ad circumstantias signatas, & ipsam per ipsas determinando, individuum tandem signatum intelligit, quia est hic, & nunc, & in tali figura, & magnitudine; & ideo sattem singulare vagum directe concipitur apud Scotum, quod S. Thom. negare videtur. Græci tamen, ut Alexander, Simplic. Themist. & alii ex illo eodem contextu oppositum colligunt, nempe singularia ab intellectu directe cognosci, universalia vero nonnisi per reflexionem, cum enim a principio ex phantasmate obiiciatur intellectui res singularis, tunc facile, & directe percipitur ab intellectu, cujus siquidem operatio directe ad ipsam terminatur, dum vero intellectus ex illa jam sibi impressa specie singulari conceptum universalem vult effingere, vel illius objecti singularis quidditatem abstractam, tunc opus est, ut in seipsum scilicet in speciem jam sibi inhærentem per quandam reflexionem convertatur, atque ita exponunt textum illum.

221 Sed re vera Arist. in eo textu, ut notarunt Ruvius, & Suarez non loquitur de modo, aut ordine, quo fiat cognitio singularis in intellectu, sed respondet difficultati, quam tex. præcedenti proposuerat, an scilicet universale, & singulare ab eadem potentia cognoscantur, an alia, & alia, & tex. 10. difficultati occurrens inquit, animam humanam cognoscere idem calidum, & frigidum; quæ sunt conditiones materiales, & universaliter quæcunque ut caro se habent, & singularia sunt, potentia sensitiva; universalia vero, & quæcunque ut esse carnis se habent, vel potentia separabili, hoc est diversa realiter a potentia, qua percipitur singulare, cognoscit, vel re quidem una, *sed secundum rationem diversa, sicut linea reflexa ad seipsam*, ut recta, se habet, linea siquidem reflexa, si in rectum ducatur, eademmet linea, quæ prius curva fuerat, fit recta; unde hoc exemplum de linea recta, & inflexa inducit, non ut ostendat modum, vel ordinem, quo singulare, & universale intelliguntur, ut videtur esse communis expositio, sed potius, ut innuat posse eandem potentiam realiter, & sola ratione diversam, ut differunt linea recta, & reflexa, utrumque attingere; quod si demum instetur, exemplum de linea recta, & reflexa induci ad innuendum modum, & ordinem, quo universale, & singulare intelliguntur, & hoc quidem reflexe, illud vero directe intelligi, ut plerique Latinorum velle videntur, tunc vel utendum est expositione Scoti jam allata, vel dicendum Arist. ibi loqui de cognitione distincta singularis, sic enim utique cognoscitur per quandam *reflexionem*, quatenus singulare primo confuse concipitur, inde progreditur intellectus ad cognitionem universalis, & rursus inde revertitur ad distinctam singularis cognitionem, quæ sine cognitione universalis præcepta comparari non potest, ut constabit qu. seq.

222 Quinto objicitur probando, quod non cognoscatur per propriam speciem, sed potius per speciem ipsius universalis, nam species rationem universalium a phantasmatibus adjutæ sufficiunt ad causandam intellectionem singularium, ut enim phantasma simul cum intellectu agente species producit intelligibiles, ita cum intellectu possibili jam specie universali prædito poterit producere conceptum rei singularis, cujus est phantasma, ac proinde supervacanea est propria species singularis. Tum 2. quia nedum supervacanea, sed etiam impossibilis videtur, nam quod recipitur, per modum recipientis recipitur, cum ergo intellectus sit prorsus immaterialis, species in eo receptæ immateriales quoque esse debent, *tales autem esse non possunt species singularium* materialium, materiales enim & ipsæ quoque forent, saltem in repræsentando, quod tamen esse nequit, quia sicut intellectus, eo quod spiritualis est, abstrahit ab hic, & nunc, sic eriam & species intelligibiles in modo repræsentandi abstrahent *eodem modo*. Tum 3. species sensibilis, & intelligibilis differre debent, nedum in entitate, quod una sit spiritualis, alia corporea, sed etiam aliquo modo ex parte objecti repræsentati, ergo intelligibilis necessario abstrahit ab aliqua conditione a parte rei in objecto reperta, quam non repræsentat; hæ autem sunt conditiones individuales; probatur assumptum, quia etiam sensus, & intellectus differunt in

objecto repræsentato, & modo repræsentandi ejus. Tum 4. res sensibiles redduntur intelligibiles per hoc, quod tale objectum removetur a materialibus conditionibus, quæ ipsum singularizant, & solum per modum quidditatis attingitur, ergo repræsentari non possunt, quam per speciem universalis, quæ sic abstrahit: probatur assumptum, quia quicquid est proprium objectum intellectus, & res sensibiles, ut subsunt conditionibus materialibus, quibus singularizantur, possunt attingi a sensu, & sic nondum ad intellectum pertinere possunt, cum enim sensus, & intellectus sint potentiæ valde diversæ, sub diversis quoque rationibus in objecta feruntur. Tum 5. species intelligibilis objectum repræsentat secundum eam rationem, qua gignitur ab illo, sed ratio imprimendi speciem non est singularitas, ut dictum est, sed natura communis, ergo non alia species abstrahitur, quam universalis, per quam postea reflexe singularia dignoscuntur. Tum 6. quia falsum est, quod per speciem universalis nequeat singulare cognosci, nam agens artificiale non dirigitur in agendo, nisi cognoscat agibile perfecte, sed agens habens tantum cognitionem domus in universali potest facere hanc domum in particulari, ergo per speciem universalis optime venimus in cognitionem singularis. Tum 7. nam species abstractæ a phantasmatibus sunt omnino connaturales intellectui pro statu isto, atque ideo versantur circa objectum omnino connaturale, & per se primum illius, ergo debent nedum in esse entitativo abstrahere a materia extensa, & sensibili, sed etiam in esse repræsentativo a materia totius sumpta pro differentia individuali, quia potentia, & objectum in eodem immaterialitatis gradu convenire debent. Tum 8. quia phantasma concurrit ad productionem speciei intelligibilis, ut est repræsentativum naturæ præscindentis a singularitate, ergo species inde genita non erit singularis, sed universalis: conseq. patet, probatur assumptum quia phantasma ut repræsentativum naturæ cum omnibus conditionibus materialibus non potest esse ratio agendi in rem spiritualem, qualis est intellectus possibilis, eo quia inter causam principalem, & passum debet esse proportio agentis, & passi. Tum tandem quia P. Cavell. in coment. ad q. 22. de An. n. 18. probabile putat non dari speciem, quæ pro hoc statu repræsentet singulare distinctum a specie universalis, sed ipsam speciem universalis, vel potius naturæ adjunctis conceptibus circumstantiarum repræsentare singulare confuse, sicut species creaturarum modo repræsentant Deum, & inquit hoc esse de mente Scot. p. d. 3. q. 6. n. 17. ubi docet, quod species per se saltem pro nunc, tantum repræsentat naturam, ex adjunctis autem colligimus hanc naturam esse contractam, licet ipsam rationem contrahentem non videamus.

223 Resp. hæc omnia fere argumenta retorqueri posse contra Thomistas concedentes in ea reflexione, quia intellectus attingit singulare formari proprium, & distinctum conceptum illius, imo ex tali conceptu, & intellectione relinqui speciem quandam ipsius singularis directe repræsentativam; & ratio est, quia non minoris immaterialitatis est conceptus, seu species expressa singularis, quam impressa, si ergo dari potest species expressa singularis, non obstante ejus immaterialitate, cur non etiam impressa? & rursus si dari potest species impressa ex prima singularis intellectione relicta, ut concedunt Complut. & alii Recentiores Thomistæ, cur non poterit etiam ab initio intellectus agens a phantasmate speciem abstrahere directe, & adæquate singulare ipsum repræsentantem? Nec valet disparitas, quam affert Complut. cit. num. 100. quoniam species intelligibilis ex prima singularis cognitione relicta potest commensurari cum objecto materiali, & secundario intellectus, quale est singulare, nam cum relinquatur ex præcedenti intellectione, & hæc possit versari circa objectum, sive materiale, sive secundarium, fit inde, ut etiam prædicta species intelligibilis possit repræsentare prædictum singulare; cæterum species intelligibiles, quæ fiunt virtute intellectus agentis commensurantur cum objecto primario, & connaturali intellectus, & ipsum tantummodo formaliter, & directe repræsentant. Non valet, tum quia eadem est difficultas, imo major de specie expressa singularis, ac de impressa, cum illa sit immaterialior ista, & nihilominus hac non obstante immaterialitate singulare exprimit cum conditionibus individuantibus; tum quia falsum est, quod singulare sit objectum materiale, & secundarium intellectus, cum æque cadat sub objecto primario intellectus, ac ipsum universale, tale enim objectum intellectus est quidditas rei sensibilis, ut sic sit abstracta a conditionibus individuantibus, sive cum eis involuta, tum quia deberet reddi ratio, cur species relicta ex præcedenti intellectione singularis possit commensurari cum objecto etiam materiali, & secundario intellectus, non autem species abstractæ, ab intellectu agente.

224. Ad. 2. itaque neg. assumptum, ut enim patet ex supradictis, assignari nequit sufficiens modus, quo species universalis determinetur a phantasmate ad repræsentandum singulare, nam indeterminatio universalis respectu inferiorum est potentialis tantum, & passiva, non autem virtualis, & activa, qualis est determinatio intellectus agentis ad producendas species intelligibiles, atque ideo licet phantasma compleat indeterminationem intellectus agentis ad productionem speciei intelligibilis, non tamen indeterminationem speciei universalis, quia passiva est, & materialis, unde si ex occursu phantasmatis intellectus reflexe intelligeret singulare, talis intellectio potius in ipsum phantasmate immediate referri deberet, quam in speciem universalis phantasmate determinatam; ad evitandam ergo pluralitatem specierum præstabit dicere potius e contra universale intelligi per speciem singularis, quia sicut singulare continet essentialiter suum superius, sic pariter species singularia virtualiter continebit ipsum universale in esse cognito, quia sicut res ad esse se habet, ita quoque ad cognosci. Ad 2. concludit solum speciem intelligibilem singularis esse debere spiritualem in essendo, sicut est ipse intellectus, in quo recipitur, non autem in repræsentando, alioquin idem quoque probaret de speciebus angelicis, quia angelicus intellectus immaterialior est nostro, & abstrahit a conditionibus materialibus hic, & nunc. Ad 3. dicitur adhuc speciem sensibilem differre ab intelligibili singularis, nedum in entitate, sed etiam in modo repræsentandi; esto non in objecto repræsentato, licet enim species intelligibilis singularis repræsentet adæquate totum id, quod sensibilis, discriminantur tamen in modo repræsentandi, quia a specie intelligibili fit immateriali modo, & insensibili, ut dicitur de speciebus angelorum, non ita tamen a speciebus sensibilibus, quare negatur assumptum, quod debeant differre necessario in objecto repræsentato; & adhuc etiam dici possunt differre in objecto repræsentato, quia species sensibilis sensus necessario repræsentat naturam cum conditionibus individuantibus, non ita species intelligibilis singularis intellectui, cum possit ex ipsa elicere conceptum universalis relictis conditionibus individuantibus, non sic sensus ex sensibili. Ad 4. neg. assumptum, res enim materiales ideo per speciem dicuntur fieri actu intelligibiles, quia per eas accipiunt esse spirituale, & intelligibiliter in intellectu recipiuntur, & sic dicuntur abstrahere a conditionibus materialibus: ad probationem dicimus res sensibiles, etiam ut subsunt conditionibus materialibus, posse ab intellectu attingi immaterialiter tamen, & modo spirituali, in quo discernitur a sensu; quod quid est autem, & universale dici consuevit proprium intellectus objectum, quia hoc solum ab intellectu attingitur, non a sensu. Ad 5. inquit Doct. p. d. 3. q. 6. ad p. princ. quod licet singularitas non sit ratio agendi, sed natura, adhuc tamen est conditio agentis, atque ideo representatur in specie per se natura, & confuse ejus conditio.

Ad 6. ait Doctor qu. 22. de An. ad 3. princ. quod artifex prius intelligit naturam domus, non quidem in universali, sed in supposito vago, & ex consequenti deinceps mente descendit in hanc domum signatam. Ad 7. neg. conseq. cum ejus probatione; ut enim sæpius dictum est inter potentiam, & objectum non est necessaria similitudo in essendo, sed tantum requiritur proportio motivi ad mobile. Ad 8. neg. assumptum cum ejus probatione, quia phantasma materiale est, & corporeum tum in repræsentando, cumque intellectus agens speciem intelligibilem producat quantum ad vim repræsentativam juxta conditionem phantasmatis occurrentis, nequit cum eo producere, nisi speciem intelligibilem singularis, quia phantasma necessario repræsentat naturam conditionibus individuantibus involutam, unde si in primo congressu cum intellectu agente totam vim suam exercere debet, ut facere solent agentia naturalia, aget ut repræsentativum tum naturæ, tum conditionum materialium, quia hæc omnia suopte ingenio repræsentat; potest autem adhuc secundum totam hanc vim repræsentativam agere in intellectum possibilem producendo speciem per modum causæ partialis, sic enim agendo partialiter scilicet & minus principaliter potest servari proportio inter agens corporeum, & passum incorporeum, itaut hoc patiatur ab illo, ut superius dictum est. Ad ult. potest concedi, quod inquit Cavell. de singulari siguato, quod non habeat propriam speciem, sed quod ad ejus conceptum formandum multæ species concurrant, nempe ipsius naturæ, & circumstantiarum ejus loci, temporis, magnitudinis, &c. ut Doctor declarat qu. 22. de anim. §. *quarto dico*, unde dicimus, quod Sortes est unus homo, albus, crispus, longus, &c. nihilominus de singulari vago probabilius est, quod habeat propriam speciem, hoc enim absolute loquendo est primum cognitum primitate originis, ut dicemus quæst. seq. & hæc est expressa Doctoris sententia qu. cit. de anim. & 7. Met. q. 15. ubi vult, quod species primo impressa intellectui possibili, & abstracta a phantasmate primo repræsentat singulare vagum, & postea naturam ipsam in se a singularitate præcisam; loco autem citato p. d. 3. q. 6. ad p. princ. solum intendit Doctor modo non dari speciem singularis, quæ ipsum repræsentet distincte, & sub propria ratione singularitatis, quod utique verum est, ut supra diximus, quia singularitas modo ad partum speciei non concurrit, ut ratio agendi, sed tantum ut conditio agentis, & pars objecti cogniti, & ideo per illam speciem non nisi confuse repræsentatur; unde ut notat Tatar. p. Phy. q. 1. art. 2. dub. 1. singulare pro statu isto dicitur cognosci distincte, & proprio conceptu, quatenus species ita illud repræsentat, quod non aliud, non vero quia perfecte attingatur sub ratione propriæ singularitatis; Et ne quis ex illa q. 6. d. 3. primi inducatur ad credendum, quod non detur species propria singularis, sed solius naturæ, & universalis, advertendum est, Doctorem in illa qu. solum laborare, ut ostendat dari speciem intelligibilem præter sensibiles, & loquitur de specie universalis, non autem singularis, quia certius est universale intelligi ab intellectu, quam singulare, non autem, quia putaret non dari quoque speciem singularis, & ita expressis verbis se declarat ibid. §. *contra istam opinionem*, dicens se de hoc non curare in propositio, scilicet de specie singularis, eique sufficere demonstrare, quod saltem dari debeat species universalis.

225 Tandem arguitur contra id, quod ult. diximus pro statu isto non haberi conceptum proprium singularis ex propriis, & sub ratione singularitatis, quia potens habere actum diligendi aliquod objectum proprium, potest etiam habere actum proprium intelligendi ipsum, sed viatori possibilis est actus diligendi singulare signatum, potest enim diligere unum singulare tantum, nullum alterum diligendo, ergo &c. imo hoc probare videntur omnes rationes, quibus supra probavimus posse a nobis singulare cognosci pro statu isto.

Resp. ex dictis, quod si per conceptum proprium intelligimus illum, quo de facto aliquod singulare determinare percipimus, & non aliud, concedimus talem conceptum a nobis haberi pro statu isto, per quem etiam distinguere possumus ipsum singulare intellectum a quocunque alio singulare existente, cum omne aliud de facto existens sit ei in aliquo dissimile; talis tamen conceptus non est proprie proprius, sive ex propriis illius singularis, cum possit esse, licet de facto non sit, alterius possibilis similia accidentia habentis, & in hoc sensu tantum potest viator habere actum diligendi singulare signatum, quatenus accidentia, quæ in uno reperiuntur, regulariter non omnia sunt in alio, nam si eo destructo fieret a Deo aliud simillimum in eodem loco, posset intelligi eodem actu numero cum priori, ac etiam diligi, vel si per alium, non tamen per hunc alium actum individuum de novo productum perciperetur a priori distinctum, ita Rubion loc. cit. & hoc est, quod ajebat Doct. q. cit. de anima, quod quicunque conceptus proprius, quem modo habemus de singulari signato, licet si modo ei proprius, ut de facto alteri non conveniat, quia de facto non datur unum singulare alteri simile in omnibus prorsus accidentibus, & circumstaniis, tamen non est ita proprius, ut alteri possibili repugnet, & ideo dici nequit conceptus proprius proprie, & ex propriis, seu sub ratione singularitatis, quia talis repugnat cuicunque alteri, tam existenti, quam possibili.

ARTICULUS II.

Resolutio quæsiti quoad cognitionem universalis.

226 HIC per universale non intelligimus universale logicum, & formale, quod in tali esse constituitur per relationem ad inferiora, sed universale metaphysicum, & fundamentale, quod potius constituitur per abstractionem, & præcisionem ab eis, & solam importat naturam, quæ de se nec universalis est formaliter, nec singularis, ut Scotus declarat ad 2. d. 3. q. 1. Et quidem licet ob talem præcisionem a singularitate multis videatur dumtaxat objectum idoneum cognitionis abstractivæ, dicendum tamen est ipsam quoque naturam ut sic, a singularitate præcisam esse posse objectum cognitionis intuitivæ, ita notavit Doct. 4. d. 14. q. 3. §. *ad quæstionem*, ubi supponit tam de natura, idest de quidditate, ut abstrahit a singularitate, quam de ipso singulari posse haberi intuitivam notivam.

Dices, naturam, ut abstrahit a singulari, abstrahere quoque ab existentia, quia non existit, nisi in singularibus, & ratione singularium, ergo secundum se, ut singularitatem antevertit, nequit esse objectum intuitivæ notitiæ, quæ terminatur ad rem in se existentem, & præsentem. Negatur assumptum, quia ut dicemus in Met. Natura, seu quidditas, sicut ex natura rei formaliter est distincta a differentia individuali, & natura singulari per differentiam individualem constituta, sic etiam habet suam propriam existentem ex natura rei formaliter distinctam ab existentia differentiæ individualis, & naturæ singularis, unde secundum hanc existentiam potest intuitive cognosci, etiam ut abstrahit a singulari, seu absque eo, quod intuitive cognoscatur singularitas, ita luculenter docuit Doct. 4. d. 45. q. 3. ad 2. princ. ubi inquit, *quod existentia actualis primo convenit naturæ, unde hæc natura non est existens formaliter, quia hæc; sed per naturam, illam autem naturam, ut existentem intuitive cognoscit intellectus.* Quod autem dici solet, naturam non existere, nisi in singularibus, aut non nisi ratione singularium, solum significat realem inseparabilitatem utriusque existentiæ, & quod naturæ non convenit sua propria existentia, nisi in eodem temporis instanti contracta fuerit per singularitatem, nam omne, quod est in rerum natura, est singulare, licet non secundum omnem rationem, secundum quam est, sit singulare.

Instabis rursus, cognitio intuitiva terminatur ad objectum, ut hic, & nunc, quod est proprium singularis, ergo natura in se non est sufficiens objectum talis cognitionis. Resp. Doctor ibidem, quod si intelligas per *nunc* existens, & per *hic* in se præsens conceditur, quod cognitio intuitiva terminatur ab objectum, ut hic, & nunc, sed negatur, quod in hoc sensu *hic*, & *nunc* sint proprium singularis, ita quod est in singulari singularitate intrinseca, vel adjuncta, tamen non includunt formaliter, nec per se præsuppositive singularitatem, tanquam præcisam rationem, secundum quam illa insunt.

227 Quantum vero ad cognitionem abstractivam concedunt omnes, ut ab initio quæst. dicebamus, cognitionem universalis, ut sic, spectare ad intellectum, & nullo modo ad sensum, hoc enim præsertim discriminis versatur inter sensum, & intellectum in cognoscendo naturam, ut notat Scot. quol. 13. §. *circa secundum*, quod sensus naturam sentire nequit sine differentia individuali, ita quod differentia individualis est ratio, sine qua sensus non sentiret, sed intellectus bene apprehendere potest naturam seorsum a singularitate ipsam contrahente; sed difficultas est, an quando ita cognoscitur, id fiat per propriam speciem ipsius naturæ universalis, an potius per speciem ipsam singularis, & quamvis Doct. p. d. 3. q. 2. §. *quinto dico*, utrumque probabile censere videatur, Scotistæ tamen communiter secundam partem problematis arripiunt, ut probabiliorem, ita Bargius, & Lichet. ibid. Anton. Andr. Trombet. Tatar. Canon. & alii Scotistæ cit. ab initio quæst. (unde solus Vigerius alteram partem videtur tenere probabiliorem) & Scotus ipse expresse q. cit. de anim. ad 4. princ. ubi ait, quod eadem species primo repræsentat naturam in aliquo supposito, deinde naturam absolute, & idem repetit 7. Met. q. 15. & sequuntur Recentiores passim, Suarez lib. 4. de anim. cap. 5. nu. 22. Ruvius tract. de intellectu possibili qu. 3. Aversa qu. 58. sect. 4. & alii.

228 Dicendum est utrumque defendi posse, probabilius tamen esse, quod universale cognoscatur per speciem ipsam singularis, quod ostenditur hac evidenti ratione, sicut se habet singulare ad universale in essendo, ita repræsentativa ipsorum, quæ sunt species illa objecta repræsentantes, se habent in repræsentando, sed singulare continet universale essentialiter, & inferius omnes gradus superiores, ergo repræsentativum singularis formaliter erit quoque virtualiter repræsentativum universalis. Conf. quia species singularis repræsentat illud quoad omnia prædicata sua magis, & minus universalia, unde si species Petri repræsentat etiam hunc hominem, consequenter repræsentat etiam hominem simpliciter, animal, &c. & species albedinis non modo intellectui ejus quidditatem specificam repræsentat, sed etiam quidditatem coloris, & qualitatis usque ad prædicata transcendentia, cum omnes istæ rationes quidditatem albedinis formaliter constituant. Neque dicas universale, seu naturam communem in singulari esse determinatam, & indifferentiam, quæ ei de se convenit, amisisse. Hoc enim falsum est, quia ut docet Scot. 2. d. 3. q. 1. natura etiam in singulari suam indifferentiam, & communitatem intrinsece illibatam retinet, & non nisi extrinsece, & per accidens attingitur a differentia contrahente, & singularizatur. Rursus si universale cognoscitur per propriam speciem, idem erit de omnibus gradibus superioribus usque ad transcendentes, at transcendentia proprias species habere non videntur, quia sunt imperfectiora relationibus, quæ nullo pacto proprias habent species.

229 Demum, ut ait Tromb. cit. art. 1. & Doct. q. 22. de anim. in corpore quæsiti, alia est abstractio speciei intelligibilis a phantasmate, alia est abstractio universalis a singularibus: prima fit ab intellectu agente per veram actionem de genere actionis, per quam producit speciem intelligibilem singularis, alia vero fit ab intellectu possibili, dum virtute illius speciei impressæ naturam cum singularitate repræsentantis unum contemplatur alio non considerato, nempe naturam ipsam singularitate postposita, & hæc est vera, & propria abstractio, non abstrahere unum ab alio aliud non est, quam cum potentia abstrahens possit utrumque cognoscere, unum cognoscit alio non cognito, ut colligitur ex 2. Phys. 18. dum ait Arist. abstrahentium non esse mendacium, in qua quidem abstractione, ut constat, nulla nova intervenit speciei intelligibilis productio, quæ sit proprie universalis, sed solum nova consideratio naturæ in seipsa præcisa singularitate, itaque juxta hanc viam sic cognoscitur universale, istæ species singularium, partim in repræsentatione conveniunt, partim discrepant, quia repræsentant singularia ejusdem naturæ inter se cum diversis tamen conditionibus individuantibus, atque ita intellectus possibilis non solum considerare potest individua illa secundum se, sed illud etiam, in quo conveniunt, præscindendo ab eo, in quo differunt, & per hanc cognitionem attingitur universale, seu natura ipsa præcisa singularitate.

Sed quod, & alia pars problematis defendi possit, nempe quod universale cognoscatur per propriam speciem, tenent etiam iidem Recentiores, qui alteram quoque partem tuentur; hoc autem ita probant, & explicant, quia media cognitione illa, quam semel intellectus acquisivit ex speciebus singularium de natura communi, imprimere sibi potest in intellectus possibilis aliam speciem intelligibilem repræsentantem naturam universalem, quam sibi reservat in quantum est memoria pro usu futuro, nempe ut quoties se obtulerit occasio, possit eandem naturam communem iterum cognoscere sine nova cognitione singularium; hoc autem probant ex quodam principio desumpto ex D. Thom. 1. p. q. 12. art. 9. ad 2. quod non solum dantur species intelligibiles immediate ab intellectu agente abstractæ ex ipso phantasmate, sed etiam aliæ quædam formatæ ab intellectu possibili ex illis prioribus, quando cognoscit, quæ per species ab intellectu agente productas repræsentantur, & hujus secundi generis dicunt dari posse species proprias naturarum universalium, & de facto dari, & in hoc sensu universale cognosci per propriam speciem distinctam a specie singularis.

230 Verum hujusmodi species formatas ab intellectu possibili ex aliis præconceptis speciebus jam refutavimus qu. præc. art. 2. dub. 3. ut omnino superfluas, si non impossibiles, eo quia in Peripato non aliæ species cognoscuntur a Philosophis præter eas, quas format intellectus agens ex phantasmate, & hac ratione Arist. dixit 3. de anim. 17. intellectus agentis esse omnia facere, intellectus possibilis omnia fieri, nempe quia omnes species naturaliter acquisibiles fiunt ab intellectu agente, & omnes pariter recipiuntur in intellectu possibili, & ita intelligunt omnes illud Ar. dictum, quod intellectus agens, & possibilis in ratione activi, & passivi adæquentur quantum ad factionem, & receptionem specierum, ut notat Scot. quol. 15. lit. S. frustra ergo invehuntur aliæ species, quæ formentur ab intellectu possibili, quia munus formandi species soli intellectui agenti competit, non possibili, ut ibidem Doctor ostendit sub lit. Q. & nos probavimus supra qu. 5. art. 1. Deinde tales species ex aliis præconceptis formatæ ad nihil deserviunt, ut enim naturam universalium memoriam retineamus opus non est, ut intellectus possibilis species earum proprias efformet ex speciebus singularium, easque conservet, sed sufficit, ut in ipso asserventur species ipsæ singularium, quæ virtute continent cognitionem universalium, adeo ut cum libuerit, possit ex eis intellectus possibilis cognitionem universalium elicere. Et certe rationes allatæ pro altera problematis parte convincunt

præter species singularium alias non esse necessarias pro universalibus, nec in prima eorum cognitione, nec deinceps, idque æque probant de speciebus ab intellectu agente abstractis a phantasmate, ac de aliis formatis ex præconceptis speciebus, quas fingunt Adversarii.

231 Alia ergo ratione id est probandum, quam Doctor innuit loc. cit. p. d. 3. q. 2. §. *quinto dico*, ubi inquit, quod potens imprimere speciem minus universalis in intellectu, potest quoque imprimere speciem magis universalis, ac etiam transcendentium, & ratio est, quia hæc essentialiter includuntur in illo; ergo si phantasma valet imprimere speciem singularis, poterit consequenter speciem universalis imprimere; Conf. quia ita se habere videtur phantasma ad species intelligibiles, sicut se habet species intelligibilis singularis valens est producere cognitionem, necdum ipsius singularis, sed quorumcunque graduum superiorum in eo essentialiter inclusorum, ita a pari phantasma potens imprimere speciem singularis, poterit quoque imprimere speciem ipsius naturæ specificæ, ac genericæ, quia utramque includit involutam conditionibus individuantibus.

232 Contra prædicta instatur primo, probando universale per speciem singularis cognosci non posse, quia hæc videtur expressa mens Doct. p. d. 3. q. 6. §. *contra istam opinionem*, quod etiam tribus præsertim, aut quatuor rationibus probat. Primo, quia nulla eadem species est per se repræsentativa objecti sub oppositis rationibus; ratio singularis, & universalis sunt oppositæ rationes, ergo &c. Secundo, quia species naturaliter repræsentat, quicquid repræsentat, atque ideo secundum totam virtutem suam, ergo etiamsi species singularis naturam communem representare posset, tamen quia singularem quoque simul repræsentat, nequit cum intellectu possibili concurrere præcise, ut communem naturam refert. Tertio universalius potest esse præsens intellectui absque præsentia minus universalis, quia contingit uti habitu magis universali non utendo habitu minus universalis, vel singularis intelligeretur, nunquam magis universale esset intellectui præsens absque præsentia minus universalis, nec actum habere possemus circa magis universale, quin etiam haberemus actum circa minus universale, quod est contra experientiam. Quarto tandem, quia magis universale non potest repræsentari secundum suam universalitatem ad omnia contenta in eo per speciem objecti particularis, vel minus universalis, ergo per aliam sibi propriam, probatur assumptum, quia superius non potest repræsentari adæquate per partem subjectivam, ergo nunquam concipitur universale, ut tale, in specie minus universalis, vel singularis.

233 Resp. Valde angi Scotistas circa hunc Scoti locum, & varias afferre explicationes, ut est videre apud Barg. & Lichet. ibid. verum pro intentione Scoti advertendum est ibi Doctorem non negare per speciem minus universalis magis universale non cognosci, aut per speciem singularis, sed solum negat per speciem sensibilem, in phantasia existentem universale cognosci posse, & hoc est, quod ibi improbat contra Henricum; verum est tamen, rationes illas facile reduci posse ad illud quoque improbandum, ut notavimus supra q. 4. art. 1. ubi proinde diximus, rationes illas non esse demonstrativas, sed solum probabiles, & ut tales fuisse a Doct. allatas, atque ideo ab eodem modum doceri q. 17. de an. illas solvendi. Itaque ad p. rationem dicendum, ut ibi, quod re vera singularitas, & universalitas in natura non opponuntur, si per universalitatem intelligas communitarem, & indifferentiam naturæ, quia communitas intrinsece ei competit, singularizatio vere extrinsece solum, & per accidens; tum quia singulare includit prædicata communia, & minus communia magis communia, unde potius unum includit, & præsupponit aliud, quam ei opponatur. Dices, species minus universalis repræsentaret minus universale distincte, & magis universale inclusum in eo indistincte, sed istæ sunt rationes oppositæ, ergo, &c. Resp. Tromb. q. cit. in fine concedendo, quod nequit eadem species eodem modo universale, & singulare repræsentare, sed alio, & alio, quia primo singulare, secundario, & virtualiter ipsum universale, & hoc fit virtute intellectus abstrahentis naturam a conditionibus individuantibus; Et cum dicitur, quod eadem species repræsentare nequit distincte, & indistincte, ait, quod utique eadem species nequit repræsentare sub istis rationibus primo, & immediate illud, quod repræsentat, sed repræsentando aliquod unum primo, potest illud *distincte* repræsentare, repræsentando autem aliquid inclusum in illo, potest repræsentare indistincte id, quod secundario repræsentat.

Ad 2. concedimus utique in primo congressu speciem singularis cum intellectu possibili producere cognitionem ejus, quia causæ naturales cum primum applicantur, producunt effectum perfectiorem, quem possunt, deinceps tamen parere potest etiam cognitionem universalis. Dices, idem manens idem semper facit idem 8. Phys. 53. Resp. intellectum possibilem cum specie singularis post elicitam ejus cognitionem non manere in eadem dispositione, ac antea, quia jam dispositа sunt ad alia imperfectiora repræsentanda, species namque ordine quodam movet intellectum ad omnium graduum cognitionem, & primo ad cognitionem perfectiorum, qua vel cito movet deinceps ad cognitionem imperfectiorum; cui accedit, quod notavit Anton. Andr. cit. in calce quæst. ex imperio voluntatis posse intellectum uti specie nunc ad singulare, nunc ad universale intelligendum. Ad 3. neg. minor, quia ex prædictis modo de causis possumus ex eadem specie moveri ad intelligendum magis universale non intelligendo minus universale, & ut notavit Bargius, eadem fere est difficultas in opposita sententia species distinctas admittente magis, & minus universalis, tunc enim quoque ratio reddi debebit, cur modo intellectus utatur una specie, & non alia. Ad 4. concedimus utique illud fieri non posse in virtute solius speciei, cum suopte ingenio naturam repræsentet contractam, potest tamen adhuc per eam repræsentari natura secundum totam indifferentiam suam accedente virtute abstractiva intellectus, per quam considerare potest puram, & nudam natram secluſa differentia contrahente.

234 Secundo objic. probando intellectum possibilem formare propriam speciem universalis ex speciebus antea productis ab intellectu agente, quia etiam secundum nos phantasma cum intellectu agente speciem imprimit singularis sensibilis, cum tunc non abstrahat, nisi ab esse divisibili, & extenso, ut Scot. docet 4. d. 45. q. 1. lit. B. ergo ulteriores abstractiones a differentia individuali, & ultima specifica ad intellectum possibilem pertinebunt formando proprias species universalium; probatur consequ; quia hujusmodi abstractiones intellectui agenti tribui non possunt, nam idem eodem modo se habens semper idem efficit, ergo si intellectus agens cum phantasmate primo congressu speciem efficiunt singularis, deinceps quoque aliam magis universalem efficere non poterunt. Conf. quia efficiens universalis ab omnibus fere tribuitur intellectui possibili, non agenti, ergo ad intellectum possibilem spectat formare species proprias universalium. Resp. concedendo utique abstractiones a differentia individuali, & ultima specifica pertinere ad intellectum possibilem, non quidem formando speciem propriam universalis, sed in eadem specie singularis contemplando naturam non considerata singularitate, hæc enim est abstractio pertinens ad intellectum possibilem, dum nempe unum objectum cognoscit alio non cognito, & in hoc sensu dicitur universale abstrahi a singularibus; quod si contendatur talem abstractionem fieri per productionem distinctæ speciei, tunc talis actio potius tribuenda est intellectui agenti cum phantasmate, quam possibili, quia ut diximus, quod potest imprimere speciem minus universalis, potest etiam imprimere speciem magis universalis, & trascendentium, neque probatio consequentiæ valet, quia non manent intellectus agens, & phantasma eodem modo post elicitam speciem singularis, ac antea, quia jam dispositа sunt ad alia imperfectiora repræsentanda, phantasma enim ordine quodam moveret intellectum ad omnium graduum species eliciendas, & primo ad perfectiores, quibus elicitis movet ad imperfectiores, ut nuper dicebamus de congressu speciei singularis cum intellectu possibili ad pariendum conceptum ipsius singularis, & deinceps universalium. Ad Conf. concesso assumpto neg. conseq. Fit enim universale ab intellectu possibili non per abstractionem speciei, quæ pertinet ad intellectum agentem, sed per abstractionem, quæ est consideratio præcisiva, quæ est propria intellectus possibilis, & cognoscentis.

235 Tertio tandem obiic. contra alteram problematis partem, quod singulare, & universale nequeant distinctis speciebus repræsentari, quia si eadem species potest utrumque repræsentare, frustra ponitur species alia distincta universale repræsentans. Accedit, quod utraque species esset æque abstracta, cum ab eodem phantasmate gignatur, & virtute ejusdem intellectus agentis; ergo nequit assignari ratio, cur una sit magis universalis, alia minus. Demum si concedatur, intellectum agentem posse facere talem abstractionem a differentia individuali, tunc intellectus agens, non possibilis faceret universalitatem in rebus contra sancita a nobis in logica disp. de universali.

Resp. defendendo hanc partem problematis, tunc negandum esse, quod species singularis universale repræsentare possit: sed & hoc etiam admisso, adhuc non superfluit species distincta universalis, quia species singularis, ipsummet singulare haberet, ut objectum primum, & adæquatum, universale vero ut secundarium, & inadæquatum, & ideo adhuc admitti posset species universalis, & primarii, & adæquati objecti, & ut intellectus possibilis prompte, & expedite absque ulla abstractione ab ipso facta intelligat quidditatem. Ad 2. neg. utramque speciem futuram æque abstractam, quia in hac sententia concedenda est intellectui agenti virtus abstractiva objecti sensibilis tam ab esse extenso, & divisibili, quam etiam a singularitate, unde licet abstrahantur ab *eodem intellectu*, & ab eodem phantasmare, non tamen in eadem dispositione, nam in primo congressu cum producant effectum perfectiorem possibilem, producunt speciem singularis, deinceps vero species imperfectiores universalium, ut declaratum est. Ad 3. neg. conseq. quia adhuc concedendo intellectui agenti virtutem abstractivam non solum a contradictionibus materialibus, sed etiam ab ipsa individualitate, non sequitur ipsum facere universalitatem logicam, & proprie dictam in rebus, sed ad summum metaphysicam, & materialem, & ratio est, quia ut diximus disp. 4. log. q. 3. universale in actu non fit per actum abstractivum, & absolutum, sed potius per collativum naturæ communis ad inferiora, unde nunquam aliquod objectum est potentia proxima universale, nisi ex comparatione intellectus comparantis tale objectum, ut prædicabile ad inferiora, de quibus natum est dici, & prædicari, ut fusius ibi declaratum est.

QUÆSTIO VIII.

An primo cognoscatur singulare, vel universale, & inter universalia, an magis, vel minus universale.

236 Quæstionis hujus decisio, quæ valde celebris est inter Thomist. Scotistas, & Nominales, valde pendet ex recta tituli intelligentia, ideo notat Scotus p. d. q. 2. *ad secundam quæ-*

stionem, & qu. 16. de anim. quibus in locis ex professo hoc pertractat quæsitum, hic fermonem esse de cognitione actuali, non habituali, vel virtuali, & ideo passim vocatur hæc quæstio de primo cognito, non autem de primo cognoscibili, & rursus de primo cognito primitate originis, vel generationis, non autem perfectionis, vel adæquationis, adeo ut, cum intellectus noster ab initio sit veluti tabula rasa, in qua nil pictum est, sensus quæsiti est, quodnam sit illud, quod primo illi objicitur cognoscendum, & quænam sit prima cognitio, quæ illi imprimitur, & quam nulla alia omnino præcessit, hoc enim erit primum absolute, & simpliciter cognitum ordine originis, & quia cognitio simplex præcedit complexam, cum hic sit fermo de prima cognitione originali, fermo consequenter erit de cognitione simplici, quæ scilicet per simplicem objecti apprehensionem acquiritur, & quia inter notitias, quas de rebus habemus, rudis, & imperfecta solet præcedere perfectam, & exactam, eo quod natura in suis operationibus incipere solet, & progredi ab imperfecto ad perfectum, ait Doct. hic esse fermonem de cognitione confusa, qua cognoscitur totum non cognitis partibus definitionis ejus, non distincta, quæ habetur de toto mediante notitia partium, unde quod prius *nosci*tur *cognitione distincta*, nequit dici primum simpliciter, & absolute cognitum, quale est, quod hic inquirimus, sed primum dumtaxat in tali ordine cognoscendi, *scilicet distincte*, sed primum confuse cognitum poterit dici primum simpliciter cognitum, quia totus ordo confuse cognoscendi est prior, & ideo primum in illo in ordine est simpliciter primum.

237 Hinc patet ad rem non facere distinctionem illam de cognitione actuali, quod alia sit originalis, alia ex habitu, originalis est, cum actu apprehendimus rem antea nobis prorsus ignotam, ex habitu vero cum actu apprehendimus rem aliquam antea cognitam, de qua ex iteratis actibus habitum contraximus, quam quidem distinctionem prorsus necessariam ad hujus quæstiti decisionem arbitrantur Zabarell. lib. de ordine, c. 11. Rag. disp. 2. perip. c. 8. Contar. q. 2. c. p. & alii. Hæc itaque distinctio minime ad rem facit, ut optime Ferch. adnotavit vestig. 10. c. 6. & ratio est promptissima, quia nimirum cognitio procedens ex habitu, non est prima, sed semper priorem supponit cognitionem, ex qua frequentata habitus est genitus, & ideo bene ibid. Ferch. advertit omnino secernendam esse cognitionem originariam a collectitia, quia cognitio originaria est prima, ante quam nulla cognitio præcesserit, collectitia, vero fit ex cognitione aliqua præexistente, quæ applicatur ab intellectu alicui objecto occurrenti de novo, quod ut plurimum accidit, vix enim fieri potest in homine adulto, ut objectum aliquod primo occurrat, cui non statim intellectus aliquam ex cognitionibus antea conquisitis applicet, scilicet quod sit ens, substantia, vel accidens, &c. Adhuc tamen, & in ipsa serie cognitionis collectitiæ primum cognitum in tali ordine vestigari posset, nam evenire potest, ut quamvis antea multa cognoverimus objecta, fiat nobis præsens objectum, de quo nulla prursus præcessit cognitio & tunc intellectus conatur applicando cognitiones præhabitas de aliis objectis in notitiam venire objecti recens oblati, cum ergo in tali casu non simul omnes tribuat ei intellectus formalitates, & prædicata promiscue, sed quodam ordine servato, quæri potest, quodnam sit illud prædicatum, quod ei primo tribuitur ab intellectu ante alia, an magis universale, v. g. ens, vel corpus, nam potius minus universale, v. g. animal, vel homo, & formalitas, sub qua primo attingitur tale objectum recens oblatum, erit primo cognitum in tali ordine scilicet cognitionis collectitiæ, & respectu talis objecti; potest igitur in utroque sensu jam declarato hic vestigati primum cognitum primitate originis, nempe simpliciter, & absolute respectu omnis objecti, cum scilicet intellectus ab initio se habet velut tabula rasa, ac etiam secundum quid respectu determinati objecti sub diversis formalitatibus cognoscibilis, quando nobis de novo objicitur.

238 Universale esse primum cognitum primitate originis docent passim Thomistæ, ac etiam nonnulli Scotistæ, cum hoc tamen discrimine, quod Thomistæ id afferunt de magis universali, præsertim generalissimo, quale est ens, cum D. Thom. in procem. phys. & p. p. q. 85. ar. 3. Scotistæ vero de minus universali, præsertim specialissimo, ita enim docuisse videtur Scot. loc. cit. & in hunc sensum sententiam Doctoris explicat, & defendit P. Faber in sua naturali Philosophia theor. 83. & Rubion. p. d. 3. q. 6. art. 2. Opposita sententia docet primum simpliciter, & absolute cognitum esse singulare sensibilis accidentis, ita Greg. Ocham, Major, Baceon. & alii Nominales p. d. 3. Durand. 2. d. 3. q. 7. Conimb. initio Phys. cap. p. q. 4. Ruvius, & Murc. q. 3. Pererius l. 3. cap. 17. Onuphr. trac. 2. disp. p. dub. 3. Aversa q. 30. Log. sect. 3. Zabarel. cit. cap. 5. Ragus. cap. 7. Contar. cap. 3. & Scotistæ infra cit. Sed adhuc remanet in hac opinione difficultas de magis, & minus universali, quodnam eorum facta invicem comparatione prius naturaliter cognoscamus, num magis, vel minus universale. Thomistæ cum absolute asserant magis universale esse primum cognitum, hoc consequenter affirmant etiam facta comparatione inter illa, quibus etiam consentiunt plures ex Auctoribus 2. sent. Scotistæ vero stant pro minus universali, & quidem specialissimo, imo in hoc sensu explicare solent Doctorem, dum loc. cit. asserit, minus universale, seu speciem specialissimam esse primum cognitum, quod nempe non absolute loquatur de primo cognito spectando seriem omnium cognoscibilium, sed dumtaxat de primo cognito comparatione facta præcise inter universalia. Ita Tromb. 7. Met. q. 7. §. *deinde arguitur*, Bargius, p. d. 3. q. 2. & alii expositores ibidem, Ferch. loc. cit. Vul. t. 1. p. 1.

disp. 31. art. 1. Cavell. q. 22. de anim. num. 17. Tatar. 1. Phys. q. 1. art. 2. Canon. 1. Phys. q. 2. Regent. Paris. ib. q. 2. coll. Alii tandem affirmant modo magis, modo minus universale prius cognosci, prout hoc, vel illud magis sensui appropriat, atque ideo non semper opus esse, ut unum prius alio cognoscatur, ita Zimar. quæst. de primo cognito. Aversa loc. cit. sect. 4. Achill. Onuphr. & alii, ubi notandum, quod Auctores pro magis universalibus stantes per magis universale non intelligunt naturam omnino a singularitate præcisam, sed individua ipsius magis universalis, ut hoc animal, hoc coloratum, hoc ens, ut conctat in exemplo Avic. de veniente a longe, quo sæpius utuntur Thomistæ, quæ quidem individua admitti debere ultra specifica concessimus disp. 5. Log. q. p. art. p.

239 Dicimus primo, simpliciter, & absolute loquendo primum cognitum a nobis primitate originis esse singulare materiale sensibile speciei specialissime. Conclusio expresse docetur a Scot. 7. Met. q. 15. & q. 22. de an. §. *quarto dico*, ubi loquens de ordine, quo cognoscitur universale, & singulare, inquit, quod licet natura cognoscatur prius singulari signato, & in ordine distincte cognoscendi, tamen quod cognitionem confusam singulare vagum prius cognoscitur, quam natura, & hanc conclusionem tuentur Scotistæ omnes uno, vel altero excepto, a qua minime deterrere nos debet, quod Doct. q. 16. de an. & p. d. 3. q. 2. doceat ex professo minus universale esse primo cognitum, quia ut advertunt relati Scotistæ illis in locis non loquitur absolute de primo cognito, sed facta præcise comparatione inter universalia; & ratio hujus est, quia de singulari est maxima controversia, an a nobis pro statu isto aliquo modo cognosci possit, quatenus singulare, de universali vero nulla est contentio, omnes enim concedunt tam magis, quam minus universale esse proprium, & proportionatum objectum intellectus pro statu isto, cum ergo Scot. illis in locis non adhuc determinasset aliquid de cognoscibilitate singularis, excitat disputationem de primo cognito intra seriem objectorum, quæ ab omnibus conceduntur intelligi, qualia sunt universalia, in lib. de an. ita feciste constat, tum ex progressu operis, tum ex ipso titulo illius q. 15 quærit enim ibi, *utrum magis universale prius a nobis intelligatur, quam minus universale*, en quomodo ibi non loquitur de primo cognito absolute, sed facta dumtaxat comparatione inter universalia prædicta de causa, nempe quia non adhuc determinaverat num singulare sit a nobis pro statu isto cognoscibile, unde postea inferius q. 22. cum probasset esse a nobis cognoscibile aliquo modo, etiam pro statu isto, sub ratione singularitatis, saltem confuse, concludit, etiam esse primum absolute cognitum in ordine confuse cognoscendi; Hoc etiam eodem modo quæst. de primo cognito instituit p. sent. d. 3. q. 2. cum enim non adhuc aliquid determinasset de cognoscibilitate singularis, quæst. de primo cognito instituit de solis universalibus, de quorum cognoscibilitate ambigebat nemo, quo etiam modo eadem distinctione q. 6. quæstionem instituit de speciebus intelligibilibus, probatque dari debere species intelligibiles universalium, non quia negare intendat species singularium, sed quia non adhuc constabat, num singulare sit per se intelligibile, ut ibidem se explicat lit. A. dum ait, *contra istam opinionem arguo sic, sive intelligatur singulare, sive non, non est cura ad propositum, certum est enim, quod universale potest ab intellectu intelligi*, eodem igitur modo quæstionem instituit de primo cognito d. 3. q. 2. præscindendo scilicet a controversia de singulari, & loquendo de solis universalibus, quæ in omnium sententia sunt a nobis intelligibilia, imo ita se explicat lit. M. dicens, *loquor enim modo de illis, quæ certum est posse intelligi secundum omnium opinionem*, quod eo vel maxime asserendum est, quia rationes, quibus ibi probat Doctor minus universale prius cognosci, quam magis universale, hoc etiam ostendunt de singulari comparato ad minus universale, ut mox patebit in probanda conclusione. Nec nos conturbet, quod Doctor ibi §. *contra istud*, docet specialissimum cognosci prius, quam singulare, ideoque non solum loqui videtur facta comparatione minus universalis ad magis universale, sed etiam ad singulare. Nam optime ibidem occurrit Bargius ibi Doctorem loqui de singulari signato, & determinato, quod utique post speciem cognoscitur, non autem de singulari vago, quod omnino ante speciem cognoscitur, quæ est expressa Scoti doctrina q. 22. de an. & 1. Met. q. ult. & lib. 7. q. 15.

240 Primo itaque conclusio sic intellecta probatur expressis Arist. testimoniis, nam p. post. 12. comparationem facit inter singulare, ac universale, & quærens, quodnam istorum nobis primo notum fiat, respondet illa esse notiora nobis, quæ sunt sensui proximiora, & hæc esse singularia, unde consequenter 1. Met. c. 2. docuit difficillima cognitu esse universalia, quia remotissima sunt a sensibus, & plane loquitur de notitia intellectiva, non sensitiva, & ratio dicti Ar. videtur esse, quia omnis nostra cognitio pro statu isto ortum ducit a sensu, ergo quod *prius sensui* objicitur, etiam intellectui cognoscendum offertur, & repræsentatur, nisi obsit impedimentum, statim namque cum cognitione sensitiva conjungitur cognitio intellectiva circa *idem* objectum ex 3. de an. 30. & 33. ubi docet omnem nostram *intellectionem* conjungi cum phantasmate, cum ergo *sensui primo* objiciatur universale, imo nunquam nonnisi singulare, idem quoque primo objicitur intellectui. Conf. ex eo, quod docet de inductione 1. Topic. c. 10. dum ait esse a singularibus ad universalia accessionem, ex hoc enim manifeste deducitur singulare tam complexum, quam incomplexum præcedere universale complexum, & incomplexum in cognitione nostra, quia per ipsam inductionem colligi nequit conclusio universalis, nisi aliquæ propositiones singula-

tes, & quædam singularia incomplexa, velut earum termini, prægognita fuerint, prius ergo cognoscimus singularia complexa, & incomplexa, quam universalia complexa, ideſt conclusiones universales, & incomplexa, ideſt terminos illarum. Quod autem dicunt Averroistæ, ac Thomistæ nonnulli, solum phantasiam attingere propositiones singulares, inde postea intellectum conclusionem universalem colligere, jam q. præc. art. 1. refutavimus, quia totus discursus ab una, & eadem facultate fieri debet non a diversis, ut diserte docuit Ar. de an. 146. nec non in lib. de sensu & sensibili, & disp. præc, q. 8. ar. 3. hoc etiam respuimus.

241 Secundo probatur rationibus, quia ut constat ex q. præc. intellectus potest directe singularia cognoscere, & prima species, quæ intellectui imprimitur, est species rei singularis, ergo quod prius cognoscitur, est ipsum singulare, regulariter enim illud prius concipit, & cognoscit intellectus, cujus prius recipit speciem. Deinde nequit universale cognosci, nisi prius singularia ipsa cognoscantur, & convenientia illorum, ut ab eis abstrahatur natura communis ergo prius cognoscitur singulare quam universale, seu natura ipsa communis. Præterea rusticus, qui nunquam vidit, nisi unum Solem, nunquam format conceptum Solis in communi, aut concipit naturam Solarem pluribus communem, imo forte putat plures Soles existere non posse, sed tantum concipit Solem, quem videt, qui utique unicus est, & singularis. Insuper licet actus sentiendi singulare non ita proprius habeatur, ut sit ejus ab omni alio singulari possibili distinctivus, potest tamen haberi ita proprius, quod sit distinctivus ab omni alio de facto existente, ergo sensatio, qua mediante causatur conceptus intellectus, est virtualiter contentiva, non tantum conceptus generici, vel specifici, sed etiam conceptus proprii singularis, unde *minus consequenter in hac re videtur* locutus Rubion, quam cæteri Auctores illius opinionis, quia illi negant absolute posse singulare concipi pro statu isto aliquo conceptu proprio, sed Rubion id nobiscum concedit in præc. qu. & postea negat in præsenti conceptum singularis esse primo cognitum. At respondet ipse, quod licet viator habeat actum intelligendi sic proprium alicui singulari, ac etiam sentiendi, ut illud discernat a quocunque alio existente de facto, non tamen talem, ut possit illud discernere a quocunque possibili, quia quodcunque aliud possibile potest eadem accidentia individualis habere, quare concludit conceptum, quem de facto habemus de singulari, potius esse specificum, quam particularem, quia nullus actus communis pluribus individuis possibilibus est singularis conceptus, sed magis specificus. Verum sic respondendo non sibi constat hic Auctor, nam in eadem q. ar. 1. pluribus ostendere conatur nos pro statu isto non solum cognoscere singulare vagum, sed etiam signatum, & etiam conceptu proprio ipsum distinguentem a quocunque alio existente ejusdem speciei, licet non a quocunque alio possibili, unde certe volebat talem conceptum magis particularem esse, quam sit specificus, in quo individua omnia prorsus conveniunt, sive existentia, sive possibilia, & hoc de se adeo clarum est, quam probatione indigeat, quod ergo conceptus, quem de facto habemus de singulari aliquo, possit convenire alteri possibili, probat solum, quod iste non sit conceptus proprius ex propriis, & sub ratione propria singularitatis, non autem quod sit specificus, & universalis, alioquin per ipsum non possemus unum singulare distinguere ab alio modo existente, ut ipse Rubion concedit, & pluribus probat ibid. art. 1.

Denique rationes omnes, quibus qu. præc. ostendimus singulare esse a nobis pro statu isto cognoscibile per propriam speciem, deduci possunt quoque ad hanc conclusionem probandam, evasiones autem, quibus uti solent adversarii, dicendo, vel quod intellectus cognoscit singularia sub ratione universali, vel quod ea cognoscit cum præcisione a conditionibus individuantibus ibidem profligavimus.

242 Tertio probatur conclusio eisdem rationibus, quibus probari solet facta comparatione inter universalia minus universale esse primo cognitum, nempe quia causæ naturales ut sunt intellectus, & objectum, non impediæ producunt effectum perfectiorem, quæ tunc possunt, cum agant secundum ultimum virtutis suæ, & rursus, quia ex 1. Phys. text. 3. sunt primo nobis nota confusa magis, & aliæ hujusmodi rationes; nam sicut facta prædicta comparatione inter universalia optime concludunt minus universale, & infimum, quale est specialissimum, esse primo cognitum, quia conceptus speciei perfectior, & confusior conceptu generis, & cujuscunque superioris confusione partium essentialium, ut mox discutiemus conclus. seq. ita facta comparatione inter ipsum universale, & singulare, idipsum concludunt de singulari respectu cujuscunque universalis, quia quanto quid est communius, tanto est imperfectius, & primæ substantiæ sunt nobilissimæ cap. de substantia, & rursus conceptus singularis confusior est conceptu speciei confusione partium essentialium, cum ultra partes essentiales ipsius speciei imbibat etiam singularitatem, quia species contrahitur, & singularizatur; quare non immerito Ocham, aliique Nominales inquiunt has rationes a Scoto, & Scotistis adductas in favorem minus universalis concludere pro singulari, quia si absolute sumantur, utique concludunt pro singulari; verum nec a Scoto, nec ab ejus discipulis, uno, vel altero excepto, ut diximus, in hunc sensum adducuntur, sed facta dumtaxat comparatione inter magis, & minus universale, qua quidem supposita optime concludunt rationes illæ minus universale esse primum cognitum, ut dicemus concl. seq.

243 Quarto, quod primo cognitum a nobis non sit quodcunque singulare, sed singulare materiale sensibile, probatur, tum quia ex superius dictis quidditas rei sensibilis dumtaxat est objectum motivum intellectus nostri pro statu isto; tum quia omnis nostra cognitio ortum ducit a sensu, ergo quod primo speciem sensui imprimit, etiam primo ab intellectu percipitur, id autem est singulare sensibile, cum substantia per se sensibilis non sit 2. de An. 65. addimus tamen singulare illud sensibile est quoque materiale, ut innuamus primum cognitum ab intellectu nostro non esse individuum sensibilis accidentis, ut *sic*, sed potius ut conflatum ex materiali substantia, & accidente, quia licet accidentia sint ratio, cur substantia percipiatur a sensibus, & consequenter ab intellectu, sensus tamen non percipit hæc accidentia separata, sed ut concreta, nimirum hoc compositum ex substantia, & accidentibus idque repræsentat intellectui, nam dum primo nobis Petrus occurrit, quem nunquam ante vidimus, illumque nedum visu, sed etiam intellectu cognoscimus, sane non apprehendimus sola individua accidentis v. g. talem colorem, & figuram, sed corpus ita figuratum, & hominem talibus accidentibus præditum.

244 Quinto docet, & probat Doct. loc. cit. q. 22. de an. & 7. Met. q. 15. quod singulare primum cognitum est singulare vagum, non singulare signatum, quia ars, & cognitio intellectualis naturam imitatur, sed ita est, quod in actione naturali agens producens non primo intendit universale, quoniam tunc generato corpore, quod est universalius, quam animatum, vel homo, non procederet ad generationem animalis, vel hominis, nec primo intendit singulare signatum, quoniam producto unico singulari cessaret actio naturalis, sed primo intendit producere naturam in aliquo supposito, & hoc est individuum vagum, ergo sic erit in cognitione intellectuali, quod species repræsentativa objecti primo repræsentabit naturam in aliquo supposito indeterminate accepto cum multis accidentibus naturam ipsam comitantibus, secundo naturam ipsam in se, quia intellectus potest abstrahere omne objectum inclusum in primo objecto, & omnem rationem intelligibilem separare ab alia ratione intelligibili, tertio tandem ipsum singulare signatum, ideſt naturam ipsam certis circumstantiis determinatam, scilicet hic, & nunc, in tali figura, & magnitudine, in quo conceptu distinctiori modo exprimuntur conditiones individuales, quam fuerint expressæ in primo, unde conceptus iste per accidens, & ex multis aggregatus est perfectior conceptus, quem de singulari pro statu isto habere possimus, sicut enim res ipsas intelligimus, sic significamus, & exprimimus aliis, sed conceptum singularis signati nullo alio modo exprimimus, quam prædicto modo, dicendo Sortes est unus homo, albus, crispus, longus, &c. Hunc autem modum cognoscendi singulare ait Doct. docuisse Ar. primo Phys. tex. 5. dum ait, quod pueri ab initio appellant omnes viros patres, & omnes fœminas matres, posterius autem determinant horum utrumque, per hoc enim innuit primum cognitum apud eos esse singulare vagum, & inde distinctius cognoscendo procedere ad singulare signatum, nam puer primo apprehendit totum confusum accidentium patris ex statura, figura, vestibus, &c. conflatum, & quia confuse apprehendit, si vir alter occurrat ei similia habens accidentia, patrem appellat, adhuc nescius discernere unam collectionem accidentium ab alia, at cum postea accuratius notat accidentia patris, tunc determinate hunc vocat patrem, non alios descendendo a singulari vago ad signatum.

245 Sexto, tandem quia dicere solent adversarii allata a nobis argumenta probare quidem singulare esse primum cognitum, id tamen non probare de singulari minus universali, & infimæ speciei, sed de singulari magis universali, quale est hoc ens, hæc substantia, hoc corpus, &c. quia hæc habent accidentia magis sensata, quam individua specifica, ut constant in exemplo de viso a remotis, quod prius cognoscitur, ut aliquod corpus, quam ut aliquod animal, & primus aliquod animal, quam ut aliquis homo, quod & Scotus ipse concedere videtur loc. cit. in lib. de an. ubi singulare vagum statuit esse primum cognitum, & probat, quia aliquando intelligimus aliquo singulare ignorato, in qua specie fit, per quod innuit singulare magis universalis esse primum cognitum, non autem minus universalis, & infimæ speciei.

246 Hoc effugium Tomistar. facile præcluditur ex eo, quod docet Scot. p. d. 3. q. 2. lit. L. & O. Quod cum quærimus primum cognitum ab intellectu nostro, supponitur, quod potentia sit recte dispositа, & objectum debite illi approximatum, si enim potentia sit læsa, aut nimia objecti distantia, rectum judicium ferre non possumus de primo cognito a tali potentia, quare exemplum Avic. de viso a longe non est idoneum ad primum cognitum indagandum, quia proponit objectum in nimia distantia, ut notat ibi Doct. ideoque eadem dist. q. 6. sub lit. E. dixit *phantasmæ non esse proprie, nisi ipsius singularis, & hoc inquantum est singulare speciei specialissimæ, & hoc si phantasma sit impressum ab aliquo debite appropinquato*, quæ ultima verba addidit, ut Bargius ibi notat, ad præcludendam instantiam de objecto viso a remotis, quod non est in debita distantia ad potentiam. Deinde rationes allatæ pro nostra conclusione, si bene perpendantur, probant singulare minus universalis esse primum cognitum, non autem magis universalis, & rursus concl. seq. monstrabimus facta comparatione inter rationes ipsas universales in individuo sensibus objecto in debita distantia prius concipi ab intellectu rationem minus universalem individuatа, quam magis universalem. Tandem hæc solutio principiis Thomist. non bene cohæret, volunt enim ipsi intellectum, dum natuiam cognoscit, sive genericam, sive specificam, semper abstrahere a differentia individuali, & singulare non nisi reflexe cognosci, ergo si secundum ipsos primum cognitum est natura magis universalis, talis ut præcisa a quacunque individua

li differentia, præsertim quia dici nequit aliam esse differentiam individuantem naturæ *magis universalis*, aliam minus universalis, sed eadem penitus differentia singularizantur; Scot. vero qu. cit. de anima, dum probat individuum vagum esse primum cognitum, quia aliquando intelligimus aliquod singulare, ignorato, in qua specie sit, non utique hoc dixit, quia putaret singulare vagum magis universalis esse primum cognitum, ut enim liquet ex ipsis exemplis ab ipso adductis loquitur de individuo vago speciei infimæ, sed ita locutus est, ut ostenderet, quod quando etiam objectum attingimus in indebita distantia, adhuc singulare vagum est primum cognitum, singulare nimirum magis universalis, adeout universaliter verum sit singulare vagum semper esse primum cognitum.

247 Dicimus 2. facta comparatione inter ipsa universalia, minus universalia esse nobis prius nota primitate originis, quam magis universalia, adeout in objecto debite sensibus applicato prius concipiat intellectus gradum speciei specialissimæ, & sic deinceps ascendat usque ad ens. Concluso est Scoti, & Scotistarum locis citatis, ubi eam copiosissime probant tum auctoritatibus, tum rationibus. Ferchius cit. cap. 11. hanc probat pluribus Arist. testimoniis, sed inter alia unum adducit ex 2. post. cap. ultim. luculentissimum, quod & adnotavit Vulp. cit. art. 2. ubi docet, quo ordine abstractiones fiant ab intellectu nostro, & ait intellectum abstrahendo ab inferioribus progredi ad superiora, donec ad ea perveniat, quæ in partes essentiales dividi nequeunt, uti sunt prima genera: idem deducitur ex p. Post. 12. & p. Met. suum p. cap. 2. quibus in locis ait ea universalia esse nobis notiora, quæ sunt minus a sensibus remota, & maxime universalia esse a sensu maxime remota, & minus universalia minus remota; cum ergo minus inter universalia sit specialissimum, sequitur hoc inter universalia *esse nobis prius*, ac magis notum.

248 Deinde probatur validissimis rationibus primo causæ naturales optime dispositæ, & non impeditæ perfectiorem edunt, quam possint, operationem, cum ergo post notitiam singularis præsto sit intellectui species intelligibilis, vel phantasma, & utrumque ex eis sit bene dispositum, & promptum ad operandum, necessario sequitur intellectum immediate post singularis conceptum formare conceptum specificum, qui ex universalibus perfectior est, nam est perfectior operatio, quæ tunc ex illis naturalibus causis possit expectari.

Secundo metaphysica secundum Arist. est ultima ordine doctrinæ, quia procedit a facilioribus nobis, & aliæ scientiæ præcedunt eam, & maxime naturalis: unde consequenter harum principia, & termini eorum prius a nobis cognoscuntur, & tamen sunt minus communia, principia vero meth. universalia.

Tertio, si prius intelligimus magis universalia, ergo longum tempus intercederet, antequam speciem specialissimam singularis moventis agnoscamus, quod est contra experientiam, consequaret, quia oporteret prius cognoscere omnia ejus superiora essentialia, quæ cum multa sint, nequeunt in instanti cognosci.

Quarto, abstractio magis universalis difficilior est, quam minus universalis, ergo hoc prius attingitur ab intellectu, prob. assumptum, tum quia abstractio magis universalis fit a minus sensibilibus cum fiat a speciebus, quæ magis distant a sensu, quam singularia, tum quia fit a minus similibus, nam quidditas coloris abstrahitur ab albo, & nigro, quæ sunt opposita, albedinis autem quidditas a duobus albis, quæ sunt similia.

Quinto, illud universale est primo notum, cujus singulare fortius movet sensum, sed singulare minus universalis fortius movet sensum, cum sit propinquius sensibus, quam singulare magis universalis.

Sexto sunt primo nobis nota confusa magis ex p. Phys. 3. at inter universalia specialissimum est magis confusum, cum in eo plures naturæ universales, quasi commixtæ, ac confusæ reperiantur. Demum evidentissime probatur, quia cognitio intellectiva ab initio fertur circa illud ipsum objectum, quod proponitur per ipsum notitiam sensitivam, a sensu enim submini stratur objectum intellectui, sed sensus motus a singulari calore percipit calorem, nec solum in ratione tangibilis eum novit, alioquin tactus non discerneret calorem a frigore, ergo, & intellectus sequens sensus operationem percipiet primo calorem, & postea alias naturas magis universales. Et Conf. quia si puer ignem tetigerit, fugit contactum deinceps, non quidem propter generalitatem entis, aut qualitatis sensibilis, sed propter specialem caloris, ergo calorem primo sensit, & intellexit.

249 Adversarii hæc argumenta non tantum *solvere contendunt*, sed etiam retorquere, Cajet. lib. de ente, & essentia, Pererius Piccol. Zab. Raguſ. & ante illos Ocham p. dist. 3. q. 5. retorquent primum, quia probaret speciem specialissimam esse primum cognitum etiam in ordine distincte cognoscendi, nam cognitio distincta de specialissimo est perfectior effectus, quam illæ causæ valeant producere; inquiunt, deinde argumentum nihil concludere, quia vel illud assumptum intelligitur simpliciter, & absolute, & sic est falsum, quia nulla causa naturalis producit ab initio perfectiorem effectum, quem contineat, sed id facit gradatim, & successive, quoniam naturæ mos est ex imperfectis ad perfectiora progredi, unde ignis in aqua prius producit calorem imperfectum, mox perfectum, vel intelligitur, quod producant perfectiorem effectum, quem possint in eo principio, & sic negant effectum perfectiorem, quem possint in eo principio producere, esse conceptum speciei, sed hunc ajunt esse conceptum magis universalis. Secundum retorquent, quia vel *scientiæ ordinantur* secundum cognitionem distinctam, vel confusam, si primum, metaphysica est omnium prima, si secundum, ergo minus communes debent præcedere, & sic libri de cœlo, & de anima præcederent libros Phys. Deinde respondent primum cognitum confuse esse ens, non quidem abstractum ab omnibus inferioribus, sed concretum cum quidditate sensibili, jam vero metaphysica agit de ente abstracto, quod est cognitu valde difficile, & ideo metaphysica est postrema. Tertium retorquent, quia si similiter specialissimum primo cognoscitur, magnum tempus intercederet usque ad cognitionem entis; quare inquit Cajet. inter illos conceptus non esse ordinem essentialem, & ideo opus non esse singulos concipere. Quartum retorquent pariter, & solvunt negando assumptum, tum quia facilius est cognoscere rerum convenientiam, quam differentiam, *quoniam qui cognoscit differentias*, quibus res inter se discrepant, debent habere scientiam plurium rerum, quam qui cognoscit ipsarum rerum convenientiam, quæ unica est, unde *pueri cognoscunt convenientiam equi cum asino*, & mulo, non adhuc cognita differentia inter illos, cognoscere autem universale est cognoscere convenientiam, cognoscere vero singularia est cognoscere differentiam; tum quia abstrahere est unum intelligere, alterum relinquere, abstrahendo autem universale pauciora intelliguntur, quoniam magis universale pauciores habet actu differentias, quam minus universale. Quintum quoque retorquent, & solvunt, neg. min. quia accidentia magis universalis fortius movent sensum, facilius namque percipitur quantitas, & figura, quam figura propria corpori humano, motus localis absolute, quam progressivus, partium aliqua distinctio, quam organa sensuum, ut oculi, aures, &c. Sextum denique retorquent, & solvunt, neg. quoque min. nam potius ibi Arist. tex. *diserte subinfert magis universalia esse magis confuse*, ac proinde ab eis ad singularia, seu minus universalia procedendum esse.

250 Facile tamen est has solutiones, & retorsiones elidere, ut *est videre apud omnes Scotistas* præcit. & Rubion. cit. prima quidem ratio concludit, quocumque modo intelligatur illud assumptum, si enim intelligatur primo modo, nullum sequitur absurdum, dum enim dicitur instituta esse naturæ in suis actionibus ab imperfecto ad perfectum procedere, id *verum* est supposito obice, si enim nullum adesset impedimentum, tunc utique perfectissimum a principio, & absque aliqua dilatione produceret effectum, quare cum in linea cognitionis confusæ intellectus, & objectum in primo congressu nullum habeant obstaculum, debent in tali ordine cognitionem perfectissimam producere, qualis est cognitio speciei specialissimæ inter universalia, nequeunt autem producere distinctam, quia ordo confuse concipiendi a toto genere præcedit ordinem distincte concipiendi, & cognitio confusa est veluti *dispositio* ad distinctam *circa* idem *objectum*, unde inquit Doctor lit. O. *Confuse cognoscere est quasi medium inter ignorare, & distincte cognoscere, & ideo confuse cognoscere est ante quodcunque distincte intelligere*, & hoc est impedimentum, quod obstat, ne intellectus in primo congressu cum objecto producat notitiam ejus distinctam, quod non obstat in cognitione confusa, ut notat Tromb. p. met. q. 10. art. 3. §. *Respondetur*, imo & Doctor ipse lit. M. dum rationem affert, quare non primo causetur conceptus definitivus, & distinctus rei. Si vero illum assumptum sumatur alio modo, ut scilicet intellectus & objectum producant perfectiorem cognitionem, non quam absolute possunt, sed quam attingere possunt pro illo primo instanti, ut videtur esse sensus verborum Scoti, dum inquit, *igitur ad effectum perfectissimum, quem primo potest producere, primo agit*, jam minorem vim habet instantia de cognitione distincta, quia in eo primo congressu non producunt effectum perfectiorem, quem absolute possunt, sed quem primo possunt, & talis est *notitia confusa speciei specialissimæ, non autem alicujus communioris*, tum quia talis conceptus spectat potius ad ordinem distincte concipiendi, quanto enim aliquid est communius, tanto distinctius concipitur, quia pauciora componentia includit, unde ait Doctor lit. N. ens concipi non posse, nisi distincte, quia habet conceptum simpliciter simplicem, scilicet in alios irresolubilem; tum quia nequit reddi ratio, cur conceptus magis universalis sit perfectior, quam possit intellectus cum objecto in primo congressu producere, nam si dicas cum Cajet. in causa esse, quia nequit intellectus percipere conceptus inferiores, nisi primo cognoverit universaliores ob coordinationem prædicamentalem, id utique valet in cognitione distincta, qua non licet cognosci totum, nisi cognitis partibus, quæ sunt naturæ communiores, non autem in cognitione confusa, ad quam sufficit concipere totum, ut exprimitur per nomen, ut docet Arist. primo Phys. tex. 5.

251 Secunda ratio etiam stat in robore, cum enim dicunt ens concretum *cum quidditate sensibili esse primum cognitum*, vel per tale ens intelligunt conceptum ex ente, & quidditate sensibili, vel præcise conceptum ipsius entis; si primum, ergo primo cognitum non est ens, sed minus universale, quia conceptus quidditatis sensibilis est minus universale; si secundum, tunc stat argumentum, quod metaphysica *esset* prima scientiarum in ordine confuse cognoscendi non postrema, quia qualis est ordo objectorum, talis est scientiarum, quæ ab eis specificantur, si ergo ens præcise sumptum est primum cognitum, cum sit objectum metaphysicæ, hæc erit prima scientia in ordine confuse cognoscendi. Neque instantia adducta urget, quia ut notant *Tromb. loc. cit.* & Bargius p. d. 3. q. 2. in §. *secundo sit*, alius est ordo in scientiis disparatis, ut sunt metaphysica, physica, & mathematica, & alius est ordo in scientiis partialibus *contentis sub una* scientia totalibus, ut est scientia de principiis *naturalibus*, scientia de anima, de Cœlo, & sic de aliis partibus philosophiæ contentis sub *totali philosophia*, *quoniam in primis* scientiis procedimus a magis particularibus, & sic metaphysica inter illas est ultima, sed in scientiis particularibus, sub una totali contentis procedi-

mus a magis universalibus ad minus universalia, & ideo Arist. in p. Phys. incipit a principiis communissimis, & ratio est, quia in scientia totali incipimus a notitia subjecti, cujus notitia principaliter intenditur, & cum tale subjectum sit commune omnibus consideratis, hinc est, quod scientia universalis debet præcedere; tum etiam quia in scientia totali subjectum, cujus cognitio distincta principaliter investigatur in scientia, primo virtualiter continet omnia principia totius scientiæ, a quibus tota certitudo, & notitia omnium conclusionum dependet, & in scientia distincta noritia cognoscibilium notitiam principiorum præsupponit, & ita notitiam universalium; tum tandem, quia scientia intendit venari distinctam notitiam cognoscibilium, & modus devenjendi ad notitiam distinctam ipsorum est per divisionem universalium in ipsa particularia, ut docuit Arist. in procem. Phys.

252 Dices, cur non est ita in scientiis disparatis? Resp. quia in scientiis specialibus totalibus non habetur distinctissima cognitio cognoscibilium in ipsa scientia ante metaphysicam, licet bene distincta habeatur, sicut possibile est haberi in tali scientia speciali, & ita non oportet incipere ab universalissimis ad habendum notitiam de cognoscibilibus, sed sufficit incipere ab universalibus pertinentibus ad eamdem scientiam, & non ad aliam, unde Mathematico sufficit scire, quod numerus est quantitas discreta, & non continua ad hoc, quod sciat numerum esse parem, vel imparem, non autem oportet, quod sciat, an numerus sit substantia, vel accidens.

253 Tertia quoque ratio male solvitur a Cajet. & adhuc pejus retorquetur; male quidem solvitur, quia si inter gradus prædicamentales non est ordo essentialis, & necessarius in concipiendo, poterit intellectus etiam primo specialissimum cognoscere; rum quia sic respondendo, non sibi constat Cajet. cum ibidem asserat, naturam semper procedere ab imperfecto ad perfectum, atque ideo magis universalia prius concipi, & non posse gradus inferiores concipi, nisi prius conceptis superioribus; pejus etiam retorquetur, quia longe dispar est ratio de ascensu a specialissimo ad universalissimum, & descensu ab universalissimo ad specialissimum, ut Rubion advertit, inferiora enim includunt superiora, non e contra, & ideo cognito inferiori intellectus per necessariam consequentiam ad superiora properat, dicendo homo est animal, ergo corpus, ergo substantia, &c. At non ita cognito superiori potest ad inferiora descendere absque fallacia consequentis, ut habetur 2. Top. loc. 26. & quia intellectus arguendo ab inferiori ad superius non tenetur gradatim ascendere, sed potest unum inferre non inferendo alterum, ut est homo, ergo substantia, ideo cognito specialissimo, absque mora potest immediate ad cognitionem entis per saltum transcendere, at cognito universalissimo, nec ordinate, nec per saltum potest descendere ad specialissimum, quia conceptus entis nec essentialiter, nec virtualiter continet conceptus inferiores.

254 Quarta ratio per illam solutionem magis solidatur, & confirmatur, ex eo enim, quod facilius est cognoscere rerum convenientiam, quam differentiam, deducimus difficiliorem esse abstractionem generis, quam speciei, coloris, quam albedinis, quia albedo a similibus in natura abstrahitur, color autem a dissimilibus, & oppositis, scilicet ab albo, & nigro, quare ex hoc ipso capite longe facilior evadit abstractio minus universalis, quam magis universalis. Et cum dicebatur, quod abstrahendo magis universale pauciora intelliguntur, quoniam magis universale pauciores habet actu differentias, quam minus universale, id verum est in cognitione distincta, unde concedimus magis universalia in hoc ordine cognoscendi prius, & facilius cognosci, quam minus universalia, at in ordine confuse cognoscendi prius cognoscuntur minus universalia, a quibus magis universalia abstrahuntur, cum enim hæc abstratio fiat ab intellectu possibili, sane non videtur fieri posse sine prævia cognitione inferiorum, a quibus abstrahuntur, saltem confusa, & quæ haberi potest per quid nominis, alioquin a quibuscumque inferioribus posset abstrahere quodcumque superius, ut, ab albo & nigro saporem; re tamen vera facilitas abstractionis non tam procedit ex paucitate, aut multitudine abstrahendorum, quam ex vicinitate sensuum, dicente Arist. p. Post. 12. ea esse nobis notiora, quæ sensibus sunt *propinquiora*.

255 Quinta etiam ratio minime concutitur, quia accidentia speciei sunt plura, clariora, & sensibus propinquiora, imo falsum est, ut bene notavit Contar. cit. in fine quæst. naturam genericam habere accidentia propria diversa ab accidentibus naturarum inferiorum, cuncta enim accidentia, quæ dicuntur generica, sunt in singularibus disposita, ac determinata secundum rationem naturæ specificæ, & singularis; sic quantitas, quæ dicitur accidens naturæ corporeæ in homine, & lapide, est diversimode dispositа, motus localis, qui dicitur accidens animalis diversimode ab homine, & aliis animalibus exercetur, adeo ut omnia accidentia sequuntur naturam singularem, aut saltem ab ipsa modificantur, & ideo primæ substantiæ proprie, principaliter, & maxime subsstare dicuntur cap. de subst. quia substant ipsis secundis substantiis, & omnibus accidentibus in universum, unde accidentia non evadunt propria naturæ universalis, nisi per aliquam abstractionem eorum factam a singularibus, in quibus a parte rei varie dispositа, ac modificata reperiuntur, a qua varietate abstrahit intellectus, ut illa accidentia efficiat communia generi, scilicet animali, vel substantiæ corporeæ. Accedit, quod licet individua illa generica, & incompleta, hoc ens, hoc animal, dentur apud intellectum inadæquate concipientem, ut diximus disp. 5. Log. q. 1. art. 1. minime tamen debent admitti a parte rei, ut ibi probavimus, quia impossibile est, quod detur individuum aliquod, quod sit determinati generis, & non determinatæ speciei, & sic non offertur sensui individuum generis, nisi mediante individuo speciei, bene tamen contingere potest, ut notat Doctor sub lit. L. quod objectum ob distantiam improportionatam non se repræsentet sensui secundum propriam rationem perfecte, & complete, unde intellectus sequens sensum intelligit illud secundum rationem superioris imperfectiorem, & in hoc sensu intelligendus est in 4. dist. 8. q. 2. lit. O. cum inquit ad exemplum Avicen. de viso a longe non videri universale, sed singulare universalis, ut hoc ens, hoc animal; sane hoc non dixit, quia putaret tale individuum genericum dari a parte rei visibile, & sensibile, sed dixit in præfato sensu, quatenus individuum ipsum specificum ob nimiam distantiam interdum se diminute, & imperfecte repræsentat sensui, & intellectui, unde in tali casu species illius objecti distantis, quæ sensui, & intellectui primo apparet, non est species naturæ genericæ, & universalis, sed est species naturæ singularis, quæ sola sensui potest offerri, quæ quidem quoniam ob distantiam perfecte imprimi non potest, adeo imperfecte repræsentat objectum, ut videatur cognosci solummodo secundum naturam universalem, cum tamen ea non tam sit cognitio naturæ universalis, ac individui generici, quam cognitio naturæ singularis imperfecto modo acquisita.

256 Sexta denique ratio minus accurate retorquetur, quia ut notavimus in expositione tex. procemii Phys. ibi non loquitur Arist. de universali in prædicando, quale est totum universale, sed de universali in continendo, quale est totum essentiale, quod actualiter plura continet, ut Doctor notavit p. dist. 3. qu. 2. O. Idque manifeste ostendunt exempla, quæ affert tex. 5. illis enim patefacere intendit quænam sint confusa, & universalia, de quibus fuerat locutus in superioribus textibus, exempla autem illa de toto integrali, quod est notius suis partibus, & de definito, quod pariter in ordine confuse cognoscendi notius est definitione, sunt de confuso, & composito actuali, non potentiali, & de universali continendo, non in prædicando, ut de se constat, & quamvis exemplum de puero appellante ab initio omnes viros patres, & omnes fœminas matres videatur stare pro universali in prædicando, quasi puer prius agnoscat patrem, & matrem sub ratione specifica, quam singulari, id tamen non fuit Arist. sensus ex hoc signo colligere pueros ab initio universale cognoscere, nam & agni recenter nati omnem ovem, & hædi capras omnes veluti matrem sequuntur, & tamen universale non attingunt; illud ergo quoque exemplum de pueris est de singulari vago, ut ibi declaravimus, & modo ut supra dicebamus præc. concl. appellant enim omnes viros Patres, & omnes fœminas matres, quia primo apprehendunt illud singulare hominis confuse, quam ejus partes, quæ sunt tales conditiones individuantes, ut talis facies, talis color, statura, &c. & postea determinant distinctius cognoscendo conditiones illas; Doctor autem p. d. 3. q. 3. cit. lit. O. concedit pueros attingere *speciem*, non quia re vera censeat universalitatem attingere, sed ut ostenderet illud exemplum de pueris sibi potius favere, quam Thomistis, etiam si de universali in prædicando procederet, concluderet enim specialissimum esse primum cognitum, non vero magis universale; in favorem hujus expositionis notat Ferc. n. 56. ubi eam amplectitur, non dixisse Arist. ab universalibus ad *singularia* procedendum, ut quidam latine transferunt, sed ad *singula*, hoc est, ad singula principia componentia ipsum universale in continendo, quod est totum actuale, resolvendo namque illud in sua principia constitutiva nobis distincte innotescit, ubi prius erat dumtaxat confuse notum, siquidem sicut causa cognitionis confusæ est ignoratio principiorum; quod autem legi debeat ex universalibus ad singula procedere oportet, non autem ad singularia colligitur ex verbis, quæ tex. sequ. subdit de universali dicens, *totum enim quoddam, & indistincte significant, ut circulus, definitio autem ipsius dividit in singula*; vide nostram expositionem procem. Phys.

257 Alii concedunt Arist. ibi loqui de universalibus in prædicando, inquiunt tamen nihil pro Thomistis exinde colligi, quia ibi est sermo de cognitione distincta, quæ quidem locum habet in scientiis, de quarum cognitione tunc loquitur, & utique magis universalia sunt nobis notiora in ordine distincte cognoscendi; Cæterum hæc expositio non satis textui accommodatur, nam ad probandum, quod universale sit notius, triplicem adhibet probationem, quarum unaquæque videtur de cognitione confusa procedere, non de distincta, ait enim primo totum, quale est universale, esse notius secundum sensum, quam partes; ait deinde nomen circuli notius esse, quam definitionem circuli; & tandem pueros appellare primo omnes viros patres, &c. quæ omnia de cognitione confusa procedunt, non distincta, ut de se constat. Restat ergo dicere stando in priori expositione, quod ibi Arist. loquitur de notitia confusa, neque enim ibi præscribit Philosophus methodum, seu ordinem servandum in sententiis, sed refert solum, ac commemorat viam, qua nos ex instinctu, & consuetudine naturali in rerum notitiam procedere solemus, qua ibi vult uti in investigandis principiis rerum naturalium, & quamvis cognitio confusa locum non habeat in scientiis tamquam terminus, & perfectio cognitionis, habet tamen locum tamquam origo, ac via, per quam in notitiam principiorum tendimus; qui tamen vellet aliam expositionem sequi de cognitione distincta, consulat Tromb. cit. ad p. princ. ubi eam conatur defendere, eo vel maxime, quia ea utitur Doctor, qu. 6. de Anim. ad p. princ.

Solvuntur Objectiones.

258 PRimo ita objiciunt Thomistæ, res prius solent concipi confuse, quam distincte, quia ut etiam fatetur Scotus, co-

cognoscere confuse est medium inter puram ignorantiam, & cognitionem distinctam, sed res dicitur confuse cognosci, cum sub aliquo communiori, & universaliori conceptu apprehenditur, ergo conceptus prius nobis occurrentes sunt magis universales, sub quibus res confuse concipitur.

Resp. Doctor qu. cit. de anim. & cum eo Tromb. p. Met. qu. 10. in calce distinguendo de duplici cognitione confusa, quæ distinctio valde notanda est, utpote quæ magnam affert intelligentiam huic quæsito de primo cognito, bifariam ergo potest aliquid dici confuse cognosci, vel quia intelligitur, sicut exprimitur per nomen, quod genus confusæ cognitionis expressit Arist. 1. Phys. tex. 5. vel quia intelligitur in suo universali, sicut cum intelligitur sub ratione animalis, vel entis; utraque harum cognitionum præcedit cognitionem distinctam, quia ut dicebatur in argumento, cognoscere confuse est medium inter puram ignorantiam, & scientiam, rationem reddit Doctor p. d. 3. q. 2. quia non possumus simul primo habere multos actus multorum cognitorum, ad habendam vero notitiam distinctam de uno toto, v. g. domo, opus est tot habere cognitiones actuales, quot habet partes, sed ad habendam notitiam confusam sufficit unus actus terminatus ad totum, unde cum domus nobis occurrit, uno intuitu totam domum confuse cognoscimus, deinceps vero scalas, cubicula, ostia, & alia hujusmodi perlustramus, quibus singulis cognitis ad cognitionem revertimur totius domus iteratam, sed distinctam, sic pariter evenit de toto essentiali, dum enim homo occurrit, unum hominem unica cognitione confusa apprehendimus, quem si postea distincte concipere velimus, opus erit per resolutionem inquirere principia ejus componentia usque ad prima, & irresolubilia.

259 Ex hoc autem colligitur non solum cognitionem confusam a toto genere præcedere distinctam, sed etiam ex illa duplici cognitione confusa priorem esse illam, qua totum cognoscitur, ut significatur per nomen sine cognitione ullius partis, vel principii, posteriorem vero illam, qua cognoscitur totum per cognitionem alicujus principii universalis, ut optime Ferch. adnotavit n. 43. tum quia cum possimus ignorare principia hominis, v. g. qui est species specialissima, vel omnia, vel quædam, prior est ignoratio omnium, quam quorumdam; tum quia cum primo cognoscitur homo, aut concipitur in se, aut in ente, vel sub ratione entis, hoc secundum dici non potest, quia talis cognitio sub ratione entis, aut alterius prædicati superioris est complexa, at prima cognitio originalis est apprehensio simplex de uno incomplexo in se; fatendum ergo est cognitionem confusam primi generis præcedere aliam, unde de homine triplicem possumus formare conceptum, primus, quo cognoscatur, ut totum quoddam indistincte cum quibusdam accidentibus ignoratis omnibus principiis, alter, quo cognoscatur esse ens, vel sub ratione entis, tertius denique, quo cognoscatur ut animal rationale, hæc tertia cognitio dubio procul est distincta, cum sit per ejus principia communia, & propria, prima cognitio est omnino confusa, cum nullum intrinsecum principium attingat hominis, secunda tandem cognitio est quidem confusa respectu tertiæ, tamen respectu primæ accedit ad distinctam, quia per eam attingitur saltem aliquod principium hominis, esto commune, & remotum, adeo ut ab ea incipit cognitio distincta hominis, a cognitione enim entis omnis distincta cognitio inferiorum initium sumit; ex his patet, quid sit dicendum ad argumentum, concedimus enim utramque cognitionem confusam esse priorem, quam sit cognitio distincta, verum inter confusas prior simpliciter est illa, qua res apprehenditur incomplexe, ut exprimitur per nomen; & minor in argumento manca est, quia non assignat, nisi unum genus cognitionis confusæ, quod committitur in argumento, *fallacia consequentis a pluribus causis veritatis ad unam, cognitio enim confusa aliorum est universalis est, vel quando cognoscitur tantum de ipso quid est, quod dicitur per nomen, vel quando cognoscitur in suo universali, non sequitur igitur cognitio confusa, minus universalis est prior, quam ejus distincta, igitur cognitio sui universalissima est prior*, ita Doctor.

260 Secundo, quidquid transit de potentia ad actum, transit de imperfecto ad perfectum, igitur & intellectus noster, sed conceptus universalissimus est imperfectissimus puta entis, ergo primo recipitur in intellectu primitate originis, major est Arist. 5. Met. 15. ubi priora generatione dicuntur, posteriora perfectione, quia natura semper incipit ab imperfectioribus tendendo ad perfectiora, minor probatur, quia quilibet conceptus inferior ad ens aliquid eis superaddit, & consequenter se habet ad illud, ut totum.

Resp. majorem non esse universaliter veram, contra quam multas Tromb. adducit instantias; intellectus enim procedit a notitia præmissarum ad notitiam conclusionis, quæ tamen est imperfectior, & idem est cum procedit a notitia causæ ad notitiam effectus, tunc ergo natura procedit ab imperfecto ad perfectum, ut dicebamus, quando invenit impedimentum, & quando imperfectum est dispositio prærequisita ad magis perfectum, quod non contingit in proposito, quia in ordine cognitionis confusæ nullum est impedimentum, quin statim producatur perfectissima, qualis est specialissimi, & cognitio graduum superiorum non est dispositio necessaria ad cognitionem confusam inferiorum, sed solum ad distinctam. Vel dicendum, perfectionem, & imperfectionem posse referri ad duo, nempe, vel ad objecta cognita, vel ad cognitionem nostram, seu ad modum cognoscendi respectu ejusdem objecti, ordo perfecti, & imperfecti ex parte objectorum est secundum naturam, & observatur in cognitione distincta, quæ incipit ab ente, & descendit usque ad specialissimum, quod est perfectissimum cognoscibile; ordo perfecti, & imperfecti ex parte modi cognoscendi idem objectum est secundum nos, & observatur a nobis, quia idem objectum prius confuse concipiens, deinde distincte; & in hoc sensu conceptus entis non est imperfectissimus, quia non est confusus, sed omnium perfectissimus, cum habeat conceptum simpliciter simplicem, unde ut inquit Bargius, est imperfectior omnium objective, non formaliter, quia non confusior; intellectus autem noster procedit de imperfecto ad perfectum, non ex parte objectorum, sed ex parte modi cognoscendi idem objectum, nisi dicere velimus cum Francisco de Marchia apud Canonicum etiam ex parte objectorum procedere intellectum nostrum de imperfecto ad perfectum, quatenus quanto objectum est universalius, tanto magis recedit a sensibilitate, & materialitate, quæ videtur dicere imperfectionem; & per hoc diluitur ratio fundamentalis Ragusei, quam adducit cap. 11. coincidit enim cum hac secunda objectione, quam etiam valde exaggerat Joann. de S. Thom. q. p. Procem. Phys. art. 3.

261 III. Magis universale, ut ens, licet in ratione totius actualis nequeat confuse cognosci, quia cum habeat conceptum simpliciter simplicem, aut totaliter scitur, aut totaliter ignoratur, tamen in ratione totius potentialis potest confuse cognosci, ut Scotus ipse concedit p. d. p. qu. 2. E. & ratio est, quia sicut in cognosci se habet totum actuale ad suas partes actuales, ita potentiale ad suas partes potestativas, & subjectivas, ut ergo totum actuale distincte concipitur cognitis ejus partibus, confuse vero ipsis ignoratis, ita totum potentiale, ut animal, distincte concipitur cognitis speciebus hominis, equi, leonis, ac cæteris, confuse vero illis non cognitis; cum ergo ens sit totum confusum, imo confusissimum in ratione talis totius, & rursus cognoscibile confuse, id erit primo cognitum cognitione confusa originaria; Unde Scot. p. d. 3. q. 2. defeciisse videtur, quia posuit duplex totum actuale, & potentiale, & postea non assignavit duas cognitiones confusas illis correspondentes, sed dixit cognitionem confusam correspondere tantum toti actuali, potentiali vero non nisi distinctam, cumque ens sit supremum totum potentiale, ait non posse, nisi distincte cognosci. Confirmat id Rag. dicens Scotum in hac re fuisse deceptum, putavit enim ens primo cognitum nobis esse solum in cognitione distincta, quia ejus conceptus est simpliciter simplex, nec nisi distincte cognosci potest, at hic maxima latet æquivocatio (ait Rag.) aliud enim est intellectum concipere ipsum ens, & aliud est intellectum concipere aliquid sub ratione entis; admitti quidem potest, dum intellectus concepit ens, illud ipsum distinctissime cognoscere ob rationem a Scoto allatam, at vero dum intellectus aliquid concipit sub ratione entis, non illud quidem distincte, sed confuse intelligit, quia cognoscere aliquid distincte, non est illud sub communissima ratione cognoscere, cujusmodi est ratio entis, sed sub propria, & specifica ratione.

262 Resp. hoc argumentum valde æstimari a Ferch. adeo ut in ejus solutione duo integra capita consumat 9. & 10. in quibus duo præsertim ostendere conatur, primum est talem cognitionem totius potentialis ad partes subjectivas comparari adhuc non esse confusam, sed distinctam; alterum est, dato quod totum potentiale cognoscatur confuse, ut comparatur ad partes subjectivas, adhuc jure a Scoto fuisse talem cognitionem prætermissam in tractatione de primo cognito, Verum in hoc argumento tantum mysterium non videmus, neque illi multum fidunt Adversarii, unde a paucis tangitur, & ratio est, quia cum afferunt magis universale esse primum cognitum, non considerant solas naturas communes præcisas, ut ab initio quæsiti diximus, sed potius singularia ipsarum, hoc ens, hoc corpus, hoc animal, unde quæstio est, an intellectus in individuo sensibus objecto prius concipiat rationem aliquam magis universalem individuatam, quam minus universalem, atque ideo non loquuntur de magis universali, ut est mere motum potentiale seclusis differentiis contrahentibus, & partibus subjectivis, sed potius ut est aliquo modo contractum, & ideo parum curavit Doctor loqui de cognitione confusa illi correspondente in ratione totius potentialis, & certe dum inquiunt, rem prius concipi sub ratione entis, quam substantiæ, corporis, &c. res illa consideratur, ut totum, ratio entis, ut pars, vel gradus essentialis ejus, non vero ut totum potentiale; & rursus quamvis quilibet gradus superior possit considerari, ut totum potentiale, essentialior tamen ei est consideratio in ratione totius actualis, quia sic respicit sua constitutiva, atque ideo hæc consideratio præcedit illam, & consequenter nequit esse prima primitate originis, idcirco eam neglexit Doctor. Ad Conf. non deceptus est Scotus, sed ipse Ragusæus, dum ex eo, quod inferius confuse cognoscitur in suo universali, deducit etiam ipsum ens universale confuse intelligi, hoc plane falsissimum est, dum enim dicitur homo est ens, licet homo subjectum sub ratione entis cognitus confuse cognoscitur in suo universali, deducit etiam ipsum ens universale confuse *intelligi, hoc plane falsissimum est, dum enim* dicitur homo est ens, licet homo subjectum sub ratione *entis* cognitus confuse cognoscatur, ens tamen prædicatum distinctissime *in se* concipitur, quia non habet *conceptum in alios resolubilem*.

263 Quarto adducunt tritissimum illud Avicennæ exemplum hominis a longe venientis, qui prius cognoscitur sub ratione universalissima entis, mox corporis, deinde animalis, postea hominis, ac demum talis hominis, quo quidem experimento videtur manifeste convinci conceptus universales præcedere particulares. Nec dicas, id evenire ex improportionata objecti distantia, nam etiam in proxima, ac debita distantia id regulariter evenit, cum nobis offertur objectum non antea cognitum, unde Ragusæus testatur, piscem ei oblatum Januæ primum credidisse anguillam

guillam (cum esset ei valde similis) qui tamen anguilla non erat, sed congrus; sic etiam inquit Zab. manibus se contrectasse piscem, quem auratum existimabat, de quo tamen dixerunt ei piscatores non esse piscem auratum, sed speciem quamdam diversam; & sic tandem frequenter evenit, inquit Zimara, quod cum alicui offertur herba, cognoscit, quod est herba, sed quæ species herbæ non cognoscit, quibus experimentis convincitur magis universale prius cognosci.

Respondent Contar. & Ferch. cit. n. 35. exemplum illud esse prorsus ineptum ad investigandum primum cognitum cognitione originaria simpliciter, currit enim tantum de cognitione collectitia; quia cum venientem a longe dicimus esse ens, substantiam, corpus, &c. ea cognitio est collectitia, non originalis, nam intellectus antea præcognoverat ens, substantiam, corpus, &c. quæ recognoscit, & applicat, prima autem cognitio originalis, ut dicebamus ab initio quæstionis, est simplex apprehensio objecti incomplexi absque aliqua complexione, vel discursu, at in isto casu de veniente a longe intellectus mira celeritate format propositiones, ac discursus hoc modo, quod videtur, est ens, est substantia, est corpus, hoc objectum distans videtur, ergo est ens, substantia, corpus; quod movetur a se, est vivens, est animal, hoc objectum distans movetur a se, ergo vivens, animal, &c. eodem modo respondent ad experientias illas de piscibus, nam si tibi offeratur piscis ignotus, & interrogeris, quid hoc est? dices esse animal, esse piscem, atque si accidentia sint in hoc pisce, qualia vidisti in alio pisce antea noto, statim applicando præcognitas, dices hunc piscem novellum esse illum præcognitum, sic accidit Ragusæo, qui prænoscens collectionem accidentium in anguilla existentium, cum ei congrus occurrisset, cernens in eo accidentia consimilia properavit applicare præcognita, & credidit congrum esse anguillam; per quod etiam satisfit casui Zab. de pisce aurato.

264 Cæterum, quia ab initio quæstionis advertimus, posse etiam in serie cognitionis collectitiæ suo modo inquiri primum cognitum, num scilicet intellectus in Petro viso prius concipiat rationem individuatam entis, quam substantiæ, & prius corporis, quam animalis, & sic deinceps, an vero e contra prius concipiat rationem hominis, quam animalis, &c. non est omnino spernendum allatum exemplum, esto enim non deserviat ad vestigandum primum simpliciter, & absolute cognitum in cognitione omnino prima, deservit nihilominus ad inquirendum primum cognitum secundum quid, & de hoc objecto non antea cognito, licet alia essent cognita. Dicimus ergo, nec illud exemplum, nec experientias in ejus confirmationem adductas intentum concludere pro magis universali, imo potius favere minus universali, falsum enim est, quod Petrus a longe veniens prius cognoscatur sub ratione universalissima entis; cum enim sit quid visibile, necessario cognoscitur statim sub ratione corporis; quæ est ratio minus universalis, quam sit ens, sub quo etiam incorporea comprehenduntur, & intellectus in illo primo intuitu hominis distantis cognoscit eum non esse incorporeum, ideoque eum non primo cognoscit sub conceptu universalissimo entis, sed corporis, quod est minus universale, experientiæ etiam illæ de piscibus, quæ Ragus. & Zab. occurrerunt, sunt ad oppositum, quia in illo primo occursu piscium non antea visorum, nemo illorum apprehendit primo piscem in genere, sed statim quilibet concepit piscem certæ speciei juxta varietatem accidentium, quæ in eis reperierunt, nam Ragus. putavit piscem ei oblatum esse congrum, Zab. piscem auratum, conceptus ergo specificus primo eis occurrit, & licet ita concipiendo decepti fuerint, hoc tamen adhuc sufficiens signum est, ut credamus primum conceptum nobis occurrentem esse specificum, & minus universalem, tum quia deceptio non contingit in accidentibus, quæ re vera erant ejusdem rationis in congro, & anguilla, sed substantia anguillæ, & congri; & per hoc etiam patet ad exemplum Zimaræ de herba, statim enim alicui oblata innotescit conceptu specifico, licet valde confuse, nam si quis eum interroget, an sit cicorea, vel lactuca, aut alia species herbæ nota, negative respondebit, ex collectione namque accidentium videt, nec hanc esse, nec illam, sed alterius diversæ speciei, quam tamen distincte assignare nescit, quia adhuc ejus principia ignorat; si autem de illa herba solum haberet conceptum generis, utique nullo modo valeret eam discernere ab aliis herbis, quia in genere species conveniunt, non distinguuntur. Quod vero Petrus a longe veniens non se intellectui ab initio repræsentet secundum conceptum specificum, accidit, ut bene dicitur in argumento, & Doctor notavit tum qu. illa 16. de Anim. ad ult. tum p. d. 3. qu. 2. lit. O. ex improportionata objecti distantia, quia nequit ad tantam distantiam effundere speciem perfecte sibi similem, & sic tantum repræsentat imperfecto modo, at cum fuerit in debita distantia, se manifestat in conceptu specifico.

265 At instant Perer. & Zab. si a longe potest universale magis movere, quam specialissimum, multo magis poterit movere, quando est prope, sicut si magnus ignis comburat a longe, & non parvus, si uterque ignis approximetur, magis adhuc combureret magnus, quam parvus. Hinc deducit Ruvius facta etiam debita objecti applicatione, adhuc fortius movere accidentia magis universalis, licet enim sensibus se se statim offerat homo, vel Petrus, prius tamen sensum movent magnitudo, & color ejus, quam specialia accidentia & prius sensus percipit eum esse corpus, quam hominem, vel Petrum, cum sint accidentia notiora, & magis obvia, prius quidem non tempore, aut certe brevissimo, & imperceptibili, sed natura. Varias solutiones ad hoc affert Tromb. cit. §. *respondetur*, & cum eo Bargius, tenendo quod natura generica de longe moveat, de prope vero natura specifica, negant consequentiam, quia licet ratio generis sit perfectior specifica extensive, quatenus est in se magis indeterminata, & ad plures perfectiones extensibilis, intensive tamen perfectior est ratio specifica, & ideo hæc fortius movet de prope ob majorem perfectionem intensivam; exemplum vero de duobus ignibus non est ad rem, quia sunt agentia ejusdem rationis, de quibus utique verum est, quod perfectius, & magis actuale approximatum passo fortius agit, sed in proposito ratio generis, & ratio speciei non sunt agentia ejusdem rationis, atque ideo non est necesse, quod agit, & movet sensum eminus, moveat etiam cominus, quia potest esse perfectius extensive alio, non intensive, nec est necesse, quod movet cominus ob majorem perfectionem intensivam, moveat etiam eminus, interdum enim agens perfectius ex peculiari sua conditione requirit majorem approximationem, ut agat, quam imperfectius; exemplum est in promptu, certum est, quod forma substantialis perfectior est forma accidentali, sicut forma substantialis ignis ipso calore, & tamen calor ad majorem distantiam calefacit, quam ignis per formam substantialem ignit.

266 Magis tamen expeditum est dicere, quod universale non movet a longe, sed specialissimum, & de longe, & de prope agit, cum enim ratio specifica sit perfectior, & actualior generica, videtur etiam esse magis activa, & quidem palam est in aliis sensibus, quod quando singulare sensibile movet, non movet secundum rationem entis, vel qualitatis, sed movet præcise secundum aliquam rationem inferiorem, sive de longe, sive de prope agat, ita videmus, quod cum calor sensum adurit, non agit secundum rationem qualitatis sensibilis in communi, vel tangibilis in communi, vel primæ qualitatis, tunc enim omnes qualitates ejusdem rationis communis urerent, sed urit secundum propriam speciem specialissimam, ita ergo dicendum de aliis sensibilibus in ordine ad proprios sensus; ratio autem, quare objectum de longe visum non repræsentat secundum gradum specificum, est, quia ut diximus, per improportionatam medium non potest effundere speciem perfecte sibi similem, & sic tantum repræsentat imperfecto modo, sicut etiam ignis de longe ob improportionatam distantiam imperfecte, & remisse calefacit; falsum est etiam, quod dicere solent accidentia generis magis movere, imo dicimus accidentia speciei magis movere, quia sunt perfectiora, plura, clariora, ac sensibus propinquiora, & hoc præsertim, quando sunt in debita distantia; nam quando distent, eo quod multa, & minuta sint, non facile sensui patent, ut sunt propria speciei, sed potius ut sunt propria generis; hoc declarat Contar. exemplo satis oppositio, si enim rete piscatoris procul inspiciamus, tunc illud non nisi secundum naturam universalem telæ cognoscemus, eo quod foramina illa procul distantia non apparebunt; at si rete illud proxime nobis præsentetur, tunc procul dubio primo cognoscemus id esse rete, quam telam, siquidem foramina illa, quæ sunt accidentia naturæ specificæ, ac singularis entis, clarius nobis enitebunt, quo exemplo palam falsitatis convincitur, quod ajebat Ruvius etiam de prope fortius movere, & primo accidentia universalis; cui addendum est, quod supra advertimus, naturam universalem in rigore loquendo non habere accidentia diversa ab accidentibus naturæ singularis.

267 Quinto, quod est primo intellectui habituliter præsens per speciem, est etiam primo actualiter intellectum movens, sed communiora, & universaliora sunt prius habituliter intellectui præsentia via originis, ergo etiam & actualiter; major patet, quia idem ordo servandus videtur in acquisitione specierum hujus, vel illius objecti, ac in elicitione cognitionis eorum mediantibus illis speciebus, nam idem ordo servatur in memoria, & intelligentia; imo hac ratione superius singulare sensibile statuimus, primum cognitum, quia primo ejus species imprimitur in intellectu, minor est Doctoris cit. p. d. 3. q. 2. lit. Q. ubi in notitia habituali primum cognitum statuit magis universale, & per notitiam habitualem non intelligit aliquem habitum ex actibus frequentatis genitum, sed speciem acquisitam alicujus objecti, juxta phrasim Arist. 3. de An. 8. ubi intellectum speciebus imbibitum vocat intellectum in habitu, unde immerito Zabarel. Doctorem carpit de hoc loquendi modo, quod etiam probat a simili, quia formæ perficientes idem perfectibile ordine quodam ita se habent, quod prius imprimitur forma dans gradum superiorem, quam inferiorem, ergo sic etiam erit in proposito, quod species, & conceptus magis universalium prius imprimentur, quam species minus universalium; unde videtur esse manifesta contradictio in dictis Doctoris, dum in cognitione actuali primum cognitum statuit minus universale, & postea in habituali, quæ illi correspondet, ponit magis universale.

268 Resp. nullam ingenue esse in dictis Doctoris repugnantiam, cum enim ait primum cognitum in cognitione actuali confusa esse minus universale, loquitur, prout modo contingit de facto pro isto statu, cum vero in cognitione habituali statuit primum cognitum magis universale, loquitur ex natura potentiæ, objectum enim in specie aptum natum est prius se manifestare sub conceptu communiori, quam sub minus universali ex natura rei, modo tamen contingit oppositum ratione status, prius enim se manifestat sub conceptu minus universali, quia istius singulare fortius, & efficacius movet sensum, unde quantumvis habituliter in specie sit prius in memoria magis universale, nihilominus prius est in intelligentia minus universale, quia ejus phantasma fortius, & efficacius sensum movet, a qua motione necessario pendet intellectus nostri operatio pro statu isto; ita significat Doctor ipse supra lit. S. ubi præscius contradictionis ei objiciendæ quærit, cur non idem ordo servatur in cognitione actuali, qui servatur in habituali, & inquit ex hoc provenire, quia singulare minus universalis fortius movet sensum pro statu isto, in quo intellectus alligatus est sensibus, nam ex natura rei utique ita esse deberet, quod quemadmodum magis universale prius est in memoria, & notum habituliter, ita quoque prius esset in intelligentia, & notum actualiter, unde illa major vera est per se, & ex natura rei, at per accidens modo est falsa ratione status; neque id repugnat, quod diximus in superioribus, primam speciem, quæ imprimitur, esse singularis, quamvis enim res ita se habet, tamen species illa ex natura rei prius est repræsentativa graduum superiorum, quam inferiorum, licet de facto ratione phantasmatis prius repræsentet minus universale, quam magis universale, & huic expositioni dant manus Vulpes loc. cit. art. 3. Lich. p. d. 3. q. 2. & alii Scotistæ.

269 Sexto, tandem objic. quia ens est adæquata ratio objecti intellectus, ergo intellectus primo tendit in rationem individuatam entis. Tum 2. quia ens est causa, cur ejus inferiora a nobis cognoscantur, ergo prius cæteris cognoscetur. Tum 3. quia inter omnes formalitates nulla est nobis familiarior formalitate entis, utpote quod crebro, & in pluribus occurrit. Tum 4. ens, & res prima impressione imprimuntur in anima ex Avic. 2. Met. c. 1. Tum 5. Qualis est ordo aliquorum in essendo, talis est ordo in movendo, & cognoscendo, sed in objecto intelligibili rationes universales præcedunt particulares in esse, ergo & in cognosci. Tum 6. sunt magis nobis nota confusa magis 1. Phys. 3. At confusiora sunt universaliora minus universalibus, quia plura continent in potentia, & non in actu, quæ est causa majoris confusionis. Tum tandem rationes complexæ magis universales sunt primo cognitæ, ut constat de illo primo principio, quodlibet est, vel non est, ergo, & termini earum incomplexi, qui sunt magis universales.

270 Resp. ad 1. illud probare tantum ens esse primum cognitum primitate adæquationis, non originis, ut hic loquimur, cui accedit, quod dum dicitur ens esse objectum adæquatum intellectus id non intelligi de ente in sua communitate, ut supponit simpliciter, sed intelligitur de omni ente, sive in communi, sive in specie, sive in individuo sumptum, ut nempe supponit absolute, quemadmodum supra diximus, unde ex hac parte omne ens est æque primo intelligibile ab intellectu. Ad 2. ens dicitur esse causa cognitionis aliarum, tum quia in declarato sensu dicitur ratio objectiva intellectus adæquata; tum quia in sua communitate sumptum est causa distinctæ cognitionis aliorum, ab ipso siquidem inchoatur distincta inferiorum cognitio, & ideo in tali ordine ponitur primum cognitum. Ad 3. concludit de cognitione collectitia, & ex habitu, non autem de originaria, si enim est familiare intellectui, signum est fuisse sæpe ab intellectu pertractatum, & successu temporis applicari objectis de novo occurrentibus, at in proposito præsertim quæritur originaria cognitio, quæ semel habetur, & in uno cognito, adeo ut nullius cognitio alia cognitio ipsam præcesserit. Ad 4. ait Doctor qu. cit. de An. Avic. loqui de cognitione distincta, & quæ habetur per divisionem. Ad 5. negat Tromb. majorem esse universaliter veram, nam forma substantialis prius inest composito, quam accidentalis, & tamen hæc in agendo, prævenit illam, quia agens per formam accidentalem prius alteratur, quam per substantialem generet, sic etiam substantia præcedit accidens in essendo, & tamen a nobis prius cognoscitur accidens, ut superius diximus. Ad 6. neg. Minor, quia ibi Arist. loquitur de confusione actuali, & ex partibus actualibus, non autem de potentiali, & ex partibus potestativis, quia istæ re vera non verum constituunt totum, sed similitudinarie, nec sunt causa majoris confusionis, quia non actu continetur in toto, & ideo negatur magis universale esse magis confusum, loquendo de confusione, de qua ibi est sermo. Ad ult. neg. assumptum, si sermo sit de cognitione confusa, nam supra ostendimus propositiones ipsas universales in ipsis particularibus deduci per inductionem, nec oportet primam propositionem, quæ cognoscitur ordine originis, esse illam universalissimam, imo potius aliæ particulares, & sensibus proximiores prius cognoscuntur; in ordine tamen cognitionis distincte prius cognoscuntur prima illa principia postquam acquisita est antea cognitio confusa multarum rerum, qua ratione aliæ scientiæ sunt priores metaphysica.

QUÆSTIO IX.

An intellectus plura simul intelligere possit uno, vel saltem diversis actibus.

271 PRo intelligentia quæsitis nota hic esse sermonem de notitia perfecta, & distincta, alioqui compertum est cum una perfecta, & distincta posse ineffe multas imperfectas, & indistinctas, ut docet Scot. 2. d. 42. q. 1. §. *respondeo*, quod probat exemplo oculi corporei, qui in pyramide, & infra basim videt unum punctum incondistincte, & tamen in eadem pyramide infra eumdem basim videt multa indistincte, quamvis una sit tantum visio perfecta istius, supra quod cadit, si ergo hoc possibile est in sensu multo magis in intellectu, inquit Doctor; sermo item est de pluribus objectis per modum plurium, nam certum est, intellectum simul per modum unius intelligere posse, ut cum intelligimus plures partes per modum totius, unde quæstio est, an plura cognosci possint simul ab intellectu, & per modum plurium, sive uno, sive pluribus actibus, & hoc virtute naturali ejusdem intellectus, supernaturaliter enim & per beatificam visionem concedunt omnes plura simul videre, & per modum plurium, objectum nempe primarium, & alia objecta secundaria in eo, sive uno, sive pluribus actibus.

Tres hic videntur opiniones, prima extrema est D. Tho. 1. p. q. 85. art. 4. ubi docet ab intellectu nostro propria virtute plura per modum plurium percipi non posse, nec uno, nec pluribus actibus simul, & semel, & sequuntur Cajet. & Bannes ibidem, Ferrar. p. contra gentes c. 55. & 3. de An. q. 14. Hervæus quol. 3. q. 17. Capreol. 2. d. 3. q. 2 & communiter recentiores Thomistæ. Alia extrema docet posse simul plura percipere per modum plurium, nedum pluribus, & distinctis actibus, sed unoquoque, ac eodem actu, ita docet Arriag. disp. 6. de Anim. sect. 10. vocans hanc opinionem communem, & Hurt. disp. 5. sect. 7. Tertia media affirmat posse id fieri pluribus actibus, non tamen uno, & eodem, nisi forte circa objecta subordinata per modum superioris, & inferioris, ut homo, animal, corpus; vel finaliter, ut media ad finem, ita solent passim docere Scotistæ, & Nominales, Bargius p. d. p. q. 4. Greg. ib. q. p. par. 3. Habr. q. 1. Mair. & Marsil. d. 3. q. 11. Jand. 3. de An. q. 33. Conimbr. c. 8. q. 3. Moris. dis. 3. de Anim. q. 7. Suarez 3. de An. cap. 7. Aversa q. 58. sect. 4. Vulpes noster disp. 13. de Angelis, art. 4. & 5. & alii passim, eamdem mediam sententiam amplectitur Onuphrius tr. 2. de An. disp. p. q. 1. dub. 6. sed oppositio modo, asserens, posse intellectum multa percipere unica tamen intellectione, non pluribus.

272 Dicendum est, intellectum nostrum posse simul, & semel plura intelligere per modum plurium, non tamen uno, & eodem actu, nisi forte objecta illa sint subordinata per modum superioris, & inferioris, sed pluribus, & distinctis actibus, non tamen tot, quin plura in infinitum, nec adeo perfecte, sicut intelligeret unum solum objectum. Conclusio quoad omnes partes colligitur ex *Scoto locis infra citandis*, & quoad singulas probatur, & quidem quod plura simul intelligere possit per modum plurium, colligunt Scotistæ ex Doctore 3. d. 14. qu. 2. ubi intellectum animæ Christi, aliorumque beatorum concedit simul, & semel videre Deum, & multa alia distincta in genere proprio, quæ quidem notitia in genere proprio elicitur ab intellectu propriis viribus; probatur, quia id experimur in sensibus, nam visus attingit simul plura objecta inter se disparata, imo opposita, ut albedinem paginæ, & nigredinem litterarum; auditus simul plures percipit sonos absque ordine sibi repræsentatos per diversas species; tactus simul sentit duritiem, mollitiem, calidum, frigidum; sensus interior simul ponit differentiam inter diversa objecta per sensus exteriores percepta, ergo id intellectus poterit excellentius. Tum quia intellectus simul intelligit duo correlativa, ut patrem, & filium, & illa necessario intelligit, ut plura, atque diversa, quia intelligit unum referri ad aliud, ergo tunc plura simul intelligit. Tum quia contingit frequenter nos plura cogitare inter se varia, & prorsus disparata, ut hominem, & lapidem, & attendere ad plures actiones nullo modo inter se subordinatas, idque præsertim constat in illis, quia adeo acri præditi sunt ingenio, ut simul plures dictent epistolas de rebus alienissimis, ut de multis enarratur; per quod refellitur frequens responsio Thomistarum dicentium posse simul plura intelligi, dummodo aliquam habeant inter se subordinationem, quia sic inducunt aliquam unitatem objectivam.

273 Secundo, quod plura, ut plura nequeat uno, & eodem actu cognoscere, nisi forte sint subordinata per modum superioris, & inferioris colligunt Bargius, & Vulpes cit. ex 4. d. 1. q. 1. §. *Secunda propositio*, ubi Doctor probat repugnare intellectui creato per unum actum intelligere infinita objecta disparata, primo ex finitate, & limitatione actus in se, secundo ex finitate intellectus, tertio ex finitate essentiæ intelligentis, ex quo deducit Vulp. quod sicut hæc omnia limitationem imbibunt, ita limitationem actus ad determinatum objectum important, & sic concludit, intellectum creatum non posse per unum actum plura objecta disparata attingere, quia eadem ratione posset attingere omnia, & infinita. Tamen re vera Doctor ibi directe probat non posse intellectum creatum unico actu infinita attingere objecta, quia esset infinitæ perfectionis, & ex ipsa objectorum infinitate deducit infinitatem illius actus, non autem ex pluralitate eorum quacumque, unde sic arguit, *omne intelligere finitum determinatur ad certum intelligibile, vel ad aliqua certa intelligibilia*, &c. ex quibus sane verbis apparet, non ex sola pluralitate objectorum intellectorum per eumdem actum inferre illius actus infinitatem, sed præcise ex eorum infinitate, ideo ex eo loco non videtur bene colligi ista pars *conclusionis*, neque ejus probatio; nam si dicas, quod eadem ratione, qua unus, & idem actus ponitur attingere plura objecta, dici posset attingere infinita, negabitur conseq. quia attingentia plurium objectorum forte non excedit limitationem illius actus, bene tamen attingentia infinitorum, imo hac ratione etiam negari deberet, intellectum creatum posse pluribus actibus simul plura percipere objecta, dicetur enim quod qua ratione pluribus potest attingere plura, sic pariter infiniti potest attingere infinita.

274 Melius ergo probabitur ea ratione, qua probat Doctor 2. d. 3. q. 10. non posse dari unam speciem impressam plurium quidditatum disparatarum, sic enim a pari videtur posse deduci, nec etiam dari posse speciem expressam plurium talium objectorum, quia intellectio in exprimendo non est minoris perfectionis, quam species impressa in repræsentando in actu primo; ratio autem, quam ibi format de specie impressa, potest sic formari de expressa, mutato solo nomine speciei in actum; *unusquisque actus determinatus*, & limitatus est ad quoddam suum adæquatum objectum, a quo sumit unitatem, & specificationem, ergo nequit unus, & idem actus discrete, & disparate plura attingere objecta; probatur assumptum, unitas posterioris naturaliter pendet ab unitate prioris, sed actus est posterior objecto natura, & perfectione, sicut mensuratum posterius mensura, ergo unitas actus simpliciter pendet ab uni-

unitate objecti. Imo Doctor ibidem ex impossibilitate talis actus plura simul objecta disparata exprimentis deducit impossibilitatem speciei impressæ plurium talium repræsentativæ contra Thomistas, tum ad hominem, tum ex ipsa rei veritate, inquit enim sub litt. C. non posse dari talem speciem in intellectu angelico, quia cum omnis species ordinetur ad unum actum cognoscendi sibi adæquatum, tunc intellectus creatus posset simul, & distincte intelligere omnes istas quidditates, quod non est verum, nec illi concedunt; ita Doctor; unde ex isto loco expressam habemus hanc partem conclusionis, ac ejus probationem, quæ etiam confirmari potest, quia multiplicato priori essentialiter, opus est ipsum posterius multiplicari, sicut multiplicata unitate pluralitas quantitatis, & multiplicata differentia specifica multiplicantur species, & multiplicata causa multiplicatur effectus, ergo si objecta prima sunt plura, actus illa exprimens nequit esse unus. Accedit, quod Doctor monet 3. d. 14. q. 2. E. & alibi sæpe, quod actus ita specificantur ab objectis extrinsece, & causaliter, quod licet ex unitate objecti non valeat semper inferre unitatem actus, & potentiæ, quia diversæ potentiæ possunt versari circa idem objectum, nihilominus ex distinctione objectorum, si præsertim formalia sint, & prima, valet semper inferre distinctionem actuum, implicat ergo unum, & eumdem actum attingere plura objecta prima, & disparata. Ratio a priori videtur esse, quia actus est naturalis, & formalis similitudo objecti, at non videtur objecta valde inter se diversa, & nullam inter se affinitatem habentia posse per eamdem imaginem repræsentari, & exprimi, sed potius unumquodque propriam postulabit imaginem, & speciem expressam, qua de causa dicebamus disp. 2. Log. q. 4. art. 1. in mente, seu in conceptu æquivocationem contingere non posse, sicut contingit in voce.

275 Resp. Arriag. cit. speciem talis actus plura objecta disparata attingentis adhuc unicam fore, & non multiplicem juxta objectorum multiplicitatem, quia indivisibiliter in se haberet, quod duæ aliæ distinctæ haberent, unde in ordine ad hunc actum quilibet ex illis respectibus ad illa objecta disparata est inadæquata ratio specifica illius, quod ostendit evidenter ad hominem contra omnes, qui admittunt in Angelis unam speciem impressam esse repræsentativam virtualiter multorum objectorum, quorum in inferioribus Angelis dantur multæ species distinctæ, ergo jam in eam speciem impressam concurrunt multæ rationes specierum impressarum aliorum Angelorum; idem etiam confirmat ex sensu interno, qui indivisibiliter habet virtutes cognoscitivas quinque sensuum, & ejus species constatur inadæquate ex virtute sensitiva coloris, quæ tamen virtus est adæquata respectu sensus externi; idem tandem est ait, in actione procedente a diversis causis, nam licet possint esse diversæ actiones, quarum una solam unam causam, altera alteram respiciat; postea tamen quando omnes illæ causæ simul concurrunt per unam, eamdemque actionem, illi respectus ad diversas causas in ea unica actione identificantur.

276 Hæc tamen solutio consistere nequit, quia quodlibet objectum disparatum duas unam speciem actui, ergo si sunt duo, dabunt duas species; dices duas dare, quando concurrunt totaliter, & singillatim, non quando concurrunt partialiter, & conjunctim. Contra, nam quodlibet objectum in suo ordine totaliter concurrit ad productionem actus, nec in ordine aliam concausam admittit, sed tantum coexigitur intellectus, qui secum concurrit in alio ordine causæ, scilicet potentiæ vitalis, si enim semel admittamus plura objecta disparata posse simul concurrere partialiter ad eumdem actum omnium expressivum, tunc cum videmus album, & nigrum, ac alia quoque innumera objecta quantumvis disparata, unica visione hæc omnia attingi dicimus partialiter ab eis producta, non pluribus visionibus; tunc etiam cognitio probabilis, & scientifica possent in unum, & eumdem actum convenire, quia hic elici posset ex mediis scientifico, & opinativo simul concurrentibus, quod licet concedat Arriag. disp. 6. sect. 7. subsect. 3. id tamen esse prorsus impossibile ostendimus d. 14. Log. qu. 2. quia probabile, & scientificum sunt differentiæ adæquate potentes constituere actus diversos, & ideo nequeunt in unum convenire, unde si quis moveretur ad assensum alicujus propositionis ex utroque motivo, potius dici deberet moveri ad distinctos actus simul compossibiles, quam ad unum, & eumdem specie, & numero, quia assensus scientificus, & opinativus distinguuntur specie ex diversa ratione assentiendi. Deinde admisso semel, quod possint plura objecta disparata simul uniri ad eumdem actum causandum specie, ac numero, tollitur omni specificatio actuum per objecta, nec actus ab objectis suam desument unitatem, vel distinctionem, quia unus, & idem actus objecta quantumcumque diversa poterit attingere. Rursus licet alicujus actus possint assignari plura inadæquata, & partialia objecta, quorum actus ille sit inadæquata similitudo, adhuc tamen semper ei correspondet objectum totale, & adæquatum, cujus est adæquata similitudo, & a quo actus suam sumit unitatem, & specificationem, & in quo cætera objecta inadæquata saltem virtute continentur, quod manifeste constat in objectis scientiarum, in quibus præter objecta partialia semper assignatur unum totale objectum, a quo sumitur scientiæ unitas; & per quod ab aliis scientiis distinguitur; sed admisso hoc dicendi modo, quod plura objecta disparata queant per eumdem actum attingi partialiter, & inadæquate assignantur plura objecta inadæquata sine ullo adæquato, cujus actus ille sit adæquata similitudo, unde actus ille non erit nisi plures, & inadæquatæ similitudines discrete, & disparate. Tandem dato hoc dicendi modo non amplius desudare oportebit ad invenienda in facultatibus objecta totalia, & adæquata, sed assignare sufficiet objecta partialia, & disparata absque ulla prorsus unitate in ratione scibilis, & repræsentabilis.

277 Exempla vero, quæ adducit Arriag. ad probationem actus plura objecta disparata attingentis minime cogunt, imo unum falsum adducit in comprobatione alterius falsi, siquidem ut dicebamus, non minus repugnat species plurium disparatorum repræsentativa, quam actus, & Scotus ex impossibilitate actus deducit impossibilitatem speciei; falsum etiam omnino est sensum communem per unam speciem ea omnia cognoscere, quæ sensus exteriores per plures, ac proprias species cognoscunt, ut notat Doct. 2. d. 3. q. 10. in fine, sed per proprias cognoscit, ac distinctas species, nec ad speciem, qua cognoscit colorem, concurrit odor, vel sapor inadæquate, aut e contra, sed unumquodque objectum sensibile independenter ab alio proprjam in sensu communi imprimit speciem, nec enim dicitur sensus communis, quia per communiores cognoscat species, sed quia virtutem habet illimitatam sentiendi omnia, quæ sensus exteriores singillatim sentiunt, & percipiunt. Nec tandem ultimum exemplum de pluribus causis simul concurrentibus suffragatur, quia falsum est, cum ita concurrunt, concurrere per eamdem actionem, & in ea actione identificari respectus ad illas diversas causas, adhuc enim concurrunt per diversas actiones licet partiales, ut dictum est in physicis, quæ non efficiunt unam actionem unitate identitatis, sed solum integritatis, qua etiam unitate singulæ diversæ causæ simul junctæ unam dicuntur constituere causam, unitate nimirum ordinis, & integritatis,

278 Tertio, quod si objecta sint subordinata in ratione superioris, & inferioris, possent uno, & eodem actu attingi, colligitur ex Doctore p. d. 3. q. 2. §. *quimo dico*, ubi ait magis, & minus universale posse per eamdem speciem cognosci, ficut ergo hæc objecta possunt per eamdem speciem impressam repræsentari, quia sunt subordinata, & superius in inferiori essentialiter continetur, ut qu. 7. diximus art. 2. sic quoque videntur per eamdem speciem expressam posse cognosci, nam sicut se habet species impressa ad repræsentationem virtualem, & habitualem, ita se habet expressa ad formalem, & actualem, tum quia actus distincte exprimens hominem necessario exprimit illum per suas partes, & singula prædicata ipsum quidditative constituentia, hæc autem in linea prædicamentali subordinate se habent; ut animal, corpus, substantia. Cum autem objecta subordinantur solum in ratione medii, & finis; licet forte voluntas posset uno, & eodem actu utrumque appetere, quia ut ait Doctor 3. d. 28. in fine, ibi est unica bonitas motiva, tamen quicquid sit de actu voluntatis, de quo disp. seq. certe de actu intellectus probabilius est non esse unum, & eumdem respectu finis, & mediorum, quia esto finis, & media non haberent distinctam bonitatem motivam, habent tamen distinctam veritatem, ut patet de conclusione, & præmissis, quæ licet ordinentur in ratione finis, & medii, adhuc tamen cognoscuntur diversis actibus, quia cognitio unius est causa cognitionis alterius; tum quia finis, & media respectu intellectus sunt distincta objecta formalia intelligibilitatem distinctam habentia, & alterius rationis, nam finis est ens ad se, medium ens ad aliud, finis habet intelligibilitatem absolutam, medium relativam, ergo nequeunt ab intellectu per eumdem actus numero cognosci, cum habeat diversas prorsus rationes terminandi, & specificandi actum.

279 Quarto, quod objecta disparata pluribus, & distinctis actibus cognoscantur, cum simul cognoscuntur, probatur; quia jam ostensum est non posse uno, ac eodem actu cognosci, ergo diversis; tum quia plures actus distincti, seu distincte attingentes plura objecta, sive subordinata, sive disparata, non sunt incompossibiles in intellectu, & quidem plures actus simul inveniri posse saltem cum aliqua subordinatione non videtur posse negari, nam judicans propositionem, an sit vera, vel falsa, habet actum judicii illius complexionis cum simplici apprehensione extremorum ejus, & syllogizans habet plures actus intelligendi simul, quia minor, & conclusio sunt nota simul tempore ex 1. Post. Sed & fine tali subordinatione plures actus de objectis prorsus disparatis esse simul compossibiles fatendum est, nam sæpe notamus differentias rerum, quæ nullam inter se habent subordinationem, nec una, ac eadem imagine repræsentari possunt, ut v. gr. quod Angelus non est color, ergo de illis objectis plures simul conceptu necessario formamus, experimur etiam plura interdum objecta nullam inter se connexionem habentia, aut subordinationem nobis in mentem venire, & ad ea cogitationem intendere, unde ut supra dicebamus, inveniuntur, qui plures epistolas simul dictent de rebus alienissimis, quo certe casu diversa objecta disparata simul, & semel intellectui obversantur sub diversis conceptibus. Vide Mairon. 1. d. 3. q. 11. ubi multis conatur ostendere hanc plurium actuum compossibilitatem *in intellectu*.

280 Aliqui id probant quoque ex virtute reflexiva intellectus, nam intellectus intelligens potest se supra suum actum reflectere, id autem necessario fit alio, atque diverso actu, ergo saltem in tali casu plures actus sunt simul compossibiles in intellectu. Bargius cit. ait, hanc rationem non multum urgere, quia dici potest in tali casu actum rectum habere rationem objecti, & non rationem actus. At non ex hoc capite debet hoc argumentum condemnari, nam licet actus rectus respectu reflexi haberet rationem objecti, adhuc tamen respectu objecti primi, & directi haberet rationem actus, & sic per duos actus attenderet ad duo objecta, potius ergo deficit argumentum, quia actus rectus subordinatur reflexo, unde non videtur probare omnino pluralitatem actuum, etiam circa objecta disparata, de quibus præcipue est dubium; tum quia valde dubium assumit de actu recto, quod si

si cognoscendus sit, id necessario fieri debeat alio actu reflexo, multi namque putant eumdem actum posse supra seipsum reflectere, ut Arriag cit. disp. 6. sect. 3. Suares 1. p. tract. 1 l. 2. cap. 18. n. 9. Salas p. 2. tract. 2. disp. 3. sect. 4. & alii ibid. docentes beatam visionem supra seipsam reflectere, nempe per eamdem visionem beatum scire se esse beatum, probat Arriag. ex cognitione divina, quæ supra seipsam reflectit absque additione alterius actus, ergo idem dici poterit de creata; tum quia de facto quando dicimus, *Omnis actus intellectus est cognitio, omnis cognitio possibilis, nulla excepta, est repræsentatio objecti*, nulli dubium est hunc ipsum actum, quo id affirmamus in his universalibus includi, atque ita supra seipsum reflectere, & semetipsum habere pro objecto; sic etiam dum dicimus, de conceptu omnipotentiæ est posse producere omnes creaturas nulla excepta, iste actus habet se pro objecto, nam ipse est una ex omnibus creaturis. Alii e contra negant, quia objectum est causa cognitionis, & prius ipsa, ergo est ab ea distinctum, & consequenter idem actus nequit esse cognitio sui; tum quia cognitio dicit relationem ad objectum, sed relatio debet esse distincta a termino; ergo & cognitio ab objecto, quæ argumenta retundit Arriag. in cognitione divina, quæ quidem seipsa cognoscit, nec tamen est distincta a seipsa, nec ad seipsam realiter refertur. Mairon. loc. cit. argumenta affert pro utraque parte, nec illa resolvit, sed quæstionem indecisam relinquit, argumenta pro parte negante cum allatis coincidunt; alia vero pro parte affirmante sunt quoque facilis solutionis, etiam illud ex objecto recordationis deductum, quod ipse validum æstimat, nimirum quod recordatio solum est eorum, quæ cum reflexione cognovimus, cum ergo omnium actuum nostrorum, quos antea habuimus recordari possimus, vel deveniendum est ad aliquem actum supra se reflexum, vel admittendus erit processus in infinitum; hæc ratio facile solvitur, nam talem processum Doctor multis in locis non inficiatur, præsertim quol. 14. prope finem, & revera in se nullam præfert repugnantiam.

281 Ut tamen breviter hac de re nostrum obiter proferamus placitum, notandum est, aliud esse loqui de reflexione formali, aliud de virtuali, si de ista loquamur, verum est, quemcumque actum intellectus supra se ipsum esse reflexivum, & hoc præcise probant argumenta, quæ profert Arriag. cum enim dicimus, quod *omnis actus intellectus est cognitio*, & alias hujusmodi propositiones, virtualiter solum includimus in eis illum eumdem actum, quo ipsas formamus, atque ideo virtualiter solum talis actus supra seipsum reflectit, suique ipsius est objectum, quod si de reflexione formali sit sermo, verosimilius est requiri actum distinctum, & superadditum recto, idque sufficienter suadere videntur argumenta secundæ opinionis, quibus non sufficienter facit satis Arriag. ex instantia divinæ cognitionis, hæc enim ob suam infinitatem æquivalet actui formaliter reflexo, ideoque supra seipsam formaliter reflectit absque actu superaddito, quæ quidem ratio non militat in cognitione creata, quæ est finita, & limitata; ideoque ob suam limitationem actum distinctum postulat, & superadditum, ut supra ipsam formalis fiat reflexio, unde neque satis rationabiliter ex cognitione divina probat oppositum Arriag. Verum est tamen, hoc difficulter sustineri posse a Theologis, qui concedunt, posse beatum unico actu cognoscere in Deo omnes creaturas possibiles, *uti probabile tenet* Doctor de anima Christi 3. d. 14. eum enim intra istarum numerum etiam illa ipsa visio comprehendatur, opus est, ut illa visio semetipsam reflexe attingat etiam formaliter, nam si solum virtualiter seipsam attingit, jam non distincte videret beatus omnes, & singulas creaturas possibiles per illam visionem, hoc itaque solum argumentum primam opinionem videtur reddere probabilem, si ad illam visionem non sufficit virtualis reflexio, quædam de actu reflexivo vide Doctorem quol. cit. 14.

282 Quinto tandem quod nequeat intellectus creatus propriis viribus simul, & semel non tot quin plura percipere, nec sic perfecte secundum intensionem actus plura per modum plurium intelligere sicut unum, probatur, quia intellectus creatus virtutem habet finitam, & limitatum conatum, ergo quia circa plura occupatur objecta, virtus ejus distrahitur, & remittitur, atque ideo non circa multa nimis objecta occupari debebit, ut ea distincte intelligat, nec ita perfecte quatuor actus eliciet, sicut unum, & hoc satis superque probat commune adagium, pluribus intentus minor est ad singula sensus, quot autem distincte intellectiones diversorum objectorum sint simul compossibiles in eodem intellectu, non potest certus, ac determinatus numerus assignari, sed id judicandum est ex varia ingeniorum dispositione, alius enim est alio promptior, & unus vegetiori ingenio præditus, quam alter, & hic consequenter circa plura objecta poterit occupari cum minori distractione, quam alter.

In contrarium objicitur primo intellectum nostrum plura non posse *intelligere* per modum plurium, sive uno, sive pluribus actibus; ita namque videtur Arist. docuisse 2. Top. cap. 4. dicens plura sciri, unum intelligi, idest sciri habitualiter, intelligi actualiter, & Met. cap. 4. qui unum *non intelligit, nihil intelligit*. Tum 2. non potest idem subjectum simul perfici distinctis formis ejusdem generis, ut non potest idem corpus simul affici diversis coloribus, vel figuris, ergo nec idem intellectus simul diversis intellectionibus. Tum 3. quælibet intellectio est verbum adæquatum ipsi memoriæ, ergo nequeunt multæ intellectiones esse simul. Tum 4. contingit, ut per distractionem mentis ad plura languescat attentio circa singula, ergo plura simul distincte totum suum conatum agens, & producens unum, non videtur quod aliud possit pro lucere, quia videtur terminum adæquatum habere, si enim aliud produxit, vel producere potest, jam primus productus non esset adæquatus. Tum 6. quia Scot. 2. d. 3. q. 2. & d. 9. expresse docet, quod duo actus intelligendi non possunt simul esse in intellectu. Tum tandem, quia eadem ratione possent simul esse assensus, & dissensus circa idem objectum.

283 Resp. Arist. in p. loco solum ostendere intendit, quod scire habituale est plurium, sed *intelligere* non est necessario plurium, quia potest esse unius; in alio loco intendit quodcumque nomen unum dumtaxat debere habere significatum, ut possit inter homines haberi collocutio, & disputatio, si enim omne nomen est æquivocum, omnis collocutio, & disputatio tollitur e medio. Ad 2. neg. paritas, colores enim inter se opponuntur, figuræ sese invicem impediunt, quia partes corporis distrahunt ad diversos situs, & argumentum ita bene probaret incompossibilitatem plurium specierum in eodem intellectu, ut plurium intellectionum; paritas igitur admitti non potest, nisi de actibus objectorum, seu conclusionum incompossibilium. Ad 3. Memoria est intellectus specie fœcundatus, itaque in casu plures essent memoriæ, non una, quia plures species coagerent intellectui ad plures intellectiones eliciendas circa diversa objecta, & quælibet intellectio suam pro eo tunc adæquiaret memoriam, non vero memoriam alterius objecti, & in hoc sensu debet intelligi assumptum. Ad 4. probatur solum non posse simul *intelligi* plura objecta in maxima copia, & non æque perfecte, vel intense intellectum plura, sicut unum, intelligere, ex quo tamen non sequitur aliqua competenter plura distincte *non intelligere*, quia ut innuit Scot. quol. 14. B. bifariam intellectio dici potest perfecta, vel imperfecta, formaliter ex parte actus secundum majorem, vel minorem gradum intensionis, & objective, cum res attingitur, vel non attingitur secundum totam suam entitatem; itaque circa plura haberet intellectiones aliquo modo imperfectas formaliter, quia una impediret intensionem alterius, sed non necessario objective, quia adhuc singulæ possent objectum suum attingere distincte, & secundum totam suam entitatem. Ad 5. negatur in tali casu, intellectum totum suum adhibere conatum circa unum objectum, simul enim etiam attendit ad alia, & talis simultanea attentio non excedit virtutem ejus, ut nequeat singula distincte attingere. Ad 6. Doctor in primo loco loquitur ad hominem, & ex *concessis* a D. Tho. ut notat Bargius *in alio loco* d. 9. sub lit. E. solum ait non posse simul intellectui inesse duas notitias ejusdem objecti, ac ejusdem rationis. Imo sub lit. T. expresse docet Angelum loquentem posse plures audientes habere, & in eis plures intelligentias causare, & demum si quando Arist. vel Scot. inveniantur negare plures intellectiones distinctas simul inesse eidem intellectui, loquuntur de perfectione cognitionis formali, non objectiva, quatenus cognitio unius remittit cognitionem alterius, & ideo duæ cognitiones nequeunt esse ita formaliter perfectæ, sicut una. Ad ult. neg. conseq. quia illi actus, ut sæpe dictum est, specialem inter se habent repugnantiam, adeout id, quod ponit unus, tollit alter directe, & immediate, unde contradictoria inducunt in eodem intellectu, & respectu ejusdem objecti simul, & semel, tunc enim intellectus judicaret v. gr. simul Petrum currere, & non currere pro eodem tempore, ex quo etiam sequitur, quod intellectus assentiret falso, quod est *prorsus impossibile, nam eo ipso, quod judicat Petrum currere*, cursus ei proponitur, ut verus, & ejus carentia, ut falsa, quia nisi potest simul esse, & non esse, quare non poterit eo ipso dissentire ipsi cursui nisi assentiendo falso, & dissentiendo vero.

284 Secundo contra objicitur cum Arriag. quod plura objecta disparata possint eodem actu intelligi, id namque sæpius experimur in actibus voluntatis, cum nempe plures fines, & disparati eodem actu appetuntur; si enim deambulatio proponatur utilis ad sanitatem, ad fugiendum hostem, ad recreationem, ad videnda aliqua spectacula foris, & similia, cur non poterit voluntas dicere unico actu, ergo eamus foras propter hæc omnia? *vel* quis dicit ibi debere necessario tot actus electionis reperi, quot habet fines voluntas? idem est, quando quis ob multorum interessionem uni parcit, ac dicit unico actu, parco tibi propter hos omnes, ubi quælibet interessio est partiale objectum formale, cum tamen ex se posset esse totale alterius actus, quo ob solam illam parceret, *ita* ergo poterit esse de actu intellectus, quod idem pendeat a pluribus objectis disparatis partialiter concurrentibus. Confirm. quia sicut non repugnat velle aliquod medium ob duos fines v. gr. deambulationem ob sanitatem, & recreationem, ita non videtur repugnare aliquem assentiri articulo fidei, & quia Deus dicit, & quia ei apparet per demonstrationem. Conf. 2. nam si quis dicat unus homo currit, tunc ille actus habet pro objecto formali unum hominem, & rursus per secundum actum potest *dicere de alio solo*, & *sic de omnibus divisive*, & tamen potest esse alter actus, qui utrumque hominem, imo omnes habeat pro objecto, dicendo omnis homo currit, *vel* tres currunt. Rursus cum eodem judicio indivisibili dicimus, Petrus non est Paulus; certe per hunc actum duo objecta attingimus disparata, Petrum scilicet, & Paulum, & actus ille non *efficitur a sola* specie Petri, nec a sola Pauli, sed debent ambæ concurrere partialiter. Tandem corporeus oculus videt eadem visione quantitatem, & colorem, quæ sunt objecta prorsus disparata, *videt* enim album quadratum, vel oblongum, ergo non est negandum intellectui.

285 Resp. quod quando concedatur eumdem actum electionis ex pluribus finibus, ac disparatis elici *posse* partialiter concurrentibus, quod tamen multi negant, adhuc negari debet de actu intellectus, siquidem quoad hoc disparitas *omnino est* ratio de actu intellectus, & voluntatis, quia voluntas ut dicemus disp. seq. esse potest totalis causa.

causa sui actus, nec objectum concurrit nisi terminative, ut notat Doctor 2. d. 25. & hoc ea præsertim ratione, quia actus voluntatis non est naturalis, & expressa similitudo sui objecti, sicut actus intellectus, qui proinde petit ab objecto partialiter gigni, ut proles a parente, qua de causa majorem videtur habere actus intellectus dependentiam a suo objecto, quam actus voluntatis a suo, & hinc est, quod actus voluntatis non tantam petit unitatem in suo objecto, quantam actus intellectus, & actus voluntatis potest attingere plura disparata, non actus intellectus, quia diversus prorsus est *modus* attingentiæ hinc inde, nam actus intellectus attingit objectum exprimendo illud, ac declarando, ut expressa ejus similitudo, & imago, sed actus voluntatis attingit *objectum illud* amplectendo, vel respuendo, possunt autem bene plura disparata objecta simul amplecti, vel respui per eumdem actum, sed non simul exprimi per eumdem, & declarari, quia cum sint diversæ prorsus naturæ, nequeunt per eamdem imaginem repræsentari. Deinde quando etiam totum id concederetur, nihil contra nos adhuc concluditur, quia non sumus in casu quæsiti, quæstio enim est, an possit intellectus eodem tempore elicere plures actus circa plura objecta disparata ea distincte attingendo, ita quod quilibet actus integrum habeat objectum, vel uno actu illis pluribus æquivalente, si ergo admittatur intellectum illa eodem actu attingere, velut objecta partialia tantum, & inadæquata, sane non illa attingit totaliter, & secundum totam eorum entitatem declarabit, in quo præcise sensu est quæstio, an possit intellectus uno, vel pluribus actibus plura objecta, ut plura simul attingere.

286 Ad Confirm. quando etiam concederetur posse nos assentiri articulo Fidei ex illo utroque motivo, nempe fidei, & scientiæ, quod Theologi magni nominis non sine magna ratione negant, tunc dici deberet ex eis non unum elici actum, sed duos simul compossibiles, ut supra dicebamus de motivo opinativo, scientifico, si ad assensum ejusdem conclusionis simul concurrere possunt. Ad 2. Confirm. cum dicitur, omnis homo currit, vel tres currunt, actus ille non habet pro objecto formali illos homines, sed cursum, qui de illis enunciatur, nam unusquisque consideratur sub ratione currentis, atque ideo homines illi non se habent nisi ut objecta materialia, quæ gratis concedimus non specificare, nec necessario multiplicare actus, sed posse unum, & eumdem terminare, ut est in proposito. Ad aliud loquendo de simplici actu, qui est simplex terminorum apprehensio, negatur extrema illius propositionis eodem actu attingi, si vero sermo sit de actu judiciario, & enunciativo concedi potest attingi eodem actu, sed non nisi ut objecta remota, nam proximum, & immediatum judicii objectum est tota illa complexio, & propositio, ut magis constabit ex q. seq. art. 2. Ad ult. cum sensibile commune non habeat speciem propriam distinctam a specie sensibilis proprii, ut constat ex dictis supra disp. 4. nu. 60. nullum est inconveniens, quod eodem actu attingatur, quo sensibile proprium, eique subordinetur in ratione sensibilis, unde falsum est, quantitatem, & colorem videri tamquam duas res, & objecta directa, tantum enim color directe videtur, & *per modum* rei, quantitas vero per modum conditionis.

287 Dices, non solum quantitas, & color, sed etiam album, & nigrum unica *visione* videri possunt, ergo tanto magis duo objecta disparata ab intellectu, qui est majoris virtutis, assumptum docet Doctor ex professo in lib. de Anim. qu. 8. ubi in corpore quæsiti resolvit sensum unica sensatione sentire contraria. Resp. imo Doctor ibi in respon. ad p. in contrarium verbis disertis inquit, quod *intellectus noster unica intellectione non potest plura objecta intelligere, si sunt disparata*, sed hoc tantum potest colligendo illa sub una ratione objectiva, nimirum differentiæ, vel contrarietatis, vel similitudinis, quo quidem modo non attingit illa disparate, idest, utrumque absolute, & secundum se, sed potius unum cognoscit in habitudine ad aliud, & hoc modo inquit sensum quoque interdum unica sensatione posse contraria sentire, nam visus potest album, & nigrum cognoscere simul, secundum quod conveniunt in quadam differentia, vel contrarietate, quæ est una ratio objectiva cognoscendi simul utrumque, & cum una sit, nulla certe videtur repugnantia, quin possit uno actu cognosci, quod nec etiam in omni rigore intelligendum est, ut ibi notat Cavell. quia differentia, & contrarietas sunt relationes, quas sensus non attingit, cum non habeat virtutem in rigore collativa, quare tenendum est, sensum relationes illas contrarietatis & differentiæ non nisi materialiter attingere; & in fine quæsiti optime innuit, quod sensus pluribus sensationibus sentit diversa sensibilia extra prædictum casum, cum illa sentit absolute, & secundum se, & optime declarat, quomodo id esse possit, & quomodo non, his verbis: *dicendum ergo, quod quando unus actus est ita intensus, quod adæquat sibi potentiam, tunc evacuat totaliter alium ejusdem potentiæ: si autem sit minus intensus, & circa terminum potentiæ, licet aliqualiter impediat alium, & e converso, non tamen totaliter depellit, sed secum compatitur; unus ergo actus sentiendi unum objectum obtenebrat alium, non tamen semper obfuscat*. Ita ille, quæ doctrina optime applicatur actibus intellectus, ut supra diximus.

QUÆSTIO X.

De triplici intellectus operatione, apprehensione, judicio, & discursu.

288 Consueta satis apud Auctores est hæc operationum intellectus trina divisio, cujus nos sæpius meminimus in Logica, & Doctor qu. 3. universalium, sumptaque est ex Arist. p. priorum cap. 1. sub nominibus termini, ad quem spectat simplex apprehensio, quæ est prima operatio propositionis, ad quem attinet judicium, quæ est secunda, & syllogismi, ad quem pertinet discursus, quæ est tertia; & suadetur hæc assignatio evidenti ratione, intellectus enim operando, & cognoscendo, vel simpliciter aliquid apprehendit, & concipit, v. gr. *hominem*, non affirmando, aut negando quidpiam de ipso, & hæc est prima operatio; vel ulterius progreditur judicando aliquid de homine assertive; vel negative, v. gr. quod sit rationalis, & hæc est secunda ejus operatio, vel tandem ex una re judicata, seu affirmata, vel negata aliam infert, & deducit ex uno in aliud discurrendo, ut v. gr. si ex hoc, quod homo est rationalis infert, quod est risibilis, & hæc est tertia operatio; hoc autem certo ordine assignantur, ac nominantur ejusmodi operationes prima, secunda, & tertia, quia gradatim se habent, & una semper aliam præsupponit, quia discursus præsupponit judicium de aliqua propositione, & judicium supponit simplicem apprehensionem terminorum illius propositionis, itaut quamdam præseferant inter se se prioritatem secundum causalitatem, ut Scot. ait, quol. 15. S.

289 Neque ab hoc trino operationum intellectus numero nos retrahere debent quidam alii actus, qui intellectui attribui solent, nec ad aliquam illarum trium operationum reduci posse videntur, ut sunt attentio, dubitatio, imperium, &c. nam ut ab ultimo incipiamus, imperium re vera non est actus intellectus, sed voluntatis, ut dicemus disp. seq. quod item multi de attentione affirmant, dicentes esse conatum voluntatis intellectum impellentis in considerationem alicujus objecti retrahendo illum ab aliorum contemplatione, sed quando etiam esset actus quidam intellectus, specialis nimirum conatus ejusdem, quo se deiicit, & profundat in contemplationem alicujus objecti, non proinde ponendus esset actus distinctus a tribus præfatis operationibus, ac peculiare quoddam cognitionis genus ab eis distinctum, sed potius dispositio quædam omnibus, & singulis inserviens, attentio tamque pariter adhiberur in prima, ac in secunda, & tertia operatione; major videtur difficultas de actu dubitationis, qui utique ad primam operationem non attinet, ut de se constat, quia dubitatio regulariter sequitur terminorum apprehensionem, nec ad secundam, quia intellectus per dubitationem veluti medius, & suspensus manet inter affirmationem, & negationem alicujus propositionis; nec ad tertiam ob eamdem rationem, quia qui dubitat de bonitate consequentiæ, non deducit unum ex alio, sed illationem suspendit. Cæterum hic quoque actus ad aliquam istarum operationum reduci potest, ac debet, ad secundam nimirum, vel tertiam; ad secundam quidem pertinet, quando continet dubitatio de connexione alicujus prædicati cum copula, tunc enim versatur circa conjunctionem ipsam terminorum; quoad an est, non determinate affirmando, vel negando, sed dubitando, quod sufficit, ut in tali casu ad secundam operationem reducatur; cum autem dubitatio contingit circa illationem consequentis ex antecedente, pertinebit ad tertiam operationem, quia tunc versatur circa *consequentiam unius propositionis ex alia*, non quidem determinate deducendo hoc ex illo, sed dubitando, quod item sufficere videtur, ut in tali casu ad *tertiam reducatur*. Vel dicendum per operationes intellectus in proposito intelligendos esse actus illos, quibus intellectus operando proficit, & perficitur, sunt enim veluti tres gradus intellectivæ cognitionis, per quos intellectus paulatim in cognoscendo progreditur, & elevatur, dubitatio autem non est actus perfectivus intellectus; atque ideo absolute inter ejus operationes annumerandus non est, ut hic de illis loquimur.

Supposita ergo hac triplici divisione operationum intellectus, ut ab omnibus recepta, & approbata, nunc ad singulas descendere oportet earum naturam, & conditionem scrutando, & examinando, quod quidem præstabimus per tres sequentes articulos, juxta numerum illarum, de singulis singillatim disputando.

ARTICULUS I.

Examinatur prima intellectus operatio.

290 Prima intellectus operatio ita fit, post receptionem speciei intentionalis in intellectu sequitur actus vitalis, qui dicitur apprehensio, quia per eam trahitur objectum quodammodo ad potentiam, illudque intellectus ita percipit, ut non ferat de illo sententiam, nec affirmando, nec negando, ut Scotus docet d. p. quæst. 3. D. & ex modo ita percipiendi objectum vocatur simplex apprehensio, quia simpliciter, & absolute objectum percipit, ut sic, nihil de eo judicando, tria autem dubia præcipua circa hanc primam intellectus operationem contingunt.

Primum dubium est de ejus objecto, num scilicet ejus objectum sint solum termini simplices, sive sint incomplexi, ut homo, album, &c. sive complexi, ut animal rationale, Filius Dei, &c. sed etiam integra propositio constans ex subjecto, & prædicato cum copula affirmationis, vel negationis. Hoc ultimum nonnulli negare videntur, ut Vasquez. p. p. disp. 75. n. 21. & disp. 223. & p. 2. disp. 62. & 79. quod probant, quia hac de causa Arist. 3. de Anim. 21. hanc operationem appellavit indivisibilium intelligentiam, & communiter appellatur simplicium apprehensio, quia nimirum per ipsam soli termini simplices apprehenduntur, non integra propositio, alioquin apprehensio a judicio non differret, cum posset habere idem objectum cum ipso, quod est propositio, ac unio prædicati cum subjecto.

291 Dicendum tamen est per simplicem apprehensionem, quæ est prima operatio, non tantum percipi posse simplices terminos, ut v. g. extrema propositionis, sed integram quoque propositionem, attingendo nimirum connexionem eorum, non tantum quoad voces, sed etiam quoad rem significatam. Ita significavit Doctor 2. d. 6. q. 1. ad 3. & 4. d. 8. q. 2. X. ubi dat exemplum de discipulo concipiente conclusionem non demonstratam, ut neuttam, & est modo communis omnius sensus Fonf. 4. Met. cap. 2. q. 6. Tolet. 3. de An. q. 21. & 22. Conimbr. ibid. cap. 13. q. 4. art. 1. Hurt. disp. 7. de An. sec. 1. Averf. q. 23. sec. 1. Arriag. disp. 6. de An. sec. 4. & alii passim; probatur evidenter, quia ut notat Doctor cit. 2. d. 1. q. 3. D. sæpius contradictoria complexa apprehendimus neutri parti assentiendo, quia adhuc certi non sumus de veritate alterius partis, unde quandiu in tali dubitatione manemus, utranque problematis partem simpliciter apprehendimus, & ita regulariter evenit, cum nobis problemata proponuntur, quorum nec certitudinem, nec evidentiam habemus, ut v. gr. an astra sint paria, an Petrus nunc studeat, tunc enim intellectus, cum rationes non habeat convincentes pro neutra contradictionis parte, utramque contradictionis partem apprehendit, non tantum quoad voces, sed etiam quoad significatum, sed nec affirmat, nec negat, nec præbet assensum, nec dissensum. Ratio a priori videtur esse, quia sicut per simplicem conceptum attingere possumus extrema propositionis, ita bene per conceptum ejusdem rationis attingere possumus connexionem inter illa absque affirmatione, vel negatione, assensu, vel dissensu, & ratio est, quia unio intentionalis, quæ est judicium, non est sola repræsentatio unionis utcunque, sed repræsentatio cum determinatione ad alteram contradictionis partem: non ergo qualiscunque apprehensio unionis prædicati cum subjecto est judicium, seu affirmatio, & negatio, seu apprehensio cum determinatione ad alteram partem, sed bene potest dari species repræsentans unionem extremorum, sicut ipsa extrema absque tali determinatione.

292 Respondent quidam auditis hujusmodi vocibus, astra sunt paria, nos non concipere rem significatam, sive connexionem inter prædicatum, & subjectum, sed tantum ipsas voces. Sed facile rejicitur hæc responsio, vel potius effugium, quia aliud apprehendit peritus linguæ latinæ auditis his vocibus, quam imperitus, sed hic etiam apprehendit ipsas voces, non secus ac ille, ergo peritus aliquid amplius apprehendit, scilicet rem significatam; simili modo cum audimus aliquem discurrentem, & suam sententiam variis rationibus confirmantem, etiamsi neque affirmemus, neque negemus, quod dicit, tamen si periti simus ejus linguæ, qua utitur, alios nobis formamus conceptus, quam imperiti ejusdem linguæ, quia nempe concipimus rem ipsam, quam ille vult astruere.

Respondent alii concedendo auditis illis vocibus, astra sunt paria, nos nedum concipere voces, sed etiam connexionem prædicati cum subjecto citra assensum, vel dissensum, sed talem apprehensionem inquiunt spectare ad secundam operationem, quam proinde distinguunt in apprehensivam, & judicativam Sed hoc quoque facile refutatur, quia omnis secunda operatio intellectus est judicativa, ea vero, quæ dicitur apprehensiva, pertinet ad primam operationem, notitia nimirum illa, quam formamus auditis illis vocibus, astra sunt paria, parum enim refert, quod verba illa nata sint generare secundam mentis operationem, quia tunc solum id præstant, quando audiens illa recipit formaliter, & significative per modum propositionis, secus vero quando materialiter, & recitative.

Nec auctoritas, & ratio ad oppositum convincit, Arist. enim *vocavit primam operationem indivisibilium intellectionem*, & communiter vocatur etiam simplicium apprehensio, quatenus est operatio simplex, & non composita, sicut secunda, & tertia, unde simplicitas, quæ hujus primæ operationi tribuitur, magis se tenet ex parte ipsius actus, quam objecti, unde rectius simplex apprehensio appellatur, quam simplicium apprehensio, cum per ipsam etiam complexæ, & integræ propositiones attingantur, sed quia ut ipsæ attinguntur per talem actum simpliciter, & incomplexe absque ulla scilicet affirmatione, vel negatione, & veluti per modum incomplexi, bene quoque talis operatio dicitur simplicium apprehensio, ut etiam simplicitas se tenet ex parte objecti. Neque ob id apprehensio confunditur cum judicio, quia licet uterque actus idem possit attingere objectum, *non tamen eodem genere attingentiæ*, nam apprehensio complexum ipsum attingit incomplexe, non ita judicium, quod propositionem attingit affirmando, vel negando, & quamvis apprehensio quoque unionem cognoscat extremorum, tamen quia non eam attingit cum determinatione ad alteram partem, non dicitur extrema illa intentionaliter unire, sicut facit judicium affirmando, vel negando.

Quæres, an simplex apprehensio possit saltem implicite, & virtualiter attingere propositionem complexe, seu cum determinatione ad alteram partem, v. g. an dum intellectus simpliciter apprehendit hominem distincte per suam definitionem, ut animal rationale, num etiam per eundem conceptum judicet hominem esse animal rationale, & rem esse talem, sicut apprehenditur. Affirmat Suarez disp. 8. Met. sec. 3. nu. 6. & sec. 4. n. 6. ubi hac de causa vult simplicem apprehensionem virtualiter, & implicite habere rationem judicii, imo non desunt asserentes posse per primam operationem attingi in propositione hoc esse illud, hominem esse animal, Petrum currere, &c. formaliter, & explicite fundamentum videtur esse, quia in simplici cognitione sensitiva attingitur objectum quoad est, videmus enim solem esse lucidum, parietem album, &c. ergo potiori ratione id concedendum erit primæ operationi intellectus nostri, quæ omni cognitioni sensitivæ præeminet.

Negative tamen respondendum est, licet enim simplex perceptio connexionis prædicati cum subjecto spectare possit ad primam operationem, ut probatum est, illa tamen determinatio, *qua res esse*, vel non esse cognoscitur, spectat ad secundam, & in hoc præcipue prima distinguitur a secunda, quod prima tantum percipit rem, seu propositionem quoad quid est, nimirum quid significetur per illum terminum, vel per illam propositionem; secunda vero determinate judicat affirmando, vel negando rem esse, vel non esse. Imo prima operatio ita absolvitur a judicio, ut nedum formaliter, & explicite, sed nec etiam virtualiter, & implicite illud includat, nam apprehensio, quantum est de se, indifferentem, & expeditum relinquit intellectum ad quodcunque judicium, sive affirmativum, sive negativum, apprehenso namque propositionis signi ficato potest cum ea apprehensione conjungi judicium affirmativum, vel negativum, assensus, vel dissensus, signum evidens apprehensionem quocunque modo e judicio præscindere, nec etiam virtualiter illud includere, ut dicebat Suarez. Ratio autem in oppositum parum urget, sensus enim non distincte percipit, & discernit, quid res sit, & an sit, sed imperfecte valde, & materialiter rem cognoscit, & ideo simplici intuitu utrumque attingere potest, quantum ad ipsum attinet; sed intellectus perfecte rem percipit, & inter utrunque discernit, atque ideo distinctis actibus percipit quid res sit, & judicat an sit.

293 Alterum dubium est, an in simplici apprehensione detur veritas, & falsitas, ubi sermo non est de veritate in essendo, quæ est passio entis, & omnibus rebus convenit, nec de veritate in significando, quæ proprie vocibus convenit, & signis, sed de veritate in repræsentando, & cognoscendo, quæ proprie convenit conceptui intellectus, quando vere exprimit, & repræsentat rem, sicuti est, atque ideo formaliter dicit conformitatem conceptus repræsentantis ad objectum in se, sicut falsitas negationem talis conformitatis, & difformitatem ad objectum, quam satis declaravimus disp. 10. Log. qu. 2. in qua difficultate tres reperimus opiniones, duas extremas, & unam mediam, etiamsi Auctores passim fateantur hanc esse quæstionem de nomine, quibus omnibus favere videtur Arist. diversis in locis, ut more suo rixas foveat, & contentiones inter Auctores. Prima opinio extrema negat primæ operationi tam veritatem, quam falsitatem, & solum concedit secundæ: ita Durand. p. d. 19. q. 5. Herv. quol. 3. q. 1. ar. 2. & 3. Cajet. p. p. q. 19. quos refert, & sequitur Vasq. p. p. d. 75. favet Arist. expresse 1. Perhier. c. 1. & l. 3. de An. c. 21. & 22. & 4. Met. 27. & 6. Met. 8. Alia opinio extrema utranque tribuit primæ operationi, non quidem per modum affirmationis, & negationis, quia in hoc sensu tantum convenit secundæ, sed per modum repræsentationis, pro qua citantur D. Thom. 1. Perhier. Lect. 3. & p. 1. q. 16. ar. 2. & 3 rursus Cajet. p. 1. q. 58. ar. 5. Valent. quæs. 17. de Deo punct. 2. Albor. 9. Met. tr. 4. c. 6. Fland. ar. 13. & favet ibid. Arist. 9. Met. 22. ubi concedit primæ operationi nedum veritatem, sed etiam falsitatem, saltem per accidens. Media tamen opinio tribuit apprehensioni veritatem, negat falsitatem, ita Averr. 3. de An. com. 27. Jand. 9. Met. q. 14. & 15. ibidem Alensis, & Aphrodis. prope finem, Albert. 3. de Anima tr. 3. c. 5. & est frequens inter Peripateticos, & intrepretes Arist. circa ea loca favet d. Arist. expressissime 3. de An. 21. & 26.

294 Hinc postea Auctores varias excogitarunt distinctiones, & evasiones, quibus conciliarent tot opposita, ac inter se dissona Arist. dicta in hac materia; Faber de pœnit. disp. 9. c. 3. n. 43. ait, quod simplicium apprehensio potest duobus modis considerari, uno modo, ut est pura, & simplex apprehensio quiddi tatis rei absque ulla affirmatione. Alio modo cum affirmatione, ita quod fiat propositio; primo modo in simplici apprehensione, nec veritas, nec falsitas reperitur, secundo modo reperitur utrunque, & juxta hanc duplicem considerationem simplicis apprehensionis Arist. modo ei concedit, modo negat veritatem, & falsitatem; Hæc tamen conciliatio frivola est, quia simplex apprehensio, si sumatur cum affirmatione, & negatione, non est amplius simplex apprehensio, nec prima operatio, sed compositio, & divisio, & Arist loc. cit. cum concedit vel negat veritatem, & falsitatem simplici apprehensioni, sane de ea loquitur, ut a compositione, & divisione secernitur; unde hæc distinctio nec conciliat Arist. locá, neque sic satisfacit.

Alii vero distinguunt de apprehensione simplicium terminorum, & de apprehensione integræ propositionis, & inquiunt, quod licet in priori apprehensione nequeat dari falsitas, sed sola veritas incomplexa, quia ut objectum non se habeat, sicut apprehenditur, opus est, ut apprehendatur aliquid ei conveniens, quod tamen non ei conveniat, sed in sola apprehensione subjecti, vel prædicati nihil apprehenditur, ut alteri conveniens, ergo non potest dari in ea apprehensione falsitas, in posteriori tamen dari potest veritas, & falsitas, nam si quis apprehendit Petrum esse lapidem, ille actus est difformis objecto, Petrus enim nullam habet identitatem cum lapide, & ille actus apprehendit talem identitatem, ergo est falsus: quod si apprehendat Petrum esse hominem, erit verus, quia conformis objecto; etiamsi nihil affirmetur, aut negetur de Petro; Hinc postea dicunt, cum Arist. negat falsitatem apprehensioni, loquitur de simplicium apprehensione, scilicet subjecti, vel prædicati, non autem integræ propositionis; ita discurrunt Hurt. disp. 9. de An. sec. 2. Arriag. disp. 14. Log. sec. 3. Cavell. disp. 3. de An. sec. 7. ubi tamen fatentur veritatem, & falsitatem simpliciter nonnisi in judicio reperiri, eo quia ex usu communi loquendi veritas, & falsitas solum sumitur pro complexa, & sic etiam loqui videtur Amic. tr. 21. Log. disp. 4. q. 2. dub. 3. ar. 5.

295 Cæterum nec ista conciliatio, esto satis ingeniosa, satisfacit, nam si penitus rem consideremus, videbimus nec in apprehensione propositionis quantumvis impossibilis falsitatem reperiri sumptam pro difformitate cum objecto apprehenso, nam quantumvis apprehendat quis Petrum esse *lapidem*, si non putat id esse, nec præbeat assensum, *sed* tantum percipiat significatum illius propositionis, & *concipiat solum*, quis sit sensus illorum verborum, non fallitur, nec disconformatur cum objecto, quia revera tale est significatum illorum verborum, & illius

propositionis, nec disconformitatur cum eo, quod est a parte rei Petrum non esse lapidem. Conf. quia cum intellectus apprehendit eam propositionem, Petrus est lapis, non affirmando, nec assentiendo, sensus est significatum illius propositionis esse, quod natura lapidis convenit Petro, in hoc autem nulla involvitur falsitas, esto namque falsum sit, Petrum esse lapidem, non tamen falsum est tale esse significatum illius propositionis apprehensæ, cum ergo simplex apprehensio extendatur solum ad percipiendum sensum propositionis, & quodnam sit ejus significatum, absque ulla prorsus affirmatione, vel negatione, quantumcunque sit hoc falsum, & impossibile, nunquam illa apprehensio erit falsa. Accedit, quod contradictoria simul apprehendimus, ut etiam Auctores illi concedunt, sed verum simul, & falsum dicere non possumus, quocunque modo sumatur veritas, & falsitas, ergo &c.

296 Aliqui ex nostris, ut Smisinch. tr. 3. de Deo, 1. disp. 1. n. 35. Vulp. to. 2. disp. 32. ar. 2. dicunt utique etiam in simplici apprehensione veritatem reperiri formaliter, ut scilicet dicit conformitatem conceptus cum objecto, sed adhuc magis specialiter in judicio residere, quia scilicet in ipso reperitur non solum formaliter, sed etiam objective, qua de causa simpliciter, & absolute solet veritas tribui secundæ operationi, quæ doctrina videtur esse Doct. 6. Met. q. 3. §. *dicendum est ad quæstionem aliter*, ubi hæc est una ex differentiis, quas notat ibi intercedere inter veritatem primæ, & secundæ operationis, & cum eo Ant. Andr. 6. Met. q. ult. & p. Perhier. q. 2. & eam ita explicat, nam neutra veritas cognosci potest, nisi cognosca ur, & comparetur cognitio cum objecto, & cognoscatur conformis, vel difformis objecto, quod fit per actum reflexum, sed hæc reflexio non potest fieri per primam, sed per secundam operationem, quia non potest fieri hæc comparatio sine compositione, & divisione, nam veritas incomplexa est conformitas actus simplicis ad objectum simplex, ut complexa ad objectum complexum, & utraque est formaliter in actu, illa in simplici, hæc in complexo, neutra autem in intellectu objective, nisi intellectus se reflectente super actum suum, & comparante ipsam ad objectum, utrum sit ei similis, & conformis, vel non, & tunc cognoscit istam conformitatem, & similitudinem, quæ est formaliter ipsa veritas; hæc autem reflexio, & comparatio non est sine compositione, & divisione, unde sequitur, quod in sola operatione complexa est veritas objective; Ea ergo ratione (concludit Smisinch.) cognitio complexa sibi vindicat veritatem, quia non solum subjectum est veritatis, quemadmodum simplex cognitio, sed etiam est judex veritatis. Vulpes etiam cit. n. 8. declarans modum essendi peculiarem, quem veritas in compositione, & divisione habet in intellectu objective, ait talem esse, ut eam intellectus facta compositione, & divisione extremorum, mox ex eorum evidentia percipit, eique assentiatur per actum quemdam reflexum comparativum in ipso causatum ex prædicta terminorum evidentia, quo movetur ad attingendam conformitatem cum suis extremis.

297 Hæc doctrina, quam isti Scotistæ ex Doctore afferunt loc. cit. proculdubio vera est (licet non in eo sensu, quo etiam intelligit Vulp. quasi assensus propositionis semper sit actus reflexus, ut constabit art. seq.) quia re vera ad cognoscendam veritatem primæ, vel secundæ operationis requiritur illa comparatio reflexa, ut explicat Doctor, quæ sine compositione, & divisione *fieri non* potest, atque ideo ad secundam spectat operationem, unde in hoc sensu veritas speciali modo residere dicitur in secunda operatione, quo non reperitur *in prima*. *Sed* hæc doctrina non sufficienter explicat Arist. loca, nec quæsito satisfacit, neque ad hoc propositum affertur a Scoto; non quidem explicat Arist. loca, quia cum Arist. negat veritatem primæ operationi, utique non loquitur de veritate objectiva, sed formali, ita perspicue intendit 1. Perhier. cap. 1. cum ait *Hircocervus aliquid significat, sed nondum verum aliquid, vel falsum, nisi esse, vel non esse addatur*, & in prædic. cap. 1. ultimis verbis, cum inquit, *quæ secundum nullam complexionem dicuntur, nullum neque verum, neque falsum est*, sane his verbis a simplici apprehensione excludere intendit, nedum veritatem objectivam, sed etiam formalem, quæ explicatur per hoc, quod est rem *esse*, vel non esse; Nec etiam satisfacit quæsito, quia re vera quæstio movetur de veritate formali, & rationes, quibus probari solet veritatem soli operationi secundæ convenire, non primæ, concludunt de veritate formali, non de objectiva, nec tandem doctrina hæc ibi a Scoto adducitur ad hoc propositum, quia ibi non disputat Doctor, num veritas secundæ operationi tantum conveniat, an etiam primæ, sed potius supponit utique convenire, & postea explicat duas differentias intercedentes inter veritatem hujus, & illius, quarum una est, quod veritati primæ operationis non opponitur falsitas, sicut veritati secundæ, sed ignorantia tantum; altera est, quod primæ operationi convenit veritas formalis tantum, sed secundæ formalis, & objectiva simul modo jam explicato, & hoc totum verum est, sed non debebant idcirco relati Scotistæ ex hac secunda differentia sumere modum decidendi præsens quæsitum, quod vertitur duntaxat de veritate formali, sed potius ex prima, ut postea dicemus.

298 Frequens quoque modus (quo etiam interdum nos usi sumus in Logica obiter loquendo) dissolvendi præsens quæsitum solet esse de veritate complexa, & incomplexa, & quod hæc utique competat primæ operationi, non illa, & in hoc sensu locutum esse Arist. Sed certe nequit hic modus dicendi plene satisfacere dubio, nec dictis Arist. nisi melius explicetur, nam & Arist. ipse, & alii omnes concedunt actui simplici conformitatem ad suum objectum simplex, & actui complexo ad objectum complexum, & postea quærunt, an veritas conveniat tantum actui complexo, vel an etiam incomplexo convenire possit, & Arist. plerisque in locis negat convenire, unde in hoc ipso quæsito dubitant, an dari possit veritas *incomplexa*, ideoque *principium* peti videtur, cum dicitur actui simplici convenire veritatem incomplexam, hoc enim est, quod vertitur in dubium, an conformitas actus simplicis ad suum objectum possit dici veritas, tum quia si hæc distinctio sufficit ad resolvendum quæsitum, opus non erat Arist. tantopere laborare, ut ostenderet veritatem complexam simplici operationi non convenire, sed complexæ, quia nemo de hoc dubitabat; tum tandem, quia licut datur veritas incomplexa, ita quoque falsitas incomplexa admitti debebit, cum oppositorum sit eadem ratio, atque ita sicut primæ operationi veritas incomplexa adscribitur, ita quoque falsitas rationis debebit adscribi, sed si res in hunc modum se habet, cur Arist. ita sæpe, & cum eo communis opinio primæ operationi concedit veritatem, & negat falsitatem?

299 Dicendum est pro resolutione quæsiti, veritatem cum *omni* proprietate convenire simplici apprehensioni, non ita falsitatem. Conclusio colligitur ex Scoto cit. 6. Met. q. 3. ubi veritatem formalem, quatenus est conformitas conceptus ad objectum, ita tribuit conceptui simplici, sicut complexo, & illam appellat veritatem incomplexam, hanc vero complexam, nec secundam operationem a prima secernit, quia secunda sit subjectum veritatis formalis, non prima, imo directe, ait veritatem propriam formaliter esse in utraque, sed quia in secunda nedum formaliter veritas residet, sed etiam objective modo explicato, quod non contingit in prima; falsitatem vero proprie tribuit tantum secundæ operationi, nam veritati primæ operationis, inquit, non opponi nisi ignorantiam; Quo igitur ad veritatem probatur expressis Arist. testimoniis, nam 3. de An. 26. plane concedit simplici apprehensioni veritatem, imo docet semper esse veram, & nunquam falsam, sic etiam loquitur eodem lib. tex. 21. & p. de An. 63. & 4. Met. 24. & 9. Met. tex. ult. Nec dicat Vasquex Arist. *his in locis* loqui de veritate improprie, & per quandam similitudinem, quod colligere satagit ex illo ultimo context. lib. Met. potius enim ex eo loco colligitur oppositum, siquidem ibi Arist. negat in simplici apprehensione falsitatem proprie dictam, & concedit ineste veritatem, ergo loquitur de veritate proprie dicta, quia ibi ita concedit simplici apprehensioni veritatem, sicut negat falsitatem.

300 Et hoc etiam ratione stabilitur, quia cui convenit proxima conformitas, convenit proprie veritas, cum veritas essentialiter consistat in conformitate signi ad signatum, at conceptui simplici convenit propria conformitas cum suo objecto incomplexo, non secus ac conceptui complexo conveniat conformitas cum suo objecto complexo, ergo non minus proprie illi convenit, quam isti. Tum 2. quia veritas est conformitas rei cum sua regula, & quia imago est instituta ad repræsentandum prototypum, ideo est conformitas cum suo prototypo, sed conceptus simplex non minus institutus est ad repræsentandum objectum incomplexum, tanquam prototypum suum, & regulam, quam conceptus complexus, cum omnis cognitio sit essentialiter repræsentativa sui objecti, ergo non minus est veritas in prima, quam in secunda. Tum deinde, quia in omnibus signis præsertim naturalibus prout conformantur rebus, quas significant, formaliter veritatem reperiri necesse est, ergo veritas formalis immerito negatur in simplici etiam intellectus operatione, quia cum veritas ex suo conceptu *formali* non dicat nisi conformitatem signi ad signatum, nam cum minori proprietate convenit cognitioni simplici in ordine ad objectum simplex, quam completæ in ordine ad objectum complexum, uterque enim est similitudo naturalis, & expressa sui objecti; Tum præterea, quia in intellectu divino nulla est compositio, & divisio, & secundum aliquos neque in Angelico, & tamen in eorum actibus est veritas cum omni proprietate, ergo in conceptu simplici reperitur veritas proprie dicta. Bene verum est, veritatem primæ, & secundæ operationis esse alterius rationis, & utranque diversimode suum repræsentare objectum, sed ex hoc non sequitur veritatem primæ operationis esse improprie dictam, sed solum sequitur esse duas species veritatis, quarum utraque potest esse propria, quia veritas in communi sumpta pro conformitate signi ad signum non magis proprie ad una speciem applicatur, quam ad aliam. Concedimus insuper in communi modo loquendi veritatem sumi pro veritate complexa, sed neque ex hoc deduci debet veritatem primæ operationis esse improprie dictam, nam & nomen animalis apud vulgus sumi solet pro animali bruto, & tamen hinc non recte deduceretur hoc *nomen* animal improprie homini applicari, & ideo male Vasq. opinionem suam in vulgari modo loquendi fundavit, cum ratio suadeat oppositum; concedenda est ergo veritas incomplexa distincta a complexa cum omni proprietate, & tribuenda est primæ operationi, cui quando Arist. negat veritatem, de veritate complexa intelligendus est, cui opponitur falsitas, ideoque p. Perhier. c. 1. dicebat in simplicibus vocibus, & conceptibus non esse verum, & falsum, ut innuerer, non de quacunque veritate verba facere, sed da illa, cui opponitur falsitas; hæc enim soli propositioni convenit, in quo etiam sensu intelligendus est Scot. in 2. d. 6. q. 1. ad 3.

301 De falsitate autem, quod proprie simplici apprehensioni non conveniat, probatur, sic enim expresse docet Arist. 3. de An. 26. & 9. Met. text. ult. ubi inquit non contingere per simplices conceptus intellectum falli, ac decipi, sed potius non attingere, & ignorare objectum, ideoque dicebat Doct. loc. cit. veritati primæ operationis non opponi falsitatem proprie dictam, sed solum ignorantiam, & non attingentiam rei; hoc optime declarat Arist. 3. de An. 26. exemplo sensus, nam cum sensus, puta visus, attingit visibile, dicitur verus visus, cum vero non attingit objectum, nec illud percipit, non dicitur falsus visus, vel falsus sensus, sed dicitur proprie non videre, nec sentire,

tire, unde illa non est falsa sensatio, nec falsa visio, sed carentia *visionis*; & sensationis; sic etiam contingit in proposito de simplici apprehensione, aut enim intellectus concipit aliquod objectum, & talis conceptus semper est vera, quia vere repræsentat, & attingit tale objectum, aut si non illud concipit, sic penitus ignorat, & non attingit, & ideo non dicitur falli, & decipi, sed nescire, & ignorare, & hæc est Arist. doctrina textibus citatis.

302 Sed circa hanc probationem conclusionis, & Arist. doctrinam occurrit difficultas, cujus solutio totam rem manifestabit, *dicet enim* quis in hac prima operatione falsitatem in eo contingere posse quod non apprehendat intellectus id, quod non apprehendere intendit, sed aliud diversum, v. g. si *intendens* aurum apprehendere apprehendat auricalchum pro auro, sic enim proprie videtur falli, ac decipi, quia unum apprehendit pro alio, ergo *non* attingendo objectum fallitur, & decipitur; sed etiam attingendo objectum videtur posse falli, & decipi, cum nimirum rem compositam apprehendendo non consideret omnes, & singulos gradus essentiales ejus, sed unum, vel alterum.

Resp. ex primo casu non deduci falsitatem in actu apprehensionis, nam *illa* apprehensio *in eo casu non* est auri, sed auricalchi, quod vere apprehendit, ideoque dicitur vera, quia falsitas non est disconvenientia ad rem, quam quis quærebat concipere, sed debet attendi *in ordine* ad rem, quæ de facto concipitur; solum ergo deducitur apprehendentem non obtinuisse intentum suum, quia intendens apprehendere aurum concipit auricalchum, & *in* hoc sensu etiam dicitur falli, & decipi, quæ falsitas est practica potius, & moralis, quam speculativa, quia non obtinuisse *intentum non reddit actum illum speculative* falsum; & quidem in eo casu non contingere falsitatem proprie dictam evidenter ostenditur, quia falsitas conceptus consistit in quadam inadæquata objecti repræsentatione, si enim objectum nullo modo attingitur, non est falsa cognitio ejus, sed pura ignorantia, vel vera cognitio alterius objecti, non falsa istius cognitio, quia falsitas est disconformitas ad illam rem, quæ est objectum cognitionis, non ad quamcumque aliam rem; non enim dicimus animal rationale fallum conceptum leonis, sed non conceptum leonis, quia leo sub nulla ratione propria attingitur per conceptum hominis, & quia alioqui omnes conceptus veri essent falsi, quatenus non conformes alicui alteri enti, nisi illis, cujus sunt veri conceptus. Neque etiam ex secundo casu sequitur falsitas *in actu apprehensionis*, quia ad falsitatem conceptus requiritur, ut res concipiatur aliter, quam sit, nempe cum repugnantibus prædicatis, nec sufficit sola inadæquatio conceptus, hæc enim est quædam præcisio, & pura abstractio conceptus, quæ cum veritate, quia abstrahentium non est mendacium, unde conceptus inadæquatus, quo præcise concipitur homo sub ratione animalis, est verus, quare inadæquatio conceptus non reddit falsam rei apprehensionem, sed confusam & in distinctam dumtaxat; cum ergo ad falsitatem proprie dictam, ut distinguitur ab scientia, & pura ignorantia, requiratur, ut res concipiatur positive aliter, quam sit, idest cum prædicatis repugnantibus, unde D. Aug. lib. 83. qq. q. 32. definit conceptum falsum, quo quis rem aliter quam sit, intelligit, & Arist. 4. Met. 27. ait falsum esse ex eo, quod *judicatur esse*, quod non est, vel non esse, quod est: hinc patet, quomodo falsitas proprie opponatur cognitioni complexæ, non incomplexæ.

303 Quo autem sensu dixerit Arist. 9. Met. tex. ult. per accidens falsitatem contingere in apprehensione simplici, plures refert expositiones Amic. cit. art. 4. communis expositio videtur esse intantum posse falsitatem contingere in cognitione ipsius quid est, inquantum hæc cognitio haberi potest, non solum per simplicem apprehensionem, sed etiam per compositionem, & judicium, quare si hoc modo illum quid tribueretur alteri, cui non convenit, tunc in ejus cognitione contingeret falsitas, quod est per accidens, quia essentia rei per se petit simpliciter concipi, & satis concipitur per simplicem conceptum explicitum. Hanc tamen expositionem non recipit Doctor cit. 5. Met. q. 3. notat enim quod Arist. tex. illo ultimo 6. Met. non absolute dicit circa quid falsitatem contingere solum per accidens, sed distinguit de intelligentia simplici, inquantum est circa quid simplicium, & circa quid compositorum, & ait circa quid compositorum cadere deceptionem per accidens, non circa quid simplicium, data autem prædicta expositione, ita bene contingeret deceptio per accidens, circa quid simplicium, sicut circa quid *compositorum*, quia *ita quid simplicium* potest alteri tribui per compositionem, sicuti quid compositorum; ex hac ergo ipsa Arist. distinctione de quid simplicium, & compositorum eruit Scot. illius dicti interpretationem, & ait circa quid compositorum posse per accidens deceptionem contingere, quia eorum quid natum est facere conceptum non simpliciter simplicem, idest plures partes habentem, in quo proinde cadere potest falsitas virtualiter apprehendendo aliquid sub determinatione sibi non *conveniente*, & *hoc modo* dicitur, 5. Metaph. tex. 34. quod est aliqua ratio in se falsa, & non solum de aliquo falsa, & tamen ratio illa in se falsa simplici apprehensione intelligibilis est; vide ibi Doctorem, & 9. Met. in expositione illius text.

304 Dices, per simplicem apprehensionem potest res concipi, aliter ac sit, ut homo tanquam quadrupes, angelus tanquam corporeus, apprehendendo nimirum totum hoc complexum, quod bene fieri potest per primam operationem, sane in hoc casu attingitur objectum, scilicet homo, vel Angelus, unde dici non potest contingere hinc ignorantiam, seu non attingentiam, ut in superiori casu de auro & auricalcho, & attingitur, aliter ac sit, quia concipitur Angelus sub ratione corporei, homo sub ratione quadrupedis.

Resp. in his, & *similibus casibus* intellectum nihil concipere de Angelo, aut de homine, sed præcise apprehendere significatum illius complexi, nimirum quid significent isti termini complexi, homo quadrupes, Angelus corporeus, in quo nulla prorsus deprehendi potest falsitas, imo cum ista apprehensione consistere potest judicium determinatum, quod homo non est quadrupes, nec Angelus corporeus; & hæc solutio longe præstat illi, quam dant alii concedentes falsitatem per se in prima operatione, quando versatur circa objectum complexum, & recipit Amic. loc. cit. concl. ult. nam supra ostendimus, id nec etiam in integra proportione apprehensa concedi debet, tanto igitur minus in termino complexo.

305 Tertium tandem, ac ultimam dubium est, an apprehensio integræ propositionis sit qualitas *simplex*, an composita ex tribus actibus terminatis ad subjectum prædictum, & copulam singillatim; & movetur dubium determinate de apprehensione integræ propositionis, quia de apprehensione *simplicium* terminorum, scilicet subjecti & prædicati, non est difficultas, quin quæliber sit qualitas simplex, & unius actus. Docent nonnulli esse composita tam ex illis tribus actibus, & ratio est, quia propositio est, cujus partes separatæ adhuc significant, suamque retinent significationem, sed voces externæ substituuntur loco conceptuum, & in seipsis præferunt, quod in actibus mentis gerit, ergo conceptus mentalis, cui propositio correspondet, talis est, ut *plures habeat* partes, quarum quælibet per se suum partiale repræsentet objectum, non ergo uno simplici actu tota propositio apprehenditur. Et Conf. quia quando propositio concipitur, posset in mente remanere conceptus unius partis propositionis sine conceptu alterius, v. g. subjecti sine conceptu prædicati, ergo *in illo* conceptu erant *distinctæ partes*, *idest distincti actus*.

306 Probabilius tamen est, apprehensionem integræ propositionis esse distinctam a singulis apprehensionibus terminorum, & actum *novum illis* superadditum, *respicientem* pro objecto adæquato integram propositionem, & indivisibiliter repræsentantem copulam prædicati cum subjecto: probatur, quia apprehensiones terminorum simplicium, scilicet subjecti, & prædicati sunt actus absoluti, non comparativi, nam unusquisque suum repræsentat objectum, ergo ex *illis* simul etiam sumptis nequit componi apprehensio integræ propositionis, per quam unum extremum cognoscitur in ordine ad aliud; nam adhuc actus illi absolute terminos propositionis repræsentarent, non autem relate in ratione subjecti, & prædicati. Conf. quia fieri nequit comparatio, nisi per actum indivisibilem extrema connectentem, & comparantem, sed per apprehensionem integræ propositionis unum extremum confertur ad aliud, & in ordine ad aliud cognoscitur, licet sine affirmatione, & negatione, ergo illa *apprehensio dicit unicum* actum indivisibilem. Demum singulæ illæ apprehensiones extremorum, & terminorum propositionis etiam simul sumptæ non sufficiunt ad exprimendam unionem prædicati cum subjecto, ergo requiritur alter actus, qui indivisibiliter attingat extrema per copulam, & comparet, atque connectat unum cum alio: probatur assumptum, quia si plures apprehensiones simul sumptæ ad hoc sufficerent, tunc etiam sensus posset propositiones conficere, & unum *objectum cum alio conferre*, & *comparare*, quia potest simul habere apprehensiones duorum objectorum, nempe hujus, & illius coloris, aut hominis, quod tamen a nemine conceditur.

307 Nec ratio in oppositum cogit, *minime enim* opus est quod omnis distinctio, & comprobatio, quæ in *vocibus externis* repetitur, actibus *internis* adamussim correspondeat, *tum* quia voces externæ non actus internos directe significant, sed res ipsas mediantibus illis ut diximus in log. q. p. disp. p. tum quia regulariter pluribus vocibus indigemus ad exprimendum, quod paucioribus actibus, vel etiam uno actu intelligebamus; sequitur ergo solum ex argumento, quod cum voces directe res ipsas significent, in re concepta, & significata inveniantur interdum partes, quæ distinctis vocibus significentur, & etiam distinctis actibus possint concipi, quando concipiuntur, ut plura; at quia *in* propositione sumuntur per modum unius, unico quoque actu concipiuntur. Ad Conf. neg. assumptum, possunt quidem remanere separati in *mente* conceptus absoluti de terminis conficientibus propositionem, tamen semel integrata ex eis propositione implicat, ut in eo actu, quo concipiuntur per modum unius in tota propositione, possint separari, quia unus est actus, quo tota propositio concipitur, & extrema propositionis indivisibiliter attinguntur.

ARTICULUS II.

Expenditur secunda intellectus operatio.

308 Post simplicem apprehensionem sequitur judicium, cujus variæ sunt acceptiones, ut notat Scot. p. d. 47. q. 1. §. *respondeo*, sed in proposito sumitur pro illo actu, quo intellectus postquam apprehendit propositionem ut neutram, more judicis sententiam fert in alterutram partem affirmando, vel negando, qua da causa dicitur judicium, de quo item tria dubia præcipua sunt in præsenti articulo resolvenda.

Primum dubium est, an intellectus eodem actu *judicet*, & assentiatur propositioni in diversis, & sensus est, quid formaliter includat assensus intellectus, quo vero complexo assentiri, præferat vel tantum ipsum actum compositivum directum, quo formantur complexiones de terminis *apprehensis*, itaut formalissime idem sit componere & *videre*, ac assentiri vel dissentiri prædictis complexionibus, vel potius præter illum actum *includat* alium actum *reflexum* comparativum, quo intellectus seipsum reflectendo supra actum præcedentem secundum compositionem, & divisionem percipiat conformitatem ejus ad objectum mensurans. Quamplures opinati sunt

assensum propositionis esse actum prorsus distinctum ab actu compositivo, vel divisivo ejusdem, eique superadditum, itaut intellectus uno actu componat, vel dividat, & alio deinde propositioni affirmanti, vel neganti assentiatur, tribuitur Ocham qu. prima Prolog. Gabr. & Majori ibidem; tenet Vulp. loc. cit. conclusione ultima, ubi proinde affirmat assensum esse actum reflexum, quo intellectus reflectendo supra actum compositivum, vel divisivum percipiat conformitatem ejus ad objectum mensurans, & convincitur idem a contrario de dissensu; hoc Lich. sentire videtur, quæstione prima Prolog. in fine, & 3. dist. 23. quæst. unic. §. *de secundo*, ubi dicit assensum esse simpliciter alium actum ab actu cognoscendi propositionem.

Nihilominus oppositum longe probabilius est, cognitionem scilicet enunciativam, & judicium idem esse, quod assensum, vel dissensum intellectualem, ita videtur sentire Doctor cit. 4. dist. 47. q. 1. ubi judicium prædicativum præmissarum, & illativum conclusionis confundit cum assensu, nec ab alio discernit, & probatur primo ex Arist. qui 2. Perhier. cap. ult. mentales enunciationes contrarie oppositas vocat opiniones contrarias, sed opinio est judicium quoddam cum assensu ad unam partem problematis, & dissensu ab alia & 6. Ethic. ita loquitur; *Est autem id in appetitu profecutio, & fuga, quod in mente affirmatio, & negatio*, ac si diceret, assensus, vel dissensus, & 4. Metaph. tex. 9. primum illud principium, impossibile est aliquid simul esse, & non esse, inquit, ita notum esse, ut ne quidem mente possit ab ullo negari, quod non bene diceret, si quis mente negare aliquid posset, non judicando illud esse falsum, sed solum apprehensione negativam propositionem formando,

309 Deinpe probatur evidenter rationibus, primo ex vocali enunciatione, nam cognitio mentis declaratur per voces, sed actus indicativus non declaratur, nisi per affirmationem, aut negationem, in mente non distinguitur judicium ab affirmatione, & negatione mentali, quia si distingueretur, posset aliis verbis explicari, quam affirmatione, & negatione.

Secundo ex natura affirmationis, & negationis, est enim cognitio, qua aliquid alteri tribuimus, vel removemus, hoc autem non fit realiter addendo aliquid objecto, vel removendo, sed cognitio, qua quis cognoscit aliquid alicui convenire, vel non convenire, at assentiri, vel non assentiri mente, nil aliud est, quam indicare rem sic esse, vel non esse, seu aliquid alteri convenire, vel non convenire.

Tertio ex natura ipsius secundæ operationis, quæ in hoc distinguitur a prima, quod prima tantum percipit rem suam seu propositionem, secunda determinate judicat affirmando, vel negando rem esse, vel non esse, quod sane sine assensu, vel dissensu præstari nequit, nam formalissime hoc est assentiri vero complexo, quod illud judicare verum, & affirmare ob suam evidentiam, vel alio ex capite; dissentiri e contra illud judicare falsum opposita de causa, & negare.

Quarto, ex definitione assensus, & dissensus; assensus namque est adhæsio intellectus alicui propositioni veræ affirmando, dissensus e contra est abnutus intellectus ab ea per negationem, ergo dissensus, & assensus necessario affirmationem, & negationem includunt, nec nisi per eas exerceri possunt.

Quinto. Tandem quia falsum omnino est, quod ajebat Vulpes cit. assensum esse actum reflexum comparativum, quo intellectus reflectit supra actum compositivum præcedentem, & attingit conformitatem ejus ad objectum, quia experientia docet nos assentiri alicui vero complexo absque ulla prorsus reflexione per hoc solum, quod directe unum de altero affirmans, bene quidem dari potest judicium per modum cognitionis reflexæ, quo cognoscatur & affirmetur veritas, quæ erat in alia cognitione, ut cum dicimus, hæc cognitio est vera, & hic est quod intendit Scotus ibid. ab eo citatus 6. Met. qu. 3. tamen in judicio directo de reipsa, cum v. gr. affirmamus, homo est animal, utique objectum judicii non est ipsa veritas, & conformitas animalis cum homine, ut magis infra patebit.

310 Objicies cum Lichet. q. p. prol. cit. quod alius sit actus, quo cognoscitur unio prædicati cum objecto, & alius, quo illis assentimur, non potest aliquis naturaliter habere cognitionem de ista propositione, Deus est Trinus, & unus, non tamen potest illi firmiter assentiri, ut simpliciter veræ; probat. assumptum, nam tam fidelis, quam infidelis, cum disputatur de ista, uterque cognoscit eam, quia cognoscit, quid importatur per illam, & tamen fidelis assentitur, infidelis minime.

Resp. hoc probare dumtaxat, quod dicebamus art. præc. posse dari apprehensionem de integra propopositione sine judicio, vel assensu affirmando, vel negando, & hoc ingenue (ni fallimur) nec quid amplius intendit Lichet. cit. ut colligitur ex ejus verbis, dum ait fidelem, & infidelem æque cognoscere, quid importetur per illam propositionem, Deus est Trinus, & unus; vult dicere, quod antecedenter ad judicium, & assensum, vel dissensum uterque bene apprehendit illius propositionis significatum, & cognoscit, quid sibi velit illa conjunctio, quidve significet propositio, in qua tali objecto tribuitur tale prædicatum, nec affirmando per assensum, nec negando per dissensum. Dices, imo uterque cognoscit propositionem illam, ut affirmativam, citra assensum, vel dissensum, ergo re vera affirmatio, & negatio sunt actus distincti ab assensu, atque dissensu. Neg. conseq. antecedente admisso, aliud enim est cognoscere propositionem, ut affirmativam, vel negativam, aliud eandem cognoscere affirmando, & negando, verum est antecedenter ad judicium, & assensum, vel dissensum eorum utrumque cognoscere propositionem illam, ut affirmativam, sed non affirmando, & negando, in quo præcise consistit judicium affirmativum, & negativum, seu assensus, & dissensus, & inde fere contingit, quod assentimur propositioni negativæ, & dissentimus affirmativæ.

311 Alterum dubium est, an secunda operatio intellectus sit simplex qualitas, & sensus est, an judicium tam affirmativum, quam negativum sit unus actus simplex intellectus approbantis, vel improbantis aliquid, an vero sit actus compositus ex pluribus, sicut ipsæ voces, quibus judicium mentis exprimitur, sunt plures conflantes unam integram enuntiationem vocalem. Opinantur quamplures esse actum compositum, & veluti integratum ex pluribus partialibus, & inquiunt hac ratione secundam operationem vocari compositionem, ita Vasq. p. p. disp. 223. c. 3. Mol. p. p. q. 1. art. 3. concl. 3. Ruvius p. Perihier. c. 4. q. 4. qui alios citant, sequitur ex nostris Vulpes tr. de Angelis, disp. 13. ar. 6. & valde probabile putant Brasavol. in suis miscellaneis qu. illa, an in secunda operatione intellectus sit veritas, & falsitas, & Posnan. 1. dist. 3. q. 3. disp. 3. & Scot. ipse p. Perhier. q. p. ad 3. inclinat; Sed quomodo ex pluribus actibus intellectus fiat ista compositio, vario modo declarant; quidam explicant hanc compositionem in toto rigore, ita ut non solum sit intentionalis, sed etiam physica, dicunt enim uno simplici actu intellectum apprehendere subjectum, alio prædicatum, deinde alio actu attingentem copulam conjungere, & unire illos duos actus, & in tali compositione, & conjunctione consistere judicium; ita videtur loqui Molin. alii negant in intellectu correspondere copulæ peculiarem conceptum, dicentes dari tantum in hac compositione duos conceptus, alterum subjecti, alterum prædicati, conceptus non quidem absolutos, sed relatos, quibus unum extremum concipiatur, ut alteri relatum in ratione convenientis, vel disconvenientis; ita videtur loqui Vasq. loc. cit. Alii vero fatentur hanc compositionem non esse capiendam in toto rigore, quasi secunda operatio componatur ex pluribus intellectionibus, quarum una se habeat ut actus per se, vel per accidens respectu alterius, sed dicitur compositio, vel composita large sumendo compositum pro aggregato, aggregatur enim ista actio intellectus ex pluribus intellectionibus incomplexis, sicut propositio vocalis, quæ illi subordinatur, & scripta aggregatur ex pluribus terminis, ita Brasavol. & Posnan. cit.

312 Oppositum tamen probabilius est, nimirum secundam operationem esse novum actum elicitum post omnem apprehensionem, ab ea condistinctum, & in se formaliter simplicem; Colligitur ex Scoto loc. infra citan. 2. d. 38. in reportat. quam tenet Bassol. ibid. q. un. ar. 3. ubi docet, quod actus intellectus, quo comparat prædicatum cum subjecto, illudque de isto enunciat formando propositionem, est unus, & simplex actus pertinens ad secundam operationem intellectus, licet bene supponat simplices intelligentias terminorum, quibus verbis breviter insinuat nostrum dicendi modum, quem fusius declaraturi sumus, & breviorem appellant Brasavol. & Posnan. cit. sequuntur Recentiores passim Morisan. disp. 10. Log. q. 5. Aversa ibidem q. 2. Hurt. disp. 7. An. sec. 2. Arriag. ibid. disp. 6. sec. 4. Onuph. tr. 2. de An. disp. p. q. p. dub. 4. qui alios citant, & probatur in primis fundamento, quod indicat Doctor quol. 13. ubi ex professo probat quancumque intellectus nostri operationem esse quid per se unum in prædicamento qualitatis reponibile, sed non potest ex pluribus actibus simul aggregatis, & adunatis quid per se unum constitui, ut patebit discurrendo per singulos dicendi modos Auctorum oppositæ sententiæ; & quidem ut ab ultimo incipiamus patet illos nullam prorsus astruere unitatem in hac secunda intellectus operatione, cum eam constituant in sola aggregatione plurium intellectionum, nec etiam secundus majorem videtur illi tribuere unitatem, cum judicium non aliud esse ponat, quam combinationem duorum simplicium conceptuum, præterquam quod irrationabilissime negat copulæ non correspondere peculiare conceptum in intellectu, adeo enim necessarius est conceptus iste attingens copulam, ut in ista unione intentionali consistat ipsa ratio judicii mentalis, ut mox apparebit, unde potius præstaret negare peculiares conceptus subjecti, & prædicati, & hunc solum concedere, quia cum copula essentialiter respiciat extrema, actus terminatus ad unionem terminaretur consequenter ad extrema, primus tandem modus licet addat unionem inter simplices conceptus, atque ita videatur magis salvare unitatem istius secundæ operationis, re tamen vera nihil salvat, nec unitatem essentialem, nec integralem: non primam, quia neuter illorum actuum habet respectu alterius rationem potentiæ, vel actus, nec unus recipitur in alio, sed ambo in tertio, scilicet in intellectu, & quam vis subjectum comparetur materiæ, & prædicatum formæ, hoc non est nisi metaphorice dictum, nec minus salvat unionem integralem, quia illi actus adinvicem, nec se habent ut partes extensivæ, nec ut duo gradus intensivi ejusdem actus, ut de se constat, quia ex apprehensione subjecti, & prædicati cognitio intensior non constituitur; tum denique, quia in dissensu non potest esse talis unio, cum potius negetur prædicatum de subjecto.

313 Secundo, si esset judicium actus compositum, componeretur adæquate ex apprehensionibus subjecti, prædicati, & si placet, etiam copulæ, sed hoc dici non potest, nam potest contingere, ut omnes illæ apprehensiones sint in intellectu, & tamen nondum sit judicium, cum nempe percipimus quidem sensum, & significatum propositionis, sed nondum affirmamus, aut negamus quicquam, ut dicebamus art. præc ex quo manifeste deducitur, post quemcumque apprehensionis actum dari omnino novum actum, quo intellectus determinate affirmat, aut negat, qui licet eum supponat, non tamen intrinsece includit; tum quia si judicium componeretur adæquate ex illis duabus, vel tribus apprehensionibus, tunc posset fieri divisibiliter, & ucces-

successive, sicut successive profertur propositio vocalis quod tamen falsum est, ut Doctor ostendit 4. dist. 6. q. 2. §. *Aliter ergo*, ubi docet judicium propositionis vocalis non formari, nisi in fine totius prolationis, dum comprehenditur sensus totius propositionis, & intellectus præbet assensum, quod etiam evidens ratio suadet, quia cum proferimus hanc propositionem, homo est animal, potest utique ab initio apprehendi terminus *homo*, non tamen solus est capax judicii, quia judicare est aliquid de eo affirmare, & negare, ideoque judicat, quia judicare respicere simul, & semel subjectum, prædicatum, & copulam indivisibiliter.

314 Tertio id probat Bassol. ex natura actus judicativi, hic enim actus non est absolutus, sed collativus, siquidem extrema confert adinvicem in ratione convenientis, vel repugnantis, affirmando unum de alio, aut negando, sed de ratione actus collativi est, quod in se manens unus, & idem indivisibiliter attingat utrumque extremum, ergo judicium est actus unicus, & simplex. Ex quo satisfit præcipuo fundamento, cui nititur opposita opinio, quod nempe intellectus noster nequit simul uno, & eodem actu cognoscere plura, & valde diversa, ut diximus præced. q. cum ergo judicium formetur inter plura objecta, & sæpe valde diversa, unus simplex actus esse nequibit. Hoc itaque parum urget in proposito, aliud siquidem est loqui de actu absoluto, aliud autem de actu collativo, hic enim cum in plura tendat sub una quadam ratione, in qua illa confert adinvicem sub ratione convenientis, vel disconvenientis, nil impedit, quin plura simul unus, & idem attingere possit, quia sic intelligendo illa reducit ad quandam unitatem, nec in hoc sensu negamus loc. cit. plura simul eodem actu attingi posse; tum quia proximum immediatum judicii objectum non sunt termini illi incomplexi subjectum, & prædicatum, sed totum illud complexum, & tota propositio, sive sit cathegorica, sive hypotetica, & hac eadem ratione dicebamus art. præced. apprehensionem totius propositionis posse esse unum, & eundem actum circa affirmationem, & negationem, quia actus ille esset collativus, attingeret enim extrema sub habitudine connexionis, sub qua habitudine se habent per modum unius.

Quarto, probatur destruendo aliud fundamentum oppositæ sententiæ ex propositione vocali deductum, nam propositio vocalis non est quid per se unum, sed aggregatum quoddam ex pluribus vocibus, sed mentale judicium est actus per se unus, non vero aggregatum per accidens ex pluribus actibus, & falsum est singulis terminis propositionis vocalis correspondere singulos conceptus in mente, nisi sermo sit de simplici illorum apprehensione, nam intellectus unico actu judicii ambo extrema indivisibiliter attingit cum copula, unde termini illi simplices eo ordine positi in propositione subordinantur omnes, & singuli unico conceptui judicativo in mente, & loco ipsius substituuntur, præsertim quia ut etiam supra innuimus, voces non directe, & principaliter significant conceptus, sed res ipsas mediantibus illis, imo proprie loquendo non nisi res ipsas ex disp. 2. q. p. ac proinde loco rerum proprie substituuntur voces, non conceptus; & licet illos exprimant, non tamen cum tali correspondentia hinc inde, ut quot sunt voces in propositione vocali, toties conceptus respondeant in mente, nam sæpius experimur plures voces uno dumtaxat conceptui subordinari, ut patet de termino complexo, & regulariter etiam in communi modo loquendi multo plures voces adhiberi solent ad promendum exterius, quod paucioribus actibus mente geritur.

315 Sed rotum hujus sententiæ onus consistit in explicando, quo pacto, quave ratione hæc secunda operatio dici possit compositio, & divisio, si est quædam qualitas simplex, ad quem nodum solvendum hujus opinionis Auctores variis modis occurrunt; multi hanc compositionem, & divisionem ex parte solius objecti agnoscunt, & inquiunt intellectum componere, quando duo extrema conjungit affirmando unum de alio, dividere, quando ea separat, & removet, itaut compositio, & divisio, quæ est de essentia judicii, sit tantum objectiva, non formalis, ita videtur sentire Morisc. cit. & Mas. p. Perihier. cap. 4. q. 3. Hæc tamen explicatio sufficiens non est, ut enim advertunt Brasavol. & Posnan. cit. & prosequitur Aversa, secunda operatio intellectus non vocatur compositio, & divisio præcise, quia per ipsam intelligamus composita, & divisa, nam & ipse divinus intellectus intelligit composita, & divisa, nivem esse albam, hominem non esse rudibilem, &c. & tamen non intelligit componendo, & dividendo, ut nos facimus, ergo compositio, & divisio judicii nostri non se tenet tantum ex parte objecti, sed etiam aliquo modo ex parte actus.

316 Durand. p. d. 38. q. 2. conatur defendere hanc compositionem etiam ex parte actus se tenere, non quia secunda operatio formaliter aggregetur ex diversis actibus, quia secundum ipsum non possunt esse simul plures in intellectu, sed dicitur compositio, seu composita, quia in virtute sua continet apprehensiones terminorum simplicium, & inquit virtualiter tantum eos continere, quia negat actus apprehensivos posse simul permanere cum actu judicii succedente, & idem Bacconus sentire videtur 2. dist. 10. q. p. art. 2. Hic dicendi modus plura falsa involvit, nam in primis negat posse simul plures actus coexistere in eodem intellectu; quod quando de actibus disparatis admitteretur, (quod neque concedimus) de connexis tamen, sicut in proposito sunt omnes tres operationes intellectus sibi invicem subordinatæ, nullatenus est admittendum. Deinde air actum judicii virtualiter continere actus apprehensionis terminorum, nec satis declarat, qualis continentia virtualis sit ista, cum hæc multiplex sit, & varios sensus habeat. Tandem inepte negat, actus apprehensionis præcedentes non posse naturaliter cum actu judicii succedente coexistere, imo hoc dictum a veritate tantum abest, ut non solum dum primo elicitur actus judicii, sed etiam quandiu in intellectu conservatur, debet ei coexistere actus apprehensionis, & non sufficit præcessisse, sicut ad videndum non satis est lumen immediate antea fuisse, sed deber in ipso momento visionis, & probatur, quia alioqui intellectus judicaret de ignotis pro illo momento, quo format judicium, nihil enim refert, quod cognitio extremorum præcesserit, quia cognitio præterita, quatenus talis, non videtur posse quicquam conferre ad judicium præsens regulandum, opus est ergo ut dum intellectus actu judicat, actu quoque percipiat terminos propositionis, ac eorum connexionem, alioquin tunc de ignotis judicium ferret, etiamsi paulo antea novisset; Tum quia, ut arguit Doctor cit. in report. 2. d. 38. nulla apparet necessitas, unde destruantur illi actus apprehensionis secundum se, cum actus collativus supervenit, sicut enim visus simul habet actum albedinis distinctum secundum se, & nigredinis secundum se, quando actu judicat diversitatem, sic intellectus, quando actu habet actum collativum duorum, qualis est in proposito actus judicii, habet actum distinctum utriusque extremi secundum se.

317 Dices, judicium non tantum attingit habitudinem extremorum, sed etiam ipsa extrema, nam per judicium affirmamus unum extremum de alio, ergo actu judicii accedente superfluit apprehensio extremorum. Neg. conseq. quia per simplices apprehensiones extrema secundum se concipiuntur, & veluti absolute, sed per judicium attingitur unum in ordine ad aliud, & sub quadam habitudine, atque ideo illi actus non superfluunt isto adveniente. Dices, ergo saltem superfluet apprehensio de simplici extremorum connexione, quia hæc attingitur per judicium. Neg. adhuc conseq. quia etiamsi illa connexio attingatur quoque ab actu judicii superveniente, non tamen eodem modo, nam illa connexio per judicium attingitur determinate, & quoad an sit, affirmando, vel negando, ubi antea a simplici apprehensione totius propositionis attingitur indeterminate, & neutraliter citra quamcumque affirmationem, & negationem.

Itaque dicendum, est compositionem judicii, ut se tenet ex parte actus, in hoc consistere, quod ponitur in intellectu simul cum alio apprehensionis actu distincto, quem prærequirit, ut dicebat Bassol. & sequitur Aversa cit. non autem, quod actus judici sit in se formaliter compositus, probaturque sufficienter tum ex refutatione aliorum modorum dicendi, tum quia hoc satis est, ut dicamur cognoscere verum complexum componendo, & dividendo; tum tandem, quia hoc sufficit ad distinguendum intellectum nostrum ab intellectu divino in modo cognoscendi verum complexum, quia divinus intellectus non pendet ab actu prævio simplicis apprehensionis, sed per unum simplicem intuitum cognoscit prædicata, quæ rei conveniunt. Ne autem amphibologia contingat in vocabulo *Compositio*, notandum est, quod cum in nostro judicio distinguitur compositio, & divisio, & illa sumitur pro judicio affirmativo, & ista pro negativo, hæc distinctio præcipue petenda ex parte objecti, nam ex parte intellectus semper adest compositio in judicando, sive judicium sit affirmativum, sive negativum, utrumque enim fit per dependentiam ab actu prævio simplicis apprehensionis: attendenda ergo est præfata distinctio judicii in compositionem, & divisionem ex parte objectorum, compositio est cum intellectus comparat unum alteri per conjunctionem, aut identitatem, & fit judicium affirmativum, divisio, cum per diversitatem, & fit negativum.

318 Tertium, ac ultimum dubium est, quomodo intelligendum sit id, quod communiter dicitur, nec semel asseruit Arist. veritatem, & falsitatem speciali modo reperiri in secunda operatione, & quidem de falsitate non est difficile id explicare, cum enim dictum sit art. præced. falsitatem proprie dictam in prima operatione non reperiri, sed tantum falsitatem sumptam pro pura nescientia, & non attingentia objecti juxta phrasim Arist. 9. Met. tex. ult. jam liquido constat, quomodo falsitas potiori jure in secunda operatione reperiatur, quam in prima; magis difficile est id explicare de veritate, præsertim in nostra sententia, qua tribuimus primæ operationi veritatem cum omni proprietate, ut constat ex ar. præcedenti.

Scotus, ut ibi recitavimus, hoc declarat 6. Met. q. 3. §. *dicendum est ad quæstionem*, dicens veritatem speciali modo reperiri in secunda operatione aliter, quam in prima, quia licet in utraque operatione sit veritas propria formaliter, non tamen objective, sed tantum in secunda, tamen neutra veritas est in intellectu objective, nisi reflectente se super actum suum comparando illum ad objectum, quæ reflexio scilicet in cognoscendo, quod actus talis est similis, vel dissimilis objecto, non est sine compositione, & divisione; ita Doctor, quæ verba ita intelligit Vulp. p. p. to. 2. disp. 32. art. 2. (ut art. præced. retulimus) quod modus peculiaris essendi, quem veritas habet in secunda operatione, talis sit, ut eam intellectus, facta compositione, & divisione extremorum, attingat ex eorum evidentia per alium actum reflexum, qui est assensus, unde conformitas, & veritas in secunda operatione reperitur non solum formaliter, sed etiam objective in esse cognito, vel cognoscibili, quomodo non reperitur in prima; Hæc tamen explicatio prorsus inepta, nec est ad intentionem Doctoris, quia falsum est assensum judicativum esse ex sua natura actum reflexum, ut supra diximus, esto interdum per accidens talis esse possit; tum quia etiam in apprehensione potest esse veritas objective hoc modo, in esse nimirum cognito, vel cognoscibili, nam & veritas, quæ in apprehensione reperitur, est quoddam objectum conceptibile, & sicut per judicium reflexum concipere possumus veritatem in secunda operatione repertam, ita pariter per reflexam apprehensionem concipere possumus veritatem repertam in prima.

319 Non ergo recedendum est a sensu, quem verba ipsa sonant, & cæteri Scotistæ tradunt, præsertim Ant. And. lib. p. Perhier.

q. 2. & 6 Met. q. ult. nimirum veritatem in intellectu simpliciter apprehendente esse tantum, ut in eo, in quo veritas, non autem ut in cognoscente veritatem, sed in intellectu judicante, componente, & dividente esse tanquam in cognoscente veritatem, quem sensum etiam significavit D. Tho. p. p. q. 16. ar. 2. hoc ergo speciali modo veritas est in secunda operatione, quia non solum est subjectum veritatis, quemadmodum simplex apprehensio, sed etiam judex veritatis, licet enim possit simplex apprehensio reflexa veritatem in se ipsa deprehendere, nimirum *conformitatem* ad suum objectum incomplexum, ac etiam ipsam veritatem judicii, quantum ad quid sit, non tamen quantum ad an sit, determinate cognoscendo an talis actus sit conformis, vel disconformis objecto, sed hoc omnino reservatur secundæ operationi; in hoc ergo sensu veritatis objectivæ dicitur specialiter residere *in* secunda operatione,

320 Sed quia specialiter hic est sermo de veritate formali, & hæc etiam peculiariter tribui solet secundæ operationi, adhuc explicandum est, qua potiori ratione conveniat secundæ operationi, quam primæ, ut sæpius ait Arist. quamvis enim Doctor. loc. cit. dicat veritatem formalem etiam simplici apprehensioni convenire, non tamen negat adhuc potiori ratione convenire judicio; potest autem breviter res in hunc modum explicari, convenit quidem veritas formalis quoque simplici apprehensioni, ac etiam vere, & proprie, & sine ulla metaphora, ut ar. præced. probavimus, sed adhuc peculiari modo competit judicio, quia per hoc determinate cognoscitur esse quod est, & non esse, quod non est, quod non habetur per simplicem apprehensionem; tum quia in secunda tantum operatione reperitur veritas, cui opponitur falsitas, nam falsitas est, quando putatur esse, quod non est, vel non esse, quod est, & veritas opposita, qua determinate cognoscitur esse, quod est, non esse, quod non est, est propria secundæ operationi, in prima autem operatione est tantum veritas, cui opponitur ignorantia; tum quia perfectior est veritas, qua determinate propositio cognoscitur, quam ea qua cognoscitur indeterminate, & neutraliter, hæc enim determinatio gradum quendam perfectionis addit veritati, sed per judicium determinate cognoscitur propositio, per apprehensionem indeterminate, & neutraliter, ergo etiam veritas formalis perfectiori quodam modo competit secundæ operationi, quam primæ.

ARTICULUS III.

Declaratur tertia intellectus operatio.

321 POst judicium tandem sequitur discursus, qui est actus cognitionis, quo intellectus unum ex alio infert, unam nempe propositionem ex alia, vel aliis jam judicatis, idest affirmatis, vel negatis; de hac tertia operatione plura tractavimus disp. 11. log. ex quibus satis constare posset ejus natura, & conditio, ad uberiorem tamen doctrinam, & hujus quæstionis complementum quædam rursus dubia circa hanc materiam sunt hic resolvenda, ex quibus magis enitebit formalitas, & essentia tertiæ operationis.

Primum dubium est, an hæc operatio intellectus sit assignanda velut realiter, & essentialiter distincta ab aliis duobus; Aliqui olim Ephetici appellati apud Philoponum lib Priorum com. 14. duas tantum operationes intellectus abinvicem essentialiter distinctas assignabant, & primam scilicet, & secundam, tertiam vero non distinguebant essentialiter a secunda, sed tantum accidentaliter, dicebant enim aliud non esse tertiam operationem, quam ipsam secundam duplicatam, vel triplicatam; fundari potest hæc opinio primo in Arist. auctoritate, qui 3. de de An. 21. & 22. & tertiam p. Perhier. c. 1. duas dumtaxat enumerat intellectus operationes, indivisibilium nempe apprehensionem, & compositionem, vel divisionem. Deinde ratione, quia discursus non est nisi quoddam judicium de connexione duarum propositionum adinvicem per illationem unius ex alia, nec differt a secunda, nisi in hoc quod ubi in secunda conjunguntur plures termini per copulam verbalem, in tertia conjunguntur plures propositiones per copulam illativam *ergo*, quæ quidem non videtur esse, nisi differentia quædam accidentalis, quia palam est non esse eandem rationem de secunda, & tertia operatione, ac de prima, & secunda, nam in prima apprehendimus v. g. simpliciter hominem, vel animal, aut quidpiam simile nihil aliud faciendo, in secunda vero judicamus illa duo esse simul connexa, aut hominem esse animal, hæc autem duo essentialiter differunt, ut patet, aliud enim est apprehendere, aliud judicare *circa* apprehensa, & illa simul conjungere, vel dividere; at in secunda, & tertia non apparet tanta diversitas, quia utraque judicat, & connectit, secunda quidem terminos per copulam verbalem, tertia vero ipsas propositiones per illativam, quod non videtur inferre essentiale discrimen.

322 Verumtamen tertiam operationem realiter, & essentialiter ab aliis duabus distingui clarius est, quam probatione egeat, & est indubitata sententia in omnibus scholis, & quidem esse actum realiter distinctum a secunda operatione constat ex dictis in logica disp. 11. q. 2. ubi ostendimus non esse eundem actum assensum conclusionis, & præmissarum, sed in ipsa conclusionis illatione elici novum actum realiter distinctum a priori, & hoc necessario requiri ad discursum formalem, ut distinguitur a virtuali; Distinctio etiam essentialis tertiæ operationis a secunda facile deducitur, tum quia actus tertiæ operationis importat suam rationem illationis, quæ non invenitur in simplici judicio secundæ operationis; tum quia habent objecta materialia, & prorsus diversæ rationis, quæ diversitas in objectis infert diversitatem specificam in actibus; patet assumptum, quia objectum discursus est veritas mediata, nempe conclusionis deductæ ex alia propositione nota, objectum judicii est veritas immediata, nempe propositionis ex ipsis terminis evidentiam habentis, ex quo patet assensum antecedentis, qui pertinet ad secundam operationem; & assensum consequentis, qui pertinet ad tertiam, habere etiam diversa motiva. Conf. quia si duas propositiones simul uniamus, & unicuique veluti discrete assentiamur, non advertendo convenientiam medii termini cum extremis, nihil ex eis inferremus, nec tertiam operationem habebimus, sed sistemus in sola secunda, ergo tertia intellectus operatio non est sola multiplicata, sed præterea dicit aliquid aliud, quod non reperitur in secunda. Confirmatur ulterius, nam sicut nomine judicii non intelligimus apprehensiones terminorum simul sumptas, sed actum quendam distinctum terminos apprehensos connectentem, qui proinde specifice distinguitur a prima operatione; sic pariter in proposito nomine discursus non debent intelligi plura judicia connectens, & unum ex alio deducens, unde sicut ratio formalis distinguens secundam operationem a prima est judicium illud, quo judicatur prædicatum convenire, vel repugnare subjecto, & explicatur per copulam verbalem, sic in proposito judicium illud, quo unam propositionem ex alia sequi judicamus, quod fit per illationem, est ratio formalis discursus distinguens essentialiter tertiam operationem a secunda.

323 Neque Arist. loc. cit. voluit negare tertiam operationem nostri intellectus, de qua adeo accurate tractavit in lib. resolutorii, & ad cujus directionem totam suam logicam instituit, nec enim ibi docere intendebat, quæ, & quot essent nostri intellectus operationes, sed in quibusnam esset veritas, & falsitas, & quia ad discursum *proprie* non *pertinet* veritas, & falsitas, sed potius bonitas, & parvitas, ut diximus in log. instit, par. 1. tr. 3. ideo ibi non meminit tertiæ operationis. Nec etiam ratio urget, quia licet etiam discursus sit quoddam judicium, & in quibusdam cum judicio secunda operatione conveniat, adhuc tamen etiam in multis differunt, primo quia unum est judicium enunciativum, alterum illativum; deinde enunciativum est de connexione, & identitate terminorum, illativum vero de consecutione unius propositionis ex alia; rursus quia illud est de incomplexis, vel complexis per modum incomplexi, cum nempe integra propositio assumitur, ut terminus alterius propositionis cathegoricæ, vel hypotheticæ, istud vero, scilicet judicium illativum est semper ac necessario de complexis, item judicium enunciativum explicatur per copulam verbalem, per quam prædicatum conjungitur subjecto, aliud autem explicatur per copulam illativam, quia consequens infertur ex antecedente; præterea judicium enuntiativum est affirmativum, & negativum, utroque enim modo fieri potest, sed judicium illativum semper est affirmativum in hoc sensu, quatenus intellectus semper judicat ex tali antecedente deduci consequens, sive propositio illata sit affirmativa, sive negativa; hæc denique, & alia possunt notari discrimina inter hoc, & *illud judicium*, quæ plane *majorem* inter ea indicat distinctionem, quam sit accidentalis. Ad Conf. jam constat, quomodo ex paritate quoque illa bene deducatur essentialis distinctio tertiæ operationis a secunda, nam sicut plures primæ operationes multiplicatæ non reddunt secundam, quia in secunda quid geritur, quod obtineri nequit per primam quantumvis multiplicatam, ita pariter secunda operatio nequit reddere tertiam, quia aliquid in ista geritur, quod haberi nequit per secundam quantumvis plurificatam, & geminatam, & quamvis unaquæque judicet, & connectat, tamen nec idem judicant, & connectunt, nec eodem modo, ut constat ex dictis.

324 Alterum dubium est, in quo posita sit ratio formalis, & essentia discursus, & pro dubii intelligentia recolendum est ex dictis disp. 11. cit. Log. tres potissimum conditiones ad formalem discursum requiri, una est, ut alia sit cognitio antecedentis, alia consequentis, non autem una amborum; altera ut cognitio antecedentis sit prior, si non tempore, saltem natura cognitione consequentis; tertia tandem, ut cognitio antecedentis sit causa cognitionis consequentis, itaut ex vi cognitionis unius veniat intellectus in cognitionem alterius; ex quo sequitur in omni discursu tria intervenire judicia, judicium nempe aatecedentis, judicium consequentis, & judicium bonæ consequentiæ, quo judicatur consequens bene inferri ex illo antecedente: difficultas ergo est, an essentia discursus omnia hæc judicia simul, & semel includat, an potius in uno tantum istorum formaliter consistat, & quodnam sit hoc: Auctores, qui præcedenti articulo judicium non faciebant actum simplicem, sed componebant ex pluribus actibus, hic etiam discurrunt consequenter; quare sicut ibi dicebant judicium veluti componi ex apprehensione subjecti, & apprehensione prædicati, & actum terminatum ad copulam verbalem esse veluti unionem intentionalem illorum extremorum, sic in proposito dicunt discursum quodammodo componi ex assensu antecedentis, & consequentis; judicium vero illativum ad copulam *ergo* terminatum esse veluti unionem, & connexionem assensus antecedentis cum assensu consequentis, ita discurrit Amic. tr. 23. Log. disp. 2. q. 2. dub. p. art. 3. Qui vero discursum faciunt actum simplicem, esto aliquem alium præsupponentem, ut ar. præced. dicebamus de judicio, formalitatem discursus ponunt præsertim in judicio illo illativo, alia vero judicia inquiunt intervenire vel antecedenter, vel consequenter, ita loquitur Lichet. q. 3. prolog. quæst. illa collaterali, utrum Theologia sit scientia, dicens quod discursus formaliter est illatio consequentis ex antecedente, & fundamentaliter est duæ præmissæ formatæ in debito modo, & figura, & terminative ipsa conclusio, & hæc est vulgata opinio tum recentiorum, tum veterum, qui proinde solebant dicere, antecedens, & consequens esse materiam discursus, sed essentiam, & formalitatem ejus consistere in judicio illativo, sic loquitur D. Th. 5. met. 3. & 2. Phys. 21. & ibidem Ægid. Alex. 5. met. com. 6. & Simplic. 2. Phys. cum. 39.

325 Hæc ultima sententia procul dubio est, atque tenenda, si tamen explicetur, juxta quæ diximus disp. 11. Log. q. p. nam & discursus cum sit vera, & præcipua operatio intellectus, erit una per se qualitas simplex in prædicamento reponibilis non minus, quam aliæ duæ, & non aggregatum ex pluribus actibus, idque suaderi potest *omnibus illis rationibus*, idipsum art. præced. de judicio probatum est; tum quia assensus antecedentis, ac etiam assensus consequentis secundum se spectati præcisa nimirum dependentia, & illatione unius ex alio spectant ad secundum operationem non ad tertiam, ergo tertia propria, & formaliter consistit in eo judicio illativo; diximus autem hanc sententiam esse veram, si explicetur juxta dicta a nobis in Logica, quia non ita præcise statuenda est formalitas discursus in judicio illativo, ut omnino excludatur judicium, & assensus conclusionis, seu consequentis, ratio est, quia cum illatio consequentis ex antecedenti aliud non sit, quam judicatur prædicatum convenire, & dependentia assensus consequentis ab antecedenti, seu conclusionis a præmissis, & nequeat dari consequens, ut tale, sine dependentia ad antecedens, plane sequitur, hanc relationem dependentiæ esse cum consequente, ut sic, realiter identificatam, atque ideo judicium illativum non erit actus ab assensu conclusionis realiter distinctus, sed erit assensus ipse consequentis, ut causatus ab assensu antecedenti. Confirm. quamvis possit dari assensus consequentis in ratione simplicis propositionis, absque dependentia ab assensu antecedentis, tamen assensus ejus *in ratione consequentis necessario* includit dependentiam ab assensu antecedentis, quia veritas ejus, ut sic, est mediata, & ex notitia alterius dependens, ergo notitia consequentis, ut sic, includit essentialiter illationem, atque ideo non distincto actu attingitur consequens, & illatio, sed uno, & eodem, quare juxta hunc dicendi modum discursus formaliter, & essentialiter consistet in assensu consequentis, ut dependet ex assensu antecedentis.

326 Et quidem in hoc sensu opinamur locutos esse Auctores secundæ sententiæ, dum formalitatem discursus in judicio illativo præcise ponebant, nam utique per judicium illativum non intelligunt judicium quoddam, quo intellectus discurrens advertat consequens illud esse recte deductum secundum regulas Logicales, quia tale judicium de bonitate consequentiæ fieri nequit nisi per actum quendam reflexum, quem in omni discursu non intervenire ipsa experientia docet, sed intelligunt actum illum, quo quis assentitur conclusioni ex vi præmissarum, tunc enim virtualiter, & in actu exercito judicat conclusionem inferri ex præmissis, etiamsi nihil cogitet de bonitate consequentis, & illationis, hic autem actus non est nisi assensus ipse conclusionis, ut dependens ab assensu præmissarum, ergo in tali assensu, & judicio consistit formalitas discursus, ex quo deducitur sane intelligendum esse, quod *supra dicebamus*, in omni discursu tria intervenire judicia, nempe judicium antecedentis, judicium consequentis, & judicium bonæ consequentiæ, hoc enim ultimum judicium intervenit regulariter formale, & expressum ac a judicio consequentis realiter distinctum, sed veluti in ipso virtualiter *inclusum*, eique realiter *identificatum*, sicut eidem identificatur dependentia, & illatio ab antecedente.

327 Obiicies, hinc sequi assensum antecedentis esse de essentia discursus, quia ex dictis in assensu consequentis includitur ordo dependentiæ ab assensu ipsius antecedentis, ubi autem includitur ordo, *includitur* etiam id, ad quod ordo terminatur. Neg. conseq. non enim ex eo, quod includitur in aliqua re ordo ad alium terminum, dici debet includi quoque ipse terminus, neque enim, cum cognoscimus creaturam *dependentem* a Deo, & universaliter effectum dependentem a sua causa, sequitur causam includi in effectu, Deum in creatura, &c. sic ergo in proposito adhuc stante tali dependentia consequentis ab antecedente dici non debet assensum consequentis includere assensum antecedentis, sed tantum ab eo pendere, ex *illo* elici, & inferri, adeout assensus antecedentis non formaliter, & directe ad discursum pertineat, seu ad assensum consequentis, sed solum causaliter, unde sicut art. præc. judicium dicebamus esse actum compositum, non quia sit in se formaliter compositum, sed quia ponitur in intellectu simul cum alio apprehensionis actu distincto, quem necessario prærequirit; sic pariter in proposito discursus dici potest actus compositus, non quia intrinsece includat plures actus, sed quia ponitur in intellectu simul cum cognitione, & judicio *antecedentis*, quod necessario præsupponit, velut ejus causam: alia argumenta contra hanc doctrinam de formalitate discursus sufficienter diluta sunt disp. cit. Log. q. p. & hæc pauca de tertia intellectus operatione hic dicta sufficiant, omnia namque ad hanc materiam spectantia occasione syllogismi tractata sunt in Leg. disp. 11. cit.

QUÆSTIO XI.

De cognitione intuitiva, & abstractiva.

328 HAnc geminam cognitionem, de qua sæpius Doctor infra citandus in superioribus sæpe commemoravimus, & eum significatum potius supposuimus, quam probavimus, in hunc locum differentes exactam ipsarum declarationem; quia ergo inter alias cognitionis nostræ divisiones hæc est famosior, & frequentissima, in hac quæstione accuratissime est examinanda, cum in ejus explicatione Doctores non conveniant, imo nec ipsi Scotistæ

Primo igitur aliqui ita hanc divisionem explicare solent, quod notitia intuitiva respicit per se objectum præsens in sua existentia, ita quod est existentis, ut existens est, ideoque dici solet visio; at abstractiva abstrahit ab existentia objecti respiciens solum quidditatem ejus, ut quidditas est, ideoque dici solet notitia

quidditativa, & talis est cognitio habita de rosa non existente, seu ut non existens, est tamen præsens in specie repræsentante, ita rem explicant Ant. And. 7. Met. qu. 13. §. *respondeo*, Canonicus p. Phys. q. 2. §. *ad quæstionem* Faber theor. 84. c. 2. & alii Scotistæ, & eodem modo loquuntur quidam Thomistæ, ut Ferrar. 2. contra gentes cap. 96. ubi docet notitiam intuitivam esse illam, quæ est de re existente, ut existens est, sive de re particulari, ut particularis est, abstractivam vero, quæ est de quidditate rei absolute, ut abstrahit ab existentia, & singularitate.

329 Hæc explicatio ex duplici præsertim capite refellenda est, primo, quia notitiam abstractivam constituit propriam naturæ; & quidditatis, intuitivam vero ipsius singularis, quasi singulare non nisi intuitive agnosci possit, & natura abstractive, cujus tamen oppositum superius demonstravimus q. 7. ubi art. p. ostendimus singulare cognosci posse abstractive, etiam per propriam speciem, & art. 2. naturam in se etiam, ut a singularitate præcisam esse idoneum objectum notitiæ intuitivæ cum Doctore 3. d. 14. q. 3. §. *ad quæstionem*, & 4. d. 45. q. 3. ad 2. prin. Deinde quia licet intuitiva semper terminari debeat ad rem ut existentem, & præsentem, & rursus licet abstractiva possit abstrahere, imo regulariter abstrahat ab existentia rei, hoc tamen non est de ratione abstractivæ notitiæ, ut sic, nam abstractiva quoque terminari potest ad existentiam rei; & præsentiam rei, ut bene notarunt ex nostris Smisinch. de Deo Uno, tr. 2. disp. 6. q. p. & Vulp. p. 10. p. disp. 19. art. 3. ita expresse docuit Scot. pluribus in locis præsertim quod 7. §. *secunda conclusio*, cum inquit, quod etsi cognitio abstractiva possit esse non existentis æque, sicut & existentis, tamen intuitiva non est nisi existentis, ut existens est, & quol. 13. ar. 2. §. *circa secundum* ad 2. ait, quod etiam ipsa *existentia* potest cognosci cognitione abstractiva, & 2. d. 3. q. 11. §. *respondeo*, ait, quod non omnis cognoscens existentiam alicujus cognoscit illam intuitive, quia potest ipsam cognoscere abstractive, idem habet in 5. d. 45. q. 3. ubi docet nos recordari præteritorum, quod extiterint, & quod extiterint, quod non sit, nisi per species abstractive repræsentantes eorum existentiam; Rursus hoc expresse deducitur ex 2. d. 3. q. 9. ubi docet Angelos habuisse in via ab initio creationis notitiam abstractivam distinctam divinæ essentiæ per ejus speciem infusam, at divina essentia distincte cognosci nequit, quin cognoscatur existentia, quæ est ex formali quidditate ipsius; imo cum hujusmodi species infusa posset Angelo distincte repræsentare divinam essentiam, nedum quoad prædicata quidditativa, sed etiam quoad attributa modos intrinsecos, in quorum numero recensetur immensitas, ratione cujus Deo competit esse præsentem omni creaturæ; poterat Angelus per hujusmodi abstractivam distinctam Dei notitiam ipsum attingere etiam, ut *sibi* præsentem. Denique hujusmodi notitiæ non tam distinguuntur ex objectis formalitatibus repræsentatis, quam ex modo repræsentandi, ut ex dicendis constabit, ergo discrimen assignatum inter has notitias non est sufficiens; vide Jo. de S. Th. q. 23. Log. art. p. ubi fuse hunc refellit dicendi modum etiam in principiis Thomistarum.

330 Secundo, hac de causa alii fatentur ultro has utique notitias non ex eo capite distingui debere, quod intuitiva terminetur ad aliquid, ad quod non possit abstractiva terminari, cum enim ostensum sit abstractivam ad existentiam quoque, & præsentiam rei posse terminari, plane nihil relinquitur, ad quod terminetur intuitiva, ad quod non possit abstractiva terminari, quare concludunt, ex parte objecti terminativi non posse distingui, *sed inquiunt totum discrimen sumendum ex parte principii*, quia nimirum intuitiva postulat produci ab objecto in propria existentia immediate, abstractiva vero ab objecto in specie, vel ab ipsa specie, hæc enim sola diversitas principiorum sufficit ad inferendam, & salvandam diversitatem specificam inter has notitias, favet Doctor pluribus in locis, sed præsertim quol. 13. art. 2. §. *circa secundum*, & 4. d. 49 q. 12. §. *respondeo*, ubi specie distinguit has notitias ex rationibus formalibus diversis hinc inde motivis, quia scilicet in abstractiva movet species, in intuitiva res ipsas immediate.

Vulpes autem disp. cit. art. p. & 3. nedum ex parte principii has notitias distinguit, sed etiam ex parte termini, non quod ad aliquid terminetur intuitiva, quod terminari nequeat abstractiva, sed quia non terminatur ad *illud* eodem modo, ac sub eadem ratione, licet enim utraque cognitio existentiam attingat, id tamen cum discrimine contingit, quod abstractiva attingit existentiam tantum, ut rem cognitam, seu partem objecti cogniti, non vero tanquam rationem cognoscendi, nam in hoc sensu semper abstrahit a præsentia, & existentia rei, sed intuitiva terminatur ad existentiam rei, & tanquam ad rem cognitam, & tanquam ad rationem cognoscendi.

331 Hunc dicendi *modum* refellit Bargius p. d. 3. q. p. in §. *secundo principaliter arguo sic*, & rursus d. 8. q. 3. *præterea intellectus intuitivus*, ubi ostenditpræsertim de mente Doctoris, has notitias specie inter se distingui non ex parte principii, sed ex parte termini, & ait, hanc esse intentionem Doctoris p. d. 2. par. 2. q. p. & in 2. d. 3. q. 9. & 3. d. 14. & 4. d. 10. & in quolibet q. 6. & 13. & 4. d. 45. q. 2. & notat, quod Scotus definiendo notitiam intuitivam semper dixit, quod notitia intuitiva est de objecto præsenti, ut præsens est in propria existentia, & *nunquam dicit*, quod requiratur, ut moveat, & in 3. d. 15. ad p. prin. *dicit*, quod respectus ad objectum in ratione moventis est *accidentalis*, & in ratione terminantis est essentialis, cum ergo istæ notitiæ sint differentes specie essentiali, non utique ex diversis *rationibus* motivis, sed præcise ex terminativis, hoc discrimen *erit attendendum*; rum quia si Deus suppleret totam activitatem objecti, & tamen faceret notitiam terminati ad objectum in se præsens, esset intuitiva,

sed breviter hic modus dicendi Smisinch. reiici potest ex eo, quia ad notitiam intuitivam pariendam species concurrere potest, quod in notitia sensitiva satis exploratum est ex dictis superius disp. præced. n. 216. & seq. & concedit ipse Smisinch, ibidem, n. 12. & probat esse de mente Doctoris, p. d. 3. q. 6. §. §. *contra istam opinionem*; & §. *ad rationes alterius opinionis*, & q. 7. §. *conclusio istarum duarum opinionum*, & 2. d. 9. q. 2. §. *ad quæstionem*, & d. 13. q. un. & 4. d. 44. q. 3. ergo non ex parte principii, sed præsertim ut species intuitivæ istæ notitiæ sunt distinguendæ, idcirco Bassol. q. prolog. §. *circa secundum*, ubi diligenter hoc investigat discrimen, inquit quod etiam si species ponatur, ut quibusdam placet, concurrere in ratione principii ad notitiam intuitivam, dummodo hæc terminetur ad objectum non in specie, sed in propria existentia, & præsentia, adhuc salvaretur ratio notitiæ intuitivæ, ideoque etiamsi ibi velit, speciem re vera non ita concurrere ad hanc notitiam, sed tantum velut effectum prævium, adhuc tamen concludit, has notitias potissime distingui per mediatum, & immediatum ex parte objecti terminantis, quæ enim immediate terminatur ad illud in se præsens est intuitiva, quæ terminatur mediate, idest mediante specie est abstractiva. Sed nec etiam omnino verum est, quod addebat Vulp. cit. nempe in cognitione intuitiva existentiam esse rationem cognoscendi, & terminandi, ubi in abstractiva est tantum res cognita, quia ut notat Bargius p. d. 2. par. 2. §. *Et si detur primus modus*, ratio cognoscendi, & terminandi etiam in notitia intuitiva est ipsa rei quidditas, & natura, existentia vero est solummodo ratio, & conditio sine qua non, quatenus quidditas rei nequit notitiam intuitivam terminare, nisi existat, non ergo existentia etiam in cognitione intuitiva est ratio formalis terminandi illam, sed potius conditio sine qua non, quod etiam docet Bassol. cit.

332 Tertio, Proinde alii notitias istas distinguunt tantum ex parte termini, quia nimirum una terminatur ad objectum in se præsens, & in propria existentia, alia vero ad objectum præsens in specie duntaxat, nullatenus autem eas distinguunt ex parte principii, quia opinantur speciem esse utriusque principium, imo sunt, qui velint, eandem omnino speciem posse modo ad intuitivam, modo ad abstractivam cognitionem deservire, ut Conimb. 3. de An. c. 5. q. 5. art. 2. hæc est communis opinio Thomistarum Recentiorum omnium unanimi consensu, adeout fere de hoc non disputent, sed ubique supponunt omnem notitiam tam abstractivam, quam intuitivam per speciem fieri, nec aliter fieri posse, & tantum differre ex parte termini, & sic etiam loquuntur, qui illas specie distinguunt.

At neque hanc sententiam approbamus in eo, quod has notitias nullo modo distinguit ex parte principii, licet enim species impressa possit esse principium cognitionis intuitivæ in sensibus externis, qui non aliam de objecto cognitionem habere possunt, quam intuitivam, non tamen in sensibus internis, & tanto minus in intellectu, ratio discriminis est alia, & alia conditio istarum specierum, nam species sensuum externorum sunt talis naturæ, ut nedum in suo esse, & fieri, sed etiam in conservari pendeant ab immediata præsentia objecti; adeout si destruatur objectum, vel fiat absens, statim etiam species interire debeat, vel saltem post brevissimum tempus, quod addimus ob species soni, quæ etiam deficiente ipso sono videntur aliquantisper durare, ut apparet in Echo ex dictis disp. præced. n. 153. & seq. quare cum sint talis conditionis, bene poterunt concurrere ad cognitionem intuitivam, quia suapte natura determinantur ad repræsentandum objectum in se præsens, & existens, unde prorsus ineptæ forent istæ species ad pariendam cognitionem abstractivam, species vero sensibiles internæ, & adhuc magis intelligibiles pendent quidem ab initio in suo esse, & fieri ab objecto, at non deinceps in conservari; sed natæ sunt manere æque absente, ac præsente objecto, unde in sua repræsentatione abstrahunt a præsentia, vel absentia objecti, ideoque optime docet Doctor pluribus in locis 2. d. 3. q. 11. §. *respondeo*, & d. 9. q. 2. ad 3. d. 14. q. 3. §. *ad quæstionem*, & 4. d. 45. q. 2. §. *ad quæstionem*, & d. 49. q. 11. §. *respondeo*, hujusmodi species esse non posse principium intuitivæ cognitionis, quodque de hujusmodi speciebus determinate loquatur, & non de omnibus, ut passim opinantur Scotistæ, clare colligitur, tum quia ibi loquitur de cognitione intellectiva, & consequenter de speciebus intelligibilibus, non sensibilibus, tum quia id manifeste suadet ratio, qua id probat, quæ talis est, quia impossibile est cognitionem intuitivam haberi per aliquod eodem modo se habens sive objectum maneat, sive non, quoniam intuitiva est objecti, ut manentis in propria præsentia, talis autem est species intelligibilis, quæ manet in memoria intellectiva sublatis objectis, ac etiam species sensibilis interna manens in memoria sensitiva, non autem species sensuum externorum, nam istæ sublatis objectis dilabuntur, palam ergo est, quod de illis loquitur præcise, non autem de omnibus speciebus in universum tam intelligibilibus, quam sensibilibus, itaque ob allegatum discrimen, sicut species externæ nequeunt esse principium abstractivæ cognitionis, ita nec internæ, præsertim intelligibiles, possunt esse principium cognitionis intuitivæ, ut ex professo demonstravimus supra q. 4. art. 2.

333 Quarto, alii, ut relatas difficultates evitarent, discesserunt a communi via investigandi discrimen inter has notitias, & differunt cognitionem intuitivam per hoc ab abstractiva differre, quod intuitiva necessario repræsentat formalitates omnes in objecto repertas, & realiter cum eo identificatas, secus vero abstractiva, ita Vasq. to. 1. par. p. disp. 50. n. 12. Hic dicendi modus est omnibus hactenus relatis irrationabilior, quia confundit notitiam intuitivam cum comprehensiva, si teneatur comprehensionem in hoc consistere, quod attingantur omnes formalitates in objecto a parte rei repertæ, de quo q. seq. tum quia dari potest cognitio intuitiva, quæ objectum attingat, & tamen non omnem formalitatem ei realiter identificatam, sic visus intuitive videt albedinem, & tamen non percipit differentiam individualem intrinsecam, qua differt ab alia albedine, & in sententia Doctoris potest Beatus de potentia Dei absoluta videre divinam essentiam stantibus relationibus ei realiter identificatis ex p. d. 1. q. 2. e contra potest dari visio abstractiva, quæ attingat omnes prorsus formalitates in objecto a parte rei repertas, nam talis est notitia, quam Angeli habere possunt per speciem divinæ essentiæ eis ab initio impressam, ut supra diximus.

334 Quinto, Itaque concludimus, notitias istas distingui debere tam ex parte principii, quam ex parte termini, ita enim significavit Doctor sexcentum in locis p. dist. 2. q. 2. art. 2. vers. *secundo sic*, 2. d. 3. d. 6. §. *ad quæstionem*, q. 11. §. *respondeo*, & d. 9. q. 2. ad 3. & 3. d. 14. qu. 3. §. *ad quæstionem*, & 4. dist. 10. q. 8. §. *respondeo*, & d. 45. q. 2. §. *ad quæstionem*, dist. 49. q. 11. §. *respondeo*, q. 12. §. *respondeo*, & quol. 6. §. *& statim*, quol. 7. §. *secunda conclusio* & quol. 14. art. 2. §. *circa secundum*, & alibi sæpe, unde minus advertenter dixit Bargius supracit. nunquam Doctorem distinxisse has notitias ex rationibus motivis diversis, sed tantum ex terminativis, nam quol. 13. cit. & 4. d. 49. qu. 12. expresse ea distinguit etiam ex parte principii ob rationes motivas hinc inde diversas; verum tamen est præcipuam earum distinctionem ex parte terminorum petendam esse, & ratio est, quia ut dicebat Bassol. etiam notitiæ illæ haberent idem principium, adhuc diversa objecti attingentia sufficere ad eas distinguendas; distinguuntur itaque istæ notitiæ ex parte principii, quia principium abstractivæ est species impressa objecti, intuitiva vero causari postulat ab objecto in propria existentia immediate, vel saltem mediate, quod addimus ob sensationes externas, quæ immediate causantur a speciebus, sed quia istæ species, ut diximus, in fieri, & conservari pendent ab objecto præsente in propria existentia, ideo cognitio per eas acquisita dicitur pendere ab objecto existente, & præsente in propria existentia, saltem mediate, nimirum mediante ipsa specie; in hoc ergo sensu notitia intuitiva postulat causari ab objecto præsente in propria existentia, quia scilicet, vel immediate causatur ab eo ita præsente, vel immediate causatur ab aliquo repræsentante, quod in fieri, & conservari pendet ab objecto præsente in propria existentia, species enim sic pendens ab objecto, non est idoneum abstractivæ cognitionis principium, sed tantum intuitivæ, quia ex tali dependentia ad objectum determinetur ad illud repræsentandum in propria existentia. Distinguuntur etiam ex parte termini, quia intuitiva terminatur immediate ad rem in propria natura existentem, & præsentem, non specie, abstractiva e contra terminatur ad objectum in specie relucens, sive a parte rei existat, sive non, accidit enim notitiæ abstractivæ, quod objectum *ejus fit in re* extra actu existens, quia sit ex genere suo per repræsentativum, quod indifferenter repræsentat objectum, sive existat, sive non, unde notitia non dicitur a bstractiva, quia necessario abstrahat ab esse actualis existentiæ in ratione objecti cogniti, ut dicebant Ant. And. & Canon. quia, & ipsum esse actualis existentiæ potest abstractive cognosci, neque dicitur abstractiva, quia abstrahat ab existentia tanquam a ratione cognoscendi, ut dicebat Vulp. quia neque in ipsa notitia intuitiva existentia concurrit, ut ratio movendi, vel terminandi, cum existentia sit purus modus rei intrinsecus, sed ipsa rei quidditas, & natura, ut tamen existens a parte rei, & in se præsens, adeout existentia sit potius conditio moventis, & terminantis, quam ratio movendi, & terminandi; quare restat, ut notitia dicatur abstractiva quia abstrahit ab existentia, & præsentia rei quatenus a conditione moventis, & terminantis, non tanquam a re cognita vel ratione cognoscendi.

335 Sexto, quæri solet, qualis, & quanta sit distinctio assignata inter prædictas notitias, an scilicet sit specifica, vel potius numerica solum, specie non differre opinatur Arriag. disp. 6. de An. sec. 8. Jo. de S. Th. cit. cum aliis quibusdam, imo addit Morisan. disp. 3. de An. q. 9. interdum nec numero differre unam ab alia, namquæ antea erat intuitiva præsente objecto, potest evadere abstractiva ipso absente v. g. si quis intelligat album præsens, & eo destructo continuet intellectionem, posterior cognitio nec specie, nec numero differt a cognitione inchoata existente albo, quia intellectus potest continuare suum actum absente objecto, nec videtur ratio, cur intrinsece cognitio varietur, unde secundum hunc dicendi modum, eadem numero notitia dicitur intuitiva, dum ejus objectum est præsens, abstractiva vero dum est absens, cujus opinionis meminit Rubion. q. secunda Prolog.

Cæterum nedum aumero, sed etiam specie differre Scotus docet locis omnibus citatis, ac rursus 2. Met. q. 3. & 7. Met. q. 5. sequuntur Scotistæ omnes, Rubion. cit. cum aliis Nominalibus Conimb. 3. de An. c. 5. q. 5 cum aliis Recentioribus; & probatur, quia cognitio abstractiva Dei, quæ de facto a nobis habetur in via per fidem, & ea etiam quę potest haberi ab Angelis per impressam speciem, non facit hominem beatum, intuitiva vero utiq. ergo sunt notitiæ specie distinctæ: probatur consequentia, quia non minus distinguitur notitia Dei abstractiva viatorum a notitia intuitiva comprehensorum, quam fruitio istorum a fruitione illorum, ut expresse tenet Doct. 3. d. 26. & d. 31. & 4. d. 49. qu. 5. circa finem §. *conclusio*, & ratio ipsa suadet, quia fruitio patriæ est beatitudo, non fruitio viæ, ipsa est summe delectabilis, & quietativa, non ista, ergo, &c. Rursus notitia, quæ rem repræsentat uniformiter, sive sit absens, sive præsens, necessario est distincta specie, & alterius rationis ab ea quæ rem existentem, & præsentem determinate repræsentat, sed notitia abstractiva rem repræsentat, sive sit existens, & præsens, sive non, intuitiva vero est tantum rei præsentis, ergo &c.

De-

Denique hæc diversitas specifica inter has notitias palam deprehenditur ex diversis earum principiis, & ex diverso prorsus modo tendendi in objectum, nam intuitiva tendit in objectum immediate præsens in actuali sua existentia, abstractiva nequaquam, hæc solum a specie produci nata est, illa vero minime, & quamvis intuitiva sensuum externorum speciebus sensibilibus producatur, illæ tamen species sunt omnino alterius rationis ab eis, a quibus abstractiva produci nata est, ut supra explicavimus; fatendum ergo est, has notitias specie distingui; ad casum vero positum de intelligente album] præsens, & continuante actum post ejus destructionem, vel ablationem negant Conimb. perseverare eundem actum, nam ad ablationem objecti, a quo essentialiter pendebat, prior cognitio intuitiva deponitur ex toto, & alia denuo inchoatur, quæ est abstractiva; præstat tamen concedere, quod eadem perseveret, sed negandum est, quod dum objectum est præsens sensibus externis, cognitio intellectus sit intuitiva, adhuc enim est abstractiva in rigore loquendo, quia revera cernit album mediate, & in species impressa, non in seipso immediate, & solum concomitanter dicitur intuitiva, quatenus conjungitur actui intuitivo sensus, ut explicavimus qu. 7. art. 1. ad 1. princ.

336 Septimo quæri solet, an tantum comparatione diversarum rerum constituendæ sunt hujusmodi notitiæ in intellectu nostro, an etiam respectu ejusdem objecti, & quicquid alii dicant, asserimus etiam respectu ejusdem objecti constitui posse, ac debere cum Doct. quol. 13. L. & 2. d. 3. q. 19. G. possumus enim de aliqua quidditate scientiam habere præscindendo ab ejus existentia, qualis est scientia, quæ cum sit notitia immutabilis, ac sempiternæ veritatis, abstrahit ab actuali existentia, secundum quam res mutationem suscipiunt; possumus etiam eandem quidditatem attingere, secundum quod a parte rei existit in suis singularibus, & ut sic nobis præsentem in ratione objecti cognoscibilis, ergo bene utraque cognitio constitui potest in intellectu nostro respectu ejusdem objecti; Imo ulterius addimus has notitias posse simul, & semel haberi respectu eiusdem objecti, quod S. Thom. negare videtur p. p. q. art. 5. & hoc manifeste colligitur ex Scot, docente loc. cit. 2. d. 3. q. 10. Angelum seipsum posse simul cognoscere intuitive, & abstractive, & Deum etiam intuitive per visionem beatam, & abstractive per speciem impressam, quod etiam de beatissima Christi Anima concedit 3. dist. 24. sequitur Hurt. disp. 19. de An. sec. 2. ubi bene advertit nullam prorsus esse repugnantiam respectu ejusdem objecti inter istos actus, quia etiamsi unus ex genere suo sit perfectior, & clarior altero, nempe notitia intuitiva, unus tamen tollit alterum, ut dicimus de assensu, & dissensu, & Theologi omnes admittunt in beatis, & simul cognitionem matutinam, & vespertinam respectu eorumdem objectorum, illa autem est intuitiva, & clarissima, utpote quæ fit in verbo, hæc abstractiva, & subobscura, quia fit per species, nisi ergo potentia impediatur a simultanea actuum pluralitate, quod quæstione nona non obstare monstravimus, sane negari nequit simultas istorum actuum respectu ejusmodi objecti, quia cognoscere rem diverso modo a priori, & posteriori in se, & in alio nullam dicit repugnantiam in objectum resultantem.

337 Octavo, tandem quæri solet an de potentia Dei absolute possit dari intuitiva cognitio etiam absente, vel non existente objecto, Affirmant quamplures Bassol. cit. Smisinch. Cavell. disp. 3. de An. sect. 11. Vasq. p. p. disp. 38. cap. 2. Molin. p. p. §. art. 1. Conimb. 7 de An. cap. 6. quæst. 3. esto dicant, quod a Rubion. cit. desumpserunt, sensum tunc percipere objectum absens, non ut absens, sed ut præsens, sic etiam loquitur Ruvius 2. de An. cap. 6. quæst. 13. ubi appellat hanc opinionem inter Recentiores communem Hurt. disp. 10. cit. sec. 2. unde cum dicitur notitiam intuitivam causari ab objecto præsente, & movente in propria, & reali existentia, & per hoc ab abstractiva distingui, inquiunt id esse intelligendum connaturaliter & quantum ad id, quod postulat suapte natura; quod tamen non impedit, ne oppositum contingere possit per potentiam Dei absolutam, sicut videmus in multis aliis, nam creare potest formam accidentalem, quæ suapte natura petit fieri per eductionem dependenter a subjecto, potest ponere corpus in diversis locis simul, & semel eum tamen naturaliter petat in uno esse duntaxat loco, &c. Imo Rubion. cit. Ocham. quæst. p. prol. & Aureol. qu. 2. art 2. ulterius pergunt, & inquiunt, hoc naturaliter contingere posse, nimirum, quod notitia intuitiva aliquo brevi tempore conservetur sine objecto præsente, sic enim apparet de facto in visione Solis remanente aliquo tempore in oriente, Sole non existente in prospectu potentiæ, constat idipsum (ajunt) quando videtur circulus igneus titione circulariter moto, quia tunc fit visio ignis absentis, non enim ignis est toto circulo, in quo videtur, & quod magis urget, probatur ex auditione, constat enim, quod audiens sonum factum in loco remoto percipit sonum distantem, nec etiam sonus ipse auditus semper permanet, dum exercetur auditio, imo ipso concepto, adhuc perdurat auditio, ut patet in Echo.

338 Oppositum nihilominus verius arbitramur, & probabilius præsertim in sententia Scoti, nempe actum intuitivum nec fieri, nec exerceri posse sine objecto præsente, nec naturaliter, nec supernaturaliter, ita de mente Doctoris docent Mairon. qu. 18. & 19. Prolog. §. *pro tanto revelans hanc*, & alii meliores Scotistæ. Fundamentum præcipuum hujus asserti esse debet, quod supra statuimus quæst. 3. hujus disp. art. p. quamlibet notitiam, identificare sibi respectum attingentiæ, vel tendentiæ in objectum ut in terminum, eo quia talis respectus in actu vitalis prædicamentalis non est, sed transcendentalis, omnis autem hujus ordinis respectus cum suo fundamento realiter identificatur, ut dictum est disp. 9. Log. q. 2. unde optime notant Mair. & Bar. quod quælibet notitia habet duos respectus, unum inquantum accidens, quo respicit subjectum, aliud inquantum notitia, quo respicit objectum, & iste secundus est essentialior primo, quia notitia potest stare sine primo, non sine secundo, cum sit ei consubstantialis, quod tamen intelligendum est de respectu notitiæ ad objectum non in ratione moventis, & causantis, quia Deus supplere posset vicem in ratione moventis, sed de respectu ad objectum in ratione terminantis, quem quidem supplere non potest ut notat Doctor in 3. d. 15. ad p. prin. Conf. amplius ex speciali ratione intuitivæ, quæ talis est conditionis, ut terminetur ad objectum in se realiter præsens, & existens, implicat ergo, ut *in ratione* actus intuitivi terminetur ad objectum non in se existens, & præsens, sed in specie. Nec valet, quod inquiunt Conimbr. adhuc salvari rationem actus intuitivi, quia etiam in tali casu, absente nimirum objecto, vel destructo, non attingitur objectum, ut absens, sed ut præsens, & existens, licet apparenter, & falso. Nam de ratione intuitivæ notitiæ est, quod attingat objectum in sua propria, & reali existentia, atque præsentia, non autem apparenti, & falsa ac dnmtaxat imaginaria, nam in hoc sensu etiam notitia abstractiva attingit rem existentem, & præsentem, scilicet imaginarie, phantasia enim non abstrahit a conditionibus individuantibus hic, & nunc, quia species phantastica repræsentat idem omnino objectum & cum eisdem prorsus conditionibus materialibus, situs, distantiæ, quantitatis, &c. quod ei transmissum fuit a sensibus externis, & abstrahit a præsentia reali objecti immediata in propria natura, ergo per hanc præcise præsentiam notitia intuitiva secernitur ab abstractiva, ideoque ad *intuitivam* non sufficit, quod attingatur objectum ut præsens, imaginarie solum, & apparenter.

339 Respondent alii communiter actum illum adhuc fore intuitivum, quia *intuitio* non consistit in actuali tendentia in objectum in se existens, & præsens, sed in actuali exigentia talis præsentiæ, sicut ratio quantitatis non in actuali extensione localis consistit, sed in actuali exigentia talis extensionis, sicut ergo ob talem actualem exigentiam extensionis localis Corpus Christi in Eucharistia adhuc dicitur actualiter quantum, licet non sit actualiter loco coextensum, sic in allegato casu actus ille etsi privatus esset actuali præsentia objecti in seipso immediate, quia tamen haberet actualem ejus exigentiam, ideo actualiter adhuc, & formaliter intuitivus esset. Contra hoc est, quod docet Doctor quol. 13. §. *circa secundum*, intuitivam notitiam per hoc præsertim ab abstractiva distingui, quod cum intuitiva sit rei existentis, & præsentis in se, necessario habet annexam relationem realem, & actualem ad ipsum objectum, & ratio est, inquit Doctor, quia non potest esse talis cognitio, nisi cognoscens habeat actualiter ad objectum talem habitudinem, quæ necessario requirit extrema in actu, & realiter distincta, & quæ etiam naturam extremorum necessario consequitur; & quod formalitas intuitivæ notitiæ in tali actualitate consistat, colligitur ex D. Paul. Epist. p. ad Corinr. cap. 13. ubi eam appellat facie ad faciem (ex quo loco notat Doctor, quol. 6. art. p. & cum eo Greg. p. d. 4. qu. 3. art. p. desumptam fuisse appellationem notitiæ intuitivæ, cujus nulla prope mentio extat apud veteres Philosophos) per quem loquendi modum significat utique tendentiam notitiæ in objectum intuitum non esse aptitudinalem, aut potentialem, sed prorsus actualem, hac enim de causa vocat eam facie ad faciem, ut indicet actualem præsent am objecti in propria natura, & in seipso, & per hoc eam distinguit ab abstractiva, quam ibidem appellat per speculum in ænigmate, non ergo sufficit ad rationem notitiæ intuitivæ, quod *solum aptitudinaliter petat objecti præsentiam in se ipso, sed omnino* opus est, quod illud petat actualiter, sic enim nobis explicuit D. Paulus rationem intuitivæ notitiæ, ut ab abstractiva secernitur, nec aliam notionem intuitivæ notitiæ licet nobis fingere aliam ab ea, quam docuit Apost. abstractiva vero cognitio, quæ non est necessario existentis, ut existens est, non necessario habet relationem realem actualem ad objectum, quia relatio realis actualis requirit per se terminum realem, & actualem, sed vel realem potentialem vel actualem rationis, ex qua doctrina Scotica facile refellitur allata solutio, quia intuitio formaliter consistit in actuali tendentia in objectum in se existens, & præsens, & per hoc formalissime distinguitur ab abstractiva, ut ait Doctor, unde non valet allata pariras de quantitate in ordine ad extensionem actualem, quia quantitas utique *non consistit in actuali extensione locali*, sed in principio exigitivo ejus, ideoque corpus Christi dicitur actu quantum in Eucharistia, licet non sit actu extensum, sed cognitio intuitiva non consistit in principio exigitivo tendentiæ actualis in objectum præsens, sed in illa ipsamet actuali tendentia, & per eam secernitur ab abstractiva, ex quo etiam deducitur longe majorem hic esse repugnantiam, quam in eo, quod forma materialis producatur per creationem, & corpus idem ponatur in pluribus locis, vel plura in eodem loco, quia hæc actualis eductio est de essentia formæ materialis, nec corporis unica præsentia in loco, nec loci unica repletio, sed accidentia mere per accidens, ut constat ex dictis in Phys. sed in proposito actualis tendentia in objectum ipso immediate præsente formalissime constituit notitiam intuitivam, ideoque implicat per locum ab intrinseco *posse* fieri, aut exerceri notitiam intuitivam absque immediati objecti præsentia, aliis rationibus probat Mairon. hoc assertum, sed hæc una deducta ex natura cognitionis intuitivæ valet pro *omnibus*.

340 Si autem hoc fieri nequit per divinam potentiam *ob* peculiarem rei implicantiam, plane tanto minus *viribus naturæ* contingere poterit, ut cognitio intuitiva *conservetur absente*, vel non existente objecto nec longo, nec brevi tempore; *ad illos* casus, & consimiles, quos Rubion adducit, jam *fecimus* satis superius disput. præced. in propriis quæsitis, tunc revera *objectum* non videri, sed ipsam objecti speciem, quam *solutionem* innuit Doctor p. d. 3. q. 4. §. *de rertiis cognoscibilibus*, dum tractat de modo, quo sensus illudan-

ludantur ut præsertim interpretatur Bargius, cujus solutionis fundamentum est, quod docet idem Doctor 2. dist. 13. f. generatim omnem speciem sensibilem non tantum esse id *quo* sentimus, sed interdum etiam, *quod* sentimus, quod magis explicans in reportatis ibidem inquit, quando species est debilis, & remissa, & tantum ratio tendendi, quando est fortis, & intensa, esse potest *quo*, & *quod* sentitur, juxta quam doctrinam inquit Bassolius cit. q. 1. prolog. quod in prædictis casibus in medio propinquo generantur intentiones aliquæ fortes talium sensibilium ab aliquo agente, & illæ videntur, sicut videtur species coloris in pariete radio Solis transeunte per vitrum coloratum, & apparet, quod sit color, cum tamen non sit color; sed intentio coloris, quæ doctrina pariter applicari potest ad species audibiles, & quando auditur sonus de longinquo, id non probat ab auditu percipi objectum absens, quia adhuc in tali distantia dicitur ei sufficienter præsens, ut faciat notitiam intuitivam, ut pariter constat, cum Solem, & cœlum cernimus adeo a nobis distantia, quam visionem nemo negat intuitivam.

341 In oppositum objicitur primo contra discrimen positum inter notitiam intuitivam, & abstractivam, probando, quod non sit bene assignatum, quia cognitio intuitiva non necessario terminatur ad objectum, ut præsentaliter existens in propria natura, quod satis constat de divina notitia, quæ respectu omnium creaturarum censetur intuitiva, & tamen creatura non attingit in propria existentia, & præsentia immediate, sed in divina essentia; imo Scot. ipse 3. d. 14. q. 3. *ad quæstionem*, duplicem distinguit intuitivam notitiam, unam, quæ terminatur ad objectum, ut præsentialiter existens, alteram, quæ terminatur ad objectum, ut existens pro præterito, & futuro, & ita non videtur sentire, quod intuitiva semper terminetur ad rem, ut existentem, & præsentem; qua ratione Arriag. disput. 6. de An. sect. 8. cognitionem memorativam vult esse intuitivam, quia ad hanc sufficere putat, quod sit de re existente pro aliqua temporis differentia, e contra vero abstractiva cognitio esse potest rei existentis, & præsentis, ut sit, quia ut diximus etiam existentia, & præsentia ipsa rei potest abstractive cognosci, & phantasia abstractive dicitur objecta cognoscere, & tamen non abstrahit a conditionibus individuantibus hic, & nunc: & tandem abstractiva cognitio dicitur indifferenter in objectum tendere, sive existat, sive non, sive sit in se præsens, sive non, ergo per eam possumus attingere objectum in se præsens, cum sit indifferens ad exprimendum objectum uno, vel altero modo.

Resp. neg. assumptum de cognitione intuitiva, ad primam probationem ex notitia divina desumptam, concedunt aliqui eam esse abstractivam respectu creaturarum, quia eas immediate non attingit in seipsis, sed cum talis cognitio aliquam præseferat imperfectionem, melius est cum communi Theologorum eam appellare intuitivam; vel quia cum quæcumque notitia specificetur ab objecto primario, consequenter cum divina cognitio sit intuitiva respectu divinæ essentiæ, talis quoque censeri debet respectu creaturarum quæ sunt objecta secundaria, ut ajunt Mairon. & Bassol. citat. vel quia licet fiat in aliquo repræsentativo, scilicet in essentia, hoc tamen supereminenter continet objectum secundum totam ejus entitatem, & cognoscibilitatem, atque ideo parere posse notitiam ejus intuitivam; non autem diminute, prout species solet objectum sum continere, & repræsentare, ut Doctor ipse significat 3. d. 14. qu. 3. B. quol. 6. G. & quol. C. Ad alteram probationem Scotus ipse se declarat ibidem, notitiam præteriti, & futuri esse imperfecte intuitivam, & veluti secundum quid, quatenus materialiter tantum attingit objectum intuitive, nimirum existentiam, quatenus objectum cognitum præcise, non vero quatenus rationem cognoscendi, vel conditionem terminandi cognitionem, unde in 4. dist. 45. q. 3. notitiam memorativam vocat absolute abstractivam, quia est rei absentis, & præteritæ, & solum præsentis per speciem, ideoque male Arriag. vocat eam notitiam intuitivam, quæ quomodo terminatur ad existentiam, & prò quacumque temporis differentia, quæ est illa præcise, quæ terminatur ad objectum, & de præsenti existens, & in seipso potentiæ immediate præsens; Ad aliud de notitia abstractiva jam dictum est posse ipsam quoque esse existentis, & præsentis, ut sic, non quidem reduplicative, sed specificative dumtaxat, quatenus existentiam, & præsentiam attingere potest velut objecta cognita tantum; phantasia quoque in suo modo cognoscendi abstrahit, quantum sufficit ad veram cognitionem abstractivam, quia licet non abstrahat ab omnibus conditionibus individuantibus, abstrahit nihilominus a præsentia reali objecti immediata, quæ sola facit cognitionem intuitivam; tandem quamvis abstractiva cognitio indifferenter tendat in objectum, sive sit absens, sive præsens, sive existat a parte rei, sive non, non proinde sequitur posse per ipsam objectum intuitive attingi, quia intuitio ex suo genere determinat sibi objectum immediate præsens, & in illud determinate tendit, ut tali modo se habens, unde quando notitia abstractiva dicitur indifferenter exprimere objectum, sive absens, sive præsens, non est sensus, quod indifferenter possit attingere objectum abstractivo, vel intuitivo modo, sed quod abstractive semper illud attingere potest, sive sit absens, sive præsens, sive existat, sive non, quia existentia, & præsentia objecti notitiam abstractivam objecti adhuc non impediunt, cum etiam & istæ formalitates possint abstractive cognosci.

342 Secundo arguitur probando istas notitias specie non differre, quia intuitivum, & abstractivum non differunt penes diversa objecta formalia in esse, & formalitate cognoscibilis, sed in esse, & formalitate alicujus conditionis, & modi accidentalis, ergo in cognitionibus non faciunt diversitatem specificam essentialem, sed tantum accidentalem, & probatur assumptum, quia intuitivum, & abstractivum differunt tantum per absentiam, & præsentiam, sed absentia & præsentia non pertinent specialiter ad intuitivum, & abstractivum, ut res directe, & determinate repræsentatæ per hoc, vel illud, sed solum prout afficiunt, vel modificant objectum ipsum formale in applicatione ad potentiam, cum ergo sint solum conditiones variæ applicantes objectum ad potentiam, nequeunt inducere diversitatem essentialem, quæ solum sumi debet ex diversitate objectorum specificantium. Deinde in diversis speciebus unum est altero essentialiter perfectius, at in ejusmodi notitiis talis excessus non cernitur, nam in eo gradu perfectionis objectum attingi potest per utramque, & si aliquis excessus inter eas reperitur, nequit esse nisi accidentalis perfectionis, quatenus una est clarior, & limpidior alia. Rursus, quia cognitio, quam habent phantasia, vel intellectus ad objecto absente, fit per illas eadem species, quas habuerunt præsente objecto, ergo notitia, quæ tunc per eas species genita fuit, & quæ deinceps per easdem renovatur, erunt ejusdem rationis, nec nisi numero differre possunt, illa vero erat intuitiva, hæc vero est abstractiva, ergo &c. Tandem quia hujusmodi notitiæ assignantur non tantum respectu diversorum objectorum, sed respectu ejusdem, ergo specie differre non possunt, quia ad hanc diversitatem requiritur diversitas specifica objectorum.

Respondeo, has notitias specie differre tam ex parte principii, quam ex parte termini, ut probatum est, & falsum est, præsentiam, & absentiam esse puras conditiones pertinentes ad solam objecti applicationem ad potentiam, nam præsentia objecti in seipso ad cognitionem intuitivam si non intervenit, ut objectum cognitum, seu ut ratio *quæ* juxta modum loquendi Thomistarum, tamen intervenit, vel ut ratio *sub quia*, seu ut ratio cognoscendi, & terminandi talem notitiam, vel saltem ut conditio objecti in ratione terminantis, adeo ut non pertineat ad solam objecti applicationem, sed etiam ad modum terminandi notitiam, qui modus spectat ad objectum, quatenus specificat, cui accedit, quod quando etiam concedatur, absentiam, & præsentiam esse solum conditiones varie applicantes objectum ad potentiam, adhuc negandum est non inducere essentialem diversitatem, quia ex sola variatione conditionis applicantis causam potest essentialiter variari effectus inde sequens, ut docet Scot. 4. dist. 49. qu. 5. E. & nos infra dicemus disp. 7. q. 6. art. 2. diff. 2. Ad 2. cum differant specie hujusmodi notitiæ, tam ex parte principii, quam termini, ex his capitibus præsertim pendet major claritas, & evidentia, quam intuitiva possidet supra abstractivam, non autem ex quibusdam conditionibus accidentalibus, hinc est, quod talis excessus non est tantum in perfectione accidentali, sed etiam essentiali. Ad secundum quidam negant assumptum, quia in phantasia, & intellectu assignant ultra species, quæ conservantur post sensationem externam, & vocant abstractivas, alias quasdam, quæ in fieri, & conservari pendent a sensatione externa, ac proinde appellant intuitivas, & dicunt cognitionem habitam de objecto præsente fieri per istas, quæ vero habetur de objecto absente, fieri per illas; sed hanc multiplicationem specierum superius non libenter acceptavimus; ideo potius concedendum est assumptum cum consequentia, & negandum est subsumptum, quia utraque cognitio, tam scilicet quæ habetur a phantasia, & intellectu præsente objecto, quam quæ habetur de eodem absente, est abstractiva, quia non terminatur ad objectum in semetipso præsens, sed in specie phantastica, aut intelligibili repræsentatum, ut constat ex dictis supra quæst. 4. art. 2. ubi pro statu isto cognitionem proprie intuitivam negavimus intellectui hac ratione, ac etiam sensibus internis. Ad ult. neg. consequentia, quia ut sæpius dictum est, licet ex diversitate objectorum valeat arguere diversitatem potentiarum, & actuum, non tamen ex unitate valet arguere eorum unitatem, quia diversæ potentiæ versantur sæpius circa idem objectum; unde non solum ex diversitate objectorum, sed etiam ex diverso modo tendendi in idem objectum interdum arguimus diversitatem potentiarum, & actuum & ita est in proposito, quod licet intuitiva, & abstractiva notitia interdum assignentur respectu ejusdem objecti, non tamen sunt ejusdem eodem modo moventis, & terminantis.

343 Tertio arguitur probando, quod nequeant esse simul respectu ejusdem, quia quod una ponit, altera tollit, intuitiva namque ponit objectum esse præsens, & existens, abstractiva vero ponit illud absens, & ab existentia præscindit; non potest autem simul idem objectum cognosci, ut præsens, & ut absens. Rursus quia per intuitivam attingitur objectum distincte, clare, & perfecte, per abstractivam vero confuse, obscure, & imperfecte, sed hi sunt modi cognitionis simul repugnantes respectu ejusdem objecti. Denique quia tunc non forent notitiæ specie distinctæ, nam esset ejusdem potentiæ, ejusdemque objecti, & proinde duo accidentia tantum numero differentia eidem inessent subjecto.

Resp. neg. assumptum, quia licet notitia intuitiva sit rei præsentis, & existentis ut est existentis, & præsens reduplicative, non tamen abstractiva est rei absentis, & non existentis, ut sic determinate, ut quidam loquuntur, sed indifferenter se habet ad utrumlibet, æque enim repræsentat objectum, sive sit absens, sive præsens, sive existat, sive non existat, at proinde nulla sequitur contradictio. Dices, saltem sequi ex hoc capite, quia per intuitivam objectum determinate attingitur, ut præsens, per abstractivam vero non determinate, sed indifferenter, sive sit præsens, sive non præsens. Neg. adhuc consequ. quia abstractiva non negat rei præsentiam, & existentiam, quam ponit intuitiva, sed ab ea præscindit. Ad 2. non implicat idem objectum cognosci perfecte, & imperfecte simul, & semel per actus, & alterius rationis, ut constat de Beatis

eadem

eadem objecta cognoscentibus perfecte quidem, & clarissime in verbo, imperfecte autem, & subobscure in genere proprio. Ad ult. neg. consequ. quia ut dictum est, etiam comparatione ejusdem objecti istæ notitiæ differunt specie, quia licet sint ejusdem objecti, diversimode tamen tendunt in illud.

344 Postremo objicitur probando, quod saltem supernaturaliter, (rationes enim ostendentes hoc naturaliter evenire adduximus disp. præc. n. 47.) potest fieri, & exerceri cognitio intuitiva sine ejus objecto præsente, quia notitia intuitiva est qualitas absoluta, sicut & quæcumque alia operatio vitalis ex Scot. quol. 13. ab objecto solum pendens in genere causæ efficientis; Deus autem potest se solo producere, & conservare omnem entitatem absolutam absque concursu causæ efficientis secundæ. Conf. p. quicquid agit Deus mediantibus causis secundis, potest immediate per se sine illis producere, & conservare, sed notitiam intuitivam potest Deus mediante objecto producere, & conservare, ergo etiam sine illo. Conf. 2. omnia realiter distincta sunt per divinam virtutem separabilia, sed intuitiva cognitio realiter distincta ab hoc objecto, ergo &c. confirm. 3. nec intuitiva cognitio, nec quodvis aliud accidens exigit magis necessario terminum, quam suum subjectum, sed fieri potest a Deo accidens sine subjecto, ergo & intuitiva cognitio sine objecto, quod est ejus terminus. Denique in cognitione sensitiva posset Deus speciem conservare in oculo, absente objecto, & consequenter visionem causare,

Resp. hæc argumenta nihil prorsus concludere, alioquin probarent, non tantum notitiam intuitivam, sed universaliter cognitionem quamcumque fieri posse, & conservari sine objecto, quod repugnat, quia cognitio ut sic dicit relationem transcendentalem, & ordinem essentialem ad objectum. Falsum itaque est, quod intuitiva notitia sit pura entitas absoluta, quia in eludit relationem transcendentalem ab objectum; & rursus falsum est, quod solum pendeat ad objecto realiter præsente in ratione moventis; & causantis, quia pendet ab eo etiam in ratione terminantis, quæ reducitur ad genus causalitatis formalis, quam Deus supplere non potest. Ad p. conf. assumptum est verum in serie causarum efficientium, non aliarum, ideoque potest utique Deus facere notitiam intuitivam sine suo objecto se habente in ratione terminantis, Ad 2. conf. valet major de duobus realiter distinctis omnino absolutis, at in proposito objectum, & notitia se habent relative transcendentaliter, quia actus respicit objectum transcendentaliter, alioquin idem probaretur de omni cognitione. Ad 3. negatur major, quia ex duobus respectibus, quos importat notitia, unum ad subjectum, alterum ad objectum, iste ut diximus essentialior est primo, quia est transcendentalis, eique realiter identificatus in ratione notitiæ. Ad ult. dicimus in casu speciem illam permanere in oculo tanquam entitatem quandam realem, non tamen producere visionem propter defectum præsentiæ objecti ob rationem sæpe allatam. Dices, non alio modo videtur fecisse Deus cum Hebræis, dum illis manna pluit ad manducandum continens omnem saporem, quam producendo species saporum in organo gustus, non enim revera sapores illi reperiebantur in manna, aliter simul omnes sapores percepissent Hebræi; tum quia multi exigunt opposita temperamenta, ergo tunc fiebat sensatio gustus sine reali sapore præsente, sed solum per species. At facilius est asserere Deum ad libitum Hebræorum tunc producere & speciem, & saporem realem in cibo illo, & non speciem solam, sic enim salvatur melius sensus Sacræ Scripturæ, & Patrum asserentium manna in se continere omne delectamentum, & saporem suavitatis,

QUÆSTIO XII.

De cognitione comprehensiva.

345 Quæsitum hoc de natura comprehensionis tractari solet a Theologis in materia de visione beatifica, re tamen vera limites Animastici non transilit, unde non abs rea quibusdam recentioribus in disputationibus animasticis examinatur; plures comprehensionis acceptiones tradiderunt Nominales, ut videre est apud Ocham 4. q. 12. art. p. & Gabr. 3. d. 14. qu. un. art. 3. dub. 2. ut plurimum inutiles, quia non explicant veram, & propriam rationem comprehensionis, de qua hic est sermo, solent utique SS. Patres interdum nomine comprehensionis intelligere beatam visionem, & fruitionem, & Beatos appellare comprehensores juxta modum loquendi D. Pauli p. ad Corinth. 9. *sic currite, ut comprehendatis*, & ad Philipp. 3. *sequor, si quomodo comprehendam*, quo sensu comprehensio sumitur, ut insecutioni opponitur, & comprehensor, ut opponitur viatori, sed in hac significatione non instituitur quæstio de natura comprehensionis. Alio modo sumitur pro adæquata rei cognitione, cum nimirum attingitur ab intellectu secundum omnes ejus formalitates tam absolutas, quam respectivas, & secundum omnes gradus cognoscibilitatis ejus, & hoc modo de illa scholastici agunt, ac de natura disputant intentionalis comprehensionis, quam in primis supponunt omnes (ut certa, & ab omnibus concessa ab incertis, & ea ab iis secernamus) esse debere cognitionem certam evidentem, quia comprehensio est nobilissima, & præstantissima cognitio, quæ de eodem objecto haberi possit, tum quia probabilis cognitio dubium relinquit intellectum, obscura, & inevidens non exprimit objectum ea claritate, qua natum est intelligi, ergo comprehensiva cognitio debet esse certa, & evidens; debet quoque esse intuitiva, quia abstractiva, aut non attingit omnem rei formalitatem, sed ab aliqua abstrahit, vel si omnem attingit, non adhuc illud declarat secundum eum claritatis gradum, in quo natum est exprimi per cognitionem intuitivam, quod ad comprehensionem requiritur.

346 Sed ut aptius naturam intentionalis comprehensionis vestigemus, sciendum est, hujus appellationem, ut omnes hic adnotant, translatam esse a comprehensione reali, & corporea, qua dicimus, unum corpus ab altero comprehendi, cum ab eo ita adæquate continetur, ac circumscribitur, ut nihil contenti sit extra continens, sic v. g. cum pomum manu claudimus, itaut nil ejus sit extra, tunc dicimus pomum manu comprehendere, ubi e contra si illud tantum ex una parte tangimus, & tenemus, non dicimur illud comprehendere manu, sed potius apprehendere, itaque juxta hanc analogiam explicanda est apprehensio, & comprehensio intentionalis, & intellectiva, unde per intellectum tunc res dicetur cognitione apprehendi cum attingitur secundum aliquas formalitates, & prædicata, sed non omnia, vel si secundum omnia, non tamen secundum omnes gradus intelligibilitatis eorum; tunc vero dicetur comprehendi, cum ita cognoscitur, quod omnes formalitates, quæ sunt in objecto a parte rei attinguntur, & secundum omnes gradus cognoscibilitatis earum, sic enim totum esse objecti, ita intentionaliter, & repræsentative continetur in cognitione, ut nihil ejus lateat cognoscentem, & sit extra intellectum cognoscentis; quam comprehensionis notionem colligunt scholastici, præsertim Scotus 3. d. 14. q. p. ex D. Aug. lib. 12. de Civit. Dei cap. 18. ubi ait, *illud scientia comprehenditur, quod scientiis cognitione finitur*, & epist. 122. cap. 8. dum ait, *res comprehenditur, cum ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem*, si enim per cognitionem comprehensivam objectum ita penetratur, ut nihil ejus videntem lateat, hinc necessario sequitur, objectum attingi secundum omnes prorsus formalitates ejus, nulla prætermissa, & si rursus per talem cognitionem ita exprimitur, ut scientia cognitione finiatur, & tota ejus intelligibilitas exhauriatur, hinc sequitur attingi secundum omnes gradus cognoscibilitatis ejus, nedum totum objectum, sed adeoqt etiam totaliter cognoscatur; ex quo deducit Doct. cit. lit. F. ad hoc, ut potentia comprehendat objectum, requiri inter illa adæquationem, & commensurationem in ratione intelligibilis, & intellectivi, ut nimirum potentia sit tantæ intellectivitatis, quantæ intelligibilitatis est objectum; Itaque ex dictis Augustini de comprehensione colligitur duas præcipue conditiones requiri ad veram, & propriam comprehensionem; Una est, quod per cognitionem attingatur objectum secundum omnes ejus formalitates, & singula prædicata, quam innuit epist. 112. cap. 8. dum inquit rem comprehendi, cum ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem. Altera est, ut non solum totum videatur objectum, quatenus nulla ejus formalitas latet videntem, sed etiam totaliter, adeout cognoscatur secundum omnes gradus cognoscibilitatis ejus, totaque ejus intelligibilitas exhauriatur, quam conditionem insinuat D. Aug. lib. 12. de Civ. Dei, cap. 18. cum ait illud comprehendi, quod scientis cognitione finitur. Tertiam addunt alii, ut ea omnia videantur ex vi notitiæ, seu perfectionis ipsius actus, & non aliunde, qua de causa secundum Scot. 3. d. 14. qu. M. esto anima Christi videat omnia in Verbo, non tamen Deum comprehendit, quia non tendit in ea ex vi visionis, sed ex vi essentiæ divinæ tanquam objecti prius visi libere, & clare illi omnia revelantis. Sed quamvis hoc totum sit verum, tamen hæc conditio reducitur ad secundam, nam ex ea conditione Doctor loc. cit. lit. F. deducit commensurationem illius actus ad objectum, ut tantum exprimat, quantum objectum est repræsentabile, quod utique contingere debet ex vi, & perfectione ipsius actus comprehensivi. Quia igitur ex his duabus conditionibus pendet ratio comprehensionis, sunt hic examinandæ.

Circa primam conditionem dubitari solet, an ad cognitionem comprehensivam sufficiat, ut attingantur in objecto formalitates omnes in ipso a parte rei repertæ, sive sint prædicata intrinseca, sive extrinseca, an præterea requiratur, ut etiam illa cognoscantur, quæ eminenter solum, ac virtualiter continentur in eo, sicut effectus in causa, & creaturæ in Deo, qua in re tres dicendi modos adinvenimus, duos quidem extremos, & alterum medium; Primus satis frequens inter Thomistas asserit ad comprehensionem requiri, ut objectum cognoscatur modo secundum ea, quæ illi formaliter, & ex natura rei insunt, sed ea etiam, quæ eminenter, & virtualiter in eo continentur, unde consequenter inquiunt ad comprehendendum Deum requiri, quod omnes Dei habitudines ad creaturas, atque adeo creaturæ in ipso intelligantur, atque universaliter ad comprehensionem causæ requiri, ut attingantur omnes effectus ab ea possibiles, ita Hurt. disp. 10. de anim. sect. 3. Arriag. ibidem disp. 6. sect. 9. Suarez p. p. tract. lib. 3. c. 29. n. 13. & 3. p. disp. 26. de incarnat. sect. p. Vasquez p. p. disp. 53. cap. 4. Salas p. 2. tract. 2. disp. 4. sect. 6. n. 94. & ex nostris Smisinch, tract. 2. de Deo uno disp. 7. q. 1. n. 10. & seq. ubi hanc vocat communem doctrinam, a qua solum Petrum Lorcam recessisse ait p. 2. disp. 33. sect. p. sed immerito, quia nullus Scotistarum unquam hanc recipit doctrinam, ut mox ostendemus: putant autem Auctores hujus opinionis rationem comprehensionis in eo præsertim consistere, quod res adæquate penetrentur secundum ea omnia, quæ in illa continentur eminenter, & virtualiter, imo hoc solum sufficere ad comprehensionem proprie dictam, eo enim ipso quod aliqua causa ita cognoscitur in ordine scilicet ad omnes effectus ab ea possibiles, statim ejus virtus tota, & totaliter intelligitur, & exhauritur, qua ratione negat D. Thom. p. p. q. 12. art. 8. animam Christi videre omnia possibilia in verbo, quia tunc Deum com-

pre-

prehenderet, in quotamen puncto non eis consentit Smisinch, qui vult quidem ad rei comprehensionem opus esse ea omnia cognoscere, quæ in ipsa eminenter continentur, hæc tamen non sufficere, sed præterea cognosci debere, quæcumque formaliter, & ex natura rei in ipsa reperiuntur. Alter extremus dicendi modus est eorum, qui ad rationem comprehensionis, nedum asserunt superfluere cognitionem omnium, quæ in objecto continentur eminenter, & virtualiter, sed negant quoque necessariam esse cognitionem omnium eorum, quæ formaliter, & ex natura rei continentur in ipso, dicentes sufficere, quod attingantur sola prædicata quidditativa rem intrinsece constituentia, dummodo cognoscantur hæc secundum omnes gradus cognoscibilitatis eorum, ita defendit Nolanus in sua Pinac. Rada p. p. controv. 11, & in universum omnes Scotistæ, qui tenent Verbum divinum produci ex sola cognitione divinæ essentiæ præcise sumptæ, non autem divinarum personarum, & cum hoc adhuc sustinent cognitionem illam esse perfectissimam, & comprehensivam.

347 Medius dicendi modus negat id sufficere; negat item requiri cognitionem eorum, quæ virtualiter tantum, ac eminenter continentur in objecto, unde asserit, comprehensionem consistere in hoc, quod tota objecti intelligibilitas exhauriatur secundum omnia, quæ in illo formaliter, & ex natura rei reperiuntur, sive sint prædicata primi, sive secundi modi, sive adhuc magis extrinseca, & hic nobis probabilior videtur, quem Lorca cit. amplectitur, & Vulp. tom. p. parr. p. disp. 24. ar. 3. & omnes Scotistæ asserentes Verbum produci ex cognitione omnium, quæ sunt in Deo a parte rei, sive essentialia, sive notionalia, & talem cognitionem esse comprehensivam etiamsi non attingat pro eo signo creaturas possibiles, quæ cum sit receptissima opinio inter Scotistas, saltem quoad hoc postremum de cognitione creaturarum, mirum est, quomodo Smisinch. Scotista præclarus asserat ad comprehensionem requiri cognitionem eorum, quæ eminenter, & virtualiter in objecto continentur, & quod plus est, audeat etiam dicere hanc esse communem doctrinam, a qua solus Lorca recessit. Et quidem quod ad comprehensionem necessaria sit cognitio omnium formalitatum, quæ ex natura rei in objecto extant realiter, & formaliter, & non sufficiat sola earum cognitio, quæ spectant ad intrinsecum, & quidditativum rei conceptum, manifeste deducitur ex prima conditione ad comprehensionem requisita, quæ est, ut res comprehensa, seu quæ comprehendi debet, ita videatur, ut nihil ejus videntem lateat, lateret autem aliquid ejus videntem, si aliquod ejus prædicatum secundi modi, vel adhuc magis extrinsecum non attingeret; Nec sufficit dicere in tali casu nihil latere videntem eorum, quæ spectant ad constitutionem, non est nihil intrinsecum; Quia de ratione comprehensionis non est, ut nihil intrinsecum, & essentiale objecto lateat videntem, sed absolute, ut nihil ejus videntem lateat, pertinent autem ad objectum nedum prædicata quidditativa primi modi, sed etiam prædicata secundi modi intrinseci, passiones, attributa, & ad minus quæcumque realem identitatem habent cum objecto: hæc igitur omnia opus est attingere, ut cognitio dicatur comprehensiva; Ratio a priori videtur, quia comprehensio non est qualiscumque rei cognitio, nec est sola rei cognitio quidditativa, vel qualitativa, sed ampla quædam, & universalis rei cognitio, & adæquata quoad omnia prædicata ad ipsam spectantia quomodocumque, sive quidditative sive qualitative; & hoc sufficienter deducitur ex ipsa analogia intentionalis comprehensionis ad realem, & corpoream, sicut enim ibi res contenta intra aliud corpus concavum, si non ex omni parte ab eo ambiatur, non dicitur comprehendi, sed potius apprehendi, ita in proposito res cognita si non ex omni parte, idest quoad omnia prædicata ad ipsum ex natura rei pertinentia explicetur, & exprimatur, sed tantum quoad aliqua, etiamsi hæc sint quidditativa, & essentialia, non dicetur comprehendi, sed apprehendi, & inadæquate attingi.

348 Respondent aliqui Scotistæ, quod duplex est adæquatio cognitionis ad objectum, una intensiva, altera extensiva, & inquiunt quod cognitio objecti quoad prædicata quidditativa, & essentialia est adæquata intensive, licet non extensive, & talem adæquationem sufficere ad rationem comprehensionis; unde etiam distinguere solent de duplici comprehensione intensiva & extensiva, cum objectum cognoscitur quoad omnia prædicata quidditativa, quantum cognoscibile est in tali prædicatorum serie, dicunt esse comprehensionem intensivam, cum vero ultra prædicata intrinseca, & essentialia, attinguntur quoque extrinseca, & accidentalia, dicunt extensivam. Cæterum hæc distinctio ab illis Scotistis excogitata est ad illudenda argumenta Thomistarum, quibus probare contendunt Verbum produci ex cognitione creaturarum, eo quia producitur ex cognitione comprehensiva divinæ essentiæ, sed funditus evertit rationem comprehensionis, dum unam facit intensivam, alteram extensivam, quia ad comprehensionem proprie sumptam utrumque requiritur, tam intensio, quam extensio, ut constat ex duobus conditionibus ad ipsam requisitis; nam ex vi prioris, quod nihil objecti lateat videntem, petit extensionem ad omnes, & singulas rei *formalitates*, & ex vi posterioris, quod attingatur secundum omnes gradus cognoscibilitatis earum, petit intensionem, nec extensio sine intensione sufficit, neque e contra, ideoque dici *soleт* comprehensionem esse talem cognitionem, qua totum exprimitur objectum, & totaliter; in eo, quod exprimitur totaliter, insinuatur intensio; non ergo admittenda est illa distinctio de duplici comprehensione intensiva, & extensiva, utpote quæ destruit rationem comprehensionis.

349 Quod vero ulterius non requiratur cognitio eorum, quæ *in objecto continentur eminenter, & virtualiter*, ad ejus comprehensionem expresse docet Scot. 3. d. 14. q. 2. & ubicumque docet Verbum divinum produci ex cognitione comprehensiva divinæ essentiæ, non tamen creaturarum. Probatur evidenter ex ipsa notione comprehensionis, quam ex D. Aug. adduximus, quod tunc res comprehenditur, cum ita adæquate videtur, ut nihil ejus videntem lateat, sed quod virtualiter solum, ac eminenter continetur in objecto, non potest vere ac proprie dici aliquid ejus, nec effectus ad esse causæ pertinere videtur, ergo cum ait Aug. in comprehensione nihil objecti latere videntem, loquitur de prædicatis ex natura rei, & formaliter in objecto repertis. Rursus hoc ipsum probatur ex analogia ad realem comprehensionem, juxta quam, & quantum fieri potest, debemus explicare intentionalem, nam in rebus corporeis, ut unum corpus aliud comprehensive contineat, sufficit, ut hoc secundum totam suam molem claudatur intra concavam superficiem alterius, nec utique opus est, quod includantur etiam corpora omnia, quæ a corpore incluso produci possent, ergo pariter in spiritualibus, ut objectum ab intellectu comprehendatur, sufficit, ut attingantur formalitates omnes, quæ sunt a parte rei in ipso, neque ulterius necesse est, ut cognoscantur omnes, & singuli effectus in particulari ab eo producibiles, & quæcumque in ipso eminenter continentur. Deinde esse virtuale, ac eminentiale, quod habent effectus in causa, non est ullo modo distinctum ab ipso esse causæ, sed realiter & formaliter ipsum esse causæ, ergo ut cognoscantur effectus, quatenus virtualiter, & eminenter continentur in causa, sufficit cognoscere causam quoad omnes formalitates ex natura rei in ipsa repertas. Tandem si ad comprehensionem causæ debent attingi omnes effectus ab ea producibiles, tam cognosci deberent, qui ab ea produci possunt per suam virtutem naturalem, quam qui produci possunt per potentiam obedientialem media elevatione, quod tamen communiter non conceditur, quia Angelus potest secundum istos animam comprehendere, & tamen non cognoscere effectus supernaturales ab ea producibiles mediante auxilio gratiæ. Probatur conseq. quia licet ad effectus supernaturales non habeat creatura virtutem completam in ordine suo, habet tamen præsertim secundum istos incompletam, & inchoatam, quam appellant potentiam obedientialem activam, ergo si non attingant effectus ab ea producibiles secundum hanc potentiam, non erit virtus causæ totaliter exhausta, & attacta intellectualiter.

350 Sed præsertim falsum esse probatur, quod dicebatur a pluribus primæ opinionis fautoribus, nimirum hoc esse adeo essentiale comprehensioni, quod attingantur omnia virtualiter, & eminenter in objecto contenta, ut hoc præcise ad comprehensionem sufficiat, nam qui cognoscit omnes effectus possibiles ab aliqua causa, statim exhaurit intelligibiliter, ac penetrat totam virtutem causæ, qua ratione negant Thomistæ animam Christi videre omnia possibilia in Verbo, quia tunc Deum comprehenderet, nam quanto plures effectus attinguntur in causa, tanto perfectius causa cognoscitur, unde si omnes attingantur, eo ipso causa comprehenditur. Hoc itaque falsum esse pluribus ostendit Doctor cit. 3. d. 13. q. 2. & cum eo Scotistæ ibidem, sed ultra rationes Doctoris, quæ sunt evidentissimæ, unam hic addimus, quæ hoc dictum Thomisticum omnino falsitatis convincit; quamvis enim eorum ratio in causis univocis locum habere posset, ubi quia causa non superat effectus ab ea producibiles in perfectione, videtur deduci posse, quod si cognoscuntur effectus omnes ab ea producibiles, ipsa quoque perfectissime cognoscitur, quia effectus illi adæquant suam virtutem, & perfectionem; in causis tamen equivocis qualis est Deus respectu creaturarum, nullatenus locum habet, quia cum causa æquivoca valde excedat totam universitatem effectuum ab ea producibilium, etiamsi omnes isti attingantur, non adhuc ita perfecte causa cognoscitur, quantum cognoscibilis est, quia omnes illi effectus etiam simul sumpti adæquare non valent virtutem, & perfectionem causæ.

351 Objicies, ad comprehensionem objecti cognosci debere quæcumque etiam, quæ virtualiter, ac eminenter in ipso continentur, quia nisi hæc omnia cognoscantur, aliquid talis, qui latebit videntem, nec scientis cognitione finietur. Prob. conseq. quia quod in re continetur eminenter, quatenus sic continetur est aliquid rei, licet enim secundum rationem propriam, & formalem non sit aliquid ejus, est tamen aliquid ejus secundum rationem quandam eminentem sibi æquivalentem. Conf. quia ex terminis notum videtur rem perfectius, & magis adæquate intelligi ex parte objecti, si etiam secundum ea, quæ continet eminenter, cognoscatur, debet autem ex mente Aug. comprehensio rei intelligibilitatem prorsus adæquare, & finire. Demum ex hoc, quod ad comprehensionem requiritur cognitio eorum, quæ formaliter in objecto reperiuntur, deducitur cognosci debere etiam, quæ in ipso continentur virtualiter, & eminenter; nam objectum habet ex natura rei ordinem transcendentalem ad omnes effectus ab eo producibiles, & ille ordo cognosci debet clare, & distincte, ut objectum comprehendatur, & omnes formalitates ex natura rei in ipso repertæ attingantur, sed ille ordo non potest cognosci clare, & distincte, nisi sic quoque cognoscantur ejus termini, nam perfecta, vel imperfecta relationis cognitio pendet ex perfecta, vel imperfecta extremorum cognitione, ergo, &c.

352 Resp. neg. conseq. cum ejus probatione, quia revera effectus non est aliquid causa, sed quid pertinens ad entitatem causæ; & esse virtuale, vel eminentiale, quod habet effectus in causa, est ipsummet esse reale, & formale causæ. Ad Conf. etiamsi

etiamsi perfectius cognosceretur objectum, si quoque attingatur secundum ea omnia, quæ continet eminenter; tamen hæc perfectio ad cognitionem comprehensivam necessaria non est, sed ad eam sufficit, ut perfecte attingatur quoad omnia in ipso ex natura rei recepta, & præsertim quoad omnes formalitates ei realiter identificatas, sic sane perfectius, & magis adæquate attingeretur anima nostra, si cognoscerentur omnes prorsus effectus ab ea producibiles, nedum per virtutem naturalem, sed etiam per potentiam obedientialem media elevatione, & tamen Adversarii concedunt hanc perfectionem cognitionis ad comprehensionem non requiri; sic etiam adhuc magis adæquate cognosceretur essentia divina ab intellectu paterno in producendo Verbum, si in ea attingerentur nedum creaturæ possibiles, sed etiam futuræ, quia futuritio addit novam formalitatem supra possibilitatem creaturæ, & tamen Adversarii fatentur, Divinum Verbum non produci ex cognitione futurorum, sed tantum possibilium; & adhuc asserunt talem cognitionem in intellectu paterno esse comprehensivam divinæ essentiæ, non ergo quælibet perfectio cognitionis, & adæquatio, quæ potest excogitari ex parte objecti, ad comprehensionem necessaria est, sed tantum illa, quam explicuimus; quod valde notandum est in hac materia.

Ad ult. parum urget argumentum in divinis, ubi omnipotentia a parte rei *non* dicit ordinem, & habitudinem transcendentalem ad creaturas, sed tantum respectum rationis ex disp. 8. Log. q. 5. art. p. unde ut Deus suam comprehendat omnipotentiam, sufficit, quod attingat perfectionem absolutam, ad quam nata est terminari creaturam dependentia; magis itaque urget in creaturis, ubi causa dicit habitudinem realem effectus ab ipsa producibiles; & apud illos, qui volunt ad distinctam respectus cognitionem requiri distinctam termini cognitionem, nam qui ajunt sufficere confusam, facile evadunt: dicendum itaque, quod vel iste ordo causæ ad omnes effectus ab ipsa producibiles etiam specie diversos, unicus est, vel multiplex pro diversitate specifica effectuum; si est unicus, jam singulos respiciet, ut terminos inadæquatos, quemadmodum dicimus de potentia materiæ erga omnes formas, atque ita ad exactam ejus cognitionem opus non erit effectus illos attingere in specie, quia relatio non specificatur a terminis inadæquatis, sed sufficiet omnes attingere in universali; si vero est multiplex species, adhuc necesse non erit ad exactam notitiam talis vel talis ordinis specifici singulos illos effectus attingere in particulari, sed sufficiet cognitio eorum in specie, quia non sequitur major virtus ad producendum hoc individuum in particulari, quam illud, & ideo tam bene penetratur causa relata ad effectus in specie, quam in particulari, tum quia si opus esset singulos effectus cognoscere in particulari, cum anima nostra per totam æternitatem possit divisive infinitos actus elicere cognitionis, & amoris; ut Angelus eam comprehenderet, deberet omnes illos actus simul, & semel percipere distincte, quod non est possibile.

353 Circa alteram conditionem, quod nimirum non sufficiat ad comprehensionem rem videri secundum omnia, quæ in ea continentur, ita ut totum videatur objectum, sed præterea opus esse, ut attingatur totaliter, & secundum omnes gradus cognoscibilitatis ejus, adeout actus comprehensivus sit commensuratus intelligibilitati totius objecti, est difficultas in explicando qualis, & quanta esse debeat præfata commensuratio inter actum comprehensivum, & ejus objectum, & primo apud omnes exploratum videtur opus non esse, ut talis commensuratio sit simpliciter, & absolute in genere entis, adeout tam ens perfectum sit comprehensiva cognitio, quam objectum comprehensum, hoc deducitur ex analogia ad comprehensionem realem, & corporalem sæpius inculcatam, ad quam parum refert præfata commensuratio in entitate, ut sive aureus nummus in arca aurea claudatur, vel lignea; deducitur etiam ex natura ipsius cognitionis, quæ non petit esse in eodem ordine physico cum objecto; nam in nobis cognitio substantiæ est accidens; tum quia intellectus divinus non posset creaturas comprehendere, quia nec ipse, nec ejus cognitio est ejusdem ordinis cum illis, nec eis commensuratur in entitate, neque videtur posse in hoc constitui, ut comprehensio sit perfectissima cognitionum, quæ ex natura rei possunt esse de eo objecto; ita ut circa tale objectum non possit dari actus perfectior, quia tunc sola divina cognitio posset esse comprehensio, cum ipsa sola sit omnium perfectissima in tota latitudine actus cognoscendi circa quodcumque objectum; tum quia intelligibilitas objecti potest esse finita, & limitata, ac proinde finita quoque, ac limitata cognitione adæquari potest, & exaudiri, cum tandem quia id manifeste deducitur ex comprehensione corporea, ubi non requiritur, quod quantitas corporis comprehendentis sit maxima, sed tanta sufficit vel tanta pro quantitate corporis comprehensi. Nec etiam in eo constitui potest, quod cognoscatur objectum actu perfectissimo secundum intensionem, & perfectionem gradualem, quia hæc perfectio obvenit actui, ut procedit ab intellectu tanto conatu, vel tanto, sed perfectio actus ad comprehensionem requisita debet actui convenire, ut terminatur ad objectum, quemadmodum explicat Doctor, quol. 14. B. quod scilicet illa dicatur perfecta cognitio, qua attingitur objectum sub perfecta ratione suæ cognoscibilitatis, hoc est per se propria, & distincta, & per oppositum imperfecta dicatur illa, qua attingitur tantum per accidens, vel tantum in aliquo conceptu communiori, vel confuso; tum quia cognitio minus adæquans intelligibilitatem objecti potest interdum intensior esse alia magis illam adæquante, ut actus opinionis de aliquo objecto potest intensior esse actu scientiæ, qui absque dubio a toto genere magis adæquat objecti intelligibilitatem.

354 Dicendum itaque est, perfectionem actus comprehensivi, ejusque commensurationem cum objecto comprehenso consistere in substantia, & specie actus, ut nimirum ex genere suo tantam habeat virtutem in repræsentando, quanta est repræsentabilitas, ac intelligibilitas objecti, ita declarat Doct. 2. d. 14. q. p. ad 2. his verbis, *videtur enim solus ille intellectu comprehendere aliquod intelligibile, cujus tanta est perfectio in intellectualitate, quanta est perfectio, vel intelligibilitas intelligibilis, & ideo ibi est commensuratio, & adæquatio; & propter hoc neutrum est respectu alterius excedens;* ubi, ut vides, ad comprehensionem non postulat æqualitatem, & similitudinem in essendo inter intellectum, & objectum, sed solam proportionem intellectivi, & intelligibilis; & probatur ex ipsa analogia ad comprehensionem corporalem, ad quam utique non requiritur similitudo corporum in essendo, & in perfectione specifica, sed sola commensuratio, & coæquatio continentis, & contenti, ut nimirum tanta sit capacitas corporis continentis, quanta est moles corporis contenti, ergo pariter in proposito, ad comprehensionem spiritualem requiritur inter intellectum, & objectum similitudo, & æqualitas in essendo, nec pariter inter actum, & objectum, sed sola commensuratio in ratione intellectivi, & intelligibilis, repræsentativi, ac repræsentabilis, ut nimirum intellectus circa objectum talem actum possit elicere, qualis sufficit ad exprimendam, & ex hauriendam totam ejus cognoscibilitatem. In eo tamen notari potest disparitas inter comprehensionem corpoream, & spiritualem, quod ad comprehendendum totum corpus nihil omnino faciat perfectio specifica corporis continentis, & ad comprehendendum objectum major, vel minor specifica perfectio intellectus, & cognitionis valde conducit, & ratio disparitatis est, quod corporea comprehensio secundum quantitatem exercetur corporis continentis, & contenti, quæ non variatur secundum perfectionem substantialem corporum, sed intellectualis comprehensio attendatur secundum majorem, vel minorem perfectionem essentialem intellectus, & cognitionis, unde idem objectum, & sub eadem ratione perfectius attingitur, & penetratur per actum scientiæ, quam opinionis, & perfectius per cognitionem intuitivam, quam abstractivam, ita optime notavit Smisinch. cit. n. 18.

355 Objicies contra hanc conditionem, quod non sit distincta a prima, quia non potest aliquis actus intelligendi esse magis objecto commensuratus secundum essentialem perfectionem in repræsentando, quam si repræsentet omnia, quæ in objecto formaliter, ac eminenter continentur. Quod si dicas ex vi primæ conditionis actum comprehensivum attingere totum objectum, & quoad omnem extensionem ad ipsum pertinentem, sed non totaliter, & quoad omnem intensionem ex parte objecti se tenentem. Hoc non sufficit, imo hæc responsio in solis vocibus consistere videtur, nisi melius explicetur, quid ulterius sit objectum videri totaliter, & quid sit illud essentialis, & intensivæ perfectionis, quod addit comprehensio supra extensivam visionis commensurationem cum objecto, & quidem ex parte objecti nihil est, si totum sic videtur, ut nulla realitas, nulla formalitas, nullusque modus latear videntem, ergo totaliter videtur, quando totum videtur.

356 Hæc est præcipua difficultas in hac materia, qua convicti Thomistæ tandem fatentur, hanc conditionem non esse a prima distinctam, ut ab ipsis explicatur, si enim objectum videatur secundum omnia, quæ *in ipso continentur*, *tam formaliter*, quam eminenter, eo ipso actus commensuratur objecto tam extensive, quam intensive, & videtur totum, & totaliter, totum quidem, cum attinguntur omnia in eo formaliter contenta; totaliter vero, cum præterea attinguntur etiam, quæ in eo eminenter continentur, ita Suar. Vasq. Hurtad. & alii recentiores supracit. Hoc tamen solide rejicitur a Scoto cit. 3. d. 14. ubi docet per visionem finitam posse videri quæcumque sunt in Deo formaliter, & eminenter, imo illa de facto videre animam Christi, & tamen Deus per talem visionem non comprehenditur, nec talis visio est commensurata Deo in ratione objecti, adeout per illam attingatur totus, & totaliter, quod etiam tenet Arriag. disp. 6. cit. de An. n. 136. & inde, ergo hæc conditio est prorsus a prima distincta, etiam ut ab ipsis explicatur. Probatur assumptum, quia qui videt cuncta, quæ sunt formaliter in Deo, tam essentialia, quam notionalia, non ob id Deum comprehendit, nam de facto beati *hæc omnia* vident, nec tamen Deum comprehendunt: rursus, qui videret omnes creaturas possibiles in Deo, nec adhuc ipsum comprehenderet, quia est causa æquivoca respectu illarum, & causa æquivoca non totaliter penetratur per cognitionem omnium effectuum ab ea producibilium, quia adhuc in perfectione excedit totam eorum collectionem, si ergo neutra harum cognitionum est comprehensio Dei, nec etiam alia tertia ex eis integrata, aut illis æquivalens esset comprehensio, quia duæ perfectiones finitæ etiam *conjunctæ non faciunt infinitum*, sicut duæ quantitates finitæ simul junctæ semper quantitatem constituunt finitam, ergo per visionem finitam potest cognosci Deus secundum omnia in ipso contenta tam formaliter quam virtualiter absque eo, quod comprehendatur, nec extensio ad ea omnia infert intensionem in visione, & commensurationem cum Deo in ratione objecti. Confirmatur, & amplius declaratur, quomodo possit cognosci totum objectum, & non totaliter, nam opinio, & fides humana repræsentat *totum objectum*, quod repræsentat scientia, & tamen cognoscibilitas *objecti* magis adæquate exprimitur per actum scientiæ, quam *opinionis*, & fidei; sed omnis evasio tollatur, adducatur exemplum de notitia intuitiva, & abstractiva, quicquid enim repræsentatur per intuitivam, potest quoque per abstractivam *repræsentari*, & tamen clarius, distin-

stinctius, & magis adæquate repræsentatur per intuitivam, quam per abstractivam, claritate, & perfectione se tenente ex parte objecti; hæc igitur est perfectio intensiva, & totalitas, quam addit comprehensio supra extensivam visionis commensurationem cum objecto. Potest etiam declarari exemplo oculi cæcutientis, qui potest videre omnes partes albedinis, nulla prorsus excepta, sed non secundum omnes gradus visibilitatis ejus; unde ista totalitas per secundam conditionem importata non est aliqua formalitas objectiva in re a cæteris condistincta habens rationem *quod*, sed potius est modus perfectionalis intelligibilitatis ipsius objecti habens rationem *quo*, unde sicut actus ex parte potentiæ habere potest perfectionem quamdam gradualem per majorem, vel minorem intensionem, sic etiam ex parte objecti potest habere perfectionem per majorem, vel minorem commensurationem ad objectum.

357 Quæres, an creatura ab intellectu creato comprehendi possit; Hurt. & Smisinch. cit. negant cum Ocham 4. d. 12. art. 4. & alii nonnulli; ratio est, quia putant ad comprehensionem opus esse, ut attingantur, quæcumque continentur in objecto, tam formaliter, quam virtualiter, quare cum creatura habeat in sua virtute infinitos effectus ab ea producibiles per totam æternitatem, deberet intellectus creatus totam illam collectionem simul percipere, quod non videtur possibile, nam ad hoc opus esset infinita attentione; & quidem Authores isti magis consequenter loquuntur, quam alii concedentes hoc necessario requiri ad rationem comprehensionis, & postea affirmantes posse adhuc intellectum creatum comprehendere creaturam, sic enim in manifestam incidunt inconsequentiam, vel potius contradictionem, nisi dicant intellectum creatum posse simul virtute propria attendere ad infinita objecta. Cæterum in nostra sententia negante ad comprehensionem requiri cognitionem quoque eorum, quæ eminenter, & virtualiter in objecto continentur, facile defenditur, creaturam posse ab intellectu creato comprehendi, ut hominem ab Angelo, quia nec tenetur intellectus infinita simul attingere extensive, quia non est necesse percurrere omnes effectus ab ea possibiles, nec tenetur infinitam objecti intelligibilitatem exhaurire, & adæquare, quia quælibet creatura, sicut finitæ est entitatis, ita quoque finitæ intelligibilitatis, unde non est, cur nequeat intelligibilitas ejus commensurate cognosci ab intellectu finito.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De voluntate ac ejus actibus.

Sane mirum est, cur hæc potentia inter omnes animæ facultates nobilissima, earumque merito Regina ab Animasticis omnino indiscussa relinquatur, ejusque tractationem morali Philosophiæ prorsus demandent; quamvis enim, ut induit esse morale, & in humanis actibus exercetur, ad moralem pertineat, tamen secundum esse physicum, & naturale tam ipsa, quam ejus actus animasticæ contemplationi subjiciuntur, non minus, quam intellectus, aliæque animæ potentiæ, idcirco ad horum librorum complementum consentaneum satis visum est post disputationem de intellectu, hanc etiam de voluntate, immediate subtexere, ejusque actibus, quantum ad esse physicum, & naturale præcise præscindendo omnino ab eorum esse morali.

QUÆSTIO PRIMA.

Quæ, & qualis potentia sit voluntas, & num ipsa sola sit libera.

PRimo, Supponimus hic velut ab omnibus concessum tum Philosophis, tum Theologis voluntatem esse potentiam appetitivam animæ rationalis, ut sic, & consequenter esse potentiam spiritualem, organoque carentem, & intellectui correspondentem, veluti appetitivam suæ cognitivæ, jam enim supra sanctum est, disp. 5. q. 9. cuilibet cognitivæ suam appetitivam proportionatam correspondere, ex quo sequitur, voluntatem omnino poni debere ab appetitu sensitivo condistinctam, cum enim appetitiva semper suæ cognitivæ proportionata sit, & juxta ejus diversitatem varietur, sane sicut datur appetitus sensitivus sequens sensationem in brutis, ita in intelligentibus admitti debet appetitus intellectivus cognitioni intellectivæ respondens, & ab appetitu sensitivo omnino discretus, etiam in homine, imo hoc dogma de fide videtur esse, cum ex variis Sacræ Scripturæ locis talis distinctio sensus appetitivi, & voluntatis colligatur, ait enim, *post concupiscentias tuas non eas*. Eccl. 18. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Gen. 4. *Caro concupiscit adversus spiritum*, Galat. 5. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*. Matth. 17. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Ad Rom. 7. Ex quibus locis nedum inter appetitum sensitivum, & rationalem in homine præfata distinctio infinuatur, sed etiam contrarietas quædam ac repugnantia, quam etiam nosmetipsi frequenter in nobis experimur, dum ex una parte ab objecto sensibili proposito illecti circa illud afficimur, sed statim ex alia melius consulti extortum affectum reprimere studemus.

Secundo. Ulterius etiam admittenda est hæc volitiva potentia, ut ab ipso quoque intellectu distincta non quidem realiter, quemadmodum a sensitivo appetitu secernitur, sed ex natura rei, & formaliter, tum ob rationem generalem pro distinctione cujuscumque appetitiva a sua cognitiva, tum ob specialem rationem ipsius intellectus, & voluntatis juxta dicta disp. 2. qu. 2. art. 2. nimirum ob diversum, ac oppositum operandi modum eis innatum naturaliter, & libere; est igitur una, simplexque potentia, in qua proinde distingui non debent nec realiter, nec formaliter concupiscibilis, & irascibilis, veluti duæ virtutes, sicut neque in appetitu sensitivo distinguebantur, ut constat ex dictis disp. 5. cit. soletque definiri, quod sit *appetitus cum ratione liber*, quam definitionem Doct. acceptat 3. d. 17. *appetitus* ponitur loco generis, nam in ratione appetitus convenit cum appetitu sensitivo; alia particula *cum ratione*, stat loco differentiæ, per illam namque a sensitivo appetitu distinguitur, qui in objectum fertur sine ratione; ultima tandem particula, *liber*, voluntatem ab intellectu secernit, quia hic est potentia naturalis, illa libera, ut postea dicemus, distinguit etiam rursus ab appetitu sensitivo, quia sensitivus appetitus ducitur, & non ducit, intellectivus e contra, & ex hoc deducitur libertatem esse de essentia voluntatis, cum sit ejus differentia essentialis, quod expresse innuit Doct. pluribus in locis 2. d. 4. & 5. q. 2 & d. 36. & 4. d. 29, & quol. 16. & in reporta. 2. d. 6. q. 2. deducitur tandem hic non habere locum distinctionem illam, quam plerique afferunt, & recognoscit Doct. 3. d. 17. C. de voluntate, ut est natura & ut est voluntas, quia ut est natura, non dicit secundum Doctorem ibi nisi quamdam inclinationem naturalem in proprium bonum sine ulla prorsus libertate, hic autem sermo est de illa, quatenus voluntas est, ac potentia quædam libera intellectualis naturæ.

2 Tertio addendum est, non esse potentiam mere passivam, sed active se habere in ordine ad actus suos, ut docet Scot. 2. d. 25. q. un. §. *contra conclusionem*, & Regentes Parisienses 4. anim. q. 2. collater. quod probari potest in primis eisdem rationibus, quibus disp. præc. q. 2. art. p. ostendimus intellectum active concurrere ad actus suos; deinde pluribus Patrum authoritatibus, quos Doctor adducit loc. cit. arguendo in oppositum qu. rursus ex Conc. Trid. sess. 6. can. 4. ubi damnatur dicens liberum arbitrium in justificatione nostra passive tantum se habere; Tandem evidenti ratione ex libertate deducta, nam libertas activitatem necessario exigit in potentia, nec in sola passivitate salvari potest, ut enim Doctor arguit loc. cit. in potestate patientis non est, quod ipsum patiatur inquantum patiens, quia patiens non patitur, nisi quia agens agit, *sed prius non est in potestate posterioris*, igitur actio agentis non est in potestate patientis, in quantum patiens, & per consequens nec passio ejus, unde nemo dicit esse in potestate materiæ primæ, sub hac, vel illa forma esse, quia ad eas omnino indifferenter se habet passive; Tum quia naturale, & liberum sunt primæ differentiæ principii activi p. phys. 49. ergo si voluntas est principium liberum, ut ex definitione constat, erit potentia activa, & non mere passiva; Tum quia etiam si voluntas nostra habeat quoque passivitatem in ordine ad actum suum, quem elidit & recipit, hæc tamen differentia passiva nil confert ad ejus libertatem, quia libertas potentiæ consistit in dominio, quod ipsa habet super actus suos, sed ad dominium verum & proprium potentia activa requiritur, & passiva est prorsus impertinens, ergo voluntas quatenus libera potentia activa est, non passiva; hinc prob. Doctor 1. d. 8. qu. ult. sub Z. assignans duplicem indeterminationem, unam potentiæ passivæ, qualis est materiæ primæ ad diversas formas, alteram potentiæ activæ, in hac indeterminatione activa præcise statuit voluntatis libertatem, ita etiam loquitur p. d. 2. q. 8. M. & d. 10. q. un. M. & 2. d. 37. & quol. 16. & 18. & 9. Met. q. 15. & in explicatione cap. 2. & 4. ejusdem libri; quinimo ita quoque loquuntur Patres, qui libertatem nostram passim explicant per facultatem agendi, & operandi ad utrumlibet, non patiendi, Origen. lib. 3. de princ. cap. p. Damascen. lib. 2. de fide cap. 25. & 27. Greg. Nissen. septimo de Philosoph. cap. 3. Ansel. de conceptu virg. cap. 4. & 8. & Aug. quem pluribus in locis cit. Doct. 2. d. 25. ab initio; sic etiam loquuntur Concilia, nam Arausican. secundum cap. 23. ad insinuandam nostram libertatem docet homines facere aliquando posse voluntatem suam, non Dei; aliquando suam, & Dei, & Trid. sess. 6. can. 6. ad eandem libertatem declarandam respectu operis peccaminosi inquit, *si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, &c.* per quod significat libertatem nostram potentiam activam importare; sic denique loquitur divina scriptura pluribus in locis, in quibus nostram libertatem describit per indifferentiam virtutis agendi, non patiendi; Eccles. 15. *Deus reliquit hominem in manu consilii sui*, quod innuit potentiam activam, & ibid. 31. *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit &c.* Et hoc etiam magis infra constabit, dum dicemus potentiam liberam sua indole esse talem, quod seipsam determinat ad actum, non autem ab alio determinatur, hoc autem potentiam activam sonat.

3 Hinc facile rejicitur, quod inquit Arriag. disp. 8. anim. sect. 1. ad libertatem scilicet quamvis non sufficit sola passivitas, vel receptio, qualem habet corpus ad animam rationalem, sufficere tamen veram causalitatem, etiamsi non sit in genere causæ efficientis, unde inquit, quod si causa passiva influat in effectum, ut communiter dicitur de materia respectu formarum materialium, ex vi talis causalitatis materialis posset esse libera. Nobis hoc dictum non probatur, quia naturale, & liberum dividunt causam efficientem, ut ejus differentiæ essentiales, non autem causam materialem; & omnes concedunt voluntatem ad actus suos naturales nedum in genere causæ efficientis concurrere, sed etiam materialis, quatenus concurrit ut subjectum, ex cujus potentia educuntur, & tamen nullus hucusque agnovit libertatem in ea ex ea parte, qua concurrit ad eos in genere causæ materialis, sed tantum efficientis, ut constat ex modo loquendi Concilior. Patrum, Theologorum, atque Philosophorum, sola ergo indifferentia potentiæ activæ, & operativæ adæquate libertatem constituit præcisa passivitate, & receptione.

4 Dices, indeterminatum ad opposita non agit, nisi prius determinetur ad unum potius, quam ad aliud, alioquin nunquam exiret in actum, sed voluntas nostra est sic indeterminata, ergo indifferentia ejus libertatem constituens non est activa, sed passiva. Accedit, quod si actus vitalis potest ab extrinseco produci, ut v. g. amor a voluntate unius angeli in voluntatem alterius, hæc voluntas posset impedire, & obstare receptioni illius amoris, & consequenter esset libera ad recipiendum, ergo in sola receptione potest salvari libertas. Resp. Scot. 2. d. 25. in fine valere majorem de indeterminato passive, sicut est agens naturale ad plures effectus illimitatum, non vero de indeterminato active sicut est voluntas, quæ proinde objecto præsentato potest se determinare ad agendum. Ad aliud admisso assumpto potest obstare voluntas illum depellendo per productionem actus oppositi, non autem pure passive se habendo, quo sensu nostra rebellis voluntas obstare dicitur divinis inspirationibus, quas Deus operatur in nobis sine nobis; sunt aliæ quædam rationes, quibus probari potest voluntatem non esse activam in ordine ad suos actus, quia nihil agit in seipsam, quas pluribus in locis præsertim disp. 7. phys. sæpe dissolvimus, & Doctor ipse solvit loc. cit. 2. dist. 25. & sæpius dicta repetere non vacat.

5 Quarto præterea, ut adhuc magis natura, & conditio voluntatis aperiatur, dicimus esse potentiam liberam, non naturam, ita Doctor 2. d. 14. q. 3. ad 2. quol. 14. M. quol. 18. & 9. met. tex. 4. & alibi: probatur primo authoritate sacræ scripturæ, quæ potestatem indifferentem operandi, & non operandi, in qua consistit libertas, tribuit voluntati Exod. 35. *cuncti filii Israel voluntarie Domino dedicaverunt*, & Levit. 22. *bovem & ovem voluntarie quis offerre potest*. Psal. 53. *voluntarie sacrificabo tibi*, 1. ad Cor. 7. *non necessitatem habens, sed habens potestatem voluntatis suæ*, & epist. ad Philomon. 1. *sine consilio autem tuo nihil volui facere, ut ne velut necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*. Deinde ex Conciliis, nam Arausic. secundum hanc astruit apertissime cap. 13. & 23. & Trid. sess. 6. cap. 6. Rursus ex Patribus Aug. 2. contra Faustum cap. ult. lib. 3. de lib. arb. c. 1. 2. & 3. Bernard. lib. de gratia, & lib. arb. Tertull. lib. 2. contra Marcion. Basil. hom. quod Deus non sit author malorum, & alii passim; item ex Arist. 9. Met. cap. 2. & 4. ubi principium activum naturale per hoc distinguit a libero, quod naturale ex se ad agendum inclinatur naturaliter, item determinate ad unum, liberum vero se ad agendum determinat, & sub hoc comprehendit voluntatem, quam ibi vocat potentiam rationalem.

6 Ratione etiam a priori solet a nonnullis probari ab objecto desumpta; objectum namque voluntatis est bonum, potest autem idem objectum esse simul bonum & malum, seu conveniens, & disconveniens sub diversis rationibus, ergo voluntas potest illud prosequi, & respuere, atque ideo respectu illius aliquam indifferentiam servare, & libertatem. Hæc ratio non convincit, quia ut ex dicendis constabit, voluntas creata, nedum est indifferens, si comparetur ad objectum, quod habeat simul rationem boni, & mali, sed etiam si ad illud comparetur sub determinata ratione boni, quia ut sic potest illud amare, & non amare cum summa libertate. Alii proinde alia ratione ostendunt voluntatem esse potentiam liberam desumptam a judicio rationis præcedentis actum voluntatis, voluntas enim non est nata egredi in suam operationem, nisi prævio intellectus; sed judicium intellectus est indifferens, si non formaliter, saltem objective, quia judicat bonum apprehensum non habere necessariam connexionem cum bono in communi, ad quod voluntas naturaliter inclinatur, ergo constituit voluntatem indifferentem, ut libere in quamcumque voluerit partem inclinet, sed neque hæc ratio valet, quia esto judicium determinatum præcederet, adhuc posset voluntas pro suo libito illud, quod judicatum est acceptare, non acceptare, ac etiam respuere, ut inferius patebit.

7 Quare cum Doctore dicendum est quol. 16. V. nullam hujus rei assignari posse rationem a priori, nisi quia voluntas est voluntas, nam sicut esse, & modus essendi sunt immediata, ita agere, & modus agendi; sicut ergo non est aliqua alia ratio, quare hoc habeat talem modum agendi, nisi quia est tale ens, ita non est alia ratio a priori, quare voluntas habeat talem modum agendi, nisi quia est voluntas; unde 9. Met. qu. ult. concludit, libertatem voluntatis nostræ non nisi experientia, & a posteriori posse efficaciter demonstrari, nemo enim est, qui non experiatur posse omittere, quod facit, & oppositum facere, & si quis hoc neget fustibus excipiendus est, inquit Doct. 1. d. 8. q. ult. & vapulare tandiu, quousque fateatur percussionem posse a flagris, & verberibus desistere; & hæc ipsa experientia docet voluntatem non esse quomodocumque liberam, extrinsece nimirum, & participative per dependentiam ab alia potentia libera, sed intrinsece, & essentialiter per seipsam, non enim necesse est, ut qui vult, velit velle, & qui amat, velit amare, sicut qui ambulat, vult ambulare, etsi interdum aliquis pro sua libertate id facere possit, accidentarium tamen id est ad libere volendum, & amandum, immediate enim & absque priori actu reflectente potest quis amorem elicere, & volitionem, cum sint actus ab ipsa voluntate immediate manantes.

8 Quinto, Tandem addimus voluntatem nedum esse potentiam liberam, sed ipsam solam liberam esse formaliter, alias vero non nisi participative, ac dependenter ab ipso voluntatis imperio, ita Scot. 2. d. 14. q. 3. ad 2. quol. 10. M. probatur primo ex Sacra Scriptura, quæ libertatem soli voluntati tribuere solet, ut Eccles. 25. *si volueris mandata servare*, &c. & 1. Cor. 7. *non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis*; Deinde ex Arist. 9. Met. c. 2. tex. 10. cum enim ibi omnia creata principia enumerasset, dicens, cum autem talia principia partim sint in rebus inanimatis, atque in animæ ea parte, quæ est particeps rationis, statim quasi divisione quadam sufficienti eas omnes potentias divisit in rationales, & irrationales, addidit potentias irrationales eas esse, quæcumque insunt inanimatis, aut animatis, & animæ secundum quemcumque gradum excepto intellectivo, eas vero rationales, quæ animæ secundum gradum intellectivum conveniunt, & intelligit per istas voluntatem per seipsam, intellectum vero, & scientias, & artes, quatenus cum voluntate integrant unum principium perfectum respectu agibilium, factibilium extra, ut pluries explicat Doct. 2. d. 25. §. *item intellectus*, & quol. 16. art. 3. §. *contra ista*, alibi ergo secundum Arist. ibi sola voluntas per seipsam est principium, & causa libera, quæcumque vero alia præter voluntatem sunt causæ naturales. Denique experientia constat, enim voluntas libere se determinare ad agendum, illa agere ut positis ad agendum prærequisitis possit non agere, quod vero spectat ad alia agentia, ostenditur inductione, incipiendo a corporibus cœlestibus usque ad sublunaria animata, etenim sol necessario illuminat, & ignis necessario calefacit, & animalia quoque bruta ex se determinate agunt quicquid efficiunt sine dominio, & libertate suarum actionum, & idipsum de cæteris animæ potentiis probari potest, appetitus namque sensitivus ducitur, & conducit, ut ait Damasc. lib. 2. c. 22. & 23. & ipso experimento constat, & ostendimus disp. 6. n. 321. intellectus quoque ipse ducitur veritate, & falsitate, ad assensum, vel dissensum, & ut notat Doct. 2. d. 26. §. *dico ergo ad quæst.* non potest movente phantasmate aliud objectum intelligere, nisi quod ab illo repræsentatur, neque actum suspendere; & tandem nulla potentia in homine habet actum suum per se, & immediate liberum, nisi sola voluntas, ergo ipsa sola est formaliter, & essentialiter libera.

Cajet. tamen p. 2. q. 74. art. 4. appetitui sensitivo nativam libertatem tribuere videtur ad veniale saltem sufficientem, quod nullo modo admittendum est, tunc enim sequeretur motus appetitus omnem voluntatis consensum prævenientes esse peccata, contra Trid. sess. 5. decr. de originali, ubi definit concupiscentiam, vel formiter non nocere dissentientibus; posset etiam peccare voluntate repugnante contra Concil. ibidem, quia si habet propriam libertatem, potest exire in actum prohibitum, velit, nolit voluntas, etiam parvuli *possent venialiter saltem peccare* ante usum rationis, imo & animalia bruta, ideo hæc Cajet. imaginatio passim a Doctoribus censetur temeraria, quia est contra Concilia, & Patres docentes peccatum adeo esse voluntarium, ut si voluntarium non sit, peccatum esse desinat, ut ajunt Aug. p. Retract. 9. & 14. & 3. de lib. arb. 18. Chrysost. hom. 13. in epist. ad Rom. Rationem vero, quare appetitui sensitivo libertas non conveniat, ait Cavel. disp. 2. de Anim. sec. 5. esse, quia cognitio sensitiva, quam sequitur, non est discursiva, nec inquisitiva mediorum, nec universalis; Sed hæc ratio non valet, quia falsum est, libertatem oriri ex indifferentia judicii prævii, & si judicium determinatum præcederet, adhuc posset pro libito voluntas acceptare objectum propositum & non acceptare, neque pro actu voluntatis eliciendo necessarius est discursus, & conclusio syllogismi practici, & sufficit simplex objecti apprehensio, ut infra dicemus. Potius ergo dicendum est voluntatem esse liberam, non appetitum sensitivum ex suis rationibus formalibus; ut sæpe ait Doctor. Quod si ex parte appetitus sensitivi aliqua idonea ratio reddi potest, & non præcisa, puta quia est appetitus organicus, & materialis, nam omnis talis determinatur ad certum genus appetibilium sibi conveniens, ita quod illud apprehensum non potest non convenire, nec appetitus non comprobare; ex parte voluntatis tamen nulla talis conveniens ratio reddi potest, nisi sua natura. Hinc Doct. 4. d. 43. q. 2. H. dum ea ratione probavit appetitum brutorum esse determinatum, & non liberum, quia est materialis, recta ratione non intulit ex immaterialitate voluntatis libertatem, quia etiam intellectus esset liber, sed ex libertate immaterialitatem, quandoquidem voluntas libera esse nequaquam posset, nisi esset immaterialis. Neque ex eo, quod sensus potest rationi non obedire, sequitur esse liberum, sed solum non obedire dispotice, sed politice, ut infra q. 7. dub. 3.

9 Alexander Aphrod. p. de Anim. cap. de phantasia, & 3. natural. qq. cap. 13. Averroes 2. Phys. com. 48. ut refert Piccol: in Philosoph. Moral. gradu 2. cap. 40. libertatem omnino tribuunt intellectui, negant voluntati, quod etiam tenet Mirandul. lib. 25. everss. sec. 8. Durandus vero licet non neget libertatem voluntati, eam tamen & ipse tribuit principaliter intellectui; Arriag. tandem disp. 8. de Anim. subsec. 3. licet concedat ita de facto rem se habere, tenet tamen de possibili dari posse intellectum *formaliter* liberum, qui nempe in objectis sibi propositis per actum *præcedentem* posset independenter ab actu voluntatis *se determinare* ad assensum, vel dissensum. De hac quæstione de *possibili* nolumus esse multum solliciti. De facto certum est, intellectum nullam prorsus habere libertatem

rem independenter a voluntate; hoc constat experientia ipsa, si enim proponitur objectum evidenter, tunc sane assensum cohibere non potest, ut notat Doct. p. d. p. q. 1. ad 1. pro opin. & quol. 16. G. solum probabiliter, nequit non opinari, & necessario illi parti assentiri, quæ ut probabilior proponitur, vel neutri, si utraque proponatur æqualiter, nec a voluntate ad alteram applicetur, quod si argumenta sint temeraria, & sine probabili fundamento, nequit non dubitare, qua de causa fides Christiana cognoscens natutam intellectus nostri docet ad assentiendum his, quæ sunt fidei, necessarium esse pium voluntatis affectum. Neque ad hanc opinionem minora sequuntur absurda, quam ad relatam Cajet. Sequitur enim quod homo posset peccare ante consensum voluntatis, ut contra Cajet. inferebamus, quod ignorantia involuntaria a peccato non excusaret; quod homo in eodem genere peccati bis peccaret, semel cum judicaret, & iterum cum idipsum voluntate eligeret, & ratio harum consequ. est, quia ad peccandum sufficit libertas, libera enim transgressio legis peccatum est. Rationibus etiam quibusdam conantur hoc probare Suarez disp. 9. Met. sect. & Faber disp. 9. de pœnit. c. 19. & alii, qui quidem si asserunt, ut a priori, sicut de quibusdam Suarez putare videtur, omnino falluntur, quia ut sæpe dictum est Scoto hoc probari non potest a priori, nisi ex immediatis earum potentiarum rationibus, quia voluntas est talis naturæ, & intellectus talis, ideoque præfatas rationes dissolvit Arriag. cit. cui si concedatur fieri posse intellectum de potentia Dei absoluta liberum, negandum tamen est, quod esset ejusdem rationis cum potentia intellectiva nunc existente, hæc enim ut modo instituta est, ejus est indolis, ut ei omnino repugnet libertas.

10 Objicies, liberum arbitrium a Patribus definiri, quod sit facultas rationis, & voluntatis, ergo libertas ad intellectum quoque extenditur; Deinde Arist. 2. Phys. 65. intellectum distinguit contra naturam, seu agens naturale, & 9. Met. c. 2. potentias rationales, inrer quas non sola voluntas, sed intellectus quoque connumeratur, appellat liberas. Demum probatur ratione, quia voluntas aliud eligere nequit, quam quod intellectus indicat eligendum esse, ergo si intellectus non est liber in judicando, nec voluntas erit liberr in eligendo.

Resp. liberum arbitrium dicitur facultas rationis, quia voluntas eum sit cæca, sine propositione rationis nihil operatur, quia nihil volitum, quin præcognitum; Aristot. per potentiam rationalem, vel intellectum ibi, & alibi passim intelligit potentiam practicam respectu agibilis, quo sensu pro eodem sumit intellectum, scientiam, artem, propositum, electionem, quæ vocantur potentiæ rationales, quia utimur illis, quando volumus, vide Scot. 2. d. 25. *dico ergo ad quæst.* & 9. Met. tex. 10. & q. 15. ubi bene explicat, quomodo intellectus dicatur potentia rationalis, hoc est, oppositorum, quatenus voluntas actus ejus dirigit, secundum se autem consideratus est natura, seu potentia determinata ad unum, quam Philosophus irrationalem vocat. Ad rationem, si assumptum ita intelligatur, quod non possit quidquam eligere voluntas, quod sibi ab intellectu non proponatur, quia non fertur in incognitum, verum est antecedens, sed neg. consequ. sed si sensus sit voluntatem determinari a judicio intellectus ad illud præcise eligendum, quod ipse judicavit, neg. absolute, quia ex duobus bonis propositis potest minus bonum eligere abdicato majori, quod judicavit intellectus esse præferendum, vel saltem potest voluntas actum suum suspendere, ut fusius infra.

QUÆSTIO II.

Quæ sit libertas voluntatis nostræ, & qualis libertatis usus.

VOluntatem nostram esse liberam statuimus quæst. præc. nunc vestigandum est qualis, & quanta sit ejus libertas, & explicandus libertatis usus, quantum ad animasticum pertinet; difficultates namque gravissimas circa illam emergentes ex divinis præfinitionibus æternis, ex concursu Dei cum nostra voluntate ad actus ordinis naturalis, & supernaturalis, & ex divinis auxiliis pertractare, est theologici muneris in materia de gratia, ideoque breviter rem expediemus uno, vel altero articulo.

ARTICULUS I.

Tres esse gradus libertatis nostræ, præcipuum vero esse indifferentiam contradictionis.

11 LIbertatem hic accipimus, prout accipit Arist. 2. Phys. 49. & Scot. p. 2. q. 7. N. & 4. d. 43. q. 4. dum principium activum dividunt per liberum, & naturale, velut per differentias essentiales, ac intrinsecas, unde libere agere in præsenti non sumitur pro agere sponte, vel non coacte, ut liberum idem sit, quod spontaneum, nec accipitur pro agere complacenter, vel libertas idem significet, quod complacentia, nam in hoc sensu libertas non opponitur essentialiter naturalitati, universaliter enim omne agens, quando agit juxta suam inclinationem, dicitur agere sponte, & non coacte, & cum bruta juxta inclinationem appetitus sui operantur, utique valde complacenter operantur, sumitur ergo proprie, ut excludit intrinsecam determinationem ad unum; Arist. namque 9. Met. c. 2. & 4. hoc assignat discrimen inter causas naturales, & liberas quod naturales sunt ad unum determinatæ, liberæ vero sunt ad opposita, quo etiam modo loquitur Scotus, ubicumque secernit causam naturalem, & liberam, & p. d. 2. q. 7. N. d. 8. q. ult. infra Z. & 2. d. 1. q. 2. ad 2. & 3. d. 17. & 4. d. 43. q. 4. A. & quol. 16. T. & quol. 16. M. & alibi frequenter.

12 Cæterum, ut magis eniteat discrimen assignatum, & qualis sit determinatio, quæ naturalitatem inducit, & indeterminatio, quæ libertatem, sciendum, quod triplex cogitari potest indeterminatio dominii tantum, cum nimirum agens habet dominium suæ actionis, seque determinat ad agendum, esse actionem cohibere non possit, ut notat Doctor, quol. 16. V. quædam est indeterminatio ad utramlibet contradictionis partem, quatenus agens facultatem habet agendi, & actionem suspendendi, ut sibi libet, & quædam tandem est indeterminatio respectu plurium effectuum, cum nimirum causa est illimitata ad plures effectus producendos, aut contrarios, aut disparatos; hæc ultima indeterminatio sane libertatem non inducit, nec causam liberam sufficienter a naturali distinguit, quia licet agens naturale univocum hac indeterminatione ad plures effectus contrarios, five disparatos careat, quatenus ad unum specie determinatum existit, tamen agens æquivocum cum illimitatiorem habeat virtutem, eam possidet indeterminationem; secunda indeterminatio ad utramque contradictionis partem optime libertatem inducit, & causam liberam a naturali distinguit, & de hac indeterminatione, ac oppolita determinatione loquitur Arist. 9. Met. cap. 2. & 4. cum inquit causam naturalem esse determinatam ad unum, liberam vero ad oppolita esse indeterminatam, hoc est, ut Doct. exponit ib. & q. 15. ejusdem liberi naturalem esse determinatam ad unam contradictionis partem, liberam vero ad utramque indeterminatam, & sic etiam explicat hoc discrimen quol. 18. §. *de secundo* cum inquit, quod quæcumque potentia naturaliter activa est determinate unius, quantum est de se, unius, inquam, partis contradictionis, ita quod licet sit indeterminate activa respectu multorum disparatorum, sicut Sol est causa multorum effectuum, hinc inferius tamen loquendo de quacumque una contradictione, causa quæcumque talis est determinata ad unam partem, puta Sol ad generandam hanc herbam determinate, & hunc vermem, & sic de aliis, voluntas autem sola habet indifferentiam ad contradictoria, & talem, quod ipsa est sui determinativa ad alterum eorum ex 9. Met. cap. 4. hæc Doctor, & idem habet in 4. d. 12. q. 3. M. denique prima quoque indeterminatio sufficit ad libertatem, quicquid dicant Thomistæ, quamvis enim talis determinatio annexam possit habere necessitatem agendi, ea tamen necessitas non sufficit ad excludendam libertatem omnimode, sed eam tantum, quæ consistit in determinatione ad utrumlibet: Rationem egregiam sane reddit Doctor quol. 16. art. 2. duplex enim est necessitas, una prævia ad actum, ut egredientem ab ipsa potentia, ipsamque potentiam sibi subjiciens, & ad agendum determinans, alia est concomitans, & ab ipsa potentia proveniens; ut quodammodo effectus ejus, quatenus nimirum sibi ipsi hanc necessitatem imponit in operando; prima necessitas utique libertatem tollit, & aufert dominium actus, quia cum sit prævia ad actionem, potentia cadit sub necessitate, ut impellente, & figente eam in actu suo, sed altera necessitas minime aufert libertatem, quæ importat dominium actus, quia cum sit concomitans, & consequens, non potentia sub necessitate, sed necessitas sub potentia cadit, qua ratione quol. cit. & p. d. 10. q. un. tenet Doctor Deum libere seipsum diligere, & Spiritum sanctum libere spirari hoc genere libertatis, quam libertatem solent Scotistæ appellare essentialem, nedum quia omni prorsus voluntati convenit, tam creatæ, quam increatæ, & respectu cujuscumque objecti, sed quia omnino inimpedibilis est, ubi libertas orta ex indeterminatione ad utrumlibet aliquo modo potest impediri, saltem quantum ad usum, & etiam quia essentialis libertas est fundamentum cæterarum.

13 Hinc discrimen elucet inter Thomistas, & Scotistas in explicanda libertatis natura, cum enim Thomistæ solam agnoscant indeterminationem ad utrumlibet, scilicet ad agendum, vel non agendum, aut ad sic agendum, vel oppositum, & in hoc præcise dicant consistere dominium, quod habet potentia libera ad suum actum, negant consequenter libertatem cum necessitate cohærere posse, & duplex dumtaxat agnoscunt libertatis genus, unam libertatem, quæ dicitur contradictionis, quia nimirum respicit extrema contradictorie opposita, ut velle, & non velle, nolle, & non nolle, & universaliter agere, & non agere, quæ etiam dici solet libertas exercitii, quia ordinatur ad exercendum, vel non exercendum actum; alteram, quæ dicitur contrarietatis, quia respicit extrema contrarie opposita, ut velle, & nolle, quam vocat Doctor p. d. 39. §. *quantum ad primum*, libertatem ad oppositos actus, & solet etiam dici libertas specificationis, quia per eam potest potentia elicere actus unius, & alterius speciei oppositos; quæ duplex libertas bene colligitur ex Arist. 9. Met. loc. cit. dum causam liberam ponit indeterminatam ad opposita, si per oppositionem intelligamus, nedum contradictoriam, sed etiam contrariam; & licet Arist. re vera loquatur de oppositis contradictorie, ut ex Scoto docuimus, noluit ob id negare causæ liberæ indeterminationem etiam ad oppositos actus respectu alicujus objecti, sed præsertim locutus est de indeterminatione ad contradictoria, quia hæc convenit voluntati nostræ in ordine ad quodcumque objectum, atque ideo universalius, & exactius exprimit libertatem nostram, ut postea dicemus; Scotistæ vero ultra has duas libertatis species, quæ semper cum contingentia reperiuntur, aliam libertatis speciem agnoscunt, quam vocant essentialem, & consistit in simplici dominio, quod habet voluntas supra suum actum, quæ quidem libertatis species indifferenter se habent ad contingentiam, & necessitatem, & cum utraque compossibilis est, & quidem rationabiliter, quia necessitas non opponitur libero, sed contingenti, ut habent Aristot. 2. Perher. cap. 3. de modalibus, & 9. Met. tex. 10. ubi vide expositionem Doctoris; tum quia necessitas non semper tollit dominium potentiæ super actum suum, sed tantum quando necessitas intelligitur præcedere actum, & potentiam determinare ad illum, ut supra diximus cum Scot. quol. 16. qua ratione Ansel. de lib. arb. cap. 1. ait voluntatem illam esse liberiorem, quæ a rectitudine declinare non potest, & Aug. in Enchirid. c. 73. vocat liberam voluntatem, quia ita volumus esse beati, ut non possimus velle esse miseri; Nec refert,

fert, quod Arist. 9, Met. loc. cit. libertatem explicuerit per indeterminationem ad oppolita, quæ semper habet contingentiam annexam, quia loquitur de voluntate nostra, quæ respectu cujuscumque objecti, quantum est de se, semper libera est libertate contradictionis, & exercitii.

14 Et cum hæc doctrina sit communi omnium Scotistarum calculo recepta, nihilominus Vulpes tom. p. par. 2. d. 5. art. 6. recedit a communi Scotistarum, dum concl. p. inquit, libertatem dominii non esse distinctam a libertate contradictionis, sed cum ea penitus coincidere, in quo convenit cum Thomistis, & concl. 2. inquit hanc libertatem contradictionis posse etiam stare cum necessitate, & hac libertate Deum diligere seipsum, & Spiritum sanctum spirari, & de hac loqui Doctorem quol. 16. & alibi cum docet posse necessitatem libertati cohærere. Sane in his duobus dictis valde a veritate discessit hic Auctor, & a sententia Doctoris, nam per libertatem dominii Scotistæ libertatem essentialem intelligere solent quæ utique distincta est a libertate contradictionis, ut ipse concedit ibi. n. 4. & Doctor ipse quol. 16. cit. lit. N. verbis expressis distinguit libertatem dominii a libertate contradictionis; inquit enim, *sed semper est dubium, in quo stat per se ratio libertatis, sive enim dicatur, quod libertas stat in indeterminatione ad agendum, sive in dominatione sui actus, per neutrum hic videtur posse salvari libertas*, hunc eumdem locum Vulp. pro se adducit, sed parum candide, sic enim adducit verba Doctoris, *sive enim dicatur, quod libertas stat in determinatione ad agendum, sive in dominatione respectu sui actus, quod idem est*, quæ ultima verba *quod idem est* ex suo penu minus ingenue adiicit Vulpes ut literam Scoti faciat pro se loqui, & ostendat libertatem contradictionis, quam Doctor significat per indeterminationem ad agendum non esse distinctam a libertate dominii, cum tamen Doctor oppositum omnino intendat ibi docere, per illam enim particulam *sive* reperitam duos insinuat libertatis gradus, & inquit neutrum videri posse cum necessitate consistere; & quidem libertatem dominii esse distinctam a libertate contradictionis potest ex supradictis evidenti ratione convinci, quia quandocumque potentia ita ordinatur ad actum suum, ut non præveniatur a necessitate, sed potius ipsam præveniat, eamque sibi imponat, utique adhuc dominium retinet supra actum suum, quia prævenienda necessitatem agit, & non agitur, ut causa naturalis, sed in exercitio libertatis essentialis voluntas ita se habet ad actum suum, quod non prævenitur a necessitate in ejus elicitione, sed ipsa potius necessitatem prævenit, ergo adhuc dominium retinet super illum, non quod possit illum elicere, & non elicere, sed quia in ejus elicitione se ad illum determinat, non autem determinatur ab alio, cum ergo libertas essentialis sit distincta a libertate contradictionis, distincta erit quoque libertas dominii. Tum quia cum ipse Vulpes distinguat libertatem essentialem a libertate contradictionis, percontamur an libertas essentialis dicat in potentia aliquod dominium super actum; si sic, habemus intentum, quod dominium, & indifferentia contradictionis non erunt formalissime idem, ut ipse asserit; si non, ergo nulla prorsus remanet libertas in potentia, nec illa potentia esset libera, quia de ratione potentiæ liberæ est, quod dominetur actui suo; demum concedit & ipse libertatem essentialem consistere in sola negatione intrinsecæ determinationis ad operandum, ergo concedit illi dominium super actum, nam habere potestatem se determinandi ad actum semper insert in potentia dominium super actum, sive potentia se determinet necessario, sive contingenter; quod si dominium accipiatur pro potestate eliciendi actum, & suspendendi, ut videtur hic Auctor accipere, utique dominium in hoc sensu coincidit cum indifferentia contradictionis, & libertas dominii in hoc sensu est libertas contradictionis, sed significatum dominii non debet adeo restringi, sed ampliari, sicut nomen ipsum libertatis, cum libertas, ut sic, importet dominium actus, atque ideo sicut datur libertas essentialis distincta a libertate contradictionis, ita etiam debet dari dominium distinctum ab indifferentia contradictionis.

15 Sed alterum dictum hujus Auctoris, quod scilicet libertas contradictionis possit stare cum necessitate, & talem esse, qua Deus seipsum diligit, & Spiritus sanctus spiratur in divinis, est intolerabilius primo, quia ex 8. Met. potentia contradictionis semper annexam habet contingentiam, & cum ea prorsus repugnat necessitas, & hac ratione præcise Doctor 2. d. 14. q. p. materiam excludit a corporibus cœlestibus, quia cum sit in potentia contradictionis ad formam, & privationem, non est compossibilis cum necessitate, & incorruptibilitate illorum corporum, & concesso, quod ab extrinseco impediri aliquo modo posset contingentia, intrinsece tamen potentia contradictionis est potentia contingentiæ, quare licet divina voluntas ob suam infinitatem necessario diligeret divinam essentiam, & per eam essentiam fœcundatam produceretur necessario Spiritus sanctus, ab intrinseco tamen, & essentialiter tam dilectio divina respectu divinæ essentiæ, quam Spiritus sancti productio esset contingens, & posset non esse, quod impium est asserere, quidem necessitas, qua Doctor asserit quol. 16. Deum seipsum amare, & Spiritum sanctum produci, inquit esse omnimodæ inevitabilitatis, quæ non solum excludit oppositum posse succedere ei, quod ineft ut facit necessitas immutabilitatis, sed omnino excludit ipsum posse in esse, sed quis non videt talem necessitatem prorsus repugnare cum potentia contradictionis, quæ indifferenter est ad utrumlibet? valeat ergo hæc Vulpes imaginatio, & calculum nostrum in hac re veteribus Scotistis adiicimus; hac itaque suppolita doctrina de gradibus, & speciebus libertatis ex communi Scotistarum.

16 Dicendum est pro resolutione quæsiti quoad primam partem, relatos tres gradus libertatis omnes & singulos in voluntate creata reperiri; ita manifeste docet sacer codex Ecclesiast. 15. dum inquit *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui; adjecit mandata, & præcepta sua, si volueris mandata servare, conservabunt te; appolui tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam; ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*, quam auctoritatem citat ad hoc Scot. 2. d. 37. lit. M. clarius non poterat divina scriptura tres præfatos libertatis gradus in homine exprimere, nam illis verbis *Deus reliquit hominem in manu consilii sui*, significat primum gradum libertatis essentialis, seu dominii, quæ est fundamentum cæterorum omni necessitate seclusa; quod patentius explicuit D. Paulus p. ad Corinth. 7. dicens, *non necessitatem habens, sed potestatem habens voluntatis suæ*, aliis vero verbis, *si volueris mandata servare*, significat inditam esse homini libertatem contradictionis, & exercitii, ad quam pertinet servare, & non servare præcepta, reliquis denique verbis *appolui tibi aquam, & ignem, ante hominem vita, & mors, bonum, & malum*, habetur inditam quoque esse homini libertatem contrarietatis, & specificationis, horum namque electio cum sit contraria, ad libertatem contrarietatis spectat; & hanc plenam & integram libertatem ex illis tribus gradibus constitutam astruunt quoque in homine Concilia, & Patres quæst. præc. relati, & ipsa experientia docet.

Quamvis autem omnes hi gradus libertatis homini pro hoc statu conveniant, ut diximus, sola tamen indifferentia contradictionis magis exacte, & adæquate exprimit libertatem nostram; probatur primo auctoritate Arist. 9. Met. cap. 2. sæpe cit. ubi cum potentias rationales, & irrationales definisset, quod irrationales, hoc est, naturales sunt ex se determinatæ ad unum contrariorum, rationales vero, hoc est, liberæ sunt contrariorum effectrices, statim rationem reddens in tex. 4. illis verbis, idque ex eo fit, quod scientia ratio quædam est, ratio autem eadem manifestat & rem, & privationem, non eodem modo, satis aperte declaravit per contraria intellexisse privative oppolita, quæ inferunt in potentia indifferentiam contradictionis. Accedit Auctoritas Doctoris p. d. q. 4. & 9. Met. q. 15. quol. 18. N. & p. d. 8. q. 5. Z. & universaliter ubicumque docet differentiam datam ab Arist. 9. Met. loc. cit. inter potentias rationales, & irrationales intelligendam esse in eo sensu, nempe de indifferentia contradictionis. Deinde probatur valida ratione, nam illa indifferentia censenda est magis propria voluntatis creatæ, exactiusque, ac magis adæquate ejus libertatem exprimens, quæ soli voluntati creatæ, ut sic convenit, & respectu omnium objectorum, sed talis est sola indifferentia contradictionis, non dominii, vel contrarietatis, ergo &c. major patet, quia talis indifferentia conveniet omni, soli, & semper; prob. min. nam indifferentia dominii communis est voluntati creatæ, & increatæ, & quantum est de se, æque compossibilis est cum contingentia, ac necessitate; indifferentia vero contrarietatis non convenit voluntati creatæ in ordine ad quæcumque objecta, respectu quorum adhuc est libera, quia voluntas creata si comparetur ad bonum in communi, vel ad bonum infinitum, in quo nulla est ratio mali, vel defectus boni, veri, vel apparentis, & tamen circa illud objectum non potest habere actus oppositos amoris, & odii, sed tantum amare, vel amorem suspendere, ut ex infra dicendis constabit, quæ est indifferentia contradictionis, ergo magis proprie, & adæquate voluntatis nostræ libertas per indifferentiam contradictionis explicatur, quam per cæteras. Rursus probatur communi omnium consensu potentiam liberam definientium per indifferentiam contradictionis, dum inquiunt, quod *potentia libera est illa, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum potest operari, & non operari*, ita definiunt omnes potentiam liberam D. Th. p. 2. q. 1. art. 2. ad 2. & q. 14. & p. 1. q. 83. Henric. quol. 14. Scot. d. 25. in fine Ocham p. d. 48. q. 3. & quol. p. q. 10. Suar. tom. 1. de gratia prolog. p. cap. 3. qui fere innumeros citat pro hac definitione. Postremo probatur ex oppositione, quam habet causa creata libera cum naturali, sicut enim illa dicitur, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere, & non agere, ita naturalis e contra dicitur, quæ positis omnibus prærequisitis non potest non agere, ut ignis approximato combustibili, cum ergo per hanc indifferentiam contradictionis præcipue causa libera a naturali distinguatur, melius etiam, & exactius ejus libertas explicabitur per illam indifferentiam, quam per cæteras.

17 Objicies in contrarium, potius indifferentiam dominii explicare primo, & principaliter libertatem nostram, nam in illa indifferenti potentia consistit libertas intrinseca, & essentialis voluntatis creatæ, quæ essentialiter congruit ei, ad quodcumque objectum, & quemcumque actum suum comparetur, sed talis est sola indifferentia dominii, ergo &c. major patet, prob. min. quia voluntas creata numquam expoliari potest libertate dominii, alioquin eo ipso potentia naturalis evaderet, & tamen in ordine ad aliquod objectum expoliata invenitur libertate contrarietatis, ut patet si comparetur ad bonum in communi, & summum bonum, malum in communi, & miseriam, nam circa hæc quamquam libere se habeat amando, aut odio habendo, *non tamen* potest contrarios actus habere, quia nec Deum odire potest, nec miseriam velle, aliquando item inveniri potest expoliata libertate contradictionis si ita determinaretur ad amandum Deum, ut ab amore cessare non posset, *sicut de facto contingit* in beatis; qua de causa libertas dominii *essentialis consuevit* dici, quia intrinseca voluntati, & prorsus *ab ea inseparabilis*, libertas vero contrarietatis, contradictionis *dicitur accidentalis*, quia a voluntate separari potest, ut *accidens a subjecto*. Confir. quia causa libe-

re per indifferentiam dominii primo distinguitur a causa naturali, ergo in hac differentia dominii consistit prima, ac præcipua nostra libertas.

18 Resp. neg. min. quoad eam partem, quod voluntas creata expoliari possit libertate contradictionis, aliud enim est loqui de libertate potentiæ, aliud de libertatis usu, ut mox dicemus, neque hic est confundendus cum illa, hic enim pertinet ad actum secundum, & exercitium potentiæ, illa vero ad actum primum, & facultatem ejus; in casu ergo, quod creata voluntas a Deo determinaretur ad sui dilectionem, tunc non adhuc diceretur sua libertate privari, quæ est ejus intrinseca facultas ad agendum, & non agendum, sed *dumtaxat* usus ejusdem impediri, qui usus accidit potentiæ, ut actus secundus accidit primo; quare autem libertas dominii dicta sit essentialis, jam supra innuimus, quia *nimirum convenit omni voluntati tam creatæ, quam increatæ*, & est fundamentum cæterarum; aliæ vero dicuntur accidentales, non quia accidant potentiæ, sed quia cum contingentia semper inveniuntur conjunctæ. Ad Conf. concludit libertatem dominii esse omnium primam, & præcipuam, si de libertate loqui velimus, ut communis est voluntati creatæ, & increatæ, & causam liberam in universum distinguit a naturali; at nos hic inquirimus libertatem primam, & præcipuam voluntatis creatæ, ut sic, & dicimus esse libertatem contradictionis.

ARTICULUS II.

Explicatur libertatis usus, & quod voluntas est libera eodem quo operatur, instanti.

19 Quoad alteram quæsiti partem, ut pateat, quinam sit libertatis usus, & quomodo ab ipsa differat libertate, sciendum est, usum libertatis aliud non esse quam ipsum facultatis liberæ exercitium, atque ideo spectare ad actum secundum potentiæ liberæ, non ad primum; sicut ergo usus cujuslibet potentiæ activæ in universum necessario supponit tam virtutem illius in ordine suo completam, & perfectam, non vero diminutam, & inchoatam, quam omnia necessario prærequisita etiam ab extrinseco ad reipsa effectum attingendum, ut sunt passi approximatio, cujuscumque impedimenti remotio, & aliarum concausarum concursus; sic in proposito usus facultatis liberæ, nedum supponit indifferentiam activam nudæ potentiæ, sed ejusdem indifferentiam sub necessario prærequisiti ad agendum constitutam, & ad agendum proxime dispositam tali modo, ut constituta sub ipsis possit reipsa actionem suspendere in sensu composito; quis autem sit sensus compositus, & divisus jam diximus 1. par. inst. tr. 2. cap. 5. componendo nimirum suspensionem *actionis* cum *illis* prærequisitis, per hoc siquidem causa libera a naturali secernitur, quia hæc posita sub prærequisitis ad agendum nequit non agere, sed necessario agit; unde non sufficit ad usum libertatis servandum integrum, & incolumen, quod voluntas sub prærequisitis ad operandum possit non operari in sensu diviso, idest præscindendo a prærequisitis, non etiam quæcumque causa naturalis potest non agere, cum non habeat necessario requisita ad agendum; imo neque sufficit, quod posita sub prærequisitis ad agendum possit operari, & non operari in sensu composito, ut explicat Alvarez lib. 12. de divin. aux. disp. 115. ubi hunc sensum compositum ita explicat, ut compositio fiat inter prærequisita ad operandum, & ipsam operandi, & non operandi potentiam, nam talis potentia ad utrumlibet simul stat in eodem subjecto cum prærequisitis ad operandum, non autem ita ut compositio fiat inter requisita ad operationem, & carentiam illius. Non itaque sufficit illa compositio, sed ista etiam requiritur ad plenum, & expeditum libertatis nostræ usum, ut nimirum fiat compositio tam inter prærequisita ad agendum cum potentia ad agendum, & non agendum, quam cum ipsa actuali suspensione actionis, ita colligitur ex Scot. 4. dist. 49. q. 6. §. *dico ergo*, & 1. dist. 39. art. 5. H. & 1. K. & 2. dist. 1. q. 2. in solutione princ. & 9. Met. q. 15. in corpore, & solutione princ. ad 2. & probatur ex differentia jam posita inter causam naturalem, & liberam, quia proprie loquendo ex præsentia, vel absentia prærequisitorum causis naturalibus, nedum additur posse agere, vel adimitur, sed additur ipsa actio, vel tollitur, ita quod cum causa naturalis stat sub prærequisitis, non solum non potest agere, sed cum illis repugnat negatio actionis, ergo e contra cum causa libera stat sub prærequisitis non solum potest non agere, sed neque cum *illis* repugnat carentia *actionis*. Deinde quia si prærequisita voluntatem determinant, ergo exit actus ab ea ut proxime determinata, atque ita necessario exit non libere, & contingenter; nec refert, quod sit saltem remote indeterminata, quia hoc non salvat libertatem proximam voluntatis nostræ, sed tantum remotam, quo etiam sensu Beati modo in patria dici possunt libere Deum diligere; at in via libertatem habemus non remotam tantum, sed proximam, & expeditam, ergo ad eam requiritur, ut possit cum prærequisitis nedum componi potentia agendi, & non agendi, sed etiam carentia, & omissio actionis. Denique actualis suspensio actionis solum cum ipsa actione incompossibilis est, non autem cum prærequisitis ad actionem, ergo in hac propositione, *voluntas manens sub prærequisitis ad agendum non agit*, nulla est implicantiæ. Dices repugnare etiam cum prærequisitis, quia illa determinat voluntatem ad agendum. Hoc est voluntarie dictum, quia ut notat Scot. 2. d. p. q 2. ad 2. causa libera per solam operationem determinatur, dum ipsam elicit, & non per aliquod prævium ad operationem, quia hoc est proprium causæ naturalis.

20 Et hic modus explicandi libertatis usum communis est in schola nostra, ita enim explicant Barg. p. d. 39. M. Mair. p. d. 28. q. 4. Faber p. disp. 56. 57. 58. Vulp. to. 1. par. 2. disp. 5. art. 8. Cavell. disp. 3. de Anim. sect. 15. Smisinch. tr. 3. de Deo uno dis. 4. n. 60. quem etiam ex Conciliis, & Patribus strenue defendunt Suarez de auxil. lib. 1. de concursu cap. 3. to. 1. de gratia prolog. p. c. 3. n. 8. Vasquez & cæteri Auctores Societatis nemine excepto, & denique hunc modum explicandi libertatis usum recipiunt omnes Scholæ extra Thomistarum, quæ jure merito in hac ab omnibus derelinquitur, nam explicando usum libertatis solum in sensu divisivo e prærequisitis, nimis restringit libertatem nostram, imo totaliter auferre videtur, nam secundum ipsos voluntas cum prærequisitis ad agendum in sensu composito nequit non agere; antequam ponantur prærequisita *non* potest operari, quia sine prærequisitis non est in potentia proxima ad agendum: ergo in sententia Thomistarum numquam voluntas erit libera, & actum *habebit* in sua potestate, ut eliciat, vel suspendat, qua ante prærequisita non potest operari, prærequisita nequit non operari, ergo numquam est libera: & certe hæc ratio nobis videtur demonstratio; sed fusius hoc prosequi pertinet ad Theologum in materia de gratia.

Supposito itaque quod usus potentiæ talis sit, qualem explicuimus, & stante quod Arist. docuit 9. Met. cap. 4. omnem potentiam agendi, aut secundum se solam sumi posse, quomodo dicitur potentia remota, aut secundum quod reperitur cum necessario prærequisitis ad agendum, quomodo dicitur potentia proxima, quod etiam adnotavit Doctor 4. d. 49. q. 6. lit. G. aut tandem secundum quod actu operatur, ut inveniamus, in quo statu usus libertatis potentiæ libere conveniat, triplex status causæ liberæ distingui debet, unus est in actu primo nudo sub sola ratione virtutis activæ ad utramlibet, alter sub eadem formali ratione cum omnibus ad proxime agendum necessario prærequisitis, ultimus dum actu operatur, & de actu primo transit ad secundum, in primo statu sane usus libertatis voluntati nequit a. dscribi, quia cum non habeat tunc necessario prærequisita ad agendum, nequit exire in operationem, non quidem ex defectu intrinseco nativæ virtutis, sed ex defectu extrinseco prærequisitorum; in secundo statu videntur aliqui usum libertatis ei tribuere, quia reperitur cum omnibus prærequisitis, & sine ullo impedimento potest in actum exire; sed neque proprie loquendo libertatis usus ei in hoc statu convenit, quia licet in tali statu potentia sit proxime ad operandum disposita & ordinata, adhuc tamen non intelligitur operari, & adhuc sistimus in actu primo; restat ergo, ut libertatis usus tunc tantum ei conveniat, quando actu operatur, & actu secundo exercetur; cum enim libertatis usus aliud non sit, quam exercitium causæ liberæ, & causa libera non exerceatur, nisi quando in actu secundo versatur, consequens est, ut proprie loquendo libertatis usus voluntati conveniat tantum in tertio statu.

21 Verum tota difficultas est, quomodo voluntas in eo instanti quo operatur, sit libera, cum tunc per ipsam operationem elicitam ad aliam partem determinata inveniatur, qua de causa Ocham cum suis Nominalibus negat in eo instanti posse in voluntate usum libertatis assignari, cum potius tunc necessario operetur. Nec difficultatem evadimus, si dicamus voluntatem actu operantem adhuc libere operari, quia licet non amplius sit indifferens ad positionem illius actus, vel carentiam, quia jam illum elicuit, adhuc tamen remanet indifferens ad eum continuandum, vel non continuandum. Quia licet id satisfacere possit, casu quo voluntas in sua operatione duret plusquam per instans, tamen supponatur in operatione durare uno dumtaxat instanti, difficultatem non tollit. Nihilominus Doctor 2. d. 4. & 5. q. 2. C. & d. 25. q. un. §. *dico ergo ad quæst.* & quol. 16. & præsertim p. d. 39. ar. 2. §. *de secundo dico*, & alibi sæpe docet voluntatem, pro quocumque instanti temporis operatur, libere operari, quod evidenter probatur, quia si in illo instanti, in quo operatur voluntas non est libera, ergo numquam esset libera, nec umquam daretur effectus aliquis liber, & contingens, prob. conseq. quoad primam partem, quia si voluntas esset libera, præsertim id foret tempore immediate præcedente ad operationem, hoc autem non bene dicitur, quia voluntas tunc dicebatur libera, quia usum liberum poterat exercere in instanti, vel tempore sequenti, quod confirmatur ex Aug. epist. 107. dicente neminem peccare in eo, quod *facit* nec quod facturus est, sed in eo, quod facit; probatur etiam quoad alteram partem, quia effectus non dicitur liber, & contingens in potentia, nisi ratione suæ causæ potentis in oppositum, ergo non actu contingens erit, nisi actu a sua causa sit, quæ contingenter, & libere ponat eum actu in rerum natura; tum quia tunc actus non esset liber, nisi quatenus futurus; quod tamen dici non potest, si enim dum existit non est liber, consequenter nec liber dici potest, quatenus futurus, quia in sua futuritione non est alterius naturæ, quam inexistentia præsentiali, quæ ratio sane mirabiliter convincit. Nec valet dicere esse effectum liberum, & contingentem, quia poterat non poni in esse, & non quia pro eo nunc, in quo est, possit non esse. Nam prius non fuit ens, ergo nec prius fuit actu effectus liber, & contingens, loquimur enim modo de contingentia, pro ut est modus entis in actu, & pro illo tunc, pro quo est in actu. Nec minus valet, si dicatur actum dici liberum, quia libere conservatur; *hoc* enim, ut diximus, solum satisfacit, cum voluntas durat in actu suo plusquam per unum instans, non autem si solo instanti duraret in actu suo, & hæc est ratio Doctoris 9. Met. loc. cit. Conf. quia ut sæpe ait Doctor, causa non est causa, nisi quando actu causat, & ex ipso actu secundo deprehenditur, an sit naturalis, vel libera, seu an naturaliter, vel libere operetur, ergo causa libera, quando operatur, libere operatur, quo enim pacto causa libera, vel agens liberum dicetur, quod nullam umquam actionem habet liberam? Demum si voluntas in eo instanti, quo operatur, non elicit actum suum libere, numquam

quam illum libere elicit, nam non potest illum libere elicere, antequam eliciat, vel postquam illum elicuit, ergo pro eo instanti, quo illum elicit, libere elicit; ita arguit Doctor 2. dist. 3. qu. 2. supra C. quem sequuntur Recentiores passim, Suarez disp. 19. Met. sect. 9. n. 3. Hurt. disp. 15. de Anim. sect. 19. Moriss. disp. 3. de Anim. qu. 10. & alii passim.

22 Rationem a priori jam dudum assignavimus disp. 8. Phys. q. 2. art. 2. ex Doctore præsertim 1. d. 39. F. quia nimirum voluntas, sicut & quælibet alia causa, cum actu operatur, intelligitur prius natura habere potentiam ad actum, & posterius natura illum elicere, qua ratione dicebamus prioritatem naturæ sufficere ad rationem causæ, ergo voluntas etiam in instanti quo operatur, dicitur saltem prioritate naturæ actum suum præcedere, in *illo* autem priori habet indifferentiam, sive potentiam ad eliciendum, & non eliciendum, non quidem conjunctim, sed divisim in illo eodem instanti; nec negari potest in eo instanti talem indifferentiam habere, quia cum immediate ante illud instans eam habuerit, adhuc in eo instanti durationis eam retinet, ut est prior natura ipso actu *elicito*, & quidem in voluntate pro ejus libertate servanda, & usu libertatis, quando actu operatur, ralem admitti debere indifferentiam, & potentiam ad opposita pro eodem instanti, non quidem conjunctim, sed disjunctim ponenda, probat evidenter Doctor ex actu voluntatis divinæ, quo Petrum prædestinavit, vel mundum esse voluit, nam utique hic actus in Deo liber fuit, non quidem quia in aliquo instanti priori erat potens actum illum elicere deinceps, quia ante instans prædestinationis nullum *instans* durationis præceffit; & postquam statutum est decretum de Petri prædestinatione, vel de Mundi creatione, non potest amplius non esse, cum Deus sit immutabilis, ergo præcise ratione illius indifferentiæ ad oppositа pro eodem instanti disjunctim actus divinus dicitur liber.

23 *Objicies fundamentum Ochami superius allatum*, quod voluntas in eo instanti, quo operatur, jam seipsam determinat ad alteram partem, ergo tunc quo operatur libere, quia non est amplius indifferens, sed terminata per actum elicitum. Deinde impossibile est causam pro eodem instanti habere actionem elicitam, & suspensam, sed pro eo instanti, in quo operatur, est elicita, ergo pro eodem nequit esse suspensa. Tandem actio in instanti quo est, non potest non esse, nam ut docet Arist. 1. Perhier. cap. ult. omne, quod est, quando, & necesse est esse, ergo in eo instanti necessario est, ergo tantum est *libera*, quia vel poterat non esse tempore antecedenti, vel potest non esse in instanti sequenti. Vulpes disp. cit. art. 10. his argumentis convictus concedit voluntatem sub actuali operatione non esse liberam, quod ait esse de mente Doctoris 3. d. 15. qu. un. supra E. ubi ait voluntas ut voluntas est libera, ut nolens non est libera, quia habet formam determinatam ad unum, quæ est ipsa nolitio, idem habet 2. d. 7. q. un. B. ubi ait, quod voluntas, ut prior naturaliter actu suo, non ut existens actualiter sub actu, est causa sui actus; & in 1. d. 12. q. 1. G. appellat actum volendi formam naturaliter potentiam liberam ad unum determinantem. Ne tamen in sententiam Ochami videatur omnino prolabi, & aliquo modo salvet usum libertatis in eo, quo voluntas operatur instanti, duo præfertim distinguit instantia naturæ in illo durationis instanti, quo voluntas operatur, in quorum primo ponit voluntatem cum sua indifferentia ad operari, & non operari prius naturaliter, quam agat, in posteriori vero componit eam cum ipsa actione, & tunc non amplius *esse indifferentem*, & liberam, sed ad alteram partem determinatam, & hoc solum ait probare Nominalium argumenta.

24 Certe ad hunc quoque dicendi modum omnia sequuntur absurda, quæ contra Ochamum urgebantur, nam voluntas non dicitur causa libera, seu liberum agens, nisi ab actione elicita, qua denominatur agens, ergo si actio illa non est libera, nec voluntas erit umquam liberum agens. Conf. quia in illo primo instanti naturæ voluntas non intelligitur actu operans, sed operari potens, & solum in posteriori dicitur actu operans, aut ergo libere, vel numquam libere denominabitur operans; nec sufficit dicere, tunc denominari voluntatem libere operantem, quia potest voluntas actum præsentem continuare, vel ab eo desistere; hoc enim valet ad summum casu, quo voluntas duret in actu suo plusquam per instans, & tamen certum est voluntatem pro uno solo instanti posse libere operari. Rursus sequitur numquam dari effectum liberum, & contingentem in actu, sed in potentia tantum, nimirum cum voluntas in illo primo signo naturæ consideratur, nam in secundo instanti non est amplius libera. Denique hic dicendi modus difficulter salvat usum libertatis in voluntate, quia hic pertinet ad actum secundum, at voluntas quocumque modo consideretur actum anteverrens, sive prius tempore, sive natura, semper habet rationem actus primi, ergo si quando ponitur sub actu secundo libertatem amittit, non apparet, quo pacto salvetur libertatis usus; falsum ergo omnino est, quod per positionem actus secundi voluntas nostra libertatem amittat, imo potius in *illo* actu secundo usus libertatis apparet, cum ille actus sit ipsissima libertas actualis, & exercitium potentiæ liberæ, ut sic; determinatur quidem voluntas in actu secundo per suammet operationem elicitam, sed talis determinatio non tollit libertatem ejus, quia indeterminatio, in qua consistit libertas, non est indeterminatio actus secundi, sed actus primi, causa enim libera, ut sic, est indifferens in actu primo, nec ista indifferentia tolli potest per ea, quæ spectant ad actum secundum, qualis est actio, sed tantum per ea, quæ spectant ad actum primum, ut sunt necessario prærequisita ad agendum; esse autem potentiam indifferentem in actu primo, & determinatam in actu secundo

per actionem, nedum non repugnat, sed potius est necessarium pro exercitio potentiæ indifferentis ad utrumlibet, quare sicut potentia ad scribendum, vel currendum non destruitur per actualem cursum, & scriptionem, sed potius exercetur, & perficitur, ita potentia voluntatis ad utrumlibet non tollitur per actionem, sed perficitur, & exercetur. Et hac ratione ingenue Doctor loc. cit. ut ostendat libertatem voluntatis, cum actu operatur, recurrit ad *illud instans* prius natura, in quo ipsa ponitur affecta omnibus prærequisitis ante considerationem actualis operationis, quia nimirum sola indifferentia actus primi pro illo *eodem instanti*, quo operatur, salvat libertatem, & sola determinatio ex vi prærequisitorum procedens potest eam tollere; & hac eadem ratione inquit voluntatem, ut voluntas est, esse liberam, non vero ut volentem, quia nimirum ejus libertas attendi debet penes indifferentiam actus primi, non vero actus secundi.

25 Itaque ad p. argumentum Ochami concesso antecedente, neg. conseq. ad cujus probationem dicimus, quod licet voluntas cum actu operatur, sed determinata in actu *secundo*, adhuc tamen indifferens manet in actu primo, & actu operatur in indifferenti potestate, quam adhuc retinet, neque determinatio actus secundi tollit indeterminationem actus primi, nam ut logici ajunt, indeterminatio de possibili stat cum determinatione de *inesse*. Ad 2. *concedimus non posse* actionem esse elicitam, & suspensam pro eodem instanti. simul, & conjunctim, bene tamen disjunctim, & hoc sequitur tantum ex vi libertatis potentiæ a nobis explicatæ, non illud, quia ut ait Doctor libertas non dicit potentiam simultatis ad oppositа, sed simultatem potentiæ, ut ipse docet loc. cit. 1. q. 39. K. Ad 3. ex *illa* propositione *omne quod est*, concluditur actionem voluntatis dum existit, necessariam esse ex suppositione, non autem simpliciter, & absolute, ut bene Doctor ostendit loc. cit. Lit. I. nam secundum se, & suam essentiam considerata, ac in ordine ad sua principia effectus est liber, & contingens; vide Doctorem logice explicantem propositionem illam, *omne quod est, &c.*

26 Ex dictis collige, distinguendam esse libertatem a libertatis usu, sicut potentia distinguitur ab exercitio sui, & rursus distinguendum esse libertatem proximam, quæ ultra nativam virtutem potentiæ connotat prærequisita ad agendum, a libertate remota, quæ nudam dicit potentiæ virtutem; unde cum inquit Doctor 2. dist. 25. & 34. & 4. dist. 29. & 49. qu. 6. & alibi sæpe libertatem esse voluntati essentialem, & rursus causam naturalem, & liberam distingui per naturalitatem, & libertatem, tamquam per differentias intrinsecas, & essentiales, id *sane de libertate in actu secundo*, seu usu *libertatis intelligi* non posse, quia hic potest impediri, & de facto impeditur in Beatis, ne proxime possint a fruitione cessare, ut notat Doctor 4. dist. 49. qu. 6. §. *dico ergo*, nec etiam intelligi debet de libertate proxime, quia hæc etiam potest impediri ab extrinseco, si v. gr. desit aliquod ex necessario prærequisitis ad agendum, vel suspendendum actum, unde neque Beati in patria libertatem habent proximam ad fruitionem beatificam, remanet ergo, ut *illud intelligendum sit de libertate remota*, & intrinseca, quæ scilicet est intrinseca, & innata virtus potentiæ cum indifferentia ad utrumlibet, & cum dominio actus.

27 Quæres, num sicut voluntas potest necessitari per impedimentum usus libertatis, ita quoque possit violentari, & cogi. Resp. quod actuum *voluntatis alii sunt eliciti ab ipsa* immediate, ut amor, & odium, alii ab ipsa dumtaxat imperati, sed ab alia ex ejus imperio eliciti, ut locutio, ambulatio, &c. quoad actus imperatos concedunt omnes posse *voluntatem* vim pati, quia contra ejus imperium possunt potentiæ inferiores per violentiam agentis extrinseci actus suos exercere, ut cum detrudimur in hanc, vel illam partem contra nostram voluntatem; nempe hoc volnit negare Doctor 4. d. 29. q. un. §. *de primo*, dicens, voluntatem nec posse simpliciter cogi ad actionem imperatam; sic enim loquendo tantum docere voluit voluntatem non posse cogi ad imperandos actus aliarum potentiarum. Quoad actus elicitos res est dubia, an salrem a Deo possit voluntas cogi, *violentiam* pati, nam de creaturis res certa videtur; affirmat Vulpes to. 1. p. 2. disp. 6. ar. 7. & to. 2. ejusdem partis disp. 58. ar. 4. cum quibusdam aliis. Negat tamen expresse Doctor in 4. loc. cit. ubi contradictionem esse voluntatem simpliciter cogi ad actum volendi; probant aliqui ex *definitione violenti*, nam violentum *est*, quod fit ab extrinseco cum renitentia passi, sed actus non potest voluntati immitti ab extrinseco agente, nam cum sit actus vitalis, produci debet a principio intrinseco virali, cui inhæret, ergo in actibus suis elicitis nequit cogi. Sed hæc ratio non urget, quia assumit minorem falsam, ut sæpius visum est. Melius ergo probatur cum Doctore ex eadem violenti definitione in hunc modum; si voluntas posset a Deo simpliciter cogi, hoc vel fieret immittendo *illi aliquem actum mere passive se habenti*, vel *immittendo illi actum* resistenti, & nolenti illum habere, sed neutro modo potest simpliciter cogi, ergo, &c. major patet a sufficienti divisione, prob. min. non primo modo fieri potest coactio, quia *licet* si Deus actum immitteret voluntati mere passive se habenti, tunc quidem actus ille fieret ab extrinseco, adhuc tamen non fieret *resistente* passo, quia supponimus in eo casu voluntatem mere *passive* se habere, sed nec etiam secundo modo violentari potest, quia tunc, ut infert Doctor, volens *nollet*, vel *nolens vellet*, quod implicat.

28 Respondet Vulpes disp. 58. *cit.* ar. 4. in fine renixum voluntatis in eo casu non esse per aliquem *actum secundum*, nam ad illum haberet voluntas concursum Dei potius denegatum, sed esset per actum primum abjicientem, non recipientem actum illum a Deo

totaliter causatum. Hæc solutio seipsam destruit, nam si humana voluntas actum a Deo immissum a se abjicit, & depellit, sane id esse non potest ipsa mere passive se habente, sed active per actum oppositum renitente, & sic sequitur contradictio illata a Doctore, quod volens nollet, & nolens vellet; Dices, illum abjicere per solum renixum impetus innati, & propriæ inclinationis, absque ullo actu elicito; contra, nam voluntas non est de se naturaliter ita determinata ad hunc actum, ut recipiens oppositum dicatur violentiam pati, sed naturaliter indeterminate omnes recipit, nullum ergo recipit violenter, quia, ut notat Scot. 1. d. 1. q. 1. in fine inclinatio naturalis indeterminata tollit a subjecto violentiam; cum ergo voluntas non sit naturaliter determinata, & inclinata ex suo impetu innato magis ad unum, quam ad alterum actum, ut violenteturper actum, opus est, quod ipsa haberet actum oppositum illi, quem Deus immittit, & sic semper sequitur contradictio inculcata a Doctore, quod nolens vellet; & sic vellet, & nollet idem objectum simul, quod prorsus implicat. Conf. nam eo ipso, quod voluntas est invita, non vult, si ergo invita manens ponatur habere velle a Deo, simul vult, & non vult: & hac ratione nobiscum sentiunt Palud. 4. d. 29. q. 1. art. 1. Tatar. ibid. & d. 49. q. 6. & alii quamplures cum D. Th. p. 2. q. 6. art. 4. Alensis 2. p. q. 72. membr. 4. & 4. p. q. 8. membr. 7. Bon. 2. d. 25. art. 1. q. 4. & 5.

29 Vasquez p. 1. disp. 26. n. 27. tenens cum Almaino voluntatem posse vim pati saltem negative in cessatione, & omissione actus, sic arguit; si voluntas esset congrua cogitatione excitata ad amorem alicujus objecti, & prompta ad operandum, certe si Deus tunc suum denegaret concursum, talis cessatio, & negatio actus esset contra impetum innatum effectivis virtutis jam ex se inclinatæ ad operandum; quo argumento concludi potest voluntatem positive quoque posse vim pati in operando, casu quo voluntas vellet suspendere actum suum circa aliquod objectum, & nihilominus Deus continuaret illum, nam etiam in hoc casu continuatio actus, vel ejus immissio in voluntatem esset contra affectum voluntatis saltem interpretativum; neque in his casibus sequitur, ut inferebatur, componi simul volitionem, & nolitionem, quia non supponitur voluntas nolens, vel volens formaliter, sed tantum interpretative. Resp. in his quoque casibus nullam sequi violentiam in voluntate simpliciter, sed tantum secundum quid, & ratio est, quia voluntas est potentia suapte natura indifferens ad actum, & suspensionem actus, & inclinatio indeterminata violentiam tollit a subjecto, ut diximus ex Scoto; ut autem sequatur violentia simpliciter in voluntate ex actu, vel suspensione actus, deberet hæc, vel ille nedum esse contra effectum interpretativum, sed etiam contra ejus innatam inclinationem, cum esse contra affectum interpretativum solum infert violentiam secundum quid; sicut in naturalibus, si in materia disposita ad formam aquæ introduceretur forma ignis, talis mutatio adhuc foret naturalis simpliciter ob inclinationem universalem materiæ ad quamcumque formam, & solum secundum quid violenta ratione dispositionum contrariarum. Dices, potest Deus voluntatem creatam simpliciter necessitare ad aliquem actum, ergo & simpliciter cogere. Neg. conseq. plus enim est voluntatem cogi, quam necessitari, voluntatem namque necessitari est ita ab extrinseco determinari ad aliquem actum, ut proxime non possit in oppositum, ut contingit modo in Beatis in ordine ad gloriam, & damnatis in ordine ad pœnam, cogi vero est in aliquem actum propelli omnino suo innato appetitui dissentaneum, quod voluntati repugnat, quæ est potentia suopte ingenio in quemcumque actum inclinata, & nedum in actum, sed etiam in suspensionem ejus; & hac unica ratione Onophrius tr. 2. de an. disp. 2. p. 4. q. 1. tenet voluntatem a Deo cogi non posse, quia nullus actus est contra inclinationem ejus naturalem.

QUÆSTIO III.

Quæ, & qualis sit prima radix nostræ libertatis, tam extrinseca, quam intrinseca.

30 Communis sententia Thomistarum est primam radicem intrinsecam libertatis nostræ voluntatis esse indifferentiam judicii in propositione objecti, eo enim ipso, quod intellectus non proponit voluntati aliquod bonum, ut necessario volendum, sed ut hinc, & illinc apparent rationes, ut ametur, vel non ametur, aut respuatur, non potest voluntas, quæ rationis ductum sequitur, velle illud necessario, sed libere, sicut e contra quando ultimum judicium practicum intellectus est determinatum, tunc quoque omnino determinatur voluntas in alteram partem, nec potest in utramque, ita aperte docuit S. Th. p. 2. art. 2. q. 17. art. 1. ad 2. ubi ait radix libertatis est voluntas, sicut subjectum, sed sicut causa est ratio, & 1. p. qu. 83. art. 1. in cap. inquit, quia judicium rationis ad diversa se habet, & non est determinatum ad unum, pro tanto necesse est, quod homo sit liberi arbitrii, & sequuntur passim ejus discipuli circa ea loca, Cajet. Medin. Ban. & alii expositores Javel 9. Met. q. 4. ubi Socin. Compl. disp. ult. de An. q. 1. Jo. de S. Th. q. 12. de An. art. 2. Alvarez lib. 12. de aux. divin. disp. 117. & alii Thomistæ passim, qui proinde asserunt intellectum esse, si non formaliter, saltem radicaliter liberum, ac etiam consequenter tenent voluntatem in quolibet actu suo determinari ab ultimo judicio practico intellectus, quod solet his verbis exprimi, hoc nunc omnibus consideratis eligendum, aut faciendum est, & similibus, quibus in hoc subscribit Bellarm. lib. 3. de gratia, & lib. arb. c. 8. & alii quamplures. Primam vero radicem extrinsecam libertatis creatæ docent esse omnipotentiam divinæ voluntatis, quippe quæ ob infinitam ejus efficaciam formaliter, vel eminenter omnem continet modum causalitatis secundarum causarum, ita Alvarez lib. 3. div. aux. disp. 26. Jo. de S. Th. q. cit. art. 3. quæ fuit Cajet. sent. p. p. qu. 19. art. 8. & qu. 14. art. 13. Ferrar. p. contra gent. c. 27. & aliorum veterum Thomistarum.

31 Scotus vero noster totum oppositum docet, primam namque radicem libertatis creatæ, & cujuscumque contingentiæ in rebus creatis statuit esse *non omnipotentiam vel efficacitatem divinæ voluntatis, sed ejus liberrimam*, ita videre licet p. d. 2. q. 2. §. *ostenso esse de proprietatibus*, & d. 8. q. ult. lit. R. & d. 39. D. & d. 42. q. un. lit. B & 2. d. 1. q. 3. F. & alibi frequenter, ubi docet, quod si Deus ageret necessario ad extra, omnis periret contingentia in rebus, [& libertas in nobis, quod fuse probavimus disp. 8. Phys. q. 1. art. 2. Et quoad aliud punctum controversiæ de radice intrinseca libertatis negat omnino esse petendam ab indifferentia judicii, sed vult esse ipsam indifferentiam activam volitivæ potentiæ, ita aperte docet 9. Met. q. 15. §. *post dicta*, ubi parum a principio tandem concludit, quod scientia non est propria causa prædictæ indifferentiæ, & 2. d 25. q. un. arguens contra opinionem quorumdam deducit illam ad hoc inconveniens, quod indifferentia voluntatis esset ex indifferentia intellectus. Hinc consequenter tenet ibidem voluntatem in sua operatione ab ultimo judicio practico intellectus minime determinari, sed totam adhuc suam indifferentiam retinere in actu primo agendi, vel non agendi, & sic agendi, vel oppositum, quod etiam docet 3. dist. 39. q. un. art. 2. 4. dist. 43. q. 2. A. & alibi frequenter; Scotum sequuntur omnes ejus discipuli incunctanter, & quamplures alii, præsertim ex Recentioribus mox citandis, quæ sententia fuit Henrici quol. p. q. 16. & videtur Abulensis 3. lib. Reg. c. 12. qu. 6.

ARTICULUS I.

Sola libertas divinæ voluntatis, non ejus efficacia, est prima radix extrinseca libertatis creatæ.

32 Conclusio est Scoti loc. supra cit. quam tenent Scotistæ omnes circa ea loca, Faber 1. sent. disp. 53. Vulpes to. 1. par. 2. disp. 6. per totum, Rubion. 2. d. 1. q. 6. ex Thomistis Bannes p. p. q. 18. ar. 8. nobis consentire videntur, & alii quamplures; ut autem permaneat status controversiæ inter nos, & Thomistas debemus in divina voluntate has duas formalitates distinguere, libertatis scilicet, & infinitæ efficaciæ, vel ex natura rei formaliter, ut de aliis attributis Scotistæ theologizari solent, vel saltem virtualiter, ac ratione ratiocinata, ut Thomistarum moris est, si enim nullo modo has divinas perfectiones distinguamus, labitur status controversiæ præsentis, quæ est, num prima radix nostræ libertatis, & contingentiæ in rebus sit libertas divinæ voluntatis, vel potius infinita ejus efficacia; & quidem aliquo saltem ex præsatis modis distingui debere manifesta suadet ratio, quia licet ambæ sint rationes divinam voluntatem concernentes, ut est principium agendi, diverso tamen prorsus modo ei conveniunt, siquidem libertas convenit illi per modum differentiæ eam distinguentis a principio activo naturali, *omnipotentia* vero, seu infinita efficacia eam *fecernit a principio agendi finito*. Accedit, quod si Deus ad extra *necessario* ageret, utique per locum intrinsecum liberras in eo deficeret, non tamen infinita efficacia, unde Arist. apud Scotum posuit Deum agens necessarium ad extra, non liberum, adhuc tamen infiniti vigoris, ergo aliquo modo cū fundamento in re in divina voluntate perfectiones ille sunt discretę; hoc itaque supposito pro statu quæstionis, conclusio probatur quoad utramque partem.

33 Et primo quoad primam, probat Doctor loc. cit. præsertim p. d. 8. q. 5. R. quia si Deus ageret ad extra necessario, duo hæc inconvenientia necessario sequuntur, ait Doctor, vel quod nulla amplius remaneret actio in causis secundis, vel si adhuc agerent, omnes necessario agerent, & nulla contingenter & libere, ergo divina libertas est prima, & præcipua causa extrinseca nostræ libertatis, & contingentiæ in rebus; probat Doctor utrumque sequi inconveniens, probat primum sequi, quia causa prima prius naturaliter respicit causatum, quam secunda ex prima propos. de causis, non solum prioritate *a quo*, sed etiam *in quo*, si naturaliter agat cum sit infinitæ virtutis, ergo in eo priori totaliter se sola causaret effectum, nihilque causæ secundæ remaneret agendum, & quia ex hypothesi quod causa prima necessario ageret, utique ageret secundum ultimum potentiæ suæ, & omnino actionem causæ secundæ præveniret. Probat ulterius alterum quoque sequi absurdum, quod nempe concesso cum illa hypothesi remanseram actionem in causis secundis, sequitur ad minus hoc aliud absurdum, quod nulla illarum ageret libere, & contingenter, sed omnes necessario, & naturaliter, ratio est, quia causa movens in quantum mota, si necessario movetur, necessario etiam movet, sed causa secunda agit in quantum mota a prima, ut etiam concedit Arist. 8. Phys. 33. ergo si causa prima necessario ageret ad extra, necessario quoque moveret, & impelleret causas secundas ad operandum, atque ita omnes prorsus necessario agerent, ut causæ naturales, nulla libere, & contingenter.

34 Recentiores quidam has duas Scoti rationes deprehendunt tamquam una sit alterius destructiva, una namque probat data hypothesi nulla actione prorsus a causis secundis futuram, quia sola causa prima totum ageret, altera vero probat omnes causas secundas fere actuas necessario, & naturaliter: unde ista ratio supponit actiones causarum secundarum permansuras, quod supposito per alteram rationem directe destruitur, atque ita una ratio aliam destruit. Ad hoc P. Vulpes occurrit d. 6. cit. a. 5. dicens non eodem modo procedere rationes illas, quæ enim ex illa hypothesi deducit impossibilem esse futuram actionem a causis secundis, procedit a priori, & theologice ex fidei principiis, altera vero quæ data illa hypothesi supponit actionem in causis secundis, & deducit omnem fore necessariam, nullam liberam, procedit a posteriori philosophice, & ex solo naturæ lumine. Sed quicquid sit de hac solutione apparentis in Doctore contradictionis, facilius evitatur contradictio, & illarum duarum rationum ostenditur connexio, & consequentia, si dicamus ut supra, quod Doctor ex illa hypothesi, quod Deus agat necessario ad extra, duo intendit deducere absurda, nimirum quod nulla causa secunda ageret, vel si ageret, necessario ageret, & nullo modo contingenter, & libere. Vel si hoc non placet, connectantur illæ duæ rationes juxta modum a nobis datum disp. 8. cit. Phys. q. 1. art. 2. ubi diximus Scoti disputationem contra *Philosophos* de actione primi motoris ad extra sic procedere, quod eos *intendere* deducit ad duo inconvenientia unum altero majus. Primum enim inconveniens est, quod si Deus ad extra ageret necessario, nulla daretur libertas, vel contingentia in causis secundis; alterum inconveniens, quod majus est primo, est, quod nedum nulla salvaretur libertas, & contingentia in causis secundis, sed quod neque ulla daretur actio in causis secundis, nec contingens, nec necessaria.

Sed præter rationes illas Scoti ad impossibile ducentes possunt ulterius pro eadem conclusionis parte adduci rationes ostensivæ; impossibile siquidem est non existente ente per essentiam ens per participationem remanere, cum hoc ab illo originem ducat, & ad illud essentialissimam habeat dependentiam, sed nostra libertas utique non est libertas per essentiam, sed per participationem, ergo data hypothesi, quod nulla esset in Deo libertas in actionibus ad extra, sane implicat in nobis ullam remanere libertatem, & libertatis usum.

35 Ex his deducitur probatio conclusionis pro altera parte, quod nimirum infinita divinæ voluntatis efficacia non sit prima radix contingentiæ, & libertatis nostræ, nam divina omnipotentia modo causis secundis ideo relinquit agendi locum, quia in applicatione suæ infinitæ virtutis se nobis accommodat, & suum infinitum vigorem quodammodo attemperat, quia non agit, ut absolute potest, sed sicut vult; sed si libertate careret, & ad extra necessario ageret, sane ex infinita efficacia suæ virtutis, & modo eam applicandi, vel omnem præveniret causarum secundarum operationem, vel eas quoque ad agendum necessario applicaret, ut supra cum Doctore deducebamus, & ratio est, quia data hypothesi ageret, sicuti posset, non sicut vellet; ergo tantum abest, ut efficacia infinita divinæ voluntatis sit causa libertatis, & contingentiæ in rebus, quod potius præcisa libertate a voluntate divina esset causa necessitatis. Conf. nam data hypothesi, quod divina voluntas libertate spolietur, & adhuc remaneat infinitæ virtutis, quærimus, quomodo stante illa hypothesi virtus divina applicaretur ad extra, vel enim applicaretur secundum ultimum potentiæ suæ, vel applicaretur attemperata: non secundum, quia in cujus potestate non est actio, neque in ejus potestate est modus agendi: si primum ergo vel causas secundas omni actione privaret eas præveniendo in effectuum productione; vel certe si eas non præveniret, saltem ad agendum eas necessario applicaret, quia causa secunda non agit, nisi ut mota a prima; Vide, quæ diximus disp. cit. Phys. ibi namque adduximus instantias, & solutiones Molinæ, & Suarez, & aliorum ad relatas Doctoris rationes, easque dissolvimus, & confutavimus, utpote quæ semper [procedunt de concursu Dei, quem de facto causis secundis exhibet modificatum ex sua libertate, non autem de concursu alterius rationis, quem tunc exhiberet, si ageret ex necessitate naturæ.

36 Hic tamen advertendum (quod & ibi obiter adnotavimus) quod licet Doctor asserat loc. cit. divinam libertatem esse primam, & præcipuam nostræ libertatis radicem, & contingentiæ in rebus, non tamen asserit voluntatem divinam esse totam causam, & solam causam libertatis creatæ, & contingentiæ in creatis, ut ei falso imposuerunt Molin. p. p. q. 14. art. 13. disp. 12. Pererius in sua Philosoph. & quamplures alii Recentiores, qui postquam catholico Doctori nostro calumniam hanc inusserunt, conclamant ejus sententiam esse in fide periculosam, utpote quæ omnem negat libertatem in nobis, sed omnem nostrarum actionum libertatem, & contingentiam in divinam refundit voluntatem. Hæc itaque est mera calumnia, quia ut bene notarunt Faber, & Vulp. numquam negavit, libertatem, & contingentiam nostrarum actionum a nostra quoque voluntate attendi debere, sed solum dixit reduci debere in divinam voluntatem, ut in primam, & præcipuam radicem, quatenus libertas nostra non est liberras per essentiam, sed per participationem a divina, unde in 1. d. 39. loc. cit. loquens de contingentia affectuum inquit, *habent ergo contingentiam suam a causa prima, & non tantum a causa secunda*, quibus ultimis verbis plane effectuum contingentiam fatetur etiam dependere a voluntate nostra; & in 2. d. 14. q. 3. ad 4. adæquatam causam contingentiæ in voluntate Dei reducit, & creaturæ, ac proinde inquit, quod *circumscripto omni libero arbitrio, humano, angelico, & divino, omnia evenirent de necessitate, & nihil contingenter eveniret*, & 2. d. 37. q. un. infra Z. contingentiam actus peccaminosi pro formali toraliter refundit in libertatem creatam, & solum permissive in divinam; & 3. d. 17. q. un. ad p. ait, quod etiam in Christo non obstante unione humanitatis ad Verbum *voluntas creata in Christo non privatur dominio respectu suorum actuum*; sed quid moramur in re clarissima, quam norunt, qui etiam perfunctorie versati sunt in litera Doctoris? concedit ergo Scot. contingentiam actionum nostrarum, & a voluntate divina, & etiam a creata simul provenire, sed vult primam, & præcipuam causam esse libertatem divinæ voluntatis, quia ipsa deficiente, necesse quoque est nostram interire, cum implicet remanere libertatem participatam, qualis est nostra, destructa libertate per essentiam.

37 In oppositum arguitur primo probando primam radicem extrinsecam libertatis nostræ, ac contingentiæ in rebus esse summam divinæ voluntatis efficaciam, hæc enim causa est rerum omnium ad extra, sive necessariarum, sive contingentium, &

ipsa est, quæ præparat, & disponit causas contingentes, ut similes producant effectus, ergo ipsa est prima radix extrinseca contingentiæ. Deinde quicquid est in in rebus, continetur in sola omnipotentia Dei ratione infinitæ efficacitatis suæ, sed modus agendi sive libere, sive naturaliter, est aliquid reale in causis creatis, ergo &c. Tandem prima radix, & causa contingentiæ debet continere formaliter, vel eminenter omnem modum causalitatis secundarum causarum, sed sola divina omnipotentia gaudet tali continentia ob summam ejus efficaciam, non autem divina libertas, ergo &c. min. patet, prob. major, prima causa contingentiæ ad extra applicat causas secundas ad producendos effectus earum naturis proportionatos, ergo continere debet specialem modum agendi earum.

Resp. divinam omnipotentiam esse causam omnium rerum ad extra, *non absolute sumptam, sed ut modificatam a libertate*, quia agit ad extra ut vult, & quomodo vult, unde infinita efficacia, & summa liberras divinam voluntatem constituunt, ut est causa rerum ad extra hoc modo, ut illa sit principium effectuum omnium quoad rem, & ita quoad essendi modum. Ad 2. causæ secundæ possunt dupliciter considerari, vel quatenus habent vim agendi præcise, vel quatenus habent virtutem sic, vel sic agendi, naturaliter, vel libere; primo modo utique continentur in causa prima eminenter ratione suæ summæ efficaciæ, sed secundo modo continentur in ea præcise ratione suæ summæ libertatis, ex ea siquidem præsertim oritur, ut causæ secundæ attingant effectus earum naturis proportionatos, quatenus *libere*, & modo libero concurrit cum liberis, *exhibendo eis* concursum ad utrumque paratum, & *indifferentiam, cum naturalibus vero libere* quidem, sed *modo naturali exibendo eis concursum determinatum* ad unum. Ad 3. patet per idem, nam utique potentia activa Dei, seu divina voluntas continet omnem modum causalitatis possibilem in causis secundis, non præcise ut infinite efficax, sed præsertim quoque ut libera, potissimum enim ratione summæ libertatis dominium obtinet super causas secundas finendi, vel non finendi eas agere juxta proprium, & connaturalem earum agendi modum.

38 Deinde arguitur, quod si Deus ageret necessario ad extra, adhuc remaneret libertas in nobis, & contingentia in rebus; nam de facto Arist. ita opinatus est, ergo ad ablationem libertatis causæ primæ non sequitur consequentia formali ablatio libertatis secundarum. Tum 2. peccatum non reducitur in Deum, ut in causam, sed *tantum imputatur voluntati creatæ*, ergo a simili aliquis effectus, licet quantum ex parte Dei esset necessarius, adhuc tamen ex parte causæ proximæ posset esse contingens. Tum 3. pluralitas ab uniformitate, difformis ab uniformi, motus ab immobili procedit, ergo pariter non repugnat contingens, quod habet rationem pluralitatis, difformitatis, ac motus a necessario ortum ducere, velut a prima radice. Tum 4. quia de facto videmus effectus contingentes in hoc mundo inferiori ortum ducere a causis universalissimis orbis superioris, quæ sunt causæ necessariæ, nimirum a cœlestibus corporibus. Tum quinto ob pactum a Deo eum causis secundis initum perpetuo assistendi earum actionibus modo cum eis concurrit, perinde, ac si operaretur necessario, & per modum naturæ, sed non obstante tali necessitate ex divina *dispositione, plurimi effectus contingenter eveniunt*, ergo & tunc. Tum 6. quia *data illa hypothesi adhuc causæ creatæ*, & homines essent in suis actionibus *defectibiles, & mutabiles, quia hujusmodi imperfectiones consequuntur eorum naturam, non autem* ab extrinseco illis accidunt, nempe ex modo agendi Dei ad extra, ergo adhuc daretur contingentia in rebus. Tum tandem quia libertas in nobis non est perfectio simpliciter, cum sit a rectitudine defectibilis, ergo non est participatio libertatis Dei, atque ideo ex hypothesi, quod deficeret divina libertas, opus non est deficere nostram.

39 Resp. ad p. hac de causa Scotum dixisse, Arist. aliosque Philosophos in hoc latitantes concessisse contradictiones, quia implicat, ut diximus, quod si causa secunda non agit, nisi ut mota a prima, moveatur a prima necessario ad operandum, & ipsa adhuc libere, & contingenter operetur. Ad 2. neg. paritas, quia peccatum pro formali nihil est, & *non habet nisi* causam deficientem, at contingentia in proposito præsertim non sumitur privative pro effectu impedibili naturalis causæ creatæ per aliam efficaciorem, sed positive pro modo entis indifferentis ad existere, & non existere opposito necessitati; unde si datur in entibus creatis, debet principaliter a Deo pendere, ut a causa prima. Ad 3. sicut differme potest provenire ab uniformi, & motus ab immobili in actu primo, ita & contingens a necessario in actu primo, non tamen in actu secundo, quia a causa necessario agente, ut sic, implicat effectum prodire contingentem. Ad 4. jam diximus contingentiam hic accipi positive, ut opponitur necessitati, & dicit habitudinem ad indifferentiam suæ causæ agentis cum pleno *libertatis dominio*, non autem privative, quo sensu etiam effectus naturales dici *solent contingentes*; quatenus proveniunt a causa *impedibili* per aliam efficaciorem, de qua duplici *contingentiæ acceptione* loquitur Doctor 1. d. 39. *in calce*; aliud ergo est loqui *de effectibus* contingentibus in primo sensu, aliud in secundo, *illi enim* effectus revera sunt necessarii ex causis *suis*, unde cum illa qualicumque contingentia, quam habent, *possunt* a causa necessaria provenire, licet non ut necessaria, sed ut *impedibiliter* effectus contingentes primo modo, ut sunt *actiones nostræ liberæ*, in causam necessariam reduci minime possunt. Ad quintum neg. paritas, quia modo ex illo pacto cum causis secundis *inito illas* expectat ad operandum, eisque præstat concursum ex *sua libertate* attemperatum, saltem quantum ad modum agendi; at data hypothesi, quod ageret ex necessitate naturæ, ageret *sicut posset*, non sicut vellet, ideoque vel

præveniret omnino actiones causarum secundarum, vel saltem eas ad necessario agendum impelleret. Ad 6. causæ creatæ adhuc stante illa hypotesi defectibiles, & mutabiles forent intrinsecè, & suapte natura, in actionibus tamen suis vel necessitarentur, vel illis omnino destitutæ manerent ex præventione causæ primæ ob rationes allatas. Ad ult. sicut aliæ perfectiones nobis cum Deo communes, ut sapientia, justitia, &c. licet in nobis habeant imperfectiones admixtas, ideoque ut in nobis deficiant a ratione perfectionis simpliciter, adhuc tamen consideratæ secundum præcisam earum formalitatem, ut præscindunt a creato, & increato sunt perfectiones simpliciter, sic pariter de ipsa libertate dicendum est: atque ideo omnes in nobis sunt perfectiones partisipatæ, nec in nobis remanere possunt ex hypothesi, quod in Deo deficiant; alia argumenta ad hoc spectantia vide soluta disp. cit. Phys.

ARTICULUS II.

Prima radix intrinseca libertatis non est indifferentia judicii, sed ipsius potentiæ volitivæ.

40 Assertum est Scoti loc. cit. nedum inter Scotistas receptum, ut est videre apud P. Fabrum disp. 9. de pœn. c. 10. Vulp. disp. 5. cit. art. 4. Hiriban. tr. de actibus humanis disp. 4. sect. 2. & alios circa illa loca Doctoris, sed etiam apud Recentiores plausibile est, sequuntur enim Suarez lib. de aux. cap. 2. & disp. 29. Met. sect. 3. Hurt. disp. 15. de anim. sect. 5. Arriag. disp. 8. de anim. sect. 2. qui alios citant, & Beccan. 2. par. Theol. tract. 1. cap. 2. q. 4. probabilius longe putat; & quoad utramque partem probanda est.

Quoad primam partem, nempe quod prima radix libertatis nostræ non sit indifferentia judicii, probatur multipliciter; nam intellectus non est causa libertatis in actu primo, quia hæc est ipsa voluntas, neque in actu secundo, quia hæc est actio libera voluntatis, ad quam requiritur intellectio, ut conditio, non ut causa, sicut docet Scot. 2. d. 25. §. *ad aliud*, & nos inferius. Tum quia indifferentia libertatis, quæ est in voluntate, nobilior est indifferentia judicii in intellectu, ergo non potest ab illa originari, siquidem nullum perfectius ab imperfectiori produci potest, saltem totaliter; probatur assumptum, quia indifferentia libertatis, ut sic, dicit perfectionem simpliciter, quæ proinde reperitur in Deo, sed indifferentia judicii provenit ex imperfectione nostri intellectus, qui dum non enucleate attingit objectorum naturam, probabiliter tantum circa illa discurrit pro utraque parte. Tum etiam quia libertatem nostram experimur etiam circa objecta voluntati proposita ab apprehensione quadam simplici, quorum adhuc nullum judicium indifferentiæ præcessit; ac etiam circa ea, in quibus, cum nullus possit esse defectus boni, aut ratio mali, veri, vel apparentis, ut est ultimus finis noster, vel saltem bonum in communi, nulla cadere potest indifferentia judicii, ergo, &c. probatur assumptum quoad primam partem, quia simplex apprehensio objecti in intellectu præcedens sufficit voluntati ad operandum, ut postea dicemus, & potest creata voluntas voluntate complacentiæ appetere impossibilia, ut fuse Doct. 2. d. 6. qu. 1. per totum, tamen constat, respectu eorum intellectum nostrum habere non posse judicium indifferens; probatur idem assumptum quoad alteram partem, quia voluntas libere appetit beatitudinem in communi quoad exercitium, potest enim suspendere actum, si velit, in qua tamen nulla apparet ratio mali, imo etiam, quantum est ex se, voluntas nostra libere amat eadem libertate ultimum finem, ut fuse Doctor ostendit 1. d. 1. qu. 4. Tum præterea, quia stante ultimo judicio practico intellectus ad unam partem determinato, voluntas adhuc integram suam retinet libertatem, & proxime potest etiam in aliam partem flectere, ut dicemus art. seq. ergo falsum est, ejus libertatem ita pendere ab indifferentia judicii, ut ea posita ponatur, & ea ablata auferatur,

41 Deinde efficaciter arguit Doctor 2. d. 25. infra S. intellectus enim (inquit ille) non potest regulare voluntatem indifferenter ad hoc faciendum, vel non faciendum, nisi de uno demonstrando, de altero paralogizando, sive sophistice discurrendo, ut in conclusione decipiatur, ergo si indifferentia voluntatis ad agendum, & non agendum sit ab intellectu indifferente proponente objectum, sequitur voluntatem divinam non esse liberam in suis actionibus, cum intellectus Dei nec paralogizet, nec in judicando decipiatur; probatur assumptum, quia cum illæ conclusiones pro utraque parte deductæ sint contradictoriæ, nequeunt ambæ esse veræ, & ideo judicium in una erit verum, in altera erroneum; si dicas probabiliter intellectum circa utramque partem discurrere; adhuc sequitur, voluntatem divinam esse non posse liberam, cum de quocumque objecto habeat divinus intellectus notitiam certam, & evidentem, non probabilem. Accedit, quod indifferentia intellectus ad hoc judicandum, vel oppositum, non est intrinseca, nec proxima potestas ad oppositum, sed oritur ex variis mediis, & motivis, quæ occurrunt ad mutandum judicium in probabilibus, eo modo, quo Brutus intendens comedere hoc pabulum, vertit se ad aliud delectabilius, quod occurrit, quæ indifferentia, ad hoc, vel illud judicandum ut convenientius, nihil facit ad libertatem, hæc enim petit, ut positis omnibus prærequisitis possit voluntas velle, & nolle.

42 Denique inter necessario requisita ad agendum libere requiritur secundum omnes concursus generalis Dei indifferens, & paratus ad utrumlibet, & magis ex ejus indifferentia pendet nostra libertas, quam ex indifferentia judicii, & tamen nullus hactenus dixit, radicem nostræ libertatis esse indifferentiam concursus generalis, ergo cum longe minori fundamento asseritur esse indifferentiam judicii: probatur assumptum, quia cum indifferentia concursus generalis non est compossibilis necessitas actionis, vel suspensionis ejus, si adsint cætera requisita, tamen cum indifferentia judicii, nam posito judicio indifferenti de amore, vel odio alicujus objecti, potest Deus præstare concursum ad amorem denegato concursu ad odium, non enim cogitur Deus ab illo judicio indifferenti, ut præstet concursum indifferentem, & ad utrumque paratum, eo autem casu voluntas necessitabitur quoad speciem, quia necessario amabit, imo etiam quoad exercitium ex hypothesi, quod Deus velit continuare concursum cum voluntate ad amorem illius objecti prosequendum, tunc enim non posset voluntas desistere ab actu amoris. Adde, quod cum elicita sunt varia judicia ab intellectu de eodem objecto, v. g. dandam esse eleemosynam hac ratione, & non esse dandam, quia alia ratio obstat, si potest voluntas sequi hoc, vel illud judicium indifferenter, ergo prima radix libertatis, & dominii erit in ipsa, non in intellectu, & illa varia judicia si admittantur, erunt tantum conditio, & non causa liberæ determinationis, si vero non potest utrumque sequi ad libitum, nullo modo libera erit, sed tamquam serva sequetur ductum intellectus contra Damascenum, & alios Patres distinguentes voluntatem ab appetitu, quia hic ducitur, non ducit, illa ducit, non ducitur. Dices, quando absolute judicat intellectus alteram partem esse sequendam, tunc necessitari voluntatem ad eamdem volendam. Contra, præterquam quod hoc falsum est, ut constabit art. seq. quærimus, an ex imperio voluntatis intellectus ex variis illis judiciis, quod est sequendum, præferat aliis, vel non, si primum, ergo adhuc prima radix libertatis est a voluntate, quæ determinat, quodnam judicium præferendum sit, cujus ductum ipsa sequitur; si secundum, ergo nullam prorsus habet libertatem, quia quamdiu judicium manet indifferens, ipsa manet perplexa, nec magis inclinat ad unam partem, quam ad aliam; postquam judicium est ad unam partem determinatum, non potest non sequi ductum illius, nec in manu ipsius est, ne ponatur. Neque hic locum habet sensus compositus, vel suppositionis, quia quando suppositio, vel compositio non est voluntati subjecta, non salvat ejus libertatem, nam supposito v. g. quod Petrus sit compede vinctus, ex suppositione, & in sensu composito non est liber ad ambulandum, & si non potest tollere suppositionem, vel compositionem compedum, cum pedibus suis absolute, & simpliciter necessitatur ad non ambulandum.

43 Hic tamen advertendum est, quod licet voluntas nullo modo habeat principium suæ libertatis a ratione, sed a seipsa, nihilominus opus est, ut voluntas libere operetur, præsertim quoad specificationem quod præcedat judicium rationis de convenientia, vel disconvenientia objecti, hoc autem potius dici debet occasio, & conditio sine qua non, quatenus voluntas velut potentia (ut ajunt) cœca non potest ferri nisi in objectum, quod ei fuit ab intellectu propositum, quia in incognitum ferri nequit, ut postea dicemus, non autem censeri debet causa, & principium libertatis proprie loquendo, ut videntur intendere Thomistæ; & hoc voluit innuere Doctor qu. 15. Met. cit. dum ait, quod *scientia non est propriè causa prædictæ indifferentiæ*: nota ly *propriè*, quia si causa accipiatur pro occasione, vel conditione sine qua non, ut sæpius solet accipi, concedi potest in hoc sensu libertatem voluntatis radicaliter, & principiative in intellectu contineri, ut optime quoque adnotavit Faber disp. 4. cit. num. 227.

Quoad alteram vero partem, quod radix libertatis sit apta natura potentiæ de se utrumlibet indifferentis, ex Scoti quol. 16. lit. V. ubi docet, primam libertatis radicem intrinsecam non aliunde petendam esse, quam ex natura ipsius voluntatis suapte ingenio indifferentis ad agendum, vel non agendum; probataque manet ex dictis; quia si voluntatis libertas non radicatur supra indifferentiam judicii, ut dicebant Thomistæ, remanet, ut radicetur supra indifferentiam potentiæ; tum quia indifferentia libertatis, quæ in voluntate formaliter reperitur, utique est aliquid voluntatis, est enim modus ejus, vel differentiam ipsam discernens a potentia naturali, ergo in voluntate erit, nedum formaliter, sed etiam radicaliter, & ratio est, quia modus, & differentia rei ab illa eadem re dimanat, ac oritur, cujus est modus, & differentia, non ab alia; libertas itaque in sola voluntate reperitur radicaliter, & formaliter, & consistit in indifferentia potentiæ volitivæ, non quidem ut passiva est, ac receptiva actus, sed ut activa, quemadmodum diximus q. p. Cæterum cum voluntas nostra, ut activa, talis denominetur a productione physica, & reali actuum suorum, ac etiam intentionali operatione, quatenus per illos jam elicitos dicitur tendere in objecta, unde sub ratione activæ potentiæ dicitur productiva, & operativa, ut Scot. docet p. d. 39. lit. L. dubium est, an dicatur potentia libera, ut productiva actuum suorum, vel potius quatenus operativa, nimirum an dicatur potentia activa libera, quia potest actum suum producere, & non producere, vel potius quia ipso jam producto potest operari per illum, vel non operari, seu tendere, & non tendere in objectum.

44 Doctor quoad hoc dubium 1 d. 39. cit. docere videtur, quod libertas voluntati conveniat, ut potentiæ activæ operativæ, non autem productivæ, inquit enim §. *juxta prædicta*, quod licet in nobis possit distingui voluntas, ut est productiva sui actus, ut ejusdem receptiva, & ut operativa per illum, *tamen libertas videtur esse ejus in quantum operativa*, quatenus nimirum per actum receptum tendere potest, & non tendere in objectum; idem tenet Vulpes tom. cit. disp. 6. art. 7. n. 7. & disp. 14. art. 3. n. 12. & alibi frequenter cum aliis Scotistis. Verum, si libertas convenit voluntati nostræ, ut operativa, de quo postea, nullatenus tamen negandum est competere etiam ipsi, ut productiva, cum præsertim ex hoc capite describi soleat voluntas nostra ut libera, quia habet potestatem eliciendi, & suspendendi suum actum, ut diximus qu. 1. neque hoc intendit negare Doctor, cum ait libertatem convenire voluntati, ut operativæ, sed ut explicat ibi Bargius, solum innuere voluit, quod prima libertas est in voluntate, ut operativa, prima nimirum primitate adæquationis, tum quia libertas in hoc sensu omni competit voluntati, tam creatæ, quam increatæ; tum etiam quia potest voluntas nostra (inquit Barg.) libere operari absque productione, quia si Deus in voluntate creata causaret actum, posset per illum adhuc libere operari tendendo, vel non tendendo in objectum. Imo ut nostrum proferamus placitum in hac re, arbitramur libertatem voluntati creatæ convenire proprie, ut productiva actus, non ut operativa, ut optime quoque Bassol. adnotavit 2. dist. 9. q. 2. §. *ad primum istorum*, in solutione illius difficultatis, an unus Angelus possit producere volitionem in voluntate alterius Angeli; movetur, quia ut docet Doctor ipse 1. d. 12. q. 1. G. & 3. d. 15. q. un. supra E. volitio, vel nolitio est forma naturalis in voluntate nostra ipsam naturaliter determinans ad alteram partem, unde inquit ibidem, quod voluntas, ut voluntas, est libera, ut volens non est libera, unde *experientia docet*, quod quamdiu actus volitionis, vel nolitionis a *nobis* elicitus permanet in voluntate nostra, semper ipsa operatur volendo, & nolendo, nec ab operatione desistit, nisi actum deponendo, & ab actu cessando; nec umquam experimur voluntatem se se in operatione suspendere actum tenendo, & continuando, & non per ipsum tendendo in objectum, sed potius actum ipsum totaliter deponendo, & quando est sub actu, libere præsertim dicitur operari, quia potest ipsum continuare, & non continuare, non autem quia in ipso perseverando possit per illum tendere, & non tendere; quod satis aperte ex Conc. Trid. colligitur sess. 6. cap. 5. loquente de actibus quibusdam supernaturalibus operatis a Deo in nobis sine nobis, in quibus nihilominus, inquit, *hominem* non se habere mere passive inspirationem divinam recipiendo, & reddens rationem, inquit, quia *illam abjicere potest*, idest a se depellere renitendo, non autem ait, quia illam retinens potest per ipsam non operari, & in objectum non tendere. Cum autem Doctor cit. inquit libertatem convenire voluntati nostræ, ut operativa, advertendum est, quod ibi inquirit libertatem divinæ voluntatis, in quo consistat, & ad hoc explicandum declarat, in quo conveniat voluntas nostra, ut libera, cum voluntate divina, & inquit libertatem, in qua voluntas nostra communicat cum divina, aliam non esse, nisi quæ ei convenit ut operativa, quia sic ab omni imperfectione præscindit; adhuc tamen ibi declarat voluntatem nostram non esse operativam, nisi prius fit productiva, & consequenter non esse liberam operando, nisi in quantum est libera in producendo, unde libertas in operando in nobis commixta est cum imperfectione libertatis in producendo, quod si ab ea præscindatur, convenit nostra libertas cum libertate divina, quæ convenit voluntati, ut operativa, cum ipsa non sit vere productiva sui actus, ob cujus illimitationem potest per illum eumdem actum suam exercere libertatem tendendo, vel non tendendo.

45 In oppositum arguunt Thomistæ, Arist. 2. Eth. cap. 2. & 3. docet expresse, quod desiderium, & electio oritur ex consilio, & judicio rationis, & 9. Met. c. 3. ait, quod potentiæ rationales, eo quod *rationales* sunt, habent se ad opposita, quod non convenit *potentiis irrationalibus*, ergo ex eo quod ratio se habeat ad opposita, consequitur tamquam ex causa libertas voluntatis ad opposita. Tum 2. quia etiam a Patribus, & Theologis voluntas dicitur libera, quia est appetitus rationalis, & appetitus sensitivus non est liber, quia irrationalis, ergo libertas radicaliter, & causaliter est in ratione. Tum 3. quia in hoc differt intellectus a sensu, quod ille varie potest judicare de objecto secundum varias circumstantias, & illud proponere, ut una ratione sequendum, ut alia respuendum, sensus vero determinate suum objectum proponit, qua ratione appetitus in brutis non est liber, ergo talis indifferentia rationis vere est radix, & causa libertatis. Tum 4. quia hac etiam ratione in bearis voluntas non est libera, quia non est appetitus rationis indifferentis, sed omnino determinatæ, siquidem ostendit summum bonum, ut omnino amplectendum. Tum quinto ideo causæ liberæ appellantur arbitrio liberæ, quia dicunt ordinem ad judicium practicum, tamquam ad arbitrium proponentem media ad aliquem finem indifferentia, ergo libertas in indifferentia judicii radicatur. Tum 6. experimur, quod quando voluntas vult aliquem finem, necessario vult media, quæ habent necessariam connexionem cum illo fine, & solum ea contingenter vult, quæ judicantur indifferentia. Tum 7. quia ipsamet libertas *divinæ* voluntatis respectu rerum ad extra non consistit in indifferentia potentiæ, quia hæc inferret in voluntate divina imperfectionem, & potentialitatem, sed consistit in indifferentia judicii, quo objecta creata, & creabilia judicantur indifferentia, & non proponuntur ipsi ut necessario diligibilia. Tum 8. quia actus liber definitur esse motus voluntatis ex tali judicio indifferenti proveniens. Tum 9. quia videmus, quod quando judicium caret omni indifferentia, & solum est coarctatum ad unum, motus, qui sequitur in voluntate, est indeliberatus, & carens libertate, quod constat in motibus primo primis, quorum necessitas ex eo communiter oriri censetur, quia non proponitur in objecto aliqua ratio mali. Tum 10. quia nequit voluntas appetere aliquid, nisi a potentia cognoscente proponatur ei tamquam bonum, nec respuere, nisi proponatur tamquam malum, ergo si potentia cognoscens est determinata, & non proponat, nisi unum, bonum scilicet vel malum, appetitus necessario illud, vel apperit, vel respuit, ut patet in brutis, at si intellectus proponit objectum indifferenter sub ratione boni ex una parte, & sub ratione mali ex alia, appetitus poterit in hanc, vel illam partem inclinare, & ex hoc erit liber. Tum tandem quia si in voluntate est formaliter, & radicaliter libertas, sequitur posse quempiam credere sine ulla ratione movente ad credendum magis, quam ad discredendum.

46 Resp. electionem dici ex consilio oriri, quatenus ad illam necessario prærequiritur, non autem quia consilium sit vera, & propria causa libertatis electionis, qui est actus voluntatis, & in hoc sensu loquitur Arist. 2. Ethic. loc. cit. & 9. Met. eatenus intellectum vocat potentiam rationalem in opposita potentem, quatenus subest voluntatis imperio, ut notat Doctor ibi supra textum, & qu. 15. ejusdem lib. & 2. d. 25. §. *dico ergo*, unde ibi potentiam rationalem, quæ est oppositorum, vocat appetitum, seu proharesim idest electionem, quæ est actus voluntatis, vide, quæ de hoc textu diximus ex Scot. supra num. 10. Ad 2. voluntas est libera a se, formaliter a Deo, efficienter ab intellectu, ut a conditione prævia; dicitur autem appetitus rationalis, quia sequitur rationem ad distinctionem appetitus sensitivi, qui sequitur sensum. Ad 3. illa judiciorum varietas non est causa libertatis, sed tantum conditio, ut ostensum est, sed nec semper requiritur, nam intellectus non potest proponere bonum, ut sic, vel ultimum finem, nisi ut determinate volendum, neque malum, nisi nolendum, & tamen libere illud volumus, *illud nolumus*, neque ea ratione differunt voluntas, & appetitus brutorum, sed ex *fuis rationibus* formalibus, ut diximus q. 1. Ad 4. neg. assumptum, aliunde enim aufertur usus libertatis in beatis, *nimirum ex concursu* Dei præcise exhibito ad actum beatitudinis, & ad actum illi contrarium denegato ex Scot. 4. d. 49. q. 6. unde si beatus sibi dimitteretur, posset ab actu fruitionis cessare. Ad quintum causæ liberæ dicuntur arbitrio liberæ, quia dicunt ordinem ad arbitrium, idest ad judicium rationis, non quidem tamquam ad radicem libertatis, sed veluti ad ministrum, & consiliarium objectum operabile, ejusque circumstantias proponentem. Ad 6. electio mediorum cum fine necessariam connexionem non habentium non præsupponit de *illis* judicium indifferens, ut ab illo sua indifferentia, & contingentia oriatur, sed ea ratione dumtaxat, quod ad rite, & recte eligendum illa necessaria est consultatio præcedens, quæ non nisi super media talis generis cadere potest; non itaque ex ea radice in argumento assignata pendet libertas electionis mediorum, sed solum quia electio mediorum illius generis non continetur virtualiter in volitione illa efficaci finis, & ideo cum fine illo fine assequi possit, potest voluntas efficaciter volens finem non eligere illa fine repugnantia; electio vero eorum, quæ necessariam connexionem habent cum fine, virtualiter continentur in ipsa libera efficaci volitione finis, propter quod implicat aliquem velle efficaciter finem, & aut respuere, aut non velle talia media, quia efficacia in appetitione finis applicationem mediorum respicit, & ideo volens finem necessario vult *illa* media, non quidem necessitate consequentis, quia sicut libere vult finem, ita & libere vult media, sed necessitate consequentiæ, quatenus libera electio talium mediorum concomitatur virtualiter liberam volitionem finis.

47 Ad 7. neg. assumptum, nam etiam & ipsa divinæ voluntatis libertas consistit in indifferentia potentiæ liberæ, & si non ad oppositos, & in diversos actus, quia imperfectionem includeret, tamen ad oppositos, & diversa objecta, quod maximam perfectionem potentiæ, & eminentiam arguit actus, ut erudite ostendit Doctor 1. d. 39. art. 1 Ad 8. neg. item assumptum, nam potius ratio actus liberi in eo consistit, quod sit motus voluntatis cum indifferentia factus, quod si actum intellectus supponit, sane non supponit illum, ut causam sui, vel *suæ libertatis*, sed solum ut conditionem sine qua non, quia voluntas operari nequit sine objecto præsente, & ei fit præsens objectum per *præviam* cognitionem. Ad 9. motus primo primi, qui sunt omnino naturales, & necessarii, non sunt actus voluntatis, sed appetitus sensitivi, ex Scot. 2. d. 42. ad p. 3. q. delectationes vero, quæ sunt in voluntate, tamquam primi motus, inquit, esse peccata, quando sunt de objecto illicito, quia illæ non sunt sine actu rationis, & voluntatis præcedente, unde vult illos motus voluntatis habere aliqualem libertatem, etiamsi tunc ex subita, & simplici intellectus apprehensione voluntati proponatur objectum sub ratione boni tantum delectabilis, & nullo modo sub ratione mali, & 3. d. 15. art. 2. probabile satis judicat eorum necessitatem, ob quam excusantur a mortali, non tam ex defectu plenæ deliberationis provenire, quam ex vehementi passione, opinare secum voluntatem trahente in consensum, quæ facile nata est condelectari appetitui sensitivo propter connexionem partis intellectivæ cum sensitiva, qua ratione motus illi primi voluntatis dici solent subreptitii, & hoc tenent quoque Victoria relectione de puero perveniente ad usum rationis, Cordub. lib. 2. de ignor. qu. 10. & Valent. disp. 2. qu. 5. p. 3. Ad 10. concludit tantum objectum proponi debere sub indifferentia, ut voluntas circa illud sit libera libertate specificationis, & talem propositionem objecti esse necessariam, tamquam conditionem, sine qua voluntas non eo modo libera esset circa illud objectum, non tamen probat esse veram causam, & radicem talis libertatis, nempe specificationis, & tanto minus probat esse causam *libertatis* exercitii, quia hæc exerceri potest circa objecta *determinate proposita* aut sub ratione boni, aut sub ratione mali, *cum circa hoc*, & illud possit voluntas ex *suæ libertatis amplitudine habere* actum suspensivum, unde advertendum, quod si *rationes* Thomistarum aliquid valerent, ad summum ostenderent libertatem specificationis pendere ut ex radice, ex indifferentia judicii, non tamen libertatem exercitii, quia hæc, quantum in se est, indifferentiam judicii non prærequirit, nec tamquam causam, nec tamquam conditionem; unde si Thomistæ his rationibus prætenderent, quod indifferentia judicii, & objectiva sit ra-

dix libertatis specificationis, essent ex parte excusabiles, quia libertas specificationis præsertim per hoc distinguitur a libertate exercitii, quod hæc se tenet ex parte potentiæ, illa vero ex parte objecti, quod per suam bonitatem, vel malitiam potest terminare actum hujus, vel illius speciei, idem amorem, vel odium, sed quia Thomistæ contendunt illis rationibus demonstrare omnem prorsus libertatem pendere, ut ex radice, ex indifferentia judicii, minime sunt audiendi. Ad ult. neg. conseq. nam sicut voluntas nequit velle, nisi bonum, & nolle nisi malum, ita nequit sine ulla ratione imperare intellectui, ut assentiat, vel dissentiat, unde qui cito, idest futili ratione, vel auctoritate credit, levis est corde.

48 Secundo, objicies non levem difficultatem ex moralibus deductam, quia ex majori, vel minori advertentia intellectus ad bonitatem, vel malitiam objecti augetur, vel minuitur in voluntate libertas, ergo advertentia rationis est totalis causa libertatis in voluntate, conseq. patet per regulam illam, sicut se habet magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter, probatur assumptum, quando semiplene, & remisse attendimus ad bonitatem, & malitiam objecti, actus dicitur imperfecte liber, accedente autem plena advertentia, fit magis liber. Resp. aliud est loqui de libertate physica, ad quam sufficit cognitio commodi naturalis, atque ideo datur in pueris ante usum rationis, aliud de libertate morali, quæ præsupponit cognitionem boni, vel mali moralis, virtutis, & vitii, argumentum itaque bene probat libertatem moralem ex tali advertentia rationis maxime pendere, ut enim moraliter agas, idest recte, vel non recte in genere moris exigitur aliqualis cognitio boni honesti, vel mali oppositi; non tamen probat de libertate physica, seu simpliciter, de qua hic est sermo, hæc enim præcise pendet, ut ex radice, ex ipsa indifferentia potentiæ volitivæ; neque putes hanc libertatem ab illa ex integro secerni, sed potius esse eamdem libertatem voluntatis, quæ, ut subordinatur cognitioni commodi naturalis, dicitur physica, ut vero subordinatur advertentiæ rationis circa materiam moralem, dicitur moralis, unde nonnisi per connotata differunt. Vel ad omnem difficultatem tollendam, instantiasque excludendas, quæ contra allatam solutionem urgeri possent, distinguenda est in actu duplex libertas, una essentialis, & intrinseca proveniens ex indifferentia potentiæ, quæ semper adest, accidentalis alia, & extrinseca, quæ proveniat ex indifferentia objecti, quo enim objectum proponitur magis indifferens in ratione boni, & mali, eo actus est liberior, & ista utique ex majori, vel minori advertentia ad bonitatem, & malitiam objecti minuitur, vel augetur; quæ doctrina declarari potest exemplo de successione in motu essentiali, & accidentali, hæc enim augetur, & minuitur ex densitate, vel raritate medii, non illa, qua ratione dicimus posse fieri motum in vacuo. Accedit argumentum plus etiam probare, quam Adversarii velint, probat enim nisi bene intelligatur, indifferentiam judicii esse totalem causam libertatis, non radicalem tantum, ut ipsi prætendunt; quamvis ergo concederetur libertatem ex majori indifferentia judicii, & advertentia rationis circa bonitatem, & malitiam objecti aliquo modo augeri, hinc tamen inferre non licet, libertatem absolute, & simpliciter ex indifferentia judicii pendere, velut ex intrinseca radice, sicut ex hoc quod ex habitu intensior procedat actus, inferre non valet habitum concurrere ad simpliciter agendum, cum tantum ad sic agendum, idest intensius concurrat; modus autem arguendi ex illo loco topico deductus valet in causis per se, & præcisis, qualis in proposito non est indifferentia judicii respectu libertatis, ut etiam ipsi Thomistæ concedunt.

49 Tertio, tandem objicitur probando ad libertatem exercitii præexigi cognitionem indifferentem, per quam cum bonitate appareat aliqua malitia, vel in objecto, vel saltem in exercitio amoris ad hoc ut possit omitti: quia cum voluntas omittit amare objectum, debet habere aliquod motivum illius omissionis, ergo debet esse malitia apparens in objecto, vel saltem in exercitio actus amoris præter bonitatem cognitam. Conseq. patet, quia bonitas cognita non potest esse motivum cessandi ab amore; probatur assumptum, quia amare, vel odio habere objectum, debet fieri ex aliquo motivo cognito, ergo etiam cessare ab amore, vel odio. Conf. quia Deus se amat necessario quoad exercitium ob hanc solam rationem, quia neque in seipso, neque in exercitio amoris potest apparere aliquis defectus, aut malitia.

Resp. neg. assumptum, quia omissio nulla indiget motivo, sed ad *ipsam sufficit sola voluntatis innata libertas*, imo voluntatem suspendere actum circa objectum formalissime est ipsam non sinere se moveri, unde cum voluntas omittit, si interrogaretur, quare omittat, aliud respondere non posset, nisi quod ex sua libertate omittit; nec ex parte objecti ad summum posse assignari aliud motivum, quam interpretativum, ut inferius dicemus qu. 4. art. 2. ad 2. ad probationem assumpti neg. etiam conseq. magnum namque versatur discrimen inter actum, & ejus omissionem, quia actus positivus est ordo, vel includit ordinem ad objectum, & specificatur ab eo, ideoque respicit illud, tamquam motivum, omissio autem est carentia ordinis ad motivum, atque *ideo nullum* postulat motivum, si sit omissio pura absque actu annexo, qui ejus causa existat: Ad Conf. negatur quoque assumptum, non enim ob eam rationem Deus cessare nequit ab amore sui, sed quia amor sui ipsius est perfectio simpliciter, & suamet beatitudo, repugnat autem, Deum non esse beatum, & aliqua perfectione simpliciter carere, alioquin non esset ens infinite perfectum, si posset aliqua perfectione carere; nec ejus voluntas esset indefectibilis, si posset cessare ab amore sui, & ex hoc capite auspicatur Doctor necessitatem amoris Dei erga seipsum 1. d. 10. qu. un. & quol. 16.

ARTICULUS III.

Voluntas non determinatur ab ultimo judicio practico intellectus.

50 ITa Doctor loc. cit. ab initio quæst. quem omnes Scotistæ sequuntur circa ea loca Faber disp. 9. cit. cap. 10. Vulp. disp. 5. cit. art. 11. Bassol. 2. dist. 25. q. 2. Beccan. cit. tract. 1. cap. 1. qu. 5. Onuph. tract. de Anim. disp. 2. part. 3. dub. 3. Hurtad. disp. 14. de anim. sect. 8. & fuit etiam sententia Henric. quol. 1. qu. 16. & 17. quol. 10. qu. 10. Ocham. 3. qu. 12. art. 3. Gabr. ibi. cap. 15. qu. un. art. 3. Marsil. qu. 16. art. 2. Riccard. 2. dist. 28. art. 2. qu. 4. Mair. qu. unic. Almain. tract. 3. moral. cap. 12. & 3. & aliorum, & communis etiam est apud Recentiores extra Thomistarum scholam; sequitur manifeste ex asserto præcedentis articuli, statuto enim quod indifferentia voluntatis, saltem quantum ad exercitium actus, non pendet essentialiter ab indifferentia judicii intellectus practici, consequenter etiam tenendum est, determinationem ipsius non essentialiter pendere a determinatione illius.

Probatur autem in primis evidentibus Arist. & Patrum auctoritatibus, quarum nonnullas adducit Doctor loc. cit. Arist. 3. de anim. 47. sic loquitur, *amplius præcipiente intellectu, & dictante intelligentia fugere aliquid, aut prosequi non movetur, sed secundum concupiscentiam agit, ut incontinens*, & 3. Ethic. cap. 2. inquit, *nonnulli opinantur quidem melius, sed propter pravitatem eligunt, quæ non oportet*, & cap. 14. ait, *voluntas incontinentis appetit id, quod non putat esse faciendum*. D. Aug. in illud Psalm. 122. forte vivos deglutissent nos, inquit, *sæpe quid sit agendum videmus, nec agimus, quia non delectat*, & paulo infra, *ecce videmus, quid agendum, & tamen nolumus agere*; D. Bernard. de lib. arb. inquit, quod *voluntas licet non sine ratione, tamen contra rationem potest eligere minus bonum*, ac etiam manifeste deducitur ex illo Lucæ 12. *servus, qui cognovit voluntatem Domini, & non fecit*, ergo posito quocumque judicio in intellectu, quantumvis ultimo, & practico, nedum potest voluntas pro sua libertate illud non sequi, sed etiam illi contrarie, & oppositum velle, dummodo ei alia ratione id fuerit ostensum. Nec valet, quod inquiunt, hoc esse verum cessante judicio priori, & adveniente alio. Hoc enim est palam eludere adductas auctoritates, quia tunc non esset contra rationem, si cessante priori judicio de majori bono eligendo, & adveniente alio de minori bono, voluntas tunc eligeret illud.

51 Secundo probatur rationibus, & in primis ratione deducta, tam ex munere intellectus, quam ex natura ipsius voluntatis, intellectus namque non est nobis datus, ut efficienter, & physice moveat alias potentias applicando eas ad opus, hoc enim est munus voluntatis, sed solum datus est ad diligendum ostendendo, & dictando, quod agere deheat, ipsam tamen relinquens in sua libertate; quod si physice ab eo determinaretur ad opus, tunc voluntas se haberet respectu intellectus, sicut cæteræ potentiæ respectu voluntatis, unde sicut in potentia motiva sic, vel sic movere non adscribitur suæ potestati, sed voluntatis imperio, ita a pari in voluntate, sic vel sic agere non esset adscribendum suæ potestati, sed rationi sic vel sic dictanti, & imperanti. Respondent Thomistæ intellectus esse munus non tantum ostendere, & præsentare objectum, sed etiam imperare, quid agendum sit, ex D. Tho. part. 2. quæst. 17. art. 1. Contra quia ex hac ipsa solutione confirmatur argumentum factum, quod in voluntate sic, vel sic agere non esset suæ potestati tribuendum, sed rationi sic, vel sic imperanti, non secus ac quod potentiæ inferiores aliquando sic, vel sic operentur, in imperium, & determinationem voluntatis refertur; tum quia sic intellectus interdum per ultimum judicium practicum imperat voluntati, hoc facit solum moraliter, & per modum regulæ simpliciter proponendo, dictando, & taxando rectum, non autem impellendo, & physice determinando voluntatem ad actionem, neque de alio imperio loquitur S. Thom. loc. cit. quam de isto morali, ut constat ex expressis ejus verbis; tum tandem quia nec etiam ad omnem voluntatis actum opus est tale imperium in intellectu præire; nam præter actum volendi efficacem datur quoque actus simplicis complacentiæ, ad quem eliciendum sufficit in intellectu præcedere solam objecti apprehensionem absque judicio, ut infra dicemus.

52 Secundo, appetitus brutorum idcirco non est liber, ut notat Scot. 4. d. 43. q. 2. H. quia cum sit determinatus ad certum genus appetibilium non potest non sequi, quod cognitio sensitiva commodum demonstravit, nec potest non respuere, quod illa ostendit incommodum, ergo ut voluntas, quæ est appetitus rationalis, sit libera, non debet sicut ille determinate sequi judicium, & rationem intellectus, adeo ut omnino id facere teneatur, quod intellectus suo ultimo judicio dictaverit, sed potius etiam eo stante id facere, quod magis ei libuerit. Conseq. patet, assumptum vero concedi solet a Thomistis, qui libertatem voluntatis petunt ex indifferentia judicii radicaliter. Dices, non ea de causa præcise appetitum brutorum libertate carere, sed ea præsertim ratione, quia sequitur cognitionem determinatam, & non indifferentem, sicut sequitur voluntas, mens enim quæ judicat suo ultimo judicio practico hoc fore faciendum, potest consimili judicio ad alia aspiciens dictare non esse faciendum, quod non contingit æstimationi brutorum. Contra, quia cum intellectus nequeat in practicis ad utramque partem arguere, ut voluntatem suadeat, nisi ad unam partem sophistice syllogizet ex dictis art. præc. cum Scot. 2. d. 25. sequitur, quod libertas esset in voluntate propter aliquem defectum in intellectu, quod est absurdum; tum quia, etsi stante judicio indifferenti posset dici libera,

bera, tamen quandiu staret ultimum judicium determinatum, non posset libera dici, sed omnino similis brutorum appetitui in operando, ut arguit Doctor 2. d. 25. sub R.

53 Tertio, quia hinc tolleretur libertatis usus, nam si voluntas in omni actu suo determinatur ab ultimo judicio, cum hoc sit unum ex prærequisitis ad agendum, sequitur, quod operetur antecedenter determinata, & sine libertate, quia posito illo judicio nequit illud non sequi, nec in manu ipsius est ne ponatur; nec valet hic sensus compositus, & divisus, cum ista suppositio, vel compositio non sit subjecta ipsi voluntati. Dices cum Javell. 9. Met. q. 4. ideo non impediri usum libertatis, quia *talis determinatio* est a judicio practico radicaliter libero; Contra, quia jam art. præc. ostendimus non dari hanc libertatem radicalem in intellectu; tum quia *vel hoc judicium* ultimum dicitur radicaliter liberum, quia sit indifferens in proponendo objectum, & hoc non, quia est determinatum ad alteram partem, vel quia ab intellectu possit elici, & non elici, & neque hoc, quia intellectus est causa naturalis operans necessario præsente objecto. Dices cum Medina p. 2. q. 6. art. 2. non impediri usum libertatis, eo quod habet voluntas in sua potestate amovere hoc ultimum judicium, a quo ponitur determinari. Contra, quia cum nullum patiens, qua ratione patiens est, impedire possit actionem agentis, ad hoc necesse esse voluntatem per aliquem actum suum positivum judicium illud impedire v. g. vel applicando intellectum ad aliud objectum considerandum, vel alio modo, vel ergo tunc actus ille esset determinatus ab aliquo alio judicio rationis, & redit eadem difficultas, vel non, & tunc sicut actus iste potuit elici a voluntate sine judicio practico determinante, ita & ille, & quilibet alter. Dices cum aliis Thomistis, judicium illud practicum dependere a voluntate, quia voluntas, cum primum ei proponitur objectum, potest finere se moveri ab objecto, vel resistere, & dum finit se moveri a ratione proposita, tunc intellectus concludit judicium practicum ad quod sequitur electio positiva voluntatis; Contra, quia hoc quod est voluntatem finere se moveri est actus liber voluntatis, & fit ante judicium practicum, ergo, non omnis actus voluntatis elicitur ex determinatione judicii practici. Dices illum non esse actum positivum voluntatis, sed negativum, quatenus voluntas non resistit, cum possit. Contra, quia saltem illud resistere erit actus positivus, & fieri poterit non præcedente judicio, deinde quia si voluntas potest libere omittere ante judicium practicum rationis, non videtur inconveniens, quod possit etiam positive operari ante illud, vel sine illo. Dices tandem cum aliis, adhuc servari libertatem voluntatis cum judicio practico determinante illam, quia actus elicitur a potentia secundum se libera, quamquam ipsa sic determinata in sensu composito necessario operetur; Contra, quia sicut superius dictum est, ad salvandum libertatis usum non requiritur tantum, ut potentia sit sui natura libera, sed ut & proxime ad operandum applicata cum omnibus prærequisitis libera sit, & indifferens in sensu composito ad operandum, vel non operandum; hæc ratio, quæ præcipua est inter alias, tangitur quoque a Doct. loc. cit. 2. d. 25.

54 Quarto, quia si loquamur de *libertate exercitii*, quoad hanc non determinatur ab ultimo judicio practico, nam ipso stante in intellectu, adhuc voluntas retinet indifferentiam contradictionis ad operandum, & non operandum, quod constat in Angelis malis Dei æqualitatem appetentibus non obstante ultimo judicio practico dictante, æqualitatem illam esse creaturis impossibilem; stante etiam judicio determinate dictante Deum esse super omnia diligendum, voluntas vere manet ex se indifferens ad amandum, alioquin dilectio meritoria non foret, cum non esset nobis libera, sed necessaria stante illo dictamine, neque in illo judicio ulla est libertas, ut diximus, si vero sermo est de libertatis specificatione, neque quoad ad hanc determinatur voluntas per ultimum judicium practicum, quia experimento constat, multos recte consultare, & judicare, quid sit agendum, vel fugiendum, & tamen vel propter malam consuetudinem, vel ob vehementem passionem appetere, & eligere id, quod est malum, & peccatum, quo spectat illud Medeæ apud Horat. *video meliora, proboque, deteriora sequor*, & ita de facto contingit illis, qui contra conscientiam peccant, faciunt enim quod sciunt esse prohibitum, & nullo modo faciendum; unde in sic operantibus voluntas non conformatur ultimo judicio practico, alioquin contra conscientiam non faceret, sed potius illud respuit.

55 Quinto, si voluntas in omni actu suo determinaretur a ratione, sequitur, voluntatem nunquam peccare posse sine errore, & defectu præcedente in intellectu, quod est falsum. Conseq. patet, quia si voluntas in omni actu suo determinatur ab ultimo judicio practico rationis, jam errare non posset, nisi judicium rationis foret erroneum; Falsitas vero consequentis suse ostenditur a Scot. 3. d. 36. §. *contra hoc arguitur*, & probari potest tum ex illo Jacobi 4. *scienti bonum facere, & non facienti peccatum est*, tum ex Arist. 7. Eth. cap. 3. & 5. dicente, quod stante ratione universali, & particulari in anima, est in potestate nostra, ut sequatur, vel non sequatur actio, quod etiam sanxerunt tres articuli Parisienses, quorum primum refert Doctor, tum quia peccata Angelorum, & primi parentis non fuerint ex ignorantia, aut alio defectu considerationis in intellectu, cum pœna non præcesserit culpam; tum quia alioqui non peccaretur unquam ex certa malitia, nam hoc peccatum distingitur a Patribus præsertim Aug. lib. 83. q. q. 27. a pecato ex infirmitate, & ignorantia, quia peccatum ex infirmitate oritur occasionaliter ex inclinatione appetitus sensitivi in suum delectabile; peccatum ex ignorantia oritur ex ratione errante; peccatum tandem ex certa malitia fit cum ipsa voluntas secundum se neque illecta ab appetitu sensitivo, neque decepta a ratione errante vult pro suo libito contra rationem agere, tum tandem quia si talis defectus debet in intellectu præcedere voluntatis defectum, talis defectus esset judicium erroneum, & sic semper cum quis peccat, esset hæreticus, quia judicaret hic, & nunc aliquid esse eligendum, quod fides dictat esse peccatum, & fugiendum.

56 Respond. aliqui Thomistæ id non sequi, quia hujusmodi judicium est practicum, hæresim autem debere esse judicium speculativum; Contra, quia hujusmodi judicium etiam practicum adversatur *fidei*, quæ practice dictat hic, & nunc Deum esse diligendum. Alii Thomistæ ad evitandum hoc inconveniens ajunt, hoc judicium practicum necessarium ad eliciendum voluntatis operationem non esse conclusionem syllogismi practici, quo hic, & nunc dicetur objectum debere amari, cæteris que præferri, nam utique in actibus malis tale judicium foret hæreticum, sed est quidam actus explicatus hac voce *fac hoc*, qui actus est error positivus contrarius, non quidem scientiæ, sed prudentiæ. Contra quia talis imperandi modus ad voluntatem spectat, non ad intellectum, ut infra dicemus; tum quia hoc admisso tale judicium in nobis non semper adesse, dum peccamus, testatur ipsa conscientia, quæ dum actu peccamus remordet, & contra malum murmurat; tum quia tale judicium per modum imperii, vel non est error, vel error contra fidem, ratio est, quia vel quando intellectus hic, & nunc imperat voluntati aliquod peccatum, vult significare illud esse committendum, & sic est error contra fidem; quæ docet non esse peccandum, vel tantum imperat id, quod fieri debet ut illius imperii, & in hoc nullus est error, vel judicat expedire ut id fiat ratione utilitatis, vel delectationis, ad quam magis attendit, quam ad honestatem, & hic proprie non est error, sed defectus considerationis, qui etiam non est necessarius, ut mox dicemus.

57 Respond, proinde Vasq. p. 2. tom. 1. disp. 128. c. 5. in intellectu peccantis præcedere semper, non quidem errorem practicum, sed aliquem defectum considerationis, adeo quod intellectus efficacius suadeat malum, quam bonum, quia licet voluntas possit non amplecti id, quod efficacius, vel æque efficaciter sibi fuerit propositum, tamen amplecti non potest, quod non fuerit sibi magis efficaciter propositum, unde vult peccantem talem semper pati defectum in intellectu, qualem non habet qui non peccat. Sed hic quoque dicendi modus facile reiicitur, tum ex eo, quod diximus, nec Luciferum, nec Adamum ex inconsideratione peccasse; tum quia hoc directe repugnat Aug. 12. de Civit. cap. 6. docenti ex duobus æqualiter corpore, & anima affectis videntibus corporis alicujus pulchritudinem alterum posse illicite concupiscere, alterum in casta voluntate permanere, & præcisam causam hujus differentiæ (inquit) esse quia unus voluit, alter noluit a castitate deficere; sed æquales animo non essent, si alter haberet perfectam objecti scientiam, alter non, neque tunc recte refunderet Aug. hujus differentiæ totalem causam in velle, vel nolle, sed potius reducere debuisset in scire, & nescire. Accedit, quod si ad peccandum semper efficacius proponi debet objectum malum, ut ait Vasques, voluntas tunc necessitatur quoad specificationem, & etiam quoad exercitium, si enim duo objecta æqualiter repræsententur, v. g. bonum ex una parte, malum ex alia, *voluntas neutrum amplecti potest, quia* ad amplexum unius requiritur secundum Vasquez, quod efficacius proponatur altero, & sic libertas specificationis in tali casu auferetur, aufertur etiam libertas exercitii in eodem casu, quia hæc est ad actum eliciendum, vel suspendendum, & tunc necessario suspenditur, quia in objecta æqualiter repræsentata non potest per se tendere voluntas secundum Vasq. si autem inæqualiter repræsententur, tunc multo minus erit libertas specificationis respectu objecti minus efficaciter propositi, sed neque aderit libertas exercitii, quia si efficacius proponetur peccatum, quam abstinentia ab eo, hæc erit impossibilis, quia secundum Vasq. quod minus efficaciter proponitur, eligi non potest, videantur Hurt. & Arriag. loc. cit. late refellentes hanc imaginationem Vasq. Demum *tempore*, quo obligat præceptum audiendi *sacrum*, possumus sacrum omittere sine ullo errore, aut defectu præcedente in intellectu, si enim dicat Vasq. tunc proponi omissionem sacri efficacius, & præferendam auditui missæ, tunc præcederet error contra fidem, quod nec ipse concedit, sed tamen concedere cogitur, quia loc. cit. cap. 5. inquit præcedere in quolibet peccata aliquem defectum considerationis, itaut objectum, in quod voluntas fertur, repræsentetur aut ut efficacius, aut ut convenientius, quod sane contingere nequit sine errore in fide, quæ docet abstinentiam a peccato convenientiorem esse ipso peccato, imo peccatum esse maximum inconveniens; sed de hoc infra redibit fermo q. 6. art. 1. dub. 3.

58 Sexto, tandem stante ultimo judicio intellectus de electione duorum mediorum inæqualium non tenetur voluntas eligere illud, quod videtur utilius, ergo in ipsa electione mediorum non determinatur voluntas ab ultimo judicio practico; Conseq. patet, quia cum intellectus sit potentia naturalis, *judicabit necessario* illud fore eligendum, quod utilius cognoverit; probatur assumptum, quia hoc ipso, quod neutrum proponitur ut necessarium, potest voluntas in omni sententia non eligere *illa*; & consequenter quodlibet illorum non eligere singillatim, *cum* tamen utilius propositum fuerit a judicio rationis, ut eligendum, quod quidem comprobari potest ex usu libero *divinæ* voluntatis, omnes enim Theologi docent incarnationem fuisse optimum medium ad mundi redemptionem, idque necessarium judicasse Deum priusquam illam vellet, & tamen stante illo judicio potuisset Deus

id

id non velle, sed aliud, signum *evidens voluntatem non teneri* eligere illud, quod judicatur utilius.

In oppositum arguunt Primo auctorit. Arist. num. 3. Ethic. cap. 3. ait illud eligi a *voluntate*, quod fuit consultatione deliberatum, & lib. 6. cap. 12. & 13. docet virtutes morales connexas esse cum prudentia, non ob aliam causam, nisi quia voluntas sequitur judicium rationis, & 3. de An. 58. universaliter docet appetitum a ratione moveri. Conf. ex D. Bernard. lib. de gratia, & lib. arb. ubi ait, habet voluntas, quocunque se volvat, semper comitem rationem, non quod semper ex ratione, sed quod nunquam sine ratione moveatur. Resp. ad has, & consimiles auctoritates Arist. in Ethic. loqui semper de actione recta, & studiosa, unde 6. ethic. loc. cit. dicebat, opus perficitur secundum prudentiam, & moralem virtutem, quia virtus facit intentionem rectam, prudentia vero illam dirigit; & ideo non est, cur exinde deducere debeamus voluntatem determinari a judicio rationis, sed solum debere se conformare dictamini recto prudentiæ ad hoc, ut recte eligat; auctoritas D. Bern. potius est pro nobis, clare enim dicit, quod non semper agit ex ratione, id-est conformiter ad rationem; quod autem inquit habere comitem rationem, significat, quod semper habet illam, ut ei repræsentantem sufficienter objectum suum.

59 Secundo, urget rationibus, quia voluntas nequit aliquid velle sine præcedenti judicio rationis, cum ferri nequeat, nisi in objectum prius cognitum, per rationem præsentatum, ergo si judicium erit indeterminatum, ipsa quoque indetermita erit, si determinatum, ipsa quoque erit determinata, sed ultimum judicium practicum est determinatum, ergo voluntas determinabitur ab eo; Conf. prob. nam si quando judicium est determinatum ad unum, posset voluntas aliud eligere, vel aliud non eligere, nulla posset reddi ratio, cur voluntas elegerit, & objectum jam judicatum dimiserit, neque tunc voluntas posset reddere rationem, cur ita facit, quod est contra experientiam, nemo enim est qui interrogatus cur aliquid agat, non respondeat, quia judico ita faciendum, qua de causa voluntas dicitur appetitus rationalis, sive cum ratione; Quod si dicas, etiam in tali casu reddi posse rationem talis electionis, quod vid. id fecerit, ut ostenderet suam libertatem. Contra urgent, quia jam hoc ipsum tunc erit ultimum judicium rationis practicum, quod scilicet consideratis omnibus hic, & nunc præstat contra rationem agere, ut palam fiat voluntatis libertas, & ab hoc ipso judicio voluntas in tali casu determinabitur. Confirm. quia si judicium rationis omnino determinatum erit ad alteram partem, ergo non potest voluntas oppositum eligere, alioquin ferretur in ignotum & in tali casu non duceretur ab intellectu, sed a se operaretur, quod est contra connaturalem ejus agendi modum. Denique objectum voluntatis est bonum, non utcumque, sed ut judicatur conveniens, opus est ergo præcedere judicium de convenientia objecti, quod veluti manuducat voluntatem.

60 Resp. in primis falsum esse assumptum universaliter pronunciatum, licet enim volitio efficax finis, vel mediorum ad finem supponat tale judicium de bonitate finis, & convenientia mediorum, tamen velle simplicis complacentiæ non necessario supponit illud, cum ad talem actum eliciendum simplex apprehensio objecti sufficiat, ut postea dicemus: tamen admisso pro nunc antecedente, adhuc neg. conseq. quia voluntas non ab alio determinatur, sed seipsam determinat, dum exit in actum secundum, imo in hoc consistit ejus libertas, ut posito judicio determinato, adhuc maneat indeterminata, donec seipsam determinet eliciendo actum, aut suspendendo; & adhuc in tali casu voluntas potest rationem reddere, cur ita fecit: sed sicut opus non est, quod sibi proponatur objecti bonitas per judicium in omni actu suo, sed sufficit, si proponatur per simplicem omni actu suo, sed sufficit, si proponatur per simplicem apprehensionem, ita non semper oportet, quod reddat rationem, quia intellectus non tantum illud, sed etiam istud bonum sibi proposuit, ita colligitur ex Scot. 2. d. 6. q. 1. G. & d. 22. in fine; addit Bassol. loc. cit. non semper teneri voluntatem reddere rationem, cur ita facit, sed tantum cum recte, & rationabiliter operetur, alias non teneretur aliam rationem reddere, nisi quia ita placet, vel quod stat pro ratione voluntas. Ad Conf. ex Doct. cit. & Bassol. ibidem §. *quantum ad 3. art.* neg. conseq. quia cum perfecto dictamine, & judicio rationis dictantis prosecutionem alicujus boni, vel mali fugam reperitur in intellectu notitia apprehensiva saltem confusa sui oppositi, cum judicium supponat actum collativum divisivum, vel compositivum in ordine ad oppositum, & in tali casu adhuc diceretur sequi ductum intellectus ostendentis per simplicem apprehensionem objecti bonitatem, non tamen *judicantis*: quod si quis instaret ponendo casum, quod nullius alterius objecti cognitio præcederet in intellectu excepto illo, quod proponitur per ultimum judicium practicum, præterquamquod talis casus non est admittendus, propter rationem allatam, tamen adhuc eo admisso, non sequitur voluntatem a tali judicio necessario determinari, quia saltem circa illud ipsum objectum poterit actum suspendere, vel intellectum divertere ad alterius objecti contemplationem. Ad aliud dicimus, aliud esse requiri judicium de convenientia, & bonitate objecti, quod nos non negamus, aliud vero, quod requiratur judicium determinans, quo judicetur omnino hoc esse agendum: fatemur semper prærequiri cognitionem bonitatis, & convenientiæ objecti, sive per modum judicii, sive per modum simplicis saltem apprehensionis, ut possit amari a voluntate, hoc tamen judicium non determinat voluntatem, quando enim homo v. g. mentitur, præcedit cognitio dictans illud mendacium esse utile ad suendum honorem; præcedit etiam cognitio dictans illud mendacium esse malum, quia est contra legem Dei; neutrum judicium determinat voluntatem, sed voluntas libere elicit mendacium propter bonitatem cognitam in illo, quare semper tendit in objectum cognitum, semper sequitur ductum aliquem rationis, non tamen omnem; semper potest reddere rationem, cur ita fecerit, non quidem rationem cogentem, vel determinantem, seu suadentem sine necessitate, quod si intellectus prius dixisset, mendacium hic, & nunc pensatis omnibus est eligendum, errasset proculdubio in fide, quia fides dictat propositionem contradictoriam nempe mendacium hic, & nunc esse eligendum, atq; ideo omnis mendax esset hæreticus.

61 Tertio ad idem, appetitus brutorum ideo est determinatus ad unum, quia cognitio sensuum est determinata ad unum; rursus voluntas nostra respectu ultimi finis determinata est ad unum, saltem quoad specificationem, quia judicium rationis determinatum est ad unum, cum nequeat repræsentare ultimum finem, nisi sub ratione boni, & eadem denique ratione voluntas beatorum in patria determinata est circa summum bonum clare visum; ergo ubicunque a simili intervenit hoc judicium rationis determinatum, ipsa voluntas ad illud unum determinata intelligetur, sed in omni actione de quacunque re particulari eligenda opus est tale judicium ultimum in intellectu præcedere, ergo in omni tali actione voluntas a tali judicio determinatur.

Resp. neg. assumptum quoad omnes partes, appetitus quidem brutorum non ea ratione liber non est, quia tunc neque voluntas esset appetitus liber, cum in omni sua actione secundum Adversarios sequatur ultimum judicium practicum: sed naturalis est, quia cum sit organicus, determinatur ad certum genus appetibilium, ut supra cum Doct. dicebamus; neque voluntas ea ratione circa ultimum finem determinata est quoad specificationem, dum est in via, ac etiam quoad exercitium, dum est in patria, quia sequeretur cum in via mens dictaret hic, & nunc Deum esse diligendum, voluntas teneretur eum diligere; nec posset etiam per potentiam Dei absolutam circa ultimum finem clare visum suam actionem suspendere, quod est falsum, ut infra dicemus: sed in via determinata dicitur circa illum quoad specificationem, qua talis finis rationem nobilis, vel odibilis habere potest, & in patria modo determinata est quoad exercitium ex decreto Dei, quo non vult habere suum concursum paratum ad actum oppositum, sed semper exhibitum ad actum determinatum dilectionis.

62 Quarto tandem, si fieri posset, ut quis eligeret contra dictamen ultimi judicii practici, posset etiam fieri, ut in volantate esset peccatum sine ullo errore, vel defectu in intellectu. sed consequens est falsum, ergo &c. conseq. de se patet, falsitas vero conseq. probatur ex variis Scripturæ loc., & Ar. nam Prov. 14. *errant, qui operantur malum*, Sapient. 2. *excæcavit eos malia eorum*, Hier. 12. *desolatione desolata est terra, quia non est, qui recogitet corde*, Isaiæ 8. *captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*, &c. Arist. 3. Eth. cap. 1. inquit, unusquisq; pravus, quid agendum sit, ignorat, & 7. Ethicor. cap. 3. ait, incontinentem habere quidem universalem cognitionem veram non autem particularem, & ideo peccare, & ibidem, ac etiam c. 7. comparat incontinentem vinolento, aut dormienti, & explicat variis modis, qualiter semper ex ignorantia peccat, & c. 10. malignum, seu ex malitia peccantem assimilat civitati, quæ legibus quidem utatur, sed pravis; ex quibus deducitur, dum quis peccat, aut errorem positivum in intellectu præcedere speculativum, vel practicum, vel certe talem defectum considerationis, qualem non habet, qui non peccat; quod tandem probant quoque ratione, quia voluntas sequitur intellectum; ergo nequit voluntas errare, vel deficere, nisi intellectus erret.

Resp. neg. falsitatem conseq. & quamplures ex auctoritatibus ad ejus probationem adductis loquuntur non de errore intelligentiæ, sed morum, & in hoc sensu præsertim multi explicant illam ex Proverbiis, *errant, qui operantur malum*, quibus favet Lyranus exponens de errore, & deviatione a rectitudine justitiæ, ac etiam alia translatio, quæ legit *frustrantur omnes*; vel si loquuntur de errore intelligentiæ, non utique loquuntur de errore prævio, & antecedente peccatum, sed concomitante, & consequente, quo sensu loc. cit. Sap. dicitur malitia excæcare intellectum peccatoris, aut privative, quatenus voluntas eligens aliquod illicitum intellectum a recta, & laudabili ratione averrit, & recto dictamine privat, aut positive, cum ex imperio voluntaris male eligentis sequitur falsum judicium rationis approbans talem electionem. Vel tandem si loquuntur de errore intelligentiæ prævio, & antecedente, ita dicunt, quia licet simpliciter, & absolute loquendo possit esse peccatum in voluntate nullo defectu prævio in intellectu, regulariter tamen non contingit peccatum sine defectu intellectus, non quocunque, sed præcise talis considerationis, quæ morali certitudine quadam peccatum impediret, & ratio est, quia malitia peccati tanta est, ut si perfecte penetraretur, & consideraretur, certe deterreret hominem a peccato, videmus enim alia mala peccato longe minora tantam *vim habere*, ut quasi semper hominem bene attendentem moveant ad eorum fugam, quis enim mentis compos se pro uno pomo præcipitem dedit? majus autem malum peccatum, quam præcipitium, nullus ergo unquam, vel saltem raro peccaret, si perfecte attenderet peccati turpitudinem, & pœnam illi debitam, & in hoc sensu dicitur eccles. *memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*, & Deuter. 32. *utinam saperent, & intelligerent*, &c. & hoc etiam voluit innuere Doct. 2. d. 22. q. un. C. dum ait peccatum primi parentis posse dici ex ignorantia, quia scilicet non consideravit, quanta pœna ad illud peccatum esset secutura; aliquo igitur ex prædictis modis omnes allatæ auctoritates sunt interpretandæ.

Ad rationem neg. conseq. non enim assumptum verum est in hoc sensu, quod voluntas semper sequatur id, quod judicatur ab intellectu esse præferendum, quia potest intellectus judicare bonum honestum esse delectabili præferendum, & voluntas amplecti delectabile juxta illud Poetæ: *video meliora, proboque, deteriora sequor*; verum est igitur antecedens, in hoc sensu tantum, quod voluntas sequitur intellectum, & ducitur ab intellectu, quia non potest appetere aliquod objectum, nisi proponatur illi ab intellectu sub ratione boni, unde semper sequitur ductum intellectus ostendentis, at non semper ductum intellectus judicantis,

QUÆSTIO IV.

Quo pacto actus voluntatis sit liber, ac ejus omissio.

64 Quoad primam quæsiti partem, quid ponat libertas in actu, & quomodo ei conveniat, an essentialiter, vel accidentaliter, prima sententia est asserentium libertatem esse quid intrinsecum in actu libero, licet non eodem modo eam defendant, quidam enim docent libertatem esse de essentia actus liberi, non solum reduplicative ut libera est, de hoc enim non est controversia, sed specificative sumpti, ita Hurtad. disp. 15. de anim. sect. 6. & quamplures Recentiores in p. 2. Curiel. Granad, Montesin. Cornel, & alii quicunque volunt bonitatem moralem esse de essentia actus liberi, nam a fortiori hoc ipsum de libertate affirmare coguntur, si enim actus bonus, qui nunc fit libere, potest fieri sine libertate, ergo potest esse non bonus, nam ablata libertate, non esset moraliter bonus. Alii vero, licet fateantur libertatem *non esse differentiam* essentialem voli-tionis, asserunt tamen esse modum intrinsecum superadditum, vel saltem relationem intrinsecam accidentalem supervenientem, a quibus stare videntur Valent. disp. 2. q. 1. punct. 1. Moris 2. Phys. disp. 2. q. 13. in calce, & ex nostris Herrer. disp. 28. q. 3. Opposita sententia negat libertatem esse quid reale actui intrinsecum, & superadditum, & docet esse tantum denominationem quandam extrinsecam, ita Molin. in concord. q. 23. art. 4. disp. 1 membr. 7. Vasq. p. 2. disp. 55. n. 13. Salas par. 2. tract. 3. disp. 1. sect. 6. nu. 62. Arriag. disp. 8. de anim. sect. 4. & est communis inter Recentiores, quæ prius fuit sententia Scoti, & Scotistarum, ut postea dicemus; verum hujus partis sectatores juxta diversitatem suorum principiorum hanc sententiam explicant, qui enim docebant quæst. præced. libertatem pendere ex indifferentia judicii, & attentione rationis circa bonitatem, vel malitiam objecti, dicunt consequenter libertatem actus non esse nisi denominationem extrinsecam actui provenientem ex consideratione, & attentione intellectus circa bonitatem, & malitiam objecti, qua ratione (ajunt) eadem volitio, quæ nunc fit libere advertente ratione ad incommodum objecti, potuisset esse necessaria, si solum adverteret homo ad commodum; Qui vero dicebant, libertatem consistere tantum in indifferentia potentiæ volitivæ, consequenter hic affirmant libertatem actus esse utique denominationem extrinsecam sibi provenientem, sed non nisi ex indifferentia voluntatis ad eum eliciendum, vel non eliciendum, ut libet.

65 Quoad alteram quæsiti partem de libertate *omissionis*, celebris est controversia, an possit contingere sine omni actu, qui ejus causa directe, vel indirecte existat, adeout sic eveniens possit *dici voluntaria omittenti*; & cum quæritur, an possit contingere sine omni actu, non est utique sermo de intellectu, quia ut omissio sit voluntaria, est omnino necessarius: si enim intellectus nullo modo advertit ad objectum, nec in communi, nec in particulari, nec confuse, nec distincte, omissio nullo prorsus modo potest voluntaria dici, quia sicut nequit actus voluntatis elici sine cognitione prævia objecti, ita ejus omissio sine cognitione non est privatio, sed mera negatio, quæ etiam in lapide reperitur; sermo itaque est de actu voluntatis, ut sensus quæsiti sit, an dari possit pura omissio sine quocunque voluntatis actu, qui causa illius existat; potest autem omissio dupliciter causari ab actu voluntatis, uno modo per se, & directe, & est, quando quis directe vult omittere v. g. auditionem sacri, vel circa illam habet actum positivum fugæ, idest nolitionem; alio modo potest causari ab actu indirecte, & quasi per accidens, ut quando advertens homo se teneri ad sacrum audiendum, etsi directe nolit illud omittere, vult tamen aliquod objectum illi incompossibile, ut ludere tempore sacri; sensus ergo quæsiti est, an pura omissio dari possit in voluntate quæ excludit utrumque actum, si enim hunc vel illum habet pro causa, non amplius dici poterit pura, & simplex omissio, & pertractatur quæsitum hoc de possibilitate potius metaphysica, quam morali, quia regulariter loquendo concedunt omnes omissionem contingere mediante aliquo actu, qui sit ejus causa altero prædictorum modorum.

66 Tres existunt sententiæ in hac celebri controversia; prima sententia universaliter negat puram omissionem *liberam* esse possibilem, ita ex antiquis Alensis 2. p. q. 113. membr. 2. Henric. quol. 2. q. 24. Capreol. 2. d. 35. Albert. & alii, ex recentioribus vero citantur pro hac sent. Cajet. 1. p. q. 63. art. 3. & p. 2. q. 71. art. 5. Henriquez, Alvarez, Zumel, Conrad, quibus favere videtur noster Faber disp. 1. de pœnit. cap. 7. licet inferius num. 140. dicat sufficere ad liberam omissionem interpretativum, & tacitum, non autem physicum & expressum, ut prætendunt hujus primæ sentent. patroni; ubi notandum est ex istis Auctoribus nonnullos non absolute negare puram omissionem liberam, sed talem, quæ sit imputabilis ad meritum, aut demeritum, in quo sensu quæstionem hic non versamur, quia in hoc sensu ad morales spectat. Altera sent. affirmat puram omissionem liberam esse possibilem, itaut voluntas ex sua libertate omittat independenter ab omni actu positivo, qui sit causa directa, vel indirecta talis omissionis, quam etiam ex veteribus Theologis docuerunt quamplures Durand. 2. d. 35. q. 2. Argent. d. 36. q. art. 1. Ricard. d. 35. art. 1. q. 1. Marsil. q. 21. Ocham. 3. d. 10. Almain. & Argent. in suis moralibus, ac etiam Juniorum pars melior: Valen. q. 1. art. 4. Salas tract. 23. disp. 2. art. 4. Hurtad. disp. 15. de anim. sect. 7. subsect. 1. Arriag. disp. 8. de anim. sect. 6. subsect. 4. Oyand. Azor. Cornes. Curiel. Granad. Suar. Montesin. & alii innumeri, quæ etiam videtur antea fuisse Scoti, & Scotistarum, ut dicemus. Tertia sententia affirmat omissionem sine omni actu contingere posse, qui per se, & directe sit causa illius, non tamen sine actu, qui ejus causa existat, sine aliquo actu qui saltem indirecte, & per accidens sit ejus causa, vel occasio; ita Medin. p. 2. q. 71. citans D. Tho. & sic etiam loqui videtur Vasq. p. 2. disp. 93. c. 2. alios citans. Alii vero de duplici omissione distinguunt, unam actus exterioris; ut cum quis sacrum omittit, alteram actus interioris, ut si omittat actum fidei, & inquiunt posse utique dari puram omissionem liberam actus interioris sine omni prorsus actu, qui illius causa existat directe, vel indirecte, non tamen actus exterioris, nam respectu istius admitti debet actus, qui ejus causa, & occasio saltem indirecte existat: ita Beccan. tr. 2. c. 3. q. 2. cum aliis quibusdam, qui modus dicendi *ad rem non facit*, quia *hic est quæstio solum* de omissione actus ipsius voluntatis,

ARTICULUS I.

Resolutio quæsiti de libertate actus.

67 Pro decisione quæsiti quoad hanc partem recolenda est distinctio illa de duplici libertate voluntatis nostræ proxima, & remota, quam dedimus supra qu. 2. art. 2. ubi diximus libertatem remotam esse nudam voluntatis potentiam, & aptitudinale dominium, quod habet supra suum actum, ut eum eliciat, vel non eliciat, aut oppositum; libertatem vero proximam ultra nativam potentiæ virtutem connotare prærequisita ad agendum, ut sunt concursus Dei indifferens, cognitio prævia intellectus, & si quæ alia sunt necessaria ad constituendam voluntatem in actu primo proximo, ut possit in actum exire cum expedito *libertatis usu*; & hac *supposita libertatis distinctione* advertendum est, quod cum Auctores hic quærunt, quid ponat libertas in actu, an entitatem, vel modum aliquem realem, an potius solam extrinsecam denominationem, numque sit actui essentialis, vel potius accidentalis, loquuntur de libertate, quæ redundat in actum de libertate proxima voluntatis, quæ sicuti est contingens, ita excludit a voluntate & ab actu ab ipsa emanante, pedum naturalitatem, sed etiam necessitatem; non autem loquuntur de libertate remota, quia hæc præcise sumpta non sufficit ad expeditum libertatis usum, unde parum de illa curant, & a paucis agnoscitur extra Scotistarum scholam, cum tamen omnes eam admittere teneantur & voluntati tribuere casu, quo a Deo necessitaretur ad agendum, quod non implicare ostendimus loc. cit. ad finem art. & universaliter voluntati nudæ, & præcise a necessario prærequisitis, hoc prænotato.

68. Dicimus primo libertatem in actu non addere supra entitatem *volitionis relationem*, *aliumve* modum realem intrinsecum, sed denominationem extrinsecam provenientem ex indifferentia proxima potentiæ volitivæ; ita colligitur ex Scot. 1. d. 12. q. 1. lit. G. & d. 13. lit. H. & d. 17. q. 2. §. *quantum ad istum* art. 2. & d. 40. q. un. & quol. 18. art. 2. sequuntur Lichet. 2. d. 25. q. un. §. *dico quod aliud*, Cavell. disp. 3. de An. sect. 15. Vulpes Tom. 2. part. 2. disp. 67. art. 1. num. 4. & Recentiores citati, qui id prorem apud ipsos referemus, quæ in eo consistit, quod entitas actus voluntatis præciso quocunque superaddito, eo ipso, quod est a potentia potente non agere, concipitur libera, ergo hæc sola denominatio constituit eum sufficienter in esse liberi, & sufficienter distinguit ab actu necessario. Hæc tamen ratio, vel non *concludit* propositum, vel universaliter concludit, nullum effectum dicere relationem realem ad suam causam, sed solam denominationem extrinsecam, quod sit ab illa; si ergo semel concedatur *effectum dicere* veram, & realem relationem dependentiæ ad suam causam, ut re vera dicendum est, præsertim in schola nostra, & Thomistarum relationes reales admittentium, præsertim quæ ad causalitatem pertinent, *pariter idipsum* erit concedendum de actu libero, quod relationem realem dicat ad potentiam liberam, quilibet enim effectus non tantum dicit relationem realem causati ad causam, sed etiam talis causati ad talem causam, unde difficile admodum videtur eximere effectum liberum a tali relatione ad causam liberam, nisi etiam eximatur ab ea effectus naturalis, & necessarius, nam sicut ad effectum liberum sufficere dicitur connotatio principii *liberi* a quo procedit, & denominatio extrinseca, quod sit ab eo productus; idem pariter suo modo dicetur de effectu naturali, & necessario, & universaliter negari poterit relatio effectus ad causam.

Alii probant, & est veluti confirmatio præcedentis argumenti, quia admisso tali modo superaddito *substantiæ* actus, tamen hæc prius natura est, quam *modus superadditus*, in illo ergo priori adhuc entitas actus sit *indifferenter*, & libero modo, ergo absolute loquendo poterit *libertas* in actu esse, & intelligi antecedenter ad quemcunque *modum* superadditum. Sed vel hoc quo-

quoque argumentum nihil concludit, vel non solum militat contra modum libertatis in actu, sed contra quoscunque alios modos rebus superadditos, unde frequenter eo uti solent Nominales ad tollendas relationes, & modos, quos solent Reales rebus adhærere, qualis est subsistentia in substantia, figura in quantitate, &c. & quantum valeat, jam diximus in Log. disp. de relat.

69 Probatur igitur melius in hunc modum, & ratio videtur a priori, quia si libertas in actu dicit entitatem realem ejus entitati superadditam, aut hæc est absoluta, aut respectiva: non primum quia necessario ordinem imbibit ad principium liberum; neque secundum, quia libertas hæc in actu correspondet in ratione termini libertati proximæ voluntatis in ratione principii, sed hæc non est voluntati ratio physice agendi, sed tantum denominandi ipsam libere producentem modo libertatis accidentali, ergo non potest facere resultare in actu producto relationem libere producti realem ad voluntatem libere producentem, sed tantum denominationem quandam extrinsecam libere producti modo quodam libertatis accidentali; hæc conseq. patet quia ratio physice producendi in causa solet esse ratio fundandi ralationem causationis ad effectum productum, prob. minor, quia hæc non est differentia essentialis voluntatem contradistinguens a principio naturali, & eam essentialiter constituens in esse causæ liberæ, ergo nequit illi esse ratio agendi, & actum physice producendi, nam ratio agendi, ut sæpe docet Doct. est *id*, quo agens constituitur in esse, ut in igne v. g. est forma ignis. Dices, ergo cum talis differentia sit libertas remota, terminus sibi correspondens in actu poni potest respectus realis. Resp. hoc esse satis probabile, verum tamen cum hic non sit sermo de tali libertate in actum redundante, sed de libertate proxima, *absolute debemus dicere*, libertatem in actu dicere solam denominationem extrinsecam, non vero relationem realem, aliumve modum superadditum, & ex hoc fundamento facile solvuntur, quæ contra hanc conclusionem objici solent, ut postea patebit.

70 Dicimus secundo, libertatem non esse actui essentialem, sed ei accidere in esse naturæ. Colligitur ex eisdem locis Doct. cit. & hanc patrocinantur Scotistæ relati cum omnibus Auctoribus secundæ sent. quam etiam probare solent quibusdam rationibus imbecillibus, quibus proinde dimissis, duas adducemus, unam a posteriori, alteram a priori valde solidas. Ratio a posteriori est, quia idem actus specie, & numero fit de libero necessarius, & e contra, ergo libertas est ei accidentalis, conseq. patet, quia hoc est signum evidens accidentalitatis ejus, cum eadem numero entitas actus interdum cum libertate, interdum cum necessitate consistat, tum quia hac eadem ratione probari solet bonitatem, & malitiam moralem non esse intrinsecas, & *essentiales* actui in esse naturæ; probatur assumptum, quia per mutationem advertentiæ rationis ad commodum, vel incommodum in objecto præsertim, secundum Thomistas, idem omnino actus fit de necessario liber, & e contra, & secundum nos nulla penitus facta mutatione in cognitione, potuit deesse concursus Dei paratus, quo deficiente, amor objecti esset necessarius, & quo oblato, idem numero amor esset liber, hoc idem fieri potest per positionem actus reflexi, qui tollit libertatem immediatam ab actu recto, ergo &c. Admittendo etiam puram omissionem, potest quis libere cessare a furto offerente Deo concursum ad illud, quo rursus denegato ab eodem cessabit necessario, & tamen eadem numero erit omissio.

71 Hurtad. loc. cit. negat in his casibus eundem perseverare actum, quia actus voluntatis variantur ex varietate cognitionum; & concursus ad unum determinatus non est idem cum concursu indifferenti, quare cum Deus ad volitionem liberam concurrat per voluntatem indifferentem, ad necessariam vero per voluntatem determinatam, plane eadem actio esse nequit, qua hæc producitur, & illa, actio enim variatur variato principio immediato. Contra quia cognitio non influit physice in actus voluntatis, sed solum proponit amabilitatem objecti per modum conditionis, ergo parum refert ad variandos voluntatis actus, quod cognitiones varientur numerice, si idem objectum per illas proponatur; tum quia casu quo quis carnes comedat inadvertenter die Veneris cibi suavitatis, & comestionis delectabilitate permotus, si de prohibitione admonitus in eadem voluntate perseverat carnes comedendi, ubi antea necessario carnium esum volebat, saltem necessitate specificationis, quia nullam in objecto advertebat malitiam, sed solam naturalem delectabilitatem, postea vult illud libere eodem numero actu, quia licet varietur cognitio quoad circumstantiarum prohibitionem, tamen quoad propositionem objecti per se moventis voluntatem, quam supponimus esse rationem delectabilis, non variatur, quia adhuc proponitur objectum, ut delectabile, & sub tali ratione adhuc voluntatem movet ad esum carnium, ergo est idem omnino actus, neque per subsequentem prohibitionis cognitionem in sua substantia variatur, nam cognitio prohibitionis, quæ advenit, non est novum motivum, neque nullo modo motivum, tum tandem quia hic videtur communis omnium sensus in motibus primo primis, dicunt enim quod cum primo eliciuntur sine sufficient advertentia rationis, non sunt liberi, neque in nostra potestate, cum vero accedit advertentia rationis, saltem semiplena, censentur peccata venialia, & dicuntur motus secundo primi, per quem loquendi modum satis aperte significant esse eosdem omnino actus, qui prius erant necessarii, & postea ex sola advertentia rationis fiunt liberi. Falsum est etiam, quod addebat, concursum, quo producitur actus liber, esse diversum essentialiter a concursu, quo producitur actus necessarius, quia voluntas Dei indifferens, qua concurrit ad amorem viatoris, non est principium essentialiter diversum a voluntate determinata, quia concurrit ad amorem comprehensoris, sed tantum accidentaliter, ac proinde hic amor, & ille solum accidentaliter differunt in ratione liberi, sed utique voluntas, qua concurrit ad amorem bruti est principium essentialiter diversum ab ea, qua concurrit ad amorem hominis, sive viatoris, sive comprehensoris, & ratio est, quia amor bruti, nedum est actus necessarius, sed etiam naturalis omnem proinde exuens libertatem tam proximam quam remotam, quæ doctrina magis patebit ex ratione a priori mox subiicienda; tum quia quod inquit Hurt. ad *summum* probat libertatem esse actioni essentialem, qua producitur volitio libera, non autem actui, seu qualitati, quam importat volitio, licet enim hæc actio determinate dependeat ab hac numero causa, non tamen actus per eam productus, quia hic actus potuit ab alia consimili causa produci, & per aliam consimilem actionem, ut diximus in Phys. disp. 8.

72 Arriag. cit. licet nobiscum sentiat in conclusione, allatam tamen inficiatur rationem, quia ut probetur eundem actum posse transire a libero in necessarium, & e contra, debet jam supponi nostra conclusio, ideo enim potest mutari, quia non essentialis, non e contra. Hæc tamen instantia rationem non debilitat, quia ut diximus, hæc ratio non est a priori, qua methodo optime ex mutatione actus de libero in necessarium, & e contra, infertur a posteriori libertatem non esse actui essentialem. At instat rursus Arriag. neque a posteriori hanc rationem valere, quia nullam habemus experientiam talis mutationis, *cum nullus dignoscere possit*, utrum sit idem numero actus, quando libere, & quando necessario operatur. Verum satis luculenter ostendimus, & ex motibus primo primis, & ex casu posito esus carnium in die Veneris eundem numero actum transire de necessitate ad libertatem, & e contra.

Ratio autem a priori est, quia ex communi doctrina Scoti, & Scotistarum in materia de libera productione Spiritus Sancti quatuor sunt modi operandi, scilicet libere, naturaliter, contingenter, & necessario, ex quibus duos priores ita immediate dividunt principium operativum, & productivum, & ita sunt oppositi, ut nullo modo eidem principio, etiam respectu diversorum, convenire possint; duo vero posteriores scilicet contingenter, & necessario non sic opponuntur, quin eidem potentiæ *convenire possint* vel respectu diversorum, vel sub diversis prærequisitis, vel alio modo, quare isti duo modi agendi cum modo agendi libere, ac etiam naturaliter compatiuntur, sicut ergo hi duo modi operandi eidem principio accidunt sub diversa dispositione constituto, ita quoque uterque modus passivæ productionis potest eidem effectui secundum substantiam convenire, ut modo contingenter, modo necessario producatur ab eadem voluntate sub diversis dispositionibus constituta; & ex hoc fundamento facile solvuntur oppositæ sententiæ argumenta, quæ aliis negotium facessere solent, ut mox patebit.

73 In oppositum arguitur Primo, probando libertatem ponere aliquid reale, & intrinsecum in actu, & non tantum extrinsecam denominationem, nam libertas in actu est terminus potentiæ *physice operativæ*, ergo & ipsa quoque est aliquid physicum, & reale in ipso. Tum 2. quia principium liberum non solum habet esse principium activum volitionis, sed etiam esse liberum, sed ut activo præcise respondet ei *volitio*, ergo ut actio libere debet ei correspondere effectus aliquis realis, quia esse liberum est differentia principii activi. Tum 3. nam quilibet effectus non tantum dicit relationem causati ad causam, hæc enim est communis omni causato, sed relationem talis, vel taliter causati, scilicet effectus possibilis non fieri, cum fit, ad principium potens non agere, non agit, si do effectu libero, vel contra, si de naturali loquamur, sed hujusmodi sunt relationes reales, ergo &c. Tum 4. actus liber, ut sic, est objectum specialis complacentiæ, vel displicentiæ Dei, quam non terminat actus, qui fit sine libertate, ergo ut liber habet aliquid intrinsecum, & reale, quod non potest habere necessarius. Tum 5. quia voluntas intrinseca denominatione dicitur libere agere, & *non nisi ratione actus*, ergo & ipse actus dicitur libere fieri per denominationem intrinsecam. Tum 6. quia alioquin non magis intrinseca foret libertas actui voluntatis, quam cuicunque rei creatæ, quæ ita dominio Dei subest in fieri, & conservari, ut ad ejus nutum esse, & non esse queat. Tum 7. quia alioqui actus interni, & eliciti ipsius voluntatis non forent aliter liberi, quam externi aliarum potentiarum qui solum denominative liberi dicuntur. Tum 8. quia potentia quando ex necessario operante transit in operantem libere, exercet de novo libertatem, ergo aliquid de novo produeit, quod non producebat antea, alioquin nihil modo exercebat, quod non exercuisset antea. Tum tandem actus liber in omni sententia perfectior est, quam necessarius, ergo libertas est aliqua perfectio intrinseca actui.

74 Resp ad 1. dici solet potentiam liberam adæquate sumptam non esse physice operativam, quia adæquate constatur ex duplici potentia, altera operandi, altera non operandi, quæ proinde non est *proprie potentia*, *cum nullius sit actus productiva*, sed potius omnis actus suspensiva; & cum potentia libera ut sic, utraque ex æquo facultatem includat operandi, & non operandi, ideo negant potentiam liberam absolute sumptam esse physice operativam; quæ quidem solutio admittenda non est, quia saltem in libertate contrarietatis locum non habet, cum hæc sit ad oppositum actus, & non tantum ad actum, & in negationem actus, ergo saltem in actu sic libero libertas ponit quid intrinsecum, & reale; tum quia nec locum habet in libertate contradictionis, si non admittitur pura omissio libera, tunc enim potentia libera, ut sic, per exercitium liberum non immediate terminatur ad negationem actus; tum quia etiamsi admittatur pura omissio libera, adhuc non bene negatur absolute, potentiam liberam ut sic, esse physice operativam, quia si ex illa duplici facultate conflatur operandi, & non operandi, cur potius ex hac denominari debebit, quam ex illa? sane si verum est denominationem fieri a nobiliori, potius debebit appellari potentia physice operativa ex facultate operandi, quam includit; tum tandem quia falsum est potentiam liberam sive libertate contrarietatis, sive contradictionis ex illa duplici facultate constari, quia ut Doct. innuit 1. d. 39. infra E. potentia libera, quam habet voluntas ad oppositos actus eliciendos, non est duplex sed unica, & simplicissima respiciens velle, & nolle divisim, sicut inadæquatos effectus, sicut in intellectu quoque non nisi unicam potentiam agnoscimus ad eliciendum assensum, vel dissensum, & eodem modo de libertate quoque contradictionis discurrendum est, quod hæc non duas involvat potentias, unam operativam, alteram non operativam, quia hæc re vera non esset potentia, sed potius potentiæ negatio, sed est unica potentia operativa sine connexione tamen necessaria cum effectu, ut optime adnotavit Arriag. cit. n. 89. licet interdum hæc carentia connexionis, quæ compler libertatem in actu primo, soleat appellari potentia non faciendi; ex qua doctrina obiter reijcitur ratio, qua Suarez apud Hurtad. probat libertatem in actu esse solam denominationem extrinsecam, fundatur enim in hoc, quod potentia libera sit ut veluti duplex potentia operandi, & non operandi, & quicquid est reale in actu, habetur beneficio illius potentiæ, non istius, atque ideo hac facultate deficiente in potentia volitiva, quo casu operaretur ut determinata, nihil reale deperiret actui, quia illa facultas non operativa nihil reale ponit in actu; hæc itaque ratio non concludit, quia cum potentia libera sit unica realiter potentia activa, & suspensiva actus, nequit deficere intrinseca facultas suspendendi, quin & deficiat facultas agendi.

75 Ad 1. itaque potius occurrere præstat ex fundamento primæ conclusionis quod potentiæ liberæ, ut sic, si specificative duntaxat sumatur, correspondet quid reale, & physicum in actu, cum ipsa sit potentia physice operativa; cæterum si sumatur reduplicative, ut libera proxime, cum ut sic non sit ratio physice agendi in potentia libera, sed potius modus quidam accidentalis afficiens potentiam liberam, eamque denominans libere operantem cum expedito usu libertatis, ut diximus, nequit in actum derivare aliquam formalitatem physicam, & realem, sed solam denominationem extrinsecam *possibilis fieri*, & non fieri a potentia indifferenti. Ad 2. solent quoque respondere ex illa falsa doctrina de potentia libera jam rejecta, quod nimirum ut libera non sit *physice operativa*, quia ut sic respicit etiam carentiam actus, sed ex eodem nostro fundamento melius respondetur distinguendo majorem, cum enim dicitur principium liberum non solum esse principium activum volitionis, sed etiam esse liberum, si hoc significet differentiam essentialem, quæ essentialiter distinguit principium liberum a naturali, & est virtus agendi potentiæ cum determinatione sui, neg. major, quia hic sit sermo de libertate proxima, quæ non est differentia essentialis potentiæ liberæ eam a potentia naturali secernens, sed differentia quædam accidentalis eam distinguens a principio necessario, & denominans libere producentem cum *expedito libertatis usu*; quod si per esse liberum intelligatur talis differentia accidentalis, tunc conceditur major, sed inde non recte deducitur consequentia, sufficit enim quod principio ut activo libere hoc modo correspondeat sibi in effectu denominatio tantum extrinseca quædam libere producti modo quodam libertatis accidentali. Ad 3. si in causa id, per quod effectus sequens dicitur taliter causatus, sit ei physice ratio agendi, verum est, quod hæc talitas ponit in effectu relationem realem, si vero non sit ratio agendi, sed potius pertineat ad modum quendam agendi accidentalem, ut in proposito, falsa est minor.

76 Ad 4. solutionem plura congerit Arriag. a n. 87. vel falsa, vel certe ad argumenti solutionem minime necessaria, breviter enim neg. conseq. quia pura denominatio extrinseca in actu potest esse ratio terminandi specialem complacentiam, vel displicentiam Dei, sicut in actu exteriori esse volitum ab interiori, quod non est, nisi denominatio extrinseca, est ratio, cur Deus complaceat, vel displiceat in eo. Ad 5. neg. assumptum quoad secundam partem, non enim ratione actus, sed ratione respectus, quem fundat voluntas ad prærequisita, denominatione intrinseca voluntas dicitur libere agere. Ad 6. concedit totum Cavell. cit. quia inquit, ad libertatem actus, vel effectus alicujus non requiritur inhærere potentiæ liberæ, ideo enim præcise ponitur libertas propria, & formalis in actibus voluntatis, quia immediate dependent ab ejus dominio quoad fieri, & conservari, cum ergo in hunc modum omnes effectus immediatissime dependeant a voluntate Dei, & per accidens sit, quod effectus inhæreant, vel non, ut subsint hujusmodi dominio, nam si per impossibile voluntas nostra posset extra se ponere actus suos cum eadem ab ea dependentia, liberi essent non secus, ac modo sunt, ideo in omni rigore dici debent effectus liberi divinæ voluntatis, sicut actus nostræ voluntatis. Hanc tamen solutionem non recipimus, licet enim effectus quidam mere naturales, ut *ignis calefactio*, *Solis illuminatio*, possint ad nutum Dei esse, & non esse, verumtamen non idcirco censeri debent effectus ordinis liberi, sicuti sunt actus voluntatis nostræ, qui talis sunt conditionis, ut supote ingenio petant produci a principio indeterminato, qualem exigentiam non habent calefactio, illuminatio, cæteræque naturalium causarum actiones, & effectus, qui potius suapte natura petunt produci a principio determinato ad unum, quod autem esse, & non esse possint ad nutum Dei, arguit in eis contingentiam quandam privativam, non vero libertatem, nec proximam, nec remotam, quam tam semper retinent actus voluntatis, etiamsi necessario ab ea producerentur ex denegato concursu ad oppositum, *vel alia* de causa.

77 Ad 7. neg. conseq. quia actus externi dicuntur denominative liberi denominatione remota, & mediata, quia libertas eis *non convenit, nisi mediante actu interno*, at actus interni, & eliciti voluntatis dicuntur libere denominatione proxima, & immediate in eos derivata a voluntate eos producente, ut docet Doct. quol. 18. Ad 8. cum potentia sit libere operans, ubi antea necessario operabatur, non exercet de novo suam libertatem efficienter, quasi aliquid de novo producat, quod antea non producebat, hoc enim minime opus est, sed solum formaliter, quatenus illud idem, quod antea producebat, nec poterat non producere, mox ita producit, ut possit omittere, & hoc est de novo formaliter exercere suam libertatem, ideo ad argum. neg. conseq. Ad ult. actus liber, & necessarius non differunt in perfectione eis intrinseca, & essentiali, cum idem actus cum omni sua entitate reali transire possit de libero in necessarium, & e contra, sed *in perfectione tantum extrinseca*, & *accidentali*; bene tamen sic differunt actus liber, & naturalis; hic vero per actum necessarium non intelligimus actum naturalem, quia naturalitas aliquid addit *supra necessitatem*, ratione cujus omnino incompossibilis est cum libertate, ubi enim necessitas dicit actum tali modo a potentia fieri, ut proxime ab ea sic disposita in actu primo nequeat non fieri, naturalitas dicit actum, nedum necessario a potentia oriri, sed etiam ab ea omnino determinata ad talem actum, unde directe tollit a potentia dominium super actum se determinandi ad illum, quod est libertati essentialissimum, & ideo necessitas stare potest cum libertate ex dictis q. 2. art. 1. non autem naturalitas.

78 Deinde arguitur contra alteram conclusionem probando libertatem esse actui libero denominationem essentialem, non accidentalem, & quia vitalitas est quid intrinsecum, & essentiale actui volendi, sed libertas est modus quidam vitalitatis, ergo &c. Tum 2. libertas in actu primo est differentia essentialis principii vitalis, quia per hanc differt voluntas ab appetitu bruti essentialiter; ergo libertas in actu secundo est differentia essentialis actus vitalis, quia principium liberum debet habere actum secundum sibi proportionatum. Tum 3. principium liberum, ut sic, est diversum essentialiter in ratione principii a principio necessario, ergo ejus effectus debet esse essentialiter diversus ab effectu principii necessarii. Tum 4. volitio necessaria non procedit a principio, ut libero, ergo diversa est hæc processio ab illa: probat. conseq. quia omnis actio variatur intrinsece per respectum ad diversum principium, sed actio libera habet ordinem ad principium liberum, ut liberum, actio necessaria e contra, ergo actio libera essentialiter distinguitur a necessaria. Tum 5. illi actus essentialiter differunt, qui petunt produci a potentiis diversis, actus liber, & non liber sunt hujusmodi, quia nec liber potest produci a non libera, nec non liber a libera, liber enim debet procedere a potentia hic & nunc potente operari, & non operari, non liber vero a potentia, hic, & nunc non potente non operari, ergo &c. Tum 6. diverfæ objecti cognitiones diversos *causant amores*, *ut patet de fruitione viæ*, & *patriæ*, *sed volitio* libera, & non libera sequuntur diversas objecti cognitiones, ergo &c. Tum 7. actus liber ideo talis est, quia procedit a voluntate, a cognitione indifferente, & concursu Dei indeterminato, sed hæc omnia sunt essentialia actui voluntatis, ergo & libertas ipsa; major patet, minor quoad primam partem patet, quoad alteram probatur, quia ex cognitione indifferenter ostendente bonitatem, & malitiam in objecto oritur actus liber, & per hoc distinguitur a necessario, qui oritur ex cognitione determinata, & eodem modo probatur quoad ultimam, quia concursus Dei determinatus efficit actionem necessariam, non liberam. Tum 8. non regnat aliquis actus voluntaris, quin essentialiter pendeat a voluntate cum tali cognitione, & concursu Dei indifferente, ergo *libertas est illi essentialis*. Tum *tandem ratio voluntarii* est essentialis actui voluntatis, ergo & ratio liberi, patet conseq. quia voluntarium, & liberum sunt idem, probatur assumptum, quia implicat actionem voluntatis non esse voluntariam, præsertim quia, ut supra diximus, non potest voluntas cogi in actibus elicitis.

79 Resp. ad hæc omnia facile ex nostro fundamento secundæ conclusionis, unde ad 1. si minor intelligatur de libertate remota, vera est, si de proxima de qua hic fit sermo, est falsa. Ad 2. verum est assumptum de libertate remota, non proxima, hæc enim carens voluntas beata adhuc essentialiter secernitur ab appetitu brutorum, & similiter distinguendum est consequens, in quam responsionem recidit, quod alii dicunt, opus non esse ad essentiam actus liberi, quod proxime fieri possit, & non fieri a potentia libera, sed ad ipsum sufficere quod habeat aptitudinem ad sic fieri, quam adhuc retinet, etiam quando fit *necessario*, per hoc enim distinguitur ab actu naturali. Ad 3. neg. assumptum, quia *ut diximus in fundamento conclusionis*, *uterque modus* operandi scilicet libere proxime, quod est agere *contingenter*, & necessario necessitate huic libertati *opposita*, potest eidem principio convenire sub diversa dispositione *constituto*, adeo ut principium proxime liberum, seu *contingenter* a principio necessario nonnisi accidentaliter *differt*. Ad 4. si assumptum intelligatur de libertate proxima, *verum est*, *falsum* autem, si intelligatur de remota, unde *concluditur* inter hanc, & illam processionem sola accidentalis diversitas, non essentialis, utriusque enim idem est principium *essentialiter*, diversum duntaxat accidenta-

dentaliter. Ad quintum si per actum non liberum intelligatur actus naturalis, concedimus totum argumentum, si vero intelligatur actus necessarius excludens solam contingentiam, & libertatem proximam, negatur minor, quia actus hoc modo non liber, licet esse nequeat a potentia libera proxime, potest tamen esse ab eadem libera remote, & eadem potentia potest esse modo libera proxime modo tantum remote sub diversa dispositione. Ad 6. posset negari major, quia cum ipsa cognitio non influat in actum, sed solum sit conditio requisita ad proponendum objectum, parum refert variatio cognitionis ad variationem amoris, dummodo per illas cognitiones proponatur idem objectum; sed quicquid modo sit de illa majori, breviter negatur minor, quia actus fieri potest de libero non liber ex sola variatione concursus parati, & indifferentis, nulla prorsus facta variatione in cognitione. Ad 7. potest negari major, & minor, major quidem, quia ut dictum est q. 3. art. 2. libertas actu non pendet ex indifferentia judicii, & actus elicitus a voluntate conjuncta cum judicio indifferenti potest fieri necessarius ob solam variationem concursus Dei; potest etiam negari minor, quoad omnes partes, quia actus voluntatis potest quoque a Deo totaliter in voluntate produci; & cum cognitione determinata potest esse liber, cum non determinetur voluntas ab ultimo judicio practico ex dictis qu. cit. art. 3. & denique licet concursus Dei determinatus efficiat cum nostra voluntate actum necessarium, ut in beatis, non tamen efficit naturalem, quia hæc determinatio est alterius rationis ab ea, qua utitur concurrendo cum appetitu brutorum, unde falsum est, talem determinatum concursum essent ialiter differre a concursu indifferenti, quo nobiscum in via efficit actus proxime liberos, solum enim differt accidentaliter. Ad 8. quicquid sit de assumpto, neg. conseq. non enim est ponenda de facto illa diversitas essentialis, nisi ubi eam aliqua ratio convincat, quia sicut non sunt multiplicanda numero entia sine necessitate, ita nec specie, vel genere. Ad ult. voluntarium frequenter accipi solet, ut convertitur cum libero, ut notat Doct. quol. 18. ad 1. princ. & sic eadem est ratio de libero, & voluntario, & in hoc sensu negandum est assumptum, cujus probatio urget tantummodo de voluntario, proprie sumpto, ut distinguitur a libero.

80 Quæres, quid interest inter liberum, & voluntarium proprie sumptum. Resp. voluntarium posse dupliciter capi, primo, ut est genus ad liberum tam physicum, quam morale, quomodo nil aliud est, quam liberum a coactione, & violentia, quo sensu omnis actus liber dicitur voluntarius; secundo, ut est species quædam a libero condistincta, quo sensu illud dicitur voluntarium, quod est naturali inclinationi, & appetitui voluntatis consentaneum, & acceptum, nec ullo modo contra illud voluntas reniti tur, aut remurmurat, de quo loquitur Doct. 4. d. 29. ad 3. & d. 14. q. 1. N. sed rursus dupliciter potest aliquid hoc modo voluntarium dici, ut Doct. cit. advertit, uno modo objective, quia scilicet est objectum placens voluntati, & hoc modo divitiæ sunt avaro voluntariæ, quia placent illius voluntati, alio modo formaliter, vel effective, quia scilicet procedit ab ipsa voluntate secundum ejus inclinationem, & commodi affectionem, & in hoc sensu actus dicitur voluntarius, & voluntarium hoc modo distinguitur a libero, & potest esse sine illo, & illare cum necessario, ut constat de actu amoris beatifici, qui est summe voluntarius, non autem liber, sed necessarius; imo in hoc sensu quodammodo opponitur libero, quia, inquiunt Morales, quod ratio voluntarii in eodem actu minuit rationem liberi, & e contra, & quod concupiscentia auget voluntarium, & minuit liberum, ut quando agimus aliquid voluntarie, & libere, & dum agimus accedit motus delectationis aut concupiscentiæ, tunc enim quo vehementior est motus, eo voluntas magis trahitur, & inclinatur ad agendum, & sic augetur voluntarium, & e contra minuitur liberum, quo enim magis in unam partem trahitur voluntas, eo minus ad utramque manet indifferens, ac indeterminata, & consequenter minus libera; sed de voluntario, & involuntario agunt Theologi in p. 2. & Ar. 3. Ethic. c. 1. ubi utriusque definitiones tradit, quas exacte Morales pertractant loc. cit.

ARTICULUS II.

Resolutio quæsiti de libertate omissionis.

SI Dicimus possibilem esse puram omissionem liberam, itaut voluntas ex sua libertate omittat independenter ab omni actu positivo, qui sit causa directa, vel indirecta talis omissionis; Concl. est Scoti pluribus in locis (quamvis nullibi ex instituto qu. hanc pertractet, quia forte non multum urgebat sua tempestate) 1. d. 1. q. 4. & d. 41. §. *primum iftorum solvitur*, & in 2. d. 7. P. & Q. & d. 42. R. & in 3. d. 15. qu. un. infra D. ubi ait, non nolle esse immediate in potestate voluntatis, quod etiam habet quol. 18. infra O. & in 4. d. 49. q. 10. G. neque nos conturbet, quod 1. d. 47. q. un. D. & quol. 16. actum volendi exigat, ut suspensio actus voluntaria dicatur: quia ut ibi notant Expositores ex expressis ejus verbis, accipit ibi Doctor voluntarium, prout coincidit cum volito, qui modus loquendi satis ei vernaculus est, non autem sumit voluntarium pro libero; Doctorem sequuntur ejus discipuli Lichet. & Gadius quol. 16. Cavell. disp. 3. de An. sect. 16. Vulp. tom. 2. part. 2. disp. 57. art. 3. Bassol. 2. d. 35. q. un. art. 1. Nicol. de Nissa, Angles, Rubion. Herrer. & passim alii Scotistæ cum Recentiorum cætu ab initio citati.

Cæterum licet præfati omnes Auctores conclusionem hanc doceant, non tamen omnes eam valide probant, idcirco Arriag. loc. cit. quamplures aliorum reiicit rationes velut inutiles (quamvis immerito, cum earum nonnullæ sint valde convincentes, ut mox dicemus) & tandem duas adducit, vel tres, quarum unam valde solidam putat, alteram vero penitus convincentem, prima, est, quando effici amorem (inquit) intensum ut quatuor v. g. mihi est libera carentia ulterioris intensionis, & non per actum, quo virtualiter, vel formaliter sit volita, ergo in seipsa, probat. min. quia quatuor gradus intensionis, quos efficio, non sunt incompossibiles cum quinto, expresse autem non habeo actum, quo dicam, nolo quintum, ergo carentia illius ulterioris intensionis est mihi libera sine omni actu positivo, qui sit ejus causa directa, vel indirecta. Altera est, quando voluntas libere amat aliquod objectum, v. g. Petrum libertate exercitii, ita amat, ut possit positive etiam sibi imperare amorem, sed in hoc casu, dum talem actum *imperii omittit, intervenit* pura omissio libera, ergo &c. major patet, probat. min. quia hic actus imperii non est repugnans cum amore elicito circa Petrum, ergo *in eo* amore volita *non fuit* virtualiter ejus imperii carentia, cum ergo in se non fuerit volita reflexe, quia supponitur non imperare sibi amorem, sed directe illum elicere, plane in eo casu datur libera omissio pura illius imperii, ergo possibilis est pura omissio.

82 In præsenti non est animus doctrinam istarum rationum examinare; sed solum advertere volumus illas ad rem non facere, nec ad statum quæsiti quod versamus, respondere; cum enim hic quæritur, an possit dari pura omissio libera in voluntate nostra, certe vel non movetur de omissione actus reflexi, sed recti, vel saltem principaliter movetur de omissione istius, quod satis constat ex communi exemplo, quod Auctores proponere solent, ut statum hujus controversiæ declarent, de velle audire sacrum, *vel non velle, ex quo fit*, secundam rationem, quam jactat Arriag. evidentissimam, & insolubilem, vel non apte probare conclusionem, vel nimis diminute, quia non probat de omissione actus recti, circa quam tota hæc controversia versatur, vel saltem magis principaliter. Rursus hæc quæstio proponitur de toto, ac integro actu voluntatis, quem voluntas libere suspendat, non de aliqua parte intensionis ejus, quod etiam satis constare potest ex ipso statu controversiæ, ergo nec etiam prima ratio satisfacit quæsito, utpote quæ procedit duntaxat de omissione alicujus intensionis actus, non vero de omissione totius actus. Quod si dicat Arriag. eandem esse rationem quoad hoc de actu reflexo, & recto, & de parte actus, ac toto ipso actu; id poterunt negare Adversarii, & illis incumbet onus paritatem probandi, quam tamen ipse non probat melius, ergo est ad bene fundandam conclusionem rationem adducere, quæ directe satisfaciat quæsito, & plene eam probet de omni actu, ut omne subterfugium Adversariis præcludatur, & hæc erit communis illa ratio, qua passim fautores liberæ omissionis utuntur, deducta ex ipsa notione libertatis exercitii, quæ proinde censenda est a priori, & est inel uctabilis, si bene pertractetur, unde immerito spernitur ab Arriag. & aliis imbecillioribus ab eo adductis postponitur.

83 Ratio igitur, quam evidenter nostram conclusionem convincere autumamus, est talis, quam Doct. loc. cit. sæpe insinuavit; illud est liberum, quod est in voluntatis potestate, ut sit, & non sit, ut ipse docet 2. d. 32. §. *ad argumenta quæstionum*, & quol. 18. in fine, sed tam actus, quam ejus suspensio ita est in voluntatis potestate, & dominio, ergo non minus hæc, quam ille secundum se præcise sumpta est libera, major patet; probat. minor, quia voluntas proposito objecto per libertatem exercitii potest velle, & non velle. Resp. neg. min. quia actus est in potestate voluntatis immediate, suspensio autem illius mediate, idest mediante velle, quo voluntas vult omittere, vel aliquod *aliud objectum* incompossibile. Sed contra, quia ut docet Doct. quol. 18. cit. infra O. per hoc suspensio actus interioris, seu voluntatis differt a suspensione actus aliarum potentiarum, quod hæc est tantum mediate libera, & in voluntatis potestate, illa vero immediate, ut non audire missam intantum est libera omissio, inquantum voluntas vult non audire missam, vel aliud incompossibile, ergo si omissio etiam actus ipsius voluntatis alio modo nequit esse libera, quam per alium actum, nulla erit indifferentia inter libertatem omissionis exterioris, & interioris, vel saltem hæc non erit magis in potestate voluntatis, quam illa. Tum quia non majus dominium habet voluntas ex natura sua supra actum, quam supra omissionem actus, ergo sicut voluntas velle potest immediate independenter ab omni alio actu, ita *etiam potérit immediate non* velle præscindendo a quocunque actu positivo. Tum quia voluntas æque libera est libertate contrarietatis, ac contradictionis, ergo sicut libertas contrarietatis immediate exerceri potest ab ea per actus contrarios, ita libertas contradictionis per actus contradictorios, seu per actum, & carentiam actus. Tum denique quia libertas contradictionis non includit in suo conceptu posse velle, & nolle, vel posse velle non velle, aut posse velle illud objectum, & velle aliud, sed consistit in hoc, quod possit velle, & non velle idem objectum, ergo potest sufficienter exercere libertatem contradictionis voluntas, absque eo quod positive nolit, vel velit non velle, aut velit aliud objectum incompossibile, sed præcise per hoc, quod non velit, cum possit velle; assumptum constat ex definitione libertatis contradictionis superius adductæ, quod sit indifferentia voluntatis ad operandum, & non operandum, ubi ut vides, non dicitur, quod sit indifferentia ad operandum, & ad volendum non operari, aut nolendum operari, sed solum, quod sit indifferentia ad operandum, & non operandum; cujus ratio est, quia libertas hæc versari debet inter extrema contradictoria, & ideo dicitur contradictionis, sed duo actus positivi non sunt extrema contradictoria; ergo libertas contradictionis, ne confundatur cum libertate contrarietatis, cadere debet inter velle, & non velle, non autem inter velle, & nolle, aut inter velle, & velle non velle.

84 Resp.

84 Resp. libertatem contradictionis non cadere inter extrema *contradictoria*, sed solum exerceri per ordniem ad duo objecta contradictoria, per hoc scilicet quod voluntas potest velle audire sacrum, & potest velle non audire sacrum; & ideo negant confundi libertatem contradictionis cum libertate contrarietatis, siquidem libertas contrarietatis cadit inter actus contrarios, & exercetur per ordinem ad objecta contraria, unde aliud est dicere, nolo efficere amorem Dei, aliud vero Deum odio habere, hoc pertinet ad libertatem contrarietatis, illud ad libertatem contradictionis; itaque concludunt libertatem contradictionis exerceri per actus positivos in ordine tamen ad objecta contradictoria. Contra, quia libertas tam contradictionis, quam contrarietatis maxime attenditur in voluntate respectu ejusdem objecti, quatenus idem objectum potest amare, vel odio prosequi, velle, & non velle, ergo non bene, vel saltem non sufficienter salvatur libertas voluntatis per ordinem præcise ad diversa objecta contraria, vel contradictoria. Tum quia si non potest aliquis libere cessare ab amore, v. g. Dei, nisi dicendo, nolo amare, ergo confunditur libertas exercitii cum libertate specificationis, vel potius illa totaliter aufertur, quia non cessaret ab amore Dei, nisi eliciendo actum contrarium ipsi amori, scilicet nolitionem amoris. Dices, hunc actum non esse amori contrarium, sed odium ei opponi. Contra, certe nullus actus dari potest adeo amori contrarius, ac nolitio ipsius amoris, quia per hunc actum amor odio habetur. Dices, ad libertatem specificationis, seu contrarietatis requiri plurium objectorum cognitionem, quæ sint contraria. Contra, quia ut diximus, libertas contrarietatis præsertim exercetur circa *idem* objectum per actus contrarios, nec semper opus est, quod tendat in objecta diversa, & contraria; in opinione autem contraria nunquam *voluntas posset circa idem objectum* proximum, & immediatum fuam exercere libertatem, dum enim amat Deum, si ut ab hoc amore cesset, debet velle non amare Deum, aut nolle amare Deum, palam est objectum immediatum hujus reflexæ volitionis, aut nolitionis nequaquam esse Deum, sed amorem Dei.

85 Sed admisso etiam, quod libertas contradictionis possit exerceri per actus positivos reflexos, ut isti contendunt, tamen adhuc ostendere tenetur non posse aliter fieri hoc exercitium, cujus oppositum nos manifeste ostendemus, si cum Doctore advertamus, quod docet 1. d. 10. qu. un. in fine, & 2. d. 42. lit. I. & alibi sæpe, objectum actus voluntatis utique semper debere præcognosci, ut ipsa circa illud possit operari, non tamen actum ipsum, ex hoc enim sic argumentari licebit, si non potest objectum aliquod *libere* amari, nisi quatenus voluntas potest velle actum illum amoris omittere, vel nolle amare, ergo ad exercendum actum liberum, nedum objectum sed actus ipse voluntatis præcognosci debebit. Consequens est falsum, etiam apud Adversarios ipsos, ergo & antecedens; probatur sequela majoris, quia sine cognitione reflexa amoris, & ejus carentiæ non potest esse nolitio amoris, quia hæc nolitio habet pro objecto amorem, ad quam terminari non potest sine ejus cognitione, ergo voluntas libere amat aliquod objectum libertate contradictionis per hoc præcise, quod potest actum illum amoris non elicere, non autem quia possit actum illum nolle; alioquin quotiescunque voluntas libere operatur, opus esset, nedum objectum, sed etiam actum ipsum præcognoscere: Dices, respectu volitionis, vel nolitionis reflexæ amorem *illum* directum, *ejusque carentiam* habere rationem objecti; Bene, & hoc est, quod argumentum intendit, nimirum opus non esse, quod actus semper quoque habeat rationem *objecti*, ut sit liber, respectu alterius actus reflexi, quia alias dabitur processus in infinitum, si enim ut libere ametur Petrus, v. g. opus est præcognoscere amorem hunc directum, ejusque carentiam, ut hanc velle, vel illum nolle queat reflexe, consequenter ut actus iste reflexus sit liber, & libere exerceatur, voluntas debet esse potens hunc actum reflexum velle omittere, vel nolle; talem autem potentiam proxime non habebit, nisi hic actus reflexus præcognoscatur, & sic dabitur processus in infinitum ad salvandam libertatem actuum reflexorum; si ergo libertas contradictionis exercetur interdum per actus positivos reflexos, ut isti contendunt, sane hoc erit mere per accidens, non vero per se, & ex indigentia libertatis contradictionis, & hoc argumentum penitus convincere arbitramur, cujus energiam bene agnoverunt Hurt. & Arriag. loc. cit.

86 Hic robur sumit aliud argumentum, quod sæpe quoque solent urgere fautores liberæ omissionis, quamvis hoc enim contemnatur ab Arriag. cit. si quis eliciat amorem circa aliquod objectum, libere continuabit illum, etiamsi amanti denegetur concursus ad actum oppositum, aut alium quemcunque incompossibilem, per hoc solum, quod potest illum omittere, ergo dari potest pura omissio libera, absque actu positivo annexo, qui ejus causa existat directe, vel indirecte, conseq. patet, probatur assumptum, quia ad eliciendum actum liberum circa aliquod objectum, hæc tria sufficere videntur, potestas indifferens ad agendum, & non agendum ipsius voluntatis, sufficiens cognitio bonitatis objecti, & concursus Dei paratus ad utrumlibet, scilicet ad actum, & carentiam actus, nec ulterius requiritur potestas voluntatis, aut concursus Dei paratus ad oppositos actus, nisi in exercitio libertatis contrarietatis; cum igitur illa tria interveniant *in casu posito, ille libere continuabit amorem*, quia horum trium beneficio in ejus manu est perseverare, vel non perseverare in actu amoris, quia non est libertas in eo actu amoris, eo quod voluntas possit in alios actus. Neque dicas, ex denegatione concursus ad oppositum actum, vel alium disparatum, aut ablationem notitiæ alterius objecti actum illum fieri necessarium; hoc enim gratis omnino diceretur, quia manent eadem principia illius actus immutata prorsus in ordine ad illum, ergo idem ille actus manebit liber ut antea: probatur assumptum, quia manet eadem voluntas, & idem Dei concursus cum ea, & indifferens, sicut antea, in ordine ad illum actum, quia illa mutatio concursus ex hypotesi facta est tantum circa actum oppositum, vel disparatum; adest etiam eadem notitia, & propositio objecti, quantum spectat ad illum actum, quia notitia alterius objecti impertinens est ad istum actum exercendum, ergo &c. Dices, hunc actum pendere ex concursu Dei parato sibi, & actui opposito, scilicet odio. Hoc est falsum, quia amor ex *principiis odii non dependet, & cum concursus Dei ad actum* contradictorie liberum dicitur paratus, & indifferens, non debet intelligi de indifferentia ad oppositum actum, sed ad carentiam amoris, quatenus divina voluntas parata est cum creata prosequi actum amoris, si ipsa perseverat, cessare, si ipsa cessat, & a tali indifferentia concursus actus ille amoris sumit suam libertatem ex parte Dei, unde nec in ratione amoris ut sic, nec in ratione liberi libertate contradictionis pendet actus ille a concursu parato ad odium, aut alium actum cum ipso incompossibilem.

87. In contrarium obiicitur Primo, voluntarium est, quod procedit a voluntate, sicut a principio, omissio autem, & carentia actus non procedit, quia nihil est, ergo voluntaria esse nequit, vel libera. Resp. ad minorem utique non procedere a voluntate, sicut ab agente, quia *nihil* est, procedit tamen ab ea, sicut a non agente, cum agere posset, primus modus procedendi convenit voluntario positivo, ut est actus, alter privativo, qualis est *ejus omissio*. Dices, *non potest intelligi* aliquid dependere a voluntate, ut a principio ipso non agente, nec ullo modo concurrente ad illud, non enim potest aliquid procedere ab alio, ut a causa, nisi illud causalitatem habeat super ipsum. Resp. assumptum esse verum de eo, quod procedit per modum effectus positivi, non per modum simplicis negationis, quod alii dicunt verum esse de eo, quod procedit a voluntate directe, non indirecte; nec mirum est, quod negatio actus dicatur esse a voluntate, quatenus non agit, universaliter enim negationes dicuntur esse a causis, quatenus non efficiuntur ab eis positiva, quibus opponuntur, & quibus positis non essent ipsæ negationes, quare sicut tenebræ dicuntur esse a sole naturaliter, quatenus sol, dum est in altero Hemisphærio, ita non producit lucem in nostro, ut omnino producere nequeat, *ita negatio* actus libere dicetur esse a voluntate, quatenus voluntas ita non producit actum, ut possit eum producere. Dices rursus, omne voluntarium est exercitium potentiæ vitalis liberæ, & *ejus actus secundus*, pura autem omissio non est exercitium potentiæ vitalis volentis, nec ejus actus secundus, sed potius est carentia exercitii, & cujuscunque actus secundi, ergo &c. Resp. omne voluntarium positivum esse exercitium positivum voluntatis, voluntarium vero privativum esse exercitium privativum, quod duplex exercitium optime convenit potentiæ liberæ, ut sic, nam potentia libera, ut libera, est veluti duplex potentia, ad operandum scilicet, & non operandum, hoc igitur modo appellatur omissio actus secundus voluntatis non positivus, sed privativus, quia scilicet hæc actus negatio ei competit in *illo* signo, in quo posset habere actum positivum. Dices, pnra omissio comparatur ad voluntatem, sicut carentia intellectionis ad *intellectum*: sed *hæc* non est exercitium potentiæ *intellectivæ*, *ergo nec illa volitivæ*. Resp. neg. majorem, si cum adæquatione fiat comparatio: *ratio discriminis* est, quia intellectus est causa necessaria, causæ autem necessariæ non tribuitur negatio operationis, nec enim *oculus est causa non videndi* objectum absens, cum oculus non habeat potentiam ad videndum objectum absens, causa autem libera habet potestatem operandi, & non operandi, & potentiam ad utrunque, & ideo utrunque operari scilicet, & non operari, tribuitur causæ liberæ, ut exercitium potestatis.

88 Sed instabis; potentia libera, ut libera, est potentia vitalis, ergo omne exercitium potentiæ liberæ, ut sic, est exercitium potentiæ vitalis, ut vitalis, & consequenter est exercitium positivum, quia per exercitium vitale, movet se homo ab intrinseco, & tendit vitaliter in objectum, cum ergo pura omissio nequeat *sic voluntatem* exercere, nullo modo esse potest exercitium potentiæ liberæ, ut liberæ. Resp. potentiam liberam ex sua indole ad duplex exercitium ordinari, unum vitale, alterum non vitale, *libera enim est ad operandum vitaliter*, & non operandum vitaliter (non tamen ad operandum non vitaliter) quare licet omissio non sit exercitium vitale, adhuc tamen est exercitium potentiæ, quæ, ut libera *respicit* utrumque *exercitium*, *in* quo secernitur a potentia naturali, & ut libera addit supra potentiam vitalem in communi potentiam ad generationem actus vitalis; unde qua libera est, & veluti duplex potentia, ad operandum scilicet vitaliter & ad non operandum vitaliter, ut diximus; secundum quod est potentia operandi, constituitur in actu secundo per actionem positivam, secundum quod est potentia non operandi, non eget actione positiva, ut constituatur in actu secundo, sed sufficit carentia actionis, cum illam potest habere. Dices, voluntas dum se exercet libere omittendo, aliter se habet in actu secundo, quam in primo, quando solum poterat *omittere*, sed in actu primo erat carentia actus, ergo *in* actu secundo aliquid aliud habet præter illam carentiam. Resp. ad majorem *voluntatem* libere omittentem aliter se *habere privative*, non positive, minor autem est absolute *falsa*, quia actu primo non est carentia operationis, sed præcisio, *hoc est*, pro illo priori naturæ voluntas præscindit ab actu, & carentia actus, estque indifferens ad utrunque, *pro posteriori* vero jam non præscindit, sed habet privationem; Instabis tandem, actus secun-

eundus proportionari debet suo actui primo, ergo omissio, cum sit purum non ens, nequit voluntatem in actu secundo constituere, quæ est potentia realis, & activa. Resp. ut diximus constituere voluntatem in actu secundo non ex ea parte, qua est potentia faciendi, sed ex alia, secundum quam est potentia non faciendi, unde licet omissio non proportionetur cum voluntate, quatenus est potentia activa præcise, proportionatur tamen ei, quatenus est activa libera, quia sic est potentia activa, & suspensiva actus.

89 Secundo non potest suam exercere libertatem, nisi moveatur aliquo motivo boni amabilis, vel mali odibilis, sed hoc quod est voluntate moveri a *motivo boni* est habere actum amoris, per quem prosequatur bonum, & moveri a motivo mali est habere actum odii, per quem fugiat malum, ergo voluntas non potest *exercere* libertatem sine aliquo actu positivo amoris, vel odii.

Resp. hoc argum. varias habere solutiones, ut est videre apud authores, quibus omnibus dimissis, breviter dicimus, plus probare, si bene ponderetur, quam Adversarii velint; probat enim voluntatem solum exerceri posse per libertatem contrarietatis, & *destruit omnem* libertatem contradictionis, vult enim semper exerceri per actus amoris, & odii, quæ sunt extrema libertatis contrarietatis; falsa itaque est major absolute prolata, licet enim voluntas exercere nequeat circa objectum libertatem contrarietatis, nisi in objecto appareat malitia, & bonitas; potest tamen exercere libertatem contradictionis, *etiamsi in objecto* nulla appareat malitia ex sua innata libertate, quam habet circa quodcumque objectum præsertim in via, ut inferius dicemus; falsa est etiam *minor*, quia si *malitia* movet ad odium, multo magis movere potest ad omissionem amoris, minus quippe est objectum non amare, quam odio habere; vide, quam debile sit argumentum, quod adeo aliqui magnificant; & quidem omnino vanum est velle assignare motivum omissionis, cum omissio nullo indigeat motivo, & ad ipsam sola sufficiat voluntatis libertas, imo voluntatem suspendere actum circa objectum formalissime est ipsum non sinere se moveri. Dices, saltem illa major argumenti concedenda est, ut voluntas suam exerceat libertatem modo humano, qui est, semper exerceri propter aliquem finem, sicut enim quis non dicitur agere humane, nisi propter aliquem finem, ita ut dicatur omittere humane, debet omittere propter aliquem finem, at causalitatis finis, cum sit realis, non potest exerceri circa meram negationem, ergo in omissione saltem humana semper est aliquis actus involutus terminans realem finis causalitatem.

Resp. sicut ut quis agere dicatur humane, sufficit quandoque motivum virtuale solum, ut patet de distracto, ita multo magis ut dicatur voluntarie omittere, sufficit motivum dumtaxat interpretativum, & consequenter actus intervenit in eo casu solum interpretativus, ut patet de non volente ad matutinum surgere, hic enim quantumvis aliquod formale motivum non haberet ad omittendum, tamen interpretabitur quisque ipsum habere hanc puram omissionem a commoditate motum & illectum, & hoc sufficit ad omissionem humanam, ut bene notavit Faber disp. 1. de pœnit. n. 140. cum vero dicebatur causalitatem finis esse realem, ideoque ad puram negationem *terminari non posse*, *hoc* in primis est falsum, quia ut constat ex dictis in Phys. causalitas finis est potius metaphorica, & moralis, quam realis, & physica, *deinde quando etiam illud* admitteretur, ut verum, intelligi deberet de causalitate finis formaliter moventis, & non interpretative solum, ut esset in proposito.

90 Sed contra hanc solutionem, quæ alioqui sufficientissima est, urgent, quia si voluntati duplex ratio proponatur ad omittendum v. g. blasphemiam, tum quia est *contra honorem* Dei, tum quia contra gloriam humanam, non possemus interpretari quempiam omittere blasphemiam, quia est contra honorem Dei magis, quam quia contra proprium, nisi voluntas per actum se explicet, cur omittat; ne igitur facile quisque præsumere possit hominem a blasphemia cavere ob malum finem, & ita non blasphemando peccare, debemus dicere hujusmodi actum esse necessarium ad bene interpretandum, & præsumendum de omissione. Resp. neg. assumptum, imo quando *voluntas* se explicat, nulla indiget interpretatione, sed interpretatio proprie versatur circa voluntatem implicitam, interpretamur vero ipsam ex hoc, vel *illo* motivo persuaderi ex varia rerum, ac circumstantiarum serie, in quibus reperitur, & ex modo se habendi circa objectum, & certe in casu argumenti præsumi non potest leviſſimum illud mundanæ gloriæ motivum causam esse cautionis a blasphemia, cum voluntas, ut plurimum, sinat se moveri a rationabiliori motivo, interpretatio autem fit juxta frequentem *modum*, quo voluntas moveri solet, nisi aliud obstet, an vero talis omissio esset bona, & meritoria non est præsentis negotii, sed ad Theologum pertinet.

Sed adhuc fortius urgent, quia si voluntati duo motiva inter se opposita proponantur ad omittendum, ut v. g. omissionem sacri esse utilem vel ad dormiendum, vel ad ludendum, non possumus interpretari, si sacrum omittat, nec per actum se explicet, ex quo motivo persuasa omittat, nec enim potest ex utroque moveri, quia non potuit simul velle ludere, & dormire. Resp. per hoc argumentum probari ad summum in isto casu, & similibus omissionem contingere non posse sine actu, non vero probat universaliter; sed neque etiam efficaciter probat in casu proposito, nam sicut per actum positivum, & expressum potest voluntas illam omissionem velle, quia ei libertatem affert ad utrumque finem sub disjunctione, etiamsi utrumque simul non possit amare, ita quoque potest velle interpretative; Accedit, quod tunc somnus, & ludus non movent voluntatem ad omissionem secundum rationes proprias, & peculiares, juxta quas sunt incompossibiles, sed inquantum conveniunt in una ratione communi, quæ est esse malum, incommodum, & odibile facere illud objectum, scilicet sacrum hic, & nunc.

91 Postremo sic arguunt, potentia libera est, quæ potest facere, & non facere, sed voluntas comparata puræ omissioni non est potentia activa, quia pura omissio non est terminus factibilis, cum sit nihil, ergo respectu illius non est libera. Tum 2. esse liberum, & voluntarium est quædam differentia entis, ergo nequit puræ omissioni *convenire*, quæ est simpliciter *non ens*. Tum 3. omne, quod est liberum, ablata libertate, adhuc manet voluntarium, quia subjectum liberi est voluntarium, sed pura omissio oblata libertate non est voluntaria, ergo neque est capax, ut supra illam cadat libertas. Tum 4. eadem omissio in se est, sive Deus paret concursum indifferentem, sive non, in utroque enim casu est purum nihil, *sed si* Deus neget concursum indifferentem, ea omissio non est libera, ergo etiamsi non paret, non est libera. Tum 5. si Deus denegat concursum ad volendum audire sacrum, *tunc* omissio non est libera, sed eodem modo se haberet voluntas, si nesciente homine Deus iterum paratus esset ad concurrendum, & adhuc omissio continuaretur, ergo nec postea esset libera illa pura omissio, prob. cons. quia nulla esset facta mutatio in voluntate, ergo non poterit habere exercitium liberum novum, cum antea non haberet. Tum 6. ut omissio sit libera, debet esse aliquo modo volita non propter se, quia cum sit non ens, non est bonum, ergo ratione alicujus alterius, quod habet *rationem* boni, & per consequens semper datur aliquis actus omissioni annexus. Tum 7. advertenter non velle est virtualiter nolle, sed omne nolle præsupponit velle ex Scot. 2. d. 6. q. 2. ideo enim nolumus infirmitatem, quia volumus salutem, ergo &c. Tum 8. quia omissiones multiplicatæ destruunt habitum acquisitum ut experientia constat, ergo non sunt *sine actibus*, quia *non ens* nequit destruere *ens*. Tum tandem Deus nequit voluntarie omittere sine actu, ergo nec nos.

92 Resp. ad 1. neg. cons. quia potentia libera sua *indole*, nedum est potentia activa, sed etiam non activa, cum sit potentia agendi, & non agendi, & licet ex ea parte, qua est activa, non respiciat puram omissionem, eam tamen respicit ex alia parte, qua est potens non agere; potest etiam negari, quod ut activa, saltem specificative, non respiciat puram omissionem, quia ut diximus art. præc. re vera potentia libera est unica tantum potentia realiter, & *formaliter* non habens necessariam connexionem cum effectu; tum quia etiamsi a nobis cogitetur ut gemina potentia, tamen in ratione potentiæ liberæ utramque necessario includit, unde non potest comparari ut libera, & indifferens ad omissionem, nisi concipiatur, ut potens agere, neque comparari potest ut libera ad actum, *nisi insimul* concipiatur, ut potens non agere. Ad 2. neg. assumptum, quia libertas, ut hic de ea loquimur, quatenus nimirum convenit actui, vel ejus omissioni, non est, nisi extrinseca denominatio actui vel omissioni obveniens ex indifferentia potentiæ, ut liquet ex art. præc. Ad 3. eodem modo discurrendum est de voluntario privativo respectu puræ omissionis, sicut de positivo respectu actus, unde sicut actus voluntatis factus necessarius ex denegatione concursus, adhuc dicitur voluntarius, quia *adhuc est juxta inclinationem voluntatis*, ita pariter omissio, si fiat necessaria ex eodem casu, vel alio consimili, adhuc erit voluntaria, quia voluntas sua indole non magis in actum quam in ejus omissionem propensa est ex dictis ad finem præc. ar. unde in hoc sensu neganda est minor. Ad 4. idem prorsus argumentum de actu fieri posset; utique esset in utroque casu eadem omissio in se, præsertim in nostra sententia negante libertatem esse actui essentialem, sed non eodem modo in utroque casu se haberet, nam in uno esset omissio libera, in alio necessaria.

93 Ad 5. rursus idem argumentum fieri posset de actu; neg. itaque minor, acquireret enim respectum, & connotationem ad unum præcipuum ex necessario prærequisitis ad agendum, scilicet ad concursum Dei paratum, ratione cujus diceretur proxime potens ad volendum audire sacrum, a qua proxima potentia denominatur ipsa omissio libera absque omni mutatione intrinseca physica ipsius omissionis, sed per denominationem extrinsecam a principio proxime potente, & *idem* de actu dicendum, si de ipso fieret argumentum. Ad 6. si valeret, probaret etiam actum non esse liberum, nisi alio actu volitus esset, itaque neg. assumptum, quia ad libertatem actus, & omissionis sufficit, quod sint immediate in ejus potestate. Ad 7. omne nolle præsupponit velle, vel formale, vel saltem interpretativum, & ita est in proposito, quando namque voluntas omittit, reputatur ac si ipsa dicat, volo non operari. Ad 8. ex dictis disp. 3. q. ult. negandum est assumptum, & ad experientiam dicendum, corruptionem habituum fieri per actus, qui regulariter comitantur omissiones, per quos, si omissio directe est volita, physice destruitur habitus oppositus v. g. religionis frequenti volitione omissionis missæ, si vero tantum sint occasiones omissionis sacri, ut cum tempore audiendi missam quis ludit vel studet, solum indirecte, & dispositive corrumpunt, quatenus producto affectu inordinate ad ludum, vel studium inclinante, facile oriuntur volitiones directæ omittendi sacrum amore studii. Ad ult. Doct. 1. d. 41. §. *dici potest* dicens in primo signo, in quo Deus vult gloriam Perro, mere negative se habere circa Judam, videtur concedere in divina voluntate puram omissionem; alii vero negant in Deo puram *omissionem liberam* esse possibilem, quia videtur libertas imperfecta illa suspensio, nec videtur concipi posse sine aliqua potentialitate ad actum; quod tamen non videtur multum urgere, quia in divina voluntate non attenditur libertas, quatenus est productiva, vel non productiva actus, ut in nostra, in qua proinde nequit pura omissio cogere sine potentialitate ad actum, sed quatenus est operativa, & tendere potest, ac non tendere circa aliquod objectum; sed quicquid sit de hoc, adhuc admisso antecedente debet negari cons. quia, si libertas ad puram omissionem dicit imperfectionem, etiamsi ex hoc capite repugnet voluntati divinæ, non tamen nostræ.

A P-

APPENDIX.

De actibus humanis.

94 AD declarandum quinam actus proprie dicatur humanus, præter distinctiones libertatis superius assignatas solet ulterius libertas distingui in physicam, & moralem; libertas physica, *seu naturalis illa* dicitur, quæ in operante cognitionem tantum commodi, vel incommodi naturalis præsupponit, ratione cujus bene stat, quod aliquis cognitionem habere possit, qua judicat aliquid esse bonum in ordine ad naturam, & delectationem, quamvis discernere nequeat, an sit conveniens, vel disconveniens in ordine ad honestatem, & consequenter quod ejus actio ad laudem, vel vituperium imputari nequeat in genere moris; ut constat in pueris perfectum rationis usum nondum habentibus, *qui libere* circa cibum, vestem, & alia hujusmodi operantur, antequam conformitatem, & difformitatem actionum ad rationem, & legem agnoscant; licet enim perfecto rationis usu careant ad honestatem vel pravitatem morum requisito; adhuc tamen aliquem discursum, & judicium habent de objecto *sub aliqua inferiori ratione sibi conveniente*, ut est ratio delectabilis, vel ratio convenientis, & disconvenientis animalis naturæ, & de mediis ad illum consequendum; libertas vero moralis *illa vocatur*, quæ cognitionem boni, vel mali moralis, idest virtutis, & vitii, honestatis, & turpidinis morum in operante præsupponit, ratione cujus optime norunt *homines inter malum*, & bonum honestum discernere ac proinde eorum actus liberi dicuntur imputabiles, dignique laude, vel vituperio secundum quod ad hanc *regulam morum accedunt*, vel recedunt, & tales actus liberi cum sufficienti deliberatione ad peccandum requisita semper sunt conjuncti.

95 Hinc deducitur ad hoc, ut actus dicatur humanus, non quamcunque sufficere libertatem, sed eam requiri, quæ ex se sufficiens sit ad laudem, vel vituperium fundandam, unde si pueris, & amentibus aliqua datur libertas, talis non sufficit ad actum humanum constituendum seu moralem, quia actus humanus apud *Theologos* non sonat idem, quod actus hominis, seu ab homine quomodocunque elicitus, sed actus libere, & deliberate elicitus, ut docent D. Thomas p. 2. qu. 1. art. 1. & Scotus 4. dist. 6. quæst. 5. infra B. ubi ait illum actum esse proprie humanum, qui causatur ab homine per intellectum, & voluntatem, & 2. dist. 43. infra C. qui non fit ex sola imaginatione, sed ex libero quoque arbitrio, ad quod pertinet intellectus, & voluntas esto diversimode ex quol. 18. F. unde dicunt ad actum humanum, seu moralem duo requiri, nempe quod sit liber, & deliberatus, hoc est, quod libere a voluntate procedat ex delectu operante, & non coacte; & deliberate ab intellectu, idest ex debita consideratione, & attentione rationis circa finem, ejusdemque deliberatione, & consultatione circa media, quantum sufficit ad libertatis exercitium, solum enim hujusmodi actus per regulas morum sunt regulabiles, & possunt esse boni, vel mali, & actuum moralium proprietates habere, scilicet esse meritorios, vel demeritorios, aut laude, vel vituperio dignos. Neque opus est ad moralitatem actus, quod sit liber libertate quoad specificationem, sed sufficit, ut sit liber libertate exercitii, seu contradictionis, quia hæc sola libertas sufficit, ut actus cadat sub regulis morum, & sub dominio agentis plene dicatur esse, unde concludit D. Thom. loc. cit. quod actionum, quæ ab homine eliciuntur, illæ solum proprie dicuntur humanæ, quæ sunt hominis propriæ, *inquantum homo*, differt autem homo a brutis in hoc præsertim, quod est suorum actuum dominus, unde illæ solæ actiones proprie dicuntur humanæ, *quarum homo* est dominus, est autem homo suorum actuum dominus per rationem, & volitionem, unde & liberum arbitrium dicitur facultas volitionis, & rationis; illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex volitione deliberata procedunt; si autem aliæ actiones homini conveniunt, possunt quidem dici actiones hominis, sed non proprie humanæ, cum non sint hominis, inquantum est homo.

96 Difficultas tamen est, de qua fuse tractamus lib. 2. sent. disp. 5. qu. 1. quid sit moralitas in actibus humanis, & in quo formaliter consistat. Aliqui enim dixerunt, moralitatem significare solam regulabilitatem, & directionem actus a recta ratione præscindendo a libertate. Alii vero e contra dixerunt moralitatem esse solam actus humani libertatem, declarantes id esse intelligendum præsertim de libertate *morali*, & non physica dumtaxat, ita Suarez, Salas, Ovviedus, Aversa, & alii Recentiores. Communior tamen, & vera sententia docet, ut diximus loc. cit. moralitatem in actu humano nec solam directionem, aut dirigibilitatem a recta ratione importare, aut solam ejus libertatem, sed utramque simul, primam quidem in recto, & formaliter, alteram vero in obliquo tantum, & fundamentaliter, seu pro connotato, ita Scotus, locis citatis, & 3. dist. 33. lit. O. ubi docet, actum bonum cum deliberatione fieri debere, & a directione deliberationis dici humanum, & imputabilem, & D. Bonav. 2. dist. 41. art. 1. q. 2. ubi docet actum esse moralem, quia est in potestate voluntatis prævia cognitione, quæ sit regula, quam sententiam sequuntur Recentiores passim, Salmaticenses, Curiel, Montesinus, Cornexo, Lezana, Morandus, Hacqueus, Serra, Coninchius, & alii; & quidem, quod moralitas non significet solam dirigibilitatem aut directionem a recta ratione præscindendo a libertate, probatur, quia amor Dei in beatis est conformis rectæ rationi practicæ præcipienti, & dirigenti, & tamen quia est necessarius, nec respectu ejus libertatem habent saltem proximam, & expeditam, non est in genere moris, non est imputabilis, nec dignus præmio, ergo moralitas non est sola habitudo actus ad rationem practice dirigentem sine libertate.

97 Deinde, quod moralitas in sola libertate non consistat, probatur, quia in eodem actu possunt inveniri plures moralitates specie diversæ cum unica simplici libertate, nam in actu eleemosynæ *datæ propter Deum duplex reperitur bonitas*, scilicet charitatis, & misericordiæ, & in fornicatione in loco sacro duæ sunt malitiæ specie diversæ, scilicet luxuriæ, & sacrilegii, & tamen in unoquoque *horum* actuum una tantum invenitur libertas. Tum quia potest variari moralitas in actu invariata libertate morali, ut constat familiari exemplo de comestione carnis ante mediam noctem feriæ quintæ, & post illam; prius enim non erat mala, & poterat esse bona; postea vero est mala, si comestio perseveret, & cum eadem *libertate*; ergo *moralitas in sola* libertate non consistit, nec est idem formaliter adæquate cum ea. Præterea probatur, quod licet moralitas in sola libertate formaliter non consistat, eam tamen in actu supponit, veluti prævium, ac necessarium totius generis moris fundamentum; quia actus ut *sit moralis* debet esse imputabilis, sed non est imputabilis nisi sit liber, & in nostra potestate, sicut enim nullus meretur pœnam propter actum, qui non est in ejus potestate, ita nec præmium, unde inquit Arist. *in his*, quæ nobis *insunt* a natura, neque nos laudem mereri, neque vituperium. Tandem ex his deducitur moralitatem formaliter inspectam in actu libero importare habitudinem ejus ad regulam morum sic, vel sic proponentem objectum, & regulantem actum circa illud; ita *enim significat Scotus 1. d. 17.* quæst. 2. P. ubi de bonitate morali formaliter loquens ait, esse convenientiam actus ad rectam rationem, qua posita, actus esset bonus, nam si aliquis, inquit Doctor, eligat operari, quod est de se bonum, *non quia ut* tale judicatum a ratione, sed ob alia motiva mere naturalia, non erit actus bonus in esse moris; unde quanto expressius, & formalius movetur voluntas ad operandum intuitu regulæ rationis, tanto perfectius constituitur actus in genere moris, quod si nullo modo operari vellet intuitu regulæ rationis sequendo eam vel recedendo ab ea, talis actus non esset in genere moris, quantumcunque esset liber, ergo tota ratio in objecto, fine, & circumstantiis præbendi, vel communicandi moralitatem actori ex tali dictamine pender, ut Herrera discurrit 2. d. 38. q. 3.

98 Ut autem supradictum est, ad moralitatem per se non requiritur libertas contrarietatis, vel quoad specificationem, sed sufficit libertas contradictionis, & quoad exercitium actus, illa enim libertas ad actus *morales sufficit*, quæ satis est, ut sit plene sub agentis dominio, & ut cadat sub regulis morum nata, eo ipso imputari potest operanti ad laudem, vel vituperium, meritum, vel demeritum, quæ sunt *moralitatis proprietates*; ad hoc autem sufficit sola exercitii libertas, quia per talem solam libertatem potest homo de suo actu ad libitum disponere illum eliciendo, vel non eliciendo, continuando, vel non continuando, & eo ipso potest etiam ratio, vel lex de ipso disponere, ipsumque præcipere, vel prohibere. An autem hæc libertas ad actum moralem requisita esse debeat actualis, per quam scilicet actus re ipsa cadat, & actualiter sub agentis dominio, an vero sufficiat potentialis, itaut esto non actualiter *cadat* sub agentis dominio, potuerit tamen cadere, Doctores non conveniunt: *aliqui enim potentialem* sufficere putant, qui propter ebrietatem sacrum omittit id die festo, non solum peccavit, quando se inebriavit, sed etiam quando erat in ipsa ebrietate, quia tunc currit præceptum *audiendi sacrum*, & *tamen eo tempore* non est ea omissio actu libera, ergo ad actum moralem sufficit *libertas potentialis*. Communior tamen, & vera opinio oppositum tenet, alioquin motus primo primi, & motus sensualitatis deberent dici morales, quia esto actus libere non fiant, fieri tamen libere possent, ratio a priori est, quia actus solum in potentia liberi non sunt proxime per regulas morum dirigibiles, nec per consequens actu imputabiles ad meritum, vel demeritum; ergo neque dici debent actu *morales*, *sed tantum* potentia. Ad rationem in oppositum de omissione sacri in ebrietate negandum est in eo casu esse proprie in se peccatum, eum potius sit peccatum in causa, universaliter enim loquendo eventus mali ex libera positione causæ secuti, & deinde non impedibiles, non sunt *in seipsis* immediate proprie mala, & peccata moraliter, sed potius effectus, & sequelæ peccatorum; & secundum quod homo exponitur periculo violandi hoc vel illud præceptum, peccat hoc, vel *illo* peccato; *quia licet* præceptum tunc non obliget ad exercendum actum, obligat tamen ad non ponendum *impedimentum* exercendi illum pro tempore debito, sicut præceptum non occidendi, nedum homicidium prohibet, sed etiam probabilem homicidii causam.

99 An vero moralitas *sit essentialis physicæ* entitati actus *liberi* ab ipsa voluntate eliciti, an potius aliquid accidentale *illi* superadditum, asserunt aliqui, moralitatem esse actui *libero* essentialem, itaut qui semel non esset moralis, *nequeat manens* idem essentialiter aliquam moralitatem acquirere *sive* bonitatis, *sive malitiæ*, & qui habet unam moralitatem *ad aliam* transire non possit, ita Granad. p. 2. tract. 9. disp. 2. sect. 1. pluribus pro hac opinione citatis. Dicendum tamen est *juxta dicta* loc. cit. moralitatem accidere physice entitati *cujuscunque* actus humani etiam immediate ab ipsa voluntate *eliciti*, & accidentaliter illi superaddi, ita docent D. Bonav. 2. d. 41. ar. 1. q. 2. ubi ait, actionem voluntatis non dividi per bonum, & malum, tanquam per differentias essentiales, sed tanquam per quid accidentarium, & Scotus 1. d. 17. q. 2. §. *quantum ad istum*, quol. 18. quibus in locis

bonitatem, & malitiam moralem actus ab ejus substantia naturali distinguit, & hoc idem docent communiter Thomistæ p. 2. quæst. 18. artic. 7. Probatur ratione a priori, quia entitas physica actus humani sumitur ex objecto nude sumpto, & secluso omni respectu ad regulas morum, leges scilicet, vel rationem, consilium &c. moralitas autem non attenditur, nisi in ordine ad objectum; ut per easdem regulas regulatum. Tum quia hunc respectum ad regulas morum non fundat ipsemet actus secundum substantiam immediate, sed mediante libertate, ut fundamentum totius generis moris; hæc autem duo scilicet libertas, & subjectio ad regulam rationis sic, vel sic proponentem, mere accidunt actui in esse materiæ, cum secundum substantiam esse possit sine libertate, & etiam liber sine subjectione ad regulas morum; quod autem libertas non sit essentialis actui, sed ei accidat in esse naturæ jam supra ostensum est artic. 1. hujus quæstionis num. 70. ubi diximus eundem actum specie, & numero posse de necessario fieri liberum, & e contra, vel ex defectu concursus parati, & hoc manifeste constat de motibus primo primis, qui cum primo eliciuntur sine sufficienti advertentia rationis, non sunt liberi, neque in nostra potestate: cum vero advertentia rationis, accedit saltem semiplena, peccata venialia censentur, & dicuntur motus secundo primi, ut omnes communiter concedunt, quo loquendi modo satis aperte significatur esse eosdem omnino actus, qui prius erant necessarii, & postea ex sola rationis advertentia superveniente fiunt liberi.

100 Denique est difficultas, an moralitas formalis adæquate dividatur, ut genus in species, in bonitatem, & malitiam. Affirmant communiter Thomistæ cum D. Thom. p. 2. quæst. 18. art. 5. & 8. quorum fundamentum est, quia moralitas formalis competens actibus est regulabilitas in ordine ad regulas moris, seu ad objectum per illas regulatum; sed hæc tantum potest esse vel per modum convenientiæ, in qua consistit bonitas, vel per modum disconvenientiæ, in qua consistit malitia, ergo adæquate in hanc, & illam dividitur. Confir. quia intra genus moris, aliæ proprietates non dantur, nisi illæ, quæ competunt actibus ratione bonitatis, & malitiæ, nempe meritum, & demeritum, laudabilitas, vel vituperabilitas; ergo neque dantur aliæ moralitatis species. Verum præter bonitatem, & malitiam admittendam esse ulterius tertiam moralitatis speciem in genere moris, quæ dicatur indifferentia, itaut adæquate totum genus moris dividatur in bonum, malum, & indifferens expresse docent D. Bon. 2. d. 41. art. 1. quæst 3. & Scotus 2. dist. 41. in calce corporis quæsiti cum omnibus Scotistis, & nos fuse ostendimus lib. 2. sent. disp. 5. cit. & ratio est, quia actus regulabilis per rationem optime dividitur in actum conformem, & difformem tali regulæ, & actum indifferenter se habentem respectu ejusdem regulæ, cum qua nec conformatur, nec difformatur, aliqui enim actus ita exerceri possunt, ut procedant ex perfecta cognitione objecti, & ponderatione ipsius malitiæ, & bonitatis, quatenus intellectus cognoscit objecta talium actuum, nec esse bona, nec mala moraliter; sed regula rationis ad ea indifferenter se haberet. Confirmatur, quia species actus moralis sumitur ex objecto, hoc autem vel est conveniens rectæ rationi præcipienti, & consulenti, & sic habetur prima species actuum humanorum, scilicet bonitatis, aut ejusdem disconveniens, & ita habetur secunda, scilicet malitiæ: aut tandem nec eidem est consonum, aut dissonum, ut præcipienti, sed potius consonum, ut præcise permittenti, & ita habetur tertia species scilicet indifferentia, unde objectum indifferens ita voluntati a ratione proponitur, ut in proponendo nec voluntatem suadeat, vel præcipiat transitum super illud, nec minus prohibeat, vel dissuadeat, sed omnino permittat, non quidem ea permissione, qua etiam illicitum permittitur, & qua dicitur Deus peccata permittere, hæc enim non est omnimoda, & rigorosa permissio, cum prohibitionem ejus quod permittitur, supponat, sed ea permissione qua ita permittitur aliquid, ut ex hac permissione licite fieri possit, & actus transiens supra tale objectum positivam accipit indifferentiæ speciem, nempe ordinem positivum per modum accessus ad rationem hoc modo permittentem

101 Ex qua doctrina facile occurritur fundamento prioris sententiæ, ut diximus disp. 5. cit. q. 1. art. 3. prope finem, conveniential enim actus ad rationem dupliciter sumi potest, vel presse rigorose, quo sensu dicit accessum ad rationem præcipientem, vel consulentem, & hoc modo constituit speciem bonitatis, vel minus presse, & ita dicit accessum ad rationem, non quidem præcipientem, & consulentem, sed mere permittentem, & non curantem, & convenientia hoc modo sumpta constituit terciam moralitatis speciem, nempe indifferentiam, quia licet convenientia hujusmodi, & conformitas ad rationem sufficiens non sit ad faciendum actum bonum in genere moris, sufficit tamen ad faciendum actum licitum, quatenus a regula rationis non prohibetur, sed permittitur. Ad confirmationem distinguendum est de duplici laude in genere moris, alia est, quæ debetur operanti juxta præceptum dictaminis practici, alia vero debetur operanti, & operando non violanti præceptum ejusdem dictaminis, qua laus est minima in genere moris; potest tamen adhuc dici laus est minima in genere moris; potest tamen adhuc dici laus, quia non tantum laudabilis est, qui operando rectæ rationi conformatur, sed etiam qui operando eam non violat, nec contra eam facit, qua duplici laude privatur faciens contra dictamen rationis, & hæc minima laus debetur etiam actibus indifferentibus; unde accipiendo meritum, & laudem in hac latitudine, imputabilitas veluti passio sequitur totum genus moris, non tantum ut bonitatem, & malitiam comprehendit, sed etiam indifferentiam.

102 Sed instabis, objectum vel est conveniens relationi, vel disconveniens, & inter hæc medium non datur; ergo non datur hæc tertia moralitatis species. Respondetur; si convenientia sumatur pro conformitate actus ad rationem præcipientem, vel consulentem, negatur non dari medium inter objectum di conveniens, & sic conveniens; nam dari potest objectum, neque cum tali convenientia a ratione proponatur, neque cum disconvenientia opposita, sed solum permittatur; si vero convenientia sumatur pro conformitate actus ad rationem non tantum præcipientem, & consulentem, sed etiam permittentem, concedendum est in hoc sensu non dari medium inter objectum disconveniens, & sic conveniens; sed negatur consequentia, quia sub hoc membro duæ moralitatis species continentur; convenientia enim ad rationem præcipientem, & consulentem facit bonitatem: ad permittentem vero, & non curantem facit indifferentiam: & hæc sufficiant pro præsenti, & aliquali notitia actuum humanorum breviter collecta ex disputatione citata, ubi diffuse de hac materia tractamus.

QUÆSTIO V.

De objecto voluntatis, ubi varia expediuntur quæsita de volibilibus a nobis.

103 DE objecto voluntatis plura, & varia sunt dubia, quorum præcipua brevitati studentes præsenti quæstione comprehendemus, & qua poterimus brevitate majori expediemus per singula discurrendo.

Primo itaque dubitatur de latitudine objecti voluntatis, num scilicet ejus objectum ample patear in tota entis latitudine, sicut disput. præced. de objecto intellectus sancitum est; Communis opinio negare videtur, dum statuit bonum sub ratione boni adæquatum voluntatis objectum quoad actum amoris, nam juxta hunc dicendi modum ens sub ratione entis, veri, unius, aut alterius formalitatis a bonitate præscindentis actum voluntatis terminare nequibit, & ita docet Suarez. lib. 5. de anim. cap. 7. cum multis aliis; Oppositum tolent passim docere Scotistæ Burg. 1. dist. 29. *media autem ratio*, Lichet. 2. dist. 6. qu. 1. Cavell. disp. 3. de anim. sec. 12. concl. 3. Faber disp. 9. de pœnit. cap. 7. Vulp. tom. 2. par. 2. disp. 53. art. 3. quia volunt voluntatem esse potentiam universalem, sicut est intellectus, & posse velle ens sub ratione entis sine expressa relatione bonitatis; Scotus in hoc puncto nihil certi resolvit, nam 1. d. 3. qu. 3. §. *ad rationes in oppositum* loquitur ancipiti in hæc verba, *si voluntas ponatur habere actum circa omne intelligibile, ponetur idem esse objectum tam voluntatis, quam intellectus, & sub ratione eadem formali, si vero non, sed quod voluntas tantum habeat actum circa intelligibilia, quæ sunt finis, vel entia ad finem, & non circa mere speculabilia, tunc ponetur objectum voluntatis aliquo modo particulare respectu objecti intellectus*, hinc postea semper dubie locutus est modo in unam, modo in aliam inclinans partem, nam in 2. dist. 6. quæst. 1. §. *quia tamen* ait, ens in tota sua latitudine esse objectum voluntatis, sicut est intellectus; alibi vero frequentius statuit esse bonum cum communi opinione, quod est finis, vel medium ad finem, & consequenter voluntati tribuit minus amplum objectum, quam intellectui, quod etiam probabilius censet Faber loc. cit. num. 137.

104 Cum igitur Doctor in hac re non se resolvat, sed cuilibet optionem faciat tenendi, quod magis libuerit, neque nos jugum cuiquam imponere intendimus: defendi itaque potest ens in tota sua latitudine esse objectum adæquatum voluntatis, sicut intellectus, quia satis consentaneum videtur, quamlibet appetitivam suæ cognitivæ adæquari in sphæra objectiva; tum quia cum voluntas sit perfectior intellectu, rationabile non videtur illam coarctare ad minorem sphæram objectivam, eique tribuere imperfectius objectum, quam habeat intellectus, id autem sequitur, si ponamus bonum adæquatum ejus objectum, & ens objectum intellectus, ens enim perfectius est, quam sua passio; tum tandem quia ut ens dicatur proportionatum voluntatis objectum, sufficere debet, quod sit bonum, & appetibile, saltem virtualiter, & fundamentaliter; cæterum ex alia quoque parte non minus probabiliter sustineri potest, ens non quidem in tota sua latitudine, sed per bonitatem restrictum, & coarctatum esse objectum adæquatum voluntatis; in primis, quia hæc est communis opinio concordi fere omnium calculo recepta, tum quia hoc videtur peculiare potentiæ appetitivæ, ut distinguitur a cognitiva, quod per actum prosecutionis feratur in objectum ei conveniens, qua tale, adeout sub hac ratione sibi a cognitiva proponi debeat, ut moveatur ad operandum; tum quia abstractior actus, quem possit voluntas dicere circa aliquod objectum, est actus ille neuter, quem memorat Doctor p. d. p. qu. 3. sed objectum talis actus ex Scoto ibidem non præscindit a ratione boni, sed a ratione boni propter se, & propter aliud, adeo ut actus ad illud terminatus nec est usus, nec fruitio; tum tandem quia nulla est ratio convincens potentiam appetitivam cum sua cognitiva adæquari debere quoad objecti latitudinem, sed sufficit quod objectum appetitivę sit subordinatum objecto cognitivæ, ut docet Doct. cit. p. d. 3. qu. 3. & certe, ut ait Doct. res mere speculabilis non videtur aptum objectum voluntatis, quæ suopte ingenio versari habet circa objecta operabilia.

105 Neque hinc sequitur intellectum esse voluntate perfectiorem, absolute loquendo, quia licet in potentiis ejusdem generis ex majori vel minori objecti latitudine possit argui major, vel minor potentiarum perfectio, & excellentia, ut constat de cognitiva, sensitiva, & intellectiva, non tamen hoc argumentum valet in potentiis diversi generis, quales sunt cognitiva, & appetitiva, si quidem earum perfectio, & excellentia ex aliis potius capitibus auspicari debet, ut constabit ex dicendis qu. ult. Nec tandem hinc sequitur, si bonum statuamus objectum voluntatis, ipsam habituram imperfectius objectum quam intellectus habeat, quia hoc non est intelligendum, ut bonitas pro formali sumpta, quo sensu est passio entis sit ratio objectiva, & motiva voluntatis, ut optime Faber adnotavit loc. cit. a n. 133. ex Doctore 3. d. 15. §. *potest aliter dici*; rationem ibi innuit Doctor, quia ratio boni in quadam relatione convenientiæ sita esse videtur, aut saltem non ratione absoluta consistit, ut in Metaph. dicemus, sed nulla relatio est ratio motiva potentiæ, sicut in universum loquendo (inquit Doctor) ratio activi, & passivi in entibus non est aliqua relatio, sed aliqua natura absoluta, unde relatio dici consuevit de genere ŝterilium, ergo ratio boni formalis, quæ est ipsa relatio convenientiæ boni ad voluntatem, non est ratio objectiva, & motiva voluntatis, sed est forma ipsa absoluta entis moventis potentiam, super quam fundatur relatio convenientiæ, sicut objectum fugæ in voluntate est forma illa absoluta, super quam fundatur relatio disconvenientiæ, cui accedit ratio Arist. 2. de Anim. 66. qua universaliter docet objectum motivum alicujus potentiæ numquam constitui debere per aliquam rationem relativam ad potentiam, ut visus visibile, intellectus intelligibile, appetitus appetibile, quia tunc facile esset assignare prima objecta potentiarum; nam objectum cujuscunque potentiæ esset correlativum illius potentiæ, puta visus visibile, intellectus intelligibile, &c. hoc autem modo non vere, & proprie assignaretur primum objectum cujuscunque potentiæ, quia remaneret quærendum, quidnam sit illud, quod est visibile, & intelligibile, & ideo Arist. ibi non in hunc modum assignat objecta potentiarum, sed assignat objecta absoluta, nimirum visus colorem, auditus sonum &c. qua etiam ratione disp. præced. qu. 6. art. 1. concl. 3. negavimus sub ratione veri formaliter esse intellectus objectum; sic igitur in proposito cum audis bonum sub ratione boni esse objectum voluntatis, id intelligas non formaliter, sed fundamentaliter, itaut ens secundum illam rationem absolutam, secundum quam peculiariter fundat relationem bonitatis, sit objectum voluntatis.

106 Quia vero in voluntate duplex est actus, alius amoris, & prosecutionis, alter odii, & fugæ, quorum primus fertur ad bonum, alter ad malum, hinc volunt simpliciter, & absolute loquendo non esse statuendum adæquatum voluntatis objectum bonum tantum ut fert communis loquendi modus, sed bonum & malum simul, quia voluntas in sphæra activitatis suæ non minus includit velle bonum, quam nolle malum, neque actus ille est ei magis connaturalis, quam iste. Hæc est quæstio de nomine, nam quando dici solet bonum esse adæquatum voluntatis objectum, hoc utique omnes intelligit in ordine ad actum prosecutionis, non fugæ; ac etiam simpliciter, & absolute loquendo bene dicitur bonum esse adæquatum voluntatis objectum, quia formale objectum, in quod per se primo tendit, est bonum, nam prius amat rationem boni, & inde odit rationem mali oppositam, neque alia de causa odit malum, nisi quia vult bonum, qua ratione, inquit Doctor 2. d. 6. qu. 2. §. *in ista quæstione*, omne nolle supponere velle, unde malum non videtur objectum voluntatis, nisi materiale, & secundarium. Nec est, cur isti Authores in assignando voluntatis objecto damnent loquendi modum, quo ipsimet utuntur in assignando intellectus objecto, ejus enim objectum adæquatum assignant verum; quod si eis obiicias intellectum non tantum habere actum assensus circa verum, sed etiam dissensus circa falsum, ideoque adæquatum ejus objectum verum, & falsum debere constitui, absolute loquendo; occurrunt formale objectum, in quod per se primo tendit intellectus, esse verum, quia per verum cognoscit falsum, & dissentiendo falsitati elicit actum verum, ideoque falsum non esse objectum intellectus, nisi materiale, & secundarium, sed quis non videt hanc eandem rationem pari passu in proposito militare de objecto voluntatis? retineatur ergo communis loquendi modus bonum esse voluntatis objectum, parum enim curare debemus litem de nomine, dummodo constet de re; Cum autem dicimus bonum esse formale voluntatis objectum, hoc non tantum de bono vero intelligendum est, sed etiam apparenti, ut diximus disp. 7. Phys. q. 8. art. 2. ex Scoto 2. d. 23. & 3. d. 33. C. quod quidem quotidiana demonstrat experientia, movemur enim non solum a bono in se vero, & realiter cognito, sed etiam a bono apparenti, eo quia perinde se habet in apprehensione, ac si esset verum bonum.

107 Secundo dubitatur, an bonum dumtaxat sit objectum voluntatis, an potius etiam malum, & non est quæstio de voluntate, ut natura est, & secundum affectionem commodi considerata, sic enim fatentur omnes, ipsam quoque in proprium bonum inclinari, ut cæteræ potentiæ naturales, sed ut est potentia libera, & quoad appetitum elicitum, & rursus non est quæstio de voluntate quoad actum nolitionis, & fugæ, sic enim nemo negat malum sub ratione mali esse motivum voluntatis objectum, sed quoad actum prosecutionis, & amoris, non scilicet hoc actu tendere possit in malum sub ratione mali; & rursus quia amor est duplex, concupiscentiæ, qui terminatur ad bonum, ut alteri conveniens, & amicitiæ, qui terminatur ad bonum in se, non est quæstio de amore concupiscentiæ, quia nemo sibi malum exoptat, sed de amore amicitiæ, & benevolentiæ, an scilicet malum possit esse propter se volitum irreferibiliter ad aliud sub ratione mali, & e contra bonum odio haberi sub ratione boni ad ampliandam voluntatis nostræ libertatem affirmarunt Nominales Ocham 3. d. 13. dub. 3. & 1. d. 1. quæst. 6. Major 2. d. 38. quæst. un. ad. 1. & 4. d. 49. quæst. 7. Almain. trac. 3. moral. cap. 4. in fine, quibus adhærent nonnulli Scotistæ præsertim Faber 1. disp. 13. cap. 7. & disp. 9. de Pœnit. cap. 8. & Hiribarn. tract. de actibus human. disp. 11. sect. 1. nam Vulpes tom. 2. par. 2. disp. 59. art. 1. valde perplexe loquitur; nam num. 2. inquit Doctorem sentire voluntatem posse velle malum sub ratione mali, & nolle bonum sub ratione boni, & num. 3. in conclusione decisiva quæsiti resolvit voluntatem nostram per actum amoris tendere tantum in bonum, & statim probando conclusionem rursus inquit, posse voluntatem velle malum sub ratione mali; Moventur Nominales, quia si voluntas non posset amare malum ut tale, & bonum odisse, voluntas non posset mereri, & demereri, nec circa objectum propositum libere se exercere, si enim proponitur ut bonum, non poterit illud odisse, si ut malum, non poterit illud amare; Scotistæ vero præsertim moti sunt ex duobus Scoti locis, in quibus huic sententiæ favere videtur, unus est in 1. dist. 1. quæst. 1. artic. 3. ubi ultra finem verum, & apparentem constituit etiam finem præfixum, seu præstitutum, & est, quando objectum præcise est a ratione ostensum sub ratione mali, & tamen voluntas ex sua libertate illud sibi præfigit tanquam finem; Alter est in 2. dist. 43. quæst. 2. ubi proponens, an voluntas possit ex malitia peccare volendo objectum non sibi ostensum sub ratione boni simpliciter, vel boni apparentis secundum quid, ait, si teneatur quod sic, nempe, quod possit velle malum sub ratione mali, facile est assignare peccatum in Spiritum sanctum ex sola libertate procedens, non ex passione appetitus sensitivi, nec ex errore intellectus: si teneatur oppositum, potest adhuc peccatum tale assignari ex certa malitia, ut voluntas ex libertate propria absque passione in appetitu sensitivo, & errore in ratione errante peccet præstituens sibi malum ostensum sub ratione mali ex propria libertate, tanquam bonum.

108 Opposita sententia est communis, quam nos docuimus ex professo disp. 7. citat Physic. quæst. 8. art. 2. ubi Doctorem ab hac sententia stare ex mille locis demonstravimus, & ex illis eisdem, quos pro se Scotistæ præcitati afferebant, tenent passim alii Scotistæ, Bargius 1. d. 1. quæst. 4. pag. 72. C. Tatar. ibid. Lichet. 2. d. 43. quæst. 2. in fine, fuit opinio quoque S. Thom. Henrici, S. Bon. Riccar. Durand. Calet. Capreol. & omnium Thomistarum incunctanter a Recentioribus omnibus recepta; eam fuse probavimus loc. cit. sed ne quis putet, eas facile diluere adhibita distinctione de voluntate, ut natura, & ut libera, de mente concupiscentiæ, & amicitiæ, ut solent nonnulli Scotistæ, rursus hanc conclusionem probamus veluti a priori, loquendo de voluntate, ut liberæ est, & quoad amorem amicitiæ, modus operandi voluntatis talis est, ut actu amoris veluti per modum ponderis voluntas tendat in objectum, & ab objecto trahatur, & alliciatur ad amorem media cognitione sui, sed hoc fieri nequit nisi media bonitate ipsius objecti trahente, & alliciente, ergo præcisa bonitate ab objecto nequit voluntas in illud tendere per actum amoris; major patet ex communi modo loquendi, & probatur ratione, quia nunquam datur liberum fine voluntario in actu amoris, ergo actus amoris est inclinatio, & propensio quædam elicita voluntatis in objectum, unde dicebat Aug. *amor meus pondus meum*, imo vehementior, quam ipsa naturalis inclinatio: probatur minor, quia voluntarium oritur ex bonitate objecti, & a malitia minuitur, & destruitur, & bonitas objecti attrahit, & allicit voluntatem ad amorem, malitia vero, & turpitudo deterret, & avertit, implicat ergo in terminis malum amari posse sub ratione mali, & esse objectum prosecutionis; & si talis actus amoris esset possibilis, tunc in tali actu reperiretur liberum sine voluntario, quod est impossibile, cum voluntarium sit subjectum liberi, vel saltem genus ad liberum, conseq. patet, quia ut diximus, bonitas est, quæ causat in actu voluntarium, ipsam alliciendo, & attrahendo. Hinc patet, falsum esse, quod ait Hiribarn. citat. rationem præcisam, ob quam voluntas est non volens, & non accepta aliquod malum sub ratione mali, eam esse, qua intellectus proponit illud, ut disconveniens, quare si proponat illud, ut in se malum præcise, & disconveniens absolute, non autem sibi, sed a tali relatione præscindat, poterit voluntas velle malum sub ratione mali. Hoc itaque falsum est, quia ut constat ex præfato fundamento bonitas præexigitur in objecto, ut illud formalizet in ordine ad actum amoris, sive hic amor sit amicitiæ, sive concupiscentiæ, præcisa namque bonitate nihil prorsus in objecto remanet, quod ad se voluntatem trahat, & alliciat; ex quo etiam sequitur objectum quoque indifferens, ut sic propositum amoris actum terminare non posse ob eandem rationem, quia nimirum non proponitur in eo bonitas, quæ trahat, & alliciat affectum, nec potest odio haberi, quia sicut nihil apparet, quod attrahat, ita nihil quod deterreat.

109 Fundamentum vero Nominalium labile est, quia cum in quolibet objecto creato, quantumvis bono, semper appareat aliquis boni defectus, poterit voluntas circa illud exercere libertatem contrarietatis; tum quia etiamsi objectum proponeretur voluntati, ut bonum præcise, vel ut malum, adhuc posset circa illud exercere saltem libertatem contradictionis volendo bonum, & nolendo malum, aut actum suspendendo, quia ut superius diximus, ad omissionem actus sola sufficit libertas voluntatis, nec aliud externum requiritur motivum, & hæc sola libertas contradictionis sufficit ad merendum, & demerendum: neque adeo amplianda est voluntatis libertas, ut possit tendere extra suum objectum, sed sistendo intra sphæram sui objecti, concedenda est ei tanta libertas, quanta tribui potest sine repugnantia. Duo vero loca Doctoris a Scotistis contra nos adducta exacte expendimus disput. 7. Physic. cit. & nobis omnino favere demonstravimus, quod luculenter ex ipso Doctoris contextu colligitur, nam in primo loco triplicem assignat voluntatis creatæ finem, scilicet verum, apparentem, & præstitutum, ubi per finem præstitutum certe non intelligit malum amatum, & voli-

tum sub ratione mali, ut perperam Scotistæ illi sunt arbitrati, sed malum sub prætextu boni ab ipsa voluntate sibi præfixi, quod manifeste colligitur ex ratione, qua ibi probat finem præfixum esse posse voluntatis objectum, quæ est, quia sicut in potestate voluntatis est velle, & non velle, ita in potestate ejus est modus volendi, scilicet referre, & non referre; quia in potestate cujuscunque agentis est agere, & modus agendi, *ergo in potestate sua est* (concludit Doctor) *aliquod bonum velle propter se non referendo ad aliud bonum, & ita sibi præstituendo finem*, ecce quod finem sibimet a voluntate præfixum vult esse, non quidem malum sub ratione mali, sed aliquod bonum propter se ad illud non relatum; quod etiam confirmatur ex eo quod immediate subdit art. 4. nam ibi distinguit finem præfixum a vero, & apparenti, non quia finis præfixus sit malum sub ratione mali, sed quia in fine præfixo bonitas, quæ est ratio finalizandi, non antecedit voluntatis actum, ut in cæteris finibus, sed concomitatur, & subsequitur eo modo quo declaravimus loc. cit. Sed quidam Scotistæ sic contra nos urgent allatam Scoti rationem, in cujus potestate est agere, est etiam modus agendi, ergo sicut potest velle malum sub ratione boni, ita pariter sub ratione mali, alioquin in ejus potestate non esset modus agendi. Ridicula sane consequ. nam æque bene inferre poterant voluntatem posse suum actum elicere sine objecto, alioquin in sua potestate non esset agere, & modus agendi; ibi Doctor per modum agendi non intelligit velle malum sub ratione boni, vel mali, quia hoc non pertinet ad actum, sed ad objectum; sed intelligit ad aliud referri, vel non referri, ut contextus ipse loquitur, & inquit, quod potest velle aliquod objectum creatum sine relatione ad aliud, non tamen ait illud velle posse absque ratione bonitatis movente.

110 Locus alter ex secundo d. 43. q. 2. adhuc apertius nobis favet; quærit enim ibi, quomodo possit assignari peccatum ex certa malitia, quod esse dicitur in Spiritum sanctum, & inquit, quod si teneatur voluntatem posse velle malum sub ratione mali, facile est assignare tale peccatum, etenim si potest amare malum qua malum, tale erit peccatum in Spiritum sanctum, & ob hanc rationem distinguetur a peccato in Patrem, quod dicitur esse ex impotentia, & fragilitate, & a peccato in Filium, quod ex ignorantia dicitur esse, si autem teneatur, inquit Doctor, voluntatem creatam non posse velle malum sub ratione mali, adhuc potest assignari peccatum ex certa malitia, & contra Spiritum sanctum, & est, quando voluntas ex pura libertate sine alia occasione extrinseca, nimirum absque passione in appetitu sensitivo, & errore in ratione errante eligit sibi malum velle, non tamen ex malitia, ita quod voluntas sic peccans tendat in malum inquantum malum, sed solum præstituendo sibi malum ostensum sub ratione mali ex propria libertate tamquam bonum; In quo Scoti discursu duo considerare debemus, primo, quod non assertive inquit in ea quæstione voluntatem posse velle malum sub ratione mali, sed dubitative pro utraque parte, unde nil certum quoad hoc punctum inde deduci potest, deinde observare debemus, quod cum assignat modum assignandi peccatum ex certa malitia in sententia negante voluntatem posse velle malum sub ratione mali, illud assignat per præstitutionem finis præfixi ex mera libertate factam, de quo fine locutus fuerat in p. d. p. q. p. art. 3. per talem præstitutionem inquit quod voluntas *eligit sibi malum velle non tamen ex malitia, ita quod voluntas sic peccans tendat in malum inquantum malum*, ex quo manifeste deducitur, numquam Doctorem per finem præfixum, & præstitutum intellexisse malum volitum sub ratione mali, quia per volitionem hujus finis assignat ibi Doctor peccatum ex certa malitia juxta sententiam negantem malum appeti posse sub ratione mali, tum quia expresse inquit, voluntatem ita præstituendo sibi finem, non tendere in malum inquantum malum. Hinc merito ex commentatoribus litteræ Scoti in duobus locis prædallegatis nemini unquam in mentem venit Doctores inibi sententiæ contrariæ voluisse favere, sed docuerunt, Scotum ibi diserte nostram asserere sententiam: & certe miramur Scotistas alioqui doctoris loca adeo aperta pro nostra sentent. ita perverse intellexisse: Argumenta vero quæ in oppositum afferri solent, jam diluimus disp. cit. Et quod de damnatis solet opponi, quod appetunt non *esse*, solvit Doct. 4. dist. 50. q. 2. eos appetere non esse, ut miseriam evitent æternam, quod bonum est.

111 Tertio præterea dubitatur, an voluntas sit tantum possibilium, an potius impossibilia quoque, & ut alia ab intellectu repræsentata appetere possit; & quia ut notat Doctor 2. d. 6. q. 1. & 2. d. 32. q. 1. p. & 4. d. 49. qu. 10. ad 3. princ. duplex est volitio; una efficax respectu finis per ordinata media ad illum consequendum, alia simplex, & inefficax respectu alicujus finis absque imperio mediorum ad illum consequendum, quæ proinde solet dici velleitas, dubium non est de volitione efficaci, quia ut inquit Doctor cit. 2. d. 6. qu. 1. ad p. prin. nihil vult efficaciter voluntas, nisi ad quod disponunt media, per quæ finis acquiri potest, & talis volitio efficax nunquam est alicujus impossibilis, quia nullus conciliatur de impossibilibus, nec præcipit intellectui practico ad inquirendum media ad illud, & in hoc sensu explicat Doct. dictum Philosophi 3. & 6. Ethic. quod electio non est impossibilium; sed solum est dubitatio de volitione simplici, & efficaci, quæ quidem interdum est actus absolutus, ut complacentia, quam quis habet rei possessæ, & universaliter cum tendit in objectum secundum se, præscindendo ab omni conditione per voluntatem inefficacem: interdum vero est actus conditionatus, qui explicatur per verbum *vellem*, unde, & dici solet velleitas; & dicitur conditionatus, non quod conditio se teneat ex parte ipsius quasi ly *vellem* significet non volitionem, quæ sit de præsenti in voluntate, sed quæ esset, ut perperam Vasquez intellexisse videtur p. 2. disp. 42. cap. 4. & disput. 43. c. 3. ubi proinde negat actus voluntatis conditionatos, & cum eo Hurtad. disp. 14. de An. sec. p. sed itaut conditio se teneat ex parte objecti, sicut enim intellectus tendere potest in rem habentem esse conditionatum & quæ sit tantum in statu conditionato, potest tendere in bonum dependens ab aliqua conditione quod nunc non est, sed esset, si poneretur conditio, ratione cujus tale bonum est solum in statu conditionato: tales sunt, si quis dicat, volo Romam adire, si nummos habuero, volo è carcere fugere, si possem, qui actus significari solent per *vellem*, non quia illa complacentia, & velleitas de facto non sit in homine sic dicente, sed solum ad denotandum effectum insufficientem ad effectum, in quo sensu nec Hurtad. cit. ausus est negare actus hujusmodi conditionatos in voluntate nostra, unde concludit hanc esse contentionem de nomine, quia in re negari nequeunt; Sed instat Vasq. isti actus *viderem*, *audirem* non sunt potentiæ visivæ, vel auditivæ, sed indicant judicium intellectus de actu futuro, quem haberet potentia visiva, vel auditiva in talibus circumstantiis, ergo pariter in voluntate ly *vellem*, *utinam*, *desiderarem*, &c. solum indicant judicium intellectus de actibus futuris, quos voluntas haberet positis talibus circumstantiis, non autem actus aliquos de facto in ipsa existentes. Valde tamen decipitur Vasqu. vel nos vult decipere sic arguens, nam longe diversum operandi modum habet voluntas a potentiis sensitivis visiva, auditiva, &c. istæ namque operantur tantum circa objectum intuitive, quod proinde est in se præsens, & existens; voluntas vero operatur etiam abstractive, & circa objectum absens, unde quemadmodum ex hoc operandi modo potentiarum sensitivarum non recte deduceretur intellectum cognoscere tantum rem præsentem in seipsa, ita nec in proposito recte deducitur voluntatem appetere non posse rem absentem esse conditionatum.

112 Rursus, ut redeamus ad explicandum quæsiti sensum, quia impossibile est duplex, unum quidem absolute, & simpliciter, ut creaturam esse Deum, aliud vero ex suppositione, ut quod factum est, non sit factum, non est dubitatio de impossibili secundi generis, nam experientia constat compossibile ex suppositione, & ut tale ab intellectu judicatum terminare actum inefficacem voluntatis, peccator enim contritus vellet non peccasse, cujus effectus objectum est negatio peccati, quæ absolute possibilis est, & erat antequam patraretur, unde solum ex suppositione, quod sit commissum, redditur impossibilis, quare sola remanet difficultas de impossibili simpliciter, & ut tale ab intellectu præsentarum; nam si repræsentaretur, ut possibile, adhuc concedunt omnes quod posset illud voluntas amare, perinde ac si esset unum ex possibilibus; negantem partem docuerunt D. Th. p. 2. q. 3. art. 2. Cajet. ibid. Alvar. Valentia, & alii quorum præcipuum fundamentum esse videtur, quia impossibile cognitum ut tale, nec est ens reale in se, neque putatum tale, ergo non est bonum nec reale, nec apparens, igitur neque volibile, cum sit extra sphæram primi objecti voluntatis.

113 Oppositum docet Doctor 2. d. 6. qu. 1. cum suis assectis ibidem, quem passim sequuntur alii Recentiores extra Scholam D. Tho. 2. in p. 2. Vasq. Salas, & alii quamplures ex Nominalium schola, & videtur Arist. Ethic. cap. 2. ubi inquit voluntatem esse impossibilium, ubi per voluntatem intelligit velleitatem, & simplicem complacentiam, quemadmodum per electionem, quam ibi dicit esse possibilium duntaxat, intelligebat volitionem efficacem: solent hoc probare Nominales, quia quicquid est intelligibile, est quoque appetibile, & volibile, sed intellectus judicare potest impossibile esse tale, ergo & voluntas potest illud idem amare, ut tale; tum quia de facto damnati Deum odio habent, & vellent Deum non esse, cum tamen hoc sit *simpliciter*, & absolute impossibile; quæ quidem rationes non concludunt, non quidem prima, quia ut diximus, minime opus est appetitivam adæquare intellectivam omnino ut sphæra objectiva: tum quia etiam dato, quod quidquid ab intellectu attingi potest, sit quoque a voluntate attingibile, non tamen opus est, quod attingatur per actum amoris, & perfectionis, sed sufficit, quod possit attingi aliquo actu, qui in proposito respectu impossibilis erit aversionis, & odii; tum tandem quia si in ea assumpta paritate sistere volumus ex intellectu deducta potius oppositum deducitur, nam sicut nequit intellectus assentiri impossibili cognito ut tale, ita nec voluntas affici circa impossibile repræsentutum ut tale, altera quoque ratio supponit falsum, nempe odium Dei in se esse possibile, quod penitus repugnat, cum nullus in Deo possit apparere defectus boni, unde ad summum nequit a damnatis odio haberi, nisi in effectu divinæ justitiæ illos puniendi, quod in se absolute est aliquid possibile, cum possit Deus de peccatis nullas exigere pœnas, ut docet Doctor 2. dist. 6. qu. 2. litt. N. unde non obstat, quod Doctor ibidem qu. 1. §. *quia tamen*, hac ratione utatur, quia illam adducit non ut absolute concludentem; sed juxta sententiam admittentem odium Dei esse possibile.

114 Potest itaque probari conclusio paritate deducta ex impossibili ex suppositione, si enim hoc potest esse velleitatis objectum, ut diximus; poterit etiam esse impossibile simpliciter, & absolute, tam enim bene ex uno, quam ex altero contradictoria sequerentur a parte rei, si darentur. Dices, paritatem non valere, quia cum voluntas vult impossibile ex suppositione, non vult illud, ut impossibile, neque appetit illud, quod est impossibile, sed illud, quod absolute est possibile, cum enim peccator vult non peccasse, utique non vult conjungere negationem peccati commissi cum eodem commisso, sed vult negationem peccati commissi, quæ absolute, & simpliciter est possibilis, licet ex suppositione peccati commissi sit impossibilis. Hoc tamen non destruit paritatem assumptam, quia cum pœnitentiæ objectum sint peccata præterita, ut sic, peccator, dum pœnitet, nedum vult nega-

negationem peccatorum, quæ absolute possibilis est, sed peccatorum commissorum, ut sic, & sive hoc explicetur reduplicative, sive specificative, sic pœnitendo de peccatis commissis videtur aliquo modo velle præteritum non præteriisse, & non esse factum, quod factum est, ergo voluntas pœnitens non tantum fertur in id, quod absolute possibile est per actum pœnitentiæ, sed etiam in id, quod est impossibile ex suppositione. Ratio a priori est, quia sicut malum ostensum ab intellectu sub ratione mali adhuc esse potest objectum volitionis, & amoris, quatenus voluntas ex sua libertate applicando tali objecto bonitatem aliunde desumptam potest illud præstituere sibi tanquam finem, & appretiari, veluti bonum, ut in præced. dubio diximus ex Scoto, sic in proposito ex sua item libertate potest tendere in impossibile ostensum ab intellectu sub ratione possibilis præstituendo illud sibi sub ratione possibilis, & illud appreriando, veluti possibile, applicando ei possibilitatem aliunde desumptam, vide disp. 7. Phys. cit. q. 8. art. 3. nam eodem modo, quo ibi diximus, bonum præfixum, & præstitutum posse habere rationem finis, loquendum est, ac discurrendum in proposito ad declarandum, quo pacto impossibile etiam ab intellectu propositum, ut tale, possit adhuc esse objectum voluntatis.

Hiriban. trac. de actibus humanis disp. 7. sect. 2. adhuc ulterius pergit, inquit enim concl. 3. finem tam impossibilem per se, & simpliciter, quam impossibilem per accidens, seu ex suppositione esse volibilem volitione efficaci conditionata, & per consequens dabilem esse volitionem efficacem conditionatam terminatam ad finem impossibilem, quod probat, quia dum lucifer appetit æqualitatem Dei, intellectus ejus dixit, *si me esse Deum foret possibile, mea voluntas vere, & de facto eliceret volitionem efficacem* terminatam ad connexionem terminorum *Ego Deus*: similiter Peccator pœnitens persæpe dicit, si possibile esset Deum a me offensum fuisse, vere de facto mea voluntas eliceret volitionem efficacem terminatam ad hunc finem *Deus inoffensus*. Cæterum hic dicendi modus non placet, quia quoad hos actus efficaces conditionatos verum est, quod ajebat Vasq. cit. quod re vera non significant aliquam volitionem, quæ de præsenti voluntatem afficiat, sed solum indicant judicium intellectus de actu futuro, quem voluntas haberet positis talibus circumstantiis, ut constat ex ipsis exemplis, quæ affert Hiribar. *si me esse Deum foret possibile, mea voluntas vere, & de facto eliceret volitionem efficacem*, &c. ex quo patet in tali casu voluntatem nullum actum elicere, sed solum intellectum: dum autem hic disputamus, an voluntas possit appetere impossibile, loquimur de actu re vera, & de præsenti ab ipsa elicito, quare ad rem non est quod de volitione efficaci conditionata comminiscitur hic Auctor.

114 Ratio autem ad oppositum ex fundamento allato facile diluitur, quia impossibile etiam ab intellectu ostensum, ut tale, quamvis rationem non habeat boni, nec veri, nec apparentis, quia tamen habet possibilitatem, & bonitatem præfixam, & præstitutam, non est omnino extra sphæram objecti voluntatis, qua responsione etiam utitur Hiribarnes loco jam cit. adhuc tamen licet adducere subtilissimam solutionem, quam huic argumento in terminis affert Doctor cit. 2. d. 6. q. 1. ad 2. princ. quo probatur angelum æqualitatem Dei appetere non potuisse, quia angelum esse æqualem Deo includit contradictionem, ergo non includit aliquam rationem entis, ergo non continetur aliquo modo sub proprio objecto voluntatis, vel intellectus, ergo non est aliquo modo volibile: respondet Doctor, quod sicut duplex est intellectio, scilicet absoluta, & comparativa; absoluta quidem non est nisi alicujus objecti simplicis contenti sub objecto intellectus, comparativa vero, seu collativa potest esse ad quodcunque, sive ista comparatio sit possibilis, sive impossibilis, non enim intellectus tantum componit propositiones possibiles, sed impossibiles quoque; ita etiam aliqua volitio est absoluta, & illa non est, nisi alicujus objecti simplicis contenti sub primo objecto volibili; aliqua vero est comparativa, & ita potest comparare quodcunque volibile simplex ad quodcunque, licet in illa comparatione includatur contradictio; de prima volitione loquendo, hoc complexum non est volibile, quia non est aliquid simplex includens in se rationem primi objecti, sed tantum est quædam habitudo objecti simplicis ad aliud objectum, quorum utrumque objectum simplex est per se volibile, nam & illud, quod vult, & illud, cui vult, est per se volibile; quando ergo dicitur, quod hoc totum non includit in se rationem primi objecti sui, falsum est loquendo de partibus totius, utraque enim pars, scilicet quod, & cui per se includit in se objectum voluntatis, & hoc sufficit ad hoc, quod voluntas velit unam partem in ordine ad aliam, sicut ad hoc, quod intetellectus componat quodcumque simplex cuicumque simplici, sufficit, quod utrumque simplex possit per se apprehendi ab intellectu, hæc Doctor loco citato.

115 Quarto ulterius dubitatur, an bonum, quod est formale, & adæquatum voluntatis objectum, sit idem cum fine, adeo ut finis sub ratione finis sit adæquatum voluntatis objectum, affirmant quamplures ex D. Thom. p. 2. q. 1. ar. 1. quorum præcipuum fundamentum est, quia non agnoscunt in mediis ullam propriam bonitatem distinctam a bonitate finis, sed dicunt media præcise dici bona per *denominationem extrinsecam* a finis bonitate, & demum quidquid bonitatis habent, ab illo emendicare, unde concludunt medium, qua tale, non comprehendi sub objecto formali voluntatis, sed esse duntaxat objectum materiale, ac pure terminativum amoris in virtute finis, quam opinionem ex nostris sequitur Cavell. disp. 3. de anim. sect. 12. n. 8. Hiribar. tract. de Actibus humanis disp. 8. sect. 1. & seq. & alii adhuc magis explicant, dicentes media esse objecta voluntatis materialia, & per accidens, sicut paries est objectum materiale, & per accidens visus, sed formale objectum voluntatis esse finem, eisque a fine totam rationem appetibilitatis obvenire, sicut parieti ratio visibilitatis a colore.

Opposita sententia manifeste colligitur ex Scoto, nam non solum p. d. p. q. 3. ar. 1. docet voluntatem versari tam circa finem, quam circa media ad ipsum ordinata, sed quol. 16. art. 1. F. eis attribuit propriam bonitatem distinctam a bonitate finis, licet ab eo dependentem, & participatam, & 3. d. 34. q. un. §. *his suppositis*, bonum utile, quod quidem est bonitas mediorum, esse aliquo modo voluntatis motivum, *licet non primo*, & principaliter, ut facit bonum honestum & delectabile, quod est proprium finis, ex quibus deducitur Scoti sententiam esse, quod sub objecto formali voluntatis media quoque ipsa continentur, & non finis dumtaxat, cui subscribere videntur Vasq. p. 2. disp. 1. cap. 2. Hurt. disp. 13. de Anim. sect. 4. Salas part. 2. disp. 6. sec. 2. Montesin. disp. 12. q. 2. Lorga disp. 5. de beatitudine, Arriag. disp. 8. Phys. n. 49. ubi mediis tribuunt distinctam bonitatem intrinsecam distinctam a bonitate finis, & ex nostris Faber disp. 9. de Pœnitentia cap. 8. Vulp. tom. 2. part. 2. disp. 53. art. 3. Cæterum quæstio hæc esse potest de re, & de nomine, dum enim inquiunt Thomistæ media non esse objecta voluntatis nisi materialia, terminativa, & per accidens, si per hoc intelligunt solum significare bonitatem mediorum non esse bonitatem propter se ac ultimate intentam, sed ad aliud ordinatam, & a fine dependentem, velut a primario motivo, & principaliter intento, non eis adversamur, si vero per hoc quid amplius prætendant, *nimirum excludere a mediis omnem prorsus bonitatem*, & quidquid prorsus bonitatis habeat in ratione medii esse meram denominationem extrinsecam a finis bonitate derivatam, ut videtur esse Thomistarum sensus, sic controversia erit de re, & non de nomine tantum.

116 In hoc igitur sensu, in quo est controversia de re, probamus media habere utilitatem eis intrinsecam ad finis assecutionem, nec illis omnino ab extrinseco obvenire a bonitate finis, sed a propria eorum natura oriri, & certe hoc adeo evidens est, ut probatione non egeat, nisi apud protervum, media enim antecedenter ad finem habent utilitatem ad ejus consecutionem ex propria natura, medicina dicitur utilis ad sanitatem reparandam, & talis constituitur, non utique per sanitatem ipsam sed virtute ingredientium; deambulatio utilis est ad excitandum calorem, nec utique talem mutuat utilitatem a calore ipso, sed hæc habet ex ipsa membrorum agitatione, & sic de aliis, & ratio hujus est, quia utilitas mediorum est veluti virtus causativa talis effectus v. g. sanitatis, & caloris, at virtus causativa non emendicatur in causa ab ipso effectu, sed ipsum antecedit, cum ergo utilitas mediorum sit virtus causativa finis in esse reali, sane media a fine eam non habebunt, sed propria natura, & conditione. Conf. quia videmus ad alicujus finis assecutionem unum medium magis conducere, quam aliud, unde hoc eligimus, & non illud, ergo eorum utilitas non totaliter a fine desumitur, quia cum finis sit unus, & idem, & immutatus, eadem quoque utilitas redundaret in media; fatendum igitur est in mediis reperiri aliquam bonitatem intrinsecam, ratione cujus amentur, licet in ordine ad finem, ac proinde non tantum finem, sed media quoque ad objectum formale voluntatis attinere, licet objectum formale principale, ac primo motivum *sit solus finis*; Respondet Cavell. quod unum medium aliis præfertur, tunc vel in eo apparere aliquod bonum honestum, vel delectabile, ut cum equitatio peditationi præfertur ad iter faciendum, præter utilitatem est ibi bonum delectabile; *vel finis movet*, & intensius respectu medii aptioris, & *sic* non est immutatus moraliter. Contra quia una potio amara alteri præfertur præcise, quia utilior est ac efficacior ad sanitatem recuperandam, nec præter bonum utile potest in ea fingi bonum aliquod honestum, vel delectabile, quia in se potius summe displicet, quare licet in allato exemplo de equitatione, & peditatione possit cavillare, non tamen in aliis; deinde si finis magis movet respectu medii aptioris, ergo jam media habent aliquam aptitudinem & utilitatem a bonitate finis non mendicatam, unde Cavell. suismet verbis fatetur, & agnoscit aliquam bonitatem intrinsecam mediis reperiri non derivata a bonitate.

117 Respondent alii, quod finis, qui statuitur objectum adæquatum voluntatis, non est finis, qui *dicitur ultimus*, sed *finis*, in communi ad ultimum, & ad proximum, qui dici solet finis sua fine; media, etsi non sint fines ultimi, sunt tamen fines proximi, & hac ratione voluntas tendit in illa, & unum aliis præfert. Neque ista responsio satisfacit, quia medium sub ratione medii non rite dicitur finis non ultimus, nam dicitur medium per relationem ad finem, & ob bonum utile, quod præfertur ad acquirendum honestum, & commodum; tum quia finis non ultimus proprie non est finis, sed abusive solum, pater in exemplo scissionis venæ, quæ proprie est medium ad sanitatem, & si comparetur cum aliis mediis ad ipsam prærequisitis v. g. cum inquisitione, & vocatione Chirurgi, potest etiam dici finis, sed valde improprie dictum; tum tandem quia etiam si sectio venæ, vel potio amara possit dici finis non ultimus, tamen *hanc denominationem* non suscipit *per ordinem* ipsius ad finem, sed alia media ad ipsam prærequisita, & tamen constat, quod sistendo præcise in ordine ad sanitatem, *una potio* præferrur alteri, quia utilior est, & efficacior, *ergo sub ratione* medii præcise, & non sub ratione finis non ultimi *cæteris* potionibus præfertur.

118 Postremo probatur ex Doctore quol. 16. cit. F. media habere propriam bonitatem intrinsecam distinctam a *bonitate* finis, licet ad illum ordinatam, sic enim videntur se habere media ad finem in agibilibus, sicut conclusio ad principia *in speculabilibus* per propositionem Aristot. 2. Phys. 86. sicut *principium* in speculabilibus, sic finis in operabilibus, sed conclusio propriam habet veritatem in-

intrinsecam, & formalem distinctam a veritate principiorum, licet ab ea dependentem, & participatam, ut probamus disp. 11. Logic. q. 2. ergo pariter in proposito media propriam habent bonitatem intrinsecam & formalem distinctam a bonitate finis, licet ab ea dependentem, & ad illam ordinatam. Ex hoc autem, quod media sint volibilia propter finem, & dependenter a fine, non rite infertur, ipsa carere propria bonitate, nec esse volibilia nisi per accidens; ratio est, quia non est idem aliquid esse per se volibile, & amabile, & esse amabile propter se, quamvis ergo media non sint propter se volibilia, adhuc tamen sunt per se nobilia ex propria bonitate intrinseca; Hoc tamen interest valde notandum discrimen inter veritatem conclusionis in ordine ad principia, & bonitatem mediorum in ordine ad finem, quod conclusio cognosci potest etiam indipendenter a principiis in ratione simplicis propositionis per secundam intellectus operationem juxta veritatem, quam habet ex propriis terminis ex Scoto 3. d. 25. q. 2. & d. 35. B. licet non cum tanta evidentia, quanta cognoscitur per discursum; media vero licet propriam habeant bonitatem utilem sibi intrinsecam, nullatenus tamen amari possunt, nisi dependenter ab amore finis, quo cessante cessat omnis mediorum amor, & ratio est, quia bonitas utilis, qualis est ea mediorum, est transcendentaliter ordinata ad bonitatem honestam, vel delectabilem, quæ est bonitas finis, hinc est, quod dici solet in fine, & mediis esse unicam bonitatem motivam, quo etiam loquendi modo dis. cit. logic. ac alibi usi sumus, nimirum quia media quoad bonitatem utilem, quam includunt ex sua natura, nullatenus movere possunt ad amorem sui, nisi dependenter a fine, & in virtute finis.

119 Sed objicies, quod Arist. 2. Phys. 31. ait finem, & bonum esse idem, & 2. Ethic. c. 7. illud esse cuiq; bonum, cujus gratia operatur, & Scot. 4. d. 46. §. *ad quæstionem*, non ponit utile bonum distinctum ab honesto, & delectabili, quia inquit, ad alterum horum reducitur, ad quod ordinatur, & 3. p. 28. ad 3. ait solam bonitatem Dei movere ad amorem proximi; ergo nulla alia bonitas reperitur in mediis præter bonitatem finis, & hæc sola est formale, & adæquatum voluntatis objectum. Tum 2. quia Arist. 8. Ethic. cap. 2. docet, quæ alteri volumus, ut sunt media, non amari per se, sed per accidens, & secundum quid. Tum 3. constat sublato fine tolli omnem bonitatem medii, & media, quæ sunt utilia, immutata physice fieri inutilia per solam mutationem finis, ut potio amara recuperata sanitate fit inutilis, quæ antea manente infirmitate fuit utilis. Tum 4. quia cessante amore finis, cessat amor mediorum, quod non esset, si haberent aliam bonitatem distinctam a bonitate finis. Tum 5. sicut se habet imago ad imaginatum respectu adorationis, ita media ad finem respectu humanæ operationis, imago est materiale objectum adorationis, formale res imaginata, ergo finis duntaxat est objectum humanæ actionis formale, media materiale. Tum tandem quia si media quoq; essent objecta voluntatis formalia, tunc intentio, & electio non essent actus ejusdem speciei, quod est falsum.

Resp. Aristot. ibi accipere bonum pro honesto, & commodo, quod utique cum fine coincidit, & gratia sui bonum est; Doctor autem reducit bonum utile ad honestum, & commodum, quia licet sit bonum per se appetibile, non tamen est propter se appetibile, sed propter illa, & ad eorum acquisitionem ordinatur; neque negat in proximo distinctam bonitatem ab ea, quæ est in Deo, sed tantum, inquit, solam Dei bonitatem esse motivam ad amorem, quod etiam de fine, & mediis concedendum est, quamvis enim media habeant intrinsecam bonitatem distinctam a bonitate finis, illa tamen, vel nullatenus est motiva ad amorem, vel saltem non primo motiva, ut docet 3. d. 34. quæst. un. §. *his suppositis*, sed sola bonitas finis, & in hoc sensu bonitas mediorum dici potest objectum materiale voluntatis, non formale. Ad 2. per illum loquendi modum, voluit tantum Arist. significare media non esse amabilia per se, idest propter se, sed per accidens, idest propter aliud. Ad 3. media fiunt inutilia sublato fine, non quia amittant innatam efficaciam, quam de se habent ad finis consecutionem, nam medicina eamdem retinet virtutem operativam sanitatis, & manente infirmitate, atque deinceps, sed in eo tantum sensu dicuntur fieri inutilia, quia non amplius, amantur, cum eorum amor omnino pendeat ab amore finis. Ad 4. patet per idem, ex illo enim assumpto tantum sequitur bonitatem mediorum pendere a bonitate finis quoad excitandum amorem. Ad 5. neg. paritas, quia imago nullam habet virtutem, vel sanctitatem intrinsecam, ob quam sit adoratione digna, sed tota venerabilitas sibi a prototypo obvenit per extrinsecam denominationem, sed media habent propriam bonitatem formalem in genere entis sibi intrinsecam; unde paritas tantum valet de quibusdam mediis, quæ totam suam efficaciam habent ex hominum instituto, ut advertit Hurtad. ut si v. g. pro pecunia consignetur corium, quod ex hypothesi ad cibos emendos nullam haberet virtutem, nisi ex libera hominum impositione. Ad ult. constabit q. 7. itaque hæc, & similia argumenta probant duntaxat media amari in ordine ad finem, & cum dependentia ab illo, non tamen probant media carere omni prorsus bonitate, quæ sit eis intrinseca, nisi forte bonitatem per se confunderent cum bonitate propter se, & cum ratione primo motiva ad amorem, utique neque nos mediis concedimus.

120 Quinto tandem dubitari solet, an adæquatum voluntatis objectum sit bonum, quod habet rationem finis, vel medii, an potius versari quoque possit circa bonum a ratione utriusque præscindens actu quodam neutro, ac veluti medio inter intentionem, & electionem. Cajet. p. 2. q. 8. Medin. q. 7. Vasq. disp. 32. Salas, & alii negant, asserentes omnem voluntatis actum esse boni, aut propter se, aut propter aliud appetibilis, & consequenter vel finis, vel medii.

Oppositum docet Scot. p. d. p. q. 3. §. *quantum ad primum*; ubi omnes ejus Expositores, Faber in 1. sent. disp. 12. cap. 2. Vulp. Tom. 2. part. 2. disp. 59. ar. 3. & ex Recentioribus quamplures, fuit quoque sententia Ocham d. 1. q. 1. Aureol. ibid. & Gabriel, ubi notandum cum Cavell. disp. 3. de Anim. sect. 12. n. 10. quod cum Doctor admittit hunc actum neutrum, qui non sit finis, nec medii, non loquitur de actu efficaci, sed de simplici affectu, & quadam rei complacentia, quæ habetur, vel haberi potest, antequam eliciens actum resolvat, an eam appetat propter se, vel propter aliud, ut constat ex ipsa Scoti ratione, id probat Becanus 2. part. tract. 1. cap. 2. q. 8. quia potest aliquis per modum simplicis complacentiæ amare bonum honestum, aut delectabile sub ratione boni propter se appetibilis abstrahendo a ratione finis, & similiter potest amare bonum utile sub ratione boni propter aliud appetibilis abstrahendo a ratione medi; utrumque patet in homine conjugato, qui per modum simplicis complacentiæ amat bonum castitatis propter se sub ratione boni honesti, ita tamen, ut ex amore ipsius non moveatur ad eligenda media, quibus assequatur illud bonum, & consequenter non sub ratione finis; similiter potest illud amare propter aliud sub ratione boni utilis, ita tamen ut non eligat, vel assumat illud tanquam medium ad aliquem finem consequendum, & consequenter non sub ratione medii. Respondent eo ipso, quod bonum aliquod amatur propter se, amari quoque sub ratione finis, & eo ipso quod amatur propter aliud, amari sub ratione medii. Hoc rejicit Becan. quia ratio finis non consistit in eo, quod bonum propter se appetibile moveat voluntatem ad sui amorem, vel desiderium, hæc enim est ratio boni propter se appetibilis, sed in eo potius, quod amore, & desiderio sui moveat voluntatem ad electionem mediorum, quibus bonum illud obtineri possit, quæ doctrina, si est vera, sufficienter probat conclusionem, quod voluntas potest habere talem actum, qui nec sit finis, nec medii formaliter.

121 Cæterum, ut tollatur Adversariis omnis evadendi occasio, præstat adducere rationem Doctoris, qua adhuc ulterius pergit, & probatur voluntatem posse amare aliquod objectum præscindendo non solum a rationibus finis, & medii, ut dicebat Becan. sed etiam a rationibus propter se, & propter aliud; quia voluntas potest tendere in objectum, ut sibi proponitur ab intellectu, sed intellectus ei ostendere potest aliquod bonum apprehensum sub ratione boni præcise præscindendo a ratione appetibilis propter se, & propter aliud, ergo voluntas poterit ferri in tale objectum sub tali præcisa ratione boni, quia ratione actus ille erit neuter, quia nec est finis, nec medii, nec objecti appetibilis propter se, aut propter aliud, sed appetibilis, ut sic. Negat Vasq. minorem, quia non datur ratio communis conveniens bono honesto, commodo, & utili, cum hæc tria dicantur bona analogice tantum, quibus non datur conceptus communis; quod etiam asserit Hiribar. disp. 8. de actib. hum. sect. 4. & quando etiam talis conceptus communis daretur, adhuc non sequitur intentum, quia ratio illa bonitatis ostensa vel moveret gratia sui, vel in ordine ad aliud. Utrumque pronunciatum in hac solutione falsum est, primum quidem quia per eandem prorsus rationem, qua probat Doctor p. d. 3. q. 2. univocationem entis, hic probari potest univocatio boni ad honestum, commodum, & utile, nam intellectus potest esse certus de aliquo objecto, quod sit bonum, & dubitare, an sit bonum propter se, & propter aliud, & quamvis bonitas de illis tribus bonis analogice dicatur, quia dicitur de bono utili per analogiam ad honestum, & commodum, quia tamen ista analogia fundatur in forma, quæ est intrinseca omnibus illis bonis, ut etiam Vasq. ipse concedit, qui nobiscum dubio præced. tribuit propriam bonitatem intrinsecam mediis, debet concedi conceptus communis omnibus illis bonis, quia hoc genus analogiæ secum defert semper communitatem conceptus omnibus analogatis ex dictis 2. Log. q. 5. art. 1. sed & alterum quoque pronunciatum est falsum, quia bonum non movet nisi secundum quod ab intellectu proponitur, si ergo absolute proponitur ut bonum, non specificando rationem boni propter se, vel propter aliud, nonnisi hoc modo movere poterit, & si volun as amaret illud propter se, vel propter illud, jam aliquam rationem attingeret in objecto, quæ sibi ab intellectu ostensa non fuit, quod fieri nequit, cum non feratur in incognitum.

122 Cajet. inquit argumentum probare tantum posse dari actum neutrum in voluntate, qui nec sit finis, nec medii in actu signato, non tamen in esse exercito, & ratio est, quia sicut potest intellectus repræsentare aliquod bonum absolute abstrahendo a ratione propter se, & propter aliud, ita voluntas potest objectum illud acceptare sub tali ratione non explicite attingendo rationem propter se, & propter aliud; sed sicut per intellectum repræsentari nequit aliquod objectum, quod a parte rei, & in esse exercito non sit aut propter se, aut propter aliud appetibile, ita nequit a voluntate amari. Addunt alii ad hoc, ut voluntas amet aliquod objectum propter se, vel propter aliud, minime opus esse, quod sub his conditionibus explicite repræsentetur ab intellectu, sed sufficit, quod intellectus voluntati ostendat illud, quod est propter se bonum, vel propter aliud bonum, specificative, non reduplicative. Tandem inquit idem Cajet. eo ipso, quod voluntas vult objectum non propter aliud, jam illud vellet propter se saltem negative, & consequenter per modum finis, hoc enim ait sufficere ad rationem finis.

123 Nulla harum solutionum satisfacit. Prima non est ad rem, quia nos quoque gratis concedimus non posse dari actum in voluntate, qui non versatur circa finem, vel circa media saltem materialiter: nam omne bonum a parte rei vel est propter se appetibile, vel propter aliud; si propter se, potest habere rationem finis; si propter aliud, potest habere rationem medii, unde in actu exercito in hoc sensu concedimus nullum dari actum neutrum; sed difficultas est de medio, & fine formaliter, an scilicet dari possit actus voluntatis, qui aliquod objectum attingat sub ratione boni præcise, non descendendo ad rationes particulares finis, & medii, sed ab eis penitus præscindendo, vel ex sua libertate, vel ex inadæquata intellectus apprehensione, & argumentum Scoti adductum probat esse possibile, quod Cajet. minime solvit. Altera responsio pejor est, quia concedit voluntatem posse attingere objectum sub aliqua ratione, sub qua sibi non fuit ab intellectu propositum, inquit enim, voluntatem acceptare posse objectum explicite sub ratione finis, & propter se volibilis, quamvis sub hac ratione non fuerit sibi explicite & formaliter ab intellectu ostensum, sed tantum materialiter, & confuse. Ultima tandem manifeste falsum assumit, quod ad rationem finis sufficiat propter se negative, ut enim aliquod objectum accepretur a voluntate, ut finis, nedum requiritur, ut illud non ordinetur ad aliud, quod est velle illud propter se negative, sed ulterius requiritur, quod illud ita appretiet, ut illud acceptet ut irreferibile ad aliud, & ut dignum, quod alia referantur ad ipsum, quod est velle illud propter se positive. Conf. quia propter se constituit rationem finis eo modo, quo propter aliud constituit rationem medii, sed ad medium non sufficit propter aliud negative, sed debet esse propter aliud positive per positivam referibilitatem ad finem, ergo e contra propter se ad finem requisitum debet esse tale per positivam irreferibilitatem ad aliud, & terminationem referibilitatis alterius ad seipsum, quam doctrinam frustra nititur impugnare Cajet.

Deinde adhuc ulterius pergit Doctor, & probat, posse voluntatem talem actum habere præscindentem a rationibus propter se, & propter aliud, nedum ex inadæquata intellectus apprehensione, ut argumentum præcedens ostendit, sed etiam ex sua libertate, casu quo ab intellectu ostenderetur objectum etiam sub rationibus specialibus amabilis propter se, vel propter aliud; nam in via præsertim a nullo necessitatur objecto, quare sicut in ejus potestate est velle, & non velle bonum, ita in ejus potestate est sic, vel non sic velle, referendo, vel non referendo, ergo ex sua libertate potest ab illis rationibus præscindere, alioquin esset sicut intellectus, qui scibili propter se, & propter aliud cogitur assensum præbere propter se, vel propter aliud, nec potest actum neutrum inter illos assensus elicere.

124 In oppositum solet objici, quod Arist. 2. Phys. 29. inquit, quod omnis volitio vel est propter se, vel propter aliud, quod expressius habet 3. Ethic. cap. 1. & Ethic. c. 7. non agnoscit, nisi bona, quæ vel propter se amantur, vel propter aliud, quod etiam suader ratio, quia omne bonum, quod appetit voluntas, vel est utile, vel honestum, vel delectabile; si utile, pertinet ad media, si honestum, & delectabile, ad finem, & consequenter omnis voluntatis affectus vel est finis, vel medium ad finem. Tum 2. quia intellectus assentitur objecto vero, vel propter se, cujusmodi est principium, vel propter aliud, sicut est conclusio, ergo pariter voluntas amando objectum, vel amat illud propter aliud, vel propter se irreferibiliter ad aliud. Tum 3. iste actus neuter, qui est boni, nec tanquam finis, nec tanquam medii, est humanus, ergo necessario debet esse boni, ut finis, quia omnis actus humanus est propter aliquem finem, ut Scotus ipse fatetur 4. dist. 6. qu. 5. Tum 4. quia omne bonum ab intellectu repræsentatur voluntati vel secundum propriam bonitatem, vel secundum alienam; si primum, ergo est finis, si secundum, ergo est medium. Tum 5. quæ opponuntur contradictorie, opponuntur immediate, sed appetibile propter se, & propter aliud opponuntur contradictorie, ergo &c. Tum tandem, quia quando etiam non opponerentur contradictorie, sed contrarie, adhuc tamen talis oppositio esset immediata, quia appeti propter se est appeti absolute sua bonitate, absolute autem appeti denotat aliquam negationem consequentem, nempe non relate ad aliud appeti; propter has rationes quasdam alias adducit Greg. 1. d. 1. qu. 1. ac etiam auctoritates, quæ probant non dari actum neutrum, & indifferentem in genere moris, qui nec bonus, nec malus sit, de quo in præsenti non est quæstio; unde hic vir non videtur assecutus esse statum quæstionis, quas proinde mistas facimus, & apud nostros videri possunt: adducit etiam quandam responsionem ad rationem Doctoris, quæ est penitus abs re, ut notat Lichet. 1. dist. 1. q. 3. ad quem lectorem remittimus.

125 Resp. Arist. 2. Phys. loc. cit. illud non habere, sed solum ibi declarare, quid sit causa finalis, quam ait esse duplicem, scilicet finem ultimum, & finem sub fine, seu non ultimum 3. Ethic. cap. 1. loquitur de actibus efficacibus, non autem simplicis complacentiæ, qualis esset hic actus neuter; ad aliam auctoritatem, & rationem annexam concedimus assumptum, quia non dicimus dari medium in re inter bonum propter se, & propter aliud, sed neg. conseq. quia potest intellectus quodcunque bonum inadæquate concipere, & ita repræsentare voluntati; & quando etiam adæquate repræsentarentur, potest voluntas ex sua libertate in illa bona tendere secus, ac sunt a parte rei, & præsentatur a ratione; & argumentum infringi potest in mille instantiis de esse a se, & ab alio, esse ad se, & ad aliud, finito, & infinito, nam a parte rei omne ens sub aliquo istorum cadit, & tamen ens in communi apud intellectum inadæquate concipientem ab omnibus his præscindit, unde aliud est loqui de objectis, ut sunt a parte rei, aliud prout sunt in intellectu, & voluntate, quare argumentum ad summum probat omnem actum voluntatis esse circa finem, vel circa media materialiter, quæ nempe a parte rei talia sunt, non formaliter. Ad 2. neg. paritas, quia intellectus est potentia naturalis, & necessitatur ab objecto ad ei præstandum talem assensum, qualem ex sua natura promeretur, sed voluntas est potentia libera, quæ proinde potest amare, & non amare objectum, & amare, non quantum promeretur amari, quia in cujus potestate est amare, est etiam modus amandi. Ad 3. cum dicitur actus humanus esse propter finem, si finis in rigore sumatur pro objecto fruitionis, itaut expresse, & positive propter se appetatur, non debet illud intelligi, nisi de actibus efficacibus, & plene deliberatis; si vero intelligatur de omnibus in universum, etiam simplicis complacentiæ, finis non ita in rigore sumi debet, sed pro objecto absolute volito, quo sensu hic actus neuter aliquo modo dicetur esse propter finem, saltem negative sumptum, vel dicas ut in disp. 7. Phys. q. 8. art. 7. in fine. Ad 4. jam constat ex dictis posse objectum repræsentari secundum propriam bonitatem, non tamen adæquate conceptam, quo casu poterit esse objectum actus neutrius. Ad 5. licet sit vera minor, si appetibile propter se negative sumatur, falsa tamen si sumatur positive, quo sensu sumitur in proposito, quia ad rationem finis requiritur propter se positive, ut diximus. Ad ult. falsum est quod appeti absolute sit idem, quod propter se appeti, & appeti propter se idem, quod non relate ad aliud, nam addit positivam irreferibilitatem ad aliud, ut constituit rationem finis, quod autem appetitur absolute, abstrahit a positiva referibilitate, & irreferibilitate, & quamvis eo ipso, quod aliquid appetitur absolute, appetatur non relate ad aliud, non sequitur ob id appeti propter se, & per modum finis, quia finis exigit positivam irreferibilitatem; sicut ad ens in communi licet sequatur hæc negatio, quod non est ad aliud, non ob id rite infertur esse absolutum, quia entitas absoluta non constituitur per solam negationem non essendi ad aliud, sed per positivum modum essendi ad se.

Hiribar. tr. de actibus humanis disp. 11. sec. 3. & 4. defendit & ipse actum neutrum voluntatis inter fruitionem, & usum; adhuc tamen sec. 2. negat voluntarem ferri posse in bonum, quod nec sit finis, nec medium; quod sane non videtur consequenter dictum, nisi in sensu superius explicato loquatur, quatenus omne objectum a parte rei aut est propter se appetibile, aut propter aliud, si habet rationem finis, vel medii, atque ideo voluntas in hoc sensu materialiter loquendo semper versatur vel circa finem, vel circa media.

APPENDIX.

De fine præfixo, seu præstituto.

126 Disp. 7. Phys. q. 8. art. 2. nu. 170. dicimus, bonum, quod ponitur voluntatis motivum, non esse duntaxat verum, sed etiam apparens, & probabile esse in sententia Doctoris, bonum quoque præfixum habere rationem finis ex 1. d. 1. q. art. 3. & 4. declaravimus autem ibi num. 166. ab initio articuli tunc dici finem præfixum vel præstitutum, quando objectum ostensum est ab intellectu sub ratione mali, at voluntas ex sua libertate illud sibi præfigit tanquam finem, quod non est intelligendum quasi quod voluntas feratur in malitiam per se, & vere tendat in malum sub ratione mali, sed quod ostenso voluntati objecto ab intellectu sub ratione mali, & ex alia parte ostensa ratione boni vel in se vel in alio objecto, potest voluntas ex sua libertate tribuere illi objecto malo rationem boni in alio objecto repertam conficiens aliquod aggregatum, sicut facit intellectus cum concipit finem apparentem, nam objecto ex se malo applicat bonitatem in alio inhærentem. Pro quo dicendi modo duos Scoti locos ibi asferimus, primus est 1. d. 1. q. 1. art. 4. cum ait, sed in fruitione finis præfixi ratio finis sequitur actum, quia vel dicit modum actus, vel modum objecti, ut talis finis præfixus actus terminat actum ipsum, quia voluntas appetendo illud propter se tribuit sibi rationem finis. Alter est in 2. d. 43. qu. 2. ubi loquens de odio Dei ostenso præcise sub ratione mali, ait, si voluntas potest illud velle, patet propositum, quia nulla est bonitas in isto actu prior ipso actu volendi, si enim assignatur aliqua bonitas propter actum volendi, hoc non est in objecto, ut præcedit actum, sed est in ipso, ut sequitur actum volendi.

Quibus in locis dicimus ibidem duo Doctorem insinuare, & quod objectum ex se non habet rationem finis, sed ab actu de novo accipit, ut in primo; & quod nullam habet bonitatem, sed illam recipit ab actu in secundo, signum evidens quod pro eodem accipit finem, & bonitatem, unde in sententia Doct. finis præfixus erit ille quem præfigit sibi voluntas tribuendo illi bonitatem, quam tamen non habere objectum prius ostenderat intellectus.

127 Pontius in append. apolog. pag. 182. a n. 246. hanc nostram nititur labefactare Doctrinam, nam tam rationibus quam conviciis, & scommatibus, ineptissime tamen, insulse, & frigidissime adeo efficatis, ut cordato viro nauseam afferre possint; Cur autem conviciis plerumque respondeat hic Auctor, dicam in fine totius disputationis n. 162. itaque n. 154. simili nugarum apparatu præmisso ostendere nititur hæc duo loca minime nobis favere, & contra Doctoris mentem penitus a nobis adduci, & explicari; Nam sensus primi est, non quod objectum, quod præstituit sibi voluntas pro fine, non habeat ex se bonitatem, sed quod non habeat ex se rationem finis ultimi; Scotus enim expresse asserit, quod ratio finis sequatur actum voluntatis præfigentis sibi finem, non vero dicit quod ratio boni, quam habet objectum, sequatur illum actum; Et quod ratio finis, & boni secundum Scotum non sit idem formaliter loquendo, patet manifeste ex dictis ipsius in hoc ipso loco, quia eodem ipso articulo docet expresse rationem finis non esse propriam rationem objecti fruibilis, neque in fruitione ordinata, neque inordinata, quod probat, quod posset dari ratio objecti fruibilis in objecto summe bono, quamvis per impossibile non haberet rationem finis, unde infert, quod ratio finis

in objecto fruitionis ordinatæ, & inordinatæ concomitatur objectum fruibile, & in objecto fruitionis finis præfixi ratio finis sequitur actum, sed ratio objecti fruibilis, qua tale, est ratio boni, ergo ratio finis, & boni non sunt idem formaliter secundum Scotum.

128 Deinde secundum Scotum ar. 3. D. ideo voluntas præstituere potest sibi finem ultimum qui non sit talis nec à parte rei, nec apparenter, quia sicut bonum potest velle, aut non velle, ita potest illud bonum referre, aut non referre, & si non referat, tum præstituet ipsum sibi pro fine, ergo ad hoc ut voluntas præstituat sibi finem ultimum, non dat objecto bonitatem, sed debet sibi proponi, ut bonum, & solum habebit sibi præstituere illud tanquam finem ultimum, si noluerit ipsum referre ad alium finem, sed potius voluerit omnia alia ad ipsum referre, Verba Scoti sunt clariora (inquit) quam indigeant Commento, nisi quis non intelligeret linguam latinam, sicut in potestate voluntatis est velle, ita in ejus potestate est modus volendi, scilicet referre & non referre, ergo in potestate sua est aliquod bonum (adverte quod dicit expresse) velle propter se non referendo ad aliud bonum, & ita sibi præstituendo finem, &c. ergo secundum Scotum concludit Pontius præstituere finem est velle aliquod bonum non referendo ad aliud bonum, quamvis nec realiter nec apparenter sit bonum tale, quod non posset referri, ergo ad hoc ut voluntas præstituat sibi finem, non debet applicare bonitatem objecto, quod non est bonum, tandem advertit in hoc ipso loco aliquid contineri, cui contradicit Mastrius cum socio in responsionibus ad sua fundamenta (postea habendis) nam in illis expresse dicunt, quod bonitas præfixa nec antecedat, nec sequatur actum voluntatis, quo finis præfigitur; sed concomitetur ipsum, rationem autem finis præfixi habet objectum a bonitate, quam dat ipsi voluntas. Sed Scotus expresse dicit in hoc primo loco quod ratio finis præfixi sequatur actum voluntatis, ergo Mastrius cum socio expresse contradicit Scoto, quia non intellexerunt illum, licet clare, & expresse loquatur: ita Pontius, qui omnes sapere vellet ex ore suo, ut ait Lucret.

129 Cæterum quod locus ille primus nobis faveat, nostraque explicatio sit ad mentem Scoti, sua vero extorta, & violenta, jam demonstro tum ex ipso Doctore, tum ex Commentatoribus ejus, & quidem quod Scotus ibi per finem intelligat bonum propter se appetibile, & per ultimum finem intelligat summum bonum includens rationem omnis boni, constat ex reportatis ejusdem Doctoris p. d. p. q. p. ubi eandem habens Doctrinam quam tradidit in libro Oxoniensi ead. d. p. q. p. art. 3. de fine vero apparenti, & præstituto sic dicens: Si quæritur de objecto fruitionis in communi, dicitur quod ejus objectum potest esse bonum, quod est, vel apparet bonum, quia sequens rationem erroneam accipit bonum apparens pro vero bono, potest esse etiam bonum non apparens, sed tamen præstitutum, quando aliquis gratis vult aliquod, quod nec est bonum sibi, nec apparens, sed præstitutum, quod illud sit possibile patet, quia sicut in potestate voluntatis est velle, sic & modus volendi, ergo potest acceptare quod nec est bonum, nec apparens bonum, ita loquitur Doctor in reportatis, & cum sit eadem omnino Doctrina, & resolutio, ex istius intelligentia declaratur intelligentia textus Oxoniensis, ita quod per finem intelligat bonum propter se appetibile, & per ultimum finem summum bonum includens rationem omnis boni, & cum in Reportatis dicat quod voluntas sibi finem præstituere potest in quantum potest acceptare, quod nec est bonum, nec apparens bonum, non est sensus clarissimus Scoti (ut ait Pontius) quod objectum, quod sibi voluntas præstitulit pro fine, habeat ex se bonitatem, & a voluntate accipiat solum rationem finis ultimi, sed quod ex se neque habet rationem bonitatis, nec veræ nec apparentis, nec consequenter rationem finis, quæ per solam bonitatem propter se appetibilem constituitur. Et in hunc modum declarat quoque illum Scoti textum Lichetus, dum declarans triplicem illum finem fruitionis in communi ait, quod finis verus est, in quo reperitur ratio omnis boni ex natura rei, finis apparens in quo vere non est ratio omnis boni, sed tamen apparenter, & finis præstitutus in quo non est ratio omnis boni nec vere, nec apparenter, ergo dum voluntas tale objectum sibi præstituit ut suum ultimum finem, quemadmodum avarus pecuniam, intantum pro tali fine sibi præfigit illud, inquantum ei tribuit rationem omnis boni; quæ est ratio constitutiva ultimi finis, ex quo oritur quod velit illud ultimate propter se non referendo ad aliud bonum, nisi enim acceptaret voluntas avari, verbi gratia, pecuniam, ut objectum includens rationem omnis boni, non vellet illam propter se, & irreferibiliter ad quodcunque aliud bonum.

130 Ex quo patet utrumque discursum Pontianum, quod habet sub n. 255. falsas inferre consequentias, quod nempe ut voluntas ultimum sibi finem præstituat, non debet dare objecto bonitatem, sed sufficit ut objectum ei proponatur ut bonum, & nolit illud referre in alium finem, hoc enim ipso sibi illud præstituit tanquam ultimum finem; Hæc inquam consequentia omnino inepte deducitur ex prava intelligentia textus Scotici adducti a Pontio, quem solum consideravit ex cortice latinæ linguæ, absque alio commento, vel ponderatione, ut ipsemet fatetur: quæro enim, an ideo voluntas avari non referat pecuniam in alium finem, quia illam diligit, & acceptat ut includentem rationem omnis boni, an vero ideo sic acceptet, quia non referat; primum asseratur, vel asseri debet, quæro rursus an pecunia a parte rei talem summam bonitatem habeat, an potius quia a voluntate perversa ei tribuatur, & si hoc dixeris, ut dicere teneris, habeo intentum, quod ad hoc ut voluntas præstituat sibi finem, debet applicare bonitatem objecto, quæ sit ratio constitutiva talis finis, in quo re vera a parte rei non reperitur, nec ab intellectu errante sibi proposita fuit. Accedit, quod si pecunia proponatur voluntati, ut bona, utcunque talis propositio non sufficit, ut possit illam diligere irreferibiliter, quia talis irreferibilitas fundatur in objecto includente rationem omnis bonis, vel vere ex natura rei, vel apparenter ex intellectus errore, vel ex malitia, & perversitate voluntatis, quæ acceptat illud objectum tanquam summum bonum, & non ut in alium finem referibile, ergo ut voluntas præstituat sibi finem ultimum, debet per suam acceptationem dare objecto bonitatem talem, ut in alium finem referri non debeat, male itaque Pontius hæsit in cortice linguæ latinæ illius textus absque commento, & hoc fuit in causa erroneæ intelligentiæ, quam immerito aliis impingit ira percitus, cum qua nihil recte, nihil considerate fieri potest Cicer. 1. off.

131 Quod autem ratio finis, & boni coincidant secundum Scotum docet P. Cavellus Pontii Præceptor disp. 3. de anima sec. 12. n. 8. & probat ex Arist. 2. Physic. c. 3. & 2. & hic c. 7. nam in primo loco ait finem, & bonum idem esse, & secundo loco illud esse cuique bonum cujus gratia operatur, & ex Scot. 4. d. 46. q. 4. §. *ad quæstionem*, ubi non posuit utile, ut bonum distinctum ab honesto, & delectabili, male ergo, ut sæpe dixi, vult Pontius sapere supra Magistrum, quem adeo in sua hac Apologia, & merito extollit. Neque oppositum sensit Doctor loco cit. 1. dist. 1. q. 1. ar. 4. ut Pontius probare contendit, cum enim inquit ibi Doctor, rationem finis non esse rationem objecti fruibili, non loquitur de fine prout est id, cujus gratia aliquid fit, & quod movet, & allicit voluntatem ad sui consecutionem, sed accipit finem pro quodam respectu rationis concomitantem objectum fruibile, in quantum finit & terminat objectum fruitionis, ut ibi exponit Lichetus, imo semetipsum explicat Doctor ibi dicens verbis, prave ergo & perperam hunc quoque textum intellexit Pontius sequens tantummodo ductum latinæ linguæ, medullam speculando, non penetrans. Ex eadem tandem prava Scotici textus intelligentia ortum ducit contradictio illa, quam nobis Pontius impingit in fine nu. 255. eo quod dixerimus in responsione ad ejus fundamenta, quod bonitas præfixa nec antecedat, nec sequatur actum voluntatis, quo finis præfigitur, sed concomitetur ipsum, cum tamen Doctor expresse dicat loco cit. quod ratio finis præfixi sequitur actum voluntatis; Nam præterquam quod nos loquimur de bonitate præfixa, Doctor vero de fine præfixo sub formalitate illius respectu rationis, utique sequitur ad ipsum voluntatis actum, non debebat Pontius vim tantam facere in verbo latino, *sequitur*; ibi enim Doctor dicit, *sequitur*, ejus expositores Tataretus, & Posnaniensis ponunt *concomitatur*, unde in proposito ly *sequitur* idem sonat quod *concomitatur*, & re vera se ita declarat Doctor ibidem, dum hujus rationem reddens inquit, in fruitione finis præfixi ratio finis sequitur actum, quia vel dicit modum actus, vel modum objecti, ut talis finis præfixus actus terminat actum &c. itaque hic error Adversarii rursus ex eo procedit, quod in intelligentia istius textus noluit uti commento, sed sistere voluit in cortice latinæ linguæ, & vim facere, ut Hipodidascali solent, in latino vocabulo.

Ad secundum superius adductum ex 2. dist. 43. q. 2 ait nos adhuc gravius, & crassius decipi, quia Scotus ibi expresse loquitur de odio Dei apprehenso ab intellectu non errante, nec consequenter proponente ipsum sub ratione boni, sed tantum mali, & dicit, quod si voluntas potest velle odium illud, cum habeatur intentum, nempe quod voluntas possit peccare ex malitia volendo aliquod malum non propositum sub ulla ratione boni, quia sic vult illud odium, neque enim in eo est bonitas ulla antecedens actum volendi, & si assignatur (inquit) esse aliqua bonitas in objecto propter actum volendi, illa bonitas non est in ipso, ut antecedit actum volendi, sed est in ipso ut sequitur actum; quibus verbis non dicit Scotus, quod voluntas communicat bonitatem objecto malo, sed solum dicit, quod si communicet, non præjudicat rationi propositæ, quia illa bonitas non antecedit actum sed sequitur, quis autem non videt quod aliud sit dicere, quod voluntas communicet bonitatem, & aliud quod si communicet, bonitas sequatur actum? hoc autem secundum expresse dicit Scotus, non primum, & hic rursus non incusat, quod Scoto contradicamus, cum diximus bonitatem præfixam non sequi actum voluntatis, ut hic rursus Doctor repetit, sed concomitari,

132 Hæc alia Scoti explicatio adhuc frigidiorem præcedenti fatemur & nos, Doctorem loco citato non absolute dicere quod in eo casu, quod vellet odium Dei, voluntas communicaret bonitatem odio Dei, sed loquitur conditionate, quod si assignatur aliqua bonitas in eo propter actum volendi; hæc non est in objecto ut præcedit actum, sed in ipso, ut sequitur actum volendi &c. Loquitur autem ex hypothesi; quia ut diximus disp. 7. cit. n. 170. Doctor non resolute hanc sententiam tenuit, sed fuit problematicus, & etiam magis inclinavit in sententia ponente bonum verum, & apparens præcise tanquam finem, & objectum voluntatis, sed quando illa sententia placeret, duobus locis citatis, innuit modum, quo defendi possit etiam bonum præfixum habere posse rationem finis, & dicit quod si teneretur illa sententia, dici debet in objecto nullam præcedere bonitatem, nec veram, nec apparentem, sed sequi, seu concomitari actum ipsum voluntatis, illud objectum acceptantis, tanquam si esset bonum ex sua mera libertate, quod satis aperte indicat loc. cit. 2. d. 43. q. 2. in fine cum inquit: Si tamen non ponatur voluntas creata posse velle malum sub ratione mali, adhuc potest assignari peccatum ex certa malitia, quando voluntas ex libertate sua absque passione in appetitu sensitivo, & errore in ratione peccat; ibi enim est plenissima ratio peccati, quia nihil aliud est a voluntate alliciens eam ad malum, sed ex pura libertate sine alia occasione extrinseca eligit sibi malum velle, non tamen ex malitia, ita quod voluntas sic peccans tendat in malum inquantum malum &c. ad illam vero contradictionem, quam hic denuo nobis imponit, dictum est supra.

133 Hanc

133 Hanc vero nostram sententiam de fine, & bono præfixo sic declaratam impugnavit Pontius disp. 10. Phys. n. 30. cujus objectionibus breviter occurrimus disp. 7. Physic. q. 8. art. 2. in fine. Prima impugnatio erat, quia finis ante actum voluntatis, quo tendit in ipsum tanquam in finem amando ipsum, debet habere bonitatem vel veram, vel apparentem propositam per intellectum, qua moveat, & excitet voluntatem ad amandum; sed bonitas, quæcumque sequens actum voluntatis nequit esse sufficiens ad hoc, ergo finis non potest constitui in ratione finis, nec habere rationem a bonitate præfixa sequente actum voluntatis. Huic argumento licet a nobis loc. cit. aliter efformato secunda est assignata responsio, prima est bonitatem præfixam re vera nec antecedere, nec sequi actum voluntaris, quo præfigitur, sed comitari ipsum, & esse simul cum ipso quod sufficit in objecto terminativo, ut de ente rationis diximus disp. 7. log. respectu intellectus, hoc satis est, ut possit præfixa bonitas causalitatem finis exercere circa talem actum. Hanc resolutionem rejicit Pontius n. 247. primo, quia cum actus voluntatis sit causa applicans, & attribuens illam bonitatem objecto, quod alias ex se illam non haberet, impossibile sit, quin sequatur actum voluntatis nostro modo intelligendi, ergo suppositum illud quod negatur, est verum. Deinde impossibile est, quod ulla bonitas possit exercere causalitatem finis, nisi bonitas quæ possit movere voluntatem ad actum, & impossibile est quod ulla bonitas ad hoc moveat, nisi bonitas, quæ proponatur voluntati ante actum; sed bonitas illa præfixa, si non præsupponatur actui voluntatis, etiamsi concomitetur, & non sequatur, non potest proponi ab intellectu in objecto, ergo non potest exercere causalitatem finis respectu voluntatis, quantum ad illum actum, sicut nec ob ectum ea mediante potest movere.

Resp. licet ea de causa bonitas præfixa nostro intelligendi modo intelligatur sequi actum voluntatis quo applicatur, & attribuitur objecto, in quo a parte rei non reperitur, adhuc tamen stat quod a parte rei bonitas præfixa, nec antecedat, nec sequatur actum illum, sed comitetur, & sit simul cum illo, sicut a pari denominatio passiva cogniti in objecto nostro intelligendi modo concipitur sequi ad actum cognitionis a qua derelinquitur, & suo modo causatur, cum tamen revera nec antecedat, nec sequatur, sed comitetur ipsum, non enim a parte rei prius est intellectum cognoscere objectum, quam objectum cognosci, aut cognitum esse ab intellectu; quomodo autem bonitas præfixa possit ab intellectu voluntati proponi, ut eam moveat, quod tangitur in secunda instantia, patebit mox ex solutione aliarum objectionum.

134 Alia responsio ad primum argumentum principale erat, quod sicut in intellectu in ordine ad ens rationis duplicem assignamus disp. 7. log. cognitionem, unam directam qua fingitur ens rationis, alteram reflexam, qua cognoscitur factum, ita in voluntate duplicem possumus assignare actum in ordine ad bonum præfixum, unum directum, quo suo modo fingitur ab ipsa applicando bonitatem, ubi non est alterum reflexum, quo tale bonum sibi pro fine præstituit; dato itaque quod respectu primi actus nequeat illa bonitas causalitatem finalem exercere, poterit ad minus exercere respectu alterius.

Sed hanc quoque solutionem refellit Pontius num. 248. primo quia loquitur argumentum de causalitate finis respectu primi actus, quo fit bonum præfixum, sed quo applicatur ipsi bonitas, quæ non est in ipso, qui actus cum sit actus prosecutionis voluntatis debet habere aliquem finem, seu aliquod motivum. Secundo, quia per hoc quod voluntas applicet bonitatem objecto, in quo non est, intellectus non potest proponere ipsum, ut bonum, ergo non potest exercere causalitatem finis respectu secundi actus, probatur antecedens, quia voluntas nequit applicare, nisi quatenus haberet hunc actum, volo quod illud objectum sit bonum illa alia bonitate, quæ non est in ipso; sed per hoc quod voluntas habeat hunc actum, non potest intellectus apprehendere quod sit bonum, ergo non potest intellectus post primum actum directum proponere objectum, ut bonum respectu secundi actus. Probatur *minor*, quia etiamsi voluntas velit, quod aliquis haberet divitias, non propterea posset intellectus proponere ipsum per modum divitis post illum actum voluntatis, nec ipse per modum divitis posset movere voluntatem ad aliquem actum, ergo nec per hoc quod voluntas velit aliquid esse bonum, potest propterea proponi ut bonum ab intellectu, neque ut bonum movere ad alium actum voluntatis.

135 Respondeo, falsum esse, quod argumentum loquatur de causalitate finis respectu primi actus, quo fit bonum præfixum, major enim in argumento assumpta loquitur de actu voluntatis, quo tendit in finem amando, & acceptando ipsum, qui non est actus ille directus quo fit bonum præfixum, sed reflexus, quo tale bonum sibi pro fine præfigit, & acceptat; concedo etiam illum primum bonitati factivum, vel applicativum habere aliquem finem, & motivum, hic autem non est bonitas ipsa præfixa, sed libertas ipsa voluntatis, quatenus ex sua mera libertate, seu ad suam libertatem exercendam in actum illum prorumpit, ut docet Doctor loc. cit. Ad secundam instantiam negatur assumptum. Ad probationem distinguo minorem, non potest intellectus tali applicatione facta a voluntate apprehendere quod illud objectum sit bonum vere, & a parte rei, concedo, tanquam quid fictum a voluntate nego, & sic pariter dico ad antecedens probationis ejusdem minoris, facta applicatione divitiarum a voluntate per actum, quo aliquem vellet esse divitem, posse talem ab intellectu proponi ut divitem voluntati, *non* ex tali propositione posse voluntatem movere ad aliquem actum saltem inefficacem, hoc enim pacto voluntas potest impossibilia apperere etiam ut talia judicata, atque ita de facto Angelum malum appetisse æqualitatem Dei nullo errore in intellectu precedente, docet Doct. 2. dist. 6. q. 1. Imo si argumentum hoc valet, probaret pariter bonum apparens propositum ab intellectu errante non posse voluntatem movere; ex eo enim quod intellectus errans apprehendat bonitatem *in objecto*, ubi non est, non sequitur, illud objectum esse re vera bonum, nec ab intellectu posse absolute proponi ut bonum, sed ut apparenter bonum, si ergo talis propositio procedens ex errore intellectus sufficit ad movendam voluntatem, cur item sufficiens non erit propositio in casu nostro procedens ex errore voluntatis bonitatem applicantis in objecto, ubi re vera non reperitur? ita argumentum hoc, cui Pontius adeo fidit, est prorsus labile. Verum quia Pontius in apolog. n. 246. consueram repetens cantilenam dolet nos in forma non respondisse argumento principali, & hac de causa pessime responduisse, nunc addo argument. suum responsionem in forma non meruisse, quia nec ipsum est in forma, quandoquidem in conclusione colligat, quod in præmissis non seminaverat, concludit enim bonitatem præfixam rationem finis habere non posse, cum tamen in præmissis nunquam de tali bonitate fiat sermo, sed solum de bono vero, & apparenti; ut illud legenti statim constabit.

136 Secundum argumen. ejus est, bonitas exercens causalitatem finis debet esse apprehensa sub ratione bonitatis, seu quod est idem in re, illud, quod potest movere per modum finis, debet apprehendi per modum finis, antequam movere possit, sed bonum præfixum, ut explicatur a Mastrio, non potest sic apprehendi, quia intellectus absolute apprehendit ipsum ut malum, ergo bonum præfixum non potest exercere causalitatem finis. Huic etiam argumento duplex est assignata responsio disp. 7. Phys. sub num. 174. primo diximus bonum præfixum esse cognitum, non ut quid aggregatum antecedenter ad actum, quo voluntas applicat rei malæ bonitatem, sed secundum partes, quatenus intellectus apprehendit ex una parte objectum malum, & bonitatem in se ex alia parte, & voluntas ex sua libertate hunc applicat illi objecto formando suo modo ens fictum, & talis apprehensio sufficit ut possit movere voluntatem. Deinde addimus quod potest totum aggregatum post præfatam applicationem a voluntate factam apprehendi, & sui voluntatem movere, in quo casu intellectus non erraret, nec fingeret, sed objectum a voluntate fictum ostenderet. Hanc responsionem inquit Pontius coincidere cum data ad primum, & eodem modo impugnari, addit tamen hic, quod quando apprehenditur res mala, & apprehenditur bonitas extra ipsam, illud totum non posse movere per modum finis, sed si aliquid movet, sola bonitas movebit; quod probat, quia res illa non bona, nec secundum se etiam partialiter movere potest, cum secundum se non apprehendatur ullo modo ut bona, nec etiam potest movere ratione bonitatis illius, quia illa non apprehenditur in ipsa, nec ut spectans ad ipsam, ergo illa nullo modo concurrit ad movendum, & consequenter si aliquid moveat, sola bonitas movebit.

137 Respondeo, esse merum mendacium ullam nostrarum responsionum coincidere cum data ad primum argumentum, ut eas invicem conferenti statim patebit, & quidem prima responsio est omnino fundata in *Doctrina Scoti 2. dist. 7. quæst. 1. ad 3.* ubi ostendens quomodo poterit Angelus malus appetere æqualitatem Dei etiam ab ipso cognitam, ut: *impossibilem sibi*, inquit: Ad 3. dico quod intellectus simplex potest apprehendere æqualitatem Dei sine errore, & sufficit sola simplex apprehensio, ad hoc quod appetitus appetat illud apprehensum alteri; sicut intellectus apprehendens albedinem, & apprehendens corvum potest velle albedinem corvo, æqualitas autem Dei potest apprehendi sine errore, nam Filius Dei est æqualis Patri, & ille potest apprehendi, vel si nihil esset æquale, adhuc æqualitas posset apprehendi absolute, nec in apprehensione illi simplici est error, nec aliqua falsitas, & tamen illa apprehensio simplex sufficit ad volitionem illius simplicis cuicunque intellecto, & amato; hæc Doctor ibi: in qua Doctrina vides totam primam responsionem fundatam, illud vero quod addit Pontius hic contra allatas responsiones, contra neutram facit, non quidem contra primam, quia juxta illam concedo, nec objectum malum movere voluntatem; nec aggregatum ex objecto, & bonitate, quia tunc non concipitur, ut quid aggregatum, sed bonitas apprehenditur in se, & non ut in illo objecto, atque ideo sola bonitas apprehensa movet, ut dicebat Doctor de æqualitate Dei apprehensa ab Angelo. Neque facit contra secundam responsionem, quia juxta illam falsum est bonitatem apprehendi ab intellectu extra objectum in se malum, nam tunc apprehenditur ut aggregatum quoddam a voluntate factum, vel fictum ex sua mera libertate, unde falsum est quod in eo casu non apprehendatur bonitas ab intellectu, ut applicata a voluntate illi objecto, & ut spectans ad illud ob talem applicationem a voluntate factam.

Tertium argumentum a Pontio non ponitur, quia *inquit* a nobis adhiberi eandem responsionem, quam prætendit esse satis impugnatam. Fateor ad tertium argumentum per eandem responsionem nos satisfacere, quia non est a *secundo* diversum, nego tamen illam responsionem fuisse sufficienter ab Adversario impugnatam, ut constat ex nuper dictis.

138 Quartum argumentum erat, quod non apparet, qua ratione voluntas possit habere pro bono *illud*, quod non ostendimus ei ab intellectu esse bonum, *nec* quomodo possit tribuere bonitatem rei, quam vidit esse malam, & cujus malitiam auferre nequit. Cui occurrimus disp. cit. satis constare ab initio articu-

ticuli, quo pacto id contingere possit ex libertate, & malitia voluntatis, ubi dicimus quod finis præfixus, seu præstitutus est, quando objectum præcise est a ratione ostensum sub ratione mali, at voluntas ex sua libertate illud sibi præfigit tanquam finem, quod non est intelligendum, quasi voluntas feratur in malitiam per se, & vere tendat in malum sub ratione mali, sed quod ostenso voluntari objecto ab intellectu sub ratione mali, & ex alia parte ostensa ratione boni, vel in se vel alio objecto, potest voluntas ex sua libertate tribuere illi objecto rationem boni in alio objecto repertam, conficiens aliquod aggregatum, sicut facit intellectus, cum concipit finem apparentem, nam objecto ex se malo applicat bonitatem in alio inhærentem.

Quam responsionem refellit Pontius n. 251. dicens per hanc minime ostendi quomodo voluntas possit tribuere bonitatem objecto non habenti bonitatem, sed tantum dicitur, quod id faciat, longe autem diversum est dicere, quod voluntas facit aliquid, & ostendere quomodo id possit facere, ut est evidens, sed hæc est nimis frigida evasio, quandoquidem ex præfata responsione ostenditur non solum quod voluntas id facit, sed etiam modus quo id facere possit ex sua libertate, & est Doctrina Scoti 2. d. 6. q. 1. ad 3. dum docet modum quo potuerit Angelus appetere æqualitatem Dei quantumvis sibi impossibilem, & ab intellectu propositam ut talem, ex hoc nimirum quod potuerit intellectus apprehendere æqualitatem Dei in se, vel ut in Filio, & voluntas ex tali apprehensione simplici moveri ad illam sibi appetendam, vel applicandam, quia voluntas est vis collativa sicut intellectus, & per consequens potest conferre quæcumque simplicia sibi ostensa sicut intellectus potest; ex quo patet præfatam nostram solutionem non esse aggregationem verborum sine sensu, ut ait Pontius, nisi apud eos, qui enutriti in Scholis Recentiorum principia Scotica non penetrant, nec illorum sensum percipiunt, unde monitum nobis ab ipso adeo charitative factum, ut interdum reflectamus supra sensum verborum, magis ei necessarium erat quam nobis, quare in proposito quadrat adagium, *Mœvius accusat mœchos*.

139 Deinde impugnat, quod diximus in fine responsionis, intellectum scilicet, dum concipit finem apparentem, applicare ipsi bonitatem in alio objecto inhærentem, quod inquit esse manifeste falsum, neque enim intellectus applicat illi bonitatem magis, quam applicat bonitatem veram, quam concipit in objecto; Nec valet dicere, quod bonitas vera non applicatur ab ipso, quia est antecedenter in objecto, nam sicut bonitas vera est realiter in eo ante apprehensionem intellectus, & propterea non applicatur per intellectum, ita bonitas apparens est apparenter in objecto ante apprehensionem intellectus, & propterea non applicatur per intellectum; Sed plane hic rursus non percipit Pontius, vel percipere noluit paritatem assumptam de intellectu concipiente bonum apparens, & de voluntate acceptante bonum præfixum, non enim eodem modo prorsus fit illa applicatio boni, ubi non est ab intellectu, & voluntate, alioquin non esset similitudo, sed identitas; applicat ergo intellectus bonitatem apparentem objecto ex se malo, non quia prius prævideat objectum esse re vera malum, & illi bonitatem in alio inhærentem fingendo appingat, quia tunc non peccaret ex ignorantia, vel inadvertentia; sed quædam bonitas apparens in objecto resultat ex ejus ignorantia, dum non sufficienter naturam, & *conditionem illius objecti* considerat, quam postea apprehendit, ac etiam componit cum tali objecto, & voluntati proponit, tanquam si vere esset a parte rei, & in hoc sensu dicitur applicare bonitatem objecto, ubi revera non est, ubi etiam observandum est, bonitatem sic applicatam esse veram, & realem in se spectatam, alioquin voluntatem realiter movere, & allicere non posset, sed apparentia, & fictio consistit in falsa applicatione, & compositione, ex ejus ignorantia, & inadvertentia procedente.

140 Quoniam vero juxta ejus placitum non adhuc sufficienter ostendimus, quomodo voluntas ex sua acceptatione possit facere objectum malum bonum sub nu. 252. in gratia nostri, ut discamus (inquit) quod ante nesciebamus, docet quomodo id fieri possit, & ait aliter fieri non posse quam per hoc, quod voluntas habeat actum, quo mediante velit, quod illud objectum sit bonum ea bonitate, seu quo velit ipsi illam bonitatem, subdit tamen hoc nobis non sufficere, quia per hoc quod voluntas velit aliquid esse bonum, non fit bonum, neque potest ab intellectu proponi ut bonum sufficiens ad movendum voluntatem, sicut per hoc, quod vellet aliquod esse delectabile sensui, non propterea esset tale, nec per hoc quod vellet aliquem esse divitem, fortem, vel pulchrum, propterea esset talis, vel posset ut talis movere voluntatem. Tum 2. quia si voluntas vellet aliquod bonum alicui malo proposito, ut malo, amaret malum; probatur sequela, quia amare malum ut malum, nihil aliud est quam velle illi malo ut sic, tantum considerato ut bonum; ergo si voluntas vellet objecto, quod proponeretur tantum, ut malum, aliquam bonitatem, amaret ipsum ut malum. Tum tandem quia actus, quo quis vult alicui aliquod aliud bonum quod non habet, est amor concupiscentiæ, ergo præsupponit amorem amicitiæ respectu subjecti, cui concupiscitur illud bonum; ergo si illud subjectum sit malum, & nulla ratione proponitur ut bonum; malum ut malum amabitur amore amicitiæ.

141 Respondeo gratis concedendo non posse voluntatem alio modo facere objectum malum bonum, seu applicare ipsi bonitatem aliquam quam non habet, nisi per alium actum, quo mediante velit quod illud objectum sit bonum ea bonitate, seu quo velit ipsi eam bonitatem, idque satis loculenter nos declaravimus antequam a Pontio doceremur, disp. 7. Physic. n. 172. adducendo dictum Scoti 2. d. 6. qu. 1. ad 3. quod quis cognoscens albedinem, & corvum, potest velle albedinem corvo, quod dictum si Pontius intellexisset, *ut ipsi dicant, quod ante non sciverunt* (quasi dixeram ut locum daret adagio, *Sus Minervam*) & falsum est hoc non sufficere, ut tale bonum sic confictum, & præstitutum a voluntate possit ipsam movere ad aliquem actum inefficacem circa objectum ita ab intellectu propositum, ut luculenter demonstravi supra confutando solutionem Pontii ad secundam responsionem datam primo argumento, quandoquidem Scotus loco nunc citato manifeste oppositum docet, per hoc enim quod mea voluntas velit albedinem corvo, utique non fit quod corvus sit vere albus, & tamen hoc sufficit ad movendum voluntatem ad aliquem actum saltem inefficacem, & per hoc quod voluerit sibi Angelus æqualitatem cum Deo, non utique factus est talis, & tamen æqualitas sic proposita sufficiens fuit, ut appetierit æqualitatem Dei appetitu inefficaci, & per hoc quod intellectus apprehendat aliquod objectum apparenter bonum, non ob id sequitur, quod re vera sit bonum, & tamen talis propositio sufficit ad movendam voluntatem, unde plane miror, ex quo capite hoc argumentum adeo æstimet Pontius, ut non erubescat in hac quæstione bis vel ter illud proponere, & valide urgere, & satis audacter dicere, quod Mastrius ad hoc nihil dicit in sua responsione, nisi verba pura sine ullo sensu faciente ad propositum, sed quis nostrum magis ad propositum loquatur judicet prudens lector, quia circa hæc dicteria tempus conterere tædet, & pudet.

142 Ad aliam instantiam nego sequelam, quia quando per suum velle applicat voluntas objecto de se malo aliquam bonitatem, hoc non fit per modum prosecutionis, quasi malo antea amato amore amicitiæ concupiscat aliquod bonum, sed fit per modum compositionis cujusdam, quatenus voluntas ha et ipsa quoque virtutem collativam, & compositivam objectorum ad invicem, sicut intellectus, ut explicat Doctor cit. 2. d. 6. q. 1. ad 3. & per hanc virtutem inducit malum colore boni faciendo quoddam aggregatum rationis, unde pariter ad probationem sequelæ distinguo assumptum, amare malum ut malum, est velle illi malo bonum, verum est, si id fiat per modum prosecutionis, falsum vero si fiat per modum cujusdam compositionis, & collationis, ut contingit in proposito, cum voluntas ex sua libertate conjungit cum objecto malo aliquam bonitatem v. g. delectabilem, non enim hoc facit in ordine ad objectum malum, quasi talem delectabilem illi objecto concupiscat, sed potius in ordine ad se, per quod etiam occurritur sententiæ ultimæ.

Quintum argumentum non est Ponzii, sed illud nobis objecimus disp. 7. cit. n. 132. & nunc adducitur in apol. nu. 157. tanquam a nobis non bene solutum: est itaque argumentum, quod si voluntas posset sibi præfigere malum v. g. odium Dei propositum sine ulla ratione boni tanquam finem ultimum, sequeretur eam posse tendere in incognitum, nam odium Dei bonum non proponitur ab intellectu voluntati, & quod etiam sequeretur eam fingere sicut intellectus, cum fingit chimeram, & sic posset efficere ens rationis formale. Responsum est ibidem, bonum præfixum esse cognitum, non ut quid aggregatum, sed secundum partes; nempe intellectus cognoscit rem malam, & *cognoscit* bonitatem in se non in illo objecto quibus non fingit, sed potest voluntas postea applicare bonitatem isti objecto, & formare ens fictum juxta illud Poetæ: *Video meliora, proboque, deteriora sequor*, sic Doctor 2. d. 6. q. p. ad 3. ait quod quis cognoscens albedinem, & corvum, potest velle albedinem corvo. Ad 2. dicimus, quando Scotus negavit voluntatem effectricem esse entis rationis, non locutus est de actibus fingentibus, sed de actibus terminatis ad objecta primo cognita, quibus solum denominationes extrinsecas relinquit, non fingit. Vel locutus est de ente rationis stricte, quo sensu est id quod proveniat a potentia rationali id est intellectu, ut explicat p. d. 45. q. 2. ad argumenta.

143 Post exclamationem in nos irrisoriam, & quidem risu dignissimam, quantum relatu indignissimam, qua adagium confirmat, *Ubi quis dolet ibi, & manum habet*, sæpius repetitam n. 248. responsionem allatam impugnat, in qua primo reprehendit, quod dicamus voluntatem fingere applicando bonitatem objecto bono, *nam hoc nullo modo subsistit*, non solum quia voluntas fingere nequit loquendo de fictione, qua fieret ens fictum non reale, cum impossibile sit imaginari, quomodo sic fingat, nisi quatenus ad omnes actus ipsius sequerentur in objecto respectus rationis, quod falsum est, sed etiam quia non applicat voluntas bonitatem cognitam objecto cognito in casu nostro, nisi volendo quod illud sit bonum, sed volendo quod illud sit bonum, nihil prorsus fingit, nec aliquid habetur, tum quod non fuit ante, nisi actus voluntatis, & denominatio extrinseca ab eo desumpta, a qua habet bonitas illa esse volita objecto apprehenso; omnia autem hæc sunt realia, nec est verum, quod illud malum objectum propter illum actum sit bonum, aut quod intellectus apprehendat ipsum bonum, sed solum apprehendit quod voluntas voluit, ut esset bonum, in quo nihil fictum habetur, ut manifestum est.

Respondeo in hac ipsa apprehensione duo inveniri reprehensione dignissima tanquam omnino ridicula, & puerilia: primum est, cum inquit, voluntatem in hac applicatione non fingere, quia voluntas fingere nequit loquendo de fictione, qua fieret ens fictum non reale, ad quid enim opus erat specificare quod loquatur de fictione qua fit ens fictum, non reale? nunquid datur aliqua alia fictio qua fiat ens reale, & non fictum? alterum est quod probet voluntatem non fingere in tali applicatione, quia non est verum quod illud malum objectum propter illum actum sit bonum, imo quia non est verum quod illud malum objectum propter illum actum sit bonum a parte rei, sequitur omnino oppositum, scilicet quod voluntas per illum actum fingat; nego itaque quod volendo voluntas, quod illud objectum sit bonum, nihil prorsus fingat, ad probationem concedo post talem applicationem nihil haberi reale, quod non fuit ante, nisi actum voluntatis, & denominationem extrinsecam in illud objectum derivatam (eo modo quo realis hæc appellari potest) acquirit tamen objectum aliquod esse rationis, & objectivum in voluntate, quod prius non habebat, nempe bonitatem, & convenientiam quandam, quatenus voluntas illud acceptat, & approbat tanquam sibi bonum, & conveniens, cum tamen talem convenientiam nec habeat a parte rei nec habere possit, quod est fingere, & efficere suo modo ens rationis; nec enim alio modo dicimus intellectum efficere ens rationis v. g. relationem rationis in Deo ad Creaturam, nisi quatenus ex propria vi collativa refert ad invicem, quæ non sunt referibilia, scilicet Deum ad creaturam, & talem relationem fingit, & concipit ad instar relationis realis; ita igitur quoque in proposito voluntas ex vi propria collativa potest ab se referre, quæ non sunt referibilia, & acceptare, ac probare tanquam bona, & sibi convenientia, quæ a parte rei talia non sunt, quod plane sine fictione fieri nequit, ut manifestum est.

144 Præterea in eadem nostra *responsione* reprehendit n. 259. quod diximus voluntatem applicare bonitatem apprehensam objecto malo apprehenso, & formare ens fictum juxta illud Poetæ: *Video meliora, proboque, deteriora sequor*, quia hoc dictum Poetæ nihil habet connexionem cum illo alio, nec enim Poeta vult hoc loco quod voluntas applicet bonitatem objecto malo, aut fingat, sed quod præferat bona pejora melioribus, ut vel Pueris notum est, quod potest fieri, & fit quotidie absque tali apprehensione, vel fictione, sed quod in Poeta errent Adversarii, (inquit Pontius) condonari debet, qui fortasse nec a limine salutaverunt artem Poeticam; quod autem in ipso Scoto intelligendo deficiant, nescio an excusari debeant, quod vero deficiant patet ex dictis, & ex loco etiam, quem subjunxerunt in hac responsione in dist. 6 quæst. 1. quod quis cognoscens albedinem, & corvum possit velle albedinem corvo, qui locus perperam adducitur ad propositum, nam quamvis verum sit, quod voluntas velleat hoc, non inde sequitur quod fingat, nec enim volendo hoc fingit, ut manifestum est.

Respondeo negando dictum Horatii non afferri ad rem, quamvis enim per illud dictum voluerit innuere Poeta, quod potest voluntas ex sua libertate præferre bona pejora melioribus, vel magis Philosophice loquendo eligere minus bonum relicto majori bono, quod concedo fieri posse absque tali applicatione, vel fictione, adhuc tamen voluit etiam innuere, quod ex sua libertate, & malitia possit relicto bono, sequi malum sub prætextu boni, faciendo sibi finem præfixum, imo si hunc locum philosophice explicare velimus, patius inde hic secundus sensus colligi debet quam primus; quandoquidem non comparat ibi Poeta bonum cum bono, seu majus bonum cum minori bono, sed malum cum bono, & deterius cum meliori, ut constat ex ipsis verbis, & hoc ut magis indicaret quanta pravitate, & perversitate laboraret voluntas Medeæ, de qua ibi loquebatur. Hinc autem difficulter nequeo Pontianam acutiem, quam scilicet belle hinc collegerit, quod artem Poeticam nec a limine salutaverimus, quasi ars poetica præcipue doceat sensus hujus vel illius phrasis, & non potius Prosodiam, & quantitatem Syllabarum, si ergo Syllabam brevem produxissemus, aut longam corripuerimus, poterat rite hinc inferre nos artis poeticæ ignaros, at ex eo quod sensum alicujus periodi non intellexerimus, ex quo capite hanc consequentiam deducat, non video, sed hæc scurrilia nimis frigida, & valde ei familiaria mittamus, est enim ex eorum classe, quibus ut ait Tacitus p. hist. sufficit ut tantum sententiis aliorum contradicant, quomodocunque id contingat. Nego pariter dictum Scoti 2. d. 6. quæst. 1. ad 3. non adducitur ad propositum, imo Doctor ibi differte docet nostram sententiam demonstrans quo modo impossibile, & malum etiam ut tale cognitum possit a voluntate appeti saltem inefficaciter sub prætextu possibilis, & boni, in quo fictionem intercedere nemo non videt; falsum est insuper ex eo dicto Scoti quod quis cognoscens albedinem, & corvum possit velle albedinem corvo deduci solum, ut Pontius facit, quod voluntas possit velle hoc, in quo nulla intercedit fictio, sed deducitur quod possit velle aliquod impossibile alicui, tanquam possibile, quod sine fictione fieri nequit, ad hoc enim adducit exemplum illud de albedine, & Corvo, ut indicaret potuisse Angelum appetere æqualitatem Dei, quæ impossibilis erat.

145 Denique in fine defensionis duplicem responsionem ad aliud argumentum de fictione entis rationis a nobis datam impugnat: primam quidem ait esse ridiculam, nam in ea dicitur, Scotum dum asserit voluntatem non posse facere ens rationis, loqui non de actibus fingentibus, sed de non fingentibus, quod perinde est, ac si Scotus diceret, voluntas non potest fingere ens rationis per actus, quibus non fingit, sed per actus quibus fingit, quod omnino ridiculum videtur. Secundam vero responsionem ait esse bonum ex suppositione, quod constaret voluntatem fingere ens rationis, sed hoc suppositum est falsum, nec bene probatur a Mastrio (inquit) in loco, quem citat ex sua logica, ut facile esset ostendere hic, nisi videretur opportunitas illud ad alium locum remittere.

Respondeo nos non dixisse illa prima solutione, cum Scotus asserit, voluntatem non facere ens rationis, loqui non de actibus fingentibus, sed de non fingentibus, ut refert Pontius ad ostendendam eam ridiculam, neque in argumento quod nobis objecimus, diximus unquam, Scotum absolute asserere voluntatem non facere ens rationis, sed dicimus sæpe sæpius asserere voluntatem in objecto derelinquere dumtaxat denominationem

voliti, quæ accedente intellectu fit ens rationis formale, & respondemus tunc Doctorem non loqui de actibus fingentibus voluntatis, sed de actibus terminatis ad objecta prius cognita, quibus nulla fictio intervenit, in qua solutione nihil ridiculum cernitur nisi ab oculo livido, & invido: bene ridiculum est quod supra dicebat Pontius in simili, quod voluntas fingere nequit loquendo de fictione, qua fieret ens fictum non reale, quasi posset habere voluntas, aliam fictionem, qua fieret non ens fictum, sed reale, ut supra notavi; quantum vero spectat ad aliam responsionem, an sufficienter probaverim disp. 3. Log. q. 4. ar. 1. quod voluntas suo modo possit facere ens rationis, ibi videri potest n. 52. & rursus disp. 2. Meth. q. 9. ar. 1. a n. 246. ubi occurro impugnationibus Pontii factis contra hoc nostrum assertum in sua Logica, ubi rotum dixit, quod ei occurrebat in hac materia, ideo hic nihil ulterius addidit.

Hic tandem notare libet primum, & præcipuum argumentum, quod contra nostram sententiam de fine præfixo objecit Pontius, (quod nempe bonitas præfixa nequit exercere causalitatem finis, & esse motivum sufficiens voluntatis, quia sequitur actum voluntatis, causa autem finalis debet præcedere, & ejus motio præyia esse ut excitet voluntatem ad actum) adduci pro Thomistis a Patre Hiribarne tractatu de actibus humanis disp. 10. sec. 5. Cui occurrit negando quod finis præfixus ullam possit habere præviam motionem ad movendum voluntatem ad sui amorem, postquam enim malum a prava voluntate in statum boni, finisque præfixi a malitia voluntatis evectum est, & per consequens in esse delectabilis, respectu saltem continuationis amoris habet motionem metaphoricam, & consequenter rationem finis, quod notare volui, ut constet, quam injuste sæpius de bonis conqueratur Pontius, quod sua argumenta referamus sub nomine aliorum, *cum enim*, ut plurimum sint argumenta communia, nescio qua de causa velit nos cogere, ut ea referamus, quasi argumenta ejus peculiaria.

QUÆSTIO VI.

An, & quomodo debeat objectum ab intellectu voluntati proponi, ubi explicatur ejus concursus ad actum voluntatis.

146 Hæc etiam quæstio de propositione objecti ab intellectu facta voluntati, ut operari possit, quæ & qualis esse debeat, & quo pacto objectum ipsum cognitum, vel ejus cognitio ad actum voluntatis concurrat, plures involvit difficultates, quæ singillatim omnes, vel saltem præcipuæ sunt hic examinandæ, & quia quædam pertinent ad modum, quo objectum proponi debet voluntati, quædam vero ad modum, quo objectum jam propositum cum voluntate concurrit ad ejus actum, quæstionem in duos secabimus articulos, in quorum primo difficultates ad objecti propositionem spectantes expendemus, in altero alias pertinentes ad modum concurrendi ejusdem.

ARTICULUS I.

Declaratur modus, quo objectum proponi debet voluntati, ut operetur.

147 Circa hoc primum quæstionis punctum tres occurrunt difficultates examinandæ; prima est, an voluntas, ut operetur, necessario prærequirat cognitionem, num potius in incognitum quoque ferri possit, in quo dubio tres sunt opiniones, duæ extremæ, & una media; prima satis communis asserit, hoc esse adeo necessarium, ut nec per potentiam quidem Dei absolutam oppositum fieri possit, ita Henric. quol. 1. q. 15. D. Thom. 1. 2. q. 9. ar. 1. Vasq. 1. 2. disp. 33. cap. 3. Hurt. disp. 14. de anima 2. sect. 4. Arriag. disp. 7. de anim. sect. 4. subsect. 1. Onuphr. tr. 2. de anim. disp. 2. q. 3. dub. 1. Aversa qu. 58. sect. 7. & alii quamplures. Alia extrema docet, nedum per potentiam supernaturalem posse oppositum fieri, sed naturaliter quoque interdum contingere, pro qua citantur D. Bon. tom. 2. opusc. tract. de mystica Theol. q. un. in fine, & in itinerario animæ cap. 7. quem tamen defendit Faber disp. 9. de pœn. n. 371. Carthus. Lib. de laudibus vitæ solitariæ ar. 36. & lib. 2. de vita solitar. ar. 8. Gerson. alphabet. 69. lit. O. quibus in locis Authores isti docere videntur in via unitiva per amorem ardere voluntatem in Deum sine cognitione, quod quamvis ab initio indigeat voluntas prævia objecti cognitione, ut excitetur, ac operari incipiat, posse tamen deinceps in aliquo casu operationem continuare sine cognitione intellectus. Media demum sententia docet naturaliter loquendo voluntatem indigere semper prævia objecti cognitione, supernaturaliter tamen oppositum fieri posse, ita ex nostris Vulpes tom. 1. part. 2. disp. 14. artic. 3. num. 12. in solutione cujusdam objectionis, Cavell. disp. 3. de anim. sec. 13. concl. 1. citans Palud. 4. d. 49. q. 1. ar. 2. & Ferrar. 3. contra gentes c. 89. §. *ad evidentiam*, quamvis Palud. citetur ab aliis pro prima sent. 3. d. 18. q. 1. ar. 2.

148 Dicendum putamus cum prima sent. nec naturaliter nec divinitus fieri posse, ut voluntas operetur sine prævia objecti cognitione, & propositione; ita innuit Doct. 1. d. 10. q. un. ad ult. ubi pro hoc citat D. Aug. 15. de Trin. cap. 27. & d. 12. §. *quantum ad ipsum articulum*, ubi ex Patrinseco, ac essentiali ordine harum potentiarum adinvicem, inquit voluntatem non posse circa aliquod objectum exire in actum secundum, nisi prius circa illud idem intellectus in actum exierit; hoc etiam docet 2. dist. 42. §. *ad argumenta*, quol. 14. & 15. & alibi frequenter; est expresse D. August. loc. cit. a Doctore, & lib. 8. de Trin. cap. 4. & lib. 10. cap. 1. & lib. 3. de lib. arbr. cap. 25. & *alibi adeo* frequenter, ut ipse censeatur author illius dicti, *quod in adagium* inolevit, *nil volitum quin præcognitum*, quod quidem sufficientissimum esse deberet argumentum saltem naturaliter voluntatem in incognitum in nullo prorsus casu ferri posse: cui suffragatur experientia ipsa, qua constat nos scire cognoscere ea, quæ volu-

mus.

mus, & nolumus, & manere de eis memoriam, & quod quanto aliquod attentius cogitatur, tanto magis amatur, & quanto magis intellectus distrahitur, *amor minuitur*; imo in extasi ipsa, eaque altissima, in qua negabat secunda opinio necessariam esse objecti cognitionem propter abstractionem a sensibus, semper intervenire aliquam objecti cognitionem, docent idem Aug. Psal. 67. ibid. *Beniamin adolescentulus*, Anselmus, & Beda in 2. Cor. cap. 5. de raptu Pauli, & ipse Apostolus testatur 1. Cor. 12. illis verbis *audivit arcana*, &c. Nec dicas in initio amoris necessariam esse objecti cognitionem, non autem in ejusdem amoris continuatione, quia eadem ratione, qua amor in fieri indiget prævia objecti cognitione, indiget quoque in conservari, ut mox apparebit in assignando illam; tum quia, ut diximus in *Physica prima* rei productio, & conservatio dicunt realiter eandem dependentiam, nec ipsi pænes connotata differunt.

149 Ratio a priori hujus veritatis non eadem assignatur ab omnibus, illa tamen nobis genuina esse videtur valens in omni sententia, quia cognitio est necessaria voluntati, ut ea mediante fiat ei objectum præsens, cum ergo nulla potentia vitalis sine objecto sufficienter præsenti valeat operari, sequitur evidenter voluntatem operari tali prævia objecti cognitione indispensabiliter etiam per potentiam Dei absolutam; Neque dicas, posse ab ipsomet Deo immediate objectum voluntati proponi posse, & fieri præsens; quia ut voluntas operetur circa objectum, non sufficit, ut ei fiat quomodocumque præsens, sed debet fieri præsens vitaliter, non potest autem fieri præsens vitaliter, nisi mediante cognitione, cum enim voluntas *non* sit potentia cognoscitiva, non potest ei fieri objectum præsens, nisi repræsentetur per aliquam cognitionem, quod est præsens vitaliter. Conf. quia quod cuilibet appetitivæ correspondeat propria cognitiva, non est omnino & ex solo Dei decreto, sed est indigentia orta ex natura rei, ex natura nimirum innata conditione ipsius potentiæ appetitivæ, cui non potest vitaliter applicari objectum, circa quod operetur, nisi per cognitivam ei correspondentem, ergo voluntas ex ipsa ratione generali, qua est potentia appetitiva, indigentiam habet præviæ cognitionis intellectivæ, per quam ei vitaliter applicetur objectum, omnino indispensabilem; Et hinc ortum habuit vulgare dictum, quod voluntas est potentia cæca, ut per hoc indicaretur intrinseca indigentia, quam habet ex sua indole præviæ cognitionis objecti, quod tamen dictum non in omni rigore accipiendum est ut verum, quia cum voluntas non sit potentia cognitiva, & apta videre, non bene dicitur cæca, cum cæcitas sit privatio visionis in subjecto apto nato, sed accipiendum est in præfato sensu, quatenus tantum indicat intrinsecam illam voluntatis indigentiam præviæ cognitionis objecti. Confirmatur, quia per hoc præsertim secerni solet appetitus elicitus a naturali innato, quod elicitus fertur ad bonum secundum esse apprehensum, unde nonnisi in naturis cognoscentibus reperitur, naturalis vero fertur ad bonum in esse rei, ex quo fit, ut quamvis res a parte rei sit bona, si tamen ut mala ab intellectu proponatur, nequit a voluntate amari, ergo repugnat voluntatem ferri in objectum incognitum, nec prius habens esse apprehensum per intellectum. Confirm. ulterius ex proportione actus secundi ad actum primum, quia non minor debet esse connexio inter operationes voluntatis, & intellectus, quam inter ipsas potentias, at si daretur natura, quæ *non esset intellectiva*, non posset esse volitiva, ergo si non est actu intelligens, nec poterit esse actu volens, qui quidem discursus fundari videtur in doctrina Scoti 1. dist. 12. cit. dum explicat connexionem, & ordinem harum potentiarum adinvicem tam in essendo, quam in operando. Postremo confirmari quoque potest ex absurdis, quæ sequerentur ex hypothesi, quod voluntas sine prævia objecti cognitione imperaret actiones aliarum potentiarum, tunc enim hujusmodi actiones deterioris essent conditionis, quam brutales, quia fierent, & exercerentur modo omnino cæco absque ulla prorsus cognitione, & directione; quæ quidem rationes demonstrant hoc esse impossibile, quod scilicet voluntas feratur in incognitum, non tantum naturaliter, sed etiam supernaturaliter.

150 Sed objicies, posse voluntatem in incognitum ferri etiam naturaliter; quia aliquando evenit ut in altissima contemplatione viri spirituales sine cognitione ferantur amore ardentissimo in Deum; cui suffragatur Dionys. 7. de divin. nominibus, &c. 1. de Mystic. Theol. dicens tunc perfectissime hominem conjungi Deo, quando relicta cognitione corporalium, & spiritualium ei unitur. Deinde frequenter optamus incognita scire, quo casu negari nequit voluntatem in incognitum ferri. Rursus potest voluntas præcipere intellectui, ut nihil cogitet, quo etiam casu si intellectus obediet, erit actio voluntatis sine cognitione Item potest voluntas imperare intellectui ferianti, ut cogitare incipiat, quo casu virtus ante omnem intellectus actum operabitur. Demum ita semper accidere videtur quotiescunque imperat aliquem intellectus actum, quia tunc eum convertit ad considerationem objecti antea incogniti.

Resp. in quavis excessiva extasi intervenire cognitionem Dei, alioquin nescirent viri sancti, an Deum, vel lapidem amarent, videntur tamen sibi illa carere, quia eam non animadvertunt, magis occupati in Dei amore, quam in ejus contemplatione, tum quia ex nimia facilitate, & habitu per illam non immutantur; quod solet declarari exemplo citharædi, qui ex nimio usu sibi videtur citharam pulsare sine cognitione, & arte; D. Dionys. loc. cit. tantum docere intendit pium quendam theologizandi modum, ut nimirum pio quodam affectu a Deo removeamus res omnes, quæ nobis obversantur in mente, non solum sensibiles, sed etiam intelligibiles, & ita tanquam in quadam caligine eum venerari, qua de causa talem de Deo scientiam ibi appellat piam ignorantiam, & stultitiam. Ad 2. respondet ipse D. August. 10. de Trin. c. 1. quod qui cupit incognita scire, non vult incognitum, sed vult scire incognitum, seu non amat incognita, sed rei incognitæ scientiam, quæ illa incognita est saltem in confuso. Ad 3. quando voluntas imperat intellectui, ut nihil cogitet, de hoc ipso cogitat, quod est nihil cogitare, & tunc eo ipso extat cognitio carentiæ cogitationis, quam amat voluntas, & quamdiu manet voluntas non cogitandi intellectus intelligit carentiam cogitationis; quod si deinde omnis cesset cognitio, cessabit quoque actus voluntatis; quod declaratur a simili in ipso voluntatis actu, si enim dicat voluntas, nolo aliquid amare, eo ipso aliquid amat, nempe carentiam aliorum amorum directorum, tunc enim vult se nihil directe velle. Ad 4. sicut prima cogitatio non est in potestate voluntatis, ut fuse ostendit Doct. 2. d. 42. q. 1. quia ut inquit Aug. 3. de lib. arb. c. 15. impossibile est, quin visis tangamur, ita nequit voluntas illam imperare. Ad ult. bene potest voluntas cæteros actus intellectus imperare absque eo, quod feratur in incognitum, quia ut Doctor ibid. docet §. *respondeo*, semper intellectus habet aliqualem remissam, & confusam cognitionem illorum objectorum, quorum consideratio imperatur a voluntate.

151 Objicies deinde, saltem divinitus posse in incognitum ferri, potest enim Deus de potentia absoluta sine cognitione infundere qualitatem amoris voluntati, sed eo ipso quod amor voluntati infundatur, reddetur amans, ergo divinitus potest amare sine cognitione. Confirmat hoc Cavell. cit. tanquam de mente Doctoris, quia potest Deus omnem formam absolutam ponere, & conservare se solo ex 2. dist. 12. q. 2. sed amor est forma absoluta realiter distincta a cognitione, ergo &c.

Resp. si teneatur relationem vitalis attingentiæ ab entitate absoluta actus vitalis reipsa distingui, concedendum est, qualitatem amoris posse a Deo in voluntate produci sine prævia cognitione, sed tunc neg. minor, quia denominatio amantis non sumitur a sola entitate absoluta amoris, sed ab ea cum relatione annexa vitalis attingentiæ, & tendentiæ in objectum, qua ratione si entitas absoluta visionis poneretur in lapide ipsum non denominaret videntem, quia deficeret talis tendentiæ modus in objectum; si vero teneatur ut probabilius docuimus in superioribus, hujusmodi relationem cum entitate absoluta actus realiter identificari, tunc est neganda major, quia non posset infundi amor, nisi cum tali relatione ad objectum potentiæ vitaliter præsens, quæ vitalis præsentia haberi non potest nisi media cognitione; tum quia objectum volitionis dicitur esse bonum secundum esse apprehensum ad differentiam appetitus naturalis, cujus objectum ponitur bonum in esse rei. Ad Conf. Doctor ibi docet omne absolutum prius, & realiter distinctum a posteriori posse ab eo separari divinitus, & conservari, non autem docet pariter posterius semper separari posse a priori & sine eo conservari, quia nec totum conservari potest sine unione partium, nec a Deo produci notitia *conclusionis* sine notitia principiorum, & centum aliæ hujusmodi instantiæ afferri possunt in proposito: itaque quamvis amor sit cognitione posterior, tamen sine ea produci nequit, quia per eam objectum fit voluntati vitaliter præsens, imo ut diximus, cognitio quodammodo bonum constituit in esse objecti in ordine ad voluntatem, quia bonum non est objectum voluntatis secundum esse, quod habet a parte rei, sed potius secundum esse apprehensum, quod habet per intellectum; Imo *notat* Doctor 4. dist. 49. q. 5. E. quodetiam si intellectio non ponatur causa partialis volitionis, sed tantum pura conditio, adhuc tamen essentialiter requiritur, sicut unio partium essentialiter prærequiritur ad esse totius, licet sit pura conditio.

152 Altera difficultas, quæ ad hoc idem quæstionis punctum attinet, est, qualis esse debeat cognitio, qua objectum proponitur voluntati, ut possit operari, & quidem nulli dubium est debere esse intellectivam, quicquid dixerint nonnulli Thomistæ moti quibusdam verbis D. Thom. 1. 2 q. 10. art. 3. putantes solam sensitivam sufficere, cum enim cuilibet appetitivæ propria correspondeat cognitiva, qua moveatur ad operandum, appetitivæ spirituali, qualis est voluntas, cognitiva quoque spiritualis correspondere debet, qualis est intellectus; & si verum est inter movens, & motum debere esse proportionem, sane non videtur sufficiens proportio inter voluntatem, & sensum, ut hic possit ei subministrare objectum, & facere vitaliter præsens, quantum sufficit ad operandum. Accedit, quod licet sensus possit attingere bonum delectabile, honestum tamen, & utile, quia sunt objecta superioris ordinis, nequaquam attingere potest, sed objectum adæquatum voluntatis nostræ non est tantum bonum delectabile, sed honestum quoque, & utile, ergo correspondere debet voluntati potentia cognitiva ita universalis in cognoscendo, sicut est ipsa in appetendo bonum, talis autem non est sensus, sed solus intellectus. Denique si voluntas moveri posset sola cognitione sensitiva, tunc posset peccare sine usu rationis, nam ex diversis bonis a sensu propositis quædam amplecti posset, quædam vero respuere, quod ad peccandum satis esse videtur. Hoc itaque supposito, ut extra disputationis aleam, sola remanet dubitatio, an talis cognitio necessario debeat esse judicium, num potius sola simplex apprehensio boni, vel mali sufficere possit ad voluntatem movendam; solam apprehensionem non sufficere, sed necessarium esse judicium ad quemcumque voluntatis actum eliciendum, sive efficacem, sive simplicis dumtaxat complacentiæ, perpetuo docuere Thomistæ cum D. Thom. p. p. q. 59. ar. 3. & p. 2. q. 14. ar. 1 ubi Cajetan. Med. Martinez, Alvarez, Valentia disp. 2. q. 4. punct. 1. Aversa q. 58. sec. 7. & passim alii Thomistæ, qui postea inter se dissident, quale debeat esse hoc judicium necessarium ad voluntatem movendam; alii namque contendunt esse debere practicum, & urgens ad opus, alii dicunt sufficere speculativum, quia ut moveatur voluntas, satis est, illi proponatur

ponatur *objectum* ut bonum, vel malum, quod etiam fieri potest a cognitione speculativa.

153 Opposita ex diametro sententia docet simplicem apprehensionem sufficere ad eliciendum quemcumque voluntatis actum etiam efficacem; distinguit tamen de duplici apprehensione, altera, quæ determinat *intellectum* ad judicium, & consensum, vel evidens vel saltem probabile, ut tria, & tria facere sex, virtutem conducere ad Dei amorem, &c. altera, quæ non est *determinativa* ad consensum, sed potius ad dissensum, ut duo, & tria facere sex, &c. fatetur utique hoc secundum apprehensionis genus esse penitus ineptum ad excitandum in voluntate amorem efficacem, at primum genus inquit sufficere; fundamentum est, qua bruta per solam apprehensionem materialem efficaciter appetunt apprehensa objecta, ergo similiter per solam apprehensionem spiritualem poterit voluntas efficaciter appetere, quia hæc apprehensio, qua ita proponitur objectum, æquivalet judicio in ordine ad voluntatem, & quidem quod perfectionis tribuitur sensui, non videtur denegandum potentiæ superiori, & quod cognitioni materiali conceditur, non debet denegari spirituali; ita tenet Arriag. disp. 7. de An. sect. 4. subsect. 3. cum aliis quibusdam Recentioribus, & sine tali distinctione quibusdam nixus exemplis idem tuetur *Hiribar. disp. 3. de actibus humanis sect. 8.* licet regulariter dicat ex simplici apprehensione oriri solum actus inefficaces.

Media tandem sententia docet, ad actus inefficaces, & simplicis complacentiæ solam sufficere apprehensionem, ad efficaces autem requiri judicium, it a expresse Doctor 2. dist. 6. qu. 1. in sol. princip. & dist. 22. & 3. d. 34. qu. un. §. *appetibilium*, ubi omnes ejus Expositores Faber disp. 9. de pœnit. cap. 13. in fine, Cavell. disp. 3. de anim. sec. 13, concluf. 3. Bassol. 2. d. 25. q. 2. ar. 3. Vasqu. p. 2. tom. 1. disp. 44. cap. 2. Montesin. p. 2. disp. 13. q. 3. Hurtad. disp. 14 de an. sect. 7. Onuphr. tract. 2. de an. disp. 2. qu. 3. dub. 2. & passim alii extra scholam S. Thom. Quoad primam partem probatur, quia appetitus sensitivus fertur de facto in suum objectum cognitum per simplicem apprehensionem; ergo hæc pariter sufficiet ad movendam voluntatem, quia simplex apprehensio intellectiva non minus bene repræsentat rationem boni, quam sensitiva. Confirmat. quia illud idem objectum, quod cognoscitur per judicium compositionis, aut divisionis, potest attingi per simplicem intellectus apprehensionem, ergo illud idem objectum, quod movet in compositione, poterit etiam movere voluntatem in sola apprehensione. Conf. 2. quia si judicium interdum exigitur, hoc non est præcise, ut per illud proponatur objectum, ne voluntas feratur in incognitum, quia hanc supplet indigentiam sufficienter simplex apprehensio, sed ut ex vi judicii quærantur media pro finis consecutione: cum ergo actus voluntatis inefficax talem ordinem non dicat ad media, sane ad ejus elicitionem non indigebit judicio, sed sola simplex sat erit apprehensio, quæ sufficit aliunde ne feratur in incognitum; Conf. 3. experientia, delectamur enim sæpe de aliqua dignitate, quam non speramus, ut cum quis apprehendit se, ut Papam, vel Cæsarem, & de hoc delectatur, imo interdum delectamur de objecto cognito, ut impossibili, ut cum quis apprehendit se volare, vel in Angelum converti. Demum in sententia Doctoris Angeli peccaverunt apperendo æqualitatem Dei, quam tamen bene sciebant eis impossibilem esse, ergo simplex apprehensio sufficit ad proponendum objectum pro actibus inefficacibus voluntatis.

154 Quoad alteram partem, quod nempe ad actus efficaces voluntatis non sufficiat simplex apprehensio cujuscumque sit generis, sed requiritur judicium, probatur, & quidem quod non sufficiat apprehensio secundi generis, quæ non determinat *intellectum* ad *judicium*, & assensus, *sed potius* ad *dissensum*, apud omnem opinionem exploratum est, quia talis apprehensio, ut diximus, esse potest de re impossibili, quæ nequit esse objectum voluntatis efficacis. Quod nec etiam sufficiat apprehensio primi generis ad movendam efficaciter voluntatem saltem proxime, & *immediate*, probatur, quia actus voluntatis efficax est, per quem voluntas determinatur ad eligendum media, quibus finis obtineatur, & executioni mandetur, sed talis actus proxime, & immediate oritur a judicio, non a simplici apprehensione determinativa ad istud, ergo, &c. prob. min. quia electio non est, nisi post consultationem, & syllogismum practicum, cujus conclusio est sententia, & judicium de re facienda, ut docet Damascen. lib. 2. c. 22. Arist. 2. de an. 154. & 3. de an. a tex. 46. & Scot. 2. d. 6. q. 1. ad 1. princ. Consi. efficax intentio finis includit voluntatem etiam mediorum, hæc autem nequit esse sine judicio, quo judicetur finis acquiri posse per media. Conf. ulterius, quia vel bonum hoc genere apprehensionis apprehensum proponitur, ut evidenter bonum, & possibile, vel saltem probabiliter; si primum, fieri nequit, quin statim intellectus ei assensum præbeat per judicium compositivum, quod postea sequitur voluntas; si secundum, adhuc etiam intervenit judicium, quia sicut in simplici apprehensione non est proprie veritas, & falsitas, sed solum in judicio, ita neque probabilitas vel improbabilitas. Denique probatur experientia, quia ex efficaci intentione finis nunquam movetur ad media eligenda sine aliqua spe consecutionis illius, spes autem concipitur ex prævio judicio, & non ex simplici apprehensione, speramus enim obtinere, quod intendimus, non præcise quia possibilitatem finis apprehendimus, sed etiam quia intelligimus aliquod medium esse idoneum ad ejus consecutionem, quod sine compositione fieri nequit; Neque ratio prosecunda opinione adducta convincit oppositum, quia bruta ex sola apprehensione materiali, nedum efficaciter appetunt apprehensa objecta sine prævio judicio, sed etiam sine ulla prorsus consideratione de ipsa rei possibilitate, unde si ista paritas valet, nedum hac ratione probabitur apprehensionem primi generis ad actus efficaces sufficere; sed etiam apprehensionem secundi generis, quod nec Authores illi concedunt; potius ergo ex hoc deduci debet oppositum, quod nimirum ut voluntas humano modo tendat efficaciter in suos fines, & non belluino more, moveri debet ex prævio judicio; & quod talis est ejus connaturalis operandi modus, ut distinguitur ab appetitu sensitivo, inefficaci appetitione finis, neque in brutis ita *moveri* apprehensione materiali immediate sine prævio judicio dicit perfectionem, quæ proinde hominibus quoque tribui debeat, sed potius imperfectionem. Apposite autem diximus, nec apprehensionem primi generis sufficere ad movendam efficaciter voluntatem proxime, & immediate, quia radicaliter, & mediate forte dici posset concurrere ad talem motionem efficacem, in quo discriminaretur ab apprehensione secundi generis, quæ ex sua indole non est determinativa ad assensum, sed potius ad *dissensum*: *dicimus forte*, quia si vera est doctrina quam tradidimus de prima intellectus operatione disp. præc. quæst. 10. art. 1. dub. 1. in universum (ad quam quidem pertinet simplex apprehensio) quod nimirum ex se ita absolvitur a judicio, quod nedum formaliter, & explicite, sed nec etiam virtualiter, & implicite illud includit, tunc negandum erit dari talem simplicem apprehensionem, quæ sit determinativa ad assensum, quia quælibet, quantum est de se, indifferentem, & *expeditum relinquit intellectum* ad quodcumque judicium, sive affirmativum, sive negativum: concludendum itaque est opus esse judicio, ut voluntas moveatur ad efficaciter operandum, saltem modo humano, nec simplicem sufficere apprehensionem, qualiscumque ea sit, præsertim quia juxta doctrinam præfatam a nobis traditam de *simplici* apprehensione, falsum est dari apprehensionem determinativam ad assensum; unde corruit totum fundamentum secundæ sententiæ; diximus *modo humano*, quia belluino *more* potest *concedi voluntatem* ferri in finem per media ex simplici apprehensione, sic enim iter faciens apprehenso per intellectum impetu canis irruentis, & lapide coram exposito ante ullam affirmationem, vel negationem potest illum accipere, & in canem jacere: idque solum probant exempla ab Hiribar. *cit.* adducta.

155 Num vero hoc judicium esse debeat practicum, vel speculativum, pendet resolutio dubii ex varia acceptione judicii practici, & speculativi; frequentior tamen, & communior acceptio apud Doctores est, quod per judicium practicum intelligenda est cognitio in particulari, qua intellectus judicat hic, & nunc aliquid esse bonum, atque ideo amplectendum, speculativum vero est cognitio de illo bono magis abstracta, & indeterminata, atque *ideo non proxime*, & *immediate urgens* voluntatem ad opus, qua acceptione supposita Doctor 2. d. 6. q. 1. cit. docere videtur judicium movens efficaciter voluntate m esse practicum, inquit enim quod actus efficax voluntatis, ut ab inefficaci distinguitur, sequitur notitiam intellectus practici, quod etiam expresse docuit Arist. 6. Ethic. c. 2. & 5. de motu animal. c. 4. & 3. de anim. 46. ubi disertis verbis inquit quod intellectus practicus movet voluntatem ad operandum, non speculativus, quod etiam ratio *ipsa suadere videtur*, quia potest aliquis multa contemplari, & judicare esse bona, vel mala, & tamen nec ad amorem, nec ad fugam efficaciter moveri, ergo judicium speculativum non est sufficiens ad talem voluntatis motionem, tum quia experientia docet, voluntatem moveri efficaciter a cognitione particulari, qua *judicat hic*, & *nunc aliquid esse bonum*, atque ideo amplectendum, quæ utique est cognitio practica, ergo, &c.

156 Contra primam asserti partem solent instare Thomistæ probando simplicem intellectus apprehensionem non esse sufficiens voluntatis motivum, primo quibusdam Arist. authoritatibus ex lib. Ethic. & de anim. & præsertim lib. 3. c. 3. ubi inquit, quod per hoc, quod aliquis imaginatur teribilia, si non sit opinio, idest si non sit judicium, non terretur voluntas, neque timet magis, quam si in pictura aspiceret terribilia, & c. 9. quod voluntas prosequitur, aut fugit, quando intellectus affirmavit, aut negavit aliquid esse conveniens, vel disconveniens, & demum in eodem capite, quod intellectus speculativus non movet voluntatem, simplex autem apprehensio attinet ad intellectum speculativum. Deinde ratione, quia cum sola simplici apprehensione bonitatis in objecto posset stare tam negatio, quam affirmatio, sed si intellectus neget objectum esse bonum, utique non movebitur voluntas ad amandum tale objectum, requiritur ergo determinatum judicium, quo intellectus affirmet esse bonum. Rursus quia cum moveatur voluntas ab objecto apprehenso ad ejus amorem, opus est, ut intellectus prægnoscat id esse bonum, & conveniens, sed cognoscere objectum, ut bonum, & conveniens est habere actum compositionis, ergo, &c. Tandem si sola apprehensio sufficeret, omnia possent æqualiter appeti, & fugiri, æqualiter enim apprehenditur miseria, ut bona, & beatitudo, ut mala; nam quantum ad apprehensionem nulla est differentia, audita enim hac propositione, miseria est bona, intellectus illam apprehendit, licet judicet esse falsam, ergo si simplex apprehensio sufficit, possemus appetere miseriam sicut beatitudinem.

157 Resp. Arist. loc. cit. facile explicari, si dicamus ipsum loqui de motione voluntatis ad actus efficaces, specialiter *tamen ad illud* de timore, quod posset quoque contra inefficaces urgeri, *dicendum* est quod dum docet Arist. objectum terribile *imaginatum* non terrere, *nisi intellectus judicet illud disconveniens esse*, loquitur ut in plurimum, & regulariter, si quidem appetitus *sensitivus* etiam timet ad solam apprehensionem objecti *sine ullo judicio* compositionis. Ad rationem pariter dicimus probare *solum*, quod voluntas nequit a simplici apprehensione moveri ad effectum efficacem, quia enim

cum

cum tali apprehensione possibilitatis objecti stare potest judicium, & compositio de impossibilitate ejusdem objecti, ideo voluntas non potest tale objectum sic propositum efficaciter apparere, sed inefficaciter solum. Dices, ergo saltem apprehensio determinans intellectum ad judicium evidens, vel saltem probabile circa objecti bonitatem, ac possibilitatem sufficiet ad monitionem efficacem voluntatis, quia cum simili apprehensione nequit stare judicium de impossibilitate objecti. Resp. hoc probare solum talem apprehensionem (si datur) radicaliter, & mediate ad talem motionem concurrere posse, non autem proxime, & immediate, ut supra diximus. Ad aliam rationem negat. minor; sensus enim movetur ab objecto convenienter, prout tale est, per solam apprehensionem proposito sine ulla compositione, cum possit simpliciter apprehendi totum illud, quod ab intellectu judicatur. Ad ult. negat. conseq. cum ejus probatione, sicut enim disp. præc. q. 10. art. 1. dub. 2. in fine dicebamus, quod in simplici apprehensione hujus propositionis, Angelus est corporeus, nulla contingit falsitas, quia in tali apprehensione re vera non attingitur angelus, nec aliquid prorsus de angelo concipitur, sed præcise significatum illius positionis, quid nimirum significet hæc propositio, Angelus est corporeus, ita in proposito simplici hujus propositionis apprehensione, beatitudo est mala, re vera non attingitur beatitudo, quia non minus repugnat beatitudini malitia, quam angelo corporeitas, unde fallum est beatitudinem apprehendi posse ut malam, & miseriam ut bonam, nam per illas propositiones non concipitur beatitudo, vel miseria cum illis prædicatis, sed præcise significatum illarum propositionum; vide dicta de simplici apprehensione loc. cit.

Ex dictis colligitur, nec ad rem, nec ad mentem Doctoris Fabrum cit. hoc dubium resolvere, dum inquit ad hujus quæsiti decisionem debere distingui de amore amicitiæ, & concupiscentiæ, & *ad illum satis esse simplicem apprehensionem*, ad istum vero non sufficere; Non facit ad rem ista distinctio, nam rationes, quæ probant sufficere ad unum amorem simplicem apprehensionem, probant quoque satis esse ad alterum, si sit inefficax, nec quæsitum resolvit ad mentem Doctoris, quia 2. d. 6. q. 2. inordinatum amorem Angelorum vult fuisse concupiscentiæ, & illum amorem ex simplici apprehensione æqualitatis Dei ortum fuisse.

158 Ultima difficultas spectans ad hunc eundem articulum est, qualis, & quanta debeat esse propositio objecti, ut voluntas illud complectatur, num scilicet semper requiratur efficacior propositio unius boni, quam alterius, itaut ex duobus bonis æque propositis ab intellectu neutrum possit amare voluntas; & ex duobus inæqualiter propositis nequeat minus efficaciter propositionem requiri, quod eriam sensisse videntur Medin. p. 2. d. 3. Greg. 2. d. 42. & 43. q. 1. art. 2. & quidam alii.

Negat communis sententia, quam sæpissime tradidit Scot. 1. d. 1. q. 4. §. *ad argumenta*, ibi inquit, quod non bonitas aliqua objecti causat necessario assensum voluntatis, sicut veritas causat assensum in intellectu, sed voluntas libere assentit cuilibet bono, & ita libere assentit majori bono, sicut minori; idem habet 3. d. 36. §. *contra hoc*, ubi docet, posse esse defectum in voluntate sine defectu in intellectu, sequuntur Bassol. 2. d. 25. quæst. 2. Rubion. 3. dist. 36. quæst. 2. Gabr. ibid. qu. 1. ad 3. & alii passim Hurt. Arriag. Becan. & fuit opinio Ricard. 2. distinct. 38. art. 2. quæst. 4. Henric. quol. 1. & aliorum antiquorum; juxta quam dicendum est posse voluntatem pro sua libertate, & inter æqualia bona unum præ alio, & inter inæqualia etiam, quod minus est, & remissius proponitur, amplecti; quæ quidem conclusio licet satis probata maneat ex dictis supra num. 55. nunc tamen denuo est confirmanda, & in primis pro ea facit authoritas Augustini 12. de Civit. Dei cap. 6. ibi adducta de duobus æqualiter corpore, & anima affectis videntibus eandem mulieris pulchritudinem uno appetente, altero renuente, cum tamen eodem modo illis propositа supponatur. Dices, non facere rem, quia Augustin. ibi loquitur de uno fine duobus hominibus proposito, & de libertate exercitii, hic vero sermonem esse de duobus bonis eidem homini propositis, & de libertate specificationis. Contra, quia ex hac authoritate manifeste habetur talem efficaciorem propositionem objecti, non esse necessariam, quia in casu posito illa pulchritudo æqualiter utrique proponitur; deinde quia si alia pulcritudo per omnia æqualia simul proponeretur illis hominibus, non auferret libertatem circa primam, quia secunda supponitur eodem gradu intensionis proponi, veluti primo, & falsum est *in proposito* agi tantum de libertate specificationis non exercitii, quæritur enim utrum ex duobus bonis propositis possit unum a voluntate amplecti, & non amplecti, esto aliud æqualiter proponatur, denique falsum est, quod inquit Vasq. libertatem specificationis in eo consistere, quod voluntas possit velle hoc, vel illud bonum, quia hæc potius dicitur libertas ad opposita, vel disparata objecta ex Scot. 1. distin. 39. L. sed proprie consistit, quando idem objectum potest velle, & nolle.

159 Probatur etiam ratione ibi tacta, quia sic destrueretur omnis libertas tam specificationis, quam exercitii, illa quidem, quia si duo objecta æqualiter proponantur, neutrum potest amare voluntas, quia ad amplexum unius requiritur efficacius propositum, quam alterius in hac opinione, quod si inæqualiter repræsentetur, jam sequitur ex eodem principio minus efficaciter propositum amari non posse; destruitur quoque libertas exercitii, *quia in objecta æqualiter proposita non potest tendere voluntas*, si sunt inæqualiter proposita, constat etiam minus efficaciter propositum eligi non posse. Nec valet, quod inquit Vasquez, posse in tali casu voluntatem imperare intellectui, ut quærat alia motiva, quibus auditio sacri, v. g. quæ jam ut minus bonum proponitur, appareat majus, & possit illam amare, *in hoc* consistere voluntatis libertatem. Non valet, quia libertas constitit in eo ex dictis supra, quod positis omnibus prærequisitis posset voluntas operari, & non operari, propositio autem objecti est de prærequisitis ad agendum; ergo cum quacumque objecti propositione debet manere voluntas sic indifferens, alioquin ejus libertas illæsa non servatur, nec reducenda est liberras voluntatis in hoc, quod possit alia motiva quærere efficaciora, tum quia de ipsa quoque motivorum inquisitione rursus idem argumentum poterit efformari, quia vel mediorum inquisitio proponitur, ut majus bonum, quam non inquisitio, vel æqualiter, & quidquid dicatur instatur ut supra.

160 Conf. si duo bona æqualiter proponantur, bene potest voluntas eligere, quod voluerit, quia tunc nihil assignari potest, quod voluntatem necessitet, vel ad amandum unum magis, quam aliud, vel ad suspendendum amorem circa utrumque, si vero inæqualiter proponantur, adhuc tendere potest in minus efficaciter propositum, quia sufficit voluntati, ut aliquid sit bonum, & ut tale propositum, esto non sit magis bonum, sicut intellectui sufficit objectum esse verum, esto non sit magis verum; tum quia *minus bonum habet rationem objecti voluntatis* etiam occurrente majori bono, & voluntas adhuc eandem vim habet respectu illius; licet enim magis bonum, quantum est ex parte sua, magis attrahat, quam minus bonum, tamen voluntas pro sua libertate potest non permittere, se attrahi a majori bono, bene tamen a minori, sicut si vir fortis, & robustus a duobus impellatur inæqualium virium, esto possit utrique resistere, potest tamen cadere, & permittere se moveri a debiliori, & non a fortiori, ut bene in *hoc proposito* exemplificat Arriag. Denique potest Deus ex duobus æqualibus bonis alterum velle, & ex duobus æqualibus velle minus bonum, quia de facto non produxit perfectiores creaturas possibiles, ergo &c. Nec valet, quod inquit Vasq. hominem semper eligere bonum alteri comparatum, & per consultationem prælatum, Deum non ita, cum non consultet: Non valet, nam ex eo, quod Deus unum alteri non prælatum eligit, colligitur talem prælationem non esse necessariam, nec etiam in hominibus. Dices, Deum ita posse, quia non eligit ex indigentia, nos vero ex indigentia eligere. Contra, quia si ex indigentia, & necessitate eligimus, ergo non libere, vide dicta superius quæst. 3. artic. 3. quia plurima faciunt ad hujus veritatis consolidationem.

161 In oppositum objicitur primo, quod ex duobus bonis æqualiter oppositis neutrum possit amari, quia appetitus æqualiter se habens ad aliqua duo, ad neutrum potest determinari stante æqualitate illorum, & Arist. ponit exemplum 3. de Cœlo 93. de fitiente, & esuriente æqualiter, qui nec cibum, nec potum acciperet, sed staret immobilis inter utrumque, & de terra, quæ stat immobilis inter latera Cœli, ergo sic pariter in proposito. Conf. quia ideo hoc potius eligit, quam illud voluntas, quia ab *hoc potius attrahitur*, quam *ab illo*, sed quando proponuntur, ut æqualia, non potest assignari major attractio ex una parte quam ex alia, ergo &c. Tandem, quando nobis proponuntur duo bona, consultare solemus, quod illorum melius sit, & illud amplectimur, non alia ratione, nisi quia nostra voluntas semper appetit melius.

Resp. ad 1. ex Bassol. negat. conseq. quia appetitus liber in hoc distinguitur a sensitivo, & naturali, quod non necessitatur, neque determinatur ab appetibili, & ideo stante æqualitate, vel æquali propositione duorum appetibilium potest in alterum se determinare ex sua libertate, quicquid sit de appetitu sensitivo, & naturali, de quibus procedunt exempla Arist. ad Conf. negari nequit effectum bonitatis non esse attrahere, & allicere voluntatem ad amorem, hæc tamen non est attractio physica, sed moralis, unde quod de facto voluntas attrahatur ad hoc bonum, provenit ex ejus libertate potens permittere se ab hoc attrahi, & non ab *illo*, imo quia ambo illa bona proponuntur, ut æqualia, videtur præsertim in tali casu totaliter in arbitrio voluntatis esse ad alterum illorum se se flectere, quia ex parte unius nihil assignari potest, quod magis voluntatem alliciat, quam ex parte alterius. Ad ult. regulariter ita est, quod amplectimur, quæ sunt meliora, vel saltem efficacius proponuntur, non tamen quia necessitati simus ad hunc operandi modum, imo multoties oppositum quoque contingit, qui enim consequi intendit vitam æternam, non necessario eligit statum religiosum; etiamsi judicet illum aptiorem esse.

162 Deinde objicitur, probando minus bonum appeti non posse ablegato majori, quia minus bonum ad majus comparatum habet rationem mali, sed malum non est volibile, ergo &c. Confirm. ex Arist. 3. de anim. 37. ubi inquit, necesse esse unum quoddam metiri majus, quod prosequimur, ergo non potest appetitus sequi minus bonum, & ut tale propositum. Resp. Bassol. quod minus bonum quantumcumque majori bono comparatum habet rationem boni per se loquendo, quia ea, inter quæ fit comparatio, communicant in forma; verum est tamen, quod per accidens habet negationem majoris boni annexam, & sic etiam aliquo modo rationem mali, & sub hac ratione non utique potest appeti, unde quando voluntas eligit minus bonum comparatione majoris, non eligit illud, quatenus minus bonum reduplicative, quia ut minus dicit formaliter privationem majoris boni, sed specificative, quod est dicere, eligit illud, quia bonum, non quia minus bonum. Ad conf. ita loquitur Arist. quia ita regulariter contingit, si ratio est recta, inquit enim ibi *in deliberatione accipiendam* esse regulam, vel finem, quo metiamur quid faciamus, unde docet ibi, quid necessarium sit, ut recte agamus, non ut libere agamus. Dices, quando eligitur *minus bonum*, fieri *novum judicium*, quo

quo hoc præferatur majori. Negatur, quamvis enim id contingere possit, tamen id absolute necessarium non est, quia constat aliquando dum ex duobus bonis propositis unum judicatur alio melius, nos aliud arripere, ut Poeta Venusinus de tali canit, *video meliora proboque, deteriora sequor*.

ARTICULUS II.

Expenditur modus, quo objectum cognitum, vel ejus cognitio ad actum voluntatis concurrit.

163 Circa alterum quæstionis punctum, de concursu scilicet objecti per intellectum propositi ad actum voluntatis, tres pariter sunt difficultates enucleandæ; & prima est, quo pacto, & in quo genere causæ concurrat objectum cognitum, vel ejus cognitio ad actum voluntatis; qua in re tres reperimus opiniones, duas extremas, & unam mediam; prima extrema asserit objectum cognitum, vel ejus cognitionem ad actum voluntatis concurrere in genere efficientis causæ, eumque totaliter efficere, adeout voluntas mere passive se habeat, quæ apud Scotum 2. dist. 25. tribuitur Gotfredo, & quibusdam aliis. Altera sententia extrema asserit, solam voluntatem esse causam totalem sui actus, & objectum cognitum, seu ejus cognitionem nequaquam concurrere in hoc genere causæ, sed in alio genere causæ finalis, *vel formalis*, quam Doctor loc. cit. tradidit non obscure, ac etiam Henricus quol. 9. qu. 5. & est communis apud Scotistas Regent. Parisiens. 3. de Anim. quæst. 2. ad quæst. 2. collat. Cavell. disput. 3. de Anim. section. 13. Fabr. disp. 9. de pœnit. cap. 12. sequuntur Recentiores, Vasqu. 1. 2. disput. 36. cap. 2. Hurt. disp. 14. de Anim. sect. 5. Onuph. tract. 2. de anim. disput. 2. quæst. 3. dub. 3. Aversa quæst. 58. sect. 7. & alii passim. Media demum sententia docet volitionem ipsam partim ab *objecto cognito*, partim a voluntate ipsa produci, & ex utroque causam integram volitionis constitui, pro qua citantur Greg. 2. 25. quæst. 1. Ocham quol. 1. quæst. 16. Durand. 2. d. 24. quæst. 2. & Cajet. p. 1. quæst. 80. art. 2. ubi explicando hanc opinionem inquit, quod cognitio non est principium effectivum volitionis, ut *quod*, sed ut *quo*, quia tenet, quod ipsa cognitio objecti sit ratio formalis, qua ipsa voluntas producit volitionem, nam dicit, quod sicut species intelligibilis est ratio formalis dans intellectui actum primum, ut intelligere possit, ita intellectio objecti constituit voluntatem in actu primo, ut possit producere volitionem, quam opinionem sic explicatam tuetur ut probabilem Bann. p. 1. q. 80. art. 1. dub. 2. ubi in hoc sensu ait, cognitionem concurrere quoque in genere formalis causæ, quatenus est ratio formalis agendi voluntati.

164 In hac difficultate primo statuendum est tanquam certum, nec objectum cognitum, nec cognitionem esse totalem causam volitionis, id probat Doctor ex professo p. distin. 25. quæst. unic. in corpore quæsiti, & 4. dist. 49. q. 4 M. & hoc ipsum ostendunt rationes, & auctoritates *omnes* tam Scripturæ, quam Patrum, quibus quæst. 1. hujus disput. monstravimus, voluntatem esse potentiam activam respectu sui actus, & non mere passivam: unde præter ibi dicta aliud addere hic opus non est, cum modo ab omnibus id concedatur. Deinde asserendum est valde probabile esse ipsam objecti cognitionem concurrere ad actum volitionis in genere causæ efficientis minus principaliter, non quidem in eo sensu, quo explicabat Cajet. quasi sit ratio agendi ipsius voluntatis, qua enim ratione de specie intelligibili id tenuimus disp. præc. in ordine ad intellectum, quia intellectus habet sufficientem virtutem agendi in ordine suo, ita eadem ratione modo tenendum est de cognitione in ordine ad voluntatem, quia etiam voluntas sufficientem habet virtutem agendi in ordine suo; & si concurrit cognitio ad *ejus actum eliciendum*, concurrit ut supplens vices objecti, ad instar quasi speciei cum intellectu, non autem ut supplens aliquem intrinsecum potentiæ defectum; in hoc itaque sensu satis probabile est cognitionem esse causam efficientem minus principalem ipsius volitionis; tum quia sic loquendo major servatur proportio inter intellectum, & voluntatem, si utraque potentia a suo subjecto dependere ponatur efficienter aliquo modo in eliciendis actibus suis, quam si de intellectu tantum asseratur, & de voluntate negetur; tum quia Doctor maxime in hanc partem inclinare videtur, nam loco citato distin. 25. tantum probat quod objectum, vel cognitio ejus non est causa totalis volitionis, unde in corpore quæsiti inquit; *Dico ergo ad quæstionem, quod nihil aliud a voluntate est causa totalis volitionis in voluntate*, nec unquam negat ibi, quod saltem sit causa partialis, imo in 4. distinct. 49. qu. 4. M. id expresse affirmat, & quæst. 5. Litt. E. non negat, quod proinde etiam tenet de mente Doctoris P. Vulpes tom. 2. par. 2. disput. 60. art. 1. & Hiribar. disput. 3. de actibus humanis sect. 3. tum tandem quia nulla est ratio cogens pro parte oppositа, ut postea constabit.

165 Addimus tandem adhuc valde probabile esse, & forte probabilius, voluntatem esse causam totalem efficientem suorum actuum, & objectum cognitum, aut ejus cognitionem, nec etiam partialiter concurrere in genere causæ efficientis, sed tantum in genere causæ finalis, vel formalis extrinsecæ. Ratio potissima esse videtur, quia Arist. 3. de Anim. 54. inquit appetibile, seu bonum apprehensum movere appetitum per modum finis, motio autem finis non est physica, & realis, sed metaphorica, & intentionalis ex dictis in Physic. & Doctor ipse declarat distinction. 25. cit. ad 1. princip. tum quia bonum non est objectum voluntatis secundum esse, quod habet a parte rei, sed *secundum esse cognitum*, & apprehensum, ut superius diximus de potentiis appetitivis in communi, hoc autem est esse secundum quid, & intentionale, non physicum, & reale, quale requireretur, ut esset causa volitionis in genere efficientis causæ. Nec etiam videtur, id recte asseri de ipsa objecti, seu finis cognitione, quia hæc non concurrit ex dictis in Physic. de causa finali, nisi tanquam conditio sine qua non, vel ad summum, ut causa applicans objectum potentiæ, ipsa tamen non est objectum, nec gerens vicem objecti, qualis est species intelligibilis respectu intellectus, quia ipsa non appetitur, sed objectum per ipsam repræsentatum, nec est bonitas cognitionis, quæ movet, & allicit voluntatem ad amorem sui, sed bonitas objecti per ipsam repræsentati, *cum ergo cognitio* interveniat tantum, velut conditio applicans objectum potentiæ, & se habeat omnino ut in causis physicis approximatio causæ ad passum, quæ est pura conditio, non bene videtur poni ratio formalis motiva, & causa physice influens in effectum. Accedit, quod dum objectum proponitur voluntati per cognitionem, quæ non sit simplex apprehensio, sed verum judicium practicum habens rationem regulæ, & dictaminis, si tunc cognitio physice influeret in volitionem, tunc utique *non* influeret, ut causa minus principalis, sed ut causa magis præcipua imperans, sibique voluntatem subordinans nedum moraliter, sed etiam physice, & sic tolleretur voluntatis libertas, quæ intantum salvatur a ponentibus cognitionem esse partialem causam volitionis, inquantum dicunt esse causam minus principalem, quæ proinde esto sit causa naturalis, non obinde lædit voluntatis libertatem, quia est causa minus præcipua, satius ergo est dicere *voluntatem totaliter suos actus* efficere in genere efficientis causæ, objectum vero apprehensum non concurrere, nisi in genere causæ finalis, quatenus propter ejus bonitatem ostensam movetur voluntas ad actum, & denique cognitionem objecti concurrere, vel ut conditionem, vel in genere causæ formalis, non quidem *in eo sensu*, quo *dicebant illi Thomistæ*, *quia sit* ratio formalis agendi ipsi voluntati, sed quatenus est ipsa formalis repræsentatio objecti appetibilis.

166 In oppositum arguitur primo contra eam problematis partem, qua dicebamus, probabile esse objectum per ejus cognitionem physice influere in actum voluntatis per modum causæ partialis minus principalis, sic enim asserendo lædi videtur libertas voluntatis, cum objectum sit agens naturale, quod voluntati approximatum per *cognitionem necessario* & naturaliter ipsam moveret, qua ratione utuntur multi Scotistæ præsertim Hiribar. cit. Tum 2. quia agens naturale non potest esse per se causa contrariorum circa idem passum, quod additur propter instantiam de dissolutione nivis, & constrictione luti a Sole, sed in potestate voluntatis nostræ est habere, velle, & nolle, quæ sunt contraria, respectu unius, & ejusdem objecti, ergo illa fieri nequeunt ab agente naturaliter, & consequenter nec ab objecto, aut ejus cognitione, quæ sunt naturalia agentia; quæ ratio pro hoc adducitur a Doctore 2. dist. cit. 25. §. *contra conclusionem in se*. Tum 3. quia objectum non concurrit ad appetitionem, & amorem nisi ut cognitum, & repræsentatum per notitiam præviam, hoc autem est esse secundum quid, & intentionale, ergo nequit, ut sic, physice concurrere: & hac ratione convictus Bannes cit. §. *has solutiones* discedit ab opinione Cajet. & in communem descendit. Tum 4. quia appetibile movet appetitum per modum finis, ergo sicut finis non causat efficienter, *ita neque objectum respectu actus voluntatis*. Tum 5. quia sequeretur, quod actus fidei infusæ causaret peccatum, nam si quis credit peccatum esse Deum negare, & ipsum negat, jam talis fidei actus causaret partialiter actum illum infidelitatis, qua ratione utitur Hurt. cit. & Cavell. Tum 7. quia vel intellectio concurrit cum voluntate ad ejus actum, ut causa magis præcipua, vel ut minus præcipua, & instrumentalis; non primum, ut nos quoque concedimus, neque secundum, quia intellectio suapte natura perfectior est volitione in genere entis. Tum tandem quia possumus in actu amoris omnem assignare formalitatem ad ejus integritatem spectantem absque influxu physico objecti, per quam sumat formalitatem specificam, ut volunt Cajet. & alii, ergo &c. probatur assumptum, quia voluntas cum habitu charitatis est integra causa efficiens actus dilectionis Dei secundum *omne* rationem, nam *est volitio* in genere eo ipso, quod a voluntate procedit, & est talis volitio scilicet Dei eo ipso, quod procedit ab habitu charitatis, qui suapte natura inclinat in amorem talis objecti, & his duabus ultimis rationibus utitur Vasquez p. 2. disp. 36. c. 3. alias levioris momenti ab aliis adductas contra eandem problematis partem dimittimus, quia ex harum solutione facile diluuntur.

167 Resp. nullam istarum rationum convincere, prima quidem parum urget, quia est *principium* apud Doct. 1. d. 8. qu. 4. & 2. d. 25. cit. & qu. 16. quod quando principium naturale concurrit cum libero, & liberum est causa principalis, tota actio libera est, ut constat de habitibus in voluntate naturaliter cum *ipsa concurrentibus*, nec ejus libertatem lædentibus. Ad 2. neg. minor, quia licet possit esse idem objectum materialiter volitionis, & nolitionis, ut fornicatio, non tamen sub eadem ratione formali motiva, nam sub ratione delectabilis est objectum volitionis, sub ratione illiciti est objectum *nolitionis*, & circa bonum *non* potest habere nisi actum volendi, *sicut circa* malum actum duntaxat nolendi, unde ratio illa adducitur a Doct. juxta sententiam asserentem bonum esse posse quoque *objectum* nolitionis, & malum volitionis, quam ipse *firmiter non tenuit*, sed interdum admisit disputandi gratia. Ad 3. *non dicimus* objectum secundum esse cognitum, & repræsentatum *formaliter*, *ut importat* solam denominationem extrinsecam esse causam partialem volitionis, sed cognitionem ipsam repræsentantem objectum, quæ est entitas realis, & physica. Ad 4. neque *etiam dicimus* objectum sive secundum esse reale, sive cognitum, & intentionale causare volitionem efficien-

ficienter, sed hoc asserimus de cognitione ipsa objecti. Ad 5. non est majus absurdum actum supernaturalem esse causam physicam peccati, quam Deum ipsum; quemadmodum ergo dicitur Deus causa peccati pro materiali absque ullo inconvenienti, ita actus supernaturalis potest poni causa peccati pro materiali, non tamen pro formali, quia totus defectus a voluntate procedit. Ad 6. intellectio concurrit ad amorem, ut causa minus præcipua, alioquin ejus libertatem destrueret, & falsum est, quod in genere entis sit actus perfectior ipso amore, ut constabit qu. seq. Ad ult. negaretur assumptum, cujus probatio, etiamsi concluderet de actu dilectionis Dei procedente a voluntate habitu charitatis perfusa, non tamen concludit de aliis actibus, præsertim ab ea elicitis nude sumpta, & sine habitu; ex quibus potest etiam aliqualiter satisfieri rationibus pro opposita problematis parte.

168 Deinde arguitur contra alteram problematis partem, qua tuemur voluntatem esse totalem causam efficientem sui actus; quia Verbum divinum efficienter divinum producit amorem, ergo & verbum nostrum saltem partialiter producit nostrum amorem. Tum 2. quia voluntas movetur per imperium practicum intellectus ad productionem amoris, ergo efficienter. Tum 3. amores distinguuntur specie ex diversis cognitionibus, ergo efficiuntur ab eis. Tum 4. quia sicut ab objecto, & potentia paritur notitia, sic paritur amor, & sicut per speciem impressam intellectus active determinatur ad cognitionem, & per præmissas ad conclusionem, ita per judicium, & cognitionem videtur voluntas active determinari ad amorem. Tum 5. quia voluntas trahi dicitur, & allici ab objecto, tractio autem melius intelligitur per actionem ab objecto præcedentem, rapere enim, trahere, & alia hujusmodi non tantum actionem denotant in objecto, sed etiam vehementem. Tum 6. quia in volitionibus primo primis, & actibus indeliberatis negari nequit concursus effectivus objecti, quia necessitas in his actibus reperta aliunde provenire non potest, quam ex motione efficaci objecti apprehensi. Tum 7. quia volitio, & amor v. g. divitiarum non solum est volitio, & actus voluntatis, ut sic, sed etiam talis volitio, ergo quantum ad rationem specificam quoque debet habere aliquam causam realem, hæc autem nequit esse sola voluntas, cum secundum eandem rationem ad omnes actus concurrat, ergo erit objectum. Tum tandem quia tunc omnes actus essent ejusdem speciei, qua ratione Doctor p. dist. 3. quæst. 7. in corp. qu. astruit intellectum non esse causam totalem intellectionis, quia tunc omnes intellectiones essent ejusdem speciei. Neque dicas volitiones distingui per objecta terminative, qua licet non concurrant ut causæ partiales, concurrunt tamen ut conditiones necessariæ. Hoc enim non satisfacit, quia idem de intellectu dici posset; imo sic pariter dici posset lignum ad præsentiam ignis se comburere, & ignem esse conditionem sine qua non, & sic de aliis; tum etiam quia Doct. l. c. ait, a quo aliquid essentialiter non dependet, nec ab eo essentialiter specificari.

169 Resp. neg. paritatem, quia Verbum divinum est substantia subsistens habens a Patre voluntatem fæcundam, quæ est virtus spirativa divini amoris, Verbum autem creatum non est hujusmodi. Ad 2. neg. assumptum, quia imperium est actus voluntatis non intellectus, ut postea dicemus, quo etiam concesso, neg. consequ. quia actus imperans non efficit physice imperatum, nam voluntas imperat motum manus, nihil physicum in manu producendo. Ad 3. quicquid sit de antecedenti de quo postea, neg. consequ. quia cognitiones possunt talem distinctionem inducere ex varia objectorum proportione sine ullo influxu physico, & relationes specie distinguuntur per terminos, esto physice non oriantur ab eis ex dictis in Log. Ad 4. negat. paritas, quia cognitio est formalis similitudo objecti, quam habet præsertim ex physico concursu objecti, quod in volitione, & amore non invenitur, quippe qui non est imago, aut similitudo objecti, sed potius pondus in illud totaliter a voluntate procedens; nec par est ratio de specie impressa in ordine ad intellectum, & cognitione in ordine ad voluntatem, quia cum hæc sit formalis manifestatio objecti, sufficit concursus ejus in genere causæ formalis proponendo nimirum objectum, illudque manifestando, at species non est formalis expressio objecti, sed tantum virtualis, ideoque active concurrit producendo cognitionem; Dices, voluntas est potentia indifferens ad plures actus, & objecta, ergo indiget cognitione, ut principio determinante ipsam ad hunc, vel illum actum, circa hoc, vel illud objectum. Negatur conseq. quia ut sæpe dictum est ex Doctore indeterminatio voluntatis est virtutis activæ, non passivæ, oriturq; ex universalitate, & illimitatione virtutis ejus, quæ postea sufficienter determinatur, & restringitur per cognitionem in genere causæ repræsentantis, & applicantis objectum. Ad 5. cum objectum apprehensum voluntatem non moveat, nisi per modum finis allicientis, & excitantis voluntatem ad ejus amplexum, consequenter talis attractio voluntatis ab objecto nonnisi actionem metaphoricam, & moralem significare potest, non vero physicam, & realem objecti, seu cognitionis ejus in voluntate. Ad 6. de motibus primo primis multa dicit Faber disp. 9. citat. de pœnit. a n. 366. nos tamen supra diximus n. 47. primos motus, qui sunt omnino naturales, & necessarii, non esse actus voluntatis sed appetitus sensitivi ex Doctore 2. dist. 42. ad p. 3. quæst. quam diximus ibidem esse opinionem Victoriæ, Cordub. Valent. aliorumque gravium Auctorum.

170 Ad 7. a nobis damnata sæpe est philosophia illa, quæ gradui generico, & specifico in effectu diversas assignat causas, quia hæ non sunt res distinctæ, quarum una possit ab uno agente produci sine alia, sed sunt unum, & idem, & ideo agens unam formalitatem producens producit & aliam, unde nulla datur causa in rerum natura, quæ producat aliquem effectum secundum gradum generic̃um, & non specificum aut e contra, sed quæ producit unam formalitatem producit & aliam, sic equus generans equum producit, & attingit ipsum, & quantum ad gradum genericum, & quoad specificum, ac denique quoad individualem; male ergo ajebat Cajet. cujus est hoc argumentum, quod voluntas sit causa sui actus secundum rationem genericam amoris, & objectum causet eundem secundum rationem specificam talis amoris, quia in actu amoris non sunt res distinctæ; ipsa ergo sola voluntas est causa activa suæ volitionis secundum omnem rationem tam genericam, quam specificam, & individualem, quando enim voluntas vult aliquam exercere operationem non solum vult operari in genere, sed etiam vult tali modo operari, nec vult dumtaxat exercere amorem, ut sic, sed talem actum amoris. Neque hinc sequitur omnes volitiones futuras esse ejusdem speciei, quia ipsa voluntas de se est potentia universalis, & illimitata ad plures actus eliciendos specie diversos, ad quorum distinctionem eriam suo modo concurrunt objecta, non quidem effective, sed finaliter, & terminative, quo etiam sensu potentias ipsas per actus, & objecta specificari dicimus & distingui, esto effective non producantur ab eis; quod satis apto declarari potest exemplo, nam idem mobile prorsus est, quod movetur sursum, & deorsum, & tota activitas se tenet ex parte illius, qui se movet, & tamen motus illi specie differuntnon alia ratione, nisi quia termini, ad quos tendunt, specie differunt. Ad ult. constat per idem, ad Doct. in primo distinct. tertia qu. 7. occurrit Bargius ibi §. neque distinguerentur, quem consulere non erit inutile; nos breviter dicimus majorem videri necessitatem, quod intellectio producatur partialiter ab objecto, quam volitio, eo quia intellectio est naturalis similitudo objecti, non volitio, quam similitudinem potissimum sibi vendicat ex hoc, quod naturaliter ab eo producitur, unde distinctio essentialis in actibus intellectus penes objecta videtur ultra terminationem arguere quoque in objectis efficientem, licet absolute loquendo sola terminatio sufficiat ad eam distinctionem, ut bene ibi Bargius notat; unde rationes illæ, quibus ibi Doctor ostendere intendit intellectum non esse causam totalem sui actus, sed objectum quoque partialiter concurrere, potius ratione materiæ concludere videntur, quam rationæ formæ, alioquin si absolute sumantur, videntur æque bene concludere de actu voluntatis, quod partialiter efficiatur ab objecto, sicut de actu intellectus, si bene perpendantur; & ut verum fateamur, hoc est unum ex præcipuis motivis, quibus moveamur ad probabiliter tenendum objectum per suam cognitionem partialiter concurrere ad actum amoris; Notat autem Doct. 2. dist. 25. lit. P. non posse rationabiliter dici lignum ad præsentiam ignis se comburere, ignem vero esse tantum conditionem sine qua non, quia nihil habet in se principium activum, quo se destruat, sed potius se conservandi, ideoque cum combustio illa fit ligni destructiva, non debet ligno tribui, ut principio activo, sed igni; alias quasdam rationes contra hanc eandem problematis partem vide apud Doct. cit.

171 Altera difficultas ad hunc articulum spectans, & præcedenti affinis, est, an varietas cognitionum sufficienter inducat diversitatem affectuum in voluntate. Affirmat Hurt. disp. 14. de an. sect. 6. cum quibusdam aliis: Negant Vasq. part. 2. disp. 2. c. 2. Arriag. disp. 7. de anim. sect. 4. subsect. 2. Pro hujus dubii resolutione statuendum in primis est, quod si cognitiones præviæ ad amorem sunt inter se specie diversæ, quia nimirum aut diversa prorsus objecta repræsentant, aut idem, sed sub diversa ratione formali, aut alia de causa ad earum diversitatem specificam sufficiente, semper inducunt diversitatem specificam affectuum in voluntate, & hoc citra controversiam omnes admittere videntur, qua ratione Doctor 4. dist. 49. q. 5. probabiliter censet, fruitionem viæ, & patriæ specie distingui, quia cognitio, quam de Deo habemus in via, est abstractiva, & quam habent Beati in patria, est intuitiva, quæ cognitiones apud Doctorem specie ab invicem differunt etiam circa idem objectum, ut diximus disp. præc. q. 11. si vero cognitiones solum numero differunt, rursus distinguendum est, quia aut sunt omnino consimiles, & æquales, nimirum ejusdem claritatis, intensionis, &c. & sic ex mutatione cognitionum non arbitramur sufficienter deduci mutationem amorum, idem enim videtur numero amor pecuniæ, vel sanitatis, sive ea bonitas repræsentetur per hanc numero cognitionem, sive per aliam omnino consimilem, quod adeo certum est, ut a nemine rationabiliter negari posse videatur. At si differant in illis conditionibus cognitiones, poterit ex illis sufficienter colligi, nedum numerica amorum diversitas, sed etiam specifica, unde etiam qui negant cognitionem abstractivam, & intuitivam specifice distingui, adhuc tamen concedunt fruitionem viæ, & patriæ specie distingui non alia ratione, nisi quia beatifica visio clarius, & melius Deum explicat, & proponit voluntati nostræ.

172 Dices, cognitionem respectu amoris esse puram conditionem, qua objectum proponitur, ergo parum refert ejus variatio, vel identitas ad identitatem, vel variationem amoris. Resp. Doct. 4. d. 49. q. 5. cit. concesso antecedente, adhuc conseq. negari debere, quia ex variatione conditionis interdum potest variari effectus essentialiter; exemplum habemus in causis physicis in quibus approximatio ad passum est pura conditio, & tamen major, vel minor approximatio variat interdum effectum substantialiter, nam ignis valde approximatus ligno producit ignitionem; eminus vero calefactionem tantum, qui duo effectus specie, & genere differunt, adeout ex diversa approximatione agentis ad passum variatur effectus, quod & alio exemplo declarat Doct. cit. aliter enim agens agit, quod per lineam rectam opponitur, & approximatur passo, quam quod per reflexam, vel fractam,

ctam, cum ergo cognitio sit velut intentionalis quædam approximatio objecti ad voluntatem, clarior, vel obscurior cognitio poterit aliquando sufficienter inducere diversitatem amorum, quia diversimode per eas proponitur objectum; quam doctrinam recipit eriam ipse Arriag. disp. 8. Phys. sect. 5. subsect. 2. corrobat exemplis aliarum conditionum, quando fieret aliqua instantia de approximatione, quæ in rigore consistere videtur in contactu physico cum passo, & ideo non videtur esse posse major, & minor; & hæc eadem doctrina inter Scotistas passim recipitur.

173 Postremu difficultas in hac materia est, an objectum ita proponi possit ab intellectu, ut necessario voluntatem moveat; Communis sententia est non solum Scoti, & Scotistarum 1. d. 1. q. 4. & 4. d. 29. §. *ad quæstionem*, & d. 49. q. 10. & quol. 16. art. 1. sed etiam D. Tho. & Thomist. 1. 2. q. 82. art. 2. nullum objectum in via quomodocumque proponatur necessitare posse voluntatem quoad exercitium, bene tamen quoad specificationem, & quidem primum assertum convincenti ratione suadetur, quia nullum bonum pro hoc statu ita proponitur, ut nequeat intellectus in eo aliquam rationem mali adinvenire, vel saltem in exercitio amoris ejus, v. g. molestiæ, vel fatigationis, qua de causa potest cessare voluntas ab ejus amore, vel absolute abstinere ab eo eliciendo, & quando etiam in objecto nulla ostenderetur malitia, adhuc posset voluntas actum suspendere, quia sicut bonum non necessitat ad amorem eliciendum, ita neque ad eum continuandum, & eadem est ratio de malo, quod sicut non necessitat ad eliciendum actum odii, ita neque ad continuandum, quare potest voluntas ad libitum cessare ab amore boni, & odii mali, & ratio hujus pendet ex superius dictis in explicanda essentia libertatis exercitii, ad quam diximus non necessario prærequiri cognitionem boni, & mali, atque ideo omnino falsum esse, neminem cessare posse ab amore boni, nisi ostensa in eo objecto aliqua ratione mali. Alterum quoque assertum facile probatur ex superius dictis de objecto voluntatis in præc. qu. nam quoad actum amoris, & prosecutionis diximus esse bonum sub ratione boni, quad actum odii, & aversionis esse malum sub ratione mali, adeout neque bonum esse possit objectum odii, neque malum amoris, unde si voluntas circa bonum, ut sic ostensum, elicere velit aliquem actum, & non omnino otiari, elicere tenetur actum amoris, nec potest actum odii habere, quod est necessitari quoad specificationem; sicut e contra, si vult operari circa malum, ut sic ostensum, nonnisi actum odii, & fugæ potest exercere; & hinc communiter colliguntur quoad beatitudinem, & miseriam in communi non dari in voluntate nostra libertatem specificationis, quia nulla est ratio boni in hac, ut ametur, nec ratio mali in illa, ut odio habeatur; bene tamen datur libertas exercitii, quia circa bonum potest actum amoris suspendere, & circa malum actum odii, ut fuse Doctor declarat loc. cit. præsertim p. d. p. q. 4.

174 Tota difficultas est de objecto beatifico, & ultimo fine clare viso in patria, an etiam quoad exercitium necessitet voluntatem ad amorem. D. Th. cum suis loc. cit. affirmat, cui etiam noster Faber ex parte consentire videtur p. d. 14. q. 4. c. 3. ubi amori beatorum omnem prorsus libertatem contradictionis adimit, & solum concedit libertatem essentialem; sed negat Doct. loc. cit. cum omnibus Scotistis, & Nominalibus, & probatur, quia Deus contingenter agit ad extra, ergo nec in ratione objecti beatifici potest voluntatem necessitare & rapere ad amorem, adeo quantum est ex se, ab eo nequeat abstinere ex intrinseca indifferentia, quam habet ad agendum circa quodcumque objectum. Dices, quod licet physice contingenter agat ad extra, moraliter tamen, & metaphorice ob infinitatem suæ bonitatis necessario movet voluntatem, quando est clare visus, sicut in patria. Contra, quia objectum beatificum non tantum moraliter sed etiam physice concurrit ad fruitionem beatam. Dices, ex parte objecti beatifici necessitari voluntatem in hoc sensu ad amorem, quia voluntas suapte natura est summe inclinata in illud clare visum tanto impetu complacentiæ in illud rapitur, ut omnem libertatem amittat tam specificationis, quam exercitii. Contra, quia licet voluntas, ut natura sit summe propensa in summum bonum, tamen ut potentia est libera, & quantum est de se, libere tendit in quodcumque objectum, saltem libertate exercitii. Conf. quia ut sæpe dictum est, licet libertas specificationis pendeat ab objecto, itaut si objectum est conveniens, nequeat terminare, nisi actum amoris, si disconveniens, actum odii dumtaxat, atque ideo voluntas quoad hanc libertatem possit ab objecto necessitari, sic, vel sic proposito; tamen libertas exercitii totaliter se tenet ex parte principii operantis, & attenditur ex parte potentiæ præscindendo ab eo, quod objectum sit bonum, vel malum, atque ideo ex parte objecti nunquam provenire potest necessitas hanc libertatem excludens: hinc fatentur ingenue meliores Thomistæ, quod licet de facto voluntas beata necessiteretur in patria etiam quoad exercitium, talis tamen necessitas non provenit formaliter ex objecto, ut objectum est, sed ex ipsa dispositione potentiæ circa tale objectum, ita Cajet. p. p. q. 82. art. 2. Bannez ibid. Jo. de S. Th. 3. de an. q. 12. art. 4. & alii.

175 Qualis autem sit ista dispositio voluntatis beatæ, quæ inducit necessitatem in ipsa circa objectum beatificum, varie declarant Thomistæ, sed Doct. in 2.d.49.q.6. inquit esse, quia divina voluntas concurrit cum ea ad fruitionem beatam concursu determinato ad agendum, nec habet concursum paratum ad oppositum; imo potius denegatum, unde illa necessitas omnino provenit ab extrinseco, nempe ex defectu concursus parati, seu indifferentis ad utrumlibet, ut alii loquuntur, atque ideo non tollit libertatem intrinsecam voluntatis, cum hæc sit ab ea prorsus inseparabilis, sed solum libertatis usum,

atque ideo beatus necessario fruitur ultimo fine clare viso necessitate ab extrinseco proveniente, non ab intrinseco; & hæc sufficiant, quia rem ulterius prosequi ad Theologum spectat; nobis sat est ex principiis philosophicis viam parare Tyronibus ad conclusiones theologicas eruendas ex illis dependentes in via Subtilium; vide Hirib. tract. de actibus humanis disp. 4. sect. 5. ubi erudite satis pertractat hoc quæsitum de mente Doctoris.

QUÆSTIO VII.

De variis actibus Voluntatis.

176 Doctor in 2. d. 6. quæst. 2. §. *in ista quæstione* docet duplicem esse actum voluntatis elicitum, velle, & nolle; ille prosecutionis est, hic aversionis, & fugæ; sed velle rursus duplex est, amicitiæ *nimirum*, seu benevolentiæ, & est circa id, cui volumus bonum, alter vero concupiscentiæ, & est circa bonum alteri volitum; & quia quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur & reliquum; odium, quod amori opponitur, duplex est, abominationis, & inimicitiæ: odium abominationis est, quo detestamur malum in se, vel quo nolumus malum alicui personæ; odium vero inimicitiæ est, quo volumus malum alicui personæ.

Rursus docet ibidem, bonum esse triplex, honestum, delectabile, & utile; in prima, & secunda acceptione habet rationem finis, potestque tripliciter considerari, primo, ut per se placet voluntati, & sic terminat velle, seu voluntatem acceptam in actu secundo; deinde ut propter se amabile, & ut est aliquid, cujus gratia alia amantur, & *sic terminat intentionem*; tandem, ut in eo voluntas ultimate quiescit, & sic ponitur fruitio. In tertia vero acceptione habet rationem medii, quia consideratur ut bonum idoneum pro finis consecutione, & potest adhuc in acceptione ista proponi tripliciter; primo, ut conducit ad finem consequendum, & sic ponitur electio; secundo, ut est judicatum, & consultatum, & sic actus, quo acceptatur, dicitur consensus; tertio ut executioni mandandum, & sic ponitur actus, qui dicitur usus, & hos sex actus distinguit S. Th. p. 2. qu. 8. quem passim Thomistæ sequuntur. Cæterum tot actus frustra multiplicantur voluntatis nostræ, cum duo, vel tres ad summum sufficiant nimirum intentio, quæ a fruitione non distinguitur, & electio, quæ pariter a consensu, & usu distinguitur, non debet, facta siquidem electione ex sympathia potentiarum immediate sequitur executio, si nihil impediat; & tandem si placet, adde actum neutrum cum Doctore 1. d. 1. q. 3. qui etiam ab intentione latius sumpta non differt.

177 Ad hos actus reliqui actus eliciti prosecutivi voluntatis reducuntur, vel ab eis non differunt, ut amor, desiderium, spes, gaudium; amor enim est volitio, vel intentio, estque indifferens ad bonum præsens, & absens, desiderium vero tantum respicit absens; spes desiderio addit fiduciam consequendi desideratum, & hi duo actus sunt modo intentio, modo electio, & idem est de amore, quia amantes desideramus, speramus finem, & *media*; gaudium autem non est proprie actus, sed passio distincta a delectatione, ut diximus disp. 5. q. 10. Circa malum sunt alii actus his oppositi, timor circa absens, tristitia circa præsens, & odium circa utrumque, licet neque tristitia sit proprie actus, sed passio delectationi opposita ex dictis disp. cit. Itaque ex *his concludimus omnes actus elicitos voluntatis reipsa*, aut esse intentionem, aut electionem, non addimus alium actum, qui dicitur imperium, quia adhuc dispuratum non est, num sit actus intellectus, vel voluntatis, quod si est actus voluntatis, ut postea resolvemus, forte nec ipse distinguendus erit ab electione, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; de his igitur actibus agendum est duobus articulis sequentibus, in primo intentionem, & electionem aperiemus, imperium in altero, vide hanc eamdem actuum voluntatis divisionem a nobis traditam disp. 7. Phys. qu. 8. art. 7.

ARTICULUS I.

De intentione, & electione.

178 Intentionem, & Electionem esse formaliter actus voluntatis supponimus cum communi ex Scoto 2. dist. 38. per intentionem respicit finem, & determinatur ad volendum media propter consecutionem illius, per electionem vero respicit media, & illa ordinat ad assequendum finem; neque de hoc ulla videtur inter Doctores controversia; disputant solum, an intentio finis, & electio mediorum reipsa distinguantur, sintque distincti actus voluntatis, an potius sint unus, & idem actus, qui quatenus tendit in finem, dicatur intentio, quatenus tendit in media, dicatur electio; in qua dubitatione tres possunt reconferi opiniones, duæ extremæ, & una media. Prima extrema intentionem, & electionem constituit diversos realiter actus tendentes *in objecta diversa*, quam tenet Vasq. p. 2. d. 33. c. 2. citans Greg. p. d. 1. qu. 1. art. 2. & Marsil. p. q. 4. art. 1. dub. 1. & sequitur ex nostris Vulpes tom. 2. part. 2. disp. 59. art. ult. & disp. 63. art. 3. & alii quamplures. Altera extrema docet esse unum eumdem actum, qui dicitur intentio in ordine ad finem, electio in ordine ad media, cujus Patroni citantur multi ab eodem Vasq. S. Bon. Ægid. Riccard. S. Thom. Durand. Ocham. Gab. Holcot. Major, Cajet. Capreol. & ex nostris sequitur Cavell. disp. 3. de an. sect. 12. num. 9.

179 Media sententia, quam veram omnino putamus, docet intentionem, & electionem interdum esse unum, & eumdem actum formaliter & realiter, quandoque vero diversos, & realiter distinctos. Ita significat Doctor loc. præallegato 2. dist. 28. in corpore quæsiti, ubi utrumque probabile censet, *ut docere videtur esse posse* eumdem actum, & diversum, dum inquit, si & voliti, & ejus propter quod est volitum, sit idem actus volendi, idem actus erit usus,

ac intentio, si autem alius, intentio dicet formaliter actum istum, quo tendit voluntas in finem, & materialiter actum utendi, quo refert aliud in istum finem, hæc Doct. quem dicendi modum approbant Gab. p. d. 2. q. 1. art. 3. dub. 2. & 2. d. 38. q. 1. art. 2. Major p. d. 1. q. 10. & videtur D. Thom. p. 2. q. 8. art. 3. & tenet Becan. p. 2. tract. p. c. 3. q. 1. Hiribar. disp. 17. de actibus hum. sect. 3. Bassol. 2. d. 38. q. un. art. 3. & alii, pro cujus probatione, quoad utramque partem, est advertendum intentionem posse finem respicere, seu ad finem comparari tripliciter, primo in ratione objecti, & boni per se, & propter se amabilis, non autem ut est ratio volendi media, & prout exercet causalitatem finalem erga ipsa; secundo potest respicere finem, ut acquirendum per hæc, & media indeterminate acceptam, & veluti sub disjunctione, ut si quis dicat, volo Neapolim ire, vel peditando, vel equitando, vel navigando; tertio tandem potest respicere finem, ut acquirendum per media determinata, ut si dicat, volo ire Neapolim vectus equo; Itaque si intentio primo modo contingat, nulli dubium est realiter ab electione distingui, quia talis actus elicitur omnino præscindendo a mediis, imo talis actus non est proprie intentio, quia hæc necessario continet voluntatem mediorum saltem virtualiter, sed potius est simplex complacentia finis absolute considerati, ut bonum quoddam est per se amabile, ac propter se volibile; si intentio secundo modo contingat, ut scilicet finem respicit acquirendum per hæc & illa media indeterminate accepta, sic sane distinguitur ab electione, per quam vult postea media determinate sumpta, quia talis actus sequitur facta de mediis consultatione. Et quidem falsum est, quod inquiunt Hurt. & Cavell. cit. in eo casu facta consultatione de mediis statim voluntatem deponere priorem actum, & novo actu velle illum eundem finem cum hoc medio in particulari, puta velle Neapolim ire per equum. Plane id est omnino voluntarie dictum, quia nulla videtur necessitas mutandi priorem actum intentionis, ut alius de novo eliciatur circa eundem finem, quia supponitur voluntas firmiter manere in illius finis intentione, scilicet eundi Neapolim, unde non opus est, quod illum actum repetat, sed solum determinate eligere debet aliquod ex illis mediis antea confuse, & indeterminate repræsentatis & volitis, scilicet vel equitationem, vel peditationem, vel navigationem; Et hoc experientia ipsa docet; nam postea quam aliquem intendimus finem per aliqua media indeterminate accepta assequendum, & deinde consultamus quodnam illorum sit aptius, experimur facta consulatione immediate nos velle tale medium absque eo quod rursus velimus illum finem, & ad talem electionem procedimus in virtute intentionis præcedentis, non autem virtute intentionis denuo productæ, ergo in tali casu omnino fatendum est alium actum intentionis, alium electionis.

180 Si tandem voluntas velit finem per media determinata, itaut intentio tertio modo contingat, tunc minime opus est, actum intentionis alium esse ab actu electionis. Probatur, quia dum in tali casu dicit homo, volo Neapolim ire vectus equo, utique intervenire non videtur, nisi unicus actus tendens in objectum intentionis, ac etiam simul electionis, neque in hoc ulla repugnantia assignari posse videtur, si enim dicas repugnare eundem actum plura attingere objecta, statim occurritur, id verum esse de objectis disparatis ad summum, non autem invicem subordinaris, sicut sunt in proposito finis, & medium, & de actibus absolutis, non autem collativis, de quorum numero esset hic actus, imo de ratione actus collativi est, quod ambo extrema attingat per ipsum collata, & demum esto actus ille in duo tenderet objecta, hæc tamen non essent ambo primaria, sed primarium unum scilicet finis, secundarium alterum scilicet medium; licet autem idem actus tendere nequeat in duo objecta primaria, nil tamen prohibet, quin tendere possit in duo, quorum unum sit primarium, & alterum secundarium, ut omnes fatentur de actu beatifico; & de his causis concludit Bassol. cit. juxta varios casus posse intentionem ab electione distingui, & non distingui.

181 Adversus statutam assertionem arguitur Primo, probando, quod intentio, & electio sint necessario, ac indispensabiliter actus realiter distincti, quia intentio finis est causa electionis mediorum, ergo semper distinguuntur realiter, quia idem nequit causare seipsum; probatur assumptum, quia finis est ratio, ut amentur media, ergo amor finis est causa amoris mediorum; atque ita intentio semper causat electionem. Tum 2. quia cum volitio finis sit ratio volendi id, quod est ad finem, prior natura erit volitio illa, quam ista, ergo nequeunt esse idem actus. Tum 3. intentio se habet ad electionem in practicis, sicut principium ad conclusionem in speculabilibus, sed assensus principiorum semper distinguitur ab assensu conclusionis, ut dictum est in Logic. ergo &c. præsertim quia apud nos media habent propriam bonitatem, ut conclusio veritatem. Tum 4. impossibile est, quod idem actus simul sit intensus, & remissus, sed evenit interdum, ut quis intense intendat finem, remisse vero, quod est ad finem, ergo &c. Tum 5. quia sæpe contingit volitio finis sine volitione ejus, quod est ad finem, ut cum absolute volumus sanitatem, non adhuc cogitando de mediis. Tum 6. quia interdum electio est bona, & intentio mala, ut quando quis vult dare eleemosynam propter vanam gloriam, ergo nequeunt esse idem actus. Tum 7. nequit idem actus esse dependens, & independens, relatus, & non relatus, sed actus electionis est dependens ab actu intentionis, & ad finem relatus, non autem intentio, ergo &c. Tum 8. finis, & media sunt diversa objecta formalia, sed actus per objecta distinguuntur. Tum deniq; Vasq; pro hac parte adducit apertam D. Aug. mentem 11. de Trin. c. 6. cujus verba sunt valde expressa.

182 Resp. assumptum non esse universaliter verum, sed tantum quando intentio tendit in finem secundum suum esse absolutum, aut acquirendum per media indeterminata, tunc enim talis intentio præcedens est causa electionis medii determinati facta consultatione, quando autem intentio finis respicit quoque medium determinatum, tunc appetitio finis non est causa appetitionis medii, sed bonitas finis movet, & medium terminat eundem actum, unde ad probationem illius assumpti neg. conseq. aliud enim est quod finis moveat voluntatem ad volendum media, & aliud est, quod finis sit ratio, cur a voluntate sint volita media per distinctum actum ab amore finis, primum est semper verum, non secundum. Ad 2. patet per idem, semper enim bonitas finis est ratio volendi media, non tamen semper volitio finis est causa volitionis mediorum, quam solutionem melius percipies, si recognoscas dicta a nobis disp. 7. Phys. q. 8. art. 7. de effectibus causæ finalis, inter quos ipsam quoque recensemus intentionem, & amorem finis. Ad 3. paritas in hoc tantum admitti potest, quod objectum intentionis movet ad objectum electionis, sicut assensus principii ad assensum conclusionis, in cæteris admittenda non est, alioquin electio foret necessaria, sicut assensus conclusionis, ut Doct. advertit 1. d. 1. q. 3. & quol. 16. & aiibi frequenter. Nec obstat media habere propriam bonitatem, ut conclusio veritatem, quia magnum adhuc inde restat discrimen ex dictis q. 5. n. 109. Ad 4. ait Bassol. si eodem actu finis appetatur, & medium, æque intense unum appeti, sicut alterum, licet actus magis denominetur intensus in ordine ad objectum primarium, ut est finis, quam secundarium; quod declarat exemplo de Deo unico actu seipsum diligente, & creaturam, non tamen summe creaturam, licet summe seipsum. Ad quintum concludit de intentione accepta prout est simplex complacentia finis, ut est in se quoddam bonum amabile absolute, quo sensu concedimus esse actum realiter ab electione distinctum.

183 Ad 6. in eo casu utrumque malum est tam intentio, quam electio, quia ut dicunt Morales, intentio mala vitiat electionem bonam ex genere suo. Ad 7. verum est actum electionis semper esse dependentem, & relatum, non tamem semper opus est, quod referatur, & dependeat ab actu intentionis, sed sufficit, quod immediate dependeat ab ipsa bonitate finis, & ad ipsam referatur. Ad 8. apud eos; qui mediis nullam tribuunt intrinsecam, & formalem bonitatem præter bonitatem finis, argumentum nihil faceffit negotii, negant siquidem assumptum, & dicunt finem tantummodo esse objectum formale, & motivum, media vero esse dumtaxat materiale, & terminativum, at apud nos tribuentes mediis propriam, ac intrinsecam bonitatem ex dictis supra q. 5. n. 107. majus robur habere videtur; qua de causa Vulp. cit. tenet intentionem, & electionem esse actus specie diversos ob diversa objecta formalia, nihilominus adhuc negant Bassol. finem, & media esse proprie diversa objecta formalia, quia licet utrumque propriam, ac intrinsecam bonitatem habeat in suo ordine, adhuc tamen solus finis est objectum primarium, & medium dumtaxat secundarium, quia bouiras hujus est omnino subordinata bonitati illius, & sine motione finis impossibile est, quod possit in nobis amorem sui excitare, objectum autem secundarium sufficiens non est ad actus specificandos, sed hoc est primarii munus ex dictis disp. 2. q. 4. quod proinde proprie dicitur formale, & motivum, alterum vero materiale, ac terminativum. Ex quo sequitur, quando intentio, & electio sunt actus realiter distincti, adhuc censeri debere ejusdem speciei, quia idem est objectum formale utriusque, nempe finis, hoc enim primo, & principaliter est objectum motivum ad operandum, medium vero, aut omnino non movet quantum est ex se, aut non nisi secundario, & dependenter a bonitate finis, hoc tamen intelligi debet de intentione, & electione in esse naturæ, quia in esse moris quandoq; sunt diversæ speciei, nam homicidium volitum propter adulterium non est ejusdem speciei cum ipso. Posset etiam quis dicere intentionem, & electionem, cum diversos actus important, esse diversæ speciei, quia tunc electio directe attingit medium, & veluti primario, licet cum subordinatione ad finem, quem respicit indirecte, & secundario, atq; ideo a medio specificari posse videtur; at cum est unus, & idem actus, directe, & primario finem attingit, medium autem non nisi indirecte, & secundario, atque ideo in ratione electionis ab eo specificari nequit, unde ex diverso modo respiciendi medium, quando est unus, & idem actus, cum intentione, aut ab eo distinctus, provenit, quod electio specie distinguatur, vel non, ab intentione: ex his duobus dictis, quod magis placet, accipe, licet, primum dictum probabilius putemus. D. Aug. auctoritas exponi debet, quod de intentione loquatur, ut respicit finem per media indeterminata acquirendum, quæ utique distinguitur ab electione, per quam postea volumus media determinata pro finis consecutione, ut supra declaravimus.

184 Arguitur deinde contra alteram conclusionis pariem, probando scilicet intentionem, & electionem semper eundem actum importare, quia finis dicit ordinem ad media, ergo non potest quis velle finem, quin velit media, atque ita idem erit actus intentionis, & electionis. Confir. quia quoties media appetuntur propter finem, ipse finis est ratio appetendi media, sed non potest aliquid appeti propter aliud, tanquam propter rationem, nisi simul eodem actu appetatur id, quod est ratio, ergo &c. Demum cum quis de inimico vindictam exoptat, eodem actu fertur in vindictam, & in inimicum, sicut cum amico bonum desiderat, eodem actu fertur in bonum, & ipsum amicum, ergo eadem ratione cum quis diligit media propter finem, eodem actu fertur in media, & in finem.

Resp. quod licet nequeat quis velle finem, nisi eodem actu velit media, vel virtualiter, vel formaliter indeterminate, bene tamen potest velle finem, quin velit media determinate accepta, & intentio separari potest a tali electione. Ad Confir. minor non est universaliter vera, nam assentimur conclusioni propter præmissas, & tamen diversus est assensus conclusionis, & præmissarum. Ad ult. negat Vasquez paritatem, quia nequeunt unquam separari amor concupiscentiæ, & amicitiæ, bene tamen intentio, & electio, & hinc arguimus intentionem, & electionem non indispensabiliter importare unum, & eundem actum, bene tamen amicitiam, & concupiscentiam eundem actum præferre duos respectus fundantem, alterum ad bonum *cui*, ratione cujus est amor amicitiæ, alterum ad bonum *quod*, ratione cujus dicitur amor concupiscentiæ; quod satis consonat dictis a nobis disp. 7. Phys. q. 8. de fine *cujus gratia*, & *cui*, ex quibus dicebamus constitui, & integrari velut unum objectum formale ejusdem actus; Posset etiam dici assumptum non esse universaliter verum, & quod interdum amor amicitiæ separari potest ab amore concupiscentiæ, licet non e contra, & ita evenit, cum aliquod objectum amamus præcise, quia in se bonum est, & honestum, v. g. Deum, præscindendo ab hoc, quod illum velimus, ut nobis delectabilem, aut illi cupiamus aliquod bonum, esto Vasq. cit. dicat hoc nullatenus fieri posse.

Quæres, an electio sit actus in se formaliter liber, & ratio dubitandi est, quia stante, & durante efficaci intentione voluntas determinata manet ad prosecutionem finis, & electionem mediorum, quare non videtur in se libera. Dicendum est omnem electionem esse in se simpliciter liberam, & non tantum in causa; ratio est, quia sub omni fere intentione manet aliquo modo voluntas indeterminata in eligendo, vel quoad specificationem, ut cum plura supperunt media pro finis consecutione, vel saltem quoad exercitium, si scilicet unum dumtaxat extat medium; cæterum in intentione non certum sibi præfigit tempus, quo velit finem consequi; imo interdum indeterminata manet quoad utrumque, quando nimirum sunt plura media, neque voluntas in intentione certum sibi præscribit tempus consequendi finem; si vero casus ferat voluntatem determinari ad electionem quoad utrumque, quod tunc contingit, cum utrumque illorum concurrit, cum nimirum unum dumtaxat extat medium ad finem consequendum v. g. navigatio, ut eas in insulam, & certum tempus itineris sit jam in intentione præfixum, tunc utique major quædam necessitas, & determinatio in electione reperitur, non tamen talis, quæ libertatem tollat, quia taiis necessitas est ex suppositione solum, & non quidem ex suppositione antecedenti, quæ nimirum non est amplius in voluntatis potestate, quia talis necessitas non reliquit opus re vera in se liberum sed tantum in causa, ut constat de homicidio in ebrietate commisso, quod non est in se liberum, sed tantum in causa, & de concoctione cibi, quæ est in se necessaria, licet comestio prævia fuerit libera; sed est ex suppositione (ut ajunt) concomitanti, vel consequenti, quæ nimirum est in potestate voluntatis, ut tollatur, quia posita intentione finis ante instans electionis, vel executionis semper manet in potestate voluntatis tollere illam intentionem, & reddere inefficacem, & consequenter in manu voluntatis est non eligere; ex eo quod manet in ejus non potestate amplius intendere; ex quo constat semper, & in omni casu actum electionis esse in se & formaliter liberum, & non tantum in causa.

ARTICULUS II.

De Imperio.

185 De actu imperii multas solent texere quæstiones Thomistæ præsertim; nobis in præsenti sufficiet pro ejus explicatione quatuor dubia resolvere, ex quorum discussione, quis, & qualis actus sit imperium, liquido constabit.

Primum Dubium est, an imperium sit actus intellectus, vel voluntatis; pro intellectu stat D. Tho. p. 2. q. 17. art. 1. cum suis Cajet. Medin. & ex recentioribus Vasq. disp. 49. Lorca disp. 22. Montesin. disp. 21. q. 1. & 2. & quidam alii. Scotus e contra cum suis stat pro voluntate, eique imperium defert 2. d. 6. q. 1. & d. 38. & 3. d. 36. art. 2. & quol. 17. art. 2. sed clarissime in 4. d. 14. q. 2. art. 1. & d. 49. q. 4. §. *tertium medium*, junguntur Doct. Henric. quol. 9. q. 6. S. Bon. 3. d. 17. art. 1. q. 1. Durand. 2. d. 34. q. 2. Major. 3. d. 33. q. 7. Scotistæ omnes circa loca præallegata, Faber disp. 9. de pœnit. cap. 9. Vulp. tom. 2. part. 2. disp. 68. & alii Recentiores. Sed bene P. Faber cit. adnotavit hanc esse quæstionem potius de nomine, quam de re, nam quantum ad rem spectat, concedunt omnes voluntatem, & suos actus, & aliarum potentiarum decernere, ac determinate, concedunt item intellectum per modum judicii, & consilii dirigere voluntatem, & ejus actus, hinc autem emergit quæstio de nomine, num scilicet hæc vox imperium potius significet actum voluntatis, quod decernit, & determinat, an potius actum intellectus, quo præcipit, dictat, & suadet. Et quidem si vocabuli proprietatem spectemus, magis proprie convenire imperium videtur actui voluntatis, quam actui intellectus. Hoc probat Faber cit. pluribus, & evidentibus PP. authoritatibus, ex quibus notare sat erit unam, vel alteram D. Aug. qui 8. de Civit. Dei cap. 9. docet voluntatem imperare in regno animæ, & lib. 19. cap. 14. ait voluntatem uti omnibus aliis potentiis, usus autem activus imperium significare videtur; concinit Augustino D. Ansel. de Conc. Virg. cap. 4. dum ait, voluntatem movere se contra judicium aliarum potentiarum, quia omnes alias movet secundum imperium suum.

186 Probatur etiam ratione hic loquendi modus, illi potentiæ convenit imperium, cui adscribitur dominium, quia imperium, & dominium idem esse videntur, sed dominari inter omnes animæ potentias convenit voluntati, ipsa enim nedum super actus suos dominium habet, sed super actus aliarum potentiarum, quia ipsa sola est active indifferens per essentiam, ergo &c. Confir. quia imperium efficax significat actum illum, quo posito tam voluntas, quam cæteræ potentiæ non possunt non exercere actum imperatum, sed nullus actus intellectus est hujusmodi, ut constat ex dictis q. 3. art. 3. ergo &c. Rursus illa potentia imperat, cui a cæteris obeditur, sed voluntati cæteræ potentiæ obedientiam præstant, non intellectui, ergo &c. Insuper actus imperii debet habere vim obligandi ad exequenda mandata, sed nullus actus intellectus præcilo voluntatis actu habet talem vim obligativam, ergo &c. major patet, quia ablata ab imperio ratione præcepti, & obligationis, non amplius imperium erit, cujus munus est præcipere, & obligare, min. prob. quia non est intellectus superioris qui obligat subditum, sed sola ejus voluntas subdito intimata, & insinuata per intellectum; Præterea imperium ex vi nominis significat decretum, cui inferior parere tenetur, sed decretum est actus solius voluntatis, ipsa enim est, quæ primo movet, & determinat alias potentias ad operandum, ergo &c. Tandem ille actus dicitur imperium, a quo cæteri actus denominantur imperati, sed tales dicuntur ab actu voluntatis, ergo &c.

187 Resp. Thomistæ, quod esto voluntas imperet aliis potentiis, & ipsi quoque intellectui, quatenus eas applicat ad opus, hæc tamen applicatio dici nequit imperium proprie loquendo, quia non eas applicat intimando, & insinuando, ac regendo, sed solum movendo quoad exercitium, quod non sufficit ad imperium, alioquin, inquit Vasq. in appetitu animalis daretur imperium, cum ad ejus nutum moverur facultas motrix, & Angelus, cum movet lapidem diceretur lapidi imperare, & lapidem obedire, cum ergo ad imperium præcipue requiratur intimatio, & insinuatio, quæ proprie ad intellectum pertiner, concludunt imperium esse potius actum intellectus, quam voluntatis. Hæc solutio multa falsa continet, & præcipue falsum est *id*, cui maxime innititur, quod nempe intimatio, & insinuatio voluntatis superioris inferiori constituat formaliter actum imperii, nam si imperare formaliter esset intimare, & insinuare voluntatem superioris inferiori, præco legem denuncians vere imperaret, & non legislator; aliud ergo est legem non obligare, nisi media intimatione, & insinuatione, & aliud est, legem esse ipsam promulgationem, & insinuationem, primum est verum, sed hoc secundum est omnino falsum, ex eo enim ad summum deducitur, quod intimatio sit conditio, sine qua lex non obligat, quatenus est introductio legis, & propositio imperii a legislatore facti. Accedit, quod licet imperium unius suppositi respectu alterius non obliget, nec moveat illud ad executionem, nisi media intimatione, & insinuatione, tamen ad imperium potentiæ superioris respectu inferioris in eodem suppposito hoc non requiritur, nam posito imperio voluntatis cæteræ inferiores potentiæ ex quadam sympathia statim obediunt, & exequuntur actum imperatum, itaut omnis alius actus, vel motus sit superfluus, ut mox dicemus. Neque ex hoc illata a Vasq. absurda sequuntur, nam appetitus sensitivus non se movet, sed movetur ab appetibili, atque ideo non ex dominio movet facultatem motricem in brutis, sed hæc impellitur ab eodem appetibili mediante passivo impetu ipsius appetitus sensitivi, neque cum Angelus lapidem movet, dicitur lapidi imperare, ut lapis ei obedire, quia ut diximus, ut unum suppositum alteri imperare dicatur, requiritur intimatio, & insinuatio decreti, quæ solum fieri potest creaturæ rationali. Ratio autem, cur ut unum suppositum alteri imperare dicatur, requiritur intimatio, & insinuatio decreti; non autem una potentia alteri imperet in eodem suppposito, est, quia cum intimatio prædicta non nisi ad creaturam rationis capacem proprie dirigatur, tunc sequeretur nulli potentiæ imperari posse, nisi intellectui, quod est evidenter falsum, quia actus aliarum potentiarum, quæ non sunt rationis capaces, nullo modo forent morales; tum quia cum omnes illæ potentiæ ejusdem suppositi in una, & eadem natura radicentur, non est opus tali intimatione, sed sufficit actus ipse efficax voluntatis, quo immediate ad operandum applicantur, & cientur.

188 In oppositum arguitur, quod imperium sit actus intellectus nam Ar. 1. Ethic. cap. ult. ait, quod ratio præcipit, & appetitus obtemperat, & comparat rationem pedagogo, & appetitum puero; & idem habet 3. de An. 46. & p. Pol. 3. & 6. Eth. a cap. 8. docet ad prudentiam pertinere actus virtutum præcipere, certum est autem prudentiam ad intellectum pertinere, non ad voluntatem, & Proverb. 8. facer codex favere videtur, ubi sapientia, quæ est habitus intellectus, *per me Reges regnant*, *per me Principes imperant*, &c. Tum 2. præcipuus actus legis est dirigere, & præcipere actus virtutum, sed lex ad intellectum pertinet, nam Prov. 6. dicitur: *lucerna mandatum est*, *& lex lux*, lux autem ad intellectum pertinet. Tum 3. imperare est intimare voluntatem superioris inferiori, ergo ad intellectum spectat, quia hæc intimatio est notificatio, quæ est actus intellectus; probatur assumptum, quia imperium semper dirigitur ad aliquem rationis capacem, qui possit percipere id, quod imperatur, & jubetur, & obedire. Tum 4. oratio formaliter est actus intellectus, cum sit expressio, & notificatio ejus, quod desideramus, ergo, & imperium, nam hæc duo sibi invicem correspondent, quod utrumque est expressio voluntatis, & desiderii, & solum in hoc differunt, quod oratio est expressio voluntatis inferioris suo superiori, imperium e contra. Tum 5. quia ordinare est actus intellectus, sed imperium in ordinatione consistit, unde decreta, & leges superiorum ordinationes dicuntur, ergo &c. Tum tandem quia actus *imperii* explicatur per hæc verba *fac hoc*, sed ista est ultima conclusio syllogismi practici, qua voluntas immediate movetur ad opus, ergo &c.

189 Resp. Arist. ibi per appetitum accipere appetitum sensitivum non rationalem, & per rationem totam naturam rationalem,

dem, quatenus complectitur partem intellectivam, & volitivam, cui subditur sensitiva, ita significat Doct. 3. d. 33. A. vel per imperium intelligit judicium practicum, quod potest dici imperium morale, quatenus se habet per modum regulæ, & dictaminis ad recte agendum, non tamen dici potest *imperium* physicum cum reali dominio, quod est proprie imperium, quia Ar. ibid. inquit stante tali imperio intellectus non necessario sequi actum imperatum, signum evidens, quod non est proprie imperium. Ad locum ex 6. Ethic. & 8. Proverb. prudentia, & sapientia præcipere, & imperare dicuntur directive, moraliter, & ostensive, non formaliter, physice, & denominative, quia posito judicio, & imperio utriusque potest voluntas imperare oppositum. Ad 2. lex per modum utriusque potest voluntas imperare oppositum. Ad 2. lex per modum regulæ ad intellectum pertinet, per modum imperii ad voluntatem, unde lex quoad substantiam actus formaliter ad voluntatem pertinet, cum non sit nisi decretum, & statutum per voluntatem superioris sancitum, dici tamen potest pertinere antecedenter ad intellectum, quatenus lex, & decretum voluntatis ex ejus præcedenti dictamine fertur, ac etiam concomitanter, quia ut subditum obliget, requiritur intimatio, & notificatio. Ad 3. neg. assumptum, si accipiatur in sensu formali, alioquin, ut diximus, præco legem denuncians imperaret, non legislator, ad probationem si intelligit potentiam, cui imperatur, debere esse rationis capacem, falsa est, nam sequeretur nulli potentiæ imperare posse, nisi intellectui; si vero intelligit suppositum, vel naturam, cui imperatur, debere esse rationalem, vera est, sed inde nihil contra nos deducitur. Ad 4. neg. etiam assumptum in sensu formali; oratio enim formaliter est petitio, & desiderium, atque ita est actus voluntaris, illius enim est petere, cujus est gratias agere, quod attinet ad *voluntatem*, & illa expressio, & notificatio, non nisi concomitanter ad orationem spectat. Ad 5. vis argumenti in æquivocatione consistit, si per ordinate intelligas decernere, ut vulgo sumitur, cum superiores aliquid ordinare dicuntur, spectat ad voluntatem; si per ordinare intelligas regulare, & dirigere, spectat ad intellectum, dum sit actus prudentiæ; si tandem per ordinare intelligas unum ad aliud referre, utrique facultati communè est, cum utraque sit potentia collativa. Ad ult. neg. min. quia conclusio syllogismi practici non explicatur per hæc verba, *fac hoc*, quod dominium & imperium physicum sapit, sed tantum per ista, *faciendum est hoc*, ut notat Doct. 2. d. 6. q. 1. ad 1. quod *non* sapit, nec exprimit, nisi imperium morale, quia stante ipso potest voluntas oppositum imperare, ut dictum est supra q. 3. art. 1.

190 2. *Dubium* est, an *imperium* sit actus distinctus ab intentione, & electione. D. Thom. p. 2. q. 17. art. 3. cum suis imperium illud, quod voluntati tribuit, videtur ponere actum distinctum ab *intentione*, & electione; Veritas est ab electione non distingui, quod ita probatur eo ipso, quod voluntas eligit medium, inferiores potentiæ se applicant ad executionem: v. g. si ad satisfaciendum pro peccatis eligit genuflexionem, & flagellationem, &c. statim sine ulteriori imperio potentia motiva exequitur, neque opus est voluntatem dicere *volo*, *mando*, *ut facias*, neque intellectum dicere, *fac hoc*, ut optime adnotavit Almain. & Major. cit. & eadem ratione non est opus actibus, qui ab aliis dicuntur usus, & consensus, sed sunt superflui, ut alii quamplares, quos in hac materia frustra multiplicant Thomistæ, ad duodecim usque, qui *interveniant* a prima objecti propositione usque ad executionem, nam sufficiunt sequentes, primo apprehensio, & notitia finis; secundo ejus intentio, vel propositum; tertio propositio, & notitia mediorum; quarto electio, & tandem executio per actus aliarum potentiarum. Dices, post judicium rationis circa media voluntas eligit, & facta electione potius istius, quam illius, imperat aliis potentiis executionem, & inquisitionem talis medii, ergo imperium sequitur electionem. Negat. assumptum quoad ultimam partem, nam facta electione ex efficaci finis intentione procedente statim sine alio imperio potentiæ excitantur ad executionem.

191 Tertium Dubium est, quænam potentiæ huic voluntatis imperio subdantur, seu quarum potentiarum actus jubere possit; & dicimus voluntatis imperium ad omnes hominis potentias se extendere, vel per se, & proxime, vel per accidens, & remote quod probatur discurrendo per singulas: in primis enim potest suos actus sibimet imperare, ut docet Scot. 4. d. 14. q. 2. art. 1. licet videatur Vasq. p. 2. disp. 51. c. 5. id inficiari, quod evidenter ostenditur, quia voluntas est potentia reflexiva, cum sit immaterialis, ergo potest efficaciter velle se habere talem, & talem actum, prob. cons. nam si potest velle efficaciter, & imperare actum externum aliarum potentiarum, quia est in ejus potestate, ut omnes concedunt, ergo multo magis suum actum internum, cum magis sit in sua potestate; tum quia ut docet Doct. cit. ex motivo charitatis potest quis velle, & habere actum pœnitentiæ, aut religionis, ergo potest voluntas efficaciter imperare suos actus internos; tum tandem quia, ut experientia docet, per actum efficacem finis imperat sibi electionem mediorum ad consequendum finem. Dices, ergo actus imperatus voluntatis non erit liber. Negat. conseq. nam absolute, & simpliciter est liber, & solum ex suppositione necessarius, nimirum ex suppositione actus imperantis, qui immediate est in voluntatis potestate, ita significat Doct. 2. d. 42. quol. 18.

Secundo potest imperare intellectui, saltem quoad exercitium ratione apprehensionis, & judicii, ita Doct. q. 4. prolog. art. 1. & 2. d. 42. F. & 4. d 49. q. 4. M. & probatur, quia etiam in cogitatione potest esse peccatum, ergo actus intellectus liberi esse possunt, non elicitive, quia intellectus non est potentia libera, ergo imperative. Dices, ergo voluntas fertur in incognitum, quia illius objecti, cujus modo v. g. contemplationem imperat, nulla notitia præcedebat. Negat. Doct. conseq. in 2. loc. cit. quia intellectus semper habet aliqualem remissam, & confusam cognitionem illorum objectorum, quorum contemplatio a voluntate imperatur, ut ibi aliquas propositiones satis erudite declarat.

192 Tertio potest imperare appetitui sensitivo, ita Doct. loc. cit. ubi proinde inquit, etiam *in* appetitu sensitivo esse posse peccatum, & experimento probatur; nam imperat concupiscibili, & irascibili excitando ad irascendum, tristandum, appetendum, &c. notat autem Arist. 1. Polit. 3. & 1. Ethic. 13. voluntatem imperare appetitui sensitivo imperio politico, & civili, idest suaviter consulendo, & attrahendo, sicut Rex gubernat cives, qui tamen rebellare possunt; Insuper notat Doct. q. 4. prolog. art. 1. actus sensitivos posse dupliciter considerari, vel ut naturaliter priores intellectione, quomodo primo excitantur a solis objectis præsentibus, & sunt nobis communes cum brutis, & hoc modo inquit non cadere sub imperio voluntatis: alio modo, ut *sunt* posteriores intellectione, nimirum quando ipsorum jam præteritorum in nobis remanet memoria, vel quando insunt, tamdiu durant, donec intellectus, & voluntas circa eorundem objecta versentur, & hoc modo sub voluntatis imperio contineri possunt. Dices, appetitum sensitivum esse nobis communem cum brutis, atque ideo omnimodæ libertatis incapacem. Resp. Doct. cit. appetitum sensitivum, in quo convenimus cum brutis in nobis esse liberum per participationem, quatenus subest nostræ voluntati, cui unitur suppositaliter, & radicatur in eadem natura cum ipsa; vide disp. 5. n. 320. & seq.

Quarto *per se etiam*, & *proxime* imperat potentiæ loco motivæ, illi nimirum potentiæ, quæ voluntarios motus exercet, qualis est potentia progressiva, & membrorum inflexiva, alioqui datur motus aliquis naturalis, ut pulmonis, cordis, & arteriarum, qui ob peculiarem rationem imperio voluntatis non subduntur, notat autem Arist. cit. 1. Polit. cap. 3. & cum eo Doct. 2. d. 42. §. *ad quæst.* 2. voluntatem imperare præfatæ potentiæ motivæ principatu despotico, quomodo dominus regit servos, qui *necessitate* non voluntate obediunt, sunt tamen quædam corporis partes, quæ ex forti imaginatione contra voluntatis imperium moventur, de quo D. Thom. p. 2. q. 17. art. 9. & hoc totum experientia ipsa constat; ex quo etiam sequitur operationes potentiarum sensitivarum ex ea parte, qua pendent a potentia motiva in earum exercitio, despotice imperari a voluntate, ut visio, inquantum pendet a motu palpebrarum. Dices, cur voluntas despotice imperat uni potentiæ, & non alteri? Resp. a posteriori assignari experientiam ipsam, a priori nonnisi naturam ipsarum, quia hæc est talis naturæ, & illa talis; vide disp. 5. n. 344.

193 Quinto tandem licet directe, & per se nequeat imperare potentiæ vegetativæ, potest tamen indirecte, & per accidens, & dispositive quoad applicationem activi cum passivo, ut notat Doctor cit. 2. d. 42. §. *ad quæst.* 3. ratio est, quia nequeunt exerceri operationes vegetativæ, ut generatio, & nutritio, nisi medio motu, per quem applicantur activa passivis, sed motus est in potestate voluntatis, ergo ratione motus possunt imperari. Dices, cur hujusmodi operationes nequeunt directe imperari? Respond. quia fiunt a *potentiis* naturalibus, & *omnino* necessariis, & quæ positis omnibus requisitis non possunt non operari, qua etiam de causa oculus si maneat apertus, & habeat objectum præsens sublato *omni impedimento* non potest illud non videre, quantumvis voluntas nolit; hinc concludit Arist. 1. Ethic. 13. potentias vegetativas simpliciter non obedire rationi, sed tantum secundum quid. Dices Scotum loc. cit. R. asserere potentias sensitivam, & vegetativam posse directe subjici voluntatis imperio, & non tantum ratione potentiæ *motivæ*. Respond. quamvis multi ita Doctorem intelligant, ut Vasq. p. 2. disp. 34. cap. 1. tamen cum indefinite loquatur ibi de potentiis sensitivis, & vegetativis, satius est Doctorem explicare de solis sensitivis, nam utique istæ alio modo subjici possunt imperio voluntatis, quam per potentiam motivam, & q. 4. prolog. ar. p. illud expresse negat de actibus potentiæ vegetativæ.

194 Quartum, & ultimum dubium ad hunc articulum de imperio voluntatis spectans est, quo pacto, vel qua virtute voluntas moveat potentias sibi subditas ad operandum; num scilicet imprimendo quidpiam reale in illas vel alio modo; Thomistæ, quibus motiones præviæ, ac prædeterminationes sunt valde vernaculæ, inquiunt, voluntatem movere potentias inferiores, easque applicare ad operandum imprimendo aliquid reale physicum in ipsis, puta qualitatem aliquam per modum transeuntis, in cujus virtute potentia inferior manet dispósita, & applicata ad operandum; ita Cajet. 2. 2. q. 13. ar. 8. Ledesm. lib. de aux. q. un. art. 3. Martinez q. 9. ar. 1. dub. 3. Joan. de S. Thom. 3. de an. q. 12. art. 6. qui alios citant. Alii e contra negant necessariam esse talem motionem physicam, & realem impressionem a potentia movente in motam, & dicunt sufficere radicationem, & conjunctionem in eadem anima, ratione cujus per naturalem sympathiam una potentia operante, vel appetente, alia ei subordinata operatur, & exequitur, ita Vasq. p. 2 disp. 34. cap. 3. Montesin. p. 2. q. 9. art. 1. q. 4. Navaret. 2. tom. in 1. p. qu. 14. art. 8. controv. 1. Torres tom. 1. de Relig. qu. 81. art. 7. disp. 3. & est communis inter Recentiores, quæ dicitur *fuisse* sententia Scoti 2. d. 42. §. *respondeo ergo*; propos. 3. Alii tandem quasi mediant inter prædictas opiniones, ajunt enim superfluam esse motionem illam physicam factam a potentia superiori in inferiorem, sed addunt neque sufficere præallegatam sympathiam solitarie sumptam, quare concludunt admitti debere concursum simultaneum voluntatis cum aliis potentiis, ita quod ex voluntate, & potentia inferiori

feriori fit quasi una integra causa, quæ operatur illum effectum; ita Conimbr. in lib. Eth. disp. 4. q. 3. art. 1. & de an. cap. 13. p. 5. art. 3. quamvis 7. Phys. cap. 2. q. 1. art. 7. fecundam opinionem reputent probabilem, & hoc ipsum tenet Hiribar. tract. de actibus humanis disp. 6. sect. 2.

195 Dicendum est pro *solutione dubii*; potentias inferiores operari ad nutum voluntatis, cui subduntur, & ad operationem applicari, vel ex vi naturalis sympathiæ, quatenus in eadem anima, & natura sunt cum ea radicatæ, & colligatæ, vel ad summum ex vi simultanei concursus voluntatis ad earum operationes, nequaquam tamen ex vi præviæ motionis, & prædeterminationis physicæ positæ a Thomistis. Concl. tres habet partes, & ut exordiamur ab ultima ordine retrogrado, probatur contra Thomistas voluntatem non movere alias potentias aliquid reale imprimendo in illas, & probatio ex eorum principiis deducitur, nam secundum ipsos ista motio physica prævia in causa inferiori sic mota a superiori oritur ex subordinatione essentiali ejus ad illam, & hæc subordinatio tanta est, ut causa inferior effectum attingere nequeat sine motione facta a superiori, unde talem motionem prævium solent ponere in causis secundis, dum a prima moventur ad operandum, & in causa instrumentali, dum *movetur* a principali; sed sic est quod potentiæ voluntatis imperio subjectæ non sunt ei essentialiter subordinatæ in tali gradu, quo causa secunda primæ, & instrumentalis principali subordinantur, quia attingere possunt se solis effectum suum sine motione voluntatis, ut intellectiva intellectionem, & visiva visionem, quod nequit causa secunda sine prima, nec instrumentalis sine principali, ergo ex rarione subordinationis non indigent potentiæ inferiores motione physica voluntatis, ex vi cujus applicentur ad *operationem*; & certe hanc rationem nequeunt diffimulare Thomistæ, quia motio in causis subordinatis proportionari debet earum subordinationi, si ergo non est tanta subordinatio potentiarum inferiorum ad voluntatem, quanta est causæ secundæ ad primam, & instrumentalis ad principalem, & consequenter neque tanta *motio* in ipsis poni debebit, quæ sit per impressionem alicujus qualitatis transeuntis in potentia mota.

196 Accedit, quod talis qualitas impressa a voluntate in potentiam inferiorem, dum eam ad operandum applicat, deberet esse corporea, & materialis, dum potentia mota est materialis, & corporea, quia qualitas spiritualis in subjecto corporeo recipi nequit, sed voluntas, cum sit potentia spiritualis, non nisi spiritualem effectum producere potest, & non qualitatem omnino materialem, & corpoream. Tandem hæc qualitas impressa a voluntate in potentia inferiori ad nihil deservire videtur, vel enim ponitur ad complendam virtutem potentiæ inferioris ad suum effectum producendum, vel ut applicetur ad operandum ex vi motionis prævias; non primum, quia quælibet potentia antecedenter ad *motionem* voluntatis habet virtutem sufficientem, & completam ad suas operationes exercendas, ut intellectiva ad intelligendum, visiva ad videndum. Quod si dicas, cum actus hujusmodi exercentur ex imperio voluntatis exerceri modo quodam libero per participationem, unde ratione modi effectus ille expedit causam suam, quæ proinde *compleri* debet per qualitatem illam impressam, ut sit proportionata causa talis effectus. Hoc dicimus non esse necessarium, quia id in primis locum in brutis non habet, in quibus tamen facultates inferiores ab appetitu moventur; deinde nec etiam in rationalibus, quia libertas in actibus non dicit, nisi meram denominationem extrinsecam, & præsertim in actibus aliarum potentiarum a voluntate, quæ sufficienter habetur in ipsis eo ipso, quod aliquo modo a voluntate imperari dicuntur; tum quia talis qualitas movens esset forma naturalis, ergo non posset facere actum liberum, sed neque est necessaria hujusmodi impressa qualitas, ut facultas inferior ad operandum applicetur, quia talis facultas inferior quantum ad partialem animæ perfectionem, quam importat (loquendo de organicis) non distinguitur realiter ab ipsa voluntate, ergo talis physica motio necessaria non est pro tali applicatione habenda, sed sufficit identica earum colligatio in eadem natura, ut mox explicabimus.

197 Quod vero defendi possit, ut probabile, facultates inferiores a voluntate moveri ad operandum medio concursu simultaneo ejusdem ad earum operationes exercendas, insinuat Doct. loc. cit. d. 42. §. *ad argumenta*, ubi solvendo tertium post unam datam solutionem, inquit *aliter posset dici*, *quod voluntas habeat immediatam actionem super intellectum*, quod clarius habet 4. d. 49. q. 4. M. ubi ait, *& hoc modo voluntas imperans intellectui est causa superior respectu actus ejus*, & probatur, quia sic dicendo facile intelligitur, quomodo exerceatur hujusmodi imperium voluntatis in cæteras potentias, & hoc ipsum *insinuare* videtur nomen usus, quo solet explicari executio imperii voluntatis, quasi nimirum imperans utatur aliis potentiis, eisque coagens impellat eas hac ipsa actione ad operandum: neque difficile est concipere, quod volitio possit esse partialis causa intellectionis, si semel concedatur posse e contra intellectionem esse partialem causam volitionis, ut satis probabile esse ait Doct. cit. & nos cum ipso supra q. 6. art. 2. Difficile tamen est hoc asserere de voluntate in ordine ad alias potentias materiales, quia tunc poni deberet causa alicujus effectus materialis, sed sicut absurdum non est objectum materiale esse partialem causam intellectionis, quæ est spiritualis, ita e contra non videtur absurdum, potentiam immaterialem, ut est voluntas, posse esse partialem causam operationis materialis, dum cum facultate materiali imperando concurrit.

198 Verum, quia Doctor ipse loc. cit. 2. d. 42. ait esse difficile hoc defendere, præstat absolute asserere, ad hoc, ut aliæ potentiæ moveantur ex imperio voluntatis, nec motionem physicam esse necessariam, nec concursum simultaneum, sed sufficere radicationem, & conjunction*em* in eadem anima, ratione cujus per naturalem sympathiam ipsa efficaciter imperante applicantur immediate ad operan dum; ita Doct. ibidem significat, & probatur, quia in nostra sententia colligatio longe major intercedit inter potentias animæ ad invicem, & radicatio in tertio, quam in Thomistarum opinione; *illi fiquidem realiter animæ* potentias ab invicem distinguunt, ac ab anima ipsa, atq; ideo quasi accidentali nexu eas colliga re videntur, at secundum nos & inter se, & cum anima realiter identificantur, & adeo colligantur, & radicantur in anima; ut ip sa re vera dicatur principium *quod* omnium operationum viventis, & ipsæ solum rationes operandi, seu principia *quibus* ex disp. 3. q. 1. art. 2. ergo licet in Thomistarum opinione necessaria foret motio illa physica inferioris potentiæ a superiori, vel saltem concursus simultaneus *hujus* cum illa ad *ejus* operationem, ut eam movere, & determinare dicatur ad operandum medio imperio ob realem distinctionem, quam inter illas potentias ponunt, tamen apud nos illam absolute negantes, neq; illa motio physica est necessaria, neq; simultaneus ille concursus, sed sufficit radicatio, & identica conjunctio earum in anima, ratione cujus per naturalem sympathiam operante potentia superiori, etiam inferior, quæ illi subordinata manet, movetur ad operandum. Conf. ex Doct. ibid. lit. L. ex hac colligatione potentiarum animæ, & naturali sympathia adinvicem videmus, quod quando plures animæ potentiæ operantur circa idem objectum, ut sensus, & intellectus, una potentia aliam adjuvat, & uniuscujusque operatio intensior evadit absque eo, quod una potentia influat in actum alterius, vel *illam* physice præmoveat, ergo tanto magis hæc naturalis, & identica connexio potentiarum potest esse in causa, ut si una potentia iste alteri subordinatur, moveri possit ad operandum ex *hoc* solum, quod potentia superior, cui subordinatur, circa ejus objectum incipit operari, ut v. g. motiva facultas motum brachii exequatur, ex hoc solum quod voluntas talem motum efficaciter velit. Confir. tandem, quia ex hac solum naturali connexione, & quasi sympathia provenit modo, quod intellectus nequeat sine sensu operari, etiamsi fuerit specie intelligibili actuatus, & fœcundatus, ut omnes fere concedunt, juxta illud Ar. 3. de An. oportet intelligentem phantasmata speculari, & tamen intellectus tunc nihil influit in sensum, neque in actum ejus, sed sensus ex eo præcise ad operandum movetur, quia colligatus est cum intellectu in eadem anima, & pro hoc statu ei omnino subordinatus, ac ad ejus famulatum destinatus, ergo a pari, quia cæteræ potentiæ sunt imperio voluntatis subjectæ, & ad ejus famulatum *destinatæ*, *moveri poterunt ad executionem* imperii ob connexionem, quam habent cum ea in eadem natura ex hoc solum, quod voluntas circa objectum earum incipiat operari sine aliqua motione physica illarum, vel influxu in earum actus.

199. In oppositum arguunt Thomistæ, & præsertim Joan. de S. Thom. loc. cit. illa sympathia, & colligatio potentiarum neque immutat potentiam in inferiorem in se aliquid de novo illi addendo, & confortando ipsam, neque in sua radice, hoc est in ipsa natura; ergo *in* sola ejus virtute nequit a potentia superiori moveri ad operandum, sed semper otiosa manebit, nec unquam a superiori excitabitur ad operandum, cum ex vi talis connexionis nullam recipiat physicam mutationem, per quam aliter se habeat nunc, quam antea, quando non operabatur. Confir. quia perfectiorem, vel saltem *perfectiori modo actum elicit* inferior potentia, quando operatur, ut mota, & applicata a voluntate, quam si a se operaretur sine tali motione, ac subordinatione, ergo debet antecedenter ad talem actum physice immutari, & compleri, ut actus primus proportionatus evadat actui secundo, & effectui producendo. Conseq patet, quia potentia, quæ nec per se, nec in sua radice immutatur, non potest perfectiorem, & excellentiorem effectum elicere, quam ante, probat. assumptum, quia quando actus erit a potentia inferiori cum subordinatione ad voluntatem exit modo libero, saltem principative, & erit ordinatus ad finem altiorem, ad quem dirigitur ab ipsa voluntate. Conf. 2. quia illa sympathia, & colligatio potentiarum in eadem natura non est sufficiens ad terminanda m potentiam inferiorem magis modo, quam antea ad eliciendum voluntarie actus suos, & dirigendum ad talem finem potius, quam ad alium, siquidem unio illa potentiarum naturalis est, & eodem modo semper se habens, & perse verans, & communis, seu indifferens ad *omnes* animæ potentias, quæ sunt in anima, & ad actus earum; ex quo ergo principio determinatur talis potentia ad faciendum actum tali modo, & cum habitudine ad talem finem, & cum tali intensione, & impulsu, si operatio ipsa voluntatis nullo modo immutat inferiorem potentiam. Neq; dicas colligationem potentiarum ad positionem actus superioris potentiæ esse principium determinandi, & applicandi inferiorem; Nam cum ipsa unio, & colligatio communis, & indifferens sit ad *omnes* actus, & *potentias*, exstat de eadem difficultas, a quo principio determinetur, siquidem actus potentiæ superioris non ponit aliquid, nec determinat ipsam unionem, sicut neque potentiam. Denique *hæc* sympathia non potest intelligi sufficiens pro potentiis, quæ non dispotice serviunt voluntati, sed cum aliqua *resistentia*, ex sola enim colligatione, & conjunctione ad ipsam non flectuntur ejus imperio, sed resistere possunt, ergo indigent *motione* aliqua, & impressione vincente earum resistentiam, tum quia si illa colligatio sufficeret ad obedientiam *servilem*, jam voluntas omnibus potentiis dispotice imperaret, cum *omnes*, & singulæ ita sint invicem colligatæ in eadem anima, quod tamen est falsum, quia sensitivus appetitus *politice* obedit, non dispotice.

200 Resp. neg. conseq. nam colligatio illa potentiarum satis sufficiens principium est determinandi, & applicandi inferiorem potentiam ad suum actum eo ipso, quod potentia superior operatur circa idem objectum inferioris, quia actus inferioris potentiæ ad positionem actus potentiæ superioris concomitatur per modum naturalis sequelæ in tali connexione fundatæ. Ad 1. Conf. dicimus, potentiam inferiorem, dum operatur mota a superiori, non elicere perfectiorem actum quoad substantiam, sed tantum quoad modum quendam extrinsecum, nam libertas dicit denominationem prorsus extrinsecam in tali actu, ex hoc ipso, quod a voluntate imperatur, & etiam directio illa ad finem altiorem non excedit genus extrinsecæ denominationis, quæ etiam pertinet potius ad genus moris, quam ad esse naturæ; cui etiam accedit, quod dicebamus ex Scot. potentias invicem colligatas in eadem natura ita se habere, quod inferior elicere potest perfectiorem, & intensiorem actum ex sola assistentia, & operatione superioris circa idem objectum absque eo, quod superior physice imprimat aliquid in inferiorem, aut in ejus actum influat, sicut e contra remittit actum illius ex hoc ipso, quod circa alia objecta distrahatur, ut experientia constat. Ad 2. Confir. pariter dicimus talem colligationem esse sufficiens principium determinandi potentiam, eamque applicandi ad opus, posito actu superioris potentiæ, cui illa subordinatur; & quamvis illa connexio, & colligatio sit communis cæteris potentiis, tamen potius hanc potentiam ad operandum excitat, quam illam, quia voluntas circa objectum hujus potentiæ operatur & non illius, ut v.g. ex hoc, quod voluntas velit deambulationem, quamvis in eadem natura potentia motiva, & intellective inveniantur connexa, potius tamen ex positione talis actus excitatur potentia progressiva ad operandum, quam intellectiva, quia voluntas circa objectum potentiæ motivæ operatur, & non intellectivæ. Ad ult. rerorquemus argumentum, quia si voluntas moveret potentias inferiores imprimendo physicam qualitatem, dispotice omnibus imperaret, & semper quando vellet, appetitum sensitivum sibi subjiceret, & obedientem faceret imprimendo illi talem qualitatem, qualis sufficit ad superandam ejus resistentiam; ex hoc ergo quod videmus non omnes dispotice obedire, potius oppositum debemus colligere, non moveri nimirum inferiores potentias per impressionem physicæ qualitatis, sed ex naturali connexione potentiarum; quamvis autem hæc sit communis omnibus, & singulis potentiis, non tameu omnes facit æqualiter obedientes potentiæ superiori, quia hæc quoque major, vel minor facilitas obediendi potentiæ superiori oritur ex peculiari natura & conditione hujus, & illius potentiæ, & non ex naturali dumtaxat earum annexione, quia quantum est ex hac parte, utique omnes æqualiter obedirent voluntati, cum hæc connexio sit omnibus communiter in æquali necessitatis gradu.

201 Deinde arguit Vasq. contra secundam conclusionis partem, quam etiam astruimus probabilem, in inferioribus potentiis voluntati subjectis est integrum principium ad suas operationes producendas secundum omnem rationem, & formalitatem, quæ in eis intrinsece reperitur, ergo non influit voluntas ullo modo in actus earum influxu physico, probat. consequentia, quia quod integre sit ab una causa secunda, non potest saltem naturaliter simul fieri ab alia, quia supervacanea foret, & idem bis produceretur, probatur assumptum quia intellectus v.g. si fuerit objectum ei sufficienter præsens est sufficiens principium intellectionis. Resp. assumptum esse verum de effectu illarum potentiarum quoad substantiam, non tamen quantum ad modum, quia ut Doct. 4. d. 10. q. 2. lit. P. quando concurrunt duæ causæ ad aliquem effectum, quarum singulæ per se sumptæ sufficiunt ad illum ponendum, si simul concurrunt ad ejus productionem, neutra earum dicetur causa totalis, quia simul concurrentes producent illum effectum tali modo, quali neutra earum solitarie sumpta posset illum efficere, quia aut producent effectum intensiorem, vel si non suscipit magis, & minus, producent illum, aut in minori distantia, aut breviori tempore, &c. ex hoc colligitur nullius concursum esse supervacaneum ad effectum tali modo productum; sic igitur in proposito si ponamus voluntatem partialiter concurrere ad operationes inferiorum potentiarum, ejus concursus non erit supervacaneus, ut infert Vasq. quia motus v. g. a potentia motiva, intellectio ab intellectiva tali modo produceturi, quali non produceretur ab ipsis solitarie sumptis, nimirum intensior intellectio, celerior motus, &c. qua etiam ratione, etiamsi intellectus specie fœcundatus sit integrum intellectionis principium quantum ad omnem ejus formalitatem, non proinde negamus causalitatem habitui inhærenti intellectui; quia licet non concurrat ad simpliciter agendum, concurrit tamen ad sic agendum, & aliqua formalitas in effectu reperitur ei correspondens, quæ se tenet, si non ex parte substantiæ, saltem ex parte modi ipsius actus.

QUÆSTIO VIII.

An voluntas intellectui nobilitate præstet.

202 NEgat D. Thom. p. p. qu. 82. art. 3. & p. 2. qu. 3. art. 4. ubi omnes Thomistæ ejus expositores Capreol. p. d. p. qu. 2. & d. 3. qu. 3. art. 2. Hervæus quol. 8. qu. 9. Palud. 4. d. 49. qu. 3. Durand. qu. 4. Vener. 3. de Anim. text. 58. Conimbr. lib. 3. de An. cap. 13. qu. 2. Ruvius ibid. Complut. disp. ult. de An. qu. 4. Joan. de S. Thom. qu. 12. art. 5. Vasq. p. 2. disp. 11. cap. 8. Suarez lib. 5. de Anim. cap. 9. & alii quamplures. Affirmat Scotus e contra 4. d. 49. qu. 4. ubi omnes ejus interpretes Henric. quol. p. qu. 14. Albert. 1. d. 1. qu. 14. Ocham ibid. q. 2. Ægid. quol. 3. qu. 19. Alens. 3. p. qu. 80. memb. p. D. Bon. 4. d. 49. ubi Argen. Gabriel. Aureol. apud Capreol. qu. 1. Faber disp. 9. de pœnit. Cavell. disp. 3. de Anim. sect. 1. Bassol. 4. d. 49. quæst. 3. artic. 2. Toletan. 3. de An. qu. 3. Scaliger. exercit. 307. num. 26. & alii innumeri. Alii utramque harum opinionum probabilem censent, ut Major 4. d. 49. qu. 5. Navar. in manuali prælud 3. & Onuphrius tract. 2. de An. disp. 2. par. 5. qu. 1. Alii tandem mediant inter utramque, & dicunt esse potentias æquales, & unam alteri non præcellere, ita Aversa q. 58. cit. sect. 7. & quidem alii.

203 Dicendum est simpliciter, & absolute loquendo voluntatem præstare intellectui: quod probat Doctor loc. cit. ex multis capitibus retorquendo Adversariorum rationes; probatur itaque primo ex ratione, & conditione ipsius potentiæ, quia ut constat ex prædictis in superioribus inter omnes animæ potentias sola voluntas est potentia libera habens dominium sui actus, & non solum habet dominium supra suos actus, sed etiam super actus aliarum potentiarum, nam ut regina movet cæteras potentias ex Anselm. de concept. Virg. cap. 4. & ipsa sola potest dicere, sic volo, sic jubeo, unde Bernard. lib. de lib. arb. vocat rationem pedissequam. Nec valet, quod inquiunt Thomistæ, voluntatem suam agnoscere libertatem ab intellectu tanquam a radice. Hoc enim satis refutatum est qu. 3. hujus disp. art. 2. Nec rursus juvat, quod inquiunt etiam, intellectum movere voluntatem dirigendo, & regendo, & imperando, quod est perfectius motionis genus. Hoc enim potius est ministerii genus, quia intellectus per judicium practicum non imperat voluntati, sed deservit monendo, & referendo, sicut consiliarius Principi, unde potest voluntas illum avertere, & jubere, ut aliud consilium proponat; unde dicebamus quæst. præced. art. 2. imperium intellectus, quod in voluntatem exercet, non esse proprie imperium, quia non est physicum, & cum dominio, sed morale dumtaxat, & per modum consilii, & suasionis. Nec tandem satisfacit, quod inquiunt alii, quod licet voluntas sit primum movens in genere efficiendi, & applicandi alias potentias quoad exercitium, tamen in genere objectivo, & finali intellectus est primum movens, quia intellectus primo apprehendit objectum, & voluntas ex ejus apprehensione movetur, hoc autem genus motionis perfectius est illo, quia finis est prima causarum, & hæc causalitas ab intellectu exercetur, dum proponendo objectum movet, & allicit voluntatem. Non satisfacit, quia non est intellectus, nec intellectio, quæ voluntatem movet in genere causæ finalis, sed est objectum, & bonum per intellectum voluntati propositum, & intellectio se habet tantum per modum causæ applicantis, aut conditionis, ut constat ex superius dictis qu. 6. tum quia nec etiam omnino verum est quod assumitur, ut absolute certum, causam finalem, ejusque causalitatem esse cæteris perfectiorem, dicitur enim cæteris perfectior, non proprie, & in rigore, sed appropriate, eo quia causat & movet non mota, & quia est radix omnis actionis agentis, ut diximus disp. 7. Phys. qu. 8. art. 3. ad 2. princ. imo si penes majorem vel minorem influxum in effectum attendatur perfectio causæ, causa efficiens est omnium prima, & perfectissima, a qua proinde hac ratione sumpta est per antonomasiam denominatio effectus, & finis imperfectior cæteris, quia vere, & realiter non influit in effectum, sed tantum metaphorice, & moraliter, ut declaravimus disp. 8. Phys. q 1. art. 1.

204 2. Probatur ex perfectione actus, qui utique arguit perfectionem potentiæ, siquidem perfectior potentia perfectiorem elicit actum; actus voluntatis perfectior est actu intellectus, ergo &c. probatur assumptum, quia supremus actus voluntatis est actus charitatis, quo Deum amamus, supremus actus intellectus est ejus cognitio, at ille istum superat, quia ille magis unit Deo summo bono, cum actui amoris repugnet aversio ab eo, non autem ejus intellectioni; & oppositum illius longe pejus est oppositio istius, nam ei proponitur odium Dei, quod est pessimum, isti vero error, vel ignorantia circa ipsum Deum; & in actu amoris beatifici consistit nostra felicitas, quia per ipsum formaliter expellitur miseria, non autem per visionem; & per actum amoris satiatur, & quietatur beatus, non per visionem. Deinde quia excellentia amoris constituit supremum ordinem Angelorum, nempe Seraphim, non autem excellentia scientiæ, quæ constituit Cherubim. Tandem actus voluntaris absolute facit hominem bonum, non actus intellectus. Solet ad hoc passim a Thomistis reponderi, argumentum probare tantum eminentiam actuum voluntatis super actus intellectus in genere moris, non in genere rei, & in esse naturæ: in quo tantum sensu movetur hic quæstio de nobilitate intellectus, & voluntatis, & actuum eorum; inquiunt itaque quod si odium Dei consideretur in esse morali, ut importat peccatum specialis aversionis a Deo, utique pejus est, quam error, & ignorantia de ipso Deo, imo quam carentia claræ visionis ejus, quin etiam quodlibet peccatum veniale est majus malum ex hac parte, quam carentia visionis Dei, eo quia prædicta privatio secundum se sumpta non est peccatum; at si consideretur in esse physico, ut opponitur amori, non est pejus, sed pejor est privatio visionis Dei, cum hæc sit perpetua damnatio, & maximum malum damnatorum, quæ proinde appellatur pœna damni, & sic consequenter respondent ad alias prædicti argumenti confirmationes, quod actus voluntatis facit hominem bonum in genere moris, sed in genere naturæ majorem adferunt bonitatem actus intellectus. Hæc solutio frivola est, nam argumentum probat dignitatem, & eminentiam actuum voluntatis nedum in genere moris, sed etiam in genere naturæ, quia etiam in esse naturæ amor magis unit Deo amantem, quam cognitio, & visio videntem, nam actui amoris ejus directe & physice repugnat aversio ab eo, non autem cognitioni; ex quo sequitur odium Dei etiam in esse

esse naturæ pejus esse errore, & ignorantia circa Deum, imo & ipsa privatione visionis beatificæ, quia vere, & realiter magis avertit a Deo, quam ullus alius actus etiamsi actus odii esset necessarius, & non liber, quo casu utique moralis non esset; & privatio visionis privatione tantum hominem elongat a Deo, sed odium Dei positive, & contrarie, & falsum est privationem visionis Dei pœnam infligere damnatis ex rei natura, hoc enim est ex ordinatione divina, qua secluſa, talis privatio nullam pœnam damnatis afferret, sicut non eam affert nobis viatoribus, imo stante ordinatione divina non sola privatio visionis beatæ, sed etiam privatio beatæ fruitionis pœnam infert, & hæc etiam involvitur in pœna damni, imo formaliter loquendo hæc proprie pœnam damni constituit, sicut fruitio constituit felicitatem, vide Doctorem cit. 4. d. 49. qu. 4. lit. N.

205 Tertio probatur ex perfectione habitus, siquidem nobiliori potentiæ præstantior quoque solet concedi habitus, sed habitus voluntatis est charitas, quæ cæteris præcellit habitibus ex Apost. 1. Corinth. 13. *major horum est charitas*, ergo &c. Nec suffragatur, quod ajunt, Apostolum loqui pro statu viæ, quia pro statu patriæ lumen gloriæ perfectius est. Non valet, quia ex eisdem Apost. verbis ibidem colligitur, etiam in patria eandem retinere eminentiam, quam habet in via, dum inquit, *charitas nunquam excidit*, imo in patria crescit ejus excellentia, eum fiat consummata, tum quia Aug. 15. de Trin. cap. 19. ait in donis Dei nullum esse majus donum charitate, nec æquale, ubi universaliter loqui videtur de donis viæ, & patriæ: tum quia idem Apost. ad Ephes. 3. loquens de charitate Christi, qui nedum erat viator, sed etiam comprehensor, vocat *supereminentem scientiæ charitatem*; tum quia si perfectiorem habitum sibi vindicat in via, idem erit in patria, quia est ejusdem capacitatis hic, & ibi, inquit Doctor, unde si hic requirit habitum magis perfectum, quam intellectus, etiam & ibi.

206 Quarto tandem probatur ad hominem ex objecto utriusque potentiæ, nam objectum intellectus secundum Adversarios est verum voluntatis bonum, at ratio boni perfectior est ratione veri, cum perfectio entis per bonitatem explicetur, & non per veritatem, & unumquodque intantum sit bonum, inquantum est integrum, & perfectum, ergo &c. Nec valet, quod inquiunt, objectum intellectus perfectius esse objecto voluntatis, quia verum magis abstractum est, quam bonum, & abstractiori modo tendit intellectus in verum, quam voluntas in bonum, quoniam intellectus attingit objectum sub abstractione ab existentia, considerando scilicet nudam rei quidditatem, voluntas vero non nisi in rem, prout habet ordinem ad actualem existentiam, terminatur, nihil enim appetitur, nisi vel prout actu existit, vel extiturum est. Non valet, imo hæc doctrina, in qua Thomistæ fundant præcipuam suam opinionem, ex omni parte falsa deprehenditur; tum quia gratis assumunt, verum esse abstractius bono, nam utrumque sequitur ens in eadem abstractione, velut ejus propria passio, tum quia falsum est objectum magis abstractum ab existentia esse perfectius objecto minus abstracto ab ea, nam objectum cognitionis intuitivæ perfectius est objecto abstractivæ, cum illa cognitio a toto genere huic emineat, & tamen objectum intuitivæ cognitionis ab existentia non præscindit, sicut objectum abstractivæ, tum quia falsum est, voluntatem semper tendere in rem, prout ordinem habet ad actualem existentiam, quia voluntas quantum ad simplicem effectum potest etiam esse impossibilium, ut talia cognita, ex dictis supra, imo quoad hoc voluntas in sua operatione eodem modo se videtur habere sicut intellectus, nam sicut cognitio intuitiva dicitur esse rei præsentis, & existentis, ut existens est, abstractiva vero rei ab his conditionibus præscindentis, ac etiam rei absentis, ita in voluntate fruitio dicitur esse rei præsentis, & sequitur cognitionem intuitivam, desiderium dicitur esse rei absentis, & sequitur abstractivam, amor tandem absolute sumptus præscindit a præsentia, & absentia objecti, ut optime Scot. advertit loc. cit. 4. d. 49. q. 4. lit. O. tum tandem quia, ut notat Bargius 1. d. 1. q. 2. voluntas in sua operatione potest esse etiam magis abstractiva, quam intellectus, nam voluntas potest velle Episcopatum sine Sacerdotio, non tamen intellectus unum intelligere sine alia, & etiam potest frui uno relativo non fruendo correlativo, non tamen intellectus potest unum intelligere sine alio; Solent quidem Thomistæ dicere hujusmodi rationes probare dumtaxat voluntatem esse nobiliorem intellectu secundum quid, non vero simpliciter, & absolute; cæterum opus non est hanc solutionem ulterius infringere, quia rationes allatæ, si bene intelligantur, probant præeminentiam voluntaris supra intellectum simpliciter, & absolute; tum quia, & ipsi Thomistæ nec aliter, nec alio modo contra nos probare solent præeminentiam intellectus, quam ex prædictis capitibus, scilicet ex conditione, & natura potentiæ, ex perfectione actus, ex excellentia habitus, & ex majori nobilitate objecti, ut mox videbimus; & quidem si ex his capitibus non sufficienter arguitur perfectio, & excellentia alicujus potentiæ, non videmus, ex quo alio capite ostendi possit. Appositе autem diximus ultimam rationem ex objecti nobilitate deductam concludere ad hominem, quia simpliciter, & absolute loquendo non concludit, ut notat Doct. loc. cit. quia probabilius est nec verum sub ratione veri, esse objectum intellectus, nec bonum sub ratione boni voluntatis, sed utriusque esse ens sub ratione entis, ut constat ex dictis in superioribus.

207 In oppositum arguunt Thomistæ probando ex eisdem capitibus dignitatem intellectus supra voluntatem; itaque urgent nam inter animæ facultates illa est excellentior, quæ prius natura fluit ab ejus essentia, & est illi propinquior, nam quod magis accedit ad maxime tale est magis tale, sed intellectus primus natura fluit ab essentia animæ, quam voluntas, estque illi propinquior, ergo &c. Tum 2. quia dignitas hominis potissime ex intellectu desumitur, & ideo tanquam differentiam essentialem ejus a brutis assignamus, quod intellectivus sit, & rationalis, id vero principaliter habet ab intellectu, cum voluntas sit rationalis ex participatione illius, ergo &c. Tum 3. hinc arguitur, quia potentia, quæ est rationalis per essentiam, perfectior est ea, quæ tantum rationalis est per participationem, sed intellectus per essentiam rationalis est, voluntas per participationem, quia de se est potentia cæca, nec operari valet, nisi ratione ducatur, ergo &c. Tum 4. in suppositis intelligentibus differentia perfectionis naturalis potissime attenditur ex parte intellectivæ potentiæ, ut intra latitudinem Angelorum major perfectio maxime relucet in modo cognoscendi, quia superiores cognoscunt per universaliores species, secus inferiores, in voluntatibus vero difficile talis distinctio invenitur, quia in modo operandi parum differunt, ergo &c. Tum 5. quia potentia cognitiva ex suo genere perfectior est appetitiva, ergo suprema cognitiva nobilior est suprema appetitiva, quia si genus excedit genus, species quoque excedet speciem; probat. assumptum, quia appetitus non est nisi inclinatio quædam appetentis in bonum, quæ nullam explicat rei perfectionem: tum quia potentia formaliter non cognoscens est cæca, quæ est maxima imperfectio. Tum tandem, quia Ar. 10. Ethic. c. 7. probat, felicitatem humanæ vitæ in contemplatione consistere, quia intellectus est potentia omnium perfectissima.

208 Resp. neg. majorem, præsertim quoad primam partem, quia ex 9. Met. 15. posteriora generatione sunt priora perfectione, quia natura ab imperfecto ad perfectum procedere solet in eodem ordine, ut a forma mixtionis ad animam, quod oppositе dicimus, quia in diverso ordine nihil prohibet prius generatione esse quoque prius perfectione, ut constat de substantia, & accidente, ut notat Doct. quol. 13. R. quare ex hoc potius oppositum deducitur ut Doct. cit. 4. d. 49. q. 4. sub N. advertit, scilicet voluntatem esse perfectiorem intellectu; neg. etiam quoad secundam, quia quantitas est immediatior substantiæ, quam sit qualitas, & tamen adhuc est imperfectior, ut notat Doct. ibid. sub I. imo posset retorqueri, quia sicut anima est subjectum potentiale respectu proprietatum ab ejus essentia fluentium, ita sibi propinquius erit magis potentiale; dicendum itaque perfectissimo posse aliquid esse propinquius in uno ordine, & aliud in alio ordine, ut dicebamus de quantitate, & qualitate in ordine ad substantiam; & illud est simpliciter perfectius, quod in ordine nobiliori, vel secundum conditionem nobiliorem est propinquius perfectissimo, talis autem est voluntas, quia magis accedit ad animam rationalem, quatenus est perfectio hominem distinguens a brutis, quam intellectus, ut mox dicemus. Ad 2. homo differt a brutis tam per intellectum, quam per voluntatem, & cum anima humana dicitur intellectiva, hæc denominatio desumitur non solum ab intellectu, sed etiam a voluntate, nam in communi modo loquendi natura intellectualis, ut a brutali distinguitur, utramque importat potentiam; si tamen inter has potentias comparatio fiat, magis per voluntatem homo distinguitur a brutis, quatenus libera est, quam per intellectum, libertas enim est maxima perfectio hominem distinguens a brutis, quamvis enim soleat eis tribui voluntarium pro spontaneo acceptum, tamen voluntarium acceptum pro libero eis omnino repugnat, & constituit agens diversum proposito. Ad 3. si per esse rationale accipiatur esse intellectivum, ut a sensitivo distinguitur, quo sensu natura humana dicitur natura rationalis; utraque potentia, tam scilicet intellectus, quam voluntas ex æquo rationales dicuntur, cum ambæ radicentur immediate in eadem anima rationali, si vero per esse rationale intelligas idem, quod cognitivum, cum discursu hoc utique non convenit voluntati, sed intellectui solum, sed in hoc sensu neg. assumptum, imo potest retorqueri argumentum, quod potentia, quæ est libera per essentiam, cujusmodi est voluntas, perfectior est ea, quæ est libera tantum per participationem, cujusmodi est intellectus.

209 Ad 4. notior est in suppositis intelligentibus intellectiva facultas, quam voluntas, quæ est potentia libera, nam multi negarunt in nobis libertatem omnia fato subjicientes, hinc est, quod distinctio, & differentia eorum suppositorum magis desumi solet ex parte potentiæ intellectivæ, quam volitivæ, non autem quia etiam ex hac parte apte distingui nequeant. Ad 5. aliqui concesso antecedente, negant conseq. quia excellentior differentia potest interdum contrahere genus minus perfectum, qua de causa species inde coalescens excedet speciem alterius generis magis perfecti, & per differentiam minus excellentem contracti, quia major, vel minor specierum perfectio juxta perfectionem differentiarum contrahentium magis attendi solet, quam generis contracti, & addunt exemplum de gratia, quæ ratione generis, quod est accidens, imperfectior est quacunque substantia, sed ratione differentiæ contrahentis, quæ est supernaturalitas, est longe perfectior; sic itaque in proposito dicunt, quod cognitiva potentia a toto genere utique appetitivam excedit, sed quia appetitiva in naturis intellectualibus contrahitur per libertatem, quæ est perfectior differentia quacumque alia contrahente cognitivam, species inde constituta scilicet voluntas perfectior est quacumque cognitiva, etiam suprema, quæ quidem doctrina si est vera, ut quamplures ex Thomistis concedunt, præsertim Complut. cit. in hac quæst. n. 44. argumentum sufficientissime manet solutum. Cæterum hanc doctrinam nos alibi reprobavimus disp. 6. Log. quæstion. ult. & disp. 2. de Cœlo quæst. 3. num. 121. & nobis suffraga-

tur Scotus ipse in hac quæst. reflectens ad quandam rationem S. Th. sub N. dicens, quod si actus voluntatis respectu superiorum ipsa voluntate est nobilior actu intellectus, ut concedit ipse S. Th. ex hoc sequitur, quod ille est nobilior isto in genere, quia si optimum est nobilius optimo, & genus genere, vel species specie, tota enim species una est superior quacunque alia specie tota; quare juxta hanc viam potius negandum est assumptum, quia cognitiva, & appetitiva in genere, vel sunt æquales, vel appetitiva superat cognitivam, quia hæc a natura, ut Doct. insinuat lit. M. instituta est, ut appetitivæ subserviat, & ministret; ad primam probationem neg. assumptum, quia in cognoscentibus appetitus non est sola inclinatio rei in suum bonum, sed dicit etiam actum elicitum, quo illud prosequitur, & sic in suo ordine explicat rei perfectionem non minus, quam cognitio, quo enim majus prosequitur bonum, ostendit, & explicat majorem rei perfectionem; ad alteram probationem neg. non cognoscere importare in appetitu imperfectionem, siquidem imperfectio non est simplex negatio formæ, vel perfectionis, sed perfectionis debitæ, & possibilis, & in subjecto apto, & capaci, ut fuse Doct. ostendit quol. 5. appetitiva vero ex sua ratione formali non est cognitionis capax, nec cognitio est perfectio ei debita, & possibilis, & ideo negatio cognitionis in ea nullam ponit imperfectionem, sicut neque e contra in intellectu imperfectionem dicit non esse liberum, ex quo etiam deducitur rigorose loquendo voluntatem non recte appellari potentiam cæcam, quia non est potentia ex sua specie apta videre. Ad ult. dum Arist. intellectum appellat potentiam omnium perfectissimam, per intellectum non accipit potentiam cognitivam a voluntate distinctam; sed totam partem intellectivam includentem intellectum, & voluntatem, ut a sensitiva distinguitur, & ratio est, quia ut notat Doct. in hac quæst. sub L. Philosophus communiter non distinxit intellectum a voluntate in ratione principii operativi, sed pro eodem habet principium distinctum contra naturam, quod nunc vocat artem, nunc intellectum, nunc propositum, ut constat ex 2. Phys.

210 Secundo arguunt ex perfectione operationis, perfectior enim est operatio intellectus, quam voluntatis, quia operatio intellectus est regula operationum voluntatis, intantum enim voluntas bene, vel male agit, inquantum rationi conformatur, adeo ut tota bonitas, & malitia moralis sumatur ex ordine ad rationem rectam ex 1. Ethic. cap. 3. Tum 2. quia actus intellectus non dependet ab actu voluntatis, sed e converso, ergo est nobilior, conseq. pater, quia independentia dicit perfectionem, sicut dependentia, & indigentia imperfectionem; probat. assumptum, quia intellectus per suam operationem sibi facit objectum præsens, sed voluntas indiget actu intellectus, ut per illum habeat objectum præsens. Tum 3. quia intellectus ita operatur, ut trahat res ad se, voluntas vero ita, ut trahatur ab illis, sed perfectius est trahere res ad se, quam trahi ad illas. Tum 4. causa æquivoca est nobilior effectu, ut actus intellectus est causa æquivoca actus voluntatis, quia hæc non tendit in objectum, nisi prout cognitum, & apprehensum, ergo &c. Tum quinto, actus intellectus est purior, quia nullam impuritatem contrahit ab objecto, nam intelligere malum non est malum, sed actus voluntatis contrahit impuritatem, quia velle malum est malum. Tum tandem, quia vita contemplativa nobilior est activa, sed contemplativa exercetur per actum intellectus, activa per actum voluntatis, ergo &c. major patet ex Arist. cit. 1. Ethic. 7. ubi felicitatem nostram in contemplatione reponit; & ex illo Lucæ 10. optimam partem sibi elegit Maria, quæ non auferetur ab ea.

211 Resp. neg. assumptum, ad probationem dicimus, unum posse alterum dirigere, & regulare dupliciter, vel auctoritative, & imperando cum dominio, quo pacto Superior dicitur dirigere, & regulare sibi subditos, alio modo ostensive tantum monendo, & præbendo consilium, quo pacto Consiliarius dicitur Principem dirigere: primum dirigendi genus dignitatem utiq; & eminentiam supra directum importat, non autem alterum, hoc enim potius ministerium indicat, & famulatum, intellectus autem dicitur voluntatem dirigere, & regulare, secundo modo dumraxat, non primo modo, quia voluntas ex propria libertate recto rationis judicio potest obsistere; unde etiam falsum est, quod inferebatur, totam bonitatem, ac malitiam moralem ex ordine ad rectam rationem desumi, quamvis enim ab ea, tanquam a termino attendi possit, & debeat, tamen velut a fundamento, & radice a sola voluntatis libertate dependet, quæ proinde dici solet unicum fundamentum totius generis moris. Ad 2. duplicem assignat Doct. responsionem, primo enim negari potest consequentia, quia substantia dependet ab accidentibus, compositum a partibus, forma a materia, qualitas a quantitate, finis a mediis, & tamen in omnibus istis consequentia fallit, imo posteriora generatione in universum dici solent priora perfectione, quantitum vis dependeant ab aliis 9. Met. 15. quare concludit Doctor independentiam solum in primo ente perfectionem simpliciter præferre, in quo coincidunt primitas originis, & perfectionis. Deinde potest quoque negari assumptum, præexigit enim utique voluntas actum intellectus, ut operari possit circa suum objectum, nihilominus talis præexigentia nomen dependentiæ, vel indigentiæ non meretur, quia, ut inquit Doctor, intellectus ad actum voluntatis concurrit tantum ut causa subserviens, quare sicut in aula Principis necessarii sunt servi quamplures ad ejus dignitatem, & non ob id Princeps dicitur servis indigere, aut a servis dependere, sed e contra: ita in proposito de volunrate dicendum; imo argumentum priori jure retorqueri posset, quia intellectus dependet a voluntate, ut a causa superiori, nam voluntas potest intellectui imperare, ut consideret hoc, vel illud objectum avertendo illum ab objecto, quod considerabat: ideo inquit Doct. intellectum, & voluntatem causalitatem sibi invicem mutuari, cum hoc tamen discrimine, quod intellectus ad volitionem concurrit, ut causa ministerialis, & subserviens, sed causalitas voluntatis supra intellectum oritur ex propria eminentia voluntatis supra alias potentias dominium habentis; unde Henr. cit. ad explicandam hanc mutuam causalitatem, & dependentiam harum potentiarum adinvicem aptissimo utitur exemplo servi præferentis lucem domino ambulanti in loco obscuro: Dominus enim dirigit, & præcipit servo, ut eum ducat ad talem, vel talem locum, quod est dirigere auctoritative, servus vero dirigit Dominum ostendendo ei viam, per quam ambulet, & sicut Dominus potest servum divertere ab hoc loco ad alium, & huc eum ducat non illuc, nec servus potest ei repugnare, & quamvis servus lucem præferat, non tamen Dominus illum necessario sequitur, ut ab illo dependeat, ita idem est omnino de voluntate, & intellectu, ut voluntas habet rationem Domini, & intellectus servi lucem præferentis.

212 Ad 3. dicimus illum loquendi modum esse potius metaphoricum, quia nec intellectus trahit res ad se realiter, sed intentionaliter, & per species, nec voluntas trahitur a rebus in seipsis, sed per intellectum apprehensis, dicitur tamen voluntas potius trahi ab objecto, quam trahere, quia per actum prosecutionis tendit in illud per modum ponderis, & impetus, & quando circa illud versatur per actum fugæ, non utiq; trahitur ab illo, sed potius avertitur, & detorquetur, unde ex illa metaphora nihil recte deduci potest contra nos. Ad 4. ait Doct. quod nec actus intellectus est totalis causa actus voluntatis, sed partialis (si ullo modo est causa illius) nec e converso actus voluntatis est totalis causa intellectionis, major autem illa vera est de causa totali, & si de partiali, hoc erit de causa superioris ordinis, & hoc modo voluntas imperans intellectui est causa superior respectu actus ejus, intellectus autem, si est causa volitionis, est causa subserviens voluntati, habens actionem primam in ordine generationis, non perfectionis, unde concludit hanc rationem potius facere pro voluntate, quam pro intellectu. Ad 5. etiam actus intellectus suo modo reddi potest impurus ex impuritate objecti, quia est falsus, dum circa objectum falsum versatur per assensum, sicut actus voluntatis est malus, dum circa malum versatur prosequendo; quod si dicas actum voluntatis esse impurum ex objecto impuritate malitiæ, non sic actum intellectus, hoc non concludit, inquit Doct. quia tunc actus sensus esset nobilior actu voluntatis, quia est minus impurus hoc modo. Ad ult. dicendum quod voluntas non excludit a vita contemplativa, neq; Arist. loc. cit. a contemplatione excludit delectationem, quia ut diximus, ipse per intellectum solet accipere totam partem intellectivam, ut etiam includit voluntatem, quæ solutio non solum est Scoti cit. sed etiam S. Thom. q. 22. de verit. art. 11. ad 11. & 12.

213 Tertio arguunt ex perfectione habitus, nam ex 1. Met. & 6. Ethic. cap. 8. sapientia est nobilissimus habitus inter omnes, sed hæc est habitus intellectus, non voluntatis, ergo &c. prob. assumptum, quia nobilior habitus voluntatis est justitia, vel amicitia, quos tamen esse longe inferiores habitu sapientiæ docet ibid. Arist. Deinde si de infusis habitibus sit sermo, lumen gloriæ est inter omnes supremus, quod tamen ad intellectum pertinet; probatur assumptum, quia excedit charitatem ipsam, nam lumen gloriæ ob suam perfectionem repugnat inesse viatori, quod non repugnat charitati. Confirm. quia perfectius est, quod distinguit perfectum ab imperfecto illo, quod est commune utrique, sed lumen gloriæ distinguit comprehensorem a viatore, charitas est communis, ergo &c.

Resp. Doctor, quod per sapientiam non intellexit Arist. ibi præcise operationem intellectus, sed utriusque simul, sicut per intellectum non præcise accepit potentiam cognitivam, sed totam mentem, ut etiam includit appetitivam, unde sapientia dicitur, quasi sapida scientia, quia includit etiam affectum. Ad 2. constat ex dictis charitatem esse lumine gloriæ nobiliorem, & charitas consummata, qualis est patriæ, non minus viatori repugnat, quam lumen gloriæ, quam si lumen gloriæ secum defert visionem, quia viatori repugnat, charitatis consummatæ secum defert fruitionem. Ad Conf. negatur charitatem consummatam esse communem viatori, & comprehensori, ipsa enim est propria comprehensoris; nec minus ipsum a viatore distinguit, quam faciat lumen gloriæ.

214. Quarto tandem arguunt ex objecto, tanquam ex eo, a quo proprie specificantur actus, & potentiæ; nobilius est objectum intellectus, quam voluntatis, quia illius est verum, quod est abstractius, & simplicius, quam bonum, verum enim importat rationem, & quidditatem rei abstrahendo ab existentia, & singularitate, quam concernit bonum, quod argumentum valde exaggerant Thomistæ. Constat tamen ex dictis in ultima conclusionis probatione hujus argumenti sterilitas, & inefficacitas; falsum enim est verum esse abstractius, & simplicius bono, quia sequuntur ens in eadem abstractione; falsum etiam est voluntatem ferri non posse in objectum a singularitate, & existentia præcisum, sicut fertur intellectus, nam & ipsa comparatur ad bonum in communi velut ad objectum, & etiam ad bonum impossibile quantum ad simplicem affectum. Falsum denique est abstractius, & simplicius objectum esse perfectius, quia quidditas cum existentia utique perfectior est, quam ab ea præcisa, nedum in esse rei, ut respondent Cajet. Ban. Complut. & alii, sed etiam in esse objecti, nam hac de causa objectum cognitionis

tionis intuitivæ, quod est natura, & quidditas, ut existens, perfectius censetur, quam objectum abstractivæ, quod est simplex quidditas, & natura ab existentia præcisa, nec ex alio capite, quam ex isto notitia intuitiva præferri solet abstractivæ; quod etiam suadet obvia ratio, quia intuitiva clarior cognitio est, & explicatior, quia attingit rem secundum suam quidditatem, & modum, quem habet a parte rei, qui non attingitur ab abstractiva, atque ideo illa tendit in perfectius objectum quam ista.

Conantur Compl. cum Suarez adhuc alio modo tueri rationem D. Thom. & explicare excessum objecti intellectus in ratione objecti, quamvis non in esse rei, ex parte immaterialitatis, vis enim intellectivæ potentiæ ea est, ut rem quamlibet possit sub omni præcisione considerare, essentiam ipsam ab existentia separando, & uniuscujusque propriam rationem vestigando, qui modus tendendi in objectum valde subtilis est, ac immaterialis, & magnam vim, ac immaterialitatem arguit in potentia sic operante; voluntas autem simplici modo fertur in objectum appetendo existentiam illius, qui certe modus operandi minus subtilis est, minusque immaterialis. Sed & hoc quoque frivolum est, nam voluntas, ut diximus, potest tendere in bonum in communi, & ut sic ab intellectu propositum, affectu simplicis complacentiæ præscindendo ab existentia, & singularitate, & ipsa quoque habet vim separandi formalitates, & objecta, nam potest velle Episcopatum sine facerdotio, imo unum relativum velle non volito correlativo, quæ tamen intellectus tota cum sua subtilitate actu suo separare nequit, unde quoad hoc majorem, vel saltem non minorem virtutem habet, quam intellectus ipse.

215 Demum Joann. de S. Th. sic explicat vim hujus argumenti, quia objectum intellectus abstractiori, & immateriatiori modo immutat ipsum, quam objectum voluntatis immutet illam. Ratio est, quia objectum intellectus ita movet ipsum, ut possit ad omnia penetrare, quæ in objecto sunt, & sub quocumque statu, & conditione, sive existentiæ, sive non existentiæ, præscindendo, componendo, dividendo, &c. voluntas autem nihil horum facit, sed factum ab intellectu supponit, & prout propositum sibi fuerit objectum, sic inclinatur, nec ita ample ad omnia objecta se extendit, sed solum ad rationem convenientis.

Hæc tamen explicatio longe recedit a mente S. Thom. nec quicquam probat, nam D. Thom. per illam rationem extollere intendebat intellectum supra voluntatem ex subtilitate, & immaterialitate tendendi in objectum, quia tendit in objecta seiparando quidditatem ab existentia, & singularitate, non autem ex universalitate omnia penetrand., quæ in objecto reperiuntur, & sub quocumque statu, & conditione, sive existentiæ, sive non existentiæ, ut deducit Joan. de S. Thom. nec etiam quicquam probat, licet enim voluntas feratur in objectum sub ratione convenientis, hinc tamen non restringitur sphæra activitatis ejus, quin in omnia objecta operabilia tendere possit sub hac ratione, nam etiam intellectus secundum Adversarios neque in objectum tendere, nisi sub ratione veri, & nihilominus hinc non efficitur, quin spatiari possit circa omnia objecta sub prædicta ratione; denique quod voluntas non sibi faciat objectum sub tali abstractione, vel concretione, sed factum ab intellectu supponat, minime præjudicat ingenuitati voluntatis, imo eam confirmat, quia intellectus veluti servus, & minister ei præparat objectum, circa quod est operatura eo modo, quo sensus interior supponit exteriorem, & intellectus utrumque, quia uterque intellectui famulatu suo objecta ministrat.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Anima Separata.

1 *Licet non omnis anima sit immortalis, rationalem tamen immortalem, & perpetuo duraturam sufficienter ostendimus disp. 1. quæst. 10. & post hominis interitum non ad aliud corpus informandum, sive humanum, sive belluinum transmigrare, sed extra quodcumque corpus solitarie existere, ibidem nonnihil demonstravimus, & fusius disp. 5. de generer. & corr. quæst. 7. art. 2. Itaque de hoc animæ statu in hac ultima disputatione remanet agendum, iisque quæ ad animam in tali statu spectant; nec omnino abs re, quamvis enim secundum prædicata illi statui convenientia, ut per se subsistere, a corpore independenter operari, & similia pertineat ad Metaphysicum, quia, ut sic, abstrahit a materia sensibili, ut diximus quæst. proœm. hujus operis num. 8. nihilominus quia adhuc in tali statu est ens incompletum, & dicit essentialem habitudinem ad corpus, ideoque secundum istam considerationem a materia non abstrahit, idcirco sub tali contemplatione potest, & debet, ut ibi diximus, ad Philosophum animasticum pertinere, cui quoque fas erit tali occasione arrepta nonnulla etiam ad illum statum pure spectantia, & a Metaphysico solum consideranda aliquatenus attingere, ut in hunc modum pedetentim a naturali Philosophia ad transnaturalem gradum faciamus; neque enim inconvenit scientias in earum confinis alteram alterius aliquid participare.*

QUÆSTIO PRIMA.

De Statu, & conditione animæ separatæ.

2 IN hac prima quæstione modum existendi animæ separatæ declarabimus, in sequentibus vero, quæ spectant ad modum operandi; verum quia modus existendi animæ separatæ extra corpus plures involvit difficultates, hæc prima quæstio proponendo, & resolvendo incidentia dubia texenda est.

Primo itaque dubitatur, an rationalis anima in ipso separationis instanti a corpore novum acquirat existendi, & subsistendi modum positivum, adeout evadat ejusmodi fere rationis cum Intelligentiis separatis. Affirmant nonnulli acquirere tunc animam peculiarem per se essendi modum oppositum modo unionis, quem antea habebat in corpore, adeo ut licet non fiat persona completa, suppositum ejusdem rationis cum Angelis, sit tamen veluti semipersona, & semisuppositum, ut loquitur Cajet. 3. p. quæst. 6. art. 3. Fundamentum istorum videtur esse, quia accidens in Eucharistiæ mysterio cum a subjecto separatur, redditur per se existens quodam positivo modo, ut ipsi supponunt, ego pariter anima ipsa rationalis, quæ suapte natura capacior est subsistentiæ, quam accidens.

Dicendum tamen est, animam rationalem in statu separationis nullum positivum modum per se essendi acquirere, nec fieri magis ejusdem naturæ cum Angelis, quam antea foret, cum erat corpori conjuncta. Colligitur ex Scot. 2. d. 1. q. 6. & quol. 9. & alibi sæpe, probatur, quia falsum est in primis, quod illi dicebant, formam accidentalem, dum a subjecto separatur, novum per se essendi modum positivum extra subjectum acquirere, ut late demonstravimus disp. 2. Phys. q. 3. art. 1. cum Scoto 2. d. 12. q. 2. prope finem, & 4. d. 12. q. 1. accidens enim a subjecto separatum dicitur per se existere solum negative, quatenus scilicet in alio non existit, quia modus essendi in alio per unionem, & per se sine unione non sunt oppositi, tamquam duo modi positivi, sed tamquam modus positivus, & privativus, sicut ergo ex vi separationis a subjecto nulla forma informans in universum novum per se essendi modum positivum acquirit, sed solum separata existit per amissionem, & carentiam unionis, quam antea habebat cum subjecto, ita ex hac parte in instanti separationis animæ obveniet sola privatio unionis ad corpus, non vero alius modus positivus. Deinde quia etiamsi modus essendi per se independenter a subjecto positive opponatur modo essendi in subjecto inhæsive, & dependenter ab illo, adhuc anima rationalis novum modum positivum per se essendi acquirere non debet in statu separationis, quia adhuc cum erat in corpore, non dependebat ab eo in essendo, ergo neque novam subsistentiam in hoc sensu, neque novum per se essendi modum acquirit, quia ita subsistere dicitur tam in corpore, quam extra corpus. Et hinc est, quod licet accidenti separato novum per se essendi modum concederemus, non tamen concedi debet animæ separatæ, quia accidens dum est unitum subjecto existit dependenter prorsus ab eo, unde postea in separatione hæc dependentia videtur aliquibus suppleri debere alio positivo modo per se essendi, sed anima etiam dum est in corpore existit independenter ab eo, suamque habet subsistentiam partialem, ergo non indiget separata novo per se essendi modo, etiamsi accidens separatum indigeret illo.

3 Denique quod neque in tali statu separationis sit ejusdem rationis cum Angelis probatur ex Doctore loc. cit. quia anima etiam in tali statu separationis est ens incompletum essentialiter ad aliud ordinatum, nempe ad hominis constitutionem, Angelus autem est ens completum, & perfectum, & prorsus ineptum, ut in alterius veniat compositionem, quippe qui materiam informare non potest, ut fuse Doctor quol. 9. ergo nequaquam sunt ejusdem rationis Angelus, & anima separata; nec anima separata dici potest persona, ut notat Doctor primo dist. 13. qu. un. §. *ad quæstionem*, & 3. disp. 1. quæst. 1. §. *per hoc ad argumenta*, quia persona est incommunicabilis ut quo, & ut quod tam actualiter, quam aptitudinaliter ex Doctore ibidem, anima vero separata licet actu communicata non sit, est tamen communicabilis, quia semper aptitudinem retinet ad informandum corpus, & hominem constituendum per modum partis formalis. An vero admitti possit modus ille loquendi Cajet. animam separatam vocantis semipersonam, semisuppositum, omnes fere illum condemnant, ut Conimb. 2. de anim. cap. 1. q. 2. ar. 2. Aversa qu. 59. sect. 1. Cavell. de anim. disp. 4. & alii passim; cæterum esto in sententia constituente subsistentiam, & personalitatem in aliquo modo positivo admitti non debeat, quia talis modus consisteret in indivisibili, nec videtur dimidiari posse, tamen in alia sententia, quam veriorem videtur censere Doctor

§. d. qu. 1. illam constituente in illa duplici negatione communicabilitatis, in duo, & ut quod, tam actualis, quam aptitudinalis, videtur admitti posse, quia ut loc. cit. notat Doctor, ideo anima separata nequit dici persona, quia deficit ei altera negatio, scilicet communicationis aptitudinalis, negationem enim alteram, scilicet communicationis habet in statu separationis, per quod innuit in tali statu quasi semipersonam esse, quia habet unam negationem, quæ est alterum constitutivum personæ, & cum altera negatione scilicet communicationis aptitudinalis complet (inquit Doctor) rationem personæ in natura intellectuali.

Notat tamen Doctor cit. 2. d. 1. qu. 6. quod hujus specificæ differentiæ inter Angelum, & animam repertæ nequit assignari ratio a priori, quia si cum aliquibus probemus hanc differentiam per unibilitatem ad materiam, & non unibilitatem sic arguendo, forma unibilis ad materiam, & non unibilis non sunt ejusdem speciei, sed Angelus, & anima sunt hujusmodi, ergo &c. hæc ratio, inquit Doctor, licet sit bona, non tamen est ex propriis, & a priori; non ex propriis, quia non unibilitas est communis Angelo, & igni, & cuicumque substantiæ completæ; non a priori, quia materia est magis propter formam, quam e contra 2. Physic. unde membra Leonis, & Cervi causaliter differunt, quia formæ istorum differunt, non e converso, igitur arguere ex materialitate, vel unibilitate ad materiam, & negatione ejus differentiam inter Angelum, & animam, est arguere a posteriori; tum etiam quia ista unibilitas in anima est respectus quidam habitualis fundatus in anima, & posterior ipsa. Si vero cum aliis hæc differentia deducatur ex diverso gradu intelligendi perfectiori, & imperfectiori, quia scilicet anima intelligendo discurrit, Angelus autem non discurrit; hæc ratio est imbecillior quam præcedens, quia non valet nec a priori, nec a posteriori, non a priori quia palam est, quod intelligere, & modus intelligendi sunt aliquid posterius talibus formis, & intrinsecis earum differentiis; a posteriori etiam valere non videtur; quia si discurrere, vel non discurrere intelligendo arguunt diversas intellectualitates, cum anima discurrat circa conclusiones, & non circa principia per se nota, tunc in anima erunt duæ intellectualitates alterius rationis; tum tandem, quia falsum est Angelum non discurrere, dum scientifice cognoscit aliquem effectum propter quid per propriam causam, habet enim in tali cognitione, quicquid requiritur ad discursum, ut dicemus in Mer. Ex his deducit Scot. quod licet a posteriori possit ostendi, quod Angelus, & anima differunt specie, quia hæc est forma suapte natura corporis perfectiva, non illæ; tamen pro statu isto nequaquam cognosci potest medium propter quid demonstrans a priori repugnantiam Angeli ad informandum corpus, nec distinctionem ejus ab anima, quia pro statu isto a nobis nec attingitur natura Angeli secundum conceptum proprium ex propriis, nec anima nostra, cum neque formaliter neque virtualiter conceptus isti contineantur in quidditate rei sensibilis, quod est adæquatum objectum motivum nostri intellectus pro statu isto ex Scot. 1. d. 3. q. 3. & quol. 14.

In oppositum objicitur, quod anima separata sit ejusdem rationis cum intelligentiis, nam ex August. 3. de lib. arb. Angelus, & anima sunt natura pares, ergo sunt ejusdem speciei, quia in distinctis specie non invenitur paritas naturæ. Tum 2. quæ differunt specie sunt per se in genere, sed anima non est per se in genere; ergo &c. Tum 3. quia differentia ultimo completiva animæ, & Angeli est eadem, scilicet rationale, vel intellectuale. Tum 4. quia tunc quilibet Angelus esset nobilior anima Christi Domini, & per consequens majoris beatitudinis capacior, & de facto beatior anima illius. Tum 5. quia si anima specie differret ab Angelo, jam haberet differentiam specificam, quia differret ab eo, & sic esset completa species. Tum tandem, quia si essentiæ animæ, & angeli differunt specie, ergo & potentiæ, quæ fundantur in eis, & si potentiæ, ergo & operationes, & objecta, ex 2. de anim. 33. sed hoc est falsum, quia idem est objectum intellectus angeli, & animæ, ergo &c.

Resp. ad 1. loqui August. non de paritate naturæ absolute, sed ratione objecti, in quo nati sunt quiescere angelus, & anima, quatenus nulla intellectualis natura quiescere apta est, nisi in objecto infinito, vel loquitur de paritate naturæ in gradu generico, non specifico, qui ignotus est pro statu isto. Ad 2. major est vera de his, quæ specie differunt adæquate, & complete, nempe sicut species, & species, non autem inadæquate, & incomplete, nimirum ut species, & pars speciei, quemadmodum in casu nostro differunt angelus, & anima, quæ non est species completa, sed pars speciei. Ad 3. neg. assumptum, rationale enim, seu intellectuale non est ultima differentia angeli, & animæ, quamvis interdum per hujusmodi terminos circumscribatur. Ad 4. Doctor concedit totum præter ultimam sequelam, nam beatitudo datur non juxta capacitatem naturalem, sed juxta meritorum mensuram. Ad 5. quo pacto anima dici potest species quædam in ordine suo, imperfecta nimirum, & incompleta, ut in universum diximus de quacumque parte physica disp. 6. Log. quæst. 3. eadem quoque ratione potest illis adscribi propria differentia specifica. Ad ultim. primo negat Doctor conseq. quia minime opus est, quod si continentia differunt specie, etiam & contenta specie differant, nam anima bovis, & anima aquilæ specie differunt, non tamen eorum virtus visiva. Deinde subdit etiam asseri posse, quod potentiæ intellectivæ angeli, & animæ distinguuntur suo modo, sicut angelus, & anima; & parum refert, quod habeat idem objectum, quia licet ex distinctione diversorum objectorum adæquatorum, & primorum deveniamus extrinsece in notitiam distinctionis potentiarum, quæ seipsis intrinsece differunt, non tamen ex unitate objecti, vel ejus identitate rite deducitur unitas, & identitas potentiæ, quia circa idem objectum versari possunt potentiæ specie diversæ, ut constat de intellectu, & voluntate circa ens; & licet Arist. dixerit potentias distingui per actus, & actus, per objecta 2. de Anim. numquam tamen dixit, potentias uniri, & identificari, sicut objectum, ut ex professo docuimus supra disp. 2. quæst. 4. Bassolins 2. d. 3. quæst. 1. hanc secundam amplectitur solutionem; Cavellus autem disp. 3. de Anim. sect. ult. cum aliis Scotistis primam recipit; Conimb. tandem disp. 1. de Anim. separata art. ultim. utramque autumant probabilem.

Nobis quoque utraque placet, verior tamen prima videtur, quod intellectus angelicus, & humanus sint ejusdem speciei, quod pariter de voluntate dicendum, & tenent Thomistæ quamplures præter Scotistas Cajet. 1. p. q. 77. art. 3. Ferrar. 2. contra gentes cap. 94. Albert. p. de Anim. cap. penult. & ratio est, quia potentia specie distincta ab alia potest aliquos actus specie distinctos ab omnibus actibus alterius potentiæ elicere, sed intellectus angelicus nullum actum elicere potest, cui consimilem intellectus animæ nequeat elicere, ergo &c. Et quamvis non semper liceat ex unitate objecti unitatem potentiæ colligere absolute loquendo, ut diximus: potest tamen colligi, quod potentiæ non sunt subordinatæ, nec una alteram supponit, sicut voluntas actum intellectus supponit circa idem objectum; in hoc enim casu, si objectum est idem, & modus idem, quo tenditur in illud, non est unde colligatur specifica distinctio, ita autem in proposito res se habere videtur, quia intellectus humanus, & angelicus non sunt subordinati, nec unus supponit actum alterius, aut aliam connexionem cum eo habet, & ideo cum unum, & idem sit eorum objectum, idemque modus tendendi in illud, erunt potentiæ ejusdem rationis; hac enim ratione visus hominis, & aquilæ, & quidam alii sensus ejusdem speciei in homine & brutis dicuntur esse, ut diximus supra disp. 5. qu. 7. a num. 229. & tenent Conimb. de omnibus sensibus in universum 3. de Anim. cap. 1. quæst. unic. art. 2. Apoll. quæst. 4. art. 1. Cajet. 2. de Anim. cap. de tactu, & alii quamplures.

4 Secundo præfertim dubitari solet, an status separationis sit animæ naturalis, vel violentus, aut neutralis; idest, an sit juxta ejus naturalem inclinationem, an contra illam, vel potius neutro modo se habeat juxta explicationem traditam horum terminorum disp. 6. Physic. quæst. 1. art. 1. & quæst. 3. ubi ex professo egimus de naturalitate, violentia, & neutralitate, in qua difficultate sunt varii modi dicendi, aliqui enim ficut statum conjunctionis dicunt esse simpliciter ei connaturalem, ita e contra statum separationis ponunt simpliciter violentum, sic videtur D. Thom. sentire p. p. quæst. 118. art. 3. & 4. contra gentes cap. 80. & sequitur Ferrar. p. contra gent. cap. 83. & cap. 94. Moris. disp. ult. de Anim. Onuphr. tract. de Anim. disp. 2. p. 3. quæst. 1. & alii quamplures; quorum præcipuum fundamentum est, quia forma exigit esse unita materiæ, & compositum constituere, & pars incompleta consortium exigit alterius compartis, & ad complementum totius essentialiter ordinatur, hac igitur ratione status conjunctionis erit animæ simpliciter connaturalis, idest, juxta naturalem ejus inclinationem, & status separationis simpliciter violentus. Nec satisfacit, quod ajunt aliqui, ad rationem violenti requiri, ut id quod negatur subjecto, cui fit violentia, possit efficienter ab ipso subjecto produci, adeout violentum sit tantum contra virtutem, & inclinationem activam naturæ, quare cum anima separata nequeat objective se corpori copulare, status separationis nequaquam est ei violentus. Hoc itaque non satisfacit, & prorsus falsum assumitur, quia vel violentum tantum attendi debet contra inclinationem passivam naturæ, non activam, vel saltem universaliter contra quamcumque inclinationem naturæ attendi potest tam activam, quam passivam, ut fuse demonstravimus disp. Physic. jam cit.

5 Alii e contra statum separationis faciunt animæ simpliciter connaturalem, & statum conjunctionis violentum, aut saltem imperfecte naturalem, ita videtur opinatus Plato, qui dicebat animas in corpore velut in ergastulo latere ad supplicium, & Avicen. 9. Meth. 1. qui proinde ajebat animam clarius cognoscere veritatem in statu separationis, quam conjunctionis, & Senec. epist. 102. ad Lucillum; quod etiam videtur colligi ex illo Sap. 19. *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*. Alii vero negant statum separationis esse animæ naturalem, vel violentum; & dicunt esse indifferentem, vel neutrum; quia nec est juxta ejus naturam, neque adversus illam, ut Conimbr. tract. de Anim. separata disput. 2. art. 2. & videtur fuisse opinio Henric. quol. 7. quæst. 13. & Cajet. 1. part. quæst. 89. art. 1. Alii rursus utrumque statum affirmant esse animæ connaturalem quemadmodum materia naturaliter respicit formam in particulari, ac ejus privationem, & hi rursus divisi sunt, quidam enim statum conjunctionis ajunt esse magis connaturalem, quam separationis, itaut status separationis secundario solum, & ex consequenti sit naturalis, status autem unionis primario, quia anima ex natura sua primario appetit informare corpus, & quia hoc non petit inamissibiliter, sed juxta naturam corporis, hinc secundario inclinatur naturaliter ad statum separationis, ita Ruvius tract. de Anim. separata quæst. 6. & Suarez lib. 6. de Anim. cap. 9. & Cavell. disp. 4. de Anim. separata sect. 1. Quidam vero e contra statum separationis faciunt

ciunt magis connaturalem, quia si a Deo non fieret resurrectio, anima perpetuo duraret a corpore separata, non autem perpetuo duraret in corpore; tum quia anima separata perfectiori modo intelligit absque recursu ad phantasmata, & magis accedit ad modum intelligendi angelicum, ergo hic status est ei connaturalior, quam status conjunctionis, & ita fere videtur sentire Scotus 4. d. 43. quæst. 2. §. *de tertia*. Alii tandem animam contemplantur secundum varias acceptiones, & juxta earum varietatem dicunt statum separationis esse illi naturalem, violentum, vel neutrum, si enim anima consideretur, quatenus est forma ex natura sua independens a materia & apta per se existere, hoc pacto status separationis est animæ connaturalis; si vero consideretur, quatenus est vera forma corporis, substantia in se incompleta, & essentialiter ordinata ad complementum totius, sic est ei violentus; si demum simpliciter, & absolute consideretur, quatenus substantia quædam intellectiva, hoc pacto se habet indifferenter tam ad statum separationis, quam conjunctionis, quia in utroque apta est intelligere, ac re vera intelligit, neque secundum eam præcise rationem unum, aut alium statum sibi determinat, ita discurrit Aversa cit. quæst. 59. sect. 1. ubi tamen demum concludit absolute loquendo merito dici magis connaturalem animæ statum conjunctionis, quam separationis, quia nimirum in statu conjunctionis anima exercet officium informandi, item officium operandi secundum omnes virtutes, & facultates suas, & adhuc in corpore potitur modo per se existendi independenter a materia, quatenus non sustentatur ab ea.

6 Pro resolutione istius difficultatis recolendum est, quod advertimus disput. 6. cit. Physic. quæst. 3. quod naturalitas non consistit in indivisibili, sed in potentia naturali; plures gradus assignari possunt itaut subjectum magis, vel minus inclinatum dicatur ad aliquam formam, functionem, vel operationem, & modo, quo ibi fuse declaratum est. Rursus advertendum est, animam comparari posse ad corpus mortale vel immortale, hisce præsuppositis ita huic dubio respondendum est, quod status conjunctionis cum corpore mortali est animæ connaturalis, status separationis ab eo adhuc magis connaturalis, & status tandem conjunctionis cum corpore immortali, & incorruptibili est absolute omnium connaturalissimus. Conclusio tres habet partes, & facile probatur quoad omnes; primam quidem sufficienter probant quoad omnes, quæcumque afferebantur ab Auctoribus defendentibus statum conjunctionis esse naturalem, quia nimirum anima est essentialiter subsistantia incompleta, & partialis ordinata ad constituendam aliam totalem &c. quam rationem tangit Doctor quodl. 9. M. cum enim in tali statu suum hunc appetitum aliquo modo expleat, consequenter talis status utique naturalis consensus est, & non violentus; verum quia corpus corruptibile non est materia undequaque proportionata animæ naturali, quæ immortalis est, qua de causa illud informat amissibiliter juxta naturam talis corporis; hac de causa hujusmodi status conjunctionis non est animæ omnino connaturalis, & in hoc sensu dicebat Sapiens, corpus, quod corrumpitur, animam aggravare, tum etiam quia ex tali conjunctione ad corpus corruptibile impeditur a suis perfectioribus operationibus. Ex hoc etiam facile probatur secunda pars, quia anima rationalis secundum cursum naturalem diutius existeret separata, quam conjuncta cum corpore mortali, & corruptibili, ergo connaturalior est ei status separationis quam conjunctionis cum tali corpore; tum quia in statu separationis est magis libera, & expedita ad intelligendum, nec ullo indiget recursu ad phantasmata; quamvis ergo in utroque statu præfato aliqualem patiatur violentiam privativam, quia conjuncta corpori corruptibili privatur libero, & expedito intelligendi modo; & separata privatur functionibus sentientis, & vegetantis animæ, quas obibat in corpore, tamen si hinc inde comparatio fiat, longe minor est violentia, vel potius injuria, quam patitur in statu separationis, quam in statu conjunctionis cum corpore corruptibili, quia in tali statu conjunctionis impeditur a perfectioribus operationibus, in statu vero separationis ab imperfectioribus. Dices in statu hujus conjunctionis saltem expleri appetitum informandi corpus, qui manet inexplet us in statu separationis, atque ideo majorem violentiam inducit in tali statu. Neg. conseq. quia in statu separationis diutius perseveraret, quam sub statu conjunctionis ad corpus corruptibile, quod vel præponderat, vel saltem compensat illud explementum, tum quia in tali statu *conjunctionis valde imperfecte* expletur hujusmodi appetitus, quia non informat, nisi amissibiliter juxta conditionem talis corporis.

7 Denique probatur tertia pars, quod nempe status conjunctionis cum corpore immortali sit absolute omnium connaturalissimus, quia in tali statu conjunctionis perfecte expletur omnis animæ appetitus, & perfecte fungitur quocumque munere suo, nam perfectissimo modo informat tale corpus, scilicet inamissibiliter, & independenter existit a materia quia non substentatur ab ea; deinde perfectissimo modo intelligit absque recursu ad phantasmata; & denique operationes ipsas sensitivas exercet perfectissimo modo, adeout tam quoad essendum, quam quoad operandum melius se habet sub hoc statu, quam sub quocumque alio, ergo hic status erit illi absolute omnium connaturalissimus. Confirm. quia in aliis statibus semper ei aliquid deficit, & semper aliquod patitur detrimentum, ut visum est, in hoc ultimo statu nihil patitur, nihilque remanet ei desiderandum, sed bene illi est in omnibus tam in essendo, quam in operando, ergo hic status est ei absolute, & simpliciter connaturalis; & resolutio dubii hujus sic declarata facile colligitur ex Doctore loc. cit. 4. d. 43. quæst. 2. §. *de tertia*, ibi enim negat animam inclinari ad corpus proprie loquendo de inclinatione (loquitur autem de corpore mortali) inquit enim talem inclinationem ad corpus esse ad perfectionem elargiendam, non recipiendam, qui gradus naturalis inclinationis est omnium inferior, ut diximus disp. Physic. citata quæst. 3. vel si aliquo modo inclinatur, ut ad perfectionem recipiendam, potest dici cum Avicen. (ait Doctor) quod appetitus animæ satiatus est per hoc, quod semel corpus informavit, unde concludit, quod quantum ad essendum manet anima æque perfecta in esse suo proprio sive conjuncta, sive separata, sed quantum ad operandum doceri inferius dist. 45. quod melius, & perfectius exercet separata operationes suas spirituales; ergo sequitur in sententia Doctoris utrumque hunc statum esse animæ connaturalem, sed statum separationis esse magis connaturalem; absolute autem status conjunctionis cum corpore immortali erit omnium connaturalissimus in ejusdem sententia, quia hic est status conjunctionis, quem naturaliter appetit anima in resurrectione futura, ut ipse docet d. cit. 43. quæst. 4. §. *ad propositum*, & d. 49. num. 3. ad 3. tum quia si eatenus appetit uniri corpori mortali, ut mediante corpore acquirat suas perfectiones per sensus, quas non posset acquirere sine sensibus, ut docet d. cit. quæst. 3. §. *de tertia*, utique magis appetet statum conjunctionis cum corpore immortali, in quo utrasque operationes tam scilicet sensitivas, quam intellectivas perfectius habebit. Et sic patet ex hac resolutione, quomodo singuli modi dicendi in hoc dubio supra relati aliquid habeant veritatis, & in quo sensu eorum rationes concludant, rationes namque, probantes statum conjunctionis esse magis connaturalem statu separationis, intelligi debent de statu conjunctionis cum corpore immortali, & incorruptibili, alioquin non concludunt; rationes vero militantes pro statu separationis intelligi debent de statu separationis a corpore mortali, & corruptibili. Dices separationem animæ etiam a tali corpore esse violentam. Resp. esse potius homini violentam, quam animæ, cui est secundum naturam ex Scot. 4. d. 45. qu. 2. *argum. ad oppositum*.

Postquam hæc scripsimus, vidimus P. Fabrum 12. Meth. disp. 32. ubi tractat de statu animæ separatæ, & cap. 2. exponendo sententiam Doctoris inquit resolvendo quæsitum, quod si violentum, naturale, & neutrum proprie sumantur, status separationis nec est animæ violentus, nec naturalis, nec neuter, & ratio est, quia ista differentiæ per Doctorem competunt principio passivo, & in potentia passiva alicujus subjecti fundantur, at anima respectu corporis non passiva, ac aliquam inclinationem passivam habet ad illud, quasi ab eo perfectionem recipiat, sed potius activam, cum ei perfectionem communicet, ergo respectu corporis fundare nequit nec potentiam naturalem, nec violentam, nec neutram. Neque valet (inquit) respondere, animam separatam in tali statu esse imperfectam, quia suapte natura est essentialiter subsistantia incompleta ordinata ad constituendam aliam totalem, ideoque habere inclinationem naturalem ad unionem cum corpore. Hoc enim acriter refellit, quia inauditum est in Philosophia, quod forma recipiat perfectionem ex unione ad materiam, & per constitutionem compositi, cum potius e contra res se habeat; & ideo inquit Doctor cit. 4. dist. 43. quæst. 2. §. *de tertia*, quod anima non recipit perfectionem in toto, sed communicat, & ideo extra corpus non est in statu violento. Subdit tamen, quod accipiendo naturale non ita proprie, sed latiori modo scilicet pro inclinatione naturali alicujus formæ, vel agentis ad actum secundum, separatio animæ a corpore est ei violenta, nam ut ait Doctor loc. cit. esti inclinatio naturalis ad actum secundum, quæ est inclinatio perfecti ad perfectionem communicandam, esto perpetuo suspendatur, non ponat proprie violentiam in sic communicante perfectionem, quia nullam ponit in eo perfectionem, tamen videtur ponere quamdam violentiam improprie dictam, qua habet inclinationem activam ad communicandam suam imperfectionem, separatio autem repugnat illi inclinationi ad actum secundum, cum illam auferat, & impediat; & demum inquit posse statum separationis dici animæ naturalem accipiendo naturale pro omni proprietate, quæ ineest alicui in sua creatione; posse enim existere sine corpore est proprietas insita animæ rationali, cum sit in se subsistens, ad differentiam aliarum formarum materialium.

Hæc explicatio in primis non solidam continet doctrinam, nam disp. 2. Physic. quæst. 6. art. 2. in fine jam docuimus in universum formam substantialem suo quoque modo appetere materiam, & nativam habere aptitudinem, & inclinationem ad essendum in materia, & hunc statum illi adferre perfectionem substantialem jam ostendimus disput. 5. Physic. quæst. 10. ex Scot. 2. dist. 14. quæst. 2. ubi in calce id etiam de anima affirmat respectu corporis, & quol. 9. M. quatenus forma in composito participat esse totius, & hanc quoque doctrinam tradit de anima ipsa separata dicens, quod suo quidem proprio esse est æque perfecta, separata, & conjuncta, sed conjuncta perfecta est esse totius participative, licet non primarie, & quantum ad hoc separata est imperfecta, quia caret ipso esse totius, & posset dici, quod ista imperfectio est imperfectio simpliciter, quia caret illo esse, quod est perfectio simpliciter; imo subdit, quod separata *non dicitur* forma imperfecta ex hoc solo, quod non *communicat* suam perfectionem alteri; sed præsertim *dicitur imperfecta* ex carentia perfectionis esse totius, quæ carentia concomitatur illud non com-

mu-

municare, ita Doctor ibi. Neque ita loquendo sibi contradicit in 4. loc. cit. quia ibi non absolute negavit, animam in corpore aliquam recipere perfectionem, licet enim in priori responsione sic dicere videatur, in posteriori tamen, quam affert ex Avicen. concedit recipere perfectionem, & cum inquit fatiarum esse ejus appetitum quoad receptionem hujus perfectionis per hoc quod semel corpus perfecit, advertendum est, quod non loquitur de perfectione substantiali, de qua quol. 9. sed de accidentali, quam acquirit operando per sensus, ut ibi se declarat. Deinde quando etiam inclinatio animæ ad corpus nullo modo esset passiva, ad recipiendam scilicet aliquam perfectionem, sed solum activa ad eam nempe communicandam, ut contendit Faber, jam disp. 6. Physic. a num. 6. ostendimus naturalitatem, & violentiam saltem privativam etiam cum omni proprietate a principio quoque activo desumi posse. Denique explicatio illa potius rem confundit, quam explicet in præsenti dubio, si enim status separationis dicitur animæ naturalis accipiendo naturale pro innata rei proprietate, quamvis anima per se subsistere nata est, ut Faber ajebat, sic eadem ratione poterit e contra dici violentus, quia anima quoque innatam habet propensionem ad essendum in corpus, & informandum corpus, & si dicitur ei violentus, quia impeditur a naturali inclinatione, quam habet ad communicandam corpori perfectionem; ex alio capite cum in tali statu sit magis libera, & expedita ad intelligendum, nec ullo indigeat recursu ad phantasmata, dicetur status ei connaturalis, quia a tali imperfectione liberatur; quare concludimus, in præsenti difficultate retinendum esse modum dicendi a nobis supra declaratum.

8 Terrio dubitari quoque solet, num anima separata appetat naturaliter reunionem ad corpus, & est difficultas de appetitu innato, non elicito, quia quoad elicitum potest appetere, vel non appetere ex libertate voluntatis, & ex commodis, vel incommodis in conjunctione ad corpus apprehensis. Negant aliqui, ut Ferrariensis 2. contra gentes cap. 60. Bannez p. 1. qu. 76. art. 1. dub. 5. & pro hac parte citatur Scotus, quia loc. cit. 4. d. 43. qu. 2. §. *de tertia* inquit, quod anima non perficitur in corpore, sed perficit corpus, & quod non unitur propter bonum suum, sed propter bonum corporis, vel totius, quod etiam repetit d. 45. quæst. 2. ad 1. princip. & quod si unitur propter aliquam perfectionem, nimirum ut habeat sensationes, talem appetitum sufficienter satiari per hoc, quod semel informavit corpus, unde negare videtur quod in anima separata remaneat appetitus ad informandum corpus. Alii vero communiter sentiunt animam separatam naturaliter appetere unionem ad corpus, quia essentialiter est pars hominis, & semper manet essentialiter ordinata ad ejus constitutionem, ergo manet semper in ea appetitus ad unionem cum corpore; tum quia appetitus innatus non est aliud, quam aptitudo, & inclinatio naturæ ad suam perfectionem, sive statum sibi consentaneum, talis autem aptitudo, & inclinatio est realiter identificata naturæ, ut alibi dictum est, ergo si anima in suo primo creationis instanti hunc appetitum habuit ad corporis unionem, semper eumdem retinebit, ita D. Thom. p. 1. quæst. 76. art. 1. Ruvius, Moriss. Aversa, Conimbr. & alii *supra cit.* & videtur intentio Aug. lib. 12. de Genes. ad lit. cap. 35.

9 *Hoc* dubium resolvendum est consequenter ad præcedens, quod nimirum si sermo sit de corpore mortali, utique anima separata non habet naturalem appetitum ad unionem cum eo, quatenus tale, & in hoc sensu loquitur Doctor loc. cit. cum animæ denegare videtur naturalem appetitum ad informandum corpus, cujus ratio est, quia nullam perfectionem recipit ab eo nec in essendo, nec in operando, sed potius detrimentum, quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, sed si loquamur de corpore immortali, & incomparabili, utique habet appetitum naturalem ad unionem cum eo, ut Doctor expresse docet 4. d. 43. qu. 4. §. *ad propositum*, & d. 49. quæst. 3. ad 3. quia tale corpus est perfectibile omnino cum ea proportionatum, quod eam valde juvat in operationibus sensitivis, nec ullo modo impedit in intellectivis, quod punctum optime adnotavit Cavell. disp. 4. de Anim. sect. 1. concl. 4. Hic tamen advertendum est, quod cum Doctor negare videtur in anima separata inclinationem, & appetitum naturalem ad corpus mortale, loquitur in sensu reduplicativo, quatenus mortale, alioquin ad corpus, ut sic, concedit in ea inclinationem, & appetitum naturalem, ut constat 2. d. 1. qu. 6. & dist. 17. quæst. 1. B. & dist. 16. qu. un. & quol. 9. M. & 13. ad 1. princ. & 4. d. 12. quæst. 1. L. ubi concedit animam esse actum corporis Physici organici, ut sic, & alibi sæpe.

10 Dices, talis appetitus in anima separata esset frustra, cum naturaliter impleri non possit. Imo debita esset ei reunio, quia appetitus naturalis non versatur nisi circa rem naturaliter debitam, & debito, seu exigentiæ naturali satisfieri debet per vires naturales; ex quo tandem sequitur resurrectionem activam esse naturalem. Resp. negando omnes consequentias illatas, prima quidem, quia ut appetitus ille non sit frustra, sufficit, ut aliquando fuerit expletus, vel saltem expleri possit per aliquod agens, si non intra lineam causarum naturalium, saltem in toto ordine entium, ut notat Doctor quæst. 1. prol. ad 1. pro opin. & 4. d. 43. quæst. 3. ad 1. & d. 49. qu. 11. R. ut constat de corpore organizato, quod est in potentia passiva naturali ad animam intellectivam, & tamen tota natura creata nequit eam inducere. Negat. etiam altera consequentia, quia sola naturalis inclinatio ad aliquam perfectionem *non* inducit debitum, nam gratia perficit animam, & anima ad eam inclinatur, ut in propriam perfectionem, & tamen non est animæ debita; lux etiam naturaliter perficit aerem, nec tamen illi debetur; itaque tunc debitum dumtaxat inducitur, quando agens in eam perfectionem propensum attingere potest dispositionem saltem ultimo ordinatam ad perfectionem illam, hac ratione infusio animæ est corpori organizato debita, quia agens naturale propriis viribus attingit dispositionem ad eam ultimo ordinatam, ut notat Doctor 3. dist. 24. quæst. unic. C. Et hic tandem neg. ultima consequ. quia ex Scot. loc. cit. datur appetitus naturalis inclinationis sine possibilitate assecutionis in appetente, vel ulla causa naturali, quare sequitur, resurrectionem esse naturalem dumtaxat, ut opponitur violento, non autem ut opponitur supernaturali, sicut in cœco remanet appetitus naturalis ad videndum, licet non amplius per vires naturales visum recuperare possit, præterquam quod resurrectio est opus supernaturale quoad modum dumtaxat, non quoad substantiam, sicut & visio cœco restituta; recognosce, quæ diximus disp. 2. Phys. qu. 5. art. 2. & disp. 5. de Gener. n. 178.

12 De hac naturali inclinatione animæ separatæ ad corpus informandum, & reiterandam cum eo unionem maxima orta est contentio annis proxime elapsis inter duos celebres hujus ætatis Philosophos Fortunium Licetum, & Thomam Giliolum, negante illo talem in anima separata inclinationem integro opusculo ad hoc edito *de varia animæ rationalis propensione ad corpus*, & eamdem isto propugnante alio integro opusculo super hoc edito, in quo sect. 1. cap. 5. hanc naturalem inclinationem animæ separatæ ad corpus suum uberrime probat innumeris fere Auctorum testimoniis, & rationibus, & sect. 3. adamussim occurrit argumentis a Liceto congestis pro parte opposita; qui forte Auctores conciliari possent ex nostra resolutione jam allata; Licetus enim ut ejus constat nonnullis rationibus inclinationem negat in anima separata ad corpus mortale, & corruptibile; sed quicquid sit de mente istorum Auctorum, sat nobis sit rem brevibus aperuisse; hoc unum certum est Doctorem non absolute negasse inclinationem animæ separatæ ad corpus ipsorum andum denuo, & appetitum ad unionem cum eo, ut solent passim Auctores illi impingere, sed solum in sensu jam explicato, alioqui sexcentis in locis eam apertissime docuit, ut sedulo observavit Thomas Giliolus opusc. cit. sect. 1. cap. 5.

Postremo hic a nonnullis disputari solet, an ratione naturali probari possit reunionem animæ separatæ cum corpore esse possibilem, quam difficultatem pertractat Doctor ex professo 4. dist. 43. quæst. 2. & adeo exacte, ut nihil nobis hic addendum remaneat.

QUÆSTIO II.

De cognitione, & modo cognoscendi animæ separatæ.

12 DE hac materia fusissime hic aliqui pertractant, nos uno, vel altero articulo omnia concludemus, tum quia multa ad hunc tractatum spectantia constant ex dictis disp. 6. de intellectu conjuncto, tum quia de hac ipsa materia exactissime Doctor disp. 4. dist. 45. per totam; cum autem ex his, quæ ad munus cognoscendi animæ separatæ concurrunt, quædam ad actum veluti primum pertineant, quædam ad secundum; in priori articulo, quæ ad actum primum, in posteriori quæ ad secundum attinent comprehendemus, de quibus hic præsertim solet disputari.

ARTICULUS I.

Quid amittat anima separata, quidve retineat spectans ad cognitionem, & modum cognoscendi.

IN hoc quæsito dubitari solet in primis de ipsis animæ potentiis, præsertim sensitivis, an comitentur animam rationalem e corpore abeuntem; num potius in ipso separationis instanti aboleantur, & quidem quoad hunc punctum nonnulli apud D. Thomam p. p. quæst. 77. art. 8. docuerunt omnes universim potentias, non solum intellectivas, verum etiam sensitivas, & vegetativas comitari animam rationalem, etiam in statu separationis, quibus adstipulatur Gregorius 2. dist. 17. quæst. 3. aliique Nominales, quatenus omnes potentias, tam cognitivas, quam appetitivas realiter ab anima non distinguunt, fatentur tamen, potentias sensitivas nullum habere actum in eo statu, cum in suis functionibus organo indigeant corporeo, quod nullum ibi adest, quare dicunt remanere hujusmodi potentias quoad actum primum dumtaxat, non quoad secundum. Alii e contra volunt in statu separationis, non solum potentias omnes organicas, quales sunt sensitivæ, & vegetativæ, aboleri cum corpore, verum etiam ipsummet intellectum agentem, qui est potentia inorganica, quia tunc cessat omnis ejus operatio abstrahendi species a phantasmatibus, unde ea ratione, qua negari solet intellectus agens in Angelis, eadem quoque negant in anima separata permanere.

13 Dicendum est media via incedendo in statu separationis permanere in anima separata omnes potentias spirituales, & inorganicas, ut sunt voluntas, & intellectus, tam agens, quam passibilis, sensitivas vero, & vegetativas aboleri, non solum

solum quoad actum secundum, sed etiam quoad actum primum. Ita D. Thomas loc. cit. & Scotus 4. dist. 44. qu. 2. §. *ad quæstionem* cum tota Realium Schola, quorum commune fundamentum est (etsi circa distinctionem potentiarum ab anima dissideant) quia omnes potentiæ sensitivæ, & vegetativæ sunt organicæ, & materiales, & proinde fundantur in composito ex anima, & corpore, quo utuntur, ut organo, ad suas functiones obeundas; ac proinde repugnat post corporis destructionem remanere, etiam quoad actum primum completum, & perfectum, quia esto anima remaneat, corpus tamen destruitur, intellectus vero, & voluntas sunt potentiæ inorganicæ, ac immateriales omnino: ideoque destructo corpore, adhuc in sua integra entitate remanent superstites; quæ ratio in universum militat tam de intellectu possibili, quam agente, tum quia ipse quoque intellectus agens non est minus potentia spiritualis, & inorganica, quam possibilis, tum quia esto anima separata phantasmata non retineat, adhuc tamen intellectu utitur agente ad abstrahendas immediate species ab ipsis materialibus objectis, ut cum Doctore 4. d. 45. quæst. 2. §. *contra istum* dicemus quæst. sequenti, quod eadem ratione affirmat quoque de Angelo 2. d. 3. quæst. 11. tum tandem quia etiam Auctores ipsi, qui potentias ab anima reipsa secernunt, & intellectum agentem, non nisi a phantasmatibus species immediate abstrahere volunt, adhuc contendunt, intellectum agentem, etiam in statu separationis in anima permanere, saltem ad ornatum, & integritatem animæ, nec in ea frustra ponetur, quia semel in corpore functus est munere suo, quod sufficit, nec frustra esse dicatur, ut postea ostendemus, nec etiam in anima separata otiari.

Verum quia Doctor tenet cum Nominalibus omnes potentias esse idem realiter cum anima intellectiva in homine, ut constat ex 2. d. 1. quæst. 6. & d. 16. & 4. d. 44. quæst. 1. §. *circa quæstionem*, ubi inquit, quod sensitiva, & vegetativa in homine est eadem cum intellectiva, idcirco d. cit. 44. quæst. 2. §. *ad quæstionem* explicat diserte, quo pacto hæc duo simul cohæreant, quod potentiæ sensitivæ cum anima intellectiva identificentur, & tamen in statu separationis non remaneant, declarat autem sic, quod potentiæ organicæ duobus modis considerari possunt, (id quod sæpius in superioribus disputationibus replicatum est) uno modo pro perfectione illa animæ, quæ est principium operandi ex parte animæ partialiter complet potentiam sensitivam; alio modo accipi po est pro toto conjuncto includente perfectionem illam animæ, & aliam perfectionem corporis mixti correspondentem illi ad operationem communem; potentiæ sensitivæ primo modo inspectæ realiter cum anima intellectiva identificantur, unde hoc modo acceptæ remanent in anima rationali separata; & secundo modo realiter distinguuntur, non quidem adæquate, & omnino, sed ut sunt potentiæ completæ, & perfectæ; ratio est, quia potentia, ut sic, non est præcise principium illud operandi, quod est in anima, nisi partialiter, sed est constatum ex illo principio, & etiam ex forma mixti, ita quod integrum principium sensationis non est præcise forma mixti, nec illa partialis animæ perfectio, sed utrumque simul, unde potentia visiva est quoddam essentialiter includens illam perfectionem animæ, & aliam perfectionem corporis mixti correspondentem isti ad operationem communem, & eodem modo ipsa sensatio est primo totius conjuncti ex istis duobus ita quod proximum susceptivum, & ratio suscipiendi non est in anima, vel aliquid, quod præcise est in anima, nec forma mixtionis in organo, sed forma totius compositi ex corpore mixto, & anima, & talis perfectio est proxima ratio recipiendi sensationem, & ideo illa forma totalis proprie est potentia sensitiva; non autem sola forma mixti, nec sola forma animæ intellectivæ; atque ideo cum res ita se habeat, palam fit, quo pacto bene loquamur, cum absolute asserimus potentias organicas animam intellectivam in statu separationis minime permanere.

Ex hoc fundamento facile est occurrere quibuscumque objectis a Nominalibus in hac materia, arguunt enim, quod, quæ realiter identificantur, per nullam potentiam separari possunt; at potentiæ sensitivæ, & vegetativæ realiter cum anima identificantur in sententia Doctoris, ergo &c. Tum 2. quia memoria est sensitiva facultas, ex lib. de mem. & remin. sed hæc remanent post mortem, cum animæ defunctæ recordentur præteritorum, ut dicemus quæst. seq. Tum 3. quia potentia motiva, quæ est facultas sentientis animæ, remanet in anima separata ex præced. quæstio. Tum 4. ait Arist. 1. de An. 65. quod si senex acciperet oculum juvenis, perfecte videret sicut juvenis, ex quo deducitur organum visus esse quod senescit, & corrumpitur, non autem potentiam ipsam visivam. Tum 5. quia species sensibiles permanent in statu separationis, alioquin non haberet anima separata cognitionem singularium sensibilium, quæ antea novit, ergo eadem ratione potentiæ sensitivæ permanere possunt. Tum 6. quia facultates præsertim cognitivæ dicuntur potentiæ animæ, non corporis, ergo manent quamdiu anima manet. Tum 7. quia potentiæ, non a corpore, sed ab anima fluunt, ergo & in anima subjectari debent, non in corpore, quia potentia vitalis, sicut & actus ipse vitalis in eo subjecto residere debet, a quo fluit. Tum tandem, quia in anima separata erit dolor, & ira juxta illud Evang. ibi erit fletus, & stridor dentium, imo in inferno datur pœna sensus, ut Theologi docent.

14 Ad 1. jam constat ex allata distinctione, quo pacto potentiæ organicæ cum anima rationali identificentur, & quomodo non. Ad 2. jam constat ex disp. 6. quæst. 4. quomodo in homine præter memoriam sensitivam, de qua loquitur Arist. loc. cit. detur quoque memoria intellectiva, & hæc remanet in anima separata, non illa, ut Scotus docet 4. d. 45. quæst. 3. Ad 3. manet in anima separata potentia motiva, non quidem organica, quæ in hac vita motum edit per corporis membra, sed inorganica, ut cum Doctore dicemus quæst. seq. Ad 4. ita loquitur Arist. quia partialis perfectio animæ, quæ simul cum forma mixti concurrit ad constituendam potentiam visivam integram, & completam, numquam senescit, cum sit realitas animæ intellectivæ, ideo si forma mixti, quæ est altera pars sentientis animæ, semper maneret in suo perfecto, potentia visiva, quæ est constitutum ex illis, semper perfecta maneret, & numquam languesceret. Ad 5. ut constat ex dictis disp. 6. quæst. 7. art. 1. nedum dantur singularium sensibilium species sensibiles, sed etiam intelligibiles, & istæ remanent in anima separata; ut mox dicemus, non illæ, & in virtute istarum recognoscit anima separata singularia sensibilia, quæ antea novit. Ad 6. esto potentiæ sensitivæ dicantur potentiæ animæ, sumpta denominatione a parte principali, quia anima est pars principalior concurrens ad ejus constitutionem, tamen dici quoque debent potentiæ corporis, quatenus forma quoque mixti ad earum integritatem facit. Ad 7. licet sensitivæ potentiæ principaliter ab anima fluant, tamen fluunt quoque a forma mixti, & ab utroque adæquate, atque ideo in composito ex anima, & corpore tamquam in subjecto adæquato residere debent. Ad ultim. respondet Doctor cit. 4. d. 44. qu. 2. §. cit. quod secundum August. de Civit. Dei 14. cap. 15. dolor carnis tantummodo est offensio animæ ex carne, & quædam ab ejus passione dissensio, sicut animæ dolor, qui nuncupatur tristitia, est ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt, ex hoc apparet, ait Doctor, quod dolor est passio consequens apprehensionem sensitivam, & in appetitu sensitivo; tristitia autem est proprie in appetitu intellectivo, aut in voluntate, & consequens apprehensionem eventus alicujus objecti nolliti; primum, scilicet dolorem proprie dicturi, non oportet quærere in spiritibus, sive Angelis, sive animabus separatis, nisi fingatur, quod in spiritu separato sit appetitus sensitivus, & pari ratione sensus, & tunc etiam possit sibi inesse passio, tam secundum appetitum illum, quam secundum sensum, quod ridiculum est secundum Arist. 1. de Anim. 64. ubi ait, nil aliud est dicere Animam tristari, vel gaudere, quam texere, vel ædificare, & ideo de dolore, ut distinguitur a tristitia, non oportet quærere causam, nec in spiritu separato, nec in Anima separata, quia non potest esse ibi, quare per flerum, & iram in Anima separata debet intelligi tristitia, quæ illi obvenit ex objectis nolitis. Et hac ratione quoque volunt aliqui ut Dominic. Soto 4. dist. 50. quæst. 1. art. 4. in Anima separata esse pœnam sensus, quæ tamen explicatio satis idonea non videtur, quia si pœna damni posset dici pœna sensus, quia apprehenditur ab intellectu Animæ, ut quid ipsi disconvenientes, ex qua apprehensione sequitur tristitia in voluntate, pœna ergo sensus est pœna corporalis proprie loquendo, seu quæ nata est afficere ipsum sensum, sicut sunt pœnæ provenientes ab extrinsecis objectis, ut est ignis, & si quæ alia sunt divinæ justitiæ instrumenta damnatos in inferno punientia; quo autem pacto talis pœna possit dari in puris spiritibus, qua ratione ignis eos excruciet in inferno, spectat ad Theologos declarare; videatur Doctor loco citato hanc difficultatem pertractans.

15 Secundo principaliter dubitatur de speciebus, & habitibus hic acquisitis, num perseverent in Anima separata, an potius in ipso separationis instanti deleantur; hoc secundum affirmant ex Nominalibus nonnulli; eo quia tam species intelligibiles, quam habitus potentiæ intellectivæ inhærentes essentialiter pendere sunt arbitrati tam in fieri quam in conservari a speciebus, & habitibus partis sensitivæ: atque ideo his abeuntibus, illa quoque deficere sit necesse; & hoc velut probabile tuetur Ocham 4. d. 1. qu. 1. cum quibusdam suæ Scolæ sectatoribus, quod probari solet primo ex Apost. 1. ad Corinth. 13. ubi loquens de statu futuræ vitæ inquit, quod *scientia destruetur*, & idem asserere videtur Eccl. 9. mortui nihil noverunt amplius, nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos. Confirm. ex Arist. in prædicam. qualitatis docente, scientiam longa ægritudine deleri, atque corrumpi, ergo magis per mortem. Tandem probatur ratione, quia species, & habitus intellectus, ut experimento comprobatur, non habent suos actus sine phantasmatibus, unde per læsionem organi sensitivi, & amissionem specierum sensibilium, intellectus quoque suis speciebus, & habitibus destituitur, ergo ad corporis interitum destruuntur pariter & illa. Tum quia ut arguit Doctor, si multæ species conservantur in intellectu separato, difficile est assignare, quæ prior moveat intellectum ad contemplandum objectum per ipsam repræsentatum, in hoc enim casu recurri non potest ad sensus particulares sensibilia percipientes, nec ad phantasmata efficacius, vel minus efficaciter moventia, sicut de intellectu conjuncto solet dici.

Dicendum tamen est juxta naturalem rerum ordinem remanere in anima separata omnes species, & habitus intellectuales, quibus antea prædita erat in statu conjunctionis; ita Doctor 4. d. 45. q. 1. §. *alia opinio*, & est communis in omni scola, de speciebus intelligibilibus: conclusio probata manet ex dictis disp. 6. q. 4. art. 1. n. 67. & 76. ubi fuse ostendimus conservationem specierum intelligibilium in memoria intellectiva, cum enim sint accidentia spiritualia, possunt independenter a corpore conser-

vari,

vari, cumque nullum habeant contrarium, nec habeant rationem transeuntis, ut actus, sed permanentis, ut habitus, & sint in subjecto suaptenatura incorruptibili, qualis est intellectus, videntur etiam post mortem in ipso posse conservari, & quamvis in prima earum acquisitione dependentiam a phantasmatibus habuerint, non tamen deinceps dependent in conservari ab eis, & hæc est ratio a priori, quam Doctor insinuat loc. cit. de permanentia, & stabilitate specierum intelligibilium, & 1. dist. 3. qu. 6. §. *ad rationes*, quam nos fuse prosequimur loc. cit. Probatur etiam a posteriori per experientiam, quia animæ separatæ recordantur præteritorum, ut constat ex parabola divitis Epulonis Luc. 16. talis autem memoratio fit per species, quas habuerunt in statu conjunctionis, fit enim regulariter recordatio per idem prorsus principium, per quod ab initio res cognita fuit, & consequenter per eamdem speciem, cum recordatio sit quasi eadem repetita cognitio, hoc est de eadem re, & iisdem mediis, & ergo debent in anima separata species permanere antea acquisitæ, quam rationem immerito inficiatur Aversa qu. 6it. sect. 5. dicens recordationem de rebus præteritis haberi æque bene posse ab anima separata per distinctas species prioribus consimiles de novo a Deo infusas in statu separationis, quæ repræsentent totum id, quod priores referebant. Hæc instantia parum urget, quia ut dicemus art. seq. anima separata non habet tales species a Deo infusas; tum quia quando etiam id concederetur de anima beata, nequaquam tamen verisimile est de damnata, quia talis infusio specierum pertineret ad ornatum, ut ajunt de Angelis, Deus autem non satagit ornare damnatos. De habitibus quoque eodem fere modo discurrit Doct. quia scientia ex sua parte nata est incorruptibiliter manere, cum habeat necessitatem ex objecto, ex alia quoque parte subjectum habet incorruptibile, nempe intellectum, ergo in alia vita etiam permanere potest hic habitus, quod etiam confirmat ex D. Hieron. in prologo Bibliæ dicente: *discamus in terris, quorum nobis scientia remanebit in cœlis*: valde enim indignum esset tantum laborare circa scientiam, & virtutes, si desinerent esse in morte, & quod de habitibus intellectus asserimus, pariformiter de habitibus voluntatis est asserendum: Diximus autem in conclusione, spectato naturali rerum ordine, quia spectando divinam providentiam, prout de facto statum animæ separatæ disponet juxta ordinem supernaturalem, non relinquet Deus in anima beata habitus erroneos, incertos, & obscuros in intellectu, quos antea habebat, neque vitiosos in voluntate, eo quia tales habitus talem statum dedecent, & sic etiam in damnatis non relinquet habitus supernaturales, nisi forte ad majorem eorum confusionem relinquatur character baptismatis.

Ad locum Apost. adductum in oppositum respondemus cum communi non loqui de naturalibus scientiis, & naturaliter acquisitis, sed specialiter de dono scientiæ comitante fidem, quod quidem cum ipsa fide destruetur ratione obscuritatis, ut patet ex ipso contextu; locum Eccl. exponit ibidem D. Hier. quod Sapiens loquitur in persona stulti, & impii, vel loquitur de damnatis nil amplius cognoscentibus, quod eis prodesse possit ad salutem juxta expositionem Lyrani. Ad Conf. ex Arist. respondetur dictum illud intelligi debere de speciebus sensibilibus, quæ deservunt ad usum habitus scientifici, & in ægritudine languescunt, ac interdum totaliter dilabuntur, quo casu uti non possumus habitu scientifico, quia oportet pro statu isto intelligentem phantasmata speculari. Ad rationem pariter dicitur, quod licet quoad usum pro statu isto dependeant species intelligibiles a sensibilibus quatenus oportet intelligentem phantasmata speculari ob connexionem earum potentiarum in hac vita in operando, non tamen dependent in entitate, & licet dependentiam habuerint a phantasmatibus in prima acquisitione, non tamen ab eis necessario dependent in conservari, sicut nec phantasmata a speciebus; atque ideo facta tali potentiarum dissolutione per mortem, poterunt deinceps species intelligibiles sine sensibilibus conservari, & operari. Ad aliam objectionem respondet ipsemet Doctor, quod supposita æquali inclinatione intellectus ad multa objecta per species impressas præsentia, quod est efficacius, & fortius motivum prius movebit, & prius intelligetur.

16 Tertio tandem quod attinet ad modum cognoscendi animæ separatæ dubitatur, num in eo statu eumdem retineat & exerceat cognitionis modum, quem servabat conjuncta; & quidem certum est non omnino eumdem servare, quia pro hoc statu intelligit cum conversione ad phantasmata ex dictis disp. 6. qu. 1. dum enim est in corpore, sensuum ministerio utitur ad intelligendum, tum propter subordinationem potentiarum pro statu isto, tum quia tamquam forma corporis operatur; at in alio statu, cum sit vinculis corporeis exoluta, erit per se expedita ad intelligendum, nec sensuum subsidio indigebit, nec conversione ad phantasmata, neque in hoc ulla cernitur repugnantia, quia exercitium intelligendi, quantum est ex natura sua, abstrahit a corpore, & a sensibus, & æque bene exerceri potest sensuum ministerio, & absque illis, tum quia dependentia a sensibus pro hoc statu non est essentialis, sed ei accidit ob præfatam potentiarum connexionem, qua dissoluta cessat necessitas talis dependentiæ, unde ex hoc capite perfectiori modo intelligit separata, quam conjuncta, quia talis intelligendi modus est a materia elevatus, & ab actibus corporis independens. Sed dubium est, an intelligat componendo, & discurrendo, ut faciebat conjuncta, num potius absque compositione, & discursu, quemadmodum de Angelis Thomistæ solent asserere; Cajet. p. 1. qu. 89. art. 5. animam separatam absque compositione, & discursu intelligere arbitratur, eo quia D. Thomas quæst. 24. de veritate art. 11. & 3. contra gentes cap. 38. docuit Animam separatam intelligere modo Angelico; Alii vero id negant, Ocham 4. qu. 12. art. 2. Arriag. disp. 10. de Anima num. 39. Aversa qu. cit. sect. 3. Moris. cit. art. ult. & est communis opinio, Conimbr. tandem disp. 4. de Anima separata art. 2. utrumque probabile putant.

Dicendum est, Animam etiam in statu separationis intelligere componendo, & discurrendo, quamvis adhuc perfectiori quodam, & excellentiori modo, quam faceret conjuncta, ita fert communis opinio, & docet expresse Doctor qu. 4. prol. ab initio de intellectu beato, & ratio ejus est, quia intellectus beati non est actus purus, sed potentialis, & plurium actuum receptivus, & discursus exigit ordinem naturæ, non durationis, unde ad eum sufficit, ut principium discursus sit prius naturaliter notum. Confirm. quia actus intelligendi Animæ separatæ finitus, & limitatus est, & essentialiter pendet ab objectis ipsum specificantibus, ergo secundum rem multiplicatur ad multiplicationem scibilium, cum ergo simplices termini, principia, conclusiones diversa sint scibilia, diversæque scibilitatis rationes habentia, intellectus separatus nequibit unico actu apprehendere, judicare, & de illis discurrere. Confirm. ulterius, quia ideo divinus intellectus unico, ac simplicissimo actu ponitur attingere simplices terminos, principia, & conclusiones sine discursu ob suam infinitatem, & sui actus illimitationem, qua ratione Doctor etiam in ipso intellectu Angelico discursum agnoscit 2. dist. 1. qu. 6. A. & dist. 7. qu. un. G. Tandem etiamsi concedatur intellectum solutum principia quædam notissima unico actu apprehendere absque compositione, adhuc tamen non omnia immediate cognoscit, nec omnium rerum species habet præsertim possibilium, ergo saltem ad ea, quorum non habet species, poterit discurrere ex his, quæ immediate novit.

Dices, Animam separatam expeditiori, ac nobiliori modo intelligendi pollere, quam conjunctam, ergo absque compositione, ac discursu intelligit, cui aperte favet D. Aug. 11. de Trin. cap. 16. illis verbis, loquens de intellectu beato, fortasse non erunt ibi volubiles nostræ cogitationes ab aliis in alias euntes, & redeuntes, sed scientiam nostram unico videbimus intuitu.

Resp. animam separatam nobiliori, ac expeditiori modo intelligere, non quia unico intuitu omnia a se cognoscibilia attingat absque compositione, ac divisione, sed quia intelligit absque sensuum ministerio, & sine conversione ad phantasmata; & cognoscit omnia per proprias species, & non per alienas, quæ immediate accipit eas ex ipsis objectis sive substantialibus, sive accidentalibus. Rursus ob expeditionem a sensibus non indigebit tanta compositione, nec adeo laborioso discursu, nec tanta actuum multiplicitate, ut in hoc statu indiget, ubi ob colligationem cum sensibus sæpe debilitatur ex eorum languore, sæpe perturbatur, & confunditur ex eorum perturbatione, sæpe decipitur ex eorum errore & sæpe ab intelligendo cessat, ut in somno, ob ligamentum interni sensus, qua ratione dicebat Sapiens: *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*; verum est tamen, quod ea promptitudo, & solertia, quam in statu separationis habebit, non eam prorsus eximit a compositione, & discursu, & ratio est, quia hic intelligendi modus compositivus, & discursivus non convenit animæ nostræ ex sola sensuum concomitantia, sed ab intrinseco ex debilitate luminis naturalis, & limitatione nostrorum actuum; sic in hac vita videmus aliis alios promptiores, & velociores ad intelligendum, & paucioribus actibus, brevioripue discursu plura assequi, vel ob majorem indolis præstantiam, aut majorem attentionem, vel etiam longiorem exercitationem, similis ergo erit differentia inter modum intelligendi animæ separatæ, & conjunctæ; & forte hoc est, quod intendebat D. August. loc. cit. innuere, nempe miram promptitudinem, ac celeritatem, qua anima beata unum ex alio infert, ut fere unico actu hoc esse facere videatur, quod si alius sit sensus ab. August. intentus, inquit Doct. quæst. 4. prolog. B. non assertive locutum esse, sed dubitative; & si absolute locutus esset, exponi deberet, ait Doctor, de visione beata præcise in ordine ad objectum beatificum.

ARTICULUS II.

Quænam cognoscit anima separata, & quomodo.

17 DUplex præsertim in præsenti proponi solet difficultas, an scilicet anima separata cognoscat omnia, quæ antea noverat in statu conjunctionis, & rursus an possit acquirere cognitionem alicujus prius ignoti, & quidem in hoc conveniunt omnes, quod & cognoscat quæ prius noverat, & quædam etiam, quæ antea non noverat, sed dissidium est de modo, nam D. Thom. p. 1. qu. 89. art. 4. & qu. 9. disp. de anim. art. 20. universaliter affirmat, animam separatam cognoscere per species illi a Deo infusas in statu separationis tam quæ ante noverat, quam quæ ignorabat, cujus fundamentum est, quia Anima separata non potest cognoscere modo naturali per conversionem ad phantasmata, & sensuum ministerio, quibus pro eo statu est destituta, ergo necesse est, ne sit otiosa, quod intelligat per illum modum, quo subsistentiæ abstractæ, illæ autem intelligunt per species influxus a Deo, ergo etiam anima separata eodem modo intelligit. Alii dicunt, necessarium non esse talem influxum specierum ad cognoscenda, quæ antea noverat in statu conjunctionis, sed sufficere species in eo statu acquisitas, quas remanere in statu separationis jam ostendimus; species vero infusas necessarias esse pro cognitione eorum, quæ prius ignorabat, cum

cum illas a rebus ipsis accipere nequeat per opus intellectus agentis, ita Ruvius, Morisanus, & alii Recentiores disp. de Anim. separ. & probabile putant Conimb. Aversa vero qu. 59. sect. ult. concedit Animam separatam, sicut & Angelos posse quidem species accipere ab objectis spiritualibus, non tamen a materialibus, & ideo ad istorum saltem cognitionem, necessariam ait esse infusionem specierum a Deo. Alii inquiunt tales novas species utique necessarias esse, sed non necessario a Deo infundendas, sed ex natura ipsa Animæ, tamquam passiones ab essentia manantur in statu separationis sicut ab initio manant potentiæ ab essentia, pro quo citatur Fonsec. 2 Met. cap. 1. qu. 2. sect. 7. Scotus tandem cum suis asseclis 4. d. 45. qu. 2. negat universaliter hunc influxum, vel effluxum specierum, dicens pro cognitione rerum, quas antea noverat anima separata, sufficere species antea acquisitas in statu conjunctionis, & pro cognitione aliarum, quas successive novit, sufficere species ab ipsis rebus acquisitas ope intellectus agentis, qui in ea omnino otiosus non est.

18 Dicimus primo animam separatam cognoscere quæcumque antea noverat per easdem species prius acquisitas; ita Doctor cit. 4. dist. 45. qu. 1. & sequitur ex dictis art. præc. ubi conclusum est, animam in statu separationis retinere quæcumque necessaria sunt pro cognitione illarum rerum, facultatem nempe intellectivam integram, & species intelligibiles earum rerum, hæc autem duo sunt integra, & sufficientia cognitionis principia ex dictis disp. 6. ergo &c. Respondent Thomistæ, negatur assumptum, quia intellectus humanus ex natura sua habet, ut intelligat convertendo se ad phantasmata, & quia natura animæ post mortem non mutetur, ut in statu separationis intelligat, recurrendum est ad species a Deo infusas, cum ei deficiat sensuum ministerium. Contra, quia falsum est intellectum in operando suapte natura a phantasmatibus dependere, quia ut dictum est, exercitium intelligendi, quantum est ex natura sua abstrahit a corpore, & a sensibus, & colligatio potentiæ intellectivæ cum sensibus est accidentalis, & ex magna parte pœnalis, non autem ei connaturalis ex qu. 1. disp. 6. cum ergo præsto habeat species intelligibiles rerum antea cognitarum, ut etiam ipse D. Thom. concedit, omnino superfluum est novas species infusas ingerere, unde D. Thom. minus consequenter loqui videtur, dum ex una parte concedit animam separatam hinc species exportare rerum, quas noverat, & ex alia novas species infusas earumdem apposuit pro earum cognitione. Præterea, quod licet tales species asportet, tamen illæ non sufficiunt pro cognitione rerum, quas repræsentant, & ratio est, quia in intellectu conjuncto non sufficit species intelligibilis ad intellectionem sine phantasmate, talis autem species non est perfectior in intellectu separato, quam conjuncto, si ergo hic se sola non sufficit absque phantasmate, nec etiam ibi sufficiens erit. Contra, quia etiam usus specierum haberi potest sine concursu phantasmatum absolute loquendo, ut enim notat Doctor huic occurrens instantiæ loc. cit. lit. E. si species intelligibilis in intellectu conjuncto non sufficit sine phantasmate, hoc non est, quia phantasma requiratur ibi, tamquam principium aliquod actus intelligendi, sed præcise requiritur ut principium operationis virtutis phantasticæ, & illa operatio requiritur ad intellectionem ob connexionem potentiarum superiorum, & inferiorum in agendo pro statu isto. Respondent, quod sicut anima separata in essendo accedit ad esse angelicum, ita etiam in operando, & ideo intelligere debet modo angelico, nempe ministerio specierum a Deo infusarum, non autem antea acquisitarum. Contra, quia esto perfectior sit modus intelligendi animæ separatæ, quam conjunctæ, tadhuc tamen intelligendo deficit a perfectione angelica; tum quia falsum est angelos intelligere solum per species a Deo infusas, ut Doctor ostendit 2. dist. 3. qu. 11. tum quia si species intelligibiles hinc asportatæ ab anima separata sunt illi statui improportionatæ, & ad illum intelligendi modum ineptæ, erunt in eo statu penitus otiosæ, & consultius esset negare, quod hinc asportentur, cum ad nihil prorsus inservire possint; tum tandem quia tunc duo forent accidentia ejusdem speciei in eodem subjecto, scilicet species infusa, & antea acquisita ejusdem objecti, quod negat D. Th. vide Doct. loc. cit. qu. ubi erudite hoc argumentum prosequitur ad hominem.

19 Sed objicies, quod anima separata indigeat omnino speciebus infusis etiam ad ea cognoscenda, quæ antea noverat, quia in eo statu perfectiores habet cognitiones, ergo & perfectieres species illis, quas hinc asportat, si enim non sunt perfectiores species, non videtur ex quo capite perfectiorem eliciat cognitionem. Tum quia species, quas hinc defert, ex phantasmate ortum habent, ergo sine phantasmate nec objectum repræsentant, nec in actum prodire possunt, aliæ ergo sunt necessariæ ad illum modum intelligendi proportionatæ a Deo infusæ. Tum deinde quia tunc animæ parvulorum hinc in maternis uteris descendentium nihil omnino intelligerent, cum hinc nullas species asportent. Tum tandem quia modus operandi sequitur modum essendi, cum ergo in statu separationis non informet corpus, sed se habeat ad instar angeli, ex consequenti debentur ei principia tali modo operandi congrua, qualia dumtaxat sunt species a Deo infusæ, non autem hinc asportatæ, quæ suapte natura a phantasmatibus dependent, sicut ex eisdem ortum habuerunt.

Resp. ad 1. neg. conseq. cum ejus probatione, potest enim habere perfectiorem cognitionem de objectis antea notis per species denuo acquisitas, nam substantiam, verbi gratia, cognoscit in eo statu per propriam speciem, & genuinam, quam in hoc statu cognoscebat tantum per speciem alienam, & potest etiam per eadem species perfectiorem cognitionem habere, quia perfectius utitur illis speciebus, cum enim in eo statu promptior sit, & expeditior ad operandum, utpote a sensuum pondere exsolutus, cum eisdem speciebus perfectiores eliciet actus, sicut inter homines qui vegetiori pollet ingenio ex eisdem, & similibus speciebus perfectiores elicit discursus alio minus vegeti ingenio. Ad 2. jam diximus, quod licet species intelligibiles in prima acquisitione a phantasmate ortum habuerint, deinceps tamen in conservari ab eis non dependent, neque in usu simpliciter, & absolute loquendo, quia dependentia, quam modo habent pro statu isto quoad earum usum, non oritur ex natura ipsarum, sed ex connexione potentiarum superiorum, & inferiorum, qua dissoluta per mortem, talis quoque dependentia cessat. Ad 3. gratis concedimus infantes illos nil cognoscere per species prius acquisitas; cum supponatur nil antea novisse, adhuc tamen recurrere non oportet ad species infusas, quia poterunt res intelligere per species acquisitas, ut dicemus concl. sequenti. Ad 4. concedimus futurum juxta naturalem rerum ordinem, & ex naturæ debito, nisi aliter Deus disponere velit juxta supernaturalem suæ providentiæ ordinem, quod etiam concedere videtur D. Thom. cit. qu. 89. articulo quinto ad secundum. Ad ult. negamus species hic acquisitas non esse illi statui proportionatas, cum suapte natura indifferentes sint, ad repræsentandum objectum cum phantasmatum adminiculo, & sine illo, quod si tales species ponantur omnino, & semper a phantasmate dependentes, præstat negare, quod hinc asportentur, quam illas reservare, ut perpetuo maneant otiosæ, sicut faciunt Thomistæ.

20 Dicimus secundo, animam separatam cognoscere res antea ignotas per species ex illis rebus collectas ope intellectus agentis, ita Doctor cit. 4. d. 45. qu. 2. & idem docet de Angelo 2. d. 3. qu. 11. & potest primo probari a sufficienti aliarum opinionum rejectione, non enim in primis cognoscere potest per species ab ipsa anima separata immediate manantes, quia ut docet Scot. 1. d. 3. q. 7. intellectus ex se ad nullum objectum determinatus est, nec objecta alia a se continet eminenter, & virtualiter, alioquin se solo sufficiens esset ad eliciendam intellectionem, nec indigeret speciebus, & concursu objecti, ergo fictitia est, & prorsus vana talis specierum emanatio ab intellectu separato, probatur consequentia, quia talis specierum emanatio fieri non posset, nisi specierum illarum objecta virtualiter contineantur, ac eminenter in intellectu; tum quia hac ratione omnes prorsus res tam creatas, quam creabiles intelligeret, quia non esset major ratio, cur potius horum objectorum species fluerent ab anima separata, quam aliorum, tum tandem quia si talium specierum effluxus daretur ab anima separata, etiam dari deberet in anima conjuncta, quia spiritalis illa emanatio non videtur cur a corpore impediatur, actualis effluxus non datur in anima conjuncta, cum hæc species exhauriatur phantasmatibus, ergo, &c. Neque cognoscit anima separata res antea ignotas per species a Deo infusas, quia tales species sunt omnino superfluæ, ergo cognoscit per acquisitas ope intellectus agentis: probatur assumptum, tum quia si præsentatis objectis extrinsecis non potest prodire in actum per species ab eis acceptas, sed eget peculiari specierum influxu a Deo, anima inferioris erit conditionis lapide, & alia quacumque creatura, quia omnis alia creatura præsente passo cum communi influxu potest operari, & anima non posset, tum quia vel objectum præsentatum est spirituale, vel materiale; si spirituale, nulla est necessaria species infusa, cum tale objectum sit ita de se proportionatum ad imprimendam sui speciem in intellectu, sicut sensibile in sensu; si vero est materiale, præsto est intellectus agens, cujus munus est res materiales depurare, & species intelligibiles abstrahere, ergo tales species a Deo, vel Angelis infusæ non sunt necessariæ.

Respondent Thomistæ non posse objecta materialia immediate intellectum movere, & illi species imprimere, sed mediis sensibus debent prius attenuari, ac veluti spiritualizari, ut postea a phantasmasibus species abstrahantur intelligibiles, neque ob id vilificatur natura animæ intellectivæ, quia objecta materialia non sunt passa proportionata respectu intellectus, cum non sint actu intelligibilia, sed potentia. Sed contra, quia saltem ab objectis immaterialibus poterit immediate recipere species, ut hac ratione convictus fatetur Aversa, quia res spirituales sunt plane proportionatæ ad similes species imprimendas totaliter in intellectu, ut docet Scot. quol. 15. art. 1. §. *si vero teneatur*, sed neque etiam pro objectis materialibus responso allata satisfacit, ut facile ostendit Doctor cit. 4. d. 45. qu. 2. quia si phantasma talem habet proportionem cum intellectu agente, ut possit ab ipso immediate abstrahere speciem, cum tamen & ipsum sit in materia, & in organo extenso; idem quoque asseri poterit, ac debebit de objecto ipso externo, & parum refert, quod phantasma sit attenuatum, & minus materiale, quam objectum ipsum exteriorum, quia nihilominus adhuc continetur in serie entium materialium. Tum quia nihil est in phantasmate, propter quod sufficiat ad causandum cum intellectu agente speciem intelligibilem, quin eminentius sit in re, cujus est phantasma. Tum quia cum intellectus separatus sit multo liberior, & expeditior in operando, quam in corpore, majorem quoque habebit virtutem abstractivam, adeout si in corpore eget imaginationis adminiculo ad abstrahendas species, extra corpus non illo egebit, sed immediate poterit ab objectis abstrahere, & sic maior intellectus activitas impedimentum majoris materialitatis compensabit.

Tum

Tum quia ut arguunt Conimbr. disp. secunda de anima separata art. quinto, ubi probabiliter nostram tuentur sententiam, si Thomistæ adeo sollicite phantasma exigunt, ut ab eo desumantur species intelligibiles, quamvis hoc desit animæ separatæ, poterit saltem ipsa se applicare phantasmati in aliqua anima conjuncta residenti, neque enim opus semper est, ut una causa insit alteri, sed sufficit intima assistentia. Tum quia quamvis objecta sint materialia, hoc non impedit, quin possint saltem partialiter minus principaliter concurrere ad impressionem speciei in intellectu animæ separatæ, quemadmodum de facto phantasma concurrit ad impressionem ejus in intellectu conjuncto ex dictis disp. 6. qu. 5. art. 1. sed materialitas impedit solum, ne objecta materialia totaliter imprimant speciem in intellectu, ut faciunt spiritualia. Tum tandem quia anima separata objecta quoque materialia intuitive cognoscit, ut supra diximus, & colligitur ex dicto Divitis Lucæ 16. *crucior in hac flamma*, sed objecta intuitive cognita speciem quoque sui imprimunt, in potentia sic cognoscente; vel tamquam comprincipium intellectionis, ut volunt Adversarii, vel saltem effectum prævium.

Ex quo deinde deducitur satis vilificari naturam animæ rationalis ab opposita sententia, quia cum sit natura cognoscitiva debet habere naturalem virtutem sibi comparandi comprincipia requisita; inter quæ sunt species. Tum quia perfectionis est anima conjuncta, quod acquirat species, quibus cognoscat, & ad hunc finem habet intellectum agentem, ergo non potest absque præjudicio dignitatis ejus hoc ei denegari in statu perfectiori separationis. Tum quia natura non est sine propria operatione 2. Cœli 17. anima autem humana est perfectissima forma, & ejus propria operatio secundum intellectum possibilem est intelligere, secundum agentem abstrahere, & secundum voluntatem velle, ergo nullus modus essendi potest convenire animæ secundum naturam suam, in quo non possit in istas operationes, secundum autem naturam suam talis est, quod potest habere esse separatum, & hoc est ex perfectione naturæ suæ, unde hoc non convenit aliis formis imperfectis, ergo in illo esse potest in illas omnes operationes, & sicut si in tali statu intelligere non posset, manca diceretur, & defectuosa, si pariter manca foret, sic si non posset species ab objectis colligere. Tum tandem, quia cum objectum materiale dicitur esse potentia intelligibile, non actu, hoc non est intelligendum respectu cujuscumque intellectus, quasi intrinsecam habeat conditionem intelligibilitati repugnantem, sed tantum respectu intellectus conjuncti, quatenus oportet, quod prius per omnes sensus transeat ad phantasiam, & hinc ad intellectum, ideoque a tali intellectu non est actu intelligibile, & immediate, sed potentia, & mediate, ut fuse ostensum est disp. 6. qu. 5. & q. 8. art. 2. cum igitur anima separata tale impedimentum non habeat, poterit immediate ab objectis etiam materialibus species abstrahere. Vide Scotum loco citato, ubi probat, etiam animam separatam posse cognitionem acquirere objecti antea ignoti, nedum abstractivam, ut hactenus probatum est, sed etiam intuitivam, quæ utique deneganda non est intellectui separato.

21 Sed contra hoc assertum solet arguere, quia objecti ad potentiam debet esse aliqua convenientia, sed objecti materialis ad potentiam totaliter a materia separatam nulla est convenientia, ergo &c. Tum 2. quia non fit transitus ab extremo ad extremum, nisi per medium, sed res extra est omnino materialiter, in intellectum omnino immaterialiter, ergo oportet, quod transeat per medium, scilicet per sensum, in quo medio modo se habet, cum ergo anima separata sensu careat, neque immediate moveri a rebus materialibus extra. Tum tertio, anima nostra ideo in corpore accipit species, & cognitionem a rebus, quia est unita corpori, modus enim operandi sequitur modum essendi, cum est a corpore separata, non pendet in cognitione a rebus mendicando species ab illis. Tum quarto, quia unio ejus ad corpus est causa præcisa, cur accipiat species, & cognitionem a rebus, alioquin talis unio esset frustra, aut enim illa unio est propter bonum animæ, aut propter bonum corporis; non secundum, quia forma non est propter materiam, sed e contra 2. Phys. ergo propter bonum animæ; ut accipiat nimirum cognitionem e rebus. Tum quinto, agens est præstantius passo; ergo corpus nequit agere in animam imprimendo illi species. Tum tandem, quia si objectum materiale species transmittit ad intellectum separatum, vel illæ species sunt materiales, & hoc non, quia tunc non reciperentur *in* intellectu, vel sunt immateriales, qualis est aer, per quod transire debent.

Istæ rationes non solum facilis sunt solutionis, sed etiam a Doctore retorquentur loc. cit. 4. dist. 45. qu. 2. & 2. dist. 3. q. 11. primam itaque rationem retorquet in 4. loc. cit. §. *hic tenetur*, quia phantasma quoque est materiale, & extensum, cum sit in organo extenso, & tamen agit in intellectum possibilem imprimendo species intelligibiles cum intellectu agente etiam secundum Adversarios, & talem habet convenientiam cum intellectu, qualem requirunt inter objectum, & potentiam, dicendum itaque quod objecti ad potentiam non debet esse convenientia similitudinis, vel proportio commensurationis, alioquin nec Deus ista materialia intelligere posset, sed sufficit proportio moventis ad mobile, qualem inter objecta materialia, & intellectum optime intercedere ostendimus disp. 6. n. 64. 92. & 195. quam solutionem late declarat Doctor loc. cit. Ad 2. occurrit Doctor prius retorquendo rationem, quia quod est medium virtuti debiliori, & alligatæ, non est opus ut sit medium virtuti fortiori, & solutæ, ut constat de translatione corporis de uno in alium locum respectu virtutis naturalis, & supernaturalis, cum ergo intellectus extra corpus multo liberior sit, & expeditior in operando, paucioribus egebit adminiculis, ut species intelligibiles efficiat, poteritque immediate illas abstrahere a rebus extra; dicendum igitur quod esse imaginatum proprie non est medium inter sensibile, & intelligibile, sed est extremum ab intelligibili conditionatum, & sub sensibili contentum, quod sub se diversos continet sensibilitatis gradus, vel si est medium, non est medium simpliciter necessarium respectu cujuscumque intellectus, quia tunc nec intellectus divinus, nec angelus res materiales intelligere possent, cum sensu careant, sed tantum respectu intellectus conjuncti eo modo, quo declaravimus disp. 6. n. cit. 64. 94. & 195. Ad 3. unio animæ ad corpus non est causa, cur accipiat cognitionem a rebus absolute loquendo, sed cur accipiat mediis sensibus, & potentiis corporeis, & ideo facta illius unionis dissolutione poterit deinceps anima immediate a rebus species, & cognitionem accipere, quare retorqueri potest ratio in adversarios. Ad 4. etiam & illa facile retorquetur; quia si naturaliter anima accipere potest notitiam rerum a superiori, frustra unitur corpori, ut accipiat ab inferiori, ait ergo animam primario uniri corpori ob perfectionem totius inde resultantis, non autem ob cognitionem, aut collectionem specierum, vel si unitur ob cognitionem, hæc non est intellectiva, quia sine unione ad corpus haberi potest, sed sensitiva, ut notat Doctor 4. dist. 43. qu. 2. §. *de tertia*, vel tandem si unitur ob cognitionem quoque intellectivam, adhuc frustra non unitur, licet alia via acquiri possit, quia ad eumdem finem diversa media adhiberi possunt, ut sanitas si potest acquiri per lotionem, aut potionem, non frustra fit lotio, si per potionem potest acquiri. Ad 5. retorquetur in Adversarios, quia & ipsi admittunt phantasma agere in intellectum possibilem, eique speciem imprimere simul cum intellectu agente, itaque assumptum valet de agente totali non partiali, sicut in proposito esset corpus, non enim esset agens totale in productione speciei, sed partiale concurrens ad ejus productionem simul cum intellectu agente, ut cum principali concausa. Ad ult. species producta esset immaterialis ope intellectus agentis, bene enim res materialis concurrere potest ad productionem rei spiritualis partialiter, & minus principaliter, ut disp. 6. dictum est de phantasmate respectu speciei intelligibilis, neque talis species diffunderetur per medium, quia non est capax hujus formæ, neque alterius instar dispositionis ad eam requisitæ, sed immediate efficeretur in intellectu, nec inconvenit actionem fieri immediate in distans in isto casu, ut dictum est disp. 7. Phys. qu. 4. art. 3.

22 Postremo pro complemento hujus quæstionis, videndum est, quodnam sit adæquatum objectum intellectus separati, & quid ad eum statum pertineat cognoscere; & quidem quid possit intellectus solutus cognoscere, & quodnam sit objectum ejus adæquatum satis constat ex dictis disp. 6. qu. 6. art. 1. ubi enim finitum, & limitatum constituimus objectum intellectus creati ex natura potentiæ, unde cognoscere potest ex sua naturali virtute exacte, & distincte seipsum, proprios actus, species, & habitus; potest insuper cognoscere omnia accidentia tam materialia, quam spiritualia, omnes item substantias sensibiles, & insensibiles, ac etiam ipsas cordium cogitationes (si a Deo permitteretur) quia hæc omnia continentur sub ente finito, & limitato, etiamsi quædam ordinis sunt supernaturalis, non enim quæcumque supernaturalitas ea extrahit extra spheram objecti adæqua i intellectus ex natura potentiæ. Itaque sola remanet difficultas quid de facto cognoscat, & quid ad eum statum pertineat actu cognoscere; D. Thom. p. p. qu. 89. art. 3. affirmat, animam separatam habere cognitionem omnium rerum naturalium per species in eo statu ei connaturaliter infusas, imperfectam tamen, & confusam; alii vero ulterius addunt esse exactam, & distinctam, ita Ægyd. quol. 5. qu. ult. Suarez lib. 6. de anim. cap. 7. Conimb. disp. 5. de anim. separ. art. 1. Ratio eorum est, quia anima separata ex natura sua habet facultatem omnes res naturales cognoscendi, & tunc nullo impedimento detinebitur, quominus omnes cognoscat, fine connaturali, ac debita erit animæ separatæ talis notitia, qua ratione asserere quoque solent Theologi Angelis ab initio fuisse omnium naturarum creatarum species inditas, quia hæc omnia cadunt sub adæquato intellectus angelici objecto.

23 Hac in re nihil omnino certi determinare possum, quod enim inquiunt relati Auctores animam separatam res omnes naturales cognoscere debere, quia habet facultatem ea cognoscendi, & sub adæquato ejus objecto contineatur, prorsus vanum est, quia a possibili ad factum argumentari non valet; tum quia habet quoque facultatem cognoscendi res omnes in individuo, & quoad existentiam, nec ob id dicimus illam habere de facto talem notitiam. Itaque hac in re affirmare debemus, quod magis ad probabilitatem accedit; probabile itaque est animam separatam seipsam, suas potentias, actus, species, & habitus intuitive cognoscere, alia vero objecta non attingere tali cognitione, nisi fuerint ei sufficienter approximata, quia ut inquit Doctor cit. quæst. 2. §. *ad quæstionem*, distantia immoderata objecti etiam apud intellectum solutum impedit intellectionem ejus intuitivam; quo vero ad cognitionem abstractivam, si anima separata species accipit ab objectis, ut probabilius est, *solum illorum* objectorum poterit species habere, quibus sufficienter approximata fuerit ad species excipiendas, cum enim objecta concurrant ad productionem earum *specierum* in anima, & ad hoc requiratur approximatio, solum ea objecta poterunt concurrere, quibus approximata fuerit anima, neque opus erit talem approximationem esse immediatam, sed satis erit animam ad eum locum accedere, quo possit species ab objecto excipere, & sit intra

tra sphæram activitatis objecti, si vero species accipiat a Deo, ut volunt Thomistæ, divinent ipsi quorum objectorum species accipiat, & quorum non, nam utique anima separata deficit in perfectione ab angelo, atque ideo nulla necessitas adest, quod si angelus a suæ creationis initio omnium naturarum species accipiat a Deo, pariter & anima recipiat in ipso separationis instanti, satis etiam probabile est, animam separatam plura de facto cognoscere, quam in statu conjunctionis, quia est magis libera, & expedita ad contemplandum, nec sensuum pondere deprimitur, tum etiam quia ut Doct. advertit l. c. §. *ad quæstionem*, quamplura addiscit anima separata ab aliis animabus magis instructis, & sapientibus, ac etiam ab ipsis Angelis, talis enim societas, & commercium inter substantias separatas omnino admittendum est; de hac re videatur Rubion. 4. dist. 45. ubi satis eleganter, & ad mentem Doctoris de hac materia discurrit.

QUÆSTIO III.

De loco, motuque locali Animæ separatæ.

24 Quod modum essendi in loco Animæ separatæ dubium est commune ad alias quoque substantias separatas nempe Angelos, & quia de modo essendi in loco rerum spiritualium egimus ex professo disp. 11. Physic. q. 5. art. 2. nil peculiare hic occurrit dicendum; si vero quæratur locus determinatus, in quo veluti habitare debeant Animæ separatæ, posteaquam ex hac vita decesserint, videatur Joannes Cottunius in suo opere de triplici statu Animæ rationalis disp. 10. ubi agit de loco Animæ separatæ cum ex Veterum sententia, tum secundum veritatem, videbis enim & illos priscos Philosophos piis animabus, quæ præsentem vitam probe transegissent, in domicilium assignasse locum delitiis, & voluptatibus refertum, insulas nempe beatorum, aut Campos Elysios, impiis vero, & quæ belluino more vixissent, locum tenebricosum pœnis omnibus exundantem, Tartarum, seu barathrum appellatum; nobis nosse sat est ex nostræ fidei dogmatibus pias Animas pro habitaculo Cœlum possidere, vel Purgatorium ad tempus, & damnatas Infernum: Animas tandem infantium sine baptismo decedentium cum originali in locum ferunt recipi vocatum Limbum, ubi Animæ SS. Patrum ante Christi Domini adventum detinebantur.

25 Quoad motum localem Animæ separatæ, primo dubitari solet, num Anima separata sit capax motus localis sive a se, sive ab alio, & quidem non defuerunt, qui eam putaverint esse immobilem, & ita præsertim cum aliis quibusdam paucis sensisse videtur Durand. 3. dist. 22. q. 3. Cæterum certius, quam probatione egeat, esse debet, Animam separatam esse mobilem de loco ad locum, & contrarium asserere temerarium videtur, & *doctrinæ nostræ fidei* valde dissonum, quæ quidem docet animas improbas ad infernum rapi, probas autem ad Cœlum tolli, & evolare, & Animam Christi in triduo ad inferos descendisse, quam auctoritatem incassum extorquere conatur Durand. cit. ut suas defendat ineptias; imo ratio ipsa naturalis id evidenter convincit, quia quando homo moritur hic vel alibi, utique Anima in eo loco, ubi moritur, fixa minime manet, & immobilis, sed alio fertur, & potest Anima ab homine in quocumque loco separari, ergo est capax anima mutationis localis, sicut Angelus, non habet determinatum locum, seu alicui loco determinato alligata non est; at quæso ne tempus teramus in re manifesta.

26 Deinde rationabilius dubitatur, num anima separata seipsam possit *localiter movere*, & habeat virtutem intrinsecam ad se movendam; Negant Thomistæ nonnulli, quos referunt Conimbricens. suppresso nomine disp. 6. de Anima separata art. 2. asserentes Animam separatam a Deo, vel Angelis solum localiter moveri, non vero a se ipsa, hinc Lucæ 16. Anima Lazari ab Angelis dicitur in Abrahæ sinum sublata, & ab Ecclesia piæ Animæ e corporibus egressæ dicuntur ab Angelis suscipi, & ad patriam Paradisi perduci; Neque pro illis deest valida ratio, potentia enim loco motiva, quam habet Anima in corpore, est materialis, & organis corporeis affixa non minus, quam auditiva, visiva, cæteræque sensitivæ potentiæ, sicut ergo in separatione eas non retinet integras saltem, & completas, quales desiderantur ad sensationes exercendas, nam in tali esse integro, & completo ex partiali Animæ realitate, & corporis constituuntur, ita nec potentiam loco motivam retinebit, quam in corpore exercebat.

27 Dicendum tamen est, Animam separatam habere talem virtutem, posseque localiter se movere, ita communis, & Doctor 4. dist. 10. qu. 7. §. *respondeo*, & fusius dist. 49. qu. 14. §. *respondeo*, quod probat, quia inconveniens videtur, quod Anima separata in aliquo loco existens ab eo se dimovere non possit, sed ibi perpetuo manere cogatur, imo semper suo cadaveri alligata, ut spondilus scopulo, quia sic quantum ad hoc longe imperfectior corpore foret, quod gravitate sua se movet de loco ad locum, quamvis nec libere, nec progressive; Tum quia illud agens potest in aliquem terminum, quod potest habere in virtute sua activa illum terminum, sed terminus motus localis non est, nisi ubi, & ille terminus est imperfectior termino cujuscunque alterius motus, & ideo nullum est corpus ita imperfectum, quod non habeat in virtute istum terminum, ergo Anima separata potest se movere de loco ad locum, quamvis non organice, quia de se organa non habet. Tum quia si repugnat Animæ separatæ talis virtus, vel id esset ex perfectione, scilicet intellectualitate, vel ex imperfectione, non primum, quia se movere convenit naturæ intellectuali scilicet Angelo, neque secundum, quia convenit corpori, quod est ens imperfectum. Tum quia aliæ actiones perfectiores ei conveniunt, ut intelligere, & velle, ergo etiam se movere, quæ est imperfectior; Tum quia nequit assignari ratio, cur id conveniat animalibus, quia vivunt, & non animæ, quæ est fons vitæ. Tum tandem, quia si se movet in corpore, ergo & extra corpus, unio enim ad corpus est conditio, ut moveat corpus, non autem seipsam.

Nec modi loquendi Scripturæ Sacræ, sanctæque Ecclesiæ de animabus a corporibus egressis priori sententiæ suffragantur, nam si interdum dicunt Animas pias ab Angelis in Paradisum deferri, frequenter etiam dicunt illas ad Cœlum evolasse, & in Paradisum migrasse, neque ex hoc quod Animæ sanctæ ad Cœlum ab Angelis evehantur, aut improbæ a Dœmonibus ad tartara rapiantur, virtute intrinseca se movendi privatæ censeri debent, nam & homo potest ab extrinseco motore deferri interim retinendo suam virtutem motivam; & præsertim cum piæ Animæ dicuntur ab Angelis in Cœlum *tolli*, & impiæ a Dœmonibus in tartara detrudi, significari solet comitatus Angelorum, vel Dœmonum, quo honoratur, vel dehonoratur iter earum in loca eis convenientia.

28 Ad rationem in oppositum, quæ utique spernenda non est, duplicem Doctor assignat respondendi viam locis citatis, nam in 4. dist. 10. q. 7. geminam ait Animam habere virtutem motivam, unam in se spiritualem, & inorganicam, alteram materialem, & organicam, & hæc utique amittitur in separatione Animæ a corpore, sicut cæteræ potentiæ sensitivæ, nimirum quantum ad complementum, & integritatem ex organo, cui sunt affixæ, resultantem, sed alia virtus motiva, nempe spiritualis, & inorganica retinetur ab anima in statu separationis, quam solutionem amplectitur Aversa q. 59. cit. sect. 2.

Sed contra hanc viam emergunt graves difficultates, quia Anima hic in corpore nulla signa præbet talis virtutis motricis, ergo gratis admittitur, & sine sufficienti fundamento. Tum quia si daretur, esset ejusdem rationis cum altera; Tum denique quia si daretur, esset penitus frustra, quia non potest ad actum reduci pro statu isto; alioquin posset se a corpore expedire, & rursus ad illud redire ad libitum.

29 Resp. ad p. Doctor cit. 4. d. 10. q. 7. Christum Dominum, aliosque Sanctos sæpius usos fuisse illa potentia movendi inorganice, ut quando elapsus est de manibus Judæorum, qui eum duxerunt ad montis cacumen, ut præcipitarent, Lucæ 4. & quando etiam hæc potentia motiva inorganica nobis per sensum non innotescereet pro statu isto, adhuc tamen neganda non est, quia convincitur per rationem; ait Doctor 4. d. 49. q. 14. infra lit. B. neque ita necessarius est ejus usus sicut intellectus, & voluntatis, ut ejus inditia frequenter ostendantur, quia inservire non debet pro statu conjunctionis, sed tantum pro statu separationis. Ad 2. negat Doctor conseq. quod essent illæ virtutes ejusdem rationis, quia organica nequit movere corpus totum simul, sed ordinate per partes; ut constat in motu progressivo animalis, at virtus inorganica movet totum corpus simul, ex quo deducitur has virtutes esse diversæ rationis, sicut & actiones earum. Ad 3. negat ibidem Scot. conseq. quia nunc gustum, & alios sensus ponimus necessarios esse ad perfectionem naturæ humanæ; & tamen non oportet, omnes istos esse in actu suo aliquando, sed possunt esse fine actu suo, ut in beatis; Nec tamen sunt frustra, quia pertinent ad perfectionem naturalem illius, in quo sunt, si ergo illi non sunt ibi frustra, quorum tamen usus est frustra pro illo statu, qui est simpliciter status perfectus naturæ humanæ, possibilis autem est status illorum præcise pro statu isto naturali, multo magis potentia illa motiva non organica non est frustra, licet usus ejus non possit modo haberi, cujus tamen usus erit perpetuo in beatitudine, quia non tantum poterit tunc beatus movere corpus suum progressive, idest movendo primum unam partem, & deinde aliam per illam, & sic totum, sed statim, & immediate moveri poterit totum corpus secundum Ubi sine tali ordine partium; Præsertim vero nequit a corpore egredi, & ingredi ad libitum, quia, ut diximus, modo non exercet nisi potentiam motivam organicam, & hanc exercere non potest circa seipsam, sed tantum circa corpus, tum quia modo non operatur nisi ut forma, nec solvere potest, nec facere sui ipsius reunionem cum materia ex dictis disp. 5. Phys. q. 3. art. 3. cum hæc unio sit vinculum naturale, & necessarium ex dispositionibus aptis necessario pendens.

30 Aliam viam solvendi, quam sequitur Arriag. cit. affignat 4. dist. 49. qu. 14. §. *respondeo* lit. C. negando hanc virtutem motivam animæ separatæ esse diversam ab ea, quam exercet in corpore, quia *nunquam ponenda est pluralitas sine necessitate*, opus autem non est ponere duplicem virtutem motivam in Animæ respectu corporis sui movendo unam organicam, alteram inorganicam; potest enim uterque motus salvari ponendo eandem virtutem motivam in anima; hoc autem ita declarat Doctor, aliqua perfectio potest competere animæ secundum se, secundum quam est principium alicujus effectus, non tamen potest ipsum exequi in remotiori parte, nisi exequatur effectum illum in propinquiori, sicut anima non potest animare partem remotiorem a corde, nec dare sibi vitam organice, nisi det cordi vitam, quo mediante influat vitam in cæteras partes *magis* distantes, sicut patet per Philosophum in lib. de animalib. & hoc est, quia cor est magis dispositum ad susceptionem vitæ, quam alia pars; a simili ergo licet *aliqua potentia* in anima sit ad causandum motum in corpore, tamen impossibile est, quod causet in parte remotiori minus *disposita*, nisi causet illum in parte propinquiori *magis disposita*, & ideo pro aliquo statu, in quo

propinqua est magis dispositа quam remotior, non potest anima causare motum in remotiori parte, nisi causet prius in propinquiori: si autem ista eadem virtus possit habere partem remotam ita dispositam, sicut propinquam, potest pro illo statu immediatè causare motum in quamlibet partem; sed exequi motum in parte remotiori mediante propinquiori est movere organice, æque autem immediate causare non organice, potest movere totum corpus non organice pro statu illo, in quo omnes partes erunt æque dispositæ ad recipiendum motum; & secundum hoc est dicendum, quod est eadem virtus, quæ modo movet corpus inorganice, & post resurrectionem movebit non organicè; inconveniens enim est, quod homo careat nunc aliqua perfectione secundum totam suam speciem, quæ sibi naturaliter congruit, & cum illa virtus, qua anima post resurrectionem movebit corpus, sit sibi naturalis, quia nulla potentia animæ tunc dabitur nova; sequitur quod nunc habet illam potentiam, & quod illa virtus, sive potentia nunc in vita mortali, non impeditur a suo affectu, sed tantum in modo causandi illum; exemplum, si supponeretur omnes partes corporis esse æque dispositas ad recipiendum motum, sive vitam, anima æque daret esse virale cuilibet parti, & hoc æque immediate, sed quia non sunt æque dispositæ, non potest causare vitam in parte remotiori, nisi prius causet in propinquiori; sic in proposito de movere, & non movere organicè, ita verbatim Doct. loc. jam cit.

At instatur dupliciter primo, quia viderur impossibile, quod eadem potentia motiva sit organica, & non organica, cum hoc non conveniat aliis potentiis, nec apprehensive, nec appetitive. Præterea quia juxta allatam solutionem potentia motiva per se organica non esset, sed tantum per accidens, nam quia una pars modo magis est dispositа, quam alia ad recipiendum motum, ideo magis movet, & prius tempore partem propinquiorem, quam remotiorem minus dispositam.

31 Resp. Doctor loc. cit. D. quod potentia operativa non potest eadem existens esse organica, & non organica, quia potentia operativa, & organica est illa, cujus operatio per se, & primo recipitur in toto compositо ex organo, & illa potentia, & operatio, quæ sic primo recipitur in toto, contradictio est, quod recipiatur in parte primo, ut quod visio recipiatur in anima separata dicatur videns, unde quando totum est immediatum susceptivum alicujus formæ, non una pars mediante alia, tunc impossibile est, quod illa forma recipiatur in altera parte, non autem sic est, quando totum recipit mediante una parte, ut corpus recipit albedinem mediante superficie; nunc autem potentia operativa recipit suam operationem, si ergo posset esse non organica, tunc reciperet operationem, quæ primo nata est recipi in toto, quod includit contradictionem, & idea, eadem potentia operativa non potest esse organica, & non organica; sed de potentia activa, sive factiva non est inconveniens, quod eadem existens sit organica, & non organica, quia illa potentia non causat actum informantem se, sed effectum in alio; ideo non sequitur contradictio, quod sit organica agendo mediante aliquo organo, & non organica agendo immediate per propriam virtutem sine aliquo organo; nunc autem movere non est operatio, nec causatur in illo necessario, in quo est potentia motiva, & ideo ponitur motiva alterius, & non est potentia operativa, sed est potentia factiva, quæ causat motum in alio, & talis potentia potest esse causativa motus in pluribus immediate, si omnes essent æque dispositæ ad receptionem motus, & tunc movet non organice, si autem non sint omnes æque dispositæ, tunc potest movere unam partem corporis mediante alia, & sic movet organice; sic anima separata potest movere corpus suum immediate, utpote cadaver, quia non excedit virtutem suam motivam, & similiter, quando est in corpore potest movere organice, ideo ex parte sui habet virtutem movendi organice, & non organice; patet ergo (inquit Doctor) quare est impossibile de potentia apprehensiva, & appetitiva, quod eadem potentia sit organica, & non organica, quia sunt potentiæ operativæ, non autem est impossibile de potentia motiva, quæ non est operativa, sed factiva. Ad 2. ait Doctor ibidem, quod actio nequit esse primo totius, & partis, & ideo cum anima potest movere per se, & primo totum corpus, & partem ejus, ut quando perficiet corpus post resurrectionem, necesse est dicere, quod totum compositum ex organo, & potentia motiva animæ non primo movet, sed per se, non primo, ipsa autem anima primo, sicut ignis dicitur calefacere per calorem per se, tamen calor primo calefacit, quia calefaceret, si esset separatus, sic totum compositum ex anima, & organo dicitur movere, & per se denominatur ab actione, quæ primo convenit animæ, quæ moveret æque primo omnes partes, si essent æque dispositæ ad motum: imo subdit Doctor verisimile videri quod etiam de facto inorganice moveat totum cor, quia partes ejus videntur omnino uniformes, & æque dispositæ ad motum recipiendum.

32 Postremo dubitatur, num anima separata possit alia a se instar Angeli movere; ut lapidem projicere, aliudve corpus propellere; Negant D. Thom. p. p. q. 117. art. 4 ubi Cajet. & alii ejus Expositores item q. 16. de malo ar. 10. Capreol. dist. 50. qu. 2. Soto dist. 45. q. 1. art. 3. Suarez lib. 6. de anim. cap. 2. & disp. 35. met. sect. 6. & alii, quorum unicum fundamentum est, quia anima est forma corporis suapte natura, ergo movere non potest immediate nisi corpus illud cujus actu extiterit forma mediantibus ejus organis, & alia externa corpora non nisi medio corpore, quod informat, in quo differt ab Angelo, qui cum non sit forma, sed ens completum, valet movere alia a se immediatè. Oppositum docet Scot. loc. cit. quem sequuntur Bassol. 4. d. 49. qu. 2. art. 1. Major qu. 8. Abul. in cap. 8. Matth. q. 124. & Recentiores passim, Conimb. disp. 6. de Anima separata ar. 2. Aversa q. 59. cit. sec. 2. Arriaga disp. 10. de Anima in fine, Cavell. disp. 4. de Anima separata sect. 6. & fuit Henric. quol. 11. q. 14. & Egid. quol. 4. q. 7. & aliorum; quod probat Doctor eisdem rationibus, quibus assertum præcedens, quia hoc negandum non est animæ rationali ratione perfectionis ejus, cum conveniat Angelo, neque ratione imperfectionis, cum competat corporibus, quæ dum moventur, propellunt ea, quæ offenderint, tum quia omne quod se movet sive animatum sit, sive inanimatum, potest aliquid secum movere, quia lapis trahit secum ad locum suum aliud, si sibi conjungatur, & sic de aliis, ergo &c. Tum quia etiamsi necessaria foret unio per informationem, ut anima corpus moveret organice (quod tamen neque necessarium est, cum sic illud movere possit per intimam assistentiam) tamen non necessaria est ad movendum inorganice, sed saltem erit sola unio localis. Tum quia quod anima sit unita corpori per informationem, facit solum, quod alia corpora movere possit per impenetrabilitatem sui corporis, quod informat, ab eodem loco ea expellendo, in quo illud ponitur, quamvis ergo a corpore separata nequeat in hunc modum alia a se movere, poterit tamen movere per impulsum, & impetum impressum, alioquin nec Angelus id facere posset, nisi assumpto corpore. Accedit tandem animas defunctorum interdum vivis apparere in corporibus assumptis; ut docent Abulens. cit. ex Chrys. & alii Patres citati a Bellarm. lib. 2. de purg. cap. 8. sufficit ergo sola intima præsentia, ut anima corpus moveat, neque ulterius necessaria est informatio.

33 Neque fundamentum oppositum urget, quamvis enim anima suapte natura sit forma corporis, adhuc tamen spiritus per se subsistens, & omni virtute præditus quantum ad motum, quem habet Angelus, quare falsum est, quod nequeat movere, nisi ut forma corporis. Dices non posse externa corpora movere nisi imprimendo impulsum, hic autem nequit ab ea imprimi, nisi medio corpore, quando enim hunc imprimit, id utique præstat per impenetrabilitatem cum corpore projecto, quam non habet separata. Negatur minor, nam Angelus imprimit impulsum lapidi, etiamsi corpore careat, & quamvis dum projicimus lapidem, impenetrabilitas lapidis cum manu juvet ad impressionem impulsus ab initio motus, tamen in progressu nihil juvat, quia adhuc durat impulsus lapide a manu separato, & ratione impenetrationis solum expellitur lapis usque ad eum locum, quo pertingit manus impellens, non autem ad ulteriorem locum. Dices deinceps durare motum ex vi impulsus impressi, sed impulsum non imprimi nisi ex vi impenetrabilitatis motoris, cum remota, atque ideo spiritum non posse impulsum imprimere immediate. Resp. neg. assumptum quoad secundam partem, quia impulsus lapidi impressus a manu agnoscit in lapide etiam dum est a manu separatus, ut dictum est disp. 3. de Cœlo q. 5. de impulsu, atque ideo non necessario imprimitur ex vi impenetrabilitatis manus cum lapide projecto, alioquin statim ab initio motus, cum adhuc lapis est manui conjunctus, deberet in omnibus, & singulis ejus partibus illico æque intendi, quod tamen non semper contingit, ut diximus disp. 3. cit. n. 75. Potest ergo absolute loquendo impulsus imprimi in corpore moto absque impenetrabilitate motoris, atque ideo imprimi potest a puro spiritu, quod inconsulto negarunt Suarez loq. cit. & noster Vulpes disp. 16. de Angelis ar. ult. ea moti ratione, quia spiritus creatus nullam efficere potest qualitatem educendo eam de potentia subjecti, & quia virtutis motricis ejus solum Ubi est terminus, quod etiam confirmat Vulpes auctoritate Scoti 4. d. 45. q. 2. E. ubi monet Doctor Angelum in istis inferioribus nullam formam realem causare posse præter Ubi. Hæc enim ratio parum urget, nam esto Angelus, vel anima separata nequeat educere de potentia subjecti accidentia, quæ ad generationem substantialem ordinantur, ut ejus dispositiones, quasdam tamen alias qualitates educere potest ordinatas ad Ubi; & quidem si semel admittatur qualitas impulsiva, cujus necessitatem nos late ostendimus loc. cit. non est majus absurdum concedere Angelum posse motum, producere, qualitatem impulsivam, ad eum requisitam, quæ motiva virtus in Angelo, & Anima an sit distincta facultas ab intellectu, & voluntate jam diximus disp. 2. de Cœlo num. 148. auctoritas etiam ex Doctore adducta parum valet, tum quia præfato sensu intelligi debet, tum quia non est germanus litteræ textus, sed additio signata pro extra, in quo errore frequenter Scotistam illum deprehendes colligentem sententiam Doctoris ex additionibus, quas adducit velut germanum textum, quod non bene actum arbitramur. Et hæc sufficiant de Anima separata, alia enim plura, quæ hic inquiri solent ad ejus locum, motum, & cognitionem spectantia, sunt ei communia cum Angelis, atque ideo commodius in Met. ad tractatum de intelligentiis reservantur, quo loco fusius hæc omnia expendemus, Deo dante, cui sit honor, & gloria, & anima nostra a corpore separata beatifice conjungatur.

FINIS.

DIS-

DISPUTATIONES
In Aristotelis Stagiritæ Libros
DE GENERATIONE, ET CORRUPTIONE,
Quibus ab Adversantibus tum Veterum, tum Recentiorum jaculis
SCOTI PHILOSOPHIA VINDICATUR
A PP. Magistris
BARTHOLOMÆO MASTRIO MELDULENSI
ET
BONAVENTURA BELLUTO CATANENSI.

BREVIS EXPOSITIO TEXTUS
Librorum de Generatione, & Corruptione.

LIBER PRIMUS,

In quo de rerum Generatione, Corruptione, & aliis mutationibus annexis pertractatur.

CAPUT PRIMUM.

A text. 1. usque ad 11.

1 UT explicet Arist. naturam generationis, ipsamque ab alteratione distinguat, prius rejicit Antiquorum opiniones, quarum prima fuit dicentium, omnia unum esse, qui generationem ab alteratione distinguere nequibant, non enim ponebant mutationem aliquam secundum substantiam, sed secundum qualitates. Secunda est ponentium plura rerum principia, vel quatuor elementa, infinitas athomos similares, & hi distinguere possunt istas mutationes, sed hoc non recte ex suis principiis infertur, maxime Empedocles nequit hoc salvare, cum ponat sensibiles qualitates formas substantiales elementorum, & pluribus ipsum impugnat. Tertia est Platonis asserentis per congregationem indivisibilem superficierum fieri generationem, corruptionem vero per segregationem; sed insufficienter rem explicat, cum de generatione, & corruptione mixtorum, augmentatione, & alteratione nihil meminerit; tum quia corpora ex non corporibus scilicet ex superficiebus composuit. Quarta tandem fuit Democriti exactius rem hanc attingentis, qui corpora ex indivisibilibus corpusculis composuit, ex quorum separatione corruptio adveniebat, ex congregatione generatio, ex varia positione alteratio circa qualitates; pro qua sententia tres adducebat rationes; prima est, quia corpus est magnitudo ubique divisibilis, ponatur igitur totaliter divisum, quæ remanent, vel sunt puncta lineæ, superficies, aut passiones, vel nihil, vel athomi; non puncta lineæ, &c. quia non sunt corpora, & indivisibile alteri additum non facit majus: non passiones, seu qualitates sensibiles, quia nequeunt a subjecto separari: non nihil, quia corpus non est ex nihilo conflatum, ergo erunt athomi. Huic rationi respondet Aristot. corpus secundum quodlibet signum, divisibile esse potestate, non actu, nec punctum in linea est ubique neque ubique linea est divisibilis, unde cum sit in infinitum divisibile, numquam poterit esse actu totaliter divisum: secunda ratio erat, si corpus esset semper divisibile, perveniretur ad magnitudines aliquas insensibiles, & per consequens indivisibiles, quæ sunt athomi; cui respondet, dividi quidem corpus in partes insensibiles, quæ tamen & sunt in alias divisibiles, & cum aliis connexæ sentiuntur: tertia, quia generatio, & corruptio non nisi per congregationem, & segregationem athomorum salvari possunt. Hoc negat Arist. nam perfecta generatio est mutatio totius in totum, & ab alteratione differt tum penes subjectum, quod in generatione est ens in potentia, in alteratione est ens actu, tum quia generatio est secundum substantiam, alteratio secundum qualitates.

CAPUT II.

A text. 11. usque ad 25.

2 DEclarat in præsenti naturam generationis aliqua dubia solvendo, ipsamque ab alteratione distinguendo. Primum dubium est, utrum aliquid *simpliciter generetur*, & corrumpatur, quod non, probat, quia mutatio est semper ex contrario, ut ex magno parvum, ex ægrotante sanum, ergo, si esset generatio simpliciter, ex nihilo autem nihil fit: respondet tamen affirmative, & solvit rationem, dicens generationem esse ex non ente simpliciter, quatenus actu non est simpliciter substantia, aut quantitas, vel qualitas, sed est ens potestate: secundum, cur semper fiant generationes, & corruptiones rerum: de quo duplex potest assignari causa; altera est efficiens, scilicet primum movens, & primum mobile, de qua in 8. Phys. altera est materialis, non quod materia sit infinita, quia infinitum est impossibile ex 3. Physicorum, sed quia licet sit finita, non ob id tandem deficiet, quia unius corruptio est alterius generatio, & quod accipitur a *genito derelinquitur* a corrupto. Tertium, cur aliquid dicitur simpliciter corrumpi, vel generari, & aliquid secundum quid. Respondet rationem non esse, quia unum ens est magis altero sensibile, & per consequens *simpliciter* ens, minus vero sensibile ens secundum quid, aliter spiritus, & aer, quia minus sentiuntur, quam terra, erunt minus ens ipsa terra, quod est falsum; sed provenire, eo quia substantia est *simpliciter* ens, accidens vero secundum quid, ob id mutatio secundum substantiam erit simpliciter mutatio, qua vero est secundum accidens, dicetur secundum quid: quartum, quare corruptioni semper est annexa generatio: respondet, quia corruptio est in non ens potestate scilicet in materiam, quæ nunquam naturaliter omni forma manet expoliata, idcirco nova forma debet in ipsa advenire, & per consequens nova generatio: quintum, An *istud* non ens est alicui contrarium, respondet negative, sed bene est susceptivum contrariorum: sextum: An sit eadem geniti, & corrupti materia, ait esse eandem secundum substantiam, *diversam* tamen ratione, quia modo est sub uno, modo sub altero contrariorum.

Deinde discrimen ponit inter generationem, & alterationem, ac alias mutationes, dicens quod *alteratio* est, quando manente eodem sensibili subjecto, ipsum mutatur secundum qualitates, ut cum corpus ex sano fit ægrotum; *generatio* vero est mutatio totius in totum nullo sensibili ut *subjecto* eodem manente, ut cum ex tota aqua fit aer: *si* est mutatio secundum quantitatem est auctio, vel *diminutio*, si secundum locum, erit latio; verum est tamen, quod *si* idem accidens in genito manet, & corrupto, ut *humiditas* in aqua, & aere, secundum istam passionem, inquit Arist. non est transmutatio.

CAPUT III.

A text. 25. usque ad 43.

2 DEterminat nunc de augmentatione, quam ut declaret, primo ipsam distinguit a generatione, & alteratione, dicens, quod non solum differt penes terminos ad quos, eo quia generatio est ad substantiam, alteratio ad qualitatem, augmentatio vero, & diminutio ad quantitatem, sed adest adhuc alia differentia, quia quod generatur, corrumpitur, & alteratur, non est necesse, ut mutet locum; quod augetur, vel minuitur, necessario mutat locum, non quidem ut in localí motu, nam quod motu recto movetur, necessario mutat totum locum, quod circulariter movetur, & si eundem retineat locum, non tamen acquirit majorem, vel minorem locum, at in auctione, & diminutione mutatur locus non totaliter, sed fit major, vel minor.

Secundo quærit, an quod augetur, fiat ex corporeo, vel incorporeo, separato a materia, vel conjuncto: cui respondet necessario id, ex quo fit actio, quod alimentum dicitur debere esse corporeum materiæ conjunctum; probat hoc, quia nequit fieri ex aliquo incorporeo separato, & in nullo existente, quia nec esset in loco, neque sensibile, utrunque enim habetur per magnitudinem, & tamen alimentum, & *in loco* debet esse, & sensibile, sicut est corpus, quod augetur, aliter locatum, & sensibile, ex insensibili, & sine loco fieret; neque fit ex incorporeo magnitudini conjuncto, nam istud, vel aliquid esset partiale, illique cui conjunguntur, vel accidens, vel nihil illius, non primum, nec secundum, quia partes corporis, & ipsius accidentia materialia sunt, & partes habent coextensas, neque tertium, quia sic generatio unius posset ex isto incorporeo fieri ipsum separando a magnitudine absque corruptione corporis, cui est conjunctum, unde falsa esset illa propositio, generatio unius est corruptio alterius; tum quia in eodem possent infinitæ materiæ hujusmodi reperiri, & sic quodlibet posset fieri, tum quia materia illa exiret a corpore, cui est conjuncta, ut ex vase, & tandem quia ex non corpore nequit fieri corpus, idcirco neque alimentum erit aliquod indivisibile quantitatis, sed corpus.

Tertio, quærit an id, quod augetur, sit corpus illud, cui apponitur alimentum, an vero ipsum alimentum, quod apponitur, dicatur augeri; respondet augmentabile proprie esse corpus animatum, cui advenit cibus, tum quia quod augetur manere debet ante, & post mutationem, tale est corpus vivens: tum quia in alteratione, quod alteratur, est subjectum, cui qualitas advenit, non qualitas: tum etiam quia principium augmentationis est in corpore animato, non in cibo.

4 Quarto, ut explicet quomodo fiat augmentatio, assignat aliquas conditiones: prima, quod idem maneat, quod augetur, ante, & post auctionem: secunda, quod aliquid de novo adveniat aucto, & in diminutione, quod recedat: tertia, quod quælibet pars augeatur: non tamen est necesse ad auctionem, quod detur vacuum, aut corporum penetratio, vel aliquod incorporeum de novo, his præaccepis declarat modum, quo fit auctio, tam ex parte viventis, quam ex parte cibi, dicens, quod in vivente auctio fit secundum partes similares, & homogeneas, quibus mediis fit etiam secundum partes dissimilares, & erherogeneas, manus enim augetur, quia caro, os, nervi, &c. augentur; subdit tamen, quod partes similares aliæ dicuntur secundum formam, & formales, aliæ secundum materiam, & materiales, auctio fit secundum partes formales, non materiales, quid vero intelligat per partes materiales, & formales, dicetur in disp. Ex parte cibi asserit, quod auctio fit ex cibo contrario ipsi viventi in principio, eo quia vivens debet in se convertere cibum, & in ipsum agere, ergo contraria debent esse, contrariorum enim est agere, & pati ad invicem, at in fine cibus similis est viventi, unde cibus talis est in potentia, quale est augmentabile in actu, quia in naturam ipsius debet converti: sicut cum in vino parum aquæ infunditur, & in vinum convertitur, & ignis ex combustibili generat ignem, sic alimentum per corpus diffusum corporis naturam sumit, ipsumque adauget: & sicut in qualibet generatione non universale, sed singulare generatur, ita in auctione, non universale, sed singulare augetur.

Ex his deducit in augmentatione reperiri generationem aliquam partialem, quæ dicetur nutritio, ut enim vivens augeatur, debet in propriam substantiam convertere, ergo aderit quædam aggeneratio carnis, ossis, &c. adventus carnis, ut caro est, dicetur nutritio, adventus carnis, ut quanta est, dicetur augmentatio, & ut clarius has duas mutationes explicet, subjungit inter se differre, quod nutritio est ad substantiam, auctio ad quantitatem; nutritio durat toto vitæ tempore, quia vivens semper debet convertere alimentum, & deperditum restaurare: auctio vero non semper fit, non enim vivens est taliter validum, ut possit plus alimenti in se convertere, quam dependeat, quod requiritur ad auctionem, sed aliquando ita impotens evenit, ut tantum restauret, quantum fuerit deperditum, & aliquando ita bebetatur, ut plus deperdeat, quam restauret, ut patet, cum vinum propter nimiam aquæ mixtionem, tandem evadit aqueum.

CAPUT IV.

A text. 43. usque ad 56.

5 QUoniam in præsenti de rerum generatione, & corruptione est sermo, quæ sine actione, & passione non eveniunt, & ista non sine tactu, hinc determinat Aristoteles agere de tactu, actione, & passione. De tactu, inquit, quod quatuor modis sumitur, primo, quando aliquæ magnitudines in diversis positionibus, & locis existentes, extrema simul habent; quomodo etiam duabus quantitatibus separatis convenire potest, unde & contactus mathematicus dici solet; secundo, quando præter assignatas conditiones sunt activa, & passiva, & hic contactus dicitur Physicus; tertio, illa se tangunt, quorum diversarum magnitudinum ultima sunt simul, & unum se habet ut movens, alterum ut mobile, quod ut explicet, notat, nam sicut moventium aliud est mobile, aliud immobile, ita agentium aliud est impassibile, aliud passibile; in plus autem se habet movere, & moveri, quam agere, & pati, eo quia actio, & passio sunt secundum possibiles qualitates propriæ loquendo, at movere, & moveri secundum quamlibet formam per motum aquisibilem, ideo tertius modus contactus est universalior secundo, & improprior, quia de contactu in ordine ad mixtionem elementorum est sermo; quarto id dicitur aliud tangere, cujus vis in illud transit, quamvis extrema non sint simul; ut objectum tristitiæ dicitur nos tangere, sed non e contra.

Deinde determinat de actione, & passione referendo prius duas Antiquorum opiniones; prima fuit dicentium actionem, & passionem esse inter dissimilia; unde parvum ignem a magno corrumpi concedunt, quia magnum, & parvum contrariantur: secunda fuit Democriti dicentis actionem, & passionem esse inter omnino similia, & si contraria ad invicem agunt, hoc esse propter quandam similitudinem inter illa. Primam confutat, quia non esset major ratio, cur hoc potius agat, & illud patiatur, imo & in seipsum idem agere posset, & corrumpere, unde nullum daretur immobile. Secundam impugnat, quia impossibile est inter omnino dissimilia actionem, & passionem adesse, nam albedo non agit in lineam, nisi per accidens, si linea nigra esset, tum quia agens, & patiens debent esse contraria, at ista sunt in eodem genere; quapropter agens, & patiens nec debent esse omnino similia, nec omnino dissimilia, sed similia secundum genus, dissimilia secundum species, ut patet in omnibus contrariis; unde vulgatum est in scholis agens agendo assimilare sibi passum, quod prius erat dissimile.

Tandem de agente, & passo inquirit an omne agens in agendo repatiatur a passo, & pro solutione dividit moventia, quorum aliquod est primum, quod est principium motus, & non movetur ab alio, ut est Deus, aliud est ultimum, quod est movens motum; similiter agentia aliud est agens primum, ut quod alterat, & non alteratur ab alio, qualis est Medicus in sanatione, aliud est ultimum, ultra quod non est aliud alterans, ut medicina, quæ alteratur, & alterat sanando ægrotum; respondet deinde quæstioni dicens, quæ in materia non communicant, in agendo non repati, quæ vero communicant, repati a suo contrario, probat, quia forma est principium agendi, materia vero patiendi, ergo, quæ materiam non habent, carent patiendi principio, & per consequens sunt impossibilia; unde si calor daretur separatus (quod est impossibile) impassibilis esset propter carentiam materiæ.

CAPUT V.

A text. 56. usque ad 83.

6 IN præsenti Arist. agit de modo agendi, & patiendi adducendo prius Antiquorum opiniones, eas fuse ad invicem comparando, & confutando; prima fuit Empedoclis dicentis actionem fieri per poros in corporibus inclusos, intra quos unum corpus alterum ingreditur, & quasi penetrat, & si fuerint æqualiter porosa, ut sunt omnia liquida, fit mixtio, si unum excedit; quod subtilius est alterum penetrat, & fit generatio, & corruptio, secunda fuit Leucippi, ponentis omnia corpora per congregationem athomorum generari, & per separationem corrumpi; Tertia fuit Melissi, asserentis omnia esse unum ens immobile, & infinitum: quarta fuit Platonis, componentis corpora ex superficiebus, quas opiniones tum ex superius dictis, tum ex variis eorum principiis confutat; præcipue opinionem ponentem poros propter actionem, vel enim pori isti essent vacui, vel pleni, si vacui, hoc esset, ut agens frangeret passum, sed potest fieri contactus absque poris ut patet; si pleni, ergo non posset fieri contactus per ipsos, & tamen ad hunc finem admittuntur, tum quia si essent athomis pleni, hoc etiam est vanum, quia non possent illi athomi in poris inclusi adinvicem agere, & pati, cum indivisibiles ponantur, nam vel unam qualitatem susciperent, & sic essent inalterabiles, vel contrarias, & sic essent divisibiles; tum quia non moverentur ab alio, quia sunt prima omnium principia, si a se, debet dari pars movens, & pars mota, & sic divisibiles.

Deinde propriam aperit sententiam quinque conditiones assignando ad actionem, & passionem; prima, quod patiens tale sit in potentia, quale agens est in actu, ut ignis est actu calidus, lignum in potentia receptiva calidum: secunda, quod patiens secundum omnem sui partem patiatur, quia secundum omnem est in potentia: tertia, quod sit dispositum, unde quod est magis dispositum, magis patitur, magisque assimilatur agenti, quam minus dispositum: quarta, quod agens, & passum non sint continua, hoc est, quod non sint similia in forma, & in gradu ejusdem: quinta, quod agens, & passum sint debite approximata. Hinc deducit corpus secundum omnem sui partem esse divisibile, quia secundum omnem est passibile, nam indivisibile est impassibile, neque ad actionem requiri scissionem, vel congregationem athomorum, ut dicebat Democritus, quia idem corpus indivisum manens nunc fit humidum, nunc calidum, &c. tum quia in auctione non quælibet pars augeretur, sed potius auctio esset juxta positio corporum, seu athomorum, quæ per ipsum ad invicem non continuantur.

CA-

CAPUT I.

A text. 83. usque ad finem.

7 INtendit nunc agere de mixtione, primo quærit an sit; fuerunt enim aliqui, qui omnem mixtionem negarunt, quia vel quæ miscentur, manent, & sic eodem modo se habebunt, ac prius, ergo sicut tunc non erunt mixta, neque modo; vel unum manet, alterum destruitur, & neque hoc, quia ens cum non ente misceretur, vel omnia desinunt esse, & multo minus mixta dici poterunt. Ut autem ostendat dari mixtionem, ipsam distinguit ab aliis mutationibus generatione, auctione, & alteratione, a generatione differt, quia quod generatur cum materia, ex qua fit, ut ignis cum ligno non miscetur; ab alteratione differt, quia accidentia, & subjectum manent integra post alterationem, ab auctione tandem, quia quod augetur, idem manet ante, & post auctionem, ostendit modo possibilem esse mixtionem, quia entium quædam sunt actu, quædam potentia, & virtute, quæ miscentur non manent actu, sed potentia, & secundum proprias virtutes, per quod solvitur propositum argumentum.

Secundo quærit, quomodo fiat mixtio, circa quod aliqui dixerunt mixtionem fieri per juxta positionem minimarum partium diversorum corporum, quæ minimæ sunt secundum sensum, quatenus nequit sensus earum segregationem percipere, ut patet in farina, ideoque mixta censentur: alii dixerunt partes illas minimas esse secundum rem, eo quia sunt indivisibiles. Has opiniones impugnat, quia mixtum homogeneum est, itaut quælibet pars mixti est mixta, ergo minimæ illæ particulæ nequeunt *impermixtæ* manere, & *solum juxta se positæ*; tum quia primus modus mixtionem admittit secundum apparentiam, non secundum rem, & si esset perfectior oculus, discerneret segregationem illam, nec mixtum perciperet: secundus modus ponit compositionem continui ex indivisibilibus toties impugnatam.

Propriam declarat sententiam præmittens, quod entium alia sunt ad invicem activa, & passiva, quæ eandem habent materiam, alia non illa, vel sunt faciliter divisibilia, & fluida, vel non, quæ non agunt ad *invicem*, non *possunt misceri*, neque quæ sunt activa, & passiva, sed dura, & difficulter divisibilia, ut patet in ligno, & lapide; requiritur ergo, quod sint fluida, neque hoc sufficit, sed quod in fere æquali portione applicentur, nam si aquæ gutta in amphora vini ponatur, non erit mixtio, sed auctio; at quando sunt in debita proportione attemperata faciliter transeunt in tertium. Quapropter bene miscibilia sunt, quæ facile terminantur, ut humida, non unctuosa, & glutinosa, non enim facile dividuntur, & proportionaliter agentia, & patientia ad invicem, si enim unum fortiter agit, alterum tenuiter resistat, non erit mixtio, sed generatio: Mixtio vero est miscibilium alteratorum unio.

LIBER SECUNDUS

DE GENERATIONE, ET CORRUPTIONE:

In quo agitur de Generatione, & Corruptione elementorum, & mixtorum.

CAPUT PRIMUM.

A text. 1. usque ad 16.

POstquam de generatione, corruptione, & mutationibus annexis egit Arist. in præcedentib. libr. nunc præcipue determinat de ipsis elementis, quæ principia aliorum corporum ponuntur; & primo varias recitat veterum opiniones circa materiale principium elementorum, quas sæpius retulerat, & confutarat maxime in primo Physicorum, unde postea suam explicat opinionem juxta dicta locis citatis, scilicet principium materiale primo esse materiam aliam ab elementis, semper uni contrariorum conjunctam, & contrariis subjicibilem, ex qua generantur elementa ens potentiale nominatum: secundo ipsa contraria, est calidum, & frigidum: tertio ipsa sensibilia corpora, ut *ignis*, aer, aqua, & terra ad invicem transmutabilia tanquam principia concurrere ad generationes aliorum corporum.

Deinde quærit formale principium ipsorum, dicens, quod formæ elementorum sunt tangibiles qualitates, ratio est, quia de ipsis loquimur ut sensibilia sunt secundum contactum; ergo differentiæ ipsorum penes tangibiles qualitates erunt sumendæ. Antecedens patet, quia loquimur de ipsis ut generabilia, & corruptibilia sunt, quomodo sunt activa, & passiva, actio autem, & passio fiunt per contactum. Et quamvis visus sit tactu prior, non ob id formæ elementorum sumi debebunt penes visibiles qualitates, quia visus est prior propter universalitatem, & perfectionem sui objecti, sub quo lux comprehenditur, attamen tactus est prior subjecto, quia recipit in se primas qualitates contrarias, per quas fiunt generatio, & corruptio. Tangibiles autem qualitates sunt calidum, frigidum, humidum, siccum, grave, leve, durum, molle, lubricum, aridum, asperum leve, crassum, & tenue; secundum grave, & leve, inquit Arist. *non* sunt sumenda elementa, quia qualitates istæ non sunt activæ, & passivæ, nos vero loquimur de elementis ut ad invicem agunt, & patiuntur. Sed bene secundum calidum, & frigidum, humidum, & siccum, quia secundum istas qualitates sunt activa, & passiva, calidum est, quod similia congregat, & dissimilia disjungit; frigidum, quod unit dissimilia, segregare vero, & congregare dicunt activitatem: Humidum est proprio termino difficulter terminabile, faciliter alieno termino, siccum e contra proprio termino facile terminabile, difficile alieno; quæ dicunt passionem, non quod istæ non sint etiam activæ qualitates, sed quia non habent tantam activitatem ac illæ. Tum, quia aliæ qualitatum contrarietates ad has reducuntur, nam subtile ad humidum reducitur, grossum ad siccum, lubricum, seu viscosum ad humidum, non aqueum, sed aereum, quod est facile inflammabile, reducitur aridum ad siccum, molle ad humidum, durum ad siccum.

Subjungit postea, quod humidum primo dicitur, quod alienam humiditatem in superficie tenet, ut lapis aqua asperus, & dicitur udum, seu roratum; secundo, quod humiditatem in profusum, ut terra ab aqua irrigata, si erit propria, & occulta, dicetur coagulatum: tertio, quod humiditatem a se, & propriam habet tam in superficie, quam in profundo, & hoc est humidum elementare, ad quod cætera reducuntur; similiter siccum tot modis oppositis dicitur.

CAPUT II.

A text. 16. usque ad 24.

9 IN hoc cap. numerum, & proprietates quasdam elementorum assignat, dicens primo quod quatuor sunt elementa, quod probat, quia quodlibet elementum duas debet habere qualitates contrarias, ut cuilibet alteri possit contrariari, tot ergo erunt elementa, quot combinationes subsistentes fieri possunt ex primis quatuor assignatis qualitatibus, sex autem combinationes fieri possunt, & conjunctiones, *scilicet caloris cum frigore*, humiditatis cum siccitate, caloris cum siccitate, caloris cum humiditate, frigoris cum humiditate, & frigoris cum siccitate, primæ duæ sunt impossibiles propter contrarietatem, ergo quatuor remanent subsistentes conjunctiones, & sic quatuor tantum elementa, ignis calidus, & siccus; aer *calidus*, & *humidus*; aqua frigida, & humida: terra frigida, & sicca.

Prima proprietas est, quod elementa quandoque sunt mixta, & impura, ut aer vaporibus repletus, quandoque simplicia, impura non debent dici elementa, sed quid denominatum ab eis, ut quod simile est igni, igneum; quod aeri, aereum &c. Secunda, ignis est in excellentia calidus, ut glacies est in excellentia frigida, ideoque proprium est ex ipsa in suis excellentiis manentibus nihil posse gigni. Tertia *ignis*, & aeris loca sunt sursum, aquæ, & terræ loca deorsum. Quarta extrema ut ignis in summo, & terra in centro sunt puriora, media vero, ut aer, & aqua sunt mixta, & impura. Quinta ignis est aquæ contrarius, & aer terræ secundum utramque qualitatem. Sexta *quodlibet elementum* unam qualitatem magis sibi determinat, & intensius, ut ignis est magis calidus, quam siccus, aer magis humidus, quam calidus, aqua magis frigida, quam humida, terra magis sicca, quam frigida.

CAPUT III.

A text. 24. usque ad 31.

10 INtendit Arist. in hoc cap. explicare mutuam elementorum transmutationem, & primo asserit quodlibet elementum ex quolibet altero elemento gigni posse, quia quodlibet est cuilibet contrarium vel *secundum unam*, vel *secundum duas* contrarietates; & consequenter quodlibet a quolibet *potest pati*, & *transmutari*, nam transmutatio est ex contrariis, & *in contraria*. Secundo, quod facilior est transitus *inter elementa* symbola, quam inter dissymbola, quia facilius est unum quam multa transmutare, *in symbolis est unica transmutatio*, quia unica contrarietas, in dissymbolis duplex; ergo, &c. Tertio ex dissymbolis elementis potest aliud tertium *elementum generari*, ut ex igne, & aqua possunt generari aer, & terra, ex aere & terra ignis, & aqua, quia una qualitate consumpta altera remanente fit tertium elementum, *ut in igne*, & aqua *si perit caliditas*, & remanet siccitas, generatur terra, si perit siccitas, & remanet calor, generatur aer, sic

in terra, & aere si remanet siccitas, & destruitur frigiditas, producitur ignis, si destruitur caliditas, & remanet humiditas, fit aqua, quod etiam patet experientia, nam fumus exhalatio terrea est participans de aere, & tamen facillime inflammatur, unde flamma est fumus ardens. Quarto ex symbolis alterum ex altero generatur, non vero tertium: patet, quia ex aqua, & aere non nisi aqua, vel aer generari potest, vel enim corrumpitur calor, & sic fit aqua, non terra propter carentiam siccitatis, vel corrumpitur frigiditas, & sic generatur aer, non ignis propter eandem rationem, idem de terra, & igne dicendum. Quapropter quando elementum fit ex symbolo, unum tantum corrumpitur; quando sit ex dissymbolis, duo elementa corrumpuntur.

CAPUT IV.

A text. 31. usque ad 46.

11 DEnuo, & expressius probat Arist. neque unum elementum, neque plura esse principium materiale aliorum elementorum, & corporum, neque aliquod medium corpus completum: non unum elementum, aut plura, quia omnia essent illud unum, vel illa plura; tum quia elementum istud in altero maneret; quia principium materiale manet in genito, & sic non esset vera generatio, sed alteratio, & duo contraria simul essent in eodem, puta cum ex aere fit aqua, aut esset in aqua, nec corrumperetur, & haberet calorem, & frigiditatem. Neque potest esse aliquod medium corpus densius igne, & rarius aere, ut dicebant aliqui, quia quodlibet corpus completum alteram istarum qualitatum oportet habere, & sic esset unum ex quatuor elementis, vel si omnibus careret, haberet earum privationes, & consequenter alteram istarum qualitatum contrariarum, quia privatio unius est alteri qualitati contrariæ annexa, ut privatio caloris cum frigore, privatio sicci humido conjungitur. Neque dicas, elementa extrema non transmutari adinvicem, sed tantum media, omnia enim sunt transmutabilia, eo quia omnia contrarietatem habent, & principium materiale est ingenerabile. Ex quibus etiam deducitur, elementa non esse infinita, nam sequeretur infinitas esse qualitates, quia quodlibet elementum propriam habet qualitatem, per quam a cæteris distinguitur, & consequenter infinitas contrarietates, unde nulla posset fieri generatio, oportet enim omnes istas contrarietates destruere, & infinitum nequit absolvi.

Ex his *rejicit* plures *errores Empedoclis* circa naturam elementorum, ut puta, quod elementa non sint ad invicem transmutabilia, quod lis, & amicitia sint causæ generationum naturalium, quod cœlum sit ex elementis compactum, similiter, & anima: & hoc pluribus rationibus quas brevitatis gratia omittimus.

CAPUT V.

A text. 46. usque ad 51.

12 INtendit in hoc cap. explicare generationem mixtorum, quomodo fiat: & prius adducit duas opiniones: prima ponebat elementa transmutabilia ex eadem materia communi constantia, secunda ponebat *intransmutabilia*, & *per consequens* integra manentia in generatione mixtorum, & compositione. Contra istam arguit, quia sequeretur mixtionem esse solum juxta positionem elementorum, nec quæliber pars mixti esset mixta, neque ex qualibet parte mixti possent extrahi omnia elementa: contra primam dubitat, quia vel elementa manent in mixto, & sic eadem inconvenientia sequuntur, ac contra primam, si non manent, mixtio non esset nisi quædam generatio simplex unius ex alio. Explicat tamen modum generationis mixtorum, dicens, quod esse calidum stat dupliciter, vel in summo, & sic non stat cum frigido, vel in esse remisso, quomodo secum admittit frigidum, idem de aliis qualitatibus dicendum, modo elementa quando concurrunt in debita proportione quoad actionem, & passionem, bene ex eis mixtum generari potest, quia eorum qualitates manent in esse remisso, & ex varia proportione, & temperamento istarum qualitatum, varia oritur mixtorum generatio; at si unum prævaleat, & dominetur supra alterum, erit alterius elementi generatio, vel auctio, & per hoc patet ad dubitationem contra primam opinionem, quam sequitur Arist.

Ex his deducit omnia mixta perfecta ex quatuor elementis constare, quod probat, quia constant ex terra, cum in loco terræ permaneant, & unumquodque naturam illius participare videtur, in cujus loco existit, constat ex aqua, quia terra, cum sit valde ficca, indiget humido, ut terminetur, & consistat, nec decidat, constat ex igne, & aere, quia mixtum perfectum ex contrariorum temperamento nascitur, ignis autem, & aer contrariantur terræ, & aquæ; Tum quia unumquodque constat ex eo, quo nutritur, at viventia nutriuntur ex quatuor elementis, quia si hoc non esset, maxime in plantis, quæ aqua videntur nutriri, quod est falsum, nam & aqua, & terra nutriuntur, unde rustici terram irrigant ad nutritionem arborum; necessarius etiam est calor ad nutritionem, quia forma nutriti est principium activum convertens nutrimentum in propriam substantiam, calor autem est maxime activus, & non nisi igni convenit primario; hinc ignis inter simplicia propter sui activitatem nutritur, indiget enim pabulo, ut substentetur, sicut cætera viventia.

CAPUT VI.

A text. 51. usque ad 63.

13 AGit nunc de causis generationis, & corruptionis rerum naturalium supponens ad generationem materiam concurrere, & formam, quærit an requiratur causa efficiens, & quæ sit: Plato causam posuit ideam cujuslibet speciei separatam causantem formam ejusdem speciei in materia propter figillationem ipsius ideæ, quæ se haberet sigillum, & forma, ut cera recipiens tale esse ab idea, cui assimilatur; hoc impugnat, quia cum ideæ semper sint, semper generarent idem, nam idem manens idem natum est idem producere; tum quia in artefactis præter impressionem formæ in materia adest alia causa, ergo & in naturalibus. Alii dixerunt materiam seipsam alterare, & producere entia naturalia, vel saltem mediis qualitatibus elementaribus. Contra ait, quia materiæ est pati, non agere; tum quia in artefactis præter materiam alia requiritur causa effectiva, qualitates vero sunt principia instrumentalia, debent ergo assignari principia effectiva, tum quia ignis est maxime calidus, & tamen non agit nisi motus a cœlestibus corporibus, ergo multo minus cætera corpora per istas qualitates solummodo poterunt agere.

Assignat deinde causam efficientem ex propria sententia dicens motum cæli esse causam generationis, & corruptionis rerum, quia motus iste est primus omnium, & perpetuus ex dictis 8. *Phys. rationabilius* autem est id, quod semper est, esse causam illius, quod aliquando non est, quam e contra, tum quia motus cæli adducit, & abducit generans scilicet Solem. Verum est tamen, non sufficere motum primi mobilis ad perpetuitatem generationis, sed requiri motum obliquum per circulum Zodiaci aliarum sphærarum, nam idem manens idem facit idem, ergo, quia generatio, & corruptio sunt contrariæ, contrarias causas requirunt, quales sunt motus isti cœlorum; hinc tempus generationis est æquale tempori corruptionis, quia æqualiter Sol nobis est propinquus, & distat a nobis, suo accessu generat, recessu corrumpit: fit etiam vitam cujuscumque sublunaris determinatam esse, his quidem minorem, & illis majorem juxta varium concursum aliarum causarum. Tandem sequitur, generationes, & corruptiones perpetuas esse, quia natura fecit quod melius est, melius est esse, quam non esse, nequit in individuo idem esse semper conservare, ergo quærit conservare in specie, tum quia causæ scilicet motus cœli, & motor sunt perpetuæ, & in gyrum volvuntur perpetuo, ergo effectus scilicet generationes, & corruptiones perpetuæ erunt: unde videmus simplicia quasi circulariter moveri ad imitationem superiorum causarum, ex igne enim generatur aer, ex aere aqua, ex aqua terra, ex terra aqua, ex aqua aer, & ex aere iterum gignitur ignis.

CAPUT VII.

A text. 63. usque ad finem.

14 SOlvit nunc aliquas dubitationes circa rerum generationes, prima est, an omnia, vel aliqua, aut nulla ex necessitate proveniant, & generentur, cui respondet aliqua de necessitate evenire, aliqua contingenter, nam de rebus futuris solemus dicere, hoc esse aliquando futurum, quod est contingenter fore; solemus etiam dicere, hoc erit, quod est necessario fore, eo quia res aliquæ habent esse necessarium ut Solis circulatio, aliæ esse contingens, ut deambulatio, ergo idem de earum generatione dicendum. Secunda est, cum generationes rerum sint necessariæ, an sicut ex generatione posteriori sequitur necessitas generationis prioris, ita ex generatione prioris sequatur etiam necessitas posterioris: respondet in essentialiter subordinatis posterius necessario arguit prius, a quo essentialiter dependet, ut positio domus arguit fundamenti generationem; non tamen posito priori necessario arguit generationem posterioris, nisi posterius sit in se necessarium. Tertia est cum generationes perpetuæ sint, an perpetuentur secundum rectum, an secundum circulum, duplex enim progressus generationum potest esse rectus, ut cum genita successive alterius semper sunt speciei; alter circularis, ut cum in progressu generationum aliquando fit regressus ad res ejusdem speciei cum illis prius corruptis. Huic respondet, quod quamvis in aliquibus scilicet in animalibus videatur fieri progressus secundum rectum, & hoc quia corruptum non est tota materia geniti: vere tamen perpetuantur generationes secundum circulum, quia si essent perpetuæ secundum rectum, aut res istæ diversæ speciei essent finitæ, & hoc non, quia tandem consumerentur; aut infinitæ, & hoc non, quia sic nulla generatio esset necessaria, nam quod necessario generatur, præsupponit generationem necessariam prioris, at in infinito non datur prius, & posterius, nec primum, & ult. quare perpetua est generationum series, quia progressu temporis fit regressus ad res ejusdem speciei, sicut circulationes cœli eodem modo sunt perpetuæ, sic ex aqua est madefacta terra, ex ista generantur vapores, ex vaporibus nubes, ex nube aqua, & ex aqua iterum madefit terra, in quibus clarior apparet circulus, eo quia corruptum est tota materia geniti. Quarta est, an idem redeat secundum speciem, vel secundum numerum: respondet in corruptibilibus regressum fieri ad idem secundum numerum; ut patet *in ortu solis*, in rebus corruptibilibus fieri secundum species.

QUÆ-

QUÆSTIO PROŒMIALIS
AD LIBROS DE GENERATIONE.

Quodnam sit horum Librorum adæquatum subjectum.

SCientiam unam totalem esse quandam artificiosam fabricam diximus in Log. disp. 12. q. 3. ar. 3. constituitur enim ex multis partialibus habitibus ad se invicem ordinatis sub uno generico habitu, sicut & objecta partialia sub uno generico, & totali continentur, sicut igitur in cognitione cujusdam domus prius sese offert totum ædificium, deinde ut ex actius, & distinctius cognoscatur, partes ordinatim quærimus investigare, similem ordinem in scientiis observamus ex Phys. c. 1. prius enim objectum in communi contemplamur, deinde paulatim ad species ordinate descendimus, communiora enim prius cognosci debent; talem ordinem tenuit Arist. in Philos. in libris enim Phys. corpus naturale in communi consideravit, deinde ad species progressus est, & in lib. de Cælo corpus simplex, quod est prima species corporis naturalis, est contemplatus, subjungit postea tractatum hunc de gener. & corrup. seu de ortu, & interitu inscriptum, de quo quærimus, quodnam sit in ipso adæquatum objectum.

Variæ de hac re extant opiniones: Arriag. enim ponit generationem substantialem pro subjecto. Toletus hic ait subjectum esse mutationem secundum formam, ut generationem, augmentationem, & alterationem comprehendit: addit Aresc. q. 4. sec. 2. mutationem istam esse subjectum materiale, formale vero esse, quatenus est passio corporis naturalis. Albert. trac. 1. de gen. c. 1. Averr. 1. de Cælo com. 3. & alii pro subjecto statuunt corpus simplex, seu elementum, ut est mobile, non quidem ad Ubi, hoc enim modo de ipso agitur in lib. de Cælo, sed ad formam absolutam. Bannes, Compl. Jo. de S. Th. & alii ponunt subjectum ens mobile ad formam intrinsecam, sed absolutam, quam mobilitatem Bannes accipit non pro radice, fundamento scilicet pro naturalitate, sed pro passione, & aptitudine ad motum. Orbellus noster, Conimbr. Ruv. Hurt. hic & alii docent subjectum esse corpus caducum seu generabile, & corruptibile, quatenus est mobile ad formam absolutam. Zab. lib. de natur. philos. constit. c. 21. Biragues noster, & Moris. in hac qu. corpus mixtum, quod ab elementis distinguitur, quatenus propriam habet naturam, assignant pro subjecto.

2 Dicendum est cum hac ult. sent. corpus mixtum, ut talem naturam habens esse subjectum secundum virtualem continentiam. Hæc concl. primo prob. discurrendo per alias opin. nam in primis nec generatio, nec mutatio ad absolutam formam potest esse subjectum, quia ex dictis disp. 12. log. q. 2. ar. 1. nullum principium, vel passio potest statui subjectum in aliqua principali parte totalis scientiæ, sed semper debet esse species aliqua totalis objecti, & adæquati: generatio autem, sive mutatio non est species, sed potius passio corporis naturalis, quod est objectum totius philosophiæ adæquatum: diximus in principali parte, quia potest accidere, quod in aliquo libro *contempletur* aliquod principium, vel passio subjecti, hic tamen liber non potest connumerari inter principales tractatus totalis scientiæ, isti enim desumuntur in ordine ad principales partes adæquati objecti, quæ non sunt passiones, sed species contentæ sub illo: hinc videmus, libros istos de passionibus non solitarie tradi, sed simul cum aliis, in quibus de subjecto determinatur, sic fecit Arist. in Physicis: at libri de gener. ab omnibus computantur inter partes potiores Philos. Specialiter contra Aresc. est, quod invertit ordinem scientiæ, in qua objectum se tenet ex parte subjecti in conclusione scientifica, passio vero ex parte prædicati, modo si mutatio consideratur passio corporis, corpus se teneret ex parte prædicati: simili modo in Physicis, imo in Philos. subjectum dici posset motus in communi, ut est passio corporis naturalis. Deinde elementa nequeunt esse adæquatum subjectum, exceduntur enim a consideratis in his libris, non enim generatio, alteratio, mixtio, nutritio, augmentatio conveniunt elementis, vel ipsis solis. Tum quia de corpore simplici, etiam ut mobile est ad formam, seu ut generabile, & corruptibile, agitur in lib. de Cœlo, ut vidimus in q. procœm. illorum lib. Qua ratione nec ens mobile ad formam absolutam, nec corpus caducum commune ad elementa, & mixti poni debet pro subjecto, nequit enim de eadem re sub eadem consideratione bis in scientia tractari: cum igitur de elementis differat Arist. in 3. & 4. de Cœlo, non debet iterum de ipsis per se agere in his libris.

3 Secundo prob. directe, quia scientia dividi debet ad divisionem subjecti, & a subjecto *generico* ad specifica est descendendum: igitur quia corpus naturale in communi est subjectum in Philos. quod primo dividitur in simplex, & mixtum ex 1. cœli 7. & de simplici corpore jam egit in lib. de Cœlo, hinc in his lib. aggreditur explicationem alterius speciei mixti corporis, ipsum considerando in communi secundum virtualem continentiam, quia non descendit ad species, quamvis enim in lib. de Cœlo egerit de simplici corpore secundum virtualem, & potentialem continentiam, hoc fecit, quia corpus simplex pauciores sub se continet species: idcirco commode in eodem tractatu simul omnia explicari poterunt: at corpus mixtum multas, & valde diversas species sub se habet, ideoque ordo doctrinæ postulat, ut seorsum declarentur juxta leges bonæ divisionis traditas disp. 1. log. qu. 2. art. 1. Et quoniam ratio formalis non debet excedere, nec excedi a materiali subjecto ex disp. 12. log. q. 2. ar. 1. hinc ratio formalis non erit natutalitas in communi, sed propria conveniens mixto corpori. Tum quia habet omnes conditiones requisitas, præsupponitur enim definitio, quam tradidit Arist. 1. Cœli 7. dum mixtum corpus a simplici distinguit a posteriori per habere principium mixti motus, & 3. Cœli a tex. 30. & 2. de gen. a tex. 46. dum a priori distinxit per hoc, quod in sui constitutione alia propria corpora præsupponat, ut diximus disp. 1. de Cœlo n. 4. ipsius principia, & passiones explicantur, dum ostenditur ex elementis tanquam ex principiis materialibus constare, esse quoque generabile, corruptibile, alterabile, &c. Et omnia hic considerata ad ipsum *habent attributionem*; nam hic contemplantur prima elementa, non absolute, sed ut principia mixtorum, ut diximus in lib. de Cœlo qu. procœm. generatio quoque, corruptio, alteratio, mixtio, actio ad ipsum reducuntur, vel tanquam passiones, vel tanquam principia, vel conditiones passionum, quales sunt actio, & reactio.

Solum dubitari potest de augmentatione, & nutritione, hæ namque mutationes non conveniunt corpori mixto in communi, sed animato, unde *non videntur habere connexionem cum mixto corpore*. Sed advertendum, quod Arist. de istis mutationibus non per se egit in his libris, sed propter Antiquos, qui vel non distinguebant augmentationem a generatione, vel alteratione, aut si distinguebant, illam explicabant, ac si omnibus corporibus caducis conveniret, dum dicebant augmentationem fieri ex *potentia*, magnitudine, actu autem nullam habente magnitudinem, hoc pacto enim omne, quod generatur, dici posset augmentari, quia actu non habet quantitatem, antequam generetur, sed potentia: hac igitur ratione necessum fuit distincte agere de auctione, & consequenter etiam de nutritione: tum quia de ipsis egerit solum, ut sunt mutationes ad formam substantialem, & quantitativam, non vero ut sunt actiones vitales, unde nullam mentionem fecit de potentia augmentativa, & nutritiva: eo quia satis *dignoscebatur* distinctio ipsarum ab alteratione, & generatione considerando terminum ad quem, quicquid sit de principio effectivo. Verum est tamen, quod nos occasione hujus agemus de ipsis, etiam ut sunt actiones vitales, unde & generationem viventium investigabimus.

4 In oppos. arg. 1. quod generatio, vel saltem mutatio ad formam absolutam sit subjectum; Tum ex inscriptione; quæ est de generatione, & corruptione, non de corpore mixto: Tum quia hic quærunter principia hujus mutationis. Tum quia sicut *in* lib. de Anima, non corpus animatum, sed anima est subjectum, in lib. de somno & vigilia, non animal, sed somnus, & vigilia, in lib. de juvent. & senect. juventus, & senectus sunt subjectum, non homo, quamvis hæc omnia conveniant viventi pariformiter, in his libris subjectum erit generatio, vel mutatio; licet hæc conveniant corpori. 2. quod elementum sit subjectum, prob. ex Arist. 1. de sensu, & sensib. c. 4. hos libros de elementis vocat; & 2. de anim. 117. ait, se hic *de elementis* tractasse; & merito, quia in 2. lib. fere per totum de illis disp. 3. quod corpus caducum sit subjectum, prob. quia hic non agit Arist. solum de mixtis, sed de omnium generatione, ut ipse Arist. fatetur in initio, ait enim: *De generatione autem, & corruptione, quæ natura renevantur, & corrumpuntur similiter de omnibus, & causas dividendum, & rationes eorum determinandum*. Tum quia communiora prius declaranda minus communibus, corpus caducum est communis corpori mixto, & elementis, de ipso non nisi in hoc opere agitur. Accedit authoritas Scot. in 2. d. 2. q. 10. supra B. ubi docet, quod sicut in lib. Phys. Arist. egit de motu, & actione in communi, ita in lib. de gen. egit de motu, & actione ad formam, ergo per Scot. sicut in lib. Phys. subjectum est corpus in communi, quia ipsi convenit motus in communi, ita in lib. de gen. subjectum erit corpus, cui primo convenit motus ad formam, quod erit corpus caducum. Quarto, quod subjectum non sit corpus mixtum, prob. quia in 1. lib. agit de accretione, non quidem per accidens, & in gratiam alterius, sed per se, unde tex. 5. reprehendit Antiquos, quod de ipsa nihil, vel parum disputarint; accretio autem non convenit mixto, sed animato: Tum quia alteratio, actio, & passio excedunt ipsum mixtum; nam alteratio convenit etiam cœlis, actio, & passio non solum mixtis, se etiam *elementis*: Tum quia tex. testatur Arist. se agere de mixtione propter generationem elementorum, inquit enim: *Quoniam oportet primum de materia, & de vocatur elementis dicere &c. oportet prius utique dicere, de quibus indeterminate dicitur nunc, omnes enim qui elementa generant, & qui ea, quæ ex elementis segregatione utuntur, & congregatione; est autem congregatio mixtio, &c.* Et tandem debebat Arist. nobis hanc suam intentionem patefacere, ut in aliis libris feciße conspicimus, & tamen nullibi mentionem fecit de tali mixto corpore.

5 Respond. ad primam inscriptionem librorum non semper desumi a subjecto adæquato, sed quandoque a prima passione, sicut in præsenti, generatio enim est primo, & principalis passio hic demonstrata de subjecto, quandoque a principaliori subjecto, ut in libro de Cœlo, quandoque a principaliori principio, ut in lib. Phys. in quibus denominatio sumitur a natura. Nec sufficit ad rationem subjecti, quod habeat principia, hoc enim etiam passioni convenit, sed requiritur, quod per

principia demonstrentur passiones de ipso, quod generationi non competit, sed corpori, Ad aliam admisso assumpto, negatur paritas, quia quando aliquod subjectum partiale habet plures, & plures affectiones, & principia, possunt de illo institui plures partiales tractatus, in quibus affectiones, seu principia erunt subjectum, at subjectum illarum passionum erit objectum adæquatum in omnibus illis libris, quibus complete, & adæquate ipsius natura explicatur, ut patet in exemplo adducto, corpus enim animatum declaratur adæquate in lib. de an. parvorum nat. de anim. & plantis, & ideo in omnibus istis ut peculiarem partem Philosophiæ componunt; est subjectum, licet in quodlibet libro aliud, & aliud sit subjectum (hæc divisio tamen librorum non videtur recte fieri, quia partes scientiæ dividi debent in rigore ad divisionem subjecti) at in proposito corpus mixtum adæquate, & complete explicatur in his libris, ideo ipsum erit subjectum, non aliqua passio. Ad 2. concedimus Aris. hic agere de elementis non tamen ut sunt subjectum, sed ut principia subjecti.

6 Ad 3. egit utique Arist. de generatione omnium, sed non eodem modo, generationem enim in universali consideravit in gratiam generationis mixtorum, sicut & generationem elementorum ad eandem ordinavit; Poterat quoque Arist. prius considerare corpus caducum in communi, & deinde ad elementa, & mixta descendere, at non fecit, quia corpus naturale in communi non divisit per corruptibile, & incorruptibile, ut prius de incorruptibili scilicet cælo, deinde de corruptibili ageret, sed divisit per simplex, & mixtum, ideoque juxta hanc divisionem dividendi, & constituendi sunt tractatus Philosophiæ. Per quod patet ad Scotum, solum enim ibi docet, Arist. in his libris agere de motu ad formam, non tamen ait ex instituto agere de omni motu ad formam, an vero de uno in ordine ad alium. Ad 4. jam diximus accretionem hic ab Arist. contemplari in gratiam generationis, & alterationis, ponens enim differentiam inter duo oportet cognoscere utrunque, & hac ratione reprehendit Antiquos, quod nihil egerint de ipsa: tum quia solum egit de actione, ut respicit formam mixti, non animam. Alteratio autem quamvis excedat mixtum, & alteratio perfectiva competat Cœlo, hic tamen præcipue consideratur illa, quæ inter contraria versatur qualitates, & generationi inservit: qua ratione consideratur actio, & passio. Falsum insuper est, mixtionem in gratiam generationis elementorum contemplari, per mixtionem enim non generantur elementa, sed corrumpuntur, & tertium mixtum causatur, ut suo loco dicetur, potius vice versa res se habet, ideo enim elementa sunt miscibilia, quia sunt corruptibilia, & consequenter generabilia; neque ex illo textu oppositum colligitur, imo facit pro nobis, nam volens agere de mixtione, præsupponit elementa generari, & corrumpi, quod fuse postea declarat in 2. lib. 10. eo quia non fit mixtio sine prævia alteratione, actione, & corruptione miscibilium, hoc vult innuere illis verbis, *De quibus indeterminate dicitur nunc, omnes enim qui elementa, &c.* quasi diceret, quamvis ad perfectam mixtionis cognitionem prærequiratur scire, an elementa generentur, & quomodo, supponatur tamen sic in confuso pro nunc. Tandem satis insinuavit Aristi suam intentionem, dum in tex. 43. cit. elementa vocavit materiam mixtorum, ex quo colligitur illa considerare in his lib. ut principia, non ut partes subjectivas; & dum de ipsis egit ex professo in 3. & 4. de Cœlo, & dum in 1. de Cœlo 7. corpus naturale in communi divisit in simplex, & mixtum; noluit autem exacte generationem actualem, & corruptionem elementorum explicare per se, & primario, quia non corrumpuntur, nec generantur secundum totum, sed secundum partes, mixta vero secundum totum generantur, ideo generationem illorum in gratiam corporis mixti consideravit: nec est novum Aristotelem propriam intentionem obscurissimis verbis innuere.

DISPUTATIO PRIMA.

De primis Qualitatibus.

Quoniam ad generationem substantialem tum simplicium corporum, tum mixtorum prævia necessario prærequitur alteratio, ordo naturæ idcirco postulat, ut prius naturam alterationis explicandam aggrediamur, quam ipsius generationis: immo quia ipsa alterationis tractatio non parum conducit ad rectam generationis intelligentiam, idipsum ordini quoque doctrinæ erit admodum consentaneum. Cæterum quia alteratio inter primas præcipue qualitates exercetur, adhuc tractatio de his qualitatibus ipsi quoque alterationi præmittenda erit, ac etiam de aliis quibusdam annexis, sine quibus alteratio nunquam fit, ut sunt actio, & reactio; atque ideo prima in ordine disputatio erit de primis qualitatibus, quæ communiter ponuntur esse calor, frigus, siccitas, & humiditas.

QUÆSTIO PRIMA.

An calor, frigus, siccitas, & humiditas sint formæ positivæ a rebus ipsis calidis, & frigidis, &c. distinctæ.

1  Ardanus lib. 2. de subtil. asserit solum calorem, & humiditatem esse formas positivas, frigus vero, & siccitatem esse dumtaxat privationes, & defectus, illud quidem caloris, hanc vero humiditatis, quam sententiam defenderunt etiam quidam antiqui, ut refert Plutarc. in opusc. de primo frigido; & quoad siccitatem ex modernis eam amplexi sunt Aquilonius lib. 5. optic. defin. 5. & Arriaga disp. 4. de gen. sec. 2. quibus favere videtur S. Th. 3. Cæli circa tex. 23. ubi ait siccitatem aliud non esse, quam humiditatis privationem, insuper Arriag. ibid. licet concedat humiditatem esse quid positivum in corporibus humidis, subdit tamen non esse quid distinctum ab ipsis, sed esse ipsammet substantiam fluidam, quare concludit non dari humorem, vel siccitatem distinctam, sed humorem nil aliud esse, quam ipsa corpora fluida, siccitatem vero esse carentiam talium corporum fluidorum, seu corpora sicca esse corpora non fluida.

Communis tamen, ac vera sententia tenet hæc omnia esse formas positivas a corporibus calidis, frigidis, &c. constinctas. Ita de ipsis loquitur Arist. 2. de gen. c. 1. 2. & 3. & supponit Scot 2. d. 15. & 4. d. 49. q. 13. & ubicunque loquitur de primis qualitatibus, atque ita passim sentiunt Peripatetici omnes.

2 Dicimus itaque primo has omnes, & singulas esse formas positivas, & probatur, quia Arist. ubique & præsertim in lib. de gener. per has contrarias qualitates docet agentia agere, & pati adinvicem, quod non esset, nisi singulæ forent positivæ formæ, quia reactio a privatione non provenit, sed ab aliquo positivo; & 2. de anima 117. ait omnes istas tangibiles esse, privationes autem sub sensu non cadunt. Accedunt rationes ineluctabiles; nam successio in motu provenit ex contrarietate positiva terminorum, unde quia lux non habet formam positivam contrariam, sed tantum privationem, in instanti introducitur etiam in subjecto extenso, cum ergo istæ qualitates omnes, & singulæ successive introducantur, ut patet; sequitur formas eis oppositas esse positivas. Tum quia non tantum calor, sed frigus quoque sentitur, & sensus nostros immutat, in quibus etiam dolorem causat. Tum quia videmus subjectum frigidum vere in calidum agere, coloremque corrumpere, quod non posset fieri nisi frigus esset forma positiva. Tum quia nullum agens per se corruptionem intendit agendo, ergo frigidum agendo calidum non solum intendit corruptionem caloris, sed productionem frigoris. Tum tandem quia eadem facilitate, qua inquit Cardanus frigus non esse, nisi defectum caloris, & ex solo agentis calidi recessu consurgere, dicemus & nos e contra calorem esse defectum frigoris, & non nisi ex agentis frigidi recessu contingere, & qua ratione probabit ipse calorem esse positivam formam, eadem quoque idem prorsus de frigore concludi poterit, ac debebit. Merito ergo Scaliger exerc. 18. hortatur Cardanum, ut dum ex Rethicis montibus furit Boreas, ipse soleis, pileoq; abjectis in campo deambulet, nec metuat futurum, ut calor ipsi machinis ullis ex capite deturbetur, a frigore enim ipsi metuendum non esse, quia si frigus privatio est, nunquam privatio expellet formam, sed ipsa potius expelletur a forma.

3 Quamvis autem istæ rationes evidentius probent intentum de calore, & frigore ob sensibiliorem, ac magis obviam eorum actionem, ac sensuum immutationem, quam de humiditate, & siccitate; eo quia sunt longe minus activæ, & sensuum immutativæ; tamen quia nec ipsæ omni prorsus actione privantur, ac sensatione, ideo rationes allatæ etiam de ipsis sufficienter intentum probant. Quod autem humiditas quoque & siccitas sint formæ invicem activæ, probatur ex Arist. 2. de gen. 25. nam ex igne immediate fit aer, & non nisi actione humiditatis in siccitatem, cum ignis, & aer non habeant contrarietatem intensam nisi in illis duabus qualitatibus; tum etiam aliter ex duobus elementis non symbolis non posset fieri tertium contra Arist. illic, quoniam in productione ignis ex aere, & terra oportet, quod caliditas aeris superet frigiditatem terræ, & quod siccitas terræ superet humiditatem aeris, & per consequens fiet inter eas actio, & passio, quod etiam patet variis experimentis, sal enim carnes exsiccat, & corpora, siccitas colligat ex Arist. 4. Meth. c. 34. & 36. quod est agere, & e contra sal liquescit, & humectatur ab aere, glacies ab aqua, & carnes in locis valde humidis computrescunt utique actione humiditatis corrumpentis, & demum Medici humidis morbis sicca applicant, humida siccis: Auster calidus, & humidus corpora humectat, Boreas frigidus, & siccus eadem exsiccat, & alia sexcentum occurrunt consimilia exempla.

Negat Arriag. cit. has qualitates esse activas, & alterius consimilis qualitatis esse productivas, unde inquit nihil humectari nisi ingressu substantiæ fluidæ; & nihil exsiccari, nisi per expulsionem talis substantiæ, non autem per productionem alicujus qualitatis in corporibus humectatis, vel exsiccatis. Sed hic humectandi modus refellitur a Scoto 4. d. 46. q. 16. §. *alius est intellectus*, ait enim loquens de pane vino imbibito, & humectato, quod corpora omnia partes aliquas habent porosas, & alias solidas, quamvis ergo porosæ humectari possint (ait Doctor) præsato modo per ingressum substantiæ fluidæ, solidæ tamen nequaquam, nisi admittatur penetratio corporum, sed humectantur tum per humiditatem corporis fluidi eis contigui in partibus porosis recepti, tum per aliam humiditatem in ipsis de novo productam. Nec suffragatur, quod ait Arriag. n. 13. aquam non aliter humectare corpus, quam eo modo, quo illud permeat; nam certum est corpore, ut v. gr. panem quoquoversum humiditate perfundi, etiam quoad minimas particulas, & tamen aqua non sic pervadit illum, alioquin daretur penetratio dimensionum, ergo non pari passu currunt penetrario aquæ in panem, & humectatio. Falsum etiam est quod addebatur in responsione corpora humida non exsiccari, nisi præcise per extractionem humorum, non autem per productionem siccitatis in ipsis, videmus enim Boream lutum constringere, & exsiccare, non tamen extrahendo vapores, & humores, sed siccitatem in eo producendo, unde quando postea vehementer a sole percutitur, molescit rursus, & vapores, qui ad interiores partes se recepérant, tenuiter exhalant, quod non esset, si Boreas illud exsiccasset per extractionem vaporum omnium; & quidem si Boreas exsiccaret extrahendo vapores, utique paulatim egredi conspicerentur, sicut conspiciuntur, cum exsiccatur actione solis, vel ignis, aut saltem deberet lutum ab initio humidius apparere ob exitum vaporum, quale cernitur, cum solis calore exsiccatur, quod tamen non videmus, ergo possunt corpora desiccari non tantum per extractionem vaporum ab ipsis, sed etiam per veram, ac physicam productionem siccitatis in eis, & si humores expelluntur, id fiet per introductionem siccitatis.

4 Dicimus 2. humiditatem, & siccitatem nedum esse formas positivas, sed etiam reipsa distinctas a corporibus humidis, & siccis; Probatur; tum quia habent proprias actiones accidentales, ut nuper dicebamus; tum quia sunt sensibilia propria tactus, quod cum neque substantiæ nec privationi conveniat, consequens est nec humorem esse substantiam, nec siccitatem ejus privationem; At negat Arriag. humiditatem & siccitatem sensu percipi, & inquit, quando tangitur aqua sentiri utique calorem ejus, aut frigus, humiditatem vero nequaquam. Sed plane id est negare sensum, cum enim quis digitum immergit in aquam, non solum frigus aquæ sentit, sed ipsam quoque aquæ fluiditatem, sentit enim, ipsam comprimenti cedere, & circa digitum circumfundi, & si quis clausis oculis manum dexteram aquæ immergat, sinistram cineri immittat, frigore, vel calore in eodem gradu affectis, certe ductu solius tactus discernet hunc esse cinerem, illam vero aquam. Accedit ex mysterio Eucharistiæ argumentum ineluctabile, quod frustra Arriag. nititur eludere, ibi enim remanet humor vini, non autem substantia, ergo hæc est ab humore distincta. Respondet, ibi non manere humorem, sed partes accidentis cum ea fluxibilitate, quam haberent, si ibi essent substantiales partes vini, unde illæ partes accidentales non aliter humectant ibi quam se applicando corpori humectato. Hæc solutio seipsam destruit, & infringit, negat manere humorem, & concedit accidentia vini manere cum fluxibilitate, & humectare digitum eis applicatum, at quid aliud est fluxibilitas illa, quam humor ipse, qui in tali fluiditate consistit? & quo modo humectare possunt, si non habent humorem? si ergo accidentia illa sunt fluida, & humectant, plane erit ibi humor vini, cum tamen substantia non adsit.

5 In oppositum objicies primo probando frigus, & siccitatem non esse formas positivas, sed solas privationes, quia per solum recessum agentis calidi v. gr. solis frigescunt, & per solum recessum humoris exsiccantur. Conf. quia non alia ratione in hyeme omnia frigore rigent, nisi ob solis distantiam, qui prius propinquitate sua omnia calefaciebat. Sic etiam frigus, quod nos in febri aggreditur, aliunde non oritur, quam ex spirituum absentia, qui antea sua præsentia membra fovebant. Et tandem Arist. ipse 2. de gen. 18. & 12. Met. 22. frigus appellat privationem caloris.

Resp. neg. assumptum, non enim frigus oritur ex absentia caloris, sicut cæteris ex absentia visivæ virtutis, sed potius calor deficit ob præsentiam frigoris, sic etiam ad illud de siccitate dicendum, quod humores expelluntur per introductionem siccitatis; an autem per solam extractionem humorum possint interdum corpora exsiccari, mox explicabimus. Ad Conf. causa positiva frigoris in hyeme sunt terra, aqua, & astra quædam, quorum actio impediebatur in æstate ex nimia Solis propinquitate, unde absentia solis non est causa illius frigoris, nisi per accidens, quatenus definit conservare calorem. Sic pariter ad illud de febri dicendum, causa namque positiva illius frigoris sunt humores frigidi, qui propriam actionem exerunt, & exercent in partibus exterioribus, dum spiritus calidi ad interiora sese recipiunt, qui sua præsentia eorum actionem prohibebant, vel remittebant, cui opitulatur forma mixtionis, in qua prædominatur elementum terræ, quæ est frigefactiva; Arist. autem ideo interdum appellat frigus caloris privationem, quia ex duabus formis contrariis una solet esse perfectior, & excellentior altera, quæ proinde ob suam imperfectionem induit modum privationis, si ad illam conferatur, & quia in proposito calor est qualitas frigore excellentior, hac de causa interdum appellatur privatio caloris, cum tamen absolute in se sit forma positiva, sicut ipse calor.

6 Secundo objicit Arriag. probando humiditatem, & siccitatem non esse formas distinctas a corporibus humidis, & siccis; Nullum est fundamentum ponendi eas distinctas a corporibus, ergo gratis ponuntur; probatur assumptum, quia illæ qualitates non sunt operativæ, nec percipiuntur in se, nec aliunde, ergo;

quod non sint operativæ, patet quia corpora humida non aliter humectant, nisi seipsa applicando alteri corpori, efficienter autem nunquam; pone, inquit, totam Oceani aquam, sit inter me, & illam vitrum leve, per quod aqua non possit permeare, in æternum non humectabor. Nec dicas siccitatem valde resistere; nam percontatur, an hæc resistentia aliquando vincatur, an nunquam, si nunquam, frustra ergo ponitur humor operativus, quandoquidem nunquam operatur in sicca, quod si aliquando illa resistentia vincitur, petit, quando, & a quo vinci debeat, si ab humore totius Oceani pugnantis contra unum leve vitrum non vincitur. Idem e contrario probat ex siccitate, quæ nunquam aliquid operatur efficienter, nec alio modo corpus exsiccatur, nisi quando ab eo expelluntur corpora humida, hæc enim si bene expellantur eo ipso res exsiccatur, quia humoris substantia exit e corpore, sic ignis exsiccat suo calorem vapores extrahendo, nec poterit assignari exsiccatio ulla in genere causæ efficientis; probat deinde principale assumptum quoad alteram partem, quia aqua sentitur, quatenus est frigida, vel calida, de ejus autem humore nihil omnino sentitur.

Resp. neg. assumptum cum utraque probatione, ut enim constat ex dictis, & adhuc magis ex dicendis patebit, humiditas quoque & siccitas propriam actionem habens, & sensationem; verum tamen est in actione non multum pollere, unde ob exiguitatem activæ virtutis in comparatione ad frigus, & calorem dici solent qualitates passivæ, ut explicabimus inferius q. 4. & eadem de causa indigent proxima, ac intima applicatione ad passum, ut in illud agant, ut constat cum carnes sale exsiccantur, & panis vino humectatur, ac licet substantia vini humida, & salis sicca in partes panis, & carnis porosas sese insinuent, alias tamen partes *solidiores proximas efficienter* humectant, & desiccant; unde ad illum casum de tota Oceani aqua manui approximata solo vitro interjecto, quod nunquam illam humectaret, dicimus id evenire ex debili humiditatis actione, & vehementi siccitatis vitri resistentia; & absolute negamus nunquam fore humectandam, nam si phiala vitrea sale plena ponatur in aqua, non post multum temporis videbimus sal humectari.

7 Ad aliud de siccitate jam supra negatum est exsiccationem fieri per solam extractionem humorum a corpore, & non etiam per inductionem siccitatis in eo, cum vero probatur, quia in hunc modum ignis exsiccat vestes, lutum, &c. ait Ang. l. 2. de formæ propriet. pag 45. quod duplex est desiccatio, una substantifica, seu substantialis, quæ fit per resolutionem partium subtilium humidarum manentibus terrestribus, & in hoc sensu calor ignis, vel Solis exsiccat, quod est exsiccare per accidens, quia actione caloris non producitur ulla nova siccitas, sed tantum rarefit corpus, in quod agit calor, unde facilius evaporat substantia humida, & remanet sola substantia sicca, quæ propter separationem a contrario magis exinde sentitur; alia est exsiccatio proprie dicta, scilicet qualitativa, quæ fit per realem, & novam productionem siccitatis, & ista non fit a caliditate, sed est propria siccitatis. An vero primus desiccandi modus possit exerceri sine secundo, videtur negative respondendum, verisimile enim est, quod dum Sol, aut ignis agit in lutum, madidas vestes, & similia alia humida, non solum extrahantur humores ab illis, sed etiam aliqua de novo in eis producatur siccitas, non quidem actione caloris, sed actione siccitatis, quæ reperitur in igne, quæ etiam valde juvabit in genere causæ formalis ad expellendos humores, cum in passo fuerit introducta; si vero primus desiccandi modus posset sine secundo contingere, tunc in eo casu contingeret desiccatio absq; ulla productione novæ siccitatis per solam extractionem humorum a corpore; Quod etiam humiditas, & siccitas propriam faciant sensationem, patet ex dictis, & satis de se constat, tactu namque bene sentitur, an vestis, & tela sicca sit, vel madida, & humectata. Dices, si ex re humida auferretur totus humor nulla addita qualitate, maneret res illa sicca, & talis sentiretur, ergo siccitas est sola privatio humiditatis. Negatur antec. aliter idem argum. fieri posset de frigore, sed res illa neq; esset humida, neque sicca; & sicut ablato calore subjectum non tali modo afficeret sensum, sicut afficit frigus, quia talis affectio frigoris est vera actio, ita ablato humore subjectum non jam afficeret sensum, sicut afficit introducta siccitate, licet verum sit, ut diximus, sensibilius deprehendi frigus in corporibus, quam siccitatem.

QUÆSTIO II.

An calor, & frigus, siccitas, & humiditas sint in omnibus corporibus formæ accidentales, an potius in quibusdam substantiales, & quomodo definiantur.

8 Quamvis Philosophi omnes in Peripato unanimi consensu *in hoc conveniant*, quod calor, & frigus, siccitas, & humiditas sunt formæ accidentales de prædicamento qualitatis; nihilo tamen minus non defuerunt, qui in elementis ea posuerint, vel formas eorum substantiales, ac substantialiter constitutivas; talis fuisse videtur communis Græcorum *sententia* Alex. Themist. Simplic. Philop. Amon. & aliorum, quos *citat*, & mordicus, sequitur ex Latinis (apud quos illa *opinio* nunquam invalescere potuit) solus Cremoninus perpetuus Græcorum latero, ac Idololatra integro libello pro hac re *inscripto*. Communis tamen, ac receptissima inter Latinos *sententia*, a qua etiam Græcorum quamplures non longe distant, si recte intelligantur, oppositum docet velut de mente Arist. ac etiam veritati magis consonum, esse nimirum *in quibuscunque* corporibus etiam in elementis ipsis *accidentales formas*, & accidentia de genere qualitatis quod fusissime, *ac satis luculenter*, & exacte contra Cremoninum demonstrarunt ex recentioribus Peripatetici Ragusejus *disp. Peripat. 15.* & junior Contarenus tom. 2.

q. q. Peripat. de formis elementorum, qui alios citant, & ad amussim omnes Arist. auctoritates ad rem hanc pertinentes expendunt, & ex nostris exactissime P. Faber 11. Met. disp. p.

Sed etiam dubium est circa alteram quæstionis partem. Arist. n. 2. de gen. 8. 9. & 54. & 4. Meteor. c. 1. definiens Calidum, & Frigidum, Humidum, & Siccum, quasdam assignavit difficultates, quæ innumeras, nec leves subeunt difficultates, quo factum est, ut plurimi illas penitus abjecerint, & alias propria industria investigaverint; alii vero eas acceptaverint, ut veras in plurimum, non semper, ita Pomponat. & Buccaferr. 4. M. Meteor. & Conimb. l. 2. de gen. c. 3. q. 3. art. 2.

ARTICULUS I.

In omnibus corporibus esse formas accidentales demonstratur.

1 Hæc est receptissima sententia præsertim inter Latinos, ut diximus, quam Scot. semper supponere videtur, ubicunque de his qualitatibus loquitur, ita 2. d. q. 6. N. & O. & d. 15. q. un. & p. d. 17. q. 3. & d. 12. q. 3. & alibi sæpe. Prob. primo pluribus, & manifestis Arist. authoritatibus, non quia in his caput faciamus, nam apud nos semper magis urgebit una stabilis ratio, quam mille auctoritates, scire namque *est rem per causam cognoscere*, non per auctoritatem, & ut inquit ille, *non est attendendum quis dicat, sed quid dicat*, & hujus indolis sunt probationes Philosophi, unde Hier. ab Angelo Scotista inclytus l. 2. de form. propriet. p. 58. loquens de auctoritatibus etiam Arist. inquit; *quas sine experientia, vel ratione in Philosophia non legenter vocitio*; Aversa q. 41. sec. 3. ait, *nec oportet in rebus Philosophicis totum fere studium ad examinandas auctoritates convertere*, & Ragusejus cit. cap. 4. in fine suffragatur dicens, *magis puto esse Philosophi rationibus, quam auctoritatibus decertare*; unde asserta sua solis auctoritatibus stabilire, ut Cremoninus assolet, non solum in liberis Auctoribus est indecorum, sed etiam in ipsis Arist. Interpretibus minime laudandum, ut monuit Zabarel. vir de Arist. doctrina benemeritus lib. de regionibus aeris c. 6. ubi ait, *Et laudandi quidem in hoc sunt Interpretes Aristotelis, qui in sola ipsius auctoritate non acquiescentes, de ejus dicto dubitarunt, tanquam rationem quoque exquirentes, quod quidem illi, qui veri Philosophi esse volunt, in omnibus facere deberent*: quare verus, & genuinus philosophandi modus etiam in Peripato est non soli Arist. auctoritati acquiescere, sed etiam rationem vestigare dictorum ab Arist. nam qui soli auctoritati fidit, rationem spernens, argute a quodam appellatus est vir multæ auctoritatis, sed modicæ rationis, seu *homo sine ratione*, ea igitur potissimum de causa Arist. auctoritates adducimus pro nostro asserto, ut putidum Cremonini mendacium refellamus, qui sec. 2. cap. 1. sub finem ait, Latinos nec unum quidem Arist. locum adducere posse, ubi elementorum qualitates appellaverit accidentales, cum tamen pro sententia Græcorum legantur innumeræ, ab ipso relatæ; summatim itaque, & clariores afferemus.

In 7. l. Phys. 11. & 8. l. 55. primas qualitates enumerat inter passiones sensibiles, idem habet p. de ge. 24. lib. 2. de gen. 54. & 55. carpit antiquos, eo quia solas elementorum qualitates agnoverint, non eorum formas substantiales. Item lib. de sensu, & sensib. ait ignem agere non quatenus ignem, sed quatenus calidum, per quod manifeste fecernit formam substantialem ignis ab ipso calore. Et 2. de partib. animal. ab initio docet, qualitates non esse de essentia elementorum, sed illorum virtutes; & 7. Met. 17. disertissimis verbis ait substantia non esse, sed accidentia, quod denuo repetit 5. Met. 19 & 8. Met. 5. videatur codex, quia verba sunt apertissima, quæ brevitatis gratia hic non transcribimus. Denique idem deducitur ex variis ejusdem Arist. principiis, quod nimirum substantia non habet contrarium, non suscipit magis, & minus, non est per se immediate sensibilis, non terminat alterationem, sed generationem, & alia hujusmodi, quorum oppositum omnino convenit allegatis elementorum qualitatibus.

10 Ad eludenda hæc Arist. testimonia plura adinvenit Cremoninus diverticula; Primo inquit, Philosophum, cum illas qualitates vocat passiones elementorum, & accidentia, loqui dubitando, & proponendo Antiquorum opiniones. Secundo cum negat esse substantia, loqui de substantiis compositis, & per se subsistentibus. Tertio cum negat in substantia contrarietatem, loqui tantum de substantia composita, non autem simplici, quales sunt formæ elementares, unde vult substantiam latius sumptam, ut etiam differentias substantiales complectitur, contrarietatem habere, quod probat ex Arist. 1. Phys. 67. ubi *principia* rerum naturalium contraria ponit & 10. Met. 13. ubi ait in omni genere aliquam primam contrarietatem reperiri, quatenus omne genus per oppositas dividitur differentias. Quarto cum negat substantiam magis, & minus suscipere, id intelligendum esse de substantia in toto suo ambitu, Arist. enim ibi de eo magis, & minus loquitur, quod contrarietatem sequitur, unde cum substantia quoad se totam contrarium non habeat, hinc fit, ut in eodem sensu magis, & minus non recipiat. Quinto non negare Arist. substantiam aliquam esse per se sensibilem, sæpius enim distinxit substantiam in sensibilem, ac intelligibilem, quare sicut abstracta a materia est per se intelligibilis, ita materialis erit per se sensibilis; vel hoc asseruit de substantiis compositis, non simplicibus; vel denique elementares qualitates cadere sub sensu, ut qualitates sunt, & accidentia, non ut formæ substantiales. Sexto ait elementares qualitates in gradibus remissis terminare alterationem, quia tunc sunt accidentia, at cum ad eum intensionis gradum pervenerunt, ut queant elementa substantialiter constituere, tunc generationem terminare, quia tunc non amplius accidentia sunt, sed substantiales formæ evaserunt. Denique innuit alium evadendi modum, dicens substantiales elementorum formas non esse qualitates ipsas, sed connexionem duarum qualitatum, quæ ad determinatum gradum redactæ rationem elementi constituunt, huicque nexui scilicet essentiali quidditati elementorum neque contrarietatem competere, nec suscipere magis, & minus, nec esse sensibile, nec terminare alterationem, sed generationem.

11 Sed hæc omnia effugia prorsus vana sunt, nec quicquam prorsus valent. Non primum, quia verum quidem est nonnullis ex præcitatis locis Philosophum examinare Veterum placita, postea tamen ex propria sententia loquens determinat ipsas qualitates non esse substantias, sed affectiones elementorum, ut præsertim videre est 3. Metaph. 17. Non secundum, quia cum ait Arist. prædictas qualitates non esse substantias, absolute loquitur de substantia, & absque limitatione, & nedum negavit esse substantia, sed affirmavit etiam esse passiones, & affectiones, sic enim loco nunc citato loquitur, *horum vero* (scilicet elementorum) *caliditates quidem, & frigiditates, & similes passiones non sunt substantiæ*. Non tertium, quia ut ostendimus in Logica disp. 7. q. 1. art. 3. proprietas illa convenit omni substantiæ, non solum directe, sed lateraliter etiam, ac indirecte existenti in prædicamento, nam eam Arist. prædicamento substantiæ adscripsit, ut a quocunque accidentium prædicamento contradistinguit, & ideo de quacunque substantia intelligi debet; tum quia si formis, ac differentiis substantialibus contrarietas conveniret, etiam & compositis ex eis constitutis convenire deberet, quia forma, & differentia vel est totalis, vel certe principalis pars compositi, cui totam suam communicat naturam, & conditionem; nec loca, quæ ex Arist. pro hoc adducit, ei suffragantur, ut loc. cit. in Logica notavimus. Non 4. tum quia, ut ibidem diximus, suscipere magis, & minus ab Arist. tribuitur substantiæ universaliter, ut ab accidente conditinguitur, atque ideo omni substantiæ etiam distributive competere debet, tum quia si aliqua substantia magis, & minus suscipit, ergo male illam assignaret proprietatem de tota substantia, ac in toto ambitu suo, tum quia si de illo magis, & minus loquitur, quod contrarietatem sequitur, cum nulla prorsus substantia, ut diximus, contrarium habeat, nulla quoque suscipiet magis, & minus, tum tandem quia inferius disp. 1. quæst. 5. art. 2. absolute ostendimus cuicunque formæ substantiali magis, & minus suscipere penitus repugnare. Non quintum, quia cum Arist. 2. de Anim. 63. 64. & 65. docet substantiam non esse per se sensibilem, loquitur in universum de quacunque substantia, tam composita, quam simplici, quia in hoc eam ab accidente secernit, quod quidem etiam certissime constat ex Eucharistiæ Sacramento, si namque substantia per se sensibilis esset, tunc ut arguit Doctor p. dist. 3. q. 3. K. & dist. 22. q. p. in corpore, posset ejus præsentia directe, & absentia saltem indirecte sensu percipi, sicut inquit Arist. 2. de Anim. 113. quod visus est tenebræ perceptivus, quando scilicet lux non est præsens, atque ita posset sensu percipi absentia substantiæ in Hostia consecrata, quod est erroneum, & contra experientiam, tum quia nequit reddi ratio, cur potius sentiatur substantia elementorum, quam mixtorum, cum illæ qualitates in utrisque corporibus similem faciant sensationem; dum autem Arist. assignavit substantiam sensibilem ab intelligibili distinctam, sane non intellexit esse per se sensibilem, sed tantum rationem accidentium, quæ subjectat, hoc enim sufficit ad ponendum inter utramque discrimen, quia per nullum accidens sibi inhærens illa dignosci potest, nec ultra opus est, ut qua ratione unum est intelligibile, eadem ratione alterum *sit sensibile*; ac etiam prorsus voluntarium est, quod ibi addebatur, dici posse qualitates illas sub sensu cadere, ut accidentia sunt, non ut substantiæ, sic enim eadem prorsus entitas esset insimul substantia & accidens, & eadem prorsus entitas sentiretur, & non sentiretur sub diversa ratione, tum quia ad sensum tactus pertinet cognoscere omnem exuberantiam, ut ait Arist. 2. de Anim. 118. ergo potest sensus tactus cognoscere qualitatem in quolibet gradu, etiam in summo, ut patet experientia, ergo adhuc ut substantia per se sentiretur, quia ad talem gradum redacta per Adversarios evadit substantia.

Neque etiam valet sextum effugium, quia qualitas in gradu intenso non differt a seipsa in gradu remisso, nisi secundum magis, & minus, at differentia secundum magis, & minus, ut est apud omnes in confesso, non variat rationem specificam, tanto minus genericam, quis enim crederet, quod eadem qualitas, quæ in secundo gradu v. g. erat accidens, evadat substantia, statim ac tertium attingit, vel quartum? sed de hoc infra rursus redibit sermo. Nec denique ultimum, quia si nulla illarum qualitatum per se sumpta ad quemcunque gradum redigatur, nunquam fit forma substantialis elementi, ergo nec ambarum combinatio, vel unio in certo gradu, nam vel hoc aggregatum ex duabus qualitatibus duas importaret formas substantiales, vel unam tantum; non primum, tum quia tunc duæ formæ substantiales disparatæ simul informarent eamdem materiam; tum quia si ante unionem erant illæ qualitates pura accidentia, nequeunt ex vi solius unionis superadditæ fieri substantiæ, unio enim solum extrema copulat, & nectit, non autem eorum naturam essentialiter immutat. Neque 2. tum quia ex non substantiis substantia coalescere nequit ex p. Physicor. 52. tum quia si tota combinatio dicitur una forma, non erit quid per se unum, cum nequeat assignari per se actus, & per se potentia, sed aggregatum quoddam ex pluribus formis, & si est quid per se unum, hoc erit potius compositum quoddam substantiale, quam substantialis ipsa forma; omnia ergo illa Cremonini effugia frivola sunt, & vana.

12 Deinde probari solet a Latinis evidenti ratione, etiam in ipso Arist. fundata, nam p. Phys. 27. & 30. ac 3. Metaph. 17. quod uni est acci-

accidens, alteri nequit esse substantia, quæ propositio maxime veritatem habet in his, quæ dicuntur univoce, sed qualitates prædictæ, quæ univoce conveniunt omnibus corporibus tam mixtis, quam simplicibus, in illis sunt accidentia, ergo etiam in istis; major, etiamsi sit Arist. cit. adhuc ratione probatur, tum quia substantia, & accidens non talia judicantur ex sola comparatione ad aliud, sed quia in se talis sunt conditionis, & naturæ, ergo nequit idem ad diversa comparatum modo substantia esse, modo accidens, quia quod est de se tale, ubicunque ponatur, semper est tale, tum quia forma substantialis dat esse simpliciter, accidentalis secundum quid modo explicato disp. 2. Physicor. q. 1. art. 3. adeo ut omnino implicet tenorem hunc variari, ut ibi probavimus. Dices, quod licet substantialis, forma quantum est ex se, det esse simpliciter, tamen si adveniret enti completo, tunc daturam esse secundum quid, & sic evasuram accidentalem. Hic casus est impossibilis, quia ens completum non est ordinabile ad ulteriorem formam, quæ det esse simpliciter, quantum est ex se, alioqui numquam fieret substantialis corruptio, nam hæc fit ob adventum formæ substantialis disparatæ, sed si ista tunc accidens esset, jam compossibilis esset cum præcedenti; minor vero principalis argumenti ab Adversariis conceditur, & sane negari nequit, nam videmus mixta calefieri, & frigefieri absque aliqua substantiali mutatione, & in Eucharistia videmus illas remanere abscedente substantia panis, & vini.

Resp. Cremon. majorem illam non esse absolute veram, quia intellectio in Deo est substantia, & in homine accidens; figura rotunda Cœlo est substantialis, inferioribus corporibus accidentalis, & forma substantialis dicitur accidens respectu materiæ, quia ei accidit, & substantia respectu compositi, quod substantialiter constituit, inquit ergo esse verum, formam, quæ uni accidentalis est, alteri substantialem esse non posse, si eodem modo ab utroque participetur, at falsum est, si participetur diversimode; & ideo quia calor in mixto non perfecte participatur ab ipso, nec calor in eo ad eum gradum progressus, ut possit substantialiter determinare, ideo est accidens & a materia ignis perfecte participatur, itaut substantialiter possit determinare.

13 Hæc solutio facile infringitur, nam calor, quando perfecte participatur a subjecto, vel id est, quia aliquis gradus ei additur, quem prius non habet, vel id contingit sine aliquo addito; non secundum, quia tunc non posset asseri ratio, cur modo perfecte participetur, & non prius; si primum, vel illud additum est ejusdem rationis cum imperfecta entitate caloris, vel diversæ, si primum, ergo sicut entitas imperfecta erat accidens, ita & perfecta, quia quæ sunt ejusdem rationis sunt etiam ejusdem speciei, & consequenter nequeunt esse substantia, & accidens, quæ non solum specie, sed prædicamento differunt; si vero secundum dicatur, ergo illud additum erit substantialis forma, & consequenter quia entitas illa imperfecta remanet, nam in intensione prior qualitas non deperditur, jam in elemento erunt duo, scilicet calor imperfectus, qui est accidens, & calor perfectus, qui erit substantia, & hunc nos vocamus formam substantialem ignis, illum vero qualitatem, rectius est dictum, quia cum specie, & prædicamento differant, debent diversis nominibus appellari, ut confusio evitetur, & ne cogamur concedere idem modo esse accidens, modo substantiam. Nec allatæ instantiæ majorem illam labefactant, non illa de intellectione, aliisque attributis Deo, & creaturæ communibus, hæc enim omnia purum præseferunt conceptum, non autem realitatem adæquatam ei substratam, at naturæ prædicamentales, uti sunt substantia, & accidens, realitates important genericas, vel specificas vere per differentias contrahibiles alterius, & alterius rationis, quia diversorum generum, & non subalternatim positorum diversæ sunt species, ac differentiæ per secundam regulam anteprædicamentalem, atque ideo prorsus implicat realitatem de prædicamento substantiæ commigrare in realitatem de prædicamento accidentis, aut e contra. Nec etiam obstat instantia de figura Cœli, licet enim sit accidens ab ipso naturaliter inseparabile, atque ideo physica necessitate ei necessario connexum, non tamen metaphysica, & logica, ita quod de ipso prædicetur in primo modo dicendi per se, ut Cremon. arbitratur. Nec denique urget tertia instantia de forma respectu materiæ, aliud enim est loqui de accidente prædicabili, aliud de prædicamentali, forma respectu materiæ est accidens prædicabile, non prædicamentale, potest enim bene substantia induere rationem accidentis prædicabilis, non tamen prædicamentalis, ut diximus disp. 5. log. q. 5. art. 2. de quo in proposito est sermo.

14 Postremo probatur, tum quia videmus aquam calefactam, cum ab igne remota fuerit, pristinam frigiditatem in se reparare, signum evidens aliud in ipsa reperiri principium frigiditatem antevertens, in quod talis operatio referri debet, cum sufficienter referri nequeat in ipsam frigiditatem remissam, quia universaliter nulla qualitas potest seipsam intendere in suo subjecto, ut disp. seq. quæst. 2. dicemus. Tum quia in Eucharistia videmus has qualitates remanere, ubi tamen omnis substantia deperit, quod adhuc magis urget, si cum probabili sententia teneatur, aquam etiam in vinum non transmutatam converti in sanguinem, quia tunc non sola mixti frigiditas remaneret, sed etiam elementaris, scilicet aquæ, unde opinio Crem. videtur in fine suspecta ob Sacramentum Eucharistiæ. Tum tandem quia eodem pacto dici posset mixta his accidentibus constitui substantialiter, sicut enim elementis forma substantialis statuitur alia non esse, quam certa temperies primarum qualitatum, pariter asserere licebit in mixtis formam substantialem non esse, nisi certam earundem qualitatum temperiem, & nexum, vel si in mixtis præter primas qualitates in certa temperie conjugatas admittuntur quoque formæ substantiales ab eis distinctæ, eodem pacto idipsum de elementis asserere licebit, & ita revera sentiendum est, quod sicuti mixta propria substantiali forma substantialiter constituuntur; & inde a tota natura constituta peculiares fluunt affectiones, & accidentia, sic constituto unoquoque per propriam substantialem formam elemento, statim ab ejus substantiali forma peculiaris oritur qualitas veluti innata ejus affectio, talis est in terra siccitas, in aqua frigiditas, in aere humiditas, & in igne caliditas, ut inferius suo loco disputation. 7. magis explicabitur.

15 In oppos. objicit. Primo Crem. innumeras Arist. auctoritates, quibus docere videtur *formas elementorum esse primas* qualitates. Prima est 2. de gen. tex. 6. & 7. ubi ait contrarietates, sive contrarias qualitates simul cum materia esse principia, & formas, quibus constituuntur elementa; idem habet 2. de Anim. 117. & p. Phys. 54. ubi ait, elementa esse contrarietatibus complexa, idest qualitatibus contrariis. Secunda est ex eodem 2. de gener. 24. ubi ait elementa esse invicem contraria, quia eorum differentiæ sunt contrariæ, quod autem loquatur de differentiis specificis, patet, quia hinc colligit elementa in se transmutari, quod non nisi per differentias specificas contingere potest, idem habet p. de gener. 18. ubi ait distingui ignem, & terram per calidum, & frigidum, tanquam per differentias. Tertia text. 49. ejusdem libri ait elementa ignem, & aquam esse invicem substantialiter contraria, adeout substantia substantiæ contrarietur, sed non tunc contraria, nisi per qualitates, ergo, &c. Quarta ait 2. de An. 28. quod siccis, & calidis, frigidis, & humidis *aluntur omnia viventia, si ergo illa, quibus viventia nutriuntur*, substantiæ sunt, tale quoque erit siccum, calidum, &c. Quinta lib. 3. de Anim. 19. ait essentiam carnis consistere in calido, & frigido, sed caro est substantia, ergo, &c. Sexta lib. de sensu, & sensib. inquit, quod ignis agit, non qua ignis, sed qua calidus, sed accidens nequit producere substantiam, ergo, &c. Septima l. 2. de partib. animal. cap. 1. ait qualitates, & virtutes elementares esse materiam mixti, sed materia mixti debet esse substantia, ergo, &c. alias etiam affert auctoritates, sed nos clariores attulimus, ex quarum applicatione mox adiicienda aliarum facile patebit intelligentia.

Resp. facillime ad hæc omnia, ad 1. & 2. aliasque similes auctoritates, quibus innuere videtur, primas qualitates esse elementorum substantiales formas, est *communis solutio, non dici* elementorum formas, & principia, quatenus elementa sunt quædam corpora essentialiter constituta, sed quatenus sensibilia sunt, & activa, ac passiva in communi rerum generatione, unde cum Arist. sic loquitur, vel elementa considerat in ordine ad mixtionem, vel naturas elementorum circumscriptive explicat per passiones, tanquam per aliquid notius, vel demum qualitates vocat principia elementorum, quatenus sunt dispositiones, & origines eorum quoad substantiam, & quidem nonnisi aliquo ex his sensibus loquitur citatis locis, si attente legantur; unde 2. de gener. 6. & 7. considerat ipsa in ordine ad mixtionem, & sensationem, ut constat ex ipso contextu; 2. de Anim. 117. loquitur de ipsis præcise in ordine ad sensationem, seu quatenus sensibilia sunt, quærit enim ibi, quodnam sit objectum tactus, 1. autem Phys. 54. solum vult innuere qualitates contrarias insequi naturalem elementorum complexionem ut proprias eorum affectiones, & tandem 1. de generat. 18. & 2. *lib.* 24. *vel loquitur de elementis, non quatenus* substantiæ sunt, sed quatenus *principia mixtionum* activa, & passiva, ita enim constituuntur per qualitates; vel de *ipsis loquitur*, ut substantiæ sunt, *nomine* primarum qualitatum nobis circumscribit differentias eorum specificas, quæ non latent, valde enim frequens est apud Philosophos differentias specificas per accidentia propria a posteriori manifestare.

16 Tentavit Cremon. has communes infringere solutiones, non sufficit, ait, illa solutio, quod Aristot. loquitur de elementis, ut sunt principia generationis mixtorum, quia adhuc principium generationis mixti debet esse substantiale, cum accidens nequeat producere substantiam, nec juvat dicere esse principia instrumentalia; quia actio sequitur formam, nec separatur ab ea, ergo actio generativa mixtorum debetur immediate formis ipsis substantialibus elementorum, atque ideo cum talis actio eorum qualitatibus adscribatur, sequitur ipsamet esse eorumdem formas substantiales. Nec etiam valet, inquit, altera solutio de circumscriptione formarum elementarium per qualitates; quia res occultas, & proprio nomine carentes solet Arist. significare nominibus fictis, & aliunde mutuatis, si ergo Arist. *in elementis* agnovisset formas substantiales a qualitatibus distinctas, certe illis nova imposuisset nomina, cum sæpe ac præsertim initio quarti de Cœlo mentionem faciat de eis, quibus non sunt imposita nomina: tum etiam quia gravitas quoque & levitas sunt elementorum principia, si non in alteratione, saltem in ordine ad motum localem, & tamen 2. de gen. 8. negat Arist. ob id dici posse elementorum principia, ergo pariter nec primæ qualitates ea ratione possint legitime dici elementorum principia.

Neutra tamen solutio infringitur; prima subsistit adhuc, quia cum dicimus elementa constitui principia mixtorum *per qualitates*, non intelligimus de principio principali, tale *enim* utique est sola substantialis elementorum forma, cui *etiam immediate* competit actio generativa, & substantialis, *sed loquitur* tantum de principio instrumentali, cui tantum *convenit* actio dispositiva, quæ mere accidentalis est. Altera quoque viget, nam optimum quidem est *imponere nomina rebus*, quando res ipsæ sunt per se aliqualiter notæ, at cum *penitus* abditæ sunt, & occultæ, ut in proposito sunt *elementorum* formæ, non possumus eis nomina imponere, *sed tunc explicandæ* sunt a posteriori per eorum

rum effectus, ac proprietates, ut docetur 1. de Anima tex. 11. quod eo consultius fit, quanto hæ proximiores sunt ipsi formæ substantiali, unde *in proposito ad circumscibendas* elementorum formas aptiores sunt primæ qualitates, quam gravitas, & levitas, cum primæ ipsæ qualitates proximiores sint formis, sintque priores, & cæteræ omnes ex illis dependeant; ideo jure negavit Arist 2. de gen. 8. levitatem, & gravitatem esse elementorum principia, eo vel maxime, quia ibi elementa contemplatur, ut sunt principia mixtorum, quo in munere eis tantum inserviunt solæ qualitates invicem agentes, ac cum ipsis elementis ad constitutionem *mixtorum conspirantes*, ad quod munus levitas, & gravitas sunt prorsus ineptæ, ut ibi Arist. monet. At reclamat Crem. & velut ingens infert absurdum ponere elementorum formas occultas, ignotas, ac innominatas. Quod tamen apud nos nullum prorsus est inconveniens, nam ignoramus etiam formas substantiales mixtorum, quæ sunt magis obvia, auri, argenti, lapidis, ferri, &c. si ergo hæ nobis sunt occultæ, si proprio carent nomine, cur non idem de formis elementorum dicere licebit?

Ad alias auctoritates non minus facilis est occursus. Ad 3. non ait ibi ignem, & aquam substantialiter opponi, sed tantum opponi eo modo, *ut contingit substantiam substantiæ esse contrariam*; nimirum mediis accidentibus quibus affecta sunt, potest etiam concedi eorum substantias virtualiter, & radicaliter contrariari, quia aliqua habere contrarietatem virtualem aliud non est, quam posse contraria producere, ut dictum est disp. 7. log. q. 1. art. 3. Ad 4. non ait nutriri viventia siccitate, frigiditate, &c. sed siccis, calidis, frigidis, & humidis idest subsantiis his qualitatibus affectis, per quod patet ad 5. Ad 6. loquitur ibi de actione alterativa ad generationem disponente, non autem de ipsa actione generativa, quæ soli formæ ignis competit principaliter non autem calori, nisi instrumentaliter. Ad 7. dicitur ibi mixtum constare ex elementorum qualitatibus, quatenus ex earum temperie coalescit, & dicuntur materia mixtorum, quatenus sunt materialis dispositio ad formam.

17 Secundo, principaliter arguitur rationibus. Tum forma non agnoscitur, nisi ex præviis actionibus, sed in elementis præter actiones proprias qualitatum, quæ sunt calefactio, frigefactio, &c. nulla alia deprehenditur actio, ergo nulla alia est ibi forma. Tum 2. illud est de substantia rei, quo sublato aufertur res, 2. de Anima 9. sed sublatis primis qualitatibus aufertur ipsum elementum, ergo &c. Tum 3. illa est forma substantialis alicujus rei, per quam potest sibi simile producere, sed elementa per qualitates activas producunt sibi similia, ergo &c. Tum 4. formæ elementorum sunt contrariæ, alioquin incorruptibiles essent, quicquid enim corrumpitur, a suo contrario corrumpitur 1. de gen. 50. ergo sunt ipsæ primæ qualitates.

Resp. ad 1. neg. min. nam actio reducendi se ad pristinum statum, cum ab eo dejecta fuerint, ac generandi alias substantias elementares, & mixtas, satis indicat aliam formam qualitatibus ipsis priorem, nulla enim istarum actionum potest ipsi adscribi; non prima, quia ut diximus, nulla qualitas potest seipsam intendere, neque secunda, quia calor v. g. in igne nequit nisi calefacere, non autem ignire, *hæc enim est actio propria formæ ignis*. Ad 2. neg. major, omnes enim proprietates habent, ut eis sublatis rerum substantia depereat, illud igitur, quo sublato per se *primo formaliter*, & immediate tollitur, est utique de substantia rei, est solum proprietas, ita solvit hoc arg. Averroes 8. Met. com. 5. Ad 3. major est vera de ratione producendi simile prima, & principali, qualitates activæ elementorum vero sunt illis rationes producendi simile solum instrumentales, ac dispositivæ. Ad 4. sufficit, ut corrumpantur, quod sint affectæ dispositionibus contrariis, hæ namque dum se a subjecto expellunt, deficiunt per consecutionem formæ ipsæ elementares, & sic intelligit Arist. quicquid corrumpitur, a suo contrario corrumpi, nimirum vel per se, & primo, vel per accidens, & concomitanter; Accedit, ut diximus, formas ipsas substantiales elementorum esse saltem virtualiter, & radicaliter contrarias, ultra generalem illam incompossibilitatem, quam habent omnes formæ substantiales disparatæ in eodem subjecto. Quæ Ferchius contra nos objecit lib. de sens. pag. 88. in hac materia pro defensione Cremonini, vide soluta lib. ex purg. querel. 3. & quer. 38.

ARTICULUS II.

Explicantur definitiones istarum qualitatum ab Aristotele traditæ.

18 CAlorem, & frigus, humiditatem, & siccitatem Arist. 2. de gen. 8. & 9. definivit in concreto, ut ejus moris est, in hunc modum: Calidum est, quod congregat homogenea, & segregat etherogenea, Frigidum, quod congregat homogenea, ac etherogenea simul; Humidum, quod facile terminatur termino alieno, sed non proprio; Siccum, quod facile terminatur termino proprio, sed non alieno. Neque audiendi sunt Conimb. cit. dicentes Arist. potius ex Antiquorum placito, quam ex propria sententia allegatas attulisse definitiones, quod ex quibusdam verbis ejusdem in eodem lib. tex. 54. colligere nituntur; Quia cum ab initio libri eas tradidit definitiones nullatenus veterum meminit, & easdem habet 3. Cœli 74. & 4. Met. c. 1. & quamvis tex. illo 54. antiquos referat, non tamen illis attribuit præfatas definitiones, sed tantum, quod calidum segreget, & frigidum congreget, at tex. 8. non absolute pronunciavit calidum segregare, sed etherogenea segregare, homogenea vero congregare, & quando etiam has definitiones antiquorum testimonio firmasset, non ideo deduci debet de ejus mente non esse, sed potius ipsum in hoc cum Antiquis convenire, cum eas nullibi reiiciat, quod tamen facere solet, cum veterum placitis non acquiescit. Potius ergo enitendum est rectum harum definitionum eruere sensum, quam asserere de mente Arist. non esse, præsertim cum passim ab omnibus Peripateticis recipiantur, ut est videre apud Zabar. lib. 1. de primis qual. c. 3. & seq. Mercen. tom. 1. dilucid. pag. 120. Contar. tom. 2. qu. peripat. qu. de primis qualit. Aresium 2. de gen. disp. 2. q. 8. Aversam q. 41. sec. 5. Hurt. de gen. disp. 6. sec. 3. & alios.

19 Dicimus ergo allatas definitiones esse rite traditas, & sic esse intelligendas, quod scilicet calor est qualitas, cujus virtute homogenea, & quæ *ejusdem* sunt *rationis*, adunantur, quæ vero alterius sunt rationis, dissolvuntur, quod manifeste constat in liquefactione metallorum, ceræ, &c. Nam aurum purgatur igne, quia omnes partes ejusdem rationis simul uniuntur, & dissimiles separantur, ut scoria, & impuriores partes a puioribus; item si cera habeat in se lapides, & paleas simul concretas, in liquefactione lapides subsident in fundo, paleæ supernatant, & in medio pura remanet cera: Ratio hujus est, quia calor calefaciendo habet virtutem relaxandi, & rarefaciendi, unde consequenter ejus actione, & caloris beneficio, quæ sunt ejusdem rationis, & conditionis coadunantur, dissimilia vero separantur, unumquodque proprium petens locum, nam si res illæ dissimiles sunt, dissimilia quoque postulant loca, & cum per liquefactionem omne tollatur impedimentum, quod secum concretio ferebat, naturaliter quodlibet ad suum tendit locum. Frigus e contra est qualitas promiscue congregans homogenea, ac etherogenea simul, quod patet in aquæ congelatione, ubi videmus omnia in ea reperta, cujuscunque sint generis, & conditionis, simul uniri, & hoc, quia frigus frigefaciendo vim habet condensandi, & constringendi, & consequenter, quæ reperit, simul constringit, & condensat. Humiditas est qualitas reddens corpus *difficile terminabile proprio termino*, facile alieno, etenim humiditas corpori affert fluxibilitatem quandam, quæ in causa est, ut corpus difficulter proprios retineat terminos, & figuram, sed faciliter figuræ corporis continentis accommodatur, ut patet in aqua, & aere respectu vasis. Siccitas est qualitas reddens corpus facile terminabile termino proprio, difficile alieno, ut patet in lapide, ferro, terra &c. & hoc, quia siccitas quandam confert duritiem, & consistentiam corpori, per quam resistit, ut alienæ figuræ accommodetur, & faciliter propriam retinet; & ita passim a Peripateticis definitiones istæ intelliguntur, & explicantur.

20 Adversus allatas definitiones emergit communis omnibus difficultas, nam definitio universaliter per priora debet dari, non per posteriora, & si per posteriora, saltem per ea, quæ proxima sunt, cur ergo Arist. volens has qualitates definire, non definivit per priora, sed per effectus? & si per effectus, cur non potius per primarios, & proximos, quales frigefacere, calefacere, humectare, & exsiccare, sed per remotos, & secundarios ex primis provenientes? tum quia quamplures alii præter illos dantur secundarii effectus, ut v. gr. caloris indurare, liquefacere, mollire, &c.

Resp. *primas qualitates secundum se*, & absolute consideratas utique per suas causas, & non per effectus definiendas fore, ut essentialiter definiantur, verum in lib. de gen. non ita considerantur, sed ut principia mixtorum, quemadmodum & ipsamet elementa, ad exprimendum uniuscujusque munus recte per effectus ab Arist. sunt definitæ, non quidem primarios, & proximos, quia per eos non exprimitur proprium earum munus in generatione mixtorum, cum illos quoque causent in generatione simplicium, sed per secundarios, & remotos, nec hos etiam quoscunque, sed præcise per illos, qui in generatione mixtorum exercentur præcipue, quales sunt in definitionibus recensiti, & alii; nam ad generationem mixti simplicium mixtio requiritur, hæc autem mixtio proprie sit a primis qualitatibus per effectus illos, nam in unoquoque corpore determinata requiritur *mixtio*, & condensatio, non summa, idcirco partes aliquid debent habere fluiditatis, & aliquid consistentiæ, hoc autem fit ex congressu humidi, & sicci, quatenus terminabilia, vel interminabilia sunt, ut dictum est; nequit autem hoc fieri, nisi illæ partes, quæ condensatæ improportionabiliter erant, segregentur, & quæ improportionabiliter fluidæ, congregentur, recte igitur definivit Arist. primas qualitates per effectus, quia earum consideratio in istis libris relativa est, non absoluta, recte etiam per illos effectus, & non per alios, sive priores, sive posteriores, ut sunt calefacere, frigefacere, humectare, & exsiccare, item rarefacere, & condensare, quia per hujusmodi actiones, & operationes non limitatur ad mixtionem generationum, cum indiscriminatim exerceantur tam in generationem mixtorum, quam simplicium, calidum enim in aquam agendo eam calefacit, & rarefacit, & in vaporem, vel aerem convertit, & frigidum e contra in aerem agendo condensat ipsum, & vertit in aquam.

Hinc patet minus recte Aresius loc. cit. dicere ideo Arist. per prædictos effectus secundarios segregandi, congregandi, terminandi, &c. potius definisse, quam per primarios calefaciendi, frigefaciendi &c. quia effectus isti primarii sunt notissimi, & cuique obvii, unde definitio non esset notior definito, atque ideo satius fuit aliquid de ipsis dicere, quod non omnibus esset pervium, quod bene fit per illos effectus secundarios. Hæc tamen non est sufficiens ratio, quia sic potuisset Arist. illas definire qualitates per rarefacere, & condensare, nam isti quoque sunt effectus caloris, & frigoris minus noti, quam calefacere, & frigefacere, atque sic infinuarent aliquid non omnibus ita pervium; ratio ergo præcisa, cur per illos effectus qualitates primas definierit, & non per alios, est, quam adduximus, quia nimirum cum *hic considerentur*, ut *principia mixtorum*, utique secundum effectus peculiares ad generationem mixti pertinentes explicari debuerunt, & non alios.

23 Dein-

21 Deinde vero contra singulas definitiones scatent difficultates peculiares, & primo contra definitionem caloris; Tum quia falsum videtur calorem segregare etherogenea, nam actione ignis calefacientis cera, & pix, stamnum, & plumbum, si simul liquefiant, ita miscentur, ut nequeant amplius separari, quod clarius apparet in pharmaco, ubi plures, ac diversi liquores virtute caloris commiscentur; item lac ad ignem coagulatur, & cum ipso paleæ, & alia etherogenea concrescunt, & idem cernitur in luto, dum virtute caloris solaris durescit; item actione caloris vitalis *in ventriculo* diversa alimenta per concoctionem in chilum & multi humores uniuntur in venis cum sanguine, qui postmodum frigefacto sanguine emisso separati subsidunt, & alia plura passim similia exempla occurrunt, qua de causa Arist. 3. Cœli 74. ait calori per se convenire, ut congreget, per accidens vero, ut disgreget. Tum 2. quia e contra falsum videtur, quod segreget etherogenea tantum, nam calor intensus vasa vitrea, & terrea frangit, ergo separat etiam homogenea, similiter dum glacies dissolvitur, aqua in varias dissiuit partes. Tum tandem, quia congregare homogenea, & segregare etherogenea videtur potius tribuendum humido, quam calido, quoniam *effectus* debet potius tribui causæ proximæ, quam remotæ, at supradicti effectus calor est causa remota, humiditas proxima, ergo, &c. probat. min. quia non alia *ratione* calor homogenea congregat, quam liquefaciendo, ut diximus, quod est humidum reddere, dum enim metalla liquescunt, tunc etherogenea separantur, & homogenea uniuntur, si vero calefiant, & non liquescant, nulla fiet segregatio, aut unio; e converso etiam si aliquod mixtum non calefiat, sed aqua dissolvatur, idem effectus sequitur, nam partes graviores descendunt, leviores supernatant, ergo hic effectus non sequitur calorem, sed humiditatem; & frigus dicitur omnia congregare, quia condensat, & exsiccat, ergo e converso segregatio ex liquefactione proveniet, non ex calore.

Resp ad 1. Buccafer. & Pomponatius cit. concedendo calorem etiam interdum etherogenea congregare, & inquiunt definitionem calidi ab Arist. datam intelligendam esse, ut in pluribus, quam *etiam ut magis expeditam* recipiunt Conimb. cit. qui proinde addunt noluisse Arist. calorem, & frigus, tanquam per reciprocam, & veram definitionem eo modo explicare, sed tantum inculcare hujusmodi qualitatum affectiones, quæ illis ita per se conveniunt, ut tamen interdum aliter contingere possit. Fatemur hanc solutionem esse omnibus expeditiorem, nec probabilitate carere, præsertim quia ab Arist. notiones illæ calidi, & frigidi non velut definitiones eorum videntur allatæ, sed tantum adductæ, tanquam propositiones veræ ad confirmandum id, quod ibi intendebat. Verum quia ubicunque loquitur Arist. de calido, & frigido eis adscribit præfatas affectiones, & præsertim 4. Met. contextu 1. ait in omnibus idest universaliter calidum congregare homogenea, sicut frigidum etherogenea illis verbis, *videmus enim in omnibus calidum, & frigidum terminantia, & copulantia, hæc homogenea ut calidum, hæc vero etherogenea ut frigidum*, ut notavit Mercen. cit.

22 Ideo præstat communem retinere responsionem, nimirum quod licet calor haber per se calefacere, & tamen quandoque refrigerat ex accidenti, ut contingit in anteperistasi, sic calor habet per se etherogenea separare, sed quia aliqua sunt, quæ liquefacta maxime assimilantur in quibusdam affectionibus fluxibilitatis, liquabilitatis, & similibus, hinc ita commiscentur, ut nequeant separari, talia sunt cera, pix, stamnum, plumbum, & liquores quidam; unde possumus cum Philosopho 2. de gen. ad tex. 8. quem sequuntur Mercen. Aversa, & alii, dicere, per homogenea Arist. non intelligere, quæ unius sunt naturæ substantialis præcise, sed quæ in liquabilitate, ac etiam gravitate, vel levitate, aliave simili complexione conveniunt, licet diversæsint naturæ; per etherogenea vero, quæ in his discrepant, licet ejusdem sunt naturæ, ut sunt exhalatio terrestris, & terra, vapor aqueus & aqua; qua admissa *doctrina* talis congregatio, & concretio fiet a calore per se potius, quam per accidens; quia congregarentur, ut homogenea, non ut etherogenea. Possumus etiam dicere id esse mere accidens, quia intentio caloris est separare picem a cera, sed ejus actio impeditur ab humore glutinoso, & tenaci illorum corporum, ratione cujus ex seipsis connectuntur, & velut homogenea coire videntur, quamvis actio caloris illa segregare nitatur. Alio etiam modo potest per accidens calor etherogenea congregare, nimirum partes tenuiores resolvendo, nam inde sequitur, ut partes, quæ remanent, quamvis etherogeneæ, resistant segreganti ob crassitiem, & duritiem eis communem, & ita contingit in luto calore solis durescente, ac etiam lacte, quod etiam falsum est concrescere virtute caloris, ut principalis agentis, concrescit enim per coagulum crassum, & viscosum illi superadditum, infervit tamen calor, ut attenuatione partium diffundatur per totum. Calor autem vitalis non unit ex se illos diversos humores, sed virtute animæ, quod est agens primarium, vel ob angustiam venarum, in quibus illi humores detinentur concluși, unde videmus, posteaquam sanguis e venis eductus est, tunc calorem ei innatum separare omnes illos humores, quod non eveniret, si a maximo frigore statim condensetur; & idem dici potest de urina, in qua post emissionem partes crassiores separantur a subtilioribus. Tandem ideo Ar. 3. cœl. 74. inquit calori per accidens convenire, quod disgreget, quia scopus ejus præcipuus est homogenea congregare, & ad hunc finem etherogenea dissolvit, ut homogenea uniantur, qua ratione ait 2. de gen. 8. quando ignis solet quædam segregare, idipsum esse congregare ea, quæ sunt ejusdem generis, quia nimirum hoc sequitur ad illud.

Ad 2. calor veluti per accidens vasa disrumpit, dum ea rarefaciendo, ac dilatando abinvicem divelluntur, eo modo, quo rarefaciens materiam ovorum, & castaneatum, dum talis materia rarefacta majorem petit locum, corticem rumpit, qui quidem effectus, ut notavit Aversa, potius est continui divisio ex rarefactione proveniens, quam homogeneorum disgregatio; unde si vas liquari posset, omnes ejus partes evaderent continuæ, neq; censendus est ignis homogenea dissolvere dum ea liquefacit & laxat, quia non necessario, quæ liquantur abinvicem sejunguntur, ut patet in ære, plumbo, & cæteris metallis, quæ etiam in ipsa fusione continuata perseverant. Dices, ergo per accidens quoque est, quod homogenea a calore uniantur, & etherogenea segregentur, quia per se tantum calefacit, & rarefacit, & ex hoc per accidens sequitur, ut levia sursum tendant, & gravia deorsum, & sic segregentur etherogenea, & uniantur homogenea, nam si etherogenea essent æqualis ponderis, non ea calor segregaret. Conf. quia causa, quæ tantum concurrit ut removens prohibens, est causa per accidens, sed ad congreganda homogenea, ac etherogenea segreganda concurrit calor ut removens prohibens, quatenus nempe rarefaciendo, & relaxando tollit impedimentum, quo cohibebatur descensus gravium, & ascensus levium, ergo, &c.

Aresius cit. hac instantia convictus concedit calorem non utique homogenea per se congregare, & etherogenea disgregare, quia rarefacit, & relaxat corpora, & media rarefactione liberum transitum præbeat diversis partibus, ut sua loca petant; tum quia hac ratione si etherogenea essent æqualis ponderis, non utique segregarentur: tum quia cum homogenea quoque rarefiant, deberent & ipsa segregari, tum tandem quia hac ratione mere per accidens conveniret calori talis congregatio, & segregatio, ut allata instantia demonstrat; ut igitur hic effectus ei per se convenire dicatur, & non per accidens, nec illata absurda sequantur, calori tribuit immediate virtutem elevandi sursum, *sic enim* salvatur, quod per se attingat prædictos effectus, nam ejus virtute homogenea æqualiter elevata congregantur, etherogenea vero separantur. Hæc solutio falsum habet fundamentum, quod calor sit immediate virtus elevativa, talis enim est levitas, quæ utique a calore procedere potest, quare ascensus semper immediate oritur a levitate, non a calore; nec etiam in se absolute satisfacit, quia ex homogeneis quædam gravia sunt, quæ virtute caloris attolli nequeunt, sed propria gravitate ablato impedimento subsident, unde cum in fundo vasis v. g. uniuntur, non a calore congregare dicerentur, nisi per accidens; tum quia nec ipsa homogenea levia sunt in eodem gradu levitatis, quare solum homogenea æqualiter elevata congregarentur, ut etiam ipse dicit, non alia; Potius ergo dicendum est modo jam declarato ad rarefactionem, & relaxationem factam per calorem per se sequi semper, & necessario, nisi aliud obstet, congregationem similium, & dissimilium disgregationem; & hac ratione dici per se effectum caloris, non autem primario, & proxime ab eo procedat, ut enim diximus, est effectus secundarius, & remotus; & quia etiam calor rarefaciendo, & condensando concurrit ut causa per se determinata ad tollendum obicem, quo impeditur congregatione similium, & discretione dissimilium, ideo dicitur causa talis effectus per se, & non per accidens; & cum dicebatur, quod ea ratione si etherogenea essent æqualis ponderis, non ea calor segregaret; jam patet responsio ex dictis, quia hic similia, & homogenea appellamus cum Arist. quæ sunt ejusdem complexionis, ponderis, & liquabilitatis; & tandem cum dicebat hac eadem ratione etiam homogenea debere per calorem segregari, quia ipsa quoque per calorem rarefiunt, non minus quam etherogenea, neg. consequ. quia cum illa sint *ejusdem* ponderis, & gravitatis non indistincta secedunt loca, sed in eodem permixta, & colligata manent.

23 Ad 3. pariter inquit Aresius, quod si calor, quatenus tantum rarefacit, segregare dicatur, hoc potius tribuendum esset humiditati, vel saltem raritati, quam ipsi calori, quare ut ipsi calori talis adscribatur effectus, ei tribuit ultra virtutem rarefactivam, virtutem etiam elevandi sursum, cujus beneficio homogenea æqualiter elevata congregantur. Sed hoc jam impugnatum est, quare breviter est dicendum, quod licet æquatur calor hunc effectum segregandi etherogenea, & congregandi homogenea media rarefactione, ac humiditate; vel potius liquefactione, adhuc tamen effectus iste calori adscribitur tantum, non aliis, quia hunc effectum considerat præsertim Arist. ut producendum in alieno subjecto; licet ergo possit hic effectus ab humiditate produci in proprio subjecto, in quo reperitur, quia tamen nequit produci in alieno subjecto, nisi a calore, ideo calori tribuitur, sicut etiam e contra, licet *siccitas* in subjecto ubi reperitur, possit esse causa condensationis, & congregationis, quia tamen hic effectus in alieno subjecto non sic a frigore causatur, ideo frigori adscribitur, ut causæ; quam doctrinam cum receperit Aresius loc. cit. non ei opus erit alias speculationes comminisci, cum illa sufficientissima sit pro argumenti solutione.

24 Secundo, contra definitionem frigoris instatur, quod non omnia congreget. Tum quia in hyeme vasa, imo saxa disrumpit, membra dissolvit, lacrymas ab oculis exprimit, & *pituitam* a cerebro, quæ per nares effluit, & in sanguine e venis emisso separat terrestres partes, quas in infimum *deiicit*, ab aquosis, & biliosis, quas in summum tollit, sal, & *lutum* frigore, & humido dissolvuntur, & in media aeris regione ut frigoris congregantur inter se vapores, & ab *exhalationibus* segregantur. Tum quia contrariarum causarum contrarii sunt effectus, cum ergo actio congregandi adscribatur calori, non poterit eadem frigori adscribi, quod *est* calori contrarium.

Resp. ut dicebamus calorem *posse* per accidens etiam etherogenea congregare, sic in *proposito dicimus* e contra posse frigus eadem disgregare, & ita contingit in exemplis allatis, per acci-

dens

dens saxa, & vasa dirumpit, quatenus per se condensans, & costringens nimirum quasdam partes, illæ ab aliis scinduntur, dum eas secum trahere agglutinatas nequeunt, ob dissolutionem humoris, quo invicem nectebantur, membra frigore solvi dicuntur, quia spiritibus, & calore ad interiora refugientibus destituta membra rigent, & collabescunt; lacrymæ ab oculis exprimuntur, & pituita a cerebro, quia dum partes crassiores, & solidiores per congelationem, & condensationem comprimuntur, tunc partes tenuiores compressionem non patientes exeunt; qua etiam ratione soli vapores constipantur in media aeris regione, exhalationes compressionem refugientes exeunt, quas etiam frigus, quantum est se, condensare, & constipare intendit, separationem illam humorum in sanguine emisso jam diximus fieri a calore innato, non a frigore, vel si fit a frigore, id est per accidens, quatenus humores illi actione frigoris addensati, vel minus graves secundum cujusque naturam redduntur, & diversa petunt loca: sal, & lutum re vera a frigore non dissolvuntur, sed tantum ab humido, unde sal videmus aqua dissolvi, sive frigida sit, sive calida, dicuntur tamen a frigido dissolvi ratione humiditatis, quæ solet illi esse connexa. Ad aliud dicimus posse eundem effectum a contrariis causis procedere, si effectus est pluribus, & diversis modis acquisibilis, ut in proposito est congregario homogeneorum, quæ haberi potest per calefactionem, & rarefactionem, ac etiam per frigefactionem, & condensationem; Vel melius negatur esse eundem effectum sola homogenea congregare, quod soli calori convenit, & congregare homogenea, ac etherogenea simul, quod convenit frigori.

25 Tertio tandem objicitur contra definitiones humidi, & sicci, multa namque sicca facile alieno terminantur termino, difficile proprio, ut flamma apud nos, & venit ignis in concavo Lunæ: hæc enim difficile seipsis terminantur, sed configurationem recipiunt ex continente scilicet a fornace, & a concavo orbis Lunæ, pulvis quoque & cinis, quæ sicca sunt, difficile proprio terminantur termino; facillime alieno. E contra vero multa humida difficile alieno terminantur termino, facile proprio, cujus rei experimentum aqua ipsa præbere potest, quia facile effluit, & funditur, & multo difficilius retinetur oleum, quia velut humidius adhuc magis penetrat; aquæ vero gutta in orbem suapte natura conglobatur, signum evidens habere terminum proprium, quod adhuc evidentius est de ipsa in glaciem concreta, ac etiam cum effunditur ex vase oblongo, & concavo, nam adhuc in aere eandem retinet figuram.

Resp. ad 1. ea ratione Telesius dixit ignem humidum esse, quod quam erroneum sit, neminem latet; Buccaferr. & Pomponat. ex Philopono negant ignem recipere figuram a fornace, siquidem in ea non quiescit, sed semper egredi nititur, unde proprios ei adscribunt terminos, scilicet figuram pyramidalem. Hoc tamen ultimum est falsum, tum quia elementa certa figuram ex se non habent ex 2. de Cælo, tum quia illud propriam dicitur obtinere figuram, quod in ea stabilitatem habet, quod in flamma non cernitur, quæ semper trepidat, & variatur, tum tandem quia figura illa pyramidalis non convenit ei per se, sed mere per accidens, quatenus extra suum locum existens sursum tendere nititur per lineam breviorem. Zabar. cit. inquit ignem suapte natura esse substantiam tenuem, & subtilem, & quia tenue vergit ad naturam humidi ex 2. de gener. 10. ideo hoc attributum ei competere potest, quia tenuis, non quia siccus. At neque id plene satisfacit, quia si hoc attributum commune est tenui, & humido, male assumitur pro definitione humidi, cum ipsum excedat, & tenui conveniat, quod potest esse siccum. Dicendum igitur est, quod per facile terminabile alieno termino intelligitur id, quod sponte sua, & quasi ab intrinseco alterius rei continentis figuram suscipit, sesequ e illi accommodat, unde quod ægre eam recipit, & quasi coacte ab extrinseco facile terminabile dici non debet, sic lana, & stuppa, si in aliquo vase comprimantur, terminabuntur utique terminis illius, non sponte illos terminos secutæ, sed ab extrinseco coactæ, ita quoque terminatur ignis a fornace, aliove continente, nam huc, illucque discurrit, ut foras erumpat; quod si lambit clibani concavum, hoc ideo facit, ut quam brevi circuitu foras evadat, & si os clibani occludatur, statim extinguitur; humidum vero sponte se se accomodat figuræ continentis, & in eo conquiescit ut constat de aqua in vase. Dices, saltem ex hoc haberi, quod neque propriis terminis facile cohibetur, atque ideo siccum non erit, vel siccum non erit bene definitum. Neg. conseq. id enim contingit in igne, non quia siccus non sit, sed quia calor in eo siccitati prædominatur, quo fit, ut moderatio siccitatis vincatur voracitate caloris omnia depascentis, & in vicinam materiam se porrigentis, quod si siccitas igni dominaretur, illum utique cohiberet. Quod vero de cinere, & pulvere afferebatur, nullam prorsus ingerit difficultatem, quia non sunt unum corpus continuum, sed quamplurium corpusculorum congeries, quæ taliter disponuntur, ut ad situm alterius corporis, vel vasis accomodentur, unde si unumquodque illorum per se sumatur, vel si in unam molem continuam omnia redigantur, & concrescant, ut fit de luto, tunc propriam haberent figuram, nec terminationem ab alio reciperent, insuper cinis, & arena non dicuntur fluere, sed potius labi ob materiæ exiguitatem, & discretionem.

Ad aliud dicimus neque exempla pro aliqua parte allata multum urgere, quamvis enim aqua, & oleum sint valde fluida, adhuc tamen facile detinentur vase, vel continente, & ejus figurationi se statim accomodant; quod si interdum humida quædam repagula evertunt, ac foras erumpunt, ut evenit de aqua aggeribus conclusa, & de vino in dolio, id utiq; ab humiditate non provenit, sed a gravitate, ut in aqua, vel a calore, ut in vino ebulliente, vel alia consimili causa. Quod autem gutta aquæ interdum in orbem conglobetur, id evenit per accidens ob contrarii obsistentiam, ut ab eo se tueatur: Dum vero est in glaciem concreta, retinet terminabilitatem in actu primo, unde si calore solvatur, statim exibit in actum secundum; Demum cum aqua effunditur a vase oblongo, & adhuc in aere illam retinet figuram adhuc in tali statu terminata dici debet alienis terminis, scilicet terminis vasis, illa enim figura conservatur in ipsa ex impetu, quem ex illa effusione accepit, unde quo magis a vase recedit, figura illa evanescit.

QUÆSTIO III.

An ista qualitates sint omnium primæ.

26 NOtandum pro quæsiti intelligentia ex Angest. lib. 2. de formæ proprietatibus 7. propriet. §. *Secunda propositio*, & Tratat. de gener. q. 1. dum quæritur hic, an præfatæ qualitates sint omnium primæ, itaut non fiant ex aliis prioribus qualitatibus, sed omnes aliæ ex ipsis, non intelligi quæstum absolute, & in omni genere, non enim fit comparatio cum qualitatibus spiritualibus, quandoquidem cum istis nullam habent affinitatem, vel connexionem, sed cum materialibus, & corporeis, non tamen quibuscunque, quia non cum cœlestibus, lux enim, & aliæ cœli qualitates revera sunt illi priores, nedum dignitate, sed etiam causalitate, quia ab influentis cœlestibus præfatæ qualitates primæ maxime pendent, itaq; earum primitatem dumtaxat inquirimus in ordine qualitatum materialium, & corruptibilium, in hoc enim sensu loquitur Arist. de illarum primitate 2. de gen. 7. & seq. præsertim 15. Tatar. 2. de gen. q. 1. §. *Secundo sciendum*, & quia ut docet idem ibidem, istarum qualitatum quædam sunt per se, seu in seipsis sensibiles, & ideo dicuntur formales, ut sunt calor, frigus, color, sapor, odor, &c. quædam solum in suis effectibus, & ideo dicuntur virtuales, ut est virtus in succino, & magnete trahendi paleas, & ferrum, & virtutes, quas habent lapides, & plura medicamenta ad producendos varios effectus, quæstio de primitate harum qualitatum movetur in ordine ad omnes has qualitates, sive formales, sive virtuales, quia etiam qualitates istæ virtuales in inferioribus repertæ comprehenduntur in ordine qualitatum materialium generabilium, & corruptibilium; Itaque sensus quæsiti est, an istæ quatuor qualitates sunt primæ respectu omnium qualitatum sensibilium, generabilium, & corruptibilium, ita quod omnes hujusmodi qualitates tam virtuales, quam formales ab ipsis proveniant, an vero aliquæ sint independentes, & priores, unde quæstio procedit de primitate causalitatis, & originis, non perfectionis, in hoc enim sensu loquitur Arist. loc. cit.

Nonnulli apud Marsilium 2. de gen. qu. 5. Tatar. cit. §. *Tertio sciendum*, & Angest. cit. pag. 42. tribuunt elementis qualitates quasdam virtuales, quibus producunt proprias qualitates, non quidem in externo subjecto, quia in ipsum agunt per qualitates formales, sed in seipsis, ut cum elementa reparant suas formales qualitates ab agente contrario remissas, quare in singulis elementis duas ponunt qualitates virtuales duabus actualibus correspondentes, & sic in igne v. gr. duplicem geminant caliditatem, ac siccitatem, unam actualem, alteram virtualem, & quia actuales dependent a virtualibus in esse, non e contra, ideo consequenter tenent præfatas quatuor qualitates nequaquam dici primas respectu virtualium qualitatum, sed tantum respectu aliarum actualium; quam opinionem absolutam suscitarunt Roccus 2. de gener. quæst. 2. & Aversa nuper quæst. 41 sect. 4. ubi addit præfatas quatuor qualitates solere dici primas inter sensibiles præsertim per sensum tactus, & ita haberi ex Arist. de gener. text. 7. & seq. ac proinde non obstare huic loquendi modo qualitates illas virtuales elementares, quia non sunt per se sensibiles. Andreas vero Cæsalpinus lib. 4. peripat. qq. q. 1. ulterius pergit, & negat etiam intra sphæram qualitatum formalium, & per se sensibilium illas quatuor posse proprie, & in rigore dici primas, vult enim siccitatem, & humiditatem ex caliditate pendere, & provenire. Communis tamen opinio statuit illas quatuor esse primas inter omnes qualitates sublunares sensibiles, sive formales, sive virtuales, itaut non fiant ex aliis in eodem genere, neq; ex sese invicem, sed aliæ omnes illius generis quoquomodo dependeant ex ipsis, eo fere modo, quo 1. Phys. materia, forma, & privatio dicebantur primæ principia rerum naturalium in fieri; ita Tatar. & Angest. cit. cum cæteris Scotistis, Ruvius 2. de gen. tract. de prim. qualit. q. 1. Conimb. q. 2. art. 2. Aresius disp. 1. q. 7. sect. 2. Jo. de S. Thom. q. 10. art. Barnes q. 2. & alii Perip. passim in 2. de gen. & Galenus 1. Method. c. 2. testatur hanc fuisse prius traditam ab Hippocr. in lib. de hominis natura, imo quidam ajunt fuisse etiam Pythagoræ, & Platonis in Tymeo, & aliorum veterum, quod videtur innuisse Arist. 2. de gen. 6. inquiens, *alii supponentes utuntur* (ipsis scilicet primis qualitatibus) *& non dicunt quare, aut talia, aut tot*.

27 Dicimus primo, nequaquaquam admitti debere in elementis qualitates quasdam virtuales, a quibus illæ quatuor nobis notæ proxime oriantur ejusdem appellationis, ac denominationis. Ita Scotus 2. d. 16. D. & 4. d. 12. q. 3. E. & Tatar. & Angest. ex professo loc. cit. sequuntur Recentiores passim, & Conimbr. pro hac citan. Capreol. 2. d. 16. q. 2. Soncin. 9. Met. qu. 8. Sot. 2. Phys. qu. 1. Marsil. 2. de gen. quæst. 5. Henric. quol. 11. q. 6. Ægid. quol. 2. q. 26. & Avicen. p. suffic. c. 5. Deducitur manifeste ex Aristot. qui cap. 2. & 3. lib. 2. de gen. qualitates elementares actuales, & formales vocat absolute primas in elementis, nec per somnium quidem alias virtuales significavit, a quibus istæ vulgatæ oriantur. Ratio fundamentalis adducitur a Doctor. loc. cit. quia pluralitas sine evidenti necessitate ponenda non est, at nulla apparet necessitas harum qualitatum virtualium in elementis præter actuales, quia vel ponuntur ex hoc, quod substantia nequit immediate agere, sed medio instrumento, vel quia cum qualitates formales sint variabiles, dandæ sunt aliquæ invariabiles in elementis, quarum actione aliæ reparentur, cum a contrario valde fuerint enervatæ; primum effugium vanum est, tum quia quando illud concederetur de actione transeunti in exsternum subjectum, non est opus illud etiam admittere in immanenti, tum quia adhuc quærendum manet de istis qualitatibus virtualibus a quo producantur, vel a substantia immediate, vel mediante alio accidente, si primum jam admittitur actio immediata in substantia, unde idem præstabit dicere de qualitatibus formalibus, quod immediate proveniant a forma substantiali absque alio medio; si secundum, jam daretur processus in infinitum; tum quia substantiam non esse immediate activam est falsum principium jam solide contra Thomistas discussum disp. 7. Phys. qu. 6. art. 3. Alterum quoque effugium facile præcluditur (ait Doctor) quia cum forma substantialis invariabilior sit, quam ista virtus, satis erit, ut variabilitas qualitatum formalium in invariabilitatem formæ substantialis reducatur.

Deinde probatur ex Angest. & Tatar. quia nullus apparet effectus, unde deprehendatur elementis tales ineste virtuales qualitates, nisi reductio eorum ad suas qualitates actuales, ut Adversarii fatentur, sed hoc minime urget, tum quia omnes tales reductiones salvari possunt in elementis per immediatam actionem formarum substantialium, ut late ostendimus disp. 7. Phys. cit. tum quia vinum calefactum ad pristinam frigiditatem se reducit, & tamen in eo non ponitur qualitas virtualis frigefactiva, nam si vinum haberet talem frigiditatem virtualem, non plus deberet ventriculum calefacere, quam frigefacere, imo tunc in vino essent qualitates virtuales oppositæ, scilicet caliditas virtualis, quam in ipso omnes admittunt, & frigiditas virtualis. Tandem tales virtuales qualitates elementorum essent ipsæ quoque remissibiles, & per consequens redderentur elementa tandem impotentia se reducere ad pristinum statum connaturalem; & assumptum inconsulto negatur ab Adversariis, tum quia videmus in mixtis qualitates virtuales esse remissibiles, ut experientia docet in pipere antiquato, & aliis mixtis alteratis, tum quia videntur illæ virtuales qualitates respectu actualium se habere instar habituum respectu actuum, at habitus sunt remissibiles per contrarios actus, ergo, &c. Alias quoque rationes ad hoc adducit Jo. de S. Th. loc. cit. quæ tamen minus idoneæ sunt, non enim minus avertunt tales qualitates virtuales in mixtis (in quibus tamen ipse quoque eas admittit) quam in elementis, & sunt facillimæ solutionis, ut eas consideranti constabit, quas proinde omittimus.

28 Adversus hanc conclusionem arguunt, quia assignari nequit a quo aqua calefacta ad pristinam reducatur frigiditatem, nisi frigiditas virtualis, non ab humiditate aquæ, cum non contrarietur calori, non etiam a forma substantiali aquæ, cum nulla forma substantialis agat sine instrumento. Tum 2. quia alioqui illa caliditas aquæ corrumperetur, & a nullo corrumperetur, non a forma substantiali aquæ, quia hæc illi non contrariatur, cum substantiæ nihil sit contrarium, ergo a nullo corrumpitur, nisi ponatur virtualis frigiditas. Tum 3. quia ens naturale maneret cum majoribus qualitatibus disconvenientibus, quam convenientibus, quod prorsus repugnare videtur: patet hoc assumptum in aqua effervescente, quæ habet majorem caliditatem actualem, quam frigiditatem, hoc autem inconveniens evitatur, si ponatur virtualis frigiditas. Tum 4. quia ut urget Aversa, accidentia variabilia, licet interna, videntur produci mediantibus aliis fixis, & invariabilibus; atque de his qualitatibus id specialiter colligitur ex mysterio Eucharistiæ, ubi remota naturali substantia, adhuc apparet eadem virtus reparandi connaturalem frigiditatem, quando calor indebitus ab aliquo externo agente fuerit inductus. Tum tandem, quia constat, ingenitas esse a natura quibusdam mixtis virtuales qualitates, ut piperi vim ad calefaciendum ventriculum, cur ergo similes non etiam elementis pariter concedentur?

Ad 1. & 2. constat ex dictis disp. 7. Phys. cit. q. 6. art. 3. reductionem illam fieri a forma substantiali, quæ ad actionem saltem immanentem nullo indiget instrumento; & illa caliditas corrumpitur formaliter quidem a frigiditate, quæ de novo producitur a forma substantiali ipsius aquæ, effective vero ab ipsamet forma substantiali, quæ frigus illud in se excitat, & est communis solutio Scotistarum. Ad 3. dicatur cum Angest. inconveniens non esse, aquam stare cum majore caliditate, quam frigiditate, dummodo humiditas ejus sit intensa, nempe supra medium elevata; concedi etiam potest, aquam stare posse cum qualitatibus, quæ magis nituntur ad ejus corruptionem, quam conservationem, imo sic est in omni corruptione aquæ priusquam ipsa corrumpatur, & hac ratione tunc dicitur esse in statu violento, & ad corruptionem tendere. Ad 4. patet ex ratione Doct. allata pro conclusione illud fundamentum esse penitus ruinosum, & potius oppositum concludere, & reductio specierum vini ad pristinam frigiditatem in Eucharistia fit immediate a Deo, qui in eo mysterio supplet quascumque substantiæ vices ad occultandum miraculum, nec est necesse quicquid circa mysterium illud contingit, consecratione peracta, naturæ viribus contingere, multa namque fiunt a Deo ex vi antecedentis miraculi, & hoc ipsum Aversa fateri tenetur, nisi velit in vino cum virtuali caliditate admittere quoque virtualem frigiditatem, quod supra ut absurdum intulimus.

29 Ad ultimum negant aliqui etiam in mixtis virtuales qualitates, & conantur omnia salvare per formales, & actuales, unde inquiunt, piper, & vinum non calefacere ventriculum infita ad calefaciendum virtute, sed adventitia caliditate ab ipso ventriculo

accepta, cujus rei argumento est, quia constat piper stomachum non calefacere, nisi prius a stomacho calefiat. Quod si eis objicias, multo majorem calorem produci a pipere excitato a stomacho, quam sit ipse calor excitans, occurrunt hoc ideo esse, quia hujus mixti complexio adeo prompta est ad calorem concipiendum, ut a minus calido vehementius calefiat. Hæc tamen solutio prorsus vana est, quia nullum passum quantumvis promptum, ac dispositum ad recipiendum alicujus agentis impressionem potest ab illo intensiorem recipere qualitatem, quam agens ipsum in se actu, vel virtute contineat; tum quia alioqui posset augeri calor in infinitum, stomachum enim pipere calefactum, & e contra piper a stomacho possent ita se mutuo in calefactione coadjuvare, ut in infinitum procedatur; Idcirco Zabarel. lib. 2. de gen. mixti cap. 9. aliter respondet; & concedit, piper, vinum, & similia mixta esse formaliter calida, ait autem, quod calor formalis vini est propter frigus ambiens valde remissus, & ad interiores partes redactus, sed postea per calorem stomachi quasi excitatur, & in virtute formæ substantialis recuperat totum naturalem calorem, sicut cum aqua reducit se ad pristinam frigiditatem, & deinde causat illum calorem in corpore. At contra hoc est experientia ipsa, nam calor hic in vino quoque sensibilis foret, cum formalis ponatur a Zab. & actualis, & tamen in nulla ejus parte sentitur, quantumvis intima; tum quia si in eo aliquis extat calor, plane hic minor est calore ventriculi, quo igitur pacto potest illum tantundem augere? tum tandem, quia venena frigida etiamsi calida stomacho applicentur, & a calore stomachi calefiant, adhuc tamen frigiditatem causant in corpore, ob cujus augmentum animal interit, ergo saltem in aliis mixtis negari nequeunt hujusmodi qualitates virtuales æquivoce productivæ actualium; & si piper, & vinum petunt prius a stomacho calefieri, ut illud intensius calefaciant, id utique non desideratur ad excitandum calorem aliquem actualem, qui in vino delitescat, ut ajebat Zab. sed ad excitandum virtualem; neque talis excitatio in omnibus mixtis necessaria est pro operatione qualitatum virtualium, ut constat in allegato exemplo de venenis, sed tantum in quibusdam ex peculiari eorum complexione, & constitutione. Ajunt alii piper stomachum non calefacere, sed spiritus animales ad illud trahere, a quibus calefit. At id quoque vanum est, quia etiam in ore, imo & in olla calorem producit, & juvat ad decoctionem carnium; tum quia hæc ipsa virtus attractiva spirituum esset qualitas quædam virtualis, sicut ponitur in succino, & magnete.

30 Sunt igitur admittendæ qualitates virtuales in mixtis, tum ob rationes allatas, tum quia est communis inter Medicos opinio, quam sæpius videtur supponere Doctor 1. d. 37. q. 1. V. & 2. d. 14. q. 3. ad argum. princ. & clar. 4. d. 3. q. 3. præcipue ad 2. tum tandem quia dantur res aliquæ, quæ virtutem habent attractivam aliorum corporum ad se, hæc autem attractio non fit ab aliqua sensibili qualitate, ut patet, alioqui in omni corpore, in quo talis inveniretur qualitas, eosdem operaretur effectus, quod non videmus. Sed adhuc instat Aresius cit. sect. 3. supervacaneas esse hujusmodi virtuales qualitates, quia quicquid ab ipsis petimus, haberi potest per ipsas formas substantiales, nam sicut dicimus ab aquæ substantia produci immediate frigus, sic pariter dicere poterimus e piperis substantiali forma prodire immediate calorem. Addit, quod hæc virtualis qualitas oportet ut habeat aliquam formalem entitatem, quia per esse virtuale non constituitur aliquid actu in suo genere, at quænam erit hac formalis entitas? certe fingi non potest, quid futura sit (inquit) nam deberet esse nobilior calore, & posset producere aliam qualitatem sibi formaliter similem, cujus tamen nullum vestigium videmus. Cæterum effectus hujusmodi non posse substantiali formæ tribui immediate, palam est; tum quia producuntur actione transeunte (non enim piper seipsum calefacit; sed stomachum) ad quam secundum communiorem formam substantialis non concurrit, nisi medio instrumento; tum quia tales virtutes sunt remissibiles, ut constat in pipere antiquato, vino evaporato, &c. at forma substantialis non remittitur, tum quia videmus magnetem ferrum non attrahere, si alio sit affricta, quia nimirum alii qualitas velut attractivæ qualitati magnetis contraria ejus actionem impedit, ar si talis actio a forma substantiali immediate prodiret, non utique impediretur; quia formæ substantiali nihil est contrarium. Nec Aresii instantiæ urgent; non prima, quia frigus ab aqua producitur actione immanenti, dum ad pristinam redit frigiditatem, at calor a pipere, & vino producitur actione transeunti in stomacho, non in seipsis, & satis patet ex modo dictis, quare tales effectus nequeant immediate attribui formæ substantiali; nec etiam valet altera instantia, quia tales qualitates non ideo dicuntur virtuales, quia non habeant esse formale, & actuale extra causas, sed quia in seipsis non sentiuntur ad differentiam aliarum qualitatum, quæ quia in seipsis etiam sentiuntur, & non tantum in suis effectibus, ideo dicuntur actuales, & formales, ut supra explicuimus; nec quia tale suum esse formale, & actuale habet, idcirco opus est, ut aliam sibi formaliter consimilem qualitatem producat; quia est agens æquivocum, non univocum, sicut de gravitate videmus, quod non aliam gravitatem producit, sed motum, ac impetum impressum.

31 Instabis adhuc contra has virtuales mixtorum qualitates, nam causa ex se productiva alicujus qualitatis *sive univoce*, sive æquivoce, si applicetur passo illius qualitatis capaci, utique illam ei appinget, cum ergo omnia mixta capacia sint primarum qualitatum, vinum, piper, & similia eadem in omnibus producerent qualitates, si eis applicentur, quod tamen non videmus, ergo si postea cum sunt in stomacho istas qualitates causant, dicendum erit non provenire ab ipsis, sed a calore stomachi principaliter,

tan-

tanquam excitante, & adjuvante calorem formalem illorum. Resp. ut qualitas illa producatur in aliquo passo, non sufficit, ut sit illius capax, sed etiam ut sit proportionatum tali agenti ut ab ipso eam recipiat, non enim quodlibet, potest agere in quodlibet sed præcipue in istis virtualibus qualitatibus unum agens habet virtutem causandi aliquem effectum in uno passo, quem nequit in alio causare, etiamsi eundem specie effectum recipere possit, sic videmus aliqua animalia ex aliquo veneno *frigido interire*, non alia, etiamsi ejusdem frigoris sint capacia; palea est capax attractionis, sed a succino ei imprimitur, non a magnete; aliqua etiam agentia sunt, quæ *licet* sint causativa alicujus effectus, illum tamen producere nequeunt nisi cum alio corpore conjungantur, vel tali modo disponantur: & hinc est, quod non *in omnibus* potest piper, aut vinum calorem efficere propter improportionem agentis ad passum; concedimus tamen calorem stomachi juvare aliquo modo, ac veluti excitare virtualem calorem piperis, & vini, esto talis excitatio non in omnibus mixtis semper fit necessaria, ut supra diximus.

Itaque ad solutionem ultimi principalis positi n. 28. concedendum est assumptum, admittendo nimirum qualitates virtuales in mixtis, ut omnes etiam Recentiores admittunt Conimbr. Ruvius, Joan. de S. Th. Bannez, & alii, sed neganda est consequentia, & ratio disparitatis assignata est nuper solvendo instantias Aresii, ubi satis declaratum est, cur qualitates istæ necessariæ sint in mixtis, non autem in elementis.

32 Dicimus 2. inter qualitates corporum sublunarium sensibiles *scilicet*, & *caducas illæ* quatuor sunt omnium primæ. Ita Aristot. a text. 9. usq. ad 35. ubi ex professo probat has qualitates esse primas qualitates hujusmodi corporum, unde text. 15. concludit manifestum esse, quod omnes aliæ differentiæ reducantur ad primas quatuor; Solet autem ab omnibus hac ratione probari, quia primæ qualitates in hac serie dicuntur, quæ non fiunt ex aliis, nec ex alterutris, sed ex ipsis cæteræ oriuntur, qua ratione materia, & forma, & privatio dicebantur prima principia rerum naturalium, sed illæ quatuor sunt hujusmodi in coordinatione qualitatum, de quibus est in præsenti sermo, &c. quæ quidem ratio si in toto rigore sumatur, ut cum tribus rerum naturalium principiis servent in primitate quatuor illæ qualitates omnimodam proportionem, ut quamplures velle dicentur, non est admittenda, nam in *isto rigore non eis competit prima conditio*; lux enim in multorum sententia calorem producere potest, producitur etiam secundum alios a raritate, cum *scilicet* attritione *attenuantur corpora*, & calefiunt, & ne fiat contentio de istis qualitatibus, quia non sunt propriæ corporum elementarium, & corruptibilium (inter quas tantum fit ista comparatio in primitate, ut supra diximus) sed communes etiam cœlestibus corporibus, saltem negari non potest, quod a virtualibus qualitatibus mixtorum produci non possint, piper enim producit calorem, quædam venena frigus, &c. Nec etiam eis in eodem rigore quadrat secunda conditio, nam in antiperistasi calor producit frigus, ut evenit de aquis putealibus in æstate, & e contra frigus calorem, ut contingit de calore stomachi in hyeme, potest etiam calor producere siccitatem, vel *humiditatem*, ut patet de liquefactione ceræ, & induratione luti, unde ait Arist. 4. Met. ab initio calorem, & frigus humectare, exiccare, indurare, & *emollire*; nec dicas hoc esse per accidens, quia nec etiam hoc modo principia rerum naturalium fiunt ex se invicem, in eodem genere principiandi, quod sufficit, ne currat omnimoda proportio inter prima principia rerum naturalium, & primas qualitates in hac secunda conditione. Nec denique tertia conditio convenit eis in eo rigore, ut omnes prorsus aliæ qualitates per se, & proxime ex omnibus illis simul sumptis, vel saltem ex aliqua illarum, sunt enim plurimæ aliæ qualitates, quæ immediate ex substantiali forma proveniunt, si enim formæ elementorum quæ sunt imperfectissimæ, habent suas proprias qualitates ab ipsis emanantes, hoc certe formis mixtorum longe perfectioribus denegandum non erit; tum quia si omnes prorsus secundæ qualitates ex sola primarum commixtione consurgerent facile possent ad libitum produci quilibet sapor, color, & odor, diversimode nempe primas qualitates contemperando, permixtis enim illis in tali gradu, & in certa contemperatione, statim consurgeret hic, vel ille sapor, & odor, prout quisque vellet, quod tamen non videmus.

Conditiones ergo illæ primorum principiorum, quod non fiant ex aliis, &c. non simpliciter, & absolute ad primas qualitates transferri debent, sed servata proportione, & per quandam analogiam; Itaque illæ quatuor qualitates dicuntur primæ ex prima conditione respectu aliarum, quia universaliter, & a toto genere alias præcedunt, etiamsi in particulari quandoque contingat aliquam primarum qualitatum ab aliis produci; dicuntur primæ ex secunda conditione, non quia per accidens interdum una ex alia non fiat, sed quia non habent qualitates secundæ, quæ semper supponunt primas, nulla namque istarum alteram necessario supponit, nam & siccitas potest esse sine calore, vel frigore, & quælibet alia potest esse sine unaquaque earum, unde quo adhuc sunt omnes, & singulæ æque primæ ut Arist. docet 2. de gener. 24. & Doctor 1. d. 17. q. 3. §. Quapropter falsum est, quod ajebat Cæsalpin. citat. humiditatem, & siccitatem ex frigore, & calore per se provenire, quia humiditas conjungitur in aqua cum frigiditate, in igne siccitas cum summo calore, & e contra siccitas cum frigore in terra, humiditas cum calore in aere, præsertim in Aristot. *sent.* ergo per se qualitates illæ ex frigore, vel calore, aut amborum commixtione non proveniunt, sed sunt æque primæ, ac illæ.

33 Demum tertia conditio ita eis aptari debet, ut omnes aliæ qualitates in generabilibus, & caducis corporibus ab eis quoquomodo dependeant, proxime scilicet, remote, ac dispositive, ut inductione probari potest, nam qualitates sensibiles vel pertinent ad sensum tactus, ut sunt grave, leve, durum, molle, lubricum, aridum, asperum, lene, crassum, & tenue, calidum, frigidum, humidum, & siccum, palam autem est, quod *omnes illæ* ab istis quatuor ultimis proveniunt, vel ex permixtione istarum, quatenus una prædominans est, v. g. molle, lubricum, leve, & tenue ex humido prædominante: durum vero, aridum, asperum, & crassum ex sicco prædominante, grave ex frigido prædominante, leve ex calido, ita docet Arist. 1. de gen. 8. raritas, & densitas *non* ponuntur, quia revera qualitates non sunt, ut inferius videbitur. Vel pertinent ad sensum gustus, ut sapores, & hæ quoque oriuntur ex ipsis primis ex Arist. de sensu, & sensib. c. 4. quo in loco dulcedinem refert ad calorem prædominantem, acritatem vero ad frigus. Vel pertinent ad olfactum, ut odores, & istæ quoque ex ipsis oriuntur ex prædominio calidi, & humidi secundum Arist. ibid. c. 5. & 2. de Anim. 9. Vel pertinent ad auditum, ut sonus, & istæ, *licet immediate* ex primis ortum non habeant, tamen quia dependent ex aliis qualitatibus ab istis quatuor causatis præcipue ex duritie, ideo mediate saltem ab ipsis dependent, ut habet Arist. sect. 11. probl. Vel tandem ad visum attinent, ut colores, & lux, & quidem colores ab ipsis proveniunt, ut notavit Scot. 4. d. 49. quæst. 15. A. unde Aristot. sect. ultim. problem. albedinem ad frigus, nigredinem vero ad calorem reducit, lux vero, licet in sua communitate ab ipsis non pendeat, utpote quia etiam in cœlestibus corporibus reperitur, attamen ut in sublunaribus existit, utique saltem remote ab ipsis trahunt originem, quatenus requiruntur in certa temperie ad formam substantialem, a qua proxime emanant, ut notavit Tat. cit. §. *Secundo sciendum*, lumen vero, quia non est quædam qualitas ab *intrinseco* competens luminoso medio, sed ab extrinseco, scilicet a lucido, hinc si lucidum erit sublunare, etiam lumen ab ipso causatum ab istis qualitatibus pendebit, nam effectus dependet saltem mediate ab eo, a quo sua causa dependet, lumen autem est species sensibilis lucis, ut docet Doctor d. 13. quod etiam dicendum erit de qualibet alia sensibili specie alterius qualitatis; Qualitates item virtuales mixtorum, licet proxime a forma dimanent, attamen quia forma substantialis istas prærequirit qualitates, ideo ad illas aliquam dependentiam habebunt; & totus hic discursus ex eo confirmari valebit, quod ex notabili variatione istarum qualitatum aliæ omnes qualitates variantur.

34 Hæc tamen dependentia cæterarum qualitatum a primis non adeo essentialis est in omnibus, ut non etiam dependeant ab aliis rebus, nec possint etiam produci sine ipsis, nam quamplures istarum a Cœlo produci possunt, & multa sunt in quibus primæ qualitates eodem modo attemperatæ manent, & tamen contrarias habent qualitates secundas, multa enim sunt frigida, quæ non sunt alba, & multa calida, quæ non sunt nigra, quod argumento est non semper ex sola commixtione, & attemperatione primarum qualitatum secundas oriri, alioquin levi artificio possemus quemlibet producere colorem, & saporem, ut supra arguebamus, sed ipsam quoque substantialem formam, diversasque ejus virtutes ad illarum productionem concurrere, hoc tamen semper verum est, quod in sublunaribus concurrunt illæ quatuor qualitates, vel aliqua illarum ad productionem cæterarum vel proximè, vel remote, & dispositive, ut diximus, quia qualitates secundæ vel oriuntur immediate ex primis, vel ex forma substantiali mixti, quæ cum mediis primis qualitatibus producta fuerit, consequenter qualitates ab ipsa resultantes, a primis quoque mediate dependent, ac etiam dispositive, quia qualitates primæ sunt veluti dispositiones ad qualitates secundas recipiendas, & ex hac doctrina solvuntur quæcunque obiici possunt contra primitatem illarum qualitatum. Cum vero audis secundas qualitates a primis oriri, id non ita intelligendum est, quasi efficienter a primis producantur, sed sicut ex pugna elementorum causæ principaliores mixta producunt quasi ex materia, sic proportionaliter ipsa mixta primis qualitatibus diversimode affecta secundas producunt, ex quibus autem combinationibus primarum singulæ qualitates secundæ oriantur, fuse discurrit Zanard. in universo elementari q. 6. sed eleganter valde Angest. l. 2. de form. propriet. p. 210.

QUÆSTIO IV.

An omnibus istis qualitatibus conveniat activitas, & resistentia, & quomodo.

35 PRo intelligentia quæsiti expendendum est, quid sint activitas, & resistentia, & quomodo differant, & quidem quid sit activitas constat satis ex dictis dis. 7. Physic. q. 3. est enim ipsa virtus agentis, qua efficienter aliquem producit effectum; difficilius est explicare, quid sit resistentia, de qua fuse agunt Suar. disp. 43. Met. sect. 1. Ruvius 1. de gen. tract. de act. & react. q. 1. Aresi. 1. de gen. q. 47. & Aversa q. 39. sect. 9. breviter dicimus, quod resistentia est, qua impeditur, vel retardatur actio contrarii, ne fiat vel totaliter vel non tam cito, aut tanta intensione, aut perfectione, & est duplex, una activa, altera formalis, quæ ab aliis dicitur passiva, prima (licet non tam proprie dicatur resistentia) est ipsamet actio agentis, sicut potentia resistitiva activa est *ipsamet* activa potentia agentis, inquantum impedit contrarium debilitando activam virtutem ipsius, ne in idem agens reagat, vel non tanta velocitate, & intentione, ut *ignis* calore tanquam potentia, & calefactione, tanquam actione non solum calefacit aquam, verum etiam debilitat virtutem aquæ, ne in ipsum ignem reagat, non tam cito, & intense; unde solum activis qualitatibus convenit, & colligitur ex Doctore ubicumque reactionem concedit, ut in 4. d. 44. q. 1. D.

36 Resistentia vero *formalis* (quæ proprie est resistentia) ut deducitur ex Scoto 2. d. 2. qu. 9. Z. & 4. d. 1. q. 5. F. & d. 49. q. 16. §. *alius intellectus*, non est quædam actio, cum etiam rebus non activis conveniat, ut cum lapis duritie resistit, ne dividatur, & gravitate, ne moveatur; tum quia aliud est reagere, & aliud resistere, etenim hoc fieri potest *sine illo*, & est quædam pura defensio a contrario. Nec est proprie passio, imo potius est negatio passionis; impossibilitas enim inquit Doct. d. 49. cit. non est nisi negatio posse pati, & resistentia, & illud dicitur resistere agenti, quod non patitur ab ipso; sed actualis resistentia formalis dupliciter explicari potest, vel per negationem, vel per affirmationem, primo modo explicatur a Doctore in §. cit. quod sit negatio actionis ab agente, & passionis in subjecto vel totalis, vel *non tam intensæ*, & *velocis*, unde connotat applicationem agentis obsidentis, & oppugnantis; secundo modo explicatur a Doct. 4. d. 1. qu. 5. cit. dum air esse quamdam manentiam, seu persistentiam in proprio statu; tunc igitur res actu resistit, quando quærit durare, & persistere ad præsentiam contrarii oppugnantis in eodem statu, quæ duratio proprie dicit rei existentiam; sic frigus aquæ resistit igni, ne subito calorem inducat in eam, & hoc sua præsentia, & inexistentia in aqua, aer nullo modo resistit luminoso, quia statim luminosum inducit formam in aere; lapis sua gravitate resistit motori, ne ab illo loco amoveatur, vel non tanta facilitate, sed adhibito majori conatu. Cum igitur hæc formalis resistentia non sit aliud, quam duratio rei in suo statu, ne ab agente oppugnante deturbetur, juxta illud poetæ: *Durate, & vosmet rebus servate secundis*, cuilibet formæ, sive activæ, sive non activæ conveniet. Potentia autem resistitiva formalis erit ipsamet entitas rei persistentis, nam Arist. cap. de qualitate in præd. air durum significare potentiam, quia obstat, quo minus facile secari possit, non videtur autem necessaria aliqua alia distincta potentia ad resistendum, præscindendo enim a quacumque virtute, adhuc frigus existendo in aqua impediret actionem caloris, quia ex se propriam appetit conservationem & existentiam; quod si placet hanc ponere potentiam distinctam, ut Arist. ibi velle videtur, & nos cum eo disp. 7. log. qu. 3. art. 2. non repugnamus, & forte hoc erit magis consequens ad ea, quæ mox dicturi sumus; hoc notato.

37 Dicimus primo, singulas qualitates istas habere potentiam activam univocam ad agendum in contrariam, cum tali ordine, ut magis activus sit calor omnibus aliis, deinde frigus, postea humiditas, ultimo loco siccitas. Conclusio quoad utramque partem communis est apud omnes Marsi. 2. de gen. qu. 19. Saxo. ib. qu. 6. Venet. c. 15. summæ Tolet. ibid. qu. 3. Conimbr. q. 13. & 15. art. 3. Tien. tit. de react. Angest. p. 45. Ruv. 1. de gen. tract. de act. & react. qu. 2. Aversam qu. 41. sect. 6. Aresi. 2. de gen. dis. 2. qu. 9. Mercen. volum. 1. dilucid. p. 118. Zab. lib. de qualit. element. c. 5. Contar. tom. 2. disp. perip. de primis qualit. & alios Perip. Et quidem quantum spectat ad activitatem, jam abunde probata est qu. 1. hujus disp. addimus autem unamquamque activam per se esse in suam contrariam, quia in aliam non contrariam non agit per se & directe, pugna namque inter contraria versatur, sed *indirecte* tantum, & *per accidens*, ut diximus *n.* 17. Quo autem ad ordinem activitatis inter eas assignatum probatur, quia illud agens est activius, quod in majori distantia suam protrahit actionem, & citius, sed in majori distantia, ac vehementius agit calor, quam frigus, & humidum, quam siccum, cujus rei signum est, quia minus detineri potest manus in corpore calido, quam frigido, & rursus minus in frigido, quam in humido, quia etsi manus posset diutius detineri in corpore humidissimo, non tamen frigidissimo; citius etiam humidum humectat quam siccum, unde in locis humidis habitantes facilius, & citius humiditatem contrahunt, quam degentes in locis siccis siccitatem, ergo, &c.

38 Sed contra primam partem conclusionis præter jam objecta qu. 1. hujus disp. adhuc solet objici trita Arist. auctoritas, qui 2. de gen. 6. & 4. Met. c. 1. solum calorem, & frigus vocat qualitates activas, humiditatem vero, & siccitatem passivas. Resp. ex Angest. cit. caliditatem, & frigiditatem dici activas, cæteras passivas, non quia singulæ non sint activæ, & similium productivæ suo modo, sed triplici ratione, primo quidem, quia illæ fortius, velocius, & sensibilius agunt, istæ autem minus, & ideo illæ per excellentiam vocantur activæ, illæ vero passivæ, quia parum activæ, quam glossam adhibent Marsil. Saxon. Aresi. cit. & Tat. Secundo, quia istæ plus resistunt, quam illæ, quæ est conditio passi. Tertio tandem quia subjecta harum duarum, in quantum talia dicuntur passiva magis, vel minus, prout humidum dicitur bene terminabile termino alieno, & male termino proprio, siccum autem e contra dicitur bene terminabile termino proprio, male autem alieno, *terminari* autem est pati, sicut e diverso congregare, & disgregare, quod convenit calori, & frigori, est quoddam agere, & in hunc modum luculenter se explicat Arist. 4. Meth. cap. 1. & hanc expositionem recipiunt Tol. Mercen. & Aversa cit. quam tradiderunt Philopon. Niphus, D. Thom. & alii, quæ certe conformior est ad contextum litteræ, ut disp. 7. qu. 2. dicemus.

Deinde contra alteram conclusionis partem de ordine activitatis inter eas constituto sese offert *difficultas*, quod siccitas, & humiditas sint activiores aliis duabus, nam videmus statim ac pannus, vel lignum in aqua immergitur, subito fit humidus, quod non contingit in calore, etiamsi in fornacem lignum mit-

tatur. Rursus densitas materiæ magis juvat ad agendum, at siccitas plerumque reperitur in materia densa, qua ratione frigidum quoque erit activius calore. Resp. ad 1. quod corpus illud aquæ immersum, ut notat Arist. de gen. 14. & Doct. 4. d. 49. q. 16. supra F. ab initio *madefactionis* non dicitur vere humidum, itaut vere humiditas aquæ produxerit actione univoca aliam humiditatem in lig no, vel panno, sed dicitur udum, vel irrigatum, quia potius fit quædam adhæsio partium aquæ circa lignum, & pannum, unde si aqua solum in superficie est recepta, dicitur udum, si adhuc profunditatem permeavit, dicitur irrigatum, verum tamen est progressu temporis fieri tandem corpus illud vere humidum per veram productionem humiditatis in eo. Ad 2. occurritur ex dicendis disp. seq. *densitatem non magis juvare* ad producendum intensiorem effectum, sed ad citius, & distantius agendum, unde solum juvat actionem, non autem reddit materiam intensive activiorem, sed ipsam relinquit in eodem gradu activitatis innatæ, & ideo negatur consequent.

39 Dicimus secundo, resistentia formalis convenit omnibus illis qualitatibus ordine oppositi illi, quo eis competit activitas, hoc scilicet modo, ut quæ est minus activa, sit magis resistens, & quæ magis activa, minus resistens, unde sicut in activitate primum locum obtinet calor, 2. frigus, 3. humiditas, 4. siccitas; in resistentia ex opposito primum locum tenet siccitas, 2. humiditas, 3. frigus, 4. caliditas. Ita Auctores omnes cit. pro 1. concl. & est contra Valles, controvers. 11. ad Tyrones, Martinaz 1. lib. de gen. c. 9. qu. 3. Niphum eodem libr. comm. 195. qu. 3. & alios paucos volentes resistentiam his qualitatibus competere eo ordine, quo eis adscribitur activitas. Notanter vero fermo fit in conclusione de resistentia formali, non autem activa, quia hæc resistentia, ut diximus initio quæsiti, non est ab ipsa actione diversa, atque ideo potentia *resistitiva* activa eodem prorsus modo, ac ordine eis convenit, ac ipsa potentia activa, & effectiva. Probatur quoad utramque partem, & quidem quoad primam, quod hæc resistentia formalis omnibus conveniat, est de se clara, quia quælibet forma, dum est in subjecto, sua existentia, & informatione impedit, ne alia incompossibilis forma introducatur, ergo multo magis formæ contrariæ, ut sunt calor, & frigus adinvicem, humiditas, & siccitas. Probatur etiam quoad alteram partem de ordine statuto in resistendo, quia utique datur magis, & minus in potentia resistitiva, ut colligitur ex Arist. in prædic. qualitatis, & 4. Phys. 71. ubi adducit exempla de molli, & duro respectu secationis, & de medio raro, & denso in ordine ad motum; hæc autem potentia nequit activiori convenire, quia si activior esset magis quoque resistitiva, numquam posset a contraria vinci, imo activior totaliter alias destrueret, quod est contra ordinem universi, ergo quia omnia in pondere, & mensura facta sunt, debet aliquid esse in minus activa, per quod possit activiori resistere, & compensare excessum activitatis, ita notavit Doctor 4. d. 49. qu. 13. infra B. ubi docet, quod licet in elementis sit contrarietas, est tamen proportionata æqualitas hinc inde in agendo, & resistendo, *quare enim ignis non comburit omnia elementa, cum sit majoris activitatis? non videtur ratio* (ait Doctor) *nisi ex proportione, vel adæquatione aliorum in resistendo virtuti suæ in agendo*, & hæc est ratio a posteriori deducta ex legibus divinæ providentiæ; & quod *talis inter eas* qualitates servetur ordo in resistendo, docet experientia ipsa, nam gutta *super* mappam bene siccam fusa *diu* stat conglobata ob resistentiam siccitatis, quæ tamen gravitate sua alias deberet labi, atque diffundi; de humiditate ad frigiditatem comparata idem patet, quia aqua facilius calefit, quam deficcetur, non alia ratione, nisi quia actioni ignis resistit magis humiditas, quam frigiditas; de frigiditate ad caliditatem idem constat, citius enim, & facilius aqua calefacta frigescit, quam frigida calefiat ob majorem resistentiam frigiditatis, & minorem caliditatis.

40 At dices hinc non bene colligi majorem resistentiam in minus activis, ex eo enim, quod calor difficile vincat frigus, non magis colligi potest resistentia ex parte frigoris, quam modica agendi virtus ex parte caloris, ex utroque enim capite oriri potest tarditas actionis. Resp. bene colligi, cum enim experientia constet, calorem esse frigore activiorem, cum videmus calorem difficile frigus ab aqua expellere, hoc sane tribui nequit modicæ activitati ignis, nam ex actione in alia constat activissimum esse, sed reduci debet in resistentiam frigoris.

Solet etiam hujus rei reddi aliqua ratio a priori, quia nimirum densitas corporis multum juvat ad resistendum contrario, per densitatem enim magis uniuntur, & constipantur *partes formæ* adinvicem, virtus autem unita fortior est ad se tuendam cæteris paribus; ergo corpora densiora erunt quoque magis resistitiva cæteris paribus, sed ex elementis terra, cui prædominatur siccitas, est densior aqua, aqua est densior aere, & aer igne, ergo terra erit magis resistitiva, quam aqua, & sic de aliis. Hæc tamen ratio, quam Ruvius affert loc. cit. non multum ponderis habet, densitas enim non minus juvat ad resistendum, quam ad agendum, ideo Aresius rationem a priori deducit ex majori, & minori materialitate formarum, nam major resistentia videtur oriri ex majori inhæsione in materia, quo autem forma est magis *materialis*, *illi* magis adhæret, ut *illa*, quæ est magis materialis, est etiam minus activa. Neque hæc ratio quadrat, nam admisso etiam quod resistentia oriatur ex majori inhæsione in materia, probandum illi erat, quod forma magis materialis majori nexu copuletur cum materia, quam minus materialis; formæ enim Cœlorum, quæ sunt minus materiales *his inferioribus*, majori nexu materiæ sunt connexæ, quam istæ inferiores, & quando etiam id admitteretur, adhuc illi probandum remanet, quod una qualitas sit materialior alia, & docere, quænam *illarum* sit magis, vel minus materia-

realis. Aversa aliam affert rationem, quia vis agendi qualitatis extenditur ad subjectum externum, vis autem resistendi sistit potius in eodem qualitatis subjecto, adeout quæ majori activitate est prædita, magis virtutem suam impendit ad extra, & sic minus se tuetur in proprio subjecto, quæ vero minori activitate est prædita, magis intendit ad sui conservationem ad intra, & sic est magis resistitiva. Sed hæc quoque ratio aut nihil valet, aut saltem non est ratio a priori, sed conjectura quædam a posteriori; arbitramur ergo valde difficulter hujus rei rationem assignari posse a priori, unde contenti esse debemus ratione a posteriori jam allata, & dicere talem ordinem in agendo, & resistendo ex eo prodire, quia ob bonum universi naturæ Auctor in hunc modum harum qualitatum vires distribuit, ac temperavit.

41 Ex his deducitur, quod licet resistentia semper sit minor quam actio contrariæ qualitatis, alioquin vel non fieret actio, vel duo contraria essent simul in gradibus intensis, ut dicemus disp. seq. non tamen semper est minor actione propria, ut arbitratur Aversa loc. cit. volens in omnibus qualitatibus absolute loquendo majorem semper esse activitatem, quam resistentiam, quia, inquit, quælibet qualitas valida est ad agendum, non tamen ad resistendum, quo minus ab alia patiatur, si ergo quælibet potest agere in contrariam, non tamen omnino ab ea se tueri, quælibet potentior erit ad agendum, quam ad resistendum. Hoc dictum Aversæ non est recipiendum, tum quia concedunt omnes, ac etiam *ipse admittit in fine sectionis* qualitates magis activas esse minus resistitivas, & e contra, ergo non in omnibus major est activitas, quam resistentia; tum quia experimur resistentiam siccitatis, non tamen ita evidenter actionem ejus, tum quia si siccitas, quæ est maxime resistitiva, habet resistentiam remissiorem propria actione, ergo frigus, cum sit minus resistitivum ipsa siccitate, jam absque proportione superaretur a calore, cujus est maxime agere: paret conseq. quia actio caloris valde excedit in intensione actionem siccitatis, & consequenter plus excedit intensionem resistentiæ siccitatis, quæ minor est secundum ipsum propria actione, ergo maxime excederet resistentiam frigoris, quæ est minor resistentia siccitatis, idem de humiditate dicendum. Nec ejus ratio convincit, negatur enim conseq. & ratio est, quia *non sunt omnes* qualitates in activitate æquales, nec in formali resistentia, etenim siccitas potest vincere resistentiam humiditatis, quia vere excedit illam, at *nequit* resistere, itaut non quidpiam ab ea patiatur, licet major sit resistentia quam activitas, quia activitas humiditatis non tantum excedit intensionem resistentiæ, sed etiam intensionem activitatis ipsius siccitatis, ideo non adest paritas.

Hic tamen advertendum est, quod licet istæ qualitates secundum se assignatum ordinem habent agendi, & resistendi, ex varia tamen ipsarum combinatione, & unione potest ordo ille variari, & immutari, nam calor cum sicco est maxime activus, siccum tamen cum calido non est maxime resistitivum, sed cum frigido, utique calor cum humido magis resistit, quam agat, frigus e contra cum humido magis agit, & *minus* resistit, cum sicco vero e contra se habet, ut magis infra constabit declarando combinationes qualitatum in elementis.

42 *Contra doctrinam* præcedentis conclusionis objicitur, quia falsum omnino videtur in primis, quod aliqua qualitas sit magis activa, quam resistitiva, aut e contra, applicatis enim calido, & frigido v. gr. igne, & aqua, velocius expellitur frigus ab aqua, quam calor ab igne; & pariter simul applicatis humido, & sicco v. gr. terra, & aqua statim terra humectatur, & madescit, ergo pari passu currunt activitas, & resistentia, calor enim sicut est activior aqua, ita & magis resistens, ac etiam sicut siccitas est minus activa humido, ita & minus resistitiva, ut constat in exemplis adductis. Deinde falsum etiam videtur, quod detur una qualitas resistentior altera, nam qualitates istæ resistunt actioni agentis per suam informationem, inquantum informantes subjectum retardant actionem agentis nitentis aliam introducere, *sed* omnes istæ qualitates æqualiter subjectum informant, cum habeant virtutem informativam ejusdem rationis, & eumdem informandi modum, ergo, &c. Tandem quælibet forma naturalis magis appetit sui conservationem, quam corruptionem contrariæ, vel alterius consimilis productionem, ergo quælibet est forma magis resistitiva, quam activa.

Resp. ad 1. neg. assumptum illud de igne, & aqua; constat enim ignem citius extingui ab aqua, quam hæc ab eo caleſiat, quod si dicas *ignem non* extingui ab aqua, ut frigida, sed ut humida, nam etiam aqua calida extinguitur: hoc parum refert, quia si nequit resistere humiditati, quæ minus activa est frigore, tanto minus resister ipsi frigori, tum quia in aqua quantumcumque calida semper remanet aliquis frigiditatis gradus, qui cum humiditate concurrit ad extensionem caloris in igne, imo humiditas aquæ per se solum destruit siccitatem ignis, quia hæc est qualitas ei opposita, non vero calorem, nisi concomitanter. Accedit, quod cum calor longe activior sit frigore, si applicentur secundum eamdem intensionem cæteris paribus ex parte aliorum, utique calor semper erit superior frigore etiam in resistentia, nam cum resistentia formali habet etiam activam, quæ in eo major est, quam in igne, ut ergo inter ipsa fiat debita applicatio, & comparatio, ex qua colligere possimus, quis sit majoris resistentiæ, debet frigus in majori copia applicari, & calor in minori, quantum sufficit, ut major activitas unius compensetur per majorem intensionem alterius, ut bene notat Ruv. cit. nu. 69. negatur etiam aliud assumptum de terra, & aqua, ut enim constat ex dictis num. 38. non statim ac terra aspergitur aqua dicitur vere humectari, sed potius madescere, & irrigari, progressu postea temporis humescit, sed adeo difficulter, ut vix possit corrumpi, & liquescere, vel numquam. Ad aliud negandum est in minori, quod istæ qualitates quantum ad firmiorem, vel minus firmam adhæsionem in subjecto eodem modo informent, tenacius enim hærent siccitas, & humiditas, quam calor, & frigus; hujus autem rei nequit reddi ratio a priori, ut diximus, sed tantum a posteriori. Ad ult. appetitus naturalis non est ad aliquid supra propriam conditionem, unde non appetit forma perpetuam sui conservationem, quia hoc est contra propriam naturam, quæ corruptibilis est, hinc impulsus, qui natus est se deficere absque contrario oppugnante, non appetit sui conservationem, nisi prout propria natura postulat, quare ad propositum forma naturalis appetit suam conservationem in individuo., & in specie secundum conditionem propriæ naturæ, si est magis activa, quam resistitiva, appetit magis suam conservationem in specie per productionem alterius consimilis, si est magis resistitiva, quam activa, magis appetit in individuo, & hoc quia ita exigit conditio propriæ naturæ.

43 Tandem objicitur contra ordinem statutum *in resistentia*. Tum quia siccitas apparet in igne esse minimæ resistentiæ, scilicet non minoris, quam ipse calor; talis etiam apparet humiditas in aere, qui facile recipit quamlibet impressionem. Tum 2. quia si siccitas in quibusdam corporibus videtur maximæ resistentiæ, scilicet in terra, hoc potius referendum est ad densitatem illorum corporum, quæ non facile permittit aditum contrario. Tum 3. si in siccitate, & humiditate plurimum est resistentiæ, parum activitatis, *numquam* daretur actio inter illas, quia actio unius, cum sit exilis, numquam superare valeret resistentiam alterius, quæ major est. Tum 4. frustra assignari videtur humiditati magna resistentia, si siccitati minima activitas adscribitur, modica namque sufficeret resistentia ad retundendam minimam activitatem: & e contra si siccitas ponitur maximæ resistentiæ, deberet poni humiditas maximæ activitatis, quia vincere debet maximam resistentiam. Tum tandem frigus videtur magis resistens, quam humiditas, nam major est actio caloris, quam siccitatis, sed resistentia humiditatis est minor actione siccitatis, alioquin non agerent ad invicem, ergo ut sit aliqua proportio inter frigoris resistentiam, & actionem caloris, non deber esse minor, quam sit resistentia humiditatis, aliter improportionabiliter excederetur ab actione caloris. Conf. quia frigus debet resistere maximæ activitati, ergo debet esse magis resistens cæteris.

Resp. ad 1. modicam resistentiam in igne non provenire a siccitate, sed a calore, unde in carbone extincto videmus remanere siccitatem; verum tamen est, quod supra notavimus, ex combinatione variarum qualitatum posse virtutem activam unius, vel resistitivam augeri, vel minui, & sic est in proposito de siccitate, quod juncta cum calore minus resistit, quia calor rarefacit, & raritas resistentiam minuit, quia faciliorem aditum contrario præbet, & e contra juncta cum frigore magis resistit, ut in terra, quia frigus condensat; sic etiam ad illud de aere dicendum, quod facile recipit impressiones ob suam raritatem, quæ a calore provenit, non ab humiditate, quare ex tali conjunctione fit humiditas minus resistens in aere, ut siccitas in igne. Ad 2. jam supra diximus tum ad agendum tum ad resistendum densitatem in corporibus valde quidem conducere, at non esse totam rationem agendi, & resistendi, unde videmus in eadem materia densa magis resistere siccitati, quam calorem, & frigus. Ad 3. jam superius diximus, quod licet in humiditate, & siccitate major sit resistentia, quam propria ipsarum actio, resistentia tamen unius semper minor est actione alterius, atque ideo inter eas datur actio. Ad 4. patet per idem, quamvis enim magna sit humiditatis resistentia, adhuc tamen minor est activitate siccitatis, & ideo non ponitur frustra, neque ex alio capite oportet ponere humiditatem maximæ activitatis, quia resistentia siccitatis est maxima in genere resistentiæ formalis, sed minima in genere resistentiæ activæ, quod adhuc magis constabit ex solutione sequenti. Ad ult. neg. assumptum, ad probationem dicendum adhuc cum minori resistentia formali in frigore, quam sit in humiditate, stare proportionem cum actione caloris, & ratio est, quia non solum frigus impedit actionem caloris, ipsamque retardat per resistentiam formalem, sed etiam per resistentiam activam, & consequenter quia frigus activius est humiditate, debet esse minus resistens formali resistentia, aliter excederet calorem, qui non habet resistentiam formalem ita intensam, est itaque proportio, quia frigus est magis formaliter resistens, calor minus, frigus minus active resistens, calor magis, & idem etiam contingit in humiditate, & siccitate, nam siccitas est magis formaliter resistens, & minus active, at humiditas e contra. Ad Conf. patet per idem, non enim frigus poni debet cæteris magis resistens, etiamsi maximæ activitati caloris resistere debeat, resistentia formali, quia habet resistentiam activam coadjuvantem, quæ quidem compensat modicitatem resistentiæ formalis.

QUÆSTIO V.

An qualitates contrariæ possint esse simul in eodem subjecto, & quomodo.

44 Supponimus ex dicendis disp. 3. qu. 9. qualitates latitudinem graduum habere, quæ numerum octo graduum naturaliter excedere nequit, & hæc divisio non est ex natura rei, sed voluntaria ad hoc adinventa, ut distinctius, & clarius in scholis possit de

de qualitatibus disputari; itaque per qualitatem ut octo intensam intelligimus summam qualitatem naturaliter productam in rerum natura, unde quia videmus summum calorem igni dumtaxat convenire, summam frigiditatem aquæ, hinc dicimus summum calorem esse intensum, ut octo, & consequenter quia omnia a Deo in pondere, & mensura facta sunt, sicut naturaliter non est dabilis qualitas intensa, nisi ut octo, ita nec dabile est subjectum aliquod, cui naturaliter conveniat qualitas octo gradus excedens, quare capacitas subjecti in ordine ad potentiam naturalem non se extendit nisi ad octo gradus qualitatis; horum autem graduum quidam dicuntur intensi, illi nimirum qui medietatem excedunt, scilicet quartum gradum, qui vero sunt citra istum, dicuntur remissi.

Hoc supposito quæritur, an possit se naturaliter compati in eodem subjecto in gradibus remissis, & supernaturaliter saltem in gradibus quoque intensis, naturaliter enim hoc esse non posse omnes concedere videntur, & docet Scotus pluribus in locis, sed præsertim 1. d. 17. q. 3. §. *contra istam opinionem*, & evidenter ostenditur ex definitione contrariorum a nobis explicata disp. 9. log. qu. 1. art. 1. quorum natura est, ut se expellant ab eodem subjecto, *hoc autem ut minimum de illis intelligendum venit* in gradu intenso, nam si etiam in hoc gradu possent esse simul, jam numquam se expellerent, nec ullæ qualitates contrariæ forent; pater idipsum ex capacitate subjecti, quæ ut dicebamus, ad octo gradus limitata est, at si ambæ qualitates in eo invenirentur in gradibus intensis, plane talem capacitatem excederent; demum sensus nobis experimentum præbet, dum aquam igni oppositam sentimus ex frigida fieri calidam, & e contra dum removetur ab eo, qualitates contrarias non se compati in gradibus intensis; sola igitur quæstio de gradibus remissis in ordine ad potentiam naturalem, & de intensis in ordine ad supernaturalem, & occasione ex istis primis qualitatibus desumpta dubitari quoque solet de aliis qualitatibus contrariis.

Prima opinio negat, universaliter contrarias qualitates esse compossibiles in eodem subjecto, tam in gradibus intensis, quam remissis, & in ordine ad quamcumque potentiam, sive supernaturalem, sive naturalem, ita Greg. 1. d. 17. qu. 3. art. 2. Durand. in prolog. sent. qu. 2. Sonc. 10. Met. qu. 22. consentit Tromb. 12. Met. qu. 3. Ant. Andr. 10. Met. qu. 5. & Faber eod. lib. disp. 7. ubi post multam disputationem, & perplexitatem, licet in fine cap. 2. concedat contraria in esse remisso posse simul esse in pugna, & in fieri, concludit tandem in fine cap. 3. non solum in gradu intenso, sed nec etiam in remisso posse simul consistere in esse quieto, etiam per potentiam Dei absolutam, in ordine ad eamdem potentiam: idem sentit Lichet. 2. d. 2. q. 9. de gradibus intensis, at in ordine ad naturalem de remissis inquit, *posse esse simul*, si *sint* inæquales ut v. gr. sint quinque unius, tres alterius, vel quatuor unius, duo alterius, non vero si sint æquales, ita discurrit ibidem in solutione quorumdam dubiorum conclus. 8.

Altera sententia e contra concedit qualitates contrarias etiam in gradibus intensis, posse simul consistere de potentia Dei absoluta, in remissis vero, sive inæqualibus, sive æqualibus consistere simul etiam naturaliter, est communis inter Recentiores Suar. disp. 4. sect. 4. Conimbr. 2. de gen. cap. 3. qu. 8. Ruv. eod. lib. qu. 5. & 6. Aresi. ib. qu. 14. Averf. qu. 39. sect. 3. Jo. de S. Thom. in lib. de gen. qu. 10. art. 2. & alii passim. Protestatur tamen hæc opinio id non extendi debere ad omnes prorsus qualitates contrarias; sunt enim aliquæ, quæ ob specialem repugnantiæ rationem nec in gradibus remissis, nec per Dei potentiam possunt esse simul, ut amor & odium, gaudium & tristitia in voluntate, assensus & dissensus in intellectu; quare specialiter procedit allata sententia de qualitatibus corporeis naturalibus, imo Soto 1. Phys. qu. 3. ad 1. & 2. Phys. qu. 1. ad 4. hoc solum asserit de *primis* qualitatibus, non vero de aliis, ut sunt albedo, & nigredo, &c.

ARTICULUS I.

Contraria possunt simul coexistere naturaliter in gradibus remissis.

45 Conclusio est Scoti cit. 1. d. 17. qu. 3. & in 2. d. 2. q. 9. O. eamque tuentur de mente Doctoris Scotistæ inclyti Bassol. 3. d. 15. qu. un. art. 1. Tatar. in postprædic. qu. un. not. 2. & 2. de An. qu. 2. dub. 3. ubi etiam citat Doctorem in Reportatis Angel. lib. 2. de propriet. form. propriet. 8. sequuntur Recentiores omnes citati & ex antiquis Henric. quol. 12. qu. 12. Marsil. 3. d. 11. art. 2. Major. d. 15. qu. un. Argent. qu. un. art. 3. & alii; eam docuit D. Aug. lib. de nat. & gratia, dum ait contraria contemperata non invicem adversari, & fuit expressa Arist. sententia, nam 3. Top. cap. 4. & 5. Phys. 19. ait aliquid esse plus, vel minus tale, quod plus minusve habet de admixtione contrarii, & tex. 62. diserte significat contraria posse aliquo modo esse simul in eodem, & modum explicans 4. Met. 27. inquit, *si aut aliqua ex parte amba, aut alterum quidem ex parte, alterum vero simpliciter inste*, hoc est, si ambo sint in gradu remisso, vel si unum est in gradu intenso, aliud sit in gradu remissiori, ita ut latitudinem octo graduum non excedat; & 1. de gen. cap. de mixtione pluries ait, elementa secundum virtutes manere in mixto, idest secundum qualitates elementares; & idem repetit 2. de gen. 48. at certum est non manere in gradibus intensis, ergo remissis. Quod vero ait Gregor. in mixto non manere qualitates elementares, sed quasdam virtuales, falsum esse constabit infra disp. 7.

Masstrii, & Belluti. De Generat. & Corrupt. Tom. III.

Probatur deinde ratione validissima ex Scoto cit. deducta, qua utuntur Bassol. Angest. & alii passim; quando aqua calefit, non utique illico, & totaliter corrumpitur frigus aquæ, sed successive, & paulatim remittitur per aliam qualitatem, quæ pariter successive introducitur, & paulatim intenditur, hæc autem alia esse non potest, nisi calor paulatim frigus expellens, ergo toto illo tempore, quo exercentur motus intensionis, & remissionis, manent simul *in* gradibus remissis calor, & frigus, prob. major. tum quia si ab initio totum frigus periret, deberet statim introduci totus possibilis calor, successio namque in motu ex resistentia contrarii potissimum provenit, non autem ex divisibilitate formæ, aut limitata virtute motoris adæquate, ut diximus disp. 15. Phys. qu. 6. art. 1. & *adhuc magis declaravimus* inferius disp. 5. qu. 5. quod satis de se constat in illuminatione medii, quæ in instanti fit, quia nullum in eo reperit fux contrarium expellendum, etiamsi adsit divisibilitas formæ mobilis, & virtus finita agentis; tum quia si ab initio totum frigus abit, non diceretur mobile partim esse in termino a quo, partim in termino ad quem, ut ajebat Arist. 6. Phys. 32. de illo, quod successive movetur, cum ergo motus intensionis, & remissionis fiat inter formas contrarias, tamquam inter terminos saltem concomitantes, de quibus ibi Arist. loquitur, plane opus est, ut frigus pedetentim expellatur, & calor introducatur. Minor etiam probatur, quia si manus tunc temporis immitatur aquæ, nulla alia qualitas sentitur, quæ frigus expellat præter calorem; tum quia tunc ab *initio alterationis* saltem non diceretur aqua calefieri; quia calor non introducitur, sed alia qualitas: tum quia si frigus non expellitur a calore, sed ab alia qualitate, jam tollitur contrarietas inter illa, quia de ratione contrariorum est, ut se invicem expellant ab eodem subjecto.

46 Resp. Durand. neg. min. & inquit, quod quando subjectum in statu medio videtur utramque participare contrariam qualitatem, re vera non esse ambo contraria simul, sed tunc ex contrariis fieri unam simplicem qualitatem virtute tantum illa continentem, ut de coloribus mediis docet Scotus 2. d. 15. qu. un. & talem in proposito esse tepiditatem; quam solutionem magis explicans Tromb. cit. in resp. ad 1. inquit, cum calidum incipit alterare frigidum, non est intelligendum, quod introducatur aliquis gradus caliditatis, sed introducitur forma media, nempe tepiditas, quæ quamvis sit æque simplex, sicut extremæ, tamen habet aliquid de utroque extremo, quia participat rationem utriusque virtualiter; & ex hoc apparet, inquit, quomodo mobile, dum movetur, participat de utroque extremo in forma media, & quomodo frigiditas expellitur, quia introducitur aliquid sibi incompossibile, scilicet forma media, quæ comparata ad unum extremum tenet locum alterius; & ex hoc etiam explicat, quomodo successive deperdatur frigus, quia fit continua deperditio per formas medias appropinquando ad extremum introducendum scilicet de tepido ad intensus tepidum, quæ tepiditas in esse intenso totaliter excludit frigiditatem, unde inferius ait in resp. ad 5. quod cum tepiditas attingit octavum gradum, in eo instanti frigiditas habet primum non esse, & caliditas ultimum non esse, unde post illud instans immediate introducitur aliquis gradus caloris, & remittitur tepiditas.

47 Hæc solutio *satis infringitur ex probatione minoris nostri* argumenti, & adhuc magis labefactatur; tum quia dum aqua calefit, & ab initio, & *in* progressu *sentimus* in *ea* formalem, & actualem calorem, non autem virtualem in alia qualitate contentum, solus enim calor formalis est qualitas tangibilis, non *calor virtualis*, alioquin lux, quæ secundum multos est calor virtualis, deberet sentiri per tactum. Tum quia qualitas illa temporis, vel ab igne produceretur, vel ab utroque simul, & cum virtualiter contineat frigus, & calorem, & plus frigoris ante intensionem, & plus caloris post intensionem, aqua producet calorem, & ignis frigiditatem saltem virtualem; & rursus cum aqua ad pristinam rediens frigiditatem a se tempore depellit, non solum calorem, sed etiam frigiditatem depelleret in eo virtualiter contentam. Tum quia ex *contrariis corruptis* ajunt Adversarii hanc tertiam qualitatem generari in ea virtualiter manentibus, ut dicuntur elementa manere in mixto, sed quomodo potuit ex illis generari, si nullus adhuc caloris gradus fuit in aqua introductus, cum ipsa producitur? Tum quia, ut optime arguit Suarez (apud quem nullum aliud præter hoc reperimus argumentum alicujus momenti, contra hanc qualitatem mediam, cætera namque facile diluuntur per solutionem Trombetæ allatam) non videtur, quomodo possit hæc simplex qualitas *media* intendi, & remitti per solum accessum ad unum extremum, & recessum ab alio, quia omnes gradus erunt utique ejusdem rationis essentialis, ac proinde ejusdem participationis extremorum, & continentiæ virtualis, sicut videmus in coloribus mediis, quia namque color rubeus virtute *magis continet albedinem*, quam nigredinem, *in singulis* gradibus illius idem continentiæ modus reperitur, cum ergo in intensione tepiditatis fiat major participatio caloris, quam frigoris, & antea e contrario res se haberet, non potest id fieri per solam intensionem ejusdem simplicis qualitatis, sed semper debet fieri mutatio totius qualitatis mediæ, & sic vel illa mutatio *non erit continua*, vel in successione talis mutationis infinitas qualitates medias variari oportebit, quia in quolibet instanti qualitas media aliter se habet. Tum quia cum tepor pervenit ad octavum gradum, tunc in eo instanti nec calor, nec frigus reperirentur in aqua, quia ut ait Trombeta tunc habetur primum non *esse frigoris*, & ultimum non esse caloris, ergo tunc in materia *nec erit* forma aquæ, nec ignis, quia tepiditas in quocumque gradu sumatur, non est sufficiens dispositio nec pro forma aquæ, *nec ignis*, non manet autem forma

substantialis sine sufficienti dispositione. Tum tandum quia nec per istam qualitatem mediam effugiunt Adversarii difficultatem, quam evitare contendunt, nam si tepidus expellit frigus ab aqua, jam erit illi contraria, quia talis expulsio nonnisi inter contrarias formas exercetur ob formalem eorum repugnantiam in eodem subjecto, & cum non expellat illud totum simul, sed paula im, secundum aliquos gradus expellit, & secundum alios remissiores stat cum eo, ergo velint, nolint, contraria admittunt in eodem subjecto in gradibus remissis; vide disp.3.q.2.ar.2.

Quamvis ergo Doctor 2. d. 15. cit. asserat colores medios importare tantum simplicem qualitatem virtute tantum extremos continentem, non autem reipsa ex ipsis coalescentem, non inde facere debent Scotistæ universalem consequentiam, quod ex duobus contrariis in esse remisso semper fiat una simplex qualitas tertia, quia talis mixtio non semper fieri potest in omnibus contrariis, sed interdum solum imperfecte per formalem conjunctionem utriusque contrarii in esse remisso, ut bene notavit Suarez cit. nu. 14. quod in habitibus animæ manifestum est, non enim ex vitio, & virtute in esse remisso unus coalescit simplex habitus medius; & hæc inter contraria diversitas, quod quædam habeant medium simplex virtute continens extrema, alia vero nonnisi per imperfectam conjunctionem utriusque in gradu remisso, non provenit ex generali oppositione contrariorum, sed ex propriis rationibus diversarum qualitatum.

48 Aliter idcirco respondet Gregor. cit. & inquit contraria applicata ad agendum ita se habere, ut fortius per solam suam præsentiam corrumpat debilius sine productione alicujus gradus propriæ formæ, corrupto autem debiliori ad præsentiam validioris statim incipit hoc propriam formam imprimere subjecto, & ita calefit aqua destructa prius frigiditate ejus; subdit autem non idcirco statim, & in instanti calorem introduci frigore depulso, quia successio potest provenire etiam ex repugnantia virtuali, & ideo quia aqua saltem virtualiter opponitur calori, aliquo modo resistit, ne subito introducatur, & adhuc provenire poterit ex majori dispositione, vel minori in subjecto, quia subjectum nullo modo habens formam est minus dispositum ad ipsam, quam si aliquo modo imperfecto possideat; & in hanc recidit responsio quædam P. Fabri cit. cap. 2. prope finem, & theor. 43. cap. 4. in fine.

Hæc quoque solutio ex multis capitibus falsa deprehenditur. Primo, quia agens non alia actione expellit formam veterem a subjecto, quam novam introducendo ei incompossibilem, ut ex professo ostendimus infra disp. 5. qu. 4. quia non datur actio mere destructiva, & corruptiva, nam formalitas actionis in eo consistit, quod sit alicujus productio, non autem mera, ac pura destructio. Secundo, quia experimur, cum paulatim decedit frigus, pari passu introduci calorem, non autem post totam frigoris destructionem, unde si tunc temporis durante frigoris remissione manum frigidam immittamus in aquam, sentimus verum calorem actione ignis inductum. Tertio, admittit hæc responsio aquam naturaliter posse existere sine omni frigiditatis gradu, quod est impossibile, nam statim, ac forma substantialis propriis expoliatur dispositionibus, destruitur ab agente contrario. Quarto, non salvat successionem sufficienter per illam resistentiam virtualem, quia quando se reducit aqua ad pristinam frigiditatem post expulsionem caloris, in instanti se deberet reducere, quia tunc nulla intervenit virtualis resistentia, ergo successio provenit ex resistentia formali unius qualitatis ad aliam. Tandem non valet illa major, vel minor dispositio subjecti ad successionem causandam, nam sequeretur, quod illuminatio non fieret in instanti, quia potest esse medium magis, vel minus, aut etiam omnino indispositum.

49 Efficaciter ergo demonstrata manet nostra conclusio, quod possint manere simul contrariæ qualitates in gradibus remissis, neque limitanda est, ut volebat Lichet. supracit. ad solos gradus inæquales, sed indifferenter coexistere queunt tam in gradibus æqualibus, quam inæqualibus, idque manifeste colligitur ex Doct. cit. 2. d. 2. qu. 9. O. ubi habet, quod a principio frigidum agit in calidum, quousque totaliter expellat calorem, ergo necessario si iste motus est continuus, & successivus, ut vult ibi Doctor, debet dari aliquod instans, in quo illæ qualitates ad medium sint reductæ; tum quia possunt etiam alii casus constitui v. gr. quod sit frigidum, ut sex, habens duos caloris gradus approximatum calido, ut octo, hoc namque aget in illud destruendo plures gradus frigiditatis, patet autem, quod prius destruet duos caloris gradus, quam tres, quare si cum duos destruxit, removeatur, remanebit passum illud cum qualitatibus contrarii, ut quatuor. Et gratis omnino negatur casus iste a Lichet. dicente quod solum unum gradum destruet, numquam duos; sic enim dicens manifestam committit petitionem principii, cum assignet pro ratione id, quod quæritur, tum quia sequeretur, quod numquam ex uno elemento posset aliud generari, etenim numquam ignis posset totam aeris humiditatem destruere, sed solum tres gradus, quia si totam destrueret, prius utique perveniret ad medium; tum tandem quia negat hæc limitatio temperamentum æquale ad pondus quod admitti debere probamus infra disp. de mixt. Nec refert, quod ait Lichet. quod contraria in gradibus æqualibus numquam agunt invicem; potius enim id nobis favet, ita enim in majori pace simul stabunt; tum quia illud etiam falsum est, nam si sunt æqualia in gradibus, esse possunt inæqualia in activitate, & resistentia, & sic agere.

50 Nec etiam ad rem est limitatio, quam afferebat Faber, quod gradus remissi contrariarum qualitatum coexistunt in fieri, & in pugna, non autem in esse quieto; nam non est quæstio, an possint esse simul in fieri, & in pugna, sed an in esse quieto, & affirmative respondemus, quia licet in esse remisso adhuc gradus illi sint contrarii, nullum tamen hostilitatis actum exercent adinvicem ob capacitatem, & illimitationem subjecti, nam qualitates illæ in tali gradu non excedunt ejus latitudinem, ut magis mox explicabitur in solutione argumentorum; tum quia temperamentum mixtorum non esse unam simplicem qualitatem, sed mixtionem, seu collectionem primarum qualitatum in esse remisso, cum certa proportione est communior, ac probabilior Philosophorum sententia, quod manifestis verbis docuit D. Aug. cit. lib. de natura, & gratia, tum tandem quia formæ pugnantes in nullo instanti sunt simul in eodem subjecto, non enim pugnant sicut milites in arena, nec se expellunt, ut clavus clavum trudit, ut dicemus disp. 5. qu. 4. sed ita quod primum non esse unius est primum esse alterius, & e contra.

Nec tandem necessaria est limitatio, quam afferebat Soto conclusionem coarctans ad solas qualitates activas, tum quia contraria non activa, ut dulce, & amarum, eamdem habent latitudinem gradualem, ac habent activa, nec minus exercetur motus successivus inter illa, quam inter ista, ut patet ex Arist. 7. Phys. 11. & 12. & clarius 4. Topic. cap. 4. loc. 9. ergo æque bene permisceri possunt, & ex eis fieri unionem imperfectam per conjunctionem utriusque contrarii in esse remisso, ut constat de saporibus mediis, tum quia minus videtur activas posse simul coexistere ob earum acrimoniam in agendo, ergo si illis convenit, etiam non activis poterit convenire.

51 Ex dictis infertur, quod licet motus contrarii ad qualitates contrarias in gradibus intensis nequeant simul exerceri circa idem subjectum, non tamen repugnat posse simul fieri ad qualitates in gradibus remissis, ut docet Scot. 2. d. 2. qu. 7. ad ult. & 4. d. 10. qu. 2. N. quod ibi probat: quia motus contrarii eamdem incompossibilitatem habent, quam habent termini, quare cum qualitates contrariæ sint incompossibiles secundum gradus remissos, poterunt in eodem subjecto exerceri simul naturaliter alterationes ad illas in eisdem gradibus; & adhuc ulterius probatur, si enim esset aliquod subjectum omni qualitate privatum, vel saltem ut non sit tota latitudo graduum expleta, tunc si duobus agentibus contrariis applicaretur, posset simul ab illis pati, quia nulla adest repugnantia ex dictis, quod illæ formæ contrariæ stent simul in subjecto, ergo neque quod simul introducantur. Nec obstat Arist. 2. de Anim. 147. negans aperte posse idem simul moveri motibus contrariis; nam intelligi debet de motibus ad formas incompossibiles terminatis, ut sunt termini motus localis, quia non potest naturaliter idem corpus habere plura ubi simul, & semel, & tales sunt etiam qualitates contrariæ in alteratione, cum excedunt latitudinem subjecti. Nequaquam tamen ob id approbare intendimus, quod inquit Aversa cit. nimirum, quod si duo agentia contraria applicarentur subjecto adæquate informato omnibus gradibus, adhuc agerent in illud destruendo illos gradus, & alios similes generando. Non videtur hoc naturaliter possibile, quia in tali casu agentia illa se invicem impedirent, quia non posset calidum, ut octo, destruere in subjecto gradum frigoris ab agente frigido, ut octo, in eodem productum, neque e contra, ratio est, quia vel destrueret illum gradum, qui tunc producitur ab agente frigido, & hoc non, ut etiam ipse concedit Aversa, quia tunc idem effectus produceretur, & corrumperetur simul, esset, & non esset; vel alium gradum frigoris præexistentem, & neque hoc, quia si frigidum, ut octo, habet virtutem producendi gradus frigoris in eo subjecto non obstante præsentia, & actione calidi, ut octo, habebit quoque virtutem gradus frigoris præexistenter conservandi in eodem subjecto. Nec pariter approbamus, quod ait ibid. cum aqua calefit, posse simul seipsam infrigidare, nam actio semper provenit a victoria agentis in passum, ergo si ignis calefacit aquam, jam vincit resistentiam ipsius, at si aqua seipsam infrigidat, destruet calorem, & consequenter superaret resistentiam ignis, quod implicat.

52 In oppos. argum. Primo, auctoritatibus, nam Arist. 2. de gener. 16. ait qualitates contrarias in eodem subjecto copulari non posse &c. de substantia ait, esse contrariorum susceptibilem, non simul, sed successive, & D. Aug. in Enchirid. c. 17. sic loquitur, *nullus cibus, aut potus simul dulcis est, & amarus, nullum corpus simul ubi album, ibi nigrum, nullum simul ubi difforme, ibi formosum.* Scotus tandem 1. d. 43. qu. un. ait album, & nigrum, & quæcumque contraria ex suis rationibus formalibus contrariari, & repugnare, & incompossibilia esse, idem repetit 4. d. 1. qu. 5. F. & d. 49. qu. 16. supra C. ubi ex hoc, quod talis repugnantia non est inter duo corpora quoad eumdem locum, concludit posse saltem de potentia Dei absoluta esse simul, ergo nullo modo possunt esse simul contraria.

Resp. Arist. ibi loqui de contrariis, prout ad constitutionem elementorum concurrunt, quomodo in gradibus intensis debent esse, & hinc recte ait non posse illo modo simul conjungi, sed jam visum est, quomodo postea loquens eod. lib. text. 48. de ipsis, ut ad mixtionem concurrunt, ait simul copulari in gradibus remissis, & sic etiam intelligendus est cap. de subst. D. Aug. loquitur etiam de ipsis in gradibus intensis, non remissis, sic enim concedit loc. supracit. de natura, & gratia posse esse simul, licet hoc non valeat de pulchritudine, & difformitate ob rationem infra tangendam; loca vero illa Scoti exacte expendimus disp. 9. log. qu. 1. art. 1. assignando in ejus doctrina multiplicem repugnantiam formalem, & diximus repugnantiam contrariorum esse talem, ut ex ea sequatur solum expulsio aptitudinalis, non semper actualis, ut magis nunc explicabimus.

53 Se-

53 Secundo arguitur, & est fundamentum præcipuum oppositæ sententæ. ex definitione, & natura contrariorum, quæ sunt formæ sub eodem genere maxime distantes, & ab eodem subjecto mutuo se expellentes, sed qualitates istæ in esse remisso adhuc sunt contrariæ, ergo, &c. prob minor tum ex Arist. 10. Metheor. 13. & 14. ubi docet contrarietatem esse oppositionem secundum formam, & essentiam, quæ quidem integra reperitur in singulis qualitatum gradibus tam intensis, quam remissis, tum qualitates non sunt contrariæ ex vi intensionis, alioquin solum per accidens contrariarentur, quia intensio est accidens earum, sed ex propria natura.

Resp. Tatar. loc. cit. qualitates non habere repugnantiam formalem ex præcisis entitatibus essentialibus, sed tantum quoad latitudinem, seu excessum intensionis, idemque videtur sentire Suarez cit. nu. 6. hinc negant expulsionem convenire qualitatibus in gradibus remissis, & ajunt convenire tantum in intensis. Sed hanc doctrinam in logica loc. cit. refellimus; quia album, ut unum, vere nigro, ut uno opponitur, & contrariatur; ac etiam revincitur ex ipsa probatione minoris argumenti allati. Dicendum ergo ut ibi, expulsionem tantum aptitudinalem esse per se effectum contrarietatis, actualem vero esse accidens per accidens, & separabile, & separari interdum ob aliquod extrinsecum impedimentum, & tale esse potest illimitatio subjecti, quia enim subjectum est capax octo graduum qualitatis, ob hanc latitudinem, & illimitationem possunt in eo coexistere simul quatuor gradus frigoris, ac totidem caloris, vel tres caloris, & quinque frigoris, aliave ratione, dummodo octavus numerus non excedatur; habent ergo semper frigus, & calor contrarietatem in quocumque gradu, sed actus secundus contrarietatis, seu actualis expulsio impediri potest ex latitudine subjecti, quæ si semel excedatur, statim alter alterum expellit. Neque hoc ullum est inconveniens, quia subjectum se habet ad illas qualitates in tali latitudine existentes, ut quid illimitatum, quod aptissimo declarari potest exemplo, quia enim æternitas est quid illimitatum respectu temporis, potest Deus velle simul esse, & non esse Angeli pro eadem æternitate, ut notat Doctor 2. d. 2. qu. 1. ad 2. pro 2. opin. & non ob id dicitur velle contradictoria simul, licet esse, & non esse contradictorie opponantur, & hoc quia æternitas est quid illimitatum, unde vult esse Angeli, non prout coexistit toti latitudini, & præsentialitati æternitatis adæquate, sed inadæquate, & vult non esse ejusdem etiam hoc modo; ita ergo in proposito bene contraria coexistere possunt in eodem subjecto in gradibus remissis salva eorum contrarietate ob ejus illimitationem in recipiendo, unde si restringeretur ejus capacitas, statim se expellerent; quare ad formam argumenti major debet intelligi de expulsione aptitudinali, ut sit universaliter vera, non vero de actuali, nisi in gradibus intensis, & ideo negatur conseq. & hanc solutionem recipit Ruvius loc. cit.

Dices, ergo si subjectum capax esset plusquam octo graduum, possent qualitates contrariæ ultra hanc latitudinem in ipso recipi, atque ita sequitur non esse ex seipsis contrarias, sed potius ex incapacitate subjecti. Resp. concedendo primam sequelam, dummodo non excederent majorem illam capacitatem, sed negatur altera, quia quod talem aptitudinem habeant sese expellendi, provenit ex suis rationibus formalibus, cujus rei signum est, quod qualitates disparatæ non solum in gradibus remissis, sed etiam in intensis in eodem subjecto recipiuntur, quod non esset, si tota ratio incompossibilitatis a subjecto attenderetur; bene verum est, quod ratio, cur possint actu simul esse, provenit ex capacitate subjecti.

54 Tertio, alia contraria videmus ita se mutuo expellere, ut nec etiam in gradibus remissis simul esse queant, sic actus erroris, & scientiæ, lætitia, & dolor, amor, & odium, si sint de eadem re, neque in gradu remisso simul esse possunt; ex Scoto 3. d. 5. qu. un. sic etiam se habent sanitas, & ægritudo, deformitas, & pulchritudo, &c. ergo idem dicendum erit de istis qualitatibus. Resp. actus illos, & passiones non posse simul coexistere ob contradictionem, quam includunt ex parte objectorum; eo quod unus destruat formale objectum alterius, nam v. g. per actum scientiæ concipitur homo risibilis, per actum erroris concipitur irrisibilis, objectum delectationis, & amoris est bonum, doloris, & odii malum, cum igitur hujusmodi actus habeant rationes objectivas omnino repugnantes, non poterunt intellectus, & voluntas simul illos habere, quia quod unus affirmat, alter negat, & quod unus pomt, alter tollit; unde hæc repugnantia, & actualis expulsio convenit illis actibus non ex generali ratione contrarietatis, sed ex speciali eorum ratione, quatenus vitales sunt, ut notavit Ang. cit. & magis explicabitur in lib. de Anim. habitus tamen contrarii in gradibus remissis possunt esse simul, ut colligitur ex Scoto 3. d. 31. B. & d. 33. B. & d. 36. & in 2. d. 37. & quol. 18. & probat ipse, quia videmus, quod si quis est intemperatus, non statim per unum actum temperantiæ elicitum amittit facilitatem ad actus intemperatos, & si continuat actus temperatos experitur se habere facilitatem, & promptitudinem ad utrosque. Ratio discriminis actuum, & habituum est, quia habitus solum sunt inclinationes ad actus, unde non dicunt actualem, & proximam conjunctionem cum objectis, sed remotam, & potentialem, potentiæ autem, seu inclinationes ad actus contrarios diverso tempore eliciendos non repugnant, quamvis actus ipsi repugnent, saltem in gradibus remissis.

Ad illud vero de sanitate, & ægritudine, &c. jam diximus in logic. non esse proprie species qualitatis, sed relationes, quæ habent utique modum denominandi qualitates, imo privative opponuntur, sanitas enim dicit debitam proportionem humorum ut habet Scotus in 2. d. 15. ad 4. ægritudo in carentia talis proportionis, pulchritudo quoque dicit debitam aggregationem partium, ut habet Doctor 1. d. 17. q. 2. O. quol. 18. art. 1. deformitas vero in ejusdem carentia consistit, quod & de bonitate, & malitia Doctor ibidem docet.

55 Quarto, qualitates mediæ inter extrema sunt veræ qualitates constitutæ in aliqua specie qualitatis, ita constat de coloribus mediis ex Doctore 2. d. 15. ac etiam de gravitate aquæ, & levitate aeris, quas diximus esse formas simplices disp. 3. de Cœlo q. 1. esto medient inter summam gravitatem, & summam levitatem, ergo idem de reliquis dicendum v. g. tepiditate, &c. quod in eis non continentur extrema formaliter in esse remisso, sed tantum virtualiter. Resp. neg. conseq. non enim medii colores semper, & ex quacunque extremorum mixtione fiunt, sed solum ex perfecta, unde possunt aliquo modo esse simul in esse remisso, in imperfecta scilicet unione, cur autem ex aliquibus resultat aliqua per se species, ut in coloribus, in aliquibus autem non, ut in primis qualitatibus, in habitibus contrariis, &c. non potest assignari aliqua ratio, nisi ipsamet contrariarum qualitatum diversitas, ut supra dicebamus.

Quinto tandem, quia duæ dimensiones minus repugnant formaliter, quam duo contraria, & tamen naturaliter nequeunt esse simul in eodem loco, sic etiam duæ formæ substantiales disparatæ minus repugnare videntur, & tamen in eadem materia nequeunt esse, ergo tanto minus duo contraria in eodem subjecto. Tum 2. quia contraria in diversis subjectis seinvicem perimunt, ergo tanto magis in eodem, calidum, v. g. ut sex destruet frigus ut duo. Tum 3. si simul sunt in eodem subjecto, ab utroque denominabitur, & dicetur simul calidum, & frigidum, sed calidum idem est, ac non frigidum, ergo de eodem prædicata contradictoria dicentur. Tum 4. magis, & minus non se compatiuntur in eodem subjecto, sicut magis album, & minus album, ergo multo minus duo contraria in quocumque gradu, quia magis pugnant album, & nigrum in quocunque gradu, quam magis, & minus album, siquidem illa specie differunt, hæc autem solo numero. Tum tandem, quia poterit summe calidum imprimere calorem intensum v. g. ut sex, in frigidum ut duo, nihil destruendo de frigore, quia compatitur cum illo gradu caloris, ut sex, frigus ut duo.

56 Respond. ad 2. neg. paritatem, quia ut notat Doct. cit. 4. d. 49. 16. quælibet dimensio respicit suum locum adæquate, ad qualitates latitudinem octo graduum non excedentes, seu in gradibus remissis non respiciunt subjectum adæquate, nec totam potentiam adæquant, & ideo possunt aliquo modo naturaliter simul esse; formæ autem substantiales, licet singulæ sint actus inadæquati materiæ, adhuc tamen naturaliter nequeunt simul esse, tum quia requirunt dispositiones contrarias, tum quia dum esse simpliciter, non secundum quid, ut accidentia, unius autem rei unicum est esse simpliciter, & specificum, tum quia non sunt intensibiles, & remissibiles, ut dici possint esse simul in gradibus remissis: tum tandem quia generatio unius in ipsis est corruptio alterius ad varietatem individuorum perpetuandam. Ad 2. neg. par. quia nihil agit in seipsum actione univoca, ut dicetur disp. seq. Accedit, quod sicut contraria in diversis etiam subjectis non agunt ad invicem, si sint in gradibus similia, ut v. g. ambo calida ut sex, & frigida ut duo, eo quia non sunt productiva qualitatum excedentium capacitatem subjecti, idem quoque de contrariis in eodem subjecto non excedentibus est dicendum. Ad 3. dicimus ex Tatar. 2. de anim. loc. cit. & sequuntur alii, quod secundum vulgarem usum loquendi denominatio semper fit a prædominante qualitate, si una excedit, vel si sint æquales, denominatio fit aliquo simplici termino explicante istam æqualitatem, ut est tepiditas, vel compositio, ut est siccum, & humidum in æquali gradu; secundum rem autem utique denominari debet subjectum duabus contrariis denominationibus, non tamen contradictoriis, quia negatio qualitatis contrariæ non sequitur, nisi in summo, naturaliter loquendo, ut docuit Arist. 4. Met. 27. Ad 4. ut diximus in Logica loc. cit. ex Scot. 1. d. 7. qu. un. L. ad contrarietatem formarum non est attendenda major, vel minor convenientia in specie, & natura, nam minus conveniunt homo, & album, non dicuntur contraria, sed debet attendi repugnantia, & incompossibilitas in ordine ad idem subjectum; hæc autem sane major est inter magis album, & minus album, quam inter album, & nigrum in gradibus remissis, nam minus album habet annexam negationem magis albi, non sic unum contrarium in gradu remisso habet annexam negationem alterius ob capacitatem subjecti; vide aliam solutionem apud Bassol. Ad ult. supponitur ibi falsum, quod possit dari subjectum frigidum, ut duo, absque calore, ut sex; quod non est possibile naturaliter, quia non esset latitudo contrarietatis, & subjecti capacitas expleta.

ARTICULUS II.

Contraria possunt simul coexistere supernaturaliter in gradibus intensis.

57 Conclusio est Bassol. & Tatar. loc. cit. in superiori articulo, quam Recentiores passim amplectuntur, & quamvis Doctor non satis in hac re suam expresserit mentem, imo in quibusdam locis videatur mansisse in ancipiti, tamen in 4. d. 49. q. 3. art. 4. expresse illi favet, cum enim in art. 3. dixisset ignem inferni non agere in corpora damnatorum actione reali, sed intentionali dumta-

xat, quia probabilius est ponere *minora miracula*, quam plura, & majora, quia non videtur posse salvari damnatos cruciari simul summo calore, & summo frigore reali actione propter incompossibilitatem *formarum frigoris*, & caloris in summo, ac *species intentionales* contrariorum non sunt ita *incompossibiles*, subjungit postea art. 4. lit. G. non necessario negari debere istam actionem realem, quia inquit *quæcumque arguuntur in 3. art. si adscribantur miraculo, non possunt improbari*; quibus verbis concedit posse damnatos simul pati miraculose frigus, & calorem in summo, nec in 3. art. id negavit, quia hoc judicaret absolute impossibile, sed ne admitteret majora, & plura miracula, quam opus esset. Cum autem dicimus duo contraria posse simul esse in gradibus intensis, id utique intelligimus permanenter, ac in esse quieto, non vero transeunter tantum, ac in fieri, ut ajebat Faber cit, nam quæcumque Deus potest conservare simul pro aliquo instanti in eodem subjecto, potest etiam conservare deinceps, non enim in tempore sequenti diminuta est potentia Dei, quare si pro illo instanti contrariorum repugnantiam superavit, valebit quoque superare deinceps, nec id alia indiget consuratione.

58 Probatur conclusio sic intellecta ex illo Job. cap. 24. ab aquis nivium transibunt ad calorem nimium, & Matth. 13. ibi erit fletus, & stridor dentium, ubi glosa significat, ut notavit Bassol. quod corpora damnatorum frigus patientur, & calorem simul in gradibus intensis. Probatur etiam evidenti ratione, quia nulla potest in hoc assignari repugnantia, quæ a potentia divina superari non possit; vel enim assignaretur ex parte subjecti, cujus capacitas est limitata, nec excedere potest in ordine ad formas contrarias latitudinem octo graduum; vel ex formali repugnantia ipsorum contrariorum in gradibus intensis; ex primo capite assignari non potest, quia licet capacitas subjecti sit eo modo limitata in ordine ad agens naturale, non tamen in ordine ad supernaturale, nam ab isto formas recipit non per potentiam passivam naturalem, sed obedientialem, quæ respectu talis agentis non est determinata, ut dicetur disp. seq. quæst. ult. qua ratione solemus dicere posse idem corpus plura ubi simul, & semel a Deo suscipere, esto ab agente naturali non nisi unum tantum possit habere.

At neque assignari potest ex alio capite scilicet ex parte ipsarum formarum contrariarum, nimirum ex immediata earum oppositione in ordine ad idem subjectum, nam ut diximus disp. 5. Phys. qu. 3. art. 3. formæ oppositæ circa subjectum duplicem solent exercere effectum in genere causæ formalis, unus est informare subjectum, illudque denominare, & reddere formaliter taliter, qui proinde dicitur effectus primarius, & per se, alter est media sua informatione expellere formam oppositam ab eodem subjecto, qui proinde dicitur secundarius, & veluti consecutivus; quamvis ergo effectus primi generis sit etiam a Deo inimpedibilis, ac prorsus indispensabilis in ordine ad quamcumque potentiam, quia implicat formam esse in subjecto, & non denominare illud formaliter tale, bene tamen impedire potest, atque suspendere effectum formalem secundi generis, nimirum actualem expulsionem, sicut facit in duabus quantitatibus natis se ab eodem loco expellere, non minus quam duæ qualitates contrariæ, ab eodem subjecto, ut diximus disp. 5. Phys. q. 6. art. 2. potest ergo ex hoc capite Deus duas qualitates *contrarias in eodem* subjecto ponere, non quidem impediendo effectum formalem primarium earum, ut Aresius velle videtur, quia id prorsus implicat, sed secundarium tantum, & consecutivum, scilicet actualem expulsionem, qua ratione etiam ibi diximus posse ponere duas formas substantiales disparatas in eadem materia. Hinc Bassol. cit. sic arguit, non habent majorem incompossibilitatem duo contraria respectu ejusdem subjecti, quam duo corpora respectu ejusdem loci, ideo enim ambo incompossibilia dicuntur, quia unum expellit aliud, sed per potentiam Dei ita unum corpus potest esse in loco, quod non expellat aliud; ergo, &c.

59 Dices, ergo eodem modo differunt, & repugnant duo corpora ad essendum simul in eodem loco, ac duo contraria in eodem subjecto, quod est falsum, & contra Doctores cit. 4. d. 49. qu. 16. ad 2. pro 1. opin. ubi habet, quod inter ista est repugnantia formalis, inter illa vero est virtualis tantum, unde ex hoc, quod inter duo corpora non est repugnantia formalis quoad eumdem locum, sicut est inter duo contraria quoad idem subjectum, concludit posse virtute divina duo corpora esse simul in eodem loco. Resp. neg. conseq. etenim magnum adhuc remanet discrimen, duæ namque dimensiones differunt penes effectus secundarios, qui sunt, ut una excludat alteram ab eodem loco, non penes effectus primarios, qui sunt ejusdem rationis, nec penes formas, quæ sunt ejusdem speciei; tum quia earum repugnantia non attenditur penes idem subjectum, quia illa duo Ubi passiva, quæ sunt in illis duobus corporibus penetratis in ordine ad eamdem superficiem, non sunt in eodem subjecto sed in diversis, scilicet in illis corporibus, & hæc præcipue est ratio, cur Doctor ibi istam repugnantiam non formalem, sed virtualem appellavit; at formæ contrariæ non tantum quoad effectus secundarios, sed etiam primarios differunt, & secundum formas, & penes idem subjectum, sunt enim alterius, & alterius rationis, & maxime sub eodem genere distant, non ergo Doctor ibi absolute negare voluit contraria esse posse in eodem subjecto, sed ex prædictis capitibus magis id repugnare ostendit de duabus qualitatibus contrariis, quam de duabus qualitatibus, adeo ut si negaretur de illis, non ideo de istis quoque negari deberet, unde quasi conditionate loquitur, non absolute.

60 In oppos. argum. multipliciter. Primo, quia contraria in summo inserunt contradictoria ex Arist. 4. Met. 27. ubi proinde ex hoc, quod contradictoria per nullam potentiam possunt esse simul, deducit, quod neque contraria in summo, quia ad ipsa in tali gradu sequuntur contradictoria. Conf. quia tunc idem subjectum esset simpliciter calidum, & simpliciter frigidum, at quod est simpliciter calidum, nullo modo est frigidum, & e contra, quod est simpliciter frigidum, nullo modo calidum est. Tandem unum contrarium habet essentialiter annexam negationem alterius, ac proinde prorsus ab ea inseparabilem implicat; ergo omnino, quod possint esse simul.

Resp. non esse intentum Arist. ibi eodem modo arguere de contrariis, & contradictoriis quoad excludendum unum per aliud, cum enim oppositio contradictoria sit per affirmationem, & negationem, immediate unum excluditur per aliud, & per locum ab intrinseco sequitur, quod si unum contradictorium est in subjecto, non est ibi alterum, quia ratio formalis unius formalissime imbibit exclusionem alterius, secus est in contrariis, quia eorum oppositio est positiva, ac proinde conceptus formalis unius non consistit in actuali exclusione alterius, quia ambo sunt positivi conceptus, & ideo non sequitur per locum ab intrinseco, est unum contrarium in subjecto, ergo non est alterum, sed solum mediate, & ab extrinseco, ratione scilicet suorum effectuum incompossibilium, quatenus ad positionem unius consequitur exclusio alterius *in gradibus intensis ex natura ipsorum*; itaque contraria in summo includunt oppositionem contradictoriam non primo, & per se, sed consecutive, & secundario, *secundum communem naturæ cursum*, & sic intelligit Arist. loc. cit. quare cum possit divinitus impediri talis consecutio, seu effectus secundarius, ut dictum est, nulla sequitur contradictio, quia nec in contrariis exurgit ex eorum effectu secundario, qui est expulsio, non ex primario, qui est informatio. Dices, informatio unius contrarii est actualis alterius exclusio, siquidem se expellunt ab eodem subjecto in genere formalis causæ, non effective, adeo quod ipsamet informatio est exclusio, ergo, ex effectu primario unius sequitur exclusio alterius, & contradictio. Negatur assumptum, quamvis enim formæ in subjecto se invicem expellant in genere causæ formalis, tamen expulsio, & informatio non sunt idem effectus formalis, sed diversi, nam unus exercetur circa subjectum, alter adversus formam contrariam: unus est primarius, alter secundarius, unde informatio unius contrarii non est alterius exclusio formaliter, & per se, sed consecutive tantum, & secundario; & hoc etiam modo Arist. cit. 4. Metheor. explicant Tac. & Bass. cit.

Ad Conf. dicimus ita evenire regulariter, sed in casu forent idem subjectum simpliciter calidum, & simpliciter frigidum, idest utrumque in summo, nec sequitur esse simul absolute calidum, & non calidum, frigidum, & non frigidum, quia ut bene notat Bassol. non dicitur subjectum non album, vel non calidum formaliter per aliquod positivum, quod sit nigrum, vel frigidum, sed per negationem albi, vel calidi, quæ quidem negatio in subjecto non esset ex hypothesi, quod adsit albedo, vel caliditas. Ad ult. cum dicitur unum contrarium habere *annexam alterius negationem* essentialiter, & inseparabiliter, vel hoc intelligitur de negatione identitatis, quatenus unum non est aliud, nec esse potest aliud, vel de negatione compossibilitatis, quatenus unum nequit cum alio consociari in eodem subjecto: de prima negatione verum est assumptum, sed falsa consequentia, nam etiam dulcedo in lacte habet essentialiter annexam talem negationem albedinis, & universaliter quæcumque forma disparata respectu alterius; de altera vero negatione falsum est assumptum, quam doctrinam adhuc magis explicavimus disp. 5. Phys. qu. 6. art. 2. & innuit Bass. cit. art. 1. in resp. ad 4.

61 Secundo objic. quia si etiam in gradibus summis possunt contraria esse simul, non videtur quomodo salvari possit contrarietas in ipsis, & quod oriatur ex natura ipsorum. Tum 2. quia contraria se expellunt *in genere causæ formalis*, at talis effectus nequit a Deo impediri. Tum 3. contraria opponuntur nedum virtualiter, & in suis effectibus, sed etiam formaliter, ac in seipsis, ut ex eorum definitione constat, ergo ante suos effectus secundarios sunt incompossibiles. Tum 4. si idem objectum foret simul album, & nigrum, idem cibus dulcis, & amarus, &c. esset sensibile, & non sensibile, sensibile quidem, quia haberet qualitates sensibiles, insensibile vero, quia non apparet, quo sensu percipi posset, gustu, vel visu, vel tactu. Tum 5. quia hac ratione plures quoque subStantiales formæ disparatæ possent esse in eadem materia, cum minorem videantur inter se habere repugnantiam, quam contraria. Tum 6. eadem est potentia receptiva contrariorum in eodem subjecto, non diversa, sed illa potentia terminatur, & actuatur per unum contrarium, ergo illo stante alterum non potest ineSSe. Tum tandem quia termini motus sunt incompossibiles, contraria sunt termini motus, non autem forma, & privatio, per hoc enim distinguitur motus a mutatione 5. Physic. ergo, &c.

Resp. neg. sequelam, quia essentialis ratio contrarietatis non consistit in actuali expulsione contrariorum ab eodem subjecto, sed in aptitudinali, vel potius radicali. Ad 2. effectus formalis primarius utique nequit a Deo impediri, bene tamen secundarius; ratio discriminis est, quia ille immediate per se procedit a forma inhærente, & ideo vocatur intrinsecus, unde implicat formam informare subjectum, & eam non denominare tale, nam esse album aliud non est, quam habere albedinem, alter vero effectus non immediate procedit ab ipsa forma, sed mediante effectu primario, & ideo habetur veluti secundarius, & extrinsecus, ac a Deo impedibilis. Ad 3. concedimus con-

contraria ante effectum secundarium mutuæ expulsionis esse incompossibilia, non enim eorum incompossibilitas ex illis effectibus procedit, sed potius ipsi ex contrariorum incompossibilitate, formaliter ergo sunt seipsis incompossibilia, exercent vero hanc eorum incompossibilitatem per suos effectus secundarios, sed tale exercitium suspendi potest a Deo. Ad 4. neg. conseq. nam in ordine ad sensum tactus, gustus, vel odoratus agerent illa contraria ad sensationem mediam ex utrisque permixtam, ut modo faciunt liquores contrarii permixti, de visu vero dicendum, quod vel una tantum forma ageret, quæ scilicet validior esset ad movendum sensum, vel si æquales essent, determinaretur a Deo, vel ambæ moverent, nec implicat oculum videre idem objectum simul album, & nigrum, sicut non implicat videre plura simul, quorum unum sit album, aliud nigrum. Ad 5. negat Bassol. paritatem, quia forma substantialis dat esse simpliciter, ejusdem autem rei nequeunt esse duo simpliciter, & ideo duæ formæ substantiales invicem non subordinatæ eamdem materiam informare non possunt; contraria autem cum sint accidentia, non dant esse simpliciter, sed secundum quid, & non est inconveniens ejusdem rei esse plura secundum quod. At disp. 5. Phys. qu. 6. art. 2. id etiam concessimus divinæ omnipotentiæ, & ostendimus rationem a Bassolio tactam absolute non concludere, quia in eo casu unaquæque substantialis forma *cum eadem communi materia proprium constitueret suppositum* in propria specie. Ad 6. licet potentia subjecti ad recipiendum contraria sit una, tamen quantum est de se, ad utrumque est indeterminata, & singula respicit, ut actus inadæquatos; ut dicitur de potentia materiæ ad formas substantiales, unde in ordine ad agens potens vincere eorum repugnantiam utrumque simul recipere potest. Ad ultim. sæpius dictum est majorem valere de terminis primis, & formalibus, quales sunt semper in quocumque motu, & mutatione forma, & privatio, ut diximus disp. 4. Physic. qu. 6. art. 3. non autem de terminis secundariis, & concomitantibus, sicut in proposito sunt formæ contrariæ, unde falsa est minor, quod contraria sint per se termini motus, nam etiam naturaliter dum fit motus intensionis a gradu remisso ad *intensum*, *manet* ille cum isto, unde etiam falsum est ex hoc capite proprie differre motum a mutatione, ut ibidem diximus, ubi etiam expendimus Arist. sensum in 5. Physic. dum per hoc discernit motum a mutatione.

62 Tertio tandem apud Lichet. cit. auctoritatibus Scoti; nam in 1. dist. 2. q. 2. infra lit. X. probat Deum habere virtutem infinitam ex eo, quod quantum est ex se, posset causare infinita, si non repugnarent, quia ista repugnantia non provenit ex defectu virtutis, sed ex repugnantia eorum formali, & assumit hoc exemplum, simul potens causare album, & nigrum non est minus perfectum, si non potest ea simul causare, quia ista non sunt simul causabilia, quia hæc non simultas est ex repugnantia eorum, non ex defectu agentis, quia agens habet simul virtutem respectu amborum, si illa essent compossibilia. Et dist. 17. q. 3. litt. VV. ait contraria incompossibilia esse in summo, non in gradu remisso. Et in 4. dist. 44. qu. 3. F. ait non posse probabiliter salvari idem simul realiter pati a contrariis in summo etiam per potentiam Dei, & litt. G. ait, quod si ponatur calorem induci in summo in corporibus damnatorum, & adhuc qualitatem illam mixti permanere, videtur manifesta repugnantia.

Resp. primum locum non urgere, etenim ibi licet de Deo loquatur, tamen cum adducit illud exemplum, loquitur de agente promiscue, unde sufficit, ut id, quod in exemplo assumit, verificetur de agente creato, nec in exemplis est multum insistendum; alter locus non est ad rem, quia ibi loquitur expresse de agente creato. Nec tandem ultimus urget, quia ut *diximus n. 57.* postea ait non posse oppositum improbari; cum vero subjungit esse formaliter repugnantiam calorem in summo reperiri cum qualitate mixti, non loquitur de formis contrariis, sed de eodem calore, & verum dicit, nam repugnat, quod in mixto sit calor ipsi connaturaliter conveniens, qui est medius, & remissus, & calor in summo, unde subdit, *sicut in eodem esse medium, & extremum*, si enim calor est remissus non est intensus, nam ut diximus art. præced. num. 56. plus repugnant in eodem subjecto magis, & minus ejusdem formæ, quam ipsæmet formæ contrariæ.

QUÆSTIO VI.

Quænam ex his qualitatibus conveniant elementis, & in quo gradu.

63 SErmo est hic de elementis in sua puritate, ac naturali dispositione, nam ut modo dispositæ sunt pro bono universi, certum est unumquodque secundum plures partes habere qualitates extraneas, & adventitias ex vicinia alterius elementi, ut explicatum est disp. 4. de Cœlo qu. 1. Et de elementis ita consideratis supponendum est unumquodque proprias, ac connaturales sibi vindicare qualitates, unde omnino vanum est, quod quidam de aere dixerunt esse natura sua expertem omnis qualitatis, & esse indifferenter cujuscumque susceptivum, eo quia est medium, per quod agentia naturalia maxime agunt, & concurrunt ad mixtionem, sicut quia debuit esse vehiculum omnium colorum ad videndum, omnis coloris expertem esse oportuit. Vanum itaque est, quia quælibet forma proprias requirit dispositiones, omnia corpora passim videmus esse suis accidentibus a natura prædita, & alioqui cum aliis elementis concurrere non posset ad mixti constitutionem, quia non haberet qualitatem contrariam, cujus ope queat cum aliis conflictari, *Mastrii, & Belluti. De Generat. & Corrupt. Tom. III.* nec eadem ratione posset in aliud elementum converti, imo nec de novo generari, nec unquam corrumpi, quia quod corrumpitur, a suo contrario corrumpitur. Nec ratio allata urget, ut enim sit medium idoneum per quod agentia agant, satis est, quod propter suam tenuitatem sit susceptivum qualitatum omnium, prout mixtioni inserviunt, & de coloribus dispar est ratio, quia non facile sibi mutuo cedunt, ut patet, si quis aspiciat per *medium*, quocumque sit *colore* vitiatum.

Compertum etiam est, unumquodque elementum non simul omnes sibi vindicare quatuor illas qualitates, quia nec ignis de se frigidus est, nec aqua sicca; sed nec dumtaxat unam, ut de aere item opinatus est Vallesi. 1. l. controvers. medic. cap. 10. ubi solam humiditatem ei connaturalem facit, & tribuit Gal. l. 8. de usu partium c. 3. & 4. de usu respir. sed binæ cuilibet assignari solent (exclusa tamen combinatione contrariarum qualitatum, quia nullum elementum est simul frigidum, & calidum, vel humidum, & siccum, quia tales qualitates non stant simul, quod si ponantur in esse refracto, ac temperato, tunc tale corpus esset verum elementum) ita docuit Arist. 2. de gen. 16. & deinceps, & 4. Metaph. cap. 1. cujus connexionis duplicis qualitatis in quocumque elemento ratio est, quam attulit Philopon. de gen. com. 23. quia duo sunt præcipua munera ipsorum elementorum in hoc universo, unum est, quod invicem transmutentur pro mixtorum constitutione, alterum est, ut tamquam partes integrales universi ita disponerentur, ut unum esset alterius proportionatus locus, ad primum munus plane opus erat, ut unumquodque haberet aliquam qualitatem, per quam esset alteri contrarium, ut scilicet si aer est calidus, aqua sit frigida, si ignis est siccus, aer sit humidus, &c. nam omnis transmutatio fit ratione contrarii; ad alterum vero munus debebat unumquodque aliam qualitatem habere, per quam conveniret cum alio sibi contiguo, ut scilicet ignis v. g. quia est locus aeris, cum eo in calore communicaret, & aer continens aquam in humiditate; & terra haberet frigus *symbolum* cum aqua, locus enim est conservativus locati ex 4. Phys. conservatio autem nequit fieri a contrario, sed tantum ab aliquo simili, & ex elementis ita constituris nascitur illa concordia discors, quæ mundi concentum efficit.

64 Ex hac igitur naturali ratione deducitur unicuique elemento necessarias esse duas qualitates, unam communem cum elemento proximo, per quam se invicem conservare possent, alteram vero contrariam, ut secum non nihil altercando ad alterationem, & constitutionem mixtorum concurrere possent; hac igitur de causa Arist. loc. cit. ita qualitates distribuit in singulis elementis, ut terra sit frigida, & sicca, aqua frigida, & humida, aer calidus, & humidus, ignis calidus, & siccus. At non obstante sensata illa ratione ex consonantia Universi deducta, nec Arist. auctoritate, ac omnium Peripateticorum, non desunt, qui qualitates alio modo combinent in elementis. Telesius enim novæ doctrinæ inventor lib. 2. de rerum natura cap. 23. constituit aquam ex sua natura potius calidam, quam frigidam, & c. 25. ignem potius humidum, quam siccum. Arriaga vero noviSSime disp. 4. de gen. n. 19. terram ponit natura sua potius calidam, quam frigidam; & tandem hac tempestate apud multos invaluit Stoicorum placitum statuentium aerem suapte ingenio frigidum; ita Cardan. lib. 2. de subtil. Arriag. cit. nu. 26. Aresius 2. de gen. qu. 10. qui ulterius addunt aerem non tantum suapte natura esse frigidum, sed etiam siccum, & quidem quod aer sit frigidus, fuit opinio Galen. lib. 8. de usu partium, ubi Arist. carpit, quod aerem posuerit calidum.

Rursus majus adhuc dissidium est etiam inter eos, qui in qualitatum conjugatione concordant, in quo gradu binæ qualitates singulis competant, totque ac adeo varia sunt placita, ut nimis operosum esset singula ad amussim recensere. Quidam enim dixerunt ambas qualitates suo elemento convenire in summo, ut Suessan. 2. de gen. comm. 23. Achillin. lib. 3. de elementis Mercen. in dilucid. hujus puncti, Peramat. lib. de elem. c. 8. & favet Galen. lib. 1. de natura, & 1. de elementis cap. 6. Alii e contra unam dumtaxat qualitatem tribuunt in summo, alteram vero citra summum, adhuc tamen in excellenti gradu, ideSt supra quartum, & hic dicendi modus est valde frequens apud Peripat. pro quo citari solent Averr. Alex Albert. Avic. Philop. Ammon. Marsil. Saxon. & sequuntur Recentiores passim. Alii inter has extremas opiniones quodammodo mediant tribuentes duobus extremis elementis scilicet terræ, & igni ambas qualitates in summo, elementis vero mediis, aquæ nimirum, & aeri unam qualitatem in summo, alteram in excellenti gradu, ita Zab. libr. 2. de primis qual. cap. 1. & Aversa qu. 41. sect. 8. Demum D. Thom. 2. de gen. *lect. 3.* igni tribuit utramque qualitatem in summo, aeri utramque infra summum, aquæ vero, & terræ unam in summo, alteram infra summum, & sequitur Bannez 2. de gen. cap. 3. qu. 2.

ARTICULUS I.

Singulis elementis propriæ assignantur qualitates.

65 NOstra sententia est, quæ fuit perpetua in Peripato, ignem esse calidum, & siccum, *aerem*, calidum, & humidum, aquam frigidam, & humidam, terram denique frigidam, & siccam, & ita supponit Scotus 2. dist. 15. qu. un. & 4. d. 49. qu. 13. & ubicumque loquitur de elementis, quæ quidem sententia ab initio quæst. probata est ea universali ratione ex consonantia universi, & *fine elementorum* deducta, nunc vero probanda est singillatim ex cujusque elementi natura, & naturali conditione.

2. Primo igitur de igne, quod sit suapte natura calidus, atque siccus, satis de se exploratum est, & quidem de calore nullus videtur ambigendi locus, & si quis proteruiando negaret, igni exponatur, quonsque fateatur esse calidum: de siccitate verò probatur. Tum quia ignis extinguitur ab aqua etiamsi sit calida, quod est argumento aquam ei contrariari, nedum frigiditate, sed etiam humiditate, atque ideo ignem esse calidum, & siccum. Tum quia ignis, & aqua sunt elementa valde opposita, & diffymbola, ergo non in una tantum, sed in ambabus qualitatibus opponuntur, cum ergo aqua sit humida, & frigida, ignis erit siccus, & calidus. Tum quia ponendo ignem humidum cum Telesio, cum ex alia parte sit calidus, ut ipse concedit, jam in ejus sententia ignis in nulla qualitate contrariabitur aquæ, quæ apud ipsum est calida, & humida. Tum quia quo magis corpus est siccum, facilius concipit ignem, ut de ligno arido constat, signum evidens, sonnam ignis postulare siccitatem, ut. disposionem connaturalem. Tum tandem quia ignis exsiccat madidas vestes, lutum, &c. nec dicas id præstare per calorem; nam videmus carnes, cum in olla fervent, elixantur, equidem calefieri, non tamen exsiccari; cum assantur autem, etiam exsiccari, ergo siccitas non provenit a calore ignis dumtaxat, sed directe etiam ab ipsius siccitate.

66. Secundo probatur aerem esse humidum, & calidum, & quidem humidum esse negari nequit, nisi negando definitionem humidi superius ex Arist. traditam, quod facile figuratur termino alieno, & nullum retinet proprium, vel saltem in peregrinos sensus extorquendo, ut facit Aresius; sane si proprius effectus humiditatis est subjectum reddere fluidum, & liquidum, *res enim humidæ ita e manibus elabuntur, ut vix retineri queant*, quid fluidius aere? aut ergo non adhuc constat, quid sit humiditas, aut stando definitioni humiditatis jam assignatæ, aer humidus asseri debet, vel alia excogitari, qua defendatur esse siccum. Deinde si aer ponitur siccus, cum ex alia parte sit calidus, jam non differret ab igne, vel si ponatur frigidus, non differret a terra, diversa enim qualitatum combinatio diversitatem formarum substantialium ostendit in elementis saltem a posteriori, idque gratis negat Aresius.

Deinde probatur esse calidum, non frigidum. Tum quia actione frigoris aer corrumpitur, & vertitur in aquam, ut patet in generatione aquarum in cavernis terræ, & in fenestris vitreis hyeme torantibus, dum aer extrinsecus adhærescens in aquam abit; ac etiam æstate idem contingit, cum aqua gelida in phialam vitream infunditur, tunc enim in extima vasis superficie cernitur aspersio quædam causata ex aere extrinsecus adhærente, qui virtute frigoris intus existentis paulatim in guttulas aquæ resolvitur; e contra vero aer calore generatur, ut constat cum aqua actione caloris resolvitur in vaporem, & deinceps in aerem. Tum 2. idem deducitur ex levitate, & raritate aeris, frigus enim condensat, & aggravat, ut constat de terra, & aqua, quæ ob eorum frigiditatem sunt corpora densa, & gravia, e contra vero calor rarefacit, & levificat. Tum 3. quia mel, & oleum, quæ sunt mixta aerea, sunt calida in prædominio, ergo etiam & aer. Tum 4. quia quælibet qualitas elementaris non nisi alteram habet per se, & directe contrariam, nam si plures haberet, statim extingueretur, quia non essent hinc inde æquilibratæ vires in conflictu, ergo aer non est frigidus, tunc enim calor ignis oppugnaretur simul a frigore terræ, aquæ, & aeris, cumque calor sit minimæ resistentiæ, statim deficeretur a tot contrariis. Tum 5. quia si aer esset frigidus in summo, ut illi arbitrantur, tunc extingueret ignem, sicut aqua, nec dicas non extinguere, quia sit siccus; nam etsi aqua etiam per humiditatem extinguat ignem, id tamen principaliter efficit per frigiditatem, quæ semper in ea perstitit in aliquo gradu quantumcumque ab extrinseco agente calefiat. Tum 6. quia calor, & humiditas sunt causæ putredinis, ut Arist. docuit 4. Meth. cap. 2. & problem. 33. part. 2. sicut e contra frigus, & siccitas præservant a putredine, unde videmus hyeme carnes diutius conservari, quam in æstate, & facilius Austro flante, qui est ventus calidus & humidus, in putredinem abire, quam Aquilone spirante, qui est frigidus, & siccus; cum ergo aer ex Arist. loc. cit. ad corruptionem, & putredinem valde disponat, erit utique suapte natura calidus, & humidus, non siccus, & frigidus. Tandem videmus in hyeme calorem aeris innatum ad subterranea sese recipere correptum a frigore *superveniente, ibique* aquam concurrentibus quoque exhalationibus ibi reclusis servare calidam, ut patet in puteis, & cisternis.

67. Quædam ex his argumentis adduxit Aresius, & solvere tentavit, unde ad 1. inquit, cum aer vertitur in aquam, & corrumpitur, non a frigore corrumpi, sed ab humiditate, & densitate, unde flante Austro videmus parietes madidos, & marmora rorantia, quod non a frigore provenit, cum ventus ille sit calidus, sed ab humiditate, & densitate ejusdem; & sic etiam e contra inquit, cum aqua vertitur in aerem, id non fieri actione caloris, sed raritatis, & siccitatis, nam ab aqua elevantur prius partes subtiliores, & rariores valde humidæ, deinde amittunt illam humiditatem, & magis etiam rarefiunt, & convertuntur in aerem, non igitur calori per se tribuenda est hæc generatio, sed raritati, & siccitati. Ad 2. negat calorem esse causam raritatis, & frigus densitatis absolute loquendo, & ait verificari solum cæteris paribus, & juxta proportionem subjecti, & ideo aer, cum non sit capax magnæ condensationis, quamvis sit frigidissimus, semper erit rarus, pariterque discurrit de levitate, & gravitate, nix enim frigidissima est, & tamen etiam est levis, & e contra aurum est gravissimum, nec tamen in frigore alia multa excedit mixta, quæ ipso sunt leviora. Ad 4. negat in primis in oleo, & melle prædominari aerem, & ait id colligi non posse, quod aquæ supernatet, quia e contra argumentari possemus prædominari aquam, quia in aere descendunt; deinde petit, an cum dicimus mixta illa esse calida, loquamur de calore actuali, vel virtuali: non de actuali, quia potius frigida sunt, & facile congelantur, ac addensantur; si de virtuali, longe majorem calorem *virtualem* reperiemus in rebus, quibus aqua, vel terra prædominatur, in vino enim non prædominatur aer, nam aquæ non superemineț, & tamen virtualiter est *calidissimum*, & *sic in multis aliis*. Ad 4. ait optimam esse proportionem inter elementa ratione qualitatum, quoniam licet plura sint elementa frigida, longe tamen major est activitas caloris, & virtus Cœli calefacientis ea, quam sit virtus frigoris, quod in ipsis reperitur, & ita optime sunt disposita, sicut universi bono congruebat.

68. His tamen solutionibus non acquiescimus, responsio ad primum subsistere omnino non potest, quia nec raritas, & siccitas tantæ activitatis sunt, ut eis principaliter tribuenda sit destructio aquæ, & generatio aeris, nec pariter humiditas, & densitas, ut eis corruptio aeris adscribatur, & generatio aquæ; & quidem in bona philosophia elementorum pugna in mutua transmutatione principaliter exercetur per qualitates primas, & præcipue per activiores, quales sunt calor, & frigus, immerito ergo elementorum generatio, & corruptio siccitati, & humiditati principaliter adscribuntur; flante autem Austro parietes, & saxa desudant ex copia vaporum, quos ventus ille defert, qui ad parietem impingentes, & ad marmora eorum frigoris ope in aquam resolvuntur. Secunda etiam solutio est contra omnium sensum; ut enim docuit Arist. 2. de gen. 27. calidi est rarefacere, & frigidi condensare, hocque illis per se competit, & non per accidens ratione subjecti, ut colligitur ex earum definitionibus superius allatis; sic etiam calidi per se est levificare, frigoris aggravare, ut pluribus etiam in locis docuit Arist. 2. de gen. an. c. 1. & 2. Meteph. summ. 3. & 1. 2. cap. 4. & 2. de plantis cap. 1. & probl. 5. sect. 13. & probl. 9. sect. 24. & probl. 18. sect. 23. quod etiam fuit veterum Philosophorum dogma, unde Plutarc. lib de primo frigido sic loquitur, *quod leve, & sursum tendens nihil est eorum, quæ sunt frigida, & quod nubes frigore recepto deorsum tendunt, ac versa vice calore eis infidente sursum feruntur*, male ergo negat, & limitat Aresius principia quædam philosophica ab omnibus accepta, ut peculiaria, placita sua tueatur; male etiam præcludit viam vestigandi qualitates primas ex secundis, nam istæ ideo secundæ dicuntur, quia aliquo modo dependent ab illis, cum ergo experiamur aerem esse rarum, & levem, scrutari oportet, a qua, vel quibus primarum qualitatum in aere existentium oriantur, & cum oriri nequeant a frigiditate, ut constat, unde nix non est levis, quia frigida, sed ob copiam aeris inclusi in ejus poris, quibus undique scatet, nec rursus a siccitate, nam terra, quæ est valde ficca, gravissima est, ac densissima, clare sequitur aerem nec frigidum, nec siccum esse, ut vult Aresius, sed potius calidum, quia raritas, & levitas regulariter a calore procedunt.

Nec etiam *tertio* argumento satisfacit, omnes enim concedunt oleum esse aereæ naturæ, quia supernatat aquæ, quod utique non esset, si aqua in eo prædominium haberet, imo id etiam concedunt sentientes cum ipso, sed negant esse calidum, potius enim ajunt frigidum esse, cum modico etiam frigore citius, quam aqua congeletur, unde deducunt, cum sit aereæ naturæ, aerem esse frigidum. Sed immerito etiam negatur oleum esse calidæ complexionis, vulnera enim lenit, & fovet calore suo, quæ potius exacerbaret, si frigidum esset, facillime etiam accenditur, & inflammatur, quamvis alioqui sit humidum actu, & ipsi Medici docent tam oleum, quam mel in animalium corporibus effectus habere caloris, & male ex facilitate congelationis ejus arguitur frigiditas, alioqui esset frigidius aqua, nam provenit ex illius corporis crassitie, & viscositate, & ideo Gal. 2. de facult. simplic. medic. dixit, oleum proprie non congelari, sed potius consistere, ac incrassari, nec a frigore procedere, quod citius, quam aqua congeletur, sed ex crassitie, & viscositate. Demum nec sufficienter quarto occurrit argumento, cum quia licet sit calor majoris activitatis, quam frigus, adhuc tamen est *minoris* resistentiæ; tum quia licet majoris activitatis sit calor frigore, adhuc tamen frigus prævaleret, quia in majori copia imporportionabiliter excederet calorem, præsertim in ejus opinione, qui negat elementum ignis in propria sphæra; recurrere autem ad Cœlum quacumque de causa non est cordati Philosophi.

69. Tertio, principaliter ostenditur aquam esse humidam, & frigidam; & quidem utrumque evidenter constat sensuum testimonio, humidam enim esse fatentur omnes, & quidem in hoc elemento humiditas adeo conspicua est, ut Sacra Scriptura illud agnoscat veluti fontem omnis humiditatis Job. 12. *si continuerit aquas, omnia siccabuntur*, ex quo loco ansam sumpsit Aresius negandi humiditatem aeri, quia tota in hoc loco videtur aquæ attribui. At proculdubio hic non est sensus a Sacra Scriptura intentus, solum enim hoc significare voluit per elementum aquæ hinc excurrens terram infrigidari, & frigari, quæ sine aquarum decursu utique statim ficca, & arida evaderet, quia aer quantumvis humidus ponatur, talem effectum præstare non potest, ut aqua, ob suam tenuitatem, & raritatem, ut infra dicemus, & quia ejus humiditas vaporosa non est. Nec etiam minus obvia est ejusdem frigiditas, & sensibus comprobata, nam in mari, fluminibus, fontibus, & puteis aqua se se nobis frigidam offert, imo in æstate ambiente existente calido in puteis, ac cisternis aqua invenitur frigida, adeout agenti extrinseco ejus frigiditas nequaquam adscribi

scribi possit; nec dicas hanc ei terram mutuare, quia adhuc sensibilius aquæ frigiditas deprehenditur, quam ipsius terræ. Accedit, quod cum ab aliquo agente extrinseco v. g. igne calorem recepit, statim ac ab eo remota fuerit absque ullo extrinseco infrigidante sponte paulatim impressum calorem excutit, & ad pristinam frigiditatem sese reducit, quod argumento est hujusmodi qualitatem a propria indole sibi vindicare, non ascititiam esse, vel extraneam. Adeo ut qua fronte negavit Telesius aquam esse frigidam suapte natura, poterat quoque negare ignem esse calidum. Pisces item in hoc elemento degentes naturæ sunt frigidioris, ac denique aqua nimium epota dolores causat in ventriculo, & cruditates, dentes labefactat, & consimilia utique sua frigiditate, quia remediis, & pannis calidis sedatur dolor.

Quarto tandem demonstratur terram siccam esse, & frigidam, & quidem de siccitate res est adeo explorata, ut statim ac a Deo creata fuit, eam vocaverit aridam in princ. Gen. imo in ipsa apprime verificatur siccitatis definitio, si enim siccum est, quod facile proprio coercetur termino, nec indiget alieno, utique terra sicca æstimari debebit, nam in se consistit, & propriis sponte se continet terminis; & tandem cum aqua perfunditur, & irrigatur, vi suæ siccitatis humorem absumit, & paulatim ad nativam siccitatem redit. Quod etiam sit frigida, probatur, quamvis enim partes ejus superiores, & extimæ radiis solaribus expositæ calidæ sentiantur, tamen *in visceribus ejus*, subterraneisque cavernis, quo solaris calor non pervenit, immane viget frigus; sicut etiam eædem partes humidæ sentiuntur ex admixtione aquæ, ut apta fit ad culturam, & generationem herbarum, atque plantarum, neque ob id arguimus esse ex integro humidam. Insuper videmus lapides, & metalla, quæ sunt corpora valde terrestria, frigiditate vigere. Hoc ipsum suadent ingens ejus gravitas, & densitas, quas jam supra diximus a frigore derivare, ut raritas, & levitas a calore.

70 Quæres unde participent elementa has qualitates eis connaturales? Zabar. lib. 1. de prim. qualit. cap. 8. & 9. inquit totaliter a Cœlo eis imprimi mediante motu, & immobilitate, movens enim vertigine sua etiam elementa, eis calorem iniicit, & quia aliqua elementa ab ea *circumlatione* vel nullo modo, vel admodum lente pertinguntur, consequenter in eis causat frigiditatem, quæ videtur doctrina Arist. 1. Metheor. c. 4. dum ait, quod quia circulo fertur Cœlum, ideo pars orbis inferioris illi proxima accendirur, & calida fit, quæ vero procul a Cœlo in medio mundi sunt, ea propter immobilitatem gravissima, & frigidissima; quo etiam modo locutus est Averr. 2. de Cœlo comment. 94. inquiens, quod remotio a motu circulari dat quietem, frigiditatem, & gravitatem, sicut propinquitas dat motum, calorem, & levitatem.

Cæterum hæc Zab. opinio omnino displicet, tum quia certissimum est singulis elememtis proprias convenire qualitates ab intrinseco, ac eorum substantiales formas consequi, & ita ubique supponere videtur Arist. qui qualitates elementorum solet eorum passiones appellare, passio autem fluit ab essentia sui subjecti, non ergo ab extrinseco totaliter eis adveniunt, alioquin *essent illis prorsus extrinsecæ, & adventitiæ*; tum quia doctrina illa Arist. 1. Metaph. cap. 4. sano modo debet intelligi, nam absolute intellecta subsistere nequit, & gravem patitur calumniam, ut demonstravimus disp. 2. de Cœlo q. 7. art. 4. tum quia licet aliquo pacto sustineri possit, & defendi hæc opinio quoad calorem, & frigus, non tamen quoad alias qualitates, quæ enim est ratio, cur aer sit humidus, & humiditatem a Cœlo recipiat, non vero siccitatem? & e contra terra sit ficca, & non humida? si enim motus est causa caloris in igne, & siccitatis, ergo terra nequit esse ficca, licet sit frigida, & rursus si aer humiditatem recipit a Cœli motu, humidior erit præcipue supremus, quam aqua, cum velocius moveatur. At inquit Zab. hoc evenire, quia substantia aeris est apta ad recipiendam humiditatem, & terræ substantia siccitatem. Hoc tamen non satisfacit, quia etsi naturaliter aer sit humidus, attamen quando applicatur agenti ex se determinato ad productionem siccitatis, aliquo modo alteratur, & exsiccatur, ut experientia constat, ergo quia motus ex se producit siccitatem medio calore, producet quoque aliquo modo siccitatem in aere, quod est falsum. Tum quia falsum est etiam hoc asserere de calore, & frigore, nam immobilitas, cum sit privatio, nequit esse per se causa alicujus positivi, sicut est frigus, etiam æquivoca, ergo frigiditas terræ nequit ab immobilitate provenire, sed a propria ejus substantiali forma; Ignis etiam noster est calidus, & tamen non fertur circulariter a Cœlo, & e contra aqua calida refrigeratur, dum movetur, ergo nec calor a motu, nec frigus ab immobilitate per se derivatur; atque ideo concludendum est qualitates elementorum a substantialibus eorundem formis produci, & proficisci.

Arist. vero loc. cit. benigne interpretandus est, quod scilicet loquatur de *conservatione* quadam, ac *proportione* locali, ut nempe terræ globus veluti a Cœlo remotissimus frigore, & gravitate deprimatur, ignis vero ut Cœlo proximus polleat levitate, & calore; & quidem ibi non negat elementa concurrere ad productionem illarum qualitatum, sed voluit innuere, Cœlum quoque concurrere, ut causam universalem, & dum dixit concurrere per motum, & immobilitatem, utique non excluśit alias influentias cœlestes, sed tantum innuit illas quoque suo modo concurrere ad productionem illarum qualitatum.

Solvuntur Objecta.

71 IN oppos. objic. Primo cum Thelesianis probando ignem esse humidum, nam tota de ipso verificatur humiditatis definitio, cum alieno termino facile figuretur, & nullo proprio. Item Arist. 4. Metaph. 24. & Medici dicunt, carnes assas humidiores, quam elixatas utique virtute humectativa ignis. Rursus si super flammam manus imponatur, inde illam retrahimus *nedum calefactam*, sed *etiam humectatam*. Tandem metalla videmus igne liquari, signum evidens esse naturæ humidæ, nam omne agens in agendo passum sibi assimilare intendit. Ad 1. exacte satisfecimus supra nu. 25. explicando definitionem humidi. Ad 2. per illud significare volunt, quod plus de substantia, & succo carnis remanet in carne assa, quam in elixata, ex qua per aquam defluit. Ad 3. flamma apud nos utique deficit a debita puritate, secum enim trahit ex lignis semper aliquid humiditatis, quæ facile illi admiscetur. Ad 4. metalla non liquantur ab igne, quia sit humidus, alioquin ab aere melius liquarentur, qui humiditate satis excellit, sed ab ejus calore solvuntur, materia enim metallorum, ut diximus disp. 4. de Cœlo q. 4. art. 7. ex Angest. lib. de form. propr. pag. 89. est humidum, aqueum, unctuosum, atque viscosum virtute frigoris perfecte mixtum, ac addensatum cum subtili terreo, unde eo ipso quod frigus illa connectens superatur a calore ignis, statim liquescunt & humida evadunt, quia defectu frigoris nequit siccum terreum amplius cohibere fluxibilitatem humidi aquei.

Secundo, objicitur cum Stoicis probando aerem esse frigidum, quia talis est aer in natura sua, qualis est, ubi maxime recedit a suis contrariis, sed ibi est frigidus, ut constat in media aeris regione, ubi proinde generantur pluviæ, nives, grandines, &c. Nec dicas hoc frigus ibi contingere ex vaporibus, illuc continuo ascendentibus, nam ibi aer serenissimus est, & ab omni impuritate defæcatus, ut constat in summitate montium, & vapores etiam illuc perveniunt calidi, cum virtute caloris sursum eleventur, unde potius eam deberent calefacere, quam infrigidare. Tum 2. nam aer diebus æstivis, licet pervidus sit, noctu tamen frigeratur, non alia ratione, nisi quia aer abscedente Sole reducit se ad proprium, & connaturale frigus, & hic modus argumentandi est similis illi, quo communiter ostenditur terram, & aquam frigidas esse. Nec rursus recurras ad vapores, & halitus terrestres tunc aerem invadentes, quia ut diximus, isti sunt calidi saltem ab extrinseco, nec possent facile ad statum naturalem se reducere in opinione ponente aerem calidum, nam calor aeris id impediret; imo aer frigidior est, cum est purus, & impidus, quam quando vaporibus est infectus, quod argumento est non ex vaporibus, sed ex nativa aeris constitutione frigus illud provenire; & insuper loca clausa in æstate frigidiora sunt, cum tamen non ibi sint vapores, nec aliud agens extrinsecum infrigidans. Tum 3. aer institutus est ad refrigerationem animalium per respirationem, ergo non potest natura sua esse calidus, alioqui valde ineptus esset ad tale officium. Tum 4. aer motus flabello refrigerat, ergo natura sua frigidus est, nam motus in rebus calidis calorem excitat, & frigus in frigidis. Tum 5. quando homo patitur colicam, aer intus inclusus suo frigore hominem torquet, nec nisi rerum calidarum applicatione sedatur dolor. Tum 5. præsertim admittendo sphæram ignis infra Lunam, opus erat aerem illi conjunctum esse summe frigidum, ut ignis acrimoniam cohiberet, ac temperaret. Tum 7. cætera elementa cum propria qualitate privantur, aut intereunt, aut saltem maximam patiuntur jacturam, aer vero remoto calefaciente frigescit, totaque hyeme ita servatur, nec tamen interit, quinimo ex frigidissimo vento boreali valde expurgatur, & serenior apparet. Tum 8. qualitates, quas habet elementum ex propria natura, non facile, nec passim amittit, sed fere semper retinet, ut patet de igne nunquam amittente calorem, & siccitatem, sed aer facillime calorem amittit, ergo &c. Tum 9. nam ventus est aer commotus, & regulariter, ac per se est frigidus. Tum 10. quia citius aer refrigescit, quam aqua calida, ergo signum est non minus aerem vendicare sibi frigus, quam ipsam aquam. Tum tandem quia aer congelat aquam, nam e puteo hausta statim refrigescit, & hyeme glaciatur, & alta flumina non in imo, nec in medio gelantur, sed in parte superiori, quæ frigori aeris magis exposita est, & obvia.

72. Resp. ad 1. frigus illud mediæ regionis aeris, ut ibi dicebatur, ab extrinseco provenire, scilicet a vaporibus, atque iis admixtis exhalationibus terreis, quæ in ea regione materiam præbent nubibus, & pluviis, & cum ad connaturalem frigoris statum se se reducunt, totam aeris illam infrigidant regionem, ut fuse cum Scoto explicavimus dis. 4. de Cœlo q. 3. art. 1. ubi & impugnationem allatam hujus solutionis, & alias plures enodavimus. Ad 2. aer hic infimus abscedente Sole frigescit tum actione terræ, & aquæ infrigidantium, quam non amplius retundit præsentia Solis, unde frigidior sentitur in mari, quam in terra, *tum* actione vaporum, qui a Sole in aere relicti noctu se reducunt ad frigiditatem ingenitam, aeremque frigefaciunt, neque id calor aeris impedire potest, quia hic non est summus, & habet cum pluribus hostibus decertare, nempe cum frigore terræ, aquæ, & ipsorum vaporum, tum quia major est resistentia vaporum, quam sit activitas caloris aeris, eo quia vapores sunt crassiores, aer vero tenuior, quæ tenuitas, & raritas valde remittit actionem; & falsum est regulariter loquendo aerem esse frigidiorem, cum purior est, & serenior, sed id interdum evenit, quia spirans Aquilo nubes dissipat, & Cœlum serenat interim virtute sua aerem infrigidans, sicut e contra Auster aerem nubibus inficit, & sua vi calidum reddit; æstate vero aer in cubiculis clausis frigidior est,

quia

quia non est ita, actioni Solis expositus, sicut extra, & actione paretum frigidorum nonnihil refrigeratur. Ad 3. aer comparatione cordis est longe frigidior, cor enim animalis adeo fervet, ut sæpe ab Ar. ignis appelletur, ac ignitum cor, ut lib. de respiratione cap. 2. 8. & 10. quare satis idoneus est ad respirationem; imo ulterius natura providit, ut actione terræ, & aquæ adhuc amplius refrigeretur, ac etiam aliquantum condensetur, dicunt enim in altissimis quibusdam montibus ob nimiam ejus raritatem non esse idoneum ad respirandum. Ad 4. eadem ratione valet aer ad vultum refrigerandum, cum calore æstuamus, nempe quia calor adhuc frigidior est corpore animalis, verum quia faciei circumfusus statim incalescit per tenuissimos halitus ab ea prodeuntes, opus est assidue illum permutare, & flabello ciere. Nec sequitur, ut objicit Aresius, si tantum novi aeris successu refrigeratur vultus, eodem beneficio potiturum hominem, cum de uno ad alium locum movetur, quia etiam tunc novus succedit aer. Non sequitur, nam flabello nedum expellitur externus aer circa faciem, sed etiam internus inclusus in poris vultus, qui præsertim molestiam affert, nec expellitur motu deambulationis, nisi sit concitatus, sicut motu flabelli, illud vero, quod addebatur calida per motum calefieri, & frigida frigefieri, absolute falsum est, ut diximus disp. 2. de Cœlo qu. 7. art. 4. conclus. 1. nam aqua calida agitata frigescit, frigidi lapides invicem attriti per motum incalescunt.

Ad 5. quod colicam generat, ac intestina divexat, non est simplex aer, sed flatus quidam frigidus ex indigestione subortus alterius rationis ab aere, & potest etiam aer ob nimiam frigiditatem extrinsece acceptam interdum interiora torquere, quando in intestinis inclusus exitum quærit, quem certe facilius invenit applicatione rerum calidarum, quia tali adminiculo adhuc magis rarescit, attenuantur pori, & evaporat. Ad 6. imo admittendo sphæram ignis, quæ sit veluti locus aeris, opus est, quod habeat aliquam qualitatem aeri consimilem, quia locus est conservativus locati, & secum non communicet in siccitate, nam aer est humidus, sequitur hanc esse calorem, cur vero aerem sua acrimonia non absumat, & a quo illa retundatur, satis explicuimus disp. 4. de Cœlo qu. 2. art. 1. ad 2. cui accedit, quod ait Doct. 4. dist. 49. qu. 13. infra B. quod ignis non combusit omnia elementa ob proportionem, vel adæquationem aliorum in resistendo virtuti ejus in agendo saltem concurrente Cœlo cooperante aliis in resistendo. Ad 7. argumentum est ad utramque partem, sicut enim aer toto hyeme friget, nec tamen interit, ita tota æstate fervet absque sui interitu, dicimus ergo hyemale frigus valde aerem a suo connaturali statu deturbare, non tamen omnino deiicere, tum quia adhuc aliquis gradus caloris conservatur in eo a Sole, & cœlestibus influxibus, tum quia illæsa servatur in eo alia qualitas, scilicet humiditas, quod sufficit ad retinendam formam substantialem aeris in materia, quam sequitur dispositio ad recuperandum calorem, facilius autem aer amittit calorem, quam humiditatem, quia hæc ei convenit in majori gradu, quam calor, ac etiam est majoris resistentiæ, qua ratione etiam aqua facilius amittit frigus, quam humiditatem; dicitur vero aer vento boreali purificari, & expurgari, non quia frigus ab eo defatum sit aeri consentaneum, sed quia nubes dissipat, & ab eo expellit vapores crassos, ex quorum immixtione ejus innata perspicuitas, ac serenitas valde inficitur. Ad 8. argumentum quoque est ad utramque partem, nam frigus etiam facile amittit, facile ergo amittit calorem ob humiditatem cum raritate, & subtilitate conjunctam, quarum ratione magis obnoxius est alienis impressionibus, quam cætera elementa, nunquam tamen sic eam amittit, ut omnino exuatur. Ad 9. ventus tam esse potest calidus, ut Auster, quam frigidus, ut Aquilo, si ergo est aer commotus, tunc erit frigidus, si frigidus cietur aer, tunc calidus, si calidus aer agitatur. Ad 10. conflat ex dictis ad 8. quare facilius calorem exuat, quam aqua, unde dixit Arist. sect. 14. probl. 9. & sect. 25. probl. 10. aerem ob suam tenuitatem facile a propinquis agentibus alterari, ac de una in aliam qualitatem mutari. Ad ult. negatur aerem virtute propria aquam congelare, alioquin seipsam saltem condensare posset, & aquam vel semper, vel ut in pluribus congelaret, cum ergo id non efficiat, nisi cum ingenti frigore est imbuta, ut in hyeme, congelatio referenda est in frigus accidentale ambientis, non in aerem ipsum; aqua vero e puteo hausta glaciatur, & non in puteo, quia in hyeme innatus calor aeris a frigore superveniente correptus ab subterranea quodammodo aufugit, ibique aquam glaciari non sinit, & sic etiam de fluminibus dicendum. Et sic patet quomodo rationes, & experimenta, pro aeris frigiditate stabilienda, de quibus adeo gloriatur Aresius, facile diluuntur, qua de causa etiam si pro nostra sententia rationem non haberemus adeo evidentem, adhuc probabilior censeri debet ob Ar. auctoritatem, quem Aresius sibi incassum conciliare contendit, uam ex professo stat a nobis, & si interdum aerem appellavit frigidum, ut 3. Phys. 44. 8. de gen. 24. & 2. de gen. 31. vel locutus est gratia exempli, vel in aliorum opinione, vel intellexit certe de accidentali frigiditate, & adventitia. Quod si ab Arist. recedere vellemus, certe magis placet opinio Vallesii cit. initio q. solam humiditatem esse aeri naturalem, calorem vero, & frigus ab extrinseco ei imprimi: sic enim omnia bene salvantur.

73 Tertio, objic. pro aeris siccitate, nam quando aer est purus, per ipsum omnia exsiccantur; ut contingit in æstate, & in summo gelu, quo si quandoque videatur aer humidus, id ei contingit ab extrinseco, scilicet a vaporibus, & pluviis, quæ se facile immiscent aeri ob ejus limpiditatem, & tenuitatem. Denique Ar. de gen. 49. ex omnibus elementis solam aquam ait esse facile terminabilem, & sect. 25. probl. 10. negat aerem esse humidum, & 1. Met. c. 4. ait aerem supremum esse siccum. Rursus nunquam videmus aerem se solo humectare, vel calefacere, ut quid ergo illi hæ qualitates otiosæ? Præterea saltem ex accidenti plerumque aer est frigidus, & siccus, quomodo ergo si natura sua esset humidus, & calidus, non desineret esse? Tandem calor, & humiditas in aere nihil ad universi bonum deserviunt, quia pro calore sufficit cœlestis calor, pro humiditate pluviæ, imo quorsum pluviæ de Cœlo, si aer est humidus? quorsum calor Solis, si aer est calidus? at frigus, & siccitas in aere multum deserviunt, temperant enim cœlestes calores, vapores sublevatos cogunt in pluviam, & post pluviam rursus siccitatem inducunt, &c. ita urget Ares. loc. cit.

Resp. ad 1. cum aere sereno vestes, & alia exsiccantur, hoc non fieri ab aeris qualitate innata, sed ei extrinsecus injecta, vel a Sole, vel a vento aliquo urente, quæ aliquando in ipso aere puro fervetur; ipso etiam aere serenante plurimæ solent excurrere per medium subtiles exhalationes, quæ utpote naturæ siccæ omnia exsiccant; videatur Ang. lib. 2. de form. prop. pag. 45. & 177. §. *primum dubium*, ubi fuse explicat, quomodo aer nunquam exsiccat qualitate propria, sed extranea, & peregrina aliunde accepta, & *præsertim ab influentia* Cœli deficcativa. Ad 2. Arist. 1. Met. c. 4. non loquitur absolute de aere, sed comparat aerem supremum cum infimo, & ajunt hunc esse vaporosum, & humidum, illum vero ob viciniam ignis nonnulli siccum, in aliis vero locis loquitur potius de madefactione, & irrigatione, quam de humiditate, nam humidum aqueum, quia reperitur in materia crassiori, & densiori, facilius adhæresci corporibus, eaque humectat, & madefacit, quem effectum nequit præstare humidum aereum, quia cum sit in materia admodum rara, atque subtili, facile diffluit, ac elabitur. Ad 3. experimur in hyeme in locis, & cubilis bene clausis aerem esse calidum, etiamsi ibi non sit ignis, vel aliud calefaciens, ac etiam in locis subterraneis tunc temporis est calidus, quia innatus calor aeris, veluti a superveniente frigore correptus, illuc sese *recipit*, & *conservat*, ut diximus, qua etiam ratione aqua in puteis non glaciatur, licet non negemus id etiam provenire a calidis exhalationibus, quibus a frigore externo, ne erumpant, præcludit aditus; non experimur vero aerem humectare, ut de aqua, quia ut ex Arist. diximus ob ejus subtilitatem, & raritatem nimis fluit, & dilabitur, ut autem humectaret, deberet corporibus adhærere ad instar aquæ, sed ob id negare non debemus esse humidum, imo cum magis diffluat, quam aqua, debemus deducere esse humidiorem aqua. Ad 4. nunquam aer fit adeo siccus, & frigidus, ut nativam siccitatem, & caliditatem prorsus exuat, nam illas semper retinet, saltem in gradu necessario ad conservationem formæ substantialis, sed si quando valde infrigidatur, vertetur in aquam, si quando vehementer incalescat, & exsiccetur, vertitur *in ignem*. Ad ult. multum per *omnem modum* deserviunt calor, & humiditas in aere, nam ejus calor solaris fotus, & fultus mitigat, & contemperat immane frigus aquæ, & terræ, & efficiunt temperiem necessariam pro conservatione mixtorum, ac præsertim viventium; humiditas etiam in aere adeo fluxilis necessaria apprime erat pro respiratione eorundem viventium, quia tamen aer non habet in ea temperie humiditatem, ut madefacere, & irrigare queat, necessariæ sunt pluviæ de Cœlo, e contra vero frigus, & siccitas in aere ad nihil deservirent, imo valde officerent, quia tria haberemus elementa frigida, & tria sicca, quod destruit elementorum symetriam.

74 Quarto, objic. quod aqua sit calida, nam Ar. 2. de gen. animal. c. 3. ait nullum humorem esse sine calore. Tum 2. quia omnia falsa calida sunt, at aqua maris est falsa, ergo &c. Tum 3. in aquis multa animantia vivunt, at animalia calida conservantur. Tum 4. aqua ex vaporibus calidis generatur, ut patet in distillatorio, & aqua generatur ex terra actione Solis illam immutantis, ut docet Ar. 2. de gen. ad finem, cum ergo generetur calore, tanquam prævia dispositione, de se calida erit, e contra vero ut convertatur in terram, debet prius mediante frigore addensari, & sic frigore corrumpitur. Tum 5. frigus intensum corrumpit aquam, ut patet de chrystallo, in quam nimio frigore convertitur aqua. Tum 6. effectus ejus ostendunt potius esse calidam, quam frigidam, nam liberaliter epota nihil lædit animal, cujus tamen calor non est excellens, læderet autem, si adeo frigida foret. Tum 7. hyemali tempore cernitur e puteis evaporare ad instar fumi, quod proprium est calidi vaporis. Tum 8. sapores insinuat primas qualitates liquorum, sed sapor aquæ secundum Medicos est medius inter sapores dilatantes, & constringentes, ergo aqua non est frigida, quia omne frigidum linguam animalis, & sensorium tactus constringit, sicut calidum dilatat. Tum 9. humiditas provenit ex calore, hac enim de causa ignis per calorem ceram liquefacit, *nivem*, & metalla, si ergo aqua est humida, erit quoque calida. Tum demum quia æstate ipsæ aquæ pluviæ, quæ decidunt, tepidæ sentiuntur, & ubi viget frigus, non pluviæ generantur, sed nives.

Resp. ad 1. ibi Arist. loqui de humido mixtorum, quod ipsum humidum mixtum etiam est, nulla autem mixtio sine calore; quod vero de eo humido loquatur, patet, quia docet ex instituto quomodo in animalibus durescant pili, pennæ, cæteraque similia, aitque hæc omnia fieri ex humore, qui deinde durescit, in aliis quidem frigore, in aliis vero calore, in illis quidem a frigore, quia exprimitur humor, cum quo calor exit, nunquam enim humor est sine calore, sic ille. Ad 2. falsedo illa, & adustio maris non provenit ex natura ipsius aquæ, sed ab exhalationibus admixtis, & aliis causis, sicut dictum est in Metheor. sicut si quis saccarum, & sal minutissime contusa diligenter permisceret, totum illud corpus pulveris permixti sentire sibi videretur falsum, non quidem quod pulvisculi saccari etiam salsi sint, sed quia discerni non possunt ab aliis propter exactam mixtionem. Ad 3. aqua circa nos est permixta contrariis, & calore præsertim Solis eo modo calefit, sicut variæ naturæ piscium est consentaneum. Ad 4. nunquam vapores in aquam converterentur, nisi prius refrigerentur, hic semper in summitate stillicidii ponitur aliquis pannus madefactus ad illos vapores refrigerandos, & nubes sunt in media regione, ubi aer est frigidus, qui in causa est, ut vapores in aquam convertantur; Sol etiam ut agens universale concurrit ad generationem aquæ ex terra concursu accommodato ad talem effectum non præcise per calorem, & sic intendit ibi Ar. Ideo autem debet aqua addensari, ut convertatur in terram, quæ debet exsiccari, & ex illa siccitate conjuncta cum frigore oritur densitas ad formam terræ prærequisita. Ad 5. illæ mutationes aquæ scilicet in chrystallum, & consimiles non fiunt solo frigore, sed etiam concurrit siccum terreum, quod illius humiditati inimicum est. Ad 6. si lædi dicatur remitti, utique calor animalis læditur, refrigerandi enim gratia potatur aqua ab omnibus; si vero dicatur omnino extingui, non lædiatur, quia naturalis calor valentior est in sua officina, quam aquæ illæ portiones quæ bibuntur; portiones dicimus: nam tanta aquæ quantitas posset epotari, ut calorem naturalem extingueret: cæterum monet Galen. lib. de rerum affectibus c. de aqua, ne aqua frigida præsertim nivata utantur, nisi aut multæ corporis exercitationi dediti sint, aut calida supra modum sit corporis temperatura, aut qui assueti sint a puericia, a lias enim morbos incurabiles frigidos ætate vergente ex illa provenire. Ad 7. hyemali tempore evaporat aqua ob calorem ei violenter injectum tum ab exhalationibus *calidis*, quæ *in locis* subterraneis recluduntur, nec in apertum erumpere premittuntur a frigore *ambientis*, tum ab aere, qui in illis locis servat nativum suum *calorem*.

75 Ad 8. argumentum non magis probat aquam esse calidam, quam frigidam, quia ut esset calida, deberet ejus sapor sensorium dilatare, admisso itaque quod ajunt Medici de saporibus, dicimus male ex sapore de aqua elementari judicium ferri, cum omni sapore sit destituta; Galen. cit. lib. de rerum affectibus, ubi ait, aquam dignosci quidem gustu, odoratu, & visu, sed negative, ex eo quia aqua vera & sincera neque colorem, neque odorem, neq; saporem ullum debet obtinere; idem confirmat com. 3. de victus ratione in morbis acutis §. *neque incidendo*, ubi aquas illas, quæ qualitatem hujusmodi aliquam contraxere, medicamentosas appellat, quare sicubi saporem aqueum nominat, non aquæ saporem, sed rei alicujus intelligit, quæ ob sui languiditatem nihil videatur sapere, quia sunt vina languida. Ad 9. negat. assumptum, qua autem ratione ignis calore suo dicatur metalla liquare, & alia consimilia, jam diximus in solut. 1. ad 1. in 4. Confir. Nec Telesius afferens ignem humidum debebat eam humectationem calori ejus tribuere. Ad ultimum pluviales aquæ in æstate sentiuntur tepidæ, quia transeunt per infimam regionem aeris, quæ tunc temporis calore æstuat, unde quando ad nos perveniunt, non sentiuntur in suo naturali statu.

Quinto tandem objicit Arriaga probando terram esse calidam, quia ad generationem plantarum, arborum, &c. ad quam natura sua ordinatur, aptior est calor, quam frigus; ac etiam quia non est experientia probans eam esse frigidam. Resp. quod eadem ratione potuisset Arriaga deducere terram esse humidam suapte natura, quia *nimirum* aptior est humor ad generationem plantarum, quam siccitas; sicut ergo natura providit, ut terra humanæ habitationi, & culturæ deserviens esset humida beneficio aquarum huc illuc excurrentium, ac pluviarum a Cœlo decidentium, sic etiam providit ad eundem finem, ut calore Solis, & ope aliarum cœlestium influentiarum partes superiores terræ tantum incalescant, quantum sufficit ad culturam; neque ex hoc argumentari licebit esse suapte natura calidam, sicut non arguimus esse humidam. Et falsum est non adesse experientiam ejus frigiditatem probans, nam in cavernis, & specubus subterraneis, quo non pervenit actio Solis calefacientis, viget maximum frigus, & etiam aliunde id deducitur, ut patet in probatione conclusionis.

APPENDIX.

De calore Aeris, & frigiditate Terræ.

POntius in append. apolog. n. 122. volens potius sequi sententiam Aresii, Arriag. & aliorum Recentiorum, quam Arist. Scoti, eisdem Aresii solutionibus nunc impugnatis utitur addendo nonnulla ex proprio penu prorsus inepta, ut videbimus. Ad 1. negat antecedens, & ad 1 probationem negat & ipse cum Aresio aquam generari ex aere vi frigoris, generatur enim ex aliquibus vaporibus, aut si generetur ex aere, non generabitur per frigus, sed per augmentum humiditatis, aut aliquam aliam viam. Ad 2. probationem negat aerem fenestris adhærescentem verti in aquam ratione frigoris, nam vel non est aer, sed vapores aliqui, vel si sit aer, non vertitur per frigus, sed per humiditatem, aut aliam viam; cujus indicium est, quod flante Austro parietes sint madidi, & marmora rorent, nec enim tunc potest dici, quod aqua illa generetur ex aere vi frigoris, id quod adversarii ipsi fatentur, *dicentes illam* generari ex vaporibus calidis ab Austro delatis; sed non advertunt, quod quemadmodum in illo casu id ipsimet dicunt, ita in aliis casibus dici possit a nobis; nec consequenter valet experientia, quam adducunt ad propositum per quod patet ad experientiam de phiala repleta aqua gelida. Ad ultimam experientiam, qua probatur calore produci aerem, negat vapores resolvi in aerem per calorem, sed disponuntur ad generationem aeris per diminutionem suæ humiditatis, quæ fit per actionem siccitatis.

Dices (inquit) cum Adversariis humiditatem, & siccitatem non posse esse tantæ activitatis, ut possint disponere aerem, ut ex eo generetur aqua, nec aquam, aut vapores, ut ex eis generetur aer; & in bona philosophia elementorum pugna in mutua transmutatione principaliter exercetur per qualitates primas activiores, ut sunt calor, & frigus. Resp. gratis dici, quod humiditas, & siccitas non habeant tantam activitatem, quod aqua convertatur in aerem, aut aer in aquam, cum non adsint aliæ causæ quibus id adscribi possit, præter frigus, & calorem; Ad illud de bona philosophia (ait) certe ad eam discernendam non multum considerem adversariorum judicio experientia edoctus *ipsos* sæpe *deceptos fuisse*; sed si veræ sint prædictæ experientiæ, negatur actionem dispositivam ad generationem unius elementi ex alio semper attribuendam qualitatibus activioribus elementorum.

Sed plane si melius volebat Pontius primæ nostræ rationi occurrere, integram debebat Aresii responsionem adducere, non autem aliquid addere, vel subtrahere; Aresius quidem, postquam negavit aerem verti in aquam actione frigoris, ait hoc fieri ab humiditate, & densitate, videns humiditatem solam non sufficere; ut enim aer vertatur in aquam, debet prius addensari, quodutique ab humiditate haberi non potest, quæ potius addensata diffundit, & fluida reddit, ut patet de sale, cum liquescit, & humectatur ab aere, vel aqua, ideo addidit densitatem quoque concurrere cum humiditate, *ut integram causam assignaret*; at Pontius solam pro causa adducit humiditatem, quæ certe sola non sufficit ob allatam rationem; qua forte de causa addidit aquam *generari ex aere vel per* augmentum humiditatis, aut aliquam aliam viam, quænam sit ista non explicans, oh pulcher respondendi modus, quem etiam adhibet in solutione ad 2. probationem. Quod autem ait responsionem nostram ad experientiam de Austro flante ab Aresio adductam posse pariter applicari experientiis in argumento nostro adductis de fenestris vitreis hyeme rorantibus, & de phiala repleta aqua gelida, falsum est, quia experientia de phiala cernitur præsertim in æstate, etiam quando aer est omnino purus, & cujuscunq; vaporis expers, unde in tali casu asperso, quæ cernitur in extima vasis superficie in vapores nequaquam reduci potest, sed in aerem extrinsecus adhærentem, qui virtute frigoris intus existentis paulatim in guttulas aquæ resolvitur.

Ad ult. quoque experientiam melius etiam erat, quod adhiberet integram Aresii solutionem, qui rursus cum negasset aquam verti in aerem actione caloris, ait hoc fieri a raritate, & siccitate, videns siccitatem solam non sufficere, ut enim aqua vel vapores vertantur in aerem, non tantum exsiccari debent, sed etiam rarefieri, quod utique siccitas præstare non potest, sed raritas, quam Pontius omisit in sua responsione. Objectio autem, quam ex nobis adducit n. 68. est mera impostura, videatur noster textus, quis enim unquam Philosophus dixit siccitatem disponere posse aerem, ut ex eo generetur aqua, cum siccitas aquæ repugnet? quod si ipse id concedit in responsione, quam affert objectioni a se fictæ, vel nostræ non intellectæ, profit ei, & ejus bonæ philosophiæ, qui ait non multum fidere judicio nostro experientia edoctus nos sæpe fuisse deceptos, at certe nunquam in hoc decepti sumus, ut ipse, quod *dixerimus siccitatem posse aerem* disponere, ut ex eo generetur aqua, quamvis enim de humiditate id concedendum sit, plane de siccitate piaculum foret in philosophia hoc admittere.

Ad 2. rationem nostram respondet cum Aresio n. 124. negando calorem formalem naturalem rebus esse causam, cur sint leves, & raræ; aut frigus naturale esse causam, cur sint graves, & densæ; nec id patet in terra, quia hæc non est naturaliter calida, sed frigida; nec etiam probatur sufficienter ex eo, quod calor rarefaciat, & frigus condenset; neque enim hoc est verum, nisi de rarefactione, & condensatione, qua corpus extenditur ad majorem, & contrahitur ad minorem locum, quam ante habuit, raritas autem aeris, quam ex se habet, non consistit in occupatione majoris loci, quam ex se petit occupare; quod autem gravitas, & levitas, raritas, & densitas naturalis, non proveniat ex calore, & frigore, patet manifeste, quia alias aqua, quæ est summe frigida, deberet esse gravior, & densior terra, & quocunque mixto, quod est falsum, cum sine dubio terra sit gravior ipsa, & aurum etiam gravius, & densius utraque.

Hæc responsio cum diversa non sit ab illa Aresii jam allata, nec etiam indiget diversa impugnatione; cum autem addit manifeste patere gravitatem, & levitatem, raritatem, & densitatem ex calore, & frigore non provenire, quia alias aqua, quæ est summe frigida, deberet esse gravior, & densior terra, quod est falsum, cum sine dubio terra sit gravior ipsa; dicimus in primis hoc non esse adeo indubitatum, quin oppositum defendatur a multis ut probabile, aquam nimium esse terra graviorem, de quo Tassonius lib. 4. c. 14. unde videmus lutum esse majoris ponderis, quam sit pulvis, vel terra sicca ejusdem quantitatis, quod certe pondus non nisi ab aqua imbibita ei obvenire potest, quod si experientiam *adducas* terræ in aquam descendentis, inquiunt id non ex eo oriri, quod terra sit gravior aqua, sed quia terra est corpus densum, aqua vero fluidum, & vanum facillime cedens, tum quia si terra in aquam descendit, aqua quoque super terram diffusa eam penetrat, seseque in ejus viscera insinuat, ut ad centrum tendat; Deinde art. seq. n. 82. probabile statuimus terrant esse summe frigidam, quo dato, cessat omnino instantia; attamen non recedendo a communi opinione dicimus, ut magis patebit ar. seq. quod sicut summa levitas non sequitur simplicem calorem, sed junctum summæ raritati, & aliis qualitatibus in igne coadunatis, ita summa gravitas non sequitur solum frigus, sed junctum cum summa densitate, & aliis qualitatibus terræ convenientibus, & sic pa-

sic pariter densitas non sequitur ad solum frigus, sed ad frigus cum siccitate permixtum, quam mixtionem habet terra præ cæteris elementis; ideoque terra gravior est, ac densior cæteris elementis; Hic tamen advertas responsionem Pontii adhuc deteriorem esse solutione Aresii; Aresius namque non absolute negavit calorem esse causam raritatis, & levitatis, frigusque densitatis, & gravitatis, sed dicebat verificari solum cæteris paribus; at Pontius id absolute negat nullam postea assignans causam earum, uti tenebatur; dixisset saltem produci per aliquam aliam viam, ut in responsione ad præcedens argumentum argute dicebat.

Ad 3. rationem de melle, & oleo, quæ sunt mixta aerea, & calida in prædominio, ergo & aer; Respondet rursus cum Aresio non satis constare, an oleum, & mel sint aereæ naturæ, nam ut bene Aresius, id solum colligitur ex eo quod supernatent aquæ, at ex hoc non debet potius id colligi, quam quod sint terræ, aut aquæ naturæ ex eo, quod per aerem descendant, nec ad hoc responderunt Adversarii; Respondet secundo dando gratis oleum esse aereæ naturæ, & negando tamen, quod calor formalis in eo prædominetur, neque enim ad sensum id constat, neque ratione potest probari; nec refert, quod sit calidæ naturæ, quia hoc non debet intelligi de calore formali, sed de virtuali; ex eo autem quod talis denominetur in ipso, non sequitur, neque quod sit aereæ naturæ, quia multa sunt sic virtualiter calida, quæ non sunt aereæ naturæ, ut patet de vino, pipere, & multis aliis, neque quod aer sit formaliter calidus; sed potius inde deduci deberet, quod esset virtualiter calidus, quod nemo asserit de ipso, quæ etiam secunda responsio integra est Aresii.

Hæc quoque responsio cum sit ipsissima Aresii, non alia egeret impugnatione, quam superius allata; & sane mirum est cur Pontius ad illas rationes nostras adducat ex integro fere responsiones Aresii, nec verbum faciat de impugnationibus nostris, quibus utique occurrere tenebatur; dicimus itaque ut supra, negandum non esse, quod oleum sit aereæ naturæ, cum id Arist. docuerit expresse 4. Metheor. c. 3. dum inquit, *quod quia plenum est aere, ideo aquæ supernatat*, & Plutarchum de primo frigido, *Quod de reliquis humoribus maxime pellucidum est oleum, quia plurimum in se habet aeris*; Et instantia ex Aresio, quod e contra colligi posset, quod esset terreæ, aut aqueæ naturæ, ex eo quod per aerem descendat, parum urget, ut enim colligeretur sufficienter oleum esse terreæ naturæ, non solum in aere deberet descendere, sed etiam in aqua, & ut colligeretur sufficienter esse aqueæ naturæ, non deberet aquæ supernatare, sed prorsus cum ipsa commiscreri quoad omnes ejus partes; ex eo sigitur quod supernatat aquæ probabilius colligitur, quod sit aereæ naturæ, quam terreæ, vel aqueæ, & hæc est causa, cur hanc instantiam supra fine responsione prætermiserimus, quia nihil probabat. Cum autem dicimus oleum esse calidæ naturæ in prædominio, ex hoc ipso verbo satis clare colligitur nos loqui de calore virtuali, ex quo postea deducimus aerem esse calidum formaliter, quia aer in ipso prædominatur virtualiter, & cum hæc deductio negatur, quia multa alia sunt sic virtualiter calida, quæ non sunt aereæ naturæ, ut patet de vino, pipere &c. dicendum hæc, & alia hujusmodi virtualiter oleo calidiora, quamvis concederetur non esse naturæ aereæ, non tamen *hinc sequi, quod sint naturæ terreæ*, vel aqueæ, ut ait Aresius, sed potius dici debebunt naturæ igneæ, & quod in ipsis prædominetur elementum ignis.

Ad 4. rationem, primo fingit eam non intelligere, nec capere quomodo concludat, nam ex hoc, quod quælibet qualitas non nisi alteram habeat per se directe contrariam, ut calor frigus, & e contra, humiditas siccitatem, & e contra, non bene deducitur, quod aer non sit frigidus; nam hoc esset verum, quamvis aer, & aqua, & terra, & quicquid præterea est in mundo essent frigida, ac solus ignis calidus. Nequam surdus est, qui audire recusat, ait adagium, sane Pontius hic noluit intelligere, ut bene ageret; vis enim argumenti, ut legenti constabit, in hoc consistit, seu in hac paritate, quod sicut natura cuicunque qualitati elementari unam tantum dedit per se, & directe contrariam, non autem plures, ut vires hinc inde essent æquilibratæ, nam si plures haberet statim extingueretur; *ita pariter* sic elementa distribuit, ut duo sint calida, duo frigida, duo humida, & duo sicca, atque ideo aer non est frigidus, tunc enim calor ignis oppugnaretur simul a fri. ore terræ, aquæ, & aeris, cumque calor sit minimæ resistentiæ, statim deiceretur a tot contrariis, quæ sane probatio nostræ consequentiæ etiam quantumvis obtuso manifestat, quid argumentum prætendat, & quomodo concludat, esto Pontius vim ejus penetrare dissimulet.

Attamen argumento melius considerato sub nu. 127. vim ejus penetrasse demonstrat dicens; fortassis volunt dicere, quod quælibet qualitas elementaris sit ita distributa per elementa, ut non habeat sibi qualitatem oppositam in pluribus, quam in duobus elementis, quia si esset in tribus, non posset resistere; Ita plane volumus dicere, & ita ab initio poterat intelligere sine tot dicteriis, & nugis, quæ sunt frigidiores ipsa frigiditate, quam aeri attribuit. Nunc videamus quid respondeat; hoc dato (inquit) adhuc non habetur intentum, quod aer sit frigidus, quia terra in mea sententia est ex se calida, cujus oppositum incumbit Adversariis probare; sed præstabat dicere terram esse calidam in sententia Arriagæ, cui infra occurrimus in fine art. quam appellare suam, quasi id fuerit suum inventum; oppositum itaque probavimus supra, ejusque solutiones reiiciemus infra.

Deinde, inquit, quamvis terra, aqua, & aer essent frigida, sane necesse non esset, ut ignis extingueretur citius, quam de facto; etsi propterea citius extingueretur, quando omnes simul applicarentur, nihil hoc esset inconvenientiæ; Ex hac responsione satis constat Pontium non percepisse argumentum, quamvis sibi videretur postea illud percepisse; putat enim nos per ignem hic accipere aliquam particulam ignis quem apud nos habemus, qui regulariter non extinguitur per applicationem cæterorum elementorum simul; at argumentum loquitur de elemento ignis, & concludit quod cito extingueretur ejus calor, si alia tria elementa essent frigida, quia hæc tria elementa sunt invicem connexa, & totum elementarem hunc mundum occupant, quare essent veluti simul applicata ad destructionem caloris ignis, unde cum frigus ex hypothesi improportionabiliter excederet calorem, & calor ex alia parte sit minimæ resistentiæ, plane deiceretur a contrario tam valido, unde patet, non quidem hoc argumentum, quod passim a Peripateticis adducitur, ex omni parte deficere, ut concludit Pontius, sed ejus insulsas responsiones.

Ad 6. Respondet primo negando sequelam, quia cum ignis sit majoris activitatis ad producendum calorem in aere, & diminuendum ejus frigus, ex hoc capite posset provenire, si aliunde non constaret contrarium, quod aer non posset per frigus extinguere ignem. Sed hoc parum valet, quia esto calor ignis sit majoris activitatis, quam frigus, tamen est minoris resistentiæ, unde constat, ignem citius extingui ab aqua, quam hæc ab eo calefiat non obstante ejus majori activitate; tum quia hac eadem ratione possemus contra experientiam negare ignem ab aqua extingui, quia ignis est majoris activitatis ad producendum calorem in aqua, & diminuendum ejus frigus.

Respondet secundo concedendo sequelam, & negando minorem, nam sane apparet, quod ab aere etiam extinguatur, seu corrumpatur, neque enim alia causa corruptiva flammæ ascendentis assignari potest, nisi recurrendo ad causas superiores. Neque hæc solutio satisfacit; nam flamma ascendens extinguitur in aere, non quidem ob aeris frigiditatem, quia ita cito quoque extingui deberet ignis, carbo aeri frigido expositus, quod non apparet, sed extinguitur ob defectum pabuli, ignis namque resolvitur a combustibilibus, continuo quendam fumum subtilem sibi pro pabulo inservientem, unde quanto magis flamma a lignis recedit, tanto magis deficit ei pabulum, ob cujus defectum extinguatur; vel si concedatur flammam interdum ab aeris frigiditate extingui, ut contingit in hyeme, hæc non est censenda frigiditas aeri connaturalis, sed extranea, & adventitia.

Respondet tertio, quod si non constat, ignem extingui ab aere, dici debet id provenire ex defectu humiditatis, non frigiditatis; nec verum est, quod aqua semper principaliter extinguat ignem per frigus, ut male dicunt Adversarii, nam quando est calidissima extinguit ignem, & licet tunc retineret aliquem gradum frigoris (quod tamen videtur contra experientiam, & sine ulla necessitate dictum) tamen ille unus gradus non posset sufficere, tanquam principium principale destruendi ignem, cum per illum non posset, nisi unicum similem gradum caloris destruere, ut manifestum est. Hæc solutio deterior est aliis, quia aer juxta communissimam ponitur humidus, non siccus, unde rationabiliter dici nequit, quod ignem non extinguat defectu humiditatis; Neque male diximus ignem principalius extingui ab aqua per frigiditatem, quam per humiditatem, quia ex dictis supra q. 4. primæ qualitates ita se habent in activitate, quod unaquæque est per se, & directe activa in suam contrariam, pugna namque inter contraria versatur, in aliam vero non contrariam, non agit per se, & directe, sed indirecte tantum, & per accidens; unde in proposito cum aqua ignem extinguit, humiditas aquæ per se solum destruit siccitatem ignis, quia hæc est qualitas ei opposita, non vero calorem, nisi concomitanter, unde remanet, quod frigus semper concurrat principaliter ad destructionem caloris in igne. Et quantumcunque aqua sit calida, semper opus est manere aliquem frigiditatis gradum, qui cum humiditate concurrit ad extinctionem ignis; Neque est contra experientiam, & sine ulla necessitate dictum, nam experientia constat, aquam nunquam esse calidam æque ac ignem, ergo remanet in ea aliquis gradus frigoris, ut expleta sit latitudo graduum, ut octo, tum quia forma aquæ determinat sibi qualitates suas connaturales in aliquo certo gradu pro sui conservatione, ut Doctor late demonstrat 4. d. 12. q. 3. & gradus frigoris hujusmodi posset principaliter concurrere cum humiditate ad extinctionem caloris ignis, quatenus ipse directe, & per se pugnaret cum calore; *imo* posset etiam probabiliter dici unum gradum frigoris plures extinguere gradus caloris, quia calor est minimæ resistentiæ. Et quod aqua non extinguat ignem principaliter per humiditatem, ex eo patet, quod tarde extingueretur, cum humiditas sit lentæ actionis.

Ad 6. de causa putredinis respondet primo, aerem ex se, ut est in statu naturali suo, quod deberet esse frigidus, non disponere ad corruptionem, sed hoc facere quando per causas extrinsecas calefacit. Hæc responsio est omnino voluntaria, nam in argumento probatur aerem ex sui natura disponere ad corruptionem auctoritate Arist. ad quam hic Auctor nihil respondet, & a qua recedere non datur, nisi urgenti ratione, quam ipse non assignat, unde cum nullam afferat rationem, præstat Aristoteli credere quam Pontio. Respondet secundo, si aer ex se disponeret ad putrefactionem, hoc non oriri ex calore ejus, sed ex alia influentia occulta. Sed facile quidem foret omnia argumenta sic solvere recurrendo ad influentias occultas, ad quas dicunt Philosophi recurrendum non esse, nisi urgenti de causa, quam Pontius non adducit, nam absque ullo fundamento negat calorem putredinis causam, cum tamen Philosophi fere omnes id concedant.

Ad

Ad ultimum de aere in hyeme ad subterranea ob calorem innatum confugiente, respondet peti principium, dum supponitur calor esse innatus aeri, neque id probatur ex eo, quod aer sit in illis locis calidus, nam sic posset esse per adventitium calorem causatum ab exhalationibus ibi reclusis. Hic non petimus principium, nam id sufficienter probatur ex eo quod aer in puteis, & cisternis sit in hyeme calidus, & aquam ibi conservet calidam; non enim ad hoc sufficiunt exhalationes calidæ, quas ibi concedimus, cum enim aqua sit ex sua natura frigida, & in hyemali tempore ambiens sit undique frigidum, sane si aer quoque esset natura sua frigidus, talis quoque sentiretur in locis subterraneis, & aer, & aqua; non enim probabile videtur solas exhalationes illas posse in eis locis tantam copiam aeris, & aquæ calefacere, & calidas servare; tum quia in hyemali tempore id nequit Sol facere in aere, & aqua, quas suis radiis attingit, ergo tanto minus id facere poterunt exhalationes in locis subterraneis, quæ non habent tantam calefaciendi virtutem, quantam habet Sol.

Hæ sunt rationes, quas proferunt Peripatetici pro calore aeris contra Scoticos, quas immerito appellat Pontius inutiles, & tædium lectoribus afferentes, quamvis enim non sint demonstrativæ, longe tamen illis probabiliores sunt, quæ pro alia sententia adducuntur, nec est verisimile rationes allatas Lectoribus, & præsertim Pontio tantum tædium attulisse, quandoquidem non multum sudoris absterserit pro inveniendis responsionibus (esto insufficientibus) illas sibi suppeditante Aresio.

Sed non fatur hic Auctor Aristotelem pro Aresio deseruisse circa calorem aeris, voluit etiam eundem deserere pro Arriaga circa terræ frigiditatem; itaque loc. cit. n. 130. asserit terram esse calidam, & solvere conatur rationes a nobis supra adductas pro ejus frigiditate.

Ad primam, quod si in visceribus terræ, & cavernis, quo solaris calor non pervenit, sit frigidissima; Resp., frigus illud provenire ab aere, & exhalationibus frigidis eo demissis. Sed hoc est voluntarie dictum non probatum, si enim terra est de se calida, quomodo in cavernis terræ modicus aer, ac etiam exhalationes illæ possunt causare adeo immane frigus? sane terra in subterraneis locis improportionabiliter aerem excedit in copia, & magnitudine, & undique est applicata ad agendum; ergo virtute sua tandem superaret actionem aeris, & exhalationem infrigidantium, & sic non vigeret ibi perpetuo illud immane frigus, quod tamen est contra experientiam. Deinde in argumento dicitur frigus non solum vigere in cavernis terræ, ubi aer adest, sed etiam in visceribus ejus, ubi non est aer; si enim terra solidatur in imis partibus inter se constipatis, etiam ibi sentitur frigida; talem ergo qualitatem habebit ejus natura, non ab extrinseco.

Ad 2. quia videmus lapides, & metalla, quæ sunt corpora valde terrestria frigiditate vigere, ergo & terra. Negat consequentiam, sicut enim alia corpora terrestria, quæ non vigent frigiditate, sed calore, non propterea desinunt esse terrestria; ita *hæc possunt esse talia, quamvis vigeat in ipsis frigus*, quod non est qualitas propria terræ; nec dicuntur terrestria ex convenientia majori, quam habeant cum terra in qualitatibus primis, quam cum aliis elementis, sed ex convenientia majori, quam habent cum ipsa in gravitate, & duritie. Si huic responsioni colorem aliquem veritatis afferre volebat Pontius, enumerare debebat corpora terrestria, quæ calore vigeant, si enim sunt vere terrestria, adeout in eis prædominetur terræ elementum, erunt frigida, non calida; & si corpora terrestria dicuntur talia ex majori convenientia, quam habent cum terra in gravitate, & densitate, sane quoque habebunt convenientiam in frigore, quod si non est præcisa, est tamen præcipua causa gravitatis, & densitatis; ut enim corpus aliquod sit grave habere debet partes invicem addensatas, & constipatas, & densatio ex frigore oritur; quandoquidem ad oculum videamus aquam natura sua vagam, & fluidam frigore constipari, & condensari.

Ad 3. rationem, quia terra est gravis, & densa, quod a frigore provenit. Negat gravitatem, & densitatem a frigore semper provenire, aut cum ipso habere connexionem naturalem. Ut ostenderet hujus quoque solutionis probabilitatem innuere debebat corpora gravia, & densa, quæ frigus non participent, sicut nos enumeravimus illa, quæ frigus participant, ut lapides, & metalla; gravitatem, & densitatem a frigore provenire, ut e causa præcipua, si non præcisa, docent passim Auctores etiam extra Peripatum, de quo videatur Tassonius lib. 1. cap. 3. & lib. 4. c. 1.

ARTICULUS II.

Determinatur intensio qualitatum in singulis elementis.

In hujus articuli resolutione adeo perplexe procedunt Auctores, ut fere nil certi afferre possimus, quapropter ea dumtaxat, quæ aliqua nituntur ratione afferemus, cætera vero in sola probabilitate relinquemus.

76 Dicimus itaque Primo, aliquam qualitatem singulis elementis convenire in summo, scilicet calorem igni, humiditatem aeri, frigiditatem aquæ, & siccitatem terræ. Conclusio colligitur ex Arist. 2. de gen. 23. & est ab omnibus recepta paucis quibusdam exceptis, & probatur quoad singulas partes, & Primo, quod aliqua qualitas conveniat eis in summo, probatur experientia, nam remotis contrariis videmus elementa singula reducere se ad aliquam qualitatem in summo, ergo illa convenit ipsis; tum quia unaquæque qualitas primarum debet habere in aliquo subjecto omnem perfectionem sibi naturaliter debitam, cum ergo tale subjectum nequeat esse mixtum, ubi sunt qualitates contemperatæ, erit aliquod elementum. Secundo, quod talis sit calor in igne, etiam experientia constat, quia nullum aliud extat sublunare corpus adeo calidum, & actuosum, sicut ignis. Tertio, quod talis humiditas sit in aere, constat ex humidi definitione, nam aer est facillime terminabilis alieno termino, nec aliquem terminum proprium retinere potest, tum quia proprius effectus humidi est subjectum reddere fluidum, & facile labile, *sed aer fluidior est cæteris elementis*, cum undequaque labatur, seseque insinuet in tenuissimos etiam poros, in quos aqua se intrudere nequit. Quarto, quod talis sit frigiditas in aqua, etiam experimento comprobatur, quia nullum elementum adeo frigidum sentitur, sicut aqua; & ipsa terra, quæ etiam frigida censetur, adhuc frigidior apparet, cum aqua respergitur, & imbuitur. Demum, quod talis sit siccitas in terra, patet, tum ex definitione siccitatis, quæ maxime præ omnibus elementis adaptatur terræ, cum ex Sacra Scriptura, quæ hac ratione eam vocat *aridam*, tum ex effectu, quia deficiente aqua, rimas aperit, & in pulverem dissolvitur.

77 Contra hanc conclus. solet obiici Primo, quod aer non sit humidus in summo, sed potius aqua, & præcisum fundamentum desumitur ab effectu, quia ut experientia constat, aqua magis humectat quam aer, adeo quod humectat etiam ipsum aerem, ut patet tempore pluviæ. Et quia communiter respondetur id non esse ob intensiorem humiditatem in aqua, sed propter majorem densitatem, quæ fortificat actionem, ut hic inquit Tat. qua ratione etiam ferrum candens magis calefacit, quam ignis, & tamen majorem non habet calorem. Hanc solutionem multipliciter impugnat Arriag. cit. tum quia licet densitas juvet ad agendum, *tamen nequit esse causa tanti excessus*, ut aqua valde humectet, & nihil, vel fere nihil aer; tum 2. nam ignis est minus densus, quam aer, & tamen magis calefacit, quam aer in nostra sententia calidus; tum 3. terra est multo densior aqua, & tamen non tantum frigefacit, quam aqua, ergo si aer esset humidior aqua, quamvis non esset tam densus, adhuc deberet multo magis humectare; tum 4. quia etsi aer sit rarus, nihilominus si intensam aliquam habeat qualitatem, illam producit in passo satis intensam v. g. frigus, quando in hyeme illud habet, ergo si haberet humorem in summo non obstante raritate adhuc deberet summe humectare, eo vel maxime quia hæc deinde ulterius arguit, quia aer minus humidus convertitur in aquam, ut constat experientia, ergo humor in summo non est proprius aeri, sed aquæ, & addit nos tenere sententiam, cujus nullam habemus experientiam, vel rationem, ac denique confirmat suum assertum ex Sacra Scriptura Job. 12. *Si continuerit Deus aquas, omnia siccabuntur*, ergo aqua est fons omnis humiditatis.

Tandem Compl. quoque disp. 10. de element. q. 4. probant aquam esse humidiorem aere, quia humiditas aquæ est conjuncta cum frigiditate, humiditas vero aeris cum caliditate, at frigiditas est aptior dispositio ad humiditatem, quam caliditas, quia *frigiditas juvat ad tenaciorem adhæsionem humiditatis*, e contra vero caliditas facit evaporare humiditatem. Conf. nam aquatilibus major convenit humiditas, quam volatilibus, at his prædominatur aer, illis aqua, & tandem cum pisces sint maxime phlegmatici, & phlegma sit inter omnes humores viventis humidissimum, *signum est aquam esse humidissimam*; & tandem addi potest, quod difficilius humor aquæ remittitur, quam aeris.

78 Resp. totam hanc concertationem procedere ex varia acceptione humiditatis, vel enim accipimus humiditatem ad sensum vulgi, apud quod illud dicitur humidum, quod irrigat, & madefacit corpora eis adhærendo ratione humidi aquei, & vaporosi, quod crassum est, & aliquod viscositatis habens ob facilem adhærentiam; vel ad sensum Philosophorum, apud quos illud sonat humidum, quod est de se fluidum, nec propriis terminis contineri potest, facile tamen terminatur alienis, ut superius cum Arist. definitum est; si in primo sensu de humiditate sit sermo, quis non videt aquam esse humidiorem aere? at si spectetur in secundo sensu, cæcus est, qui non videt aerem esse aqua longe humidiorem: effectus humiditatis proprie dictæ est reddere subjectum, cui inest, fluxile, & labile, effectus humiditatis vulgariter acceptæ est etiam irrigare, & madefacere corpora, circa quæ *funditur res humida, quia talis humiditas est vaporosa*. Quicquid ergo sit de responsione illa communi ad principale argumentum, quam non bene impugnat Arriag. arguens ex proportione caloris, & frigoris in subjecto consimili in raritate, vel densitate; Nam calor, & frigus sunt qualitates adeo activæ, ut quantumvis rara sit earum materia, nunquam eorum activitatem omnino extinguit, at siccitas, & humiditas e contra sunt qualitates in agendo adeo imbecilles, ut nisi adjuventur densitate materiæ, parum, vel nihil agant. Quicquid ergo *sit de illa solutione dicendum est*, illud primum argumentum concludere aquam esse humidiorem aere humiditate communiter dicta juxta sensum vulgi, non vero humiditate proprie dicta, nam sic aer adhuc humidior est aere, & cum ibidem addebatur, aquam interdum humectare aerem, pariter verum est loquendo de humiditate sumpta pro madefactione, quatenus appingit illi aqueos vapores, quibus imbutus apparet udus, & madidus; falsum tamen est loquendo de humectatione propria dicta, quia non magis reddit illum habilem ad alienum terminum capiendum, imo minus, quia vaporibus *illis* crassescit, & condensatur. Ad aliam rationem ab *Arriag. adductam* occurritur ex eodem fundamento, tunc enim aer *convertitur* in aquam, cum multum imbibit de humido vaporoso, quod est proprium humiditatis aqueæ; *falsum est etiam nos* non habere pro nostra sententia

rientia rationem, & experientiam, quia si semel admittatur humidum esse, quod alieno termino facile terminaret, difficile proprio, jam constat & ratione, & experientia aerem esse aqua humidiorem; ad auctoritatem Sacræ Scripturæ jam diximus n. 69.

Ad rationem Complut. dicimus frigiditatem utique esse aptiorem dispositionem ad humiditatem communiter dictam, scilicet vaporosam, qualis est aquea, quia aliquo modo constringit illum humorem, ne ita diffluat, & juvat ejus adhærescentiam, quod non facit calor, sic etiam calor evaporare dicitur humiditatem, non quamlibet, sed vaporosam, qualis est aquea, atque ideo existens in aere nihil de ejus humiditate evaporat, quia non est vaporosa, ac etiam quia nec calor, nec frigus agunt in proprio subjecto contra humiditatem. Ex quo etiam patet ad Conf. pisces enim petunt majorem humiditatem vaporosam, quam aves, & plegma in eodem sensu dicitur cæteris humoribus humidius; & in hoc denique sensu explicari debent, ac intelligi Medici, ac etiam Arist. cum interdum dicunt aquam esse humidiorem aere, loquuntur enim de humiditate vaporosa, & madefactiva, quæ sola a vulgo pro humiditate agnoscitur, & recipitur, licet re vera vaporositas illa, & adhærescentia non sit de ratione humiditatis, ut sic, metalla namque liquefacta, & fusa sunt humida, nec tamen humectant corpus, tangens, nec tangenti adhærescunt; & ex hoc eodem fundamento plura alia argumenta dilui possunt, quæ in hac materia fiunt, nimirum, quod corpora humore pinguescunt, quod Luna humidissimus planeta prædominatur aquis, non aeri, & consimilia, hæc enim omnia concludunt de humore vaporoso, difficilius autem remittitur humiditas aquæ, quam aeris, ob densitatem materiæ, in qua velut magis unita fortius se tuetur, & validius contrario resistit.

79 Secundo obiic. quod aqua non sit in summo frigida, sed potius terra, quia nix, & alia metheora glanciant nimio frigore, ergo si aqua esset in summo gradu frigida, natura sua glaciaret. Nec valet communis responsio, ait Arriag. aquam congelari propter exhalationes terreas, quæ in glaciem concurrunt; nam glacies est levior, quam altera aqua, ideo supernat, ergo est purior quam aqua fluida, imo si in aqua fluida erant sparsi pulvisculi, cum primum congelatur, cadunt omnes infra, ergo non habent plus de terreis exalationibus, alias deberet esse gravior, non ergo recurri potest ad aliam causam congelationis, quam ad frigus. Tum 2. quia experimur aquam magis, & magis infrigidari, & nivem esse ipsa frigidiorem, & quidam fontes frigidissimi tenentur vulgo pro miraculo, quod autem juxta naturam est, miraculosum censeri non debet. Tum 3. aqua est humida, ergo nequit esse summe frigida, quia humiditas obtundit vim frigoris, & caloris, sicut e contra siccitas utriusque vires acuit, unde cum in terra reperiatur frigus cum siccitate conjunctum, intensius erit in terra, quam in aqua. Tum 4. humiditas difficilius removetur ab aqua, quam frigiditas, igitur videtur esse magis humida, quam frigida. Tum 5. nam alioqui esset inepta piscibus, qui eam habent ut propriam regionem, esset inepta hominibus, ut eam biberent, & irrigationi plantarum, ad quam natura sua ordinatur. Tum 6. terra magis ab igne distat, & Cœlo, est que corpus magis densum, grave & immobile, quam aqua, ergo est frigidior aqua, quia hæc omnia a frigiditate proveniunt. Tum demum, aqua minus frigefacit, quam terra, nam loca maritima sunt mediterraneis calidiora ergo &c.

Resp. ad 1. negando adæquatam congelationis causam esse frigus, nam experimur aquam in vitreo, vel æreo vase inclusam, & circumfusa nive quantumvis infrigiditam nunquam glaciari, concurrit ergo ad congelationem etiam aliqua exsiccatio, siccitas enim juvat ad reddendum corpus solidum, & durum, unde nix ex salis aspersione glaciatur; concurrit etiam admixtio terrestrium exhalationum, quæ in quendam humorem & succum conversæ sunt veluti coagulum ad eam congelandam; & falsum est cum aqua fluida glaciatur, pulvisculos sparsos descendere; virtute enim frigoris omnia concrescunt, quæ ibi adveniuntur, unde frigus dicitur ætherogenea congregare; & quidem in glacie nedum pulvisculi adveniuntur concreti, sed paleæ, ligna, & integra luti frustra, & dum scinditur, ac in rimas abit, interdum evaporare videtur, signum evidens nonnullas exhalationes esse in eo recluſas; ideo autem aquæ supernatat, quia permixtum habet etiam vaporem aereum, qui in aqua illum attollit, ut dictum est in Metheor. Angest. tamen lib. cit. pag. 43. pro causa adæquata congelationis assignat influentiam cœlestem natam constringere, & halitum leve commiscere. Ad 2. aqua circa nos posita est valde impura, multisque exhalationibus permixta, si autem ponetur in suo statu naturali, non posset frigefieri, nec nix esset ea frigidior; & eadem ratione fontes frigidissimi, in quibus aqua multum habet suæ puritatis, habetur loco miraculi, quia non experimur aquas, nisi mixtas. Ad 3. humiditate non obtunditur vis caloris, & frigoris secundum propriam entitatem, ac intensionem sed solum in ordine ad actum secundum calefaciendi, vel infrigidandi, & ideo potest esse intensum frigus, tam cum humiditate, quam cum siccitate. Ad 4. facilius removetur ab aqua frigus, quam humiditas, non quia in ipsa sit remissius, sed quia est minoris resistentiæ, quam sit humiditas, licet sit majoris activitatis. Ad 5. aqua marina & salsedine, & cœlesti calore temperatur, quantum sufficit ad pisces alendos, & sic etiam aqua dulcis apud nos, ut sine damno epotari possit, & ad irrigationem plantarum deservire, unde quidam fontes ex penitioribus terræ latebris erumpentes, quo non pertingit solaris calor, sunt noxii, & ad potationem prorsus inepti. Ad 6. negat. conseq. nam ut advertimus art. præced. elementa non habent qualitates eis connaturales a Cœlo, sed a propria forma: densitas, & immobilitas, ut notat Angest. cit. non sequuntur ad solum frigus, sed ad frigus cum siccitate permixtum, quam mixtionem habet terra præ cæteris elementis; ac etiam sicut summa levitas non sequitur simplicem caloremm, sed junctum summæ raritati, & aliis qualitatibus, quæ in igne coadunantur, sic summa gravitas non sequitur solum frigus, sed junctum cum summa densitate, & aliis qualitatibus terræ convenientibus. Ad ult. neg. assumptum, nam tactus ipse testatur, quod cæteris paribus aqua semper frigidior est terra, regiones autem maritimæ sunt mediterraneis calidiores, eo præsertim quia metheora frigida, ut nix, glacies, &c. diutius morantur in terra, quam in mari, & finitimis regionibus, nam in terra ob ejus siccitatem diu servantur, sed in mari, & circa mare ab humido aqueo cito dissolvuntur.

Tertio obiicitur, quod terra non sit summe sicca, quia tunc non haberet partes continuas, nam ad continuitatem requiritur aliqua humiditas, & omne siccum pulverizatur ex Arist. 2. de gen. 49. Resp. Arist. ibi loqui de continuitate mixtorum, ut patet ex ipso contextu, in qua plura elementa debent concurrere, & non possunt invicem continuari sine aliquo humore, id tamen verum non est universaliter de qualiber continuitate; concedimus nihilominus terram in sua naturali dispositione ob summam ejus siccitatem non habere partes inter se bene compactas, & cohærentes, sed potius esse corpus friatum, & comminutum; sed quia etiam habet frigiditatem excellentem, & frigoris est constringere, & coadunare, fatendum est, ex hoc capite ejus partes habere aliquam constipationem, & consistentiam. Dices ergo, ignis quia nullum participat frigus erit corpus omnino friatum, & comminutum. Negatur conseq. quia licet nullum habeat admixtum frigus, tamen ex alio capite non habet siccitatem in summo; & quando eam haberet, adhuc non deberet censeri omnino discontinuum, & in indivisibilia resolutum, sed solum esse corpus friatum magis, quam terra, & comminutum; unde bene ait Angest. cit. quod alia est continuitas, alia partium tenacitas, ad primam non requiritur humiditas, sed tantum ad secundam.

80 Dicimus secundo, nec aerem esse in summo calidum, nec aquam in summo humidam ex Arist. loc. cit. & probatur quoad utramque partem; quoad primam quidem, nam experientia docet aerem non esse ita calidum, sicut est ignis, tum quia non ita facile recipere frigus, imo difficilius, quam ignis, quia major densitas sicut juvat ad agendum, ita ad resistendum, ergo facilius posset aer resistere, quam ignis, cum sit crassior, tum quia bonum universi ita expostulat, nam si esset calidus in summo, utique ad respirandum idoneus non esset. Altera pars probatur, quia magis est fluidus aer, quam aqua, ergo est magis humidus, tenet conseq. quia ut nuper diecebamus, ex hac definitione propria est æstimanda humiditas, non ex irrigatione, assumptum experientia constat, quia aer etiam tenuissimos poros penetrat, tum quia aqua interdum propriis continetur terminis, ut cum in pulverem labitur, tunc enim globosam, & sphæricam assumit figuram, non sic aer; & etiam cum gelascit, tunc enim quoque propriam retinet figuram, quod aeri nunquam contingit.

Contra hanc conclusionem obiicitur Primo, quia si qualitates non debentur cuicunque elemento in summo, male colligeret Arist. ex combinatione qualitatum distinctionem elementorum, & numerum, quia combinationes possibiles qualitatem accipiendo alteram in gradu remisso sunt pene innumerabiles, atque ita infinita resultarent elementa, probatur assumptum, nam possumus v. g. accipere calorem, ut octo, primo cum siccitate, ut septem, deinde cum siccitate ut sex, ut quinque, ut quatuor, & sic deinceps etiam procedendo per partes proportionales. Deinde arguit Mercen. cum symbolum elementum generatur ex symbolo, communis qualitas eadem manet in genito, quæ præfuit in corrupto ex Ar. de gen. 24. & lib. 2. 26. & altera tantum corrumpitur, generetur ergo aqua ex aere, tunc in materiam aeris opus non est introducere, nisi frigiditatem, & cum hæc exigatur in summo, a forma aquæ, & ex alia parte humiditas aeris, quæ eadem perseyerat, sit summa, jam in aqua genita simul erunt summa frigiditas, & summa humiditas. Tandem arguitur, & est præcipuum fundamentum tribuentium elementis ambas qualitates in summo, si aliqua qualitas alicui convenit elemento in gradu remisso, vel convenit ei sine admixtione contrarii, vel cum illa, neutrum dici potest, ergo &c. prob. minor quoad primam partem, tum quia qualitas remissa habens contrarium non aliter remittitur, quam per admixtionem contrarii, 5. Phys. 19. nec alius invenitur inter qualitates contrarias intensionis, & remissionis modus, tum quia posset alioqui qualitas illa remissa intendi usque ad summum in instanti, quia nulla erit resistentia ex parte passi, cum hæc præsertim ex contrario attendatur, tum quia posset v.g. in aerem introduci frigus absque eo, quod expellatur calor, quia frigus remissum stat cum remisso calore, qua ratione semel inductum non posset amplius aer illud a se excutere, & sic perpetuo maneret in statu violento, & idem sequitur, si etiam ab igne in aerem induceretur unus gradus caloris supra excellentem in connaturalem, nunquam enim posset aer illum gradum caloris a se expellere, cum non habeat admixtum ullum gradum qualitatis oppositæ. Probatur eadem min. quoad aliam partem, tum quia tunc quodlibet elementum haberet duas qualitates contrarias invicem contemperatas, quod est proprium mixtorum, & directe pugnat cum constitutione simplicis elementi, quod qua tale nullam prorsus in se admittit mixtionem ex contrariis; tum quia vel ambo hæc duo contraria remissa essent a forma elementi, vel alterum ab extrinseco; non primum, quia tunc una simplex natura esset emanativa duarum contrarium qualitatum, ut caloris

&

& frigoris, neque secundum, quia tunc male diceretur elementum tale esse ex natura sua, quia quod convenit alicui ab extrinseco, non competit ei ex propria natura; & insuper ponatur casus, Deum producere terram cum omnibus suis qualitatibus, quæ naturaliter a forma terræ dimanant, habebit ne terra aliquid humiditatis? si affirmes, percontamur a quo cum nullum sit agens extrinsecum, quod illam communicet, neque videtur, qua necessitate Deus debeat illam producere.

81 Resp. ad 1. neg. conseq. quia Arist. colligens distinctionem, & numerum elementorum ex combinatione qualitatum illas partitus est per gradus intensos, & excellentes, non autem per remissos, & nos in præsenti cum dicimus aerem non esse in summo calidum, nec aquam humidam, non idcirco eis adscribimus prædictas qualitates in gradu remisso, sed in excellenti, & prope summum; Accedit nos alibi dixisse rationem illam Arist. non esse necessariam, sed dumtaxat probabilem. Ad 2. falsum est illud assumptum, ut constabit ex disp. 6. & quando etiam admitteretur, nihil concluderet, tunc enim dicendum esset cum Aver. 2. de gen. com. 29. quod dum ex aere generatur aqua, tunc eadem numero manet humiditas in aqua, quæ præfuit in aere, at non in eodem gradu, quo erat in aere, sed remittitur, quantum sufficit pro aquæ constitutione. Ad 3. diviſi sunt Auctores in ejus solutione Conimb. 2. de gen. c. 3. q. 5. art. 4. cum Marsil. in hoc loco concedunt qualitatem excellentem elemento convenientem impleri usque ad totam latitudinem, ut octo, per admixtionem contrariæ qualitatis, & idem tenet Zab. cit. sed 2. impugnationem allatam contra hanc partem non solvunt, imo nec adducunt, & sane nobis videtur ratio satis efficax, ob quam libenter ad aliam declinamus partem cum Saxon. q. 2. hujus libri Alex. 1. Metheor. com. 13. Zimar. theor. 18. Compl. cit. q. 5. Tolet. 2. de gen. q. 6. Ruv. c. 3. q. 18. Arriag. & aliis, qui tamen non præfata ratione oppositam impugnant partem, sed aliis minoris momenti, & facile solubilibus; & in hac parte, quam eligimus, non magnam videmus difficultatem, cur enim sicut lumen minus potest produci a luminoso minori sine admixtione contrarii, ita non potest ab aliqua forma elementari profluere calor minus intensus quam ab alia, quia sit ideo remissus præcise, quia habet pauciores gradus caloris, non autem quia habeat admixtos alios frigoris? Possumus itaque dicere elementum naturaliter non habere latitudinem octo graduum ad qualitatem, quam postulat prope summum, & hoc quia est talis naturæ, & sic cessant omnes instantiæ factæ, quia non opus est quærere, per quid impleatur latitudo remanens usque ad octavum gradum, quia negamus ullam talem remanere latitudinem; Si vero placeat concedere talem latitudinem, tunc negandum est opus esse, quod talis sit semper expleta usque ad octavum, & absolute concedendum posse dari qualitatem remissam sine admixtione contrarii; Et ad Ar. 4. Phys. dicimus ipsum loqui casu, quo qualitas habens contrarium per actionem contrarii remittatur aliter, ut in proposito, ubi qualitas elementaris ideo remittitur, quia in tali gradu dimanat a sua forma, nec potest produci in intensiori, concedi etiam potest alterationem in eo casu fieri in instanti, neque hinc sequitur, ut aliqui urgent, corruptionem illius elementi, & generationem alterius in instanti futuram, quia præter illam qualitatem habet aliam in summo successive expelendam; ac etiam negari potest fieri illam alterationem in instanti, licet enim in aere v. g. non sit qualitas summo calori per se, & directe resistens, adest tamen humiditas, quæ indirecte resistit, quatenus repugnat esse cum summo calore in aere; concedendum autem est in eo sensu posse aliquem gradum frigoris in aere recipi sine expulsione caloris, non tamen illum perpetuo retinere, sed excuteret, vel adminiculo extrinseci agentis, vel etiam propriis viribus, quia esto caloris latitudo non sit expleta usq; ad octavum gradum, non tamen in aere petit naturaliter expleri nec per similem, nec per oppositam qualitatem, imo tali complemento renititur ipsa aeris natura, qua natura etiam a se depelleret gradum caloris, qui superaret excellentem, & sua virtute se reduceret ad nativam suam intensionem.

82 Dicimus 3. potest probabiliter sustineri ignem summe siccum esse, & terram summe frigidam, ac etiam oppositum, scilicet ignem esse dumtaxat siccum prope summum, & terram eodem modo frigidam, & hoc quia pro neutra parte videtur ratio cogens; prima enim pars solet probari, quia ignis est maxime calidus, ergo etiam maxime siccus, alioquin posset magis exsiccari, & consequenter rarefieri, tum quia videmus ignem omnem absumere humiditatem, ut patet in cineribus, tum quia ignis non posset in se convertere terram, nam major siccitas a minori superari non posset; Terra etiam erit summe frigida propter ejus maximam gravitatem, & densitatem, quæ proveniunt ex frigore: tum quia in æstate maximum viget frigus in specubus, & locis subterraneis. Altera quoque pars probatur, tum quia diversæ formæ specie non videntur postulare pro dispositione eandem qualitatem, & in eodem gradu, ergo si aqua est summe frigida, talis nequit esse terra, & si terra est summe sicca, talis non erit ignis; tum quia in unoquoque genere debet assignari, unum primum, & maximum, quod sit caput, & origo illius generis, ergo in genere frigiditatis, & siccitatis nequeunt esse duo in summo frigida, & sicca, tum quia si ambæ qualitates alicui elemento convenirent in summo, non posset assignari, quænam sit primaria, & ei magis propria; tum tandem quia plus refrigerat aqua, quam terra; ita probat Ruvius hanc partem.

Sed istæ rationes pro neutra parte concludunt; non quidem pro prima parte, quia bene potest stare summus calor cum excellente siccitate, sicut minor calor stat in aere cum summa humiditate, & negatur ignem posse magis desiccari, quam modo sit, id enim repugnat suæ naturæ, & formæ substantiali, & quando etiam posset exsiccari, non sequitur posse magis rarefieri, quia raritas sequitur ad calorem, non ad siccitatem; & iguis omnem absumit humiditatem non tantum actione siccitatis, sed etiam caloris, cujus vi partes humidas extenuat & in halitus resolvit, & cum terram in se convertit, pugna non fit inter qualitates symbolas, sed inter dissymbolas, & calor frigus superat, quomodo etiam ex maxima gravitate, & densitate terræ non necessario deducatur summa frigiditas superius patuit; sentitur autem in æstate frigus in subterraneis specubus magis etiam, quam in profundo maris, quia facilius penetrat Sol profunditatem maris, quam terræ, sed si in illis specubus esset aqua, hæc longe frigidior appareret, quam terra. At nec etiam rationes pro altera parte sunt necessariæ, non prima, quia licet una qualitas esset consimilis etiam in gradibus in ambobus elementis, adesset tamen alia qualitas opposita pro peculiari dispositione; nec secunda, nam dummodo sit una prima siccitas, & una prima frigiditas, parum refert, quod sit in diversis subjectis pluificata, sicut de albedine, & nigredine nullum inconveniens foret, quod plura subjecta specie distincta sint summe alba, vel summe nigra; nec tertia, quia æque passiones entis conveniunt illi, & tamen unitas dicitur ejus passio primaria, & magis proxima, quam veritas, & bonitas; nec denique quarta; nam aqua plures refrigerat, quia cum sit subtilior terra, facilius penetrat, & adhæresit, sicut etiam eadem de causa fortius sentitur calor in aqua calefacta, quam in terra.

Solum posset urgere pro hac parte auctoritas Ar. 2. de gen. 23. ubi ait, *sed tamen simpliciter quatuor existentiæ, u nius unumquodque est, terræ enim sicci magis, quam frigidi, ignis autem magis calidi, quam sicci.* Sed etiam pro a lia parte extat auctoritas ejusdem ibid. text. 22. ubi sic loquitur, *extrema quidem, & sincera ignis, & terra, media autem, & mixta magis aqua, & aer.* Verum nec una, nec altera convincit, non prima, nam ibi Arist. non loquitur de intensione illarum qualitatum, sed per appropriationem quandam, secundum quam una qualitas evidentius videtur uni elemento convenire, quam altera, hinc non dicit terram esse magis siccam, quam frigidam, sed magis sicci, quam frigidi, ideſt habere quandam affinitatem magis cum siccitate, quam cum frigiditate: altera etiam authoritas non convincit, nam loquitur ibi Arist. de elementis, prout modo existunt, quo sensu verum est extrema puriora esse mediis.

QUÆSTIO VII.

An qualitates symbolæ elementorum, aliorumque corporum sint ejusdem speciei.

83 Qualitates symbolæ dicuntur illæ, quæ eodem nomine nuncupantur, ut calor ignis, & calor aeris, humiditas aquæ, & humiditas aeris, frigus terræ, & frigus aquæ &c. & sub hoc quæsito comprehendimus etiam consimiles qualitates aliorum corporum, scilicet calorem vitalem, at etiam cœlestem, qui nimirum a cœlestibus corporibus in hac inferiora imprimitur, & quærimus an omnes, & singulæ istiusmodi qualitates sint ejusdem, vel potius diversæ speciei. Prima opinio distinguit ipsas species, & aliqui, ut Alex. Simpl. & Averr. apud Zimaram in tabula, verbo *frigiditas* universalit er loquuntur tam de qualitatibus elementorum, quam mixtorum; alii vero loquuntur in specie de calore vitali, seu animali, eumque distinguunt ab elementari, ut Fernel. l. 4. Physiolog. c. 1. Suess. 1. Meth. c. 35. Dand. lib. 1. de animat. corp. temperamento c. 12. Picus Mirand. l. 3. adversus Astrolog. c. 3. & alii. Altera sententia, quæ est communis, affirmat universaliter qualitates omnes symbolas in quibuscunque corporibus esse ejusdem speciei specialissimæ, ita Zab. lib. 2. de qualitatibus element. Achill. lib. 3. de element. dub. 12. Contar. to. 2. q. Peripat. q. de primis qualit. Tolet. 2. de gen. q. 7. Conimb. ibi c. 3. q. 6. Marsil. q. 4. Saxon. q. 5. Ruv. q. 10. Aref. q. 12. Hurt. disp. 6. sect. 6. Arriag. dis. 4. sect. 3. Averſa q. 42. sect. 9. & alii passim. Nec tandem defuerunt, qui utramque opinionem tutari sunt ut probabilem, ut Angest. lib. sæpe cit. pag. 45. §. *primum dubium* licet secundam fateatur probabiliorem.

84 Dicendum est cum communi omnes symbolas qualitates, ac in quibuscunque corporibus inter se esse ejusdem speciei specialissimæ. Conclusio est communis, & licet aliqui Scotistæ in hoc dubitaverint de mente Doctoris, nihilominus luculenter ex variis ejus locis colligitur, nam 1. c. 2. q. 7. ad 1. prin. concedit genita ex putri, & ex semine esse ejusdem speciei, & consequenter eadem specie habere qualitates, licet istæ sint a diversis omnino specie agentibus inductæ, quod etiam repetit 2. d. 18. lit. K. & eodem lib. d. 15. ad 4. prin. ait calorem medicinæ coadjuvare calorem naturalem, quod verum non esset, si forent diversæ speciei; item 4. d. 3. q. 3. lit. D. & ad 1. princ. loquens de aqua naturali, & artificiali ait non esse ejusdem speciei, sed illam esse elementum, hanc vero mixtum corpus, licet aliqua accidentia similia habeant, & loquimur de similitudine specifica, hæc autem accidentia similia sunt humiditas utriusque, & frigiditas, ut constat ex argumento primo principali, quod ibi solvit. Rursus eod. lib. d. 44. q. 3. G. loquens de igne inferni ponit plures modos, quibus dici potest illum torquere damnatos, & ultimus est iste, quod scilicet corpora damnatorum non retineant proprium temperamentum, sed ignem inducere summum calorem, & tunc remanerent per miraculum viva absque proportionata mixtione qualitatum. Quod si ponatur (subjungit Doctor) calorem induci in summo, & tamen qualitatem illam mixti stare in eodem, videtur quod formaliter repugnantia sit, sicut si medium, & extremum simul fierent in eodem. Ex quibus clare colligitur secundum mentem Doctoris calorem mixti, & ignis esse ejusdem speciei, nam si diversæ forent, pos-

sset

set utique per potentiam Dei manere mixtio qualitatum requisitarum ad temperamentum mixti cum summo calore ignis, nec sequeretur tunc contradictio, quia non esset vere medium; sed bene sequitur contradictio, si sunt ejusdem speciei, nam implicat, quod idem sit simul intense, & remisse calidum eodem specifico calore, at non implicat esse idem secundum unum calorem remisse calidum, & secundum alium specie distinctum intense calidum; idem expresse docuit q. ult. universi. ad 1. prin. ubi ut de mente Doctoris idem tenet Mauritius, & Tat. 2. de gen. q. 1. §. *quarto secundum*, & alii Scotistæ quamplures; & ideo probatur conclusio quoad omnes partes.

85 Primo quidem, quod symbolæ qualitates elementorum adinvicem ejusdem sint speciei, manifeste docuit Ar. 1. de gen. 24. & l. 2. 25. dum inquit in mutua elementorum transmutatione eadem qualitates symbolas remanere, quod omnes explicant vel de identitate numerali, vel saltem de specifica; & ostenditur evidenti ratione, quia qualitates istæ se mutuo intendunt, ut patet, quia calor ignis intendit calorem aeris, calefacit enim illum non destruendo calorem ejus, sed augendo, quia calori solum frigus opponitur; ergo sunt ejusdem speciei, quæ enim sunt diversæ speciei, nequeunt se intendere, ac idem individuum constituere. Tum quia ignis calefaciendo aquam vertit in aerem, at calefacit, & disponit materiam imprimendo calorem similem suo in specie, ergo calor ignis, & aeris erunt ejusdem speciei, quia dispositiones, quæ inserviunt ad introductionem formæ substantialis, inserviunt etiam ad conservationem ejusdem. Nec sufficienter ad hæc occurritur dicendo ideo faciliorem esse transitum in symbolis elementis, quia in his fit cum minori contrarietate, quam in dissymbolis, nam facilius mutatur calor igneus in aereum, quam in frigus, & aeris calorem non intendi per se a calore igneo, sed solum per accidens, quatenus dum ab igne corrumpitur humiditas aeris, fortificatur caliditas aeris, & simul introducitur calor differens specie ab aeris caliditate; & cum ignis vertit aquam in aerem, ad corruptionem aquæ corrumpitur etiam calor ab igne productus, quia in aqua subjectabatur, non in materia prima, & novus, ac specie diversus a priori calor gignitur in aeris ortu pro ejus formæ conservatione. Hæc minime satisfaciunt, nam Ar. non ait facilem esse conversionem in symbolis, quia fit cum minori contrarietate, sed quia non fit cum mutatione utriusque qualitatis, sed unius tantum, ergo symbola qualitas non permutatur secundum essentiam, sed eadem manet; falsum est etiam calorem ignis non per se intendere calorem aeris, sed tantum per accidens modo explicato, nam calor ignis intendit etiam calorem, nedum in ipso aere existentem, sed ab aere productum in aqua, vel manu, nam calefacit illam non destruendo priorem calorem ab aere productum, sed eundem augendo, in quo casu locum non habet apud illos, qui statuunt demum solutio ad 3. locum non habet apud illos, qui statuunt materiam primam subjectum accidentium, sed neque apud nos statuentes compositum, nam licet cum ex aqua gignitur aer actione ignis, calor impressus ab igne in aquam corrumpatur per modum sequelæ ad ipsius aquæ corruptionem, calor tamen, qui sequitur ad aeris ortum, est omnino ejusdem rationis cum illo, quia qualitates ad formam disponentes sunt ejusdem rationis cum qualitatibus eandem conservantibus, & prorsus absurdum est eandem formam substantialem diversas specie qualitates exigere pro ejus introductione, & conservatione.

86 Secundo, probatur idem de qualitabus mixtorum cum elementaribus comparatis, tum eisdem rationibus, quia se invicem intendunt, frigus enim a marmore in manu productum adhuc intendunt ab aqua, tum quia omnes albedines, omnes dulcedines sunt ejusdem speciei in quantumcumq; diversis reperiantur subjectis, ergo pariter omnes calores, omnes frigiditates, sive sint in elementis, sive in mixtis; tum quia unicuique calori sive mixti, sive elementi, quamvis per differentiam secundum magis, & minus, adæquatur eadem definitio caloris, quia scilicet homogenea congregat, & ætherogenea disgregat, & sic de singulis aliis qualitatibus, ergo omnes symbolæ ejusdem sunt speciei; tum tandem quia cum Arist. quatuor primas qualitates assignat, ac definit, certe illas proponit ut species specialissimas, aliter debuisset consequenter assignare species illarum, si putasset esse genera, præcipue vero cum de mixtorum generatione loquebatur.

Tertio, probatur idipsum de eisdem qualitatibus a Cœlo defluentibus, nam Ar. 2. Cœli 41. & 1. Metheor. docet per motum Cœli mortalia calefieri, incendi, ac in ignem converti, unde & Averr. 2. de Cœlo com. 42. inquit, ignem, ut ab igne, ita a Cœlo gigni posse, & hoc ipsum experientia docet, dum ad radios Solis ex speculo coneavo, aut per phialam vitream aqua plenam ligna, & paleæ incenduntur, ergo ille calor est ejusdem speciei cum calore ignis, non enim generatur ignis, nisi interventu caloris, qui sit ejusdem speciei cum igneo calore; tum quia eodem modo calefiunt ligna, & lapides a calore Solis, aut ignis aliquantum distantis, nec sensus tactus discernere potest qualis sit ille calor, an ab igne, an a Sole productus; & frigus elementare eodem modo opponitur uni, & alteri calori, nam eodem modo refrigeratur manus, dum aquæ immergitur, sive ad ignem, sive ad Solem incaluerit, unum autem non nisi uni contrariatur 1. Cœli tex. 10. & tandem isti calores se invicem intendunt, manus enim ardore Solis calefacta, si igni approximetur, adhuc magis incalescit non destructo priori calore, quia ille non expellitur, nisi a frigore, vel asserendum erit unum calorem esse alteri contrarium, sicut sunt calor, & frigus, quod prorsus irrationabile est; tam ergo cœlestis calor, quam elementaris ejusdem sunt speciei.

87 Quarto, probatur hoc etiam de calore vitali, seu animali, quod sit & ipse ejusdem speciei cum dictis caloribus; tum quia ita expresse docuit Ar. lib. de juvent. c. 1. animam appellans ignitam idest ignis calore præditam, & lib. de respir. c. 7. dicens concoctionem sine calore fieri non posse, quia omnia ignea cibum conficiunt, & 2. de an. 130. inquit sensibus nostris inesse ignem, hoc est, ingneum calorem, quia nihil sine tali calore sensitivum est, & 1. de an. tex. 4. & lib. 2. de partibus an. c. 3. concedit, animam esse præcipuam nutritionis, & accretionis causam, sed addit, ignem, seu calorem igneum esse instrumentum, quod etiam docet alibi sæpe, ergo calorem animalem, & vitalem non distinxit Arist. specie a calore igneo, & elementari; tum quia idipsum expresse demonstrant rationes allatæ pro aliis caloribus, nam omnes isti calores se invicem intendunt, & coadjuvant, manus enim intra sinum calefacta Soli expositæ amplius incalescit, & adhuc magis igni approximata, & non nisi per idem frigus specie hi calores expelluntur: nec sensus unum calorem ab alio discernere potest. Rursus quicumque calor universaliter loquendo juvat calorem vitalem, ut possit suas exercere operationes, imo & augetur, ut patet, cum quis cibis vescitur calidioribus, vel lintea calida sive calore Solis, sive ignis apponit stomacho. Accedit quod calor ignis, vel alterius causæ etiam cœlestis inservit ad generationem animalium, non secus ac esset vitalis calor, ut constat in genitis ex putri, & cum ex cineribus calidis, vel cibano temperato, aut simo ex ovis pulli excutiuntur non aliter, quam si eis gallina incubasset,

Postremo probatur universali ratione, & a priori, quia quamvis rerum specie differentium debeant esse diversæ proprietates specificæ consequentes formas ipsas subsantiales, non tamen oportet talia in nulla qualitate prorsus eadem specie convenire, alioqui potentia videndi hominis, & aquilæ non essent ejusdem speciei, quod est falsum, ut notavit Doctor 2. d. 1. q. 6. D. concludendum ergo est calorem, ac quamcunque aliam primam qualitatem in quibuscunque subjectis repertam ejusdem esse speciei, & non nisi secundum magis, & minus differre, & penes alia varia accidentia eis connexa; & forte Auctores primæ sent. nullam aliam distinctionem denotare voluerunt inter duos calores, ac alias consimiles qualitates, quam accidentalem provenientem ex diversitate graduum dispositionum, & accidentium, cum quibus connexa reperitur in diversis subjectis.

88 In oppos. obiic. Primo, quod qualitates simbolæ elementorum abinvicem specie differant, & in primis probatur a priori, quia singulæ qualitates primæ sunt elementorum proprietates, at diversa specie subjecta diversas habent proprietates, ergo &c. Tum 2. a posteriori, nam qualitates simbolæ in elementis producunt effectus specie diversos, qui utique a causis ejusdem omnino speciei produci nequeunt, nam humiditas aerea, ut patet in oleo, in quo prædominatur aer, fovet, & nutrit ignem, & aqua extinguit, non enim aqua ratione frigiditatis extinguit illum, quia quantumvis calefacta extinguit, sed ratione humiditatis, alioquin aer quoque in hyeme frigidissimus ignem extingueret. Tum 3. caliditas ignis contrariatur humiditati aeris, nam illam absumit, non autem ipsa aeris caliditas, quia stant simul, ergo specie differunt. Tum 4. siccitas terræ determinat sibi intensam frigiditatem, & densitatem, siccitas autem ignis determinat summam raritatem, & caliditatem, quod non esset, nisi specie differrent. Tum 5. tunc aqua calefacta esset aer, quia est calida, & humida; aer refrigeratus esset aqua, cum sit frigidus, & humidus, terra calefacta esset ignis, cum sit calida, & ficca. Tum demum virtutes motivæ elementorum licet symbolæ, inter se specie differunt, ut diximus in lib. de Cœlo, scil. gravitas terræ, & aquæ, levitas ignis, & aeris, ergo sic etiam differunt qualitates activæ, præsertim cum illæ procedant ab istis, gravitas a frigore, levitas a calore.

Resp. ad 1. ex Scoto q. ult. universi. ad 1. princ. neg. assump. nam primæ qualitates sunt accidentia ab elementis realiter distincta, & pluribus convenientia, quod est contra rationem veræ proprietatis, quæ cum suo subjecto realiter identificatur, possunt tamen dici proprietates, quatenus in certo gradu determinate conveniunt uni elemento, & non alteri, & hoc pacto sunt accidentia ab eis inseparabilia, cum hoc tamen adhuc stat, quod omnes symbolæ sint ejusdem speciei. Ad 2. neg. etiam assumptum, si sermo sit de effectibus per se, & immediatis, tales enim sunt semper idem in quibuscunque qualitatibus symbolis, cujuscunque enim caloris primarius, ac per se effectus est calefacere; cujuscunque humiditatis est humectare, &c. unde quod interdum diversas edant operationes, & effectus secundarios, non povenit ex diversa essentia illarum qualitatum, sed ex diversa dispositione subjecti, & vario aliorum accidentium consortio, quæ illarum qualitatum operationes diversimode modificant, & accidentaliter variant, ut etiam videmus in secundis qualitatibus, nam dulcedo eum uno sapore conjuncta diverso modo afficit sensum, ac cum alio, sic itaque in proposito, transeat, quod aqua non extinguat ignem ratione frigiditatis (quod tamen falsum est, nam etiam frigiditas suo modo concurrit ad extinctionem ignis, cujus aliquem gradum semper retinet aqua, quantumvis sit calida, quandiu aqua est, cui ignis resistere nequit, debet tamen esse conjuncta cum humido vaporoso, ut tale opus edat, cujus defectu aer quantumvis frigidus non extinguit ignem, nisi aliquo sit vapore respersus) sed humiditatis, id certe non provenit ex ipsa humiditate, ut sic, alioquin aqua lente extingueretur, cum sit humiditas lentæ actionis, sed quatenus reperitur in tali subjecto crasso, & denso, unde extinguit eum per modum suffocationis, ut notant Tat. & Angest. cit. ignis enim continue generatur, & conservatur per eductionem subtilis exhalationis e poris, quos aqua superinfusa ob ejus densitatem statim claudit, & sic ignis deficit; quæ fuit doctrina Arist. 4. Meth. sum. 3. cap. 2. humiditas vero aerea, hanc generationem non impedit, quia ob suam tenuitatem est facile permeabilis. Dices oleum est crassius aqua, & tamen ignem non extinguit, imo nec sub cineribus, quæ sunt crassiores, suffocatur, sed conservatur, ergo ratio allata extinctionis ignis non quadrat. Resp. hiac de causa etiam ipsum oleum si in magna copia super ignem effundatur, ipsum extinguere, sed leviter effusum nutrit ignem, & in fiammam convertitur, quia cum tali crassitie habet multam pinguedinem, & aliquid siccitatis admixtum, ratione cujus admixtionis facile concipit calorem ignem, & in tenuem transit exhalationem, & inflammatur; cinis vero opertum ignem conservet, tum quia siccissima est, tum quia est de se valde friata, & comminuta, ideoque facile transpirationem admittit.

Ad 3. igneus calor urit, & omnem humiditatem consumit, tum quia summus est, non ita aereus, tum quia habet siccitatem conjunctam, quæ directe opponitur humiditati, & ipsum calorem acuit ad agendum, unde dici solet lima caloris. Ad 4. negatur assumptum, siccitas enim in se absolute considerata nec determinat sibi calorem, nec frigus, sed ad utrumque est indifferens, sed est forma terræ, vel ignis, quæ exigit siccitatem cum frigore, vel calore conjunctam, sicut albedo non magis per se exigit conjungi cum dulcedine, quam cum amaritudine, sed solum ut in lacte, vel tali pomo reperitur. Ad 5. negat conseq. nam ad constitutionem aeris non sufficit caliditas, & humiditas utcumque sumpta, sed in certo gradu, in quo determinate oriuntur a forma aeris substantiali, quod non contingit in aqua calida, & sic de aliis elementis. Ad ult. neg. conseq. levitas enim sequitur mixtionem plurium qualitatum primarum, sicut & gravitas, non autem a solo calore, vel frigore procedunt, ut dictum est supra 5. tum quia de illis peculiaris est ratio, cur specie distinguantur petita ex primariis, & immediatis earum effectibus, ut diximus disp. 3. de Cœlo q. 1. quæ in proposito non occurrit de primis qualitatibus.

89 Secundo obiic. quod qualitates simbolæ mixtorum specie differant ab elementaribus, & probatur auctoritate Scoti 2. d. 15. qu. un. ad 2. princ. ubi inter qualitates mixtorum, & elementorum simbolas agnoscit specificam differentiam ob diversitatem operationum, quod etiam insinuare videtur d. 19. ejusdem lib. qu. un. litt. A. quæ Scoti loca quosdam Scotistas a communi opinione abduxerunt, alios vero fecit ancipites de mente Doctoris in hac re. Resp. de mente Scoti nullatenus dubitandum esse, manifeste enim stat a nobis, ut patet ex locis supracit. nec oppositum docet in locis modo allatis, nam ibi tantum intendit excludere identitatem numericam, ea ratione, quia nec elementa, nec eorum qualitates manent formaliter in mixto, non tamen excludit specificam, imo ibi deserte docet qualitates simbolas mixtorum, ac elementorum esse consimiles, utique in identitate specifica, alioquin forent dissimiles, nam specifica diversitas dissimilitudinem inducit, & præsertim d. 15. cit. ad 2. prin. locus, ubi diversitatem specificam insinuare videtur, non est genuinus Doctoris textus, sed extranea additio, & ut talis notata a Marginistis; & quando id ibi, vel alibi haberetur, exponendus est Doctor, non quidem de distinctione specifica essentiali, sed tantum accidentali, modo jam prædeclarato.

Tertio obiicitur de calore cœlesti, quod sit diversus specie a sublunari, quod comprobari videtur, tum ex diversis eorum attributis, nam cœlestis calor dicitur temperatus, beneficus, salutaris, cujus beneficio gignuntur omnia, aluntur, & conservantur, unde Arist. dixit 2. Phys. 26. Solem, & hominem generare hominem utique virtute sua prolifica, e contra vero igneus calor dicitur adustivus, noxius, & lethificus, urit enim, & exsiccat, ac omnia in cineres redigit; tum etiam experientia, quia tantum abest, ut hi calores se invicem foveant, ac intendant, quod potius alter alterum destruit, & extinguit, parva namque candela extinguitur æstate a solaribus radiis, qui tunc temporis sunt ardentissimi.

90 Resp. etiam calorem ipsum cœlestem, cum est nimis vehemens suffocare, cum experientia constet fervido nimis Solis æstu homines interire, unde Judith. c. 8. vir ejus Manasses hac de causa interiisse dicitur; & e contra igneus calor moderatus multum confert, atque delectat, ut patet hyemali tempore; quamvis ergo regulariter loquendo cœlestis calor sit magis salutaris, atque proficuus ex consortio aliorum elementium influxuum, quam elementaris, id tamen non inducit inter eos diversitatem specificam essentialem, sed tantum accidentalem. Experientia illa, vel nihil probat, vel probat etiam, unum ignem elementarem specie differre ab alio elementari, fax enim extinguit exiguam candelam sibi oppositam, sicut ergo hoc non oritur ex contrarietate illarum flammarum, sed aliunde, nimirum quia vehementi flamma aer rarefit, & commovetur, & ex ea commotione parva flamma restinguitur, qua ratione videmus candelam non posse extrahi accensam per mediam flammam, sed accenditur ex latere; sic in proposito dicendum interdum candelam accensam solaribus radiis expositam restingui ob commotionem aeris ex æstu radiorum causatam.

Quarto tandem obiic. quod calor vitalis, seu animalis distinguatur specie ab elementari, seu igneo, & probatur ex tanta operationum diversitate, quæ in corpore animato per calorem vitalem exercentur, per ipsum enim fit nutritio, attractio, expulsio, segregatio, & distributio alimenti, quo nunquam attingere potest virtus caloris elementaris. Tum 2. quia isti calores se invicem interimunt, nam in animali ægroto calor extraneus, qui igneus est, vitalem calorem dissipat, & extinguit, unde Ari. dixit 4. Metheor. c. 2. calorem internum, & nativum animalis interire per calorem externum, & adventitium, & ait hanc esse putrefactionem. Tum 3. quia hac de causa Medici calorem febrilem, qui est igneæ naturæ, distinguunt specie in animali ab ejus calore nativo, quia ille, cum augetur, hunc dissipat, & disperdit, & ideo ille ab eis appellatur naturalis, & naturæ ini-

micus; naturale autem, & innaturale ejusdem speciei esse minime queunt. Tum 4. quia in cadavere remanet calor elementaris recedente vitali, & calor mortui ad putrefactionem disponit, calor vivi præservat, ergo esse nequeunt ejusdem speciei. Tum 5. omne animal vivit per calorem ex Ari. lib. de resp. c. 7. at talis utiq; non est calor elementaris, siquidem plurima vivunt sine tali calore, ut patet de multis herbis, & plantis, quæ adeo sunt frigidæ, ut sint incurabilia venena, & de Salamandra aliqui tradunt tanto frigore imbutam esse, ut in igne aliquandiu vivat. Tum 6. urget Dandin. quia Ari. lib. 2. de gen. anim. c. 3. distinguit calorem vitalem ab igneo, dicens, calorem vitalem neq; ignem esse neq; ab igne originem ducere, & ratio est, quia ut idem Ari. docet lib. de long. & brevit. vitæ calor vitalis humidus esses debet, nam vita humore calido continetur, at igneus calor est siccus. Tum 7. quia si calor vitalis igneus esset, animalia putrescere non possent, putredo enim ex Ari. cit. 4. Metheor. c. 2. est interitus proprii, & naturalis caloris. in humido ab externo calore profectus, ignis autem, cum sit siccus, nunquam putrescit. Tum 8. quia calor vitalis consequitur animam, igneus autem, & elementaris productionem animæ antecedit, velut materiæ, & corporis dispositio. Tum tandem quia Galen. lib. 8. de Hyppoc. & Platon. de cretis c. 7. notat ventres hyeme, & vere calidissimos esse, contra vero æstate frigidiores, cum tamen elementaris calor æstate magis abunder.

91 Resp. ad 1. calorem vitalem persæpe sumi substantialiter pro virtute nimirum nutritiva, sive generativa, quæ est quædam animæ facultas communis omnibus viventibus, & ita appellatur nomine mutuato ab ipso calore accedente, quo utitur velut instrumento ad suas operationes exercendas, interdum vero sumitur accidentaliter pro ipso calore, qui in ipso animali immediate sentitur, famulaturque illi virtuti animasticæ velut instrumentum, & dicitur vitalis derivata denominatione ab agente principali, cui inservit, quod est calore, operationes itaque vitales in argumento relatæ perficiuntur a calore vitali primo modo sumpto, non autem secundo, nisi instrumentaliter, atque ideo argumentum concludit tantum specificam distinctionem inter calorem elementarem, & calorem vitalem sumptum pro facultate animastica. Ad 2. calor vitalis accidentaliter sumptus consistit in quadam symetria, & proportione, quam habet cum aliis qualitatibus, unde temperamentum, & complexio animalis resultat, ideo quamvis secundum se sit ejusdem rationis cum extraneo calore, tamen ex sola additione istius tam vehementer intenditur, ut excedat proportionem cum aliis qualitatibus, ex quo excessu temperamentum animalis dissolvitur, atque ita internus ipse calor cum extraneo superaddito dilabitur, ita quod externus calor internum destruit, non agendo in illum velut in contrarium, sed nimium illum augendo, sic enim in causa est, ut dissoluto temperamento recedat. Dices, si calor vitalis est ejusdem rationis cum extraneo, ex ejus additione potius deberet perfici, quam lædi. Neg. conseq. quia ut vitalis in proportione constituit cum cæteris qualitatibus, & ideo etiam ex nimia sui ipsius intensione turbatur, unde dicebat Gal. 2. aphorism. 48. calorem vitalem agitatione, vel defectu respirationis adauctum in febrim evadere. Ad 3. quidam Medici, ut refert Angest. dicunt, quod calor naturalis, & febrilis sunt quædam substantiæ subtiles specie differentes, licet cum hoc asserant eatum calores nonnisi penes intensum, & remissum differre; alii vero absolute negant specie differre, sed tantum penes intensum, & remissum, unde febrim definiunt, quod sit calor naturalis accensus in ignem, & hoc est conformius dicto Galeni jam relato, quod innatus calor, si aliunde nimium augeatur, in febrim evadit, & penes hanc diversitatem accidentalem, ait Angest. bene salvatur, quod unus calor sit naturalis, alius non; unus promoveat operationes naturæ, alter impediat &c.

92 Ad 4. dupliciter occurrit Angest. primo negando calorem internum cadaveris disponere ad putrefactionem; quia putrefactio fit a calore medii circumstantis calorem naturalem evaporantis juxta sententiam Ari. 4. Metheor. relatam, deinde concedit ad putrefactionem disponere, sed inquit diversitatem istam non prodire ex differentia specifica calorum vivi, & mortui, sed ex varietate formarum substantialium, cum quibus sunt illi calores, quare calor naturalis in subjecto, cui convenit ut in vivo præservat a putrefactione, in subjecto, cui disconvenit, ut in cadavere, disponit ad putrefactionem. Ad 5. negat. min. quod in quocunq; viyente non reperiatur aliquis calor elementaris, etiamsi exilis, tum quia quodlibet animal quatuor elementis constat, & ideo quaslibet qualitates elementares, vel alias ejusdem rationis cum eis habere debet; tum quia hic calor exigitur, ut præcipuum animæ instrumentum ad ejus operationes exercendas; tum tandem quia quodlibet animal, quamvis frigidum, ex alio intensiori frigore perimitur, ex quo deducitur calorem illum esse ejusdem rationis cum elementari, quia destruitur & ipse a frigore elementari. Ad 6. dicitur Ari. ibi sumere calorem vitalem substantialiter pro peculiari facultate animæ, vel si sumit accidentaliter, ipsum fecernit a calore igneo ratione intensionis, aliarumq; dispositionum, quas secum conjunctas habet, & concedimus calorem vitalem humidum esse, idest cum humiditate conjunctum, sed hinc non sequitur esse diversæ speciei, alioquin calor ab igne productus in aqua esset specie diversus a calore ignis, & frigus aquæ, quia est cum humiditate conjunctum, specie differret a frigore terræ, ubi est cum siccitate. Ad. 7. concedimus ignem non putrescere, adhuc tamen aliqua, quibus inest igneus calor, putrescere possunt, sicut nec terra est combustibilis, bene tamen multa mixta terra. Ad 8. solum probat illos calores diversa habere principia, ex hoc tamen recte non deducitur esse effectus specie differentes, nam animalia genita ex putri, & per propagationem adhuc sunt ejusdem speciei. Ad ult. neg. conseq. nam etiam hyemali tempore putrealis aqua calidior est, quam æstivo, nec tamen sequitur illum aquæ calorem esse specie diversum ab aeris calore, cur tantum venter calidior sit hyeme, frigidior æstate, explicamus disp. seq. quæst. 2. art. 2.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Actione, & Reactione.

Quia Alteratio præsertim exercetur media actione, & reactione inter contraria, expediens visum est, antequam de ipsa alteratione tractemus, disputationem de natura actionis, & reactionis instituere: & quia, quid sit actio & passio, satis declaratum est in Physic. disp. 7. qu. 3. hic tantum conditiones illas, & circumstantias, quæ interveniunt, quando contraria invicem pugnant agendo, & reagendo, examinabimus.

QUÆSTIO I.

An simile possit agere in simile.

PLures esse conditiones ad actionem requisitas notavimus disp. 7. Phys. qu. 4. existentiam scilicet, indistantiam, distinctionem agentis a passo, & dissimilitudinem; ibi declaravimus, quo pacto existentia sit simpliciter necessaria; similiter indistantiam localem universaliter non requiri, sed sufficere indistantiam virtutis, seu virtualem contactum, non quod agens debet a se necessario virtutem quandam diffundere usque ad passum per medium interceptum protensam, quamvis enim hoc dici posset de actione accidentali, nequit tamen de substantiali actione verificari, quia quælibet virtus ab agente diffusa esset accidens, quod impotens est ad attingendam substantiam, ut ibid. qu. 6. fuse docuimus; sed dicitur agens debere immediatum esse passo per virtualem contactum, quatenus, ut habet Scot. 4. d. 44. qu. 2. in fin. per suam substantiam immediate attingit, seu inducit formam in passum localiter distans, sed adhuc in propria sphæra agentis contentum; non secus ac essent simul localiter unita, unde fundamentum fere unicum nostræ opinionis sumi debet ex actione substantiali, quæ nequit ab aliquo accidente, etiam ut est virtus substantiæ, prodire, sed immediate ab ipsa substantia, ex dictis disp. cit. quæ ut plurimum est loco dicta a passo.

Nec contra hanc sent. aliquid facessit, quod urget Joan. de S. Thom. 7. Physic. qu. 22. art. 2. & 3. quod cum agens educat e passo formam ut passo inexistentem, & ex utriusque concursu fiat forma, jam virtus agentis debet esse passo unita. Tum quia non potest agens agere circa materiam, nisi sit illi subjecta, & determinata; non est autem alius modus determinandi, & subiiciendi materiam agenti, nisi penes contactum, & propinquitatem, nam remotum est indifferens ad quodcunque agens, cum respectu nullius habeat conjunctionem unionis, vel propinquitatis, per quam determinetur ad unum agens. Hæc imbecillima sunt, ad 1. enim dicimus sufficere, ut forma ex concursu agentis, & passi fiat, quod agens, & passum sint appropinquata intra sphæram agentis, intra quam potest agens per suam substantiam agere immediate, & per virtualem contactum *modo explicato*. Ad 2. satis determinatur materia ad unum agens, dum est intra sphæram illius, cui intelligitur unita per conjunctionem virtualem.

Circa distinctionem agentis a passo solum dubitari posset, an idem possit in seipsum agere actione univoca, de quo in seq. q. loquemur; actione autem æquivoca fuse ostendimus ibid. art. 2. & disp. 15. qu. 8. art. 2. & disp. 3. de Cœlo qu. 2. non requiri hanc distinctionem, sed idem quandoque posse in seipsum agere. Superest, ut aliam conditionem examinemus, puta an necessario agens debeat esse dissimile passo, & an ista dissimilitudo debeat habere aliquam proportionem.

ARTICULUS I.

An requiratur dissimilitudo inter agens, & passum.

PAssum potest agenti assimilari dupliciter, vel in natura specifica, ut cum habet formam, quam agens potest in ipsum passum producere, sive sit in eadem intensione sive non, ut duo calida, vel assimilari potest non tantum in natura specifica, sed etiam in eodem gradu, ut duo calida, ut quatuor; similiter dissimilitudo duplex est, vel in natura specifica, & est cum passum totaliter caret forma producibili ab agente, vel est in gradu, ut quando non habet eam in eadem intensione, qua potest ab agente produci, ut est calidum ut duo respectu calidi ut sex, quæ dissimilitudo, ut patet, stat cum priori similitudine. Utraque vero duplex est, formalis, & virtualis, ut colligitur ex Scot. 4. dist. 44. qu. 2. in fin. & hoc quia agens est duplex, æquivocum, & univocum; primum, ut habet Doct. quol. 15. ad 1. princ. & dist. 3. qu. 7. scilicet est, cujus terminus productus non est ejusdem rationis cum forma, quæ in ipso est ratio agendi, unde solum virtualiter in agente continetur, ut cum Sol producit calorem; agens univocum est, cujus terminus productus est ejusdem rationis cum ratione agendi, ut cum calor producit calorem; similitudo, & dissimilitudo virtualis tam in natura specifica, quam in gradu cadit inter agens æquivocum, & passum proprium, formalis vero est inter passum, & agens univocum. Potest adhuc alia similitudo, vel dissimilitudo intervenire inter agens, & passum, scilicet in quibusdam accidentalibus conditionibus, ut sunt raritas, & densitas; major, & minor moles; possunt enim duo calida æque intensa hoc pacto differre, ut unum sit altero densius, vel majus. Quærimus igitur, an agens, ut agat, debeat esse dissimile passo, & an quæcumque dissimilitudo in natura, & in gradu, non est dubium, quin ad actionem sufficiat, calidum enim potest agere in frigidum (nisi resistentia frigoris impediret actionem calidi, de quo infra) & calidum ut sex potest calefacere calidum ut duo; dubium est, an dissimilitudo in densitate, & magnitudine sufficiat ad agendum, an vero necessario requiratur dissimilitudo in natura, vel in gradu, ut fit impossibile naturaliter omnino simile agere in simile; non est autem sermo in fine actionis, sed in principio.

De agente æquivoco universaliter dicitur fere quæstionem hanc non habere difficultatem, conceditur enim posse agere in simili, seu in passum habens formam similem, in natura, & in gradu formæ ab æquivoco agente producibili. Sed re vera non majores ingerit difficultates hæc quæstio in agente univoco, quam in æquivoco, ut videbimus. De isto autem univoco agente conceditur communiter, quod aliqua dissimilitudo requiratur, sed Marsi. 1. de gen. qu. 18. Nyphus qu. 2. super c. 8. Tol. qu. 13. Soto 2. Phys. qu. 4. ad 5. docent ad agendum sufficere dissimilitudinem in densitate, vel mole, itaut densius, vel majus possit agere in rarius, & in minus, quamvis in natura, & gradu qualitatis conveniant; videtur etiam sequi Dandinus 2. de an. digress. 23. Communis opinio requirit saltem dissimilitudinem in gradu, ita Peripatetici cum Arist. præcipue 1. de gen. 48. & seq. & Medici cum Galeno lib. 2. de simpl. medicam. facult. c. 18.

3 *Dicimus* 1. *supposito*, quod simile non possit agere in simile, de quo in seq. concl. dissimilitudo in densitate, vel mole, non sufficit ad actionem; est Scoti infra cit. loquimur autem de *mole* & densitate agentis, non *medii*, clarum enim est agens quandoque fortius agere in medium densius, quam rarius, non tamen supra proprias vires intensivas, ut sæpe diximus in lib. de Cœlo. Prob. autem concl. vel densitas esset ratio productiva istius majoris qualitatis, vel conditio sine qua non; Si secundum, habetur intentum: quia nulla conditio potest esse ratio, qua agens producat perfectius se, & nobilius, hoc enim repugnat naturæ principii productivi, cujus est producere imperfectiorem effectum, vel saltem æque perfectum, non perfectiorem ex dictis disp. 7. Phys. conditio enim non auget virtutem productivam *intensive*. Si esset ratio productiva, sequeretur densitatem simul calefacere, & frigefacere, quia si esset agens calidum ut 4. & frigidum ut 4. si applicaretur passo, ageret per calorem & frigus, & si esset densius, fortius ageret calefaciendo, & frigefaciendo per densitatem, ergo densitas simul calefaceret, & refrigeraret respectu ejusdem passi, non enim esset major ratio, cur potius cum calore concurreret, quam cum frigore. Tum quia densitas esset principium activum partiale, unde si esset sine calore v. g. adhuc calefaceret. Tum quia esset quoddam universale principium potens partialiter concurrere cum qualibet activa qualitate, quæ omnia sunt falsa. Idem de magnitudine dicendum; nam ideo admittitur densum posse intendere sibi simile rarum, eo quod plures habet gradus in pluribus materiæ partibus, & ex his majorem virtutem agendi, sed corpus magnum respectu minoris habet etiam plures gradus in pluribus partibus materiæ, quare idem de densitate, & magnitudine dicendum.

Accedit principaliter, quod sequeretur posse produci qualitatem supra octavum gradum, si scilicet daretur agens rarum, & calidum ut octo, hoc namque si condensetur, poterit producere qualitatem supra octo gradus. Tum quia deberet admitti posse simile agere in omnino simile, tam scilicet in natura specifica qualitatis, & in gradu, quam in densitate, & mole; prob. seq. quælibet pars agentis agit in quamlibet partem passi, ut infra, ideoque omne agens est majus secundum omnes sui partes qualibet parte minima passi, ergo si majus agens potest agere in passum minus simile illud intendendo, qua ratione poterit agere in unam partem minorem passi, igitur poterit agere in omnes, quia eodem modo agit in omnes, ac si esset una solum; quare poterit agere *in omnino simile*; quod non concederent adversarii; alia adducemus in solut. rationum, ubi magis explicabitur hæc conclusio.

4 Dicimus 2. agens æquivocum posse agere in sibi virtualiter simile tam in specie, quam in gradu, at agens univocum requirere saltem formalem dissimilitudinem in gradu; conclusio hæc docetur a Scot. 1. dist. 17. qu. 3. supra RR. in additione ibi apposita: nam licet in secunda ratione, quam ibi conficit contra Gotf. supponat agens remissius posse in intensius agere, & indiscriminatim loquatur de agente univoco, & æquivoco, tamen in illa additione se declarat aperte, & restringit doctrinam traditam in secunda ratione ad solum agens æquivocum. Prima pars de agente æquivoco prob. experientia, sit grave producens pondus ut duo in passo sibi subjecto, si isti apponatur grave ut unum, intendit impulsum illum ut tria, & tamen impulsus, & pondus a primo gravi productum excedebat virtutem istius gravis. Similiter idem conspicitur in trahentibus *navim*, quorum

rum quilibet auget impulsum, aut tractionem illam excedentem vires singulorum. Insuper sit vinum virtualiter calidum ut tria, applicetur corpori calido ut quinque, intendet calorem, ut patet, & tamen *calor ille excedit virtutem vini*. Idem etiam ostendi solet de pluribus luminosis intendentibus lumen in medio productum, quod a quolibet illorum non posset produci; sed de hoc infra; quapropter poterit agens æquivocum agere in passum continens in se formam similem illi in gradu, quæ virtualiter potest ab illo agente produci, imo perfectiorem.

5 Secunda pars de agente univoco communiter quidem asseritur, sed adhuc non est a Doctoribus adinventa sufficiens ratio ostendens inter agens univocum, & passum debere intercedere hanc dissimilitudinem in gradu; omnes enim vel non concludunt, vel æque urgent de agente æquivoco, ut patebit discurrendo per illas.

Primo enim arguitur, quod calidum v. g. ut 4. non posset agere in passum calidum etiam ut 4. Tum quia effectus nequit excedere in perfectione suam causam, si illud calidum intenderit illud passum, jam causaret calorem ut quinque & sic effectus nobilior sua causa. Tum 2. finis agentis est assimilare sibi passum, qua assimilatione assecuta cessat agentis actio, ergo quando repetit passum assimilatum, non est, cur agat in illud, potius enim redderet illud dissimile sibi, quam simile. Tum 3. illa non agunt ad invicem, quæ non habent contrarietatem in ratione principii activi, sed quæ sunt in gradu similia non habent hanc contrarietatem, ergo &c. Tum 4. agens agit, quatenus est in actu, passum patitur, quatenus est in potentia, sed duo similia habent actu eandem qualitatem, ergo unum non potest dici *in actu*, & alterum *in potentia*. Tum 5. omnis actio physica provenit ex victoria agentis supra passum, si enim agens non superaret passum, non posset *in illud agere*, *sed similia in gradu non se* excedunt, neque vincunt, cum unum alteri non resistat, vel opponatur, ergo, &c.

6 Istæ rationes retorqueri possent contra agens æquivocum, & ab omnibus solvi debent. Prima si valeret, probaret vinum calidum virtualiter, ut unum, non posse intendere calorem ut quinque existentem in corpore humano, nec grave ut unum intendere pondus ut quinque causatum in trutina a gravi ut quinque, nam calor ut sex resultans & pondus ut sex excederet virtutem causæ. Nec juvat dicere disparitatem esse, quia agens æquivocum, cum sit nobilius, & perfectius, poterit compensare id, quod est de majori intensione in effectu, non sic in univoco, quia est ejusdem rationis. Non valet, quia excessus effectus *in perfectione* non attenditur penes perfectiones entitatum absolute, aliter quia grave remissum est simpliciter perfectius quocumque pondere intenso, poterit illud producere; sed attendi debet penes proportionem ad virtutem activam, ergo cum calor ut sex excedat virtutem vini, non posset ab ipso intendi. Quapropter negatur calorem ut quinque esse adæquate effectum calidi ut 4. sed inadæquate, ratione scilicet quinti gradus de novo producti, qui non excedit calidum, ut 4. Secunda ratio urget quoque agens æquivocum, nam sicut finis agentis univoci est assimilari sibi passum formali similitudine, & univoca, ita finis agentis æquivoci, ut notat Scot. 2. distinct. 2. quæst. 10. supra B. est assimilare sibi passum virtuali similitudine, & æquivoca, ergo quandocumque reperit passum virtualiter assimilatum, non deberet *in illud* agere, quia potius redderet dissimile, quam simile, & tamen agit. Idcirco dicendum finem agentis esse assimilare sibi passum in eo, quod est ab ipso agente producibile, *non ideo*, quod passum *aliunde recepit*, sic calidum ut 4 potens producere calorem ut duo, ut tria, si hunc introducit in aliud calidum ut 4. assimilat illud sibi in calore producibili ab ipso, non in calore præexistente, quod de agente æquivoco necessario est dicendum. Præterquamquod, ut notat Aresi. 1. de generat. disput. 5. quæst. 43. sect. 2. non licet semper a fine arguere in physicis, aliter quando non posset agens consequi finem, nullo pacto ageret, quod est falsum, sic enim nulla monstra evenirent, nec potentia nutritiva nocivum aliquod converteret in substantiam alicui, esset enim contra finem intentum a natura, ob quem tribuit hanc potentiam vegetantibus, qui est viventis conservatio. Tertia nil concludit, luminosum enim agit in aerem, in quo nullum est principium activum contrarium, sic de gravi, de *vino*, & *aliis exemplis* adductis dicendum, sufficit enim quod passum habeat capacitatem formæ ab agente producibilis. Quarta, non minus concluderet de æquivoco, nam grave ut unum est in actu virtuali ad producendum pondus ut unum, passum actualiter ab alio gravi habens pondus ut unum, recipit nihilominus novum pondus ab illo gravi, & hoc, quia passum est in potentia ad ulteriores gradus ponderis, ergo idem de passo, & agente univoco dici poterit; cum enim calidum ut 4. sit in potentia ad ulteriores gradus caloris, quamvis habeat quatuor gradus, poterit a calido ut 4. pati. Quinta ratio, ut patet, parum valet; hæc enim victoria attendi debet quatenus passum sit potens ab agente recipere formam; unde resistentia potius impedit, quam sit causa actionis, solum dici debet causa retardationis, & successionis, non ipsius actionis, cum ergo calidum ut 4. sit potens recipere alios gradus caloris, si aliud calidum ut 4. in illud ageret; vere diceretur actionem ex victoria agentis provenire, sicut corpus humanum patitur a vino, quamvis in se contineat intensiorem calorem, quam possit a vino produci.

7 Secundo argui solet, quia gradus qualitatis sint ætherogenei, itaut quintus gradus v. g. nonnisi a quinto gradu produci possit; idcirco nequit calidum ut 4. *intendere* aliud *calidum* ut 4. quia nequit producere quintum gradum, qui est omnino alterius rationis ab aliis, & hæc est ratio fundamentalis Arresii. Tum quia quodlibet pateretur a quolibet, quia pateretur a contrario, & a simili.

Hæ quoque *rationes* probant etiam de agente æquivoco, nam si gradus sunt alterius rationis, ergo non posset agens æquivocum potens solum unum gradum producere, & consequenter primum gradum, intendere qualitatem ut tria, ut 4. &c. & tamen videmus oppositum, non tantum in impulsu (quem Arist. sustinet intendi per gradus homogeneos) sed etiam in calore, ut diximus de vino, præterquamquod falsum est gradus esse homogeneos, ut fusius dispur. sequent. Secunda etiam parum urget, nam etiam in actione æquivoca passum patitur a simili virtualiter; ideo dicimus, non sequi a quolibet pati: quia nec quodlibet est contrarium, vel simile, sed dantur entia disparata, respectu quorum passum non est in potentia passiva.

8 Quapropter solet hæc pars probari experientia, nam si calidum ut unum applicetur alteri *calido* ut unum, *non ob id evadit calidum* ut duo, & intensius; sic si aquæ calidæ alia ejusdem qualitatis adjungatur non fit calidior, idem de igne conspicimus; signum evidens unum non agere in aliud, propter similitudinem in gradu. Difficultas autem est in assignanda ratione, cur agens æquivocum, si reperiat in passo qualitatem similem in gradu illi, quam potest efficere, adhuc aget, non sic agens univocum. Et quia difficile valde est rationem a priori assignare, nam neque assignari potest certa ratio, qua demonstretur a priori hanc formam esse activam, non illam, ut docet Scot. 1. dist. 7. quæst. un. V. maxime enim esset major formæ perfectio, & tamen videmus multa imperfecta esse activa, non vero perfectiora, ut notavimus disp. 7. Phys. qu. 6. art. 2. solum dici posset idcirco hoc agere, non *illud*, *quia hoc est hoc*, *illud est illud*. *Si igitur* nequit assignari ratio a priori, cur aliquod ens sit activum, vel non, neque etiam poterit a priori reddi ratio, cur aliquod ens *sit hoc*, vel illo modo activum, nisi quia *hoc est hoc*, *illud est illud*.

9 Potest tamen reddi ratio a posteriori, & tangitur a Scot. 1. dist. 17. qu. 3. supra RR. in illa additione, quam amplectitur Vasq. p. 2. disp. 80. c. 1 & alii Recentiores, quia scilicet agens æquivocum semper habet in se nobiliorem formam, quam sit qualitas ab ipso producibilis, & alterius rationis; non sic agens univocum; ex quo sequitur, quod si agens univocum ageret in simile in gradu; cum sit ejusdem rationis cum illo, hæc sequerentur absurda; Tum quia non esset major ratio, cur potius hoc agat in illud, & non e converso, ut arguit Arist. 1. de gen. 50. & 51. imo ad invicem ageret actione ejusdem rationis. Tum quia eadem aqua æque calida secundum partes extremas se calefaceret in media parte. Tum quia *idem* posset seipsum intendere actione univoca, si enim *calidum* ut unum potens est producere calorem ut unum in calido, ut duo, ut tria, &c. ergo etiam in seipsum, quod esse falsum dicemus q. seq. Tum quia omnia essent ignis, aut saltem calida in summo, nam si duo calida ad invicem agunt actione ejusdem rationis, ergo tandiu se intenderent quousque ad summum gradum caloris perveniret.

Dices hoc non sequi, non quia calidum ut unum non sit aptum agere in calidum ut unum, sed quoniam qualitates contrariæ in mixtis non reperiuntur se solæ, sed semper cum admixtione contrariæ qualitatis, hinc si essent duo calida ut quinque, essent etiam ambo frigida ut tria, unde non poterunt producere nisi calorem ut quinque, quia capacitas subjecti solummodo est ad octo gradus qualitatis, & quamvis augeatur calor ex una parte, augetur tribus ex *alia*, ac *in elementis*, *ut in igne*, non possunt duo ignes introducere nisi calorem ut octo, ad quem consequitur statim forma ignis; & quia substantia non suscipit magis, & minus, ideo omnes ignes sunt æqualis *perfectionis*, nec petunt calorem, nisi ut octo, & hac ratione duo ignes non introducunt intensiorem calorem, at si essent duo calores separati, & similes in gradu, posset concedi mutuo agere. Solum urgeri posset de luce, & lumine, quæ non habent contrarium; at in nostra sententia non habet difficultatem; quia lux producit lumen æquivoca actione, ut dicemus.

10 Hæc tamen ratio licet videatur satisfacere de facto propter admixtionem contrariæ qualitatis; absolute tamen nec videtur verum, posse duo calida separata similia in gradu ad invicem agere & mutuo se intendere; quamvis enim mutua causalitas in eodem genere, sed secundum diversas rationes quandoque non repugnat ex dictis disp. 8. Phys. qu. 11. art. 1. ut si discipulus evadens doctior magistro, doceret illum, attamen videtur implicare, quod simul hæ causalitates exerceantur, ut eveniret in proposito; statim enim ac duo calores essent ad invicem applicati, simul agerent, ut calor *A. intendat calorem B.* & simul a calore B. intendatur, & gradus producti iterum agant, itaut in infinitum augeatur calor; imo calor separatus esset a seipso intensibilis in infinitum, quod est absurdum, sic enim non esset calor ut 4. perfectioris activitatis, quam calor, ut unum, uterque enim haberet activitatem producendi calorem intensiorem in *infinitum*. Hæc absurda non sequuntur in agente æquivoco, eo quod cum sit alterius rationis, quamvis agat in simile non ob id pateretur ab affectu producto, nec actio in infinitum, aut saltem in summum crescret, licet namque vinum calefaciens stomachum a calore stomachi calefiat, non idcirco intenditur actio, quia non calefacit stomachum per calorem formalem, sed per virtualem, qui est alterius omnino, & perfectioris rationis.

Concludimus igitur agens *univocum non posse agere* in simile in natura, & in gradu, etiamsi dissimile *sit in* densitate, vel magnitudine, unde ad minimum requiret dissimilitudinem in gradu, at *agens æquivocum* non *requirere* necessario hanc dissimilitudinem in gradu, sed posse in *simile* agere; adhuc tamen aliqua intercedit dissimilitudo, quatenus scilicet hoc agens supponit passum sub carentia formæ *producibilis* ab ipso agente, quamvis aliam

similem habet ab alio agente, & consequenter supponit passum dissimile virtualiter virtuti ipsius agentis, quæ dissimilitudo tollitur per actionem, per quam passum virtualiter reddi ur simile.

11 Contra 1. conclus. arg. experientiis, nam ferrum candens ignit stuppam, certum autem est plus caloris esse in igne, quam in non igne, ergo plus caloris esset in stuppa productus, quam existeret in ferro; quod erit propter majorem ferri densitatem. Aer congelat aquam, & tamen non est tam frigidus, quam aqua congelata, hoc igitur proveniet ex majori quantitate aeris. Vas æneum vino plenum frigefit in puteo magis, quam aqua. Flamma major destruit minorem, ergo agens majus, quamvis simile in gradu, potest agere in minus. Carbones plus urunt, quam flamma; & aqua glaciata magis infrigidat, quam fluida, ergo densitas materiæ facit intensius agere. Calor junctus siccitati fortior est, quam humiditati unitus, ergo dissimile in conditionibus, quamvis simile in gradu, poterit agere. Accedit ratio, quia, in majori magnitudine major virtus existit 8. Phys. 80. & in materia densiori fortior virtus reperitur, quia ex 1. Metheor. cap. 12. virtus unita fortior, sed ex quocumque excessu virtutis agentis supra passum oritur actio, ergo cum densius, & majus excedet rarius, & minus in virtute, inter ista cadet amajus excedet rarius, & minus in virtute, inter ista cadet actio. Tum quia majus, vel densius agit in majori distantia, ut patet, ergo intensius etiam agit, prob. conseq. nam agit uniformiter difformiter, & quo magis protrahitur actio in remotum, eo partes propinquiores agenti sunt intensiores, ergo si densius agit in remotius, quam rarius, & si similia sint in gradu, in propinquiori parte intensius quoque agent.

Resp. in ferro adesse quasdam particulas ignis inclusas in poris juxta dicta disp. 4. de Cælo q. 2. art. 3. vel dicendum, idcirco stuppam igniri, non quia ferrum causet intensiorem calorem, quam sit in seipso, sed quia minor calor ad ignitionem requiritur in subjecto, quando in illo adest quoque raritas, & siccitas, quam si hæ qualitates non adessent. Aqua non glaciatur solum a frigore aeris, sed etiam a frigore exhalationum terrearum, & siccarum, quæ semper regnant, cum fit glacies, nam semper est glacies cum siccitate, & ventis septentrionalibus, qui admixtum habent multum terræ exhalationis; vide disp. cit. num 143. & 145. Vas in puteo immissum frigidius sentitur, vel quia propria forma substantialis concurrit ad infrigidationem: vel quia major densitas juvat, ut mox dicemus: vel quia non habet admixtas exhalationes calidas exeuntes e terra. Flamma major minorem absumit, quia pabulum ejus totaliter consumit, & devorat, non quia agat in minorem. Carbones, & glacies fortius agunt, quia citius, non quia supra proprias vires agant, ut mox dicemus. Calor siccitati unitus videtur magis calefacere, quia magis ad ignitionem disponit, in se vero eodem modo calefacit. Ad rationem dicimus in densiori & majori mole esse majorem virtutem extensivam, non intensivam, ideoque producetur effectus citius in majori distantia, & etiam intensior, habita comparatione ad intensionem ejusdem effectus, in qua produceretur sine densitate, vel tanta mole, non tamen intensior fieret, quam esset ipsa virtus agentis activa: nec hoc est absurdum, quia densitas, & moles sunt dispositiones ad agendum, ergo quo sunt *perfectiores*, eo perfectior erit actio, non intensive supra virtutem activam principalem, quia per istas non intenditur virtus, sed solum extensive, hinc neg. conseq. quod possit in rarius, vel in minus agere, ad hoc enim exigitur intensior virtus.

12 Contra 2. conclus. arg. Tum experientiis, nam sint duæ phialæ æquales, & omnino similes vitreæ, ejusdem duritiei etiam in gradu invicem collidantur, vel utraque, vel certe altera frangetur, ergo simile agit in simile. Sint etiam duo ligna æque calida, confricentur ad invicem, incenduntur secundum calorem. In eadem parte aeris, in qua est species visibilis unius parietis, agit etiam species visibilis alterius parietis omnino similis. Idem apparet de speculo *immittente* species in aliud speculum simile. Similiter sint plures candelæ hoc modo dispositæ per lineam rectam: sit asser quidam, in quo sit foramen æquale flammæ candelæ, per quod debeat proiici lumen in parietem oppositum, candela directe opponatur ad foramen, jam projiciet & lumen, cui candelæ si addas secundam per lineam rectam, intenditur lumen in pariete, si iterum tertiam addas, etiam lumen in pariete redditur intensius: ex quo non solum sequitur secundum, & tertium lumen agere in parieem jam altero simili lumine in gradu illuminatum, sed etiam tertiam candelam agere in secundam, & primam, & secundam in primam, quia nequeunt aliæ candelæ in parietem transmittere lumen, nisi per primam candelam juxtapositam ad foramen tabulæ, ergo simile poterit agere in simile. Item furni, & fæbulæ, ergo simile poterit agere in simile. Item furni, & fænum quandoque sponte *conburuntur*. Triticum nimis calefit, nisi aere refrigeretur, & ventilatione. Carbones separati extinguuntur, uniti conservantur, & accenduntur.

Resp. exemplum primum non esse ad propositum: nam principium fractionis est duritiei impulsa, quæ hæc duo causat, scilicet motum partium rei allisæ in contrarium, & illarum divisionem ob impenetrabilitatem, ex quo patet, non esse agentia univoca, sed æquivoca. Illa etiam ligna non incenduntur univoca actione per calorem, sed æquivoca per motum attritionis, sic quoque calefiunt ad invicem manus. Idem dicendum ad exemplum de speciebus visibilibus in eadem parte aeris, vel in speculo. Exemplum de lumine valde contorquet Thomistas afferentes ipsius productionem esse univocam, unde multas congerunt responsiones; breviter tamen dicimus cum Scot. 2. dist. 13. quæst. 1. esse productionem æquivocam, eo quia lumen est species visibilis lucis, unde sicut duæ species ejusdem rationis in eadem parte aeris proprie non intenduntur, sed sunt duæ species numero distinctæ, ita de lumine a duobus lucidis producto dicendum, ut fusius in lib. de an. quare negamus unam candelam in aliam agere intendendo illam, non enim lucidior conspicitur, sed solum, quia aliqualem habet diaphaneitatem, per primam secunda transmittit propriam speciem visibilem ad parietem, scilicet lumen. Accensio fæni, & furnorum non potest causari ab actione in simile, aliter semper eveniret, sed in fæno ab agente extrinseco nimis quandoque calefaciente, & propter majorem dispositionem materiæ, in furnis vero, quia aliquando partes ignis diu conservantur propter intensiorem accensionem, unde incendium postea causatur; Calefactio tritici, ut notat Aresc. provenit ex virtute vegetativa in illo existente, quæ est causa, ut in terra satum germinet, ad germinationem autem requiritur calor naturalis, unde calefactio illa est æquivoca actio, idem dicendum de fimo columbæ, qui concipit ignem, si impediatur evaporatio; hæc enim actio æquivoca est a forma substantiali. Tandem carbones invicem conservantur, quia major quantitas juvat ad resistendum magis contrariis obsidentibus, nec ista conservatio est proprie actio ex dictis disp. 7. Physic. quæst. 2. accenduntur autem, quia moles facit ad majorem extensionem actionis, qualis est ista.

13 Secundo arg. ratione. Tum quia inter duo similia adsunt omnia requisita ad egendum, nam in primis adest agens scilicet calidum ut 4. potens quatuor gradus caloris producere, adest passum potens illos quatuor gradus recipere, capacitas enim ipsius extenditur usque ad 8. ergo si approximantur, sequitur actio, prob. conseq. nam si quid esset obstaculum, esset forma similis præcedens in passo scilicet calor ut 4. sed hæc potius juvare debet, quam impedire, quia actio facilius sequitur, ubi est minor resistentia, forma contraria resistit, similis potius disponit materiam ad receptionem alterius formæ similis, dummodo sit compossibilis cum illa, ut in casu sunt octo gradus caloris; vel si necessario requiritur aliqua contrarietas, jam in illo passo adsunt quatuor gradus frigoris, in quos posset agere calor. Tum quia idem potest agere in seipsum etiam univoca actione, ut patet in reflexione, & antiperistasi, ergo multo magis in aliud simile. Tandem mixtum homogeneum est intrinsece corruptibile, ergo una pars alteri similis (aliter non esset homogeneum) poterit in aliam similem agere, ut sequatur corruptio.

Resp. ad 1. Impedimentum esse formalem similitudinem in specie, & in gradu inter illud agens, & passum; nec actio solum impeditur a majori resistentia contrarii, verum etiam ab omnimoda similitudine, ratio hujus est a posteriori assignata in conclus. Ad 2. dicemus quæst. seq. Ad 3. mixtum illud non corrumpetur, nisi pars aliqua ab extrinseco alteretur; quod sufficit, ut corruptibile dicatur; vide disp. seq. quæst. 3.

ARTICULUS II.

An ista dissimilitudo debeat esse secundum proportionem majoris inæqualitatis.

14 Determinavimus in præced. art. inter agens, & patiens debere dissimilitudinem aliquam intercedere, maxime si est agens univocum: & quamvis hoc universaliter in qualibet actione sit verum, specialiter tamen habet locum in actione inter contraria, de qua præcipue loquitur Arist. hic, utpote quia generationi inservit, & qua agens nititur introducere in passum formam, passum vero resistit per formam contrariam sibi inhærentem, ne agens in ipsum agat; tripliciter autem possunt inter se comparari, primo ut activitas agentis sit omnino æqualis cum resistentia passi, & hæc dicitur dissimilitudo secundum proportionem æqualitatis: secundo, ut resistentia superet activitatem agentis, & dicitur dissimilitudo secundum proportionem minoris inæqualitatis: tertio, ut activitas agentis superet resistentiam passi; & dicitur dissimilitudo secund um proportionem majoris inæqualitatis; quæritur igitur, an necessario requiratur ista tertia dissimilitudo, an vero quælibet sufficiat; & loquimur de resistentia formali, quam explicuimus disp. præced. quæst.

Prima opinio est Burlæi 3. Phys. com. 15. Tol. 1. de gener. quæst. 13. Valles. contr. 44. Mercen. lib. 2. dilucidat 7. desumpta ex lib. de gener. asserentium non semper requiri ad actionem dissimilitudinem secundum proportionem majoris inæqualitatis, sed quandoque sufficere alteram minoris inæqualitatis; idem videtur *sentire* P. Faber theor. de react. ad 1.

15 Dicendum est tamen cum communi, actionem semper procedere a proportione majori inæqualitatis; ita colligitur ex Scoto 2. dist. 2. quæst. 9. Z. ubi ait, ad hoc ut movens moveat mobile, debere ipsius resistentiam vincere, & superare, quod est agere a proportione majoris inæqualitatis, idem habet quæst. 10. Probatur ex Arist. 1. de gen. 34. & 88. ubi ait tunc fieri augumentationem alicujus, quando multo agens excedit passum: mixtionem vero, quando quodammodo æquantur, ubi non ait, quando æquantur, sed addit ly quodammodo, ut denoret, ad actionem semper requiri proportionem *majoris* inæqualitatis; idem repetit 1. de Cælo 7. & 2. de gen. 48. Accedit ratio, quia agens agere in passum est introducere in ipsum formam, quam intendit producere sua activitate, passum vero resistere agenti resistentia formali est impedire, ne agens formam contrariam inducat, ergo quamdiu passum actu resistit, numquam poterit agens agere, & tunc agens actu aget, quando passum non amplius resistet, ergo resistentia passi semper debet esse minor activitate agentis; prima conseq. patet, nam esse nequeunt simul actualis resistentia, & actualis actio, aliter contradictoria verificarentur, scilicet quod inducatur, & non inducatur forma, inducitur enim quia agens agit, non inducitur, quia passum actu resistit; secunda consequentia prob. *posse agere arguit potentiam in agente*, non posse resistere arguit impotentiam in passo, ergo quamdiu passum non resistit, est signum, quod non est potens resistere, cum sit naturaliter resistens, & consequenter major erit activitas agentis, quam resistentia passi.

16 Resp. duplicem esse actionem, unam cum victoria agentis, & est, quando agens perfecte, & omnino transmutat passum, alteram sine victoria, ut cum agens non ex toto passum destruit, sed ad invicem pugnant, & labefactantur; prima fit ex proportione *majoris inæqualitatis*, non secunda, argumentum, & Arist. loquuntur de prima actione, non de secunda. Contra, ut agens agat in passum actione non victoriosa, debet in aliqua ipsius parte introducere formam contrariam, ergo secundum illam partem, secundum quam fit actio, agens debet excedere passum, ergo quælibet actio est victoriosa, & fit a proportione majoris inæqualitatis, anteced. est clarum, conseqn. prob. eodem modo, ut in arg. princ. quia passum secundum illam partem amplius non resistit. Tum quia sequeretur, nunquam posse actionem agentis totaliter impediri, quia tunc impediretur, quando passum plus resistit, quam agens agat; sed data hac opin. jam adhuc agens posset tunc agere, ergo non impediretur totaliter. Tandem quando passum æque resistit, ac fit agentis activitas, nulla sequitur actio, ergo multo minus sequetur, quando resistentia excedit; antec. patet, quia agens est superius passo, quia hoc sibi subiicit inducendo formam, ergo quando sunt æqualia, nulla erit actio.

Ex his colligitur, quod quando agens applicatur passo, si statim non incipit agere producendo aliquam partem formæ, nec deinceps agent in passum, nisi agens acquisierit de novo aliquid virtutis, vel passum amiserit aliquid resistentiæ; ratio est, quia si statim ac fuit applicatum, non egit, quia virtus erat impotens, ergo cum eodem modo se habeat tempore sequenti, nec etiam poterit agere. An autem iste excessus debeat esse determinatus, & quomodo, an scilicet intrinsece, an extrinsece, dicemus q. ult.

17 Contra arguit Mercen. ex Arist. 4. de gen. animal. c. 3. ubi Philosophus reddens rationem, cur actio aliquando dissolvitur, ait esse, quoniam agens in agendo repatitur; interdumve contingit, ut id, quod agit, plus patiatur, quam agat; ex quibus colligitur agens aliquando debilius esse passo, & consequenter impotentius, ergo tunc actio proveniet ex proportione minoris inæqualitatis. Resp. agens, & patiens diversimode posse inter se comparari, primo secundum activas potentias, quæ etiam resistentiam habent activam, ut cum ignis, & aqua comparantur in calore, & frigore; secundo secundum potentias resistitivas formales, ut an frigus sit majoris resistentiæ, idest tenacius adhæreat subjecto, quam calor: tertio comparari possunt secundum potentiam activam unius, & resistitivam formalem alterius, & hæc est propria comparatio, quia ut sic habent rationem agentis, & patientis, ubi in prima comparatione, ambo considerantur ut agentia, in secunda, ambo ut patientia: tunc ad, argum. dicimus in casu agens esse impotentius, & debilius quoad potentiam resistitivam formalem respectu potentiæ activæ contrarii, vel quoad potentiam activam respectu ejusdem potentiæ activæ, *non* tamen quoad potentiam activam in ordine ad potentiam resistitivam formalem contrarii; cum enim calidum ut unum reagit in frigidum ut octo, potentia activa ipsius est minor, quam potentia activa frigoris, quæ est intensior, similiter potentia resistitiva formalis est debilior, quam potentia activa *frigoris*, at potentia activa caloris est major, quam potentia resistitiva frigoris, hæc enim superatur ab illa; hinc semper actio erit a proportione majoris inæqualitatis.

18 Instabis, sicut potentia activa frigidi ut octo superat potentiam activam caloris ut unum, quia licet cæteris paribus plus valeat calor ad agendum, quam frigus, attamen aliquando propter intensionem frigoris, & remissionem caloris plus valet frigus ad agendum, quam calor, ut in casu, ergo potentia resistitiva formalis *frigidi* ut octo debet superare potentiam activam caloris ut unum propter intensionem potentiæ frigoris, & remissionem potentiæ caloris, ergo si calor ut unum agit in frigidum ut octo, actio proveniet a proportione *minoris* inæqualitatis.

Aversa q. 39. sect. 10. negat paritatem, quia inquit, quælibet qualitas plus valet ad agendum, quam sua contraria ad resistendum. Hæc tamen responsio non videtur satisfacere, nam intensio utramque potentiam auget, ideo enim potentia activa intensior dicitur major, quia fortius agit, *minusque illi* resistitur, ergo quia potentia resistitiva formalis intensior difficilius vincitur, & superatur, erit majoris resistentiæ, & per consequens si caloris activa potentia in aliqua determinata proportione excedet resistitivam frigoris, poterit hæc taliter intendi, ut non solum æquetur illi, sed etiam superet. Tum quia stante hac responsione nunquam posset contingere, passum totaliter impedire actionem agentis, quia potentia agentis quantumcumque remissa semper excederet resistentiam passi quantumcunque intensam; cujus oppositum ipse docet sect. 9. vide disp. præced. quæst. 4. conclus. 2.

19 Resp. igitur concedendo potentiam resistitivam augeri per intensionem, & si tota resistit, impedire actionem agentis, quando excedit, at si resistet solum secundum partem, in qua non excedit activitatem agentis, tunc sequi actionem; *etenim* licet agens secundum omnes partes agat, non tamen passum secundum omnes partes, & secundum omnes gradus semper resistit; ratio discrimnis est, quia ad agendum sufficit, ut passum sit in sphæra agentis, nec requiritur contactus, sed potest actio fieri in distans, unde partes interiores ignis adhuc immediate agunt in passum absque eo, quod agant in partes ignis externas, at resistentia formalis non se

habet ut quid transiens, ut est actio, sed quasi ut quid immanens, nam resistere actu est *impedire*, ne agens introducat formam in passum, ergo passum secundum illam partem, & secundum illum gradum resistit, circa quam partem agens applicatur, & in qua intendit producere formam, & quem gradum *intendit* expellere; hinc quia calor ut unum non intendit expellere omnes gradus frigoris, sed tantum unum, nec actu applicatur æque ad omnes partes, idcirco non resistit, nisi secundum unum gradum, & secundum determinatam partem, secundum quam calor excedit *in activitate frigus*; at quoniam intendens movere ingentem lapidem non applicat virtutem in una parte sola, nequit enim lapis moveri secundum partem, sed necessario totus movetur, hinc secundum totam potentiam resistit, quæ si excedit virtutem agentis, nulla sequetur actio. Rationes, quas contra hanc respons. conficit Aversa, supponunt intensionem qualitatis fieri secundum gradus ætherogeneos, quod reprobamus disp. seq.

20 Dices, si hoc esset sequeretur agens in instanti alterare passum in parte aliqua extensa, quamvis ageret per contrarias qualitates, quod est falsum, quia alteratio fit in tempore, ut dicemus disp. sequ. Prob. sequela supponendo duo principia, primum est, quod agens materiale prius agit in partem propinquiorem, quam in remotiorem; secundum est, quod ad agendum *non sufficit quilibet excessus activitatis*, nec quælibet quantitas agentis, sed determinata, itaut minor non sufficiat, ut dicimus qu. ult. tunc sic, si ad agendum requiritur determinata quantitas, ut minor non sufficiat, ergo etiam ad resistendum, assignetur pars ista passi, quæ potest resistere, cum sit divisibilis, in illa prius agens aget in propinquiori medietate, quam in remotiori, at secundum illam medietatem nequit passum resistere, ergo agens in instanti aget in illam, successio enim provenit ex *resistentia*, ergo *etiam in alias partes*, & *sic totum passum in* instanti alterabitur, nunquam enim posset assignari pars, quæ primo tota simul resistat, ergo falsum est passum resistere secundum eam partem, in qua agens agit. Resp. breviter neg. ad resistendum requiri determinatam quantitatem, ut ad agendum, quia plus requiritur ad agendum, quam ad essendum, at resistere sequitur esse, quandiu enim forma est in subjecto, tandiu resistit, resistentia enim, ut diximus, non est quidam actus secundus positivus, ut actio, sed actus quidam negativus, quatenus est negatio actionis in passo.

Urgebis iterum; si passum resistit agenti secundum illam solam partem, in qua agens agit; vel resistit antequam agens agit, vel postquam egit, vel dum agit; non primum, quia resistentia connotat oppugnationem agentis, *est enim impedimentum* quoddam actionis, quod si non adesset, agens introduceret formam, at antequam agens agat, & si non adesset resistentia, non ob id agens introduceret suam formam, ergo tunc passum non resistit agenti; neque secundum ut patet; neque tertium, quia dum agens agit, introducit formam, ergo passum non resistit, quia resistentia dicit negationem actionis; tum quia in partem illam, in quam agit, jam introducit formam, ergo est contraria corrupta, ergo secundum illam partem *formæ passum* non resistit, quia quod non est, nequit resistere, nec resistit secundum alias partes, quia agens nondum in illas applicavit suam virtutem, ergo potius dicendum est, passum secundum omnes partes resistere, & sic actionem fieri secundum proportionem minoris *inæqualitatis*.

21 Resp. Ruv. 1. *de gen. tract. de act. & react. qu.* 1. passum resistere agenti, dum applicatur ad agendum, eo quia in illo applicationis instanti agens introduceret totam formam, ut facit luminosum in aere, in quo nulla est resistentia respectu luminis, at non introducit, nisi in tempore sequenti, & successive; idcirco passum non resistit agenti actu producenti formam, sed agenti applicato. Hæc doctrina est utique vera, loquendo de resistentia in principio actionis; attamen deficit, quia si post applicationem passum non resistit, *deberet agens subito introducere* formam, & non successive. Quare addendum est duobus modis posse formam aliquam resistere agenti, primo ut totaliter impediat actionem agentis, secundo partialiter, ut retardet, ne tam cito fiat, sed successive, si enim agens in instanti produceret formam, & destrueret oppositam, nullo modo hæc agenti resisteret, sed totaliter vinceretur; tum ad argum. dicimus formam resistere agenti, dum non agit, dummodo sit applicatum, tunc *enim satis intelligitur passum impugnatum ab agente, unde si* forma totaliter impediret actionem agentis, resisteret, & tamen agens non ageret, non quia non est applicatum, sed quia superatur a resistentia, & quantum est ex se, ageret, nisi *impediretur*: major est difficultas in actione successiva, quo pacto, & secundum quas partes forma *dicatur* resistere; dicimus tamen, passum in primo instanti applicationis resistere quidem (num autem tunc producat aliquod saltem indivisibile, dicemus disp. seq. q. 5.) at in tempore sequenti, sicut non est affignabilis prima pars, in *quam* agens primo applicetur, nec prima pars formæ, quæ primo introducatur, ita non poterit assignari prima pars, & determinata formæ, qua passum primo resistat, sed per parrem inderterminatam, in quam intelligitur agens applicari successive; itaut sicut applicatio agentis intelligitur præcedere natura *actionem ipsius*, sic etiam resistentia ex parte passi, per *quam* resistentiam agens non simul ac intelligitur applicatum agit, *sed* in tempore immediate sequenti; quapropter cum *dicitur* passum resistere per partem formæ, in quam agens *agit*, explicari debet de applicatione ad actionem, non de *actione*, quia hæc non stat cum resistentia, & quia dum jam agens agit in primam partem passi, tunc intelligitur applicatum ad secundam partem, in quam tunc etiam ageret, nisi adesset resistentia, ideo tunc passum non-

nisi per secundam resistit, quæ resistentia est causa, cur simul non agit in primam, & secundam.

22 Secundo arg. experientiis, nam parva gutta aquæ excavat lapidem super illum decidens; Formica quoque sæpius pertransiens super illum lapidem aliquantum quasi collimat, & tamen resistentia lapidis excedit activitatem guttæ, & formicæ. Tum quia si essent calidum, & frigidum in portione æquali applicata, nequit concipi, quin aliquo pacto inter se pugnent, sicut si duo homines æquales in robore dimicarent, unus in alterum agunt, licet nunquam consequetur victoriam, ergo non semper actio erit a proportione majoris inæqualitatis. Resp. lapidem excedere activitatem guttæ, & formicæ secundum totalem potentiam resistitivam, non vero secundum illam partem solum, in quam agunt; & licet non statim in principio agant ita sensibiliter in lapidem, quælibet tamen gutta aliquid facit, vel disponendo mollificando lapidem, vel aliqualiter amovendo, sicut formica sua vi aliquantulum concutit, & quasi divellit in particulam aliquam, quam tandem motu sæpius repetito separat a lapide. Ex quo deducitur, quod si virtus activa debilioris agentis semper permaneret, nec debilitaretur, ut in istis casibus, potest agens illud totaliter vincere resistentiam passi, poterit enim gutta totum lapidem excavare; non sic autem evenit in qualitatibus activis contrariis, ubi quia adest actio mutua, potentia activa debilioris agentis propter actionem contrarii languescit, idcirco nequit totaliter vincere resistentiam alterius. Ad 2. concedimus tunc agere, quia licet sint in portione æquali quo ad potentias activas, non tamen quoad potentiam activam unius, & resistitivam alterius, ut diximus ad 1. & si quoad has potentias essent æqualia, nulla foret actio, nec victoriosa, nec non victoriosa, nec exemplum est ad propositum, quia illi homines agerent ad invicem, quia unus superaret resistentiam alterius saltem secundum partem, quamvis unus non obtineret de altero totalem victoriam, quia agendo, & reagendo, ac repatiendo amborum vires labefactantur. Aliæ rationes adducentur infra qu. 3.

QUÆSTIO II.

An idem possit in seipsum agere actione univoca.

23 JAm innuimus qu. præced. in princ. posse idem in seipsum agere æquivoce ex locis ibi cit. tum in Phys. tum in lib. de Cœlo; solum igitur hic loquimur de univoca actione, an scilicet calor possit seipsum intendere; Pars negativa ab omnibus fere conceditur, præterquam ab Aresc. 1. de gen. q. 42. sec. 8. concl. 3. ubi docet, impulsum in motu a semetipso intendi, unde velociorem causat motum, idem etiam concedit de lumine, sed actione reflexa, non directa; attamen a communi non est recedendum, quam docet Doctor in 1. d. 3. qu. 7 ad arg. pro 2. opin. & 4. d. 25. qu. un. & manet probata ex dictis q. præc. art. 1. si enim agens univocum nequit agere in simile, multo minus in seipsum, nihil est enim tam simile alicui, quam ipsummet sibi. Nec fundamentum Aresc. de impulsu aliquid urget, nam ut diximus in lib. de Cœlo disp. 3. qu. 3. impulsus ille augetur æquivoce a gravitate, non a seipso. Solum dubitari potest de actione reflexa, per reflexionem enim videtur eadem qualitas intendi univoce, idem per antiperistasim conspicitur; ut igitur exacte hanc difficultatem examinemus, quia aliqui negant in antiperistasi, & reflexione fieri hanc intensionem, & qui illam admittunt, multum laborant, ut causam assignent, idcirco prius videndum, num vere qualitas intendatur in his casibus, deinde causas indagabimus.

ARTICULUS I.

An qualitas per antiperistasim, & reflexionem intendatur.

24 ANtiperistasis Græce, Latine significat circumobsistentiam debilioris contrarii a fortiori; per quam obsistentiam contrarium obsistens impedit, ne obsessum ulterius diffundat propriam actionem, propter quod vires suas velut in se colligit, aut aliunde magis roboratur vis ejus, & consequenter magis intenditur; sic in hyeme aer in caveis obsessus a frigidiori aere calidior est, quam in æstate, idem experimur in aquis putealibus; e contra in æstate frigidiores sunt, cum obsidentur ab aere calido, & hæc major intensio vocatur antiperistica actio.

25 Reflexio est *retrocessio actionis agentis in eadem parte medii, in qua agens actione directa prius egit, propter adveniens obstaculum intra sphæram agentis*, quæ clare explicatur exemplo motus pilæ ad parietem, & specierum visibilium in speculo. Dicitur igitur *retrocessio actionis agentis;* quæ dupliciter fieri potest, vel recte, vel oblique, recte fit, si linea incidentiæ est perpendicularis, itaut causet duos angulos rectos cum obstaculo, etiam reflexio erit per eandem lineam; oblique fit, quando linea erit obliqua, si scilicet linea incidentiæ causat angulum acutum ex parte agentis cum obstaculo, nam tunc reflexio fiet per lineam obliquam ex parte opposita, faciendo alium angulum acutum ex alia parte, sic experimur in pila ad parietem, vel ad terram projecta: sic in projectione specierum visibilium in speculo, nam qui in medio se ponit, conspicit se in speculo, quia fit reflexio directa, at si est ex una parte speculi, non se videt, sed cernitur ab existente in parte opposita, quia ibi fit reflexio obliqua. Dicitur *in eadem parte medii, in qua agens actione directa prius egit;* non quod fit sensus, quamlibet reflexionem directam esse, quia rectitudo, & obliquitas reflexionis sumi debet ex rectitudine, vel obliquitate lineæ incidentiæ in obstaculo, sed quia ubicunque fiat reflexio, & quomodocunque semper agens prius egit in illa parte medii actione directa; nam ut notat Scot. 2. d. 13. qu. un. agens in diffundendo suam actionem agit sphærice, vel si ex una parte impeditur, agit hemisphærice, ita ut se habeat instar puncti in sphera; a puncto autem ad circumferentiam ex qualibet parte protrahuntur lineæ rectæ. Dicitur *propter adveniens obstaculum*, quod non debet intelligi de quolibet obstaculo, nam species visibilis non reflectitur a pariete, sed a speculo, nec lumen ita reflectitur a corpore nigro, sicut ab alio; & hoc quia requiritur quædam dispositio vel tersitatis, vel ut obstaculum sit receptivum illius qualitatis, & quo magis est receptivum eo fortior fit reflexio. Dicitur tandem *intra sphæram agentis*, quia si obstaculum extra illam esset, jam virtus agentis esset exhausta, & consequenter non posset amplius agere. Hinc quia actio, quam exercet agens in reflexione, æquivalet actioni, quam ultra protenderet, si non adesset obstaculum, & hæc actio esset uniformiter difformis quoad intensionem, eodem intensionis gradu procedit in reflexione, ut dicemus. Quod igitur accidit in motu pilæ, & reflexione specierum, intelligendum est evenire in aliis qualitatibus, ut cum v. gr. ignis, vel luminosum nequit diffundere actionem per totam suam sphæram propter impedimentum, reflectit circa eandem partem producendo novam qualitatem, & intendendo priorem.

Aliqui negarunt per antiperistasim vere, & realiter novam qualitatem produci, sed dixerunt hanc majorem intensionem esse solum apparentem, vel quoad sensum, quia scilicet aqua in æstate tangitur manibus calidis, ideo frigidior apparet, quam in hyeme; vel quia per obsessionem contrarii magis aquæ constipantur, & condensantur in æstate, quam in hyeme, hinc quia major densitas juvat ad fortius agendum, frigidiores apparent, quam in hyeme; ita Cardanus lib. 2. de subtil. ad finem, & Gal. lib. 3. de facult. simpl. medicam. c. 7. Similiter aliqui absolute negarunt per reflexionem intendi vere, & realiter qualitatem, sed solum apparenter, propter densitatem scilicet, & capacitatem corporis occurrentis. Aresc. vero 1. de gen. q. 42. sect. 9. tamen admittit in luce, non in aliis corporeis qualitatibus.

26 Dicendum est primo per antiperistasim vere, & realiter intendi qualitatem, est communis cum Arist. & Metheor. sum. 3. c. 1. & 2. prob. multis experientiis, præter adductas de aquis putealibus, & aere in subterraneis locis incluso. Venter enim animalium ex Hipocr. aphoris. 15. in æstate frigidior est, in hyeme calidior. Aqua noctu infrigidata in æstate, & mane exposita paululum Soli, magis infrigidatur propter ambientem calorem; quod etiam continget, si in cisterna aliquantum aquæ calidæ projiciatur. Modica aqua super ignem injecta, & supra calcem est causa, quod ignis magis accendatur, calx vero magis calefiat; & aliæ quamplures adsunt experientiæ. Quibus nequit responderi cum 1. opinione provenire a diversitate organorum sensuum. Nam si in æstate tangerentur aquæ puteales manibus eodem modo frigefactis, ut in hyeme, vel si manibus calefactis in hyeme, ut in æstate, adhuc tepidiores apparent in hyeme, frigidiores in æstate. Tum quia in hyeme puteales aquas recenter extractas quasi fumantes cernimus, quod non potest aliter explicari, nisi quia ex calore in ipsam aquam agente, multæ ejus partes rariores, & leviores facile concepto calore sursum afferuntur, & evaporant. Tum qua, quod venter sit calidior in hyeme intensive, non apparenter, patet ex meliori concoctione ciborum, quæ fit in hyeme, hinc etiam est, quod plus hyeme comedimus, quam æstate, & plus ii, qui in regionibus habitant frigidis, quam in calidioribus. Neque cum 2. opin. dici poterit provenire semper, & adæquate ex majori densitate. Quia sic potius aquæ puteales frigidiores deberent esse in hyeme, quia densiores, frigus enim condensat, calor rarefacit, unde aqua calida rarior est frigida; præcipue quia calor ille est adventitius, non naturalis aquæ, ergo aliqua causa assignari debet. Tum quia non assignatur ratio, quo pacto fiat hæc nova condensatio ad præsentiam contrarii. Rationes in contrarium petunt solutionem seq. art.

27 Dicimus 2. per reflexionem non solum lumen, sed cæteras etiam qualitates intendi, ita Scot. 2. d. 13. q. un. D. & ad 3. & 4. q. 10. q. 9. in fin. quam probat, agens naturale, cujus virtus non est exhausta, agit quantum potest in passum potens recipere suum effectum, at quando intra sphæram agentis occurrit obstaculum, non exhauritur totaliter virtus agentis, & ex alia parte reperitur medium potens recipere intensiorem qualitatem, ergo agens in illud aget actione reflexa, quod enim habeat in se prius aliam qualitatem, non officit, quia medium est receptivum intensioris qualitatis, & qualitas ipsa est intensibilis. Accedit experientia, quia perfectius lumen est in reflexione speculi, quam in alia parte aeris, species visibilis reflectitur, quando invenit obstaculum (licet requirat aliquas conditiones in illo) hæc etiam est causa, cur fiat echo. Idem patet de calore, nam quo magis fit reflexio radiorum, eo intensior sentitur calor, ut apparet in æstate, & cum intra sphæram ignis apponitur lamina ferrea. Nec est verum, quod ait Aresc. hoc scilicet esse, quia obstaculum impedit aerem, ne diffluat, & consequenter ne refrigeret, ideoque sentiri majorem calorem. Non valet, quia licet aer iste difflueret, adhuc intensior calor sentiretur, ut patet, si opponeretur esca in loco, in quo fit reflexio radiorum a speculo concavo, nam utique accenderetur, quamvis omnes insufflarent venti. Tum quia idem ignis intensiorem calorem causaret in parvo cubiculo, quam in magno, etiam sit aer e nulla parte posset exire. Tum quia si sint duo obstacula ambo sufficienter impedientia defluxum aeris, unum tamen sit aptius altero ad reflexionem, puta si essent ex aliquo marmore, vel metallo, certe major calor sentiretur ex isto obstaculo, quam ex illo, quod est signum reflexionis.

28 In oppos. arg. ex Aresc. quia sequeretur in medio intendi calorem usque ad octo gradus, & ultra, si scilicet ignis actione directa produceret in medio calorem ut sex, & si posset ultra agere, produceret, calorem ut quinque; ergo per reflexionem produceret calorem ut undecim. Tum 2. non statim ac ponitur obstaculum, sentitur major intensio caloris, ut fit in lumine, signum evidens reflexionem solum in lumine fieri, non in aliis qualitatibus. Tum 3. quia gradus sunt ætherogenei, ergo nequit intensio fieri per additionem remissioris qualitatis. Resp. faciliter quandoque produci utique calorem ut octo, ut fit in reflexione speculi concavi, qua ignis accenditur, nunquam tamen reflexio causabit plus quam octo gradus, nam ignis, qui est calidissimus, non excedit calorem ut octo, & hoc quia nequit simile agere in simile. Ad 2. idcirco reflexio luminis statim conspicitur, quia lumen propter carentiam contrarii causatur in instanti, tam actione directa, quam reflexa, at calor sicut causatur actione directa in tempore, ita etiam actione reflexa. Ad 3. patebit ex dicendis disp. seq. falsum esse assumptum, intentionem scilicet fieri per gradus ætherogeneos.

29 Secundo sequeretur, quod si luminosum v. gr. aut calidum remissum existeret intra spatium reflexionis intenderetur per reflexionem, quod est falsum, quia jam simile posset agere in simile, & idem in seipsum actione univoca, eo quia communiter conceditur reflexionem fieri ab agente principali; sequ. prob. quia si non posset intendi, maxime esset, quia calidum majus nequit intendi a minori, sed hoc non obstat, nam etiam calor directe productus est intensior calore causato per reflexionem, & tamen intenditur ab illo.

Hac ratione commoti Conimbr. 1. de gen. c. 9. q. 1. art. 1. & Aresc. cit. sect. 12. concedunt conseq. illi quidem de lumine, & calore, iste solum de lumine, & negant paritatem, ad probationem ajunt non esse impossibile idem in seipsum agere actione univoca reflexa, sed tantum actione directa. Verum rationes, quibus Doctores probant simile non agere in simile, nec in seipsum univoce, probant tam actione directa, quam reflexa, ut intuenti patebit; maxime ratio a posteriori, nam si calidum seipsum reflexe intenderet, ergo postea intensius ageret in medium nova actione, qua etiam denuo seipsum reflexe intenderet in infinitum, vel saltem usque ad summum gradum, quod tamen falsum esse docet experientia; & hæc ratio concludit, sive causa reflexionis ponatur agens, sive aliquid aliud. Nec facessit, quod ait Aresc. sect. 13. non sequi intensionem in infinitum, quia lumen non habet esse per manens, sed semper est in fieri, ac proinde non potest esse ratio, ut producatur majus lumen, neque potest per productionem novi luminis intendi, itaut sit principium producendi aliud lumen; tum quia etiam ut reflectitur lumen, & recipitur in ipsum luminosum, pendet ab eodem ut principio, quare nequit esse ratio, ut denuo intendatur actio directa, quia semper se habet ut reflexum. Ista responsio non valet, nam non minus lumen habet esse in fieri, seu in conservari dependet, quam lux, & tamen hæc est ratio producendi lumen, ergo continua dependentia non impedit, quin lumen fit ratio producendi aliud lumen, præcipue cum per ipsum fit actio univoca. Tum quia majus lumen magis illuminat, idest est ratio luminoso producendi majus lumen in medio; ergo si luminosum per reflexionem magis intenditur, habebit vim producendi majus lumen, quod autem hoc lumen sit in ipso reflexe causatum, non impedit activitatem, nam etiam lumen primarium est ab ipso in se causatum, & tamen est ipsi ratio agendi; idem videmus de igne agente per calorem a se productum.

Resp. igitur neg. seq. & exemplum de lumine non urget, quia ut sæpe dictum est, luminosum æquivoce producit lumen, idcirco nunquam intenditur a lumine; at loquendo de calore concedimus non posse calidum reflexe intendi, imo si agens in aliqua parte medii produceret calorem ejusdem intensionis, non ob id per reflexionem calor ille intenderetur, quamvis posset ad illam partem pervenire reflexio, & hoc quia simile non agit in simile; nec impugnatio aliquid valet, quia non est calor per reflexionem causatus, qui effective intendit calorem directe productum, aliter calor ut unum v. gr. calefaceret calorem ut tria, sed est agens principale, quod perfectius est calore ab ipso directe producto, unde poterit illum intendere reflexe per calorem remissiorem, uterque enim non excedit suam activam virtutem.

30 Tertio in lumine non apparet, quomodo possit fieri reflexio, nam luminosum totum quod potest producere, in instanti producit, ergo non potest in eadem parte medii agere directe, & reflexe, hoc enim dicit temporis successionem. Accedit, quod sequeretur agens fortius agere in distans actione univoca, quam in propinquum, quod est falsum, agit enim uniformiter difformiter, seq. prob. nam intensior esset qualitas prope punctum reflexionis, quam in medio licet magis propinquo agenti. Resp. sicut si luminosum illuminaret per totam suam sphæram, in instanti ageret, sed in priori natura ageret in propinquius, quam in remotius, sic cum agit actione reflexa, in eodem instanti temporis agit, sed prius natura directe, quam reflexe. Ad confirm. concedimus utique intensiorem esse qualitatem in puncto reflexionis per actionem reflexam causatam, nam qualitas ista correspondet illi, quæ in longiorem tractum produceretur, si non foret obstaculum, hæc autem esset intensior in parte propinquiori, quam in remotiori, cum igitur eodem ordine retrocedat agens reflexa actione, quod ulterius protenderet, intensior erit qualitas in puncto reflexionis, quam in fine; hinc si fermo erit de tota qualitate directe, & reflexe producta, dici poterit agens non agere fortius in distans, quia licet qualitas reflexe producta esset ibi intensior, & in propinquo remissior, ex alio capite tamen qualitas directe producta est intensior in propinquiori, & remissior in remotiori, ideoque esset compensatio; si vero loquamur de qualitate reflexe causata, concedimus totum; neque implicat, quia vere hac ratione agens agit uniformiter difformiter, cum sit continuatio actionis directæ, & pars propinquior puncto reflexionis se habet ut propinquior agenti, quia correspondet parti propinquiori, in quam ageret actione directa, si impedimentum non obstaret. Tum quia hæc intensior actio in distans secundum nos non repugnat, maxime reflexa actione ex dictis disp. 7. Phys. q. 4. art. 3.

ARTICULUS II.

Assignantur causæ majoris intensionis in antiperistasi, & reflexione.

31 QUoad primam partem difficultatis de antiperistasi, certum est apud omnes contrarium obsidens non posse esse per se causam illius majoris intensionis obsessi contrarii, nam unum contrarium producit sibi simile per destructionem alterius contrarii, ergo nequit producere alterum contrarium, quia esset causa propriæ destructionis, & causa productiva, & destructiva ejusdem, solum ergo esse potest causa per accidens, quatenus removet impedimenta; vel quatenus melius disponit, & applicat causam per se, ut dicemus. Dubium est, quænam sit per se causa hujus majoris intensionis.

Aliqui ajunt causam per se esse ipsam qualitatem, quæ propter obsessionem contrarii colligit se, magisque constipatur, fitque robustior, & validior, vel propter istam collectionem, ut sentiunt Tol. 1. de gen. qu. 14. Astud. q. 21. Pompon. & Zab. tract. de react. vel propter quandam reflexionem in seipsam, quia nequit ob præsentiam contrarii extendere suam actionem, ut Suess. 1. de gen. com. 95. vel jure defensionis, ut possit validius resistere contrario, ut Conimb. 1. de gen. cap. 9. qu. 1. art. 2. Alii vero assignarunt causam per se esse species quasdam intensionales a qualibet qualitate emissas, quæ cum in contrarium circumstans occurrunt, ob majorem resistentiam istius retrocedunt, & in suum agens reflectuntur, atque ita illud intendunt; ita Marsi. 1. de gen. qu. 17. & 18. Venet. ibid. c. 23. Saxon. q. 15. & aliqui Medici.

32 Nulla tamen harum opinionum satisfacit. Nam primo, quamvis constipatio, & condensatio juvent ad fortius agendum, non tamen supra proprias vires, ut diximus qu. præc. ar. 1. concl. 1. & tamen quandoque per antiperistasim causatur intensior qualitas; Tum quia si qualitas est subjecto violenta, non apparet, quo pacto possit se intendere per collectionem, & non potius a contrario obsidente, & a subjecto, in quo residet, destruatur. Tum quia per antiperistasim subjectum transit de uno contrario in aliud, ut aqua in æstate est frigida, in hyeme est calida, at constipatio solum posset esse causa, quod qualitas existens in subjecto magis constipetur, non tamen, quod corrumpatur, & in alteram contrariam transeat, nequit enim condensatio esse causa majoris caloris, & frigoris: quare assignanda est causa hujus mutationis. Deinde nequit qualitas se intendere per actionem reflexam, quia ut dictum est art. præced. nec actione reflexa idem potest univoce in seipsum agere, aliter fieret in infinitum intensio, jam agens magis intensum iterum fortius aget, & sic magis reflexe se intenderet. Qua ratione ostenditur, nec jure defensionis posse qualitatem se intendere. Tum quia si res illa ab intrinseco habet vim producendi majorem qualitatem, ergo sive adsit, sive non adsit contrarium, semper producet, dummodo non sit impedita, agens enim naturale semper agit secundum ultimum suæ potentiæ, nec præsentia contrarii potest esse conditio necessaria ad agendum, imo potius esset impedimentum, maxime, quando qualitas est connaturalis subjecto, ut frigus aquæ, nam aqua ex se petit summum frigus, tanquam connaturalem perfectionem præscindendo a quocunque extrinseco contrario obsidente, ergo si poterit illud acquirere, statim acquiret. Tum quia quando qualitas non est connaturalis, ut calor aquæ, alia extrinseca causa erit assignanda, quod etiam concedunt Conimbr. Tandem sententia de speciebus intentionalibus est falsa, quia istæ species, cum sint accidentia, nequeunt migrare de subjecto in subjectum, tum quia a qualitatibus æquivoce producuntur; ergo sunt alterius rationis, & ignobiliores, causa enim æquivoca excedit suum effectum in perfectione, ergo nequeunt species illæ intendere qualitates, præcipue quia species intentionales a natura ordinantur ad sensationes causandas.

33 Pro resolut. nota, duplicem intensionem fieri posse per antiperistasim, prima est intensio qualitatis naturalis, seu subjecto convenientis, ut cum aqua frigefit, vel aer calefit, secunda est intensio qualitatis disconvenientis, & innaturalis, ut cum aqua calefit, vel aer frigefit. Insuper nota, corpora omnia calida vel frigida exhalationibus plena esse, illa ex natura sua calidis, hæ frigidis, quæ exhalationes in propria qualitate intensiores sunt, quam reliquæ partes, sunt enim quasi quinta essentia illorum corporum. Rursus ex dictis disp. 3. de Cœlo q. 2. advertendum, proprium esse contrariorum a se invicem refugere ex naturali propensione, qua res appetit conservari, ad quod maxime facit societas similium, unde dicitur vulgo similia facillime congregari; & hoc patet multis experientiis, clarissima est illa in plumbo fervente, & liquato, hoc enim in aquam decidens confestim contra suam naturam resilit summo impetu, magnoque fragore, & in ipso aere quasi suspensum congelascit, unde qui fusilibus operibus incumbunt, maxime cavent, ne quid aquei humoris insideat in formis, in quibus æs liquatum recipi debet; hac etiam de causa vapores e rebus calidis exeuntes hyeme frigida redduntur visibiles ob suam condensationem, ut magis resistant frigido: Quo in genere singulare est, quod narratur accidisse in Belgio anno 1574. prope Trajectum, scilicet ab Hispanis militibus deprehensum hostilis equitatus adventum, alioquin improvisum, ex eo, quod

parvam quandam nubeculam terræ proximam frigidissimo Cœlo animadverterunt paulatim ad sese accedentem, quæ ex flatu equorum constipato constabat; idem quoque apparet in ligno viridi ex una parte igni approximato, nam statim ex altera parte cernitur exire quidam humor aqueus suum contrarium fugiens; aqua etiam in pulvere, aut in aliquo arido projecta glomeratur, & magis unitur. Ex quo sequitur, quod circumsesso aliquo corpore a suo contrario, subtiliores, quas diximus, exhalationes exire, sive transpirare non possunt, ut prius solebant, propter periculum, ne impingant in contrarium obsistens, ideoque vel retrocedunt, si aliquantulum processerint, & non potentes exire agunt in partes alias, quæ natura sua minus aptæ sunt ad qualitatem tanta celeritate, & intensione concipiendam, ac proinde intendunt qualitatem in iisdem usque ad eum gradum, quem ipsæ habent, hinc vere in plerisque corporis obsessi partibus intenditur qualitas, & dici potest totum corpus in ea qualitate fieri intensius.

34 Verum maxime dilucidat Ruvio de gen. tract. de actio & react, q. 7. motus iste fugæ a contrariis, & dissimilibus, & congregationis similium; nam, inquit, talis motus aliquando est violentus, quia res naturaliter petunt sursum, vel deorsum determinate moveri, ergo nequit ab intrinseco provenire, neque ab extrinseco, quia contrarium obsidens non est causa per se motus localis, sed solum alterationis, ergo non est admittendus; Nec est par ratio de motu corporum ad replendum vacuum; quia hoc est propter bonum commune, ideoq; poterit a natura cujuscunque provenire, quia quodlibet corpus est pars universi, at fuga hæc a contrario non est propter commune bonum, idcirco non fiet a natura universali. Hinc respondet ad illud de ligno effluere humorem illum non propter fugam contrarii, sed propter rarefactionem; aqua conglobatur in pulvere, quia naturaliter petit, ut partes, quantum fieri potest, appropinquentur ad centrum, quod fit per illam glomerationem; aliter etiam moveri debebit aqua, cum est ab igne circumscripta, & calefacta.

Sed certe non rationabiliter respuit hunc motum, ut etiam innuimus disp. 3. de Cœlo n. 29. cum luce clarius appareat dari, ut constat ex allatis exemplis, maxime de plumbo, quod non rarefit, sed potius condensatur; sic etiam exhalationes propter nubium frigiditatem ita constipantur, ut etiam accendentur ignis; idem docent Medici de medicamentis purgantibus, purgant enim per attractionem ratione similis qualitatis; quare etiam humor aqueus movebitur ad fugiendum contrarium, nec aqua glomeratur propter æqualem distantiam partium a centro, quia sic potius est in statu violento, cum sub partibus ipsius reperiatur aer; & si naturaliter hanc pereret figuram, non quæreret superare siccitatem, & deinde diffluere. Neque ratio ipsius urget; jam non solum res petit conservari in proprio loco, sed etiam ut procul a contrariis existat, ideoque naturaliter moveri potest propter utrumque finem, & quia locus est determinatus, idcirco motus ad illum determinatus erit, vel sursum, vel deorsum; at quia fuga a contrario pendet a diversa, & multiplici applicatione contrarii, etiam motus indeterminatus erit propter hunc finem; & quamvis non sit iste motus propter bonum commune, est tamen propter bonum particulare, ideoque poterit a propria natura cujuscunque rei causari; imo motum ad replendum vacuum jam diximus disp. 12. Phys. esse violentum, & a *principio intrinseco non provenire*. Non ob id tamen quodlibet contrarium debet actu semper a suo contrario refugere, quandoque enim imo sæpius non refugit propter gravitatem, vel molem illius corporis, & maxime si non est tam magna contrarietas.

35 Ex his respondendum ad difficultatem; Et primo, quod intensio propriæ, & connaturalis qualitatis per accidens fit ex abscessu exhalationum contrariarum, quæ propter vicinitatem sui similis scilicet contrarii obsidentis, ad illud transpirant; per se vero fit tum per emanationem propriæ, & naturalis qualitatis actione æquivoca a forma substantiali, tum per actionem exhalationum, quæ intensiori qualitate sunt affectæ, & expirare non possunt. Secundo intensio innaturalis qualitatis ob antiperistasim fit per accidens propter discessum propriarum exhalationum, per se vero ab exhalationibus contrariis illi subjecto, & in eo detentis. Hic dicendi modus, qui communis est, explicatur, & probatur simul.

Sit calor æstate circum obsidens ingentem puteum, eo ipso præbet aditum exhalationibus calidis permixtis in aqua, ut foras ad illum prodeat, ut facilius conserventur, idem etiam calor impedit frigidas aquæ exhalationes, ne exeant, propterea quod est contrariorum natura se invicem refugere; jam vero exhalationes aquæ frigidæ, cum sint intensiores in propria qualitate naturali, quam sint reliquæ partes aquæ, illas intendunt; & quoniam ipsa forma aquæ est productiva frigoris, si nihil obstat, etiam ipsa frigus producit, ubi prius impediebatur ab exhalationibus calidis. E contra vero circum obsideatur idem puteus in hyeme intenso frigore ambientis aeris, exhalationes propriæ aquæ, quia frigidæ sunt, facile evocabuntur ad aerem frigidiorem, quia omne appetit suum simile, at calidæ, quæ in illa eadem aqua erant, ob metum contrarii frigoris obsidentis remanent in aqua. Venter propter aerem frigidum circumstantem in hyeme calet, quia pori condensantur, spiritus vitales fugiunt ad interna (quod quomodo fit intelligendum, dicemus n. 37.) & consequenter cauſant majorem calorem; in æstate frigefit, quia pori aperiuntur, spiritus faciliter evaporant, & relinquunt ventrem frigidiorem, hinc septentrionales plus comedunt propter majorem calorem ventris, quam meridionales. Aqua noctu frigefacta accedente Sole, & calefaciente ambientem aerem, antequam sua actione superet resistentiam ejus, si quæ partes calidæ intus erant inclusæ, ad superna evocantur, & aliquæ frigidæ intima petunt, & sic frigidior evadit. Hoc modo pepones Soli expositi prius frigescunt, donec actione Solis superante incalescunt. Hæc quoque est ratio, cur calx magis incalescat, si effundatur aqua, quam si effundatur oleum, nam aqua in primis frigore constipat partes exteriores calcis, impeditque ne partes calidiores saltem virtualiter avolent, deinde de sua gravitate, & humiditate dum se insinuat in calcem, cogit partes calidiores in unum coire, unde fit, ut major calor excitetur. Oleum vero, quia calidum est, non constipat partes exteriores calcis, & quia viscosum magis adhæret partibus calcis, unde fit, ut partes calidiores sibi agglutinet, impediatque quominus simul conveniant ad excitandum majorem calorem. Intelligitur etiam, cur fœnum, fimus columbarum, & similia flammam quandoque concipiant, nam partes subtiliores calidiores, cum nequeant transpirare, taliter calefaciunt alias, ut dispositionem formæ ignis attingant. Quædam poma in hyeme maturescunt, cum tamen maturatio sit aliqua concoctionis species, quæ calore indiget, hoc fit quia ex frigore obsidente calor insitus intenditur, atque ita plus agit ad maturitatem, quanquam etiam siccitas multum juvet, quæ impedit putrefactionem concoctioni contrariam, quare etiam paleæ plerumque substernuntur, & in cubiculis eadem observantur remotis ab humiditate. Contrectata primum nive frigemus acriter, mox calemus impensius, quia frigus coarctat poros, & continet spiritus calidos, & ab aliis partibus abundantiores administrantur spiritus, ut contrario fortius resistatur, Ex quibus responderi potest ad similes casus. Tandem adverte quandoque antiperistasim contingere per solam condensationem, non per augumentum reale qualitatis, dicitur tamen actio antiperistica, quia densitas juvat ad celerius, fortius, & validius agendum, non tamen supra proprias vires, ut dictum est.

36 In hac doctrina dubitari potest, quomodo exhalationes contrariæ in intensione innaturali superent exhalationes proprias, & subjecto connaturales, nam in casu aquæ putealis, si aqua sint in suo statu naturali, frigida scilicet, vel in summo, vel prope summum, videtur multo plus habuisse partium exhalationum frigidarum, quæ sunt sibi propriæ, quam calidarum, cum sint innaturales, poterant igitur pauciores istæ a pluribus illis extingui, atque superari, & sic aqua non fuisset calefacta. Tum quia terreæ exhalationes ex propria natura sunt frigidæ, cum sint ejusdem naturæ cum terra, ex dictis disp. 4. de Cœlo q. 4. ar. ult. & calorem habent ab extrinseco, ergo non poterunt calidæ conservari in aqua, sed refrigerari debent, nam præter virtutem refrigerandi *intrinsecam* accedit *extrinsecum* frigus aquæ. Tandem non apparet, unde tot exhalationes continuo proveniant in qualibet terræ parte, maxime quia in hyeme Sol est a nobis remotissimus.

Resp. ad 1. ideo exhalationes innaturales prævalent naturalibus, quia istæ facile transpirant propter similitudinem, quam habent cum *ambiente*, nam *sic innaturales*, quæ propter *contrarietatem* cum ambiente refugiunt, & se intrudunt in corpore, quod intenditur. Ad 2. jam ibi diximus exhalationes terreas propter siccitatem tenacius retinere calorem; tum quia adest causa conservans, quæ primo dedit calorem, tum quia licet frigefiant, continuo aliæ calidæ succedunt, & quia reperiunt aquam calefactam, non tam fortiter ab ipsa patiuntur. Ad 3. generari virtute Solis, astrorum, & ignium subterraneorum; quamvis autem Sol in hyeme a terra distet, *hoc facit solum*, quod non possit exhalationes illas sursum attrahere ad ultimam, vel mediam aeris regionem, ut facit in æstate, non tamen quod totaliter non possit illas causare; tum quia potuerunt in æstate generari, sed propter adveniens frigus non evaporarunt, sed remanserunt inclusæ in terræ visceribus. Nota tamen, quod inter hæc contraria obsidens, & obsessum debet esse aliqua proportio, si enim activitas obsidentis valde excederet resistentiam obsessi, non intenderetur qualitas illius per antiperistasim, imo remitteretur per actionem contrarii; hinc antiperistasis non fit in rebus exiguæ quantitatis, ut in gutta aquæ.

37 Circa hanc materiam supereſt not. quod Arriag. disp. 2. de gen. sect. 9. negat ventriculum in æstate frigidiorem, in hyeme calidiorem esse; *affert rationem*, quia in hyeme magis *conveniunt* calidiores cibi, in æstate frigidiores, quam e contra, ergo in hyeme stomachi calor est minor, quam in æstate, non enim ad extinguendum ignem alius applicatur ignis, nec ad minuendam frigiditatem nivis apponitur alia nix. Tum quia quando principium aliquod a contrario obsidetur, nequit perfecte operari, sicut si liberum extaret ab obsidione contrarii, ergo idem de calore animalis. Tum 3. in æstate partes corporis externæ calidiores sunt, quam in hyeme, qui calor nequit originari ab aere, aer enim non est tam intense calidus, unde in vestibus aeri propinquioribus non sentitur calor sic intensus, ut in partibus corporis, ergo provenit a majori calore interno. Neque dicas a calore aeris evocari foras calorem internum; Nam calor non evocatur per motum localem, quia accidens non migrat de subjecto in subjectum, sed per productionem, quatenus ab interno calore producitur in partibus externis, ergo si calor internus fortius agit in æstate, erit etiam major. Hinc respondet ad exemplum de imperfectiori concoctione, quæ fit æstate, provenire scilicet ex excessu caloris, nam ad concoctionem requiritur temperamentum in mensura ad justitiam, quod destruitur ex intensione excedenti unius ex primis qualitatibus, idcirco intensissimus calor febrilis, quamvis per totum corpus, etiam in stomaco diffusus non juvat, imo nocet concoctioni, & nutritioni.

Solutio hujus difficultatis, quæ potius medica est, pendet ex intellectu distinctionis caloris in naturalem, & adventitium, de quibus Medici, & quidam Philosophi loquuntur, ac si specie differ-

differrent, & *hoc propter diversos effectus secundarios*, quos producunt ratione aliarum causarum concurrentium, præcipue formæ substantialis, unde calor naturalis in stomacho concurrit ad productionem chili, non tamen in aliis corporis partibus, ut diximus disp. præced. q. 7. calor igitur naturalis ut significat accidens caloris contemperati, & substantiam subtilem, ut sunt spiritus vitales, inservit nutritioni, & concoctioni in stomacho, & quia ex calore extraneo aperiuntur pori, & spiritus illi evaporant ad externa, sequitur, quod deficit naturalis calor, cujus carentia dici potest frigus, & venter dici potest frigidior, non quia revera semper intus adsit frigus, sed quia propter carentiam debiti instrumenti est debilitatus ad concoctionem exercendam, sic etiam inquiunt Medici ex nimio jecoris calore refrigerari stomachum, quatenus ad se jecur attrahit spiritus vitales, & Gal. l. 2. de Temper. cap. 6. inquit illa, quæ putrescunt, calidiora fieri adventitio calore, proprio autem frigidiora. Ex quo colligitur clare in hyeme, & in locis septentrionalibus ventrem esse calidiorem per antiperistasim, quia ex frigore ambiente restringuntur pori, nec spiritus evaporant, unde major copia naturalis *caloris* reperitur in stomacho, non solum propter temperamentum in mensura, sed propter illam majorem copiam, aliter sequeretur existentes *in eodem loco* frigido æqualiter comedere, & concoctionem efficere, nec plus sanguineos, & calidiores appetere cibos, quam melancholicos, & frigidiores, si totus calor ab extra proveniret, quod est falsum. Quare concedimus in æstate ventrem calidiorem esse extraneo calore, non tamen naturali, qui ad externa avolat, qua ratione *partes corporis externæ calidissimæ sentiuntur*; at in hyeme esse calidiorem calore naturali. Nec est verum, principium omne semper perfectius agere in absentia contrarii, ut ait Arriaga, aliter omnis antiperistica actio tolleretur, quod nec ipse concederet, sed solum verificari, quando contrarium superat potentiam alterius, sic si frigus esset intensissimum, tandem ventrem, & omnia membra congelaret, & causaret animalis interitum.

38 Quoad alteram partem difficultatis de reflexione non defuerunt, qui causam assignarunt qualitatem in medio actione recta ab agente principali productam, seipsam intendentem, ita qui sustinent idem posse in seipsum univoce agere. Joann. de S. Tho. 1. de gen. q. 5. art. 1. & 2. docet qualitatem in obstaculo productam intensiorem esse qualitate producta in medio ab agente propter majorem dispositionem obstaculi ad recipiendam illam qualitatem; quæ qualitas, inquit, producitur a qualitate existente in medio, hæc enim licet sit remissior, attamen ut est virtus principalis agentis, poterit producere intensiorem qualitatem seipsa, non tamen excedentem virtutem agentis principalis; & ista qualitas intensior in obstaculo ponitur ab ipso causa qualitatis per reflexionem in medio causatæ. Ab hac opin. parum distat Suar. dum disp. 18. Met. sect. 9. n. 34. & seq. ponit obstaculum mediante qualitate sibi impressa a primo agente tanquam ratione formali agendi esse per se causam hujus actionis reflexæ; alii vero modificant hunc dicendi modum, asserendo obstaculum ut causam partialem integrantem cum primo agente causam totalem; vel solum in aliquibus casibus, scilicet cum reflexio est obliqua.

39 Dicendum, nullam ex his opinionibus esse veram, sed causam per se, & immediatam esse primum agens, quod actione directa produxit qualitatem in medio, & in obstaculo; ita Doctor 2. d. 13. q. un. D. & ad 3. & 4. dist. 10. qu. 9. in fin. quem sequuntur Ruv. Aref. Arriag. sæpe cit. & Popon. de act. art. 2. Prob. discurrendo per illas opin. Primo enim nequit qualitas in medio seipsam intendere, tum quia ex dictis idem nequit in seipsum agere univoca actione; tum quia si talem haberet virtutem se intendendi, *semper* intenderet se, licet non adesset obstaculum, hoc enim per accidens se haberet ad hujusmodi actionem. Deinde, quod modus a Jo. de S. Th. assignatus non sit verus, patet ex dictis disp. 7. Phys. q. 6. art. 3. & 4. ubi ostendimus nullum imperfectius posse producere perfectius, etiam ut est virtutis agentis perfectioris, quia esse virtutem illius non addit aliquid entitati imperfectiori, quare si in se consideratum secundum entitatem nequit perfectius producere, neque ut est virtus perfectioris; de quo etiam agemus infra disp. 5. q. 7. falsum igitur est, qualitatem in medio remissiorem producere intensionem in obstaculo, ut est virtus principalis agentis.

40 Quod autem obstaculum non sit per se causa, neque partialis, neque totalis, prob. nam primo ex se suam densitatem, & opacitatem *non* est activum qualitatis reflexæ, semper enim ageret, etiamsi qualitatem non reciperet ab agente principali; vel si dicatur, qualitatem illam esse conditionem requisitam, præterquam quod gratis assumitur, deberet admitti in obstaculo quocunque virtus activa illius qualitatis, & sic, quia marmor potest esse obstaculum reflexionis frigoris, caloris, & luminis, jam ex se esset harum qualitatum activum. Neque dici potest obstaculum agere per qualitatem receptam actione directa; tum quia reflectuntur aliquæ qualitates, quæ non sunt productivæ alterius ejusdem rationis, sic sunt species visibiles, & in nostra sententia etiam lumen; unde cum species reflectuntur in speculo, non videntur species, sed res ipsa, sic lumen reflexum non repræsentat lumen receptum in obstaculo, sed lucem luminosi, ergo non causatur ab obstaculo. Tum quia licet sit alterius similis productiva, non ideo dicetur agere ad præsentiam agentis principalis, & in sua sphæra, aliter non esset major ratio, cur etiam qualitas in medio recta actione causata, non agat. Tum quia requiritur, ut qualitas in obstaculo recepta sit intensior non solum qualitate in medio directe producta, sed etiam qualitate integrata ex qualitatibus causatis actione recta, & reflexa, vel saltem æqualis isti; primum patet, quia si qualitas in medio esset intensior, vel æqualis qualitati obstaculi, hæc non posset in illam agere, quia simile non agit in simile univoce. Secundum quoque prob. quia si qualitas illa integrata esset intensior, jam denuo posset agere in obstaculum intendendo qualitatem ipsius, quæ reflexe quoque iterum intenderet qualitatem medii, & sic *in infinitum*, non *semper autem contingit* qualitatem obstaculi intensiorem esse qualitate producta directe in medio, nam vel obstaculum hanc intensiorem qualitatem reciperet, quia est magis dispositum, ergo si non haberet hanc majorem dispositionem, non reciperet intensiorem qualitatem, & tamen fieret reflexio; tum quia sicut si medium propinquius *esset magis dispositum* remoto, non idcirco esset activa causa qualitatis productæ in remoto, pariformiter nec obstaculum magis dispositum dici poterit causa qualitatis reflexe causatæ: vel reciperet, quia densius, & hoc est falsum ex dictis, quia densitas non juvat ad intensius agendum.

41 Accedit, quod aliquando contingit ex reflexione radiorum stuppam comburi, quod est signum ibi reperiri majorem calorem, & tamen si stuppa esset quasi compenetrata cum speculo, *non* combureretur, ergo in speculo non est intensius lumen, & calor, quam in loco combustionis, ergo nequit hic calor intensior a calore in obstaculo recepto produci. Tum quia ut ait Doctor in 2. cit. si obstaculum esset agens principale, & effectivum reflexionis, nunquam reflexio fieret oblique, & secundum lineam determinate oppositam lineæ incidentiæ, quia inquit ipse, omne agens agit sphærice, vel hemisphærice, si ex una parte impeditur, ut patet experientia, ergo obstaculum per lumen receptum deberet ubique reflectere; qua ratione probatur in nullo casu obstaculum effective concurrere. *Solum* esse potest conditio necessario requisita, nam si non adesset, ulterius agens protenderet suam actionem, tum quia videmus, quo magis obstaculum est densius, & tersius, eo *majorem* fieri reflexionem, ergo saltem erit conditio, & instrumentalis causa. Quapropter causa per se intendens reflexe qualitatem erit primum agens, quod patet tum ex sufficienti divisione; tum ratione Scoti adducta art. præced concl. 2. tum exemplo pilæ, cujus reflexio non fit ab obstaculo, sed a projiciente, ut diximus disp. 3 de Cœlo n. 79.

In oppos. obiic. quod obstaculum per qualitatem receptam fit reflexionis causa. Tum quia Scotus in 2. cit. concedit lumen primarium in pariete receptum causare lumen secundarium, quod esse nequit, nisi per reflexionem. Tum 2. sequeretur quodlibet corpus, dummodo impediat, sufficere ad causandam æqualem reflexionem, quod est falsum, ut patet, sed prob. quia si concurrit ut impedimentum, quodlibet sufficit ad impediendum. Tum 3. quia sic reflexio intensior *esset* prope agens, quam remote, quia omne agens fortius agit in propinquius; vel si esset intensior prope obstaculum, tunc agens ageret fortius in distans, quamvis medium sit ejusdem rationis, quod est falsum. Tum 4. plus requiritur ad intendendam qualitatem, quam ad producendam aliam similem, vel remissiorem in alio subjecto, ut sæpe dictum est, ergo si agens agendo actione directa produxit v. g. in medio calorem ut tria, non poterit per reflexionem illum intendere, patet consequ. quia ex adventu *obstaculi* non augetur virtus agentis intensive, ergo ex hoc, quod poterit producere alium calorem in subjecto distincto, non debemus arguere posse agens intendere calorem ut tria in medio prius causatum, sicut ex hoc, quod calidum ut unum potest in plura subjecta producere diversos calores ut unum, non *sequitur* omnes *istos* posse producere in eodem subjecto. Tandem idem manens idem ratum est semper facere idem, ergo quia ab obstaculo non intenditur virtus agentis, si primaria actione causavit calorem, ut tria, etiam semper talem calorem producet, non magis.

42 Resp. ad 1. lumen secundarium non esse ejusdem rationis cum primario, ut notavimus disp. 2. de Cælo q. 5. sed esse speciem istius, ideo licet ab isto causetur, non est proprie per reflexionem, sed per veram actionem directam, cum sit multiplicatio luminis sphærice, non determinate per lineam oppositam lineæ incidentiæ, sive oblique, sive recte. Ad 2. concedimus ex varia dispositione obstaculi variam causari reflexionem, ex quo sequitur, solum obstaculum esse conditionem, concurrit enim per opacitatem, densitatem, vel tersitatem, & hujusmodi, quæ non sunt rationes agendi, sed conditiones; quare neg. seq. ad probat. dicimus, non solum debere obstaculum impedire, sed etiam per receptionem *illius qualitatis* debere *concurrere*, non active, sed ut subjectum continuans actionem directam agentis, & reflexam, quia actio reflexa incipit *intrinsece* in ipso obstaculo, unde multum facit, quod obstaculum sit magis dispositum ad receptionem illius qualitatis, sicut ergo medium propinquius multum juvat ad actionem in remotum, ita etiam obstaculum. Ad 3. dicimus reflexionem intensiorem esse prope obstaculum, ob rationem assignatam nu. 30. nec implicat actione reflexa fortius agens agere in remotum, quam *in proximum*, licet medium sit ejusdem rationis, quamvis hoc sit falsum actione directa. Ad 4. non arguimus simpliciter ex hoc posse agens agere reflexe, quia potest in aliud agere, sed cum hoc assumimus virtutem ejus non esse exhaustam quoad actionem totalem intensivam, & extensivam, & *insuper* qualitatem prius productam non adæquare suam *intensionem*, propter actionem uniformiter difformem, quo sensu non implicat, quod agens jam impeditum, *nec exerceat* suam actionem extensive directe, eandem exerceat reflexe; sicut enim si qualitas dispersa in pluribus subjectis reduceretur in uno, intenderetur, ita quia virtus agentis, quæ ex se esset ad plura dispersa, scilicet ad partes omnes propriæ sphæræ totalis, est propter obstaculum

ad

ad pauciora restricta, poterit reflexe intendere suum effectum; quare antec. est verum, si utrobique sit sermo de actione directa, non de reflexa, hinc neg. conseq. & ad probat. distinguitur consequens, quod non poterit intendere actione directa, falsum de reflexa, ex hac enim actione non arguitur major intensio, & virtus in agente, sed solum minor sphæra extensive. Ad 5. idem *eodem actionis* genere natum est facere idem, at diverso genere scilicet reflexa poterit aliud causare.

43 Secundo, Luna est, quæ immediate illuminat terram, & tamen hæc illuminatio est reflexio luminis solaris, ergo per reflexionem obstaculum agit, non primum agens, aliter Sol in nocte dicetur illuminare terra, non Luna. Tum 2. contingit sæpe lineam reflexionis terminari ad aliquod corpus, ad quod actio recta prima agentis non provenit propter corpus aliquod medium impediens, quando scilicet reflexio est obliqua, ut patet in reflexione luminis a speculo ad locum obscurum, ubi radius Solis rectus non adest, ergo in hoc casu talis reflexio fiet ab obstaculo, præcipue quando qualitas est productiva alterius similis.

Resp. ad 1. ex dictis disp. 2. de Cœlo n. 161. & seq. illuminationem Lunæ non esse proprie reflexionem radii solaris, non enim conspicitur Sol in Luna, ut fit in speculo, sed improprie, assimilatur enim productioni luminis secundarii a primario recepto in pariete, vel alio opaco corpore non terso, itaut lumen in Luna sit lumen primarium Solis in illa causatum, sicut est lumen in pariete a Sole inspecto, lumen a Luna in terra productum erit secundarium, sicut est lumen, ubi est umbra *in die*. Ad 2. neg. conseq. quia per accidens est, ut taliter, vel taliter terminetur reflexio, scilicet ex varia agentis, & obstaculi applicatione, quare sicut si reflexio fieret ad angulos rectos, proveniret a primo agente, ita si sit oblique, quia est una actio continuata in angulo causato a linea incidentiæ, & a linea reflexionis, nec est necesse, quod inter primum agens, & terminum reflexionis sit transitus non impeditus per lineam rectam, ut notat Aversa, hoc enim requiritur ad actionem rectam non reflexam.

QUÆSTIO III.

An omne agens repatiatur in agendo.

44 REactio est retributa actio, scilicet quod cum agens agit in passum, hoc vertitur in illud reagendo, sicut & repassio est quædam reciproca passio. Ad hanc reactionem ex Arist. 1. de gen. 53. & seq. requiritur primo, ut agens, & patiens communicent in materia, itaut habeant commune subjectum utriusque formæ receptivum, nam spirituale nequit pati a corporali; secundo, ut agens sit ultimum, & proximum; qua ratione, ait Aris. Medicus non patitur a morbo, sed medicamentum; tertio, ut quodlibet sit intra sphæram activitatis alterius, quia nullum agens agendo excedit propriam sphæram, & tandem quod agant per qualitates activas, & contrarias, ut ambo habeant potentias activas agendi. In hac etiam actione mutua *illud vocatur* agens, quod fortius est, patiens, quod debilius, ita tamen quod aliquid agat in fortius, qua ratione patiens vocatur reagens, & ipsius actio dicitur reactio; agens vero dicitur repatiens, & passio ipsius appellatur repassio.

45 Advertendum etiam hanc reactionem posse multipliciter accidere, nam primo potest esse quod passum agat in agens secundum eandem partem, secundum quam agens agit, vel secundum diversam; Exemplum, agit ferrum ignitum in aquam frigidam, & aqua in ferrum, si ponamus partes solidas ferri agere in aquam, poros autem sive exhalationes ibi contentas tantum ab aqua pati, habebimus agens, quod secundum unam partem repatitur ab aqua, & secundum aliam agit; si vero ponamus easdem partes solidas frigefieri, dabitur reactio secundum eandem partem. Potest etiam fieri reactio vel secundum eandem contrarietatem, qua agens agit, vel secundum diversam, v. g. si ponamus aquam pati a ferro ignito per calorem, quia ferrum inducit calorem in aquam, hanc autem agere in ferrum solum per humiditatem, non per frigus, erit reactio secundum diversam contrarietatem, at si ponamus aquam in ferrum reagere per frigus, erit reactio secundum eandem contrarietatem.

46 Rursus not. quod hæc reactio nequit fieri in generatione, si enim agens agit in passum actione generativa, nequit passum reagere in agens, quia tunc non amplius est passum, sed destruitur, quia generatio unius est corruptio alterius, neque contingere potest in augmentatione, ut patet, hæc enim actio non est proprie inter activa contraria: solum ergo dubitari potest in motu locali, & in alteratione inter qualitates contrarias, & quando aliæ assignatæ conditiones interveniunt.

Quod attinet ad alterativam actionem, Burlæus 3. Phys. circa tex. 17. Riccardus Suisset, quem a solertia arguendi per calculationes, Calculatorem Scholæ vocant de reac. tract 7. Guliel. Hentisberus in lib. sophism. sophismate ult. & quidam alii concedunt reactionem vel in eadem parte secundum diversas contrarietates, ut negant reactionem secundum eandem partem, & contrarietatem, nisi forte per accidens, quatenus scilic. ad remissionem siccitatis remittitur etiam calor. Quod vero spectat ad motum localem, negare omnino videntur reactionem intervenire, Tol. 1. de gen. q. 15. ad ult. & Conimbr. c. 9. q. 3. art. 5. ad ultim. Zab. lib. de react. c. 7. in omni locali motore illam admittit, præterquam in primo, mediat Ares. 1. de gen. q. 46. sect. 2.

47 Dicendum est in motu alterationis, cum omnes assignatæ conditiones interveniunt, fieri reactionem secundum eandem partem, & contrarietatem, similiter in motu locali quandoque adesse in aliquo sensu reactionem. Est communis, & docetur. Scot. 1. d. 17. q. 3. arguendo contra Gotf. & 2. d. 15. & d. 19. & 4 d. 44. q. 1. D. & prob. ex Arist. 1. de gen. 53. & seq. 3. Phis. 8. & 17. & clarius 4. de gen. an. c. 3. ubi docet omne agens a passo repati, ut quod secat, habeatur ab eo, quod secatur, quod pellit, pellitur, quod calefacit, refrigeratur. Prob. etiam experientiis *in alteratione*; Aqua frigida calidæ superinfusa refrigerat, & calefit, unde tota aqua evadit tepida. Ferrum ignitum injectum aquæ frigidæ frigefit ab aqua, etiam secundum partes solidas, & aqua calefit. Manus calida tangens frigidam calefacit illam, & ab illa refrigeratur. Glacies apprehensa manu calida tota colliquescit, & simul frigefacit illam, & aliæ experientiæ similes solent adduci, in quibus apparet reactionem fieri secundum eandem contrarietatem, & eandem partem, nec per accidens, sed per se, nam præcipue aqua calida, & frigida in humiditate conveniunt. Accedit ratio, quia non posset aliter fieri mixtio, quia in mixtione debent elementa inter se attemperari secundum qualitates, quod fieri nequit, nisi ad invicem agant, & patiantur. Tum quia agens naturale debite approximatum, nec impeditum agit, sed quando calidum, & frigidum approximatur, quodlibet respectu alterius est agens non impeditum, quia quodlibet habet activitatem excedentem resistentiam formalem alterius ex dictis q. 1. art. 1. ergo &c. Per quod patet sine fundamento quosdam apud Marsi. 1. de gen. q. 19. recurrere ad Cœlorum *influentias*, quibus ajunt qualitatem contrariam in agente introduci; nam cum in his inferioribus adsit sufficiens agens illius qualitatis scilicet frigiditatis in ferventi aqua, quod erit aqua frigida admixta, non est necesse ad universale agens confugere.

48 In motu locali adest mutua quædam reactio, nam duæ phialæ vitreæ, si invicem collidantur, ambæ franguntur; gladium percutiens alium terit, & teritur, & alia hujusmodi exempla possunt adduci. Hoc autem non est intelligendum, quod interveniat in his casibus vera, & rigorosa reactio, nam motus localis non est rigorosa actio, sicut est alteratio; nec intervenient contrariæ qualitates, solum concurrit impetus impressus, & durities modo explicato in lib. de Cœlo disp. 3. q. 5. durities autem non est activa, nec unus impulsus proprie alteri contrariatur. Neque talis reactio, qualiscunque sit, necessario in omni locali motu reperiri debet; Cœlum enim secum rapit ignem; non tamen ab igne repatitur; & si ingens grave descendens deorsum occurreret plumæ, vel alteri simili, pellendo illam deorsum, non repatitur. Neque dicas saltem ab alio moveri, quod est pati; vel quod mobile resilit, unde non moveretur tam velociter, aut longius, sicut moveretur, si non resiliret, vel tandem, *quod omne movens* movendo defatigatur; quæ defatigatio est quædam repassio. Non valet primum, quia reactio fieri debet ab ipso patiente, non ab alio distincto. Nec secundum, quia per reactionem imprimi debet aliquid a passo in agente, tarditas motus ipsius mobilis non est in agente. Nec tertium, quia *nulla defatigatio* est *in Cœlo movendo* ignem circulariter, aut in magno gravi pellente deorsum plumam; sicut etiam magnes attrahit ferum, non tamen aliquo pacto repatitur; Nec juvat, quod ait Ares. magnetem non movere per virtutem sibi inhærentem, sed a se emissam. Parum refert, quia etiam ignis calefacit aquam per calorem a se diffusum, & tamen repatitur ab aqua. Nec obstat, quod Aris. citatus videatur universaliter loqui de omni physico motore: Non enim loquitur tantum de motu per reactionem causato, sed vel de isto, itaut movens simul a mobiliori moveatur, vel ab aliqua alia causa, & quocunque genere motus; quo sensu nos dicimus omne movens creatum agendo moveri, quatenus aliter se habet nunc, quam prius per relationem illam causæ de novo in se receptam, ut in tract. de concursu Dei cum causis secundis fusius dicitur.

49 Contra conclus. arg. 1. ratione Calculatoris; si datur reactio *secundum* eandem partem, & contrarietatem, sequitur idem moveri motibus contrariis, quod implicat, seq. prob. ponendo casum, sit agens ignis palmaris calidus, ut octo, passum aqua frigida ut octo, solus autem semipalmus ignis agentis contineatur infra sphæram activitatis aquæ, & consequenter ille tantum repatiatur ab aqua, & dicatur pars repassa, reliquus vero semipalmus nihil patiatur, & dicatur pars non repassa; tunc sic arguitur, pars repassa ignis movetur motu frigefactionis ab aqua, propter reactionem, & motu calefactionis a parte non repassa, tum quia pars non repassa est contraria parti repassæ secundum excessum qualitatis, supponitur enim habere calorem ut octo, repassa vero aliquantulum minus; estque debite applicata, nihil enim est magis applicatum, quam pars continua suæ parti, tum quia agens prius agit in propinquius, quam in remotius, ambo sunt susceptiva ejusdem actionis, ergo si agit pars non repassa in aquam, multo magis in repassam, hæc ergo movebitur etiam motu calefactionis, ergo movebitur simul motibus contrariis: Aliter prob. eadem sequela, sit ignis distans aliqualiter ab aqua, aer intermedius est medium calefactionis ab igne provenientis, est quoque medium frigefactionis causatæ ab aqua, ergo movebitur contrariis motibus.

Mirum, quantum *hoc* argum. torqueat Philosophos, & quibusdam videtur insolubile, adeout propter hanc solum rationem, nisi manifesta repugnaret experientia, multi negarent reactionem, quamvis a Zabar. levissimum putetur, unde exortæ sunt diversissimæ responsiones, quarum principaliores adducemus.

50 Pri-

50 Prima responsio negat seq. vel quia agens, & reagens non agunt simul in eodem tempore, sed successive unum post aliud, & per morulas interpolatas, ut ait Paulus Venetus, & alii apud Tol. quem modum approbat Arriag. vel quia non agunt per easdem partes medii, sed diversas ad modum aeris concitati, ut inquit Piccol. lib. de mat. c. 22. At hæc responsio destruit reactionem, dum asserit non fieri in eadem parte temporis, vel in *diversis partibus medii*, quæstio enim est, an dum agens agit, repatiatur simul a passo. Tum quia falsum est agentia ista interpolate agere, & per morulas, ut dicemus disp. seq. q. 5. Tum quia si v. g. prius ignis agit in aquam, signum est habere superioritatem supra aquam, sed in tempore sequenti non deperdit ignis aliquam virtutem, nec aqua novam acquirit, imo e contra ignis agendo majorem superioritatem habet supra aquam, & ista potius per actionem ignis debilitatur, ergo non poterit in tempore sequenti agere in ignem. Tum quia agens, quando agit in totam sphæram, continue agit, non in quasdam solum partes. Tum quia non esset major ratio, cur potius in unam partem, quam in aliam ageret. Tum quia adhuc difficultas urget de parte repassa ipsius agentis, & de superficie continuante partes *illas* medii, in quibus exercentur actiones contrariæ, an scilicet moveatur motibus contrariis.

51 Secunda resp. admittit seq. quod idem simul moveatur contrariis motibus, negatque hoc implicare, saltem quando qualitates contrariæ sunt in pugna, licet nequeant extare simul in esse quieto; ita P. Faber hic; vel quando sunt *in esse* remisso, quomodo non implicat idem simul contrariis motibus moveri, ita Zab. qui addit, qualitates illas remissas non esse contrarias, sed habere se ut unam qualitatem mediam. Sed quod implicet qualitates contrarias in gradibus intensis tam in esse quieto, quam in pugna naturaliter ineffe *eidem subjecto*, fuse ostendimus disp. præc. q. 5. Quod autem possint esse in gradibus remissis, concedimus, attamen argum. probat dato casu idem in *gradibus intensis* recipere qualitates contrarias, si enim pars ignis repassa, quæ prius erat intensa ut octo, repatitur ab aqua, amittit gradum v. g. octavum, acquirendo primum gradum frigoris, at si pateretur etiam a parte non repassa, acquireret aliquem gradum caloris, qui non erit septimus; hic enim præexistit, ergo erit octavus, ergo idem moveretur ad gradum octavum caloris, & simul ad primum gradum frigoris, quod est habere contrarias qualitates in gradibus intensis, ut diximus disp. cit. idem ostenditur de medio interjecto, si fuisset ante actiones istas calidus ut 4. & frigidum ut 4. Falsum quoque est, qualitates in esse remisso esse unam qualitatem mediam, vere enim retinet proprias entitates specie distinctas, & motus ad illas erunt specie distincti, & contrarii, ut ibidem dictum est.

52 Tertio alii resp. non moveri simul contrariis motibus in gradibus intensis, eo quia si medium v. g. haberet quatuor gradus caloris, & frigoris, si applicentur calidum ut sex, & frigidum ut quinque, utrumque ageret in medium, calidum enim produceret duos gradus caloris corrumpendo duos gradus frigoris; *frigidum produceret unum* gradum frigoris destruendo unum gradum caloris, nunquam tamen excederetur latitudo octo graduum; quia licet unum agens introducat alios gradus, jam destruuntur totidem contrarii non quod idem calor numero corrumpatur, & destruatur, hoc enim implicat, sed idem specie, calidum enim corrumpit duos gradus frigoris præexistentes, sed frigidum unum novum introducit, & corrumpit unum gradum caloris antiquum, qui restauratur a calido per alium novum introductum (præcipue in nostra sententia ponente gradus qualitatis homogeneos) & sic medium evadet calidum ut quinque, & frigidum ut tria, quod est habere qualitates contrarias in gradibus compossibilibus. Aresius vero concedit utrumque agere in medium, sed agens validius agere producendo novos gradus propriæ qualitatis, infirmius vero agere non quidem producendo, sed conservando gradus qualitatis consimilis, qui possunt simul inesse cum reliquis gradibus contrariæ qualitatis a validiore agente inductis in eodem subjecto, scilicet in casu si calidum introduceret duos gradus caloris, frigidum conservaret duos gradus frigoris remanentes eum sex gradibus caloris, qua conservatione agendo per medium pergit ad reagendum in agens principale; & sic non agit in distans.

53 Sed contra primum *modum dicendi* arguitur, quia ponit subjectum a corruptione unius formæ tendere ad requisitionem alterius solo numero distinctæ, scilicet a corruptione unius gradus frigoris ad acquisitionem alterius ejusdem rationis, quod est falsum, non enim a simili fit transitus ad simile, nam si adest agens potens *aliud simile* producere, ergo poterit impedire, ne præcedens corrumpatur, quod facilius est. Tum quia si frigidum applicatum esset ut quatuor, jam non ageret in medium, aliter simile ageret in simile, & tamen adhuc ageret in calidum ut sex, ergo ageret in distans. Dices agere in medium, quia medium per actionem caloris fit dissimile. Contra, ergo prior erit actio calidi dissimilantis medium, quam actio frigidi, & sic actio, & reactio non essent simul. Tum qua reactio ista esset successiva, & consequenter inciperet extrinsece per ultimum non esse, nunc non est reactio, post immediate erit; at nullum daretur instans, in quo posset hoc verificari, prob. quia omne instans extrinsece initiativum actionis est tale, ut in illo sit verum dicere, nunc ista duo sunt dissimilia in certo gradu, immediate post non erunt, at in instanti initiativo actionis frigidi, ut 4. in medium simile non adest ista dissimilitudo, imo est similitudo, ergo illud non erit instans initiativum; major prob. quia omnis actio tendit ad assimilandum passum agenti secundum aliquem gradum, ergo præsupponit inter illa dissimilitudinem. Neque dicas saltem in aliquo instanti *sequenti temporis*, in quo adest dissimilitudo propter actionem calidi, incipere extrinsece reactionem. Non valet; quia non major ratio esset, cur potius in uno instanti dicatur incipere, & non in alio, cum in tempore immediate sequenti ad instans initiativum actionis calidi sint infinita instantia, nec sit primum assignabile quin aliud, & aliud præcedat. Tandem calidum, ut sex, potest repati a frigido ut duo; hoc tamen non posset agere in medium frigidum ut quatuor, ergo tunc ageret in *distans* scilicet in *calidum* ut sex, *quod habent pro inconvenienti*.

Contra modum ab Aresi. adductum est, quod ponit effectus univocos a sua causa conservari vera causalitate, quod esse falsum ostendimus disp. 7. Phys. q. 2. quia sunt ejusdem perfectionis, nec in individuis ejusdem speciei adest ordo essentialis. Tum quia si calidum ut sex applicaretur frigido ut duo *in medio* frigido ut quatuor, certe medium evaderet frigidum ut duo, qui duo gradus frigoris non conservarentur ab illo frigido, æque enim permanerent, sive frigidum esset, sive non, ergo ab illo nequeunt in esse dependere, conservatio enim in esse dicit essentialem dependentiam. Tum quia in calido ut sex essent etiam duo gradus frigoris, ergo non magis gradus frigoris in medio conservarentur a passo frigido ut duo, quam a frigore calidi ut sex.

54 *Communior* responsio, quam afferunt Pompon. Tol. Conimbr. Ruv. Aversa, & alii, licet non satis, nec eodem modo ab omnibus explicetur, est, negando sequelam, idem moveri motibus contrariis in gradibus intensis, & ad primam probat. de parte repassa, respondent hanc partem, dum durat reactio aquæ, non calefieri a parte non repassa, quamvis hæc agat in aquam, non enim est necesse, ut in omnibus casibus agens prius agat in propinquius, quam in remotius, si propinquius est indispositum. *Pro clariori notitia hujus resp. not.* quod quando agens agit in passum, partes agentis internæ non trasmittunt actionem in passum per partes externas, sed immediate omnes simul attingunt passum per modum unius agentis, sic pars ignis non repassa non agit in aquam media repassa, per quam diffundat suam actionem, sed ambæ immediate per modum unius, propter quod licet pars repassa repatiatur a passo, non impedit, quin pars non repassa agat in aqua; solum est dubium, cur hæc non agit prius in partem repassam propinquiorem, deinde in aquam, cum repassa sit dissimilis, & magis applicata non repassæ, quam aqua. Ad quod dicimus impedimentum esse aquam reagentem, quæ in causa est, ut non repassa non agat, etenim cum ignis, & aqua sint debite applicata, agent ad invicem, nisi unum ab altero impediretur, *ignis autem nequit impedire, ne aqua* in ipsum ignem agat, vel enim impediret per resistentiam formalem caloris partis repassæ, vel per resistentiam activam caloris totius; non primum, quia resistentia formalis actualis non est sufficiens ad hoc impedimentum, ut vidimus q. 1. ar. 2. Neque 2. quia calor per resistentiam activam dicitur impedire actionem contrarii, in quantum debilitat illius virtutem activam, ita ut eadem proportione impedit, qua debilitat, seu minuit destruendo virtute contrarii, quare si destruit totaliter, etiam totaliter impedit, si partialiter, taliter quoque impedit; cum igitur pars non repassa, si deberet in repassam agere, hoc deberet efficere impediendo virtutem activam aquæ producentem *frigus*, & hanc non impedit activa resistentia, nisi paulatim, *non enim statim totaliter illam destruit; hinc est quod licet aliquo modo* impediat, non tamen omnino, unde necesse est, ut aliquantum ab aqua patiatur, quamvis etiam agat in aquam. Negamus igitur, partem non repassam prius debere agere in repassam, quam agat in aquam; nec urget immediata applicatio propter impedimentum actionis contrarii; neque secundum nos implicat hanc actionem aliquo modo in distans ex dictis disp. 7. Phys. q. 4. ar. 3. Quod etiam ipse Calculator admittere debet, dum enim concedit dari reactionem, sed non secundum eandem partem, jam admittit partem aliquam sufficienter applicatam agenti, in quam tamen agens non agat.

55 Sed contra hanc respons. instat Ares. Tum quia non est perceptibile contraria esse propinqua, & ad invicem non pugnare, cum sint agentia naturalia. Tum quia si pars repassa esset a non repassa sejuncta, jam ab aqua vinceretur, sed propter unionem cum non repassa non vincitur, signum evidens non repassam agere, & adjuvare repassam. Tum 3. si pars non repassa posset agere non agendo in repassam, posset producere calorem ut octo, absque eo, quod agat in medium quod est falsum. Resp. contraria *illa* pugnare per resistentiam activam, non enim pars non repassa potest immediate agere in repassam producendo calorem, & expellendo frigus in productum, nisi prius removeat impedimentum, quod est agens contrarium actu agens, removet autem impedimentum debilitando, & minuendo virtutem ipsius, hinc est, quod superato contrario reducit postea partem repassam ad pristinum statum. Ad 2. concedimus quoque illam destructam fore, si esset sejuncta, concedimus quoque a non repassa juvari, non quidem per calefactionem in illam, sed in aquam, qua minuit, & debilitat virtutem aquæ, unde successu temporis destruitur, & superatur. Ad 3. non esse inconveniens si in *medio* foret aliquod impedimentum, ut fuse *ostendimus disp. Phys. cit.*

56 Ad aliam confirm. Calculatoris desumptam a *medio* interjecto inter agens, & passum, dicimus cum *communi*, medium vel carere utraque forma ab agente, & reagente producibili, & sic utrumque in illud aget actionibus contrariis secundum quid, scilicet quo ad gradus *compossibiles qualitatum*, deinde pars medii calefacta unitur calido, cum quo constituit unum agens, & pars medii frigida constituit cum aqua, v. g. unum agens *igni contrarium*, quæ *proprie* sunt agentia proxima, & imme-

immediata, quæ est una ex conditionibus requisitis ad reactionem, ut diximus; idem dicendum si medium est in qualitatibus simile agenti, & reagenti, at si excedit qualitatem unius, sic agens dissimile aget in medium producendo intensionem qualitatis proportionatam propriæ intensioni, & aliud agens cum medio per modum unius reaget in illud, ac si essent duo agentia proxima, & immediata; nec valet, quod ait Aversa, medium non debere tanquam coagens uniri cum principali agente, sed totam actionem solum ab isto provenire, non a medio; hoc enim esse falsum ostendimus disp. 7. Phys. cit. Aliud argumentum Calculatoris, quod late prosequitur Burlæus adduximus, & solvimus q. 1. art. 2.

57 Secundo, principaliter arguitur contra reactionem. Tum quia sequeretur, quod nunquam agens posset perfecte assimilare sibi passum quia semper debilitaretur, & consequenter non poterit reducere passum ad illum gradum quem habebat. Tum 2. idem respectu ejusdem esse simul in actu, & in potentia, nobilius, & ignobilius, esset in actu, & nobilius respectu passi, quia agit in ipsum, esset in potentia, & ignobilibus respectu ejusdem, quatenus reparitur. Tum 3. potest aliquod agens applicari alicui passo ita parvo, ut nullam respectu illius habeat potentiam agendi, ergo in hoc casu nulla daretur reactio. Tum 4. aqua calefacta nequit agere in frigidam, & tamen interveniunt omnes conditiones assignatæ, ergo non semper erit reactio. Antec. prob. frigus aquæ non solum resistit resistentia formali, sed etiam substantia aquæ per influxum conservativum resistit, sed actio substantiæ longe majoris virtutis est, quam quælibet accidentis actio ex Scot. 4. d. 12. q. 3. R. & S. ergo quia actio provenit semper a proportione majori inæqualitatis, nequit calor existens in aqua corrumpere frigus alterius aquæ. Tum 5. in eo instanti, in quo ignis, & aqua applicantur, habent omnes gradus caloris, & frigoris, ut sic enim applicantur, & applicati præsupponuntur actioni, ergo si in illo instanti ad invicem agunt, debent amittere aliquid propriæ qualitatis, ergo eadem qualitas in eodem instanti esset, quia præsupponitur actioni, & non esset, quia per actionem destrueretur. Tum 6. vel reagens agit per gradus qualitatis, quos deperdit actione contrarii, & hoc non, qua ratio formalis agendi præsupponitur actioni, vel per alios gradus, quos retinet, & neque hoc, quia secundum istos gradus non contrariatur agenti; aliter ab ipso pateretur, tum quia jam admittitur reactio non secundum eandem partem, sed secundum diversam. Tandem omne agens magis appetit propriam conservationem, quam destructionem contrarii, ergo si non posset istud destruere, nisi ab ipso pateretur, certe se abstineret ab actione in ipsum, ne deinde reactione ipsius destrueretur.

58 Resp. ad 1. quod loquendo de agente per virtutem connaturalem, quando valde superat intensione passum, poterit perfecte illud sibi assimilare, nam licet repatiatur, parta victoria de contrario, & remoto impedimento, reducit sed ad pristinum statum, & tunc poterit passum totaliter assimilare sibi. Vel dicendum quandoque non esse hoc inconveniens, imo necessarium propter varias operationes exercendas, & generationes per miscibilium mixtionem, qua omnium miscibilium refranguntur vires; quæ est una causa finalis, propter quam fuerit a natura instituta reactio. Ad 2. esset quidem in actu, & potentia nobilius, & ignobilius respectu ejusdem, non tamen secundum idem, nam esset in actu, & nobilius per virtutem activam in potentia, & ignobilius per potentiam receptivam. Dices etiam, esset in potentia per virtutem activam, quia secundum ipsam patitur, quatenus per actionem contrarii debilitatur. Resp. proprie aliquid dicitur in potentia, quia recipit formam, quod si ex hoc sequatur corruptio alterius, est per accidens, attamen non erit in actu secundum partem illam virtutis, quam amittit. Ad 3. quamvis aliqui negent antec. verius est concedendum, non enim ad agendum sufficit quælibet activa virtus; nec eadem potens est agere respectu cujuslibet, ut dicemus q. seq. non enim apparet, quo pacto ala muscæ, aut exiguum stuppæ in fornacem projectum possit in ignem reagere, & in his casibus deficit ultima conditio, non enim ambo habent potentias activas. Ad 4 quod maxime urget in principiis Scoti, fuse diximus disp. 7. Phys. q. 6. art. 2. & 3. vide ibi, ne eadem bis repetantur. Ad 5. non solum impugnat reactionem, sed etiam actionem quamlibet instantaneam, ad quam præintelliguntur agens, & passum applicata; quare dicimus actiones inter contraria non fieri in instanti, sed in tempore, nec incipere intrinsece sed extrinsece, & ideo in instanti applicationis nulla est actio secundum partes divisibiles qualitatis, ut dicemus fusius disp. seq. q. 5. Ad 6. passum reagere per gradus, quos habet, per quos active contrariatur agenti, nec ob id secundum illos debet pati ab agente, quia agens actione successiva non statim agit in omnes gradus qualitatis contrariæ; nec etiam negatur reactio secundum partem eandem, nisi de parte qualitatis intelligas, quo sensu verum est, qualitatem non simul per eandem partem agere, & pati; at hæc est locutio impropria, sermo enim est de parte subjecti, quod vere dicitur pati, & de isto dicimus posse agere, & pati, agere quidem per qualitatem existentem; pati per qualitatem de novo receptam. Ad 7. omne agens appetit conservationem propriæ speciei, & ideo appetit producere sibi simile, qua ratione per accidens appetit destructionem contrarii, quod autem deinde repatiatur, hoc provenit propter activitatem alterius contrarii, quæ actiones sunt conformes naturæ universali, ut conservetur multiplicitas specierum mixtorum; tum quia ista agentia naturaliter agunt, quando sunt applicata, idcirco nequeunt suspendere propriam actionem, ne in agendo repatiantur.

QUÆSTIO IV.

De sphæra activitatis agentis.

59 CErtum est dari sphæram activitatis agentis, idest ambitum quendam, intra quem omne agens agat, & ultra quem non se extendat, qui ambitus dicitur sphæra, ut diximus qu. 2. a. 1. eo quia agens omne sphærice agit, & suam actionem diffundit, habetq; se ad instar puncti in medio collocatum: quæritur modo, quomodo agat in hac sphæra, an immediate in totam sphæram, an solum in aliqua parte immediate, in aliis vero mediate: deinde si in tota sphæra immediate agit, quo pacto producat qualitatem, scilicet an in omni parte producat qualitatem similem, & æqualem in gradu, an solum in parte viciniori, in remotiori vero remissiorem, an tandem in nulla parte producat æqualem qualitatem, sed semper remissiorem: loquimur autem de agente in ordine ad passum ejusdem rationis, nam si est alterius rationis, poterit in remotius agere perfectiori modo ex disp. 7. Phys. q. 4. art. 3.

Quo ad primum, quamplures e Thomistis negant agens agere immediate in totam sphæram, sed mediantibus partibus, quatenus in parte viciniori producit qualitatem, quæ pars agit in remotiorem, hinc agens ista mediante in remotiorem dicitur agere; citatur præcipue pro hac sent. Gillius lib. 2. tract. 9. c. 5. nu. 3. & 4. & Murcia 2. Phys. disp. 4. q. 6. §. *Dico* 2. Opposita opinio est Scoti in 2. dist. 13. q. un. in fin. estque communis apud recentiores, licet sit postea aliquod dissidium, an agens sit totalis causa, an vero partialis, itaut pars propinquior etiam concurrat cum agente ad actionem in remotiorem. Quoad 2. Hurt. disp. 9. Phys. sect. 7. & Arriag. disp. 3. de gener. sect. ult. negant in qualitatibus agens producere in qualibet parte sphæræ qualitatem similem in gradu, sed semper remissiorem, licet ille disput 2. de gener. §. 14. & iste disp. 2. de gener. n. 26. oppositum asserant. Alii vero solum admittunt in superficie ambiente ipsum agens qualitatem æqualem qualitati agentis, non vero in partibus sphæræ. Alii licet in principio actionis doceant agens semper in prima superficie producere intensiorem calorem, quam in partibus, progressu tamen temporis asserunt agens partem aliquam sphæræ sibi æque assimilare, ita Conimbr. 1. de gener. c. 5. q. 6. art. 3. & 1. Cœli c. 11. q. 1. in fin. a quo dicendi modo solum differt Ruv. 1. de gen. tract. de react. q. 6. quod non admittit posse agens in prima superficie ambiente producere intensiorem qualitatem, quam producet in partibus sphæræ; tamen Aversa qu. 39. sect. 6. *omnes has opiniones* veras putat, itaut agens *possit omnibus his modis* agere ex diversitate vel activitatis, vel *dispositionis* subjecti aut applicationis.

60 Dicimus 1. agens immediate agere in totam sphæram, quandoque quidem, ut causam totalem, quandoque vero ut partialem; ita Scot. cit. tetigimus autem hanc concl. disp. 7. Phys. q. 4. ar. 3. exactius hic ostendimus; & quidem quod immediate agat in totam sphæram, patet, quia vel agens immediate agit in aliquam partem sphæræ, vel solum in superficiem ambientem; si primum, cum illa sit pars divisibilis, & per consequens habeat partes propinquiores, & remotiores agenti, jam agens immediate ageret in aliquam partem distantem, ergo etiam in omnes partes sphæræ posset immediate agere, patet conseq. ratio enim cur adversarii negant hanc immediatam actionem, est, quoniam ageret aliqualiter in distans, ergo si hæc immediata actio admittatur in aliqua parte, poterit etiam concedi in tota sphæra. Tum quia pars illa, in quam immediate agit, dicetur agentis sphæra. Si solum agit in superficiem, ergo non posset actio ulterius progredi, nam indivisibile, qualis esset qualitas in superficie producta, nequit divisibile producere, scilicet qualitatem receptam in partibus. Tum quia adhuc qualitas superficiei, quia ageret in partem sequentem saltem indeterminatam, deberet agere in distans.

61 Deinde, quod aliquando sit causa totalis, ut pars propinquior non coagat cum principali agente in remotam, probat Doctor cit. exemplo de lumine, ait enim, *lumen genitum, dato quod posset causare aliud lumen, tamen luminare præsens est majoris virtutis, quam lumen genitum, & ita prævenit ipsum lumen in agendo in partem remotam*; quandocunque ergo agens prævenit partem propinquiorem in agendo circa remotam, semper erit causa totalis, nam post actionem agens univocum non amplius agit, ex supra dictis; solum est difficultas in explicatione hujus præventionis agentis: hæc autem tunc est, quando agens simul intelligitur applicatum in utramque partem, itaut in utramque agat: cum enim ad agendum prærequiratur existentia agentis, ut pars propinquior possit coagere cum agente in motam, debet prius in se recipere qualitatem ab agente, deinde coagere; sed quia agens simul tunc agit in remotam, quando pars propinquior est potens agere, reperit partem remotiorem ab agente principali assimilatam, ideoque non agit. Ex quo etiam patet, quomodo agens sit quandoque partialis causa, cum scilicet pars propinquior intelligitur potens agere, quia scilicet prius agens produxit qualitatem in illam, puta si aere ab igne calefacto ponderetur corpus frigidum, tunc tam ignis, quam aer agerent in illud corpus, ut diximus disp. cit. vel quando agens propter obstaculum, vel aliud impedimentum non agit in remotiorem partem, sed tantum in propinquiorem, si deinde removeretur impedimentum, agens simul cum parte proportionaliter tamen agerent in remotiorem.

Dices, quod non potest cum agente principali coagere, ergo non posset afferri ratio, quare impediatur productio luminis, dum obiicitur corpus opacum, ut quando obiicitur manus Soli, vel candelæ, sit umbra in eam partem, quæ directe est con-

contra manum ipsam. Prob. seq. quia extra, & circa manum est aer illuminatus, ergo poterit partem umbrosam illuminare contra experientiam. Hoc argumentum valde torquet Hurt. cit. & omnes illos, qui productionem luminis a luce univocam ponunt: dicimus autem conclusionem nostram intelligi debere de agente univoco, itaut pars sit ejusdem rationis, & activitatis specificæ cum agente principali, ut est aer calefactus respectu corporis calidi, non de agente æquivoco, sicut est lux respectu luminis, ut diximus disp. 2. de Cælo q. 5. quapropter lucidum immediate totum lumen primarium in aeris sphæra producit, hoc autem lumen non est alterius luminis ejusdem rationis productivum, sed luminis tantum secundarii, quale est, quod, ubi est umbra, reperitur; & hoc lumen producit aer illuminatus in partem directe oppositam obstaculo, & hac ratione Doctor cit. conditionate loquitur scilicet *dato, quod posset causare aliud lumen*, quia ut ipse supra ostenderat, non est lumen productivum alterius ejusdem rationis, idcirco exemplum istud de lumine apud nos non habet multum difficultatis, ut apud adversarios.

62 Dicimus 2. si non ad sit impedimentum ex parte medii, non implicat, imo quandoque contingit agens producere æqualem qualitatem tantum in superficie ambiente, aut saltem intensiorem, quam in cæteris partibus medii. Hæc conclus. est contra Ruv. & prob. si calidum v. g. ut quatuor esset cum alio corpore capaci caloris ut 4. & non resistente penetratum, producet in illo calorem ut 4. pater, quia omnes illi quatuor gradus sunt activi totidem graduum; subjectum supponitur capax, non resistens, aut reagens, ut simul concurrant ad effectum medium, item est perfectissime approximatum, quia penetratum; hoc etiam concedit Ruv. ex quo inferimus idem de superficie ambiente, quia secundum extremas superficies continens & contentum sunt simul, ut patet ex definitione contigui, itaut superficies illæ sunt penetratæ; vel ne fiat vis in verbis, sunt ita approximatæ, ac duo corpora compenetrata, ergo si non adsit impedimentum, & resistentia, producet calorem ut 4. vel si propter resistentiam contrarii non posset producere æqualem calorem, producet saltem intensiorem in superficie, quam in partibus medii. Probatur, quia medium, & corpus calidum secundum partes non sunt simul, secundum superficies sunt simul, ergo perfectius aget in superficiem, quam in partes, quia quo major est approximatio, eo perfectior est actio.

Resp. Ruv. neg. paritatem de superficie, & partibus, eo quia superficies non est capax perfectioris effectus, & intensioris, quam sint partes, quia per se nec agit, nec patitur, sed solum hæc conveniunt illi per participationem corporis, quod terminat, eo quia indivisibile non est per se mobile, quapropter solum recipit effectum ejusdem intensionis cum partibus, aliter darentur indivisibilia intensionis qualitatis a partibus separata naturaliter, quod est falsum. Sed jam contra ipsum Ruv. ostendimus disp. 15. Phys. q. 8. art. 1. *indivisibile esse mobile*; nec minus alterari, quam partes in continuo, unde si esset separatum, per se moveretur, ergo dum est in continuo propriam acquirit intensionem. Tum quia falsum est, ex nostra opinione sequi indivisibile separatum extare a partibus formæ, ut mox dicemus.

63 Contra arguit Ruv. data hac sent. sequeretur indivisibile naturaliter a continuo separari, quod est falsum, seq. prob. quia in partibus profunditatis si reciperetur calor, ut tria, & in superficie indivisibile caloris ut 4. hoc indivisibile nullas partes terminaret, nam ex se terminativum caloris ut 4. talis autem in partibus profunditatis non datur, ergo esset a partibus separatum. Tum quia hæc qualitas major in superficie non posset acquiri nec per motum, nec per mutationem, ergo non datur; antec. prob. non per mutationem, quia successive producitur; nec per motum, quia vel motus est idem numero cum motu totius corporis, & hoc non, quia est in subjecto realiter distincto, & ad terminum realiter distinctum; vel est numero distinctus, & hoc non, quia indivisibile non distinguitur numero a proprio continuo, ergo si subjecta horum motuum non sunt distincta numero, neque motus; vel tandem partialiter distingueretur numero a motu partium, quod est falsum, quia terminus productus per talem motivum non est pars termini motus earundem partium, nec terminativus illarum, ut dictum est.

Resp. hoc arg. retorqueri posse de superficie continuante qualitatem intensam per medium uniformiter difformem, qualitas enim hæc ita se habet, quod pars quælibet propinquior agenti est intensior, remotior est remissior, nec pars aliqua potest assignari æque intensa, signetur igitur superficies media, in hac determinata intensio, in partibus propinquioribus erit qualitas intensior, in remotioribus remissior; si igitur intensio superficiei ut 4. hoc indivisibile nequit terminare intensionem partis remotioris, quia in hac non reperitur calor ut 4. quem potest illud indivisibile terminare, sed minor, neque terminabit intensionem partis propinquioris, quia hæc est major, quam ut 4. ergo indivisibile separatum: simile argum. adduximus ex Aversa contra indivisibilia extensiva quantitatis disp. 9. Phys. q. 2. art. 5. quod est quintum princ. de corpore perfecte pyramidali, in quo superficies media vel esset æqualis, vel major, vel minor partibus illius pyramidis. Idcirco dicimus ut ibi, quod excessus iste intensionis superficiei supra intensionem partium non est determinatus, quod decepit Ruvium, sed indeterminatus, quatenus scilicet in qualibet parte post superficiem assignabili non reperitur qualitas intensa, ut in superficie, sed minor, & remissior, sicut locans, & locatum secundum superficies sunt æqualia, at secundum partes locans excedit locatum, quia quælibet pars post superficiem assignabilis est major locato, non tamen sequitur superficiem esse a partibus separatam; sic dicimus intensionem superficiei esse terminum intensionis partium; & cum ait calor ut 4. est terminus caloris, ut 4. qui in partibus non adest; dicimus in partibus esse calorem interminatum, cujus terminus est indivisibile intensivum superficiei, qua ratione nequit dici neque ut 4. neque ut tria, hæc enim significant calorem terminatum, sed solum dicitur calor non ut 4. sed remissior, & remissior indeterminate, nec est de ratione indivisibilis superficiei terminare calorem ut 4. hoc enim implicat, eo enim ipso, quod dicitur ut 4. signatur determinatus calor, cui non convenit denuo terminari; sed reddere calorem terminatum ut quatuor, qui ex se esset interminatus. Hinc patet ad 2. indivisibile hoc acquiri per eundem motum totalem, quo tota qualitas acquiritur, sicut etiam est terminus totius qualitatis per motum acquisitæ.

64 Dicimus 3. quamvis possit concedi aliqua accidentia in tota sphæra uniformiter ab agente produci, regulariter tamen, & ut plurimum uniformiter difformiter producuntur ab agente tam in principio, quam in fine actionis, itaut non adsit pars aliqua sphæræ, in qua producatur qualitas æqualiter intensa. Quod adsint qualitates aliquæ æqualiter intensæ producibiles in tota sphæra tam in parte viciniori, quam remotiori, forte probari potest ex quibusdam virtualibus qualitatibus, ut est virtus in magnete impressa ab astris, & a magnete in ferro, non enim apparet, quæ uniformis difformitas reperiatur in hac attractione, nec etiam si oppositum sustinere quis vellet, posset valide oppugnari, ut enim sæpe diximus, quod aliqua forma sit activa, & tali, vel tali modo agat, nonnisi ab experientia dignosci potest, & a posteriori.

Quod autem ut plurimum qualitates producantur uniformiter difformiter, & æqualiter inæqualiter, hoc est, in parte proximiori intensior, in remotiori remissior, habita proportione ad majorem, vel minorem distantiam, patet experientia, lignum enim calidius est in parte propinquiori igni, quam in remotiori, lumen in parte propinquiori est intensius, & quo magis a luminoso recedimus, experimur remissius lumen; cujus ratio est, quia ad actionem requiritur approximatio; ergo major approximatio erit causa intensioris effectus, si est susceptivus intensionis, & remissionis, & quia maxima approximatio naturaliter possibilis est contiguitas, quæ adhuc stat cum distantia, contigua enim distant loco, solum penetratio excludit omnem distantiam; hinc est, quod nequit agens in parte aliqua sphæræ etiam contigua producere qualitatem æqualem in intensione, nam hæc pars etiam distat; & hoc tam in principio, quam in fine actionis, quia semper est distans. Dices cum Conimbr. non provenire hanc uniformem difformitatem ex distantia, sed ex indispositione subjecti, quæ in fine actionis tollitur, & superatur, unde si calido ut 4. applicaretur subjectum absq; frigore, statim induceret in subjectum calidum ut quatuor in toto subjecto. Contra quia lumen non habet contrarium, & tamen in aere eodem modo dispositio inducitur uniformiter difformiter propter majorem, vel minorem distantiam. Dices cum Ruv. hoc impedimentum perfectæ approximationis tolli posse per majorem densitatem agentis, densitas enim est causa, cur agens citius, remotius, & fortius agens agat, ut diximus q. 1. ar. 1. Contra densitas ita augeret actionem, ut possit supplere approximationis defectum, & æqualem intensionem in aliqua parte sphæræ producere, ergo ita poterit densitas augeri, ut non solum respectu alicujus partis, sed respectu totius sphæræ æqualem producat intensivam qualitatem, quod est contra experientiam, quæ in proposito est præcipuum fundamentum nostræ conclus. Cui accedit, quod si agens in aliqua parte sphæræ produceret æqualem qualitatem, tunc hæc pars unita agenti principali unum agens totale majus conficeret, ergo si prius agens principale potuit producere æqualem qualitatem, multo magis postea in aliam partem poterit causare, sicut enim densitas est conditio agendi citius, velocius, & fortius, ita etiam magnitudo, quapropter nunquam finiretur agentis actio, & activitatis sphæra, sicut experimur in igne, qui in infinitum aget ignendo, si semper apponeretur novum combustibile; & quo major est ignis, eo remotius agit, hoc autem in qualitatibus non experimur, ergo debemus dicere semper agens agere in tota sphæra uniformiter difformiter.

65 Contra *istam* concluf. instatur, quod possit agens producere sibi simile in qualitatibus. Tum quia omnes gradus agentis sunt activi, & approximati, ergo omnes habebunt proprios effectus, ergo poterunt omnes producere effectus similes. Tum 2. ignis producit in stuppam calorem, ut octo, quia talis est dispositio ad formam ignis, ergo calor ignis saltem in fine actionis habet effectum similem. Tum 3. agens substantiale producit formam substantialem æqualem, ergo etiam accidens. Tum 4. densitas auget intensionem actionis, itaut plus valeat calor ut tria in ferro, quam in aere, quamvis non possit producere calorem ut 4. ex quo sic arguit Ruv. densitas supplet defectum approximationis, agens enim densius agit remotius, quam rarius, ergo sicut major approximatio facit intensiorem actionem, ita major densitas; sed quando approximatio est perfecta, & maxima, itaut agens sit cum passo penetratum, causatur in passo qualitas æque intensa, ita poterit densitas taliter augeri, ut suppleat defectum hujus perfectæ approximationis, & consequenter saltem in aliqua parte sphæræ agens sic densum producere æqualem qualitatem. Tum 5. saltem actione reflexa poterit agens perfecte sibi passum assimilare, nam si actione directa calidum ut 4. produceret in certa parte sphæræ calorem ut tria, poterit actione reflexa producere calorem ut unum. Tandem multoties Scotus videtur admittere

calo-

calorem producere ali um sibi similem gradu, sic in 1. d. 17. q. 3. & 4. d. 12. q. 2. & alibi frequenter, quem etiam loquendi modum nos pluries admisimus, imo adest experientia in sono, qui æquali velocitate, & intensione percipitur ab aliquibus licet per quatuor, vel decem passus distent ad invicem, & de lumine Solis, æquale onim apparet in imis vallibus, ac in altissimis montibus.

66 Respond. ad 1. concedendo omnes gradus agentis esse activos, & actu agere, negamus tamen omnes producere similem effectum propter defectum perfectæ approximationis; itaut si calor productus sit ut tria, totus producitur a calore ut 4. quamvis non sit adæquatus effectus. Ad 2. negamus ignem producere prius calorem, ut octo ante introductionem formæ substantialis, quia ut dicemus disput. seq. q. ult. cum minori calore introducitur in subjecto forma ignis, quæ deinde est causa caloris ut octo. Ad 3. neg. paritas, ratio præcipua est experientia, videmus enim ignem comburere stuppam distantem, per calorem tamen calefacere in parte propinquiori uniformiter difformiter; tum quia qualitas suscipit magis, & minus, non sic substantia, idcirco approximatio in qualitate potest esse causa majoris intensionis, tum quia ut notat Arriaga, rationabiliter a natura sic sunt ista agentia instituta, si enim substantia ageret uniformiter difformiter, substantia producta esset imperfectior; nec posset aliunde suppleri hæc imperfectio, hinc brevi finirentur generationes substantiales; at imperfectio accidentis producti suppletur a forma substantiali, calor enim ut octo licet producat solum calorem v. g. ut septem, hic tamen sufficienter disponit subjectum ad formam ignis, a qua deinde causatur calor ut octo. Ad 4. densitas agentis solummodo potest supplere defectum approximationis naturaliter possibilis, quæ est contiguitas, non penetratio; tum quia sufficit, ut agens extendat propter densitatem ulterius sphæram actionis. Si dicas, agens ut 4. extendendo intendit, ergo si prius poterat agere in sphæram palmarem, & in parte contigua producere calorem ut tria, si propter densitatem possit agere in sphæram bipalmarem, in prima parte produceret calorem intensiorem, etiam ut 4. Dicimus sufficere, ut hanc æqualitatem producat in superficie ambiente, in qualibet tamen parte semper qualitas erit remissior propter distantiam; & hoc quia experimento docemur qualitatem produci uniformiter difformiter; quare sicut si admitteretur calidum ut 4. posset calorem ut 4. producere, tamen etiamsi augeretur, vel addensaretur, non ob id produceret intensiorem calorem, quia simile non agit in simile, quod solum experientia comprobatur, idem in proposito dicendum. Ad 5. concedimus totum, conclusio enim nostra intelligitur de actione directa. Ad 6. numquam ex professo Doct. hanc quæstionem determinavit, sed claritatis gratia tanquam exemplum ab aliquibus admissum assumpsit, ut facilius probaret qualitatis augmentum, vel activitatem, quod etiam nos sæpe sæpius observamus, verum est tamen, quod hæc uniformis difformitas non est ubique valde perceptibilis, nec ad quamcunque minimam distantiam, ut patet in exemplis allatis de sono, & lumine; attamen sensus corrigi debet a ratione; quamvis exemplum de lumine Solis parum urgeat, quia hic agit Sol non solum directe, sed etiam reflexe. Quomodo autem agens terminet propriam activitatis sphæram, commodius dicemus q. seq.

QUÆSTIO III.

De terminis potentiarum.

67 ACtionem, & passionem versari inter potentiam activam agentis, & passivam subjecti clarum est; quoniam autem hæ potentiæ sunt finitæ, & limitatæ quoad entitatem, consequenter quoad actionem, & passionem aliquem terminum habebunt, idcirco pro complemento hujus disp. de istis terminis videndum est. Primo autem est supponendum dari potentiam activam, & passivam, insuper potentiam resistitivam, activam, & passivam, seu formalem ex dictis disp. præced. q. 4. dari quoq; obedientialem potentiam de qua egimus disp. 7. Physic. q. 6. art. 5. Deinde supponendum est ex disp. 9. Physic. q. 3. terminos rerum esse quatuor, duos extrinsecos, duos intrinsecos tam versus magnitudinem, quam versus parvitatem; terminus extrinsecus magnitudinis appellatur *minimum quod non*, & est quantitas illa, ad quam nequit res pervenire, bene tamen esse potest sub minori; terminus intrinsecus dicitur *Maximum quod sic*, & est quantitas illa, quam res potest habere, non tamen aliam majorem; terminus intrinsecus parvitatis est *Minimum quod sic*, scilicet quantitas illa, sub qua res potest esse, non tamen sub minori; terminus extrinsecus est *Maximum quod non*, idest quantitas illa, sub qua res nequit esse, sed bene sub majori; qui termini aliud non significant nisi indivisibilia terminantia quantitates illas, quas etiam connotant; & quia principaliores difficultates sunt de potentia activa, ideo prius de terminis potentiæ activæ, deinde de terminis aliarum potentiarum agemus.

68 Multipliciter vero activa potentia terminata intelligi potest, primo quoad perfectionem effectus, an scilicet possit quemcunque effectum perfectiorem in infinitum producere, an vero solum quendam finitæ, & limitatæ perfectionis. Secundo, quoad pluralitatem actuum, si scilicet potest simul plures actus habere, an unum solum. Tertio, quoad propriam quantitatem molis, num quælibet magnitudo agentis sufficiat ad agendum vel determinate requiratur, qui terminus tantum agenti corporeo convenire potest, item quoad quantitatem virtutis, qua agens debet passum excedere ex dictis q. 11. art. 2. tandem quoad extensionem sphæræ, si scilicet possit agere in quacunque distantia, ubi etiam dubitari solet de intensione, quando effectus uniformiter difformiter producitur, quomodo producatur in termino sphæræ, & hic terminus solum potentiis transeunter agentibus assignari potest, non agentibus immanenter.

69 Quoad primum terminum, nemo dubitat, quamlibet activam potentiam naturalem esse determinatam versus maximum termino intrinseco, non enim potest quemcunque effectum producere perfectiorem, activitas enim sequitur entitatem, ergo sicut entitas causæ finita est, & limitata, ita erit activitas, aliter effectus excederet suam causam; hic autem terminus erit intrinsecus, & *maximum quod sic*, quia potens pertingere gradum aliquem, poterit etiam attingere indivisibile terminans, & complens gradum illum, ut dictum est disp. 9. Phys. cit. hoc autem est habere terminum intrinsecum; tum quia sicut quælibet res in sua entitate est perfecta, & completa, ita etiam completi effectus, & perfecti erit productiva. Idem etiam dicendum versus parvitatem, quia perfectio entitativa rei consequitur essentiam ejusdem, & consequenter sicut determinatam exigit essentiam, ita determinatam perfectionem, ut non possit esse sub quacunque minori.

Dices, potentia activa debet proportionari passivæ, sed hæc nullum habet terminum magnitudinis, quia potest quemlibet perfectiorem effectum recipere, ergo idem de potentia activa dicendum. Tum quia si centrum in infinitum distaret, & ad illud fieret naturalis motus, gravitas, quæ est principium illius motus, in infinitum intenderetur, sicut motus in infinitum velocitaretur. Resp. neg. min. de potentia passiva naturali, ut dicemus infra. Ad 2. patet ex dictis disp. 3. de Cœlo q. 3. nu. 51. motum non velocitandum in infinitum, quia impulsus a gravitate causatus non intenderetur in infinitum; tum quia non tantum duraret, sed successive secundum partes destrueretur, ut ibi diximus.

70 Sed contra hunc modum dicendi instat Ruv. 1. de Cœlo tr. de term. potent. q. 1. quod si motus naturalis fieret velocior propter novum impulsum a gravitate causatum per modum tantquam per conditionem requisitam, ut ibi diximus, sequeretur, motum esse priorem impulsu, quia esset conditio prærequisita, & posteriorem, quia esset effectus impulsus. Neque dicas, motum secundum priorem partem præcedere impulsum, qui causaret motum secundum posteriorem. Nec valet, quia productio impulsus inciperet cum motu, itaut in eodem instanti non esset motus, nec impulsus, immediate post erunt, ergo si sunt simul duratione, & impulsus est naturaliter causativus motus, jam motus erit prior & posterior. Tum quia in toto tempore sequenti est motus & est impulsus, & motus secundum omnes partes ponitur naturaliter productivus impulsus, qui etiam est naturaliter causativus motus, ergo totus motus secundum omnes partes est causatus ab impulsu, & totus impulsus a motu, ergo idem respectu ejusdem esset prius, & posterius.

Respond. nunquam motum secundum eamdem partem esse conditionem prærequisitam, & effectum impulsus, sicut habitus est naturaliter causativus actus, & actus etiam producit habitum, non tamen secundum eandem partem, etiamsi ab actu continuato per tempus intenderetur successive, sicut igitur in hoc casu oporteret distinguere partem actus causantem habitus, & partem ab habitu postea causatam, idem de motu, & impulsu dicendum & ad 1. impugnat. dicimus statim incipere productionem impulsus, hunc tamen non statim causare motum, quia ad causandum, ut mox dicemus, requiritur determinata quantitas molis, & virtutis; Per hoc patet ad 2. quælibet enim pars impulsus est per motum causata, non tamen quælibet pars motus est ab impulsu causata, quia non prior pars, nec quælibet pars impulsus causat motum, quia ultima pars cum mobile incipit quiescere, non causat motum, vide disput. cit. de Cœlo.

71 Quoad numerum actuum adhuc potentia est determinata, quamvis enim successive, dummodo non remittatur in activitate, possit semper aliam, & aliam habere actionem, si de novo semper applicetur alteri passo; tamen simul nonnisi unicam potest habere, & quandocunque egit in unum passum actione propriæ activitati adæquata, non amplius in illud agit, quia jam illud perfecte sibi assimilavit; hinc videmus, quod quando agens est impeditum in sua sphæra, agit reflectendo, quo pacto non ageret si non foret impeditum, signum evidens esse ad unam actionem determinatum; solum dubitari potest de potentiis animæ, præcipue de intellectu; sed de hoc in lib. de an. sufficit, quod agens corporeum, & naturale ita se habeat, de quo in præsenti præcipue est sermo; tum quia nec intellectus potest simul multos actus producere, sed aliquos tantum, quorum quilibet esset remissior, quam si esset solus productus, quod innuit actus illos se habere ut partiales, & inadæquatos respectu virtutis intellectus.

Dubitatur tamen de magnitudine agentis, an quælibet pars, quantumvis minima potens sit agere, ut aliqui putant, & probabile censet Amic. tract. 16. Phys. q. 4. art. 4. vel certa, & determinata exigatur, quod etiam quæri posset de excessu agentis supra passum, an quilibet sufficiat, an vero requiratur determinatus intrinsece, aut extrinsece. Tandem supponendo ex dictis q. præc. agens immediate agere in totam sphæram propriæ activitatis, dubitari solet quo pacto terminet suam sphæram, & actionem, non enim potest agere in quacunque distantia propter finitatem; nam Conimbr. 1. Cœli cap. 11. q. 3. distinguunt de distantia, ad quam *potentia activa* potest *extendere* suum effectum; nam si tota sphæra consideretur secundum totam magnitudinem, sine tamen indivisibili terminativo, quo clauditur, sic ajunt potentiam activam requirere terminum intrinsecum in sua actione, nam tota illius actio terminatur ad illam magnitudinem, & non ultra; si vero sphæra illa consideretur, ut includit ultimum indivisibile terminativum, quod erit superficies quasi connexe illam terminans, sic extrinsece ajunt terminari, quia usque ad illam superficiem non pervenit actio, bene tamen ad quodlibet intra ipsam contentum. Averfa vero qu. 39. sect. 5. circa finem alio modo distinguit, nam vel loquimur de actione, & productione qualitatis, vel de intensione ipsius, primo

modo

modo concedit terminum intrinsecum, quia actio qualitatis terminatur ad aliquod indivisibile terminativum extensionis qualitatis; si vero de intensione sit sermo, solummodo concedit terminum extrinsecum, quia negat in illa ultima superficie reperiri aliquam intensionem, etiam minimam, sed solum ait esse aliquod indivisibile illius qualitatis, quod ipse vocat indivisibile intensionis.

72 Dicimus 1. non sufficere quamlibet quantitatem molis, & virtutis ad agendum, sed determinatam requiri, ita tamen quod si effectus producendus sit successive, terminus debet esse extrinsecus & *maximum quod non*, ut tanta non sufficiat, sed bene quælibet major; si effectus vero in instanti postulat produci, terminus debet esse intrinsecus, & *minimum quod sic*, ut tanta sufficiat, non minor; Prima pars, quod requiratur determinata quantitas, est Scoti 4. d. 44. quæst. 1. Gr. 2. d. 2. q. 9. N. sequitur Ruvius tract. de react. qu. 4. estque communis, quam probat Doctor ex Arist. de sensu, & sens. c. 7. ubi docet, quod centies millesima pars millii non potest concurrere, & agere ad propriam visionem, aliter sensibiles passiones essent divisibiles in infinitum, & consequenter potentia sensitiva esset infinita, nam quo minus est objectum visibile, eo perfectior potentia requiritur ad videndum.

Dices, verum esse potentiam visivam non posse quodlibet minimum videre, non quia objectum non producat suam speciem, quamvis remissam, sed quia potentia est limitata, ut non possit cum specie quatumcumque remissa elicere visionem, unde si Deus crearet hominem cum potentia visiva perfectiori, posset homo ille videre objectum minimum, qua propter ex imperfectione potentiæ non debemus arguere impotentiam objecti minimi. Contra; si hæc responsio valeret, sequeretur etiam reperiri in objecto potentiam infinitam ad diffundendam speciem visibilem in infinitum, quia perfectior potentia, potest videre objectum in minori distantia, quam imperfectior, ergo modo objectum haberet vim producendi speciem usque ad illam distantiam, & quia in infinitum posset perfectionari potentia, posset quoque in infinitum diffundere speciem, imo actu modo diffundet, cum sit agens naturale. Quapropter quia Deus creavit omnia in pondere, & mensura, quia naturaliter non datur, nisi determinata potentia sensitiva, determinatam quoque potentia activam debet habere objectum. Tum quia jam hæc responsio in potentiam visiva admittit determinatam quantitatem virtutis, ut sequatur actio.

73 Probar. etiam a posteriori in agentibus æquivocis; nam in ultimo instanti motus lapidis sursum projecti lapis acquirit unum ubi adæquatum, quod est terminus acquisitus per illud ultimum mutatum esse, quæ acquisitio non fit a gravitate lapidis, sed ab impulsu a projiciente impresso, ergo in illo instanti impulsus excedit gravitatem lapidis, quoad activitatem, nam ut diximus qu. 1. art. 2. actio provenit ex proportione majoris inæqualitatis, in tempore sequenti nequit lapis a gravitate deorsum pelli, quia ad hoc requiritur, ut gravitas superet impulsum, prius autem debent esse inter se æqualia, quam gravitas excedat, quare lapis aliquantulum detinetur sursum, ut ostendimus disp. 3. de Cœlo q. 6. in quo tempore impulsus adhuc excedit gravitatem, & tamen non impellit sursum lapidem, ergo signum erit, non quamlibet quantitatem virtutis sufficere ad agendum.

Prob. etiam in agentibus univocis, in quibus hoc intervenit, quod quando agens communicat passo totam suam virtutem, extenditur sphæra activitatis, quia ambo integrant unum agens totale, quod propter majorem molem aget in majori distantia, & si in infinitum creseceret, in infinitum quoque dilataretur sphæra, ut patet in igne, qui si convertit approximatum passum in ignem, totus ignis resultans agit remotius; & in hoc casu non est limitata activitatis sphæra; at quando non communicat totam suam virtutem, tunc datur terminus activitatis, quia quo magis protenditur actio, eo minoratur, ut tandem desinat; in hoc tamen casu, quia passum medium est formaliter simile agenti, adjuvat ipsum agens aliqualiter ad agendum, nam se habet ut concausa, saltem respectu alicujus corporis dissimilis, ex præc. q. Quo supposito, si ad agendum non requireretur determinata quantitas molis, & virtutis, nunquam finiretur agentis sphæra, quod est falsum; sequen. probat. si in ultima parte sphæræ ignis corpus calefactum calore proportionato illi parti sphæræ, itaut sua superficie terminante terminet quoque sphæram ignis, huic corpori aliud conjungatur extra totam sphæram existens, vel illud corpus calefaciet istud, vel non; si primum, ergo nunquam finiretur sphæra ignis, quia istud corpus calefaciet aliud, & sic in infinitum, si secundum, ergo signum erit non quamlibet quantitatem molis, & virtutis sufficere ad agendum, quia sunt libere approximata, non impedita, nec alia deest conditio, præterquam ista quantitas. Dices, ideo non calefit corpus illud, quia agentis actio est terminata, agens autem est, quod agit per totam sphæram, non medium. Contra, quia etiam medium coagit cum agente, quando novum corpus dissimile applicatur, itaut non solum ab igne calefit, sed etiam ab aere calido, saltem usque ad gradum similem gradui existenti in aere, ut dicimus disputat. citat. ergo licet agenti actio sit terminata, calor tamen inhærens in corpore terminante sphæram agentis, si potest agere, deberet corpus contiguum calefacere, & calor in isto productus poterit in aliud, & sic in infinitum. Rationem a priori tangit Doctor in 4. cit. quia plus requiritur ad communicandum esse, quam ad solum essendum; quod explicat Ruv. cit. exemplo viventium, quæ non statim ac habent esse possunt sibi simile generare, sed opus est, ut perficiantur in virtute generativa.

Secunda pars conclus. est communis, & probat. quia quando datur excessus sufficiens ad introducendam formam in passo, dare, & extrinsece, excessus ad hanc actionem requisitus extrinsece erit determinatus, si actio fit in instanti, & intrinsece incipit, excessus requisitus erit intrinsece terminatus, hæc enim omnia pari passu grudiuntur.

74 Contra 1. partem conclus. argum. quia potest quælibet minima pars immutare intellectum, quæ est potentia nobilior, & concurrere ad nobiliorem effectum, qualis est intellectio, ergo poterit etiam sensum immutare, sensationemque producere, quæ est ignobilior. Tum 2. sicut se habet intellectus ad intelligibile, ita sensus ad sensibile, sed potest intellectus quodcunque minimum intelligibile intelligere, absque eo quod crescat in infinitum, ergo etiam sensus. Tum 3. sequeretur dari minimum in qualitate, quod respuimus disp. 9. Phys. q. 3. ar. 1. Tum 4. sic extrema proportionis pura activi ad passivum sunt communia, si aliquid potest agere in aliquod passum, quodlibet ejusdem rationis poterit in idem passum agere ex Scot. q. 3. prol. D. ergo si aliquis color potest agere in potentiam visivam immutando illam, quilibet color ejusdem rationis poterit agere, sed minimus est ejusdem rationis cum magno colore, ergo, &c. Tum 5. quod potest magis approximari secundum actum potentiæ activæ est magis tangibile, sed minima pars magis approximatur ex Scot. 2. d. 2. q. 9. N. ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. paritatem, quicquid sit de antecedenti, quia ad immutandum intellectum non requiritur præsentia localis divisibilis, sicut requiritur ad sensum, qui cum sit potentia organica materialis, non est ita activus, ut intellectus, hinc non quodlibet ens materiale est sensibile, sed solum quod habet talem præsentiam proportionatam sensui, nec ex hoc, quod intellectus, & intellectio sint nobiliores, aliquid obstat, quia respectu sensus deficit conditio necessaria. Ad 2. neg. etiam paritas, quia intellectus ut minimum intelligat, non debet auctiorem actum elicere, ut evenit in sensu, qui idcirco, si posset, quodlibet minimum percipere, esset infinitæ perfectionis. Ad 3. vera est sequela de minimo quoad actionem, non de minimo quoad entitatem, & de isto loquimur in illa disp. Ad 4. maximam illam Scoti intelligi debere de objectis in debita dispositione constitutis, quale non est illud minimum coloris. Ad 5. conceditur major, si adsint omnia alia requisita, quæ non interveniunt in præsenti propter rationem assignatam.

75 Secundo, ad idem, potentia visiva ponit differentiam inter maximum, & minimum, ergo utrumque cognoscit. Tum 2. sicut a proportione minoris inæqualitatis nulla sequitur actio, ita a proportione majoris inæqualitatis semper debet sequi actio, sed quicunque excessus, quantumcumque minimus, constituit talem proportionem, ut patet, ergo ex quocunq; excessu sequitur actio. Tum 3. quando unum plus agit, quam resistat aliud, sequitur actio, sed quicunque excessus sufficit, ut agens dicatur plus agere, quam resistat passum, ergo, &c. Tum 4. minimus calor habet totam essentiam, caloris, ergo & activitatem, quæ sequitur essentiam.

Resp. ad 1. neg. assumptum, si de isto minimo intelligatur, hoc enim cognoscit confuse ad cognitionem, totius, non, *distincte*. Ad 2. vera est major, si inæqualitas illa major dicit determinatum excessum, si vero dicit indeterminatum, est falsa, præcipue quia plus requiritur ad constituendum, quam ad destruendum, unde paritas non valet, potest enim quælibet proportio minoris inæqualitatis impedire actionem, non tamen quælibet proportio majoris inæqualitatis poterit causare actionem, quia plus requiritur ad actionem, quam ad negationem actionis. Per quod patet ad 3. Ad 4. probat solum activitatem remotam, & in actu primo, non proximam, expeditam, & in actu secundo.

76 Dicimus secundo: Potentia activa determinatam habet activitatis sphæram intrinsece versus magnitudinem, *itaut in illa* ultima superficie spatii sit aliquod *indivisibile extensivum* qualitatis, quod *intensum* sit *intensione* quadam divisibili determinata, sed ita minima, ut ulterius non diffundatur. Hæc conclusio colligitur ex Scoto, saltem determinatione extensionis extrinseca, in 2. d. 13. in fin. ubi habet, quod agens omne diffundit suam actionem ad tantam distantiam, ad quantam potest virtus ejus; hoc autem est habere terminum intrinsecum, qui explicatur per tantum posse, & non plus, ubi extrinsecus terminus explicari solet per non tantum posse, sed minus, ipsamque docet Ruv. 1. de Cœlo tract. de term. potent. qu. 2. Pro cujus intelligentia est supponendum ex seq. disp. qualitatem per medium extendi simul, & intendi, itaut quodlibet indivisibile quantitatis non solum habeat indivisibile qualitatis continuans partes extensas illius qualitatis, sed etiam habeat in se multas partes intensivas qualitatis, quæ sunt intensive divisibiles, quamvis indivisibile extensive; Hoc supposito prob. concl. ex Arist. in lib. de sensu, & sens. c. ult. ubi ait: *Est itaque aliquid ultimum distantiæ, unde non videtur. & primum, unde videtur, hoc itaque necesse indivisibile esse, ultra quodque non contingit sentire existens, citra autem necesse sentire*, quibus verbis innuit in spatio esse quoddam punctum, in quo primo potest fieri visio, quia ibi reperitur primo species visibilis, ultra quod nequit fieri visio, ecce terminum intrinsecum.

77 Nec dicas cum Conimbr. terminum istum esse magnitudinem spatii præscindendo ab indivisibili. Non valet, quia *hoc est* abuti vocabulis, nam communiter per terminum *intrinsecum omnes* intelligunt certam, & determinatam quantitatem, *in qua* recipitur effectus, & non ultra illam, quantitas vero *dicitur* certa, & determinata, *si cum proprio indivisibili terminante* intelligatur, a quo si præscindatur, erit *indeterminata*, & incerta, ut patet ex definitionibus termini intrinseci, & extrinseci; porius ergo sphæra illa dici deberet extrinsece terminata, quam intrinsece. Tum quia in parte illa sphæræ, ut ab indivisibili præscindit, nequit dari aliquod primum, in quo fiat primo visio, ut ait Arist. cum non sit *assignabilis* prima pars post indivisibile. Tum quia falsum est agens *diffundens* totam qualitatem

per

per ſpatium non poſſe deinde agere in indiviſibile terminans illud medium, quia indiviſibile additum diviſibili non facit majus, nec extenſius, ut dictum eſt diſp. 9. Phyſ. ſæpe cit. q. 3. ar. 2.

78 Dices cum Averſa ſufficere, ut in ſuperficie terminante, ſeu in illo puncto ſit quoddam indiviſibile intenſivum, non autem pars quædam qualitatis intenſa. Contra, quia ſi in illo puncto non eſſet ſpecies cum aliqua intenſione, non poſſet fieri viſio, ad quam non ſufficit ſolum indiviſibile, maxime quod ad agendum, ut diximus in præc. concl. non ſuffiot quælibet pars minima etiam ſecundum Ariſt. ibid. Tum quia falſum eſt in ſuperficie terminante reperiri ſolum indiviſibile intenſivum ſine intenſione qualitatis, ſi enim hoc indiviſibile eſt intenſionis, ut ait ipſe Averſa, ergo in eodem ſubjecto, ſcilicet ſuperficie terminante ſphæram reperiri debet pars quædam qualitatis intenſæ, prob. conſeq. quia intenſio in hoc differt ab extenſione, quod hæc attenditur penes diverſas ſubjecti partes, illa vero penes eandem partem, & conſequenter indiviſibile intenſionis, quod habet terminare, vel continuare partes intenſas, nequit eſſe in ſubjecto diſtincto a ſubjecto partium. Tum quia idcirco negatur ab ipſo pars aliqua intenſionis in ultima ſuperficie, quia cum poſſit eſſe remiſſior, deberet diffundi in ſpatio ſequenti, ergo cum in ſpatio immediate antecedente ſuperficiem terminantem reperietur qualitas intenſa, debebit hæc diffundi, & pervenire ad ſuperficiem terminantem, minor enim virtus requiritur ad diffundendam qualitatem per ſpatium quantum. Tum quia ſi agens poteſt intendere qualitatem per totum ſpatium, ergo poterit intendere per ſuperficiem terminantem, quia hæc non facit magis, & extenſius; quem diſcurſum ipſe admittit quæſtion. 38. ſect. 2.

79 In oppoſitum arguunt Conimbr. ſic, in ultima ſuperficie eſt aliqua qualitatis intenſio, hæc cum ſit diviſibilis, debebit in ſpatio immediato producere aliam qualitatem, præcipue ſi nullum habet contrarium reſiſtens, ut eſt lumen, ergo illa ſuperficies aſſignata non erit ultimus terminus. Si dicas, qualitatem illam eſſe tam exiguam, ut nequeat aliam remiſſiorem producere. Contra ait Averſa, id, quod debet diffundere actionem ultra illam ſuperficiem erit principale agens, ſicut ſphæra illa dicitur eſſe ſphæra activitatis illius, ergo debebit adhuc agens ſuam actionem proſequi aliquantulum uniformiter difformiter, uſque dum eam perducat ad non intenſionem in extrema ſuperficie, & tunc ſiſtit, & terminat actionem.

Reſp. nec qualitatem in ſuperficie exiſtentem propter exiguitatem poſſe aliam producere, nec agens poſſe ulterius proſequi ſuam actionem, quia virtus activa ipſius eſt terminata quoad extenſionem, & licet in illa ſuperficie adſit aliqua intenſio, parum refert, quia intenſio non reſpicit diverſas partes ſubjecti, ſed eandem, quare cum illa intenſio ſit in ultima ſuperficie, non excedit ſphæram propriæ activitatis quoad extenſionem: quod ſi ulterius protenderet, ageret extra ſphæram propriæ extenſionis, ad quam actionem requireretur major virtus extenſiva.

Dices, ex quo in illa ſuperficie eſt aliqua intenſio, debemus arguere in agente adhuc majorem virtutem extenſivam ad uniformiter difformiter agendum. Reſp. non ex qualibet intenſione hoc debet argui, ſed ex illa, quæ ex ſe eſt talis, ut poſſit in aliud ſubjectum agere, ſi qualitas illa eſt activa, vel ſaltem quod poſſit ſpecies ſenſibiles in media producere, & ad ſenſationem concurrere, & non ſolum illa, ſed alia minor, quo intenſionis gradu non eſt intenſa qualitas in ſuperficie terminante producta.

80 Quæres, an potentia activa terminum aliquem habeat verſus parvitatem in ſua ſphæra? Reſp. negative, quia quodlibet agens non ſolum agit in paſſum quantuncumque propinquum, ſed quo propinquius eſt paſſum, eo perfectiorem producit effectum, ut patet in igne, ergo nequit dari terminus aliquis, ſive intrinſecus, ſive extrinſecus parvitatis, quo pertranſito non poſſit agens agere. Solum dubitari poteſt in potentia viſiva, & auditiva, quæ requirunt proportionatam diſtantiam objecti externi, ut agant, itaut ſi objectum proximius fiat, vel ſi ſupra ſenſum ipſum ponatur, nulla ſit ſenſatio. Quod ſi dicatur, has potentias eſſe immanentes, non tranſeuntes, idcirco non habere proprie activitatis ſphæram; Contra hoc eſt, quia objectum ſaltem immittendo ſpecies tranſeunter agit, & tamen hæc actio requirit determinatam diſtantiam inter objectum, & potentiam viſivam, ergo aliqua activa potentia expoſcit determinatum terminum propriæ ſphæræ verſus parvitatem. Ad hoc dicimus cum Rub. cit. negando objectum in majori propinquitate non immittere ſpeciem, non ſequitur autem ſenſatio propter defectum potentiæ ſenſitivæ, quæ requirit debitam diſtantiam objecti, ut concurrere poſſit ad ſenſationem.

81 Tandem de aliis potentiis breviter determinandum eſt, & quod attinet ad potentiam reſiſtitivam activam, nihil eſt addendum, quia hæc convertitur cum potentia activa agentis contrarii. Deinde de potentia reſiſtitiva formali certum eſt, ſi conſideretur in ordine ad agens, quod non datur terminus aliquis ſive intrinſecus, ſive extrinſecus verſus parvitatem, quia quo minor eſt reſiſtentia paſſi, eo facilius agens agit, ergo aſſignari nequit terminus, quo poſito agens non poſſit amplius agere, cum tamen prius poterat agere. Nec refert, quod fulmen enſem deſtruat, parum, vel nihil lædendo vaginam; item quod facilius projiciantur gravia, quam læviora, ut pluma, quaſi quod propter exilem vaginæ, vel plumæ reſiſtentiam non ſequantur actiones fulminis, & projicientis. Non ſequitur, nam ut dictum eſt in lib. de Cœlo, idcirco fulmen non lædit vaginam, & quamlibet aliam materiam tenuem, quia propter raritatem citius pertranſit fulmen, antequam illam accendat, at duriora, quia non habent tam facilem exitum, diutius perſiſtit in illis, ut poſſit deinde diſſipare; ſimiliter pluma propter levitatem, & raritatem partium non recipit tam intenſum impulſum, ut faciunt graviora.

82 Verſus magnitudinem tamen poteſt dupliciter conſiderari, vel quatenus eſt impeditiva actionis agentis, quo pacto poſita reſiſtentia non ſit actio, quia impeditur, vel prout ab agente ſuperatur, quomodo incipit ſimul cum actione agentis; tunc enim ſit actio, quando agens ſuperat reſiſtentiam paſſi; Si primo modo ſpectetur, tunc ſi exceſſus potentiæ activæ agentis requiſitus ad agendum ſupra reſiſtentiam paſſi eſt intrinſece terminatus, puta ut tantus requiratur, non minor reſiſtentia eſt extrinſece terminata, ſcilicet quod tanta non ſufficiat ad impediendam actionem, ſed quælibet alia major ſufficiens ſit impedire; ratio eſt, quia tunc deficit reſiſtentia, quando incipit agentis actio, ſed quando exceſſus eſt intrinſece terminatus, actio ſit in inſtanti ex dictis in præced. concluſ. ergo tunc deficit reſiſtentia impediens, quod eſt deſinere per primum non eſſe, & extrinſece, ergo etiam erit extrinſece terminata. Verum ſi exceſſus eſt extrinſece terminatus, ideſt quod tantus non ſufficiat, ſed quilibet major, quo fit, ut actio in tempore incipiat, reſiſtentia impediens erit intrinſece terminata, puta tanta impedit, non tamen minor impediet, quia ſicut tunc intrinſece deſinit per ultimum eſſe, intrinſece quoque debet eſſe terminata. E contra ſi reſiſtentia conſideratur, ut vincitur ab agente, ſic erit terminata ſicut potentia activa agentis, quia incipit ſimul cum actione, quo ſenſu non recte dicitur reſiſtentia, ſed potius impotentia; quare ſi agens incipit ſuam actionem in inſtanti per ſuam impotentiam incipit pati; ita ut tanta impotentia requiratur ad actionem non minor; ſi agens agere in tempore incipit per exceſſum extrinſece terminatum, eriam tunc incipit impotentia paſſi extrinſece, ut illa non ſufficiat ad actionem, ſed quælibet alia major.

83 Sed contra prædicta dubitatur, & primo quod non detur reſiſtentia paſſiva impediens extrinſece terminata; nam exiſtens in toto tempore poteſt etiam eſſe in inſtanti terminativo illius temporis, quia inſtans non facit majorem durationem, ergo ſi paſſum habuit reſiſtentiam per totum tempus ante actionem, etiam eandem habebit per illud inſtans, ergo tunc reſiſtentia non erit extrinſece terminata. Tum quia potens reſiſtere potentiæ activæ ſecundum quandam quantitatem virtutis, poterit etiam indiviſibili reſiſtere terminanti quantitatem illam, hoc enim ſolum terminat, non auget, ergo ſi poteſt paſſum reſiſtere ante inſtans actionis potentiæ activæ agentis, poterit etiam in inſtanti reſiſtere, patet iſta conſeq. quia in hoc inſtanti non habetur, niſi indiviſibile terminans augmentum potentiæ activæ. Deinde dubitatur ex Ruv. & Conimbr. in tractat. de termin. potent. ſæpe cit. afferentibus reſiſtentiam in ſecundo ſenſu conſideratam, quam nos vocamus impotentiam, non poſſe eſſe terminatam intrinſece, ut primo incipiat cum actione agentis, quod probant, quia hæc reſiſtentia debet excedi ab agente, aliter nulla eſſet actio, qui exceſſus neceſſario eſt diviſibilis, non indiviſibilis, ergo poterit agens cum medietate hujus exceſſus ſuperare reſiſtentiam paſſi, & conſequenter agere, nam ex quocunque majori exceſſu ſequitur actio, ergo illa reſiſtentia aſſignata non erat maxima: nam ante erat minor exceſſus, & major reſiſtentia.

Reſpond. ad 1. aliud eſſe loqui ex natura rei, & aliud in ordine ad actionem contrarii, ſi enim non habet in inſtanti potentiam reſiſtitivam, hoc evenit ex contrario ſuperante; aliter nulla res poſſet in inſtanti deſinere. Ad ſecundum cum dicimus ad actionem requiri determinatam quantitatem virtutis, non eſt ſenſus, quod neceſſario requiratur indiviſibile complens, itaut ipſum ſit tota ratio agendi, ſed eſt ſenſus, quod totus ille exceſſus exigitur, qui non habetur complete, niſi in inſtanti, antea vero ſicut non datur ultima pars, ad quam immediate ſequatur inſtans, ita nec eſt aſſignabilis ultima pars exceſſus virtutis, ad quam immediate ſequatur indiviſibile, hinc eſt quod ante inſtans, quia non habetur tota quantitas virtutis, nec etiam habetur actio; quare ad arg. neg. conſ. quia ante inſtans non habetur complete tota activitas agentis, ſeu aliqua, ſed quia in illo inſtanti habetur primo tota quantitas completa, non antea exercitium ejus, ſed ſolum in inſtanti, non quod in illo inſtanti acquiratur pars, erat incompleta, & indeterminata. Ad 3. quod Conimbr. hoc aſſerant, tranſeat, miramur de Ruvio, qui 1. de gen. tract. de react. q. 4. docet potentiam activam agentis, ſi agit in inſtanti debere excedere exceſſu determinato, itaut non quilibet ſufficiat ad agendum, quod non eſt conſequenter dictum ad ea, quæ habet 1. de Cœlo cit. quare dicimus ex dictis in 1. concluſ. agens excedere utique exceſſu diviſibili, non tamen antea poterat agere, quia non ſufficit quilibet exceſſus ad agendum.

84 Quod ſpectat ad potentiam paſſivam naturalem, prout ſcilicet reſpicit agens naturale, ſic erit terminata verſus magnitudinem intrinſeco termino, ſicut potentia activa, eſt enim naturaliter receptiva totius producibilis ab agente naturali, quod eſt quid determinatum; At ſi conſideretur ut reſpicit agens ſupernaturale, quomodo obedientialis paſſiva dicitur; ſic nullum habet terminum, ſicut nec agens hujuſmodi habet aliquam limitationem in agendo. Verum quidem eſt, quod aliqua etiam in ordine ad agens ſupernaturale non habent talem potentiam, quia neq; hæc obedientialis potentia in quolibet reperitur, & ad quodlibet, ut diximus diſp. 7. Phyſic. q. 6. art. 5. Tandem obedientialis activa reſpectu illorum effectuum, quos poteſt cauſare, nullum habebit terminum, niſi infinitatem, nam ſicut v. g. dari poteſt in intellectione ſupernaturali proceſſus in infinitum, quoad perfectionem ex dictis diſp. de infinito; ita potentia obedientialis activa noſtri intellectus poterit ad omnes illas concurrere. Neq; ex hoc ſequitur habere potentiam infinitam, quia non eſt cauſa totalis, ſed partialis, vide diſp. 7. Phyſic. cit.

DISPU-

DISPUTATIO TERTIA.

De Alteratione.

Declaratis primis qualitatibus contrariis, naturaque, & modo, quo actio, & reactio exercetur, nunc ad alterationem explicandam accingemur, quæ licet ordine perfectionis poſtponi debeat generationi, ordine tamen originis præcedit, cum ſit via, & quaſi diſpoſitio ad generationem; & conſequenter etiam ipſius cognitio valde confert ad generationis notitiam.

QUÆSTIO PRIMA.

Quædam de Alteratione dilucidantur.

1 lteratio, ſicut de generatione dicemus, diſp. 5. q. 1. art. 2. dupliciter ſumi poteſt, vel in ratione actionis, quo ſenſu agens dicitur alterare ſubjectum, vel in ratione mutationis, quomodo ſubjectum mutari, & alterum fieri dicitur; in præſenti præcipue ſumitur in ratione mutationis. Hoc pacto multipliciter ſumitur etiam ab Ariſt. pluribus in locis, ut inter alios diſerte notat Areſ. 1. gen. c. 24. Primo enim ſumi poteſt pro quacunque mutatione, qua ſubjectum fit alterum, ſive accidentaliter, ſive ſubſtantialiter, quæ acceptio eſt nimis impropria. Secundo, ſumitur minus improprie pro quacunque ſcilicet accidentali mutatione. Tertio, proprie accipitur pro mutatione ad qualitatem tantum terminata, quæcunque ſit illa, ſive intentionalis, ut ſpecies ſenſibiles, & intelligibiles, ſive ſpiritualis, ut intellectiones, ſive corporalis, ut albedo. Quarto, magis proprie capitur pro mutatione tendente ad corporalem qualitatem. Tandem propriiſſime ſumitur pro mutatione ad contrarias qualitates generationi, & corruptioni diſponentes, ut maxime ſunt primæ qualitates. Juxta varias hujuſmodi acceptiones alterationis explicari poſſunt varia Ariſt. loca, in quibus quaſi videtur ſibimet contrarius, dum quandoque reſtringere, quandoque vero ampliare apparet hoc nomen alterationis; ſimiliter decidi poteſt quæſtio illa, an ad omnia prædicamenta ſit alteratio, vel ſolum ad qualitatem, & an ad omnes qualitatis ſpecies, vel tantum ad aliquas; eſt enim quæſtio de nomine. In præſenti quamvis de ultima acceptione principaliter ſit ſermo, ipſam tamen in ampliori quoque acceptione ſcilicet propria, & magis propria conſiderabimus; dum multa, quæ his ſignificationibus ſunt communia, declarabimus.

2 Alteratio definiri ſolet cum Ariſt. de gener. 23. quod ſit, *quando ſubjecto ſenſibili manente tranſmutatur in ejus paſſionibus, aut contrariis, aut mediis; ly tranſmutatur* ſtat loco generis, ſignificat enim mutationem in communi, aut ſaltem accidentalem; dicitur *manente ſubjecto ſenſibili*, ut denotetur ſubjectum alterationis, quod eſt corpus naturale, non materia prima, ut dictum eſt in Phyſic. diſp. 3. qu. 1. additur *in ejus paſſionibus*, &c. ut circumſcribatur terminus hujus mutationis, qui eſt qualitates ſenſibiles comprehenſæ ſub nomine paſſionis, quæ adhuc vel erunt extrema contrarietatis, vel media inter extrema, unde non eſt verum, quod multi aſſerunt Ariſt. hic definire alterationem propriiſſime ſumptam, quæ ſolum inter contraria inſervientia generationi verſatur; tum quia Ariſt. affert exemplum de figura; tum quia facit propoſitionem disjunctivam, ad cujus veritatem ſufficit, ut una tantum pars verificetur, quare licet qualitates aliquæ non ſint contrariæ, & activæ mutuo ſe deſtruentes, ſi tamen vere dicantur paſſiones juxta explicationem traditam diſput. 7. Log. q. 3. art. 2. quod ſcilicet ſint aptæ inferre paſſionem ſenſibus, adhuc ſubjectum per illas hac alteratione alterari dicetur.

3 Hæc alteratio differt a generatione ſubſtantiali multipliciter. Primo, & principaliter ex parte terminorum, a quibus provenit quælibet ſpecificatio motus ex dictis diſp. 15. Phyſic. qu. 7. art. 1. generatio enim per ſe eſt ad ſubſtantiam, alteratio ad qualitatem. Secundo ex parte ſubjecti, nam ſubjectum alterationis ſemper eſt aliquod ens incompletum eſſentialiter, ut eſt materia prima, & corpus pro altera parte; at ſubjectum alterationis eſt ens completum, ſaltem ut tale ſubjectum eſt, quod addimus, quia etiam corpus pro altera parte eſt ſubjectum alterationis, ſed ut ſic non eſt incompletum eſſentialiter, ſed ut habet potentiam ad qualitatem, & prout reſpicit aliam formam ſubſtantialem. Tertio, ex parte durationis aſſignari ſolet differentia, eo quod ſubſtantialis forma, quia non ſuſcipit magis, & minus, nata eſt per ſe in inſtanti introduci, qualitas vero quia eſt intenſibilis, habetque contrarium, ſucceſſive acquiritur, ſed de hoc infra, & diſp. 5. q. 5. art. 1. Quarto, ratione finis, nam generatio eſt propter ſe, nec ad aliam mutationem ordinatur, alteratio vero ordinatur ad generationem, & eſt propter aliud; quod intelligi debet de alteratione corruptiva, & propriiſſime ſumpta. De hac tamen diſtinctione alterationis a generatione plura dicemus contra Thomiſtas diſp. 5. n. 23. & ſeq.

Ex hac ultima differentia oritur dubium, num ſcilicet ſi impoſſibilis eſſet generatio, impoſſibilis quoque foret alteratio. Ruv. de gen. tract. 3. q. 1. quem ſequitur Jo. de S. Thom. hic, & quamplures alii affirmant; imo Ruv. hoc etiam aſſerit reſpectu divinæ omnipotentiæ, itaut ſi impoſſibilis non ſolum naturali-

ter, ſed etiam de potentia Dei abſoluta eſſet generatio, impoſſibilis quoque eſſet alteratio inter contraria.

4 Verum non apparet tanta neceſſitas, & connexio inter iſtas mutationes, ut ſi v. gr. impoſſibile eſſet lignum corrumpi, impoſſibile foret calefieri, & calorem calefacere, quod patet ex Ariſt. 1. Phyſic. 24. ubi arguens contra Parminedem, & Meliſſum omnia eſſe unum aſſerentes, & conſequenter negantes generationem, & corruptionem ſubſtantialem, reprehendit illos, quod iſtud unum immobile poſuerint; nam inquit, licet non poſſit totaliter loco moveri, poterat tamen partialiter, & etiam alterari, ergo per Ariſt. inter generationem, & alterationem non eſt talis neceſſaria connexio, aliter non recte inferret conſequentiam illam. Tum quia prius, ut prius, poteſt eſſe ſine poſteriori, ergo licet ſubſtantia ingenerabilis eſſet incorruptibilis, non ſequitur neceſſario ex hoc ingenerabilitas, & incorruptibilitas qualitatum, ſolum accidentia illa ab extrinſeco eſſent incorruptibilia, quæ ſibi forma ſubſtantialis determinat ad ſui conſervationem, ſi tamen aliqua ſibi determinat, reliqua vero poſſent adeſſe, & abeſſe a ſubſtantia. Tum quia finis primarius, & intrinſecus caloris non eſt producere ignem, vel carnem, aut aliquid aliud, ſed ſolum calorem, reſpectu cujus eſt agens principale, at reſpectu ignis eſt ſolum inſtrumentum, & ad illum ordinatur ab agente principali, unde ignis generatio eſt caloris finis extrinſecus, ergo licet hic finis deficeret propter impoſſibilitatem generationis, non idcirco proprius finis caloris, qui eſt calefacere, ceſſaret, ergo poterit adhuc calefacere; aſſumptum patet, quia actiones a terminis primariis, & per ſe intentis ſpecificantur, modo ſi qualitas non eſſet per ſe terminus alterationis, ſeu calor calefactionis, ſed qualitas etiam corruptiva (nam de perfectiva non eſt dubium, ut patet in Cœlis, qui illuminantur, imo opacitatem, & diaphanicitatem de novo recipiunt ut ſuo loco dicimus) eſſe totaliter ad generationem ordinata, non poſſet ſpecificare alterationem, ſicut inſtrumentum, & medium non ſpecificant electionem, ſed finis eſt, qui ſpecificat; quare alteratio non eſſet a generatione diſtincta, ambo enim haberent eundem formalem terminum. Hoc voluit innuere Scotus in 4. d. 6. queſt. 5. D. & d. 12. q. 3. ubi ſæpe replicat, quod accidens ſeparatum poteſt alterare, & tamen ut ſic non eſt inſtrumentum agentis principalis, cui ſit conjunctum.

5 Dices, Ariſt. 1. de gener. cap. 1. ait, *Quapropter ſi non ſit poſſibile ex igne fieri aquam, neque ex aqua terram, neque ex albo nigrum, neque ex molli durum, eadem autem ratio & de aliis*; ergo ad impoſſibilitatem generationis ſecundum Ariſt. infertur *impoſſibilitas alterationis*. Tum 2. alteratio proprie verſatur inter contrarias qualitates mutuo ſe expellentes a ſubjecto, ſed iſta mutua expulſio dicit ordinem eſſentialem ad expulſionem formæ ſubſtantialis, ergo ſi iſta expulſio eſt impoſſibilis, etiam illa. Tum 3. ex hoc, quod Cœli ſunt incorruptibiles, nequeunt alterari contrariis qualitatibus, ergo idem eveniret in aliis ſubſtantiis, ſi eſſent incorruptibiles.

Reſpond. ad 1. ex ipſomet Ruv. Ariſt. ibi arguere contra Emped. negantem generationem, & corruptionem in elementis, & ponentem tam primas, quam ſecundas qualitates elementorum tanquam ipſorum paſſiones, ex quibus recte deducit Ariſt. quod ſi elementa non deſtruuntur, nec qualitates corrumpentur, quia paſſio eſt a ſubjecto inſeparabilis; unde Ariſt. non loquitur abſolute. Ad 2. diſting. min. dicit, ordinem primarium negamus, ſecundarium concedimus, quare non eſt ordo eſſentialis, non enim expulſio frigoris ordinatur ad expulſionem formæ ligni a calore, ſed ab igne, vel alio univerſali agente, a calore vero, a quo eſſentialiter dependet, ordinatur ad introductionem alterius caloris. Ad 3. verum eſt de facto omne ſuſceptivum contrariorum corruptivorum eſſe corruptibile, & ideo recte ex hoc, quod cœli ſunt incorruptibiles, arguimus non eſſe alterabiles, at de poſſibili non apparet manifeſta implicantia, quod detur aliqua ſubſtantia de ſe incorruptibilis, quæ tamen poſſit recipere contrarias qualitates, ſicut modo quamplures docent qualitates has immediate recipi in materia prima, quæ tamen eſt incorruptibilis, & aliquæ ſubſtantiæ dantur, quæ ſunt intrinſece corruptibiles, tamen quia forma ipſarum *renaciter* adhæret materiæ, quamvis alterentur, non idcirco corrumpuntur, ut patet in adamante, & quibuſdam aliis gemmis pretioſis.

6 Multipliciter *dividi ſolet hæc alteratio, ut eſt videre* apud Areſ. cit. ſed præcipue a Thomiſtis in tres ſpecies dividitur, in ſimplicem alterationem, in intenſionem, & in remiſſionem tanquam in tres ſpecies; ſimplex alteratio eſt productio totius qualitatis, intenſio eſt productio qualitatis non totalis, ſed aliam præſupponens ejuſdem rationis, remiſſio eſt a majori qualitate ad minorem. Verum iſta diviſio nequit eſſe generis in ſpecies, nam primæ duæ non differunt eſſentialiter, cum motus non ſpecificetur a termino a quo; nec tertia per ſe reſpicit minorem

qualitatem in intensione tanquam terminum, sed proprie respicit privationem qualitatis intensionis, quapropter specifice solum dividi potest penes distinctionem specificam qualitatum, a quibus specificatur, juxta dicta disp. 15. Phys. qu. 7.

7 Aliter adhuc dividi potest, magis ad propositum, quod alteratio est duplex, alia intensiva, alia extensiva, prima dicitur intensio, & est acquisitio majoris perfectionis qualitatis in eadem parte subjecti; secunda dicitur extensio qualitativa, & est acquisitio qualitatis in aliis, & aliis subjecti partibus; prima duplex est, absoluta, & relata, intensio absolute sumpta est acquisitio cujuscunque gradus, relate accepta denotat majorem perfectionem respectu alterius qualitatis inferioris perfectionis, sicut quælibet pars quantitatis dicitur habere magnitudinem in se spectata, ad aliam vero comparata dicitur habere majorem, & minorem magnitudinem. Ex quo sequitur, quod sicut in quantitate datur duplex motus acquisitivus, & deperditivus, & dicuntur augmentario, & diminutio, ut dicemus disp. ult. ita in qualitate, quia dantur duo motus acquisitivi, scilicet intensio, & extensio, pariformiter dari debent duo motus deperditivi oppositi, primus est oppositus intensioni, & remissio communiter dicitur, secundus erit oppositus extensioni, qui nomine diminutionis qualitativæ appellari poterit.

8 Quod autem intensio qualitatis ab extensione distinguatur, scilicet quod formam intendi, non est magis applicari per plures partes subjecti, ut aliqui dixerunt, sed magis perfici circa eandem partem, seu circa idem subjectum, patet; nam aliter sequeretur qualitates spirituales non posse augeri, quod est contra fidem, & colligitur ex Trid. sess. 6. cap. 9. & habetur expresse Lucæ 17. *Adauge nobis fidem*, ad Philippens. 1. *Oro, ut charitas vestra magis, ac magis abundet*, & Ecclesia canit, *Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum*. Tum quia equus albus esset albior modica nive; quapropter supponendum est tanquam clarissimum qualitates intendi, & etiam extendi, si sunt materiales: imo per hanc proprietatem susceptionis magis, & minus per se circumscripsimus in logic. disp. 7. qu. 3. art. 1. differentiam essentialem qualitatis, & artic. 4. ostendimus hanc proprietatem omni qualitati convenire. De istis motibus, præsertim acquisitivis, ordinatim agemus, ad exactam cognitionem alterationis habendam.

QUÆSTIO II.

An intensio fiat per realem acquisitionem qualitatis.

9 Duas difficultates involvit præsens quæstio, prima est, an per intensionem acquiratur nova qualitas a præcedenti in subjecto existente distincta; secunda an supposito quod nota qualitas adveniat, quæ prius inhærebat subjecto, remaneat, vel potius destruatur.

Quoad primum, est prima sent. negans acquiri per intensionem novam qualitatem, sed eandem formam primo acquiri, quæ in toto intensionis progressu eadem manet; hi tamen multum inter se differunt, ut explicent id, quod habetur per intensionem; Nam primus dicendi modus Platoni, Simpl. & Ammon. adscriptos docet intensionem consistere in ablatione, & negatione contrarii, ut calorem magis intendi est minus habere frigus admixtum, & remitti est habere majorem frigoris mixtionem, unde negat verum, & reale augmentum formæ, sed solum per accidens admittit, quatenus ablato frigore aliisque contrariis dispositionibus, calor perfectius agit. Alii, quia videbant, non omnes qualitates habere contrariam, dixerunt formam intendi esse formam magis recedere a contrario, vel a privatione, plus enim distat a nigredine albedo ut quatuor, & a tenebra lumen ut quatuor, quam albedo, & lumen ut duo; & e contra, lumen remitti est formam magis accedere ad suum oppositum, non per admixtionem, sed per quendam accessum, facilius enim transitur ad tenebras a lumine ut duo, quam a lumine, ut quatuor.

10 Thomistæ cum D. Thom. p. 2. q. 52. art. 1. & 2. asserunt per intensionem non acquiri novam partem formæ, sed novam radicationem in subjecto, mirabile tamen est, quam inter se discrepent in explicatione hujus radicationis, itaut post multas verborum ambages potius obscuriorem reddant radicationem istam, quam declarent, nam aliqui dicunt formam magis, vel minus radicari in subjecto, esse habere perfectiorem, vel imperfectiorem existentiam in illo, sive in adventu perfectioris existentiæ maneat præcedens, ut placuit Ægid. quol. 2. q. 14. apud Vasq. p. 2. disp. 82. sive destruatur, ut sustinent Capr. p. dist. 17. qu. 2. art. 5. & Astud. 1. de gen. q. 9. apud eundem. Alii hanc majorem radicationem explicant ex hoc, quod subjectum est magis dispositum, minorem formæ radicationem, quando subjectum est minus dispositum. Cajet. p. 2. qu. 52. art. 1. & 2. Martinen. ibid. dub. 1. Salas disp. 4. tract. 10. sect. 4. (quamvis Scoti sententiam reputet etiam probabilem). Zanard. 6. Meth. qu. 10. explicant istam majorem radicationem per hoc, quod forma magis de potentia subjecti educitur, vel quia subjectum magis subjicitur formæ, vel quod forma magis, ac firmius unitur subjecto, majoremque effectum formalem subjecto tribuit, sicut arbor dicitur magis radicari, dum firmius adhæret terræ, & profundiores radices immittit; eodem fere modo loquitur Bannes. 1. de generat. qu. 5. ubi addit, formam radicari magis, est formam magis reducere ad actum subjectum, magisque actuare potentialitatem ipsius, ita ut si forma ante habebat in subjecto gradus perfectionis ut duo, postmodum habetur ut tria, & per intensionem corrumpitur terminatio ut duo, & acquiritur nova terminatio, ut tria, qui gradus perfectionis non sunt realiter distincti, sed eadem formaliter, & aliter se habent. Joan. de S. Th. prim. de gener. qu. 4. art. 2. ait in principio actionis totam formam esse in subjecto, sed non totaliter, quia potest magis, & magis subjecto uniri, ipsumque perficere, non quidem per novum modum se tenentem ex parte formæ, cui det vim magis actuandi, & perficiendi, sed ex parte unionis solum, & explicationis ipsius in subjecto. Exactius rem explicant Complut. disp. 4. q. 9. distinguunt enim in qualitate essentiam, existentiam, unionem cum subjecto seu inhærentiam, & radicationem, seu participationem ejusdem formæ, & hoc ultimum per intensionem, & remissionem ajunt variari, & supra illa tria additactualitatem quandam, non qualitercunque, sed majorem intra propriam lineam, ratione cujus meliori, & perfectiori modo se habet, perfectioremque effectum formalem tribuit subjecto, nam est ipsum magis, inquiunt, ipsaque quantitas virtutis ejusdem caloris, & in hoc sensu implicant diversos loquendi modos D. Thomæ, & Thomistarum.

11 Secunda sententia est Scoti p. dist. 17. q. 3. supra XX. & 8. Meth. q. 3. affirmantis per intensionem novam acquiri qualitatem, & per remissionem deperdi; ipsum sequuntur præter Scotistas, omnes Nominales, & ex recentioribus Fonsec. 8. Met. cap. 3. qu. 2. Vasq. cit. Suarez disp. 46. Meth. sect. 1. Ruv. 1. de gen. tr. 3. q. 5. Hurt. disp. 5. Aresc. q. 25. Morisanus disp. 2. dub. 4. Murcia disp. 2. qu. 4. Arriag. disp. 3. sect. 1. Aversa q. 23. sect. 6. Coninch. de actib. supernat. disp. 22. dub. 3. Malderus 2. 2. q. 24. art. 5. Azor. lib. 3. cap. 22. Tolet. 4. Phys. qu. 12. estque communis.

Quoad 2. dubium est una opinio sustinens in intensione adveniente novo gradu formæ priorem totaliter corumpi; citantur Durand. prim. dist. 17. qu. 7. Gotfred. quol. 11. quæst. 3. Burl. in tract. de intens. Avicen. Alb. & alii. Opposita opinio est Scoti cit. & modo communis apud omnes.

ARTICULUS I.

Per intensionem nova qualitas acquiritur.

12 Dicendum est cum Scot. cit. intensionem non fieri per majorem admixtionem contrarii, aut recessum a privatione, vel per majorem radicationem formæ in subjecto, quomodocunque explicetur hæc radicatio, sed per realem acquisitionem novæ qualitatis, & remissionem, & e contra per deperditionem realem ejusdem. Conclus. prob. quoad singula; primo quod non fiat per majorem admixtionem contrarii. Tum quia ut notat Mayron. 1. d. 18. qu. 1. concl. 3. dantur aliquæ formæ, quæ non habent contrarium positivum, ut lumen, visio, &c. & tamen intenduntur: aliquæ licet habeant contrarium positivum, non tamen cum illo sunt compossibiles in gradu quantuncunque remisso, ut sunt actus oppositi ex dictis disp. 1. qu. 5. art. 1. vel saltem non necessario præsupponunt formas oppositas in subjecto, & tamen intenduntur, de se habent habitus virtutum, aliter carens utroque habitu oppositio scilicet virtute, & vitio, scientia, & errore, non posset acquirere virtutem illam, vel scientiam, nisi simul acquireret vitium, vel errorem in summo, ut paulatim virtus intendi possit per depurationem ab istis oppositis habitibus, quod est falsum, nam in statu innocentiæ ait Doct. fuissent habitus virtutis, & inæqualiter, non tamen habitus vitiosi; quod intendatur, patet, quia non statim ac aliquis primo virtutem acquirit, habet illam in summo, sed paulatim in frequentatione actuum augetur. Tum quia sequeretur, quod aliquis non posset rem velle, nisi intensissime, volitio enim nullo pacto admittit simul nolitionem oppositam, unde ab isto actu est omnino deparata, ergo quælibet esset intensissima. Tum quia intensio albedinis est dealbatio, motus autem a termino ad quem specificatur ex 5. Phys. 31. ergo terminus ad quem istius dealbationis non est amotio sola nigredinis. Tum quia motus deorsum, naturalis intenditur in velocitate, non tamen per deperditionem motus sursum; similiter motus sursum violentus remittitur in fine, non quidem per admixtionem motus deorsum. Tum quia licet quando duo contraria in esse remisso sunt simul, si unum intendatur, remittatur alterum concomitanter, nequit tamen intelligi, quod hæc intensio sit simpliciter actio contrarii destructiva, & non alicujus productiva; quia corruptio unius est alterius generatio, nec corruptio per se intenditur ab agente. Tandem quia remanet explicandum, quo pacto remittatur contrarium, an scilicet quia pauciores gradus remanent in subjecto, & sic est cum nostra opinione, an vero quia aliquis modus contrarii amittitur, quod est incidere in opinionem Thomist. Dices per majorem, vel minorem admixtionem intelligi majorem, vel minorem unionem cum contrario. Contra, ergo quando calor remittitur, etiam frigus remitteretur, & quando calor intenditur, etiam frigus fiet intensius; probat. quia si unum contrarium alteri unitur, hoc alterum illi quoque uniri debet, ergo si calor remittitur, vel intenditur, quia magis, vel minus unitur frigori, etiam frigus simul remitteretur, vel intenderetur, quia eodem modo uniretur calori,

13 Secundo, quod intendi non sit magis recedere a privatione, prob. quia per intensionem cognoscitur unam formam esse altera perfectiorem intra eandem speciem, sed hoc cognoscitur per accessum ad summum ex 10. Meth. 2. ubi habet Arist. quod unumquodque mensuratur per id, quod est perfectissimum sui generis, ergo intensio non specificatur per recessum a negatione, quamvis enim accessus ad terminum ad quem habeat recessum a termino a quo, specificatio tamen intensionis non sumitur a termino a quo, sed ad quem, quod ipsum vocabulum explicat, intendere enim est

est in aliud tendere. Tum quia nequit forma eadem omnino manens modo magis, modo minus a privatione recedere, sed iste recessus præsupponit actionem aliquam positivam, ergo aliquid de novo habet forma, per quod ponitur magis a negatione elongari, motus enim necessario est inter duos terminos oppositos, & si ab uno recedit, accedit ab alium.

14 Tertio, quod non fiat per acquisitionem perfectionis existentiæ, qui erat primus modus explicandi majorem radicationem in subjecto; probat. primo, quod existentia non distinguitur ab essentia realiter. Deinde admissa hac distinctione, existentia emanare ponitur ab essentia, ergo hæc invariata semper eandem causabit existentiam. Tum quia existentia est solum conditio, non ratio agendi, aliter Thomistæ ponentes humanitatem in Christo existere existentia divina, deberent asserere humanitatem esse infinitæ potentiæ, sicut existentia divina est infinita, essentia vero est ratio agendi, ergo ubi est perfectior agendi ratio, ibi est perfectior essentia, non tantum perfectior existentia, at forma intensior agit perfectius, quam remissior, ergo, &c. Tum quia vel prior existentia destruitur, & sic impugnatur eisdem rationibus, quibus art. seq. impugnabimus opin. Durand. solum mutato termino entitatis in existentiam; tum quia deberet qualitas corrumpi; ut in simili arguebamus de materia prima; si existentiam a forma reciperet, disp. 2. Phys. q. 2. ar. 1. & disp. 5. q. 3. art. 1. tum quia potens corrumpere perfectius, potest etiam imperfectius destruere, quia si de quo minus, ergo de quo magis: sed agens remittens formam contrariam potest corrumpere existentiam perfectiorem formæ, ergo multo magis poterit impedire, ne perfectior existentia resulter. Vel ponitur priorem existentiam permanere, ergo jam admittunt latitudinem graduum in existentia, quæ non minus impugnari potest rationibus, quas contra latitudinem graduum formæ congerunt. Tandem debent explicare, in quo consistat ista major perfectio existentiæ.

15 Quarto, quod non fiat propter majorem, vel minorem dispositionem subjecti, prob. quia tunc etiam substantialis forma diceretur intendi, & remitti, sicut enim calor si est in subjecto magis disposito perfectius agit, ideoque dicitur intensior, ita si anima v. g. informat organum visus magis dispositum, perfectius operatur, quam si informaret organum minus dispositum, ergo posset dici intendi, & remitti; imo Joan. de S. Thoma hoc exemplo animæ utitur ad explicandum, cur calor invariatus secundum essentiam modo imperfectius agat. Tum quia videmus in eodem aere, eodemque modo disposito produci nunc intensius lumen, nunc remissius. Tum quia ait Doctor, vel per istas dispositiones subjecti intelligunt remotionem impedimenti, & oppositæ qualitatis, & sic incidunt in sent. Platonicorum jam impugnatam; vel intelligunt dispositiones quasdam prævias requisitas necessario, ut calor sit in subjecto, & hoc est falsum, nam istæ dispositiones essent qualitates quædam, ut patet, secundum quas subjectum magis, vel minus dispositum diceretur, modo licet sit falsum quamlibet qualitatem prærequirere tales dispositiones in subjecto; quærimus de istis dispositionibus, an seipsis magis, vel minus disponant subjectum, an mediis aliis, si primum, ergo habent latitudinem graduum, si secundum, erit processus in infinitum.

Resp. non dari hunc processum, quia secundæ qualitates intenduntur propter intensionem primarum formalium, istæ intenduntur propter intensionem qualitatum materialium, quæ sunt raritas, & densitas, sed raritas præcise intenditur propter majorem mareriæ intensionem, densitas vero propter majorem condensationem materiæ. Contra; nam hæc responsio non habet locum in spiritualibus, ubi non adsunt istæ qualitates primæ, & materiales. Nec habet locum in materialibus, nam Cœlum magis, vel minus illuminatur, non tamen fit modo rarum, modo densum. Tum quia subjectum rarius est magis dispositum ad recipiendum lumen, quam densius, & tamen si illi applicaretur parva candela, isti vero Sol, vel valde luminosum, certe intensius lumen esset in minus disposito, quam in magis disposito, ergo intensio luminis aliquid aliud dicit, quam dispositionem subjecti. Accedit, quod intensio v. g. albedinis non esset ejusdem speciei cum ipsius productione, nam hæc terminaretur ad albedinem, illa ad dispositiones, quæ sunt alterius rationis, & speciei.

16 Secundo, quod nequeat fieri per novum modum, vel unionis, vel eductionis, vel radicationis, aut actuationis, istis enim locutionibus Thomistæ circumscribunt quandam modalem entitatem de novo advenientem qualitati productæ, non enim potest intelligi formam perfici magis, & intendi, nisi aliquid de novo fiat, aliter eadem qualitas bis produceretur, scilicet per primam productionem, & per intensionem, si intensio terminaretur ad puram qualitatis essentiam, tunc sic ex Scot. cit. vel iste novus modus est quid respectivum, vel quid absolutum; si primum, ergo in ipso erit magis, & minus ratione fundamenti, scilicet qualitatis, sicut paries dicitur magis similis in albedine alteri parieti, propter intensiorem albedinem; si secundum, quærimus adhuc, vel est divisibilis, itaut habeat latitudinem graduum, vel indivisibilis, si primum, jam admittunt plures gradus alicujus entitatis saltem modalis in eodem subjecto simul, quod negant in formis; si est indivisibilis, ergo in instanti acquiritur, & quælibet alteratio intensiva esset instantanea, non continua, & successiva, quod est falsum, ut dicemus, sequel. probat. quia ex dictis disputat. 14. Phys. quæst. 2. art. 4. nullum indivisibile potest acquiri in tempore.

Resp. Salas non esse absurdum in tempore indeterminato acquiri indivisibile, sicut divisio lineæ fit in tempore, & tamen generantur ibi duo puncta, quæ sunt omnino indivisibilia. At Complut. & Joan. de S. Thom. ajunt modum illum esse entitative indivisibilem, & formaliter, at virtualiter esse divisibilem. Sed nec in tempore indeterminato posse indivisibile produci ostendimus disp. cit. neque exemplum de linea valet, si enim loquimur de separatione solummodo partium lineæ, falsum est in tempore fieri, si vero de tota divisione, seu de motu locali, qui intervenit, sic fit in tempore, *in quo corpus dividens* lineæ approximatur, & hoc quia spatium occupatum a puncto continuato lineæ, quod per divisionem destruitur, est omnino indivisibile, cum sit punctale, indivisibile autem ut tale nequit motu divisibili pertransiri. Similiter ibidem impugnavimus aliam respon. nam terminus motus debet esse formaliter divisibilis, sicut motus, nec sufficit virtualis divisibilitas: sicut enim quælibet pars motus dividitur in partes priores, & posteriores quantumvis minimas, certe si per partes priores attingit terminum, si iste est indivisibilis, nihil remanet attingendum per posteriores partes, sic Angelus, & anima sunt virtualiter divisibiles, & tamen ibi probavimus necessario instanti produci; ergo cum intensio sit divisibilis, & successiva, non poterit attingere modum indivisibiliter formaliter.

17 Respond. Joann. de S. Thom. quod licet quælibet unio, seu terminatio, ut ipse ait, sit indivisibilis, tamen inter unam & aliam datur transitus per modum latitudinis, & distantiæ in fieri, non quia sint partes qualitatis acquirendæ inter modum, & modum, sed quia ipse modus, qui acquiritur, dum est in fieri, est per modum divisibilem, dum est in facto esse, est per modum indivisibilem. Compl. q. 10. aliter respondent, quod in continuo est post indivisibile pars aliqua, quæ indeterminate, & confuse dicitur prima, & immediata indivisibili, quæ, ut stat sub isto concepru primitatis, *est formaliter* indivisibilis, aliter si esset divisibilis, non conciperetur prima, & immediata; pro substrato tamen scilicet pro illa quantitate a parte rei est divisibilis materialiter, & virtualiter, idem de motu dicendum; qua propter, inquiunt, non repugnat ut per partem motus hoc pacto indivisibilem acquiratur aliquis modus formaliter indivisibilis, seu divisibilis virtualiter, sicut pars illa motus est taliter divisibilis.

En in quot difficultates, & inextricabiles angustias labuntur, ut nec ipsi se intelligant; quid enim velit afferere prima responsio per hoc, quod est, modum, dum est in fieri, esse per modum divisibilem, dum est in facto esse, tunc per modum indivisibilem esse, non satis constat; etenim dum datur transitus per modum latitudinis, & in fieri inter unum, & alium modum, vel aliquid per motum, & fluxum in fieri acquiritur, vel nihil, non secundum, quia nequit esse motus, & actio sine termino, si primum, talis non est modus indivisibilis propter rationem assignatam, deinde, quid significat modum in fieri esse per modum divisibilem, nisi quod, dum fit, habet partes divisibiles, quod prius negabat. Nec minus obscura, vana, & falsa est secunda responsio: nam primo, pars illa motus, quæ prima, & immediata concipitur, si apprehenditur sine partibus, vel cum partibus simul existentibus, est conceptus falsus, nam pars est in se divisibilis, & successiva, solum concipitur prima, & immediata confuso modo, quatenus indivisibile, & partem ab illo terminatam nihil mediat: *Deinde sive talis coscipiatur, sive non, nobis sufficit, quod a parte rei sit formaliter divisibilis, nam attingit terminum, ut exercetur a parte rei, non a nobis concipitur, ergo etiam modus erit divisibilis a parte rei, ut est motus;* non igitur debet pars ista dici formaliter indivisibilis, & solum divisibilis virtualiter, sed potius formaliter divisibilis, quia talis est in se, & conceptibiliter indivisibilis.

18 Rursus quæri potest de istis modis, an adveniente perfectiori imperfectior adhuc remaneat, vel deperdatur: si primum, ergo quia isti modi non sunt specie distincti, aliter intensio continuata non esset ejusdem rationis, deberent admittere plures gradus numeraliter distinctos in eodem subjecto, quod valde abhorrent, & quamvis Complut. asserant, modos istos plus quam numero differre, eo quia perfectior virtualiter continet imperfectiorem, non audent tamen inter illos ponere specificam distinctionem, unde consequenter cogunturr ponere distinctionem quandam mediam inter specificam, & numericam, quod est falsum. Si deperdatur prior modus, jam redeunt argumenta facta contra Capreol. de existentia, maxime contra asserentes radicationem istam esse unionem, seu inhærentiam formæ in subjecto, quamvis enim inhærentia actualis distinguatur ab existentia accidentis absoluti, naturaliter tamen sunt connexæ, itaut si accidens non inhæret, nec existit, hinc si una inhærentia destruitur, etiam forma debet destrui, ut de existentia dicebamus. Tum quia non est ratio, cur forma statim non uniatur unione perfectissima cum subjecto, *cum sit causa naturalis, recurrere autem ad majorem, vel minorem dispositionem subjecti, ut facit Joann. de S. Th. jam supra impugnavimus.* Tum quia in remissione formæ, v. gr. caloris in aqua non posset assignari causa producens imperfectiorem illum modum. Ajunt Complut. & Joann. de S. Thom. causam per accidens esse aquam corrumpentem modum perfectiorem, causam per se esse ignem, qui licet sit absens, *virtualiter* manet in calore, a quo modus ille imperfectior emanat. Contra, si aqua potens est corrumpere perfectiorem modum, multo magis poterit impedire, ne alteri imperfectior resulter, cum quo oppositionem etiam habet, illumque *querit* destruere.

19 Demum, contra exemplum *sæpe* a Thomistis adductum de

radice arboris magis se introducente intra terram ur getur, quia ex hoc videtur sequi, quod sicut radix, quo magis radicatur, eo difficilius evellitur, ita forma, quo intensior, & magis radicata, eo difficilius posset removeri a subjecto, quod esse falsum probat Doctor exemplo verecundiæ, quæ est causa intensioris ruboris, quam sit naturalis rubor, & tamen iste firmius manet in facie, quam ille; similiter febris ethica secundum Medicos est magis radicata, quam effimera, & tamen ista est intensior. Quod etiam dicebat Bannes ex Cajetan. in intensione corrumpi, v. g. terminationem ut duo, & acquiri terminationem ut tria, est insufficiens, nam sicut in extensione, cum acquiritur tertius, vel quartus palmus, non solum fit acquisitio illius *indivisibilis terminantis*, sed etiam *quantitatis alicujus de novo* terminatæ illo indivisibili, ita etiam in intensione qualitatis non tantum acquiritur terminus ille ut tria, sed etiam nova qualitas, aliter duo indivisibilia terminantia immediata.

20 Ex his remanet probata nostra sententia, quod per intensionem nova acquiratur qualitas in eadem subjecti parte, quibus accedit, quod sicut calor, v. gr. in agendo semper agit tam in principio actionis producendo, quam in progressu intendendo per eandem essentiam propriam, & univoce, sequitur terminum semper esse ejusdem rationis, aliter intensio esset specie distincta ab actione productiva, hæc enim terminaretur ad qualitatem, illa ad modum qualitatis. Nec valet, quod inquiunt Thomistæ terminum intensionis esse qualitatem invariatam quoad essentiam, non tamen quoad *modum essendi in subjecto*. Non valet, quia non minus differt qualitas a suo modo radicationis, quam quantitas ab extensione *locali actuali*, anima rationalis a sua unione, extensio enim est modus quantitatis, & unio est modus animæ rationalis; & tamen quantitas secundum se terminat augmentationem, extensio vero *localis* rarefactionem, anima terminat creationem, at unio terminat nutritionem, rarefactio autem specie distinguitur ab augmentatione, & nutritio a creatione, quamvis per rarefactionem aquiratur quantitas magis extensa localiter, & per nutritionem habeatur anima majori materiæ unita, ratio est, quia non ipsa quantitas, vel anima rationalis secundum proprias entitates terminat, sed potius modi ipsarum, ergo eadem ratione intensio esset specie distincta a productione *qualitatis*, quia proprie *non* ipsa qualitas de novo fieret, sed modus ipsius, nec esset vere univoca actio sed æquivoca, vide Suarez fuse impugnantem oppositam opinionem.

21 In contrar. obiic. 1. quamplurimis Arist. author. nam 3. top. cap. 4. ait, quæ contrariis sunt impermixtiora, sunt magis talia ut *albius quidem nigro impermixtius*; 5. Phys. 19. magis, aut melius est ex eo, quia aut minus contrarii inest; 2. Cœli 37. remissio cujuscumque fit propter impotentiam, in prædicam. qualit. refert ex antiquis, & approbare videtur, qualitatem secundum se non suscipere magis, & minus, ut justitia non dicitur magis, vel minus justitia, sed subjectum per qualitatem denominari magis, vel minus tale, sic homo dicitur magis, vel minus justus, quapropter secundum Arist. qualitas secundum se non augetur, sed solum a subjecto participat magis, & minus, & Physic. 84. dixit, subjectum fieri magis calidum nullo facto in materia calido, ided nullo calore facto in materia. Tum 2. qualitatem intendi est perfectius inhærere subjecto, sed inhærentia accidentis est unio ipsius cum subjecto, ergo qualitas intenditur propter *perfectiorem unionem, quam habet de novo*. Tum 3. eadem quantitas fit magis, vel minus extensa in rarefactione, & condensatione sine additione novæ quantitatis, ut dicemus disp. sequen. ergo idem de intensione qualitatis dicendum. Tum 4. potest idem agens majorem, vel minorem effectum causare juxta variam subjecti dispositionem, licet in se invariatum maneat, ergo poterit eadem forma majorem, vel minorem formalem effectum tribuere subjecto ad variationem dispositionum subjecti. Tum 5. forma quo simplicior, eo perfectior ex Dion. cap. 5. de div. nom. sed intensior est perfectior, ergo simplicior, ergo non composita ex pluribus partibus.

Resp. in 3. Top. & 5. Phys. sensum illarum propositionum non esse formalem, quod intensio albedinis formaliter consistat in permixtione nigredinis, sed esse *concomitantem*, quia ad intensionem unius contrarii semper comitatur depuratio ab altero contrario; in 2. Cœli, intentum ipsius est remissionem velocitatis in motu locali, de quo ibi tantum loquitur, provenire ex impotentia agentis, quod non officit nobis: in prædic. qualitatis non negavit magis, & minus qualitatibus convenire, sed solum modum loquendi in abstracto, nam melius verificatur de qualitate in concreto, præcipue quia intensio est motus, & motus semper concernit subjectum; in 4. Phys. per ly candido *intelligitur* subjectum, non calor, unde non dicit nullo calore facto, sed calido, concretum enim accidentale ex dictis in logic. habet quandoque significare subjectum; hoc autem addidit propter asserentes in qualibet alteratione adjungi novum subjectum priori per intromissionem athomorum: quod addunt Complut. contra hanc expositionem dissolvemus infra. Ad 2. si ly perfectius in majori cadit supra inhærere, negatur, si cadit supra ipsam qualitatem, quia scilicet in se magis perficitur per additionem novi gradus, conceditur, nam ut sic perfectius etiam inhæret. Ad 3. negat. paritas, quia rarefactio, & condensatio non sunt motus ad quantitatem, at intensio est ad qualitatem, ideoque nova qualitas debet acquiri. Ad 4. neg. etiam paritas, quia effectus causæ efficientis, quæ est extrinseca, *potest impediri ex indispositione subjecti*, quod debet concurrere cum efficienti ad illum effectum, at effectum causæ formalis posita forma in subjecto, neque a Deo impediri potest, sed necessario emanat, quantum potest, quare nequit intendi, nisi etiam forma intendatur. Ad 5. Dion. intelligitur de substantia, quæ ex se potest esse simplex, at quæ admittunt compositionem, ut est qualitas, quo res est compositior, eo perfectior.

22. Secundo arguunt duabus rationibus, quæ vere sunt fundamenta *opinionis oppositæ*. Prima est, quia non possunt *in* eodem subjecto duo accidentia numero distincta, & ejusdem rationis simul reperiri, quod probant, quia accidens inviduatur a subjecto, ergo uno, & eodem existente subjecto, *non possunt accidentia* ejusdem rationis multiplicari: assumptum multipliciter prob. in disput. de principio individuationis, pro nunc ostenditur, quia accidens totum suum esse habet in ordine ad subjectum, ergo individuationem debet habere a subjecto, nam unaquæque res individuari debet ex *iisdem principiis*, a quibus *habet esse*, tum quia non posset assignari ratio, cur duæ albedines possint esse simul in subjecto, non duæ quantitates, duæ figuræ, duo ubi, &c. Tum 3. quia distinctio informis, aut est formalis, quæ est specifica, aut materialis, & ex subjecto, quæ est numerica, ex 3. meth. cap. 5. & *lib.* 5. cap. 6. ergo ubi neutra istarum intercedit, nulla potest esse distinctio, & consequenter ubi est unitas specifica accidentis in eodem subjecto, non potest esse pluralitas numerica. Secunda ratio sumitur ex hoc, quod nulla forma potest habere partes integrantes, nisi per quantitatem, non per se, quod probat Jo. de S. Thom. quia de ratione formæ est, quod sit principium simplex non principatum, & compositum, at si partes haberet, jam esset ex illis composita; tum quia partes *integrantes sunt materiales*, nam conveniunt in forma, & quidditate, & solum differunt penes quantitatem, quare additio partis integralis non est additio secundum formam, sed secundum materiam, & per consequens per additionem partis integralis non perficitur, nec intenditur forma.

23 *Solutio* harum rationum petit longiorem discussionem de principio individuationis de Meth. habendam; pro nunc dicimus quamlibet rem individuari propria hæceitate, sive substantialis sit, sive accidentalis, quare ad 1. negat. assumptum, ordo enim ad subjectum est posterior præsupponens ipsum accidens, in quo fundatur, hinc non potest ab *illo individuari*: ad 1. prob. dicimus, quod licet accidens in genere causæ materialis, quandoque efficientis dependeat a subjecto, non tamen in genere causæ *formalis*, quæ *solummodo* est essentia, & entitas accidentis, quare in plurificato subjecto possunt accidentia multiplicari, principium enim individuationis est in genere causæ formalis. Ad 2. prob. dicimus rationem, ob quam duo accidentia numero nequeunt esse in eodem subjecto, non semper petendam esse ex identitate subjecti, sed vel ex fine vel etiam ex efficienti, nam aliqua accidentia sunt, quæ præter distinctionem numericam entitatum in reliquis omnibus habent quandam similitudinem, & convenientiam scilicet in munere, vel officio, ad quod destinantur, & in quacunque habitudine, quam dicunt, ut duæ figuræ, duæ albedines in *summo*, &c. *alia sunt*, quæ *licet* in specifica ratione conveniant, & solo numero differant, non habent tamen inter se tantam similitudinem, sed differunt vel in munere, vel habitudine, ut duæ species visibiles Petri, & Pauli, quæ solo numero differunt, habent tamen diversa representare, duo gradus caloris diversimode debent & perfectius subjectum disponere; accidentia prioris generis naturaliter nequeunt multiplicari primo ex fine, quia multiplicatio esset otiosa, non sic in accidentibus secundi generis ratione diversorum munerum, secundo ex parte efficientis, quia quando agens invenit subjectum accidentibus prioris generis affectum, invenit illud perfecte assimilatum, & sic cessat agere ex dictis in disp. præc. tum quia gradus isti constituunt unam numero qualitatem, cujus dicuntur partiales perfectiores. Ad 3. probat. dicimus ex 3. Meth. *nihil* posse in contrarium inferri, nam Arist. ibi text. 13. solum probat non posse ea omnia, quæ unam quidditatem habent, esse unam substantiam numero, ex quo diversam materiam, aut partem materiæ habent, quod verum est de substantiis simul existentibus, & participantibus eadem communi ratione; In 5. Meth. ubi ait Arist. numero quidem unum, quorum materia una, specie vero, quorum ratio, & forma una, non loquitur de unitate numerica sola accidentium, sed universaliter, ut patet, per ly *materiam* intelligit differentiam individualem, quæ dici solet materia totius, non autem materiam partis, aut subjectum, quapropter si per distinctionem formalem intelligitur distinctio specifica, & per materialem distinctio individualis, negamus hanc dici materialem a subjecto, sed a materia totius, scilicet ab individuali differentia, hæc etiam individualis distinctio potest dici formalis, quamvis est distinctio formarum.

24 Ad secundam rationem princ. jam diximus *disp.* 9. Phys. q. 1. quodlibet scilicet ens materiale habere partes entitativas integrantes præcisa quantitate; & ad 1. impugnat. concedimus formam eo modo, quo est principium & simplex non esse principiatum, & compositum, sic quia dicitur principium per modum actus, & simplex *simplicitate opposita compositioni* ex actu & potentia Physica, hoc pacto nequit esse principiatum, & composita Physice ex actu, & potentia, cum hoc tamen stat quod possit dici integraliter composita ex partibus entitativis, vel intensivis tantum, si est spiritualis, vel intensivis, & extensivis simul, si est materialis. Dices, ergo pars componens erit perfectior, quia simplicior, quam tota qualitas resultans. Resp. neg. consequ. simpliciter loquendo, quia totum resultans est perfectius, quia actualis, quam partes componentes ex dictis disput. 8. Phys. q. 2. art. 2. Ad 2. impugnat. patet ex dictis gradus istos in rigore non debere dici materiales, sed formales, seu formarum, non prout forma significat præcise quidditatem, sed ut dicit

ut dicit quidditatem contractam ad esse individuale, individuum enim includit quidditatem, & individualem differentiam, hinc additio harum partium non est additio materiæ, sed entitatis formæ, quæ partes, si sunt circa eandem partem subjecti, intendent, & perficient formam, secus si essent extensæ, & circa diversas subjecti partes. Aliæ rationes commodius solventur art. seq, ac q. 3. & 4.

ARTICULUS II.

In intensione præcedens qualitas non deperditur.

25 Dicendum quoque in intensione adveniente nova qualitate priorem non perire, sicut in remissione, licet deperdatur pars aliqua qualitatis, non tamen totaliter amitti, & aliam de novo totaliter generari. *Conclusio est* Scoti 1. dist. 17. q. 3. quæ licet multis soleat rationibus probari a Thomistis, attamen non concludunt, ut est videre apud Aversam, & Arriag. prob. ergo *rationibus Scoti*, quibus recentiores utuntur. Primo probat Doctor in intensione habituum; nam potest Deus, si vellet, conferre gratiam elicienti actum meritorium in eodem instanti, in quo operatur, & per consequens in eodem instanti daretur augmentum habitus gratiæ, sed habitus gratiæ præcedens necessario debet esse in *illo instanti*, quia concurrit ad elicitionem actus, ideo enim actus est meritorius, quia provenit a gratia, ergo ad intensionem gratiæ præcedens non corumpitur. Idem argum. fieri potest in habitibus acquisitis, qui enim ex habitu philosophico eliceret actum conclusionis, & speculationis philosophicæ, jam tunc haberet habitum, qui causa est *partialis actus*, *sed in* eodem instanti actus ille intendit habitum, ergo si additione novæ qualitatis præcedens corrumpitur, jam idem habitus simul esset, & non esset: esset, quia causaret actum: non esset, quia adveniret novus habitus. Idem quoque argum. fieri potest in agentibus materialibus, quæ ad invicem agant, & patiantur, si calor agit in frigus, præsupponitur calor existens, existentia enim est conditio necessaria ad causandum ex dictis disp. 7. Physicor. q. 4. art. 1. frigus autem, quia remittitur, deberet destrui secundum illam opinionem, & aliud imperfectius totaliter produci; at si frigus simul reagit in calorem, debet existere, ergo simul esse, & non esse, quod implicat.

Resp. Burlæus c. 6. concedendo posse Deum in eodem instanti augere gratiam, non tamen illo instanti esset habitus præcedens, quia sufficit, ut actus meritorius præsupponat gratiam præfuisse, non existentem, loquendo de gratia a qua causatur. Ad rationem de habitibus acquisitis ait, in eodem instanti, in quo est actus, esse majorem perfectionem habitus in acquiri, non acquisitam, ut sic enim est in tempore immediate sequenti, in quo habitus novus dicitur acquisitus, & causatus ab actu præcedenti, & corrumpitur præcedens. Similiter respondet ad illud de agentibus materialibus, negando, quod idem fit producens, & productum respectu ejusdem, nam in instanti terminativo, vel continuativo intensionis calor tunc existens non est productus a frigore tunc existente, sed a frigore præcedente, sicut frigus a calore, qui præfuit (admittit enim unum contrarium ab *alio* per accidens produci; ut infra n. 28.) & fundamentum ipsius est, quia forma quando est primo completa, & perfecta seu in facto esse, in illo primo instanti non indiget causa actu agente, quia agere actu nihil est agere, nec in illo instanti materia est in potentia passiva respectu illius formæ, & per consequens nec agens in potentia activa, solum ergo forma permanens habet causam, cum est in fieri, scilicet in tempore præcedente.

26 Istæ responsiones falso innituntur fundamento, nam si forma acquirit esse *in instanti*, certe causæ *istius formæ solum in illo* instanti dicentur actu causæ, sive efficientes, sive materiales, antea erant causæ in potentia, nam si causa actu agit, effectus actu fit; sed ante illud instans effectus non fit, aliter tunc haberet aliquod esse, & sic non inciperet in instanti, ergo ante illud *instans* causæ non agunt, ad causandum enim requiritur existentia causæ, disp. 7. Physic. q. 4. art. 1. nec requiritur prioritas temporis, sed tantum prioritas naturæ, ex disp. 8. Physic. q. 2. art. 2. unde falsum est in tempore præcedenti formam habere esse in fieri; falsum quoque est materiam, ut priorem natura ipsa forma non esse in potentia passiva ad illam; licet ut sic non dicatur privata, ad privationem enim requiritur prioritas temporis, ex disp. 15. Physic. q. 2. & quamvis in illo instanti habeat esse completum, & perfectum, *non idcirco* dicitur actu, sed potius instantanee fieri, nam esse actum dicit habitudinem ad idem esse ut per habitum. Ex quibus impugnatur 1. responsio, si enim actus elicitur a gratia, habitus gratiæ debet simul esse cum actu, non autem præsupponi præfuisse, quia antea nec actus erat in fieri, cum nullum esse habuerit, ad quod actio ista potuerit terminari. Secunda etiam est falsa, nam si in eodem instanti in quo est actus, adest major perfectio habitus in acquiri, ergo etiam aliqua entitas *habitus novi erit* in rerum natura, acquisitio enim actualis respicit terminum actualem, qui acquiritur, nam quod est potentia, & non existit, non potest dici, quod acquiratur actu, sed quod acquireretur, igitur si adest actualis entitas novi habitus, & in eodem instanti, non est adhuc corruptus habitus præcedens, jam erunt simul in eodem subjecto. Nec 3. resp. valet, nam calor in instanti existens, si antea non præfuit, ut ipse docet, nonnisi a frigore tunc existente potest causari, idem de frigore dicendum: tum quia eadem difficultas est de calore, & frigore præcedentibus, a quibus causetur; tum quia ante illud *instans* non datur prima pars immediate præcedens, ergo nequit dari calor, vel frigus immediate præcedens, quod sit causa caloris in instanti existentis; nam in sententia ipsorum nullum frigus potest per tempus durare, dum subjectum *intenditur*.

27 Secundo arguit Doctor ex hoc, quod agens æquivocum adveniret subjecto habenti formam *intensiorem*, & excedentem virtutem activam illius agentis, hoc agens adhuc intendet formam illam, scilicet si grave ut unum applicatur subjecto habenti pondus ut tria, *efficiet* pondus ut quatuor, ut diximus disp. præc. q. 1. art. 1. ergo si in intensione nova qualitas totaliter produceretur, tunc istud agens produceret effectum supra suam virtutem, quod est falsum ex disp. 7. Physic. q. 6. art. 3. Hoc argument. Doctor conficit de agente univoco, claritatis gratia, attamen illa additione aperte *docet valere solum in æquivocis* agentibus. Resp. Burlæus, quod minus perfectum potest contingere virtualiter magis perfectum, si non secundum gradum perfectionis, saltem secundum virtutem activitatis, præcipue si produceretur ex termino a quo perfectiori, quam sit terminus ad quem. Sed hæc respons. improbata manet ex dictis in Physic. l. c. tum quia si illud grave non reperiret in subjecto pondus ut tria, solum produceret pondus ut unum, & tamen ageret secundum *totalem virtutem activam*, ergo pondus ut quatuor excedet etiam activitatem illius gravis. Quod additur de termino a quo perfectior, nil obest, tum quia in hoc casu terminus a quo scilicet pondus ut tria, esset imperfectior pondere ut quatuor; tum quia si esset perfectior, ut evenit in remissione, non augeretur ob id activitas agentis, terminus enim a quo positivus, si totaliter desinit in motu, per accidens se habet, nec adest, dum est terminus ad quem, ideoque nequit esse ratio, cur producatur perfectior effectus.

28 Tertio arguit Doctor, quia frigus ut unum agens in calidum ut octo, v. g. remitter calorem *illum* ad septem gradus introducendo unum gradum frigiditatis, stante hac sent. frigus ut unum produceret calorem ut septem, quod est falsum, seq. prob. *non enim* posset assignari *alia causa effectiva*, supponimus enim ignem esse remotum, recurrere autem ad causam universalem cœlestem est impertinens, quia potius Cœlum concurret ad concausandum cum agente particulari, scilicet ad productionem frigoris; tum quia in remissione habituum spiritualium facta ab actibus oppositis Cœlum non habet locum, quia non agit in animam, neque est recurrendum ad Deum; nam si aliquis haberet infidelitatis habitum, vel alterius vitii, & per actum oppositum remitteretur, Deus produceret in hoc nomine habitum vitiosum, quod est absurdum, quare remanet, quod a contrario producatur; falsitas seq. prob. quia contrarium potius destruit, quam producat alterum contrarium.

Resp. Burl. unum contrarium posse esse causam alterius contrarii non tanquam *termini* per se *ultimo intenti*, ut sic enim frigus solum est frigoris productivum, sed tanquam medii respectu finis ultimo intenti, quia enim frigus summo calido approximatum per se, & principaliter intendit producere frigus ut unum, sed hoc nequit facere, nisi inducendo calorem remissum, ideo frigus per se tamquam medium producit calorem. Hæc tamen responsio est absurda, unum enim contrarium potius est sui oppositi destructivum propter oppositionem, quam sit medium, & *naturalis dispositio alterius*: unde si potest destruere perfectius, multo magis poterit corrumpere imperfectius, qualis est calor remissus. Tum quia calor ut septem est omnino perfectior, quam frigus, ut unum, ergo nullo pacto poterit ab isto produci. Tum quia si frigus ut unum est productivum caloris ut septem, *multo magis erit productivum frigoris ut septem*, *potentius* enim est agens ad producendum sibi simile, quam sibi contrarium. Tum quia sequeretur, actum supernaturalem esse ex propria natura productivum habitus oppositi vitiosi, si illum remitteret, quod est falsum, quia si haberet hanc activitatem producendi, v. g. habitum vitiosum ut septem, jam produceret hunc habitum, etiam si non adest habitus ille ut octo, nam agens naturale non impeditum agit secundum ultimum suæ potentiæ, hoc autem est falsum, & *contra experientiam*.

29 Tandem prob. quia necessario deberet hæc opinio ponere intensionem instantaneam, & per morulas interpolatas, quod esse falsum ostendemus q. 5. seq. prob. ex dictis in præc. art. nam ponunt gradus istos indivisibiles, itaut unus calor non habeat latitudinem partium intensivarum, successive acquisibilium, indivisibile autem nequit acquiri successive. Nec valet, quod ait Burl. & approbat Aversa ex Durand. citat. quod sicut Ubi *est indivisibile*, & nunquam possunt esse simul duo Ubi, *tamen* potest successive fieri localis motus, ita evenire in qualitate. Non valet, quia licet Ubi acquisitum permutatum esset, & in instanti fit indivisibile, quia est æquale locato, non tamen Ubi, quod per modum, & in tempore acquiritur, hoc enim est divisibile, & excedens locatum, necesse *enim* est, quod *terminus* motus sit divisibilis ad divisionem partium temporis, & *motus* ex 6. Phys. a tex. 50.

In oppos. arg. 1. termini *motus sunt incompossibiles*, *sed* termini motus intensionis & remissionis sunt qualitas intensa, & remissa, ergo, &c. min. probat. quia motus est inter *terminos* positivos ex 5. Physic. 7. 8. & 9. tum quia si non adesset qualitas remissa ut terminus a quo, sed simplex negatio formæ, motus *ille non esset intensio*, sed simplex *qualitatis* acquisitio, quæ exercetur inter privationem, & formam. Tum 2. eodem modo se habet magis, & minus, in *eadem specie*, quomodo se habent proportionaliter in *diversis speciebus*, sed in his quanto una species est perfectior alia, *tanto* perfectius continet eam, & modo simpliciori, itaut *species* contenta non faciat additionem cum continente, ergo ita se habebit gradus perfectior respectu imperfectioris. Tum 3. *eodem* modo se habent magis, & minus in *formis accidentalibus sicut* in substantialibus, sed secun-

dum ponentes magis, & minus in substantiis forma substantiali perfectior, & in eadem specie est simplicior alia, non faciens additionem cum minus perfecta, sed aliam continens modo simplici, ut ponitur anima Christi, ergo, &c. Tum 4. in motu locali ad acquisitionem uniús Ubi deperditur præcedens, ergo idem erit in alteratione.

30 Respond. ex Scot. citat. majorem intelligi debere de terminis per se motus, non de concomitantibus, ad min. dicimus formam intensam, & remissam esse terminos concomitantes motus, ut motus est, licet ut intensio est successiva, respiciat positivos terminos, ut explicuimus disput. 15. Physic. quæst. 6. art. 13. ad 1. & hi motus non sunt semper incompossibiles, ut patet in augmentatione, ut dicemus disput. ult. hinc ad Aristot. patet ex dictis in Physic. cit. Ad rationem dicimus acquisitionem albedinis, v. gr. & intensionem esse omnino ejusdem rationis ex 1. Phys. 31. & solum differre penes connotata, quatenus successio intensionis nequit intelligi, nisi præsupponatur pars aliqua qualitatis. Ad 2. resp. Scot. in illa additione negat. maj. imo est ad oppositum, quia ordo specierum est secundum partes essentiales, & quidditativas, & ideo una species non habet essentiam, & quidditatem alterius, at ordo intensionis est secundum partes individuales, quæ possunt esse simul. Ad 3. negat quoque major. imo Arist. 5. Physic. 9. & 10. negat eo modo motum in substantiis, quomodo concedit in accidentibus, sed negat in substantiis motum secundum gradus, ergo concedit hoc modo in accidentibus. Sed expeditius dicendum hanc esse principalem rationem, propter quam disp. 5. negabimus formas substantiales suscipere magis, & minus. Ad 4. ex Scot. 4. d. 49. qu. 16. ad 2. princip. neg. paritatem, quia natura non potest causare mutationem positivam, sive deperditivam, ubi hæc nata est concurrere, quod tunc est, quando motus fit inter contraria, ut inter albedinem, & nigredinem, vel inter quasi contraria, scilicet quando nequeunt illi termini esse simul in eodem, ut se habent duo Ubi; at duæ albedines sunt compossibiles, quia sola qualitas est, quæ primo, & per se est susceptiva magis, & minus, ex dictis in Logic. disp. 7. qu. 3.

Secundo, si remanet calor præcedens remissus, & advenit intensus; ergo idem subjectum esset intense, & remisse calidum, quod arg. Burl. fuse prosequitur in raritate, & densitate. Tum 2. solum subjectum est, quod in motu permanet idem, qualitas remissa non est subjectum, ergo, &c. Tum 3. quia sequeretur, partem albedinis esse infinite perfectam, quia secundum speciem est perfectior nigredine etiam infinite intensa; tum quoque quia includeret partes infinitas ejusdem perfectionis, quodlibet enim continuum est ex partibus infinitis, & quælibet pars istius intensivæ albedinis esset æque perfecta. Tum 4. velocitas motus intenditur in fine, non tamen per additionem partis ad partem permanentem, ergo idem in aliis qualitatibus. Tum 5. non augetur pars qualitatis quæ præsuit, non quæ advenit de novo, non totum aggregatum ex utraque, ergo intensio non fit per additionem partis ad partem; antec. prob. illud augetur, quod habet plures parte nunc, quam prius adveniens, & totum aggregatum, non præfuerunt, itaut potuerint habere pauciores partes; pars, quæ præfuit, manet eadem, quæ fuit ante, ergo, &c.

31 Resp. ad 1. quod calor remissus potest dupliciter fumi, vel prout dicit entitatem illam caloris, vel ut dicit etiam carentiam ulterioris gradus, quam formaliter importat remissio, calor remissus permanet in intensione secundum entitatem, non secundum illam carentiam, ut patet in augmentatione. Ad 2. maj. est vera, si intelligitur de illis, quæ per se ad motum concurrunt, scilicet subjectum, & per se termini, nam terminus a quo desinit, terminus ad quem non præexistebat; negatur autem, si intelligatur de illis, quæ per accidens solum spectant ad motum, & concomitanter, ut est terminus a quo positivus. Ad 3. dicimus urgere ipsum Burl. quia inter calorem præcedentem, & calorem per motum acquisitum mediant secundum ipsum infiniti calores, quorum unus est altero perfectior, itaut calor ultimo acquisitus excedat infinitos calores in perfectione, ergo esset infinite perfectus, imo magis ipsum urget, quam nos, quia isti calores ponuntur diversæ rationis, & unus excedens alterum in perfectione, unde se haberent, ut partes aliquotæ non communicantes, quod nos non asserimus. Negamus igitur seq. ad 1. probat. idem posset probari de quacunque substantia, quæ semper erit perfectior quocunque accidente etiam infinito; linea finita etiam in infinitum, & absque proportione excedit in magnitudine punctum, non tamen est infinita, & hoc quia comparatio fieri debet inter res ejusdem rationis, qualis non est albedo comparata nigredini, tum quia fit transitus a proportione perfectionis essentialis ad proportionem perfectionis integralis. Ad 2. prob. sufficienter dictum est disp. 9. Physic. qu. 2. est enim difficultas communis omni continuo, nam si palmaris linea constat ex infinitis partibus, quarum quælibet habet magnitudinem, quomodo non erit infinite extensa, quapropter dicimus, has partes non facere intensionem infinitam, quia sunt partes proportionales, & commnicantes; vide disp. cit. qu. 2. art. 6. ad 3. Ad 4. aliud est loqui de qualitatibus, quæ sunt etiam permanentia, & aliud de velocitate motus, quæ non est qualitas, nec ens permanens, sed solum quidam ordo ad tempus, in quo fit, per comparationem ad alium motum, qui respectu ejusdem temporis non tantundem spatii pertransiret, quare intensio æquivoce dicitur de intensione qualitatis, & motus. Ad 5. idem posset de augmento urgeri; quare dicimus, quod proprie loquendo subjectum diu debet intendi, nam motus proprie denominat subjectum; potest etiam forma dici intendi, quatenus motus est quædam aliter habitio præscindendo a subjecto juxta dicta disp. 15. Phys. qu. 1. & tunc forma præexistens dici potest augeri, quatenus aliquo modo est alteri unita, ubi prius erat separata, & solitaria, unde potest dici aliqualiter per intensionem habere plures partes, quam prius.

Tertio, si hoc esset, etiam intensio luminis fieret per hanc additionem partis ad partem, quod est falsum, quia sequerentur duo absurda; Primum est, quod daretur infinitum lumen, prob. quia luminosum alicui aeri applicatum, producet in illum determinatum lumen in instanti, si deinde moveretur versus illum aerem, producet lumen intensius, quæritur ergo an in quolibet instanti temporis, in quo fit ille motus, luminosum producat lumen æquale primo lumini producto, vel majus, vel minus, si æquale, aut majus, cum instantia sint infinita, in fine motus fuissent productæ infinitæ partes luminis non communicantes; si minus, idem sequitur, quia partes istæ minores essent infinitæ. Secundum absurdum est, quod accidens migraret de subjecto in subjectum, quod probat. eodem casu posito de luminoso, nam si dum movetur luminosum, lumen existens in parte aeris remotiori intenderetur per novam additionem, jam pars luminis, quæ esset in parte propinquiori transisset ad partem remotiorem, quod implicat.

32 Resp. conced. conseq. negando falsitatem; negamus etiam sequi primum absurdum, ad prob. dicimus, quantum sufficit ad solutionem rationis, quod licet luminosum in primo instanti producat determinatum lumen, non tamen in motu deinde producet lumen determinatum in quolibet instanti illius temporis, ratio est quia ideo luminosum intendit, quia approximatur, ergo tunc fit intensio, quando fit approximatio, quæ cum sit motus, non fiet in quolibet instanti, sed in qualibet parte temporis; in instanti vero solum est mutatum esse, & indivisibile motus, & consequenter non pars luminis acquiritur in quolibet instanti, sed indivisibile continuativum partium luminis, quare cum totum tempus sit finitum, motus quoque, & lumen erit finitum; quod erit dicendum de aliis qualitatibus successive, & per motum agentis acquisibilibus. Dices saltem in intensione actuum spiritualium, qui sunt instantanee producibiles, potentia intendens illos, in quolibet instanti temporis intensionis potest producere determinatam perfectionem actus, non enim est major ratio, cur potest in primo instanti producere determinatam perfectionem, & non in quolibet alio instanti. Resp. neg. seq. quia vel volunras v. gr. intendet volitionem in tempore, vel in instanti, si in tempore, cum tempus includat infinita instantia tanquam indivisibilia continuativa partium, ita in illis instantibus acquirerentur indivisibilia continuantia partes intensivas actuum; si in instanti intendet, tunc non posset continua intendere, sed discrete per morulas interceptas, quod probabilius videtur in his actibus, & cum instantia actu accepta hoc modo semper essent finita, finitam quoque intensionem causabit voluntas, nec hoc arg. multum differt ab arg. Zenon. negantis motum; nec minus urget adversarios, ut diximus in præced. sol.

33 Dices etiam; quando agens cum eadem potentia producit in aliqua mensura determinatum effectum, si est naturale, non potest cum eadem potentia, & cæteris partibus in majori mensura minorem effectum producere, sed majorem causabit, ergo si potentia agentis in instanti producet aliquem effectum in tempore, quod est major mensura, producet intensiorem effectum. Resp. si loquamur de agente naturali, argum. non urget, hoc enim agens in instanti aget, quantum potest, & nisi de novo vigoretur vel per approximationem, vel per intensionem virtutis, aut remotionem contrarii, non prosequitur suam actionem, & quando vigoratur, aget proportionabiliter juxta virtutis actionem, si scilicet in tempore augetur, in tempore agit, si in instanti, instantaneam causabit actionem. Si vero loquamur de agente libero, jam diximus probabilius esse afferere voluntatem intendere proprios actus per instantia interpolata; si tamen veller agere in tempore, sicut applicat virtutem in tempore, & successive, nonnisi modo successivo intendet actum illum, ut scilicet pars correspondeat parti temporis, & indivisibile continuativum instanti illius temporis, non enim aget secundum totam virtutem applicatam. Negamus quoque sequi secundum absurdum, quia lumen primo productum semper est in eodem subjecto, & ad motum luminosi aliud de novo producitur, non solum in parte remotiori, sed etiam in propinquiori, nam agens agit uniformiter difformiter. Imo retorqueri posset argum. quia si qualitas est indivisibilis intensive, quo pacto posset continue diffundi per sphæram uniformiter difformiter? quælibet enim pars intensive difformis, quarum una esset altera perfectior, & solum in indivisibili posset reperiri qualitas intensa, in parte vero extensa esset quid aggregatum ex illis qualitatibus intensivis, & indivisibilibus, nam in qualibet propinquiori medietate qualitas est intensior, in remotiori remissior.

34 Quarto, forma non remittitur per ablationem partis a parte, ergo nec intenditur per additionem partis ad partem, anteced. prob. quia sequeretur, formam illam totaliter simul destrui, non successive. Probat. quia agens æque approximatum duabus medietatibus contrariis, & pari modo se habentibus, si potest unam destruere, poterit etiam alteram simul corrumpere, sed duo gradus v. gr. caloris sunt æque approximati frigori ut octo, quia cum sint partes intensivæ, una non est remotior altera, æqualiter etiam resistunt frigori, ergo si frigus potest destruere nunc primum gradum; poterit simul quoque secundum. Tum quia remissio est motus positivus, ergo ad terminum erit positivum, non igitur erit terminata ad solam ablationem, seu carentiam partis.

Resp. neg. ant. ad 1. prob. neg seq. ad prob. neg. major, quia cum successio proveniat ex resistentia contrarii, certe magis resistit totum, quam minima pars, sicut enim in motu extensionis propter latitudinem extensivam contrariæ qualitatis adest successio in tali motu, sic in intensione propter latitudinem intensivam qualitatis contrariæ intensio successive fiet, quod infra explicabimus magis qu. 5. Ad 2. probat. negamus remissionem pro formali esse motum acquisitivum, & positivum, sed deperditivum, ut in simili de diminutione dicemus disp. ult.

QUÆSTIO III.

An istæ partes intensivæ qualitatis sint homogeneæ, vel æterogeneæ.

35 Non est sermo, an istæ partes sint dissimiles quo ad differentias individuales, est enim clarum esse realiter inter se distinctas, cum ad invicem separentur, & per consequens unam habere propriam differentiam individualem ab alia distinctam, sicut etiam partes extensivæ qualitatis, & quantitatis hoc modo sunt realiter distinctæ, & dissimiles in differentiis individualibus, quamvis sint ejusdem specificæ rationis, ita docet Scot. in p. dist. 17. q. 3. ad rationem prin. nec est sermo, an partes istæ sint æterogeneæ specifice, ut quidam apud Sonc. 8. Meth. qu. 21. videntur docere, quod scilicet in intensione primo producatur calor, postea addatur quædam qualitas alterius naturæ, quæ tamen videatur aliqualiter participare caloris naturam, & dicatur concalor. Nec enim opinio ex dictis explosa manet, nam sic intensio non esset ejusdem rationis specificæ cum acquisitione qualitatis; tum quia non adest ratio multiplicandi tot entia specie distincta, & tandem, quia eædem rationes, quibus sequentem opin. impugnabimus, militant contra istam. Quapropter quærimus, an iste partes in intensione additæ, quæ gradus appellari solent, ut dicemus, sint dissimiles, & etherogeneæ in perfectione individuali, itaut sint gradus isti naturaliter subordinati, ut secundus præsupponat necessario primum, sitque perfectior illo, tertius præsupponat, & excedat secundum, quartus tertium, & sic deinceps, an vero omnes sint ejusdem, & æqualis perfectionis, & consequenter homogenei, sive primus sit, sive octavus; nec magis differat primus gradus ab octavo, quam ab altero primo, unde si primus gradus cum alio primo in eodem subjecto conjungatur, vere efficiat intensionem ut duo. Hinc P. Vulpes 2. p. t. 3. disp. 105. art. 4. non videtur percepisse statum controversiæ, dum ex una parte dicendo hoc quæsitum ait, gradus istos esse materialiter dissimiles, hoc est individualiter, & formaliter similes, seu ejusdem specificæ naturæ; at deinde impugnat Vasq. asserentem non esse dissimiles in perfectione individuali, ut unus sit altero perfectior, illiusque rationes conatur solvere. Non enim Vasq. loquitur de dissimilitudine proveniente a differentiis individualibus, quasi quod voluerit omnes gradus esse idem numero, hoc namque nunquam somniavit, sed locutus est de dissimilitudine in perfectione, & de subordinatione inter illos.

36 Fuit quorundam Antiquorum opinio apud Ocham. p. distinct. 17. q. 6. & apud Canon. 5. Phys. q. 3. §. *Tertium dubium*, affirmantium unum gradum esse perfectiorem alio, quem necessario præsupponit in subjecto, itaut in intensione necessario a primo gradu procedatur ad secundum, a secundo ad tertium usq; ad octavum, in remissione vero prius deperdatur octavus, deinde septimus, ultimo corrumpatur primus; & si duo primi gradus ponerentur in eodem subjecto, non conficerent intensiorem qualitatem; hanc sent. suscitarunt recentiores quidam, ut Suarez disp. 46. Meth. sect. 1. n. 29. & seq. Hurt. disp. 5. de gen. sect. 6. Moris. disp. 2. dub. 4. Murcia 1. de gen. disp. 2. q. 5. Coninch. de actibus supernat disp. 22. dub. 3. nu. 34. & alii. Opposita opinio est communis apud Antiquos, & ex recentioribus sequitur Vasq. p. 2. disp. 82. c. 6. Conimb. 1. de gen. c. 4. q. 2. art. 3. Ruv. tract. 3. q. 6. Averr. q. 23. sect. 7. Salas p. 2. q. 73. tr. 13. disp. 5. sect. 5. Arriag. de gen. disput. 3. sect. 2. & 3. eam quoque amplexus est Scotus p. d. 17. qu. 3. ubi rationes, quas conficit contra Gotfr. hoc supponunt, & 4. d. 12. q. 3. P. & seq. & 8. Met. q. 3. Inter has opiniones extremas mediant aliqui, nam Fracast. lib. de Sympath. & Antipat. c. 6. & Aref. 1. de gen. q. 26. docent solum qualitates habentes proprie contrarium augeri per gradus etherogeneos, non alias, ut sunt lumen, & impulsus. Alii apud Ariag. n. 86. aliter distinguunt, scilicet qualitates non operativas aliarum similium, intendi ex gradibus similibus, ut sunt calores, at productivas aliarum similium, intendi ex gradibus etherogeneis; quam distinctionem videtur ipse Arriaga probare.

37 Dicendum est gradus omnes qualitatis esse homogeneos, & ejusdem perfectionis, ita Doctor citat. Probat. primo ratione secunda Scoti, quam conficit contra Gotfr. circa augumentum habitus charitatis, & gratiæ, sit aliquis habens quatuor gradus gratiæ ex hoc quod elicuit actum ut quatuor intensum, eliciat postea actum ut unum, tunc iste acquirit majorem gratiam, & novum gradum, scilicet quintum, ergo si quintus gradus perfectior esset omnibus gradibus præcedentibus, plus meretur per actum ut unum, quam per actum ut quatuor, quod est falsum, quia gratia contertur juxta meritum actus boni in gratia eliciti, & dispositionem merentis, magis tamen est meritorius actus ut quatuor, quam actus ut unum. Hurt. negat falsitatem sequelæ propter duo. Primum est, quia præcipua ratio merendi augmentum gratiæ est ipsa gratia, ideoque plus gratiæ debetur homini habenti gratiam ut quatuor, & actum ut unum elicienti, quam homini producenti actum ut quatuor sine gratia. Secundum est, quia Deus præmiat ultra condignum ob suam maximam liberalitatem, idest præmio excedenti præmiat, quam debeatur actibus condigne; sicut si Princeps teneretur ob aliquod opus leve donare servo unum julium, & non adesset nisi nummus aureus, quamvis hic excederet valorem operis, ad Principem tamen spectaret liberaliter donare aureum potius, quam parce retinere præmium.

38 Sed hæc resp. frivola est, nam licet admittatur gratiam esse potiorem rationem augmenti, quod non est præsentis negotii, nequit tamen negari, quin intensioni actus correspondeat aliquod augmentum gratiæ, nam plus gratiæ debetur homini gratia ut quatuor informato, & elicienti actum ut tria intensum, quam si actum eliceret ut unum; & tunc allata ratio stat in robore, nam augmentum illud gratiæ, quod intensioni actus correspondet, terminaretur ad aliquem gradum gratiæ, qui v. g. esset quintus, ergo actus ut duo perfectius, & magis augeret gratiam, quam actus ut quatuor. Nec valet, quod ait Coninch. quo etiam utitur Vulpes cit. actus moraliter augere gratiam, non Physice. Non valet, quia augmentum istud morale fieri debet secundum proportionem valoris actus, & dispositionis merentis. Quod autem addit Hurtad. Deum præmiare ultra condignum ex sua liberalitate, falsum est in sensu, quo ipse intelligit, ut semper actui sequenti Deus tribuat præmium ultra condignum, ut excedat præmium omnium actuum præcedentium, sed eo modo ultra condignum præmiat ultimum actum, quomodo præmiavit primum actum. Tum quia supposita hac resp. non posset Deus præmiare juxta condignum opera bona ut unum, & ad æqualitatem meriti, si aliquis gradus gratiæ præexisteret, quia & si unum gradum gratiæ tribueret, adhuc iste excederet meritum illius actus, quia esset perfectior, & sic non ex liberalitate præmiaret ultra condignum, sed ex necessitate, liberalitas enim Dei solum attenderetur in hoc, quod velit præmiare, sed hoc decreto supposito, ex necessitate deberet in retribuendo excedere meritum hominis justi. Cui accedit validissima impugnatio, nam secundum omnes, sicut Deus præmiat ultra condignum, ita punit citra condignum; idest minus, quam mereatur peccator; sed stante hac opinione, Deus puniret ultra condignum; prob. si peccator eliciens peccatum ut unum, huic correspondet pœna ut unum, si denuo eliceret aliud peccatum ut unum, correspondebit huic peccatori pœna ut duo, at si gradus secundus pœnæ esset perfectioris rationis, quam sit primus gradus, certe excederet demeritum secundi peccati, ergo secundum peccatum puniretur ultra condignum. Quod si dicas secundo peccato correspondere majorem pœnam propter privationem gratiæ, quam supponit in peccatore, præterquam quod assumptum est falsum, urgeri potest argumentum de pœna correspondente illi peccato, ut de actu meritorio dicebamus.

39 Accedit, quod hæc ratio, ut inquit Doctor, urget in habitibus naturalibus, & in quolibet æquivoco agente; ut enim vidimus disp. præc. quæst. 1. art. 1. agens æquivocum potest agere in simile intendendo effectum, quem reperit productum, ut de gravibus intendentibus impulsum, de vino, pipere, & hujusmodi ibi ostendimus, at si v. g. vinum potens producere calorem ut unum applicetur subjecto calido ut quatuor, vel grave productivum impulsus ut unum addatur alicui trutinæ, in. qua sit causatus impulsus ut tria ab alio graviori, tam calor, quam impulsus intendetur, ergo novus iste gradus non est alterius rationis ab aliis gradibus præexistentibus, & majoris perfectionis, aliter excederet virtutem agentis. Quod ait Hurt. in gravibus hoc evenire, quia quodlibet imprimit proprium impulsum, pluribus autem impulsibus minus resistitur, quam uni; confirmat nostram sent. quod scilicet intendatur impulsus per additionem novi gradus omnino similis, & inæqualis. Confir. in actione reflexa, qua ab eodem agente intenditur qualitas in medio producta, ut vidimus disp. præc. q. 2. intensio enim hæc fit, quando agens nequit directe ulterius protendere suam actionem ob impediens obstaculum, tunc agit reflexe eadem actione, qua ageret in remotiori parte, si non adesset impedimentum; constat autem, quod non ageret directe nisi producendo remissiorem qualitatem, ergo si reflexe agit, eandem qualitatem producet, ergo qualitas præcedens intenditur per additionem remissioris qualitatis, quare non est necesse gradum supervenientem, & intendentem esse priori perfectiorem.

40 Secundo prob. concl. in qualitatibus specialiter contrariis, & univoce agentibus; si enim calido ut octo applicaretur frigidum ut unum, hoc frigidum agendo in calorem, inquiunt adversarii, corrumpet octavum gradum caloris introducendo primum gradum frigoris, sed hoc est falsum, quia data hac sent. gradus octavus multum excederet in perfectione primum gradum, & si qualitas esset magis resistitiva, quam activa, ut est siccitas, certe octavus gradus ita resisteret, ut non posset a primo gradu destrui; imo si potest primus gradus corrumpere octavum perfectissimum, cur etiam reliquos gradus non destruit, qui sunt imperfectiores? maxime quia oppositio provenit ex naturis qualitatum, non ex gradibus, ut diximus disp. 1. q. 5. hæc potest assignari ratio, cur potius primus gradus frigoris habeat specialem oppositionem cum octavo, illumque *destruat*, & non cum primo, cui adæquate repugnat tanquam imperfectissimus imperfectissimo, nec cum aliis gradibus, qui etiam habent eandem rationem specificam. Vis hujus argumenti magis percipietur, si advertatur excessus octavi gradus supra primum data hac opinione; nam si gradus subsequens contineat semper in perfectione præcedentem, saltem dupla proportione illum excederet, unde secundus gradus contineret eminenter duas perfectiones primi, tertius, quia contineret in duplo secundum, haberet eminenter quatuor perfectiones primi, & sic deinceps usque ad octavum, qui excederet primum secundum centum viginti octo perfectiones similes perfectioni primi gradus; & calidum ut octo agens secundum omnes gradus, ageret secundum bis

centum quinquaginta quinque perfectiones similes perfectioni primi gradus; si ergo talis est excessus octavi gradus supra primum, non videtur quomodo possit destrui a primo.

41 Tertio, quia quærimus de istis gradibus, an quilibet constet ex partibus similibus, & ejusdem rationis, an vero ex partibus dissimilibus, & diversæ rationis, itaut qualibet parte unius gradus accepta, in illa includantur partes in infinitum remissiores, quarum quælibet est alterius rationis; si primum, tunc gradus non erit simplex, & indivisibilis, & intensio constabit ex partibus similibus; ergo idem dici poterit de omnibus gradibus, si secundum, quod ab Hurtad. admittitur, tunc gradus non erit, nisi aggregatum quoddam ex illis partibus, quarum quælibet esset intensive indivisibilis, ergo sicut si darentur infinita puncta, non efficerent aliquam extensionem, nec possent continuari extensive ad invicem, neque possent motu extensivo, & continuo acquiri; & hoc quia sunt indivisibilia partibus carentia, ita erit dicendum de istis gradibus indivisibilibus intensive, quod non possent efficere latitudinem intensivam continuam, in continuo enim dantur partes divisibiles continuatæ per indivisibilia, ac secundum hanc sententiam non possent assignari istæ partes divisibiles, & indivisibilia continuativa, quia daretur indivisibile indivisibilis, accipiatur enim ultimum, quod acquiritur in instanti terminativo motus, erit quid perfectissimum continens eminenter perfectiones præcedentium, ergo non se habebit ut indivisibile terminativum, sed ut pars principalis hujus intensionis, indivisibile enim non auget rem, cui advenit: eodem modo se habebunt reliquæ partes, quamvis non sit assignabilis prima, si ergo erit congeries indivisibilium, certe non poterunt motu continuo acquiri, & successivo; in tempore enim neque unum indivisibile, neque infinita, si darentur simul unita, possunt acquiri, sed solum in instanti sunt acquisibilia, ut dicebamus qu. præced. contra Capr. in 1. art. & contra Gotfr. in 2. art. Nec Vulpes est philosophice, & scotice locutus, dum loc. cit. negat alterationem in habitibus spiritualibus habere rationem motus. Nam alteratio non solum est ad qualitatem extensivam, sed etiam intensivam, & pluries Scot. loc. cit. hanc intensionem appellavit motum; quamvis non sit motus successivus ex omni capite, nec ad generationem inserviens, ut diximus disp. 15. Physic. q. 5. præterquam quod difficultas est communis omnibus qualitatibus, sive materialibus, sive spiritualibus, nam loquimur de intensione, quæ in ambabus reperitur. Istæ rationes universaliter probant de intensione cujuscunque qualitatis, & magis patebit nostra sententia ex solutione objectionum.

Solvuntur Objectiones.

42 IN contrar. obiic. 1. si qualitas intenderetur per gradus homogeneos, sequeretur agens remissum posse intendere subjectum intensius, quod repugnat experientiæ, seq. prob. ponatur calidum ut unum applicatum calide ut duo, tunc poterit in istud producere calorem ut unum, quia habet talem virtutem, & subjectum est capax, ergo efficaciter calidum ut tria. Neque dicas simile non posse agere in simile. Tum quia causa tunc operatur, inquit Hurtad. quando est defectus, vel potentiæ activæ, vel passivæ, vel applicationis, vel ex repugnantia formæ producendæ cum forma producta in subjecto, in casu nullum istorum adest, ut patet; recurrere autem ad similitudinem agentis, & passi est id, quod quæritur, nam sicut calidum ut unum potest ex se producere calorem ut unum, subiectum potest recipere duos calores ut unum sunt per nos compossibiles, cur igitur nequit simile agere in simile, cujus ratio recte assignabitur, si dicatur, hoc ideo esse, quia secundus gradus caloris est perfectior primo, nec continetur in virtute calidi ut unum. Tum 2. finis caloris est disponere ad ignem, non solum reddere subjectum simile, ergo etiam si agens reddit passum sibi simile, non per hoc cessabit ipsius actio, quia datur adhuc ulterior finis. Tum 3. si calidum ut unum efficeret calidum ut tria, tantum abest, quod reddat passum sibi dissimile, quin potius similius reddet, ergo deberet suam actionem continuare, antec. prob. qui plures habet cum alio similitudines, est illi similior, sed calidum ut tria habet plures rationes similitudinis respectu calidi ut unum, quia tres gradus fundant tres similitudines, ergo &c. Tum 4. dissimilitudo in numero maxime intenditur ab agente naturali; quia ex hac dissimilitudine crescit similitudo in essentia, & conservatio speciei. Tum 5. ex Coninch. agens naturale agendo non tam intendit assimilare sibi passum, quam seipsum per actionem non communicare, ergo quia calidum ut duo est adhuc capax caloris ut unum producibilis a calido ut unum, si illi applicetur, poterit per actionem seipsum communicare, quamvis inveniat in calido, ut duo formam similem. Tum 6. ex Aresi. non posset reddi ratio, cur unum agens æquivocum sit virtualiter v. g. calidum ut duo & non ut sex, si enim potest producere in tribus subjectis sex gradus caloris, cur non etiam in eodem subjecto? si dicas requiri majorem virtutem intensivam ad producendos simul sex gradus in eodem subjecto, jam admittitur dissimilitudo graduum. Tum 7. ex eodem, ignis in se calidus ut octo in aliqua parte sphæræ solum producit sex gradus caloris propter distantiam, ergo si gradus sunt ejusdem rationis, poterit simul octo gradus producere, quia habet talem virtutem, aliter si requireretur major virtus, argumento erit gradus esse etherogeneos. Tum 8. calidum ut quatuor applicatum alteri calido ut 4. agit in illud, non tamen intendit, ergo hoc erit, quia intensio fit per gradus perfectiores, antec. patet, quia conservat illud, conservatio autem est actio, ergo si agit in illud producit calorem, & tamen quamvis addatur continue calor, non intenditur, eo quia intensio requirit calorem alterius rationis. Neque dicas conservationem hanc solum esse defensionem a contrario, non actionem. Non valet, quia & si nullum adsit contrarium, adhuc calor in externo subjecto deficiet, ergo indiget conservatione intrinseca; item cum ignis conservat aquam calidam ab aere frigido ambiente, conservat per actionem receptam in aqua, non in aere. Tandem nunquam requiritur ad operandum conditio aliqua, de cujus necessitate non possit reddi ratio a priori, modo requiratur hæc dissimilitudo, nequit assignari aliqua ratio a priori, cum in agentibus æquivocis non requiratur, ergo &c.

43. Resp. neg. seq. cum probat. ex dictis disp. præc. qu. 1. art. 1. quia scilicet simile nequit agere in simile actione univoca. Ad 1. impugnat. hujus respon. dicimus causam etiam non operari propter similitudinem passi, neque hoc est petere principium, quamvis enim non habeamus rationem a priori, sufficit ratio a posteriori, quam loc. cit. assignavimus; nec ratio ab Hurtad. assignata est sufficiens, nam oppositum experimur in agentibus æquivocis; quapropter si nobis bellum ingerunt cum agentibus univocis, non minus nos possumus illos urgere cum agentibus æquivocis. Ad 2. falsum est calorem, ut est causa principalis, & primario intendere productionem ignis, sed solum productionem caloris, secundario tamen, & ut causa instrumentalis etiam disponit ad formam ignis, sed pro viribus, quia scilicet non quilibet calor est sufficiens dispositio ad formam ignis, ideo non quilibet sufficienter disponit, & perfecte, qualis est remissus, quare neg. conseq. quod debeat calor remissus ulterius agere, postquam assimilavit sibi passum, quia non est instrumentum sufficiens, & perfectum. Ad 3. si valeret, concluderet etiam numerum, quo major esset, eo similiorem esse cum unitate, quia plures contineret rationes similitudinis, ulnam esse magis æqualem palmo, quam sit alius palmus, quia haberet in se octo palmos, & rationes fundandi plures æqualitates; ideo neg. antec. ad probat. neg. min. quia licet tres gradus divisim sumpti assimilentur calori ut unum, non tamen conjunctim accepti, arguere autem a divisis ad conjuncta est fallacia accidentis, ut diximus par. 2. instit. log. tract. 3. c. 3. sic duo, & tria fundant rationes paritatis, & imparitatis, non tamen quinque licet sint duo, & tria. Ad 4. non valet paritas, de multiplicatione extensiva, & intensiva, ratio est, quia multiplicatio extensiva præsupponit dissimilitudinem inter agens, & passum, non autem multiplicatio intensiva, & hæc dissimilitudo est necessaria ad actionem, quamvis non habeamus rationem a priori. Ad 5. urget illos asserentes rationem illam, cur simile non agat in simile, eo quia intendit assimilare sibi passum, esse convincentem, & quasi a priori, quia est per causam finalem; at jam ostendimus disp. præc. citat. non concludere; idcirco dicimus agens univocum intendere agendo sui ipsius communicationem, dummodo non reperiat in passo effectum similem, cur autem hoc expostcat, recurrendum erit ad naturam agentis, sufficit nobis ratio a posteriori.

44 Ad 6. valet contra ipsum Aresi. nam sustinet qualitates non habentes contrarium intendi per gradus homogeneos, ut est lumen, & tamen videmus non omnia lucida æquale lumen producere, sed quædam majus, quædam minus, quia non habent eandem activam virtutem; idem dicimus de calidis virtualiter, quod habeant determinatam virtutem activam, ut non possint ulterius agere postquam produxerunt gradus illos, quos virtualiter continent, quamvis adhuc in aliud subjectum possint agere; neque ex hoc, quod major virtus intensiva requiritur ad producendum sex gradus caloris in eodem subjecto, debet inferri gradus esse ætherogeneos; aliter, quia major virtus requiritur ad producendum sex gradus luminis in eodem subjecto quam duo tantum, jam gradus luminis essent ætherogenei contra ipsum; solum inferri potest gradus illos constituere qualitatem perfectiorem, ut dicemus. Ad 7. etiam retorqueri potest de luminoso producente in parte aliqua sphæræ distante lumen remissius, quamvis in se haberet vim producendi lumen intensius in parte propinquiori, ideo dicimus ignem respectu illius partis non habere virtutem producendi octo gradus caloris, quia agens agit uniformiter difformiter. Ad 8. ex dictis disp. 7. Physic. q. 2. conservationem illam non esse veram actionem, sed solum defensionem a contrario, seu impedimentum actionis contrarii; & ad 1. improbat. dicimus calorem in alieno subjecto satis habere contrarium, dum subjectum quærit ad pristinum statum redire: ad 2. in illo casu calidum non agere in aquam, sed potius cum aqua integrare unum agens totale, quod agat in aerem ambientem, illique resistat; verum est tamen, quod si contrario remitteretur, poterit deinde (dummodo magis applicetur) calorem illum per veram actionem restaurare, nec ob id motibus contrariis simul moveretur, sed successive. Ad 9. neg. assumptum, nam etiam tanta, vel tanta approximatio est conditio ad agendum, & tamen quod hæc determinata requiratur, nequit alia ratio assignari, nisi natura agentis cognita experimento.

45 Secundo qualitas intensa ut octo est perfectior, quam extensa ut octo, quia perfectius agit, & disponit; sed si gradus essent ejusdem rationis, non esset perfectior, ergo &c. minor prob. quia perfectio, quam debet habere qualitas intensa ut octo, debet illi competere ratione propriæ entitatis, non ab alio extrinseco, sed si entitas unius esset similis entitati alterius solum different in ordine ad subjectum, qui ordo est extrinsecus, ergo non esset perfectior.

Tum

Tum 2. quia si esset unio perfectior, jam admittemus etherogeneitatem in unione, si non in qualitatem. Tum 3. Deus, & creatura licet faciant majorem perfectionem extensivam, quia sunt duo entia perfecta, quam Deus solus, non tamen intensivam, quia creatura supra Deum non addit majorem perfectionem, ergo ad intensionem, & majorem perfectionem non sufficit additio similis perfectionis, sed requiritur major. Tum 4. si tres Beati viderent Deum visione ut duo, alius vero visione ut sex, hic perfectius videret Deum, quam illi, & tamen illi tres haberent sex gradus perfectionis, imo si tres illæ visiones essent in uno solo, adhuc non esset iste beatior, quia repræsentarent sicut prius, ergo ad majorem perfectionem qualitatis non sufficit multiplicatio, & additio similium graduum: idem ostenditur de videnti lapidem duplici visione, scilicet in se, & in speculo, nam iste non perfectius videret lapidem, quam si unam tantum haberet visionem, & de audiente voces in seipsis, & in echone, ergo ad majorem perfectionem non sufficit habere duas similes formas.

46 Resp. neg. min. Ad 1. prob. negamus majorem perfectionem qualitatis intensæ provenire ex inæquali, & dissimili perfectione entitativa, siquidem ex sola majori, & perfectiori unione partium inter se & cum subjecto provenit; partes enim qualitatis intensæ sunt in eadem parte subjecti, & ad invicem compenetratæ, ubi partes extensæ solum in indivisibili uniuntur: ex qua majori unione ad invicem sequitur quædam perfectio in qualitate tum ad agendum, tum ad resistendum, virtus enim unita fortior. Pulchrum exemplum adducit Arriag. si enim decem homines haberent singuli centum florenos, alius vero illos mille florenos simul acquireret, certe isti floreni secundum entitatem essent iidem, constituerent tamen hominem illum ditiorem, quam fuerint illi decem, propter possessionem magis unitam, ubi prius erat dispersa, nec aliam perfectionem debemus agnoscere in intensione qualitatis. Ad 2 valet contra ponentes unionem esse modum quendam absolutum variabilem ad variatorem qualitatis, nos vero ponimus esse simplicem relationem, quæ dicitur perfectior, & intensior propter additionem ruriun partium qualitatis in eodem subjecto. Ad 3. neg. consequentiam, quia Deus solus vel formaliter, vel eminenter continet omnem perfectionem creaturæ, ideo ex Deo, & creatura non fit perfectius intensive, at unus gradus non continet perfectionem alterius gradus; imo recte retorquet Arriag. gradus enim octavus per ipsos est perfectior; quam quilibet alius inferior, quod tamen cum illis intensiorem constituit qualitatem, quam si solus octavus esset, & tamen alii gradus sunt imperfectiores, ergo si sit intensio per additionem gradus imperfectioris, multo magis per additionem æqualis. Ad 4. per idem, si enim ex illis visionibus fieret una visio, tunc perfectius videtur Deus, sicut perfectius videtur objectum ambobus oculis quam uno tantum; si vero remanerent distinctæ numero, & in unum actum non coirent, propter peculiarem forsan rationem actuum vitalium, & specierum, de quo suo loco, nil contra nos, quia loquimur de gradibus integrantibus unam qualitatem intensam.

47 Tertio ex Coninch. sit in uno loco corpus calidum ut octo, in alio loco Deus ponat penetrative octo corpora calida ut unum, vel isti octo gradus sunt ejusdem perfectionis, & activitatis, ac illi; itaut possint calorem ut octo producere; vel non, sed solum calorem ut unum intensive producant; si primum, ergo ad intensionem non requireretur unio in eodem subjecto, quod est falsum; si secundum, auferat Deus ab illis caloribus utrumque subjectum relinquendo illos in proprio esse: tunc quæritur, an posteriores calores possint producere calorem ut octo, an solum ut unum; si primum, ergo per solam amotionem subjecti calores illi evaderent activiores, & perfectiores, quod est falsum; si 2. debet assignari disparitas, cur priores possint producere calorem ut octo, non posteriores, non enim apparet, quæ possint esse; cum eodem modo se habeant, ergo dicendum hos gradus esse inæquales. Tum 2. sequeretur, quod si Deus in eodem subjecto poneret duas quantitates penetratas, quantitatem intensiorem resultare, quod est falsum, quia quantitas non suscipit magis, & minus.

Resp. posteriores gradus caloris, nec in illis subjectis, nec ab illis separatos constituere calorem intensum ut octo, sed esse octo gradus dissitos inter se, uniusque gradus caloris productivos licet citius, & velocius; ratio est, quia ad intensionem non sufficit penetratio localis, aliter si duo ignes essent simul compenetrati, non solum fieret calor unus, ut sexdecim, sed etiam ignis perfectior, sed requiritur quædam compenetratio partium qualitatis inter se, ut quilibet gradus cum quocumque alio simul unitus, & compenetratus existat, ut evenit in calido ut octo, gradus enim isti non solum in eodem loco reperiuntur, sed in eodem subjecto, & ad invicem conjuncti existunt, quod non conveniret illis gradibus etiam ab illis octo corporibus separatis, solum enim dicerent unionem ad locum, non inter se. Ad 2. neg. paritas, suscipere enim magis, & minus soli qualitati convenit, non quantitati, hæc enim est radix extensionis localis, itaut impenetrabilitas aptitudinalis in ordine ad locum est positio circumscribens essentiam quantitatis, quare, si duæ quantitates existerent in eodem subjecto, non facerent quantitatem unam perfectiorem, quia non sunt natæ ad invicem compenetrari, & quælibet ab intrinseco peteret extreitatem partium impenetrabilem; at qualitas indifferens est ad extensionem, & intensionem, imo principalius convenit illi intensio, quam extensio; ita colligitur ex dictis in log. disp. 7. quæst. 2. & 3. disp. 9. Phys. quæst. 1. & dicemus infra disp. 5. q. 5. art. 2.

Dices, etiam partes extensivæ qualitatis petunt esse in diversis subjecti partibus, & extendi in loco, & tamen secundum nos si unirentur in eadem parte subjecti, efficerent qualitatem intensiorem, ergo licet partes quantitatis petant extensionem localem, si tamen essent in eodem subjecto, deberent constituere perfectiorem, & intensiorem quantitatem, antec. probat. partes qualitatis ut extensivæ reduplicative petunt extreitatem impenetrabilem, eo ipso enim quod sunt extensivæ, una excludit aliam, quia si non se excluderent, non essent extensivæ, sed intensivæ. Resp. neg. paritatem, quia qualitas ex propria natura est indifferens ad intensionem, & extensionem, ad diffusibilitatem, & congregabilitatem, ideoque quamvis partes extensivæ nequeant esse intensivæ, reduplicative loquendo, non tamen specificative, & absolute, sicut repugnat *homini nigro* ut sic dissregare visum, non tamen secundum se considerato, at quantitati ex propria natura convenit divisibilitas, & extreitas localis aptitudinalis, ideoque nunquam partes ipsius ita ad invicem possunt uniri, ut unam perfectiorem integrent quantitatem.

48 Quarto stante nostra sentent. sequeretur nullum gradum esse primum, vel secundum, aut octavum, quod est falsum, quia diversi gradus constituentes aliquod totum necessario dicunt certum ordinem inter se; seq. probat. a simili, si gradus, inquit Coninc. quibus ad locum superiorem est ascendendum (a quibus denominatio gradium intensionis sumpta est) ita collocarentur, ut unus in ordine ad locum, & ascensum non superaret alium, non constituerent veros gradus, nec unus posset dici primus, alter secundus, ergo cum per gradus intensionis veluti ascendatur ad majorem perfectionem, si unus non superaret alium in perfectione, non essent veri gradus, nec perveniretur ad majorem perfectionem. Neque dicas partem priorem perfici a posteriori; quia per posteriorem prior non elevatur ad esse perfectius, sicut si secundus gradus in ascensu non esset elevatior, & eminentior quoad locum, non diceretur secundus. Solum posset reperiri ordo temporis, sed hic est prorsus accidentalis, & solum facit unum aggregatione; & quando qualitas in instanti producitur, non adest talis ordo. Tum 2. qualitates contrariæ ita se habent, quod secundum certos quosdam gradus sunt incompossibiles, secundum quosdam vero compossibiles, sed per primum gradum caloris expellitur solum octavus gradus frigoris, non alii, ergo signum est octavum gradum esse alterius rationis ab aliis, nam si essent homogenei, æqualiter omnibus opponerentur; cum unus non ponat diversum effectum formalem ab alio; imo cum omnes gradus sint æque approximati agenti contrario, quia unus non esset extra alium, certe non esset major ratio, cur potius in unum agat, quam ad alium, recurrere autem ad Deum determinantem, est voluntarie dictum. Tum 3. posset hæc intensio infinitum procedere naturaliter, quod est falsum, seq. prob. quia ut arguit Arist. 4. Phys. 53. si duo corpora possunt esse in eodem loco, ergo infinita, pariformiter si duo gradus ejusdem rationis possunt esse simul; ergo etiam infiniti. Tum 4. sequeretur intensionem esse accidentariam qualitati, sicut extensionem, quod est falsum.

49 Resp. ex dicendis qu. seq. concedendo sequelam, divisio enim in gradus est arbitraria, sicut ulna voluntarie in octo partes dividitur, quare negamus falsitatem seq. ad probat. dicimus sufficere, quod servent inter se ordinem, & unionem continuitatis, sicut unum continuitate solum constituunt; attamen quia probatio sequelæ potest confici contra nostram sentent. Idcirco dicimus ad assumptum, quod eo modo debet ascendi, quomodo est terminus ad quem talis ascensus, itaut si est ascensus secundum perfectionem essentialem, semper debet addi novus gradus essentialis, si secundum perfectionem intensivam, addi debet novus gradus intensivus, si secundum extensivam, novus extensivus; unde ex hoc non adhuc infertur, quod novus gradus intensius debeat esse alterius rationis, se sufficit quod forma novo gradu perficiatur intensiva perfectione, quæ consistit in hoc, quod plures partes simul reperiantur in eodem subjecto, ex qua unione resultat major activitas, & fortitudo in forma, quia virtus unita fortior; sicut in exemplo allato de gradibus in ascensu ad locum altiorem, quia est ascensus extensivus, sufficit, quod gradus illi differant in extensione, non tamen requiritur, quod sint alterius rationis. Ad 2. patet ex disp. 1. qu. 5. quo pacto, & qua ratione contraria se compatiuntur, & expellunt ab eodem subjecto & fusius diximus in log. disp. 9. q. 1. art. 1. explicando definitionem contrariorum; quia scilicet quamvis omnes gradus habeant aptitudinem ad se expellendum ab eodem subjecto, impediuntur tamen a capacitate subjecti ad octo gradus qualitatum contrariarum. Cur autem potius in hunc gradum agat contrarium, & destruat, & non in alium; dicimus hoc a Deo determinari, cujus est causas secundas determinare ad agendum ex dictis disp. 8. Physic. quæst. 2. art. 3. neque hoc est voluntarie dictum, sed potius rationabiliter, sicut universaliter etiam adversarii in casibus similibus faciunt. Ad 3. potest retorqueri etiam de gradibus ætherogeneis, si enim plures gradus diversæ rationis possunt esse simul, etiam infiniti, & contra Aresi. retorqueri potest in impulsu, & lumine; quare negat. seq. naturaliter loquendo, quia potentiæ activæ naturales sunt terminatæ ex disp. præced. quæst. ultim. authoritas. Aristotel. non urget, valet enim in his, in quibus universaliter quælibet pluralitas naturaliter repugnat, qualis est penetratio localis duorum corporum, tam enim repugnat duo corpora esse *in eodem loco*, quam *centum mille*, &c. *cum hoc* tamen stat, quod in aliquid una pluralitas repugnat, non altera, ut Petrus potest ferre decem pondera ut unum, non tamen duodecim, sic possunt ab agente octo gradus qualitatis produci, non tamen decem, viginti, &c. Ad 4. magis convenire qualitati intensionem, quam extensionem ob rationes allatas.

50 Se-

50 Secundo sit subjectum palmare calidum ut unum, si Deus à medietate auferret calorem, & in alia medietate reponeret, in ista esset calor ut duo, & si reduceret totum calorem ad millesimam partem, fieret calor ut mille, & sic in infinitum; imo si reduceret totum calorem ad punctum, calor erit actu infinite intensus. Tum 2. ex Scot. 4. dist. 10. q. 2. P. si duo agentia totalia applicentur eidem passo, si entitas effectus est indivisibilis, generarent eo modo efficiendi, quo neuter illorum posset esse causa totalis effectus; si vero entitas est divisibilis, producerent effectum perfectiorem, & exemplificat de calore, ergo secundum Scotum falsum est, quod hucusque diximus, duo calida ut unum v. g. non producere nisi calorem ut unum. Tum 3. si intensio solum esset aggregatio quædam partium similarium, quæ etiam possent extendi, si adinvicem discontinuarentur, & in diversis ponerentur subjectis, evaderent extensæ, sequeretur, nullam qualitatem esse spiritualem, quia quælibet posset extendi, per hoc enim spirituale a materiali differt, quod hoc est entitative divisibile, illud prorsus indivisibile, ergo si partes intensæ possunt fieri extensæ, omnis qualitas spiritualis posset materialis evadere, quod implicat.

Resp. primum arg. urgere etiam adversarios, quia saltem primus gradus posset ad punctum reduci, quod esset tunc infinite calidum ut unum. Quapropter Jacob. de Foroliv. tr. de intens. & remiss. versus finem concedit ultimam seq. quod calor ille infinitus esset. Rectius Aversa concedit, quod in infinitum intendi posset illa qualitas, sicut si ab aliqua latitudine Deus auferret aliquam partem, & apponeret versus longitudinem, quantitas illa hoc modo posset in infinitum syncathegorematice elongari; ita in casu, quicquid enim aufertur de extensione additur intensioni, sicut autem numquam quantitas fiet infinite cathegorematice longa, sic neque qualitas posset evadere actu infinite intensa, quia sicut non posset dividere totam latitudinem, quin adhuc alia remaneat dividenda, sic neque posset totam extensionem ad intensionem reducere. Ad 2. efficerent effectum perfectiorem non se ipsis sed illo, quem quodlibet seorsim produceret, semper enim calidum agit uniformiter difformiter, & ideo producit effectum seipso imperfectiorem; at cum simul applicantur, quia moles agentis juvat ad extensius, & citius operandum ex dictis disp. præced. qu. 1. art. 1. idcirco producerent calorem intensiorem, qui tamen non excederet propriam intensionem singulorum. Ad 3. patebit in seq. quæst. non enim omnes partes intensivæ possunt extensivæ fieri, sed illæ, quæ extensivæ quoque sunt divisibiles, atque prorsus indivisibiles sunt extensivæ, non possunt extendi, ideoque qualitates spirituales, quia in subjecto extenso non fundantur, sunt extensive indivisibiles; & consequenter repugnat, quod divisibilitatem recipiant extensivam.

QUÆSTIO IV.

Ubi complete explicatur tota compositio intensionis, & extensionis qualitatis.

51 IN qualibet continui compositione duo reperiuntur, scilicet partes, & indivisibilia continuativa, & terminativa ex dictis disp. 9. Physicor. ut igitur totam compositionem qualitatis explicemus, hæc duo declarare oportet, partes, & indivisibilia, tam in intensione, quam in extensione.

Quoad partes intensivas ex hucusque dictis faciliter respondetur; cum enim intensio fiat per realem additionem novæ qualitatis ejusdem rationis cum præexistenti, & in eadem subjecti parte, dicendum, qualitatem intensivam esse quoddam continuum homogeneum, & similare ex partibus constans homogeneis, non indivisibilibus, sed in infinitum divisibilibus (supponimus enim rem quamlibet continuam, sive substantia sit, sive qualitas, habere partes entitativas independenter a quantitate, ex dictis disp. 9. Physicor. quæst. 1.) aliter nunquam posset subjectum continue alterari intensive, quod esse falsum ostendemus quæst. seq. sicut extensio qualitatis fit per realem acquisitionem novæ qualitatis ejusdem rationis cum præexistenti, constituentis cum illa unum continuum integrale homogeneum; & quia magnam similitudinem habent ista duo continua intensionis, & extensionis, ideo claritatis gratia continuum qualitatis extensum ex partibus componi dicitur, intensum vero ex gradibus, qui revera sunt partes integrantes, & componentes qualitatem intensivam.

52 Gradus autem est duplex, ex Canon. 5. Phys. q. 3. artic. 1. alius est gradus essentiæ, & hic est, quo ens quodlibet determinatur, & limitatur ad certum genus, & certam speciem secundum suam essentiam, ut vivens, animalitas, sensitivum, rationale in homine, alii sunt gradus perfectionum ejusdem speciei unitive contentarum in uno, & de istis loquimur, qui non diversificant speciem essentialiter, cum sint portiones ejusdem specificæ formæ. Dicitur autem gradus a gradior graderis, quasi gressus, sicut enim per gressus itur de uno loco ad alium, ita etiam quodammodo per istos gradus, & portiones perfectionales nobile graditur ab una perfectione in aliam in sensu explicato. Definitur atem a Canon. citat. quod sit *portio perfectionalis formæ specificæ extra ejus conceptum quidditativum, sed ipsam specificam formam includens in suo conceptu; inclusa tamen intra conceptum individui vagi vage, determinati determinate*. Dicitur *portio perfectionalis formæ specificæ*, quia sicut quantitas habet compositioem essentialem ex genere, & differentia, & integralem ex partibus, quarum quælibet includit essentiam quantitatis, non tamen totaliter, quia etiam includitur essentia in alia parte propter suam illimitationem, ita qualitas habet suam compositionem ex partibus essentialibus genere, & differentia, & habet suas perfectionales portiones integrantes, quarum quælibet includit essentiam qualitatis, non tamen totaliter, quia etiam includitur in alia portione, hoc tamen interest inter quantitatem, & qualitatem, quod quælibet quantitas est ejusdem perfectionis cum alia quantitate, quia non suscipit magis, & minus, non sic qualitas, nam ista intensio non attenditur quoad diversas partes subjecti, sed quo ad eandem. Dicitur *extra conceptum quidditativum formæ*, quia quidditas abstrahit ab individuis; Dicitur *includens formam in suo conceptu*, quia species est de essentia individui. Dicitur tandem *inclusa tamen*, &c. quia conceptus individui non solum dicit speciem, sed etiam differentiam individualem, si individuum est vagum, differentiam individualem vagam, si determinatum, & signatum, differentiam individualem determinatam, & signatam includit.

53 Cum igitur quælibet qualitas habeat istos gradus, & istam latitudinem intensivam divisibilem in infinitas partes ad modum quantitatis, Philosophi ad majorem claritatem diviserunt totam istam latitudinem ab agente naturali producibilem in octo gradus, quæ divisio non est in partes proportionales, sed aliquotas, æquales, & non communicantes, unde poterant in decem, vel viginti secare partes, & gradus, sicut, cum ulna dividitur in octo palmos æquales, est divisio arbitraria, cum possit in plures partes æquales dividi, finitas tamen, quando ergo acquiritur a mobili certa pars determinata qualitatis quoad intensionem, dicitur acquiri primus gradus, & sic de cæteris, sicut cum aliquis continue movetur per ulnam, quando acquirit certam partem determinatam, dicitur acquirere primum palmum. Ex istis vero partibus intensivis non fit una simplex qualitas sine distinctione partium, ut nec ab ipso Deo possint isti gradus separari, pro qua senten. citatur Hervæus 1. dist. 17. q. 5. quia non solum a Deo, sed de facto naturaliter ad invicem separantur. Deinde quoad distinctionem ipsorum eodem modo est loquendum, quomodo diximus de distinctione partium quantitatis inter se disp. 9. Phys. qu. 2. qualitas enim successive acquiritur, & commensuratur suo modo cum partibus temporis, & tota intensio fit continue, ut in quæstione sequen. per partes temporis; quare sicut tempus non constat ex instantibus, sed ex partibus semper divisibilibus in infinitum, ita prorsus intensio qualitatis, & qualitas ipsa; eadem enim argumenta faciunt pro quolibet continuo.

54 Non solum autem qualitas universaliter habet partes intensivas, sed quæ materialis est, & in subjecto recipitur extenso, habet quoque partes extensas entitative; & hæc extensio hujusmodi qualitatis est ita cum intensione ejusdem connexa, ut non possit fieri extensio absque intensione; eo quia agens intendendo extendit, & extendendo intendit, quando agit in subjectum quantum contrariis qualitatibus affectum; solum dubitari posset, an agens extendendo qualitatem agat semper uniformiter difformiter, & æqualiter inæqualiter, an vero eodem modo, itaut in aliqua parte sphæræ extendat qualitatem ejusdem intensionis, sed de hoc infra.

Sed contra istam intensivam compositionem hucusque explicatam præter rationes superius adductas, adhuc arguitur primo multis authoritatibus. Prima sumitur ex 8. Metheor. 10. ubi habetur, quod formæ sunt, sicut numeri quo ad hoc, quod sicut numerus quilibet additus numero variat numerum, ita quilibet gradus in forma additus variat speciem, ergo essentiæ albedinis v. gr. non potest aliquid addi manente eadem specie. Secunda ex 10. Meth. 25. ubi Arist. ait, quod differentiæ formales mutant speciem, sed hæc differentia graduum esset differentia formalis, ergo, &c. Tertia ex c. de differ. ubi docet Porph. quod differentia formalis non recipit magis, & minus, esse enim inquit, uniuscujusque unum, & idem est, neque intensionem recipiens, neque remissionem. Quarta est authoris sex princip. forma est, inquit, simplici, & invariabili consistens essentia. Accedit ratio, quia si realitas aliqua advenit præexistenti qualitati, ergo qualitas aucta non erit in specie, quia includet aliquid accidentale naturæ specificæ, vel si erit in specie, per se nihil includet, nisi pertinens ad naturam speciei. Tum quia si forma hoc modo intenderetur, etiam separata a subjecto taliter intenderetur, ergo forma esset subjectum motus, quod est falsum.

55 Resp Scot. 1. dist. 17. quæst. 3. XX. primam, secundam & tertiam authoritatem intelligi debere de quidditatibus, ut quidditates sunt, & de differentiis essentialibus, quarum quælibet variat unam speciem in aliam, vel de non specie facit speciem, non vero de differentiis individualibus, quæ non sunt de essentia, & quiddirate rerum; gradus autem isti sunt quædam conditiones individuantes, seu plura individua licet ad invicem continuatæ. Ad ultim. ait, quod illa propositio intelligitur secundum sensum suæ probat. probatur autem ab ipso, quia forma addita subjecto non facit majus secundum molem, quam prius fuit, sicut facit quantitas, ergo loquitur de simplicitate opposita compositioni secundum molem, quod nil officit. Ad 1. rat. ait gradum advenientem accidentalem dici posse, si accidens pro extraneo sumatur, non enim pertinet ad quidditatem, non tamen erit accidentalis, si intelligatur de accidente per accidens conveniente subjecto, primum accidens facit cum natura unum per se, sicut quodlibet individuum est unum per se, & recte dici potest constitutum in specie; secundum accidens facit unum per accidens, nec tale dici poterit in specie constitutum. Ad 2. negat consequ. quia moveri est aliter se habere nunc, quam prius, quod proprium est subjecti, non formæ, & improprie primus gradus dicitur recipere secundum, non enim inhæret illi, sed ambo inhærent subjecto, unde intensio formæ separatæ esset quædam

quædam aliter habitio, non autem quoddam aliter se habere, ut diximus disput. 15. Physic. quæst. 1. explicando essentiam motus.

56 Secundo, vel isti gradus sunt realiter distincti a forma, vel non; si secundum, ergo eadem numero albedo non posset esse modo intensa, modo remissa, si primum, ergo quia Deus potest omne realiter distinctum seperare, posset producere albedinem sine aliquo gradu. Tum 2. aut ista additio sit secundum essentiam, aut secundum existentiam, non 2. ut diximus q. 2. si primum, ergo qualitas intensa, & remissa specie differrent, quod est falsum. Tum 3. ex duobus entibus in actu non fit unum per se 7. Meth. 49. sed omnes gradus qualitatis sunt entia in actu, ergo nequeunt convenire in compositionem unius qualitatis. Tum 4. aut isti gradus se totis faciunt unum, aut aliquod sui; non 2. quia sic potius esset extensio, quam intensio, ut patet in quantitate, si primum, ergo unus illorum corrumpetur, non enim est possibile unam realitatem per totalem, & omnimodam identitatem transire in aliam, ipsa eadem manente. Tum 5. sequeretur voluntatem hominis nullum habentem habitum producere posse ita intensam volitionem, sicut elicit voluntas habens perfectissimum habitum, quod est falsum, quia experimur in nobis quod tanto intensius operamur, quanto perfectiores habemus habitus; conseq. prob. sint duæ voluntates, quarum una habeat perfectum habitum, & eliciat volitionem toto conatu, & sit v. g. illa volitio ut sex, alia vero voluntas sine habitu eliciat volitionem ut duo, continuet istam volitionem, & addat partem parti, ergo per istam intensionem deveniet ad volitionem ut sex. Tandem si duæ formæ substantiales essent in eodem subjecto, efficerent stante nostra opinione unam formam intensiorem, quod est falsum, quia substantia non suscipit magis, & minus.

57 Resp. ad 1. quod in quolibet continuo duo considerari possunt, unum est ipsum continuum constitutum in ordine ad alias partes integrales, secundum est ipsa quidditas respectu proprii gradus, si de primo loquamur, concedimus quemlibet gradum albedinis distinctum esse realiter ab alio gradu albedinis, sicut quælibet pars aquæ realiter distinguitur ab alia parte, & hæc sine illis esse potest; si autem loquamur de secundo, sic concedimus naturam albedinis non distingui realiter ab uno gradu, sicut universaliter omnis natura specifica est realiter eadem cum individuo. Ad impugnat. neg. seq. fit enim transitus a compositione Metaphysica ex natura, & differentia individuali ad compositionem Physicam integralem, etenim adhuc quantitatis natura nequit esse sine individuali differentia, & tamen modo major, modo minor esse potest. Ad 2. fit additio secundum essentiam, & existentiam simul, ut in extensione qualitatis, & quantitatis, neg. tamen conseq. quia non est alia specie essentia, sed numero. Ad 3. majorem esse veram de uno per se ente unitate essentiali, non de ente per se unitate integrali; ad hoc enim ut ex duobus entibus fiat unum hac unitate sufficit, ut sint per se unibilia per propria indivisibilia continuantia, in quibus unio illa fundatur, quæ indivisibilia reperiuntur in qualitate intensiva, ut dicemus. Ad 4. dicimus se totis facere unum, quia totaliter uniuntur, nam quilibet immediate unitur cum quolibet, & singulæ partes unius singulis alterius. Ad impugnat. neg. totus discursus, quia non transit unus gradus in entitatem alterius, sed remanet adhuc distinctus, ut patet in unione materiæ, & formæ. Ad 5. concedimus seq. in aliquo casu, cum enim habitus non det simpliciter operari, sed citius, & facilius, posset evenire, quod una voluntas per majorem applicationem virtutis eliciat actum æque, vel magis intensum, quam altera habituata; attamen si utraque eliceret toto conatu, & utraque continuaret intensionem actus, semper habituata haberet actum intensiorem; si una solum eliceret, altera eliceret & postea intenderet, hæc posset illam excedere; improbatio procedit regulariter, quia raro operamur toto conatu, idcirco intensius operamur cum habitu, quam sine illo. Ad ultim. neg. sequ. ut fusius dicemus disput. 5. quæst. 5. art. 2.

58 Quoad indivisibilia qualitatis est opinio Fonsec. 8. Metheor. cap. 2. quæst. 2. sect. 3. ad 3. Vasq. par. 2. disp. 82. numer. 27. negans prorsus indivisibilia continuativa, aut aliam unionem inter partes qualitatis, quamvis supponant mediare inter partes quantitatis (qui enim negant indivisibilia in quantitate negant etiam in qualitate) sed Fonsec. ait partes qualitati uniri per coexistentiam in subjecto, Vasq. vero uniri seipsis.

Communis tamen omnium sent. est dari in partibus qualitatis propria indivisibilia continuativa, & terminativa, sicut admittunt in quantitate, & iisdem fere rationibus prob. quibus prob. existentia indivisibilium quantitatis disp. 9. Phys. q. 2. art. 2. & colligi potest ex Scoto ibi cit. sed adhuc specialiter ostendi potest, quia qualitas potest acquiri per alterationem continuam tam intensive, quam extensive, ut q. seq. & talis motus tempore mensuratur, aut ergo in instantibus temporis est aliquid illius motus, aut non; si 2. ergo motus non erit continuus, imo divisus esset in omnes partes, sicut si linea esset sine omnibus punctis, esset actu divisa in omnes partes, quod implicat, si primum, vel est divisibile, vel indivisibile, primum nequit esse, quia nulla pars motus successivi est in instanti, ergo secundum, ergo idem dicendum est ex parte ipsius qualitatis, nam præter quam quod eodem modo se habent tempus, motus, & continuum quoad compositionem partium, prob. adhuc, quia si per indivisibile motus acquireretur pars aliqua determinata qualitatis, & non indivisibile continuativum, jam qualitas haberet infinitas partes aliquotas, & determinatas juxta infinitatem instantium, quod implicat. Tum quia potest dari qualitas a subjecto separata, & tamen esset continua; aliter esset secundum omnes partes divisa, ergo tunc haberet propria continuativa, ergo non uniuntur partes per coexistentiam in subjecto, ut dicebat Fonsec. & sicut qualitas ex se est compositum integrale distinctum a subjecto quanto, ita debet habere propria indivisibilia continuantia, & tandem si posset dici cum Vasq. partes qualitatis seipsis uniri, idem dici posset de quantitate.

59 Dantur igitur in qualitate indivisibilia continuativa partes ipsius, & quoniam partes qualitatis sunt duplicis generis, extensivæ, & intensivæ, dari debent indivisibilia utrasq. partes continuantia. Et quidem de indivisibilibus continuantibus partes extensivas faciliter res explicatur; nam cum qualitas sit extensa in superficie corporis, continuatur per propria indivisibilia, quæ indivisibilia extensionis vocantur, eo quia continuativum extensionis extensione caret, & subjectatur in indivisionibus continuativis superficiei corporis, sicut tota albedo v. gr. in tota est superficie. Difficile autem est explicare modum continuationis partium intensivarum; optime tamen illum declarat Ruvius tr. 3. de alter. q. 4. Hinc notat quod cum qualitas intenditur, non solum intensio est in partibus extensionis, sed etiam in indivisibili extensionis, ideoque indivisibile illud, quod partes extensas continuat, potest habere latitudinem graduum intensionis, & quoad hoc divisibile erit, & quia intensio hujus indivisibilis ex partibus constat intensivis, hinc talis intensio propria indivisibilia habere debet, quibus partes ipsius continuentur, quæ in indivisibilia erunt tam intensionis, quam extensionis; intensionis quidem, quia continuativum intensionis intensione caret extensionis; quia sunt continuativa intensionis rei inextensæ, scilicet indivisibilis partium extensivarum. Insuper quia etiam partes divisibiles secundum extensionem intenduntur, ideo intensio, quæ reperitur in his partibus, habebit propria indivisibilia, quæ communiter per gradus explicatur, ut calor ut unum, ut duo, ut tria, vel calor ut dimidium unius gradus, &c. & sic deinceps dividendo semper quemlibet gradum secundum proportionales partes; quæ indivisibilia dicuntur intensionis tantum, quia sunt continuativa partium intensivarum, non vero extensionis, quia sunt continuativa intensionis rei extensæ, nam calor ut unum, vel ut duo in tota manu reperitur, & consequenter hoc, quod est unum, quod indivisibile dicitur intensionis, extenditur ad extensionem subjecti: hinc oritur distinctio indivisibilium qualitatis, quod alia sunt indivisibilia extensionis tantum, quæ continuant partes extensivas, alia sunt indivisibilia intensionis solum, quæ continuant partes extensive intensas, alia sunt indivisibilia intensionis, & extensionis simul, quia continuant partes intensivas rei inextensæ, ista dicuntur indivisibilia simpliciter, quia omni prorsus carent divisione, alia duo dicuntur indivisibilia secundum quid, nam prima sunt divisibilia intensive, secunda extensive. Istis indivisibilibus correspondet mutata esse motus alterationis quibus acquiruntur.

60 Ex his patet, quo pacto partes intensivæ qualitatis possunt fieri extensæ; non enim hoc debet intelligi de partibus intensivis inextensis, nullum enim indivisibile potest fieri divisibile divisione opposita indivisibilitati illius, ut si aliquod est indivisibile secundum latitudinem, nequit fieri indivisibile secundum latitudinem, sed bene secundum longitudinem, linea enim nequit fieri superficies, ergo si partes illæsæ intensivæ sunt inextensæ, nequeunt evadere extensæ, & consequenter quia qualitates spirituales sunt inextensæ ex propria natura, nunquam possunt extendi, quamvis sint intensive divisibiles; at partes intensivæ, sed simul extensæ possunt de intensivis a Deo mutari in extensivas, si in diversis partibus subjecti collocarentur, sicut extensivæ positæ in parte eadem divisibili subjecti possunt fieri inextensæ.

QUÆSTIO V.

An Alteratio possit successive, & continue fieri.

61 NOn est dubium, quin qualitas aliqua tam quoad extensionem, quam quoad intensionem in instanti acquiratur, ut patet, cum primo producitur flamma in aere tenebroso, illud enim lumen instantanee causatur in toto aere; sed quærimus, num quando qualitas introducitur in subjecto successive per partes post partes, talis alteratio fiat continue, & in tempore, an vero in diversis instantibus interpolatis per moculas, & quietem mediam, ita ut tota alteratio sit aggregatum mutationum instantanearum discrete sibi succedentium, & hoc tam in extensione, quam in intensione; quod aliis verbis quidam explicant, nam continuitatem, & successionem intensivam vocant continuitatem ex parte formæ, extensivam autem appellant continuitatem ex parte subjecti; loquimur autem præcipue de alteratione, quæ fit in subjecto extenso, nam de illa, quæ fit in indivisibilibus subjecti, loquemur in solutione arg.

Prima opinio est quorundam Thomist. ut Capreol. p. d. 15. q. 2. art. 2. Soncin. 8. Met. q. 22. Javel. & Ferrar. 8. Phys. q. 8. Zanar. q. 9. & aliorum asserentium alterationem tam intensivam, quam extensivam nullo modo esse continuam in toto tempore, quo produci apparet qualitas, sed fieri interrupte per quædam minima. qualitatis, ut dum ignis applicatur ligno, per aliquod tempus disponit minimam quandam partem subjecti, & in instanti terminativo illius temporis simul absque successione introducit minimum caloris, deinde aliam minimam partem disponit, & in instanti terminativo aliud introducit minimum caloris, & sic deinceps per totum alterationis progressum fundantur, eo quia sustinent dari minimam qualitatem, ut alia minor nequeat dari. Hanc opin. nuper defendit Arriag. disp. 2. de Gener. sect. 3. subsect. 2. & seq. sed alio innixus fundamen-

mento, quia scilicet universaliter putat omnem motum successivum fieri per morulas interceptas, & secundum majorem, vel minorem numerum ipsarum provenire in motu velocitatem, & tarditatem; ita docet præcipue disp. 16. Phys. sect. 11. Alii vero hunc dicendi modum restringunt ad extensionem. Concedunt enim intensionem successive fieri, & continue, negant tamen extensionem esse continuam, sed vel in eodem instanti applicationis agens, ajunt, ageret in qualibet parte sphæræ intendendo uniformiter difformiter qualitatem, vel quod agat in parte sphæræ interpolate per morulas, scilicet prius in parte propinquiori intendendo illam; deinde in remotiori; pro quo citantur Ægid. 1. de Gen. q. 26. & Jand. 8. Phys. q. 8. Alii tamen hanc opin. restringunt ad primam partem qualitatis, quod scilicet in primo instanti introducatur minimum qualitatis in certa subjecti parte, quod minimum postea successive, & continue intendatur, & extendatur. Communis sent. est Scoti in 2. d. 2. q. 9. N. & O. & 8. Meth. q. 3. acquisitionem qualitatis per partem post partem tam intensive, quam extensive fieri successive, & continue, quem præter Scotistas sequuntur fere omnes recentiores, imo & Thomistæ fanioris mentis, ut Bannes 1. de Gen. qu. 6. Compl. disp. 4. q. 10. Jo. de S. Tho. q. 3. ar. 3.

62 Dicendum est alterationem intensivam, & extensivam posse successive, & continue fieri, ita Doct. cit. & colligitur expresse ex Arist. qui 5. Phys. 18. alterationem reducit sub motu proprie dicto, qui motus ex tex. 39. & 41. est continuus, ad continuitatem autem motus requiritur continuitas temporis. Probatur autem ex dictis disp. 9. Phys. q. 3. art. 1. ubi fundamentum Adversariorum de minimo qualitatis exclusimus, & simul demonstravimus agens continue, & successive agere, non per morulas interceptas, eo quia est applicatum passo non solum in instanti, sed etiam in tempore sequenti, ergo agere semper debet in subjectum; nec sufficit dicere, quod agat disponendo, v. gr. cum calefacit ignis, prius disponit inducendo raritatem. Non valet, quia ut ibi diximus, hæc dispositio esset etiam qualitas, ergo vel daretur dispositio dispositionis, vel hæc qualitas in tempore producetur: præterquam quod male a Capreol. asseritur ignem introducere raritatem tanquam dispositionem caloris, nam multa calefiunt, quæ non rarefiunt, ut adamas, & aliqua calore potius indurescunt, ut lutum, ergo raritas non est dispositio prævia caloris, vide disp. cit. ubi etiam confutavimus alium dicendi modum, quod detur prima pars qualitatis in instanti producta, quæ deinde successive fiat. Specialiter adhuc impugnatur modus ille ponendi extensionem instantaneam per totam sphæram, non intensionem. Equidem si in instanti in qualibet parte sphæræ agit, non producit solum in indivisibile extensivum qualitatis, sed aliquam intensionem, ergo si extensio est instantanea, etiam intensio foret talis. Antec. patet, quia extensio fit cum intensione, & si quælibet pars sphæræ intelligitur satis applicata in primo instanti, ut agens in illam agat in eodem instanti, certe intendet aliqualiter qualitatem. Tum quia ad agendum non sufficit applicatio, sed requiritur, quod passum non resistat, ergo ex applicatione non debet inferri actio instantanea in totam sphæram, si passum est præditum contrariis qualitatibus.

63 Alia via incedit Arriaga, negat enim agens applicatum passo semper agere, sed ex propria natura habere, quod morulis quibusdam interceptis agat, determinarique a Deo, quando & quanto tempore desistat ab actione, & denuo rursus incipiat agere, sicut nos dicimus de gradibus, quamvis enim calidum ut sex applicatum frigido ut sex fit indeterminatum ad destruendum quemlibet gradum; quia æque opponitur cum quolibet, a Deo tamen determinari dicimus, ut hos duos gradus in particulari destruat, non alios, & quo plures morulæ interveniunt in alteratione, eo alteratio est tardior, quo pauciores, eo velocior; quem dicendi modum probat quibusdam experientiis, ut videbimus.

Verum hæc responsio ex seipsa ruit; si enim agens est applicatum, non impeditum, & naturale, & prius agebat, postea non est impotentius, ut cum lapis deorsum descendit, cur prius agebat, & deorsum movebatur, postea quiescit in aere? eo vel maxime, quod movendo se deorsum fit potentior ad descendendum propter augmentum impulsus, ut contra ipsum Arriagam probavimus disp. 3. de Cœlo q. 3. Si dicas esse talis naturæ. Contra, gratis enim hoc afferitur, & sine fundamento, ut videbimus. Tum quia si lapis esset talis naturæ, ut ab intrinseco petat quiescere in motu, ergo naturaliter quiesceret in aere, quia juxta propriam naturalem aptitudinem, & potentiam. Tum quia si quælibet actio fieret per morulas interceptas, ergo actio conservativa, qua conservatur effectus pendens in fieri, & in conservari ab agente, hoc pacto fieri deberet, aliter deberet assignari ratio disparitatis; ex quo sequeretur luminosum non semper illuminare, nec oculum semper videre, sed debere suas actiones interrumpere per aliquas morulas saltem brevissimas, quod est contra experientiam; quamvis enim in quibusdam casibus admitti possit, morulas istas imperceptibiles esse, si darentur, in his casibus tamen necessario perciperentur; nam visio nequit terminari ad non existens, & si visio per instans solum non esset in oculo, oculus non videret, & tamen continue percipimus lumen in aere, & objectum oculis propositum. Tum quia non essent in motu tardissimo hæ morulæ imperceptibiles; ut probavimus disp. 9. Phys. q. 2. art. 1. impugnando primam resp. ad 2. probat. ubi ostendimus etiam rotam in motu disrumpi debere, eo quia velocius moventur partes exteriores, quam interiores, quod exemplum putat Arriaga insolubile. Et tandem quia data hac sentent. sequeretur motum localem naturaliter fieri in instanti, quod implicat; sequela prob. cum enim lapis moveatur deorsum, certe aliqua pars motus esset sine morulis, scilicet quæ inter primam, & secundam claudit morulam; cum enim determinetur lapis a Deo ad motum, & quietem, cognoscit Deus, quando primo determinavit lapidem ad quietem; hæc pars motus esset instantanea, quia si fieret in tempore, posset ab alio motu in velocitate excedi, quod est contra ipsum, docentem majorem, & minorem velocitatem provenire ex pluribus, vel paucioribus morulis, quare si caret omni morula, erit summe velox, & consequenter in instanti, idem etiam sequeretur de alteratione. Falsum igitur est agens naturale actionem propriam morulis interrumpere, sed quando est applicatum non impeditum semper agit.

64 Contra hanc concl. arguunt primo rationibus illis, quibus probatur minimum in qualitatibus, quas solvimus disp. 9. Phys. q. 3. ar. 1. Secundo arguunt illis rationibus, quibus ostenditur dari posse primam partem motus, quas etiam diluimus disp. 14. Phys. q. 2. ar. 2. Tertio argui potest ex hoc, quod permanentia debent per primum esse incipere, ergo in instanti, & per consequens alteratio erit instantanea. Huic autem rationi satisfecimus disp. cit. art. 3. dum diximus permanentia secundum esse completum, & certum incipere per primum esse, at secundum esse incertum, indeterminatum, & incompletum posse extrinsece per ultimum non esse incipere. Quarto arguitur, quia sequeretur in fine alterationis produci infinitam qualitatem; quam rationem adduximus, & solvimus supra quæst. 2. art. 3. Tandem ex Arist. 6. Physic. 58. & 8. Physic. 65. & 66. docente motus inter terminos contrarios non posse continuari, alteratio autem est inter terminos contrarios; hinc 8. Physic. 23. ait, *Dicere alterationem fieri continue, est adversari valde manifestis*. Dicimus tamen Arist. ibi loqui de duobus motibus contrariis, quos ait non posse continuari, ut est motus sursum, & deorsum, non autem de motu inter terminos contrarios facto, ut est v. gr. motus sursum, calefactio, &c. in tex. vero 23. solum concludit contra Heraclitum alterationem non esse continuam, ut toto tempore fiat, quo res durat, ut docebat Heracl. aliquando enim res quiescit, nec semper alteratur; non tamen asserit alterationem quando fit, nunquam continue exerceri.

65 Secundo argum. ex Arriag. ostendente omnem motum per morulas interrumpi debere. Tum quia videmus plumas, chartam, & similia in descensu pluries quiescere. Tum 2. non potest explicari velocitas, & tarditas motus, nisi per mediationem plurium, vel paucarum morularum. Tum 3. sonus ad certam partem sphæræ in instanti producit species sensibiles, nam a vicinioribus simul videtur ictus, & auditur sonus, in quo instanti species istæ non producunt alias species in parte remotiori (supponit enim sonum non producere species in qualibet parte medii, nam sonus perit statim, & tamen a remotioribus postea auditur, quare species illæ non causantur a sono, quia causa debet esse existens) quod patet, quia ab existentibus in re notiori parte non percipitur in illo instanti sonus, sed notabiliter prius videtur ictus, quam audiatur sonus, ergo species illæ in eo instanti non agunt, sed quiescunt, ergo non semper agens applicatum, non impeditum agit, sed quandoque quiescit. Prima consequen. patet, hæc enim tardior auditio in remotioribus non potest referri in motum localem, ut quidam dicunt, motus enim localis solum intervenit in productione soni, & primarum specierum, & transacto sono ut plurimum quiescit medium, & tamen postea auditur sonus in parte remotiori, ergo provenit ex cessatione actionis. Tum 4. lapis magnus super asserem gravitans non statim, sed post multos dies, aut annos frangit asserem; hoc autem nequit esse, quia toto illo tempore imprimatur impetus in lignum a lapide, & per continuationem intendatur. Ratio est, quia toto illo tempore evaderet ille impetus pene infinitus, & deberet assignari ratio, cur a principio non produxit totum impetum; Neque potest dici a principio lapidem incepisse dividere lignum; non enim per tot annos duravisset lignum illud, nec talis divisio apparet, ergo dicendum provenire ex eo, quod lapis non semper agit in lignum, aliter si statim produxisset impulsum, statim etiam debebat asserem incidere, quia impetus ille potens est vincere resistentiam ligni, ergo potest esse aliquod agens quod debeat aliquantulum esse applicatum, antequam operetur.

66 Resp. ad 1. ideo plumas, chartam, & similia quandoque in medio motu quescere, quia propter exiguam gravitatem facile impediuntur a qualibet etiam minima aeris agitatione, unde si agitatio potest vincere activitatem gravitatis plumæ, non solum impediet motum deorsum, sed etiam huc illuc deferet, si non superat, sed est æqualis, solum impedit descensum, qua agitatione transacta, prosequitur pluma deinde motum deorsum continuate, quamvis tarde. Ad 2. negamus velocitatem, & tarditatem motus explicari debere per plures, & pauciores morulas, sed potius per coexistentiam ad majus, vel minus tempus, sicut disp. seq. explicabimus rarefactionem, & condensationem ejusdem corporis per coexistentiam ad majorem, vel minorem locum, istæ enim morulæ licet forte possent salvare velocitatem, vel tarditatem motus totalis, non tamen illius partis motus inclusæ inter duas morulas, hæc enim non est instantanea, sed successiva, ergo potest fieri tardius, aut velocius, & tamen non includit morulas, ut pro nostra sent. arguebamus. Ad 3. fiet satis in lib. de An. pro nunc dicimus cum communi sonum non fieri in instanti, sed in tempore, causatur enim per motum, qui est successivus,

cessivus, & consequenter non producere species in instanti, sed in tempore, unde nec istæ species possunt alias in remotiori parte causare, nisi in tempore, qua ratione prior est visio, quam auditus. Vel cum Conimbr. dicendum rationem esse, quia species visibiles sunt minus materiales, ideoque possunt in instanti diffundi, species autem soni sunt materialiores, qua ratione non producuntur in instanti, sed in tempore multiplicantur in medio; quare negandum est species non agere, cum producuntur; licet namque non percipiatur statim sonus, hoc est, quia agunt in tempore, non in instanti; aliter quia etiam species visibiles se multiplicant in medio, ut patet de lumine, idem esse dicendum de istis, quod aliquando cessarent, & sic non fieret visio, quod est contra experientiam. Ad 4. concedimus lapidem ab initio totum impetum a se producibilem imprimere ligno, & si hic impulsus excedit resistentiam ligni, aliquem effectum, seu aliqualem divisionem incipit causare in ligno, vel paulatim, vel statim juxta quantitatem excessus, itaut deinde totaliter superet; si vero non excedit, nunquam causabit divisionem, nisi aliunde lignum, vel ex humiditate, vel vetustate, aut ex alio capite amitteret aliquid resistentiæ, ut sæpe contingere experimur, vide disp. 3. de Cœlo nu. 58. & seq.

67 Tertio, & fortius, intensio qualitatis in partibus subjecti extensa non habet sua continuativa indivisibilia, quibus possit continuari, ergo nequit esse continua. Patet consequ. quia continuum est, cujus partes termino communi copulantur. Antec. prob. ista continuativa debent correspondere continuativis temporis mensurantis illam intensionem, scilicet instantibus, & in illis acquiri, sed partes intensivæ qualitatis in subjecto extenso receptæ non habent indivisibilia continuantia, quæ in illis instantibus acquirantur, ergo intensio nequit continue fieri in toto illo tempore, in quo qualitas intenditur, & simul extenditur in subjecto: Minor, in qua est difficultas, prob. nam ex dictis qu. præced. tria indivisibilia sunt in qualitate, scilicet indivisibilia extensionis tantum, intensionis, & extensionis simul, & intensionis tantum. Prima indivisibilia nequeunt continuare intensionem, quia hæc pertinent ad extensionem, non ad intensionem; tum quia sunt intensive divisibilia, ergo nequeunt in instanti acquiri, vel concedendum intensionem horum indivisibilium fieri in instanti, quod est falsum, quia in indivisibili subjecti reperiebatur qualitas contraria intensive intensa, licet extensive indivisibilis, ergo gradus illi debent successive expelli, præsentia enim contrarii in subjecto est causa successionis motus. Neque possunt esse indivisibilia omnino, quia partes intensivæ qualitatis in subjecto quanto extensæ sunt realiter distinctæ a partibus intensivis inhærentibus in indivisibilibus subjecti, in diversisque subjectis existunt, ergo continuativa harum partium nequeunt illas continuare. Patet conseq. nam intensio intendi debet circa eandem partem subjecti; & quælibet debet habere sua indivisibilia: tum quia si in instanti acquirirentur solum indivisibilia omnino, certe per ista indivisibilia non compleretur qualitas in subjecto extenso, quia non sunt in ipso, sed in indivisibilibus ipsius, ergo si motus intensionis tunc cessaret, non posset dici subjectum esse intensum, ut tria, ut quatuor, &c. quia hoc, quod est esse ut tria, solum in indivisibilibus ipsius reperitur, non in partibus, & sic qualitas remaneret naturaliter sine indivisibilibus terminantibus. Nec tandem acquiruntur indivisibilia intensionis tantum, hæc enim sunt divisibilia extensive, ergo si in instanti acquiruntur, extensio fieret in instanti, & sic daretur alteratio extensiva instantanea; tum quia in indivisibili subjecti est indivisibile contrariæ qualitatis, ergo non potest in instanti expelli. Tum quia illud solum indivisibile intensionis acquiritur in instanti, cujus subjectum in illo instanti producitur, sed in instanti non producitur pars aliqua extensiva, sed solum indivisibile extensionis, ergo nequit produci, nisi indivisibile, quod in illo reperitur, tale erit indivisibile simpliciter, & omnino; quod tamen nequit esse continuativum partium.

68 Pro solutione hujus arg. nor. quod sicut in augmentatione, quæ est quidam motus extensivus, quod in instanti acquiritur non est punctum, sed superficies, eo quia quod augetur, non fit majus solum secundum longitudinem, aut latitudinem, sed secundum profunditatem, cujus continuativum non est punctum, aut linea, sed superficies, idcirco indivisibile terminans mutatum esse motus extensive augmentationis erit superficies, quod etiam patet in motu locali, quo mobile in quolibet instanti per mutata esse acquirit superficiem ambientem. Ratio est, quia motus fit secundum profunditatem corporis aerei, & quamvis superficies sit divisibilis secundum latitudinem, & longitudinem, parum refert, quia non acquiritur ut sit divisibilis, sed indivisibilis secundum profunditatem; & quoniam superficies habet proprias lineas continuativas, & lineæ propria puncta, hinc si superficies in instanti acquiritur, etiam lineæ, & puncta continuantia in instanti acquiruntur, unde dici posset fieri in instanti motum aliquem auctionis secundum longitudinem, & latitudinem, sed in rigore non dici, nisi mutatum esse, quia latitudo illa acquiritur, quatenus est continuativa profunditatis, secundum quam mensuram fit corporum motus. Pari passu incedendum est in qualitate, hæc enim quando acquiritur in subjecto, quanto extenditur per illud, & in toto tempore tota qualitas per totum subjectum extenditur, in parte temporis pars qualitatis extenditur in parte subjecti, & in quolibet instanti illius temporis in quolibet indivisibili continuante partes subjecti recipiuntur indivisibilia continuantia partes qualitatis, & quoniam motus iste extensivus fit secundum profunditatem subjecti, quod acquiritur in instanti, est latitudo quædam qualitatis absque profunditate in superficie subjecti terminata, nam verum est in hoc instanti v. g. calorem ad tantam extensionem subjecti perventum esse, ly tantum non significat nisi indivisibile terminans illam partem subjecti; quapropter concedendum est in instanti fieri extensionem caloris secundum latitudinem, licet non secundum profunditatem. Nec valet, quod objicitur in superficie illa subjecti prius erat latitudo quædam indivisibilis secundum profunditatem oppositi frigoris, ergo non poterit indivisibile caloris in instanti produci. Non valet, quia motus fit secundum profunditatem, quo pacto latitudo illa frigoris est indivisibilis, & consequenter ut sic non est potens inducere successionem in illo motu, ad hanc enim requiritur contrarietas secundum eandem divisibilitatem, scilicet secundum profunditatem, ideoque poterit in instanti expelli, sicut in instanti acquiritur.

69 Non solum autem fit hic motus in qualitate, sed etiam fit motus secundum intensionem in eodem tempore, quare in toto illo tempore, in quo qualitas extenditur per totum subjectum, intenditur etiam per totam secundum gradus, licet uniformiter difformiter, & in una parte temporis pars gradualis qualitatis intenditur in una parte subjecti, & in quolibet instanti temporis qualitas habet determinatam, & tantam intensionem, quod est habere indivisibile intensionis; quæ determinata intensio, quia est in hoc instanti in parte determinata subjecti extensa, idcirco simul habetur in eodem instanti utrumque indivisibile, & quia hoc indivisibile intensionis est extensum, habet continuari per indivisibilia simpliciter, quæ simul etiam acquiruntur, quapropter hæc tria indivisibilia simul habentur in eodem instanti, sicut in tempore acquiruntur simul partes extensæ, partes intensæ in partibus subjecti fundatæ, & partes intensæ existentes in indivisibilibus subjecti. Verum est tamen, quod cum loquimur de parte aliqua determinata qualitatis, quia est simul intensa, & extensa, ly determinata circumscribit ultimum indivisibile intensionis, terminans partes intensivas, & ultimum indivisibile extensionis terminans partes extensivas, & quia hæc pars in instanti habetur determinata utroque modo, ideo in instanti illa indivisibilia intelliguntur acquiri, tam in tempore sequenti partes intensæ, & extensæ, quæ acquiruntur, copulantur illis indivisibilibus, ante hoc instans non habetur quid determinatum, nec intensive, nec extensive, quia antea acquirebantur partes, non indivisibilia.

70 Ex his ad argum. antec. Ad prob. neg. min. ad cujus prob. dicimus, in quolibet instanti acquiri indivisibile intensionis simul cum indivisibili extensionis, in quibus etiam adsunt indivisibilia simpliciter, & quia impugnationes contra ista simpliciter indivisibilia supponunt hæc sola acquiri, ideo non concludunt contra nos. Cum igitur probatur, indivisibilia extensionis non acquiri in instanti, quia non pertinent ad intensionem, concedimus, non enim ex hoc capite ponimus illa, sed quia continuat extensionem. Ad aliam dicimus, hæc indivisibilia intensive dividi, quæ habent in se partes intensivas, non quia sint partes intensivæ, ideoque aliud est loqui de indivisibilibus, & aliud de illis partibus, istæ partes possunt in tempore acquiri, non autem indivisibilia. Ad 1. impugnat. alterius membri de indivisibilibus intensivis concedimus esse extensive divisibilia, non tamen secundum omnem dimensionem, seu secundum profunditatem, in instanti enim acquiritur indivisibile terminans partem intensam in certa parte extensa subjecti, & consequenter indivisibile istud intensivum erit in superficie subjecti terminante partem illam subjecti, & simul cum indivisibili extensionis; quare sicut subjectum illius indivisibilis est superficies illa subjecti, quæ est secundum latitudinem divisibilis, non secundum profunditatem, etiam indivisibile fundatum intensionis erit divisibile secundum extensionem latam, non vero profundam, non implicat autem in instanti fieri alterationem extensivam hoc modo, ut supra dicebamus, nam motus extensionis fit secundum profunditatem. Ad 2. etiam patet ex dictis, illud enim indivisibile potest destrui in instanti, sicut in instanti fuit acquisitum, quia non destruitur, ut est quid extensum, & divisibile, sed ut continuativum, & indivisibile. Ad 3. neg. major, in alteratione enim præsupponitur subjectum non fit, nec indivisibile intensionis est in indivisibili extensionis ut in subjecto, sed ambo sunt in superficie subjecti passi, quod alteratur tam intensive, quam extensive.

71 Quarto, nec minus difficulter argum. nequit naturaliter indivisibile aliquod solitarie existere, sed hoc sequeretur, si in prima saltem productione qualitatis intensio instantanea, non esset, ergo, &c. Min. probat. quia qualitas, cum sit quoddam ens determinatum, habet propria indivisibilia terminativa, quorum unum prius debet acquiri, id videlicet quod est initiativum qualitatis, & hoc in instanti, quia nequit indivisibile acquiri in tempore ex dictis disp. 14. Phys. qu. 2. art. 4. tunc quæritur, vel ignis cum producit v. g. primum indivisibile caloris in superficiem ligni, cui sit contiguus, producit aliquid qualitatis intensæ, vel non, si primum, jam daretur intensio instantanea; si secundum præterquam quod voluntarie dicitur, quia ex dictis disp. præced. q. 4. agens in superficie prima passi potest producere æqualem qualitatem in gradu propter compenetrationem, & si in illo instanti non produceret, nec postea, quia non acquirit novas vires, jam daretur indivisibile qualitatis in illo instanti, sine partibus qualitatis, quod implicat, & est probatio majoris, quia indivisibilia sunt modi partium, entitas autem modalis nequit esse sine re, cujus est modus, quod sint modi patet, alioquin deberent non seipsis, sed aliis mediantibus uniri partibus, quod est falsum, ergo seipsis uniuntur, & sunt uniones.

Resp. ex dictis disp. 14. Phys. q. 2. art. 2. non implicare pro aliquo instanti dari indivisibile sine partibus, sive enim in prima superficie producat aliquid intensionis, sive non, semper illud

ind indivisibile esset sine partibus, quas debet terminare, istæ enim sunt extensivæ, non intensivæ. Hinc negat, major nec probatio urget, sæpius enim has modales entitates Recentioribus valde familiares negamus, & quamvis seipsis uniantur cum partibus, adhuc si partes non essent, possent existere, ut diximus disp. 9. Phys. q. 2. art. 5. in respons. ad 3. confirm. quarti argum. princip. Hinc non approbamus, quod ait Suarez disp. 46. sect. 4. n. 17. probabile esse in casu primum illud indivisibile qualitatis incipere in tempore sequenti, quia incipit per accidens ad inceptionem partium. Non valet, quia in instanti applicationis, vel agens excedit resistentiam passi, vel non; si primum, ergo aliquid aget, saltem indivisibile, quod potest tunc incipere; si secundum, ergo nec postea aget, quia non acquirit novas vires, & sicut indivisibilia continuativa, quamvis sint propter partes, non incipiunt tamen in tempore cum partibus, sed in instantibus copulantibus partes temporis, & ultimum indivisibile terminativum incipit per ultimum mutatum esse motus, idem dicendum de indivisibili initiativo qualitatis, scilicet quod acquiratur per proprium mutatum esse, & consequenter in instanti initiativo temporis, in quo exercetur talis alteratio.

72 Cæterum an in illo instanti solum producat agens indivisibile extensionis, an vero aliquid etiam *intensionis*, dubium est pro utraque parte, nam cum succesio proveniat ex resistentia maxime contrarii, potest esse, quod etiam illa superficies fit contraria qualitate *adeo intense* affecta, ut non possit totaliter exui illa qualitate, & sic non producet omnem intensionem, quam poterit causare, sed aliquam, modo majorem, modo minorem, juxta diversitatem activitatis agentis, & resistentiæ contrarii; Accedit, quod si agens superat resistentiam contrarii, non est tam modicus excessus iste, ut non possit producere, nisi indivisibile in instanti applicationis. Neque ex hoc inferas dari primam partem motus, vel minimum in qualitatibus; concedimus enim in hoc sensu primam partem motus, non quidem successivi, sed instantanei, nec in aliquo corpore quanto, quo pacto ab Aristot. negatur dari in 6. Physic. sed solum in superficie; nec admittimus minimum in intensione, & extensione, ut asserunt Thomistæ, sed solum in intensione, & hoc non ex eo capite, quod non possit qualitas sub minori intensione reperiri, quod est fundamentum Thomist. sed ex activitate agentis excedente resistentiam passi, unde hæc prima pars intensiva qualitatis est *major*, vel *minor*, juxta proportionem agentis cum passo.

73 Secundo, quod agens simul agat extensive per totam sphæram probat. quia nihil obstat ex parte passi, cum totum sit debite approximatum, neque ex parte agentis ulla est difficultas, cum totum passum ponatur intra ipsius sphæram contineri, & si foret aliquod impedimentum, maxime id esset ex parte passi, hoc autem si datur, nunquam posset superari, posito, quod agens ut causa totalis agat in totam sphæram, virtus enim agentis semper eodem modo manebit applicata in ordine ad partem remotam; hinc videmus totam aquam simul congelari; verum tamen est, quod in parte remota non producet in principio perceptibilem qualitatem. Resp. ex dictis disp. præc. q. 1. art. 2. & ad 1. princ. & q. 4. concl. 1. quod licet agens sit recte applicatum, *non idcirco dicitur* agere in totum passum, quando adest contrarium, aliter deberet in instanti totam qualitatem causare in passum, & contrariam destruere, quia respectu cujuslibet partis extensæ, & intensæ qualitatis contrariæ contentæ in propria spheræ, intelligitur sufficienter applicatum; quare dicimus non sufficere applicationem ad agendum, sed requiri, quod agens superet resistentiam contrarii; quam statim nequit vincere, sed paulatim, non solum intensive, sed etiam extensive, resistentia enim in progressu minuitur, quia pauciores partes remanent superandæ, & virtus agentis roboratur ex concursu partium sphæræ juxta dicta disp. præc. q. 4. cit. unde videmus actionem intensiorem esse in fine, quam in principio. Nec aqua totaliter simul congelatur, sed successive, licet non sit notabilis differentia, quia frigus non reperit in aqua contrarium intensum, quod resistat.

QUÆSTIO VI.

Consideratur Alteratio ut dispositio ad Generationem substantialem.

74 Diximus q. 1. hujus disp. qualitatem duplicem finem habere intrinsecum, & extrinsecum, intrinsecus est productio alterius qualitatis, extrinsecus est subsistantialis generatio, cui qualitas inservit tanquam instrumentum agentis substantialis; usque modo loquuti sumus de alteratione in se, & ut proprium terminum respicit, scilicet qualitatem; remanet, ut de ipsa loquamur in ordine ad finem extrinsecum, qui est introductio substantialis formæ in materia, seu quatenus est dispositio ad generationem; de qua dubia quædam dissolvemus.

Primo igitur dicendum tanquam ab omnibus concessum, formam quamlibet substantialem etiam animam rationalem habere connaturalem amorem, seu inclinationem ad aliquas qualitates, & connaturale odium, seu violentiam ad alias. Hoc prob. primo, nam videmus inter formas substantiales aliquas reperiri naturalem quandam amicitiam, inter alias vero naturalem quandam inimicitiam, sive res sint animatæ, sive inanimatæ, ergo multo magis id erit dicendum de formis substantialibus in ordine ad qualitates. Patet conseq. quia forma substantialis, & qualitas faciunt unum cum subjecto, reperiuntur enim simul in eodem individuo, non sic duæ formæ substantiales. Tum quia videmus aliquas formas substantiales, si ab extrinseco priventur quibusdam qualitatibus, statim ac cessat impedimentum extrinsecum, se reducere ad pristinum statum, ut patet in aqua calefacta, & ab igne semota, quæ se reducit ad pristinam frigiditatem; quædam etiam ad positionem quarundam qualitatum corrumpuntur, quædam de novo fiunt, quæ omnia sunt signa naturalis amicitiæ, & inimicitiæ formæ substantialis cum qualitatibus. Quod autem hoc etiam competat animæ rationali, ut rationalis est, prob. quia anima, etiam ut rationalis, est forma informans corpus, ut suo loco dicemus, ut sic est actus corporis Physici organici, ergo ut rationalis petit quasdam conditiones, & qualitates in corpore, sine quibus non amplius informaret corpus. Tum quia videmus animam conjunctam pendere a corpore in suis operationibus, ita ut si læduntur organa, non recte potest proprias exercere operationes rationales, ut patet in amentibus, ergo &c.

75 Secundo concedendum est cum communi, quod forma substantialis quasdam qualitates sibi determinat ratione naturæ specificæ, & sunt illæ, quæ omnibus formis conveniunt illius speciei, & semper, ut sine illis nequeat forma conservari in esse; alias vero sibi determinat ratione individualis naturæ, & sunt, quæ conveniunt, vel ratione loci, vel temporis, vel alterius circumstantiæ, & istæ variantur, nec in omnibus reperiuntur, sic videmus animalia in principio sui esse habere mollitiem nervorum, & membrorum, atque humiditatis exuberantiam, quando vero senescunt, oppositas acquirunt qualitates; agaricus, dum est recens, pellit venenum, antiquatus est venenum pestiferum; mirobolani recentes ventrem solvunt, inveterari fortissime stringunt, sorbæ recentes exasperant guttur, vetustæ leniunt, plantæ quædam in una regione sunt venenosæ, in alia salubres. Solent etiam dispositiones distingui, quod aliæ sint eductivæ, aliæ conservativæ, & aliæ operativæ, primæ inserviunt eductioni formæ a subjecto, secundæ conservationi ejusdem, tertiæ ad operandum. Verum est tamen, quod forma non ita inclinatur ad connaturalem qualitatem, ut necessario exposcat illam habere in determinato gradu, itaut non possit qualitas illa aliqualiter augeri, vel minui permanente forma substantiali in esse, videmus enim quod aqua, quamvis inclinetur ad frigus, tolerat tamen, & compatitur aliquam frigoris mutationem, absque eo, quod destruatur; idcirco qualitates requisitæ ad eductionem, vel conservationem, aut operationem distinguuntur, quod aliæ requiruntur ad simpliciter educi, conservari, & operari, & sunt, quæ necessario simpliciter requiruntur, itaut sine illis non posset forma educi, conservari, & operari; aliæ requiruntur ad bene educi, conservari, & operari, & sunt dispositiones convenientes formæ in statu naturali perfecto.

76 Dices, si forma haberet determinatam inclinationem ad aliquas qualitates, cum hæc inclinatio sit naturalis, erit ad illas in esse perfecto sibi possibili, ergo quandocumque forma non haberet illas qualitates convenientes ipsi *in statu* perfecto, esset in statu violento, & sic pueri, & senes, quia non habent qualitates convenientes homini in statu perfecto, existerent violenter, sicut aqua calida, quia non habet frigus in gradu conveniente sibi in statu perfecto, violenter existit; hoc autem est falsum, quia nullum violentum est juxta ordinem naturæ, & perpetuum, natura autem instituit, ut puer v. gr. in principio habeat multum humidi, qua ratione nequit perfecte exercere operationes humanas, senex e contra multum ficci. Accedit, quod multæ qualitates, quæ noxiæ reputantur, ut sunt, quæ in venenosis cibis reperiuntur, possunt consuetudine evadere proficuæ, ut de Mitridate refertur, qui ab infantia venenosis cibis assuefactus, absque ullo nocumento omne fere veneni genus comedebat, ergo falsum est formam substantialem habere naturalem inimicitiam versus qualitates aliquas. Prob. conseq. quia naturalis proprietas, nec consuetudine, nec aliquo alio immutari potest.

Resp. Angestus de propr. formæ pag. 146. concedendo in aliquo sensu conseq. si spectetur natura hominis in se, at considerando naturæ cursum, posset negari, instituit enim natura, ut ab imperfecto ad perfectum progrediatur in actionibus, ideoque puer in perfecto ordine universalis naturæ potest dici in statu naturali, unde si puer haberet qualitates hominis perfecti, diceretur vulgo infirmus, non quidem respectu naturæ humanæ, sed respectu communis cursus universalis naturæ, quæ doctrina congruit cum his, quæ disp. 5. nu. 46. dicemus explicando sensum, in quo corruptio naturalis dicatur, vide ibi. Ad aliud resp. ex eodem pag. 144. quod quædam qualitates sunt per se odibiles a forma substantiali, quæ scilicet formaliter opponuntur qualitatibus naturalibus, ut est calor aquæ, frigus igni; & istæ numquam possunt reddi amabiles, & amicæ formæ; aliæ vero sunt per accidens, seu per aliud noxiæ, quatenus causant aliquem effectum noxium, ut sunt qualitates virtuales venenosæ; in tantum enim disconveniunt, quia producunt effectum noxium, & istæ aliquando assuefactione possunt fieri quasi connaturales, sicut dici solet, quod consuetudo est altera lex, & natura: unde videmus, quosdam cibos, potum, aerem, somnum meridianum, & similia uni prodesse, alteri nocere propter assuefactionem; imo assueti quamvis imbecilliores facilius tolerant labores corporis, quam fortiores, sed insueti, ratio est, quia licet ab initio principium operativum aliqualiter lædatur, usu tamen potest aliqua qualitas imprimi, vel taliter affici principium activum, ut non amplius lædatur, imo concurrat ad similes actiones; sic assueti laboribus, præter alia acquirunt quamdam densitatem, & duritiam corporis, ut facile calori, vel frigori resistant;

nam

nam durum difficulter patitur ab extrinseco; partes etiam corporis fiunt solidiores, a superfluitatibus puriores, & fortiores: sic ex usu commessionis veneni Mitridates acquisivit qualitatem quandam, qua nutritiva virtus utebatur ad digestionem cujuslibet veneni. Præterquamquod posset dici has qualitates non esse noxias naturæ specificæ: sed individuali.

77 Tertio quæri solet, in quo genere causæ concurrant dispositiones istæ ad generationem, & formam substantialem & a quo effective causentur. De primo satis diximus disp. 5. Phys. q. 8. art. 1. De secundo diximus, dispositiones prævias ad generationem produci ab agente, quæ vero consequuntur formam substantialem *in subjecto*, eo quia *præviæ in corruptione* præcedentis formæ corrumpuntur, non enim in materia immediate recipiuntur, sed in toto composito ex dictis ibid. & disp. 3. Phys. q. 1. proxime ab ipsa substantiali forma dicuntur emanare, quamvis Thomistæ dicant ab agente etiam produci, eo innixi principio, quod dans formam, dat etiam consequentia ad formam: cujus tamen falsitatem ostendimus fuse disp. 7. Physic. qu. 4. art. 2. & disp. 15. qu. 8. art. 2. & disp. 3. de Cœlo quæst. 2. dum probavimus idem posse seipsum movere, & acquirere sibi connaturales perfectiones: cum igitur forma substantialis habeat activam potentiam producendi in se accidentia, de qua activitate fuse disputavimus disp. 7. Phys. qu. 6. art. 3. non est, cur productionem immediatam connaturalium accidentium negemus, & formæ denegemus.

78 Quarto solet quæri de terminis istarum dispositionum, tam earum, quæ conveniunt formæ in esse perfecto, quam earum, quæ prærequiruntur ad eductionem formæ, & introductionem in subjecto. Et quidem de primis res est facilis, sunt enim versus *maximum intrinsece terminatæ* per *maximum quod fic*; quod patet ex dictis disp. præced. qu. 1. ubi asserimus quamlibet activam potentiam creatam esse terminatam intrinsece, ergo etiam effectus ab illa proveniens, cum igitur forma ignis v. g. habet potentiam producendi in se calorem, ut in statu sibi debito, & connaturali existat, certe calor iste erit intrinsece terminatus quoad intensionem. At quoad extensionem distinguendum est; si enim forma substantialis est versus maximum terminata, qualem diximus disp. 9. Physic. qu. 3. art. 2. esse animam, etiam dispositiones eodem modo erunt terminatæ; si vero nullum exposcit terminum, ut sunt aliæ formæ substantiales ex dictis ibi art. 1. nec dispositiones aliquem habebunt terminum in extensione. Quoad parvitatem insuper eodem modo est distinguendum de termino extensionis, quod si forma determinat sibi minimum naturale, ut est anima, etiam dispositiones tale *minimum quod fic* habebunt, si nullum petunt terminum, & minimum, idem de dispositionibus dicendum. At quoad intensionem videtur, quod quælibet forma determinet *sibi* aliquem gradum, sine quo non posset naturaliter existere in subjecto, secundum unam viam positam disp. 7. Phys. q. 6. ar. 2. & etiam secundum aliam, quam ibi amplexi sumus, posset idem sustineri, dummodo tamen substantialis forma non magis pro isto gradu resistat, quam pro aliis, hanc enim determinationem cum majori resistentia ibi negavimus: qui terminus videtur intrinsecus, quod enim determinat sibi aliquam quantitatem, determinat etiam indivisibile illius, ut in simili sæpe diximus, ergo idem de qualitate dicendum.

79 De dispositionibus autem ad generationem prærequisitis, nulla est difficultas de anima, hæc enim qui exposcit terminum intrinsecum parvitatis, & ad adventum ipsius forma præcedens scilicet corporeitatis non desinat esse, sed permaneat; consequenter dispositiones prærequirit intrinsece terminatas versus parvitatem per *minimum quod fic*, quo dato statim anima introducitur in subjecto. At gravis est difficultas de dispositionibus ad alias substantiales formas prærequisitis; Idcirco not. quod dispositiones, quas agens inducit in subjecto, antequam generet, non subjectantur in materia, sed in toto composito, v. g. ignis, ut possit in lignum introducere formam ignis, prius alterat lignum per calorem, qui calor non est in materia prima ligni, sed *in toto ligno*, & consequenter ad destructionem ligni destruitur, unde non concurrit calor corrumpendo immediate formam ligni, sed solum accidens contrarium, ut sæpe disp. 7. Phys. cit. dictum est: Quapropter ultima dispositio ad formam ignis ab igne in ligno causata est semper in nostra sententia compossibilis cum forma ligni, qua introducta ignis non amplius alterat, sed generat: & de ista dispositione quærimus, quo pacto sit terminata; verum est tamen, quod non semper ignis necessario exposcit eundem gradum caloris, sed respectu unius subjecti petit intensiorem calorem, respectu alterius remissiorem, puta si in subjecto reperit siccitatem, calor non necessario debet esse tam intensus, sicut si subjectum esset humidum, quare non potest assignari certa regula, quot gradus caloris, & quomodo prærequirantur ad formam ignis.

80 Solum dici potest, quod ignis ideo prius alterat, quam generet, ut formam ligni expoliet accidentibus contrariis, cum igitur forma ligni pervenerit ad gradus illos, quos necessario exposcit pro sui conservatione, tunc ignis non amplius alterat, non quia calor ignis non sit ex se potens corrumpere gradus illos frigoris propter resistentiam formæ ligni, non enim forma magis resistit pro his gradibus, quam pro aliis, ut disp. 7. cit. diximus, sed quia ad destructionem illorum graduum cessaret forma substantialis, & sic non posset amplius alterare, quia *alteratio* præsupponit, non destruit subjectum: quapropter ignis incipit agere generando formam ignis, unde totus calor productus dicetur dispositio ultima formæ ignis, qui est compossibilis cum forma ligni, & cum gradibus frigoris, quos pro sui conservatione expostulat; & consequenter, quoniam formæ contrariæ, quando sunt immediatæ circa idem subjectum, ita se habeat, ut *colligitur* ex Scot. 2. d. 2. q. 9. O. quod si una est intrinsece terminata, alia est extrinsece terminata; ideo quia gradus frigoris sunt terminati intrinsece ex dictis per *minimum quod fic*, v. g. septimus, & octavus gradus caloris ignis erit extrinsece terminatus, per *minimum quod non*, quatenus ignis alterando lignum non attingit septimum gradum caloris, sed quemlibet infra illum. Quoad extensionem vero nullum habent terminum nec intrinsecum, nec extrinsecum, sicut nec hujusmodi formæ substantiales.

81 His solvi potest aliud dubium, quod solet etiam quæri de his dispositionibus præcedentibus generationem, quando scilicet introducantur, & ultimate disponere intelligantur subjectum ad generationem, an in instanti, vel in tempore, quod est quærere, an ultima *dispositio incipiat* esse in subjecto *in instanti*, & per primum esse, an in tempore, & per ultimum non esse. De dispositionibus animæ non est dubium, incipiunt enim per primum esse, ut dispositiones ultimæ sunt; ut sic enim dicunt quid certum, & intrinsece terminatum, tam in intensione, quam in extensione, ergo in instanti, & per primum esse acquiruntur, juxta dicta disp. 14. Phys. q. 2. art. 3.

Tota difficultas est de dispositionibus aliarum formarum quæ nullum habent terminum intrinsecum parvitatis, quando scilicet materia ligni dicitur ultimo disposita ad recipiendam formam ignis. Qui sustinent quamlibet formam habere minimum naturale, & dispositiones in materia prima recipi, asserunt quoque intrinsece incipere, & per primum esse. Sustinentes autem formam substantialem non habere minimum, communiter dicunt dispositiones ultimas incipere extrinsece in parte quadam indeterminata tam temporis, quam subjecti.

82 Verum in hac re est advertendum quod cum ultima dispositio non fit quid certum, & determinatum intrinsece, sed extrinsece, explicatur enim per *minimum quod non*, neque ita præcedat generationem, ut cum illa persistat, sed potius destruatur, ut diximus, certe non potest quæri, quod incipiat ut ad ipsam immediate sequatur generatio, sed potius quando desinat (non est sermo nunc de dispositione ut sic, clarum enim est, quod incipit, cum agens alterare inchoat, sed de dispositione ut ultima, quo pacto dicit qualitatem ut præcedentem immediate generationem) assumptum patet, quia non potest incipere per primum esse, quia est quid *indeterminatum*, & incertum, ergo nequit incipere in mensura certa, & determinata, quale est istans, & primum esse, tempus enim motus, termi. nus, & mobile debent proportionari ex 6. Phys. 9. nec potest incipere per ultimum non esse, itaut valeat dicere nunc non est ultima dispositio, postea erit; quamvis enim hoc esset verum, si ultima dispositio diceret illam intensionem qualitatis indeterminatam advenientem indivisibili acquisito in illo instanti, quod ponitur ultimum non *esse hujus dispositionis*, quomodo est terminata per *minimum quod non*; attamen nequit hoc instans esse etiam ultimum non esse generationis, itaut idem instans sit ultimum non esse utriusque, ut quidam explicant; ratio est, quia *ultima dispositio* non est cum generatione, ut diximus, modo si idem instans esset ultimum non esse utriusque, ultima *dispositio* in parte *illa* indeterminata temporis esset, & non esset simul, nam quia in illa inciperet, esset, quia vero generatio quoque in illa parte inciperet, non esset. Quapropter *si loquamur de ultima dispositione*, ut respicit generationem immediate sequentem, debemus loqui de desitione dispositionis, non de inceptione, unde desinet quando incipiet generatio substantialis formæ.

83 Dices generatio non viventium, quia successive fit ex dicendis disp. 5. q. 5. art. 1. incipit extrinsece per ultimum non esse, ergo dispositio ultima desineret intrinsece per ultimum esse, nunc est, post non erit, quod non est consequenter dictum, nam si habet esse in illo instanti, erit quid certum, & determinatum; tum quia si est in hoc instanti, ergo in aliqua parte subjecti determinata, quæ cum sit divisibilis extensive, & ignis agat prius in partem ligni propinquiorem, quam in remotiorem, jam hæc ultima dispositio prius fuit introducta in *parte propinquiori*, ergo quando ignis disponebat remotiorem, debebat in propinquiorem generare, & consequenter illud instans non fuisset ultimum non esse generationis.

Resp. quod si loquamur de productione formæ *substantialis etiam* quoad indivisibile initiativum, sic generatio incipit in instanti, & per primum esse, ut in simili de qualitate diximus q. præc. & dispositio definit per primum non esse, vere enim in illo indivisibili materiæ non amplius reperitur calor ab igne productus per alterationem, quia tunc destruitur ad destructionem indivisibilis ligni, & sicut in illo instanti non fit generatio secundum partes formæ, aut subjecti sed immediate post, quod est incipere extrinsece, ita dispositio erit in parte subjecti in hoc instanti, sed immediate post non erit, quod est desinere intrinsece, & sicut in tempore sequenti non introducitur certa pars formæ in certa subjecti parte, sed incerta, ita nec destruetur certa dispositio in parte certa subjecti, sed in indeterminata; negatur igitur ex hoc, quod *dispositio desinat per ultimum esse*, sequi quid certum, & determinatum esse, sicut nec quod sequitur primum indivisibile subjecti est quid certum, quamvis existat in hoc instanti. Dices in hoc instanti agens agit in partem illam subjecti, non generando, sed alterando, non producendo indivisibile qualitatis, *hoc enim fit in tempore*, ergo *indivisibile*, ergo *dispositio* in hoc instanti erit proprio indivisibili terminata, & certa. Resp. quod agens

agit

agit in hoc inſtanti alterando non quidem partem indeterminatam ſubjecti, ſed aliquam determinatam; nam ut notant Comimb. 8. Phyſ. c.8. qu.2. art.3. ad hoc, ut aliqua forma incipiat in inſtanti, requiritur, non ſolum quod ſit certa, ſed etiam quod in parte certa introducatur, qualis non eſt pars illa ſubjecti ſequens illud primum indiviſibile, nihil ergo agit in hoc inſtanti in illa parte indeterminata, & hoc quia non eſt ſubjectum capax actionis inſtantaneæ; ſed immediate poſt aget generando. Per idem ad 2. in hoc enim inſtanti eſt in parte indeterminata, in qua nequit aſſignari certa medietas nec ex parte ſubjecti, nec ex parte diſpoſitionis, cum utrumque ſit indeterminatum, & incertum; ſufficit, quod agens intelligatur agere in tempore immediate ſeq. & in hoc inſtanti agat in primum indiviſibile, ante enim hoc inſtans erat diſpoſitio indeterminata etiam in illo indiviſibili. Vide aliam reſponſionem diſp. 5. qu. 5. art. 1. ad 1. quæ ſupponit diſpoſitionem ad formam ſubſtantialem requiſitam eſſe intrinſece terminatam, nam ut diximus non neceſſario agens alterando debet provenire excluſive uſque ad gradum, quem forma expellenda ſibi determinat, quo pacto neceſſario illa diſpoſitio eſſet extrinſece terminata, ſed minor qualitas ſufficiet, quæ intrinſece terminata poni poteſt, nempe in gradu proxime inferiori ad illum, & accipe ſtatum ſolutionum, quæ magis placet, aut aliam meliorem cogita, hæc enim eſt difficultas fere inextricabilis in hac materia militans contra ſucceſſionem nedum generationis, ſed etiam alterationis; hac tamen perterritus ne in oppoſitam deſcendas ſententiam, quia in majores adhuc incides anguſtias.

DISPUTATIO QUARTA.

De Rarefactione, & Condenſatione.

Licet Rarefactio, & Condenſatio etiam ſine prævia alteratione contingere poſſint per ſolum motum localem, ut quando aliquod mobile movetur in aere motu recto, pars aeris inſequens mobile rarefit, pars autem cedens mobili condenſatur, regulariter tamen alterationis beneficio contingunt, frigefactione namque fit condenſatio, ſicut calefactione rarefactio, ut dictum eſt diſp. 1. imo in opinione multorum, ut in progreſſu videbimus, Rarefactio, & condenſatio ſunt ſpecies quædam alterationis, & motus ad qualitatem; hac igitur de cauſa poſt diſputationem de Alteratione hanc immediate ſubteximus de Rarefactione, & condenſatione.

QUÆSTIO PRIMA.

An per Rarefactionem, & Condenſationem aliquid acquiratur, vel deperdatur.

1 COrpora rarefcere, & addenſari nemo hactenus Philoſophorum negavit, aquam enim videmus rarefieri, dum fervens in cacabo majorem, & ampliorem petit locum, quam prius obtineret, & vapores addenſari, dum in nubem concreſcentes in minorem coarctantur, & contrahuntur, ſed gravis admodum eſt difficultas in aſſignando modo, quo fiat hujuſcemodi rarefactio, & condenſatio, dubitatur enim primo, an fiant per alicujus rei acquiſitionem, & deperditionem, nec ne? deinde ſi ita fiunt, quæritur, an id ſit ſubſtantia, vel quantitas, aut qualitas, vel potius reſpectus quidam in ordine ad locum; primam difficultatem hic examinabimus, poſteriores in ſequentibus.

Quamplures tum ex Antiquis, tum ex Recentioribus opinati ſunt corpora rarefcere, & addenſari abſque eo, quod quippiam re vera acquiratur, vel depereat corporibus rarefactis, vel addenſatis; quam tamen opinionem non omnes eodem modo explicant; veteres enim quidam, quorum placitum refert Ariſt. 4. Phyſ. 83. dicebant, rarum eſſe id, in quo vacua multa inſunt pluribus inani interſtitio ab invicem diſtantibus, denſum vero, cujus partes conſtipatæ ſunt, ac ſibi omnino cohærent nullis, aut paucis vacuitatibus interjectis, unde conſequenter ajebant rarefactionem fieri per ſolam admixtionem vacui inter partes corporis rarefacti, condenſationem vero per reditum earundem partium in vacuum, & ſic aſſerebant fieri abſque acquiſitione, aut deperditione alicujus in corporibus rarefactis, vel addenſatis. Alii vero antiquores vacuum non admittentes in rerum natura condenſationem explicabant per compenetrationem partium corporis addenſati, rarefactionem vero per extractionem earundem ab invicem, & in hunc modum ipſi quoque negabant in rarefactione, & condenſatione aliquid revera de novo acquiri vel deperdi; neque ex Recentioribus deſunt, quibus hæc veterum arrideat ſententia uno, vel alio modo explicata.

2 Dicendum tamen eſt, nec beneficio vacuitatis, ac repletionis ejus rarefactionem, & condenſationem fieri, nec ope penetrationis, & extractionis partium ejuſdem corporis, ſed per aliquid re vera additum, vel deperditum in corporibus poſtea explicandum. Eſt communis in ſcholis, & primo, quod non fiant per vacuitates interceptas, tum quia jam ſatis conſtat ex 4. Phyſic. naturam abhorrere vacuum, etiam quantumvis modicum: tum quia ſi ignis rarus foret per inanitates interceptas, eſſet pene totus vacuus comparatus ad terræ denſitatem; tum quia cum ſit corpus valde ſubtile, & mobile, non videtur, quomodo connaturaliter ſecum compatiatur tot cavitates, ac vacuitates, & non potius conentur ſingulæ partes invicem coire ad expellendum vacuum; tum quia cum hyemali tempore glaciantur flumina, fontes, oleum, cæterique liquores, & ipſe comprimitur aer ratione ſummi frigoris, magnum utique, & vaſtum relinqueretur vacuum, non niſi tempore æſtivo rurſus replendum, cum tamen natura nec per breviſſimam moralem vacuum patiatur, ut pluribus experientiis demonſtravimus diſp. 12. Phyſic. quæſt. 1. tum quia cum corpus rarefit, ſecundum omnes partes rarefcit, ut conſtat in aqua ferveſcente, quod non eſſet, ſi fieret, rarefactio per vacuitates interceptas, quælibet enim pars maneret, qualis antea erat, & ſolum inter unam, & aliam intruderetur vacuum; tum quia per totam aquam effervefcentem ſentitur calor continue diffuſus, lumen per totum aerem, & ſic de aliis qualitatibus, ſignum evidens in illis corporibus rarefactis non dari vacuitates illas, ſed ubique ſubſtantiam, cui accidentia illa inhæreant; videatur Ariſt. 4. Phyſic. 84. ubi ex profeſſo hoc refutat figmentum. Tum tandem quia falſum eſſet, quod corpus rarefactum majorem occupet locum, quam antea, nam tantundem loci occuparet, ut antea, cum hoc ſolum diſcrimine, quod prius occupabat illum continuatum, nunc diſſitum.

3 Deinde probatur non fieri per penetrationem, & eductionem partium ejuſdem corporis, ut alter dicendi modus aſſerebat, quia ut conſtat ex Phyſicis non minus natura refugit penetrationem corporum, quam ipſummet vacuum, ſi enim poſſibilis eſſet naturaliter corporum penetratio, utique tormenta bellica tanta vi non diſrumperentur, deberet enim ignis potius metallum penetrare, quam tantam violentiam cauſare quod ſi dicas, non omnia corpora penetrare quælibet, ſed tantum partes alicujus corporis homogenei poſſe penetrare alia partes ejuſdem; Hoc non ſatisfacit, quia ſaltem in fractione tormenti bellici partes ignis deberent potius in ſe redire quam æris duriſſimi ſoliditatem diſrumpere, cum illud ſit naturale ſecundum iſtos, hoc violentum. Sed hic ajunt aliqui utique impoſſibilem eſſe naturaliter penetrationem, quæ fiat per medium localem, at non quæ fit media alteratione, qualis eſt illa, quæ in condenſatione contingit. Verum hoc effutiunt ſine ullo prorſus fundamento; nam ipſamet penetratio dimenſionum eſt illa, quæ ex ſe naturaliter repugnat, ut docet Ariſt. 4. Phyſ. 53. a quacunque cauſa oriri dicatur; tum quia rarefactio, condenſatio etiam ſine alteratione interdum contingere poſſunt ut diximus initio diſput. tum quia vel in condenſatione omnes partes ſe penetrant, vel aliquæ tantum; non ſecundum, quia non eſt major ratio de una, quam de altera, & tunc non fieret condenſatio ſecundum omnes partes; ſi primum, ergo corpus redigeretur in punctum, tum quia in corpore addenſato apparent eadem figura, eædem partes, ac eadem prorſus accidentia, atque colores, quæ cernebantur antea in ipſo rarefacto, ergo in condenſatione non ſe penetrant, alioquin accidentia confunderentur ad invicem, & una pars obtegeret aliam; idque manifeſto declarari poteſt exemplo, cum nimirum ingens mons, vel integra civitas in ſpeculo repræſentatur, hæc enim adeo ad amuſſum exprimuntur in ſpeculo, ut omnes, ſingulæ eorum partes in eo repræſententur, non enim una pars obtegit alteram, quantumvis minimam, aut cum alia confunditur, etiam ſi virtute ſpecierum quodammodo condenſentur ſpeculo, & ad modicam molem redigantur; non ergo condenſatio fit media penetratione.

4 Demum rarefactionem, & condenſationem contingere non intercedente partium penetratione, aut extractione, nullove terveniente vacuo manifeſta demonſtrat paritas, quæ de motu aeri ſolet; raritas enim, ac denſitas in quantitate permanenti æquiler prorſus, ac correſpondet velocitati, ac tarditati motus in qutitate ſucceſſiva, adeo ut motus velox dicitur ille, qui habet partes ſuas ſpiſſas, conſtipatas, ac veluti condenſatas, tardus e contra, eaſdem habet veluti raras, & quodammodo inter ſe diſtantes in dine ad tempus, at in velocitate motus certum eſt nullam congere partium compenetrationem, vel confuſionem, quia nulla pc aſſignari pars motus, quæ ſimul tempore currat cum alia pa non enim tranſit niſi per partem poſt partem, quamtumvis velox; ſimiliter in tarditate nulla ſit extractio partis ab alia, qua prius foret compenetrata, nulla pariter notari poteſt intreptio, aut media quies, quamvis una pars magis diſtet ab altera in tu tardo, quam in velociori, æque enim in ſe continuus eſt m tardu

tardus, ac velox, nulla prorſus interruptione, & quiete media interpolatus, ut diximus diſp. præc. n. 63. & 66. ergo idem prorſus ferendum eſt judicium de partibus quantitatis permanentis, quod licet modo ſint magis inter ſe conſtipatæ, & propinquæ per condenſationem, modo diſtantiores, & magis extenſæ per rarefactionem, hoc totum contingit abſque interceptis vacuitatibus, & partium divulſione, & abſque ulla prorſus penetratione, & earundem penetratarum extractione.

5 Sed hic obiicies præcipuum punctum totius difficultatis in hac diſputatione; ſi talis extenſio per rarefactionem facta importat majorem partium diſtantiam, hoc non videtur contingere poſſe ſine vacuo, aut penetratione, & ratio eſt, quia partes corporis rarefcentis utique ante rarefactionem erant continuæ, ergo ſalvari nequit, quod magis poſtea inter ſe diſtent niſi detur vacuum inter illas, vel dicatur, partes totales corporis ante rarefactionem fuiſſe magis continuas, ideſt ſe penetraſſe, & poſtea in rarefactione educi extra ſe invicem.

Hæc ſola difficultas in tot diſtraxit opiniones Auctorum capita in hac materia, cui plene ſatisfacere nequimus, niſi quouſque noſtram proferamus ſententiam de rarefactione, & condenſatione, quod inferius qu. ult. præſtabimus. Verum quamvis hic modus adeo torſerit Auctorum animos, Hiſpani quidam recentiores indolis ingenitæ ductu, cum in Phyſicis compoſuerint continuum ex punctis turgidis, inflatis, atque tumentibus, quæ proinde appellant minima Phyſica habentia partes tantum virtualiter diſtinctas, hanc difficultatem in præſenti floccifaciunt, & nullo negotio ab ea ſe expedire gloriantur; cum enim iſta tumentia puncta ab eis occupare ponantur majorem, & minorem locum ſine acquiſitione partis alicujus realis, ſed tantum majori dilatatione partium virtualium, quemadmodum Angeli majori, vel minori ſpatio ſe coextendunt ſine acquiſitione partium, dicunt conſequenter, rarefactionem eſſe majorem illam extenſionem partium virtualium, condenſationem vero eſſe earundem reſtrictionem; quare ad objectam difficultatem ajunt partes poſt rarefactionem non magis a ſe invicem diſtare, ſaltem primam a ſecunda, & ſecundam a tertia & ſic deinceps, ſed tantum admiſiſſe dilatationem partium virtualium, quæ dilatatio facit, ut prima magis diſtet a tertia, & ſecunda a quarta, & ita deinceps, quam diſtarent ante rarefactionem.

6 Sed hanc fictionem de punctis turgeſcentibus late refellimus diſp. 9. Phyſ. q. 2. art. 1. ut omnino irrationabilem, & confundentem naturam rerum materialium cum ſpiritualibus, res enim materiales ſunt in loco per extenſionem formalem ſuæmet entitatis partes integrales habentis, quatenus ſunt totæ in toto loco, & partes earum in diſtinctis partibus loci, non autem per extenſionem tantum virtualem ad inſtar Angeli; Sed admiſſa etiam hac partium virtualitate in rebus materialibus, ac tumore punctorum non plene evadunt adhuc propoſitam difficultatem, dum inquiunt in rarefactione non fieri diſtantem primam partem virtualem a ſecunda, & ſecundam a tertia, ſed tantum primam a tertia, & ſecundam a quarta, & ita deinceps per novam dilatationem earum; Plane hoc repugnare videtur, quia talis diſtantia, & elongatio fieri nequit inter partes remotas, niſi etiam fiat inter propinquas, ſi enim ſecunda pars eſt æque propinqua primæ, & tertia ſecundæ, & quarta tertiæ poſt rarefactionem, ac erat antea, utique adhuc etiam prima erit æque propinqua tertiæ, & ſecunda quartæ, & ſic deinceps, ut ergo fiat major diſtantia inter partes remotas, debet etiam fieri inter propinquas, & ſic rurſus ex integro redit propoſita difficultas; Et eadem inſtantia refellitur, quod dicunt alii in opinione communi admittente partes reales in continuo, & non virtuales tantum, nimirum partes, quæ ſe proxime tangunt, non fieri magis diſtantes poſt rarefactionem, quam fuerint antea, ſed eas tantum magis a ſe invicem diſtare, inter quas intermediat alia pars; Videamus ergo, quid alii dixerunt ad hunc nodum diſſolvendum in ſequentibus quæſtionibus.

QUÆSTIO II.

An per rarefactionem, & condenſationem aliqua ſubſtantia acquiratur, vel deperdatur.

7 QUamplures ad evitandam propoſitam difficultatem dixerunt, rarefactionem fieri per ingreſſum quorundam corporum ſubtiliorum in poros rei, quæ rarefcit, qua de cauſa pori majores fiunt, & partes illius corporis rarefcentis magis dilatantur, & fiunt inter ſe diſtantiores, non per interjectionem vacui, ut ajebant Antiqui, ſed ſubſtantiæ extraneæ tenuioris, & ſic corpus rarefactum occupat majorem locum: condenſatio vero fit per expulſionem eorundem corpuſculorum, ob quorum egreſſum pori minores fiunt, ac reſtringuntur, & partes corporis inter ſe ſe magis conſtipantur abſque ulla prorſus penetratione; & ſic corpus condenſatum occupat minorem locum, itaque volunt iſti rarefactionem fieri per acquiſitionem ſubſtantiæ extraneæ intra poros corporis rarefcentis ſe ſe inſinuantis, condenſationem vero per deperditionem ejuſdem, dum foras expellitur, eo fere modo, quo videmus lanam, & ſpongiam contrahi ad minorem locum, dum manu comprimuntur, & foras pellitur aer intra earum cavitates incluſus, laxatas vero rurſus rediit ad ampliorem locum, ob regreſſum aeris ad eaſdem cavitates; citantur pro hac ſententia Ocham opuſc. de Euchariſt. Gabriel in Canon. lect. 45. Valleſ. 4. Phyſ. tex. 84. & controverſ. 27. Baſſonus lib. de Natura, & fixo pede eam noviſſime tuerur Arriag. diſp. 16. Phyſ. ſect. 10. ſub ſect. 2. a qua ſententia non videtur abhorrere Scot. ipſe 4. d. 12. q. 4. infra B. & ex profeſſo tenet Mairon. 4. d. 12. q. 15.

8 Dicendum tamen eſt, rarefactionem, & condenſationem ſi de illis proprie, & in rigore philoſophico loqui velimus hoc modo nequaquam fieri per acquiſitionem, aut deperditionem ſubſtantiæ extraneæ, diximus *proprie*, quia ſi improprie, & large de illis ſermo fiat, concedunt omnes talem reſtrictionem, ac dilatationem in corporibus poroſis factam per ingreſſum, vel egreſſum corpuſculorum tenuiorem a poris eorum eſſe rarefactionem, & condenſationem quandam, & afferunt exemplum illud de ſpongia compreſſa, & laxata. Concluſio eſt communis in ſchola, & Scoti loc. cit. §. *Ad quæſtionem*, quamvis enim lit. B. oppoſitam opinionem retulerit ſub terminis fere probabilibus, eam tamen reiicit in corpore quæſiti ſub lit. F. probando concluſionem poſitam primo ratione theologica, quia ſpecies Sacramentales poſſunt rarefieri, ut patet de vino conſecrato, ergo in tali caſu intruderentur in eas iſta corpuſcula, quare cum ibi eſſet ſubſtantia nova, non eſſet ubique Chriſtus, nec ſolum Chriſti corpus lateret ſub vini accidentibus, ſed alia quoque corpuſcula, imo cum in condenſatione poſtea hæc egrediuntur, deberet Sacerdos ſatagere, ut illa captaret, ac in ſacrario reponeret.

Secundo probat ratione Phyſica, quia mirum videtur (ait Doctor) quod nulla ſubſtantia manens eadem omnino poſſit tranſmutari a raro in denſum, nec e converſo; vis hujus rationis conſiſtit in hoc, quod vere corpora rarefcunt, & ad denſantur ſecundum eandem ſubſtantiam, itaut eadem materia tranſeat de uno ſtatu ad alium, ut docuit Ariſt. 4. Phyſ. 84. unde illa cenſetur rarefactio proprie dicta, cum eadem materia ſine admixtione extranea ſubſtantiæ intra ſe dilatatur in majorem locum, condenſatio e contra, cum eadem prorſus ſubſtantia ſine excluſione alicujus ſubſtantiæ a ſuis poris reducitur ad minorem locum, ſi aqua rarefit, cum calore in vapores abit, aut aer igne ſubtilizatur, cum vero vapor ille ad naturam aquæ redit, condenſatur; at ſi rarefactio, & condenſatio fierent præfato modo, nullum unquam corpus rarefceret, & addenſaretur ſecundum eandem ſuam ſubſtantiam; imo abſolute nunquam rarefieret, quia nulla ejus pars fieret rara, ſed quælibet per ſe permaneret, qualis antea erat, & ſolum inter unam, & alteram intruderentur corpuſcula illa. Tum 2. quia in toto corpore rarefacto, & extenſiori eadem accidentia reperiuntur, totum vinum rarefactum eſt ejuſdem coloris, & ſaporis, tota flamma eadem luce, colore, & calore reſperſa, per tactum ubique ſentitur calor, per viſum calor, ergo non eſt alia permixta ſubſtantia, aliquoin, & ejus accidentia viderentur, & ſentirentur, cum ignis ſit corpus valde rarum, qui proinde multum haberet admixtum extraneæ ſubſtantiæ. Tum 3. quia difficulter aſſignatur, quænam ſit hæc extranea ſubſtantia, quænam hæc corpuſcula, quæ intromittuntur inter corpora rara, cum enim hæc debeant eſſe ſubtiliora illis, deberet admitti ſubſtantia quædam adhuc tenuior aere, & igne, quam de facto comminiſcitur Baſſonus, ſed ſine ullo fundamento; Tum 4. quia qualiſcunque aſſignetur hujuſmodi ſubſtantia, non videtur, qua ratione perpetuo ſervetur permixta, & non potius ab eo conſumatur.

9 Nec valet, quod ait Arriag. num. 225. talia corpuſcula habere alias qualitates, ratione quarum reſiſtunt *igni*, etiam in minima materia, ſicut pulviſculus adamantis, *auri*, vel argenti. Nam & hæc ipſa tandem conſumuntur ab igne, & ſubſtantia extranea, quam ipſe ibidem intromittit in ignem, ſunt vapores, terræ exhalationes, & aer, quæ duo ultima præſertim ſunt facillimæ accenſionis, & cito convertuntur in ignem. Tum ſcilicet quia multa ſunt corpora non poroſa, quæ tamen rarefactioni, & condenſationi ſunt obnoxia, unde & in Cœlis ſecundum probabilem ſententiam quædam partes ſunt rariores, quædam denſiores, & tamen certum eſt in eis poros non dari, quia non eſt aſſignabilis ſubſtantia, a qua repleantur. Tum 6. ſi ratio, cur ignis ex terra genitus occupet majorem locum, ſit, quia ſunt ingreſſa corpuſcula, percontamur, an illa ſint rariora, & ſubtiliora ipſa terra, vel denſiora, aut æque denſa; ſi ſecundum, ergo totus ignis e terra productus tam erit denſus, ac terra, tantumque materiæ continebit, quantum terra ejuſdem magnitudinis; ſi primum, rurſus quærimus, an id fiat, quia ſub eadem portione materiæ plus loci occupant abſque permixtione peregrinæ ſubſtantiæ, & ſic habemus intentum, an vero quia & inter ipſorum partes ingreſſa ſunt alia corpuſcula, & *ſic ibitur in infinitum*; Neque ad hoc argumentum, ut a nobis conficitur, quadrat Arriag. ſolutio, quam dat num. 222. ſed *ipſomet* argumento retruditur, ut eam ponderanti conſtabit. Tum 1. ſi corpuſcula, quæ aquam reddunt raram, ſunt particulæ aeris ſecundum Arriag. in ejus poris incluſæ, quomodo in eis detinentur, & non potius foras evolant, cum aer naturaliter petat aquæ eminere? Tum tandem, ſi hoc modo ſit rarefactio, & condenſatio, tunc calor erit congregativus diſſimilium, quia aperiendo poros dat aditum corpuſculis, & extraneæ ſubſtantiæ, frigus e contra erit congregativum ſimilium, quia expellit illa uniendo inter ſe partes ſimilares, hoc autem *eſt contra* naturam caloris, & frigoris ex dictis diſp. p. q. 2. art. 2.

Tertio, falſitas hujus opinionis *convincitur manifeſtis* experientiis: ſi Phyala vitrea ad ignem calefacta ſuperponatur per ſuum orificium aquæ frigidæ aſcendit aliquantulum aqua intra phyalam, ne aer vi frigoris addenſatus relinquat vacuum, clarius id cernitur in cucurbitulis, quę eadem de cauſa attrahunt ad ſe carnem hominis, quando ignis intra illas accenſus extinguitur, & in aerem vertitur, quia ut denſior igne minorem petit locum, ne ergo relinquatur va-

cuum interim elevatur caro intra ampullam, at si aer poros haberet hujusmodi corpusculis repletos, non esset opus in his casibus aquam ascendere intra phyalam, & carnem intra ampullam elevari, nam talia corpora ab eo egressa per condensationem illam concavitatem vasis replere possent, palam ergo est, condensationem non fieri per expulsionem corpusculorum.

10 Resp. Arriag. neg. experientiæ rationem, quia si caro elevaretur ad replendum vacuum, elevaretur in instanti, natura enim nec per unicum instans patitur vacuum, vel statim frangeretur ampulla, videmus autem fere intra medium quadrantem non elevari penitus carnem, & ideo ibi relinquuntur cucurbitæ, non ergo elevatur ad replendum vacuum ortum ex eo, quod aer densus minorem occupet locum, quam ignis, sed præcise ideo elevatur, quia per calorem aperti sunt pori carnis, & per illos intromittitur aer paulatim, & caro ascendit ad replendum locum relictum ab aere, & stupiditatis insimulat omnes Auctores, quod hactenus consideraverint. At nobis placet errare cum multis, quam sapere cum solo Arriag. cujus doctrina nimis singularis, & destruit finem ob quem cucurbitæ medicæ sunt adinventæ, institutæ sunt enim ad extrahendum, & evocandum sanguinem ad cutem, non ad intromittendum aerem, adeo ut pori calore aperti potius sanguine attracto repleantur, quam aere; tum quia ad replendum locum, quem relinquit aer poros ingrediens, sufficeret solus tumor carnis, quem causat ingressus aeris, absque ulla sanguinis evocatione, quod est contra experientiam. Sequela patet, quia si caro turgescit aere, quantum sufficit ad evitandum vacuum, ad quid opus est concursu sanguinis? tum quia falsum est, quod ait carnem elevandam fore in instanti, si ascenderet ad replendum vacuum ex aeris densitate ortum, sicut enim aeris condensatio non fit in instanti, sed successive, sic & caro paulatim elevatur, quemadmodum & ipse inquit paulatim elevari ad replendum locum relictum ab aere poros carnis ingrediente, eo quia ingressus ille fit in tempore; tum quia falsum est etiam, quod ait per medium quadrantem non elevari penitus carnem, nam ab initio applicationis ampullarum fit aliqua elevatio, alioquin non affigerentur carni, ex quo manifeste deducitur carnem non ascendere ad replendum locum relictum ab aere poros carnis ingrediente, nam ab initio pori non sunt aperti, sed ad evitandum vacuum, quod ex aeris densitate relinqueretur; tum tandem quia hæc solutio saltem non quadrat priori experientiæ.

11 Alia quoque experientia solet adduci ad ostendendum condensationem non fieri per expulsionem corpusculorum, quia vas plenum aqua undequaque opertum rumpitur, si aqua intus congelatur, ne detur vacuum, quod non sequeretur si aqua haberet intra poros multa corpuscula, hæc enim expulsa ab aqua per condensationem replerent illum locum, & impediret vasis fractionem. Negat mordicus Arriag. vas in tali casu frangi ad evitandum vacuum, quia in vase pleno butyro raro, vel oleo, & optime occluso non relinquitur vacuum, si enim relinqueretur utique vas frangeretur, ergo etiam aqua, licet condensetur, non relinquit vacuum; deinde quia aqua non congelatur tota simul, sed prius pars superior, quam inferior, & tamen vas non frangitur; nisi quousque tota congeletur, ergo quando frangitur, non est ad vitandum vacuum, quia ab initio deberet frangi, cum incipit congelatio, natura enim nec minimum vacuum patitur; quare concludit vas frangi, qua nimio frigore partes ipsius inter se uniuntur, & necessario faciunt rimas; unde rursus hic miratur Auctores, quod hæc non animadverterint. Fatemur Arriag. non ita irrationabiliter hic loqui, ut in præcedenti experimento de cucurbita medica, multoties enim contingere potest fractio vasis ex eo capite, quod ipse assignat, unde etiam si sit detectum, ex nimio frigore frangitur: falsum tamen est nunquam contingere ad evitandum vacuum, & experimenta, quæ pro se adducit de oleo, & butyro, & de vase aquæ, quod non frangitur, nisi prius tota fuerit congelata, certe putamus esse voluntaria, & ab ipso conficta, vas enim aquæ disrumpitur, cum primum imminet periculum vacui, pariter aliud experimentum de oleo, & butyro aut falsum est, aut si est verum inde procedit, quia butyrum, & oleum sunt corpora multum porosa, & aerea, quare locus ab eis relictus in condensatione poterit repleri ab aere egrediente ab illis corporibus, at non sic est de aqua. Dices, ergo condensatio butyri, & olei fit per egressum aeris. Transeat, quod ex hoc capite utcunque condensentur, negamus tamen ex hoc præciso capite esse veram condensationem; Adhuc tamen potest Arriag. hac experientia convinci, quia si aquæ congelatio incipit a parte superiori, partes inferiores glaciare nequibunt, quia superior pars gelata impedit egressum aeris ab aqua.

12 Aliud denique experimentum adducit Aresi. 1. de Gen. disp. 4. q. 36. sect. 1. quo manifeste demonstrat rarefactionem contingere sine ingressu corpusculorum: accipiatur (inquit) cannula vitrea crassior ex superiori capite perforata, per quod foramen cannula alia subtilior transeat, sed reliquum foraminis cera perfectissime occludatur, & in parte inferiori cannulæ majoris adsit aqua, quam pertingat quoque cannula subtilior; tunc si quis manu calida complectatur cannulam crassiorem, videtur per aliam minorem aquam paulatim ascendere, quod clarius cernet, si aqua sit aliquo colore imbuta, cujus rei causa alia non est, nisi quia calore manus aer illius cannulæ rarefit, & locum majorem occupat, quare aqua ut illi locum cedat, per cannulam subtiliorem ascendit, supponimus enim nec aliam viam aquæ patere, & canulam illam apertam esse ex parte superiori, ut aquæ ascendenti cedere possit aer; plane in tali casu dici nequit aerem in cannula crassiori inclusum rarefieri per ingressum corpusculorum, quia ex superiori parte orificium ejus supponitur perfecte occlusum, ex inferiori definit in pilam aqua plenam. Forte dicet Arriag. in tali casu corpuscula, & vapores ex aqua educi, & in aerem rarescentem immisceri; Sed sine ullo fundamento id diceretur, quia si ita esset, opus minime foret aquam per cannulam subtiliorem ascendere, ut locum cedat aeri rarescenti in cannula crassiori, sed in pila quiesceret sub minori mole ob egressum corpusculorum poris ejus; tum quia in eo casu licet aer rarefiat, aqua tamen non condensatur, sed foras egreditur per subtiliorem cannulam, non ergo bene diceretur ex aqua exprimi corpuscula per condensationem; videatur Aresi. cit. qui hujus instrumenti iconem apponit, ut facilius intelligatur.

13 Quarto tandem prob. ex absurdis, quæ sequuntur ex opposita sententia; sequitur enim primo, ut supra deductum est, calorem rarefacere congregando ætherogenea, & segregando homogenea, frigus e contra; item quod cum ex uno, aut paucis granis sulphurei pulveris magna exurgit flamma, solum centesima pars illius loci a vera flamma occuparetur hinc inde distracta, & discontinuata, totum reliquum a peregrina substantia illa permixta. Conseq. patet ex hypothesi, quod materia pulveris, quæ convertitur in flammam, sit centuplo minor flamma in tantam amplitudinem expansa; sequitur rursus lac dum rarescit, in omnes suas partes dividi. Probat. conseq. quia omnes ejus partes rarescunt, singulæ enim ebulliunt, & incalescunt, & raritatis temperamentum recipiunt, non enim est major ratio de una, quam de alia, cum omnes æqualiter afficiantur, si ergo rarefactio fit per interjectionem illorum corpusculorum inter partes rarescentes, lac in rarefactione dividetur in singulas, quod implicat. Sequitur tandem cum spongia manu comprimitur, exprimendo aquam, vel aerem, & quando laxata rursus aqua, vel aere imbibitur, intervenire veram, & propriam rarefactionem, & condensationem, quod omnes negant, imo & quando uter inflatur, rarefieret, & quando comprimitur, addensaretur. Seq. probatur, quia in his casibus interjicitur aer inter partes spongiæ, ac utris, & in compressione expellitur, ergo interveniret quicquid ad rarefactionem, & condensationem exigit illa sententia.

Ad hæc duo ultima absurda occurrit Arriag. subsect. 4. neg. seq. quia rarefactio consistit in intromissione corpusculorum intra partes antea unitas tollendo earum unionem, & imperceptibiliter, itaut vix appareat ea discontinuatio, aer autem intromissus in utrem non interponitur inter partes antea unitas, quia unum latus utris non erat unitum cum alio, deinde nec fit imperceptibiliter, & tandem nec fit ratione alicujus qualitatis productæ in utre, prout requiritur ad rarefactionem, & his de causis (inquit) compressio, & dilatatio spongiæ non est vera rarefactio, & condensatio; in vera autem rarefactione negat omnes partes fore discontinuandas, quia falsum est omnes partes corporis rari esse raras, nam pars carens poris non rara, nec refert, quod omnes partes lactis sint æque affectæ calore; nam etiamsi id concedatur, quod tamen negari posset, negatur adhuc conseq. nam sæpe videmus omnes partes vasis esse æquali intemperie frigoris, vel caloris affectas, nec tamen omnes simul frangi, sed duas, vel tres. Hæc solutio est mera fuga, nam in compressione, ac dilatatione spongiæ, utris, & follium intervenit intromissio, & expulsio corpusculorum, in quibus secundum hanc opinionem tota consistit ratio rarefactionis, & condensationis; sit etiam hæc intromissio inter partes antea unitas, nam ante attractionem aeris folles, & utres erant compressi, & eorum latera se tangebant; quod autem partium unio tolli debet inperceptibiliter, ut sit vera rarefactio, videtur prorsus voluntarie dictum, & fictum ad fugam argumenti, quid enim refert, quod perceptibiliter, vel imperceptibiliter fiat talis partium separatio, & discretio, dummodo fiat per corpusculorum ingressum; cum tandem ait talem partium divulsionem non fieri ratione alicujus qualitatis productæ in utre, quæ ad rarefactionem requiritur, vel ita intelligit quod talis qualitas debeat concurrere, ut causa, & radix rarefactionis, qualis est calor, vel potius, quod debeat intervenire, ut terminus per eam acquisitus: non secundum, quia id esset relinquere opinionem de corpusculis, & incidere in aliam, quæ ponit rarefactionem, & condensationem motus ad qualitatem, & q. 4. refutabitur; neque primum, tum quia absolute loquendo, ut supra diximus, etiam sine prævia alteratione calotis, & frigoris rarefactio, & condensatio fieri possunt; tum quia si calor, & frigus ad ea non concurrunt, nisi ut prævias dispositiones ad aperiendos poros, vel occludendos, ergo non pertinent ad earum formalem conceptum, quare sicut si Deus induceret substantialem formam in materiam indispositam, adhuc esset vera generatio, ita si agens naturale per solum motum localem corpuscula immisceat in alio corpore, vel eadem ab eo expellat, ut contingit in casibus allatis, adhuc habebitur vera rarefactio, & condensatio secundum istam opinionem.

14 Neque majorem habet soliditatem solutio ad aliud absurdum, quod continuum in rarefactionem in singulas partes suas divideretur secundum hanc opinionem; inquit enim non omnes partes corporis rari esse raras, quia pars carens poris non est rara, & talis est quæcunque interjicitur inter porum, & porum. At si hoc verum est, nulla prorsus pars corporis rari erit rara, nam partes v. g. olei rari sunt illæ, quæ mediant inter porum, & porum, in poris enim ipsis extranea latet substantia scilicet aer, quomodo ergo totum corpus dicetur rarum, cujus nulla pars est rara, sed densissima? Ait totum oleum dici rarum, quia pori sunt frequentissimi, atque ita demum in sola porositate rarefactionem constituit, & considerationem poro-

rorum carentia. Sed hoc suum assertum, quod est unicum fundamentum *suæ opinionis*, est penitus a veritate alienum, quia ut bene notat **Angest.** lib. 2. de Form. prop. 21. dub. 2. porositas corporum nihil prorsus attinet ad raritatem, ac densitatem earum, & docet ibidem metiendam esse corporum densitatem, ac raritatem secluso porositate, quia sæpius contingit corpus valde porosum esse multum densum, & quidem quis neget terram, vel saltem lignum esse magis porosum, quam aer, & aqua? & tamen hæc sunt corpora rariora, illa densiora, in marmoribus, aliisque lapidibus frequentes cernuntur pori, & tamen sunt densissimi: At Arriag. ut omnia pervertat, poros ponit in aqua, aere, & igne, & quidem plures, quam in aliis corporibus, imo hanc ait esse causam, cur aqua facile permeetur a vino, vel alio liquore infuso, quia nimirum quamplures invenit poros, per quos se se insinuat. Sed sane ad sensum magis apparent pori in corporibus solidis, ut ligno, sulphure, punice, &c. quam in fluidis, & facilis humorum permixtio adinvicem potius tribuenda est eorum subtilitati, & fluiditati, hæc enim consistit in eo, quod partes facile inter se separentur, & una alteri cedat, ex quo fit, ut invicem facile misceantur, non ergo porositas sed fluiditas est potissima causa permixtionis humorum.

15 Quinto tandem, pro recta hujus materiæ intelligentia annotanda est ex Angest. cit. multiplex acceptio rari, & densi, quæ sola fuit causa deceptionis multorum, interdum enim sumitur rarum pro corpore laxo, & fluido, ac veluti inconstanti; interdum pro corpore poroso, ut sumpsit Arriag. tertio pro corpore non spisse contexto, quo sensu pannus dici solet in filis rarus, quarto pro corpore rimoso, qualiter ædificium ablato cæmento ex antiquitate dicitur rarum, quinto tandem, & proprie, ac in rigore philosophico, ut accipit Aris. 4. Phys. 83. pro eo quod parum habet materiæ sub magna dimensione, sicut densum e contra illud est, quod multum habet materiæ sub parva dimensione, & hæc est propria acceptio hujus termini, non vero quando accipitur pro poroso, quia porosum non dicitur habere parum materiæ sub magna dimensione, sed multum materiæ, qui ultra propriam, habet quoque extraneam, & peregrinam, quæ simul cum ea conjuncta locum majorem occupat; quod si propriam consideres hinc inde distractam per interposita corpuscula, sane non occupabit majorem locum, quam antea cum erat condensata, si sola consideretur.

In oppositum arguit Arriag. subsect. 2. quia condensatio non dicit, nisi majorem unionem partium, atqui major unio nequit fieri, nisi quatenus expulsis corporibus extraneis partes ejusdem corporis magis uniuntur, ergo &c. Deinde evidenti experientia, nam quando aqua fervet, habet quasdam bullas aere plenas, & quo magis bullit, eo sunt majores, ergo ea rarefactio fit per intromissionem aeris in aquam. Tandem, nam in omnium sententia caro humana fit rara, cum ejus pori replentur humoribus, desiccatur autem, & condensatur ad eorum a poris egressum; lignum, quo plures habet poros, eo est magis rarum, lutum e contra condensatur evaporatione aquæ, & vitrum dicitur valde densum, non alia ratione, nisi quia non habet poros.

16 Resp. quod sicut rarefactio non dicit majorem distantiam partium in ordine ad se per discontinuationem, sed tantum in ordine ad locum, ut postea dicemus; ita condensatio non consistit in majori unione earum in ordine ad se, sed tantum in ordine ad locum, quod fieri potest sine egressu corpusculorum, ut infra explicabimus q. 5. Ad 2. negamus illam esse veram rarefactionem, nam vera, & propria rarefactio contingit, cum eadem ipsa substantia corporea modo occupat majorem locum, alioquin non posset reddi ratio, cur ignis sub eadem portione materiæ occupet majorem locum, quam terra; & jam Arriag. ipse concedit n. 202. quod dum aqua magnas habet bullas, non dicitur rarescere, quia est nimia separatio partium, ergo idem dicendum, quando sunt minores, quid enim ad hoc refert, quod sint majores, vel minores: alioquin si in hoc consistit raritas, quanto majores habet bullas, tanto magis rarescere dici debet, ut ipse arguebat, n. 198. ubi etiam notandum est, quod ratio illius majoris extensionis in aqua bulliente referenda est, vel quia ignis partes aquæ subtiliores in aerem vertit, vel in transitum ignis per aquam, ignis namque divisus in minimas partes undique aquam permeat, & dum sursum egredi conatur, aquam propellit sursum, & bullas illas efficit, vel quia aqua ipsa in se agitatur per motum resultans a contrario explicatum disp. 3. de Cœlo n. 29. & supra disp. 2. n. 34. Ad 3. patet per idem nec carnem proprie rarescere, quando humore aliquo inflatur, nec densari, quando exsiccatur, at percontatur Arriag. quam experientiam habemus ad raritatem ponendam, nisi quod eademmet res jam videtur major, jam minor? Resp. sane nullam aliam, atque ideo negamus, manum vere rarescere, cum ex concursu humorum intumescit, & condensari, cum ex recessu eorum desiccatur, quia in tali casu non est eadem substantia modo major, modo minor, sed diversa, aggregatum scilicet ex substantia manus, & humorum, & hæc est præcisa causa, cur negamus hanc esse veram rarefactionem, & condensationem, lignum quoque dicitur magis rarum, quia plures habet poros, vitrum, densum, quia pauciores, sumendo rarum, & densum minus proprie, ut supra notavimus.

17 Deinde subsect. 3. idem Auctor ostendit veritatem suæ sententiæ ex eo, quod per eam explicantur in aliis. Primo enim per eam facile intelligitur, quomodo unum corpus condensetur independenter ab eo, quod alterum rarefiat, quod quidem omnino concedi debet, nam quando intra cubiculum bene clausum accenditur stuppa, & rarescit aer, ubi est corpus, quod condensetur? hoc autem in aliis Sententiis defendi nequit, quia non potest materia stuppæ majorem occupare locum, quam antea, nisi vel penetret alia corpora, vel illa dent ei locum cedendo, & se coarctando, quod debet fieri per condensationem illorum; at in sententia ista bene defenditur, nam v. g. stuppa rarescit attrahendo ad se aliquas partes aeris, tunc cætera corpora retinent suam intensionem, nam ab aere esse aliquid ablatum, quod intret in poros, non facit aerem remanentem rariorem, nec densiorem, sed paulo minorem, quam antea, sic etiam cum aqua condensatur, & ab ejus poris excluduntur particulæ aeris, istæ adduntur toti aeri, & illum in eadem raritate relinquunt, licet per additionem fiat paulo major. Secundo intelligitur, cur vacuum naturaliter repugnet, quia non quælibet pars materiæ habeat suum locum adæquatum, non potest minorem occupare, prout requiritur ad causandum vacuum, nisi penetret aliam, quod repugnat naturaliter, quæ sola est ratio a priori pro repugnantia vacui, ut ipsemet asserueratdisp. 14. Phys. sect. 11. Tertio intelligitur, cur corpora dura ferrum, lapides &c. etiamsi fere ardeant, non rarescunt; ratio est, quia rarefactio non fit, nisi dissoluta inter aliquas partes unione, & intrantibus corpusculis, at corpora dura unionem amittere nequeunt, nisi prius nimia vi caloris reddantur fluida, tunc enim quia facile partes possunt separari, sunt capacia rarefactionis; at si rarefactio consisteret in sola majori occupatione loci sine amissione unionis continuativæ, sane duralies non magis impediet rarefactionem, quam mollities, cum partes retenta unione possent jam plus, jam minus spatii occupare. Tandem intelligitur, cur caloris sit rarefacere, frigoris condensare, quia calor sejungit, & discontinuat partes, ut intret aer, vel athomi, frigus vero unit expellendo extranea corpuscula, cujus rei ratio non facile redditur in alia opinione.

18 Resp. ad 1. nullum esse inconveniens, quod unius rarefactio connexionem habeat cum alterius condensatione, & e contra, ut etiam passim evenit in aliis mutationibus, quod generatio unius est corruptio alterius, unius auctio alterius diminutio, &c. instantia de stuppa accensa in cubiculo bene clauso ipsum quoque jugulat, si enim nos tenemur assignare corpus, quod condensatur ob stuppæ rarefactionem, ipse in illo cubiculo quærere debet corpuscula, quæ in aerem rarescentem intromittantur, & ignem, quare si ipse fenestras referabit, ut illa intrent, intrabit & frigus ad aliquam portionem aeris condensandam in cubiculo, vel solo motu locali condensabitur in aliquo angulo, quod si magnum esset incendium, foras violenter erumperet, ut patet in bombarda, cum pulvis rarefit, imo & ipse quoque fateri tenetur necessariam connexionem inter rarefactionem, & condensationem, quia si per condensationem corpuscula ex uno corpore egrediuntur, quod condensari dicitur ob eorum egressum, aliud interim intrare debebunt, quod dicetur rarefieri ob eorum ingressum. Ad 2. jam diximus disp. 12. Phys. q. 1. assignari non posse rationem a priori, cur vacuum in rerum natura repugnet, idque solum pendere ab extrinseco Dei decreto, quo decrevit totum hoc universum unirum, & contiguum conservare; neque ratio allata ab Arriag. de repugnantia penetrationis corporum est a priori; Tum quia quis dicere posset e contra repugnare naturaliter penetrationem dimensionum ob impossibilitatem vacui. Tum quia ratio illa, quam adducit disp. 14. Phys. n. 159. fundatur in hoc, quod Deus tantam materiam cum quantitate producit ab initio, quanta sufficit ad complendum totum hoc spatium infra Cœlos, quod quidem pendet ab extrinseco Dei Decreto, quare præter illud nulla est alia ratio quærenda a priori pro repugnantia vacui. Ad 3. durities in corporibus impedit rarefactionem, & fluiditas ad eam conducit, non ob rationem in argumento allatam, quia necessaria sit discontinuatio partium in rarefactione, sed quia rarefactio, & condensatio sunt motus primo partium ad partes loci, totius vero secundario, & consequenter, atque ideo partes ita invicem debent esse dispositæ, ut una possit cedere alteri, quod impeditur a duritie, & consistentia corporis. Ad ultimum neque ob rationem in argumento assign atamcalor rarefacit, & frigus condensat, alioquin ut supra arguebamus, calor rarefaceret congregando dissimilia, & disgregando similia, frigus e contra, sed ratio est, quam assignat Angest. loc. cit. quia caloris est movere partes a centro ad circumferentiam eas levificando, frigiditatis vero a circumferentia ad centrum eas quodammodo aggravando, & comprimendo; notat tamen ibidem Angest. quod non in omni rarefactione, aut condensatione intervenit alteratio, quia fieri potest etiam per solum motum localem, ut supra diximus, & hic etiam advertit Aresius.

APPENDIX.

Pontius in append. apol. n. 64. secutus opinionem Arriagæ, & Oviedi, quod rarefactio fiat per receptionem corpusculorum intra poros rei rarefactæ, primo contendit hanc opinionem non esse a Scoto alienam; deinde solvere nititur difficultates contra eam objectas ab ipso Doct. 4. d. 12. q. 4. §. *Ad quæstionem*, & *nobis in hac qu.* Cæterum an *hæc opinio* sit de mente Scoti, vel aliena, & num eam rejecerit loc. cit. in corpore qu. confulendi sunt Scotistæ melioris notæ, & in Schola nostra enutriti, non Recentiorum; & quidem Tatar. 4. d. 12. q. 4. §. *Quantum ad istam opinionem*, postquam retulit ex Doct. præfatam opinionem de rarefactione per receptionem corpusculorum, subdit (sed quia iste modus est falsus, & improbatur ab Arist. 4. Phys. ideo arguit contra illum modum, &c) Aretinus ibid. q. 4. ar. 3. hanc sententiam (inquit) sequuntur aliqui Scotistæ putantes eam

eam esse Scoti, quia eam refert in hae qu. lit. B. tamen falsa est, & improbata ab Ar. 4. Phys. c. 9. contra quam sic arguitur, &c. Faber tandem in Philosoph. theor. 44. c. 2. relata hac opinione ex Scoto inquit, sed hanc opinionem reiicit in corpore quæsiti respondendo ad qu. post F. variis rationibus, &c. & sic passim discurrunt alii Scotistæ, quicquid dicat Pontius, sed videamus quid dicat ad argumenta Doctoris, & nostra.

Ad primam, quæ est ratio theologica, & habetur n. 8. quod sequeretur in speciebus vini consecratis, quando rarefierent, non esse solam substantiam sanguinis Christi, sed etiam alia corpuscula, quæ deberet Sacerdos captare, cum in condensatione egrediuntur, ut in sacrario reponeret. Respond. illud non esse inconveniens, sicut non esset inconveniens, quod musca caderet, aut gutta aliqua alterius liquoris, & sicut non est inconveniens, quod aqua, quæ vino consecrando immiscetur, maneat quandoque in sua substantia absque conversione in sententia communiori dicente, quod aqua non convertatur in sanguinem immediate; ad illud quod additur ex nostro, ait, ludricum esse, quod id deberet satagere Sacerdos, sicut non debet satagere, ut aer contingens illas species conservetur, & reponatur in sacrario.

Sane si ita facile solvitur hæc difficultas, mirum est, quomodo fuerit a Doct. proposita ut gravis, contra illam opinionem; ad sustentandam igitur hanc rationem pro honore Doct. advertendum est, quod ait Coninch. de Sacram. q. 14. ar. 8. dub. un. nu. 164. antiquitus plures etiam ex SS. Patribus tenuisse tanquam de fide totum liquorem contentum in calice facta consecratione converti in sanguinem, atque hac ratione aquam non manere sub forma aquæ post consecrationem, quia fideles totum illud poculum adorant adoratione latriæ, qua ratione ad hoc ipsum probandum utitur etiam D. Tho. 3. p. q. 74. art. 8. iuxta ergo hanc credulitatem optime concludit argumentum Doct. tanquam inconveniens, quod non sit Christus ubique in vino consecrato; unde ad rem non facit id, quod adducit respondens de musca, aut aliqua festuca, aut gutta alterius liquoris in calicem cadentibus, quia hæc non censentur tanquam partes, aut aliquid aliud spectans ad molem, & integritatem vini consecrati; sed adhuc magis explicari potest vis hujus rationis ex his, quæ decernit Trid. sess. 13 can. 2. ubi definit totam substantiam vini converti in sanguinem, manentibus tantum speciebus; ponamus ergo casum, quod proferantur verba consecrationis super vinum rarefactum; petitur an in tali casu totum vinum, idest tota illa moles in calice contenta convertatur in sanguinem Christi manentibus dumtaxat speciebus, vel adhuc peracta consecratione delitescat sub illis aliqua substantia; si primum, habetur intentum, quod est ibi corpus Christi, ubique sub speciebus vini, & nulla alia substantia, ratione cujus dicatur rarefactum; si secundum hoc directe dicitur contra Concilium definiens ibi remanere dumtaxat species vini, quæ particula excludit permanentiam cujuscunque substantiæ, quæ prius erat sub illis accidentibus.

Quod vero addebatur in argumento, quod si ibi essent corpuscula intermixta, & vinum consecratum condensaretur, deberet Sacerdos illa captare, dum egrediuntur a vino consecrato, nec etiam bene solvitur per exemplum aeris species contingentis, quia corpuscula illa se haberent, veluti particulæ integrales totius molis vini in calice contenti, aer vero ambiens illas species est corpus omnino extrinsecum vino, ac ejus speciebus, nulloque modo spectans ad ejus integritatem; atque ideo si ibi darentur hujusmodi corpuscula, major esset necessitas illa reservandi, si in egressu capi possent, quam aerem species illas ambientem.

Ad 2. quæ est ratio phyca, quod mirum esset, quod aliqua substantia manens eadem non posset rarefieri absque interpositione alterius substantiæ, respondet, quod quamvis id mirum sit, non propterea tamen debet dici, quod fieri non possit propter difficultates, quas illa sententia patitur, scilicet asserens rarefactionem fieri per adventum novæ quantitatis, sive totalis, sive partialis absque novo subjecto. Hæc etiam solutio est adeo facilis, & obvia, ut mirum sit, quomodo hæc quoque difficultas patuerit in admirationem trahere sublime Scoti ingenium; Sed si difficultates adeo graves patitur sententia illa de acquisitione novæ quantitatis, ut quoque nos fatemur, non adeo graves patitur opinio nostra inferius explicanda.

Verum quia vis hujus Scoticæ rationis explicatur a nobis n. 8. ex principiis Arist. 4. Phys. refert Pontius hanc nostram explicationem n. 66. satis mutilam, Aristot. non memorans, quasi nihil ad ipsum attineat auctoritas Philosophi ex professo ejus opinionem refellentis loc. cit. & postea n. 67. adhuc magis jejune dum reiicit, dicens illam Doctrinam non declarare rationem Scoti, nec addere aliquid faciens ad majorem probabilitatem ejus, & quod dum supponimus corpora rarefieri, & condensari, modo ab Arist. dato 4. Phys. petimus manifeste principium, nam hoc est, quod ipse contendit esse falsum; At plane ipse potius principium petit, dum ejus, quod negat, vel affirmat, nullam unquam rationem reddit, ut facere tenetur ingenuus respondens, quod sane vitium ei familiarissimum est negare quæcunque dicuntur absque ulla ratione dicens nobis incumbere probationem: nihil respondet ad Arist. auctoritatem, nihil ad rationem ibi tactam, quod in ejus opinione nullum corpus unquam vere rarefieret, quia nulla pars ejus fieret rara, sed quælibet per se maneret, sicut antea erat, & solum inter unam, & alteram intruderentur corpuscula illa; valeat talis respondendi modus.

Ad confirmationem istius rationis quod *in toto* corpore rarefacto eadem accidentia reperiuntur, quæ antea; ergo non est admixta alia substantia, alioquin ejus accidentia viderentur, & sentirentur. Resp. illa eadem accidentia reperiri per totum corpus rarefactum quantum ad omnes partes ipsiusmet; non tamen quantum ad corpuscula interposita; & licet horum accidentia non percipiantur, non tamen inde sequitur, quod non sint intra illud corpus, multa enim per rationem admittere debemus, quæ per sensum experiri non possumus; imo addit, posse etiam aliquo pacto id sensu percipi, nam certum est, quod ignis, quo rarior est, minus sentitur calidus, & lac quo rarius, minus album apparet, quod non tam facile salvari potest, si dicatur quod tota illa substantia rarefacta, quoad omnes partes intra superficiem suam contentas, habet easdem qualitates caloris, ac albedinis, quam si diceretur, quod aliquas partes intra se continet, quæ non afficerentur illis qualitatibus.

Hæc responsio alia comfutatione non indiget, quam dicto *Arist.* 8. Phys. 26. fatuum est quærere rationem, ubi habemus aliquid certius ratione; & sensus non indiget a ratione corrigi, nisi in casu erroris, nimirum quando potentia est læsa, vel medium non bene dispositum, vel improportionata distantia inter potentiam, & objectum, quorum nullum contingit in proposito; cum itaque ad sensum appareant in toto corpore rarefacto eadem accidentia, quæ prius, plane id irrationabiliter negatur; tum quia pori corporis rarefacti, in quibus dicuntur corpuscula recipi, ponuntur adeo inter se proximi, & sequentes, ut necessario eorum accidentia deberent ab aliquo sensu percipi, sicre vera ibi existerent; Quod autem ignis, quo rarior, sentiatur minus calidus, & lac quo rarius minus album appareat, ex eo capite non oritur, quod Pontius comminiscitur, sed quia densitas materiæ valde juvat, & *fortificat actionem* juxta illud, virtus unita fortior.

Ad 3. quod difficulter explicatur quænam sint hæc corpuscula, cum enim esse debeant subtiliora rebus rarefactis, deberet admitti substantia tenuior aere, & igne; quæ ratio fere coincidit cum prima, quam Scotus objecit contra hanc opinion. loc. cit. F. cum ait difficile est videre, quomodo hic, scilicet in rarefactione vini possit generari ab igne, vel a Sole corpus subtilius vino. Resp. n. 68. si semper necessarium esset, ut corpus intromissum corpori rarefacto esset rarius illo, concedi debere córpora subtiliora igne, & aere; addi tamen hoc sibi necessarium non videri, sufficit enim quod sint rariora, vel æque rara cum corpore rarefacto, imo etiamsi sint minus rara, quæ variatio deprehendi potest ex difficultate majori transeundi per corpus rarefactum; si enim facilius transiri potest per ipsum post rarefactionem, quam ante, corpora intromissa erunt rariora, si difficilius, erunt minus rara; si æque facile, æque rara; Ad hanc vero rationem, ut a Scoto proponitur, respondet n. 65. quod quamvis difficile videatur, quomodo possit a rarefaciente generari corpus rarius vino, tamen hoc non obstante dicendum est, quod id possit facere, quia nihil impedit; Mittamus hanc responsionem, in qua manifeste apparet discipulum voluisse eludere Magistrum, dum enim hic ait id esse difficile, respondet ille id nihil impedire, nullatenus hoc ostendendo; ponderemus solutionem datam ad argumentum prout a nobis proponitur.

Hanc plane solutionem *credimus* nec placituram *suæ opinionis* consortibus ex ea parte, qua negat hujusmodi corpuscula esse non debere corporibus rarefactis tenuiora, ac subtiliora, imo esse posse grossiora, & minus rara; nam oppositum & ipsi passim docent, quandoquidem per rarefactionem corpora attenuantur, & subtilizantur; si ergo rarefactio fit per ingressum corpusculorum, plane opus erit hæc esse tenuiora, & subtiliora corpore rarefacto, alioquin per ipsa potius addensarentur, & crassiora fierent; Tum quia si non sunt rariora, & subtiliora corpore rarefacto, sed æque rara, & interdum minus rara; utique sensu perciperentur non minus, quam partes ipsæ corporis rarefacti; Tum quia casus a Pontio positus, quod corpus rarefactum post rarefactionem æque difficulter, imo & difficilius, quam ante, possit pertransiri, prorsus implicat, nam certe cæteris paribus post rarefactionem facilius permeatur, quam antea, quandoquidem per rarefactionem tenuius fiat, ac consequenter ingressui magis obvium, ac minus resistens. Si *vero concedatur* hæc corpuscula esse debere subtiliora corpore rarefacto, uti concedi debet, & de facto conceditur ab aliis hujus opinionis tutoribus, tunc assignanda erunt corpora subtiliora igne, & aere, & explicandum quæ, & qualis sit hæc substantia, quam nullus Philosophorum hactenus agnovit.

Ad 4. quod non appareat, qua ratione perpetuo corpuscula illa serventur igni permixta, & non absumantur; Respondet n. 69. dum ignis est rarefactus per occupationem majoris loci, quam antea habuit; corpuscula illa non corrumpi ab igne; quod si tandem ea combusserit, & in suam substantiam converterit, tunc non erit rarefactus, sed sine corporibus intromissis occupabit totum illum locum mediantibus tamen partibus substantialibus novis. Sed per hoc non solvitur argumentum, cujus vis consistit, quod ignis semper aliquam habet raritatem; si ergo raritas ex corpusculis intromissis resultat; semper talia corpuscula in poris ignis reperiri debebunt; & tunc est difficultas quomodo ibi perpetuo servari possint, quod solutio non tangit.

Ad 5. quod multa corpora non porosa sunt rara, & densa, ut de quibusdam Cœli partibus asserit probabilis sententia, in quibus tamen certum est poros non dari, nec est assignabilis substantia, a qua replerentur: Resp. hic a nobis confundi raritatem connaturalem substantiæ ab ipsa inseparabilem, qualis est in Cœlis, quæ non fit per interpositionem corpusculorum, cum rarefactione, qua si una sub-

substantia secundum easdem partes occupet majorem locum, *quam ante*. Hæc quoque *solutio in multis deficit*, erenim ad evadendum argumentum aliud genus raritatis assignat præter illam, quæ fit per corpusculorum ingressum, quod utique omnibus corporibus poterit esse commune, cum non sint multiplicanda entia absque necessitate, eo præsertim, quia accidentia Cœli non sunt diversæ speciei ab accidentibus sublunarium, ut dictum est disp. 2. de Cœlo q. 6. in fine; Tum quia falsum est, quod ait, substantiam rarefactam per ingressum corpusculorum secundum easdem partes occupare majorem locum, quam ante, nam occupat majorem rationem corpusculorum, quæ sunt diversa a partibus illius substantiæ; & præscindendo ab *illis* secundum suas proprias partes, non occupat majorem locum, quam ante; & tamen ad salvandam veram rarefactionem, defendi debet, quod occupet majorem locum, quam ante, secundum easdem partes, quas prius habebat, ex quo patet evidenter per ingressum corpusculorum veram, & propriam rarefactionem non salvari.

Ad 6. si ratio, cur ignis ex terra genitus occupet majorem locum, sit, quia sunt ingressa corpuscula, &c. respond. ita esse; & quod corpuscula ingressa rariora sunt terra raritate sibi connaturali, & inseparabili, non vero raritate illa, quæ procedit ex interpositione corpusculorum. Hæc solutio eodem vitio laborat, quo præcedens, dum assignat aliud genus raritatis ab ea quæ habetur beneficio corpusculorum, nam urgebimus omnia corpora rara hanc raritatem participare, & non aliam; quod autem una raritas sit a corpore raro separabilis, alia vero non, non sufficit ad eas species distinguendas, sicut *albedo hominis non ob id* specie ponitur distincta ab albedine cygni, quia hæc sit inseparabilis a cygno, illa vero separabilis ab homine.

Deinde negat, ignem semper occupare locum majorem terra, ex qua genitus est, ut quando generatur ex terra, vel ligno absque flamma, tunc enim non occupat, majorem locum, quam pars terræ, aut ligni, ex qua generatur; & quando per generationem ignis in terra, vel pulvere excitatur flamma, quæ videtur occupare majorem locum; aut hoc evenit, quia in ascendendo generat subito alias partes ignis ex aere, vel exhalationibus aliquibus ad hoc aptis per aerem dispersis, aut re vera non occupat majorem, licet ita videatur sensui, sicut cum titio ardeas vertitur in girum, videtur ignis simul totum illum occupare circuitum, in quo tamen toto certum est non esse simul *sed* successive; cum igitur flamma tam velociter moveatur, quam volvitur titio in casu posito, poterit eadem pars flammæ simul apparere in toto spatio, per quod *ascendit*, unde concludit, quod si omnes partes flammæ ex pulvere bipedalis quantitatis genitæ simul conservarentur a Deo absque motu, non occuparent majus spatium, quam bipedale, & consequenter opus non esse, quod materia, ex qua excitata est flamma, sub forma ignis habeat majorem extensionem simultaneam, quam habuit ante sub forma pulveris; quod adhuc magis ostendere nititur ex quadam imaginatione sua de flamma trium digitorum, quam hic referre non oportet.

Hæc mirabilis doctrina totam destruit Philosophiam, & præsertim Peripateticam, in qua compertum est apud omnes, quod corpus rarum cæteris paribus occupat majorem locum, quam corpus densum; quod etiam fatetur hic Auct. loc. cit. dum non semel dicit de ratione corporis rarefacti esse quod occupet majorem locum, quam antea, dum erat densum; & *hoc ipsum* deducitur manifeste ex conceptibus raritatis, & densitatis; cum ergo ignis a toto genere sit corpus valde rarius ipsa terra, plane impossibile est secundum cursum naturalem, quod si generetur ex palmo terræ, non occupet nisi spatium palmare, nam ex hoc statim sequeretur ignem illum non esse terra rariorem, sed æque densum cum ipsa, quod destruit naturam ignis: Et suasiones in oppositum adductæ sunt omnino fallaces, nam terra, vel lignum i gnitum, non sunt ex toto substantialiter ignis, sed verus ignis asservatur tantum in eorum poris, in cæteris vero partibus tantum adhærent qualitates ignis in gradu valde intenso, ut notavit Scot. 4. d. 47. q. 2. §. *de secundo*; & falsum est, quod flamma occupet majorem locum, quia in ascendendo generat subito alias partes ignis ex aere, vel exhalationibus *aliquibus* ad hoc aptis per aerem *dispersis*, nam ipsemet inferius n. 128. vult, aerem potius extinguere flammam, quam quod in ipsam convertatur, & inquit aliam causam corruptivam *flammæ* ascendentis *ab igne* quam non posse, nisi recurrendo ad causas superiores; neque facile suadebitur, quod exhalationes illæ aptæ ad generationem ignis semper sint in promptu pro tali effectu, nam ex adverso eadem facilitate dici posset flammam impingere in vapores ad ejus extinctionem aptos per aerem dispersos. Nec tandem valet paritas assumpta de flamma ascendente per lineam rectam, & titione per circularem rotato; nam quando titio sic vertitur in girum, semper est eadem ignis particula, quæ successive per totum circulum circumfertur, licet ob velocitatem motus in toto circulo simul appareat esse, at quando flamma ascendit per lineam rectam, non est semper eadem pars, quæ continuo ascendat per totum illud spatium a flamma occupatum, sed sunt diversæ partes, quæ invicem sibi succedunt in eodem spatio; & quamvis *motus* sit velox, adhuc tamen oculus discernit, quæ pars occupet spatium inferius, quæ medium, & quæ superius, unde si flamma genita ex pulvere bipedalis quantitatis simul a Deo conservaretur sine motu, majorem adhuc occuparet locum, quam pulvis, unde fuit genita.

Secundo principaliter impugnata fuit a nobis opinio de corpusculis nonnullis experientiis, quarum prima est de cucurbitulis medicis vulgo *ventose*, ut est videre n. 9. ubi etiam n. 12. refellimus responsionem Arriag. negantis carnem ascendere in tali casu ad replendum vacuum, & dicentis ascendere, quia calore aperiuntur pori, & per eos *intromittitur* aer, quam impugnationem refert Pontius nu. 84. deinde ad sui confortis defensam sese accingit n. 75. *Bone Deus, qualis discursus*, ipsam jaculatoriam ad rem non facere jam constabit ostendendo discursum nostrum solidum esse, nec ab ejus impugnationibus minimum infirmari; Et quia in impugnatione responsionis Arriag. diximus falsum esse, quod ipse ajebat, carnem elevandam fore in instanti, si ascenderet ad replendum vacuum: hoc præsertim suscipit propugnandum, quod bene fuerit dictum; nam in primis est evidens (inquit) quod si aer sit densior igne, & propterea occupet minorem locum, quod in instanti, quo definit ignis, & convertitur in aerem, itaut verum sit, in hoc instanti non est ignis, sed est aer ex ipso generatus, debeat ille aer esse in loco minori, quem debet occupare, ergo in illo instanti pars majoris loci, qui occupabatur ab igne, & non occupatur ab aere, erit vacua, vel non, si non, ut est dicendum; tunc sic, aut repletur carne ascendente, & tunc verum est, quod *dicit* Arriaga *carnem debuisse* jam ascendisse in illo instanti, aut replebitur ab alio corpore, & sic caro non debet ascendere ad impediendum vacuum jam ante impeditum per aliud illud corpus. Nec voluit Arriaga, quod aer condensaretur, aut elevari deberet in instanti, sed quod in quocunque instanti aer esset condensatus, & occuparet minorem locum, debet caro ascendisse in illo instanti ad impediendum vacuum, unde adversarii, non videntur intellexisse Arriagam, qui tamen satis clare loquitur; sed mirum non est, quia nec suum Scotum clare loquentem quandoque intelligunt, ut patuit ex *dictis*.

Nunc videamus an noster discursus esset inutilis, ut Pontius inquit, an potius hic suus; plane hoc argumentum plura falsa supponit, & nihil *omnino concludit*; *supponit enim* generationem substantialem inanimatorum fieri in instanti, quod est falsum, ut docet Scot. 4. d. 43. q. 5. §. *de secundo*, & nos late probamus infra disp. 5. q. 5. art. 1. supponit formam generandam, incipere intrinsece, & per primum esse, & corrumpendam definere extrinsece, & per ultimum non esse, ait enim, in hoc instanti non est ignis, sed est aer; & tamen res omnino e contra se habet, quod forma generanda incipit extrinsece per ultimum non esse, & corrumpenda definit intrinsece per ultimum esse, ut ibidem demonstramus. Deinde hoc argumentum nihil concludit, quia si urgeret, probaret etiam dari naturaliter vacuum, quotiescunque ex corpore raro generatur densius, ac fieri motum localem in instanti, nam ex hypotesi talis generatio fit in instanti, quando ergo in instanti definit corpus rarum, quod *majorem locum* occupabat, & incipit densum, quod debet occupare minorem, quæritur, an pars majoris loci, qui occupabatur a corpore raro, & non occupatur a denso, sit vacua, vel non; si primum, sequitur *intentum*, si secundum, a quocunque corpore accurrente repleatur, talis motus localis debebit fieri in instanti, quod est impossibile saltem naturaliter; videatur Doct. cit. 4. d. 43. q. 5. Ubi ait non posse sequi vacuum in casu posito, nisi ponatur ex corpore raro generari densius in instanti, quod non est possibile, nisi divina virtute, ut ibi explicat, sane ex eo, quod Arriagam melius, quam nos intellexit, male in omni genere ipsum defendit: Quod autem subdit, nec suum Scotum quandoque intelligunt, grates referimus, quod hoc uno dicto nos agnoverit pro Scoti discipulis, ac in ejus Schola *enutritis*, & semetipsum ab hoc numero excluserit sponte fassus, vi veritatis impulsus, se nutritum, & altum in Schola Recentiorum; quis vero nostrum in hoc puncto de opinione corpusculorum rectius intellexerit Scotum, stare *nolumus* ejus judicio, sed veriorum Scotistarum ab initio appendicis citatorum.

Prosequitur ulterius adhuc Pontius sui Clientis defensam, ut magis accurate videbimus. Deinde, inquit, illud sane satis ridiculum videtur, quod dicant, Doctrinam Arriag. destruere finem, ob quem cucurbitulæ inventæ sunt, qui erat extractio sanguinis, & non ingressio aeris, quasi vero etiam in Doctrina Arriag. non extraheretur per eas sanguis, nam & ipse carnem fatetur ascendere, nec caro ipsa sola, quæ elevatur, repleret locum aeris, nisi esset intermixtus sanguis. Sed plane Arriaga non tenetur advocato suo patrocinium dare, cum eum in hac proclamatione relinquat indefensum, vafre omittendo rationem, qua id probamus disp. 4. cit. n. 10. nempe in opinione Arriagæ secuturum *carnem ipsam*, quæ elevatur sufficere ad replendum locum ab aere relictum absque novi sanguinis concursu; & noster discursus erat hic; quia ad replendum locum, quem relinquit aer poros ingrediens sufficeret solus tumor carnis, *quem causat* ingressus aeris absque ulla sanguinis evocatione, quod est contra experientiam; sequela patet, quia si caro turgescit aere, quantum sufficit ad evitandum vacuum, ad quid opus est concursu sanguinis? hic est discursus, quem tacuit omnino Pontius, & omnino adducere, & impugnare debebat, ut suum Clientem rite defenderet, & vere offenderet ridiculum esse illatum a nobis contra illum.

Resp. tandem n. 76. directe (sed re vera indirecte, ut patebit) ad experientiam de cucurbitis, & de phyala vitrea ad ignem calefacta, & statim aquæ frigidæ per orificium superimpositæ, in quam paulatim ascendit aqua, ne detur vacuum, &c. respond. nunquam aquam ascendere ad replendum locum derelictum ex condensatione absque egressu *corpusculorum* a re, *quæ dicitur condensata*, & quamvis hoc ad sensum ostendi nequeat, tamen ratio dictat, quod per aliquam viam egressa fuerint, aut illa, aut aliqua pars corporis, quod dicitur addensari, & sic etiam dicendum ad experientiam de cucurbitis ex substantia inter eas contenta aliquam partem necessario egredi, sive poros ingrediatur, sive alio recedat, in cujus locum succedit

cedit illa pars carnis, & sanguis, quæ intra recipitur. Hæc responsio similis est illis quorundam insipientium, qui nescientes argumenta dissolvere statim absque necessitate recurrunt ad virtutes, & qualitates occultas, corpuscula ingrediuntur in rarefactione, egrediuntur in condensatione, sed unde veniant, quo recedant, & qua via, explicari non potest, sic facile est opinionem quamcunque quantumvis sensui repugnantem defendere; fatemur in hac materia maximas difficultates incurri, sed dicimus solvendas esse quantum fieri potest absque recursu ad mirabilia, & occulta sensui repugnantia. Et cum inquit in condensatione opus esse, quod a corpore rarefacto egrediantur vel corpuscula, vel aliqua pars ejusdem corporis addensati; sane id omnino destruit naturam condensationis, de cujus ratione est, quod secundum easdem prorsus partes subst antiales occupet minorem locum, quam occupabat antea in statu rarefactionis, ut ipsemet sæpius fatetur loco citato,

Ad aliam experientiam a nobis adductam nu. II. de vase aqua pleno obturato, quod frangitur condensata aqua propter periculum vacui; Pontius nu. 77. ait se respondisse disp. 4. cit. de gener. Sed quia codex non est ad manus, & putamus suam responsionem diversam non esse ab illa Arriagæ, quam impugnamus loc. cit. hic non hæremus, ut ad alia pergamus,

Ad ultimam experientiam a nobis adductam ex Aresi. n. 12. de cannula vitrea una crassiori, & altera subtiliori, Resp. ibidem, quod ad calefactionem aeris cannulæ crassioris calefit etiam aer cannulæ subtilioris, & ita occasione ex parte superiori ejus possunt egredi aliqua corpuscula, seu exhalationes, quibus succedere propterea deberet aqua; sed quomodocunque sit, nunquam rarescet aqua, nec occupabit majorem locum absque additione partium aliquarum substantialium, sive propriarum, sive alienarum. Hæc solutio undequaque deficit, nam in primis ita calefieri potest contactu manus cannula crassior, ut non pertingat calor aeris subtilioris, nam casus hic non est impossibilis, & in eo casu concludet argumentum. Deinde dato casu, quod calefiat aer cannulæ subtilioris, tunc ex tali contactu aer inclusus rarescet, non condensabitur, calor enim rarescit, non condensat, at quia rarefactio fit per ingressum corpusculorum in ea sententia, ut etiam ipse fatetur in fine ejusdem responsionis; quomodo ergo ait quod ea occasione scilicet calefactionis aeris cannulæ minoris, ex parte superiori ejus possent egredi aliqua corpuscula, seu exhalationes: certe nil magis extra propositum dici potuerat, quia si ad talem contactum calidum aer ille rarescit, corpuscula ingredi debebunt, non egredi. Rursus argumentum non urget de rarefactione aeris inclusi in cannula minori, cujus orificium ex superiori parte ponitur opertum, sed aeris inclusi in cannula majori, cujus orificium ex eadem parte ponitur occlusum, & quæritur ex qua parte ingrediantur corpuscula ad illam rarefaciendam: Denique cum replicat in fine responsionis aquam rarescere non posse, nec locum occupare majorem absque additione partium aliquarum, sive propriarum, sive alienarum, hoc iterum adversatur naturæ rarefactionis, nam ut & ipse fatetur loc. cit. n. 72. in fine, de ratione rarefactionis, & condensationis in sensu hujus quæstionis (sunt ejus formalia verba) est, quod una substantia secundum easdem partes nunc occupet majorem locum, quam ante, nunc minorem, quod etiam paulo superius dixerat sub nu. 67. & 70. circa medium.

Denique hæc opinio de corpusculis fuit a nobis impugnata disp. 4. cit. n. 13. ex absurdis, quæ ab ea sequerentur. Unde Pontius loc. cit. n. 78. his quoque occurrere nititur. Ad primum, quod inde sequeretur calorem rarefacere congregando ethærogenea, & segregando homogenea: frigus vero e contra, quod est contra eorum naturam a Philosopho descriptam, Respondet primo, si in opinione de corpusculis defendi nequeant definitiones caloris, & frigoris assignatæ ab Arist. negandum potius Aristotelem esse, quam ab hac opinione recedere; secundo asserit calorem non segregare homogenea in rarefactione, nisi per accidens, quod non est inconveniens; tertio ait, quod Arist. per ethærogenea intelligit, quæ non habent affinitatem, ut commisceantur, quod etiam ex nobis confirmat disp. præc. de gener. qu. 2. art. 2. sic autem corpuscula cum corporibus rarefactis non sunt ethærogenea.

Prima responsio ita facilis fuit huic Auctori, sicut ei familiare est negare Ar. in Philosophia; verum animadvertere debebat descriptiones illas caloris, & frigoris non fundari solum in simplici Arist. auctoritate, sed in ratione, ac manifestis experientiis, ut constat ex disp. 1. q. 2. art. 2. Secunda responsio admitti posset, si declararet, quo pacto per accidens calor in rarefactione segreget homogenea, nam æque facile dici posset in ea opinione calorem segregare homogenea dum rarefacit, per se, & non per accidens, quia juxta illam rarefactio nequit aliter fieri, nec alio modo. Et sic pariter tertia quoque responsio posset admitti, si declararet, & demonstraret, quam affinitatem habent corpuscula cum rarefacta, ut in hoc sensu dici possint homogenea cum ipsa quantum ad commixtionem; talia enim nos diximus esse loco ab ipso citato, ceram, picem, stamnum, plumbum, quatenus liquefacta facillime commiscentur ratione consimilis fluxibilitatis, & liquabilitatis; debebat ergo & ipse pariter ostendere ratione cujus consimilis proprietatis corpuscula possint sic facile commisceri cum quacunque re rarefacta, ne de ipso dicatur, iste vir multa dicit, sed nihil probat.

Ad 2. inconveniens, quod quando ex paucis granis pulveris accenditur flamma magnum occupans spatium, centesima pars illius spatii solum occuparetur a vera flamma, totum reliquum a peregrina substantia illi permixta. Resp. nu. 79. si non possit fallvari abunde, quo modo flamma illa occuparet secundum se totum illud spatium, hoc non esse inconveniens: ex dictis autem supra patet, quomodo possit negari sequela, & quomodo illud de flamma non faciat ad propositum. Immerito tamen negatur hoc esse inconveniens, nam totum illud corpus in eo spatio diffusum est luce, & calore respersum, per tactum ubique sentitur calor, per visum calor, ergo quod occupat illud spatium est flamma, & ignis, non autem alia peregrina substantia. Tum quia si multo major pars illius sparii occuparetur a corpusculis, quam a vera flamma, ut concedit responsio; sane insensibilia non essent accidentia illorum, quoad visum, vel tactum; Quod autem dixit de flamma superius, quod necesse non sit asserere flammam tantum occupare sparium, quantum apparet ad oculum, sufficienter in præcedentibus est impugnatum.

Ad 3. inconveniens, quod juxta illam opinionem dum lac rarescet, in omnes suas partes divideretur, &c. respondebat Arriag. a nobis citatus non omnes partes corporis rari esse raras, quia pars carens poris non est rara, & talis est quæcunque interjicitur inter porum, & porum; quam solutionem ibi refellimus, quia tunc nulla pars corporis rari esset rara; & quod rarefactio non bene constituitur in porositate, quandoquidem corporum porositas nihil prorsus attineat ad raritatem, ac densitatem eorum, ut notat Angest. lib. 2. de formar. propriet. pag. 153. dub. 2. Pontius hic iterum resumit sui consortis patrocinium, ejusque responsionem declarat, ut a nostra illæsa maneat impugnatione; itaque n. 81. ait impugnationem nostram ex ignorantia procedere duorum generum raritatis, de quibus supra dixerat; respondet deinde in forma distinguendo sequelam (ait ipse) nulla pars corporis rari raritate, quæ fit per interpositionem corporis alieni, erit rara secundum se præcise considerata absque interpositione talis corporis, concedo; raritate connaturali, & inseparabili, negatur sequela, & cum ait Arriag. non omnes partes corporis rari esse raras, inquit ipsum loqui de raritate, quæ fit per interpositionem corpusculorum; Subdit insuper nos non intellexisse Angest. nam ipse loquitur de raritate, non illa, quæ fit per interpositionem corpusculorum, sed connaturali, & inseparabili, de qua concludunt exempla ligni, marmorum, & lapidum a nobis adducta.

Addit tandem num. 82. in confirmationem responsionis Arriagæ eo modo, quo in nutritione totum vivens, & singulæ partes ejus nutriuntur, & augentur, dum fit augumentatio per aggenerationem novarum partium intra partes, & poros secundum Scotum, cum tamen singulæ omnino partes non dividantur; ita in rarefactione, quæ fit per interpositionem partium alterius corporis, quamvis tota substantia v. g. lac rarefiat, non tamen quælibet pars dividitur ab altera, sed sufficit ad hoc, quod tot partes dividantur, quot dividuntur in nutritione proportione servata; unde sicut in nutritione non quælibet pars minima augetur, quia sic augeretur in duplum, sed sufficit, quod quælibet pars a nobis per sensum determinabilis augeatur per intra receptionem novæ partis, ita in proposito dicendum est.

Pater respondens in hac solutione liberalior est æquo in suis titulis communicandis, dum inquit, impugnationem nostram procedere ex ignorantia duorum generum raritatis ab ipso assignatis: fatemur nos ignorare hæc duo genera raritatum, quandoquidem nec apud Arist. nec apud Auctores etiam opinionem corpusculorum tuentes hæc duo genera reperire potuimus, & quidem merito, quia unum genus raritatis assignari debet pro omnibus corporibus, nec entia multiplicari debent sine necessitate; & sicut non dantur duo genera quantitatis, vel qualitatis, quia hæc sit connaturalis, & congenita rei, & ab ea inseparabilis, illa vero adventitia, & separabilis; nam istæ differentiæ non sufficiunt ad talem diversitatem inferendam, ut supra dictum est, dari nequeunt duo genera, vel species raritatum, quæ inter se sic distinguantur, quia una est connaturalis rei, & inseparabilis, alia adventitia, & separabilis, & magna ignorantia est nescire, quod hujusmodi differentiæ differentiam specificam, & essentialem inferre nequeunt.

Verum hic siste Lector, & nota rem risu dignam; postquam Pontius nobis de more ignorantiam nostram exprobravit, statim solvendo argumentum, ait: *In forma respondeo distinguendo sequelam*, in rudimentis logicalibus turpiter errando, quibus docemur nunquam debere distingui consequentiam, vel sequelam, sed consequens, consequentia enim cum consistat in ipsa illatione, non vero in assertione veritatis, non potest distingui, quia distinctio cadit super æquivocationem, aut ambiguitatem propositionis, quatenus habet diversos sensus in significando, sed tantum negatur, ut mala, vel inconveniens, aut conceditur, ut bona, & conveniens; o quam rationabiliter ergo sæpe nos criminatur; quod non respondeamus in forma ad declinandam argumentorum vim? libentissime puerilis hic error a nobis dissimulatus esset, sed impulit Isaiæ documentum c. 32. qui spernis, nonne & ipse sperneris, cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.

Sed tandem quid respondet? profert rursus duplex illud suum genus raritatis toties damnatum, ut rationi prorsus repugnans quia unum raritatis genus debet pro omnibus corporibus assignari, sicut unum assignatur quantitatis genus, & qualitatis, non duo, ait, quod cum Arriaga negavit partem corporis rarefacti poris carentem esse raram, loquitur de rarefactione, quæ fit per interpositionem corpusculorum, non autem de alia raritate; sed legatur Arriag. & videbit prudens Lector, Auctorem illum per totam illam sectionem decimam, nec per somnium duplex illud genus raritatis attigisse, imo n. 211. ait, quod in corpore rarefacto pars carens poris est tam densa, quam

quam naturaliter potest (sunt sua verba) tantum abest, quod concedat eam esse raram aliqua raritate, ut Pontius ipsum explicat; I nunc velator Arriagensis doctrinæ, & nos criminare, quod eam non intelligamus, concorda prius cum tuo Cliente, edisce rudimenta logicæ, & postea veni nobiscum ad disputandum; Legatur item Angestus loc. cit. ubi constabit, ipsum loqui in sensu a nobis adducto, nec quidem a longe insinuasse explicationem a respondente allatam, quia solus acumine suo statim intelligit, & explicat Auctores; & vult omnes agnovisse duplex illud suum genus raritatis ab ipso excogitatum, per quod solvere prætendit præcipuas hujus quæstionis difficultates.

Confirmatio, quam adducit pro responsione Arriagæ n. 82. ex paritate assumpta de nutritione, & augmentatione, non valet, ait enim Scotus, vivens non nutriri immediate secundum omnes partes proportionales, sed secundum aliquotas, eo quia illæ non habent alimentum juxta positum, & approximatum per poros, sed tantum istæ, & ideo in nutritione opus non est adinvicem dividi partes omnes viventis etiam proportionales, at in rarefactione diversa est ratio, quia non solæ partes aliquotæ recipiunt calorem, qui est prævia dispositio ad raritatem, sed etiam partes omnes proportionales, atque ideo in omnes induci debet rarefactio, cum non sit major ratio de una, quam de alia, sicut est in nutritione, quam disparitatem inter rarefactionem, & nutritionem notavit etiam Aret. 4. d. 12. qu. 4. artic. 3. unde si rarefactio fiat per interpositionem corpusculorum inter partes rarescentes, utique debebunt omnes, & singulæ abinvicem dividi.

Ad ultimum inconveniens de spongia, quæ diceretur densari, cum manu exprimitur aqua imbibita, & rarefieri cum rursus imbibitur aqua; respondet nu. 83. & 84. sed adeo obscure, insulse, & illepide ut sine tædio non possit legi, & referri; primo quidem n. 83. desiderat diversa imponi nomina ad significandam extensionem lactis ad majorem locum factam mediante calore, & ad aliam, qua extenditur spongia; & quod prima dicatur proprie rarefactio, altera improprie, quamvis talis diversitas esset solum accidentalis; quod si esset essentialis inter utrumque modum, tanto melius diversum nomen imponeretur; deinde n. 48. subdit, quod si nulla esset diversitas sufficiens inter utrumque modum, nec accidentalis, nec essentialis, tunc concedendum esset spongiam in casu posito proprie rarefieri; unde cum communiter negetur spongia, aut uter in casu dicto rarefieri, concedenda est ad minus differentia aliqua accidentalis inter utrumque modum; Subdit adhuc, quod ut cognoscamus, quod aqua rarefiet proprie, aliter, quam spongia laxata, debet cognosci, quod occupet majorem locum sine interpositione alterius corporis, si autem hoc cognoscatur, habebitur intentum sine recursu ad exemplum de spongia: & nisi hoc cognoscatur non poterit per exemplum spongiæ probari, quod non occupet majorem locum per interpositionem alterius corporis: ergo inepte, & inutiliter recurritur ad hanc probationem de spongia; Addit tandem, quod rarefactio, & condensatio proprie dicta si dicantur fieri cum eadem ipsa substantia absque dependentia ab aliis corporibus intrudendis, & extrudendis occupat majorem, ac minorem locum sine acquisitione partium, nullo modo possit dari naturaliter.

Pro impugnatione hujus qualiscunque solutionis dicimus, vanum esse ejus desiderium, quando velit in sua opinione corpuscula persistere, nam in ea assignari nequit ulla differentia, quæ valeat nec essentialis, nec accidentalis inter extensionem ad majorem locum, quam lac, vel aqua acquirunt mediante calore, & extensionem spongiæ laxatæ, ut ostendimus in impugnanda Arriagæ solutione; sed solum assignari potest sustinendo alias opiniones, vel de acquisitione novæ quantitatis, vel novæ qualitatis, vel novæ extensionis localis ad situm pertinentis. Deinde dicimus, quod cum urgemus argumentum de spongia, utique antecedenter cognoscimus aquam rarefactam majorem occupare locum sine interpositione alterius corporis, ut dicatur proprie rarefacta; recurrimus autem ad argumentum de spongia, ut hinc a posteriori deducamus non fieri rarefactionem per intercepta corpuscula, quandoquidem hoc modo extendatur spongia laxata ad majorem locum, nec tamen dicatur proprie rarefacta secundum communem loquendi modum. Ultimum tandem additum est quoque falsum, nam ut omnes fatentur, ac etiam ipse respondens, ad rarefactionem, & condensationem proprie dictam exigitur, quod idem corpus secundum easdem omnino partes subst antiales modo occupet majorem, modo minorem locum, ut docet Aris. 4. Phys. atque ideo repugnat fieri cum dependentia ab aliis corporibus intrudendis, & extrudendis.

Quoniam vero Arriaga subsec. 3. cit. confirmat suam sententiam de corpusculis, quia per eam facile explicantur quædam graves difficultates, quæ nullatenus, aut difficulter explicantur in aliis, quibus non occurrimus qu. cit. num. 17. Pontius a n. 86. adducit primam, & secundam difficultatem cum nostris responsionibus, ut eas ostendat insufficientes esse.

Prima difficultas est, quod in nostra sententia fieri nequit rarefactio absque condensatione, nec e contra, cum tamen sæpissime una contingat sine alia ut in casu, quod intra cubiculum bene clausum accendatur stuppa, tunc enim rarefit aer inclusus, nec potest assignari corpus, quod condensetur, nec causa condensans. Cui rationi supra occurrimus nu. 9. non esse inconveniens, quod unius rarefactio connexionem habet cum alterius condensatione, & e contra, &c. ut ibi est videre. Hic rursus Pontius ad consuetam cantilenam recurrit, quod Arriagam non intellexerimus, eo quod satis obscure vim difficultatis proponimus; Sed legatur quæso difficultas, ut a nobis proponitur num. 17. & ut proponitur ab ipso Pontio n. 86. & videbitur, quod difficultas a nobis proponitur eisdem omnino verbis Arriagæ, & eisdem exemplis de stuppa accensa intra cubiculum clausum. *Pontius* vero eam refert aliis verbis, & exemplis nempe de magna flamma ex magna pulveris, vel ligni quantitate excitata: quid ergo effurit difficultatem a nobis obscure proponi, & vix ex nostris verbis colligi posse nisi conjecturando, si nostra verba sunt ipsissima Arriagæ; in omnibus ostendit, qui voluntatem habet offendendi, inquit adagium; nunc videamus quam strenue impugnet nostram responsionem.

Hæc responsio (inquit n. 89.) non est ad propositum difficultatis præmissæ, quia non tam infertur, tanquam inconveniens, quod condensatio, & rarefactio absolute comitentur se invicem, quam quod concomitentur se, & tamen quando sit rarefactio, & applicatur causa ejus, non habeatur causa, a qua proveniat condensario; quia causa sufficiens ad unam non habet virtutem sufficientem ad alteram: neque enim ignis potest condensare aquam, nec frigus eam rarefacere, ergo præter causam rarefacientem debet dari alia condensans, quæ semper assignari non potest, quia in casu posito de stuppa accensa nulla applicatur causa præter flammam, quæ non est condensativa, a qua ergo causa tunc procedit condensatio? hæc est in summa confutatio nostræ responsionis apud præfatum Auctorem num. 89. & 91.

Cæterum hæc impugnatio procedit, quasi in nostra responsione assignata fuerit condensatio respondens rarefactioni in casu accensionis stuppæ in cubiculo clauso, absque causa efficiente condensationem, quod tamen falsum est; dicimus enim, quod condensaretur aliqua portio aeris ad proportionem, vel e frigore per fenestras ingrediente, supposito quod aperirentur, & ambiens extra esset frigidum, vel quod solo motu locali condensabitur in aliquo angulo cubiculi occlusi; & hoc debebat impugnare respondens, & non supponere, quod solus calor esse possit causa rarefactionis, & solum frigus condensationis, nam notat Angestus de formæ propriet. 21. dub. p. coroll. 4. non omnis condensatio, aut rarefactio fit merito actionis caliditatis, & frigiditatis, aut alterius alterationis; quandoque enim fit per solum motum localem, ut quando aliquod mobile movetur in aere motu recto, pars aeris insequens mobile rarefit; pars autem cedens illi mobili condensatur; imo Tatar. 4. Phys. qu. de Vacuo dub. 3. tenet probabiliter tam rarefactionem, quam condensationem fieri præcise per motum localem; & quidem mirum est, quomodo respondens hic adeo pro certo supponat calorem, & frigus præcise esse causas rarefactionis, & condensationis, cum id exp resse neget inferius in Append. n. 124. ubi negat calorem formale m naturalem rebus esse causam, cur sint leves, & raræ, aut frigus naturale esse causam, cur sint graves, & densæ; id ibi negat, quia sibi non conducebat, hic vero supponit pro vero, quia sibi favet.

At nititur probare, quod nec motus localis sufficit ad condensationem, tum quia falsum est, quod ille solus possit condensare; aut si posset aliquantulum, certe incredibile est, quod sufficere possit ad tantam condensationem, quantam requiritur in casu magnæ flammæ; & rursus quamvis sufficeret motus ad condensationem aeris, quæ fieret accensa flamma, non poterit sufficere ad rarefactionem, quæ fit extincta flamma, & generato aere ex ipsa; alias eadem esset causa rarefactiva, & condensativa ejusdem substantiæ. Hæc tamen probatio non convincit, nam in exemplo nuper adducto ex mobili in aere motu recto agitato, per eundem motum una pars aeris rarefit, & alia condensatur, neque novum est idem esse posse causam contrariorum per accidens, scilicet unius per se, & alterius per accidens: motus per se est causa caloris, & per accidens est etiam causa frigoris, sic igitur in proposito contingere potest, quod casu per se rarefaciens condenset etiam per accidens, dum enim rarefaciendo extendit corpus, v. g. ignem, vel aerem ad majorem locum pellit effective per motum aliud corpus conterminum, vel aerem contiguum, qui ut corpori rarefacto cedat, in remotiori parte, quam non attingit calor, v. g. rarefaciens, constipatur, & condensatur; hic autem effectus procedit a calore mere per accidens, quia finis ejus est rarefacere, & corpus extendere ad ampliorem locum, verum quia id nequit efficere nisi pellendo corpus contiguum, & circumstans eam extensionem impediens, ideo per accidens tantum dicitur condensare mediante motu: unde assignamus semper causam secundam aliquam condensationis, quæ fit in casu rarefactionis; aut rarefactionis, quæ fit in casu condensationis absque recursu ad causam primam, hasque mutationes esse semper invicem connexas docent Tatar. & Angestus loc. cit. ubi ait nihil per naturam rarefieri, quin aliquid condensetur, nec aliquid condensari, quin aliquid rarefiat, alias in rarefactione esset penetratio dimensionum partis rarefactæ cum corpore circumstante, & in condensatione esset vacuum in loco derelicto a parte condensata, quare illic aliquid cedere, & hic aliquid succedere oportet, quæ Doctrina ex Aristot. deducitur 4. Phys. 84. & 85.

Sed quia diximus in illa responsione, Arriagam quoque concedere teneri connexionem rarefactionis cum condensatione, quia si per condensationem corpuscula ex uno corpore egrediuntur, quod condensari dicitur ob eorum egressum, aliud interim intrare debebunt, quod dicetur rarefieri ob eorum ingressum, Pontius ait num. 93. satis inadvertenter hoc nos dixisse contra Arriagam, nam Arriaga expresse ostendit, quomodo id non sit necesse, nam in casu illo accensæ flammæ non debent ulla corpuscula egredi ex partibus interioribus aeris, sed sufficiet quod exeant partes exteriores, & viciniores relictis allis partibus eodem modo inter se unitis, quo ante; si autem ii

fieret, non condensaretur aer, qui esset extra ignem, ut est evidens. Fatemur Arriag. cit. n. 207. niti hanc difficultatem effugere, verum nec propriis verbis, nec patrocinio Advocati suffultus aufugere potest, nam semper argumentum urget, in ea enim opinione rarefactio fit per ingressum corpusculorum in unum corpus, & per egressum ab alio fit condensatio; sed nequeunt corpuscula flammam v. g. ingredi, quin ab alio exeant corpore, v. g. aere circumstante, ergo etiam in ea sententia rarefactio, & condensatio sunt connexa; Et quidem parum refert, quod corpuscula illa egrediantur ex partibus interioribus aeris, vel exterioribus, nam sive hinc, sive illinc desumantur, minorem occupat locum aer circumstans, quam antea, & consequenter factus est densior in ea opinione. Dices minorem occupare locum, quam antea, non quia densior sit factus, sed quia paulo minor quam antea, ut ait Arriaga, & quia partes interiores sunt unitæ, & continuatæ adinvicem, ut prius, non est densior, sed in eadem raritate relinquitur. Contra, quia parum referre videtur ad minoritatem, quam causat condensatio in corporibus, quod fiat per ablationem partium internarum, non externarum, & ad majoritatem, quam causat rarefactio, quod fiat per additionem ad partes internas, dummodo corpus per talem additionem vel detractionem factum sit majus, vel minus, & occupet majorem, vel minorem locum; & ratio est, quia præcipuus rarefactionis effectus est ampliare corpus ad majorem locum, quam antea, sicut condensationis ad minorem coarctare, sed hic effectus habetur in corporibus undequaque fiat additio, vel detractio corpuscolorum; ergo talis occupatio majoris, vel minoris loci vere erit effectus rarefactionis, & condensationis.

Conf. quia *juxta hanc opinionem* rarefactio est quædam auctio, quia fit per additionem partium substantialium corpori rarefacto, & e contra condensatio est quædam diminutio, quia fit per detractionem partium substantialium rei condensatæ, & parum refert, quod hæ sint interiores, vel exteriores; sed auctio, & diminutio sunt mutationes naturaliter necessario connexæ; ergo etiam rarefactio, & condensatio in hac opinione.

Secunda difficultas, quæ tollitur in sententia Arriagæ erat, quia in ea assignatur facile ratio a priori, cum non possit naturaliter dari vacuum, quæ in aliis sententiis assignari nequit, est autem quia corpora quanta sunt impenetrabilia naturaliter, & quod universum est plenum illis. Ad hoc negavimus supra nu. 16. hanc esse rationem a priori repugnantiæ vacui, quia talis assignari nequit, idque solum pendere ab extrinseco Dei decreto dicimus, quo statuit creare mundum corporibus plenum, & ita illud unitum, & contiguum conservare; non est autem illa ratio a priori, quia quis dicere posset e contra repugnare corporum penetrationem ob impossibilitatem vacui, cum non sit magis evidens repugnantia unius, quam alterius, tum quia dicere non dari vacuum, quia universum est corporum plenum, quæ sunt impenetrabilia, est manifesta petitio principii, quia id est, quod quæritur, cur Deus corporibus replevit hoc totum spatium infra Cœlum, & nihil vacui interjectum reliquerit, unde concludimus hoc omnino debere reduci in extrinsecum Dei decretum.

Resp Pontius nu. 95. nos iterum subsannando falsum esse quod illa non sit optima ratio a priori, cur non possit dari vacuum de facto, si totum universum sit plenum corporibus quantis, & non possit fieri condensatio absque interpositis corpusculis, nam posito hoc est evidens non posse sequi vacuum, & hoc ipsum esse causam optimam, cur non possit sequi. Antequam hujus responsionis nullitatem ostendamus, placet advertere pulcherrimam phrasem respondentis, ut Lector judicet, an nos quo plura dicimus, eo magis peritiam nostram prodamus, ut ipse per ironiam dicit, an potius ipse, ait falsum esse, quod non sit optima ratio a priori, cur non *possit dari de facto* vacuum, est ne apta phrasis hæc, vel potius repugnantia in adjecto? quando quærimus, an possit dari vacuum, excludimus factum, & quærimus de sola possibilitate; quando quærimus, an de facto detur vacuum, supponimus possibilitatem, & quærimus factum, male ergo componitur factum cum possibili, quamvis enim factum possibile supponat, & ab actu ad potentiam teneat consequentia, currit, ergo currere potest, non tamen e contra, potest currere, ergo currit; vide quot ineptias respondens incurrit, quoties-cumque nos subsannare prætendit; dicimus itaque non sufficere, quod dicat illam esse rationem a priori, sed hoc esse probandum, & replicamus, quod sicut ipse ait vacuum repugnare ob impossibilitatem penetrationis corporum, tanquam per rationem a priori, ita nos e contra dicemus penetrationem dimensionum repugnare ob impossibilitatem vacui, cum unum non sit evidentius alio.

Ad 2. ait n. 96. quod mihi ridiculum apparet, respondeo verum esse a decreto Dei ortum, quod totum universum sit plenum materia quanta; sed hoc non tollit quin præter decretum Dei sit quærenda alia ratio, ob quam non detur vacuum: nam sicut quamvis non esset Sol, nisi esset decretum Dei de ipso formando: tamen alia causa assignari potest, & debet caloris diurni præter decretum Dei: & absurde satis, si quis quæreret quare caluerit de die, responderet; quia Deus id decreverit, quandoquidem possit assignari, quod Sol sit applicatus: ita in proposito. Cavillationes quærit respondens, ut nos ridiculos faciat, vel argumentum nostrum non intellexit: nos dicimus, quod si quæratur, cur de facto non detur vacuum: & respondeatur quia Deus facit hoc universum corporibus impenetrabilibus plenum, inepte respondetur, & manifesta petitio principii committitur, quia id est quod quæritur, cur Deus totum hoc spatium corporibus repleverit, & nihil vacui interjectum reliquerit, unde tandem ad extrinsecum Dei decretum recurrere debemus; & hoc ingenue est intentum secundi illius nostri argumenti, per quod patet paritatem de Sole assumptam a respondente ad rem non esse, qui si in alio sensu longe diverso argumentum intellexit, forte potest ex parte excusari (ut mitius cum eo agamus, quam ipse nobiscum) quia nonnullus error sensum immutans irreperat in illo paragrapho nostro ex Amanuensis incuria, vel Thipographi.

QUÆSTIO III.

An per rarefactionem acquiratur nova quantitas, & deperdatur per condensationem.

19 CEnsent quamplures rarefactionem fieri per acquisitionem novæ quantitatis, condensationem e contra per deperditionem, sed non eodem modo explicant, dicunt enim aliqui in rarefactione totaliter produci novam quantitatem majorem, corrupta totaliter præcedente, in condensatione vero corrumpi totaliter majorem, & acquiri novam minorem, ita Gotfred. quol. 11 q. 3. Marsil. 4. q. 9. art. 2. Hispal. 2. ad 18. Pomponatius lib. 2. de Augmen. cap. 10. quem dicendi modum tuetur ut probabilem Aversa q. 38. sect. 4. supponendo tamen, quod quantitas non sit immediatum subjectum aliorum accidentium, sed alia quædam potentia de genere qualitatis, ut ipse jam asseruerat q. 21. sect. 6. *Alii vero magis communiter*, & magis probabiliter dicunt in rarefactione aquiri tantum novam partem quantitatis; & hanc addi priori, atque ita fieri, ut res, quæ rarescit, majorem occupet locum, quam antea, in condensatione vero partem aliquam tantum quantitatis deperdi aliqua permanente, ita Cajet. 3. p. q. 77. ar. 5. Tolet. 4. Phys. q. 18. & ex nostratibus quamplures Faber. in Philosoph. naturali Theor. 44. & 4. disp. 50. Camerar. p. 2. disp. phil. q. 29. Roccus 4. Phys. q. 10. Birag. 1. de Gen. q. 16. Bassol. 4. d. 12. q. 3. & ut probabilem tuetur Tatar. 4. Phys. qu. de vacuo dub. 3. pro qua etiam ab omnibus fere citatur Doct. 4. d. 12. q. 4. ubi hanc opinionem appellat communem, qua de causa Scotistæ quamplures eam amplectuntur, ut de mente illius, & Camer. cit. eundem 1. Phys. q. 3.

20 Dicendum tamen est, non produci novam quantitatem in rarefactione, nec in condensatione corrumpi, neque totaliter, neque partialiter quocunque modo id asseratur. Est fere communis his temporibus, Socin. 8. Metaphyc. q. 17. & 27. Soto in prædic. quant. Fonsec. 1. Metaph. c. 13. q. 1. sect. 4. Conimb. 1. de Gen. c. 5. q. 27. Complet. ibid. disp. 7. q. 2. Jo. de S. Thom. q. 7. art. 1. Ruv. 1. de Gen. tr. de rarefact. q. 1. Hurt. disp. 4. sect. 2. Aresc. disp. 4. q. 36. sect. 3. Morisc. disp. 3. dub. 7. & alii passim; & quidem quoad primam partem, quod quantitas nec aquiratur, aut deperdatur totaliter in his mutationibus, ex professo defendit Doct. loc. cit. contra Gotfr. imo ad hoc probandum omnes ejus utuntur rationibus; sed tenet etiam quoad alteram partem, si bene legatur, nam §. *Quantum ad ipsum opinionem* ait, quod eædem difficultates premunt utramque opinionem asserentem in rarefactione produci, & condensatione corrumpi quantitatem, sive secundum totum, seu secundum partem, ut postea constabit probando conclusionem, hoc idem repetit §. *Quantum ad secundam conclusionem istius opinionis*, & rursus §. *Ad quæst.* versic. *sed de tertia transmutatione*, & respondens ad rationes, quas pro opinione Gotfredi formaverat, primam dumtaxat solvit, quia contra argumentationem quoque militabat, non vero secundam, quæ tamen mirabiliter convincit secundum dicendi modum jam relatum de acquisitione quantitatis, ac deperditione, ut videbimus, & in fine tandem illius quæst. inquit Doctor, quod rarefactio, & condensatio secundum accidens pertinet ad quantitatem, quod verum non esset, si per ipsas nova quantitas acquireretur, vel deperderetur aliquo ex prædictis modis; immerito citatur Doctor opposita sententia, ut etiam ex Recentioribus hic adnotavit Aresc. & immerito Camer. cit. Doct. 3. Phys. q. 3. quia ut sæpe diximus opus illud est Marsilii Inguen Nominalis, cujus originalia habentur in nostris bibliot. Bononiæ, & Neapoli.

Antequam conclusionem propositam probemus, occurrendum est Pontio, qui in append. apolog. n. 97. inquit, nos non bene colligere ex locis Scoti citatis, quod eam non tenuerit quoad quantitatem partialem, nam falsum est Scotum id dixisse, quod eædem difficultates militent contra utramque sententiam de quantitate nova, sive totali, sive partiali, neque enim id dicit ulla ratione, sed solum quod difficultas principalis quæstionis illius duodecimæ æque militet contra utramque; quod quidem verum est, quia illa difficultas principalis est, quomodo possit agens naturale rarefaciens species consecratas producere absque subjecto novam quantitatem sive totalem, sive partialem ad hoc requisitam juxta sententiam illam utramque, cum nullum sit subjectum quantitatis ullius in illis speciebus, ut supponit Doctor juxta communiorem suo tempore sententiam. Certum autem est, quod non sit idem illam difficultatem, & cæteras militare contra ipsam, imo est evidens, quod cæteræ difficultates non militant contra utramque, nam difficultas illa, quam urget Sotus contra sententiam de quantitate totali nova, nimirum quod sequeretur non mansuras ullas qualitates ex qualitatibus consecratis post rarefactionem, non militat contra quantitatem partialem, si illa tantum diceretur produci in rarefactione specierum.

Quod etiam non responderit ad 2. rationem, quæ urgeri posset contra sententiam de qualitate partiali, non probat cum ulla apparentia, quod existimaverit non acquiri quantitatem talem partialem,

lem, nam familiare est Scoto aliquas difficultates proponere contra sententiam suam propriam, & eas insolutas relinquere sub *illis ipsis* verbis, quibus utitur hic *responsionem quære*. Deinde quod dicit Doct. in fine quæstionis, §. *ad tertium*, non solum non favet Mastrio, sed potius est directe contra ipsum, unde ille ipse locus adduci solet a Scotistis in favorem sententiæ asserentis quantitatem novam aliquam in rarefactione acquiri, ut notatur in margine in editione Cavelli, nam dum Scotus ibi dicit, quod rarefactio, & condensatio spectet per accidens ad quantitatem, hoc ipso ostendit, quod in rarefactione acquiritur aliquo modo quantitas, & in condensatione deperditur, neque enim alias per se, aut per accidens darentur ad quantitatem istæ actiones tamquam ad terminum; unde tandem concludit more suo, nos non intellixisse Scotum.

Veremur tamen a contrario sensu id esse intelligendum, ut mox constabit, verum est Doctor loc. cit. dicere, quod eadem difficultas illa principalis nempe producendi quantitatem sine subjecto, militat contra utramque sententiam; cæterum quia omnes aliæ difficultates, quæ contra utramque opinionem promoveri solent, ex illa principali deducuntur, velut lineæ a centro, omnes enim, & singulæ illuc collimant, ut mox patebit, quod quantitas tota, vel pars ejus producatur ab agente naturali sine subjecto, vel una pars compenetrabitur cum alia, ideo quando Scotus dixit eamdem illam difficultatem principalem utramque urgere opinionem, clare indicavit militare quoque alias, inde consequentes, unde si Pontius *bene consideraſſet* energiam difficultatis illius principalis, & quæ aliæ cum ea sint connexæ, non dixisset quod cæteræ difficultates non militent contra opinionem de nova quantitate partiali; neque asseruisset hoc esse evidens, nam probando conclusionem, nos demonstravimus evidens esse oppositum, nempe cæteras difficultates ex illa principali pendentes contra utramque militare sententiam, imo infra nu. 24. ostendimus illam quoque rationem, quam ipse ait militare solum contra sententiam de quantitate totali nova, contra utramque urgere, si ergo volebat esse evidens, & certum, quod cæteræ difficultates non militent contra utramque sententiam, debebat occurrere rationibus nostris, quatenus illas promovemus indifferenter contra utramque opinionem, & ostendere, quod non procedant contra opinionem de nova quantitate partiali, sed solum totali, quod cum non faciat, evidens est ipsum nec Scotum intellexisse, neque illarum rationum energiam, ac verum esse, quod sæpius de eo diximus, esse ejus genii, ut multa dicat, sed pauca probet.

Ratio autem, cur Doctor secundum argumentum pro opin. Gotfredi insolutum reliquerit, non est penitus voluntaria, ut Pontius velle videtur, sed ea est, quam Tatar. in ea quæstione insinuat, dum inquit. Ad istam *rationem* dicit Doctor, solutionem quære, quasi dicat, quod argumentum ex parte Gotfredi est satis forte contra illos, qui dicunt, quod per rarefactionem acquiritur quantitas, & tamen præcedens non corrumpitur, quia tunc oporteret, quod concederent penetrationem dimensionum, eam igitur rationem insolutam relinquit data opera, quia ut dicebamus, mirabiliter convincit opinionem de quantitate partiali, in quam non propendebat. Quod tandem ait, locum pro *nostra conclusione* citatum ex Doct. in fine illius qu. nobis non favere, sed sententiæ asserenti quantitatem novam aliquam in rarefacti one acquiri, est immerito, & prorsus voluntarie dictum; quia Auctores illius opinionis prætendunt novam quantitatem partialem secundum ipsos per rarefactionem acquisitam esse terminum per se, & non per accidens illius transmutationis, alioquin quæsito non responderent; dum enim hic quæritur, quid per rarefactionem acquiratur, & quid per condensationem deperdatur, non quæritur de termino per accidens, vel concomitanti, sed de termino primo, & per se, a quo tantum specificatur motus, & mutatio; unde ex hoc potissimum loco deducit Aretinus de mente Doctoris 4. d. 12. qu. 4. art. 3. in fine rarefactionem non esse per se motum ad quantitatem, quicquid *Pontius in oppositum crocitet*; quo autem sensu sit ad quantitatem per accidens patebit ex dicendis infra quæstione quinta.

21 Primo itaque prob. conclusio ratione secunda, quam affert pro Gotfredo, & non solvit, est enim præcipuum fundamentum hujus conclusionis, & quamvis a Doctore ibi afferatur ad probandum non acquiri novam quantitatem secundum partem, ut faceret pro Gotfredo, si tamen bene perpendatur, convincit, nec etiam acquiri secundum totum; supponendo itaque quod in rarefactione nulla est aggeneratio substantialis, sicut est in augmentatione, nam in raritate totum, quod præfuit, est rarius secundum easdem partes, quas habuit; ideoque si esset nova partialis substantia, non posset rarius formaliter dici secundum omnes partes, sic arguitur ex Doctore, pars illa quantitatis, quæ de novo acquiritur, vel producitur in tota materia jam præcedente, vel in parte materiæ, non in tota materia, tum quia eadem materia afficeretur duplici quantitate; tum quia ambæ illæ quantitates non adhuc facerent materiam extensiorem, quia se penetrarent; non etiam in sola parte, quia pars illa materiæ, vel prius habuit quantitatem, vel non; si prius habebat, & adhuc illam retinet cum posteriori, sequitur idem absurdum, si non habuit, sequitur dari aliquam materiam sine quantitate, quod non est minus absurdum in Philos. neque dici potest, quod aliqua pars prioris quantitatis se retrahat in alias materiæ partes, quia inde idem sequeretur absurdum de duplici quantitate in eadem materia, & rursus accidens migraret de subjecto in subjectum. Hæc autem ratio, ut dicebamus, pariter quoque convincit, quod non producatur totaliter nova quantitas major, hæc enim subjectari nequit in materia præcedenti adæquate, cum illam excedat secundum aliquam partem, quare secundum partem excedentem aut manebit sine subjecto, aut compenetrabitur cum aliqua alia parte quantitatis, & sequuntur absurda, quæ prius. Idem argumentum pro condensatione quoque deduci potest, nam si aliqua pars quantitatis deperditur per ea, tunc illa portio materiæ, quæ illi subsitabat, vel sine quantitate remanebit, vel *informari incipiet a quantitate remanente*, & tunc idem numero accidens erit in pluribus subjectis, vel migrabit ab una parte materiæ ad aliam, relinquendo illam priorem nudam, & servata proportione, sic argui potest, si tota quantitas perire dicatur, & alia minor induci, quia partes materiæ excederent partes quantitatis, quare *admitti deberet* vel aliqua portio materiæ sine quantitate, vel quod eadem pars quantitatis informet duas partes materiæ, & sic idem numero accidens sit in duobus subjectis adæquatis.

22 Ad hoc argumentum prout militat contra partialem acquisitionem, aut deperditionem quantitatis, conantur respondere Scotistæ eam tuentes; Bassolius cit. art. 1. in sol. ad 2. negat sequi in eo casu idem subjectum informari duplici quantitate, informatur enim una, quæ est major, quam prius, quia nova adveniens efficit cum priori unam quantitatem totalem majorem, sic a pari cum charitas augetur in anima, non ob id anima dicitur informari duabus charitatibus; sic etiam respondet Birag. cit. inquit enim quod quantitas adveniens est homogenea, & *ideo conjuncta cum præcedente constituit unam quantitatem*. Cæterum sic respondentes non videntur vim argumenti percipere, licet enim quantitas adveniens sit homogenea, & unum cum priori constituat unitate integritatis, adhuc tamen est realiter distincta a priori, & distinctum petit subjectum, sicut una aqua alteri superinfusa utique constituit unam aquam cum ea unitate integritatis, sed quia est realiter ab ea distincta, locum quoque distinctum postulat, & sicut hæc aqua illi addita non posset poni in eodem loco sine penetratione unius cum alia, ita quoque dicendum est de quantitate posteriori addita priori, quod nequeunt informare idem subjectum sine penetratione, & in hoc consistit vis argumenti, non autem in eo, quod sit una, vel duplex quantitas; exemplum vero de charitate a Bassol. adductum est prorsus abs re, quia ibi subjectum est indivisibile, & charitas augetur in anima intensive, non extensive, unde ejus auctio, cum sit intensio, attenditur penes idem subjectum, at auctio quantitatis, cum sit extensio, attenditur *penes aliam*, & aliam partem subjecti. Tatar. cit. valde perplexe loquitur, tandem sistit in hoc, quod quantitas præcedens rarefactionem inhæret post rarefactionem ipsi toti, sicut prius, sed cum illa acquisita est una nova magnitudo, quæ duæ sufficiunt determinare simul subjectum tantum, & neutra illarum se sola sufficeret sic denominare subjectum. At neque Tat. vult vim argumenti percipere, utique verum est, quod quantitas præcedens non sufficit sine nova adveniente denominare subjectum tantum, & quantitatem præcedentem adhuc inhærere post rarefactionem ipsi toti, sed difficultas est de subjecto, cui insidet quantitas adveniens, nam si est idem totum, vel aliqua pars, cum ante rarefactionem nulla pars ejus esset sine quantitate, tunc duæ *quantitates erunt in eodem subjecto. Faber theor. cit. inquit*, quod in rarefactione propter præviam alterationem corpus fit subtilius, & extenditur, & consequenter potest esse quantum priori quantitate, & posteriori simul, nec per hoc datur penetratio dimensionum, quia ante rarefactionem corpus illud non erat *quantum tanta quantitate*, quanta in posteriori. Hic vir percepit vim argumenti, sed non videmus, quomodo neget sequi penetrationem ex hoc, quia ante rarefactionem corpus non erat quantum tanta quantitate, quanta in posteriori, imo quia corpus non erat quantum ante rarefactionem tanta quantitate, quanta est in posteriori, ideo datur penetratio dimensionum, quia eadem materiæ pars cum quantitate præcedenti suscipit aliam novam, cum per alterationem præviam non producatur *nova pars materiæ, quæ sit subjectum novæ quantitatis*.

23 Respondent alii argumentum supponere, quod nova quantitas addatur priori, vel per superpositionem, itaut adæquate se penetrent in eadem parte materiæ, vel per juxta positionem, itaut quantitas adveniens per se subsistat sine subjecto, hæc autem suppositio est falsa, quia neutro modo pars quantitatis novæ additur priori, sed additur per quamdam veluti mixtionem, & confusionem cum partibus quantitatis præcedentis, ita quod fieri nullatenus queat distributio illa *partium quantitatis novæ*, & veteris in argumento facta, nam nulla pars materiæ assignari potest, quæ non utramque possideat quantitatem. Sed velint, nolint, altero illorum modorum fieri debet additio *novæ quantitatis*, & frustra recurrunt ad illam permixtionem, & confusionem, ut magis rem confundant, vel enim quantitas *nova* continuatur veteri per totum subjectum absque ulla interruptione, itaut nulla sit pars materiæ, quæ utramque non *possideat* quantitatem, & sic additio fiet *veluti per superpositionem; vel* neutra est alteri continuata per totum, sed quantitas præcedens se retrahit a quibusdam partibus materiæ, quas prius informabat, ut locum faciat subsequenti, & sic additio fiet per juxta positionem; si fiat primo modo, sequitur *penetratio*; si secundo modo, sequitur *transmigratio quantitatis de subjecto* in subjectum. Neque possibile est, ut isti *fingunt*, quantitatem novam ita confundi cum veteri, ut saltem a Deo discerni nequeat, quænam sit nova, quæ antiqua, & in qua parte subjecti hæc, & illa insideat, nam licet sint homogeneæ, adhuc tamen sunt realiter distinctæ, ergo videret, an se conjunctim penetrarent

per

per superpositionem, an potius essent in variis partibus materiæ per juxtapositionem, sicut a pari quantumcumque aqua miscea-tur alteri, & cum eo confundatur, semper Deus discernit unam ab alia, & locum unius a loco alterius. Camer. denique loc. cit. omnes istas agglomerat solutiones, sed præsertim in eo sistit, quod penetratio attenditur in eodem locum, non in ordine ad subjectum. Hoc tamen frivolum est, quia saltem duæ quantitates erunt in eodem subjecto, & consequenter eisdem correspondebunt partibus loci, & sic penetrabuntur.

24 Secundo, principaliter prob. supponendo communem opinionem, quod quantitas sit immediatum subjectum aliorum accidentium, quam ex professo docuimus disp. 3. Phys. qu. 3. ar. 2. hoc supposito sic arguit Doctor, in toto corpore rarefacto, & extensiori eadem accidentia reperiuntur, quæ antea, totum enim vinum rarefactum est ejusdem caloris, saporis, &c. vel ergo ista accidentia sunt eadem prorsus numero in illa quantitate de novo genita, sive partiali, sive totali, vel eadem secundum speciem dumtaxat de novo producta ad productionem novæ quantitatis; non primum, quia accidens migraret de subjecto in subjectum, & si quantitas statuitur immediatum subjectum accidentium, ad ejus interitum omnia interibunt; nec secundum, quia, ut arguit Doctor, impossibile est agens rarefaciens inducere posse omnes illas qualitates, quas nequit virtualiter continere, at ignis rarefaciens vinum non continet partialiter qualitates illius mixti, rarefaciens aquam non continet humiditatem ejus, & si hoc vinum est dulce, & alterum amarum, idem ignis, vel Sol rarefaciens utramque non poterit in uno producere dulcedinem, & in altero amaritudinem, & calorem diversum; hanc rationem urget Faber. cit. contra opinionem Gotfredi non advertens æque efficaciter contra suam procedere.

Tertio, idem argumentum adhuc magis promovet Doctor ex mysterio Eucharistiæ, cum enim species rarefiunt, aut condensantur, si prior quantitas aboletur cum omnibus accidentibus, & alia nova succedit cum novis accidentibus, vel Christus non erit sub his accidentibus, vel incipiet esse de novo sub illis absque consecratione, & idem absurdum sequitur, si non tota quantitas dicatur acquiri de novo, sed tantum aliqua pars addi: nam de hac parte de novo addita idem infertur absurdum, quod de tota quantitate inferebatur. Sed, & rursus ad hanc opinionem, quocumque modo sustineatur, aliud sequitur absurdum non minoris momenti, quod cum virtute naturalis agentis possint species sacramentales condensari, & rarefieri, si nova producitur quantitas, & destruitur præcedens, cum hic quantitas reperiatur sine subjecto, agens naturale illam producet per creationem, & destruet per annichilationem, nam illam producet, & destruet independenter a subjecto; ita discurrit Scotus §. *Quantum ad 2. conclusionem*, & in 1. dist. qu. 3. litt. SS.

25 Nonnullas evasiones ad hæc adducit Doct. quæ passim ab Auctoribus afferuntur, veluti Scoti responsiones pro tuenda opposita sententia, a qua ipsum stare arbitrantur; sed sicut temere judicarunt de mente Doctoris, ita etiam & de evasionibus, quas affert ad hoc argumentum ex Eucharistia deductum, quandoquidem fixo pede illas rejicit. Si enim dicatur ad primum inconveniens, quod manet Christi Corpus, quamdiu manent accidentia, quæ nata essent afficere panem, si adesset, non autem præcise, quamdiu hujusmodi accidentia manent eadem numero. Contra arguit Doctor, quia ista quantitas, quæ succedit quantitati præexistenti, non magis est eadem quantitati præexistenti, quam quæcumque alia in una alia Hostia non consecrata, imo minus est eadem, quia ista est incompossibilis illi in essendo, non sic illa, ergo non magis erit Corpus Christi sub ista nova quantitate, quia præsuit sub illa alia, quam erit sub quacumque alia quantitate; & si fugias ad successionem hujus quantitatis ad illam, adhuc instat Doct. sub nulla quantitate est Corpus Christi, nisi per conversionem, & consecrationem, sed per conversionem, & consecrationem non accipit esse, nisi sub ista quantitate, & illa est omnino alia, sicut quantitas alterius Hostiæ non consecratæ, ergo &c.

Rursus si dicatur ad alterum absurdum non sequi, quia si tota quantitas producitur, non dicitur creari, quia non succedit nihilo, sed quantitati veteri præcedenti; si vero producitur tantum nova pars, adhuc majori ratione nequit dici creari, quia præsupponitur vetus, cui recens adjungitur. Utrumque occursum præcludit Doctor, prima solutio non valet, quia quando succedens est, tunc non est illud, cui succedit, ergo propter illud non variatur succedens in se, sicut si novus Mundus produceretur a Deo ex nihilo immediate post hujus Orbis destructionem, ista successio non tollit creationem, si novus ille Mundus ex nihilo producitur; alteram quoque solutionem refellit sub litt. G. quia omnino impertinens est ad excludendam creationem, quod quantitas recens veteri conjungatur, quia non conjungitur illi, velut accidens suo subjecto, a quo educatur, sed velut una pars integralis alteri comparti per indivisibilia, quare concludit Doct. ibidem, quod tenendo hanc opinionem, quæ tunc temporis communis erat, quod in rarefactione producatur nova quantitas, melior modus evadendi propositam difficultatem est, quod solus Deus in tali casu producit quantitatem supplendo insufficientiam agentis naturalis: quam solutionem refert Aversa, ut Scoti genuinam; sed perperam, ea enim solum adducit ex hypothesi, quod teneatur illa opinio communis, ut patet ex ipso contextu.

26 Quarto, tandem probatur opin. de totali productione, & destructione quantitatis in rarefactione, & condensatione nec etiam defendi posse in eo sensu, quo cogitavit Aversa. Tum quia potentia illa de genere qualitatis, quæ sit immediatum, & proximum subjectum cæterorum accidentium, etiam quantitatis ipsius, quam comminiscitur Aversa, est prorsus vana, & commentitia, ut ostendimus disp. 3. Phys. qu. 3. art. 2. Tum quia ea admissa nullum aliud evitatur absurdum, nisi quod ad destructionem quantitatis cætera accidentia perire opus non erit, nec agens naturale producendo novam quantitatem, eam creabit, quia adhuc aget dependenter e subjecto, ut his exceptis hic dicendi modus omnes adhuc incurrit difficultates, quas supra urgebamus, ut per singulas discurrenti constabit; tum quia quantitas in subjecto non corrumpitur per contrarium, quia contrarium non habet, unde vel ponitur ingenerabilis, & corruptibilis ab iis, qui eam materiæ perpetuo affigunt, vel ponitur interire ob defectum subjecti apud eos, qui eam affigunt composito, vel alicujus necessario consequentis ad ipsam, ut notavit Doct. cit. sub lit. G. at in casu rarefactionis, & condensationis non deficit subjectum quantitatis, ergo nec ipsa deficit. Tum tandem, quia si in his mutationibus tota destruitur quantitas præcedens, & alia nova producitur, rarefactio fiet in instanti, quod est falsum, quia est motus continuus, & sequitur alterationem, quæ continue efficitur. Sequela prob. quia si in tempore fieret, jam quantitas nova esset compossibilis secundum aliquam partem cum quantitate antiqua secundum aliam partem, quod est contra ipsos, quia in sententia istorum tota quantitas præcedens est terminus a quo, & quantitas nova est terminus ad quem, at isti termini sunt omnino inter se incompossibiles secundum totum, & secundum partes, ut patet in terminis cujuscumque mutationis.

27 *In oppos. objic.* Primo quia in rarefactione acquiritur nova extensio, ut patet ad sensum, & in condensatione deperditur, ergo & nova quantitas, quia extensio est ratio formalis quantitatis, vel saltem ejus passio. Tum 2. in rarefactione res quanta fit major, in condensatione minor, ergo variatur quantitas. Tum 3. si non majoraretur quantitas rarefactione, aer decem pedum diceretur æqualis aquæ unius pedis, imo eadem quantitas poneretur successive in diversis speciebus, quia interdum esset pedalis, quandoque bipedalis per rarefactionem, hæ autem sunt differentiæ quantitatis. Tum 4. intensio qualitatis non fit sine additione qualitatis, ergo nec extensio quantitatis sine additione ejusdem. Tum 5. ratio occupandi locum est ipsa quantitas, ergo major extensio localis, qualis habetur per rarefactionem, non nisi a majori quantitate provenire potest, nam per locum topicum, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, &c. Tum tandem, quia si major extensio non arguit majorem quantitatem, destruitur medium cognoscendi majus, & minus quantum, hæc enim discernere solemus ex majori, vel minori mole, & extensione.

Resp. ad 1. neg. conseq. cum ejus probatione, nam ut late docuimus disp. 9. Phys. qu. 1. & 2. Actualis extensio localis non est ratio formalis quantitatis, nec ejus propria passio, sed effectus, & actus passionis ejus ab ea separabilis spectans ad prædicamentum situs, ut constat de corpore Christi in Eucharistia, ubi habet suam quantitatem sine ulla extensione locali, ita notavit Doctor 4. d. 10. q. 1. M. Ad 2. neg. assumptum, quod enim sit rarius plane recta ratione nequit dici fieri majus, alioquin ut inquit Aretius, rem rariorem, ut ceram, & oleum liceret pluris vendere, quam eamdem densam, quod est falsum; fit ergo in rarefactione, & condensatione idem corpus magis, & minus extensum, non magis, & minus quantum, seu majus, & minus.

Ad 3. licet aer decem pedum nequeat dici æqualis aquæ unius pedis loquendo de æqualitate, quæ attenditur penes extensionem localem, & est passio prædicamenti situs, dici tamen potest æqualis loquendo de æqualitate, quæ attenditur penes multitudinem partium quantitatis, & materiæ, quia non sunt plures in uno, quam in alio; hinc tamen non sequitur, ut in argumento deducebatur, eamdem quantitatem transituram de specie in speciem, eum nempe ex pedali fit bipedalis, & e contra, quia, ut notat Tatar. cit. & consentit Moris. pedale, & bipedale, bicubitum, & tricubitum non sunt proprie species quantitatis, sed situs, nam pedalitas proprie dicit tantam distantiam duarum partium in ordine ad locum, & ratione hujus dicuntur esse quantitatis species. Possunt tamen dici species quantitatis, prout significant tot, vel tot partes quantitatis in se præscindendo a loco, & situ, quo pacto quantitas pedalis in rarefactione non fit bipedalis.

Ad 4. neg. paritas, quia intensio qualitatis fit in eadem parte materiæ; nec repugnat eamdem materiam simul pluribus partibus gradualibus informari, at extensio quantitatis nequit fieri circa eamdem materiæ partem per novam additionem quantitatis, quia de ratione quantitatis est impenetrabilitas, quare repugnat, ut in eadem parte materiæ sint duæ quantitates, quia penetrarentur, ex quo sequitur, quod si extensio fit secundum novam quantitatem, necessario deberet etiam fieri secundum novam materiam, & sic non esset rarefactio, cum ergo videamus interdum idem corpus absque additione substantiæ magis extendi, debemus dicere hoc fieri solum per dilatationem earumdem partium.

28 Ad 5. negatur assumptum, quia ut diximus disp. 9. Phys. cit. qu. 1. art. 2. substantia corporea est ratio occupandi locum dimensive, & divisibiliter; a quantitate vero solum habet, quod occupet impenetrabiliter, & per exclusionem aliorum corporum ab eodem, quare potius hinc argui deberet, quod in rarefactione acquiratur nova substantia, dicimus itaque, substantiam corpoream esse rationem fundamentalem essendi in loco extenso, & divisibili; ubicationem, quæ est præsentia localis, esse

esse rationem formalem, cur sit in tali loco; positionem tandem genere situs, quæ est actualis extensio per locum, esse rationem formalem, cur sit in tanto, & tanto loco. Dices corpori habenti plures partes materiæ, & quantitatis correspondet major, & amplior locus, quam habenti pauciores, unde corpori palmari correspondet extensio palmaris, & bipalmari bipalmaris, ergo extensio localis commensurari debet extensioni corporis in se, nec potest esse ratio essendi in toto loco, nisi dependenter ab ea. Resp. concedendo totum cæteris paribus, si nimirum partes corporis palmaris, & bipalmaris sint æque dispositæ in ordine ad locum, puta æqualis densitatis, vel raritatis, at negamus assumptum, si cætera non sint paria, nam corporibus debetur tantus, & tantus locus, non solum quia habent tot, & tot partes, sed etiam quia habent illas sic, & sic dispositas in ordine ad locari, nam eædem partes in statu raritatis petunt ampliorem locum, in statu densitatis angustiorem. Ad 6. ut dicebamus in Physic. loc. nuper cit. in fol. ad 1. ut moles, & extensio localis sint media idonea ad discernendam magnitudinem, & minoritatem corporum, comparari debent corpora in eodem statu, scilicet raritudinis; vel densitatis, quod si in diverso statu comparentur, tunc non tam attendi debet extensio localis, quam multitudo materiæ, & substantiæ reperta in utroque sub eadem dimensione, ut recte judicemus inter utriusque magnitudinem, & sic si comparatio fiat inter aerem bipalmarem, & ferrum palmare, hoc absolute dicendum est esse majus corpus illo, licet illud sit magis extensum, unde quantitas vel accipi potest pro ipsa multitudine partium corporis, vel pro ipsa extensione locali, prima est proprior acceptio, licet secundum vulgi conceptum altera sit communior; posset etiam retorqueri argumentum, quia major quantitas arguit majorem substantiam sibi substratam, unde in rarefactione etiam substantia acquiri deberet.

29 Secundo arguitur, sit materia palmaris, quæ per rarefactionem fiat bipalmaris, prius erat unus palmus quantitatis, postea duplex, sed secundus palmus non potest esse quantitas antiqua, quia illa erat prius palmus, a quo secundus realiter distinguitur, ergo erit nova quantitas. Tum 2. rarum communiter definitur, quod habet parum de materia sub magna quantitate, & densum, quod habet multum de materia sub parva quantitate, ergo nequit in rarefactione, & condensatione permanere invariata eadem quantitas, aliter eadem materia utrobique esset sub eadem quantitate. Tum 3. ubi variatur passio debet etiam variari subjectum, sed æqualitas, & inæqualitas sunt passiones quantitatis, & in rarefactione, & condensatione variantur, ergo, &c. Tum 4. quando ex pulvere sulphureo accenditur ignis, hic utique dilatatur, & nova tunc producitur quantitas major, quia compositum corrumpitur, quod erat subjectum antiquæ, ergo cum rarefactio fit absque corruptione substantiali saltem partialiter nova quantitas acquiritur. Tum tandem quia corpus, quod rarescit, augescit in longum, & latum, & profundum, at hæ sunt dimensiones quantitatis, ergo, &c.

Resp. hoc idem argumentum contra Adversarios retorqueri posse de substantia quantitati substrata, cum per rarefactionem ex palmari fit bipalmaris, dicimus ergo quantitatem palmarem fieri posse bipalmarem dupliciter, vel per additionem alterius palmi quantitatis, & hoc fieri nequit sine additione novæ substantiæ, quæ sit subjectum novæ quantitatis, alio modo per solam extensionem localem, & hoc contingit sine additione novæ quantitatis per solam dilatationem ejusdem quantitatis per omnes dimensiones in loco bipalmari, primo modo quantitas palmaris fit bipalmaris in augmentatione, secundo modo in rarefactione. Ad 2. per quantitatem in illis definitionibus intelligitur major, vel minor extensio, ac dimensio localis, non autem dimensio quantitativa. Ad 3. æqualitas, & inæqualitas secundum partes quantitativas, & magnitudinem molis sunt passiones quantitatis, nec istæ variantur in rarefactione, & condensatione, æqualitas vero, & inæqualitas secundum extensionem localem potius sunt effectus positionis in genere situs, & istæ variantur. Ad 4. neg. in eo casu materiam sulphuream majorem acquirere quantitatem, acquirit enim æqualem quoad entitatem, licet magis extensam, ac dilatatam, quodlibet enim corpus potest magis, & minus extendi secundum exigentiam propriæ formæ substantialis. Ad 5. corpus rarescens augescit in longum, latum, & profundum, non per additionem novæ quantitatis, alioquin & nova substantia addi deberet, sed per majorem extensionem, & dilatationem ejusdem spectantem ad prædicamentum situs, ut magis explicabimus infra qu. 5.

30 Tertio objicitur satis molesta difficultas, quando corpus rarefit, acquirit nova puncta, ergo & novas partes quantitatis, patet consequentia, quia si termini multiplicantur, debent etiam terminata multiplicari; probatur assumptum, puncta ante rarefactionem erant simpliciter adæquata punctis prioris loci minoris, & correspondebant singula singulis, ergo sicut post rarefactionem addita sunt nova puncta loco, quoniam major est, ita & corpori locato, aliter eadem puncta, quæ uni palmo erant adæquata, adæquarentur simul duobus, & adhuc pluribus palmis.

Resp. varias solutiones ad hoc argumentum afferri ab Auctoribus, ut plurimum inutiles, qui omnes in hoc conveniunt (excepto Joann. de S. Thom. qui assumpto concesso negat conseq. quia plura indivisibilia possunt terminare, & continuare eamdem partem, quod reiicimus qu. seq.) quod negant assumptum, sed non eodem modo ad ejus probationem occurrunt. Conimb. hic ajunt posse adhuc corpus rarefactum correspondere omnibus punctis loci majoris, quia tot sunt puncta in quovis continuo minimo, quot in quantumcumque maximo; sed hanc doctrinam late refellimus disp. 9. Phys. qu. 2. art. 5. & 6. Compl. hic inquiunt posse corpus rarefactum correspondere punctis majoris loci, quia licet dum erat condensatum, omnia producta determinata corresponderent omnibus punctis determinatis medietatis illius loci, non tamen omnia puncta, quæ vago, & confuso modo reperiuntur in partibus proportionalibus ejus; nam sicut partes istæ hoc ipso, quod sunt magis condensatæ, sunt plures, quam partes proportionales loci correspondentis, qui supponitur rarus, ita in eis involvuntur vago, & confuso modo plura puncta, atque adeo non erant omnimoda, & omnino adæquate correspondentia inter illa, dum corpus locatum erat condensatum, & ideo cum rarefit, habet puncta sufficientia ad correspondendum punctis alterius medietatis loci, cui coextenditur, ut v. gr. cera liquefacta punctis alterius medietatis vasis, quam incipit occupare post rarefactionem. Verum casu, quo vas continens ceram ponatur densius cera, vel saltem æque densum, hæc solutio non satisfacit, quia tunc partes proportionales ceræ condensatæ non erunt plures, quam partes vasis illi correspondentes. At inquiunt, quod etiam in hoc casu poterit cera secundum puncta, quæ habet, absque additione aliorum correspondere rarefacta punctis alterius medietatis vasis, nam sicut cum cera parum rarefacta, poterat correspondere secundum puncta punctis primæ medietatis vasis, licet hæc sint plura, quam ea, quæ in cera inveniuntur, ita si partes illius magis rarefiant, ampliusque dilatentur, poterunt eædemmet ratione illius majoris raritatis, & dilatationis correspondere secundum puncta, quæ habet, absque additione aliorum, pluribus aliis punctis alterius medietatis vasis. Verum sic respondentes relinquunt difficultatem in tota sua vi, hoc enim est, quod quæritur, quomodo corpus per rarefactionem locum occupare possit in duplo, & triplo majore, quam antea, & adæquate correspondere punctis illius absque additione aliorum punctorum. Aversa, Aresius, & alii indivisibilia negantes in continuo arbitrantur se immunes ab hac difficultate. At disp. cit. Phys. qu. 2. art. 5. in fol. ad 6. advertimus hanc eamdem difficultatem molestare partes quoque.

31 Quare juxta ibi dicta modo dicendum est, posse minus quantum cum paucioribus punctis correspondere pluribus punctis alterius quantitatis majoris ratione diversæ dispositionis, & situationis; quod manifestis ibidem ostendimus exemplis, primo circuli majoris, & minoris in eo inclusi, dum enim sic sunt dispositi, & situati possunt singula puncta circuli minoris correspondere singulis majoris, nam a quolibet puncto circuli majoris duci possunt lineæ ad centrum minoris transeuntes per singula ejus puncta absque eo, quod coincidant, nisi in centro, quod licet dicant Compl. & Joann. de S. Thom. se capere non posse, id est, quia principiis Mathematicis erant parum imbuti; verum si circuli illi extendantur ad modum lineæ rectæ, non poterunt singulis lineis ductis a punctis circuli majoris correspondere singula puncta in linea illa circuli minoris, hoc idem alio non minus idoneo exemplo hic Ruvius ostendit (quod etiam ibidem innuimus, cum tamen hunc Auctorem hoc in loco adhuc non videramus) de quadrati costa cum diametro, nam quando diameter est in quadrato, possunt duci lineæ rectæ ab omnibus punctis costæ ad omnia puncta alterius costæ oppositæ per puncta diametri, itaut non concurrant multæ lineæ in eodem puncto ejus, sed singulæ pertranseant per singula puncta, & omnia omnibus correspondeant, at si eadem linea diametralis ponatur juxta costam per directum, utique eam transgreditur, & excedit notabili longitudine, & tunc si a costa ducantur omnes lineæ possibiles, non possunt correspondere omnibus punctis diametri, sed tantum illis, quæ continentur in longitudine æquali, quia secundum hanc longitudinem tantum possunt sibi correspondere per lineas rectas; ecce igitur quomodo puncta unius costæ correspondebant omnibus punctis diametri secundum primam dispositionem, non autem secundum alteram; sic itaque in proposito puncta aquæ, vel ceræ rarefactæ possunt correspondere omnibus punctis majoris loci, licet ante rarefactionem solum punctis minoris loci corresponderent; vide loc. cit. ubi amplius, & accuratius hæc doctrina declaratur. Interim hic advertas hanc difficultatem retorqueri posse in ejus auctores, positis enim indivisibilibus in quantitate, debet consequenter constitui etiam in substantia, ut diximus loc. cit. & tunc eodem prorsus modo urgeri poterit difficultas de punctis substantiæ tum respectu loci, tum respectu quantitatis de novo additæ; imo hac ratione omnia fere argumenta, quæ contra nos congerunt in hac materia, possunt contra ipsos retorqueri, si bene perpendantur, quorum aliqua ad quæstionem quintam differimus, quia ibi commodius dissolventur ex uberiori intelligentia nostræ sententiæ, quam ibi explanabimus.

QUÆSTIO IV.

An per rarefactionem, & condensationem acquiratur nova qualitas.

COmmunis, & satis frequens opinio apud Modernos præsertim est per rarefactionem, & condensationem acquiri qualitates quasdam, quæ raritas, & densitas appellantur, quarum ope postea corpus extenditur, vel contrahitur ad majorem, vel minorem locum, quæ extensio, vel contractio effectus raritatis, ac densitatis ponuntur; ita Pererius lib. 5. cap. 8. Conimbr. hic cap. 5. qu. 17. Compl. disp. 7. qu. 3. Joan. de S. Thom. qu. 7. art. 1. Ruvius in hoc tract. qu. 2. Hurt. cit. sect. 3. & 4. Soncin. 8. Met. qu. 27. Fonsec. ibid. cap. 3. qu. 3. Suarez in Met. disp. 42. sect. 5. num. 17. Morisan. hic disp. 3. dub. 7. Zabarel. de accretione cap. 10. Aversa qu. 38. sect. 5. Amic.

tom.

tom. 1. Log. tract. 16. qu. 2. art. 2. & ex nostratibus Aretinus 4. d. 12. qu. 4. art. 9. Iribarnes eadem qu. sect. 2. & Biag. 1. de gen. qu. 15.

32 Dicendum tamen est nec per rarefactionem, nec per condensationem ullam qualitatem acquiri ut per se terminum; & consequenter non posse corpus extendi localiter, aut coarctari per istas qualitates, tamquam per causas. Conclusio est Arist. in Prædicam. qualitatis, ubi disertis verbis negat raritatem, & densitatem esse qualitates, illasque relicit ad prædicamentum situs, ut quæst. sequenti ponderabimus; & 5. Met. 19. enumerans species qualitatis, ne verbum quidem fecit de raro, & denso, per quod excluditur communis responsio ad locum prædicamentorum, quod ibi locutus fuerit populariter, & secundum vulgarem opinionem; nam si ita esset, tunc 5 Met. 19. ubi scientifice loquitur, ac de mente propria, raritatem, ac densitatem inter species qualitatis recensere debebat; nec ullibi, quod viderimus, Scotus approbavit umquam hanc opinionem, unde in 4. loc. cit. dist. 12. qu. 4. refert opiniones de acquisitione novæ substantiæ, aut quantitatis in rarefactione quasi sub terminis probabilibus, sed de acquisitione qualitatis ne verbum quidem, & dist. 49 qu. 16. ad 3. pro Philosophis lit. C. concedit, quod in argumento assumebatur, per rarefactionem neque mutari substantiam neque qualitates; sequitur Faber loc. cit. cap. 3. Tatar. ubi hunc dicendi modum appellat satis grossum, & quidem rationabiliter, ut in probanda conclusione constabit, sed melius aliis in eum invehitur Rubion 4. dist. 12. qu. 7. art. 2.

Primo itaque prob. concl. ex ipsis definitionibus rari, & densi traditis ab Arist. in prædic. qualit. Rarum namque definitur, quod habet parum de materia sub magnis dimensionibus. Densum vero e contra, ubi nulla fit mentio qualitatis, sed solum dimensionis; dimensio autem, sive in ordine ad totum, sive in ordine ad locum, ad quantitatem pertinet, vel ad situm, nequaquam ad qualitatem, quia non pertinet ad qualitatem ordinare, & extendere partes quantitatis in Loco. Confirm. nihil est rarum, nec densum, quia qualitate aliqua informatum, sed præcise, quia ejus partes sunt propinquiores ad invicem, vel remotiores, omne enim habens partes magis propinquas est magis densum, & e contra, quanto habet ipsas magis distantes, tanto magis est rarum, sed nulla res habens partes habet ipsas propinquas, vel distantes mediante aliqua qualitate, ergo &c. Conf. tandem quia posita tali partium dilatatione, vel constrictione sine alia qualitate corpora dicentur rara, vel densa, ergo talis qualitas superfluit.

Respondent, quod in eo casu corpus non esset rarum, aut densum formaliter, sed tantum consecutive, quia nimirum haberet effectum ex tali qualitate consecutum, aut consequi natum. At hoc facile rejicitur, tum quia esse formaliter rarum est habere parum materiæ sub magna extensione, densum e contra, ut ex eorum definitionibus colligitur, sed totum hoc haberetur in eo casu secluſa qualitate; tum quia tantum abest, ut qualitas extendat, & dilatet quantitatem, quod potius res omnino e contra se habet; tum quia si dari debet aliqua dispositio prævia, quæ afficiat partes subjecti ad suscipiendam restrictionem, aut dilatationem, hoc non debet esse necessario qualitas, sed solus motus localis ad hoc est sufficiens; tum quia si taliter disponi debent per aliquam qualitatem, satis ad hoc erunt qualitates caloris, & frigoris, qua de causa uni tribuitur rarefactio, alteri condensatio; tum tandem quia quando etiam raritas, & densitas forent qualitates; sane præcedere non deberent dilatationem, vel compressionem partium, sed potius subsequi, siquidem non est idoneum raritatis subjectum, nisi habens partes dilatatas, nec condensationis nisi habens compressas.

33 Secundo, principaliter probatur ex Rubion. ratione ineluctabili, si raritas, & densitas essent qualitates, sequeretur, quod raritas posset esse densitas, & e converso, quod implicat. Sequela probatur, supponendo prius, quod istæ qualitates haberent suas partes entitativas, ac integrales, sicut quælibet alia qualitas materialis, & essent extensæ ad extensionem subjecti; tunc sic, illud potest esse densum, cujus partes possunt esse magis propinquæ ad invicem, & illud rarum, cujus partes possunt esse magis distantes, sed partes integrales raritatis possent esse magis propinquæ, ergo possunt esse densæ, & sic raritas esset densitas, & idem e converso de densitate dici posset. Dices implicare partes raritatis propinquiores esse. Contra, nullius accidentis materialis partes sunt invariabiliores, quam partes substantiæ ejus subjectæ. Ratio est, quia invariabilitas, cum sit quidam modus per se essendi; magis videtur convenire substantiæ, quæ per se existit, & omnia subsentat, quam accidenti, quod in ea subsentatur, sed partes substantiæ possunt esse propinquiores, & remotiores, ergo, &c. Dices esse ita *Quo*, ut non possit esse *Quod*. Contra, quia argumentum directe probat, etiam posse esse *Quod*.

Tertio, si raritas, & densitas essent qualitates, ergo intendi possent, ac remitti, ut aliæ qualitates, sed intensio esse potest absque extensione, ergo eadem pars quantitatis posset dici magis rara absque eo quod extensior sit, quod est falsum. Falsitas patet, sequela probatur, quia intensio ab extensione præscindit quantum est de se, & cum motus intensionis possit fieri in indivisibili extensionis, tamquam in subjecto, sequitur punctum posse rarius fieri, quod est impossibile. Displicet tandem hæc opinio, quia difficultatem ab initio disputationis propositam, quæ est radix totius controversiæ, relinquit in sua vi, per hunc enim dicendi modum minime explicatur, quomodo idem corpus invariatum quoad substantiam, & quantitatem possit nunc majorem, nunc minorem occupare locum, sicut enim per qualitatem res non ordinatur ad locum, nec in loco, ita per additionem qualitatis non videtur, quod ejus ope modo majorem, modo minorem occupet locum, unde hæc opinio communibus, & propriis urgetur difficultatibus, qua de causa nostro judicio omnes aliæ opiniones huic præferri debent; & certe miramur, cum hæc opinio nullam effugiat difficultatem, cur tot apud modernos invenerit asseclas. Contra eamdem opinionem quoque plures congerit rationes Camerar. cit. esto enim per eas probate intendat non acquiri in rarefactione modum quantitatis, tamen non procedunt, nisi contra Auctores, qui hunc modum quantitatis in rarefactione acquisitum censet esse qualitatem.

34 In oppos. arguunt, præsertim Ruvius. Primo auctoritate Arist. 7. Phys. 11. & 2. de part. anim. cap. 1. ubi densitatem, & raritatem enumerat inter qualitates tangibiles, & 4. Phys. 86. habet hæc verba: *densum enim, & rarum secundum hanc contrarietatem lationis factiva sunt, secundum autem ipsum durum, & molle passionis, & impassibilitatis, & non lationis, sed alterationis magis*, ex quo sic arguit, raritas, & densitas media gravitate, & levitate, quarum sunt causæ, sunt quoque causa motus localis, ergo sunt causa etiam extensionis localis, atque ita non consistunt in extensione locali, sed vere eam præcedunt, ut causa effectum; & hoc in loco loquitur Arist. de raritate, & densitate proprie, & formaliter, quia arguit contra Antiquos ponentes dari vacuum intra corpora rara, quos impugnat Arist. quia vacuum nequit esse causa motus localis, cum eum potius impediat, sed rarum, & densum sunt causa effectiva motus localis media gravitate, & levitate, ergo non potest vacuum constituere in raro.

Resp. in primis duobus locis loquitur Arist. populariter, & juxta famosam opinionem, præcipue quia raritas, & densitas, videntur esse qualitates, quia modum prædicandi qualitates habent, sicut forma, & figura, & valde rationabilis est hæc expositio, quia si per Adversarios Arist. in Præd. qualit. ubi proprius erat locus, sicut & 5. Met. 19. non enumerando raritatem, ac densitatem inter species qualitatis, imo ipsas excludendo loquitur secundum formosam opinionem, rationabilius id nos asseverare posse de textibus adductis, ubi non est proprius locus istius materiæ, præterquamquod etiam raritas, & densitas sensu tactus percipi possunt, quia cum sint quid ad quantitatem pertinens, ipsamque consequens; sicut quantitas tangibilis est, ita raritas, & densitas, imo figura, asperitas, lenitas, &c. licet enim hæc omnia sint formaliter relationes, materialiter tamen nil aliud dicunt, nisi partes quantitatis sic, & sic dispositas. Ad aliam auct. de 4. Phys. negatur Arist. assignare ibi pro causa gravitatis, & levitatis densitatem, & raritatem, ut patet ex contex. 85. ubi ait; *Duo enim sunt in utroque denso, & raro, grave enim, & durum & densa videntur esse, & contraria, leve inquam, & molle rara*, deinde ut ostendat raritatem, & densitatem non esse causam gravitatis, levitatis, duritiei, & mollitiei, sed solum per quamdam concomitantiam ut plurimum simul esse, subjungit; *dissonant autem grave, & durum in plumbo, & ferro*, nam plumbum est gravius ferro, licet non sit ita durum, nec densum; quod non esset verum, si densitas esset causa gravitatis, & duritiei: idem accidit in marmore, & chrystallo, chrystallus enim densior est marmore; & tamen marmor gravius est, unde quando postea dicit tex. seq. 85. *densum & rarum secundum hanc contrarietatem factiva sunt lationis*, loquitur de corporibus raris, & densis, quatenus habent gravitatem, & levitatem, non de raritate, & densitate; quod confirmatur ex 4. de Cælo 25. ubi ait, quod nulla videtur esse causa, cur gravitas, & levitas simplicibus corporibus insint. Tandem falsum est Arist. ibi impugnare Antiquos ex hoc capite, sed inquit, quod si vacuum dicatur id, quod causa est lationis, sic ipsius gravis, ac levis materia, quatenus hujusmodi erit vacuum, ecce quomodo non loquitur Arist. de raritate, & densitate in se, & formaliter, sed potius de substantia rara, & densa.

35 Secundo arguunt Scotistæ auctor. Scoti, Tatar. in 4. adducit Doctorem pro hac opinione in eod. lib. d. 12. qu. 4. supra litt. E. ubi loquens contra Gotfred. ait, quod raritas, quæ est terminus rarefactionis, præsupponit quantitatem, & consequenter non potest quantitas acquiri per accidens ad acquisitionem qualitatis, eo quo modo raritatem vocat qualitatem. Iribarnes quoque adducit Doctorem ibidem, quatenus vult ibi quantitatem esse subjectum qualitatis, & posse motum alterationis fieri invariata quantitate, per qualitatem vero, ait Iribarnes, intelligit Doctor *densitatem*, & raritatem. Magis ad rem faceret auctoritas ex 3. d. 4. qu. un. §. *Potest dici*, ubi condensationem appellat alterationem, at alteratio est motus ad qualitatem.

Resp. ad 1. locum, Doctorem ibi solum intendere contra Gotfred. ostendere subjectum alterationis, quod est quantitas, non acquiri per accidens ad acquisitionem qualitatis, quia præsupponitur omnino acquisitum, minime vero ait rarefactionem esse motum ad qualitatem. Ad 2. neg. ibi per qualitatem Scotum intelligere densitatem, ac raritatem, imo postquam lit. E. probavit quantitatem subjectum esse motus ad qualitatem, inquirit postea lit. F. subjectum motus secundum rarum, & densum, sed per qualitatem intelligit calorem, & frigus, quæ sunt causæ raritatis, & densitatis, & consequenter variationis ipsius quantitatis *secundum majorem*, vel *minorem extensionem*, & sic etiam explicari potest in 3. loco citato, quatenus condensatio, & rarefactio comitantur regulariter alterationem factam per calorem, vel frigus, vel quod loquebatur in aliorum opinione, quia veritatem hujus rei ibi non vestigabat.

36 Tertio instat Ruvius ratione; nam impossibile est eamdem quantitatem omnino immutatam magis, vel minus extendi,

di, sed aliqua qualitas requiritur tamquam causa disponens, hæc autem esse nequit, nisi raritas, & densitas; major patet. Prob. min. non enim esse possunt calor, & frigus, nam major extensio est quidam motus localis, sed calor, & frigus nequeunt esse causa motus localis proxima, *sed tantum remota*, ergo alia qualitas dari debet, quæ sit proxima, minor illa probatur, causa proxima motus localis sunt gravitas, & levitas corporis, & causa proxima istarum sunt raritas, & densitas ex Arist. 4. Phys. 86. & tandem causa raritatis, & densitatis sunt calor, & frigus, aut temperamentum primarum qualitatum, &c. idem docet 2. de Part. Anim. cap. 1.

Resp. corpora per calorem, & frigus rarefieri, & condensari: ad impugnationem dicimus, quod esto gravitas, & levitas sint principia motus ad Ubi, non tamen sunt ita principia motus ad situm, quin hic aliunde oriri possit, possunt enim calor, & frigus esse immediata principia majoris, vel minoris extensionis localis partium locati, & hic est motus ad situm, sicut per adversarios sunt causa raritatis, & densitatis; deinde falsum est, ut supra diximus, raritatem, & densitatem causas esse gravitatis, & levitatis.

Quarto, quædam partes corporis sunt densiores aliis, aliæ aliis rariores, ut ossa sunt densiora carne, humores autem rariores carne, & ossibus, at hoc non importat in eis esse magis, vel minus quanta, esse magis, vel minus extensa localiter, sed esse affecta tali, vel tali qualitate, ergo &c. major patet, quia talis partium diversitas ad distinctionem organorum corporis necessaria videtur, at sine raritate, & densitate talis distinctio tollitur, tunc enim ossa non essent duriora carnibus, sanguis non esset fluidus, quia hæ affectiones ex densitatis, ac raritatis discrimine oriuntur; minor vero probatur, quia Corpus Christi in Eucharistia quasdam habet partes actu raras, quasdam actu densas, quia etiam in eo statu habet, quicquid exigitur ad perfectam corporis organizationem, & tamen ibi nullam prorsus habet extensionem localem.

37 Resp. *neg. min. cum ejus probatione*, Corpus enim Christi in Eucharistia non est rarum, nec densum in actu secundo; sed tantum in actu primo, quatenus hæc pars, os, v. gr. taliter est complexionata, ut minorem extensionem localem postulet cum majori copia materiæ, ex qua constat, quam caro, & caro quam humores, quod ab aliis sub aliis verbis dici solet, ossa Corporis Christi in Eucharistia esse densiora carne, & humoribus materialiter, non formaliter, quia habent plus de materia, quæ minorem petit locum; & hoc sufficit ad perfectam organizationem Corporis Christi etiam in Eucharistia. At instat Ruvius contra hanc communem responsionem, rarum formaliter est, quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus, densum vero, quod multum habet materiæ sub parvis dimensionibus, sed istæ definitiones conveniunt partibus Corporis Christi in Eucharistia existentis, ergo formaliter dicentur & actu raræ, vel densæ; prob. min. ossa ejus plus habent materiæ, quam caro, & ista sub minoribus dimensionibus, humores minus materiæ sub majoribus, & ratio est, quia dimensiones per se primo sunt majores, vel minores non per actualem occupationem loci majoris, vel minoris, sed per aptitudinalem, quam adhuc retinet corpus Christi in Eucharistia; ergo aliæ partes ejus sunt formaliter rariores, aliæ densiores, quia affectæ tali qualitate sunt majoris, vel minoris loci occupativæ.

Resp. definitiones illas intelligi debere de dimensionibus localibus actualibus, non aptitudinalibus, aliter sequeretur, quod etsi corpus aliquod sit rarefactum, dici posset adhuc densum, nam aqua rarefacta, *v. gr. occupans totum vas, ubi prius* solam ejus medietatem occupabat, adhuc retinet aptitudinem ad occupandam solummodo medietatem, quia aptitudines non amittuntur, esto ab actu separentur, ergo rara nequit dici, vel si dicatur rara, dici etiam deberet densa, ex quo constat instantiam Ruvii esse sufficienti fundamento destitutam.

Instabis, durities in ossibus, mollities in carne, & fluiditas in sanguine sunt qualitates necessario requisitæ ad perfectam corporis organizationem, quare actu dantur in Corpore Christi, ergo cum istæ dependeant ex raritate, & densitate, etiam & istæ actu debebunt in eo admitti. Resp. neg. conseq. vel enim hujusmodi qualitates a densitate, & raritate non dependent, vel dependent ab eis in actu primo constitutis, quo sensu raritatem, & densitatem admittimus in Corpore Christi in Eucharistia.

38 Secundo tandem arguunt Ruvius, Compl. & alii, cum æquali quantitate, & extensione locali stat unum corpus esse magis densum, vel rarum, quam aliud, ergo nec in quantitate, nec in aliquo modo ejus potest constitui formalitas rari, & densi, sed tantum in aliqua qualitate; probatur assumptum, sint duo vasa ejusdem mensuræ, quorum unum sit aqua plenum, alterum vero ad medietatem usque, sed per ignem aqua illa postea adeo rarescat, ut totum vas repleat, hæ duæ aquæ æqualem habent extensionem in ordine ad locum, & tamen una est densior alia. Resp. distinguendo antecedens, cum æquali extensione locali, æqualique materia stat major, vel minor densitas, aut raritas, negatur; cum æquali extensione locali, sed inæquali materia, ut in casu allato, conceditur, sed tunc neg. conseq. raritas enim, & densitas non consistit in extensione locali simpliciter, sed raritas in extensione locali pauciorum, densitas vero plurium, & *in majori copia*, unde eadem extensio localis potest dici major, & minor, non prout solum terminatur ad locum, sed prout etiam respicit majorem, vel minorem copiam materiæ situatæ sub æqualibus dimensionibus, unde si minor est materia, major extensio dicetur, si major est copia materiæ, minor extensio dicetur.

QUÆSTIO V.

Quid re vera per rarefactionem, & condensationem tamquam terminus acquiratur.

39 Hactenus circa aliorum Sententias versati sumus, in præsenti nostra est aperienda, quæ sit principiis Scoticis, ac veritati magis consentanea, pro qua introducenda recolendum est ex dictis disp. 9. Phys. qu. 1. art. 1. & 2. quod substantia quælibet materialis, si quantitate expoliaretur, adhuc partes retineret extensas, & unam extra aliam etiam in ordine ad locum, sed penetrabiliter, unde per partium suarum compenetrationem posset tunc absque miraculo ad punctum loci contrahi; ex quo deducitur, quodnam sit munus quantitatis circa ipsam, reddit nimirum extensam in loco occupative, & impenetrabiliter, ita quod ratio formalis quantitatis consistit in radice, & principio exigitivo impenetrabilitatis, & impenetrabilitas est veluti effectus ejus formalis primarius, cujus beneficio habet substantia quanta positionem de genere quantitatis, quæ ut declarat 4. d. 10. qu. 1. § *dico ergo*, est ordo quidam partium in toto præscindens ab actuali ordine ad locum, ut quod caput, *sit* immediate unitum collo, collum pectori, cum repugnantia ad penetrationem, ratione cujus distinguitur a consimili ordine partium, quem adhuc substantia retineret, si quantitate exueretur, tunc enim haberet talem ordinem, sed sine repugnantia ad penetrationem; sequitur postea connaturaliter ad quantitatem velut effectus secundarius (ait Doctor ibidem) positio de genere situs, quæ aliud non est, quam ordo partium locati ad partes loci, idest actualis extensio partium locati ad partes loci, diciturque impenetratio actualis partium, nam quandocumque partes locati correspondent diversis partibus loci, stante hoc respectu situs implicat corpus in puncto locari, ad hanc postea impenetrationem sequitur veluti effectus ejus secundarius negativus expulsio alterius corporis ab eodem loco, qui effectus potest a Deo suspendi, nam si duo corpora essent circumscriptive in eodem loco, partes utriusque corporis essent coextensæ partibus ejusdem loci, at neutrum expelleret aliud.

40 Quia vero hæc extensio partium corporis locati ad partes loci constituens positionem de genere situs communiter censetur modus quantitatis, imo etiam tali nomine appellatur a Doctore loco cit. Rursus recolendum est ex dictis tum in Logica disp. 8. qu. 12. art. 2. tum in Phys. disp. 11. qu. 5. art. 1. in fine: Situm si sumatur pro qualicumque extensione partium rei materialis in loco, non esse modum solius quantitatis, sed universaliter cujuscumque rei corporeæ, nam etiam secluſa quantitate remaneret adhuc sic extensa divisibiliter per locum, ut etiam bene hic adnotavit Arist. si vero sumatur pro extensione partium in loco cum repugnantia, ut se invicem penetrent, sane in hoc sensu solius quantitatis est modus, talis enim extensio impenetrabilis in loco rebus materialibus, & corporeis merito quantitatis obvenit, & hic est maxime advertendum, quod dum in rarefactione dicimus acquiri novum modum quantitatis, non loquimur in sensu Recentiorum, qui eum faciunt de genere qualitatis, sic enim contra ipsum urgent plures difficultates, quas Camer. cit. adducit, quæ quidem nullam nobis afferunt molestiam, qui talem modum dicimus esse positionem de genere situs. Tandem recolendum est ex dictis in Logica *loc. cit.* non eodem modo ab omnibus constitui prædicamentum situs, & ab Ubi distingui; in communi via Scotistarum, ut ibi diximus, *ex eo distingui solent, quod Ubi dicit habitudinem totius locati* ad totum locum, situs convenit solum corporibus, cum Ubi etiam rebus spiritualibus convenire queat; an vero hæc distinctio tanta sit, ut sufficiat ad constituenda diversa prædicamenta, ibi satis luculenter examinavimus, & utrumque ad trutinam probabilitatis suspendimus, licet cum propensione ad partem negantem. Cum hic extensionem localem partium locati ad partes loci ad prædicamentum situs spectare dicimus, loquimur ex communi suppositione Scotistarum, quod ita constituatur, & quod talis constitutio sufficiat, ut prædicamentum ipsius Ubi diversum, quod si ad prædicamentum ipsius Ubi velit quis illum reducere, & spectare eo modo, quo universaliter partes spectant ad totum, quod constituunt, adhuc tanta distinctio remanet inter Situm, & Ubi, quanta sufficit pro determinatione præsentis quæsiti, quia per Ubi significatur totalis præsentia rei ad totum locum, per situm vero partiales præsentiæ partium locati ad partes loci, *ut bene declaratum est in Logica; quo loco adhuc* secundum hanc viam sufficientem distinctionem assignavimus inter Situm, & Ubi, adeo ut possit corpus moveri ad novum situm, sed non ad novum Ubi; his prænotatis,

41 Dicendum est in rarefactione, & condensatione non acquiri veluti per se terminum, nisi novam extensionem localem partium locati majorem, vel minorem ad prædicamentum Situs pertinentem. Conclusio est plurium Scotistarum, quam tuentur velut de mente Doctoris, Tat. 4. Phys. loc. cit. eam æstimat omnium probabiliorem, Aretinus 4. dist. 12. qu. 4. art. 3. & alii, & sane quamvis Doctor non satis expresserit mentem suam loco sæpe *cit. d. 12. qu. 4.* ibi tamen refutat opiniones de acquisitione, vel deperditione substantiæ, aut quantitatis; & non semel ait, raritatem majorem attendi non debere, *nisi ex occupatione majoris loci, ita* præsertim habet in fol. ad 1. argum. Gotfred. immediate *supra* illam additionem; sic etiam e contra pariter in 3. d. 2. qu. 3. ad 1. princip. ait condensationem non attendi, *nisi ex occupatione minoris loci*; eamdem sententiam docuit Simplicius 4. Phys. circa text. 84. dum ait raritatem, & densitatem esse formaliter relationes, significat-

que

que esse relationes partium corporis adinvicem in ordine ad locum, quia esse rarum, aut densum aliud non importat quam partes magis, aut minus inter se distare, quæ distantia, & propinquitas relationes præseferunt de genere Situs; sic etiam sentit Bonamic. lib. 7. de Motu c. 41. Aresius loc. cit. & alii quamplures.

Probatur primo expresso Arist. testimonio in prædic. qualitatis, ubi ita loquitur: *rarum vero, & spissum, & asperum, & lene putabuntur quidem quale quid significare, sed aliena hujusmodi putantur esse a divisione, quæ circa quale est, quamdam enim positionem magis videntur partium utrumque significare, spissum enim dicitur, eo quod partes sibi ipsis propinquæ sint, rarum vero eo quod distent a se invicem, & lene quidem, quod in rectitudinem aliquo modo partes jaceant, asperum vero, quod hæc quidem supervet, illa vero inferior sit*; quæ auctoritas nullam certe admittit Glossam sine manifesta textus extorsione, nam quod communiter inquiunt Adversarii Arist. ibi locutum esse juxta opinionem antiquorum, est prorsus voluntarie dictum, oppositum enim colligitur luculentissime ex ipso contextu, & progressu Arist. nam ibi adducit opinionem Antiquorum ipsas reponentium in prædic. qualitatis, & postea talem opinionem reiicit, illasque reponit in prædicamento Situs. Joan. de S. Thom. distinguit de duplici raritate, & densitate, una formali, & intrinseca, quæ est qualitas; altera situali, & extrinseca, quæ est veluti effectus illius, & pertinet ad prædicamentum Situs, aitque Arist. ibi loqui de raritate, & densitate situali, & extrinseca, quam merito reiicit ad prædicamentum Situs. Verum jam constat ex dictis qu. præc. non dari aliam raritatem, aut densitatem distinctam a situali, & sane etiam in communi modo loquendi aliæ raritas, aliave densitas non solet agnosci præter situalem, quando enim videmus corpus densum, idest occupans exiguum locum, inquirimus quæ sit causa illius densitatis, ergo nomine densitatis non ipsam causam, & radicem, sed corporum compressionem intelligimus. Quod si Arist. præter istam aliam agnovit intrinsecam, & formalem ad prædicamentum qualitatis spectantem, cur eam non assignavit, nec de ea loquutus est, cum prædicamentum qualitatis contexeret, & aliam reiiceret ad prædicamentum Situs, sane tenebatur potius eam recensere, quæ ad illud prædicamentum spectabat, quam aliam impertinentem, vel saltem utramque memorare debebat, & propriam illius prædicamenti retinere, aliam ad prædicamentum situs reiicere. Hinc etiam facile reiicitur solutio Ruvii, & Compl. dicentium, Arist. ibi loqui de raro, & denso pro connotato, in quo sensu spectat ad prædicamentum Situs, non autem pro formali, & principali significato. Nam quod ipsi appellant connotatum raritatis, & densitatis, nos dicimus esse principale significatum, quia ex vi nominis, ut diximus, important ipsammet corporum compressionem, vel dilatationem, non vero causam, & radicem illius, & quidem mirum est, quomodo Arist. contexendo prædicamentum qualitatis memoraverit connotatum raritatis, & densitatis, non autem formale significatum, si illius præcipuam speciem constituebat.

42 Secundo probatur ratione, tunc corpora dicuntur formaliter rarescere, vel condensari, cum eorum partes non amplius eumdem servant inter se ordinem respectu loci, sed amplius comprimuntur, vel amplius dilatantur, ergo primus, & per se terminus rarefactionis, & condensationis est talis partium compressio, vel dilatatio, at hæc non important, nisi variam extensionem, & positionem partium in loco, quæ spectat ad prædicamentum Situs, ergo &c. Nec obstat, quod in rarefactione, & condensatione mutetur quoque præsentia localis totius corporis, quæ dicitur Ubi; nam id fit consequenter ad mutationem partium; unde talis Ubicatio totius non est primus, & per se terminus rarefactionis, & condensationis, sed secundarius tantum, & concomitans, quare hæc differentia notari potest inter motum localem ad Ubi, & rarefactionem, ac condensationem, qui sunt quidam motus locales ad Situm, quod in eo primus, & per se terminus est præsentia totalis, seu Ubicatio totius corporis, præsentia vero partium est terminus tantum secundarius, & concomitans; e contra vero in condensatione, & rarefactione primus, & per se terminus est partialis præsentia partium, ac earum situatio in loco, secundarius, & concomitans præsentia totalis corporis, & quia motus specificatur a primo, & per se termino, ideo motus localis absolute, per quem solet intelligi motus totius, dicitur esse ad Ubi; rarefactio autem, & condensatio ad Situm.

Tertio id amplius declaratur, certum est, ac in confesso apud omnes per raritatem corpora extendi in loco, per densitatem comprimi, & coarctari, at sane hoc intelligi non debet in genere causæ efficientis, quasi raritas extensionem efficiat, nam pro causa extrinseca sufficiens erit agens extrinsecum, quod dicitur rarefacere subjectum, & pro causa dispositiva sufficiens erit calor, vel humiditas, adeo quod raritas ipsa, aut densitas hunc effectum non præstant, nisi in genere causæ formalis; ergo raritas, quæ est terminus rarefactionis, aliud formaliter non erit, quam expansio ejusdem corporis ad ampliorem locum, quam antea haberet, & densitas, contractio ad minorem, ac proinde non bene dicetur raritas illam præcedere, veluti causa, nec illam consequi velut effectus, quia tunc altera superflueret, nam habita raritate superflua erit alia extensio, quæ ipsam consequatur, ut effectus secundarius, & pariter habita extensione majori ad locum supervacanea erit raritas, quia per illammet extensionem corpus intelligitur sufficienter rarum.

43 Quarto probatur ulterius, quia tota difficultas intelligendi modum, quo fiant rarefactio, & condensatio in hac sententia, consistit in eo, quo nimirum pacto, quave ratione fieri possit, ut idem numero corpus nulla prorsus ei facta partium additione, vel detractione possit modo majorem, modo minorem occupare locum, nam primum videtur prorsus impossibile, nisi vel addantur partes novæ materiæ, vel saltem inter partes illius corporis rarefacti admittantur vacuitates, alterum vero repugnare videtur sine partium detractione, aut saltem earum compenetratione in eodem spatio. Verum hæc difficultas est communis omnibus Sententiis etiam illi, quæ rarefactionem constituebat per ingressum corpusculorum, & condensationem per egressum, quamvis enim hanc difficultatem evitet in quantitate permanenti, eamdem tamen incurrit in successiva, adhuc enim explicare tenetur, quo pacto idem numero motus nulla prorsus facta ei partium additione, vel detractione, aut compenetratione possit modo longiori, modo breviori coexistere tempori, est enim prorsus eadem difficultas hic, & ibi, quia ut diximus qu. 1. hujus disp. quod est tarditas, & velocitas in quantitate successiva, est raritas, ac densitas in quantitate permanenti; unde Arriag. addictus sent. de corpusculis, ut eonsequenter loquatur disp. 2. de Gen. sect. 3. subsect. 2. ait omnem motum successivum fieri per morulas interceptas, & secundum majorem, vel minorem numerum ipsarum provenire in motu velocitatem, & tarditatem, quod etiam docet disp. 16. Phys. sect. 11. At hoc late impugnavimus disp. præc. qu. 5. & adhuc non loquitur consequenter ad suam Sententiam de corpusculis, sicut enim explicat raritatem, & densitatem in quantitate permanenti, non quidem per vacuitates interceptas in ejus partibus, sed per intrusionem alterius corporis in eas, sic pariter explicare debebat velocitatem, & tarditatem in quantitate successiva non per morulas interceptas, & quietem totalem ipsius mobilis, sed per interpositionem alterius distinctæ motionis, quod est prorsus ridiculum. Quemadmodum ergo in communi Sententia motus dicitur velox, vel tardus, fierique in breviori, vel longiori tempore per hoc solum, quod secundum eamdem suam entitatem, secundum easdem partes extenditur, aut contrahitur magis in sua successione, & duratione, ita pariter dicendum erit de corporum raritate, ac densitate, quod possit idem corpus nunc majori, nunc minori coexistere loco per extensionem, vel contractionem ejusdem subsistantiæ mediante rarefactione, & condensatione; & sicut hoc conceditur ab omnibus in quantitate successiva, ita pariter concedi debebit in permanenti, nec asferri poterit umquam disparitas alicujus momenti.

44 Quinto tandem probari potest nostra Sententia ex impugnatione aliarum, nam ut constat ex superius dictis, opiniones de acquisitione, vel deperditione quantitatis, aut qualitatis sunt penitus improbabiles, & præterea sunt omnibus difficultatibus obnoxiæ, quibus nostra opinio de corpusculis, ut verum fateamur, est cæteris probabilior, unde quando hæc nostra non placeret, in illam absque dubio eundum est; tum quia est verosimilior aliis; tum quia facile evitat difficultatem præcipuam in hac materia de majori, vel minori occupatione loci; tum quia non multum abhorret Doctor ab ea loc. cit. Verum quia & ipsa suos habet tribulos, & spinas, ut supra patuit qu. 2. & insuper difficultatem præcipuam, quam hic evitat per ingressum, vel egressum corpusculorum, illam postea incurrit in explicanda velocitate, ac tarditate motus, potius huic nostræ adhærere libet, & illam difficultatem utcumque poterimus declinare, quam hic amplecti Sententiam de corpusculis, & alibi inconsequenter loqui de velocitate, ac tarditate motus, aut ad morulas recurrere, ut facit Arriag. ex quibus sane plura, atque majora sequuntur absurda, quam ex hac nostra Sententia de raritate, & densitate.

Solvuntur Objectiones.

Pontius in append. apol. nu. 102. incipit examinare sententiam nostram jam prædeclaratam de rarefactione, & condensatione, quam suadet non retractare in metaphysica, & locum Scoti, unde eam deduci prætendimus. At ei obtemperare non possumus, & quia metaphysica jam est impressa, & quia Scotistæ melioris notæ id diffuadent asserentes prædeclaratam sententiam esse omnium probabiliorem, ac magis de mente Scoti, ita præsertim Tatar. 4. Phys. qu. de vacuo dub. 3. & 4. d. 12 q 4. in fine, ubi etiam Aret. art. 3. satius esset quod ipse retractaret suam de corpusculis, quam præfati Auctores damnant, non solum, ut in se improbabilem, sed ut a Scoto alienam, & ab Arist. ex professo a schola eliminatam 4. Phys. tex. 84. & 85. & in Metaph. præsertim ipse revocare deberet opinionem, vel potius phantasiam illam suam de compositione Dei ex genere, & differentia, ut periculosam, & aurium piorum Theologorum offensivam, contra quam egimus, esto non satis, disp. 2. Met. qu. unic. art. 2. a nu. 132. neque locum Scoti videmus, quem in metaph. retractare debeamus, quia nullum talem velut expresse loquentem adducimus in hac quæstione.

Et quoniam ab initio quæstionis hujus præmittimus quamdam doctrinam de quantitate, in qua dicimus quod ratio formalis quantitatis consistit in radice, & principio exigitivo impenetrabilitatis, impenetrabilitas est veluti effectus ejus formalis primarius, cujus beneficio habet subsistantia quanta positionem de genere quantitatis, &c. Pontius num. 103. ait pessime dici, quod impenetrabilitas sit effectus formalis quantitatis, cum manifestum sit, quod sit proprietas ejus in sententia dicentium, quod ratio formalis quantitatis sit radix exigens illam impenetrabilitatem; neque enim proprietas est effectus formalis rei, cujus est proprietas; quis enim dicat risibilitatem esse effectum formalem rationabilitatis? cujus ratio est, quod effectus formalis positivus formæ sit ipsamet forma communicata, seu quod idem

idem est, *denominatio formalis desumpta a forma immediate*; sic calidum dicitur esse effectus formalis caloris, certum autem est, quod impenetrabilitas non sit ipsamet quantitas, a qua provenit, communicata, sed aliquid aliud a quantitate metaphysice pullulans.

Resp. nos quoque non semel agnovisse improbabilitatem pro primaria, & principali passione quantitatis, ita videri potest disp. 7. log. qu. 2. art. 4. in fine, & disp. 9. Phys. num. 13. & pariter effectum formalem primarium quantitatis esse ipsammet quantitatem, seu actualem exigentiam extensionis impenetrabilis subjecto communicatam, ut ibidem est videre num. 15. attamen novum non est solere interdum circumscribi rei essentiam, & quandoque etiam effectum ejus formalem primarium per passionem, & *ita contingere* in quantitate præsertim diximus disput. cit. 9. Phys. num. 13. illis verbis, & quamvis hæc (nempe impenetrabilitas) sit passio ipsius quantitatis, adhuc tamen per passionem licebit nobis ejus essentiam circumscribere, ut moris est in multis aliis, & ejus effectum formalem, &c. in hoc igitur sensu hic diximus impenetrabilitatem esse effectum formalem quantitatis, & non aliter; qua de causa non absolute diximus impenetrabilitatem esse effectum formalem quantitatis, ut nobis imponit arguens, sed cum particula diminuente, & assimilativa locuti fumus dicendo, impenetrabilitas est veluti effectus ejus formalis primarius, quam particulam noluit arguens advertere, ut occasionem præberet censuræ.

Carpit deinde nu. 104. quod dixerimus ibidem, quod beneficio impenetrabilitatis *habeat subsistantia* quanta positionem de genere quantitatis, quæ consistat in ordine quodam partium in toto præscindens ab actuali ordine ad locum, ut quod caput immediate sit unitum collo, collum pectori cum repugnantia ad penetrationem. Non enim (inquit) beneficio impenetrabilitatis per se primo habet hanc positionem, sed beneficio ipsius quantitatis, cujus impenetrabilitas illa est proprietas: nec illa positio, quæ est ordo, potest esse de genere quantitatis, quia ordo ille est respectus, quantitas autem est quid absolutum, secundum omnes: Iniquus censor est iste, & versipellis, qui cum verba nostra refert, ex integro refert; sed cum censuræ subjicit, mutila refert; sicut in præcedenti censura imponebatur nobis, quod dixerimus absolute impenetrabilitatem esse effectum formalem quantitatis, cum tamen constet, nos esse locutos, cum particula *veluti*; ita in præsenti inique criminamur, quod absolute dicamus substantiam quantam beneficio impenetrabilitatis habere positionem de genere quantitatis, dicimus enim quod illius beneficio eam habet cum repugnantia ad penetrationem, quod certe negari non potest, quamvis enim repugnantia ad penetrationem radicaliter, & remote a quantitate proveniat, proxime tamen, & immediate oritur ab ipsa impenetrabilitate; quod tandem coactus est ipse fateri illis verbis, fortassis in re nihil aliud volunt dicere, &c. & tandem concludit, si hoc volunt, bene dicunt, sed male loquuntur, & exprimunt suum sensum.

Sed locutio nostra idiomati Scotico conformis fuit, & malumus sic male loqui cum Scoto, quam bene cum ipso, qui quam bene loquatur, constat ex pluribus ejus dictis jam superius adnotatis, ac inferius adnotandis; sic cum diximus positionem de genere quantitatis importare ordinem quemdam partium in toto, locuti fumus cum Doctore a nobis ibi citato d. 10. qu. 2. §. *dico ergo*; nec divinare potuimus quo spiritu ductus illud primo impugnaverit, tamquam male dictum, & postea fortasse Præceptoris reverentia motus explicet quo sensu sit intelligendum illud dictum (nimirum quod circumscribatur per respectum a posteriori, sic enim multoties solent a nobis absolutæ res explicari per respectus nobis notiores) nostramque explicationem expectare noluerit; id tamen suspicamur ortum esse ex immoderata libidine impugnandi quæcumque dicuntur a nobis sine ulla advertentia, quod sint nostra asserta, vel Doctoris.

Et ut nihil prætereat, quod censuræ non subjiciat, veluti arctioris observantiæ censor, addit num. 105. male nos tribuere Recentioribus *omnibus indeterminate*, quod per modum quantitativum intelligant aliquid spectans ad genus qualitatis, nam nec Ruvius, nec Hurtadus, nec alii Jesuitæ communiter per modum quantitativum intelligunt qualitatem, aut aliquid de genere qualitatis. Ut versatissimo in Scholis Recentiorum totum hoc ei permittimus; cæterum falsum est hoc a nobis adscribi Recentioribus omnibus indeterminate; dicimus enim, quod de modo quantitativo non loquimur in sensu Recentiorum (sunt verba nostra) qui eum faciunt de genere qualitatis, quasi diceremus illorum Recentiorum, qui eum faciunt, &c. contra quos urgere dicimus difficultates a Camerario adductas.

Num. 106. incipit examinare conclusionem nostram, quia ea præsertim ratione eam ex Scoto deducebamus, eo quia pluries dixit raritatem majorem non attendi debere, nisi ex occupatione majoris loci, & ex alia parte non sibi satisfaciebant opiniones de acquisitione, vel deperditione substantiæ, vel quantitatis, Pontius inquit falsum supponi, quod impugnaverit opinionem de acquisitione quantitatis aut aliam de corpusculis, imo ait, Doctorem, §. *quantum ad istam opinionem*, asserere manifeste opinionem de acquisitione novæ quantitatis illis verbis, *oportet omnes in rarefactione ponere novam quantitatem, vel totalem, vel partialem, quia aliquin quod rarefieret non esset nunc majus, quam prius*. Et quamvis non attendatur raritas secundum ipsum, nisi ex occupatione majoris loci, quatenus ex hoc colligitur, quod corpus rarefiat; non inde sequitur, quod terminus per se solus rarefactionis sit illa extensio, nec quod voluerit Scotus aliud non acquiri præter illam extensionem; unde tandem concludit, quod cum nullo modo Scotus insinuet hanc nostram sententiam, sed eam expresse neget, si autem aliquo modo sua de corpusculis, & sua quoad rationem absque comparatione insinuet probabilior nostra, tyronibus Scotistis judicandum relinquit, quis ex nobis hic potius docere aliquid contra, aut præter mentem Scoti, existimandus sit.

An Doctor approbaverit, vel reprobaverit opiniones de acquisitione corpusculorum, & quantitatis, jam discursum est in præcedentibus, & videri potest. textus ipse, & cum inquit Scotum, §. *quantum ad istam opinionem*, expresse asserere opinionem de quantitate, non minus ipsi, quam nobis respondere incumbit, cum eam nec ipse sequatur; adverte tamen verba, quæ refert tamquam Scotici textus ibi non haberi, nisi quantum ad sensum, quem perfecte non attigit, cum enim ait Doctor quod oportet omnes ponere, quod acquiratur nova quantitas in rarefactione, vel totalis, vel partialis, alioquin non esset nunc majus, quam prius; non intelligit de omnibus opinantibus, nam ad hoc necessitarentur etiam corpusculorum assertores, quod est falsum, cum isti majoritatem salvent ex alio capite, quam ex acquisitione novæ quantitatis; sed intelligit de illis duabus prioribus, quæ ibi referuntur, & ambæ in hoc conveniebant, quod ad salvandam majoritatem in rarefactione oportet novam quantitatem generari, & diffidebant in hoc, num hæc quantitas nova debeat esse totalis, vel sufficiat partialis.

Et sane si ita palam stetit Doctor pro acquisitione novæ quantitatis, *non videmus qua ratione immediate postea hinc* deduxerit suam opinionem de corpusculis esse cæteris probabiliorem, & tyronum Scotistarum judicio reliquerit judicandum, quis nostrum potius sit aliquid opinatus contra, aut præter mentem Scoti; certe tyrones Scotistæ audientes Scotum adeo manifeste stare pro sententia de acquisitione quantitatis, nedum nostram, sed tuam quoque condemnabunt, ut Scoto manifeste contrariam; quantum vero spectat ad judicandum inter nos, si verum esset, quod assumis, Scotum scilicet expresse negare sententiam nostram, statim pro te sententiam ferent, at tibi non credent, cum afferas locum Scoti pro assertione opinionis de quantitate, nullum vero pro reprobatione nostræ, quod magis tua intererat; & ex alia parte, quando videbunt Scotistas aut nostram defendere sententiam, aut illam de quantitate, illam vero de corpusculis aut damnare, aut nullatenus memorare, & rursus cum viderint præcipuos Scoti expositores Tatar. & Aretinum supra alias sententias nostram extollere, tamquam veriorem, & magis de mente Scoti, illam vero de corpusculis omnino condemnare, ut falsam, obsoletam, & a Peripato eliminatam ab Arist. ipso 4. Phys. ex professo, quando (inquam) hæc omnia observabunt Tyrones Scotistæ dubio procul sententiam pro nobis ferent, non pro Pontio.

Cum tandem negabatur ex eo, quod raritas secundum Scotum non attendatur, nisi ex occupatione majoris loci, sequi, quod terminus per se solus rarefactionis sit illa extensio, & quod voluerit Doctor non aliud acquiri præter illam extensionem. Hoc utique male negatur, cum enim inquit Doctor raritatem non attendi, *nisi ex occupatione majoris loci plane significat* hanc esse præcisam formalem causam, cur corpora dicantur rarefieri, cum secundum easdem partes majorem occupat locum, quam antea, *illa enim loquendi formula causam præcisam indicat*; ergo ex illo loquendi modo bene sequitur; quod terminus per se solus rarefactionis sit illa extensio, & quod voluerit Scotus non aliud acquiri præter illam extensionem; sed quia de hoc rursus redibit sermo, non hæreamus.

Num. 107. advertit hanc nostram conclusionem quantum ad partem illam, quod terminus per se solus acquisitus per rarefactionem secluſis qualitatibus ad hoc deservientibus, sit extensio, qua res quanta habeat occupare majorem locum, esse ompino sententiam Jesuitarum omnium, quotquot non tenent sententiam de corpusculis, cum tamen nullum eorum citemus, ne videamur (inquit) contra Scotistas, cum ipsis sentire. Gratulamur, quod tot insignes consortes habeamus pro hac nostra sententia teste ipso Pontio, qui hac solum de causa non adeo improbabilem, & absurdam judicare deberet, quia tot habet doctissimos sectatores, quibus ipse in judicio comparandus non est, utpote qui sæpe fallitur, ac decipitur, ut in præsenti, cum inquit, eos non fuisse a nobis citatos, ne videremur cum ipsis contra Scotistas sentire, quod judicium plane temerarium est, quia insigniores Scotistæ hanc nostram sententiam docent; causa, cur non citaverimus, est, quia longe aliter eam extensionem localem ipsi explicant, quam nos faciamus.

A num. 108. incipit fundamenta nostra referre, & quia primum consistit in expressa Arist. auctoritate in prædic. qualitatis ubi rarefactionem, & condensationem significat esse motus locales, rarumque, & densum vocat positiones de prædicamento situs, varias affert responsiones. Primo, inquit hunc locum facere contra ponentes raritatem, & densitatem in prædicamento qualitatis, non vero contra opinionem de corpusculis, vel de nova quantitate; quoniam autem videbat facere etiam contra istos, dum eas reponit in prædicamento *situs*, respondet, quod quando *Arist. eas appellat* positiones, non loquitur in sensu formali, itaut ipsamet positio, vel situs partium sit raritas; sed vult quod sit illud, ratione cujus competat rei habere talem situm, quod omnes quotquot dicunt rarefactionem fieri mediante nova quantitate, *sive totali, sive partiali*, sive novo modo quantitativo absque nova quantitate, sive mediantibus corpusculis asserunt. At ibi Arist. loqui in sensu formali ibidem demonstravimus hanc ipsam responsionem refutando ab aliis datam, quam hic afferre opus non erat, si impugnationi ejusdem satisfacere non volebat.

Respon-

Respondet secundo, ne fiat quæstio de nomine, quod quando Philosophus, ut rarum dicere positionem, vel intelligit per hoc, quod ait res rarefiat, nihil quantitatis novæ debeat advenire, ratione cujus rarefiat, præter positionem, quæ est situs; an vero solum intendat, quod quamvis aliquid aliud adveniet necessario, tamen illud aliud non est per se terminus rarefactionis, sed ipsamet positio; si primum, certe id non dicit Philosophus nec expresse, nec implicite, & quando id diceret, deberet negari, quia est contra rationem: si secundum, quamvis ita esset, nihil facit ad difficultatem realem hujus rei, in qua quæritur, an debeat acquiri nova quantitas, sive illa sit terminus per se rarefactionis, sive non. Nos dicimus Philosophum afferere primum, vel explicite, vel saltem implicite, & negamus omnino id esse contra rationem, imo contra rationem est, quod acquiratur nova quantitas, sive totalis, sive partialis, ut constat qu. 3.

Num. 109. ut ostendat allatam auctoritatem non esse adeo patentem, quin egeat aliqua explicatione, ut nos dicimus, contra descriptiones rari, & densi a Philosopho datas, movet quandam difficultatem (satis tamen materialem) ut appareat necessitas eam explicandi. Cæterum nulla res est adeo clara, quin possit circa eam difficultari, unde fiunt etiam difficultates contra illud primum principium, de quolibet verum est affirmare, vel negare, neq; ob id cessat evidentia primorum principiorum. Et quando diximus auctoritatem illam nullam admittere glossam sine manifesta textus extorsione, loquebamur secundum subjectam materiam, de qua erat sermo, nempe quod raritas, & densitas spectant ad prædicamentum *situs*, *non* vero qualitatis, densitas spectant ad prædicamentum *situs*, *non* vero qualitatis, quantitatis, vel substantiæ, & hoc clarissime habetur in textu præcitato; neq; contra hoc facit difficultas facta a Pontio contra illas descriptiones; sive enim conveniant spongiæ compressæ, & laxatæ, sive non, semper manet quod secundum intentionem Philosophi rarum, & densum sint de prædicamento situs, ac consequenter rarefactio, & condensatio sint mere motus locales secundum earum formalitatem.

Ad 2. fundamentum nostrum a ratione desumptum sub n. 42. respondet multipliciter Pontius nu. 110. & primo, negat consequentiam, quia aliquid aliud acquiritur, vel deperditur, tum quod potius debet dici terminus per se rarefactionis, & densationis, quantitas nempe aliqua, & quod illa quantitas sit potius dicenda terminus per se, quam extensio, quæ sequitur, patet manifeste, quia illa quantitas prius acquiritur, quando res rarefit, quam extensio, quæ sequitur, & hæc non posset acquiri sine illa; ista vero posset acquiri sine hac divinitus.

Hæc solutio non sufficit, quia nedum in hoc argumento, & in hac quæstione, sed in tota disputatione per primum, & per se terminum rarefactionis, & condensationis intelligimus illud, quo acquisito, & alio quocunque secluso corpus intelligitur formaliter rarefactum, vel condensatum, & in hac disp. 4. hactenus disputavimus, an talis primus, & per se terminus sit aliquid de genere substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, vel situs, ut in hac quæstione contendimus, si ergo conceditur antecedens, quod corpora dicantur formaliter rarescere, & condensari per majorem, vel minorem extensionem partium in loco, sequitur necessario non aliud acquiri per rarefactionem, & condensationem, quam hujusmodi extensionem localem de genere situs. Quod autem *quantitas nova non* acquiratur per rarefactionem, & deperdatur per condensationem, jam supra probatum est rationibus, quas respondens nec solvit, nec solvere potest. Et quando etiam talis quantitas acquireretur, non ad huc bene probat, quod hæc potius deberet poni primus, & per se terminus rarefactionis, quia per primum, & per se terminum in mutationibus non consuevit intelligi id, quod antecenditur, & prius aliis acquiritur; nam sic præviæ dispositiones in quacunque mutatione, & generatione forent primus, & per se terminus ejus, cum prius acquirantur forma substantiali, & hæc non possit acquiri sine illis, naturaliter loquendo, bene tamen e contra; sed per primum, & per se terminum intelligitur id, quod est primo, & principaliter intentum ab efficiente, esto sit in executione posterius, quod adeo manifestum est apud Philosophos, ut sit ignorantia valde crassa in mutationibus agnoscere pro primo, & per se termino id, quod acquiritur prius aliis in ea mutatione intervenientibus.

Respondet secundo, ne fiat altercatio de termino formali, concedendo totum, & negando inde sequi sententiam nostram esse raram, quia quamvis illa extensio esset terminus primus, & per se rarefactionis, non sequeretur, quod non acquireretur nova quantitas aliqua, sive illa diceretur primus terminus, sive non; hic autem per se realis controversia est, an fiat rarefactio sine nova quantitate. Sed contra hoc iterum replicamus, quod primus, & per se terminus alicujus mutationis v. g. generationis substantialis est id, quo acquisito, & omni alio secluso intelligitur talis substantia genita, & quo excluso quocunque alio habito non intelligitur substantia genita, non autem id, quod primum omnium acquiritur; si ergo semel conceditur extensionem localem secundum partes esse primum, & per se terminum rarefactionis, necessario concedendum est posse rarefactionem fieri absque nova quantitate cum sola nova extensione locali; Urget deinde quandam instantiam pro nobis, de qua non curamus, quia fundatur in illa erronea intelligentia termini per se primi mutationis, quod sit ille, qui primus est in executione, & prius aliis acquiritur, cum res omnino e contra se habeat.

Ad 3. fundamentum sub n. 111. respondet rursus, quod non tangit difficultatem realem, nam realiter difficultas non est, quid sit ipsa raritas formaliter, sed an in rarefactione acquiratur quantitas, unde quamvis concederem totum argumentum, non habetur adhuc, quod possit acquiri raritas absq; quantitate nova, quod esset probandum. Contra, quia respondens hæc argumenta dissolvit, quasi probatum antea non fuisset in rarefactione novam quantitatem acquiri non posse nec totalem, nec partialem, sed jam hoc antea probatum est efficacissimis rationibus, quibus ille nihil respondit, ergo male imponit adhuc probatum non esse, quod raritas possit acquiri sine quantitate. Rursus *falsum* dicit, quod realis difficultas in hac controversia non sit, quid sit ipsa raritas formaliter, immo cardo totius difficultatis in hoc sita est, nam declarato *in quo* formaliter consistat raritas, an in quantitate, qualitate, vel sola extensione locali, aut corpusculorum receptione, statim decisa est controversia; cumque a nobis probatum sit in præcedentibus non consistere in quantitate, qualitate, vel corpusculorum receptione, tandem in hac quæstione concludimus, nonnisi majorem extensionem situalem importare posse; unde in hac quæstione probare non debemus raritatem sine nova quantitate acquiri posse, ut toties inculcat respondens, quia id supra probatum est q. 3. sed quod raritas præcise consistat in sola extensione locali, ex quo necessario deducitur per rarefactionem non acquiri nisi novam *extensionem localem*. Denique argumentum probat totum id, quod vult respondens; si enim ipse concedit non acquiri novam quantitatem, ut per se *terminum*, *non erit* necessaria quantitas nova, nisi tanquam causa dispositiva ad majorem extensionem localem, quæ ponitur primus per se terminus per concessionem totius argumenti, at in argumento pro causa dispositiva ad hoc sufficiente affignatur calor, vel humiditas; ergo qualitas nova nullo modo est necessaria, quod si dicat esse necessariam, ut fundamentum illius novæ extensionis majoris, de hoc dicemus postea.

Ad 4. fundamentum, quod consistit in paritate de quantitate continua permanenti quoad extensionem localem, & successiva quoad temporaneam; Respondet multipliciter, & primo inquit, quod quamvis esset eadem difficultas in utroque casu, si posset tolli illa difficultas commode per aliquem modum dicendi in uno ex illis absque inconvenientia alia, de eret tolli; licet non posset tolli in altero casu per similem modum, neque per alium aliquem; sed potest tolli difficultas hæc de quantitate continua tenendo sententiam de rarefactione mediantibus corpusculis, in qua sententia nulla est inconvenientia, quamvis per illam sententiam non possit tolli difficultas de quantitate successiva: ergo debet admitti nostra sententia de quantitate permanenti per quod totaliter ruit hoc præcipuum fundamentum. At nimis debilis ictus ad diruendum tam stabile fundamentum, si enim conceditur in hac responsione paritas in argumento assumpta de quantitate permanenti, & successiva, sane vel in utraq; debet tolli difficultas, vel quod non habetur pro *inconvenienti in* quantitate successiva, nec haberi debet in permanenti, nam si dissormiter procederetur, jam paritas non admitteretur, quæ tamen in hac prima responsione admittitur. Deinde falsum est hanc difficultatem tolli absque ulla inconvenientia in quantitate permanenti per sententiam de corpusculis, ut constat ex dictis *in* secunda quæstione hujus disp.

Respondet secundo cum Arriaga negando illam difficultatem, aut æquivalentem currere de quantitate successiva, nam potest provenire, quod eædem partes caloris, & loci, quæ acquiruntur per calefactionem, & lationem, acquiruntur majori, vel minori tempore per hoc, quod quando acquiruntur successive majori tempore, majores morulæ imperceptibiles quoad sensum interveniant inter acquisitiones partium, & minores, seu pauciores, quando minori. Sed disp. præced. quæst. 5. late hujusmodi morulas confutavimus, ostendimusque, & alterationem, & motum localem esse motus vere continuos, & successivos, non autem instantaneos, & interpolatos; & sane quamvis Arriaga legitime, & rationabiliter hanc adhibuerit responsionem, quia disp. 2. de gen. sect. 3. subsect. 2. tenet omnem motum successivum fieri per morulas interceptas, & secundum majorem, vel minorem numerum ipsarum provenire in motu velocitatem, & tarditatem; Pontius tamen nullatenus ei poterat adhærere, quandoquidem disp. 2. de gener. n. 10. cum Doctore teneat alterationem continuam; prævidit ipse hanc inconsequentiam, & inquit non esse necesse, quod hic dicendi modus contradicat illi sententiæ, quam ibi tenuit cum Doctore, nam illa sententia potest intelligi de agente, qui habet virtutem ad alterandum velocissime, illud enim alterabit absque morulis, quamvis aliud agens non habens tantum virturis non possit agere absque morulis, propter hanc ipsam difficultatem; quæ sane tanta est quanta potest esse ulla, quæ probat alterationem posse esse continuam a quocunque agente fiat, unde potest hæc sententia non esse vera.

Hæc ultima verba subdidit respondens, eo quia vidit præfatam suam responsionem non salvare suam inconsequentiam, quandoquidem rationes, quæ adducuntur contra morulas pro continuitate motus localis, & alterationis probant universaliter eorum continuitatem a quocunque agente fiant; unde, ut vides, erudite Lector, Pontius argumenti pondere pressus revocat sententiam, quam tenuerat de alteratione continua cum Doctore, dicendo, illam sententiam propter hanc ipsam difficultatem posse non esse veram; atque *ita* potius præceptorem deserere voluit, quam carum consortem Arriagam, & potius retractare sententiam de alterationis continuitate, quam Doctor non semel expressissime *docuit*, quam opinionem de corpusculis, quam nec explicite, nec implicite unquam insinuavit; Gratulamur itaq; quod in hac acerrima pugna adversarius palmam

mam amplius referre non potest, quando enim pondere alicujus *rationis* nos cogeret ad nostram sententiam deserendam in materia de rarefactione, non ideo de victoria gloriari debebit; quandoquidem pondere nostræ rationis pariter illum induxerimus ad *retractandam* sententiam de continuitate alterationis. Scias tamen opinionem de morulis longe majores pati difficultates, quam hæc nostra de rarefactione, siquidem hæc nostra unam tantum patitur difficultatem gravem, quæ etiam communis est aliis, ut postea videbimus; at illa de morulis longe plures, & graviores, ut potest videri loco citato, unde parum lucri feciste putamus responsentem in retractatione sententiæ de continuitate alterationis.

Ad quintum, & ultimum fundamentum, quod procedit ex impugnatione supposita aliarum sententiarum, ait non esse sufficienter impugnatam sententiam de corpusculis; & quod quando etiam fuisset sufficienter impugnata, non adhuc sequi sententiam nostram esse veram, quia hæc patitur tantas, & majores difficultates. Hæc tamen gratis dicuntur, quandoquidem & sententia de corpusculis est sufficienter impugnata, & nostra minores patitur cæteris difficultates, una enim dumtaxat premitur difficultate, inferius proponenda, quæ tamen est quoque communis aliis opinionibus, quæ ulterius peculiares habent difficultates, ut supra visum est.

In oppos. obiic. Primo quia si tota ratio rarefactionis, & condensationis consistit in majori, vel minori extensione locali ejusdem rei, tunc etiam Angelus diceretur rarescere, & condensari, dum idem jam majus, jam minus spatium occupat. Tum 2. pariter eadem ratione si corpus extensum reducatur a Deo in punctum, dicetur condensari, & si postea extendatur ad locum dicetur rarefieri, quod est falsum. Tum 3. dum res *transit de uno loco ad alium*, *mutat realiter præsentiam*, & totius ad totum locum, & partium locati ad partes loci, & tamen non mutat raritatem, aut condensationem, ergo non consistit in tali respectu de genere situs, quia mutato Ubi mutatur situs quoque, sed non mutatur raritas. Tum 4. partes non possunt fieri immediatiores, quam quod continuentur per indivisibile, nisi penetrentur, nec possunt magis ab invicem distare, quam per indivisibile, nisi discontinuentur, ergo nequeunt in condensatione magis constipari, nec in rarefactione magis dilatari, nisi addita, vel dempta aliqua parte.

45 Resp. ad 1. neg. conseq. quia major, & minor extensio localis Angelis non ponitur in prædicamento situs, cum non fiat secundum partes, rarefactio autem, & condensatio non dicit majorem, aut *minorem occupationem* loci utcumque, sed per majorem unionem partium in loco, aut dilatationem. Ad 2. neg. item conseq. tunc enim aliquid rarefieri dicitur, cum a minori extensione ad majorem transit, & e contra tunc condensatur, cum a majori ad minorem, in casu vero non sic esset, nam punctum non est extensio aliqua localis. Ad 3. non consistunt raritas, & densitas in qualicumque respectu partium locati ad partes loci, sed in majori, aut minori distantia, quam servant ad invicem in loco, adeo ut non tam consistant in ordine partium ad locum, quam in ordine, quem servant ad invicem in loco vage, & confuse sumpto, cumque nunc eumdem ordinem suarum partium fervet corpus rarum, aut densum quocumque transferatur, ideo retinere dicitur ubicumque eamdem raritatem, & densitatem. Ad 4. verum est assumptum loquendo de immediatione, atque distantia partium in ordine ad se; non tamen in ordine ad locum, & ideo neg. conseq. Iac enim in olla ferventi obtinet *quandoque triplo* plus loci, quam antea, & tamen censent omnes eamdem esse quantitatem lactis dum friget, ac dum fervet; & ratio hujus est, quia ut jam declaravimus, positio de genere situs alia est a positione de genere quantitatis, neque ista est confundenda cum illa. Dices, licet sint realiter distinctæ, tamen extensio in ordine ad locum sequitur extensionem in ordine ad se, ergo nequit illa fieri mutatio absque prævia alia mutatione extentionis in ordine ad se. Neg. conseq. quia cum homo stat, sedet, vel inclinatur, mutatur extensio partium in ordine *ad locum*, *non tamen* in ordine ad se, & ratio est, quia non est necesse prius variari ad variationem posterioris.

46 Secundo objicitur difficultas sæpius inculcata, quæ adeo ardua est, ut etiam a *sectatoribus nostræ sententiæ insolubilis* censeatur pro statu isto; fundatur autem in duobus principiis in Philosophia receptissimis, unum est, quod idem corpus naturaliter nequit esse in pluribus locis; alterum quod naturaliter nequit dari penetratio dimensionum; tunc sic, partes corporis ante condensationem non erant penetratæ, sed una extra aliam in loco sibi adæquato, ergo quantumvis novum modum in condensatione acquirant, non potest quælibet poni in loco minori, quia non potest esse, nisi in loco sibi adæquato, nec possunt duæ poni in eodem loco, quia penetrarentur, ergo non possunt nunc occupare minus spatium, quam antea. Pariter etiam ante rarefactionem partes corporis erant singulæ in loco sibi adæquato, quia non erant penetratæ, ergo *quantumvis novum modum* acquirant, non potest quælibet in loco majori poni, quia non potest esse, nisi in loco sibi adæquato, nec potest eadem pars poni in pluribus locis, ergo non poterit corpus nunc occupare majus spatium, quam antea.

Resp. in primis hanc difficultatem esse communem omni Sententiæ, ut diximus, opinio enim de acquisitione, vel deperditione qualitatis nullo prorsus modo eam effugit, ut constat ex præc. qu. opinio de acquisitione, & deperditione quantitatis premitur eadem difficultate in substantia, sicut enim

contra nos objicit, non posse augeri, vel minui extensionem *localem* sine quantitate, in qua fundatur, sic contra eos objicimus nos, non posse augeri, vel minui quantitatem sine deperditione, aut acquisitione substantiæ, in qua subjectatur; opinio tandem de acquisitione, ac deperditione substantiæ extraneæ, licet in quantitate permanenti difficultatem evitet, non tamen effugit illam in successiva, ut constat ex quarta ratione allata in probanda conclusione, unde hoc argumentum factum contra raritatem, & densitatem quantitatis permanentis semper instantiam habebit in velocitate, & tarditate motus, & quicquid dicetur ad instantiam, applicari poterit ad solutionem argumenti.

47 Sed hac instantia contenti esse non debemus, sed ulterius scrutari, an possit reddi aliqua ratio huius, ut ita dicamus, mysterii naturæ, quod in rarefactione potest idem corpus occupare majus spatium, quam antea, absque eo quod illud, aut aliqua ejus pars sit simul in pluribus locis, & in condensatione minus absque penetratione unius partis cum alia; Complur, inquiunt id evenire per quamdam constipationem partium, ac veluti involutionem earum a natura factam, a qua cum fuerint evolutæ, ac veluti explicatæ in ampliorem locum se se dilatant; quod declarant exemplo papyri plicatæ, explicatæ absque additione novarum partium, quæ quidem nec per explicationem occupat duplicem locum adæquatum, sed solum majorem, nec per plicationem partes illius penetrantur; quamvis in minorem locum se recipiant; unde id, quod artificiosus plicandi, & explicandi modus hic operatur invenitur in carta rarefacta, & condensata media rarefactione, & condensatione ab ipsa natura operatum. Hæc tota explicatio consistit in verbis, nam declarare debebant id, in quo tota difficultas posita est, quare hæc constipatio non sit partium penetratio, nam penetratio contingit, cum plures dimensiones uniuntur in eodem loco, at hoc totum evenit in præfata constipatione, nam ejus beneficio quantitas bipalmaris contrahitur ad locum palmarem, atque ita unus palmus coexistit cum alio in eodem loco, quod idem est, ac cum ipso compenetrari; nec illis adductum exemplum suffragatur, sed potius adversatur, papyrus enim etiam plicata tantumdem loci occupat, quantum explicata, licet non per eamdem dimensionem, nam explicata se se porrigit in latitudinem, & longitudinem, at implicata in profunditatem, & quantum in implicatione amittit longitudinis, & latitudinis, tantum acquirit profunditatis, unde quod ei deperit in una dimensione, compensatur ex alia.

Joann. de S. Thom. nixus cuidam doctrinæ, quam tradiderat 6. Phys. quæst. 20. art. 2. & 4. quod indivisibile afficit partem inadæquate, quia divisibile nequit proportionari indivisibili, rem ita explicat; quod hac de causa plura indivisibilia simul possunt eamdem efficere partem terminando ipsam, aut nectendo cum altera, & *hinc oritur*, quod eadem pars per solam additionem, aut detractionem indivisibilium potest occupare modo majorem, modo minorem locum; tunc enim dicitur dilatari, cum pluribus indivisibilibus explicatur extensio partis in loco; nunc autem contrahitur, quando unico indivisibili, vel paucioribus connectitur, aut terminatur. Rem non amplius explicuit hic Auctor, quia nec ipse, ut credimus, intelligebat, quod scribebat, sed doctrinam illam de contractu inadæquato indivisibilis ad partem jam disp. 9. Phys. quæst. 2. art. 5. in fol. ad 3. & 4. impugnavimus, ac eatenus hic admissa *non defervit*, sed prorsus rem confundit, transeat enim, quod punctus inadæquate parti correspondeat, sed ad quid postea eidem parti alium punctum addere? indivisibilium munus est, aut terminare, aut continuare partes, & quidem ad unam partem terminandam, aut continuandam cum alia unum sufficit indivisibile, ad quid ergo alia superaddere? Ait ipse, aliis opus esse ad magis explicandam, & expandendam eamdem partem, sic enim pars, quæ correspondebat inadæquate uni puncto, fit correspondens pluribus, & sic laxatur. Sed certe a sæculo non est auditum, quod indivisibilia exerceant munus expandendi partes in loco, hoc enim prorsus repugnat eorum naturæ, ut efficaciter monstravit Arist. 6. Phys. ab initio axiomate illo, quod indivisibile additum indivisibili non illud extendit, imo nec additum divisibili, sed tantum illud continuat, aut terminat; quamplura alia absurda possent contra hanc solutionem adduci, quæ facile cuique occurrent spectata natura *indivisibilium*.

48 Alii proinde communiter recurrunt ad divisibilitatem partium continui in infinitum, quasi hac de causa possit quælibet ejus pars ampliari, & ampliata coarctari, quod evenire non posset, si ex indivisibilibus constaret. Hanc solutionem apud multos invenimus, nempe Hurt. Aversi. & alios, sed quo pacto id evenire possit sine penetratione, non satis declarant. Nos post maturam rei discussionem in eam devenimus opinionem, ut hoc mysterium de raritate, & densitate quantitatis permanentis explicandum sit, quemadmodum illud de velocitate, & tarditate *in* quantitate successiva; qua de causa sæpius inculcavimus hanc analogiam inter utramque quantitatem; sicut ergo quantitas successiva in motu est ratio, cur fiat in tempore, ratio autem cur fiat in tanto tempore majori, vel minori, non provenit ex ea præcise, sed ex multis aliis, v. gr. ex potentia motiva majori, vel minori, ex varia ejus applicatione, ex resistentia medii, & aliis, ita in proposito dicendum, *quod quantitas permanens est in corporibus* ratio essendi in loco impenetrabiliter, ratio autem, cur sit in tanto loco majori, vel minori, non provenit ex ea præcise, sed ex multis aliis, præ-

 sertim

fertim vero ex vario temperamento quarumdam qualitatum concurrentium ad condensationem, & rarefactionem; ut ergo maguam non sentimus difficultatem in percipiendo, quomodo idem motus super eamdem magnitudinem factus, coexistat modo majori, modo minori tempori, ex sola diversitate virtutis motivæ, aut applicatione ejusdem, ita intellectum captivare debemus in præsenti, quod bene potest idem corpus cum eadem quantitate coexistere modo majori, modo minori loco ex sola diversitate temperamenti, & aliorum concurrentium ad condensationem, & rarefactionem.

49 Itaque ad argumentum allatum dicimus, adhuc cum isto modo a nobis explicato rarefactionis, & condensationis bene cohærere illa duo principia in Philosophia recepta, quod naturaliter nequit dari penetratio dimensionum, nec idem corpus esse in pluribus locis: non itaque labefactantur, quia nec in rarefactione eadem pars ponitur in pluribus locis, sed tantum in majori loco, quam antea foret, nec in condensatione penetratur cum alia in eodem loco, sed tantum ponitur in minori; ratio est, quia corpus ponitur in pluribus locis per sui replicationem absque variatione prioris, at in rarefactione nulla pars retinet priorem locum, quem antea habebat, nec umquam duos locos occupat ei æquales, sed unum dumtaxat locum acquirit majorem per majorem extensionem; sic etiam pariter in condensatione non contingit penetratio partium, quia non condensatur corpus per coexistentiam unius partis in loco alterius, alioquin, non quælibet pars densi densa foret, sed per coarctationem singularum ad minus spatium, quam antea occuparent, & amplius potest responsio declarari ex allata analogia quantitatis successive in ordine ad tempus, ut enim ibi admittitur eumdem modo majori, modo minori tempore coexistere absque eo, quod duæ partes motus coexistant eidem tempori, aut eadem pars sit simul, & semel in diversis temporibus, ita in proposito admitti debebit idem corpus posse modo coexistere majori, modo minori spatio absque eo, quod simul sit in pluribus locis, aut aliqua ejus pars compenetretur cum alia. Cum dicitur corpus esse non posse, nisi in loco sibi adæquato, respondemus commensurationem istam inter locum, & locatum pensari debere ex vario statu raritatis, vel densitatis utriusque, nam in hoc sensu locus bipalmaris commensuratus erit corpori quantitatis palmaris rarefacto, accedit, quod adæquatio inter locum, & locatum, ut omnes norunt, debet esse continentiæ, non autem dimensionis, & utique semper hæc intercedit inter locum, & locatum, sive fuerit densum, sive rarefactum, nam in statu rarefactionis per majorem dilatationem adæquat, & replet continentiam loci majoris, & in statu condensationis ob compressionem capitur a minori, quare semper sunt adæquata adæquatione continentiæ.

Hanc responsionem nititur Pontius, multis evertere in append. apolog. num. 116. & primo inquit, quod quando dicimus propterea non fieri replicationem in rarefactione, quia corpus rarefactum non occupat duo loca, sed unum majorem, incidimus directe in doctrinam, quam impugnavimus supra tam contra Complutenses num. 47. quam contra Bassolium num. 22. & sane quacumque ratione potest explicari, quod corpus palmare possit absque replicatione poni in loco bipalmari, & corpus bipalmare absque penetratione in loco palmari; potest etiam absque ulla majori difficultate dici, quod substantia, & quantitas bipalmaris possit poni in subjecto palmari, & quantitas palmaris in subjecto bipalmari, unde si illud primum dicatur, potest dici quoque quod substantia palmaris, quæ rarefit ad occupationem loci bipalmaris acquirat alium palmum quantitatis, & quod substantia bipalmaris, quæ condensatur, perdat aliquam partem quantitatis, ut ajebat sententia de acquisitione novæ quantitatis, unde concludit propter hanc difficultatem male ab ea sententia nos recessisse.

Resp. hanc instantiam nobis novam non esse, hac enim de causa diximus difficultatem propositam urgere etiam opinionem de acquisitione quantitatis, quæ sicut contra nos obiicit non posse augeri, vel minui extensionem localem sine quantitate, in qua fundatur, sic contra eam nos obiicimus, non posse augeri, vel minui quantitatem sine acquisitione, vel deperditione substantiæ, in qua subjectatur, quoniam vero illa sententia adhuc aliis peculiaribus difficultatibus urgebatur ultra istam, ideo illi adhærere non placuit. Tum quia ex quantitate successiva idoneum habemus fundamentum ad explicandum quod corpus palmare possit absque replicatione poni in loco bipalmari, & corpus bipalmare absque penetratione in loco bipalmari, ut supra dicebamus, quod non ita adaptari potest ad explicandum, quod quantitas bipalmaris possit poni in subjecto palmari, & quantitas palmaris in subjecto bipalmari, eo quia inhæsio quantitatis in substantia non est pura, & simplex coexistentia accidentis ad subjectum, sicut est coexistentia rei temporalis ad tempus, & rei locatæ ad locum, sed est vera, & realis dependentia effectus ad suam causam materialem, unde non currit utrobique eadem omnino paritas, per quod patet, etiam ad confirmationem ejusdem instantiæ, quam subdit num. 117.

Secundo sub eodem n. §. *ulterius* impugnat dictum in allata responsione, quod commensuratio inter locum, & locatum pensari debet ex vario statu raritatis, & densitatis ejusdem corporis, nam in hoc sensu locus bipalmaris commensuratus erit corpori quantitatis palmaris rarefacto; inquit hoc sibi ridiculum videri in sententia nostra, nam sic sensus istius propositionis esset, quod corpus habens situm correspondentem tantummodo loco bipalmari non possit, ut habens talem situm, poni in majori loco, nec etiam minori, quod evidens est, & non proponendum tamquam axioma, aut propositio aliqua discenda, vel advertenda, sicut non deberet proponi hæc propositio, tres homines non sunt plures, quam tres homines.

Resp. esse doctrinam communem in omni schola, quod ad evitandam propositionem penitus identicam, & prædicationem nugatoriam sufficit, quod idem distincte, & clare conceptum dicatur de seipso confuse concepto, alioquin quotiescumque definitio dicitur de definito, propositio esset identica, & prædicatio penitus nugatoria, quod nemo asserit; cum ergo dicimus, quod corpus tantæ raritatis petit tantum locum, licet raritas non importet, nisi actualem extensionem in loco, cum hæc sit ejus definitio, adhuc tamen non efficit propositionem nugatoriam, sicut est illa, tres homines non sunt plures, quam tres homines, quia idem non prædicatur de seipso eodem prorsus modo concepto a parte subjecti, & a parte prædicati, sed idem distincte, & clare conceptum a parte prædicati renuntiatur de seipso a parte subjecti confuse concepto.

Tertio pergit sub nu. 118. impugnare doctrinam ejusdem responsionis, quibusdam argumentis, quæ adducit, & solvit Hurt. disp. 4. de gener. sect. 4. quando quantitas bipalmaris ponitur per extensionem in loco quadripalmari, vel aliqua pars illius quantitatis manet in priori spatio bipalmari, *vel non; non secundum, quia tunc ibi esset vacuum, & præterea quantitas illa non repleret totum spatium quadripalmare*; si primum, quæritur ulterius, vel illa ipsa pars determinata ponitur in altera parte loci quadripalmaris, & sic una pars illius quantitatis determinata erit in duabus partibus loci totalis determinatis, quod sine replicatione fieri nequit; si non, ergo in toto priori bipalmari jam remanent duæ partes determinatæ, quarum una correspondet uni palmo ipsius, altera alteri, & tunc debent necessario in aliis duobus palmis loci esse alii duo palmi quantitatis determinati distincti a prioribus duobus palmis; ergo in toto loco quadripalmari sunt quatuor palmi determinati quantitatis, & sic si nulla pars quantitatis est addita, erant necessario ante rarefactionem quatuor palmi determinati quantitatis, quorum duo aliis duos penetrabant. Conf. si essent duæ aquæ bipalmares, peto, an illæ duæ possint poni simul in loco uno bipalmari absque penetratione; si non, ut dici debet, ergo aqua rarefacta occupans quatuor palmos loci non potest, ut nos dicimus, secundum se totam poni in loco palmari per condensationem, absque penetratione; quia tam continet quatuor palmos, & tam potest dividi in duos binos palmos, quam duæ aquæ bipalmares, si continuarentur. Conf. adhuc, aqua rarefacta in duplum replens spatium bipalmare habet tot partes substantiales, & quantitativas, quot habet aqua non rarefacta occupans idem spatium; sed aqua non rarefacta occupans spatium bipalmare habet plures partes determinatas, quam aqua non rarefacta occupans tantum spatium palmare, ergo aqua rarefacta occupans spatium bipalmare habet plures partes determinatas, quam aqua rarefacta occupans tantum unum palmum, sed non habet plures partes determinatas, si ipsa aqua non rarefacta posset absque acquisitione plurium partium occupare mediante rarefactione illud spatium; ergo hæc sententia involvit manifestam contradictionem.

Resp. hæc, & similia argumenta posse adamussim retorqueri, ut sæpe inculcatum est, in quantitate successiva, & quicquid diceretur in eo casu, dicendum esset in casu nostro de quantitate permanenti, & hoc sufficeret pro adæquata solutione, advertendum tamen in his argumentis supponi, quod sicut quantitas est in corporibus ratio occupandi locum, sic tanta quantitas sit ratio occupandi tantum locum, quod tamen sententia nostra non admittit, nisi de corpore sub eodem statu considerato, v. gr. raritatis, vel densitatis, alioquin quantitas ex natura sua solum habet extendere substantiam per partes extra partes impenetrabiliter, determinare vero corpus ad tantum, vel tantum locum; ut palmarem, vel bipalmarem spectat ad positionem de genere situs, qua ratione Tatar. 4. Phys. qu. de vacuo dub. 3. prope finem negat pedale, & bipedale, bicubitum, & tricubitum esse species quantitatis, & ait esse species situs, ita quod bipedalitas dicit talem distantiam duarum partium ad partes loci, unde deducit inconveniens non esse idem successive esse pedales, & bipedales, & quantitas eadem numero manens, quæ prius erat pedalis, in rarefactione fiat bipedalis, quandoquidem quantitas, quæ erat parva in rarefactione, facta est major ratione majoris extensionis situalis.

Juxta hanc doctrinam dici debet ad argumentum, quod cum quantitas bipalmaris per rarefactionem extenditur ad locum quadripalmarem, eo ipso fit quadripalmaris, & habet quatuor palmos realiter distinctos, ubi prius duos tantum habebat, & illi palmi non sunt partes quantitatis, sed illius extensionis localis de genere situs: unde inferri nequit ante rarefactionem duos palmos fuisse cum aliis duobus penetratos, aut post rarefactionem unum occupare duos palmos loci, sed tantum omnes, & singulas partes illius quantitatis fuisse duplo magis extensas. Dices, si quælibet pars determinata illius quantitatis duplo magis extenditur, ergo quælibet erit in duobus locis sibi adæquatis, quod sine replicatione fieri nequit. Negatur consequentia, ut dictum est, commensuratio inter locum, & locatum pensari debet ex vario statu raritatis, densitatis, unde qui erat locus adæquatus unius partis ante rarefactionem, facta rarefactione evadit inadæquatus, quare occupando per rarefactionem rursus tantumdem loci non dicitur occupare duo loca sibi adæquata, sed duo inadæquata, & unum adæquatum.

Ad confirmationem conceditur, duas aquas bipalmares non posse poni in loco uno bipalmari absque penetratione: sed negatur consequentia de aqua rarefacta quatuor palmos loci occupante; aliud enim

enim est loqui de duabus aquis bipalmaribus absolute sumptis, & sub eodem statu existentibus; aliud de eadem aqua sub rarefactione respectu sui ipsius sub condensatione: hæc enim sub utroque statu semper retinet easdem partes tam entitativas, quam quantitivas modo sub majori, modo sub minori extensione: & quando dicebatur tam posse dividi in quatuor palmos illam aquam rarefactam, quam illas duas bipalmares, si continuarentur; verum est loquendo de palmis prout important partes extensionis de genere situs, non tamen, ut important partes integrales quantitatis, sic enim plures habent partes duæ illæ aquæ bipalmares, quam illa aqua rarefacta occupans locum quadripalmarem, & ideo illæ poni nequeunt in uno loco bipalmari sine penetratione, bene tamen ista per condensationem.

Hinc ad aliam confirmationem negatur major ob rationem allatam, unde concessa minori negatur consequentia, quia eadem aqua cum eisdem prorsus partibus integralibus potest in statu rarefactionis occupare spatium bipalmare, & in statu condensationis palmare tantum ratione dumtaxat majoris, vel minoris extensionis situalis; unde negatur tandem ultima consequentia, quod nostra sententia involvat contradictionem.

Quarto tandem arguit num. 120. si potest fieri, ut aliqua quantitas, seu substantia quanta possit naturaliter acquirere majorem locum, quam semel naturaliter habet, non potest cognosci quanta sit quantitas illius substantiæ; an una habeat majorem, quam altera quæcumque, nec poterit etiam sciri, an aliqua substantia sit rarior loquendo de raritate quantitativa; sed hoc est absurdum secundum omnes; probatur sequela, quia eatenus possumus cognoscere, quod mons Olimpus v. gr. habeat plures partes entitativas, & quantitativas, quam homo, quia videmus, quod possit dividi in plures partes determinatas, & quod occupet multo majus spatium locale: sed hoc non sufficit in adversa sententia, quia posset dici, quod occuparet majus spatium; & esset divisibilis in plures partes, non ex eo quod includat plures partes entitativas, aut quantitativas; sed ex eo quod habeat majorem extensionem, & consequenter posset dici, quod esset rarior, quam flamma parva, aut aer.

Resp. hoc argumentum in alias quoque opiniones retorqueri posse, in illam quidem de quantitate, quia si per rarefactionem acquiritur nova quantitas sine nova substantia, tunc cognosci nequibit, unum corpus esse majus alio, seu habere plures partes substantiales, ac entitativas, quia si est rarefactum, poterit habere minores sub majori quantitate, nec partes quantitativæ erunt sufficiens indicium entitativarum, quia in rarefactione secundum hanc opinionem acquiruntur sine illis, & adhuc cum majori efficacia retorqueri potest in sententia de corpusculis, nam si rarefactio sit per receptionem corpusculorum, ac extraneæ substantiæ intra poros corporis rarefacti, numquam discerni poterit unum corpus re vera esse majus alio ex majori loci occupatione, quia licet flamma v. g. occupet locum longe majorem, quam modica pulveris materia, unde genita est, tamen re vera non est a flamma totus ille locus occupatus, sed major pars occupatur a corpusculis, & peregrina substantia illi permixta, quod pariter de quocumque alio corpore rarefacto secundum hanc sententiam est asserendum; ergo in eam re vera nequit discerni corporum magnitudo.

Ut ergo corporum magnitudo bene colligatur ex majori, vel minori occupatione locali, debent corpora adinvicem comparari cæteris paribus, scilicet in æquali statu raritatis, vel densitatis; tunc enim quod est magis extensum est absolute majus alio, haberque plures partes tam entitativas, quam quantitativas; quod si invicem comparentur cæteris imparibus, nempe unum sub densitate, aliud vero sub raritate, tunc ex majori extensione non bene colligitur pluralitas partium integralium, nam rarum definitur quod habet minus de materia sub majori extensione, & densum e contra, quod habet plus de materia sub minori extensione, qua ratione licet aer bipalmaris majorem occupet locum ferro palmari, non ob id censetur majus corpus, nec plures habere partes integrales, quam habeat ferrum. Sic pariter comparatio rari, & densi fieri debet secundum proportionem substantiæ sub extensione, ut illud dicatur rarius, quod habet minus materiæ, & plus de extensione: illud densius, quod habet plus de materia, & minus de extensione; & ideo mons licet sit magis extensus quam parva flamma, vel aer, non ob id dici debet ratior illis, quia sub illa majori extensione continet etiam valde plus materiæ.

Itaque ad argumentum in forma, si potest fieri ut aliqua quantitas, &c. distinguitur consequens, sub eodem statu considerata, conceditur consequentia, sub diverso statu, negatur; ad probationem sequelæ major est vera, quia fit ibi comparatio inter Olympum, & hominem cæteris paribus, & ideo rationabiliter deducitur ex majori extensione Olympi, quod sit major homine, & plures habeat partes entitativas, ac quantitativas; neque ex illa majori extensione bene colligitur, quod sit rarior parva flamma vel aere, quia sub illa majori extensione continet etiam plus materiæ. Cur autem in statu densitatis occupet minorem locum idem corpus, & in statu rarefactionis possit occupare majorem absque additione alicujus partis, quod est difficilius captu in hac materia, Hurtadus loc. cit. & alii dicunt, id provenire ex compositione continui ex partibus divisibilibus, quæ propter infinitam divisibilitatem possunt magis protendi, quod non esset, si componeretur ex indivisibilibus solis, quia duo, tria vel quatuor indivisibilia non possunt ullo pacto extendi ob eorum indivisibilitatem, sed semper petunt determinata quatuor indivisibilia loci; quare sicut ista ob eorum indivisibilitatem determinata sunt ad indivisibilia loci; nec ulterius queunt extendi, ita e contra partes, quia sunt divisibiles, possunt aliquo modo magis extendi.

Tertio principaliter obiicitur, quia sequeretur in rarefactione, & condensatione rarum, & densum localiter moveri, cum partes omnes localiter moveantur, imo rarefactio, & condensatio non essent, nisi quidam motus locales, quod communiter negatur. Deinde in vacuo potest esse rarefactio, & condensatio, at ibi nulla esse potest extensio localis, quia nec locus adest. Rursus stante hac opinione quæritur, an dum corpus rarefit, & magis extenditur, conservetur prior extensio, cui alia nova adiiciatur, vel tota præcedens deperdatur, & alia totalis nova generetur, & tunc redire videntur omnes difficultates, quæ divexant opinionem de acquisitione, vel deperditione quantitatis. Denique tunc nullo negotio possent corpora rarescere, & condensari *in infinitum*, quia id fieri potest absque ulla additione, aut detractione materiæ.

50 Resp. ad 1. concedendo rarum, & densum localiter moveri secundum partes, non secundum totum, *nisi consequenter*, & secundario, tunc enim proprie censetur aliquid moveri secundum totum, cum totaliter deserit priorem locum, & alium novum acquirit; quod non contingit in condensatione, & rarefactione; quare isti motus proprie sunt ad Situm, non ad Ubi, quia rarefactio est motus partium ad alium locum, & sublato omni alio, & concepto tantum motu locali partium ad majorem distantiam inter se absque tamen discontinuatione, facta erit rarefactio. Dices, ergo non ad tria tantum prædicamenta erit motus, scilicet quantitatem, qualitatem, & Ubi? Resp. motus ad Situm reducitur ad motum ad Ubi, *cum sit quidam motus localis imperfectus, quod eo vel maxime dicendum est, si Situs non constituat diversum prædicamentum ad Ubi; ut in Logica probabile admodum judicavimus.* Ad 2. satis declaratum est in Phys. disp. 12. qu. 3. quo pacto in vacuo possit fieri motus localis; præterquamquod hæc argumenta procedunt contra Adversarios, qui ultro fatentur in omni rarefactione, & condensatione intervenire motum localem, & acquiri majorem, vel minorem extensionem in loco, saltem ut effectum secundarium. Ad 3. pariter eadem ratione procedit contra ipsos, sed breviter dicendum, tam in rarefactione, quam in condensatione semper partes mutare priorem extensionem localem, & novam acquirere majorem, vel minorem, quia in condensatione una cedit alteri locum, quem ipsa *obtinebat*, & in rarefactione una *pellit* alteram a loco, quem *occupabat*, *alioquin non* quælibet pars rari esset rara, nec densi densa; *neque contra hunc dicendi modum urgent difficultates superius promotæ contra opinionem de acquisitione*, aut deperditione quantitatis, quia extensio localis non supponitur cæteris accidentibus, ut eorum proximum subjectum, ut quantitas, & prorsus diversa sunt munera hujus, & illius. Dices, si omnes, & singulæ partes locum mutant totaliter, ergo etiam totum, quod est contra experientiam, nam aqua rarefacta, & condensata semper retinet locum præcedentem. Neg. conseq. nam *licet in rarefactione retineat corpus totum locum præcedentem, cum hoc adhuc stat nullam ejus partem retinere locum, quem antea habebat, quia* mutari potest Situs partium sine mutatione Ubi totius, *sic quando* Cœlum movetur, totum Cœlum est in eodem loco, & *nulla illius pars retinet præcedentem. Ad 4. neg. consequ. quia naturaliter loquendo præfixus est terminus corporibus in rarefactione, & condensatione juxta eorum temperamentum, non enim possibile videtur*, saltem naturæ viribus, granum milii posse ad tantam molem rarefieri, ut totum universi spatium occupet, absque ulla additione substantiæ; neque e contra universum ita contrahi per addensationem, ut sine partium penetratione contineri possit in loco grani milii; id tamen possibile esse divinæ omnipotentiæ nemo negat.

51 Dubitari tamen hic solet, an ex parvo fieri possit aliquod corpus magnum a Deo absque rarefactione, & accessu novæ materiæ. Affirmant Magister sent. 2. d. 18. cap. 5. & ibidem Durand. Argent. Henric. quol. 7. qu. 9. Ægid. quol. 2. qu. 11. pro qua opione etiam referri solent quamplures sacræ paginæ Interpretes, Lyranus cap. 2. in Gen. Hugo de S. Victor. lib. 1. de Sacramentis p. 1. cap. ult. & alii, eo quia docuerunt Deum formasse Evam ex costa Adami, absque ulla additione materiæ, & absque ulla ejusdem rarefactione, cum tanta raritas humano corpori minime congruat. Negant D. Th. 2. d. 18. qu. 1. art. 1. & p. 1. q. 92. art. 3. & ibidem Cajet. & Capreol. Mairon. 2. d. 18. qu. 1. Bassol. ibi qu. un. art. 4. & inclinat ibidem Scotus qu. un. in fine, dum ait, quod non potuit per quamcumque transmutationem transmutari costa in totum corpus Evæ, quod fuit perfecta quantitate formatum sine additione materiæ, idem docent Conimb. hic, licet oppositum quoque probabile putent, ac etiam Ruvius hic, Jo. de S. Th. qu. cit. art. 2. & alii Recentiores; & quidem non facile concipi potest, quo pacto possit Deus ex materia athomi totum hoc universum construere cum ea *dispositione, & proportione partium*, quas nunc habet absque ulla prorsus materiæ additione, aut saltem præcedentis rarefactione, non enim alio modo, aliave ratione videtur corpus parvum in magnum exerescere; unde uno, vel altero ex his modis asserunt passim SS. Patres fuisse a Christo Domino auctos, ac multiplicatos Evangelicos panes, ita præsertim D. Aug. tract. 23. in Joan. atque ideo verisimile satis est, etiam in hunc modum ex costa Adami fuisse procreatum Evæ corpus; a costa vero præcise facta fuit denominatio *creationis* Evæ, ut adnotavit Bassol. cit. in signum, quod ita formari debebat Ecclesia de latere Christi dormientis in Cruce, *quando de latere ejus mortui jam*, & dormientis exivit sanguis, & aqua, & fluxerunt Sacramenta secundum Augustinum.

52 Nihilominus etiam prima sententia defendi potest, non quidem in eo sensu, quo defendi solet ab ejus sectatoribus, sed assignando alium modum, quo possit per divinam potentiam corpus excrescere, & ampliari secluso quacumque rarefactione, & additione materiæ, hic autem erit per iteratam ejus replicationem localem, aut suarum partium, sicut enim per replicationem potest idem corpus in pluribus locis constitui, ita etiam in duobus propinquis, itaut sibi ipsi uniatur, ut diximus disp. 11. Phys. qu. 8. in fine, hoc enim modo excrescerer tale corpus in majorem molem, non quidem quoad dimensiones, sed quo ad extensionem localem nulla intervenjente rarefactione, quia, ut supra diximus, extensio localis, quæ acquiritur a corporibus media rarefactione, non est per replicationem eorum in pluribus locis adæquatis, sed per ampliationem eorum ad majorem locum, quam antea obtinerent, & hunc dicendi modum approbant quoque Conimb. & Aresi. nec in hoc sensu voluit negare Scot. loc. cit, posse exiguum corpus in magnam exurgere molem absque additione materiæ, aut rarefactione, sed tantum in sensu ab illis Auctoribus prætenso, & in casu, de quo ibi erat quæstio, scilicet de formatione Evæ ex costa Adæ, & multiplicatione panum a Christo facta; nam in his casibus, nec etiam hoc ultimo modo verisimile est Deum formasse corpus Evæ ex costa Adæ sæpius replicata, & ex quinque panibus sæpius replicatis tot homines saturasse, ratio est, quam innuimus loc. cit. quia materia replicata in pluribus locis, nequit informari diversis formis substantialibus, istæ namque uniformiter insunt illi habenti unum Ubi, vel plura Ubi, quia non sunt formæ dependentes a loco, at partes organicæ corporis animati diversas habent formas substantiales partiales, atque ideo corpus Evæ constitui non potuit ex una sola Adæ costa sæpius replicata, sic etiam materia illorum panum, si ita multiplicata fuisset, nempe per replicationem, & non potius per additionem conversa in substantiam aliti in diversis stomacis, diversis formis, & animabus simul, & semel informata fuisset; absolute tamen, & citra hos casus, ac consimiles potest exiguum corpus ampliari, & magnum fieri modo explicato per replicationem solam localem absque ulla prorsus rarefactione materiæ, aut extrinseca additione.

APPENDIX DE MOTU LOCALI.

Quoniam rarefactio, & condensatio in nostra sententia sunt quædam species motus localis, non erit omnino abs re hic appendicem hanc de motu locali subnectere, ut occurramus objectis a Pontio in hac materia in sua append. apolog. nu. 45. & rursus infra num. 277. ubi inquit, quod cum in priori editione Physicæ docuissemus motum proprie dictum dari ad Ubi sine ulla probatione, postquam vidimus oppositum ab ipso doceri in sua Physica disp. 13. num. 44. in nova editione conati sumus id probare, quia scilicet Ubi intrinsecum est terminus motus intrinsecus a mobili acquisitus per motum localem, ut supra ostensum est disp. 11. quæst. 3. art. 1. cum enim Ubi propria fiat actione, & propriam habeat novitatem non minus, quam quæcumque alia forma absoluta, non videtur cur terminare nequeat motum cum omni proprietate; videatur Doctor quol. 11. ubi de hac re agit ex professo; ita ex nobis refert hic Auctor loc. cit.

Sed in primis falsum est, id nos docuisse loco citato, vel supposuisse absque ulla probatione, nam ibi supponimus hoc tatus remanere probatum ex dictis disp. 11. qu. 3. art. 1. ubi, & auctoritate Arist. 5. Phys. ponentis motum proprie dictum ad Ubi, & Scoti quol. 11. art. 4. idem docentis, & ratione, quia Ubi passivum est terminus intrinsecus motus localis, & locus extrinsecus, seu superficies ambiens non est sufficiens terminus motus localis, solide illud assertum stabilivimus, reiicientes evasionem Coninchii (quam amplectitur Pontius disp. 13. Physic. num. 44.) contendentis sufficere, quod terminus per motum acquisitus sit superficies ambiens, quem locum noluit adire Pontius, ut occasionem evitaret respondendi; ubi etiam videsset in fol. ad 2. quod cum Arist. asserit 5. Phys. tex. 18. esse motum ad Ubi, non loquitur de Ubi extrinseco materialiter sumpto, idest de superficie continente, ut ait Pontius disp. Phys. cit. num. 45. nam superficies est in prædicamento quantitatis, unde non sufficienter probasset esse motum ad Ubi, prout hoc est prædicamentum a quantitate diversum, sed loquitur de Ubi passivo intrinseco, quod est in peculiari prædicamento a quantitate diverso; vidisset tandem Scotum quol. 11. art. 3. asserere cum Arist. dari motum ad Ubi, non tantum accipiendo illum proprie pro acquisitione termini ad quem posterioris post terminum a quo priorem, in hoc enim sensu loquuntur de motu, & Arist. 5. Phys. & Scot. quol. 11. art. 4. dum docent dari motum ad Ubi.

Unde mirum est, quomodo Pontius audeat dicere in append. num. 276. Vidi etiam Doctorem in quolibeto illo, & in primis non inveni, quod per se tractet de hac difficultate; deinde non inveni, nec inveniri potest ab ullo, quod dicat alium motum terminari ab Ubi, quam motum qui est actus efficientis, seu actio, per quam producit Ubi, nec potuit id, nisi absurde dicere; sed quæso proferamus textum, ut appareat quam fidus sit hic Auctor in referendis Scoti auctoritatibus, vel auctus in eisdem exponendis. Doctor itaque quol. cit. art. 4. §. *de quarto* movet dubium, quia ista (inquit) circumscriptio non videtur dicere aliquid, nisi respectum formaliter, & per consequens ipsum Ubi nihil esset formaliter, nisi respectus, hoc consequens videtur falsum, quia secundum Philosophum 5. & 7. Physic. ad relationem non est per se motus, sed secundum Philosophum 5. Physic. motus est per se in genere Ubi; & paulo infra cum distinxisset de respectibus intrinsecus, & extrinsecus advenientibus, inquit; si ista sint vera, respondeti potest ad illam auctoritatem Philosophi 5. Physic. quod neget motum ad relationem proprie dictam, quæ pertinet ad quartum genus, non autem ad quemcumque respectum pertinentem ad aliquod sex generum, imo concedit ibi motum esse in Ubi, qui communiter non dicitur esse motus ad formam absolutam, quia Ubi, ut videtur, non est forma absoluta, sed respectus corporis contenti ad locum continentem; ratio autem differentiæ relationis ab aliis respectibus in non terminando motum, videtur esse, quia ex quo relatio necessario consequitur extrema posita, numquam potest ipsa aequiri per se, sed tantummodo per accidens, alio scilicet absoluto acquisito in altero relatorum; & talia, quæ non acquiruntur nisi per accidens, scilicet alio acquisito negat Philos. 5. Physic. per se terminare motum; respectus autem non necessario consequens extrema potest habere propriam novitatem absque novitate unius, vel alterius extremi, & ideo potest habere propriam acquisitionem, nam ita videtur esse de Ubi, &c. postea removet hoc dubium ibidem; sed si quæratur quomodo potest acquisitio respectus esse successiva, nisi successio ponatur in aliquo absoluto. Diceretur, quod corpus successive secundum partem aliam, & aliam, sit præsens eidem parti loci, similiter corpus secundum eamdem partem fit successive, præsens alii, & alii parti loci, ita quod tam ex divisibilitate corporis, quam loci, sequitur divisibilitas circumscriptionis corporis a loco, & divisibilitas successiva, quando pars post partem acquiritur; non ergo est divisibilitas in respectu sine divisibilitate in absoluto, sed successio in respectu, qui est circumscriptio, sine successione, in forma absoluta corporis, vel loci, ita Scot. loc. cit.

Hic est discursus Scoti loc. cit. de verbo ad verbum relatus; ex quo colligitur primo falsum esse, quod Scotus illo loco non tractet de hac difficultate, nam illam in terminis proponit, & resolvit art. illo quarto. Colligitur secundo, quod dicat alium motum terminari ab Ubi, quam motum, qui est actus efficientis, seu actio, per quam producit, nempe motum proprie dictum, hic enim est acquisitio alicujus termini, ad quem mobile movetur, præscindendo ab agente, ut etiam concedit Pontius nu. 45. sed ut constat ex textu Scoti relato, semper loquitur Doctor de motu ab Ubi, prout est acquisitio alicujus termini, ad quem mobile movetur, & aperte ibi demonstrat, quomodo possit esse successio in acquisitione talis respectus sine successione in forma absoluta; loquitur ergo Scotus ibi de motu proprie dicto, ut loquebatur quoque Arist. 5. Phys. tex. decimo octavo, cum dixit motum esse ad Ubi, non vero, ut coincidit cum actione, quia de hoc non erat ibi quæstio, cum quærebat Philosophus ad quæ, & quot prædicamenta esset motus, hinc igitur patet, quæ, & quanta fides adhibenda sit huic candido Scotistæ in referendis, & exponendo Scoti auctoritatibus.

Fundamentum præcipuum, quo hic Auctor probavit ad Ubi non dari motum proprie dictum, est, quia non datur motus ad motum, sed Ubi intrinsecum est formalissimus motus, quo movetur mobile ad superficiem talem, ergo ad illud non datur motus, ita arguit disp. 13. Phys. & replicat in append. n. 45. cui breviter occurrimus disp. 15. Phys. qu. 6. art. 4. num. 56. negando minorem, quod Ubi intrinsecum sit formalissimus motus, quo mobile movetur ad superficiem ambientem, quam ipse non probavit, sed improbatam reliquit; sicut enim calor non est formaliter calefactio, sed terminus per eam acquisitus, ita nec Ubi est formaliter motus localis, sed terminus per ipsum acquisitus.

Inferius vero in append. num. 278. ad hoc idem probandum affert secundam rationem, quam in Physica adduxerat, & dolet a nobis fuisse data opera prætermissam, & illam sic efformat, quia Ubi est respectus, qui nequit acquiri a subjecto per alium respectum, sicut nec unio per aliam unionem, sed seipsa acquiritur, non minus quam ipse motus, quo acquireretur, si daretur talis; aliæ autem formæ absolutæ, ad quas terminari potest actio, possunt, & debent per modum distinctum a subjecto, & ipsis acquiri a subjecto, & nequeunt seipsis acquiri, quia possunt esse in rerum natura simul cum subjectis sine eo, quod acquirerentur a subjectis; unde ut denominetur subjectum eas acquirere, aut moveri ad ipsas, debet dari aliquid, a quo habeat illam denominationem, quod sit distinctum ab ipsis; sed Ubi cum sit respectus, & essentialis determinatio subjecti ad essendum in tali loco, nequit esse nisi in subjecto etiam de potentia absoluta; ergo non debet acquiri per motum distinctum, nec mobile debet tali motu ad ipsum moveri. Hinc subinfert non esse eamdem rationem de Ubi, & calore, nam ideo calor non est calefactio, qua calefit aliquod subjectum, quia potest esse calor, & subjectum absque calefactione, sed Ubi nequit esse absque eo, quod mobile moveatur ad superficiem; ergo non est eadem ratio, cur calor non sit calefactio, & cur Ubi non sit motus mobilis ad superficiem.

Resp. negando assumptum nempe ubi esse respectum, qui nequeat acquiri in subjecto per alium respectum, & posset negari paritas de unione, quamvis enim id, quod est alicui ratio essendi tale, illud seipso sit tale, ne detur processus in infinitum, unde dicimus actionem seipsa fieri, Ubi seipso locari, unionem seipsa uniri; id tamen quin impedit, cum unus modus alio modo indigeat in diverso genere modificandi, quare sicut Ubi quamvis sit modus dicitur per actionem produci, ita per unionem dici poterit uniri, & per motum acquiri in subjecto, & hoc sufficeret ad solutionem argumenti. Attamen quia

quia Scotus universaliter docet de quacunque relatione 4. d. 12. q. 1. I. quod inhærentia, qua subjecto inhæret, non est alia realiter ab ipsa relatione, conceditur paritas de unione, quod sicut unio non unitur subjecto per aliam unionem, ita nec Ubi subjecto unitur per alium respectum, quia nequit existere in rerum natura, nisi in subjecto; hinc tamen non sequitur, quin nequeat acquiri in subjecto per alium respectum a motu importatum; ut enim Scotus docet 2. d. p. q. 5 in fine ad 5. prin. motus, vel mutatio non consistit formaliter in respectu subjecti ad formam, vel e contra, qui est unio, vel informatio, sed in successione immediata informationis ad non informationem; unde sicut quamvis unio nequeat uniri subjecto alia unione, ut docet Doctor ibi eadem quæstione, potest tamen acquiri in subjecto per alium respectum, quem motus importat, nempe per respectum informationis ad non informationem immediate præcedentem ex Scoto ibidem; sic in proposito dici debet de Ubi, quod licet alia unione esse nisi in subjecto, attamen per respectum distinctum debet successive acquiri, sicut per actionem distinctam petit successive produci.

Conf. hæc solutio, quia jam hic Auctor concedit ultro Ubi per veram actionem de novo produci ab ipso distinctam; ergo potest pariter per novam acquisitionem acquiri a subjecto ab ipso Ubi distincta, nulla enim apparet major necessitas prioris respectus, quam posterioris; Tum quia licet non possit Ubi reperiri, nisi in subjecto, ideoque necesse sit dicere, quod non uniatur ipsi per respectum unionis realiter distinctum; potest tamen dari Ubi in corpore, quod non fit de novo, seu immediate antea acquisitum, nimirum cum per aliquod tempus quieverit in aliquo loco; ergo cum de novo acquiritur, per respectum realiter distinctum acquiritur, qui est successio informationis ad non informationem immediate præcedentem, seu successio termini ad quem posterioris post terminum a quo priorem immediate præcedentem, in quo consistit formaliter motus, vel mutatio, ut docet Doctor 4. d. 11. p. q. §. *dico ergo*. Tum tandem quia ubi non potest importare respectum, quem motus præfert, ergo non potest esse formalissimus motus localis, sed erit terminus ejus; probatur assumptum, quia motus formaliter sumptus, ut dictum est, importat successionem termini ad quem posterioris post terminum a quo priorem; at Ubi etiam fluens talem respectum non importat, sed tantum habitudinem ad hunc, vel illum locum, vel superficiem ambientem; successio vero Ubi posterioris ad Ubi immediate præcedens est respectus per motum localem formaliter importatus, ergo Ubi non est formalissime ipse motus localis.

Hinc patet disparitatem ab eo Auctore assignatam inter calorem, & Ubi non omnino valere; falsum enim est, quod dicebat Ubi esse non posse absque eo quod mobile moveatur, ad superficiem; licet enim id verificetur de Ubi fluente, non tamen de Ubi permanente, quod a corpore possidetur, dum quiescit; unde aliud est dicere, quod Ubi nequeat esse sine subjecto, aliud quod nequeat esse absque eo, quod mobile moveatur ad superficiem, quæ duo videtur hic Auctor confundere loc. cit. hoc enim secundum est falsum, primum quidem verum est, at ex eo non sequitur Ubi non esse respectum distinctum, motu locali, sed tantum non esse sic distinctum ab unione, nec esse subjecto affixum per respectum realiter distinctum.

Ratio tertia, qua probavit Pontius disp. 13. Phys. nu. 44. non esse motum ad Ubi, erat quia non est major ratio, cur detur motus ad Ubi intrinsecum, quam ad quando intrinsecum, & habere intrinsecum, sed ad hæc secundum omnes non datur motus, ergo nec ad Ubi; quam rationem ait quoque nos ex industria dissimulasse. Respond. hanc rationem non fuisse a nobis adductam, quia in illo eodem art. 4. disp. 15. Phys. in solutione ad 2. rationem assignamus, cur non omnia ultima sex prædicamenta possint terminare motum; secunda quoque ejus ratio non fuit adducta, quia ut ab ipso proponitur in physica disput. cit. nu. 44. parum valet; proponit enim majorem, quod scilicet mobile non acquirit ubi intrinsecum per alium respectum distinctum, absque sufficienti probatione, non enim aliter probat, nisi quia daretur processus in infinitum, & quia gratis assignaretur aliquis talis respectus, quæ ut patet sunt probationes nullius momenti, & gratis assumptæ, qua de causa in append. n. 278. replicans idem argumentum alia ratione munivit illam majorem, probat enim Ubi non posse acquiri per alium respectum distinctum, quia cum Ubi sit respectus, & essentialis determinatio subjecti ad essendum in tali loco, nequit esse, nisi in subjecto; hæc est ratio, cur illud secundum argumentum cum sua confirmatione non adduximus, non vero, quia solvere nesciremus, ut ipse pro sua modestia inquit.

DISPUTATIO QUINTA.

De Generatione, & Corruptione.

Expedita jam pridem Alteratione, aliisque deinceps ejus adminiculis, & annexis, quæ generationem substantialem præire solent, nunc de ipsamet substantiali Generatione agendum est, tam in ratione mutationis, quam productionis, ac ejus natura, & conditio sub utroque titulo sedulo examinanda, & quia cum ea substantialis corruptio necessarium quodammodo habeat nexum, quatenus generatio unius est corruptio alterius, & e contra, idcirco disputationem de Corruptione substantiali, ut fieri solet, non instituemus, sed hic sub una, & eadem Disputatione eam quoque comprehendemus, & optima ratione quidem, tum quia quamplures sunt quæstiones, quæ sunt utrique communes, & communem pro utraque postulant resolutionem, tum quia simul consideratæ, & examinatæ valde se se invicem juvant, & unius cognitio alterius notitiam aperit; & tandem quia sic amputatur occasio eadem sæpius repetendi in diversis Disputationibus.

QUÆSTIO PRIMA.

An sint, & quid sint generatio, & corruptio substantialis.

1 Circa primam quæsiti partem, de existentia nimirum harum mutationum substantialium in rerum natura, generationis scilicet & corruptionis solum apud Antiquos dubitatio vigebat Platoni, & Arist anteriores; Anaxagoras enim, Democritus, Leucippus, Empedocles, & alii veteres ab ipso Arist. relati 1. Phys. & 1. de Gen. ab initio omnem generationem, & corruptionem substantialem absolute negarunt, & omnem mutationem fieri dicebant ex congregatione, vel disgregatione elementorum, ut in mixtis, aut athomorum, ut in cæteris corporibus, vel esse tantum mutationem secundum accidentia invariata permanente substantia, ideoque bene dicebat Arist. veteres ita sopinantes generationem ab alteratione non secreviisse.

Circa alteram vero dissidium est etiam inter Peripateticos ipsos in explicanda natura illarum mutationum, cum enim generatio considerari possit & in ratione productionis, & in ratione mutationis, ut sæpius inculcavimus disp. 1. Phys. hinc duplex oritur difficultas, una est, an sit actio distincta ab alteratione ad ipsam prævia, affirmant Averroes 4. Phys. com. 9. Simpl. lib. 5. tex. 8. Alex. 3. part. qu. 7. Memb. 6. Henr. quol. 9. qu. 4. Scot. 2. qu. 9. & d. 12. q. 1. & 4. d. 12. q. 3. Suar. disp. 18. Met. sect. 2. Conimb. 1. de Gen. c. 4. q. 12. Ruv. tract. 1. q. 5. Averia q. 37. sect. 3. Hurtad. disp. 1. de Gen. sect. 6. & ex Thomistis Jo. de S. Thom. q. 1. de Gen. art. 3. Negant passim alii Thomistæ asserentes esse potius veluti terminum ejusdem alterationis prævias, ita ex S. Thom. 1. p. qu. 53. ar. 3. & 2. contra gent. c. 17. Herveus tr. de unit. form. q. 17. Cajet. 1. p. q. 54. ar. 3. & tract. de ente, & essentia qu. 17. Compl. disp. 2. de gen. qu. 2. (& oppositum quoque probabile arbitrantur) citantes pro hac sent. alios Thomistas, quam præcipue amplexus est Fonf. 5. Met. c. 13. q. 9. sect. 5. Altera difficultas est, an sit intrinsece, & essentialiter mutatio; ut indicare videntur definitiones ejus ab Arist. traditæ, affirmant Conimb. cit. q. 9. art. 1. Ruv. qu. 2. Jo. de S. Thom. qu. 1. art. 1. & alii. Negant vero Compl. cit. Aresi. disp. 2. de Gener. q. 9. sect. 1. Fonf. 5. Met. c. 2. q. 6. sect. 3. & 4. Zanar. 7. Met. q. 6. Hurt. disp. cit. sect. 1. & alii quamplures. Cum corruptio generationi opponatur, rursus controvertitur, an corruptio sit realiter eadem actio, & mutatio cum generatione, ut vult Zab. lib. de Gen. & Inter. cap. 5. an potius diversa, ut alii.

ARTICULUS I.

Generationem, & Corruptionem substantialem extare in rerum natura.

2 Resolutionem affirmativam hujus articuli recipiunt omnes, tum Peripatetici, tum Academici, verum non omnes eadem gradiuntur via ad eam indagandam, imo quamplures asserunt rationes prorsus inutiles, & ut plurimum principium petentes; præsertim vero Jo. de S. Tho. qu. 1. de Gen. art. 2. inquit unicam viam probandi hanc veritatem esse denegare materiæ quemcumque actum etiam entitativum, nec alia via usum esse Arist. unde si ponitur materia habere actum entitativum, seu existentiam ex se, funditus evertitur ratio probandi contra Antiquos generationem substantialem, probatur hoc assumptum ab eo in hunc modum, generatio substantialis supponitur esse illa, per quam acquiritur esse substantiale, seu fit ens simpliciter, eum ergo juxta principia Aristot. ex nihilo nihil fiat, & generatio substantialis faciat ens simpliciter dando ipsum esse primum, & substantiale, oportet dicere, quod subjectum, ex quo fit generatio substantialis, scilicet materia, 1. neque fit nihil, neque fit ens in actu de se, sed in potentia per se, & in actu per aliud, scilicet per formam, nam si semel ponatur materia de se ens in actu, & existens per actum entitativum, non potest probari contra antiquos, quod forma ei adveniens sit substantialis, & quod generatio substantialis dici primum, & integrum esse, unde enim probabitur, quod illud esse, quod dat forma, sit substantiale, & primum, si supponit aliud in materia, cui advenit? unde probabitur dare esse integrum,

si aliud præsupponit? Supposito ergo, quod materia sit ens actu de se existens, sequitur formam ei advenientem esse accidentalem, & dare esse tantum secundum quid, & non dare integrum esse, sed additionem, seu aggenerationem ad esse præsuppositum, & sic præcluditur via ad ostendendam generationem substantialem. Quod si dicatur esse, quod præsupponitur in materia, esse partiale dumtaxat, & incompletum, & compleri substantialiter per formam advenientem, compositumque constituit: Hæc est manifesta petitio principii (inquit ipse) negabant enim antiqui dari formam substantialem, & ajebant materiam esse totam substantiam rei, nec alia via probari posse contra ipsos forma substantialis, nisi per hoc, quod det primum, & integrum esse, hoc enim est esse substantiale, si autem præsupponitur aliquod esse in materia quantumvis partiale, & incompletum, occluditur ista via, & enervatur istud principium.

3 Ex hoc autem infert prædictus Auctor loc. cit. & qu. 3. Phys. art. 2. velut manifestum, omnino ignotum fuisse apud Arist. quod materia prima haberet ex se actum entitativum, & existentiam incompletam, eo quia Antiqui existimabant, quod si materia esset ens in potentia, esset nihil (nam apud ipsos quod erat aliquid, erat ens in actu) unde si res fierent ex materia sic se habente, fierent ex nihilo, sic arguebant Veteres apud Arist. 1. Phys. tex. 34. & 70. & 1. de Gen. tex. 12. & cum faciebant hanc consequentiam, quod si materia non est ens in actu, sed in potentia, est non ens, seu nihil, plane procedebant contra ipsum esse entitativum materiæ, & non solum contra formale a forma receptum; sic autem proponens Arist. difficultatem antiquorum non respondet negando consequ. quia materia est ens in potentia tantum subjectiva ad formas, non autem objectiva, & ideo non est nihil, quæ est communis responsio Scotistarum, sed respondet cum 1. Phys. 66. & 78. tum 1. de Gen. 17. quod quia numquam est corruptio sine generatione, ideo numquam materia manet ita in potentia, quod non sit ens actu, quia semper est subjecta alicui formæ, & ideo licet generatio fiat per se ex ente in potentia, tamen per accidens fit ex ente in actu, quia ad generationem per accidens est, quod extiterit materia sub hac, vel illa forma, quæ corrumpitur, per quam habet esse in actu; si ergo Arist. ut solvat objectionem, quæ infert materiam esse nihil, & carere actu entitativo, qui est existentia, recurrit ad successionem formarum, sub quibus semper est materia, & propter hoc debere corruptionem unius esse generationem alterius, ut non sequatur materiam esse nihil, & non ens, seu non existens, plane sentiebat materiam non habere esse entitativum ex se, sed per formam, alias si id sentiret, cur non diceret in argumento, materia est ens in potentia, ergo est nihil, nego consequentiam quia secundum se est existens actu entitativo, licet sit in potentia ad formalem.

4 Sed sane hic Thomista audiendus non est, dum veritatem ita patentem, qualis est, quod detur generatio substantialis, fundare satagit in asserto tam dubio, & improbabili, quod scilicet materia prima careat actu entitativo, & ad ejus argumentum respondet in terminis Doctor 4. d. 11. qu. 3. lit. Y. ubi ex Arist. 1. de Gen. tex. 11. & inde distinguit de esse simpliciter, aut enim accipitur ly simpliciter pro universaliter, & tunc esse simpliciter est esse primum, & immediate a non esse recedens, & quod non habet esse simpliciter hoc modo, est purum nihil, aut accipitur esse simpliciter, prout distinguitur contra esse secundum quid, & hoc modo esse simpliciter, est esse substantiale, esse secundum quid, est accidentale, & tunc subdit, quod forma substantialis dat esse simpliciter materiæ, non quidem esse primum, quod scilicet immediate sequitur non esse, sed dat esse simpliciter, ut distinguitur contra esse secundum quid, hoc probat Doctor, quia si accidens primo adveniret materiæ, & si daret ei primum esse formale, non tamen daret ei esse simpliciter, sed secundum quid, quia non est actus, nisi secundum quid, nulla etiam forma substantialis est, quæ det esse simpliciter materiæ, & hoc si tenetur esse simpliciter, ieest omne recedens a non esse, non ergo sola forma substantialis dat esse simpliciter, idest universaliter, nec etiam simpliciter idest primum; sed accipiendo esse simpliciter secundo modo prout dividitur contra secundum quid, ait Doctor, quod sicut ens dividitur in prius, & posterius, vel primum, & secundum, & prius continet sub se substantiam, & posterius accidens, ita simpliciter in isto intellectu æquivalet ei, quod est primum naturaliter, & secundum quid ei, quod est posterius naturaliter, unde concludit, quod forma substantialis, sive adveniat alicui jam habenti esse, sive non, dat esse simpliciter hoc secundo modo, sed non primo, sicut forma accidentalis, cuicumque adveniat, dat esse non simpliciter, sed secundum quid; patet ergo, quomodo sit de ratione formæ substantialis dare primum esse, & quomodo non, nullatenus autem est de ratione illius dare esse integrum composito, ut in argumento assumitur, quia etiam materia est pars substantialis compositi, & quidditatis ejus, ut Doctor demonstrat 3. d. 22. qu. un. & nos cum ipso disp. 5. Phys. qu. 12. art. 1.

5 Et si quæras, unde probari possit, quod hæc forma dat esse simpliciter, illa non; si de ratione neutrius est dare illud esse quod immediate recedit a non esse, in quo vim faciebat Adversarius. Resp. Doctor, aut tu quæris de re in se, aut in comparatione ad cognitionem nostram, si in se, nulla causa est, quare ista dat esse simpliciter, & illa secundum quid, nisi quia hæc est forma substantialis, & illa accidentalis, sicut enim nulla est causa, quare calidum calefacit, quia immediata est, & inter causam immediatam, & effectum non est alia causa media, ita in genere causæ formalis hæc est immediata, calor constituit calidum, & anima hominem, & est immediatio formæ ad actum formalem, si autem quæras in comparatione ad cognitionem nostram, de qua videtur procedere argumentum, quasi ista opinio destrueret omnem distinctionem inter formam substantialem, & accidentalem quoad nos. Resp. quod Philos. distinxerunt inter formam substantialem, & accidentalem a posteriori, utpote per ista media habere contrarium, & non habere, recipere magis, & minus, & non recipere, secundum eam posse esse motum, & non esse, & hujusmodi, sed ad rem breviter dico (ait Doctor) unum esse medium, per quod manifestius distinguitur quantum ad cognitionem nostram, quæ forma adveniens enti in actu sit substantialis, & quæ accidentalis, quamdiu enim proceditur in substantialibus, semper posterior est perfectior prioribus, quando autem venitur ad accidentales, sequens est imperfectior ultima substantiali præexistente, quæ autem sit perfectior, hoc nobis innotescere non potest, nisi a posteriori, & illud est rationabile & in se, & in nobis, in se quidem, quia in eodem genere non advenit forma formæ, nisi ut perfectius constituat in illo genere, in alio autem quicquid advenit, scilicet ut accidens, imperfectius est quacumque præsupposita forma substantiali, patet ergo responsio ad formam argumenti, quia ista opinio (ponens scilicet actum entitativum in materia, ac etiam pluralitatem formarum in composito, de qua ibi Doctor,) non destruit distinctionem inter formam substantialem, & accidentalem, nec in se, ista enim est immediata, quia hæc est hæc, & illa est illa, nec quantum ad cognitionem nostram per media illa, per quæ possumus cognoscere distinctionem istam, sicut a posteriori. Nec mirum si distinguendo hanc formam ab illa secundum intellectum nostrum oportet uti posterioribus hac forma, & illa, quia nec alio modo cognoscimus formas substantiales, nisi a posterioribus, ita Doctor cit.

6 Minus etiam recte deducit consectarium illud, quod Arist. non agnoverit actum entitativum materiæ, sed eam posuerit puram potentiam in genere entis, eo quia solvens argumentum antiquorum, quo ex hoc, quod materia sit ens in potentia, deducebant esse nihil, & sic res fieri ex nihilo, recurrit ad successionem formarum, sub quibus semper est, non autem ad actum entitativum. Nam re vera hic Auctor, nec argumentum Antiquorum, quo negabant generationem substantialem, nec solutionem Arist. fideliter refert, argumentum enim antiquorum id erat, ut diximus in expositione tex. 1. Phys. cap. 8. ex nihilo nihil fit, si ex aliquo, ergo esset antequam fieret, quod est falsum, ergo nihil de novo secundum substantiam oritur, ecce Arist. verba, quibus 1. Phys. 71. difficultatem veterum proponit, *necessarium est fieri, quod fit, aut ex eo, quod non est, ex his autem utrisque impossibile esse, neque enim quod est fieri, esset enim jam, & ex eo, quod non est, nihil utique fieri, subiici enim quippiam oportet*, eodem etiam modo eamdem proponit difficultatem 1. de Gen. tex. 11. ubi se remittens ad ea, quæ fusius dixerat in Physicis in hujus difficultatis solutione breviter illam perstringit his verbis, *breviter autem, & nunc dicendum est, quod aliquo quidem modo ex non ente simpliciter generatur, modo autem alio ex ente semper, ipsum enim potentia ens, actu autem non ens necesse est præexistere*; solutio itaque est negando generationem fieri ex nihilo, quia quod subicitur generationi, licet non sit ens in actu, non tamen est purum nihil, sed est ens in potentia, per quam potentiam profecto intelligere nequit objectivam, sic enim concederet, quod Veteres inferebant generationem fieri ex nihilo, sed subjectivam ad esse formale, & completum a forma recipiendum, declarat postea inferius a tex. 13. & inde, unde oriatur perpetua generationum successio, at non præcise in præfatæ difficultatis solutione, hanc enim in eodem tex. 11. sufficienter assignaverat.

7 Aliunde igitur argumenta deducat hic Thomista ad negandum materiæ actum entitativum, vel tandem cum cæteris scholis fateatur hanc Scoticam veritatem, imo cum sua, quamplures enim modo etiam sui instituti pudet id negare, ita Manca 1. Phys. qu. 4. dub. 84. qui citat Cabreram 3. p. qu. 2. art. 11. disp. 2. concl. 3. nu. 85. & Masium 1. Phys. sect. 2. c. 9. qu. 6. concl. 3. dicentem de hac veritate neminem dubitare; quamvis autem hi Auctores tribuentes materiæ actum entitativum negent illi deinceps propriam existentiam, quia volunt actum hujusmodi dicere non rei existentiam, sed intrinsecam quamdam, & transcendentem perfectionem cujuscumque entis, parum refert, hæc enim est lis de solo nomine, ut diximus disp. 2. Phys. q. 3. art. 2. qualis etiam est illa, quam instituunt Auctores: alii e contra concedentes materiæ propriam existentiam, sed negantes hanc dici posse actum, ut Conimb. 1. Phys. c. 9. q. 3. art. 1. Ruvius tract. de Mate. qu. 3. Niger in clypeo q. 10. Soto 1. Phys. q. 6. art. 2. & alii, hæc etiam est rixa de solo nomine, quia ut urgebamus contra Thomistas loc. cit. & specialiter contra Compl. disp. 5. Phys. q. 3. art. 1. cuicumque potentiæ proprius correspondet actus, ergo quot modis res dicitur esse in potentia, potest e contra dici in actu, nam quot modis dicitur unum oppositorum, totidem dicitur & reliquum ex Top. cap. 12. cum ergo dum res sunt in esse possibili præcise, dicantur esse in potentia objectiva, & Logica, profecto dum ab agente extrahuntur ab hoc statu in rerum natura, non amplius erunt in tali potentia, sed sub actu illi opposito, quem vocamus entitativum, si ergo materiæ propria tribuatur existentia, nihil obstabit, quin hæc dici possit actus, & hæc ratio concludit etiam si materiæ non tribuatur propria existentia, nam saltem ipsa essentia materiæ producta est, & extracta a statu mere possibili, & a potentia objectiva, ergo ejus entitas in tali statu manens potest dici stare sub actu opposito illi potentiæ, ut contra Thomist. inferebamus disp. 2. Phys. cit.

8 Ut

8 Ut igitur probemus principale assertum, non est deserenda via, quam tenet Arist. ipse & 1. Phys. & 1. de Gen. ad idem probandum contra antiquos loc. cit. ibi enim ex duobus præsertim principiis hoc dogma ostendit, unum est, non omnem mutationem, quam in sublunaribus quotidie contingere videmus, esse accidentalem, alterum est viribus naturæ ex nihilo nihil fieri, ex his enim principiis manifeste deducitur probatio illius asserti, si enim aliqua substantia de novo producitur in rerum natura per primum principium, vel producitur ex aliquo subjecto, vel ex nullo, hoc dici nequit per secundum principium; ergo datur generatio substantialis in rerum natura, nam per generationem aliud non intelligimus, quam productionem rei ex aliquo, per quod opponitur creationi, quæ est factio rei ex nihilo, ut dicemus art. seq. utrumque igitur principium illud probandum restat, & quidem primum quotidiano experimento constat, homines enim, & animalia in diem oriri, ac interire videmus, ex arbore fructus produci, granum tritici humi mandatum corrumpi, atque ex eo corrupto spicam pullulare, lignum comburi, & ignem fieri, & alias hujusce modi mutationes, in quibus non sola accidentia acquiruntur, vel amittuntur, sed veræ formæ substantiales, quia per eas res naturales vere substantialiter incipiunt, & desinunt, probat hoc Arist. 1. de Gen. 18. in quibusdam enim mutationibus res non dicuntur simpliciter fieri, vel destrui, sed fieri tales, definere esse tales, ut dum homo fit albus, aqua calida, &c. hæ sunt mutationes accidentales, quædam vero sunt, per quas res dicuntur simpliciter fieri, vel corrumpi, ut superius recensitæ, & illæ sunt substantiales, quis enim dicat, cum obierit animal, & fit cadaver, cum extinguitur ignis, & fit cinis, esse mutationem tantum accidentalem, cum post animalis interitum deficiant omnes operationes motus, vita, &c. post ignis extinctionem illuminatio, calefactio, exficcatio, &c. & aliæ prorsus diversæ appareant? profecto si operationes diversæ diversas arguunt formas, & naturas, dici omnino debet per illas mutationes res naturales substantialiter immutari, quia operationes illæ cum simul incipiant, vel cessent in re genita, vel corrupta, oportet, quod radicentur in aliquo principio communi, quod erit forma substantialis, ad cujus ortum, vel interitum, oriantur, & pereant, quod etiam argumentum fieri potest de accidentium varietate, quæ in diversis rebus cernuntur, cum enim non veluti casu in eodem corpore conveniant, oportet in diversis corporibus diversas fateri formas substantiales horum accidentium exigitivas, & non aliorum, eo quia hæc diversitas in materiam refundi nequeat cum sit commune subjectum, ac indifferens ad omnia recipienda.

9 Dices, principium; & originem talium operationum, & accidentium, & talis collectionis eorum (cum alioqui inter se dissita sint, & disparata) ut radicem connexionis albedinis, ac dulcedinis in lacte, quæ in aliis rebus separata inveniuntur, esse quamdam qualitatem occultam. Hoc non satisfacit, quia statim percontabimur, an illa qualitas ab alio priori principio ortum ducat, an ipsa sit tale primum principium aliorum accidentium, ac operationum illius rei, quodcumque dicatur, habetur intentum, quia vel illud prius principium, unde oritur, erit substantialis forma, vel si illud non supponit, ipsa erit fordix accidentium, ac fons operationum ejus. Denique hæc res est manifesta in homine, in quo de fide tenemus animam rationalem esse formam substantialem, ac proinde de novo gigni per infusionem animæ rationalis in corpore, & per separationem ejus interire, ut diximus disp. 2. Phys. qu. 1. art. 1. ubi etiam diluimus præcipuas objectiones Basson, Forolivien. Portii, & aliorum quorumdam negantium in rebus formas substantiales cum Antiquis, qui plura videre cupit contra hanc antiquitatem, quæ nonnullis Modernis arridet, adeat Suar. disp. 15. Met. sect. 1. Conimb. 1. Phys. cap. 9. qu. 11. Fonsec. 1. Met. c. 7 q. 3. Am. tr. 6. q. 2.

10 Dices cum aliis Veteribus, dari utique formas substantiales, non tamen novam generationem, vel corruptionem substantialem, quia latitant in materia existendo ibi actu, unde per generationem apparent, non producuntur, & per corruptionem occultantur, non intereunt, & hæc fuit positio Anaxagoræ, quam optime Arist. cit. rejecit, & nos disp. 2. Phys. qu. 7. art. 1. & certe data hac opinione reddi nequit ratio, cur nix non calefaciat, & ignis frigefaciat, quia si in materia nivis etiam forma ignis actu existit, esto occulta, cum ea constituet ignem, ac propterea ignis proprietates haberet. Si dicas non comburere, quia forma ignis latet, veluti repressa, & mortificata accidentibus contrariis, nempe frigore, ac humiditate. Contra, quia aqua calida reducit se ad priftinam frigiditatem, esto ejus forma sit accidente contrario mortificata, ergo si forma ignis vere in materia nivis reperitur, esto mortificata sit accidentibus contrariis, deberet aliquando ad suum calorem redire, quod cum numquam contingat, signum est non latere tantum, sed nequaquam reperiri formam ignis in materia nivis; de hoc agemus infra quæst. 6.

11 Alterum principium *ex nihilo nihil fieri* per causas naturales adeo manifestum est, ut omnes Philosophi communi calculo in illud consenserint, unde merito Averroes 2. Met. com. 15. enunciationem illam non solum ait esse veram, sed eam ponit, ut primum principium, & per se notum; præcipua autem ratio, quæ impulit Philosophos in hunc communem consensum, fuit præsertim quotidianum experimentum, videbant enim numquam aliquid de novo fieri, nisi præcedente aliquo alio, ex quo illud

fieret, ut aquam ex aere, animal ex semine, & numquam agentia naturalia quicquam operari, nisi in aliquo subjecto, & dum aliquid corrumpitur, remanere quidpiam in genito, quod erat in corrupto, unde merito concluserunt causas naturales non posse quicquam ex nihilo producere, & absque prævio subjecto operari, nec destruendo posse res naturales in prorsus nihil resolvere.

Sed quantumvis famigeratum sit illud axioma *ex nihilo nihil fit*, tentavit tamen nuper Ferchius in suis Vestig. Perip. vest. 1. in dubium revocare, imo ut alienum prorsus ab Arist. & solum ab eo de mente antiquorum relatum, apud quos hoc axioma urgebat, ostendere; ne autem auditor in prima lectione sui operis perculsus maneat ignota peregrinitate asserti, nimirum quod *ex nihilo aliquid fiat*, in Arist. Sent. multis conatur ostendere hujus asserti veritatem, & oppositi falsitatem, quod scilicet *ex nihilo nihil fit*, fundatur autem præsertim in quadam auctoritate Arist. in lib. de Xenophane, quam ipso cap. 1. vestig. 1. statim objicit Lectori, ut eum statim convincat, ubi Aristot. sic loquitur: *quare si omnia, quæ in opinionem veniunt, & apparent, non recte existimantur, nihil fortasse convenit, ut huic etiam opinioni, & dogmati acquiescamus, quod nihil ex nihilo fieri statuit, quippe cum una etiam quædam ex non vetlis hæc opinio sit, quam ex sentiendo quodammodo, cum in multis essemus, existimavimus*; audisti ne (inquit Ferchius) quod hoc dogma *ex nihilo nihil fit* est opinio non recta? non recte existimata? non conveniens, nihilque habens, cui acquiescamus?

12 Ut verum fateamur, fletimus, cum tam ingentem disputationis apparatum legimus de dogmate præsertim adeo trito, atque recepto, at eum ulterius perreximus, & sequentibus capitibus sedulo studuimus, in quo sensu doceat in Arist. sent. verum esse hoc assertum *ex nihilo aliquid fieri*, & oppositum falsum *ex nihilo nihil fieri*, obstupuimus quidem, non ignora peregrinitate asserti, quia in eo sensu, quem ibi docet, fatentur omnes ex nihilo fieri aliquid, nec ullus dissentit, sed cur vir doctissimus tantum laboris impendat, tam prolixam instituat disputationem ad ostendendam rem notissimam, & a nemine controversam, cum tamen in ejus exordio polliceatur se peregrina edocturum, quare cum res ita se habeat, non opus est singula ponderare, quibus probat falsitatem illius enunciationis *ex nihilo nihil fit*, & oppositi veritatem, sed solum ostendere, quod in eo sensu, quo hujus veritatem profitetur, & illius falsitatem, nullum in Peripato habet contradictorem.

Itaque cap. 4. ex duplici limitatione illius dicti *ex nihilo nihil fit* ab Arist. facta ostendit, in quo sensu tenendum sit ex Arist. mente ex nihilo aliquid fieri; prima limitatio habetur 1. Phys. a 73. ad 77. ubi tex. præsertim 75. docet, quod licet non possit aliquid fieri ex nihilo per se, potest tamen fieri per accidens his verbis, *nos autem, & ipsi dicimus fieri quidem nihil simpliciter ex eo, quod non est, sed tamen fieri ex eo quod non est, ut secundum accidens, ex privatione enim, quæ est per se non ens, non ex eo, quod ineſt, fit*, quem textum ita exponit Ferchius cum communi Interpretum, quod duplex est fieri, per se, & per accidens, quod fit per se, fit ex inexistente ideſt remanente in constituto, atque tale fieri simpliciter, & proprie ex illo, ex quo fit, quod fit per accidens, fit ex termino, non inexistente, sed abjecto, & fieri tale est fieri secundum quid, & secundum accidens; & concludit in Sent. Arist. aliquid fieri posse ex nihilo, non quidem per se, quia *non eus nequit esse* pars interna rei factæ, sed solum per accidens tamquam ex termino a quo, sic enim album ex non albo, homo ex non homine. Hoc autem cum sit in confesso apud omnes in Peripato, privationem nimirum esse principium rerum naturalium per modum termini a quo, & objectionis, ut declaravimus disput. 4. Physic. jam constat, quomodo in hoc sensu nemo Peripateticorum negat ex nihilo aliquid fieri, alioquin eo ipso negaret privationem esse principium rerum naturalium; solum hic adverti debet, quod docuimus disp. cit. qu. 3. in fine cum Scoto 2. d. 12. qu. 1. I. cum Arist. inquit tex. cit. & etiam tex. 66. privationem esse principium per accidens, intelligi debet respectu compositi, & rei genitæ, non generationis, hujus enim est principium per se, ut ibi demonstramus, dicitur autem respectu rei genitæ principium per accidens, quia necessario ad ejus fieri exigitur, non tamen remanet ut pars intrinseca ejus, sicut materia, & forma, quæ fuit expositio Simplicii in illis text. Aliam ejusdem propositionis limitationem affert eodem cap. ex Arist. 1. Phys. 78. & 12. Met. 8. ubi distincto ente per actum, & potentiam, docet ex non ente actu, sed potentia ente fieri ens, quibus locis, ut etiam fatetur Ferchius, sermonem facit Arist. de generatione compositi; unde per non ens in actu, sed potentia, subjectiva nimirum, & informabili materiam intelligit, quæ venit in compositionem cujuscumque compositi, & rursus in hoc sensu ex nihilo fieri aliquid concedunt omnes Peripatetici.

13 Quoniam autem videbat Ferchius in hoc sensu omnes concessuros, quod ex nihilo fit aliquid, & solum negaturos si ly *nihil* dicat negationem extra genus, si neget nimirum etiam subjectum præsuppositum, ideo a cap. 8. probare incipit cœlos, intelligentias, & materiam primam fuisse a primo efficiente ex nihilo prorsus productas, atque ideo Arist. agnovisse *creationem, imo non* solum æternam, sed etiam temporariam probare conatur cap. 9. Verum nec ita ostendendo aliquid fieri ex nihilo quid peregrinum profert, quia assertum illud *ex nihilo nihil fit* de causis secundis proferri solet, primam enim causam entia quædam secunda immediate ex nihilo fecisse docuerunt Peripateticorum pars melior, ut ipse fatetur in fine illius capit. quod autem specialiter asserit ibidem Aristot. nempe etiam creationem in tempore concessisse, quamvis id fal-

sum autumemus[1], diximus disp. 2. de Cœlo qu. 5. ubi etiam ejus rationes diluimus, adhuc tamen neque hoc novum, & peregrinum est, cum multi ante ipsum id asseruerint, ut refert Pererius ibi cit.

14 Id autem, in quo singulariter fundasse videtur hic Auctor suam factionem ex nihilo, etiam per causas naturales possibilem, est eductio formarum materialium de potentia materiæ, cum enim non fiant ex materia, ut ex parte intrinseca sui, nec in eam, ut in partem resolvantur, hinc asserit agens naturale eas ex nihilo facere, & in nihil resolvere, ita declarat cap. 4. cap. 13. in fine, & adhuc magis cap. 14. unicum ejus fundamentum, ut ex eodem c. colligitur est, quia ex 1. Phys. alterum dicitur fieri ex altero bifariam dumtaxat, vel ut ex termino, vel ut ex parte, ita quod ly *ex* dicit tantum habitudinem termini, vel partis, unde ut aliquid ex nihilo fieri non dicatur, debet fieri ex aliquo sibi inexistente, ut pars, quo sensu fieri ex aliquo tantum compositorium est, & ideo cum forma non fiat ex materia, ut ex parte, concludit ex nihilo fieri, & ait hac ratione Philoponum contra Proclum asseruisse formam fieri ex nihilo. Si dicas fieri ex materia, ut ex præjacente subjecto, & ideo fieri ex aliquo. Negat in primis assumptum cap. 5. quia proprie loquendo forma materialis fit in subjecto, non autem ex subjecto, deinde cap. 14. negat consequentiam, quia ne aliquid dicatur ex nihilo fieri, debet fieri ex aliquo, ut ex parte sibi inexistente, unde cum forma non fiat hoc pacto ex materia, merito dicitur fieri ex nihilo. Si dicas terminum creationis esse negationem extra subjectum, & extra genus, & ideo cum forma fiat ex negatione in subjecto præsuppositio, non debet dici creari. Respondet se asserere formam fieri ex nihilo, non autem creari, *si enim* refert ad rationem creationis, quod terminus a quo sit negatio in genere, vel extra genus, parum tamen refert ad rationem factionis de nihilo, unde velle videtur, quod factio ex nihilo sit quid latius creatione, quia subjectum præsuppositum ad actionem tollit rationem creationis, non tamen factionis ex nihilo. Hanc autem doctrinam, scilicet ne res ex nihilo fieri dicatur, debere fieri ex alio, ut ex parte inexistente, & non sufficere, ut ex eo solum fiat ut ex subjecto præjacente, & recipiente, attulit ante Ferchium Contarenus in suis qu. Peripat. tom. 1. qu. de Origine formarum cap. 9. & sequ. velut in Arist. fundatissimam. Ex hoc tamen principio non intulit, ut Ferchius, formas fieri ex nihilo ab agente naturali, sed potius esse æternas, ingenerabiles, & incorruptibiles, cum assignari nequeat, ex quo subjective constitui possint, quod illarum, ac eriam forte magis consequenter poterat ipse Ferchius inferre, si vera est doctrina, quam tradit de omnibus formis substantialibus universim vestig. 6. lib. 1. cap. 2. esse scilicet ingenerabiles, & incorruptibiles, sed nos infra rejiciemus qu. 2. art. 2. & qu. 6. nu. 142. & seq. ejus fundamenta diruendo ex Arist. desumpta.

15 Sed cujuscumque sit hæc doctrina, sane falsissima est, & adhuc falsius illatum, inde a Ferchio deductum (nam illatum a Contareno impugnabimus infra qu. 6.) est enim contra comm. Philosophorum asserentium formas materiales non fieri ex nihilo, quia fiunt ex præjacente subjecto, ac etiam Theologorum, qui dum definiunt creationem esse factionem entis ex nihilo, unanimiter ajunt ly *ex* excludere habitudinem nedum partis, sed eriam subjecti præjacentis, unde consequenter negant formas materiales fieri ex nihilo, quæ fiunt ex præsuppositio subjecto, & ideo falsum est ly *ex* dicere tantum habitudinem partis, vel termini, nam dicit etiam habitudinem subjecti. Dicet se loqui in sent. Arist. non Theologorum, & apud Arist. ly, *ex*, dicere tantum habitudinem partis, vel termini, non subjecti, nec apud Arist. dici formam fieri ex subjecto præsuppositio, sed in subjecto; ac etiam quod licet præsuppositio subjecti tollat rationem creationis, non tamen factionis ex nihilo, quia si subjectum præsupponi (inquit ipse cap. 14. num. 43.) est causa tollens factionem ex nihilo, ergo subjectum non præsupponi est causa factionis de nihilo, quare si anima præexisteret ante corpus, homo de novo factus ex parte præexistente esset factus de nihilo. Age loquamur in Senten. Arist. certe facilius nos inveniemus apud eum formas fieri ex materia, quam fieri ex nihilo prorsus, ut ipse ait, non enim affert ipse locum, ubi Arist. exprimat formas ex nihilo fieri, affert tamen locum, ubi docet fieri ex materia, & consequenter ly *ex* dicere etiam habitudinem subjecti, nam cap. 10. nu. 29. inquit, Arist. 1. Phys. a tex. 58. ad 64. ipsum fieri tribuere composito, materiæ, privationi ac etiam formæ, cum inquit musicum fieri ex immusico, idest formam musicæ ex subjecto forma illa privato, ergo in Sent. Arist. etiam ex ipso Ferchio ly *quo* dicit habitudinem subjecti, & forma dicitur fieri ex subjecto præsuppositio; & quamvis Arist. frequenter explicuerit causalitatem materiæ in formam per habitudinem *in quo*, ita tamen explicuit, ut sit idem, quod habitudo *ex quo*, & significet veram dependentiam formæ a materia in suo esse, fieri, & conservari, ut diximus disp. 2. Phys. qu. 7. art. 2. & disput. 5. qu. 4. art. 1. nam etiam anima rationalis dicitur esse in corpore, & fieri in corpore, & tamen adhuc creatur, quia simplex habitudo *in quo* non exprimit dependentiam formæ a materia in esse, fieri, & conservari, sed solam informationem, & receptionem in ea. Denique satius erit juxta phrasim Arist. 7. Met. 26. & 27. dicere formam in fieri, seu in alio fieri, quam ex nihilo fieri, cum nullibi Arist. hac formula loquendi utatur.

16 Quod autem ait subjectum præsuppositum tollere rationem creationis, non factionis ex nihilo, præterquamquod contra communem distinguit factionem ex nihilo a creatione, quæ tamen tolet per illam definiri, ac proinde debet cum ipsa converti, adhuc est voluntarie dictum, quia eadem facilitate negari posset tollere rationem creationis, nec ratio, quam adducit ad id probandum, suffragatur, nam præterquamquod posset afferri ad idem probandum de creatione, non concludit, quia modus ille arguendi valet tantum in causis præcisis, modo licet subjectum præsupponi sit causa tollens factionem ex nihilo, non tamen est causa præcisa; quia ergo formæ materiales dependenter a subjecto fiunt, ideo non dicuntur creari, vel de nihilo fieri, sed generari, vel potius educi de potentia illius. Ex dictis deducitur fundamentum Ferchii esse prorsus labile, & penitus coincidere cum fundamento opinionis admittentis inchoationes formarum in materia, dicebat enim præcedere formam in materia secundum aliquid sui, ne fieret ex nihilo, quia putabat opus esse, ne res fieret ex nihilo, fieri debere ex aliquo, ut ex parte, quod est ipsissimum Ferchii fundamentum. At illa opinio ab omnibus passim refellitur, sed præsertim a Scoto 2. n. 18. q. un. ubi etiam imbecillitatem fundamenti ejus demonstrat, quia ex nihilo fieri non tantum negat præexistentiam partis intrinsecæ componentis id, quod fit, sed etiam subjecti per se concurrentis ad productionem formæ, quæ fit, unde cum formæ omnes materiales supponant subjectum, a quo dependenter fiunt, non dicuntur ex nihilo fieri, sed de potentia materiæ educi, & generari, de quo videatur disp. 2. Phys. qu. 7. art. 1. Maneat igitur inconcussa veritas illius principii *ex nihilo nihil fieri*, & *in nihil aliquid non resolvi* per causas naturales, ita enim probatum manet principale assertum.

Neque ab hac veritate adeo explorata nos deterrere debet auctoritas a Ferchio allata ex libro de Xenophane, & observatio ab eodem adeo accurate facta, quod ubicumque Arist. axioma illud profert, semper ut ex Antiquorum positione pronunciat; nam, & Antonius Roccus id quoque observaverat 1. Phys. q. 9. in prima ratione in oppositum, neque idcirco eam damnavit, ut falsam, & a Lycæo ablegavit, ur ab Arist. mente absolute alienam, sed inquit ideo semper, ut ex positione Antiquorum referri, quia antiquissima erat, & ne cogeretur eam probare, cum recepta foret ex communi sapientum consensu, non vero ut innueret se illi nullatenus assentiri, cum eam frequenter afferat etiam ad asserta sua probanda; in libro vero de Xenophane eam dicit non esse universaliter veram, ut proferebatur ab Antiquis, quia ex nihilo fit aliquid, tamquam ex termino a quo, & re vera privatio est unum ex tribus principiis rerum naturalium, ut late ostendit 1. Phys. contra Antiquos, & ideo bene eos carpit loc. cit. quod non recte eam propositionem receperint, ut universaliter veram, quia in aliquo sensu est falsa. Ferchius lib. 2. Defens. per totum totis viribus tentavit hanc suam factionem formarum ex nihilo multis propugnare, nosti[illegible]e rationibus occurrere, imo ad hoc suum assertum facilius tuendum negat c. 1. a Theologis bene definiri creationem, quod sit factio ex nihilo, contenditque esse productionem ex aliquo; contra quem latissime disputatur disp. 12. Met. qu. 4. ar. 1. & 2. & lib. expurg. quær. 2. quæ loca sunt omnino videnda pro exacta hujus materiæ intelligentia.

17 In contrarium sunt objectunculæ quædam. Prima, si quid generaretur substantialiter, fieri deberet ex non ente simpliciter, sed ex nihilo nihil fit, ergo nulla de novo datur generatio, min. patet, maj. prob. sicut se habet generatio secundum quid ad non ens secundum quid, ita se debet habere generatio simpliciter ad non ens simpliciter, sed generatio secundum quid fit ex non ente secundum quid, ergo, &c. Secunda, totum non generatur, nisi per productionem partium, sed materia, quæ est pars compositi naturalis, est ingenerabilis 1. Phys. 82. ergo. Tertia, totum vel generatur secundum essentiam, vel secundum existentiam; non primum, quia essentiæ rerum, cum sint æternæ, non generantur, vel corrumpuntur; si secundum, cum existentia sit accidens essentiæ, non esset generatio productio substantialis, sed tantum accidentalis. Quarta, si datur generatio substantialis, itaut aliquid remaneat in genito, quod erat in corrupto, sequitur, res specie diversas substantialiter non differre, quia in materia conveniunt, & eamdem materiæ entitatem transire ab una in aliam speciem. Quinta, corruptio repugnat bono universi, cum sit privatio boni, & entis, ergo in ipso statuenda non est, nec consequenter generatio, quæ illi correspondet.

Resp. ad 1. neg. maj. si non ens simpliciter in majori neget totam entitatem, itaut quod generatur, fieri debeat ex nulla præjacente materia, conceditur autem, si intelligatur id, quod generatur, fieri debere ex eo, quod non est totum illud compositum, quod fit, & in hoc sensu neganda est min. quo etiam sensu tantum tenet paritas assumpta de generatione secundum quid, sicut enim in hac ens secundum quid, ut homo albus, fit ex non ente secundum quid, idest ex subjecto, cui deest accidentalis perfectio per ipsam alterationem acquirenda, ita in illa ens simpliciter, ut homo, fit ex non ente simpliciter, idest ex subjecto, cui deest substantialis perfectio per ipsam generationem acquirenda. Ad 2. maj. non est universaliter admittenda; quia etiamsi nulla pars produceretur de novo, posset totum generari, ut in resurrectione manifestum est, & ratio est, quia totum non est hæc, & illa pars, sed substantia completa, quæ resultat ex unione illarum partium, & ante unionem non erat, licet existerent partes, ut dictum est disp. 5. Phys. qu. 13. art. 1. Ad 3. utroque modo generatur totum, itaut terminus generationis sit essentia realis, sed ut singularis, & existens, unde essentia totius est terminus factus, existentia vero modus, sub quo sit, vel ratione cujus sit extra causas; unde etiam falsum est essentias rerum esse æternas, quasi ab æterno fuerint, ut Doctor ostendit contra Henr. 1. dist. 36. dicuntur solum æternæ secundum connexionem prædicatorum essentialium, & quia non immediate, & proxime subduntur generationi,

tioni, & corruptioni, sed tantum remote ut ipse docet 3. dist. 22. qu. un. in solut. ad 1. alterius opinionis; ac etiam falsum est existentiam esse merum accidens, ut dicemus in Met. Ad 4. sicut non inconvenit res specie diversas habere idem genus Logicum, ita etiam non inconvenit habere idem Physicum, & adhuc substantialiter differre per formas specificas; nec etiam inconvenit, cum sit commune formarum subjectum, migrare ab una in aliam successive, sic enim non mutat suam speciem intrinsecam, & essentialem, sed tantum extrinsecam, & adventitiam, quemadmodum homo, cum de albo fit niger. Ad 5. constabit infra art. 3. qua de causa corruptio admitti debeat in universo.

ARTICULUS II.

Natura generationis substantialis declaratur.

18 UT innuimus ab initio qu. erat difficultas de Generatione, an ejus essentia consisteret in mutatione, ut sæpius Arist. insinuasse videtur eam definiendo, an potius in actione, generatio enim ut a creatione distinguitur, idem sonare videtur, quod productio rei de aliquo subjecto, ut constat ex præc. ar. quam quidem controversiam censemus esse de nomine, quia secundum communem usum loquentium, & Philosophorum utroque modo accipi solet, pro actione nimirum generativa, ut a creativa distinguitur, & pro peculiari quadam specie motus, seu mutationis in communi, ut constat 1. Physicor. 6. & 5. Met. 7. ubi generatio inter mutationis species censetur, hinc Scotus 1. distinct. 2. q. 7. K. & distinct. 5. q. 2. E. & alibi sæpe distinguit de generatione in ratione productionis, & in ratione mutationis, & advertit non esse confundendam unam rationem cum alia, quia sunt valde diversæ, ac etiam ab invicem separabiles, ita quod inveniri potest generatio in ratione productionis, quin adsit ratio mutationis.

19 Idcirco minus recte inquit Aversa q. 37. sect 2. generationem in ratione productionis non distingui a generatione in ratione mutationis, sed eundem actum esse in prædicamento actionis collocatum, & per connotata solum differre, quia generatio mutatio connotat terminum a quo, generatio productio minime. Non placet, etenim generatio, ut productio formaliter est in divinis, non vero, ut mutatio; in ratione productionis est in genere relationis, cum sit respectus intrinsecus adveniens in ratione mutationis in nullo est prædicamento directe, cum sit respectus secundum quid realis; item in ratione productionis habet pro terminis causam efficientem, & productum, in ratione vero mutationis subjectum, formam, & privationem, ut constat ex disputatione prima Physicor.

Dices cum Jo. de S. Tho. cit. quod licet in ratione productionis, ut sic, accidat ei, quod sit mutatio, quia sine mutatione in divinis reperitur, tamen in ratione productionis a subjecto dependentis, qualis est quæcunq; generatio creata, est essentialiter, & intrinsece mutatio. Contra, quia in mundi initio in rerum productione non præcessit materia cum carentia formæ, & modo susceptivum animæ rationalis scilicet corpus in eodem instanti, quo formatur, animatur, & idem evenit cum ex speciebus Eucharistiæ corruptis aliquid producitur, tunc enim in eodem instanti subrogatur materia, & tamen in his casibus interveniunt veræ generationes, & eductiones formarum de potentia materiæ sine ulla mutatione vera subjecti, quia non præcessit cum carentia formæ, quam doctrinam sæpe in Phys. dedimus disp. 2. q. 7. art. 2. & 3. disp. 4. q. 3. & 4. disp. 16. q. 2. & alibi, ergo ratio mutationis prorsus accidit generationi, etiam ut est productio rei dependenter a subjecto, licet regulariter cum ea reperiatur conjuncta. Quod autem respondet hic Auctor in his casibus sufficere ad mutationem, quod privatio præcedat formam prioritate naturæ, abunde ibi explosum est ex Doctore multis in locis, quia Physice mutari est rem aliter se habere nunc, quam prius, at instans, seu prioritas naturæ non designat id, quod est prius in existendo, quia non mensurat existentiam rei, ut perperam putavit Ferchius vestig. 1. c. 7. sed solum notat præcisionem, secundum quam aliquid suapte natura aptum est alicui convenire, vel non convenire, non autem quod de facto conveniat, vel non conveniat, ut diximus disp. 9. Log. qu. 2. art. 1. ergo præcedere privationem in materia in instanti naturæ aliud *non* est, quam quod privatio suapte natura materiæ conveniret, nisi ab agente extrinseco excluderetur per introductionem formæ, non autem quod de facto conveniat, quia in illo instanti temporis supponitur habere formam.

20 At respondet, ut detur mutatio, non semper necessariam esse præexistentiam privationis in materia, sed exclusionem privationis in re per actionem extrinseci agentis; non quæ inerat formaliter, sed quæ debebat inesse, excluditur autem privatio in hoc sensu, etiamsi non præcesserit duratione, per hoc solum, quo potentialitas materiæ reducitur ad actum ab extrinseco agente educendo formam ex ea, hæc autem reductio, & actuatio non videtur fieri posse sine aliquo motu, & mutatione, imo videtur ipsamet mutatio, quia motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia; item in allatis casibus licet materia non præcedat formam cum privatione per aliquod temporis instans, tamen in illo eodem instanti per actionem extrinseci agentis tendit in terminum ad quem, ergo necessario respicit etiam terminum a quo, & cum forma sit, necessario fit ex suo contrario positivo, vel privativo, aut saltem negativo, sed omnis transitus, seu tendentia de termino a quo ad terminum ad quem in subjecto est essentialiter mutatio, cum deferatur unum, & acquiratur aliud.

Hæc solutio falsis innititur fundamentis, primo enim falsum est ad rationem mutationis sufficere, quod ab agente excludatur a materia privatio, non quæ infuerit, sed quæ debebat inesse, mutari enim est rem aliter se habere nunc, quam prius 6. Phys. 32. ubi per hanc ultimam particulam designatur ordo ad non esse formæ immediate præcedens in subjecto, ergo ut mutatio sit vera, debet per actionem agentis excludi a materia privatio, quæ vere *illi insuit, non quæ debebat, vel poterat inesse*; Accedit, quod subjectum per mutationem dicitur relinquere privationem, & acquirere formam, at quomodo relinquere potest id, quod nunquam habuit, sed solum habere potuit? Falsum est insuper, quod actuatio potentialitatis materiæ per formam nequeat esse sine motu, vel sit ipsa mutatio, quia hæc actuatio non semper fit cum transitu potentiæ ad actum, fieri enim potest etiam sine tali transitu ex hypothesi, quod subjectum non præcedat duratione formam, sic enim non transit de uno oppositio in aliud, cum numquam fuerit sub illo, & cum inquit motum esse actum entis in potentia, quatenus in potentia, hoc est pro nobis, quia ut diximus disp. 15. Phys. q. 4. ly *quatenus in potentia* denotat potentiam subjecti cum ordine prioritatis ad actum, seu non esse formæ immediate præcedens in subjecto, qui ordo cum deficiat in allatis casibus, nequit dici subjectum mutari; etiamsi formam recipiat, & per eam actuetur. Falsum est insuper in illis casibus vere subjectum transire de non esse formæ ad esse formæ, ut ad mutationem exigitur, & de termino a quo ad terminum ad quem, quia terminus a quo transitus per mutationem importati est negatio in genere, seu in subjecto, non autem extra genus, seu extra subjectum, quia per talem transitum subjectum dicitur deserere unum terminum, & alium acquirere, at quomodo deserit terminum, quem nunquam habuit? Accedit, quod si ad Physicam mutationem (qualis est ea, de qua hic est sermo) sufficit pro termino a quo negatio extra genus, tunc creatio poterit dici Physica mutatio, quia in creatione non esse rei præcedit esse rei, & in creatura in hoc sensu transit de non esse ad esse. Demum si per mutationem materiæ in illis casibus aliud non intelligit, quam solam actuationem potentialitatis materiæ, ut inculcare videtur hic Auctor, cum hoc quoque modo creatio compositi dici possit mutatio, ut Scot. docet 2. dist. 1. q. 5. in fine, ultro concedimus generationem in creatis semper cum mutatione contingere.

Hic occurrendum esset ad ea, quæ Pontius habet in append. apolog. n. 55. & infra n. 164. pro defensione præfatæ Recentiorum doctrinæ, opus scilicet non esse ad physicam mutationem, quod privatio in materia præcedat duratione formam; Verum quia ab his, quæ contra objecimus in additione facta ad disp. 15. Phys. q. 2. se se tuetur Burleicis armis confingendo ad distinctionem de larga, & stricta vocabulorum acceptione, non est hic immorandum; inquit enim loc. cit. nu. 166. in hoc puncto inter nos non esse, nisi quæstionem de nomine: si enim physica mutatio proprie, & stricte sumatur, utique ait opus esse, quod privatio præcedat duratione formam in materia, in quo sensu locutus est Scotus a nobis citatus: quando vero id ipse negavit, se non accepisse mutationem stricte, sed large; qua distinctione sæpius utitur in illa append. ut nobis occurrat.

Verum hic prætereundum non est non videri Pontium satis sibi constare locis citatis sic respondendo; etenim n. 55. cit. ita scribit: Dico disp. p. de Gen. n. 3. ad veram mutationem opus non esse, ut privatio præcedat prius tempore formam; Hoc jam iterum confirmo, & quod non sit neque contra Scotum, neque contra veritatem ostendo inferius n. 163. dum respondeo ad ea, quæ ipsi contraponunt; ita ibi Pontius, sed loco ab ipso citato n. 163. & seq. respondet, ut jam diximus, ad mutationem proprie, & stricte sumptam debere utique privationem præcedere formam tempore, non tamen large sumptam, dicens se non feciße mentionem de mutatione stricte accepta disp. p. de Gen. si ergo ita est, ut hic asserit, quomodo supra n. 55. inquit se dixiße disp. p. de Gener. n. 3. ad veram mutationem opus non esse, ut privatio præcedat duratione formam, & hoc iterum ibi confirmat nec esse contra Scotum, nec contra veritatem? plane vera mutatio apud omnes significat idem, quod mutatio proprie, & stricte sumpta; At forte dices, quando Pontius scripsit sub n. 166. oblitum esse eorum, quæ superius dixerat n. 55. Sed neque adhuc venia dignus est, quando hoc etiam ei permitteretur, quia nedum sub n. 166. ait ad mutationem proprie, & stricte sumptam debere privationem tempore præcedere formam in materia, sed hoc etiam asserit immediate post n. 55. nimirum nu. 56. §. *addo tamen ulterius*, ubi in eadem pagina paucis lineis palam sibi contradicit, dicens n. 55. ad veram mutationem opus non esse, ut privatio præcedat prius tempore formam, & n. 56. dicens id opus esse ad mutationem propriè, & stricte sumptam, quæ sola est vera mutatio, nisi Pontius, ut solet, velit ludere verbis.

Denique nostras rationes referens in ea additione allatas ultimam sic refert sub n. 169. Probant idem denique quia definitio mutationis non debet intelligi, ut ego intelligo, sed ut ipsi; In hoc petunt principium, cum id sit in controversia, & non probetur ab eis; sic ille. At hæ sunt nugæ Auctori familiares in ea append. non ita jocose arguimus loc. cit. sed instamus definitionem mutationis ex 6. Phys. desumptam, quod mutari est rem aliter se habere nunc, quam prius, non debere explicari, ut ipse exponit, quia hoc pacto subjectum semper diceretur mutari, quia verum *semper* est dicere subjectum aliter se habere per formam etiam sibi coævam, quam se haberet fine ea. Tum quia etiam Doctor ipse 2. d. p. q. 5. in fine agno-

vit

vit hoc significatum mutationis, sed ait hoc non esse proprium ejus significatum secundum quod a Philosophis distinguitur generatio a creatione, quia in hoc sensu etiam creatio alicujus compositi v. g. ignis dici potest mutatio, &c. Videat nunc Pontius, an ridicule arguamus, ut ipse refert, an propositum probemus, necne, & an principium petatur a nobis. Deinde quomodo inquit hoc esse in controversia, num scilicet definitio mutationis debeat intelligi, ut nos, vel ipse, si jam supra n. 166. concessit, quod loquendo de mutatione proprie, & stricte, & non in lata significatione, ut ipse accipit, opus est privationem tempore præcedere formam in materia? & consequenter definitio mutationis 6. Phys. tradita debet intelligi, ut a nobis exponitur, cum ibi definiatur mutatio physica a Philosopho cum omni proprietate, ut a creatione distinguitur, & non in latissima significatione, ut cum ea convenit. Et hinc etiam judicare potetit prudens Lector, quam justa sit querela in nos retorta ibidem a Pontio, qui vocabulum mutationis accipimus cum omni proprietate prout a creatione distinguitur, & juxta communem modum loquendi Philosophorum, ut volens nolens fatetur, cum interim illud ipse accipiat in lata, ac impropria significatione, ut etiam convenit creationi; judicet (inquam) prudens Lector quis nostrum rectius loquatur in quæstione, quam ait esse de nomine. Ad aliam quandam ejusdem cavillationem sub n. 164. dictum est disp. 12. Met. q. 9. n. 298. cætera non sunt considerationedigna, &c.

21 Ruv. cit. concedit *in illis casibus* mutationem non intervenire, sed negat tunc compositum fieri per generationem, & ait fieri puram, & solam eductionem, quæ est actio essentialiter distincta a *generatione*, nam eductio est actio ex præsuppositosubjecto, at generatio ulterius est a privatione ad formam. Contra, imo quia eductio est actio essentialiter distincta a generatione, debentur eis termini essentialiter diversi, a quibus specificentur, & cum proprius terminus actionis eductivæ sit forma, male ponitur a Ruvio *in illis casibus* compositum, quia compositum non dicitur educi, sed generari. Item agens educendo formam respicit materiam, ut subjectum rei productæ, & causam extrinsecam ejus, producendo compositum respicit materiam, ut partem rei productæ, & causam intrinsecam ejus, hoc autem modo producere est vere generare, non educere, ergo etiam in illis casibus compositum acciperet esse per generationem, non autem per eductionem, nisi præsuppositive, quatenus productioni compositi supponitur productio formæ in materia, ex quibus resultat. Tandem defectus privationis non tollit rationem generationis, quatenus productio est, sed solum, quatenus mutatio, quia ut diximus disp. 1. & 4. Phys. non est principium ejus per se sub ratione productionis, sed mutationis.

Hoc igitur supposito, & constituto, quod ista duplex acceptio generationis in ratione productionis, seu mutationis non solum sint essentialiter distinctæ, sed etiam separabiles, ac etiam quod utraque acceptio sit propria, non enim minus proprie dicitur generatio mutatio substantialis, quam alicujus substantiæ ex præsupposito subjecto productio, tum quia de Generatione in utroque sensu sæpius Arist. sermonem instituit, nam sub ratione productionis loquitur 1. Phys. 64. 2. Physicor. 14. cum eam appellat *viam in naturam*, idest per quam acquiritur, & producitur forma, quæ est natura, & 1. de Gen. 11. & alibi frequenter; sub ratione vero mutationis 5. Phys. 7. 8. Phys. 62. 1. de Gen. 23. & 25. & alibi, restat ut naturam generationis singillatim in una, & altera acceptione declaremus, sic enim commune vitium Auctorum in hac re devitabimus, qui aut confundunt unam acceptionem cum alia, aut si illas distinguunt, non postea explicant generationem, nisi sub altera tantum, vel scilicet productionis, vel mutationis, quia nimirum unam tantum putant essentialem, alteram accidentalem.

22 Itaque loquendo de Generatione sub ratione productionis dicimus ita definiri debere, quod sit *actio productiva termini seu compositi substantialis dependenter a subjecto*. Explicatur, & declaratur quoad singulas particulas; dicitur, in primis *actio productiva*, quæ particula locum generis obtinet, generatio enim substantialis in hac communi ratione actionis productivæ non solum convenit cum generatione accidentali, sed etiam cum ratione ipsa; nam omnes sub hac ratione important respectum intrinsecus advenientem causæ efficientis ab effectu producturn, & quia genus, sicut convenire facit singula, quæ sub ipso continentur, ita quoque eadem differre facit ab aliis, quæ sub diverso genere continentur, idcirco hæc eadem particula, quæ locum generis tenet, discernit generationem ipsam sub ratione prnductionis a generatione sub alia acceptione, nimirum mutationis, ac etiam a conversione, quia mutatio respicit terminum a quo, & ad quem, & proprie importat transitum subjecti communis ab uno in alium præscindendo omnino a causa efficiente & ab effectu producto, qua propter subjectum, forma, & privatio dicuntur ejus principia essentialia ex 1. Phys. discernit etiam a conversione, quia conversio intrinsece, & formaliter respicit solum rem definentem, ut terminum a quo, & succedentem ex vi defitionis illius, ut terminum ad quem, non autem agens, unde dicimus aquam converti in aerem, lignum in ignem, omnino præscindendo ab agente; secernitur etiam per hoc generatio ab actione unitiva partium, quæ dici solet unitio, quia per unitionem agens nullam substantiam formaliter producit, sed solum unit partes adinvicem, ex quarum unione postea ab eodem agente compositum generatur, unde proprius terminus unitionis est unio, quæ importat respectum extrinsecus advenientem, ex dictis disp. 5. Phys. q. 9. non compositum, & ideo, merito unitio non debet dici actio substantialis productiva, sicut est generatio, sed unitiva, ut diximus disp. 5. Phys. q. 4. art. 2. & magis explicabitur q. seq. art. 1.

23 Deinde additur, quod est actio productiva *termini, seu compositio substantialis*, ut per hoc distinguatur ab omni accidentali actione, & productione, & consequenter insinuetur contra Thomist. cit. ab initio q. esse actionem distinctam a prævia alteratione, dicebant enim ipsi in ultimo alterationis instanti resultare formam substantialem ex eadem ipsa alteratione absque alia nova actione, & agens in eo instanti non tam agere quam potius terminare præcedentem actionem, & alterationem; Hoc est omnino falsum, quia nequit esse eadem actio, quia per se fiant accidens, & substantia, cum actiones a terminis specificentur; Si dicas utique formam substantialem non esse terminum ab alteratione, vel per alterationem productum, hic enim est qualitas, ac proinde illam non specificare, sed dici terminum quatenus consequitur, & resultat sine nova efficientia propter connexionem naturalem cum *illis dispositionibus*, sicut resultant passiones, posita essentia sine nova actione; Contra, quia si datur actio propria pro forma accidentali, cur non etiam pro substantiali? tum quia actio alterativa fit mediis accidentibus, ut accidentia nequeunt attingere productionem substantiæ ex dictis disp. 7. Phys. q. 6. art. 2. per quod solvitur fundamentum præcipuum *opinionis adversæ*, dicunt enim generationem non importare actionem distinctam ab alteratione, quia substantia non habet actionem aliquam nisi mediis accidentibus, unde quia post alterationem corrumpitur compositum præcedens, & consequenter omnia ejus accidentia, non habebit agens per quid deinceps agat, atque ita necesse est, quod eadem actio v. g. quæ attingit calorem transeat ad substantiam ignis mediante positione caloris resultantem ex connexione ad illum: sed hoc fundamentum est falsum ex ibi dictis, quia substantia est immediate activa, præsertim actione substantiali. Tum quia ut bene vidit Jo: de S. Tho. hoc fundamentum Thomist. contra eorum opinionem directe militat, nam si post alterationem immediate corrumpitur compositum præcedens, in quo secundum *eos ipsa* subjectabatur, ergo non potest in illo instanti ex tali alteratione resultare ipsa substantia genita, nisi intercedat nova, ac distincta actio attingens ipsam substantiam, quia repugnat fieri aliquid per resultantiam, & non per novam actionem hoc ipso quod non existit illud, ad quod ponitur consequi; Tum tandem quia resultantia non semper excludit veram efficientiam ex dictis in Phys. disp. 7. q. 2. sed interdum solum denotat necessariam connexionem unius actionis cum alia, & sic in proposito dicendum est, generationem consequi ad alterationem, & quasi ex ea resultare, non veluti passiones ab essentia, ut ajebant Thomist. imo dissimilius exemplum afferre non po erant, nam illæ ab essentia resultant, quia cum ea semper esse, & existere postulant, at forma substantialis, & generatio est incompatibilis *cum alteratione*, sed resultare dicitur, quia actio alterativa est dispositio necessirans ad generativam, nam postquam alteravit agens naturale subjectum per prævias dispositiones usque ad certum terminum, necessario generat introducendo formam substantialem, hoc autem non impedit, imo potius denotat alterationem, & generationem esse actiones distinctas, unam tamen ordinatam ad aliam, unde, quia generatio substantialis est finis prævia alterationis, poterit in hoc sensu dici terminus, scilicet non intrinsecus, quasi per ipsam productus, ut notavit Doctor 4. d. 12. q. 3. vers. & *si arguas*.

24 Adhuc tamen exprimitur in ea definitione, quod terminus generationis substantialis est compositum substantiale, ut distinguatur ab eductione, quæ utique est productio substantialis, at non attingit compositum, sed solum formam substantialem, quæ proprie dicitur educi de potentia materiæ, generatio vero est solius compositi, ut docuit Arist. frequenter 1. Phys. 64. & 7. Met. 26. 27. & 28. & alibi, dicitur etiam generatio actio productiva compositi, & non formæ, quia ut docet Scot. 3. d. 2. q. 2. §. *quantum ad primum*, totum est primis terminis ad quem generationis, non altera pars; imo si utraq; pars præexistat, & de novo unirentur, nil minus esset generatio, vel productio ipsius compositi, sicut in resurrectione dato quod tam anima, quam corpus præexisteret secundum suas entitates, adhuc fieret resuscitatio ad esse totius compositi, non autem ad esse corporis, vel animæ, nec ad ambo ista; ita Doctor ibi, & ideo in 4. d. 13. quæst. 1. §. *ex dictis* distinguit actionem qua fit compositum, ab ea, qua fit forma, hanc vocans eductionem, illam vero productionem. Hinc hallucinantur Suar. disp. 15. Met. sect. 2. n. 14. Conimb. 1. de Gener. c. 4. q. 15. dum has actiones non distinguunt, & ajunt eadem omnino actione, qua fit compositum, fieri quoque formam, qua ratione ab Arist. loc. cit. dicitur potius confieri, quam fieri; Nam etiam forma propria actione producitur, imo prioritate executionis, & naturæ prius ipsa producitur, quam compositum, ut diximus disp. 2. q. 7. art. 2. ubi etiam explicuimus, quo sensu intelligendus sit Arist.

25 Imo universaliter errant Moderni fere omnes autumantes eandem prorsus esse actionem realem, eductionem formæ de potentia materiæ, unitionem ejusdem formæ cum materia, & productionem compositi, quem dicendi modum inter alios amplectitur Ruv. 1. de gen. tract. 1. q. 3. quod productio formæ sit ipsamet unitio ejus cum materia, probat, quia sicut ejus esse est ineste, quatenus suapte natura extra materiam conservari nequit (excepta anima rationali) sic ejus fieri est in fieri, & ideo non est geminanda actio, una, per quam fiat, altera, per quam fiat in materia, quod etiam per eandem actionem, qua educitur forma ex materia, & ei unitur, fiat com-

compositum, probat, quia id tantum fit propria & distincta actione quod habet esse per se, sed ex illis tribus, forma, unio, compositum, hoc tantum habet esse per se, ergo hoc tantum propriam actionem *terminat*, & per eandem fiunt concomitanter cætera. Verum in phys. loc. supra cit. præsertim vero disp. 2. q. 7. art. 3. sæpius hanc communem opinionem refellimus cum Scoto 2. d. 1. q. 5. in fol. ad 5. & 4. d. 13. q. 1. §. *ad hujus autem*, ubi diserte has actiones ab invicem, omnino ex natura rei distinguit, quia sunt ad alios, & alios terminos ex natura rei diversos, quamvis enim id multi negent de composito, quod scilicet ex natura rei non distinguatur a partibus unitis, efficaciter tamen hoc ostendimus disp. 5. Physic. quæst. 13. ar. 1. actiones vero per terminos specificantur, & distinguuntur, quod autem actiones istæ sint invicem connexæ, & una subordinata ad aliam, ut eductiva, & unitiva ad productivam compositi, non efficit, quod formaliter, ac entitative sint una actio, quia simpliciter, & absolute separari possunt abinvicem, potest enim produci forma saltem ab agente supernaturali sine unione ad materiam, potest etiam produci unio non producta de novo forma, puta si præexistat, ut contingit de anima rationali, quo casu producitur compositum absque productione formæ, nequit autem separari productio compositi a productione unionis ob essentialem dependentiam compositi a partibus unitis; ad summum ergo inferri potest illas actiones esse unam, & eandem unitate connexionis, & ordinis, non formaliter, ac entitative.

26 Ad primum fundamentum Ruvii, quo probabat unitionem formæ cum materia esse ejus productionem, patet ex dictis disp. 3. Physic. q. 4. art. 2. concl. 2. ubi non solum de forma substantiali, sed etiam de accidentali demonstravimus diversam esse ejus productionem, ac unionem cum subjecto, & manere posse invariatam entitatem formæ, variata, imo destructa unione, ut constat in Eucharistia, ubi accidentia conservantur, & inhærentia destruitur; amplius ostendimus disp. 2. cit. qu. 7. ar. 3. ubi rationes majoris momenti ex Suarez dissolvimus. Ad aliud vero fundamentum, quo probat solum compositum propriam terminare actionem, & per se fieri, satisfactum est loc. proxime cit. art. 2. videas ibi, quia eadem repetere non vacat.

Demum additur, quod generatio est actio productiva termini, seu compositi substantialis *dependenter a subjecto*; ut generario distinguatur a creatione, creatio enim est actio independens a subjecto, per quam res totaliter extrahitur ex nihilo, & ideo dicitur propria Dei, generatio vero fit dependenter a subjecto, ex cujus potentia educitur forma, ex qua unita cum materia producitur compositum, ita quod hæ duæ actiones differunt præsertim ex parte subjecti, quia una exercetur dependenter, alia independenter a subjecto, unde consequenter differunt ex parte termini a quo, quia ut notat Doct. 4. disp. 11. quæstion. 4. & quol. 10. terminus a quo *generationis* est negatio in genere, & in subjecto, terminus a quo creationis est negatio extra genus, quia quod creatur, fit ex nihilo prorsus.

27 Sed hic oritur dubium, an generatio sit adeo appropriata productio compositi substantialis, ut nequeat creatione produci, affirmat Vasquez 1. p. disp. 164. cap. 4. num. 17. quia creatio est ex nihilo, ut ly nihil excludit habitudinem partis, & subjecti; at compositum fit ex partibus, quæ necessario illud præcedunt prioritate naturæ, & talis prioritas in universum sufficit in causa ad suum effectum, ergo nunquam esse potest ex nihilo, sicut ad creationem requiritur, quod enim nihil præcedat tempore, nequaquam opus est, alioqui nihil ab æterno creari potuisset. Negat Joann. de S. Thom. cit. art. 5. quia in creatione fieri ex nihilo tener se ex parte termini a quo, *in composito* autem constare ex partibus, & esse ex illis tanquam ex constituentibus tenet se solum ex parte termini ad quem, cum pertineat ad constitutivum talis termini, ergo hoc, quod est esse ex aliquo tanquam ex parte constituente, non opponitur huic, quod est esse ex nihilo simpliciter, tamquam ex termino a quo, ergo neque opponitur ipsi creationi, quia creatio salvatur in hoc præcise, quod fit ex nihilo, tanquam ex termino a quo, & consequenter quod non præsupponat aliquid, tamquam subjectum transmutatum; itaque concludit, quod fieri ex aliquo, ut ex parte constituente non tollit creationem, nec constituit generationem, sed fieri ex aliquo tanquam ex principio præsuppositio, per cujus transmutationem res ipsa fiat. Hinc respondet ad fundamentum Vasquez *compositum non fieri ex aliquo*, ut principio transmutationis, sed ex aliquo, ut intrinsece constituente, quod non *tollit* creationem, neque compositum fieri ex nihilo, ut ex termino a quo, cum pars constituens se teneat ex parte termini ad quem.

28 Hoc dubium resolvendum est juxta dicta disp. 2. Phys. qu. 7. art. 2. in fine, quod proprie loquendo de Creatione compositum nequit creatione produci, quia quantumcunque ejus partes simul in eodem instanti cum ipso producantur, semper tamen censentur priores natura ipso toto, atque ideo veram causalitatem exercent respectu illius, quod sufficit ad tollendam creationem proprie dictam, ut notat Doctor 2. dist. 18. quæst. un. §. *contra primum motivum*, & in 4. d. 1. qu. 1. ad 4. princ. ubi ait, quod creatio proprie dicta est productio de nihilo, idest non de aliquo, quod sit pars primi producti, & receptivum formæ inductæ, quæ est communis doctrina Theologorum, unde prorsus falsum est, quod ajebat Joan. de S. Thom. fieri ex aliquo tanquam ex parte non tollere rationem creationis, sed fieri ex aliquo, ut ex *principio* præsuppositio, quod transmutari debeat; tum quia si anima præexisteret ante corpus, & corpus crearetur, obstaret, ne homo diceretur creatus, esto non esset factus ex anima, ut ex principio transmutabili; tum quia actio creativa, & generativa non differunt essentialiter per mutationem subjecti, quia potest intervenire dependentia actionis a subjecto sine illius mutatione, ut ostensum est, & ita evenit, cum forma producitur in eodem instanti simul cum materia. Quod si dicat juxta ea, quæ docuit art. 1. a nobis relata initio art. etiam in eo casu materiam mutari hoc ipso, quod actuatur per formam ejus potentialitas, tunc ad hominem arguere possumus compositum numquam posse creatione produci, quia quantumcunque ejus partes simul cum ipso producantur in eodem instanti, semper potentialitas subjecti actuatur, seu ad actum reducitur per formam, unde hic parum consequenter videtur discurrere ad ibi dicta. Dici tamen potest compositum posse creari ad creationem partium, & præsertim materiæ primæ quæ tunc primo fieret, data hypotesi, ut loc. cit. diximus cum Scoto 2. d. 5. qu. 5. in fine, ubi in hoc sensu admittit composita posse creari, proprie autem res dumtaxat simplices, hoc est non compositæ ex partibus essentialibus, & Physicis creari possunt, & ita etiam sentit Rubion. 2. 12. qu. 3.

29 Dicimus deinde, quod loquendo de generatione substantiali in ratione mutationis, plures solent afferri ex Arist. definitiones ad ejus naturam explicandam, prima ex 2. Physic. 14. *generatio est via in naturam*, secunda ex Phys. 7. *est mutatio ex non subjecto in subjectum*; Tertia ex 8. Phys. 62. *est mutatio ex non ente ad ens*, quarta ex 1. de Gen. 23. *est mutatio totius in totum nullo sensibili remanente, ut subjecto eodem*, quinta ex eodem lib. 25. *est mutatio a substantia in potentia ad substantiam in actu*.

Sed ut bene notavit Averſa qu. 37. sect. 3. in omnibus his locis non intendebat Arist. generationem substantialem exacte definire, sed solum prout occasio postulabat, has propositiones tamquam veras de ipsa generatione pronunciavit, quo etiam sensu 3. Phys. 6. dicit, quod generatio est actus generabilis inquantum generabile, & 4. Meteor. 2. quod est permutatio facta a primis qualitatibus, & alibi alia prædicata de generatione enunciavit, sicut ergo non omnes hæ propositiones de generatione ab Arist. prolatæ recipiuntur pro exactis, ac legitimis definitionibus, ita neque illæ saltem omnes sunt recipiendæ, fere enim singulæ deficiunt, quia quidditatem generationis substantialis non exprimunt, ut exprimere debet exacta definitio; prima namque non exprimit illam sub ratione mutationis, quia nec subjectum ejus, nec terminum a quo insinuat, sed potius eam significat sub ratione productionis, ut supra diximus; secunda convenit etiam generationi, seu mutationi substantiali, ut a motu distinguitur, quia & ipsa est a non subjecto in subjectum, idest ex termino negativo in positivum, dicimus enim ex non albo fieri album, eadem *communitas* reperitur in tertia. Quarta solet quidem a Peripateticis recipi pro absoluta generationis substantialis definitione; sed neque ipsa, ut talis recipienda est, neque ut talis fuit ab Ari. allata.

30 Non itaque accipi debet hæc quarta definitio, ut propria, & exacta, nam ut omittamus modo cæteras, quas ipsi Peripatetici contra ipsam excitant difficultates, in primis non explicat subjectum, quod essentialissimum est generationi sub ratione mutationis; imo potius videtur excludere, dum dicitur, *mutatio totius in totum nullo sensibili remanente, ut subjecto*, unde tota hæc definitio, nisi magis explicetur, potest competere transubstantiationi Eucharistiæ, ibi enim mutatur totum in totum, scilicet panis in corpus Christi, & licet accidentia panis remaneant, *non tamen ut subjectum*; *Item non explicatur* terminus a quo, & ad quem; non a quo, quia per se terminus a quo generationis non est totum præcedens, quod corrumpitur, per accidens enim est generationi terminus a quo positivus, nam si daretur materia spoliata omni forma, in quam posset ignis operari, & propriam inducere formam, æque bene exerceretur actus generationis, quia per se terminus a quo illius est privatio in materia præcedens; nec etiam explicatur terminus ad quem, quia compositum est *terminus* ad quem generationis in ratione productionis, non mutationis, nam in hoc sensu sola forma est ejus terminus ad quem ex dictis disp. 1. Phys. qu. 4. Demum per illam non magis explicatur generatio, quam corruptio, ut hic notarunt Mercen. & Zab. sed Arist. de utraque *communiter* est locutus, & ratio est, quia intentum Arist. ibi re vera non fuit definire generationem, sed mutationem ad substantiam ab alteratione distinguere, & ideo indistincte de generatione, & corruptione locutus est, nec sub definitionis forma, ut passim referri solent, verba illa protulit, sic enim ait: *Quando autem totum transmutatur non manente aliquo sensibili, ut subjecto eodem, sed ut ex genitura tota sanguis, aut ex aqua aer, aut ex aere omni aqua, generatio jam hoc tale, hujus autem corruptio*.

31 Si ergo ex illis quinque definitionibus allatis ulla debet accipi pro definitione generationis in ratione mutationis, hæc erit ultima definitio, quod scilicet est *mutatio a substantia in potentia ad substantiam in actu*, per substantiam in potentia itelligendo materiam, per substantiam in actu formam, hæc itaque magis explicabit naturam generationis, quam aliæ, quia explicatur genus cum dicitur mutatio, sermo enim est de generatione in ratione *mutationis* (*explicatur differentia*, quæ per extrema circumscribitur) talia sunt substantia potentialis, non quidem ad quodcunque, sed potentialis ad substantiam, & ad esse simpliciter; *item*, & substantia actuans ipsam, quæ est forma substantialis, & cum dicitur, est *mutatio a substantia in potentia ab substantiam in actu*, jam denotatur ordo ad terminum a quo, scilicet privationem immediate

mediate præcedentem, & sic sensus definitionis erit, quod generatio sub ratione mutationis est successio formæ substantialis in subjecto ipsius potentiali post privationem ejusdem immediate præcedentem.

Cum hæc autem ita se habeant, mirum est, cur Peripatetici fere omnes quartam definitionem arripuerint pro explicanda generationis natura, tamque anxii fuerint in ea tuenda, & non quintam, quæ adeo facilis est, ac obvia; nam re vera non apte explicat illa definitio generationem, quatenus mutatio, sed potius illi convenit, quatenus conversio, mutatio enim, & conversio in hoc differunt præcipue, quod mutatio habet pro termino a quo privationem, conversio vero habet terminum a quo positivum, non enim dici solet privatio converti in formam, non ens converti in ens, sed aqua converti in aerem, lignum in ignem, &c. unde de ratione formali conversionis est, ut notat Scot. 4. d. 11. q. 3. §. *Quantum ergo*, quod sit inter terminos positivos, quorum unus desinat esse, alter vero illi succedat in esse ex vi desitionis illius; ratio est, quia si terminus a quo non desineret esse, sed in suo esse perseveraret, non diceretur in aliud converti, ac etiam si terminus ad quem non acciperet esse, vel saltem novum modum essendi ex vi desitionis illius, non bene illud diceretur converti in istud, nec istud succedere illi, alioquin ut inquit Doct. cit. quol. 10. §. *contra ista* posset dici Sol succedere vermi corrupto, quia habet esse suum post esse vermis, licet non ex vi desitionis vermis; hic autem advertendum est ex Scot. loc. cit. ab initio conversionem aliam esse accidentalem, aliam substantialem, prima est in qua fit transitus de uno in aliud accidens, ut quando frigidum fit calidum, altera est, cum ex una substantia transitur in aliam, ut cum aqua fit aer, & hæc rursus duplex est, alia formalis, & partialis, & est quando subjecto manente de una forma substantiali fit transitus ad aliam; totalis est, quando tota entitas, sive substantia nullo subjecto communi manente transit in aliam, ut credimus in Eucharistia contingere, conversio enim, ut sic importat solam habitudinem termini abstrahendo a subjecto, ut ait Scot. cit. quæst. 5.

32 Ex his ergo colligitur, quod generatio non solum est mutatio substantialis, sed etiam substantialis conversio, quia privatio antecedens, quæ est per se terminus a quo generationis in ratione mutationis, naturali modo semper conjuncta reperitur cum forma positiva, ratione cujus generatio unius est corruptio alterius, & forma corrumpenda non dicitur absolute desinere, sed in aliam desinere; & per consequens in eam converti, & hæc illi succedere ex vi desitionis illius, quia vero in ista conversione manet commune subjectum, quia non aliter potest agens naturale unum in aliud convertere, idcirco generatio est conversio partialis, non totalis, & ideo explicans Doct. cit. 4. d. 11. q. 1. & quol. 10. ab initio, item 2. d. 1. q. 1. ab initio allatam definitionem de Generatione, quatenus conversio est, quod etiam tenet Aresius 1. de Gener. qu. 9. sect. 2. & 3. & q. 12. inquit, quod cum dicitur mutatio, seu conversio *totius in totum*, totum ibi non capitur syncathegorematice, ut scilicet idem significat, quod quælibet pars, quia in generatione manet semper altera pars, scilicet materia, sed cathegorematice, ut dicit compositum illud per se unum ex materia, & forma integratum, vere enim in generatione totum hoc modo sumptum mutatur in aliud totum, quia nova forma cum veteri materia novum constituit totum a priori specie diversum, sicut in communi modo loquendi dicere solemus per generetionem substantialem totum produci, profecto per hoc innuere nolumus, quod totum producatur, idest singulæ partes, sed solum, quod unum ens per se ex illis constitutum producitur; igitur in eodem sensu, quo dicimus per generationem totum produci, dixit quoque Arist. unum totum in aliud mutari; in alteratione vero (ait Doctor cit. 4. d. 11, q. 1.) a qua intendit Arist. generationem sejungere, non ita transit totum in totum, quia quodlibet totum per se unum, quod præcessit alterationem, manet in termino alterationis, sed tantum transit totum unum secundum quid, sive per accidens in totum aliud per accidens, ut lignum calidum in lignum frigidum, quorum neutrum est totum proprie loquendo (quia scilicet utrumque est simpliciter plura) sed tantum per accidens totum, sic ergo bene sejungit Ar. generationem ab alteratione, quia in hac non mutatur aliqua substantiæ pars, & ideo totum integrum manet, sed mutantur accidentia, quæ totum non constituunt, & hanc Scoti expositionem amplexi sunt Recentiores Peripat. Mercen. in propria dilucid. hujus definitionis, Zab. lib. de Gen. & Inter. cap. 4. Contar. q. de Gen. & Corrup. cap. 2. Arist. 1. de Gen. disp. 2. q. 9. sect. 3. & alii passim.

33 Cum vero in eadem definitione subjungitur, *nullo sensibili remanente*, *ut subjecto eodem*, non debet absolute intelligi, quia quando perit homo, remanet cadaver, scilicet corpus pro altera parte compositi, quod est sensibile, sed ita debet intelligi, quod in mutatione substantiali non manet idem subjectum sensibile in actu specifico, & completo, non enim negat Arist. quod non maneat aliquod sensibile, ut subjectum, sed negat manere subjectum sensibile sub gradu specifico, & completo, quia hoc tollit rationem generationis, cujus subjectum debet esse in potentia essentiali ad formam aliquam specificam, & ideo apposite ait Ar. *non manente sensibili*, *ut subjecto eodem*, & non absolute *ut subjecto*, ut significaret non debere manere subjectum sensibile idem, idest sub eodem gradu specifico sub utroque termino mutationis, sicut manet in alteratione, ita exponit Tatar. 1. de Gen. q. 1. dub. 1. Ruv. Mercen. & Contar. loc. cit. & fuit expositio Doctoris ubi supra, ubi ait quod hæc definitio nihil facit contra positionem de pluralitate formarum, quia quantumcunque ponatur prima forma manere in genito, & corrupto, tamen non manet totum idem, quia totum simpliciter præcedens corruptionem includebat formam ultimam specificam, illud autem non manet in termino generationis, sed tantum pars ejus. Adhuc etiam ingeniose ponderat Zab. cit. illa verba *ut subjecto eodem*, unde non negat Ar. (ait Zab.) in mutatione substantiali posse idem permanere sensibile, quia in animalis interitu remanet corpus pro altera parte, sed ait non permanere ut subjectum idem utriusque formæ, scilicet recedentis, & subsequentis, seu remanentis, sic enim idem subjectum remanere non potest, nisi sola materia prima, quæ sensibilis non est; id experimento constat in animalis interitu, ibi enim manet idem sensibile, ut diximus, sed non ut idem subjectum utriusque formæ, recedentis scilicet, & remanentis, nam prius erat quidem corpus pro altera parte subjectum animæ, at ipsa recedente non manet illud corpus, ut subjectum, sed ut totum, & sola materia remanet subjectum formæ mixti. Si vero cum aliis ly *eodem* volumus referre *sensibili*, non autem *subjecto*, ita quod sensus sit nullum sensibile idem manere, ut subjectum, tunc ly *ut* sumi debet reduplicative, & sensus erit, quod esto interdum subjectum in mutatione substantiali sit sensibile, hoc tamen ei accidit, quatenus subjectum talis mutationis, quia nullum accidens sensibile est ratio recipiendi terminum talis mutationis, & ita universaliter subjectum generationis, & est per se subjectum, non includit aliquod accidens sensibile, quia per se subjectum ejus non est nisi substantia, & per hoc bene adhuc discernitur generatio ab alteratione (quod erat intentum Ar. ibi) quia subjectum alterationis semper est sub aliquo accidente, saltem sub quantitate, per quam est in loco, quæ expositio colligitur ex Scot. 4. d. 11. q. 3. Dd. & eam subodorari videtur Achillinus 2. lib. de Elem. art. 3. quem esto impugnent Mercen. & Cont. cit. tamen si in sensu a nobis tradito accipiantur, quæ dicit Ach. illas impugnationes evadit.

34 Concludimus ergo solum quartam, & quintam definitionem suscipiendas esse ut idoneas ad explicandam generationis substantialis naturam, quartam quidem sub ratione conversionis, quintam vero sub ratione mutationis; Nec contra hoc obstat, quod obiicit Arest. cit. sect. 1. Generationem nullatenus formaliter, & in recto dici posse mutationem, quia sequeretur materiam generari, quod nullo modo dici potest, nisi velimus nominibus abuti, nam illud generari dicitur, quod acquirit esse, materia autem in omni generatione semper eadem permanet quoad propriam essentiam. Hoc non obstat, quamvis enim Conimb. q. 9. art. 2. ad 2. concedant utique generationem denominare non posse materiam, cui inhæret, sub peculiari nomine generationis, sed tantum sub communi nomine mutationis; nos tamen non adeo superstitiosi sumus, cum enim supra demonstraverimus generationem etiam sub peculiari notione generationis accipi solere a Philosophis, & sub ratione productionis, & sub ratione mutationis, non veremur dicere materiam generari sub secunda acceptione, ut diximus disp. 2. Physi. q. 8. art. 2. & materiam esse generabilem, in hoc sensu concessit Averroes 1. Phys. com. 6. Jandun. 5. Phys. q. 2. Saxon. 1. de Gen. q. 2. & alii Averroistæ; imo & Arist. ipse hac loquendi formula usus est, dum 3. Phys. 6. ait generationem esse actum generabilis, inquantum generabile, ubi per subjectum generabile intelligit materiam, & dum 5. Phys. 7. & 8. distinguit motum a mutatione per hoc, quod movetur est, quod generatur non est, ubi profecto loquitur de subjecto motus, & mutationis, non de termino, ut Doct. notat 2. d. 12. q. 1. ab initio, quia de termino motus non est verum dicere, quod sit, sicut nec generationis, dum est in generari, si ergo ait Arist. materiam, quæ est subjectum mutationis, generari, possumus absque motu sic loqui, quia sic loquitur ipse loc. cit. ac rursus 8. Met. 4. & 12. Met. 10. & alibi.

ARTICULUS III.

Corruptionis natura explanatur.

35 Quia oppositorum eadem dicitur esse disciplina, eodem fere modo vestiganda erit *in præsenti articulo corruptionis* natura, sicut in præcedenti naturam generationis indagavimus, quare cum corruptio generationi opponatur, sicut generatio considerari potest sub ratione mutationis, & sub ratione productionis, seu actionis productivæ, ita quoque corruptio suo modo considerari poterit & sub ratione mutationis, & sub ratione destructionis, seu actionis destructivæ.

Et quidem si de ipsa sit sermo in ratione mutationis, esto Zab. ab initio q. cit. dixerit realiter diversam mutationem a generatione, sed unam, & eandem, communis tamen opinio, quam docuit Scot. 1. d. 27. q. 3. §. *contra ista*, & 2. d. 1. q. 3. ad 3. princ. & 2. q. 7. in fine, tenet esse duas, non solum inter se diversas, sed etiam oppositas, ita P. Faber theo. 29. Birag. 1. de Gen. q. 3. Contar. cit. c. 3. Tolet. 1. de Gen. q. 3. Conim. q. 17. Ruv. 1. de gen. tract. 2. q. 3. Compl. disp. 3. q. 4. Jo. de S. Th. q. 2. art. 1. & alii, & probatur ex Arist. 5. Phys. 7. ubi duplicem constituit mutationem, unam de non subjecto in subjectum, idest de non esse formæ ad esse formæ, quam ait esse generationem, alteram de subjecto in non subjectum, idest de esse formæ ad non esse formæ, quam ait esse corruptionem, ergo non sunt unica mutatio, sed duæ, & hinc deducitur evidens ratio, qua probatur esse diversas mutationes, quia habent diversos omnino terminos a quo, & ad quem, nam generatio est transitus de non esse formæ ad esse formæ, atque adeo habet terminum a quo privativum, ad quem positivum; corruptio prorsus e contra se habet, ergo

ergo nequeunt eandem importare mutationem, prob. consequ. mutatio est transitus de uno in aliud, ergo ubi interveniunt diversi termini a quo, & ad quem, interveniunt distincti transitus & consequenter distinctæ mutationes. Resp. Zab. cit. hoc totum solum inferre distinctionem rationis, non realem inter generationem, & corruptioaem. Contra, quia hoc repugnat Arist. cit. ubi inter species mutationis quas ibi assignat, de non subjecto in subjectum, de subjecto in non subjectum, & de subjecto in subjectum, majorem utique distinctionem agnoscit, quam rationis, ut ex contextu liquet; repugnat etiam rationi, quia mutationes, quæ distinctos realiter habent terminos, & absolute possunt ab invicem separari, sunt realiter distinctæ, sed generatio, & corruptio sunt hujusmodi, quod enim habeant distinctos realiter terminos, patet ex modo dictis, quod etiam possint ab invicem separari, *constat in multis accidentalibus mutationibus*, & forte etiam evenit in quibusdam substantialibus, ut infra dicemus, ergo &c.

36 Resp. alii, non posse, nec debere corruptionem constitui distinctam realiter mutationem a generatione, quia ipsa in se non est vera, & realis mutatio, sed privatio dumtaxat actionis, & concursus, quo forma præcedens conservabatur in materia. Contra, si per hoc, quod ajunt corruptionem non esse veram, & realem mutationem, intelligunt non esse mutationem positivam, optime discurrunt, quia re vera per ipsam nihil ponitur, sed tollitur, & destruitur, si vero intelligunt non esse veram, & realem mutationem, idest vere a parte rei inventam, & quæ vere exerceatur in materia, & non per opus intellectus tantum, toto aberrant Cœlo, nam a parte rei *non solum aliter se habet subjectum* in unc, quam prius, cum acquirit formam, quam prius non habebat, ut cum aer illuminatur, sed etiam cum deperdit eam, quam prius habet, ut cum amittit lucem; tum quia carentia formæ in facto esse, quæ dicitur privatio datur a parte rei, esto non ut quid reale positivum, vere enim nullo considerante intellectu invenitur cæcitas in oculo, tenebra in aere, ex dictis in Phys. dip. 4. q. 1. art. 1. ergo a parte rei inveniri debet corruptio, quæ aliud non est, quam via ad privationem formæ, seu est ipsa privatio in fieri; sicut ergo datur privatio a parte rei, & dicitur realis præfato modo, ita dari debet corruptio, & debet eodem modo dici mutatio vera, & realis; & sicut privatio dicitur realiter distingui a materia, & forma distinctione reali negativa per modum remotionis entis ex dictis loc. cit. in Phys. art. 3. eodem quoque genere realis distinctionis corruptio a generatione distinguenda erit, si enim ex hoc, quia corruptio non est mutatio positiva, dici non posset rite a generatione realiter distingui, eadem quoque ratione non posset rite dici esse realiter idem cum ea, ut loquuntur contrarii, quia quod est nihil, non potest esse formaliter, aut realiter idem cum eo, quod est verum, & reale ens, alias ens, & non ens essent idem.

37 At obiiciunt præsertim Zab. Tum quia definitio, quam tradidit Ar. 1. de Gen. 23. *est mutatio totius in totum &c.* communis est generationi, & corruptioni, ut constat ex littera, & nos supra diximus, cum ergo eandem habent definitionem, una, & eadem erunt mutatio. Tum 2. si ignis agens in aquam mutet eam in aerem, erit aquæ *interitus*, & aeris generatio, & tamen erit unica mutatio, quia est facta ab uno, & eodem agente, & per unam, & eandem actionem, ab uno autem quatenus unum, non provenit nisi unum. Tum 3. omnis motus, & mutatio est a termino ad terminum, nec fieri potest, ut aliqua sit mutatio, quæ duobus terminis concluſa non sit, neque per hoc stat, quin unus sit transitus ab hoc termino ad illum, qui simul dicatur unius termini amissio, & alterius acquisitio. Tum 4. hoc manifestum est in motu locali, qui unus, & idem numero dicitur accessus ad unum terminum, & recessus ab alio, ut dum lapis de turri ad ima descendit, & sic etiam in alteratione eadem numero calefactio est corruptio frigidi, & generatio calidi, ergo sic etiam in proposito eadem erit mutatio substantialis accessus unius formæ, & recessus alterius. Tum demum, quia Arist. 1. de Gen. 17. ait generationem unius esse corruptio nem alterius, quod sane nequit concomitanter tantum intelligi, ut communis est expositio, quia sola *concomitantia* efficere nequit, ut unum prædicetur de alio præsertim abstracto, non enim dicimus albedinem esse dulcedinem, quamvis in eodem lacte se comitentur, ergo &c.

Ad 1. constat ex dictis art. præc. per eam definionem non sigillatim exprimi generationem, vel corruptionem, sed conversionem, quæ in sua ratione formali duas involvit mutationes, unam negativam, qua subjectum amittit formam, quam habebat, alteram positivam, qua acquirit novam, unde definitio illa solum explicat rationem subalternam utrique communem, quæ poterit ad singulas contrahi addendo *ad esse*, vel *non ad esse*. Ad 2. neg. assumptum, ad probationem propositio illa esto dissimulari posset, velut non universaliter vera, ut bene notat Doctor 4. d. 1. q. 1. Bb placet in præsenti eam admittere in effectibus primariis, & immediatis, & ex primaria intentione agentis procedentibus, non autem in secundariis, & per accidens; qualis est in proposito aquæ destructio, ut magis declarabitur in fine articuli. Ad 3. Fatemur ultro etiam nos duos sufficere terminos cuilibet mutationi, sed in proposito sistendo in exemplo ab ipso allato de corruptione aquæ, & generatione aeris, non interveniunt tantum duo termini, sed quatuor, scilicet esse aquæ, non esse aquæ, non esse aeris, & esse aeris, unde ex hoc argumento potius infertur mutationum illarum pluralitas, quam unitas, ut notat Faber; quod si per terminos unius mutationis accipit Zab. esse aquæ, & esse aeris, illum nempe pro termino a quo, hoc vero pro termino ad quem, decipitur, quia mutatio inter terminos positivos non versatur, ut docuit Arist. 5. Phys. 7.

38 Ad 4. dici posset disparem esse rationem de motu, & mutatione, quia motus exigit terminos positivos, non ita mutatio, hac ratione Averr. q. 26. sect. 10. esto nobiscum teneat in substantiis corruptionem unius non esse formaliter generationem alterius, negat tamen hoc in accidentibns, eo quia tenet motum a frigore in calorem esse unum omnino motum, non duas mutationes, & idem repetit q. 37. sect. 7. Verum esto id sufficiat pro solutione argumenti, tamen quantum ad rem in se spectat, asserendum est, nec etiam in motu propositionem illam verificari formaliter, & ita colligitur ex Scot. loc. cit. & etim in 4. d. 10. q. 1. §. *quantum ergo*, & q. 2. O. ubi habet, quod in quolibet motu, & mutatione termini primi & per se sunt forma, & privatio licet concomitanter, & per accidens possint esse duæ formæ probat id Doct., quia absolute loquendo etiam in motu locali potest dari motus acquisitivus sine deperditivo, & e contra, licet regulariter non ita contingat, ex hypothesi nimirum, quod corpus id ponatur a Deo in pluribus locis, & ex uno loco ad alium moveatur absque deperditione prioris, & rursus istum deferendo redeat ad priorem, ergo quamvis modo motus acquisitivus, & deperditivus semper conjuncti reperiantur, asserere tamen non debemus unum omnino esse motum, cum possint saltem per divinam potentiam separari; quid autem velit Arist. 5. Phys. cum ait motum inter extrema positiva versari diximus disp. 15. Phys. q. 6. art. 2. Ad ult. prædicatio illa in abstracto non tam fundatur in concomitantia, & connexione harum mutationum, quam in unitate actionis, quam *important*, quia ut *mox dicemus*, corruptio non est actio distincta a generatione, sed eadem actio formaliter generativa est virtualiter corruptiva ratione termini generari, ut incompossibilis cum forma opposita; fatendum tamen est adhuc majorem, ac universaliorem connexionem reperiri inter generationem, & corruptionem, quam inter dulcedinem, & albedinem, quia multa sunt alba, quæ dulcia non sunt; neque propositionem illam ita in rigore sumi debere in abstracto, ut fit per se, quia prædicatum per se conveniens subjecto potest ei tribui cum reduplicatione, in proposito autem profecto dicecere non licet, generatio, ut sic, est corruptio, sed solum per accidens, quatenus regulariter illam habet conjunctam; Notat tamen Aresius 1. de Gen. qu. 12. sect. 2. quod si mutatio sumatur pro conversione, ita defendi potest opinio Zabar. quia conversio comprehendit, tanquam partes, generationem, & interitum, cum unica conversio includat duas mutationes, ut diximus.

39 Dicimus deinde, quod loquendo de corruptione in ratione destructionis, ut scilicet opponitur generationi sub ratione productionis, non est peculiaris actio distincta a generatione, quæ fit per se destructiva rei, quæ corrumpitur; Conclusio hæc est contra Fabrum, & Birag. loc. cit. ubi in fol. ad 1. Zab. asserunt corruptionem non solum mutationem distinctam a generatione importare, sed etiam actionem distinctam; est tamen Scot. loc. infra citand. quam tenent Suar. disp. 18. Met. sect. 11. Conimb. 1. de Gen. q. 17. art. 5. Compl. ibid. disp. 3. q. 1. Aresius disp. 2. q. 21. Averr. q. 37. sect. 4. Jo: de S. Tho. q. 2. art. 1. & alii passim, & probatur, tum quia per omnem actionem agens aliquid facit, idemque est agere, quod producere, loquendo de actione proprie dicta, *ergo secundum hanc formalitatem debet* attingere semper quid factum, repugnat ergo talis actio, quæ per se sit corruptio, & petat nil attingere; tum quia actio importat influxum agentis, at influxus terminatur ad aliquid, *non* ad nihil, imo implicat agens influere non esse, quia influere est ponere, non tollere; tum quia Deus non annihilat efficiendo, sed subtrahendo concursum, ut docet Doct. 4. d. 11. q. 4. in fine, ergo sic etiam agens naturale corrumpendo id non efficit per peculiarem actionem a generatione distinctam. Si dicas esse actionem veram, & realem, non quidem positivam, sed negativam, eo modo, quo nuper dicebamus esse mutationem veram, & realem a generatione distinctam, non quidem positivam, sed privativam, hoc facile reiicitur, quia iste loquendi modus acquivalet *illi*, quo aliqui utuntur appellantes privationem ens, verum, & realem privativum, quam fatuitatem refellimus disp. 4. Phys. q. 1. art. 1. quia ens reale dicit entitatem positivam in suo conceptu formali, per quem *primo distinguitur* a non ente, & ab ente rationis, & ideo implicat in adjecto dicere ens reale privativum; idem contingit in proposito, quia actio realis in suo conceptu formali dicit influxum positivum, & perit terminum realem per ipsam productum, ergo implicat in adjecto admittere actionem realem negativam; ex quo patet non valere paritatem de mutatione assumptam, quia mutatio realis, ut sic, seu inventa a parte rei non includit in suo conceptu quid positivum, ita enim re vera mutatur, & aliter se habet nunc, quam prius subjectum, cum amittit formam, quam prius habebat, sicut cum acquirit, quam prius non habebat, unde & in sua communitate dividi solet in acquisitivam, ac deperditivam, non sic actio; concludendum itaque est, quod sicut natura in agendo, & *operando non intendit* per se res destruere, *sed* efficere, & producere, & inde per accidens solum, ac præter intentum sequitur alterius rei interitus, ita non per se instituit peculiarem actionem destructioni rerum *inservientem*, sed eadem actione, qua rem per se generat, aliam quoque destruit per accidens, & secundario, quia cum per adventum formæ sequentis expellatur forma præcedens, jam eadem realiter actione, qua introducitur una forma, destruitur alia.

40 Sed adhuc remanet explicandum, in quo sensu intelligendum

dum sit actionem generativam unius rei attingere ex consequenti, & secundario destructionem alterius, si enim hoc ita intelligatur; ut communis videtur sensus, quod destructio rei tribuatur actioni generativæ, velut effectus mediatus, & secundarius, profecto redit eadem difficultas ex integro, ex hoc enim quod actio nil causet, nisi influendo, & ponendo in esse, plane deducitur, nec immediate, nec mediate, nec primario, nec secundario attingere desitionem rei, ratio est, quia attingentia actionis, sive attingat primario, sive secundario, semper est actus efficientiæ, omne autem quod efficientia attingit, dando esse attingit, non tollendo, imo ubi non dat esse, signum est ejus attingentiam non pervenire; Cum ergo dicimus, actionem generativam unius rei esse ex consequenti corruptivam alterius, id non est intelligendum formaliter, quasi una, & eadem actione attingat agens prius, & principaliter unum terminum, & continuando deinceps eandem actionem alium terminum attingat minus principalem, & veluti sub priori contentum, eo modo, quo producens formam dicitur etiam eadem actione secundario producere consequentia formam, non itaque hoc sensu res intelligenda venit, quasi producta forma adhuc eadem actio ulterius protendatur ad corruumpendam priorem formam, quia ad destruendum nullus formaliter exigitur influxus; sed ita intelligendum est, ut actio generativa unius sit virtualiter solum corruptiva alterius, mediante nimirum forma per ipsam producta, quæ formaliter incompossibilis est cum veteri forma, sic enim optime devitatur propositа difficultas, quia producta forma in materia cessat influxus agentis, & mediante informatione novæ formæ expellitur vetus, & resultat in materia privatio ejus, ita quod generans per suam actionem intantum corrumpere dicitur formam veterem, quatenus inducit novam ei incompossibilem, quod plane est illam destruere non efficientia formali, sed tantum virtuali, ita disertis verbis totam hanc rem explicuit Doct. 4. d. 12. q. 3. X. & d. 16. q. 1. §. *respondeo*, ubi inquit quod agens potens effective super esse unius formæ, potest defective super non esse alterius ob incompossibilitatem illarum formarum, quam propositionem frequenter repetit alibi; hæc est vera intelligentia positæ conclusionis, quam nemo Recentiorum attigit præter Jo: de S. Thom. cit.

41 Adversus tamen adhuc non desunt difficultates, tum quia generatio unius formæ, & alterius corruptio possunt realiter separari, ut supra dictum est, & cernitur passim in generatione, vel corruptione accidentium, quæ contrarium non habent, ergo saltem in tali casu corruptio rei contingit per actionem a generatione distinctam. Tum quia etiam cum sunt connexæ, habent terminos valde diversos, terminus enim generationis est esse formæ, quæ producitur, terminus corruptionis est non esse formæ, quæ destruitur, ergo corruptio debet importare distinctam actionem a generatione, quia actiones distinguntur per terminos, & hæ duæ rationes convincere videntur, quia per eas probabamus in præced. conclusione generationem, & corruptionem distinctam dicere mutationem, tum ex earum separatione, tum ex diversitate terminorum utriusque; si ergo ex hoc capite diversas important mutationes, diversas quoque debent dicere actiones.

Resp. in tali casu corruptionem formæ, ut extinctionem luminis in aere, per nullam actionem positivam exerceri, sed per solam ablationem, cessationemve influxus conservativi illius formæ, eo modo, quo Deus universum annihilaret sola cessatione influxus, quo ipsum modo conservat. Ad aliud concedimus diversos terminos diversas arguere actiones, quando sunt termini idonei & actionis capaces, terminus negativus, ut est non esse formæ, non est idoneus terminus actionis, cujus proprium munus est efficere, & ponere, non tollere, & destruere, itaque patet, quomodo illæ rationes bene probent corruptionem dicere distinctam mutationem a generatione, quia sola privatio sufficit ad terminandam veram mutationem, & ad denominandum subjectum vere a parte rei aliter se habere nunc, quam prius, non autem ad terminandam vere actionem, & ad denominandum agens vere, & realiter agens, ut constat ex dictis in probatione conclusionis.

42 Ex dictis liquido constat, quid sit corruptio tam sub ratione mutationis, quam destructivæ actionis (eo modo, quo potest actio appellari) nam sub ratione mutationis *est transitus materiæ ab esse formæ in ipsa materia*, seu, ut ex Sco o colligirur 4. d. 11. q. 1. D. est successio non esse formæ in materia post esse ipsius immediate præcedens, idest mutatio subjecti de esse formæ, in qua definitione optime explicatur genus, & differentia, genus enim est transitus, successio, seu mutatio, quia in hoc convenit cum generatione; neque audiendus est Ruvius negans mutationem in hac definitione non esse verum genus, eo quia corruptio non est mutatio positiva, sed deperditiva, & privativa, & consequenter cum positivo, & privativo nihil sit commune univocum, non poterit mutatio tanquam genus corruptioni convenire. Hoc prorsus falsum est, tum quia esse successionem termini ad quem posterioris post terminum a quo priorem in subjecto tam essentialiter de generatione dicitur, quam de corruptione; tum quia ita vere mutatur subjectum, cum amittit formam veterem, sicut cum novam acquirit, tum tandem quia mutatio, ut sic, non dicit conceptum necessario positivum, sed a positivo, & privativo præscindit, ut diximus, ergo poterit ut commune genus generationi, & corruptioni competere; quo autem sensu positivo, & privativo queat, vel nequeat esse quid commune univocum, jam diximus disput. 1. Phys. q. 1.

43 Hæc etiam eadem particula, per quam corruptio convenit cum generatione scilicet *successio in subjecto* secernit eam absnihilatione, quia annihilatio quoque est successio non esse rei, sed est successio extra subjectum, unde Doct. 4. d. 11. q. 4. cit. §. *ad quæstionem*, & quol. 10. art. 3. ex duplici capite corruptionem ab annihilatione distinguit, unum est, quia aliquid corrupti manet, scilicet materia, nam quamvis tota aqua v. g. in aerem convertatur, sicque corrumpatur per separationem suæ formæ a materia, tamen materia prima, quæ erat pars ejus, manet sub forma aeris, ad annihilationem vero requiritur, quod non solum totum cathegorematice destruatur, sed etiam sincathegorematice, idest desinat secundum totum, & quamlibet sui partem; sed hæc licet sit sufficiens, non tamen est præcisa causa annihilationis, alioquin forma, dum desinit in materia, annihilaretur, quia nil ejus remanet, idcirco subjungit Doctor aliud caput ex priori derivans, ob quod corruptio non est annihilatio, quia nimirum negatio terminans eam est in subjecto apto nato, verequе est privatio, ut in præfato exemplo, cum aqua corrumpitur in aerem, corruptio terminatur ad non esse aquæ, quæ negatio non est extra omne genus entis, sed in subjecto apto nato scilicet in materia; & ex hoc capite desitio formæ non est annihilatio, etiamsi nihil ejus maneat, quia negatio ejus manet in subjecto apto nato, quæ est privatio, & non negatio extra genus, quare sicut in creatione nihil, quod est terminus a quo, negat partem, & subjectum rei creandæ, *ita in annihilatione nihil*, quod est terminus ad quem, utrumque negare debet.

Aliam causam *solent* addere præsertim Thomistæ, cur corruptio *non* fit annihilatio, quia nimirum eam concomitatur generatio, eo enim ipso quod desitioni rei adjungitur terminus positivus, cessat esse annihilatio, quia res desinens in tali casu non desinit in nihilum, unde terminum annihilationis dicunt esse nihil, non solum quia desinit totaliter ipsa res, quæ destruitur, sed etiam quia nullus terminus positivus illi adjungitur, qui de novo fiat, in quem desinat ipsa rei destructio; & hæc positio probari potest, quia terminus annihilationis, ut diximus, est negatio extra genus, at eo ipso quod desitioni rei succedit terminus positivus de novo factus, jam negatio terminans desitionem illam non est negatio extra genus, sed in genere, esto enim non esset negatio in apto nato scilicet in materia, est saltem negatio in disparato, scilicet in re de novo facta, quod sufficit, ne sit negatio extra genus; hac de causa, inquiunt, in Eucharistia panem non annihilari, licet totus destruatur, & desinat esse, quia scilicet non desinit in nihilum, sed in corpus Christi, & negatio esse panis terminat ejus desitionem, si non in subjecto apto, saltem in disparato, scilicet in corpore Christi, & ita est destructio panis per conversionem, non per annihilationem; ita Jo. de S. Tho. q. 2. art. 1. cum cæteris Thomistis in materia de Eucharistia.

44 Doct. loc. cit. hunc dicendi modum *omnino* non approbat, imo contra eum sic arguit, ratio per se alicujus non variatur ex aliquo concurrente per accidens cum eo, sed per accidens est, quod corruptioni conjungatur generatio, & in universum quod desitioni rei succedat ejus loco terminus positivus, quia per se, & absolute loquendo habetur integer conceptus corruptionis, & desitionis rei absque successione termini positivi, nam si hunc respiceret, velut per se terminum, tunc esset mutatio positiva, non privativa, cum ergo mutatio quælibet judicari debeat ex per se terminis ejus, non ex concomitantibus, & per accidens, consequenter est dicendum desitionem rei, si est totalis, etiam si succedat illi terminus positivus, adhuc rationem annihilationis non subterfugere, sicut e contra, cum est partialis non subterfugit rationem corruptionis, etiamsi succedat generatio, & ratio hujus est allata, quia nimirum hoc positivum succedens non est per se terminus illius desitionis, sed per se terminus est negatio, vel privatio, quæ nihilominus haberetur sine successione illius positivi, unde etiam negatio in disparato accidit desitioni rei, nec est per se terminus ejus, ut sic. Cum vero dicebatur annihilationem esse desitionem rei in nihilum, non desinere autem rem in nihilum, cum aliquid ei succedit; respondemus, quod adhuc per se desinit in nihilum, & solum per accidens in aliquid, quia ut diximus, per se terminus desitionis semper est nihil, nunquam aliquid. Quamvis ergo non bene diceretur panis in Eucharistia annihilari, quia convertitur in corpus Christi, desitio tamen panis secundum se considerata in ordine ad suum per se terminum bene dici potest annihilatio, quia corpus Christi non est per se terminus illius desitionis, sed totius Eucharistiæ conversionis, quæ duas involvit mutationes, unam negativam, scilicet desitionem panis, alteram positivam, scilicet successionem corporis Christi sub illis speciebus. Imo licet non sit in usu, nec bene sonet dicere, quod panis annihiletur, quia sic absolute loquendo videtur negari conversio, tamen de rigore sermonis possemus ita loqui etiam conversione non obstante, ratio est, quia in conversionibus naturalibus, dum v. g. aqua convertitur in aerem, adhuc non obstante tali conversione partiali, nedum desitio aquæ dicitur corruptio, sed etiam cum omni proprietate dicitur aqua corrumpi; neque hic loquendi modus excludit ejus conversionem in aerem, ergo sic in proposito dum panis convertitur in corpus Christi, adhuc non obstante tali conversione totali, nedum desitio panis bene dicitur annihilatio, sed etiam cum omni proprietate diceretur anuihilari, quia hic loquendi modus non excludit ejus conversionem in Corpus Christi, & huuc loquendi modum in rigore Metaphysico admitti Hurt. hic disp. 1. sect. 8. §. 86.

45 Denique cum corruptio dicitur mutatio *de esse ad non esse* distinguitur per hoc a generatione, esto enim conveniant in communi subjecto, per quod ambæ differunt a creatione, & annihilatione, tamen inter se distinguuntur penes terminns a quo, & a quem;

quem; si vero corruptio consideretur sub ratione actionis destructivæ, tunc definienda erit, quod sit destructio compositi substantialis remanente materia, seu resolutio compositi in materia, & ratio est, quia sicut solum compositum ponebatur ex Philosopho proprius generationis terminus in ratione productionis, sic modo e contra terminus ad quem corruptionis in ratione destructionis erit non esse compositi, & sicut forma non proprie dicebatur generari, sed educi de potentia materiæ, sic in proposito neque dicetur corrumpi, cum desinit in materia, sed potius reduci in potentiam materiæ, unde extracta fuerat, egestate tamen vocabulorum dicimus & ipsam corrumpi in communi modo loquendi.

46 Quæres, an corruptio sit naturalis, & per se a natura intenta? Quamvis hoc dubium sit facilis resolutionis, Recentiores tamen quamplures inutili verbositate, ac terminorum varietate rem implicant; hic non accipitur naturale, ut a supernaturali contradistinguitur, vel artificiali, sic enim de se constat corruptionem esse naturalem, sed sumitur præsertim, ut opponitur violento, quod est contra naturam; & ut quæsitum resolvamus, duplex natura distinguenda est cum Doct. 4. d. 49. q. 13. ad 3. princ. universalis, & particularis, procurat illa bonum totius universi, ut sic, ista vero bonum rerum particularium, & cum utraque sit principium naturalitatis, ut ait ibi Doctor, duplex quoque admittenda erit violentia, scilicet contra unam, vel alteram naturam. Si loquamur de natura universali, dubio procul corruptio est naturalis, non violenta, tum quia natura universalis per se inclinat in varias rerum generationes, & consequenter in varias corruptiones ex illis consecutas, tum quia corruptio conformis est ejus legibus, non secus ac generatio, quibus sancitum est, ut in hoc mundo sublunari, quæ generantur, tandem intereant, imo hac ratione poterit, ac debebit dici per se intenta a natura, non quidem per se primo, quia non expetitur, ut finis, & ratione sui, sed secundario, & quasi per accidens, quatenus scilicet conducit ad generationem, nullam enim corruptionem moliretur natura, nisi novis deserviret generationibus, quibus species rerum sublunarium perpetuantur. Potest autem bene in hoc sensu corruptio esse saltem secundario, & per accidens objectum intentionis, quia licet secundum se considerata sit malum, tamen prout prædicto modo conducit ad bonum universi, ad novas nempe generationes, sic aliquo modo inducit rationem boni, unde in hoc sensu bene cadere potest sub intentione, seu inclinatione naturæ universalis per se secundario, vel saltem per accidens, magis tamen placet dicere per se secundario, quam per accidens, quia certum est, naturam universalem magis intendere rerum corruptiones, ut novæ in lucem prodeant, quam intendat natura particularis, quia ad eam spectat universi pulchritudinem fovere, consistentem in specierum, ac individuorum varietate, & multitudine, quæ profecto individuorum varietas non habetur, nisi beneficio corruptionis aliorum, nam nisi vetera interirent, nova non emergerent, cum ergo corruptio a natura particulari non nisi mere per accidens intendatur, quia ut ait Doct. 2. d. 1. q. 3. ad 3. nullum agens naturale per se intendit corrumpere aliquid, sed solum per accidens corrumpit illud, quod est incompossibile generato, quod per se intendit, unde ignis cum producit ignem, corrumpit quidem lignum, non quia per se illius corruptionem intendat, sed ut removeat formam oppositam, quæ impedit productionem ignis, hinc dicendum est, naturam universalem aliquo modo per se, nempe secundario, rerum corruptionem intendere, licet enim hæc sit malum hujus, vel illius particularis individui, redundat tamen in bonum universi, quod natura universalis procurare, & fovere tenetur; quod bene notarunt Compl. cit. disp. 3. q. 3.

47 Si vero de natura particulari sit sermo, tunc rursus de naturali distinguendum est cum Conimb. cap. 4. q. 16. art. 3. quod primo sumi potest pro eo, ad quod res, ut ad suam perfectionem propendet, deinde pro eo, quod sequitur naturam, & conditionem ejus, utcumque se se ad illam habeat, sive naturali id appetitui repugnet, sive non; quo sensu opponitur ei, quod præter naturæ conditionem est, si naturale hoc secundo modo sumatur, est apud omnes in confesso corruptionem esse naturalem respectu formæ corruptibilis, respectu materiæ, ac tandem compositi ex illis, forma enim non indissolubili nexu materiæ unita est, quia ejus informatio pendet præsertim a certis dispositionibus, quibus amissis forma conservari amplius nequit; materia vero licet in se sit incorruptibilis, ea tamen ratione, qua est subjectum ortus, & interitus, dicere possumus corruptionem sub ratione mutationis sequi naturam ejus, non tamen sub ratione destructionis, compositо tandem adhuc potiori jure poterit corruptio dici naturulis in hoc sensu, quia eo ipso, quod ex materia, & forma constat, jam ex suis principiis intrinsecis est interitui obnoxium, cum materia sit radix corruptionis ex dictis disp. 2. Phys. q. 8. art. 3. At sumendo naturale primo modo omnes e contra consentiunt corruptionem non esse naturalem formæ, & compositо, sed tantum materiæ, ratio primi est, quia corruptio tendit per se ad non esse formæ in materia, quod est esse compositi, sed nihil inclinatur ad proprium non esse, sed potius appetit naturaliter esse, & sui conservationem, qua ratione Arist. 1. de Cœlo tex. 37. senectutem, aliasque hujusmodi affectiones, quæ ad perniciem tendunt, ac interitum, vocat contra naturam. Ratio secundi est, quia materia ut commune subjectum inclinatur ad recipiendam quamlibet mutationem, ut ad proprium actum, & perfectionem, & sic etiam ad corruptionem, quæ mutatio quædam est, tum quia materia appetit formas omnes, & quas non habet, possidere nequit, nisi interveniente corruptione illius, quam habet, unde consequenter appetit corruptionem ipsam; ita Conimb. & Compl. citat. Ruvius tractat. 2. quæstione 1. & alii passim.

Hic tamen advertas, corruptionem, nec etiam respectu materiæ posse proprie, & per se dici naturalem hoc modo, sed tantum per accidens, ratio est, quia utique materia secundum se habet inclinationem indeterminatam ad quamcunque formam, non tamen ad non esse formæ, nam licet sit in potentia contradictionis ad esse, & non esse, non tamen utrumque respicit æque naturaliter eo modo, quo voluntas respicit actum, & suspensionem ejus, ideoque si materia esset sine omni forma, jam esset aliquo modo in statu violento, quia careret propria perfectione, quæ est forma substantialis: voluntas vero, si foret sine omni actu, non esset in statu violento, quia cum sit potentia libera, respicit & actum, & suspensionem actus, & inclinata est ad utrumque tanquam ad proprium exercitium suæ liberæ potestatis, intantum ergo corruptio potest dici naturalis materiæ in hoc sensu, quatenus mediante corruptione tendit in formam, ad quam naturaliter inclinatur.

Contra ea, quæ diximus supra n. 42. de univocatione mutationis ad acquisitivam, & deperditivam faciunt, quæ nuper scripsit Pont. append. n. 207. contra aliud nostrum consimile assertum disp. p. Phys. q. 1. concl. 2. de univocatione materiæ, formæ, & privationis in ratione principii, atque ideo non erit abs re hic ea referre, & solvere; itaque contra illud assertum sic urgebat disp. 2. Phys. nu. 17. si principia convenirent univoce, ratio communis, in qua convenirent, vel esset ens, vel esset non ens; si esset ens, privatio esset ens, quod est absurdum, si esset non ens, materia, & forma esset non ens. Ad hoc argumentum, quod est tritissimum apud omnes, respondimus disp. 4. Phys. nu. 29. non esse de ratione principii quod importet relationem proprie realem, & positivum influxum, sed satis esse, quod ad ipsum habeat principiatum necessarium, & per se habitudinem; cum ergo quæritur, num ratio illa communis principii sit realis, & importet aliquid reale, dicimus sicut Doctor in simili p. d. 30. q. 2. in fine, quod si realitas, ac entitas accipiantur, ut important positivum quid, & vere ens, ratio communis principii non importat quid reale; si vero accipiantur ut excludunt fictionem intellectus, & quicquid habet esse per solam ejus negationem, sic ratio principii, ut sic, importat quid reale.

Quæritur Pontius n. 208. quod hanc doctrinam non applicaverimus ad formam argumenti aut declinandum illud, quamobrem ad ostendendam responsionis insufficientiam sic denuo replicat; illa ratio principii, ut sic, in qua conveniunt univoce tria principia, aut est ens positivum, & reale proprie dictum quod opponitur tam enti rationis, quam enti negativo, seu negationi; aut est non tale, aut est quid abstractum ab ente reali, & non ente tali, aut est ens tale, & non ens tale, neque enim datur inter hæc medium etiam in apprehensione, si est ens positivum, ergo privatio, in qua includitur, erit ens positivum, quod implicat; si est non ens positivum, ergo materia, in qua includitur, est non ens positivum; & ergo non ens positivum potest contrahi per aliquod positivum, quorum utrumque æque implicat, ac primum; si est utrumque simul, præterquam quod implicet aliquod unum esse ens positivum, & non ens positivum, adhuc sequeretur, quod utrumque prædicaretur de materia, & de forma, & de privatione, quod etiam implicat; si est quid abstractum; ergo ab ente positivo, & non ente positivo potest abstrahi aliquis unus conceptus univocus, quod æquæ saltem implicat, ac abstrahi posse aliquem conceptum unum ab ente reali & ente rationis, quod non credo Mastrium fieri posse dicturum in suæ, quam pollicetur, metaphysica, quia impossibile est concipere, aut explicare quisnam esset ille conceptus, ad quod tendit mea secunda confirmatio.

Quoniam jam allata responsione Pontius non est contentus, quia ea doctrina ad formam argumenti non est applicata, ut ei rem gratam faciamus, ostendemus fuisse ad formam satis applicatam, & aliquid aliud addemus, itaque in primis advertimus Pontium in illo primo suo argumento, dum infert tanquam absurdum, quod privatio esset ens, manifeste sibi contradicere disp. 5, Phys. n. p. ubi proponens dubium, an privatio possit dici ens reale privativum, respondet, quod si intelligatur per ens reale privativum aliquid, quod non est ens rationis, nec ens reale positivum, melius dicitur, quod sit ens reale privativum, imo potest dici absolute, & simpliciter ens reale, quatenus ens reale opponitur enti rationis; hæc ibi; si ergo concedit privationem posse dici simpliciter, & absolute ens reale, quomodo in illo suo primo argumento infert, tanquam absurdum, quod privatio esset ens, imo si verum est, quod ipse habet disp. 18. de ente, ut sic n. 6. privatio secundum ipsum, nedum poterit dici ens reale simpliciter, sed etiam ens reale *positivum*, inquit enim ibi, quod ens directe, & immediate *oppositum* enti rationis est ens reale *positivum*; si ergo privatio dici potest ens reale, quatenus *ens reale* opponitur enti rationis, ut habet disp. cit. 5. Phys. nu. p. sequitur posse dici ens reale positivum secundum ejus mirabilem doctrinam.

Nunc ostendamus doctrinam responsionis jam pridem allatæ ad formam argumenti fuisse applicatam; si principia conveniunt univoce, ratio communis, in qua conveniunt, vel est ens, vel est non ens; jam in præfata responsione distinximus, quod si entitas, & realitas accipiantur, ut important *positivum* quid, & vere ens, ratio communis principiis ens, & *quid reale* hoc modo importat; si vero accipiantur, ut *excludunt fictionem* intellectus, & quicquid habet esse per *solam negationem* intellectus (refero eadem verba *responsionis illius*, ut quisque videat doctrinam illam esse *applicatam* per distinctionem ad formam argumenti) sic importat quid reale, & est conceptus realis, quatenus non habet esse per *solam* intellectus operationem,

sed

sed vere exprimit id, quod est a parte rei, quo sensu dicere solemus (ait Doct. loc. cit.) hæc propositio, *homo est asinus*, est realiter falsa, non quod ly *realiter* importet in falsitate formalitatem realem, & positivam, sed quatenus idem sonat, quod vere falsa, ecce *responsum in forma*; quid ergo clamitat arguens? ex quo deinde patet, quid sit dicendum ad consequentiam illatam ex illo antecedenti; cum enim infertur, si esset ens, privatio esset ens, quod est absurdum; esset ens primo modo, quod est esse vere ens, negatur esse ens secundo modo, quo pacto dicitur ens quicquid habet esse, vel reperitur in rerum natura præter fictionem intellectus, qualecunque sit illud esse sive positivum, seu negativum, & sic conceditur absque ulla absurditate.

Ut autem adhuc magis pateat hoc argumentum non esse bene propositum, neque concludere intentum, est advertendum, nec materiam, nec formam, nec privationem esse essentialiter principia, seu non includere essentialiter rationem principii, quia ratio principii consistit in respectu principii ad principiatum, & clarum est præsertim in Schola nostra nullum respectum esse de essentia absoluti, quales sunt materia, & forma, tum quia mere illis accidit, quod hanc, vel illam mutationem principient; Quod si dicas, rationem principii saltem fundamentaliter sumptam illis intrinsece, & essentialiter convenire; hoc frivolum est, quia ratio principii in hoc sensu in materia v. g. & forma non importat, nisi entitates earum absolutas, & est, ac si diceremus essentiam materiæ esse de essentia materiæ, unde notat Scot. 4. d. 43. q. 3. H. quod cum quæritur, an potentia sit de essentia materiæ, non quæritur de potentia fundamentaliter sumpta, quia hoc modo sumpta est ipsa essentia materiæ. Cum ergo quæritur, an ratio principii univoce conveniat materiæ, formæ, & privationi, non est quæstio de illis secundum suas entitates consideratis, sed consideratis sub ratione principii, seu quatenus principia sunt; & sensus est, an ratio principii in communi univoce conveniat influxibus, seu rationibus principiandi, quas exercent materia, forma, & privatio physica mutatione.

Hoc prænotato jam constat argumentum illud non bene concludere, nam quamvis concederetur rationem Principii in communi, in qua conveniunt materia, forma, & privatio sub ratione principiorum, non esse ens, vel non ens, non hinc sequitur materiam, & formam esse essentialiter non ens, quia ratio principii non illis convenit essentialiter, sed accidentaliter, & est prædicatum illis univocum (ut phrasi utamur Scotica) non tamen univoce dictum, sicut est album respectu nivis, & Cygni; non est autem inconveniens aliquam privationem vel negationem de aliquo positivo dici accidentaliter, sicut ær dicitur tenebrosus, homo non albus, &c. Hoc eodem vitio laborat replica, quam fecit arguens in appendice, ut patet discurrenti per illam; præterquamquod argumentum illud absolute sumptum non bene probat dari conceptum præcisum ab ente positivo, & negativo, ut ex multis capitibus ostensum est disp. 2. Met. q. 9. art. 3. præcipue, quia contrarium opinantes statim dicent conceptum illum præcisum abstrahere ab ente positivo, & non ente positivo; & cum urget arguens impossibile esse concipere, aut explicare quisnam esset ille conceptus; contrarii dicent hanc esse petitionem principii, atq; esse probandum id esse impossibile: & quod ens reale, ut secernitur ab ente rationis, quod solum habet esse per intellectum, sub se comprehendit nedum entia positiva, sed etiam negationes, & privationes ex natura rei sua subjecta afficientes, & in ista abstractione explicari sufficienter, ut illud importet, quod habet esse, vel reperitur, aut reperiri potest in rerum natura citra quodcunque opus intellectus, qualecumque sit illud esse sive positivum, sive negativum, vide disp. 2. Met. q. 2. art. 3. ubi demonstratur argumentum illud ita propositum non concludere intentum; An vero in Met. melius discurrat Mastrius, quam faceret in reliquis Philosophiæ partibus, poterit arguens experiri in eis præsertim locis, in quibus ejus doctrina impugnatur.

Sustinendo tamen communem opinionem, quod non detur ens reale commune univocum positivo, & negativo, ad hanc replicam respondetur, ut ad principale argumentum, rationem principii univoce communem illis tribus non esse ens positivum, quia ratio principii in fieri, ut sic, non necessario dicit ordinem, seu habitudinem positivam principii ad principiatum, sicut nec negativam, sed ab utroque præscindit, & *in tali præcisione* per hoc explicatur, ut sit illud quod necessario concurrit ad mutationem physicam, sive talis concursus sit positivus, sive non; quæ ratio, ut sic, bene salvari potest in materia, & forma, ac in ipsa privatione; unde ex hoc non sequitur rationem entis realis posse præscindi a positivo, & negativo, quia talis ratio ex suo conceptu formali quid positivum dicit, sed tantum rationem principii in fieri respectu mutationis, ut disp. cit. Met. dictum est n. 80.

Ex quo etiam patet non fuisse necessariam aliam responsionem ad duas confirmationes, quas Pontius adduxerat disp. 2. Phys. n. 18. cum sola responsio jam assignata ad principale argumentum satis quoque ad illas sufficeret, etenim prima confirmatio erat hæc, quod non potest concipi, aut assignari aliqua una ratio, quæ tribus principiis competat univoce; sed hoc assumptum est falsum, jam enim assignatus est conceptus communis univocus, in quo conveniunt in ratione principii, licet assignari nequeat conceptus talis communis, in quo conveniat in ratione entis. Secunda confirmatio erat, quia in quacunque ratione assignabili debet ponit ly aliquid, aut æquivalens; sed ly aliquid, ut dicitur de ente, & non ente, non significat aliquam unam rationem, ergo non est assignabilis aliqua una ratio principii illi univoce communis. Resp. quod licet ly *aliquid* ut dicitur de ente, & non ente, non significet aliquam unam *rationem*, bene tamen ut dicitur de principio positivo, & privativo, & ratio est sæpius inculcata, quia non est eadem ratio de ente reali, ut sic, & conceptu principii, in fieri, quia ens reale ex suo conceptu formali quid positivum dicit, & ideo implicat, esse de se præcisum a positivo, & privativo, at non sit principium reale, quia ut sic præscindit a rationibus principiandi positiva, & privativa.

Dices, ratio principii realis ut sic, vel includit rationem entis realis, vel non, non secundum, quia tunc materia, & forma non essent principia realia; si primum, ergo sicut datur ratio præcisa principii realis a positivo, & negativo, ita quoque datur ratio præcisa entis realis a positivo, & negativo. Resp. ut ab initio dictum est, quod si per ens reale intelligas rationem veri entis, & positivi, *in hoc sensu principium in fieri*, ut sic, non includit rationem entis realis, si vero per ens reale intelligas quicquid excludit fictionem intellectus, & in rerum natura reperitur seclusо opere intellectus, in hoc sensu principium in fieri dicit quid reale; quæ realitas a positivo, & privativo præscindit, cum etiam conveniat privationibus, & negationibus ex natura rei subjecta sua efficientibus.

Videamus tandem, an Pontius sit melior respondens, quam arguens: nos disp. 1. Phys. q. 1. n. 8. probavimus illa tria principia univoce convenire in ratione principii, ut sic, argumento famoso, quo utitur Doct. 1. d. 3. q. 2 B. ad probandam univocationem entis, omnis intellectus certus de uno conceptu, & dubius de duobus, vel diversis, habet conceptum, de quo est certus, alium a conceptibus, de quibus est dubius, & utrisque communem; sed intellectus potest esse certus de privatione quod sit principium mutationis, & incertus an sit principium per modum termini a quo, vel ad quem; ergo datur conceptus principii, ut sic communis univoce tribus principiis.

Resp. Pontius disp. 2. Phys. n. 20. distinguendo majorem, quando ille conceptus, de quo est certus, est conceptus determinatus, concedit, quando non, negat majorem, & instantias ait patere ex dictis in logica de ultimis differentiis, ac individuis. Vide quam bene tractet hic candidus Scotista famosam illam Scoti maximam, poteratne magis illam labefactare, quam illa responsione? hæc est communis responsio Thomistarum qua utuntur ad enervandam Doctoris rationem, ac destruendam unitatem conceptus entis, quam late impugnatam vide disp. 2 Met. q. 1. n. 6. & pedibus junctis impugnant alii Scotistæ Can Tromb. Bargius ibi citati, imo & ipse Doct. 1. d. 8. q. 3. versic *tertio modo respondetur*; Quin etiam ipse respondens disp. 6. Log q. 2. adducens argumentum, quo probatur dari conceptum in dividuationis, ut sic, omnibus hæceceitatibus communem, qui assignata ratione hæceceitatis, ita intrinsece, & quidditative hanc rationem participat Petreitas, & Pauleitas, sicut Petrus & Paulus participant ipsam rationem humanitatis, refert quorundam Scotistarum responsionem, nempe per illum conceptum communem hæceceitatis non exprimi aliquam rationem communem individuationis, ut sic, sed immediate, & inde terminate omnes, etenim dicebant per aliquem conceptum communem explicari interdum rationem unam objectivam, u cum dicitur, quod homo est animal rationale; aliquando vero plura etiam explicite, sed indeterminate, ut si quis explicare vellet hunc conceptum, quem haberet de aliquo animali, quo esset vel rationale, vel irrationale, dicendo, quod deberet esse potens discurrere, vel impotens; & dicebant convenientiam in conceptu primi generis inferre unitatem, & univocationem conceptus, non vero convenientiam in conceptu secundi generis. Hanc (inquam) responsionem afferens Pontius ad præfatam difficultatem ait sibi semper visam esse difficilem; quia hic dicendi modus viam sternit ad negandam præcisionem objectivam aliorum graduum communium, nam pariter dici potest per hoc, quod est hominem esse animal rationale, non explicari aliquid determinatum, sed immediate, ac indeterminate plura, nec omnes homines convenire in aliqua ratione communis hominis; ita Pontius ibi discurrit; videat modo an his suus discursus bene cohæreat cum responsione ab ipso data a illam Scoti maximam, quæ sane directe probat in eo casu quando intellectus est certus de uno, & dubius de duobus conceptibus, conceptum illum esse certum, & determinatum, u dictum est disp. 1. Met. q. 1. n. 6. quod si eludatur per distinctionem allatam de conceptu determinato, ac indeterminato, sane præcluditur via ad probandam præcisionem cujuscunque alterius conceptus.

Deinde quare respondens, qui nuper clamitabat nos non applicasse doctrinam responsionis nostræ ad formam argumenti modo doctrinam datam in distinctione majoris non applicat a minorem? tunc enim vidisset insufficientiam responsionis; quidem tenebatur dicere, quod quando sumus certi, formam vel privationem esse principium mutationis, non habemus al quem conceptum determinatum de ipsis, sed indeterminatum & sub distinctione, nempe quod concurrit vel per modum termini a quo, vel ad quem. Sed hoc satis inconsulto dicere quia licet quando in explicatione ponitur disjunctio *vel* sive *a* facile possit deduci, quod explicentur plura indeterminate, quando tamen in explicatione illius conceptus communis talis particula non apponitur, signum est per illum conceptum expr mi unum determinatum significatum immediate, & non plu immediate, ac indeterminate; talis autem est conceptus, quo e primitur principium mutationis physicæ in communi, est eni illud, ad quod necessariam dicit dependentiam mutatio physic

seu

seu quod necessario ad mutationem concurrit omnino præscindendo a singularibus rationibus principiandi per modum subjecti, vel termini a quo, vel ad quem.

QÆSTIO II.

De subjecto, & termino Generationis, & Corruptionis.

48 De subjecto generationis in primis est quæstio, nam Bannez 2. de Gen. c. 4. q. 11. Jo. de S. Tho. ibi q. 1. art. 5. & quidam alii Thomistæ asserunt generationem substantialem immediate subjectari in toto composito denuo genito, cæteri vero communiter in materia prima. Deinde est controversia de termino, tam totali, & completo, *Qui* nuncupato, quam formali, & in completo *quo* appellato; Aliqui enim hunc terminum volunt esse formam, & videtur communis Antiquorum, qui formam ponebant terminum formalem, & inadæquatum, compositum autem totalem, & adæquatum. Aliqui vero Recentiores assignant potius pro termino formali, & *Quo* unionem, quia uniendo formam materiæ constituitur compositum, & posset forma inveniri præexistens, sicut materia, ac de facto in humana generatione is, qui generat, non producit animam, sed unionem, ita Hurt. d. 11. Phys. sect. 6. §. 37. Morif. disp. 1. de Gen. dub. 4. Aversa qu. 14. sect. 3. & q. 37. sect. 3. & alii quibus *consentiunt* Conimb. 1. de Gen. c. 4. q. 13. ar. 1. & 2. Aresins q. 14. sect. 2. Alii tandem assignant utrumque simul, ut dicendo formam, & unionem, vel dicendo formam unitam, vel dicendo formam, ut unitam, ita quod unio non sit terminus generationis, sed potius applicatio, vel conditio, ita Ruvius hic tract. 1. q. 3. Jo. de S. Th. q. 1. ar. 4. & alii quamplures, quibus subscribunt Aresius cit. & Conimb. qu. 15. ar. 2. De termino etiam totali, & adæquato non est una omnium Sententia, cum enim hoc sit duplex, unum est natura, quæ immediate resultat ex unione formæ cum materia, aliud est suppositum, quod ex natura, & subsistentia, tanquam ex proprio termino ejus constat, quidam ut Ruvius & Conimb. cit. volunt terminum totalem, & adæquatum esse naturam, suppositum vero esse veluti terminum ultimatum, remotum, & extrinsecum, alii vero ut Jo. de S. Th. cit. & Complut. disput. 2. quæst. 3. asserunt totalem, & adæquatum terminum generationis esse ipsum compositum, non solum ut dicit naturam, sed etiam ut dicit suppositum, ita quod ipsa subsistentia spectet ad terminum intrinsecum generationis, & non solum extrinsecum, & resultantem.

De corruptione autem potest esse dubitatio, saltem quoad terminum formalem ob rationes, quibus nuper P. Ferchius vestig. 6. lib. 1. cap. 2. probat ex professo omnem formam substantialem universim esse separabilem a materia, sempiternam, atque incorruptibilem, quia enim illas affert, velut ex suo penu, nec solvit, cum tamen c. 3. & 4. solvat, quas affert ex aliis pro altera parte contradictionis, scilicet nullam formam substantialem esse separabilem, relinquere videtur universalem illam affirmativam, ut veram, vel ut minimum satis probabilem in Arist. sent. qua data nunquam forma teminus formalis corruptionis statuenda foret, sed sola unio, qua dissoluta, compositum quoque destrueretur. Quæ hic Ferchius obiicit lib. defens. pag. 263. circa logicæ rudimenta, vide soluta, & impugnata lib expurg. querel. 25.

ARTICULUS I.

Assignatur subjectum, & terminus Generationis.

49 Hæc quæstio resolvenda est juxta allatam distinctionem in quæst. præced. de generatione in ratione mutationis, & productionis, & quamvis in communi modo loquendi generatio dicatur mutatio, ut comparatur ad subjectum, productio, ut comparatur ad terminum, ut notat Doctor 4. d. 11. qu. 1. §. *quantum ad tertium*, nihilominus absolute loquendo, & in ratione mutationis suum quoque debet respicere terminum ad quem, cum hic potissimum constituatur unum ex principiis ejus, & in ratione productionis suum subjectum, cum sic non dicat, nisi relationem quandam producentis ad productum, si active, vel e contra, si passive sumatur, aut in sentent. aliorum modum aliquem absolutum substantialem, vel accidentalem, qui quoque subjecto indigebit; itaque terminus, & subjectum generationis in utroque sensu hic assignanda sunt.

Dicimus primo si generatio spectetur in ratione mutationis, subjectum ejus tam inhæsionis, quam denominationis est materia, vel quod gerit materiæ vicem (ut in animatis est corpus pro altera parte) terminus vero est forma ipsa, quæ de novo acquiritur, non compositum. Quoad primam partem est Scoti 7. Met. quæst. 8. & 1. d. 2. quæst. 7. K. & d. 5. quæst. 2. E. & Aristot. expressis verbis 1. de Gen. 24. & 8. Met. 15. Nec juvat, quod ait Bannez, hæc testimonia intelligenda esse de subjecto, circa quod exercetur generatio substantialis, non vero de subjecto inhæsionis, & informationis, nam sicut mobile est subjectum, circa quod exercetur motus; ita materia est subjectum, circa quod exercetur generatio, non vero, in qua recipitur, & inhæret. Non juvat, nam Arist. 1. de Gen. 24. sic loquitur, *est autem & materia maxime quidem, & proprie subjectum generationis, & corruptionis susceptibile*, ergo ex Aristot. est subjectum inhæsionis, & receptionis. Tum quia id, circa quod exercetur motus, & mutatio, est proprie subjectum inhæsionis ex 3. Phys. 6. ubi motus dicitur esse in mobili, ut in subjecto, quod actuat, quatenus est in potentia; ne-

que enim hic locum habet, ut perperam arbitratus est Bannez, distinctio illa de subjecto scientiarum *in quo*, quod est inhæsionis, & *circa quod*, quod est considerationis, accidentia enim qualis est generatio, non nisi subjectum inhæsionis agnoscunt, & ideo in proposito subjectum in quo, & circa quod omnino coincidunt. Accedit materiam esse, quæ a privatione transit ad formam in generatione, vel e contra in corruptione, & quæ mutari dicitur; ergo est subjectum inhæsionis, quia ut ait Aristot. 5. Physic. 12. de mutatione loquens, *cui ineest, illud mutatur*. Rursus idem est subjectum motus, & mutationis, ac termini ejus, ut dicitur 3. Physicor. loc. cit. quia motus est ipsa forma in fieri, cum ergo materia sit subjectum inhæsionis formæ, erit etiam generationis, quæ est via ad ipsam. Demum probari posset conclusio ex alio capite, quod subjectum inhæsionis nequeat esse compositum, quod de novo fit, tum quia dum generatio exercetur, compositum adhuc non est, vel non intelligitur esse; tum quia ipsum non permanet sub utroque termino mutationis; tum quia ipsum non *dicitur* mutari, sed produci, ergo subjectum generationis sub ratione mutationis statui nequit, sed sola materia, cui hæc munera competunt.

Pontius in append. apolog. num. 56. queritur, quod in ep. ad Lectorem in physica nostra 2. impressionis sibi a nobis impositum sit, quod disp. 1. de Generat. num. 15. dixerit generationem sub ratione mutationis non solum in materia, sed etiam in forma subjectari, quod ait neque in illo numero, aut in tota quæstione, aut alibi dixisse; fatetur tamen se dixisse generationem (non addendo particulam, ut mutatio est) importare multos respectus, ut unionem, qua mutatur materia ad formam, & unionem, qua unitur forma materiæ, & eam, quatenus importat unionem formæ ad materiam, (*ex suppositione communis Doctrinæ* Scotistarum tenentium duplicem unionem inter materiam, & formam) subjectari in forma, quod adeo manifestum est, ut nec ab ullo, qui habet intellectum, negari possit; & tantum abest, ut sit contra Scotum, ut fundetur in ipsius, & omnium Scotistarum doctrina, & non possit esse contra, aut præter ipsius mentem, nisi adscribendo ipsi sententiam absurdam, & impossibilem.

Addit ulterius, si dicerem, quod generatio, ut dicit mutationem aliquam, quam importat, subjectari in forma, id verum esse posse, & non esse contra Scotum, quod probo, quia potest vere dici, quod in generatione mutetur forma a non informatione ad informationem, & certum est ex suppositione duplicis unionis, quod mutatio, qua sic mutatur, fit unio, quæ subjectatur in ipsamet secundum Scotum, & Scotistas, ergo potest vere, & secundum Scotum dici, quod generatio, quatenus importat aliquam mutationem, subjectetur *in forma*, ita Pont. loc. cit.

De præcisis illis impositionibus satis dictum est in epist. liminari hujus Tomi: at ad rem veniamus, an loc. cit. de Gener. loquatur de generatione etiam sub ratione mutationis, videat prudens Lector; in præsenti differendum est in sensu, quo se explicat fuisse locutum; ait se dixisse generationem (non addendo particulam, ut mutatio est) importare multos respectus, ut unionem, qua mutatur materia ad formam, &c. at si in hoc sensu loquitur ibi, jam fatetur se locutum fuisse de generatione etiam sub ratione mutationis, accipiendo enim generationem pro unione, qua materia mutatur ad formam, sic sane consideratur sub ratione mutationis; sed mittamus hanc contradictionem quatuor lineis contentam, & perpendamus hanc distinctionem de generatione, ut importat unionem, qua mutatur materia ad formam, & unionem, qua unitur forma materiæ, quam intrudit ut fundatam in doctrina Scoti, & Scotistarum tenentium duplicem unionem intet materiam, & formam; at quamvis id teneant Scotus, & Scosistæ, quando umquam, & ubi docuerunt, vel agnoverunt hanc acceptionem generationis pro unione, qua mutatur materia ad formam, & unione, qua unitur forma materiæ? Sane Doctor pluribus in locis loquitur de generatione, & varias ejus innuit acceptiones, sed de ista a Pontio intrusa ne verbum quidem; in 1. d. 2. qu. 7. K. & d. 5. qu. 2. E. & alibi distinguit de generatione in ratione productionis, & in ratione mutationis Philosophum imitatus 1. Physic. & advertit confundendam non esse unam rationem cum alia, sed hanc acceptionem Pontianam ne quidem adumbravit.

Deinde in 2. dist. 1. qu. 5. ad 5. princ. enumerat ad amussim respectus omnes intervenientes in mutatione, & generatione compositi, puta respectum agentis ad compositum *productum*, & e converso, respectum materiæ ad formam, & e converso, quos paulo infra explicat esse informationem activam formæ, & passivam materiæ per uniones earum importatas, & tandem respectus utriusque ad totum, & e converso, postea inquit tationem generationis, & mutationis, & ibidem quoque exponit Tatar. per formam importari non posse, quo generatio, & mutatio maneret manente forma, nec minus per respectum materiæ ad formam, vel e converso, quia tunc semper manerent, dum manet compositum, ergo Doctor manifeste secernit generationem a respectibus informationis activæ, & passivæ materiæ, & formæ, quare ad ejus mentem non potest hos importare respectus.

Forte dicet se accipere generationem pro communi causalitate materiæ, & formæ in compositum, quæ *cum* secundum ipsum exerceatur per earum uniones, consequenter importare potest in hoc sensu unionem materiæ cum forma, & aliam formæ ad materiam. Sed quamvis hoc ipse teneat secutus Suar. disp. 15. Met. sect. 4. nu. 3. & sect. 6. n. 9. & disp. 13. sect. 9. & alios Recentiores, id tamen expresse negat Doct. loco nunc citato, ubi diserte discernit,

tanquam respectus omnino diversos, respectum materiæ ad formam, & e converso, & respectus utriusque ad totum, tanquam ad causatum; Imo nec aliter, nec alio modo discurri potest in ejus principiis, nam apud ipsum certum est respectus intrinsecus, & extrinsecus advenientes abinvicem realiter secerni, quandoquidem illi spectent ad prædicamentum aliquid, isti vero ultima sex prædicamenta constituant, ut docet quol. 11. atqui secundum ipsum unio formæ cum subjecto importat respectum extrinsecus advenientem, ut constat 3. d. 1. q. 1. & 4. d. 12. q. 1. §. *ad quæstionem*, & alibi; generatio vero sumpta pro causalitate est respectus intrinsecus advenientes, spectatque ad prædicamentum ad aliquid 4. d. 13. q. p. H. & alibi, ergo generatio nullo pacto importare potest unionem formæ cum materia, aut e contra, idem enim esset ac dicere, quod respectus intrinsecus advenientes importet respectum intrinsecus advenientem.

Neque melius probat Pont. illud additum, quod nimirum si generatio accipiatur sub ratione mutationis, dici quoque potest subjectari in forma; cum enim probat, quia potest vere dici, quod in generatione mutetur forma a non informatione ad informationem, hoc potest negari, cum enim ad veram mutationem requiratur, ut privatio præcedat tempore in susceptivo juxta dicta q. præc. & forma in instanti generationis de novo educatur de materia, nequit proprie dici mutari, ac aliter se habere, quam prius; transeat tamen hæc prima pars antecedentis loquendo de mutatione late dicta: cum vero subjungit aliam antecedentis partem, certum esse ex suppositione duplicis unionis, quod mutatio, qua sic mutatur, fit unio, quæ subjectatur in ipsa forma; id omnino negandum est, ut prorsus inepte dictum, quamvis enim concedamus talem unionem in forma subjectari, & pariter mutationem, qua transit a non informatione ad informationem, falsum tamen omnino est, quod mutatio, qua sic mutatur, est unio, sicut falsum esset dicere, quod mutatio, qua materia mutatur, est forma, quia ut arguebat Doctor supracit. manente forma semper maneret mutatio, & sic in proposito quoque si mutatio, qua forma mutatur a non informatione ad informationem, esset unio, quamdiu maneret talis unio, forma mutari diceretur; cum tandem ex hoc antecedente deducit posse vere dici, quod generatio sub ratione mutationis subjectatur in forma, negatur consequentia, quia cum generatio a Philosophis spectatur sub ratione mutationis, loquuntur de mutatione illius, quod stat sub utroque termino generationis, qualis est sola materia; & loquuntur de mutatione substantiali, quo pacto sola materia mutatur, non forma, quandoquidem cum forma transit a non informatione ad informationem, non substantialiter per hoc mutetur, sed solum accidentaliter, nam informatio respectum tantum importat.

50. Quod alteram partem patet ex dictis disp. 1. Physic., ubi diximus solam formam esse terminum ad quem generationis in ratione mutationis, & dum compositum quoque dicitur ejus terminus, id debere intelligi de ipsa in ratione productionis, non mutationis, alioquin plura tribus essent illius principia; tum quia re vera in quacunque mutatione, ut bene notat Moris. hic dub. 4. alius terminus ad quem requirendus non est, præter formam, ad quam subjectum mutationis transit, neque enim transit ad compositum, neque compositum recipit, sed componit, ergo impertinens prorsus est compositum ad generationem in ratione mutationis, unde sub ratione mutationis vere reperitur in accidentibus, ubi tamen verum compositum non resultat.

At contra primam partem concl. obiicitur, quia compositum denominatur generari, non materia, ergo illud est subjectum, non materia, forma enim denominat subjectum, in quo est. Tum 2. quia generatio etiam substantialis est accidens, dicitur enim substantialis terminative solum, & extrinsece, non terminative, & intrinsece, ut omnes fatentur, at compositum solum, non vero materia, est proprium subjectum accidentium ex dictis disp. 3. Physic. q. 1. Tum 3. subjectum sustentat accidentia per esse proprium, & per se, sed materia non habet esse, nisi per formam. Tum 4. non repugnat aliquid esse terminum alicujus actionis, & simul subjectum ejus, ergo nec repugnabit compositum denuo genitum esse terminum generationis, & simul subjectum ejus, probatur assumptum, quia ad rationem subjecti solum desideratur prioritas in genere causæ materialis, sicut ad rationem termini tantum exigitur posterioritas in genere causæ efficientis, nihil autem obstat, quo minus aliquid sit prius in genere causæ materialis, & posterius in genere causæ efficientis respectu ejusdem, quandoquidem hæc prioritas, & posterioritas non est ejusdem, sed in diverso genere causæ.

Resp. oppositum generari sumendo generationem sub ratione productionis, materiam vero sub ratione mutationis, ut sæpius Arist. docuit, de quo satis diximus q. præc. ar. 2. in fine, & hoc totum gratis concedit Doctor 7. qu. 10. in corp. Ad 2. constat etiam ex ibi dictis in Physic. quo sensu compositum dicatur subjectum accidentium, & quomodo minime inconvenit materiam primam esse subjectum accidentium quorundam relativorum, & imperfectorum, qualis in proposito est generatio, imo cum generatio in ratione mutationis consistat in relatione successionis formæ novæ ad privationem immediate præcedentem, prius materia intelligitur informata, & immediate postea fundare præfatam relationem, atque ita adhuc in hoc sensu non prius materia recipiet formam accidentalem, quam substantialem. Ad 3. sexcenties negata est minor. Ad 4. neg. assumptum, & doctrina ad ejus probationem assumpta millies a nobis damnata est in Physic. disput. 2. quæst. 2. art. 1. & ex professo disp. 8. quæst. 1. ar. 1. & alibi sæpe; præterquamquod argumentum non est ad rem, quia in hac conclusione sermo est de generatione in ratione mutationis, argumentum urget de ea sub ratione actionis, & productionis.

51 Dicimus 2. si sumatur generatio in ratione actionis, & productionis, subjectum ejus est generans terminus totalis, adæquatus, & *qui* est compositum, ut includit naturam, & singularitatem, terminus denique formalis, & *quo* forma denuo producta, vel inducta in materia, non autem unio. Conclusio quoad primam partem, quod scilicet generationis subjectum sub ratione productionis sit generans, constat ex dictis in Phys. disp. 7. q. 3. ubi universaliter docuimus actionem omnem secundum formalitatem actionis in agente subjectari, non in termino, vel passo, & ideo cum generatio sic sumpta sit actio, in agente radicabatur, bene verum est, quod si passive sumatur pro respectu scilicet oppositio geniti ad generans, ita in termino subjectabitur, scilicet in composito denuo genito, quæ omnia sequuntur ex ibi dictis.

Quoad cæteras partes est Scot 7. Met. q. 10. ubi Ant. And. q. 9. Zerb. q. 7. Faber. disp. 13. Bassol. 2. dist. 12. q. 2. ar. 2. & alii Scotistæ, & idem passim docent in lib. Sent. loc. mox. citand. & probatur quoad singulas, in primis quod compositum sit terminus *qui*, & adæquatus ostenditur, quia talis terminus est ille, quem agens simpliciter, & per se intendit, & ad quem actio ultimo tendit, sed agens per se, & simpliciter intendit productionem compositi, cætera vero tanquam media in ordine ad illud, & actio generationis ultimo ad totum producendum refertur, eoque producto definit, ergo compositum est terminus totalis, adæquatus, & *qui*. Id etiam comprobari ulterius potest declarando varias notiones nominum, quibus significari solet hic terminus; dicitur enim terminus *primus*, seu, *primarius* generationis, quia primo intenditur a generante, unde debet intelligi de primitate in ordine intentionis, nam in ordine executionis forma est primus terminus, quia primum, quod natura exequitur, ut compositum constituat, est eductio formæ de potentia materiæ, & unio ejus cum materia; potest etiam dici primus primitate universalitatis, ut explicat Doct. 3. d. 2. q. 2. §. *quantum ad primum*, quia in omni generatione totum est quod de novo accipit esse, ubi partes interdum præexistunt, ut erit in resurrectione; dicitur terminus *principalis*, quia materia est propter formam, & forma propter compositum, & sic singulæ partes sunt propter ipsum, & hoc est, quod dicitur compositum fieri, ut *quod*, formam, ut *quo*, quia ipsa producitur ut sit pars formalis illius; dicitur terminus *talis complet-us*, *& inadæquatus*, quia natura intendit constituere rem in esse integro, & perfecto, & quamdiu tale esse non præbet actio ejus manca censetur, & non integra, tale autem esse est esse compositi singularis & subsistentis, unde merito dicitur terminus totalis, & completus, & adæquatus, quia in eo ultimo, & adæquate sistit generatio; dicitur tandem terminus *qui*, quia est illud, quod simpliciter, & absolute in recto dicitur fieri, & existere, ut per se existens, & in se subsistens, unde forma esto & ipsa vere fiat, & producatur, non tamen in recto dicitur fieri, sed in alio, & cum alio, & fieri, ut *quo*, & hoc sensu loquitur Ari. 7. Met. 26. & 27. & 1. Phys. 64. dum inquit formam non fieri, sed compositum, quia nimirum non fit per se, & in se, sed subiecto, ita colligitur ex ipso contextu, & jam tradidimus disp. 2. Phys. q. 7. ar. 2. & explicat Mercen. in suis dilucid. vol. 2. pag. nobis 74.

52 Diximus autem compositum esse hujusmodi terminum, ut includit naturam, & singularitatem, quia generationes sunt circa singularia 1. Met. c. 1. & notat Doctor 3. d. 22. q. un. ad 1. prin. natura in communi, esto constans ex materia, & forma, non enim idoneus generationis terminus, sed ut in singularibus, non est, generatur ignis, ut sic, sed hic ignis; addidimus denique, ut includit singularitatem, non vero subsistentiam, tum quia corpus pro altera parte in animatis terminis, ut *quod*, generationem in suo ordine, & tamen non est subsistens, cum sit alteri communicabile, ut *quo*, nempe per modum partis; tum quia natura singularis, ut sic secluſa subsistentia, est sufficiens generationis terminus, ut constat de B. Virgine Matre erga humanitatem Christi; tum tandem, quia subsistentia in Sen. Scotistarum communiori non dicit modum positivum, sed negativum, & ideo actio generativa, quæ positiva est, non extenditur ad ipsam, ut ad terminum per eam attractum, sed sistit, & consumatur in productione naturæ singularis, & ipsa resultat ad positionem termini generationis, & sic est terminus ejus dumtaxat extrinsecus, & mediatus.

Deinde, quod terminus formalis, & *quo* generationis semper sit forma, unio numquam, probat Doctor 1. d. 2. q. 2. §. *contra istam opinionem* ex Ari. Physicor. 14. ubi ait generationem esse viam in naturam, idest in formam, tanquam in terminum formalem, ut exponunt ibi Interpretes; ac etiam efficaci ratione, quia terminus formalis, ait Doctor, & d. 7. q. un. & quol. 2. art. 3. & concedunt ipsimet Adversarii, est ille, in quo generans assimilat sibi genitum, & a quo genitum specificatur, hac enim ratione dicitur terminus *quo*, quia nimirum est id, quo terminus totalis constituitur in suo esse formali, & specifico, ut declarat cit. 1. d. 5. quæst. 2. §. *ideo tenendo*, hoc autem efficit forma, unio, quia unio non est substantia, sed accidens, & merus respectus ex dictis disp. 5. Phys. qu. 9. nec est de essentia compositi, sed mera conditio applicans causas intrinsecas ad ejus constitutionem ex dictis ibidem quæst. 12. art. 2. & hoc totum ex professo docuit Doctor 3. d. 2. quæst. 2.

53 Neque necesse est ad rationem termini formalis in generatione, ut de novo accipiat esse per eam, & ideo dicatur terminus ejus ut perperam contrarii putant, nam æque bene dicitur terminus ad quem, etiam quando præexistit, dummodo de novo in materiam inducatur, sic enim adhuc dicitur terminus, ad quem de novo materia transit, & quem de novo acquirit, cum prius non haberet; ac etiam

ac etiam æquæ bene præfata munera exercet termini formalis, scilicet constituendi formaliter, specificandi, assimilandi, &c. non enim constituit denuo compositum, illudque specificat præcise, quia ipsa de novo producatur, sed quia de novo inducitur, & unitur materiæ, unde ut bene notarunt Ruvius, & Jo. de S. Tho. cit. quando forma non producitur per generationem, sed introducitur, & unitur, & sic sola unio producitur, adhuc non producitur, ut constituens formaliter, sed ut communicans, & applicans id, quod constituit ut forma; igitur forma in quacunque prorsus generatione semper terminus formalis existit, terminus quidem, quia terminat, si non actionem productivam, vel eductivam, saltem inductivam, & unitivam, ac etiam materiæ, quæ deserendo privationem transit ad ipsam, formalis vero, quia compositum constituit ipsum formalizando, & specificando. Quia tamen forma non exercet præfata munera constituendi formaliter, specificandi, assimilandi, &c. nisi unita materiæ, & media unione constituit compositum, hac de causa pertinere dicitur ad terminum formalem, ut conditio necessario prærequisita, non autem ut ratio terminandi; & hanc opinionem defendit quoque Vasq. 1. p. disp. 162. cap. 3. & 3. p. disput. 19. cap. 2.

54 Adversus hanc conclus. instatur primo probando formam esse terminum *qui*, & primum in generatione, non compositum; illud enim proprie, & primo fit, & generatur, quod secundum se totum generatur, & fit, at compositum non fit in generatione secundum omnem sui partem, quia materia præexistit, sed sola forma secundum se totam producitur, ergo, &c. Rursus illud per se primo generatur, & proprie, quod transit de non esse ad esse, talis est forma sola, & si composito competit, id est ratione formæ, ergo &c. & hac ratione Joan. Grammaticus contra Proclum asseruit magis proprie formam generari, quam compositum.

Resp. Scot. in Met. loc. cit. argumentum concludere de primitate totalitatis, quo sensu dicitur aliquid alicui competere primo, idest secundum omnem sui partem, non autem de primitate adæquationis, sic enim primo producitur, quod habet rationem totius, non partis, quia ad illud spectat per se esse, & fieri. Ad aliud neg. min. imo ut diximus ex Scot. 3. d. 2. q. 2. id, quod primo primitate universalitatis accipit esse in omni generatione, est totum, interdum enim ambæ partes præexistere possunt, & in tali casu solum compositum transit de non esse ad esse, in generationibus vero, in quibus forma ex vi generationis transit de non esse ad esse, esto loquendo de esse simpliciter, ut primo recedit a non esse, compositum dicatur ratione formæ transire de non esse ad esse, tamen loquendo de esse simpliciter, ut idem est, quod esse per se per modum subsistentis, transit de non esse ad esse non beneficio formæ, sed secundum suam totalitatem, seu ratione formæ totius; alias quasdam objectiunculas ad hoc vide apud Scotist. cit. & Bonet. 1. Phys. c. 4. quæ solvuntur ex dictis.

55 Secundo probat Jo. de S. Tho. cit. ipsam subsistentiam pertinere ad terminum intrinsecum generationis, quia ille dicitur terminus intrinsecus, qui directe, & per se attingitur ab actione, non secundario, & mediate, sed subsistens nequit esse terminus mediatus, ac secundarius, supponens alium primarium productum, quia completum, & integrum est, ad quod ordinatur generatio, primo & per se invenitur in ipso subsistente, non ante subsistentiam, ergo res ut subsistens, & ipsa etiam subsistentia ingreditur terminum intrinsecum generationis. Confirmant Complut. ex D. Th. forma totalis v.g. equinitas non est ut *quod*, sed ut *quo* aliud est, suppositum vero habet esse, ut *quod*, ergo natura totalis non sit, ut *quod*, sed solum suppositum, patet conseq. nam cum fieri sit via ad esse, non poterit fieri ut *quod* id, non habuerit esse, ut *quod*.

Resp. neg. min. natura enim singularis, & per se existens est sufficiens terminus generationis secluſa subsistentia, ut dicunt Theologi de humanitate Christi, & in natura singulari invenitur sufficienter integrum, & completum esse, ad quod ordinatur generatio, & ideo Doctor 3. d. 6. qu. 1. §. *contra conclusionem* inquit, quod terminus generationis est esse existentiæ, non subsistentiæ, nisi secundarius, & resultans. Ad Conf. ultro concedimus naturam, ut sic, scilicet equinitatem non esse, nisi terminum *quo* totalem generationis, non autem quod, addimus tamen non tantum suppositum, sed etiam singulare antecedenter ad subsistentiam esse ut, *quod*, & fieri, ut *quod*, ac proinde esse sufficientem terminum generationis totalem, & *quod*.

56. Tertio instatur, quod forma non sit terminus formalis *quo* generationis, sed unio; Tum quia non semper producitur forma, sed bene semper unio, oportet autem assignare pro termino formali generationis aliquid de novo factum, alioquin generatio nova non esset saltem respectu termini formalis. Tum 2. quia etiam quando forma producitur, non adhuc bene ponitur terminus formalis generationis, quia non agens formam producens dicitur generare, sed quod illam unit, ut constat in humana generatione, ubi homo dicitur generare hominem, non quia formam producat, sed quia illam unit, unde etiam si forma materialis præexisteret a Deo producta, si agens naturale illam postea materia uniret, diceretur vere generans, non Deus. Tum 3. terminus formalis est, quo habetur totalis, at posita forma non habetur compositum, si nimirum a Deo produceretur extra materiam, posita unione habetur, ergo. Tum 4. ille est terminus formalis ad quem in generatione, qui contraponitur termino a quo formali, sed hic est privatio formæ in materia, ergo terminus ad quem erit præsentia, seu unio formæ cum ea. Tum 5. Actiones distinguuntur per terminos formales, at actio creativa, & generativa distinguuntur per formam unitam, vel non unitam, nam unita subjecto est terminus generationis, non unita creationis, ergo, &c.

Tum 6. ex sola variatione unionis variantur species actionis, ut cum anima rationalis unitur per generationem, vel reunitur per resurrectionem, non est variatio penes formam, sed penes diversam formæ unionem, ergo sola unio est terminus formalis specificans actionem. Tum 7. applicatio corporis ad hanc superficiem facta per motum habet pro termino formali Ubi, & præsentiam, non autem corpus, quod fit de novo præsens, ergo etiam cum per actionem generativam unitur forma subjecto, non est dicendum formam unitam esse terminum illius actionis, sed ipsam unionem. Tum tandem quia forma non est terminus generationis, nisi ut unita materiæ, ergo unio erit terminus formalis, non forma.

57 Resp. ut diximus non semper opus esse, ut terminus formalis in generatione producatur, sed sufficit, ut de novo inducatur, sic enim generatio undequaque dicitur nova, in ratione productionis ex termino totali, qui semper de novo accipit esse, in ratione mutationis ex formali, qui ut minimum semper de novo inducitur in materiam. Ad 2. jam diximus q. præc. ar. 2. & adhuc magis mox dicemus, actionem unitivam esse prorsus distinctam a generativa, licet hæc sit necessario connexa cum illa, & haberet alium, & alium terminum, verum igitur est agens, quod unit partes, generare etiam compositum, non formaliter, quasi per eandem actionem, sed concomitanter, quatenus una actio est connexa cum alia, & terminus unius cum termino alterius, quomodo autem dicatur homo hominem generare, patebit disp. finali. Ad 3. posita forma, non quidem absolute, sed in materia, habetur terminus totalis scilicet compositum ejus beneficio, ut termini formalis, & beneficio unionis, ut præviæ conditionis applicantis ipsum formalem terminum. Ad 4. potius est pro nobis, privationi namque, quæ ponitur generationis principium, ut terminus formalis a quo, opponitur ipsammet forma, non unio formæ, alioquin unio, non forma esset principium generationis, unio igitur intervenit in generatione, non ut principium per modum termini ad quem, quia hoc est forma ex 1. Phys. sed ut conditio applicans illum. Ad 5. ut diximus præc. qu. art. 2. actio creativa, & generativa distinguuntur potius ex parte subjecti, & termini a quo, quam ex parte termini ad quem, quia eadem forma potest creative, & eductione produci, cum autem actiones dicuntur distingui per terminos, hoc ita intelligendum est, ut diximus disp. de motu, quod diversitas terminorum semper facit diversitatem actionum, non e contra, ita quod ex diversitate eorum valet inferri diversitas actionum, non vero ex identitate identitas, falsum etiam est in generatione formam unitam esse terminum unius, & ejusdem actionis, quia diversis actionibus attingitur entitas absoluta formæ, & respectiva unionis. Ad 6. neg. assumptum cum prob. quia si ista unio, qua unitur ista forma, posset alteri adhiberi, eodem modo illam uniret materiæ, unde ait Doctor 4. d. 43. q. 1. ad ult. princ. quod compositum potest redire idem, licet non redeat eadem unio partium, quia illa unio non est de essentia totius, nec illa unio est illa entitas totalis, quæ est ex partibus, nec forma illius entitatis; potest etiam negari probatio assumpti, tum quia in resurrectione si redeunt partes eædem, redibit quoque eadem unio; tum quia generatio, hominis, & resurrectio non differunt specie, quia hæc fiat in instanti, & illa processu temporis, instantaneum enim, & successivum non sunt essentiales differentiæ mutationis, ut dictum est disput. cit. Ad 7. negatur per actionem generativam formam uniri subjecto, unitur namque per unitivam, & gratis concedimus unionem, non autem formam esse talis actionis terminum. Ad 8. si ly *ut* reduplicat rationem formalem terminandi, neg. assumptum, si solam conditionem, verum est, at neg. conseq.

58 Tertio, ad idem arguit. Aresc. cit terminus formalis est, qui per ipsam generationem de novo fit, sed unio est, quæ fit de novo in quacunque generatione, non forma, quia hæc interdum præexistere potest tempore, vel natura, ut patet in hominis generatione, ac nutritione, ergo &c. & ait hanc difficultatem esse indissolubilem; Verum quia in majori, quam sæpe negavimus, tota consistit difficultas, eam pluribus probare conatur, quia omnes concipiunt terminum generationis esse illum, ad quem terminatur generatio, & generationem in hoc differre a motu locali, & cæteris mutationibus, quod illarum termini possunt esse præexistentes, non ita generationis, generatio enim est transitus a non esse ad esse, quod autem est, non potest transire a non esse ad esse. Conf. ex ejus contrario, scilicet corruptione, nam omnes censent corruptionem terminari ad non esse, ergo sicut quod est terminus corruptionis, debet post eam non existere, ita quod est terminus generationis, debet ante eam non præxtitisse. Nec valet effugium, quod hoc debet intelligi de termino totali, non formali; Quia si terminus formalis posset præexistere, idem dicendum est de termino totali, tum quia terminus totalis non fit diversa actione a termino formali, sed per eandem posito termino formali etiam ipse resultat, ergo quod sufficit ad terminum formalem, sufficit quoque ad totalem, tum quia terminus formalis est ratio formalis, cur aliquid termino totali conveniat, ergo si termino formali non convenit hic transitus, neque conveniet ipsi termino totali, nam in reliquis omnibus motibus terminus totalis respondet termino formali, & sicut terminus formalis alterationis est qualitas, ita totalis est quale; quod si qualitas intenditur tantum, & non fit de novo, ita etiam terminus totalis intendi dicitur, & idem patet in augumentatione, & in cæteris. Rursus probat eandem majorem, si terminus formalis potest ipsi generationi præexistere, non erit ratio, cur & materia non dicatur terminus formalis generationis, nam de essentia compositi non minus est materia, quam forma, & ipsa quoque

assimilat genitum generanti, cur igitur compositum dicetur generari ratione formæ, non autem ratione materiæ, nisi quia materia præexistit? Conf. quia in Creatione terminus formalis non magis dicitur forma, quam materia, quia neutra præexistit. Denique quod non producitur, non terminat actionem, ergo si terminus formalis terminat generationem, debet illa produci.

59 Resp. neg. major. quia ut dictum est, non est necesse formalem terminum de novo produci in sua entitate, sufficit solum, quod de novo communicetur rei constituræ, quod constat in productionibus divinis, in quibus essentia ponitur terminus formalis earum, cum tamen ipsa non producatur, sed solum termini totales; adhuc tamen dicitur terminus generationis, quia terminat inductionem, & transitum materiæ de privatione, & de potentia ad ipsam; neque in hoc differt generatio a cæteris motibus, sed ex aliis capitibus; cum vero dicitur generatio transitus de non esse ad esse, corruptio e contra, potest hoc intelligi de generatione, & corruptione in ratione mutationis, vel productionis, & destructionis, primo modo transitus dicitur de subjecto, & sic transire dicitur materia de non esse formæ ad esse formæ, etiamsi forma præexistat, dummodo in eam inducatur, alio modo dicitur de composito, & de termino totali, non formali, ut dicitur in responsione inter arguendum allata, ad cujus impugnationem negatur assumptum, ad 1. prob. neg. terminum formalem, & totalem fieri eadem actione, nam licet posito formali totalis necessario resultet, hoc tamen non tollit diversitatem actionum, sed solum infert necessariam connexionem unius actionis cum alia ex suppositione alterius; sicut posito assensu præmissarum necessitatur intellectus ad assensum conclusionis, & tamen assensus conclusionis est distinctus actus ab assensu præmissarum. *Ad aliam prob. ejusdem assumpti neg. conseq.* neque enim opus est, imo repugnat, quicquid convenit, vel non convenit termino formali, convenit totali, alioquin inter illos nulla prorsus esset distinctio totalis, ergo tam in generatione substantiali, quam accidentali semper accipit esse de novo servata proportione (quia in accidentali accipit esse de novo secundum quid, non simpliciter, nam aqua igni applicata non fit simpliciter, sed fit calida) formalis vero quantum est de se potest præexistere, æque enim aqua fit calida per calorem in ipsa denuo productum, ac per præexistentem in eam noviter inductum. Ad aliud principale neg. sequela majoris, materia enim ideo non dicitur terminus formalis, non quia præexistit, sed quia non specificat, & formalizat compositum, nec ipsum assimilat in specie generanti, *sed tantum in genere*, nec forma transit ad ipsam, sed ipsa ad formam recipiendo, & patiendo, qua ratione inquit Doctor 1. dist. 5. q. 2. §. *tertio principaliter*, quod si forma præexisteret, & materia de novo adveniret, seque illi subiiceret, adhuc forma exerceret munera formæ, & esset terminus formalis, ob rationem allatam. Ad Conf. etiam in creatione potest forma dici terminus formalis, quia terminat illam specificando, & formalizando compositum, quod non gerit materia. Ad ult. jam dictum est etiam quando forma producitur, non attingi per generationem, sed alia actione distincta, quæ dicitur eductio, quando vero non producitur, dicitur terminus generationis, quatenus de novo inducitur, & materia transmutatur ad ipsam, unde in tali casu dicitur terminus ad quem generationis, præsertim in ratione *mutationis*.

60 Quarto arguitur ad idem ex alio capite unitio, est formaliter generatio, cum in productione unionis consistat formaliter productio compositi, ergo quod est terminus formalis unitionis, erit terminus formalis generationis, sed unio est terminus formalis unitionis, quia unitio per se, & formaliter tendit ad unionem, ergo idem modus unionis erit terminus formalis generationis: majorem, in qua consistit tota difficultas, probat Aversa qu. 14. sect. 3. Tum quia producere totum quatenus totum, & compositum, quatenus compositum, est producere ipsam totalitatem, & compositionem, sed hæc formalissime in ipsa unione consistit, ergo productio unionis est vere, & formaliter productio compositi. Tum 2. compositum non est aliud, quam partes unitæ, ergo productio compositi est actio illa, qua partes fiunt unitæ, talis est unitio, ergo. Tum 3. si agens produceret ambas partes, nec eas uniret, totum non efficeret, si e contra illas præxistentes inveniret, ac postea uniret, vere efficeret unitum, & compositum, ergo productio unionis partium est productio compositi. Tum tandem compositum corrumpitur per solam dissolutionem unionis etiam remanentibus partibus, in se, ut patet in morte hominis, sicut ergo dissolutio unionis est corruptio totius, ita ejusdem unionis productio est totius compositi generatio.

61 Resp. ex dictis qu. præc. ar. 2. falsam esse majorem, nam unitio est actio accidentalis, quia terminatur ad unionem, quæ est merus respectus, generatio vero est actio substantialis ad tertiam entitatem compositi terminata; ad rationes vero, quibus eam probare conatur Aversa, patet ex dictis disp. 5. Phys. q. 4. ar. 2. q. 12. ar. 2. & q. 13. art. 1. in Sol. præsertim ad 2. procedunt enim ex æquivocatione compositionis, & compositi, nam compositio potest sumi dupliciter, ut ibi dictum est, vel pure grammaticaliter, ut sonat nominis ethymologia, ut nempe significat simul positionem partium, vel philosophyce, ut significat causalitatem partium intrinsecam in ordine ad totum; *compositio* in primo sensu est respectus extrinsecus adveniens, & versatur inter partes ad invicem, & est idem, quod unio, at in secundo sensu est respectus intrinsecus adveniens, & versatur inter partes, & totum, & est idem, quod causalitas totius, activa quidem ex parte partium componentium, passiva ex parte totius constituti; compositio in primo sensu constituit totum, quod dicitur unitum, aggregatum nempe ex materia, & forma; compositio in secundo sensu constituit totum, quod dicitur unum coalescens ex illa collectione, & aggregatione partium, quod solum vere, & proprie dicitur totum, neque enim idem sunt esse unitum,, & unum, quia esse unitum est effectus formalis unitatis receptus in partibus, & partes afficiens, esse autem unum est effectus formalis unitatis receptus in composito, seu toto, illudque afficiens, unde totum dicitur unum, non autem unitum, quam doctrinam fere dedimus loc. cit. Hinc ad 1. dicimus procedere de toto improprie dicto, & de composito grammaticaliter sumpto, quod si in majori loquitur de toto proprie dicto, & composito philosophice sumpto, tunc est neganda minor, quod nempe compositio totum in hoc sensu constituens consistat in unione. Ad 2. verum est assumptum de composito, grammaticaliter sumpto, *non philosophice*. Ad 3. agens partes uniens non solum efficit unitum, scilicet aggregatum ex partibus, sed etiam unum, & est tertia entitas resultans ex illo aggregato, ut ex integra causa, distinctis tamen actionibus, nam illud efficit unitione, hoc autem generatione. Ad 4. in compositi interitu non sola amittitur partium unio, quia esset corruptio mere accidentalis, cum unio non sit, nisi respectus, sed tertia entitas ex partibus coagmentata, & sic etiam de generatione dicendum, quod in ea non acquiritur tantum unio, sed tertia quædam entitas; imo hæc est ratio, qua movetur Doctor ad ponendum totum esse quidpiam partibus superadditum etiam unitis, quia inquit ipse 3. d. 2. qu. 2. §. *de secundo*, neque generatio substantialis est per se ad respectum, ut ad terminum ad quem, nec etiam corruptio est a solo respectu, ut termino a quo.

62 Itaque fundamentum hujus nostræ assertionis est realis distinctio totius essentialis a suis partibus etiam simul unitis, quam fusissime probavimus disp. 5. Phys. qu. 13. ar. 1. & præter Auctores Thomistica schola eam tuentes ibi citatos, sequuntur etiam Soncin. 7. Met. q. ult. Flandria 4. Met. Javel. & Aquarius ibidem Conimbr. 1. Physic. cap. 2. quæst. 1. Fonseca 7. Met. cap. 17. quæst. ult. Vasquez etiam id defendit tom. 1. in 3. p. disp. 19. num. 26. sed in quodam sensu, quem reiicit Doctor 8. Met. qu. 4. ait enim quod cum forma substantialis unitur materiæ, communicat ei quoddam esse substantiale a forma, materia, & unione distinctum, & secundum ipsum id est esse, quod eorum partibus superaddit. Hoc est prorsus falsum (ait Doctor) si intelligatur, quod effective causat in materia aliud esse a seipsa, dat enim esse materiæ formaliter, & hoc esse est ipsamet forma communicata, quia ipsammet materiam informat, nec compositum etiam formaliter est illud esse, unde fuga de illo esse communicato non videtur esse, nisi vocalis tantum, ita Doctor; & hac ratione nos quoque hoc Vasquez figmentum refellimus disp. 5. Physic. qu. 3. art. 3. quia sicut forma accidentalis præcise per unionem sui cum subjecto communicat suum effectum formalem illi absque alio esse derivato ab ipsa forma, ut Vasquez ibi concedit, ita substantialis forma præcise per unionem sui communicabit materiæ effectum suum formalem, & tota ratio est, quam innuit Doctor, quia effectus formalis formæ nil aliud est, quam forma unita subjecto, ut nos quoque dicimus ibi; verus igitur, & legitimus modus ponendi totum distingui realiter a partibus non est hic, nec ille, quem dedit P. Faber theor. 21. cap. 3. & adeo mordicus perpetuo defendit 3. sentent. disputatione 19. c. 3. rursus 7. Met. disp. 22. quod scilicet distinguitur a partibus unitis quidem, non tamen transactis in tertiam entitatem, & totum jam constituentibus; sane tanta altercatione opus non erat, si totum hoc tantummodo a partibus distinguitur, quoniam etiam Averroistæ concedunt, quod partes, dum totum actualiter constituunt, sint idem realiter cum ipso toto, nec enim ipsi contendunt totum esse idem cum partibus, antequam ex illis ipsum totum fit actualiter constitutum, nec de hoc unquam dubitaverunt, sed tota dubitatio semper fuit de partibus, ut totum actualiter constituunt, quare si in hoc sensu Scotistæ illis concedunt totum non distingui a partibus, coincidunt adæquatissime in eorum sententiam, ut notavit Contarenus qu. de distinctione partium a toto cap. in fine, ubi gloriatur de confessione Scotistarum *ita loquentium*.

63 Verus itaque sensus distinctionis totius a partibus, & quem intendit Doctor 3. d. 2. q. 2. traditur a nobis disp. cit. Phys. q. 13. ar. 1. (quicquid *ibi* dicat P. Cavell. *in* Scholio, & Mervisse lib. 2. Met. c. 3. 4. p. q. 4. ubi inquit Doctorem cit. 3. d. 2. q. 2. solam distinctionem formalem intendere totum, & partes, non realem, quod delirium refellimus disp. 5. Phys. cit.) ubi adeo exacte hanc controversiam retractavimus, ut quamvis post illius editionem alii graves Auctores pro opposita sent. strenue decertantes ad manus pervenerint, ut Compl. 1. Phys. disput 6. Contaren. cit. Arefius 1. de Gen. disp. 2. qu. 13. Jo. de S. Thom. 1. Phys. q. 1. art. 2. Manca 1. Phys. q. 1. dub. 1. Arriag. disp. 5. Phys. sect. 1. nec objectiunculam quidem offenderimus, quæ ibi adamussim prævisa, & sedata non fuerit; nec ullam rationem afferunt urgentem, nisi contra distinctionem realem totius integralis a partibus, quam nos quoque ibidem inficiamur realem ar. 2. potest etiam pro nostra sent. videri Zerbius 7. Met. qu. 19. ubi loculentissime eam pertractat, & Angest. de formæ proprietatibus pag. nobis 199. Quæ vero contra nos scripsit Ferchius lib. defens. a pag. 197. pro tuenda sententia P. Fabri de toto, & partibus examinata sunt, & examinata lib. expurg. querel. 14.

APPENDIX DE CAUSALITATE MATERIÆ, ET FORMÆ.

POst assignatum terminum generationis quod est compositum, hic tractant aliqui, quomodo materia, & forma illud causent, & in quo

in quo consistat talis causalitas, de quo quia satis dictum est disp. 5. Phys. q. 4. ar. 2. hic aliud non esset addendum. Verum quia Pontius in appen. apolog. n. 209. quædam nostra impugnat ibi dicta, hic aliquantisper sistendum est. Negavimus disp. 5. Physic. q. 4. ar. 2. causalitatem materiæ, & formæ erga compositum consistere in substantiali earum unione adinvicem, suffulti præsertim auctoritate Scoti 3. dist. 2. qu. 2. litt. F. ubi dicebamus expresse negare unionem materiæ, & formæ esse causalitatem compositi, sed tantum conditionem sine qua non; quo dicto vehementer accensus hic Auctor in append. n. 212. invehitur in nos exprobrans, quod non legerimus, vel intellexerimus Doctores loc. cit. & producto textu *Scotico*, quia in eo verbatim non reperitur illa propositio, quod unio concurrat tantum ut conditio, sine qua non; non vero ut causalitas ad constitutionem compositi, concludit hanc non haberi in eo textu nec expresse, nec etiam implicite, quod majus est.

Verum quia expresse ibi habet Doctor, quia ita se habet unio ad causas intrinsecas, ut approximatio ad extrinsecas, unde nos deducebamus, quod sicut approximatio in extrinsecis non est earum causalitas, sed tantum conditio sine qua non; ita pariter se habebit unio in causis intrinsecis. Respondet similitudinem non currere quatuor pedibus, & quod Doctor solum posuit paritatem inter unionem, & approximationem quantum ad hoc, quod quemadmodum approximatio requiritur ad effectum, & tamen non est de essentia effectus; ita unio posset requiri ad totum, quamvis non esset de essentia ejus, nec aliud debeat intendere Doctor ad resolutionem suæ quæstionis. Contra, quia neque etiam Doctor exprimit ibi talem paritatem, non habet ergo majus *fundamentum in eo* textu paritas sua, quam nostra; tum quia paritas prætensa a Pontio necessaria non erat absolute loquendo ad resolutionem quæstionis ibi propositæ, hæc enim erat, an totum sit aliud a suis partibus simul sumptis; ut patet ex §. *sed hic est*, sed cum hoc, quod unio sit de essentia totius, adhuc sustineri potest, quod sit aliud realiter a suis partibus, ut de facto nonnulli tenent; parum ergo refert ad solutionem talis quæstionis, quod unio sit de essentia totius, vel non; Demum majorem habet probabilitatem paritas a nobis prætensa, quam prætensa ab Adversario; nam ipse pro sua nullum expositorem habet, at nos habemus Lichetum supremum Scoti expositorem, qui docet explicationem a nobis datam, cum inquit, unionem præcedere totum, non sicut causalitas totum, sed sicut effectus prior posteriorem, an autem rectius Scotum intellexerit Pontius, vel Lichetus, judicent alii, & hinc deducant, quam juste nobis exprobraverit, quod Scotum non intellexerimus in eo loco; expositionem Lich. amplectitur quoq. Aretinus Scotista eximius ibidem, & passim alii Scotistæ.

Respondet rursus Pontius, quod etiamsi Doctor expresse assereret unionem non esse causalitatem, adhuc non præjudicaret suæ sententiæ, per hoc tantum intelligere vellet, quod unio, ut unio præcise, & formaliter non esset causalitas respectu totius, quamvis realiter esset causalitas, quia haberet sibi realiter identificatam rationem influxus partium in compositum; quemadmodum enim absolute possumus dicere, quod intellectus non possit velle, quamvis realiter velle possit in nostra sententia identificante intellectum voluntati, quia ut intellectus *formaliter* non potest velle; *ita* posset Scotus dicere, quod unio non esset causalitas, quamvis realiter esset causalitas, quia secundum rationem formalem unionis non est causalitas.

Sed hæc quoque est mera evasio, quia ut supra dictum est in hac q. Doctor 2. dist. p. q. 5. in fine distinguit respectus unionis materiæ, & formæ adinvicem, & earundem, ut partium causantium compositum, ut omnino diversos, & alterius rationis; Tum quia ut ibidem dictum est, respectus unionis est extrinsecus adveniens; respectus causalitatis est intrinsecus adveniens; hi autem respectus sunt nedum specie, sed etiam genere diversi, & per consequens realiter, ut notat Doctor quol. 11. § *de quarto*, ergo, &c. major ibi probata est; minor probatur adhuc, quia de hujusmodi respectibus, talia verificantur contradictoria, quæ inferunt non tantum formalem, sed etiam realem distinctionem; nam ut diximus disp. 6. Met. q. 11. nu. 215. & 227. contradictio secundum esse realem, ac entitativum, ut esse, & non esse absolute sumpta, aut saltem secundum prædicata ad tale esse spectantia, ut esse productum, vel non productum, causatum, vel non causatum infert realem, ac entitativam distinctionem inter extrema, de quibus verificatur, quia salvari nequit per solam diversitatem formalitatum; talis autem est contradictio, quæ verificatur de respectibus intrinsecus, & extrinsecus advenientibus; nam unus necessario est positis extremis, alter vero non; cum ergo hæc contradictio respiciat esse, & non esse, necessario infert inter illos respectus realem distinctionem, alioquin de uno, & eodem respectu verificari posset, quod simul esset, & non esset positis extremis, quod est contra primum principium; per quod excluditur paritas adducta de intellectu, & voluntate, quia contradictoria de velle, & non velle, intelligere, & non intelligere de illis enunciata salvari possunt per solam distinctionem formalem illorum, ut dictum est disp. cit. Met. num. 22.

Deinde diversitas realis relationum attenditur penes realem diversitatem terminorum, itaut hæc necessario inferat illam; sed respectus unionis, & causalitatis sunt ad terminos realiter diversos; nam unio refert unam partem ad aliam compartem, causalitas vero refert ambas ad totum; ergo erunt respectus realiter diversi: major patet præsertim in nostra sententia relationes multiplicante super idem fundamentum ad solam multiplicationem terminorum; Dices unam relationem tunc esse ab alia realiter distinctam, quando esse potest sine illa, & quia unio materiæ, & formæ nequit esse sine causalitate compositi, ideo censeri debent una, & eadem relatio saltem realiter. Contra, quia per hoc non solvitur argumentum, quod contendit relationes realiter distingui per realem diversitatem terminorum; Tum quia in Schola nostra, ut est videre apud Formalistas, separatio duorum, vel separabilitas licet sit sufficiens signum distinctionis realis, non tamen adæquatum, quia quædam sunt inseparabilia, quæ adhuc sunt realiter distincta, ut dictum est in Met. disp. 6. q. 8. n. 188. cum Doctore 2. d. 2. q. 2. A. ergo ex inseparabilitate illarum relationum male infertur realis identitas inter illas. Tum quia aliæ relationes inveniuntur necessario connexæ in eodem subjecto, quæ adhuc sunt realiter diversæ, patet de uno ovo, quod *est alteri simile in figura*, & albedine, & ab eodem numerice diversum, & ambæ istæ relationes sunt ita necessario connexæ, ut simul oriantur, & pereant in eodem subjecto, nec una potest existere sine alia, & tamen nemo dicit esse eandem numero relationem; Tum quia adhuc potiori ratione posset de istis affirmari realis identitas, quam de unione, & causalitate in materia, & forma, quia istæ ad diversos terminos terminantur, illæ vero ad unum, & idem ovum, & tamen illæ non asseruntur realiter identificatæ, quia similitudo fundatur super unum, diversitas super multa 5. Met. tex. 20.

Ex hac quoque Doctrina destruitur responsio, quam affert primæ rationi nostræ sub n. 216. cum enim argueremus, quod partes prius intelliguntur unitæ quam causantes, ergo in tali unione *non consistit* earum causalitas, concesso antecedente distinguit consequens, in unione formaliter, ut unio est, transeat, in unione realiter, & formaliter, ut est influxus materiæ, & formæ in totum, negat consequentiam; Ruit hæc (inquam) solutio, veluti falso innixa fundamento, quod unio, & causalitas in partibus sint una, & eadem relatio realiter, & solum distinctæ formaliter, & quod secundum istas diversas formalitates varia exerceant munera uniendi, & causandi, & quia ex his muneribus unire prius est, quam causare, ideo prius intelliguntur unitæ, quam causantes; falsum est, quod assumit de identitate reali illarum relationum, ut hactenus probatum est; falsum item, quod ait de istis muneribus, quia unire, & causare non sunt munera, quæ per eandem relationem realiter exercere possint, quandoquidem hoc fieri debeat per relationem intrinsecus advenientem, illud vero per extrinsecus accedentem: nec eadem relatio realiter referri potest ad diversos terminos præsertim adæquatos, cum debeat realiter multiplicari ad multiplicationem terminorum in nostra schola. Et ex hac tandem Doctrina vivit instantia de esse intellectivo, & volitivo in homine, qui prius intelligitur intellectivus, quam volitivus, nec tamen hinc recte deducitur diversitas realis inter intellectum, & voluntatem, quia ad hoc sufficit sola diversitas formalis, per quam instantiam intendit Pontius ostendere nullitatem nostræ consequentiæ. Cessat hæc instantia, quia ut dictum est, non currit paritas de intellectu, & voluntate in homine, & de unione, & causalitate in partibus compositi; nam istis competunt talia munera, & prædicata, quæ necessario arguunt realem distinctionem inter illas, ut constat ex dictis.

Alias rationes sequentes non solvit Pontius, ut solum procedentes contra Recentiores, nisi ultimam, quæ erat, quod unio est respectus intrinsecus adveniens, & refert materiam, & formam adinvicem, non vero ad compositum, easque denominat unitas, non causantes: ergo non erit causalitas earum in ordine, ac compositum, quia talis causalitas, *cum sit propriissima*, *importat* relationem secundi modi fundatam super potentiam causativam; & refert materiam, & formam, ut causas ad compositum, & eas denominat formaliter causantes. Respondet Pontius sub. n. 217. mallem sane propter nostræ scholæ honorem auctor hujus discursus in Recentiorum, aut Jesuitarum schola enutriretur, quam in Scotistica, deinde ait in toto hoc discursu peti principium, dum assumitur unionem non denominare materiam, & formam causantes, nec eas referre ad totum per modum causarum intrinsece causantium, & dum in probatione consequentiæ supponitur, quod non sit relatio secundi modi fundata super potentias causativas materiæ, & formæ.

Quid velit innuere hic Auctor in prima parte responsionis non satis capimus, *nihil enim est* in ea ratione, quod non sit Scotice dictum & absq; ulla principii petitione; si enim assumitur unionem esse respectum extrinsecus advenientem, sumptum est ex Scot. locis suprac. si assumitur, quod refert materiam, & formam adinvicem, non vero ad compositum, didicimus a Scoto 2. d. 1. q. 5. in fine, ubi ad 5. princip. secernit respectus, quibus materia, & forma referuntur ad invicem, ut unitæ ab illo quo referuntur ad compositum, ut causantes: & omnia hæc in argumento assumpta satis patebant ex superius dictis in ea quæstione, & articulo, nec nova egebant probatione, & quod ait in probatione consequentiæ supponi, quod unio non sit relatio secundi modi fundata supra potentias causativas materiæ, & formæ, falsum est quoad primam partem; nam ut constat disp. 8. log. q. 10. art. 1. in explanatione secundi modi relativorum in fine, *reducimus ad illum* secundum modum omnes relationes extrinsecus advenientes sex ultima prædicamenta constituentes, quatenus in aliquo sensu saltem *grammaticali fundantur super potentiam activam*, & passivam, fatemur tamen non ita proprie spectare, sicut relationes causalitatis spectantes ad prædicamentum ad aliquid, quæ propriissime fundantur super potentiam vere, & physice activam: hoc est quod diximus in ea consequentia, quod supponitur superius probatum in ea disp. 5. ab initio: Unde tandem non apparet ex quo capite mallet propter honorem nostræ scholæ auctorem hujus discursus in Recentiorum, aut Jesuitarum schola enutriri: sed quam potiori jure id ei tota Scotistica schola ob sui honorem desiderare deberet, satis constat ex dictis, disp. 7. Met. quæst. 1.

art. 6. & disp. 12. qu. 10. num. præsertim 302. ubi ex professo refelluntur nonnullæ ejus opiniones principiis Scoticis etiam Tyronibus notis omnino repugnantes.

Fundamentum vero hujus Auctoris ad sustinendum oppositum est hoc; ideo potissimum colligimus causalitatem efficientis esse realiter distinctam ab applicatione ad passum, & unionem formæ ad materiam esse distinctam realiter ab indistantia, ac dispositionibus; quia de potentia absoluta potest esse causa efficiens applicata, absque causalitate, & materia, ac forma indistantes, ac dispositæ absque unione, ergo cum unio nequeat per ullam potentiam esse inter materiam, & formam, absque causalitate materiæ, & formæ circa compositum, dicendum est, quod causalitas earum circa compositum non sit distincta ab unione earum. Ad hanc objectionem responsum est disput. 5. Phys. qu. 6. art. 2. negando consequentiam, nam eadem ratione possemus inferre totum esse idem realiter cum partibus unitis, quia non possunt dari sine toto: sicut ergo ex hoc non recte infertur identitas istorum, ita nec in præsenti rite infertur realis identitas unionis, & causalitatis compositi: ratio autem, quare unio materiæ, & formæ, quæ est applicatio earum ad causandum compositum separari nequeat a causalitate ipsa compositi, sicuti separari potest applicatio causæ efficientis, est, quia materia, & forma sunt causæ intrinsecæ necessario, & indispensabiliter suum causantes effectum: secus est de causa efficiente, quæ est causa extrinseca.

Reiicit hanc solutionem Pontius nu. 210. quia non est eadem ratio de unione, & causalitate, ac de partibus unitis, & toto, nam etiam si totum realiter distinguitur a partibus unitis, est tamen ratio particularis, ob quam non possint esse partes unitæ, quin sit totum, nempe quia ipsa unio est causalitas partium respectu totius, unde dicit essentialem connexionem cum toto, sicut omnis relatio actualis dicit cum termino, & etiam si totum non possit esse sine partibus unitis, est tamen ratio particularis, ob quam distinguatur ab illis, nempe quia pares causant, causa autem debet realiter distingui a causato, sive hoc possit esse sine causa, sive non: ex suppositione autem, quod unio realiter distinguatur a causalitate nulla prorsus est ratio, ob quam non possit esse sine causalitate, & ex suppositione quod causalitas nequeat esse sine unione, nulla est ratio, ob quam debeat distingui realiter ab unione; ergo vel dicendum est, quod unio possit esse sine causalitate; vel quod causalitas identificetur realiter unioni: ex quo etiam deducit non valere disparitatem allatam inter unionem, & applicationem causarum extrinsecarum; si enim causalitas causarum intrinsecarum sit realiter distincta ab unione earum nulla ratio assignari potest, cur non possit esse unio sine illa, sicut contingere potest in extrinsecis; & omnino debet assignari ratio, quam nos non assignamus, cur ob non necessariam connexionem colligatur distinctio causalitatis efficientis ab applicatione, & tamen non colligatur sufficienter indistinctio causalitatis causarum intrinsecarum ab earum unione ex necessaria earum connexione.

Resp. per hanc impugnationem solutionem allatam non infringi, at in forma respondere nequimus, ut continuo petit hic Auctor, quia nec ipse in forma posuit argumentum; negamus igitur non esse eandem rationem de unione, & causalitate, ac de partibus unitis & toto, quantum ad præsens spectat; cumque id probat, quia est peculiaris ratio, ob quam partes unitæ nequeant esse sine toto, quia nempe earum unio est ipsa causalitas totius, dicimus hanc esse manifestam principii petitionem, hoc enim est, quod negamus, & de quo est controversia; & cum subdit, ex suppositione, quod unio distinguitur realiter a causalitate, nullam esse rationem, quin possit esse sine causalitate, & ex suppositione, quod causalitas nequeat esse sine unione, nullam esse rationem, ob quam debeat realiter distingui ab unione, negatur hoc assumptum quoad utramque partem, quia nec distinctio realis aliquorum est præcisa, & adæquata causa separationis, vel separabilitatis eorum, neque e contra inseparabilitas aliquorum est sufficiens, ac adæquata causa, vel signum identitatis eorum, cum ex aliis capitibus possit talis inseparabilitas provenire, ut notat Scotus 2. d. 1. q. 5. M. & d. 2. q. 2. ab initio, ut constat de duabus similitudinibus duorum alborum, quarum una distinguitur realiter ab alia, nec tamen esse potest sine illa; & ex hoc quod una nequit esse sine alia, non bene infertur realis identitas inter illas; & ne dicatur exemplum non esse ad rem, quia duæ illæ similitudines sunt simul natura, & naturali intelligentia, ex qua simultate provenit earum inseparabilitas; at unio saltem ratione videtur causalitatem præcedere, quia partes non causant, nisi præintelligantur unitæ; idem exemplum omnino adaptatum de coexistentia, & similitudine duorum alborum, hæ quidem duæ relationes sunt realiter distinctæ, ut probatum est disp. 8. log. num. 49. & una præintelligitur aliam præcedere, quia similitudo non concipitur resultare inter duo alba, nisi prius coexistentia, nec una potest ab illa separari, non enim possunt duo alba coexistere, quin etiam sint similia; nec tamen ex hac inseparabilitate bene deduceretur identitas inter illas, sic ergo etiam in proposito, ex hoc quod causalitas nequeat esse sine unione, non bene infertur identitas realis cum ea, neque ex hoc, quod unio realiter distinguatur a causalitate bene infertur, quod possit esse sine illa, quia nec inseparabilitas est sufficiens signum realis identitatis, nec realis distinctio causa sufficiens, & adæquata separabilitatis, quandoquidem inseparabilitas aliquorum ex aliis capitibus provenire potest, quam ex eorum reali identitate.

Et in proposito ratio inseparabilitatis unionis partium a causalitate, etiamsi sine relatione realiter distinctæ, est, quam assignavimus in priori solutione, quia nempe materia, & forma sunt causæ intrinsecæ, quæ necessario, & indispensabiliter causant compositum eo ipso, quod sunt unitæ, neque hoc est nostrum inventum, sed communis doctrina omnium Scotistarum, & præsertim Lichet. 2. d. 1. qu. 5. ad argumentum Ocham, & 2. d. 12. qu. 2. ad instantias Cajet. & in 3. d. 2. ubi ait Deum impedire posse effectum causarum extrinsecarum, non tamen intrinsecarum, & tandem est communis doctrina omnium Theologorum, dum dicunt Deum supplere non posse causalitatem intrinsecam materiæ, & formæ erga compositum, quia dicit imperfectionem, posse tamen supplere causalitatem efficientis, quia talis influxus non habet imperfectionem indispensabiliter annexam; ex quo etiam patet optime valere disparitatem a nobis allatam inter unionem materiæ, & formæ, & applicationem causarum extrinsecarum in prima solutione. Ratio tandem, quam petit a nobis Pontius assignari debuisse, (quamvis debiti chirographum non ostendat) cur ob non necessariam connexionem colligatur bene distinctio causalitatis efficientis ab applicatione; & tamen non colligatur sufficienter indistinctio causalitatis causarum intrinsecarum ab earum unione ex necessaria earum connexione; hæc, inquam, ratio satis patet ex jam allata doctrina de signis distinctionis realis, quæ est communissima inter nostros formalistas, quia nimirum separabilitas est sufficiens signum distinctionis realis aliquorum, at e contra inseparabilitas non est sufficiens signum identitatis realis, cum hæc ex aliis capitibus oriri possit, cujus regulæ in nostra schola noviſſimæ ignorantia, vel inadvertentia in hoc negotio præfatum Auctorem duxit in errorem, ut putaret, quod sicut in causis extrinsecis ex non necessaria connexione causalitatis earum cum applicatione sufficienter deducitur realis distinctio causalitatis efficientis ab ejus applicatione; ita e contra in intrinsecis ex necessaria connexione unionis earum cum causalitate reali identitas inter eas inferri deberet.

ARTICULUS II.

De subjecto, ac termino Corruptionis.

64 Resolvenda est hæc dubitatio eadem methodo, qua præcedens de generatione in superiori articulo, distinguendo nimirum de corruptione sub ratione mutationis deperditivæ, & sub ratione actionis destructivæ, sic enim facile erit advenire subjectum, & terminum: Nam si de ipsa fit sermo sub ratione mutationis, in confesso est apud omnes subjectum ejus esse materiam, in qua velut in communi arena utraque exercetur mutatio ex 1. Phys. terminus autem est non esse, seu privatio formæ, non quemadmodum per generationem transit materia de non esse formæ ad esse formæ, ita e contra per corruptionem transit de esse formæ ad non esse formæ. Si vero sumatur in ratione destructionis, seu destructivæ actionis, terminus erit non esse compositi, sicut enim per generationem in ratione productionis solum compositum accipit esse, hoc enim est, quod proprie, & per se dicitur generari, ita compositum est quod proprie dicitur corrumpi, & per corruptionem desinere; secus est de forma, quæ sicut proprie non dicitur generari, sed educi de potentia subjecti, ita nec proprie dicitur corrumpi, sed desinere in materia, & in ejus potentiam rursus reduci; tamen ob nominum penuriam dicitur etiam forma corrumpi in communi modo loquendi, & sic terminus corruptionis formæ erit non esse ejus in subjecto, terminus corruptionis compositi erit non esse ejus remanente materia, ita quod terminus corruptionis, sive formæ, sive compositi, ut ab annihilatione distinguitur, est negatio in genere, quod totum constat ex dictis q. præc. art. 3.

65 Sed dices, dum gratia destruitur in anima nostra, desinit in subjectum, manet enim subjectum ejus, scilicet anima post ejus desitionem, & tamen dicitur annihilari, non corrumpi, sicut e contra, dum incipit in anima, dicitur per creationem incipere, non per generationem, vel eductionem. Rursus si ipsa anima nostra destrueretur, etiam maneret subjectum nempe corpus, & consequenter in subjectum desineret, & tamen non diceretur corrumpi, sed annihilari, ergo non bene ponitur negatio in subjecto terminus corruptionis formæ, quia id etiam convenit annihilationi. Bassol. hanc difficultatem de gratiæ desitione tangit in 4. d. 11. q. 4. art. 2. & ægre resolvit, quia persistit in eo principio, quod gratia incipiat in anima per creationem, & consequenter desinat per annihilationem; at nos facili negotio evadimus, nam sicut admittimus eam ex potentia animæ educi disp. 3. Physic. quæst. 5. art. 2. quia fit in subjecto, & dependenter ab eo, cum sit forma suapte natura inhærens, sic in præsenti ejus desitionem in anima dicimus esse corruptionem. Secus est de anima, esto desineret in corpore, quia est forma per se subsistens, unde sicut in ejus incæptione, esto fiat in corpore, non ob id dicitur educi, vel generari, quia non fit dependenter ab eo, sed solum cum eo, ratione suæ subsistantiæ, & independentiæ, ita in ejus desitione non esset dicenda corrumpi, vel in subjectum desinere, esto desineret in corpore. Hinc graviter errat Rubion. 2. d. 1. q. 4. ar. 2. dicens etiam animam ipsam generari, quia fit in præsupposito subjecto, ut cæteræ formæ.

66 Quia vero hunc communem omnium sensum de formarum materialium interitu tentavit labefactare Ferch. ab initio qu. cit. ostendens formam subsistantialem non esse idoneum corruptionis terminum, rem hanc examinare non pigeat; & quidem veritas hæc adeo est obvia, & explorata, ut satis esset solum ejus rationibus satisfacere, communis enim omnium sensus a tot sæculis in dubium a nullo unquam revocatus, sufficiens esset ejus approbatio, sed ad majorem adhuc rei certitudinem probare libet commune placitum tum ex Arist. tum ratione, sed prius notare oportet, quod advertit Ferch. ibidem cap. 5. num. 29. quod apud Arist. quod dicitur separabile ab alio, quod ab eo avulsum adhuc suum esse retinet, quod si per actualem disjunctionem intereat, dicitur inseparabile; probemus igitur in hoc sensu non omnem formam subsistantialem esse separabilem, imo omnes materiales, eo ipso quod a materia divelluntur, interire, & corrumpi; & quidem omnes hujusmodi formas subsistantiales esse in hoc sensu inseparabiles; atque adeo corruptibiles, docuit Arist. non semel, 1. Phys. tex. ult. 2. Phys. 12. secundo de Anima, & alibi, sed quid moramur? Ferch. ipse a cap. 6. quamplura adducit ex Arist. loca, in quibus loquens de formis subsistantialibus asserit quasdam esse separabiles, quasdam non, & inter alia loculentissimus est, quem adducit ex 9. Met. 3. si ergo apud Arist. non omnes formæ subsistantiales sunt separabiles, sed aliquæ tantum, quomodo sine contradictione potuit unquam asserere, omnem formam subsistantialem, quatenus ab accidentali distinguitur, esse separabilem, ut convincere Ferch. intendit cap. 2. ex eodem Arist. sane istæ contradicunt: *omnis forma subsistantialis est separabilis, quædam forma subsistantialis non est separabilis*, si hanc ergo Aristot. sexcenties docuit teste Ferchio, illam docere non potuit.

67 Invenit hic Auctor effugium quoddam ad eludenda omnia Arist. testimonia, inquit enim ab initio cap. 2. posse quamlibet formam subsistantialem considerari dupliciter, vel secundum esse perfectum, vel secundum præcise; tunc forma dicitur habere esse perfectum, quando habet accidentia sibi convenientia, quæ sunt ejus instrumenta in agendo, & patiendo, forma vero secundum se consideratur præcise secundum suum esse subsistantiale nullo spectato accidente comite. Hinc postea in fine cap. cum ei obiicitur Arist 2. Phys. & 2. de Anima, & alibi asserens formas inseparabiles, respondit secundum esse perfectum inseparabiles esse ratione accidentis consequentis, secundum se, & secundum esse imperfectum separabiles, atque æternas fore. Sane hæc est evidens testimoniorum Arist. elusio, inconsulte namque asseruisset toties quasdam formas separabiles esse, quasdam non, quia secundum esse perfectum omnes sunt inseparabiles, secundum esse imperfectum omnes separabiles; Accedit, quod in sententia docente potentias animæ esse accidentia, solutio nulla est, quia anima rationalis suas secum defert, atque ideo etiam secundum esse perfectum est separabilis.

Si dicas ipsum non asseruisse illam universalem affirmativam, sed probasse duntaxat disputative procedendo. Non sufficit, quia solvit rationes, & Arist. testimonia pro universali negativa, ergo etiam solvere debebat, quæ faciebant pro universali affirmativa, eo vel maxime, quia hanc, inquit, esse melius probatam (utpote proprio Marte) quam negative, etiamsi multas annorum centurias, ut ait ipse, alii consumpserint in ea probanda. At inquit pro ratione muneris instituti ad ostendendam scilicet animæ separabilitatem astringi solum ad solvendas rationes pro negativa. At certe tenebatur etiam solvere adductas pro affirmativa, tum ne faceret Arist. sibi contradicentem, dum in quibusdam locis eum adducit pro universali affirmativa, in aliis eam negat per assertionem particularis negativæ, quod quædam formæ subsistantiales non sunt separabiles; tum quia ab initio Vestig. in vestiganda animæ separabilitate pollicetur se velle ordinem servare Arist. 1. post. ubi primo repellit universales contrarias omnium esse demostrationem, nullorum esse demonstrationem, & recipit medias, quorumdam esse, quorundam non esse, quod observavit etiam 1. Phys. ubi primo reiicit illas universales contrarias, omnia principia sunt contraria, nulla principia sunt contraria, statuitque principia quædam esse contraria, quædam non esse, tenebatur ergo, & ipse non solam universalem negativam destruere, sed etiam affirmativam, ut unde particulares concluderet, quædam forma est separabilis, quædam inseparabilis; tum tandem quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; ut ergo ostenderet veritatem illam, quod anima rationalis est separabilis, non debebat hanc falsitatem relinquere probatam, quod omnis forma subsistantialis est separabilis.

68 Sed accedamus ad rationes; Ferch. cum quasdam retulisset ex aliis, velut nimis fragiles, eas aspernatur, & dissolvit cap. 3. & in fine cap. licet protestetur ejus consilium non esse eam opinionem refellere ibi, duas tamen insinuat rationes; quibus, inquit, posset robustius illa opinio impugnari, quia nimirum opinio illa, quod omnis forma subsistantialis sit separabilis, & æterna, omnem generationem, & corruptionem subsistantialem demolitur, & quoniam infinitæ formæ actu essent materia. Sed sane, aut istæ rationes sunt cæteris fragiliores, aut earum robur assecuti non sumus, prior quidem non bene consequentiam deducit, quia forma hominis est separabilis, ac æterna, & tamen homo generatur, & corrumpitur subsistantialiter, non ergo ad generationem, & corruptionem subsistantialem astruendam exigitur necessario, quod forma subsistantialis sit corruptibilis, & caduca, sed sufficit, quod possit cum materia conjungi, & abjungi, hæc siquidem sola conjunctio, & abjunctio sufficiens est ad generationem, & corruptionem compositi. Nec etiam alia ratio bene deducit, quod forent infinitæ formæ in materia, quia opinio illa non inquit formas in compositi dissolutione in materia rursus immergi, & veluti in ejus gremio abscondi, & latere quousque rursus ab agente extrinseco foras extrahantur, ut asserebant Anaxagoristæ, & ex parte consentire videntur assertores inchoationum, imo docet formas a materia divelli, & veluti loco dissitas in se, & per se conservari, admissa ergo illa opinione non sequitur hæc infinitas formarum in materia, sed potius in ipsis. Potius ergo ex capite formarum materialium inseparabilitas ostendenda est, quod ideo dicuntur materiales, quia suapte natura in suo esse fieri, & conservari materiæ sunt immersæ, & alligatæ, ita quod fatali necessitate ruant eo ipso, quod ab ea divelluntur, in quo ab anima rationali secernuntur, quæ ob sui immaterialitatem independenter a materia fit, & conservatur, unde etiam dum corpus informat, sub modo subsistit, qua de causa dum ab eo sejungitur, non statim interit, sed separata servatur, quia ergo omnes formæ materiales sunt ex materia educibiles, ut fuse disp. 2. Phys. q. 7. art. 2. & 3. ideo nulla prorsus est a materia separabilis, & æterna. Accedit quod si ponantur separabiles, tunc edocendum erit ab hac sententia, quo divertat forma in actu divulsionis a materia, & quo loco conservetur, quod adeo difficile est edocere etiam de ipsa anima rationali apud Arist. ut Ferchius ipse post longam rei discussionem in eam venerit opinionem lib. 2. cap. 14. ut Arist. concedenda fuerit circulatio animarum rationalium in corpora humana, quod an rite dictum sit, & consequenter ad Arist. principia, & fidei nostræ candorem, num potius fabuloſe, dicemus in lib. de Anim. si ergo de Anima rationali ita sentit in via peripaterica, quid dicet de aliis subsistantialibus formis, si ipsæ quoque separabiles sunt, ac suapte natura subsistentes? migrabuntne de una materia in aliam, an potius infinitæ in concavo orbis Lunæ otioſæ manebunt? Quæ Ferchius contra hic a nobis dicta præsertim de formarum eductione objecit lib. 3. defens. c. 8. vide soluta, & impugnata disp. 12. Met. q. 4. art. 1. & lib. expurg. querel. 23. 24. 29. & 32.

69 At videamus quibus rationibus ex Arist. probet hic Auctor hoc suum problema: Primo probat, quia Arist. 5. Met. 15. ait formam subsistantialem esse separabilem, & 7. Met. 8. & 12. Met. 26. idem habet, quibus ex locis colligit hoc ab Arist. poni discrimen inter formam subsistantialem, & accidentalem, quod illa est separabilis, hæc non. Confirmat hoc in secunda ratione ex 7. Met. 4. & 12. Met. 3. Resp. Arist. locis allegatis præsertim in secunda ratione non ponere illam differentiam inter formam subsistantialem, & accidentalem, quod illa sit separabilis a materia, non ista, sed ponit illam differentiam inter subsistantiam ex una parte, & accidens ex alia in hoc sensu, quod subsistantia est per se existens, & separabilis ab accidentibus, accidentia vero non habent esse per se, nec possunt separari a subsistantia, ita exponunt ibi omnes, præsertim Scotus in expositione illorum textuum, & quolib. 2. ab initio & textus de se paret; ex eo autem, quod subsistantia separabilis est ab accidente, & non e contra, sane non videmus, quomodo rite hinc inferatur omnem formam subsistantialem esse separabilem a materia, potius enim inferri deberet esse separabilem a suis accidentibus, & juxta hanc phrasim loquitur in aliis locis cit. cum dicit subsistantiam esse separabilem, vult enim posse quantum est ex se ab accidentibus separari, non autem formam subsistantialem a materia, in quibus etiam advertendum est hoc prædicatum *separabile* de composito, & prima subsistantia inquantum est illa, quæ per se subsistit, præcipue enunciari, formæ vero participative, inquantum scilicet magis participat de actualitate compositi, quam materia; videatur Doctor super illos textus, quia verba textus cujusliber referre, atque Doctoris expositionem longum esset; tandem si unquam Arist. loc. cit. vel alibi docet formam subsistantialem esse separabilem in sensu arguentis, accipienda est indefinite illa propositio, non autem universaliter, sicut accipitur illa primo Physicorum, prima principia sunt contraria.

70 Secundo, arguit ex 8. Met. text. 8. ubi Arist. facit hanc disjunctivam loquens de forma subsistantiali, *necesse est, aut sempiternam hanc esse, aut corruptibilem absque eo, quod corrumpatur, & factam esse absque eo, quod fiat*, sed pars secunda hujus disjunctivæ est simpliciter falsa, nempe ut aliquid sit factum absque fieri, & corruptum absque corrumpi, ergo prima pars est vera dicens omnem formam subsistantialem esse sempiternam. Si dicas disjunctivam illam non esse sufficientem, sed tertium membrorum addi debere, quod verum erit, scilicet quod forma generatur, sed generatione. Contra, insurgit Arist. verbis sequentibus, *ostensum esse alibi, quod nullus facit formam, quodque forma non fit*. Resp. imo Scotum exponere, quod prima pars disjunctivæ est falsa, quia est secundum opinionem Platonis ponentis formas separatas, & secunda est vera, ac de mente Arist. qui ponit formas in materia generabiles, & corruptibiles non per se, sed per accidens, ut ostendit in 7. Meth. & hac de causa inquit esse corruptibilem absque eo, quod corrumpatur, & factam esse absque eo, quod fiat, nempe per se, & immediate, sic enim solum compositum generatur, & corrumpitur, neque hic est incongruus loquendi modus, imo valde proprius, nam etiam natura communis, ut notat Doctor 3. dist. 22. q. un. ad 1. princ. est generabilis, & corruptibilis per se primo, non tamen dicitur generari, & corrumpi, nisi per accidens, quia actus generationis, & corruptionis per se, & immediate exercetur in singularibus; & sic in proposito ait Arist. formam esse generabilem, & corruptibilem absque eo, quod fiat, vel corrumpatur, quia actus per se, & immediate exercetur in composito, per accidens in partibus.

71 Tertio, arguitur ex 12. Met. 12. ac in 7. Met. 26. 27. 32. ubi demonstrat, formam non fieri, hac ratione, si namque forma fiat, atque omne, quod fit, fit ex materia, & forma, ergo forma fiet ex alia forma, sed Arist. eodem argumento probat 1. Ph. 82. materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem, ergo si bene per hoc monstratur materiæ perennitas, monstrabitur etiam de forma. Resp. si hæc ratio concludit incorruptibilitatem de forma subsistantiali, etiam de accidentali ostendit non per se fieri, quia sit in alio, non er-

go negari ibi absolute formam fieri, imo docet fieri in alio scilicet in materia, sed negat fieri per se, & veluti separatam, ac per se subsistentem, & reddit rationem, quia quod hoc modo fit, ex materia, & forma fit, unde per hanc rationem concludi nequit omnimoda ingenerabilitas formæ, sed tantum ingenerabilitas per se; cum autem in 1. Phys. 82. demonstrat materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem, inquit, in quacunque generatione, & corruptione materiam debere subiici, ut subjectum primum, & ultimum, & quicquid fit, & generatur, fieri ex materia, ut ex tali subjecto, non ergo hoc argumentum concludit ingenerabilitatem eodem modo de materia, & de forma, quia non eodem modo fit compositum ex eis, cum enim fiat ex materia, ut ex primo omnino subjecto, & in omni generatione requisito, concluditur ex hoc omnimoda ingenerabilitas de ipsa, & cum fiat ex forma, non ut ex primo omnino subjecto, sed ut ex eo, quod inest, vel fit in illo, non excluditur a forma omnimoda generabilitas, sed tantum talis, qualis composito convenit.

72 Quarto, arguit ex 1. de Anima 12. & 13. ubi habetur, quod si forma habet proprium opus, in quo non communicat cum habente corpore, formam separari posse a materia; at sic est, quod omnis forma subsistantialis habet opus proprium, in quo cum materia non communicat, cum in 2. de Ortu, & Interitu dicatur materiæ proprium esse pati, & recipere, agere autem alterius potentiæ, scilicet formæ. Resp. hoc argumentum plus probare, quam ejus Auctor velit, probat enim non solum etiam formam accidentalem esse separabilem, quia ipsa quoque habet in hoc sensu proprium opus, in quo non communicat cum materia, calor enim in aqua non communicat in calefaciendo cum ipsa, sed probat etiam formam materialem separatam non futuram otiosam, sed proprium opus exequi, cujus oppositum docet Auctor ille in eodem capite. Dicimus igitur omnes formas materiales in suis operationibus communicare cum materia, quia cum sint extensæ, non possunt modo inextenso operari, non habent autem talem modum, nisi in materia, unde etiamsi propriùm formæ sit agere, tamen non est in potentia proxima ad agendum, nisi cum est in materia.

73 Quinto, unum contrarium nequit pati, & recipere aliud contrarium, sicut neque unum natum est alterum afficere 2. Phys. 51. 12. Met. 6. 2. de Gen. & Cor. 5. corruptibile, & incorruptibile sunt contraria, & genere diversa, nedum specie 10. Met. cap. ult. ergo si materia est incorruptibilis, & forma subsistantialis corruptibilis, unum contrarium esset alterius receptivum, & duo contraria simul manerent. Resp. hoc item argumentum plus probare, quam velit, sic enim probaret, quod anima rationalis nequit recipi in corpore, quod corruptibile est, velut in subjecto, nec lumen, & motus in Cœlo, intellectiones, & volitiones in Angelis, accidentia quædam in materia, hæc enim omnia sunt formæ corruptibiles in subjectis incorruptibilibus receptæ; dicendum igitur corruptibile, & incorruptibile non esse contraria proprie dicta, ut notat Zerb. 10. Met. q. ult. in fol. ad 1. princ. quod eo præsertim verum est, si genere logico differre dicantur, quia contraria proprie accepta conveniunt in genere, & differunt specie, ut ex eorum constat definitione; sed contraria dicuntur, quatenus sunt valde diversa, & habent oppositas quodammodo rationes, & differunt secundum potentiam, & impotentiam, ut ibi explicant Alensis, & Scotus, quo quidem sensu actus, & potentia dicerentur opponi, & contrariari, & nihilominus unum recipitur in alio; æquivocat itaque ratio de contrariis fuse, & rigorose sumptis.

74 Sexto, omne quod corrumpitur, a suo contrario corrumpitur 1. Phys. 47. 1. de Cœlo 20. p. de Gen 52. Forma subsistantialis non habet contrarium, quia subsistantiæ nil contrariatur, ergo &c. Confirmat in ratione octava, quia materia ideo a contrariis non destruitur unquam, quia nulli est contraria, sed neque forma ulli est contraria. Si dicas ratione connexus subsistantiæ cum accidente provenire formæ interitum, propterea quod omnis subsistantia flagitet certa quædam accidentia, quibus desinentibus desinat ipsa: Contra instat, tum quia si accidens subsistantiæ connexum perit a contrario valentiore peremptum, non tamen subsistantia peribit, quia accidens destruens non habet contrarietatem cum ipsa, & subsistantia a toto genere est validior accidente, unde si contra eam pugnaret, nunquam prævaleret; Tum quia forma quidem postulat accidentia quædam ad completam actualitatem suam, at secundum se non postulat, quia de se separabilis est, & prior accidente, & omne absolutum prius, essentialiter independens a posteriori potest esse sine illo. Tum 3. ad destructionem minus necessarii non destruitur magis necessarium, at forma subsistantialis est magis necessaria, accidentalis minus. Tum tandem prius essentialiter ad sui esse non posset posterius essentialiter, alioqui nulla esset causa, quæ præcederet effectum tempore 2. Post. 58.

Resp. ut ibi, formas materiales ideo esse corruptibiles, quia ut materiam informent, certas requirunt dispositiones, quibus amissis servari in ea amplius non possunt, cumque extra materiam nequeant consistere, quia ab illa quoad suum esse dependent, non secus ac lumen a corpore luminoso in genere causæ efficientis, ideo extra illam statim pereunt; & hac de causa Tatar. cap. de subsist. q. 2. in fol. ad 3. inter formas subsistantiales admittit contrarietatem virtualem ratione dispositionum contrariarum, quas efflagitant, & Ant. And. 20. Met. q. 5. & Faber ibid. disp. 8. admittunt contrarietatem, si non in omni rigore sumatur, quantum nempe sufficit, ut una dicatur alteri incompossibilis in eodem subjecto, quæ sane repugnantia sufficit, ut una alteram destruere dicatur, & in hoc sensu omne, quod corrumpitur, a suo contrario corrumpitur, non vero semper a contrario rigorose sumpto, imo Mayr. passu 16. in prædicam. veram contrarietatem admitti inter formas subsistantiales, quod absque dubio consultius alleretur, quam earum incorruptibilitatis. Ad 1. impugnationem forma subsistantialis pellitur a materia non ab accidente pugnante, nisi dispositive, sed ab altera forma subsistantiali ei incompossibili, ut declaravimus disp. 7. Phys. qu. 6. art 2. Ad alias tres unica solutione satisfit, probare de potentia Dei absoluta, non autem secundum communem naturæ cursum, juxta quem experimento constat subsistantiam quamlibet certa poscere accidentia pro ejus conservatione, a quibus in suo esse pendent, ut ajunt, a posteriori, velut a conditione concomitante, sic ignis pendet a calore, aqua a frigore &c. unde his rationibus probabat Doct. 2. d. 12. q. contra D. Thom. materiam posse de potentia Dei absoluta existere sine omni forma, quæ ideo minus consulto nunc afferuntur, ut probantes secundum communem naturæ cursum separationem subsistantiæ ab accidentibus; Iterum rursus adverte hoc argumentum plus probare, quam velit Auctor, probat enim non solum formam subsistantialem corrumpi non posse, sed nec etiam a materia pelli, sed perpetuo in ea manere, quia non habet contrarium, a quo pellatur, & sic non tantum formæ, sed composita quoque erunt æterna.

75 Septimo, Materia prima æterna est, ergo & forma omnis, quia forma magis participat de esse divino 1. Phys. 81. atqui æternitas est præclara Dei dignitas, per quam Deus definitur 12. Met. 39. quod autem perfectiori similius est, atque vicinius, est melius atque perfectius. Confirmat per rationem decimam ex 3. Top. loc. 1. *quod est dintiuvnius, & stabilius hoc melius*, si ergo forma melior est materia, erit diuturnior illa, vel non minus ea. Resp. ad hoc satis dixisse disp. 2. Phys. qu. 8. art. in fine, quare locus ille topicus intelligi debet, cum ceteris suis paribus; vide ibi auream regulam a Scoto traditam 1. d. 8. q. 1. ad 1. quam etiam suus declarat 4. d. 12. q. 2. §. *hic sunt duæ opiniones*.

Octavo, si forma subsistantialis accedat ad materiam, & ab ea recedat absque ortu, & interitu materiæ, bene tamen ipsius, tunc forma subsistantialis non differret ab accidentali, nisi nomine tenus, tota enim definitio accidentis de illa verificabitur, *quod adest, & abest subjecto præter subjecti corruptionem*. Nec valet, quod ajunt nonnulli, accidentis in actu priori simpliciter esse oportere, unde prius in materia recipitur forma subsistantialis, quam accidentalis. Hoc voluntarie dicunt, neque enim in definitione accidentis ea conditio est reposita. Resp. ad hoc quoque abundanter dixisse disp. 2. Phys. q. 1. art. 1. in fol. ad 2. & art. 3. & disp. 5. q. 11. art. 3. nam his in locis ubere differentia assignatur formæ subsistantialis ab accidentali: interim neque adhuc argumentum concludere intentum, si totum illi concedatur, adhuc enim nec ipse discrimen assignabit formæ subsistantialis ab accidentali, si enim dicat ex hoc differre, quod forma accidentalis, dum a subjecto divellitur, statim interit, secus subsistantialis; non satisfacit, quia & nos dicemus, ut ipse objicit aliis, hoc esse voluntarie dictum, nec in definitione accidentis eam conditionem reponi, atque ideo totam ex integro convenire formæ subsistantiali, etiamsi separabilis ponatur, & incorruptibilis.

76 Postremo perfectum est prius imperfecto etiam tempore 1. de Cœlo 10. forma est materia perfectior, & antiquior in rerum natura, si ergo materia suæ existentiæ exordium nescit, tanto magis forma nec ortum, aut interitum patietur. Resp. hoc etiam plus æquo probare, si enim materia est æterna, & forma est antiquior materia, ac prior nedum perfectione, sed etiam duratione, profecto plusquam æterna erit, & ante æternitatem; jam igitur disp. 1. de Cœlo q. 5. ab initio contra eundem Auctorem, cui propositio illa valde familiaris est, diximus non esse universaliter, sed indefinite accipiendam, & præsertim in proposito veritatem habere non potest, quia potius materia præcedit formam prioritate originis, ut docet Doctor 2. d. 12. q. 1. & 2. ex D. Aug. quo autem sensu forma sit prior materia, vide Doctorem 7. Met. q. 6. Ant. And. & Zerb. ibidem. Accedit ex ea majori absolute prolata æque bene inferri posse compositum etiam tempore præire materiam, & formam, quia est perfectius ambobus; Vide, quæ consequentiæ deducantur ex quibusdam propositionibus, quas indefinite protulit Arist. & hi blaterones ejus recipiunt pro universalissimis, quasi propositiones omnes Arist. sint universaliter veræ, sane aliam asserunt propositionem 9. Met. 15. huic ex diametro oppositam, priora generatione sunt posteriora perfectione, quomodo ergo ambæ erunt universaliter veræ? Irrationabilis hic philosophandi nonnullorum modus inde traxit originem, quod isti simplicissimæ, & jejunæ Arist. auctoritati nimium fidunt, nec nisi solis auctoritatibus sua asserta probant, quod quam virum Phylosophum dedeceat, diximus supra disp. 1. q. 1. art. 1. & adhuc magis ostenditur lib. expurg. querel. 4. contra Ferchium; & quæ idem Auctor aggregavit lib. 3. defens. ad tuendas suas hasce tationes soluta sunt, ac satis impugnata disp. 12. Met. q. 5. art. 1.

QUÆSTIO III.

An in rerum naturalium generatione, & interitu fiat resolutio usque ad materiam primam.

77 Sensus quæsiti non est, ut quis ex quæsiti titulo hallucinari posset, an in corruptione alicujus sic ad materiam primam deveniatur, ut nuda absque omni forma subsistantiali maneat, id enim naturaliter contingere non posse jam diximus disp. 2. Ph. q. 3. art. 1. sed

sed est, an cum res corrumpitur, & forma succedenti materia subijcitur, num sola maneat materia prima, itaut omni forma tam substantiali, quam accidentali, quibus antea inducta erat, in eo instanti exuatur, atque adeo nullus actus, seu substantialis, seu accidentalis idem, qui præfuit in re corrupta, servari valeat in genito. Unde hæc quæstio, in quantum attinet ad formas substantiales, coincidit cum ea, an in composito substantiali dari possint plures formæ substantiales subordinatæ, itaut aliqua earum, in re genita servari possit, quæ præfuit in corrupta; inquantum vero attinet ad formas accidentales, coincidit cum ea, an eadem numero accidentia possint permanere in genito, quæ præfuerint in corrupto.

Tres extant sententiæ in hac celebri controversia, duæ extremæ, & una media. Prima extrema est Thomistarum, qui ex duobus principiis in eorum schola receptissimis, unum est implicare pluralitatem formarum substantialium in composito, alterum est, non materiam primam, sed compositum ipsum esse proprium, & immediatum subjectum accidentium, consequenter deducunt in omni generatione, & corruptione tam in formis substantialibus, quam in accidentalibus, usque ad materiam primam resolutionem fieri, ita D. Thom. 1. p. q. 76. art. 6. & 4. contra gentes p. 2. c. 58. & ejus magistri Alensis 1. p. qu. 57. memb. 4. & Alber. 2. p. summæ de homine apud Arest. disp. 2. q. 11. sect. 1. Capreol. 2. d. 15. q. 11. Cajet. in summam loc. cit. & 2. de Anima cap. 1. & de Ente, & essentia q. 17. Hervæus Quol. 4. qu. 10. de Unitate formarum q. 16. & 17. Ferrar. loc. cit. contra gentes, Scoto 1. Phys. 7. Sonc. 8. Met. q. 8. Javell. q. 4. Bannez de Gen. q. 8. Compl. disp. 3. q. 6. Ægid. 1. de Gener. com. 24. & 2. com. 25. Buccafer. 1. de Gener. & Pomponatius in lib. de Nutritione, & Accretione; Fonsec. 8. Met. cap. 1. qu. 2. Conimb. vero 1. de Gen. cap. 4. qu. 18. esto in secundo principio cum Thomistis non consentiant, censent namque subjectum accidentium esse materiam primam, non compositum; adhuc tamen & ipsi volunt fieri resolutionem usque ad materiam primam, etiam in accidentibus, quia habet pro inconvenienti unionem materiæ cum accidentibus esse firmiorem, quam cum forma substantiali.

Altera extrema est Averroistarum, qui ex duobus principiis Thomistarum ex diametro oppositis, nempe & dari pluralitatem formarum substantialium in eodem composito, & subjectum immediatum accidentium præfertim quantitatis, esse materiam primam, consequenter asserunt non in omni generatione, & corruptione usque ad materiam primam resolutionem fieri, nec quoad formas substantiales, nec quoad accidentales, imo quoad istas nunquam fieri, quia quantitas ut minimum semper eadem manet in genito, & corrupto, cum perpetuo materiæ hæreat, velut ejus passio; citantur pro hac parte Averr. 1. de Gen. com. 24. & 2. de Gen. com. 25. Avicen. 1. suffic. c. 6. Zimar. theor. 46. Niphus 8. Metaph. disp. 4. Mercen. in suis dilucid. Zab. lib. de Gener. & interitu c. 7. Piccol. 1. de Gen. super text. 24. Achill. de elementis lib. 2. dub. 3. Contaren. q. de Gen. & Corrupt. c. 5. & 6. Nobil. 1. de Gen. c. 5. q. 3. Morisc. disp. 1. de Gen. dub. 6. citantur etiam Græci Interpretes, ut Philop. 1. de Gen. com. 70. Alex. 1. Metheor. c. 1. & quidam Nominales.

Tertia denique Sent. media est Scotistarum, qui cum Thomistis in uno tantum convenientes principio, & ab Averoistis dissentientes, quod nempe compositum sit proprium accidentium subjectum, & in altero e contra cum istis assentientes, non cum illis, quod nempe detur pluralitas formarum substantialium saltem in viventibus, consequenter media via incedunt, dicentes in quibusdam corruptionibus, scilicet viventium non fieri resolutionem usque ad materiam primam, quia remanet in cadavere forma mixti cum accidentibus eam consequentibus, in cæteris vero fieri usque ad materiam primam, itaut nulla prorsus forma, nec substantialis, nec accidentalis maneat in genito, quæ fuerit in corrupto; ita Doct. 4. d. 11. q. 3. ubi statuit pluralitatem formarum in viventibus, & 2. d. 3. q. 4. & d. 12. q. 2. & d. 15. q. un. & 4. d. 11. q. 2. & d. 12. qu. 4. quibus in locis corpus statuit subjectum quantitatis, & qualitatum, non materiam, Ant. And. 8. Met. q. 3. Zerb. ibi q. 1. Tataretus 1. de Gen. q. 1. not. 4. & dub. 1. Faber. theor. 75. Cavell. disp. 1. de Anim. sect. 17. Ragus. disp. peripat. 38. Biragus 1. de Gen. qu. 6. licet non ex principiis Scoti, sed Zab. ut notavimus disp. 3. Phys. q. 1. Roccus 1. de Gen. q. 9. & 10. & passim alii Scotistæ, & hæc est tenenda.

ARTICULUS I.

In viventibus non fit statim resolutio usque ad materiam primam.

78 Dicimus itaque in viventium interitu non fieri resolutionem usque ad materiam primam. Probatur, quia in viventibus datur ultra animam forma mixtionis, quæ dici solet corporeitatis, eo quia per diversas formas partiales carnis, ossis, nervi, &c. dat illis illud esse corporeum, ac dissimilare, quod est proprium perfectibile animæ, & hæc forma remanet adhuc per aliquod temporis intervallum in materia post dissolutionem animæ a corpore, quo temporis spatio dicitur forma cadaveris, sicut ante animæ adventum dicebatur embryonis, remanent quoque cum illa forma accidentia quamplura, quæ erant in vivente, ergo in viventibus statim, & immediate non fit resolutio usque ad materiam primam, nec in substantialibus, nec in accidentalibus formis. Assumptum, unde rota hæc conclusio dependet, fuse probatum est disp. 2. Phys. qu. 4. art. 2. & disp. 5. qu. 6. art. 1. & omnia argumenta in contrarium diluta.

Verum quia Arriaga nuperrime post nostræ Physicæ editionem acerbissime in eam sententiam invehitur disput. 6. Phys. sect. 6. æmulatione accensus cujusdam sui Collegæ (ut facile ex ejus verbis colligitur) nobiscum sentientis, libet per excursionem quasdam rationes poriores pro nobis loc. cit. adductas, rursus recurrere, ut ostendamus non esse tam debiles, ut arbitratur Arriaga, & quidem ab initio disputationis ostentat hic Auctor se se non veritatis indagandæ zelo, sed livore, & æmulatione hanc concertationem suscepisse, ait enim hanc quæstionem a pluribus jactari celeberrimam, & decisionem pro parte Scoti in scholis invaluisse, nullum tamen mysterium, se unquam in ea vidisse, nec partem Scoti ita invaluisse, ut jactant, quia in Hispania nullus eam defendit, imo nec ex professo impugnare dignatur, tanquam rem sine solido fundamento, in Italia pauci, & in partibus Germaniæ (ubi scribebat) rarissimi, omnes denique e sua societate, quotquot sua typis mandarunt, contrarium docuisse duobus exceptis. P. Dandino, & P. Coninch. in quibus ergo scholis invaluit? inquit hæc Arriaga Hispano supercilio. Immerito tamen hanc quæstionem de pluralitate formarum in composito asperatur hic Auctor, in qua tot viri graves calamum adhibuerunt, & integros de hac re tractatus lucubrarunt, immerito etiam ait sententiam Scoti in scholis non invaluisse, non ne viget in schola Scotistarum? nonne in schola Averroistarum, cum omnes Medici, Philosophi sæculares omnes eam, incunctanter tueantur? quoque Nominales eam sectantur? an ne istæ non sunt scholæ? ex quatuor igitur scholis in dominio Philosophico existentibus Averroistar. Thomist. Scotist. & Nominalium tres fere nostram sectantur, & petit Arriaga in quibus scholis invaluit? tot denique habet assecias, ut Bann. ipse dicat 1. de Gen. qu. 8. *quotquot Theologi, & Physici, & Metaphysici sunt, contra D. Th. conjurasse videntur*, & inquit Arriaga nullum habere defensorem? certe nullam putat iste extra Societatem extare scholam, nullumque præter Jesuitas scripsisse auctorem, quod facile colligitur ex toto ejus opere, in quo non citat, nisi Auctores suos, nec nisi cum suis disputationem init, etiamsi typis scripta non dederint, cum exteris manus conferere dedignatur, qui mos scribendi apud Recentiores Jesuitas invaluit minime laudandus, non enim in hunc modum scripserunt Suarez, Vasquez, Molina, Fonseca, Conimb. & alii præclarissimi Societatis Auctores, exteros enim æstimabant, & eorum auctoritate sua fulciebant placita, vel eos graviter impugnabant, ut postulabat occasio, nec tempus insumebant in respuendis privatis placitis Collegarum, & responsis datis intra domesticos parietes, ut moris est modo Recentiorum, scribentium, concludimus hanc scribendi rationem noviter adiuventam superbiam in eis arguere, dum cum exteris differere renuunt, vel timorem, sed de his satis: percuramus modo rationes Scoticas ab ipso pro nostra sententia adductas, & videamus, an illis bene occurrat.

79 Prima ratio, ab ipso adducta, est, quam Doctor 4. d. 11. cit. q. 3. art. 2. deducit ex mysterio Eucharistiæ, ubi terminus conversionis, qui ponitur ex vi verborum, est ipsum corpus Christi ab anima constinctum, nam si Hostia consecrata a Christo in cœna in pixide fuisset in triduo servata, permansisset ibi eadem res primo contenta, & non anima, quæ erat a corpore separata, unde anima modo per concomitantiam solum ponitur sub speciebus, ut decernit Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. tunc subsumit Doctor, corpus Christi ab anima constinctum non dicit solam materiam primam, quia hæc per se non est corpus, sed pars corporis, & si esset corpus, tamen non est corpus dissimilare, & ætherogeneum, quale est corpus humanum ab anima perfectibile, ergo erit materia prima cum forma corporeitatis integrata ex diversis partialibus, in hoc enim sensu admittit Scotus 3. d. 4. q. un. formam corporeitatis in viventibus, ut diximus in Phys. loc. cit. non autem quasi sit unica forma mixtionis pro omnibus, & singulis partibus corporis, ut ei Arriaga impingit, & in hoc sensu defenditur ab omnibus Scotistis Ant. And. q. 10. de tribus principiis, & 7. Met. q. 6. ubi est Scotus ipse q. 20. Zerb. q. 18. Faber theor. 75. Tatar. 2. de Anim. q. 1. dub. 2. Trombet. 8. Met. q. 2. Mairon. 2. d. 16. qu. un. & alii.

80 Resp. Arriag. terminum conversionis esse materiam cum diversitate, & varietate accidentium, quæ sufficit ad organizationem, nec habet pro inconvenienti poni sub speciebus hæc accidentia ex vi verborum formaliter, & non per solam concomitantiam. Contra urget efficaciter Doctor, tum quia non sunt efficaciora verba super sanguinem, quam super corpus, sed dicendo *hic est Calix Sanguinis* non potest fingi terminus conversionis esse sola materia sub accidentibus, quia *illud* non est sanguis, sanguis enim dicit aliquam substantiam, quæ generatur a nutrimento assumpto, & est proxime convertendum in carnem, non autem generaretur, nec converteretur, nisi haberet propriam formam substantialem. Tum quia si aliquod accidens includitur in per se termino conversionis, tunc illa non esset mera conversio substantialis, nec mera transubstantiatio, sed mixta ex substantiali, & accidentali: At inquit Arriag. hoc non sequi, quia hæc conversio habet pro termino ad quem primario solam substantiam. Sed nos tunc inferimus, ergo nullum accidens ponitur ex vi verborum formaliter, ut ipse dicebat, sed tantum concomitanter, quia non ponitur primario, sed secundario, ex quo patet Arriag. in hac eadem responsione non satis sibi constare. Tum quia *cum dicitur, hoc est Corpus meum*, non ponitur aliquid distrahens a veritate carnis, & ossis, & hujusmodi, sed potius ut includit omnes partes ejus, quod est primo animabile, *sed si diceretur, hoc est caro, vel os*, videretur fictio ponere terminum conversionis esse tantum materiam cum quibusdam accidentibus, ergo multo magis

gis in proposito accipiendo corpus, ut est quoddam includens omnia ista, sicut hic accipitur, prob. min. ex Angesto lib. 2. de formæ proprietatibus fol. 25. & Mair. d. 16. càro, os, nervus, & similia non tantum accidentaliter differunt, sed specie essentiali, quia proprietates habent diversas, & diversas dispositiones permanentes, quæ sicut non nisi in entibus specie differentibus reperiri solent, ita arguunt formas substantiales diversas, & hoc negato præcluderetur via probandi aliqua entia naturalia differre specie essentiali, & dicere possemus aurum, lignum, & lapides non nisi accidentaliter differre, *imo* ait Angest. ibi majorem diversitatem dispositionum, & operationum deprehendi inter quædam membra animalis, quam reperiatur inter plumbum, & argentum, cum quædam temperamentum *calidum deposcant, ut cor*; quædam frigidum, ut cerebrum: alia humidum, ut medulla; alia siccum, ut ossa; ergo si ex quadam notabili varietate accidentium, & dispositionum concludimus inter plumbum, & argentum differentiam specificam, eo magis eandem concludere debemus inter carnem, os, &c. Tum tandem, quia falsum est corpus organicum importare solam materiam cum illa accidentium varietate, quia esse carneum, esse osseum, & nerveum est esse substantiale, & non accidentale tantum, unde ut notant Angest. cit. Tromb. 7. met. qu. 3. art. 2. Bassol. 4. d. 12. qu. 1. & alii Scotistæ, duplex est organizatio materiæ, una essentialis, altera accidentalis, hæc utique consistit in debita proportione accidentium scilicet qualitatum, quantitatum, & figurarum, at illa in diversis formis partialibus mixtionis ossis, nervi, &c. Insuper, ut *aliquod corpus dicatur ætherogeneum, non* suffi-cit, ut ejus partes solis accidentibus differant, alioquin ferrum, cujus una pars sit calida, altera frigida, ætherogeneum esset.

81 Altera ratio Doctoris, quam adducit n. 58. est Phys. (rationes enim nostri Doctoris hic tueri intendimus, non alias) quia quando homo moritur, non introducitur forma aliqua substantialis, ergo debet ibi manere aliqua antiqua, ne materia maneat sine ulla forma substantiali, & hæc erit forma mixtionis. Resp. in primis neg. conseq. habet pro inconvenienti materiam in aliquo casu manere naturaliter sine forma, & sicut licet nobis admittere ens incompletum in rerum natura per se existens, scilicet corpus sine anima, ita licebit ei admittere materiam sine forma, nec majori censura poterit ipse carpi, quam nos. Vide quantum audeat hic Auctor, ut mordicus oppositam tueatur sententiam, ad solvendam primam rationem theologicam ausus est ponere aliquod accidens corporis Christi sub speciebus ex vi verborum, in quo trepidarunt antiqui omnes scholastici, *imo* manifeste negarunt; hic vero audet admittere naturaliter posse materiam sine forma existere, quod hactenus Philosophorum nemo non abhorruit, cur autem id contingere nequeat, diximus disp. 2. Phys. q. 3. art. 1. Hujus autem ausus ansam non bene sumit ab eo, quod nos dicimus de corpore absque anima manente, aliud enim est admittere compositum in rerum natura per se existens ex materia, & forma mixtionis incompleta, & animæ subordinata coalescens, ut est corpus pro altera parte, aliud vero admittere materiam nudam, & sine omni prorsus substantiali forma, ut diximus disp. 5. Phys. q. 6. art. 1. Accedit non deesse Auctores nostræ opinionis asserentes corpus anima destitutum esse directe in prædicamento sub genere corporis mixti, quia tunc non habet rationem partis, se totius, *unde evadit ens completum, & proportionatum* prædicamento, ita loqui videntur Mercen. & Zab. cit. *imo* Aresius 1. de Gen. disp. 2. qu. 9. sect. 4. id asserere videtur de ipso, etiam cum actu constituit animal, quia forma corporeitatis etiam tunc temporis dat esse genericum, specificum, & individuale in suo ordine, ut caro hoc esse carneum, os osseum, &c. Sed certe si loquamur de prædicamento substantiæ, ut modo constitutum est, corpus pro altera parte directe in prædicamento collocari non potest, ex dictis disput. 7. Log. qu. 1. art. 1. neque cum actu constituit animal, neque cum anima destitutum est, nam in primo casu habet formalissime rationem partis, quæ excluditur a recta linea prædicam. ex dictis disp. 6. Log. q. 3. art. 1. nec etiam in alio casu, quia licet actu non habeat rationem partis, adhuc tamen est ens incompletum, & animæ essentialiter subordinatum per *modum* materiæ, ut ergo anima rationalis etiam a corpore separata non ponitur in prædicamento directe, ita nec corpus pro altera parte, sed est individuum incompletum in specie incompleta mixti, & sub genere, etiam constituendo corpus mixtum in communi ad mixtum completum, & incompletum, & ita verum est in hoc sensu, quod ajebat Aresius formam carnis tribuere esse genericum, specificum, & individuale, neque hoc negavit Doctor, ut ei impingit. Dices frustum ligni ita videri ens completum, ut frustum ferri, vel auri. Hoc debet negari, quia ferro, vel auro videbimus nihil deesse, at arido ligno videmus deficere animam vegetantem, & ideo esse ens incompletum arguimus.

82 Declinat idcirco Arriag. ad communem responsionem neg. assumptum, cum enim animal moritur, succedit nova forma cadaveris. At contra hanc solutionem primo urget argumentum theologicum, quia si animæ Christi succesit forma cadaveris in triduo, ergo corpus Christi *corruptum est* contra scripturam, ut late deduximus disp. 2. Phys. cit. illud enim dicitur cum omni proprietate corrumpi, quod in aliam substantiam, nedum specie, sed etiam *genere* diversam transmutatur, talis autem transmutatio secuta esset in morte Christi ex solutione data, quia corpus vivum, & cadaver ita differunt. Resp. scripturam dicere corpus Christi non esse corruptum, quia non abiit in vermes, & cineres, ut regulariter evenit de cadavere, non autem vult innuere, quod non advenerit nova forma cadaveris, alioquin apud nos ponentes formam mixtionis remanere in animalis interitu, nullius animalis corpus corrumperetur, atque ideo non fuisset speciale corporis Christi privilegium, quæ impugnatio urgere videtur ad hominem, nec tangitur ab Arriag. Cæterum esto verum sit, neque præfato modo corpus Christi vidisset corruptionem, quia non abiit in vermes, & cineres, tamen hoc non sufficit, nam ad salvandum sensum scripturarum, & Patrum dicere debemus ita incorruptum remansisse, ut neque abierit in novam cadaveris formam, ratio est, quia Patres asseverant ita illibatum mansisse, ut fuerit omnino idem numero corpus mortuum, quod erat vivum, sicut evidentissimis auctoritatibus probat Doctor loc. cit. non ergo sufficit dicere ideo incorruptum remansisse, quia in cineres non abiit, si enim semel concedatur abiisse in formam cadaveris, hoc solum sufficit ad destruendam identitatem, & unitatem *numericam corporis* Christi *vivi*, & *mortui*, utrumque requiritur ad hanc salvandam, & quod non abierit in cineres, & neque in formam cadaveris novam, quo sensu non convenit regulariter aliis corporibus. Conatur Arriag. num. 69. & 70. non in tanto rigore intelligere Patres, & illos explicare de identitate numerica morali, non Physica. Sed contra obstat, quæ urgemus disp. 2. cit. qu. 4. art. 2. & quod obiicit Doctor loc. cit. ex veritate Eucharistiæ, quæ fundatur in unitate numerica corporis Christi vivi, & mortui Physica, non morali, ita enim postulat veritas verborum *hoc est enim Corpus meum*, quod nempe corpus contentum sub speciebus etiam in triduo (si species servatæ fuissent) sit illud idem, quod anima informabatur, dum vivebat, hoc autem infert *identitatem* Physicam, non *moralem*.

83 Rursus contra vulgarem illam solutionem de novo adventu formæ cadaveris militat argumentum Physicum Doctoris, quia nulla est causa, a qua producatur talis forma, quis enim quando homo strangulatur, vel jugulatur, producit eam formam? præterea sive homo frigore, sive calore, sive alio modo pereat, eadem semper remanet forma, at quomodo potest eadem forma induci ab agentibus tam diversis, & cum tanta dispositionum varietate, & contrarietate? Hoc argumentum, quod adeo terruit Adversarios, ut nescientes causam particularem hujus formæ adinvenire, ad universalem, sed sine juvamine, confugerunt, floccifacit Arriag. quia eadem ratione deberemus in igne ponere aliam formam corporeitatis, nam carbo accensus, in quo introducta jam est *forma ignis*, sive extinguatur aqua, sive cineribus, sive oleo calido, sive aqua frigida, sive hoc, sive illo modo, manet semper idem numero carbo, quis ergo ibi introduxit eam carbonis formam? nec dici potest in carbone non fuisse formam ignis, sed adhuc durare formam ligni, hoc enim ex ipso sensu apparet improbabile, quæ enim in carbone extincto cum ligno similitudo, ut dicas habere eandem formam substantialem? certe magis differt carbo a ligno, quam Canis a Lupo, quantum possimus colligere ex his, quæ videmus. At quia videt hanc instantiam non multum urgere, adducit aliam de vino, quod proculdubio specie differt ab aceto, & tamen eadem forma aceti subsequitur, sive vinum calore nimio, sive alia de causa contraria acescat; ait itaque ad argumentum esse aliquas formas, quæ petunt dispositiones valde similes dispositionibus aliarum formarum, ideoque quando illæ dispositiones corrumpuntur, undecunque id proveniat, & a gradu requisito proprio rebus deficiunt, succedere alias, quæ dispositiones in proximo requirebant, & talem esse formam cadaveris, & formam aceti, & carbonis suo etiam modo.

84 Hæc tamen solutio, de qua hic Auctor adeo gloriatur, non est melior aliis, si bene perpendatur, quia compertum est, formam quamlibet determinare sibi connaturaliter certam dispositionem, nec indiscriminatim induci posse per qualibet dispositiones etiam inter se contrarias, nam impossibile est dispositiones contrarias esse illi connaturales, affingnetur ergo hæc certa dispositio, quam petit forma cadaveris ad sui introductionem, vel est excessus caloris, vel frigoris, si primum, ergo ab agente frigido induci non poterit, si secundum, ergo non a calido, si ergo indifferenter remaner eadem post quamcunque alterationem, fatendum est tunc non produci de novo, sed esse illam, quæ antea extabat. Nec dicere valet induci eo ipso, quod corrumpuntur dispositiones pro anima requisitæ in tanto gradu, puta tot gradus caloris, frigoris, & humoris, hanc autem corruptionem fieri posse a diversis, imo contrariis agentibus, & eo ipso, quod illæ dispositiones deficiunt ab eo gradu, statim idoneas esse pro forma cadaveris. Hoc non valet, quia deficere possunt a tali gradu, vel per excessum frigoris, vel caloris, ergo dispositiones contrariæ erunt illi formæ connaturales, quod repugnat, quia sicut determinatam, & certam habet naturam, ita quoque determinatas petit dispositiones, ergo nil novi producitur per actionem corruptivam ipsius animati, sed solum derelinquitur. Dices dispositionem determinatam pro forma cadaveris esse eandem qualitates pro anima requisitas, sed in gradu proxime inferiori, ad quem devenire possunt per actionem corruptivam diversorum agentium. Contra, quia potest expelli anima per defectum, vel *excessum* caloris, vel frigoris, si ergo non est determinata dispositio, quæ animam expellit, nec etiam determinata dispositio pro forma cadaverica unquam assignari poterit; tum quia cum illæ qualitates a gradu pro anima requisito defecerint, & ad illum inferiorem gradum pervenerint, percontabimur, cur potius introducatur forma cadaveris, quam embrionis, quæ etiam eadem, quæ animæ inserviunt, dispositiones postulat, sed in gradu inferiori, tum quia forma cadaveris opponitur formæ viventis, ut mors vitæ, ergo falsum est similes petere dispositiones, imo petit potius dissimiles omnino, ac oppositas, nam ad quid petit materiam organizatam, si est forma

forma cæca, surda, muta, mortua ad opera vitalia prorsus inepta? Deinde potest animal interire absque prævia alteratione illarum qualitatum caloris, & frigoris, ut cum ictu oculi decapitatur, ita quod animæ eo momento non deficit gradus caloris pro informatione necessarius, sed sola membrorum continuitas, ergo tunc non introducitur nova forma, vel introducitur ante debitas dispositiones. Rursus etiamsi intercat præviis alterationibus, adhuc tamen in corpore mortuo manere videmus multa accidentia connaturalia, quæ prius aderant, eandem scilicet gravitatem, eandem in herba virtutem, odorem, &c. cum ergo eadem permaneat collectio accidentium connaturalium, debet necessario, una, eademque forma permanere, a qua ea collectio procedat. Imo non solum eadem permanent accidentia connaturalia, sed etiam adventitia, ut cicatrices, vulnera, &c. quod si pro causa permanentiæ assignetur, ut soler, identitas subjecti, scilicet materia eadem manens in genito, & corrupto; præterquam quod falsum est ipsam esse subjectum accidentium, adhuc non satisfacit, nam ratio assignanda erit, quare cum ex homine cadaver generatur, remaneant cicatrices, & alia signa eadem, & non etiam quando ex cadavere generantur cineres, & vermes, cum tamen adhuc maneat eadem materia.

85 Instantiæ quoque, quas adducit ad suæ solitudinis fomentum de carbone, & aceto, potius sunt ad oppositum, & ipsum jugulant, quando enim lignum comburitur, non ita perfecte forma ignis introducitur in toto ligno, ut nihil formæ ligni remaneat, sed ob resistentiam, & pugnam contrariæ qualitatis semper in quibusdam partibus adhuc forma ligni perseverat, quibus forma ignis non se se insinuat sed tantum extrinsecus adhæret, ut diximus disput. 4. de Cœlo qu. 2. art. 3. ex professo; unde postea in carbone extincto poros videmus remanere, & foramina quædam, in quibus ardebat ignis; Nec est, quod dicat Arriag. nullam habere carbonem cum ligno similitudinem, imo magis differre a ligno, quam canis a lupo, quantum colligere possumus ex his, quæ videmus. Ediserat quæso, unde tantam collegerit ipse differentiam, ex nigredine forte? non equidem, nam, & alia in igne nigrescunt ex Arist. lib. de Coloribus c. 1. sine propriarum amissione formarum, imo potius ex quantitate, odore, levitate, qua aquis supernatat, concludere debemus carbonem esse lignum illud idem, quod cæpit ignis comburere, sed non perfecte combustum, & ideo etiam deinceps est aptum pro igne pabulum. Nec etiam valet instantia de aceto, sed potius est ad oppositum, quia falsum est ad quamcunque alterationem in vino factam sequi formam aceti, non enim cum vinum corrumpitur, semper acescit, sed aliis quocque modis marcescit, & putrefit juxta diversitatem agentium, & alterationum, at ad corruptionem animalis a quocunque fiat agente, & quomodocunque, semper sequitur eadem forma cadaveris.

86 Tertia ratio, quæ item est Doctoris, ex eo robur sumit, quod tum anima, præsertim in homine sit mere spiritualis, nequit dare esse corporeum, & extensum, & præsertim tale, quale exigitur a vivente, dissimilare nempe, & organicum. Resp. Arriag. nu. 72. quod esto anima rationalis non sit corporea, adhuc tamen complet materiam in ratione corporis physici, quod solum dicit compositum ex materia, & forma, unde cum anima sit vere forma informans, complet materiam in ratione corporis prædicamentalis. Hæc solutio fuse reiicitur a nobis disp. Phys. cit. quia esse corporeum, quod exigitur a vivente, non est qualecunque esse corporeum, sed est esse corporeum, dissimilare, & organicum, hoc autem ab anima haberi non potest, non a rationali, quia spiritualis, non sensitiva, & vegetativa, quia est uniformis, non a sola accidentium varietate hærentium materiæ primæ, quia esse carneum, & osseum non est esse accidentale, sed substantiale, ergo a formis partialibus mixtionis. Conf. quia hoc esse corporeum dissimilare etiam post animæ abjectionem perseverat, & adhuc oculus differt essentialiter a pede, non ergo id habebatur ab anima, neque ab ejus unione cum corpore, sed a formis partialibus, quæ quia remanent post animam in materia, ideo adhuc corpus dissimilare constituunt. Deinde non solum animal vivens, sed etiam cadaver, & embrio sunt corpora ætherogenea, & constant ex partibus diversæ rationis; nec dicas eorum partes solum accidentibus differre, quia si hoc in corporibus sufficeret ad inferendam ætherogeneitatem, tunc ferrum, cujus una pars est calida, altera frigida, terra cujus una pars est humida, altera arida, essent corpora ætherogenea, unde ergo causatur hæc partium diversitas? certe salvari non potest, nisi vel nobiscum admittendo formas partiales mixtionis, vel formas cadaveris, & embrionis ætherogeneas, quod nullus hactenus dixit; alias rationes pro nostra Sent. impugnat ibi Arriag. quas quia non sunt Doctoris, tueri non curamus.

Oppositum tenet Arriag. his rationibus. Primo, quia sine causa multiplicamus formas partiales, nam tota varietas dispositionum, & organizationis potest oriri sufficienter ab ipsa anima, quia per nos ipsa anima petit immediate ipsam varietatem formarum substantialium, ergo etiam poterit petere per se immediate ipsam varietatem dispositionum sine ulla forma substantiali media. Deinde formæ illæ in viventibus nil operantur, & dum meteria completur per animam rationalem ad nullum prorsus munus, neque finem necessariæ sunt, nisi tantum, ut dormiant, quousque absente anima ipsæ jam incipiant ibi dominari, & domus curam habere. Tandem quia sequitur illas formas partiales esse accidentales, non substantiales, nam conceptus substantiæ non consistit in eo, quod primo antecedit, quantitas enim, & aliæ dispositiones formam antecedunt, sed consistit in eo, quod sit prima radix cæterorum præsertim in genere causæ finalis, idest, id propter quod omnia ea in subjecto producuntur, cum igitur hæ formæ partiales a nobis positæ sint propter animam, necessario erunt accidentia, non secus ac aliæ dispositiones.

87 Resp. has rationes non esse adeo urgentes, quod ita plausibiliter, sicut sibi videtur, deberet a nostra sent. recedere, & singulas rationes pro ea irridere; Ad 1. negatur assumptum, quia anima determinatur ad videndum in oculo, audiendum in aure ex *dispositionibus* ipsius oculi, & auris; at si *etiam* ipsæ dispositiones essent ab anima, non esset, a quo determinaretur ad producendam talem dispositionem in hac parte, & talem in alia; & si dicas determinari ab accidentibus præexistentibus in materia prima, rursus inquiretur, a quo sint determinata accidentia præexistentia, & cur hæc accidentia sint potius huic parti materiæ connaturalia, & non alteri, cum ipsa de se ad omnia sit indifferens; cum probatur assumptum, neg. conseq. esto. enim anima petat diversa organa, & varias dispositiones in eis; istæ tamen haberi non possunt nisi per diversas formas substantiales, unde consequentia illa non tenet, sicut neque ista valeret, anima immediate petit varietatem temporariam, ergo etiam immediate petere potest varietatem operationum sine ulla potentia media. Ad 2. neg. assumptum, nam immediate informant materiam primam, constituunt membra animalis specie distincta, & faciunt corpus illud ætherogeneum, quod sola *accidentium varietas* efficere nequit, & tandem animæ famulantur ad varias operationes exercendas; quomodo ergo inquit eas dormire, & nil operari? verum quidem est præsente anima eas non dominari, sed famulari, sed ob id non operantur? numquid solus dominus operatur in domo, & stertit famulus? Ad 3. neg. conseq. luculenter enim ostendit Doctor loc. cit. in 4. verf. *secunda ratio principalis*, quomodo admissa pluralitate formarum in composito quarum una sit dispositio, ad aliam, adhuc bene salvatur distinctio inter formam substantialem, & accidentalem, & quod forma subordinata sit substantia, ac etiam forma superveniens, cujus doctrinam retulimus q. 1. hujus disp. art. 1. quam hic repetere non refert, cum ibi possit videri; ad prob. conseq. neg. assumptum, quia ratio substantiæ non consistit in eo, quod sit radix cæterorum in genere causæ finalis, itaut quod est alterius gratia, statim sit accidens, illud sit substantia, nam materia est propter formam, nec tamen est accidens, materia, & forma sunt propter compositum, imo universaliter esse est propter operari, numquid ergo esse est accidens operari substantia? conceptus ergo substantiæ, & substantialis formæ consistit in eo, quod det esse simpliciter, & accidentalis, quod det esse secundum quid, eo modo, quo declarat Doctor loc. cit. & nos cum eo disp. 5. Phys. qu. 11. art. 1.

88 Hæc igitur est vera, & peripatetica Sententia, ut docet Zab. de Gen. & inter. cap. 2. Contar. qu. de multitud. formarum, Ragusejus in eadem, Piccol. lib. de Mult. form. c. 2. ubi ostendit hanc fuisse veterum Perip. Sent. Alex. Simplicii, & Averrois, quibus addit Galen. & Platonicos; ex; pluribus vero locis, quos ex Arist. adducunt, inquelentissimus est ille qui legitur 1. de Anim. 58. ubi sic loquitur, *similiter autem inconveniens, & rationem mixtionis esse animam, non enim eandem habet rationem mixtio elementorum, secundum quam caro, & secundum quam os, accidet igitur, & multas animas habere, & secundum totum corpus*, quibus verbis diserte docet, animam non esse formam mixtionis, & reddit rationem, quia alioqui oporteret in animali tot animas ponere, quot sunt partes ipsius, ex quo etiam reiicitur opinio ponentium partes animæ sensitivæ ætherogeneas. Ex hac autem nostra Sententia in animatis statuente formam quoque mixtionis ultra animam deducitur consequenter in eorum interitu usque ad materiam primam resolutionem, non fieri statim, & immediate, sed ultimo tandem, & mediate, ita quod verum est in omni generatione, & corruptione fieri semper resolutionem usque ad materiam primam, non semper statim, ac immediate, sed immediate, vel mediate statim, vel non statim, ut ait Ant. And. cit. & ita videtur docuisse Arist. 1. Phys. 82. dum inquit materiam primam esse ultimum, in quod ea, quæ pereunt, resolvuntur, indicans expresse in successiva corruptione progressum istum ex non ultima ad ultimam resolutionem, alioquin frustra ad ultima adderet *in hoc abibit ultimum*; quomodo autem adhuc semper in substantiis verum sit illud axioma, quod corruptio unius est generatio alterius, qu. seq. explicabimus.

ARTICULUS II.

In cæteris compositis fit resolutio usque ad materiam primam.

89 Dicimus deinde in aliis compositis, in quibus una dumtaxat existit substantialis forma, fieri in eorum interitu resolutionem ad materiam primam statim, & immediate. Hæc etiam conclusio est Scoti, & Scotistarum locis supracit. & probatur, cum enim in his compositis non viventibus detur una sola forma substantialis, consequens est in eis quo ad formas substantiales usque ad materiam primam resolutionem fieri, cum corrumpuntur, nullam enim aliam possident formam substantialem, quæ maneat post eorum *interitum*, ut de animatis dicebamus, & rursus cum adæquatum, & proximum subjectum accidentium sit compositum, non materia prima, sequitur etiam in eorundem compositorum interitu usque ad materiam primam resolutionem fieri, etiam in formis accidentalibus, quia post formæ amissionem nullum remanet compositum, quod illa valeat sustinere, ut in animatis dicebamus de corpore,

pore pro altera parte, sed manet sol m materia prima, quæ nuda non est idoneum accidentium subjectum, ergo in his compositis necesse est fieri resolutionem usque ad meteriam primam etiam in accidentibus. Confirmatur, quia ideo in animatis, non fit resolutio usque ad materiam primam in accidentibus, sed aliqua in corpore exanimato remanent, quæ in vivente præfuerant, at quantitas, calor, &c. quia ibi duo aderant composita, unum completum, alterum incompletum, quod erat pars illius, & unumquodque propria habebat accidentia, illud quidem consequentia in animam, hoc autem consequentia formam mixti, & ideo licet eo pereunte scilicet corpore vivente, pereant etiam accidentia, quorum erat subjectum, non tamen cætera pereunt, quæ nempe formam mixti comitantur, quia hæc habebant pro subjecto corpus pro altera parte, non autem vivens, atque ideo cum illud remaneat etiam post animæ abjunctionem, merito ipsa quoque conservatur; cum ergo composita inanimata ex materia prima immediate, & forma constituantur, non vero ex alio composito incompleto, hinc est, quod ipsis intereuntibus omnia quoque singula eorum accidentia interire opus est, nec ullum prorsus accidens, quod erat in corrupto, maneat in genito.

90 Potest etiam probari omnibus illis auctoritatibus Arist. quibus probari solet compositum, & non materiam, esse immediatum susceptivum accidentium, quia scilicet prima substantia primo substat accidentibus, & *ea corrupta nihil remanet* cap. de Substantia, & 1. de Gen. 23. distinguit generationem ab alteratione, quia subjectum alterationis est ens actu, & sensibile, scilicet *compositum* generationis ens in potentia. Et 7. Met. tex. 8. ait materiam recipere prius formas substantiales, ac postea accidentales; his itaque & consimilibus auctoritatibus probari sufficienter potest assertio posita, quamvis enim per eas non sufficienter concludatur compositum esse proprium accidentium subjectum, non materiam, ut diximus disp. 4. Phys. q. 1. inquiunt enim Averroistæ eas concludere tantum formam substantialem esse veluti conditionem materiæ ad recipiendam accidentalem, ita quod materia sit utique semper subjectum inhæsionis accidentium, non tamen nuda, sed dependenter a forma substantiali; attamen sufficienter ostenditur nullum accidens remanere in genito, quod fuerit in corrupto, quia licet subjectarentur in materia, quæ remanet, ipsa tamen non manent, quia ea fovebat dependenter a forma antiqua, quod autem pendet ab aliquo illo deficiente destruitur, cum ergo in corruptione deficiat forma antiqua, opus erit, ut accidentia *præcedentis compositi*, quæ ab ea forma pendebant, vel in genere causæ finalis, vel efficientis, vel ut a conditione destruantur; unde hac de causa Conimb. Zabar. & alii, esto teneant materiam primam esse subjectum accidentium, & non compositum, adhuc tamen, quia ponunt accidentia foveri in ea dependenter ab unione cum forma, hinc consequenter asserunt in genito nullum accidens remanere quod fuerit in corrupto.

Contrarenus tamen qu. de Gener. & Corrupt. c. 7. esto & ipse cum Zabar. sentiat materiam non esse subjectum accidentium nisi dependenter a forma substantiali, veluti a conditione necessaria pro eorum receptione, non quia *ipsa accidentibus* subjiciatur, sed quia quodammodo fulcit materiam ad ea sustentanda, nihilominus adhuc nititur sustinere posse eadem accidentia, quæ *erant in corrupto, remanere in genito*, unde inquit accidentia posse dupliciter considerari, vel ut terminis prædita tam secundum extensionem molis, quam intensionem gradus, vel ut terminata, primo modo dependent, ac exigunt subjectum forma prædituni, a qua siquidem solum, & non a materia terminatio procedit, secundo vero modo optime ex materia dependent, ex ipsaque educi valent, adeo ut talis sit ordo existentiæ rerum, ut scilicet primo sit materia, mox accidentia indeterminata in ea, deinde forma substantialis, ac postmodum accidentia terminis prædita; hac data distinctione occurrit omnibus allatis auctoritatibus dicens, quod cum Arist. ait subjectum accidentium esse sensibile esse actu, ac prius recipi in materia formas substantiales, quam accidentales, semper intellexit de accidentibus in sua perfecta integritate, scilicet potientibus suos terminos, quos non nisi in substantia composita actuali, & sensibili ex munere formæ assequi nata sunt, qua destructa ipsa quoque pereunt quoad esse terminatum.

91 Hæc solutio reiicienda est, quia in primis absolute falsum est accidens aliquod etiam quantitatem ipsam præcedere in materia formam substantialem in esse quodam interminato, ut diximus disp. 2. Phys. qu. 8. ar. 4. tum quia in augmentatione, & alteratione numquam nova quantitas, & qualitas acquireretur, sed solum earum termini, qui etiam cum sint indivisibiles, acquiruntur in instanti, non in tempore, tum quia quamdiu forma est in materia, omnia accidentia terminata sunt juxta ejus exigentiam, vel ergo nunquam dabitur materia cum accidentibus interminatis, quia in nullo instanti datur materia sine forma, vel in aliquo instanti ponenda erit materia sine omni forma, ut ejus accidentia interminata dicantur. Nec enim sufficit dicere quantitatem v. g. & *humiditatem* aquæ esse *interminatam* ante adventum formæ aeris, in quem est convertenda, terminant hæc accidentia in ejus adventu juxta illius exigentiam; minime, quia *esto interminata* dicatur tunc temporis respectu formæ aeris, tamen sunt terminata respectu formæ aquæ, quare cum materia sit semper, & in quocumque instanti sub forma, a quo terminatio procedit, cum accidentibus interminatis nunquam erit. Deinde quando etiam aliquod accidens interminatum in materia deberet admitti, hoc ad sumum de quantitate sola concedi deberet, & quidem distinctionem hanc de terminatione, & interminatione quantitati solæ, *non item aliis accidentibus*, Averroistæ ipsi appropriarunt, unde licentiose nimis interminationem hic auctor ad alia quoque accidentia transfert; sed absolute loquendo nec ipsi quantitati privilegium hoc est concedendum, ut tandem fateri coactus est ipse Zab. quantitatis interminatæ propugnator acerrimus, qui loc. cit. de Gen. & inter. cap. 10. immemor sui cap. præc. inquit, quod in mutatione aquæ in aerem non remanet quantitas aquæ, sed destruitur, quia licet aeri quantitas illa non repugnet, ut absolute considerat, siquidem potest esse aer tantæ quantitatis, attamen illi repugnat, ut tanta aqua genito, cum enim aer sit elementum rarius aqua, necesse est in mutatione aquæ in aerem, ut etiam quantitas aquæ in majorem mutetur, hæc Zabar. ergo nec quantitas, nec qualitas *manet eadem* in genito, & corrupto in compositis unam duxtaxat formam habentibus. Denique per hanc distinctionem non fit satis auctoritatibus allatis, quo subjectum alterationis est ens actu, & sensibile, non generationis, quod compositum per se præcedit compositum per accidens, quod destructis primis substantiis impossibile est aliquid aliorum remanere, &c. nam si semel in corruptione rerum maneant in materia accidentia corrupti, sive maneant in esse terminato, sive interminato, semper sequitur subjectum generationis esse ens sensibile, compositum per accidens præcedere compositum per se, & destructis primis substantiis aliquid *aliorum* scilicet accidentium remanere, quia nimirum quoad suum esse absolute remanent, licet interminatum, quibus materia adhuc redditur sensibilis, & cum eis unum per accidens constituit.

92 Ex his itaque deducitur, quod non tantum Auctores compositum agnoscentes pro immediato accidentium subjecto, sed etiam qui ponunt materiam primam aliquo modo dependenter a forma, velut a conditione, sentire debere, ut consequenter loquantur, fieri resolutionem in corruptionibus præsertim inanimatorum usque ad materiam primam, nec aliquod accidens manere in genito, quod fuerit in corrupto, quod ita ostenditur, licet enim, ut isti opinantur, accidentia proprie inhæreant materiæ primæ, tamen etiam secundum ipsos nequeunt illi inhærere, nisi sit prius informata substantiali forma, palam igitur est, quod si destruitur forma substantialis, quæ est necessaria conditio materiæ, ut accidentia suscipere, ac sustinere possit, ipsa quoque destrui debent, & alia de novo generari in ortu novæ formæ, quæ erit conditio materiam disponens ad illa nova accidentia excipienda.

In oppositum obiiciunt primo duas Arist. auctoritates satis expressas, una est 1. de Gen. 24. ubi asserit in mutatione aquæ in aerem servari eandem perspicuitatem, & humiditatem, expresse concedens posse accidens sensibile, quod fuerit in corrupto, in re genita remanere. Nec valet communis responsio, quam dedimus disp. 3. Phys. qu. 1. in fol. ad 1. accidentia illa communia manere in utroque eadem non quidem numero, sed specie tantum, & in hoc sensu Arist. loqu. Minime, tum quia, ait Aresotiose locutus fuisset Arist. non enim poterat esse dubium specie saltem eandem esse perspicuitatem, & humiditatem in aqua, & aere; tum etiam quia, ait Contar. mutatio ex 5. Phys. semper fit ex contrario in contrarium, irrationabile autem est, nec unquam observatum, ut fiat transmutatto unius individui in alterum ejusdem speciei, ut talis responsio præfert. Altera auctoritas habetur 2. de Gen. & corrupt. 25. ubi docet Arist. inter *elementa* symbolo faciliorem esse transitum, quia una sola qualitas est permutanda, expresse innuens alteram permanere, & idem repetit tex. 27. & 34. Nec rursus suffragatur communis solutio a nobis loc. cit. allata alteram qualitatem manere eandem specie, non numero, adhuc tamen faciliorem esse conversionem inter symbola elementa, quia una tantum ex illis qualitatibus, quæ est contraria, resistit, altera vero scilicet symbola facile cedit, & sine pugna, & per consecutionem variatur. Hoc enim ait Contar. textui repugnat, causam enim assignans Arist. illius facilioris conversionis, non inquit id esse, quia unica, vel plures qualitates resistant; sed expresse ait hoc esse, quia sola qualitas est permutanda.

93 Res. valde mirum esse, cur Adversarii in illa prima auctoritate tantam vim faciant, tum quia, ut adnotavit Rag. disp. cit. c. 8. & patet ex ipso contextu Arist. non loquitur absolute, sed sub conditione, *in his autem si aliqua maneat passio eadem contrarietatis in genito, & corrupto*; Tum quia textu illo oppositum manifeste docet; inquit enim inferius, *quando autem nihil permaneat, cujus altera passio est & accidens; omnino generatio; hujus autem corruptio*; admisso tamen gratis, quod arguens assumit, adhuc dicimus solutionem illam communem satis superque facere, quod qualitates communes genito, & corrupto manent eædem specie, non numero, neque idcirco otiose locutus est Arist. poterat enim utique esse dubium, an qualitates, in quibus elementa conveniunt, essent ejusdem speciei, ut humiditas aquæ, & aeris, cum non defuerint, qui oppositum senserint, ut constat ex disp. 1. qu. 7. & cum dicebatur mutationem fieri semper ex contrario in contrarium, quia terminus ad quem semper fit ex termino a quo opposito, hoc intelligitur de his, quæ per se fiunt, ex propria acquisitione acquiruntur, non vero de illis, quæ consequuntur ad alia, ut bene Complut. advertunt disp. 3. q. 6. nu. 64. Et ex hoc facile etiam explicatur altera auctoritas (licet majorem habeat apparentiam, quam prima) dum enim ait Arist. in elementis symbolis faciliorem esse conversionem, quam in dissymbolis, quia hic duæ, ibi vero una tantum qualitas est permutanda, loquitur de mutatione proprie dicta, quæ fit de contrario in contrarium, ut disputat. seq. dicemus, hac enim mutatione in symbolis una tantum permutatur qualitas, non vero de illa variatione, quæ fit per solam consecutionem ad aliud, quo etiam sensu dum genitum,

nitum, & corruptum conveniunt in uno gradu communi generico, ait 1. Phys. 76. non fieri transmutationem secund. gradum communem, sed tantum secundum specificos, cum tamen certum sit, quemcumque gradum *essentialem* deperdi, cum sint realiter idem.

At contra hæc responsa urgebis id, quod contra Thomistas in simili casu urgere solemus, quando enim nos in animatis non fieri *resolutionem* usque ad materiam probamus ex eo, quia in cadavere manet color, calor, cicatrix, & alia quamplura accidentia, quæ fuerant in homine vivo, & ipsi respondent remanere eadem accidentia specie, non numero, nos incunctanter contra eos clamamus, quod negent experimentum, & sensum ipsum, & quod hoc est mysterium creditu difficilius, quam ipsamet Eucharistiæ transubstantiatio, nam cum sensui non subiiciatur substantia, quid mirum, si circa ipsam decipiatur, putetque *adesse*, cum non sit? accidentia, quæ sunt objecta propria sensuum, variari contra ipsorum judicium, hoc longe difficilius est creditu; hæc itaque omnia contro nos obiici possunt in proposito, dum in generatione aeris ex aqua manente eadem perspicuitate, & humiditate, ac in aceto, in quo manent fere tot accidentia perceptibilia ex his, quæ fuerant in vino, quot in cadavere ex his, quæ fuerant in homine, dicimus esse eadem tantum specie accidentia, non numero; plane hoc videtur voluntarie dictum: aut ergo responsio hæc a Thomistis quoque admittenda est in animatorum interitu, si eam nos adhibere volumus in corruptione inanimatorum, cum omnimoda paritas hic inde currere videatur, aut certe neque hic, neque illic est admittenda, quia est contra experientiam ipsam, & sensuum testimonium.

94 Resp. neg. min. rationabiliter enim ea solutione nos utimur in corruptione inanimatorum, non vero Thomistæ in animatorum interitu, adest namque manifesta *disparitas*, cum enim interit homo, tota prorsus accidentium collectio, quæ erat in corpore anima informato, remanent in eodem examinato, nullo penitus excepto, cumque assignari nequeat causa sufficiens, a qua de novo producantur, hinc deducimus esse eadem numero, quæ prius, juxta disput. 2. Phys. qu. 4. arr. 2. hoc autem in corruptione inanimatorum non contingit, cum enim aqua in aerem convertitur, non eadem collectio accidentium perseverat, aliqua enim penitus mutantur, ut frigiditas, imo perspicuitas, & humiditas ipsa ideo variantur, ut etiam ad sensum pateat non easdem numero perseverare, quia intensiores in aere, quam in aqua, & demum cum quantitas ipsa varietur, ut diximus ex Zab. dicendum est etiam omnes qualitates variari saltem numeraliter, cum omnes istæ in quantitate immediate fundentur; Idem est de aceto dicendum, quia in eo non manet collectio accidentium, quæ aderat in vino, sed multa variari videmus, ex quo arguimus esse saltem numerice *mutata, etiam illa*, quæ eadem apparent, ut quantitas, ac etiam interdum color, quia collectio accidentium ab eadem forma indivisibiliter procedit, loquendo de connaturalibus, ita ut si unum, vel alterum deficere deprehendamus, rationabiliter arguere possumus omnia esse mutata ad destructionem formæ, quia non amplius adest eadem collectio, unde si aliqua apparent eadem ad sensum, sensus debet a ratione corrigi, & doceri, non esse eadem numero, quia variata est collectio, sed tantum eadem specie; cui accedit, quod advertimus art. præced. non ad quamcunque alterationem in vino factam sequi semper acetum, nec semper cum eisdem accidentibus, cum tamen ad animalis interitum a quocunque fiat agente semper sequatur cadaveris forma cum eisdem prorsus accidentibus, quæ in corpore præerant, cum anima tum erat, signum evidens hanc esse eandem formam, ac eadem accidentia, non illa.

Denique arguitur rationibus. Tum quia nullum agens agit, nisi mediis dispositionibus, quas in composito corrumpendo induxit, unde cum ignis ex ligno producitur, præcedentes dispositiones existentes in materia ligni sunt causæ ignis de novo producti, ergo ne detur effectus sine causa existente, cum ipse producitur, permanere debent illæ dispositiones in ipso generationis instanti. Neque refundas totam causalitatem in ignem efficientem, quia contingere potest, ut in instanti generationis ignis efficiens relicta in materia dispositionibus interierit, veluti sæpe patrem relicta virtute in semine ante ortum filii obiisse contingit. Tum 2. dispositiones sunt illæ, quæ auctæ ad gradum incompossibilem corrumpunt formam veterem, ergo manent in instanti generationis cum nova, nam in eodem instanti materia exuitur forma veteri, & superinducitur nova. Tum 3. quia si ante instans generationis corrumperentur, tunc in instanti generationis materia esset nuda, ac consequenter indifferens ad omnem formam. Nec enim dici potest determinata potius ad hanc formam, quam ad illam, quia tales dispositiones immediate præcesserunt in ipsa, ut ajunt Thomistæ; hæc enim immediata præcedentia dispositionum nihil reale, & physicum ponit in ipsa, ratione cujus possit vere dici ad hanc potius formam determinata quam ad aliam. Neque cum Scotistis dici potest potius ad hanc formam determinata, quam ad illam, quia subest actioni istius agentis, non illius. Nam introductis dispositionibus potest agens periisse, ut diximus. Tum 4. quia assignari nequit, a quo corrumpantur, cum enim ignis introduxit semel in lignum calorem, & siccitatem, non possunt hæ qualitates ab ipsomet igne corrumpi, quia calor non destruit calorem, nec siccitas siccitatem, cum simile non agat in simile, sed *in contrarium*, neque a forma ignis, dum advenit, quia cum sint accidentia ei connaturalia, & requisita, nequit eorum odisse consortium, nec destruere, ut statim similia procuret, hoc enim supervacaneum esset in natura.

95 Respond. his, & similibus argumentis plene satisfactum fuisse disput. 5. Physic. q. 8. art. 1. itaut nihil occurreret dicendum, ne eadem repetamus; ne tamen ea spernere videamur. Ad 1. dicimus agens agere mediis dispositionibus alterando, non autem generando, quasi ipsæ attingant principaliter, vel instrumentaliter formam substantialem, ut inquiunt Thomistæ, ipsæ enim tantum deserviunt ad expellendas dispositiones contrarias, at in ipso generationis instanti agens est v. g. ignis, qui immediate attingit productionem formæ substantialis, & casu, quo deficeret, ut assumitur in argumento, tunc recurrendum esset ad agens universale, ad quod est communis fuga naturalium, cum deficiunt causæ particulares, ut ait Doctor 4. dist. 12. qu. 3. sic enim est in proposito, productio enim formæ nequit illis dispositionibus attribui, tum quia in instanti generationis non permanent; tum quia si permanerent, non valent attingere substantiam, cum sint *accidentia*, *de virtute* autem seminis dicemus disp. ult. Ad 2. similiter dicimus urgere Thomistas ponentes dispositionem ad formam substantialem terminari ad aliquem gradum, ad quem necessario sequitur corruptio veteris formæ, at nos non urget nullum admittentes gradum incompossibilem formæ induci ab alterante, ut alterans est, talis enim inducitur a generante, vel a forma genita, ut ibi explicatum est, & disp. 7. Phys. q. 6. art. 2. Ad 3. valde laborant Thomistæ, ut explicent quomodo dispositiones præviæ etiam desinant, relinquant materiam sigillatam, & determinatam potius ad hanc formam, quam ad illam, & tandem post multum sudoris nihil lucrantur, non ergo quærenda est aliqua determinatio intrinseca in materia, per dispositiones jam abolitas *in ea derelicta*, si enim *manet omnino nuda*, profecto est nodum in scyrpo quærere, sed talis determinatio ex parte agentis attendenda est, quia enim subest actioni talis agentis sic, & sic alterantis; ideo hanc potius, quam illam formam suscipit, itaut hæc determinatio est prorsus extrinseca materiæ, non autem intrinseca, & subjectiva, quod si agens inductis dispositionibus periret, tunc agens universale ejus defectum suppleret introducendo formam illis dispositionibus congruam, & consentaneam, quæ doctrina fuse declarata est disp. cit. in fol. ad 1. Ad 4. dispositiones illæ v. g. calor, & siccitas corrumpuntur ab agente formam introducente, licet ab igne, non quidem per se, quia quod sic corrumpitur, a suo contrario corrumpitur, sed corrumpuntur per accidens, & consecutive, quatenus ab igne corrumpitur lignum, cui nitebatur, hoc autem modo non est inconveniens, quod simile corrumpat simile per accidens corrumpendo subjectum, cui insidebat.

96 At urgebis Suar. disp. 34. Met. sect. 3. *n. 39.* & Hurt. *disp.* 1. de Gen. sect. 5. §. 43. si lumen ab uno corpore lucido productum potest ab altero conservari, cur non & idem calor, & siccitas in eodem subjecto sub eisdem formis conservabitur, cum universalis idem effectus conservari possit, cum deficiente una causa alia statim succedit ejusdem virtutis? Conf. quia id etiam nos concessimus disp. 7. Phys. qu. 2. de illis effectibus, qui proprie non pendent a suis causis in conservari, ac tales sunt in proposito calor, & siccitas, unde calor ab igne productus potest a Sole conservari, ergo tanto magis in proposito id contingere potest. Respond. in accidentibus utique aliqua reperiri, quæ non pendent in conservari a sua causa efficiente, atque ideo ab alia ejusdem virtutis conservari possunt in ejus locum subrogata, at nullum reperitur, quod ita dependeat a suo subjecto, ut *possibile sit naturaliter ab illo divelli*, & in alio conservari ejus vices gerente, quia commune adagium est accidentis de subjecto in subjectum migrationem esse naturaliter *impossibilem*; *licet ergo de lumine concedi non* debeat, *quod* idem numero conservetur in medio per successionem alterius luminosi, quia est de illorum effectuum serie, qui a sua causa efficiente pendent, nedum in fieri, sed etiam in conservari, concedi tamen non potest de calore, siccitate, & similibus, dummodo ab illis diversis agentibus in eodem semper subjecto conserventur; ex quo tamen non sequitur idem contingere posse in proposito, quia cum ponamus compositum, scilicet lignum esse illorum accidentium subjectum, ifiudque corruparur, profecto quantumcunque succedat agens, vel forma ejusdem virtutis, illa eadem conservare non poterit ob defectum subjecti; fatemur tamen argumentum molestare posse illos, qui materiam ponunt subjectum accidentium cum aliqua dependentia a forma, si enim succedit forma *illa* accidentia requirens, non videtur, cur ab ea conservari non possint in eodem subjecto.

97 Itaque hæc argumenta militant contra *alios nobiscum* in hoc asserto sentientes, sed in aliis principiis dissentientes v. g. de subjecto accidentium, ut Conimb. Zab. & alii, vel de pluralitate formarum, & modo concurrendi dispositionum ad generationem, ut Thomistæ, qui profecto valde inconsequenter loquuntur, dum in materia de dispositionibus cum Averroistis conveniunt in principiis, quod nimirum dispositiones concurrant ad generationem novæ formæ in genere causæ *materialis*, præparando nempe, & determinando materiam ad ejus susceptionem, & postea dissident in conclusione, quod non permaneant *in* ipso generationis instanti, quæ duo plane repugnant. Ad hanc inconsequentiam tollendam quid hic comminiscuntur Thomistæ? distinguunt duo dispositionum genera, *quædam* antecedunt introductionem formæ, & *in ipso generationis momento* pereunt, aliæ formam origine subsequuntur, & cum ea in eodem instanti incipiunt, v. g. calor, quem *ignis* producit in ligno, dum propriam formam in ejus materiam inducere molitur, dispositio est introductionem formæ ignis antecedens, & hic interit in ipsa introductione formæ; calor vero qui ipsam formam introductam consequitur *in* ipso generationis puncto,

& cum

& cum ea manet, dispositio consequens dicitur; hoc prænotato dicunt, quod dispositiones vere materiam præparantes, & in genere materialis causæ disponentes sunt subsequentes formam, non autem antecedentes, neque enim repugnat, quod materia in eodem etiam instanti disponatur per dispositiones consequentes, quas secum affert forma, quia licet hæc sit prior illis in genere causæ efficientis, nihilominus illæ sunt priores in genere causæ materialis, & dispositivæ, unde mutuam causalitatem admittunt inter formam, & dispositiones, quam inconvenire non putant in diverso genere causæ, ut est in proposito, quæ doctrina de mutua causalitate satis est illis familiaris, ita discurrunt Bannes in præsenti c.4.qu. 10. art. 2. Complut. disput. 2. quæst. 8. Conimb. cap. 4. quæst. 18. art. 3.

98 Sed licet illa distinctio de duplici dispositionum genere possit in bono sensu admitti, illa tamen doctrina de mutua causalitate etiam in diverso genere causæ damnata a nobis est disp. 8. Physic. qu. 1. art. 1. & quidem quomodo præsertim in proposito potest dispositio aliqua formam præcedere in materia etiam prioritate naturæ, si in Sent. Thomist. forma prærequiritur saltem natura, ut dispositionem accipiat, & sustentet? Deinde etiamsi hæc doctrina admitteretur, parum eis suffragari potest, quia dispositio subjectum disponens in genere causæ materialis, velut ratio recipiendi, debet esse in eodem subjecto, in quo recipienda est forma, debetque illud immediate afficere, ut constat de organizatione corporis respectu animæ, cum ergo secundum Thomistas etiam dispositiones subsequentes composito inhæreant denuo genito, non autem materiæ, profecto nequeunt eam disponere in genere materialis causæ, & parum refert, quod ajunt Thomistæ recipi in ea, ut in subjecto *quo*, & remoto, non enim per hoc immediate afficiunt ipsam, & intrinsece, sed mediate tantum, & extrinsece, quatenus afficiunt compositum, cujus est pars, quod non sufficit, ut materia per eas disponi dicatur in genere materialis causæ, & intrinsece determinari ad hanc formam, ut ipsi prætendunt. Tandem adhuc etiam, si eis suffragaretur, inconsequenter loquuntur, quia si dispositiones formam consequentes in genere efficientis causæ ipsam præcedunt in materia in alio genere causæ, scilicet materialis, jam non amplius forma substantialis præcedit accidentalem a toto genere, quia saltem in uno genere hæc præcederet illam, non amplius forma substantialis immediate materiam informat, non amplius materia prius recipit esse simpliciter, quam secundum quid, quæ omnia acceptantur passim a Thomistis, ut fundamenta ad ostendendum materiam non esse immediatum subjectum accidentium.

Nituntur hic evadere Thomistæ præsertim Compl. cit. n. 184. distinguendo de prioritate essendi, & intelligendi, & hoc secundo prioritatis genere, inquiunt accidentia præcedere formam in materia, licet enim absolute loquendo possit intelligi forma substantialis recepta in materia, quantum ad id, quod talis receptio importat essentialiter, non tamen possumus intelligere eam esse connaturaliter receptam non conceptis prædictis accidentibus, quoniam connaturalis receptio illius pendet ab istis, atque adeo alia accidentia possunt optime disponere pro connaturali receptione talis formæ; alia etiam via conantur evadere sub n. 112. distinguendo ex quadam D. Th. doctrina in forma substantiali gradum genericum formæ substantialis, ut sic, specificum & individuum, & ajunt, quod secundum gradum genericum immediate recipitur materia sine dispositione intermedia, quia materia seipsa est determinata, & sufficienter præparata ad recipiendam formam substantialem, ut sic, & in hoc sensu forma substantialis præcedit accidentalem, recepta autem semel forma in materia secundum hanc rationem, sequuntur accidentia propria illius gradus, & hæc disponunt non quidem pro receptione prædicti gradus, qui supponitur receptus, sed pro receptione specifici proximi, & sic deinceps usque ad individuum, & in hoc sensu forma accidentalis præcedit substantialem.

99 Hæc doctrina cognata est illius, quam habent Thomistæ in materia de Eucharistia, dum docent ex D. Th. primum terminum conversionis Eucharistiæ esse compositum ex materia, & anima intellectiva, non ut intellectiva, nec ut constituit compositum, quod est homo, sed ut dat esse corporeum, & constituit compositum, quod est corpus, ipsa enim eadem anima, & constituit in esse hominis, & animalis, & corporis, & substantiæ, & in hoc sine distinctione reali formæ, & formæ, sed propter continentiam formæ perfectioris secundum diversos gradus. Reiicit hanc doctrinam Scotus 4. d. 11. q. 3. §. *de secundo*, nam terminus conversionis oportet, quod sit reale, & ut reale, quia conversio est realis, sed anima intellectiva, ut dat esse corporeum ab intellectivo constinctum, etiam secundum istos, non est aliquid reale, sed tantum quid abstractum per actum intellectus, ergo &c. Eadem igitur ratione debet quoque hic refelli allata solutio, ut etiam facit Suarez disput. cit. num. 29. quia prioritas intelligendi est rationis, ac etiam illa distinctio formæ secundum diversos gradus est distinctio rationis per conceptus præcisos, & inadæquatos, ergo nihil referre potest ad realem causalitatem, & inhæsionem accidentium in materia, vel composito, de quibus hic est sermo. Deinde quando etiam hæc doctrina admitteretur, adhuc neutra solutio satisfacit; non prima, quia ordo naturæ, utipsi quoque urgent contra Suarez num. 80. postulat, ut materia prius respiciat etiam ordine executionis formam substantialem quam accidentalem, ergo falsum est accidentia prærequiri, ut connaturaliter recipiantur in materia: neque secunda, quia accidentia sequentia gradum superiorem non sunt idonea ad disponendam, & determinandam materiam pro gradu inferiori, ut ipsi dicunt, nam accidentia v. g. corporis non magis determinant materiam pro receptione formæ tribuentis gradum mixti, quam corporis simplicis; potius ergo accidentia propria cujusque gradus debent pro illo eodem materiam disponere, non autem pro inferiori, ut in illa graduum distributione ajebant Compl. quia accidentia gradus superioris semper habent majorem latitudinem, quam gradus inferioris, atque ideo nequeunt ad illum capaciratem materiæ coarctare; hæc obiter dicere libuit, ut notum fieret, quam inconsequenter discurrant Thomistæ in hac re, nostram vero Sententiam de concursu dispositionum ad generationem vide disp. 5. Phys. cit qu. 8. art. 1.

Concludimus itaque ex hactenus dictis, nullum accidens permanere idem numero in re genita ex his, quæ fuerint incorrupta (exceptis quibusdam incompletis, quæ soli materiæ, vel formæ conveniunt, ut sunt generatio, relatio partis, & similes, de quibus non est quæstio) & ratio hujus potissima est, quia proprium, & immediatum inhæsionis subjectum accidentium est corpus, vel compositum, ubi per compositum non intelligimus naturam in communi, compositam ex materia, & forma, sed naturam singularem, & primam substantiam, ut loquitur Aristot. c. de substantia; non tamen, quæ necessario sit suppositum, quia corpus pro altera parte compositis inanimatis non est suppositum, & tamen accidentia subjectat, unde etiam quando compositum, in quo sunt accidentia, est proprie suppositum, non illi inhæret, quatenus suppositum est, etiamsi illi prius conveniat suppositari, quam accidentia suscipere, ut notat Doctor 3. d. 1. quæst. 2. artic. 2. sed quatenus substantia singularis; unde si humanitas a Verbo assumpta dimitteretur, & propriam acquirerent personalitatem, eadem adhuc accidentia humanitatis permanerent.

QUÆSTIO IV.

An generatio unius sit corruptio alterius, & e contra, ubi de earum connexione & ordine.

100 HAnc propositionem docuit Arist. 3. Phys. 73. & 1. de Gen. 17. & 24. & alibi veluti convertibilem, & quia potest facere triplicem sensum formalem, causalem, & concomitantem; quæritur, in quo sensu sit vera. Et quidem ut incipiamus ordine retrogrado, unanimi consensu fatentur omnes in tertio sensu esse veram, nempe concomitanter, quatenus generatio unius semper alterius corruptioni juncta est, & e converso, & in hoc præcipue sensu eam pronunciat Aristot. loc. cit. 1. de Gen. 17. quia eam adducit ad solvendam dubitationem, quam tex. 16. proposuerat, quomodo possit perpetuari generatio, siquidem id, ex quo unumquodque generatur, scilicet materia, finitum est, quod continua ablatione consumi debet, unde jamdudum defecisse universum opus esset; solvit dubitationem text. 17. dicens sufficere finitam materiam ad perpetuitatem generationis, quia generatio unius fit ex corruptione alterius, & e contra, atque ideo esto materia infinita non sit, hoc modo salvatur perpetua generatio, & corruptio; Veritas hujus propositionis in præsato sensu nititur, secundum communem expositorum duobus fundamentis. Unum est, quod materia ex interna propensione, quam habet ad formam, & naturali ejus indigentia, non potest secundum communem naturæ cursum existere nuda ab omni forma. Alterum fundamentum est, quod duæ formæ specificæ non possunt simul esse in eadem materia, quia non potest aliqua res esse simul essentialiter in duabus ultimis speciebus, ut simul aer, & aqua, aut equus, & homo; ex his enim duobus fundamentis necessario infertur perpetua connexio generationis, & corruptionis, nam ex priori infertur unius rei interitum esse semper alterius ortum, cum enim interitus fiat per formæ recessum, necesse est forma recedente, ut alia adveniat, si materia sine forma existere nequit, ex posteriori vero infertur, generationem unius esse alterius interitum, cum enim duæ formæ specificæ in eadem materia incompossibiles sint, opus est in unius adventu alteram recedere; ita Mercen. vol. 2. Dilucid. hujus propositionis Zab. lib. de Gener. & Inter. cap. 5. Contar. tom. 2. quæst. de Gener. & Corrup. cap. 3. Aversa qu. 37. sect. 7. Compl. disp. 3. qu. 3. Arest. disp. 2. qu. 12. sect. 2. Faber theor. 40. & alii passim. Et ex hoc rationem colligunt, cur propositio veritatem semper habeat in substantiis, non vero in accidentibus, ut ibidem Arist. docuit tex. 20. quia nimirum duo prædicta fundamenta in accidentibus locum non habent, quia substantia composita non essentialiter completur per accidentia, & cum sit actu constituta per formam substantialem, ideo potest aliquod accidens recedere a subjecto sine alicujus accidentis adventu, quod evenit, quando accidens non habet contrarium, cujusmodi est lumen, recedit enim lumen, & nullum aliud accidens succedit, possunt etiam plura accidentia specie differentia hærere simul in eodem subjecto, idem enim potest esse album simul, & dulce, quare non est necesse ut uno adveniente alia ejusmodi recedat, ita Zab. cit. Hinc tandem Mercen. quosdam modernos carpit, eo quia rationem reddentes, cur materia absque forma consistere non possit, eam hujus rei causam esse, inquiunt, quoniam corruptio unius est generatio alterius, cum tamen e contra res se habeat, quod ideo unius corruptio alterius est generatio, quoniam materia absque forma consistere minime potest, hanc enim reddidit pro causa æternitatis generationis Aristot. loc. cit.

101 Quoniam vero hæc propositio in animatis deficere videtur, si in eis ultra animam ponatur forma mixtionis, ut ponunt Mercen. Contar. & Arest. cit. nam in corruptione animalis juxta hanc sententiam nihil generatur, siquidem illa forma cadaveris est illamet forma mixtionis, quæ in vivente præfuit, sicut etiam in generatione nihil corrumpitur, quia forma Embrionis manet; Idcirco subdunt etiam suo modo in eis veritatem habere, nam in corruptione animalis corrumpitur unum totum, scilicet animal, & generatur novum totum, quia corpus, quod prius erat pars, tunc fit totum, sicut etiam in generatione animalis destruitur aliud totum scilicet embrio, quia ubi prius erat totum, dum generatur animal, fit pars ejus, quam expositionem amplectitur P. Faber loco citato, & manifeste insinuatur a Doct. 4. q. 11. q. 1. ab initio, ubi hac ratione inquit ad corruptionem unius totius etiam secundum ponentes plúralitatem formarum sequi generationem alterius totius; Verum quia hæc solutio aliquas patitur difficultates, quia talis generatio, & corruptio in animatis non potest esse simpliciter, sed tantum secundum quid, ut etiam Auctores isti fatentur, quatenus quod prius gerebat vicem partis, gerit postea vicem totius, aut e contra, absolute enim loquendo per actionem corruptivam in animatis nihil re vera producitur, sed tantum derelinquitur, scilicet cadaver, ut inquit Doctor ci. qu. 3. verf. *item manifestius*, quod enim ait Aref. produci saltem novam formalitatem, vanum est, quia formalitas non est idoneus terminus generationis Physicæ, ideo Ragus. disp. 17. c. 10. absolute negat propositionem in animatis, nec inquit esse contra Aristot. id asserere, hanc enim esse veram ipse probat, quia materia nunquam esse potest sine forma, unde opus est generationem semper corruptionem comitari, quotiescunque periculum imminet, ne materia maneat sine forma, quod periculum cum non adsit in animalis interitu, cum materia maneat sub forma mixtionis, necesse non est propositionem in animatis veritatem habere.

102 Cæterum expositio ista non candide explicat veritatem propositionis, neque Arist. mentem; non veritatem propositionis, tum quia sic acceptatur, ut universaliter vera in substantiis, & ita testatur Arist. ipse tex. 20. expressis verbis, & *est alterius generatio semper in substantiis alterius corruptio, & alterius corruptio alterius generatio*, male negatur in animatis, & leviter defenditur per generationem, & corruptionem secundum quid; tum quia falsum est connexionem generationis cum corruptione fundari præcise in interna indigentia, quam debeat materia formæ ad naturaliter existendum, ut ostendimus d. 2. Phys. q. 3. art. 1. ubi proinde conclusimus necessariam coexigentiam formæ in materia secundum communem naturæ cursum peti principue debere ex conditione naturæ universalis, & ordine universi potius, quam ex interna indigentia materiæ; tum quia plus pendet substantia composita ab accidentibus ipsam præsertim naturaliter consequentibus, quam materia a forma, ut ibidem ostenditur, ergo hac ratione majorem veritatem haberet propositio in accidentibus, quam in substantiis; tum tandem quia si necessaria coexigentia formæ in materia secundum communem naturæ cursum potius ex conditione naturæ universalis, & ordine universi attendenda est, quo ab Auctore naturæ statutum est, ut agentia naturalia nunquam formam corrumpant in materia, nisi aliam inducendo ad conservationem specierum, ratio, cur materia nequeat esse naturaliter sine forma, erit, quia corruptio unius est generatio alterius, non e contra, ut Mercen. volebat. Neque etiam hæc expositio est ad Arist. mentem; tum quia falsum est inibi Aris. pro causa perpetuitatis rationis reddidisse internam materiæ indigentiam, & propensionem in formam; tum quia nec ibi assignare intendit causam perpetuitatis generationis absolute loquendo, sed solvere dubitationem text. 16. propositam, quomodo perpetuari possit generatio, si materia est finita, ut diximus, & respondet text. 17. finitatem materiæ bene cum perpetuitate generationum cohærere, quia generatio unius ex alterius corruptione procedit, unde mediante corruptione eadem materia pluribus successive inservit generationibus, non ergo attulit illam propositionem text. 16. præcise pro causa perpetuitatis generationis, quia nec istam quærebat text. 16. & æque bene negaretur ab Adversario illa propositio, sicut ipsa generationis æternitas, sed attulit illam ad ostendendum, quomodo perpetuitati generationum possit sufficere finita materia, ut ex ipso contextu colligitur.

103 Itaque esto connexio corruptionis cum generatione bene probetur ex incompossibilitate formarum in materia, ratione cujus agens unam formam inducens in materia, aliam cogitur corrumpere, connexio tamen generationis cum corruptione non præcise ex indigentia materiæ, aut ex causa materiali desumenda est, sed ex efficiente præsertim, quatenus scilicet agens naturale ex legibus naturæ ad conservationem sublunarium nunquam per se intendit corrumpere aliquid, sed per accidens corrumpit illud, quod est incompossibile generato, quod per se intendit, ita expresse notat Doctor 2. d. 1. q. 3. ad 3. Cumque Arist. hanc propositionem inducat ad salvandam æternitatem generationum sine infinita materia, bene docent Scotistæ Ant. And. 8. Met. qu. 3. Tatar. hic qu. 1. not. 4. esse universaliter veram in omnibus substantiis mediate, vel immediate, in mixtis enim inanimatis vera est immediate, in animatis mediate, quia tandem cadaver resolvitur in vermes, & cineres, vel ut ajunt Tromb. 8. Met. qu. 2. art. ult. ad 5. Bassol. 2. disp. 17. qu. 1. ad 1. princ. & Ant. And. cit. verificatur in omnibus in generatione, & corruptione completa ultimata, & totali, animal vero in morte non ita corrumpitur, quia adhuc remanet forma aliqua, quæ fuit de hominis essentia, neque in ortu ita generatur, quia supponitur forma embrionis, vel ut alii dicunt, generatio unius est corruptio alterius, & e contra, vel in facto esse, vel saltem in fieri, ut in animatis, quæ expositio colligitur ex Scoto cit. 4. d. 11. q. 3. paulo ante solutionem principalium, dum ait nullum corpus animale habere simpliciter esse perfectum, & quietum recedente anima, quia statim est in continua tendentia ad resolutionem sui in elementa; contra quam expositionem parum urget objectio Mercen. cit. quod Aristot. text. 21. afferens rationem cur ex corruptis aliis semper aliquid generatur, inquit, quoniam terminus ad quem corruptionis est terminus a quo generationis, & e contra, igitur terminus a quo generationis immediate jungitur cum termino ad quem corruptionis, & ex consequenti universaliter corruptioni unius immediate connectitur generatio alterius; parum urget, quia vel explicabitur de generationibus, & corruptionibus completis, & ultimatis, vel de generationibus, & corruptionibus inanimatorum, non autem de omnibus universaliter, ut ibi notatur in margine.

104 Hæc igitur Scotistarum expositio est idonea, & bene salvat Arist. discursum, cum enim eam propositionem induxerit, ut ostenderet, quomodo materia finita sufficiat æternitati generationum, sat ei erit, quod ad quamcunque corruptionem sequatur saltem mediate generatio, & ad quamcunque generationem præcedat saltem mediate corruptio, utrumque enim habetur sine generatione cadaveris in interitu animalis, & sine embrionis corruptione in ejus ortu, sic enim nunquam cessabit generatio, & sufficit finita materia, quod solum intendit Arist. ibi; qua etiam expositione data opus minime est hanc propositionem verificari in accidentibus, quia non datur in eis perpetuitas generationis, quæ difficultatem ingerat de finitate, aut infinitate materiæ, præsertim cum sint formæ simplices, quæ compositione materiæ carent. Dices, imo secundum expositionem nostram verificari debere etiam in accidentibus, quia ideo nos diximus in substantiis corruptionem unius semper annexam habere generationem alterius, non eo præcise, quia nequit materia sine forma consistere, sed præsertim quia agens naturale nunquam perse corruptionem intendit, sed ea utitur ut medio ad generationem, ergo hac ratione etiam in accidentibus verificari debebit, alioquin aliquam corruptionem saltem in accidentibus per se intenderet agens naturale: Resp. jam q. 1. art. 1. concl. 2. dictum esse corruptionem luminis in aere, specierum in medio, aliorumque accidentium nullum contrarium habentium per nullam actionem positivam exerceri, sed solum per cessationem, & ablationem influxus conservativi, quare in his casibus non vere dicitur natura, vel agens naturale intendere corruptionem, quia nulla intervenit actio, sed sola actionis carentia, non potest autem agens dici aliquem finem per se intendere per simplicem actionis carentiam, nisi forte in agentibus liberis.

105 Sed contra propositionem ratione concomitantiæ explicatam obiicies, quod nec immediate, nec mediate veritatem habeat universalem in substantiis. Primo, quia in formis substantialibus sæpe videmus oppositum, unam nempe formam corrumpi, & aliam non generari, aut e contra, nam juxta negantes pluralitatem formarum in composito nutritione hominis corrumpitur forma alimenti, & non generatur alia, sed anima rationalis extenditur ad informandam materiam ejusdem alimenti, & in morte ejusdem hominis generatur forma cadaveris, & nulla corrumpitur, cum permaneat anima rationalis; & juxta ponentes pluralitatem formarum ad productionem animæ in corpore non corrumpitur forma corporis, nec ad corruptionem animæ in brutis generatur nova forma. Deinde idem contingit in compositis substantialibus, nam in prima corporum productione nulla præcessit corruptio, & idem dicendum est, si cum Philosophis hæc productio ponatur ab æterno, idem etiam quotidie contingit in nutritione facta per species sacramentales, quia producitur nova substantia absque alterius corruptione, quæ sub illis præfuerit speciebus. Rursus datur minimum naturale, sub cujus minori res conservari non possunt, si ergo hoc minimum v. g. aquæ ab agente naturali dividatur in duas partes, tunc aqua corrumpetur, & nihil de novo generabitur, quia forma substantialis sub tam parva materia conservari non potest. Tandem si generatio unius semper est corruptio alterius, & e contra, semper in mundo esset idem individuorum numerus, quod rationabile non videtur.

Resp. ad 1. re vera Arist. propositionem illam de compositis pronunciasse, quorum proprie est generatio, & corruptio, ut postea exprimit text. 24. non autem de formis, in quibus tamen notari potest si sunt incompossibiles, discessus unius ad accessum alterius, aut e contra, quod æquivalet generationi, & corruptioni, & ita in opinione Thomistarum, si non corrumpitur anima, saltem discedit a corpore in adventu formæ cadaveris, & succedit in materiam alimenti, dum ejus forma recedit. Ad 2. aliud est loqui de creatione, aliud de generatione, prima corporum productio fuit facta per creationem, & sic etiam mundus ab æterno secundum Philosophos, at in proposito intelligitur propositio de generatione quæ est productio ex præjacente materia per transmutationem, & non per simplicem dimanationem, qua etiam de causa non urget argumentum ex Eucharistia desumptum, quia hic est sermo de rerum productione, ut fit secundum communem naturæ cursum, non autem extraordinario, & miraculoso modo, ut contingit in nutritione hominis ex speciebus sacramentalibus. Ad 3. quicquid sit de antecedente, de quo diximus disput. 9. Phys. qu. 3. art. 1. dicendum est, vel illud minimum adeo parvum esse, ut ab agente naturali instrumento corporeo dividi nequeat, vel si dividi potest, fiet conversio in substantiam ambientis pro cujus forma erit sufficiens portio, neque enim singulæ formæ substantiales portionem materiæ ejusdem quantitatis sibi præscribunt pro minimo naturali etiam in sent. illud admittente. Ad 4. neg. consequ. quia interdum ex unius interitu plura gignuntur,

tur, ut cum ex cadavere vermes, interdum ex pluribus unus, ut cum ex elementis fit mixtum.

106 Quoad secundum sensum, scilicet causalem, est difficultas, quia in communi modo loquendi dicimus, & formam priorem expelli, quia nova advenit, & novam advenire, quia prior recedit, juxta primam propositionem causalem generatio est causa corruptionis eo modo, quo dici potest corruptio habere causam, quatenus scilicet ad eam consequitur; juxta secundam corruptio est causa generationis in eadem acceptione causæ; & quia idem respectu ejusdem nequit dici causa, & effectus, prius, & posterius, hinc orta est gravis contentio; quænam illarum causalium sit absolute vera, & an introductio formæ novæ sit prior expulsione præcedentis, num potius e contra; & quidem non est sermo de prioritate temporis, cum certum sit apud omnes exercitium generationis, & corruptionis in eodem instanti fieri, uni intrinseco, alteri extrinseco, nam si fierent in diversis instantibus, cum inter hæc debeat dari tempus, in eo tempore intermedio, vel materia esset sine forma, vel simul sub duabus formis, quorum utrumque absurdum est saltem naturaliter loquendo; sermo igitur est de prioritate naturæ, quæ ad causalitatem sufficit, si est cum aliqua dependentia posterioris ab eo, quod dicitur natura prius.

Et videntur in hac tres modi dicendi, duo extremi, & alter medius, Rub. 2. d. 12. q. 4. art. 2. Mercen. cit. Faber theor. 40. & de Pœnit. d. 17. c. 3. & alii antiquiores asserunt expulsionem formæ præcedentis absolute præcedere introductionem novæ, unde volunt illam causalem esse absolute veram, *nova forma accedit, quia prior recedit*, idem tenet Arefius 1. de Gen. q. 22. speciatim de formis substantialibus, nam de accidentalibus sentit oppositum. Recentiores vero quamplures e contra asserunt absolute introductionem novæ formæ præcedere expulsionem antiquæ, & esse ejus causam, unde volunt aliam causalem esse absolute veram, *ideo forma præcedens expellitur, quia nova introducitur*, ita Suar. d. 27. Met. sect. 1. n. 21. Hurt. disp. 1. de Gen. sec. 9. Aversa q. 10. suæ Philosoph. sect. 5. & qu. 37. sec. 7. Arriag. d. 8. sect. 1. Thomistæ tandem, ut est videre apud Compl. disp. 3. de Gen. q. 5. cum D. Th. p. 2. q. 113. art. 8. distinguunt diversa genera causarum efficientis, & materialis, asserunt que introductionem novæ formæ, quæ est generatio, priorem esse ex parte efficientis, & in eo genere causæ, quod adhuc libentius concedunt in genere causæ finalis, & formalis, sed ex parte materiæ, inquiunt, priorem esse expulsionem formæ antiquæ, quæ est corruptio, quam sequitur Ruvius 1. de Gen. tr. 2. q. 5. & ex nostris Aretinus in 4. d. 16. q. 2. art. 4. Morif. d. 3. Phys. q. 19.

107 Dicendum est, quod licet secundum quandam imaginationem expulsio formæ præcedentis introductioni subsequenti præcedere videatur, tamen ex natura rei, & absolute loquendo, res e contra se habet, & sola causalis illa est absolute vera, *quia forma nova introducitur*, *ideo prius expellitur*, non e contra. Ita jam determinavimus d. 5. Phys. q. 3. art. 3. & renet Mairon. 4. d. 1. q. 4. Probatur discurrendo per singula causarum genera, & quidem in genere causæ finalis generationem esse priorem corruptione fatentur etiam Adversarii, & probat Doctor 2. d. 1. q. 3. ad 3. princ. quia generatio per se intenditur ab agente, corruptio autem non, nisi per accidens; prioritatem in genere causæ formalis sufficienter probavimus loc. cit. ex eo scilicet, quia expulsio formæ præcedentis est effectus secundarius formæ novæ, atque ideo necessario supponit introductionem ejus in materia, unde passim conceditur ab omnibus formam veterem a nova expelli, & ad hujus accessum illam recedere. Et hinc deducitur etiam prioritas ex parte efficientis, quia efficiens non corrumpit, ac depellit a materia formam veterem, nisi introducendo novam incompossibilem illi, qua ratione actio generativa formæ novæ dicitur virtualiter corruptiva antiquæ, ut diximus q. 1. hujus disp. art. 2. concl. 2. ita docet Scot. ibi cit. & 4. d. 1. q. 5. sub F. & d. 43. q. 5. art. 2.

108 Dubium est solum ex parte materiæ, cum enim ipsa formam non recipiat, nisi denudata, & expurgata ab his, quæ impediunt receptionem formæ novæ, & ex his præcipua sit forma ipsa vetus, sane ad ipsam præparandam ad novæ introductionem videtur præcedere vetteris expoliationem, quemadmodum aliæ dispositiones præcedunt. Sed si bene res perpendatur, neque ex parte materiæ, seu in genere materialis causæ admittere debemus expulsionem veteris formæ præire introductioni novæ, sed potius e contra, tum quia hæc ipsa purgatio materiæ ab impedimento formæ oppositæ per informationem, & receptionem formæ novæ, ergo est effectus ejus; repugnat ergo priorem esse, sed omnibus modis posterior erit; Nec valet infelix illud effugium Thomistar. idem esse posse causam, & effectum, prius, & posterius in diverso genere cæsæ; centies enim id impugnatum est, & præsertim in proposito prorsus implicare videtur expulsionem esse dispositionem præviam ad formæ introductionem, a qua ipsa procedit, unde si est dispositio ad eam, potius dici debet consequens, quam antecedens. Nec minus juvat, quod inquit Ruvius, negari debere conseq. quia transit a genere materialis, quod dicit purgatio materiæ, ad genus causæ efficientis, quod dicit introductio formæ, licet enim utrumque reipsa ab efficiente procedat, tamen sub his nominibus ad diversa causarum genera attinent, & sub hac ratione non sunt comparabilia ad invicem; possunt ergo comparari ad invicem in prioritate, & posterioritate introductio formæ novæ, & expulsio antiquæ, quia hæc duo active significantur, & se tenent ex parte agentis, quod introducit unam, & expellit alteram, possunt etiam invicem comparari receptio formæ novæ, & purgatio ab antiqua, quia hæc duo passive significantur, & se tenent ex parte materiæ, at comparari non possunt purgatio materiæ, & introductio formæ. Hæc sane tota responsio consistit in verbis, quæso cur non possunt hæc ambo comparari esto ad diversa causarum genera pertineant? plane respectus oppositi proprie inter se comparantur, ut introductio activa, & receptio passiva, item expulsio activa, & expulsio passiva, esto una se teneat ex parte materiæ, altera ex parte efficientis, ergo diversitas illa non impedit comparationem; Deinde concedit Ruvius cum aliis Thomistis ex parte efficientis activam expulsionem esse posteriorem introductione formæ, at postea ex parte materiæ, inquiunt, receptionem esse posteriorem expulsione passiva; Contra sic urgemus, & est urgentissima ratio, introductio activa ex parte agentis præcedit expulsionem activam per adversarios, ergo etiam ex parte materiæ introductio passiva, seu receptio præcedit expulsionem passivam, seu purgationem materiæ. Prob. conseq. respectus oppositi sunt simul natura, sed introductio activa, & passiva sunt respectus oppositi inter se, sicut etiam expulsio activa, & passiva, ergo si introductio activa præcedit activam expulsionem, etiam passiva introductio præcedet passivam expulsionem, cum passiva introductio sit simul natura cum activa, & passiva expulsio cum activa, unde per locum a conjugatis sic argumentari licebit, hæc causalis est vera, ideo agens expellit formam veterem a materia, quia novam introducit, ergo e contra hæc erit vera ex parte materiæ, ideo forma vetus expellitur, quia nova recipitur, & introducitur.

109 Contra statutum ordinem generationis, & corruptionis 1. arguit Rub. forma nova non expellit veterem, sed est agens, quod immediate se ipso illam expellit, & corrumpit, ut locum faciat subsequenti, ergo generatio formæ novæ corruptionem, & expulsionem antiquæ præsuppouit, non e contra. Probatur assumptum, quando forma nova introducitur, aut invenit in materia formam priorem, aut non; si invenit, ergo non est ei incompossibilis, cum pro aliquo signo in eadem materia simul existant; si non invenit, ergo ipsam non corrumpit, vel expellit, sed corruptam, & expulsam supponit, quia implicat corrumpere, quod non est, & expellere a subjecto, in quo non existit.

Resp. aliqui ipsam advenire in subjecto in eodem instanti, quo introducitur, non tamen esse cum ea compossibilem, quia statim eam corrumpit, & destruit, unde ajunt, quod sunt simul in pugna, & fieri, numquam tamen in esse quieto, seu in facto esse, ita Fuent. 2. Phys. diff. 2. art. 4. Lorcam secutus 2. tom. in p. 2. disp. 4. de Gratia, §. *tertio dico*, ubi admittit peccatum, & gratiam simul pro aliquo instanti in eadem anima, & ait esse de mente Scoti 2. d. 36. sed non sine ingenti calumnia; Doctor enim solum tenet de potentia Dei absoluta posse gratiam cum peccato consistere, non de facto, ut patet in 4. d. 1. qu. 6. & d. 16. qu. 2. & ex illa eadem d. 37. 2. Hæc tamen solutio suspecta est, nedum in Philosophia, in qua exploratum est formam, & privationem pro nullo prorsus instanti posse simul consistere, nec permanenter, nec transeunter ob manifestam implicantiam, quæ inde sequitur, quod eadem forma simul esset, & non esset pro eodem signo, ut diximus disp. 4. Phys. qu. 4. una autem forma secum semper defert privationem alterius, sed etiam in Theologia, in qua non minus exploratum est pro nullo prorsus instanti esse posse simul gratiam, & peccatum, odium, & amorem, fidem, & errorem, substantiam panis, & corpus Christi sub eisdem speciebus. Neque quia una forma aliam corrupit, & expellit, dicentur idcirco incompossibiles, si semel pro aliquo instanti se compatiuntur in eodem subjecto, quia ut bene urget Rubion, aqua calefacta corrumpit, & destruit calorem in se productum, & sunt in continua pugna, nec tamen ex hoc sequitur quod calor sit ei incompossibilis, cum existat actualiter simul cum ipsa.

110 Resp. itaque neg. assumptum, quia agens non alio modo, ut sæpe dictum est, expellit formam veterem a materia, nisi introducendo novam ei incompossibilem, unde decipitur in hoc Rubion, quia putat agens duplicem habere actionem, unam, qua prius natura formam veterem corrumpit; aliam, qua novam introducit, hoc est penitus falsum, quia ut dictum est nu. 51. & seq. eadem prorsus actione, qua novam formam inducit, veterem corrumpit, quia non datur actio mere corruptiva, & destructiva, nam formalitas actionis in eo consistit, quod sit alicujus productio, non autem mera, ac pura destructio; Ad prob. assumpti dicendum, ut forma nova veterem expellat, minime opus esse, ut eam in subjecto adinveniat, sed sufficit, quod conjungatur ei per successionem, & expulsionem, non per simultatem, ita quod cum primo ponitur una forma, primo tollatur alia, & primum esse unius sit primum non esse alterius. Ratio hujus est, quia ut diximus d. 4. Phys. cit. forma non expellit privationem, aut aliam formam per aliquam actionem, quam exerceat in illam, vel per aliquem contactum, sicut cum clavus clavum trudit, neque pugnant, sicut milites in arena, unde & in hoc rursus decipitur Rubion putans opus esse, quod forma nova veterem in subjecto reperiat, ut eam expellat, nam si hoc requireretur, potius forma præcedens nunquam destrueretur, ac expelleretur, quod ita ostendimus, ut forma formam destruat, debet eam in subjecto adinvenire, & simul pro aliquo instanti esse, assignetur ergo instans, vel tempus, in quo eam dicitur expellere, tunc percontamur, vel in eo instanti forma vetus in subjecto existit, vel non; si primum, ergo non in eo signo eam expellit, cum adhuc simul sint; si secundum, tunc redit argumentum, quod tunc non expellit, sed potius expulsam supponit, quia formam in subjecto non existens ab eo non expellitur, quare semper redit eadem difficultas.

Non

Non ergo opus est, quod forma nova veterem in subjecto adinveniat, ut eam expellere dicatur, quia hæc expulsio non fit per aliquem contactum, nec pugnam ineunt, velut singulare certamen, sed in eo hæc pugna, & expulsio consistit, quod quando introducitur forma nova in eodem prorsus instanti vetus abeat, vel si pugna fit successive ut inter calorem, & frigus in aqua, qua celeritate introducitur forma caloris, eadem celeritate corrumpitur forma frigoris, unde hæc expulsio similis est illi, qua Galli, v. g. castro expugnato conventionibus hinc inde factis Hispanos expellunt, non enim eos expellere dicuntur, quasi in eodem tempore hi, & illi simul in castro commorentur in pugna, sed eos expellere dicuntur, quia cum primum Galli ingrediuntur, Hispani discedunt.

111 Secundo, arguit idem, si introductio formæ novæ esset prior, & causa corruptionis posterior, sequitur, quod nunquam unum, & idem agens creatum esset generans, & corrumpens, quod est inconveniens. Prob. conseq. quia si ignis agit in aquam, & forma aquæ expellitur a forma ignis introducta in passo, non esse formæ aquæ sequitur immediate non quidem ad actionem ignis generantis, sed ignis geniti, & ideo hic erit corrumpens, non ille, cum ergo idem sit regulariter generans, & corrumpens, dicendum est agens v. g. ignem seipso immediate generare, & corrumpere, sed prius corrumpere, ut locum faciat formæ subsequenti. Resp. neg. conseq. cum ejus probatione, quia esto forma vetus formaliter expellatur, & corrumpatur a forma novior introducta, effective tamen corrumpitur, & expellitur ab ipso agente; non potest autem agens dici immediate seipso formam præcedentem corrumpere, ut locum faciat subsequenti, tum quia agens non corrumpit formam præcedentem, nisi generando novam, cum nequeat habere actionem, quæ per se primo terminetur ad desitionem formæ prioris; tum quia si seipso immediate formam corrumperet, & non mediante forma nova, hæc non diceretur eam expellere, nec peccatum expellere gratiam; tum tandem, quia deberet dici Deus prius natura elicere gratiam, ut locum faciat peccato, quando aliquis justus a gratia decidit.

Tertio arguitur ex Aresio, licet assertio posita locum habeat in formis contrariis, quarum una immediate expellitur ad ingressum alterius, tamen in substantialibus admitti non debet, quia in his forma præcedens non expellitur virtute formæ subsequentis, sed virtute dispositionum præcedentium, & defectu suarum, cum ergo prius corrumpantur dispositiones formæ prioris, quam posteriores introducatur, prius etiam corrumpetur illa, quam ista generetur. Conf. quia dispositiones pro forma veteri tolluntur per alterationem præviam novæ generationi, & sic prius natura ad introductionem novæ formæ recedit forma præcedens. Demum si in instanti ultimo previæ alterationis nollet Deus concurrere ad eductionem novæ formæ, adhuc vetus deberet destrui, neque posset conservari sine miraculo, cum nulla forma possit naturaliter conservari sub contrariis dispositionibus: at si productio formæ novæ esset destructiva formæ veteris, nullum esset miraculum tunc eam conservari, quia nullum esset illius destructivum, ergo productio novæ formæ non est destructiva veteris, sed supponit prius natura illam esse destructam.

112 Resp. ob hanc rationem multos a nobis defecisse, Arriag. tamen & Aversa cit. non terrentur, imo argumentum ita retorquent, dispositiones pro forma priori pelluntur, quia inducuntur aliæ, cum sint invicem immediate contrariæ, & hoc etiam illi concedunt, atque adeo prior est harum introductio, quam illarum expulsio, sed per novas dispositiones introducitur nova forma, ergo saltem per concomitantiam prior est introductio novæ formæ, quam veteris expulsio, discrepat tamen in hoc Arriag. & Aversa, quod casu, quo auferentur dispositiones prioris formæ sine introductione novæ, ille inquit, quod forma prior deficeret, iste negat; quia potius deberet conservari forma absque suis dispositionibus, quam materia sine omni forma. At dicent Adversarii post introductionem caloris, ut octo v. g. in materia ligni immediate sequi expulsionem frigoris requisiti pro ligno, & simul ipsam ligni formam, & postmodum forma ignis emergit, unde argumenti reductio non multum urgere videtur; id, quod inquit Arriag. in eo casu formam scilicet desecturam, directe impugnatur ab argumento, quia si sola formæ novæ productio est ejus destructio, si illa non intervenit ex hypotesi argumenti, nec ista destruetur; quod vero ait Aversa conservandam fore absque suis dispositionibus, imo sub contrariis, nec etiam satis probabile videtur, quia ut supra dicebamus, plus pendet ex intrinseca indigentia forma a suis dispositionibus, quam materia a forma, quia illas secum forma trahit etiam absque extrinseci agentis adminiculo, non ita materia formam. Argumentum in via nostra parum, & nihil urget, quia negamus per alterationem præviam etiam usque ad ultimum instans inclusive induci gradum incompossibilem formæ præcedenti, nam hoc admisso profecto argumentum satis urget, sed qualitas in tali gradu dimanat a forma eo ipso, quod est introducta, atque ideo introductio formæ novæ semper præcedit expulsionem veteris, & gradus pro ea requisiti, & sic etiam patet ad 1. conf. & 2. quia cum alteratio in toto suo periodo nunquam inducat gradum incompossibilem, si Deus in ultimo ejus instanti concurSum suspendat ad eductionem formæ novæ, vetus absque miraculo remanebit, & paulatim suo conatu contrarias depellet dispositiones, & proprias reassumet.

113 Quarto urgetur denuo Thomist. fundamentum, non minus obstat introductioni formæ ignis in ligno frigus, & humiditas, quam ipsa forma ligni, sed ob talem obicem illa antecedenter tolluntur, ergo & ista. Conf. generatio formæ novæ est finis, corruptio antiquæ se habet, ut medium, ergo licet illa sit prior in intentione, erit tamen posterior in executione. Resp. frigus tolli antecedenter ad formæ inductionem citra gradum pro forma ligni determinatum, hic autem, sicut & ipsa forma, corrumpitur ad ingressum formæ novæ, unde forma vetus est obex, qui tollitur concomitanter, & consequenter, non autem antecedenter; unde ad eversionem fundamenti Thomist. observa, non per se requiri ad introductionem formæ novæ, quod præcedens prius natura fuerit a materia depulsa, sed absolute sufficere, si tunc temporis in ea non reperiatur, cum ipsa ingreditur. Et ratio est, quia sufficit ei, ut in ejus ingressu materiam non inveniat occupatam ab alia forma, ad hoc autem parum refert, quod forma præcedens prius natura fuerit expulsa, vel quod tunc primo expellatur, unde manifeste infertur minime opus esse, quod expulsio veteris formæ antecedat introductionem novæ, sed sufficere si eam concomitetur, vel sequatur, quod bene notavit Arriag. cit. Ad Conf. bene negat Hurt. cit. §. 95. conseq. quia generatio non est finis dependens a corruptione, tanquam a medio proprie, & in rigore sumpre, sed tamquam a remotione impedimenti secuta ex ipsa generatione, sicut etiam dependet a dispositionibus consequentibus, quarum est finis, & tamen fit prius natura, quam illæ; finis ergo est posterior mediis, ait Hurt. per se concurrentibus, aut effective, aut dispositive antecedenter, non tamen consequenter. Hinc subdit Suarez cit. nu. 21. expulsionem formæ improprie dici causam materialem introductionis alterius formæ, nam potius est remotio cujusdam impedimenti, non tam antecedens, quam subsequens, vel concomitans; unde si aliquis est ordo, vel prioritas, est magis secundum considerationem nostram, ut diximus in conclusione, quam secundum aliquam causalitatem a parte rei.

Quinto tandem objicitur; Tum quia si expulsio præcedentis sequitur ad novæ introductionem, ergo prius est in illo subjecto forma nova, quam expellatur antiqua, & sic in eo priori simul erunt, quia antiqua nondum recessisse intelligitur. Tum quia terminus a quo motus, ut provenientis ab agente, prior est termino ad quem, quia ab illo motum incohat, vel adhuc tendat, sed expulsio formæ præcedentis est terminus a quo motus provenientis ab agente, introductio novæ est terminus ad quem, ergo &c. Tum tandem quia ab hac sent. videtur stare Doct. 4. d. 16. q. 2. in calce, ubi moyens hoc dubium in terminis de remotione culpæ, & infusione gratiæ, quænam earum mutationum sit prior, inquit, quod via generationis prior est expulsio culpæ, via perfectionis infusio gratiæ, & quod Deus in justificatione impii, licet ordine intentionis prius velit ipsi gratiæ infusionem, quam culpæ remissionem, ordine tamen executionis prius vult illi non inesse culpam, quam in esse gratiam, qua de causa Scotistæ quamplures oppositum assertionis nostræ tuentur.

114 Resp. ad 1. patere ex dictis disp. 1. Phys. cit. q. 3. art. 3. in Sol. ad 2. neganda enim est conseq. quia in eodem prorsus instanti una incipit, & alia definit; nec valet dicere saltem in eo priori simul esse, quia per instans naturæ non explicatur, aut mensuratur existentia formæ, sed solum dependentia posterioris a priori, vel talis præsuppositio unius ab alio, ut illud concipi possit isto non concepto, & sic est in proposito, quod expulsio veteris formæ non concipitur sine introductione novæ, sed hujus introductio bene concipi potest absque eo, quod ei præcedat expulsio, ut dictum est ad argumentum præcedens, nam sufficit, ut eam comitetur, vel sequatur; & advertimus ibi etiam Adversarios ad hanc solutionem teneri, quia cum secundum eos expulsio præcedat introductionem formæ, æque bene contra ipsos urgere possumus, quod in eo priori materia erit sine omni forma, sicut ob oppositum a nobis assertum contra nos urgent, quod in eo priori erit sub duplici forma. Ad 2. potest esse varius ordo prioris, & posterioris inter terminos motus juxta variam ejus conceptionem, si enim concipiatur, ut fit in argumento, per modum cujusdam transitus, ita prior occurrit terminus a quo abjiciendus, & posterior terminus ad quem acquirendus; si vero concipiatur per modum cujusdam aliter habitionis nunc, quam prius, prior occurrit terminus ad quem & postea terminus a quo; a parte rei tamen res ita se habet, quod si est sermo de termino a quo per se, & primo, sicut est privatio, sic abjectio termini a quo nec præcedit, nec subsequitur acquisitionem termini ad quem, sed sunt omnino simul natura, imo abjectio illius est formalissime acquisitio istius, nam expulsio privationis nil aliud est formaliter, quam adventus formæ. Et ratio hujus est, quia privatio, & forma privative opponuntur, unde nec per divinam potentiam fieri potest formam esse in subjecto, & privationem non recedere, atque ideo formalissime adventus formæ est expulsio privationis, & expulsio privationis formalissime est ipsa forma, si vero sermo est de termino per accidens, & concomitantia, qualis est forma in materia præinventa, sane hujus expulsio distincta est ab introductione termini ad quem, quia hi termini non ita immediate opponuntur, quasi non esse unius sit formalissime esse alterius; ut accidit in privative oppositis, ubi non esse privationis scilicet tenebræ est formalissime ipsum esse formæ scilicet lucis, unde & Deus conservare potest terminum ad quem cum hujusmodi termino a quo, ideo est formam novam cum veteri, neque abjectio hujus termini ad quem, sed a quo præcedit in motu introductionem termini subsequentis, ut ostensum est. Ad 3. nil certi possumus inde colligere ex Doctore, quia loquitur ibi de peccato, & gratia, quæ secundum ipsum non opponuntur ex natura rei, sed tantum ex divina institutione, unde & ibidem negat prioritatem causalitatis inter expulsionem culpæ, & infusionem gratiæ, & tandem con-

eludit in fine quæstionis, quod secundum causalitatem, vel generationem nullum ordinem habent prioris, & posterioris, potius ergo ex locis a nobis citatis colligi debet mens Doctoris consequenter ad ejus principia, quam ex hoc loco utraque parte tam ancipiti.

Quo tandem ad primum sensum scilicet identicum, & formalem, an propositio sit vera, distinguendum est juxta superius dicta q. 1. art. 2. quod generatio, & corruptio sumi possunt in ratione actionis, vel mutationis, si hoc modo sumantur, propositio est falsa, quia generatio, & corruptio important diversas mutationes, ut ibi contra Zab. probatum est, si vero primo modo erit vera, quandoquidem corruptio non importat diversam actionem a generatione, nam eadem prorsus actione, qua una forma introducitur, alia expellitur; & quæ contra propositionem in hoc sensu objici possent, jam ibi dilata sunt.

QUÆSTIO V.

An generatio, & corruptio fiant in instanti, vel successive; ubi discutitur, num forma substantialis suscipiat magis, & minus.

115 IN hac celebri controversia tres vigent in scholis opiniones, duæ extremæ, & una media; loquimur autem de forma non de primo indivisibili formæ. Prima extrema satis communis, & recepta asserit quamlibet formæ substantialis introductionem fieri in instanti, licet subjectum successive disponatur, ita Capreol. 1. d. 17. q. 2. art. 2. Pomponatius lib. de Nutritione, & Augm. cap. 19. & 8. Met. disp. 7. cap. 4. citans Themistium, Simplicium, & alios Græcos, Tolet. 1. de Gen. q. 11. citans Averroem, Albertum, S. Tho. Hurt. disp. 3. de Gen. sect. 3. n. 28. Arriag. disp. 1. de Gen. sect. 5. n. 54. qui alios citant, quam opinionem sic explicare solent, quod ante generationem alteratur mobile, & quia nulla pars ejus est æque propinqua agenti, ideo primo propinquior alteratur, & in ultimo instanti illius alterationis introducitur pars formæ substantialis, deinde agens alterat aliam partem, in qua similiter agens introducit in instanti terminativo aliam partem formæ, & sic deinceps, unde concedunt dici posse fieri successive in hoc sensu, quatenus unum instans alteri succedit, licet mediet tempus, in quo non fit generatio, sed alteratio tantum; hanc ex nostris sequuntur plurimi P. Faber 11. Met. disp. 2. & probabilem putat Tatar. 5. Phys. q. 1. dub. 1. imo quamplures ex hoc motum a mutatione distinguunt, qualis est generatio, quod motus sit in tempore, at mutatio in instanti. Altera opinio extrema est asserentium formas substantiales habere latitudinem non solum extensivam partium, sed etiam intensivam graduum per intensionem, & remissionem, isti enim consequenter dicunt generationem substantialem fieri successive, itaut successio proveniat, nedum ab extrinseco, ex parte mobilis, sed etiam ab intrinseco, ex intrinseca nimirum latitudine formæ, quæ de se successive acquisibilis est, quia secundum se divisibilis est tam extensive, quam intensive, ita Ant. And. lib. de trib. principiis q. 8. & 11. & lib. 11. Met. q. un. & Zerb. ibid. Roccus 3. Phys. q. 4. & 1. de Gen. q. 6. cujus opinionis auctores habentur Averroes, & Alexander, eo quia formas substantiales elementorum præsertim pesuerint intensibiles, & remissibiles, & sequuntur, quicumque formas elementorum inquiunt remanere in mixto in se remisso, & rarefacto. Tertia tandem sententia, quam veram arbitramur, & Scoticam, atque Peripateticam, mediat inter istas, & docet generationem substantialem inanimatorum (nam de generatione animatorum disp. ult. peculiaris erit sermo) fieri in tempore, & successive contra primam opinionem, subdit tamen contra secundam, hanc successionem non provenire ab intrinseca latitudine formæ substantialis, quasi suapte natura talem successionem postulet, sed ei adventitiam esse ex annexis dispositionibus, & alia forma incompossibili, ut postea declarabitur; Hanc tenet Doct. loc. mox citand. etsi pro aliis referatur, Tatar. cit. idem P. Faber Theor. 39. Morisan. disp. 1. de Gen. dub. 5. Ferrerius lib. 14. cap. 1. & alii.

ARTICULUS I.

Generatio, & Corruptio successive fiunt, & in tempore.

116 HÆc assertio, ut diximus, de generatione inanimatorum statuitur, extenditurque etiam ad corruptionem, quia qua celeritate introducitur una forma, eadem corrumpitur alia, unde pari passu procedunt generatio, & corruptio, sicut si quis manutenens trutinam æquali lance, si quis alteram lancem manu deprimat, eodem tempore levat alteram, & depressio unius est levatio alterius. Colligitur ex Scot. in 2. d. 2. q. 9. D. F. N. O. ubi & si non sigillatim loquatur de generatione substantiali, doctrinam tamen communem affert, ut constabit ex argumentis, quæ afferemus; clarius id habet in 4. d. 43. q. 5. B. ubi inquit agens creatum successive inducere formam substantialem, unde ex hoc concludit, quod si forma corporis in resurrectione in instanti introducetur, hoc erit virtute divina; & tandem hoc probat ex professo 8. Met. q. 3. idem tenet Lichet. in 2. loc. cit. Faber expresse Theor. 39. cit. quod non detur minimus motus indivisibilis. Et probatur primo manifestis Arist. auctoritatibus, nam 4. Phys. 129. & 7. Phys. 37. expressius ait generationem substantialem esse velociorem, & tardiorem, & 6. Phys. text. 59. & habet ex præcedentibus in generatione, & corruptione aliquid semper prius factum, vel corruptum esse ante complementum ipsorum, sicut in quolibet motu successivo mutari præcedit mutatum esse, & e contra, & text. 83. ait secundum eam mutationem, quæ in contradictione est, nullum esse impossibile, si tempus mediet, & sit neque perfectum ens, neque non ens. Nec juvat frequens effugium, quod per generationem, & corruptionem intelligat Arist. præviam alterationem, aut aggregatum ex utroque, non autem de præcisa mutatione introductiva formæ substantialis; Minime, quia ut constat ex ipsis contextibus; ibi bene distinguit generationem a prævia alteratione, & de generatione ea pronunciat, ut est introductio formæ substantialis: bene verum est, quod non loquitur de generatione, ut omnino præscindit a prævia alteratione, quia re vera generatio successionem, quam habet, non ex se habet, ab intrinseco, sed potius ab extrinseco, a prævia alteratione in ipsam redundat, quia ut dicemus art. seq. successio ejus non est referenda ad formam substantialem, sed potius ad dispositiones prævias.

117 Secundo demonstratur solida ratione, ex Doctore cit. deducta ex actione uniformiter difformi agentis naturalis in passum, nam quotiescunque passum, circa quod agens naturale exercetur, est contrariis effectum, semper inter sphæram activitatis suæ agit uniformiter difformiter producendo nimirum qualitatem intensiorem in partibus sibi proximioribus, & debita proportione remissiorem in remotioribus, & ratio est, quia major vel minor distantia agentis a passo multum juvat, vel impedit actionem ejus disp. 2. q. 4. cum ergo in qualibet generatione præcedant semper dispositiones prævie, quæ non nisi in tempore, & successive introducuntur ob rationem allatam, quia cum passum sit divisibile in plures partes, non potest secundum omnes esse æqualiter approximatum agenti; hinc sequitur generationem quoque ipsam per concomitantiam fieri successive, & in tempore. Probatur conseq. nam ultimas dispositiones necessario, & naturaliter consequitur introductio formæ substantialis, si ergo illæ successive introducuntur, nec potest dari determinata pars, in qua primo, & æqualiter tota introducatur, sed semper in infinitum alia, & alia pars est prius disposita, profecto idem de forma substantiali per concomitantiam dicendum erit.

Resp. Arriag. disp. 2. de Gen. sect. 3. n. 28. negando propositionem illam de actione uniformiter difformi esse universaliter veram, quod nititur probare quibusdam experientiis de sono & luce Solis, Hurt. imitatus, qui etiam loc. cit. §. 14. eam dem negare ausus est quibusdam experientiis innixus; Sed eam propositionem esse universaliter veram, quando passum, circa quod agens naturale exercetur, est ejusdem rationis & æqualiter contrariis imbutum, & experientias ab eis adductas non esse ad rem, jam ostendimus disp. 2. q. 4. cit. quæ hic repetere non est opus. Proinde Hurt. §. 22. & 23. aliter respondet, negando dispositiones ultimas successive introduci, nam ultima dispositio, inquit ipse, consistit in indivisibili, dato enim quod ultima dispositio alicujus formæ substantialis sit aliqua qualitas, ut quinque, ly *ut quinque* nil aliud dicit, nisi terminativum graduum illius qualitatis, quod indivisibile est, & consequenter non successive, sed in instanti introducitur, cum mensura indivisibilis sit instans, non tempus, & quia forma non introducitur post quamlibet dispositionem, sed solum post ultimam, sequitur non successive, sed in instanti introduci.

118 Neque hæc solutio argumentum evacuat, procedit enim ex confusa acceptione indivisibilium qualitatis, in qua omnino distinguenda sunt abinvicem, ut diximus disp. cit. indivisibile intensionis tantum, & indivisibile intensionis, & extensionis simul. Ratio est, quia qualitas illa, ut quinque, non tantum requiritur in hoc, & in illo puncto subjecti, sed etiam in singulis ejus partibus diffusa, adeo ut totum illud subjectum est calidum v. g. ut quinque; unde quamvis illa qualitas, ut quinque, quoad intensionem sit indivisibilis, tamen quoad extensionem divisibilis est, quare contra allatam responsionem maxime ad hominem, sic argumentari licebit, ultima dispositio formæ, etsi quoad intensionem indivisibilis sit, tamen quoad extensionem divisibilis est, ergo etiam forma substantialis, cum hæc eodem modo concomitanter acquiratur, sicut illa. Probatur assumptum, quia ultima dispositio formæ ab agente introduci debet in subjecto quanto, & extenso, & adhuc aliqua contrarietate affecto, sed agens naturale uniformiter difformiter agit circa subjectum ita se habens, ergo &c. Accedit, quod gradus certus, & ultima dispositio, etiam per ultimum non esse incipit in parte incerta, ac indeterminata, ex disp. 3. q. ult.

Resp. alii, argumentum concludere utique de dispositionibus præviis, quia cum accidentia sint, bene successive acquiri poterunt, non vero de formis substantialibus, quæ non nisi in determinata parte, & quantitate recipi debent. Hæc responsio corruit ex dictis disp. 9. Phys. q. 3. art. 1. ubi determinavimus cum Doctore formas substantiales non vivemtium determinatam quantitatem non postulare, sed quantum est de se, sub minori semper existere posse quacunque data, ut ipsa quoque experientia docet, quamvis enim corpora quædam tenuis resistentiæ, qualis est ignis, non possint diu sub exigua mole conservari, unde statim extinguitur, & convertitur in naturam corporis circumfusi, aliam tamen majoris resistentiæ sub quacunque exigua quantitate diu conservantur, signum evidens non præfigere sibi terminum usque ad indivisibile exclusive; At præsertim in proposito possumus adhuc sic urgere, ultima dispositio formæ introducendæ, ut ponitur ab Adversariis, incompossibilis est eum forma corrumpenda, itaut quandocunque est in subjecto ultima dispositio, statim extinguitur forma præcedens, ac nova excitatur, assignetur tunc ista determinata pars, in qua substantialis forma dicitur tota simul

introduci debere, certum est, partem illam divisibilem esse, & consequenter non esse secundum singulas æqualiter agenti approximatam, ergo cum adhuc aliqua contrarietas ab illis abigenda supersit, agens simul in omnes dispositionem ultimam inducere nequibit, sed prius in parte propinquiori, postea in remotiori, quando ergo agens dispositionem ultimam introduxit in propinquiori, vel manet forma præcedens, vel non; Si primum, ergo forma corrumpenda esset compossibilis cum ultima dispositione; Si secundum, ergo ne dicamus naturaliter materiam per aliquod tempus sine forma substantiali reperiri, dicere debemus, quod in illa parte propinquiori sit nova forma substantialis, ergo non est ei præscripta certa pars quantitatis, sed potest sub qualibet minori reperiri.

119 Vide disp. cit. in Phys. ubi non viventibus, & homogeneis ostendimus non dari minimum naturale, nec terminum parvitatis eorum formis præfixum, contra quod parum urget, quod objicit Contar. tom. 2. q. de max. & min. naturali c. 3. ex hoc nempe sequi, neque viventia ipsa habere minimum, corpora enim ætherogenea viventium ex partibus homogeneis constant, ergo si istæ non sunt determinatæ ad minimum, sed semper esse possunt in minori mole, pariter etiam, & corpora ætherogenea viventium. Non urget, etiamsi ob hanc rationem Aresius 1. de Gen. disp. 4. q. 35. probabile putaverit neque in viventibus esse determinatum terminum parvitatis, quia partes homogeneæ viventibus deserviunt, velut instrumenta ad eorum operationes obeundas, at ob nimiam parvitatem possent evadere improportionata ad illas. Nec item obstat, quod ait Aresius hanc rationem non concludere, quia instrumenta tunc debent esse determinata, quando determinatum est agens, sive effectus, alioquin si hæc sunt indeterminata, talia quoque erunt instrumenta, cum hæc proportionari debeant agenti, & effectui, & ita videmus membra culicis esse illi proportionata instrumenta, quamvis quantitatis minimæ, quæ tamen essent improportionata homini. Non itaque obstat, quia per eam rationem utique non prætendimus præfigere certum terminum instrumentis omnium viventium communem, quis tam mentis hebes id assereret? sed singulis pro eorum conditione, & indigentia, & quia nullum vivens videtur uti posse instrumentis quantumcunque exiguis ad operationes vitales exercendas, ideo quodlibet exigit pro sua conditione determinata organa majora, vel minora, & in hoc sensu procedit illa ratio ex Arist. deducta 7. Politic. cap. 4. non autem ex suppositione, ut ait Aresius, quod omnia viventia essent ejusdem determinatæ magnitudinis, esset enim hæc suppositio multum inepta, & ridicula. Fatemur tamen argumentum concludere, quod in ordine ad potentiam Dei absolutam possunt animantia quædam carere termino parvitatis, & hoc gratis admittimus loc. cit.

120 Interim notanda est hic nonnullorum inconsequentia, præsertim Scotistarum, qui cum Scot. 2. d. 2. q. 9. negant inanimatis, & homogeneis terminos parvitatis, & postea asserunt generationem eorum fieri in instanti, in quo sane magis consequenter loquuntur Adversarii, quia ipsi asserentes generationem fieri in instanti, contendunt etiam formam substantialem semper exigere determinatam partem, quam informet, imo ex hoc, quod singulis formis præscribunt terminos parvitatis, hinc postea deducunt omnem generationem fieri in instanti, unde e contra qui inanimatis negant tales terminos, consequenter negare tenentur generationem fieri in instanti. Minus etiam consequenter loquuntur alii, ut Conimb. 1. Phys. cap. 4. q. un. art. 7. Greg. 1. dist. 17. qu. 2. art. 3. & alii Nominales, qui admittentes terminum parvitatis volunt generationem ab initio in instanti, ita quod agens naturale inducat certam particulam formæ totam simul in certa parte materiæ, post acquisitionem vero primæ partis fieri deinceps successive, quia nullum imminet periculum, quod detur medietas minimi per se existens (ut eveniret ab initio) nam præexistenti continuatur. Nec etiam isti loquuntur consequenter, quia si non datur minimum in generationis progressu, hinc clare deducitur formam ex natura sua non sibi determinare certam quantitatem, cum possit esse sub minori in infinitum, atque ideo tota etiam, ac integra generatio æque bene potuit incipere per ultimum non esse, & si minus minimo dari non potest esse separatum, hoc non provenit ex natura ipsius formæ, sed a contrario ambiente, quod eam corrumpit; aut ergo tam ab initio, quam deinceps generationem in instanti fieri debent asserere, aut nunquam, sed successive semper.

121 Tertio principaliter, ut aliqua forma successive introducatur, duo ad summum requiruntur, unum est, quod forma habeat aliquam latitudinem, sive extensivam, sive intensivam, nam si terminus indivisibilis est, non potest, nisi totus simul acquiri, ac deperdi; alterum est, ut sit impedimentum aliquod, quominus in instanti secundum omnes suas partes ipsa introducatur, lumen enim esto præfatam habeat latitudinem, quia tamen nullum adest contrarium impedimentum, totum simul inducitur, ita colligitur ex Arist. 5. Phys. 18. 33. & 49. & docet Scot. 2. dist. 2. qu. 9. Z. ubi ait radicem omnis successionis sumendam esse ex resistentia medii ad motorem, & mobile, quatenus scilicet non potest terminans ad quem a motore intentus statim induci in mobili, sed opus est mobile moveri per media interjacentia inter terminos a quo, & ad quem intelligendo per media omne id, quod necessario præcedit inductionem termini ad quem, ut diximus disp. 15. Phys. q. 7. art. 1. Sed utraque conditio intervenit in generatione substantiali, nam in primis forma materialis habet latitudinem saltem extensivam, scilicet pluralitatem partium, adest etiam impedimentum, quo minus introducantur omnes simul, quia cum in subjectum contrariis affectum induci debeant, oportet prius contrarium expellere, ejusque resistentiam vincere, quod ab agente naturali subito fieri nequit, sed paulatim per partem post partem. Dices, hoc esse impedimentum ab extrinseco ratione dispositionum, non ab intrinseco formæ. Bene; sed hoc sufficit, ut & successio in generationem ipsam redundet, non enim ad successionem inducendam requiritur, quod tale impedimentum prodeat ab intrinseco formæ, sed illud sufficit, undecunque proveniat. Dices, prius a determinata parte contrarium expelli per alterationem prævium, & in ea parte in ultimo alterationis instanti partem substantialis totam simul induci. Contra hoc jam renuimus, quia clarum est, quod agens actione univoca agit in medium, & in extremum, & nequit in extremum agere, quin agat prius in medium, sicut prius est medium ipso extremo, cum igitur determinata illa pars subjecti, in qua certa pars formæ tota simul dicebatur induci, sit indivisibilis in duas partes, prius agens introducet prævias dispositiones in primam medietatem, quam in secundam, quia agit uniformiter difformiter, quando ergo disponit secundam medietatem, vel agit in primam, vel non; si agit, ergo cum omnes dispositiones introduxerit, inducet in eam formam substantialem, & sic jam assignata non erat pars determinata; si non agit, ergo aget in extremum non agendo in medium, & cum secundum Adversarios ultimæ dispositiones expellant formam oppositam, jam illa medietas materiæ disposita erit ab omni forma substantiali denudata.

122 Quinto, quin etiam si penitus naturam generationis substantialis vestigamus, ut sit regulariter, aliquam successionem reperiemus in ea independentem a successione ipsius alterationis, etiamsi sint simul connexæ; ratio est, quia licet inter formas substantiales illa non versetur contrarietas, quæ inter qualitates adinvenitur, habent tamen propriam repugnantiam, & incompossibilitatem in eodem subjecto, ratione cujus si materia esset sub aliqua forma substantiali sine suis accidentibus connaturalibus, atque ideo non indigeret prævia alteratione ad ea expellenda, adhuc tamen generatio ipsa fieret successive, & in tempore, quia non adhuc reperiret materiam nudam, & sine impedimento, sed forma alia præoccupatam, cum quia incompossibilis est nova forma, sicut ergo in motu locali sola incompossibilitas diversorum ubi in eodem subjecto absque vera contrarietate, & graduali intensione sufficit ad successionem motus localis, ita quoque in proposito sola incompossibilitas duarum formarum substantialium in eadem parte materiæ sufficit ad successionem generationis etiam præcisa contrarietate, & graduali intensione, ac latitudine dispositionum. Confirm. quia impedimentum in alteratione, ne tota qualitas inducatur simul, est alia qualitas ei contraria, & incompossibilis, quæ præinvenitur in passo, per quam resistit, quæque tota simul, eum partes habeat, vinci, & expelli non potest, ergo etiam in proposito forma substantialis præcedens in materia resistentiam causabit suo modo ob eius incompossibilitatem cum forma introducenda, & sic ex hoc capite posset in generatione admitti successio aliquo modo per se, quia tamen terminus per se generationis absolute loquendo non est forma expellenda, sed privatio, & ad formæ expulsionem prævie dispositiones multum operantur, præstat dicere successionem in generatione adinveniri per accidens, & ratione prævarum dispositionum.

Sexto tandem probatur experientia ipsa, nam experimur de facto formas substantiales successive introduci, ignis enim non simul, sed successive occupat omnes partes ligni, & chartæ; Accedit, quamplures ex adversariis id defendere de nutritione, quod scilicet successive fiat, ac in tempore, non in instanti, unde ex hoc capite tenentur omnes solvere difficultates, quæ contra nos urgeri solent, cum ergo solida non occurrat ratio cur hoc de nutritione asseratur, & postea negetur de integra inanimatorum generatione, præstaret idem utrobique affirmare, eo præsertim quia nutritio animatorum, & generatio inanimatorum in hoc conveniunt, quod nunquam requirunt determinatam materiæ partem, in qua substantialis forma introducatur.

123 In posit. objic. Primo & censetur ab omnibus argumentum difficile, si generatio fit successive, ergo incipit per ultimum non esse, itaut sit verum dicere, nunc non est, & immediate post hoc erit, tunc ergo quæritur, an in eo instanti, quod est ultimum non esse generationis completa sit dispositio formæ introducendæ in aliqua parte subjecti, aut non; si primum, necessario debet fieri in eodem instanti, quandoquidem nequit materia esse ultimate dispositа pro receptione alicujus formæ, & non habere illam; si non, ergo falsum est, generationem incipere in tempore immediate sequenti, quoniam si in instanti antecedenti non est materia ultimate dispositа, restat illi ulterior dispositio acquirenda per motum in tempore immediate sequenti, forma autem non recipitur, nisi postquam talis dispositio ultimate introducta est.

Resp. hanc difficultatem urgere quoque tenentes nutritionem fieri successive, ut videre est apud Compl. disp. 5. q. 8. Jo. de S. Tho. q. 8. art. 4. Ruv. 1. de Gen. cap. 5. q. 3. qui multas adducit responsiones, quas omnes rejicit; sed quicquid alii dicant, nos juxta nostra principia dicimus; quod vel per ultimam dispositionem intelligitur gradus aliquis formæ præcedenti incompossibilis, & sic verum est, & in eo instanti, quod est ultimum non esse generationis, dispositionem formæ non esse completam & ultimatam, quia talis gradus non venit nisi cum forma, atque ideo dispositio ultima in hoc sensu non præcedit, sed potius concomitatur formam ipsam, & acquiritur non per alterationem, sed per generationem ipsam concomitanter; si vero per dispositionem ultimam intelligatur illa, quæ immediate præcedit gradum incompossibilem, quæ est pure intro-

ductiva pureque antecedens, concedimus in eo instanti materiam esse ultimo dispositam, at necesse non est cum tali ultima dispositione adesse formam novam, quia compossibilis bene est cum forma corrumpenda; neque hæc gemina acceptio ultimæ dispositionis est voluntaria, nam eam quoque admittunt Thomistæ, præsertim Complutens. citati, licet in ea explicanda sit aliqua discrepantia. Dices, dispositio ultima in hoc secundo sensu non ponit in materia quicquid exigitur ad introductionem substantialis formæ, sed adhuc deest aliquis gradus, ergo nequit ad eam *immediate* sequi introductio formæ. Negatur conseq. quia quicquid deest, secum forma trahit in ipsa generatione immediate post illud instans,

124 Sed adhuc instabis, si in instanti, quod est ultimum non esse generationis, introduxit agens ultimam dispositionem in subjecto (quomodocunque dicatur ultima)cum subjectum sit divisibile, prius debuit istam dispositionem introducere in parte propinquiori, & postea in remotiori, cum ergo eam induxit in remotiori, cum in eodem tempore agat quoque in proximiorem jam ultimo dispositam, utique tunc temporis inducet in ea formam substantialem, ut supra arguebamus, ergo ante illud instans inchoata erat substantialis generatio, atque ideo falsum erit dicere, quod sit ultimum non esse generationis. Respondeti posset committi fallaciam *consequentis*, *etenim* cum dicitur, in instanti quod est ultimum non esse generationis, est dispositio ultima in subjecto, per ultimam dispositionem intelligitur indivisibile illud terminans motum intensionis, quatenus tamen indivisibile est, & hoc quia instans non potest esse mensura, nisi alicujus indivisibilis, cum vero dicitur, quod hæc ultima dispositio introducta fuit in subjecto divisibili, jam consideratur illud indivisibile intensionis, quatenus divisibile est extensive ex hoc, quod agens extendendo intendit, & intendendo extendit, & ita fit transitus ad motum extensionis, quomodo non potest instanti mensurari, sed tempore: unde illud instans non est terminativum motus extensionis, sed intensionis, & sicut motus intensionis præscindit ab extensione, ita & illud instans, atque ideo non valet inferre, quod ante illud instans erat generatio in subjecto; vide disp. 3. q. 6. in fine, ubi aliam responsionem adduximus magis nostris principiis conformem.

Secundo, ex Hurt. §. 17. potest agens naturale materiam aliquam divisibilem, & quantam momento disponere, ergo ex hoc, quod materia sit divisibilis, non sequitur, dispositionem, & consequenter generationem fieri successive. Antec. prob. materia generationis hominis, aut alterius viventis tota simul recipit formam ex hoc, quod viventia terminum parvitatis sibi determinant, ergo tota simul etiam in instanti disponitur; Consequentia vero patet, quia generatio fit in eodem instanti, in quo completur ult. dispositio in materia.

Resp. arg. aliquam difficultatem facere posse negantibus pluralitatem formarum in viventibus, nos autem eam ponentes parum perstringit, negamus enim assumptum, ad cujus probat. dicimus, vel in ea sermonem fieri de anima, & hanc concedimus totam simul *ingredi* ob rationem ibi allatam, vel de forma mixtionis, seu corporeitatis, & hanc negamus totam simul recipi, pedetentim enim, & successive introducitur, unde cor *secundum Ar. lib. 3.* de partibus animal. cap. 4. primum generatur, & secundum Medicos, cor, cerebrum, & jecur ante omnia membra fiunt; atque ita dispositio ad formam mixtionis non fit in instanti sed sola dispositio ad animam, quæ nil aliud est, quam completa organizatio corporis, quæ in congerie illarum formarum consistit, & de hac loquitur Doct. 3. d. 4. B. dum ait, quod in ultimo instanti alterationis inducitur forma corporis, qua corpus est perfecte organicum, & habetur ultima dispositio ad animam ut ipse infra se declarat. Dices, cur dispositio ad animam fit in instanti, nec in ejus inductione valet dicere, quod agens uniformiter difformiter disponit, ut dicitur de dispositione ad formam mixtionis? Resp. hoc esse discimen, quod cum dispositio formæ corporis fiat per qualitates prævias contrarium invenientes in subjecto, ideo agens uniformiter difformiter disponit, nec valet illas omnes simul inducere; dispositio vero animæ nil aliud est nisi perfecta corporis organizatio, quæ per varias mixtionis formas habetur, quæ ita introducuntur, ut agens, post quam semel in una parte materiæ introduxit formam carnis, vel ossis v. g. expectat, nec amplius tunc agit in eam introducendo animam, quia anima determinat sibi *minimum*, *quod sic*, & corpus perfecte organizatum, ac in debita proportione, quæ perfecta organizatio non habetur sine cæteris formis mixtionis, unde patet manifesta disparitas in dispositione ad formam mixtionis, & ad formam animæ.

125 Tertio arguit P. Faber in Met. loc. cit. sed re vera ejus rationes tendunt ad probandum generationem substantialem non fieri successive eo modo, quo volebat Ant. And. contra quem ibi disputationem instituit, in alio enim sensu etiam ipse consentit fieri successive theor. cit. quia tamen quædam ejus argumenta videntur absolute excludere velle omnem successionem, ea tangemus, probat ergo fieri in instanti. Primo quia Doctor expresse ita docuit 2. d. 2. q. 9. in fol. ad 2. prin. ubi ex hoc arguit indivisibile, ut est instans, esse aliquid positivum, non privativum, quia alioqui sequeretur, quod generatio substantialis, & aliæ mutationes subitæ, ut illuminatio, fierent in nihilo, vel essent nihil, quia eorum mensura, quæ est instans, esset nihil, & in 4. d. 12. q. 3. non vult per quemcunque gradum caloris v. g. in aqua introductum ab igne corrumpi unum gradum frigoris, & formæ aquæ, & induci unum ignis, quod tamen necessarium esset, ut forma successive acquireretur, sed docet, tunc formam ignis induci, quando inducti sunt tot gradus caloris, quot sunt incompossibiles formæ aquæ, ergo generatio substantialis secundum ipsum non fit gradatim juxta successionem alterationis, sed tota simul alteratione peracta. Deinde probat ratione (quæ apud ipsum tertio loco ponitur, quam enim affert secundo loco solum contra opinionem Ant. And. procedit, ut mox patebit art, seq.) si generatio est successiva, vel esset ex parte materiæ, vel ex parte formæ, neutrum dici potest, tum quia tam materia, quam forma in se sunt essentialiter indivisibiles, quia omnis divisio est a quantitate, tum quia termini generationis sunt contradictoria, non contraria 5. Phys. 7. cum substantiæ nil sit contrarium, ergo generatio substantialis momento consumabitur, cum non adsit contrarietas superanda per motum.

Resp. imo Doctorem 2. d. 2. q. 9. ut diximus, manifeste docere generationem inanimatorum fieri successive, cum sibi non determinent *minimum*, *quod sic*, quod utique necessarium foret ad generationem instantaneam, ait autem me nsuram generationis esse instans, non tempus, quia per se mensura generationis re vera est instans, tempus vero solum per accidens, quandoquidem tota successio, quæ in ea intervenit, sane non procedit ex intrinseca latitudine formæ, sed ratione præcedentium dispositionum contingit, ex hoc autem solum deduci potest generationem per se non fieri successive, non tamen concludit, quod neque ita fiat per accidens; verum etiam est, quod ait docere Doctorem 4. d. 12. q. 3. sed falsum est opus esse, ut ad quemcunque gradum caloris acquiratur unus gradus formæ ignis, si generatio successive fieri debet, imo neque hoc modo putamus Ant. And. posuisse generationem substantialem successive fieri, sciebat enim unum gradum caloris non esse sufficientem dispositionem ad formam ignis; in hoc ergo sensu duntaxat dicimus generationem fieri successive ratione præcedentis alterationis, quod cum agens partem remotiorem ultimate disponit, propinquiorem interim jam dispositam forma substantiali imbuit ob actionem uniformiter difformem, & cum talis distributio in infinitum fieri possit per partes proportionales numquam ad primam perveniendo, in qua pars formæ tota simul fuerit introducta; hac de causa dicimus generationem fieri successive, quod bene cohæret cum doctrina Scot. loc. cit. Ad rationem dicimus utique neque ex parte materiæ, neque ex parte formæ substantiali absolute successionem attendi debere, non quidem quia indivisibiles sint omnino antecedenter ad quantitatem, ut videtur innuere Faber, quia certum est apud Doctorem substantiam materialem ut est materia, & forma, de qua hic loquimur, esse entitative divisibilem ante quantitatis adventum; sed quia non quælibet subjecti divisibilitas inducit successionem, lumen enim inducitur in aerem divisibilem in instanti, sed divisibilitas *præsertim* subjecti contrariis affecti, ex quibus resistentia provenit; itaque in proposito dici potest successionem provenire ex parte materiæ, & formæ, *non absolute inspectarum* sed sub dispositionibus, a quibus per se tota generationis successio auspicanda est; Ex quo etiam patet ad id, quod ultimo addebatur ex 5. Phys. probat enim solum in generatione successionem non requiri ex extrinseca ejus ratione, quia non est inter terminos contrarios, sed contradictorios, quod utique gratis concedimus; at non probat successionem saltem per accidens non redundare quoque in ipsam rationem dispositionum, quod est nostrum assertum.

126 Quarto tandem arguitur, quia divisibilitas subjecti non arguit necessario successionem in motu, aliter illuminatio fieret successive, ergo quando subjectum est divisibile, *non necessario* agens in ipsum uniformiter difformiter agit. Deinde quia si forma substantialis potest successive acquiri, jam nullum erit discrimen inter formam substantialem, & accidentalem, saltem quantum ad earum acquisitionem; nec sufficit dicere per hoc differre, quia substantialis, quantum est de se, potest tota simul acquiri, non illa. Minime, quia etiam partes accidentalis formæ v. g. caloris, cum sint de genere permanentium, possunt omnes simul acquiri, saltem de potentia Dei absoluta. Demum quia ex 6. Phys. formæ materiales non possunt desinere per ultimum esse, aliter darentur duo instantia immediata, vel materia sine forma, sed dato, quod generatio sit successiva, forma corrumpenda desineret per ultimum esse, ut supra nos concessimus, &c. Resp. satis patere ex dictis non cujuslibet subjecti divisibilitatem causare successionem in acquisitione formæ, sed divisibilitatem subjecti contrariis affecti, hæc enim præsertim causat resistentiam *mobilis* ad motorem. Ad 2. lata adhuc restat differentia inter utriusque formæ acquisitionem, tum quia in accidentalibus vera contrarietas reperitur, non in substantialibus, nisi per accidens ratione illarum, quæ ad ipsam præcedunt, velut dispositiones, tum quia accidentales habent intrinsecam graduum latitudinem, ratione cujus suscipiunt magis, & minus, non illæ, ut mox dicemus, ideo licet utriusque acquisitio sit successiva, successio tamen in una est per se, in altera per accidens, & quamvis calor de potentia absoluta possit simul totus induci secundum omnes gradus, quia tamen suapte natura contrarium habet, ideo connaturaliter successive tantum induci postulat, quod si aliter fiat, hoc est supra ejus naturam, quod de substantiali forma dici non potest. Ad 3. sequeretur inconveniens illud, quando forma generanda inciperet per primum esse, hoc enim dato, inquit Arist. formam corrumpendam per ultimum esse desinere non posse; at non sequitur, si forma generanda ponatur, *incipere* per ultimum non esse, ut nos ponimus, quia idem instans est ultimum non esse rei generandæ, & ultimum esse rei corrumpendæ.

A R.

ARTICULUS II.

Successionem generationis, & corruptionis non provenire ab intrinseco formæ substantialis, quasi secundum se suscipiat magis, & minus, sed ab extrinseco.

127 HÆC assertio contra secundam opinionem extremam statuitur, sequiturque ex dictis art. præc. ubi notavimus successionem non esse referendam ad formam ipsam substantialem, sed potius ad dispositiones prævias, itaur si subjectum in instanti, & secundum omnes partes disponi posset, forma substantialis in instanti, ac indivisibiliter acquireretur; Colligitur ex Scot. 2. d. 2. q. 4. A. & B. ubi vult, quod corpora generabilia, & corruptibilia per se tempore non mensurantur, sed tantum per accidens, quia fluxus, & successio partium in ipsis provenit ex aliqua forma naturaliter subsequente v. g. quantitate, vel qualitate, & in 1. d. 17. q. 3. & 8. Met. q. 3. negat magis, & minus in forma substantiali quomodo admittitur in accidentibus, unde consequenter negat ibi motum successivum ad substantiam, sicut est in accidentibus v. g. secundum intensionem, & remissionem, quæ sententia receptissima est contra Averroistas. Probatur primo auctoritate Ar. qui in hoc præsertim sensu cap. de substantia in Logicis assignavit velut ejus proprietatem, per quam ab accidentibus distinguatur, non suscipere magis, & minus per intensionem, & remissionem, ut ibi declaravimus disp. 7. qu. 1. art. 3. & quidem eam assignavit, ut propriam totius generis substantiæ, & ideo minus recte dixit Averroes 3. de Cœlo com. 67. solum intelligi debere de substantiis perfectis, idest mixtis, non autem de imperfectis, ut sunt elementa, sane cum hæc omnia sint species generis substantiæ, omnibus, & singulis affectio illa competere debet, tam scilicet substantiis perfectis, quam imperfectis, cum passio generis etiam speciebus conveniat per se secundo. Hac postea de causa pluribus *in locis Aristot.* sed præsertim 5. Phys. 55. dixit generationem substantialem indivisibiliter fieri, istud enim dictum verificatur in hoc sensu, quod scilicet *indivisibiliter* acquireretur forma substantialis, quantum est ex se, & per se, esto per accidens, & ratione dispositionum successive introducatur, unde non est ad modum lucis, quæ licet in instanti introducatur quoad extensionem, eo quod nulla prævia dispositio præsupponitur in medio, cum non habeat contrarium, attamen potest adhuc successive acquiri secundum intensionem, cum possit intendi, & remitti.

128 Deinde idem assertum, quod scilicet forma substantialis non suscipiat magis, & minus per intensionem, & remissionem, probant Thomistæ hac ratione ex D. Tho. desumpta 1. de Gen. 84. quia successive acquireretur, & sic ad substantiam esset motus contra Ar. 5. Phys. 10. quæ ratio nihil concludit, quia ut constat ex dictis disp. 15. Phys. q. 6. successio non constituit motum, ut a mutatione distinguitur, & tam bene dari potest motus instantaneus, sicut mutatio successiva, alia proinde utuntur Complut. 1. de Gen. disp. 4. q. 3. & Jo. de S. Tho. q. 3. art. 1. deducta ex eodem S. Tho. 1. p. q. 76. art. 4. & p. 2. q. 52. art. 1. quia scilicet forma, quæ dat speciem rei, quam actuat, debet in indivisibili consistere, non vero variationem pati secundum intensionem, & remissionem, quia species sunt, sicut nu. 8. Met. q. 10. cum ergo forma substantialis tribuat speciem substantiæ, non suscipiet magis, & minus. Neque etiam hæc ratio valet, quia procedit de gradibus essentialibus, & quidditativis, secundum quos etiam accidentalis forma suscipit magis, & minus, sed in indivisibili consistit, unde non suscipere magis, & minus in hoc sensu nequaquam distinguit substantiam ab accidentibus, ut diximus disp. 7. Log. loc. cit. Hac de causa Scotistæ alia ratione utuntur ex Scot. 8. Met. q. 3. quam passim alii acceptant; quia si formæ substantiales ad remissionem qualitatis remitterentur, ergo amoto contrario remitrente nulla est causa intrinseca redeundi ad pristinum gradum intensum, & sic aqua calefacta ab igne amota nunquam ad pristinam rediret frigiditatem, cum non possit forma substantialis ultra suas vires agere; idem dicendum quando qualitas intenditur ultra statum naturalem subjecti, quia postea remittitur ad gradum pristinum, quod non esset, si forma substantialis fuisset intensa. Neque tamen hæc ratio magnam vim continere videtur, alioquin quando videmus formam non posse amplius se ad pristinum statum reducere, deberemus inde remissionem ipsius concludere, ut patet de vino evaporato, vel aqua diluto, quod non amplius evadit perfectum, ut prius ex Ar. 1. de Gen. 42. & vivens post amissionem virium in infirmitate, non semper denuo illas acquirit.

129 Potius ergo ex eo probandum est, nullam formam substantialem magis, & minus hoc modo suscipere, quia nequeunt plures formæ substantiales specificæ, & completæ simul esse in eadem materia saltem naturaliter loquendo, ut dictum est disp. 5. Phys. q. 6. art. 2. hoc autem contingeret, si formæ substantiales hoc modo magis, & minus susciperent, nam in aqua calefacta usque ad quartum gradum haberentur etiam quatuor gradus v. g. formæ ignis, cum forma substantialis ignis intendatur, sicut sua latitudo qualitativa, & sic naturaliter in eadem materia essent simul forma ignis, & aquæ; parum autem refert, quod sint simul in gradu intenso, vel remisso, quia absolute sint invicem incompossibiles, & generatio unius est naturaliter corruptio alterius, itaquod nec in fieri, nec in facto esse possunt simul esse, ut diximus qu. præc. explicando illam propositionem in secundo sensu ex tribus ibi assignatis; hanc rationem innuit Doctor 2. d. 15. q. un. disputans contra Averroem; & licet ipse etiam non sit ab instantiis prorsus immunis, tamen ad hominem concludit rectius aliis contra Averroistas, qui in præfato sensu explicant formam substantialem magis, & minus suscipere: Vera igitur, & legitima hujus asserti probatio ex mox dicendis deducenda est, quando absolute probavimus substantiam in nullo sensu posse magis, & minus suscipere nec divisibiliter, nec indivisibiliter.

130 In *oppositum instat* Ant. And. cit. Tum quia calor intenditur, & remittitur, ergo & ignis, & consequenter est per se successio in substantiis, probatur conseq. causa naturali similiter se habente, & effectus similiter se haber, ergo ex variatione effectus colligitur variatio causæ, sed calor est effectus formæ ignis, ergo &c. Tum 2. si formæ elementorum non remittuntur ad remissionem suarum qualitatum, possent conservari in materia sine suis dispositionibus, quia qua ratione duo, vel tres gradus remitti possunt absque remissione formæ, pariter & omnes, cum sint ejusdem rationis. Tum 3. calor est passio ignis, ac propria passio sequitur formam, ut per se causam, ergo cum propria passio per se intenditur, signum est, quod forma quoque per se intenditur. Tum 4. si non quicunque gradus caloris arguit *aliquem* gradum formæ ignis, accidens erit naturaliter sine subjecto, probatur conseq. forma accidentalis non subjectatur in materia, nisi mediante forma substantiali, cum ergo primus gradus caloris in aquam introducitur, quærimus, qua forma mediante subjectetur in materia, non per formam aquæ, quia hæc potius repugnat, non per formam generandam, quia nondum est ibi secundum aliquem gradum, nec per formam generantis, quia hæc non est in materia aquæ; ergo &c. Tum 3. quia alioquin sequeretur ignem interdum esse frigidiorem aqua, & aquam calidiorem igne, quando enim ex aqua generatur ignis, in ultimo instanti alterationis præcedentis habebit aqua septem gradus caliditatis, aliter non fumme disponeretur ad formam ignis, & unum tantum frigoris, ergo tunc erit *calidior igne*, *si vero e contra ex igne generetur* aqua, sequitur ob eandem rationem ignem fore frigidiorem aqua. Tum tandem, quia unius ignis calor est intensior calore alterius ignis, ergo forma unius plures gradus habebit, quam forma alterius, aliter nulla esset ratio, cur hoc individuum ignis plures habeat caloris gradus, quam aliud.

131 Resp. ad hæc omnia Doctor loc. cit. 8. Met. q. 3. in additionibus prope finem, ad 1. neg. conseq. cum ejus probatione, quæ tenet, quando variatio effectus provenit ab intrinseco causæ, non tamen quando provenit ab extrinseco, & a contrario, ut est in proposito, calor enim ignis non remittitur a forma ignis, sed a contrario, potest itaque per contrarium remitti effectus, licet non remittatur causa. Ad 2. neg. conseq. quia quælibet forma substantialis intra quandam latitudinem sibi determinat peculiares gradus qualitatis ad sui conservationem & licet possit esse sine aliis gradibus intra eam latitudinem, non tamen *sine iftis*, quamvis sint ejusdem rationis, unde 2. d. 15. q. un. solvendo hanc rationem Averrois inquit Doctor, quod sicut non sequitur, hoc corpus potest esse sine hoc loco, & sine illo, ergo pari ratione sine omni, sic in proposito non videtur valere hæc ratio, quam doctrinam amplius decl. 4. d. 12. q. 3. Ad 3. neg. assumptum, quod calor sit propria passio ignis, sicut risibilitas hominis, quia nec indivisibiliter est sequens, nec soli inhærens, sed dicitur passio, quia est qualitas quædam necessario consequens formam ignis in gradu indeterminato intra determinatam latitudinem. Ad 1. neg. conseq. ut enim diximus d. 3. Phys. q. 1. calor est in tota aqua, ut in adæquato subjecto, est tamen ibi violenter, quia remittitur forma aquæ, nec aliud misterium videmus in hoc argumento, quod validissimum putat Faber in Met. pro hac sententia. Ad 5. supponitur falsum in argumento, quod nempe forma ignis possit manere cum uno tantum gradu caloris, cum enim latitudo ejus qualitativa remissa est usque ad medium, verisimile est formam ignis non amplius in ea materia consistere posse ob frigiditatem, unde juxta hoc diceretur, quod cum ignis vertendus in aquam amisit ultimum gradum suæ latitudinis, quem sibi pro sua conservatione præscribit, tunc sufficienter dispositus est ad corruptionem in aqnam, & sic nunquam ita remittitur, ut sit minus calidus aqua; sed quicquid sit de hoc, inquit Doctor, illatum in argumento non esse absurdum de igne, & aqua in via ad corruptionem, sed esse inconveniens de illis in esse quieto. Ad 6. passim ajunt Scotistæ non esse negandos gradus individuales omnino formæ substantiali, ut bene convincit argumentum, sed negandos esse eo modo, quo sunt in forma accidentali; habet enim hæc talem graduum latitudinem, ut illi gradus paulatim inducantur, vel dimittantur, unde eadem aqua modo est magis calida, modo mius: secus est de forma substantiali, hæc enim post sufficientem dispositionem tota simul inducitur quoad omnes suos gradus, & postquam semel inducta est, non amplius intenditur, & remittitur, itaque argumentum concludit tantum, sicut & alia quædam ibidem ab Ant. And. adducta, formas substantiales utique suscipere magis, & minus, & in generatione unam formam plures gradus perfectionales recipere, quam aliam, non tamen divisibiliter. & successive, sed indivisibiliter, ac omnes simul.

132 Sed licet hic modus tuendi substantiam magis, & minus suscipere, sit plausibilis non solum in scola Scotistarum, sed etiam extra, sequuntur etiam Albert. Ægid. Capreol. Riccard. Hispal. Cajet. p. 1. q. 85. art. 7. Banneż 1. de Gen. c. 4. q. 3. Guevara lib. 1. de interiori sensu tract. 7. cap. 5. Ruv. tract. de pluralitate formarum q. 3. & alii quamplures, imo Doctor ipse probabilem existimet in Met. loc. cit. Nihilominus nec etiam in hoc sensu substantialem formam

magis, & minus susciperе posse est valdè probabilius, & magis rationi consonum, doctrinæ peripateticæ, ac etiam Scoticæ in lib. sent. ac proinde Scotistæ non inferioris notæ negant quoque in hoc sensu subsantiam magis, & minus susciperе, Tatar. cap. de substantia q. 2. dub. 2. Bargius 1. d. 8. q. 2. §. *ad aliud de attributione*, Mairon. passu 17. Cavell. in anim. disp. 1. sect. 10. & alii; Supponendum autem hic est, quod substantiam susciperе magis, & minus est habere plures, vel pauciores gradus perfectionis individualis invicem compenetratos (dicimus autem *individualis*, & non *specificæ*, quia secundum istum gradum esse rerum in individuis consistit) unde apud opinantes substantiam magis, & minus susciperе, hæc major, vel minor perfectio quoad gradus individuales in substantia explicari solet, sicut in qualitate præcisa intensione, & remissione, qualitas enim tunc intensior, & perfectior dicitur, quando plures partes qualitatis intensive sunt in eadem subjecti parte, qui gradus vocantur ad differentiam partium extensionis ejusdem qualitatis, & dicuntur esse quædam portiones perfectionales formæ specificæ extra ejus conceptum quidditativum ipsam formam specificam includentes, sicut quodlibet individuum speciem includit, sed quia uniuntur inter se in ordine ad eandem subjecti partem, ideo constituunt formam perfectiorem intensive, sicut partes integrantes extensionis faciunt perfectiorem formam extensive, ut suisus disp. 3. dictum est, sic ergo in proposito dicunt illam substantiam perfectiorem esse, quæ plures partes ejusdem formæ in eadem materiæ parte unitas habet, quæ partes gradus formæ substantialis dicuntur ad differentiam partium entitativarum extensionis ejusdem formæ, ratione quorum graduum potest una substantia perfectiorem operationem elicere, quam alia, sicut calidum ut quinque perfectius calefacit, quam calidum ut duo; hac præmissa explicatione susciperidi magis, & minus, quam omnes præsertim Scotistæ recipiunt, probatur substantiam magis, & minus susciperе non posse.

133 Primo auctoritate Ar. non quidem superius allata ex cap. de substantia, quia per eam non probatur absolute substantiam magis, & minus non susciperе, ut putavit Merc. diluc. 1. sed tantum non susciperе per intensionem, & remissionem ad instar accidentium, ut notavimus in Logica disp. cit. quod manifeste colligitur ex ipso contextu, ait enim quod sortes non est magis homo nunc, quam prius, quia habet semper idem esse, quod a principio habuit, sed bene est magis modo albus, quam prius, quia accidens motu continuo intenditur, & remittitur; Nec etiam sufficienter probatur alia auctoritate ab eodem allata ex 1. de An. 65. ubi ait Arist. potentiam visivam non minui, nec remitti quoad substantiam, sed si quidpiam patitur, id contingere ratione organi male dispositi, unde si senex acciperet oculum juvenis, videret ut juvenis. Nam hæc quoque ad summum probat formam substantialem non susciperе magis, & minus motu continuo, velut accidentia, & ideo quoad substantiam ita perfecta est potentia visiva in sene, sicut in puero; quod totum bene notavit P. Faber Theor. cit. Nec etiam apte probatur auctoritate ab eodem allata 8. Met. tex. 10. ubi Arist. comparans formam substantialem numeris inquit, quod sicut numerus non suscipit magis, & minus, ita nec forma substantialis. Nam re vera illa auctoritas, aut est ad oppositum, aut non magis nobis favet, quam aliis, ut mox dicemus. Itaque ad id probandum aptior videtur auctoritas ex 3. Met. 11. deducta, ubi in individuis ejusdem speciei docet Arist. non dari prius, & posterius, hoc est, magis, & minus perfectum, ut colligitur ex verbis, quæ immediate subdit *ubicunque aliud, melius, aliud deterius est, prius est, quod melius est*, ubi non utique sermo est de inæqualitate accidentali individuorum, hanc enim perspicuum est in ea reperiri, unus enim est altero sanior, doctior, robustior, &c. sed de perfectione intrinseca, & entitativa, quæ in singulis individuis variari non potest, & ex differentiis eorum individuantibus originem ducit, & in hac inquit esse prorsus æqualia. Nec satisfit, si dicatur, sensum Arist. esse individua non esse inæqualia in participanda natura specifica, & in perfectione essentiali, & in hoc sensu prius, & posterius inter ea non reperiri. Minime, nam ita negat prius, & posterius in individuis, ut admittit in speciebus, at inter species prius, & posterius admittit ratione differentiarum contrahentium præcise, non autem ratione generis, in quo penitus æquiparantur, ergo talem ordinem negat in individuis, qui ab inæqualitate differentiarum individualium auspicari posset. Et ob hanc individualium differentiarum æqualitatem in perfectione intrinseca, ac entitativa omnis analogia removetur a specie specialissima, ut diximus disp. 2. Log. q. 4. art. 1.

134 Secundo prob. auctor. Scoti, nam licet in Met. problematicum se ostendat in hac re, tamen in lib. postea sent. non semel favet negativæ parti, nam in 2. d. 16. q. un. in fine negat potentias animæ in uno esse perfectiores, quam in alio, unde unum esse altero ingeniosiorem, & acutiorem refundit in meliorem organi dispositionem, & d. 20. q. 2. tenet individuas species humanæ posse esse indifferenter a quolibet parente, sicut & in aliis speciebus, quod assertum sustineri non potest, nisi omnia individua in genere substantiæ sint ejusdem perfectionis individualis, ut innuit ibidem Doctor sub C. & nos declaravimus disp. 8. Phys. q. 3. art. 1. quia perfectius non potest ab imperfectiori produci; & in 4. d. 44. q. 1. supra F. postquam docuit in nutritione semper impuriorem, & imperfectiorem carnem generari, subdit, hæc conclusio non asserit formam carnis recipere magis, & minus, si tamen illud poneretur, ista impuritas esset propter remissionem formæ substantialis; potest tamen poni præcise propter imperfectionem qualitatum naturalium consequentium formam, quæ sunt principium alterandi nutrimentum, quod quanto imperfectius alteratur, tanto ex eo caro impurior generabitur, ita Doctor, ergo secundum ejus mentem, si aliqua substantia est altera imperfectior, erit propter imperfectionem qualitatum, non propter remissionem, & imperfectionem formæ substantialis.

Tertio probatur ab Aversa q. 57. sect. 7. *tali ratione*, quia si in individuis speciei v. g. humanæ hæc intrinseca, ac entitativa inæqualitas in perfectione individuali reperiretur, jam illa inæqualitas esset vera differentia specifica, probatur consequ. quia non esset impossibile plura quædam individua ejusdem speciei esse æqualia in eodem gradu perfectionis individualis, stante autem hac communitate perfectionis individualis, jam ille gradus esset specificus, & universalis, non individualis, quia esset communicabilis pluribus individuis convenientibus in illo gradu, & prædicabilis intrinsece de pluribus numero differentibus, unde plane constitueret diversitatem specificam, non numericam. Hæc tamen ratio non probat intentum, alioquin sequeretur, calorem ut quatuor, specie differre a calore, ut sex, hæc enim inæqualitas non est eis extrinseca prorsus, & accidentalis, sed intrinseca, ac entitativa, ut pote ex diversa eorum individuali constitutione, per plures, vel pauciores gradus perfectionales orignata. Accedit rationem illam non minus ipsum urgere, quam alios, si enim ex hoc, quod aliqua quædam individua convenire possint in certo gradu perfectionis individualis, statim infertur gradum illum esse specificum, quia est communis pluribus numero differentibus; pariter vel magis ex hoc, quod ipse asserit omnia individua intra eandem speciem convenire in eodem gradu perfectionis individualis, nec unum aliud excedere, idem infertur, quod gradus ille communis specificus erit, non individualis.

135 Quarto, itaque ratio fundamentalis hujus asserti deducenda est ex eo, quod importat susciperе magis, & minus, hoc enim aliud non est, quam plures portiones ejusdem formæ specificæ invicem uniri, & compenetrari ad constituendam unam formam perfectiorem, ut supra diximus, & fuse declarat Can. 5. Phys. q. 3. Sed sic est, quod talis unio gradualis nec substantiæ, nec quantitati competere potest, sed solis qualitatibus, ergo nec quantitas, nec substantia magis, & minus susciperе possunt, major patet ex communi modo explicandi hoc, quod est susciperе magis, & minus 3. probatur minor, quia ut bene notavit Angest. lib. 2. de formæ propriet. 2. prop. dub. 1. quot formæ substantiales ejusdem speciei simul in eadem materia se se penetrarent, nunquam se intenderent, aut unam formam constituerent, unde si duæ animæ equinæ simul in eodem corpore ponerentur, adhuc duæ animæ permanerent, non autem una ex illis perfectior integraretur, sicut fit ex duobus caloribus in eodem subjecto penetratis; sic etiam si essent duæ quantitates penetratæ, non facerent unam quantitatem perfectiorem, sed adhuc duæ quantitates permanerent, nec aliam unitatem haberent, quam localem, unio igitur gradualis, quæ est ratio susciperidi magis, & minus, quantum ex rerum naturis colligere licet, solis convenit qualitatibus, non autem substantiæ, vel quantitati; hujus autem inquit Angest. non est alia quærenda ratio præter ipsas rerum naturas, quarum quædam est intensa tantum, ut accidens animæ rationalis, quædam extensa tantum, ut materia, & forma corporea, quædam intensa, & extensa, ut qualitas corporea, quædam nec extensa, nec intensa, ut anima, vel Angelus. Conf. quia si ex conjunctione duarum formarum substantialium posset fieri una perfectior, ut in qualitatibus contingit, & non adhuc duæ permanerent, idem quoque de materia dici posset, ac deberet, quod nempe una portio materiæ cum alia unita, & compenetrata faceret materiam perfectiorem. Nec sufficit, si dicas quod susciperе magis, & minus respicit subjectum, materia autem nullum respicit subjectum. Minime, quia si per impossibilem albedo nullum ordinem ad subjectum diceret, adhuc esset intensior, si plures gradus in se haberet, sufficit enim ut sint plures portiones ejusdem formæ in unum conjunctæ, & compenetratæ ad faciendam intensionem, si forma est intensibilis, & sic daretur una materia perfectior alia. Rursus si substantia potest in hoc sensu magis, & minus susciperе, si duo equi in eodem loco se compenetrarent, tunc ex ipsis unus integraretur equus perfectior ambobus; Dices, hoc repugnare propter quantitatem. Contra, quia distinctio per quantitatem est extrinseca, ergo non posset facere distinctionem illam substantialem individuorum, tum quia cum quantitas ex principiis substantialibus oriatur, si hæc uniuntur, potius quantitas deberet illis substantiis parere, itaut una quantitas deperdatur, vel ex ambabus una fiat perfectior, quam e contra.

136 Quinto, si ponitur forma substantialis magis, & minus susciperе ob plures, vel pauciores gradus perfectionales quos contineat, nulla potest afferri ratio, cur postea ipsi denegetur intensio, & remissio, & qualitati concedatur; nam illi gradus in forma substantiali ita sunt realiter distincti, sicut in qualitate, quia sunt plures partes intensivæ ejusdem formæ, sicut partes intensivæ qualitatis; ergo sicut ob hanc distinctionem contingit in qualitate intensio, & remissio, quatenus unus deperditur aliis remanentibus, idem contingere poterit in substantia, non enim apparet ratio indivisibilitatis, curque in substantia debeant omnes, & singuli simul acquiri, vel deperdi, non autem in qualitate, aut e contra, semper enim quæretur ratio connexionis graduum in substantia, & dissolutionis in qualitate. Accedit, quod sicut ex perfectiori, & imperfectiori operatione inter individua ejusdem speciei reperta arguunt Adversarii latitudinem gradualem inter formas substantiales ejusdem speciei, sic etiam quia ab eodem individuo videmus modo perfectiorem operationem prodire, modo imperfectiorem, nobis quoque licebit intensionem, & remissionem substantialis formæ inde argumentari.

Sexto tandem hæc inæqualitas in perfectione individuali præsertim adinventa est ob animas rationales, ex quarum effectibus arguitur non esse perfectione pares, cum unus sit ingeniosior, alter hebetior, & tamen omnes sunt ejusdem speciei: sed juxta hunc modum explicandi, quid sit susciperе magis, & minus, nequit inter animas rationales præfata inæqualitas salvari, ergo vel neganda est, vel alio modo explicandum est, quid sit susciperе magis, & minus, prob. min. quia susciperе magis, & minus est habere plures gradus, seu portiones formæ in eadem parte, at anima rationalis est omnino indivisibilis. Dices posse hanc graduum pluralitatem reperiri etiam in re indivisibili, & spirituali, ut in accidentibus animæ. Contra quia nec rationabiliter tales gradus in anima rationali ponuntur, sive divisibiliter, sive indivisibiliter, cum ipsa da se sit substantia, nec extensa, nec intensa, sicut Angelus.

137 Hac de causa Ruv. cit. & alii alio modo explicant, quid sit susciperе magis, & minus, unde dicunt individualem perfectionem *importare*, non quidem illam graduum pluralitatem, sed modum quendam substantialem, per quem natura determinatur ad hoc, & illud individuum, atque ita unum individuum esse altero perfectius, est habere unum modum substantialem perfectiorem, quo constituitur in esse talis individui sic perfecti, qui substantialis modus reipsa a differentia individuali non differt. At in primis hi Auctores non sibi constant; alibi enim in qualitate explicant susciperе magis, & minus, non per modum aliquem perfectioris existentiæ, aut majoris radicationis in subjecto, sed per latitudinem gradualem, & additionem gradus ad gradum, aut detractionem, ergo pari modo debent hoc explicare in substantia, vel si in substantia hoc salvari potest per solum modum substantialem, poterit etiam salvari in qualitate per aliquem modum accidentalem ejusdem qualitatis. Deinde hic modus substantialis, vel a natura dimanat, vel a differentia individuali; si a natura, cum hæc sit ejusdem omnino rationis in omnibus, & singulis individuis, non erit hic modus substantialis perfectior in uno individuo, quam in alio, idem sequitur si pullulare dicatur a differentiis individualibus, istæ namque antecedenter ad talem modum ponuntur imperfectione individuali omnino æquales. Tandem unam substantiam esse altera perfectiorem arguimus ex perfectiori operatione, ergo major perfectio debet in natura poni, quæ est ratio agendi, non in differentia individuali, quæ est tantum conditio, ita ut ipsamet natura latitudinem graduum individualium contineat, qua ratione negamus intensionem in qualitate provenire ex perfectiori existentia, vel radicatione qualitatis in subjecto, vel ex aliquo alio, sed ex ipsamet qualitate dicimus oriri sic, vel sic adunata.

138 In oppos. arguit. Primo auctoritatibus, nam D. Aug. 15. de Trin. cap. 13. videtur ponere unum intellectum alio perfectiorem. Item extat articulus quidam Parisiensis damnans dicentes animam Christi non esse perfectiorem anima Judæ, quod nequit intelligi quoad accidentalia, hoc enim clarum est, sed quoad substantialia. Arist. quoque in prædic. cap. de subst. ait, primam substantiam esse magis substantiam, quam secundam, & 1. de Gen. 18. ait, cujus magis differentiæ hoc aliquid significant, magis substantia est, & 7. Phys. 34. ait, in generatione substantiali posse esse velocitatem, & tarditatem, ut in accidentibus, quamvis hæc velocitas, & tarditas sint innominatæ in substantiis, & 2. de An. 94. notavit quosdam esse ingeniosos, quosdam non, quod alibi repetit, & 2. de Gen. animal. cap. 3. ait, sicut anima est perfecta magis, vel minus, ita corpus præparatur, & tandem 8. Met. 10. habet, quod substantia secundum speciem non suscipit magis, & minus, sed si quidem in materia idest quatenus est a differentia individuali contracta. Scotus vero 8. Met. q. 3. in hanc sent. inclinat, & 3. d. 15. H. ait, corpus Christi fuisse optime complexionatum, sicut anima illius corporis erant perfectissima.

Resp. ad Aug. ex Scot. cit. 2. d. 16. loqui non de intellectu, & potentiis animæ formaliter, sed de potentiis, quæ sunt in secunda specie qualitatis nempe de habilitatibus ad utendum illis potentiis, quatenus unus facilius utitur intellectu, & facilius apprehendit, quam alter propter perfectionem organorum, & ideo magis ingeniosus dicitur; hæc autem major organorum perfectio non arguit magis & minus in substantia animæ, quia potest & in qualitate consistere, si scilicet carnes sint molliores, ac etiam in substantiis, quatenus aliquis perfectiori abundat humore, vel spiritus vegetiores habet, tamen cum istæ partes organorum sint alterius speciei, nil contra nos inde sequitur loquentes de substantiis ejusdem speciei. Articulus Parisiensis communiter negatur, cum non sit a Pontifice determinatio illa confirmata. Tararet. tamen ait intelligi debere de accidentibus spiritualibus animæ connaturalibus, ut sunt ingeniositas, & perspicuitas intelligendi. Arist. in prædicam. loquitur de substantia non quidem in essendo, & in substando, ut ibi explicatum est 1. de Gen. loquitur de substantiis diversæ speciei; 7. Phys. loquitur de successione generationis quoad extensionem, non quoad intensionem, ut dictum est art. princ. in 2. de An. loquitur in sensu a D. Aug. allegato in 2. de Gen. animal. *intelligitur* de animabus diversæ speciei, & sic perfectius est corpus humanum, quam equinum propter perfectiorem animam; in Met. loquitur conditionate, non absolute, ait enim, *& quemadmodum nec numerus habet magis, & minus, ita neque sub-*

stantia, quæ secundum formam est, sed si est quidem, ea est, quæ secundum materiam est, idest si debemus admittere substantiam magis, & minus susciperе, hoc erit verum de substantia individuali, non specifica, unde Faber theor. cit. dimidiate textum adducit, ut faciat Arist. absolute loqui; Doct. in Met. est problematicus, ait enim non adesse rationem convincentem, pro, nec contra; in 3. sent. explicatur, ut D. August.

139 Secundo, ex Ruvio, agens per se modo inducit perfectiorem, modo imperfectiorem dispositionem in materia, ergo melior dispositio meliorem formam inducit, probatur consequ. tum quia alioqui per accidens se haberet illa major dispositionis perfectio, si forma æque informaret materiam dispositam perfecte, & minus dispositam; tum quia dispositio ordinatur ad informationem formæ, ergo melior *dispositio* ad *meliorem* informationem, ad quam requiritur melior forma, quia effectus formalis mensuratur ab entitate formæ intrinsece. Conf. anima dicit ordinem determinatum ad constituendum hoc *individuum*, ergo determinate quoque respicit tale corpus, sine quo non esset tale individuum, ergo non potest respicere corpus magis, & minus perfectum, sed ad perfectius corpus erit perfectior anima. Accedit etiam, quod tanta interdum est differentia inter operationem unius intellectus, & alterius, ut nequeat in solas dispositiones referri.

Resp. neg. assumptum, agens enim semper per se inducere intendit perfectiores dispositiones, si non adsit impedimentum, & si imperfectiores producit, est per accidens, hinc neg. quoque consequ. cum prima prob. forma enim per se respicit materiam perfecte dispositam, quod si interdum est imperfecte dispositа, hoc est omnino per accidens, ut patet experientia, nam eadem anima, quæ *prius corpus perfectum informabat*, *idem postea* informare redditum imperfectum ex aliquo accidenti, ex quo patet non esse ex propria natura ad perfectum omnino determinatam; Ad alteram prob. concesso anteced. neg. consequ. si loquitur de informatione simpliciter, & absolute, hæc enim semper est eadem in omnibus, vel loquitur de informatione in ordine ad facilioremi, vel difficiliorem separationem, & sic conceditur consequ. nam cum majori difficultate abjungitur forma a materia perfecte dispositа, quam imperfecte, neque ad hoc requiritur melior forma quia tota hæc perfectio spectat ad unionem formæ cum materia, non ad ipsam formam, neque informatio hoc modo sumpta est purus affectus formalis formæ, ita quod ejus perfectio, vel imperfectio juxta entitatem formæ metiri debeat, quia formæ inferiores majori nexu *uniuntur* cum sua *materia* multoties, quam forma superior, sed est effectus pendens præsertim a dispositionibus; imo quia ista differentia dispositionum successive potest in eadem materia reperiri ex aliquo accidenti, argumentum retorqueri potest, quia cum eadem forma modo melius, modo imperfectius informet, consequenter intenderetur, & remitteretur in sua entitate, velut accidens.

Ad Conf. neg. animam dicere ordinem determinatum potius ad hoc, quam illud corpus, quia anima non individuatur per talem ordinem, ut volunt Thomistæ, imo diximus disp. 8. Phys. q. 3. ar. 1. asserere, quod hæc anima petat informare tale corpus scilicet gibbum, vel rectum, aliud non est, quam constituere animas alias quidem gibbas, alias simas, alias choclites, sed quicquid sit de antecedente, adhuc neg. consequ. quia ut sæpius *diximus*, experimento constat, quod anima informat idem corpus sive perfecte, sive imperfecte dispositum. Dices, pigmæos, & Monaculos a similibus tantum generari, & *homines nigros* a *nigris*. Resp. id non esse ex determinatione animæ ad tale corpus, quia de facto, & Pigmæi a non Pigmeis generantur interdum, & utique primus Pigmæus ab homine perfecto fuit genitus, unde potius est propter aliquem defectum accidentalem corporis, & propter materiæ parvitatem, qui defectus processu temporis potuit verti in dispositionem naturalem corporis, juxta dicta disp. 3. qu. ult. virtus tamen animæ in se semper est eadem; idem de nigris dicendum. Ad ult. Conf. negatur assumptum, imo experientia notum est eundem hominem rudis ingenii acutissimum evasisse, & e contra ob organorum mutationem, sic refert Plinius lib. 35. cap. 5. Carneadem indolis acerrimæ evasisse, ut se helleboro albo purgavit, quod etiam quidam de Cajetano affirmant, idem ergo dici poterit de diversis hominibus si talia organa diversa ab initio accipiant.

140 Tertio, in nutritione, quia propter reactionem alimenti debilitatur virtus nutritiva, semper impurior *generatur* caro, ut arguit Doctor 2. d. 15. & d. 29. q. un. & 4. d. 44. q. 1. ita ut caro propter impuritatem fiat tandem improportionata informationi animæ. *Item* unus ignis est altero calidor, unum vinum vehementius agit, estque altero generosius, & dulcius, ergo quia ex operatione arguimus formam, dabitur una forma perfectior alia intra eandem speciem. Nec sufficit recursus ad dispositiones accidentales, quia cum ista accidentia sint formæ connaturalia, & agens non impeditum, debebit forma, si est ejusdem virtutis cum alia, reducere se ad statum perfectum, & consequenter omnes ignes, omnes carnes, omnia vina essent ejusdem perfectionis, quo argumento Doctor 8. Met. q. 3. hanc tandem sent. probabiliorem judicat.

Resp. argum. ex nutritione deductum *probare* plusquam velint, probat enim intensionem, & remissionem successivam substantialis formæ, dicimus ergo, quod in nutritione cum caro agit in alimentum, *repatitur* ab *illo*, & *consequenter* debilitatur, non quidem quoad formam substantialem, sed quoad instrumenta, quæ sunt accidentia, quibus alterat alimentum, ex quo sequitur non posse ob vires refractas perfecte alimentum alterare, & in seipsam

convertere, quin aliquid ex ipso alimento remaneat, & quia contrarias habet qualitates, ideo semper agit in carnem, ita ut vel destruit totaliter ipsam, vel saltem ipsam impedit, ne ad pristinam redeat perfectionem; exemplum est de vino, in quo si aqua admisceatur proportionaliter ipsam in se convertit; & post conversionem redit ad pristinum, tamen si aqua est in magna quantitate, valde vinum debilitat, quia non totaliter convertitur, sed remanent in ipso partes aquæ tenuiores, & subtiliores, unde si continuatur aquæ infusio, vinum tandem corrumpitur, de quo *iterum agemus disp. 7. q. 5.* sic *igitur in proposito* in nutritione generatur caro impurior non ob remissionem substantialis formæ, sed qualitatum, ut inquit Doct. in 4. cir. & ob *admixtionem* partium alimenti, a quibus impeditur actio formæ substantialis; nec valet replica ibi facta, quia forma carnis est impedita, unde videmus, quod si illud impedimentum pharmaco auferatur caro proprias vires resumit. Dices Scot. in 2. d. 19, ait nunquam carnem ad priorem statum post nutritionem pervenire, imo ab ipso ligno vitæ in Paradiso posito negat potuisse reduci carnem in pristinam perfectionem; tum quia conversum nequit esse nobilius convertente, tum quia ab ipso ligno in agendo repassa fuisset, ac debilitata, ergo hæc impuritas est in substantiali forma. Resp. Doctorem ibi arguere contra ponentes lignum vitæ habuisse virtutem conservandi *hominem immortalem*, etenim si conversum nequit esse nobilius convertente, & caro convertens est corruptibilis, & mortalis, utique nequit caro conversa, seu generata ex ligno vitæ, ut alimento, esse immortalis, hancque virtutem priori carni communicare, imo, inquit ipse, caro convertens debuisset a ligno debilitari, & ideo non potuit vim habere conservari in perpetuum; non tamen se declarat, an ista debilitatio fuisset quoad formam substantialem, an quoad accidentia tantum, itaut post conversionem ligni in carnem potuisset in pristinum statum se reducere; sed quicquid sic de mente Doctoris ibi, certum est debilitationem virium, itaut nunquam recuperari possint, aliunde provenire posse, quam ex remissione substantialis formæ, provenire enim potest ex continua præsentia contrarii impedimenti, ut est de vino multa aqua diluto, & etiam ex diminutione ipsius substantiæ, ut est de vino evaporato, a quo dilabuntur partes subtiliores, ac magis spirituosæ, quæ sunt partes extensivæ, non intensivæ; & in hoc sensu poterat Doctor asserere nunquam carnem post nutritionem ad priorem statum pervenire posse.

141 Ad *illud de igne* negatur esse calidiorem alio ratione formæ, sed id interdum apparet ob densitatem materiæ, & majorem quantitatem, hæc enim valde conferunt ad fortius, & eminus agendum, ut disp. 2. dictum est. Quod etiam unum vinum sit alio vehementius, & dulcius, non provenit ex majori perfectione substantialis formæ, aliter omne vinum haberet in se aliquid dulcedinis, vel acritatis, si hæc essent accidentia naturaliter consequentia substantialem formam, quod constat esse falsum, quare hæc diversitas ex alio capite sumenda est, quod scilicet illæ qualitates ab extrinseco illi proveniant scilicet a terra, aere, stellis, &c. ad quæ accidentia forma substantialis est indifferens, ex dictis disp. 3. q. ult. Notari etiam debet in proposito, quod in vino sunt partes subtiliores, & crassiores, illæ facile evanescunt, *istæ facile in acetum convertuntur, hoc autem evenit*, quia partes illæ sunt magis depuratæ, ac defæcatæ a qualitatibus, & etiam a quibusdam terreis substantiis, quæ in crassioribus reperiuntur admixtæ, unde patet non esse corpus perfecte homogeneum, sed aliquid habere ætherogeneitatis, cum sit quoddam mixtum diversas etiam specie substantias in se continens, quas a lambico separari videmus, unde se habet veluti sanguis, in quo etiam partes crassiores, & subtiliores inveniuntur, & hæ dicuntur spiritus vitales, ratione ergo istius compositionis possumus etiam concedere unum vinum esse perfectius alio, etiam quoad substantiam, neque id est contra nos de substantiis ejusdem speciei loquentes, quia dicimus vinum partes quasdam in se continere etiam specie diversas. Doctor autem loc. cit. in Met. problematicus fuit, ut diximus, neque ob hoc argumentum aliam sententiam judicavit probabiliorem, imo illud solvit in fine quæstionis dicens, argumentum non concludere, nisi probetur hanc diversitatem agendi convenire formæ derelictæ, at in lib. sent. favet aperte negativæ parti.

QUÆSTIO VI.

De Causis Generationis, & Corruptionis.

142 IN hac quæstione causa præsertim efficiens nobis vestiganda est, materialis enim, formalis, & finalis satis ex hactenus dictis innotescunt; causa formalis siquidem, quæ non est, nisi earum essentia, satis per earum definitiones explicata manet: causa materialis est commune subjectum utriusque jam assignatum: finalis tandem est conservatio specierum cum varietate individuorum ad majorem mundi ornatum; de causa itaque efficiente instituemus sermonem, & primo causam efficientem generationis inquiremus, quia inde facile erit corruptionis quoque causam deprehendere.

Supponit autem quæsitum formas substantiales vere produci, vereque corrumpi (anima rationali excepta, quæ licet producatur, non corrumpitur) non vero apparenter tantum, ut tuentur quamplures ex Fautoribus inchoationum, & seminarii formarum dicentes, formam ante ejus generationem præexistere actu, sed veluti latentem, & actione postea agentis naturalis in lucem extrahi, & quasi a materia depromi, quæ fertur fuisse opinio Anaxagoræ, & denuo suscitatur a Contaren. tom. 1. quæst. de formarum origine cap. 9. & seq. ubi argumento Avicennæ conjunctus, quod debeat dari forma quædam corporeitatis perpetuo materiæ coæva, quæ se habeat veluti commune formarum seminarium, unde successive educantur, ne fieri dicatur ex nihilo, ponit & ipse seminarium formarum, sed differenter ab Avicen. ubi enim iste pro seminario statuebat formam illam corporeitatis penitus materialem perpetuo materiæ coævam, *ille ponit* substantiam quandam spiritualem a Deo materiæ insitam, ac concreatam, & ubi Avicen. asserebat alias particulares formas deinceps de novo fieri ope illius corporeitatis, ut seminarii communis, Contaren. inquit formas particulares latere in illa spirituali essentia, tanquam in seminario, & dum materia extrinseci agentis auxilio afficitur dispositione præparante ad aliquam naturam, tunc forma talis naturæ exurgit, & in lucem prodit, ubi ante delitescebat, & pariformiter cum materiam ad aliam naturam transmutatur, tunc illa prior forma non quidem interit, sed in eodem seminario reconditur, in quo tandiu latet, quousque ex consimili dispositione denuo exciteur; Fundamentum ejus unicum est, quia nil fieri potest ab agente naturali, quin subjectum aliquod constitutivum illius rei concurrat, velut pars intrinseca ejus, in hoc enim sensu semper docuit Arist. quicquid fit ex aliquo fieri, & non ex nihilo, ut patet 1. de Gen. 17. & 7. Met. 22. 1. Phys. *33. 34. & 35.* cum ergo formæ *non habeant*, ex quo possint subjective constitui, concludendum est esse ingenerabiles, & incorruptibiles, alioquin ex nihilo fieri dicerentur. Neque hoc evitatur, si dicas sufficere, ut subjectum procedat, in quo forma produceuda recipiatur. Minime, nam Arist. 1. Phys. 82. probans materiæ necessitatem in quacunque rerum productione, ne ex nihilo fieri dicantur, ait, *si enim fit, subjici aliquid oportet, ex quo fiat*, quibus verbis significari videtur necessitas alicujus subjecti, ex quo res fiat constitutive, nam si determinate voluisset Arist. quod illud subjectum concurrere debeat, ut receptivum tantum, non utique dixisset requiri subjectum, *ex quo fiat*, sed dixisset, *in quo fiat*.

143 Opinionem de inchoationibus formarum satis refellimus disp. 2. Phys. q. 7. & eam funditus jamdudum diruerunt nostri Scot. 1. d. 18. Bassol. ibid. Can. 2. Phys. q. 1. Ant. And. lib. de tribus princip. q. 7. & 7. Met. q. 11. Zerb. ibid. q. 9. Faber theor. 26. Angest. lib. 2. de form. prop. Pag. nobis 17. Rubion 2. d. 12. q. 3. Fundamentum etiam allatum, quod est commune omnibus assertoribus inchoationum, esto coegerit Ferchium nostrum vestig. 1. admittere factionem ex nihilo naturaliter, & Contar. cit. negare novam formarum productionem, esse imbecille prorsus, ac nullius roboris, imo etiam contra eosmet militare loc. cit. ostendimus, & qu. 1. art. 1. hujus disput. falsum enim est, & nunquam ab eis sufficienter probatum opus esse, ne res creari dicatur, vel ex nihilo fieri, debere ex aliquo, velut ex parte, & hoc negant universaliter Theologi omnes in materia de creatione, & miramur sane, quare adeo pervicaces sint isti Seminaristæ, & inchoatores formarum in hac propositione, quod potius admittere velint factionem ex nihilo naturaliter, aut æternitatem formarum, ac alia absurda in Philosophia, quam eam negare cum communi Theologorum, & aliorum Philosophorum; præsertim cum Arist. nihil eis omnino faveat, quamvis enim semper dicat, omne, quod fit, ex aliquo fieri, ac etiam frequenter insinuet fieri ex alio tanquam ex parte, hoc non dixit, quia voluerit, aut formam nullatenus fieri, sed esse ingenerabilem, ut deducit Contar. aut omnino fieri ex nihilo, ut deducebat Ferchius, sed ideo ita dicebat, quia cum fieri proprie sit compositi, ut ostendit 1. Phys. 64. & 7. Met. 26. & 27. & 8. Met. 8. compositum vero fiat ex alio, ut ex parte, consequenter quoquid proprie fit, ex alio fit, ut ex parte, forma autem proprie non fit, sed potius infit, ut ibidem ostendit Ar. non ergo inde deducere debemus formam non fieri, aut ex nihilo fieri, sed fieri in alio, & fieri cum alio, idest fieri in materia, & dependenter ab ea, adeo quod nequeat naturaliter fieri extra eam, quæ dependentia a subjecto in suo fieri impedit, ne creari dicatur, & ex nihilo fieri. Et hanc dependentiam a materia ad differentiam animæ rationalis expresse insinuavit Aristot. 2. de Gener. animal. cap. 3. cum dixit solam mentem ab extrinseco, & de foris venire, cæteras formas ex intrinseco deduci, quia licet anima quoque rationalis fiat in subjecto, non tamen dici idcirco potest ex eo deduci, quia non fit in ea dependenter ab eo, cum suapte natura possit extra illud fieri, & conservari. Quare tota Seminaristarum deceptio inde ortum duxit, quod non capiunt, quid sit formam educi de potentia materiæ, nec eductionem distinguere sciunt ab inductione, & simplici receptione, cum tamen passim dicatur anima rationalis recipi in corpore, & in corpus induci, non tamen a corpore educi. Ferchius lib. 1. defens. per totum inchoationes formarum tueri nititur nostris occurrens fundamentis, variaque aggerans argumenta pro formarum inchoatione, & Contareni tutela, contra quem late disputatur disp. 12. Met. quæst. 4. artic. 3. & liber. expurg. querel. 19. & 35.

144 Generationem quoque substantialem dari, & formas substantiales de novo produci probavimus q. 1. hujus disp. art. 1. & Rubion. cit. ait hoc esse adeo per se notum, ut nulla egeat probatione, unde contra Contar. id amplius prosequi non est opus; silendum tamen non est ejus positionem inter quotquot Seminarium formarum constituerunt esse aliis omnibus irrationabilem. Primo, quia alii Seminaristæ non negarunt formas substantiales de novo produci, imo hoc libentissime admittebant, sed ne creari dicerentur, constituebant Seminarium, & inchoationes formarum, ut nimirum aliquid semper formæ præcederet, ut ex ea fieri dicetur, at Contar. negat formas de novo produci, ad quid ergo deservit Seminarium illud formarum ab ipso statutum, si non ponitur, ut eo velut ex semine traducantur, deservire licet ad hoc, ut in ejus gremio omnes formæ foveantur, ac dormiant, donec per prævias dispositiones ab agente naturali evocentur, & excitentur, sed sane hac ratione potius cubile formarum, quam Seminarium debebat appellari. Deinde etiam ex alio capite irrationabilior cæteris est ejus positio, de Seminario formarum, quia cæteri omnes formarum Inchoatores hoc Seminarium posuerunt *esse quid corporeum*, & materiale, ut Avic. qui ponebat formam corporeitatis, at Contar. ponit hoc Seminarium esse essentiam spiritualem materiæ concreatam, ac ei perpetuo hærentem, quod a seculo non est auditum, & explicare tenetur, quare hoc Seminarium formarum debeat esse potius spirituale quidpiam, quam corporale, sive enim inferviat, ut formæ ex eo traducantur, sive ut in ejus gremio foveantur, plane ad hoc munus obeundum majorem proportionem videbatur habere essentia corporalis, quam spiritualis, cum & ipsæ formæ materiales sint, & corporeæ, tenetur etiam explicare, quomodo hæc essentia spiritualis materiæ illabatur, ac inexistat, num scilicet ut forma informans, sicut anima rationalis dicitur esse in corpore, an potius ut forma assistens, & quicquid dicatur, est purum, ac merum figmentum. Denique hæc ejus positio est adeo difficultatibus obvia, ut hic Auctor plures prævideri non exigui momenti, & solvere conatus sit, sed tam ægre, & imbecilliter, ut vel ejus responsiones manifeste suadeant, ejus opinionem Anaxagoristis esse relinquendam, & a Peripato pænitus eliminandam. Defensionem vero Contarenæ opinionis de formarum Seminario a Ferchio assumptam lib. 1. defensionis per totum, late impugnavimus loc. cit. disp. 12. Met. qu. 4. art. 3. per totum, sicut etiam in lib. Expurg. quæ loca sunt omnino videnda pro hujus difficultatis intelligentia.

145 Hac itaque veritate supposita contra Anaxagoristas, quod detur vera generatio substantialis, & productio de novo non solum compositorum, sed etiam formarum substantialium, gemina occurrit difficultas. Prima est, an causa effectiva generationis, & productiva substantialis formæ sit ipsum agens immediatum, quod prævia alteratione materiam disposuit, ut v. g. an *ignis introducto* prius calore, & siccitate in ligno sufficiens sit ad educendam quoque formam ignis ex ligni materia, an potius recurrendum sit ad aliud agens separatum, quod in materia ab agente immediato dispositas formas producat, ut ad Cœlum, sicut putarunt Fernelius lib. de abditis rerum causis cap. 5. Ragusejus disp. 16. Peripat. cap. 17. vel ad Intelligentiam quamdam separatam, ut opinatus est Avicenn. lib. 1. suffic. cap. 5. & 4. Met. cap. 4. vel etiam ad ipsum Deum, & totius naturæ Auctorem, ut probabiliter proponit Aresius 1. de Gener. qu. 20. sect. 4. concl. 5.

Hæc opinio de productione omnium formarum ab agente aliquo separato refutata est disp. 2. Phys. qu. 7. art. 1. & disp. 7. qu. 6. art. 2. & sane hic recursus in omnium formarum productione ad agens separatum *minime necessarius est*, quamvis enim a corporibus cœlestibus in his inferioribus effectus quamplures producantur, ut dictum est disp. 2. de Cœlo qu. 7. ar. 2. & multi etiam a Deo, ut Auctore naturæ, sicut infra dicemus de productione animæ vegetativæ, & sensitivæ præsertim in oviparis, non idcirco fieri debet inductio universalis, nam ad eductionem quamplurium formarum sufficientissimum est agens ipsum immediatum, ut v. gr. ignis ad producendam formam ignis, nam virtus hujus agentis est univoca, & æque perfecta, ac forma introducenda, & sic de aliis multis, de quo videri potest P. Faber 7. Met. disp. 15.

146 At obiiciunt Fernel. & Ragus. omnes formas a Cœlis produci, quia Sol, & homo generant hominem 2. Phys. 26. & oportet hunc mundum inferiorem cœlestibus lationibus esse continuum, ut omnis ejus vis inde gubernetur 1. Metheor. cap. 2. tum etiam quia constat animalia, quæ fiunt ex putri, a Cœlis progigni, ergo *multo magis*, quæ fiunt per *propagationem*, ut nobiliora poterunt ei adscribi, ut genitori, & consequenter alia omnia corpora.

Resp. cum inquit Arist. hominem a Sole, & homine generari, sane significare noluit Cœlum animam, & hominem corpus producere, ut arguentes prætendunt, sed ultra agens immediatum, & causam univocam in generatione hominis concurrentem, qualis est homo, voluit quoque insinuare agentia universalia, & remota, quæ & ipsa suo modo ad disponendum, & præparandum corpus pro animæ receptione concurrunt, & tale est Sol, in quo etiam sensu locutus est in alio loco, non enim innuere voluit hunc mundum a superiori gubernari quoad productionem omnium formarum, alioquin etiam accidentalium formarum productio ei assignari deberet, sed solum quoad continuum influxum in corpora per alterationem disponenda regi, ac proinde non dixit hæc inferiora a superioribus produci, sed gubernari. Ad aliud neganda est consequ. quamvis enim quædam corpora producantur a Cœlis, ut diximus, non subinde trahi debet consequentia universalis in omnibus.

147 Deinde instat Aresius, quod solus Deus fons, & origo formarum constitui possit. Tum quia Scotistæ etiam interdum ad causam primam recurrere coguntur, ergo satius videtur, id semper efficere. Tum 2. quia neque substantiæ spirituales, quæ sunt nobilissimæ, possunt alias similes producere, ergo non est adeo inconveniens id de substantiis quoque corporeis affirmare. Tum 3. quia neque ob id omnis actio substantialis illis subtrahitur, quamvis enim homo animam non producat, adhuc tamen dicitur hominem producere ex eo solum, quod animam a Deo productam materiæ unit, ergo idem sufficit affirmare de aliis agentibus. Tum 4. quia non multum interest inter creationem formæ, & ejus productionem ex materia, quia materia minimum subsidium præstat agenti, non enim eam suppeditat agenti, quasi prius in ipsa lateret, sed vere ab agente totaliter forma producitur, nec materia concurrit, nisi recipiendo, qui est minimus concursus, ergo si agens naturale nequit creare, videtur etiam nec posse formas ex materia producere. Tum tandem hoc totum confirmatur ex Arist. 1. de Cœlo 100. ubi rerum omnium productionem, & causalitatem Deo attribuit, cum dicit, quod vivere, ac esse cujuslibet rei a prima causa clarius, obscuriusve dependet.

Resp. neg. consequ. quia ut monet Doctor 4. d. 12. qu. 3. recursus ille fieri non debet, nisi in casu magnæ necessitatis, & natura dignificanda est, quantum fieri potest, ut notat in 2. d. 2. qu. 10. Ad 2. neg. etiam consequ. quia, ut monet 1. d. 7. qu. un. V. non potest assignari certa ratio, qua demonstretur *a priori formam aliquam esse*, vel non esse activam, si enim hæc daretur, maxime esset perfectio ipsius formæ, & tamen videmus formas imperfectiores, ut elementorum, esse similium productivas, & quasdam mixtorum valde perfectiores minime, ut constat de forma lapidis, ferri, auri, & aliorum metallorum. Ad 3. quicquid fit de assumpto neg. consequ. quia non est paritas de anima, & cæteris formis, illa enim cum sit per se subsistere nata, non nisi creatione produci potest, quæ solius Dei est, aliarum vero productio connaturalis est eductio, quæ agentibus naturalibus competere potest. Ad 4. neg. assumptum, tantum enim interest, ut secundum communem ad productionem formæ ex materia virtus finita sufficiat, non ad creationem. Ad probationem etiam negatur, materiam minimum subsidium præstare agenti naturali, quia non concurrit *simpliciter recipiendo*, & patiendo, nam hunc concursum exercet etiam erga animam rationalem, sed etiam sustentando, quod est exercere veram causalitatem materialem. Ad 5. agnoscit ibi Arist. Deum pro prima omnium causa, a qua cuncta creata dependent esse, & operari immediate, vel saltem mediate, sed non idcirco auferre intendit causis secundis propriam activitatem.

148. Altera difficultas est de efficiente, ut *quo*, an scilicet sit forma substantialis, vel accidens. Negantes substantiam esse immediate activam, asserunt consequenter solum accidens esse principium *quo* generationis, discrepant vero, nam aliqui volunt esse efficiens principale, & virtute propria attingere generationem substantiæ; alii vero inquiunt esse tantum instrumentale, & non nisi in virtute substantiæ substantiam producere, ita Thomistæ passim, quod quidem non in eo sensu asserunt, quia velint præter influxum accidentis dari quoque influxum substantialis formæ *illud coadjuvantem*, quia constanter tenent solum accidens operari in productione substantiæ, sed in tantum dicunt operari in virtute substantiæ, atque ut instrumentum *ejus*, quia ipsa est *principium primum*, & radicale, a qua accidentia ipsa virtutem mutuarunt producendi substantiam; unde Thomistæ volunt substantiam semper otio torpere, nec aliquid prorsus agere, nisi famulorum suorum ministerio, quæ sunt accidentia. Qui vero ponunt substantiam immediate activam, asserunt consequenter substantialem formam esse principium *quo* generationis proximum, & immediatum, imo accidens non concurrere ad talem productionem substantiæ, nisi dispositive, ita Scotistæ passim ex Scot. 4. d. 12. qu. 3. & sequitur Arriaga disp. 11. Physic. sect. 2. ubi testatur hanc modo esse communem apud Patres Societatis, postquam in eam inclinavit Suarez disp. 18. Met. sect. 2. qui tamen concedit accidens etiam attingere substantiam.

149 De hac re egimus ex professo disp. 7. Phys. qu. 6. art. ubi fuse negantes substantiam esse immediate activam profligavimus, unde consequenter ad ibi dicta nunc asserimus, accidens nec propria virtute, nec virtute substantiæ attingere generationem ejus, sed id esse munus solius formæ substantialis. Conclusio constat ex ibi dictis, ex quibus probatur breviter quoad singulas partes, nec enim incongruum erit aliqua repetere in gratiam Recentiorum Thomistarum, quos non nisi post Physicæ editionem vidimus. Primo quod accidens, ut agens principale, & propria virtute nequeat substantiæ generationem attingere, concedunt ipsi Thomistæ Recentiores præsertim Joan. de S. Th. in lib. de Gen. qu. 12. art. 2. Manca 2. Phys. qu. 5. dub. 3. & probatur etiam ab eis ratione Scoti loc. cit. causa enim totalis alicujus effectus debet illum continere formaliter, si est univoca, vel eminenter, si est æquivoca, quia nemo dat, quod non habet, sed accidens neutro modo continet substantiam, non formaliter, quia non est substantia, nec eminenter, quia *non est perfectius*, sed valde imperfectius illa, ergo &c. Nec valet dicere, quod licet accidens sit imperfectius substantia in ratione ejus, *non tamen in ratione producentis*. Quia ut ibi diximus contra Pererium, cujus est hæc solutio, vis productiva in entitate rei fundatur, & effectus continetur in entitate causæ formaliter, vel eminenter, ergo quod in esse entis non est perfectius, vel saltem æque perfectum, ac aliud, nequit *etiam esse* in ratione producentis, quia semper urget illud, quod nemo dat, quod non habet, unde si accidens est inferioris entitatis ad substantiam, sane totam entitatem substantiæ continere *nequibit*, atque communicare.

150 Secundo, quod neque *in virtute* substantiæ, atque ut instrumentum ejus valeat attingere ejus productionem contra Thomistas probatur. Tum eadem ratione, quia etsi dicant Thomistæ accidens con-

concurrere in virtute substantiæ, tamen solis verbis discrepant a sententia Pererii, quia etiam ipsi ponunt accidens se solo operari, ac esse causam totalem illius productionis, itaut substantia nullo modo actualiter influat. Tum quia hactenus nequiverunt Thomistæ sufficienter explicare, quid sit in accidente hoc, quod est agere in virtute substantiæ, quidve virtus ista præferat; dum negant peculiarem influxum substantiæ, quo adjuver, & fortificet activitatem accidentis; nec opus est refellere modum explicandi Joann. de S. Thom. & Manc. quia est ille Compl. & Masii, quem in Phys. funditus evertimus etiam ex eorum principiis. Tum denique quia hic influxus ab accidente proveniens in virtute substantiæ ab ipsis ponitur instrumentalis, ergo præter *istum* assignari *debet influxus causæ principalis*, nam vel accidens se habet ut instrumentum vere, & proprie a substantia motum, vel solum similitudinarie, quatenus substantia est radix illius, & consequenter radicale; & remotum operationis principium, quomodo quod est causa causæ, dicitur etiam causati causa, si secundum, ergo causalitas accidentis potius erit principalis, quia talis radicatio potius est radicatio in esse, quam communicatio operandi, si primum, ergo requiritur vera, & propria motio, & influxus immediatius substantiæ, quo accidens adjuvetur, alias non esset vere, & proprie instrumentum, præsertim in sententia ipsorum.

Tertio tandem quod sola substantia attingat productionem substantiæ, sequitur ex dictis, quia quando sunt duo, de quibus dubitatur, an sint causæ *alicujus effectus, considerare debemus*, quodnam illorum habeat cum effectu majorem proportionem, rationabilius enim est hoc esse causam talis effectus, *quam illud, quod cum eo minorem*, vel nullam prorsus habet proportionem, at quando lignum comburitur, ignis ex ipso productus majorem habet proportionem cum substantia alterius ignis, quam cum ejus calore, quia a toto genere magis proportionatur substantia cum substantia, quam accidens, ergo &c. Accedit, quod indignum est omnem activitatem immediatam denegare substantiæ, & asserere ipsam continuo otio torpere, & tantum famulis suis, quæ sunt accidentia, jubere, ut operentur, sane si tota entium universitas ita se habet, Regem haberent entia (quia inter ea apicem substantia tenet) inertem nimis, & otiosum, & accidentibus parum prodesset talem habere Dominum, ut in ejus virtute operari dicantur, si eis manum in operando non porrigit, aliove modo auxilium præbet.

151 Contra, obiiciunt Thomistæ. Primo, quia plerumque non adest præsens substantia, quæ dicitur causa principalis alterius, sed sola accidentia illius, ut cum Sol relicta aliqua virtute, seu dispositione accidentali generat aurum, argentum, & alia metalla in visceribus terræ, a qua tam longe distat. Tum 2. quia interdum non solum non est præsens, ubi alia substantia producitur, sed omnino non est in rerum natura, ut cum animal deciso semine moritur, & ex illis dispositionibus aliud generatur, & passim evenit in animalibus, quæ ex putri materia ortum habent, & ex solo dispositionum concursu generantur. Tum 3. unius potentiæ unus tantum est actus primarius, & immediatus, ut potentiæ visivæ videre, intellectus *intelligere*, a quibus specificatur, sed essentiæ, & substantiæ creatæ actus proprius, & immediatus est esse seu existentia, hæc enim actuat illam, ergo præter hunc actum nullum alium proximum, & immediatum habebit, operatio enim est actus illius potentiæ, a qua proxime, & immediate fluit. Tum 4. Esse est prius, quam posse operari, ergo posse operari est quid accidentale substantiæ, atque ideo solum mediis accidentibus illi conveniens. Tum tandem, quia si forma esset immediatum principium *quo* operationis, habens formam semper haberet operationem in actu, sicut habens animam semper est vivens actu, quod est falsum, quia aliquando quiescit.

Resp. hæc argumenta esse adeo imbecillia, ut potius contra ipsos Thomistas militent; primum parum nos urget admittentes actionem in distans ex dictis disp. 7. Phys. qu. 4. art. 3. & si quid probat, probat etiam neque ab accidentibus posse substantiam in illis casibus produci; nam vel substantia distans per accidentia sibi inhærentia generat aliam, vel per accidentia denuo producta in passo, si primum, qua ratione dicis substantiam producere non posse, quia distat a passo, eadem ratione, *nec poterunt accidentia* illi inhærentia, cum sint æque distantia ab illo; si secundum, qua ratione potuerunt illa accidentia produci in passo adeo distante, poterit & in eodem produci forma ipsa substantialis. Ad 2. inferius patebit virtutem formativam seminis non esse undequaque accidentalem, quantum vero spectat ad animalia ex putri genita, dicimus cum Scoto 2. disp. 18. illas animas produci a solo Deo, ut Auctore naturæ, qui tenetur supplere defectum causarum naturalium, quando materia accidentibus dispositis exigit naturaliter productionem substantialis formæ, ad quam est disposita, ut disp. ult. dicemus. Nec alienum est a Philosopho, inquit Doct. in his casibus ad Deum recurrere, communiter enim ab omnibus recurritur ad ipsum in corporis animatione, in qua retunditur, quicquid *solent contra hunc* recursum obiicere Thomistæ; neque id est privare causas secundas suis actionibus, quia ratio naturalis dictat, nullam esse tunc causam creatam sufficientem, imo & ipsi Thomistæ *in hoc* casu tenentur nobiscum facere hunc recursum, cum enim secundum ipsos accidentia non agant, nisi in virtute alicujus substantiæ, cujus sunt instrumenta, quæritur de dispositionibus ad Ranam v. gr. producendam in materia putri existentibus, in cujus substantiæ virtute agant; non Solis, quia hic nullo modo præcontinet animalia, & virtutem illorum sentiendi, & apprehendi, non alicujus Ranæ determinaræ, quia Ranam illam supponimus ex putri generari, & non per propagationem, non alicujus Ranæ indeterminate, & vage sumptæ, quia actiones sunt singularium, non universalium, & individui determinati; non vagi, unde hoc est recurrere ad Ideas Platonis, non in virtute illius substantiæ, in qua subjectantur, nam accidens secundum Thomistas agit in virtute illius substantiæ, a qua producitur, non in qua recipitur, cum ergo ad nullam substantiam creatam possit rationabiliter recursus fieri, velint, nolint, debent Thomistæ nobiscum recurrere ad supremum naturæ Auctorem.

152 Ad 3. jam *diximus in Phys. in fine illius* articuli solvendo argumentum Compl. cum quo istud a Manca, & Joan. de S. Th. allatum coincidit, contra ipsos etiam militare, nam & ipsi concedunt substantiam esse agens principale in generatione substantiali, accidens vero instrumentale tantum, & in actione accidentali concedunt accidens principaliter concurrere, quare & ipsi concedere tenentur unius potentiæ duos esse posse actus, quia tam substantia, quam accidens ordinantur ad esse, & operari. Quod si dicant ejusdem potentiæ plures esse posse actus inadæquatos, unum primarium, alterum secundarium, & sic se habere esse, & operari, quia operari consecutive se habet ad esse, eadem quoque solutio nobis suffragabitur; argumentum tamen falso nititur fundamento, ut ibi diximus, quod *nimirum substantia sit in potentia subjectiva* ad *existentiam*, illamque respiciat, ut actum realiter distinctum. Ad 4. pariter retorquetur ex ibi dictis, sequitur enim etiam in ipsis accidentibus virtutem productivam esse quid superadditum illis, quia etiam in illis prius est esse, quam operari. Vel ergo negatur assumptum, vel solum verificatur de prioritate rationis cum fundamento in re, quia per *esse* res constituitur absolute in se, & ad se, per *posse operari* constituitur relate, & in ordine ad aliud, prius autem res in se concipitur, quam alteri comparetur. Ad 5. negat Doctor sequelam 2. d. 16. qu. un. §. *rationes istæ* cum sua probatione, non enim est simile dare vitam, & operari, quia anima est principium formale, quo vivens est vivens, quia ipsa dat esse vivum in genere formalis causæ, sed est *principium* operationis, secundum quod est reducta ad genus causæ efficientis; est ergo forma, inquit Doctor, immediatum principium formale essendi, item & operandi, sed non *similiter* se habet ad causam formalem, & effectivam, imo, & argumentum retorqueri potest, quia substantia ita in se formam substantialem habet, sicut accidentia, sicut ergo forma substantialis, quia ipsam informat semper, semper quoque eam faceret actu operantem, si esset immediatum operationis principium, eadem ratione videtur idem posse deduci de accidentibus.

153 Restat igitur, ut accidentia in generatione substantiali concurrant, ut causæ dispositivæ, quæ prævia alteratione materiam præparant ad formam substantialem, verumtamen ejus productionem non attingunt, ita diserte docuit Arist. 2. de Anim. 41. ubi negat calorem esse causam nutritionis, quasi ipsam formam substantialem attingat, & tex. 50. ait se habere respectu nutritionis, sicut temonem in gubernatione Navis, ubi, ut constat, se habet ut merum instrumentum, imo 2. de Gen. 53. 54. & 55. acriter carpit eos, qui rerum generationes tribuunt qualitatibus, & passionibus, & negant formis substantialibus, quia illæ non concurrunt ad generationem, nisi *valde instrumentaliter*, ait Philosophus, quo verbo innuit esse talia instrumenta, quæ non attingant terminum principalis agentis, sed tota eorum activitas in dispositione consumetur. Quæ res an saltem possit esse causa partialis inadæquate cum substantia concurrens ad alterius substantiæ productionem, Arriag. cit. licet id non concedat de facto, tamen ait nullam in hoc apparere repugnantiam, nos tamen in Physic. loc. cit. diximus verosimilius esse non posse.

Ex his facile est colligere, quænam sit causa efficiens corruptionis, quando enim res corrumpitur positive per actionem positivam formæ contrariæ, (quo modo regulariter contingit corruptio, quia generatio unius est corruptio alterius) tunc eadem illa causa, quæ generat unam formam, est agens *quod* destruens aliam cum ea incompossibilem, forma autem introducta est principium *quo* immediatum. Dices, non esse eandem rationem de generatione, & corruptione, quia licet imperfectius nequeat perfectius generare, valet tamen illud corrumpere, ut constat de igne comburente vivens, ergo accidens, esto nequeat esse causa generationis substantialis, poterit tamen esse causa corruptionis. Ad hoc jam sufficienter diximus loc. cit. in Phys. in sol. ad 3. princ. quæ non oportet hic repetere.

QUÆSTIO VII.

An quod est corruptum, possit denuo produci, & generari naturaliter, vel saltem supernaturaliter.

154 Prima opinio extrema, quæ Platonicis solet adscribi non solum supernaturaliter, sed etiam naturaliter hoc statuit possibile, & de facto ita contingere, quod non solum quidam effectus numero iidem redeunt, sed omnia prorsus hujus universi *individua* peractis certis annorum periodis post completam circulationem octavæ sphæræ per motum naturalem, quæ secundum aliquos triginta sex millibus annis finitur, secundum alios quadraginta novem millibus ex tabulis Alphonsinis, ita referunt D. August. 12. de Civit. cap. 13. D. Hieron. in cap. 1. Eccles. Ficinus lib. 11. de theol. Platonis, Alcinous cap. 12. de doctrin. a Plat. quam opinionem nonnulli tribuunt etiam Pythagoricis, qui animarum regressum tandem ad

ad eadem corpora admiserunt post multas, & varias aliorum corporum informationes; unde P. Ferchius, qui ut argumentum de infinitate animarum ex motus æternitate, ac animæ immortalitate deductum dissolveret, admittit animarum circulationem in humana corpora in Arist. sent. vestig. 6. lib. 2. cap. 10. & 14. tenetur & ipse admittere saltem in specie humana hoc esse naturaliter possibile, *sicut enim* naturaliter videmus eamdem materiam ad diversas formas transire, cur post multas annorum centurias contingere nequit eamdem materiam ab eadem rursus anima informari, si animæ continuo redeunt ordine circulari ad corpora informanda? ut ergo pythagorici ob hanc circulationem dicebant posse tandem idem individuum vivens redire denuo, postquam corruptum est, ut refert Amicus in Physic. tract. 14. qu. 8. dub. 1. ita quia Ferch. circulationem Pythagoricam suscipit in specie humana, admittere debebit posse naturaliter eumdem hominem redire.

Secunda opinio extrema negat ullum individuum semel corruptum amplius redire posse idem numero sive per potentiam naturalem, sive supernaturalem, (solo homine excepto) quia de *aliis* entibus post eorum *corruptionem non remanent* actu singulæ partes, forma enim omnino destruit, at anima hominis, ejusque materia permanent in actu, & ideo poterit Deus *hominem reparare*, non vero alia entia; tribuit Durand. 4. d. 43. qu. 3. Abulens. in cap. 22. Matth. qu. 238. Marsil. 2. de Gen. qu. 18. D. Th. 3. p. qu. 77. art. 5. & 4. sent. d. 44. qu. 1. quæ opinio etiam sine tali exceptione de homine communis fuit Epicureis, Stoicis, Sadducæis, & aliis. Philosophis, qui & animam mortalem posuerunt, & resurrectionem hominis impossibilem, ut refert Tertull. lib. de Præscr. Hæret. cap. 7.

Aliæ denique opiniones mediant inter istas, quamplures enim negant naturaliter posse hoc contingere, supernaturaliter tamen admittunt, quæ communis est inter Theologos D. Thom. 4. contra gentes cap. 41. ubi Ferrar. Capreol. 4. d. 43. qu. 1. Hisp. qu. 1. art. 1. ubi Gab. Argent. & alii Scholastici Henr. quol. 7. qu. 16. Suar. 3. p. tom. 2. disp. 44. sect. 2. Fonsec. 8. Met. cap. 5. qu. 1. Compl. *in lib. de Gen. disp.* 13. Joan. de S. Th. ibidem qu. 2. art. 1. Conimb. 2. de Gen. cap. 11. qu. 1. art. 3. Tol. qu. 34. Ruvius 2. de Gen. tract. ult. & alii passim, qui licet in primo puncto conveniant de potentia naturali, non tamen omnino conveniunt in secundo, quidam namque universaliter affirmant, quodcumque ens corruptum posse idem numero a Deo reparari, sive sit permanens, sive successivum, ut Conimb. cit. Suar. disp. 50. Met. sect. 9. Aversa qu. 37. sect. 10. Moris. disp. 3. Phys. qu. 24. Amic. cit. qui alios citat; alii vero concedunt solum de permanentibus, negant de successivis; ita Capreol. Ferrar. Henric. Ruvius, Jo. de S. Tho. Compl. Fons. sect. cit. Vasq. 1. p. disp. 33. nu. 19. Alii tandem non solum id universaliter affirmant de quocumque entium genere in ordine ad *divinam* potentiam, verum etiam de aliquo effectu concedit in ordine ad potentiam naturalem, ita quod non repugnet ex parte causarum naturalium aliquem effectum eumdem numero reproduci Scot. 4. d. 43. qu. 3. Riccard. ibi art. 3. qu. 1. Ocham. qu. 10. Bass. qu. 2. art. 3. Mair. 4. d. 44. qu. 4. & alii Scotistæ in eum locum. Rada in 4. contr. 15. art. 3. Faber 5. Met. disp. 6. cap. 2. Tromb. 8. Met. qu. 4. & sequuntur Neoterici passim, ut postea dicemus.

ARTICULUS I.

Resolutio quæsiti quoad potentiam supernaturalem.

155 Dicendum est in ordine ad potentiam Dei absolutam, posse quodcumque ens, sive permanens, sive successivum reproduci, etiamsi fuerit antea nedum corruptum, sed etiam *prorsus annihilatum*. Ita Scot. 4. d. 43. qu. 1. & cum eo Recentiores omnes, & quidem de homine patet, quia est articulus fidei, probat vero Doctor conclusionem universaliter. Primo, ex D. Aug. 22. de Civitate Dei cap. 20. ubi loquens de carne reddenda homini in resurrectione, inquit, etsi omnibus periisset modis, nec ulla ejus materia in ullis naturæ latebris mansisset, tamen si vellet, eam repararet omniporens, ergo totaliter destructum, & corruptum in totali esse potest idem reparari.

Secundo probat ratione ostensiva, quia nulla adest repugnantia, nec ex parte Dei, qui idem, & immutabilis perseverat, nec ex parte creaturæ, quia antequam esset, erat creabilis, ergo post annihilationem erit etiam recreabilis, probatur consequentia, *quia non esse sequens annihilationem* est ejusdem rationis cum non esse præcedente creationem, ergo si ante creationem non privabat possibilitate creaturam illam, nec etiam post annihilationem, probatur antecedens, quia duæ *mutationes oppositæ* habent idem pro termino, una pro termino a quo, alia pro termino ad quem, nec videtur aliunde posse hæc implicantia deduci.

Durand. cit. quasdam affert solutiones ad hoc argumentum, quæ manifeste petunt principium, & supponunt, quod est in quæstione, caput tamen, ex quo præsertim implicantiam, inquit, attendi debere, est interruptio, quia quælibet res est eadem sibi ipsi, unde dum non est corrupta, semper manet eadem, at vero postquam est corrupta, cum ipsa non maneat, nec potest iterum produci. At Doctor ibidem luculenter ostendit neque ex hoc capite esse implicantiam hoc modo, si Deus producat aliquid in instanti A, & ipsum conservet in tempore immediate sequenti, tunc erit idem numero in primo instanti, ac in tempore sequenti, quod terminatur ad instans B, ergo si Deus productum in instanti A, nolit conservare in tempore intermedio, & iterum reproducat in instanti B, idem numero erit in utroque instanti, quamvis interruptum tempore intermedio. Prob. conseq. tum quia identitas ipsius rei in instanti B, & A, non dependet essentialiter a conservatione ejusdem in tempore intermedio, quia in nullo genere causæ, ut patet, tum quia si esset dependentia hæc a conservatione in tali tempore, tunc Deus creationem rei, quam creavit in instanti A, non posset differre usque ad instans B, nam identitas rei in hoc instanti posteriori dependeret essentialiter ab esse ejusdem rei conservato in tempore intermedio, atque ita non potuisset Deus creationem mundi usque ad præsens tempus differre, sed necessario multo antea illud creavit, tum quia diversitas posterioris non arguit diversitatem prioris essentialiter, sed illa instantia ad ipsum esse rei sunt posteriora essentialiter, unde & illud esse manet idem in quibuscumque instantibus succedentibus, ergo sive fiat continuatio inter illa instantia, sive non, non minus ipsum esse rei erit semper idem.

156 Tertio, probat Doctor ex absurdis, quæ sequuntur ex *illa radice*, quod esse simpliciter interruptum, *vel destructum* non possit redire idem; sequitur enim, quod Deus non posset brutum idem numero resuscitare, cujus oppositum nonnumquam legitur a Sanctis miraculose factum, ut patet de Tauro, quem S. Sylvester resuscitavit Romæ præsentibus Constantino, & Helena tunc noviter conversis, & hoc Deo negare esse possibile viderur magnæ infidelitatis inquit Doctor; sequitur etiam, quod nec Deus in resurrectione hominis poterit eamdem numero formam corporis reparare, nec eadem numero accidentia, quia hæc omnia fuerunt corrupta, item nec tertia entitas, quæ jam est destructa per mortem.

Quarto, eædem rationes probant quoque de rebus successivis, quia scilicet est idem terminus a quo, & terminus ad quem in creatione, seu productione, ac in recreatione, & reproductione, nam per annihilationem, vel corruptionem res reducitur ad eamdem nihilitatem, quam prius habebat ante recreationem, & productionem, *non majorem*, sive res illa sit permanens, sive successiva. Tum quia, sicut res permanens non est alligata certo tempori quoad sui productionem, sed potuit a Deo produci multo antea, vel post illud tempus, in quo de facto producta est, ita pariformiter dicendum de motu, quæ enim contradictio est, ut revolutio Cœli hodierna anticiparetur a Deo viginti, vel quinquaginta annis? quod si res ita se habet, poterit eadem facilitate illam repetere post tantumdem temporis, & sic de omni alio motu dicendum erit, ac durationem ejus intrinseca, quod est tempus reale, ac intrinsecum. Tum quia ratio successionis non ponit in eis specialem *implicantiam*, successio enim formaliter aliud non dicit, nisi ordinem prioris, & posterioris inter partes rei successivæ, itaquod sub tali relatione nequeant *simul coexistere in eodem temporis spatio*, sed una necessario accipiatur post aliam, ut diximus disp. 15. Physic. qu. 6. art. 1. at hoc totum haberetur in reproductione rei successivæ, non enim reproducerentur omnes ejus partes simul, sed adhuc una post aliam eodem omnino ordine servato ad invicem, quem habuerunt in prima productione.

157 Dices, non posse servare eumdem ordinem ad tempus imaginarium, cui hodie v. g. coexistit hodierna circulatio; nec enim dici potest redire quoque idem tempus imaginarium, ut forte diceretur de tempore reali, nam imaginariæ durationis partes ita concipiuntur fluere, ut quæ semel fluxit, non possit amplius concipi, ut iterum fluens, quia vindicat sibi certam seriem in tota duratione invariabilem. Hæc instantia tamen, in qua totus consistit cavillus oppositæ sententiæ, parum urget, quia nec motus, nec tempus formaliter consistit in illa coexistentia ad imaginariam durationem invariabili tenore fluentem, sed in existentia successiva partium motus, coexistentia autem illa ad partes durationis imaginariæ est connotatum prorsus extrinsecum, & accidentale, ut diximus disp. 13. Phys. qu. 4. ar. 1. quare duratio realis potest sumi dupliciter, primo ut dicit respectum correspondentiæ ad imaginariam, alio modo secundum se, & propriam entitatem, primo modo non potest semel transacta redire, quia non redit spatium, cui correspondet, secundo modo utique, quia enim sic ei accidit correspondentia ad talem, vel durationem imaginariam, ita salva identitate suæmet entitatis, & existentiæ potest variare respectum coexistentiæ, & nunc habere correspondentia ad talem durationem, nunc vero ad aliam, dummodo sit æqualis hæc, & illa duratio imaginaria; atque ita idem ipse motus cum eadem sua intrinseca successione potuisset ab initio fieri prius, vel postea in comparatione ad tempus imaginarium cum totali indifferentia parte sua. Confirmatur, quia si vera esset hæc adversariorum doctrina, sequeretur *nec Angelum posse reproduci*, ut bene *notarunt Conimb.* quia ejus ævum non minus respicere, ac commensurari debet cum duratione imaginaria, quam motus, & tempus, cum nullum illorum concipiatur a nobis sine coexistentia cum tali duratione.

158 Quinto demum probatur ex Rubion. 4. d. 43. qu. 2. conclusio in universum de quocumque ente tam permanenti, quam successivo. Tum quia si nullum horum, postquam corruptum est, potest amplius reparari, hoc esset, vel quia non existit, vel quia præcessit, vel quia corruptum fuit, non primum, quia nec ante primam productionem existebat, nec secundum, quia multæ res existunt, quæ præfuerunt, nec tertium, quia quando primo non existebat res, erat possibilis, ergo etiam modo post corruptionem. Prob. conseq. id solum destruit annihilatio, vel corruptio, quod ponit *generatio*, *vel creatio*, sed hæc solum ponit actualitatem rei, non possibilitatem, quæ jam præsupponitur, ergo &c. Tum quia *non* magis distat impossibile a possibili, quam possibile ab *impossibili*, sed per nullam potentiam im-

impossibile fieri potest possibile, ergo per nullam potentiam possibile fieri potest impossibile. Tum etiam quia quod est Deo possibile per nullam actionem causæ secundæ fieri potest illi impossibile, ergo nullum ens possibile productum, si postea per actionem causæ secundæ destruatur, potest fieri Deo impossibile. Tum tandem quia nulla in hoc apparet implicantia, ut ex solutione objectionum mox constabit.

Aliqui dicunt has rationes non magis concludere possibilitatem reparationis rei corruptæ in ordine ad potentiam supernaturalem, quam naturalem; sed valde falluntur, quia non est eadem ratio de possibilitate rei in ordine ad hanc, & illam potentiam, quia in termino potentiæ naturalis non sufficit potentia Logica, sed requiritur Physica, & in causa requiritur potentia expedita, quæ expeditio non pendet ex una sola causa, sed ex concursu plurium causarum cum cæteris circumstantiis, quæ non possunt regulariter rursus coire ad eumdem effectum, sed de hoc dicemus art. seq.

159 In oppos. obiic. Primo universaliter probando de quocumque ente, quod semel destructum, nequeat amplius reparari. Tum quia ad præteritum non est potentia ex communi axiomate, qua ratione Arist. 6. Ethic. cap. 2. approbat dictum Agathonis, quod hoc solo privatur Deus, ingenita facere, quæ facta sunt. Sed si faceret præsens, quod præteriit, illud denuo producendo, præteritum faceret non præteritum, quia quod est præsens, non est præteritum, ergo &c. Tum 2. quia tunc illa res bis esset, & consequenter duplicem haberet durationem, & existentiam, quia duobus distinctis temporibus coexisteret, sed hoc repugnat, quia tunc non esset eadem res. Tum 3. iteratio, & reditio repugnat identitati, & unitati, quia ponit numerum, quem negat identitas, ergo implicat in adjecto eamdem rem redire. Tum 4. identitas effectus pendet ex identitate actionis, nam actiones distinguuntur per terminos, & e contra, cum actio, & terminus identificentur 3. Physic. 47. sed nec Deus potest eamdem actionem rursus edere, quia nec eumdem motum, nec tempus, a quorum unitate pendet actionis unitas ex 5. Phys. Tum 5. quia nec inciperet res in sua reproductione per primum esse, quia antea habuit esse, nec per ultimum non esse ob eamdem rationem. Tum 6. quia tempus medians inter corruptionem, ac reparationem divideret reparatum a corrupto, atque ita nun esset idem, quod fuit corruptum, ac denuo reparatur, quia non esset omnino indivisum. Tum tandem, quia non plus modo potest facere Deus per liberam voluntatem, quam si necessario ageret, quia libertas non auget potentiam, sed si necessario ageret interrupta actione, non posset amplius eumdem effectum reproducere, sicut data hypothesi, quod actio Patris æterni, qua necessario producit filium, interrumperetur, non amplius eumdem, sed alium filium produceret, si denuo generaret, ergo &c.

Respondeo ad præteritum non dari potentiam reduplicative, ut præteritum est, quasi fieri possit, ut id, quod fuit, non fuerit, quem sensum innuit dictum Agathonis, datur tamen potentia ad præteritum specificative, ut nimirum iterum fit, quod jam fuit, eo modo, quo dicimus album fieri posse nigrum, non reduplicative, sed specificative, quare negatur minor, quia licet id, quod est præsens secundum coexistentiam, quam modo habet ad moram imaginariam præsentem, nequeat dici præteritum, potest tamen dici tale secundum aliam coexistentiam, quam antea habuit. Ad 2. neg. sequela majoris, non enim si res bis existeret, duplex esse haberet, sed idem bis productum, nec consequenter duplicem existentiam, ac durationem intrinsecam, sed eamdem bis repetitam, quare geminaretur solum coexistentia ad duplex tempus extrinsecum reale, vel imaginarium interruptum, quod totum declarari potest exemplo corporis in pluribus locis replicati servata proportione temporis, & loci. Ad 3. iteratio, quomodo ponit numerum, ita quoque repugnat unitati; si ponit numerum rerum, repugnat unitati; si ponit numerum non rerum, sed coexistentiarum ejusdem rei ad diversa tempora, sive realia, sive imaginaria, sic non repugnat unitati rei, sed unitati coexistentiæ, itaque in casu geminaretur coexistentia, non res. Ad 4. potest negari major, & minor, major quidem, quia absolute loquendo potest idem effectus esse terminus diversarum actionum, imo & agentium disjunctim, ut diximus disp. 8. Phys. q. 3. ar. 1. unde inquit Doctor cit. 4 d. 43. qu. 1. §. *aliter ponitur*, fallaciam esse consequentis ex distinctione actionum, & mutationum inferre distinctionem terminorum, bene quidem ex distinctione terminorum arguitur alietas actionum, non tamen e contra, quia idem terminus acquiri potest duplici via, ut idem ubi specie motu locali, & motu recto, & eadem Rana per generationem univocam, & æquivocam, cum vero inquit Arist. terminum, & actionem identificari, loquitur de actione pro re acta, ut explicat Doctor 4. d. 13. qu. 1. potest etiam negari minor, potest siquidem eadem ipsa actio replicari, sicut de facto eadem actio sub ratione conservationis toto sequenti tempore perseverat, & si aliqua esset difficultas de actione successiva ratione motus, & temporis, a quibus dependet, saltem non esset de illa actione, quæ indivisibiliter exerceretur. Ad 5. inciperet per primum esse, vel ultimum non esse, non quidem simpliciter, & absolute, ut est in prima productione, sed tantum relate, comparando scilicet hoc primum esse productionis ad non esse immediate præcedens. Ad 6. sicut idem corpus pluribus in locis replicatum dicitur a se divisum localiter, non entitative, ita eadem res reproducta divideretur a seipsa jampridem producta temporaliter, non entitative, unde illa divisio non cadit super existentiam rei absolute, sed potius super coexistentiam ad diversa tempora. Ad 7. si argumentum valeret, probaret quoque Deum non posse hominem resuscitare, non potest itaque negari major, quia libertas auget potentiam, saltem quoad exercitium operationis, si enim Deus non esset liber, limitatus esset ad certum modum operandi: potest etiam negari minor, nam omnia reproducere, si esset virtutis infinitæ, ut nunc est, sicut etiam data illa hypothesi Pater non alium, sed eumdem filium gigneret, quia alius possibilis non est.

160 Secundo probatur idipsum specialiter de entibus successivis repugnare ex peculiari eorum natura; de ratione enim entis successivi est, ut habeat partes suas in continuo fluxu cum certo ordine prioris, & posterioris, atque ita transeat, ut amplius existere nequeat, & præsertim ejus unitas ex continuitate dependet, ut Ari. dicit 5. Phys. 39. sed hæc omnia repugnant cum ejus reproductione, ergo &c. Prob. min. quia si interrumpitur, jam solvitur continuitas: si reproducitur, non transit irrevocabiliter; si idem motus repetitur, pars, quæ erat prior, efficietur posterior eadem parte posteriori prius elapsa, & tandem poterit ita assidue reproduci, ut non sit fluxus, sed semper permaneat idem motus. Resp. de ratione entis successivi esse utique quod habet partes suas continuo fluentes unam post aliam, non tamen cum tali certo ordine, ut hæc post illam fluat adeo necessario, ut neque a Deo possit inverti hic ordo, & quando adesset talis necessitas, adhuc talis ordo conservari posset in reproductione totius illius entis successivi, quia una pars iterata deberet ad aliam comparari quatenus iteratam, & non jam præteritam, nec item de ejus ratione est ita transire, ut amplius nequeat redire, sed transire divisibiliter, & successive, quæ divisibilitas, & successio semper incolumis maneret, quantumcunque assidue reproducatur, quia semper repeteretur cum eodem partium fluxu, & eo casu semper permanere diceretur idem motus eo sensu, quomodo dicimus motum permanere, ideſt perseverare per horam secundum conditionem scilicet suæ naturæ fluentis; haberet denique eo casu continuitatem quoque ad ejus unitatem requisitam, quia reproduceretur cum omnibus, & singulis ejus partibus invicem continuis, hæc sicquidem est continuitas, quæ ad motus unitatem requiritur, seipsum per existentem, ut bene notat Doctor §. cit. Bassol. non autem opus est, ut ad alium motum continuetur, vel ad ar. 3. §. *ad motiva aliorum*, & Rubion. cit. quo etiam modo dicimus eandem quantitatem permanere continuam, etiamsi *in pluribus locis* dissitis a Deo replicaretur.

161 Tertio probatur ex manifestis, quæ inde sequuntur, implicantiis: sequitur enim primo quod successivum erit permanens, posset enim idem manere sub tempore præterito, præsenti, & futuro, si scilicet in his temporum differentiis, reproducatur. Secundo posse simul totum conservari secundum omnes ejus partes, quia minus est conservare rem existentem ne corrumpatur, quam reparare corruptam. Tertio idem esse simul prius, & posterius, nam pars prior motus jam producti, si reproducatur, subsequetur partem posteriorem motus primo producti. Quarto, idem moveri motibus contrariis simul, & semel, moveatur enim aliquid ab A, in C, per B, si potest reparari pars motus, quæ erat ab A, in B, durante alia, quæ est a B, in C. sequitur quod mobile simul accedet ad B secundum illam partem motus reparatam, & recedet ab ipso B, secundum aliam partem motus adhuc durantem. Quinto idem corrumpi simul, ac generari in eodem instanti ex hypothesi nimirum quod in eodem instanti suæ corruptionis reproducatur.

Resp. nullam sequi implicantiam, prima non sequitur, quia ut notat Rubion. non eo ipso, quod aliquid habet esse in pluribus differentiis temporis, est permanens, sed tantum illud habet esse simul, & totum, nam si illud habeat per partes, & successive correspondendo illis, sicut habet motus reparatus, salvatur adhuc, quod sit successivum. Neque 2. quia conservatio partium simul naturæ successivorum directe adversatur, facilius autem est rem conservare, quam reparare corruptam, quando ex conservatione non sequitur destructio naturæ ipsius rei. Neque 3. tunc enim idem esset prius, & posterius, sed non secundum idem. quia esset prius, ut coexistit uni tempori priori, & posterius, ut coexistit alteri tempori posteriori. Neq. 4. quia pars illa motus ab A, in B, licet durante alia a B, in C, reparari non possit, bene tamen illa cessante, inquit Bassol. neque enim necesse est defendere rem reproduci posse omnibus modis, cum multi contradictionem involvant; posset etiam illa pars reparari alia durante, sed ordine inverso, quæ ordinis partium inversio ejus identitatem substantialem non lædit, sed est variatio tantum accidentalis, ut notant Conimb. concedit etiam Bassol. totum, quia inquit non esse absurdum divina virtute idem corpus moveri motibus contrariis. Neque ultima ob implicationem illius hypothesis, hinc tamen non sequitur rem reproduci non posse absolute, quia poterit in alio instanti reparari.

162 Quarto, quia videt Ruvius rationes allatas non convincere, has duas adhibet, velut demonstrantes, prima est, quia unitas motus ex quatuor attenditur, ut docuit Arist. 5. 7. & 8. Phys. ex unitate motoris, mobilis, termini, & temporis, sed ad reproductionem motus variatur tempus reale, & verum, vel si istud reproducatur, variatus tamen imaginarium, quia hoc non potest fingi redire, cum fluere concipiatur irrevocabiliter, ergo si repugnat, quod redeat idem tempus saltem imaginarium, repugnat quoque quod redeat idem motus. Nec valet dicere, inquit Ruvius, quod tempus est extrinsecum motui, & tum quia etiam subjectum est extrinsecum motui, & tamen nequit esse sine subjecto; tum quia licet tempus sit extrinsecum, tamen ex naturali ordine est tanta connexio inter motum, & tempus saltem imaginarium, ut sicut nequit concipi motus sine duratione imaginaria, ita neque hic motus sine hac duratione

tione imaginaria. Altera ratio est, sicut corpus per suam extensionem permanentem est præsens spatio imaginario loci, ita motus per suam extensionem successivam est præsens spatio imaginario temporis, sed repugnat idem corpus per eamdem præsentiam simul esse præsens pluribus locis adæquatis spatii imaginarii, ergo implicat etiam, quod idem motus per eamdem numero durationem sit præsens diversis spatiis temporis imaginarii, quod sequeretur, si idem numero repararetur.

Resp. ad 1. dependentiam motus ad tempus extrinsecum, quoad suam unitatem esse prorsus accidentariam, & a posteriori, ut declaravimus disp. 15. Phys. q. 7. art. 2. unde inquit Arist. 5. Phys. 36. quod si esset idem mobile, & eadem rediret sanitas, rediret quoque eadem mutatio, quamvis in alio tempore, quare cum ait Arist. unitatem motus pendere a temporis unitate, non loquitur de unitate individuationis, quasi in ordine ad hoc tempus individuetur hic motus, sed de unitate continuitatis, quia ut motus dicatur unus, nulla debet incidere inter ejus partes interruptio, atque ideo adhuc bene poterit unus, & idem motus continuus, secundum eamdem suam continuitatem replicari in alio, & alio tempore pariter continuo, quantum ergo est ex sua entitate motus non magis est alligatus uni certo tempori imaginario, quam corpus uni certo loco, in ordine ad potentiam supernaturalem, & sane unitas motus magis dependet a subjecto, quam a tempore, ut loc. cit. diximus, unde negatur paritas de subjecto, & tempore assumpta. Altera ratio bene deducta est pro nobis, sicut enim corpus secundum eamdem suam extensionem potest a Deo replicari in pluribus partibus spatii imaginarii per diversas præsentias, & coexistentias ad illud, ita motus secundum eamdem extensionem suam intrinsecam replicari potest a Deo in pluribus partibus durationis imaginariæ per diversas præsentias, & coexistentias, & sic ad argumentum concedimus, quod sicut corpus per eamdem præsentiam nequit esse præsens pluribus locis adæquatis spatii imaginarii, ita nec motus potest esse præsens pluribus partibus imaginariæ durationis per eamdem coexistentiam, ratio est, quia hæc determinatam, & certam partem durationis imaginariæ respicit pro termino.

163 Nititur Ruvius has solutiones evertere, quia fundantur in hoc, quod motui, & tempori conveniat respectus ad spatium imaginarium per solam coexistentiam, atque ideo sit illis extrinsecus, & accidentalis, ut est corporibus præsentia ad locum, sed hoc est falsum, inquit, quia essentialis est tempori, & motui successiva extensio partium, sed per hanc extensionem occupant, & quasi replent spatium successivum imaginariæ durationis, & illi fiunt præsentia, ergo talis præsentia essentialis est illis, & pertinet ad intrinsecam eorum individuationem. Confirmat id Fonseca, quia hodiernus motus Solis, & dies dicitur ex eo, quod incidunt in hodiernum spatium imaginarium successivum, nam si incidisset in hesternum non esset hodiernus motus, & tempus, sed hesternus, ergo motus habet suam individuationem a spatio imaginario successivo. At frustra conatur Ruvius evadere paritatem assumptam de præsentia corporum in spatio locali, & rerum in spatio durationis, est enim fundatissima, & adæquata, sicut enim in corporibus prius ea concipimus in se extensa per propriam quantitatem, & postea coextendi loco, & hinc arguimus extensionem in loco, seu præsentiam ipsis accidere, quia illa supponit jam in seipsis extensa, sic quia motum prius in se concipimus extensum per successionem suarum partium, deinde coexistere tanto durationis spatio, vel tanto, hinc debemus concludere talem præsentiam ejus entitati accidere, ac supervenire, quare ad instantiam neg. min. ad cujus probationem dicimus successivam extensionem in se esse essentialem motui, & per hanc replere, & occupare spatium durationis fundamentaliter, formaliter vero per ipsam præsentiam, & coexistentiam supervenientem. Incassum etiam fatigatur Fonseca, si contendit entitatem realem motus individuari per respectum ad durationem imaginariam, qui est rationis, si enim individuum est reale, etiam per quid reale individuari debet, & ejus ratio non probat motum secundum suam entitatem realem ab illo ordine ad spatium imaginarium individuari, sed tantum secundum illas denominationes hodierni, & esterni, quæ pertinet ad prædicamentum. Quando, ut diximus in Logica, & sic etiam tempus reale secundum se non individuarur ab hac duratione imaginaria, sed solum ut induit rationem formalem *Quando*.

164 Quinto tandem hoc idem specialiter ostenditur implicare de tempore, nam si tempus, seu duratio motus Cœli, quo mensurantur res sublunares, posset a Deo reproduci, possent redire omnes anni qui fluxere a mundo condito, & si hanc replicationem inciperet ab ultimo anno elapso, & sic deinceps usque ad mundi initium, tunc annus Nativ. Christi Domini præcederet annum nativitatis Abrahæ. Tum 2. quia possent omnes illi anni ita reproduci, ut tantum coexisterent moræ imaginariæ unius horæ, nam in hora nunc fluenti poterit a Deo restitui hora proxime elapsa, & rursus alia, quæ fuit illi proxima, & sic deinceps usque ad mundi initium, quod prorsus repugnare videtur, quia tunc non esset successio unius horæ ad aliam, sed omnes essent simul. Tum 3. e contra posset una, & eadem hora spatio coexistere mille annorum, si nimirum per totum illud temporis spatium ejus reproductio continuetur, quod prorsus quoque repugnat, quia eadem hora esset in infinitum longior seipsa. Tum 4. si hora proxime elapsa in hora modo fluenti reproducitur, vel sic reproducta faceret majus tempus, vel omnino idem, si omnino idem, ergo esset permanens, & non fluens, quia non corresponderet diverso tempori imaginario fluenti, si majus, ergo non erit idem tempus. Tum 5. quia tempus non fluit, nisi desinente una parte, & incipiente alia, componitur enim ex præterito, præsenti, & futuro, si autem reproduceretur idem tempus præteritum non constaret ex præterito, & præsenti, sed solum ex præsenti, præteritum enim fit præsens, & sic non flueret per desitionem unius partis, & accessionem alterius, sed staret in eodem. Tum 6. quia idem tempus positivum non potest correspondere durationi imaginariæ hesternæ, & hodiernæ, quia si corresponderet utrique faceret additionem, quia aliquid majus posset mensurari, per illud tempus sic correspondens utrique, quam si uni tantum durationi correspondaret. Tum 7. quia si hora, quæ jam jam fluit, reparetur in ultimo instanti terminativo ejus, itaut idem instans sit primum non esse, & ultimum non esse, tunc sibi ipsi continuaretur, quod repugnat, quia non continuantur, nisi realiter distincta. Tum 8. quia si in uno instanti horæ elapsæ creavit Deus unum Angelum, si eam denuo revocat non reproducendo Angelum in illo eodem instanti, contradictoria ambo erunt vera, quod Deus in eo instanti creavit, & non creavit Angelum. Tum tandem, quia est commune adagium, quod *fugit irrevocabile tempus*.

165 Ad solutionem harum objectionum advertendum est ex Conimb. cit. art. 2. quod ex Mayron. sumpserunt 4. d. 44. q. 3. cum agitur de possibilitate productionis, vel reproductionis alicujus rei, non est opus, ut illa omnibus modis excogitabilibus esse possit, sed sufficit, si sit aliquo modo, etiam si aliis modis implicet, eo quod in illorum modorum positione oritur aliqua implicatio, ex hoc enim multæ labascunt ex relatis objectionibus, quia non omnes directe probant implicare absolute reproductionem temporis, implicare cum tali circumstantia, & tali modo, quod gratis concedemus cum Mairon. cit. Ad 1. itaque dicimus posse produci omnes annos elapsos ordine retrogrado, quia de ratione successivi est, quod habeat partes priores, & posteriores, quæcumque sit prior, vel posterior, quod enim de facto hæc sit prior, illa posterior, est quid accidentale, unde si invertereturordo, nil idcirco substantiale spectans, scilicet ad integritatem entis successivi, illi deperiret, sicut in agitatione aquæ, qua aliæ partes aquæ aliis immediate uniuntur, nihil perit substantiæ aquæ, & tunc annus nativitatis Domini præcederet annum natalis Abrahæ non secundum eamdem coexistentiam ad tempus imaginarium, sed diversam, quod non repugnat, & quando etiam hoc ordine inverso anni elapsi revocari non possent, non hinc absolute deducendum esset, nullatenus posse revocari, sed non tali modo, sed alio, eo scilicet ordine, quo pridem fuerunt producti, quo etiam modo dilui posset secunda, & tertia objectio, quia non directe probant horam reproduci non posse, nec omnes annos elapsos, fed probant non posse reproduci tali modo, ut scilicet una hora coexistat mille annis, vel mille anni decurrant unius horæ spatio, quibusdam enim modis implicatoriis neque etiam idem corpus potest a Deo replicari in pluribus locis, ut diximus in Phys. ut tamen constet, quo etiam sensu possint admitti hypotheses illæ, libet ad singulas respondere. Ad 2. itaque dicimus posse utique revolutiones Cæli præteritas iterum revocari, atque ita velocitari a Deo, ut unius horæ spatio peragantur, eo fere modo, quo videmus magnitudinem viginti palmorum ad unius palmi locum per condensationem restringi, in qua velocitatione partes motus valde constiparentur, & quasi se compenetrarent in ordine ad spatium durationis imaginariæ. Et cum dicitur, quod tunc plura essent simul, ait Bassol. §. cit. in fol. ad 2. nullum esse inconveniens plures horas esse simul eo modo, & non sibi succedere, quia tunc non se haberent, ut partes unius temporis continui, sed potius ut quædam particulæ temporis discontinuatæ, plures autem partes temporis discontinuatas esse simul, seu simul decurrere, non est absurdum, ut de facto videmus in duobus motibus spatio unius horæ peractis, tunc enim simul plures durationes horariæ decurrunt, & non una post aliam, quod declaratur ab eo exemplo quantitatis continuæ, manente enim una linea totali, & partibus ejus adinvicem continuatis, impossibile est medietatem ejus alteri juxta poni, & non tamen si dividatur, possunt invicem juxta poni, quam solutionem etiam Conimb. & Amicus acceptare videntur. Sed hæc Bassolii solutio non placet, quia non est ratio, cur eadem non possit immediate reparari post corruptionem, & possit mediate, & absurdum, quod colligitur in argumento, non oritur ex reparatione immediata, sed ex reparatione simpliciter ejusdem horæ, sive immediate, sive mediate reparetur. Præstat ergo dicere, nec etiam *in eo casu* unam horam, seu revolutionem, foresimul cum alia, tanta enim esset velocitas motus, ut licet omnes præteritæ revolutiones mora imaginaria unius horæ peragerentur, singulæ tamen distinctis partibus illius horæ adhuc corresponderent; verum tamen est, quod licet eo casu haberetur tota entitas omnium annorum, & totius motus, non tamen habebit rationem mensuræ tot annorum, quia ad rationem mensuræ ultra entitatem realem motus requiritur tanta velocitas, & non major, quodque anni, menses, dies, & horæ certo quodam intervallo se subsequantur, sicut a pari, *cum corpus viginti palmorum ad locum unius* palmi redigitur per densitatem, etiamsi tota *illius entitas persistat*, amittit tamen rationem mensuræ viginti *palmorum*, ut igitur redirent anni præteriti, etiam in ratione mensuræ, oporteret, ut Cœli eodem impulsu, & actione motrice per idem spatium, & eodem Ubi moveantur, quo prius *moti* sunt, sic enim habebitur eadem duratio cum eadem successione, & hic effet connotatior modus reproducendi omnes annos elapsos.

166 Ad 3. eo casu eadem *hora* per iteratam sui replicationem duraret successive per milles annos, non quod intrinsece posti-

deret

deret durationem millenariam, sed quia horaria duratio replicata multoties coexisteret spatio imaginario annorum mille, & sic hora illa non fieret longior se ipsa quoad intrinsecam quantitatem, sed solum quoad extrinsecam denominationem sumptam ex coexistentia ad majorem imaginariam durationem, sicut palmare corpus per mille loca replicatum non fieret longius seipso quoad intrinsecam extensionem, sed solum quoad denominationem extrinsecam ex spatio locali desumptam, cui coexistit. Ad 4. patet per idem, nam hora reproducta non faceret majorem durationem quoad intrinsecam extensionem, sed tantum quoad extrinsecam, quatenus coexisteret duplici horæ temporis imaginarii, quia bis existeret. Ad 5. neg. min. quia tempus revocatum adhuc flueret secundum partes priores, & posteriores, & ideo assignaretur in eo præteritum, præsens, & futurum, & una pars reproducta desineret, & alia nova succederet, totum vero illud tempus de præterito dicitur fieri præsens, quia totum rursus reproducitur, non autem quia in ipsa actuali reproductione assignari nequeat pars prior, quæ abit, & posterior quæ advenit. Ad 6. neg. assumptum. Ad prob. dicitur per tempus idem correspondens durationi imaginariæ hesternæ, ac hodiernæ posse utique majorem, & longiorem motum mensurari, non quia in se factum sit majus per aliquam additionem, sed ob duplicem illam coexistentiam, sicut palmus centies replicatus posset dimetiri magnitudinem centum palmorum ob coextensionem extrinsecam, quam habet ad centum loca palmaria, non ob majorem molem acquisitam. Ad 7. non est necesse aliquod tempus reproduci illo modo, cum possit alio reproduci, sed quando etiam illo reproduceretur, non inconvenit idem successivum sibi continuari secundum diversas partes, itaque eo casu totum tempus, quod restituitur, habet suas partes, & cum in eo instanti suæ desitionis denuo repetatur, primo repetetur pars, & alia deinceps, & sic prior pars temporis in reproductione continuabitur parti, quæ jam posterius fuit producta, & sic continuatio non erit ejusdem partis ad seipsam. Ad 8. cum illud instans temporis realis duplici instanti imaginariæ durationis coexistat, nulla sequitur contradictio, nam Angelus ille dicetur productus in eo instanti temporis realis, ut coexistit priori instanti temporis imaginarii, non vero prout coexistit posteriori. Ad 9. commune proloquium multipliciter verificari potest absque præjudicio conclusionis nostræ, primo de tempore præterito, quatenus tale, sic enim revocari non potest per ullam potentiam, ut supra diximus, deinde de tempore in ordine tamen ad potentiam naturalem, rursus de tempore imaginario in ordine ad quamcumque potentiam, hoc enim concipitur irrevocabiliter fluere, & tandem intelligi quoque potest de ipso tempore reali, ut incidit in tempus imaginarium, quomodo induit rationem *Quando*, sicut de superficie reali dici solet, quod incidit in localem imaginariam, est immobilis, licet secundum se mobilis sit. Dices cum Ruvio, tempus imaginarium concipitur ad modum temporis veri, alioqui esset omnino libere, ac sine fundamento fictum, ergo cum concipiatur, ut irrevocabile, tale erit a parte rei tempus verum, cum sit conceptio fundata. Neg. conseq. non enim necesse est, ut ens rationis fundatum exprimat in omnibus adamussim ens reale, in quo fundatur, sed sufficit, quod illud adumbret in quibusdam, ut passim cernitur in hujusmodi entibus rationis.

ARTICULUS II.

Resolutio quæsiti quoad potentiam naturalem.

167 Opinio Platonicorum initio quæstionis relata scilicet non solum easdem numero res viribus naturæ redire posse, sed etiam de facto redituras post completam circulationem octavæ sphæræ, imo infinities rediisse supposita mundi æternitate late improbatur a D. August. 12. de Civit. Dei cap. 13. ut refert Doctor loc. cit. quibusdam Scripturæ locis, *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur &c.* Rom. 6. *Semper cum Domino erimus*, ad Thessal. 3. *Tu, Domine, servabis nos, & custodies nos a generatione hac in æternum*, Psalm. 21. unde de sic opinantibus bene subdit Psalmista (inquit August.) *in circuitu impii ambulant*, idest dicunt reditiones circulares. Reprobat etiam hoc figmentum per rationem ex beatitudine deductam, quia secundum istum circulum nulla esset vera beatitudo, eo quod anima beata rediturа esset ad miserias, quas prius habuit, & ita dum beata est, aut credit se numquam redituram, & sic falsa opinione beata est, aut credit se redituram, & tunc timet, & per consequens non est beata.

Refellit etiam Doctor hanc fabulam aliis rationibus. Tum quia falso innititur fundamento, ratio enim eorum erat, quia redeunte causa eadem idem redibit effectus, completa autem circulatione octavæ sphæræ omnia corpora cælestia redibunt ad eumdem situm, & eumdem numero motum repetent, quem prius fecerunt, atque ideo eosdem numero effectus reproducent, hoc fundamentum est falsum, inquit Doctor, concesso enim quod octava sphæra rediturа sit tandem post suam completam circulationem ad idem punctum, a quo moveri cæpit, falsum tamen est, quod reliqui orbes cælestes ad idem etiam redirent punctum, a quo moveri cæperunt, ut Astrologi contra Platonem certissimis demonstrationibus concludunt, quia motus orbium cælestium adeo inter se varii sunt, ut incommensurabiles censeantur, ita quod numquam omnes conjunctim ad eumdem situm, & aspectum, quem antea habuerunt redire valeant, ut bene Clavius demonstrat in cap. 1. Sphæræ §. *de periodis motuum cælestium*. Tum quia hæc etiam ratio est diminuta, quia ad identitatem effectus non sufficit causa efficiens, sed præsertim eadem materia requiritur, materia vero tunc, cum orbes omnes cælestes ad eumdem situm recurrerint, potest esse alia, vel alium situm habere in comparatione ad Cælum, quia per actionem agentis liberi possunt corpora impediri, ne sint in eo situ, ubi prius erant, & etiam per actionem naturalem potest aliquod corpus esse divisum, & ita materia dispersa. Postremo refellit ex absurdis, quæ ex hac opinione sequuntur in specie humana, nam ex parte intellectus sequitur, quod addiscere non sit nisi reminisci, ut infert Arist. 1. Post. quia inconveniens est, ut probat in fine secundi Post. nobilissimos habitus esse in nobis, & latere nos; ex parte voluntatis tollit omnes actus liberos, nam si redituri sunt iidem omnino effectus, ergo necesse erit in eadem prolabi peccata in hoc sæculo, quæ in superiori patrata fuere, nec liberum erit cujusque uxorem ducere, vel in cælibatu permanere, cum ad eumdem statum vitæ civilis redire cogatur in hoc sæculo, quem habuit in elapsis. His de causis Arist. 5. Physi. 37. & 38. sed ex professo 2. de Gen. in fine docet res corruptibiles non easdem numero redire, postquam semel interierunt, sed solum easdem specie, quod etiam significaverat in post præd. cap. de oppositis, dum dixit a privatione ad habitum non dari regressum.

168 Eisdem fere rationibus profligatur Pythagoreorum opinio de animarum circulatione, sive hæc admittatur in quæcumque corpora animabilia promiscue, sive in sola humana, ut nuper Ferchius ad Arist. mentem supposita mundi æternitate, quia & ipsi admittere coguntur animarum regressum ad eadem corpora post varias aliorum corporum informationes. Nec dicat Ferch. semper animam in corpus novum regredi, quia licet redire possit eadem materia, quia hæc non corrumpitur, sed permanet eadem in genito, & corrupto, non tamen redire potest eadem mixtionis forma, quæ corpus constituit, quia hæc corrumpitur. Nam hæc solutio locum non habet apud negantes pluralitatem formarum in composito, neque apud eum, qui poneret omnem formam substantialem incorruptibilem, sicut est materia, ut ipse satis probabile censet eadem vestig. 6. lib. 1. cap. 2. Deinde rationes illæ absolute impugnant circulationem animarum, sive in eadem corpora numero, sive specie, sic enim tollitur vera beatitudo animæ, ut constat ex discursu August. relato contra Platonicos, nam reditura esset ad miserias, sive in eodem numero, sive in eodem specie corpore, parum refert. Nec dicat Ferch. id sentire in sent. Arist. supposita mundi æternitate, non autem secundum veritatem. Nam candidiores Philosophi de mente Arist. immortalitatem animæ defendunt, ut in statu separationis beari possit, sed hanc non assequitur, si ponatur immortalis, & separabilis cum debito regredendi ad corpora semper, atque ideo nihil refert animam statuere immortalem, & separabilem hoc modo, vel absolute mortalem, ad quid enim hæc immortalitas, quæ animam in meliori statu non ponit, quam mortalitas ipsa? sane, minime opus erat, ut tam prolixa disp. Ferch. Alexandreos assertores mortalitatis animæ insectaretur, & redargueret, si adeo exilem, & servilem immortalitatem ei ascribere volebat, nam tandem dat eis manus ad destruendum alium animæ statum, in quo recte gesturum præmia referat, male vero penas luat, unde satius fuisset quod cum eis in animæ mortalitatem consensisset, quam cum Pythagoreis in ejus regressum ad corpora; fabulosior siquidem est animarum circulatio, etiam in sola corpora humana, quam ipsa mortalitas, & utique ex Philosophia potiores rationes, & ex Arist. plura, ac manifestiora habemus loca pro animæ mortalitate, quam ejus circulatione.

169 Sed age loquamur in Arist. Sent. nullibi eam reprobavit, ait Ferch. nisi ut a Pythagoricis ponebatur de quolibet in quodlibet corpus, etiam brutale, ut constat 1. de Anim. 53. sed nullibi quoque eam asseruit, subdimus nos, adeout non magis ipse affirmare hoc possit in Arist. sent. quam nos negare. Nec dicat hoc colligi ex 2. de Gen. cap. ult. ubi ponit in rebus generabilibus circulum in specifica identitate ad eorum perennem conservationem, in perpetuis vero ponit circulum in numerica identitate, & ideo quia corpora humana sunt corruptibilia, redeunt eadem specie tantum, at quia rationales animæ sunt indefinentes, eædem numero secundum circulum revertentur, quod etiam confirmat ex 4. de Gen. animal. cap. ult. ubi ait Arist. animalium ortus circuitu cælesti gubernari, nempe sub cœlestia cœlestem circulationem imitentur. Sed certe nil minus cogitavit Arist. præfatis in locis, quam afferere animarum rationalium circulationem, nam primo loco per ingenerabilia eadem numero recurrentia in circuitu cœlestes intelligit orbes, ut omnes exponunt præsertim Scot. 4. d. 43. qu. 1. ad 3. princ. & constat ex ipso contextu, sic enim revolvuntur in gyrum, ut eadem numero ad idem revertantur punctum, quia eorum circulatio est per motum localem, non generationis, & corruptionis, anima autem, si per circulum reverteretur in corpora, sane talis circulatio non fieret per solum motum localem, sed per veram mutationem substantialem, qualis est generatio; alio vero loco intendit solum Arist. ostendere circulationem in corruptibilibus in specifica identitate per generationem pendere a circulatione orbium cœlestium, præsertim Solis, & Lunæ factam per motum localem in identitate numerica, alioquin probare quoque reditum, & circulationem animarum brutorum, cum de cujuscumque animalis ortu, & interitu ibi loquatur.

170 Deinde Ferchianam hanc animarum circulationem directe impugnat ratio Arist. 1. Post. loc. cit. qua reiiciebat circulationem Platonicam, ibi enim contra Platonem inferebat, quod nostrum scire esset quoddam reminisci eorum, quæ scivimus in alio sæculo, hæc ratio autem æque convincit, sive anima in idem numero corpus redire dicatur, sive in idem specie, habitus enim, & species intelligibiles in anima recipiuntur, & conser-

servantur, non in toto conjuncto, & cum nulla sit ratio, cur in statu separationis illa adhuc non retineat, cum ab organis non dependeant; & habeant esse permanenter ad differentiam actuum, nec nullum contrarium ejus opponatur, consequenter, quando rursus redibit ad informandum corpus, species suppeditabit ad recognoscenda objecta antea nota, sive in alio corpore, sive in eodem, unde ratio contra Platonem non procedit, quia poneret animam redire in idem corpus, sed absolute, quia ponebat eam rursus in corpus reverti, sive sit idem numero, sive specie, & ideo circulationem animarum impugnat quocumque modo ponatur. Resp. Ferchius Arist. huic dubitationi satisfacere 3. de Anim. 20. dum inquit, *non reminiscimur autem, quoniam intellectus passivus corruptibilis est, & sine hoc nihil intelligit*, hæc igitur est ratio, cur non reminiscimur eorum, quæ anima in alio corpore cognovit, quia reminiscentia, & memoria non sunt sine imaginatione, nec intellectus intelligit quicquam eorum, quæ pertinent ad reminiscentiam sine imaginatione, cum ergo imaginatio præcedentium hominum corrupta sit, non meminit eorum in novo corpore assumpto ad informandum. Sed nec Arist. textus adducitur ad rem, nec solutio in se satisfacit, Arist. enim ibi non movet dubitationem, cur non reminiscamur eorum, quæ anima cognovit in alio corpore, sed cur intellectus est a corpore separabilis, non reminiscitur post mortem eorum, quæ novit conjunctus, & inquit, non reminisci ob defectum imaginativæ, quæ ad reminiscentiam inservit, quæ Arist. doctrina præsenti dubitationi applicari minime potest, nam difficultas urget de anima non in statu separationis, sed novo corpori conjuncta, cur non recordetur eorum, quæ novit in alio corpore, in quo statu utique ei imaginatio non deest, ut ejus ministerio valeat uti speciebus jampridem acquisitis in alio corpore; dicere autem, quod ad hunc usum necessaria foret imaginativa alterius corporis, & non sufficere imaginativam præsentis, ut Ferchius innuit, est prorsus voluntarie dictum, nam inquit Arist. 1. de Anim. 65. quod si senex acciperet oculum, & organum juvenis, videret ut juvenis, ergo si ad operationem sensitivæ, quæ utique magis est organis alligata in suis operationibus, quam intellectiva, sufficeret aliud organum, dummodo esset ei conjunctum, tanto magis in proposito dicendum est de anima rationali, quod imaginativa corporis, quod noviter informat, sufficit ei ad exercendam quamcumque operationem ab ea dependentem, quam in alio corpore poterat exercere, nec opus esse imaginativa illius.

171 Insuper, ut ipse ibidem contra se urget, admisso, quod hæc ratio sufficiens sit pro oblivione gestorum in alio corpore, quare in novo corpore assumpto non recordatur gestorum saltem extra corpus in proximo statu separationis? Respondet, quoniam intellectus possibilis innascitur in corpore, sicut tabula, in qua nihil est depictum 3. de Anima 14. & jure ex proportione materiæ, materia quippe non recipit formam novam, nisi veteribus abjectis, ut nuda accedat ad nudam, ita intellectus accessurus ad corpus denudatur ab accidentibus oppositi status, scilicet separationis; ratio quoque status conjunctionis (subdit) hoc exigit, scilicet propter ordinem potentiarum cognitivarum in agendo, sicut in essendo; in essendo materia est propter formam, corpus propter animam; in agendo actio corporis est propter actionem animæ, & actio formæ sensitivæ propter actionem formæ intellectivæ; hæc cum ita sint, necessarium est, intellectiones, & habitus animæ separatæ in iterata conjunctione deleri, ne anima occupata circa objecta secum advecta naturalem famulatum respueret. At nec rursus Arist. textus facit ad rem, nec solutio vim difficultatis enervat, sed potius confirmat, nam Arist. ibi idea dixit intellectum possibile innasci in corpore, sicut tabula, in qua nihil est depictum, quia supponebat tunc primo innasci, & fieri, non autem quod præcederet in alio statu, nam si hoc suppofuisset, sane non dixisset accedere omni specie nudum; nec ratio, quam adducit hic Auctor ex proportione formæ ad materiam, convincit, materia enim denudari debet veteribus formis, ut novam suscipiat, quia illæ opponebantur novæ, & ejus accessum impediebant; at non videtur, cur anima debeat pariter exuere species, vel habitus, quos in statu separationis habebat, quia hæc accidentia non impediunt ejus conjunctionem cum corpore; alia tandem ratio ex statu conjunctionis deducta potius nobis favet, si namque actio corporis est propter actionem animæ, & actio formæ sensitivæ propter actionem intellectivæ, quomodo hinc deducit intellectiones, & habitus animæ separatæ in iterata conjunctione deleri, ne anima occupata circa objecta secum advecta naturalem famulatum respuat? sane hæc consequentia supponit animam famulari corpori, non corpus animæ, quare ex illo antecedenti oppositum sui consequentis potius deduci debet.

172 Tandem ult. quoque ratione ex actibus, & habitibus voluntatis deducta, quam urgebat Scot. contra Platonicam circulationem, contra quoque Ferchianam militat, multi namque habitus vitiosi in voluntate generati in statu conjunctionis, permanebunt in ipsa in statu separationis, & tamdiu conservari poterunt, quousque recurrente vice sua iterum novo corpori uniatur, & sic iste homo in eadem inclinabitur vitia, in quæ alter homo ex præcedenti corpore constitutus. Hæc igitur, & alia absurda, quæ facile consideranti occurrent, sequuntur in vera Philosophia, ac etiam peripatetica, ex animarum circulatione, quam Ferchius antiquatam, & obsoletam nuper suscitavit, & quidem absque necessitate; argumentum enim illud de infinitate animarum ex mundi æternitate, & animæ immortalitate deductum, quod ipsum in hanc fabulosam impulit opinionem, facillime solvitur a Scoto 2. Met. qu. 6. §. *ad rationes*, & Tromb. tract. de plurific. anim. contra Averroem art. 2. part. 2. in fol. ad 4. quod multitudo illa animarum, quæ modo extarent, adhuc non foret infinita cathegorematice, sed syncathegorematice tantum, quia ei fieri potest, imo quotidie fiat additio, ut diximus disp. 10. Phys. qu. 3. Quomodo autem infinitas syncathegorematica, quæ potentialitatem sapit, etiam in rebus actualibus possit reperiri, declaramus eadem disp. qu. 1. art. 1. & disp. 9. qu. 2. art. 6. ad 5. & mirum est, quomodo hic Auctor in Scoto, & Scotistis versatissimus hanc solutionem non viderit, cum tamen omnes modos solvendi hunc nodum hucusque excogitatos referre profiteatur cap. 11. & quando hæc solutio non placeret (cui tamen intellectus quicumque bene affectus acquiescere debet) resolute dicimus, satius esse in Arist. sententia animæ mortalitatem tenere, quam immortalitatem asserere cum tam absurda appendice transmigrationis animarum, hoc enim turpius putamus absurdum, vel saltem æque turpe, & nostræ fidei perniciosum non minus, quam sit ipsa mortalitas. Nec dicat Ferchius ex hypothesi tantum asserere animarum circulationem, supposita nimirum æternitate mundi, quam absolute negat in Arist. sententia, & qua negata penitus labascit argumentum. Nam in hoc quoque sensu nos contra ipsum argumentamur admissa nimirum illa hypothesi, quam ad Arist. mentem esse verissimam demonstravimus disp. 1. de Cœlo qu. 1. unde inter defensores immortalitatis animæ ad Arist. mentem fatemur, hunc Auctorem esse præaliis mirabilem, vult enim in prima responsione ad difficultatem illam, quod Arist. neget, quod ex professo docuit 8. Phys. per totum, scilicet mundi æternitatem, & affirmet quod semper negavit, vel saltem numquam asseruit, scilicet animarum circulationem in altera solutione, quæ Ferchius dixit lib. 4. defens. pro defensione circulationis animarum, de falsa hujus opinionis impositione Platonicis, ac ejusdem censura soluta sunt, ac impugnata disp. 12. Met. qu. 5. art. 2. & lib. expurg. querel. 11. 18. quæ vero contra communem Præceptorem, Scotistas, & nos evomit de animæ mortalitate expurgata vide disp. cit. Met. qu. 5. art. 2. & lib. expurg. que rel. 6. 8. & 9.

173 Profligatis itaque circulationibus cum Platonica, tum Pythagorica quomodocumque ponatur, dicendum remanet pro quæsiti resolutione in ordine ad potentiam naturalem de facto, & juxta communem naturæ cursum, nec omnes, nec aliquos effectus redire, nullam tamen impotentiam intrinsecam assignari posse ex parte causarum naturalium, sed solum extrinsecum impedimentum. Conclusio est Doctoris loc. cit. 4. d. 43. qu. 3. §. *quantum ad istum articulum*, ubi si accurate legatur, non ait de facto aliquos effectus redire viribus naturæ, ut passim ei imponitur, etiam a Scotistis, sed tantum loquitur de possibili, ut bene ponderavit Bassolius, & ait assignari non posse rationem repugnantiæ ex parte causarum naturalium, cur virtute ipsarum interdum redire nequeat idem effectus, & in hoc approbat tertiam opinionem ab ipso relatam, in quantum scilicet loquebatur de potentia, non de actu. Conclusio sic intellecta probatur quoad singulas partes, & quidem in primis quoad primam, quod viribus naturæ non redeant effectus omnes, jam probatum est contra Platonicos, quod vero nec redeant aliqui, inde probatur, quia impedimentum, quod obstat reparationi unius, obstat quoque reparationi aliorum, ut postea patebit; quod tandem assignari nequeat ratio repugnantiæ ex parte causarum naturalium, sed tantum impedimentum ab extrinseco, probatur, quia ratio præcisa, cur causa creata v. g. ignis indifferenter omnino se habens ad producendum hunc, vel illum calorem in hac aqua, producat hic, & nunc illum, & non istum, est determinatio a prima causa procedens, per quam determinatur ad hunc potius singularem effectum, quam alium ex multis, & propemodum infinitis, quos habet in sua potestate, atque ita determinatur ad hunc effectum singularem, ut nolit cum ea concurrere ad illum, nisi semel, ut jam tradidimus disp. 8. Phys. qu. 2. art. 3. ergo impedimentum, ne idem redeat effectus, prorsus procedit ab extrinseco, scilicet ex sola Dei voluntate, non autem ex intrinseca impotentia causarum naturalium, & ita inter alios luculenter docent Rubion loc. cit. qu. 1. Bassol. qu. 2. & Tatar. in postpræd. cap. de oppositis §. *tertio sciendum*, & sequuntur Conimbr. & Aversa cit. Suar. disp. 6. Met. sect. 3. nu. 7. Hurt. disp. 10. Phys. sect. 4. & alii Recentiores passim.

174 Sed instat nonnullus; vel hoc Dei decretum de non concurrendo pluries ad eumdem effectum, sed semel tantum, procedit ex mero Dei beneplacito, vel factum est juxta exigentiam causarum secundarum, aut intuitu boni totius universi, quod pulchrius apparet ex varietate individuorum, quam appareret ex continua repetitione eorumdem, si secundum dicatur, jam repugnantia, & causa hujus impossibilitatis erit ex natura intrinseca causarum petenda, & non ex mera Dei voluntate; si asseratur primum, est prorsus voluntarie dictum, quia decretum liberum Dei non potest nobis constare, nisi ex revelatione, vel aliquo effectu, at nullibi ostenditur factam esse revelationem, quod Deus nolit concurrere nisi ad novos effectus, ergo tale decretum debet nobis innotescere ex aliquo effectu, hic autem effectus nullus esse potest, nisi natura causarum, quod scilicet ex natura sua non possit producere effectus semel corruptos. Resp. ex omnibus his capitibus concedi posse decretum illud Dei procedere sub modo, procedit ex Dei beneplacito, quatenus ex mera sua libertate, & liberalitate vult beneficium existentiæ ad plures, & plures effectus extendi, quam ad paucos tantum sæpius repetitos; procedit ex indigentia causarum, quia cum sint de se indeterminatæ ad plures, & plures numero effectus, exigunt a causa prima determinari ad hunc potius numero effectum, quam ad illum, ut auferatur earum perplexitas in agendo; procedit demum ex bono totius universi, quia hic modus concurrendi semper ad novos effectus ostendit magis rerum copiam, naturæ fecunditatem, speciemum amplitudinem in suis individuis, & commen-

mendat magis divinam largitatem; nullum tamen ex his capitibus arguit intrinsecam impotentiam in causis secundis ad eos effectus repetendos, quantum est ex parte sua, non primum, ut patet, non secundum, quia illa indeterminatio, & illimitatio causæ secundæ ad plures effectus in individuo non procedit ex ejus sterilitate, sed potius ex ejus maxima fœcunditate, ut illi adaptari possit dictum illud, *inopem me copia fecit*, ingens enim copia effectuum ab ipsa producibilium ipsam reddit indigentem determinatione primæ causæ; cui accedit, quod hæc indeterminatio reperitur in causa tam in ordine ad effectus jam productos, quam producendos, sicut ergo non reddit illam intrinsece impotentem in ordine ad istos, ita neque in ordine ad illos iterum repetendos; nec tandem ex tertio capite potest hæc repugnantia deduci, si enim aliquando idem lumen, idem calor numero repararetur, plane nihil mali, vel inornatus, aut detrimenti accideret universo, vel speciebus caloris, & luminis, quia de minimis non curat Prætor.

175 In oppos. arg. Primo contra primam partem concl. probando, quod omnes, vel saltem aliqui effectus de facto redeant secundum communem naturæ cursum. Tum quia Eccles. cap. 1. videtur stare pro circulatione Platonica, dum inquit nihil esse sub Sole novum, nec posse quemquam dicere, ecce hoc jam recens est, jam enim præcessit in sæculis, quæ sunt ante nos. Tum quia, cum aqua divisa reunitur, eadem singularis aqua reparatur, cum ex eisdem partibus nonnisi idem totum coalescat. Tum 3. ex illis etiam, quæ corrumpuntur per destructionem informationis, quædam de facto redeunt, ut cum auricula, vel nasus abscinditur homini, & deinde reunitus eisdem partibus corporis informatur eadem anima rationali. Tum 4. quia identitas numerica effectus pendet ex eadem combinatione causarum, unde ait Arist. 8. Met. 11. & 12. Met. 11. si eadem materia, idemque agens perseveret, eumdem effectum producturum iri, sed interdum eædem causarum combinationes redeunt, & cum eisdem circumstantiis excepta temporis circumstantia, quæ ad identitatem effectus minime necessaria est; ergo, &c. Tum 5. ad est experientia notabilis in hac re de Musca, quam quisque pro libitu facere potest, nam suffocata in aqua, dummodo non sit in organis læsa, si postea Soli exponatur, aut in cinere tepido sepeliatur, brevi tempore reviviscit, qua de causa Lucianus Philosophus librum edidit inscriptum *encomium Muscæ*. Nec oportet negare cum quibusdam protervis Muscam illam fuisse mortuam, sed tantum consopitam; videmus enim illam esse omni sensu destitutam, & sine illa industria non reviviscere. Tum tandem, quia Deus de facto tenetur præstare concursum causis secundis ad effectus eis connaturales, & ad quos potentiam habent sufficientem, & completam in suo ordine, ita enim Deus causas secundas administrat, ut eas motus suos agere sinat, si ergo nulla est intrinseca repugnantia ex parte causarum, ut eosdem effectus jam productos repetant, & ad eos habent naturalem potentiam, sane etiam de facto illos producent, quia de lege ordinaria concursus est ei debitus, unde vanum est dicere impedimentum prodire ex denegatione sola divini concursus, quia hic numquam denegatur, cum naturis rerum est debitus.

176 Resp. D. Aug. apud Scotum, cum ait Ecclesiast. eadem præcessisse, quæ sunt, & erunt, non intelligere de identitate *numerali*, *sed aut specifica*, aut generica; vel certe præcessisse in mente divina. Ad 2. urget præsertim eos, qui statuunt totum integrale tertiam entitatem præseferre a partibus realiter distinctam, sicut essentiale, ut diximus disp. 5. Phys. q. 13. ar. 2. quod nos non asserimus. Ais, quod saltem tunc redibit eadem unio, cum naturaliter eadem extrema reuniantur. Neg. quia numquam regulariter reunitur aqua per unionem in eisdem partibus factam; sed quando id etiam contingeret, Doct. cit. 1. in *fine* non habet pro inconvenienti de relationibus, quod eædem numero redeant, quia forte non sunt entia magni momenti, imo Conimb. Amic. & alii gratis concedunt, quæ corrumpuntur præcise per dissolutionem partium sine ulla alteratione Physica, quomodo destruitur totum integrale, posse secundum communem naturæ cursum eadem numero redire, & solum negant de illis, quæ proprie corrumpuntur, & Physice per separationem formæ a materia. Ad 3. argumentum non habet difficultatem in brutis, quia cum habeant animam divisibilem, auricula agglutinata denuo non informatur eadem parte animæ, qua prius, sed alia nova, atque ideo non redit idem numero compositum, in homine vero, quia anima est indivisibilis, & eadem extenditur ad informandam partem denuo agglutinatam, dicendum redire idem *compositum*, quod prius, & ratio est, quia in illius partis abscissione nec materia, nec forma desiit, impossibilitas autem reproductionis per causas naturales contingit, cum desinit anima in tota materia sibi adæquata. Ad 4. neganda est major, ut mox dicemus, quia adhuc, & tota combinatio causarum est indeterminata ad plures effectus numero, unde petit determinari a Deo; Arist. vero cit. loquitur de identitate specifica, non numerica; qui vero concederet majorem, deberet negare minorem. Ad 5. si vera est experientia, ut ferunt, dicendum est non eamdem resurgere Muscam, sed aliam, quia nec eadem numero reparatur in eo cadavere anima sensitiva, sed alia de novo producitur, sicut quando auricula abscissa bruto rursus agglutinatur, dicimus non eamdem redire animam sensitivam, sed aliam de novo produci in ea parte, nec mirum esse debet ex eo cadavere de recenti extincto formam Muscæ educi ab agente universali, cum ex putri materia tot animalia, & Muscæ ipsæ gignantur; arcanum quidem erit, cur id contingat in Muscis, & non in aliis animalibus ex putri genitis. Ad 6. propositio illa assumpta non est immedi ata, sed deducitur ex hoc, quod nulla potentia naturalis est frustra, & ideo ut exerceatur in actibus suis, adjuvatur a Deo concursu generali; ut autem potentia naturalis non sit frustra, sufficit, ut aliquando fuerit reducta ad actum, atque ideo postquam ad actum redacta est, non amplius est opus, ut habeat concursum Dei paratum ad eumdem actum; sic itaque in proposito, quamvis causa naturalis post aliquem effectum productum adhuc integram potentiam retineat ad illum reproducendum, & in nullo diminutam, non petit concursum Dei ad illum repetendum, quia potentia ad illum effectum jam ad actum reducta est, unde magis congruit Deum præstare concursum ad alium numero effectum producendum, & sic potentia illius causæ non remanet frustra, tum quia quantum ad illum actum jam exsaturata est, & actuata; tum quia habet concursum Dei paratum ad alios effectus ejusdem rationis, quos adhuc non produxit.

177 Deinde obiicitur contra alteram concl. partem adducendo varias rationes, quibus Auctores conati sunt ostendere hanc repugnantiam ex natura causarum naturalium. Primo Thomistæ sic arguunt, idem numero effectus requirit eamdem numero actionem, actio enim importat rem ipsam in fieri, unde si fieri est diversum, non potest factum esse, & terminus esse idem, at actio præterita agentis naturalis redire nequit eadem numero motus, & tempus, a cujus unitate, & *continuitate* dependet ejus unitas, ergo, &c. Secundo arguunt alii, quod numquam fit, reducendum est in naturæ repugnantiam, at numquam reproducitur naturaliter effectus corruptus, ergo quia id repugnat ex natura rei. Tertio alii, individuatio effectus pendet ex concursu, & combinatione plurium causarum superiorum, & inferiorum, ut substat omnibus circumstantiis temporis, & applicationis, & similium, at corrupto effectu non possunt redire omnes illæ causæ cum eisdem circumstantiis naturaliter, quia saltem non eadem Cœli influentia, non idem tempus, ergo, &c. Quarto, alii, resurrectio mortuorum est miraculosa, non alia de causa, nisi quia est reproductio rei antea corruptæ, ergo nequit naturaliter forma corrupta reproduci. Quinto, alii, post aliquem effectum productum amittit causa potentiam ad illum repetendum, quod patet in causa materiali, quæ non habet potentiam ad formas corruptas, nam esset frustra, ergo idem pariter dicendum de causa efficiente. Sexto, alii, in omni corruptione dividitur materia, itaquod non ex tota materia, quæ præsuit in corrupto, generatur genitum, cum ergo non adsit eadem numero materia, nec idem numero reproduci poterit viribus naturæ. Demum est commune adagium, & axioma apud Arist. a privatione ad habitum non esse possibile regressum naturaliter, & certe id non dixit Arist. quasi impossibilitatem provenire arbitraretur ex voluntate Dei, quem ad extra necessario operari putavit, sed quia sensit ab ipsa rei natura eam impossibilitatem oriri; idem habet 5. Phys. 36. & 2. de Gen. cap. ultim.

Resp. *nullam harum rationum revera* ostendere repugnantiam intrinsecam in causis naturalibus ad reproductionem ejusdem effectus, non quidem prima ratio, quam adeo magnificant Thomistæ, tum quia ut constat ex dictis art. præc. ad 1. pro 4. Conf. potest idem effectus diversis actionibus produci disjunctim, unde falsum est illud antecedens absolute sumptum, tum quia eadem est quæstio de effectu, & actione, an possint redire eadem numero, ut ait Bassol. tum quia falsum est unitatem actionis pendere ex unitate, ac *identitate temporis*, quia videmus eamdem actionem durare pro diversis instantibus, & dum durat in posterioribus, non dependet a seipsa, ut existente in prioribus, ut art. præc. cum Scoto deducebamus; signum evidens actionem secundum suam substantiam non individuari a circumstantia temporis, sed indifferenter exerceri posse *in uno tempore*, ac in alio; tum tandem quia etiam de ipso tempore, & motu eadem quæstio recurrit, an ex natura rei possit redire. Neque secunda *ratio concludit*, *major enim* est absolute falsa, cum multa sint naturaliter possibilia, quæ numquam existent, imo qui vellet negare majorem in quibusdam effectibus, non posset convinci nisi arguendo ab aliis effectibus, in quibus manifesta cernitur diversitas, unde enim certi esse possumus, quod calor, vel frigus quod *hodie* sentimus, *non* sit idem numero *cum* eo, quod heri sentiebamus? Nec etiam tertia ratio, quæ pariter est Thomistarum, concludit, nam major est falsa; cum adhuc tota illa combinatio causarum maneat indeterminata ad plures effectus numero, ut probatum est disp. 8. Physic. qu. 2. art. 3. quin etiam si hæc doctrina vera esset, probaret argumentum, nec per potentiam divinam posse effectum corruptum redire, quia nec Deus facere potest rem eamdem numero sine eadem numero individuatione, cum ergo idem numero tempus, & motus nequeat a Deo repeti secundum Thomistas, non poterit a Deo neque ens permanens idem numero restitui, minor quoque valde dubia est; interdum enim idem agens idem materiæ approximatur denuo, imo de facto idem Cœlum hodie movetur ab eodem Angelo, a quo heri, & super idem spatium, & tamen non sit idem motus, alioquin omnes dies forent unus solus dies, recurrere autem ad tempus imaginarium, quod individuet motum *hodiernum* & *hesternum*, est prorsus vanum, quia individuatio realis non pendet a nihilo, & a re imaginaria.

178 Nec 4. quia ut notavit Hurtad. disp. 2. Phys. §. 41. ex Scoto hic art. 2. resurrectio mortuorum erit naturalis quoad substantiam, ut dici solet de visu restituto cœco, quia tota hominis resurgentis essentia est naturalis, erit vero supernaturalis quoad modum ex multis capitibus, quia nimirum tot millia hominum in ictu oculi resurgent sine concursu maris, &

& feminæ, sine præviis dispositionibus naturalibus, & denique ex hoc ipso capite supernaturalis erit, ac miraculosa, quia cum solo homine legem infringit cæteris rebus statutam de illis non reproducendis; quod etiam tenet Arriag. disp. n. 11. Phys. 45. Notat tamen Doctor, quod etiamsi viribus naturæ reparari posset post hominis interitum forma mixtionis cum cæteris dispositionibus, adhuc tamen attingere non posset animationem ejus, quia sicut eam non attingit in prima productione, ita neque in secunda, ejusdem enim omnino rationis esset ista reproductio, si possibilis forte, ac prima productio. Nec quinta, nam falsum assumit, talis enim potentia, inquit Doctor, vel est essentia ipsius causæ sive materialis, sive efficientis, vel passio consequens ei realiter identificata, ac proinde semper integra manens, & incolumis etiam post effectum productum, quod de potentia materiæ ostendimus disp. 2. Physicor. q. 5. art. 2. Nec sexta, quia in eo casu saltem redire potest aliqua pars corrupti, cum maneat pars materiæ, & saltem Deus, vel Angelus posset totam materiam reunire, & agenti applicare, quod propriis viribus eundem reproduceret effectum, imo hoc naturaliter posset contingere, inquit Doctor, si ignis in aliquo vase servatus totus converteretur in aerem, nulla enim tunc esset divisio materiæ. Nec tandem ultima, nam inquit Doctor dictum illud Arist. intelligi debere in ordine generationis naturalis secundum descensum, ut explicuimus disp. 9. Log. q. 1. art. 2. adeout non habeat universalem veritatem in omni prorsus generatione; vel intelligitur de reditione immediata, quia secundum communem naturæ cursum post corruptionem unius formæ non succedit forma præcedens corrupta, sed alia, & alia, non vero intelligitur de reditione etiam mediata, nam post *multas transmutationes contingere* potest, ut idem numero redeat, & producatur; in alio loco loquitur dubitative, & potius colligitur oppositum, ut colligit Doctor; in 2. de Gener. cap. ult. ait Bassol loqui de generatione individuorum non in circulum, sed in rectum, quo quidem sensu semel productum non potest amplius reproduci; & certe Arist. locis cit. negat factum, non possibilitatem; unde 2. de Gener. in fine inquit; *quorum substantia corruptibilis est, necesse est specie, numero autem non reverti*, ait ergo non oportere eadem numero reverti, non tamen quod sit impossibile, nec valet dicere agens naturale potest hoc, ergo facit aliquando, quia multa possibilia sunt naturaliter, quæ non fiunt, imo & illud axioma ait Rubion. tantum de facto intelligi debere, non autem de possibili, quod probat evidenti ratione, quia non magis distat privatio sequens corruptionem formæ ab habitu, scilicet ab ipsa forma, quam privatio antecedens ejus generationem, ergo si naturaliter fieri potuit progressus a privatione antecedenti ad formam, cur non etiam ab eadem subsequenti?

179 Antonius Roccus, qui se Scotistam profitetur, 2. de Gen. q. 16. tenet & ipse implicare corruptum idem numero posse viribus naturæ reparari, quod rejecta prius communi ratione Thomistarum probat ipse duplici ratione; prima est; Entia finita determinatum modum agendi, vel præfinitam operandi potentiam ab authore naturæ habent, hæc autem potentia ad actum ordinatur, unius ergo actus unica est potentia, & sic habito actu, potentia amplius non existit, remota vero potentia, nec aliquid secundum ipsam possibile est produci; altera ratio est, quia ordo naturæ talis est, ut inferiora a superioribus dirigantur, atque sine ipsis causare nihil possint, ipsa autem corpora superiora, vel cælestia nunquam omnia simul in eodem signo, vel aspectu esse queunt, ut ajunt Astrologi, ergo &c. Has rationes adducere placuit, non quia diversæ sint ab allatis, *coincidunt enim* cum tertia, & quinta, sed ut pateat, quam parum versatus sit hic Auctor in Scotica doctrina, quam profiteatur, etiam in illis quæstionibus, quas Doctor ex professo pertractat, has enim ambas rationes reiicit Doctor cit. 4. dist. 43. q. 3. velut ineptas, ac insufficientes, primam quidem *litt. H.* ubi ostendit falsum esse in adventu actus potentiam corrumpi, cum potius perficiatur, unde potentia objectiva est, quæ in adventu actus evanescit, non autem subjectiva, & activa, dum enim quis intelligit, non dicitur amittere potentiam ad illum actum, sed ad summum amittit ordinem, quem habebat potentia prioritatis ad actum in duratione, quia tunc non præcedit actum hoc genere prioritatis, sed est simul cum actu, falsum etiam est unius actus unicam esse potentiam, quia una, & eadem potentia potest actus plures respicere, *inadæquatos*, & partiales, & sic potentia calefactiva ignis respicit hunc, & illum calorem, intellectiva hanc, & illam intellectionem, & sic universaliter quodlibet agens naturale, quod quidem dicitur habere determinatum agendi modum, & præfinitam potentiam, *non quia limitetur* ad unum numero actum, sed ad unum in specie juxta illud 2. Physic. natura determinatur ad unum, id est ad unum agendi modum, quemadmodum Doct. explicat quol. 2. F. ut ignis ad calefaciendum, frigus ad infrigidandum, &c. Alteram quoque rationem refellit ibidem §. *tertia opinio*, ubi ait, quod ad eundem effectum non est absolute necessaria eadem numero influentia, sed sufficit similis, quod & Roccus ipse ibi ad 2. concedere coactus est, dum ait, idem tempus, atque Cœlorum motum non requiri essentialiter ad identitatem effectus, sed accidentaliter tantum, hæc in hunc Auctorem obiter diximus, quia in Epist. ad lectorem in lib. Physic. deridet, asserentes neminem nisi ex Scoti religione ipsius doctrinam percipere, quasi Leucophlei coloris materialis pannus intellectum homini tribuat, id certe nos non asserimus, quia sicut habitus non facit Monachum, ita nec Scotistam, vel Thomistam, asserimus tamen cinereis panninas ejus opiniones tradere; At inquit ibidem se quidem do-

ctrinam Scoti velle profiteri, sed non in omnibus, nec sua velle libertate privari; bene, non ergo initio operis titulum præfigere debebat *quæstiones omnes desiderabiles ad mentem Jo. Duns Scoti Doctoris subtilis*, cum postea in progressu operis pauciss me, vel nunquam Doctorem citet, & frequentius ab eo desectat, nam parum versati in doctrina Scoti ex titulo operis decepti resolutiones quæsitorum recipiunt, velut de mente Doctoris.

QUÆSTIO VIII.

An res adhuc existens divina saltem virtute possit reproduci.

180 Recentiores quidam sententiam affirmantem tradiderunt; ut Coninch. tractat. de Sacramentis q. 75. art. 4. dub. 3. ubi pro se citat Gab. in 4. distin. 11. qu. 1. art. 3. Morisan. disp. 3. Physic. q. 23. & disp. 5. q. 3. qui etiam docent non alia ratione, aliove modo eandem rem posse simul, & semel a Deo in pluribus locis replicari, nisi per reproductionem substantialem ejusdem rei in pluribus locis; imo nonnulli asseverant idem posse seipsum denuo reproducere, cum antea jam existeret, & ita de facto ait Suarez 3. p. to. 3. disp. 49. sect. 1. & fusius disp. 50. sect. 4. & disputat. 26. Metaph. sect. 5. Christum Dominum existentem adæquate per primam actionem a solo Deo, seipsum producere denuo Physice sub speciebus sacramentalibus, quam opinionem probabilem putant Amic. in lib. Physi. tract. 14. q. 4. dub. 1. art. 3. & Arriag. disp. 7. Phys. sect. 9. quare hæc sententia de possibilitate reproductionis ejusdem rei jam præexistentis videtur communis Auctoribus asserentibus transubstantiationem Eucharisticam esse productivam, & non adductivam tantum Corporis Christi.

181 Dicendum tamen est *impossibile simpliciter* etiam esse per potentiam Dei absolutam posse eundem numero effectum semel productum, & adhuc existentem denuo reproduci. Hæc est communior, & verior sententia, quam sæpius innuit Doctor 1. distinct. 2. qu. 3. B. & 3. distinct. 1. q. 2. A. ubi negat eundem effectum procedere posse a duabus causis totalibus, sicut contingeret in proposito, item in 4. dist. 10. q. ubi concedit idem corpus posse a Deo replicari in pluribus locis, negat tamen id fieri per reproductionem ejus substantialem, & dist. 11. quæst. 3. ejusdem lib. litt. N. negat dari posse actionem aliquam productivam ad substantiam præexistentem; idem fusius habet 1. distinct. 36. ab initio quæst. contra Henricum; quod etiam nos jamdudum docuimus in Phys. disp. 8. q. 2. ar. 1. & disp. 11. q. 9. Probatur ex ibi dictis evidentissime, quia quælibet generatio, seu productio substantialis est a non esse simpliciter ad esse simpliciter ex suo formali, ac intrinseco conceptu, habet enim pro terminis a quo, & ad quem privationem substantialem & formam substantialem, ergo nequit effectus, dum adhuc actu existit, reproduci, quia materia illa non habet privationem formæ in se; & hæc ratio est adeo evidens, ut nullo modo dissimulari queat; distinctio vero, quam adhibent Adversarii ad eludendum argumentum, de duplici productione prima, & secunda, & pariter de duplici esse substantiali primo, & secundo, ibi adducta est, & satis superque explosa; vide hanc rationem ibi fuse deductam. Rursus probatur ex alio principio eadem disp. 8. q. 4. art. 2. late demonstrato, quod non potest idem numero effectus simul, & semel a pluribus causis totalibus essentialiter pendere, nec duplici productione totali produci, aut conservatione conservari; ita autem contingeret in proposito, nam si idem numero effectus, cum adhuc existit, reproducitur, tunc vel reproduceretur ab illa eadem causa, a qua primo productus fuerat, vel ab alia; si primum, dependeret ab ipsa duabus dependentiis totalibus, ut sunt generatio, & regeneratio; si secundum, haberet etiam duas dependentias totales ad duas causas totales. Præterea si posset idem homo substantialiter reproduci, itaut omnino independens esset a prima productione, tunc posset simul esse vivens, & non vivens. Ratio est, quia per utramque actionem accipit esse totaliter, & accipit esse per unam omnino independenter ab alia, cum enim unaquæque sit actio totalis, eundem effectum attingit indepenter ab alia, poterit ergo ex defectu unius actionis mori, & altera perseverante adhuc vivere, atque ita simul, & semel erit vivens, & non vivens, quod prorsus implicat. Item si idem effectus potest bis produci per duplicem actionem, quarum una sequatur aliam, ita per cessationem *interpolatam* hujus *duplicis* actionis poterit bis corrumpi; hoc autem prorsus implicat, quia si res semel desinit, præsertim si talis desitio sit annichilatio, ita destruitur, ut nihil ejus omnino remaneat, ut demonstravimus disput. 8. citat. q. 3. articul. 2. in secunda probatione conclusionis, ubi fusius hæc ratio pertractatur.

182 Respondent Coninch. & Morisi. eandem varietatem admitti posse, & debere in eadem re sæpius existente per replicationem, & reproductionem, quæ in *diversis*, quia ob multiplicem productionem, quarum una est independens ab alia, eadem res evadit multiplex virtualiter, & diversis æquivalet, ac proinde admittunt posse idem individuum simul esse, & non esse secundum varias geminationes suæ entitatis, posse bis, & amplius corrumpi, non secus ausi forent plura ac *diversa individua*; & inquiunt nihil horum absurdum esse, quia *opposita* non inerunt eidem omnino secundum idem, sed tantum secundum idem esse pluries replicatum, & iteratum, sicut eidem divinæ essentiæ insunt opposita in diversis personis, & eidem animæ secundum diversas corporis partes, *quas informat*, nam eadem rationalis anima potest annihilari secundum entitatem qua informat manum, & conservari secundum eandem, qua informat cætera *membra*, quia est veluti virtualiter multiplex; & sic ran-

dem concedunt posse eundem numero effectum plures productiones totales terminare, quando est virtualiter multiplex, ut in proposito esset de effectu pluries reproducto.

Hæc solutio prorsus vana est, nam in primis principium petit, & circulum committit, cum inquit effectum posse plures productiones totales terminare, quando est virtualiter multiplex, & esse virtualiter multiplicem, quia terminat plures productiones; deinde admissa hac virtuali multiplicitate adhuc argumentum non solvitur, quia contradictio secundum esse, & non esse, quæ est prima in toto ordine entium, infert inter extrema, de quibus enunciatur, realem distinctionem, & actualem rerum pluralitatem, non autem virtualem dumtaxat, & sane si sola virtualis multiplicitas sufficit ad hanc contradictionem salvandam secundum esse, & non esse, præcluditur omnis via indagandi realem distinctionem inter entia, semper enim occurri poterit hæc, & similia opposita prædicata inferre tantum virtualem rerum multitudinem, & distinctionem, non vero actualem: Neque allata exempla sunt ad rem, nam de essentia divina, in diversis personis considerata non enunciantur prædicata contradictoria secundum esse, & non esse, quia inferant realem distinctionem ejus a personis, sed talia tantum, quæ inferunt distinctionem rationis ejusdem a seipsa, & ex natura rei a personis; & falsum est, cum anima definit informare manum aridam, vel præcisam perseverante informatione aliarum partium, tunc desinere entitatem animæ in manu, & eandem conservari in cæteris partibus, desinit enim sola unio animæ cum tali parte perseverante unione ad alias partes; quod si in manu annihilaretur ipsamet animæ entitas, sane in aliis partibus remanere non posset, quia est eadem prorsus, ac indivisibilis entitas in omnibus partibus.

183 Secundo principaliter falsum est, quod dicebant Coninch. & Morisan. non posse idem corpus in duobus locis poni, nisi per reproductionem substantialem, id enim fieret solum per productionem novæ præsentiæ, ut fuse ostensum est disp. 9. Phys. q. 9. ubi etiam eorum argumenta dissolvimus, quod adhuc etiam breviter ostenditur; quia, ut inquit Doctor 4. d. 10. q. 2. corpus poni simul, & semel in pluribus locis aliud non est, quam simul accipere plura ubi, ac diversas præsentias, sicut ergo potest divinitus accipere plures calores, ut octo, ac etiam, contraria in summo absque eo, quod reproducatur secundum substantiam, ita pariter poterit suscipere diversas ubicationes absque ulla reproductione substantiali; Deinde cum Angelus se dilatat in sua sphæra locali, suamque ampliat præsentiam, utique hoc fit absque ulla ejusdem reproductione substantiali per solam acquisitionem novæ ubicationis, quemadmodum etiam contingit de anima, cum extenditur ad novas partes materiæ informandas, ergo idem pariter censendum est de corpore, si simul, & semel poneretur in pluribus locis. Tandem admissa etiam hac substantiali reproductione ejusdem rei, hæc prorsus impertinens est ad eam collocandam in pluribus locis, quia ex vi talis reproductionis in se consideratæ non magis poneretur corpus hic, quam alibi, ergo, ut in pluribus locis collocaretur, ultra hanc reproductionem substantialem, adhuc concedi debet distincta, & peculiaris actio productiva præsentiæ, quod si hæc semel admittatur, illa prorsus superfluit.

184 Tertio, tandem adhuc falsius est idem posse a semetipso reproduci jam prius producto ab alia causa distincta, quia intra producens, & productum, causam, & causatum cadit indispensabiliter distinctio realis, ut fuse ostendimus disp. 8. Phys. qu. 2. art. 1. & quidem ex ipsis terminis manifestum est producens, & productum esse correlativa, & consequenter necessario debere distingui, nec posse idem, seipsum, producere, & hoc ipsum concedit Arriag. cit. num. 123. Adhuc tamen subdit probabilius esse oppositum, quia non videt ullam rationem, qua id efficaciter probetur, scilicet produens, & productum debere realiter distingui; At certe urgentissimæ suppetunt rationes, quibus id probatur, ut constat ex loc. cit. & insuper si hoc ipsum est ex terminis notum, ut ipse concedit, jam nulla est necessaria ratio ad id probandum, quia ut ait Arist. 1. Post. principia cognoscimus, inquantum terminos cognoscimus, alioquin omnia prima principia negari possent, quia non adest ratio a priori, qua demonstrari possint; & quidem hoc semel negato principio, non appareret, unde probari possit distinctio realis inter divinas personas.

In oppos. obiic. quia idem numero effectus latet infinities in potentia infinita creatoris, ergo sæpius potest reproduci, etiam quando extat in rerum natura, quia actualis ejus existentia nec exhaurit omnipotentiam Dei, nec rei affert impossibilitatem essendi. Tum 2 quia corpus Christi Domini adhuc existens in Cœlis sæpius reproducitur, dum accipit esse modo sacramentali per consecrationem, non enim solum adducitur sub speciebus per consecrationem, quia nuda adductio nequit dici actio substantialis, & transubstantiatio, cum terminus illius sit modus accidentalis, scilicet, Ubi, sed vere de novo producitur secundum eandem substantiam præexistentem, atque ideo talis actio dicitur a Catholicis transubstantiatio. Tum 3. si Deus poneret animam separatam Romæ, & Venetiis, & postea Romæ solum applicaret animæ corpus organizatum, tunc Romæ solum homo produceretur, non Venetiis, quia ibi solum est anima; si denuo postea corpus replicaret Venetiis, ipsumque animæ applicaret, reproduceretur idem homo, quia & est eadem numero anima, & idem numero corpus, & adest nova informatio corporis, ex qua necessario debet resultare compositum idem iteratum. Tum 4. quia non est possibile corpus replicare in pluribus locis per solam adductionem, sed necessario exigitur substantialis reproductio; probat Coninch. cit. assumptum multipliciter, sed præsertim quia si Deus velit Petrum Romæ existentem replicare Venetiis per solam productionem Ubi Veneti in ipso, vel tale Ubi producit in eo existente Romæ, vel Venetiis, non primum, qui Ubi Venetum poneretur Romæ, quod repugnat, nam indispensabiliter alligatum est spatio Veneto, sed neque secundum recte asseri potest, quia ante productionem illius Ubi Petrus Venetiis existeret, restat ergo, ut replicetur Venetiis; per veram reproductionem substantialem ejus ibidem, rursus probat idem assumptum, quia illæ duæ ubicationes opponuntur, ut calor, & frigus, circa idem subjectum, ergo qui supernaturaliter esset in duobus locis hoc modo positus non posset amplius se naturaliter movere propria virtute, quia produceret Ubi incompossibile cum eo, quod jam habebat, sicut si Deus conservaret frigus, ut octo, in aqua, non posset ignis introducere naturaliter calorem. Tum tandem quia Scotus ipse 4. d. 10. qu. 2. concedit corpus in duobus locis existens habere posse, ac debere eadem numero accidentia absoluta, ergo idem existens reproduci potest, probatur consequ. quia calor v. g. ab igne Romæ productus in corpore ibi existente producitur etiam Venetiis in eodem corpore ibi existente, non ab igne, quia deest debita approximatio, ergo per aliam productionem a Deo factam.

185 Resp. ad 1. effectus latere infinities potest in potentia creatoris, quatenus infinities potest illos destruere, & rursus eosdem reparare, non vero quia possit eos etiam sæpius reproducere, quando adhuc existunt, ob implicantiam quam innuimus in conclusione probanda. Ad 2. neg. assumptum cum ejus probatione, nam probabilius est transubstantiationem Eucharisticam esse adductivam tantum corporis Christi sub speciebus, non autem productivam, ut Doctor innuit 4. d. 11. q. 3. lit. N. & quol. 10. lit. H. quomodo autem adhuc secundum hanc viam conversio panis in corpus Christi sit substantialis, & vere dici possit transubstantiatio, bene declarat Doctor ibidem, & nos explicuimus disp. 11. Phys. q. 9. in sol. ad 1. contra 1. concl. imo quando etiam vellemus transubstantiationem Eucharisticam ponere productivam, sane non deberet poni per modum reproductionis, sive novæ productionis corporis Christi, sed veluti per modum novæ conservationis; ut explicat Doctor quolib. cit. sub L. eo nimirum modo, quo vermis desinens vere diceretur in Solem substantialiter conversus, & Sol vere diceretur illi succedere in esse, si Deus prosequatur Solem conservare in esse, ex vi desitionis vermis, alias ipsum non conservaturus, hoc enim modo potest utique aliquid converti in præexistens, & admitti transubstantiatio in illud, non quidem per modum novæ productionis, sed novæ conservationis in sensu explicato. Dices, verba consecrationis habent vim sufficientem producendi corpus Christi, ergo de facto producunt, quia causa non impedita causat. Resp. directe non habere, nisi virtutem verificandi orationem consecrativam, quam componunt, hæc autem verificatur eo ipso, quod ponitur corpus Christi sub speciebus, sive id fiat per novam ejus productionem, sive per simplicem adductionem, quare indirecte solum habent verba consecrationis virtutem producendi corpus Christi sub speciebus, quatenus si corpus Christi non esset in rerum natura, ad prolationem verborum produceretur, sed quia modo præexistit, talis virtus impeditur; videatur Camerar. p. 2. disp. Phil. q. 20. ubi multa absurda deducit ex transubstantiatione posita ab Adversariis per modum novæ productionis, nempe quod in dies renovaretur Christi incarnatio, & novo modo quam olim facta fuerit in utero virginali; quod Christus Dominus, ut est in Hostia consecrata non esset Filius Beatæ Mariæ, quia ad talem subsistentialem reproductionem ipse nullo modo concurreret: quod in dies Christum destrueremus, imo & annihilaremus, si corruptis speciebus sacramentalibus subsistentialiter desinit, & alia consimilia, quæ in alia sententia facillime vitantur. Ad 3. patet ex dictis disp. cit. q. 9. concluf. 2. quomodo nec forma replicari potest sine subjecto, quod alibi informat, nec e contra subjectum sine forma, loquendo de formis absolutis, quia hujusmodi formæ, nec in sua entitate, nec in modo informandi pendent a loco, ac determinata præsentia, ut ibi luculenter declaravimus, quare si corpus aliquod est animatum Romæ, erit quoque animatum Venetiis, & e contra, si anima est corpori unita Romæ, erit etiam unita Venetiis, neque ex hoc, quod idem corpus Romæ, & Venetiis simul informatur ab anima, adest duplex ejusdem compositi productio; quia est eadem anima, est idem corpus, & consequenter eadem productio, & idem compositum unica productione productum.

186 Ad 4. neg. assumptum, ad 1. ejus prob. dicimus, idem argumentum prorsus fieri modo posse, dum Petrus de uno loco ad alium migrat, puta de templo in plateam, talis enim præsentia ad plateam vel producitur in ipso existente in templo, vel in platea, &c. dicendum ergo cum Doctore quol. 11. quod cum Ubi sit respectus extrinsecus adveniens, qui ex suo genere præexigit extremorum approximationem, ut producatur, prærequirit approximationem corporis ad superficiem ambientem, aut spatium, ut in eo formaliter ubicatum dicatur; unde re vera talis Ubicatio producitur in corpore existente in tali spatio, sed in illo priori naturæ sic existens in spatio non dicitur ibi formaliter ubicatum, sed tantum fundamentaliter, sicut a pari respectus unionis inter materiam, & formam non resultat nisi prius forma supponatur in materia recepta, sed in illo priori naturæ non dicuntur unita formaliter, sed tantum fundamentaliter, formalitas enim denominationis expectatur a respectibus in posteriori signo resultantibus, ad hoc enim dantur respectus, & modi, ut per eos res denominentur formaliter tales, & hoc est commune omnibus extremis relationum, quod antecedenter ad illas dicuntur fundamentaliter alia, formaliter vero per ipsasmet relationes inde resul-

resultantes, ut diximus in universum in Log. disp. de Relatione; itaque in casu allato Petrus Romæ existens replicaretur Venetiis per productionem Ubicationis in eodem prius natura existente Venetiis fundamentaliter, non formaliter; ad alteram vero probationem ejusdem assumpti satis diximus disp. 11. cit. q. 8. in fol. ad 6. contra 3. concl. quæ non oportet hic repetere. Ad 5. concesso antecedente neg. conseq. ad probationem dicimus, calorem ab igne productum in corpore Romæ replicari a Deo in eodem corpore Venetiis existente, non quidem reproducendo eundem calorem Venetiis, sed solum producendo aliam præsentiam localem illius caloris, suppositione enim antecedentis miraculi, quod idem corpus Romæ existat, & Venetiis, necessario sequitur hoc aliud, quod accidentia absoluta, quæ in uno loco habet, habeat etiam in alio ad evitandam contradictionem; quare calor ille etiam Venetiis existens a solo igne est productus Romæ existente, non autem a Deo per novam productionem; hoc autem non debet intelligi reduplicative, itaquod ignis Romæ existens producat calorem Venetiis; cum ad tantam distantiam agere nequeat, sed specificative, ut sensus sit, ignem Romæ existentem producere calorem, qui est Venetiis, quia sicut est idem corpus Romæ existens, ac Venetiis, ita est idem calor, qui in eo producitur Romæ & a Deo replicatur Venetiis, & hoc est, quod ait Doctor loc. cit. corpus existens Romæ calefieri ab igne sibi ibidem applicato, alibi vero non calefieri, quia calefactio solum ibi exercetur, ubi facta est debita applicatio, utique tamen calidum esse per eundem calorem scilicet a Deo replicatum in aliis locis distitis, in quibus reperitur idem corpus, quam doctrinam fuse declaravimus disp. 11. Phys. cit. q. 6. in sol. ad 2. contra secundam conclusionem.

APPENDIX.

187 Æterum Pontius in append. pag. 199. num. 168. solutionem assignatam ad 4. argumentum, quod erat Coninchii quamvis sit inter Scotistas communis, & frequens, admittere non vult, & replicat impugnationem, quam antea fecerat disp. 15. Phys. num. 79. quærendo a quo haberet Petrus formaliter illam denominationem essendi Venetiis fundamentaliter pro illo priori, antequam adveniret Ubi; non a seipso, quia ex se est indifferens ad existendum fundamentaliter in quocunque loco, in quo potest esse formaliter; non ab aliqua alia forma distincta, quia nulla talis ponitur, & si ponereturf, frustra poneretur præter ipsam Ubi sequens; non etiam ab actione, quia nullam admittimus, a qua hoc haberet præter adductivam; ab hac autem non posset illam denominationem habere, nisi quatenus per eum ponitur Ubi sequens.

Neque per doctrinam in responsione allatam, ait n. 269. tollitur præfata difficultas, ut nos prætendimus, nam universaliter verum est, quod quotiescunque aliquid est ex se indifferens ad aliquas denominationes, præsertim si sit finitum, & limitatum, debeat determinari ad denominationem per aliquid a se distinctum extrinsecum, vel intrinsecum; unde si extrema relationum similitudinis v. g. sint indifferentia ad habendam hanc denominationem, quod sint fundamentaliter similia ante relationem, a qua habeat illam denominationem formaliter, debet dari aliquid, unde determinentur, & habeant illam denominationem; ergo cum Petrus sit ex se indifferens, ut sit vel non sit fundamentaliter Venetiis ante relationem ubi, debet necessario dari aliqua forma, a qua habeat illam denominationem; & sic non posset assignari, non debet dici, quod sit fundamentaliter ibi; sed non potest assignari talis forma; ergo manet difficultas. Conf. quia extrema relationum intrinsecus advenientium habent ex seipsis esse determinata ad denominationem talium relationum positis conditionibus requisitis ad resultantiam; ergo possunt facile concipi fundamentaliter seipsis relata ante resultantiam relationum: sed Petrus nec ex se, nec ex aliquo alio ante Ubi habet esse fundamentaliter Venetiis, ergo non est tam facile intelligere Petrum esse fundamentaliter Venetiis ante Ubi, ac intelligere extrema relationum intrinsecus advenientium esse fundamentaliter relata ante relationes illas; quare concludit amplectendam esse responsionem suam, quam dederat disp. 15. Phys. n. 80. non produci nempe Ubi in Petro in aliquo priori existente Venetiis etiam naturæ, nam cum ab ipso Ubi Venero habeat Petrus esse formaliter Venetiis, non debet prius ulla ratione esse Venetiis, quam habeat ipsum Ubi Venetum.

188 Verum hanc responsionem amplecti non possumus, quia re vera non satisfacit argumento Coninchii, cujus vim Pontius percepisse non videtur, quæ ut magis pateat, supponendum est, ut ab omnibus concessum, quod subjectum præcedit natura accidens, quod sustentat, sicut materia dicitur natura præcedere formam; supponendum insuper accidens produci in subjecto existente, his suppositis quærit Coninchius, dum Petrus Romæ existens replicatur quoque Venetiis per productionem Ubi in ipso, plane producitur in Petro jam existente in rerum natura, & cum nequeat Ubi Venetum produci in ipso Romæ existente, dicendum est produci in Petro existente Venetiis; concedendum est ergo necessario Petrum præexistere natura Venetiis, vel sic præexistentem intelligi ante resultantiam Ubi Veneti, cum subjectum universaliter præcedat saltem natura accidens, quod subjectat; cumque nequeat intelligi Venetiis præexistens formaliter ante Ubi Venetum, quia per tale Ubi dicitur sic formaliter ubicari, restat ut dicatur præexistere Venetiis fundamentaliter, ut nos respondebamus.

Ex qua etiam doctrina ejus objectionibus occurritur: procedunt enim veluti si diceremus in aliquo instanti temporis Petrum præexistere fundamentaliter Venetiis ante resultantiam Ubi Veneti, & contendunt esse aliquam mutationem in Petro, per quam fit determinatus ad existendum fundamentaliter Venetiis, ad quod erat indifferens; verum hoc non asserimus, sed dicimus Petrum intelligi præexistentem Venetiis fundamentaliter ante resultantiam Ubi Veneti, & loquimur de prioritate non temporis, sed naturæ; & cum existentia rerum non mensuretur per instantia naturæ, ideo talis prioritas explicari solet per verbum intelligitur, & in quo, unde ut recte loquamur, non debet dici Petrus proprie in aliquo instanti naturæ existere Venetiis, in quo non habeat Ubi Venetum; sed intelligi in aliquo naturæ instanti Venetiis præexistens, in quo non intelligitur habere Ubi Venetum, & in hoc sensu diximus supra ad 4. Petrum Romæ existentem replicari Venetiis per productionem Ubi in eodem prius natura existente Venetiis fundamentaliter.

189 Itaque ad argumentum respondetur primo impertinentem esse illam interrogationem a quo haberet Petrus formaliter illam denominationem essendi Venetiis fundamentaliter, imo videri contradictionem in adjecto, dum enim aliquod subjectum non actu habet aliquam formam, sed est in potentia proxima ad illam recipiendam dicimus illud esse fundamentaliter tale in ordine ad denominationem ab illa habendam, quatenus est in potentia proxima ad illam suscipiendam, sed non dum actu est formaliter tale, & vocare illud tale formaliter fundamentaliter est implicantia in terminis, quia esse tale fundamentaliter semper præcedit esse tale formaliter; & esse tale fundamentaliter non dicit esse tale per aliquam denominationem formalem, sed esse in potentia proxima ad hujusmodi denominationem suscipiendam, sed admisso etiam hujusmodi impropriissimo loquendi modo dicimus, Petrum illam qualemcunque denominationem essendi fundamentaliter Venetiis in aliquo priori naturæ habere ab ipsamet actione adductiva, quæ sicut pro tali tempore in instanti facit Petrum formaliter Venetiis, ubicatum per productionem Ubi in ipso, sic etiam est in causa, ut idem Petrus in aliquo priori naturæ intelligatur Venetiis præexistens fundamentaliter; sicut in actione productiva si una, & eadem actione sol lucidus produceretur, actio illa in aliquo priori naturæ intelligeretur prius ad solem terminata, & posterius ad lucem.

190 Ad Conf. qua probat per doctrinam in responsione principali addactam non tolli difficultatem, patet ex modo dictis, a quo haberet Petrus, quod præintelligatur esse Venetiis fundamentaliter, in aliquo priori naturæ, antequam sit ibi formaliter per productionem Ubi Veneti. Ad aliam Conf. concesso primo entimemate, negatur minor subillata, cum assignatum sit unde habeat Petrus esse prius natura fundamentaliter Venetiis, quam sit ibi formaliter per Ubi Venetum; & quantum ad hoc eadem currit paritas de respectibus extrinsecus advenientibus, ac de intrinsecus accedentibus, cum utrobique necesse sit subjectum saltem natura præcedere formam, quam sustentat. Dices utique opus esse quod subjectum saltem natura præexistere intelligatur ab Ubi, non tamen, quod præintelligatur præexistere hic, quia talis denominatio præcise expectatur ab Ubi. Respon. ita esse, unde in illo priori naturæ Petrus formaliter loquendo nec est Venetiis præsens, neq; absens, quia in eo priori naturæ præscindit ab esse hic, vel ibi formaliter, atque ideo dicimus non posse dici ibi præexistere, nisi fundamentaliter, quatenus est in potentia proxima ad ibi formaliter existendum.

191 Sed ulterius Pontius in append. pag. 201. n. 270. refellit solutionem datam ad 3. Conf. argumenti principalis impugnando doctrinam de necessaria replicatione accidentium absolutorum cum corpore replicato in pluribus locis; cum enim ipse d. 15. Phys. n. 90. Scotum explicuisset de necessitate in ordine ad potentiam ordinariam, non autem absolutam; & nos dixerimus d. 11. n. 144. rationem, qua Scotus probat 4. dist. 10. q. 2. H. & qu. 4. R. accidentia absoluta replicari debere cum corpore replicato, satis evidenter ostendere quod Doctor loquatur non tantum de potentia ordinaria, sed de absoluta, quia contradictoria, quæ infert ex oppositio, sunt contradictoria etiam respectu potentiæ absolutæ. Replicat Pontius loc. cit. esse evidenter falsum, nam aliqua conclusio potest teneri quoad potentiam naturalem propter contradictionem, quæ sequeretur, si oppositum posset fieri naturaliter, quæ tamen non posset teneri quoad potentiam supernaturalem, quia illa contradictoria, quæ sequerentur quoad potentiam naturalem, non sequerentur quoad absolutam, sic communiter tenetur cum Philosopho, quod contraria in summo non possunt esse simul quoad potentiam naturalem, quia inde sequeretur contradictio nimirum quod utrumque esset in summo, & non esset in summo. Sed tenetur tamen communius, quod possent esse in summo quoad potentiam absolutam, quia ad illam non sequeretur illa contradictio, nec alia; ergo ex eo quod Scotus inferat contradictionem ex eo, quod formæ absolute non comitarentur corpus replicatum, non sequitur evidenter, quod hoc debeat intelligi de potentia absoluta, nisi constet evidenter, quod illam contradictio sequeretur etiam si per potentiam absolutam fieret, ut non comitarentur; sed certe hoc non solum non est evidens, sed nec est verum; ergo non est evidens nec verum ex illa ratione, quod Scotus loquatur de potentia absoluta. Imo cum non sequatur illa contradictio, si fieret de potentia absoluta ut non comitarentur, ut satis probasse ait in citata quæstione, videtur manifestum, quod Scotus debeat intelligi de potentia naturali.

192 Respond. concesso toto primo discursu negando minorem subillatam, nam contradictoria, quæ sequuntur ad hoc, quod contraria sint simul in eodem subjecto in summo, sequuntur tan-

tum in ordine ad potentiam naturalem, ut constat ex disp. p. q. 5. art. 2. n. 60. non autem supernaturalem; at contradictoria, quæ sequuntur ad replicationem ejusdem corporis in pluribus locis sine replicatione formæ absolutæ a loco independentis, nedum sequuntur in ordine ad potentiam naturalem, sed etiam in ordine ad potentiam supernaturalem, quandoquidem respectu diversorum locorum talis contradictio tolli non possit, ut constat ex dictis disp. 11. Physicor. q. 9. num. 145. & rursus mox dicemus. Et quia Pontius ait minorem illam satis ab ipso fuisse probatam disp. 15. Physic. q. 6. quibus miratur nos non respondisse (cujus tamen causa satis assignata est in Metaph. in epist. ad lectorem) adeamus hunc locum ab ipso citatum, & videamus quam strenue minorem illam probaverit, quod scilicet de potentia absoluta possit replicari corpus absque formis absolutis.

Primo, itaque arguit disp. 15. cit. n. 90. non debent accidentia absoluta necessario replicari, nec ex eo, quod conjungatur physice cum subjecto replicato, quia non replicatur Ubi, nec aliquod accidens a loco dependens, nec ex eo, quod sint independentia a loco, & ipso priora, quia hoc facit tantum quod possent replicari, licet accidens dependens a loco non possit replicari, sed ex hoc non sequitur, quod debeat necessario replicari, cur enim id sequeretur? aut cur necessarium esset quoad potentiam absolutam? neque hoc est necessarium ex utroque capite, nec ulla alia ratio necessariæ replicationis afferri potest, ergo &c.

Respond. necessariam esse replicationem accidentium absolutorum in corpore replicato ex secundo capite, nam eo ipso quod accidentia sunt loco priora, & ab eo independentia, per diversitatem locorum contradictoria *tolli* non possunt, ut tolluntur in accidentibus a loco dependentibus; unde remanent illa contradictoria etiam in ordine ad potentiam absolutam; cujus oppositum in argumento non probatur probatione *ullius momenti*, sed solum per puncta interrogativa.

193 Secundo, de facto naturaliter aliquid absolutum, & prius loco, ac independens ab eo conjungitur physice cum alio absoluto, nec tamen reperitur ubicunque reperitur illud aliud absolutum, ergo licet ex duobus absolutis unum ponatur in alio loco manendo in priori, non est necesse ut aliud absolutum, quamvis conjungatur physice cum ipso, & sit prius loco, ponatur in alio loco, probatur antecedens, quia caput unitur physice animæ rationali, & est quid absolutum, ac prius loco, & tamen non ponitur ubicunque ponitur anima, nec enim ponitur in loco pedis, ubi etiam reperitur anima.

Resp. argumentum probare plusquam velit arguens, si enim concludit, probat etiam ex natura rei, & de lege ordinaria posse Deum replicare corpus absque accidente absoluto a loco independente, quod tamen nec arguens concedit, juxta enim naturæ exigentiam vult Deum debere replicare corpus cum suis accidentibus absolutis a loco independentibus; quare & ipse quoque ad solutionem argumenti tenetur; itaque concesso antecedente cum ejus probatione negatur consequentia universaliter deducta, & in quocunque casu, de facto enim caput non replicatur cum anima in pede, tum quia non est illimitatum in ordine ad locum, sicut anima, tum quia ex hoc nulla sequitur contradictio, neque ex parte animæ informantis, neque ex parte capitis informati, tollitur enim contradictio ex parte animæ, quod informet caput, & non illud informet, ut est in pede, non quidem per solam *locorum diversitatem*, cum enim ejus unio substantialis ad quamcumque partem sit ab hoc, vel illo loco independens, impertinens est locorum diversitas ad illam contradictionem tollendam, sed solum per diversitatem unionis, quia non eadem unione unitur cum capite, & cum pede, cum termini unionis sint diversi, & eodem modo tollitur contradictio ex parte capitis informati, nam informatur per unionem substantialem, quam habet anima cum ipso, non vero informatur in loco pedis, quia est diversa unio, quam habet anima cum pede ab illa quam habet cum capite, at non salvari posset contradictio, si anima extra caput replicaretur per solam præsentiam localem, & per aliam unionem aliam partem non informaret, quia eadem anima simul informaret, & non informaret idem subjectum, & idem subjectum simul informaretur, & non informaretur, & tunc non adesset diversitas unionis contradictionem tollens, nec locorum diversitas sufficeret, quia hæc est omnino impertinens ad hoc, ut ostensum est disp. 11. Physicor. qu. 9. num. 144. & adhuc infra magis constabit. Potest itaque unum absolutum alteri Physice conjunctum replicari altero non *replicato*, quando nulla sequitur contradictio, ut in exemplo allato, quæ quidem non tollitur ob locorum diversitatem, ut argumentum tacite supponit, sed ob diversitatem solam unionum, quas habet anima cum capite, & cum pede.

194 Tertio, non ex ratione formæ, ut sic, oritur ut replicato subjecto replicari debeat, quia formæ a loco dependentes non replicantur; nec ex ratione formæ talis v. g. absolutæ quia non potest ostendi cur ex ratione absolutionis oriatur, quod necessario debeat replicari replicato subjecto, licet ex illa oriatur, quod possit replicari,

Respon. id non oriri neque ex ratione formæ ut sic, neque ex ratione formæ absolutæ, ut sic, sed ut absolutæ a loco, & a loco independentes, unde quamvis paternitas sit forma relativa, quia tamen est *independens a loco, non enim denominat* Paulum v. g. Patrem, quia sit in hoc, vel illo loco, sed absolute, ac independenter a loco, ideo nequit replicari Paulus in pluribus locis, quin replicetur secum paternitas, alioquin contradictoria verificarentur de ipso, quæ per solam locorum diversitatem tolli non posset; itaque ex ratione formæ sic absolutæ non solum infertur, quod possit replicari replicato subjecto, sed etiam quod necessario replicari debeat ad evitandam contradictionem, quæ per solam locorum diversitatem salvari non potest, sicut salvatur in non replicatione formarum a loco dependentium.

Quarto, anima rationalis est *in uno loco* unita capiti, & in alio loco cum negatione unionis ad caput, nec inde sequitur ulla contradictio; ergo potest subjectum esse unitum formæ in uno loco, & in alio loco non esse unitum ipsi absque contradictione. Ad hanc rationem jam diximus disp. 11. Phys. q. 9. n. 156. contradictionem tolli, non ob locorum diversitatem, sed propter diversas uniones, quas habet ad diversas corporis partes.

Contra hanc solutionem instat Pontius n. 97. ratione istarum diversarum unionum accidere potest, ut aliquid sit conjunctum cum ea, ut subestum unioni, quod non est conjunctum cum illa, ut subest alteri; ergo pariter corpus ratione diversarum præsentiarum poterit habere aliquid conjunctum secum, ut subest uni præsentiæ, quod non sit conjunctum cum ipso, ut subest alteri: Deinde falsum est, quod diversitas unionum animæ *sit ratio* præcisa, cur habeat conjunctionem cum capite, & negationem conjunctionis cum pede: nam si omnes partes corporis ponerentur in eodem loco, haberet illas diversas uniones, & tamen non esset verum de illo dicere, quod haberet ullibi negationem conjunctionis cum capite: unde ut habeat hanc negationem necessario requiritur, quod sit in diversis locis, & hoc sufficit ad hoc, ut absque contradictione possit habere conjunctionem in uno loco, & negationem conjunctionis in altero loco, quamvis non haberet diversas uniones ad diversa subjecta; Quod probat alio exemplo de Angelo, Angelus potest esse intime præsens penetrative cum corpore Petri in loco Petri, & simul existere in alio loco absque illa intima præsentia ad Petrum, & hoc præcise ex eo, quod habeat diversas præsentias locales, seu unam æquivalentem diversis, ergo diversitas præsentiæ localis sufficit, ut subjectum habeat formam, ut sub una præsentia existit, & negationem ejus, ut existit sub altera præsentia.

195 Ad primum concesso antecedente distinguitur consequens, potest habere corpus ratione diversarum potentiarum aliquid conjunctum secum &c. quod sit simul, aut posterius loco, ac ab eo dependens, conceditur consequentia; quod sit prius, ac independens a loco, qualis in proposito est animæ informatio, negatur consequentia. Ad aliud negatur assumptum cum ejus probatione, nam etiam in eo casu, quod omnes partes corporis ponerentur in eodem loco, anima ut unita cum pede haberet negationem conjunctionis cum capite, quandoquidem etiam si pes, & caput essent in eodem loco *compenetrata*, adhuc verum est dicere, quod anima quatenus est in capite non est in pede, & quatenus est in pede, non est in capite, unde adhuc in eo casu contradictio salvatur ratione diversarum unionum; Ex quo retorqueri potest argumentum ad probandum contradictionem illam non tolli per diversitatem locorum, sed præcise per diversitatem unionum, quandoquidem si pes, & caput in eodem loco ponantur, adhuc anima, ut in pede, habet negationem conjunctionis, seu unionis cum capite, quamvis enim sit illi intime præsens, quia supponuntur esse in eodem loco, tamen non est ei unita per informationem, quatenus est in pede; ergo quod informet caput, ut est in capite, & non informet illud, ut est in pede, verificatur solum ratione diversarum unionum, quas adhuc in eodem loco retinet cum pede, & capite. Ad exemplum de Angelo conceditur antecedens, quia penetratio cum corpore Petri est forma dependens a loco, cum non importet aliud, quam coexistentiam Angeli in eodem spatio cum Petro: & distinguitur consequens; ut subjectum habeat formam, ut sub una præsentia existit &c. a loco dependentem, conceditur; independentem qualis est, de qua loquimur in proposito, negatur.

196 Quinto urget exemplum de humanitate Christi, tanquam ab Arriaga non adduceretur quæ est intime conjuncta Verbo, & in ipso subsistens, quæ tamen non reperitur ubicunque reperitur ipsum Verbum: ergo non est necessarium, ut ubicunque reperitur subjectum, reperiatur ipsa forma etiam absoluta; & consequenter quamvis replicaretur subjectum, non debet necessario replicari forma absoluta. Et quia ad hoc pariter argumentum diximus loco citato, n. 156. non valere paritatem de humanitate unita Verbo, & forma unita subjecto, quia forma unitur subjecto totaliter, & adæquate, & humanitas est unita Verbo inadæquate ob ejus *illimitationem*.

Contra rursus instat Pontius n. 98. ideo humanitas non dicitur uniri Verbo adæquate, sed inadæquate, quia non sic unitur ipsi, ut debeat esse ubicunque sit Verbum, sed si subjectum replicaretur absque replicatione formæ, etiam dici posset de forma, quod non uniretur subjecto illi adæquate, sed inadæquate; ergo falso supponit Mastrius, quod forma uniatur subjecto adæquate, sic ut non possit inadæquate uniri. Conf. quemadmodum Verbum est quid illimitatum quoad locum naturaliter; ita corpus quod poneretur in pluribus locis esset quid illimitatum quoad locum supernaturaliter, ergo quemadmodum ex illimitatione Verbi potest fieri, quod humanitas non uniatur ipsi adæquate: potest etiam fieri, quod accidens non uniatur subjecto existenti *in diversis locis, nisi inadæquate*: & hoc supposito posset forma esse conjuncta cum ipso, ut in uno loco, quin conjungeretur cum ipso, ut in alio loco.

Resp. hoc pariter argumentum plus probare, quam velit arguens, nam probat quod etiam ex natura rei, ac lege ordinaria replicato corpore non debeat Deus replicare formas absolutas in eisdem locis, sicut ex natura rei non replicatur humanitas cum Verbo, esto sit ei intime conjuncta; unde, & arguens quoque tenetur ad argumenti solutionem; ad quod sufficit jam allata disp. 11. Phys. n. 156. si re-

ete intelligatur qualis sit illimitatio Verbi, quæ facit, ut sine ulla contradictione humanitas non sit ubicunque; est Verbum, & adhuc ubicunque dicatur humanatum: hæc enim non est qualiscunq; illimitatio localis, sed illimitatio localis independens, qualem numquam acquirere potest corpus quantuncunque replicetur, cum supponat entitativam infinitatem in sic illimitato: neque novum est, quod multa in divinis verificari possint ratione infinitatis, quæ in creatis verificari nequeunt, ex quo fit ut non valeat semper, & in quocunque casu paritatem assumere a divinis ad creata; nam in divinis v. g. verificantur identice prædicationes in abstracto, ut quod divina bonitas est divina sapientia, quæ prædicationes non tenent in creatis; & in divina essentia ratione suæ illimitationis stant simul relationes oppositæ *producentis*, & producti, quæ repugnant in eadem numero natura creata, & ratione suæ illimitationis actus liber divinæ voluntatis absque additione novæ entitatis potest, vel deperditione tendere, & non tendere ad extra, quod voluntati creatæ repugnat; sic ergo in proposito ex hoc, quod humanitas unita Verbo non sit ubicunque, Verbum reperitur ob suam illimitationem absque contradictione, non licet, argumentum ad creata transferre, alioquin posset sic argui in aliis.

197 Unde ad argumentum contra priorem responsionem allatum concessa majori, negatur minor, nam forma absoluta ita adæquate unitur subjecto, ut ubicunque illud replicetur, debeat & forma secum replicari ad evitandam contradictionem, quam tollere non potest pura illimitatio localis corporis replicati; Ad Conf. pariter concesso antecedente negatur consequentia ob rationem allatam, quia major est illimitatio localis verbi ob ejus immensitatem, ac infinitatem entitativam, quam sit illimitatio corporis replicati in pluribus locis: unde illa sufficiens est, ut humanitas non sit ubicunque Verbum reperitur, & tamen ubicumque dicatur humanatum absque ulla contradictione; at sola replicatio, vel illimitatio localis corporis replicati non est sufficiens, ut albedo non sit ubicumque corpus reperitur, & tamen ubicumque dicatur album: quia quantumcumque replicetur, semper est finitum, & limitatum in entitate, nec unquam dici potest *immensum*; atque ideo ejus illimitatio sufficiens non est ad evitandam contradictionem.

Sexto, Arguit numero 93. calor productus hic in corpore, & in Indiis posito non replicatur absque ubi novo Indico in ipso producto, quod ubi a solo Deo est producibile: sed Deus non tenetur necessario illud producere; ergo potest calor non replicari; probatur minor, quia actio, quo produceretur, distinguitur realiter ab omnibus aliis actionibus, quæ ibi reperiuntur; ergo non obstantibus illis Deus potest non habere illam actionem; videtur enim necessarium, quod Deus possit abstinere a quacunque actione realiter distincta, non obstante, quod sit altera actio.

Resp. Ex jam dictis disp. 11. Phys. q. 9. distinguendo minorem, non tenetur Deus necessario illud ubi producere necessitate simpliciter, & *absoluta, conceditur*, necessitate secundum quid, & ex suppositione, negatur; nam ex vi prioris miraculi, quo replicavit corpus, tenetur etiam replicare accidentia ejus absoluta, ne sequatur contradictio; & eodem modo ad probationem minoris, concesso antecedente, distinguendum est consequens; Deus potest non habere illam actionem, simpliciter, & absolute conceditur; ex suppositione, negatur; nec refert, quod illa actio sit realiter distincta ab aliis, nam actio quoque qua producitur similitudo, realiter distinguitur ab actione, qua producuntur ejus extrema, & tamen ex suppositione, quod Dens duo alba produxerit, tenetur etiam producere similitudinem ad *illa* necessario consequentem, sicut etiam suppositio, quod concursum præbuerit ad existentiam naturæ substantialis, tenetur concurrere quoque ad *subsistentiam* eam necessario consequentem, & producta quantitate tenetur necessario concurrere ad figuram inde resultantem, ut dictum est disp. 8. logic. qu. 3. prope finem; sic in sententia Pontii negantis gravitatem, & levitatem esse accidentia distincta a forma gravium, & levium, ex vi prioris miraculi, quo Deus corpus Christi adduxit, vel produxit (juxta varias sententias) sub speciebus Sacramentalibus, tenetur etiam producere impulsum, quo illæ species feruntur deorsum, & tamen certum est hanc actionem esse ab illa priori realiter distinctam.

198 Septimo, tandem arguit num. 101. si formæ absolutæ debent necessario replicari propter necessariam connexionem cum subjecto, est quia alias sequeretur, quod subjectum haberet, & non haberet illas; ergo consequenter teneri deberet formas etiam respectivas dependentes a *loco habere* replicari, quia & æque uniuntur physice subjecto, & æque sequeretur contradictio illa, si non replicarentur; Nec refert, quod dependeant a loco determinato, *nam* dependentia illa non debet esse talis, ut non possint esse in alio loco; sed ut non determinent subjectum, nisi in ordine ad illum locum, & licet sint in alio loco, non tamen faciunt subjectum præsens in illo alio loco, sed in illo loco, a quo dicuntur dependere; Unde licet respectu sessionis, a quo corpus hic positum habet sedere, ponereturque simul cum eodem corpore in Indiis, non faceret illud corpus sedere in Indiis, & consequenter posset corpus illud non obstante illo respectu stare in Indiis, sicut enim si poneretur intellectio objecti hic existentis in India, faceret intellectum intelligentem hoc objectum, & non aliquod objectum Indicum, quia ex natura sua determinatur ad *hoc objectum*; ita sessio, qua corpus sederet hic, posita in Indiis faceret corpus sedere hic, & non in Indiis, quia ex natura sua ad hoc determinatur.

Respond. Negando consequentiam, & paritatem, quia ad formas respectivas a loco dependentes non sequitur illa contradictio, cum tollatur ex diversitate locorum, quod non evenit in formis absolutis. Et falsum omnino est, quod ubi sessio, & aliæ hujusmodi formæ non pendeant a loco determinato, est monstrum in Philosophia hactenus inauditum, quod ubi Romanum v. g. posset in Indias a Deo transferri, & replicari; nam hujusmodi *locales* formæ censentur *in omni schola* huic, vel illi spatio essentialiter alligatæ, adeout ita implicet posse alio transferri, sicut spatium ipsum; Tum quia præsentia localis, ut colligitur ex definitione loci tradita 4. Phys. 41. fit per applicationem corporis ad locum, ita quod superficies convexa locati fit intra superficiem concavam corporis locantis, ac adeo intime, ut superficies illæ se Physice tangant, fintque fibimet immediatæ; ergo repugnat omnino præsentiæ locali, quod possit alio transferri, & quod ubi Romanum, si per impossibile in Indias transferretur, posset corpus ibi replicatum constituere Romæ præsens, ut inquit Pontius. Tum quia respectus extrinsecus adveniens, qualis est præsentia localis, perit extremorum approximationem, tanquam præviam conditionem, ut insurgat, nec resultare potest inter extrema posita in quacunque *distantia*, & per hoc distinguitur a respectu intrinsecus adveniente, ergo repugnat ubi Romanum resultare, vel fundari in Petro, ut in Indiis existente.

199 Nec suffragatur exemplum, quod adducit de intellectione objecti hic existentis, quæ replicata in Indiis in intellectu Petri, faceret eum intelligentem hoc præcise objectum, & non aliquod objectum Indicum, quia ex natura sua ad hoc determinatur objectum. Non enim valet paritas de intellectione, & præsentia localis, nam intellectio non dicit purum respectum, sed formam absolutam de genere qualitatis, & licet respectum tendentiæ, vel attingentiæ connotet ad hoc objectum, quia tamen intellectio abstractiva indifferenter repræsentat objectum, sive sit præsens, sive absens, abstrahit enim ab his conditionibus, ideo replicari potest cum *Petro in Indiis, & ibi eum facere intelligentem hoc* præcise objectum, at sessio, sive præsentia localis non est hujusmodi, non enim abstrahit ab hic, seu ab spatio, sed necessario dicit intimam applicationem Petri ad hoc spatium, vel ad hanc superficiem ambientem; sed de actibus vitalibus abstractivis, & intuitivis quid sit in hac materia dicendum, vide disputatione 11. Physicorum num. 154.

Post solutionem rationum Pontii, nunc videndum est, quomodo pse bene occurrat rationibus Scoti, & nostris; itaque d. 15. cit. num. 94. & 95. adducit quasdam Scoti auctoritates ex 4. distinct. 10. qu. 2. & 4. quas ita explicare conatur, ut non videantur contra ejus opinionem militare: sed rationem principalem, quam facit qu. 4. K. ex contradictione deductam, adducit quidem num. 96. *sed non sub nomine Scoti*, eo quia *solutio*, quam affert ad illam, in terminis ibi a Doctore refellitur, unde ne videretur in hac quæstione aperte contendere cum Doctore, non refert eam sub ejus nomine, cum tamen *hoc fuerit* principale ejus fundamentum; ratio itaque Doctoris ibidem est ista, quam late defendimus disp. 11. cit. num. 144. corpus in pluribus locis replicatum est idem numero, ergo quæ ei conveniunt absolute, ac independenter a loco, necessario convenire debent ubicunque ponatur, alioquin sequeretur contradictio, quod idem numero subjectum esset album, & non esset album, vivens, & non vivens; probat consequentiam Scotus, nam ista affirmatio, & negatio non posset dici inesse secundum diversa, pura secundum hoc, ubi & illud, vel præsentiam hanc, & illam, quia sicut affirmatio ista non est nata in esse secundum ubi, *ita negatio e converso*; ex quo adhuc sic arctius urget argumentum, de eodem secundum idem non sunt simpliciter vera contradictoria, & non oportet addere ad idem, quando *istud prædicatum est absolutum, corpus si hic non habet* absoluta, & ibi habet, hoc est idem, & simul, & secundum idem, duæ primæ conditiones patent, probatio tertiæ, quia nihil aliud est hic, & ibi, nisi ubi, & ubi, sed nec affirmatio absoluta, nec negatio inest secundum ubi, quod patet, quia posito quod corpus bene posset localiter moveri hic, & ibi non; pro tanto, quia ista insunt secundum ubi aliud, & aliud; tunc est fallacia consequentis arguendo sic, non movetur hic, ergo non movetur, licet teneat gratia materiæ, & similiter si idem haberet duas superficies, secundum unam posset esse album, secundum aliam nigrum, & non esset contradictio, quia non inessent secundum idem, sed de absoluta affirmatione, & ejus negatione, si insint eidem, in quo non sit differentia, nisi tantum respectuum, manifestum est, quod secundum idem inerunt, quia *illi* respectus non poterant esse ratio, secundum quam affirmatio, & negatio ineset, quia respectus esset naturaliter posterior absoluto.

200 Hæc est ratio Scoti, quam *hic ex integro*, & *ad verbum* transcribere placuit, ut judicet prudens lector, an de Scoti mente concludat necessitatem replicationis formarum absolutarum ex quadam congruentia naturali, ut Pontius interpretatur, an de necessitate absoluta, & an Pontius eam bene solvat, & absque violentia Scoticæ intentionis? Respondet itaque num. 94. negando sequelam, nam si subjectum habeat formam in uno loco, quamvis non habeat illam in alio loco, absolute, & simpliciter *dici* debet de illo, quod habeat illam formam; & non potest dici de ipso absolute, & simpliciter, quod non habeat illam, quamvis possit dici de ipso, quod non habeat ipsam in *tali loco*; habere autem formam absolute, & simpliciter, & non habere illam in aliquo particulari loco non est contradictio, nec habere *ipsam in uno loco*, & *non habere ipsam* in alio *loco*. Confirmat hanc solutionem ad hominem, quia adversarii (inquit) concedunt corpus in uno loco habere ubi, quod non habet in alio, nec tamen admittent *inde* sequi contradictionem; ergo habere formam in uno *loco*, & non habere ipsam in alio loco non est contradictio; *ita* Pontius occurrit Scoticæ ratio-

ni, quæ est communis responsio Arriagæ, Averſæ, & Amici, Oviedi, & aliorum recentiorum.

Sed evidenter ostendamus hanc solutionem directe militare contra doctrinam Scoti in sua ratione contentam, deinde non bene illi satisfacere, & quidem quod præfatæ doctrinæ refragetur, satis constat rationem allatam consideranti, ubi Scotus duo dixit: primum est, quod in formis absolutis contradictio tolli nequit per diversitatem locorum, nam talis affirmatio, & negatio non potest dici inesse secundum diversa ubi, vel præsentiam hanc, & illam; hujus oppositum asserit Pontius in sua responsione, dum inquit, habere formam absolutam in uno loco, & non habere ipsam in alio loco, non esse contradictionem. Alterum est, quod in formis a loco dependentibus, ut sunt motus, vel quies, bene potest tolli contradictio per diversitatem locorum, non tamen in formis absolutis a loco independentibus, quia illi respectus diversarum præsentiarum non possunt esse ratio, secundum quam affirmatio, vel negatio ineſſet; Sed hujus quoque oppositum docet Pontius in illa confirmatione, ubi contendit, quod sicut in formis a loco independentibus tollitur contradictio per locorum diversitatem, ita quoque sit discurrendum in formis absolutis a loco independentibus, ecce quam ad amussim ad mentem Scoti defendat Pontius hanc suam conclusionem cum recentioribus.

201 Quod vero præfata solutio vim argumenti Scotici non evacuet, satis ostendimus disp. 11. Physic. qu. 9. cit. n. 144. & sicut Pontius in append. pag. 202. n. 171. miratur nos non adduxisse ibi sua fundamenta, impugnationes, & replicas ad nostras responsiones; ita pariter miramur nos quoque cur ipse non adduxerit impugnationes, quas ibi urgemus contra hanc suam responsionem, quæ est communis inter Recentiores, n. 145. & 146. easque non solverit, cum convincenter illam responsionem diriment, consistunt autem in hoc, quod illa contradictoria nequeunt de Petro Romæ v. g. & Venetiis replicato verificari ratione diversorum locorum, ac præsentiarum, quia nulla illarum est ratio, cur Petro conveniat talis affirmatio, & negatio, quod sit albus, & quod non sit albus, sciens, & non sciens, sicut evenit in formis a loco dependentibus, quamvis enim ubi Romanus aliquo modo possit esse ratio, cur dicatur albus, vel sciens Romæ, tamen non est ratio, cur dicitur albus, vel sciens absolute loquendo, nam tam bene esset sciens si a Roma discederet, ac si ibi præsens permaneret, cum ergo ex diversitate locorum talis contradictio tolli nequeat, opus erit replicare hujusmodi formas a loco independentes, ubicunque ponatur Petrus.

Conf. non magis dependenter a loco verificatur de Petro, quod sit Philosophus, vel Theologus, quam quod sit Pater, vel similis; sed diversitas locorum tollere non potest con radictionem, quæ sequeretur in casu, quod replicaretur Petrus sine paternitate, vel similitudine; ergo idem dicendum de illis accidentibus absolutis; major patet, quia quo formæ sunt magis absolutæ, minus a loco dependent, probatur minor, quia in eo casu impertinens esset velle salvare hanc contradictionem, quod Petrus sit pater & non sit pater ob locorum diversitatem, quia non est Pater Pauli v. g. eo quod sit Romæ, vel Venetiis, sed independenter ab illis. Nec dicas paternitatem necessario replicari debere cum Petro, eo quia non habet propriam præsentialitatem, ut accidentia absoluta; quia argumentum non urget ex hoc capite, sed urget ex paritate contradictionis, quæ sicut in eo casu, sive sit possibilis, sive non; minime tolleretur per locorum diversitatem, ita neq; in illis accidentibus absolutis, quandoquidem affirmationes, & negationes tam istarum, quam illarum formarum de Petro verificantur omnino independenter a loco.

202 Neq; verum est, quod ait Pontius in responsione, quod si subjectum habet formam in uno loco, quam non habet in aliis, absolute, & simpliciter debet dici de illo, quod habeat illam formam, imo hæc esset fallacia a secundum quid ad simpliciter, sicut enim, cum dicitur, Ethiops est albus secundum dentes, ergo est albus, consequentia non tenet, quia arguitur a minus amplo ad magis amplum, & a toto determinato per aliquam particulam diminuentem ad seipsum simpiciter dictum, sic in proposito supposito, quod Petrus sit replicatus in pluribus locis, & Romæ tantum habeat albedinem, non valet arguere, Petrus tantum Romæ est albus; ergo est simpliciter, & absolute albus, quia arguitur a minus amplo ad magis amplum, & a particula diminuente, vel saltem nimis restringente; Confirmatur, quia hæc propositio absolute prolata, Petrus est albus, & doctus, quantum est ex natura sua ampliatur ad omnem locum, in quo potest esse successive naturaliter, cum illi conveniant hujusmodi formæ omnino independenter a loco; ergo pariter ampliatur ad omnem locum simul, in quibus esse potest supernaturaliter; atque ideo ex hypothesi, quod sit simul in pluribus locis, sed in uno tantum habeat formam absolutam, non valet arguere, in hoc tantum loco Petrus est albus, ergo est absolute, & simpliciter albus, sed est fallacia a secundum quid ad simpliciter, quod si valet hæc argumentatio, valeret etiam ista, Ethiops est albus in hac tantum parte, scilicet in dentibus, ergo est absolute, & simpliciter albus, quod tamen negant Dialectici passim.

Hinc igitur satis liquet, quam fallax sit solutio Pontii ad Scoticum argumentum: confirmatio vero, quam urget ad hominem, de formis a loco dependentibus, nihil etiam valet, quia in illis bene salvatur contradictio per diversitatem locorum, ut notat Scotus in argumento, & 4. distinct. 10. q. 2. litt. S. in fine quæstionis, & 2. dist. 2. q. 7. ad 4. princ. at non ita salvatur in formis a loco independentibus, ut sæpius repetitum est ad nauseam usque. Aliam quoque ibidem addit confirmationem ab exemplo de anima, & humanitate verbi deductam, cui supra satisfactum est, & hæc sunt, quæ in hoc loco dicenda occurrebant ad satisfaciendum P. Pontio adeo enixe petenti suarum impugnationum, & replicarum solutiones, quas tamen nimis confidenter appellat suas, quia passim apud omnes Recentiores habentur, illa dumtaxat speculatione excepta, quod præsentiæ locales non sint adeo spatio locali determinato addictæ, quin alio transferri possint, & replicari, nam re vera nullum tale portentum invenitur, nec apud veteres, nec apud Recentiores.

203 Verum quia Oviedo controv. 15. Physic. punct. 10. nu. 18. hanc ipse quoque rationem appellat frigidam, adhuc discutiendum est, an re vera hæc ratio frigeat, vel potius ejus responsio, respondet itaque corpus esse album, & non esse album esse independens a loco, esse tamen album Matriti, aut Toleti non esse independenter a loco, quia esse album Matriti dicit formaliter albedinem, & præsentiam, ex vi cujus Matriti constituitur, & esse album Toleti formaliter dicit præsentiam albedinis.

Sed hæc solutio quoque confutata est disp. 11. Physic. q. 9. n. 145. 146. quandoquidem falsum omnino est corpus esse album Toleti per solam albedinis præsentiam, non enim corpus denominatur album ex sola albedinis præsentia, sed ab ejus unione informativa, si enim esset intime præsens corpori, & non ei inhæreret, numquam diceretur album, cum ergo unio informativa a quolibet determinato loco præscindat, nam indifferenter esse potest unita corpori, sive Matriti existenti, sive Toleti, plane ex tali locorum diversitate tolli nequit contradictio, quod sit Matriti album, & non Toleti, quia hujusmodi præsentiæ non sunt ratio, cur in uno loco corpori conveniat affirmatio albedinis, & in alio negatio, & in hoc consistit vis argumenti, quam Adversarii percipere nolunt.

Quod adhuc confirmatur eam magis declarando, & interim solvendo fundamentum Oviedi, a quo petimus, quomodo Deus Petrum Matriti existentem cum albedine replicaret Toleti sine albedine, respondet nu. 17. hoc pacto fieri, quia albedo habet præsentiam distinctam a præsentia corporis; potest ergo replicare corpus Toleti per aliam præsentiam superadditam non replicando aliam præsentiam in albedine, quo casu corpus erit album Matriti, & non erit album Toleti, quia non esse album Toleti nihil aliud est, quam albedinem non habere præsentiam Toleti, & ita corpus non erit album Toleti, non quia corpus absolute albedinem non habeat, sed quia non habet albedinem præsentem Toleti. Sed contra, quia corpus non denominatur album ex sola præsentia albedinis, sed ab ejus unione informativa, ut dictum est, & negari nequit; ergo si corpus non est album Toleti, id erit, quia ibi non habet unitam albedinem; sed si non habet unitam albedinem Toleti, nec etiam habebit eam unitam Matriti, ergo nec hic, nec ibi erit album, minor subillata probatur, quia est eadem prorsus unio, quam habet albedo cum corpore Matriti, & quam etiam haberet Toleti, cum sint eadem prorsus extrema; ergo deficiente unione Toleti, deficiet quoque Matriti, & sic nec hic, nec ibi album erit.

204 Dices non esse corpus album Toleti non ob defectum unionis albedinis cum corpore, sed ob defectum præsentiæ albedinis. Contra, nam probatum est, corpus non dici album per solam albedinis præsentiam: ergo pariter non amittit talem denominationem ex solo defectu præsentiæ albedinis, nam in causis præcisis, sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis. Dices ideo non esse album Toleti, quia ibi non est replicata unio albedinis cum corpore, unde non solum deficit præsentia albedinis, sed etiam unionis. Contra, quia modus unionis non habet distinctam præsentiam a suo subjecto etiam in sententia ipsius Oviedi, ergo si albedo non denominat corpus album Matriti, id nequit esse ob defectum præsentiæ unionis in tali loco, sed absolute per desitionem ipsius unionis, ut fusius deductum est disp. 11. Phys. q. 9. cit.

Ratio tandem a priori, cur nequeat salvari contradictio, quod corpus sit album Matriti, & non sit album Toleti per diversas illas præsentias, ista videtur, quia præsentia albedinis Matritana non est ratio, cur corpus sit album Matriti, ut putant Arriaga, & Oviedo, sed præcise est ratio, cur albedo sit Matriti, unde nequit denominare formaliter corpus album Matriti, sed tantum concomitanter, & specificative, quatenus scilicet præsentem constituit Matriti albedinem, quæ informat corpus ibi existens, unde cum non sit ratio formalis, quare corpus sit album Matriti, neq; negatio præsentiæ albedinis Toleti sit ratio formalis, cur corpus non sit album Toleti, nequit salvari contradictio per diversas illas præsentias, quia independenter ab illis convenit corpori unio albedinis cum ipso, vel negatio talis unionis, ex quo tandem fit, quod valeat illa consequentia, si bene ponderetur, corpus est album Matriti, & non est album Toleti, ergo absolute corpus est album, & non est album, neque hoc est arguere a minus amplo ad magis amplum, seu a secundum quid ad simpliciter, ut inquit Oviedo, quandoquidem diversæ illæ præsentiæ non sunt rationes, per quas Petro conveniat Matriti esse album, & Toleti non esse album, quia præsentia albedinis formaliter solum constituit albedinem Matriti præsentem, non autem facit formaliter Petrum ibi album, sed est formaliter albus per albedinem sibi inhærentem, & quia albedo informat Petrum Matriti existentem, concomitanter solum dicitur facere Petrum Matriti album, & mere per accidens, quatenus mere accidit, quod Petrum informet tali loco existentem, nam æque bene informaret in quocunque alio loco, cum ex sua natura præscindat a quocunque determinato loco quantum spectat ad munus informandi, ac denominandi Petrum album.

DISPU-

DISPUTATIO SEXTA.

De Elementorum Generatione.

Post generationem substantialem, ut sic in communi consideratam, de mutua elementorum generatione pertractamus, ut hinc deinceps ad mixtorum generationem, quorum hic ut principia considerantur elementa ipsa, gradum faciamus, ut jampridem diximus in qu. procem. ad hos libros, de sola vero elementorum generatione disputatio hæc pertractabit; quia de qualitatibus alterativis elementorum egimus jam disp. 1. de motivis autem, aliisque ad elementa spectantibus in lib. de Cælo disseruimus, unde brevibus rem expediemus.

QUÆSTIO PRIMA.

An Elementa sint generabilia, & corruptibilia.

1 Quamplurimi ex veteribus ante Aristot. quorum dux fuit Empedocles, quatuor elementa posuerunt ingenerabilia, & incorruptibilia subſtantialiter, licet secundum qualitates alterabilia, unde materiam primam ab elementis non distinxerunt, sed esse ipsamet quatuor elementa dixerunt, quæ ad compositionem mixtorum tanquam subjectum receptivum formarum concurrunt, qua ratione omnem compositionem ex materia, & forma negarunt ab elementis, & in mixtis formaliter remanere secundum proprias entitates asserunt, de ratione enim materiæ est, ut in composito permaneat, & inexistat. Hanc opinionem, licet jamdiu a schola præsertim peripatetica exulet, non desunt tamen ex recentioribus, qui probabilissimam, imo rationi, & experientiæ valde consonam judicent; ita Gomesius Pereira in Antoniana Margarita apud Arriag. disp. 2. Phys. sect. 1. & Scribonius lib. 1. Phys. nu. 128. & seq. Franciscus Patritius tom. 4. discuss. lib. 3. a medio, Lessius lib. 3. de Numine n. 16. & 21. lib. 3. de Summo bono n. 56. Scipio Capitius lib. 2. de Princ. rerum fol. 105. quos citat, & sequitur Camerarius in suis disp. Philosoph. p. 2. q. 1. ubi etiam aliquos Patres refert, scilicet Athenagoram in apologia pro Christianis, quæ habetur to. 1. Bibliothecæ Sanctorum Patrum pag. 601. & 611. Ansel. in Mon. c. 6. Anastasium Sinaitam lib. 1. in Exameron., & Justinum Martyrem in lib. Reprehensionis decretorum Aristot.

2 Dicendum est tamen cum communi Theologorum, & Philosophorum placito, elementa esse generabilia, & corruptibilia, non tantum secundum partes, sed etiam secundum totum, licet quoad actualem corruptionem solum secundum partes corrumpantur, & generentur, ita sæpissime Doctor, sed ex professo in 2. d. 15. Prima pars, quod sint generabilia, & corruptibilia, non nisi exemplis probari potest, ex quibus postea licet inferre non esse elementa simplicia corpora omni substantiali compositione ex materia, & forma carentia, sicut nos in sentent. Aristot. ponimus cælum, nec esse materiam primam, sed ex illa constantia tanquam ex communi subjecto (nisi vellent creationem, & annihilationem admittere, quod non est philosophice dictum) probatur igitur, elementa generari, & corrumpi, maxime exemplo ignis, nam quotidie videmus ignem corrumpi, & in aerem transire, flamma enim candelæ ad aliquod tantum spatium lucet, & postea in aerem convertitur, idem de aliis flammis conspicitur. Dices, ignem non amplius apparere, non quia in aerem versus sit, sed quia paulatim ita rarus efficitur, ut amplius non appareat, etiamsi in aere adhuc persistat; quod patet experientia, nam si quis supra candelam etiam eo loco, ubi ignis non apparet, chartam extendat, illa concipiet flammam, vel etiam volitabit sursum tendens, quæ duo signa sunt manifesta, ibi aliud præter aerem existere.

3 Sed effugium hoc vanum esse comprobatur, quia si ignis non destrueretur in aerem, certe si in cubiculo undique clauso aliqua adesset flamma non exiguæ magnitudinis, non post multum temporis tota aula esset igne plena, & consequenter vestes, arcæ, & omnia ibi existentia comburerentur, nec ibi respirari posset, imo daretur aeris, & ignis penetratio, vel si condensarentur, jam ignis conspici deberet. Similiter ignis conceptus in cucurbitulis, si non extingueretur, & in aerem densiorem igne non converteretur, duo sequerentur contra experientiam ipsam, primo, quod caro non deberet intumescere ad replendum vacuum, quia per adversarios, ideo ignis ille amplius non apparet, quia rarior evadit, & consequenter majorem occuparet locum; secundum quod caro illa, si diutius cucurbitula applicata illi maneat, deberet comburi, nam ignis ille foras non evaporaret, sed inclusus permaneret in cucurbitulis, & quamvis sit rarior, & raritas aliqualiter minuat activitatem agentis, hoc tamen compensatur ex propinquitate, & approximationis diuturnitate, si enim ignis in sua raritate existens nullatenus posset agere, certe nunquam posset concurrere ad mixtionem refrangendo qualitates contrarias elementorum. Nec instantia de charta aliquid valet, nam concedimus prope flammam chartam comburi, quia non implicat agens agere in distans, vel quia vere ibi adsint exhalationes igneæ, non tamen ex hoc licet inferre, unquam flammam corrumpi, aliter semper charta combureretur in quacunque distantia.

4 Aliud experimentum est, quod si in vas aquæ plenum ferrum candens, vel titio immergitur, statim ignis extinguitur, non enim amplius conspicitur in ferro, vel titione, non permanet in aqua, hanc enim naturaliter refugit, non evaporat ex aqua, quia si vas illud esset e superiori parte occlusum, jam non posset evaporare, & tamen ferrum non amplius ignitum appareret, vel si in orificio, e quo totus ignis exhalare deberet, apponeretur stuppa, vel similis esca, accenderetur, quod est falsum. Tertio videmus quædam corpora mixta fere tota in ignem transire, ut stuppam, oleum, pulverem tormentarium, sulphur, & similia; non est autem verisimile, in istis corporibus tantum ignem præextitisse, ut asserit Camer. quia tantus ignis valde excederet alia elementa in illis mixtis inclusa, cum tota fere hæc mixta resolvantur in ignem, & consequenter non posset ab aliis elementis detineri, qui sursum evolaret, & mixtionem illam dissolveret, Neque dicas detineri a forma mixti, nam hæc forma nequit cohibere ignem, quin agat, si valde excedit alia, & multum prædominatur, aliter nunquam mixtum illud corrumperetur. Nec valet, quod illi elementa sint in esse refracto quoad qualitates. Tum quia quandoque hæc mixta maxime calefiunt, itaut fere intendatur calor usque ad septimum gradum, ut est oleum fervens, quo excessu si ignis in illis lateret, deberet excitari ad agendum, & per consequens ad dissolvendam mixtionem, certe major est calor in oleo fervente, quam calor in carne putrescente a calore ambientis productus, sed iste est causa putrefactionis carnis, & dissolutionis in elementa, ut dicemus disp. seq. q. ult. eo quia intendendo calorem in carne, destruit proportionem, & simetriam primarum qualitatum, ex quo deinde sequitur corruptio mixti, & putrefactio, ergo multo magis calor in oleo fervente deberet proportionem elementorum destruere, ignemque qui sopitus, & veluti dormiens ponitur in oleo, excitare ad pugnam, & victoriam erga cætera elementa jam ab excessu illo caloris valde debilitata. Si igitur ignis iste non præsuit in illis mixtis, ergo de novo generatur, ergo etiam alia elementa possunt generari, & corrumpi, non enim est major ratio de uno, quam de altero. Quod amplius probabitur qu. seq. dum ostenderur elementa adinvicem transmutari, & disp seq. q. 3. dum demonstrabitur elementa formaliter in mixto non permanere, sed virtualiter, nam si in generatione mixtorum elementa non manent, ergo corrumpuntur.

Secunda pars, quod actu corrumpuntur solum secundum partes, prob. quia sunt inter se adeo proportionata quoad actionem, & resistentiam, & eorum vires adeo æquilibratæ moderante Cælo peculiaribus influentiis eorum actiones, ut nequeat naturaliter unum totaliter aliud in se convertere, ut notavit Doctor 4. dist. 49. qu. 13. infra B. tum quia destrueretur ordo universi præfixus ab agente supremo, quod possibile non est viribus naturæ, quia ut docet Scot. 2. distinct. 2. quæst. 12. C. ordo præfixus a superiori agente videtur necessarius unicuique agenti inferiori. Tum quia si esset elementum rarius, quod in seipsum converteret densius, ab hoc spatio sublunari capi non posset; si vero densius in se converteret rarius, jam daretur vacuum naturaliter, quia minorem locum occuparent.

5 In oppos. arguit Camer. elementa actu neque secundum totum, neque secundum partes corrumpuntur, ergo non sunt corruptibilia, sed incorruptibilia, conseq. patet, quia talis potentia deberet quandoque ad actum reduci; antec. prob. experimentis, & ratione; nam primo ut aer in se convertat iguem, debet remittere calorem ignis, quod non posset efficere, si aer non habet calorem cum frigore mixtum, ut est probabilis sententia; si dicas infrigidari ab extrinseco, ergo in esse puro existens non posset ignem corrumpere. Deinde quomodo ignis in se converter aerem, nequit enim per suam siccitatem, quæ est minimæ activitatis, corrumpere humiditatem aeris, neque per calorem, quia calor non opponitur humiditati, imo est cum illa compossibilis, ut patet in aqua calida. Tum 3. formæ elementorum non consistunt cum qualitatibus in esse remisso, quod speciatim asseritur de forma ignis, ergo si aqua introduxit tres gradus frigoris in ignem, jam forma ignis corrumpitur, nec potest introduci forma aquæ, quia non est summa frigiditas, quæ requiritur ad introductionem formæ aquæ, ergo materia esset sine forma. Tum 4. ut aliquid in ignem vertatur, debet esse viscosum, quia ignis eget pabulo, elementa pura non sunt viscosa. Tum 5. si ampulla vitrea aere plena bene obturata in aqua ponatur, quamvis per mille annos ibi existeret, & valde frigefieret, nunquam tamen in aquam, nec secundum minimam partem, verteretur. Tum 6. aqua est tenacissimæ naturæ, unde si dum ebullit, diligenter excipe retur vapor distillatorio vase, tantum aquæ exciperetur, quantum ex olla evanuit, ergo ab igne aqua solum in vaporem convertitur, qui est substantialiter aqua, non destruitur. Tum 7 cineres, qui sunt essentialiter terra, non possunt ab igne corrumpi, unde licet stipula vel stuppa comburatur, experimur semper aliquod terrestre vel aqueum permanere, ergo si ab agente tam

vehementi, qualis est ignis, corrumpi non possunt, nec ab ullo alio agente corrumpentur. Ex quibus deinde colligit Camer. elementa non differre a materia prima, quia non sunt multiplicanda entia sine *necessitate*, si esset aliqua necessitas hujus distinctionis, maxime esset corruptibilitas elementorum, quæ est medium, quo Philosophi necessitatem ostendunt materiæ primæ, ergo si sunt incorruptibilia, hæc ratio in ipsis non urget, & quoniam elementa in omnibus mixtis formaliter reperiuntur (quod probat authoritate, & ratione) idcirco asserendum est materiam primam adæquate aliud non esse, quam ipsa elementa collective accepta, inadæquate vero quodlibet elementum seorsim acceptum; hinc Arist. 5. Meth. c. 3. eadem definitione definivit materiam, & elementa.

6 Resp. neg. 2. partem anteced. quod secundum partem non corrumpantur, & ad primam prob. dicemus qu. seq. n. 16. Ad 2. dicimus posse ignem per siccitatem aerem corrumpere, quia licet siccitas sit minimæ activitatis, humiditas tamen est *minoris* resistentiæ, ut dicimus disp. 1. q. 4. potest etiam calor saltem indirecte, & per accidens agere in humiditatem, ut explicuimus disp. 1. n. 7. tum quia maximus calor, ut est igneus, non est cum humiditate compossibilis. Ad 3. neg. assumptum in esse innaturali loquendo, & via corruptionis, ut enim sæpius dicemus in sequentibus, potest forma aquæ stare cum minima frigiditate, sed violenter, sic forma ignis; verum est tamen, quod minorem remissionem propriarum qualitatum *admittit forma* ignis, quam aliæ formæ elementares. Ad 4. negatur etiam assumptum, sufficit enim quod sit calefactibile, & desiccabile, cur autem ignis in propria sphæra non egeat pabulo, & alimento, ut ignis noster, diximus disp. 4. de Cœlo n. 17. Ad 5. concedimus in illo casu nunquam aerem in aquam verti, quia jam deberet vacuum admitti, eo quia aer condensari deberet, ex hoc tamen non est universaliter inferendum nunquam aerem in aquam transmutari, ut ostendemus n. 6. Ad 6. negamus totam aquam de novo recipi, sed tantum in majori parte; non destruitur autem totaliter, quia vapor ille sursum tendendo recedit ab igne, & nisi a frigore superveniente condensetur, in aerem resolvitur, ut communiter evenit de vaporibus etiam in nubes congregatis, si enim propter subtilitatem, & remissiorem humiditatem nubes illæ in pluviam non resolvuntur, evanescunt, quod est signum conversionis in aerem. Ad 7. negamus cineres esse terram substantialiter, nam diversorum mixtorum cineres diversas habent virtutes, & proprietates, imo fere easdem cum illis mixtis; neque ex hoc, quod ab igne non destruantur, arguere debemus incorruptibilitatem omnimodam, aliter adamas, & linum quoddam, quo antiqui utebantur in combustione cadaverum, quia igne non consumuntur, *essent incorruptibilia*; idem etiam dici posset de lapide Amianto, de lapide Asbesto, & aliis, quæ ignem semel conceptum diutissime retinent, ut referunt Aurhores, quamvis igitur non possint immediate in ignem converti, nugamus tamen nullatenus posse corrumpi, per applicationem enim variorum agentium, & aliarum rerum mixtionem possent ita alterari, ut *corrumpantur*; quamvis non ita frequenter hoc sit experientia compertum. Hinc falsum omnino esse colligitur corollarium *illud*, quod materia prima non sit realiter ab elementis distincta, tum propter corruptibilitatem elementorum; tum quia forma substantialis mediis accidentibus materiæ uniretur, non *immediate*, quod esse falsum ostendimus disp. 5. Physicor. quæst. 8. artic. 1. quomodo autem intelligenda sit definitio materiæ assignata ab Aristot. 5. Meth. dicemus disp. seq. n. 29.

QUÆSTIO II.

An quodlibet elementum ex quolibet alio elemento generari possit, & quomodo.

7 Supposito cum communi sententia generabilia esse corruptibilia, quærimus modo, an possint invicem transmutari. Negant aliqui absolute posse unum elementum in aliud immediate converti, & volunt opus esse, ut prius in mixtum aliquod convertatur, quod postea resolvatur in aliud elementum, ita præsertim ex recentioribus Aresc. 2. de Generat. quæst. 15. Arriag. disput. 4. de generat. sect. 6. ubi *solum conversionem* mutuam inter aerem & aquam admittere videntur, & hanc ipsam, addit Aresc. fieri non virtute unius elementi aliud in seipsum convertentis, sed virtute alicujus extrinseci agentis. Alii distinguunt de elementis simbolis, ac dissimbolis, quæ scilicet in una, vel in nulla prorsus qualitate conveniunt, & inter illa solum conversionem admittunt immediatam, in cæteris vero, ut sunt ignis, & aqua, aer, & terra, negant, & inquiunt, prius debere elementum converti in *mixtum medium imperfectum* participans utriusque naturam, qualis ponitur exhalatio inter ignem, & terram, vapor inter aerem, & aquam, vel in aliud *simbolum* elementum, ut postea in dissimbolum transeat; ita Soto 4. Physicor. q. 2. art. 1. Vallesi. ibid. cap. 5. & Ruvius 2. de Generat. cap. 6. tractat. de element. Generat. quæst. 1. Alii tandem universaliter admittunt mutuam transmutationem inter omnia, & singula elementa, sive simbola sint, sive dissimbola, ita Marsil. 2. de Gener. quæst. 9. Saxon. quæst. 7. Conimb. cap. 4. quæst. 1. art. 2. Aversa quæst. 1. sect. 10. Hurtad. disput. 6. de Gener. sect. 7. Tolet. quæst. 8. Barnes quæst. un. Complut. disp. 11. q. 1. & est communis Interpretum Aristot. Sententia quam luculenter declarat Angest. lib. 2. de For. propriet. prop. 7. dub. 5.

8 Dicendum est cum communiori sententia, posse ex quolibet elemento aliud quodcunque generari immediate, sive sint simbola, sive dimbola; Est Arist. aperte 2. de Gen. 24. & sequentibus, unde ait, *universaliter quidem manifestum, quod omne ex omni generari natum est*; quod autem intelligat de omnibus elementis tam simbolis, quam dissimbolis, constat ex eo, quod hoc inductione probat etiam in dissimbolis; & demum, quod loquatur de immediata transmutatione, convincitur ex ratione, quam adducit, ut mox perpendimus, & ex ipsomet contextu; & quidem de transmutatione mediata nulla extabat dubitatio, *sic enim* etiam quodlibet *mixtum* quantuncumque perfectum potest fieri ex quolibet, & tamen non dicimus hominem fieri ex lapide, sed de immediata tantum poterat esse dubium; consentit Doctor 4. d. 43. q. 3. E. & F. ubi inter omnia, & singula elementa concedit mutuam transmutationem immediatam, & alibi sæpe, & hoc ipsum colligitur ex loco supr. cit. 4. d. 49. q. 13.

Primo itaq; probatur de elementis simbolis, nam passim videmus aerem in ignem, & e converso transmutari, ut patet cum ex reflexione radiorum, aut silicis, & chalybis attritu accenditur aer, aerem in aquam converti, ut in subterraneis locis, aquam etiam in aerem, terram in aquam, & aquam in terram converti, patet præcipue in fluminibus, & tandem terram in ignem, nam exhalationes, quæ secundum veriorem, & communiorem a terra essentialiter non differunt, facillime accenduntur, ut constat de impressionibus ignitis in sublimi apparentibus, & in montibus ignem evomentibus verisimile est admitti debere aliquam conversionem terræ in ignem, licet pabulum principale *illius* ignis sit vena aliqua sulphurea, vel quodpiam simile; quod vero ignis in terram convertatur, probari potest casu, quo mordicus ignis terra operiatur, nam tunc extinguitur, & materia illa nequit esse sine forma substantiali, ergo alia forma accessit, non videtur autem posse esse formam aeris, & aquæ, quia terra non habet in sua virtute formas illas; tum quia si agens corrumpens ignem est terra inducendo propias dispositiones, nequit postea introducere aliam formam, nisi quæ petit *dispositiones illas*, talis autem est *forma* terræ.

9 Secundo probatur idipsum de dissimbolis pariter experimento, nam si in fornacem gutta aquæ iniiciatur, percontamur in quodnam convertatur, vel enim convertitur in aerem, vel in aliquod mixtum scilicet fumum, vel in ignem immediate; non primum, nec secundum, quia ignis, ut ignis, est agens univocum, & nequit producere nisi ignem, ergo nequit producere formam aeris, vel mixti. Dices hoc esse ab agente universali. Contra, dispositiones introductæ ab igne non sunt *dispositiones* alicujus mixti, vel aeris, sed ignis, ergo agens universale potius coagit ad formam ignis, quam ad aliam formam. Respondent in tali casu per accidens introduci ab igne dispositiones pro forma mixti, paulatim enim remittitur frigiditas, & humiditas aquæ per introductionem caloris, & siccitatis, antequam perveniatur ad calorem ut octo destruendo totam frigiditatem, quia non transitur ab extremo ad extremum, nisi per medium; in quo miscentur omnes quatuor qualitates, generabitur mixtum, antequam transeatur ad contrarium elementum, quia omnes illæ qualitates sic remissæ, & attemperatæ deserviunt ad tale mixtum v.g. fumum. Contra, tum quia in casu posito tanta est activitas ignis circa illam aquæ guttulam, quod fortiorem imprimit qualitatem, quam requiratur ad temperamentum mixti; tum quia etiamsi paulatim remittantur qualitates unius elementi per introductionem oppositarum alterius, non propterea opus est, quod statim corrumpatur, & generetur mixtum, optime notat Angest. cit. quia cum tali remissione potest adhuc propriam formam retinere, licet non in statu naturali, sed violento, & in via ad corruptionem, quod satis constat in aqua, quæ adhuc retinet formam elementi, etiamsi nimis calefiat, ergo adhuc illæ qualitates sic remissæ, & attemperatæ non erunt sufficientes dispositiones pro forma mixti, quia non ex quocunq; qualitatum concursu, vel temperamento generatur mixtum, sed ex tali, quod habeat modum permanentis; non autem mere transeuntis ad aliud elementum, quia non solum primæ qualitates sunt *dispositiones*, sed etiam gravitas, & levitas, at levitas, quam acquirit in casu posito gutta illa aquæ, est levitas ignis, non aeris, quia ab igne producitur, & una specie distinguitur ab altera, ut diximus disp. 3. de Cælo q. 1. ergo, &c.

10 Tertio probatur ratione ipsius Arist. quæ ut diximus, concludit tam de elementis *simbolis*, quam de *dissimbolis*, omnia, & singula elementa sunt adinvicem contraria, & activa ratione suarum qualitatum, potest ergo unumquodq; agere in aliud, & in eo producere suas qualitates, ac consequenter propriam formam, qua immediate expellatur forma alterius elementi. Resp. Arriag. neq; consequ. licet enim quodvis elementum operetur in aliud, cum hoc tamen stat, ut antequam in illud dispositiones requisitas ad propriam formam introducat, inducat alias contrarias quidem elemento, in quo agit, & sufficientes ad aliam formam distinctam, non tamen ad ipsam elementi operantis, ut v. g. ignis antequam introducat in passo septimum gradum caloris ad *formam ignis requisitum*; introducit quartum, & quintum, qui sufficit ad debellandum contrarium elementum, non tamen ad introducendum ignem. Hæc solutio non valet, quia ut dicebamus cum Angest. elementa non ita suas sibi determinant qualitates, ut statim ac ab agente contrario dejectæ fuerint a summo, vel excellenti gradu, statim formam substantialem amittant, sed eas sibi asciscunt in tali latitudine, ut adhuc sub statu violento, & sub dispositionibus contrariis propriam retinere queant formam, quousque aliud generetur elementum contrarium, & hoc veritate coactus ibidem fatetur Arriag. dum n. 124. ait, quod si elementa

menta pugnantia sint dissimbola, ex utriusque pugna immediate resultabit mixtum, non vero elementum oppositum, quia producentur in passo omnes quatuor qualitates, quæ conjunctæ non *sunt* dispositio ad elementum, sed ad mixtum, nisi forte in eo gradu producantur, & alia accidentia comitentur, quæ ad nullum mixtum disponant, ideoque non introducatur ulla forma substantialis, donec fortius elementum in gradu requisito ad propriam formam introducat suas dispositiones in passum, hæc ille; ergo concedit saltem in aliquo casu unum elementum dissimbolum posse in aliud immediate converti, & est id quod nos hic contendimus, neque enim nos volumus semper ita contingere; sed solum id non repugnare ex naturali constitutione, ac generatione elementorum,

11 Respondet Ruvius quod licet hoc *admitti possit in elementis* simbolis, quæ maxime non distant, non tamen in dissimbolis quæ maxime distant, & ideo talis distantia pertransiri non potest sine transitu per medium, hoc est, sine acquisitione alicujus formæ mixti, vel elementi simboli; id ostendi exemplo seminis, quod non potest transire immediate per hominem, nec homo in terram propter maximam dissimilitudinem dispositionum; sed illud transit in hominem mediante forma embrionis, hoc vero in terram media forma cadaveris, sic etiam, *inquit* Arriag. pomum non immediate vertitur in hominem, sed prius in chilum, quare cum elementa dissimbola valde distent secundum dispositiones, non poterit unum immediate transmutari in aliud, sed medio alio corpore magis simili. At neque hæc solutio est admittenda; licet enim ob contrarietatem *dispositionum* elementa dissimbola maxime distare dicantur, non tamen ea est distantia, quæ petat necessario transitum per medium per se ab extremis diversum, qualis reperitur inter formam seminis, & animalis, inter quas necessario, & dispensabiliter mediat forma embrionis; ratio est, quia forma embrionis est forma subordinata formæ hominis, & necessaria ad eam dispositio, nam ibi fit processus ab imperfectissimo ad imperfectissimum, atque ideo opus est *omnino* transire per medium, & sic de aliis exemplis allatis, at non ita contingit in generatione elementorum, cum enim non sint corpora adeo perfecta, sicut viventia, non exigunt ex sua natura transire per tot generationes, formasque diversas, quarum una sit dispositio ad aliam, & ideo etiam in elementis dissimbolis fieri potest transitus ab uno in alterum absque transitu per medium specie diversum ab illis absolute loquendo; dicimus absolute loquendo, quia regulariter elementa dissimbola non transmutantur adinvicem, nisi mediante simbolo, aut alio mixto, cum quo majorem habeant affinitatem, quam inter se, ut notavit Angest. cit. unde per assertionem positam non contendimus semper ex uno elemento aliud generari immediate sed solum quod potest ita fieri, neque ex vi *dispositionis*, & distantiæ eorum repugnat, ut Rubius volebat.

Accedit, quod si hac ratione nequit admitti immediata transmutatio inter elementa dissimbola, quia non fit transitus ab extremo ad extremum, nisi transeundo per medium, hac eadem ratione etiam inter simbola negari debebit, quia successive fit eorum transmutatio, & quamvis in duabus qualitatibus non disconveniant, dissident tamen in altera, unde saltem quoad illas qualitates, in quibus contrariantur, necessarius erit transitus ab extremo ad extremum per medium. Dices cum Arriag. ex pugna elementorum simbolorum non posse resultare sufficientem dispositionem pro mixto, quia hæc debet esse conjunctio omnium quatuor qualitatum, quas nequeunt illa elementa producere, cum in una conveniant, bene tamen ex pugna dissimbolorum. Contra, ergo jam illa propositio de transitu ad extremum per medium non erit universaliter vera, vel saltem in eo sensu, in quo assumitur ab Adversario; tum quia ut etiam ex ipso Arriag. notavimus, potest contingere casus, quo neque ex pugna dissimbolorum resultet dispositio idonea pro mixti constitutione ob nimiam applicationem, & vehementem actionem alterius elementi, ut diximus de gutta aquæ in fornacem injecta.

12 In oppos. *obiicitur*, Primo quod elementa *dissimbola non* sint adinvicem immediate transmutabilia, quia nequit transiri de extremo ad extremum, nisi per medium, sed elementa dissimbola sunt extrema, ergo &c. Major patet, quia semen non statim transit in formam corporis, sed prius in formam embrionis, postea in *formam* sanguinis, & tandem carnis. Deinde specialiter probatur de terra, & aere, terra nequit converti in aerem immediate, quando enim aer visus est augeri terra? & ratio est, quia est adeo gravis, & densa, ut nequeat immediate in aerem resolvi, sed prius in exhalationes convertitur; alioqui jam cacumina *montium* in aerem conversa fuissent, cum ibi aer sit purior, & in suis qualitatibus vegetior, at neque aer potest in terram verti, quia terra non est tantæ activitatis, quare si infra terram exiguum valde foramen fieret, in æternum exiguus ille aer in eo foramine existens non convertetur in terram. Tandem id ipsum adhuc evidentius de igne, & aqua ostenditur, non potest ignis converti in aquam immediate, nam potius vertitur in fumum, & aerem, dum ab eo extinguitur, pone titionem accensum intra aquam totius Oceani, non transibit in aquam immediate, sed ibi manebit extinctus, nec minus aqua potest converti in ignem, quia nunquam visum est ignem ex aqua nutriri, & augeri, ut videmus ex oleo, & butiro injecto, & lampadis flamma deficiente oleo statim extinguitur, esto aqua remaneat. Et flamma candelæ aquæ guttula resperſa non valet illam in se convertere, sed fortiter illam exçutit, imo nec in rogum injecta vertitur immediate in ignem, vel flammam, sed prius in fumum, ex quo flamma gignitur, cum nil aliud sit flamma quam fumus accensus ex 2. de Gen. 27. qua etiam de causa aqua vehementer calida, nunquam immediate convertitur in ignem, sed prius resolvitur in vapores. Accedit, quod ut aqua ab igne corrumpatur, necesse est, ut ambæ qualitates remittantur per introductionem contrariarum, priusquam totaliter expellantur, ergo in aqua prius erunt quatuor qualitates remissæ, quam duæ intensæ, sed illæ dispositiones sunt ad aliquam *formam mixti*, ergo aqua prius in aliquod mixtum convertitur, quam in ignem.

13 Resp. si hæc argumenta adducerentur solum ad probandum ita regulariter contingere inter elementa dissimbola, quod immediate non fit unum ex alio, sed mediate, possent admitti, verum quia etiam impossibilitatem ostendere intendunt, ideo ex hac parte dissolvi debent; ad 1. vera est major, si ordo inter extrema, & medium, sit essentialis, & per se, qualis est inter formas adductas pro exemplo ad probationem ejus, falsa vero, si sit accidentalis dumtaxat, ut est in proposito; vel concessa majori negandum est tale medium semper esse diversum substantialiter ab extremis, & sic argumentum non probat prius debere generari elementum medium, aut mixtum, sed prius debere materiam accipere statum medium, ut per ipsum transeat ad proximas, & ulteriores dispositiones pro alio alimento, sub quibus adhuc perseverare possit forma prior via corruptionis, quousque a forma posteriori alterius alimenti expellatur. Ad 2. de terra, & aere dicimus, quod sicut terra regulariter resolvitur in exhalationes adeo *aeri similes*, ita ex vehementi actione agentis poterit interdum resolvi in aerem immediate, imo quamvis nun resolvetur in aerem, nisi media exhalatione, adhuc *habemus intentum*, quia ut diximus *disput. 4. de Cœlo qu. 4. ar. 5. & 7.* nec vapores sunt mixta substantialiter diversa ab aqua, nec exhalationes a terra, quicquid hic reclamet Ruvius, *licet* enim moveantur sursum, hoc est ab extrinseco propter impressum calorem a Sole, & virtutem attractivam syderum, ut ibi diximus, eo etiam admisso adhuc habetur *intentum*, quod terra immediate potest in aerem verti, alioquin nec in ignem posset immediate transmutari, quia hoc regulariter fit per exhalationes, quod est contra Ruvium, nec sequitur, quod cacumina montium jam in aerem abiissent, nam & terra actione Solis exhalat, nec ob id montium apices sunt in exhalationes resoluti, & ratio est, quia elementa sunt ita inter se contemperata, ut mutuo agant, atque resistant ob eorum conservationem: eadem de causa aer inclusus in illo foramine intra terram facto non convertetur in terram; & forte etiam nimio frigore terræ poterit ita addensari, ut aliquo temporis progressu tandem convertatur in terram. Ad 3. de aqua, & igne, licet ignis, dum extinguitur, regulariter convertatur in fumum, & aerem, poterit tamen absolute loquendo verti eaiam immediate in aquam, & *forte ita* accideret in casu illo posito de titione inter Oceanum immerso (sicut e contra dicimus de gutta aquæ ardenti fornaci injecta) quod immediate ignis verteretur in aquam, quod autem carbo extinctus ibi remaneat, non officit, quia carbo est quodpiam mixtum prorsus ab igne distinctum, quod regulariter manet post ignis extinctionem, velut ejus cadaver, non quod ignis in ipsum convertatur, cum potius ipse convertatur in ignem, sed quia ignis ex ejus materia *depascebatur*; potest quoque *ignis in se aquam convertere absolute* loquendo, quod autem aqua non nutriat ignem in lampade, & injecta gutta in ejus flammulam statim excutiatur, est, quia longius temporis spatium, majorque ignis copia ad talem conversionem requireretur; qua de causa in rogum injecta vertitur in ignem, nec enim semper opus est flammam ex fumo generari, licet ita regulariter contingat, quod si etiam in tali casu dicatur guttam illam prius in fumum resolvi, respondemus illum non esse fumum, sed vaporem aqueum fumo valde consimilem, nec ab aqua substantialiter diversum; per quod patet ad aliam instantiam de aqua calida, quæ prius in vapores abit, nam vapores, ut diximus, non sunt substantialiter ab aqua diversi.

14 Ad ultimum rationem, quæ pro hoc addebatur, jam dictum est, quod etiamsi paulatim remittantur qualitates unius elementi, & introducantur oppositæ, minime opus est, quod statim corrumpatur, & generetur mixtum, vel elementum simbolum, quia in via ad corruptionem adhuc forma aquæ perseverare potest sub illis gradibus caloris, & siccitatis ejus naturæ disconvenientibus. Dices, facilius introducitur calor in aqua, quam expellatur humiditas, quia calor est activus in *summo* gradu, *siccitas in infimo*, ergo eo *tempore*, *quo ignis* producit unum, vel duos gradus siccitatis in aqua, producet sex caloris, hæc autem est proxima dispositio ad formam aeris, qui est humidus, & calidus, cum ergo posita proxima dispositione ponatur & forma, utique aqua prius in earem convertetur, quam in ignem. Respond. Angest. quod ignis agens in aquam quam circundat, sicut est ignis fornacis respectu guttulæ injectæ, vehementi calefactione fortificat actionem siccitatis, sic quod *humiditatem* aquæ cito dissipat, sicut *frigiditatem*, quare saltem in tali casu aqua immediate convertitur in ignem, quicquid sit in aliis casibus. Dices, quantumcunque sit *valida* agentis actio, nihilominus fit successive, ergo qualitates aquæ per introductionem oppositarum, & remissionem redigguntur prius ad aliquam mediocritatem, quæ erit *sufficiens dispositio* pro forma alicujus mixti, sed posita ultima *dispositione* ponitur necessario forma, ad quam disponit, ergo, &c. Resp. apud nos ultimam dispositionem consistere cum forma veteri, quia hæc nunquam expellitur nisi a nova forma; ¡potest ergo contingere in aliquo

quo casu, ut sint introductæ dispositiones sufficientes pro aliqua forma, & tamen forma non inducatur ob præsentiam validioris agentis ejus inductionem impedientis, & sic esset in proposito, nam esto ignis i nduceret, remittendo qualitates aquæ mediocritatem quandam, quæ esset sufficiens dispositio pro forma mixti, quia tamen id est per accidens, quatenus potuit ignis in ea temporis mora qualitates aquæ remittere, quantum satis erat, ut forma *ignis induceretur*, per se *enim* intendit sibi simile producere, ideo actionem suam dispositivam prosequitur, & quia interim non adest agens formam mixti inducens, & adest agens formam *ignis* intendens, ideo tandem hæc sequitur, non illa.

15 Secundo principaliter obiicitur; quod neque etiam in simbolis elementis fit mutua transmutatio immediata; in primis probatur, quod ignis nequeat in aerem converti, quia oporteret caliditatem ignis remitti ad caliditatem aeris, cum aer non sit ita calidus, ut ignis, sed hoc non est possibile, quia vel remitteretur a caliditate aeris, quod est falsum, quia non contrariatur caliditate ignis, vel ab humiditate aeris, & neque hoc, quia caliditas, & humiditas non contrariatur; tum quia quando flamma evanescit, desinit in fumum, non in aerem. Secundo, quod neque aer possit in ignem converti, quia *ignis* semel in aere *incensus* nunquam extingueretur, præcipue quia solum perit ignis proprer defectum pabuli, & fere jam totus aer esset incensus, vel saltem intra cubiculum, vel fornacem brevi totus aer deberet ignescere, quod est contra experientiam, quia etiam in fornace perit ignis ex defectu pabuli, si ligna non apponantur. Tertio, quod neque terra possit in ignem immediate converti, quia terra non est combustibilis, ut apparet in cinere, quæ, quia est pars terræ a mixto relicta, ignescere nequit, & lateres in fornace integri permanent, tum quia sit densissima antequam perveniret ad raritatem ignis, prius attingeret raritatem aeris, atque adeo potius in aerem convertereturr. Quarto, quod nec terra possit in aquam converti immediate, quia si ponatur exigua pars terræ in amphora aquæ cadet ad fundum, & ibi perpetuo manebit, nec convertetur in aquam; nec flumina augentur convertendo in se littora, etiamsi rapiant secum partem terræ, & sic discurrere licet in aliis combinationibus elementorum.

16 Resp. ad 1. quod si ponantur tres qualitates in elementis, facilis, est solutio, tunc enim erit in aere aliqualis frigiditas, quæ sufficiet ad remittendum calorem ignis, quantum sufficit pro generatione aeris; si vero duæ tantum, ut probabilius censuimus, disp. 1. qu. 6. tunc dicendum, quod licet caliditas ignis non remittatur ab aere, nihilominus propter humiditatem aeris inductam, nonnihil hebetatur ejus activitas, siccitas enim acuit potentiam activam, & hoc sufficit pro introductione formæ aeris, nam posquam est introducta, tunc destruitur prior caliditas, & altera proportionata generatur, nec opus est, ut sæpe diximus, flammam semper in fumum verti, potest enim pro casuum varietate quandoque in aerem verti, & quandoque in aliud elementum. Ad 2. neg. consequ. quia licet aer possit esse pabulum ignis, habet tamen quoque vim resistendi; ut enim notat Doctor 4. d. 49. qu. 13. infra B. vires elementorum sunt contemperatæ in agendo, & resistendo, ut perpetuo conservari possint, hoc tamen non impedit, quin in pugnando aliqua aeris particula devincatur, & convertatur in ignem, qua autem ratione superior aeris regio adeo spheræ ignis contigua servetur incolumis, & ab ejus voracitate immunis, diximus disp. 4. de Cœlo q. 11. ar. 1. Ad 3. sane negari nequit conversio terræ in ignem, cum adeo facile videamus ex scilice ignem excitari chalybis attritu; cineres quoque possunt igniri, licet difficillime, & quando *igniri* non possunt, parum refert ad rem, quia cinis potius mixtum est, quam terræ elementum, ex n. 6. lateres autem, cum sint quid compactum ex terra, & aqua, potius ignis condensat, quam rarefacit partes eorum destruendo humorem illum, & forte etiam aliquæ particulæ igniscunt, quod evidentius in calce cernitur, in qua partes quamplures igneæ delitescunt. Cum vero terra convertitur in ignem, utique prius ad aeris raritatem pervenit, sed ob præsentiam ignis, ejusque vehementem actionem educitur forma ignis, licet pro tunc impuri, non autem aeris, nec est incommodum, eousque formam terræ sub illa raritate perseverare, non quidem in statu naturali, sed in violento, ac in via ad corruptionem, nam & hoc modo aquam perseverare videmus sub nimio gradu caloris, quam ejus natura patiatur; & præcipue secundum nos admittentes ultimam dispositionem posse stare cum forma vetere, id nullum erit inconveniens. Ad 4. dicimus temporis decursu particulam illam terræ amphoræ injectam converti in aquam, quod eo magis contingere in alveis fluminum credibile est, hæc autem omnia negarunt Aris. & Arriag. quia in quibusdam elementis non est adeo obvia sensibus talis immediata transmutatio, sicut in aliis, & illam videre voluissent ictu oculi perfici, ut videmus ignem in se convertere stuppam.

QUÆSTIO III.

An facilior, & citior sit transitus inter elementa simbola, quam inter dissimbola,

17 Elementa simbola sunt, quæ in aliqua qualitate conveniunt, ut aqua, & aer in humiditate convenientia, dissimbola vero, quæ in ambabus differunt qualitatibus, & opponuntur, ut aqua & *ignis;* hoc supposito, Aris. 2. de Gen. 25. affirmative respondet, rationem reddens, inquit, quia in conversione elementi dissimboli utramque qualitatem opus est permutari, cum in utraque discreniat, at conversione simboli sufficit unius qualit[illegible]s permutatio, quia in altera conveniunt, facilius autem est [illegible]n, quam multa transmutare.

Circa hoc Ari. dictum, ejusque probationem occurrit non spernenda difficultas, quamvis enim difficilius duo ab uno superentur, & facilius unum a duobus, æque tamen facile est, vel difficile unum ab uno, atque duo a duobus superari: Ratio est, quia qualis est proportio duorum ad duo in agendo, & resistendo, talis est unius ad unum, & e contra; cum ergo in elementis dissimbolis pugnent ambæ qualitates ex utraque parte agendo, & resistendo, sane si cætera sint paria, æque facilis erit utrobique transmutatio in simbolis, & dissimbolis, & consequenter æque velox, quia facilitas celeritatem metitur auferendo impedimenta, quæ retardant actionem; hæc difficultas Peripateticos distraxit in varios dicendi modos.

Tatar. 2. de gen quæst. ult. §. *primo sciendum*, Angest. loc. cit. cum Marsil. qu. 10. ejusdem libri, & Saxon. qu. 8. manifeste ab Arist. recedendo dixerunt vel faciliorem, vel saltem æque facilem esse transitum in elementis dissimbolis, ac in simbolis, Arist. vero dixisse faciliorem esse in simbolis non ratione velocitatis, sed paucitatis corrumpendorum, nam *in dissimbolis* opus est utramque qualitatem corrumpi, in simbolis sufficit unius corruptio, & Angest. libere fatetur Arist. valde improprie esse locutum, sicut si quis diceret, facilius unum lapidem descendere, quam duos, quia pauciora requiruntur ad primum, quam ad secundum. Displicet hic dicendi modus, tum quia Arist. nimis vecordem faciunt; tum quia Arist. expresse inquit in simbolis esse faciliorem transmutationem, & magis celerem, in dissimbolis difficiliorem, ac tardiorem, ut videre est in ipso contextu in variis versionibus, tum quia, ut diximus, facilitas major, vel minor metitur celeritatem, vel tarditatem transmutationis ob plura, vel pauciora impedimenta superanda.

18 Tolet. 2. de Gen. qu. 9. inquit, simbolum facilius mutari, quia qualitas contraria minus resistit alteri contrariæ ob consortium qualitatis communis utrique elemento, v. g. humiditas aeris ob conjunctionem cum calore, in quo convenit cum igne, minus resistit siccitati ejusdem ignis, quam humiditas aquæ conjuncta cum frigore. Displicet etiam hæc expositio, tum quia non est de mente Arist. qui non hanc rationem assignavit sui asserti, sed quia facilius unum transmutatur, quam duo, tum quia tenebatur reddere rationem, cur consortium qualitatis simbolæ minuat resistentiam contrariæ, cum potius videamus eam coadjuvare, frigiditas namque in terra roboratur a siccitate, ut magis resistit calori ignis, tum quia etiam hoc dato non sequitur facilius mutari simbolum, quam dissimbolum, quia si in dissimbolis reperitur major resistentia, quia una qualitas dissimbola aliam coadjuvat in resistendo, reperietur quoque eadem de causa major activitas in alio elemento dissimbolo, quia plus dicentur agere duæ qualitates, quam una sola, & una aliam coadjuvabit in agendo.

Jo. de S. Tho. quæst. 10. art. 4. sic rem explicat; licet in elementis dissimbolis pugnent duæ contrariæ qualitates contra duas, in simbolis vero una tantum, tamen non ita facile, & prompte utraque operatur, sicut quando una sola qualitas alteri contrariatur, ut v. gr. ignis contrariatur aquæ secundum calorem, & siccitatem, sed difficilius siccitas ignis tollit humiditatem aquæ, quam aeris, ratio est, quia magis juvari potest siccitas ignis a calore sibi coniuncto respectu aeris, quam respectu aquæ, cum in aqua occupetur utraque qualitas circa suum oppositum in gradu summo, aut excellenti, in aere vero solum occupatur circa unam, & ideo juvari potest altera in sui introductione; quare concludit, quod duæ qualitates, quando utraque habet sumum contrarium, quod agat, *non* ita se juvant adinvicem, sicut quando una tantum qualitas est corrumpenda. At neque ista responsio satisfacit, falsum quippe est, quod quando ambæ qualitates pugnant cum aliis duabus non se invicem juvent, sicut quando una tantum pugnat cum altera, dum enim ignis agit in aquam per calorem, & siccitatem, calor certe valde coadjuvat, & promovet actionem siccitatis, & siccitas e contra actionem caloris, unde siccitas dicitur lima caloris; ratio autem cur siccitas ignis facilius, & citius humiditatem ab aere absumat, quam ab aqua, non est, quæ assignatur in allata solutione, sed est, quia aer est rarior, atque ideo minus resistens, & humiditas aeris est minus vaporosa, atque ideo facilius a siccitate superatur; Accedit quod etiamsi qualitates *dissimbolæ* in agendo non se foverent mutuo quia unaquæque occupata est circa suum contrarium destruendum, non adhuc sequitur facilius simbolum transmutari, quia semper urget hæc ratio, quod plus dicuntur agere duæ qualitates, quam una sola, & plus quælibet conjuncta cum alia etiam simul agente, quam si sola ageret; Tandem hæc explicatio non est ad Arist. mentem, qui non hanc, sed aliam longe diversam reddidit rationem suæ doctrinæ.

19 Conimbr. lib. 2. de Gen. cap. 4. qu. 3. inquiunt, quod utique elementa dissimbola agunt secundum ambas qualitates, simbola vero secundum unam tantum, sed quia ambæ non conveniunt elementis in summo, sed una tantum, ideo quando pugnant dissimbola, ex parte qualitatis remissæ fit imbecillis pugna; at quando simbola pugnant, *licet* in una tantum qualitate decertent, tamen quia ambo illam dissimbolam qualitatem habent in gradu eccellenti, vel summo, citius pugna finietur, *cum magis* strenue fiat. Hæc doctrina falsa est, *nam* etiam in simbolis potest esse pugna secundum qualitatem, non in summo participatam, ut cum aer in se convertit aquam, fit pugna ratione frigoris, & caloris, & tamen calor ab aere non participatur in summo; si dicas sufficere, quod participetur in gradu excellenti, hoc nihil est, quia nulla est qualitas,

tas, quæ ab elementis non participetur in gradu summo, vel saltem excellenti, ut dispu. 1. diximus, unde in hoc sensu nullum erit discrimen inter pugnam simbolorum, & dissimbolorum in suis qualitatibus. Sed quando etiam hæc doctrina vera foret, adhuc non suffragatur, quia semper urget illa ratio sæpius inculcata, quod plus agunt duæ qualitates quam una sola; si dicas hanc unam agere citius, quia procedit a qualitate in gradu excellenti; hoc non sufficit, quia ibi in *dissimbolis* esto una ageret remisse, alia tamen agit intense, atque ideo adhuc verum erit dicere, quod plus agunt illæ duæ qualitates in dissimbolis, quam una in simbolis; demum hæc expositio non quadrat rationi adductæ a Philosopho.

Aresius 2. de Gen. disp. 3. qu. 16. inquit, quod vel consideratur actio alicujus causæ extrinsecæ convertentis unum elementum in aliud, vel consideratur ipsa actio elementorum invicem pugnantium, cujus virtute elementum superans in se convertit aliud; in hoc secundo sensu, inquit, dictum Arist. verificari non posse, nec rationem pro eo allatam valere, sed tantum in priori sensu, & juxta illum Arist. esse locutum. Sed certe hæc explicatio magis distat ab Aristot. mente, quam alia hactenus relata; nam ut constat ex ipso contextu, & expositorum unanimi consensu loquitur ibi Aristot. de mutua elementorum transmutatione per propriam eorum virtutem, & actionem. Tum quia ut notavit Aversa qu. 41. sect. 11. eadem quoque difficultas procedit de extrinseco agente, nam si operatur per duas qualitates contrarias ambabus qualitatibus elementi patientis se habebit omnino ad instar *elementi* dissimboli agentis in aliud dissimbolum, si operatur per unam tantum qualitatem contrariam alteri ejusdem elementi, se habebit omnino ad instar simboli.

20 Aversa ipse loc. cit. totum hoc mysterium reducit ad formas substantiales elementorum, & ait formam elementi dissimboli magis reniti, & resistere, cum in pluribus qualitatibus debeat superari a suo contrario; at vero forma adversa, quæ per duas qualitates agit, non per hoc citius, & validius operari, sed potius magis retardari ex majori contrarietate, ac resistentia, quam invenit, & ratio hujus discriminis in resistendo, ac agendo est, quia passum per se resistit, ad hoc ut se conservet, & ideo contra geminatas adversarii vires plus reniti tur, agens vero non per se, & primario operatur, ut oppositam formam destruat, sed potius ut producat sibi simile, unde ubi majorem invenit similitudinem, facilius, & velocius agit, ubi autem majorem invenit dissimilitudinem, & resistentiam, potius retardatur. Hæc autem solutio non solum omnino aliena est ab Arist. mente, sed neque difficultati satisfacit, nam semper verum est duas qualitates plus agere, quam agat una sola cæteris paribus, tum quia falsum est, quod duæ inveniant majorem resistentiam in passo, quam una sola, nam servata proportione unius ad unum, & duorum ad duo æqualem inveniunt; tum quia etiamsi majorem invenirent resistentiam, majorem quoque habent activitatem, qua illa superent, quam una sola; tandem ratio, quæ afferebatur discriminis in agendo, & resistendo, est prorsus vana, & æque concludit in simbolis, ac dissimbolis elementis, tam enim elementum simbolum, quam dissimbolum non per se, & primario operatur, ut oppositam formam destruat, sed potius ut producat sibi simile, & esto sit major similitudo inter duo simbola, quam inter dissimbola, atque ideo major resistentia hic, quam ibi, nihilominus quia hic etiam habetur major activitas, qua, illa resistentia superetur, quia pugnant qualitates non una tantum, ideo hic non magis retardatur actio, quam ibi, ita enim servata proportione retardatur actio unius qualitatis per resistentiam contrariæ, sicut actio duarum per se resistentium aliarum duarum.

Quamplures Arist. interpretes docent simbola transmutari facilius, quia in eis una tantum qualitas per se corrumpitur a contrario; altera vero per accidens ad corruptionem subjecti, & sic facile cedit sine resistentia, in dissimbolis ambæ corrumpuntur per se, quia igitur difficultas, vel facilitas generationis attenditur ex qualitatibus per se corrumpendis, utpote ratione quarum inter se elementa pugnant, & non ex corrumpendis per accidens, quarum ratione non pugnant, hac de causa dicimus simbola facilius transmutari, quam dissimbola. Hæc explicatio magis ad veritatem accedit, & ad mentem Arist. unde & illam nos recepimus disp. 3. Physic. qu. 1. ad 1. princ. verum majori adhuc indiget declaratione, nam sic absolute prolata non satisfacit, quia semper integra manet principalis difficultas, cur una qualitas citius ab una per se corrumpatur, quam duæ a duobus.

21 Complut. & Ruvius hic aliter adhuc rem explicant, inquiunt enim simbolum facilius, & citius transmutari, non solum quia qualitas simbola non est permutanda, sed etiam quia ipsa dissimbola non est totaliter destruenda, ut introducatur forma alterius elementi simboli, v. g. introducatur forma ignis in materiam aeris, minime opus est, ut aeris humiditas totaliter destruatur, vel saltem in eo gradu, quo deberet ab aqua expelli, ut in *ejus materiam induceretur* forma ignis; & ratio est, quia in materia præhabente similes dispositiones alicui formæ minor gradus sufficit illius dispositionis, quæ deficit, quam in materia habente eas omnes dissimiles, quia hic defectus supletur a consortio aliarum qualitatum cum forma introducenda affinitatem habentium; quod apto manifestant exemplo, nam minor calor in stuppa productus a ferro cadenti sufficiens est ad disponendam eam pro forma ignis, cum tamen idem calor in eodem ferro ad id non sit sufficiens, eo quod habet alias dispositiones cum forma ignis magis repugnantes, quam stuppa, hac igitur de causa facilior, & celerior est generatio simboli ex simbolo, quia qualitas simbola remanet, & contraria non totaliter destruitur, vel saltem non ad eum gradum, quo ambæ destruuntur in dissimbolis. Hæc quoque expositio satis bene non declarat, nam luculenter ostendit, quod plura sunt impedimenta superanda in transmutatione dissimboli, quam simboli, & quod pauciora mutantur in generatione hujus, quam illius, ut dicebat Arist. nam in generatione simboli non solum remanet simbolica qualitas, sed etiam aliquis gradus qualitatis contrariæ quem non oportet destrui, ut introducatur forma alterius elementi, satisfacit etiam principali difficultati, cur una qualitas contraria in simbolis citius ab opposita destruatur, quam duæ a duabus in dissimbolis, ratio est, quia in dissimbolis utraque qualitas superanda est una in gradu summo, altera in excellenti, ubi in simbolis id necessarium non est, quia nec ipsa contraria qualitas totaliter, aut excellenter superanda est. In hoc solum deficere videtur prædicta expositio, quod Arist. inquit in simbolis faciliorem esse transmutationem, in dissimbolis difficiliorem, quia in his ambæ qualitates mutantur, in illis una tantum, facilius autem est unum, quam multa transmutare, itaque Arist. ex sola superstite qualitate simbolica deducit majorem facilitatem generationis in simbolis, at allata expositio eam attendit, nedum ex incolumitate qualitatis simbolæ, sed etiam ex aliquo gradu superstiti qualitatis dissimbolæ, quem non oportet esse destructum, ut forma alterius elementi introducatur.

22 Pro decisione hujus dubii, & recta intelligentia, tum dicti Aristotelici, tum probationis ejusdem, recolendum est, quod diximus disp. 7. Phys. qu. 6. art. 3. substantiam transeunter quoque producere accidentia in externo subjecto, itaquod ignis non solo calore calefacit, sed etiam propria forma substantiali actione æquivoca, quod si res ita se habet, ut ibi fuse probamus, cum elementa inter se pugnant, non tantum qualitates pugnabunt actione univoca, sed etiam formæ substantiales actione æquivoca, & sic forma ignis concurrer cum calore ad expellendum frigus ab aqua: itaque ut ad solutionem difficultatis accedamus, attendendum est, quod licet cum dissimbola pugnant, duæ qualitates agant, & non una tantum, ut in simbolis, tamen agens æquivocum scilicet forma substantialis adhuc est unicum, tam in his, quam in illis, cum ergo in dissimbolis forma substantialis cum duplici hoste dimicet, in simbolis cum uno tantum, sane de isto facilius, & citius triumphum obtinebit, quam de illis. Nec valet dicere, quod in pugna dissimbolorum simul cum ipsa substantiali forma duæ pugnant qualitates, in pugna simbolorum una tantum, atque ideo recurrit argumentum. Non valet, quia juxta allatam doctrinam facilitas, & difficultas generationis non ex sola actione univoca qualitatum metiri deberet, sed etiam ex æquivoca formarum substantialium, quare licet argumentum urgeat de facilitate, & difficultate, celeritate, & tarditate, prout attenduntur ex actione univoca qualitatum, quod servata proportione æqualis erit hic & ibi; quia ita cito una qualitas contraria perimitur ab alia, sicut duæ a duabus cæteris paribus, tamen non urget, prout attenduntur ex actione æquivoca formarum; quia quoad hanc actionem non multiplicantur agentia, nec virtutes activæ in dissimbolis, & ideo citius, & facilius fortitur effectum in simbolis, qui ibi minora invenit impedimenta, minoremque repugnantiam.

23 Contra assertum in se nonnullæ obiici solent dubitationes, primo quia transmutatio unius elementi in aliud fundatur in eorum contrarietate, ut diximus qu. præc. ergo quæ majorem habent contrarietatem, ut dissimbola, erunt melius, & facilius transmutabilia. Deinde quia oppositum experientia docet, gutta aquæ facilius, & citius vertitur in ignem, quam particula terræ, tamen est simbola igni. Conf. quia ignis ad convertendum in se aerem agit per solam siccitatem parum activam, & ad convertendum aquam per calorem maxime activum, citius ergo, & facilius in se convertet aquam, quam aerem. Demum etiam in generatione simbolorum utraque qualitas corrumpitur, quia corrumpitur compositum, quod secundum nos est proprium accidentium subjectum ex disp. 3. Physic. qu. 1. ergo in utrisque erit eadem difficultas, vel facilitas, nec ratio ab Aristot. adducta valebit, quod scilicet in simbolorum generatione una tantum qualitas intereat, & alia permaneat.

Resp. neg. sequ. nam aliud est loqui de ipsa transmutatione in se, aliud de modo, quo exercetur, utique contrarietas est radix transmutationis, & ab ea dependet possibilitas, vel *impossibilitas* ejus, non tamen in modo, & in cæteris conditionibus, *sic* enim dependet ab aliis, nempe ex majori, vel minori virtute agentis, dispositione subjecti, &c. quare major contrarietas non accelerabit generationem, sed potius remorabitur. Ad 2. assertum Aristot. debet intelligi cæteris paribus, ac in posito casu cætera non sunt paria, nam particula terræ plus habet materiæ quam gutta aquæ sub eadem extensione, quod si attenuaretur illa portio terræ per exhalationes usque ad tenuitatem aquæ, certe facilius converteretur in ignem, quam aqua; addimus præ dictum assertum intelligi debere quantum ad id, quod sequitur in elementis ex vi primarum qualitatum, quicquid per accidens contingat interdum ex varia complexione secundarum, & sic in proposito facilius terra in ignem convertitur, & in aquam, quam aqua in ignem, si primas inspexerimus qualitates, at quia terra est valde densa, & unita in suis partibus, difficulter ex hoc capite vertitur in ignem. Ad 3. neg. seq. quia *indispositio* materiæ aquæ ad formam ignis plus valet ad retardandam ignis generationem, quam excessus activitatis caloris ad eam promovendam. Ad

4. neg.

4. neg. item seq. quia qualitas dissimbola per se corrumpitur ex actione contrarii, simbola vero solum per accidens ex destitione subjecti; id vero quod sic corrumpitur, non reddit difficiliorem transitum, quia non resistit agenti, & cum Arist. ait, qualitatem simbolam permanere eandem in genito, & corrupto, de identitate specifica intelligendus est, non numerali, ut dictum est disp. præced. qu. 3. ar. 2.

Dices, male ergo elementa sunt disposita, ut simbola sint propinqua, & unum sit locus alterius, hoc enim stante tantum abest, ut unum esset alterius conservativum, quale solet esse munus loci erga locatum, quod potius illud continuo destrueret, ut v. g. ignis aerem. Resp. neg. sequ. cum hoc enim quod simbola facilius transmutentur, optime stat, ut ignis v. g. conservet aerem, & aer aquam; eo modo, quo elementa postulant conservari, non enim conservari petunt velut omnino incorruptibilia tam secundum totum, quam secundum partes, & semper eadem permanere, ut diximus qu. 1. sed conservari petunt secundum totum cum continua varietate partium (præsertim ubi sunt contermina) earum nempe corruptione, & facili æquivalentis reparatione, sic enim corruptibilia maxime congruenter naturæ suæ conservantur per novam partium successionem corruptis prioribus, quod, quia maxime fit inter elementa simbola, facillime enim unius pars in alterum transit, optime invicem se conservant.

QUÆSTIO IV.

Num ex congressu duorum elementorum possit tertium oriri.

24 A Resius 2. de Gen. disp. 3. qu. 17. negat id esse possibile, saltem Physice, sive elementa simul congredientia sint simbola, sive dissimbola. Oppositum de dissimbolis docet Arist. ex professo 2. de Gen. 27. quem ridicule nimis interpretatur Aresius. dum ait Arist. loqui ibi ex hypotesi, & nihil affirmare, inquit enim, *si autem unumquodque alterum corruptum fuevit;* hoc certe nimis ridiculum est, ac insulsum, quia Arist. ibi id probat ex professo, neque ex illo modo loquendi bene deducitur, quod hoc Arist. judicaverit impossibile absolute loquendo, quamvis enim de rebus impossibilibus hoc pacto loqui soleamus, nihilominus frequenter etiam ita loqui solemus de possibilibus, ut si dicamus, si unum corpus generatur, aliud corrumpitur; non ob id innuere volumus generationem, & corruptionem esse impossibilem, & Arist. ipse superius tex. 25. probare volens unum elementum ex alio generari, ajebat de congressu ignis, & aeris, *si siccitas vincatur ab humiditate, oritur aer; rursum ex aere aqua fiet, si calorem frigus vincat*, & tamen nemo dicet ex hoc Arist. judicasse impossibilem transmutationem elementorum adinvicem.

25 Dicendum est igitur cum Arist. & communi sententia, quod licet ex congressu elementorum simbolorum nequeat tertium specie diversum ab eis emergere, bene tamen potest ex congressu dissimbolorum; Probatur conclusio quoad primam partem; ex Arist. ibidem nequit elementum aliquod produci, nisi in materia præhabeantur dispositiones ipsius connaturales, sed in congressu simbolorum nequit haberi sufficiens dispositio pro tertio elemento, ergo &c. major patet, probatur minor, nam si concurrunt v. gr. aer, & aqua, vel corrumpitur humiditas utrique communis, & sic permanerent tantum duæ qualitates contrariæ, scilicet frigus, & calor, quæ non sunt dispositiones naturales alicujus elementi, vel corrumpentur ambæ contrariæ remanentibus simbolis, & neque sic consurget tertium elementum, quia ex simplici humiditate elementum non consurgit, sed conjunctione quadam qualitatum singula efformantur elementa, vel tandem una tantum ex contrariis destruitur scilicet caliditas, & sic quia hæc corrumpi nequit, nisi generatione frigoris, jam in aere erunt frigus, & humiditas, quæ sunt dispositiones aquæ, quare non erit productio alicujus univoci; idem dicendum, si frigus corrumpatur, quia tunc resulteret aer.

26 Deinde probatur conclusio ex Aristot. quoad alteram partem, nempe quod ex congressu elementorum dissimbolorum possit æquivoca generatione tertium emergere elementum, ut v. g. aerem ex igne, & aqua; corrupta namque frigiditate aquæ, remanente humiditate, & corrupta siccitate ignis remanente caliditate consurgit aer; similiter ex congressu terræ, & aeris potest consurgere ignis, corrupta enim frigiditate terræ, remanente siccitate, & corrupta humiditate aeris remanente caliditate efficitur ignis. Quod si modo non ita facile fiat hic congressus, est propter elementorum impuritatem, & distantiam, non tamen absolute repugnat naturaliter, & Physice fieri, ut contendebat Aresius, si enim applicentur simul ignis, & aqua, adeo ut calor ignis valde superet aquæ frigus, & e contra, humor aquæ siccitatem ignis, poterunt istæ qualitates agendo, & reagendo ad eum gradum se perducere, ut tandem in materia reperiatur humiditas, & caliditas, quales sufficiunt ad introductionem formæ aeris, depulsa ex una parte forma aquæ, ex altera forma ignis. Tum quia quod calidum superet frigidum, vel ab ipso vincatur, independenter est ab aliis qualitatibus, similiter de sicco, & humido, ergo non est omnino impossibile Physice elementa dissimbola ita applicari adinvicem, ut ignis v. g. inducat calorem in aquam, non vero siccitatem omnimodam, & tunc erit dispositio aeris. Tum tandem quia dum aqua in prunas aspergitur, constat ignem extingui, & aquam consumi, & in tali casu verisimile est non nisi in aerem converti, neque dicas in vaporem resolvi, quia supponimus aquam subStantialiter consumi, at vapor est substantialiter aqua, ut sæpe diximus; cum ergo aqua igni injecta consumitur, verisimilius est in aerem verti, quam in aliud elementum, vel mixtum.

27 In oppositum solet objici, quia si duo elementa se interimunt, ut ex eorum destructione tertium emergat per accidens, unum, & idem elementum fortius erit simul, & semel, ac imbecillius altero, fortius, quia vincit alterum, & perimit; debilius, quia ab altero superatur, & extinguitur. Tum 2. si ignis v. g. & aqua congrediuntur, frigus, & calor, siccitas, & humor invicem pugnant; & sic agendo, & repatiendo ad quandam mediocritatem se reducunt, quæ est dispositio pro mixti constitutione, non autem elementi. Tum 3. in tali congressu ignis, & aquæ non videtur contingere posse, quod dicebatur, ut scilicet in igne tota corrumpatur siccitas, & in aqua tota frigiditas, ut inde generetur aer, vel e converso in igne calor, & in aqua humiditas, ut generetur terra beneficio siccitatis, & frigiditatis remanentium; ratio est, quia si ignis potens est ad expellendam humiditatem, poterit multo magis expellere frigus, & aqua si potens est expellere ab igne siccitatem, poterit etiam multo magis calorem. Tum 4. eo ipso quod ignis, & aqua se corrumpunt mutuo, nequeunt attingere productionem tertii elementi, scilicet aeris, quia non existunt in eo instanti, quo erat producendus aer, quod autem non existit, effectum realem causare non potest, præcipua enim conditio causæ est existentia ex dictis in Phys.

Resp. ad 1. frequenter unum elementum esse debilius altero secundum unam qualitatem; & fortius secundum aliam, quare ubi hoc in utroque elemento reperietur, superabit in una, & superabitur in alia, quia ut diximus, una qualitas est independens ab alia, nec in agendo, & resistendo sunt æquales, unde idem elementum erit fortius, & debilius altero secundum diversas qualitates, quod nullum est inconveniens, imo summe necessarium, ut elementorum vires sint æquilibratæ. Ad 2. dicimus in hoc congressu posse contingere, quod una qualitas parum repatiatur a sua contraria, quia propter intensiorem activitatem potest suam contrariam destruere, & consequenter impedire, ne in seipsam reagat tam intense; potest autem hoc contingere, præsertim si qualitas illa juvetur a causis universalibus, puta si vigeret constellatio calida, & humida, jam ignis quoad calefactionem, & aqua quoad humectationem juvarentur, unde resultarent dispositiones aeris, si non in esse perfecto, saltem in esse imperfecto, & remisso, quod sufficit ad generationem aeris; nam postea forma aeris sibi acquirit perfectas qualitates naturaliter convenientes; illa autem dispositio non erit alicujus mixti, quia propter minimam remissionem caloris in igne, & humiditatis in aqua, calor, & humiditas remanet quasi in esse summo, non in esse refracto, & ad mediocritatem redacto, & consequenter erunt dispositiones aeris, non mixti. Ad 3. neg. assumptum, quia ut sæpe dictum est, non adest ista necessaria dependentia inter qualitates, ut si ignis superet in calore v. g. etiam in humiditate debeat excedere.

28 Pro solutione quarti argum. est inter Doctores dissidium in assignatione causæ effectivæ hujus tertii elementi. Quidam enim ut Zab. lib. 2. de qualit. element. cap. 8. docent, elementum aeris v. g. produci in hoc casu per actiones, quibus ignis, & aqua adinvicem agunt; quod Complut. hic explicant, eo quia putant non requiri in eodem instanti generationis, quod sit agens in actu, dummodo præfuerit, quia generatio non est actio ab alteratione distincta: in hanc opinionem videtur inclinare Angest. dum fol. 56. de propr. form. distinguit de actione incæptiva, & completiva, & ait aerem ab igne, & aqua incæptive generari, non completive, ubi etiam sustinet, quod non est, sed immediate fuit, posse aliquid producere. Hic dicendi modus suaderi potest tum ex Arist. q. 11. Met. sum. 4. cap. 1. ait frigiditatem terræ causam esse, cur aer in aquam convertatur in locis subterraneis, & 2. de Gen. 26. inquit generationem elementorum circularem esse, quia ad invicem transmutantur; Tum quia primæ qualitates sunt veluti semina elementorum, ergo quia duo elementa dissimbola continent qualitates proprias unius elementi, poterunt per se producere illud elementum; & tandem confirmat Angestus, quia si ignis per totam horam intenderet calorem, & in instanti terminativo destrueretur, in illo instanti calor complete dicetur productus, & nonnisi ab igne, qui tamen non existit in illo instanti.

29 Sed hæc sententia refutari potest tam ex dictis disp. 7. Phys. quæst. 4. art. 1. ubi ostendimus, omnem causam efficientem requirere existentiam, & qu. 6. art. 2. quod accidens nec virtute substantiæ attingere potest productionem substantiæ; cum igitur tertium elementum generatur, vel ambo intereunt, & sic non existunt, vel unum tantum fit ignis, qui remaneat, tunc nequit ignis propria virtute prodncere dispositiones omnes elementi aeris, quia non continet humiditatem, ergo non erit per se causa aeris, quia continens effectum videtur continere dispositiones illius effectus necessarias; Neque dicas ignem ut causam partialem concurrere cum aqua, quæ in virtute remanet, scilicet in frigiditate, quæ est virtus ipsius. Non valet, quia nec frigiditas aquæ remanet in instanti generationis, nec si remaneret, posset tanquam instrumentum aquæ attingere substantiam aeris. Si dicas, saltem posset ignis partialiter cum Cœlo concurrere ad generationem aeris. Contra hoc est, quia ignis calefaciendo non intendit productionem aeris, sed ignis, & ad generationem ignis ex se ordinat calefactionem illam, quod autem sequatur aer, est præter ignis intentum,

tum, ergo neque dicetur per se causa partialis, causa enim per se agit ex intensione. Quod addunt Complut. jam diluimus disp. præc. num. 23. & seq. distinctio Angesti nil salvat, quia tenetur assignare causam completivam generationis, inceptiva enim est solum alterativa. Nec motiva aliquid urgent, nam Arist. in primo loco non determinat terram esse per se causam efficientem, sed solum esse causam, quod intelligi debet de causa per accidens, quatenus inducit frigiditatem, ut producat aliam terram, sed præter intentum resultat aqua; 2. loco loquitur de generatione univoca, quæ aliquo modo circularis est, quia quodlibet elementum univoce potest ex quolibet alio produci, non de æquivoca actione. Ad 2. qualitates in se proprie non sunt semina elementorum, sed veluti semina, quia sunt dispositiones, attamen ut in uno elemento reperiuntur, non sunt per se semina, & dispositiones, nisi elementi ejusdem speciei, quia dicuntur dispositiones; ut subordinantur agenti principali, ut sic autem ab agente principali ordinantur ad generationem univocam. Ad 3. neg. in illo instanti calorem dici ab igne complete produci, cum ignis non existat, sed compleri vel a seipso, si ponatur indivisibiliter illud ex partibus caloris emanare, vel ab alia causa universali.

30 Mercenarius autem pro causa assignat aliud elementum univocum, scilicet in generatione aeris alium aerem, & in generatione aquæ aliam aquam; addit Aversa qu. 37. sect. 5. ad 7. non esse aerem aliquem in particulari, sed in communi, in cujus virtute dispositiones illæ agere dicuntur. Verum quamvis si istud elementum adesset, posset concedi per se producere univoce elementum simile, si scilicet applicaretur in ultimo instanti, in quo completa esset dispositio aerea, vel aquea; difficultas tamen urget, si non adesset, puta si terra, & aer applicarentur, & aqua non sit præsens, ut agat; Asserere autem cum Aversa aerem, vel aquam in communi esse per se causam, est omnino falsum, tum quia actiones sunt suppositorum, & singularium, tum quia agens per se, & principale debet esse præsens; tum tandem, quia accidentia neque remanent in instanti generationis, non enim subjectantur in materia prima, sed in composito, ut dictum est disp. 3. Phys. qu. 1. nec si remanerent, possent attingere formam substantialem.

31 Dicendum igitur per se causam esse cœlestem virtutem, nam si in sublunaribus nequit reperiri causa per se alicujus effectus, recurrendum est ad causas universales, in casu non adest in sublunaribus per se causa hujus tertii elementi, non enim sunt elementa; tum quia non existunt, tum quia non videntur æquivoce virtualiter ad invicem contineri, aliter idem respectu ejusdem esset perfectius, & imperfectius, causa enim æquivoca est nobilior effectu, ergo si aqua posset ab aere æquivoce produci, esset imperfectior aere, si e contra aer posset ab aqua æquivoce generari, aqua esset perfectior. Nec potest esse aliquod mixtum; nam non experimur hanc virtutem in mixtis; maxime enim esset, cum ex silice, & chalybe producitur ignis, quod exemplum aliqui solent adducere; & tamen vidimus disp. 2. de Cœlo num. 236. & seq. ab astris ignem illum produci, nam illa mixta potius terram, vel aquam causarent, quæ sunt elementa prædominantia, quam ignem, & solum concurrunt ad rarefactionem aeris; tum quia licet detur aliquod mixtum talis virtutis, contingere tamen potest, quod absit, quo casu recurrendum esset necessario ad agens universale.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Generatione corporis mixti, seu de mixtione.

Statuimus subjectum in his libris corpus mixtum, in cujus gratiam hic omnia considerantur; cum igitur hucusque de his, quæ ad cognitionem mixti corporis inserviunt, egerimus, remanet, ut de generatione ipsius pertractemus, seu de mixtione, & de corruptione illi oppositæ, quapropter præsens disputatio principem locum obtinet inter cæteras.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit mixtio, & miscibile, & mixtum.

1 MIxtio secundum nominis Ethimologiam significat conjunctionem plurium corporum confusa quadam ratione, qua ratione accidentia in eodem subjecto, ut albedo, & dulcedo in lacte, non dicuntur misceri, quia non sunt corpora, nec quando diversa corpora ordinatim uniuntur, scilicet quæ sunt unius rationis ex una parte, & quæ alterius rationis ex alia, hæc enim potius est quædam juxtapositio, non mixtio, requiritur enim ut aliqualiter inter se confundantur. Plures acceptiones a Doctoribus assignari solent hujus mixtionis, ut prout colligitur ex Arist. 1. de Gen. a text. 82. & seq. triplex est, impropria, propria, & propriissima; mixtio impropria est, per quam multa corpora, vel multæ particulæ eorum confusa quadam unione conjunguntur secundum approximationem localem, immutatis vero manentibus omnino eorum substantiis, & hoc sive possint adhuc discerni, ut est mixtio hordei, & frumenti, sive non, ut farina ex granis hordei, & tritici. Mixtio propria est, cum aliqua ita conjunguntur, ut per mutuam actionem, & reactionem communicent inter se qualitates, & ad certam temperiem se reducant, non tamen aliquod substantiale tertium distinctum resultat, sic aqua calida, & frigida ad invicem attemperantur, & ad tepiditatem se reducunt, sic etiam pharmacopolæ ut plurimum multa conficiunt medicamina; hæc mixtio ab aliquibus, crasis vocatur. Tertia est, cum ex unione aliquorum, & ex mutua ipsorum alteratione aliquod tertium substantiale distinctum resultat, & de ista loquimur in præsenti; ad quam tria concurrunt; Primum est localis conjunctio eorum, quæ miscenda sunt; Secundum est mutua ipsorum alteratio, per quam singulorum materiæ disponuntur in eo gradu, & proportione, quam requirit forma mixti introducenda; Tertium est introductio formæ mixti.

2 Miscibilia sunt corpora illa, quæ apta sunt conjungi, & ad mixtionem concurrere, & hoc sive secundum approximationem tantum localem, sive secundum alterationem tantum, sive secundum mutationem substantialem, ex qua tertium aliquod resultet, juxta diversitatem mixtionis. Attamen loquendo de miscibilibus concurrentibus ad mixtionem, de qua est sermo, plures assignantur conditiones ab Arist. tex. 87. & seq. Prima, ut sint activa, & passiva ad invicem, ratione cujus materia, & forma, subjectum, & accidens, sublunaria, & cœlestia, nequeunt misceri; Secunda quod possint facile dividi, ac comminui in minutas partes, quia sic facilius possunt ad invicem agere, hinc ferrum, & lapidis non miscentur; Tertia, ut non sint magna, nec multa, nam ex magna rerum multitudine, vel mole difficile potest fieri mixtio, quia difficile alterantur; Quarta ut proportionabiliter misceantur; idest ut habeant proportionem aliquam secundum activitatem, & resistentiam, quia si activitas unius multum superat resistentiam alterius, non fit mixtio, sed actio, ut in nutritione evenit ex alimento, & cum ex ligno fit ignis. Ex quibus colligit Arist. miscibile illud esse, quod agit, & repatitur, & facile dividi potest, item quod humida facilius misceantur, quam sicca, & ex humidis, quæ non sunt viscosa, ut sunt oleum, mel, pinguedo, &c. hæc enim non tam facile penetrari possunt.

3 Mixtum est id, quod ex mixtione resultat, & quandoque est unum per accidens, si de prima, & secunda mixtione loquamur, estque totum quoddam integrale, & aggregationis, at si resultat ex propriissima mixtione, est unum per se, quia est totum quoddam essentiale.

4 Mixtionem propriissimam definivit Arist. in fin. 1. lib. de Gen. quod sit *miscibilium alteratorum unio*, idest ut explicat Scot. in 2. d. 15. ad 1. est generatio alicujus, in quo continentur, & uniuntur miscibilia, quæ fuerunt alterata, & mixta, alii Doctores varie explicant hanc definitionem, clarius definitur a Ruvio. Mixtio est mutatio substantialis ad formam mixti ex miscibilibus congregatis, & per mutuam alterationem dispositis, atque corruptis, in qua virtualiter uniuntur, & continentur: ly mutatio substantialis stat loco generis, per ly formam mixti excluduntur generationes elementorum, in quibus elementis miscibilia non uniuntur, & continentur, per ly ex miscibilibus, &c. explicatur terminus a quo, per quem differt a generatione illius mixti, quod non fit ex prævia alteratione miscibilium, sed ex altero mixto immediate producitur, ut sunt viventia, ex semine genita, quæ generatio non est proprie, & rigorose mixtio; ly in qua virtualiter continentur, &c. explicat rationem formalem mixti, quod est virtualiter continere in seipso elementa, ut dicemus.

5 Hinc deducitur mixtionem proprie, & formaliter non distingui a generatione aliorum mixtorum, quæ ex aliis mixtis generantur; quia cum relationes, & mutationes solum ex terminis ad quos specificentur ex dictis disp. 15. Physic. quæst. 7. art. 1. si unum mixtum ex alio mixto generetur, & aliud ejusdem rationis ex miscibilibus alteratis, ut sunt animalia ex putri, & semine producta, istæ generationes non erunt essentialiter distinctæ, sed solum accidentaliter ratione termini a quo, seu ut rectius loquamur, (nam terminus a quo per se est privatio formæ) ratione alicujus præsuppositi, nam mixtio præsupponit conjunctionem, & alterationem præviam miscibilium, a quibus mixtio sumit denominationem, & ad quæ dicit habitudinem; & quamvis sit de hoc inter Doctores aliqua dissensio, faciliter tamen ex dictis disp. cit. Physic. dissolvitur.

Scaliger tamen exercit. 3. & Arriaga hic ajunt definitionem Arist. vitiosam esse, quia mixtio hac definitione definitur per miscibile, quod est æque ignotum, & per mixtionem explicatur,

catur, est committere circulum in definitinibus. Verum constat ex dictis in Log. disp. 8. q. 11. explicando ultimam proprietatem relativorum, esse scilicet simul cognitione, & definitione, non esse inconveniens relativa ad invicem definiri, tum quia Arist. explicat miscibile per alias conditiones, unde non est æque ignotum, ut mixtio. Verum est tamen, ut notat Aversa quæst. 43. sect. 1. quod si spectemus simplicem sensum verborum, potius est quædam simplex propositio, quam definitio mixtionis.

6 Miscibilia proprie sunt omnia quatuor elementa, quia vere eis conveniunt omnes conditiones assignatæ, & experientia constat ex commixtione elementorum, & alteratione tertium aliud generari; ita docuit Arist. 2. de Gen. 49. & probat, quia unumquodque a terra habet consistentiam, ab aqua terminabilitatem, seu coagmentationem, aer autem, & ignis requiruntur quia sunt aquæ, & terræ contraria, & ut frigiditatem illorum attemperent; tum quia viventia ex omnibus elementis nutriuntur.

Dices, non videtur ignem posse concurrere ad mixtionem, deberet enim deorsum pelli, quod est contra ipsius naturam, nec apparet, quodnam sit movens, falsum enim est, quod aliqui dicunt, Cœlum suo motu quasdam ignis particulas deorsum trudere, nam transeundo per mediam aeris regionem deberent extingui. Tum quia Arist. 4. Metheor. sum. 2. c. 3. docet, omnia mixta esse aquea, vel terrea, ergo nullum aliud elementum ingreditur mixtionem. Neque dicas Aristot. loqui de elemento prædominante; Nam in oleo prædominatur aer, unde mixtum aereum ab eodem ibid. c. 2. vocatur, & tamen est mixtum aqueum, quia dissolvitur calore, signum evidens non componi ex aere tamquam ex prædominante, quia aer est calidus, sed ex terra, & aqua; hinc si mixtum habet multum terræ, dicitur terreum, si multum aquæ, aqueum. Tum 3. ex iis mixtum componitur, in quæ deinde dissolvitur, hæc autem sunt aqua, & terra, aer autem, & ignis non apparent. Quibus pernioti Cardanus lib. 2. de Subtil. Aref. 1. de Gen. qu. 50. sect. 1. Ruv. tract. de mixt. qu. 1. & alii putant naturaliter impossibile omnia quatuor elementa concurrere ad mixtionem.

Dicimus tamen, quod licet non necessario requirantur semper omnia quatuor elementa ad mixtionem, ut infra num. 37. potest tamen quandoque accidere, quamvis enim ignis a propria sphæra non descendat, in visceribus tamen terræ ignem reperiri satis liquet ex Ætna, aliisque montibus flammivomis, & aquis termalibus calidissimis, ut disp. 4. de Cœlo num. 61. diximus, quas nisi penetrarent exhalationes igneæ, numquam ista ferverent. Arist. autem omnia mixta appellavit aquea, vel terrea ratione molis, seu quantitatis, quia semper plus est istorum elementorum, & quandoque aliquod ex istis excedit, non autem quod illa sola componant; alia autem elementa, quamvis sint mole minora, possunt tamen prædominari, quoad virtutes activas, & motivas propter multas exhalationes igneas, & aereas, quæ molem non faciunt, sic oleum dicitur mixtum aereum, calx, & piper ignea nominantur. Quomodo autem mixtum dicatur in quatuor elementa dissolvi dicemus quæst. 3.

7 Deinde liquores illi, qui non habent contrarias qualitates, non dicunt proprie miscibilia, quia non possunt ad invicem agere, & pati, cum omnis actio fiat inter contrarias qualitates, & quamvis adinvicem divideretur in minutissimas partes, non ob id corrumperentur, quia nec divisio fieret in infinitum, nam statim ac pervenerit ad aliquas particulas ita minimas, ut non habeant virtutem amplius dividendi (ad agendum enim requiritur determinata virtus ex dictis disp. 5. qu. 5.) cessabit divisio, neque erit corruptio, quia inanimata non determinant sibi minimum, ex dictis disp. 9. Phys. qu. 3. Hinc non recte Complut. disp. 9. quæst. 2. & Joan. de S. Tho. de Gen. quæst. 6. art. 2. docent quandoque liquores ejusdem speciei contrarias qualitates habentes, si permisceantur, ad invicem corrumpi, & alium numero distinctum generari; Nam si formæ illæ substantiales sunt ejusdem speciei, si una stat sub illis dispositionibus, etiam altera, & consequenter, quamvis fieret alteratio quoad illas qualitates contrarias, non tamen fieret corruptio substantialis formæ, quia si una dispositio est compossibilis cum una forma substantiali, erit quoque compossibilis cum aliis ejusdem speciei, unde nunquam unum individuum immediate corrumpitur in aliud ejusdem speciei; sed in aliud alterius speciei. At liquores contrarias qualitates habentes, quas sibi quilibet determinat, & consequenter alterius, & alterius, sunt speciei, vere, & proprie miscibilia dicuntur, habent enim requisita.

Petes, quot miscibilia requiruntur ad mixtionem? Resp. loquendo de mixtione ut a generatione mixti distincta, saltem duo exiguntur miscibilia, an vero quandoque possit mixtum ex uno tantum elemento generari dicemus infra nu. 37. & q. 5.

QUÆSTIO II.

Quo pacto fiat alteratio prævia ad mixtionem.

8 Quoniam ad mixtionem præ requiritur miscibilium alteratio, ut ordinate procedamus, prius de ista alteratione loquendum, quo pacto scilicet per primas qualitates alterentur ad invicem miscibilia, antequam resultet mixtum, deinde de ipsa generatione mixti. Et quidem certum est in hac alteratione omnes quatuor primas qualitates ad invicem agere, & quamlibet a sua contraria refrangi; sed quoniam Arist. 4. Metheor. c. 2. asserit tunc generationem mixti fieri, cum qualitates activæ, scilicet calor, & frigus, dominantur subjectæ materiæ imbutæ passivis qualitatibus, scilicet humiditate, & siccitate, hinc orta est quæstio inter Philosophos, an solum calor, & frigiditas concurrant active ad eductionem formæ substantialis e materia, humiditas vero, & siccitas sint dispositiones materiæ, an vero omnes quatuor active concurrant; & si primum dicatur, in quo sensu explicari debet dominium illud.

9 Aliqui putarunt solum calorem, & frigiditatem active, & per se concurrere ad eductionem formæ, & hoc, quia excedunt alias, & dominantur secundum intensionem gradûum; a quibus parum distat Buccafer. docens hoc dominium esse secundum virtutes: Albertus vero apud Angest. de propriet. form. pag. 98. Pomponatius, quem refert, & sequitur Zab. lib. 1. de Gen. mixti, putant cum Averr. solum calorem per se concurrere, frigus vero per accidens, quatenus mitigat calorem: quam opin. sic explicat Zab. nam quando elementa ad mixtionem concurrunt, per contrarias qualitates ad invicem agunt, & patiuntur, quoniam autem calor, & frigus maximam agendi vim habent, ideo absolvitur primo loco horum contemperatio, & fit ex his una qualitas media, quæ vocatur temperatus calor, qui postea agit in humidum, & siccum, & hæc secunda actio, non quidem producendo novum calorem, quia jam calor in illis reperitur per præcedentem mutuam actionem, sed immediate, & per actionem immanentem producit in humido, & sicco extenuando illam unionem, & terminationem pro eductione formæ mixti, quæ nequit educi, nisi miscibilia permisceantur, nequeunt vero permisceri, nisi extenuentur; hæc autem extenuatio fit a calore per se, per accidens vero a frigore, quatenus contemperat calorem; sicut enim non quilibet calor requiritur ad formam mixti, ita nec quælibet extenuatio, sed determinata, & determinatus calor, hanc autem determinationem calor suscipit a frigore, & hoc est dominium activarum qualitatum supra passivas, quia istæ solum se tenent ex parte materiæ, illæ vero agunt ad eductionem formæ extenuando, & uniendo secundum debitam proportionem requisitam ad formam; unde dominium non debet attendi secundum gradus, sed secundum proportionem explicatam. Bene verum est, quod postea mixto jam genito frigus agit per se constipando, & congelando partes mixti, quod est ultimum complementum ipsius mixti. Communis tamen opinio sustinet, omnes has qualitates active concurrere ad eductionem substantialis formæ mixti, ita Angest. cit. & Aversa quæst. 43. sect. 7.

10 Dicimus primo, ad deductionem formæ substantialis omnes quatuor qualitates active concurrere, & ut instrumenta, ad extenuationem vero, per mixtionem partium, ac terminationem calorem, & frigus per se active concurrere, alias vero solum passive. Prima pars quod omnes active concurrant, Prob. ex Arist. citat. ubi universaliter ait generationem mixti esse opus harum qualitatum. Tum quia omnes quatuor sunt connaturales formæ educendæ, ergo quia omnes sunt de genere activorum ex disp. 1. qu. 1. & 4. omnes active concurrunt ad eductionem, & consequ. prob. quia formæ elementares humiditas, & siccitas activæ concurrunt, quia sunt illi connaturales, ut etiam Zab. concedit, ergo quia sunt etiam mixto connaturales, habebunt proprias activitates eo modo, quo potest accidens concurrere active ad generationem substantiæ. Tum quia ideo per adversarios calor, & frigus active concurrunt, humiditas, & siccitas passive, quia respectu alicujus secundæ qualitates necessariæ ad generationem mixti, ut est illa extenuatio, congregatio, & terminatio, verè ita se habent, sed dantur etiam aliæ secundæ qualitates ad generationem mixti requisitæ, quæ humiditati & siccitati præcipue tribuuntur, ut sunt duricies, & mollities, ergo quoad hæc etiam ipsæ activæ dici debent.

11 Secunda pars, quod respectu congregationis, & extenuationis partium calor, & frigus per se active concurrant, Prob. ex Arist. cit. qui indifferenter de utroque loquitur. Tum quia de frigore ostenditur, nam quando elementum frigidum ex calido generatur, adhuc frigus respectu humiditatis, aut siccitatis activum dicitur, & istæ qualitates passivæ, quia causat terminationem, unionem, & congregationem partium ad formam requisitas, & ex se est productivum talis effectus, ergo etiam in generatione mixti, quia non solum disgregatio, & extenuatio partium prærequiritur, sed etiam aliqua congregatio; hinc non solum calor per se agit causando disgregationem, sed etiam frigus producendo congregationem. Tum quia vel partes humidi, & sicci habent congregationem, & terminationem requisitam ad formam mixti, vel non habent; si secundum, ergo quia prærequiritur, debebit illis causari per se, non a calore, qui potius segregationem causat ex disp. 1. quæst. 2. art. 2. ergo a frigore; si primum, ergo saltem frigus per se aliqualiter causat conservando scilicet illam, & defendendo a contrariis. Nec valet, quod ait Zab. illum effectum provenire a qualitate media insurgente ex calore, & frigore temperatis, sed non quatenus habet frigus, sed quatenus calorem. Non valet, quia qualitas illa media (quæ solum dicitur media per aggregationem, non quod specie ab extremis distinguatur ex disput. 1. quæst. 5. art. 1.) per se agere debet, non solum ut continet calorem, sed etiam frigus, quia non solum per se requiritur attenuatio, sed etiam congregatio, quæ est effectus frigoris, non caloris, ut patet ex eorum definitionibus, & maxime si humida, & ficca sint magis attenuata, quam expostulet forma mixti, quo casu potius frigus principalius concurreret ad istum effectum, quam calor. Quod si dicas illam congregationem, & constipationem potius subsequi generationem mixti, quam præcedere. Hoc est aperte falsum, nam si solum subsequeretur, ergo materia ante mixti generationem esset plus extenuata, quam forma generanda exposcat, & consequenter plus caloris haberet, quod est falsum, quia secundum ipsum Zab. calor debet excedere secundum proportionem formæ generandæ, ergo si extenuatio non est summa, sed moderata, jam erit mixta cum aliqua constipatione, tum quia non est minor ratio, cur aliæ dispositiones debeant præcedere in materia, & sola constipatio debeat subsequi. Tandem, quod humiditas, & siccitas ad istum effectum mere passive se habeant, patet; quia congregare, & disgregare sunt effectus caloris, & frigoris, ut habetur ex eorum definitionibus.

12 Dicimus 2. ad hoc ut calor, & frigus ista actione agant in passivas, non est necesse, ut ipsas superent secundum gradus, imo hoc est naturaliter impossibile, sed sufficit dominium in illas secundum proportionem ad formam mixti requisitam. Prima pars prob. quia humiditas, & siccitas, vel sunt in gradibus æqualibus ut quatuor, vel una erit altera intensior, scilicet humiditas, ut quinque vel sex, siccitas ut tria, vel duo, aut e contra, sed quocumque dato nunquam frigus, & calor possunt secundum intensionem illas excedere, quia si admittitur primum, tunc calor, & frigus, vel erunt in eisdem gradibus æqualibus, & sic non dominantur secundum intensionem, vel calor erit intensior, quam frigus, scilicet calor ut septem, frigus ut unum, vel e contra, & tunc licet una qualitas istarum possit excedere passivas, non tamen ambæ, aliter essent in eodem subjecto secundum gradus intensos, quod naturaliter repugnat. Secunda pars patet, quia ista actio non est inter contraria, sed potius circa subjectum, & consequenter non requiritur excessus quoad gradus, sed solum secundum proportionem activitatis in ordine ad formam, quatenus scilicet si forma requirit attenuationem ut duo, requirit etiam calorem ut duo, a quo debebit attenuatio illa causari, qui calor poterit agere hac actione in humidum etiam ut sex, & si minor esset calor, non posset concurrere ad istam extenuationem requisitam, & hoc est, quod ait Arist. cit. dum inquit, tunc esse generationem mixti, cum qualitates activæ dominantur subjectæ materiæ unicuique naturæ, idest cum habent talem activitatem proportionatam cuicumque naturæ producendæ; in quo sensu explicari potest opinio Buccafer. ut notat Zab.

13 In oppos. obiic. primo, quod frigus per se ad mixtionem non concurrat, quia calor est causa generationis, frigus potius est causa corruptionis, ut patet præcipue de calore cœlesti, nam in hyeme, quia Sol recedit, & advenit frigus, omnia intereunt, in æstate vero per approximationem Solis, & caloris omnium rerum fit generatio, hinc frigus ab Arist. 4. Metheor. vocatur corruptivum, a Galeno 2. de Accid. cap. 3. dicitur in actione nullum conferre juvamentum. Secundo arg. quod calor, & frigus, non sint activa in humidum, & siccum causando extenuationem, & constipationem, quia calor, & frigus non producunt secundarios effectus, nisi per primarios, scilicet refrigerando, & calefaciendo, eo vel maxime, quia actio est inter contraria, ergo si calidum, & frigidum agunt in humidum, & siccum aliqua actione, hoc erit media calefactione, & infrigidatione, ergo prius producunt in illa alium calorem, & aliud frigus, sed nulla res potest a calore calefieri, nisi fit frigida, nec a frigore pati, nisi sit calida, ergo ante istam actionem humidum, & siccum erant calida simul, & frigida, quod est falsum, aliter daretur processus in infinitum.

14 Resp. ad 1. neg. assumptum, nam nulla causa est per se corruptiva, sed per accidens, quia natura non intendit per se malum, & corruptio unius est generatio alterius, & consequenter frigus, si est corruptivum, debet etiam esse generativum; nec exemplum adductum aliquid valet, nam retorqueri potest, quia calor summus adveniens omnia destruit, & convertit in ignem, sed adveniente frigore, aliqua generantur, ergo frigus esset per se causa generativa, calor destructiva; quare dicendum nec calorem summum, nec frigus immoderatum esse per se causas generationis mixtorum, sed in esse moderato, & attemperaro secundum proportionem mixtorum, & quia in hyeme frigus est immoderatum respectu generationis viventium, idcirco non generantur in hyeme, solum posset concedi calorem principalius requiri maxime in viventibus, cum sit principalius instrumentum animæ, non idcirco tamen debemus excludere omnino frigus a ratione per se causæ, sed solum quod sit causa minus principalis; unde dictum Arist. & Gal. non debet absolute intelligi, sed comparative. Quibus accedit, quod dantur plura mixta, quæ principalius expostulant frigus, minus principaliter calorem; tum quia calor quoque est præcipua causa putrefactionis mixtorum, ut dicemus qu. ult. Ad 2. ex Zab. resp. quod in alterationе elementorum datur actio transiens, qua unum contrarium agit in aliud, & hac actione elementa contemperantur, ita ut quodlibet habet aliquid omnium qualitatum, postea datur actio immanens, quia postquam elementa sunt quoad qualitates refracta, calor, & frigiditas in illo toto aggregato ex elementis inexistentes agunt in ipsum totum actione immanenti, quatenus siccum est, & humidum producendo illam disgregationem, & congregationem; tunc ad argum. resp. antec. non esse verum de actione immanente, sed de transeunte, imo nec est verum omnem actionem esse inter formaliter contraria, nisi de agente univoco. Vel 2. resp. ad anteced. omnis actio inter elementa est per effectus primarios, vel formaliter, vel præsuppositive, actio transiens est formaliter per illos, immanens vero præsuppositive, sic illa qualitas media in aggregato ex elementis actione immanenti agit præsupponendo actionem primariam calefactionis, & refrigerationis, qua totum illud aggregatum fuit alteratum.

QUÆSTIO III.

Quomodo elementa manent in mixto.

15 Miscibilia, & maxime elementa manere aliqualiter in mixto docuit Arist. tum definiendo mixtionem quod sit miscibilium alteratorum unio, tum definiendo ipsa elementa 3. Cœli 31. dum dixit, *Elementum est corpus, in quod cætera corpora dividuntur, in quibus potentia, aut actu inest, ipsum vero in specie diversa est indivisibile*, hinc jure merito quæsimus de modo, quo remanere dicuntur *in mixto*; Et quidem in duas principales classes sunt Doctores inter se divisi, quidam enim dixerunt manere formaliter, & ut ait Arist in actu quoad proprias substantias, sed in esse refracto, & remisso, alii vero in potentia, & virtualiter; sed valde deinde inter se dissident in explicatione harum opinionum.

Qui enim sustinent formaliter manere, sed in esse refracto, non eodem modo explicant refractionem istam; nam Avic. lib. 1. Suffic. c. 10. ait elementa refrangi, & remitti quoad proprias qualitates, non quoad substantiales formas, quam rarefactionem qualitatum Ragusejus d. 19. & citatur etiam Fernel. lib. 2. & 3. Physiol. explicat, non quidem quoad gradus ipsarum, nam inquit qualitates elementorum in mixto remanere *etiam in summo, sed quoad actionem, nam elementa in mixtione* conscinduntur in minutissimas particulas, itaut in qualibet parte mixti reperiantur semper quatuor particulæ elementorum, attamen quia ad mixtionem concurrunt secundum paritatem virium, ut inquit Arist. hinc unum elementum impedit aliud quoad actionem, nec amplius sunt sui juris, sed potius in tertium commutantur; quare refractio ipsorum erit quoad vires exercendas, non quoad graduum remissionem. Alii vero, ut Mercen. lib. 1. diluc. & Camerarius part. 2. qu. 1. explicant refractionem istam quoad gradus qualitatum, ita ut propter actionem, & reactionem, quas inter se, & mutuo exercent, admittunt qualitates esse in summo, & ad quoddam medium refranguntur juxta mixti cujuslibet temperamentum.

16 Averroes vero *non* solum putavit *in mixto* reperiri qualitates elementorum refractas quoad gradus, sed etiam quoad formas substantiales, quos suscipere magis, & minus asseruit, & posse intendi, & remitti. Sed neque hæc formarum substantialium refractio eodem modo ab Averroistis explicatur; Aliqui enim ut Achill. lib. 2. de Elem. art. 3. Svest. 1. de Gen. Jand. 6. Physic. qu. 2. Contar. lib. 3. de Elem. alter Contar. junior. tom. 2. q. de Mixt. & Dand. 2. de An. digress. 8. hanc refractionem explicant per veram remissionem ut in qualitatibus, scilicet per amissionem plurium graduum, itaut elementa in esse refracto non differant specie a seipsis in esse perfecto, sicut albedo ut duo non differt specie ab albedine ut octo: Alii vero ut Baccon. 3. d. 16. ex nostris Canon. 5. Phys. q. 2. art. 2. ubi Aureol. cit. & Zab. lib. de Mixt. a quibus parum differt Piccol. lib. de Mixt. c. 9. docent in mixto unam formam reperiri formaliter continentem formas elementorum secundum aliquos gradus, quem dicendi modum explicat Aref. 1. de Gen. qu. 51. sect. 4. exemplo animæ rationalis formaliter continentis animam sensitivam, & vegetativam secundum gradus formales, sic forma mixti, inquit Aref. formaliter continet formas elementorum non secundum entitates reales, sed quoad gradus formales, licet non secundum omnem, & integram eorum rationem, qua ratione dicuntur contineri in esse refracto, & perfectius continetur forma elementi prædominantis. Zab. vero ait, formam mixti aliud non esse, quam collectionem plurium graduum, & realitatum formarum elementorum, & simetriam illam esse formalitatem mixti; itaut cum forma ignis, & aliorum elementorum, habent omnes realitates, constituunt elementa in proprio esse specifico, at quando admittunt aliquas realitates, & adinvicem miscentur, sic constituunt varia mixta juxta varias admixtiones, & desinunt esse elementa, nec habent amplius idem esse specificum, sed transeunt in esse carneum, aureum, &c. & idcirco unum elementum dicitur in aliquo prædominari, quia plures realitates illius reperiuntur in illo mixto. Ex quibus colligitur aliud discrimen, quod invenitur inter istos Doctores, aliqui enim in mixto ponunt formam mixti realiter a formis elementorum distinctam, alii vero hanc mixti formam asserunt esse solum collectionem, & simetriam formarum elementarium, nec aliam formam agnoscunt realiter ab illis distinctam, & de novo advenientem in generatione mixti.

17 Alia extrema opinio docet elementa non formaliter, sed virtualiter, in mixto manere, ita Scotistæ cum Scoto 2. d. 15. Thomistæ cum D. Th. 1. p. qu. 76. artic. 4. Nominales, Suarez d. 15. Meth. sec. 10. Joel 1. de Gen. qu. 17. Conimbr. c. 10. q. 4. Ruv. tr. de Mixt. q. 4. Hurt. disp. 6. sec. 2. Mur. d. 3. q. 3. Arriag. disp. 2. Phys. sec. 1. Aversa q. 43. sect. 3. & 4. Fons. 7. Met. c. 16. q. 2. & alii. Quid autem sit elementa virtualiter in *mixto* manere, non similiter ab omnibus explicatur. Aliqui enim hanc continentiam explicant in ordine ad qualitates tantum elementorum, & virtualiter accidentali, non substantiali, aut in ordine ad formas substantiales, sed quatenus in mixtis reperiuntur primæ qualitates, quæ virtutes dicuntur elementorum, ita Thomistæ quibus adhærent Ruv. & Conimbr. qui adhuc dissident, nam aliqui qualitates istas non formaliter remanere in mixto asserunt, sed virtualiter inclusas in quadam qualitate resultante ex illis quatuor de

novo

novo citantur Sonc. 10. Meth. q. 2. Javellus 8. Met. q. 4. Greg. 1. d. 17. q. 3. art. 2. & a Ruvio citatur Scotus; Alii vero non unam, sed duas admittunt qualitates resultantes unam ex calore, & frigore, aliam ex humiditate, & siccitate, ita Dur. 2. d. 30. q. 5. Saxon. 2. de Gen. q. 19. Conciliator differ. 6. alii concedunt qualitates primas remanere in mixto formaliter, sed adhuc admittunt quintam qualitatem virtualiter illas includentem, alii tandem solum quatuor qualitates primas ponunt in mixto, ita communior. Scotus vero licet admittat has qualitates primas formaliter remanere in mixto, nec aliam qualitatem illas virtualiter continentem agnoscat, adhuc tamen hanc virtualem continentiam elementorum explicat in ordine ad formas substantiales, quia vult formam substantialem mixti includere virtualiter formas elementorum, & forte ab hac Sent. Canon. & Aresi. nonnisi solis verbis discrepant, ut videbimus; sequuntur Suarez, Jol. Avers. & alii.

ARTICULUS I.

Ostenditur, & explicatur continentia virtualis elementorum in mixto.

18 Dicimus primo, elementa non formaliter, sed virtualiter remanere in mixto; ita Doctor cit. quam concl. ostendimus præcipue ex confutatione aliorum; & primo prob. non remanere formas elementares in esse refracto quoad vires, ut dicebat Raguf. nam Arist. de Gen. 48. ait, *Quæ miscentur, secundum excellentias se corrumpunt, & tunc neque illorum contrarium alterutrum simpliciter erit, sed medium*; insuper: *Et primo quidem elementa ita transmutantur, ex his autem carnes, & ossa, & quæ talia calido quidem facto frigido, frigido autem calido, quando ad medium veniunt*, & 1. de Gen. 88. ait miscibilia activa debere esse & passiva, ex quo deinde in fine deducit mixtionem esse miscibilium alteratorum unionem; ex quibus patet, miscibilia in mixtione debere alterari ad invicem, & agere, & pati actione alterativa, quod est intendi, & remitti secundum qualitates, ergo qualitates elementares non erunt in summo in mixtis. Nec valet, quod ait Raguf. elementa alterari non quoad remissionem qualitatum, sed quoad virium suspensionem, sicut si duo homines viribus æquales certarent inter se, inter utrunque daretur actio, & passio, non quoad remissionem graduum fortitudinis, & virium, sed quoad inhibitionem, ne unus alterum deiiciat. Non valet, quia alteratio tendit ad qualitatem, si est intensio, & ad deperditionem qualitatis, si est remissio, at in elementis non adsunt aliæ qualitates active univoce præter primas, ergo circa illas contingit alteratio. Tum quia secundum Arist. illa alteratione debent elementa alterari, qua postea frigidum denominatur calidum, & e contra, sed ex sola inhibitione virium nunquam calidum dicetur frigidum, sed potius non calidum, quatenus caret actione caloris, ergo &c. Tum quia vel unum elementum agit in aliud actione positiva, vel non, si secundum, ergo non agit, nec alterat, si primum, ergo aliquid in illud aliud producit, actio enim positiva terminum positivum exposcit, *istud autem* productum erit aliquis gradus propriæ qualitatis primæ, quia frigidum v. g. nihil producit, nisi frigiditatem, ergo corrumpit *aliquem gradum qualitatis oppositæ, in his* enim generatio unius est corruptio alterius, ergo calor non erit summus v. g. in igne. Nec exemplum adductum valet, quia vere homines illi *ad invicem* agunt, & patiuntur producendo impulsum, quæ est quædam qualitas, at non sequitur ex hoc remissio fortitudinis, quia impulsus ille non opponitur formaliter fortitudini, itaut ex generatione unius inferatur corruptio alterius, ut est in primis qualitatibus, præterquamquod etiam vires propter impetum impressum hebetantur, licet postea denuo resurgant, quia substantialis forma non minuitur.

19 Accedit etiam, quia sequeretur omnium mixtorum esse idem temperamentum, quod est falsum, seq. prob. quia temperamentum est dispositio primarum qualitatum, ut qu. seq. dicemus, ergo si primæ qualitates omnino in summo remanent, eodem modo essent in omnibus mixtis dispositæ. Raguf. negat seq. quia elementa non omnino paribus viribus ad mixtionem accedunt, sed quodammodo imparibus, itaut unum elementum paulisper alterum excedat, & ideo quia modo hoc, modo illud excedit, insurgit temperamenti varietas. Contra, vel iste excessus est sufficiens, ut excedens agat in debilius, vel non, sed adhuc vires habet impeditas; si primum, ergo aget, cum sit agens naturale, & sic debilius non habebit qualitatem in summo; si secundum, cum iste excessus sit tenuis, ut diximus disp. 2. qu. 1. art. 2. & qu. 5. certe nequit esse causa diversitatis temperamenti, quia temperamenta mixtorum sunt ita inter se diversa, ut unum non paulisper, sed secundum plures, & plures gradus alterum mixtum excedat, ut patet præcipue in venenis. Et tandem quia hæc opinio deberet admittere alias primas qualitates præter illas elementorum, nam calor, & frigus v. g. elementorum per ipsum non percipiuntur, & tamen mixtum percipitur calidum, vel frigidum, ergo iste calor, vel frigiditas erit a calore, vel frigore elementari distincta, deberet etiam admittere *in pulvere tormentario* summum calorem, in fluppa, & ferro summam humiditatem, in vino summam siccitatem, quæ omnia ex ipsis terminis apparent falsa.

20 Secundo, quod non maneant refractæ formæ substantiales secundum gradus qualitatis, sed perfectæ secundum substantias, probatur, quia vel istæ elementares formæ sunt inter se compenetratæ, itaut quælibet informet quamlibet partem materiæ, & hoc est falsum, quia ut arguit Doctor, nequeunt in eodem supposito esse plura supposita distincta, & disparata, at quælibet forma elementi nata est constituere proprium suppositum, cum non sit alteri formæ elementari subordinata, nec communicabilis, tum quia darentur plures quantitates, quia scilicet consequuntur elementares formas, simul compenetratæ; nec elementorum formæ adinvicem se excluderent ab eadem materia, sed compossibiles essent, unde numquam ex uno elemento aliud generaretur, & tandem posset eodem modo argui, quo disp. 4. qu. 3. impugnatur opinio ponens per rarefactionem novam quantitatem acquiri, nam cum tota materia mixti sit major qualibet materia elementorum, cum integretur ex illis, jam forma ignis v. g. deberet coextendi in informandam non solum propriam materiam, sed etiam materias aquæ, aeris, & terræ; quæ omnia sunt falsa. Vel elementa solum juxtaponuntur secundum minutissimas particulas, & hoc etiam est falsum, inquit Scotus, quia sic non quælibet pars mixti esset mixta, ut docet Arist. Nec valet, quod ait Raguf. quamlibet esse mixtam, quia elementa in mixto non sunt sui juris, sed inter se confusa, ac si non essent; Etenim vere, & proprie entitates elementorum essent a parte rei *juxtapositæ secundum minutissimas* particulas, & ab Angelo cognoscerentur, quod autem non sint sui juris, solum impedire posset mutuam actionem primarum qualitatum, non autem constitutionem compositi elementaris, qui est effectus in genere causæ formalis inimpedibilis a Deo, quandiu forma est in materia, respectu cujus effectus forma est sui juris, ergo vere, & realiter quælibet pars mixti non esset mixta. Nec quoque juvat, quod alii dicunt, quamlibet partem mixti esse mixtam, non propter elementa, sed propter formam mixti, quæ per totum diffunditur; Non valet, quia intentum Philosophi est ostendere elementa ita inter se misceri, ut mixtio non sit juxtapositio elementorum, unde loquitur de miscibilibus, non de forma mixti, itaut quælibet pars mixti contineat omnia miscibilia.

21 Accedit quod cum inanimata non determinent sibi minimum, posset pars illa formæ mixti informans portiunculam aquæ separari, & separata existere, ergo de ratione mixti non esset includere omnia elementa, sequela patet, quia forma mixti respiceret particulam illam aquæ ut dispositionem adæquatam, & naturalem; nec se habet ut anima; quæ varias simul exposcit formas partiales pro sui conservatione, qua ratione exigit minimum naturale. Tum quia non videtur, quo pacto piscis possit ignem in se continere, quin ab Oceano extinguatur, videmus enim parvulam scintillam inflammare tormentarium pulverem, eo quia ignis tunc excedit; exiguum aquæ applicatum calci (quo exemplo utitur Raguf.) quia dissolvit harmoniam elementorum, dissolvit calcem, ergo multo magis tota immensitas Oceani extinguet modicum ignem inclusum in pisciculo, sicut ferrum ignitum immersum in aquam extinguitur. Neque dicas *formam mixti* conservare il um ignem, & defendere, sicut conservat calorem pisces, ne ab aquæ frigore destruatur. Nam contra hoc est, quia calor ille naturalis provenit, & conservatur ab anima, unde recedente anima, statim recedit calor in pisce, & destruitur ab aqua; ergo forma mixti non potest ignem conservare, tum quia ante introductionem formæ mixti in aquis geniti, deberent particulæ ignis applicari, & commisceri in aquis, & cum aquis, quod naturaliter videtur impossibile, deberet enim extingui; de quo dicemus num. 37. Tum quia nullum elementum esset prædominans in mixto, ut dicebamus num. 19. omnia fere elementa violenter quiescerent, maxime levia, nam quamvis non sint in mixto sui juris, & habeant vires, vel qualitates refractas, non ob id amittunt proprias passiones, & inclinationes ad locum sursum; & quamvis sint ordinata ad mixti generationem, adhuc in ordine ad proprias naturas violenter quiescerent, sicut de motu aquæ ad replendum vacuum diximus disput. 12. Phys. quæst. 2. tum quia ignis in marmore esset sub majori densitate, & gravitate, quam exposcat ipsa aqua; vinum etiam calidum extinguit sua humiditate ignem, cur ergo illa humiditas non est sufficiens ad extinctionem ignis inclusi in vino.

22 Tertio, quod non remaneant elementares formæ in esse refracto quoad substantiam, ostenditur *illis* rationibus, quibus disput. 5. qu. 5. ar. 2. probavimus substantiam non suscipere magis, & minus: contra Averr. faciunt etiam præcedentes rationes; contra Zab. quoque argui potest, quia vel illi gradus sunt aliquid Physicum, vel Metaphysicum; si secundum, ergo eædem omnino realitates Methaphysicæ essent ante, & post corruptionem substantialem, quod est falsum, quia realitates Metaphysicæ destruuntur omnino ad corruptionem individui, tum quia non essent nisi quædam realitates communes mixtis, & elementis, a quibus prædicata communia sumuntur, quia realitates pertinentes solum ad elementa sunt differentiæ specificæ constituentes elementa in propria specie, nec alia realitas Metaphysica reperitur constitutiva speciei, omnis enim vel est genus, vel differentia; & sic unum elementum posset dici in alio elemento remanere, quia in illo adest realitas communis, quæ omnia sunt falsa. Si primum, istud tale Physicum erit singulare, & per consequens ab aliquam speciem pertinebit, vel ergo ista realitas pertinet ad speciem elementi; & sic erit eadem cum forma elementi, vel alterius speciei, & sic in elementis essent plures formæ specificæ; unde non essent corpora simplicia. Tum quia specialiter contra ipsum arguitur, quod non ponit novam formam distinctam ab istis gradibus elementaribus, sic enim mixtum esset solum quid aggregatum per juxta-

juxtapositionem plurium; non quælibet pars mixti esset mixta; daretur nova generatio substantialis absque termino formali; nequeunt enim illæ realitates terminare generationem mixti, quia jam præcesserant in materia; nec ordo ille, & simmetria, hæc enim est simplex relatio; mixtum non esset elementis perfectius, quia includeret imperfectiores realitates elementorum; istæ enim cum remaneant in mixto, habent rationem potentiæ respectu illarum, quæ in generatione mixti deperduntur, a quibus actuantur, & fiunt in ultimo esse; non possent conficere mixtum unum per se, quia non se haberent ut actus, & potentia; elementa essent tota ætherogenea constantia ex istis realitatibus: Motus naturalis non esset velocior in fine, quam in principio, nam si lapis e cœlo descenderet, velocius per ignem moveretur, quam per aerem, quia per ignem realitates aeris, aquæ, & terræ pellerent deorsum, realitates ignis solum resisterent, vel saltem essent indifferentes, at cum deinde per aerem moveretur, solum realitates aquæ, & terræ impellerent, non realitates ignis, & aeris, per aquam solum realitates terræ detruderent, ergo semper motus retardaretur, quia remitteretur virtus impulsiva: quæ omnia sunt absurda. Ad Aresi. dicemus n. 24.

Quarto, quod virtualiter remaneant, & in potentia, sequitur a sufficienti divisione, & prob. auth. Arist. nam 1. de Gen. 84. & 86. *aperte asserit elementa potentialiter*, & secundum virtutes manere in mixto, quod repetit 2. de part. Anim. cap. 1. & 3. cœli 31. proponit istam quæstionem, an maneant actu, vel potentia in mixto, & non est verisimile, quod permanere in potentia intelligat de permanentia secundum vires colligatas, vel secundum qualitates, aut formas refractas, quia tunc non fuisset adæquata divisio, remanebat enim alius modus, scilicet manendi virtualiter, itaut nihil omnino elementorum sit actu in mixto. Verum est tamen, quod varie ab adversariis authoritates istæ extorquentur, magis tamen patebit ex seq. concl.

23 Dicimus 2. dantur in mixto primæ qualitates non virtualiter in aliqua inclusæ, sed formaliter, qua ratione mixtum dicitur elementa continere virtualitate accidentali. Conclusio est *Scoti in 2. d. 15.* Ad 2. princ. ubi aperte ait dari in mixto qualitates similes qualitatibus elementorum, quamvis in illa additione dicat non esse similes in specie, sed in genere, clarius habet ad 4. & in 4. d. 3. qu. 3. ad 1. princ. concedit aquam artificialem, quæ secundum ipsum est unum mixtum, habere frigiditatem, & humiditatem similes qualitatibus aquæ elementaris, & d. 44. qu. 1. E. d. 49. qu. 13. fere per totam id multoties repetit, unde miramur, quomodo Ruvius ipsum citet pro parte opposita. Et prob. primo, quod non detur qualitas virtualiter continens primas, tum ex Arist. citando n. 26. quibus in locis has qualitates admittit in mixto; tum quia experimur sensu tactus has qualitates in quolibet mixto in suo statu naturali permanere, nam vivens intus est calidum, metalla frigida, qualitates autem *virtuales non sunt sensibiles in seipsis*, solus enim color formalis movet visum, & formalis sonus auditum, non aliquid virtualiter continens colorem, aut sonum, ergo solus formalis calor, & formale frigus *possunt* movere sensum tactus, non aliquid virtualiter calidum, aliter piper, allium, & hujusmodi semper calida perciperentur, quod est falsum; si ergo dantur in mixto istæ primæ qualitates formaliter, non datur qualitas illas virtualiter continens, nam esset superflua, quia posset mixtum per primas formales qualitates se defendere a contrariis, & per suam formam substantialem potest recuperare defectus primarum, sicut aqua propria forma substantiali se reducit ad pristinam frigiditatem. Non tamen negamus in mixto aliquas qualitates virtuales, sed solum qualitates virtuales continentes primas *qualitates*, quibus mediis mixta in seipsis, & actione immanenti producant primas qualitates formales; nam dantur aliqua mixta productiva transeunter in alienum subjectum per qualitatem virtualem, calorem formalem, vel frigus; vide disp. 1. qu. 3. Quod autem hæ formales qualitates sint ejusdem speciei cum elementaribus, ostendimus disp. cit. qu. 7.

Ex hoc colligunt Doctores mixtum virtualiter continere elementa virtualitate accidentali, nam qualitates istæ primæ, quæ in elementis sunt disperse, quia in uno solum duæ qualitates non contrariæ reperiuntur ex dictis disp. 1. qu. 6. in mixto omnes sunt conjunctæ, cum naturaliter poscat temperiem, & mixtionem omnium qualitatum; & quia istæ qualitates elementis conveniunt in summo, & excellenti gradu, ipsis specialiter sunt *attributæ*, & appropriatæ, & consequenter, quia in mixtis in esse temperato reperiuntur, recte quoad istas qualitates possunt dici elementa virtualiter in mixto contineri, quia adsunt in *mixto virtutes elementorum, ut dicebat Arist. cit.*

24 Dicimus tertio, formam mixti virtualiter continere formas elementares virtualitate substantiali; ita Doctor cit. lit. B. Prob. primo exemplo, nam medium specie ab extremis contrariis distinctum dicitur participare de extremis, quod non est intelligendum de formali participatione, itaut vere entitas albedinis, & entitas nigredinis sint actu in rubedine, quia rubor est æque simplex entitas, sicut extrema, sed dicitur medium per participationem propter naturalem quamdam convenientiam, quam habet cum extremis, quæ convenientia non adest inter extrema, ita in proposito dicendum, nam mixtum est medium aliquod inter elementa, & illa participare dicitur, quia quamdam naturalem convenientiam habet cum qualibet forma cujusliber *elementi*, quatenus scilicet ex natura sua, & radicaliter exposcit pro dispositione illam qualitatem, quam postulat forma illius elementi, quæ convenientia non est inter elementa. Accedit ratio, quia *continentia* virtualis est duplex, una in genere causæ efficientis, qua una forma aliam dicitur continere, quia potest illam producere, ut Sol virtualiter continet calorem; aliam in genere quasi formalis causæ, & hæc est duplex, prima, qua una forma cum sit perfectior, perficit materiam perfectiori gradu, quam forma imperfectior, & consequenter in gradu formæ imperfectioris, sed eminentiori modo; secunda, qua forma continens potest operationes, & effectus formales alterius formæ causare, sicut anima rationalis dicitur continere sensitivam; in proposito forma mixti non continet formas elementorum *continentia virtuali effectiva*, quia nequit illas producere, sed continentia virtuali secundo modo, quia est illis perfectior, & aliqualiter tertio modo, quia potest causare in aliquo gradu effectus, scilicet qualitates elementorum, & motum; quæ continentia non est accidentalis solum, sed substantialis, quia continet principium exigitivum, & causativum illarum qualitatum, quod est substantialis forma elementi, aliter dici posset animam rationalem continentia, & virtualitate solum accidentali continere sensitivam, quia potest producere effectus illius, scilicet operationes, quæ sunt accidentia, quamvis per accidentalem a posteriori explicetur substantialis continentia. Et revera, si res bene perpendatur, non est magna discrepantia inter nos, & Thomistas, sed totum dissidium provenit *ex varia acceptione hujus virtualis* continentiæ, ut videbimus in solut. arg. Hoc etiam voluit innuere Aresi. dum hanc continentiam formalem appellavit, & actualem, eo modo, quo rationalis continet sensitivam. Sed certe in hac explicatione parumper excessit, rationalis enim dicitur sensitivam actu continere secundum propriam rationem formalem sentiendi, quia informando materiam, vere & formaliter constituit hominem sub gradu sensitivo, perfecteque exercet effectus formales, & operationes sentiendi, ut sic, at forma mixta informando materiam non constituit compositum sub gradu elementari, nec ratio formalis ignis, vel aquæ adest in forma lapidis, aliter vere lapis esset sub specie subalterna elementi, sicut homo sub genere animalis; hinc rectius appellatur hæc continentia virtualis, & potentialis, quam actualis, & formalis; eo vel maxime, quod licet qualitates mixti alterativæ, & primæ sint ejusdem speciei cum elementaribus, non tamen qualitates motivæ, ut fuse diximus disp. 3. de cœlo qu. 1.

25 Ex his colligitur, quomodo sit verum unum elementum prævalere alteri in mixto, & prædominari, quia scilicet forma mixti magis assimilatur, & convenientior est cum forma unius elementi, quam cum altera in qualitate, & per consequens etiam in entitate, quatenus est principium radicale illius qualitatis. Similiter in corpore ætherogeneo secundum diversas partes potest dici hoc, & illud elementum prædominari, sic in corpore animato propter quatuor humores quatuor elementis correspondentes (nam in flava bili prævalet ignis, quia ex se petit excedere in siccitate, & calore; in sanguine prævalet aer, quia excedit in calore, & humiditate; in pituita prævalet aqua, quia excedit in frigiditate, & humiditate; & in atrabili terra propter excessum frigiditatis, & siccitatis) membra diversimode diquntur temperata, & in uno unum elementum dicitur habere dominium, in alio aliud, juxta excessum humorum, vel qualitatum.

ARTICULUS II.

Solvuntur objectiones.

26 In oppos. arg. contra 1. concl. primo authoritatibus Arist. Prima authoritas sumitur ex 1. de Gen. cap. de mixtione, ubi plura dicit ad mixtionem spectantia, nam tex. 83. probat Arist. mixtionem non esse generationem, quia in generatione alterum corrumpitur, at si in mixtione omnia elementa corrumpuntur, mixtio esset generatio; deinde tex. 84. duas propositiones affert, prima est, *videtur enim, & quæ miscentur prius ex separatis convenientia, & possibilia separari rursus*, ergo si elementa post mixtionem possunt a mixto separari, vere in mixto secundum aliquod esse formale remanent, quod etiam docet 3. Phys. 45. ostendens non dari quintum elementum, quoniam ex mixtis quatuor sola separantur; Secunda est, *neque permanent igitur actu, ut corpus; & album, neque corrumpuntur, nec alterum, neque ambo*: quod etiam repetit tex. 88. ubi negat guttam vini cum decem millibus congiis aquæ misceri, quia corrumpitur, & tex. 90. ubi ait: *Hæc enim neque corrupta esse necessarium est mixta*, ergo aliquo modo formaliter permanent, & tandem in fine libri definit mixtionem, quod sit *miscibilium alteratorum unio*, non dixit corruptorum. Secunda authoritas sumitur ex 2. de Gen. 48. ubi ait, quod quando in congressu duorum elementorum unum est absolute actu, alterum vero potestate, non est mixtio, sed generatio, sed quando ambo in tertium transeunt, tunc est mixtio, *Quia*, inquit, *quæ miscentur, corrumpunt excellentius ad invicem*, ergo aliquo modo secundum esse non excellens permanent. Tertia authoritas sumitur ex 1. de cœlo 7. & 12. ubi determinat Arist. mixtum moveri localiter secundum prævalens elementum, ergo vere sunt elementa in mixto, quia effectus in actu requirit causam in actu. Quarta est in 3. de cœlo 67. ubi probat elementa non habere propriam figuram, quia si haberent, illam conservarent in mixto, ergo vere secundum substantiam sunt in mixto. Quinta habetur in 2. de Anim. 39. ubi docet, quod nisi in corporibus animatis anima retineret elementa, jam discederent, & in diversa loca tenderent, ad quæ naturaliter inclinantur; & tex. 52. quærens cur sensus non sentiant elementa, ex quibus constant, ait, quia non est medium inter illa, & ipsum sensum, & 2. Cœli 34. quærens, unde sint rerum defectus natura-

les, & impotentiæ animalium, præsertim senectus, & mors, respondet esse, quia constant ex alimentis extra suum locum constitutis, & per consequens in propria loca conantibus abire, unde fit, ut dissolvantur, & 1. de Gen. anim. c. 18. negat semen posse decidi ex omnibus partibus animalis, quia decideretur etiam ex elementis. Sexta sumitur ex 7. Meth. in fine, ubi Arist. simul hæc exempla conjungit, sicut litteræ B, & A, sunt in syllaba Ba, & sicut terra, & ignis sunt in carne. Septima habetur in 2. de Part. Anim. c. 1. & 2. ubi ait totius viventis materiam esse partes ætherogeneas, earum autem materiam esse homogeneam, atque tandem harum materiam esse elementa; ergo sicut partes ætherogeneæ in vivente formaliter reperiuntur, & homogeneæ in ætherogeneis, ita elementa in homogeneis; hinc 5. Meth. 4. tres definitiones elementi tradidit, prima est: *elementum est, ex quo inexistente aliquid primo corrumpitur, indivisibili specie in aliam speciem*. Secunda est, *elementa corpora dicuntur ultima, in quæ alia corpora dividuntur*. Tertia est, *elementum est, quod primo unicuique inest*; ex quibus colligitur elementa esse materiam mixtorum, cujus est formaliter reperiri in composito; Neque dicas elementa esse materiam transeuntem, quomodo vinum dicitur materia; Nam sic cibus posset dici materia, & elementum hominis, quatenus materia primi cibi jam est sub forma hominis; Neque satisfacit, quod alii dicunt, elementa componere secundum suas qualitates; non valet, quia tunc mixtio formaliter esset accidentium contra Arist. 1. de Gen. 43. ac proinde mixtum esset *denominatio* accidentalis; nec ex accidentibus potest componi substantia.

27 Resp. ad 1. auth. quod cum Arist. in tex. 83. negat mixtionem esse generationem, non intelligendus absolute quia etiam mixto est generatio substantialis, ut diximus qu. 1. sed de illa generatione loquitur, in qua unum ita destruitur, ut nullo modo in alio remanere dicatur, ut patet ex ratione, quam adducit, itaut fit sensus, mixtio non est generatio, quasi quod omnis generatio sit mixtio, & ad convertentiam dicantur, sed solum illa generatio erit mixtio, qua, quæ miscentur, uniri dicuntur in mixto producto, saltem virtualiter, & in tertiam quamdam transeant naturam; in prima propositione tex. 84. solum asserit elementa, quia virtualiter continentur, posse iterum separari, non quidem eadem numero, sed specie, quia bene ex corruptione mixti potest quodlibet elementum generari, licet sicut non est necesse, ut omnia elementa concurrant ad generationem, ut dicemus, ita nec est necesse, ut in omnia quatuor elementa corrumpantur, & hoc modo etiam explicari debet in 3. Phys. In secunda propositione est sermo non de permanentia formali, quia hæc est actualis, sed de virtuali, unde subinfert, *Salvatur enim virtus eorum*, quod non verificatur de gutta vini, quæ in aquam convertitur, non in quoddam tertium: per idem ad propositionem ex tex. 90. nam quia aliquo modo salvantur, ideo non corrumpuntur totaliter, quia remanent virtualiter; cum vero in definitione ponitur *alteratorum*, recte ait Scot. hoc participium esse præteriti temporis, & sensum esse, quod illa, quæ virtualiter in mixto uniuntur, & secundum proportionem, jam fuerunt alterata, & recte non dixit, corrupta, tum quia non totaliter, sed secundum aliquam proportionem remanent in mixto, tum etiam ut assignet *differentiam mixtionis a generatione*, quoniam mixtio connotat alterationem proportionatam miscibilium. Neque dicat Contar. stante hac expositione magnum negligentiæ defectum obiici posse Aristoteli, quod ipsam definitionem clare, & distincte non assignaverit. Etenim quærere claritatem in verbis Arist. est quærere nodum in scyrpo, hujus testes sint ipsi expositores; præterquam quod dicere possumus illam non esse exactam definitionem mixtionis, sed simplicem proposirionem veram de mixtione enunciatam, maxime si in sensu, quem prima facie dant intelligere verba, exponatur. Secunda Auth. non urget, quia solum ait, quæ miscentur, transeunt in tertiam naturam propter alterationem præviam, & dicuntur remanere non secundum excellentias, quia virtualiter permanent, sed secundum qualitates refractas. Tertia auth. intelligitur secundum proportionem, quatenus forma mixti magis assimilatur uni elemento, quam alteri, ut diximus nu. 25.

28 Ad 4. dicimus Arist. ibi arguere contra Platonem, & Democritum, qui ponentes quidem elementa formaliter in mixto asserebant adhuc habere proprias figuras inseparabiles, unde recte ad hominem concludit, non ex propria sententia; quomodo intelligendus est in lib. de Sensu, & Sens. cap. 2. ubi reprehendit primo Empedoclem, quod putaret oculum constare potissimum ex igne, dicitque, Democritum bene ponere oculum esse potius aquam, quod dictum fuit ad hominem supposita illorum opinione de permanentia formali elementorum in mixto; unde postea concludit Arist. oculum esse aqueum, quia habet aquæ proprietates, scilicet humiditatem, fluxibilitatem, claritatem, splendorem, &c. unde notanter dixit aqueum, non aquam, ut loquebatur Democr. quia non est formaliter aqua, sed solum virtualiter, & propter assimilationem in qualitatibus. Ad 5. dicimus Arist. in tex. 39. arguere contra Empedoclem ponentem elementa secundum substantias in mixto, & formam *mixti*, quæ nihil ageret, imo augmentationem fieri dicebat a naturali motu elementorum, ex quo arguit Arist. quia si forma mixti nihil ageret, jam elementa discederent a mixto, ergo ad hoc ut detineantur, debet forma mixti aliquam actionem habere, quod est contra Emped. unde loquitur ad hominem. Quod vero ait Raguf. non esse inter ipsos diffidium de continentia formali elementorum, sed de principio actionis, & consequenter quoad primam propositionem loqui Arist. ex propria sent. Concedimus ibi Arist. non quærere continentiam formalem, vel virtualem elementorum, sed falsum est in hoc convenire cum Emped. assumit autem hanc continentiam formalem ab Emped. concessam, ut improbet otiositatem formæ mixti in sent. Emped. In tex. 52. sumit elementa non pro substantiis, sed pro qualitatibus ipsorum, nam substantia non est per se sensibilis, & consequenter nec sensus percipere potest elementa, quæ sunt ab ipso separata; ait igitur, qualitates elementares, quæ sunt in sensu, non percipiuntur, quia deficit medium; vel *accipit elementa pro illis corporibus*, & humoribus in vivente repertis correspondentibus elementis ipsis, ut infra dicemus, quomodo intelligendus est in 2. de Cœlo 34. dum ait viventia corrumpi, quia elementa componentia petunt propria loca, & in 1. de Gen. anim. c. 18. dum negat semen ex omnibus partibus corporis decidere.

29 Ad 6. dicimus intentum Arist. ibi esse, ostendere compositum quid distinctum esse ab elementis componentibus, & exemplificat de syllaba BA, & de carne ex igne, & terra, non quia putet vere, & formaliter ignem, & terram in carne reperiri, sed quia jam supra in 5. Met. 4. loquens de elementis exemplificavit etiam non solum de litteris, sed etiam de quatuor elementis secundum opinionem Antiquorum, ut mox dicemus, *hinc eodem modo volens in 7. declarare compositum* esse a partibus componentibus distinctum, in quas ultimo dividitur, propter quod vocantur elementa, exemplificat iisdem *exemplis*, quibus usus fuerat in 5. Meth. & consequenter sicut in 5. hæc simplicia corpora vocavit elementa secundum antiquos ponentes illa esse principia rerum naturalium, ita in 7. ait hæc elementa in mixto esse, & ab ipsis mixtis distingui, supposita illa opinione, aliter sequeretur, si exempla essent in omnibus similia, quod sicut litteræ integræ manent in syllaba, quæ non est, nisi quid ex illis aggregatum, ita elementa omnino immutata aggregarent mixtum, quod non concederent adversarii.

Ad 7. dicimus comparationem non fieri in hoc, quod sicut partes homogeneæ manent in ætherogeneis formaliter, ita elementa in homogeneis, aliter sicut ætherogenea, ut sic, dicunt quamdam collectionem partium, & non unum per se, ita mixtum, quod est falsum, nec mixtum homogeneum dici posset, si formaliter elementa contineret, sed debere comparationem attendi, quod tam partes ætherogenei sunt materia homogenei, quam elementa sunt materia mixti, licet illæ sint materia formaliter permanens, ista vero materia virtualiter permanens, sed formaliter transiens. Ad illas definitiones ex 5. Met. respond. ex Scoto in 2. cit. & super illum tex. Met. quod solum prima est vera definitio, & solum materiæ primæ convenit, non aliis, quia hæc solum est omnino irresolubilis in partes diversæ rationis, hoc enim sonat ly *indivisibili specie in aliam speciem*, quamvis enim materia non sit sub specie completa, est tamen sub specie incompleta ex dictis disp. 7. Log. qu. 1. art. 1. Nec urget instantia verbalis, quam facit Contar. quod scilicet hoc nomen elementi, quia frequentius ab Arist. tribuitur simplicibus corporibus, quam materiæ, cum absolute Arist. tradidit definitionem elementi, de illis est intelligenda, non de ista. Non urget, quia statim se declarat Arist. loqui de materia prima per ly *indivisibili specie*; secunda vero non est definitio, sed est exemplum, & declaratio definitionis positæ, non quod illa definitio quatuor elementis conveniat, sed adducit exemplum in sententia antiquorum ponentium principia rerum naturalium esse elementa, unde ait: *Similiter etiam corporum elementa dicunt*; per ly *dicunt* annuit sententiam veterum. Tertia similiter non est definitio, sed quoddam attributum conveniens omnibus elementis, sive proprie, sive improprie sumptis, quam distinctionem ibi antea præmiserat; ex quo patet non loqui ibi Arist. de istis elementis. Vel dicendum sub illis definitionibus comprehendi etiam elementa, quia sunt materia mixtorum, ex quibus fiunt mixta, & in quibus elementa permanent, non permanentia formali, ut materia prima, sed virtuali, quo sensu nec vinum, nec cibus possunt dici proprie elementa aceti, & hominis, quia non permanent virtualiter, nec sunt prima corpora.

30 Secundo arg. si formæ substantiales elementorum non manent in mixto, eodem modo remanere dicentur in mixto, ac unum elementum in alio, quia aqua saltem in humiditate habet convenientiam cum aere. Tum 2. quia æque simplex dicetur elementum, ac mixtum, cum utrobique sola compositio ex materia, & forma reperiretur. Tum 1. materia prima posset quamlibet formam sine ordine recipere, quod est falsum, nam mixtum semper præsupponit formas elementares, seq. prob. quia hæc præsuppositio nequit ex alio capite provenire, quam ex continentia formali elementorum in mixtis. Tum 4. non majori ratione elementa materia mixti dicerentur, quam semen materia hominis, & homo materia cadaveris, quia homo præsupponit semen, & cadaver præsupponit hominem. Tum 5. passio non est sine subjecto, qualitates primæ sunt passiones elementorum, & in mixto reperiuntur, ergo etiam elementum. Tum 6. secundum Scotum in 2. cit. eodem modo sunt elementa in mixto, quomodo contraria in medio, & vegetativa, & sensitiva in rationali, sed contraria formaliter sunt in medio, & gradus vegetandi, & sentiendi sunt formaliter in anima rationali, aliter homo non diceretur formaliter sentiens, ergo etiam elementa sunt formaliter in mixto.

31 Resp. ad 1. neg. seq. quia unum elementum non habet convenientiam cum alio in omnibus qualitatibus, ut est mixtum respectu omnium elementorum. Ad 2. si loquimur quoad compositionem sub-

substantialem, posset *concedi consequentia*. at si loquimur quoad dispositiones necessarias tam in generatione, quam in conservatione, est falsa, nam forma elementi duas tantum qualitates *dispositivas requirit*, forma vero mixti omnes quatuor qualitates primas, & etiam alias secundas. Ad 3. ex Scot. neg. seq. quia licet in perficiendo materiam una forma non perficiat mediante alia, tamen quoad ordinem transmutationis una forma præsupponit aliam, sic semen præsupponitur sanguini, sanguis carni, caro homini, vinum aceto, &c. sic forma mixti præsupponit formam elementi, ita ut numquam forma mixti inducatur in materia, nisi prius præcesserit forma elementi, quod explicabimus respondendo ad ultim. Ad 4. jam diximus semen non posse dici materiam hominis ad modum elementi, quia non permanet virtualiter in homine, ut elementum in mixto. Ad 5. falsum est qualitates primas esse rigorose proprietates elementorum, quia sunt separabiles, aliter cum aqua calefit, deberet *in se recipere* ignem, aut aerem, & sic duæ formæ in eodem subjecto; dicuntur igitur proprietates appropriate, & large, quatenus illis primo, & in excessu conveniunt. Ad 6. non est multum de exemplis curandum, quia non semper currunt quatuor pedibus, unde ad illud de contrariis dicimus, quod media aliquando specie ab extremis differunt, ut probabilior opinio sustinet de coloribus mediis, & in istis extrema virtualiter continentur; exemplum de anima rationali, & sensitiva non valet in omnibus, aliter sicut anima rationalis est principium formale *quo* sentiendi, & vegetandi, ita forma mixti esset principium formale *quo* mixtum sit aqua, aer, ignis, & terra, quod est falsum, valet ergo quoad primam virtualem continentiam in genere causæ quasi formalis explicatam concl. 3. quod scilicet sicut rationalis excedit in gradu perfectionis sensitivam, ita forma mixti excedit elementares, qua ratione dicitur illas continere virtualiter.

32 Secundo arg. experientia, videmus enim mixta resolvi in elementa, unumquodque autem resolvitur in ea, ex quibus constat, antec. prob. nam in combustione ligni accenditur flamma, quæ est ignis, segregantur cineres, quæ sunt terra, exhalat fumus, qui est vapor aereus, & effluit humor aqueus ex ligni extremitatibus; Ex cadavere etiam dum putrescit, hæc omnia segregantur; Ex herbis, & floribus a lambicco educitur aqua, vel oleum, quod deinde in aerem, & ignem resolvitur; In calce ante infusionem aquæ ignis sopitus jacet, sed postquam aqua supereffunditur, statim ad suum locum tendit, & lapis resolvitur. In urina manifeste apparet terra, quæ resident in fundo vasis; neque dicas ejusmodi terrestres partes a virtute concoctiva animalis produci, quia virtus concoctiva sanorum hominum non est productiva terræ, sed mediante calore separat partes alimenti crassiores a tenuioribus; ex quo habetur partes illas terreas præfuisse in alimento. Per collisionem duorum corporum, scilicet silicis, & chalybis, excitatur ignis, qui non fit de novo, nulla enim potest assignari causa productiva, si namque dicatur, ut diximus disp. de Cœlo num. 236. produci a Cœlo propter majorem aeris raritatem a motu causatam, hoc est falsum, quia ignis excussus est crassus, & densus, ut patet ex ejus defensu; tum quia ignis rarior aere in tantilla quantitate non comburet fomitem; tum quia in quolibet confrictu duriorum corporum ignis excitaretur, quia semper incalescit aer, quod est falsum; excutitur igitur, quia partes durioris corporis momento se comminuunt, atque ita fit, ut ignis, qui ibi latebat, soluto vinculo subito exiliat.

33 Resp. ex Angesto de Propr. form. pag. 96. in quolibet mixto esse perfusa realiter quædam elementa in poris ut aquositatem, aerem, terram, quæ tamen non est vera mixtio, cum sint discontinua corpora, & solum juxtapositæ; quare sicut elementa sunt impura ex mixtorum perfusione, sic mixta sunt impura ex elementorum admixtione; insuper in mixto esse maximam partium *difformitatem*, quarum aliquæ sunt plures terreæ, aliquæ aqueæ, aliquæ aereæ, aliquæ igneæ, sive horum naturis valde similes, & virtutibus, ac proprietatibus diversas, & artificio a mixto segregabiles, qua ratione dicitur elementa a mixto separari; idest partes separari naturis illorum magis similes, quæ partes tamen sunt vere mixta quædam corpora, hoc totum patet in quatuor corporis humani humoribus, ut diximus n. 25. Ex his ad arg. dicimus numquam mixta immediate in elementa resolvi tamquam in partes formaliter componentes, sed in alia mixta elementis similia, vel si resolvuntur in elementa, hoc erit non per veram mixtionem, sed per quamdam adhæsionem in poris; unde in ligni combustione flamma illa antea non erat, sed de novo advenit ab agente extrinseco, cujus virtute plures ligni partes in flammam convertuntur, nec cineres sunt terra, nec fumus aer, sed quid mixtum; nam diversorum mixtorum cineres, & fumus diversas habent virtutes, quod magis patet in humoribus corporis humani, nemo enim asseret *flavam bilem* esse ignem, sanguinem aerem, pituitam aquam, & atram bilem terram; similiter oleum ex herbis eductum non est essentialiter ignis, & aer; humor vero ille aqueus vel non est essentialiter aqua, ut habet Scotus 4. d. 3. qu. 3. quod patet, quia postea retinet plures ligni proprietates, & herbarum, unde nec uti licet in Baptismo; vel si est aqua, erit permixta in poris. Idem dicas de partibus illis terreis in urina repertis, quæ si essent vera terra, utique in qualibet urina reperirentur, & quilibet morbo Japideo laboraret, est igitur aliquod mixtum de novo genitum in renibus, aut *aliis* partibus corporis animalium, ut docet Licet. de Lap. Bonon. cap. 7. & 8. ex materia crassa, & viscida quandoque post actionem caloris a nimio frigore condensante materiam il-

lam in lapidem, quandoque ab excedente calore resolvente tenuiores partes in halitum insensibilem, & crassiores velut adurente, ut solet ab igne indurari lutum in lapidem. In calce vel aliquid ignis reperitur inclusum, non quidem in generatione illius lapidis adusti, aliter ante combustionem si immergeretur in aqua, idem sequeretur effectus, sed post combustionem, qui propter parvitatem non poterat sentiri; vel dicendum, quod cum lapis adustus maximam habeat siccitatem, & caliditatem, adveniente aqua resolvitur, non quidem in ignem, sed in fumum propter contrarietatem illarum qualitatum. Per collisionem duriorum corporum generatur ignis de novo a Cœlo inveniente aerem rarefactum per affrictum, & ad formam ignis dispositum; at si tantum excitaretur, & non generaretur, jam in qualiber divisione mixti deberet ignis *evolare*, & *fomentum* accendere, si esset juxtapositum; & quamvis descendat, hoc est, quia adhæret quibusdam chalybis ramentis, quæ facile concipiunt ignem, cum sint metallica, ac sulfurea, & licet aer rarefactus, & accensus sit in parva quantitate, potens est tamen materiam illam ignire propter dispositiones sulfureas in illa repertas; tandem non excitatur ignis in quolibet confrictu, quia nec semper aer nimium rarefit, & incalescit, ut diximus disp. de Cœlo cit.

34 Tertio in mixtione non datur destructivum formarum elementarium, ergo in mixtione formæ elementares non destruuntur, sed permanent, antec. prob. quia non corrumpuntur a forma mixti genita, quia subsequitur, non præcedit corruptionem, non a mixto generante, quia nullum mixtum habet vim producendi *sibi simile*, *vel si eam habet, multoties non adest*, neque a Cœlo, quia quod corrumpit aliud, illud corrumpit qualitate contraria, ergo si ignis corrumpitur a Cœlo, hoc erit mediante frigore, & humiditate, & consequenter non corrumperet aquam, & sic de aliis. Tum 2. vel elementa pari virtute uniuntur, vel impari, si primum, ergo non corrumpuntur, quia actio provenit a proportione majoris inæqualitatis; si secundum, ergo non omnia corrumpuntur, sed solum debilius. Tum 3. quotiescumque remanent dispositiones requisitæ, & sufficientes ad conservandam formam, quæ jam erat in subjecto, remanet adhuc illa forma, sed adveniente forma mixti remanent adhuc sufficientes dispositiones pro conservatione formarum elementarium, ergo &c. major patet, si enim non esset universaliter vera illa propositio, numquam posset sciri, quænam forma substantialis sit in subjecto; min. prob. quia omnia elementa sunt compossibilia, cum quolibet gradu qualitatis activæ contrariæ, quæ reperiatur in productione quorumdam mixtorum, ergo saltem in illis mixtis non corrumpentur, quod si conceditur semel, semper concedi debet, jam enim duæ formæ substantiales non erunt incompossibiles; antec. prob. in productione ranæ ex gutta pluviæ in pulverem decidentis, aqua enim tunc non calefit magis, quam dum est ferventissima in olla, neque exsiccatur magis, quam dum glaciatur, & tamen est aqua compossibilis cum calore, quo fervet, & cum siccitate, qua glaciatur, ergo etiam est compossibilis cum calore, & siccitate, quibus generatur rana, sic aer ex natura sua calidus conservatur in hyeme perfrigida; terra etiam *etsi valde frigida, adhuc forma ipsius manet in exhalationibus* calidis, ut ad secundam aeris regionem ascendant; ex quibus idem de igne dicendum esse colligitur. Tum 4. elementa sunt ordinata ad mixtionem tamquam ad suum præstantissimum, & optimum, ad quod possint ipsa concurrere, ergo mixtio non est deperditio elementorum, quia nihil ordinatur a natura ad sui corruptionem tamquam ad summum bonum.

35 Resp. ad 1. neg. antec. ad prob. dicimus elementa a generante corrumpi, sive hoc sit Cœlum, sive aliud mixtum, de quo infra qu. 5. ad hoc autem non semper requiritur, quod generans inducat dispositiones incompossibiles cum forma corrumpenda, non enim accidens attingit corruptionem substantiæ, sed sufficit, ut inducat dispositiones sufficientes pro forma generanda, quare negamus ignem corrumpi a contraria qualitate, sed a generatione immediate per propriam formam substantialem propter incompossibilitatem substantialium formarum, neque semper ex compossibilitate dispositionum valet arguere compossibilitatem formarum substantialium, nisi quando dispositiones illæ sunt utrique formæ connaturales, modo licet forma aquæ v. gr. fit compossibilis cum tali gradu caloris, ac est forma ranæ, non idcirco debemus arguere formas aquæ, & ranæ esse compossibiles, quia gradus isti non sunt utrique connaturales. Ad 2. elementa non uniuntur omnino pari ratione, sed aliquo modo pari virtute, itaut unum ab altero parum excedatur, a quo etiam repatitur, juxta dicta disp. 2. qu. 3. est tamen not. quod in mixtione numquam unum elementum corrumpitur ab alio elemento, sed omnia a generante. Ad 3. patet ex dictis ad p. Ad 4. si valeret, concluderet formam seminis, sanguinis, & cujuscumque alimenti manere in vivente, quia a natura ordinatur ad vivens, ut ad finem, quare neg. consequentiam. & ad prob. *dicimus esse veram* de fine intrinseco rei, non de extrinseco, etenim sicut aliquando natura permittit, imo ordinat læsionem alicujus membri minus principalis propter conservationem principalioris, sic ordinat corruptionem elementorum propter bonum universi, & acquisitionem perfectioris entis, quale est mixtum, non quidem ut ad finem intrinsecum, & bonum ipsorum, sed extrinsecum.

36 Quarto si elementa non permanent formaliter in mixto, ergo non necessario præsupponi debent generationi mixtorum, sed quodlibet posset ex uno tantum elemento generari, quod est falsum, quia sic non esset mixtio; & nutritio posset fieri ex uno elemento contra Arist. 2. de Gen 50. Tum 2. si solum virtualiter essent in mixto, ergo Cœlum esset mixtum, quia virtualiter continet elementa; homo quo-

que non esset formaliter terra, & sic falsa esset illa propositio *pulvis es, & in pulverem reverteris*.

Resp. primum argum. tangere difficultatem illam, quot elementa necessario ad generationem mixti prærequirantur; quidam enim omnia quatuor asserunt intervenire, & addit Piccol. lib. de Mix. cap. 13. quod si aliquando unum solum elementum adest, antequam insurgat forma mixti, prius in illo elemento introduci debere formas aliorum in esse refracto. Cardanus lib. 2. de Subtil. & Arest 1. de Gen. qu. 50. asserunt duo solum intervenire, scilicet aquam, & terram, cætera virtute scilicet qualitatibus mediis; unum tamen elementum non sufficere præter citatos sequuntur Licetus lib. 2. de his, qui diu vivunt sine alimento cap. 41. Dand. 2. de An. digress. 25. Coninch. de Sacram. qu. 74. art. 8. dub. un. & alii.

37 Dicimus tamen unum mixtum posse ex alio mixto generari, ut patet præcipue in viventibus, & tunc ista generatio esset aliqualiter mixtio, quatenus miscibilia virtualiter præcederent in mixto corrumpendo: Posse quoque ex uno tantum elemento produci, quod probat Scot. 2. d. 15. D ex Gen. 1. ubi pisces, & alia animalia ex aqua sola dicuntur producta, & patet, cum aqua in vinum convertitur, ut dicemus qu. 5. sed hanc non esse mixtionem diximus supra qu. 1. sed solum mixti generationem. Posse quoque ex duobus tantum elementis ingenerari scilicet aqua, & terra, cæteris per virtutes concurrentibus est probabile; non enim ignis substantia semper intervenit, maxime cum mixta in aere, vel in aqua generantur, non enim est verisimile tunc particulas ignis sub concavo Lunæ existentis motu Cœli inferius detrudi, quia saltem ignis ille non posset tam deorsum descendere, quin extingueretur, & maxime in aquis, nec tandiu permanere; nec est verum per totum reperiri igneas exhalationes, hæc enim si non differunt a terreis exhalationibus, certe non ignis substantia, sed virtus illius concurreret, scilicet calor, nam exhalationes istæ non differunt essentialiter a terra ex dictis disp. 4. de Cœlo num. 173. at si sunt vere igneæ, quomodo in vastitate aquarum Oceani non extinguuntur? quomodo tormentarius pulvis ab illis non accenditur? quomodo posset prope ingentem ignem animal extare? si enim dantur exhalationes istæ ubique perfusæ, maximæ a maximo orientur igne. Nec tandem valet, quod ait Piccol. debere scilicet formam ignis ante mixti formam de novo produci; tum quia non adest ista necessitas, nec posset in aliquibus generari; tum quia vel introduceretur in eadem materia, in qua adest alia elementaris forma, & sic duæ formæ non subordinatæ in eadem materia, quod naturaliter implicat; vel in diversa parte materiæ, & sic deberet corrumpi pars formæ alterius elementi, nec posset assignari corrumpens illam, & generans ignem, non igitur necessario requiritur ignis secundum substantiam; & quandoque nec requiritur aer, non est tamen absolute negandum, quin aliquando concurrat, maxime quia facile permiscetur, & se insinuat in poris illius aggregati ex aqua, & terra, unde poterit etiam agere, & pati; ex quibus patet ad 1. arg. an vero nutritio possit fieri ex uno tantum elemento, dicemus disp. seq. Ad 2. negamus Cœlum dici mixtum, quia elementa continet virtualiter effective, non virtualiter in genere quasi formalis causæ; nec homo est formaliter terra, sicut nec est formaliter ignis, aut aer; dicitur tamen pulvis, quatenus primo ex terra fuit compactus, & in terram tandem ultimata corruptione resolvitur.

38 Contra 2. concl. arg. ex de Gen. 48. ubi *dicitur* per mixtionem calidi, & frigidi, humidi, & sicci generari mixtum, quasi medium in extrema, medium autem neutrum est extremorum, ergo qualitates mixti sunt aliæ a qualitatibus elementorum. Tum 2. contraria ut sunt istæ qualitates, non possunt esse simul in eodem subjecto. Tum 3. si non adesset saltem aliqua quinta qualitas, quodlibet mixtum facile corrumperetur, quia proportio primarum qualitatum debilis est, facileque destruitur a contrariis extrinsecis, ergo dari debet aliqua qualitas sua virtute continens omnes quatuor, quæ possit corroborare illas, & intendere, si ab aliquo extrinseco contrario fuerint remissæ. Tum 4. cum illa proportio qualitatum in indivisibili consistat, faciliter dissolveretur per augmentum quantumvis parvum unius qualitatis, quod est falsum, quia tunc mixtum non esset in statu naturali, & consequentes animal ægrotaret, & tamen experimur, etiam si homo per motum nimis incalescat, non ob id pristinam amittit sanitatem. Resp. medium non est aliquod extremorum secundum excellentiam, est tamen aliquod extremorum per participationem. Ad 2. neg. assumptum in gradibus remissis ex dictis disp. 1. qu. 5. Ad 3. sufficere formam substantialem, ut evenit in elementis, nec sunt multiplicanda entia sine necessitate, ut diximus disp. 1. qu. 3. Ad 4. concedimus animal tunc ægrotare, sed talis morbus proprie est speculativus, & philosophicus, non practicus, & medicus, qui solum est ille, qui notabiliter lædit corpus, vel proxime lædere potest potentias corporis, ne proprias exerceant functiones, tum quia forma substantialis determinat sibi dispositiones connaturales in aliqua latitudine, non omnino in indivisibili, ex dictis disp. 3. qu. 6.

39 Contra ult. arguunt Thomistæ, si forma mixti virtualiter continet formas elementorum, jam tribueret materiæ denominationem aeris, ignis, &c. quod est falsum. Tum 2. non omnia mixta perfectiora sunt elementis simul sumptis, quia dantur aliqua, quæ nequeunt sibi similia generare, quod tamen competit elementis. Tandem deberent perfectiori modo tribuere, & perficere operationes elementorum, quod patet esse falsum. Resp. ad 1. neg. seq. quia *non continet formas elementorum* quoad gradus formales, nec sicut rationalis continet sensitivam, ut diximus explicando concl. Ad 2. neg. assumptum, semper enim natura via generationis procedit ab imperfecto ad perfectum, & si probatio valeret, probaret utique aliqua viventia, quæ scilicet tantum ex putri generantur, esse elementis imperfectiora, imo & Angelos, non igitur perfectio simpliciter in substantiis attendi debet ex hoc, quod possint sibi similia generare, sed præcipue, quod una sit actualior altera; sic sunt mixta in ordine ad elementa. Ad 3. neg. etiam assumptum, quia nec rationalis perfectius exercet operationes sentientis animæ, & tamen continet illam secundum gradum formalem; sufficit igitur ut mixta exerceant aliquo modo operationes elementorum, quia non continent illa virtualiter secundum excellentias, sed in esse quasi refracto.

QUÆSTIO IV.

De Temperamento mixtorum.

40 CErtum est ex dictis disp. 3. qu. ult. quamlibet formam mixti non exposcere primas qualitates in quocumque gradu, sed in determinato, nec omnes formas mixtorum postulare qualitates istas in eadem intensione, sed unam in tali, alteram in alia intensione, & ista proportio qualitatum in tali intensione determinata, & remissione vocatur temperamentum, seu dispositio, & complexio congrua formæ mixti; loquimur autem de temperamento primarum qualitatum, nam ex istis aliæ qualitates secundæ proveniunt, & quamvis ab aliquibus fiat sermo etiam de temperamento qualitatum motivarum, scilicet gravitate, & levitate, in nostra tamen Sententia hæc difficultas non urget, quia non ponimus virtutem motivam esse quid aggregatum ex gravitate, & levitate secundum intensionem, & remissionem, sed unamquamque virtutem esse specie distinctam ab alia ex dictis disp. 3. de Cœlo qu. 1.

41 Temperamentum igitur, sive complexio est primarum qualitatum symethria & proportio, quæ symethria non est qualitas quædam a primis distincta, ut ostendimus num. 32. sed formaliter dicit ordinem, & relationem ad invicem illarum qualitatum, non vero temperamentum formaliter dicat relationem illam, & fundamentaliter connotet primas qualitates sic dispositas, vel formaliter dicat primas qualitates: est quæstio de nomine; Conimb. 2. de Gen. cap. 8. qu. 1. sustinent hoc secundum, quod probant ex variis attributis temperamenti, scilicet, quod unum alteri sit contrarium, quod sit causa multarum operationum, & functionum corporis, dispositio materiæ ad recipiendam formam, &c. quæ omnia non de relatione, sed de ipsis qualitatibus verificantur; Verum si dicatur hæc attributa convenire temperamento ratione fundamenti, non facile posset impugnari, quia sæpissime proprietates fundamenti relationi tribuuntur; symethria enim formaliter non nisi relationem significat, & hæc in recto ponitur in definitione, quare videntur esse formale significatum temperamenti. Solet autem temperamentum primo dividi in uniforme, & difforme; primum vocatur temperamentum æquale ad pondus, ut quando omnes qualitates sunt æquales in gradu, & intensione, pura quia omnes sunt ut quatuor; difforme est, quando aliqua qualitas excedit in gradu, & hoc appellatur temperamentum æquale secundum justitiam, quia quod est alicui debitum, ex justitia illi tribui debet, qua ratione etiam temperamentum uniforme vocatur temperamentum, seu justitia, quatenus est debitum formæ mixti, hoc autem est duplex, vel simplex, vel compositum, sicut dupliciter potest contingere talis excessus, vel enim una sola qualitas excedit oppositam, & sic insurgit temperamentum difforme simplex, & quia quatuor sunt primæ qualitates, hinc temperamentum istud quadruplex erit, unum, in quo calor excedit frigus, humiditas autem, & siccitas sunt æquales in gradu, secundum, in quo frigus excedit, tertium, in quo humiditas sola, quartum, in quo siccitas superat; at si duæ qualitates excedunt oppositas, dicitur temperamentum difforme compositum, estque etiam quadruplex, sicut naturaliter quadrupliciter possunt primæ qualitates combinari, primum, in quo denominantur calor, & siccitas, & dicitur igneum, quia assimilatur igni; secundum, in quo abundat calor, & humidum, & dicitur aereum; tertium in quo superat frigidum, & humidum, & nominatur aqueum; quartum, in quo excedit siccum, & frigidum, & est terreum. Quatuor his temperamentis in viventibus quadruplex conjungitur complexio a quatuor humoribus denominata, colerica consequitur temperamentum igneum, sanguinea aereum, flegmatica aqueum, melanchonica terreum, etsi enim temperamentum, & complexio re vera sint idem, obtinuit tamen, ut complexionem, nisi de animantibus, & cum respectu ad quatuor humores non dicamus, unde complexionem aliqui distinguunt a temperamento, quod temperamentum a naturali elementorum proportione deducitur, complexio vero etiam ab humore adventitio derivari potest.

42 Primum temperamentum scilicet æquale ad pondus, erit veluti species athoma, quia cum illa proportio æqualitatis in indivisibili consistat, non possunt plures species inferiores reperiri, sed solum plura individua; alia vero erunt veluti genera subalterna, quia excessus ille potest esse modo major, modo minor, ita ut una forma determinatum excessum requirat in subjecto, non quemlibet; hæc tamen determinatio non dicit unum indivisibile, sicut primum temperamentum, sed latitudinem quamdam habet, inclusam tamen propriis terminis intrinsecis, unde individua illius speciei

substantialem, posset concedi conseq. at si loquimur quoad dispositiones necessarias tam in generatione, quam *in conservatione*, est falsa, nam forma elementi duas tantum qualitates dispositivas requirit, forma vero mixti omnes quatuor qualitates primas, & etiam alias secundas. Ad 3. ex Scot. neg. seq. quia licet in perficiendo materiam una forma non perficiat mediante alia, tamen quoad ordinem transmutationis una forma præsupponit aliam, sic semen præsupponitur sanguini, sanguis carni, caro homini, vinum aceto, &c. sic forma mixti præsupponit formam elementi, ita ut numquam forma mixti inducatur in materia, nisi prius præcesserit forma elementi, quod explicabimus respondendo ad ultim. Ad 4. jam diximus semen non posse dici materiam hominis ad modum elementi, quia non permanet virtualiter in homine, ut elementum in mixto. Ad 5. falsum est qualitates primas esse rigorose proprietates elementorum, quia sunt separabiles, aliter cum aqua calefit, deberet in se recipere ignem, aut aerem, & sic duæ formæ in eodem subjecto; dicuntur igitur proprietates appropriate, & large, quatenus illis primo, & in excessu conveniunt. Ad 6. non est multum de exemplis curandum, quia non semper currunt quatuor pedibus, unde ad illud de contrariis dicimus, quod media aliquando specie ab extremis differunt, ut probabilior opinio sustinet de coloribus mediis, & in istis extrema virtualiter continentur; exemplum de anima rationali, & sensitiva non valet in omnibus, aliter sicut anima rationalis est principium formale *quo* sentiendi, & vegetandi, ita forma mixti esset principium formale *quo* mixtum sit aqua, aer, ignis, & terra, quod est falsum, valet ergo quoad primam virtualem continentiam in genere causæ quasi formalis explicatam concl. 3. quod scilicet sicut rationalis excedit in gradu perfectionis sensitivam, *ita forma mixti excedit elementares*, qua ratione dicitur illas continere virtualiter.

32 Secundo arg. experientia, videmus enim mixta resolvi in elementa, unumquodque autem resolvitur in ea, ex quibus constat, antec. prob. nam in combustione ligni accenditur flamma, quæ est ignis, segregantur cineres, quæ sunt terra, exhalat fumus, qui est vapor aereus, & effluit humor aqueus ex ligni extremitatibus; Ex cadavere etiam dum putrescit, hæc omnia segregantur; Ex herbis, & floribus a lambicco educitur aqua, vel oleum, quod deinde in aerem, & ignem resolvitur; In calce ante infusionem aquæ ignis sopitus jacet, sed postquam aqua superefunditur, statim ad suum locum tendit, & lapis resolvitur. In urina manifeste apparet terra, quæ refidet in fundo vasis; neque dicas *ejusmodi* terrestres partes a virtute concoctiva animalis produci, quia virtus concoctiva sanorum hominum non est productiva terræ, sed mediante calore separat partes alimenti crassiores a tenuioribus; ex quo habetur partes illas terreas præfuisse in alimento. Per collisionem duorum corporum, scilicet silicis, & chalybis, excitatur ignis, qui non fit de novo, nulla enim potest assignari causa productiva, si namque dicatur, ut diximus disp. de Cœlo num. 236. produci a Cœlo propter majorem aeris raritatem a motu caufatam, hoc est falsum, quia ignis excussus est crassus, & densus, ut patet ex ejus descensu; tum quia ignis ratior aere in tantilla quantitate non comburet fomitem; tum quia in quolibet confrictu duriorum corporum ignis excitaretur, quia semper incalescit aer, quod est falsum; excutitur igitur, quia partes durioris corporis *momento* se comminuunt, atque ita fit, ut ignis, qui ibi latebat, soluto vinculo subito exiliat.

33 Resp. ex Angesto de Propr. form. pag. 96. in quolibet mixto esse perfusa realiter quædam elementa in poris ut aquositatem, aerem, terram, quæ tamen non est vera mixtio, cum sint discontinua corpora, & solum juxtapositæ; quare sicut elementa sunt impura ex mixtorum perfusione, sic mixta sunt impura ex elementorum admixtione; insuper in mixto esse maximam parium difformitatem, quarum aliquæ sunt plures terreæ, aliquæ aqueæ, aliquæ aereæ, aliquæ igneæ, sive horum naturis valde similes, & virtutibus, ac proprietatibus diversas, & artificio a mixto segregabiles, qua ratione dicitur elementa a mixto separari; *ideo* partes *separari naturis illorum magis similes*, quæ partes tamen sunt vere mixta quædam corpora, hoc totum patet in quatuor corporis humani humoribus, ut diximus n. 25. Ex his ad arg. dicimus numquam mixta immediate in elementa resolvi tamquam in partes formaliter componentes, sed in alia mixta elementis similia, vel si resolvuntur in elementa, hoc erit non per veram mixtionem, sed per quamdam adhæsionem in poris; unde in ligni combustione flamma illa antea non erat, sed de novo advenit ab agente extrinseco, cujus virtute plures ligni partes in flammam convertuntur, nec cineres sunt terra, nec fumus aer, sed quid mixtum; nam diversorum mixtorum cineres, & fumus diversas habent virtutes, quod magis patet in humoribus corporis humani, nemo enim afferet flavam bilem esse ignem, sanguinem aerem, pituitam aquam, & atram bilem terram; similiter oleum ex herbis eductum non est essentialiter ignis, & aer; humor vero ille aqueus vel non est essentialiter aqua, ut habet Scotus 4. d. 3. qu. 3. quod patet, quia postea retinet plures ligni proprietates, & herbarum, unde nec uti licet in Baptismo; vel si est aqua, erit permixta in poris. Idem dicas de partibus illis terreis in urina repertis, quæ si essent vera terra, utique in qualibet urina reperirentur, & quilibet morbo lapideo laboraret, est igitur aliquod mixtum de novo genitum in renibus, aut aliis partibus corporis animalium, ut docet Licet. de Lap. Bonon. cap. 7. & 8. ex materia crassa, & viscida quandoque post actionem caloris a nimio frigore condensante materiam illam in lapidem, quandoque ab excedente calore resolvente tenuiores partes in halitum insensibilem, & crassiores velut aduretto, ut solet ab igne indurari lutum in lapidem. In calce vel aliquid ignis reperitur inclusum, non quidem in generatione illius lapidis adusti, aliter ante combustionem si immergeretur in aqua, idem sequeretur effectus, sed post combustionem, qui propter parvitatem non poterat sentiri; vel dicendum, quod cum lapis adustus maximam habeat siccitatem, & caliditatem, adveniente aqua resolvitur, non quidem in ignem, sed in fumum propter contrarietatem illarum qualitatum. Per collisionem duriorum corporum generatur ignis de novo a Cœlo inveniente aerem rarefactum per affrictum, & ad formam ignis *dispositum*; at si tantum excitaretur, & non generaretur, jam in qualibet divisione mixti deberet ignis evolare, & fomentum accendere, si esset juxtapositum; & quamvis *descendat*, *hoc est*, quia adhæret quibusdam chalybis ramentis, quæ facile concipiunt ignem, cum sint metallica, ac sulfurea, & licet aer rarefactus, & accensus sit in parva quantitate, potens est tamen materiam illam ignire propter dispositiones sulfureas in illa repertas; tandem non excitatur ignis in quolibet confrictu, quia nec semper aer nimium rarefit, & incalescit, ut diximus disp. de Cœlo cit.

34 Tertio in mixtione non datur destructivum formarum elementarium, ergo in mixtione formæ elementares non destruuntur, sed permanent, antec. prob. quia non corrumpuntur a forma mixti genita, quia subsequitur, non præcedit corruptionem, non a mixto generante, quia nullum mixtum habet vim producendi sibi simile, vel si eam habet, multoties non adest, neque a Cœlo, *quia quod corrumpit aliud*, *illud corrumpit* qualitate contraria, ergo si ignis corrumpitur a Cœlo, hoc erit mediante frigore, & humiditate, & consequenter non corrumperet aquam, & sic de aliis. Tum 2. vel elementa pari virtute uniuntur, vel impari, si primum, ergo non corrumpuntur, quia actio provenit a proportione majoris inæqualitatis; si secundum, ergo non omnia corrumpuntur, sed solum debilius. Tum 3. quotiescumque remanent dispositiones requisitæ, & sufficientes ad conservandam formam, quæ jam erat in subjecto, remanet adhuc illa forma, sed adveniente forma mixti remanent adhuc sufficientes dispositiones pro conservatione formarum elementarium, ergo &c. major patet, si enim non esset universaliter vera illa propositio, numquam posset sciri, quænam forma substantialis sit in subjecto; min. prob. quia omnia elementa sunt compossibilia cum quolibet gradu qualitatis activæ contrariæ, quæ reperiatur in productione quorumdam mixtorum, ergo saltem in illis mixtis non corrumpentur, quod si conceditur semel, semper concedi debet, jam enim duæ formæ substantiales non erunt incompossibiles; antec. prob. in productione ranæ ex gutta pluviæ in pulverem decidentis, aqua enim tunc non calefit magis, quam dum est ferventissima in olla, neque exsiccatur magis, quam dum glaciatur, & tamen est aqua compossibilis cum calore, quo fervet, & cum siccitate, qua glaciatur, ergo etiam est compossibilis cum calore, & siccitate, quibus generatur rana, sic aer ex natura sua calidus conservatur in hyeme perfrigida; terra etiam etsi valde frigida, adhuc forma ipsius manet in exhalationibus calidis, ut ad secundam aeris regionem ascendant; ex quibus idem de igne dicendum esse colligitur. Tum 4. elementa sunt ordinata ad mixtionem tamquam ad suum præstantissimum, & optimum, *ad quod possint ipsa concurrere*, *ergo mixtio non est* deperditio elementorum, quia nihil ordinatur a natura ad sui corruptionem tamquam ad summum bonum.

35 Resp. ad 1. neg. antec. ad prob. dicimus elementa a generante corrumpi, sive hoc sit Cœlum, sive aliud mixtum, de quo infra qu. 5. ad hoc autem non semper requiritur, quod generans inducat dispositiones incompossibiles cum forma corrumpenda, non enim accidens attingit corruptionem substantiæ, sed sufficit, ut inducat dispositiones sufficientes pro forma generanda, quare negamus ignem corrumpi a contraria qualitate, sed a generatione immediate per propriam formam substantialem propter incompossibilitatem substantialium formarum, neque semper ex compossibilitate dispositionum valet argumentum compossibilitatem formarum substantialium, nisi quando dispositiones illæ sunt utrique formæ connaturales, modo licet forma aquæ v. gr. fit compossibilis cum tali gradu caloris, ac est forma ranæ, non idcirco debemus arguere formas aquæ, & ranæ esse compossibiles, quia gradus isti non sunt utrique connaturales. Ad 2. elementa non uniuntur omnino pari ratione, sed aliquo modo pari virtute, itaut unum ab altero parum excedatur, a quo etiam repatitur, juxta dicta disp. 2. qu. 3. est tamen nor. quod in mixtione numquam unum elementum corrumpitur ab alio elemento, sed omnia a generante. Ad 3. patet ex dictis ad p. Ad 4. si valeret, concluderet formam seminis, sanguinis, & cujuscumque alimenti manere in vivente, quia a natura ordinatur ad vivens, ut ad finem, quare neg. conseq. & ad prob. dicimus esse veram de fine intrinseco rei, non de extrinseco, etenim *sicut aliquando* natura permittit, imo ordinat læsionem alicujus membri minus principalis propter conservationem principalioris, *sic* ordinat *corruptionem elementorum propter bonum universi*, & acquisitionem perfectioris entis, quale est mixtum, non quidem ut ad finem intrinsecum, & bonum ipsorum, *sed extrinsecum*.

36 Quarto si elementa non permanent formaliter in mixto, ergo non necessario præsupponi debent generati *oni mixtorum*, sed quodlibet posset ex uno tantum elemento generari, quod est falsum, quia sic non esset mixtio; & nutritio posset fieri ex uno elemento contra Arist. 2. de Gen 50. Tum 2. si solum virtualiter essent in mixto, ergo Cœlum esset mixtum, quia virtualiter continet elementa; homo quo-

Masstrii, & Belluti. De Generat. & Corrupt. Tom. III.

tem, unde frigidiora apparent. Ad 4. ex Angesto cit. quod potest fieri a calore digestio, seu mixtio humidi, & sicci, sed deinde potest evenire frigus expellens calorem, & congelans materiam illam, in qua prædominabitur. Vel dicendum, quod ad hoc ut fiat digestio, non opus est calorem quoad intensionem excedere frigus, sed satis est, quod adsit, licet non in tanta intensione, ut mox dicemus. Ad 5. patebit qu. ult. quod scilicet putredo fit a calore ambientis non innato, & connaturali.

48 Secundo arg. contra 2. partem, quod non detur temperamentum uniforme, quia in omni mixtione debet dari elementum prædominans, quia actio non provenit nisi ex proportione majoris inæqualitatis ex disp. 2. qu. 1. art. 2. ergo omne mixtum semper assimilabitur elemento prædominanti, nam quando plures causæ ad eumdem effectum concurrunt, si una est potentior, & prædominans, effectus magis assimilatur isti, quam illis, & per consequens nequit mixtum esse uniformiter temperatum. Si dicatur cum Ruvio posse elementa misceri, absque quod unum alteri prædominetur, quia quod est activius, posset applicari in minori quantitate, & minus activum in majori mole, & densitate, ita ut ex hoc capite fiat compensatio: Contra, instant Compl. quia facta adhuc tali applicatione si unum elementum non prævalet, nulla esset actio, & consequenter nec mixtio, seq. prob. quia actio semper debet a proportione majoris inæqualitatis provenire. Tum 2. nequeunt duo contraria instrumenta esse æqualiter convenientia eidem formæ quia se se impedient, & tolleretur actio, sed qualitates primæ sunt instrumenta substantialis formæ, ergo nequeunt in gradu æquali illi convenire. Tum 3. si gradu æquali applicarentur qualitates istæ, adhuc temperamentum non esset æquale ad pondus, quia una esset activior, scilicet calor, & consequenter erit temperamentum difforme in activitate; si vero æquantur quoad activitatem, jam minus activa esset intensior in gradu, ergo semper erit temperamentum difforme, non enim sufficit compensatio, quod scilicet minus activa sit in majori mole, vel densitate; Etenim ut diximus disp. 2. qu. 1. art. 1. major moles, vel densitas non auget intensive virtutem activam agentis, ideoque semper erit difformitas in activitate.

Resp. si argum. valeret, jam nulla esset reactio; quapropter negamus, cum elementa æqualiter applicantur, nullam intervenire actionem, adhuc enim tunc est proportio majoris inæqualitatis potentiæ activæ v. gr. caloris supra potentiam resistitivam formalem frigoris, inter quas potentias debet fieri comparatio ex dictis disp. 2. num. 17. & seq. negamus tamen consequod elementum illud, sive calor absolute debeat dici prædominans, quia adhuc frigus secundum suam activam virtutem excedit potentiam resistitivam caloris, & sic est utrobique compensatio, tum quia elementa, cum sunt æqualiter temperata, non agunt, sed ante attemperationem. Ad 2. neg. major cum probatione, quia sicut qualitates illæ attemperatæ faciunt unum principium activum medium, ita possunt concurrere ad actionem mediam; alii dicunt, quod cum æqualitate qualitatum stat inæqualitas incliuationis formæ, itaut forma sit magis determinata ad agendum hac qualitate, quam illa. Ad 3. concedimus non posse dari temperamentum uniforme in gradu, & activitate simul, sufficit, quod detur in uno istorum, quia si est in gradu, excessus activitatis compensatur per excessum resistentiæ formalis in opposita qualitate; & quamvis moles, & densitas non intendant activitatem, valde tamen juvant ad actionem, ut ibi diximus.

49 Tertio ad idem, quod nequeat hoc temperamentum in homine reperiri, prob. quia omnis operatio vivi a calido, & humido perficitur, scilicet spiritu, & sanguine, aut aliquo proportionabili; & qualibet pars vivi in se convertit alimentum, quæ conversio fit actione caloris ex 2. de Anim. 50. ergo in qualibet parte viva prædominatur calor: quibus accedit, quod ait Arist. in lib. de Morte, & Vita cap. 1. quod vita sit permansio calidi, & mors caloris extinctio; & lib. de Long. & Brevit. cap. 2. animal esse natura calidum, & humidum, unde quantum homo ad senectutem accedit, tantum calor, & humidum decrescunt, & augentur frigus, & siccitas. Tum 2. perfectiori animali qualis est homo, perfectius debetur temperamentum, temperamentum uniforme est imperfectius, ergo &c. min. prob. quia Arist. sect. 15. probl. 22. corpora ad æqualitatem temperata facile incidunt in morbum, facileque curantur, ad inæqualitatem vero temperata non facile infirmantur, nec facile curantur, ergo si corpora uniformiter temperata facile infirmantur, hoc temperamentum erit imperfectius. Tandem hoc corpus haberet temperamentum æquale ad pondus secundum gravitatem, & levitatem, quia gravitas, & levitas ex mixtione primarum qualitatum proveniunt, quod est falsum, ergo &c. falsitas patet, primo quia nullum locum naturalem haberet, hic enim maxime esset locus medius inter aquam, & aerem, qui tamen nequit esse, nam aer, & aqua sunt immediata, & superficies concava aeris est locus naturalis aquæ; tum quia si illud corpus a proprio loco extraheretur, non haberet virtutem intrinsecam motus ad locum naturalem, quia gravitas, & levitas propter æqualitatem mutuo se impedirent, & tandem quia Arist. 1. de Cœlo 7. absolute ait, mixtum moveri a prædominante elemento, ergo non reperitur mixtum aliquod, in quo gravitas, vel levitas non prævalet, & consequenter etiam elementum.

50 Resp. ad 1. concedimus actionem vitæ perfici a calido, & humido, non tamen necessario excedentibus frigidum, & siccum, nam calor naturalis, cujus virtute fit digestio, est complexio quædam, seu attemperatio qualitatum convenientium substantiali formæ, quæ attemperatio, licet quandoque sapiat plus frigidi, quam calidi, digerit tamen vi calidi, quo habet, unde conversio sanguinis in lac a mamillis facta fit a complexione naturali mamillarum, quæ sanguini comparatæ sunt frigidæ, idem de conversione sanguinis in spiritus animales a cerebro facta dicendum; concedimus igitur actiones vitales præcipue in calido, & humido consistere, & ut plurimum excedente, non tamen in omnibus, nam formicæ, turtures pisces, salamandra, papaver, cicuta, mandragora, & alia a frigido dominantur; vivens igitur dicitur esse natura calidum, & humidum comparatum sibi ipsi mortuo, & extincto, non absolute, nisi ut in plurimum, & secundum omnes partes simul sumptas. Ad 2. major, vel minor temperamenti perfectio attendi debet præcipue ex hoc, quod infervit perfectiori, vel imperfectiori operationi, quare parum refert, quod sit temperamentum uniforme, vel difforme, quod facile, vel difficulter acquiratur, & deperdatur; cum igitur ad sensationem tactus perfectissimam requiratur temperamentum uniforme, & hæc operatio excellit in homine, idcirco temperamentum istud homini natum est convenire. Ad 3. primo neq. seq. quia ut diximus, gravitas, & levitas non sunt in omnibus ejusdem speciei, unde principium motivum non est quid ex illis aggregatum; tum quia non semper gravitas, & levitas insequuntur primas qualitates, ut patet in sulfure, in quo ignis prædominatur, & tamen descendit in aere, & aqua, potest enim a majori mole gravioris elementi provenire. Deinde admissa seq. negatur falsitas; & ad 1. prob. dicimus utique locum medium inter aerem, & aquam fore illi naturalem, nec aqua, & aer sunt ita immediata, ut nequeat corpus aliquod mediare, ut patet de oleo, & ligno, sed dicuntur immediata respiciendo partes principales universi, quæ sunt quatuor elementa, & Cœlum. ad 2. neg. seq. quia si esset in corpore graviori, levitas moveret, gravitas non impediret, si in leviori levitas non impediret, sed gravitas impelleret, quia gravia, & levia in propriis locis, non gravitant, nec levitant; sequeretur autem corpus istud non velocius moveri in fine, quam in principio, ut diximus, nu. 22. ad 3. dicimus Arist. ideo sic locutum, quia revera vix reperitur tale corpus, vel quia adhuc moveretur ab elemento prædominante, nam si esset in aqua, moveretur a levitate aeris, si in aere, moveretur a gravitate aquæ, vel terræ: cætera, quæ de temperamentis mixtorum solent pertractari, apud Conimb. erudite, & eleganter reperies declarata.

QUÆSTIO V.

De causis effectivis mixtorum, ubi specialiter agitur de conversione aquæ in vinum.

51 HUc usque causam materialem, & formalem mixtorum explicuimus, & consequenter etiam finalem, dum declaravimus formam mixti, hæc enim est finis mixtionis juxta dicta disp. 5. Phys. qu. 4. remanet ut aliqua de efficienti dicamus. Et quidem certum ex Scot. 2. d. 14. D. quem communior opinio Doctorum sequitur, misibilia non esse causam effectivam mixtorum, nam quando fit mixti generatio, non sunt misibilia, quia ex dictis qu. 3. corrumpuntur substantialiter, at ad effective causandum requiritur existentia ex disp. 7. Phys. qu. 4. arr. 1. tum quia causa æquivoca est perfectior suo effectu, mixta sunt perfectiora misibilibus, seu elementis etiam simul sumptis, quia hæc se habent veluti materia, & ad mixta ordinantur; alia igitur causa erit investiganda, quæ vel erit aliud mixtum, vel Cœlum, vel Deus, si enim negatur a mixtis virtus productiva alterius mixti univoca actione necessario ad causas universales recurrendum erit, quæ sunt Cœlum, & Deus; quæstio igitur est, an mixta habeant talem virtutem producendi sibi simile, sive ex una, sive ex pluribus elementis; non loquimur autem de mixtis animatis, de his enim dicemus disp. seq. sed de inanimatis, & quamvis de omnibus in communi determinandum est, specialiter tamen de conversione aquæ in vinum agemus, quia inter recentiores acriter modo controvertitur, & occasionem dedit Arist. in his libris, volens enim explicare mixtionem, sæpe usus est exemplo aquæ, & vini ad invicem permixtorum.

Partem negativam sustinent Arest. 1. de Gen. qu. 52. Zab. lib. de Accret. cap. 19. Piccol. 1. de Gen. in tex. 74. & 88. Bonamicus lib. 7. de Motu cap. 24. & lib. 3. de Alimentis cap. 3. Licetus lib. 2. de his, qui diu vivunt sine alimento cap. 41. Dandin. 2. de Anim. digress. 25. Aguilon. lib. 5. optic. prop. 18. Coninch. de Sacram. qu. 74. art. 8. dub. un. Joan. de Lugo de Euchar. disp. 4. nu. 54. & seq. Camerarius part. 2. qu. 1. & quamplures alii. Affirmativa sententia communior fuit apud veteres, imo de ipsa parum, vel nihil dubitarunt, & ex Recentioribus sequuntur Conimb. 1. de Gen. cap. 10. q. 1. ar. 2. Mobilius cap. 5. qu. 5. Suarez 3. par. tom. 3. disp. 45. sect. 4. Vasquez de Euchar. disp. 178. num. 4. Contar. tom. 2. quæst. de mixt. cap. 2. Aversa qu. 44. sect. 3. & alii.

52 Dicimus non esse ab omnibus mixtis denegandam virtutem activam alterius, & præsertim vino convenit, quod potens est etiam aquam solam in se ipsum convertere; ita Scot. 2. d. 19. A. & 4. d. 11. q. 7. & d. 44. q. 1. supra F. Hæc conclusio non est universaliter de omnibus mixtis intelligenda, nam ut ex Scot. 1. d. 7. qu. un. V. notavimus dis. 7. Phys. q. 6. ar. 2. pro statu isto non habemus rationem a priori ostendentem unam formam esse activam, non aliam, maxime enim esset perfectio formæ, & tamen videmus perfectiores nec univoce, nec æquivoce esse substantialiter productivas, ut est in Angelis, multa animata non generant sibi simile, ut sunt quæ solum ex putri generantur, & tamen elementa, quæ sunt imperfectiora, possi-

possident hanc virtutem, solum igitur a posteriori possumus cognoscere, quænam substantia sit, vel non sit alterius productiva, unde pro veritate hujus concl. sufficit aliquas experientias adducere, & rationes, quæ pro negativa parte solent afferri, dissolvere. Primum exemplum sit de Magnete, ut notat Ferdinand. Medicus tr. 2. de Facult. qu. 1. concl. 5. *Magnes* (inquit) *attrahit ferrum, ut ferrum transmutetur in substantiam magnetis, ut unusquisque potest videre formicæ, turtures pisces, salamandra, papaver, cicuta, mandragora, & alia a frigido dominantur; vivens igitur dicitur esse natura calidum, & humidum comparatum sibi ipsi mortuo, & extincto, non absolute, nisi ut in plurimum, & secundum omnes partes simul sumptas. Ad 2. major, vel minor temperamenti perfectio attendi debet præcipue ex hoc, quod infervit perfectiori, vel imperfectiori operationi, quare parum refert, quod sit temperamentum uniforme, vel difforme, quod facile, vel difficulter acquiratur, & deperdatur; cum igitur ad sensationem tactus perfectissimam requiratur temperamentum uniforme, & hæc operatio excellit in homine, idcirco temperamentum istud homini natum est convenire. Ad 3. primo neq. seq. quia ut diximus, gravitas, & levitas non sunt in omnibus ejusdem speciei, unde principium motivum non est quid ex illis aggregatum; tum quia non semper gravitas, & levitas insequuntur primas qualitates, ut patet in sulfure, in quo ignis prædominatur, & tamen descendit in aere, & aqua, potest enim a majori mole gravioris elementi provenire. Deinde admissa seq. negatur falsitas; & ad 1. prob. dicimus utique locum medium inter aerem, & aquam fore illi naturalem, nec aqua, & aer sunt ita immediata, ut nequeat corpus aliquod mediare, ut patet de oleo, & ligno, sed dicuntur immediata respiciendo partes principales universi, quæ sunt quatuor elementa, & Cœlum. ad 2. neg. seq. quia si esset in corpore graviori, levitas moveret, gravitas non impediret, si in leviori levitas non impediret, sed gravitas impelleret, quia gravia, & levia in propriis locis, non gravitant, nec levitant; sequeretur autem corpus istud non velocius moveri in fine, quam in principio, ut diximus, nu. 22. ad 3. dicimus Arist. ideo sic locutum, quia revera vix reperitur tale corpus, vel quia adhuc moveretur ab elemento prædominante, nam si esset in aqua, moveretur a levitate aeris, si in aere, moveretur a gravitate aquæ, vel terræ: cætera, quæ de temperamentis mixtorum solent pertractari, apud Conimb. erudite, & eleganter reperies declarata.*

QUÆSTIO V.

De causis effectivis mixtorum, ubi specialiter agitur de conversione aquæ in vinum.

51 HUc usque causam materialem, & formalem mixtorum explicuimus, & consequenter etiam finalem, dum declaravimus formam mixti, hæc enim est finis mixtionis juxta dicta disp. 5. Phys. qu. 4. remanet ut aliqua de efficienti dicamus. Et quidem certum ex Scot. 2. d. 14. D. quem communior opinio Doctorum sequitur, misibilia non esse causam effectivam mixtorum, nam quando fit mixti generatio, non sunt misibilia, quia ex dictis qu. 3. corrumpuntur substantialiter, at ad effective causandum requiritur existentia ex disp. 7. Phys. qu. 4. arr. 1. tum quia causa æquivoca est perfectior suo effectu, mixta sunt perfectiora misibilibus, seu elementis etiam simul sumptis, quia hæc se habent veluti materia, & ad mixta ordinantur; alia igitur causa erit investiganda, quæ vel erit aliud mixtum, vel Cœlum, vel Deus, si enim negatur a mixtis virtus productiva alterius mixti univoca actione necessario ad causas universales recurrendum erit, quæ sunt Cœlum, & Deus; quæstio igitur est, an mixta habeant talem virtutem producendi sibi simile, sive ex una, sive ex pluribus elementis; non loquimur autem de mixtis animatis, de his enim dicemus disp. seq. sed de inanimatis, & quamvis de omnibus in communi determinandum est, specialiter tamen de conversione aquæ in vinum agemus, quia inter recentiores acriter modo controvertitur, & occasionem dedit Arist. in his libris, volens enim explicare mixtionem, sæpe usus est exemplo aquæ, & vini ad invicem permixtorum.

Partem negativam sustinent Arest. 1. de Gen. qu. 52. Zab. lib. de Accret. cap. 19. Piccol. 1. de Gen. in tex. 74. & 88. Bonamicus lib. 7. de Motu cap. 24. & lib. 3. de Alimentis cap. 3. Licetus lib. 2. de his, qui diu vivunt sine alimento cap. 41. Dandin. 2. de Anim. digress. 25. Aguilon. lib. 5. optic. prop. 18. Coninch. de Sacram. qu. 74. art. 8. dub. un. Joan. de Lugo de Euchar. disp. 4. nu. 54. & seq. Camerarius part. 2. qu. 1. & quamplures alii. Affirmativa sententia communior fuit apud veteres, imo de ipsa parum, vel nihil dubitarunt, & ex Recentioribus sequuntur Conimb. 1. de Gen. cap. 10. q. 1. ar. 2. Mobilius cap. 5. qu. 5. Suarez 3. par. tom. 3. disp. 45. sect. 4. Vasquez de Euchar. disp. 178. num. 4. Contar. tom. 2. quæst. de mixt. cap. 2. Aversa qu. 44. sect. 3. & alii.

52 Dicimus non esse ab omnibus mixtis denegandam virtutem activam alterius, & præsertim vino convenit, quod potens est etiam aquam solam in se ipsum convertere; ita Scot. 2. d. 19. A. & 4. d. 11. q. 7. & d. 44. q. 1. supra F. Hæc conclusio non est universaliter de omnibus mixtis intelligenda, nam ut ex Scot. 1. d. 7. qu. un. V. notavimus dis. 7. Phys. q. 6. ar. 2. pro statu isto non habemus rationem a priori ostendentem unam formam esse activam, non aliam, maxime enim esset perfectio formæ, & tamen videmus perfectiores nec univoce, nec æquivoce esse substantialiter productivas, ut est in Angelis, multa animata non generant sibi simile, ut sunt quæ solum ex putri generantur, & tamen elementa, quæ sunt imperfectiora, possident hanc virtutem, solum igitur a posteriori possumus cognoscere, quænam substantia sit, vel non sit alterius productiva, unde pro veritate hujus concl. sufficit aliquas experientias adducere, & rationes, quæ pro negativa parte solent afferri, dissolvere. Primum exemplum sit de Magnete, ut notat Ferdinand. Medicus tr. 2. de Facult. qu. 1. concl. 5. *Magnes* (inquit) *attrahit ferrum, ut ferrum transmutetur in substantiam magnetis, ut unusquisque potest videre formicæ, si diutius magnes retineat ferrum*, unde Claud. in quodam Epigra. dixit:

Ex ferro meruit vitam ferrique vigore
Pascitur; has dulces epulas, hæc pabula novit,
Hoc absente perit.

Si igitur magnes crescit, ferrumque in propriam substantiam convertit, jam generat sibi simile. Idem de plumbo docent Galen. lib. 9. de Simplic. medicam. facult. cap. de plumbo, & Georgius Agricol. lib. 5. de Ortu, & causis subterraneorum scilicet plumbum in locis humidis asservatum, vel in tectis domorum notabiliter tum mole, tum pondere excrescere, quod nequit esse, nisi per conversionem aeris humidi, vel aquei humoris in propriam naturam, quod etiam affirmat Scaliger exerc. 104. num. 17. ubi idem de petra falis asserit, qua ratione Marsi. Ficinus lib. de Vita cœlitus comparanda c. 3. & Fernel. lib. 2. de Abditis rerum causis deduxerunt hanc virtutem in omnibus lapidibus, & metallis reperiri, imo Cardanus ad omnia corpora hoc ipsum extendit. Tertium exemplum est de aceto, quod vinum in se convertit, imo aquam ipsam, maxime si fervens erit, non solum enim tam acre conservatur, sicut antea, verum etiam acrius per infusionem fervescentis aquæ evadit, dummodo sit proportionata quantitas. Quartum exemplum sit de humoribus noxiis in homine existentibus, hi enim non sunt animati, ut *omnes fere concedunt*, & *tamen si in stomacho reperiuntur*, vel in aliis corporis partibus, cibum convertunt in similes humores; quamvis autem potentia nutritiva corporis concurrat, negari tamen non debet, quin humores ipsi saltem partialiter influant, aliter non esset ratio, cur potentia cibum convertat in tales humores, & non in alios, cum per se sit ordinata ad producendos humores, proficuæ nutritioni inservientes.

53 Quintum exemplum afferri solet de gutta aquæ in dolio vini immissa, quæ actione ipsius vini transmutatur in vinum, quo exemplo usus est Arist. 1. de Gen. 34. 39. & 42. ad explicandam mixtionis naturam, quæ est substantialis mutatio; quamvis adversarii dicant, non esse multum exemplis fidendum, eo quia aqua in vinum apparenter, & mutatione quadam morali converti dicitur. Attamen quia Arist. intendit explicare conversionem substantialem augmentationis veram non apparentem, ut cum unum miscibile excedens in se convertit aliud, per quam conversionem dicitur augeri, & in tex. 39. non solum adducit exemplum de aqua vino immixta, sed etiam de igne, cui apponuntur ligna, quæ non est mutatio apparens, sed vera, & realis, idem quoque de mutatione aquæ in vinum in sententia Arist. erit dicendum. Tum quia ut dicemus disp. seq. potest unum elementum pro nutritione tamquam alimentum inservire, vinum quoque est alterativum, facile permeabile, sicut aqua, ergo si gutta aquæ poneretur in dolio vini, quia divideretur in minutissimas partes, quarum quælibet alteraretur a vino, ergo etiam corrumperetur, & in vinum converteretur; eo vel maxime, quia nulla apparet implicantia, ut mox dicemus.

54 Contra hanc sent. & præcipue de conversione aquæ in vinum acriter invehitur Arest. prob. igitur primo universaliter, quod nullum mixtum sit alterius similis causativum, quia mixta habent qualitates primas refractas, non in gradu excellenti, ut elementa, ergo per qualitates primas non poterunt alia corpora in se convertere, neque per qualitates virtuales, quia virtuales non agunt, nisi producendo qualitates formales, ergo si istæ non habent talem virtutem, nec illæ. Tum quia natura hanc virtutem solum debuit concedere illis corporibus, quæ sine tali conversione conservari nequirent, ut sunt viventia, & etiam ignis, qui alimento indiget, ergo non fuit aliis concessa, aliter non esset ratio, cur omnia corpora illam non habeant. Resp. ad 1. nec etiam animata habent primas qualitates in excellenti gradu, & tamen possunt alia in seipsa convertere, hæc etiam per suas qualitates virtuales agunt in alimentum, quare sicut viventia per qualitates formales, & occultas virtutes alterant cibum, & deinde propria substantiali potentia in seipsa convertunt, substantia enim est, quæ immediate attingit productionem substantiæ, idem de quibusdam mixtis erit dicendum. Ad 2. neg. assumptum, quia elementa possunt se conservare, & tamen sunt ad invicem transmutabilia; nec idcirco cogimur hanc virtutem in omnibus corporibus asserere, sicut nec omnium est idem temperamentum, nisi ubi adest experientia, & ratio a posteriori suadet, a priori autem alia ratio reddi nequit, nisi, quia hoc est hoc, & illud est illud, ut cum Scoto notavimus num. 52.

55 Secundo specialiter de vino arg. ex Arist. qui 2. de Gen. 50. negat ex uno elemento fieri posse nutritionem, sed ex quatuor elementis, ergo aqua sola non est in vinum immediate transmutabilis, quod etiam repetit lib. de Sensu, & sensib. c. 5. & 4. Metheor. sum. 2. c. 3. In 1. de Gen. 34. quærens, cur in nutritione, quod nutritur, dicatur augeri, in mixtione vero utrumque miscibile augeri dicatur, respondet, quia alimenti substantia in nutritione non manet, misibilium autem substantia in mixtione manet, & affert exemplum de aqua in vino immissa, ergo per Arist. aquæ substantia non mutatur in vinum, sed permanet, hinc concludit: *Quando illic quoque* (scilicet in mixtione vini) *quod evincis, & superat in ipsa mixtione, augeri dicitur, ceu Mastrii, & Belluti. De Generat. & Corrupt. Tom. III.*

vinum, nam universa mixtura vini, non aquæ functionem exercet, ubi non ait vinum, sed mixturam, ut innuat aquam vere remanere sed ejus vires a majori copia vini refrangi, ut non percipiantur. In 3. sect. prob. multa quærens de vino diluto, jam supponere videtur substantiam aquæ remanere, non destrui; unde libr. Poetic. cap. 23. ait vinum dilutum vulgo appellari absolute vinum, & impropriè, quia scilicet substantiam aquæ habet admixtam. Resp. ad 1. auth. de nutritione dicemus disp. seq. ubi ex professo hoc quæstitum examinabimus, cum de nutrimento agemus. Textus 34. ex 1. de Gen. est ad oppos. nam exemplum de aqua, & vino, non debet referri ad mixtionem veram, sed ad nutritionem, tum quia sequeretur substantiam misibilium formaliter remanere in mixto, contra dicta qu. 3. tum quia cum gutta aquæ infunditur in vinum, hæc mixtio potius assimilatur nutritioni, quam veræ mixtioni, in hoc enim misibilia debent in debita proportione misceri, at in nutritione vivens excedit alimentum, sicut vinum superat aquam, unde sicut nutritum dicitur augeri, sic inquit Arist. *vinum* dicitur augeri in hac impropria mixtione, quia superat, & evincit aquam, ergo sicut cibus convertitur in vivens, ita aqua in vinum, appellavit autem hoc totum mixturam, non vinum, ut innueret se loqui de vino, cui est gutta aquæ opposita, non de vino solo. Tandem vinum dilutum nequit proprie dici vinum purum, quia illud dicitur dilutum, quod ad victum humanum inservit, in quo plurimum de aqua miscetur, quæ nequit totaliter in vinum converti, ut dicemus.

56 Tertio arg. ratione: vinum non habet accidentia, quibus corrumpat aquam, ergo non potest eam in se convertere, patet conseq. prob. antec. quia vel essent qualitates formales, vel virtuales; non illæ, quia vinum est frigidum, & humidum formaliter, quæ *sunt accidentia consentanea aquæ, & quamvis habeat* aliquos gradus caloris admixtos, non sunt tamen corruptivi aquæ, nam aqua fervens non destruitur, & tamen longe majorem retinet calorem formalem quam vinum, neque qualitates virtuales destruent aquam, quia istæ non agunt, nisi a qualitatibus formalibus sint excitatæ, ut patet in pipere, veneno, & in ipso vino, quod non calefacit, nisi prius a calore stomachi excitetur. Accedit deinde quod per quamlibet etiam minimam aquæ infusionem vinum debilius evadit, ergo vinum non convertit aquam in se, antec. patet experientia; Neque dicas, debilitari, quando plurimum aquæ miscetur; Nam si quantitas vini, quæ est in cyatho, posset in se convertere tres, vel quatuor aquæ guttulas, certe quantitas, quæ est in dolio, poterit tres, vel quatuor sextarios convertere, & si hæc parva *vini quantitas interpolatim* admisceretur, si scilicet post multum temporis, quod judicetur sufficiens ad convertendam aquam in vinum, denuo ponatur aliquid aquæ, & sic per aliquot menses vinum aquæ infspergatur, adhuc tamen vinum illud foret aquosius, aliter facile esset per solam infusionem aquæ, & multum lucrari, & in infinitum augeri vinum, ut contingit in igne, quod est falsum; prima conseq. prob. quia natura non tribuit virtutem activam alicui, ex qua resultet illi aliquod detrimentum, quia finis potentiæ activæ est in perfectionem agentis, ergo si ex mixtione aquæ debilitatur vinum, non habebit potentiam agendi in aquam; tum quia si vinum potuit aquam destruere, ergo non est ab illa repassum, vel si in pugna aliquid amisit, posset post victoriam se reducere *ad pristinum statum, ut evenit in aqua calefacta, & in nutritione viventis*, ubi potentia conversiva in principio tam fortis est, ut possit convertere, non solum quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam ad augmentum, ergo virtus activa *vini* saltem in principio non deberet debilitari, si aquam in se converteret, igitur si statim labefactatur, erit, quia remanet aquæ substantia.

57 Resp. ad 1. si valeret, sequeretur nullam fieri nutritionem, quia sanguis quoad qualitates formales assimilatur carni, & jecori, nec umquam aquam posse destrui ab aere, & in aerem converti, vel ab alio mixto etiam vivente, quia aer secundum ipsum est frigidus, quare assimilatur aquæ in humiditate, & frigiditate, & omnia mixta in sententia ipsius a frigido prædominantur, nec vinum posset in acetum converti, eadem enim ratio confici posset, dicimus igitur vinum non corrumpere aquam per qualitates, per has enim solum illam disponit ad propriam formam substantialem, qua aliam similem producit, ut *diximus disp. 7. Phys. qu. 6. art. 2.* quod autem vinum alteret aquam per propria accidentia, nec ab ipso negatur. Similiter ad 2. si valeret, omnem actionem tolleret de medio, si agens posset a passo repati, per hanc enim repassionem debilitatur virtus agentis, ergo non debet hæc virtus a natura concedi, quia resultat in detrimentum ipsius agentis.

58 Quapropter advertendum, quod in qualibet reactione virtus agentis debilitatur, ut patet, hoc autem potest dupliciter contingere vel enim post actionis victoriam nihil remanet de passo, vel si aliquid remanet, hoc tamen non manet applicatum agenti, & in hoc casu potest agens reassumere vires, vel aliquid remanet applicatum agenti, quod agens nequit convertere, & destruere, estque impeditivum actionum agentium, ut evenit in humoribus noxiis per concoctionem in *stomacho generatis*, & in hoc casu numquam agens poterit vires, quas in reactione amisit, recuperare, ut diximus disp. 5. nu. 140. Cum igitur vinum agit in aquam, hoc erit *maxime medio* calore, & consequenter hæc actio erit quædam digestio, seu depuratio purioris ab impuro, & purius convertitur in *vinum*, impurius, & magis terrestre remanet, quod est causa, cur vinum debiliretur, & numquam vires de novo recipiat, quod patet in igne, qui, licet sit activissimus, sua tamen actione depurat partes ligni, & puriores in ignem convertit,

impuriores, & terrestriores in cineres, quas tamen numquam consumit, & sicut si applicatur maximo igni lignum, vel carta quantumvis exigua, adhuc tamen pars aliqua in cineres convertitur, ita de parvula gutta aquæ est dicendum, quod numquam totaliter in vinum convertitur, sed aliquid impuritis semper remanet, & eo minus, quo vinum est activius, & quia acetum est valde activum, ideo plus aquæ in se convertit, hinc negamus posse vinum in infinitum crescere per appositionem aquæ, quia evadendo impurius, nequit tandem aquam convertere: quare ad argum. neg. conseq. ad 1. prob. dicimus, hoc habere agentia sublunaria, ut possint ad invicem agere, & pati; nec per virtutem activam patiuntur, sed agunt, quare recte a natura conceditur, quamvis per passivam potentiam postea repatiantur; nec semper post actionem agens redit ad pristinum statum, nisi sit ab Agente contrario expeditum, ut contingit in aqua calefacta ab igne remota; exemplum de potentia nutritiva est ad oppositum, quia in principio etiam habetur virtus, & nisi per expurgationem depuraretur ab excrementis, non rediret ad pristinum statum, hæc autem depuratio non contingit in vino.

59 Quarto, accidentia aquæ manent post mixtionem in vino, vinum enim aqua mixtum participat colorem, odorem, & saporem, si esset amara, vel dulcis, ergo etiam manet aqua, quia accidentia non migrant de subjecto in subjectum. Tum 2. ab extremo ab extremum non fit transitus, nisi per medium, sed aqua inter liquores est extremum, vinum inter perfectissima computatur, ergo aqua, antequam in vinum mutetur deberet in liquorem medium prius converti, quem liquorem ullus unquam somniavit; major prob. experientia tum in alteratione, tum in generatione substantiali; nam prius quam cibus in carnem transmutetur, oportet, quod in chylum, & sanguinem convertatur, etiam ipsum vinum, & tamen magis convenit vinum cum sanguine, quam aqua cum vino; imo, vitis ipsa aquam, & humorem terreum nonnisi post varias substantiales mutationes convertit in vinum, ergo non potest vinum immediate in se aquam convertere, hanc enim virtutem a vite reciperet, in qua tamen non invenitur. Tum 3. si aqua converteretur in vinum, certe densior evaderet, quia densius est vinum, & minorem locum occuparet, quod est contra experientiam si enim cyathus majori ex parte vino plenus impleretur aqua, mixtura illa ex aqua, & vino semper eumdem occupabit locum, nec cyathus aliqualiter vacuus conspiceretur, ergo aqua secundum substantiam non est in vinum conversa, aliter minorem locum, deinde occuparet, & posset denuo in cyatho vinum, vel aqua infundi.

Resp. ad 1. ex modo dictis, remanere accidentia aquæ, tum quia fit reactio, & in vino ab aqua similia causantur accidentia, quæ adhuc remanent, quia vinum indifferenter se habet ad illa; tum quia remanent quædam partes aquæ grossiores, quæ accidentia illa conservant in vino. Ad 2. potest concedi vinum in se immediate non immutare aquam, ut videtur innuere Scot. 4. d. 3. qu. 3. ad 3. dum ait, quod *nulla ars potest adhibere passo mixto activum scilicet ignem, ita quod per illud agens fiat immediate resolutio in aquam elementarem, quia illud idem agens non potest habere virtutem sine formis intermediis mutandi, neque etiam ita taliter diversa in eumdem terminum corrumpendi*. Vel si concederemus immediatam conversionem in vinum, adhuc nullum sequitur inconveniens; non enim omnes formæ substantiales se habent ut extrema, & quamvis a vite non fiat hæc immediata conversio, hoc evenit, quia vitis se habet ut agens æquivocum respectu vini, ideoque debet ordinate procedere; at vinum in conversione aquæ est agens univocum, ideoque potentius, & activius est, & hanc virtutem a vite æquivoce habuit, dum propriam naturam ab illa recepit; Dices agens æquivocum perfectius est agente univoco, ergo si vinum potest immediate aquam convertere, multo magis æquivocum. Resp. antec. esse verum quoad entitatem non semper quoad activitatem, sol enim est æquivoce productivus ignis, & tamen facilius, & citius ignis, ab igne univoce causatur, quam æquivoce a Sole. Ad 3. non esse tam magnam diversitatem inter raritatem vini, & aquæ, ut fiat notabilis, & sensibilis variatio, nec tota aqua convertitur in vinum.

60 Quinto vel talis conversio fit virtute animæ vegetantis in vino, vel alia virtute; si primum, ergo vinum mere nutritur; si secundum, ergo talis virtus est insufficiens, quia vinum est effectus animæ vegetantis, ergo nequit produci a virtute imperfectiori, qualis esset illa. Tum 2. si quando vinum excedit vires aquæ, illam in se convertit, ergo quando non superat, sed adæquat, deberent in aliquod tertium commutari propter mutuam actionem, quod est falsum, quia vinum dilutum communiter reputatur vinum aqua mixtum, non quid distinctum. Tum 3. daretur aliquod vinum, quod non esset corpus mixtum, quia ex uno tantum elemento scilicet aqua generaretur. Neque dicas dici mixtum, quia præsupposuit omnes quatuor qualitates; Non valet, quia hæc mixtio est solum accidentalis. Tum 4. vinum non est opus solius naturæ, sed etiam artis, quia natura producit uvam, ars exprimit vinum, ergo non potest in se aquam convertere, & aliud vinum causare, prob. conseq. quia, ut opus naturale est ab anima vegetativa, & nonnisi entis naturalis est causativum, ut opus artificiale non est generativum alterius, quia ars non est principium substantiale, unde effectus imitatur suam causam quoad naturalia, non quoad artificialia, sic licet seminetur triticum sine cortice, nascitur tamen cum cortice; ergo si per vim naturale vinum debet aliquid producere, potius uvam gigneret, quam vinum.

Resp. ad 1. vinum ex aqua gigni a virtute vini, quæ non est vegetativa, estque sufficiens, quia licet vinum sit opus, & effectus animæ vegetantis, non tamen est animatum, ideoque licet æquivoce fuit productum a virtute perfectiori, univoce tamen potest gigni ab imperfectiori, quæ tamen sit ejusdem rationis, & perfectionis cum vino, sic acetum æquivoce producitur in corruptione vini a virtute superiori, ac deinde univoce potest ab aceto generari, idem de plumbo, & aliis exemplis adductis n. 52. dicendum. Ad 2. dicimus progressu temporis mixtum illud ex aqua, & vino corrumpi, & in aliud tertium commutari, non enim est necesse, quod hæc corruptio statim fiat. Ad 3. etiam ipse Aresi. concedit non semper in generatione mixti intervenire omnia elementa quoad substantiam, sed solum quoad virtutes, & accidentia, & tamen corpus dicitur mixtum ex quatuor elementis; dicimus igitur vinum illud ex aqua genitum esse mixtum, & quia exposcit pro dispositionibus naturalibus omnes quatuor qualitates, & quia in forma substantiali assimilatur formis substantialibus elementorum, quas virtualiter continet, ut diximus nu. 24. Ad 4. vinum est opus naturale quoad substantiam, dicitur opus artificiale, quatenus exprimitur, & segregatur ab aliis rebus distinctis, & ut sic poterit producere aliud ens naturale; nec exemplum de tritico valet, quia generatio illa est æquivoca, & per virtutem seminalem, ideo poterunt planta, & aristæ generari a tritico, at vinum univoce producit aliud vinum.

61 Tandem arg. quibusdam experientiis. Prima est, quod multis modis aqua vino mixta potest deinde a vino secerni, scilicet si spongia oleo imbuta obturatur orificium vasis pleni vino diluto, & ipsum vas invertitur, per ipsam spongiam aqua pura effluit; item si vas ex ligno hæderæ fieret, & vino diluto impleretur, per illud vinum permeat secundum Plinium, vel aquam secundum Jo: Baptistam Porta; insuper filum, vel linteum recenter lotum, sive succo mentæ madefactum in vinum aqua mixtum immissum ad se attrahit aquam, & aliis quampluribus modis id fieri contingit. Secunda sæpe accidit in Gallia Cisalpina, & aliis locis, ubi vinum aqua misceri solet; nam hyemis tempore frigidissimo *sentiuntur in vino quidam* glaciei globuli, qui aliud non sunt, quam aqua jam mixta congelata, unde contingit aliquando, ut aqua in glaciem conversa, & a vino separata, vinum præstantius hauriatur e dolio, quam antea, sed a calore ambientis dissoluta aqua, & iterum vino immixta, fere sola aqua deinde extrahatur, signum evidens aquam remanere secundum substantiam in vino. Tertia, vinum dilutum facile potest dignosci a puro, nam ovum in musto aqua mixto demergitur, in puro supernatat, & vinum dilutum calefactum, si in vas novum fictile mittitur, evadit acetum, vel si in sartagine oleo ferventi plenam, obstrepit, & foras diffunditur, si super linteum effundatur, aqua, quia subtilior, circumdat vinum, & in majorem circumferentiam dilatatur; Multi sunt, qui gustu statim agnoscunt, si etiam parum aquæ reperiatur in vino, quæ omnia non contingerent, si aqua in vinum converteretur. Quarta, quandoque aqua in cyatho paulatim immissa non miscetur in vinum, si super vinum solum arboris, vel simile apponatur, & tamen non convertitur in vinum, quod deberet evenire, quia ad hoc ut contraria agant ad invicem, non requiritur permixtio, sed sufficit contactus. Quinta, vinum diutius conservatur, si aqua maris misceretur, ut referunt Columella, Dioscorides, Athenæus, & alii, ergo aqua permanet in vino. Tandem nulla alia res, five palea, sive terra, sive oleum, aut alius liquor in vinum convertitur, nec ipsa uva, ergo multo minus aqua, prob. conseq. quia nulla apparet ratio offendens hanc conversionem; nec adest aliqua experientia, nam nullo signo dignosci potest, quando aqua est jam in vinum conversa, nulla enim apparet mutatio, postquam aqua diu mixta fuit, quæ etiam statim non appareat, si ergo in principio aqua non convertitur, non possumus deinde inferre progressu temporis converti in vinum, quibus accedit, quod aqua est tenacissimæ naturæ, unde si eam conjicias in candentem ollam ferream, & vapores a lambicco excipias, totam omnino integram recipies; ergo si resistit igni, multo magis vino.

62 Resp. hæc experimenta solum probare aliquas aquæ partes remanere in vino; quod nos concedimus; unde ad primam dicimus aquam posse segregari secundum totum, si post mixtionem statim separaretur, tam enim brevi spatio temporis non potuit fieri conversio, ad quam attendi debet non solum tempus, sed etiam vini generositas, verum est tamen, quod extrahitur quoque humor quidam aqueus specie ab aqua elementari distinctus, non solum a vino diluto, sed etiam puro; Nec valet, quod urget Aresi. quod si vinum humorem illum nequit in se convertere, multo minus aquam elementarem. Non valet, quia humor ille est vino connaturalis, sicut in quolibet mixto, & vivente conspicitur, in quibus reperiuntur varii humores elementis similes. Secunda experientia est pro nobis, nam sæpe in illis regionibus ad medietatem infunditur aqua in vino, quæ si totaliter remaneret, non tam pauci, sed in majori multitudine globuli illi animadverti deberent in vino: quapropter erunt solum partes illæ terrestriores aquæ non jam in vinum conversæ. Per idem ad 3. tum quia vinum per admixtionem aquæ debilitatur; sed si non est quantitas notabilis, non facile dignoscitur. Quarta non urget, quia quando agentia non sunt maximæ activitatis, non sufficit simplex contactus, sed requiritur permixtio, & præsertim in liquoribus, qui propter subtilitatem, & raritatem non agunt valde in distans; præterquamquod falsum est, quod in extremitatibus non sit aliqua pugna, conversio, nisi propter virium æqualitatem impediatur actio. Quinta non officit, quia aqua maris propter succos terrestres, & crassiores resistit corruptioni, & ideo minus de ipsa convertitur in vinum, magisque juvat ad conservationem vini. Tandem nec est clarum, an res alias secundum par-

partes subtiliores, & humidiores vinum in se ipsum convertat, maxime loquendo de uvis, solum enim remanent partes crassiores; falsum etiam est nullam adesse pro nobis experientiam, nam cum id experiamur in aceto, non est cur vino denegemus, tum quia maxime urget exemplum illorum globulorum glaciei; qui hyemali tempore reperiuntur in vino; nec obstat tenacitas aquæ, aliter aqua esset naturaliter incorruptibilis, si nec ab igne destrui posset; quod esse falsum ostendimus præc. disp. q. 1. quapropter ad experientiam illam negamus, ut ibi etiam diximus, totam aquam a lambicco recipi absque alicujus partis deperditione, in majori parte tamen accipitur, quia brevissimum est tempus applicationis, statim enim in vapores resolvitur, qui cum specie non distinguantur ab aqua, non est mirum, si artificio illo denuo recipiatur; sic si quis manum paululum ponat in igne, & statim retrahat, non adureretur. Ex quibus patet non adesse rationes pro utraque parte convincentes, & quia experientia in aliis rebus aperte suadet, mixta posse univoce ab aliis mixtis produci, probabiliter id non erit negandum de vino. Quæ Ferchius contra nos objecit in hac materia lib. de sens. pagina 116. vide soluta lib. expurg. quæst. 39.

QUÆSTIO VI.

De corruptione mixtorum, ejusque speciebus.

63 Sicut quælibet species acquisitivæ mutationis suam habent oppositam deperditivam, ita mixtio habebit suam contrariam, quæ erit corruptio mixti, ideo pro complemento hujus disp. pauca de ista corruptione dicemus, nam reliqua apud Zab. lib. 2. de mixt. videri possunt; hæc itaque corruptio omnibus mixtis convenit, quatenus mixta sunt, quod addimus propter animata, quæ dupliciter possunt considerari, vel ut mixta, vel ut animata, ut mixta habent aliter corrumpi, quam ut viventia, nam ut animata possunt morte, morbo, jugulatione, suffocatione, arefactione, & similibus destrui, & tamen adhuc remanet ratio mixtionis in illis, licet postea subsequatur corruptio mixti.

De corrupt. autem mixti loquens Arist. 4. Metheor. cap. 2. duas assignavit species, scilicet corruptionem naturalem, quæ putredo, aut marcedo dicitur, & violentam, corruptio naturalis est, cum mixtum resolvitur in omnia elementa, ex quibus constat, & ideo dicitur naturalis, quia (ut de corruptione diximus disp. 6. num. 46. & seq.) secundum leges a natura universali determinatas mixtum destrui debet in ea, ex quibus componitur, qualia sunt omnia elementa, modo declarato qu. 4. corruptio vero violenta est, cum mixtum non resolvitur in omnia elementa, sed propter validam actionem unius elementi totum fere mixtum in illud convertitur; hujus autem duæ sunt species, scilicet combustio, ut cum ignis mixtum aliquod in se convertit præter paucas cineres propter maximam resistentiam; alia dicitur petrificatio, quæ evenit propter actionem summi frigidi condensantis, unde quercu diu sub aquis detecta dicitur in lapidem converti, quod quidem mirum non est, quia sicut quodlibet elementum potest converti in quodlibet aliud elementum, quando adest proportio majoris activitatis; ita elementum summe frigidum poterit totum mixtum in lapidem, vel in ipsum convertere, & licet Arist. loc. cit. solum de combustione sit locutus, hoc fecit, quia de corruptione violenta per se non attinet agere ad Philosophum, ideoque satis erat de illa aliquod exemplum adducere; dicitur autem violenta, quia non est secundum leges naturæ universalis, sicut mors a senectute proveniens ab Arist. lib. de Vita, & morte dicitur naturalis, quia fit secundum leges a natura præfinitas, proveniens vero a morbo, jugulatione, &c. dicitur violenta, quia præter modum a natura institutum.

64 Putredo definitur ab Arist. cit. quod sit *corruptio ejus caliditatis, quæ in unoquoque humido proprie, & secundum naturam inest, ab aliena caliditate, quæ est ambientis*. Pro cujus intelligentia omnes particulæ sunt explicandæ, & primo incipiendo a causa, per ambiens intelligitur non solum aer, & aqua, sed quodlibet aliud habens calorem, qui moderate excedat calorem mixti putrescentis, nam si immoderate excederet, non esset putredo, sed potius combustio, hinc cum sanguis putrefit in venis, ambiens putrefaciens erit caro, aut aliqua alia pars corporis calore extraneo affecta, ut notavit Scot. 2. dist. 15. H. Iste calor ambiens dicitur corrumpere calorem naturalem, quia in unoquoque mixto, licet homogeneum appareat, revera tamen sunt aliquæ partes dissimiles inter se agglutinatæ, quæ diversitas quandoque est substantialis, quandoque accidentalis, & quia proprium est caloris dissimilia abinvicem segregare, hinc calor ambiens agit in mixtum per calefactionem intendendo calorem naturalem, seu partes illas calidiores, & subtiliores, & consequenter segregat partes mixti ad invicem, & sic dicitur corrumpere caliditatem naturalem, non quia vere caliditatem illam destruat, sed calefactione relaxando poros, & attenuando partes calidiores, illas facit evaporare, at quoniam nequunt postea diu permanere, corrumpuntur, ad quam evaporationem sequitur, inquit Arist. evaporatio partium humidarum, ac tandem continuando actionem mixtum penitus putrescit, ac dissolvitur in elementa, seu in partes elementis similes, & hinc est, quod putrescibile prius fit calidius, postea humidius, ut patet in acervo tritici. Additur tandem *in unoquoque humido*, quia hæc est una conditio putrescentis, ut humidum sit, & hoc sive humiditate naturali, ut caro, lac, &c. sive adventitia, ut lignum ab aqua madefactum, ratio est, quia humida facilius segregantur, quam sicca, & quia putredo est segregatio partium dissimilium, idcirco humiditas debet esse una ex præcipuis conditionibus putrescentis, & hæc est ratio, cur lignum aridum non ita facile putrescit, nisi humectetur aqua, vel aliquo alio humido, & caro, nisi fuerit aspersa sale, facilius putrescit propter majorem humiditatem, quæ per salis aspersionem postea deficcatur. Ex quibus colligit Arist. facilius putrescere mixta humida, quam sicca, facilius in æstate, & in loco calidiori, quam in hyeme, & loco frigidiori, propter calorem ambientis, facilius mixta moderate calida, quam frigida, quæ possunt ambienti calori resistere, facilius divisa, quam unita, ista enim magis resistunt, & difficilius calidiora, in quibus ambiens nequit inducere calorem intensiorem, & tandem difficilius putrescere, quæ moventur, quam quæ quiescunt, quia scilicet minus pati possunt ab ambiente.

65 Ex his omnibus deduci debet hanc definitionem non esse formalem, ut putavit Zab. sed causalem, nam ratio formalis putredinis consistit in corruptione formæ mixti, cujus corruptionis causa est segregatio illa partium dissimilium; cum igitur Arist. solum de ista segregatione mentionem fecerit in hac definitione, jam causalis erit, non formalis, assumptum prob. quia putredo est corruptio opposita generationi mixti, ut ibid. docet Arist. sed generatio mixti proprie non consistit in illa prævia alteratione, sed in introductione formæ mixti; ergo putredo in corruptione ejusdem mixti consistet, nisi per corruptionem caliditatis intelligas corruptionem totius conjuncti, seu mixti, ut aliqui explicant, tunc enim posset dici definitio formalis. Verum est etiam, quod sicut generatio quandoque sumitur pro illa prævia alteratione, quæ via est ad introductionem, ita etiam putredo potest hoc modo accipi, sed in rigore, & proprie sumi debet pro introductione, & *corruptione formæ mixti*.

66 Sed pro majori dilucidatione doctrinæ allatæ dubitatur Primo, quia aurum, metalla, lapides, adamas non putrescunt, & tamen sunt mixta, ergo putredo non convenit omnibus mixtis. Ex opposito multa putrescunt, non tamen propter caliditatem ambientem, ut si aliquod mixtum in vacuo esset calor, & tamen deberet putrefieri; item castaneæ, & nuces intus putrescunt, non extra, & tamen calor ambiens potius est in exteriori parte, in aere etiam frigidissimo multa putrescunt, quæ calidiora sunt ipso aere ambiente, ut caro, sanguis, lac &c. ergo causa putredinis non est caliditas. Resp. licet Doctor citatus, de mixtis non habentibus partes fluentes maneat dubius, an marcescant, possumus tamen concedere putredinem illis convenire, unde metalla æruginem *emittunt*, ut patet *in ferro*, aurum vero antiquum, & argentum obscuriorem habent colorem, idem de lapidibus dicendum; licet ob magnam siccitatem, & frigiditatem non faciliter putrescant, sufficit ut tandem post multum temporis marcescant, salrem propter humidum aliquod adventitium. Mixtum in vacuo non putrescere actu, quamvis esset putrefactibile propter admixtionem contrariorum, quæ, ut notat Scot. cit. quando sunt in medio, & in gradibus remissis, non agunt adinvicem, sed requiritur causa extrinseca, qualis est calor ambiens; in centro vero existens corrumperetur, vel per calorem, si ibi esset, vel a summa frigiditate converterentur per petrificationem in lapidem. Castaneæ, & nuces intus putrescunt, quia partes internæ propter majorem humiditatem sunt magis aptæ ad putrescendum, Tandem mixta frigidissimo aere putrescunt, quia frigus aeris mortificat, & destruit calidum naturale, & ad gradum caloris aerei reducit illum, unde faciliter postea mixtum potest intendi calefactione, vel aeris, propter majorem extensionem, & molem, vel Cœli.

67 Secundo dubitari potest, quia Arist. post allatam definitionem putrefactionis subjungit, *Quare secundum indigentiam patitur calidi, qua autem indigens tali virtute frigidum omne, ambæ utique causæ erunt, & putrefactio communis passio, & frigiditatis propria, & caliditatis aliena*; ergo per Arist. non solum caliditas ambientis sed etiam frigiditas putrescentis est causa putredinis; ergo definitio allata non est sufficiens. Tum quia etiam combustio est a caliditate ambientis, ergo non differret a putredine. Resp. relictis variis expositionibus, quod calor ambiens est per se causa activa, frigus vero solum causa per accidens, hinc in definitione solum de calore fecit mentionem, deinde vero de utraque causa; hoc autem declaratur, quia quod attenuat, & segregat partes, est calor extrinsecus, & quia segregantur partes calidiores, & humidiores, *remanent partes frigidiores*, cum non sint proportionatæ formæ mixti, sequitur ipsius destructio, unde frigus non vere agit, sed solum remanet post segregationem, & hoc est, quod vult dicere Arist dum ait; *Quare secundum indigentiam patitur calidi*, &c. hinc subjungit postea *Propter hoc enim ficciora fiunt, quæ putrescunt omnia, & tandem terra, & fimus*, annuens solum partes frigidiores absque calidioribus remanere. Possemus etiam dicere frigus active nonnihil concurrere, quatenus congregat partes ficciores, sicut calor evaporare facit calidiores, solum autem de actione calorifica fecit Arist. in definitione mentionem, quia hæc est principalior. Ad 2. combustio multipliciter a putredine differt, primo quia a combustione non destruitur calor innatus, sed potius augetur, at in putrefactione destruitur, *quia extrahitur*; secundo, quia combustio primo, & per se ad corruptionem omnis humidi, & frigidi tendit, putredo vero solum ad segregationem, quæ diversitas oritur, quia actio caloris in putredine est tenuis, & lenta, unde non absumit humidum, antequam corrumpantur calidiores partes, at in combustione propter excessum caloris est inten-

intensior, & consequenter statim in humidum tendit ad exsiccandum; & hinc est quod aliquando ignis etiam putrefacit, si ejus actio sit remissa propter distantiam, aut resistentium putrescentis, ex opposito in zona torrida, propter excessum caloris potius sit exsiccatio, quam putredo.

68 Tertio, dubitatur ex eo, quod Arist. cit. ait omnia elementa præter ignem putrescere; & tamen in 25. p. probl. 19. negavit aerem putrescere, & l. de Longitud. & brevit. vitæ docuit ideo pinguia non putrescere, quia multum aeris includunt, insuper terra, & aqua nullum habent proprium calorem, ergo vel non putrescunt, vel putredo non semper est a caliditate. Tum quia si tali putredine putrescerent, redirent ad propriam naturam, quia hæc putredo est resolutio in elementa, quare potius esset depuratio, quam putredo. Resp. utique elementa, si pura essent, non putrescerent, quia putredo solum competit mixtis, sed quia tria elementa possunt recipere peregrinas impressiones, non autem ignis propter maximam activitatem, qua omnia in seipsum convertit, hinc ignis, & alia elementa pura interire possunt, non putrescere, at elementa impura sunt aliquo pacto mixta, & consequenter aliquid caloris habent, unde partes tenuiores possunt extrahi, & putredinem aliquam causare; ideirco cum Arist. negavit in primo loco aerem putrescere, locutus est de suprema aeris regione, quæ propter vicinam ignis, & intensionem caloris non facile admittit peregrinas impressiones: in 2. loco solum innuere voluit difficultatem putrefactionis aeris, non impossibilitatem; terra, & aqua possunt habere calorem aliquem adventitium. Verum est, quod si putredo erit perfecta, fieret utique resolutio in elementa pura, sed hoc raro evenit, nam sæpius aliquod aliud mixtum generatur, qua ratione vocatur ab Arist. putredo secundum partem, scilicet vel quia aliquando est tantum putredo secundum accidentia, vel quia propter magnam humiditatis copiam nunquam potest totaliter corrumpi. Frequentius ex putrefactione rerum, quando non totaliter finitur, generantur animalia, quam plantæ, quia planta habet multum de terrestri substantia, humidum autem per putrefactionem eductum est subtile, & multum aereum, quod non est materia apta plantæ; hinc est, quod talibus animalibus sæpe crescunt alæ, quia sunt de leviori, & subtiliori humido, & valde multiplicantur propter numerosam divisionem partium rei putrefactæ, putredo enim habet dividere, & segregare componentia rei putrefactæ,

Dices, si quodlibet mixtum haberet istam partium diversitatem, quodlibet esset ætherogeneum. Neg. consequent. licet enim interdum hæc diversitas partium sit essentialis, plerumque tamen est accidentalis, cum enim forma mixti petat aggregationem primarum qualitatum, non est inconveniens reperiri in mixto partes aliquas, in quibus magis vigeat una qualitas.

DISPUTATIO OCTAVA.

De viventium generatione, nutritione, & augmentatione.

Annotavimus in q. Procem. Aristotelem in his libris agere de nutritione, & augmentatione, non quidem ut operationes quædam vitales sunt, sed ut mutationes quædam ad formam, occasione desumpta ab Antiquis, qui non recte has mutationes vel inter se, vel a rarefactione, & condensatione distinguebant: nos autem de his agemus, aliquatenus etiam ut operationes vitales sunt, ut exactior habeatur cognitio; unde in hac disputatione paulum transcendimus limites horum librorum, nec immerito, quia facilius ad libros de Anima, ad quos pertinet harum mutationum discussio, progredi poterimus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit, & qualis viventium generatio.

NOtat Doctor p. distinct. 13. qu. un. ad 1. princip. generationem bifariam sumi, primo communiter pro generatione substantiæ, quo sensu de ea locuti sumus disp. 5. alio modo specialiter pro productione vivi ex vivo, & in hoc sensu de ea sermonem hic instituimus, ut liquet ex titulo quæsiti. Thomistæ passim sic eam definire solent ex D. Thom. 1. p. quæst. 27. art. 2. *vitalis generatio est origo viventis a vivente, a principio vitæ conjunctio, in similitudinem naturæ*, a qua definitione parum discrepat, quam tradidit Doctor loc. citat. & 3. distinct. 8. quæst. un. §. *ad quæstionem*, quod nempe est *productio naturalis viventis a vivente similis producenti in naturæ*, ubi vides in definitione allata a D. Thom. deficere, quod sit origo naturalis, & in altera allata a Scoto, quod sit a principio vitæ conjunctio, sed re vera nemo illorum particulas illas judicarunt superfluas, sed potius eas subintelligi voluit, quare præstabit unam per aliam supplere, & declarare.

Primo itaque dicitur *origo, seu productio*, quia cum sæpius dictum sit generationem considerari posse sub duplici titulo, mutationis scilicet, & productionis, hic præsertim de ea sermo fit sub ratione productionis, & originis, non autem sub ratione mutationis, in hoc enim sensu satis de illa sermonem habuimus disp. cit. & tenet hæc particula locum generis, quia est communis etiam generationi communiter sumptæ pro quacunque scilicet productione substantiali.

2 Secundo, dicitur *naturalis*, quia ut notat Doctor in 1. loc. cit. in tali productione ex parte agentis requiritur inclinatio naturalis, sive forma naturalis, quæ sit principium generandi, unde ait Scot. ibidem, quod licet considerando generationem sub ratione mutationis, naturalitas ejus attendatur ex parte principii passivi scilicet subjecti naturaliter inclinati ad formam recipiendam, tamen si sumatur sub ratione productionis, ut in proposito, naturalitas ejus sumi debet ex parte principii activi, quatenus, scilicet agens producit principio naturaliter inclinato ad agendum; Ratio hujus particulæ reddi potest, quia ut productio alicujus viventis sit generatio, non solum exigitur, ut sit origo viventis similis producenti in natura, sed debet ita producere vivens, ut ex vi processionis, & originis sit similis producenti in natura, sed talis non est nisi processio naturalis, ergo particula hæc est omnino necessaria, major probatur ex 2. de Anim. 24. quia per generationem, ut sic, producitur terminus similis producenti in natura, naturalissimum enim opus est viventis generare sibi simile: probatur minor, quia ex 2. Phys. natura est determinata ad unum, idest ad unum specie effectum, ut Doctor explicat quol. 2. F. quia agens naturale agit per formam determinatam ad unum, nec est ibi principium indeterminatum respectu oppositorum, sicut est voluntas, itaque per hanc particulam excluduntur productiones omnes viventis a vivente factæ per principium liberum, nam & primi homines facti sunt a Deo vivente etiam aliquo modo ad ejus imaginem, & similitudinem, pariter & Angeli facti sunt viventes a Deo vivo, sed quia istæ consimilesque productiones viventium factæ sunt per principium liberum, idcirco a linea generationis vitalis merito excluduntur; Imo defectu hujus particulæ præcise, ait Doctor in 3. loc. cit. processio Spiritus sancti in divinis non dicitur generatio, quemadmodum productio Verbi, quia nimirum procedit per principium liberum scilicet per voluntatem, non autem per intellectum, sicuti Verbum; unde quamvis Spiritus sancti productio sit origo viventis, a vivente principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ, quia processio Spiritus sancti est quidem processio rei similis identice saltem, & concomitanter, quia est processio intra Deum, & generali ratione quicquid est in Deo, Deus est, adhuc tamen non est generatio, quia non est origo naturalis, & per principium naturale facta, sed liberum.

3 Et hæc est prima, & immediata ratio, cur Spiritus sancti productio non sit generatio, nam quod passim inquiunt Thomistæ, hujus rationem esse, quia Spiritus sanctus non procedit ut similis ex vi productionis suæ, est quidem verum; sed non est prima, & immediata ratio, nam adhuc reddi debet ratio, cur non procedat similis ex vi suæ productionis, nec alia reddi potest præter allatam, quia scilicet ejus productio per principium liberum exercetur, non autem per naturale, quemadmodum productio Verbi, hinc enim oritur, quod ex vi sua non tendit ad assimilandum perfecte terminum productum principio producenti, quia non exercetur per principium determinatum ex se ad unum specie effectum, sed indeterminatum. Hinc etiam pendet alia ratio, quam multi reddere solent, cur Spiritus sancti productio non sit generatio, quia nimirum Verbum ex vi suæ productionis procedit, ut imago Patris, non autem Spiritus sanctus, nam & hujus discriminis rationem assignare debent, nec convenientior assignari posse videtur, nisi quia imago naturaliter procedit, & imprimitur ab imaginato, in alio enim sensu falsum est, Spiritum sanctum quoque non esse Patris imaginem, cum sit eidem similis in eadem etiam numero natura, sicut Filius, quod totum diserte paucis docuit Doct. 1. d. 10. ad 1. prin.

4 Tertio dicitur *viventis a vivente*, ad excludendas generationes inanimatorum quorumcunque ac etiam inanimatorum a principio non vivente, si tale virtutem habet sufficientem ad animata producenda, ut quidam dicunt de animalibus ex putri genitis, quæ effici opinantur a corporibus cælestibus ut a causis principalibus; quamvis ergo ignis producit ignem sibi similem in natura specifica, quia tamen non producitur, ut vivens a vivente, ideo talis productio non dicitur generatio ad sensum hic intentum: excluduntur quoque per hanc particulam pili, ungues, & similia, licet enim procedant active a vivente, & ipso materiam subministrante, ex qua formentur, quia tamen in se vere non vivunt secundum communiorem, hac de causa eo-

eorum productio dici nequit generatio in hoc sensu, quod si hæc *animata* ponantur, de quo in lib. de Ant. tunc per aliam particulam excludi debebunt, nempe quia non producuntur in *similitudinem naturæ*, cum non conveniant in eadem natura specifica cum illo, a quo procedunt; nec proprie sunt viventia distincta, sed potius partes ejusdem viventis.

5 Quarto dicitur *a principio vitæ conjunctio*, quod intelligi debet de principio activo, non passivo, quod ut materia tantum se habet, qua ratione nec Eva dici potest genita ab Adamo, licet formata fuerit ex ejus costa, nec animalcula quædam, & vermes ex corporibus animalium enascentes ex sudore, aliisque excrementis, dici possunt ab eis generari, quia tantum materialiter concurrunt subministrando materiam, ex qua formentur; hoc autem principium debet esse aliquando conjunctum generanti intrinsece, & consubstantialiter, ut genitum dici possit de substantia generantis coalescere, & filius de substantia patris, hæc ergo conjunctio non debet explicari per solam præsentiam localem, sed per quandam consubstantialitatem, ut docet Doct. 1. d. 5. q. 2. H. itaut genito communicetur a generante aliquid, quod erat prius ejus substantia, vel aliquo modo aliquid ejus, hoc autem in divinis est eadem numero natura, quæ a Patre communicatur Filio, in plantis vero, brutis, & hominib. est semen, quod a generatione deciditur, hac enim ratione dicitur genitum fieri de substantia generantis, unde per hanc particulam (quam licet non expresserit Doct. 3. d. 8. q. un. luculenter tamen illam insinuat in 1. loc. cit.) excluduntur generationes, quæ sunt a Dæmonibus per incubum, & siccubum, nam in his Dæmon nil sui, vel quod esset de ejus substantia, genito communicat, sed tantum alienum semen transfert in vas fœminæ, quare fœtus enascens partus dici debebit hominis, qui semen decidit, non autem Dæmonis, ut declarat idem Doct. 2. d. 8. q. un. H. Hinc etiam fit, ut in oviparis generatio, & partus tribuatur avibus ova ponentibus, non autem eis, quæ tantum illa fovent; confirmat autem hanc veritatem, quod passim experimur pullos ex ovis erumpentes non incubanti assimilari, sed ei, quæ edidit ova, ut cum gallina anatis ova fovet, anates prodeunt, non gallinæ.

6. Quinto dicitur *in similitudinem naturæ*, ubi in primis dubitari solet, quid intelligatur nomine *naturæ*. Jo. Major apud Bargium 1. d. 13. §. ad arg. princip. nomine naturæ intelligebat non quamcunque essentiam, sed talem, qua genitum sit potens producere vivens, sicut generans; qua ratione negabat Spiritum sanctum oriri, ut similem in natura, quia licet per suam processionem divinam essentiam a Patre, & Filio mutuaret, tamen ut naturam, quia non accipit ipsam, ut fœcundam, atque ideo concludebat ejus productionem non esse generationem, nec ipsum esse filium, qui modus dicendi solet quoque Riccardo tribui. Sed licet hæc acceptio naturæ possit admitti juxta tritam illam naturæ definitionem quod *est vis insita rebus ex similibus similia procreans*, quam Doctor memorat p. d. 10. q. un. ab initio, certum tamen est fere apud omnes, atque compertum, naturam in præfata definitione nequaquam ita sumi, pro virtute nimirum producendi, aut generandi aliquid simile generanti, sed pro essentia, & quidditate quam res participant in certo gradu; tum quia ut arguit Bargius ex illa acceptione naturæ sequitur, nedum productionem Spiritus sancti non posse dici generationem, sed neque etiam productionem Filii, quia Filius non potest producere alium Filium, ut Pater; qua autem ratione Spiritus sancti productio non sit generatio, bene tamen productio Filii, jam supra declaravimus.

7 At rursus est dubitatio, qualis, & quanta debeat esse similitudo ut unum vivens dicatur ab alio vitaliter genitum, ac ejus Filius, & ratio dubitandi est, quia sola similitudo generica sufficere non videtur, nam *tunc vermis dici posset Filius Solis*, cum secum conveniat in aliqua ratione generica, si autem requiritur similitudo univoca specifica, ut communiter velle videntur, tunc productio muli ex equa, & asino non erit vitalis generatio, nec mulus dici poterit Filius eorum, cum non sit ejusdem *speciei* cum ipsis. Ad hoc passim responderi solet, generationem muli, aliasque consimiles utique deficere a ratione veræ, & propriæ generationis vitalis, adhuc tamen dici debere generationem vitalem, quia uterque generans nititur, quantum in se est, sibi assimilare effectum, licet per accidens talis similitudo impediatur, quare ad hoc satis erit, quod ex intento naturæ debeat animal simile generari, & ita videtur insinuare Ar. 7. Met. 28. ubi docet in viventibus genitum esse simile genitori, *nisi quid præter naturam contingat, ut equus mulum*. Hoc tamen quamquam sufficere videtur, alioquin si natura intendens generare animal, non produceret nisi quoddam monstrum inanime, adhuc talis productio dici deberet vitalis generatio, & tale productum filius, quod est omnino falsum, quia filiatio fundatur ad *minus* in natura vivente; Potius ergo dicendum est, similitudinem inter patrem, & filium requisitam neque tantam esse debere, ut specifica, & athoma, neque adeo tenuem, ut sit præcise in ratione aliqua generali entis, vel substantiæ, sed sufficere, quod sit in aliquo genere ultimo, in quo diversæ species conveniant, & tale reperitur commune asino, equo, & ligitur ex Arist. ibidem,

8 Notat tamen Scot. loc. cit. 3. dist. 8. qu. un. C. quod si generatio viventium presse sumatur pro ea, quæ fundat denominationes parris, & filii, sic debet addi alia particula, scilicet *in similitudinem naturæ intellectualis*, nam proprie loquendo solus homo est, qui pater, vel filius dici consuevit vel si ad bruta, quoque denominationes istas extendere velis, & ampliare, addi debet in similitudinem naturæ intellectualis vel sensitivæ; nequaquam vero sufficit, ut unum vivens pater dicatur alterius; aut filius, sola *similitudine naturæ vegetativæ*, ut constat ex communi usu loquentium, nec enim planta generans dicitur mater, vel pater alterius, nec planta genita dicitur filia.

Quæres, an conceptus viventis, ut sic, sit communis univoce Deo, & cæteris viventibus. Negat Pontius disp. 7. de anim. nu. 6. & in append. appol. nu. 142. contendit id esse de mente Scoti, vel saltem non præter ejus intentionem dicens non recordari, quo loco Doct. oppositum doceat, vel aliquid, ex quo id directe, vel indirecte sequatur, & probat *hoc insuper ex ipsomet* conceptu viventis, ut sic in actu primo, quem assignamus disp. p. de anim. q. 2. ostendens talem conceptum non convenire Deo.

Sed quamvis Doctor hoc punctum non tractet ex professo, attamen ex ejus principiis evidenter deducitur talem conceptum communem admitti debere Deo, & cæteris viventibus univocum, cum enim id concedat de conceptu entis, quod est cæteris communius, ac magis transcendens, tanto magis id concedendum erit de aliis conceptibus transcendentibus, & minus communibus; tum quia p. dist. 8. qu. 3. id universaliter concedit de omnibus perfectionibus attributalibus, quæ sunt communes Deo, & creaturis, utpote quæ in suo conceptu transcendenti nullam includunt perfectionem, at vita vel est prædicatum Dei quidditativum, *sicut ens*, vel saltem attributalis perfectio: ergo juxta principia Scoti dicendum est conceptum viventis, ut sic, poni debere univocum Deo, & creaturis.

Neque opus erat, quod Pontius recurreret ad conceptum viventis a nobis assignatum loco citato, ut inde oppositum deduceret, quia *ibi assignamus conceptum vitæ in actu primo, non* in secundo, qualis est vita Dei, neque talem conceptum diximus ibi esse univocum Deo, & cæteris viventibus; quinimo adducendo ibi num. 17. argumentum ipsum a Pontio productum duplicem assignamus responsionem, in quarum prima ultro concedimus non habere Deum vitalitatem productivam erga suas perfectiones, esto etiam in secunda viam indicemus, quo pacto Deo quoque applicari possit illa descriptio; Tum quia licet ille conceptus viventis in actu primo aliquam imperfectionem includere videatur, ob quam Deo repugnare videtur, non ob id negandum est, talem conceptum Deo quoque convenire posse, quia talis imperfectio non ponitur in ea descriptione, quia sit de ratione viventis, ut sic, sed quia ob debilem nostrum concipiendi modum non aliter *conceptum viventis* circumscribere valemus, nisi per eam imperfectionem, unde & ibi protestamur eam descriptionem esse a posteriori traditam juxta captum nostrum, non a priori. Neque hoc novum est, & singulare, quandoquidem reperiantur etiam aliæ perfectiones attributales Deo, & creaturis communes, ut v. g. perfectiones, quas liberas appellant, qualia sunt divina decreta quæ a nobis explicari nequeunt sine imperfectione admixta; ex qua radice oritur difficultas explicandi formalitatem divini decreti; non ergo ob ignorantiam nostram, ac nostri intellectus imbecillitatem negare debemus univocationem conceptuum omnium transcendentium Deo, & creaturis communium.

QUÆSTIO II.

De causis generationis viventium per propagationem productorum.

9 UT innuimus præc. qu. duplicitet possunt produci viventia, vel per veram propagationem, quo pacto definita fuit, & explicata, quod sit origo viventis a vivente, &c. vel per putrefactionem ut sunt plantæ, & animalia imperfecta genita ex putri, quæ productio non sit generatio jam definita, vere tamen est productio alicujus viventis; causas utriusque investigare debemus; in præsenti de prima loquimur, & ut patet ex definione allata, duo sunt, quæ, ut causæ, solent assignari, scilicet semen, insinuatum per ly *principio vitæ conjunctio*, & parentes, dum dicitur, quod sit *origo viventis a vivente*, prius igitur de semine agemus inquirendo, quidnam sit, & quomodo ad generationem concurrat, deinde quo pacto se gerant parentes, mas scilicet, & fœmina in productione fœtus.

ARTICULUS I.

De Semine.

10 SEmen definit Scot. 2. dist. 18. qu. un. F. quod sit *corpus quoddam, cujus forma non est per se intenta a natura, sed propter aliud*, ut scilicet ex illo generetur aliquid simile *generanti*; quod probat, quia videmus naturam *non* sistere in semine, sed ulterius procedere ad formam & perfectam animalis, vel alterius viventis. Duplex enim processus est in formis, unus ascendendo ab imperfecto ad perfectum, ut a forma seminis ad formam embrionis, a forma embrionis ad animam, alter processus est descendendo e converso a perfecto ad imperfectum, resolvendo scilicet in cadaver & in fæces; semen igitur est quoddam corpus imperfectum productum a generante, ut sit via ascendendi ad ulteriores formas perfectas, quæ descriptio videtur data per causam finalem.

11 Exactius semen declarat Hurt. disp. 2. sect. 4. ex Laurentio Andrea lib. 8. q. 3. controversiæ anathomicæ, dum ait, quod sit *corpus humidum, album, spumosum, ex reliquiis alimenti ultimi, & spirituum ubique oberrantium permixtione vi sola testium elaboratum ad perfectam animalis generationem*, quæ definitio con-

convenit solum semini animalium perfectorum; quod sit humidum patet, non enim propriis terminis continetur; est album, quia partes, quæ illud efficiunt, continent, & eo nutriuntur, sunt albæ; & spumosum, quia materia illa est validis spiritibus plena, ex quorum agitatione fervescit, ut mare agitatione ventorum etiam spumat. Hinc licet aliqui dixerint semen esse corpus quoddam homogeneum, quorum opinionem videtur approbasse Scot. in 2. cit. attamen secundum omnes Medicos semen est corpus ætherogeneum, in semine enim sunt aliquæ partes grossæ, & materiales, quæ non sunt activæ, sed passivæ, & aliquæ sunt subtiliores, & spumosæ, & istæ sunt activæ, quod potest confirmari exemplo tritici, & castanearum, in his enim est quædam particula acuta, in qua existit vis activa, qua corrupta non amplius germinant, unde formicæ, ut diutius in hyeme conservent triticum, ne germinet, particulam illam corrodunt, & hanc opinionem sequntus est Doct. 4. d. 2. q. 3. & d. 4. q. un.

12 Dicitur *ex reliquiis alimenti ultimi*; circa quod est not. quod Magister sent. 2. d. 30. vult., quod semen non sit superfluum alimenti, sed de substantia ipsius generantis. D. Bon. ibid. art. 3. qu. 1. ait semen esse partim ex superfluo alimenti, partim ex substantia generantis; pater enim generando transmittit, inquit, in filium aliquid de radicali humiditate, seu de propria substantia, quod per virtutem naturæ toti corpori filii miscetur perfecte, ut nulla pars sit signabilis in corpore filii, in qua non sit aliquid de illo humido, quod a patre traduxit, & sic deinceps filius alium generando transmittit aliquid sui, quod etiam est aliquid patris. Communis sententia tum Philosophorum, & Medicorum, tum etiam Theologorum est, quod semen totum sit superfluum alimenti, ita Scot. 2. dist. 18. cit. & dist. 32. §. *Circa secundum articulum*, & habetur expresse ab Arist. 1. de gen. anim. cap. 17. & 18 probatur, quia semen non est animatum, ut dicemus. Tum quia in corpore tanquam superfluitas continetur in quibusdam vasis sicut cæteræ superfluitates, unde natura per moderatam seminis emissionem alleviatur, nunquam tamen per abscissionem etiam minimæ partis substantialis causatur alleviatio naturæ. Tum quia ubi minimum, vel nihil reperitur de superfluo alimenti, ibi minimum vel nihil reperitur de semine, ut patet in pueris, qui totum fere cibum convertunt in substantiam, hinc est, quod semen non emittunt. Tum quia pars substantialis decisa potius tendit ad corruptionem, ut patet de manu, pede, &c. quod autem tendit ad corruptionem, non potest esse principium generationis in eadem specie. Tum quia intelligibile est, quod ait Magister, eandem scilicet portionem substantiæ ab Adamo per generationem communicatam, in omnes posteros esse transfusam absque aliqua nova additione, naturaliter enim res non extenditur, nisi vel per rarefactionem, vel per juxta positionem, quomodo ergo illa substantiæ portio potuit tot hominibus communicari sine additione, aut rarefactione? certe hic dicendi modus parum differt ab opinione Anaxagoræ de athomis, sicut enim iste asserebat, equolibet posse quodlibet extrahi, sic Magister ait, e portione illa substantiæ Adami posse extrahi quamcumque aliam materiam ad generationem hominum necessariam; tum quia cum homo moritur, corrumpitur tota substantia, ergo & portio illa Adæ, ergo nequit in aliis conservari; aliter idem esset, & non esset.

13 Neque dicendi modus D. Bon. minores patitur difficultates, *quomodo enim portio* substantiæ patris potest commisceri perfecte cum tota substantia filii, ut in isto non sit assignabilis pars aliqua, in qua non sit aliquid de substantia patris? vel enim in filio præter materiam humidi paterni adest alia materia, vel non; si primum, ergo quia hæc alia materia habet suam formam substantialem distinctam a forma humidi paterni (aliter eadem forma in pluribus esset materiis) certe in hac portione nulla erit pars assignabilis humidi paterni; si secundum, ergo eadem materia pluribus formis informaretur, scilicet forma humidi paterni, & forma nova adveniente, quod etiam implicat naturaliter, quod etiam magis implicare ostenditur in plantis; quo enim pacto substantia illa modica seminis potest in qualibet arboris parte reperiri tam in ligno, quam in foliis, & fructibus? Semen igitur (loquendo se semine animalium) est superfluum alimenti, non quidem inutile, quæ enim ex inutili excremento gignuntur, ut pediculi, & vermes, non dicuntur filii animalis; est itaque utile, quia licet sit nutritioni superfluum, est tamen necessarium generationi, quodlibet enim vivens prius intendit propriam conservationem, deinde conservationem speciei, ad sui conservationem per nutritionem alimentum in se transmutat, propter speciei permanentiam partem aliquam alimenti ipsi non necessariam conservat ad generationem alterius individui; hinc Arist. 1. de gen. anim. cap. 18. ait semen nec in prima ætate, nec in senectute, nec in morbis adesse, carent hoc ægri ob imbecillitatem, senes, quia non satis natura potest concoquere, pueri, quia propter incrementum totum alimentum in corporis nutrimentum absumitur, priusquam aliquid excrementi remaneat.

14 Contra arguitur ex D. Aug. 9. super Gen. ad lit. dicente, quod nos sumus in Adam secundum rationem seminalem, & secundum corpulentam substantiam, qui loquendi modus familiaris est apud Patres, dum rationem assignant, cur Adæ peccatum in posteros transfundatur. Tum 2. Adam, & Eva fuerunt perfecti in prima constitutione, ergo nunc poterant generare, hæc enim potentia est de perfectione viventium, & tamen non habebant tunc superfluum alimenti. Tum 3. per emissionem superflui non debilitatur natura, per emissionem tamen seminis debilitatur. Tum 4. filii magis assimilantur parentibus quoad substantiam, quam quoad alimentum, hoc enim est vel caro brutorum, vel fructus plantarum, unde ex parentibus leprosis filii generantur leprosi; ergo alii participant substantiam parentum non superfluum. Tum 5. generare est aliquid de propria substantia producere, ergo filius non est de superfluo parentum. Tandem hoc patet per legem cognationis, stipes enim non potest contrahere non alia ratione, quam propter virtutem carnis, & sanguinis.

Resp. ad 1. ex dictis n. 5. quod filius dicitur esse substantia patris, & in lumbis parentum contineri, quatenus substantia, quam habet, subministratur a parentibus, per communicationem seminis quod est aliquid parentum, & sicut in nutritione prolis in utero proles dicitur carnem a substantia matris accipere, quamvis ex menstruo sanguine nutriatur, qui utique est superfluum alimenti, & hoc quia sanguis ille est aliquid matris, licet non de substantia: ita in generatione dicendum; quia ergo omnes originem duximus ab Adam per naturalem propagationem, idcirco omnes in lumbis Adæ dicimus contineri mediate. Ad 2. in prima constitutione Adam, & Eva semen habebant a Deo productum, sicut etiam sanguinem, aliosque humores, qui tamen ex alimenti concoctione generantur. Ad 3. *per emissionem seminis immoderatam* debilitatur natura, quia deficit alimentum nutritivæ potentiæ, ut dicemus. Ad 4. filii assimilantur quoad substantiam, quia semini communicatur virtus productiva corporis ex dicendis, sic etiam assimilantur quoad animam, & tamen anima non est de substantia corpulenta parentum, nascuntur tamen leprosi, quia materiam illam inficiunt pravis qualitatibus, hoc autem non est semper verum, ut patet experientia, signum evidens semen non esse substantiam parentum. Ad 5. patet ex dictis n. 5. & 6. dicimus cognationem contrahi, eo quia plures ab eodem stipite accipiunt esse per sanguinum communicationem: sanguis enim licet non sit pars integralis, & substantia viventis, est tamen quid consubstantiale, & ut alii loquuntur, pars subintegralis, quatenus necessario requiritur ad *conservationem* viventis, ut dicemus in lib. de An. unde etiam in copula carnali contrahitur affinitas propter seminum commixtionem, quamvis viri semen non vertatur in substantiam mulieris, & tamen modo quodam civili habentur, ac si essent una caro, juxta illud Evangelii, *Erunt duo in carne una*; si ergo ad affinitatem sufficit mixtio sanguinum, multo magis ad consanguinitatem satis erit, quod plures ab eodem accipiant esse, ut sic enim reputantur, ac si essent una caro, sanguis enim vertitur in generatione in substantiam geniti.

15 Dicitur insuper in definitione, quod sit *vi sola testium elaboratum*, &c. Pro cujus intelligentia not. quod fuit opinio Hypocr. lib. de genit. & Alb. 1. de anim. cap. 7. tract. 2. dicentium semen dici ab omnibus membris, eo quia totum corpus, & omnes ejus partes frequenti Veneris usu debilitantur, in semine quoque continetur figura membrorum omnium, per quam filii sunt quandoque adeo similes parentibus. Suarez 2. de An. c. 12. ait partem materialem, seu crassiorem a testibus elaborari, spiritus autem inclusos, & partem subtiliorem probabile esse non fieri ab infimo aliquo membro, & ignobili, sed forte a corde, cujus est procreare vitales spiritus, juvantibus etiam aliis partibus principalibus, ut debitum temperamentum, & virtutem semen ipsum recipiat, & aprum undique evadat instrumentum ad admirabilem illam organizationem perficiendam.

Verum opinio Hippocr. est falsa, tum quia id non apparet in arborum semine, hoc enim in determinata parte arboris formatur, non ex toto arbore. Tum quia si ideo necessaria foret decisio seminis ex omnibus partibus, ut *illud* posset *similia* membra efformare, jam si generanti utrumque brachium desit vel pes vel sit monoculus, non posset integrum filium generare, quod est contra experientiam, quapropter similitudo illa non provenit a materia seminis, sed a virtute ab anima in illud derivata. Debilitas vero ex nimia seminis effusione in toto corpore causatur ex eo, quod pars illa, in qua fit semen, & ex qua decidit, fugit sanguinem a vicinioribus partibus, quæ per hoc debilitantur. Quod additur a Suarez non videtur satis firmum, si enim testes solum partem materialem submihistrarent in confectione seminis, spiritus vero, seu pars activa a corde provenirer, sequeretur eunuchos posse generare, hi namque semen aliquod emittunt, ergo pars materialis seminis non provenit a testibus, & quia habent cor, aliasque *principales partes*, conficient quoque partem seminis activam, & sic haberent semen fœcundum; potius ergo dicendum, materiam seminis a renibus, lumbis, & venis præparari, perficique tamen a testibus, a quibus virturem accipiunt prolificam, concurrentibus tamen spiritibus vitalibus per arterias a corde provenientibus; qua ratione in scriptura sacra castitas lumbis adscribitur, juxta illud Lucæ 7. *sint lumbi vestri præcincti*.

16 Ut autem clarius pateat vis activa seminis, videndum est, an sit animatum. Partem affirmativam sustinent Galen. lib. de Marasmo, Peramatus lib. de Semine, Zim. 2. de Anim. text. 43. Valesc. lib. 2. controv. cap. 9. Lichetus lib. 1. *de Spontan. vivent. ortu* c. 73. & sequent. ubi se citat in lib. *de ortu animæ humanæ, & de perfecta constitutione hominis in utero*, quibus in locis ait semen esse animatum anima vegetativa in plantis, in brutis vero etiam anima sensitiva distincta ab anima producentis semen; idem docet Camerarius in suo cursu p. 2. qu. 11. & quicumque ex schola Thomistica docent partes corporis fluidas esse animatas. Ab his parum distant Suarez 2. da Anim. cap. 12. & Zanardus de universo element. part. 2. quæstion. 51. docentes semen vivere quoad partes subtiliores, & spiritosas, non quoad partes crassiores, & materiales. Partem negativam amplexus est Scot. 2. dist. 18. quæst. un. & d. 20. quæst. 2. & in 3. d. 3 qu. 2. & in 4. d. 10. qu. 4. A. & 44. qu. 1. princ. sequuntur quicumque id negant de

de sanguine, Fernel. lib. 7. suæ Physiolog. c. 13. Jandunus 7. Met. q. 19. Conimb. 1. de Gen. c. 4 q. 25. art. 2. Ruv. de Anim. tract. de potentiis animæ veget. q. 3. Hurt. disp. 1. de An. sect. 6. Roccus 2. de An. q. 5. Aversa q. 44. sec. 4. Morif. disp. 1. de An. q. 8. Dand. lib. 3. de corpore anim. c. 4. Onuphrius tract. 1. de An. disp. 2. p. 2. q. 5. Arriag. disp. 1. de An. n. 298. & alii.

17 Prob. hæc sententia ex Arist. 2. de An. 10. ubi expresse ait semen in potentia vivere, non actu, quod etiam repetit 2. de gen. an. c. 1. & 3. Nec valet expositio Camer. quod Ar. loquatur de vivere in actu secundo, quo pacto semen, quando non generat, dicitur esse in actu primo vivens, & in potentia. Non valet, quia Ar. comparat semen ad corpus, quod abjecit animam, & ad partes corporis anima privatas, ut patet legenti textum, hæc autem non dicuntur esse in potentia quoad actum secundum solum, sed etiam quoad actum primum. Prob. etiam ratione, quia vel est animatum eadem anima cum illa generantis, vel diversa, non primum, quia semen non est corpori continuum, ut patet, anima autem nequit partes discontinuas informare, ut dicemus in lib. de An. tum quia semen decisum non amplius illa anima informaretur; tum quia non est pars integralis hominis, nam sine illo perfectus homo esse potest, ut est puer; tum quia est contra partis inclinationem totum sponte deserere, sicut facit semen, quod aliquando sponte fluit e corpore; tum quia est superfluum alimenti, quod est inanimatum. Neq. secundum, quia vel est ejusdem rationis cum anima generantis, vel alterius; non primum, quia animæ ejusdem rationis expoſcunt eadem organa, semen non habet organa eadem cum corpore, non enim habet os, carnem, nervos, &c. nec apparent in seminibus plantarum folia, truncus, rami, &c. Tum quia in generatione solum fieret acquisitio formæ corporis, non animæ, hæc enim jam reperitur in semine, vel si nova anima etiam advenit, jam prima interiit, & nonnisi actione ejusdem, ergo idem seipsum destrueret, quæ omnia sunt absurda. Si dicas partes subtiliores non agere in seipsas, sed in crassiores, producendo formam corporis, & animam; contra hoc est, quia forma corporis est subjectum conveniens animæ, ad quod dicit inclinationem, ergo anima existens in partibus subtilioribus, si potens est producere formam corporeitatis, sibi ipsi illam compararet, ut perfecte existat in rerum natura. Tandem si est ejusdem rationis, quare anima vegetativa nequit diu conservari in tota arbore, vel in aliqua ejus parte sine alimento, conservatur tamen in semine diutissime conservato; certe perfectius videtur existere anima in tota arbore, quæ est corpus apte organizatum, quam in parvulo semine. Neque dicas esse diversæ rationis, quia sic omnis viventium generatio esset æquivoca, nulla univoca; neque aliquod vivens posset sibi *simile* generare, quod est falsum.

18 In oppos. arguitur ex Arist. 2. de gen. an. c. 3. in princ. dicente, *Quippe cum nihilominus semina, & conceptus animalium vivant, quam stirpes, & aliquando prolifica sint*. Tum 2. sanguis menstruus virtute seminis vertitur in substantiam viventis, ergo semen est vivens, nam animatum nequit a non vivente produci, omne enim fit ab eo, quod actu est tale. Tum 3. arborum semina nutriuntur, & augentur, dum arbori sunt unita, ergo vivunt; semen quoque animalis in utero matris nutritur, & augetur; ut in corpus efformetur, quod nequit provenire ab anima matris, cum non sit pars integralis ipsius, ergo erit a propria seminis anima. Tum 4. semen movet materiam ad fœtum, & movetur per spiritus vitales in eo existentes, quæ sunt *inditia vitæ*. Tandem in semine est virtus generativa, & formativa fœtus, hæc autem potentia est vitalis, & per consequens nequit reperiri in non vivente, ergo &c.

Resp. ad 1. Ar. ibi intelligi non de omni semine, sed de semine stirpium, quod quandoque vivit, ut dicemus ad 3. signum evidens, quod ait vivere anima vegetativa, & tamen semen animalium ab adversariis dicitur vivere anima sensitiva. Vel dicimus hunc locum explicandum, ut locus ex 2. de An. sicut ipsemet subjungit, *Sed quamobrem eam*, ut est animam, *primum haberi necesse sit, ex iis, quæ de anima alibi disseruimus, apertum est*, quod scilicet vivat in potentia, non in actu. Ad 2. negamus semen sive principaliter, sive instrumentaliter attingere animationem fœtus, solum enim concurrit ad formationem corporis, ut dicemus, habet tamen hanc formam non quidem in actu formali, sed virtuali, & in potentia activa. Ad 3. concedimus arborum semina quandoque vivere, dum scilicet sunt arbori unita, non quidem ut semina; sed ut fructus, unde quamdiu augentur, a rusticis non reputantur semina, quia non sunt adhuc apta generationi, cum non sint maturata, quando vero habent rationem seminis, discontinuantur, & admittunt animam; neque ex hoc inferas semen animalium etiam quandoque vivere debere, nunquam enim continuatur corpori animalis, estque superfluum alimenti, ubi semen arboris est quid diversum ab alimento, & per mutationem substantialem ex alimento productum, quia habet rationem seminis, & fructus, seu conceptus. Semen animalis in utero matris non nutritur ante informationem animæ, sed solum augetur per juxtapositionem, in quam materiam introducit formam corporis concurrentibus aliis concausis. Ad 4. sicut motus in spiritibus vitalibus non arguit animam in illis, ut suo loco probabimus, ita nec in semine, argentum vivum movetur, & tamen caret anima, non ergo quilibet motus localis arguit vitam; tum quia semen movetur extra corpus a potentia expulsiva excitata a calore, & spiritibus, non a seipso.

19 Ad 5. aliqui antiqui admirantes viventium corporum structuram, & compositionem, præsertim corporis humani, negarunt in rebus creatis saltem sublunaribus virturem reperiri tam admirabilis artificii productivam, sed hunc effectum tanquam vires sublunares excedentem in animam mundi, vel in aliquam intelligentiam, aut in ipsum Deum retulerunt; hanc etiam opinionem sequitur P. Faber theor. 69. sed alio innixus fundamento, quia scilicet sustinet cum Sot. 2. d. 18. semen homogeneum esse, & similarem, ex quo sequitur non posse seipsum alterare, & in tot partes diversas transmutare, idcirco quia non datur in rebus creatis sufficiens principium formativum corporis, ad Deum recurrit tanquam ad authorem naturæ. Attamen non est deneganda hæc activitas in sublunaribus viventibus, vere enim viventia per virtutem generativam habent, ut possint sibi simile producere, licet effectus sit præstantissimi artificii; ratio est, quia tunc ad causas universales est recurrendum, quando sublunaria sunt imperfectiora illis effectibus, unde non poterit argui sufficiens activitas; modo viventia ejusdem speciei sunt ejusdem perfectionis, ergo unum poterit ab alio produci; datur igitur in vivente hæc virtus generativa, de qua in seq. art. & per hanc virtutem communicat semini vim quandam *efformandi*, non quidem vivens, quia cum non sit animatum, non potest principaliter producere vivens, eo quia imperfectum non potest esse causa perfectioris ex dictis disp. 7. Phys. neque instrumentaliter, nam instrumentum non attingit terminum principalis agentis ex dictis ibid. q. 5. quare semen hac virtute concurrit ad formationem corporis, secundum enim partes subtiliores agit in crassiores, quæ in corpus transformantur, illæ verò post corporis formationem evanescunt, vel in substantiam viventis convertuntur virtute potentiæ nutritivæ illius. Hinc ad argum. negamus hanc potentiam in semine vitalem esse, non enim est productiva viventis, sed corporis pro altera parte compositi.

20 Objicies cum P. Fabro Scot. cit. negantem activitatem aliquam *in semine*; *tum quia semen in instanti generationis non* est, & quando est, debet de proximo converti in id, quod debet generari, hoc autem habet rationem passivi, non activi. Tum quia imperfectius nequit esse causa perfectioris, semen est imperfectius, non solum vivente, sed etiam forma corporeitatis, ad quam essentialiter est ordinatum. Si dicas non esse hujus causam totalem, sed partialem, quatenus concurrit vel cum matre, vel cum astris ad productionem corporis. Contra est, quia sic dici posset, etiam partialiter concurrere ad animationem, non enim implicat imperfectius partialiter attingere perfectius. Resp. Scotum ibi locutum fuisse secundum illam opinionem, quæ ponit semen uniforme, quo pacto concluduntur rationes ipsius, quod non posset seipsum alterare; attamen in 3. d. 4. F. ex professo aliam veriorem *sententiam* est amplexus, quod sit corpus ætherogeneum; ita exponunt Gratianus in 2. d. 18. & Cavellus disp. 1. de An. sect. 15 In instanti autem generationis formæ corporis semen non est secundum partes crassiores, quæ convertuntur in corpus, est tamen secundum subtiliores, quæ activæ ponuntur. Ad aliud dicimus utique cum semine concurrere matrem, vel solem, & astra, ut dicemus in seq. ar. ex hoc autem non debemus activitatem semini denegare, aliter pater nullo modo active concurreret ad generationem filii, sed solum subministrando materiam, quod est falsum, quia filius quandoque patri assimilatur, quod est signum activitatis. Si quis tamen velit asserere semen adhuc partialiter concurrere ad animationem, certe non posset valide impugnari, quia potest non vivum concurrere ad aliquod vivens, ut patet de *objecto partialiter* concurrente ad intellectionem, quæ est actus vitalis.

ARTICULUS II.

Quomodo parentes concurrant ad generationem prolis.

21 TRia interveniunt in generatione prolis, ad quæ possunt parentes activitatem, & concursum habere, scilicet seminis decisio, corporis organizatio, & animæ informatio, de istis ordinate discurrendum est.

Circa seminis decisionem est opinio Ar. 1. de Gen. an. c. 19. & 20. Thomistarum asserentium matrem non concurrere active emittendo verum semen, sed tantum passive, subministrando materiam, circa quam agat virile semen, scilicet sanguinem menstruum, sanguis menstruus est excrementum sanguineum genitum a calore debili fœminæ propter speciei conservationem, dicitur menstruus, quia quolibet mense emittitur, & excernitur, nam fœminæ, cum sint hominibus frigidiores, & humidiores, non possunt totum alimentum in substantiam corporis convertere, ideoque multo sanguine abundant, qua ratione excrementitius, quia superfluit nutritioni, ideoque ne gravetur natura, paulatim ad venas uteri transmittitur, ut foras evomatur; incipit hæc expurgatio regulariter anno decimo quarto ætatis fœminæ, tunc enim copia incipit gravare, & calor dilatare venas, cessat circa quinquagesimum annum, quia tunc valde debilitatur calor, ut non possit cibum in sanguinem laudabilem convertere, aut foras expellere, cessat quoque in lactantibus, & prægnantibus, nam lac ex isto sanguine fit, & ex eodem fœtus in utero nutritur; hic enim sanguis in principio perfectus est, at cum expurgatur, est noxius, quia tendit ad corruptionem. *Asserunt* igitur hi Doctores, matrem solum concurrere præbendo hunc sanguinem, non emittendo semen, & consequenter passive, non active, *sanguinis enim illius est pati, seminis vero agere.*

22 Opposita sententia est omnium Medicorum, & Scot. 3. d. 4. q. un. matrem scilicet non solum sanguinem menstruum subministrare, sed etiam semen, & consequenter active se habere, non tantum passive, estque communis tum apud veteres, tum apud recentiores, eo quia *in re medica* Philosophis Medicos præferre debemus. Prob. ex anatomica arte, nam in fœminis

con-

conſpiciuntur eadem vaſa ſemen deferentia, coquentia, & ſervantia, non ſecus ac in viris, tria enim ſunt membra ad productionem ſeminis neceſſaria, ſcilicet vaſa ſeminaria, teſtes, & paraſtatæ: vaſa ſeminaria a teſtibus ſurſum aſcendunt deferentia ad teſtes ſuperfluitatem ſanguinis, & ſpiritus vitales, ſuntque duo dextrum a trunco venæ cavæ oriens, & ſiniſtrum ab emulgente ramo: Teſtes ſunt partes molles, glandulosæ, albæ, cavernoſæ, in quibus ſemen excoquitur, & perficitur: paraſtatæ ſunt duo vaſa candida, glandulosa, & cavernoſa, orta a teſtibus, & ſemen in teſtibus elaboratum deferentia, hæc membra tam in viris, quam in fœminis adſunt, niſi quod teſtes in viris ſunt majores, & extra corpus, in fœminis ſunt minores, intra corpus, in dextro, & ſiniſtro uteri latere collocati: paraſtatæ in viris ſemen deferunt ad penis radicem, in fœminis ad fundum matricis, cum igitur natura nil faciat fruſtra, ſi eadem vaſa in viris, & fœminis efformavit, eundem effectum cauſabunt in ambobus, ſcilicet ſemen. Neque dicas in vaſis fœmineis nihil coctum, & elaboratum reperiri, ſed quid aqueum, crudum, & ſeroſum, eundemque finem iſtorum vaſorum habuiſſe naturam in fœminis, ac mammarum in viris. Non valet, quia vaſa iſta etiam in fœminis, intorta gyris, & anfractibus implicata conſpiciuntur, quos gyros, & anfractus natura ad novam coctionem, & elaborationem ordinat, ergo ſicut in viris ſemen concoquunt, ita in fœminis, unde ambo flammis luxuriæ ante ſeminis emiſſionem torquentur, poſt emiſſionem quietantur.

23 Neque eſt par ratio de mamillis virorum, quia iſtæ ſunt tantum ad ornatum, & robur, præſertim cum glandulosæ non ſint, ut in fœminis, at iſtorum muliebrium vaſorum, & præcipue teſtium, alius non poteſt eſſe uſus in fœminis, quam ſeminis productio, cum eorum ſubſtantia tam in fœminis, quam in viris æque glandulosa ſit. Præterquam quod Veſalius lib. 5. c. 8. & Cardanus lib. 12. de ſubtil. narvant de quodam trigeſimum quartum annum agente tantum lactis ex ejus mamillis proſtuiſſe, ut infantem lactare potuerit, & Dand. lib. 3. de part. homog. c. 18. teſtatur ſe accepiſſe a viris fide dignis, homines in Braſilia communiter tantum lactis habere, ut ipſimet ſuas alant proles, & Ametrius V. Hyeroſolimorum Rex non minores quam fœminæ dicitur habuiſſe mammas; quia vero fœmina rariorem habet mamillarum ſubſtantiam, ut docet Ar. 1. de hiſt. anim. c. 12. copioſiorem ideo recipit lactis materiam, & abundantius concoquit.

Prob. etiam aſſertum Scotus, quia filius quandoque magis aſſimilatur matri, quam patri, ergo in matre eſt aliqua virtus activa, conſeq. patet, quia agens eſt, quod intendit aſſimilare ſibi effectum, itaut effectus nulli aſſimilatur, niſi propter aliquam actionem illius, principium enim paſſivum ut paſſivum non eſt principium diſtinguendi, nec aſſimilandi. Neque dicas illam ſimilitudinem provenire, quia mater ſanguinem præbet ex quo nutritur filius. Non valet, quia etiam materia, ex qua pediculus efficitur, eſt ab homine, cui tamen nunquam aſſimilatur, eo quia nihil eſt in illa, quod ſit activum principium. Qua ratione aries cum ove congrediens generat caprum lana mollem, & aſinus ex equa, & equus ex aſina generant mulum, ſi enim fœminæ non concurrerent active, certe aſinus cum equa nonniſi aſinum, & equus cum aſina nonniſi equum produceret, quia materia non eſt efficiens. Tandem quia non aliter mater in generatione ſe haberet, ſi ſolum paſſive concurreret, ac terra reſpectu mineræ, & homo reſpectu generationis vermis, & conſequenter ſi aſina, vel equa mater muli dici poteſt, licet ſint diverſæ ſpeciei, etiam mulier mater pediculi dicetur.

24 Contra arg. quia fœminæ ſunt pueris ſimiles voce, & impubertate, ſicut etiam ſpadonibus, pueri autem, & ſpadones ſemen non efficiunt. Tum 2. fœminæ ex uſu Veneris non macreſcunt, nec elanguent, ut viri, ſicut habetur Prov. 20. *Tria ſunt inſatiabilia, infernus, & os vulvæ, & terra, quæ non ſatiatur aqua.* Tum 3. in omni actione reperiuntur agens, & patiens, in generatione autem animalium mas eſt principium activum, fœmina paſſivum, ergo hæc active non concurrit, aliter confunderentur munera utriuſque parentis, uterque enim ſi ageret, eſſet pater, & ſi pateretur, eſſet mater. Tum 4. ſequeretur Chriſtum Dominum fuiſſe conceptum ex ſemine Virginis Sacratiſſimæ, ipſa enim concurrit omnimode ad generationem Filii, ſicut cæteræ matres, ne dimidiatum matris officium, & munus Deiparæ Virgini attribuamus cum maternitatis jactura, & ne multiplicemus miracula ſine neceſſitate, dum cauſam ſupplentem inducimus id, quod a naturali potuit præſtari ſine abſurdo; hoc autem videtur contra ſenſum Eccleſiæ aſſerentis in officio Circumciſionis, *Et procedens homo ſine ſemine*, quibus verbis omne ſemen videtur excludi; eſt etiam contra multos Patres, & ratio eſt, quia videtur nonnihil lædi immaculata, & puriſſima virginitas Deiparæ, licet non ſit ex coitu cum viro, ſicut vir viginitatem amittit effuſione ſeminis, licet non ſit cum fœmina.

Reſp. ad 1. negando paritatem in omnibus, aliter eſſent etiam infœcundæ, ut pueri, & ſpadones; tum quia ſunt aliqui viri mulieribus ſimiles, & fœminæ quædam ſimiles viris in voce, & barba, ergo iſtæ deberent ſemen emittere. Ad 2. neg. aſſumptum, *licet non* ita langueſcant, ut viri, ex hoc, quod intra ſe emittunt ſemen, ſunt viris humidiores, & ex majoris ſanguinis abundantiam facilius vitales ſpiritus poſſunt refici: authoritas ſcripturæ ſolum explicat inſatiabilitatem concupiſcientiæ, quæ ad uſum Veneris excitat etiam impotentes, imo ex hoc debet argui oppoſitum, ſi enim fœminæ magis æſtuant libidine, quam viri, argui debet valde a ſeminis ſtimulis agitari. Ad 3. utique pater eſt activum principium, & mater paſſivum quoad ſeminis receptionem, vel quoad ſubminiſtrationem ſanguinis menſtruoſi, adhuc tamen uterque ſemina agunt, & patiuntur propter partium ætherogeneitatem, ut dicemus. Ad 4. concedimus Chriſtum Dominum ex ſemine Virginis conceptum, quod docetur a multis Patribus, præcipue Anſel. de Concept. Virg. & peccato orig. c. 8. Beda in c. 11. Lucæ lib. 4. cap. 49. apud Hurt. qui exacte hanc quæſtionem pertractat; Eccleſia vero, & Patres ſolum intendunt excluſionem virilis ſeminis, ut ex eodem officio deducitur. *Templum Dei factus eſt uterus noſciens virum.* Neque ex hoc diminuta fuit Beatæ Virginis integritas, nam habitus virtutis virginitatis, ut ait Hurt. ſemper in illa fuit, quia voto omnes etiam honeſtos viri congreſſus repudiavit; integritas corporis fuit perfectiſſima, quia nec Chriſtus Dominus clauſtra erupit, & ſemen abſque ulla ſenſuali motione in loco convenienti fuit collocatum: ad illud, quod adjiciebatur de viris, dicimus ſeminis effuſionem involuntariam illis non adimere virginitatem.

25 Secundo arguitur, & eſt gravis difficultas; ſi fœmina emittit ſemen, certe erit ejuſdem rationis cum ſemine virili, quia ſanguis utriuſque & potentiæ ſunt ejuſdem ſpeciei, quapropter maſſa utrorumque ſeminum, & maſſa ſeminis muliebris ſolo numero differrent, & accidentaliter tamen eſſent ejuſdem rationis, hoc ſuppoſito, clarum eſt, quod ſemen muliebre poſſet ita augeri tam quantitative, quam qualitative, ut maſſam utriuſque ſeminis adæquet; contingit enim aliquam fœminam reperiri calidiorem, & ſiccioremaliquo viro, ex quo tandem ſequitur poſſe fieri generationem ſine virili ſemine, quod implicat naturaliter. Accedit quod quandoque inventæ ſunt quædam mulieres, quæ ſine proprii ſeminis emiſſione conceperunt, ſcilicet non percepta delectatione, ut refert Averroes apud Zerb. 8. Met. q. 2. ſi ergo ſemen mulieris non eſt neceſſarium ad generationem, quia natura nil facit fruſtra, dicendum eſt fœminas ſemen non efficere.

Huic difficultati Mayronus 3. d. 4. art. 4. concedit poſſe fieri generationem ſine virili ſemine. Sed hoc aſſerit ſine fundamento, ut enim ſæpe diximus, quod aliqua res ſit alicujus effectus activa, ſolum ab experientia deduci poteſt, igitur ſi nunquam experti ſumus fœminam abſque viri congreſſu concipere, imo in avibus oppoſitum videmus, nam ova ſubventanea gallinarum non ſunt idonea ad generationem, non debemus aſſerere, hoc eſſe naturaliter poſſibile. Tum quia conceptio Chriſti Domini in utero Deiparæ abſque virili ſemine non fuiſſet ſupernaturalis, & miraculoſa. Quare concludendum eſt, ſemen virile eſſe naturaliter neceſſarium ad conceptionem fœtus. Hoc tamen eſt intelligendum de animalibus ex congreſſu maris, & fœminæ producibilibus, nam quæ ex putri generantur, non indigent hac ſeminum mixtione; dantur etiam quædam animalia ovipara non diſtincta in ſexum virilem, fœmineum, & iſta etiam non habent hanc indigentiam, talia ſunt rubeliones, hiatulæ, Erythrini, quæ, cum ſint animalia imperfecta, ſe habent ut plantæ, in quibus hæc ſexuum diſtinctio non adeſt.

26 Reſp. Lichet. 3. d. 4. negando poſſe unquam ſemen muliebre ſupplere concurſum ſeminis virilis, quia quando ſunt aliqua entia, quorum unum eſt tantum natum eſſe cauſa partialis principalis, vel non principalis, & aliud ſimiliter cauſa partialis, nunquam unum poteſt ſupplere vicem alterius, quia effectus ille tantum natus eſt produci a duabus cauſis partialibus ſecundis; affert exemplum de intellectu Franciſci, qui eſt ejuſdem ſpeciei cum intellectu Joannis, & tamen ille, quantumcumque intenderetur, nunquam poſſet ſupplere cauſalitatem iſtius reſpectu intellectionis propriæ. Parum diſtant Conimb. 2. de Gen. c. 4 q. 27 art. 2. dicentes non poſſe dari hujuſmodi incrementum virtutis in cauſis partialibus inſtrumentariis, quarum una neceſſario, & ex naturæ lege quoad ſuum concurſum ab alteriusconſortio, & virtute dependet, quomodo ſe habent vis activa utriuſque parentis.

Hæc tamen ſolutio potius eſt petitio principii, hoc enim quæritur, cur ſcilicet cauſa partialis concurrens cum altera partial ejuſdem rationis nequeat ſuppleri per augmentum virtutis alterius, videmus enim, quod ſi duo ferant pondus ut decem, quo ſit improportionatum viribus ſingulorum, ſi vis activa unius intenderetur, ſe ſolo poſſet illud ferre, & hoc quia ſunt ejuſdem rationis, ita ſi ſemen virile excederet muliebre exceſſu ut decem; ſi temperamentum mulieris eodem exceſſu ſuperaret temperamenium viri, eodem modo ſemen muliebre ſe haberet in ordine ad ſemen virile, & conſequenter eſſet ejuſdem activitatis, hinc poſſet ex iſto concipi fœtus, vel ſi dicatur requiri aliu ſemen pro materia, poſſet Dæmon ſemen hujus mulieris transfere in matricem alterius, & ſic fieret conceptio humana ſine virili ſemine. Nec exemplum de duobus intellectibus eſt ad propoſitum, nam intellectus illi nunquam ſimul concurrunt ad productionem ejuſdem intellectionis. Quod addunt Conimb. de cauſis inſtrumentalibus per idem impugnatur, præterquamquod ſemen, quia attingit productionem formæ corporeitatis, non eſt inſtrumentalis cauſa ex dictis diſp. 7. Phyſ. q. 5.

27 Rectius dicetur cum Angelo de prop. mat. pag. 18. & Tatar. 2. Phyſ. q. 2. §. *Primo ſciendum*, & habetur a Scot. 1. d. 3. q. 7. L. & quol. 15. H. patrem, & matrem eſſe cauſas eſſenti aliter ſubordinatas, quæ ita ſe habent, ut una nequeat ſine altera gere, & quia in individuis ejuſdem rationis non adeſt eſſentialis ſubordinatio, dicendum erit potentias generativas eſſe alterius rationis, & ſpecie differre; quamvis enim ſanguis ſit ejuſdem rationis in ambobus, & ipſi ſimiliter ſint ejuſdem naturæ, attamen ſicut differunt in organis, ita debemus etiam arguere virtutem unius eſſe diverſam ab alterius virtute, loquendo de potentia generativa completa, & totali, ſcilicet ex anima, & corpore

de ſanguine, Fernel. lib. 7. ſuæ Phyſiolog. c. 13. Jandunus 7. Met. q. 19. Conimb. 1. de Gen. c. 4. q. 25. art. 2. Ruv. de Anim. tract. de potentiis animæ veget. q. 3. Hurt. diſp. 1. de An. ſect. 6. Roccus 2. de An. q. 5. Averſa q. 44. ſec. 4. Moriſ. diſp. 1. de An. q. 8. Dand. lib. 3. de corpore anim. c. 4. Onuphrius tract. 1. de An. diſp. 2. p. 2. q. 5. Arriag. diſp. 1. de An. n. 298. & alii.

17 Prob. hæc ſententia ex Ariſt. 2. de An. 10. ubi expreſſe ait ſemen in potentia vivere, non actu, quod etiam reperit 2. de gen. an. c. 1. & 3. Nec valet expoſitio Camer. quod Ar. loquatur de vivere in actu ſecundo, quo pacto ſemen, quando non generat, dicitur eſſe in actu primo vivens, & in potentia. Non valet, quia Ar. comparat ſemen ad corpus, quod abjecit animam, & ad partes corporis anima privatas, ut patet legenti textum, hæc autem non dicuntur eſſe in potentia quoad actum ſecundum ſolum, ſed etiam quoad actum primum. Prob. etiam ratione, quia vel eſt animatum eadem anima cum illa generantis, vel diverſa, non primum, quia ſemen non eſt corpori continuum, ut patet, anima autem nequit partes diſcontinuas informare, ut dicemus in lib. de An. tum quia ſemen deciſum non amplius illa anima informaretur; tum quia non eſt pars integralis hominis, nam ſine illo perfectus homo eſſe poteſt, ut eſt puer; tum quia eſt contra partis inclinationem totum ſponte deſerere, ſicut facit ſemen, quod aliquando ſponte fluit e corpore; tum quia eſt ſuperfluum alimenti, quod eſt inanimatum. Neq. ſecundum, quia vel eſt ejuſdem rationis cum anima generantis, vel alterius; non primum, quia animæ *ejuſdem rationis expoſcunt* eadem organa, ſemen non habet organa eadem cum corpore, non enim habet os, carnem, nervos, &c. nec apparent in ſeminibus plantarum folia, truncus, rami, &c. Tum quia in generatione ſolum fieret acquiſitio formæ corporis, non animæ, hæc enim jam reperitur in ſemine, vel ſi nova anima etiam advenit, jam prima interiit, & nonniſi actione ejuſdem, ergo idem ſeipſum deſtrueret, quæ omnia ſunt abſurda. Si dicas partes ſubtiliores non agere in ſeipſas, ſed in craſſiores, producendo formam corporis, & animam; contra hoc eſt, quia forma corporis eſt ſubjectum conveniens animæ, ad quod dicit inclinationem, ergo anima exiſtens in partibus ſubtilioribus, ſi potens eſt producere formam corporeitatis, ſibi ipſi illam compararet, ut perfecte exiſtat in rerum natura. Tandem ſi eſt ejuſdem rationis, quare anima vegetativa nequit diu conſervari in tota arbore, vel in aliqua ejus parte ſine alimento, conſervatur tamen in ſemine diutiſſime conſervato; certe perfectius videtur exiſtere anima in tota arbore, quæ eſt corpus apte organizatum, quam in parvulo ſemine. Neque dicas eſſe diverſæ *rationis*, quia ſic omnis viventium generatio eſſet æquivoca, nulla univoca; neque aliquod vivens poſſet ſibi ſimlie generare, quod eſt falſum.

18 In oppoſ. arguitur ex Ariſt. 2. de gen. an. c. 3. in princ. dicente, *Quippe cum nihilominus ſemina, & conceptus animalium vivant, quam ſtirpes, & aliquando prolifica ſunt.* Tum 2. ſanguis menſtruus virtute ſeminis vertitur in ſubſtantiam viventis, ergo ſemen eſt vivens, nam animatum nequit a non vivente produci, omne enim fit ab eo, quod actu eſt tale. Tum 3. arborum ſemina nutriuntur, & augentur, dum arbori ſunt unita, ergo vivunt; ſemen quoque animalis in utero matris nutritur, & augetur; ut in corpus efformetur, quod nequit provenire ab anima matris, cum non ſit pars integralis ipſius, ergo erit a propria ſeminis anima. Tum 4. ſemen movet materiam ad fœtum, & movetur per ſpiritus vitales in eo exiſtentes, quæ ſunt inditia vitæ. Tandem in ſemine eſt virtus generativa, & formativa fœtus, hæc autem potentia eſt vitalis, & per conſequens nequit reperiri in non vivente, ergo &c.

Reſp. ad 1. Ar. ibi intelligi non de omni ſemine, ſed de ſemine ſtirpium, quod quandoque vivit, ut dicemus ad 3. ſignum evidens, quod ait vivere anima vegetativa, & tamen ſemen animalium ab adverſariis dicitur vivere anima ſenſitiva. Vel dicimus hunc locum explicandum, ut locus ex 2. de An. ſicut ipſemet ſubjungit, *Sed quamobrem eam*, ut eſt animam, *primum haberi neceſſe ſit, ex iis, quæ de anima alibi diſſeruimus, apertum eſt*, quod ſcilicet vivat in potentia, non in actu. Ad 2. negamus ſemen ſive principaliter, *ſive inſtrumentaliter* attingere animationem fœtus, ſolum enim concurrit ad formationem corporis, ut dicemus, habet tamen hanc formam non quidem in actu formali, ſed virtuali, & in potentia activa. Ad 3. concedimus arborum ſemina quandoque vivere, dum ſcilicet ſunt arbori unita, non quidem ut ſemina, ſed ut fructus, unde quamdiu augentur, a ruſticis non reputantur ſemina, quia non ſunt adhuc apta generationi, cum non ſint maturata, quando vero habent rationem ſeminis, diſcontinuantur, & admittunt animam; neque ex hoc inferas ſemen animalium etiam quandoque vivere debere, nunquam enim continuatur corpori animalis, eſtque ſuperfluum alimenti, ubi ſemen arboris eſt quid diverſum ab alimento, & per mutationem ſubſtantialem ex alimento productum, quia habet rationem ſeminis, & fructus, ſeu conceptus. Semen animalis in utero matris non nutritur ante informationem animæ, ſed ſolum augetur per juxtapoſitionem, in quam materiam introducit formam corporis concurrentibus aliis concauſis. Ad 4. ſicut motus in ſpiritibus vitalibus non arguit animam in illis, ut ſuo loco probabimus, ita nec in ſemine, argentum vivum movetur, & tamen caret anima, non ergo quilibet motus localis arguit vitam; tum quia ſemen movetur extra corpus a potentia expulſiva exeitata a calore, & ſpiritibus, non a ſeipſo.

19 Ad 5. aliqui antiqui admirantes viventium corporum ſtructuram, & compoſitionem, præſertim corporis humani, negarunt in rebus creatis ſaltem ſublunaribus virtutem reperiri tam admirabilis artificii productivam, ſed hunc effectum tanquam vires ſublunares excedentem in animam mundi, vel in aliquam intelligentiam, aut in ipſum Deum retulerunt; hanc etiam opinionem ſequitur P. Faber theor. 69. ſed alio innixus fundamento, quia ſcilicet ſuſtinet cum Sot. 2. d. 18. ſemen homogeneum eſſe, & ſimilarem, ex quo ſequitur non poſſe ſeipſum alterare, & in tot partes diverſas tranſmutare, idcirco quia non datur in rebus creatis ſufficiens principium formativum corporis, ad Deum recurrit tanquam ad authorem naturæ. Attamen non eſt deneganda hæc activitas in ſublunaribus viventibus, vere enim viventia per virtutem generativam habent, ut poſſint ſibi ſimile producere, licet effectus ſit præſtantiſſimi artificii; ratio eſt, quia tunc ad cauſas univerſales eſt recurrendum, quando ſublunaria ſunt imperfectiora illis effectibus, unde non poterit argui ſufficiens activitas; modo viventia ejuſdem ſpeciei ſunt ejuſdem perfectionis, ergo unum poterit ab alio produci; datur igitur in vivente hæc virtus generativa, de qua in ſeq. art. & per hanc virtutem communicat ſemini vim quandam efformandi, non quidem vivens, quia cum non ſit animatum, non poteſt principaliter producere vivens, eo quia imperfectum non poteſt eſſe cauſa perfectioris ex dictis diſp. 7. Phyſ. neque inſtrumentaliter, nam inſtrumentum non attingit terminum principalis agentis ex dictis. ibid. q. 5. quare ſemen hac virtute concurrit ad formationem *corporis*, ſecundum enim partes ſubtiliores agit in craſſiores, quæ in corpus transformantur, illæ vero poſt corporis formationem evaneſcunt, vel in ſubſtantiam viventis convertuntur virtute potentiæ nutritivæ illius. Hinc ad argum. negamus hanc potentiam in ſemine vitalem eſſe, non enim eſt productiva viventis, ſed *corporis* pro altera parte compoſiti.

20 Objicies cum P. Fabro Scot. cit. negantem activitatem aliquam in ſemine; tum quia ſemen in inſtanti generationis non eſt, & quando eſt, debet de proximo converti in id, quod debet generari, hoc autem habet rationem paſſivi, non activi. Tum quia imperfectius nequit eſſe cauſa perfectioris, ſemen eſt imperfectius, non ſolum vivente, ſed etiam forma corporeitatis, ad quam eſſentialiter eſt ordinatum. Si dicas non eſſe hujus cauſam totalem, ſed partialem, quatenus concurrit vel cum matre, vel cum aſtris ad productionem corporis. Contra eſt, quia ſic dici poſſet, etiam partialiter concurrere ad animationem, non enim implicat imperfectius partialiter attingere perfectius. Reſp. Scotum ibi locutum fuiſſe ſecundum illam opinionem, quæ ponit ſemen uniforme, quo pacto concluduntur rationes ipſius, quod non poſſet ſeipſum alterare; attamen in 3. d. 4. F. ex profeſſo aliam veriorem ſententiam eſt amplexus, quod ſit corpus ætherogeneum; ita exponunt Gratianus in 2. d. 18. & Cavellus diſp. 1. de An. ſect. 15 In inſtanti autem generationis formæ corporis ſemen non eſt ſecundum craſſiores, quæ converturntur in corpus, eſt tamen ſecundum ſubtiliores, quæ activæ ponuntur. Ad aliud dicimus utique cum ſemine concurrere matrem, vel ſolem, & aſtra, ut dicemus in ſeq. ar. ex hoc autem non debemus activitatem ſemini denegare, aliter pater nullo modo active concurreret ad generationem filii, ſed ſolum ſubminiſtrando materiam, quod eſt falſum, quia filius quandoque patri aſſimilatur, quod eſt ſignum activitatis. Si quis tamen velit aſſerere ſemen adhuc *partialiter concurrere* ad *animationem*, certe non poſſet valide impugnari, quia poteſt non vivum concurrere ad aliquod vivens, ut patet de objecto partialiter concurrente ad intellectionem, quæ eſt actus vitalis.

ARTICULUS II.

Quomodo parentes concurrant ad generationem prolis.

21 TRia interveniunt in genetatione prolis, ad quæ poſſunt parentes activitatem, & concurſum habere, ſcilicet ſeminis deciſio, corporis organizatio, & animæ informatio, de iſtis ordinate diſcurrendum eſt.

Circa ſeminis deciſionem eſt opinio Ar. 1. de Gen. an. c. 19. & 20. Thomiſtarum aſſerentium matrem non concurrere active emittendo verum ſemen, ſed tantum paſſive, ſubminiſtrando materiam, circa quam agat virile ſemen, ſcilicet ſanguinem menſtruum, ſanguis menſtruus eſt excrementum ſanguineum genitum a calore debili fœminæ propter ſpeciei conſervationem, dicitur menſtruus, quia quolibet menſe emittitur, & excernitur, nam fœminæ, cum ſint hominibus frigidiores, & humidiores, non poſſunt totum alimentum in ſubſtantiam corporis convertere, ideoque multo ſanguine abundant, qua ratione excrementitius, quia ſuperfluit nutritioni, ideoque ne gravetur natura, paulatim ad venas uteri tranſmittitur, ut foras evomatur; incipit hæc expurgatio regulariter anno *decimo* quarto ætatis fœminæ, tunc enim copia incipit gravare, & calor dilatare venas, ceſſat circa quinquageſimum annum, quia tunc valde debilitatur calor, ut non poſſit cibum in ſanguinem laudabilem convertere, aut foras expellere, ceſſat quoque in lactantibus, & prægnantibus, nam lac ex iſto ſanguine fit, & ex *eodem* fœtus *in* utero nutritur; hic enim ſanguis in principio perfectus eſt, at cum expurgatur, eſt noxius, quia tendit ad corruptionem. Aſſerunt igitur hi Doctores, matrem ſolum concurrere præbendo hunc ſanguinem, non emittendo ſemen, & conſequenter paſſive, non active, ſanguinis enim illius eſt pati, *ſeminis vero agere.*

22 Oppoſita ſententia eſt omnium Medicorum, & Scot. 3. d. 4. q. un. matrem ſcilicet non ſolum ſanguinem menſtruum ſubminiſtrare, ſed etiam ſemen, & conſequenter active ſe habere, non tantum paſſive, eſtque communis tum apud veteres, tum apud recentiores, eo quia in re medica Philoſophis Medicos præferre debemus. Prob. ex anatomica arte, nam in fœminis

con-

informatio caloris in manu non causatur efficienter a producente manum, quia potest esse manus sine calore, neque ab ipsa manu, nisi in genere causæ subjectivæ, & materialis, nec etiam a calore, nam possunt esse calor, & manus in rerum natura absque ista informatione, fit igitur ab igne non quatenus producit calorem, sed ut inducit illum in manu; estque causa informationis activæ & caloris, passivæ in manu, sicut movens corpus causat efficienter utrumque respectum locantis in superficie, & locati in corpore, sed parentes non inducunt animam rationalem in corpore, sed Deus immediate illam creat, & inducit causando animationem, ergo parentes non causant unionem, sed Deus solus, prob. min. quia parentes nullam actionem exercent circa corpus necessitantem simpliciter Deum ad animæ productionem, & infusionem, aliter libere non crearetur, nec infunderetur a Deo, solum enim ex libero Dei decreto ad organizationem perfectam corporis sequitur animatio, & in sent. Arist. ponentis Deum ad extra necessario agere, non idcirco parentes causabunt hanc unionem, quia etiam in Ar. sentent. nullam causalitatem per se exercent circa animam rationalem, sed solum ad formationem corporis concurrunt, ad quam immediate, & necessario in sent. ipsius sequitur animatio, at ista organizatio nullo pacto concurrit effective ad unionem, ergo ista mediante nullum concursum effectivum parentes habebunt respectu unionis, quod magis patebit diluendo objectiones. Accedit valde difficulter explicare Adversarios, quo pacto cum homo generando operetur, ut agens corporeum, possit hanc unionem attingere, quæ saltem ex parte animæ spiritualis est, & varii varia dicunt, ut est videre apud eos.

34 In oppos. arguit præsertim Aversa q. 14. sect. 3. si homo non attingeret uuionem animæ, ergo non generaret realiter alium hominem, prob. conseq. quia producere dispositiones non est producere substantiam hominis, sed accidentia, ergo præter dispositiones debet attingere substantiam, non potest materiam, vel animam producere, ergo unionem. Tum 2. quia sic non magis homo concurreret ad generationem hominis, quam Cœlum ad generationem animalium ex putri, imo cum de facto Cœlum in generatione hominis concurrat, juxta illud, Sol, & homo generant hominem, non magis ad hominem generandum concurreret homo, quam Cœlum. Tum 3. si homo generans producit tantum dispositiones, homo genitus non posset dici filius ejus, quia filius fundat relationem filiationis secundum illud esse, quod producitur, & in quo essentialiter, & substantialiter patri assimilatur, quia filiatio essentialiter est relatio geniti secundum substantiam in similitudinem naturæ, ergo si filius a patre produceretur solum, quia pater dispositiones producit, non diceret relationem filiationis; nec talis generatio esset univoca, quia actio agentis non terminaretur ad aliquod simile, & ejusdem rationis cum natura patris. Tum 4. cætera animalia ex vi seminis producunt sibi similia, & attingunt animæ unionem, ergo etiam homo perfectissimum animal. Tum 5. attingens ultimam dispositionem producit formam, quia potens in media, potest etiam in finem ex 7. Met. 30. & forma est finis 2. Phys. c. 7. sed homo producit omnes dispositiones unionis animæ, ergo &c. Tum 6. unio animæ ad novas partes per nutritionem comparatas fit a causa secunda, scilicet ab homine, nam nutritio est a principio vitali se movente ab intrinseco, ergo prima unio in generatione fiet etiam ab homine. Tandem accidens attingit ultimam dispositionem formæ substantialis, non tamen dicitur causa formæ substantialis, ergo ut homo dicatur causare hominem, præter attingentiam ultimæ dispositionis aliquid aliud exigitur, quod scilicet attingat unionem.

35 Resp. ad 1. neg. conseq. nam licet attingeret unionem, non ideo substantiam hominis attingeret, cum unio in nostra sententia sit accidens; ad prob. neg. antec. dispositiones enim hominis non sunt pura accidentia, ut in non viventibus, sed sunt formæ illæ partiales substantiales integrantes formam corporeitatis; quæ cum realiter ab homine producantur, & sint pars intrinseca constituens hominem genitum, & producendo talem formam, vere potest dici producere substantialiter hominem; sicut B. Virgo dicitur vere Mater Dei, & Christi, quamvis unionem hypostaticam non attigerit, sed solum quia humanitatem Christi produxit, quæ in eodem instanti productionis fuit hypostatice Verbo unita, ita ut actio Deiparæ non fuit terminata ad humanitatem in se, sed unitam, ut docet Scot. 3. d. 4. q. un. & d. 2. q. 3. estque hæc humanitas de intrinseca ratione Christi; idem de homine dicendum, non enim actio parentum terminatur ad corpus in se, sed animæ unitum, quia in eodem instanti, in quo ultimo fit corpus, animatur. Ad 2. neg. assumptum, quia Cœlum producit formam illam animalis non communicando aliquid sui, homo vero communicat, & præstat materiam, ex qua producitur. Ad 3. neg. conseq. ad probat. dicimus illud esse filii scilicet naturam productam, quæ est illa tertia entitas, vere dici posse productam a parentibus, quia aliquid ejus, puta corpus, causatur ab illis, & actio illorum non prius terminatur, quam fit animatio ex Scot. cit. tum quia pater intendit statim per decisionem seminis compositum producere, quod si non producit, nisi mediis illis mutationibus, hoc provenit ex imperfectione agentis, ut not. Scot. 1. d. 5. q. 2. H. hinc vere dici potest univoca generatio. Ad 4. neg. paritas, quia ex dignitate animæ rationalis est, quod a creatura fieri nequeat. Ad 5. assumptum non est verum universaliter præcipue, quando forma est alterius ordinis a dispositionibus, ut est anima rationalis, quæ est spiritualis, & quando sunt ejusdem ordinis, sed alterius prædicamenti, nec etiam est verum; calor enim ignis est causa ultimæ dispositionis formæ ignis, non tamen causat illam; nec Arist. ibi hoc asserit, solum enim ostendit omnia fieri quodammodo univoca generatione, & licet hoc doceret, intelligendus est de dispositionibus, & forma ejusdem generis, & ordinis. Ad 6. neg. paritas, plus enim requiritur ad generationem, quam ad nutritionem, generatio enim non præsupponit corpus anima informatum, ut præsupponit nutritio; unde videmus mulos, spadones, & animalia ex putri genita seipsa nutrire, non tamen habere generativam virtutem. Ad ult. non valet paritas, quia ut dictum est, forma corporis est de intrinseca ratione hominis producti, non sic accidentia respectu formæ substantialis. Vide Scotum in 7. Met. q. 10. pro utraque parte disputantem, & Maur. ibidem.

Dices, Scot. in 1. d. 5. q. 2. H. ait patrem dici patrem per seminis decisionem, & 4. d. 13. q. 1. V. docet patrem dici patrem, non quia genuit, sed quia habet filium coexistentem, ergo non dicitur pater, quia attingit ultimam dispositionem animæ, ut hucusque asseruimus. Resp in primo loco loquitur, vel de actione immediata, vel secundum illam opinionem, quæ semen ponit homogeneum. In secundo loco inquirit Doctor fundamentum relationis paternitatis, & ait hoc esse potentiam productivam, ut habet terminum productum, non actionem, per hanc enim solum tanquam per dispositionem præviam fundat talem relationem, ut ipsemet ibi se declarat.

QUÆSTIO III.

De causis generationis viventium nascentium ex putri.

36 VIventia quædam sunt talis naturæ, ut nonnisi per propagationem oriri possint per veram generationem vitalem, de quibus locuti sumus, alia vero sponte oriuntur, & ex putrescente materia, quædam tandem utroque modo gignuntur, quæ differentia tam in plantis, quam in brutis reperitur, equi enim solum ex femine per propagationem fiunt, apes tantum ex putri, mures utroque modo, idem in plantis contingit, licet non tam evidenter appareat; hinc quæ fiunt per solam propagationem ex semine, viventia nuncupantur perfecta, quia plura requiruntur ad illorum constitutionem, alia vero dicuntur imperfecta, eo quia pauca exigunt, unde a pluribus, & diversimode possunt produci, facile enim est, quod talis virtus in multis reperiatur; cum igitur de generatione ex semine in præced. quæst. egerimus, remanet, ut aliqua de genitis ex putri dicamus investigando illorum causas, de quibus fuse agit Fortunius Licetus in opere *de spontaneo viventium ortu*; Et quidem quod attinet ad causam finalem, non est tam ardua difficultas; quamvis enim varii fines assignentur a Doctoribus, ut est videre apud Licet. cit. lib. 1. a cap. 1. usque ad 35. breviter tamen dicimus finem internum harum generationum esse ipsam animam, & compositum, sicut finis cujuscunque actionis est terminus ex ea productionis; finem vero externum esse multiplicem, scilicet vel bonum universi resultans ex multiplici specierum varietate, & conservatione, vel utilitatem, quam hæc imperfecta viventia perfectioribus afferunt, maxime homini, inserviunt enim vel pro alimento, vel pro medicamine, aut aliquo alio fine; Hinc falsa est opinio dicentium hæc viventia temere, & casu produci. Etenim quæ casu, & per accidens fiunt, non habent determinata principia, nec semper eodem, & immutabili modo generantur, & hæc viventia a determinatis causis proveniunt, determinatoque modo produci petunt. Possunt tamen aliqualiter effectus causales appellari, quatenus non fiunt juxta intentionem agentis particularis intendentis sibi simile generare.

37 Difficultas est de aliis causis, præsertim efficienti; nam Deus, Intelligentia quædam Deo inferior, & a materia separata, anima mundi, Cœli, calor ambientis, vel materiæ putrescentis ut instrumentum est vel cœlestium corporum, vel alterius viventis ejusdem speciei, assignantur tamquam causæ effectrices horum viventium a Doctoribus juxta opinionum varietatem. Specialem tamen opinionem circa hoc habet Licetus, quam propter novitatem exactius explicabimus, ait enim lib. 3. a c. 17. omnia hæc viventia univoce generari ab alio simili, & ejusdem speciei, pro quo supponit, formam quandoque contineri in materia ut in subjecto, tribuendo illi actum primum, & secundum, cum scilicet subjectum est recte dispositum, & calorem habet proportionatum, ut sunt viventia connaturalem calorem habentia ad operationes vitales exercendas, quo tanquam præcipuo instrumento utuntur; quandoque deficiente calore, forma, seu anima non tribuit actum secundum, sed primum solum, quandoque vero adhuc deficiente calore anima non amplius est in corpore, ut in subjecto, quia nec actum secundum, nec primum tribuit, sed est in illo, ut in vase, cui omnino nihil conferat, neque per se, neque per accidens. Supponit etiam materiam horum viventium esse aliquod corpus aliqua anima prius informatum, in quo propter defectum caloris non amplius illa anima resideat, ut in subjecto, sed ut in vase; quapropter si a Cœlo, vel aliis extrinsecis agentibus calor ille intenderetur, sicut prius, tunc illa anima seipsa communicatur corpori, & fit vivens ejusdem speciei, non individuo, quia est alia materia numero, licet eadem numero anima, si vero calor amplius remitteretur, itaut non possit corpus illud tamquam vas inservire animæ, tunc ad labefactionem caloris anima essentialem patitur mutationem, & in animam viliorem transmutatur, quæ corpori illi insidet, ut in vase, & quando corpus illud denuo disponitur, anima seipsam exhibet illi corpo-

corpori ut actus informans, & vivificans. Quoniam autem contingit ex terra, & aqua, quæ corpora sunt inanimata, aliquod vivens procreari, & ex lignis aliquod animal, quod perfectius est illis, ut generationem univocam in istis casibus salvet, & *non admittat perfectius ab imperfectiori produci*, ait in lib. 3. tam terram, quam aquam, & aerem continere plura stirpium, animaliumque corpuscula, in quibus animæ ut in vasibus residentes, quæ corpuscula ab ambientis calore digesta in corpus vivens promunt, anima in illis deinde residente ut forma vitali, agitanturque illa corpuscula a ventis, & spiritibus in aere pulverulento.

38. De causa materiali horum viventium est opinio ejusdem Liceti esse corpus prius aliqua anima informatum, quod propter caloris remissionem animam ut formam amiserit, sed adhuc illam continens, ut vas; alii universaliter docent esse materiam putrescentem. Tandem de causa formali (prætermittendo opinione illas, quæ vel putredinem, vel coctionem pro forma horum viventium statuunt, putredo enim vel coctio non se habent, ut formæ viventium, sed potius ut dispositiones, & alterationis præviæ) est communis sententia quod sit anima, dubitari tamen solet, an animæ illorum animalium, quæ ex putri simul, & ex coitu generantur, ut sunt mures, sint ejusdem speciei, an diversæ. Averroistæ distinctionem *specificam statuunt inter illa: opposita opinio est communis tum* apud veteres, tum recentiores.

Dicimus tamen causam effectivam horum viventium quo ad animationem esse Deum, materialem causam substantiam putrescentem, & concoctam, formalem vero esse animam ejusdem speciei, cum *illa* ex semine educta. Hæc conclusio quoad primam partem de causa efficienti, nequit aliter probari, quam ex confutatione aliarum opinionum, tunc enim ad causam primam est recurrendum quando in causis secundis non reperitur sufficiens activitas producendi effectum; modo in proposito, nec intelligentia secunda potest producere ista viventia, quia Angeli in sententia omnium Theologorum non possunt causare formam aliquam absolutam, non quidem in seipsis, ut falso interpretatur Licet. lib. 1. c. 73. contra Scotum, *ut sic enim producunt suos actus vitales, sed in his* inferioribus, in quibus motum localem, & secundum aliquos impulsum causant, & solum possunt activa passivis applicare. Nec anima mundi assignari potest pro causa, quia hæc non datur ex dictis disp. 1. de Cœlo, n. 19. Neque Cœli erunt causa, isti enim quamvis *possent formam corporeitatis* gignere, *non* tamen animam, ut ostendimus disp. 2. de Cœlo q. 7. art. 2. Neque calor hic, namque cum sit accidens, neque ex se, neque in virtute superioris causæ poterit attingere horum substantiam, ut late probavimus in Phys. 7. qu. 6.

39. Nec opinio Liceti sustineri potest, multa enim in se continet imperceptibilia; Primo enim nequit intelligi, quid sit, animam contineri in materia tanquam in vase, vel enim cum materia unum per se constituit, ergo se habebit ut forma illius corporis, quia unum per se non fit, nisi ex per se actu, & per se potentia, & consequenter anima tribuet illi corpori esse animatum, hoc enim esse est effectus primarius animæ, ut est causa formalis, qui nec per Dei potentiam potest impediri, sicut nequit Deus efficere, quod albedo sit in pariete, & non reddat illum album; vel cum illo corpore non constituit unum per se, sed solum sunt unita, sicut continens, & contentum, & sicut aqua, & vas, & hoc est absurdum, quia sic anima esset a subjecto independens, & separabilis, & consequenter immortalis, ut rationalis, formam enim esse a subjecto dependentem est ejus esse fieri in subjecto, & conservari in subjecto, itaut subjectum per se concurrat in genere causæ materialis, ac nequit subjectum exercere suam causalitatem erga aliquam formam, *nisi illam* substentet, recipiat, & ab *illa* informetur, nam materialis causa dicit passivitatem, & potentialitatem ad recipiendam formam, & informationem passivam, at si forma esset in materia ut in vase, ab illa non dependeret, nec illam informaret, sicut nec aqua in suo esse pendet a vase, cui est unita; & magis apparet absurditas hujus dicti, dum idem affirmat etiam de forma accidentali. Deinde etiam si possit anima residere in aliquo corpore tanquam in vase, non apparet tanta necessitas connexionis, ut *semper* debeat anima *illa* insequi corpus in quocunque loco, & tempore, & cum qualibet substantiali corruptione, si triticum v. g. in quo residet anima vegetans ut in subjecto (quod tamen non esse animatum ostendimus qu. præced. art. 1.) ex isto fiat panis, jam propter murationem istam substantialem anima *tritici non* potest esse *in pane*, *nisi* ut in vase, comburatur panis, tunc pars aliqua vertitur in ignem, alia in aereum fumum, & altera in cineres, vel ergo anima adhuc insequitur materiam illam, vel destruitur omnino, si secundum, igitur neque quando arbusta comburuntur, cineres retinent animam, & tamen fæcundant terram, ut magis fructifera evadat, quem effectum ipse tribuit animabus arborum circa cineres volitantibus: si primum, hoc incredibile videtur, quod anima illa sit tantæ activitatis, & resistentiæ, ut nec ab igne destruatur, tum quia *non* est major ratio, cur potius partem cineream insequi debeat, ac comitari, & non aeream, & vaporosam.

40. Tertio adhuc falsum est animam illam seipsa uniri deinde corpori digesto, ut ostendimus in Phys. d. 5. q. 3. art. 3. de anima rationali cum *Scoto* 4. d. 12. q. 1. L. & d. 43. q. 3. art. 3. quæ rationes universaliter de omni forma concludunt. Tandem minus rationabile est, quod subdit ad labefactionem caloris animam essentialiter mutari in aliam imperfectiorem, remanet enim explicandum, a quo ista imperfectior anima producatur, non a præcedente, quia destruitur ad generationem istius, nec ista generatio esset univoca, sed æquivoca contra ipsum asserentem, omne quod fit, univoce

fieri, neque ab alia ejusdem rationis, quia non datur, nec a seipsa, quia nihil est causa sui ipsius. Cum igitur non detur in causis secundis aliquid, cujus virtute hæc viventia producantur, certe ad Deum recurrere debemus, qui ut author naturæ omnem defectum causarum secundarum debet supplere, ita Scotus 2. d. 18. qu. un.

Ex his ostenditur altera concl. pars de causa materiali, quod scilicet non requiratur necessario, ut substantia fuerit prius aliqua anima informata, illa enim animarum volitatio est prorsus voluntaria, & superflua; sufficit igitur, quod sit aliqua substantia putrescens; sed not. quod hic non accipimus putredinem stricte, ut solis mixtis convenit, aliter nunquam ex aqua sola, vel aqua, & terra posset aliquod vivens generari, contra experientiam, ranæ enim ex mixtione pluviæ, & pulvere producuntur, testaceæ animalia ex mixtione aquæ, & terræ, in stagnis, ac paludibus lenticula palustris, Muasius, Folium, *aliæque herbæ* nascuntur, quæ radicibus minime terram attingunt; quapropter intelligendum est de putredine large sumpta, ut etiam convenit elementis. Rursus advertendum, ut etiam adnotavit Licet ut lib. 1. cap. 49. dum dicitur substantiam putridam esse materiam, non est intelligendum formaliter, sed concomitanter, substantia enim dum putrescit in partes subtiliores, & puriores calore concoquuntur, & in substantiam viventem vertuntur, crassiores ut excrementa putrescunt, & in elementa resolvuntur, hinc non partes putrescentes proprie sunt materia, sed concoctæ, verum est tamen, quod non fit concoctio sine putredine.

41. Tertia concl. pars, quod forma sit ejusdem rationis in his, quæ simul ex putri, & propagatione sunt generabilia, probat *Scotus* 1. d. 2. qu. 7. R. ad princ. *inductione; nam* in accidentibus videmus eundem specie calorem univoce, & æquivoce generari a Sole, & ab igne, ut calido, ut diximus disp. 1. q. ult. in substantiis inanimatis idem experimur, ignis enim ex chalybe, & silice productus est ejusdem speciei cum igne univoce ab altero genito, ergo idem de viventibus dicendum, aliter deberet assignari ratio disparitatis, quæ tamen non assignatur, quia rationes ab adversariis adductæ universaliter de omnibus concludunt. Tum quia genita ex putri, & per propagationem habent eadem omnino accidentia, easdem operationes circa eadem objecta, ab eisdem conservantur, & ab eisdem corrumpuntur, habent eundem motum, five sursum, five deorsum, five progressivum, & eadem organa; rursus habent eandem figuram, compositionem, & complexionem, & *proprietates*, quæ omnia arguunt identitatem specificam formæ.

42. Respondent adversarii inter ista reperiri essentialem differentiam, nam genita ex putri non sunt fæcunda, & alterius ejusdem rationis productiva, ut sunt genita per propagationem, principalior tamen operatio in naturalibus est, sibi simile generare ex Arist. 1. de Gen. An. c. 20. & 2. de An. 34. cum ergo differant in principali operatione, parum refert, si in aliis conveniant. Quod autem non generent sibi simile, solum probant authoritate Aristotelis, quam infra adducemus. Attamen, licet esset verum assumptum, non idcirco esset hæc differentia sufficiens ad inducendum differentiam specificam, si omnibus aliis conveniunt, nam multi homines ex propria complexione sunt infæcundi, & sunt ejusdem speciei, cum aliis. Deinde adest experientia in contrarium, multas scilicet plantas, & animalia sponte nata alia sibi similia procreare, ut est videre apud Conimbr. l. 2. de Cœlo c. 3. q. 7. & Joan. Bap. Porta l. 2. Magiæ natur. c. 2. hæc est certa, quod in navibus recenter constructis generantur interdum mures ex putri, qui nisi capiantur, brevi tempore magnus murium proventus apparet, idem de scorpionibus, & serpentibus refertur ab Apponense, & Avicenna, imo D. Aug. 3. de Trin. cap. 3. & 9. & in epist. ad Deogratias, & D. Ambr. de incarn. Verbi in fine sunt ejusdem opinionis. Cum igitur tot authores contrarium sint experti, non est cur oppositum sentiamus, innixi solum quadam authoritate Arist. non tam evidente, eo vel maxime quod in experientiis est magis credendum pluribus, quam uni, etiam perspicacissimi ingenii. Tum quia non desunt authoritates Arist. pro nobis, nam 7. Meth. 22. & 23. ait, quod sicut aliqua eadem fiunt ab arte, & casu, *ita* quædam fiunt natura, & casu; & 6. de hist. anim. c. 15. & lib. 5. c. 1. docet quædam animalia coitu, & sponte produci, quæ loca licet ab adversariis explicentur de identitate generica, non specifica, falso tamen ut recte ostendit P. Faber theor. 71. saltem deducere debemus Aristotelem pro utraque parte posse adduci, & consequenter non debemus tam firmiter opinioni Averrois adhærere, ut tot experientias ab authoribus fide dignis relatas negemus propter dubiam Arist. authoritatem.

43. In oppos. contra 1. partem concl. arguit Licetus l. 1. c. 72. quod Deus non sit causa immediata horum viventium; Tum quia Deus non movet physice, & efficienter sed solum metaphorice, & in ratione finis, quia inter movens, & mobile debet esse proportio, at inter Deum *infinitum*, & materia horum *viventium finitam* nulla est proportio; hinc Scotus ipse negavit Deum immediate movere Cœlum. Tum 2. motus est actus imperfectus, rum mobilis, quia caret perfectione per motum acquisibili, tum moventis, quod non simul habet totam perfectionem *operationis*, at Deus habet omnes functiones perfectissimas, ergo *nequit movere* materiam horum viventium producendo animam. Tum 3. ex 2. de gen. anim. cap. 3. Arist. solam rationalem animam ait de foris advenire, hoc est a Deo produci, ergo *omnes aliæ animæ* ab aliquo agente creato producuntur, & quod majus est, idem habetur ex Gen. 1. ubi Moyses loquendo de generatione plantarum, & animalium omnium, non ait illa a Deo immediate fuisse producta, sed plantas, jumenta, &

reptilia a terra, pisces, & volucres ab aqua, at cum ad hominis productionem pervenit, tunc Deus dixit, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, ut innueret solum hominem a Deo immediate creatum. Tum 4. in prima mundi constitutione Deus tantum plantas illas produxit, quæ fructiferæ sunt; & fementiferæ, ut colligitur ex ipso textu, *Protulit terra herbam facientem semen, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque fementem secundum speciem suam*, idem de animalibus dicendum, & hoc quia viventia perfecta non nisi ex semine petunt naturaliter produci, idcirco in principio necesse fuit produci a Deo, viventia vero imperfecta non fuerunt a Deo tunc creata, non enim est verisimile in primis nostris parentibus pediculos creasse, vermes intestinarios, volucellas a musto producibiles, si mustum non extabat; si igitur in mundi primordio viventia sponte nascentia non produxit Deus, utpote quia a causis secundis pendent, multo minus post mundi constitutionem illas producit. Tum 5. si causæ secundæ possunt viventia producere perfectioris conditionis, multo magis viventia ex putri, quæ sunt imperfectiora, nam ut ait Arist. l. de mundo c. 7. Deo longe minus convenit functione propria immediate administrare omnia, quæ in hoc sub cœlesti mundo quomodocumque fiunt, & speciatim materiam putrescentium animare in vivens fædissimæ conditionis. Tum 6. causa proxima differt a remota, quod illa est propria unius effectus, hæc vero pluribus communis, at Deus est causa communissima, ergo &c. Tum 7. effectuum genere differentium non est eadem numero per se causa efficiens ex 2. Phys. 30. *Deus est summe unus*, estque proxima causa animæ rationalis, ergo non est causa animarum sensitivæ, & vegetativæ, quæ genere differunt a rationali.

44. Resp. ad 1. neg. assumptum, ut enim notavimus d. 2. de cælo n. 144. cum dicitur, Deum movere ut finem, & metaphorice, non effective, est sensus in ordine ad cœlestes motus, & Intelligentias, non universaliter, quia Deus cum omnib. causis secundis effective concurrit, ut diximus d. 8. Phys. qu. 1. art. 1. etiam in sent. Arist. imo si hoc non esset verum, anima rationalis non produceretur immediate a Deo, contra ipsum Licetum. Ad probat. dicimus inter movens, & mobile non debere esse proportionem in entitate, sed in potentia activa, & passiva, qualis reperitur inter Deum, & materiam putrescentem, nemo negabit Deum posse materiam aliquam transmutare, sicut corpus humanum transmutat inducendo animam rationalem. Ad 2. diximus disp. cit. num. 243. tunc motum arguere imperfectionem in movente, quando in illo non adest perfecta *potentia productiva*, quod si imperfectum causat, vel quia sic vult, vel quia sic exigit natura effectus, motus non infert imperfectionem in movente, ut evenit in proposito. Ad 3. ideo Aristot. docuisse animam solam rationalem de foris advenire, quia hæc sola est a corpore independens; quamvis temporaneam creationem non agnoverit; reliquæ vero animæ dependent a corpore, fiunt etiam istæ, de quibus loquimur, & a Deo per veram eductionem, & hoc voluit innuere divina scriptura, non enim est sermo, quod terra, & aqua in genere causæ efficientis omnia viventia produxerunt, sed solum in genere materialis causæ, ut deducunt Abulensis, & Pererius super illum locum Gen. ex cap. 2. *In die, qua produxit Deus cœlum, & terram, & omne virgultum agri*, & rursus; *Plantaverat autem Dominus Paradisum voluptatis, produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave*, quapropter omnia efficienter a Deo fuerunt producta, cum hoc tamen discrimine, quod in productione aliorum viventium terra, & aqua habuerunt concursum materialem, at in productione hominis solus Deus concurrit, quia anima humana creatur, non educitur. Ad 4. dicimus esse opinionem multorum Doctorum, scilicet Alensis 2. part. qu. 54. Mem. 1. Perer. lib. 1. in Gen. Mol. de oper. sex die. disp. 20. & aliorum in mundi primordio Deum produxisse viventia illa, quæ ex elementorum putredine oriuntur, non quæ ex mixtis putrescentibus, quia non adhuc erat congrua materia, sed quicquid sit de hoc, admittimus, Deum hæc viventia non produxisse, negamus tamen postea non efficere animas illorum, quando materia idonee disponitur, quia sic creavit mundum, ut deinde sua providentia, & omnipotentia conservet, & regat, & consequenter, ut est author naturæ, supplet defectus secundarum causarum. Ad 5. sæpe sæpius diximus ex majori perfectione non argui activitatem in rebus, aliter homo posset omnia producere, cum sit omnium perfectissimum: quapropter dicimus, causas secundas non habere hanc vim producendi genita ex putri, quia quæ concurrunt, sunt inanimata, & imperfectiora. Neque ex hoc vilescet concursus divinus, indecens enim esset, Regem omnia immediate, & se solo efficere, at valde consonum est providentiæ ipsius inopiam, & imbecillitatem subditorum supplere, ita efficit Deus, qui summa providentia omnia suaviter disponit, & certe majorem admirationem ex illis minutissimis animalibus sumere debemus, uberiorem que laudem in summum artificem rependere, dum tam minima corpore, & acuta sensu conficit, magisque stupemus opera formicarum, quam fortitudinem Leonis. Ad 6. Deus est causa communis, quatenus cum omnibus causis concurrit, potest tamen se solo aliqua efficienter producere, & tunc habet rationem causæ proximæ, aliter non posset creare rationalem animam. Ad 7. dictum Arist. valere de causis creatis, & particularibus, non de universali, & increata, cujus est defectus secundarum supplere.

45. Secundo, idem arguit lib. 2. a cap. 17. directe probans suam opinionem, quæ in duobus principiis fundatur, primum est, omnem substantiam ab agente proximo univoce produci; alterum est, formam quandoque contineri posse in materia tanquam in vase. Primum probat pluribus authoritatibus Aristot. Prima desumitur ex 7. Met. 22. ubi dicitur, omnes substantias naturales immediate fieri a forma ejusdem speciei: Secunda ex text. 30. ejusdem lib. clarius habetur, quod *quodammodo omnia fiunt ex univoco*, quod explicat deinde text. 31. non solum in artefactis, nam domus extra fit ex domo intra, sed etiam in viventibus, tam quæ ex semine, quam quæ sponte, & casu, seu ex putri fiunt, & in text. 32. concludit; *Cæterum ex his proprium substantiæ accipere est, quod necesse est præexistere semper aliam substantiam actu existentem, quæ facit, ut puta animal, si animal fit, quale vero, aut quantum, non est necesse, nisi potentia solum*, ergo ut fiant sponte nascentia, alia consimilis substantia præexistere debet, aliter sufficeret præexistere in potentia, ut evenit in accidentibus, quod est contra Aristot. Tertia sumitur ex 12. Met. 13. ubi habet hæc verba, *Deinde quælibet substantia ab universo fuit*, & text. 18. ait contra Platonem non esse ponendas ideas separatas ex hoc capite, ut assignetur causa efficiens univoca, quia dantur in singularibus. Quarta ex 1. de gen. 40. *Generatur igitur simpliciter alterum ex altero, aut ejusdem generis, aut ejusdem speciei, ut ignis ab igne, aut homo ab homine, aut ab actu, durum enim a non duro*, ubi vult Arist. substantiam a simili fieri, & univoce, accidens vero æquivoce. Quinta ex 1. magn. moral. cap. 10. *Rursus hinc etiam potuerit quispiam evidentius intueri, quod omnis natura ejus est essentiæ procreatrix, qualis ipsa est, velut stirpes, & animalia*. Sexta ex 1. de part. anim. cap. 1. ubi loquens de artificialibus, & sponte natis, ait, *His igitur causa efficiens similis antecedat, necesse est*. Alterum principium pluribus etiam confirmat, sed nullius momenti, aut enim omnes formas etiam accidentales posse in aliquo reperiri, ut in vase, sic species visibiles in medio perspicuo, imago in speculo, habitus scientificus in dormiente, calor in aqua, quæ omnia sunt in materia, ut in vase, quia nihil sunt ejus, nec illi aliquid conferunt, neque illam perficiunt.

46. Resp. ex Scot. 7. Met. com. tex. 30. quod dantur tres gradus generationis univocæ, primus est, quando generans, & genitum assimilantur in forma, & in modo essendi formæ, ut sunt naturalia, scilicet cum *ignis generat ignem*; Secundus est quando generans, & genitum habent similem formam, non tamen secundum eundem modum essendi, ut in artificialibus domus extra, & domus intra; Tertius est quando non habet cum generante similem formam formaliter, sed solum virtualiter, quæ virtus vocatur ab Arist. 7. Met. 30. pars rei, in quocumque reperiatur, sive in generante distincto, sive in ipsa materia, quæ debet transmutari, qui gradus minimus est, sicut similitudo virtualis, est minima, & quod hoc sit de mente Arist. patet, quia ibi affert exemplum caloris respectu sanitatis, & quamvis hæc causatio sit proprie æquivoca, vocatur tamen ab Arist. univoca propter similitudinem virtualem, cum enim disputaret contra Platonem ponentem ideas propter generationes rerum, ut scilicet fierent a simili, & similitudo *virtualis* sufficiat ad generationem, idcirco Arist. ait non esse necessarias ideas ex hoc capite, quia omne, quod fit, a suo simili vel formaliter, vel virtualiter fit, unde non intelligit de similitudine tantum formali, aliter assertum non esset universale, quia multa æquivocæ fiunt, nec exemplum de calore causante sanitatem esset ad propositum. Ex his patet ad 1. 2. & 3. authoritatem, & quod ait in tex. 32. ad generationem substantiæ aliam actu præexistere necesse esse, hoc subdit, ut innueret differentiam inter substantiam, & accidens, nam accidens, ut fiat, non necessario aliud accidens præsupponit, sed sufficit, ut sit substantia illud continens virtualiter, ac substantia necessario aliam præsupponit, quia nequit fieri ex accidente. Ad 4. per ly *aut ab actu* intelligit agens æquivocum, tam in substantia, quam in accidente, licet de hoc exemplificet, quodlibet enim agens æquivocum est in actu virtuali; vel per ly *ejusdem generis* intellexit cathegoricam substantiæ ample sumptam, ut etiam substantias abstractas comprehendit. Ad 5. dicimus, quod per ly *omnis natura* non debet intelligi de omnibus viventibus in specie, & individuo, sed de omnibus viventibus in genere animatorum, sive informata sint anima rationali, sive sensitiva tantum, sive solum vegetante, aliter sibi contradiceret, dum 2. de An. 34. ait productionem sui similis convenire viventibus perfectis, non mutilatis, aut spontaneam generationem habentibus, hoc est ex putri genitis, & dum 6. de hist. anim. cap. 6. ait, anguillas non producere sibi simile, quod de aliis etiam docet 1. de gen. anim. cap. 1. & 16. Ad 6. patet ex dictis ad primam. Quod addit de altero principio, non indiget discussione, nam quam sit absurdum, ex se patet, quis enim in principiis logicalibus aliquantulum versatus negabit, accidens non subjectari in subjecto, & si illud informat, certe suum esse communicabit, denominabitque, hinc aqua calore dicitur calida, imo calefacere, & dormiens vere dicitur habitualiter scientificus, licet actu non discurrat; quod vero quandoque non tribuat omnem denominationem subjecto, parum refert, quia denominationes aliquæ exigunt alias conditiones, nunquam tamen informationem negare debemus.

47. Tertio, contra aliam partem de causa formali arguitur, quod genita ex putri, & ex semine specie differant. Tum quia quæ habent diversam materiam, habent etiam diversam formam, quia non quodlibet ex quolibet generatur, sed genita ex putri, & semine habent diversam materiam, ut patet, ergo &c. Tum 2. si hoc esset, frustra natura parasset distinctionem sexuum maris, & fœminæ, quia posset species illa conservari per generationem ex putri. Tum 3. quia sic vel ex semine, vel ex putri casu fierent, non per se, & consequenter specie differrent, quia quod fit a casu, specie distinguitur ab eo,

eo quod per se fit, estque illi contrarium, nam hoc contingenter fit, illud vero necessario. Tum 4. motuum specie diversorum diversi specie sunt termini, sed productiones ex putri, & ex semine specie distinguuntur, ergo etiam termini. Tandem ex Arist. in 1. de gen. Anim. cap. 1. ubi ait, *Quæ non ex coitu, sed ex putri materia oriuntur, ea generant quidem, sed genere diversum, quodque gignitur, nec mas est, nec fœmina, talia sunt nonnulla e genere insectorum*. Et 5. de hist. anim. c. 1. docet, quod in genere piscium quidam ex limo gignuntur, qui cum aliis sunt eodem genere, sed specie distingui, & 2. de An. 34. asserit naturalissimum esse omni viventi sibi simile generare, præter imperfecta, & sponte genita, si ergo ista non generant sibi simile, orta vero ex semine habent talem facultatem, jam specie differunt.

48 Resp. ad 1. distinguendo de materia, ex Scot. cit. quod vel intelligitur de materia prima, & sic assumptum est verum, sed falsa minor, vel de materia secunda, seu ut informata substantiali forma, & sic falsa est major, nam ignis ex aere, ex terra, ex ligno fieri potest, verum est tamen, quod aliqua entia sunt, quæ nequeunt, nisi ex aliquo determinato generari, ut acetum ex vino, sed hoc parum refert: Vel dicimus, quod materia potest considerari, vel ut est sub opposita forma substantiali, & sic idem potest ex diversis materiis produci, vel ut est sub dispositionibus præcedentibus formam introducendam, & hoc modo idem semper ex eadem materia fit, ignis v. g. semper fit ex materia, disposita per caliditatem, & siccitatem, sive in illa sit forma aeris, vel ligni, & in hoc sensu concedimus genita ex putri, & ex semine fieri ex eadem materia, scilicet eodem modo disposita. Ad 2. sicut non frustra natura dedit igni virtutem productivam alterius ignis, quamvis æquivoce possit generari, ita de istis viventibus est dicendum; illa vero propositio, frustra fit per plura, &c. in proposito verificatur in eadem numero generatione; puta si hæc fit ex semine, frustra concurreret materia putrida. Ad 3. fuse respondet Doctor, breviter tamen dicimus, genita ex putri non proprie esse effectus casuales, quia habent causam determinatam, unde non fiunt ex qualibet materia putrescente, dicuntur autem casuales similitudinarie, quatenus eveniunt præter intentionem inferioris causæ, calor enim putrescens materiam non intendit generationem viventium, at in ordine ad causam universalem per se fiunt; præterquam quod potest in eadem specie unum individuum per se fieri, & aliud casualiter, ut patet de sanitate, quæ potest acquiri, & ab arte, & a casu, neque ex hoc inferas, hæc viventia a casu raro fieri debere, quia effectus casuales raro eveniunt; sufficit enim ut contingant ut in plurimum, pront materia, ex qua fiunt ut in plurimum putrescit. Ad 4. diximus disp. 15. Physic. q. 7. art. 1. cum Scoto hic non semper ad distinctionem specificam motuum inferri distinctionem specificam terminorum; pro nunc dicimus generationem univocam, & æquivocam posse sumi vel pro toto progressu, quo termini generantur, & sic specie differunt, quia aliæ mutationes interveniunt in generatione ex semine, & aliæ in generatione ex putri, vel pro introductione ultimæ formæ substantialis scilicet animæ; & hoc pacto sunt ejusdem speciei, & solum connotative distinguuntur penes agentia, vide ibi. Ad 5. respondet Licetus lib. 4. c. 21. animantium ex putri alia esse imperfectissima, quæ nihil generant, alia imperfectiora, quæ aliquod generant vivens alterius speciei, prorsus infœcundum, ut pediculi generant lendes, & muscæ vermiculos, alia imperfecta, quæ ex coitu alia similia procreant etiam fœcunda, licet ob imbecillitatem naturæ non transcendant quartam generationem. Ad Arist. ait loqui de viventibus imperfectioribus, & mediis, ut patet ex verbis ipsius, *At vero non ex coitu, sed ex putri materia oriuntur*, &c. *talia sunt nonnulla in genere insectorum*, ubi non ait omnia, sed nonnulla, per quod patet ad alias authoritates.

QUÆSTIO IV.

De viventium Nutritione.

49 NUtritio dupliciter sumi potest, vel improprie scilicet pro quacunque conversione unius corporis in alterius substatiam, & hoc pacto etiam non viventibus convenit, unde ignis nutriri dicitur oleo, stuppa, vel ligno; secundo sumitur proprie pro conversione alicujus substantiæ in substantiam alterius facta a virtute vitali intrinseca per intus susceptionem alimenti secundum omnes partes viventis propter restaurationem deperditi ex propria virtute ab intrinseco, & hæc est propria viventium, & a prima differt, quia illa non est actio vitalis, & regulariter non fit per intus susceptionem, & secundum omnes partes, sed per juxtapositionem, & secundum aliquas partes, ut cum igni opponitur ex una parte pabulum, & combustibile, vel si fieret aliquo modo per intus susceptionem, ut cum vinum augetur ex appositione aquæ, aqua enim commisceatur secundum omnes partes cum vino, attamen hæc actio, & conversio aquæ in vinum non est propter restaurationem depediti, itaut vinum in se converteret aquam, quia prius secundum aliquas partes fuerit corruptum; & tandem licet aliquando in non viventibus ex ista conversione sequatur restauratio deperditi, ut cum ignis ex appositione olei augetur; & restaurat partes illas, quas propter olei contrarietatem amiserat; hæc tamen restauratio per accidens se habet ad conversionem olei, non enim conversio hæc est instituta a natura, ut partes illæ restaurentur, nam destructio illarum provenit ex mutua actione ignis, & olei. Nutritio vero viventium fit per intus susceptionem alimenti in ipso vivente a vivente vitali, qualis est *potentia nutritiva secundum omnes partes*, quia quælibet pars viventis nutritur, ut dicemus.

50 Fit etiam propter restaurationem deperditi, non quidem ex mutua actione viventis, & nutrimenti, sed ex actione caloris naturalis in humidum radicale. Pro quo est not. ex fusius dicendis qu. ult. quod cum quælibet forma in subjecto permaneat, quia convenientes habet qualitates, & dispositiones, quæ temperamentum appellantur, idem de anima etiam rationali dicendum, hæc enim licet quoad essentiam a corpore non dependeat, quoad informationem tamen prærequirit dispositiones prævias, seu proprium temperamentum, & mixturam primarum qualitatum, sed præcipue calidum, & humidum; hic calor dici solet innatus, quia ab initio vitæ comitatur vivens, & naturalis, quia ad omnia opera vitæ est naturale *instrumentum*, ab aliquibus ponitur existere in spiritibus vitalibus; rectius tamen ponitur subjectari in humido radicali, seu in carne, & partibus humidis, licet a spiritibus maxime foveatur, ratio est, quia calor iste dicitur implantatus, quod viventis partibus inhæreat, spiritus autem hujusmodi non sunt partes animatæ viventis, aut saltem non sunt solæ; reperitur in omnibus viventibus etiam in plantis, quia etiam plantæ concoquere debent alimentum, concoctio autem fit per calorem, unde plantæ melius, & copiosius incipiunt nutriri, quando accedente Sole exiguus illorum calor fovetur a calore cœlesti. Calor autem est talis naturæ, quod nisi ei detur alimentum, consumit humidum, hinc arbor evulsa arescit, & membra progressu temporis indurantur, & hoc contingit in omnibus partibus, non solum enim una pars calidior agit in aliam humidiorem; ex hoc quod vivens constet ex partibus dissimilaribus, sed etiam quælibet pars consumitur, cum ergo dicitur calorem naturalem sustentari humido, pasci humido, & agere in humidum, intelligi etiam debet conjunctive de calore existente in eisdem partibus, quæ consumuntur, ut habetur ex Scot. 2. d. 15. ad 4. princ. & d. 19. A.

51 Hæc actio non debet intelligi, quod calor in illa parte existens producat ibidem majorem calorem, & sic calefaciendo, humiditatem imminuat, quia ex disp. 2. nulla qualitas potest seipsam intendere in subjecto; tum quia calor proprie agit in frigidum, cui opponitur; sed consumit rarefaciendo, quia scilicet magis attenuat, & resolvit partes humidiores, quæ facilius abeunt in vaporem, non sic partes siccjores, & duriores; qua actione debilitatur etiam ipse calor, quia sic partes caliditores exhalant, & in vaporem resolvuntur; unde videmus corpora in æstate *magis attenuari propter additionem extrinseci caloris*, ita explicat Scotus in Reportatis 2. d. 19. cum igitur calor vitalis consumat humidum radicale, seu substantiale, vivens indiget cibo, qui humidum nutrimentale vocatur, ut possit restaurare, quod perditum erat per calorem; aliter destrueretur, quia requirit pro sui conservatione determinatum temperamentum qualitatum. Quapropter corruptio ista partium viventis non provenit ex hoc, quod vivens, & alimentum ad invicem agant, sed præcedit hanc actionem, & de ista nutritione in præsenti loquimur, quam supponimus dari contra Magistrum sent. in 2. d. 30. ut ex dicendis patebit, non enim clare ostendi potest dari nutritionem in viventibus, nisi prius declaretur exacte quid sit, & quomodo fiat, qua ratione hæc omnia prænotavimus, ut aliqualis *cognitio* habeatur. Ad *hanc nutritionem* tria pertinent, potentia nutritiva, nutrimentum, & actus ipse nutritionis, quæ omnia explicari debent pro exacta cognitione formalitatis nutritionis.

ARTICULUS I.

De nutrimento.

52 NUtrimentum, quod potentiæ nutritivæ objectum ab Arist. vocatur, & alimentum, est id, ex quo fit nutritio, estque duplex proximum, & remotum; primum est id, quod immediate verti debet in substantiam aliti, & hoc in plantis est succus ille per radices attractus, in quem terra, & aqua est conversa, sicut in animalibus exanguibus est humor quidam proportionalis sanguini ex Ar. 2. de part. An. c. 3. at in sanguine ab eodem ponitur sanguis; hoc autem intelligendum est principaliter, & originative, nam probabilis est etiam illorum opinio, quos sequitur Angestus de prop. form. pag. 115. & Comimb. 1. de gen. c. 5. q. 8. *afferentium alios humores* in corpore scilicet chylum, pituitam, atram, & flavam bilem, de quibus infra, saltem quibusdam corporis partib. inservire pro immediato alimento; imo sanguis ipse aliqualiter alterari debet, & diversimode juxta partium diversitatem, ossa enim ex eodem Ar. 2. de part. An. c. 6. nutriuntur ex medulla, & nervi ex 3. de hist. an. c. 5. aluntur humore albido, glutinoso, & mucori simili, quæ omnia sunt sanguis taliter affectus, & alteratus.

53 Nutrimentum remotum est id, ex quo proximum conficitur, & in cibum assumitur, estque varium juxta diversitatem viventium, non enim quodlibet nutrimentum est cuilibet viventi proportionatum, nam quod uni est venenum, alteri est salubre alimentum; dubitari tamen solet de aliquibus, an possint esse alimentum, & in speciali de *accidentibus*, de odore, de vino, & de singulis elementis. Quidam enim ex Thomistis concedunt, accidentia nutrire posse propter authoritatem D. Th. 3. p. quæstion. 77. art. 5. & 6. *dicentis*, vermes, & cineres, quæ generantur ex speciebus sacramentalibus generari ex quantitate supplente vices materiæ, eademque quantitate ali, quæ nutriuntur. De odore quidam distinguunt, quod potest dupliciter sumi, vel pro qualitate, vel pro exhalatione vaporosa e corporibus odoriferis digrediente, quæ corpus est substantiale, tenue, rarum & facile adhærescens, hinc est, quod ex tactu odo-

odoriferi corporis aliquandiu retinemus odorem, quia ex tactu exhalationes illæ transierunt ad tangentem, illique adhæserunt, hac etiam de causa rosa evaporando marcescit, & poma corrumpuntur, non enim sufficit sola specierum omissio absque substantiæ vaporatione: de odore in primo sensu idem judicium faciendum est, quod de puro accidente, at in 2. sensu quidam apud Conimbr. de Gen. c. 5. q. 7. art. 2 & Suarez 3. de An. c. 27. concedunt posse nutrire. Negavit etiam vinum pro alimento inservire Hieronymus Mercurialis contra communem Doctorum sententiam. Et tandem idem negant de simplici elemento Bonamicus lib. 3. de alimento c. 3. Licetus *de his qui diu vivunt* lib. 2. Dandinus de An. digress. 25. Aresi. 1. de gen. q. 52. sect. 2. & alii, affirmat Aversa q. 50. sect. 3. cum Theophrasto lib. 2. de causis plantarum c. 7. & aliis apud Licetum cit.

54 Dicendum est, nec accidentia, nec odoriferam exhalationem posse habere rationem nutrimenti, bene tamen vinum, & probabiliter elementa singula. Probatur conclusio, & primo de accidentibus a Scoto 4. d. 12. q. 6. A. in nutritione forma viventis inducitur in materia alimenti per conversionem illam substantialem, sola accidentia non possunt recipere in se substantialem formam, ergo &c. prob. min. forma determinata ad aliquod receptivum nullo modo potest aliud perficere, sicut nec albedo Angelum; nec sapientia lapidem, sed forma substantialis determinatur ad materiam substantialem ut ad proprium susceptivum, ergo nullo modo perficere potest quantitatem. Tum quia forma de genere priori non potest perficere susceptivum de genere posteriori, quia actus ordine originis præsupponit potentiam, ergo nec forma substantialis potest perficere quantitatem. Tum quia in nutritione fit unum per se, ex forma substantiali, & quantitate nequit fieri per se unum, sicut nec ex materia substantiali, & forma accidentali. Tum quia in nutritione forma materialis educitur de potentia materiæ alimenti, nulla autem forma substantialis educitur de quantitate, & in ipsius potentia continetur.

Dices hæc omnia convincere naturaliter, *non* supernaturaliter, quia potest Deus communicare quantitati proprietates materiæ, quod per se subsistat, & sit subjectum formæ substantialis. Contra, hoc enim impugnant rationes allatæ, nam quacunque proprietate communicata quantitati, adhuc quantitas esset essentialiter accidens, ergo non posset constituere unum per se cum forma substantiali, nec illam in sua potestate continere. Tum quia potentia materiæ vel est de essentia materia, vel ejus proprietas, ergo nequit a Deo communicari quantitati, sicut nec essentia hominis, nec passio risibilitatis potest etiam supernaturaliter convenire asino, vel equo. Tum quia ait Doctor, si ex speciebus sacramentalibus posset quis nutriri, itaut quantitas illa sit subjectum substantialis formæ, tunc puer nutritus ex istis specieb. usque ad finem vitæ, non resurgeret nisi homo compositus ex quantitate, & forma substantiali, unde non esset ejusdem rationis cum cæteris hominibus, sicut si ignis genitus ex illis speciebus, aut cineres solum ex quantitate, & forma substantiali constarent, non essent ejusdem speciei cum aliis cineribus, & igne; materia enim est pars quidditatis compositi ex dictis in Phys. Falsum est igitur accidentia a subjecto separata posse nutrire; quod si quis speciebus sacramentalibus cibaretur, nutriretur, quia accidentibus illis alteratis vi caloris naturalis, dum sunt in ultima dispositione, quæ esset alioquin sufficiens ad introducendam formam substantialem, si sub illis materia panis existeret, tunc crearetur a Deo vel solum materia prima, in quam vivens posset agere educendo substantialem formam, vel simul materia cum forma substantiali, ut aliis placet.

55 Secundo, quod nec odores nutriant, est Arist. 3. de An. 64. & lib. de sensu, & sensi. c. 5. versus finem, ubi contra Pythagoricos duabus rationibus ostendit, prima est, id, quod non est incrassabile, non est nutritivum, at odoratæ exhalationes non sunt incrassabiles, ergo &c. min. prob. quia exhalationes sunt maxime similes aeri, aer autem non videtur posse incrassari, ut oportet, major prob. omne nutribile est compositum idest crassum (sic enim interpretari debet ly compositum appositum ab Arist. aliter nullum aptum sensum efficeret) unde ex eo, quod cogitur alimentum in massam, relinquuntur in omni alimento excrementa; per quod videtur Arist. tacite probare alimentum etiam debere esse proportionaliter incrassatum, quantum autem valeat hæc ratio, videbimus infra n. 61. Secunda ratio est, & magis convincit, quia exhalatio odorifera non servatur in ea sede, in qua conficitur alimentum, ergo non immutatur a virtute nutritiva, assumptum patet, quia nutrimenta conficiuntur in stomacho, in epate, in corde, vel etiam in venis ut dicemus, at *hujusmodi odores* directe petunt cerebrum, ubi nullum est instrumentum concoctionis alimentorum, videmus enim cerebrum immediate cibo non ali, nisi prius per varias digestiones depuretur, & concoquatur; quamvis Joannes Braus lib. de saporum, & odorum differentiis cap. 14. contendat, odorosos halitus per poros corporis intrudi, ubique in substantiam aliti converti; quod dictum posset aliqualiter concedi, si hac intrusione ad ventriculum pervenirent, in quo posset deinde fieri debita concoctio, si enim poma v. g. possunt esse alimenta, multo magis vaporosæ exhalationes, quæ puriores sunt, & ad conversionem magis idoneæ, solum posset obstare tenuitas ipsarum, sed de hac infra n. 61. Verum est tamen, quod cum exhalationes istæ propter subtilitatem facile digerantur, sic etiam sanguinem subtile generant, & facile a membris resolvuntur, ut enim docet Hippocr. lib de alimentis, & aphor. 18. quæ celeriter nutriunt, celeriter etiam consumuntur, & evanescunt, unde rustici, & laborantes cibis crassioribus, & grossis vesci debent, quia hi cibi sanguinem grassum causant, & tardioris resolutionis, rustici autem propter laborem, & exercitium multum cibi consumunt.

56 Tertio, quod vinum solum ex se nutriat, prob. tum ex Arist. sect. 3. probl. 13. & 15. ubi ait merum difficilius concoqui, quam dilutum, unde supponit utrumque concoqui, & immutari? Tum quia non apparet ratio in contrarium urgens, nam vinum accedit ad locum concoctionis, est incrassabile vi caloris, ut docet Arist. 4. Metheor. sum. 4. c. 1. ubi ait, vinum condensari, & magis novum, quia magis terreum est, quam antiquum, unde plures fæces, & excrementa conficit, ergo erit nutritivum. Tandem quamplures solo vino per aliquot dies nutritos esse refert Licetus lib. 2. *de his qui diu vivunt sine alimento*, cap. 118.

Postremo, quod simplex aliquod elementum possit esse nutrimentum, prob. nam serpentes terra nutriuntur juxta illud Gen. 3. *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*; talpa ex Plin. lib. 10. natur. hist. & lupus interdum teste Arist. 8. de hist. anim. c. 6. terra nutriuntur; & cap. 2. docet capitones, & testacea limo, & luto ali, quod est quid ex aqua, & terra commixtum, quod etiam asserit de anguillis, additque anguillas aqua dulci vesci, & eo magis, quo purior fuerit aqua, ait enim; *Plurimæ dulci humore vivunt, idque qui vivariis anguillariis dant operam, servant, ut quam maxime puræ, sinceraque sit aqua affluens semper, & effluens per vipas, ubi vivaria extruunt; nam nisi aqua sit clara, brevi strangulatæ intereunt*, & clarius affirmavit sect. 1. prob. 13. aquam esse alimentum ad differentiam aeris; plantæ, & flores a terra avulsi in aquis aliquandiu vivunt, augentur, herbæ quædam radicibus nullis infixæ fluitant, & crescunt in mari. Chamæleon solo aere vivit ex Plin. lib. 8. c. 33. & Tertull. lib. de balneo, Chamæleon, inquit, jejunus semper, & indefessus oscitans vescitur, & follicans ruminat, & quamvis a Scalig. exercit. 196. asseratur muscis cibari; hoc tamen solum convincit, non solo pasci aere, si enim quotidianus cibus essent muscæ, certe non a solo Scaligero fuisset hoc observatum; De igne etiam prob. ex Arist. 5. de hist. anim. c. 19. & Plin. lib 11. c. 36. asserentibus in ærariis Cypri fornacibus bestiolas quasdam muscis aliquantum grandiores degere, quæ si ex igne exeant, pereunt, quas ea de causa igne pasci arbitrantur, & Pyraustas vocant; idem de Salamandra communiter asseritur.

57 Respondent elementa apud nos pura non esse; quare quæ uno elemento nutriri videntur, multis nutriuntur, & præcipue aqua maris plurium fordium, exhalationum, & mixtorum collectionem continet, unde non est mirum, si herbæ ibi nascantur, iis enim fordibus nutriuntur, & generantur; quod additur de pyraustis fabulosum putant, & ab Arist. narrative dictum, non assertive, cum ipse 3. de hist. anim. c. 19. expresse tradat nullum animal in igne posse vivere, quamplures etiam testantur experientia Salamandram in igne non diu vivere, sed uri, & consumi, quoniam autem præhumidæ, & frigidæ est naturæ, suoque attactu prunas aliquamdiu extinguit, æstimatum est nonnullis illam impunem in igne morari: attamen admissa historia de pyraustis ajunt in ærariis illis fornacibus multas inveniri partes mixtorum illorum, quæ conflantur in æs, quibus illæ bestiolæ pascuntur.

58 Verum licet admittamus libenter, ignem propter maximam activitatem, quam habet, non esse idoneum pabulum viventium, non idcirco idem asserendum de aliis elementis; quamvis enim elementa modo apud nos sint impura, adhuc tamen, ut notat Aversa, proprias retinent substantiales formas, & in illa mixtura aliqua dabitur particula aquæ v. g. quæ non sit alterius exhalationibus commixta, aliter si quælibet pars aquæ esset exhalationibus, aliisque fordibus compacta, certe in eadem materiæ portione reperientur simul forma aquæ, exhalationum, &c. quod est falsum, illa igitur aquæ particula vere nutriret, & si separata omnino ab extraneis applicaretur viventi, esset verum alimentum, sicut in aliis cibis contingit; nec obstat, quod illa particula sit alienis saltem qualitatibus affecta, quia hæc impuritas stat cum puritate substantiali, & cibus nutrire dicitur secundum propriam substantiam, non secundum accidentia, unde si reperiretur elementum purum puritate substantiali, & accidentali, adhuc posset pro alimento inservire. Præterquam quod sermo est de elementis, prout de facto apud nos existunt, unde adversarii negant hoc fundamento aquam posse in vinum converti, crassescere, &c. & certe exemplum de floribus, & plantis e terra divulsis, & in aqua etiam igne valde purificata immersis maxime urget. Tum quia nulla adest ratio in oppositum satis convincens, ut videbimus.

In oppos. obiic. 1. quod odores nutriant, nam spiritus, & cerebrum confortatur odoribus; Democritus odore calidi panis & vini quatriduo vitam traduxit; & Plin. lib. 7. c. 2. memorat populos in India reperiri ad Gangis fontes, qui solo odore, & haliru florum, & pomorum vitam sustentant. Resp. odores confortare cerebrum, non nutrire, & hoc quia ait Arist. de sensu c. 1. cerebrum frigidum est, & vapore odorifero, utpote calido temperatur, ac fovetur, quare potius se habet ut medicamentum, quam ut alimentum. Democriti vita per odores fuit protracta, quia exhalationes ejusmodi multum vaporis humidi admixtum habent, quare spiritibus agglutinatæ, quibus sunt simillimæ, sua humiditate eos confervarunt contra actionem calidi naturalis, & externi, quod exsiccandum spiritibus admixtum extenuat animantia, & tandem extinguit, nisi velimus dicere exhalationes illas per continuam applicationem usque ad ventriculum perveniſſe, & hinc aliquantulum pro alimento inservisse. Quod Plinius narrat, vel per hyperbolem dictum est, vel fabulosum.

59 Secundo, quod vinum non nutriat, ostenditur, quia si nutriret, male Theologi docuissent vino quantumvis copiose hausto jejunium Ecclesiasticum non violari, si enim violatur comesta quacumque re nutrien-

nutriente, cur non epoto vino? Tum quia nullum vivens hactenus solo vino diu vixit; neque dicas id accidere, quia vinum est exigui nutrimenti, contra enim est, quia herbæ sunt etiam exigui nutrimenti, & tamen illis aliqui diu vixerunt. Resp. Ecclesiam prohibuisse pro jejunii observantia, quæ proprie, & usu humano primo, & per se recipi solet ad nutriendum, hujusmodi non est potus, seu quæ sunt instituta ad potum, sicut est, aqua, vinum, cervisia, succus pomorum, & alia hujusmodi, sicuti quamvis pisces quidam plus nutriant, quam quædam carnes, quia tamen ex genere suo carnes plus nutriunt, illi pisces non interdicuntur, addi posset nutrimentum ex vino siccuti citissime fit, ita etiam statim evanescere, atque ideo non magni æstimantur. Et hac ratione non potest homo solo vino diu conservari, nam cum vinum sit celeriter nutriens, necesse erit, ut qui solo vino nutriri velit, vel multum hauriat, quod potius vitam extinguit, vel parum, sed sæpe haurire possit, atque ita cum lagena circumeat, quod est valde difficile longo vitæ tempore. Tum quia ad nutritionem valde confert assuetudo, adeo ut veneno aliqui legantur fuisse nutriti, infuescere autem vino a teneris difficillimum est, quia vinum infantibus est multum noxium, & tandem quamvis hoc non sit litteris traditum, forte aliquando contigisse non est denegandum. Imo Licetus cit. hoc refert c. 18. ex Costæo 2. de pot. in morb. c. 30.

60 Tertio quod *elementa simplicia non nutriant*, prob. expresse auth. Arist. de gen. 50. ubi ex eo, quod nil nutritur uni-co elemento, probat illa, quæ nutriuntur esse mixta ex pluribus *elementis*, cum nutriantur iisdem, ex quibus constamus, uti plantæ, addit, quæ videntur maxime sola aqua vivere, non tamen sola nutriuntur, sed saltem aqua, & terra mixtis, unde agricolæ, ut melius rigent, ligonibus, & rostris miscent aquam terra; idem repetit de sensu, & sensib. c. 7. versus finem ubi contra Pythagoricos negat simplex elementum nutrire, & præsertim loquitur de aqua, & aere. Tum quia (& est ratio Arist. cit.) singula elementa non sunt cohærentia, commiscibilia, & concrassentia, nec possunt accipere crassitiem nutribili debitam, ergo neque nutrire, conseq. prob. quia nutribile est crassescens, ideoque ad mixtum generandum docuit Arist. omnia elementa debere concurrere, magis tamen illa, quæ faciunt cohærentiam, consistentiam, & commassabilitatem partium, ex quibus oritur illa, quæ ab Arist. cit. appellatur mixtorum corpulentia, hæc autem elementa sunt terra, & aqua, ex terra enim est consistentia partium, ex aqua cohærentia, ut apparet in luto; antec. prob. quia certum est vi coloris (qui minister est alimenti concoquendi in sanguinem 2. de Anim. 50.) nullum elementum per se sumptum crassescere, patet id in aqua, quæ colore numquam crassescit ad sensum, sed aliqua pars evolat, & attenuatur maxime, alia vero non ita incrassatur, ut accipiat corpulentiam quæ apparet in partibus viventium; patet etiam idem in aere, qui tenuatur actione caloris potius quam incrassatur: terra, etiamsi comburatur, in tenuissimos, ac pene intensibiles vertitur pulveres; neque de igne attinet dicere, cui cum calor in summo debeatur, est maxime tenuis; merito ergo Arist. 3. de part. anim cap. 6. ad finem, & lib. 2. cap. 3. aliique Medici aptissima nutritioni dicunt esse corpora, quæ habent humiditatem, & siccitatem, ut hac contrarietate se mutuo commassent. Tum 3. alimentum debet converti in substantiam aliti, eique fieri simile per virtutem potentiorem valentem illud transmutare, at calor naturalis non est potentior qualitatibus elementorum, quia qualitates mixti sunt per participationem qualitatum elementorum, ergo simplex elementum non potest esse nutrimentum viventium.

61 Respond. ad 1. recte ibi Arist. ostendere animata ex quatuor elementis constare, quia nutrimentum, ex quo aluntur, ex illis constat, non quod semper, & necessario debent viventia ex quatuor elementis ali, hoc enim est contra ipsum Arist. ait namque ibi, plantas ex terra, & aqua nutriri, quamvis ex omnibus quatuor elementis componantur, sed quoniam ut plurimum, & facilius viventia ex pluribus elementis aluntur, ex hoc tamen non debet inferri nullum elementum quandoque se solo posse nutrire; Vel negavit elementa singula nutrire, quasi quod necessario certum aliquod vivens exposcat certum elementum pro nutrimento, non possit ex pluribus simul cibari. Ad 2. vel per ly crassescere intelligitur, quod alimentum debet per nutritionem converti in substantiam aliti, quæ corpulenta est, consistens, & cohærens, & hoc est verum, negamus tamen elementa virtute nutritiva viventis non posse converti in hanc substantiam crassam, & consistentem, ignis enim, & aer, quamvis sint tenues, & rarissimi possunt in terram, quæ *corpulenta* est, & *consistens*, *converti*; sanguis, & spiritus licet sint fluidi, converteruntur in substantiam solidam carnis, aut ossis; Vel per ly crassescere est sensus, quod nutrimentum debet accipere majorem soliditatem, & crassitiem ante conversionem in substantiam aliti, quam habeat in se, & hoc non est semper verum; chylus enim, sanguis, & cæteri humores sunt fluidiores; quam cibus, ex quo extrahuntur; Vel tandem est sensus, quod per concoctionem cibus digeriri debet, ut resolvatur vi caloris in partem puriorem, & subtiliorem, & in partem impuriorem, & crassiorem, quæ fæces appellari solent, & hoc est verum, quando nutrimentum remotum est crassius nutrimento proximo; at quando est tenuius, potius debet inspissari, ut in nutrimentum proximum convertatur; unde si aqua est crassior chylo, poterit hoc modo crassescere, & in partem puriorem, ac impuriorem converti, si est tenuior, pars crassior poterit in chylum mutari, subti-

lior vero evaporare, nec refert, quod calor potius attenuet aquam, & aerem, quam condenset; etenim licet calor sit minister principalis potentiæ nutritivæ, non tamen ipse solus, sed aliæ qualitates concurrunt per se, ut diximus disp. præced. qu. 2. quare aer poterit condensari a frigore connaturali viventis, aquæ a virtute conversiva, aliisque qualitatibus; præterquam quod aqua crassior est spiritibus vitalibus, unde potius debet a calore naturali subtiliari, quam condensari, ut *in nutrimentum* proximum vertatur. Terra quoque licet a calore naturali non possit cohærentiam recipere, poterit tamen ab humido naturali humefieri, nam omnes quatuor qualitates concurrunt ad alterationes prævias nutritioni; & mixtioni; Similiter de igne dicendum, supposita veritate generationis pyraustarum, quod crassescat virtute frigidi naturalis illarum, quæpropter ad argm. negatur anteced. ad probat. patet ex dictis, nec aliud probat hæc Arist. ratio, solum enim convincit ut plurimum, non absolute. Ad 3. si valeret, concluderet elementa nec se sola, nec simul sumpta posse in mixtum converti, quia qualitates mixti semper sunt qualitates participatæ; quare major non debet intelligi de potentiori virtute quoad intensionem, sic enim plantæ non possent aqua, & terra permixtis nutriri: sed sufficit, ut qualitates viventis possint elementa alterare ad temperamentum nutrimenti proximi, ad quod non requiritur intensior qualitas, non enim implicat *calorem* ut unum agere in frigidum ut octo; nam adhuc actio proveniet ex proportione majoris inæqualitatis, quia potentia activa caloris superaret potentiam resistitivam frigoris ut diximus disp. 2. qu. 2. art. 2. De hac re vide Licet. cit. ubi oppositam sustinet opinionem, nec sine probabili fundamento, non enim adsunt pro altera contradictionis parte convincentes rationes.

ARTICULUS II.

De potentia nutritiva, ejusque actu nutritionis.

62 Potentia nutritiva definitur ab Arist. 2. de An. 48. *Est potentia, qua vivens conservat seipsum, quatenus est hujusmodi*, & quamvis Conimb. ly *quatenus est hujusmodi* explicent, quatenus vivens est, rectius tamen alii intelligunt, quatenus est hoc in individuo, quia potest vivens ut vivens conservare seipsum in specie per multiplicationem individuorum, quod non fit per potentiam nutritivam ut sic, sed generativam, at potentia nutritiva vivens seipsum conservat in individuo.

Hanc potentiam nutritivam quamplures a calore vitali, vel a temperamento primarum qualitatum non distinguunt; qua ratione calorem vitalem ab elementari specie distinctum ponunt. Sed falso, tum quia hi calores sunt ejusdem speciei, ut diximus disp. 1. qu. 7. tum quia temperamentum non est potentia vitalis, sicut est nutritiva, tum quia potentia nutritiva est principium transmutationis alimenti in substantiam alitis, attingitque substantiam de novo generatam, calor autem, aut temperamentum, cum sit accidens, nequit generationem substantiæ attingere ex dictis in Phys. disp. 7. quapropter erit hæc potentia facultas quædam, seu virtus animæ vegetativæ, resideturque in omnibus partibus animatis viventis, quia ex dicendis *omnes partes viventis nutriri debent*; unde facultas animæ erit potentia quædam partialis nutritiva, totum autem conjunctum ex hac facultate, & parte corporis animata erit potentialis totalis, & adæquata, ut de potentiis *sensitivis* dicemus lib. de anima. Et quamvis ab Arist. quandoque *nutritio* calori tribuatur tanquam potentiæ, intelligi debet de potentia instrumentali, non principali, quia inter alias qualitates calor maxime inservit ad hanc operationem vitalem, & experientia constat. Hæc vero potentia, seu virtus adæquata, & totalis diversæ rationis est, non solum in variis viventium speciebus, sed etiam in eodem individuo juxta diversitatem partium formæ corporeitatis, diversos quoque producit effectus, nam potentia nutriva carnis producit carnem, potentia ossis causat os, &c.

63 Attamen quia ad nutritionem multæ prærequiruntur actiones, ut mox dicemus, per quas paulatim disponitur alimentum ad conversionem substantialem, hinc præter potentiam nutritivam, cujus principaliter est convertere alimentum in substantiam aliti, plures etiam aliæ virtutes concurrunt ei inservientes, vel per totum corpus diffusæ, vel in certis partibus residentes, item vel communes omnibus viventibus, vel propriæ quibusdam tantum, præsertim animalibus perfectis. Prima dicitur virtus attractiva, qua partes omnes ad se trahunt alimentum necessarium, & maxime partes illæ quæ præparare, aut immittere, aut deferre debent alimentum, ut sunt radices in plantis, ventriculus, hepar, & venæ in animalibus. Secunda potentia dicitur retentiva, qua partes illæ retinent alimentum attractum, & proportionatum, vel ut in se convertant; vel ut disponant, & perfectius præparent, vel ad aliquem alium usum. Tertia dicitur expulsiva, qua partes a se reiiciunt partem alimenti, vel quia noxia, & *inutilis*, vel ut ad aliam partem transmittant. Quarta dicitur secretiva, seu separativa, qua partes puriores alimenti ab impurioribus segregantur, in qualibet enim digestione depuratur nutrimentum, & ab ipso aliqua superfluitas secernitur. Quinta dicitur appetitiva, qua pars quælibet appetit alimentum necessarium, quando caret illo. Tandem sunt aliæ potentiæ peculiares concoctivæ diversimode alimenti juxta varias mutationes, & digestiones nutrimenti, ut dicemus, qualis est in stomacho virtus chyli factiva, in hepate *virtus* sanguifactiva. An autem hæ potentiæ sint ab anima, & inter se realiter distinctæ, vel solum formaliter, aut ratione *videbimus* in lib. de Anima.

64 Quoad alteram partem difficultatis de actu nutritionis advertendum, quod plures actiones præcedunt, antequam alimentum in

substantiam convertatur aliti, & hoc, quia inter substantiam viventis, & cibum est magna distantia, ideoque debet per varias actiones disponi, & in nutrimentum proximum converti, & quoniam actiones istæ sunt quædam digestiones, & concoctiones, idcirco aliqua prius de coctione in communi, ejusque speciebus pauca dicemus.

Coctio, seu digestio est *perfectio, facta a calore naturali, & proprio ex oppositis passivis, quæ propria cuique materia existunt*, ait Arist. 4. Metheor. cap. 3. dicitur perfectio, hoc est actio perfectiva, quia mixtum per digestionem ulterius temperatur, & ad certos usus in natura congruentes magis redditur idoneum, ut pomi maturatio, hinc coctio est motus ab imperfectiori qualitate ad perfectiorem, & quandoque accedit substantialis mutatio; Modus digestionis est iste, quando enim temperamentum mixti est imperfectum, præcipue propter excedentiam humidi, calor naturalis consumit humidum excedens, & ad debitam proportionem reducit juxta mixti naturam, hinc causa efficiens principalis erit calor internus, quandoque vero accedit externus calor Solis, ignis, & quorumcumque calefactionum, ut calor Solis adjuvat fructuum maturationem, & alimentum in ventriculo coquitur non solum calore ventriculi (qui externus dicitur respectu cibi, internus vero respectu ventriculi, & viventis) sed etiam proprio calore excitato a calore ventriculi, carnes elixantur, vel assantur non solum a calore ignis, sed etiam a proprio excitato ab igne. Dicitur ex oppositis passivis, &c. quia calor sua actione humidum solidat; ut superfluum tollatur, & siccum attenuat, ne nimis terrestre sit, & quia agens, & patiens relative opponuntur, idcirco hæ qualitates dicuntur oppositæ calori. Ex hac coctione plures sequuntur effectus. Primus est caliditas, cocta enim calidiora sunt incoctis, sic vina vetera sunt calidiora recentibus; quod intelligi debet de proprio calore, nam mustum est calidius vino non intensiori calore vini, sed calore extraneo ab aliis excrementis proveniente, intelligi quoque debet facta comparatione inter rem crudam, & eandem coctam, si enim mutaretur substantialiter, oppositum potest contingere, ut patet de lacte, quod est sanguis magis decoctus, & tamen frigidius. Secundus effectus est dulcedo, concocta enim fiunt crudis dulciora, ut ex natura dulcedinis, & experimento patet, sic castaneæ, & alii fructus immaturi sunt acerbi, cocti fiunt dulces. Tertius est crassities, quia in coctione humidum abundans absumitur a calore, in alitum convertitur, & reliquum cum sicco bene unitur; qua ratione calor licet per se attenuet, per accidens tamen incrassat, unde excrementa humana judicantur cocta, & bona, si sunt crassiuscula, contra, si sunt tenuia. Hinc est axioma, *Omnia, quæ coquuntur, crassescere*, hoc autem intelligendum est si in coctione non fiat separatio crassiorum partium, nec mutatio substantialis; qua ratione mustum separatis fæcibus terrestribus fit tenue, & vinum, & in distillatione subtiliores substantiæ, & magis spirituosæ eliciuntur segregatis crassioribus, chylus etiam coctus ex pane non est crassior pane, nec sanguis chylo, nec spiritus sanguine, ut diximus num. 61.

65 Cujus digestionis, seu coctionis species tres assignantur, scilicet maturatio, elixatio & assatio; Maturatio proprie est *ea perfectio, quæ ortui naturali succedit*, ut fructus prius generantur, postea maturantur, sic animalia, signum maturationis in viventibus est generatio, quando enim fructus semen habent fœcundum, & idoneum ad generandum, dicuntur maturi, sic etiam animal. Elixatio est *coctio a calore humido non pingue ejus indeterminati, quod est in humido*, dicitur a calore humido, quia si esset calor siccus, non fieret elixatio, sed assatio, unde res elixatæ corpori humido immerguntur; dicitur non pingue, ut sunt aqua, vinum, acetum, &c. quia si esset humidum pingue, ut sunt oleum, butyrum, adeps liquata, &c. non esset elixatio, sed frictio, quæ magis convenit cum assatione, ut dicemus, quam cum elixatione; dicitur ejus indeterminati, &c. quia calor agit in humidum rei elixatæ superfluum, & abundans (qua ratione dicitur indeterminatum) ipsum extrahendo, & vincendo; unde quæ nullam fere habent humiditatem, veluti lapides, vel si habent, esttamen cum sicco valde compacta, ut metalla, ligna, ossa, & proprie nequeunt elixari, ideoque difficilius elixantur res, quæ sunt magis terreæ, & siccæ, ut sunt carnes seniorum animalium, facilius res humidiores.

66 Assatio est coctio humidi interni facta a calore sicco, absumendo scilicet humidum superfluum, reliquo magis collecto, & contracto; unde res illa assari potest, quæ potest etiam elixari, hinc lignum proprie non assatur, sed aduritur, nullo plane humore remanente, adustio enim opponitur assationi. Differunt res elixatæ ab assatis, quia assatæ partes internas habent humidiores externis, elixatæ e contra sunt interius siciores, quam exterius, causa est, quia calido sicco adurente in assatione constringuntur, atque clauduntur pori exteriores; & fere incrustantur, & impeditur egressus humidi interioris, at in elixatis a calido humido fit pororum aperitio, atque humiditatis intetnæ extractio. Ex quibus patet frictionem magis assationi: quam elixationi assimilari, nam extremitas rei frixatæ constringitur, ex siccatur, & quasi aduritur; interiores tamen partes sunt humidiores, ut patet, dum ova in sartagine friguntur; at elixata laxiora fiunt secundum se tota; causa est diversitas liquorum, liquor enim pinguis abundat humore aereo, qua ratione est facilis inflammationis, & per ipsum vis ignea facile defertur ad ova, v. g. itaut fere urantur, at liquor non pinguis abundat humore aqueo, & per ipsum vis ignea non facile defertur, imo hebetatur, frixa igitur sunt media inter elixata, & assata, nam interius sunt sicciora assatis, & humidiora elixatis. Hæc obiter sint dicta, quamvis enim assatio, & elixatio arte fiant, multæ tamen coctiones naturales sunt similes istis, præsertim coctio cibi ut ventriculo similis est elixationi, calor enim stomachi se habet in ignis, potus ut humor, cibus ut caro.

67 His prænotatis declaradæ sunt alteraliones, & digestiones cibi præcedentes nutritionis actum; Prima igitur alteratio fit in ore, ubi cibus, et si substantialiter non muterur, alteratur tamen, & præparatur ad digestionem tum divisione, tum qualitate, præparatur divisione, quoniam cibus in minutas partes divisus melius digeritur in stomacho, & citius, quod si in grossas partes divisus deglutiatur, cum difficultate digeritur, & tardius, unde manens aliquandiu indigestus tendit ad putrefactionem, hinc anhelitus fœtidus causatur; alteratur quoque qualitate propter admixtionem salivæ, quæ calorem habet innatum, aliasque dispositiones, eo quia a stomaco, hepate, corde, & cerebro ad radices linguæ transmittitur, ideoque cibus propter salivam alteratur in odore, colore, & sapore. Deinde agitatione linguæ, quæ veluti manus est ventriculi, & gulæ attractu cibus sic alteratus defertur in stomachum, seu ventriculum, ubi fit prima digestio, & secunda alteratio. Ventriculus est veluti promptuarium, quia est primum vas cibi omnibus membris commune, & veluti paterfamilias providens de omnibus alimento, idcirco in medio corporis situatus; est etiam undique circumvallatus membris calidis, ut in coctione cibi juvetur; veluti vas decoquens carnes est carbonibus circumseptus, membra hæc sunt hepar a dextro, splen a sinistro, cor a superiori parte mediante diaphragmate, musculi dorsi e posteriori, & a parte anteriori musculi ventris, & Zirbus adipinus, quæ omnia proprio calore fovent, & juvant calorem ventriculi. Ejus figura est rotunda utpote omnium capacior, & aptior ad digestionem, quia cibus unitus secundum omnes partes magis conservatur, quam si esset angularis figuræ; non est tamen perfecte sphæricus, sed aliquantum oblongus duo habens orificia, unum superius pro ingressu cibi os appellatum, alterum inferius pro egressu ejusdem, janitor vocatum; in hoc igitur loco cibus digeritur & in quadam massa veluti lactea convertitur, quæ a Medicis Chylus dicitur.

68 Peracta digestione ventriculus chylum demittit per inferius orificium virtute expulsivæ potentiæ in quædam intestina, ubi fit quædam segregatio, partes enim terrestriores veluti excrementa, & fæces in alia inferiora intestina pelluntur, partes vero puriores proprie chylus appellatæ per venas Meseraicas dictas transmittuntur ad jecur, & per quandam amplam venam Portam vocatam ingrediuntur, & hic fit tertia alteratio, & secunda concoctio. Jecur est membrum quasi convexum, & gibbosum ea parte, qua diaphragmati unitur, ex opposito est concavum quinque pennulis, seu alis stomachum amplectens, licet in homine alulæ istæ non sint semper separatæ; estque substantiæ tamquam sanguinis coagulari, venarum origo, & quatuor humorum principium effectivum; chylus enim in jecore depuratur, & quia in se partes continet differmes, quædam enim sunt aereæ, quædam igneæ, quædam aqueæ, & tandem quædam terreæ, idcirco jecur propria activitate ex illo quatuor deducit humores, scilicet sanguinem, pituitam, seu flegma, flavam bilem, sive coleram, & atrum bilem, seu melancholiam, sanguis est calidus, & humidus aeri correspondens, flava bilis ignea, calida, & sicca, pituita frigida, & humida, ut aqua, atrabilis frigida, & sicca, ut terra. Hi humores necessarii sunt in corpore, cum enim opponantur, unus vires alterius retundit, ne nimis excedat; tum quia sanguis tamquam principale nutrimentum corpori inservit; Pituita sanguini liquiditatem confervat, illumque defert per totum corpus, membra corporis humectat, ne frequenti motu exsiccentur, & quia est sanguis incoctus, faciliter in sanguinem vertitur, nutritionique inservit; Flava bilis est nutrimentum fellis, & etiam aliorum membrorum simul cum sanguine, unde in venis etiam reperitur, & a felle profluit partim ad intestina punctionem, & abstersionem pro secessu sua mordacitate causans, partim ad fundum ventriculi suo calore juvans ad digestionem. Atrabilis etiam pro nutrimento inservit, & a splene ad orificium stomachi pergens sua acerbitate famem, & appetitum provocat. Postquam autem hi quatuor humores in hepate sunt geniti, segregantur, flava bilis ad folliculum fellis mittitur, atra bilis ad splenem, pituita vero nullum habet locum specialem, sed simul cum sanguine per totum defertur; fit etiam alia segregatio, nam cum chylo e ventriculo ad jecur humor quidam provenit vehiculum nutrimenti dictum, & quia ad nutritionem non est idoneus, per quasdam venas emulgentes dictas egreditur, & transiens per renes, ex renibus per poros uritides in vesicam defluit. Verum post tamen, quod quædam animantia reperiuntur flava, vel atra bili carentia ob quasdam occultas causas, sic mulus, asinus, cervus, caper, camelus, & alia felle carent.

69 Post hanc coctionem sanguis aliis humoribus permixtus effluit per quamdam magnam venam, quæ dicitur Cava, estque in plures alias venas ramificata per universum corpus dispersas, e quibus membra corporis sanguinem attrahunt, & post varias alterationes juxta membrorum diversitatem unumquod que in propriam substantiam convertit. Verum in hoc est inter medicos, & Arist. dissidium, Arist. num. 3. de part. Anim. cap. 4. & 5. vult sanguinem in corde concoqui, & e corde in alia membra diffundi; Medici autem in hepate ponunt sanguinis originem, quod verissimum est, quia in corde præter venam cavam, per quam ab hepate cor sanguinem haurit,

haurit, nulli sunt meatus, per quos posset reliquos humores ad proprias sedes dimittere, neque tanta est cordis capacitas, ut universam alimenti massam capere possit, & decoquere, nec alii humores in corde generantur, sed in jecore, in quo radix omnium venarum radicata experitur, quæ est vena cava, hæc enim licet perveniar ad cor, in illud tamen terminatur, & rursus per alios ramos egrediens distribuitur in cæteras partes.

Conantur Buccius in disp. de partium corp. principatu, & Dand. lib. 3. de corp. Anim. cap. 17. Arist. defendere, quod loquatur de sanguine arteriali, qui per arterias e corde in corpus diffunditur, cujus virtute sanguis ab hepate dimanans digeritur. Sed hoc non videtur esse de mente Arist. videtur enim docere omnem sanguinem e corde provenire; doctrina tamen hæc verissima est, nam sanguis in corde receptus magis perficitur, & expurgatur, ac in spiritus vitales convertitur, qui nil aliud sunt, nisi quædam purissima, & subtilissima substantia ex purissimo sanguine ad modum vaporis extracta, quæ per venas deinde arteriales ubique diffunditur, & suo calore motui, ac nutritioni membrorum inservit, ut sanguinem nutrimentalem ab hepate provenientem in se convertant, quorum pars aliqua per quasdam obliquas, & angustas vias a corde perveniunt ad cerebrum, ibique magis depurantur, & in spiritus animales mutantur, qui cum perfectiores sint, sensationibus, aliisque operationibus animæ sensitivæ inserviunt.

70 In his omnibus digestionibus semper fit aliqua separatio superfluitatis & purioris ab impuro, in prima enim digestione chyli superfluitas dicitur fæx, sive stercus; in secunda, quæ fit in hepate, superfluitas est præcipue urina; aliarum vero digestionum superfluitates resolvuntur vel per nares, & aures, vel per apostemata, cum aperiuntur, aut in pilos, & ungues, vertuntur, aut insensibiliter per poros egrediuntur, sed maxime per sudorem expurgantur. Sudor est superfluitas humorum præsertim sanguinis, unde habenti sanguineam complexionem plus, quam aliis accidet sudor; causæ sudoris sunt fortitudo virtutis expulsivæ cum spiritu quodam fumoso, raritas pororum, & superfluitas aquositatis, cui pus colericum, seu putredo coleræ misceatur, ut sui acritate faciat humidum aquosum ad externa pervenire, & qui amaritudinem habet, reddit sudorem salsum, rursus quia calor extraneus valde concurrit ad sudorem, estque causa putredinis ex dictis disput. præced. qu. ult. idcirco sudor fœtet, quamvis sanguis sit dulcis malo carens odore, & eo magis sudor redditur fœtidus, quo magis partes corporis sunt ab extrinseco calidæ, & vapores illi minus exhalant, minor enim exhalatio, & eventatio auget calorem, & majorem causat putredinem, unde sudor faciei minus fœtet. Deduci quoque potest ex his ratio, cur superiores partes corporis magis sudent, sunt enim magis porosæ, magis abundant materia sudoris, nam caloris est sursum movere, & fumos sursum elevare, & materia sudoris est humidum aquosum, & quoniam cerebrum est fons humiditatis, hinc facies maxime sudat, & inter partes faciei magis sudat frons, quia primo subest parti anteriori cerebri, quæ est aliis partibus humidior. Deducitur etiam motus immoderatos provocare sudores, cum enim sint calefactivi, poros aperiunt, & superfluitates corporis per illos expellunt, magis quoque sudor fit post quietem, quam in ipso motu, nam adveniente refrigerio in quiete spiritus circa partes corporis externas propter motum multiplicati ingrossantur, & in materiam sudoris convertuntur, unde labor parat materiam sudoris.

71 In plantis vero, ut notavit Arist. 2. de part. Anim. cap. 3. circa finem non interveniunt tot mutationes, nam stirpes utuntur ipsa terra, in qua radices infixas habent, & ejus calore, perinde ac animalia utuntur ventre, sicuti enim in ventriculo fit prima cibi, potusque concoctio in animali, ita prima terræ, & aquæ concoctio ad nutritionem plantarum conficitur in ipsa terra radicibus plantarum proxima, ex quod discrimina colligit Arist. inter alimentum, & nutritionem plantarum, & aliorum animantium; primum est, quod alimenti plantarum concoctio fit extra plantæ substantiam, animalium vero intra, secundum, plantas excrementa non emittere, excrementum enim proprie est id, quod sensibiliter relinquitur in prima concoctione ex alimento, ut sunt fæces, cum igitur hæc extra plantam fiat, excrementa remanent extra plantam, quod secus accidit in animali.

72 Cum igitur tot mutationes cum accidentales, tum substantiales interveniant in nutritione, nutritionis actus proprie consistit in actu illo, quo sanguis, vel alius humor ultimo a membris dispositus propriam amittit formam substantialem, & in formam carnis, vel ossis convertitur, seu in substantiam aliti. Hinc recte ait Scotus 4. d. 44. quæst. 1. C. nutritionem esse generationem quandam substantiæ, extendendo generationem ad omnem inductionem formæ substantialis in materia post privationem, proprie tamen non potest dici simpliciter generatio per se entis, prout illud dicitur per se esse, quod non est pars alicujus, sed potest dici aggeneratio, quia est generatio alicujus, quod per generationem fit idem alicui præexistenti, vel potest dici ingeneratio, quia est generatio partis in toto. Sicut ergo generatio potest fumi, & ut mutatio, & ut productio, sic etiam nutritio, quapropter nutritio, ut mutatio, erit transitus materiæ alimenti a privatione illius partialis formæ aliti ad talem formam, nutritio ut productio, erit productio partialis substantiæ viventis ex conversione substantiali alimenti virtute potentiæ nutritivæ facta, quod magis patebit ex qu. seq.

73 Cæterum quia animalia non in uno determinato loco existunt, nec habent alimentum semper in promptu, & approximatum, sicut plantæ, sed huc illuc moventur, cibumque in diversis locis quærere debent, idcirco quidam appetitus in ipsis reperitur, qui per famem, & sitim movetur ad appetendum alimentum, & consequenter virtutem impellit motivam ad quærendum illud. Fames ruit oritur quando in membris non est sufficiens sanguinis copia, membra fugunt venas, venæ hepar, hoc fugit venas miseraicas, & alias, quæ ad stomachum pertingunt; istæ e stomaco exsugunt quicquid in ipso est, quo facto stomachus cotrugatur, unde in ipso fit dolor, maxime tamen circa os stomachi, quod etiam humore acido a splene affuso per id tempus inficitur, qui humor mordacitate sua dolorem accumulat, & quoniam ex defectu alimenti deficiunt quoque spiritus vitales in toto corpore, hinc non solum dolorem in stomacho experimur, sed etiam lassitudinem membrorum omnium, spiritus enim vitales vires corporis fovent, quapropter cum phantasia percipit divulsionem, & corrugationem ventriculi ob penuriam alimenti, apprehendit alimentum ut conveniens, & necessarium, tum proponit id appetitui sensitivo, qui confestim in ipsa tendit per actum appetendi, virtutemque motivam compellit ad ipsius acquisitionem pro animalis conservatione. Rursus quia non solum cibus est animali necessarius, sed etiam potus, tum ut sua renuitate in venarum anfractibus cibo solido fernat viam, tum ut concoctio ni ventriculi, quæ est quædam elixatio, inserviat, tum etiam ut ariditatem membrorum, sanguinisque caliditatem mitiget, idcirco quando succus iste deficit in corpore vel ob exercitationem, aut calorem, vel esum cibi falsi, membra inarescunt, & oritur attractio similis ei, quæ in fame accidit, causaturque dolor quidam potissimum in ventriculo, œsophago, & faucibus; œsophagus est pars membranea nervea, duabus tunicis constans, a faucibus ad superius os ventriculi desinens, cibumque, & potum in ventriculum deferens; sioque causatur sitis; Fames igitur proprie consistit in dolore divulsionis ventrioli propter penuriam alimenti, in hoc enim maxime causatur dolor, quia fuctio membrorum tandem ad os ventriculi terminatur: Sitis est sensio, & dolor in ventriculo, œsophago, & faucibus ob penuriam potus, & succi humidi.

74 Verum hic explicandæ veniunt definitiones famis, & sitis ab Arist. traditæ 2. de An. 28. ait enim quod fames est appetitus calidi, & sicci, sitis vero est appetitus frigidi, & humidi; Dicuntur appetitus non formaliter, quia proprie sunt dolores quidam axiæ torquentes animantia, sed causaliter, quatenus ex isto dolore a phantasia repræsentato causatur in appetitu actus desiderii, & appetionis alimenti; Dicitur fames appetitus calidi, & sicci, non quidem absolute, nam quamplures sunt cibi, qui frigidi, & humidi existunt, nec fames primo est a natura instituta ad reparandum siccum, sed humidum pingue, quod est pabulum caloris naturalis, quare per calidum, & siccum intelligi debet omnis cibus comparatione facta ad potum, regulariter enim cibus est calidior, & siccior potu. Similiter sitis dicitur appetitus frigidi, & humidi, non quod omnia poculenta sint talia, sed quod vel ambas possident qualitates, vel saltem alteram illarum, sic vinum licet sit calidum, est tamen humidum.

Dices, contingere quandoque sitim, quamvis in ventriculo adsit humidi copia, ergo non provenit ex inopia potus. Infuper si siccus iste necessarius esset, maxime illo egerent animalia calidiora, & tamen volucres præsertim rapaces rostrum habentes aduncum, & ungues, nunquam bibere cernuntur; De quodam etiam Oratore Regis Galliarum apud Sixtum Quintum Pontificem Maximum fertur nunquam bibisse. Resp. regulariter sitim ita contingere, potest tamen evenire, quod os ventriculi, vel œsophagus, aut fauces sint humore salso, & aoido imbutæ, ut accidit hydropicis, vel ex jecoris intemperie, ut nunquam possint humectari, quamvis continue bibatur. Volucres illæ carnibus crudis vescuntur, & sanguinolentis, sunt enim omnes aduncæ carnivoræ, quare sanguine, & humoribus crudarum carnium satis humidum cibum reddunt. Legatus ille jusculis utebatur, aliisque humidioribus cibis, ut tradunt illi, qui cum eo familiariter versabantur.

QUÆSTIO V.

An per nutritionem acquiratur nova substantia.

75 PRima opinio est Magistri sent. 2. d. 30. negantis in nutritione alitum acquirere novam substantiam, & solum alimentum requiri, ut humanam substantiam foveat, & conservet, convertitur enim, ait, alimentum in carnem, & sanguinem, caro autem, & sanguis non transeunt in nutritionem naturæ humanæ, seu in substantiam ipsius, hæc enim est sola substantia, quæ in conceptione contrahitur a parentibus, & multiplicatur, ac augetur absque aliqua additione. Secunda opinio est Henr. quol. 2. qu. 10. Dur. 2. d. 30. qu. 4. Zab. lib. de accret. cap. 15. & 16. Contareni tom. 2. qu. de augment. c. 4. ac aliorum docentium in nutritione fieri acquisitionem novæ partis materiæ, non autem formæ, hæc enim secundum omnes partes eadem semper manet, & ubi prius informabat unam partem materiæ, quia hæc propter actionem caloris desluit, informat deinde materiam alimenti, eo modo, quo omnes dicunt de anima rationali, propter sui indivisibilitatem.

Communis opinio docet in nutritione fieri acquisitionem tum novæ materiæ, tum etiam novæ formæ, quando forma est divisibilis in partes. Verum Thomistæ sustinentes substantiam præcisa qualitate partibus carere, valde laborant, ut hanc qualitatem, &

novam acquisitionem explicent; præsertim Complut. de Gen. disput. 5. qu. 3. & seq. ajunt duas substantias separatas, si uniantur, ubi prius erant duo tota realitet actu distincta, realiter deinde in unione identificari, ut nulla sit inter illas realis distinctio quoad substantialia, eo quia prius erant duabus quantitatibus totalibus figilla, post unionem una quantitate solum, a quo sumitur ratio individuationis, quia tamen possunt iterum per divisionem separari, aut corruptionem, idcirco ajunt cum hac actuali identificatione stare realem quandam distinctionem potentialem, qua possunt denuo actualiter realiter distingui, si separentur; quæ distinctio potentialis major est distinctione virtuali, quæ enim hac distinctione differunt, ut sunt prædicata quidditativa, nullo modo separari possunt. Hinc per nutritionem ajunt acquiri substantiam vivam de novo ex materia alimenti productam, non quidem ut habet rationem partis, quia hæc denominatio est a quantitate, & accidentalis, unde nequit sub hac ratione terminare nutritionem, quæ respicit substantiam sub ratione substantiali, sed terminat, ut fit realiter, & actu unum per se, & identificatum cum præcedenti, substantia, licet per quantitatem postea extendatur, & habeat rationem partis. Jo. de S. Thom. qu. 8. de Gen. art. 2. ait, per nutritionem acquiri partialem entitatem substantiæ, quæ est pars formaliter per quantitatem, ex se tamen est solum radicaliter pars, unde non acquiritur formalitas partis, sed radix, quæ est illa substantialis entitas.

76 Dicendum est, in nutritione acquiri novas partes materiæ, & formæ, quando hæc est divisibilis, actu ex seipsis realiter distinctas a substantia præcedente viventis tamquam partes entitative, & substantialiter diversas, quæ vere transeunt in substantiam aliti. Conclusio est Scoti in 4. d. 44. qu. 1. & 2. d. 19. quem omnes fere sequuntur; & primo quod acquiratur nova pars formæ, quando ipsa est divisibilis (quod addimus propter animam rationalem, quæ cum sit spiritualis, caret partibus entitativis, ut suo loco dicemus) prob. a Scoto, omnis forma præter rationalem est indivisibilis materialis, & de potentia educitur materiæ, ergo ad extensionem materiæ extenditur quoque forma. Antec. supponitur tum ex dictis in Physicis, tum ex dicendis in lib. de An. conseq. prob. ex Arist. in prædicam. cap. de quant. ubi habet, quod quanta est superficies, tanta est albedo, ergo quanta est materia, tanta est forma. Tum quia quando advenit novus pars materiæ, vel pars formæ istam materiam perficiens, quæ prius aliam partem materiæ informabat per adversarios, cessat informare priorem materiam, vel non (per materiam priorem non intelligimus illam, quæ fluit propter caloris actionem, sed quæ adhuc permanet in vivente) si secundum, ergo idem perfectivum perficeret duo perfectibilia adæquata, quod est impossibile, etiam de potentia Dei absoluta, quia nequit forma materialis duas materias adæquatas informare, ut ostendimus disp. 5. Phys. qu. 7. Si primum, ergo illa prior materia debet ab alia forma informari, & sic daretur nova pars formæ, vel materia sine forma. Accedit, quod sicut accidentalis forma nequit migrare de subjecto in subjectum, etiamsi unum subjectum sit alteri continuum, sed extenditur ad extensionem subjecti per novas partes, multo minus forma substantialis materialis poterit de subjecto in subjectum migrare, etiamsi continuentur, nam major est unio formæ substantialis cum materia, quam accidentis cum subjecto; tum quia in illa partiali corruptione per actionem caloris vivens amittit partem aliquam materiæ, quærimus igitur de parte illa formæ, an se restringat ad partem materiæ remanentem, & sic est migratio, & duæ formæ partiales in eodem subjecto, an vero se sola persistat, & hoc est naturaliter impossibile, an tandem fiat simul cum materia, & tunc sicut per nutritionem restauratur deperditio materiæ per acquisitionem materiæ alimenti, ita etiam debet restaurari deperditio formæ per acquisitionem novæ formæ.

77 Resp. Zabar. migrationem totalem, qua forma totum deserat subjectum, & aliud totum informet, esse naturaliter impossibilem, at migrationem quasi partialem, qua forma totum suum subjectum non deserat, sed in eo maneat, & ab una ejus parte ad aliam informandam transeat, non esse impossibilem in anima, licet in aliis formis non detur, ratio est, quia aliæ formæ informant corpus similare, in quo est eadem conditio totius, & partis cujuslibet, quare in informatione una pars non dependet ab alia; at anima est forma corporis dissimilaris, cujus partes necessario ordine informat, unam quidem primo, ac præcipue, deinde alias per illam, quare poterit anima a membro præcipuo, in quo est radicata, ad alias partes aggeneratas protendi. Ad aliud ait duplicem esse adæquationem, vel secundum quantitatem, vel secundum proportionem; prima non adest inter corpus, & animam, quia hæc non est quanta, unde eadem anima vegetabilis est adæquabilis corporis formicæ, & elephantis, nata enim est extendi in magna, & parva materia, unde quando caro facta est major, non sunt duo perfectibilia, sed unum, quod prius erat parvum, postea fit magnum, secunda adæquatio adest inter totum corpus, & animam, non inter partem aliquam, hæc enim non est adæquatum perfectibile respectu totius animæ, sed totum corpus, ideoque nunquam anima informabit duo perfectibilia adæquata.

78 Verum licet partialis transmigratio debeat admitti in forma indivisibili, qualis est anima rationalis, quia a subjecto non dependet, non tamen in forma divisibili, hæc enim cum sit materialis, in suo esse, fieri, & conservari dependet a materia, ut sine illa nec esse, nec fieri possit, nec a qualibet materia, sed ab illa, quam informat, non enim pars animæ, quæ est in arboris ramis, dependet a materia, quæ est in radice, nam si præscinderetur ramus, adhuc vegetabilis anima permaneret, licet non diu, idem dicendum de sensitiva in animalibus imperfectis, quæ patiuntur divisionem, ut sunt lacertæ, vermiculi, &c. si ergo pars formæ essentialiter dependet ab eadem materia, quam informat, certe si hæc diffluit in vivente, perit etiam forma informans illam; quod autem primo informet aliquas partes, solum arguit dependentiam, & subordinationem in informationem partium, non tamen, quod anima totaliter dependeat a partibus principalioribus, & nullo modo ab aliis, saltem secundum illas partes, per quas informat. Neque dicas, partes illas conservari ab adveniente materia: Nam potest esse, quod ad destructionem partialem substantiæ viventis non succedat immediate restauratio per nutritionem; asserere autem partes illas formæ confugere tunc ad materiam remanentem, est vanum, quia in decisione rami, aut caudæ lacertæ pars formæ remanet in eadem materia, ergo si hæc materia flueret, pars formæ simul flueret, non vero desereret illam. Nec altera responsio aliquid juvat, loquimur enim de æqualitate secundum partes entitativas, secundum quas anima extenditur corpori extensione entitativa correspondens tota toti corpori, & pars parti; certe major est secundum istas partes anima vegetans, quando arbor est jam ingentis altitudinis, ac cum erat parvula plantula, aliter oporteret asserere, vel animam omnem indivisibilem esse, quod est falsum, ut in lib. de An. dicemus, vel animam extendendo se ad totum corpus, veluti geminari, & reduplicatione quadam informare totum corpus, sicuti albedo palmaris non posset coextendi subjecto bipalmari, nisi vel per additionem, vel per replicationem, hoc autem secundum est impossibile, quia idem penderet a pluribus causis materialibus adæquatis. Sicut igitur totum corpus est adæquatum perfectibile totius animæ, ita quælibet pars adæquatum perfectibile cujuslibet partis animæ, licet cum aliqua dependentia partium minus principalium ad principaliores, ergo si eadem pars formæ informaret duas partiales materias, aut e contra, idem perfectivum in duobus adæquatis perfectibilibus existeret, vel e converso. An autem hoc contingat in omnibus viventibus præterquam in homine, ut vult Scotus cit. an solum in plantis, & animalibus imperfectis, ut volunt Thomistæ, pendet ex illa qu. An animæ perfectorum animalium scilicet equi, bovis, &c. sint divisibiles, vel indivisibiles, in lib. de An. discutienda.

79 Secundo, quod istæ novæ partes sint a præcedentibus substantialiter, seu entitative actu distinctæ, patet ex dictis disp. 9. Phys. qu. 1. art. 1. & disp. 7. Log. qu. 2. art. 2. ubi ostendimus substantiam præcisa quantitate habere partes entitativas; & adhuc ostenditur, quia nutritio de sua ratione formali respicit pro termino substantiam viventis, non totalem, aliter a generatione simpliciter non differret, sed partialem, unde aggeneratio dici solet, & hoc præscindendo a quantitate, seu ut illa substantia natura præcedit quantitatem, sicut corruptio, cui nutritio opponitur, est destructio alicujus substantiæ partialis, non totalis, ergo hæc nova substantia, seipsa distinguitur a priori substantia non per quantitatem, hæc enim subsequitur, & præsupponit illam, non distinguitur autem ut totum a toto, quia non sunt duo divisa, sed unita, ergo ut pars a parte. Nec valet responsio Jo. de S. Tho. substantiam illam esse solum radicaliter partem, non formaliter. Non valet, quia ut diximus in Phys. vere substantia illa præsupponitur quantitati, & cum præcedenti substantialiter, & entitative unitur, & una non est alia præcisa quacumque quantitate, ergo erit actu pars formaliter, non tantum radicaliter, hanc enim compositionem conficit per suam entitatem, non per quantitatem; quod si propter penetrabilitatem nolunt Thomistæ appellare illam partem, quasi quod de ratione partis sit impenetrabilitas, quæ vere habetur a quantitate, hoc est voluntarie dictum, & conficiunt quæstionem de nomine.

Multo minus valet responsio Complut. asserentium partem illam propter sigillationem unius quantitatis realiter actualiter identificari cum præcedenti, licet potentialiter distinguatur. Hoc in primis est inauditum in scholis, scilicet quod aliqua realiter identificata possint separari; ut enim diximus in Logica disp. 1. qu. 5. art. 2. præcipuum, & sufficientissimum signum distinctionis realis actualis est possibilitas separationis, non actualis separatio ex 7. Top. c. 1. loc. 16. quæ enim actu non sunt separata, sed possunt separari, non dicuntur actu realiter identificata, & potentialiter realiter distincta; aliter quia materia, & forma non sunt actu separata, imo magis unita, quam duæ partes materiæ, istæ enim conficiunt totum integrale entitativum, illæ totum per se Physicum ex actu, & potentia, quod est magis unum, quam illud, erunt materia, & forma realiter identificata, & potentialiter realiter distincta. Tum quia vel materia alimenti post nutritionem actu retinet in alito eandem entitatem, quam habebat sub forma alimenti, vel illam amittit: si secundum, ergo destrueretur, quod est falsum; si primum, ergo sicut antea materia aliti erat actu realiter distincta a materia alimenti, etiam post nutritionem erunt actu realiter distinctæ, unio enim facta per nutritionem tollit divisionem, & separationem, non distinctionem. Si dicas converti in substantiam aliti, adhuc urgetur, vel ista conversio fit cum amissione propriæ entitatis, ut cum vinum convertitur in acetum, vel non, & sic arguitur ut prius. Falsitas etiam hujus opinionis deducitur ex hoc, quod supponit quantitatem esse principium individuationis, quod esse falsum ostendemus in Metaph.

80 Tandem, quod hæc substantia vere convertatur in substantiam

tiam aliti, probat Doctor in 4. cit. contra Magistrum, qui solum in homine hoc videtur asserere, nam ait Scotus §. *Circa istum quæstionem*, quia non minus perfecte nutritur homo, quam brutum, nam ita generatur homo imperfectæ quantitatis, sicut brutum, & ita in illo fit partium continua deperditio, sicut in isto, ergo sicut in brutis nutritio fit per conversionem alimenti in substantiam brutorum, & augmentatio terminatur ad aliquid de esse ipsorum, ita in homine contingeret. Probat deinde universaliter, nam si caro illa, quæ a parentibus contrahitur, solum adest in sensitivis toto vitæ tempore, jam esset incorruptibilis, quod est falsum, quia est ejusdem rationis cum altera. Tum quia tota caro est in sensitivis animata, tam anima vegetativa, quam sensitiva, ergo tota est de ipsorum substantia. Quibus accedit, quod vivens secundum suam substantiam fit majus, ergo vel per replicationem ejusdem substantiæ, vel per rarefactionem, vel tandem per veram additionem novæ substantiæ, non primum, quia replicatio pluribus locis non est naturalis, nutritio autem, & auctio est naturalis; non secundum, quia sic corpus viventis aucti esset rarius, tenujus, & levius corpore viventis parvi, quod est falsum; restat igitur quod fiat majus per veram additionem novæ partialis substantiæ, quæ sit de ratione viventis.

81 In oppos. primo arguitur, quod acquiratur pars formæ, ex Arist. 1. de Gen. 35. & 37. ubi ait, quod caro secundum speciem, seu secundum formam augetur, caro vero secundum materiam non augetur; & in tex. 36. ait, quod caro secundum formam manet, secundum vero materiam fluit, ac refluit, ergo per Arist. forma non corrumpitur in vivente, sed eadem per totam vitam conservatur, & 1. de An. 94. asserere videtur omnem animam indivisibilem esse, ergo saltem anima secundum partes non acquiritur de novo. Tum 2. si de nova parte carnis nova pars animæ educeretur, quia hæc pars carnis est homogenea, jam illa pars animæ non esset actus corporis organici contra definitionem animæ, sed homogenei; Neque etiam in vivente esset aliquod membrum principale, a quo in cætera membra diffundatur vita, & in illis dependenter ab isto reperiatur, quod est falsum, nam cætera membra dependenter a corde animantur, seq. prob. quia res non pendet in conservari ab eo, a quo non pendet in educi, sed pars illa animæ educitur a parte carnis, non a corde, ergo &c. Tum 3. non unica anima esset in vivente, nisi per aggregationem plurium, quod est falsum, nam Arist. 3. de part. Anim. c. 4. 5. & 7. ait animal esse unum propter animam unam, & hanc esse unam propter unum principium, quod est cor. Tum 4. quia sic nutritio non esset aliud, quam juxtapositio, & quælibet pars aucti non esset aucta contra Arist. l. 1. cit. de augment.

Resp. primam auctoritatem esse valde difficilem, & plures adesse responsiones, quæ parum, aut nihil valent, ut est videre apud Biragum 1. de Gen. q. 11. & Zab. l. de accret. c. 19. 20. & 22. dicimus tamen cum Scot. in 4. cit. lit. I. quod per partes secundum speciem, & secundum materiam intelligit partes integrales ipsius compositi ex materia, & forma constantes, quæ partes aliæ secundum speciem dicuntur, & aliæ secundum materiam, & hoc tripliciter; primo pars secundum formam dicitur, quæ habet esse secundum formam: Secundo dicitur, quæ non solum habet esse, sed etiam operari, forma enim dat esse, & agere, & secundum infert primum, licet non e contra, citius enim alicui deficit actio propter imperfectionem, quam esse, per quam operationem pars illa potest contrario resistere, & seipsam in toto conservare; Tertio tandem pars secundum formam illa dicetur, quæ tantam habet molem, ut nutritione possit fieri additio, nam ut dicemus q. seq. nutritio immediate non fit secundum omnes partes proportionales, sed secundum partes aliquotas inter unum, & alterum porum mediantes, modo partes istæ secundum formam dici possunt, quia habent quantitatem sufficientem, cui poterit fieri additio substantiæ. Ex oppositio pars secundum materiam tripliciter dicitur; Primo, ut opponitur parti secundum formam primo modo, & ex illa, quæ caret esse formæ, quo pacto parti secundum formam privative opponitur, cum sit carentia ipsius. Secundo, ut opponitur parti secundum formam in secundo sensu, & est illa, quæ ex se non habet talem virtutem conservandi seipsam in toto, ac resistendi contrario licet habeat esse. Tertio, ut opponitur parti secundum formam tertio modo sumptam, quæ est pars illa proportionalis, secundum quam non fit nutritio, tunc ad Arist. ait Doctor, quod in prima propositione loquitur de parte secundum formam, & parte secundum materiam in tertia significatione; in secunda vero propositione loquitur de ipsis in prima, & secunda significatione acceptis, pars enim secundum speciem in primo sensu reduplicative non fluit, quia manet in toto, nec in secundo sensu, quia vim habet conservandi seipsam; sed fluit pars secundum materiam in primo sensu, quia illa pars prius dicebatur secundum speciem, quando erat in toto, modo quando fuit, non dicitur amplius secundum speciem, sed secundum materiam; similiter & in secundo sensu, quia si non habet virtutem se conservandi in toto, jam est in potentia proxima ad fluendum; ex quibus patet, quomodo Arist. sit potius pro nobis, ait enim quod fit additio parti secundum formam, ergo secundum ipsum non manet omnino eadem forma invariata, sed in nutritione advenit pars aliqua formæ. Ad 2. author. dicimus varie apud interpretes legi, Argyropolus enim vertit *indivisibilem*, quod tamen est intelligendum de vegetativa, & sensitiva, de quibus prius fuerat locutus, deinde etsi indivisibilem dicat, loquitur de indivisibilitate secundum speciem, non secundum extensionem, ut colligitur ex ipso textu. Vel loquitur de animabus perfectorum viventium, quarum partes nequeunt separatæ existere; de quo in lib. de Anim.

82 Ad 2. concedimus partem illam animæ esse actum corporis homogenei, quod in omnium sententia est asserendum, ideo enim anima informat corpus dissimilare, quia informat partes similares; definitio autem animæ non debet verificari de qualibet parte, sed de tota anima, nequit enim anima tota existere, quin corpus æterogeneum informet, quælibet tamen pars est solum actus corporis homogenei. Negamus etiam secundam conseq. aliæ enim partes in tantum animantur, quia a corde participant vitam, ad prob. dicimus animam partialem dependere in conservari, & produci a corde in genere causæ *efficientis*, & a parte carnis, a qua educitur, in genere causæ materialis; quamvis in aliquibus, præcipue in plantis, non adsit tanta dependentia inter partes. Ad 3. in vivente unam animam reperiri per continuationem, non plures, aliter omnem animam indivisibilem oporteret ponere, quod manifeste repugnat experientiæ in plantis, & animalibus imperfectis. Ad 4. dicemus quæst. seq.

Secundo, instari potest contra aliam partem concluſ. quod istæ partes non sint substantialiter actu distinctæ omnibus illis rationibus, quibus Thomistæ divisibilitatem substantiæ in partes entitativas impugnant, quas solvimus disp. 9. Phys. q. 1. art. 1. & disput. 7. Log. q. 2. art. 2. sed præsertim arguunt Complut. hic, primo ex hoc, quod materia non sit ex se una numero positive, sed negative, quare nequit in materia, ut intra genus substantiæ continetur, assignari partium distinctio. Sed hoc fundamentum jam diruimus disp. 2. phys. q. 4. arr. 1. & disp. 5. q. 3. art. 1. Deinde arguunt, quia substantia materialis, & completa debet esse quid per se unum, ut est genus intra lineam substantiæ, at si haberet partes entitativas una cum partibus physicis, non esset quid per se unum, quod prob. quia ex duobus toris completis non fit per se unum, at data nostra sententia in hac substantia esset totum resultans ex partibus entitativis, & totum resultans ex partibus physicis, quare includeret duas totalitates completas, & consequenter esset unum per accidens. Si dicas hæc duo tota non distingui realiter, sed sola ratione, ex eo quod totalitas entitativa nihil est aliud, quam tota entitas materiæ, & formæ unitæ, & totalitas per se Physica nihil est aliud, quam tota entitas materiæ, & formæ. Contra; illa tota realiter distinguuntur, quorum singulæ partes sunt realiter diversæ, sed partes totius integralis entitativi, & partes totius Physici realiter inter se distinguuntur, quia partes istius sunt materia, & forma, quæ realiter distinguuntur a quavis parte totius integralis, scilicet a capite, osse, brachio substantialiter sumptis, ergo &c.

83 Resp. si argum. concluderet, probaret etiam quantitatem non esse unum per se, in ipsa enim adest totalitas integralis, & totalitas Metaphysica, & sunt de per se conceptu quantitatis, nam extensio partium impenetrabilium est ratio quantitatis, in qua totalitas Metaphysica includitur, nec una totalitas se habet per modum actus, & potentiæ respectu alterius; dicimus ergo, idem ens substantiale complerum essentialiter includere utranque compositionem, quia ut notavimus in Log. disp. 7. q. 2. art. 2. compositio ex partibus integralibus est de essentia rei materialis, per hanc enim distinguitur a spirituali, ut suo loco dicemus, nec sunt duo tota realiter distincta, sed idem omnino est totum Physicum, & integrale; falsum est etiam, quod asseritur in impugnatione, scilicet partes utriusque totius realiter distingui, nam partes totius Physici sunt materia, & forma, partes totius integralis sunt caput, pes, brachium, &c. quæ etiam sunt eadem materia, & eadem forma secundum suas partes consideratæ; verum est tamen, quod alia est ratio totius Physici, & totius integralis, suntque formaliter alterius rationis, non exigitur autem, ut istæ duæ totalitates in unam per se coeant per modum actus, & potentiæ, sicut nec totalitas Physica, & totalitas Metaphysica in substantiis, & totalitas integralis, & Metaphysica in quantitate unam totalitem per se conficiunt, & tamen tam substantia materialis completa, quam quantitas sunt unum per se in genere: ratio est, quia sunt alterius, & alterius rationis, & sufficit, quod quælibet dicat unum per se conceptum ex eadem re desumptibilem secundum diversas considerationes.

84 Tertio, arguitur, quod alimentum non transeat in substantiam aliti. Tum quia ex Matth. 15. *Omne, quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*, ergo nulla pars cibi transit in substantiam aliti, aliter non omne emitteretur. Tum 2. nequit humidum radicale consumptum per actionem caloris restitui per nutritionem, aliter posset homo naturaliter se in æternum perpetuare virtute nutritionis, quod est falsum. Tum 3. saltem in homine non erit naturalis nutritio, & conversio cibi in substantiam aliti, quia nequit homo attingere unionem animæ rationalis in generatione, ergo neque in nutritione. Tum 4. infans mortuus in infantia resurget in ætate perfecta, & mole corporis illi ætati proportionata, & tamen non habuit novam carnem per nutritionem, ergo eodem modo homo adultus augetur in mole corporis absque conversione cibi in substantiam propriam. Tum 5. sequeretur vivens esse in continua deperditione, & nova acquisitione partium, & sic non esset idem toto vitæ tempore. Tum 6. ex D. Aug. lib. 10. super Gen. ad litt. c. 19. omnes homines fuerunt in Adamo non solum secundum seminalem rationem, sed etiam secundum corpulentiam substantiam, impossibile hoc autem videtur, si homines per nutritionem acquirerent novam substantiam, quæ sit de veritate naturæ, sic enim tota hominum caro fuisset in Adamo, quod est ridiculum. Tandem si fieret ista conversio, tunc homo in resur-

resurrectione resurgeret ingentis magnitudinis, quia deberet reassumere totam carnem nutrimentalem, quam habuit in hac vita; imo contingere posset, quod aliquis nutriatur carne humana, ergo si fieret ista conversio, eadem caro in resurrectione reperiretur in duobus, aut saltem eadem numero materia.

85 Resp. ad 1. ly *omne* distribuere pro quolibet cibo, non pro qualibet parte cibi, de quolibet enim est verum dicere, quod per secessum emittatur, quia in qualibet digestione fit aliqua fæcum segregatio, non tamen de omni parte, sed solum de terrestrioribus, puriores vero in substantiam convertuntur, licet sint exiguæ *quantitatis*. Nec officit, quod urget Arriaga *disp.* 2. de Gen. n. 77. hanc propositionem sic explicatam ineptam esse ad intentum Christi, nam voluit Christus probare, quod in os intrat, non coinquinare hominem, quia in ventrem vadit, & in secessum emittitur, ab hoc autem exigitur, ut totum eat in secessum, aliter ab illa parte remanente posset coinquinari homo; tum quia ly *omne* neutraliter positum idem est ac totum, nam licet dici possit omnia composita sublunaria esse materialia, non tamen est verum omne sublunare esse materiale, quia rationalis anima, quæ est pars compositi sublunaris, non est materialis. Non obstat, quia ut notant Bassol. 2. d. 30. q. un. ar. 1. & Ruvius hic per illam propositionem Christus voluit ostendere hanc cibi digestionem esse actionem naturalem potentiæ nutritivæ, & ideo non coinquinare, quod enim coinquinat, exit de ore, hoc est de corde, & manet in illo, quia actus voluntatis est primo peccatum, & de isto exeunt furta, homicidia, & adulteria. Neque urget, quod addit, nam Apost 1. Cor. 10. ait, *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate*, ubi ly *omne* non necessario significat totum, itaut Apostolus consuluerit, ut omnes cibos, & secundum quamlibet partem manducemus, sed recte potest fieri distributio ad omnes, & singulos cibos, non ad omnes, & singulas partes. Ad 2. dicemus q. ult. Ad 3. patet ex dictis n. 35. vere enim homo propria virtute attingit unionem istam partialem animæ, quia jam habet in sua potestate animam, at in generatione totaliter a Deo creatur, & libere. Ad 4. dicimus, quod Deus *supplebit* ex aliqua materia extrinseca in resurrectione. Ad 5. dicemus qu. 7. Ad 6. communiter ajunt Theologi, ideo homines in Adamo contineri, quia ab ipso descendunt tanquam a causa remota, & originaria secundum naturalem propagationem per virtutem generativam, quæ est ratio seminalis, & secundum corpulentam substantiam, quæ est materia subministrata a parentibus in generatione; non autem quod caro omnium hominum extiterit in Adamo. Ad 7. ait Doctor in 4. cit. quod homo in resurrectione solum habebit non quidem omnem carnem, quam per nutritionem acquisivit in via, sed quantum sufficit ad perfectam ætatem corporis virilis, & ex omnibus partibus carnis habebit puriores. Similiter si eadem portio materiæ fuisset in duobus hominibus, resurget in illo homine, qui prius fuerit de illa nutritus.

QUÆSTIO VI.

An nutritio continue secundum omnes viventis partes fiat.

86 PRima quæstionis pars duplicem sensum habere potest, primus est, an cum fit nutritio, fiat in instanti, vel successive; secundus est, an a principio vitæ usque ad finem incessanter, & absque interruptione fiat. Quoad primum sensum manet difficultas soluta ex dictis disp. 5. qu. 5. art. 1. eadem enim rationes probantes generationem inanimatorum fieri successive, idem de nutritione ostendunt, nam, licet viventium generatio petat fieri in instanti, eo quia viventia in generatione minimum sibi determinant; in nutritione vero, quia jam præsupponitur vivens existens, non necessario exigitur hoc minimum, idcirco se habent ut inanimata, & consequenter successive nutriuntur; jam enim anima præsupponitur introducta in determinata, & proportionata magnitudine, per quam possit proprias exercere operationes. Solum urgeri potest ex Scoto 4. d. 44. q. 1. L. ubi habet hæc verba: *Sed ex istis adhuc non habetur de modo augmentationis, quia illa aggeneratio, quæ fit in nutritione, est momentanea, augmentatio autem non, est in instanti, cum sit motus.* Dicimus tamen, quod Scotus ibi solum intendit nutritionem ab augmentatione distinguere, non vero assignare germanum modum nutritionis, an scilicet in tempore, vel in instanti fiat, & quoniam quoad successionem, etiamsi nutritio fiat in tempore, distinguitur adhuc ab augmentatione, nam hæc intrinsece, & per se petit in tempore fieri, illa vero solum extrinsece, & per accidens, intrinsece vero petit fieri in instanti, ideo Scotus posuit differentiam inter nutritionem, & auctionem penes hoc, quod petunt ex propria natura; ut diximus loco cit. de generatione non viventium art. 2.

87 Quoad 2. sensum communis opinio est, nutritionem non semper fieri continuo, & absque interruptione toto vitæ tempore, sed posse aliquandiu cessare: ita etiam colligitur ex Scot. 2. d. 2. q. 9. O. ubi hoc docet de mente Arist. 8. Phys. 23. quo loco asserit diminutionem, augmentationem, & alterationem fieri ad modum excavationis lapidis a gutta aquæ, sicut enim non a qualibet gutta lapis excavatur, sed ab ultima, cæteræ vero tantum disponunt, ita illi motus. Pater etiam, quia homo in instanti generationis non potest statim agere in alimentum, etiamsi illud approximatum haberet, sed necessaria est prævia alteratio, quæ in tempore fit, ergo datur aliquod tempus, in quo vivens non nutritur. In progressu etiam temporis dari potest aliqua interruptio, quia potest esse aliquod impedimentum, vel ex parte caloris vitalis, quia subest etiam ipse morbis, sicut & aliæ partes viventis, ergo si aliæ partes possunt tali morbo affici, ut motus illarum omnino impediatur, etiam naturalis calor poterit morbo aliquo debilitari, vel si ex magna ciborum copia maneat obstructus, & suffocatus, itaut poterit a sua actione impediri, & per aliquod tempus non agere, vel adeo remisse, & imperfecte, ut non possit alimentum perfecte disponere, & consequenter nec potentia nutritiva convertere poterit in substantiam aliti; unde atrophia, inquiunt medici, quod sit tabes, qua corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus partibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur, & nisi occurratur, extinguit hominem; Potest etiam esse impedimentum ex parte alimenti, ut si ineptum sit ad conversionem, vel si difficile disponatur, nam tunc per aliquod tempus cessabit conversio. Addunt tamen, quod cum calor vitalis sit agens necessarium, semper aliquam actionem exercebit, vel transmutando alimentum in substantiam aliti, vel præparando alimentum aliqua ex prævis decoctionibus, vel tandem, si non adsit cibus, in propriam viventis substantiam aget illam absumendo, qua ratione nequit vivens diu sine alimento vivere, quia tunc calor consumeret humidum radicale, itaut corpus redderet omnino ineptum ad animationem; Unde concludunt ordinarie non posse hominem sine cibo vivere ultra septem dies, ut voluit Hippocr. lib. de carnibus, vel ultra undecim, ut placuit Plin. lib. 11. cap. 54.

88 Verum Licetus in opere, *De his, qui diu vivunt sine alimento*, multum quidem erudite demonstrat tum lib. 1. tum lib. 3. posse viventia sine alimento diu consistere, sive vegetantia sint, sive sensitiva, tam terrestria, quam volatilia, & aquatilia, imo de quibusdam hominibus refert ex authoribus fide dignis usque ad quadraginta annos, & ultra extitisse sine alimento. Hujus rei causam assignare conatur lib. 3. a cap. 14. & inquit, quod cum duplex sit alimentum, scilicet remotum, & proximum ex dictis n. 52. dupliciter poterit diu vivens sine alimento permanere, vel sine remoto tantum, si scilicet cibum non sumat, nutriatur tamen interius proximo alimento, vel sine utroque; primo modo contingit jejunium in quibusdam animalibus regulariter, ursa enim, teste Arist. 6. de hist. Anim. c. 30. circiter quadraginta dies latet sine cibo, quo tempore multum pinguescit, idem dicitur de gliribus, per totam enim hyemem dormiunt, & valde pingues evadunt, de serpentibus etiam, stellionibus, cicadis, crocodillis fluvialibus, & aliis refertur per totam hyemem jejunare; quod evenit, quia alimentum proximum ex pituita, & succo valde viscoso constat, unde potest calori naturali resistere, ne cito consumatur, cui accedit modica vis concoctiva, qua ratione impotens est succum illum concoquere, & immutare, hinc in adipem, & pinguedinem convertunt.

89 Deinde explicat, quo pacto possit diuturnum jejunium contingere sine utroque alimento, nam ut diximus disp. 2. q. 1. actio semper provenit ex *proportione majoris inæqualitatis*, itaut si agens sit viribus æqualibus, vel imbecillioribus cum passo, nunquam sequeretur actio; poterit igitur evenire, quod calor naturalis sit taliter temperatus, ut ab humido radicali excedatur, vel saltem æquetur in activitate, & resistentia, quo casu calor naturalis non absumet humidum radicale, & consequenter non consumendo humidum partes non desiccantur, unde neque humorem attrahunt a vasis præcipue a ventriculo, neque appetitus cibi, vel potus subsequitur, fames enim, & sitis causantur ex dictis nn. 73. quando exsiccatæ partes corporis a vasis, seu venis trahunt alimentum, vasa ab aliis sugunt, quousque tractio ad os ventriculi perveniat, unde appetentia consequitur ciborum, & potus. In hoc casu potest diu contingere jejunium utriusque alimenti absque consumptione propriæ substantiæ viventis, & macie, imo si calor est validius, sed æqualis validi humori, poterit vivens exercere alias operationes sensitricis, & rationalis animæ, puta sensationes, motum locale agilem, discursum, præterquam operationes animæ vegetabilis; si enim non repugnat actum primum esse sine secundo, ut in anima sensitiva, & rationali quotidie experimur, multo magis poterit vegetativa, quæ est aliis imperfectior, impediri a propria operatione, & cum hoc corpus informare; si vero calor est exilis, & debilis, sic vivens non solum redderur impotens ad nutritionem, sed etiam ad sensationes, & discursum, unde veluti semimortuum jacet, quod explicat multis exemplis. Potest etiam evenire, quod calor excedat parumper humidum, ut nonnisi post multum temporis minimam humidi portionem consumere valeat; & hoc jejunii genus est cum tabescentia, & aliqua corporis imminutione; & quoniam hæc temperamenta possunt brevi, ac longævo tempore in viventibus permanere, hinc poterunt brevem, vel diuturnam abstinentiam causare. Cæterum quamvis hæc omnia, & quamplura alia, quæ ibi adjungit pro explicatione hujus sententiæ, sint subtiliter asserta, nec sine magno fundamento, solum rationabiliter dubitari potest, hæc temperamenta non posse diu in homine consistere, qui tot mutationibus tum ab intrinseco, tum ab extrinseco provenientibus est subjectus, quin notabiliter immutetur; unde consistentia illa in eodem temperamento per longum tempus potius videtur metaphysica quædam speculatio, quam casus moraliter, physice, & in praxi possibilis, quapropter jejunium ita longævum, ut multum temporis perseveret, vel fabulosum, vel supernaturale judicamus.

Dices, Scotus 4. d. 44. qu. 1. L. ponens differentiam inter nutritionem, & auctionem, ait nutritionem semper fieri, non vero augmentationem. Resp. ibi loqui de augmentatione usque ad

ad debitam magnitudinem *corporis*, quæ solum usque ad tempus statutum perseverat, ut dicemus, at nutritio fit semper, idest usque ad finem vitæ, licet possit etiam regulariter aliquantulum, & parumper interrumpi.

90 Circa secundam quæsiti partem not. quod in vivente partes integrantes, aliæ sunt ætherogeneæ, & dissimilares, aliæ homogeneæ, & similares, & istarum aliæ sunt aliquotæ, & non communicantes, aliæ sunt proportionales, & communicantes; clarum est ætherogeneas augeri mediate, quia scilicet augentur homogeneæ, ideo enim crescit manus, quia caro, ossa, venæ, nervi, ex quibus componitur manus, augentur, ita Aris. 1. de Gen. 35. Rursus not. ex Scot. 4. d. 44. q. 1. K. quod dantur in corpore pori, qui sunt foramina quædam, & cavitates, quod patet experientia, nam sudores, & excrementitii humores egrediuntur e corpore, aer e contra corpus ingreditur, & penetrat, quod fit per poros; qui pori in corpare non sunt infiniti, licet per omnes partes corporis sint dispersi, aliter totum corpus esset perforatum, nec sunt immediati, sed inter unum, & alium mediant partes, quibus per eosdem poros approximatur alimentum, nec sunt æqualis multitudinis, aut magnitudinis in omnibus, sed unum corpus est porosius altero, & una pars altera parte juxta propriam naturam cujuslibet; imo idem corpus in juventute majores, ac plures habet poros, quam in senectute, quia plus alimenti indiget, & per majorem partium dilatationem majores fiunt pori. Non sunt autem vacui, sed si alimento non sunt repleti (inserviunt enim veluti aquæductus, per quos alimentum proximum omnibus partibus defertur, & subministratur) alio corpore occupantur de facili cedente, cum est necessarium; vel interdum sunt conjuncti, & contigui secundum latera, & advenienti alimento deinde ftatim aperiunt latera, illudque recipiunt; His adnotatis.

91 Dicendum est, vivens non nutriri immediate secundum omnes partes proportionales, sed secundum aliquotas; ita Scotus cit. Prima pars prob. quia tunc quodlibet vivens semper in duplo nutriretur, & consequenter in duplo semper augeretur; quod est falsum. Tum quia nutritio fit per conversionem alimenti in poris inclusi, sed non quælibet proportionalis pars habet porum, sed inter duos poros mediant plures, imo infinitæ partes proportionales, ergo non quælibet proportionalis pars immediate nutritur. Secunda pars prob. & explicatur, nam quælibet pars vivit, ergo quælibet pars nutritur, cum nutritio sit propria operatio animæ vegetantis; Tum quia in qualibet parte aliquota reperitur calor naturalis, ut patet, & in qualibet parte adest alimentum approximatum per poros, ergo in qualibet parte fit nutritio, illud enim alimentum, quod per poros juxta positum erat huic parti, & consequenter contiguum illi, post conversionem illius alimenti in substantiam aliti, jam juxta ponitur per continuationem illi parti, cum sit ejusdem speciei cum illa. Nec per hoc sequitur poros deficere, quia idem calor naturalis, cujus virtute concoquitur alimentum, quasdam partes ejus resolvit in vaporem, & vapor iste quasi impellens partes viventis versus externum locum, tam quæ erant, quam quæ de novo sunt genitæ, dilatat, & per talem dilatationem fit novus porus. Quod addit hic Ruvius de partibus proportionalibus, & aliquotis, parum refert, consistit enim discrimen in modo loquendi, cum enim dicimus, quod partes proportionales non immediate augentur, sensus est, quod non omnes partes immediate habent alimentum juxtapositum, quod negari nequit.

Dices, si nutritio viventium fit per juxtapositionem alimenti in poris, ergo non differt a nutritione non viventium, quæ etiam fit per juxta positionem, ut patet in igne, hoc autem est contra Arist. 1. de Gen. c. de augment. Insuper ipsemet tex. 33. ait, auctionem fieri secundum omnes partes, universaliter loquitur de omnibus partibus non distinguens de partibus proportionalibus, & aliquotis, ut fecit, cum tex. 32. distinxit de partibus similaribus, & dissimilaribus, ergo intellexit nutritionem fieri secundum partes proportionales. Tandem quia augmentatio non fit secundum omnes dimensiones, plus enim crescit vivens secundum longitudinem, quam secundum latitudinem, ergo non augetur secundum omnes partes etiam aliquotas.

92 Resp. ad 1. neg. conseq. quia nutritio inanimatorum fit per juxtapositionem externam ex una tantum parte, vel si fieret secundum omnes partes in circuitu, jam pabulum adhuc erit extrinsecum toti igni, imo si fieret secundum partes aliquotas, hoc esset per accidens, non enim sic petit natura corporis inanimati; at nutritio viventium fit per intus sumptionem alimenti in poris, & venis, & secundum omnes partes ex sui natura. Ad 2. satis distinxit Arist. tex. 35. dum inquit, *Adhuc autem quodcumque signum sensibile aut majus, aut minus factum esse, & non vacuum este corpus, neque duas magnitudines in eodem loco*, per ly namque *signum sensibile* partes intellexit aliquotas. Ad 3. concedimus vivens in longum plus augeri, eo quia corpus ut sic erit magis animæ proportionatum, ut ab illa possit moveri, & quia potentia nutritiva sequitur regulam generativæ, sicut ista in longum formavit corpus, sic illa in longum magis protendit.

Dices etiam cum Arriaga disp. 2. de Gen. sect. 5. docente, dentes, & ossa transacto incrementi tempore non amplius nutriri: ratio est, quia partes istæ, & universaliter duriores partes, ita exsiccantur, & illarum pori clauduntur, ut non possint amplius sugere alimentum, quo nutriantur. Tum quia si ossa essent capacia nutritionis, sicut caro, semper posset homo in altum crescere, & maxime si concedatur crescere secundum latitudinem, non enim est major ratio de una, quam de altera dimensione. Tum 3. quia etiam in gravissimis morbis non minuitur hominis statura, ergo non patiuntur decrementum, & consequenter non nutriuntur, aliter semper augerentur, quia nutritio, si ex alio capite non adest diminutio, semper causat auctionem.

Resp. has rationes non satis convincere, solum enim ostendunt partes duriores, quia sicciores, post temporis incrementum non tam facile nutriri; tum quia calor in illis non multum viget; non tamen ostendunt nullatenus amplius nutriri, quia adhuc sunt animata vegetativa, proportione gaudent vitali calore, & semper habent alimentum approximatum, non crescunt autem versus longitudinem, quia jam vivens pervenit ad statum, & quamvis notabiliter non decrescant propter dutitiem, non nihil tamen minuuntur quandoque, maxime in morbis. Et specialiter est id asserendum de dentibus, qui nisi continuo nutrirentur, totaliter quam primum deficerent, non enim solummodo decrescunt ex actione caloris, ut omnes aliæ partes, sed etiam continuo ciborum attritu, unde maxime indigent supplemento, ita notavit Arist. 2. de Gen. Anim. cap. 4.

QUÆSTIO VII.

An vivens toto vitæ tempore idem numero permaneat.

93 EX hucusque dictis actione caloris naturalis in viventes duo fiunt, consumitur ex una parte substantia propria corporis, & resoluta in vapores, & excrementa decrescit corpus; ex alia vero parte convertitur alimentum in substantiam ejusdem viventis, ut reparetur, quod erat amissum, & cum transmutationes istæ toto vitæ tempore fiant, jam non videtur ad finem vitæ permanere ulla pars eorum, quam habuit vivens in principio vitæ, (quod maxime urget in aliis viventibus ab homine, in quibus mutatio fit tam secundum animam, quam secundum corpus, ubi in homine fit solum secundum corpus) mutatis autem partibus substantialibus ex parte formæ, & materiæ mutatur entitas, & substantia rei, quare merito dubitari solet, an maneat idem vivens numero ante, & post nutritionem toto tempore vitæ.

94 Conveniunt omnes Philosophi in hoc, quod idem numero vivens maneat a principio vitæ usque ad finem, ita Arist. 1. de Gen. c. 5. & ratio suadet, quia videmus senes recordari eorum, quæ in adolescentia evenerunt; eadem fere accidentia scilicet cicatrices, nævos, & similia persistere in corpore, ergo eadem quoque substantia. Tum quia nutritio non esset quædam aggeneratio secundum partem, sed potius simpliciter generatio totalis. Et tandem Christus Dominus, qui in utero virginali conceptus fuit, & a purissima Virgine ablactatus, idem numero factus homo a Judæis pro salute humani generis Cruci fuit confixus. Discrepant tamen in modo, quo identitas hac numerica salvari possit cum tot mutationibus, nam qui sustinent in nutritione nullam formæ partem acquiri, vel deperdi, salvant unitatem hanc, quia permanet toto vitæ tempore eadem numero forma, licet varietur materia, & quia unitas principalius est a forma, ideo vivens idem numero permanet, ita Auctores cit. n. 75. Alii ex *oppositio*, quorum est *Morisanus disp. 3. de Gen. dub. 5.* Joan. de S. Th. q. 8. art. ult. salvant unitatem numericam per æquivalentiam, concedunt enim in fine vitæ nihil remanere ex vivente, quod fuerit in principio, attamen quia hæc partium mutatio non simul, sed successive, & longo temporis intervallo facta fuit, & modo secundum unam partem, modo secundum aliam, & pars, quæ succedit, est similis omnino parti corruptæ, ideo censetur idem numero vivens permanere, eo modo, quo flumen semper idem censetur, quamvis secundum partes varietur; sicut etiam navis, licet nunc renoverur arbor, cras temo, modo carina, modo puppis, modo hæc tabula, modo alia, itaut post multum temporis omnes ipsius partes erunt immutatæ, & tamen eadem navis censetur per æquivalentiam; hunc dicendi modum probabilem putat Hurt. disp. 6. Phys. sect. 5. & ab ipso P. Faber theor. 40. cap. 4. in re non discrepat.

95 Conimb. 1. de Gen. c. 5. q. 12. art. 2. primum differunt a præcedenti opinione, ajunt enim vivens mutari toto vitæ tempore secundum partes materiales, non secundum partes formales, vocant partes formales partes integrantes secundum communem essentiæ rationem spectatas, materiales vero easdem consideratas quoad conditiones individuantes; quæ explicatio placet Hurtado. Joan. de S. Th. per partes materiales intelligit partes integrales secundum se, per partes formales easdem consideratas sub illa dispositione, sub qua manet caro quantum ad figuram, temperamentum, ordinem, & continuationem ad reliquas partes. Complut. disp. 6. de Gen. q. 5. ajunt, *partem carnis materialiter consideratam dicere hanc partem carnis alias identificatam, vel unitatem per continuam, & imperceptibilem successionem; formaliter vero dicere hanc, vel illa partem prout secundum se identificatam cum hac certa, & determinata substantia præexistenti, secundum quod, prout est pars, ratione quantitatis unitur secundum continuationem cum partibus præexistentibus.* Alii distinguunt de partibus integrantibus, aliquæ enim fluentes dicuntur, aliquæ vero permanentes, vivens secundum illa variatur, idem vero numero permanet secundum istas, sed differunt in assignatione harum partium, nam quidam ajunt alias partes esse spermaticas, quæ immediate generantur ex semine, & sunt omnes illæ, ex quibus componitur substantia producta per generationem, alias esse nutrimentales, quæ per nutritionem

nem acquiruntur, alias permanentes appellant, istas fluentes. Alii vero partes dividunt in duriores, ficciores, & solidiores, ut sunt ossa, nervi, cartilagines, &c. & istas permanentes ponunt, & in partes molliores, & humidiores, ut caro, venæ, &c. quas fluentes asserunt esse.

96 Dicendum est unitatem numericam viventis rectius non posse servari, quam ex hoc, quod partes solidiores licet fluant, magna tamen ex parte invariatæ manent quoad substantiam, licet mutentur quoad accidentia; ita Ruvius 1. de Gen. tractat. de nutrit. q. 9. Biragus ibid. q. 12. Aresi. quæst. 34. Aversa q. 50. Philos. sect. 4. & ex parte Zab. lib. de accret. c. 23. & colligitur ex Scot. 4. d. 44. quæst. 1. M. ubi ait multas partes fluere in vita hominis, & multas redire, unde si putasset nullam partem servari eandem per totam vitam, dixisset omnes partes fluere, ergo aliquæ partes permanent secundum Scotum. Prob. autem primo refutando omnes modos allatos, & quidem primum dicendi modum, quod permaneat forma, jam confutavimus qu. 5. Deinde quod identitas per æquivalentiam non sufficiat, prob. quia ista unitas non est proprie unitas numeralis, sed in æstimatione quadam morali; nec salvat, quod ista mutatio paulatim fiat, & una pars vere continuetur alteri; hæc enim omnia non inferunt identitatem numeralem, sicut non tollunt realem distinctionem, nam pars, quæ succedit, est realiter a præcedenti distincta, ergo progressu temporis totum vivens erit numero diversum totaliter a vivente in principio vitæ. Neque unitas partium formalium secundum communem rationem essentiæ est sufficiens, quia hæc unitas non est numeralis, quæ a differentiis individuantibus sumitur, sed est specifica, & essentialis, sic vivens in fine vitæ non necessario habebit eadem accidentia, quæ habebat in principio, quod est contra experientiam; tum quia quando pars aliqua cicatrice signata fluit, & nova succedit, hæc nova non deberet signata generari, quia virtus productiva ex se intendit producere partem fine aliquo defectu, nec est assignabilis aliqua causa cogens virtutem illam ad producendam cicatricem, ergo non quælibet pars viventis fluit, sed aliqua remanet; quod etiam impugnat unitatem per æquivalentiam. Nec expositio Joan. de S. Thom. aliquid valet, dispositio enim illa, figura, temperamentum, ordo, & continuatio, cum sint accidentia, non inferunt unitatem numericam substantialem, sed accidentalem; tum quia nec accidentia ista sunt eadem numero, sed specie, variantur enim ad variationem subjecti, quare solum inferunt unitatem per æquivalentiam. Quod addunt Complut. vel est idem cum dicto Joan. de S. Thoma, sed magis confuse explicatum, vel si aliquid diversum docent, est falsum, & in solis verbis consistit.

97 Insuper non est verum, partes spermaticas semper in vivente permanere, tum quia Arist. 1. de Gen. 32. & seq. docet omnes partes nutriri, augeri, & diminui, ergo etiam spermaticæ partes minuuntur, non semper permanent; tum quia ut ait Doctor cit. partes spermaticæ sunt ejusdem rationis cum nutrimentalibus, ergo sicut istæ fluentes sunt, quoniam humidum habent cum calore admixtum, etiam illæ: tum quia si hoc esset, jam puer recenter genitus non indigeret alimento, & nutritione, ut perditum restauretur, sed tantum ut augeatur, nam calor naturalis non posset in humidum illud agere, hoc autem est falsum, quia si non alitur, statim moritur; cui accedit, quod materia, quæ ab ortus principio trahitur, est modica, ut est embrio in animalibus, semen in plantis, quomodo igitur poterit postea diffundi humidum in illa inclusum per tantam molem, quanta est magnitudo animalis perfecti, & plantæ? Ex his etiam impugnatur alter dicendi modus, quod partes duriores non fluant, nam istæ quoque sunt animatæ ex calido, & humido compositæ; tum quia si nullo modo fluerent ossa, & solum illis fieret additio alterius substantiæ per nutritionem, jam per totam vitam augerentur hæ partes, & consequenter vivens per totam vitam augmentaretur, aut saltem augmentatio celerius fieret, & in majori mole, quam modo fit.

98 Concludendum est igitur omnes partes viventis sive spermaticas, sive nutrimentales, sive molliores, sive duriores fluere; cum hoc autem stat, quod non est necesse, ut partes duriores totaliter fluant, ut nulla earum partium, quas habuit vivens a principio, permaneat eadem numero in fine vitæ, imo magna ex parte invariatæ manent quoad substantiam, ratio est, quia partes istæ cum humiditate magnam habent annexam siccitatem propter prædominium terræ, unde ex se habent, ut possint valde calori resistere, qui adhuc in ipsis non est tantæ activitatis, ut in partibus mollioribus tam humidum, quam calor magis urget, ergo licet calor continuo agat in partes duriores, quia agit remissiori actione, nequit totaliter illas destruere, & licet consumat humidum cibale, cum hoc tamen etiam advenit pars aliqua sicca, & terrestris, quæ alteri siccæ parti conjungitur; hinc est, quod ossa non totaliter corrumpuntur, neque cutis, ut patet in infirmitate, in qua licet caro, & partes molliores multum decrescant, ossa tamen, & pellis fere nihil, vel parum diminuuntur; unde dicebat Arist. in lib. de juvent. & senect. quod senectus non est aliud, quam quædam corporis exiccatio, quoniam humidum semper minuitur, siccum vero crescit; quod potest exemplis declarari, ignis enim comburit lignum, permanent cineres, aqua citius excavat, & magis lapidem mollem, quam durum. Verum est tamen, ut notat Doctor cit. lit. E. quod hæ partes remanent quoad accidentalia alteratæ, & impuriores, eo quia omne agens in agendo repatitur, & debilius evadit.

Specialiter tamen est dubium de corde, cerebro, & jecore, quæ sunt partes principaliores viventis, a quibus pendent operationes vitales, & tamen sunt fluidæ, & maxime fluxui obnoxiæ, quare si mutantur totaliter, parum referret, quod cæteræ minus principales permanerent; dicimus tamen, cerebrum secundum aliquas partes conservari, quia in ipso viget frigiditas, & calor est debilis (quomodo autem conserventur, vel deleantur species in cerebro stante isto fluxu, dicemus in lib. de anima) de corde dici potest permanere adhuc secundum partes terrestriores, quia ut sæpe diximus, in qualibet coctione fit separatio harum partium a subtilioribus: idem de jecore, quamvis si totaliter mutetur, parum referret.

99 In oppos. arg. ostendendo omnem partem viventis totaliter fluere, & consequenter vivens non permanere idem numero, nam Arist. 1. de gener. 36. comparat partes viventis aquæ per aliquam mensuram transeunti, at aqua totaliter fluit, &tex. 44. comparat nutritionem mixtioni æquæ cum vino, vinum autem, si sæpius misceretur cum aqua, totaliter mutaretur. Tum 2. ex Scoto sæpe cit. qui ostendit contra Magistrum nullam partem corporis esse simpliciter incorruptibilem, & manere in corpore, ergo per ipsum omnes partes corporis fluunt. Tum 3. progressu temporis complexiones, & temperamenta mutantur ad variationem ciborum, itaut quidam veneno assueti venenosam acquisierint naturam, ergo in nutritione omnes partes transmutantur. Tum 4. etiamsi partes duriores permaneant, adhuc non salvatur numeralis unitas, quia major est numerus partium, quæ fluunt, & redeunt, quam illæ permanentes, ergo potius dici debet vivens diversum, quam idem, denominatio enim a majori, & principaliori parte sumi debet, inter quas primum locum obtinent cor, cerebrum, & jecur; similiter in planta plures sunt partes per augmentum superadditæ, quam sint illæ, quas planta in instanti generationis habebat, ergo potius diversa erit propter tam magnum excessum novarum partium, quam eadem numero ex illa parvula materia; Quibus accedit, quod ramus præcisus omnino diversam constituit arborem a trunco, ergo etiam antea erat diversus numero, non idem. Tandem generans est realiter a genito distinctum, partes acquisitæ per nutritionem sunt causatæ a præexistentibus, ergo distinguuntur, quare nequeunt idem numero constituere.

100 Resp. ad 1. exempla esse similitudines, non identitates, quare exemplum de aqua solum declarat fluxum partium, non tamen totalem fluxum; exemplum de vino ostendit impuritatem, quam acquirit vivens ex actione in alimentum, de qua loquemur q. ult. Ad 2. dicimus intentum Scoti ibi esse ostendere solum contra Mag. non dari partem simpliciter incorruptibilem, & totaliter, quod nos concedimus, non tamen asserere omnes partes totaliter fluere debere, hoc enim est contra rationem decoctionis, in qua partes terrestriores semper permanent, quia ut sæpe dictum est, in mixto adest quædam varietas partium, quarum aliæ sunt subtiliores, aliæ grossiores, illæ facile exhalant, non istæ. Ad 3. ex continua nutritione acquiri simile temperamentum temperamento ciborum, quia vere partes molliores transmutantur. Ad 4. concedendo in vivente non adesse exactam, & perfectam unitatem numericam, qualis reperitur in rebus spiritualibus, adhuc tamen reperiri veram unitatem numeralem, licet cum aliqua mutatione; neque ex hoc quod longe plures sunt partes fluentes, ideo vivens diversum censendum erit, quia partes aliæ sunt principaliores, & intimiores, ut ossa, nervi, cutis, & similia, quæ magis faciunt ad conservationem viventis, aliæ sunt magis extrinsecæ, & minus principales, ut caro, quæ non ita principaliter ad conservationem viventis pertinent, nam homines reperiuntur fere sine carne, non tamen sine ossibus, nervis, &c. & quia illæ permanent, non istæ, ideo denominatio sumitur ab illis, non ab istis: de corde, & aliis diximus nu. 98. In planta fatemur esse minorem unitatem, quam in cæteris viventibus, sicut vivit imperfectiori vita, quam cætera viventia, ex istis enim divisione non fiunt duo numero viventia, ut evenit in planta, adhuc tamen dicitur una numero continuitate, & quia partes magis in ipsa eadem conservantur, quam in aliis viventibus, quoniam magis terrestris siccitas urget, & calor remissior adest, non debet autem fieri comparario inter vivens, ut est in fine vitæ, & ut primo fuit genitum, ut sic enim patet, quod valde excedit secundum partes, sed comparari debet, ut est in fine vitæ ad seipsum in tempore augmenti, nam sic apparebit vivens in fine habere easdem fere partes duriores, quas tempore incrementi acquisivit, eo quia istæ totaliter non fluxerunt. Ad ult. concedimus partes præexistentes causare partes de novo in nutritione acquisitas, & consequenter realiter partialiter distingui, neg. tamen conseq. quod non possint unum individuum integrare, sicut ignis generans, & ignis genitus possunt unum ignem constituere integraliter: & materia, & forma, quia unione per se essentiali uniuntur, faciunt unum per se, quamvis forma sit effectus materiæ in genere causæ materialis.

101 Secundo, arg. quod partes duriores non fluant; Tum quia si omnes partes variantur, ergo corpus semper renovatur per nutritionem, & nunquam senescet, quia semper novas, & recentes partes acquireret, quod est contra experientiam. Tum 2. calor naturalis non est summe intensus, ut ignis calor, sed valde temperatus, ergo non poterit consumere duriores partes. Tum 3. videmus hominem ob gravissimam infirmitatem deperdere totam fere carnem, non tamen partes duriores, ergo &c. Resp. his rationibus probari solum, partes duriores non destrui totaliter, & in magna quantitate, cum hoc tamen stat, quod aliqualiter consumuntur secundum substantiam, & multo magis secundum accidentalia,

talia, qua ratione homo senescit tam secundum partes molliores, quam secundum duriores, de quo dicemus quæst. ult.

Dices, Arist. 1. de Gen. 35. & seq. volens adducere rationem, cur vivens toto tempore idem permaneat, non assignavit persistentiam partium solidarum, sed dixit hoc esse, quia partes sustentiam partium solidarum, sed dixit hoc esse, quia partes sustentiam partium solidarum, sed dixit hoc esse, quia partes sust

partes, quas habuit Petrus in initio vitæ, remaneant in fine post decursum multorum annorum, nam Scotus non dicit multas partes ex iis, quas habuit in principio vitæ fluxisse; nec id erat ipsi necessarium ad intentum; sed dicit multas partes fluxisse in vita, & hoc quidem est verum; & non poterat esse verum, quod omnes partes quas habuit in vita fluerent in vita, nam non fluxerunt in vita partes ultimo acquisitæ, nec partes omnes, quas habuit ultimo anno vitæ; ergo Scotus nihil dixit contra doctrinam prædictam; ex quo obiter concludit (non tamen prima vice, nec ultima) nos non recte intelligere Scotum, etiam cum clare loquitur.

Resp. negando assumptum cum sua probatione, nam si arguens attente legisset, ac secluſa passione examinasset rationes a nobis ex Scoto deductas, non unam, sed plures invenisset, cur in decursu multorum annorum non omnes partes deperdantur, quæ erant in initio vitæ; invenisset præsertim sub n. 98. rationem, cur non obstante, quod nulla pars viventis sit simpliciter incorruptibilis, & quod de facto plurimæ corrumpantur, non tamen omnes corrumpuntur; videatur ibi ratio, & discrimen inter partes duriores, & molliores viventis, quam arguens noluit videre, nec examinare, ne cogeretur respondere; quod utique facere debebat, si assumptum suum probare volebat.

Quantum vero attinet ad Scoti auctoritatem, quod nihil contra hoc dicat in illa d. 44. q. 1. Bone Deus! quot mendacia in eo discursu continentur ad decipiendum lectorem, nosque apud eundem traducendos tanquam litteræ Scoti ignaros? tunc videbit lector, quis nostrum melius intellexerit Scotum; & num Doctor aliquid contra hoc suum paradoxum dixerit. Agitat ibi Doctor illam quæstionem, an in quolibet homine resurget totum, quod fuit de veritate humanæ naturæ; & ab initio quæstionis §. *circa istam* pro resolutione quæstionis ait, opus esse videre identitatem partium eterogenearum, & homogenearum corporis humani, & primo qualiter pars homogenea, puta caro, in continua nutritione maneat eadem, & non eadem; deinde *quantum ergo* ponit quatuor conclusiones, & in tertia, & quarta facit comparationem inter carnem novam in nutritione acquisitam, & eam, quæ primo habita fuit in generatione, & ait hanc esse puriorem illa, & majorem habere virtutem resistendi corrumpenti; & quod caro nova adveniens quanto posterius generatur, tanto est impurior, quia ab impuriore genita, & minorem habet virtutem resistendi; Hinc infert in quarta conclusione, quod unaquæque pars carnis habet certam periodum in toto, & tanto majorem, quanto purior, tamdiu enim potest esse suum conservare in toto, quamdiu potest per qualitates suas resistere corrumpenti, hæc autem periodus major est in partes prius genitas, quam posterius; Declarat deinde dictum Philosophi de distinctione carnis secundum speciem, vel formam, & secundum materiam, quæ præmissa declaratione concludit lit. K, pars ergo secundum speciem non fluit secundum primum intellectum, quia manet in toto; nec secundum secundum intellectum, quia habet virtutem se conservandi in toto; nec secundum tertium intellectum, quia habet quantitatem sufficientem, ut aliqua pars ad sui conservationem sibi aggeneretur.

Tandem descendendo ad resolutionem quæsiti §. *de secundo* supposito, inquit, quod ad veritatem naturæ hujus hominis pertineat, non tantum partes essentiales, sed etiam integrales, tam etherogeneæ, quam homogeæ, & breviter quicquid fuit aliquando animatum anima intellectiva, dico primo non quicquid fuit in Petro pro tota vita ejus resurgit in eo; probatur breviter, quia ex quo tales partes multæ fluxerunt in vita ejus, & aliæ multæ redierunt ex præcedente articulo &c. Deinde in secunda conclusione resolvendo quæ partes resurgent, ex duplici via concludit, quod præsertim resurget quicquid tractum est a parentibus, quia secundum unam viam illud est purissimum inter omnes partes corporis, & secundum aliam illud est maxime de intentione naturæ.

Ex hoc toto discursu constat tam in præcedentibus textum a nobis, & a Pontio citatum, quam in subsequentibus, quod dum Doctor quærit, quæ partes resugent ex his, quæ fluxerunt in vita, loquitur non tantum de partibus, quas habuit vivens in vitæ progressu, ut Pontius interpretatur, sed de omnibus indifferenter, tam illis scilicet, quas habuit in vitæ progressu, quam ab initio vitæ, quas dixit lit. F, & G, esse cæteris supervenientibus puriores, & minus fluxibiles; & hoc præsertim patet ex secunda conclusione, quam ponit in resolutione quæsiti, ubi lit. P, declarans, quomodo resuscitatus habebit eandem carnem, quam habuit hic vivus, ait: Dico quod non habebit præcise eandem, quam habuit in aliquo instanti, vel in aliquo tempore vitæ suæ, sed nec habebit totam illam, quam habuit in aliquo tempore, præter illam, quam conraxit a parentibus, illa quidem totam habebit &c. hæc Scotus; qua igitur ratione ait Pontius, quod cum Doctor ait lit. M, quod multæ partes fluxerunt in vita ejus, non loquitur de iis, quas habuit in principio vitæ, nec id erat ipsi necessarium ad intentum? vide, lector, quam bene intelligat Scotum hic calidus Scotista, qui in quacumque pagella illius append. blaterat, nos Scotum non intelligere etiam cum clare loquitur; Sed quid laboramus colligere hanc veritatem ex antecedentibus, & subsequentibus conclusionem illam primam Scoti litt. M, si ex ipso contextu etjam ab arguente citato id manifeste patet? ait enim Doctor: *Non quicquid fuit in Petro pro tota vita ejus resurgit in eo, probatur breviter, quia ex quo tales partes multæ fluxerunt in vita ejus &c.* ubi satis patet per tales partes multas fluxas intelligere, quas Petrus habuit *pro tota vita ejus*, ut loquitur Doctor, per totam autem vitam, utique non possumus intelligere unam partem vitæ aliam excludendo, sed totam ejus periodum a principio usque ad finem; ergo per partes fluxas Doctor non intelligit eas dumtaxat, quas habuit in aliqua parte vitæ excludendo initium, sed de omnibus indifferenter, unde liquet, arguentem non intellexisse textum etiam ab ipso citatum, *quamvis sit clarissimus.*

Sed ut ulterius ostendamus quam parum versatus sit hic Auctor, & falsus in Scoti intelligentia, ponderemus intimius ejus explicationem; inquit, Doctorem, cum dixit multas partes fluxisse in vita, loqui de partibus acquisitis successive per nutritionem, non de his, quas habuit in prima generatione a parentibus, & hoc quidem est verum (inquit ipse) multas scilicet tales fluxisse, & non poterat esse verum, quod omnes tales fluxerint, nam non fluxerunt in vita partes ultimo acquisitæ, nec partes omnes, quas habuit ultimo anno vitæ. At hoc manifeste repugnat doctrinæ, quam docet Doctor litt. F. & G, ubi inquit, quod major est periodus in parte prius genita, quam posterius, quia illa est efficacior ad resistendum contrariis; quam ista, ergo secundum hanc doctrinam facilius est, quod fluant partes ultimo acquisitæ, & quas vivens habuit ultimo anno vitæ suæ, quam illæ, quas habuit annis præcedentibus; ergo hæc Pontiana explicatio directe repugnat Scoto bene intellecto.

Præterea quod nihil dicat Scotus in ea quæstione contra suum paradoxum, est penitus falsum, nam litt. F, assignat partibus carnis, quæ est pars mollior viventis certam quandam periodum, quam non assignat ossibus, nervis, cuti, aliisque partibus durioribus, & magis solidis; signum evidens putasse aliquas ex istis remanere a principio vitæ usque ad finem. Insuper litt. K, diserte docet cum Philosopho partem secundum formam, seu speciem non fluere, ut supra retulimus; ergo agnovit aliquam partem remanere ex illis præsertim, quas vivens habuit in prima aggeneratione, quandoquidem illis præsertim conveniant conditiones ab ipso assignatæ parti secundum speciem; quare concludendum est pessime (ut de nobis dicere solet) arguentem in hac materia Doctorem intellexisse, ut vel hinc discere deberet magis sobrie alios redarguere, quod Scotum non intelligant, memor illius, quod testatum reliquit Isidorus lib. 3. de solmno cap. 32. *improbum est arguere quicquam in alio, quod adhuc reprehenditur in seipso.*

Secundo arguit n. 61. omnes partes viventis fluunt sive nutrimentales, sive molliores, sive duriores secundum nos n. 98. & Scotum ex quo sic argumentatur, licet hoc non sit necesse secundum eos, quod partes duriores totaliter fluant, itaut nulla earum maneat in fine vitæ; & licet illæ partes duriores, ut ossa maneant in fine vitæ quoad magnam partem; & licet etiam ex aliis partibus mollioribus, aliquæ partes remanerent physice, non potest tamen esse dubium, quin plurimæ partes fluant, & desinant esse; sed hoc ipsum sufficit, ut non dicatur idem numero in fine vitæ, qui fuit in initio physice loquendo; ergo nec contra Scotum, nec contra rationem est, quod *vivens non maneat* idem physice in fine vitæ; probatur minor, quia non potest esse idem physice, quod habet partes physicas distinctas, seu quod constat ex partibus numero distinctis physice; sed ex illa doctrina sequitur, quod vivens non constet in fine vitæ partibus iisdem numero, quibus constitit ab *initio*, sed partibus diversis numero physice: ergo non erit idem numero physice loquendo, & consequenter nequit esse idem numero, nisi moraliter.

Resp. supervacaneum fuisse hoc argumentum adducere, cum a nobis sufficientissime solutum sit superius nu. 100. ad 4. cum diximus ex hoc, quod longe plures sint partes fluxæ, non ob id vivens censendum esse diversum numero physice in fine vitæ, quia partes aliæ sunt principaliores, & intimiores, ut ossa, nervi, *cutis*, & *similia*, quæ sunt veluti fundamenta aliarum, aliæ sunt magis extrinsecæ, & minus principales, ut caro, quæ non ita principaliter ad conservationem viventis pertinet, quia ergo illæ permanent ex majori parte quoad substantiam, licet aliquæ liter immutatæ quoad accidentia, ideo vivens in fine vitæ dicitur adhuc idem numero physice; quæ solutio fundamentum habet in Scoto in qu. cit. in solutione ad ultimum principale, ubi inquit, quod licet multæ, & quamplurimæ partes viventis fluxerint in vita, quæ non resurgent in resuscitato, attamen dicitur adhuc idem numero, quia resurgent partes principales, ex quibus identitas numeralis viventis attendi debet, non autem ex minus principalibus, sine quarum identitate totum adhuc esse potest idem: nunc dicamus ad formam argumenti, ne consueta censura carpamur, *conceditur* major, negatur minor, ad cujus probationem distinguitur major, non potest esse idem numero quod habet partes physice diversas, quod habet partes omnes, vel saltem principaliores sic diversas, conceditur: quod habet partes minus præcipuas sic diversas negatur, & rursus distinguitur minor, ex illa doctrina sequitur, quod vivens non constet in fine vitæ partibus iisdem numero, quibus constitit initio, sed diversis partibus minus præcipuis, conceditur; magis præcipuis, negatur, ergo &c. negatur consequentia.

Tertio, arguit, quod constat aliis partibus est vere aliud totum physice, etiamsi aliqua pars, & quidem principalis maneat, & hinc etiamsi materia ligni maneat in igne, quæ est pars essentialis ejus, atque adeo principalis, tamen ignis distinguitur numero a ligno, quia licet constet *illa* parte, non tamen illa sola, sed alia etiam: sed vivens in fine vitæ licet constet aliquibus partibus, quibus constitit ab initio, non tamen illis solis, sed aliis, & quidem tam principalibus, nam crescit quoad omnes partes aliquando in duplum, & triplum; & nequit dici, quin illæ aliæ partes sint tam principales; ergo non est idem numero physice loquendo.

Resp.

Resp. *hoc* argumentum potius nobis favere, quam obesse, sicut enim a forma quia est principalior pars compositi, attenditur ejusdem unitas, vel diversitas, quamvis materia sit eadem, ut constat in allato exemplo de ligno, & igne, sic pariter in proposito de partibus integralibus discurri debet, quod ejus unitas, vel diversitas debet simpliciter attendi ex identitate, vel diversitate partium magis principalium, non minus principalium, ut ajebat Doctor loc. cit. unde cum in casu maneant in fine vitæ partes principaliores ex majori parte, debet censeri idem physice compositum, etiam si plures ex partibus minus principalibus defluxerint, nam sine earum identitate totum adhuc potest esse idem; cum vero addebatur, quod in fine vitæ constat novis partibus etiam principalibus, nam crescit quoad omnes partes aliquando in duplum, & triplum; dicimus, si valet hæc instantia, plus probare, quam velit arguens, ipse namque contendit probare tantum, quod *vivens* sit a seipso realiter diversum, supposito quod viveret longissimo tempore ratione continui fluxus, & refluxus partium in nutritione, ut se declarat sub n. 59. at argumentatio non tanto tempore protrahitur, sed circa juventutis initia pervenit ad statum, quo temporis progressu nec arguens ipse concederet vivens totum, & totaliter variatum esse, cum tamen in eo creverit in duplum, vel triplum quoad partes principaliores, ut ossa, nervos, cutem, &c. quare & *ipse* quoque tenetur ad solutionem argumenti ex hac parte, atque ideo dicebamus num. 100. ad 4. ut luculentius appareat physica identitas viventis usque ad finem vitæ, non fieri debere comparationem inter vivens sub fine vitæ, & ut primo fuit genitum, nam ob excessum, & augmentationem partium hoc videtur difficile captu, *sed comparari debet*, ut est in fine vitæ ad seipsum in tempore augmenti, vel status, sic enim liquido apparet vivens in fine habere eadem fere partes duriores, quas tempore incrementi acquisivit, & cum in hoc tempore non censeatur simpliciter diversum a seipso in statu infantiæ, consequenter nec talem diversitatem habebit in tempore senii.

Quarto, tandem arguit nu. 62. non apparet probabile, quod possit aliquis dici proprie idem numero physice equus v. g. hodie, & heri, nisi hodie habeat tot partes physicas sufficientes ad constituendum ipsum equum, quot habuit heri, sed ex suppositione, quod fluant omnes partes spermaticæ, & duræ quoad aliquas partes, non est verisimile, quod in decursu multorum annorum maneant tot partes in vivente in fine vitæ ex partibus, quas habuit in principio, quot se solis sufficerent absque aliis ad constituendum ipsum vivens, ergo in fine vitæ non est idem numero vivens physice, qui fuit in principio, sed moraliter tantum.

Resp. ad majorem utique verum esse, quod ut idem dicatur equus heri, & hodie, opus est, quod in utroque tempore habeat tot partes physicas, quot sufficiunt ad equum constituendum; at non oportet, quod sint penitus, & omnino eædem partes, sed sufficit quod principaliores sint eædem; etiamsi minus principales variarentur, quia sine identitate istarum adhuc physice permanet totum, ut ait Doctor sæpe citatus in fine quæstionis, & tunc concessa minori negatur consequentia, quia ut in fine vitæ dicatur idem physice totum sufficit, quod retineat eadem partes principaliores, quæ cum aliis minus principalibus successive acquisitis sufficiunt ad constitutionem ipsius viventis; neque variatio istarum partium minus principalium impediunt totaliter identitatem physicam viventis toto tempore vitæ, adeo ut in fine vitæ sit physice diversum, & solum moraliter idem; diximus totaliter, quia ut dictum est in solutione ad 4. num. 100. ultro concedimus in vivente non adesse exactam, & perfectam unitatem numericam, qualis reperitur in rebus spiritualibus; contendimus tamen adhuc sequi veram unitatem numeralem, licet cum aliqua mutatione, nec sufficere moralem, seu per æquivalentiam, quo etiam tenetur nobiscum fateri P. Pontius, ut vere, & cum omni proprietate dici possit Subtilis Doctoris conterraneus, non autem physice, & simpliciter ab eo supposito diversus, quod olim in Hibernia Corcagiæ natalia habuit.

QUÆSTIO VIII.

De Augmentatione.

102 AUgmentatio dupliciter sumitur, primo pro auctione, qua corpora absque additione alicujus substantiæ augentur, & hæc *proprie dicitur* rarefactio, de qua egimus disp. 4. Secundo, sumitur pro accretione, qua corpora augentur per additionem alicujus substantiæ, & hoc dupliciter, nam vel talis additio fit solum a causa extrinseca, ut cum uni aquæ additur alia, & hæc communis est omnibus corporibus, vel fit a causa intrinseca, ut cum vivens per principium *intrinsecum* alimenti conversivum augetur, & hæc est propria viventium solum, de qua loquimur in præsenti, cujus conditiones tres enumerantur ab Arist. 1. de Gen. 33. prima, ut id, quod augetur, secundum omnes partes augeatur; Secunda, ut majus fiat ex adveniente materia: Tertia, ut id, quod augetur, permaneat idem ante, & post augmentationem.

Advertendum insuper est, quod cum non possit produci substantia corporea naturaliter sine quantitate, quæ est veluti propria passio ipsius, quando alimentum per nutritionem convertitur in substantiam alti, simul ac producuntur novæ partes substantiæ, acquiruntur etiam cum illis novæ partes quantitatis, quæ præexistenti quantitati ejusdem corporis viventis uniuntur, & quia cum corpus acquirit *majorem* quantitatem, ut plurimum fit majus, & extenditur in ordine ad locum, hinc illi quantitati advenienti de novo corpori adnectitur quidam motus localis, ut ait Arist. 1. de Gen. 25. non quod transeat de uno loco ad alium prorsus diversum locum, neque quod volvatur ad modum sphæræ intra eundem locum, sed solum acquirendo majorem locum per extensionem; Hæc igitur interveniunt in auctione, primo fit quædam distensio partium viventis versus omnem dimensionem, qualis fieret in re aliqua, quæ ab lateribus omnibus traheret, quæ distensio fit ab anima principaliter, & a potentia augmentativa, instrumentaliter a calore; hac distensione dilatantur omnium partium pori, in quos venæ capillares desinunt, per quarum ostiola sanguis exit ad eas partes restaurandas, unde caro de recenti abscissa est sanguine plena in *poris illius incluso*, & fiunt pori capaces majoris alimenti, quam fuerit particulare proximarum partium deperditarum; Secundo post hanc distensionem ingreditur poros ex venis illis sanguis, ubi decoquitur, & in cambium, torem, vel gluten convertitur (qui sunt tres gradus, per quos ex communi Medicorum sententia transit sanguis antequam convertatur in substantiam aliti) Tertio, fit conversio alimenti in substantiam aliti, quæ est nutritio. Quarto fit acquisitio *partialis* quantitatis, & ultimo consequitur illa extensio ad majorem locum occupandum. Ut igitur exacte auctionem explicemus, tria debemus inquirere, scilicet formalitatem, in quo formaliter consistat; modum, an scilicet fiat in instanti, vel successive; & tempus, scilicet an duret toto vitæ tempore.

103 Quoad primum, *certum* est auctionem non posse formaliter consistere in illa partium distensione, vel ingressu alimenti in poris, ut videtur asserere Tolet. nam tunc vivens proprie non acquirit novam quantitatem, quæ sit ipsius propria, alimentum enim non est adhuc de substantia viventis, nisi in potentia; tum quia cum vivens modo *aliquo intumescit* propter noxii humoris augmentum, proprie diceretur augeri, quod est falsum, quia auctio est naturalis a principio intrinseco proveniens, tumefactio vero illa est violenta. Quapropter formalitas augmentationis in aliquo horum trium consistere potest, scilicet vel in actu nutritionis, vel in acquisitione novæ quantitatis, vel in extensione illa ad majorem locum, aut saltem in aliquibus istorum, ubi notat, quod auctio potest sumi vel in ratione mutationis, vel in ratione actionis, sicut generatio.

Marsi. 1. de Gen. q. 10. Saxon. q. 9. & alii non distinguunt augmentationem a nutritione realiter, sed solum formaliter, seu ratione, inquiunt enim quod per nutritionem acquiritur nova substantia, & ex vi nutritionis præcise absque alia actione habetur nova quantitas. Jand. 4. Phys. q. 10. Bar. 3. Phys. tex. 6. docet augmentationem formaliter in illa extensione ad locum consistere. Zabar. lib. de accret. cap. 9. & Aresi. de Gen. q. 30. ajunt, augmentationem *importare* utrumque, tam nutritionem, quam extensionem, sed differunt, quia Aresi. vult extensionem esse de formali significato, nutritionem de connotato, Zab. vero utramque vult ex æquo importari, sed cum hoc, quod cum nutritio sit mutatio indivisibilis, seu instantanea, extensio vero motus successivus, nutritio inservit extensioni tamquam principium ejus, ut se habet punctum respectu linea. Communis Doctorum opinio est, quod augmentatio in acquisitione quantitatis consistat, sed discrepant, nam aliqui negant actionem istam esse productivam, sed solum unitivam, quia supponunt quantitatem consequi materiam primam, quare cum *in nutritione* eadem materia alimenti uniatur materiæ corporis viventis, quantitas etiam materiam alimenti concomitans unitur quantitati corporis, *non de novo producitur*, ita sentiunt asserentes materiam esse subjectum accidentium, quos citavimus disp. 3. Phys. q. 1. Alii ex opposito concedunt per auctionem produci novam quantitatem, & consequenter, quod auctio sit actio productiva; differunt adhuc, quia Gotfr. quol. 11. q. 3. & alii volunt produci de novo totam quantitatem viventis corrupta præexistente, alii vero, & est communior sententia, hanc productionem solummodo terminatam ponunt ad partialem quantitatem *illius partialis* substantiæ per nutritionem acquisitæ, integra permanente præexistente quantitate viventis.

104 Dicendum auctionem ut mutationem formaliter consistere in acquisitione partialis quantitatis, qua vivens succedit a minori quantitate ad majorem, virtute caloris naturalis, a nutritione, & extensione realiter distincta, ut actionem vero consistere in productione partialis quantitatis, non totalis. Hæc conclusio habetur a Scoto 4. d. 44. q. 1. & aliis locis citandis, & primo quod realiter a nutritione distinguatur, est Scoti in 4. cit. L. & d. 11. qu. 3. Ee. & habetur expresse ab Arist. 5. Phys. 18. & seq. ubi tres species motus assignat, scilicet auctionem, alterationem, & lationem, easque a mutatione, quæ ad substantiam terminatur, distinguit. Tum quia termini utriusque realiter inter se distinguuntur, *nutritionis enim terminus est* substantia, auctionis quantitas, ergo & mutationes sunt realiter distinctæ. Tum quia augmentatio a nutritione distincta, est actus *mobilis*, quatenus mobile est, & in potentia ad quantitatem, ut habet Arist. 3. Phys. 16. ergo ut distincta habet rationem motus per se. Neque dicas quantitatem consequi substantiam, *ideoque* non fieri distincta actione a substantia partiali, neque *esse* distinctam mutationem a nutritione. Nam ut in *simili diximus* disp. 5. q. 1. ar. 2. loquendo de distinctione *generationis* ab alteratione, non quia forma substantialis naturaliter consequitur ultimam dispositionem, idcirco propria non efficitur *actione*, sufficit enim, quod realiter distinguantur, ut est *in* proposito.

105 Neque dicas cum Zab. nutritionem ad accretionem spectare tanquam initium, & ad *modum puncti* in linea, quam vis sit ab accretio-

creatione realiter distincta. Non urget, quia falsum est, nutritionem in instanti fieri, extensionem vero in tempore, utraque enim vel in instanti, vel in tempore necessario petunt fieri, si enim nutritio fit in instanti, certum est, partem illam novam substantiæ suam partialem quantitatem habere, aliter substantia sine quantitate, & consequenter sine aliis accidentibus in quantitate fundaris existeret, quod naturaliter implicat; vel ergo in illo instanti pars ista habet suum locum proportionatum, & sic in eodem instanti esset simul nutritio, & intensio localis; vel non habet locum proportionatum, & sic vel esset cum aliqua parte compenetrata, quod nequit dici naturaliter, vel condensata, ultra quam exposcat propria natura ipsius, quod etiam est falsum, quia sicut ante introductionem formæ substantialis materia alimenti disponitur quoad qualitates, ita etiam quoad densitatem, imo alimentum ante nutritionem, cum sit liquidum, potius debet condensari, quam rarefieri, ut in substantiam aliti convertatur, ergo nunquam post nutritionem substantia illa petit extendi. Tum quia hoc admisso, adhuc nequit nutritio dici principium accretionis, veluti punctum lineæ, nam illa mutatio se habet ut principium alterius mutationis, cuius terminus est principium termini alterius, sic si primo acquireretur punctum, deinde linea, acquisitio puncti esset quædam mutatio initiativa acquisitionis lineæ, sed partialis substantia non est principium loci, nec ad illum pertinet, cum sint alterius rationis, imo potius locus ordinatur ad substantiam, ergo neque nutritio erit principium intrinsece spectans ad extensionem localem, solum immediate se habebunt, sicut alteratio, & generatio ad invicem immediate se consequuntur, non ideo tamen alteratio est initium generationis intrinsece inclusa in ratione formali ipsius.

106 Secundo, quod formaliter non sit extensio, prob. quia extensio ista terminatur vel ad locum, vel ad raritatem, neque locus, neque raritas spectant ad prædicamentum quantitatis, at augmentatio est motus ad quantitatem ex Ar. 3. & 5. Phys. Tum quia extensio localis est effectus augmentationis, hæc enim causalis est vera, ideo vivens occupat majorem locum, quia est auctum, ergo nequit constituere formalitatem augmentationis. Si dicas cum Zab. etiam nutritionem, & quantitatis acquisitionem includi cum extensione in formalitate accretionis; Jam est n. 105. impugnatum, tum quia nequeunt tot mutationes realiter distinctæ unum per se constituere, cum non se habeant per modum actus, & potentiæ. Nec valet, quod ait Aresi. non quamcunque rarefactionem esse accretionem, sed quæ connotat nutritionem, & acquisitionem quantitatis, quo pacto vere hæc extensio est in prædicamento quantitatis. Non valet, nam esto concedamus, nutritionem esse connotatum accretionis, quia non quælibet quantitatis acquisitio dicitur accretio, sed quæ habet conditiones assignatas n. 102. quæ necessario sit cum nutritione, falsum tamen est acquisitionem etiam quantitatis esse connotatum, & extensionem localem de formali significato, nam cum terminus formalis extensionis sit situs partium ex dictis disp. 4. certe non potest hæc extensio esse motus ad quantitatem, sed potius motus ad situm, qui licet sit modus quidam quantitatis, parum refert, nam etiam Ubi dicitur modus, & terminus quantitatis, & tamen latio non dicitur esse motus ad quantitatem, ratione vero connotati non magis esset in prædicamento quantitatis, quam in prædicamento substantiæ, quia etiam nutritio connotatur; Neque divisio illa motus in tres species est divisio per connotata, & per extrinseca accidentalia, sed per differentias specificas.

107 Tertio, quod vere sit motus ad majorem quantitatem, est Arist. sæpe cit. & 2. de An. 47. ubi ait: *Est autem esse aliud alimento, & augmentativo, secundum enim quod quantum quoddam est, augmentativum est, secundum autem quod hoc aliquid, & substantia alimentum*, idem habet 1 de Gen. 31. & 41. & prob. quia quantitas vere potest terminare per se motum, ergo acquisitio quantitatis erit verus motus ad illam, antec. prob. quia habet entitatem per se acquisibilem, & contrarietatem sufficientem, ut possit causare successionem, sicut enim latitudo spatii, & latitudo intensiva coloris sufficiunt, ut inter unum ubi, & aliud, & inter remissum colorem, & intensum detur verus motus, item latitudo, quæ inter minorem, & majorem quantitatem adest sufficiens erit ad causandum motum; solum posset obstare, quod quantitas non videtur per se acquiri, sed ad acquisitionem substantiæ, ergo sicut ex hoc capite negatur motus ad relationem, pariformiter negari debebit ad quantitatem; qua ratione Plato in Parmeuide, & in Thæeteto, Galen. Method. c. 6. Vallesi. controv. 29. ad Tyrones, & lib. 2. controv. medic. c. 27. & alii negarunt ad quantitatem esse per se motum. Hoc tamen non officit non enim quia aliquid acquiritur ad acquisitionem alterius, idcirco nequit per se terminare motum, aliter secundæ qualitates, quæ ex acquisitione primarum acquiruntur, habitus, qui ex frequentaris actibus adipiscitur, imo & forma ipsa substantialis, quæ ad acquisitionem ultimæ dispositionis habetur, non possent esse termini per se motus, quod est falsum; requiritur ergo, ut ita ad alterius acquisitionem acquiratur, quod sit omnino ens occasionatum, non per se intentum a natura, qualis est relatio; at quantitas, ut notat Doctor 4. d. 44. q. 1. N. per se intenditur a natura, hæc enim & intendit partialem substantiam propter restaurationem deperditi, & augmentationem propter acquisitionem quantitatis debitæ viventi; imo hoc magis per se intendit, quia etsi non deperderetur aliquid substantiæ. adhuc intenderet augmentationem.

108 Tandem quod augmentatio ut actio sit productiva, non tantum unitiva quantitatis, patet ex dictis disp. 3. Phys. q. 1. ubi statuimus subjectum accidentium compositum, non materiam primam, quod vero sit productiva partialis quantitatis, non totalis, probat Doctor 1. d. 17. qu. 3. SS. ad hominem contra Gotfr. ratione theologica ex rarefactione in Sacramento Altaris, tunc enim per Gotfr. acquiritur nova quantitas, ergo jam tota quantitas vini consecrati mutaretur, quare Christus non esset amplius sub illis speciebus, quia Christus tamdiu manet sub speciebus, quamdiu conservantur species illæ, nec similitudo specifica inter illas quantitates sufficit ad permanentiam Christi sub speciebus; nam sequeretur, Christum adhuc permanere in Sacramento, si quantitati vini succederet quantitas aquæ, aut alterius liquoris, quia ambæ sunt ejusdem speciei, nec una magis posttulat informare aquam, vel vinum, quam altera. Deinde in 4. d. 14. qu. 4. §. *Quantum ad istam opin.* hoc idem probat ratione Philosophica, nam si quantitas prior destrueretur ad acquisitionem novæ, ergo cum quantitas sit subjectum omnium accidentium ex dictis disp. cit. Phys. jam vel omnia alla accidentia migrarent de subjecto in subjectum, quod est falsum, vel mutarentur simul, quod est contra experientiam, tum quia potest esse, quod tunc non adsint agentia, quæ possunt accidentia illa causare, ut sunt præcipue colores, sapores, &c. non enim quod est causa actionis, est causa aliorum accidentium. Quibus accedit, quia data hac sententia, si mari adderetur gutta aquæ, tota quantitas aquæ corrumperetur, quod est falsum, quia tunc agens ageret in subjectum maxime distans.

109 Obiic. contra prædicta, & primo, quod auctio a nutritione non differat, ex Arist. 1. de Gen. 41. dicente *Differunt nutrimentum, & augmentatio ratione*, & rursus *nutrimentum augmentationi idem quidem est*. Tum 2. sicut quantitas totalis est propria substantiæ corporeæ, & eam naturaliter consequitur, & in instanti cum ea producitur virtute generationis sine ulla mutatione, idem dicendum de quantitate partiali respectu partialis substantiæ in nutritione, quod scilicet non fiat propria, & distincta actione, ac mutatione a nutritione, sicut neque quando acquiruntur accidentia alia ad acquisitionem quantitatis, datur ad illa per se motus. Tum 3. est varientur, ac multiplicentur termini secundarii motus, dummodo tamen terminus per se primo intentus sit unus, unica tantum erit mutatio, sed in casu solum substantia per se intenditur a natura, quantitas autem ex naturali quadam concomitantia, ergo &c. Tum 4. hæc augmentatio reperitur etiam in non viventibus, & tamen accretio non nisi in viventibus adest, ergo accretio dicere debet nutritionem, quæ est solum viventium.

Resp. ad 1. Arist. illis verbis solum innuere non assumi aliam materiam, vel cibum pro augmentatione, & nutritione, sed idem alimentum pro utraque inservire, unde illa dixi ratione differre, quæ in eodem subjecto conjunguntur, & sunt diversæ rationes, & formæ in eodem subjecto, ut sunt forma substantialis, & quantitas in alimento. Ad 2. in generatione dari novam actionem productivam quantitatis distinctam ab actione productiva substantiæ, & hoc quia quantitas, cum sit entitas realiter a substantia distincta, petit distincta actione fieri a substantia, non tamen intervenit nova, & distincta mutatio, non quia non adsit terminus ex se potens motum terminare, sed quia subjectum scilicet compositum non præfuit tempore sub privatione, at in nutritione adest augmentatio ut actio, & ut mutatio, quia subjectum scilicet vivens tempore præfuit sub minori quantitate. Ad 3. patet ex dictis n. 107. Ad 4. solum infert nutritionem aliqualiter ab accretione connotari, quod concedimus, non tamen esse de principali significato.

110 Secundo, obiic. quod extensio localis sit accretio, quia Arist. 1. de Gen. 25. ait, quod augmentatur, mutare locum, quemadmodum quod extenditur, ergo sentit auctionem in extensione formaliter consistere; & 4. Physic. 63. ait tam additionem quantitatis, quam rarefactionem, & extensionem esse augmentationem. Tum 2. tunc animal censetur auctum, quando est jam facta hæc extensio. Tandem quod tota quantitas producatur, ostenditur, quia termini motus sunt incompossibiles, ergo minor quantitas est incompossibilis cum majori. Resp. primum locum pro nobis esse, quia motum localem accretione factum comparat extensioni, similitudo autem cadit inter distincta, dummodo proportionem habeant, non inter identificata, solum igitur voluit ibi Arist. innuere hanc conditionem, seu effectum accretionis, non autem quod sit de ratione formali: secundo loco non ita clare loquitur, dicimus tamen ibi sumere augmentationem large pro quacumque auctione substantiæ corporeæ, non autem ut est augmentatio viventium. Ad 2. concedimus assumptum tanquam rationem a posteriori, ex hoc enim quod vivens occupat majorem locum, arguimus majorem quantitatem acquisivisse, in quo consistit ratio formalis auctionis. Ad 3. ait Doctor cit. assumptum valere de primis, & per se terminis, non de concomitantibus, modo minor quantitas, si consideratur secundum entitatem positivam, est terminus concomitans, si vero secundum privationem annexam majoris quantitatis, est utique per se terminus, sed ut sic non manet in auctione, aliter idem esset sub majori, & sub minori simul quantitate.

111 Quoad 2. an scilicet augmentatio fiat instantanee, vel successive; qui tenent nutritionem instantaneam esse, consequenter idem dicere debent de augmentatione, sicut in generatione aliqua instantanea si fieret, quantitas etiam ininstanti resultaret, ita Hurt. disp. 3. de Gen. sect. 3. Arriag. disp. 2. sect. 3. & ex parte Aresi. q. 31. Verum ex dictis n. 86. & dis. 5. art. 1. patet falsitas hujus fundamenti, quod nutritio fiat in instanti, tum quia augmentatio ab Arist. ubique locorum inter motus successivos enumeratur.

Dices

Dices Arist. 8. Phys. 23. *ait impossibile esse* aliquid augeri, vel minui continuo. Tum ex Hurt. §. 42. augmentatio nil aliud est, quam continuatio novæ quantitatis cum alia, sed talis continuatio fit in instanti, ergo &c. prob. min. continuatio ut sic consistit in indivisibili, quia continuatio lineæ est punctum, continuatio superficiei est linea, ut indivisibilis secundum latitudinem, & continuatio corporis est superficies, ut secundum profunditatem caret partibus, ergo debet in instanti fieri, solum enim quæ habent partes, fiunt successive. Resp. Arist. ibi negare continuitatem augmentationis, quam posuit in motu locali circulari, scilicet perpetuam durationem, & æternam. Ad aliud negamus majorem, formaliter loquendo, augmentatio enim proprie est additio aliarum partium quantitatis, continuatio vero sequitur ad hanc additionem, quia enim novæ partes adduntur, ideo noviter continuatur, unde continuatio proprie est unio partium quantitatis, quæ adhuc post augmentationem remanet, & unio utique saltem materialiter nihil aliud dicit, nisi indivisibilia quantitatis, ut additio proprie dicit acquisitionem partium, quæ & successive fiat, & in tempore, cum sit divisibilis, sicut & partes divisibiles sunt. Aliter dicere etiam deberemus, tempora ex indivisibilibus constare, etenim tempus semper novas partes acquirit, si ergo acquisitio idem esset, ac continuatio, & continuatio est indivisibilis, per istam acquisitionem solum indivisibilia acquirerentur, quod est falsum: idcirco continuatio partium quantitatis non est acquisitio formaliter earundem, eo vel maxime, quod pioritate naturæ prius debemus concipere partes acquisitas, & postea unitas, quia illæ præsupponuntur ad unionem.

112 Quoad tertium not. quod augmentatio dupliciter sumi potest, primo communiter pro quacunque acquisitione quantitatis a vivente per principium vitale intrinsecum facta, secundo proprie pro illa acquisitione quantitatis, qua vivens fit majus; de prima clarum est, quod tandiu fit, quamdiu nutritio continuatur, nam impossibile est, a vivente acquiri partialem aliquam substantiam, quin etiam nova quantitas adveniat, & acquiratur, ergo quia per nutritionem acquiritur nova substantia, semper erit illi adjuncta acquisitio novæ quantitatis.

De secunda augmentatione communiter dicitur, quod saltem in animalibus perfectis non durat toto tempore vitæ, ita Doctor 2. d. 2. q. 9. O. ubi hoc probat ex Arist. 8. Phys. 23. & d. 19. A. & in 4. d. 44. q. 1. L. unde triplex tempus distinguitur in viventibus, præcipue in homine, primo dicitur augmenti, quia potentia nutritiva plus de alimento convertit, quam amittat, & ponitur durare usque ad 21. aut 23. annum; Secundum dicitur tempus status, seu consistentiæ, quia homo nec augetur, nec minuitur, sed in eodem permanet statu, aut saltem non augetur, vel minuitur notabiliter, & durat usq; ad 35. vel 40. annum; Tertium dicitur tempus decrementi, aut diminutionis, in quo minus de substantia alimenti convertatur, quam amittatur de propria substantia actione caloris naturalis. Diximus saltem in animalibus perfectis, quia an dentur viventia imperfecta, quæ nunquam decrescant, dicemus in seq. q. est etiam not. quod illi tres officuli in cavitate tympani auricularis posti, malleus, incus, & stapes nuncupati ita durescunt statim, ut ejusdem magnitudinis sint ab ortu nativitatis ad finem vitæ, & amplius non crescant; *ita observarunt Anathomici*.

113 Dubium tamen est in assignanda causa hujus varietatis, quænam scilicet sit ratio, quod homo non semper crescat, sed consistat, & postea decrescat. Aliqui dicunt hoc esse, quia viventia habent terminum magnitudinis intrinsecum, ut non possint ad quamcunque molem pervenire. Hæc tamen ratio est insufficiens, quia non assignat causam decrementi, tum quia non semper homo tempore augmenti pertingit terminum magnitudinis, quem sibi determinat species humana. Alii dicunt causam esse, quia virtus augmentativa agendo in alimentum debilitatur, & repatitur, unde semper impurior, & debilior caro generatur, & consequenter perveniet ad tantam impuritatem, & debilitatem, ut non possit amplius sufficientem cibi quantitatem in se convertere, unde cessat deinde augmentum; ita videtur asserere Scotus cit. Hæc etiam ratio non videtur adæquata, explicat quidem, cur homo decrescat, non tamen, cur detur status, imo videtur concludere necessario hominem vel crescere, vel decrescere oportere, nam si virtus excedit, jam causabit incrementum; si vero est debilitata, ut non possit amplius augmentum efficere, certe statim incipiet decrementum, quia statim amplius debilitaretur per continuam repassionem ab alimento, nec posset tot annis in tempore consistentiæ persistere; de hac ratione dicemus qu. seq. quo pacto debeat intelligi.

114 Communiter dici solet, causam esse varietatem caloris naturalis, hic enim prima ætate robustior, & potentior est, & consequenter plus alimenti potest convertere, quam minuatur de substantia aliti, hinc incrementum causat, deinde vero remittitur, ut æqua portione acquiratur nova substantia, & vetus deperdatur, & sit tempus consistentiæ, ac juventutis; tandem ita remittitur, ut non possit tantum nutritione restaurare, quantum de propria substantia deperditur, & tunc est tempus decrementi. Hæc quoque ratio patitur difficultatem; nam calor naturalis fortior apparet in juventute, & tempore consistentiæ, quam in pueritia, & adolescentia, seu tempore incrementi, ergo in juventute debebit etiam incrementum efficere, antec. prob. quia calor in juvene causat perfectiores actiones, quam in puero, & adolescente, digerit enim melius cibaria grossiora, melius concurrit ad generationem, motum localem, discursum, imo quandoque homo tempore consistentiæ pinguescit, quod nequit provenire nisi ex perfectione caloris decoquentis cibum, ergo calor est perfectior in juvene, quam in adolescente, per quantitatem enim effectus cognoscitur quantitas formæ, & causæ; hinc homo tunc dicitur esse in statu perfecto, & consequenter tunc principium vitæ, quod est calor, erit perfectius, quam quolibet alio vitæ tempore.

Potest tamen hæc ratio defendi, si distinguamus de actionibus caloris naturalis, istæ namque sunt duplicis generis, quædam enim indigent multo humido, ut fiant, tales sunt auctio, extensio, rarefactio, nutritio, &c. quædam vero requirunt humidum temperatum, & consistentiam, ac siccitatem membrorum, ut sunt illæ in argum. enumeratæ; tunc dicimus, quod si calor in ordine ad primas operationes comparetur, perfectior est tempore incrementi, quatenus est cum multo humido unitus, quo ætas illa viget; at si respectu aliarum operationum consideretur, perfectior est in juventute, quia tunc partes sunt magis exsiccatæ, & consolidatæ. Quapropter cum calor in ordine ad augmentum sit perfectior in pueritia, & adolescentia, poterit multum de alimento convertere, quia partes sunt humidiores, & consequenter potest illas augere, & extendere; at in juventute partes sunt desiccatæ, præcipue ossa, & quoniam augmentatio secundum longitudinem maxime attenditur, hæc autem ab ossibus provenit, caro vero se habet ut ipsorum indumentum, hinc augmentum ex auctione ossium causatur, nam caro parum potest ossa superare, cum igitur in juveniute nequit fieri augmentum in ossibus, & partibus durioribus, solum in partibus mollioribus potest fieri aliqualis accretio, quæ non erit secundum longitudinem, sed secundum grossitiem, & profunditatem, idcirco hac ætate quandoque homines pinguescunt.

115 Obiici tamen potest, quod semper fiat augmentum, nam omni tempore fit additio quantitatis, ut diximus, ergo omni tempore fit auctio, per quam corpus majus efficitur, quia ante adventum novæ quantitatis vivens jam perdiderat partem aliquam quantitativam, quæ per novam restauratur, ergo vivens per istam novam fit majus. Tum 2. si tempore augmenti calor naturalis potest convertere, cum sit robustior, plus de substantia cibi, ergo etiam plus de substantia aliti consumet, quam in consistentia, & decretione, sicut si decretionis tempore propter debilitatem minus de substantia cibi concoquet, minus etiam propter eandem rationem consumet de substantia viventis, quare semper deberet esse in statu consistentiæ. Tum 3. eadem est ratio de calore naturali viventis, & elementari, sed hic crescit, quo plura ligna convertit in ignem, ergo &c.

Resp. ad 1. vivens posse considerari, vel prout erat in eo statu, quem habebat, antequam partem illam quantitatis deperderet, vel prout est in eo statu proxime post amissionem, & ante reparationem, tunc ad argum. neg. cons. ad probat. dicimus; si vivens consideratur in primo statu, negatur consq. plus enim amisit, quam acquirat, si vero consideratur in secundo statu, conceditur consq. non ideo tamen dicitur augeri augmentatione proprie dicta, quæ est illa tantum additio, per quam corpus fit majus, prout ad priorem statum comparatur. Ad 2. ex dicendis qu. seq. respond. substantiam viventis in principio vitæ puriorem esse, ideo potentiorem ad resistendum calori, imo connaturaliorem ipsi, hinc calor magis in alimentum agit, quam in viventis substantiam, at postea cum ex mixtione substantiæ adventitiæ, & nutrimentalis evadat impurior, tempore decrementi minus resistit, minusque connaturalis est calori; alimentum quoque in principio vitæ est valde tenuitudini, ac imbecillitati naturæ proportionatum, unde faciliter convertitur in substantiam aliti. Ad 3 negatur paritas, quia calor elementaris ita agit, ut post victoriam ad pristinum statum se reducit, & vires resumit, non sic semper evenit in calore naturali, ut mox dicemus. Tandem adverte, quod quandoque homo post infirmitatem apparet longior, hoc tamen non est verum incrementum, sed apparens, quatenus propter minorem corpulentiam, magis conspicitur longitudo.

QUÆSTIO IX.

De diminutione, & morte viventium.

116 EXplicuimus usque modo principaliores mutationes positivas viventium, scilicet generationem, quæ terminatur ad totum esse, nutritionem, quæ pro termino respicit partalem substantiam, & augmentationem, quæ ad partialem quantitatem terminatur, remanet pro complemento hujus disp. ut aliqua dicamus de mutationibus oppositis, & privativis, quæ sunt corruptio totalis viventis, seu mors, quæ generationi simpliciter opponitur, corruptio partialis, qua vivens partem propriæ substantiæ amittit, & est nutritioni opposita, & tandem diminutio, per quam partialis quantitas deperditur; *de quibus primo videbimus*, quid sint, deinde quo modo fiant, & a quibus causentur.

Quod sint corruptio totalis, vel partialis substantiæ viventis, clare patet, sunt enim mutationes deperditivæ respicientes pro termino ad quem privationem, sive totalem, sive partialem, formæ substantialis, solum est dubium de diminutione. Pro quo nota, quod sicut acquisitio quantitatis sumitur & pro acquisitione totius quantitatis, ut cum aliquid generatur, statim resultat tota quantitas, & etiam pro acquisitione partialis quantitatis, ut in augmentatione viventium per nutritionem facta, *ita* deperditio quantitatis duplex est, alia est deperditio totius quantitatis, ut cum compositum totaliter corrumpitur, alia est deperditio partialis quantita-

tis, ut evenit, cum vivens diminuitur propter actionem caloris corrumpentis propriam substantiam; hoc totum explicatur proportionaliter in ordine ad substantiam, sicut enim vivens aliquando generatur, & corrumpitur secundum totum, & aliquando generatur, & corrumpitur secundum partem per nutritionem, & corruptionem partialem huic oppositam, quæ mutationes ab aliquibus augmentatio, & diminutio substantialis vocantur, ita contingit in quantitate, quæ necessario consequitur substantiam corpoream, & ab eisdem vocantur mutationes istæ augmentatio, & diminutio quantitativa, & sicut in deperditione partiali substantiali deperditur aliquid substantiæ, & remanet alia, quæ ubi prius erat pars totius, postea totum denominatur, & minor dicitur per habitudinem ad substantiam præcedentem integratam ex substantia remanente, & ex illa corrupta, pariformiter in deperditione partiali quantitatis, & deperditur aliquid quantitatis, & remanet alia, quæ minor dicitur per habitudinem ad quantitatem præcedentem. Hinc oritur difficultas, quid formaliter dicat diminutio, an scilicet deperditionem illam quantitatis, & quatenus ad non esse solum quantitatis terminatur primo, & per se, an vero in relatione illa, quam dicit quantitas remanens ad quantitatem præcedentem; si enim primum asseritur, diminutio erit motus vere deperditivus, si secundum dicatur, erit motus positivus, & quasi acquisitivus; cum ad ens positivum terminetur, qualis est quantitas illa minor. Quidam dicunt diminutionem positivum esse.

117 Dicimus tamen, diminutionem formaliter non esse motum positivum, sed deperditivum terminatum ad non esse alicujus quantitatis præhabitæ, & consequenter ab augmentatione specie distingui, non positiva, sed privativa; Ita Scotus q. 10. d. 2. O. & d. 12. q. 4. B. sequitur Ruv. 1. de Gen. tract. de nutrit. q. 10. cum Fons. & Conimb. cit. eamque probat, quia diminui est minus esse, quam erat prius, sed res non est minor nisi per deperditionem, ergo diminutio formaliter est deperditio quantitatis, major patet ex Ethymologia nominis, minor etiam, quia statim ac intelligitur vivens aliquid deperdere de quantitate, intelligitur minus esse, quam erat prius. Confirm. diminutio est motus ad quantitatem pertinens, ut communiter conceditur, & est Arist. 3. & 5. Phys. sed non potest per ipsam acquiri quantitas, ergo nequit ad quantitatem pertinere ut motus positivus, sed solum ut privativus, quatenus acquiritur privatio alicujus quantitatis, min. prob. quantitas remanens nequit acquiri, quia præexistebat. Dices acquiri quantitatem remanentem, non ut sic, sed ut habet esse completum, & totale, & ut ordinem dicit ad quantitatem præhabitam. Contra, vel terminus formalis est quantitas ut sic, & tunc redit argumentum jam factum, vel est respectus ille ad quantitatem præcedentem, ergo diminutio non esset motus ad qualitatem, sed ad relationem; vel esset indivisibile illud terminans, & complens quantitatem remanentem in esse totius, & hoc est falsum, quia istud indivisibile haberetur in ultimo instanti terminativo motus diminutionis, & tamen diminutio fit in tempore, in quo necessario debebit habere suum terminum; vel tandem erit totum aggregatum ex quantitate, respectu, & indivisibili terminativo, & sic sicut hæc omnia non faciunt unum per se, ita nec possunt terminare unum per se motum. Accedit, quod diminutio non distingueretur ab augmentatione, quia ambæ eundem terminum ad quem specie haberent, a quo unitas specifica motus sumi debet ex dictis disp. 15. Phys. Tandem quia debet assignari species aliqua deperditivi motus in quantitate, nam vere subiectum transit ab esse quantitatis ad non esse ejusdem. Ex quibus sequitur, diminutionem esse specie negativa distinctam ab augmentatione, motus enim, & respectus inter se distinguuntur ad distinctionem terminorum.

118 Contra objic. Arist. 5. Phys. 18. enumerat diminutionem inter motus positivos, qui scilicet sunt a subjecto in subjectum; clarius hoc idem habet 1. de Gen. 31. Tum 2. terminus diminutionis est positivus, tunc enim vivens dicitur minui, quando non tantam acquirit quantitatem, quantam amisit, quæ quantitas acquisita est terminus diminutionis, ergo est motus positivus. Tum 3. diminutio non est sola deperditio quantitatis, aliter non distingueretur a corruptione totius quantitatis, sed tunc res minuitur, quando aliquid quantitatis retinetur, per quod a corruptione totali distinguitur, ergo terminus diminationis est aliquod positivum. Tum 4. in diminutione acquiritur de novo terminus quidam complens quantitatem remanentem in esse totius, ergo dabitur aliqua nova mutatio positiva. Tandem viventia habent terminos intrinsecos magnitudinis, & parvitatis, quos per auctionem, & diminutionem per se respiciunt, ergo auctio, & diminutio opponuntur per terminos oppositos positivos.

119 Resp. ex dictis disp. 15. q. 6. art. 3. ad 1. arg. 1. quod nullus motus per se respicit duos terminos positivos, nisi concomitanter, vel quatenus involvit successionem, neque Arist. enumeravit diminutionem inter species motus, quia fit inter terminos positivos, sed solum, quia vere pertinet ad quantitatem, tamquam motus deperditivus, ait enim: *Qui vero secundum quantitatem est, secundum commune quidem innominatus est, secundum autem utrumque augmentatio, & diminutio, is quidem, qui est in perfectam magnitudinem, augmentatio, qui vero ex hac, diminutio*, ubi solum mentionem fecit de termino a quo, & in 2. de Gen. ait: *Augmentatio enim est existentis magnitudinis additamentum, diminutio autem minoramentum*, quibus verbis exprimit terminum ad quem, & ait, quod terminus diminutionis sit minoramentum majoris quantitatis, scilicet privatio illius, nam minoramentum deperditionem significat, non acquisitionem, & si quandoque explicat diminutionem per terminum positivum, non explicat illam tanquam per terminum formalem, & per se, sed tanquam per terminum concomitantem, & connotatum, vel ut successionem involvit, quæ est respectus inter partes sibi invicem succedentes, ut diximus disput. cit. Phys. Ad 2. neg. assumptum, & ad prob. dicimus, vivens dicitur minui formaliter per privationem quantitatis præcedentis, concomitanter, & ut connotatum a quantitate remanente. Ad 3. per idem diminutio a totali corruptione quantitatis distinguitur per connotata, sicut nutritio a generatione totali; & mutationes istis oppositæ, quia scilicet una est totalis, altera partialis; cum dicitur illud diminui, quod aliquid amittit quantitatis, & aliquid retinet, primum est de essentia diminutionis, secundum vero est connotatum, & concomitans. Ad 4. *acquisitio illius indivisibilis* nequit esse formaliter diminutio, nam illa fit in ultimo instanti, hæc vero in tempore præcedenti, quare potius erit ut quid connotatum a *diminutione*, quam de formalitate ipsius. Ad 5. viventia dicuntur habere terminum intrinsecum parvitatis, non quia illud intendant ex seipsis acquirere, nam potius quærunt per augmentationem adipisci terminum magnitudinis, sed quia nequeunt sub minori quantitate reperiri, quare falsum est vivens per diminutionem per se tendere ad terminum parvitatis. Quæ dicta sunt de augmentatione, & diminutione, pari passu dicenda sunt de intensione, & remissione qualitatum, itaut intensio sit motus acquisitivus qualitatis, remissio vero motus ejusdem deperditivus.

120 Ut autem sciamus quomodo fiant, & causentur mutationes in viventibus, præsertim in homine, not. ex Scot. 2. d. 19. quod mors dupliciter potest contingere, vel a causa extrinseca, & dicitur ab Arist. lib de juvent. & senect. c. 14. violenta, vel a causa intrinseca, & ab eodem appellatur naturalis. De prima nulla est difficultas, varie namque potest accidere, vel propter *dispositionem contrariam* continentis, puta si continens directe corrumpit contentum, ut est ignis, aut si non directe, saltem prohibet illud, quod est necessarium ad vitam, cujusmodi est terra, & aqua, quæ prohibent respirationem, & cito corrumpunt, aut saltem propter noxiam aliquam qualitatem paulatim destruit, ut aer regionis intemperatæ; Vel potest contingere propter violentiam illatam ab aliquo extrinseco, ut sunt morbus, ferrum, venenum, influxus cœlestis &c. De secunda, quæ fit propter actionem mutuam componentium ipsum vivens, est difficultas, quo pacto contingat; idcirco prius explicavimus corruptionem partialem substantiæ, deinde totalem, ex quibus postea deducetur causa diminutionis partialis quantitatis, & totalis.

Pro hujus declaratione advertendum, quod vita est duplex, alia accidentalis, & est operatio vitalis viventis, unde beatitudo Joan. 17. dicitur vita: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te*, & Arist. 10. eth. c. 4. vita quædam est operatio; alia est vita substantialis, & hæc non est anima, ut putavit Dand. de corp. & anim. lib. 1. c. 33. nam anima potius est principium vitæ, quam vita, unde Gen. 2. non dicitur vita, sed spiraculum vitæ, tum quia signa brevis vitæ, vel longioris desumi solent maxime ex corpore, & organis, ergo corpus etiam ad vitam spectabit, non tantum anima, quare vita formaliter est ipsamet natura viventis, & forma totius ex anima, & corpore integrata, causaliter vero consistit in informatione corporis ab anima. Huic vitæ tanquam proprietates conveniunt longitudo, & brevitas, quæ sunt differentiæ durationis vitæ, accidunt vero, quia anima corpus informando postulat dispositiones aliquas, sine quibus non posset consistere, & præsertim exigit calorem, quo vita tam substantialis, quam accidentalis sustentatur, & fovetur, unde Arist. lib. de juvent. & senect. c. 2. mortem ait esse extinctionem caloris, & alii vitam, & mortem significarunt duabus mundi partibus meridionali, & septentrionali, prima, quæ calida est, vitam denotabat, secunda vero mortem propter frigiditatem. Quoniam autem calor facillime exhalat, & dissipatur, hinc provida natura de humido providit vivens, quo tanquam pabulo conservaretur calor, ac foveretur, & radicale appellatur, quod aliqui a nutrimentali distinguunt, illud asserunt esse materiam, qua totum corpus formatur in generatione, & dicitur radicale, quia est radix totius arboris humanæ, homo enim dicitur arbor inversa, & veluti fundamentum, super quod tota viventis structura fundatur; nutrimentale volunt esse substantiam de novo virtute nutritionis advenientem; rectius tamen per humidum nutrimentale sumi potest alimentum proximum, & per radicale tota substantia viventis, sive per generationem, sive per nutritionem adepta.

121 Duplex autem humidum reperiri solet in mundo elementari, aqueum, & aereum, ita in parvo mundo scilicet homine, & quolibet alio vivente duplex humidum potest adesse proportione correspondens illis elementis, alterum est aqueum, & hoc est substantia quædam humida sine aliqua consistentia, flaccida, de facili labilis, qualis est substantia piscium, alterum est humidum aereum, & est substantia quædam pinguior, bene cohærens, ut est substantia sanguineorum, & hoc humidum maxime confert ad vitam; hinc inter viventia pisces propter magnam aquei humoris copiam sunt brevioris vitæ, quam terrestria sanguine prædita, & inter arbores diutius vivunt, quæ sunt oleosæ, & resinosæ, ut pinus, palma, cupressus, quam aliæ, utpote quia hoc humido aereo, & viscoso magis abundant, ratio horum est, quia calor tandiu in humido conservatur, quamdiu habet ad ipsum proportionem talem, quod possit illud subtiliare, & seipsum ex eo fovere, idcirco humido multum ristri-

ristricato extinguitur calor, at *humido aereo*, quia propter unctuositatem est magis subtiliabile, magis conservatur calor; exemplum habemus in igne, qui aqua extinguitur, at oleo *proportionaliter applicato fovetur*, quamdiu deficiente in oleo unctuositate, & jam terrestrificato evanescit ignis; idem de calore naturali, & humido radicali dicendum. Ex quibus deducitur, complexionem sanguineam inter cæteras esse magis accommodatam diuturnitati vitæ, quia cum sit calida, & humida, magis recedit e termino mortis naturalis, qui est exsiccatio humidi substantialis, & extinctio caloris naturalis, & melior est superabundantia principiorum vitæ, quam defectus; nam in colerico calor non est humido attemperatus, cum sit complexionis calidæ, & siccæ, in flegmatico, & melancholico pro ter terrestreitatem humidi calor non diu conservatur, estque exiguus, facileque ab illo humido suffocatur, hæc fere ab omnibus conceduntur.

Dubium tamen est, num vivens ab intrinseco principium habeat corruptionis, an solum ab extrinseco corrumpatur. Hurt. disp. 1. de gen. sect. 10. subsect. 3. & 4. negat calorem naturalem agere in humidum radicale, cujus actione vivens intereat, sed adeo ait corrumpi, quia ab ambientibus, & alimentis distemperatur nativa complexio, & destruitur recta hominis temperies, ideoque necessarium est alimentum propter restaurationem deperditi; citat pro hac sent. Vallesium lib. 6. contr. cap. 1. & Petrum Garsi in sent. 1. disp. 18. c. 6. Alii vero concedunt hanc actionem, sed varie explicant, nam quidam putantes elementa formaliter in mixto manere, volunt partes igneas agere in aereas, & terrestres, illasque consumere; alii vero asserunt spiritus vitales, qui non sunt animati, agere in partes animatas actione destructiva, & *hoc ut salvent idem non agere in seipsum*; ita Conimb. 1. de Gen. cap. 5. q. 9. art. 2.

122 Dicimus tamen vere ab intrinseco vivens habere principium corruptionis ex actione caloris naturalis agentis in humidum radicale; hæc conclusio est communis, & docetur a Scot. q. 15. q. un. ad 4. princ. & d. 19. A. prob. si vivens solum ab extrinseco esset corruptibile, sequeretur, quod si homo in ætate perfecta a Deo crearetur, esletque in vacuo, ubi nullum agens in extrinsecum contrarium posset agere, vel si Deus omnem actionem contrarii agentis ab extrinseco suspenderet, iste homo posset perpetuo naturaliter durare sine alimento, quod est contra rationem vegetantis animæ, unde in statu innocentiæ, in quo homo ab extrinsecis contrariis non oppugnabatur, quia omnia illi obtemperabant, adhuc indigebat nutritione, & alimento; seq. prob. quia necessitas alimenti ponitur ab Hurt. ut reparetur amissio humidi radicalis ab extrinseco causata, quæ ratio cessaret in casu, imo in instanti generationis, in quo infans nullum habet extrinsecum agens oppugnans, neque qualitatem aliquam noxiam ab alimento derelictam, posset in tali statu durare absque alimento; nam quod ait Hurt. necessarium esse alimentum propter augmentationem, hoc solum infert infantem illum non augeri sine alimento, non tamen extingui. Tum quia in vivente dantur partes inter se contrariæ quo ad qualitates, ergo una potest agere in aliam: sic videmus præclusa respiratione animal suffocari, & extingui ab excessu caloris. Hæc autem actio non provenit ab elementis, quia hæc non adsunt formaliter in mixto ex dictis disp. præc. q. 3. *neque solum ex contrarietate partium* ad invicem, sed etiam ex ipsomet calore in eadem parte humida existente, calor enim est virtutis subtiliativæ, & resolutivæ, per quam subjectum caloris fit continuo siccius, atque terrestrius, evaporando subtile aereum ut explicuimus n. 49. & seq. qua ratione opus est alimento, tum ut actio caloris in humidum radicale retardetur, tum ut amissum resarciatur, quod clare explicatur in Reportatis Scoto adscriptis in 2. d. 19. qu. un.

123 Dices, ergo idem calor erit conservativus animalis, & destructivus. Tum 2. nihil sui interitum machinatur, si calor ageret in vivens, intenderet propriam destructionem, quia jam ad corruptionem viventis destrueretur. Tum 3. sequeretur, corpora calidiora esse brevioris vitæ, similiter, quæ continua exercitatione agitantur, quod est falsum, hæc enim secundum omnes sunt firmiora, & vegetiora. Tum 4. hæc destructio non est violenta, sed naturalis, quod est falsum, quia quodlibet habet inclinationem ad esse, seq. *prob. violentum est a principio externo*, naturale ab interno; accedit, quod mors ex fame proveniens nequit dici naturalis, quia est cum dolore, & tamen causaretur ab ista caloris actione, mors autem naturalis, ait Arist. cit. non est cum dolore. Tum 5. omnis pars corporis suis qualitatibus nativis ordinatur ad conservationem totius, non ad destructionem, ergo nulla actione per se a partibus proveniente destruitur vivens, aliter non recte esset a natura vivens formatum. Tum 6. ignis in his inferioribus pabulo indiget, solum ut se a contrario defendat, & ab extrinseco perit, deficiente humido, non ex se, ergo idem de calore dicendum. Tandem & fortius, nullum mixtum putrefit a proprio calore, & temperamento, nisi ab extrinseco augeatur, ut diximus disp. præc. q. ult. ergo nunquam calor erit causa *corruptionis illius* partis, in qua reperitur, nisi ab extrinseco intenderetur, quare semper origo actionis caloris erit ab externa causa.

124 Resp. ad 1. non esse inconveniens idem esse per se conservativum, & per accidens destructivum ejusdem, unde dicebat Seneca loquendo de naturali calore, *Qui mecum oritur, mecum moritur, & qui me occidit, me vivificat*, calor itaque per se calefaciendo intendit conservationem viventis convertendo substantiam cibi, per accidens tamen ex ista calefactione subsequitur exsiccatio humidi radicalis. Ad 2. assumptum esse verum

per se, *non tamen ex accidenti*, & consequenter; sic calor in aqua illam calefaciendo solum intendit calefactionem, & tamen si aqua destruitur, ad ejus desitionem etiam calor ipse corrumpitur. Ad 3. corpora calidiora diu vivere, quia habent annexam humiditatem aeream, quæ valde resistit, vel siccitatem igneam, ut in colericis, quæ non facile fluit; tum quia propter caloris excessum sunt validiora ad convertendum cibum in propriam substantiam; quæ exercitantur continuo labore sunt vivaciora, quia melius concoquent cibum, & ab excrementis purgantur. Ad 4. quælibet mors est violenta formaliter ex disp. 5. q. 1. art. 3. dicitur tamen naturalis, quæ secundum leges naturæ contingit, & est, quæ fit per ultimam humidi resolutionem a calore naturali, qui destructo humido tandem extinguitur, quod *contingit in senio confectis*, & hæc accidit sine dolore, & mors ex defectu alimenti potius est violenta, quia non est conveniens illi statui, & secundum leges naturæ. Ad 5. concedimus partes omnes viventis cum suis qualitatibus ordinari ad conservationem totius per se, quia calor est datus a natura ad concoctionem alimenti, per accidens tamen evenit destructio humidi; sic quandoque natura parti læsæ accurrit magna spirituum copia ad illius refocillationem, ex quo tamen quandoque sequitur inflammatio, & corruptio illius partis. Ad 6. primo non concludit contra actionem partium ad invicem, dicere namque possemus calorem naturalem indigere pabulo, ut se a contrariis partibus defendat, deinde aliud est loqui de igne, qui est corpus *simplex*, *aliud de mixtis, in his enim calor est corruptivus*, & putrefactivus propter admixtionem aliarum qualitatum modo explicato disput. præced. quæst. ult. non igne. Ad ultim. dicimus partes corporis in vivente habere calorem ultra proprium temperamentum provenientem ab ipsa anima, quo calore destituuntur anima absente, & hic calor est evaporativus partium humidarum; imo ex hoc deducitur efficax argumentum, nam caro mortua putrefit, nonnisi calorem ambientis intendente calorem carneum, quo pacto contingere solet putredo ex dictis disp. præc. cit. & tamen totus hic calor remissior est calore illo, quem caro possidet in vivente, ergo cum sit agens naturale, etiam in vivente causabit putrefactionem, nisi aliunde retardetur.

125 Ex ista caloris actione colligitur necessitas moriendi *in* vivente, itaut ex se non possit non solum perpetuo, sed neque per tempus longævum conservari; calor enim naturalis in duo agit, & *in alimentum*, & *in humidum radicale*; ex prima actione deducitur necessitas mortis, quia ut arguit Doctor sæpe cit. omne agens in agendo repatitur, quia actio est inter contraria, ergo calor naturalis agendo in alimentum, quod aliqualiter est contrarium illi, & dissimile, repatitur ab illo, & consequenter debilitatur, unde non poterit deinde tam perfecte convertere alimentum in propriam substantiam, nec perfectam producere carnem, sed imperfectam, quapropter progressu temporis ita debilitabitur vivens, ut impotens fiat omnino ad operationes vitales exercendas, & consequenter cogitur senescere, & mori. Hæc autem debilitatio, & imperfectio non est propter remissionem formæ substantialis; diximus enim disp. 5. q. 5. art. 2. substantiam non suscipere magis, & minus, sed propter admixionem contrariorum, *nunquam enim perfecte alimentum convertitur in* substantiam aliti, sed semper aliquod excrementitium remanet, quod actionem viventis valde debilitat, & quandoque inducit noxiam aliquam qualitatem, & complexionem ita fixam, ut fere connaturalis evadat. Et quamvis possit vivens, vel medicina, vel aliquo alio ab istis contrariis se liberare, & reducere se ad pristinum temperamentum, nunquam tamen erit perfecte in eodem statu priori, quia progressu temporis actione concoctiva calor producit sicciorem, & duriorem substantiam, ut paret, pueri enim habent in principio tam carnes, quam ossa molliora ad modum terræ, itaut si frangantur, facilirer agglutinari possunt, at deinde hæc omnia exsiccantur, ac duriora fiunt, nec unquam ad pristinam redeunt humiditatem, quamvis ab omnibus aliis contrariis corruptivis liberent se.

126 Hæc autem est alia caloris actio, quæ necessitatem inducit moriendi, quodlibet enim vivens determinatam habet latitudinem *calidi*, & *humidi*, *citra* quam nequit anima corpus informare, non enim potest vivificare corpus cum frigiditate, & siccitate lapidis, vel metalli; Neque calor potest conservari in subjecto quantumcumque sicco, sed determinatam exposcit humiditatem, aliter evanesceret; ex alio capite habemus, quod calor est sui natura subtiliativus, & partes subtiliores a crassioribus, & terrestrioribus segregando in mixto per evaporationem, mixtum illud continuo exsiccat, & terrestrius reddit, ut tandem resolvendo semper quod est magis resolutioni paratum, scilicet, subtile aereum, corpus illud ad tantam ineptitudinem perducit ut improportionatum protinus fiat ad conservandum calorem naturalem, quo evanescente desinit anima informare corpus, & contingit mors ab Arist. naturalis appellata, quatenus evenit secundum cursum naturæ. Quapropter concludendum est, quodlibet vivens diminui substantialiter toto vitæ tempore, quamvis continuo etiam nutriatur, & tandem totaliter destrui, quod magis patebit ex *solutione objectionum*.

127 Sed antequam rationes in contrarium diluamus, aliqua de ætate hominis subjungere placuit. Ætas igitur est vitæ periodus, sive spatium, quo infinitum corporis viventis temperamentum per se evidentem mutationem subit; Ar. hanc ætatem in tres partes divisit in l. de juv. c. 14. in juventutem usque ad 25. annum, in statum, seu virilitatem usq. ad 40. & in senectutem usque ad finem, satis rece-

pta est divisio in septem partes, in Infantiam, Pueritiam, Adolescentiam, Juventutem, Virilitatem, Senectutem, & Decrepitatem; Prima est infantia, quæ ab ortu usque ad 6. annum circiter durat, diciturque homo Infans quasi non fans, quia mutus nascitur; hæc etiam ætas dicitur lunaris propter prædominium humiditatis, cujus præcipua causa est Luna. Secunda dicitur pueritia a puritate, usque ad decimum quintum circiter annum, diciturque Mercurialis, quia tunc homines incipiunt discurrere, & scientias addiscere, quibus præest Mercurius inter Planetas. Tertia est Adolescentia usque ad 21. vel 25. annum, diciturque venerea, quia tunc homo fit aptus generationi. Quarta Juventus usque ad 35. vel 40. annum, vocaturque solaris, quia tunc regnat floriditas, ætatisque perfectio, cum sit media. Quinta est virilitas usque ad 50. annum, & Marti tribuitur, qui est planeta calidus, & siccus, præparans ad robur. Sexta dicitur senectus usque ad 65. annum; & dicitur Jovialis, quia Jovi subjicitur propter gravitatem, prudentiam, & præeminentiam. Ultima est decrepitas usque ad finem vitæ, & Saturno tribuitur, qui est causa frigiditatis, siccitatis, pigritiæ, tristitiæ, aliarumque imperfectionum, quibus scatent decrepiti.

Solvuntur objectiones.

128 CONtra objic. primo, si calor exsiccaret corpus, oporteret humidum a qualibet parte corporis resolvi, ergo subito corrumperetur totum, & præcipue tota caro, utpote humidior, destrueretur. Tum 2. numquam filius esset melioris complexionis, quam fuerint parentes: imo numquam idem posset senior fieri, quod est contra experientiam, ab ægritudine enim ad sanitatem datur regressio, conseq. patet, quia calor jam debilitatus non posset neque a seipso reparari, quia nemo seipsum intendit, neque ab aliquo extrinseco, nam hoc præcipue esset alimentum, a quo tamen adhuc debilitaretur. Tum 3. omnia naturaliter apperunt esse, & maxime viventia, ergo hæc ab intrinseco non habent causam activam corruptionis, aliter natura frustra concessisset viventibus talem appetitum. Tum 4. si posset contingere mors illa ex evaporatione caloris, & per ultimam resolutionem, contingeret sine dolore, dolor enim causatur a divisione continui, & temperamenti dissolutione, quæ in casu non essent, at hoc est falsum, quia mors ex 3. eth. c. 6. est maximum horribilium. Tum 5. diximus q. 7. in vivente dari partes permanentes toto tempore vitæ, ergo posset vivens per istas partes semper vivere. Tum 6. si calor magis debilitatur, ut non possit tantum alimenti convertere, quantum prius, ergo eadem ratione minorem partem substantiæ naturalis consumet, quia etiam hæc actio inter contraria versatur, ergo nunquam corpus diminuetur substantialiter.

129 Resp. ad 1. non adest ista necessitas, quia per applicationem alimenti impeditur, & retardatur caloris actio in humidum radicale, & per nutritionem resarcitur amissio prioris substantiæ, & sicut caro est humidior, & facilior ad fluendum, ita etiam facilius reparatur. Dices; quælibet pars ossis durior est carne, & siccior, ergo si potest calor destruere partem aliquam ossis, certe poterit eodem tempore totam carnem corrumpere. Resp. si comparatio fiat inter partes subtiliores ossis, & carnis, aut inter terrestriores carnis, verum est assumptum, & si fiat inter subtiliores ossis, & terrestriores carnis, negatur, potest enim contingere, ut pars ossis aerea sit subtilior, aut saltem resolubilior in vapores, quam pars terrestris carnis; sic videmus lignum esse durius pagina, & tamen ignis resolvit partes ligni aereas, non tamen partes terrestres paginæ, & cinericias. Ad 2. potest filius purior generari, tum ex perfectiori cœlorum influxu, tum propter perfectius semen, non enim si homo est male complexionatus, semen etiam necessario debet esse impurius, quia non est pars animata, & potest esse, quod vis concoctiva seminis sit perfecta, licet virtus nutritiva sit imperfecta. Idem potest sanior fieri, viresque amissas reassumere, si obstacula contraria medicamine removerentur, nam tunc forma substantialis posset se reducere ad pristinum statum, non tamen omnino perfecte, & in omnibus, quamvis enim posset meliorari, quoad aliquas operationes exercendas, non tamen quoad humiditatem vitæ necessariam, quia semper siccior evadit, ut dicemus. Ad 3. si valeret, concluderet, nulla mixta esse recte composita ex contrariis, quodlibet enim appetit proprium esse, & tamen contraria sunt causa corruptionis; quare dicimus vere in reb. adesse istum appetitum, qua ratione d. 5. q. 1. art. 3. posuimus corruptionem esse violentam simpliciter, & solum naturalem dici quatenus evenit secundum cursum causarum naturalium: cum igitur viventia ex propriis naturis petant ex calido, & humido componi, consequenter ex seipsis sunt corruptibilia, at ne omnino talis appetitus sit frustra, cum non possint res in individuo perpetuari, dedit virtutem productivam aliorum viventium, vel univocam iisdem viventibus, vel æquivocam aliis causis, saltem quoad formam corporeitatis, ut fiat conservatio in speciebus.

130 Ad 4. concedimus cum Ar. in lib. de morte, & vita cap. 10. quod si contingeret mors per solam caloris evaporationem in senectute, & absque morbo, nullum dolorem afferret; at quoniam regulariter mortem præcedit morbus, ideo dicitur formidabilis, tum quia etiam mors per simplicem dissolutionem potest dici maximum horribilium, & quoniam est ultimus terminus omnium, & quia est momentum, unde pendet æternitas alterius vitæ. Ad 5. neg. conseq. ad vitam enim conservandam requiritur necessario humidum radicale, & aliæ partes organicæ, quæ autem permanent, sunt partes siccliores, quæ non sufficiunt ad tuendam vitam. Ad 6. neg. conseq. quia alimentum magis contrariatur calori, magisque resistit, ideoque licet tempore augmenti propter intensionem virium potuerit calor magis de alimento convertere, tum etiam propter substantiæ puritatem, quæ tunc erat calori connaturalior, attamen tempore decrementi potius consumet de propria substantia, quam cibum convertat, quia substantia impurior evasit, estque calori magis intima, quam alimentum, magisque approximata, & applicata; unde ab aliquo extrinseco ut sunt flegmæ, aliique humores noxii, facilius impeditur actio in cibum, quam in humidum radicale.

131 Secundò argum. quamvis partes continuo exsiccentur, tantum abest, quod calor debilitetur, quod potius augeri debet, nam calor activior est cum siccitate, quam cum humiditate, unde siccitas dicitur lima caloris, & paret de igne, ubi calor est maxime activus, licet sit siccitati unitus. Tum 2. multa viventia semper augescunt, ut patet in plantis, & præcipue in vite, hedera, & similibus: idem de cocodrillo asseritur, & vermes, aliaque animalia musculosa semper apparent mollibus membris, ergo &c. Tum 3. in mundi primordio homines diu vivebant, ut quidam ad nongentos annos pervenerint, ut legitur in lib. Gen. ergo si tot centuriis annorum potest vita protrahi, non est dicendum corruptionem ab intrinseco provenire. Neque dicas in numero annorum, qui in Scriptura attribuuntur Patriarchis, intelligendos esse annos lunares, vel quod pro decem annis accipiendus sit unus, ut per nongentos intelligantur nonaginta, vel quod anni illi non tot mensibus constabant, aut menses non tot diebus. Non valet, quia & menses tot diebus constare asseritur, quot nostri in 7. Gen. nam fit mentio vigesimi septimi diei, & annus tot mensibus, quot nostri; sit etiam mentio de mense decimo, & si pro decem annis esset unus accipiendus, sequeretur Enos novem annorum genuisse, & Cain septem annorum, nam refertur in Scriptura Enos nonaginta, Cain vero septuaginta annorum procreasse filios: quin etiam Gen. 25. Abraham dicitur mortuus in senectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum, & tamen solum centum septuaginta quinque annis fertur vixisse, quod tempus juxta hanc interpretationem vix attingeret annum vigesimum. Tum 4. mors per peccatum intravit in mundum, ut docet Scriptura, ergo non erit a causa intrinseca ipsi homini, aliter etiam in statu innocentiæ fuisset mortalis.

132 Resp. si valeret, jam ignis perfectius in cineribus conservaretur, quia ficciores, quam in ligno, quod est contra experientiam, dicimus ergo, quod sicut ignis hic inferius non conservatur, nisi pabulum habeat, ut asseruimus d. 4. de Cœlo n. 17. quod pabulum debet esse talis naturæ, quod habeat de subtili aereo cum aliqua crassitudine mixto, flamma enim immediate oleo non nutritur, nisi medio elychnio, & si elychnium non haberet in se aliquod subtile aereum, sed totaliter esset quid terrestre, quantumcumque esset oleo unitum, nec esset proportionatum pabulum, ut patet in carbonibus elychnii, qui non obstante olei præsentia non sufficiunt tamen flammam retinere, ita pari passu de calore naturali dicendum, quod cum reperiatur in mixto contrariis affecto, ut conservetur, indiget pabulo unctuoso, & viscoso, & si hoc deficit, quamvis remaneant partes terrestres, nequit tamen conservari, eo quia siccitas ista est etiam cum frigiditate admixta, estque terrea, unde exemplum de igne calorem cum siccitate habente non currit. Ad 2. aliquas plantas verum est diu crescere, falsum est tamen non senescere, ut tandem non arescant, & hoc evenit, quia cum sint inferioris naturæ, non indigent tot organis, & dispositionibus ad sui conservationem: præterquam quod semper novas efficiunt radices, & consequenter se habent ut nova individua, sic specialiter de vitæ, & hædera conspicimus: quod fertur de crocodillo, vel non est verum, vel cum hoc adhuc est ab intrinseco corruptibilis non propter defectum humidi, sed quia tale humidum est aqueum, unde extinguet tandem calorem; vermes suo modo etiam exsiccantur, si diu vivunt, attamen propter copiam aquei humoris terrestreitatis, & exigui caloris brevi tempore calorem deperdunt. Ad 3. homines in principio fuerunt longæviores, quia meliori temperamento erant præditi, quod fuit deperditum inconvenienti alimento, crapula, libidinibus, aliisque vitiis, perfectioremque cognitionem habebant de virtutibus herbarum, fructuum, & lapidum, aliarumque rerum ad conservationem vitæ spectantium, sicut etiam aliæ res, quibus vitam tuemur perfectioris erant conditionis. Ad 4 primi parentes etiam in statu innocentiæ, ait Doctor, erant natura mortales ab extrinseco, tamen immortales extitissent, si permansisset in innocentia, quare mors actualis fuit tanquam pœna peccati hominibus inflicta, non quia naturaliter non fuissent morituri, sed quia specali dono fuissent ab illa præservati.

133 Tertio, arguit Arriag. disp. 2. de Gen. in fine probans posse naturali virtute hominem perpetuo se conservare, nisi ab extrinseca causa corrumperetur, sit homo calidus ut sex, frigidus ut duo, & per unum alimentum amittat aliquid caloris, vel acquirat, certe si deinde aliud alimentum contrarium applicaretur, per istud reficeret, quicquid per illud amiserat, vel amitteret, quicquid acquisierat, & consequenter pristinum temperamentum reassumeret, quare nunquam ratione cibi moreretur, hoc etiam patet experientia, nam quidam morti propinqui omnibus viribus fere destituti, virtute ciborum, & medicaminum pristinam recuperant sanitatem, quare si homo haberet perfectam notitiam ciborum, & ab extrinseco non læderetur, posset naturaliter se conservare in æternum. Quod arg. aliter, & fortius deducit Angest de prop. form. pag. 110. virtus terrestrificativa membri non est infinita, sed poterit a contrariis qualitatibus superari, ergo si alimentum humidum applicaretur, licet a membro exsiccaretur, illud tamen humectaret, & sic paulatim non solum posset homo reficiri quod exercendas operationes,

nes, sed etiam quoad humidum radicale membrorum. Accedit quod si membro exsiccato applicaretur alimentum humidum aereum in majori gradu, quam postulet forma viventis, & quem habebat membrum ante exsiccationem, illud nutrimentum successive per alterationem assimilabitur membro, & prius perveniet ad gradum illum, quem forma ex sua ratione specifica sibi determinat, quam ad gradum membri exsiccati, ergo quia tunc est recte, & sufficienter dispositum alimentum, introduceretur forma viventis in statu perfectiori, quam membrum haberet, & consequenter fieret restauratio deperditi secundum omnem perfectionem, quod si sæpius fieret hæc reparatio, certe poterit homo perpetuo se conservare. Tandem hoc idem asseritur de ligno vitæ, scilicet quod virtutem habebat conservandi hominem in æternum, ut colligitur ex Gen. 2. *Ne forte mittat manum suam & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*, ergo in rerum natura non repugnat reperiri alimentum aliquod perfecte restaurativum viventis, & in eodem statu conservans, ejusque conditionis asseritur esse ab alchymicæ artis professoribus, quod aurum potabile appellant, aut elixir vitæ.

134 Resp. concedendo quandoque posse fieri reparationem in pristinum, hoc est posse acquiri aliquam substantiam ejusdem omnino temperamenti, ac fuit prior amissa, regulariter tamen non ita contingit, quia non fit applicatio cibi omnino proportionati, nec virtus digestiva reperitur ab omnibus contrarietatibus semper expedita, ut possit perfecte concoquere cibos, quin aliqualiter debiliretur, & hoc modo intelligendus est Scotus sæpe cit. progressu tamen temporis adhuc reperiretur vivens debilitatum, ratio est, quia in ista reparatione licet acquiratur pars aliqua subtilis aerea, cum ista tamen adhuc advenit nova pars terrestris, nam illa substantia de novo adveniens non est tota aerea, sed quid mixtum, neque hac conversione pars terrestris, quæ remansit, fuit substantifice humectata, idest quod de terrestri evaserit aerea, & subtilis, sed eamdem omnino entitatem retinuit, quapropter licet in prima conversione videatur vivens etiam quoad humidum radicale reparatum, quatenus acquisivit novum humidum, quod non habebat, revera tamen ex alio capite est deterioratum, quia aucta fuit pars terrea, quæ continua caloris actione remanebit, subtili jam destructa, quapropter ex hac continua actione pars terrestris ita augebitur, & consequenter ita minuetur calor, ut paululum possit deinde de alimento convertere, nec in tanta perfectione, unde tandem deficeret, & destrueretur, aliter si semper fieret æqualis conversio alimenti, non solum vivens nunquam senesceret, sed semper crescret, quia semper fieret nova additio, quod neque concederent adversarii de homine in statu innocentiæ, in quo ponunt perfectam concoctionem futuram ab hominibus, si permansissent in gratia, & in hoc sensu quoque explicari potest Doctor cit. dum ait vivens a quolibet alimento repati, & impurius evadere, quia semper exsiccatur, vel fit additio partium sicciorum. Hinc patet, quid dicendum sit ad rationes adductas, & cum ait Angelus virtutem terrestrem membri posse a contraria humiditate humectari, si intelligit qualitative, transeat, non ob id tamen hæc qualitas diu permanebit, quia partes illæ quærent se reducere ad pristinam siccitatem, & connaturalem, cum sint terrestriores, & licet non se reducant, parum refert, quia vita non consistit in humido accidentali, sed substantiali, si vero intelligit de humectatione substantifica, est falsum, quia potius membrum diuturnitate temporis exsiccabit novam illam partem, tum propter majorem molem membri, & minimam alimenti conversi partem, tum propter majorem resistentiam siccitatis, & minorem humiditatis, accedente deinde actione caloris potius exsiccante, quam humectante.

135 Solum dubitari potest de ligno vitæ, an habuerit naturalem virtutem conservandi hominem in perpetuum, ut sustinent quamplures Theologi, quos citat, & sequitur Aversa q. 50. sect. 10. an vero supernaturalem, ut docent D. Bon. 2. d. 19. art. 3. q. 1. Cajet. 1. p. q. 97. art. 4. Hurt. cit. & expresse ex nostris Aret. de oper. sex dier. tract. de ligno vitæ, q. 5. ex D. Aug. & videtur etiam mens Scoti cit. estque magis rationi consonum, quo enim pacto lignum illud poterat habere naturalem virtutem conservandi hominem in perpetuum, si erat corruptibile? (ad hoc enim ut potuisset hominem conservare, debebat in substantiam hominis transire, & consequenter corrumpi) tum quia ut converteretur in substantiam, debebat ab homine alterari, ergo aliqualiter erat contrariis qualitatibus affectum, quibus debebat reagere in hominem, non videtur autem, quod agens debilitans passum, etsi parumper habeat virtutem illud perpetuo conservandi, solum ergo habuit virtutem naturalem restaurandi ad modum medicinæ sed efficacissimæ, cum hoc tamen ex alio capite adhuc debilitabat agens, quatenus per illud augebatur pars terrestris, aut saltem nunquam substantialiter humectabat partes terrestriores, hoc enim esset illas totaliter destruere, & in hoc sensu intelligendum est ly *in æternum* in Scriptura scilicet pro diuturno tempore, quo pacto multoties sumitur in scriptura, ut Gen. 17. *Dabo tibi, & semini tuo omnem terram Chanaan in possessionem æternam*, & Psal. 76. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui*. Vel si explicetur pro vera semipiternitate, non erit dicenda virtus illa naturalis, sed supernaturalis, ut docet D. Aug. 13. de civit. cap. 20. ubi agens de effectu hujus ligni, ait, *Mirabili Dei gratia præstabatur*, & loquens de eo cibo, & cæteris, inquit: *Cætera essent alimento, illud Sacramento*, quam virtutem sup ernaturalem conservare poterat Deus post peccatum Adæ, sicut nunc facit in Sacramento Baptismi, per quod imprimit characterem etiam ficte accedenti, & conficit transubstantionem in Eucharistia etiam ad prolationem verborum a Sacerdote peccatore. Eadem ratione neganda erit virtus hæc conservativa vitæ in medicinis alchymistarum.

F I N I S.

APPENDIX GENERALIS.

In qua post singulares additiones huic tomo de Gen. recuso infertas ad respondendum objectis a P. Pontio (ultra ea, quæ Auctor scripsit in Met. disp. 12.) satisfit etiam quibusdam instantiis, & oppositionibus ejusdem P. Pontii in sua Appendice Apologetica factis, quibus certo loco satisfieri haud poterat.

1 JAm te prænonitum feci (erudite Lector) disp. 12 Met. q. 9. n. 282. tunc primum ad manus perveniſſe Appendicem apologeticam P. Pontii contra me, Collegamque meum conſcriptam, cum ad finem jam properaret editio ſecundi Tomi meæ Metaphyſicæ, quo factum eſt, ut ad votum in Metaphyſica ex integro præfato Auctori reſpondere non potuerim, ſed illis tantum difficultatibus, quæ ad materiam, de qua ibi agebatur, reduci poterant, ut eſt videre in quæſt. 7. 8. 9. & 10. illius diſputationis 12. in quibus ex profeſſo objectis occurro a præfato Auctore tam impugnante quam propugnante: in qu. quidem 7. a n. 259. de receptione accidentis materialis in ſubjecto incorporeo, & in quæſt. eadem 7. a n. 262. de dependentia formæ a pluribus ſimul ſubjectis: & q. 8. a n. 269. de inhærentia accidentis in pluribus ſimul ſubjectis: & q. 9. per totam de eductione formarum naturalium, & ſupernaturalium, & q. 10. per totam de præcedentia quarundam relationum ad ſuum terminum.

2 Verum quia temporis anguſtia, & præli ad finem jam vergentis ſollicitudo, & materiæ importunitas non ulteriorem cum Adverſario diſceptationem permittebant, nec reſponſionem ad alia materiis valde diverſis attinentia, idcirco q. 9. n. 287. in opportunioribus locis reſpondere promiſi, & præſertim in recuſione, quamcitius habenda Tomi de Gen. & Corrup. ubi multa opportune incidere perſpexeram. Sors autem tulit, ut eodem fere tempore ſingulari Superiorum meorum benignitate ad Provincialatus officium promotus fuerim, & paulo poſt proponente mihi Typographo Veneto neceſſitatem recudendi Tom. de Cœlo, & Gener. ac proinde novas additiones his libris adjungendas efflagitante, ſi quid addendum haberem; permiſi ut Tomum de Cœlo abſque novis additionibus recuderet, utpote quibus incumbere non poteram publico præpeditus negotio; ſimulque rogavi, quod recuſionem Tomi de Gener. uſque ad finem Provincialatus differret, ut promiſſa adimplere poſſem reſpondendi cæteris objectionibus, negotiis abſolutus.

3 Itaque dictum factum, officio publico functus, vix calamum reſumo ad reſpondendum, cum Quartanis febribus acerrime invaſus, ab incæpto deſiſtere cogor, vixque mihi permittitur prolixi languoris moleſtia oppugnationibus ad libros de Gener. ſpectantibus occurrere, ac ſemper infirma valetudine cæteras reſponſiones ſuis locis reſervando, paucas tamen atque minoris momenti: In hoc igitur Tomo reſponſionem habes ad objecta de Calore Æris, & frigiditate Terræ diſp. 1. q. 6. in fine primi Articuli; de Rarefactione diſp. 4. q. 2. in fine, & q. 3. n. 20. in fine, & q. 5. n. 44. & eadem q. n. 49. de motu locali diſp. 4. in fine, de phyſica mutatione diſp. 5. q. 1. art. 2. n. 10. *in fine*. De cauſalitate materiæ, & formæ erga compoſitum diſp. 5. q. 2. in fine primi Art. De univocatione materiæ, formæ, & privationis in ratione principii diſp. 5. q. 1. art. 3. in fine. De Generatione, an ſubjectetur in forma diſp. 5. q. 2. art. n. 49. De Replicatione ejuſdem Corporis in plurib. locis diſp. 5. q. 8. in fine. *Univocatione* conceptus Viventis diſp. 8. q. 1. in fine. De Identitate numerica viventis uſque ad finem vitæ diſp. 8. q. 7. in fine, & quamvis ex præfatis difficultatibus, nonnullæ ad libros de phyſico auditu proprie attinerent, data tamen opera ad hos libros illas utcumque reduxi, ut occaſione recuſionis hujus Tomi, pluribus, quo poteram, occurrerem, quod adhuc plenius feciſſem, niſi ægritudinis, & Typographi moræ productionis impatientis moleſtia impedimento fuiſſet, & ad manus habuiſſem Curſum præfati Auctoris, quem in hac temporis anguſtia, nec Bononiæ, neque in Romandiola tota (præter Tomum phyſicum) eſto majori qua potui diligentia, etiam apud ejus Patres perquiſitum, reperire potui.

4 Quoniam vero P. Pontius in ſuæ Appendicis initio, vehementer conqueritur de Epiſtola Tomo noſtro phyſico ſecundæ editionis a Typographo affixa, tamquam a nobis, vel certe altero noſtrum dictata in ejus Doctrinæ præjudicium, veluti minus Scoticæ, eo quod ibi plures ipſius opiniones, quæ a Scoto videntur extorres, referantur; hic præcipue ejus oppoſitiones ſunt producendæ, ut ſingulis ſatisfaciam tum *meo nomine*, tum Collegæ mei, & quidem de collega meo omnem prorſus deponere debet ſuſpicionem, quandoquidem in Siciliam appulerit ille, antequam ullus noſtræ philoſophiæ Tomus recuderetur, unde ob nimiam diſtantiam, novis impreſſionibus incumbere non poterat, ſed totum mihi onus remanſit occurrendi quibuſcumque qui poſt primam editionem noſtram impugnaverant, quare additiones omnes Tomo logico, & phyſico, & huic de Gen. hactenus adjectæ, *eſto communi nomine prodierint*, ex meo penu dimanarunt, ideoque ſi quid in eis perperam dictum, atque præfati Auctoris offenſivum, mihi tribuendum eſt, ac de me ſolo conqueri debet, an vero juſte, nunc diſcutiendum.

PRIMA OPPOSITIO.

5 Legitur in Appen. n. 2. quod ea epiſtola ſub nomine Typographi impreſſa fuerit ad evitandam Apologeticæ reſponſionis vexationem, & eodem myſterio ſuſpicatur n. 4. factum, quod in additionibus phyſicis ſuas adducam impugnationes, & reſponſiones ejus nomine ſuppreſſo: Quod quidem judicium illico falſitatis, ac temeritatis convincitur ex mea epiſtola ad Lectorem Tom. p. Met. ubi hæc verba leguntur, *ejus objectionibus in phyſica jam ſatisfeci in ejuſdem Tomi phyſici recuſione, licet brevibus, & ſuppreſſo objicientis nomine, quia Tomi moles, apertam, & fuſiorem pugnam non mihi permittebat &c.* Quibus nunc adjungo, quamplures illarum impugnationum relatas fuiſſe nomine vago *quidam recentior, aliqui, noxnulli &c.* quia non apud ſolum Pontium, ſed etiam apud alios Recentiores habeantur, quorum placita ſequebatur; unde ei appropriare, quod alienum erat, non tenebar. Pergo in eadem epiſt. *qua etiam de cauſa, neque modo in logicæ recuſione admodum cum eo diſputando diffundar, niſi quantum poſtulabit reſpondendi neceſſitas, ſed totam cum eo exercitationem ad hunc Metaphyſicæ Campum reſervavi, ubi materiarum diverſitas occaſionem ſæpe præſtabit ejus placita exponendi, ac mea tuendi jam aſſerta in logica, & phyſica.*, ex quibus verbis ſatis conſtat, an ejus jacula timuerim, & concertationem cum ipſo refugerim, ille ego, qui cum cenſore Strictioris adhuc obſervantiæ, quam ſit ipſe, congreſſum nuperrime non expavi, & plane nimis de ſe præſumit hic Auctor, dum putat ſe cunctis formidoloſum, *deforme eſt* ait Cic. de offic. *de ſe ipſo* prædicare, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum.

SECUNDA OPPOSITIO.

6 Legitur num. 5. Quod dixerimus, ipſum quamplures a nobis accepiſſe opiniones facto experimento locis ibi citatis. Cui eum nihil haberet ſolidi replicandum, quod ad rem faceret, occurrit, facilius eſſe, nos ipſum fuiſſe ſequutos, eo quia ejus manuſcripta antequam imprimerentur, per manus Diſcipulorum ſuorum in variis Italiæ partibus diſſeminata fuerant; unde ut veriſimile deducit, quod ad manus quoque noſtras pervenerint: Quæ Reſponſio, vel potius evaſio eadem facilitate retundirur, qua profertur; nam etiam & noſtra ſcripta circumferebantur a Noſtris, unde contingere potuit, quod ad manus quoque ſuas pervenerint, vel certe cum prius Typis data fuerint, quam ſua, ut ex impreſſione Voluminum conſtat, veroſimilius eſt, ipſum nos fuiſſe imitatum in illis opinionibus, quam e contra, juxta adagium, *Qui primus venit, primus molet*.

TERTIA OPPOSITIO.

7 Quæ ad Typographum ſpectat, cui intererat ad augendum ſuæ Typographiæ (quæ Scotiſtarum eſt) nomen, & exiſtimationem, legitur nu. 18. & 19. & eſt quod ex impreſſione ab ipſo facta noſtrorum voluminum, male collegerit, Curſum noſtrum philoſophicum in via Scoti ante ſuum in lucem integrum prodiiſſe, quandoquidem tunc temporis cum ſuum invulgavit, Curſui noſtro deerat Metaphyſica. Sed hæc quoque evaſio facile præcluditur, eo quod per Curſum philoſophicum conſuevit intelligi Curſus logicam, & philoſophiam Naturalem Arcomprehendens, Metaphyſica ſeclusa; ſic enim Conimbricenſes, & Compluten. ſic Joannes de Sancto Thoma, Rnvius, & alii quamplures Curſus ſuos ediderunt, & nuncuparunt, quibus Metaphyſica deeſt; in hoc ergo ſenſu Typographus noſter contendebat, noſtrum Curſum integrum præceſſiſſe Pontianum, & recte ex voluminum impreſſione collegit. *Purpura juxta purpura dijudicanda* inquit proverbium, conferantur Codices; ſimul.

QUARTA OPPOSITIO.

8 Satis frequens in Appendice eſt jocari ſuper dictum illud a Noſtro Typographo de Metaphyſica, quam dicebat in ea epiſtola parari a Patre Maſtrio, inquit enim Pontius num. 7. Quid facturus ſit Maſtrius in Metaphyſica, non ſcio, at ſi non ex ungue tantum, ſed ex majori corporis parte, licet colligere Leonem, non crediderim facile ullum, qui reliquas partes philoſophiæ horum Patrum jam impreſſas, & præſertim novas ſuas additiones attente legerit, expectare poſſe, quod hic promittitur &c.

9 Sed hæc oppoſito nullius momenti apparet, ex his quæ habet Adverſarius ipſe in Appen pag. 152. n. 208. prope finem, ubi habet hæc verba (quod non credo Maſtrium fieri poſſe dicturum in ſua, quam pollicetur, metaphyſica, in qua ſpero ipſum diſcurſurum melius, quam ſoleat in reliquis partibus philoſopiæ quas adhuc vidi) ſi ergo in hoc poſteriori loco, ſperat melius me diſcurſurum in metaphyſica, ad quid in priori loco deſperat, & aliis eamdem deſperationem ſuadere conatur, plane hic quadrat adagium *oportet mendacem eſſe memorem*, quod ſi hoc ironice dixit, ut credo, experiatur an ſua ſe fuerit deſtitutus legendo, quæ contra ipſum diſcuſſi diſp. 11. Met. q. 7. 8. 9. & 10. circa materias ab initio hujus epiſtolæ inſinuatas, & quod eadem ſcientia nequeat eſſe ſimul practica, & ſpeculativa diſp. 1. Met. q. 4. n. 72. ubi refelluntur, antequam ea viderim, quæcumque addidit in Appendice pag. 13. n. 31. ad confirmandum oppoſitum, quod dicit probabiliter ſuſtinere. Et quod ſecundæ intentiones ſint entia rationis diſp. 2. Met. q. 9. n. 252. ubipariter refelluntur, quæ addidit ad probandum oppoſitum in Appen. n. 30. antequam ea viderim, & ponitur etiam particula *neceſſario*, quam ait mala fide ab auctore epiſtolæ fuiſſe omiſſam.

10 Et rurſus, quod Actio, & Paſſio nullo pacto importare poſſint eundem realiter reſpectum, præſertim in Scoti ſententia diſp. 6. q. 1. art. 5. per totum, ubi per extenſum refertur ejus opinio, & confutatur. Nec aliquid ſuffragatur, quod addidit in Appen. pag. 30. n. 43. prope finem, dum inquit (nec expoſitio, quam affero ex Scoto, mira videri debet Adverſariis, quia ipſi ſimilem adhibent, dum docent habitus ſupernaturales creari creatione proprie dicta; ſed illi longe infelicius, quia abſque cauſa urgente eam excogitarunt) Verum ſi hoc docuimus, certe nihil contra Scotum diximus, quia re vera Doct. pro hac opinione ſterit, vel potius eam ſuppoſuit, ſed docuimus poſſe probabiliter ſuſtineri, quod educantur de potentia Animæ diſp. 3. phyſ. q. 5. art. 2. quod quidem voluit hic Pontius nobis opponere, ut facit inferius in Appen. pag. 128. n. 178. ſed cum hæc ſcribebat, tanta æſtuabat ira, ut non conſideraverit quid ſcriberet, quod non ſemel notari poteſt in ea Appen. & frequenter hoc iis evenit, qui non pacato ſcribunt animo; Sed huic oppoſitioni jam ſatisfeci diſp. 12. Met. q. 9. ubi n. 292. dico, quod quando illud probabile judicamus in phyſica *loc. cit.* ibi quoque ingenue fatemur Scotum oppoſitæ ſententiæ adhæſiſſe, vel potius jam ſuppoſuiſſe; magis tamen ob Sanctorum Auctoritatem, quam aliqua convincenti ratione, non enim Adverſarii mei genium habeo, quod Recentiorum opiniones in Subtilium ſcholam introducere velim, velut Scoti placita, nihil inſinuando, an revera ſint de mente Scoti, nec ne, num vero illud probablie judicaverim nulla urgente ratione, videri poteſt in phyſica loc. cit,

11 Legat item, quæ contra ejus opinionem ſcripſi (melius Arriag. dixerim, & Averſæ) quod ens poni poſſit genus ad Deum, & Creaturam, nec divinam impedire ſimplicitatem, quod Deus includat formalitates generis, & differentiæ; Cui minime ſuffragatur excuſatio producta in Appen. pag. 112. n. 158. quod hoc abſolute non dixerit, ſed conditionate, nimirum, ſi nihil aliud intelligitur per genus, quam aliquid unum contrahibile per differentias ad plura diſtinctæ rationis; nec etiam abſolute aſſereret non impedire ſimplicitatem Divinam, quod Deus includat formalitatem generis, & differentiæ, ſed cum eadem conditione, ſi caperetur genus pro formalitate contrahibili entis, & differentia pro formalitate contrahente. Non inquam, hæc excuſatio ſuffragatur, quandoquidem in hoc præſertim ſenſu impugnatur. Legat rurſus diſp. 8. Met. q. 2. art. 2. ubi contra ipſum oſtendendo Creaturam ab æterno non habuiſſe eſſe diminutum, medium inter ens reale, & rationis, etiam ut ab ipſo explicatur, hancque eſſe communem Scotiſtar. ſentent. unanimiter laborantium, ut ab hac calumnia Scotum defendant, quam ei impingere conati ſunt nonnulli Thomiſtæ, ut notavit Rada p. p. controverſ. 29. art. 3. ubi Scot. Magiſter vocat Scotiſtas illos, qui hanc opinionem Doct. ſubtili adſcribunt, tantum abeſt, quod hoc a nullo Scotiſta negetur, ut ſatis confidenter loquitur Pontius in Appen. pag. 113. n. 159. unde ſubdit (quid ad hæc Typographi Auctores? neſcio ſane, quid in Met. quam credo habere adhuc tantum eſſe diminutum & non ex uno tantum capite &c.) fallitur hic Pontius quandoquidem, etiam dum has ſcribebat nugas, mea habebat Metaphyſica eſſe completum, & abſolutum, ſicuti nunc habet, & forte plus completum, quam ipſe vellet.

12 At quia vidit Pontius hujuſmodi eſſe diminutum non poſſe vere, & proprie mediare inter ens reale, & rationis, recurrit ad refugium miſerorum, & inquit dixiſſe abſolute, quod mediet inter ens reale, & rationis, ſed *quaſi* mediare, quod ita probare nititur, quia illud eſſe diminutum ſecundum Scotum non habet eſſe rationis prout tale dicitur, cui repugnat realis exiſtentia, nec eſſe reale ſimpliciter, quia non exiſtit realiter actum, & in hoc convenit cum ente rationis, quod non habeat eſſe reale ſimpliciter, & in hoc convenit cum ente reali ſimpliciter, quod non repugnat ipſi tale eſſe, ergo poteſt dici, ſi non mediare, ad minus quaſi mediare inter illa duo eſſe; Quid eſt enim aliud quaſi mediare, quam non eſſe nec unum, nec alterum, habere tamen aliquam proportionem cum uno, & cum altero ſecundum diverſas rationes?

13 Verum diſp. 8. cit. q. 1. art. 2. oſtendo nullatenus poſſe poni medium, quia inter contradictoria, qualia ſunt entia realia, & rationis in ſuis formalibus rationibus quatenus hoc nec eſt, nec eſſe poteſt in rerum natura, illud autem utique nec datur medium, nec quaſi medium, allata autem ratio, quia adducitur a Thomiſtis contra eſſe diminutum, quod inquiunt, Scotum tribuere Creaturis ab æterno, proponitur, & ſolvitur in terminis diſp. 4. cit. n. 21. ubi oſtendo, quod licet in aliquo ſenſu ſatis improprio poſſit admitti illud eſſe diminutum quaſi mediare inter ens reale, & rationis, tamen proprie loquendo, admittendum non eſſe, ſed debere dici ens reale, quia per ens reale non tantum intelligitur, quod actu eſt, ſed quod eſt, vel exiſtere poteſt, ſic enim opponitur enti rationis, tale autem eſt eſſe poſſibile, & diminutum, quod habent Creaturæ ab æterno, quia ipſi non repugnat poni extra. Confirmatur hæc ſolutio, quia male diceretur Antichriſtus ens rationis, eo quia actu ſimpliciter non exiſtat, ſufficit enim quod poſſit exiſtere; ut non dicatur ens rationis gener. ex eo quod eſſe diminutum conveniens Creaturis ab æterno non ſit eſſe actu ſimpliciter, male dicitur ens rationis, vel cum ente rationis convenire ex hoc capite. Demum quando hic loquendi modus poſſet admitti in ſenſu aliquo valde improprio, adhuc tamen Scotiſtæ præſertim ab eo abſtinere debent, ne fomentum detur calumniæ, quam Scoto impingunt ejus Adverſarii circa hoc eſſe diminutum Creaturarum ab Æterno.

14 Legat pariter, quod ibidem ſcripſi contra erroneam ejus & abſurdiſſimam opinionem, quod Creaturæ habeant ab Æterno tale eſſe diminutum independenter a Deo, & ab operatione Divini intellectus, vel voluntatis, in quo dixi n. 3. mitius, ac humanius Thomiſtas egiſſe cum Scoto, quam Pontius fecerit, quandoquidem, eſto impoſuerint, quod Creaturis conceſſerit ab Æterno eſſe iſtud medium inter ens reale, & rationis, *non tamen* dixerunt hoc illis tribuiſſe independenter a Deo, & a Divina cognitione, quemadmodum aſſerit Pontius, ut latiorem præberet Adverſariis campum Scotum calumniandi in hoc puncto, in quo auſi ſunt dicere turpiter lapſum eſſe in errorem VVicleffi, a qua calumnia nedum Scotiſtæ omnes Magiſtrum ſuum incunctanter defendunt, & vindicant, ſed etiam duo Societatis Proceres Suarez diſp. 31. Met. ſect. 2. n. 2. & Vaſquez p. p. diſp. 70. cap. 2. n. 8. & diſp. 104. cap. 3. n. 9.

15 Legat denique contra ipſum diſcuſſa diſp. 5. Met. q. 11. n. 243. dum judicans communem, & conſuetam Scoti, & Scotiſtarum ſolutionem difficultatum Thomiſtarum de Compoſitione in Deo ſequutura ex diſtinctione formali attributorum ejus a Scoto poſita, non eſſe ſufficientem, ſapere volens ſupra Magiſtrum, & condiſcipulos, quamdam profert ſpeculationem ſuam pro tuenda Scoti ſentent, nullius tamen momenti, ut ibi oſtenditur: Legat, inquam, hæc omnia, & alia plura contra ipſum diſcuſſa in mea Metaphyſica, & videbit eam non habere eſſe diminutum, ſed completum, & omnibus numeris abſolutum; videbit ſua ſpe fraudatum non eſſe, quod melius eſſem in Metaphyſica diſcurſurus, quam in aliis Philoſophiæ partibus; videbit tandem quam inepte concluſerit locum ultimum in Appen. pag. 117. n. 162. illis verbis (& ex illis ſpero cuivis æquo Lectori in quacunque Doctrina verſato, ſatis clare probaturum me, ſi nihil aliud impediat, quam quæ illi objecerunt, tam candidum, ac ſincerum Scotiſtam eſſe quam ipſemet Scotus optaverit.) Verum ex modo dictis, ſatis patet, quam verum ſit hoc ejus dictum, & quam ſuo deſiderio fraudatus ſit Doct. & hic rurſus ſeipſum canit, *fugienda eſt in ſermone jactantia* (ait Val. lib. 2.) *nihil eſt enim, quod magis minuat laudis præconium, quam ſuos aſſidue jactare ſucceſſus; vino vendibili, & falerno ſuſpenſa hedera nihil eſt opus*.

QUINTA OPPOSITIO.

16 ET quidem per totam App. non ſemel inculcata eſt, quod ad argumenta non reſpondeamus in forma, ad eorum vim declinandam. Huic oppoſitioni jam ſatisfecimus, cum proteſtati ſumus in epiſtola ad Lectorem in Tomo phyſico primæ editionis, ubi diximus, id factum eſſe ad prolixitatem evitandam, quandoquidem ad reſpondendum in forma ſæpius eaſdem propoſitiones repetere oporteat, concedendo illas in uno ſenſu, negando in alio, quod quidem vitio nobis vertendum non eſt, cum D. Thomas, Scotus, cæterique Sacr. Theologiæ Antefignani, hoc modo utantur reſpondendi, ſicut & inter Neotericos, Suarez, Vaſquez, & alii Scholaſticæ Proceres; qui vocatur reſpondere ad materiam Argumenti, qua reſponſione data, facile poſtea eſt, eam ad formam argumenti applicare. Cæterum ingenuus arguens, qui reſpondentem ad reſpondendum in forma coarctare prætendit, argumentum & ipſe in forma proponere debet; At Pontius interdum argumenta proponit extra omnem figuram, & modum, & ſic argumento conſtructo, ab Arguente poſtulat, quod in forma reſpondeat; de quo experimentum fieri poteſt in argumento, quod tamquam ineluctabile proponitur ab ipſo in Append. pag. 29. ad probandum relationem cauſalitatis eſſe termino ſuo priorem, ſcilicet effectu, ut enim oſtendo diſp. 12. Met. q. 10. n. 303. Argumentum *illud* pluſquam tribus terminis conſtare videtur; & cum ſit in tertia figura, ubi medium in utraque ſubiicitur, non facile apparet ad quem illius modum pertineat, cum conſtet ex duabus affirmativis particularibus, ut patebit illud conſideranti, & tamen non obſtante adeo intricata, ac defectuoſa arguendi forma, rogat, ut ſi illud argumentum unquam ſolvere velimus, id faciamus in forma, ut videatur, & intelligatur, an quidpiam dicamus ad propoſitum. O quam *belle* in propoſitum cadit aurea Senecæ ſententia, cum lib. 2. de ira ſcripſit, *aliena vitia in oculis habemus, noſtra a tergo ſunt*. Et Chryſolog. *alienos currit, & recurrit ad lapſus ſua cæcus ad crimina oculus curioſus*.

SEXTA OPPOSITIO.

17 NOn minus injurioſa, & frequens per totam Appen. eſt, quod nos pro ſua modeſtia ſæpius inſcitiæ arguit, & ignorantiæ, ut eſt videre inter alia loca pag. 59. n. 81. cum inquit: *hæc etiam impugnatio procedit ex ignorantia, &c.* Quod quidem convicii genus nequidem per ſomnium a nobis unquam audivit, qui honorifice ſemper de ipſo ſumus loquuti, ut videri poteſt in mea Met.

in epistola ad Lectorem, ubi eum appello Scotistam non minus Recentem, quam eruditum, & disp. 2. q. 9. n. 282. ubi dico hunc Auctorem minime Ferchio inferiorem a me estimari; quinimo similem injuriam neque a Thyppographo nostro tulit in ea epistola, in qua adeo læsum fuisse proclamat, quamvis enim dicat nonnullas opiniones suas videri a Scot. alienas, fatetur tamen ejus Cursum esse multa claritate, & subtilitate refertum; ex hoc autem quod quispiam, in quibusdam opinionibus a Scot. recederet, non ob id ignominiosum ignorantis titulum incurrit, unde concludo gratis omnino, & absque causa hac nota nos aspersisse.

18 Cæterum hic adamussim verificatur, quod Cicero scripsit lib. 3. Tusc. *proprium est stultitiæ aliorum vitia cernere, oblivisci suorum*, quandoquidem, in illo eodem loco, ubi ignorantiæ nos redarguit, eandem ipse notam pueriliter, ac turpissime incurrit, cum nostræ impugnationi occurrere volens, inquit pag. 60. linea 2. colum. p. *Sed in forma respondeo, distinguendo Sequelam*. Nunc ex *his* quatuor verbis perscrutemur, quanta sit, & quam eminens Adversarii sapientia, qui omni charitate postposita, & admonitione Sanctissimi Patris nostri Francisci in sua regula (non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent, sed sint mites, pacifici, modesti &c.) Auctoritatem sibi arrogat alios judicandi, & ignorantes declarandi. Docent Dialectici in summulis consequentiam, sive sequelam nunquam distingui debere, sed consequens, sequela enim cum consistat in ipsa illatione, non vero in assertione veritatis, non est distinctionis capax, quia distinctio cadit super æquivocationem, aut ambiguitatem propositionis, quatenus habet diversos sensus in significando; ob id non potest distingui (ajunt Dialectici) sed tantum negari, ut mala, & inconvenientia, vel conceditur conveniens, & bona; si ergo *hæc sunt prima Logicæ erudimenta*, quæ Tyrones in summulis edisunt; quomodo tu versatissimus in præceptis dialecticis, & qui auctoritatem habes exprobrandi aliorum ignorantiam, & criminandi, quod non respondeant in forma, quomodo, inquam, tu modo respondes ad nostram impugnationem distinguendo sequelam, quem errorem Præceptor non condonaret discipulo, quantumvis Tyroni; prosit tibi, mi Ponti, hic respondendi modus, ac inimitabili Sapientiæ tuæ: *In limine offendere* apud Veteres pueritiæ erat, I modo, rigorose Censor, & alios ignorantiæ, ac puerilitat is incusa; *sæpius ad laudem, atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam*, testatur Tullius.

SEPTIMA OPPOSITIO.

19 ET quidem per totam Append. continuata est, quod nec ejus dicta, nec Scoti Textum fideliter referamus, & rursus quod Scot. non intelligamus, etiam cum clare loquitur, ita est videre pag. 43. n. 59. in fine, & pag. 56. n. 75. in fine secundæ columnæ, & alibi frequenter. Ita plane hoc loco quadrat adagium illud, *Væ tibi, væ nigræ dicebat cacabus ollæ*; experimentum faciamus in uno, vel in altero loco; an nos sua, vel ipse nostra dicta infideliter referat, videatur Append. pag. 203. n. 371. in fine, ubi ait, satis mirari, quod ei adscriptum fuerit contra Scoti mentem, asseruisse disp. 15. phys. n. 90. quod possit a Deo idem Corpus replicari in pluribus locis sine replicatione accidentium absolutorum, cum nosmetipsi fateamur disp. 11. Phys. q. 9. quod Doct. in 4 d. 10. q. 4. videtur suam sententiam judicare probabilem, faciat experimentum Lector, accipiendo codicem physicum, & videbit, nos id habere in ea quæst. in argumentis ad oppositum in quarta Confirmatione primi principalis, cui statim respondemus n. 148. falsum esse Doctorem eam sententiam judicare probabilem, quamvis enim lit. N. quasi sub terminis probabilibus eam retulerit; infra tamen illam rejicit *vers. contra*, videtur ne tibi, discrete Lector, ingenuus hic referendi modus aliorum dicta? referre nimirum quæ habentur in argumentis ad oppositum, velut assertiones Auctoris.

20 Quis nostrum fidelius referat Scoti placita, & assertiones, experimentum fiat in quolibet. qu. 11. dicimus nos dari motum localem ad ubi, idque Scotum docere ex professo in quolibeto illo 11. Art. 4. Quid ad hoc respondet Pontius? audi illum magistraliter loquentem in Appen. pag. 297. n. 276. (Vidi etiam Doctorem in quolibeto illo, & in primis non inveni, quod per se tractet de hac difficultate; deinde non inveni, nec inveniri potest ab ullo, quod dicat alium motum terminari ad ubi, quam motum, qui est actus efficientis, seu actio per quam producit, ubi, nec potuit id nisi absurde dicere) sic ille satis audacter, & intrepide, ut ex tali modo loquendi, majorem sibi fidem apud legentes conciliaret: sed legatur Doct. quodlib. illo Art. 4. & quisque oculata fide videbit ibi docere dari motum localem ad ubi, quatenus motus est actus mobilis, & non efficientis tantum, ut luculenter ostendo in hoc Tomo disp. 4. in fine: hinc conjectari potest, num bonus hic senex epulum (ut dicitur) cauponi negaret.

21 Quis nostrum melius Scotum intelligat, experimentum fiat in relata difficultate, num Corpus replicari possit de potentia Dei absoluta absque accidentibus absolutis, & a loco independentibus, nos dicimus disp. 11. phys. q. 9. id fieri non posse, & quando Doctor in hoc asserit, non loqui tantum in ordine ad potentiam naturalem, & ordinariam, ut explicat Pontius oppositum sentiens cum Recentioribus, sed in ordine ad potentiam absolutam, quia contradictoria illa, quæ inde sequerentur etiam in ordine ad talem potentiam repugnant, ut in hoc Tomo demonstro disp. 5. q. 8. in fine, quæ fuit perpetua, & unanimis omnium Scotistarum intelligentia in hoc loco, uno excepo Pontio. Legatur etiam Scot. 4. d. 44. q. 1. quo præsertim in loco, ait Pontius in Append. pag. 43. n. 60. in fine, a nobis intellectum non fuisse; item & examen illius quæstionis, quod facimus in hoc Tomo disp. 8. q. 7. in fine, & constabit, quis nostrum melius ibi intelligentiam Scoti fuerit assequutus.

22 Fiat rursus experimentum circa famosam illam Scoti propositionem, qua probat univocationem entis p. d. 3. p. 2. B. omnis intellectus certus de uno conceptu, & dubius de diversis, habet conceptum, de quo est certus, alium a conceptibus, de quibus est dubius, &c. cum enim hanc maximam adduceremus ad probandam univocationem materiæ, formæ, & privationis in ratione principii, Pontius disp. 2. phys. n. 20. inquit propositionem illam verificari solum, quando conceptus ille unus, de quo est certus, est conceptus determinatus, non autem quando est indeterminatus, quæ est communis responsio Thomistarum, quam Scotus ipse refutat p. d. 8. q. 3. §. *contra istam positionem vers. tertio modo respondetur*. Fiat experimentum quoque in qu. an Deus sit in genere, cujus affirmativam partem tenet Pontius cum Recentioribus juxta quandam explicationem suam generis, & differentiæ 3. p. r. sui cursus disp. 18. q. 3. cum enim id expresse neget Doct. p. d. 8. q. 3. respondet, Doctorem ibi non loqui de conceptu generis, ut sic, sed de conceptu talis generis, qui abstraheretur a re dependente formaliter, idest de genere finito, & limitato, quæ explicatio, ac Scoti intelligentia quam violenta sit, ac inepta, satis ostendo disp. 12. Met. n. 132. Fiat demum experimentum in q. an causalitas ca usæ efficientis dicat respectum intrinsecus, vel extrinsecus advenientem; ipse namque in Appen. pag. 29. n. 41. mordicus tenet, importare respectum extrinsecus advenientem pertinentem ad prædicamentum Actionis, imo nos acriter redarguit, quod contra omnia principia asseramus esse respectum intrinsecus advenientem prædicamenti ad aliquid; sed hoc quæstirum resolvit Scotus ex professo 4. d. 13. q. 1. G. & H. ubi distinguit actionem de genere ad aliquid, quæ est productiva termini, & effectus, ab actione de genere actionis, quæ non est productiva termini, sed præcise transmutativa subjecti, ita ut pro termino respiciat subjectum per ipsam transmutatum, non vero aliquem effectum per ipsam productum, & actionem productivam termini, & effectus esse respectum intrinsecus advenientem, probat idem Doctor hac ratione; ille dicitur respectus intrinsecus adveniens, qui positis extremis ad ea necessaria consequitur ex vi præcise positionis ipsorum: sed statim ac ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu, consequitur in ambobus extremis præsertim in Creatis, relatio producti ad producens, ergo &c. Ecce igitur, quam recte Pontius Scotum intellexerit in hoc loco, dum de ejus mente docet causalitatem efficientis dicere respectum extrinsecus advenientem, *Medice cura te ipsum. Aliis medevis ipse vulneribus scatens*.

OCTAVA OPPOSITIO.

23 LEgitur n. 27. Append. pag. 20. quod sub *nomine* Typographi ei imposuerimus plura expresse contra Scoti intentionem asseruisse, quod ibi ostenditur propositio opinionum suarum ex omnibus Philosophiæ partibus longo Catalogo. Cui ut satisfaciam, distinguenda sunt in ea epistola, quæ ait a nobis Typographus fuisse significata, & quæ ab aliis Scotistis ejus Typographiæ familiaribus suggesta fuere, in prima parte epistolæ ingenue fatetur, non ei significasse, solutionem impugnationis, quam facit Pontius in Logica parva contra explicationem a nobis assignatam termini absoluti, & connotativi, facile colligi ex his, quæ habemus disp. 8. Logicæ q. 3. Art. 1. in fine §. *pro complemento*, ac pariter solutionem alterius impugnationis, quam urget disput. procem. phys. quæst. 1. conclus. 1. quod motus Angelorum ad Philosophiam in se non pertineat: haberi ex ipsa quæst. procem. nostræ physicæ Art. 3. & disput. 10. de loco ab initio, num. 1. & sane rem ita se habuisse recordor; cum etenim mihi Thypographus scripsisset nonnullos studentes nostros ab ipso postulasse, num adhuc ad ea respondissem, quæ mihi a P. Pontio in Logica, & phys. opponebantur, rescripsi me oportune responsorum præsertim in Met. sed interim eos ex ipsis nostris fundamentis posse solutiones eruere, experimentum proponendo in præfatis duabus difficultatibus de Angelorum motu, & explicatione terminorum absoluti, & connotativi.

24 Cæterum, quæ habentur in aliis epistolæ partibus, non ait Typographus a nobis accepisse, sed aperte fatetur ab aliis ejusdem Doctrinæ cultoribus audivisse bibliothecæ suæ familiaribus, & fortasse ab eisdem studentibus nostris Cathalogum illum opinionum suarum accepit, qui in nostra instructi philosophia, videntes opiniones illas Pontianas non solum a nostris valde dissidere, sed a Communi quoque Scotistarum exorbitare, opinati sunt consequenter esse a Scoto alienas; nec etiam inficior judicium illud forte provectiorum Magistrorum fuisse, qui ægre ferentes opiniones jam in nostra Schola a tribus fere sæculis propagatas, ab eadem absque sufficienti causa abigi, earumque vice Neothericorum, ac Nominalium placita intrudi, Typographo suaserunt, ut de hoc monitos faceret Scholæ nostræ Alumnos, quorum censura fundata sit nec ne, postea dicam, prius enim quæ mea sunt, & quæ mea esse testatur Typographus, tueri teneor.

25 Quoniam igitur fatetur me illi significasse solutionis objectionem de motu Angeli, an ad Physicum pertineat haberi posse ex ipsa nostra qu. procem. Phys. Art. 2. & de explicatione a nobis assignata termini absoluti, & connotativi haberi posse ex disp. 8. logicæ qu. 3. Art. 1. prope finem; Pontius vero enixe utrumque negat in

in Append. nu. 13. & multis probare contendit; cum primum hæc legi, vehementer exhilaratus sum, videndo me illis omnibus occurrisse, antequam ea legissem. Ad difficultatem quidem de motu Angeli disp. 1. Met. qu. 1. nu. 18. ubi ostendo, motum Angeli ad Philosophiam in se pertinere, & nequaquam ad Metaphysicam, quandoquidem majores nostri physicam a Metaphysica non discrevere per materialitatem, & immaterialitatem præcise, ut faciunt Recentiores, sed per mobilitatem, & immobilitatem præcipue, idque probo auctoritatibus Arist. Scoti, & Scotistarum, quarum nec unam pro se affert Pontius, sed tantum communem Recentiorum Auctorum consensum, sub nu. 13. quibus ait in quæst. de Nomine (qualem hanc facit) plurimum esse deferendum, si hæc est quæst. de Nomine, & in his quæst. standum est modo loquendi Majorum Nostrorum cum Arist. locis a me citatis quæst. procem. physic. art. 2. & disp. 11. nu. 1. nempe 2. physicorum 71. & 6. Metaph. c. 1. physicam distinguat a Metaphysica, quod hæc, entia immobilia consideret, illa vero mobilia, cur potius vult Adversarius, nos stare debere modo loquendi Recentiorum, illas præcise per materialitatem, & immaterialitatem distinguentium? numquid in philosophia plus Recentioribus deferre debemus, quam Arist. philosophiæ Parenti?

26 At inquit Pontius nu. 15. Metaphysicam agere de rebus immobilibus mobilitate physica, & naturali, quæ nempe oritur ex re naturali, idest corporea, & negat etiam ideo de Angelis Philosophum in Metaphysica egisse, quia ipsos putaverit immobiles omni mobilitate, sed solum mobilitate physica. Verum sic respondendo, ostendit, quam parum sit versatus in Arist. doctrina (sicut re vera est, cum in suo Cursu, qui tamen est in Arist. libros, rarissime eum citet) etenim cum mobilitatem ab ipsis removet Arist. omnem prorsus mobilitatem aufert, quandoquidem eos posuit entia adeo necessaria, ut nedum motus localis capaces negaverit esse, sed etiam intellectionem posuerit eamdem cum eorum substantia, ut Scotus sæpe notavit, & præsertim quolibet. 15. C. quod totum satis constat eo discursu philosophi 52. Metaph. cap. 4. *text.* 43. ubi ponit secundas intelligentias per se immobiles, sicuti primam, ut ibi norant Divus Thomas, Scotus, Alensis, & alii expositores, & ex ejus verbis expresse colligitur, dum inquit (cum vero quod movetur, necesse sit ab aliquo moveri, primumque movens immobile per se esse, ac motu æterno ab æterno moveri, & unum ab uno, videmusque præter simplicem lationem totius, quam dicimus primam substantiam, & immobilem moveri, cæteras etiam lationes, quæ errantium sunt, sempiternas esse, necesse est harum quoque lationum unamquamque a per se immobili, & æterna substantia moveri) ecce quod eodem modo loquitur philosophus de immobilitate primæ intelligentiæ, & aliarum: certum est autem primam intelligentiam omnino immobilem esse quocumque motu, etiam apud philosophum. Concludit tandem in eodem textu (constat itaque necesse esse tot substantias esse natura perpetuas, & per se immobiles, ac absque magnitudine ob causam prius dictam) causa autem prius dicta ut est videre in textibus præcedentibus, non tantum excludit a secundis intelligentiis magnitudinem, & defectibilitatem, sed etiam quamcumque prorsus mobilitatem, quod adeo patens est apud Peripateticos, ut neminem viderim hoc Philosopho tribuentem præter Pontium, quod evenit ex modica quam habet cum Arist. familiaritate.

27 Ex qua pariter oritur admiratio, quam habet nu. 16. eo quod dixerimus Angelos a materia non abstrahere, si per materiam intelligatur illa, quæ secundum locum mobilis est, de qua abstractione diximus Arist. loqui, cum penes eam a physica secernit Metaphysicam; hæc enim est phrasis Aristotelica 8. Metaph. 12. cum ait, *Fortassis etenim quædam non habent materiam, aut non talem, sed solum quæ secundum locum mobilis est*, quo etiam modo loquitur 11. Metaph. textu 10. & in hoc sensu diximus, & modo confirmamus Angelos non esse a materia abstractos, imo eidem esse immersos; tum quia habent in se principium motus localis; tum quia motus ejus ordinem dicit ad materiam, scilicet ad magnitudinem, & spatium super quod fit, ut docet erudite Tromb. 6. Met. q. 2. quorsum ergo tendit Pontiana admiratio illa, *quis unquam dixit, aut audivit, quod Angeli essent materiæ immersi?* hoc dixit Trombeta Scotista genuinus, & candidus, cujus non est dignus Pontius corrigiam calceamenti solvere 6. Metaph. qu. 2. ubi inquit, substantiam Angeli, quatenus *mobilem*, non abstrahere a materia, quia ut sic dicit ordinem ad motum, spatium materiale necessario respicientem. Nec desunt Theologi magni nominis, ut Seraphicus Doctor, & alii, qui Angelos dicunt materiæ immersos, quatenus eos componunt ex materia physica esto spirituali; Hic autem adverte me de hac lite cum Pontio verba fecisse rursus disp. 1. Met. qu. 1. nu. 8. non quia perfecta solutio objectionum ejus ex locis in epistola Typographi citatis non haberetur, si quidem in Met. non aliis fundamentis uror, sed id feci ad majorem rei declarationem, ad exactam præsertim intelligentiam auctoritatis Scoti 6. Met. qu. 1. quam Pontius obnubilare studebat, & in peregrinos sensus extorquere.

28 Quod vero solutio objectionum Pontii in sua parva logica contra nostram explicationem terminorum absoluti, & connotativi sufficienter haberi possit ex disp. 8. Logicæ qu. 3. art. 1. in fine, jam ostendi in Tomo Logico secundæ impressionis p. p. instit. nu. 16. & rursus *nunc* affirmo ex ibi dictis haberi posse solutionem aliorum ab eodem objectorum in Append. num. 8. quibus tamen pro majori rei declaratione adjungere libet, Autorem hunc juxta ipsius dicta loco proxime citat. non videri satis percepisse, quæ ibi diximus circa explicationem termini absoluti, & connotativi, & quæ diximus disp. 8. Logicæ qu. 3. art. 1. n. 33. circa eorumdem terminorum distinctionem; ait enim, *nos ibi asserere terminum* relativum *esse prorsus a connotativo* diversum, quod falso nobis imponitur; imo ibi diximus habere quamdam inter se affinitatem, quatenus utraque dicunt quemdam ordinem ad aliud, & ab absolutis contradistinguuntur; addimus tamen, etiam in quibusdam differre, quæ ibi enumerantur, ut per id indicaremus, terminum connotativum, & relativum non esse prorsus idem, ut Pontius contendit, sed differre, ut magis, & minus commune, quia omnis terminus relativus est aliquo pacto connotativus, non e contra: album enim est terminus connotativus, non tamen relativus, per quod cessant impugnationes, quas facit, nu. 10. quia procedunt ex falsa impositione, quod asseramus terminum relativum, & connotativum esse prorsus diversos.

29 Præterea falso adhuc nobis imponit *in prima impugnatione* facta sub nu. 10. quod dixerimus relativum distingui a connotativo, per hoc quod connotativum respicit aliud non per modum termini, relativum vero respicit aliud per modum termini, non ita ibi dicimus, sed ita loquimur: relativum respicit aliud præcise ut terminum, præscindendo a quacumque alia ratione, connotativum vero respicit aliud per modum annexi, & accessorii præscindendo a ratione termini, &c. quibus verbis non absolute negamus, connotativum ullo modo respicere aliud ut terminum, sed dicimus non respicere illud præcise sub tali ratione, ut facit relativum, sed præscindere a ratione termini, quia sub aliis rationibus aliud respicere potest, nimirum, vel per modum subjecti, ut in concretis accidentalibus, vel per *modum compartis, vel alio modo, ut ibi explicatur*.

30 Neque est contradictio, ut ipse putat, quando ibidem diximus relativum per se primo, & directe respicere aliud; connotativum vero secundario, & indirecte; hæc enim eidem termino sub diversis rationibus competere possunt; nam v. gr. hic terminus Pater, ut relativus primario, & directe respicit aliud; ut connotativum vero secundario, & indirecte, unde terminus relativus cum connotativo in hoc convenit, quod ad sui perfectam intellectionem aliud extraneum coexigit præscindendo ab hoc, quod illud respiciat per modum termini, vel alio modo primario, & directe, vel secundario, & indirecte. Quod tandem impugnare contendit nu. 11. dictum a nobis disp. cit. Log. nu. 33. nimirum quod connotatio proprie pertinet ad modum significandi, & reperiatur *in nominibus*; relatio autem pertinet ad res ipsas, responsione non eget, sed sufficit Adversarium ad summulas remittere, ubi videbit divisionem termini in absolutum, & connotativum cadere sub multiplicitate terminorum ratione modi significandi, divisionem vero termini in absolutum, & respectivum sub multiplicitate terminorum ex parte rei significatæ. Solutionem tandem, quam desiderat ad suas rationes sub nu. 12. videat in Logica secundæ editionis p. p. instit. c. 3. in fine. *Funis abrumpitur nimium tendendo. Ficus ficus ligonem vocat*, ajebat vetus adagium, quod si Pontius advertisset, terminos relativum, & connotativum non penitus confudisset.

Ejusdem oppositionis alteræ pars.

31 SEd ut ad aliud veniamus oppositionis membrum, quod majus est; an falso, & absque fundamento fuerit impositum ei, opiniones habuisse a Scoto alienas, imo eidem repugnantes in locis in epistola citatis, licet possem a judicio abstinere, *quandoquidem fateatur Typographus censuram illam*, non a nobis accepisse, sed ab aliis Conscotistis ejus Bibliothecæ familiaribus, attamen quia quamplures ex opinionibus ejus ibi citatis refello in Metaph. ut constat ex supradictis, non possum non asserere, censuram illam magnum habere fundamentum, ut videri potest in omnibus locis supra citatis, & quoniam Tomus de Cœlo, ob impedimentum ab initio epistolæ insinuatum fine additionibus est recusus, in quibus examinare decreveram, quæ scripsit Pontius de intrinseca Cœli incorruptibilitate, quam ipse asserit stare posse cum oppositione materiæ etiam sublunaris disp. 22. de Cœlo qu. 4. Concl. 1. opportunum censui, ut in hac difficultate experimentum faciamus quam fit fidelis, & candidus Scotista, præsertim quia in Appen. pag. 37 nu. 52. magis clamitat, & conqueritur in hoc puncto, quam in omnibus aliis, dicens non recordari umquam se legisse, aut audivisse ullum Scotistam oppositum tenentem, idque in opinione ipsius Scoti 2. dist. 14. qu. 1. esse certissimum, & num. 53. acerbe dolet, quod in re manifestissima imponere voluerimus toti Mundo, & num. 54. inquit, propterea hoc non fecisse, ut si deprehenderentur varii, & crassi errores, quibus scatet epistola Typographi personati ad Lectorem, nosmet excusare possemus, & dicere id nobis imputandum non esse, quia hæc sua doctrina de Cœli incorruptibilitate notatur tamquam difformis a Scoto, non autem esse probabile, nos hujus censuræ Auctores esse, qui eamdem profitemur doctrinam.

32 Hæc ergo duo puncta sunt hic discutienda; an certissimum sit hanc suam opinionem, quod Cœlum, *quamvis constaret* materia sublunari, adhuc esset ab intrinseco incorruptibile, sit Scoti 2. dist. 14. qu. 1. & omnium Scotistarum; deinde an hanc nosmet opinionem docuerimus *disp. 2. de Cœlo qu. 3.* Exordiamur a primo, & ut veritas magis pateat, afferamus conclusionem Scoti in hoc articulo, & conclusionem Pontii, eaque invicem conferamus; *ait itaque* Doctor 2. dist. 14. cit. D. quod secundum Theologos ponenda est in Cœlo materia, & quantum est ex se ejusdem rationis, *& ita habent ipsi discordare*

dare a Philosopho in hac propositione, Cœlum est necessarium, & incorruptibile, quantum enim est ex natura sua, esset simpliciter corruptibile, quia sibi ineffet illa potentia ad contrarium; quia tamen forma Cœli non habet contrarium potens vincere istam formam, ideo non potest corrumpi ab Agente naturali: & ab initio quæstionis littera A. inquit: *Si haberet materiam, esset formaliter corruptibile, sicut ignis; dato enim, quod non esset aliquod Agens extra, quod posset ipsum corrumpere, quia non haberet contrarium, hoc non tolleret, quin intrinsece haberet principium corruptionis, scilicet materiam, qua res potest esse, & non esse.* Dixit ergo Doctor quod posita semel materia in Cœlo ejusdem rationis cum sublunari evitari nequit, quin intrinsece, & ex natura sua corruptibile sit, quia materia est radix corruptionis, etiamsi a nullo Agente naturali posset talis corruptibilitas ad actum reduci, & hæc est expressa doctrina Doctoris ibidem.

33 Pontius vero disp. 22. qu. 4. an Cœlum sit corruptibile, pro decisione quæsiti ponit hanc conclusionem num. 31. *Cœli possent esse incorruptibiles ex natura sua intrinseca sive constarent materia ejusdem speciei sublunari, sive diverse*, quæ conclusio ut constat ex terminis directe repugnat conclusioni positæ a Scoto loco citat. ex quibus constare potest quam juste doleat, quod in hac opinione fuerit ei falso impositum a Scoto recessisse, sed videamus ulterius, an rationes, quas affert loco cit. ad suam conclusionem probandam concludant.

34 Itaque primo arguit, quia non obstante compositione ipsius Cœli ex quacumque materia, posset habere aliquas qualitates conservativas, quæ non haberent contrarias, neque enim in hoc est ulla prorsus repugnantia, sed si haberet, non posset corrumpi naturaliter, & ob naturam suam intrinsecam, ergo esse posset incorruptibile ex natura sua non obstante compositione ejus ex quacumque materia, sive ejusdem, sive diversæ speciei cum sublunaribus; Probatur Minor, quia Agentia naturalia non possunt corrumpere substantias de facto, nisi prius destruendo qualitates conservativas, aut nisi reperiant illas destructas, nec possunt destruere illas, nisi introducendo formas contrarias, ergo si qualitates conservativæ alicujus compositi non haberent qualitates contrarias, non possent illa composita corrumpi; & hoc ob naturam intrinsecam illius compositi exigentis qualitates non habentes ullas contrarias sibi. Conf. quia ideo substantiæ sublunares possunt corrumpi ex natura sua, quia exigunt ex natura sua qualitates habentes qualitates contrarias, ergo quod non exigeret qualitates contrarias, non esset ex natura sua corruptibile.

35 Ad hoc argumentum occurrit Doctor fere in terminis 2. d. 14. qu. 1. §. *respondeo*, si enim quis diceret, quod Cœlum est perpetuum, & incorruptibile, quia habet formam necessario, ac indissolubiliter actuantem materiam (quod eveniret in casu argumenti, si nempe talis forma tales qualitates conservativas exigeret, quæ non haberent contrarias) occurrit Doctor, quod tunc Cœlum non haberet esse necessarium, & incorruptibile simpliciter, sed solum ex parte formæ, quatenus unio esset indissolubilis solum, & necessaria ex parte formæ, sed quantum est ex parte materiæ, esset contingens, cum de sua ratione sit in potentia contradictionis, vel ad plures formas, vel ad formam, ac ejus privationem, ut autem unio materiæ, & formæ esset simpliciter necessaria, deberet esse indissolubilis ex parte utriusque extremi: Et inferius §. *secundum Theologos*, ait, quod ponendo cum Theologis Cœlum ex materia, & forma compositum, Cœlum esset ex natura sua simpliciter corruptibile, quia ratione materiæ sibi ineffet illa potentia ad contrarium, quia tamen forma Cœli non habet contrarium potens vincere istam formam, ideo non potest corrumpi ab Agente naturali; unde ex hoc quod de facto secundum Theologos Cœlum habeat formam habentem qualitates conservativas, quibus non est modo contrarium in hoc universo, non deducit Doctor, quod Cœlum sit incorruptibile simpliciter ex natura sua, ut Pontius in argumento deducit, sed tantum secundum quid, & ab extrinseco, quatenus non datur extrinsecum Agens naturale potens illas cœlestes qualitates destruere, & cum inquit Pontius in Minori, quod talis incorruptibilitas conveniret eis ob naturam suam intrinsecam, quia ratione propriæ formæ ita est spectando naturam talis formæ, at spectando naturam materiæ, quæ est potentia contradictionis, & ex parte sua facit unionem contingentem, convenit Cœlo intrinsece corruptibilitas, & quia ad inferendam necessitatem simpliciter alicujus compositi, requiritur, inquit Doctor, necessaria unio ex parte utriusque extremi, si ex una tantum parte hæc deficit necessitas, qualiscumque sit, sequitur tale compositum esse simpliciter contingens, & corruptibile, & solum secundum quid necessarium, & incorruptibile, & ratio est, quia ut ajunt Philosophi, ad destruendum sufficit unum, & malum resultat ex quocumque defectu, bonum vero ex integra causa, & sic ut aliquod compositum dicatur simpliciter corruptibile, sufficit, quod unio formæ cum materia sit contingens ex parte materiæ, etiamsi necessaria esset ex parte formæ.

36 Ad Conf. distinguendum est consequens, admisso Antecedente, quod *nullo modo* exigeret *qualitates contrarias*, non esset ex natura sua corruptibile, verum est, at quod saltem ex una parte, materiæ nempe, exigit illas, falsum est, quod nequeat dici simpliciter corruptibile, etiamsi eas non exigeret ex parte formæ, quia malum, ut corruptibilitas in compositis, resultat ex quocumque defectu. Deinde modus ille arguendi tenet in causis præcisis, at in proposito forma exigens qualitates contrarias, non est causa præcisa corruptibilitatis compositi, sed etiam materia, ut est potentia contradictionis, unde deficiente prima causa, & remanente secunda, adhuc compositum dici potest simpliciter corruptibile.

Sed instat Pontius disp. cit. num. 33. quia ad hoc, ut aliquid dicatur corruptibile simpliciter, non sufficit, quod includat radicem corruptionis, sed requiritur ulterius, quod ex natura sua non habeat impedimentum aliquod corruptionis, quale habere posset Cœlum, quamvis haberet materiam primam, quæ est radix corruptionis; seu non sufficit, ut habeat causam partialem corruptionis, sed debet habere totalem; unde concludit, quod corruptibilitas compositorum oritur, & ex eo, quod habeant materiam, quæ possit informari alia forma, & ex eo, quod habeant formam, quæ exigit dispositiones, quæ destrui possunt naturaliter; unde si esset aliquod compositum, quod non haberet materiam primam, aut si haberet illam, non haberet formam exigentem qualitates contrarias, illud non esset ex natura sua corruptibile.

37 Resp. ex Scoto 3. dist. 22. qu. unica G. aliquid dici posse corruptibile dupliciter, nimirum quia, vel dicit potentiam propinquam ad corruptionem, vel remotam, illud dicitur corruptibile potentia remota, quod habet in se, unde dici possit corruptibile, non potest tamen exire in actum, nisi prius fiat in potentia propinqua, sicut calefactivum dicitur, quod habet calorem, non tamen potest calefacere, nisi sit approximatum passo; si ergo per corruptibile intelligat, quod potest exire in actum, & est in potentia proxima corrumpi, conceditur ad hoc non sufficere, quod habeat materiam, sed ulterius requiri, quod habeat formam habentem contrarium, negatur tamen id requiri ad hoc, ut aliquid dicatur corruptibile simpliciter, & absolute loquendo, ac in potentia remota, quo pacto corruptibile suapte natura asserimus esse Cœlum ex materia compositum, etiamsi ejus forma de facto contrarium non haberet, ipsam expellere potens; id namque tantum impediret, ne dici posset corruptibile potentia proxima, nec amplius argumentum probat, quod etiam retorqueri potest de incorruptibilitate, quia, sicut inquit Pontius, ut aliquid dicatur simpliciter corruptibile non sufficit quod includat radicem corruptionis, sed etiam habere debet formam, quæ habeat qualitates contrarias, ita nos dicemus, ut aliquid dici possit simpliciter incorruptibile, non sufficere quod habeat formam, quæ non habeat qualitates contrarias, sed excludere quoque debere omnem prorsus radicem, & causam corruptionis, qua non exclusa, potius corruptibile dici debebit simpliciter, & absolute loquendo, quam incorruptibile, quia bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu subrepit.

38 At rursus instat Pontius in Append. pag. 38. n. 54. nemo potest negare, quin Cœli ex natura sua intrinseca habeant rationem particularem sibi intrinsecam, ob quam non possint corrumpi a causis naturalibus; ergo proprie dicitur, quod habent incorruptibilitatem intrinsecam respectu causarum naturalium; Deinde non potest ostendi locus, in quo Scotus, *vel leviter insinuet*, quod non sint incorruptibiles ab intrinseco respective ad causas naturales agentes; ergo id asserere non potest cum probabilitate ulla dici esse contra, aut præter Scoti mentem.

Respondetur ex doctrina jam allata Scoti, negando consequentiam, quia ut proprie, & simpliciter dicerentur Cœli incorruptibiles, opus esset, unionem esse simpliciter necessariam ex parte utriusque extremi; unde cum ex una parte tantum sit necessaria, nempe ex parte formæ contrarium non admittentis, & ex alia contingens, sequitur, tale compositum esse simpliciter contingens, & solum secundum quid necessarium, & incorruptibile. Ad Conf. negatur assumptum, siquidem Doctor loc. cit. semper absolute dixit, Cœlum ab intrinseco ratione materiæ esse corruptibile, & repugnantiam solum ex parte formæ provenire; neque umquam declarat id solum intelligi debere in ordine ad causam supernaturalem; sed hoc indiscriminatim *pronuntiavit in ordine ad quamcumque*, insinuans solum in ordine ad causam naturalem, non esse corruptibile potentia proxima ratione formæ contrarium non admittentis.

39 Adhuc tamen est advertendum, antequam ad secundum veniamus punctum, quod cum Pontius adeo strenue pugnasset pro Cœli intrinseca incorruptibilitate a causis naturalibus disput. cit. 22. statim in nu. 35. ait non posse negari, quin Cœlum ex suppositione, quod habeat quantitatem, possit recipere calorem, ac alias qualitates primas, & quin de facto recipiat calorem, & sit formaliter calidum, &c. quæ quidem qualitates, cum sint ad corruptionem disponentes, jam facit Cœlum corruptibile etiam ex parte formæ. Sed quicquid sit de hoc, quandoquidem ibi nititur difficultatem hanc utcumque solvere, id solum referre volui, ut videat Lector, quam *conformiter* cum Scoto loquatur in hac materia, qui loc. cit. dist. 14. §. *secundum Theologos*; ait cum Arist. Cœlum esse a contrariis exemptum ad corruptionem disponentibus, nec esse peregrinarum, ut ajunt, impressionum receptivum, alioquin ab eis, tot sæculorum decursu, detrimentum aliquod passum fuisset.

40 Nunc ad aliud veniamus punctum, an scilicet circa Cœli incorruptibilitatem nos eadem cum Pontio profiteamur & doctrinam & sententiam, conferamusque simul nostras conclusiones ad rectum ferendum judicium; ejus prima conclusio loc. cit. disp. 22. de Cœlo qu. a nu. 31. est ista: *Cœli possent esse incorruptibiles ex natura sua intrinseca, sive constarent materia ejusdem speciei sublunari, sive diversæ;* nostra vero conclusio disp. 5. de Cœlo nu. 100. est ista: *Dicimus primo supposita substantiali compositione Cœli ex materia, & forma, Cœlum esse corruptibile extrinsece, quatenus nullum agens naturale reperitur potens ipsum corrumpere, non autem intrinsece;* Itaque nos dicimus,

Cœlum

Cœlum esse intrinsece incorruptibile, ipse dicit esse intrinsece incorruptibile, & sic contradictoria docemus: est ne hoc eamdem doctrinam, & sententiam profiteri cum Pontio?

At inquit in Append. pag. 38. num. 53. hanc evasionem non juvare, nam ipsi explicant, ait, suam incorruptibilitatem ab extrinseco esse, quantum ad hoc, quod non possunt corrumpi a causis naturalibus, & ego non dico eos incorruptibiles ab intrinseco, nisi respective ad Agens naturale, quod agit secundum cursum ordinarium, & connaturalem, & cum ipsi dicunt eos esse corruptibiles ab intrinseco, hoc intelligunt respective ad Deum, sic ut velit, quod ex intrinseca natura sua habeant, ut possint a Deo corrumpi, & hoc ego etiam assero, ergo non possumus in re habere differentiam, sed in modo loquendi.

41 Resp. nos hanc suam explicationem recipere nolle, quandoquidem ex multis aliis pateat non esse fidum mentis nostræ interpretem, unde cum dicimus Cœlum esse ab extrinseco incorruptibile, hoc intelligimus in ordine tantum ad causas naturales, tamen cum dicimus esse ab intrinseco corruptibile, non id intelligimus respective tantum ad Deum, ut ipse nos exponit, sed in ordine quoque ad causas naturales, non quidem corruptibilitate proxima, sed remota; Deinde si Scoticam volebat, ac nostram profiteri sententiam, phrasi Scotica uti debebat, Scotumque pro ea citare, præsertim cum ex professo hanc quæstionem tractet, imo ex debito ad hoc tenebatur, cum enim cursum conficiat ad instruendos Tyrones in via Scoti, Scotum citare debet præsertim in quæstionibus, quas ex professo tractavit, ut Tyrones agnoscere possint, quæ fuerit mens Doctoris in hac materia de Cœlo, quæ est ex principalioribus in Philosophia: ad quid enim cursum ad mentem Scoti inscribere, nec postea eum citare etiam in quæstionibus, quas agit ex professo? sane hoc non est cursum ad mentem Scoti componere, sed propria placita docere, vel Recentiorum sub Scoti mantello, quare nullam potest Adversarius excusationem afferre, cur Scotum, nec Scotistas in hac quæstione adeo principali citaverit, nisi quia contrariam eis sententiam profitebatur, quod si tandem hic Auctor contendat nos in re differentiam non habere, sed tantum in modo loquendi, melius est, ut nobiscum loquatur juxta phrasim Scoti, suum loquendi modum, seu Recentiorum deferendo. *Factum stultus cognoscit*, inquit proverbium *de volente errorem corrigere* post factum.

NONA OPPOSITIO.

42 LEgitur in Append. nu. 28. & 29. ab Auctore epistolæ impositum ei fuisse, quod a juventute in Scholis Recentiorum nempe Patrum Jesuitarum instructus fuerit; eorumque *principia imbiberit*, quæ postea dedisce re non facile fuit, & id in causa esse, quod a Schola Scotistarum interdum exorbitet &c.

Hoc judicium Auctoris epistolæ, sicut non totaliter approbo, præsertim quoad motivum de stylo, ac modo disputandi (quandoquidem, nosque, & Scotus ipse rationes aliorum impugnare soleat, quibus cum in conclusione convenit, quod & laudabile, & utile semper existimavi, ne vera conclusio ob falsam rationem teneatur) ita neque totaliter reprobo, nam negari nequit, quod Pontius in suo cursu nonnullas habeat opiniones, quæ a Recentioribus Jesuitis traduntur, neque in Peripatho, neque in nostra Schola consuetæ, ut v. g. quod unio materiæ, & formæ sit causalitas compositi, quæ est communis Recentiorum, & omnino a Scoto aliena, ut docet Licetus ejus fideliissimus Interpres quolib. 11. in responsione ad instantias contra quartum dictum vers. 3. *præmisto*. Quod gravitas, & levitas non sint accidentia distincta a substantia gravium, & levium. Quod Terra sit calida, quod Rarefactio, vel Condensatio fint per egressum, & ingressum corpusculorum, quæ defenduntur ab Arriaga, & aliis Recentioribus; Quod Aer sit frigidus, quod defenditur ab Aresio, & aliis contra Arist. Quod Corpus replicari possit *in pluribus locis* sine replicatione formarum absolutarum a loco independentium, quod numquam in Schola nostra auditum est a tempore Scoti usque in præsentem diem. Quod Accidens corporeum possit divinitus subjectari in subjecto spirituali, & quod Accidens spirituale in subjecto corporeo. Quod dentur Relationes natura sua terminorum præcedentes; Quod Actio, & passio formaliter sumptæ eumdem possint importare respectum; Quod eadem scientia possit esse simul practica, & speculativa, & aliæ *consimiles opiniones*, quæ passim docentur a Recentioribus; sed in Schola nostra sunt prorsus novæ, & a Scoto ad hæc usque tempora numquam auditæ, quod adeo certum est, ut neque Pontius id ausus sit negare, sed ingenue fateatur in fine examinis illius epistolæ, cum inquit: Itaque non quod ab incunabulis lac doctrinæ *Scoti non suxerim*, aut quod enutritus fuerim in Jesuitarum Scholis, antequam Scoti doctrinæ applicatus essem, ortum habuit, quod a Scoto recedam, ubi recessisse videri possem, sed quod urgentissimarum rationum momenta veritatis assequendæ cupidissimum quandoque ad Scotum aliter, quam communiter intelligi solet, explicandum compulerint, hæc ille.

43 Sed quam ingenue hanc veritatem fassus est, tantumdem deficit in referendis extremis epistolæ verbis; cum enim epistolæ Auctor dixisset, notasse illas opiniones in Schola Scoti novas, & insolitas, non ut Tyrones ab ejus cursu retrahantur, qui alioqui est multa claritate, & subtilitate refertus, sed ut nonnullos passus advertant, qui a recta via Scotica eos abducere possent; Pontius sub num. 28. in fine, ut majorem ostenderet se habere querimoniæ occasionem, scribit, *ut multos passus advertant*, quod plane valde diversum est ab eo quod dixit epistolæ Auctor, qui non scripsit, *multos, sed nonnullos passus &c.* atque ita dum omni conatu demonstrare nititur Pontius Auctorem epistolæ impostorem fuisse, & Calumniatorem, non alia via id probat, quam per impostoram, & calumniam, cur autem adjectivum *nonnullos* transmutaverit in *multos*, non alia credo de causa, nisi ut hac falsitate præmissa, majorem sibi pararet apud Lectores licentiam offendendi, & obloquendi contra Typographum.

Suspicionem quoque vehementem, quod principiis Scoticis a juventute non fuerit satis imbutus, ingerit, quod scribit in Append. pag. 29. num. 41. ubi nos redarguit, quod Relationes Paternitatis, & filiationis dixerimus esse Relationes intrinsecus advenientes illis verbis (deinde falsum est, quod ajunt, Relationes paternitatis, & filiationis quæ sunt Relationes causalitatis, agnosci ab omnibus Scotistis velut intrinsecus advenientes) sed quam falso hoc totum dicat, quisque experiri potest legendo Scotistas omnes, ut Tataretum cap. ad aliquid qu. 1. dub. 1. art. 2. cum cæteris Parisiensibus, & omnes Formalistas, qui cum Magistro formalitatum dividentes respectum intrinsecus, & extrinsecus advenientem, relationes paternitatis, & filiationis assignant inter relationes intrinsecus advenientes.

Tandem, quod hic Auctor non sit admodum Scoti doctrinæ addictum, satis aperte colligitur ex his, quæ scribit contra nos in Append. pag. 56. col. 2. in fine, dum ait (sed id mirum non est, quia nec suum Scotum clare loquentem quandoque intelligunt) quibus verbis palam fatetur, Scotum non esse ejus Doctorem, nam si pro tali eam agnoscerent, scribere debebat, *nec nostrum Scotum* clare loquentem quandoque intelligunt, sic *enim insinuasset*, Scotum esse communem Præceptorem, cum ergo dicat, *nec suum Scotum* intelligunt, plane significare voluit, Scotum esse Magistrum nostrum, nosque ejus discipulos, ipsum vero aliam profiteri doctrinam, & in aliis scholis enutritum fuisse. *Nemo potest duobus dominis servire*, ait Christus Dominus, vel ut vetus proverbium, *Non potest Thetidem simul, & Galatæam amare.*

DECIMA OPPOSITIO.

44 LEgitur non semel in Append. ubi sæpius nostram doctrinam per ironiam appellat mirabilem, idest dignam, quæ Auditores, & Lectores in stuporem trahat, & extasim. Verum quoad hoc punctum valde mirabilior est ejus doctrina, quam nostra, quandoquidem ipse mirabilia docet, in Terra, in Cœlo, & supra Cœlum. Mirabilia docet in Terra dum disp. 15. phys. num. 101. concedit formas respectivas a loco determinato dependentes, ut v. gr. ubi Romanum, vel sessionem, qua hic sedeo, posse in Indias transferri, quod quidem est contra omnia principia, cum hujusmodi formæ sint essentialiter tali, vel tali spatio addictæ, & alligatæ; idque est adeo in omni Schola exploratum, ut merito dixerit Ovied. controv. 15. phys. puncto 10. nu. 1. nihil hucusque certius fuit Philosophia, quam præsentias esse *omnino immobiles*, & ita essentialiter affixas huic spatio, ut illis repugnet in alio existere, ac proinde implicare Corpus Romæ habere præsentiam, ex vi cujus Matriti constituitur: hoc ille, quod mirabile paradoxum in Philosophia impugnatum vide disp. 5. hujus Tomi de Gen qu. 8. in fine.

45 Mirabilia docet in Cœlo dum disp. 22. de Cœlo nu. 35. vult esse receptivum caloris, & aliarum qualitatum corruptivarum, & quod de facto calefiat, cum tamen ibidem defendat ex alia parte esse ab intrinseco incorruptibile, est (inquam) mirabilis hæc doctrina de Cœlo, nam docentes esse receptivum hujusmodi qualitatum, docent consequenter receptivum esse peregrinarum impressionum. Mirabilia demum docet supra cœlum, dum Tom. 3. sui Cursus disp 18. de ente, loco supracitato, modum docet componendi Deum ex genere, & differentia farta adhuc, & tecta ejus summa simplicitate, ad quam acutiem, nec Divus Thomas, nec Thomistæ, nec Scotus, nec Scotistæ umquam attingere potuerunt. Sed adhuc mirabilius est, quod ait disp. 11. log. in fine nu. 50. Christum poni in prædicamento substantiæ, si consideretur, ut est suppositum humanum præcise, qui loquendi modus valde improprius est, ne dicam erroneum, quia ut fides docet, in Christo unum tantummodo suppositum reperitur, & hoc divinum, quamvis ergo considerari possit, ut suppositum divinum in humana natura subsistens, nequaquam tamen considerari potest, ut suppositum humanum, quia tale suppositum in eo non agnoscimus.

Mitto aliam mirabilem doctrinam de unione disp. 17. log. num. 66. quod divinitus dari possit sine forma unita, *mitto* (inquam) eo quia pag. 31. Append. nu. 44. negat hoc umquam dixisse loc. cit. & ait adduxisse solum responsionem quorumdam Scotistarum existimantium aliquem respectum realem extrinsecus advenientem posse esse absque termino reali existente, & contra illam sententiam possibilitatem tum ex natura relationis, tum ex inconvenientia, quæ sequeretur, nempe quod posset esse unio non existente forma, & licet postea assignaverim (inquit) responsionem, quam *possent* illi Scotistæ adhibere, in qua responsione conceditur, unionem posse esse in materia non existente forma, tamen non approbavi responsionem, sed eam insolutam reliqui aliis solvendam: quod certum est, non esse perinde, ac tenere quod esset vera, aut quod possit esse unio in materia, quin *esset forma*, & quin uniretur consequenter ipsi.

46 Sed sane, si verum est, quod proverbio dicitur, *qui tacet, approbat*, dum eam responsionem insolutam reliquit, eam consequenter tacite approbavit, etenim recte Innocentius ait in cap. error. dist. 83. (error, cui non resistitur, approbatur,

&

& veritas cum minime defenditur, opprimitur) & Arist. lib. de lineis in se captibil. (absurdum est, inquit, quempiam præ ignavia succumbere, propterea quod non audeat oblatas argumentationes dissolvere, atque sic imbecillitatem suam fovendo gravioribus insuper fallaciis se decipere) ut ergo suspicionem tolleret, quod illi opinioni assentiret, unionem esse posse in materia divinitus sine forma unita, responsionem illam omnino convellere debebat.

Ridiculum tamen est, quod ibidem Pontius statim subdit, cum inquit: Dico tamen jam in gratiam Mastrii, ut habeat in quo me impugnet in sua Metaphysica, & exerceat, si quid habet subtilitatis, illam responsionem quoad rationem ita probabile m esse, ut ipse numquam poterit argumento ullo positivo eam sufficienter impugnare, imo nec contra eam adducere ullum locum Scoti, qui commodissime sic explicari non possit, ut non præjudicet isti rationi, aut Auctoribus ipsius. Parum etiam aberat, quin ipse impugnationem assignarem, sed nolo prævenire ejus diligentiam, & doctrinam. Ab illo hac vice libenter discam, ut possit vere dici, quod semel sequutus fuerim. Hæc ille.

47 Hoc plane totum confirmat, quod nuper dicebam, revera Pontium illi opinioni assentisse, quod dari possit unio in materia sine forma unita, aut saltem alios decipere voluisse, si enim in promptu habebat impugnationem responsionis errorem illum defendentis, plane illam proponere debebat, cum æquum non sit, quæ contra veritatem pugnant, insoluta dimittere, & ad hoc præsertim tenetur Philosophus, & Theologus veritatis assequendæ cupidissimus, qualem se esse jactat Pontius pag. 22. Append. col. 1. in fine. Ad illud vero, quod ait, mihi hoc onus relinquere, ut habeam in Metaph. quo ipsum impugnem. Resp. minime opus fuisse, ut hanc solutionem mihi relinqueret, ut haberem aliquid ejus impugnandum in Metaph. quandoquidem ut plurima, & sine comparatione graviora in ejus Cursu legerim, quæ in Metaph. impugnare debebam, ut feci? dico itaque codicem logicum ad manum non esse, ut videre possim ineluctabilem aliam responsionem, quæ mihi occasionem præbere possit exercendæ subtilitatis cum ipso, si quam habeo; arbitror tamen sufficienter impugnari posse ex his, quæ dixi disp. 8. log. qu. 6. art. 1. de necessaria, ac indispensabili connexione relationis realis, actualis cum termino, quam & ipse approbat in Append. pag. 154. nu. 210. an vero satis consequenter ad sua dicta, qui alibi tenet, dari posse relationes natura terminum præcedentes, videat ipse; addo tandem quod etiam si librum ad manum haberem, me nolle circa has quisquilias tempus in Metaph. conterere, nec cum viro gravi, qualem æstimo Pontium, in re adeo levi ingenium exercere, sed in gravioribus quæstionibus, sicut in Metaph. factum esse videbit.

48 Ut igitur huic Appendici generali finem imponam, locis omnibus supra citatis tam in hoc tomo videndis, quam in Met. responsionem habes ad Pontianas oppugnationes in sua Append. apolog. contra me facta; pauculæ quædam remanent, decem nimirum, vel duodecim physicæ, & animasticæ, quibus vel in eorumdem voluminum recusione satisfaciam, vel hic etiam immediate responsa subnectam, si morbi molestia aliquantulum permiserit; addo tamen me absque ullo honoris mei præjudicio defensiones nonnullas, vel offensiones P. Pontii prætermittere potuisse, quandoquidem in quibusdam nobiscum convenire contendit, nec diversam docere doctrinam, ut constat ex dictis de Cœli incorruptibilitate, in aliis se se defendit Burlæicis armis ad distinctionem confugiendo de larga, & stricta acceptione, ut constat ex quæstione, num ad physicam mutationem requiratur, quod privatio præcedat tempore formam in subjecto; cum enim hoc negasset palam contra Scotum pluribus in locis, pro defensione inquit pag. 118. num. 116. append. apol. se se locutum esse de mutatione large accepta, & non tam proprie, & stricte, sicut locutus est Scotus, licet etiam in hoc ostenderim supra disp. 5. qu. 1. art. 2. num. 20. in fine sibi palam contradicere, quandoquidem pag. 39. num. 55. dicat ad veram mutationem opus non esse, ut privatio præcedat prius tempore formam; vera autem mutatio idem significat apud omnes, quod mutatio proprie, & stricte sumpta. His inquam, aliisque de causis nonnullas potuissem P. Pontii dissimulare oppugnationes; sed ad præcludendas ulteriores ejus querelas omnibus, & singulis occurrere placuit.

Itaque in hoc tomo habes defensionem ab oppugnationibus duorum insignium virorum Scotistarum, dicerem, si tali titulo delectarentur, aut per extensum positam, aut alibi certe judicatam PP. nempe Ferchii, & Pontii; ad quorum exemplum nonnulli alii Scoticolæ Orbi literario prorsus ignoti contra nos scriptitarunt, ut ex congressu cum viris jam in Parnaso famigeratis, nomen, & famam sibi utcumque pararent, illius instar, qui ex Valer. Max. fanum fortunæ fœdo vastavit incendio, ut nomen ejus tali ex facinore divulgaretur; sed ne detur proverbio locus, *nos quoque poma notamus*, ingenue polliceor sciolis istis me numquam responsurum, neque ranarum strepitu ab inchoato itinere me ad celsiora ducente desistere velle, tum quia quid Arist. doceat in his casibus p. Topic. cap. 9. non me latet, *de quovis contrario opinionibus proferente curam habere stultum est*, tum etiam quia viri docti, si eorum impugnationes legere dignabuntur, aut leviissimas esse, ac responsione indignas, aut si quid roboris interdum habere videntur, ex prava nostrarum opinionum intellectione id evenire primo experietur intuitu.

Responsa ad nonnullas alias P. Pontii apologeticas objectiones tum Physicas, tum Animasticas, suis postea locis inferenda.

De Infinito Cathegorematico.

1 POntius in append. apolog. nu. 47. confirmat, quod dixerat in Physica, de potentia Dei absoluta dari posse infinitum in actu cathegorematicum tam in magnitudine, quam in multitudine, & ait nullum locum ex Scoto adduci posse, in quo oppositum docuerit, & præsertim in adductis jam a nobis disp. 10. Phys. qu. 3. nihil tale haberi, nam in 2. disp. 1. qu. 3. nihil circa hoc determinat, nisi quod dum litt. I. respondet argumento quinto 2. opin. ex infinitate deducto, si mundus ab æterno esse potuisset, inquit, non secuturum infinitas animas in casu illo, quia Deus non posset magis producere infinitas animas in casu illo, quam possit de facto producere in qualibet hora, unde si repugnat, quod posset producere illas in hora, repugnat etiam, quod eas posset producere ab æterno, etiamsi possibilis esset productio creaturæ ab æterno, quare cum illi, qui utuntur illo argumento, negarent posse produci infinitas animas in qualibet hora, non debent inferre, quod possint produci ab æterno, etiamsi non repugnaret productio æterna creaturæ: in qua responsione prudenter abstrahit Doctor ab altera controversia de possibilitate infinitorum in actu, & independenter solvit argumentum ad hominem, ex quo patet illum locum non favere Adversariis. Ita ille.

2 Sed contra, falsum est enim, quod Doctor in solutione hujus argumenti abstrahat a controversia de possibilitate infinitorum in actu, imo tantum abest, quod ab ea abstrahat, quod potius supponit in ea quæstione in solutione argumentorum secundæ opinionis impossibilitatem infiniti in actu etiam de potentia Dei absoluta, ut scite notavit Smisinch. de Deo uno tract. 3. disp. 7. num. 82. vir in littera Doctoris versatissimus, & sic etiam exponit Tatar. ibidem, Doctoris interpres fidelissimus, *brevister ergo* (inquit) *Scotus vult dicere, quod implicat infinitam multitudinem esse in actu &c.* quare falsum est Doctorem in illius argumenti solutione abstrahere ab illa controversia de infinito in actu, imo potius Auctoribus illius secundæ sententiæ gratis concedit impossibilitatem infiniti in actu, & negat id secuturum ex productione creaturæ ab æterno, quia inquit, *si in infinitis instantibus hujus diei non potest creare infinitas animas, quia hoc non est factibile; nec in infinitis diebus totius præteriti posset infinitas animas creasse*; & tandem in fine subjungit, *; concederent tamen aliqui Philosophi non esse impossibile infinitatem esse in accidentaliter ordinatis*, volens innuere, quod non deessent Philosophi, qui concederent possibilitatem infiniti actu, quam ipse negat in solutione illius argumenti, & dat gratis arguenti, tamquam impossibilem, & repugnantem.

3 Secundo alia auctoritas a nobis adducta disp. 10. Phys. q. 3. pro impossibilitate infiniti in actu erat ex 3. dist. 13. quam ex nobis referens Pontius inquit, *volebant dicere* (quasi in citatione erraverimus) d. 14. qu. 2. ubi fatetur oppositam sententiam, hoc est, quæ tenet possibilitatem hujusmodi infiniti contradicere auctoritati Philosophorum, & Sanctorum: Et postea nu. 48. respondet hunc etiam locum minus favere primo, quia in primis non dicit possibilitatem infiniti cathegorematici contradicere auctoritati Philosophorum, & Sanctorum, sed actualem existentiam, loquitur enim de infinitis visionibus, quas actu haberet anima Christi; deinde non absolute dicit sententiam de positione actuali infiniti contradicere auctoritatibus, sed quod videatur contradicere, qui loquendi modus est ipsi familiaris, quando procedit dubitative, & non assertive; & tandem non opponit illi sententiæ rationem ullam; sed solum, quod videatur esse contra Philosophos, & Sanctos, quod indicat secundum rationem judicasse illam probabilem.

4 Verum hæc quoque evasio frivola est; & quidem in ea citatione error irrepsit, non quidem in citanda dist. 13. pro 14. ut Adversarius opinatur, nos corrigens; nam in 3. dist. 13. §. *ad 1. quæstionem*, impossibilitatem infiniti in actu Doct. clarissime asseruit, dum probare contendit summam gratiam potuisse creari simul unica creatione, sic arguens; accepta aliqua gratia determinata infima, puta A, quæro ascendendo, aut est status ad aliquam supremam, & habetur propositum; aut non, sed potest procedi in infinitum, & tunc sequitur, quod quanto aliqua magis excedit A, tanto est perfectior, & per consequens illa, quæ in infinitum excedit, est in infinitum perfectior, & ita in se erit intensive infinita, & tamen cum ipsa videatur ab intellectu divino, sicut unum creabile, potest una creatione creari, & ita præter hoc, *quod infertur impossibile, scilicet quod sit gratia sic infinita*, habetur propositum &c. quibus verbis aperte docet esse impossibilem gratiam actu infinitam in intensione; itaque error irrepsit quidem in nostro textu, non citationis dist.

dist. 13. pro 14. nam dist. 13. omnino citanda erat, utpote, in qua Doctor aperte astruit impossibilitatem infiniti in actu, sed quia ultra dist. 13. citari quoque debebat dist. 14. adeout legi debebat *& in 3. dist. 13. & 14. qu. 2. ubi fatetur oppositam sententiam contradicere auctoritati Philosophorum, & Sanctorum*, omissa autem est per errorem Amanuensis dist. 14.

5 Quod autem ad hoc respond. Pontius, Scotum ibi negare actualem infiniti existentiam repugnare auctoritatibus Philosophorum, & Sanctorum, non vero possibilitatem, quod dubitative loquitur adhibendo verbum, *videtur*, & quod ait repugnare auctoritati significans per hoc non repugnare rationi: hoc, inquam, vanum est, & voluntarie dictum; nam si negavit actualem infiniti existentiam, non utique alia de causa id negavit, nisi quia repugnat, & est impossibile, ut dixerat immediate antea d. 13. sicut etiam hac præcise de causa negatum fuit a Philosophis, & Sanctis PP. & ridicula omnino est speculatio illa, quod locutus est dubitative per verbum, *videtur*, dum inquit, infinitum in actu repugnare auctoritati Philosophorum, & Sanctorum, eorum namque quamplurimi non dubitative, ac veluti sub nube infinitum in actu negaverunt, sed clarissime, & expressissimis verbis illud impugnant, ac inficiantur; adeout ineptissimum sit dicere eos de hoc negotio dubitasse, aut Doctorem de eorum opinione; & tandem quamvis dicat Doctor infinitum in actu auctoritati Philosophorum, & Sanctorum contradicere, plane non ex hoc recte deducitur ipsum judicare opinionem illam non repugnare rationi, unde jocus? hoc repugnat auctoritati, ergo non repugnat rationi; imo quia repugnat auctoritati Philosophorum, & SS. potius deduci debet, quod etiam repugnet rationi, quandoquidem verisimile non sit tot insignes viros, & doctissimos absque ratione locutos fuisse.

6 Tertio, alia Scoti auctoritas a nobis adducta erat ex Reportatis p. d. 36. qu. 4. quamvis ipse immediate postquam nos correxit falsæ citationis, falsissime citet hunc locum ex Reportatis p. d. 43. art. 1. qu. 3. (nam nec Reportata Scoti procedunt per articulos, nec illa dist. 43. habet tres quæstiones, sed tantum duas) ad quam auctoritatem occurrit nu. 49. dicens, non multum de ea curandum esse, quia Reportata non sunt tantæ auctoritatis, & addit Doctorem ibi locutum probabiliter. Fateor Reportata non eam præferre auctoritatem in schola nostra, quam habent libri Sententiarum, attamen si quando eadem reperitur doctrina hic, & ibi, ejusdem censeri debet auctoritatis; unde cum loco citato in Reportatis p. d. 36. qu. 4. in fine assertive, & non probabiliter tantum, ut ait Pontius, neget possibilitatem infiniti quoad existentiam, hancque doctrinam in lib. Sententiarum nullibi revocet, imo potius confirmet, vel ut certam supponat, tantam debet facere auctoritatem, non secus ac si hoc dixisset in lib. Sententiarum; vide etiam alium locum p. d. 2. qu. 2. ad 2. princ. ubi manifestam affert implicantiam contra infinitum in actu, quam declaravi disp. 10. Phys. nu. 22.

Quarto sub eodem nu. 49. ne videatur præter, vel contra Scoti mentem locutus in assertione possibilitatis infiniti in actu pro hac adducit locum in 2. d. 3. qu. 7. §. *ad aliud dico*, litt. G. ubi expresse ait habere Doctorem, quod multitudo numeralis compatitur secum infinitatem, quod quamvis possit intelligi (inquit) de infinitate possibili, & sincathegorematica, potest tamen etiam teneri de actuali, & cathegorematica. Confirmat hoc ex 3. d. 14. dum enim Doctor ibi admittit probabilitatem sententiæ, quod anima Christi videre possit omnia possibilia, vel unica visione, in qua essent fundati plures respectus; vel infinitis visionibus; omnino probabilem videtur existimare sententiam asserentem possibilitatem infiniti cathegorematici, sine qua neuter ex illis dicendi modis posset sustineri: unde tandem deducit, nec quidem per apparentiam suam sententiam esse præter Scoti mentem.

7 Sed an nec per apparentiam sit illa opinio contra mentem Doctoris satis constat ex dictis, & equidem admiratione dignum est, quod pro sua sententia adducat auctoritatem illam ex 2. dist. 3. qu. 7. ad 6. princ. quandoquidem ibi Doctor manifeste loquatur de infinitate sincategorematica, & successiva, quam ait non repugnare pluralitati numerali, quantum est ex se, quam doctrinam superius etiam tradiderat eadem dist. q. 6. ad pr. pro opinione, quod adeo verum est, ut nec Adversarius ipse id ausus fuerit negare; cum vero inquit, illam doctrinam æque bene intelligi posse de infinitate actuali, & cathegorematica, id sibi adhuc restat probandum; quod addit ex 3. dist. 14. qu. 2. est adhuc magis ofcitanter dictum; falsum enim est neutrum ex illis duobus modis, quos ibi Doctor assignat ad tuendum, quod anima Christi omnia possibilia videre possit actu, sine possibilitate infiniti cathegorematici sustineri non posse: nam juxta primum modum, quod scilicet possit omnia videre unica visione, in qua essent fundati plures respectus, diserte docet Doctor nullam sequi infinitatem actualem illis verbis: *nec sequeretur infinitas actus fundati respectus hujusmodi; qui non essent, nisi in potentia, & isto modo nulla ponitur infinitas in actu, quia objectum non habet esse actu*, juxta autem secundum modum ponentem singulas visiones respectu cujuscumque objecti inquit, quod *est ponenda aliqua infinitas in actu, quod videtur contradicere multis auctoritatibus Philosophorum, & Sanctorum*, ob quod incommodum quasi secundum illum modum deserens prosequitur declarare primum illis verbis, *Si primus modus ponitur, &c.* Ex quo deducere vales, quam dolose dicat Adversarius neutrum ex illis dicendi modis sine possibilitate infiniti categorematici sustineri posse, nam ad primum modum nulla sequitur actualis infinitas, ut notat ibi Doctor, & ejus Interpretes Tatar. & Lichetus, sed tantum ad secundum modum, qua de causa illum deserit, & prosequitur declarare primum.

8 Quinto sub num. 49. nititur nostra evertere fundamenta, vel saltem retorquere, quatenus difficultates omnes, quas nos urgemus contra infinitum categorematicum, æque bene currunt de infinito sincategorematico, & de infinitis entibus possibilibus, quæ cognoscit Deus, ut sunt objective ab ipso cognita. Et quia ad hæc omnia respondemus disp. 10. Phys. cit. & præsertim ad illud de possibilibus a Deo cognitis occurrimus n. 57. cum Canonico negando Deum cognoscere possibilia infinita categorematice, & dicimus cognoscere tantum finita in infinitum, quod ita declaramus qu. 6. illius disp. ut sensus sit, quod Deus tot cognoscat, ut assignari nequeat numerus adeo supremus rerum ab ipso cognitarum, quin adhuc major assignari possit: Hanc, inquam, responsionem, & doctrinam insignium Scotistarum nu. 50. & 51. Canonici, Tromb. Nicol. de Nissa, & aliorum ibi citatorum nititur impugnare his tribus argumentis.

Quæro (inquit) ab Adversariis, an numerus creaturarum possibilium a Deo cognitarum sit finitus categorematice, vel non; si non est finitus categorematice, ergo erit sic infinitus, & sic habet intentum; si vero est categorematice finitus; ergo potest assignari numerus determinatus rerum a Deo cognitarum, quo major ab ipso cognosci nequit, & sic non cognoscit finita in infinitum. Rursus certum est, quod Deus non possit plura cognoscere, quam quæ actu cognoscit, quia quicquid cognoscit, necessario cognoscit, alias ignorantiam aliquarum rerum haberet, ergo falsum est, quod dicunt Adversarii nu. 95. Deum non cognoscere tot, quin plura possit cognoscere, nam, ut dixi, cognoscit omnia possibilia, non potest autem plura cognoscere, quam omnia, & non sunt plura possibilia, quam omnia. Præterea, si darentur infiniti homines categorematice a parte rei, profecto nemo posset probare, quod essent infiniti categorematice, si valeret prædicta doctrina; nam posset dici, quod non essent sic infiniti, sed finiti in infinitum, unde patet illuth modum loquendi esse meram evasionem verbalem sine sensu; & tandem pro sua modestia concludit; *Sed non placet hærere in impugnanda ridicula responsione.*

9 Sed eam responsionem ridiculam non esse sola testatur auctoritas insignium Scotistarum eam adhibentium, & aliorum extra Scholam nostram qu. illa 6. citatorum; bene quidem ridicula sunt argumenta, quibus illam evertere nititur; Ad p. dico numerum rerum possibilium a Deo cognitarum esse finitum categorematice, sed sincategorematice adhuc infinitum; unde negatur consequentia illa; ergo potest assignari numerus determinatus rerum a Deo cognitarum: hæc enim consequentia solum deduci potest de numero finito tam categorematice, quam sincategorematice, idest qui utrimque excluso infinitatem, non autem de numero sincategorematice infinito, qui in eo tantum sensu dicitur categorematice finitus, quatenus non est in maxima, & suprema multitudine, non autem quia sit determinatus, & certus quidam rerum numerus, cum hoc directe repugnet rationi infiniti sincategorematici in hoc consistentis, quod ejus partes non sint tot, quin adhuc sint plures vel possint esse plures. Ad 2. fuse respondi, & solide qu. 6. cit. disp. 10. nu. 100. ubi tamen adverte nobis falso imponi ab Adversario, quod dixerimus loc. cit. nu. 94. *Deum non cognoscere tot, quin plura possit cognoscere*, falsum, inquam, est hanc infinitatem sincategorematicam rerum a Deo cognitarum fuisse sic a nobis explicatam per propositionem de possibili, imo diserte ipsam explicuimus per propositionem de in esse his verbis, *numquam verum est dicere, Deus infinita cognoscit, sed solum non tot cognoscit possibilia, quin adhuc plura cognoscat, non cognoscit tantam magnitudinem possibilem, quin adhuc cognoscat majorem*; ex quo patet hoc ejus argumentum nedum esse ridiculum, sed calumniosum quoque, & dolosum. Ad ult. satis clare positum est discrimen inter infinitum categorematicum, & sincategoremati cum disp. 10. cit. qu. p. art. p. & 2. & præcipuum erat, quod infinito categorematico nulla potest fieri additio, cum supponatur esse in suprema, & maxima multitudine, bene tamen infinito sincategorematico, quod illam numquam intrinsece attingit, unde ex illa doctrina negatur illa conseq. nam si darentur infiniti homines categorematice, a parte rei posset probari, quod essent sic infiniti, quia nec quidem unus homo tali numero addi posset: quod si alii homines addi possent, falsa esset suppositio, quod essent infiniti homines categorematice, nam ex hoc deprehenderentur esse infiniti sincategorematice tantum; vide quibus argumentis impugnet hic Hercules ridiculam responsionem, & meram evasionem verbalem sine sensu, qualem appellat nostram & cogita quam strenue seriam responsionem, & fundatam impugnasset *ut quisque est animo ignavus, ita est ove procax*, Tacit. 2. histor. & verissimum est, quod dixit Curt. lib. 7. *Canem timidum latrare vehementius, quam mordere.*

De Immediato Subjecto Qualitatum.

10 DIsp. 3. Phys. qu. 3. art. 1. tribus rationibus ostendo, quantitatem esse subjectum immediatum aliorum accidentium, per quod subsistantiæ inhærent; indignatus vero Pontius, quod quamdam ejus impugnationem nostræ rationis secundæ per modum responsi adduxerim, non suo, sed plurium nomine, brevibusque rejecerim, *tentavit* in vindictam quasi spretæ impugnationis illas tres nostras rationes labefactare in append. pag. 136. nu. 187.

Prima nostra ratio erat, quia non est necesse, ut dictum erat art. præc. omnia accidentia immediate inhærere subsistantiæ, sed

&

& cætera uno mediante in ratione subjecti convenire possunt; aut igitur hoc accidens immediate substantiæ inhærens gerens subjecti munus erga cætera est potentia illa accidentalis, quam invehit Aversa, aut quantitas: aliud enim hucusque non ponitur a Doctoribus tale subjectum proximum admittentibus; Sed potentia illa non potest constitui tale subjectum, ut ibi fuse probatur; ergo erit quantitas.

Ad hunc discursum, (inquit nu. 192.) qui in quo modo, vel figura sit, nescio, respondeo assumptum illud, *aut igitur hoc accidens* &c. supponere, quod probatum sit alia accidentia debere subjectari in substantia mediante aliquo alio subjecto, at hoc non est probatum, nam quamvis non sit necessarium quod omnia accidentia subjectentur in substantia immediate, non sequitur, quod subjectentur in ipsa mediante alio subjecto, quia possent subjectari immediate in substantia, quamvis id non esset necesse.

11 Plane opus non erat, ut quæreret, in qua figura, vel modo sit noster ille discursus, cum non sit syllogismus formalis, sed entimema cum minori subillata, qui arguendi modus est frequentissimus; cum autem respondendo inquit, assumptum illud supponere, quod probatum sit alia accidentia debere subjectari in substantia mediante aliquo alio accidente in ratione subjecti proximi, quod tamen non est probatum, *in primis falsum* est, assumptum illud hoc supponere tamquam probatum, nam id supponit ad hominem, tamquam concessum a Doctoribus, contra quos *ibi disputatur*, admittentibus tale proximum subjectum accidentium, ut constat in argumento, sicut a nobis conficitur, in qua forma noluit Pontius illud referre, ut occasionem haberet cavillandi; Deinde hoc etiam concesso, falsum est, suppositum illud non esse probatum in p. art. illius qu. 3. ibi enim nedum probatur unum accidens posse esse subjectum immediatum alterius, quo mediante insit substantiæ, sed etiam de facto ita esse debere ostenditur ex mysterio Eucharistiæ, ubi concedere oportet unum primum accidens, quod sit subjectum, in quo cætera uniuntur; nisi enim species sacramentales in uno tertio unirentur subjecto, sed quælibet per se existeret, sequeretur, quod ad motum unius qualitatis alia qualitas non moveretur, ut puta ad motum caloris in vino non moveretur dulcedo, cujus tamen oppositum experimur, ergo suppositum illud in 2. art. sufficienter probatum fuit in 1. art. & ex hoc refellitur alia responsio, quam subdit nu. 195. quæ non est diversa a jam relata, atque ideo diversa impugnatione non eget.

12 Secunda ratio erat, ab experientia ducta, nam albedo in superficie extenditur, & calor similiter cum diffunditur per corpus in quantitate ejus extenditur; ergo qualitates hujusmodi in quantitate recipiuntur immediate. Respondet Pontius in hac ratione peti principium, dum supponimus quantitatem dici albam quia subjectat albedinem, sicut enim albedo dicitur quanta, licet quantitatem non subjectet, sic & quantitas poterit dici alba, etiamsi illam non sustineat ex sola concomitantia albedinis in eodem subjecto.

Sed nescio qua ratione dicat argumentum petere principium, dum supponimus quantitatem dici albam, quia subjectat albedinem; de hoc enim nec verbum quidem fit in argumento nostro, *in quo solum assumitur* albedinem in superficie extendi, & inde deducimus in ea recipi immediate tamquam in subjecto, quæ quidem illatio mihi videtur sequi absque ulla petitione principii; sicut enim Philosophus p. Physic. illud deprehendit esse primum, & immediatum formarum substantialium subjectum, quod semper idem manet accedentibus, & recedentibus formis; ita pariter bene deprehenditur quantitatem esse qualitatum immediatum subjectum, quia videmus in eadem quantitate qualitates mutari, etiam absente substantia, ut contingit in Eucharistia; imo tantum abest, quod in eo argumento petatur principium, nec bene probet conclusionem nostram, quod non alia ratione usus sit Scotus 4. dist. 12. qu. 2. §. *ad quæstionem*, ad illud probandum in opinione communiori quantitatem realiter a substantia distinguente illis verbis, *qualitas est in quantitate, & pro hoc est ista probabilitas, quia qualitas hæc est extensa, patet ad sensum, non est autem extensa essentialiter, sine extensione, quæ sit intrinseca qualitati secundum istam opinionem, sed tantum per accidens; sed omne extensum per accidens, vel recipit extensionem in se, qua extenditur per accidens, vel recipitur in extensione, vel extenso; qualitas autem non recipit in se istam extensionem; ergo est tantum extensa per accidens, quia recipitur in extenso, & hoc concordat cum illo dicto in prædicamentis cap. de quantitate, quanta est superficies, tanta est albedo.*

13 Sed quando etiam faceremus argumentum illud, quod nobis imponit, quod scilicet ex hoc quod superficies dicitur alba, deduceremus id esse, quia subjectat albedinem, & non e contra; adhuc etiam id bene diceretur, & absque ulla principii petitione, quandoquidem alio modo superficies dicitur alba ab albedine, & albedo quanta a superficie, in qua extenditur; superficies namque dicitur alba ab albedine denominatione formali, idest derivata ab albedine, veluti a forma ei inhærente, albedo vero dicitur quanta a quantitate denominatione materiali, idest derivata ab illa, tamquam a suo subjecto, quæ duo denominationum genera fuse declaramus disp. 3. Phys. nu. 37. quod hic reperere non oportet, expresse pronuntur a Doctore quol. 18. §. *de primo*, dum inquit, *in primo est quasi denominatio formæ a subjecto, sicut anima dicitur humana, sic aliquid dicitur bonum homini, quia bonum humanum, sed in secundo e converso est denominatio subjecti a forma.* Unde immerito prorsus damnat Pontius nu. 193. in fine hoc genus denominationis formæ a subjecto, velut omnino erroneum, quod certe (ait ille) nescio an quis alius umquam dixerit, cum inde sequeretur, quod anima rationalis subjectata in corpore deberet dici corporea, & materialis, & quod formæ aliæ vere materiales, & corporeæ ex natura sua intrinseca non haberent esse tales, nisi quando subjectarentur in corpore, quorum utrumque absurdissimum est. Sed nego hoc inde sequi, sicut e contra ex hoc, quod subjectum denominatur a forma, non sequitur corpus, vel materiam dici spiritualem ab anima rationali, & ratio est, quam affert Hurt. disp. 2. Physic. sect. 2. nu. 16. & 17. ubi de his duobus denominationum generibus scite discurrit, & inquit nec subjectum a forma, nec formam a subjecto omnes prorsus denominationes recipere, quæ ab eis derivari possunt, sed tantum illas, quarum sunt capaces, & secundum eam rationem, in qua non includitur denominatio opposita ipsorum conceptui; Nec etiam sequitur aliud inde deductum de formis ex sua natura materialibus, & corporeis, nam utique simpliciter tales quoque sunt suapte natura etiamsi a subjecto per Dei potentiam separentur, sed essent seclusum quid incorporeæ, quatenus actu non informarent corpus, quo sensu corporeæ dicuntur dumtaxat, quando actu corpus informant, ut Scotus docet ex professo 4. d. 12. qu. 2. infra B. ad 3.

14 Præterea falsum quoque est, quod Pontius dicebat, quantitatem posse dici albam, etiam si illam non subjectet ex sola concomitantia albedinis in eodem subjecto; nam ut arguebamus disp. 3. cit. nu. 35. contra Marsilium, & Aversam sola formarum concomitantia eodem subjecto non sufficit, ut se invicem denominent, albedo namque, & frigiditas uniuntur in nive, nec ob id se invicem denominant, nec enim albedinem in nive dicimus esse frigidam, nec frigiditatem albam, & sic in multis aliis; præterquamquod Auctores isti adhuc ostendere tenentur hoc commune subjectum, in quo qualitates Eucharisticæ uniantur, quod Pontius numquam assignat secluso quantitate. Respondet Pontius nu. 188. negando assumptum, quod scilicet concomitantia formarum in eodem subjecto non quandoque sufficiat; ut se invicem denominent, ut patet de anima vegetativa, quæ dicitur quanta, & extensa, etiam si neque subjectet quantitatem, neque subjectetur in quantitate ob solam concomitantiam in eodem subjecto; ad probationem assumpti inquit nu. 191. quod illa propositio, *albedo est frigida*, duplicem potest habere sensum, unum, quod albedo sit subjectum frigoris, & in hoc sensu falsa est; alterum, quod albedo sit frigori conjuncta in eodem subjecto, & in hoc sensu vera est, & manifeste falsum est, quod albedo non debeat dici frigida.

15 Contra hanc responsionem in primis est, quod illud exemplum de anima vegetativa, cui conqueritur a nobis non fuisse responsum, non est ad rem, quia hic est sermo de subjecto immediato qualitatum, & quomodo denominent quantitatem, & ab ea denominentur, *exemplum vero est de forma substantiali*; quod etiam contra ipsum retorqueri potest, nam quamvis anima vegetativa diceretur quanta, vel extensa ob concomitantiam quantitatis in eodem subjecto, attamen quantitas non dicitur ab ea animata, vel vegetans, itaque cum vegetativa, vel quælibet alia forma substantialis materialis dicitur quanta, non debet censeri hæc denominatio formalis, quasi scilicet a quantitate derivata, ut a forma, ob concomitantiam in eodem subjecto, sed est denominatio materialis a subjecto quanto derivata in formam, quam subjectat, qua ratione inquit Dost. cit. 4. d. 12. qu. 2. §. *ad quæstionem*, omne extensum per accidens, vel recipit extensionem in se, qua extenditur per accidens, vel recipitur in extensione, vel in extenso, deinde propositio illa, *albedo est frigida*, non video quem sensum verum habere possit, illa namque ab adversario assignatur, quod albedo sit conjuncta cum frigore in eodem subjecto, manifeste principium petit, quia id est, quod negamus, & de quo disputamus, an talis pura conjunctio duarum formarum in eodem subjecto sufficiat, ut se invicem denominent. Præterea hæc evasio in vino frigido consecrato non valet, quia tenetur assignare commune subjectum, in quo frigiditas, & albedo se comitantur, ratione cujus concomitantiæ verum sit dicere, quod albedo vini consecrati est frigida, ex hypothesi, quod quantitas non sit hujusmodi commune subjectum, ut per modum disputandi negat Pontius.

16 Tertia ratio erat ex mysterio Eucharistiæ ducta, albedo existens in hostia est ita extensa in loco, quod non potest penetrari ab alio corpore, ut experientia constat, vel igitur hoc evenit, quia idem sunt quantitas, & qualitas, vel quia quantitas est in qualitate, ut in subjecto, vel e contra qualitas in quantitate, cui deinceps coextenditur: non primum, ut fuse probatur disp. de Continuo qu. p. neque secundum, quia quantitas se tenet ex parte materiæ, & qualitas ex parte formæ, & in ratione substandi quantitas est proximior substantiæ, ergo tertium.

Respondet nu. 190. præmisso dicterio quodam penitus insulso, & extra propositum, ut daret adagio locum, *ubi quis dolet, ibi & manum habet*, concedendo experientiam, & negando id provenire ex identitate quantitatis cum qualitate, quamvis omnino dubitem (inquit) an id ipsi sufficienter probaverint loc. cit. in quo prima probatio, quam assumunt ex eodem mysterio Eucharistiæ, mihi videtur satis mirabilis, nempe quod si quantitas esset identificata substantiæ, ut dicunt Nominales, sequeretur quod non remanerent omnia accidentia panis, & quod non solum conversio illa deberet dici transubstantiatio, sed etiam transaccidentatio, quia scilicet desineret quantitas substantiæ panis, & non solum converteretur ipsa substantia, sed quantitas ejus; hæc probatio, inquit, videtur mirabilis, quia in sen-

sententia Nominalium quantitas nullo modo esset accidens, & quamvis distingueretur formaliter a substantia, non tamen distinctione, quæ sufficeret, ut esset accidens, cum repugnet ratio accidentis cum identificatione ad substantiam, quomodo ergo in sententia Nominalium non remanerent omnia accidentia, aut fieret transaccidentatio? Sed hoc omisso nego impenetrabilitatem albedinis Eucharistiæ provenire ex identitate quantitatis, & qualitatis; aut ex eo quod quantitas subjectetur in qualitate, quamvis neque hoc etiam sufficienter probet Mastrius; aut ex eo quod qualitas subjectetur in quantitate; sed potest dici, quod oriatur ex eo, quod albedo sit penetrative in eodem loco cum quantitate, nam ex hoc capite præcise, quamvis non daretur subjectatio ulla unius in altero, necessario fieret, quod albedo non posset penetrari, sicut nec Angelus positus in eodem loco cum corpore potest penetrari ab alio corpore, dum est in illo loco.

17 Hæc quoque responsio cum suis instantiis facile retunditur, cum enim inquit ex impugnandi pruritu, primum membrum, quod scilicet quantitas non sit identificata cum qualitate, non fuisse a nobis sufficienter probatum contra Nominales, quia in eorum sententia quantitas non est accidens &c. huic instantiæ ibidem occurrimus disp. 9. de Continuo num. 18. illis verbis: *Nam etsi Nominales non ponant quantitatem substantiæ esse accidens realiter distinctum ab ea, adhuc tamen aliquam distinctionem agnoscunt inter ea; aut ex natura rei, aut penes connotata, nam alia ratione res dicitur substantialis, & alia ratione quanta*; non ergo hæc instantia est nova, & adeo subtilis, quod eam non prævideremus, & solverimus quantum sufficit ad ostendendum, quo sensu possit argumentum urgere Nominales; Deinde cum in eo articulo aliæ sint argumenta hoc punctum contra Nominales efficaciter demonstrantia, livide profert Adversarius absolute id non fuisse a nobis sufficienter probatum, etiam quando prima illa probatio non multum urgeret. Cum ulterius inquit ex eodem pruritu (ostendendi nihil omnino esse a nobis probatum) neque secundum membrum a nobis sufficienter ostendi, nempe impenetrabilitatem albedinis in hostia non ex eo provenire, quod quantitas sit in qualitate, ut in subjecto, quia quantitas se tenet ex parte materiæ &c. dico hanc nunc non esse nostram probationem, sed Doctoris 4. d. 12. qu. 2. D. quæ si ei insufficiens videbatur, ut sæpe dicit de rationibus Doctoris citra pudorem, rationem insufficientiæ adducere debebat, & non sola auctoritate sua id enunciare, quam etiam forte nos reciperemus, si ipse Scoti auctoritates recipere dignaretur; sed quia non dignatur, auctoritati ejus non acquiescimus.

18 Cum tandem negat etiam id provenire ex eo, quod qualitas in quantitate subjectetur, & inquit dici posse oriri ex eo, quod albedo sit penetrative in eodem loco cum quantitate; hoc statim refellitur per rationem Scoti superius adductam ex 4. d. 12. qu. 2. §. *ad quæstionem*, ubi ait, quod omne extensum per accidens vel recipit extensionem in se, qua extenditur per accidens, vel recipitur in extensione, vel extenso; ergo si albedo in hostia est extensa impenetrabiliter, id necessario evenit, vel quia recipit in se extensionem, scilicet quantitatem, vel in extensione recipitur; nec ullus sanæ mentis dixit umquam aliquid extendibile per accidens, ut sunt formæ materiales, per hoc extendi, quia ponatur in eodem loco cum re extensa; & ratio hujus est, quia quantitas nequit alicui realiter distincto talem effectum extensionis communicare in ordine ad locum, nisi quia vel recipitur *in eo*, ut in subjecto, *quo pacto substantiam materialem* reddit extensam impenetrabiliter, vel illud recipit in se tamquam in subjecto, quo pacto extensas reddit formas alias accidentales. Conf. quia si intima conjunctio localis sufficit, ut quantitas suum effectum formalem impenetrabilitatis communicet cæteris accidentibus, eadem quoque sufficeret, ut cætera accidentia suos formales effectus quantitati communicarent, & sic quantitas posita in eodem loco cum albedine, vel frigore, ex hoc solo absque ulla unione informativa diceretur alba, vel frigida, quod nemo, nisi demens, assereret. Et paritas de Angelo assumpta responsionis hujus stoliditatem satis demonstrat, quia Angelus, cum sit purus spiritus, numquam reddi potest impenetrabilis, & quantumcumque ponatur cum corpore conjunctus, semper remanet penetrabilis in sua substantia, & quod ab illo loco ab Angelo occupato aliud corpus expellit, non est angelica substantia, sed corpus illud, quod cum ipso supponitur esse in eodem loco, & servata proportione idem dici debet de albedine compenetrata in eodem loco cum quantitate.

Denique pro opinione nostra semper urgebit ratio illa, quod agens naturale producit naturaliter calorem, & frigiditatem in speciebus Panis, in quibus nulla datur substantia, ut fides docet; non potest autem hæc accidentia producere, nisi in subjecto ex quo educantur, quia talis productio esset creatio, quæ agenti naturali non competit; ergo ibi reperitur aliquod subjectum naturale, & immediatum illorum accidentium, in quo recipiantur, & sustententur; & hoc tenetur assignare Pontius in Eucharistia, nisi recurrere velit ad nova, & crebra miracula a Nominalibus conficta pro sua opinione tuenda in Venerabili Sacramento.

De Necessaria connexione Materiæ cum forma.

19 IN quæstione, unde oriatur necessaria connexio materiæ cum forma secundum communem naturæ cursum, dixi disp. 2. Phys. qu. 3. art. 1. num. 41. peti habere ex conditione naturæ universalis, & ordine universi, quod ita ab Auctore naturæ institutum est, ut agentia naturalia non corrumpant formam in materia, quin aliam de novo generent; qui ordo ab agente naturali inverti nequit; subdidi ibidem posse etiam hanc coexigentiam aliqualiter attendi ex peculiari natura ipsius materiæ ex hoc, quod est essentialiter pars potentialis, quæ debet, & petit compleri, & actuari per aliam compartem. Negavit hoc Pontius disp. 3. Phys. nu. 59. dicens; hanc necessariam connexionem materiæ cum forma ex eo præcise oriri, quod semper applicetur causa determinata ad producendam in ipsa naturaliter formam; & iterum id confirmat in apol. pag. 121. num. 170. dicens hanc sententiam ab ipso fuisse excogitatam, nec apud quemquam alium Auctorem haberi, quem viderit impressum, & sane talem quoque ego ipse eam judicavi, cum vidi ipsum a nostra dissentire sententia, quæ fere communis est, ac proinde in eo sensu eam impugnavi (neque enim alium sensum decerpere potui, qui esset a communi sententia diversus) ut nequeat dari in universo materia nuda, quia si talis crearetur a Deo, statim ac esset in universo, ubicumque poneretur, reperiret causam naturaliter, determinatam ad producendam formam substantialem in ea, unde sequitur, quod non ex natura sua, sed ex sola virtute agentis extrinseci nequeat esse in universo sine forma secundum communem naturæ cursum.

20 In hoc, inquam, sensu eam loc. cit. tribus rationibus impugnavi. Primo quia agens naturale non potest agere nisi in quantum, quam propositionem male negat esse passim concessam Pontius num. 171. & præsertim a Scoto loco ibi citato 2. d. 12. qu. 2. F. cujus verba sunt ista, *Sed circa materiam nullæ formæ sunt sic simpliciter immediatæ, licet aliquæ sint immediatæ respectu agentis naturalis, quod non agit, nisi in quanto*, quomodo autem hæc propositio non repugnet principiis Scoti, quibus probat non manere eamdem quantitatem in genito, & corrupto, & quantitatem subjectari in toto composito, bene declarat Lichetus ibidem, & nos disp. 2. Phys. quæst. 8. art. 5. num. 175. cum ergo in sententia nostra materia nuda non sit quantitate prædita, nec terminata, nec interminata, plane non poterit in casu posito, idest ex suppositione, quod eam Deus crearet nudam in universo, ab agente naturali applicato recipere dispositionem ad formæ substantialis introductionem, atque ideo ex sola virtute agentis naturalis non potest necessitas connexionis materiæ cum forma deduci secundum communem naturæ cursum. Deinde quia potest naturaliter contingere casus, quod duo agentia naturalia æqualis virtutis essent æque applicata ad materiam; quo casu se invicem impedirent, & materia a neutro susciperet formam. Rursus contingere potest, quod agens vel ob improportionatam applicationem, vel ob debilem virtutem non producat formam substantialem in totam materiam nudam, & sic pars remotior esset sine forma.

21 Respondet experientia constare, quod quotiescumque materia denudatur forma substantiali, detur aliquod agens determinatum ad producendam formam, & quod de facto producat formam in materia; ergo de facto non est aliquod impedimentum, nec quantitatis, nec impenetrabilitatis, quo minus producat; atque ita verum est, quod de facto semper applicetur causa naturalis materiæ, quæ sit determinata naturaliter ad productionem formæ in ipsa, quoties denudatur forma, quam antecedenter habuit; ex quo etiam (inquit) efficaciter convincuntur aliæ duæ rationes, quia quandoquidem numquam de facto corrumpatur *forma existens in materia, nisi quando* applicatur aliqua causa determinata ad producendum aliam formam; sequitur manifeste, quod in casu, quo de facto naturaliter debet corrumpi aliqua forma existens in materia, numquam applicentur duæ causæ impedientes se mutuo; & quod causa non sit ita male applicata, & debilis virtutis, ut non possit in omnem partem materiæ, quæ denudatur forma priori, introducere formam suam; nam si illæ causæ essent sic se invicem impedientes, aut ita male applicatæ, & debilis virtutis, non corrumperetur forma præcedens in materia, vel parte ejus in quam non posset introduci nova forma, ut est evidens; ergo numquam potest casus contingere, in quo materia denudatur forma, quin sit causa materialiter determinata ad producendam formam.

22 Unde tandem patere concludit ob præfatas impugnationes nostras non esse recurrendum in hac re ad conditionem naturæ universalis, & ordinem universi, ad quam sicut nec ad Deum ipsum numquam philosophice bene recurritur, quoties absque tali recursu potest tolli difficultas, quod adhuc ulterius probat num. 173. quia non scimus esse talem ordinem universi, aut conditionem naturæ, nisi quatenus experientia constat nobis, quod numquam habeatur de facto naturaliter materia absque aliqua forma, sed hoc non constat nobis, nisi quatenus constat, quod quoties denudatur, aut spoliatur una forma, introducatur altera, sed certum est, quod de facto quoties constat nobis naturaliter induci alteram, toties constet nobis esse aliquam causam naturalem determinatam ad producendam illam, quæ inducitur, ergo ex experientia illa non debemus recurrere ad ordinem universi, aut conditionem naturæ universalis, ita Pontius loc. cit.

Sed plane declarans hic Auctor suam opinionem *in hunc modum*, non aliquid singulare docet, nec opinionem peregrinam profitetur in hac re a seipso excogitatam, nec apud alium Auctorem repertam, ut jactabat, ut enim constat ex toto ejus discursu, ideo materia secundum communem naturæ cursum coexigit formam, nec omni forma expoliari potest, quia quoties denudatur una forma, adest agens naturale in promptu aliam formam inducens, & hoc ipsissimum est, quod nos quoque, & alii quamplures dicunt, hanc necessariam coexigentiam ex dispositione agentium naturalium oriri, quæ ita sunt disposita, ut num-

numquam formam veterem in materia corrumpant, quin aliam de novo generent, quid ergo peregrini, & novi docet Pontius in hac re? plane in hoc ſenſu ejus opinio a noſtra non eſt diverſa quoad hoc punctum, & fateor tres illas rationes noſtras non concludere contra ejus opinionem ſic explicatam, cæterum ab initio in ſenſu quodam peculiari, & forte ut a nobis impugnata fuit, ſuam opinionem profitebatur, at ad evitandas difficultates tandem in append. apol. ſuam peregrinam opinionem declaravit in ſenſu domeſtico, & familiari.

23 Cæterum ſicut in hoc puncto tandem dedit nobis manus, ut conſtat ex præfato diſcurſu ſuo, ita vellem ut fateretur quoque talem diſpoſitionem agentium naturalium, quod numquam formam corrumpant in materia, quin aliam de novo generent, in conditionem naturæ univerſalis, & ordinem univerſi, ut de facto inſtitutus eſt, eſſe reducendam, & quod ita ſit ſic oſtendo; jam fatetur Pontius nu. 172. de facto contingere non poſſe caſus illos a nobis aſſignatos in ſecunda, & tertia ratione, quod nempe duo agentia naturalia æqualis virtutis ſint ita applicata, ut ſe mutuo impediant; aut quod agens ſit adeo debilis virtutis, aut ita improportionate applicatum, ut non producat formam ſubſtantialem in totam materiam nudam, & licet rationes illæ procedant in caſu, quod materia crearetur a Deo in hoc uni verſo quæcumque forma denudata, ut ab initio dixi, & conſtat ex illo meo diſcurſu, in quo quidem caſu non valet reſponſio Pontii, quod non corrumperetur forma præcedens, quia ſuppono itur materia eſſe omni forma expoliata; tamen in caſu, quo ipſe loquitur, quæro, cur non contingere poſſit aliquis illorum caſuum, vel ſaltem quod corrumpatur forma antiqua, & pro aliqua morula, vel inſtanti ſtet materia ſine forma nova, vel ob debilitatem virtutis, vel ob aliquod impedimentum, videmus enim his de cauſis in generatione animatorum interdum contingere monſtra præter intentionem naturæ; & quidem in generatione animatorum agentia naturalia ſunt quoque naturaliter determinata ad finem ſuum conſequendum in omni perfectione eis poſſibili, & tamen in his generationibus monſtra contingere videmus ex cauſis allatis, cum tamen numquam hoc monſtrum contingat in generatione ſubſtantiali, quod partum materiæ etiam pro minima morula detur ſine forma: ſane hujus alia ratio reddi non poteſt, niſi conditio univerſalis naturæ, & ordo univerſi, prout de facto inſtitutus eſt ab Auctore naturæ, qui ita in generationibus ſubſtantialibus agentia naturalia diſpoſuit, ut nequeant umquam formam in materia corrumpere, quin ſtatim aliam generent, neque talem applicationem cauſarum naturalium ad formam ſubſtantialem in materia inducendam permittere voluit, ut aliquando hoc monſtrum contingere poſſit, quod detur materia ſine forma; Ex quo conſtat diſcurſum illum, quo oppoſitum probare nititur nu. 173. non ſubſiſtere, ſed negandam eſſe conſequentiam.

24 Reſtat alter punctus difficultatis, in quo adhuc diſſentit a nobis hic Auctor, quandoquidem nos dixerimus, neceſſitatem connexionis hujus poſſe etiam aliqualiter attendi ex natura intrinſeca materiæ, quæ cum ſit eſſentialiter pars potentialis petit per aliam compartem actualem compleri, & determinari, & ſicut metaphyſice loquendo non datur genus niſi in certa ſpecie, ita phyſice dari nequit materia, quæ dicitur genus phyſicum niſi ſub certa forma. In hoc, inquam, puncto Pontius etiam diſcordat a nobis, quandoquidem hæc omnia competant corpori organico, quod eſt altera pars viventis, & tamen eſſe poteſt ſine anima. Hanc inſtantiam de corpore organico parum urgere diximus diſp. 2. Phyſ. nu. 41. §. *reſtat igitur*, eo quia longe diverſa eſt conditio materiæ nudæ, & conſtituti ex materia, & forma mixtionis, quale eſt corpus pro altera parte compoſiti animati, ut dicimus diſp. 5. Phyſ. qu. 6. art. 1. ad 4. & in lib. de gen. & corrup. diſp. 5. qu. 3. art. 1. nu. 81. Ad hoc replicat Pontius in append. nu. 173. in illis locis ibi citatis nullam diſparitatem aſſignari, quæ faciat ad hoc propoſitum, ſeu ob quam materia deberet habere formam neceſſario potius, quam corpus organicum animam ob imperfectionem, potentialitatem, & rationem partis præcipe.

25 In ſubſidium veritatis afferatur diſparitas a nobis tacta de materia prima, & corpore organico diſp. 5. Phyſ. qu. 6. art. 1. nu. 62. ubi ſic diſcurrimus: licet forma corporeitatis non faciat cum materia ens completum, & in actu formaliter ultimato, perficit tamen illam ſubſtantialiter, quia ultra actum entitativum, quem de ſe habet, conſtituit eam in actu formali, & ideo abeunte anima bene poteſt manere materia naturaliter cum ſola illa forma, quia non remanet in rerum natura materia pura, ſed conſtitutum ex materia, & mixtionis forma; & quidem longe diverſa eſt conditio materiæ nudæ, & conſtituti ex materia, & forma mixtionis, materia enim nuda eſt pura potentia omnino ad ſubjectum, excludens quemcumque actum formalem, & ideo naturæ viribus per ſe conſiſtere non poteſt, cum ordinata ſit, ut ſemper ſit cum forma; illud vero, quod ex materia, & forma mixtionis conſtitutum eſt, quamvis dum ordinatur ad animam, habeat rationem materiæ, re tamen vera non eſt materia ſola, ſed compoſitum, & ideo recedente anima per ſe conſiſtere poteſt. Hæc nos ibi habemus, & eadem, vel ſimilia diſp. 5. de gen. & corrup. n. 81. videat modo prudens lector an illis in locis nulla afferatur paritas, quæ faciat ad propoſitum; non fat fuit hoc dicere, ſed probare debebat Adverſarius, cui diſparitati nunc adjungo, quod notavit diſp. 7. log. num. 20. non deeſſe, qui corpus organicum poſt animæ diſceſſum, directe in prædicamento reponant, quia tunc non habet amplius rationem partis, ſed totius, unde evadit ens completum, & proportionatum prædicamento; & ſic præſertim opinatus eſt Zabarel. lib. de pluralitate formarum cum nonnullis aliis, non ergo hæc diſparitas adeo frivola eſt, ut ſub ſilentio ab Adverſario præteriri debuerit, ut non faciens ad propoſitum.

26 Denique addo, quod ſi hujuſmodi neceſſitas connexionis materiæ cum forma ex ſola, & pura applicatione naturalis agentis, & non aliquo pacto etiam ex natura ejus intrinſeca attendatur, plane non erit magis neceſſaria connexio materiæ cum forma ſubſtantiali, quam aquæ cum calore, ex hypotheſi, quod poneretur in loco, ubi eſſet aliqua cauſa determinata ad producendum calorem in ea, quod licet Adverſarius concedere videatur diſp. 3. Phyſ. cit. num. 59. afferens hoc idem exemplum, vel paritatem de aqua in ordine ad calorem data hypotheſi, attamen eſt prorſus abſurdum, quia potentia paſſiva materiæ ad formam ſubſtantialem eſt potentia naturalis, & materia dicitur a Philoſophis appetere formam, ſicut turpe pulchrum, & fœmina marem; ergo ex natura ſua quoque intrinſeca petit talem conjunctionem cum forma, ita quod ſine forma exiſtens eſſet in ſtatu violento, & contra ſuam naturalem inclinationem, atque ideo falſum omnino eſt, quod Pontius ajebat materiam ſecundum communem naturæ curſum coexigere formam, ex materia, & neceſſaria applicatione extrinſeci agentis circa ipſam operantis, & nullo pacto ex natura ejus intrinſeca.

De Loci immobilitate.

27 Refero diſp. 11. Phyſ. qu. 2. art. 2. num. 33. quemdam dicendi modum circa loci immobilitatem, unde ſumatur, quem Pontius ait eſſe ſuum, nempe ſumi debere a tali, vel tanta diſtantia termini a quo ſit, vel fieri poteſt motus localis ad terminum ad quem, nam ſuperficies ambiens corpus mobile, ut dicit talem diſtantiam ad terminum ad quem fit motus talis corporis, nequit moveri etiam de potentia abſoluta. Hunc modum ibidem tribus impugno rationibus, quibus occurrit Pontius in append. apolog. pag. 194. num. 260.

Prima ratio erat, quia ſuperficies aeris, cum huc, & illuc fluat, numquam fundare poteſt talem, vel tantam diſtantiam ad hunc, vel illum terminum, & ſic numquam poterit dici immobilis, & fungi munere loci. Pontius loc. cit. inquit, hanc impugnationem duobus vitiis laborare, uno, quod nihil concludit, altero, quod contra meipſum militet: oſtendit utrumque; Primum quidem, quia falſum eſt, quod ſuperficies aeris non poſſit fundare diſtantiam tantam, vel tantam, etiamſi huc, vel illuc fluat; nam pro quolibet inſtanti habet determinatam diſtantiam a termino ad quem quocumque ad quem ab ipſa poteſt corpus moveri, & ut habet talem diſtantiam non fluit huc, vel illuc, licet fluat materialiter, ſeu quoad ſe præſcindendo a tali reſpectu. Deinde quamvis eadem numero ſuperficies moveatur, & fluat materialiter, non tamen ita quin ſuccedat altera, & ratione hujus poteſt dici, quod ſemper maneat æquivalenter, quod ſufficit abunde, ut poſſit dici fundare ſemper eamdem diſtantiam, & fungi munere loci. Quod tandem argumentum contra me quoque faciat, probat, quia ego deſumo immobilitatem loci ab ordine, quem dicit ſuperficies ad partes virtuales divinæ ſubſtantiæ, ſed ſuperficies aeris cum fluat huc, & illuc, numquam poterit fundare ordinem aliquem determinatum aut unum ad has partes, niſi poſſit fundare ordinem determinatum, ſeu diſtantiam ad terminum ad quem motus localis; ergo hæc ratio etiam contra me concludit.

28 Hæc reſponſio quoad primam partem facile reiicitur, evidenter oſtendendo non poſſe ſuperficiem aeris ſecundum ſe abſolute inſpectam fundare tantam, vel tantam diſtantiam; quod enim de ſe indifferens eſt ad fundandum talem, vel talem reſpectum, non poteſt illum de facto fundare, niſi per aliquid aliud ipſum ad hoc determinans, ut patet de Petro fundante ſimilitudinem ratione qualitatis, & æqualitatem ratione quantitatis, ſed quælibet aeris ſuperficies eſt ſic indifferens ad fundandam talem, vel tantam diſtantiam, ergo quamvis pro quolibet inſtanti fundet determinatam diſtantiam, id non eſt ratione ſui, ſed ratione alicujus extrinſeci adjuncti, quod ſe habet veluti fundamentum proximum, ſeu ratio fundandi talem reſpectum, & hoc inquit Scotus 4. d. 10. qu. 2. R. ad 2. prin. eſt hæc, vel illa ubicatio, quia hujuſmodi relationes diſtantiæ, & propinquitatis non immediate fundantur ſupra res, ſed ſupra ubicationes illarum, quæ determinatæ ſunt ad fundandam tantam diſtantiam, vel propinquitatem; ergo falſum eſt ſuperficiem aeris poſſe de ſe fundare tantam, vel tantam diſtantiam; Deinde ſuperficies prius intelligitur fundare immobilitatem, quam talem, vel tantam diſtantiam, ergo nequit immobilitas loci ſumi a tali, vel tanta diſtantia, ſeu a ſuperficie, ut fundat talem diſtantiam, probatur aſſumptum, quia nequit cogitari inter hunc, & illum locum talis, vel tanta diſtantia, niſi extrema illius diſtantiæ ſupponantur immobilia, nam eo ipſo quod unum ſupponatur poſſe ad aliud accedere, vel ab ipſo recedere, non poſſunt amplius talem, vel tantam diſtantiam fundare; ergo locus prius eſt immobilis, quam tantum, vel tantum diſtans ab alio loco. Denique hæc ſententia premitur omnibus difficultatibus, quibus vexatur Thomiſtarum ſententia ſumentium loci, vel ſuperficiei immobilitatem ex determinato ordine, & diſtantia ad centrum, & polos, contra quam agimus diſp. 11. cit. num. 32. & adhuc incurrit majores, quia Thomiſtæ ſaltem loci immobilitatem deducunt ex ordine ad polos Cœli, & centrum univerſi, quæ modo de facto ſunt fixa, & immobilia,

lia, at ſuperficies, quæ deſerviunt modo motivi localis pro terminis tantæ diſtantiæ, vel tantæ, non ſunt ſic immobiles, quia de facto moventur, & etiam moveri poſſunt, ut fundant illam diſtantiam, ut mox patebit abſolute loquendo; ergo non bene a tali, vel tanta diſtantia, vel ab ejus extremis ſumitur loci immobilitas. Quod tandem ait loco unius ſuperficiei fluentis aliam ſuccedere; ratione cujus dici poteſt, quod maneat æquivalenter, &c. ſufficienter impugnatum eſt d. 11. q. 2. art. 2. num. 33.

Neque argumentum illud æque contra me militat, ſicut contra ipſum, quandoquidem ego deſumam immobilitatem loci, vel ſuperficiei in ordine ad partes virtuales divinæ ſubſtantiæ ubique diffuſæ, quæ ſunt prorſus immobiles, ipſe vero ex ordine, vel diſtantia unius ſuperficiei ad aliam, quæ non ſolum ſunt abſolute mobiles, ſed etiam de facto huc, & illuc moventur, unde falſum eſt quod inquit ſuperficiem aeris aliquem ordinem determinatum ad partes virtuales divinæ ſubſtantiæ fundare non poſſe, niſi poſſit fundare ordinem determinatum, ſeu diſtantiam ad terminum ad quem motu localis, ſed potius oppoſitum dicere debebat, quod ſuperficies fundare non poſſet ordinem determinatum, ſeu diſtantiam ad terminum ad quem motus localis, niſi prius fundaret ordinem ad determinatas partes virtuales divinæ ſubſtantiæ, quæ ſupponuntur prorſus immobiles, nam ut dixi determinata diſtantia nonniſi in immobilibus extremis fundari poteſt, aut abſolute loquendo, aut ſaltem de facto; ſicuti nunc ponuntur poli Cœli, & centrum mundi, in ordine ad quæ Doctores hac de cauſa immobilitatem loci deſumere ſolent.

29. Secunda ratio urgentior, & quæ directe impugnat Adverſarii reſponſum, quod ſuperficies eſt mobilis materialiter, ſed immobilis omnino de potentia Dei etiam abſoluta, ſi ſpecletur formaliter, ut nempe dicit talem, vel tantam diſtantiam, ſuperficies una poteſt retinere eandem diſtantiam ad aliam, ut concava lunæ ad connexam terræ, & cum illo reſpectu diſtantiæ moveri ex hypotheſi, quod totus moveatur orbis, ergo a ſuperficie etiam ut fundante talem, vel tantam diſtantiam, immobilitas loci nequit deſumi.

Reſpondet Pontius, ſuperficiem a tali diſtantia ad terminum ad quem non habet talem immobilitatem, quin ſimul cum termino ad quem ſervata eadem diſtantia poſſit moveri, ut probat argumentum, nec talem immobilitatem debet habere, ut habet rationem loci in ordine ad motum localem, qui fieret ab eo ad terminum ad quem „ nam quamvis ſimul cum termino ad quem moveretur localiter ſervata eadem diſtantia, fieri tamen poſſet ut ab ipſo motus alicujus corporis locati in ipſa ad terminum ad quem haberet illam diſtantiam, etiamſi ſimul moveretur cum termino ad quem. Habet ergo a tali diſtantia immobilitatem talem, ut non poſſit ea manente accedere localiter ad terminum ad quem, nec ab eo recedere, & hæc immobilitas ſufficit, ut intelligatur, quomodo ab eo poſſit localiter moveri corpus in ea locatum ad terminum ad quem tanto, vel tanto tempore, tali velocitate, vel tarditate, a tali, & tali agente, & ait hanc reſponſionem jam ab ipſo aſſignatam fuiſſe diſp. 11. Phyſ. ſed a me doloſe diſſimulatam.

30. Deum obteſſor, nec argumentum hoc, nec ſolutionem ſic apud ipſum me animadvertiſſe, nam eam promptiſſime impugnaſſem, ut nunc facio, & valde libenter, quandoquidem hæc manifeſte repugnet Scot. Ariſt. & ration. Scoto quidem, qui 2. d. 2. q. 6. E. declarans qualis eſſe debet immobilitas loci, air, dico igitur, quod locus habet immobilitatem oppoſitam motui locali omnino, quia ſi eſſet aliquo modo mobilis localiter, quantumcunque accipiatur per accidens poſſet dici eſſe in loco per accidens, & ei aſſignari alius, & alius locus, ita Doctor ibi, quomodo ergo ait Pontius opus non eſſe locum habere omnimodam immobilitatem localem? repugnat etiam hæc explicatio Ariſtoteli 4. Phyſ. 40. & 41. ubi diſerte diſtinguit immobilitatem loci ab immobilitate vaſis illis verbis; *ut autem vas locus eſt, qui transferri poteſt, ſit locus vas immobile*, inſinuans per hæc verba locum eſſe debere omnino immobilem localiter, eique repugnare, quod transferatur cum locato, ut de vaſe contingit, quomodo ergo ait Pontius opus non eſſe locum eſſe adeo immobilem, ut transferri non poſſit cum locato? Repugnat denique rationi, nam ratio præcipua, cur omnes immobilitatem tribuant loco, eſt, quia cum ſit terminus ad quem res tendit, neceſſario immobilis eſſe debet, alioquin ſi moveretur motu recto, fieri poſſet, ut mobile nunquam attingeret terminum ex hypotheſi a Pontio conceſſa, quod locus ipſe æquali velocitate moveatur, ac mobile: non ergo defendit Pontius talem immobilitatem, qualis eſt neceſſaria loco, ut terminet motum, & ne localis motus ſuo fine fruſtretur, atque ideo tandem fatendum eſt ab ea diſtantia talem immobilitatem ſumi non poſſe, qualis eſt neceſſaria motui locali, ut Pontius inquit.

Contra, ſecundo, quia immobilitas loci ex ipſa Adverſarii reſponſione talis eſſe debet, ut ex ea dignoſci poſſit, quomodo ab eo poſſit localiter moveri corpus in eo locatum ad terminum ad quem tanto, vel tanto tempore, tali velocitate, vel tarditate, tali agente, & tali &c. Sed talis non eſt immobilitas aſſignata a Pontio; ergo &c. probatur minor, quia ex ſolutione data talis immobilitas non excludit quin terminus a quo motus, & terminus ad quem cum tali vel tanta diſtantia interjecta moveri poſſent, ac etiam corpus locatum cum ipſis propria virtute tranſeundo ab uno in alium terminum: ſupponamus ergo tale corpus locatum æquali velocitate moveri, quamoventur terminus a quo, & ad quem, hoc enim quoque admittit Adverſarius tamquam poſſibile n. 263. plane dato tali caſu mobile inter illos duos terminos a quo, & ad quem conſtitutum numquam ab illo recederet, neque ad iſtum accederet, quia eodem tempore idem ſpatium pertranſiret locus, & loca tum ſervata ſemper eadem diſtantia inter utrumque terminum, ergo ex tali immobilitate non ſufficienter intelligitur, quomodo corpus locatum poſſit ab uno in alium terminum moveri tanto vel tanto tempore, tali velocitate, vel tarditate, ut Pontius ajebat.

31 Tertia ratio erat, quia hic dicendi modus attendit immobilitatem in loco, ut eſt terminus a quo localis motus, quatenus moveri nequeat localiter ad terminum ad quem, neque recedere ab ipſo, & tamen deſideratur immobilitas in loco potius, ut habet rationem termini ad quem, ut conſtare dicebamus ex dictis diſp. 11. num. 26. Hanc rationem Adverſarius num. 262. valde ſubſannat dicens, ſolutionem non mereri, & ait ſe utique aſſignaſſe immobilitatem, quam debet habere locus, qui eſt terminus a quo quid poſſit moveri, at ex illa ipſa doctrina facile aſſignari poſſet ſimiliter immobilitatem, quam deberet habere locus, qui eſſet terminus ad quem, nempe quod eſſet immobilis, ut dicit talem, vel tantam diſtantiam ad terminum a quo fit motus, & ſubdit num. 263. loco a me citato falſum eſſe, quod conſideretur potius immobilitas in loco, ut dicit terminum ad quem, quam ut dicit terminum a quo, nam quamvis ex dictis ibi colligatur neceſſitas immobilitatis in loco, ut dicit terminum ad quem, non tamen potius, quam ut dicit terminum a quo; ut enim terminetur motus, tam eſt neceſſe quod mobile perveniat ad terminum ad quem, quam quod deſerat terminum a quo.

32 Fateor, argumentum meum hanc reſponſionem non mereri, quia vim ejus non attingit, non nego quin ex immobilitate termini a quo venire poſſimus in cognitionem quoque immobilitatis termini ad quem motus localis, & regulariter verum eſt in motu locali debere mobile recedere a termino a quo, & accedere ad terminum ad quem. Et quis hoc ignorat? abſolute tamen loquendo magis neceſſarium eſt, quod mobile acquirat, & accedat ad terminum ad quem, quam quod deſerat, & relinquat terminum a quo loquendo de terminis non quidem primis, & per ſe, quales ſunt privatio, & ubi, ſed de concomitantibus, & per accidens, qualia ſunt Ubi a quo, & Ubi ad quem, ut enim Doctor advertit 4. diſtinct. 10. quæſtione 2. infra O in motu locali non eſt contradictio, quod motus acquiſitivus ſit ſine deperditivo, & tunc cum termino ad quem non manet per ſe terminus a quo, qui eſt privatio, ſed manet ille terminus, qui eſt quaſi per accidens, & quaſi concomitans communiter per ſe terminum; ergo abſolute loquendo non eſt æque neceſſarium, ut inquit Pontius, quod terminus ad quem acquiratur in motu locali, & terminus a quo deſeratur, illa nempe ſuperficies, unde inchoatus eſt motus; nec æque eſt inconveniens, quod mobile non relinquat terminum a quo, cum movetur, quam quod non perveniat ad terminum ad quem; & hoc eſt quod in illa tertia ratione dicebam deſiderari magis in motu immobilitatem in termino ad quem, quam in termino a quo, qui cum hoc quod mobile non deſerat terminum a quo concomitantem, aut quod *hic* terminus ſimul cum mobili moveatur, poteſt adhuc *intelligi* quod mobile moveatur, & acquirat terminum ad quem, non tamen ſuppoſito quod terminus ad quem moveatur cum *ipſo mobili*, & æquali velocitate, quia tunc numquam mobile perveniret ad ipſum.

33 In ſecunda poſtea parte defenſionis illius num. 264. impugnat ſententiam meam afferentem loci immobilitatem abſolute loquendo deſumi debere ex determinato ordine, quem dicit ad partes virtuales divinæ ſubſtantiæ prorſus immobiles, quam opinionem inquit non antea impugnaſſe in Phyſica, quia ſibi videbatur impugnatione indigna, ſed quicquid ſit de convitiis, quæ viros religioſos dedecent, & libenter pertranſeo, percurramus ejus impugnationes, & videamus an ſint indignæ, ſicut opinio, contra quam diriguntur.

Primo impugnat, quia contra eam facit argumentum primum a me factum contra ipſum, nempe quod ſuperficies aeris cum ſemper fluat, nunquam poſſit fundare determinatam diſtantiam ad partem aliquam virtualem divinæ ſubſtantiæ, ſicut contra ipſum urgebam, quod hac ratione fundare non poterat talem, vel tantam diſtantiam ad hunc, vel illum terminum. Negatur paritas, quia diſtantia tanta, vel tanta eſt relatio intrinſecus adveniens, quæ in materiali, & nudo fundamento inſurgere nequit, niſi adjuncta ratione fundandi, ut conſtat in exemplo ſuperius allato de ſimilitudine, unde ſuperficies aeris cum huc, & illuc fluat, nequit fundare tantam, vel talem diſtantiam, niſi ab aliqua ratione fundandi determinetur ejus indifferentia ad hanc, vel illam diſtantiam fundandam; cæterum relatio extrinſecus adveniens, qualis eſt præſentia ſuperficiei aeris ad hanc, vel illam partem virtualem divinæ ſubſtantiæ poteſt immediate ſuper ipſam fundari abſque ſuperaddita ratione fundandi, aut ſi talis ratio fundandi deſideratur, non eſt niſi ejus intima approximatio ad has, vel illas partes virtuales divinæ ſubſtantiæ, quæ *eſt communis* ratio fundandi omnes relationes extrinſecus *advenientes*, vel veris conditio neceſſario prærequiſita ad earum reſultantiam inter extrema relata,

34 Secundo immobilitas loci tam a quo *ſit motus*, quam ad quem fit, conſideratur, & cognoſci debet, ut *poſſit intelligi*, quomodo res poſſit moveri ab uno ad alium, & quanto tempore, ac velocitate id fieri poſſit: ſed per ordinem quem diceret ſuperficies ad partes virtuales Dei non poteſt hoc colligi, ergo ex illis partibus

non

non debet desumi illa immobilitas; prob. min. quia non possumus cognoscere ad quas partes virtuales dicat superficies ordinem, neque quantum distent illæ partes virtuales ab invicem, nisi recurrendo ad aliqua alia, nimirum ad partes aliquas mundi, aut spatia imaginaria distantia tantum, vel tantum, quibus partibus coexistent illæ partes virtuales; ergo per ordinem ad illas præcise non potest id dignosci. Conf. quotiescunque aliquis effectus, vel denominatio non potest haberi ab una causa, nisi recurrendo etiam ad alias, & potest haberi ab aliis non recurrendo ad illam, effectus, & denominatio ab aliis potius desumenda sunt, quam ab illa; sed immobilitas loci potest haberi a partibus mundi, vel spatiis imaginariis distantibus non recurrendo ad partes virtuales Dei, & non potest haberi ab his sufficienter, & utiliter absque recursu partes illas, ergo non est desumenda a partibus virtualibus substantiæ Dei.

Resp. nos quoque disp. 11. Phys. cit. num. 35. concedere de facto bene desumi immobilitatem, imo & unitatem, & diversitatem loci ex determinato ordine, quem dicit superficies ad partes universi, quæ modo fixæ sunt, & immobiles; addimus tamen, quod per se, & absolute loquendo hæc omnia desumi debent ex determinato ordine, quem dicit ad partes virtuales divinæ substantiæ, cum hæ sint prorsus immobiles, quare ad argumentum in forma nego minorem per se, & absolute loquendo, cujus probatio currit tantum de facto, & pro statu isto, non autem per se, & absolute loquendo; Quod si hoc argumentum valet, posset etiam urgeri contra differentias essentiales, siquidem hæ assignantur ad distinguendam essentialiter unam speciem ab alia, sed tale discrimen v. g. inter leonem, & asinum colligi nequit per ordinem ad tales differentias, ergo ex his non bene desumitur. Probatur minor, quia tale discrimen haberi nequit nisi recurrendo ad rudibilitatem asini, & rugibilitatem leonis, quæ sunt eorum passiones, siquidem primæ differentiæ essentiales illarum specierum nos latent pro statu isto, & illas circumscribimus per earum passiones, en argumentum retortum contra differentias essentiales, & quicquid dicet Pontius ad hoc, pariter nos dicemus in casu nostro. Ad Conf. dicendum eodem modo minorem valere, de facto, & pro statu isto; quatenus per partes mundi, vel spatii imaginarii modo circumscribimus diversas partes virtuales divinæ substantiæ ubique diffusæ, simpliciter tamen, & absolute loquendo habendus est recursus ad partes virtuales divinæ substantiæ, utpote quæ sunt prorsus, & absolute immobiles.

35. Tertio arguit, quia si per impossibile Deus non esset, aut si esset, non esset immensus, nec haberet partes virtuales, & tamen essent creaturæ, ut sunt de facto quoad reliqua præter respectum ad partes virtuales Dei; daretur motus localis, & consequenter locus immobilis, & illa ipsa ratio immobilitatis, quam haberet tunc, est modo, ergo non habet formaliter immobilitatem a partibus virtualibus substantiæ Dei, sed potius a partibus mundi, & spatii imaginarii.

Resp. hoc argumentum, quod vocat Pontius efficax, esse prorsus vitiosum tum in materia, tum in forma contra regulas bonæ argumentationis, ut enim diximus in Logica cum Scoto p. dist. 11. q. 2. sub A. argumentari non licet ex suppositione impossibili, quando contradictoria sequuntur per locum intrinsecum, sed tantum quando sequuntur per locum extrinsecum, in proposito nostro autem ex illa suppositione quod creaturæ existant non existente Deo sequuntur contradictoria per locum intrinsecum tum ratione essentialissimæ dependentiæ creaturæ a Deo Creatore, tum quia de ratione relativorum est simultanea existentia, seu coexistentia, alioquin relativa non essent. Deinde admisso illo arguendi modo, negatur quod esset talis immobilitas loci, qualis est modo, quod si modo desumitur ejus immobilitas a partibus mundi, vel spatii imaginarii, hoc ideo est, quia per partes mundi, vel spatii imaginarii circumscribimus diversas partes divinæ substantiæ ubique diffusæ, sicut per differentias accidentales notiores circumscribimus essentiales, & primas nobis ignotas, ad quas tandem recurrimus dicendo, quia hoc est hoc, & illud est illud, & hic datur status.

De Fine Præfixo, seu Præstituto.

36. Disput. 7. Phys. q. 8. art. 2. num. 170. dicimus bonum, quod ponitur voluntatis motivum, non esse dumtaxat verum, sed etiam apparens, & probabile esse in sententia Doctoris bonum quoque præfixum habere rationem finis ex p. d. p. q. 1. art. 3. & 4. declaravimus autem ibi num. 166. ab initio articuli tunc dici finem præfixum, vel præstitutum, quando objectum ostensum est ab intellectu sub ratione mali, at voluntas ex sua libertate illud sibi præfigit, tanquam finem, quod non est intelligendum, quasi quod voluntas feratur in malitiam per se, & vere tendat in malum sub ratione mali, sed quod ostenso voluntati objecto ab intellectu sub ratione mali, & ex alia parte ostensa ratione boni, vel in se, vel in alio objecto, potest voluntas ex sua libertate tribuere illi objecto malo rationem boni in alio objecto repertam conficiens aliquod aggregatum, sicut facit intellectus, cum concipit finem apparentem, nam objecto ex se malo applicat bonitatem in alio inhærentem. Pro quo dicendi modo duo Scoti loca ibi afferimus, primus est ex p. dist. 9. quæst. 1. art. 4. cum ait, *Sed in fruitione finis præfixi ratio finis sequitur actum, quia vel dicit modum actus, vel modum objecti, ut talis finis præfixus actus terminat actum ipsum, quia voluntas appetendo illud propter se tribuit sibi rationem finis;* alter est in 2. dist. 43. ubi loquens de odio Dei ostenso præcise sub ratione mali ait, *Si voluntas potest istud velle, patet propositum, quia nulla est bonitas in isto actu prior ipso actu volendi, si enim assignatur aliqua bonitas propter actum volendi, hoc non est in objecto, ut præcedit actum, sed est in ipso ut sequitur actum volendi.*

Quibus in locis dicimus ibidem duo Doctorem insinuare; & quod objectum ex se non habet rationem finis, sed ab actu de novo accipit, ut in primo, & quod nullam habet bonitatem, sed illam recipit ab actu, ut in secundo, signum evidens, quod pro eodem accipit finem, & bonitatem: unde in sententia Doctoris finis præfixus erit ille, quem præfigit sibi voluntas tribuendo illi bonitatem, quam tamen non habere objectum prius ostenderat intellectus.

37. Pontius in append. apologet. pagin. 182. a num. 246. hanc nostram nititur labefactare doctrinam non tam rationibus, quam convitiis, & scommatibus, ineptissime tamen, insulse, & frigidissime adeo efficacis, ut cordato viro nauseam movere possint. Cur autem convitiis plerumque respondeat hic Auctor, dicam in fine totius Disputationis num. 162. itaque numer. 154. simili nugarum apparatu præmisso ostendere nititur hæc duo loca minime nobis favere, & contra Doctoris mentem penitus a nobis adduci, & explicari; nam sensus primi est, non quod objectum, quod præstituit sibi voluntas pro fine, non habeat ex se bonitatem, sed quod non habeat ex se rationem finis ultimi; Scotus enim expresse asserit, quod ratio finis sequatur actum voluntatis præfigentis sibi finem, non vero dicit, quod ratio boni, quam habet objectum, sequatur illum actum; & quod ratio finis, & boni secundum Scotum non sit idem, formaliter loquendo, pater manifeste ex dictis ipsius in hoc loco, quia eodem ipso articulo docet expresse rationem finis non esse propriam rationem objecti fruibilis, nec in fruitione ordinata, neque inordinata, quod probat, quia posset dari ratio objecti fruibilis in objecto summe bono, quamvis per impossibile non haberet rationem finis, unde infert, quod ratio finis in objecto fruitionis ordinatæ, & inordinatæ concomitatur objectum fruibile, & in objecto fruitionis finis præfixi ratio finis sequitur actum, sed ratio objecti fruibilis, qua tale, est ratio boni, ergo ratio finis, & boni non sunt idem formaliter secundum Scotum.

38. Deinde secundum Scotum articul. 3. ID. ideo voluntas præstituere potest sibi finem ultimum, qui non sit talis nec a parte rei, nec apparenter, quia sicut bonum potest velle, aut non velle, ita potest illud bonum referre, vel non referre, & si non referat, tum præstituet ipsum sibi pro fine, ergo ad hoc ut voluntas præstituat sibi finem ultimum, non dat objecto bonitatem, sed debet sibi proponi, ut bonum, & non solum debebit sibi præstituere illud, tanquam finem ultimum, si noluerit ipsum referre ad alium finem, sed potius voluerit omnia alia ad ipsum referre. Verba Scoti sunt clariora (inquit) quam ut indigeant commento, nisi quis non intelligeret linguam latinam: *Sicut in potestate voluntatis est velle, ita in ejus potestate est modus volendi scilicet referre, & non referre, ergo in potestate sua est aliquod bonum* (adverte quod dicit bonum expresse) *velle propter se non referendo ad aliud bonum, & ita sibi præstituendo finem, &c.* Ergo secundum Scotum concludit Pontius, præstituere finem est velle aliquod ad bonum, non referendo ad aliud bonum, quamvis nec realiter, nec apparenter sit bonum tale, quod non posset referri; ergo ad hoc ut voluntas præstituat sibi finem, non debet applicare bonitatem objecto, quod non est bonum: Tandem advertit in hoc ipso loco aliquid contineri, cui contradicit Mastrius cum socio, in responsionibus ad sua fundamenta postea habendis, nam in illis expresse dicunt, quod bonitas præfixa nec antecedat, nec sequatur actum voluntatis, quo finis præfigitur, sed concomitetur ipsum, rationem autem finis præfixi habet objectum a bonitate, quam dat ipsi voluntas; sed Scotus expresse dicit in hoc primo loco, quod ratio finis præfixi sequatur actum voluntatis, ergo Mastrius cum Socio expresse contradicit Scoto, quia non intellexerunt illum, licet clare, & expresse loquatur, ita Pontius, *qui omnes sapere vellet ex ore suo*, ut ait Lucret.

39. Cæterum quod locus ille primus nobis faveat, nostraque explicatio sit ad mentem Scoti, sua vero extorta, & violenta, jam demonstro tum ex ipso Doctore, tum ex Commentatoribus ejus, & quidem quod Scotus ibi per finem intelligat bonum propter se appetibile, & per ultimum finem intelligat summum bonum includens rationem omnis boni, constat ex Reportatis ejusdem Doctoris part. distinctio. p. quæstion. 1 ubi eandem habens doctrinam, quam tradidit in scripto Oxoniensi eadem distinct. p. quæstion. 1. articul. 3. de fine vero apparenti, & præstituto, eandem inducit distinctionem sub terminis boni veri, apparentis, & præfixi sic dicens. *Si quæritur de objecto fruitionis in communi, dicitur, quod ejus objectum potest esse bonum, quod est, vel apparet bonum, quia sequens rationem erroneam accipit bonum apparens pro vero bono, potest etiam esse bonum non apparens, sed tantum præstitutum, quando aliquis gratis vult aliquid, quod nec est bonum sibi, nec apparens sed tantum præstitutum, quod illud sit possibile patet, quia sicut in potestate voluntatis est velle, sic & modus volendi, ergo potest acceptare, quod nec est bonum, nec apparens bonum*, ita loquitur Doctor in Reportatis, & cum sit eadem omnino doctrina, & resolutio, ex istius intelligentia declaratur intelligentia textus Oxoniensis, ita quod per finem intelligat bonum propter se appetibile, & per ultimum

timum finem summum bonum includens rationem omnis boni, & eum in Reportatis dicat, quod voluntas sibi finem præstituere potest in quantum *potest acceptare, quod nec est bonum, nec apparens bonum*, non est sensus clarissimus Scoti (ut ait Pontius) quod objectum, quod sibi voluntas præstituit pro fine, habeat ex se bonitatem, & a voluntate accipiat solum rationem finis ultimi, sed quod ex se neque habeat rationem bonitatis nec veræ, nec apparentis, nec consequenter rationem finis, quæ per solam bonitatem propter se appetibilem constituitur: & ad hunc modum declarat quoque illum Scoti textum Lichetus, dum declarans triplicem illum finem fruitionis in communi ait, quod finis verus est, in quo reperitur ratio omnis boni ex natura rei, finis apparens, in quo vere non est ratio omnis boni tantum, sed apparenter, & finis præstitutus, in quo non est ratio omnis boni nec vere, nec apparenter; ergo dum voluntas tale objectum sibi præstituit, ut suum ultimum finem, quemadmodum avarus pecuniam, in tantum pro tali fine sibi illud præfigit, in quantum ei tribuit rationem omnis boni, quæ est ratio constitutiva ultimi finis, ex quo oritur quod velit illud ultimate propter se non referendo ad aliud bonum, nisi enim acceptaret voluntas avari, v. g. pecuniam, ut objectum includens rationem omnis boni, non vellet illam propter se, & irreferibiliter ad quodcumque illud bonum.

40 Ex quo paret utrumque discursum Pontianum, quos habet sub num. 255. falsas inferre consequentias, quod nempe ut voluntas ultimum sibi finem præstituat, non debet dare objecto bonitatem, sed sufficit, quod objectum ei proponatur, ut bonum, & nolit illud referre in alium finem, hoc enim ipso sibi illud præstituit, tanquam ultimum finem; hæc inquam consequentia omnino inepte deducitur ex prava intelligentia textus Scotici adducti a Pontio, quem solum consideravit ex cortice latinæ linguæ absque alio commento, vel ponderatione, ut ipsemet fatetur, quæro enim, an ideo voluntas avari non referat pecuniam in alium finem, quia illam diligit, & acceptat, ut includentem rationem omnis boni, an vero ideo sic acceptet, quia non referat: si primum asseratur, ut asseri debet, quæro rursus, an pecunia a parte rei talem summam bonitatem habeat, an potius quia a voluntate perversa ei tribuatur, etsi hoc dixeris, ut dicere teneris, habeo intentum, quod ad hoc ut voluntas præstituat sibi finem, debet applicare bonitatem objecto, quæ sit ratio constituitiva talis finis, in quo re vera a parte rei non reperitur, nec ab intellectu errante sibi proposita fuit. Accedit, quod si pecunia proponatur voluntati, ut bona utcumque, talis propositio non sufficit, ut possit illam diligere irreferibiliter, quia talis irreferibilitas fundatur in objecto includente rationem omnis boni vel vere ex natura rei, vel apparenter ex intellectus errore, vel ex materia, & perversitate voluntatis, quæ acceptat illud objectum, tanquam summum bonum, & non in alium finem referibile, ergo ut voluntas præstituat sibi finem ultimum, debet per suam acceptationem dare subjecto bonitatem talem, ut in alium finem referri non debeat; male itaque Pontius hæsit in cortice linguæ latinæ illius textus absque commento, & hoc fuit in causa erroneæ intelligentiæ, quam immerito alii impingit, ira *percitus, cum qua nihil recte, nihil considerate fieri potest*. Cic. p. off.

41 Quod autem ratio finis, & boni coincidant secundum Scotum, docet P. Cavellus Pontii præceptor disp. 3. de Anim. sec. 12. num. 8. & probat ex Arist. 2. Phys. cap. 3. & 2. Ethic. cap. 7. nam in primo loco ait, finem, & bonum idem esse, & secundo loco illud esse cuique bonum, cujus gratia operatur, & ex Scoto 4. d. 46. q. 4. §. *Ad quæstionem*, ubi non ponit utile, ut bonum distinctum ab honesto, & delectabili, male ergo, ut sæpe dixi, vult Pontius sapere supra Magistrum; quem adeo in hac sua apolog. & merito extollit. Neque oppositum sensit Doctor loc. cit. p. d. p. q. p. art. 4. ut Pontius probare contendit, cum enim inquit ibi Doctor rationem finis non esse rationem objecti fruibilis, non loquitur de fine, prout est id, cujus gratia aliquid fit, & quod movet, & allicit voluntatem ad sui consecutionem, sed accipit finem pro quodam respectu rationis concomitante objectum fruibile, inquantum finit, vel terminat objectum fruitionis, ut ibi exponit Lichetus, imo semetipsum explicat Doctor ibi disertis verbis: prave ergo, & perperam hunc quoque textum intellexit Pontius sequens tantummodo dictum latinæ linguæ, medullam speculando non penetrans. Ex eadem tandem prava Scotici textus intelligentia ortum ducit contradictio illa, quam nobis Pontius impingit in fine nu. 255. eo quod dixerimus in responsione ad ejus fundamenta, quod bonitas præfixa nec antecedat, nec sequatur actum voluntatis, quo finis præfigitur, sed concomitetur ipsum, cum tamen Doctor expresse dicat loc. cit. quod ratio finis præfixi sequitur actum voluntatis. Nam præterquam quod nos loquimur de bonitate præfixa, Doctor vero de fine præfixo sub formalitate illius respectus rationis, qui utique sequitur ad ipsum voluntatis actum; non debebat Pontius vim tantam facere in verbo latino *sequitur*, ubi enim Doctor dicit, *sequitur*, ejus expositores Tataretus, & Posnanensis ponunt, *concomitatur*, unde in proposito ly, *sequitur*, idem sonat, quod *concomitatur*, & re vera se ita declarat Doctor ibidem, dum hujus rationem reddens inquit, in fruitione finis præfixi ratio finis sequitur actum, quia vel dicit modum actus, vel modum objecti, ut talis finis præfixus actus terminat actum &c. itaque hic error Adversarii rursus ex eo procedit, quod in intelligentia istius textus noluit uti commento, sed sistere voluit in cortice linguæ, & vim facere, ut Hypodiscali solent, in latino vocabulo.

Mastrii, & Belluti. De Generat. & Corrupt. Tom. III.

Ad 2. locum superius adductum ex 2. d. 43. qu. 2. ait, nos adhuc gravius, & crassius decipi, quia Scotus ibi expresse loquitur de odio Dei apprehenso ab intellectu non errante, nec consequenter proponente ipsum sub ratione boni, sed tantum mali; & dicit, quod si voluntas potest velle odium illud, tunc habeatur intentum, nempe quod voluntas possit peccare ex malitia volendo aliquod malum non propositum sub ulla ratione boni, quia sic vult illud odium, neque enim in eo est bonitas ulla antecedens actum volendi; & si assignatur (inquit) esse aliqua bonitas in objecto propter actum volendi, illa bonitas non est in ipso, ut antecedit actum volendi, sed est in ipso, ut sequitur actum; quibus verbis non dicit Scotus, quod voluntas communicat bonitatem objecto malo, sed solum dicit, quod si communicet, illud non præjudicat rationi propositæ, quia illa bonitas non antecedit actum, sed sequitur, quis autem non videt quod aliud sit dicere, quod voluntas communicet bonitatem, & aliud quod si communicet, bonitas sequatur actum? hoc autem secundum expresse dicit Scotus non primum; & hic rursus non incusat, quod Scoto contradicamus, cum diximus bonitatem præfixam non sequi actum voluntatis, ut hic rursus Doctor repetit, sed concomitari.

42 Hæc alia Scoti explicatio adhuc frigidior est præcedenti; fatemur & nos, Doctorem loc. cit. non absolute dicere, quod in eo casu, quod vellet odium Dei, voluntas communicaret bonitatem odio Dei, sed loquitur conditionate; quod si assignatur aliqua bonitas in eo propter actum volendi, hæc non est in objecto, ut præcedit actum, sed est in ipso, ut sequitur actum volendi &c. Loquitur autem ex hypothesi, quia ut diximus disp. 7. cit. num. 170. Doctor non resolute hanc sententiam tenuit, sed fuit problematicus, & etiam magis inclinavit in sententiam ponentem bonum verum, & apparens præcise tanquam finem, & objectum voluntatis; sed quando illa sententia placeret duobus locis citatis, innuit modum, quo defendi possit etiam bonum præfixum habere posse rationem finis, & dicit quod si teneretur illa sententia, dici debet in objecto nullam præcedere bonitatem nec veram, nec apparentem, sed sequi, seu concomitari actum ipsum voluntatis illud objectum acceptantis, tanquam si esset bonum, ex sua mera libertate, quod satis aperte indicat loc. cit. 2. d. 43. q. 3. in fine cum inquit. Si tamen non ponatur voluntas creata posse velle malum sub ratione mali, adhuc potest assignari peccatum ex certa malitia, quando voluntas ex libertate sua absque passione in appetitu sensitivo, & errore in ratione peccat: *ibi enim est plenissima ratio peccati*, quia nihil aliud est a voluntate alliciens eam ad malum; sed ex pura libertate sine alia occasione extrinseca eligit sibi malum velle, non tamen ex malitia, ita quod voluntas sic peccans tendat in malum inquantum malum &c. ad illam vero contradictionem, quam hic denuo nobis imponit, dictum est supra.

43 Hanc vero nostram sententiam de fine, & bono præfixo sic declaratam impugnavit Pontius disp. 10. Phys. nu. 30. cujus objectionibus breviter occurrimus disp. 7. Phys. q. 8. art. 2. in fine. Prima impugnatio erat, quia finis ante actum voluntatis, quo tendit in ipsum, tanquam in finem amando ipsum, debet habere bonitatem vel veram, vel apparentem propositam per intellectum, qua moveat, & excitet voluntatem ad amandum; sed bonitas quæcunque sequens actum voluntatis, nequit esse sufficiens ad hoc; ergo finis non potest constitui in ratione finis, nec habere rationem finis a bonitate præfixa sequente actum voluntatis. Huic argumento *licet a nobis loc. cit.* aliter efformato duplex est assignata responsio, prima est bonitatem præfixam re vera nec antecedere, nec sequi actum voluntatis, quo præfigitur, sed comitari ipsum, & esse simul cum ipso, quod sufficit in objecto terminativo, ut de ente rationis diximus disp. 7. log. respectu intellectus, & hoc satis est, ut possit præfixa bonitas causalitatem finis exercere circa talem actum.

Hanc solutionem reiicit Pontius num. 247. primo, quia cum actus voluntatis sit causa applicans, & attribuens illam bonitatem objecto, quod alias ex se illam non haberet, impossibile est, quin sequatur actum voluntatis nostro modo intelligendi; ergo suppositum illud, quod negatur, est verum. Deinde impossibile est, quod ulla bonitas possit exercere causalitatem finis, nisi bonitas, quæ possit movere voluntatem ad factum, & impossibile est, quod ulla bonitas ad hoc moveat, nisi bonitas, quæ proponatur voluntati ante actum; sed bonitas illa præfixa, si non præsupponatur actui voluntatis, etiamsi concomitetur, & non sequatur, non potest proponi in intellectu in objecto; ergo non potest exercere causalitatem finis respectu voluntatis, quantum ad illum actum, sicut nec objectum ea mediante potest movere.

Resp. licet ea de causa bonitas præfixa nostro intelligendi modo intelligatur sequi actum voluntatis, quo applicatur, & attribuitur objecto, in quo a parte rei non reperitur, adhuc tamen stat, quod a parte rei bonitas præfixa non antecedat, nec sequatur actum illum, sed comitetur, & sit simul cum ipso: sicut a pari denominatio passiva cogniti in objecto nostro intelligendi modo concipitur sequi ad actum cognitionis, a qua derelinquitur, & suo modo causatur, cum tamen re vera nec antecedat, nec sequatur, sed comitetur ipsum, non enim a parte rei prius est intellectum cognoscere objectum, quam objectum cognosci, vel cognitum esse ab intellectu, quomodo autem bonitas præfixa possit ab intellectu voluntati proponi, ut eam moveat, quod tangitur in secunda instantia, patebit mox ex solutione aliarum objectionum.

44 Alia responsio ad p. arg. principale erat, quod sicut in intellectu in ordine ad ens rationis dupliciter assignavimus disp. 7. log.

cognitionem, unam directam, qua fingitur ens rationis, alteram reflexam, qua cognoscitur factum, ita in voluntate duplicem possumus assignare actum in ordine ad bonum præfixum, unum directum, quo suo modo fingitur ab ipsa applicando bonitatem, ubi non est, alterum reflexum, quo tale bonum sibi pro fine præstituit; dato itaque quod respectu primi actus nequeat illa bonitas causalitatem finalem exercere, poterit ad minus exercere respectu alterius.

Sed hanc quoque resolutionem refellit Pontius num. 148. primo, quia loquitur argumentum de causalitate finis respectu primi actus quo fit bonum præfixum, seu quo applicatur ipsi bonitas, quæ non est in ipso, qui actus cum sit actus prosecutionis voluntatis, debet habere aliquem finem, seu aliquod motivum. Secundo, quia per hoc, quod voluntas applicet bonitatem objecto, in quo non est; intellectus non potest proponere ipsum, ut bonum, ergo non potest exercere causalitatem finis respectu secundi actus; probatur antecedens, quia voluntas nequit applicare, nisi quatenus haberet hunc actum, volo quod illud objectum sit bonum illa alia bonitate, quæ non est in ipso; sed per hoc quod voluntas habeat hunc actum, non potest intellectus apprehendere, quod sit bonum; ergo non potest intellectus post primum actum directum proponere objectum ut bonum, respectu secundi actus. Probatur minor, quia etiamsi voluntas velit, quod aliquis haberet divitias, non propterea posset intellectus proponere ipsum per modum divitis per illum actum voluntatis, nec ipse per modum divitis posset movere voluntatem ad aliquem actum; ergo nec per hoc, quod voluntas velit aliquid esse bonum, potest propterea proponi, ut bonum ab intellectu, neque ut bonum movere ad alium actum voluntatis.

45. Respondeo, falsum esse, quod argumentum loquatur de causalitate finis respectu primi actus, quo fit bonum præfixum; major enim in argumento assumpta loquitur de actu voluntatis, quo tendit in finem amando, & acceptando ipsum, qui non est actus ille directus, quo fit bonum præfixum, sed reflexus, quo tale bonum sibi pro fine præfigit, & acceptat, concedo etiam, actum illum primum bonitatis factivum, vel applicativum habere aliquem finem, & motivum, hic autem non est bonitas ipsa præfixa, sed libertas ipsa voluntatis, quatenus ex sua mera libertate, seu ad suam libertatem exercendam in actum illum prorumpit, ut docet Doctor loc. cit. Ad 2. instantiam negatur assumptum. Ad probationem distinguo, minorem, non potest intellectus tali applicatione facta a voluntate apprehendere quod illud objectum sit bonum, vere & a parte rei, concedo, tanquam quid fictum a voluntate; nego, & sic pariter dico, ad antecedens probationis ejusdem minoris, facta applicatione divitiarum a voluntate per actum, quo aliquem vellet esse divitem, posse talem ab intellectu proponi, ut divitem voluntati, non quidem vere, sed ficte, & fictione a voluntate præcedente, & ex tali propositione posse voluntatem movere ad aliquem actum saltem inefficacem; hoc enim pacto voluntas potest impossibilia appetere, etiam ut alia judicata, atque ita de facto. Angelum malum appetiisse æqualitatem Dei nullo errore in intellectu præcedente docet Doctor 2. d. 6. q. 1. Imo si argumentum hoc valet, probaret pariter bonum apparens propositum ab intellectu errante non posse voluntatem movere: ex eo enim quod intellectus errans apprehendat bonitatem in objecto ubi non est, non sequitur illud objectum esse re vera bonum, nec ab intellectu posse absolute proponi, ut bonum, sed ut apparenter bonum, si ergo talis propositio procedens ex errore intellectus sufficit ad movendam voluntatem, cur item sufficiens non erit propositio in casu nostro procedens ex errore voluntatis bonitatem applicantis objecto, ubi re vera non reperitur? ita argumentum hoc, cui Pontius adeo fidit, est prorsus labile.

Verum quia Pontius in apolog. num. 246. consuetam repetens cantilenam dolet nos in forma non respondisse argumento principali, & hac de causa pessime respondisse, nunc addo, argumentum suum responsionem in forma non meruisse, quia nec ipsum est in forma, quandoquidem in conclusione colligat, quod in præmissis non seminaverat, concludit enim, bonitatem præfixam rationem finis habere non posse, cum tamen in præmissis nunquam de tali bonitate fiat sermo, sed solum de bono, & apparenti, ut illud legenti statim constabit.

46 Secundum argumentum ejus est, bonitas exercens causalitatem finis debet esse apprehensa sub ratione bonitatis, seu quod est idem in re, illud quod potest movere per modum finis debet apprehendi per modum finis, antequam movere possit, sed bonum præfixum, ut explicatur a Mastrio, non potest sic apprehendi, quia intellectus absolute apprehendit ipsum, ut malum, ergo bonum præfixum non potest exercere causalitatem finis. Huic etiam argumento duplex est assignata responsio disp. 7. Physic. sub n. 174. primo diximus bonum præfixum esse cognitum non ut quid aggregatum antecedenter ad actum, quo voluntas applicat rei malæ bonitatem, sed secundum partes, quatenus intellectus apprehendit ex una parte objectum malum, & bonitatem in se ex alia parte, & voluntas ex sua libertate hanc applicat illi objecto formando suo modo ens fictum, & talis apprehensio sufficit, ut possit movere voluntatem. Deinde addimus, quod potest totum aggregatum post præfatam applicationem a voluntate factam apprehendi, & sic voluntatem movere, in quo casu intellectus non erraret, nec fingeret, sed objectum a voluntate fictum ostenderet.

Hanc responsionem inquit Pontius coincidere cum data ad primum argumentum & eodem modo impugnari: addit tamen hic, quod quando apprehenditur res mala, & apprehenditur bonitas extra ipsum, illud totum non posse movere per modum finis, sed si aliquid movet, sola bonitas movebit, quod probat, quia res illa non bona, nec secundum se etiam partialiter potest movere, cum secundum se non apprehendatur ullo modo, ut bona, nec etiam potest movere ratione bonitatis illius, quia illa non apprehenditur in ipsa, nec ut spectans ad ipsam; ergo illa nullo modo concurrit ad movendum, & consequenter, si aliquid moveat, sola bonitas movebit.

47 Respondeo, esse merum mendacium ullam istarum responsionum coincidere cum data ad primum argumentum, ut eas invicem conferenti statim patebit, & quidem prima responsio est omnino fundata in doctrina Scoti 2. d. 6. q. 1. ad 3. ubi ostendens quomodo potuerit Angelus malus appetere æqualitatem Dei etiam ab ipso cognitam, ut sibi impossibilem, inquit. Ad 3. dico quod intellectus simplex potest apprehendere æqualitatem Dei sine errore, & sufficit sola simplex apprehensio ad hoc, quod appetitus appetat illud apprehensum alteri sicut intellectus apprehendens albedinem, & apprehendens corvum potest velle albedinem corvo; æqualitas autem Dei potest apprehendi sine errore, nam Filius Dei est æqualis Patri, & ille potest apprehendi, vel si nihil esset æquale, adhuc æqualitas posset apprehendi absolute, nec in apprehensione illa simplici est error, nec aliqua falsitas, & tamen illa apprehensio simplex sufficit ad volitionem illius simplici cuicunque intellecto, & amato; hæc Doctor ibi, in qua doctrina vides totam primam responsionem fundatam: Illud vero, quod addit Pontius hic contra allatas responsiones, contra neutras facit, non quidem contra primam, quia juxta illam concedo nec objectum malum movere voluntatem, nec aggregatum ex objecto, & bonitate, quia tunc non concipitur, ut quid aggregatum, sed bonitas apprehenditur in se, & non ut in illo objecto, atque ideo sola bonitas sic apprehensa movet, ut dicebat Doctor de æqualitate Dei apprehensa ab Angelo. Neque facit contra secundam responsionem, quia juxta illam falsum est, bonitatem apprehendi ab intellectu extra objectum in se malum, nam tunc apprehenditur, ut aggregatum quoddam a voluntate factum, vel fictum ex sua mera libertate, unde falsum est, quod in eo casu non apprehenderatur bonitas ab intellectu ut applicata a voluntate illi objecto, & ut spectans ad illud ob talem applicationem a voluntate factam.

Tertium argumentum a Pontio non ponitur, quia inquit a nobis adhiberi eandem responsionem, quam prætendit esse satis impugnatam. Fateor ad tertium argumentum per eandem responsionem nos satisfacere, quia non est a secundo diversum; ergo tamen illam responsionem fuisse sufficienter ab Adversario impugnatam, ut constat ex nuper dictis.

48 Quartum argumentum erat, quod non apparet, qua ratione voluntas possit habere pro bono illud, quod non ostenditur ei ab intellectu esse bonum; nec quomodo possit tribuere bonitatem rei, quam vidit esse malam, & cujus malitiam auferre nequit. Cui occurrimus disp. cit. satis constare ab initio articuli, quo pacto id contingere possit ex libertate, & malitia voluntatis, ubi dicimus, quod finis præfixus, seu præstitutus est, quando objectum præcise est a ratione ostensum sub ratione mali, at voluntas ex sua libertate illud sibi præfigit tanquam finem, quod non est intelligendum, quasi voluntas feratur in malitiam per se, & vere tendat in malum sub ratione mali, sed quod ostenso voluntari objecto ab intellectu sub ratione mali, & ex alia parte ostensa ratione boni vel in se, vel in alio objecto, potest voluntas ex sua libertate tribuere illi objecto rationem boni in alio objecto repertam conficiens aliquod aggregatum, sicut intellectus, cum concipit finem apparentem, nam objecto ex se malo applicat bonitatem in alio inhærentem.

Quare responsionem refellit Pontius n. 251. dicens per hæc minime ostendi, quomodo voluntas possit tribuere bonitatem objecto non habenti bonitatem, sed tantum dicitur, quod id faciat, longe autem diversum est dicere, quod voluntas faciat aliquid, & ostendere, quomodo id possit facere, ut est evidens. Sed hæc est nimis frigida evasio, quandoquidem ex præfata responsione ostenditur non solum quod voluntas id faciat, sed etiam modus quo id facere possit ex sua libertate, & est doctrina Scoti 2. d. 6. q. 1. ad 3. dum docet modum, quo potuerit Angelus appetere æqualitatem Dei, quantumvis sibi impossibilem, & ab intellectu propositam, ut talem, ex hoc nimirum, quod potuerit intellectus apprehendere æqualitatem Dei in se, vel ut in Filio, & voluntas ex tali apprehensione simplici moveri ad illam sibi appetendam, vel applicandam, quia voluntas est vis collativa, sicut intellectus, & per consequens potest conferre quæcumque simplicia sibi ostensa, sicut intellectus potest; ex quo patet præfatam nostram solutionem non esse aggregationem verborum sine sensu, ut ait Pontius, nisi apud eos, qui enutriti in Scholis Recentiorum principia Scotica non penetrant, nec illorum sensum percipiunt, unde monitum nobis ab ipso adeo charitative factum, ut interdum reflectamus supra sensum verborum, magis ei necessarium erat, quam nobis, quare in proposito quadrat adagium, *Mœvius accusat mœchos*.

49 Deinde impugnat, quod diximus in fine responsionis, intellectum scilicet dum concipit finem apparentem applicare ipsi bonitatem in alio objecto inhærentem, quod inquit esse manifeste falsum, neque enim intellectus applicat illam bonitatem magis, quam applicat bonitatem veram, quam concipit in objecto; Nec valet dicere, quod bonitas vera non applicatur ab ipso, quia est antecedenter in objecto; nam sicut bonitas vera est realiter in eo ante apprehensionem intellectus, & propterea non applicatur per intellectum, ita bonitas apparens est

est apparenter in objecto ante apprehensionem intellectus, & propterea non applicatur per intellectum.

Sed plane hic rursus non percipit Pontius, vel percipere noluit paritatem assumptam de intellectu concipiente bonum apparens, & de voluntate acceptante bonum præfixum, non enim eodem modo prorsus fit illa applicatio boni, ubi non est, ab intellectu, & voluntate, alioquin non esset similitudo, sed identitas; applicat ergo intellectus bonitatem apparentem objecto ex se malo, non quia prius prævideat objectum esse re vera malum, & illi bonitatem in alio inhærentem fingendo appingat, quia tunc non peccaret ex ignorantia, vel inadvertentia; sed quædam bonitas apparens in objecto resultat ex ejus ignorantia, dum non sufficienter naturam, & conditionem illius objecti considerat, quam postea apprehendit, ac etiam componit cum tali objecto, & voluntati proponit, tanquam si vere esset a parte rei, & in hoc sensu dicitur applicare bonitatem objecto, ubi re vera non est; ubi etiam observandum est, bonitatem sic applicatam esse veram, & realem in se spectatam, alioquin voluntatem realiter movere, & allicere non posset, sed apparentia, & fictio consistit in falsa applicatione, & compositione, ex ejus ignorantia, & inadvertentia procedente.

50 Quoniam vero juxta ejus placitum non adhuc sufficienter ostendimus, quomodo voluntas ex sua acceptatione possit facere objectum malum bonum, sub n. 252. in gratiam nostri, ut discamus (inquit) quod ante nesciebamus, docet, quomodo id fieri possit, & ait aliter fieri non posse, quam per hoc, quod voluntas habeat actum, quo mediante velit, quod illud objectum sit bonum ea bonitate, seu quo velit ipsi illam bonitatem; subdit tamen hoc nobis non sufficere, quia per hoc, quod voluntas velit aliquid esse bonum, non fit bonum, neque potest ab intellectu proponi ut bonum, sufficiens ad movendum voluntatem; sicut per hoc, quod vellet aliquod esse delectabile sensui, non propterea esset tale; nec per hoc, quod vellet aliquem esse divitem, fortem, vel pulchrum, propterea esset talis, vel possit, ut talis, movere voluntatem. Tum 2. quia si voluntas vellet aliquod bonum alicui malo proposito ut malo, amaret malum; probatur sequela, quia amare malum, ut malum, nihil aliud est, quam vele illi malo ut sic tantum considerato, bonum; ergo si voluntas vellet objecto, quod proponeretur tantum, ut malum, aliquam bonitatem, amaret ipsum ut malum. Tum tandem, quia actus, quo quis vult alicui aliquod aliud bonum, quod non habet, est amor concupiscentiæ; ergo præsupponit amorem amicitiæ respectu subjecti, cui concupiscitur illud bonum; ergo si illud subjectum sit malum, & nulla ratione proponitur ut bonum, malum, ut malum amabitur amore amicitiæ.

51 Respondeo, gratis concedendo non posse voluntatem alio modo facere objectum malum bonum, seu applicare ipsi bonitatem aliquam, quam non habet, nisi per illum actum, quo mediante velit, quod illud objectum sit bonum ea bonitate, seu quo velit ipsi illam bonitatem, idque satis luculenter nos declaravimus, antequam a Pontio doceremur, disp. 7. Phys. num. 172. adducendo dictum Scoti 2. d. 6. qu. 1. ad 3. quod quis cognoscens albedinem, & corvum, potest velle albedinem corvo, quod dictum si Pontius intellexisset, ridiculam illam frigiditatem non effutiisset, *ut ipsi discant, quod ante non* (quasi dixeram ut locum daret adagio, *Sus minervam*) & falsum est hoc non sufficere, ut tale bonum sic confictum, & præstitutum a voluntate possit ipsam movere ad aliquem actum inefficacem circa objectum ita ab intellectu propositum, ut luculenter demonstravi supra confutando solutionem Pontii ad secundam responsionem datam primo argumento, quandoquidem Scotus loco nunc citato manifeste oppositum docet, per hoc enim, quod mea voluntas velit albedinem corvo, utique non fit, quod corvus sit vere albus, & tamen hoc sufficit ad movendum voluntatem ad aliquem actum saltem inefficacem, & per hoc, quod voluerit sibi Angelus æqualitatem cum Deo, non utique factus est talis, & tamen æqualitas sic proposita sufficiens fuit, ut appetierit qualitatem Dei appetitu inefficaci, & per hoc quod intellectus apprehendat aliquod objectum apparenter bonum, non ob id sequitur, quod revera sit bonum, & tamen talis propositio sufficit ad movendam voluntatem, unde plane miror ex quo capite hoc argumentum adeo æstimet Pontius, ut non erubescat in hac quæstione bis, vel ter illud proponere, & valenter urgere, & satis audacter dicere, quod Mastrius ad hoc nihil dicit in sua responsione, nisi verba pura sine ullo sensu faciente ad propositum, sed quis nostrum magis ad propositum loquatur, judicet prudens lector, quia circa hæc dicteria tempus conterere tædet, & pudet.

52 Ad aliam instantiam nego sequelam, quia quando per suum velle applicat voluntas objecto de se malo aliquam bonitatem, hoc non fit per modum prosecutionis, quasi malo antea amato amore amicitiæ concupiscat aliquod bonum, sed fit per modum compositionis cujusdam, quatenus voluntas habet ipsa quoque virtutem collativam, & compositivam objectorum adinvicem, sicut intellectus, ut explicat Doctor cit. d. 6. q. 1. ad 3. & per hanc virtutem inducit malum sub colore boni faciendo quoddam aggregatum rationis, unde pariter ad probationem sequelæ distinguo assumptum, amare malum ut malum est velle illi malo bonum, verum est, si id fiat per modum prosecutionis, falsum vero, si fiat per modum cujusdam compositionis, & collationis, ut contingit in proposito, cum voluntas ex sua libertate conjungit cum objecto malo aliquam bonitatem v. g. delectabilitatem, non enim hoc facit in ordine ad objectum malum, quasi talem delectabilitatem illi objecto concupiscat, sed potius in ordine ad se, per quod etiam occurritur instantiæ ultimæ.

Quintum argumentum non est Pontii, sed illud nobis objecimus disp. 7. cit. num. 172. & nunc adducitur a Pontio in apol. num. 257. tanquam a nobis non bene solutum, est itaque argumentum, quod si voluntas posset sibi præfigere malum v. gr. odium Dei propositum sine ulla ratione boni, tanquam finem ultimum, sequeretur eam posse tendere in incognitum, nam odium Dei bonum non proponitur ab intellectu; & quod etiam sequeretur eam fingere, sicut intellectus, cum facit chimeram, & sic posset efficere ens rationis formale. Responsum est ibidem, bonum præfixum esse cognitum, non ut quid aggregatum, sed secundum partes, nempe intellectus cognoscit rem malam, & cognoscit bonitatem in se, non in illo objecto, quibus actibus non fingit, sed potest voluntas postea applicare bonitatem isti objecto, & formare ens fictum juxta illud Poetæ, *Video meliora, proboque, deteriora sequor*, sic Doctor 2. d. 6. qu. 1. ad 3. ait, quod quis cognoscens albedinem, & corvum, potest velle albedinem corvo. Ad 2. dicimus quando Scotus negavit voluntatem effectricem esse entis rationis, non locutus est de actibus fingentibus, sed de actibus terminatis ad objecta primo cognita, quibus solum denominationes extrinsecas relinquit, non fingit. Vel locutus est de ente rationis stricte, quo sensu est id, quod provenit a potentia rationali, idest intellectu, ut explicat p. d. 45. qu. 2. ad argumenta.

53 Post exclamationem in nos irrisoriam, & quidem risu dignissimam, quantum relatu indignissimam, qua adagium confirmat, *Ubi quis dolet, ibi & manum habet*, sæpius repetitum num. 258. responsionem allatam impugnat, in qua primo reprehendit quod dicamus voluntatem fingere applicando bonitatem objecto non bono, nam hoc nullo modo subsistit, non solum, quia voluntas fingere nequit, loquendo de fictione, qua fieret ens fictum, non reale, cum impossibile sit imaginare, quomodo sic fingat, nisi quatenus ad omnes actus ipsius sequerentur in objectis respectus rationis, quod falsum est; sed etiam quia non applicat voluntas bonitatem cognitam objecto cognito in casu nostro, nisi volendo, quod illud sit bonum, sed volendo quod illud sit bonum, nihil prorsus fingit, nec aliquid habetur tum, quod non fuit ante, nisi actus voluntatis, & denominatio extrinseca ab eo desumpta, a qua habet bonitas illa esse volita objecto apprehenso; omnia autem hæc sunt realia; nec est verum, quod illud malum objectum propter illum actum sit bonum, aut quod intellectus apprehendat ipsum, ut bonum, sed solum apprehendit, quod voluntas voluit, ut esset bonum, in quo nihil fictum habetur, ut manifestum est.

Respondeo in hac ipsa reprehensione duo inveniri reprehensione dignissima, tanquam omnino ridicula, & puerilia; primum est, cum inquit, voluntatem in hac applicatione non fingere, *quia voluntas fingere nequit loquendo de fictione, qua fieret ens fictum, non reale*, ad quid enim opus erat specificare, quod loquatur de fictione, qua fit ens fictum, non reale? numquid datur aliqua alia fictio qua fit ens reale, & non fictum? alterum est, quod probet voluntatem non fingere in tali applicatione, quia *non est verum, quod illud malum objectum propter illum actum sit bonum*, imo quia non est verum, quod illud malum objectum, propter illum actum sit bonum a parte rei, sequitur omnino oppositum, scilicet quod voluntas per illum actum fingat, nego itaque quod volendo voluntas, quod illud objectum sit bonum, nihil prorsus fingat: ad probationem concedo post talem applicationem nihil haberi reale, quod non fuit ante, nisi actum voluntatis, & denominationem extrinsecam in illud objectum derivatam (eo modo quo realis hæc appellari potest) acquiri tamen objectum aliquod esse rationis, & objectivum in voluntate, quod prius non habebat, nempe bonitatem, & convenientiam quandam, quatenus voluntas illud acceptat, & approbat, tanquam sibi bonum, & conveniens, cum tamen talem convenientiam nec habeat a parte rei, nec habere possit, quod est fingere, & efficere suo modo ens rationis; nec enim alio modo dicimus intellectum efficere ens rationis, ut v. g. relationem rationis in Deo ad creaturam, nisi quatenus ex propria vi collativa refert ad invicem, quæ non sunt referibilia, scilicet Deum ad creaturam, & talem relationem fingit, & concipit ad instar relationis realis; ita igitur quoque in proposito voluntas ex vi propria collativa potest ad se referre, quæ non sunt referibilia, & acceptare, ac approbare tanquam bona, & sibi convenientia, quæ a parte rei talia non sunt, quod plane sine fictione nequit, ut manifestum est.

54 Præterea in eadem nostra responsione reprehendit num. 259. quod dixerimus voluntatem applicare bonitatem apprehensam objecto malo apprehenso, & formare ens fictum juxta illud Poetæ *video meliora, proboque, deteriora sequor*, quia hoc dictum Poetæ nihil habet connexionis cum illo alio, nec enim Poeta vult hoc loco, quod voluntas applicet bonitatem objecto malo, aut fingat, sed quod præferat bona pejora melioribus, ut vel pueris notum est, quod potest fieri, & fit quotidie absque tali applicatione, vel fictione; sed quod in Poeta errent Adversarii (inquit Pontius) condonari debet, qui fortasse nec a limine salutaverunt artem poeticam, quod autem in ipso Scoto intelligendo deficiant, nescio an excusari debeant; quod vero deficiant patet ex dictis, & ex loco etiam, quem subjunxerunt in hac responsione in d. 6. qu. 1. *quod quis cognoscens albedinem, & corvum possit velle albedinem corvo*, qui locus perperam adducitur ad propositum; nam quamvis verum sit, quod voluntas possit velle hoc, non inde sequitur, quod fingat, nec enim volendo hoc fingit, ut manifestum est.

Respondeo negando dictum Ovidii non afferri ad rem, quamvis enim per illud dictum voluerit innuere Poeta, quod potest

voluntas ex sua libertate præferre bona pejora melioribus, vel magis philosophice loquendo elicere minus bonum relicto majori bono, quod concedo fieri posse absque tali applicatione, vel fictione, adhuc tamen voluit etiam innuere, quod ex sua libertate, & malitia possit relicto bono sequi malum sub prætextu boni faciendo sibi finem præfixum; imo si hunc locum philosophice explicare velimus, potius inde hic secundus sensus colligi debet, quam primus; quandoquidem non comparat ibi Poeta bonum cum bono, seu majus bonum cum minori bono, sed malum cum bono, & deterius cum meliori, ut constat ex ipsis verbis, & hoc ut magis indicaret, quanta pravitate, & perversitate laboraret voluntas Medeæ, de qua ibi loquebatur; Hic autem dissimulare nequeo Pontianam acutiem, quam scilicet belle hinc collegerit, quod artem poeticam nec a limine salutaverimus, quasi ars poetica præcipue doceat sensus hujus, vel illius phrasis, & non potius prosodiam, & quantitatem syllabarum; si ergo syllabam brevem produxissemus, aut longam corripuerimus, poterat rite hinc inferre nos artis poeticæ ignaros; at ex eo quod sensum alicujus periodi non intellexerimus, ex quo capite hanc consequentiam deducat, non video; sed hæc scurrilia nimis frigida, & valde ei familiaria mittamus, est enim ex eorum classe, quibus, ut ait Tacit. p. hist. sufficit, *ut tantum sententiis aliorum contradicant*, quomodocunq; id contingat. Nego pariter dictum Scoti 2. d. 6. q. p. ad 3. non adduci ad propositum, imo Doctor ibi deserte docet nostram sent. demonstrans quomodo impossibile, & malum, etiam ut tale cognitum, possit a voluntate appeti saltem inefficaciter sub prætextu possibilis, & boni, in quo fictionem intercedere nemo non videt; falsum est insuper ex eo dicto Scoti, quod quis cognoscens albedinem, & corvum possit velle albedinem corvo, deduci solum, ut Pontius facit, quod voluntas possit velle hoc, in quo nulla intercedit fictio; sed deducitur, quod possit velle aliquod impossibile alicui, tanquam possibile, quod sine fictione fieri nequit, ad hoc enim adducit exemplum illud de albedine, & corvo, ut indicaret, potuisse Angelum appetere æqualitatem Dei, quæ sibi impossibilis erat.

55 Denique in fine defensionis duplicem responsionem ad aliud argumentum de fictione entis rationis a nobis datam impugnat; primam quidem ait esse ridiculam, nam in ea dicitur Scotum, dum asserit voluntatem non posse facere ens rationis, loqui non de actibus fingentibus, sed de non fingentibus, quod perinde est, ac si Scotus diceret, voluntas non potest fingere ens rationis per actus, quibus non fingit, sed per actus quibus fingit, quod omnino ridiculum videtur; secundam vero responsionem ait esse bonam ex suppositione, quod constaret voluntatem fingere ens rationis; sed hoc suppositum est falsum, nec bene probatur a Mastrio (inquit) in loco, quem citat ex sua logica, ut facile esset ostendere hic, nisi videretur opportunius illud ad alium locum remittere.

Respondeo nos non dixisse in illa prima solutione, cum Scotus asserit voluntatem non facere ens rationis, loqui non de actibus fingentibus, sed de non fingentibus, ut refert Pontius ad ostendendam eam ridiculam, neque in argumento, quod nobis objecimus, diximus unquam Scotum absolute asserere voluntatem non facere ens rationis, sed dicimus sæpe sæpius asserere voluntatem in objecto derelinquere dumtaxat denominationem voliti, quæ accedente intellectu fit ens rationis formale, & respondemus tunc Doctorem non loqui de actibus fingentibus voluntatis, sed id de actibus terminatis ad objecta prius cognita, quibus solum denominationes extrinsecas relinquit, in quibus nulla fictio intervenit, in qua solutione nihil ridiculum cernitur, nisi ab oculo livido, & invido; bene ridiculum est, quod supra dicebat Pontius in simili, *quod voluntas fingere nequit loquendo de fictione, qua fieret ens fictum, non reale*, quasi possit habere voluntas aliam fictionem, qua fieret non ens fictum, sed reale, ut supra notavi, quantum vero spectat ad aliam responsionem, an sufficienter probaverim disp. 3. log. q. 4. art. 1. quod voluntas suo modo facere possit ens rationis, ibi videri potest n. 52. & rursus disp. 2. Met. q. 9. art. 1. a num. 246. ubi occurro impugnationibus Pontii factis contra hoc nostrum assertum in sua logica, ubi totum dixit, quod ei occurrebat in hac materia, & ideo hic nihil ulterius addidit.

Hic tandem notare libet primum, & præcipuum argumentum, quod contra nostram sententiam de fine præfixo objecit Pontius (quod nempe bonitas præfixa nequit exercere causalitatem finis, & esse motivum sufficiens voluntatis, quia sequitur actum voluntatis, causa autem finalis debet præcedere, & ejus motio prævia esse, ut excitet voluntatem ad actum) adduci pro Thomistis a P. Hiriarne tract. de actibus humanis disp. 10. sect. 5. Cui occurrit negando, quod finis præfixus ullam possit habere præviam motionem ad movendam voluntatem ad sui amorem, postquam enim malum a prava voluntate in statum boni, finisq; præfixi a malitia voluntatis effectum est, & per consequens in esse delectabilis, respectu saltem continuationis amoris habent motionem metaphoricam, & consequenter rationem finis, quod notare volui, ut constet, quam injuste sæpius de nobis conqueratur Pontius, quod sua argumenta referamus sub nomine aliorum, cum enim ut plurimum sint argumenta communia, nescio qua de causa velit nos cogere, ut ea referamus, quasi argumenta ejus peculiaria.

De modo, quo conservatur accidens separatum.

56 COntra nostram sententiam, quod accidens separatum non indigeat ad conservationem suæ entitatis novo concursu diverso a priori secundum rem, quo conservabatur in subjecto disp. 3. Phys. q. 4. art. 2. num. 61. nonnullas fecit oppositiones Pontius disp. 4. Phys. nu. 72. quibus occurrimus loc. cit. num. 67. contra quas solutiones denuo replicat hic Auctor in append. apol. pag. 141. n. 194. num vero sufficienter, nunc examinandum est.

Primum fundamentum ejus erat, quod si concursus illi esset sufficiens se solo ad conservandam formam extra subjectum, esset etiam sufficiens se solo ad conservandam ipsam, dum est in subjecto, sed hoc est falsum, quia tunc sequeretur, quod forma materialis educta non dependeret a subjecto, dum est in illo; Respondemus ibi omnino distinguendam esse actionem, qua conservatur ipsa entitas formæ a Deo, & qua conservatur ejus unio ad subjectum, ex vi prioris conservatur entitas formæ absolute præscindendo a subjecto, & solum ex vi posterioris conservatur in subjecto, & ex vi prioris actionis dumtaxat continuate conservaretur forma extra subjectum, non ex vi posterioris, quia tunc utique sequeretur formam materialem nullo modo a subjecto dependere, & gratis concedimus ex vi prioris influxus conservari non posse formam in subjecto, quia influxus ille terminatur ad solam entitatem formæ, & indifferens est ad conservandam formam, dum est in subjecto, vel extra subjectum, sed præcise conservaretur ex vi posterioris, qui terminatur ad unionem, per quam formalissime dicitur forma inhærere subjecto.

57 Præmissa consueta querela, cui jam satisfeci in appendice generali, quod non respondeamus in forma contra hanc solutionem, arguit Pontius num. 194. & quærit, an ipsa entitas formæ, quæ per priorem actionem conservatur, & producitur a Deo, habeat dependentiam a causa materiali quoad suam entitatem præscindendo a subjecto; an vero solum habeat dependentiam a subjecto quoad esse unitum; & subjectatum, quod recipit per posteriorem actionem, qua producitur ejus unio ad subjectum; si primum dicatur, ergo illa actio Dei prior seipsa non sufficit ad ponendam entitatem illam sine concursu materiæ, & consequenter non sufficiet ad conservandam formam illam se sola; quod si sufficeret se sola ad conservandam, sane sufficeret se sola ad producendam, & sic non dependeret a materia quoad entitatem suam præscindendo a subjecto, unde dependeret, & non dependeret a materia. Si dicatur secundum, ergo non magis dependet a materia, quam anima rationalis, quia hæc etiam dependet a materia quoad esse subjectatum, & unitum, ut est evidens, & consequenter sicut anima rationalis non educitur, quamvis dependeat quoad esse unitum, ita nec forma materialis educetur, quamvis dependeat quoad esse unitum a materia. Confirm. hoc, quia in productione animæ rationalis de facto interveniunt duæ actiones, quarum una terminatur ad ipsam entitatem formæ, & est præscindens a subjecto, & indifferens ex se, ut producatur in subjecto, vel extra subjectum, & propterea illa ipsa sufficit ad conservandam animam, dum est in subjecto, & dum est extra subjectum; altera vero terminatur ad unionem, & ea mediante habet anima uniri, nec sine illa, aut æquivalenti posset uniri, non tamen requiritur illa, aut alia ipsi æquivalens, ut conservetur anima absque subjecto, & ex hoc optime colligitur, quod anima non educatur, ergo si similes duæ actiones reperiuntur in productione formarum materialium omnino eodem modo se habentes, non educuntur illæ formæ; sed secundum Mastrium similes omnino reperiuntur; ergo secundum ipsum formæ materiales non educentur magis, quam anima.

58 Respondeo dimissa irrisione, quam ego quoque possem facere de illa phrasi, *an ipsa entitas formæ quoad priorem actionem habeat dependentiam a causa materiali quoad suam entitatem præscindendo a subjecto*, quæ est satis ridicula, & nugatoria, quomodo enim posset habere dependentiam a causa materiali præscindendo a subjecto? hoc esse argumentum Suarez disp. 13. Met. sect. 9. n. 10. & tract. de gratia p. 3. lib. 8. cap. 2. quod facit contra hanc duplicem actionem, quam in productione formæ materialis dicimus intervenire, quia vel (inquit) illa actio, qua fit forma materialis, est cum concursu materiali subjecti, vel non; si secundum, ergo est creatio; si primum, ergo ex vi illius formaliter forma unitur subjecto, & fit in subjecto. Cui respondemus disp. 2. Phys. quæst. 7. art. 3. num. 156. illam actionem fieri cum concursu materiali subjecti, non quidem formaliter, sic enim præscindit ab unione, & solum respicit existentiam formæ absolute sumptam; sed concomitanter, & exigitive, quatenus actio illa productiva formæ connaturaliter petit aliam concomitantem in eodem instanti, qua producitur unio, & sic etiam respondeo in proposito, quod entitas formæ, quæ per priorem actionem producitur a Deo, habet dependentiam a causa materiali modo prædeclarato, quatenus illa actio connaturaliter coexigit aliam actionem unitivam in eodem instanti, qua de causa dicitur fieri, & conservari dependenter a materia; & tunc negatur consequentia ex illo antecedenti deducta, quod actio illa non seipsa sufficiat per miraculum ad ponendam entitatem illam, ac etiam conservandam absque concursu subjecti, quia formaliter, & secundum se considerata ab unione præscindit, & licet connaturaliter coexigat actionem unitivam, tamen per potentiam Dei potest fieri, quin sequatur, & in tali casu illa prior actio, quæ de se erat eductiva secundum rem, fit creativa secundum modum, quod non est inconveniens; quia in his formis, quæ uno, vel altero modo possunt fieri, actio creativa, & eductiva Dei non differunt nisi penes connotationem concursus materialis subjecti, vel ejus negationem, ut dixi disp. 2. Phys. n. 56. Ex quo etiam patet ad Conf. quamvis enim etiam in productione animæ rationalis interveniant istæ duæ actiones, non tamen sunt omnino similes, ut mendacissime Pontius ait Mastrium asserere, quia actio, qua producitur entitas animæ rationalis ex sua natura non ita necessario petit, & coexigit aliam actionem, qua producitur unio, quin possit esse connaturaliter sine illa, & ideo illa actio de se creatio est; nullo pacto dici potest eductio, sicut actio, qua producitur entitas formæ materialis.

59 Hanc solutionem prævidit Pontius, ut satis obviam, & facillimam, unde eam ibidem enervare nititur hoc modo, quia actio animæ productiva petit etiam actionem unitivam in fieri, quamvis eam non petat in conservari; ergo in fieri esset eductio tam bene, quam actio productiva formæ materialis quantum ad hanc rationem. Deinde una actio ex illis non petit alteram unitivam, nisi quatenus ipsamet forma per eam producta petit connaturaliter unionem; sed ex hoc capite non sequitur, quod petat alteram sic, ut propterea sit eductio, & non sit creatio; quia forma nata educi, posset creari, & tamen actio ipsius productiva, qua crearetur, exigeret actionem unitivam, quatenus forma per *ipsam producta exigeret illam*. Demum forma nata creari posset educi, & tamen actio, qua produceretur secundum entitatem, tunc non exigeret alteram actionem unitivam, quia neq; ipsa forma per ipsam producta exigeret illam; ergo distinctio illarum duarum actionum, quarum una dicitur eductio, & altera creatio, non potest desumi ex exigentia actionis unitivæ sequentis.

60 Respondeo, me ad hæc, & similia argumenta jam pridem ab aliis adducta satisfecisse abunde disp. 7. Phys. q. 7. art. 2. num. 148. quas solutiones in gratiam argentis hic rursus replicabo; itaque dimissa solutione illorum, qui asserunt animam rationalem in aliquo signo prius in se produci, & in alio signo corpori uniri, & consequenter absolute negarent antecedens, respondeo ex ibi dictis satis patere, quo pacto anima rationalis fiat naturaliter in materia, & non proinde dicatur educi, quia nimirum illam exigit non ut veram causam suæ existentiæ, quemadmodum materialis forma, sed ut conditionem concomitantem ejus naturalem statum, quod ex eo arguimus, quia post corporis interitum adhuc anima conservatur absque miraculo, non autem forma materialis; unde magis miraculum esset, si forma materialis extra materiam fieret, quam si fieret anima rationalis, quia hæc non habet tantam materiæ necessitatem, sicut illa, ad suam existentiam, cum eam tantum requirat ut conditionem concomitantem, & sine qua non, ex mero decreto Dei, & non ex natura sua; quare concesso antecedente in sensu præfato, negatur consequentia, quia etsi anima, ut a Deo producatur secundum suum connaturalem statum exigat corpus in eodem instanti, in quo producitur, non exigit illud ut veram causam suæ existentiæ, sed tantum ut conditionem concomitantem ex decreto Dei, & ideo ejus fieri sic in materia non est educi.

61. Ad 2. concessa majori nego minorem, ad probationem concedo formam natam educi posse creari, & actio ipsius productiva, quia est exigitiva actionis unitivæ ex sua intrinseca indigentia, in eo casu diceretur creatio tantum secundum modum, quatenus ex negatione concursus materialis subjecti indueret modum creationis, non autem secundum rem, qualis est actio productiva animæ; sed secundum rem, ac veluti in actu primo esset adhuc actio eductiva, quatenus exigeret actionem unitivam, licet in actu secundo, & per accidens esset creativa ex defectu actualis concursus subjecti, qui necessario requiritur, ut productio formæ dicatur eductio in actu secundo. Ad 3. negatur assumptum; quia si anima rationalis educeretur a materia, utiq; ab ea dependeret a priori, veluti a causa suæ existentiæ, ac per consequens per separationem ab ea corrumperetur, quod est contra ejus naturam, unde licet forma nata educi possit creari, quia ex hoc nullum sequitur absurdum, non tamen e contra forma nata creari potest educi ob prædictam rationem; quod si concederetur antecedens, tunc pariter dicendum esset, quod talis actio, qua educeretur forma nata creari, esset eductio tantum secundum modum, sed secundum rem esset actio creativa, quatenus suapte natura non exigeret alteram actionem unitivam, absolute tamen negandum est illud antecedens.

62 Secundum fundamentum est, quod optime colligatur aliquem effectum non dependere naturaliter ab aliqua causa, si illa ablata adhuc poneretur effectus; ergo si actio illa Dei est talis naturæ, ut per eam ponneretur forma, quamvis materia non poneretur, ut dici debet in adversa sententia, omnino debet dici, quod forma non dependeat a materia; & sane hinc colligitur, quod anima rationalis non dependeat a materia quamvis non producatur, nisi in materia, quia concursus, quo ponitur a Deo, est se solo sufficiens, & eo posito ponneretur anima quamvis non esset materia.

Respondemus loc. cit. assignando disparitatem inter animam rationalem, & formas eductas, anima namque rationalis ideo non dicitur conservari dependenter a materia, quia ejus unio cum materia non est sustentatio, at unio aliarum formarum est sustentatio, & ideo dependenter ab illa conservantur, & hac sustentatione ablata, licet deinceps conservaretur forma a Deo extra subjectum, non inde bene deducitur forma a materia non dependere, quando illi inhærebat, quia licet ista ablata adhuc remaneat forma, non tamen eo modo quo prius, quia non in subjecto sustentata, quod habebat beneficio materialis influxus.

63 Hanc responsionem voluit Pontius impugnare n. 198. Et quia non potuit eam impugnare ratione, placuit impugnare accumulatis conviciis, nam primo nos incusat rursus, quod extra formam respondeamus, quæ est solita cantilena, deinde compatitur Tyronum infelicitatem, quibus a nobis non solum doctrina inse mala proponitur, sed ea etiam obscuritate, ut difficulter eam possint ad propositum applicare; tandem totum virus evomens blaterat nos esse ex eorum classe auctores, vel qui oppressi aliqua difficultate, puris verbis evadere conantur; vel qui assueti sunt aliquibus terminis, quos nec ipsimet intelligunt, sed credunt tamen subesse sensum aliquem; Cæterum quænam sit pejor, obscurior, & a Scoto difformior doctrina an Pontiana, vel nostra, ex Appendice generali prudens lector judicare poterit; Pontianæ liquidem plerumq; quadrat adagium *Platonicis numeris obscurior*, & num nos simus ex eorum classe auctores, qui puris verbis evadere conantur, nec terminos intelligunt, vel potius ipse, nolo lectorem longius remittere, ut judicium ferat, sed ipsum exoro hic sistere, & robur argumenti Pontiani hic ponderare, quo in responsionem allatam invehitur, videbit enim luce clarius ipsum terminos ignorare in omni schola notissimos, & ut fert adagium, *fronti ocream, tibiæ galeam applicare*, nostras opiniones quantumvis declaratas, & fuse enucleatas non intelligere, aut intellectas traducere, easque imposturis, & mendaciis respergere, quod plane ingenuum virum decedet, & præcipue religiosum. Veniamus ad experimentum, & interim dico melius esse puris verbis difficultates evadere, quam convitiis, & scommatibus, ut ejus moris est.

64 Itaque contra nostram solutionem sic arguit præfatus Auctor, quæro ab ipsis quid sit, unionem formarum eductarum esse sustentationem earum, & cur magis dicatur illa esse sustentatio, quam unio animæ, si ipsæ quoad suam entitatem non magis dependeant ab illa unione, quam anima, ut ipsi dicunt. Certe quoad esse informatum & esse unitum, & esse in statu connaturali suo; & in statu entis completi tam anima dependet ab unione ad corpus, quam ullæ aliæ formæ, quo autem ad ipsam entitatem absolute consideratam tam aliæ formæ sunt independentes a materia, & unione ad ipsam, quam anima præcipue in adversariorum sententia, quomodo potest ergo cum ullo sensu dici, quod una unio sit sustentatio potius, quam altera? Deinde quando dicunt, quod licet formæ eductæ ablata unione ad materiam, remaneant non tamen eodem modo, quo prius, quia non in subjecto sustentatæ, quæro quid dicit illud, *in subjecto sustentatæ*, supra hoc, quod dicit, *subjecto unitæ, aut informantes subjectum*, si nihil, ergo eodem modo posset dici, quod anima manens in corpore sustentabatur, licet maneat extra corpus alio modo fine sustentatione illa, si aliquid aliud, ut intelligeremus eos, deberent significare, quid illud sit, quod ego certe fateor libenter me ignorare, videor tamen mihi scire, quod in sententia Mastrii, ac Belluti non possit esse aliquid, & propterea ante insinuavi hanc responsionem in *solis* verbis absque sensu consistere.

65 Respondeo, Loripidem rectus derideat, Ethiopem albus, ob quam impune abiret Pontius, si cum mortuis loqueretur, nam, *mortui non mordent*, ajebant Veteres, sed gratia Dei vivimus adhuc, audimus, & intelligimus melius, quam ipse, saltem in hoc argumento, in quo, ut dixi, se ignorare demonstrat terminos etiam Tyronibus cujusque scholæ notissimos, nec credimus hoc dicendo injuriam ei inferre, quandoquidem ultro fateatur in suo argumento relato se illos ignorare; Itaque de sustentatione formarum eductarum in materia, cujus significatum ait Pontius ignorare, prout distinguitur a simplici unione, & receptione, qualem exercet corpus erga animam rationalem, agunt Recentiores passim, Suarez disp. 13. Met. sect. 9. n. 10. & 11. Aversa in sua Philos. q. 12. sect. 3. & q. 20. sect. 6. Amicus in Phys. tract. 5. q. 3. dub. 5. art. 2. Fonseca 5. Met. c. 2. qu. 3. sect. 2. & q. 12. sect. 2. & Conimb. p. Phys. c. 9. q. 11. art. 3. & alii passim, & nos etiam in Physic. pluribus in locis satis clare, & fuse disp. 2. q. 5. art. 4. & q. 7. art. 2. num. præsertim 148. & 149. & art. 3. num. 154. ubi dicimus sustentationem ultra simplicem unionem, & receptionem formæ in materia importare dependentiam formæ a materia, veluti a causa materiali suæ entitatis, & existentiæ, adeo ut ex natura sua petat ad suum esse, fieri, & conservari concursum materialem subjecti, sic, quod si fieret, vel conservaretur extra subjectum, id omnino esset contra ejus naturam, quod & ipsum nomen sustentationis importare videtur, quoniam innuit intrinsecam indigentiam, & exigentiam, quam habet forma, ut fiat, & conservetur in subjecto, quam indigentiam non habet anima rationalis, cum extra subjectum etiam connaturaliter conservari possit; qua de causa ejus unio cum materia sustentatio dici non potest, *sed simplex unio*, & receptio absque dependentia a subjecto, tanquam a causa suæ existentiæ; ita nos locis citatis, & Recentiores alii sustentationem formarum eductarum distinguunt a *simplici unione*, & receptione, quam exercet materia cum anima rationali, quod plane discrimen adeo obvium est, & patens, ut non nisi *pistillo rerusior*, ut fert adagium id capere nequeat, unde valde miror, cur Pontius fateatur se hoc ignorare; idque dicat nunquam fuisse a nobis explicatum, cum nedum locis citatis, sed etiam in fine illius nostræ responsionis satis sit indicatum, cum dicimus, quod hac sustentatione ablata a forma materiali licet deinceps conservaretur forma a Deo extra subjectum, non inde bene deducitur formam a materia non dependere, quando illi inhærebat, quia *licet ista ablata* adhuc remaneat forma, non tamen eodem modo, quo prius, quia non in subjecto sustentata,

tata, quod habebat beneficio materialis influxus; hæc inquam, ultima verba satis indicant, quod sustentatio ultra solam unionem, & receptionem formæ in materia dicit materialem influxum materiæ in formam, qualem non habet in anima.

66 Ex quo deducitur, quam mendacissime imponat nobis Pontius in sua instantia, quod nos dicamus formas materiales quoad suam entitatem non magis pendere ab unione, quam animam, & rursus quod quantum ad ipsam entitatem absolute consideratam tam aliæ formæ sunt independenter a materia, & unione ad ipsam, quam anima, in sententia nostra; legantur, quæ dicimus circa hoc disp. 7. Phys. q. 7. art. 2. n. 148. (& interim recordetur Pontius quod *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*) ibi enim postquam nostram sententiam aperuimus de eductione formarum materialium, hoc corollarium deduximus; per hunc dicendi modum explicatur, concursum materiæ non solum attingere debere unionem formæ, sed etiam ipsammet existentiam formæ, & necessarium esse, non solum ut conditionem concomitantem ad connaturalem ejus statum qualis est modo corpus ad animam rationalem, sed etiam ut veram causam in primo instanti, in quo forma existit; qua ergo fronte audet dicere Pontius, quod in sententia nostra eodem modo uniantur formæ eductæ a materia, & anima rationalis? parcat ei Deus, & adeo ingentem impostaram condonet.

67 Tertium fundamentum est, concursus Dei quo vult conservare formam in subjecto eductive, est volitio, qua vult illam producere cum dependentia a subjecto; concursus autem, quo conservat extra subjectum, est volitio, qua vult illam producere absque tali dependentia; ergo non eodem concursu conservat formam eductam in subjecto, & extra subjectum. Ad hoc respondemus, ibi consequenter non esse utique eundem concursum illum, quo conservatur entitas absoluta cum forma præcise, & illum quo conservatur ejus unio cum subjecto, sed esse diversos, sicut diversæ sunt entitates formæ, & unionis; cæterum est idem concursus ille prior, qui terminatur ad solam entitatem formæ, tam dum est in subjectum, quam dum est extra subjectum, Instat Pontius nu. 200 quod sicut consequenter, & constanter hæremus in eadem responsione, ita ipse quoque consequenter, & constanter hæret in sua censura, & asserit, quod si concursus ille prior concursu unitivo, pro producitur entitas absoluta formæ, sit absque dependentia a materia, & sufficiat se sola ad conservandam formam, quod illa forma non magis educetur, quam anima rationalis. Sed jam supra in responsione præsertim ad p. fundamentum satis explicatum est, quomodo concursus ille, quo producitur entitas absoluta formæ materialis ut dependens a materia & a concursu unitivo, & quomodo non; siquidem est independens in se præcise, & formaliter consideratus, quia sic terminatur ad puram entitatem formæ absolutam, & in sua formalitate ab unione præscindit; est vero dependens, quatenus connaturaliter coexigit in eodem instanti concomitantiam concursus unitivi, & unionis cum materia, tanquam a causa existentiæ formæ per ipsum productæ, quam coexigentiam non habet concursus, quo producitur anima rationalis, quia non petit unionem cum corpore, tanquam cum vera causa materiali suæ existentiæ, sed tanquam cum conditione concomitanti suum connaturalem statum, & hoc quidem non ex natura sua, sed ex decreto Dei; quandoquidem ex natura sua ita produci posset sine corpore in se subsistens, sicut postea conservatur post corporis interitum, in quo nullam video implicantiam, sicut exaggerat, & commiscitur Pontius hanc doctrinam capere non potens, vel melius non volens; *pessimus ille surdus, qui audire recusat*.

68 Et quia occasione hujus argumenti pro capienda nostra sententia de divino concursu ipsum remittimus ad disp. 8. Phys. quæst. 3. art. 2. in fine, incipit a num. 201. nostram proponere doctrinam, ut eam impugnet; defendimus ibi communem Scotistarum sententiam eundem effectum non posse simul a pluribus causis totalibus, & adæquatis dependere, contra quam hanc movemus difficultatem n. 73. De facto ejusdem effectus dantur duæ causæ, quarum una est totalis, & se sola sufficiens, altera partialis, & se sola insufficiens v. g. Deus, & causa secunda ignis ab utroque producti, ergo etiam dari possunt duæ causæ totales, quia eadem est difficultas de superfluitate partialis cum totali, & totalis cum totali. Ad quam difficultatem aliquas proponimus responsiones, quas refellimus, & præsertim hanc, quam Pontius suscipit defendendam; Nec sufficit dicere, quod causa prima est totalis in actu primo, quatenus de se habet virtutem sufficientem ponendi totum effectum, si vellet, at in actu secundo partialis est, & ejus concursus est insufficiens secundum rem, ut detur locus actioni causæ secundæ, quæ est communis responsio Recentiorum, quam ibi impugnamus, quia tam indignum est vilificare causam primam in actu primo, non ponitur prima causa dependens a secunda; ita neque concursus ejus secundum rem tam debilis poni debere, & attemperatus, ut necessario indigeat concursu causæ secundæ, & sine illo sit secundum rem insufficiens, sic enim in actu secundo dignior non esset concursus primæ causæ, quam secundæ.

69 Respondet Pontius num. 202. non vilificari actionem causæ primæ, etiamsi partialis ponatur, & de se insufficiens ad ponendum effectum absque concursu causæ secundæ; sicut enim non vilificatur actio Dei, qua producit Leonem formaliter loquendo, nec arguitur imperfectionis ex eo, quod per eam, ut sic, non possit produci lapis, ita non vilificatur, nec arguetur imperfectionis actio, qua cum igne concurrit ad alium ignem producendum, etiamsi dicatur, quod illa actio formaliter non possit se sola sufficere ad productionem ignis absque concursu alterius ignis, & sicut volitio, qua vellet Deus dare decem scuta tantum, sine dubio non posset sufficere formaliter loquendo ad danda viginti, & tamen hoc non argueret imperfectionem in illa: ita volitio qua vult concurrere cum creatura non debet sufficere ad producendam rem sine creatura, nec inde sequeretur imperfectio, aut debilitas. Et sicut actio Dei, qua movet solem 24. horis, non est sufficiens ad movendum ipsum per tantum spatium 12. horis, nec hoc arguit debilitatem ullam, quæ arguat imperfectionem, ita in proposito dicendum est, Accedit, quod secundum nos (inquit) non potest sufficere ad producendum formam cum modo sustentationis absque concursu creaturæ, & tamen hoc non arguit debilitatem, & imperfectionem in ipsius concursu; ergo etiamsi concursus ejus non posset sufficere absque concursu ignis ad producendum ignem, non argueret hoc imperfectionem in concursu ipsius. Ad illud de dignitate, quod concursus Dei non esset dignior concursu creaturæ, respondet, quod si loquimur de dignitate, quam haberet ex eo, quod posset magis sufficere se solo, quam concursus causæ secundæ, concedit non esse digniorem, nec hoc esse inconveniens, si loquimur de alia *dignitate desumpta ex parte principii*, negat, quia Deus est infinities dignior creatura.

70 Sed contra, juxta hunc dicendi modum concursus Dei in actu secundo ponitur essentialiter dependens a concursu causæ secundæ; ergo vilificatur, quatenus essentialiter subordinatur concursui causæ secundæ, quod ei in ratione primæ causæ repugnat; assumptum probatur, quia essentialis dependentia unius ab alio consistit in necessaria ac indispensabili existentia hujus ab illo, ergo si concursus Dei exhibitus, & in actu secundo adeo insufficiens est, & partialis, ut sine concursu causæ secundæ non valeat effectum ponere, plane ita erit essentialiter dependens causa prima, dum actualiter operatur a secunda, sicut hæc ab illa, atque ita manifeste evertitur essentialis subordinatio causæ secundæ ad primam, nec concursus causæ primæ dignior esset, quam concursus causæ secundæ. Nec valet, quod ait Pontius, adhuc fore digniorem ex parte *principii*, quia Deus est *infinities* dignor creatura. Hæc solutio non est ad rem, quia hic non est sermo de concursu Dei in actu primo, quis enim dubitat ejus virtutem esse infinitam; sed de concursu in actu secundo, quem dicimus non esse de se, & secundum rem insufficientem, & mancum, qualis est concursus causæ secundæ, quia tam indignum est vilificare concursum Dei in actu secundo, quam in actu primo; imo ex debilitate, & insufficientia concursus in actu secundo argueretur a posteriori insufficientia, & debilitas ejusdem in actu primo.

71 Nec tandem satisfacit, quod inquit non vilificari actionem Dei, qua producit Leonem, neque debilem dici, vel insufficientem, eo quod per eam, ut sic, non possit produci *lapis &c.* quia quantum ad *rem* in se, certum est concursum Dei materialiter, & fundamentaliter sumptum esse ipsum velle Dei, qui est unus, & simplicissimus actus in se, licet sit virtualiter multiplex ob sui illimitationem; atque ita certum est esse unum, & eundem actum simplicissimum divinæ voluntatis, quo Leonem producit, & lapidem, quo vult dare decem, vel viginti scuta, quo movet Solem per hoc spatium horis 24. vel 12. Si vero concursus Dei formaliter sumatur, nimirum proutimportat relationem dependentiæ essentialis in effectibus creatis, aut in Deo terminationem hujusmodi dependentiæ, plane cum hujusmodi relationes dependentiæ formaliter ad multiplicationem effectuum plurificentur in hoc sensu, utique verum est alium esse influxum, quo producitur Leo, & alium, quo producitur lapis, nec esse imperfectionis, aut debilitatem arguere in eo, ex hoc quod nequeat per illum, ut sic, produci lapis, quia hoc est dicere ex parte effectuum, quod per dependentiam, qua dependet leo a Deo, non potest formaliter dependere lapis, neque e contra, nec pariter Deum per terminationem, qua terminat Leonis dependentiam posse pariter per eandem terminare dependentiam lapidis, quæ omnia verificari possunt absque ulla imperfectione divini concursus, nam ad ejus perfectionem, & dignitatem sufficit, quod a parte rei sit unus, & idem simplicissimus actus divinæ voluntatis, quo omnia producit, & solum virtualiter multiplex pro effectuum varietate, & quod se solo sit efficax ad ponendum in esse quemlibet effectum, quem modo de facto producit cum concursu causarum secundarum.

72 Quod tandem contra nos ad hominem addebat, quod nempe secundum nos concursus Dei nequeat sufficere ad producendam formam cum modo sustentationis absq. concursu creaturæ, neq. id arguere imperfectionem; aut debilitatem in eo, ergo etiamsi concursus ejus non posset sufficere absque concursu ignis ad producendum ignem; non argueret hoc imperfectionem in concursu ipsius. Hoc inquam, non convincit, quia est manifesta disparitas, siquidem apud Theologos est compertum, non posse Deum supplere causalitatem causæ materialis in eodem genere causæ ob intrinsecam imperfectionem, quam involvit, posse tamen supplere vices cujuscunque causæ efficientis, & in hoc sensu verificatur, quicquid agit cum causis secundis, posse se solo agere & sine illis, unde quod illud nequeat; nullam arguit in ipso imperfectionem aut debilitatem; quia est impossibile, at hoc posterius non est impossibile, unde si non posset sine igne ignem producere, hoc argueret in eo imperfectionem, & debilitatem.

73 Deinde nu. 204. refert solutionem nostram ad propositam difficultatem, quam damus disp. 8. num. 74. ubi dicimus, concursum Dei

Dei fundamentaliter sumptum esse unicum, & simplicissimum ad omnes effectus, eundem scilicet actum efficacem divinæ voluntatis, sed ob suam eminentiam, & illimitationem esse virtualiter multiplicem, & diversis nedum numero, sed etiam specie influxibus æquivalere, majori, & minori, ut libet divinæ voluntati; nam utique major est concursus, quo Deus utitur cum equo ad equum generandum eo, quo utitur cum calore ad calorem producendum, sed talis diversitas notari nequit in divino concursu secundum rem, quia a parte rei est idem prorsus actus, quo utrumque facit; sed tantum in modo applicandi eundem actum ad plures effectus exigentes juxta eorum naturam varios, & diversos influxus, qui modus applicandi divinum concursum satis arcanus est, utpote spectans ad suavem dispositionem Dei, qua universum gubernat; & in hoc sensu dicitur Deus causis secundis suum attemperare concursum, non quod hoc faciat secundum rem, remittendo nimium, vel intendendo suum influxum, sed quia id facit in modo applicandi illum, & in hoc sensu etiam dicitur influxus Dei insufficiens non secundum rem, sed secundum modum, quatenus ex modo quo applicatur, indiget consortio causæ secundæ, ita quod sine ea sic applicatus non attingeret effectum; hæc autem attemperatio locum habere nequit in duabus causis totalibus totaliter concurrentibus ad eundem effectum.

74 Antequam hanc solutionem impugnet num. 205. præmittit doctrinam hanc nostram de attemperatione divini concursus esse a veritate deviam, & insufficientem ad tollendam præfatam difficultatem; sibique displicere debere tempus terere in proponendis, & impugnandis nugis, sed quia insipientibus (inquit) etiam *debitores quandoque sumus* cum Apostolo, dignatur tandem impugnationem apponere. Quis unquam sub vili, ac cinereo amictu tantam latere superbiam credidisset? id in mentem venire facit Diogenis dictum apud Ælian. lib. 4. qui purpuratos cum vidisset Rhodios, hoc nihil est, dixit, præter fastum; in Lacedemonios deinde cum incidisset arroganter panosos, hæc longe alia (inquit) est superbia. Cæterum oh Pontium felicem, qui hac vice cogitur impugnare nugas, & debitor insipientibus est constitutus; si enim sapientibus fuisset debitor, nec teruntium quidem solvere poterat; & si seria, ac difficilia impugnare debuisset, quot ineptias, & scurrilia dixisset, cum tot effutiat in impugnandis nugis? sed videamus quam bene sapientissimus homo nos insipientes doceat, & quam strenue vir serius nugas impugnet, & verba absque ullo sensu faciente ad propositum.

Itaque post tot scomata, & maledicta sic arguit: quum omnes concedant eodem actu simplicissimo, ac infinito divinæ voluntatis Deum velle quicquid vult, & etiam quod ille actus simplicissimus æquivaleat pluribus, ac diversis specie, & numero actibus ob infinitatem suam, ut dicit Mastrius; tamen nullus potest dicere, quod eodem concursu formaliter loquendo, quo Deus producit Leonem, possit producere lapidem; nec potest dicere quod eodem concursu formaliter, quo producit cum igne ignem, possit producere sine igne ignem, & si debet Deus suum attemperare concursum alio modo, quando producit Leonem, quam quando producit calorem, quando Leo ex se alium exigit concursum, quam calor, *similiter* ut producat ignem sine concursu alterius ignis debet attemperare suum concursum aliter, quam quando producit ignem cum igne, quia ignis ex se exigit alium concursum causæ primæ, quando ab illa sola producitur, & quando ab illa, & ab alia causa producitur.

75 Secundo quæro (inquit) a Mastrio, an solum dicat, quod eodem concursu Deus producat ignem, quando producit illum cum alio igne, & sine alio igne, sicut eodem concursu producit Leonem, & calorem; & quod eodem modo, quo diverso concursu producit Leonem, & calorem, producat ignem quando producit ignem se solo, & quando cum alio igne; si sic, habetur manifeste intentum; si non, tota doctrina hic proposita ab ipsis non est ad rem. Tertio adhuc magis directe, quæro an quando Deus concurrit cum igne ad alium ignem producendum habeat concursum attemperatum eo modo, quo quando se solo producit ipsum; si sic, ergo sicut concursus ille sic attemperatus se solo ponit ignem in uno casu, ita se solo ponit ipsum in altero, & sic creaturæ concursus non solum erit superfluus, sed impossibilis; si non sit eodem modo, ut videntur sentire Adversarii, ergo verum est, quod non eodem concursu formaliter loquendo, nec etiam eodem concursu realiter, & eodem modo applicato Deus conservat ignem se solo, quo conservat, seu producit ipsum cum causa secunda, quæ est directe sententia mea, & communis, quam hi auctores impugnant. Tandem, quia non est inconveniens, quod concursus Dei in actu secundo sic attemperatus sit insufficiens absque concursu creaturæ, & consequenter dependens a concursu creaturæ; ergo non est inconveniens sententia communis, & responsio, quam Recentiores dant ad hanc difficultatem.

76 Respondeo, *concedendo non debere dici*, quod eodem formaliter concursu producantur leo, & lapis, cum enim in hoc sensu dicat ex parte effectus relationem essentialis dependentiæ, & ex parte Dei terminationem talis dependentiæ, ad multiplicationem, & diversitatem effectuum, plurificantur pariter, & variantur relationes ex parte eorum, & terminationi ad diversificandas relationes, unde actiones multiplicantur, & variantur ad multiplicationem terminorum ex 5. Physic. atque ideo formaliter loquendo diversus est influxus, quo producitur leo ab eo, quo producitur lapis, quia diversi sunt termini, & effectus, ad quos terminantur; negatur tamen eodem pacto dicendum esse diversum formaliter concursum, quo producit cum igne ignem, & quo eundem se solo producit, quia invariato principio, & termino nequit variari actio, cum ab his unitatem accipiat, & diversitatem; cum ergo in utroque casu maneant idem principium scilicet velle divinum, & idem terminus nempe ignis, consequenter erit idem formaliter concursus, seu eadem actio erit secundum rem, & tantum diversa secundum modum. Ad 2. nega rursus paritas, quia in productione Leonis, & caloris variantur effectus, & termini actionis, atque ideo sunt diversæ formaliter actiones, quibus producuntur: cæterum quando a Deo producitur ignis cum igne, & postea se solo illum producit, aut conservat absque causa secunda, semper manet idem effectus a Deo productus, & semper idem principium producens, & ideo nequit formaliter variari actio in re, sed tantum secundum modum, quatenus prius producebat illum cum causa secunda, & postea sine causa secunda.

77 Ad 3. patet satis quid ad hoc dicendum ex responsione data ad difficultatem de duabus causis totalibus, quæ adeo fatet Pontio, digimus enim eundem esse concursum secundum rem tam materialiter, quam formaliter, quo Deus cum igne producit ignem, & quo producit se solo, est idem secundum rem materialiter, quia est idem simplicissimus actus, quo vult hoc, & illud, est idem quoque formaliter, idest eandem relationem dependentiæ, vel terminationem importat, quia non variatur *principium*, neque terminus, variatur tamen aliquo pacto secundum modum, quia in uno casu applicatur se sola divina virtus ad agendum, in alio casu applicatur mediante causa secunda, unde in primo casu videtur quodammodo intendi divina virtus, & in secundo remitti, ut detur locus actioni creaturæ ne sit supervacanea; quod tamen sano modo intelligendum est, ut scilicet talis intensio, & remissio non in ipso divino influxu affingnetur, quia hic unicus est, simplicissimus, & indivisibilis actus divinæ voluntatis nulli obnoxius intensioni, vel remissioni, sed tantum in modo ipsum applicandi: cum enim actus ille ob sui illimitationem sit virtualiter multiplex, & diversis tam numero, quam specie influxibus æquivalens, potest divina voluntas per ipsum applicari ad opus modo cum majori, modo cum minori energia, quæ tamen nihil omnino superaddat, vel detrahat simplicissimæ entitati divini actus, ratione suæ infinitatis, & illimitationis, eo modo, quo discursimus de natura divini decreti ad extra, neque hic est major difficultas, quam ibi, & in hoc sensu dicimus concursum Dei, quem modo præbet causis secundis, esse sufficientem secundum rem, quia divina volitio est infinitæ virtutis, & tantum secundum modum esse insufficientem, nimirum ex modo, quo se applicat ad operandum cum illis, quia cum minori energia se applicat, quam si se solo ageret ad extra. Ad 4. negatur assumptum, quod sine approbatione relinquendum non erat, quandoquidem omnino repugnet concursui causæ primæ, quod agat dependenter a secunda, alioquin causa prima non esset, & talis independentia est de ratione primæ causæ, tam in actu primo, quam in actu secundo, adeout sicut causa prima dicitur potens agere independenter a causa secunda, *ita quoque dici possit*, ac *debeat actu agens*, & *operans independenter* ab ea, licet agat cum ea.

78 Neque hæc nostra sententia coincidit in ea Recentiorum quam sequitur Pontius, Recentiores enim, ut notavi loc. cit. disp. 8. num. 75. ponunt concursum Dei aliquid creatum ex parte effectus se tenens, atque ita non solum in modo exhibendi concursum, sed etiam in ipso concursu exhibito insufficientiam agnoscunt, & ideo secundum rem ipsum statuunt partialem, & insufficientem, & consequenter in actu secundo vere causam primam vilificant; sed nos statuentes concursum exhibitum in ipso actu efficaci divinæ voluntatis, nullam prorsus insufficientiam agnoscimus in entitate ipsius concursus, sed solum in applicatione illius, unde restat ut tantum secundum modum dici possit *insufficens*. Quod si Pontius contendit esse insufficientem secundum rem, & majorem concursum Deum adhibere, quando se solo producit effectum, quam quando operatur cum causa secunda, debebat ipse declarare quomodo in actu divinæ volitionis possit hæc insufficientia assignari, ac pariter intensio, vel remissio, debebat rationes solvere, quibus hoc esse impossibile demonstro disp. 2. Phys. num. 51. & 52. quare cum hæc non fecerit, potius ejus sententia *in puris verbis* consistit sine ullo sensu verborum, quam nostra; verba sine sensu amentes proferunt, non vero intelligentes, & verba Auctorum sine sensu apparent sensum non habentibus, non autem intelligentibus.

An possit vivens destrui virtute accidentis.

79 Affirmat Pontius in Physic. disp. 9. num. 18. quia licet (inquit) non est formalis repugnantia inter formam *viventis*, & *accidens*, est tamen talis *repugnantia inter* dispositionem requisitam ad formam *viventis*, & *accidens* in aliquo gradu, unde si accidens introduceretur ab alio accidente in illo gradu, destrueretur *vivens*, *nec id esset inconveniens* quia ad destructionem viventis, quæ fit per separationem animæ a corpore, non requiritur introduci aliquam formam substantialem incompatibilem cum anima; & quoniam hoc asseruit Pontius improbando responsionem quandam Scoticam a nobis datam disp. 7. Phys. num. 102. in qua negavimus accidens posse corrumpere vivens; ideo hanc ejus doctrinam ibidem in Physica recusam breviter impugnamus.

Primo,

Primo, quia hoc dicimus esse contra Scotum ibi a nobis citatum 4. d. 12. qu. 3. N. & clarius Litr. X. in illa additione, ubi negat accidens posse corrumpere dispositiones in eo gradu, quem sibi forma substantialis determinat, quæ doctrina communiter recipitur in nostra schola.

Respondet in apol. num. 229. Scotum ibi non habere aliquid nobis favens, aut illi præjudicans, hæc enim sunt verba illius litt. N. *uno modo breviter dici potest, quod qualitas est principium actionis in passum habens contrarium, & hoc secundum quemlibet gradum, secundum quem prius, & hoc inquantum est ex parte qualitatis activæ; sed propter subjectum in quo est contrarium, quod determinat sibi aliquem gradum magis, quam aliud possibile est, quod non possit in omnem gradum contrarii in quantum contrarium est in tali subjecto eodem modo, quo prius potuit.* Ex hoc loco nihil aliud habetur, quam quod qualitas non possit se sola destruere omnem gradum qualitatis oppositæ, quando subjectum determinat sibi necessario aliquem gradum istius qualitatis oppositæ, itaut non possit esse sine aliquo gradu ipsius; hoc autem est evidens, quia non potest esse actio qualitatis absque subjecto, in quod agit; ergo non potest tollere a subjecto illum gradum, sine quo nequit esse subjectum, quod est directissimum intentum Scoti: sed hinc nullo modo habetur, quod qualitas non posset destruere qualitates contrarias in gradu requisito ad conservationem viventis, quia quamvis destrueret illas in illo gradu, non sequitur quod destrueret illas in gradu, in quo requiruntur necessario ad esse subjecti, in quod agit; nam subjectum, in quod agit qualitas alterans, non est ipsum vivens, qua vivens, scilicet totum constatum ex anima, & corpore, sed est ipsum corpus organicum; quamvis autem qualitas v. g. frigus destrueret calorem viventis in eo gradu, in quo requireretur, connaturaliter ad viventis conservationem, non tamen destrui deberet in eo gradu, quem determinat sibi necessario subjectum actionis.

80 Subdit deinde nu. 230. quod quando Doctor litt. O dicit, *quod nulla substantia possit corrumpi nisi a substantia*, manifeste loquitur de substantia, quæ est subjectum immediatum alterationis corruptivæ, ut sunt substantiæ compositivæ non viventes tam completæ, quam incompletæ, nam de his procedit ratio ipsius, non vero de substantiis viventibus, quatenus viventes, de quibus nihil concludit ratio ejus. De his vero quæ habet Doctor litt. X. parum curat, quia est additio non genuino Scoti textui; & ex hac responsione deducit tandem, quam negligenter ego cum Socio Doctorem tractemus; quam querelam prosequitur num. 234. ubi ait cavendum a nobis, quoties ex Scoto discurrimus, cujus experimentum potest haberi (inquit) hoc ipso loco, dicunt enim ex Scoto litt. N. adverte citari a nobis etiam litt. X. ut clarius loquentem, quod calor licet possit destruere alios gradus caloris non necessarios simpliciter subjecto, non possit destruere gradus necessarios simpliciter, non quia in seipsis sint majoris virtutis, quam alii gradus, sed quia substantia pro illis pugnat, & resistit, major autem & efficacior est concursus substantiæ, quam accidentis. Sed hanc doctrinam ultimam (subdit Pontius) Scotus eo loco nec leviter quidem indicat, sed rationem potius dat, quam ego dedi supra, quia accidens nequit agere, nisi in subjectum, unde non potest destruere subjectum producendo aliquid incompossibile objecto, quia illud incompossibile non posset produci in subjecto, alias non esset incompossibile, nec posset produci sine subjecto, tum quia causa secunda nequit producere absque subjecto; unde nullo modo refundit Scotus causam, cur accidens non destruat gradus necessarios subjecto, in majorem virtutem, & efficaciam substantiæ; nec poterat sane cum ulla probabilitate; nam quamvis substantia nullo modo ex se haberet virtutem conservativam accidentium; tamen accidens non posset propter rationem datam destruere gradus necessarios ad conservationem subjecti.

81 Sed si unquam inique nos incusavit Pontius de prava Scoti intelligentia, plane nunc iniquissime incusat; & si perverse unquam explicuit ipse Scotum, modo illum perversissime exponit, ut jam ex ipso contextu, ejusque Expositoribus probo. Itaque ad illam difficultatem probantem, accidens separatum posse substantiam corrumpere, & quod potest in omnem gradum accidentis connaturalis, etiam posse in necessario naturaliter requisitum ad conservationem substantiæ, duplicem assignat viam respondendi litt. N. Uno modo breviter (inquit) posset dici, quod qualitas est principium actionis in passum habens contrarium, & hoc secundum quemlibet gradum, secundum quem prius, & hoc quantum est ex parte qualitatis activæ. sed propter subjectum, in quo est contrarium, quod determinat sibi aliquem gradum magis quam alium, possibile est, quod non possit in omnem gradum contrarii, inquantum contrarium est in tali subjecto, eo modo quo prius potuit, & ista responsio declarabitur ex sequentibus. Alio modo potest dici, quod etsi possit in omnem gradum alterationis, in quem potuit conjuncta, non sequitur, quod possit in corruptionem substantiæ, ratio hujus est ista, quia generatio non potest a corruptione separari comparando ad agens naturale, &c. Unde in prima responsione concedit accidens separatum, quantum est ex se, posse in quemcumque gradum, sed propter subjectum, in quo est contrarium, quod determinat sibi aliquem gradum magis, quam alium, possibile esse, quod non possit in omnem gradum contrarii; quam responsionem juxta præmissa magis declarat infra sub R. dicens: vel aliter dici potest, & planius quod gradus possunt esse ejusdem rationis vel in se tantum, vel in se, & in comparatione ad subjectum; si primo modo, falsa est illa propositio, quæ dicit, quod agens ejusdem rationis potest corrumpere illa, quæ sunt ejusdem rationis, si enim non sunt ejusdem rationis in comparatione ad subjectum; utpote quia subjectum determinat sibi alterum illorum, non autem necessario determinat sibi alios (nota bene quod non ait qualitatem non posse se sola destruere ultimum gradum qualitatis oppositæ, quia non potest esse actio qualitatis absque subjecto) in quod agit, (ut Pontius ait, sed quia sibi determinat illum) bene potest aliquod agens corrumpere in tali subjecto unum gradum, vel plures, non tamen illum ultimum, quem subjectum sibi determinat, quia ille non corrumpitur, nisi ad corruptionem substantiæ, ita ibi Doctor.

82 In secunda vero responsione, ut patet, admittit Doctor posse accidens separatum omnem gradum accidentis conjuncti destruere, etiam ultimum, sed negat consequentiam, quod accidens possit corrumpere substantiam, quia omne corrumpens debet esse simul generans, at accidens separatum non est generans substantiam; ergo nec corrumpens; Cumque contra hanc secundam solutionem feciset quandam instantiam sub eadem litt. N. quia qualitas, quæ potest in omnem alterationis præviæ ad generationem, potest in gradum incompossibilem formæ substantiali rei corrupendæ, & ita in corruptionem, quia si non potest inducere aliquem gradum incompossibilem formæ substantiali corrumpendæ, ergo cum quocunque gradu inducibili ab ipso potest stare forma substantialis corrumpendi, & ita per nullam alterationem potest corrumpendum corrumpi. Respondet immediate sub lit. O. quod nunquam potest alterans inducere gradum incompossibilem alterabili: probatur ex ratione terminorum, quia non potest movens inducere gradum incompossibilem suo mobili, quia mobile manet in toto motu, ergo sub omni gradu per motum inducto, sed mihi manet sub aliquo sibi incompossibili, ergo, &c. ita ibi. Itaque vides, discrete lector, quam insipienter confundat Pontius secundam responsionem cum prima, cum inquit nu. 229. ex illa prima etiam ab ipso verbatim relata nil aliud haberi, quam quod qualitas non posset se sola destruere omnem gradum qualitatis oppositæ, quando subjectum determinat sibi necessario aliquem gradum istius qualitatis oppositæ, itaut non posset esse sine aliquo gradu ipsius, quia scilicet non potest esse actio qualitatis sine subjecto, in quod agit, & hoc esse directissimum intentum Scoti ibidem. Vides inquam quam oscitanter id dicat, quia hæc ratio quod non potest esse actio qualitatis sine subjecto, in quo agit, non pertinet ad primam responsionem, quam dicimus esse contra ipsum, sed ad secundam, & præter clarissima Scoti verba, quæ interpretatione non egent, ita quoque ipsum intelligunt, & exponunt ibi Tataretus, Aretinus, & alii Interpretes; ex quo deducit potest, num nos negligenter tractemus Scotum, an ipse, ut nos incusat.

83 Neque minus violenta, & extorta est explicatio, quam affert litteræ Scoti dicentis litt. O. *quod nulla substantia potest corrumpi nisi a substantia*, dum inquit Doctorem non loqui de quacunque substantia, sed tantum de illa, quæ est subjectum immediatum alterationis corruptivæ, ut sunt substantiæ compositæ non viventes, tam completæ, quam incompletæ; extorta (inquam) est hæc explicatio, & contra expressa Scoti verba, cujus propositio non est indefinita, substantia non potest corrumpi, nisi a substantia, sic enim in aliquibus verificari posset, & in quibusdam non, sed est proposito universalis, *nulla substantia potest corrumpi, nisi a substantia*, quænam autem sit vis, & energia propositionis universalis suppono, Pontium scire, si summulas callet; & prorsus falsum est quod ait rationem ibi a Scoto ad hoc adductam non probare universaliter de omnibus, sed tantum de non viventibus, ratio namque qua immediate hanc propositionem universalem facit, & appellat a priori, plane universaliter probat, quæ talis est; quia prius naturaliter non corrumpitur per aliquod posterius naturaliter; quicquid est inductum ab alterante, ut alterans, est posterius naturaliter forma substantiali rei alterabilis: ergo per nihil tale inductum ab alterante corrumpitur substantia alterabilis, & talem esse sensum Scoti in ea quæstione fatentur ejus Interpretes supracitati, Tatar. & Aretinus, qui sub litt. R. in fine §. *ad 2. dico*, ita concludunt intentionem Doctoris, *ex his omnibus elicitur, quod resolutio Doctoris in hac materia est ista, quod nullo modo forma substantialis, neque gradus, quem ipsa determinat ad conservationem sui, possunt corrumpi ab aliquo accidente, sive existente in subjecto, sive extra*; Doctrina vero, quæ habetur sub litt. X. quo sensu imperfectius possit corrumpere perfectius, quamvis in quibusdam codicibus signatur tamquam additio, tamen in quibusdam non signatur, imo a præfatis expositoribus præsertim a Tatar. exponitur, ut germana litera Scoti; & quando etiam foret additio, non esset rejicienda, quia consonat doctrinæ antecedenti, quam docuerat de graduum determinatione; quæ passim, & plausibiliter recipitur ab omnibus Scotistis, ut apud omnes est videre in quæstione, an accidens possit producere substantiam.

84 Secundo impugnabatur a nobis opinio Pontii de destructione viventis ab accidentibus, quia cum ipse quoque velit substantiam conservare propria accidentia sibi connaturalia, & necessaria, resistendo contrariis; tenetur ostendere, quare substantia quæ est majoris virtutis, non plus valeat resistere, quam accidens agendo: Respondet num. 231. quamvis daretur substantia, quæ conservaret, accidentia, magis posse conservare in gradu sibi necessario, quam accidens illa destruere in eo gradu, tamen inde non sequeretur, quod posset ea conservare in

in quocunque alio gradu: imo contrarium est evidens quotidiana experientia, qua constat ex accidentibus connaturalibus substantiæ aliquos gradus per alia accidentia corrumpi, unde cum vivens, qua vivens non sit causa conservativa accidentium materialium sibi connaturalium, sed potius corpus, quod est altera pars ipsius, quandoquidem illud corpus non requirat accidentia illa necessaria in omni gradu, in quo requiruntur ad conservationem animæ, bene potest fieri, quod accidens contrarium illis possit illa corrumpere in eo gradu necessario ad animam; licet non corrumpat illa in gradu necessario ad conservationem corporis; Quod autem substantia conservans accidentia non sit tam potens ad ea conservanda, quam aliud accidens ad ea destruenda in gradu, in quo requiruntur ad conservationem animæ, patet experientia quotidiana, nam aliquando nimio calore, aliquando nimio frigore moriuntur viventia, & absurdum esset dicere, quod ille nimius calor, & nimium frigus non producerentur, aut saltem non possent produci in corpore viventis per alia similia accidentia.

85 Hæc responsio duo assumit, quæ probatione indigebant, primum est, quod vivens, qua vivens non sit causa conservativa quorundam accidentium materialium sibi connaturalium, & ad ejus conservationem necessariorum, in certu gradu, & quidem satis compertum est accidentia quædam insequi corpus vivens, qua tale, quæ nullo modo spectant ad corpus pro altera parte compositi, unde deficiente, vel abeunte viventis forma, illa quoque accidentia deficiunt, signum evidens, quod a forma viventis conservabantur, & non a forma corporeitatis, atque ideo cum substantia sit majoris virtutis a toto genere, quam accidens, dicimus, quod substantia viventis semper resistet actioni accidentium contrariorum, nisi hæc quoque auxilium habeant substantiæ, cui insident, quia substantia nequit corrumpi, nisi a substantia, qua de causa inquit Doctor cit. litt. P. quod si tota substantia ignis in sphæra sua destrueretur & manerent ibi omnia accidentia, gutta aquæ ibi posita nunquam destrueretur ab illis; Alterum etiam, quod sine probatione proponitur, est, quod quando vivens nimio frigore, vel calore interit, id eveniat præcise ex actione illorum accidentium, & non potius ex adjutorio quoque substantiarum, quibus insident, v. gr. nivis, vel ignis; quod si Pontio id videtur absurdum, non sat fuit hoc dicere, sed etiam probare debebat, nos enim cum Scoto absurdum potius opinamur oppositum ob rationem allatam.

86 Tertio impugnabatur Pontius, quia etiam ostendere tenetur, cur idem contingere nequeat in non viventibus; sicut enim potest accidens virtute propria secundum ipsum destruere dispositionem necessariam ad animam, ita poterit destruere quamlibet aliam dispositionem necessariam ad formam non viventem; & cum corruptio unius sit generatio alterius, sequitur accidens posse substantiam generare.

Respondet hanc rationem sibimet opposuisse disp. 9. Phys. ac proinde quod eam proponere non debebamus iterum, aut si eam proponere volebamus, ejus responsionem impugnare tenebamur, quod cum non fecerimus, adhuc in ea responsione persistit remittendo Lectorem ad locum citatum cum cautione, & fidejussione, quod sit ei abunde satisfactura; Cæterum an ibi respondeat Pontius ad hanc instantiam, & quid respondeat nec vidi, quod meminerim, nec videre possum, cum codicem ad manum non habeam: suspicor tamen non aliud respondere potuisse, quam id quod ait ab initio hujus defensionis num. 228. dum reddens rationem cur viventia præcise possint ab accidente destrui, inquit, id non esse inconveniens, quia ad destructionem viventis, quæ sit per separationem animæ a corpore, non requiritur introduci aliquam formam substantialem incompatibilem cum anima, seu aliquam novam substantiam generari, sicut contingit in non viventibus. Verum si ita responderet, esset manifesta petitio principii, Thomista namque ex hoc, quod accidens potest corrumpere substantiam, infert quod possit quoque eam generare, quia nequit unam corrumpere quin aliam generet, quare si dicamus posse accidens destruere substantiam viventem, quia ex tali corruptione nulla sequitur generatio alterius substantiæ, non sic substantiam non viventem, quia cum tali corruptione semper est annexa generatio alterius substantiæ, accidens autem nequit substantiam generare; si inquam, ita responderetur, manifesta petitio principii committitur, quia respondetur per id quod est in quæstione.

87 Postremo num. 223. nititur nos in contradictionem adducere, nam cum disp. cit. qu. 6. art. 3. num. 114. & 115. proponeremus difficultatem, quæ art. præc. tacta fuerat num. 104. quod si ex majori virtute substantiæ ad conservanda accidentia, quæ sibi determinat, oriretur quod accidens non posset destruere gradus necessarios, sequeretur etiam non posse alios destruere &c. respondemus substantiam non ita resistere, quin accidens possit destruere omnes gradus non obstante resistentia substantiæ, & cum contra hoc opponeretur Scoti auctoritas dicentis non posse contrarium accidens destruere qualitates, quas sibi forma determinat, ut necessarias pro sui conservatione; respondemus Scotum duas dedisse responsiones; unam qua dicit, quod posset substantia determinare sibi aliquos gradus, quos propterea non possit accidens destruere, quamvis possit alios, quos non determinaret; aliam qua dicit, quod accidens possit omnem gradum accidentis contrarii corrumpere, sed tamen quod non propterea corrumperet naturaliter substantiam, quam solutionem primæ præfetimus.

Hanc nostram doctrinam impugnat Pontius loc. cit. nam sequendo hanc secundam responsionem (inquit) recedunt a doctrina, quam supra proposuerunt art. præcedenti, quod nimirum non possit accidens corrumpere gradum omnem, quia substantia fortior est ad resistendum; ergo contradicunt sibi; & quamvis Scotus habeat duas responsiones, quarum quælibet esset probabilis; tamen non licet Scotistæ ob illas in uno loco tenere unam doctrinam absolute, & in alio loco tenere absolute oppsitam.

Deinde falsum est (inquit) quod Scotus in secunda responsione asserat accidens separatum posse destruere omnem gradum accidentis conjuncti, etiam ultimum, nam in verbis ab ipsomet citatis solum ait, quod etiamsi possit in omnem gradum alterationis, in quem potuit conjuncta, non sequitur, quod possit in corruptionem substantiæ, aliud autem est dicere, etsi possit, & quod possit; primum autem dicit Scotus, secundum Adversarii; aliud etiam est dicere, quod possit in omnem gradum accidentis conjuncti etiam ultimum, aliud quod possit in omnem gradum, in quem ipsamet qualitas conjuncta posset; ex quibus secundum dicit Scotus, primum hi Patres egregii sane, & fideles Scotistæ; Nec magis verum est, quæ supponunt accidens conjunctum posse destruere omnem gradum accidentis contrarii etiam ultimum, nam ut Scotus litt. O. citatus optime docet, id omnino implicat, quia quicquid potest producere, debet producere in subjecto, subjectum autem nequit esse absque gradu qualitatis connaturalis conservativæ, ergo nequit destruere ultimum gradum.

88 Respondeo nullam nos incurrisse contradictionem sequendo in 3. art. cit. secundam responsionem, in qua Scotus admittit accidens posse omnem gradum accidentis contrarii destruere, & in 2. art. præponendo doctrinam illius primæ, in qua docet, quod possit substantia determinare sibi aliquos gradus, quos accidens nequit destruere, quoniam hanc doctrinam non proposuimus in 2. artic. ut absolute amplectendam, ut nobis imponit Pontius, ut clare constat ex his, quæ habemus in illo 2. artic. in solutione tertii argumenti in fine, ubi dicimus, *Sed quid re vera dicendum sit pro totali resolutione hujus difficultatis, quæ adhuc magis augescit ex sequenti argumento, constabit ex dicendis art. sequenti in fine*, non ergo ibi absolute docuimus, & approbavimus doctrinam illam de resistentia substantiæ pro gradibus, quos sibi determinat, sed locuti sumus juxta communem loquendi modum Scotistarum illam acceptantium, & approbantium, ultimam resolutionem remittendo ad finem sequentis articuli. Ad aliam impugnationem, quæ in sola cavillatione consistit, dico, quod cum Scotus ait, *alio modo potest dici, quod etsi possit in omnem gradum alterationis, in quem potuit conjuncta &c.* satis patenter concedit in ea secunda responsione accidens separatum posse in omnem gradum alterationis, quandoquidem ly *etsi* non facit sensum conditionatum, sed absolutum, ac si diceret, quamvis possit in omnem gradum alterationis, non sequitur, quod possit in corruptionem substantiæ, idest concesso illo antecedente, adhuc non sequitur hoc consequens, & pariter cum concedat in ea responsione posse accidens separatum in omnem gradum alterationis, in quem poterat conjuncta, concedi consequenter, quod possit in ultimum, quem sibi forma determinat, quia si hoc non concederet, jam secunda responsio a prima non differret, quæ hoc non concedebat: imo quod id concedat in ea solutione colligitur ex 2. instantia, quam sub lit. O. facit contra eam illis verbis, si accidentia alterantia possunt in quemlibet gradum alterationis, ergo & in ultimum &c.

89 Ad ultimam respondeo utique juxta illam 2. responsionem nos concedere accidens conjunctum posse destruere omnem gradum accidentis contrarii etiam ultimum; neque oppositum docet Scotus lit. O. neque ibi dicit, ut toties in hac defensione repetit Pontius, quod accidens ideo nequeat ultimum gradum accidentis contrarii destruere, quem sibi determinat substantia corrumpenda, quia tunc actio qualitatis esset sine subjecto, & gradus incompossibilis illi non produceretur in subjecto, nihil, inquam, horum habet ibi Doctor, ut oculari fide quisque experiri potest, sed solum dicit, quod alterans, ut sic, nequit inducere aliquem gradum incompossibilem alterabili, quia mobile manet in toto motu, ergo sub omni gradu per motum inducto; cum hoc tamen stat adhuc, quod possit inducere aliquem gradum incompossibilem formæ substantiali corrumpendæ, & sic destruere gradum ultimum, quem sibi illa determinabat; neque hinc sequitur, quod actio alterativa sit futura sine subjecto, & hoc quidem certissimum est, si materia prima supponatur esse immediatum subjectum accidentium (ut ait Aretinus in hac responsione supponi) si vero supponatur esse substantia composita juxta mentem Doctoris, neque adhuc id sequitur, sed solum sequitur, quod ad destructionem illius ultimi gradus statim terminatur actio alterativa, & immediate sequitur corruptio illius prioris substantiæ, & alterius generatio, non quidem ab alterante, ut sic, quia ejus actio supponitur terminata cum destructione ultimi gradus, sed quatenus generans, & ita expresse loquitur, & se declarat Doctor in eo loco, unde statim infert, quod nulla substantia corrumpi potest nisi a substantia,

An accidentia connaturalia conserventur a substantia.

90 Disp. 7. Phys. qu. 6. art. 3. num. 113. dicimus, quod si conservatio proprie sumatur, quatenus dicit dependentiam effectus non solum in fieri, verum etiam in facto esse accidentia connaturalia producta ab ipsa substantia in se, non conservantur ab ea; si vero improprie accipiatur, ut dicit remotionem,

tionem, & impedimentum contrariorum, ne agant in illa accidentia, possunt dici conservari a substantia. Contra quam doctrinam instetit Pontius disp. 7. Phys. n. 42. probans accidentia producta a substantia conservari conservatione propria dicta, quod & rursus confirmat in apol. p. 173. n. 235. quia non potius debet virtus productiva, quam conservativa talium accidentium substantiæ adscribi; nec est ulla causa secunda, cui potius conservatio eorum adscribenda sit; nec ad Deum ipsum recurri debet absque necessitate; & licet verum sit, quod non ita essentialiter pendeat qualitas a subjecto, quin possit absque illo produci, hoc non facit ad rem, neque enim conservatio propria dicta involvit, aut requirit talem dependentiam; sufficit enim ad ipsam dependentia per se in conservari, licet non sit essentialis dependentia; sicut sufficit dependentia per se in produci absque dependentia essentiali, ut res dicatur proprie produci.

Respondi ibidem in nova editione, imo hanc esse conservationem propriè dictam, quando effectus nempe ita in fieri, & conservari a sua causa dependet, ut sua causa remota statim evanescat, quemadmodum dicimus de lumine, ut constat ex dictis q. 2. illius disp. ad cujus differentiam conservationem factam per remotionem, & impedimentum contrariorum appellamus improprie dictam; sed quocumque modo appelletur, ne fiat lis de nomine, hoc nobis sat est, quod illa accidentia connaturalia non pendeant omnia a substantia, in qua resident ita in fieri, & conservari ea necessitate, qua dicitur lumen pendere a corpore luminoso, & alii effectus, qui dicuntur a causis suis dependere in fieri, & facto esse.

91 Hanc solutionem præmissis prius nonnullis salibus circa quæstionem de nomine satis insatuatis, & insulsis n. 236. sic eam impugnare conatur citra quæstionem de nomine, data etiam acceptione, & declaratione conservationis proprie dictæ, ut a nobis asseritur. Primo quia non solum ignis conservat calorem suum conservatione improprie dicta per remotionem, & impedimentum contrariorum, sed per actionem terminatam directe ad ipsam substantiam caloris, imo non conservat ipsum per talem remotionem, & impedimentum, nisi quatenus per se directe conservat ipsum; ergo si conservatio proprie dicta sit, quæ opponitur conservationi tali improprie dictæ, ignis conservabit calorem conservatione proprie dicta; probat antecedens; quia habet virtutem productivam caloris pro quocumque instanti, ergo producit ipsum pro quocumque instanti, atque ita pro omni tali instanti habet actionem conservativam directe terminatam ad ipsum; Tum quia non est potior ratio, cur primo instanti haberet actionem immediate terminatam, quam pro sequentibus. Tum quia nequit capi, quomodo substantia impediat, aut removeat contraria, nisi conservando directe, & positive accidentia sua propria; nam non potest impedire, aut removere nisi vel formaliter non removet contraria, cum non sit opposita illis formaliter, vel effective: sed formaliter, nec effective, quia nihil producit in contrariis, aut subjecto ipsorum, per quod impediat illa; ergo eatenus removet, & impedit, quatenus conservat positive, & directe accidentia sua propria, quæ ipsis formaliter contraria sunt.

92 Respondeo primo negari posse assumptum præsertim quoad 2. partem, ad cujus probationem, quæ erat ultima, rursus negatur assumptum, & cum probatur, negatur minor, quod scilicet ignis pro conservatione impropria sui caloris nihil producat in contrariis, aut in subjecto ipsorum, oppositum namque experientia docet, quando enim ignis calefacit aquam, sua potentia activa non solum agit in aquam, verum etiam debilitat virtutem aquæ, ne in ipsum ignem reagat, aut si reagere permittitur, non tanta velocitate, ac intensione, sicut ageret si non impediretur. Sed quicquid sit de antecedenti cum ejus probationibus, illo admisso adhuc negatur consequentia, quia ad conservationem propriæ dictam jam diximus non sufficere qualemcumque actionem ignis terminatam directe ad ipsam substantiam caloris, sed deberet calor adeo essentialiter, ac necessario ab igne pendere, ut remoto ipso statim evanesçat, sicut lumen pendet a corpore luminoso, unde cum per illud assumptum cum ejus probationibus non ostendatur sic essentialem esse dependentiam caloris ab igne, non rite deducitur consequentia; unde patet, arguentem non stetisse promissis, pollicitus enim erat velle accipere conservationem proprie dictam in eo rigore, quo accipitur, & declaratur a Mastrio, & in isto sensu ostendere conclusionem ejus falsam, & responsionem insufficientem; & in fractione panis defecit, & Mastrium decipit, cum in antecedente sui argumenti accipiat conservationem proprie dictam non in rigore, quo promisit, nec in sensu a Mastrio declarato, sed in sensu laxiori.

93 Secundo arguit n. 238. calor ignis tum desineret statim desinente igne, quia desinit lumen desinente corpore luminoso; ergo si lumen conservetur conservatione proprie dicta propter hanc rationem, idem dicendum de calore; probatur antecedens, quia lumen non desinit desinente Sole, nisi quia non est alia causa effectiva totalis applicat ad productionem ipsius, unde debet desinere ad desitionem Solis; sed non est alia causa applicata, quæ conservaret calorem ignis desinente igne, ergo desinente igne necessario desinit calor ejus. Quod si velit Mastrius non esse talem dependentiam caloris ad ignem, qualis est luminis ad Solem, quatenus calor secundum speciem possit causari per alias causas secundas, lumen vero non possit, hoc potest esse verum, sed non impedit conservationem proprie dictam caloris ab igne in semeripso producti, quia secundum omnes, & ipsum Mastrium conservatio proprie dicta non exigit aliam dependentiam, quam illam, per quam distinguatur a conservatione impropria dicta, & indirecta, conservatio autem positiva, & directa sine tali dependentia potest ad hoc sufficere. Nec Mastrius inveniet, ut existimo, ullum qui in explicatione conservationis proprie dicta ponat dependentiam illam, quam ipsemet posuit, sed omnes, quod sciam, excepto ipso, intelligunt per ipsam dependentiam positivam, & directe terminatam ad rem conservatam, dum conservatur.

94 Respondeo arguentem in hoc secundo argumento magis stare promissis, sed non magis probare, negatur enim antecedens, ad cujus probationem negatur minor, quia calor ab igne productus in externo subjecto adhuc perseverat desinente igne, signum evidens non ita essentialiter ab igne dependere, sicut lumen a Sole; quod si desinente igne desinit calor sibi inhærens, id non est quia majori necessitate in genere efficientis causæ pendeat ab igne calor sibi inhærens, quam alter in externo subjecto causatus, quia cum est in proprio subjecto non est imperfectioris conditionis, ac quando est in alieno, sed desinit, quia pendet ab eo etiam in genere causæ materialis, & ad id, quod addebatur, dico non ea præcise de causa majorem esse dependentiam luminis a Sole, quam caloris ab igne, quatenus calor secundum speciem possit causari per alias causas secundas, lumen vero non possit; nam lumen quoque secundum speciem per alias causas secundas produci potest; sed ratio est, quia calor dum ab igne producitur in externo subjecto, perseverare potest remoto, vel desinente igne, non sic lumen perseverare potest in aere remoto corpore luminoso, unde constat lumen majorem dependentiam habere a Sole, quam calorem ab igne, & tale dependentiæ genus hic nos accipimus pro conservatione proprie dicta, nec abs re, quia nullum majus dependentiæ genus reperiri potest alicujus effectus a sua causa, quam quod ab ea omnino dependeat in suo esse fieri & conservari, adeout deficiente causa, illico & effectus ipse deficiat; unde fallitur Pontius, dum ait hanc acceptionem conservationis proprie dictæ non nisi a nobis agnosci, nam passim in aliis Auctoribus invenitur, & quando non invenitur, adest manifesta ratio pro ea, & quando tandem utrumque deficeret, de tali acceptione Adversarius nos incusare non debet, si ingenue vult agere; quandoquidem n. 326. permisit nobis talem acceptionem, & jactavit sub tali acceptione velle adhuc conclusionem nostram falsam ostendere, & responsionem insufficientem, oh quam verum est, *jactatores ventosos plerumque in cauda deficere*.

95 Tertio n. 239. advertit valde mirum esse, cur cum satis fuse impugnaverit conclusionem secundam nostram in hoc ipso articulo, in qua dicimus, quod substantia immediate possit producere qualitates in alieno subjecto similes illis, quibus ipsa afficitur, ut v. g. quod ignis possit producere calorem immediate in aqua, aut quocunque alio subjecto, mirum, inquam, esse cur is nova editione rationes ipsius non propoluerim, & impugnaverim, si potui. Respondeo plane non recordari, cur rationes illas suas non adduxerim, forte quia non adverti, neque enim adeo exacte perlegi ejus cursum, ut quicquid contra nos scripsit, notaverim, aut si notavi, interdum aliqua prætermisi, quæ nec apparentiam difficultatis mihi præseferre videbantur, & ita contingere potuit de rationibus illis, quibus nunc satisfeciſſem, si tomum ejus physicum ad manum haberem.

Quarto tandem, ut more suo defensionem quamlibet offensionibus, & conviciis absolvat, ita concludit: Sed certe hoc ab ipsis non est expectandum, qui nisi inveniant aliquem locum Scoti, qui faveat, non videntur multum fatigasse ingenium in excogitandis rationibus, quibus aut sua muniant, aut aliena impugnent, qui defectus est familiaris textualibus Scotistis, qui scilicet totam suam diligentiam in textu Scoti memoriæ commendando insumunt, arbitrantes se, cum id assequuntur, insigniter doctos: in quo etiam socios habent plures ex illis, quos rigidiores Thomistas vocamus: ita ille. Quibus verbis plane confirmat, & adagium, *Ubi quis dolet, ibidem & manum habet*, & Typographi querelam, quod ab adolescentia fuerit in scholis recentiorum enutritus, sic enim PP. Societatis Dominicanos appellare solent, cum vident illos mordicus affixos literæ D. Thomæ: quo etiam titulo nos cohonestavit Pontius circa textum Scoti dehonestare prætendens: oh utinam essemus boni textuales Scotistæ, quandoquidem magis valeat infirmior ratio Scoti, quam alia qualibet a nonnullis Recentioribus excogitata ut validior, addere tamen placet in utraque schola Thomistica scilicet, & Scotica necessarios esse hujusmodi rigidiores Thomistas, & Scotistas, cum nonnulla sæpe inveniantur ingenia turgentia, quæ tantum sibi fidunt, ut ob quascunque leves, & apparentes rationes sibi licere existiment viam deserere communis Magistri, & Præceptoris, unde si repagulis huiusmodi non cohiberentur, brevi actum esset de sincera doctrina D. Thomæ, & Scoti.

De motu corporum ad impediendum vacuum.

96 Disput. 12. Phys. n. 14. dicimus corpora moveri ad impediendum vacuum ob colligationem eorum ortam ex decreto Dei. Contra quam doctrinam instetit Pontius disp. 16. Phys. n. 23. quia si esset talis colligatio inter corpora, ex ea non potius oriri deberet, quod corpus recedens, trahere debeat post se corpus subsequens, quam corpus subsequens detinere corpus recedens. Ad quod respondi ibidem naturam semper facilioribus uti mediis ad impediendum vacuum, facilius autem in præfato casu evitatur vacuum per attractionem aquæ in fistulam sursum, quam per detentionem aeris in fistula, quia facile assignatur causa efficiens talis attractionis, non ita detentionis aeris, nisi ad Deum recuramus immediate detinentem corpora colligata, quod non bene diceretur, quia ad Deum in effectibus naturalibus non est recurrendum, nisi ubi deficiunt aliæ causæ naturales, quæ in proposito non desunt, tum quia melius est, si fieri possit, servare corporum colligationem finendo causas secundas motus suos agere, quam eos impediendo, impediretur autem actio causæ secundæ, si ex fistula aquæ immersa ex parte inferiori aerem attrahere non possemus.

97 Contra hanc responsionem replicat Pontius in apol. n. 283. non facilius evitaretur vacuum, si aer attraheret aquam, quam si aqua desineret aerem: nam ex decreto Dei æque potens esse potest aqua ad detinendum, ac aer ad attrahendum, & sine decreto Dei nec unum, nec alterum fieri potest: nec facilius est assignare causam secundam in uno casu, quam in altero; nam sicut causa efficiens attractionis esset causa movens aquam secundum Mastrium supposito decreto Dei; ita causa efficiens detentionis esset aqua supposito decreto Dei, neque in uno casu recurritur ad Deum, nisi eodem modo, quo recurritur in altero, ergo propter facilitatem majorem impediendi vacui, & minus necessarium recursum ad Deum, non magis debet aer attrahere aquam per fistulam, quam aqua detinere aerem in fistula. Conf. quia quandoque non potest ascendere, neque attrahi aliquid, quod alias attraheretur ad impediendum vacuum; ut patet ex follibus, qui quando est periculum vacui, non possunt extendi ulla extractione, qui tamen alias extenderetur facile; ergo vacuum tam facile impediri potest per detentionem, quam per attractionem.

98 Deinde ulterius arguit n. 284. causæ secundæ æque sinuntur facere motus suos, sive detineatur aer ab aqua per alligationem ortam ex decreto Dei, sive attrahatur aqua ab aere ad impediendum vacuum; ergo ut sinantur causæ secundæ agere motus suos, non debet obligatio statui potius sic, ut attrahatur aqua, quam ut detineatur aer, & sic responsio Mastrii totaliter corruit; probo antecedens, quia quocumque modo impediatur vacuum, causæ secundæ permittuntur facere motus suos, nisi in casu vacui, ut certum est; sed in casu vacui sive dicatur impediri uno modo, sive altero, impeditur causa secunda a motu, qui alias ipsi competeret, & hoc in ordine ad impediendum vacuum, & non impeditur ab aliis motibus, ergo æque in utroque casu impediuntur causæ secundæ; probatur minor; quia si dicatur aer ab aqua detineri, tum impediret agens, quod alias moveret aerem; seu extraheret ipsum quo minus posset ipsum attrahere; & si attrahat aer aquam, tum impeditur aqua a motu gravitatis deorsum, quem alias ex natura sua æque deberet habere, ac agens attractivum deberet posse attrahere; ergo casu vacui impeditur causa secunda.

99 Responsio concedendo assumptiones omnes primi argumenti, quatenus omnes procedunt de possibili, & de eo, quod accidere posset ex hoc, quod Deus hoc, vel illo modo decreviſſet movere corpora Universi ad replendum vacuum; sed nego consequentiam, quæ loquitur de facto, de facto enim facilius ostenditur vacuum evitari per attractionem aquæ in fistulam sursum, quam per detentionem aeris in fistula, quia videmus aquam rursum tendere, & aerem intra fistulam non detineri, unde deducimus, quod licet æque bene potuisset Deus decernere, quod vacuum in eo casu evitaretur per detentionem aeris intra fistulam, tamen de facto ita decrevit, quod nempe evitaretur per attractionem aquæ in fistulam; & licet absolute loquendo possemus ad Deum recurrere, ut immediatam causam motus aquæ sursum; tamen quia de facto videmus, & experimur causam illius motus esse agens aerem trahens ex fistula, omnino perperam fieret recursus ad Deum; itaque argumentum concludit de possibili, non de eo, quod cernimus de facto in eo casu. Ad Conf. in eo casu de follibus fateor vacuum impediri per detentionem, quam per attractionem, quia nullum adest in promptu corpus, quod follibus succedat, si dilatarentur ad evitandum vacuum; si enim adesset, ut in superiori casu de aqua per fistulam hausta, tunc evitaretur vacuum per attractionem, & motus attractionis illius corporis tribueretur attrahenti, & dilatanti folles. Hic interim advertendum est omnes hos Pontianos discursus esse contra suppositum quæriti, quæritur enim a quo moveantur corpora ad replendum vacuum, unde quæstio supponit, & loquitur in casu, quod per motum corporum sursum, vel deorsum, aut alio modo evitetur vacuum, quare dum probat Pontius æque facile impediri posse vacuum, per detentionem corporum, quam per attractionem, & motionem, plane loquitur contra suppositum quæsiti, & extra chorum cantat.

100 Ad 2. falsum est antecedens cum sua probatione, nam si servaretur corporum colligatio per detentionem aeris ab aqua, ita quod per fistulam non ascenderet, nullus fieret motus illius aeris, nec aquæ, atque ideo implicat omnino antecedens causæ secundæ, quia in uno permittuntur illos facere, in alio penitus prohibentur; unde fit; ut etiam probatio illius antecedentis sit ad oppositum, nam antecedens probandum erat hoc *causæ secundæ æquæ sinuntur facere motus suos, sive detineatur aer ab aqua, sive attrahatur aqua ab aere*, conclusio vero discursus probantis illud antecedens est hæc, *ergo æque in utroque casu impediuntur causæ secundæ*, cum potius oppositum concludi deberet, ut illud antecedens probaretur, sic inferendo, *ergo æque in utroque casu causæ secundæ sinuntur facere*

motus suos; itaque argumentum probat, quod ad evitandum vacuum in utroque casu corpora impediuntur a motibus illis, quos alias facerent, & in casu vacuum inducerent; sed non probat (quod erat intentum probandum) quod non sit melius servare corporum colligationem ad evitandum vacuum finendo causas motus suos agere, qui eos inducere nequeunt, ut dicebat responsio, qualis in casu nostro est motus attractionis aeris ex fistula, quam eos impediendo.

Secundo principaliter arguebat Pontius, quia si colligatio illa corporum adscriberetur Deo, ut nos dicimus, etiam motus aquæ ascendentis deberet ipsi adscribi per se, non attrahenti aerem, nisi per modum conditionis, sine qua non; probatur sequela, quia colligatio corporum non est aliud, quam positio corporum in locis contiguis: ergo si colligatio est a Deo, positio aquæ juxta aerem attractum erit a Deo. Ad hoc respondit loc. cit. disput. 12. n. 16. negando sequelam, quamvis enim colligatio corporum ex decreto divino pendeat immediate, non propterea motus corporis succedentis v. g. quæ in locum aeris debet Deo immediate tribui, sed motori corporis recedentis bene tribuitur supposita tali colligatione a Deo determinata, quia connaturale est, quod agens movens effective unum corpus, aliud quoque naturali vinculo ei conjunctum moveat consequenter.

101 Refellit Pontius in apol. n. 285. hoc responsum, dicens rationem adductam non valere, quia licet verum sit, quando utrumque corpus continuantur, aut uniuntur inter se unione physica, quod utrumque moveatur ab una causa; non tamen est verum, quod movens unum moveat alterum colligatum ipsi colligatione extrinseca orta ex decreto Dei, ut fit in proposito, sed alterum ab ipsomet decernente Deo debet moveri quod probatur evidenter, quia etiamsi Deus decernerer, quod corpora contigua, sed nullo modo continua, nec adhærentia sibi ex natura sua v. g. duo lapides discontinui semper essent contigua, non essent contigua vi istius decreti, nisi per ipsum decretum contiguarentur, vel ratione decreti aliquod aliud medium proportionatum poneretur, per quod necessario contiguaretur; sed per decretum Dei de contiguatione aquæ, & aeris in fistula non ponitur aliqua causa, quæ habeat virtutem contiguandi aquam cum aere attracto præter ipsum Deum, ergo si debent contiguari ratione decreti Dei, vel ipsum, decretum debet contiguare ipsa, vel Deus, & sic Deus erit causa per se ascensus aquæ, non vero causa attrahens, aut movens ipsam; probatur minor, quia si esset aliqua causa maxime causa movens aerem; sed per decretum Dei illa causa, non habet virtutem ullam, quam non haberet, etiamsi non esset decretum tale, si aurem non esset decretum tale, illa causa non haberet illam virtutem, ergo neque habet illam virtutem per decretum; Ob quam doctrinam, aut similem Scotus 4. d. 10. probat ex professo causam secundam, quæ movet species eucharisticas non movere corpus Christi, quæ ipsius sententia (ait Pontius) manifeste favet mihi contra adversarios, qui tamen videri volunt tam puri Scotistæ.

102 Conf. etiamsi Deus decerneret, quod quoties produceretur calor, produceretur gratia, vel elephas, non deberet, dici quod causa producens calorem esset causa per se physice productiva gratiæ, vel elephantis, sed si non esset alia causa applicata, deberet dici, quod determinaretur ad hoc vi sui decreti supposita productione caloris, tamquam conditione sine qua non, aut tanquam causa moraliter influente, ergo etiamsi Deus decreverit tenere aquam colligatam aeri in fistula, etiam cum attraheretur aer ab aqua, motus tamen aquæ sequentis aerem ex vi istius decreti, non deberet adscribi causæ attrahenti aerem, tamquam causæ per se physice, sed ipsi Deo, nisi fit aliqua alia causa adhuc determinate ex se.

Conf. 2. quia ideo non debet assignari productio gratiæ, & elephantis causæ productivæ caloris, ex suppositione decreti Dei, quia per decretum Dei non recipit virtutem ullam ad hoc, quam non habuit sine decreto, & quia sine decreto non habuit illam virtutem: sed idem est de causa attrahente aerem respectu motus aquæ: ergo non potest ipsi adscribi ille motus, tanquam causæ per se. Confir. 3. illud est causa per se motus aquæ, quod producit effective, & physice in ipsa ubi sursum immediate, aut impulsum, sed causa movens aerem non producit illud ubi, aut impulsum, quia ad hoc faciendum non est sufficienter applicata, ergo.

103 Respondeo quantum ad tem in se spectat negari non posse quin aqua moveatur ab attrahente aerem, non solum tamquam a conditione sine qua non, sed tamquam a propria & per se causa physica, hoc enim experientia ipsa demonstrat videmus enim agens illud in attractione valde plus fatigari, quam si solum aerem attraheret, quod utique non esset, si aqua sursum a Deo moveretur immediate, experimur, quod eadem aquæ resistentia sentitur, sive aqua moveatur sursum propter vacuum, sive propter aliam causam, & quod proportionata velocitate motivæ virtutis illius agentis moverit aqua, & quod si motoris virtus non est sufficiens ad elevandam aquam illam seclusо vacui periculo, nec etiam illam attrahet propter vacuum, & similia, quæ sunt manifesta indicia ad sensum, quod motus aquæ in casu sursum fit immediate ab attrahente aere pax fistulam, & non a Deo immediate, quæ fuit expressa Aristot. sententia 4. de Cœlo 39. Colligatio vero corporum pendet immediate ex divino decreto, & quia talis lex est valde naturalis, & conformis potentiæ passivæ corporum omnium, & bono universi, & procedit a Deo, ut auctore naturæ,

turæ, non autem gratiæ, qualis est colligatio corporis Christi in Eucharistia cum speciebus, potest in hoc sensu dici vinculum naturale inter corpora, & colligatio hujusmodi consistit in positione corporum in locis contiguis, non servatur hæc immediate a Deo, sed mediante agente naturali quod voluit, & decrevit ad evitandum vacuum medium movere corpus immediate sibi contiguum, sed aliud quoque illi eidem corpori proximum, & hoc quidem per eandem suam naturalem virtutem, licet magis applicatam, & non per virtutem aliquam ex vi illius decreti superadditam, ex qua doctrina bene intellecta facile solvuntur prædictæ instantiæ.

104 Ad argumentum itaque negatur minor, ad probationem dico ad minorem non utique ex vi decreti habere illud agens virtutem aliquam physicam superadditam, sed tantum quod per eandem suam virtutem possit movere corpus aliud contiguum illi, quod immediate movet, perinde ac si esset ei conjunctum vinculo aliquo naturali, decretum enim illud continuandi semper concursum cum quocunque agente ad conservandum ubi unius corporis immediatum ad ubi alterius, se habent tamquam vinculum quoddam naturale inter corpora. Neque doctrina Scoti 4 dist. 10. qu. 6. D. de motione corporis Christi in Eucharistia favet Pontio, sed potius nobis, tum quia illa colligatio corporis Christi cum speciebus est penitus supernaturalis, & a Deo procedens, ut ab auctore gratiæ, at colligatio unius corporis cum alio in hoc universo est naturalis, & procedens a Deo, ut ab Auctore naturæ: tum quia ratio, qua ibi probat Doctor corpus Christi in hostia non moveri a causa secunda, sed immediate a Deo, est, quia quod nullo modo habet virtutem motivam super aliud, quando illud est per se, non movet illud per accidens, quando est cum alio conjunctum; sed virtus creata omnino non potest super corpus Christi in se sub isto modo existendi ad movendum ipsum, ergo neque potest, quando est cum alio; hæc vero ratio non militat in proposito nostrum imo manifesto favet, quia si aqua non esset aeri conjuncta, sed immediate per se applicata ad illud agens, certum est quod illud agens posset eam movere, quia existit cum modo quantitativo, & est illa debite applicata, si ergo potest illam aquam movere, quando est in se, & per se, poterit quoque illam movere per accidens, quando illam movet, ut est conjuncta cum alio.

Ad 1. Conf. concesso antecedente negatur consequentia, quia non decrevit Deus tenere aquam colligatam aeri in fistula, nisi mediante actione causæ secundæ, nimirum agentis aerem attrahentis, & cum aere aquam, tum quia non valet assumpta paritas, quia calor non habet virtutem idoneam, & sufficientem ad producendam gratiam, aut elephantem, agens tamen aerem attrahens habet virtutem attrahendi quoque aquam quantum est ex se, quia sicut illam movere potest, quando est per se, & immediate illi applicata, ita potest illam movere immediate, & per accidens, quando est conjuncta illi quod immediate movetur ab ipso; supposito igitur decreto Dei de præbendo concursu ad conservandum ubi unius corporis immediatum ad ubi alterius, potest aquam movere, & sursum trahere cum aere, quia ex suppositione talis decreti ad evitandum vacuum colligata censentur *illa* corpora, *habituliter*, ac veluti in actu primo; in actu secundo autem servatur talis colligatio a Deo mediante actione causæ secundæ.

105 Ad 2. confirmationem eadem de causa negatur minor, quia non currit paritas de calore in ordine ad productionem gratiæ, vel elephantis, & de agente aerem attrahente per fistulam in ordine ad attractionem aquæ; siquidem calor nec ex se habet, nec ex vi illius decreti ullam recipit virtutem ad producendum elephantem; sed agens aerem attrahens virtutem habet de se attrahendi aquam, si Deus velit corpora illa tenere colligata, & concursum habeat paratum ad conservandum ubi unius corporis immediatum, & proximum ubi alterius; cum ergo de facto Deus talem habeat voluntatem paratam, poterit agens naturale ex suppositione solius talis decreti extrinseci simul cum aere aquam movere sursum ad impediendum vacuum.

Ad ultimam confirmationem negatur pariter minor, ad cujus probationem dicendum, quod licet non sit sufficienter applicata aqua, ut possit illam movere per se, & immediate, est tamen sufficienter applicata, sicut sufficit, ut eam possit movere per accidens, & mediate ad motum nempe corporis, quod per se, & immediate movet, quale in proposito est aer, quia supposito præfato decreto, aqua se habet ad aerem in casu nostro, sicut corpus alteri naturali necessitate colligatum, atque ideo movens unum corpus dicitur quoque naturaliter movere aliud corpus naturaliter conjunctum, & colligatum.

De speciebus intelligibilibus.

106 QUeritur Pontius in sua Appendice apol. pag. 104. num. 146. fuisse sibi objectum, quod disput. 12. de An. num. 22. præter Scoti mentem negaverit species intelligibiles; & inquit se rursus id affirmare, quamvis enim probabiliter tenuerit Doctor dari illas species, non sequitur, quin probabiliter etiam tenuerit alteram sententiam, ut constat quæst. 17. de An. subdit deinde neque absolute se id docuisse, sed solum dixisse non esse necessarias quoad rationem; hinc aurem non sequitur, quod dixerit eas non dari; multa enim dantur, & dicuntur dari propter auctoritatem aliquam ac rationem probabilem, ad quæ asserenda non datur ratio aliqua necessaria, & quæ consequenter, si rationem spectes, non sunt necessario admittenda. Addit tandem nos disp. 6. de Anima qu. 4 respondere ad omnes rationes Scoti, quibus p. d. 3. quæst. 6. ostendit specierum necessitatem, præter unam, quæ ex se ipsa non sufficit ad sententiam nostram defendendam, scilicet de necessitate specierum in ea universalitate, de qua videmur loqui, & solet teneri nostra sententia; unde deducit, mirum esse, quod nos per Typographum nostrum ei opposuerimus, tanquam judicium parvi affectus erga Scotum, quod sæpe rationes ejus impugnet, cum nosmetipsi loc. cit. idem faciamus, ideoque concludit in nos bene quadrare adagium, *Væ tibi, væ nigræ dicebat cacabus ollæ &c.*

107 Respondeo nos quoque concedere Scotum qu. 17. de anima docuisse sententiam species intelligibiles negantem, tamquam probabilem; attamen in fine quæstionis resolvit oppositam esse veriorem illis verbis, *Tene quam partem volueris, prima tamen videtur verior*, & ita notavit ibi P. Cavellus in Scholio; ex quo factum est, ut postea in libris sent. p. distinct. 3. quæst. 6. ubi maiorem habet auctoritatem parti affirmanti absolute adhæserit. Et quando in p. distinct. 3. quæst. 6. admittit species intelligibiles, utique non prætendit eas admittere ob solam auctoritatem, aut attritionem probabilem, sed ob rationem cogentem, ac veluti necessariam, ut colligitur ex verbis, quæ habet in resolutione quæstionis, dicens: *Ad quæstionem ergo dico, quod est necesse ponere in intellectu speciem intelligibilem priorem naturaliter actu intelligendi propter rationes jam positas ex parte objecti*; ergo secundum Doctorem nostrum, si rationem spectes, necessario sunt admittendæ species intelligibiles contra id quod concludit Pontius, & omnino falsum est, quod addebat denique hic Auctor disput. 6. de anima quæst. 4. respondere ad omnes rationes (una excepta) quibus Doct. loc. citat. stabilivit specierum intelligibilium necessitatem; nam prima, secunda, & tertia ratio, quas ut inutiles rejecimus quæst. cit. art. 1. non adducuntur a Scoto; quarta ratio, quam Doct. cit. §. *contra istam opinionem*, deducit ex parte universalitatis objecti, & ex parte præsentiæ ipsius intellectus, non absolute censetur inefficax a nobis loc. cit. imo num. 69. dicimus esse valde efficacem, ut deducitur ex parte præsentiæ objecti ipsi intellectui, & solum censetur inefficax, ut deducitur ex parte universalitatis objecti; neque id fecimus ex nostro capite, sed quia Doct. ipse qu. 17. de anima dedit modum solvendi rationem illam ex hac parte, ut protestati fumus num. 66. in fine.

108 Imo ibidem sub eodem num. dicimus rationem illam etiam ex hac parte nempe ex parte universalitatis objecti valde urgere in principiis Thomistarum; ut ibi declaramus, & in hoc sensu ibi adduci a Scoto, ut efficacem, quatenus opinantes, contra quos ibi arguit, cum Thomistis in eo principio concordabant; quare irrationabiliter omnino in nos concludit adagium illud *væ tibi &c.* quando namque Auctor ille rationes Scoti impugnat, & reiicit, ut inutiles, illas absolute impugnat, & *solvit ex proprio capite, & non quia Doctor* alibi dederit modum illas solvendi, ut fecimus nos, quod, num sit indicium pauci affectus erga Magistrum judicet prudens Lector.

Secundo, deinde Pontius nu. 147. ponderat unicam rationem nostram ex memoria intellectiva, & recordatione præteritorum deductum, quæ haberi nequit absque speciebus post actum remanentibus; quod si dicas nos pro statu isto posse recordari beneficio memoriæ sensitivæ, non sufficit hoc, quia sequeretur, animam separatam non posse recordari præteritorum, quod esset contra Evangelium. Sed hæc probatio (inquit ille) nullo modo probat dari species, nisi ad actum recordationis, quando non adest aliquod aliud objectum determinativum intellectus, ergo non valet ad probandam necessitatem specierum *in cognitione* abstractiva universaliter. Conf. quia nos aliquas rationes pro necessitate specierum adductas reiicimus ex eo, quod universaliter non probent necessitatem specierum in omni cognitione abstractiva, ergo non debebamus hanc rationem proponere ad id probandum, cumuni versaliter non probet illam necessitatem, sed solum in casu recordationis.

109 Respondeo, in primis falsum esse nos hac unica ratione loc. cit. necessitatem specierum intelligibilium stabilire, quandoquidem n. 69. habemus hæc verba. Accedit rationem non deficere, quæ etiam independenter a memoria probat necessitatem specierum in omnino prima abstractiva cognitione, quam Doct. exagerat p. d. 3. q. 6. litt. F. & P. palam ergo imponitur nobis, quod hac duntaxat ratione a memoria deducta necessitatem specierum probaverimus. Deinde ratio illa ex memoria deducta, quam Pontius carpit ut sufficientem, non est nostra, sed Scoti loc. cit. ut P. Cavellus *advertit* qu. 17. de anim. n. 21. ubi etiam ait esse cæteris omnibus difficiliorem, & efficaciorem; si ergo Cavellus, quem Pontius hic appellat Magistrum suum, judicat hoc argumentum efficax, & difficile, male censetur a Pontio inefficax, ac insufficiens, quia non est discipulus supra Magistrum. Tum quia & Scotus loc. cit. de anima, & Cavellus ibidem, ut partem oppositam tueantur ut probabilem, alias responsiones huic argumento assignant ab ea, quam affert hic Auctor, signum evidens non esse satis fundatam. Denique responsio Pontii est illa eadem, quam ad hoc attulit argumentum Contarenus junior qu. de speciebus sensib. de intelligib. & nos adduximus, & refutavimus disp. 6. de anima qu. 4. nu. 69. ubi ostendimus hanc rationem nedum demonstrare necessitatem specierum intelligibilium pro cognitione memorativa, ut ajebat Contar. & nunc replicat Pontius, sed etiam pro originaria, & primaria, & consequenter pro omni cognitione abstractiva, & ibidem addimus aliam Scoti rationem ostendentem specierum necessitatem independenter a memoria; frustra igitur adducit Pontius ad hanc rationem labefactandam responsionem aliorum a nobis ibi impugnatam, impugnationem dissimulans.

110 Tertio, præterea inquit se non negasse species in Angelis, & animabus separatis, sive a Deo infusas, sive ab ipsismet acquisitas; sed quod non esset necessitas ponendi illas pro hoc statu, quia ipsamet phantasmata sufficiunt, sine dependentia a quibus nihil intelligimus pro hoc statu experientia teste; ergo quamvis anima haberet species recordativas, *nihil hoc concludit* contra ipsum. Verum hæc solutio in terminis adducitur, & refellitur a Doctore p. distinct. 3. q. 6. lit. F, & P, & a nobis q. 4. cit. n. 69. ubi ostenditur, quod ad hoc non sufficiunt phantasmata, nam si intellectus haberet objectum suum tantum in phantasmate præsens, & non in proprio repræsentativo, tunc esset deterioris conditionis, quam ipsæ potentiæ sensitivæ, quæ objectum suum præsens habent in proprio repræsentativo, non alieno; quam rationem Pontius tutus dissimulavit. Deinde ex hoc, quod anima separata recordetur præteritorum, & gestorum in hac vita bene deducitur specierum necessitas, quia talis recordatio nonnisi per species in hac vita acquisitas fieri deberet, quandoquidem ad infusas recurrere non possumus in via Doctoris illas negantis 2. dist. 3. q. 10. & 11. & 4. dist 45. q. 2. & 3.

Resp. Pontius n. 148. dici posse, quod anima separata recorderur per species infusas a Deo, sicut dicunt Thomistæ de Angelis; neque hoc esse contra Scotum, nam quamvis possint ipsimet intelligere objecta præsentia sine speciebus, & acquirere species, quibus ea intelligerent absentia, & quibus recordarentur eorum, quando in ordine ad hoc semel illa objecta bene proponerentur, tamen si deberent aliqua intelligere, aut recordari, antequam objecta sufficienter applicarentur ad acquirendas ab ipsis species ad hoc necessarias, certum est quod Deus ipse deberet infundere species illas, & sic nemo bonorum Scotistarum negat a Deo infusas multas species Angelis, sed solum dicunt, quod ipsi possent intelligere aliqua, etiamsi non infunderet species, quia ipsimet possent species acquirere, quare cum velit Deus, quod anima separata recordetur præteritorum, & id non possit facere sine speciebus, ut supponitur; nec applicentur actus præteriti, a quibus species hauriri possint, omnino non est inconvenies recurrere ad Deum.

111. Hanc quoque responsionem dedit Cavellus ejus Magister q. 17. de anima n. 21. in fine, qui tamen non dicit, ut Pontius, non esse contra Scotum, imo ultro fatetur esse contra Scotum, & oppositum ejus omnino a Scoto doceri, sed tantum inquit, quod pro opposita opinione, negante nimirum species intelligibiles, problematice tuenda facile Scotum admittere doctrinam illam Thomisticam de effluxu specierum a Deo in Angelos, & animam separatam: unde plane mirum est, quomodo audeat dicere Pontius responsionem hanc non esse contra Scotum, cum ipse Doctor ex professo doceat contra D. Thomam loc. cit. animam separatam recordari præteritorum per species in statu conjunctionis acquisitas, & non a Deo infusas: Deinde dato etiam, quod in casu ab ipso posito necesse esset recurrere ad species infusas pro habenda aliquorum recordatione, quæ antea non fuerunt sufficienter applicata ad acquirendas ab ipsis species ad hoc necessarias; tamen in sent. Doct. semper stabilitum manet, quod pro recordatione gestorum in hac vita necessariæ sint species in statu conjunctionis acquisitæ; neque opus est recurrere ad species infusas. De tali recordationis genere loquitur argumentum propositum, non autem de alio possibili, quod comminiscitur Pontius pro sua sententia tuenda. Deinde casus ille ab Adversario positus *mihi videtur* fictitius, & repugnans, quo enim modo fieri potest, ut anima separata vel Angelus aliqua intelligere, aut recordari debeant, quæ non fuerint sufficienter applicata ad acquirendas ab ipsis species ad hoc necessarias? plane si objecta non sunt sufficienter applicata intellectui, intellectus ea intelligere nequibit, & tanto minus recordari, quia recordatio supponit talem applicationem objecti ad potentiam aliquando fuisse factam, cum recordatio non sit nisi ejusdem objecti veluti repetita cognitio. Demum ex præfata responsione sequitur, Angelum, & Animam separatam suæ naturæ dimissos nullius præteriti posse recordari, nisi Deus in funderet species, quod valde vilificat naturam Angeli, & animæ intellectivæ, ut arguit Doct. 4. d. 45. qu. 2. §. *Hic tenetur*, & nos cum ipso disp. 6. de anim. q. 4. n. 68.

112 Occurrit Pontius in append. n. 149. hanc sequelam ultimæ instantiæ inadvertenter a nobis deduci, quia quoties haberent actus possent ab illis acquirere species recordativas, nec sequitur hinc, quod de facto actus animæ in corpore causarent species illas, & consequenter, quod de facto admittendæ sint species; nam quemadmodum objecta spiritualia, & corporalia possunt absque dependentia a sensibus determinare intellectum animæ separatæ ad cognitiones, sive immediate, sive mediantibus speciebus, & tamen sic determinare non possunt intellectum animæ conjunctæ, ita possent actus animæ separatæ relinquere post species recordativas, quamvis non possunt id facere actus animæ conjunctæ. Addit deinde, quod quemadmodum præter species debet assignari causa aliqua determinativa intellectus separati, & excitativa unius speciei præ alia, ita illa causa sufficeret se sola ad causandam cum intellectu unam cognitionem præ alia absque speciebus, & hoc non tantum de recordativa cognitione loquendo, sed de quacunque alia, unde concludit manere adhuc a primo ad ultimum non esse rationem ullam, quæ necessario probet requiri species intelligibiles pro statu isto.

113 Caterum instantia illa ultima contra succedentem responsionem, quod Angelus, & anima suæ naturæ relicti non possent recordari præteritorum, est Scoti loc. cit. dum probat recursum ad species infusas vilificare naturam Angeli, & animæ intellectivæ, & ideo ob reverentiam Doctoris P. Cavellus qu. 16. de Anima n. 22. adducens hanc eandem instantiam non usus est dicere, sicut Pontius, esse inadvertenter inductam; Sed quicquid sit de hoc, dico hanc responsionem esse cum majori inadvertentia datam, dum inquit, quod quoties Angelus, & anima separata haberent actus, possent ab illis acquirere species recordativas, atque ita præteritorum recordari absque asportatione specierum ab hoc statu; hoc inquam, satis inadvertenter dicitur, quia ad actum recordationis, ut docet Doctor 4. dist. 45. qu. 3. G. duplex objectum requiritur, rem orum scilicet, & est illud, circa quod memorans aliquando habuit actum; & proximum scilicet ipse actus præteritus, qua talis, nec unum sine altero sufficit ad memorandum, quia species actus non nisi actum repræsentare potest, & ejus cognitionem excitare; ergo si non alia species in intellectu reperitur, nisi ipsius actus, & non etiam objecti, circa quod actus ille fuit aliquando elicitus in statu conjunctionis, nunquam memoria habebitur de tali objecto. Et cum ulterius subdit neque hinc sequi, quod de facto actus animæ in corpore causarent species illas, & consequenter quod de facto admittendæ sint species, aperte id negat contra Doctorem 4. d. 45. q. 3. infra lit. C, dicentem quod objectum proximum recordationis est actus humanus præteritus, & quod dum ille fuit in intellectu conjuncto, imprimebatur species ejus necessaria; & sic etiam passim loquuntur alii Doctores dicentes regulariter ex actu elicito derelinqui in intellectu speciem impressam ejusdem. Neque valet paritas de objectis externis sive spiritualibus, sive corporeis, & de actibus internis ipsius intellectus; quamvis enim illa nequeant intellectum conjunctum determinare sine dependentia a sensibus, quia ad intellectum transire debent mediis sensibus aliquo modo, illisque mediantibus proprias imprimere species; talem tamen indigentiam non habent actus ipsi intellectus, cum ei sint seipsis immediate præsentes, & adhærentes; & tandem quando etiam concederetur actus intellectus, cum eliciuntur, non derelinquere in ipso suas proprias species pro statu isto, non hinc infertur, ut Pontius deducit, species intelligibiles de facto admittendas non esse; quia si non darentur species actuum intellectus, quæ sunt objecta proxima recordationis, adhuc dari possent species impressæ aliorum objectorum externorum, quæ sunt objecta recordationis remota.

In alia tandem responsione, quam ultimo assignat, falsum assumit, quod scilicet præter species debeat assignari causa aliqua determinativa intellectus separati, & excitativa unius speciei præ alia; hoc enim aperte refellit Doctor 4. d. 45. q. p. lit. D, ubi movens difficultatem, si multæ species conservarentur in intellectu separato, quæ prior moveret intellectum ad contemplandum objectum per ipsam repræsentatum, cum recurrere nequeamus ad phantasmata efficacius, vel inefficacius moventia; respondet opus non esse recurrere ad causam aliquam determinativam intellectus separati præter ipsas species, etenim supposita æquali intellectus inclinatione ad multa objecta per species repræsentata, quod est efficacius, & fortius motivum prius movebit, & prius intelligetur.

An in Beatis visio beatifica sit verbum.

114 DIcimus disp. 6. de Anim. q. 3. art. 2. n. 48. ex Scoto p. d. 27. §. *Ideo istis*, quod licet verbum sit semper ipsa actualis intellectio, non tamen quæcunque intellectio est verbum, sed illa tantum, quæ est naturaliter genita, & producta a memoria fœcunda, idest ab intellectu simul cum objecto, vel in se præsente, vel in specie; & ex his duobus memoriam fœcundam constituit, ut Aug. sæpe docet 15. de Trinit. adeout duæ conditiones præsertim requirantur ad Verbi conjunctionem, & formalitatem; Una est, quod ea intellectio, quæ dicitur Verbum, sit vere genita, & producta; altera est, quod sit producta per modum naturæ, idest non per actionem liberam, sed naturalem; defectu primæ conditionis intellectio essentialis in divinis verbum appellari non potest, esto enim ea a memoria fœcundi naturaliter fit, non tamen est ab ea vere producta, sed tantum emanatione quadam resultat ab ea; defectu secundæ conditionis inquit Doctor quol. 14. art. 2. Bb. visionem Dei in beatis non esse verbum quia esto sit naturalis divinæ essentiæ similitudo, non tamen naturaliter ab ea producitur, sed libere, cum ad eam concurrat ut volens, & idem replicat quol. 15. art. 2. X.

Huic doctrinæ refragatur Pontius disp. 12. de Anima n. 99. & in apolog. pag. 107. n. 151. ubi contendit quamcunque cognitionem ab intellectu formatam esse verbum, & consequenter vult visionem beatificam in beatis esse verbum, idque ad mentem Scoti (de qua præsertim quæritur in hoc puncto) nam in p. d. 2. q. 7. n. 17. expressissime asserit, quod *in nobis verbum perfectissimum erit in patria secundum Aug.* 15. *de Trinit.* & in eodem p. d. 27. q. 3. n. 15. tanquam inconveniens infert ex doctrina eorum quos impugnat, *igitur beatus non habet verbum de essentia divina.*

115 Ad hoc responsionem quandam generalem dedi disput. 6. cit. n. 49. quod si Augustinus interdum visionem beatam verbum appellat, intendit docere Beatos *videre* Deum notitia clara, & distincta, quæ sit perfecta, & expressa similitudo divinæ essentiæ, quo sensu semetipsum explicat 14. de Trinit. c. 17. *dum videbimus eum, sicuti est, tunc verbum nostrum non erit falsum*; & in

& in eodem sensu locutum, esse Scotum dixi, si quando visionem beatam Verbum appellat, & hoc etiam interdum feciſſe ad excludendam rationem Thomiſtarum, quia ipſi negant, Verbum produci in viſione beata, quia ſcilicet nulla creata ſimilitudine videri poteſt Deus; ſic ergo explicandæ ſunt auctoritates adductæ, licet ſecunda nulla egeat explicatione præter eam, quam arguens ipſe affert, cum inquit inconveniens illud inferri, non abſolute, ſed ex doctrina eorum, quos impugnat.

Contra replicat Pontius in apolog. num. 155. quod expoſitio hæc tortiſſima ſit, aut non faciat ad propoſitum; nam vel viſio clara, & diſtincta eſt verbum, vel non eſt verbum; ſi eſt verbum, habetur intentum, ſi non eſt verbum, ergo peſſime diceret Auguſt. illam eſſe verbum, & quemadmodum qui diceret viſionem beatam eſſe lignum, etiamſi nihil aliud vellet, quam quod eſſet viſio clara, & diſtincta, peſſime loqueretur, quia lignum hoc non ſignificat, nec viſio clara eſt lignum, ita ſi viſio clara non ſit verbum, nec verbum ſignificet claram viſionem, peſſime quis diceret, quod viſio eſſet verbum, etiamſi per hoc intenderet ſignificare tantum, quod eſſet clara & diſtincta; ergo illa explicatio Auguſtini eſt torta, aut non facit ad propoſitum. Ex quo patet non valere etiam explicationem Scoti, quatenus dicitur eodem ſenſu locutus, quo Aug. & quod additur ipſum eodem modo loquendi uſum ad excludendam rationem, ob quam Thomiſtæ negant viſionem beatam eſſe verbum, omnino gratis dicitur, & falſo; gratis quidem, quia nulla eſt ratio, ob quam colligatur, quod propterea ſit eo uſus, & ſi non eſſe verum ob rationes Thomiſtarum, male diceretur abſolute, quod viſio eſſet verbum, ſed potius deberet dici, quod eſſet verbum quantum ad rationem Thomiſtarum, falſo etiam, tum propter rationem allatam, tum quia ipſe abſolute infert in ſecundo loco, tamquam inconveniens, quod viſio beata non eſſet verbum contra alios auctores, quam Thomiſtas, ergo non eſt uſus eo modo loquendi ad excludendam rationem Thomiſtarum, de qua neque mentionem facit in primo, aut ſecundo loco,

116 Addit, quod quemadmodum nos exponimus Aug. & Scotum, ita poſſe facilius ab ipſo Scotum exponi quol. cit. loqui de verbo, quod habet omnes conditiones, quas habent verba de facto a nobis producta circa creaturas, quæ verba producuntur naturaliter, ex hoc autem non ſequitur, quod verbum, ut ſic, exigat illas conditiones, nec conſequentur quod viſio beata non ſit verbum, ſecundum quod exigitur ad verbum, ut ſic, quamvis non ſit verbum, ut exigunt verba creata naturalis ordinis, ergo ſi ſufficit noſtra expoſitio, quominus dicatur noſtra ſententia eſſe contra Scotum, ſufficit ejus explicatio pro ſua, ne contra Doctorem judicetur.

Reſpondeo, Pontium nunquam adeo inepte, & inſulſe locutum, adout hic quadret adagium, *Poſtillo retuſior*, quod ſic oſtendo argumentum retorquendo in ſimili, ſi quæratur, an creatio Angeli poſſit dici mutatio, & reſponderet quis per diſtinctionem, quod ſi mutatio, per hoc quod dicit rem aliter ſe habere nunc quam prius, intelligatur ſolum ſignificare tranſitum rei de non eſſe ad eſſe, tunc creatio Angeli eſt mutatio, quia Angelus tranſit de non eſſe ad eſſe, at ſi mutatio ſignificet ulterius actuationem alicujus potentialis præexiſtentis, in hoc ſenſu mutationem non eſſe, quia in Angelo nulla talis pars potentialis præexiſtit, ſi, inquam, quis ita reſponderet, & ego inſtarem, vel creatio Angeli eſt mutatio, vel non eſt mutatio, ſi eſt mutatio habeo intentum, ſi non eſt mutatio, ergo peſſime appellatur mutatio, quemadmodum qui diceret creationem eſſe lignum, etiamſi nil aliud vellet per hoc ſignificare, quam quod ſit tranſitus de non eſſe ad eſſe, peſſime loqueretur, quia lignum hoc non ſignificat, nec tranſitus de non eſſe ad eſſe eſt lignum, ſi, inquam, ſic arguerem, nonne exſibilandus eſſem? ita plane, quia mutatio ſignificat tranſitum rei de non eſſe ad eſſe, & tranſitus talis non eſt prædicatum impertinens ad mutationem, ſicut eſt ad lignum, vel lignum ad talem tranſitum, ſic adamuſſim res in propoſito contingit, nam verbum ſignificat claram, & diſtinctam rei notitiam ex ejus inſtitutione, non ſic lignum, & talis clara notitia non eſt prædicatum impertinens ad verbum, ſicut eſt ad lignum, eſt ergo ineptiſſima paritas, & ridiculus arguendi modus, quemadmodum multis aliis exemplis id demonſtrari poſſet: in hoc igitur ſenſu appellat Auguſt. verbum viſionem beatam, quatenus eſt clara, & diſtincta Dei ſimilitudo expreſſa, & ratio eſt, quam innuit Mairon. 1. d. 27. qu. 1. art. 1. quia nimirum Aug. varie locutus eſt de Verbo, interdum ſcilicet accipiendo illud pro ſimilitudine rei, aliquando pro ſpecie, aliquando pro objecto, quatenus hæc omnia per quandam analogiam ad Verbum poſſunt talem nomen participare, quod plane ligno convenire non poteſt.

117 Alia etiam explicatio, ſi quando Scotus verbum appellaret viſionem beatorum, non eſt gratis aſſumpta, ut ait Pontius, quia non eſt applicata ad exponendum aliquem locum particularem, cui non quadret, ſed eſt explicatio quædam generalis, quatenus Doctor non ex eodem capite negat a Beatis formari verbum de divina eſſentia, ex quo negant Thomiſtæ, quia nimirum dari nequeat ſimilitudo expreſſa creata eſſentiæ divinæ; imo ex hoc capite ultro concedit viſionem beatam eſſe Verbum, & Verbum formare Beatos de divina eſſentia, unde ſi detur talis explicatio, non datur ſine fundamento, & omnino gratis. Neque enim eſt falſa, quia non quadret loc. cit. 1. d. 27. quæſt. 3. num. 15. nam explicatio illa datur ad loca, ubi de mente propria loqueretur, ſed ibi loquitur ad hominem, & infert tanquam inconveniens ex doctrina eorum, quos ibi impugnat, ut bene notat Pererius in contradictionibus Scoti ad 1. ſentent. diſt. 27. quæſt. 3. imo & concedit ipſe Pontius ſupra relatus; unde mirum eſt, quomodo poſtea ſtatim dicat num. 155. quod Scotus *abſolute infert in ſecundo loco* (*nempe* 1. diſtinct. 27. quæſt. 3.) *tamquam inconveniens, quod viſio beata non eſſet verbum*, cum ſupra dixerit n. 151. quod illud, *tanquam inconveniens infert ex doctrina eorum, quos impugnat*, & non abſolute, quæ eſt potentiſſima contradictio in eadem fere pagina. Quod tandem addit de explicatione illa, quam ait poſſe dari facilius loco citato ex quol. 14. eſt plane gratis omnino dictum, nam illæ duæ verbi conditiones, & quod ſit productum, & quod ſit per modum naturæ productum ab integro ſuo principio, non ſolum conveniunt verbo creato, quod circa creaturas naturaliter producimus, ſed etiam conveniunt Verbo divino; unde cum ſit ratio communis verbo creato, & increato, non exiguntur illæ conditiones ad verbum creatum, & naturalis ordinis præciſe, ſed ad verbum, ut ſic, quatenus eſt commune creato, & increato; quare illa expoſitio omnino irrationabilis eſſet.

118 Deinde num. 156. urget argumentum P. Cavelli diſp. 3. de Anima ſect. 3. num. 10. quia non requiritur ad rationem prolis, & generationis, quod utraque cauſa naturaliter concurrat, alioquin B. Virgo non fuiſſet Mater Dei, nec Deus ejus Filius, quia Spiritus Sanctus concurrit ad generationem ejus, ut cauſa libera, non ut cauſa naturalis; quia ergo viſio beata ſaltem ab intellectu creato naturaliter producitur, hoc ſufficit, ut dicatur verbum, licet ex parte objecti procedat libere.

Reſponſum eſt ad id diſput. 6. citat. num. 49. negando conſequentiam, quia Chriſtus ut homo poſtulabat naturaliter gigni ab utroque parente, unde mere accidentale fuit illi, quod Spiritus Sanctus, vel tota Trinitas ſuppleverit vices patris naturalis per concurſum liberum; atque ideo hoc obeſſe nequit denominationi filii, quam fundavit ad concurſum per modum naturæ exhibitum a B. Virgine, quia quod eſt per accidens variare non poteſt, quod eſt per ſe; hæc autem ratio non militat in productione Spiritus Sancti, nec in productione viſionis beatificæ, quia nec Spiritus Sanctus petit naturaliter produci, ſeu per modum naturæ, neque beata viſio a divina eſſentia ita cauſari, cum hæc immediate non agat ad extra, atque ideo nec illa Verbum, nec iſta filius dici poſſunt.

Contra replicat Pontius, ergo ſaltem non impedit rationem Verbi in viſione, quod actu non producatur naturaliter; ſed ideo ſolum non erit Verbum, quia ex ſe non poſtulat naturaliter produci; ſed nihil amplius intendimus per illam probationem, quam hoc contra Scotiſtas, qui propterea excludebant viſionem a ratione verbi, & prolis, quia non producebatur actu naturaliter. Quod ſi dicamus, eos voluiſſe per hoc, quod viſio propterea non eſſet, Verbum, quia non exigit produci naturaliter. Tunc probandum erit (inquit) quod ſit de ratione verbi exigentia ad productionem naturalem, quod ab eo tam facile negabitur, quam a nobis facile aſſeritur.

119 Reſpondeo negando conſequentiam, committitur namque fallacia a ſecundum quid ad ſimpliciter, ex hoc enim quod concedimus Chriſtum dici Filium B. Mariæ, quia ad ejus humanitatem habuit naturalem influxum, neque hanc denominationem impediri ex eo, quod Spiritus Sanctus ad ejus generationem habuerit concurſum liberum, quia id mere accidit humanitati Chriſti, qui poſtulabat ut homo, ab utroque parente naturaliter gigni; ex hoc, inquam, deducitur abſolute neque impedire rationem Verbi in viſione, quod actu non producatur naturaliter; hoc ſane inferri nequit ſine fallacia a ſecundum quid ad ſimpliciter, quia Chriſtus ut Filius Mariæ, de facto ab ea naturaliter proceſſit, unde ſaltem ab una cauſa fuit naturaliter productus, licet non ab alia. Quomodo ergo hinc deducitur abſolute quod viſio beata poſſit adhuc retinere rationem Verbi, etiamſi non actu naturaliter producatur? in reſponſione non eſt conceſſum Chriſtum, ut Mariæ filium, a nulla cauſa naturaliter proceſſiſſe de facto, imo dictum eſt ita proceſſiſſe a Matre, & ideo peſſime deducitur inde non impedire rationem Verbi in viſione, quod actu non producatur naturaliter, ſimpliciter, & abſolute loquendo, ſed ad ſummum inferri poterat, quod non impediret rationem verbi in viſione, quod actu non producatur naturaliter ex parte objecti, quod adhuc negaremus ſtando in doctrina nobis tradita ab Auguſtino in libris de Trinitate (a quo poſtea cæteri Theologi didicere) de notione Verbi, illud namque ſemper appellat notitiam genitam a memoria fœcunda, unde cum memoria fœcunda integretur ex potentia, & objecto, conſequenter ab utroque principio per modum naturæ procedere debet notitia, ut rationem Verbi ſibi vindicet; quod ſi id actualiter petit Verbum in ſententia Auguſtini, tanto magis ei conveniet aptitudinaliter, ſeu exigitive ita produci; nec unquam tam facile id a Pontio negabitur, ſicut a nobis aſſeritur, & probatur.

120 Et ex hoc adhuc magis deprehenditur falſum eſſe, quod aſſerit in apol. num. 157. & fatetur jampridem aſſeruiſſe diſp. 12. de Anima num. 99. quod non ſit de ratione formali Verbi, quod actu producatur ab intellectu; nam ut vidimus ex Auguſt. præcipua conditio Verbi eſt, quod ſit notitia genita ab intellectu; Et quamvis ibidem niratur hoc oſtendere contra nos ad hominem, quoniam ad rationem filii non requiritur ſecundum nos ex reſponſione data ad argumentum Cavelli, quod actu naturaliter producatur a parente, quia alias Chriſtus non eſſet Filius Virginis, ſed ſufficit, quod aptus natus ſit ſic produci. Attamen hæc inſtantia fundatur in hac eadem impoſtura, quod hoc conceſſerimus, quod nullo modo conceſſum eſt, imo diſerte diximus, Chriſtum dici Filium Virginis, quia per modum naturæ exhibuit ſuum concurſum in ejus generatione, & naturaliter actu productus eſt ab ipſa; ſed quia contendit ibi hanc controverſiam reducere ad quæſtionem de nomine, ut ſui moris eſt, ulterius in hoc puncto progredi nolo.

Poſtquam conatus eſt Pontius ſua defendere a noſtris reſponſionibus, nititur etiam num. 152. & 153. noſtras infirmare probationes præfati aſſerti, quod Viſio Beatorum non ſit Verbum; Cumque hoc probaverimus Scoti teſtimonio Quol. 14. Bb. clariſſimo, & patentiſſimo, ubi hoc docet, & declarat ex profeſſo; reſponder huic loco duo alia loca ab ipſo adducta præponderare, & ideo hinc non magis debere dici quod Scotus teneat hanc partem, quam oppoſitam, ſed ad ſummum, quod utramque probabiliter teneat, ne ſibi contradicat; Addit deinde, quod in quol. illo non dicit abſolute, quod viſio Beatorum non ſit verbum, ſed terminis probabilibus utitur, nempe, *poſſet dici*, abſolute autem loquitur in locis ab ipſo citatis. Addit tandem omnes præferre reſolutionem ipſius in ſententiis quibuſcumque aliis operibus, præſertim ubi ratio, vel auctoritas aliqua alia non magis favet reſolutioni, quam haberet in aliis operibus.

121 Cæterum falſum omnino eſt illa duo loca ab ipſo, vel potius a P. Cavello in Scoto verſatiſſimo citata præponderare loco ex quolibetis, nam ut notat Perius in contradictionibus Scoti ad p. ſent. d. 27. qu. un. illa duo loca accipiuntur ex parte arguitiva, ubi *non* eſt *accipienda aliqua determinatio*, & præſertim in 2. loco nimirum p. d. 27. infert illud tamquam inconveniens ex doctrina eorum, quos impugnat, ut fatetur Pontius ipſe; quo igitur pacto hæc loca præponderare poſſent loco ex quol. 14. ubi loquitur in parte dogmatica, & reſpoſitiva, & diſerte explicat hoc punctum de viſione Beatorum, an ſit verbum, & reddit rationem, cur non ſit, ubi in locis ex p. ſent. citatis vix habet duo verba, & in parte arguitiva; & plane friget omnino, quod ait, Doctorem eſſe ibi locutum ſub terminis probabilibus *poſſet dici*; hæc enim eſt phraſis Scoto pro ſua modeſtia ſatis familiaris, ut in eo verſatis compertum eſt, qua etiam utitur, cum magis reſolute loquitur; & denique in Subtilium ſchola enutritis ſatis quoque compertum eſt, Quolibetales quæſtiones eamdem habere auctoritatem, quam quatuor ſententiarum, imo majorem, quia cum poſt illos ſcriptæ fuerint, ut fertur, cenſetur ultima voluntas Doctoris.

Addidimus deinde ad noſtrum aſſertum firmandum rationem ex Auguſt. deductam, quia Verbum appellatur ab eo ſemper proles a *memoria* fœcunda genita; at memoria fœcunda ex intellectu conſtituitur, & objecto ei præſente, vel in ſe, vel in ſpecie, ergo de ratione Verbi eſt, quod naturaliter gignatur a totali ſuo principio; nec ſufficit, quod naturaliter procedat ab altero tantum. Tum quia ſi hoc ſufficeret, tum Spiritus ſancti productio eſſet generatio, & ipſe eſſet Verbum, quia licet libere producatur ex parte potentiæ, adhuc tamen naturaliter procedit ex parte objecti, ergo ad rationem Verbi requiritur, quod utrumque principium naturaliter agat; & *multo magis* in objecto id neceſſarium eſt, tum quia Verbum ab objecto ſpecificatur, atque ideo magis ei aſſimilatur; tum quia in propoſito objectum principalium concurrit, quam intellectus.

122 Reſpondet, quod licet vocet Auguſt. verbum prolem, *non tamen dicit*, quod omne verbum ſit proles, ſed ſi proles intelligatur in ſenſu, in quo viſio beata non ſit proles, ut volunt Adverſarii, patet, quod non voluit omne verbum eſſe prolem, quandoquidem dicat *viſionem* beatam eſſe prolem; & in deſcriptione Verbi p. de Trinit. 10. nulla fit mentio de prole, ſed deſcriptio convenit omni prorſus cognitioni productæ, ſive omnis ſit proles, ut ego exiſtimo, ſive non, ut putant Adverſarii. Rurſus non video (inquit num. 154.) quomodo ſequatur *illa conſequentia*, verbum eſt proles cauſata a memoria fœcunda, ergo debet naturaliter cauſari ab utraque cauſa conſtituente memoriam fœcundam; cur enim non ſufficeret, quod cauſaretur a ſola potentia naturaliter, præſertim quando ipſum objectum ſecundum ſe non concurrit, neque ſecundum ſpeciem, ſed mediante voluntate potente ſupplere defectum objecti, & ſpeciei? Nec valet probatio, qua probant Adverſarii id non ſufficere, nempe quia inde ſequeretur, quod Spiritus Sancti productio *eſſet generatio; nam admittendo* quod *non ſit generatio*, quia libere producitur non naturaliter, hoc debet intelligi de libertate ex parte potentiæ, nam productio Verbi non dicitur generatio ex productione naturali, niſi quia naturaliter producitur ex parte potentiæ; unde cum Spiritus Sanctus non producatur *naturaliter* ex parte *potentiæ*, ſed libere, ſufficienter ex hoc capite diſtinguetur productio ipſius a productione Verbi ad non habendam rationem generationis, quemadmodum verbum habet.

123 Hæc reſponſio contrariatur omnino doctrinæ, quam tradidit D. Auguſt. de Verbo 9. de Trin. cap. ultimo; ubi exactius de hoc puncto tractat quam in aliis omnibus locis, qua de cauſa ex eo præcipue loco Scotus deſumpſit quæcumque de verbo nobis ſcripta reliquit; ibi igitur expreſſis, & diſertis verbis ait, non omnem notitiam actualem eſſe verbum, ſed illam tantum, quæ eſt genita ex memoria fœcunda, quæ dicitur proles, & quæ ex objecto naſcitur ut proles ejus referente Scoto quol. 14. Bb. & p. d. 27. qu. 3. §. *ad quæſtiones iſtas*, & infra §. *ideo iſtis*, inquit, quod quælibet notitia genita, quam Auguſt. vocat prolem, eſt verbum, & ex his deducit definitionem Verbi, non autem ex p. de Trin. cap. 10. quæ quidem definitio, cum dicat Verbum *eſſe notitiam* productam a memoria perfecta, conſequenter indicat notitiam, quæ eſt Verbum, eſſe prolem; hæc enim eſt, quæ naſcitur ex memoria perfecta ideſt ab intellectu, & objecto, & quidem ab utroque naturali proceſſione; Et illa conſequentia noſtra (verbum eſt proles cauſata a *memoria* fœcunda, ergo debet naturaliter cauſari ab utraque cauſa conſtituente memoriam fœcundam) eſt optima, quia ſi objectum ſit præſens intellectui mediante voluntate, & non potius ex ſeipſo, aut per ſui ſpeciem, non conſtituit memoriam, nec intellectum fœcundare dicitur, ſed ut memoriam conſtituat, debet fieri præſens intellectui naturaliter; & ut notitia ab eo producta dicatur verbum, & proles, debet naturaliter producere nedum ab intellectu, ſed etiam ab objecto, alioquin ſi libere ab objecto procederet, eſſet proles intellectus, ſed non objecti, ex doctrina Aug. & Scot. loc. cit. imo potius nec verbum, nec proles abſolute dicenda foret, quia ut docet Doctor quol. 16. lit. S. & T. quando voluntas concurrit cum cauſa naturali, ita quod voluntas ſit cauſa principalior, totus effectus cenſeri debet libere produci, quare cum viſio beata producatur ab intellectu beatorum, & a divina voluntate gerente vicem objecti; tota cenſeri debet libere producta, atque ideo nullo pacto Verbum dici poteſt, de cujus ratione, quod ſit notitia genita, & per modum naturæ producta, quæ quidem ratio opinionem contrariam mirabiliter evincit.

Et hac eadem de cauſa valet quoque alia probatio noſtra; falſum enim eſt, quod Verbi productio in divinis dicatur generatio præciſe, quia naturaliter producitur ex parte potentiæ, imo dicitur generatio, & Verbum, quia naturaliter procedit tam ex parte potentiæ, quam ex parte objecti, & naſcitur de objecto, tamquam proles eius, ut loquitur Auguſt. cit. 9. de Trin. cap. ultim. & Spiritus Sancti productio non dicitur generatio, quia eſt *libera productio libertate eſſentiali*, nam ut dicebamus ex Scot. cit. quando voluntas concurrit ad aliquem effectum cum alia cauſa naturali, tota actio dicitur libera ſimpliciter, & abſolute loquendo; unde ſicut in productione Spiritus Sancti, quod naturaliter procedat ex parte objecti, non facit quod ejus productio ſit generatio, quia libera proceſſio ex parte potentiæ ſufficit, ut tota proceſſio dicatur libera juxta regulam Scoticam quol. 16. cit. ita in productione viſionis beatæ, quod naturaliter procedat ab intellectu, non facit quod ejus productio dici debeat generatio, & notitia producta, verbum, quia ex alia parte eſſentia divina ad eamdem viſionem libere concurrit mediante divina voluntate, unde & tota actio libera cenſeri debet, quod ſufficit, ne dicatur generatio, neque notitia producta, Verbum.

De Gravitate, & Levitate: an ſint Qualitates.

124 DOcuit Pontius diſp. 5. de elementis, probabile eſſe gravitatem, & levitatem non eſſe qualitates, ſed ſpectare ad ſubſtantiam rerum, quæ graves, & leves ſunt, ſeu illas ſubſtantias ex natura ſua eſſentiali habere eſſe tales abſque ulla qualitate ſuperaddita, quæ fuit opinio Nominalium, & Averroiſtarum, & nuper defenditur ab Arriaga diſp. 4. de Gen. ſect. 5. Nos autem diſp. 3. de cœlo qu. p. nu. 3. dicimus oppoſitam ſententiam, colligi ex Scoto 2. d. 2. qu. 10. & d. 15. ad 2. & 3. princ. & eſſe communem Scotiſtarum. Reſpondet Pontius in append. apol. pag. 63. num. 131. quod quamvis Scotus data opera dixiſſet gravitatem, & levitatem eſſe qualitates, idque ex ſe probaſſet, niſi rationes ejus demonſtrativæ eſſent, aut *convincentes*, *non poſſet negari quin oppoſitum* eſſet probabile, atque ideo doctrinam ſuam dici non poſſe præter, aut contra Scotum. Deinde Scotus (inquit) nullibi, neque in locis citatis ab Adverſariis ex profeſſo docet gravitatem, & levitatem eſſe qualitates, neque ullam aliam concluſionem, aut reſponſionem ſuam in hoc fundavit, ſed ſolum tamquam quid communiter ſuo tempore receptum ſupponit obiter in diſt. 15. quod ſint qualitates.

Hic detegendus eſt error, in quo non ſemel verſatur Pontius, dum quamplures amplectitur Recentiorum opiniones, & ex eo quod reputantur probabiles, contendit non eſſe contra Scotum; fateor Scotum multas habere opiniones, quas non ita demonſtratas cenſet, quin etiam oppoſitas putaverit probabiles, ſed numquid ex hoc rite infertur, quod iſtæ opiniones non ſint præter, aut contra mentem Scoti? minime gentium; ita in propoſito Scotus in locis citatis manifeſte ſuppoſuit gravitatem, & levitatem cum Ariſt. pluribus in locis eſſe qualitates, & non ſubſtantias; fac etiam oppoſitam ſententiam cenſuiſſe probabilem, numquid ſi hæc teneatur, non erit contra Scotum? plane erit contra Scotum quotieſcumque libertatem non concedat ſectatoribus ſuis amplectendi, quæ magis placuerit. Accedit hic non diſputari, an ſententia negans *gravitatem*, & *levitatem* eſſe qualitates, ſit probabilis in ſe nec ne, ſed an defendi poſſit, ut probabilis in via Scoti; & nos dicimus, quod non, quia ubicumque loquitur de gravitate, & levitate, loquitur ut de qualitatibus, & hanc ſententiam ſupponit, ut veram ſaltem probabiliter; nec ullibi vel leviter inſinuat oppoſitam eſſe probabilem; ergo quantumcumque oppoſita probabilis eſſet in ſe, non ſequitur in via Scoti defendi poſſe ut probabilem; itaque ad diſcurſum Pontii conceſſo antecedente, quod ſi Scotus probaſſet gravitatem, & levitatem eſſe qualitates, ſed non demonſtraſſet, adhuc oppoſita ſententia remaneret probabilis; negatur conſequentia, quod qui talem *opinionem* teneret, contra Scotum non opinaretur, aut præter *ejus* mentem.

125 Deinde n. 132. refert *fundamentum* noſtrum, ut reſpondeat, dicens; itaque rejecta probatione Theologica, qua id probari ſoler, quod gravitas, & levitas ſint in ſpeciebus Euchariſtis, in quibus non eſt forma ſubſtantialis, quia nos negamus eas dari in ipſis, quamvis effectus earum producatur a Deo miraculoſe. Pro-

bant ipſimet illud ex eo, quod gravitas, & levitas intenditur, & remittitur non ſolum per accidens, quatenus ab aliquo gravi corpore aliud corpus grave expellitur, ut contingit in pomo exſiccato, quod redditur levius propter expulſionem, ſeu conſumptionem humorum; aut quatenus intraponitur aliud corpus grave, ut contingit in carta madefacta (ex quibus experientiis ſine dubio non poſſet probari, quod gravitas eſſet accidens) ſed per ſe, nam humores aquei, & exhalationes omnem prorſus gravitatem amittunt, & ſupra aerem aſcendunt, & tamen retinent proprias formas ſubſtantiales ſecundum communiorem opinionem; & ne exemplum dubium adducatur, idem experimur in humoribus herbarum, qui virtute caloris levitatem acquirunt tetenta propria forma ſubſtantiali, ut patet ex odore, & virtualibus qualitatibus quas conſervant, & in operculo orificium ollæ cooperiente apparent guttæ aquæ ſurſum elevatæ ex levitate recepta ab igne.

Reſpondet Pontius, hanc probationem non habere apparentiam, nam humores illi aquei non amittunt ullam gravitatem illis connaturalem; aut enim ſunt ſubſtantiæ diſtinctæ ſpeciei ab aqua, & ſic non perdunt ullam gravitatem, quia nullam habuerunt; aut ſi non ſunt diſtinctæ ſpeciei, quatenus includunt aquam, adhærebunt exhalationibus aliquibus levibus, & non aſcendent virtute ſua, ſed movebuntur illo motu ab illis exhalationibus, aut attrahentur a ſole, vel corporibus aliis ſuperioribus. Nec humores herbarum, ſi ſunt ejuſdem ſpeciei cum ipſis herbis, amittunt ullam gravitatem, quam antea habuerunt, niſi quatenus non habent in ſe incluſas alias partes graviores ſubſtantiales, quas habuerunt ipſæ herbæ; itaque illi humores non ſunt ejuſdem ſpeciei cum herbis quoad omnes partes integrales, quas includunt herbæ, ut eſt evidens, quandoquidem herba multas includat partes diverſæ rationis, ſicut corpus organicum animatum includit carnem, oſſa, quatuor humores, quæ ſunt diſtinctiſſimæ naturæ; unde cum extrahuntur humores, non fiunt leviores, quam ante fuerunt; nec major gravitas, quam præ ipſis habent herbæ, oritur ex eo, quod illi acquirant levitatem aliquam, ſeu ex eo quod aliæ partes integrales herbarum ſint ipſis graviores, ſicut oſſa ſunt graviora ſanguine, & hic pituita; Quod ſi ſit aliqua levitas major in ipſis humoribus ſeparatis, quam fuit ante, id oritur ex intermixtione alicujus alterius ſubſtantiæ levioris, ut exhalationum, aut ipſius aeris ipſis adhæreſcentis.

126 Ex quo patet (inquit) ad experientiam de guttulis apparentibus in operculo orificii ollæ, neque enim ſi ſunt aqueæ, ullo modo ex ſe aſcendunt, ſed eo vectæ, aut detruſæ ſunt per alia corpora, ut per exhalationes, aut ſimilia; quod autem non cauſetur major aliqua levitas in ipſis de novo eſt evidens, nam a quo produceretur illa levitas? non ab ipſa ſubſtantia gravi, quæ ex ſe neceſſario producit gravitatem, non etiam a cauſis extrinſecis, maxime a ſubſtantiis calidis, ut igne, aere, ſole, aut aliquo alio corpore cœleſti; ſed non ab his; ergo nullo modo cauſantur; probatur minor, quia vel illam producerent mediante levitate ſua, quemadmodum producit ignis calore calorem, & hoc non, quia levitas non ponitur ab ullis eſſe activa, niſi reſpectu impulſus, aut Ubi ſurſum, vel deorſum; nec poteſt poni, quia alias aer deberet producere levitatem in carta, aut aliis corporibus applicatis, quod patet eſſe falſum. Vel illam producerent mediante calore, tamquam principio productivo *quo*; vel mediante alia aliqua qualitate, aut forma ſubſtantiali; & hoc etiam non ob eamdem rationem, quia alias deberent producere levitatem in aliis corporibus applicatis ſufficienter contra omnem experientiam. Conf. quia Adverſarii (inquit) numquam poſſunt aſſignare experientiam de diminutione, aut intenſione gravitatis, aut levitatis in eadem ſubſtantia manente eodem modo quoad reliquas diſpoſitiones; ſed experientiæ eorum ſunt in rebus, in quibus quoad alias diſpoſitiones eſt maxima diſparitas, & diſſimilitudo, ergo non ſufficiunt experientiæ, quia tota illa differentia, quæ apparet in corpore ſub illis diverſis diſpoſitionibus, quantum ad gravitatem, & levitatem, poteſt refundi in illas diverſas diſpoſitiones.

127 Ad oſtendendam ſolutionis hujus ſufficientiam advertendum in primis eſt, falſum eſſe, quod loc. cit. diſp. 3. de Cœlo n. 3. probationem theologicam rejecerimus, quod gravitas, & levitas remaneant in Euchariſtia ſine forma ſubſtantiali; ſed diximus ſolum ad hoc facile reſponderi ab Arriaga negando eas dari in Euchariſtia, ſed dari tantum effectus earum, nempe impulſum a Deo miraculoſe productum ad occultandum miraculum. Et licet eam ſolutionem non rejecerim, non dixi reiici non poſſe, ſed rationem magis evidentem juxta principia naturalia adduxi; abſolute tamen illa ſolutio non ſatisfacit, quia in eo ſacramento non ſunt multiplicanda miracula ſine neceſſitate, & cum aſſignari poſſit cauſa naturalis illius motus, vel impulſus, nimirum qualitates illæ motivæ; fruſtra recurritur ad Deum ad occultandum myſterium, nulla enim ratione de hoc miraculo nobis conſtat, neque umquam Patres, qui exactiſſima diligentia miracula hujus myſterii lumine fidei nobis aperuere, de hoc miraculo neque verbum fecerunt, imo ſuppoſito ſemel miraculo de ſubſtantiæ deſitione, & accidentium permanentia, ſupponunt alias accidentales mutationes in euchariſticis ſpeciebus naturaliter contingere.

Itaque quod ait de vaporibus aqueis ſupra aerem aſcendentibus, ſi non ſint diſtinctæ ſpeciei ab aqua, ut fert communis opinio, quod non aſcendant virtute ſua, ideſt per levitatem eis inexiſtentem, ſed moveantur ſurſum a nonnullis exhalationibus, quibus adhærent, aut attrahantur a Sole, aut corporibus aliis ſuperioribus; ſicut facile proferrur, & abſque ulla probatione, ita facile refutatur; nam explicare tenetur, quomodo vapores illi aquei exhalationibus levibus adhæreant; & quomodo ſint ibi ſemper in promptu exhalationes illæ leves: & qua de cauſa plus valeat levitas illarum exhalationum ad trahendum ſurſum vapores, quam gravitas vaporum ad impediendum aſcenſum exhalationum, & rurſus quomodo mere ab extrinſeco poſſit fieri hæc attractio vaporum a Sole, vel corporibus aliis ſuperioribus, utique enim hæc fieri debet per communicationem alicujus virtutis, cum non fiat per contactum formalem, ſicut unus anulus trahit alterum; & cum neque trahatur per impreſſionem virtutis occultæ, ut ferrum a magnete, reſtat, ut fiat per impreſſionem caloris, & rarefactionis, quæ ſunt diſpoſitiones ad introducendam in eis levitatem, qua ſurſum ferantur.

128 Quod etiam addit de humore herbarum, quod levior appareat herbis ipſis, quia non habet in ſe incluſas alias partes graviores ſubſtantiales, quas habuerunt ipſæ herbæ, eſt prorſus voluntarium, & ſine fundamento dictum; nam in vaſe diſtillatorio ad ſenſum conſtat humorem illum aſcendere ex levitate acquiſita ex vi caloris rarefacientis, cujus rei ſignum eſt, quod cum humor ille ex natura ſua ſit frigidus, ut patet de humore roſaceo, ablato extrinſeco calefaciente ad ſuam frigiditatem ſe reducit, & deorſum gravitat, etiamſi excluſas non habeat partes graviores ſubſtantiales, quas habuerunt ipſæ herbæ, quod ſi levitas oriretur ex eo, quod careat humor partibus gravioribus, quas habebant herbæ, etiam cum reductus eſt ad ſuam frigiditatem, æque levis eſſe deberet, ac quando rarefactus & excalefactus vaſe ſtillatorio, quod eſt contra experientiam; & hoc ipſum etiam convincit levitatem majorem illius humoris oriri non poſſe ex intermixtione alterius ſubſtantiæ levioris (quam Pontius explicare debebat) vel exhalationum, aut ipſius aeris adhæreſcentis; nam talem admixtionem haberet etiam in ſtatu frigiditatis, & tamen tunc non levitat, ſed gravitat; aſcendit igitur in vaſe ſtillatorio præciſe ex levitate acquiſita vi caloris rarefacientis.

Et per hoc idem patet non ſatisfacere, quod dicit Pontius ad experientiam de guttulis apparentibus in operculo orificii ollæ, quod aſcendunt per alia corpora, ut per exhalationes, & ſimilia, hæc enim ſunt pura verba ſine ulla ratione prolata. Ad rationem vero, qua probare contendit in illis guttulis non cauſari levitatem aliquam majorem, quam antea haberent, nego levitatem illam ab igne produci non poſſe ex calefaciente, & rarefaciente guttulas illas aquæ in tali gradu, ut levitas aliqua generetur in ipſis; qua ſurſum evehuntur; quod ſi in aliis corporibus ſufficienter applicatis conſimilem levitatem generare non poteſt, id erit ex conditione illorum corporum, quæ non erunt capacia caloris, & raritatis in tali gradu, qualis requiritur, ut ſint proximæ diſpoſitiones ad levitatem introducendam. Ad Conf. conceſſo antecedente nego conſequentiam cum ejus probatione, quia diverſæ illæ diſpoſitiones cum inducant diverſas propenſiones ad diverſos motus locales ſurſum, vel deorſum, cenſentur quoque inducere diverſas qualitates motivas, quales ſunt gravitas, & levitas; Imo ſi nequit fieri diminutio, aut intenſio gravitatis, vel levitatis in eadem ſubſtantia manente eodem modo quoad cæteras diſpoſitiones primarum nempe qualitatum; ex hoc deduci debet levitatem, & gravitatem a ſubſtantia rei omnino differre, quandoquidem hæc non ſuſcipiat magis, & minus; & conſiſtere vel in certo temperamento primarum qualitatum v. gr. caloris, & ſiccitatis, ut fiat levis; frigoris, & humiditatis, ut fiat gravis; vel in aliis ſecundis qualitatibus ex tali primarum temperamento reſultantibus, tamquam ex prævia diſpoſitione, ut fert Peripatetica ſententia.

A qua Cauſa producerentur gravitas, & levitas, ſi eſſent qualitates.

129 EAdem diſp. 3. de Cœlo quæſt. 2. num. 9. relatis circa hoc punctum duabus ſententiis, una quæ tribuit hanc virtutem formæ ſubſtantiali, altera, quæ primis qualitatibus, inter utramque mediamus opinionem dicentes eas a forma ſubſtantiali cauſari, non ex ſe ſola tamen, ſed primis qualitatibus concurrentibus, aliiſque requiſitis, tamquam diſpoſitionibus ſcilicet raritate, vel denſitate, non enim aliquid certum in hac re determinari poteſt, cum experientiæ urgeant hinc inde.

Hanc mediationem impugnat Pontius in append. apol. pag. 96. num. 134. nam ſi forma ſubſtantialis concurrit immediate, omnino ipſi toti attribuenda eſt virtus productiva gravitatis, & levitatis naturalis, & nullo modo qualitatibus primis, ſicut ſi ſubſtantia immediate concurrit ad productionem alterius ſubſtantiæ non magis perfectæ v. gr. ignis ad productionem ignis, omnino ipſi ſoli attribuitur productio ipſius, & non accidentibus ejus. Ratio autem eſt, quia tam bene poteſt productio totalis comperere illi, quam partialis, & non ſunt multiplicandi concurſus, nec cauſæ productivæ ſine neceſſitate, nulla autem eſt neceſſitas non adſcribendi illam virtutem totaliter formæ ſubſtantiali.

Reſpondeo negando aſſumptum, ad primam ejus probationem deductam ex paritate ſubſtantiæ concurrente immediate ad productionem alterius ſubſtantiæ negatur paritas, quia dum ignis v. g. producit ignem, tota actio generativa ejus tribuitur igni, & non calori, quia accidens non poteſt producere ſubſtantiam; bene tamen aliud accidens, & ſic quamvis calor nequeat cum igne concurrere ad productionem ignis, bene tamen poſſunt primæ qualitates cum forma ſubſtantiali concurrere ad productionem ſecundarum;

rum; ad aliam probationem ex ratione deductam, negatur item aſſumptum quoad utramque partem, quod ſcilicet tam bene poſſit formæ ſubſtantiali adſcribi totalis productio gravitatis, vel levitatis, ſicut partialis; quia cum hæ qualitates varientur ad variationem aliarum, ſignum eſt evidens non immediate, & totaliter a forma ſubſtantiali produci, quia ſi ſic producerentur, ad variationem aliarum qualitatum non variaretur; negatur etiam aſſumptum quoad 2. partem, quod multiplicentur cauſæ productivæ ſine neceſſitate; adeſt namque ad id afferendum manifeſta neceſſitas, nam ſine variatione formæ ſubſtantialis videmus variari gravitatem, & levitatem, ex variatione aliarum qualitatum ſcilicet caloris, vel frigoris, raritatis, vel denſitatis, ut patet ex vaporibus, in quos imprimitur levitas contra virtutem formæ ſubſtantialis aquæ a ſole, vel igne calefaciente.

130 At replicat Pontius num. 135. hanc rationem nihil prorſus valere, nam dato quod variaretur gravitas in illis vaporibus inducta a Sole, vel igne levitante, adhuc non ſequitur, quin gravitas, & levitas, quando producuntur a forma ſubſtantiali, ullo modo producantur ab illa totaliter ſine concurſu primarum qualitatum; ſicut non ſequitur, quin aqua in ſe producat frigus ſuum connaturale, licet ignis quandoque producat in ipſa calorem expulſo frigore. Hæc inſtantia non obeſt, quando enim variatur frigus in aqua non variatur per variationem antecedentem aliarum qualitatum, ſicut variatur gravitas in vaporibus, ideo non currit omnimoda paritas hinc inde.

Deinde num. 136. aliam addit probationem ab hac prima dependentem, atque ideo æque, vel magis infimam; gravitas, & levitas producuntur a forma ſubſtantiali, ut patet, & non producuntur a ſolis qualitatibus primis, ut nos quoque concedimus, ſed ſi producuntur ullo modo a forma ſubſtantiali, debent ab ipſa totaliter produci, ut deductum eſt in prima ratione; ergo &c. Reſpondeo negando minorem, quæ non fuit ſufficienter probata; & conſequenter nego conſectatorium, quod ibi hinc deducit, ſcilicet gravitatem, & levitatem non eſſe qualitates ſecundas reſpective ad quatuor primas qualitates, quia neque producuntur ab illis, neque ex illis; nego (inquam) hoc corollarium; quia deducitur ex principio non ſufficienter probato.

An Gravitates ad diverſa loca tendentes ſint diverſæ ſpeciei.

131 DIcimus, quod ſic, diſp. 3. cit. de Cœlo qu. 1. nu. 10. & probamus, quia ſi non diſtinguerentur ſpecifice, ſed ſolum ſecundum magis, & minus, corpus, quod eſſet majoris ponderis, & conſequenter majoris gravitatis, deberet magis ad centrum pendere, quam quod eſt minoris ponderis, & gravitatis; ſicut ſi calor, ut duo, poteſt aliquem effectum producere, multo magis calor, ut tria; ſed hoc eſt falſum, quia lapis unius libræ deſcendit per aquam, & lignum centum librarum aquæ ſupernatat, ergo gravitas ligni, & lapidis ſunt diverſæ ſpeciei.

Hanc doctrinam examinare voluit Pontius in apol. pag. 98. nu. 137. ut appareat veritas ipſa (inquit per ironiam) & noſtrum acumen; & ait, conſequentiam nihil valere, nam quamvis lignum centum librarum eſſet majoris gravitatis extenſivæ, non tamen intenſivæ, & conſequenter licet lapis minoris ponderis extenſivi deſcenderet per aquam, & lignum non deſcenderet, hoc poſſet provenire ex eo, quod haberet gravitatem majoris intenſionis, quam lignum, licet non haberet gravitatem diſtinctæ ſpeciei; ergo non ſequitur ex eo, quod lignum non deſcendat ſub aqua, ſicut lapis, quod gravitas ejus ſit diſtinctæ ſpeciei. Conf. quia licet unus palmus ignis poſſit diſponere ad formam ignis, & ſubſtantia aliqua centum palmorum calida, ut unum, aut duo, non poſſit diſponere ad illam formam, non ſequitur, quod calores eorum ſint diſtinctæ ſpeciei, ſed ſolum quod non ſint ejuſdem intenſionis; ergo ſimiliter licet poſſit lapis tanti ponderis deſcendere ſub aqua, & lignum longe majoris ponderis extenſive non poſſit deſcendere, non ſequitur inde, quod ſint diverſæ ſpeciei, quia impedimentum ex parte ligni poſſet eſſe defectus intenſionis. Unde nu. 139. cenſuram ita concludit. Decepti ſunt, credo, adverſarii mei, quia non diſtinxerunt inter intenſionem, & extenſionem; & quia non adverterunt, quod lapis unius palmi poſſit eſſe magis intenſæ gravitatis, quam lignum centum palmorum, quod eſſet magis extenſæ quantitatis; colligi autem poteſt manifeſtum, quod lignum non eſſet tantæ gravitatis intenſæ, quia ſiſtantum ligni acciperetur, quantum lapidis quoad numerum partium integrantium, non eſſet tam ponderoſum, quam tantum lapidis.

132 Verum quia diſp. cit. num. 11. re vera hoc diſcrimen advertimus gravitatis intenſivæ, & extenſivæ, & hanc reſponſionem, ac impugnationem aſſerimus, & reiicimus retractando ſtatim quod dixerat, inquit: At ipſi videntur advertiſſe hanc differentiam intenſionis, & extenſionis, quia propoſuerunt ſibi æquivalenter hanc impugnationem meam, & reſpondent n. 12. quod ipſis faveat, &c. dicimus itaque ibi reſponſionem illam nobis favere, nam etiam quoad intenſionem gravitatis adeſt diſcrimen inter lignum, & lapidem, quantumcumque enim intendatur gravitas ligni, & remittatur gravitas lapidis (datur enim unum lignum gravius alio, ſicut unus lapis altero gravior) numquam lignum ſubſidebit aquis, nec lapis ſtabit ſupra aquas, ſignum evidens has gravitates eſſe omnino alterius rationis; nam remiſſio qualitatis ſolum facit, quod effectus non producatur intenſus, vel tam velociter, ſicut a qualitate intenſa, non tamen quod nullo modo cauſetur; ergo gravitas remiſſior ligni ſolum eſſet in cauſa, quod lignum non tam velociter ad profundum petat, ſicut lapis, non autem quod nullo pacto deſcendat ſub aquis, ex qua reſponſione, & doctrina ſatis conſtat, quomodo conſequentia noſtri argumenti teneat, quia loquendo etiam de gravitate intenſiva præciſe gravitas lapidis, & ligni ſunt diverſæ ſpeciei; nam quantumvis intenderetur gravitas ligni, numquam adeo poteſt intendi, ut deſcendat in aqua; & quod non deſcendat ſub aqua, impedimentum eſſe nequit præciſe defectus intenſionis, ut ait Pontius, quia remiſſio qualitatis, ut dicimus in reſponſione, impedit ſolum, ne effectus producatur ita intenſus, vel tam velociter, ſicut a qualitate intenſa, non tamen, quod nullo modo cauſetur, ut contingit de deſcenſu ligni per aquam; cum ergo talis effectus deſcenſus, ſcilicet per aquam, nullo modo cauſetur a gravitate ligni, non ſolum dicenda eſt differre ſecundum magis, & minus, ſeu in gradu intenſo, & remiſſo a gravitate lapidis intenſiva, ſed etiam ſpeciei; ſi enim ſolum differret ſecundum magis, & minus, deberet lignum aliquantiſper in aqua deſcendere, licet non peteret fundum ſicut lapis, aut deberet petere fundum, licet non ita velociter, ſicut lapis, quod tamen non experimur in uno genere ligni, quamvis detur unum lignum gravius alio intenſive, ut conſtat de quercu, & buxu.

133 Ex quo etiam conſtat confirmationem allatam a Pontio pro ſolutione data nobis potius favere, quamvis enim calidum, ut unum, vel duo etiam centum palmorum nequeat proxime diſponere ad formam ignis, ſicut poteſt calor ignis unius palmi, attamen ſaltem remote poteſt diſponere, & ex hoc deducitur, calores illos non eſſe diverſæ ſpeciei, ſed tantum diverſæ intenſionis, quia poſſunt attingere eumdem effectum, licet non æquali intenſione, aut velocitate; at in propoſito remiſſio gravitatis ligni non ſolum facit, quod non deſcendat ſub aqua adeo profunde, vel velociter, ſicut lapis, ſed impedit omnino deſcenſum, & quod nullo modo poſſit attingere talem effectum, & ideo ex hoc deduci debet, gravitates utriuſque non ſolum ſecundum magis, & minus differre, ſed omnino ſecundum ſpeciem.

Sed contra præfatam reſponſionem inſtat adhuc Pontius, quia falſum videtur, quod in ea aſſumitur, nam ſi remitteretur gravitas intenſiva lapidis, itaut non eſſet majoris ponderis in eadem quantitate, quam lignum, non deſcenderet magis, quam lignum; & ſi intenderetur gravitas ligni, itaut tantum ligni eſſet tam ponderoſum, quam tantum lapidis, omnino tam deſcenderet per aquam, quam lapis, & oppoſitum non ſolum gratis diceretur, ſed videtur eſſe contra ſenſum. Nec refert, quod detur aliquod lignum gravius alio, & aliquis lapis gravior alio; nam cum hoc ſtare poteſt, quod nullum lignum, quod non deſcendit per aquam, ſit tantæ gravitatis intenſivæ, quantæ eſſet quicumque lapis cujuſcumque intenſionis ſufficientis ad talem deſcenſum.

134 Cæterum ſic inſtando videtur arguens incurrere ignorantiam diſcriminis inter gravitatem intenſivam, & extenſivam, quam nuper nobis tribuebat; ut enim nos advertimus diſp. 3. cit. n. 53. exceſſus, vel defectus gravitatis intenſivus non debet attendi penes majorem, vel minorem ponderationem proprie loquendo, ſed quoad majorem, vel minorem propinquitatem ad locum, & centrum, ſeu quoad ſubiici, vel ſubſidere pluribus corporibus; ſi ergo talis ſunt naturæ, & conditionis gravitates ligni, lapidis, quod lignum ſemper ſupernatat aquæ, & lapis quantumvis exiguus fundum petit, etiam ſi lignum reducatur ad quantitatem, & pondus lapidis, adeo quod ſint æque ponderoſa, adhuc lapis deſcendet in aqua, & lignum non deſcendet, & lapis adhuc erit majoris gravitatis intenſivæ, quia hæc non attenditur penes majorem, vel minorem ponderationem philoſophice loquendo, ſed tantum juxta vulgi opinionem. Deinde noſtræ reſponſionis energia præcipue in hoc conſiſtit, quod remiſſio qualitatis non impedit abſolute effectum, ſed ſolum facit, quod non producatur ita intenſus, vel tam velociter, ſicut a qualitate intenſa; unde ſi gravitas intenſiva ligni, & lapidis ſolum differrent ſecundum magis, & minus, id impediret ſolum, quod lignum non ita profunde, vel non adeo velociter deſcenderet per aquam, ſicut lapis; cum ergo videamus per talem remiſſionem deſcenſum omnino impediri, ſignum evidens eſt differre has gravitates ſecundum ſpeciem, & non tantum ſecundum magis, & minus; & ſic illa conſequentia primi noſtri argumenti optime tenet.

135 Alii ad argumentum noſtrum reſponderunt, ideo lignum in aquam non deſcendere, quia habet in poris incluſum aerem, cujus levitas gravitati ligni reſiſtit, ne ad profundum petat, ſicut etiam evenit in pumice aquis ſupernatante propter aerem incluſum; lapis vero quamvis non habeat gravitatem diſtinctæ ſpeciei, ideo deſcendit, quia non habet aerem incluſum in poris ſuis, qui impediat deſcenſum. Hanc ſolutionem dicimus ibi non valere, quia ſi utrumque ſtatera perpendas, ſcilicet lapidem parvum, & lignum magnum, gravius apparebit lignum, quam lapis; ergo ſicut in ſtatera levitas aeris incluſi in ligno non impedit, quominus præponderet lapidi; ita nec impediet, quin præponderet in aqua. Tum quia non poteſt eſſe tanta levitas aeris incluſi, ut æquipolleat, imo prævaleat tantæ ligni gravitati; ergo ſicut ſi alicui gravi ſit annexum aliquod leve non potens vincere illius gravitatem, moveretur ad motum gravis, ita quoque accideret in ligno, & aere incluſo, exemplum de pumice non eſt ad propoſitum, nam verum

est propter aerem inclusum levitare, attamen si in pulverem reduceretur, statim in profundum tenderet, quod in ligno non contingit.

137 Pontius loc. cit. num. 141. negat consequentiam primam hujus impugnationis; datur enim disparitas maxima, quia cum aer non leviter proprio loco, non impedit in aere, ubi in statera ponitur, gravitatem ligni, & sic cum illa sit major propter extensionem majorem, quam gravitas lapidis parvi facile præponderabit in statera; & quandoquidem levitare debeat aer infra ptoprium locum, ut sub terra, & aqua supra quæ petit esse naturaliter potest, quominus lignum descendat sub aqua, etiamsi sit extensivæ majoris gravitatis, quam lapis non habens tale impedimentum, ac propterea descendens. Ad 2. tam facile negatur antecedens, quam asseritur, qua enim ratione facile concipitur aerem inclusum in pumice impedire ejus descensum, & præponderare gravitati ejus? cur idem dici non posset de aere ligni? quo etiam exemplo pumicis confirmatur responsio data ad p. impugnationem, quia si pumex magis præponderaret in statera, quam lapis parvus, nec hoc impeditur ab aere, & tamen impeditur descensus ejus sub aqua per ipsum, ergo idem dici posset de ligno: Unde patet male dici ab Adversariis, quod illud exemplum non sit ad rem: nec ad id ostendendum valet, quod ipsi dicunt pumicem attritum, & redactum ad pulveres descensurum, lignum vero non item: nam in primis hoc non obstat, quominus aer posset impedire descensum sub aqua, licet non posset sub aere, & præterea si posset lignum ita atteri, ut non remaneret aer inclusus, descenderet sic attritum, non minus, quam pulveres pumicis: quod si non posset ita atteri, quin semper in quacumque parte ejus maneat aer inclusus, non est mirum, quod non descendat.

137 Plane negari nequit, quin solutio data sit satis apparens, ob allatam disparitatem, quæ quidem manifestissima est, si consequentia deduceretur ex paritate levitationis aeris in proprio loco, & infra proprium locum, quia in proprio loco nullo modo levitat, cæterum in argumento intendimus deducere paritatem ex levitatione aeri semper debita infra proprium locum, quando namque ponimus casum, quod lignum in bilance, vel statera ponatur, & dicimus gravitatem ejus non impediri ab aere, quin præponderet lapidi, non loquimur de aere in poris ligni incluso, sed de aere circa lignum, & bilancem circumfuso a parte *inferiori*, quo pacto est infra proprium locum, quatenus est sub graviori corpore constitutus, unde hinc inde labitur, ut supra lignum, vel bilancem ascendat; sicut ergo hic aer sub ligno, vel bilance constitutus, quamvis levitet, ut supra illa corpora feratur, tamen ejus levitatio non impedit, quin gravitas ligni præponderet lapidi, ita quoque aer inclusus in ligno aquæ immerso impedire nequibit, quin ejus gravitas pariter lapidi præponderet, in hoc igitur sensu tenet consequentia nostra, neque vis ejus ab allata disparitate enervatur.

Sed si solutio data ad primam instantiam habet aliquam apparentiam, plane solutio data ad secundam nullam prorsus habet, & omnino falsum est tam facile negari *illud* antecedens, sicut asseritur, si namque tam facile negari potest, debebat Pontius ejus *probationi* occurrere (quod non fecit) & quidem evidentissime desumptæ a paritate corporis gravis, cui aliquod leve esset annexum non potens vincere illius gravitatem, sicut enim in tali casu leve moveretur ad motum gravis quantumcumque contra conaretur levitando, ita quoque in nostro casu deberet aer inclusus ad motum ligni deorsum ferri, quantumcumque contra nitatur levitando, sicut si vessica aere plena lapidi alligetur experientia constat deorsum ferri in aqua cum lapide, nec potest aer in vessica incluso levitatione sua talem gravitationem, & descensum impedire. Neque eadem facilitate concipitur aerem inclusum in ligno impedire ejus descensum in aqua, sicut in pumice; tum quia sensibilius deprehendimus aerem in pumice, quam in ligno, quandoquidem pumex cernitur cavitatibus, & foraminibus refertus, in quibus delitescit aer, non ita lignum, tum quia comminutus in pulverem pulviculi statim descendunt, signum evidens sursum in aqua detineri ab incluso aere potius, quam ex innata, & intrinseca levitate, quod non ita facile de ligno dici potest, quod quantumvis attritum excusso aere, si quis aderat, semper supernatat aquæ, unde argumentum deducitur, id potius evenire ex innata levitate quam ex incluso aere; quod quamvis negetur a Pontio, experientia tamen rerum magistra contrarium docet. Ex quo tandem infertur exemplum de pumice adductum in solutione argumenti principalis esse ad rem, ut in nostra impugnatione dicebamus; quicquid dicat Pontius, cujus acumen, quantum fuperet nostrum in veritate vestiganda, ex dictis deduci potest; nobis sufficit tantum acuminis habere, ut eum intelligamus, *& cum mimum agit, & momum*, quod addo pro responsione ad ironiam positam supra num. 141.

An motus specificetur a subjecto.

138 Docuimus disp. 15. Phys. q. 7. art. 1. motum sumere unitatem specificam a termino ad quem juxta Aristot. dogma 5. Phys. 31. dicentis, *omnis dealbatio omni dealbationi idem secundum speciem erit, & omnis denigratio denigrationi*, quæ est communis doctrina in Peripatho absque ulla hæsitatione recepta, contra quam in fine illius articuli nu. 80. quamdam proponimus objectionem probantem motum specificari a subjecto in hunc modum; motus, quo movetur unum subjectum v. gr. homo dicit essentialem ordinem ad ipsum, nec de potentia Dei potest esse motus alterius subjecti v. gr. equi, aut motus equi motus hominis, etiamsi terminos haberent ejusdem rationis, scilicet calorem, vel frigus; ergo eorum motuum specifica distinctio sufficienter colligitur ex diversitate specifica subjectorum absque recursu ad terminos; unde licet sit idem specie calor in aqua, vel ligno inductus, non tamen recte infertur hinc esse eumdem specie motum, quia motus dicit essentialem ordinem ad subjectum, sic ut in alio esse nequeat, quem ordinem non dicit calor.

Respondemus ibidem negando consequentiam, quia etiam motus, quo Petrus calefit, dicit essentialem ordinem ad ipsum, nec potest idem numero convenire Paulo, & tamen rite non infertur inde diversitas specifica in motibus illis; tum quia si motus potest specificari a subjecto absque recursu ad terminum, sicut ex diversitate specifica subjectorum deducitur diversitas motuum, sic etiam aliquando ex unitate subjecti deduci posset unitas motuum, & sic motus contrarii in eodem subjecto facti simul, vel successive unus post alium dicerentur ejusdem speciei, sicut ergo unitas, vel distinctio specifica motuum non attenditur a tempore, quia in eodem tempore fieri possunt motus specie diversi, & in diversis temporibus iidem specie motus, ita pari ratione non obstante illo ordine essentiali motus ad subjectum, unitas vel distinctio specifica motuum non debet penes ipsum attendi, quia in eodem subjecto possunt motus specie diversi exerceri, & idem specie motus in diversis subjectis, quare concludimus diversitatem specificam subjectorum materialiter se habere ad motum.

139 Pontius in append. apol. pag. 210. num. 280. ait hanc esse ultimam impugnationem quam reperit contra se factam in Physica Mastrii, & Belluti, & inquit servire posse pro coronide reliquarum, quas si non excedit in gratia, & subtilitate solita horum Auctorum, certe non cedit ulli. Sed quisnam quantumvis sobrius lector posset hic retinere cachinnum? fatetur Pontius hanc objectionem a se factam disp. 13. sux Physicæ num. 26. contra præfatam nostram conclusionem de specificatione motus a termino ad quem, nosque illi respondisse loc. cit. & responsionem nostram pro nostra defensione adductam vocat impugnationem, sicut & omnes alias in editione secunda nostræ Physicæ adjectas ad ejus oppositiones contra nos factas; ergo quia ejus oppositionibus respondere voluimus, eum impugnavimus? pape quis demens hoc diceret? apud Philosophos, qui contra alicujus doctrinam arguit, & objicit, dicitur illum impugnare, non vero qui nititur illi respondere, & sua defendere, hic namque propugnare, & non impugnare dicitur; sed finamus Pontium more suo terminis abuti, & nostras defensiones, & responsiones appellare impugnationes, ut liberiorem sibi faciat facultatem contra nos obloquendi, & murmurandi; & videamus tandem, an hæc quoque ultima sua defensio majorem habeat gratiam, & subtilitatem, quam cæteræ habuerint; videbit enim, quod sicut hanc *assertionem* de *specificatione* motus a subjecto tuetur contra expressam Arist. & Scoti intentionem, ita quoque locutum esse absque ulla ratione, & fundamento, sicut frequentius in tota sua Apologia discurrit, & adhuc magis in hac ultima defensione, quam in cæteris; & rationabiliter quidem, quia motus naturalis velocior est in fine, quam in principio; hoc dicere cogor ex adagio *frixantem refrica*.

Primo itaque, quia ad objectionem propositam, quam dicit esse suam, negavimus consequentiam, quam dixit esse evidentem, & sine probatione reliquit, hic eam probat, quia quæcumque dicunt ordinem essentialem ad res distinctas speciei, sine dubio debent distingui specie non minus, quam quæcumque distinguuntur specie, ergo si motus calefactionis hominis dicit ordinem essentialem ad hominem, & non dicit talem ad Leonem, & si motus calefactionis Leonis dicit ordinem essentialem ad Leonem, & non dicit talem ad hominem, ut supponitur in antecedenti, non potest negari, quin inter se distinguantur specie.

140 Respondeo rursus negando constanter illud antecedens, idest illam propositionem, *quæcumque dicunt ordinem essentialem ad res distinctas speciei, sine dubio debent distingui specie non minus quam quæcumque distinguuntur specie*, hanc, inquam, propositionem, tamquam veram, & sine dubio prolatam, nego esse universaliter veram, asserendo non unam, sed centum, ut ita dicam, instantias; nam relatio genereitatis fundata in substantia dicit ordinem essentialem ad substantiam, & quæ fundatur in accidente dicit ordinem essentialem ad accidens, & tamen quia habent rationem fundandi ejusdem rationis, & consimilem denominandi modum, non distinguuntur specie, aut genere, sed tantum numero, sicut etiam relationes specieitatis fundatæ in homine, & equo, ut docet Scotus quol. 6. X. idem contingit etiam in relationibus realibus v. gr. in similitudinibus duarum albedinum, & duarum nigredinum adinvicem, nam similitudo fundata in hac albedine ad aliam dicit ordinem essentialem ad illam, itaut nequeat esse similitudo hujus nigredinis ad illam etiam de potentia absoluta, & tamen duæ illæ similitudines specie non distinguuntur, ut dixi disp. 8. log. qu. 10. art. 1. in fine, & ratio est, quia licet naturæ, quæ sunt fundamenta remota illarum relationum, sint alterius rationis, modus tamen unitatis, qui est ratio proxima fundandi eas, est utrobique ejusdem rationis; eodem modo dicunt Arithmetici proportionem duplam inter duo, & quatuor repertam esse ejusdem rationis cum ea, quæ reperitur inter quinque & decem, etiamsi numeri, qui illas fundant, specie inter se differant; Item Petrus dicit ordinem essentialem ad Petreitatem, ita quod Petreitas, nec de potentia absoluta potest constituere Paulum, & Paulus consimilem ordinem essentialem dicit ad Pauleitatem, &

& nihilominus quamvis Petreitas, & Pauleitas sint nedum specie differentia, sed etiam primo diversa, & in nullo concepru quidditative convenientia, ut tenet quoque Pontius disp. 6. log. qu. 2. non hinc sequitur, Petrum, & Paulum specie differre, vel esse primo diversa, quia ut inquit Doctor 2. d. 3. qu. 6. I. *non tanta esse debet distinctio in constitutis, quanta est in constituentibus*, quæ maxima Scotica directe destruit maximam Pontianam, *quæ dicunt ordinem essentialem ad res distinctas speciei, debent distingui specie*, nam constituta dicunt ordinem essentialem ad constituentia, a quibus essentialiter dependent, & constituentia nedum specie differre possunt, sed etiam esse primo diversa, ut constat de differentiis individualibus, & tamen talis distinctio non necessario in constituta redundat; Rursus potentia visiva aquilæ dicit ordinem essentialem ad animam aquilæ, ut facultas vitalis ad principium vitale, a quo dimanat, adeout de potentia absoluta potentia visiva aquilæ nequit esse potentia visiva Bovis, & tamen non sequitur, quod si anima aquilæ, & bovis specie distinguuntur, sic etiam distingui debeant potentiæ eorum visivæ, ut docet Scot. 2. d. p. q. 6. D. & sic in mille aliis instari posset; ergo propositio illa absque dubio assumpta, tamquam vera, non est talis; & hoc sæpissime causa est falsitatis discursuum Pontianorum; fingit enim, aut sibi præfigit quasdam propositiones tamquam universaliter veras, quæ tamen tales non sunt, unde in his proferendis illam reflexionem habere deberet, quam sæpe in nobis desiderat festucam *in oculis nostris videns*, & trabem *in suis non videns*. Videatur quoque Doct. 5. Met. qu. 12. ad 1. princ. ubi docet super duo generalissima fundari posse relationes ejusdem speciei, quia non est necesse tantam esse distinctionem in relationibus, quanta est in fundamentis.

141 Secundo prosequitur Pontius, & inquit ad propositam objectionem male nos negasse consequentiam, nec ad eam negandam sufficere tres rationes in responsione tactas; non quidem primam, quia licet motus Petri dicat ordinem essentialem ad Petrum, & motus Pauli ad Paulum; tamen quandoquidem Petrus, & Paulus non distinguuntur specie, non sequitur ex illis ordinibus, quod distinguantur specie, sicut sequitur ex ordinibus motuum hominis, & Leonis, qui respiciunt essentialiter *res* distinctas specie.

Hæc tamen replica nulla est, quia vel motus hominis ponitur a Pontio specie distinctus a motu Leonis, eo præcise quia ordinem dicat ad subjecta specie diversa, & tunc eadem ratione calores inducti in hominem, & Leonem poni deberent specie distincti, quia inducuntur in subjecta specie diversa; aut motus Leonis ponitur specie distinctus a motu hominis eo præcise, quia dicit talem essentialem ordinem ad Leonem, ut motus Leonis etiam de potentia absoluta nequeat esse motus hominis, quia est essentialiter ordinatus, & determinatus ad denominandum Leonem, & tunc hac eadem ratione motus Petri poni debebit specie distinctus a motu Pauli, etiamsi Petrus, & Paulus specie non differant, quia motus Petri ita *essentialiter* convenit Petro, ut de potentia absoluta nequeat convenire Paulo. Conf. quia Pontius disp. 6. log. qu. 10. in fine hac præcise de causa tenet actionem, qua hic ignis producit hunc numero calorem, esse specie distinctam ab actione, qua alter ignis producit alium numero calorem, quia actio procedens ab hoc igne nequit ab illo procedere etiam de potentia Dei absoluta, & idem tenet de visione, qua Petrus videt hoc album, & alia qua Paulus videt aliud album, esse nempe specie distinctas, quia una dicit essentialem ordinem ad oculum Petri, itaut nequeat esse Pauli, & e contra; & sic etiam discurrit de pluribus unionibus, præsentiis, & aliis hujusmodi respectibus; si ergo præcise ob hunc ordinem essentialem actiones duorum ignium specie inter se distinguuntur, & visiones duorum alborum Petri, & Pauli, quantumvis illi duo ignes, & oculus Petri, & Pauli solo numero differant; quoque in proposito, ut consequenter loquatur, tenetur Pontius discurrere de motibus Petri, & Pauli, quod ob talem ordinem essentialem specie inter se distinguantur, etiamsi Petrus, & Paulus sint solo numero distincti, vel si hoc non sequitur de motibus Petri, & Pauli, nec etiam sequetur de motibus hominis, & Leonis, quia eorum distinctio specifica nihil ad hoc facit; aut si hæc inducit distinctionem specificam inter eorum calefactiones, eamdem quoque inducent in calores productos in ipsis; ex quo constat quam consequenter loquatur Pontius, immemor eorum, quæ alibi dixit in hac eadem materia.

142 Deinde non adeo humilem habeo ego de litteratura Adversarii opinionem, qualem ipse de nobis habet (ut mox patebit) quod ipsum ignorare putem, quod sciunt pueri; sciunt autem isti, quod cum dicimus relationes interdum per fundamenta distingui specifice, id non utique de fundamentis remotis, & materialibus intelligi debere, sed proximis, & formalibus, quæ sunt rationes ipsæ fundandi, unde licet in eadem albedine fundentur similitudo ad aliam albedinem, & dissimilitudo ad nigredinem, tamen specie distinguuntur hujusmodi relationes etiam ex parte fundamenti proximi, quia habent diversas rationes fundandi: cum ergo motus in proposito relationem dicat ex Scoto 2. d. 1. q. 5. in fine, nempe transitum, vel ordinem subjecti ad formam, quam prius non habebat, si motus interdum ex parte subjecti, vel fundamenti distinguere velimus, non est spectandum fundamentum remotum, uti sunt in proposito leo, & homo, sed fundamentum proximum, seu ratio ipsa fundandi; ratio autem fundandi, & subjectandi motum in homine, & Leone utique non est natura ipsa hominis, vel Leonis, sed potentia passiva ad moveri, ut inquit Arist. 3. Phys. 9. definiens motum esse actum mobilis, quatenus mobilis est, hæc autem ejusdem rationis est in homine, & leone in casu proposito, ergo ex quocumque capite hallucinatur Pontius.

143 Tertio, ait neque valere secundam rationem negationis illius consequentiæ, quia ad distinctionem specificam minus requiritur, quam ad unitatem, ut pueri sciunt, nam ad distinctionem specificam hominis, & bruti sufficit, quod non conveniant in una formalitate, v. gr. in rationalitate, sed ad unitatem requiritur convenientia in omnibus formalitatibus, & sicut non valet inferre, si differant aliqua in animalitate, differunt specie, ergo si conveniunt in animalitate, conveniunt in specie, ita non valet inferre; duo motus differunt specie ex diversitate subjecti, ergo debent etiam convenire specie, si conveniunt in subjecto. Imo ipsimet (inquit num. 77.) negant cum Doctore sequi ex unitate specifica termini unitatem specificam motus, licet ex diversitate specifica ipsius arguatur diversitas specifica ejus, cur ergo tam immemores sui inferunt contra me consequentiam, quam ipsimet paulo ante negaverunt?

Hic primo advertendum est, responsionem nostram a Pontio fideliter non referri, nos enim diximus, quod si motus specificari potest a subjecto absque recursu ad terminum, sicut ex diversitate specifica subjectorum deducitur diversitas motuum, sic etiam aliquando ex unitate subjecti deduci posset unitas motuum; Pontius autem *omittit* particulam, *aliquando*, & refert *rationem nostram*, tamquam si diceremus ex unitate subjecti posse semper, & absolute deduci unitatem motuum, quod tamen non asserimus, sed sicut ipse dicit posse aliquando ex diversitate specifica subjectorum deduci diversitatem specificam motuum, etiamsi habeant terminos ejusdem speciei, ita nos quoque inferimus data hac hypotesi posse e contra aliquando ex unitate subjecti, seu ex non diversitate specifica illorum unitatem motuum deduci, quamvis termini essent distinctæ speciei, & ratio est, quia in causis præcisis, sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis, sed in casu allato ab Adversario, quod homo, & Leo calefiant, causa præcisa distinctionis specificæ illorum motuum est diversitas specifica subjectorum, ergo in casu, quo Petrus calefieret, & Paulus frigefieret, deduci posset ex data hypotesi, quod motus illi essent ejusdem speciei, vel specie non differant, quia habent subjecta non specie diversa, in virtute illius maximæ topicæ, quod quando aliquid est causa præcisa alicujus affirmationis, sic pariter negatio, vel remotio illius est causa præcisa negationis.

144 Sed fac etiam nos absolute locutos, adhuc illa ratio evincit intentum, quamvis enim loquendo de constitutivo, & distinctivo generico verum sit, quod ait Pontius, ex diversitate illius bene inferri diversitatem specificam, quatenus major diversitas semper infert minorem, non tamen ex ejus unitate, vel identitate rite colligi unitatem, vel identitatem specificam, quia *minor* unitas non infert majorem, attamen loquendo de constitutivo, & distinctivo formali, & specifico tam bene ex ejus diversitate deducitur specifica diversitas inter aliqua duo, quam ex ejus unitate, vel non diversitate specifica convenientia, ut v. gr. sicut arguere licet, Petrus, & Bucephalus non conveniunt in rationalitate, ergo specie differunt, sic e contra argumentari valet, Petrus, & Paulus conveniunt in rationalitate, ergo sunt ejusdem speciei, & hanc doctrinam tam bene pueri sciunt, quam illam. Sed in proposito, cum ait Pontius motum Leonis, & motum hominis ad calorem *distingui per* ordinem essentialem ad subjecta, non loquitur de distinctione generica, quasi quod per ordinem ad illa subjecta constituantur, & distinguantur, tamquam per constitutivum, & distinctivum genericum, sed loquitur de distinctione specifica, adeoquod ordo essentialis istius motus ad hominem, tamquam ad subjectum, sit differentia constitutiva ejus in tali specie, & distinctiva a motu Leonis, quatenus eadem sunt principia constitutiva, & distinctiva rei, ergo si ex diversitate specifica subjectorum bene deducitur specifica differentia motuum, ita ex non diversitate specifica illorum pariter bene deducitur unitas specifica motuum.

145 Hinc detegitur puerilis error Pontii, dum volens falsitatem nostræ responsionis ostendere sic discurrit. Sicut non valet inferre, si differant aliqua in animalitate, differunt specie, ergo si conveniant in animalitate, conveniunt in specie; ita non valet inferre, duo motus differunt specie ex diversitate subjecti, ergo debent etiam convenire specie, si conveniant in subjecto. In hoc (inquam) discursu committitur manifestus error, nam ut paritas valeret, ordo duorum motuum ad diversa subjecta deberet esse constitutivum eorum, & distinctivum genericum, sicut est animalitas respectu hominis, & equi, at res non ita se habet in sententia Pontii, qui vult illos motus per ordinem ad diversa illa subjecta constitui, tamquam per constitutivum, & distinctivum formale, & specificum.

Neque verum est, quod subdit Pontius, *nos num. 77.* absolute negasse cum Doctore sequi *ex unitate specifica* termini unitatem specificam motus, licet ex diversitate specifica ipsius arguatur diversitas specifica ejus; Sed ibi diximus ex Scot. p. d. 2. quæst. 7. T. quod quamvis ex distinctione specifica terminorum semper inferatur distinctio specifica motuum, non tamen ex distinctione specifica motus semper inferri potest distinctio specifica terminorum: hoc est quod Doctor asserit loco citato, & nos cum ipso; sed cum hoc stat adhuc, quod regulariter loquendo sicut ex distinctione specifica terminorum rite infertur distinctio specifica motuum,

ita quoque ex unitate specifica termini, infertur unitas specifica motus, at Pontius in sua sententia numquam vult ex unitate subjecti posse inferri unitatem specificam motuum, quod tamen concedere debet, si motus vere specificatur a subjecto, sicut concedunt illi, qui *motum specificant a termino*.

156 Quarto inquit, neque valere tertiam rationem negationis consequentiæ argumenti principalis, quia vel tempora diversa non sunt diversa specie, in quibus fierent diversi motus, vel si differunt motus facti in illis non dicunt essentialem ordinem ad *illa tempora*, quin idem motus factus in uno tempore possit fieri in alio, & motus diversi facti in diversis temporibus possint fieri in uno, sed sive primum dicatur sive secundum, ex ordine motus ad tempus, non sequitur distinctio specifica ipsius, nec identitas, licet ex ordine essentiali ad subjecta diversa specie sequatur distinctio specifica ipsius, quia hoc est primum principium, quod quæcumque includunt intrinsece prædicata essentialia distincta specie, illa debeant esse distincta specie; nec minus est per se notum, quod quæcumque includunt essentialiter ordinem ad res distinctæ speciei, illa dicant prædicata essentialia distinctæ rationis specificæ; sic autem se habent motus respicientes diversa subjecta; non autem sic se habent motus facti in diversis temporibus, nisi tempora sint diversa specie; aut si sint, nisi motus *ita* respiciant tempora illa essentialiter, ut motus factus in uno, non possit fieri in altero. Quod si tempora sint diversa specie, & motus factus in uno, ita respiciat ipsum, ut non possit fieri in altero, tunc concedit, & dicit necessarium esse, quod motus facti in diversis temporibus distinguantur specie.

Sed neque hæc replica tertiam enervat rationem, quantumvis enim conetur afferre disparitatem inter tempus, & subjectum, *in ordine ad motum*; semper tamen urget illa paritas, quod sicut unitas, vel distinctio specifica motuum non attenditur a tempore, quia in eodem tempore fieri possunt motus specie diversi, & in diversis temporibus iidem specie motus, ita attendi non debet penes subjectum, quia in eodem subjecto possunt motus specie diversi exerceri, & idem specie motus in diversis subjectis. Cum autem oppositum probat, quia hoc est primum principium, quod quæcumque includunt intrinsece prædicata essentialia specie distincta, illa debeant esse distincta specie, licet hæc pars majoris aliqua egeat explicatione, quia ut ajebat Scotus cit. non est necesse, quod sit tanta distinctio in constitutis, quanta est in constituentibus, & datur manifesta instantia in individuis ejusdem speciei, quæ in suo conceptu includunt differentias *individuales primo diversas*, scilicet in nullo quidditative convenientes, & adhuc sunt ejusdem speciei; Quamvis, inquam, hæc pars majoris sit cum grano salis intelligenda, altera tamen pars, quæ dicitur non esse minus per se nota, quod, *quæcumque includunt essentialiter ordinem ad res distinctæ speciei, illa dicant prædicata essentialia distinctæ rationis specificæ*, est omnino neganda, ut universaliter vera, ob manifestas instantias superius allatas, nam omnes similitudines, omnes uniones, omnes præsentiæ ad idem numero spatium habent eadem essentialia prædicata, licet dicant ordinem ad diversa specie fundamenta; Quod autem isti, & alii consimiles respectus ita se habeant, ut qui afficiunt hoc fundamentum, nequeant aliud afficere, hoc non efficit, ut debeant censeri alterius rationis specificæ, quia talis repugnantia non oritur ex natura, & essentia ipsorum, sed potius ex eorum hæcceitate, & ideo non facit eos esse alterius rationis ab aliis respectibus qui petunt alia fundamenta, sed solam arguere potest numericam distinctionem, ut fuse ostendo disp. 10. Metaph. qu. 11. contra eumdem Pontium, & alios Recentiores.

157 Quinto tandem probat motum specificari a subjecto etiam ex nostris principiis, quia (inquit) num. 76. asserunt rationem genericam motus a subjecto desumi, sed hinc sequitur, quod etiam specificetur a subjecto, nam ratio illa generica est de ratione specifica ejus, & per eam licet non possit distingui specie a motibus convenientibus in eadem ratione, potest tamen per eam specie distingui ab aliis motibus non convenientibus in ipsa, sicut homo ratione animalis distinguitur specie a lapide, licet non distinguatur a bruto.

Respondeo, neque nos asserere loc. cit. motum desumere a subjecto unitarem genericam simpliciter, & absolute loquendo, sed cum limitatione, *aliquo modo*, unde num. 78. cum in tertia objectione probaretur motum a subjecto quoque specificari debere, quia motus hæc tria essentialiter includit, scilicet terminum a quo, ad quem, & subjectum. Negamus consequentiam, non enim quodlibet specificatur ab *omni* eo, quod in suo conceptu essentiali ingreditur, sed ab eo duntaxat, quod se habet, ut determinans, sicut materia, quamvis sit de conceptu *hominis*, non tamen specificat illum, sed sola forma; modo subjectum est nimis commune, & potest recipere plures motus specie vel numero distinctos, & etiam genere, ideoque unitas generica potest *aliquo modo* ab ipso desumi, non specifica; hæc ibi, ex quibus constat hoc nostrum assertum de unitate generica motus non fideliter a Pontio referri.

158 Sed fac etiam, nos absolute asseruisse unitatem genericam motus a subjecto desumi, adhuc negatur hinc sequi, quod a subjecto specificetur, quamvis enim ratio generica ingrediatur conceptum specificum, quia non ingreditur, ut ratio formalis, & determinans, sed ut materialis, & determinabilis, ideo esse nequit ratio specificativa motus, unde est omnino inepta, & ridicula consequentia, animal ingreditur specificum *hominis* conceptum, ergo *homo* specificatur ab animali, quia unitas, vel distinctio specifica per se, & formaliter non sumitur, nisi a ratione determinativa; & formaliter constitutiva rei in tali esse specifico. Neque ex eo, quod genus distinguat speciem constitutam per ipsum ab omni alio, quod sub diverso genere continetur, ut v. gr. quod animal distinguat hominem a lapide, rite infertur, quod homo specificetur per animal, vel suam unitatem specificam, aut distinctionem ab animali desumat, quis enim omnino mentis hebes ita discurreret? quod enim ita specificat, & specificative constituit, nedum constitutum distinguit ab his, quæ sub diverso genere continentur, sed etiam ab aliis sub eodem genere contentis, & sic rationale dicitur specificativum hominis, eique tribuere unitatem, & distinctionem specificam, quia distinguit hominem nedum a lapide, sed etiam a bove, & Leone &c.

Et cum tandem dicebatur, quod homo ratione animalis distinguitur specie a lapide, licet non distinguatur a bruto, atque ideo quod genus tribuit quoque specificam distinctionem saltem ab his, quæ sub diverso genere continentur; respondeo, quod eo ipso quod genus distinguit suum constitutum ab his, quæ sub diverso genere continentur, talem distinctionem dici debere genericam, & non specificam, eo quia sit per constitutivum genericum, & non specificum, eodem enim prorsus modo *principium constitutivum rei rem illam distinguit*, sicut constituit, cum eadem sint principia constitutiva, & distinctiva rei, ut docet Scotus p. d. 11. qu. 2. & ideo quod solum generice rem constituit, nequit illam specifice distinguere, quia tunc modus distinguendi excederet modum constituendi; dici tamen potest *hominem ratione animalis specie distingui a lapide*, non quidem per se, & formaliter; tamquam per formale, & specificum constitutivum, sed tantum illative, quatenus nempe distinctio major semper infert minorem, unde quæ sunt genere distincta, censentur etiam specie, & numero distincta, cum quo tamen stat quod formalia constitutiva, & distinctiva generica, specifica, & numeralia sint inter se diversa; atque ideo semper falsum est, rationem genericam dare posse formaliter unitatem, vel distinctionem specificam constituto per ipsam.

159 Denique apologiam suam his verbis Pontius concludit; Per hæc satisfactum est omnibus, quas ego potui reperire in additionibus ad Physicam duorum Patrum Conventualium, impugnationibus meæ doctrinæ, meo quidem judicio sufficienter; sed quia unusquisque abundat in proprio sensu, constituo arbitrum quemcumque doctum, & indifferentem lectorem, cujus etiam judicio relinquo, an expectari possit, ut in Metaphysica, aut aliis Philosophiæ partibus, quas forte de novo iterum imprimet Adversarii, melioribus rationum momentis impugnabunt, quæ ego vel contra ipsos, vel contra (si ipsis credendum est) Scotum ipsum in Cursu meo propono.

Respondeo, *ante victoriam triumphum canere*, non licere, & rursus replico, quod dixi supra, responsiones quas in editione nova Physicæ adjeci ad ejus objectiones, inepte, & perverse impugnationes vocari; qui enim aliorum objectionibus occurrit, in propriam defensionem propugnare dicitur, non impugnare, at ipse impugnationes appellare voluit nostras responsiones, ut Lectori persuaderet nos primum sua impugnasse asserta, atque ideo rationabiliter motum fuisse ad apologetice respondendum; verum res e contra se habet, quandoquidem ipse prior nostra impugnavit asserta, cui nos pacifice respondimus in editione novæ Physicæ, atque adeo sobrie, ut hoc fecerimus suppresso ejus nomine, ne ullam quidem querimoniæ ei præberemus occasionem, quamvis hoc ipsum a nobis ad bonum finem factum in malam partem sit interpretatus, ut constat ex initio apologiæ ipsius. Gaudeo tamen judicio docti, & indifferentis Lectoris relictum esse, quis nostrum hactenus melius impugnaverit adversa, & propugnaverit propria.

Sequitur deinde; Ex quibus etiam vel ipsi Tyrones nostræ scholæ judicare poterant, cui debeant, tamquam candidiori, ac sinceriori Scoticæ se confidere, an mihi, qui numquam recedere posse videar ab ipsius mente, nisi cum ipse significo, *non quidem absolute me recedere, sed propono rationes*, ob quas recedere quis me possit existimare, & urgentia fundamenta, ob quæ ad id coactus sum &c.

160 Sed quam prudenter, & scite in præcedenti discursu judicio docti Lectoris reliquit judicandum, quis nostrum melius impugnaverit, vel propugnaverit, tam imprudenter, & inepte in præsenti discursu, Tyronibus nostræ scholæ relinquit judicandum, quis nostrum fidelius scripserit juxta dogmata scholæ, subtilisque *præceptoris*, quasi quod hoc sit judicium de re levissima, & facillima, ut quisque Novitius in schola illud ferre possit; plane ab hac sententia me appello, & Tyronum judicio stare nolo, sed Doctiorum, & provectiorum in schola nostra. Gaudeo tamen iterum, quod tandem ultro, & ingenue fateatur Pontius se interdum a mente Scoti recedere, quamvis enim dicat se numquam absolute id facere, sed urgenti ratione coactum, hoc non facit, quod a Scoto non recedat, sed quod non recedat perperam, & sine ratione, ubi animadversione dignum est, quantæ virtutis sit veritas; præcipuus namque Pontii in hoc apologia scopus est notam sibi a Typographo (ut inquit) personato inustam, quod interdum a mente Scoti recedat, propulsare, & expurgare, & tandem in fine ejusdem apologiæ censuram ejusdem Typographi propria confessione confirmat; Falsum tamen est quod inquit, se numquam a mente Scoti recedere, nisi cum ipse significat: interdum siquidem (ne dicam *frequenter*) ab ejus mente recedit, absque ulla prorsus excu-

excusatione, vel protestatione, imo absque ulla Scoti mentione, ut videri potest disp. 22. de Cœlo qu. 4. concl. 1. ubi asserit Cœlos adhuc esse posse intrinsece incorruptibiles, quamvis constarent materia sublunari contra expressam Scoti doctrinam in 2. d. 14. qu. 1. nulla prorsus Scoti mentione facta, vel ratione habita, ut supra ostendi in appendice generali, ubi etiam sufficienter discussum est, quis nostrum *melius* intellexerit Scotum, nedum cum clare, verum etiam cum obscure loquitur.

Finit tandem, quod si *longior* fuerim, multitudo, & gravitas rerum, de quibus, si Tyronum Scotistarum emolumento prospicere vellem, discurrendum mihi erat, veniam merebitur: cæteros etiam defectus excusabit graviorum studiorum occupatio, a quibus huic censuræ in veritatis gratiam ferendæ viginti tantum dies ægre mutuare potui &c.

161 Hic ultimus discursus toti Apologiæ fidem aufert, nam in prima parte discursus fatetur res, de quibus in ea disputatum est, & multas, & graves fuisse, ac proinde aliquam prolixitatem postulasse; & in altera parte discursus inquit spatium duntaxat viginti dierum in hanc apologiam insumpsisse; ex quo illico deducitur, lucubrationes istas nimis fuisse præcoces, nec ea fuisse maturitate, ac reflexione conscriptas, quam gravitas materiæ postulabat, tam brevi temporis intervallo, cum tamen toto apologiæ decursu nihil frequentius nobis inculcet Pontius, quam quod mature reflectamus supra quæ scribimus, nec simus sola verborum superficie contenti absque ullo sensu ad rem faciente; Quamvis autem hoc ipse judicium ferat de tota nostra Philosophia, quod sit absque ulla reflexione conscripta, & in puris verbis consistat absque sensu; ego tamen omni prorsus passione secluſa, ut detur veritati locus, secus de ejus doctrina judico, & præsertim de hac apologia sua (nam ejus Cursum volantibus, ut ita dicam, oculis perspexi, ut invenirem, quæ contra me scripserat) quasdam enim ejus aut responsiones, aut objectiones perlegi satis probabiles; quasdam vero probabiles in apparentia solum, sed quæ si penitius introspiciantur, & maturius considerentur, prorsus falsæ, ac deceptoriæ deprehenduntur, ut constat in hac ipsa ultima defensione, ubi replicæ contra nostram responsionem in Physica datam videntur omnino convincere, & tamen sunt prorsus deceptoriæ, ut satis luculenter ostendi; quasdam tandem, nec in se, nec apparenter probabiles sed improbabiles omnino, & absque ullo fundamento prolatas, quarum nonnullas adnotavi in appendice generali, contra unitatem, & Aristotelem, & Scotum Magistrum, in quibus melius fecisset veritati, & rationi succumbere, quam errores erroribus accumulare in eorum defensione suscipienda.

162 Itaque colligantur in unum responsiones datæ disp. 12. Met. qu. 7. 8. 9. & 10. & in singularibus additionibus huic tomo de Gener. & Corrupt. insertis, & in appendice generali ad finem ejusdem tomi adjecta, invenies satis, superque satisfactum fuisse objectis omnibus singillatim a Pontio in sua appendice apologetica; cur statim non responderim, sed in hæc usque tempora responsionem distulerim, rationabile ab initio appendicis generalis accepisti impedimentum, triennalem nimirum Provincialatus occupationem; quantum temporis in hac responsione insumpserim præcise asserere non possum, cum non fuerit continuatus labor, sed variis negotiorum distractionibus, & occupationibus interpolatus; fateor tamen plus dierum viginti me consumpsisse, ne locum adagio darem, *Canis festinans cæcos parit catulos*, neque enim ea ingenii felicitate vigeo, ut volumina panciſſimis diebus absque abortus periculo edere valeam; neque sum Scoti conterraneus, qualis esse gloriatur Pontius, ut ex illo ipso Cœlo tantum solertiæ, & subtilitatis mihi sascisere audeam; quod & si ibi oriundus essem, neque de hoc gloriari auderem, ne mihi responderetur, quod Arist. dixit cuidam glorianti, quod esset a magna, celebrique civitate nempe, *hoc nihil referre, sed an celebri patria dignus esset*, ut habetur libr. 7. apophteg. 18. Fateor insuper, quod esto omnibus & singulis impugnationibus Adversarii satisfeciſſe mihi videar, non tamen dicteriis, scommatibus, vellicationibus, & irrisionibus, tum quia hoc summe dedeceat virum Religiosum, & præcipue in confratrem, & ejusdem Seraphici Parentis alumnum in sua Regula docentis, & præcipientis: *Non litigent, neque contendant verbis &c.* Tum quia Aristotelis dicti recordor lib. cit. apophteg. 24. contra quem cum garrulus quispiam multa rugatus esset, & tandem dixisset, *Fortassis obstrepo tibi nugis meis. Non hercle*, inquit, *neque enim adverti animum*, seria nempe animadverti, irrisoria vero, & nugatoria dissimulavi, & surdus pertransivi; *Canis enim latrans non mordet*, inquit adagium, unde tunc præsertim Auctores garruli strepere, & bombiliare assolent, cum sese ab objectis extricare nesciunt, tunc, inquam, indignati in obiicientem fremunt, ineptiunt, debaccantur, & mille scurrilia effutiunt, quæ proinde deoret cordatus homo parvipendere: *ad convicia nemo sobrius respondet, quam qui nihil*, ajebat Tiberius Cæsar.

163 Floccifeci pariter, quod non semel sive ex vegeta ætate, sive ex ignorantia nos pueros appellet, & tamquam pueros tractet, ut constat ex hac ipsa ultima sua replica ex dictis supra num. 153. licet etiam in hoc par pari referre potuissem, nam ut inquit Poeta,

Non satis est mente, satis est canescere mente.

Quidam enim senes (ait Seneca epistol. 4.) etsi mortem hospitam, & sepulchrum quasi diversorium ante oculos videant, tamen adeo sunt rudes, ut in iis non pueritia, sed quod gravius puerilitas remanet. Et Sigonius de Antiquo jure civil. Rom. libr. 1. cap. 17. refert fuisse *vetus proverbium*, *Sexagenarius de ponte deiici debere*, non quod corpore tenus de ponte tum præcipitarentur, sed quia suffragium non ferebant, quod per pontem antiquitus dabatur, & ideo recte dixit Furius Coriolanus, qui triginta nondum attigerat annos, celebres adeant Academias, ut discant; sexagesimum vero qui excesserunt, sibi vivere incipiant, in otio, & quiete, & solius animæ salutis curam gerant. Hinc æque pius, ac doctus Claramontius in replicatione ad Fortunium Licetum in fine sic tandem eum alloquitur, Senes sumus, & Christiani, vota nostra purgemus, navigationem ad verum polum, inquam, non septemtrionalem, sed supercæleſtem, & divinis extensis demum velis dirigamus; contendere ad ostentationem, non ad veritatem solent Theologi. Ita plane Pontius facere debebat, primus fuit aggressor, prior qui nostra impugnaverat, suppresso nomine, & absque ulla asperitate responsum ei fuerat; quare vel silere, vel eadem lenitate replicare tenebatur, & non scolasticæ discrepationis, ac religiosæ modestiæ limites transgredi, & si interdum a veritate devios nos comperisset, charitative docere, & placide ad lyram revocare. Quod si Typographi (ut ait) personati epistola se se læsum dolebat, quod pro ea indicaretur pluries amplecti Recentiorum *opiniones*, quam Scoti, quasi ab adolescentia in eorum scholis enutritus; mirto quod a personato se vindicare velle idem sit, quod cum larva contendere, non ea erat censura, ut tot injuriis, & conviciis rependi deberet, quot enim insignes viri, atque doctissimi a scholis Recentiorum prodiere? quot scite, atque erudite scripserunt etiamsi non Scotice locuti? Concludo, P. Pontium mitius agere potuisse, ac debuisse, lubricumque nimis, & absque rationabili causa in contumelias fuisse: nobisque proinde occasionem dedisse invitis duriuscule replicandi, quam esset in animo, quod addere volui ad facilius veniam a lectore impetrandam, *dissuendæ, non discindendæ sunt amicitiæ*, vetus fert proverbium, præsertim vero inter viros doctos, si aliquando id necessitas extorqueat, nec minus ad rem facit adagium aliud: *Pelli tintinnabulum ne primus appendas*.

FINIS.

DISPUTATIONES
IN LIBROS
DE CŒLO, ET METHEORIS,
Quibus ad Adversantibus tum Veterum, tum Recentioribus jaculis
SCOTI PHILOSOPHIA
VINDICATUR
A PP. Magistris
BARTHOLOMÆO MASTRIO MELDULENSI,
ET
BONAVENTURA BELLUTO CATANENSI.

BREVIS EXPOSITIO TEXTUS LIBRORUM DE CŒLO.

LIBER PRIMUS.

In quo de universo in communi est sermo.

CAPUT I.

a text. 1. usque ad 5.

1 UT probet Arist. in hoc primo cap. universum perfectum esse, præmittit, Philosophiam circa entia naturalia, eorumque principia, & passiones versari, insuper differentiam inter lineam, superficiem, & corpus, quod corpus sit secundum omnem, & trinam dimensionem divisibile, non sic linea, & superficies; ex quibus deducit inter magnitudines solum corpus perfectum esse, quod probat; tum quia numerus ternarius secundum Pythagoricos est perfectus, corpus est tripliciter divisibile, tum quia totum, & perfectum sola ratione differunt, at corpus est tota magnitudo, non enim transit in aliam magnitudinem, idest non continuat, & terminat aliam magnitudinem, ut faciunt linea, & superficies, ergo erit perfecta magnitudo: ex his omnibus tandem concludit universum perfectum esse, utpote quia est quid corporibus constatum, & consequenter ex perfectis constans, omniumque aliorum corporum perfectiones continens.

CAPUT II.

a tex. 5. usque ad 17.

2 DEscendit modo ad partes universi, & primo incipit agere de cœlo, probans præter quatuor elementa debere dari alterum corpus simplex cœlum appellatum, supponendo prius omnia physica corpora localiter moveri, quia principium motus, scilicet naturam habent; item quod localis motus, aut est simplex, aut mixtus; simplex, aut rectus, aut circularis, quia etiam spatium, aut est rectum, aut circulare: rectus, aut est a medio, & dicitur motus sursum, aut ad medium, & dicitur motus deorsum, circularis vero est circa medium; mixtus est ex his simplicibus compositus: quapropter etiam corpora, aut erunt simplicia, quæ simplici motu moventur, aut mixta, quæ motu mixto, nam si motu simplici moventur aliquando, hoc est propter elementum prædominans. Ex his probat suam conclusionem, quod detur quintum corpus simplex præter elementa; tum quia motus simplex circularis simplici corpori convenire debet, non quatuor elementis, quia hæc motu recto moventur, & unius simplicis corporis unus est simplex motus, sicut unum est principium in ipso, ergo alteri corpori ab elementis: tum 2. quia motus circularis cum sit, alicui corpori convenit, non elementis, quia aut naturaliter conveniret, & hoc non, cum habeant ex propria natura motum rectum, & unius unicus sit naturalis motus, aut violenter, quod est falsum, quia opponeretur motui recto sursum, vel deorsum, & sic uni motui duo essent contrarii motus, quod etiam est falsum, ergo cœlo competeret, non violenter, quia tunc daretur alter simplex motus naturalis cœlo præter rectum, & circularem, quod est impossibile, ergo cœlo conveniet secundum naturam: tum 3. quia circularis motus perfectior est recto, sicut circulus est recta linea perfectior, & per consequens est prior natura recto, *nam perfectum est prius natura imperfecto*, ergo si datur motus rectus competens elementis, multo magis circularis conveniens perfectiori corpori, quam sint elementa; tum 4. quia circularis motus elementis convenit præter naturam, ergo dari debet aliud corpus, cui secundum naturam conveniat, quia quod competit alicui præter naturam, alteri convenit secundum naturam, ut ferri deorsum violenter competit igni, terræ naturaliter, tale autem corpus est cœlum, tandem quia motus circularis perpetuus est, ut est in physicis ostensum, ergo alicui corpori naturaliter convenit, nullum enim violentum est perpetuum; non competit elementis, ut dictum est, ergo præter quatuor elementa dari debet quintum corpus simplex, cui connaturalis sit circularis motus.

CAPUT III.

a tex. 17. usque ad 33.

3 NUnc ostendit Arist. differentias inter cœlum, & elementa; prima est, quod cœlum neque est grave, neque leve: probat, quia grave tendit ad medium, leve movetur a medio, ut infra, cœlum non movetur a medio, vel ad medium, ergo, &c. min. prob. non movetur taliter secundum naturam, quia unius corporis simplicis unus est motus simplex naturalis, talis cœlo est circularis; non præter naturam, quia talis motus contrarius est motui naturali, & sic si violenter sursum ferretur, naturaliter deorsum tenderet, quod est falsum; *hoc autem* est verum de toto cœlo, & qualibet ejus parte, eadem enim est ratio, ut patet in tota terra, & qualibet terræ parte, unde si per impossibile pars aliqua cœli abscinderetur, neque sursum, neque deorsum moveretur. Secunda differentia est, quod cœlum non sit generabile, & corruptibile, quia generatio, & corruptio *est inter contraria*, ut in physicis dictum est, cœlo nihil est contrarium, ergo, &c. min. patet, quia corpora contraria contrarios habent motus, motui circulari nullus motus contrariatur. Tertia, quod non augeatur, aut diminuatur, quia ei, quod augetur, advenit aliqua pars materiæ, quæ per denominationem deperditur, at cœlum non constat ex materia. Quarta quod non sit propria alteratione, quæ est inter contrarias qualitates, alterabile, patet eadem ratione; deinde confirmat hæc omnis authoritate, & communi consensu, omnes enim cœlum perpetuum posuerunt, neque ullam corruptionem experti sunt in ipso.

4 Quod vero motui circul. nullus *alius motus contrarietur*, quod videtur fundamentum totius discursus, fuse probat; nam non contrariatur

riatur rectus, quia sic rectus duobus motibus esset contrarius alteri recto, & circulari, neque alter circularis, nam vel hoc esset, quia motus unius semicirculi ab hoc extremo ad illud opponeretur motui alterius semicirculi ab illo extremo ad istud, sicut motus recti a medio, & ad medium contrariantur, & hoc non, quia non est eadem ratio de semicirculo, & linea recta, inter enim duo extrema non nisi unica linea recta esse potest ejusdem longitudinis, at plures semicirculi potrahi possunt diversæ longitudinis in infinitum inter duo puncta, & super eundem diametrum, & sic uni motui essent infiniti motus contrarii, quod est falsum: Vel esset, quia motus unius semicirculi ab uno ad aliud extremum esset oppositus motui facto super eundem semicirculum ab hoc ad illud extremum; & hoc non, quia motus contrarii debent esse inter contrarios terminos secundum lineam rectam plurimum distantes, hi motus non sunt hujusmodi. Vel quia motus duorum semicirculorum ejusdem circuli sunt oppositi, & neque hoc, quia unum motum integrant totalem, & ab eodem in idem sunt, nec habent terminos oppositos, & secundum rectitudinem maxime distantes. Vel tandem quia duo motus circulares totales ad invicem contrariantur, & neque hoc, quia vel essent super diversos circulos totales, & sic uni motui infiniti motus opponerentur, sicut infiniti circuli possunt fieri, vel super eundem circulum, & tunc non essent inter terminos contrarios, ut supra; tum quia si motus cœlestes essent contrarii, a virtutibus contrariis forent, quæ vel essent æquales, & tunc nullus fieret motus, unam enim alteram impediret, vel inæquales, & sic quæ debilior esset, frustra poneretur, quod est falsum: Deus enim, & natura nil faciunt frustra.

CAPUT IV.

a tex 32. usque ad 76.

5 FUse Arist. in hoc cap. demonstrat universum non esse infinitum, eo quia nequit dari corpus aliquod infinitum, sed omne finitum est, unde & compositum ex his corporibus, quale est universum, finitum erit; hoc autem probat præcipue triplici medio, & primo ex motu circulari, nequit enim corpus infinitum circulariter moveri, tum quia lineæ a centro egredientes versus tale corpus essent infinitæ, infiniteque inter se distarent, hoc enim est proprium linearum facientium angulum, ut quo magis a centro distant, magis quoque inter se distent, ergo non posset una ad locum alterius provenire, quia deberet infinitam illam intercapedinem pertransire, & infinitum est impertransibile, hoc autem necessarium esset, ut corpus circulariter moveretur; tum 2. quia infinitum nequit tempore finito pertransiri, æque enim se habent magnitudo, tempus, & motus, hoc autem esset falsum, si corpus infinitum posset circulariter moveri, quia si linea secans totum istud corpus infinitum extra centrum quiesceret, si esset alia linea a centro ad circumferentiam in infinitum protracta, & circulariter moveretur, pertransiret illam lineam tempore finito, nam cœlum moveri 24. horarum spatio notissimum est: tum 3. quia cœlum tempore finito pertransit circulum juxta centrum descriptum, & ab isto etiam pertransitur, quia si magnitudines juxta se invicem moventur, eodem tempore se absolvunt, ergo si cœlum esset infinitum, jam a finito, & finito tempore infinitum pertransiretur; tum 4. quia figura est terminus quantitatis, unde corpus figuratum est terminatum, & finitum, corpus circulariter motum est sphæricæ figuræ, ergo non infinitum; tandem quia tempus hujus motus est finitum, ergo & magnitudo mota est finita, æque enim se habent ex physicis.

6 Deinde idem probat de elementis ex motu recto; tum quia *quæ motu recto a medio*, vel ad medium moventur, petunt loca contraria sursum, & deorsum, quorum si deorsum, seu medium est determinatum, etiam sursum, cum sint contraria, ergo corpora ad illa loca mobilia erunt determinata, & finita: tum 2. quia si hoc esset, haberet infinitam gravitatem, aut levitatem, aliter corpus finitum posset in virtute excedere infinitum, & consequenter vel moverentur in instanti, vel si in tempore, tunc gravitas finita in æquali tempore moveret, imo in minori, ac infinita, quæ sunt absurda. Quapropter mundus totus finitus erit, nam si esset infinitus, aut haberet partes dissimilares infinitas, & hoc non, quia motus simplices sunt finiti specie, ergo etiam corpora specie distincta erunt finita, cujuslibet enim corporis simplicis unus est motus simplex; vel una pars mundi *esset infinita* (si enim *omnes* finitæ essent, finitum quoque mundum constituerent) quod est falsum, ut probatum est, quia vel moveretur motu recto, vel circulari, ut supra.

7 Denique hoc probat ex actione, & passione, nam nullum infinitum pati posset a finito, nec e contra, quia semper sequeretur virtutem aliquam finitam æquari infinitæ, eo quia posset cum illa in æquali tempore agere; virtus enim agens in tanto tempore, si in duplo augeatur, aget in medietate illius temporis, quare posset tandem pervenire, quod ageret in eodem tempore cum infinita, unde ex parte actionis esset proportio, & tamen finiti ad infinitum nulla datur proportio; ex quo etiam sequitur, quod nullum infinitum ab alio infinito moveri potest, nam in æquali tempore infinitum moveret finitum, & aliud infinitum, si scilicet augeretur virtus resistitiva finiti ea proportione, quæ est inter tempus actionis factæ in infinitum, & tempus actionis exercitæ in corpus finitum, ex majori enim resistentia mobilis augetur tarditas actionis agentis.

CAPUT V.

a tex. 76. usque ad 92.

8 INtendit modo Arist. unitatem mundi demonstrare, supponendo prius, quod naturalia corpora, & violenter, & naturaliter moventur, & quiescunt, qui motus sunt inter se contrarii: insuper quod si plures essent mundi, corpora ipsorum essent ejusdem rationis cum corporibus istius, aliter si diversæ essent speciei, mundus de illis mundis non nisi æquivoce diceretur; tum quia motus in omnibus essent ejusdem speciei, scilicet vel ad medium, vel circa medium, ergo & corpora erunt ejusdem naturæ. Ex his deducit unitatem mundi, quam probat, quia si plures essent mundi, terra unius naturaliter tenderet ad locum terræ alterius, cum sit ejusdem naturæ, & consequenter violenter esset in proprio loco, nam si terminus ad quem est naturalis, terminus a quo est violentus, quod est falsum, tum 2. quia unus est primus motus æternus, ergo unum primum cœlum, & unus mundus; tum 3. quia tria sunt elementorum loca, scilicet supremus juxta cœlum, infimus in centro, & medius inter ista, & præter hæc loca nullus alius locus datur, nam neque naturaliter, neque præter naturam illuc ferrentur, ergo non est alius mundus. Neque dicas, inquit Arist. corpora illa propter distantiam specie differre, aut motum ab extrinseco mobilibus convenire, & sic non habere inclinationem ad loca aliorum, vel saltem numero differre, propter quam distinctionem non oportet ad eundem numero locum moveri debere. Primum enim est falsum, quia distantia non facit naturæ diversitatem; similiter secundum, quia si unus motus est *alicui violentus*, contrarius est illi connaturalis, tandem tertium nil juvat, quia sufficit specifica identitas ad inclinationem in eundem numero locum, ut patet in hujus terræ partibus.

CAPUT VI.

a tex. 92. usque ad 101.

9 OStenderat in præc. cap. unum tantum esse mundum, nunc probat neque possibiles esse plures mundos, quod ut clarius demonstret, adducit rationem Antiquorum in contrarium, quæ talis est, in omnibus naturalibus alia est forma secundum se, & alia forma in materia, ut alius est circulus, & alii circuli lignei, differunt enim ut universale, & singulare, unde & ipsorum plura, & plura esse possunt, ut patet inductione, sed cœlum est sensibile, ergo est distinguere in ipso cœlum, & hoc cœlum dicet formam, & quidditatem, hoc cœlum, formam in materia, & per consequens plures esse possunt cœli, sicut in aliis *sensibilibus contingit*. Huic rationi respondet assumptum esse verum, quando sensibile non constat ex omni possibili materia, ut alia nequeat reperiri, ut materia similatis est caro, si ex omnibus carnibus fieret una caro, non nisi una similas reperiri posset, quod ut explicet, adnotat cœlum tripliciter sumi pro ultima sphæra, pro cœlestibus corporibus, & pro omnibus contentis ab ultima sphæra, universum appellatum, & hoc modo acceptum cœlum, ait totam materiam possibilem continere, eo quia ex omni naturali, & sensibili corpore constat, neque se habent, ut materia universi, neque ullum extra se corpus relinquit, quod probat, quia corpus illud non esset simplex, nam tale est mobile vel a medio, vel ad medium, vel circa medium, extra cœlum non sunt ista loca; neque dicas violenter ibi esse, nam locus, qui uni simplici est violentus, alteri est naturalis, ergo si ibi nullum simplex secundum naturam natum est esse, neque aliquod præter naturam, & per consequens nec erit ibi corpus *mixtum*, quia omne tale simplicia corpora præsupponit. Ex his deducit primo extra cœlum non esse locum, nec vacuum, nec tempus; non est locus, quia nullum corpus: non est vacuum, quia hoc est locus carens corpore aptus repleri, ibi nullus est locus, nec corpus; non est tempus, quia nec mobile, quod localiter moveatur. Secundo quod extra ibi existentia, qualis est prima intelligentia, optimam vitam ducunt, non senescentia in tempore, impassibilia, inalterabilia, loco intransmutabilia, a qua intelligentia cæteris communicatum est esse his clarius, illis vero obscurius.

CAPUT VII.

a tex. 101. usque ad 110.

10 INcipit nunc agere Arist. de mundi duratione, in præsenti adducit, & confutat opiniones Antiquorum, quarum prima fuit Platonis dicentis mundum genitum esse, sed semper mansurum; Secunda fuit Democriti asserentis mundum factum, & fore semel interiturum, ut nunquam reparari possit; Tertia fuit Empedoclis ponentis mundum pluries generari, & corrumpi, quia principia generationis, & corruptionis posuit litem, & amicitiam, unde amicitia congregante elementa generatur mundus, lite segregante, corrumpitur. Primam confutat, quia id rationabile dicitur, quod in omnibus, *vel in pluribus evenit*, apparet autem omne genitum corrumpi, ergo idem esset de mundo dicendum, si genitus ponitur: tum quia si fuit genitus, ergo ex aliquibus præcedentibus, quia *ex nihilo nihil fit*, ista autem principia ante mundi generationem vel non potuerunt aliter se habere, & sic nunquam fuisset mundus genitus, vel potuerunt aliquando, *ut in mundi constitutione*, ergo modo etiam possunt aliter se habere, non enim est major ratio hic, quam ibi, quare

non

non erit necessario perpetuus. Secundam impugnat, quia debent isti admittere materiam, ex qua fuit mundus genitus, & in quam resolvatur, ergo si prius potuit transmutari, & ad generationem mundi concurrere, etiam post corruptionem eandem habebit potentiam, non igitur recte asseritur post destructionem mundi impossibilem esse restaurationem. Tertiam refutat, quia sic mundus ponitur secundum substantiam æternus, & solum secundum apparentiam, & qualitates transmutabilis, ut si quis ex puero fiat vir, & ex viro recidat in puerum alternatis vicibus.

CAPUT VIII.

a tex. 110. *usque ad* 119.

11 UT propriam aperiat sententiam de mundi duratione, præmittit in præsenti cap. varias acceptiones ingeniti, geniti, incorruptibilis, & corruptibilis. Ingentium tripliciter sumitur, Primo, pro eo, quod incipit esse, sed non per veram generationem, ut motus, relatio &c. ad quæ non est motus; Secundo, quod non est, sed potest esse; Tertio, pro impossibili, quod aliquando sit, vel non sit, hæc vero impossibilitas est duplex, vel simpliciter, si omnino repugnat, vel secundum quid, si non ita facile fieri potest. Genitum etiam tribus sumitur modis, Primo pro eo, quod de novo quomodocunque existit, Secundo, quod faciliter generari potest, Tertio, quod est per mutationem, sive facilitèr, sive difficulter. Corruptibile quoque, Primo, sumitur pro eo, quod potest non esse, sive per veram mutationem, sive non, Secundo, pro eo, quod vera corruptione desinit, Tertio, quod faciliter corrumpitur. Incorruptibile etiam, Primo, accipitur pro eo, quod nequit vera corruptione desinere, licet aliter contingat non esse, Secundo, quod nullo modo potest desinere, Tertio, pro eo, quod difficulter amittit esse. Addit etiam, quod propriissime incorruptibile illud dicitur, quod omninò non esse non potest, ingenerabile, quod simpliciter fieri nequit, ut aliquando sit, & aliquando non sit. Et quia de possibili, & impossibili fuit sermo, subjungit, quod possibile, a quo determinatur ac denominatur potentia, est maximum, & excellens, in quod potest illa virtus, ut potens ferre centum talenta, potentia ejus determinatur a centum talentis, non a duobus, quamvis, & in ista possit; e contra impossibile, a quo impotentia determinatur, erit minimum, in quod non potest, ut potens ferre centum, & non centum, & unum, ejus impotentia determinatur ab isto minimo excedente maximum possibile, quamvis nec possit ferre centum, & duo. Nec urget, quod potens videre corpus nequit videre punctum ejus, & potens audire sonum magnum, nequit quantumcunque parvum sonum percipere; non urget, quia licet ista parva secundum rem minima, & non maxima dicantur magnitudine molis, attamen secundum virtutem, & in ordine ad potentias dicuntur maxima, vis enim auditus, & visus ad minora est debilior, ad majuscula valentior.

CAPUT IX.

a tex. 119. *usque ad finem.*

12 IN hoc capite prius aliqua supponit, deinde suas adducit conclusiones, primo supponit, impossibile, & falsum non idem significare, Petro enim sedente dicere, quod ambulat, est falsum, non impossibile, unde aliud est supponere falsum, & aliud supponere impossibile; item potest quis habere simul potentiam ad opposita non conjunctim, & in eodem tempore, sed divisim, & in diverso tempore, quæ potentia ad opposita, ut ad esse, & non esse, determinatur tempore, nam si tempus non est determinatum, ergo habebit potentiam ad essendum tempore infinito, & ad non essendum alio tempore infinito, vel in eodem tempore infinito, quod sit, & non sit, quæ sunt falsa. Prima concl. est ista; omne semper ens est simpliciter incorruptibile, & ingenitum, probatur quia si semper est, numquam non est, & nunquam corrumpitur, si esset corruptibile, aliquando non esset: eadem ratione probatur, quod sit ingenitum, quia quod est genitum, aliquando non fuit, & sic non esset semper ens, vel semper esset, aliquando non esset, quæ est contradictio. Secunda concl. nullum semper ens corruptibile est, aut genitum, quia corruptibile, & genitum habet potentiam ad non esse, nullum semper ens habet talem potentiam, quia vel esset tempore finito, & hoc non, quia omni tempore est, & ad essendum etiam illo tempore habet potentiam, vel tempore infinito, & neque quia in eodem tempore est, nec dantur plura tempora infinita; tum quia se habent ut contradictoria. Tertia concluf. omne ingenitum, & incorruptibile est semper ens, quia ingenitum est, quod est, & nunquam ante non fuit, incorruptibile, quod est, & nunquam erit verum ipsum non esse, unde ingenitum, & incorruptibile se mutuo consequuntur, quia semper sunt cum semper ente. Quarta concl. omne genitum est corruptibile, probatur quia si non esset corruptibile, esset incorruptibile, ergo etiam semper ens, & ingenitum, per 3. concl. quare simul erit genitum, & ingenitum, quod contradicit. Hinc genitum, & corruptibile se invicem consequuntur, quia consequuntur id, quod est quandoque ens, & quandoque non ens; tum quia si non se consequerentur, aliquid esset genitum & incorruptibile, quod est falsum. Quare deducitur inconveniens esse existimare aliquod genitum esse incorruptibile, & aliquod corruptibile esse ingenitum. Quinta concluf. necesse est, corruptibile aliquando corrumpi, quia si non corrumpitur, aut erit casu, aut fortuna, aut natura, non primum, nec secundum, quia non sunt eorum, quæ semper sunt, nec natura, quia entia naturalia quandoque sunt, & quandoque non sunt, utpote quia materia constant potentiam contradictionis habentes ad non esse; tum quia omne genitum, & corruptibile contrariis alteratur, contraria vero disponunt, & sunt causa corruptionis, igitur neque genitum incorruptibile, neque corruptibile ingenitum est.

LIBER SECUNDUS.

De Cœlo.

In quo de corpore Cœlesti, & proprietatibus ejus agitur.

CAPUT I.

a tex. 1 *usque ad* 7.

13 INcipit nunc agere Arist. de cœlesti corpore quæ præcipua pars est universi, & primo ostendit immortalitatem cœli tum ex dictis in præc. lib. tum ex opinione Antiquorum, ponentium cœlum immortale quid, & divinum, perpetuamque Deorum sedem, tum ex circularis motus perfectione, cum enim circularis motus sit perfectissimus, & finis cæterorum motuum, & quia illos continet continentia virtuali sicut quodlibet perfectum est imperfecti virtualiter contentivum, consequenter perfectissimo, perpetuoque corpori convenire debet, unde sicut motus circularis perpetuus est, principio, & fine carens, ita & cœlum; tum tandem quia impassibile est, nihil difficultatis, ut moveatur, afferens, cum omnis gravitatis, & levitatis sit expers. Ex quo rejicit tres opiniones circa cœli motum, & locum; primam tanquam fabulosam, scilicet quod Atlas propriis humeris sursum cœlum sustentet, ut quod suo pondere, & gravitate possit ruere; Secunda fuit Empedoclis asserentis cœlum detineri sursum ob motus maximam celeritatem, sicut aqua in vase contenta ad vasis motum circumvolvitur; quod falsum esse ait Arist. eo quia non potuisset perpetuo in tali statu violento detineri, cum ea, quæ præter naturam eveniunt, cito desinant. Tertia fuit Platonis causam hujus assignantis animam cœli, quod reprobat, quia talis anima misera, & tristis esset, non beata propter fatigationem, neque perpetuo, & absque ulla interpolatione posset cœlum movere, ut videmus in cæteris animalibus.

CAPUT II.

a tex. 7. *usque ad* 17.

14 INtendit modo Arist. post explicationem naturæ totius cœlestis corporis explanare partes ipsius quoad distantias, & locales differentias positionum, quod ut facilius ostendat, explicat terminos, & inquit, quod sicut tres sunt magnitudines, scilicet longitudo, latitudo, & profunditas, quarum prima est aliis prior, quia potest esse longitudo sine aliis, ut in linea, non e contra, & latitudo est prior profunditate, sic sex sunt positionum differentiæ, duæ unicuique magnitudini convenientes, sicut quælibet magnitudo duas habet extremitates, differentiæ secundum longitudinem sunt sursum, & deorsum, secundum latitudinem sunt dextrum, & sinistrum, secundum profunditatem sunt ante, & retro; sumuntur autem istæ differentiæ ex diverso motu in viventibus reperto, suntque veluti principia, & initia, e quibus incipiunt motus; tres autem motus præcipui sunt in perfectis viventibus, scilicet secundum augmentationem, secundum senfationem & secundum locum; motus augmentationis attenditur secundum longitudinem, quamvis enim animalia etiam secundum alias magnitudines augeantur, insignius tamen, & excellentius secundum longitudinem, qui motus initium habet ab ea parte, a qua sumitur alimentum, quæ in animalibus est os, in plantis est radix, unde sursum in animalibus est os, vel caput deorsum pedes, in plantis sursum est radix, deorsum rami, motus sensitivi, quia in facie maxime cernuntur, ubi sensus etiam reperiuntur; hinc facies dicitur anterior pars, solum enim tactus in omni corporis parte reperitur; pars vero opposita dicitur posterior, tandem localis motus sumitur a dextera parte, quia in ipsa est validior virtus, quam in sinistra, licet utraque pars non differant secundum figuram inter se. Ex quibus sequitur, has differentias solum in animalibus perfectis simul reperiri: item sursum, deorsum, ante, & retro uniformiter in omnibus sumi, quod enim est sursum in uno, est etiam in alio, at dextrum, & sinistrum, variari, in aliquibus enim major virtus est in sinistra, quam in dextera manu, in imperfectis vero, quibus natura motum progressivum non dedit, solum quatuor sursum, & deorsum, ante, & retro, at in plantis sursum tantum, & deorsum; in aliis vero rebus proprie non reperiri tales differentias, nisi secundum extrinsecum ordinem ad viventia, quia non habent motus vitales, & in tantum columna, v. g. dicitur dextra, vel sinistra, ante, vel retro, sursum, vel deorsum, in quantum est secus dextram, vel sinistram partem, &c.

15 His explicatis prius refutat opinionem Pitagoreorum dextrum, & sinistrum solummodo in cœlo ponentium: tum quia nunquam dextrum, & sinistrum reperiuntur sine sursum, & deorsum, ut patet in animalibus, & quia ista sunt omnibus priora; tum quia dextrum, & sinistrum minus apparent, quam cetere differentiæ, ergo si istas

istas posuerunt in cœlo, multo magis illas. Deinde propriam explicat sententiam dicens cœlum omnes differentias positionum habere, quod probat, eo quia animatum quoddam est, & quamvis partes habeat similares secundum figuram, differunt secundum virtutem, quod sufficit, ut patet in dextera, & sinistra parte in homine, quapropter pars dextera in cœlo est oriens, quia ab ipsa incipit cœli motus, sinistra est occidens, & licet motus cœli nunquam inceperit, parum refert, quia si incepisset, vel quieisceret, ab illa parte oriretur motus. Longitudo autem cœli secundum polorum distantiam est sumenda, quia aliæ cœli partes latera appellari consueverunt, solique poli sunt immobiles, quorum unus est sursum, scilicet antarticus nobis occultus, alter deorsum, & est articus nobis apparens, ratio est, quia motus est a dextro in sinistrum, dextrum vero cœli est oriens, ergo sursum est polus antarticus. Tandem addit hoc totum verum esse in primo mobili propter motum ab Oriente in Occidentem, at in sphæris inferioribus oppositum evenit, quia contrario motu moventur per circulum obliquum Zodiaci, unde dextrum in ipsis erit occidens, sinistrum oriens polus, articus sursum, antarticus deorsum.

CAPUT III.

a tex. 17. *usque ad* 22.

16 OStendit in præsenti plures motus, & circulationes in cœlis reperiri, non quidem ex contrarietate, quia motui circulari non est alter contrarius motus, sed ex generatione rerum, & corruptione, hoc pacto: cœlum circulariter movetur, eique connaturalis est iste motus, & cum sit perpetuum, semper movetur; ejus enim est operari, cujus est esse, ergo debet dari corpus medium circa quod moveatur, quia motus circularis circa aliquod corpus fit, quod ut centrum se habet, tale autem corpus non est ejusdem naturæ cum cœlo, quia violenter quiesceret, vel si naturaliter etiam naturaliter ad illum locum moveretur, & sic motus rectus esset cœlo naturalis, est igitur terra, at si est terra etiam erit ignis, tum quia sunt contraria, tum quia si est posterius, est quoque prius, ignis est prior, terra posterior, nam ignis calidus est, levis, & agitabilis, terra frigida, gravis, & quiescens, gravitas autem, frigiditas, & quies se habent ut privationes levitatis, caloris, & agilitatis, qui se habent ut habitus, habitus vero priores sunt privationes, ergo ignis prior est terra. Prosequitur deinde discursum, si est terra, & ignis, erunt etiam intermedia elementa aer, & aqua, quæ terræ, & igni contrariantur, quæ propter contrarietatem adinvicem corrumpuntur, & generantur, unde, & generationes mixtorum variæ procedunt, si igitur sunt diversæ generationes rerum, & corruptiones, diversos quoque motus in cœlis esse oportet, utpote quia ipsorum est causa, idem enim manens idem semper natum est idem efficere.

CAPUT IV.

a tex. 22. *usque ad* 33.

17 DEterminat modo de Cœli figura dicens, cœlum esse sphæricæ figuræ, tum quia primo, & perfectissimo corpori debetur prima, & perfectissima figura, sphærica est hujusmodi, ergo &c. min. probat. quoad primam partem, quia unum est prius multis & simplex compositis, circularis figura est una, & simplex, quia unica continetur superficie, cæteræ sunt compositæ ex pluribus superficiebus, ut communiter fatentur Mathematici, quoad secundam partem probat, quia perfectum est, cui nihil addi potest, rectilineæ figuræ potest fieri additio, non circulari. Tum 2. quia si cœlum esset alterius figuræ, jam cum circulariter moveatur, sequeretur in cœlo locum vacuum, vel aliud corpus reperiri, quando enim pars cœli angularis, vel a centro remotior movetur in illo spatio, alia pars succedit, quæ non posset totum illud spatium alterius partis replere, cum sit centro propinquior, ergo ibi esset vacuum, vel aliud corpus replens illud spatium, quod est falsum. Tum 3. quia motus cœli est omnium motuum mensura, quæ debet esse omnium minima, & velocissima, at sphærica figura est omnium figurarum in idem punctum redeuntium minima. Tum 4. quia elementa talem habent figuram, ergo & cœlum, antec. probat. nam aqua sphærica est, quia semper ad inferiorem locum defluit, donec secundum omnes partes aquæ distet a centro, aer est similis, quia continet aquam, idem de igne, & de cœlo dicendum propter eandem rationem.

CAPUT V.

a tex. 33. *usque ad* 41.

18 AGit in hoc cap. de cœli motu quærens primo, cur cœlum ab una determinæta parte semper movetur, cui respondet, causam esse, quia natura semper facit, quod melius est; melius est autem moveri a dextro in sinistrum, quam e contra, sicut melius est moveri sursum quam deorsum. Deinde investigat, an motus cœli sit regularis, cui respondet affirmative; tum quia in irregulari motu adest intensio, & remissio, intensio potest esse vel in principio motus, ut in motu violento, vel in medio, ut in projectis, vel fine, ut in naturali, motus cœli est perpetuus, circularis, principio, medio, & fine carens. Tum 2. quia si irregularis esset, vel proveniret ex movente, vel ex mobili, vel ex utroque, nullum istorum, quia ingenita incorruptibilia, semper eadem manentia se habent. Tum 3. quia vel irregularitas contingeret in partibus cœli, & hoc non, quia nunquam astra modo magis, modo minus distantia apparerent vel in toto cœlo, & hoc non, quia remissio provenit ex impotentia, quæ semper est violenta, & propter contrarietatem evenit, in cœlis nulla est violenta, nec contrarietas, tandem quia vel motus iste infinito tempore intenderetur, & infinito tempore eremitteretur, & hoc non, quia essent plura tempora æterna, & nihil præter naturam (qualis esset remissio motus ex dictis) potest æterno tempore durare, vel semper intenderetur, aut semper remitteretur, neque hoc, quia omne, quod est, ex aliquo in aliquod, determinatum est, non indeterminatum, ergo nequit continuo intendi, vel remitti, aut tandem vicissim intenderetur, & remitteretur, & neque hoc, quia non percipitur ista diversitas, quæ tamen perceptibilis esset, quandoquidem contraria juxta se posita sensibiliora sunt.

CAPUT VI.

a tex. 41. *usque ad* 60.

19 INcipit nunc agere de partibus cœli, scilicet de astris, de quibus primo in præsenti cap. ostendit ejusdem esse naturæ cum corporibus, in quibus fixa apparent, & qui cœlos igneos dixerunt, idem de astris enunciarunt, ergo ponentes nos cœlos non igneos, sed alterius naturæ, quia nec leves sunt, neque sursum feruntur, etiam astra talia erunt. Neque ex hoc, quod calorem causent in his inferioribus, idcirco ignea naturæ erunt, hoc enim provenit (inquit Arist.) ex motu, & attritu, quibus in aere lumen, & calorem causant, motus enim est causa caloris, ut patet in his inferioribus, quamvis ista etiam calefiant, non astra; cum igitur aer circumvolvatur ad motum sphærarum, ab ipsis calor causatur, & maxime sphæra solaris, quando Sol nobis appropinquat.

20 Deinde docet, astra proprio motu non moveri, sed ad motum sphærarum, quod probat, tum quia cum appareat, astra transferri, vel hoc esset quiescentibus astris, & cœlo, seu terra mota, aut utrisque motis, aut quiescente cœlo, & astris motis, vel e contra, non primum, quia terra quiescente, ut infra, non secundum, quia cum æquali velocitate moverentur, quod est falsum, nam quo mobilia sunt majora, naturaliter velocius moventur, quam minora, neque dicas casu hoc evenire, quia non habet locum casus in his, quæ semper fiunt, neque tertium, quia tunc scinderetur orbis, ergo quartum. Tum 2. quia cum astra sint sphærica, ut omnes concedunt, omne sphæricum dupliciter moveri potest gyratione absque loci totalis mutatione, & volutatione, astra non sic moventur, deberent enim faciem mutare, quod non experimur, maxime in Luna, & quamvis Sol in Oriente, & Occidente appareat hoc motu moveri, evenit tamen propter majorem distantiam, & nostri visus imbecillitatem, visus enim, quæ distant, tremulus attingit, qua de causa planetæ non scintillare videntur, ut astra, quæ remotius existunt. Tum 3. quia si neque volutatione, neque gyratione moventur, deberent motu progressivo cieri, & per consequens natura, quia in necessariis non deficit, debuisset illis organa ad talem motum adaptare, quod non fecit, ergo non ex seipsis moventur, sed ad cœli motum.

21 Refutat postea dictum Pythagoreorum, dicentium ex motibus astrorum causari suavem armoniam, nam videtur inconveniens astra in tanta multitudine, magnitudine, proportione, & velocitate mota sonum non causare, cum in his inferioribus corpora minori mole, & velocitate sonum edant; quamvis propter assuefactionem a nativitate non percipiamus talem armoniam, quod dictum vanum esse ostendit, quia iste sonus omnes alios excederet, ergo si minores violentiam inferunt in his sublunaribus, ut tonitrua, non solum sensus corrumpunt sed etiam lapides dividunt, multo magis iste sonus, qui non apparet; tum quia sonus fit ex collisione duorum corporum, at astra non moventur ex se ipsis, sed ut partes cœli fixæ, partes autem non efficiunt sonum, ut patet in navi, cujus partes, eo quod fixæ manent, nullum efficiunt sonum.

Subjungit deinde, determinare de propinquitate, distantia, tarditate, velocitate motus, & ordine astrorum ad Astrologiam pertinere, solum addit, sphæras primo mobili propinquiores tardius proprio motu moveri, remotiores velocius, quia fortius primum mobile secum rapit sibi propinquius, quam remotius.

22 Tandem ostendit astra sphærica esse, quia non sunt nata progressivo motu moveri, ergo natura dedit illis figuram tali motui ineptissimam, qualis est sphærica; tum quia Luna est sphærica, ergo idem de aliis videtur dicendum, antec probexperientia, quia in auctione, & decretione Luna corniculata, curvata, gibbosa, & secundum portiones arcuales apparet, & in eclypsi solari Sol propter Lunæ interpositionem corniculatus videtur ob Lunæ sphæritatem.

CAPUT VII.

a tex. 60. *usque ad* 72.

23 DUas difficultates movet in præsenti, prima est, cur sicut secunda sphæra duplici motu movetur; 3. eadem proportione tribus. 4. quatuor motibus non moventur, & sic deinceps, sed potius infima paucioribus motibus moveatur, quam superiores. 2. est cur solum in primo mobili tot stellæ reperiuntur, in reliquis solum una. Respondet primæ exemplo animalium, quorum aliqua obtinent vitam, & sanitatem absque motu, aliqua uno, alia pluribus motibus secundum propriam

priam exigentiam, sic cœli moventur, ut proprium finem assequantur, qui est influere in hæc inferiora tanquam causæ universales, qua propterquia ad regulatum influxum aliquibus uniusc tantum sufficit motus, aliis duo, aliis tres, non debet numerus motuum ex loci dignitate attendi. Resp. deinde 2. hoc esse propter primæ sphæræ perfectionem, & excellentiam supra cæteras, utpote quia alias continet, movet, & primo motori propinquior; tum quia cæteræ ipsam excedunt in numero motuum, tum etiam quia cæteras mover, ideo diversa debet habere sidera, ut varias virtutes in illis posset influere.

CAPUT VIII.

a tex. 72. usque ad 96.

24 IN hoc, & sequenti cap. agit Arist. de elemento terræ, ejus situm, motum, quietem & figuram investigans, examinando in præsenti Antiquorum opiniones, & rationes. Circa situm, & motum terræ fuit Pythagoricorum opinio ponentium ignem in medio universi, terram vero tamquam astrum circulariter motum, suo motu noctem, & diem efficiens: ratio fuit, quia nobilissimo corpori nobilissimus locus debetur, ut melius possit conservari, ignis est nobilissimum corpus, medium est nobilissimus locus: quam opinionem confutat, eo quia non salvat apparentias, & solvit rationem dicens, quod medium est duplex, magnitudinis, & virtutis, primum est centrum 2. est locus cœlo proximus, & ille est nobilior, ut patet in animali, cujus medium magnitudinis non est nobilius, tum quia continens, & finiens est contento, & finito nobilius, hoc enim se habet ut potentia, illud ut actus. Alii plures terras posuerunt; vel in medio, vel circa medium, vel circa polum circulariter motas.

Quoad figuram terræ alii dixerunt esse sphæricam, alii latam juxta tympani figuram eo quia hæc figura aptior est ad quietem terræ, quam sphærica, tum quia Sol oriens, & occidens abscinditur a terra secundum lineam rectam: quod provenit, inquit Arist. ex distantia, pars enim a longe recta conspicitur.

25 Circa quietem terræ causam assignarunt aliqui, quod deorsum infinitæ sit molis; nam si parva terra subtollatur, statim descendit, & si est major, velocius descendit, ergo tota terra velocius descenderet, nisi esset infinitæ profunditatis. Alii, quia super aquam natet, ut lignum. Sed male, quia eadem difficultas esset de aqua, tum quia terra est gravior aqua, unde per aquam descendit, & si est major, velocius descendit. Alii, quia ingens terræ latitudo impedit aeris scissionem, & descensum, unde valide ventis resistit; tum quia aer deinde non haberet locum, quo cadere possit. Sed non recte, eo quia etiam si terra sphærica esset, adhuc propter magnitudinem idem eveniret: tum quia si terra in medio violenter existit, ad medium non moveretur naturaliter. Alii, ut Empedocles, causam posuerunt velocem cœli motu terræ motum prohibentem, sicut vasis motus in gyrum impedit aquæ effusionem. Impugnat Arist. quia vel terræ convenit motus, vel nullus, si convenit, vel naturalis, vel violentus, si nullus, ergo *non movebitur*, *etiam* quiescente cœlo, si habet motum violentum, habebit etiam motum naturalem, & quietem violentam, & naturalem, quare ut quiescat, necessaria non est cœli circulatio, maxime quia secundum Empedoclem ante elementorum dissensionem cœlum non movebatur, & terra quiescebat; tum quia grave deorsum fertur naturaliter, sicut ignis sursum, cujus causa non est circulatio cœli. Tandem Anaximander asseruit terram quiescere, quia æqualiter distat ab extremis, & in æquilibrio posita. Sed si ignis taliter locaretur in medio, tam quiesceret (inquit Arist.) naturaliter, tum quia non solum quiescit, sed movetur ad medium, ergo causa non erit æqualis ab extremis distantia; alias etiam rationes adducit contra istam propositionem.

CAPUT IX.

a tex. 96. usque ad finem.

26 EXplicat nunc propriam sententiam circa proposita quæsita, & primo ait, terram in medio circulariter non moveri; quod probat, quia talis motus non esset naturalis, nam partibus terræ minime convenit, nec violentus, quia non esset perpetuus; tum 2. quia excepto primo mobili, omnes aliæ sphæræ pluribus motibus moventur, ergo etiam terra, unde non fierent semper eodem modo apparitiones stellarum; tum 3. quia pars terræ, & omnia gravia naturaliter ad medium tendunt, ergo tota terra, ergo *non movetur* in medio, quia unius simplicis corporis est unus simplex motus. Secundo determinat terram in medio quiescere tum ex sententia Mathematicorum; tum etiam quia terra ad medium ex omni parte tendit, sicut ignis ad extremum, & non nisi violenter a medio removetur, ergo in medio quiescit.

27 Tandem subjungitur *tetram esse sphæricæ figuræ*, tum quia quælibet terræ pars est gravis, & ad medium tendit, & major pars minorem depellit, quousque æqualiter a centro distet conglobata, tum 2. quia omnia gravia non per lineas paralellas deorsum descendunt, sed angulum in centro facientes, igitur corpus sphæricum efficiunt; tum 3. ex Eclypsi Lunæ, quæ a terra secatur secundum lineam curvam, & si aliquis a meridie ad Septentrionem procederet, novum haberet Orizontem, & novas videret *stellas*, quod non eveniret, si terra plana existeret; imo inferunt ex hoc Mathematici; terram non solum esse sphæricam; sed si ad astra comparetur, esse exiguæ molis, eo quia ex parvo itinere aquilonem versus, aut e contra, diversæ notabiliter fiunt apparitiones.

LIBER TERTIUS.

De Cœlo.

Ubi de aliis simplicibus corporibus agitur, scilicet de elementis.

CAPUT I.

a tex. 1. usque ad 18.

28 IN hoc cap. Arist. præfationem quandam proponit ad reliquos libros, utpote quia de principali corpore simplici in duobus præcedentibus fuse actum est, scilicet, de cælo, ejus passiones demonstrando, quod sit ingenerabile, incorruptibile, gravitatis, & levitatis expers, circulariter mobile, &c. reliquum est de aliis dúobus simplicibus corporibus gravi scilicet, & levi agere, & primo an generatio, & corruptio competat ipsis. Circa quod Parmenides & Melissus omnem prorsus generationem, & corruptionem negarunt, sed solum apparentes mutationes esse dixerunt. Hesiodus e contra omnia posuit generabilia, & corruptibilia, & de facto aliquando casura. Alii dixerunt omnia esse genita, ex quibus tamen aliqua incorruptibilia manere. Heraclitus solum ignem incorruptibilem posuit, a quo omnia gignerentur. Alii tandem dixerunt omne corpus generabile esse ex superficiebus, & in superficies resolubile.

Contra istam opinionem pluribus arguit Arist. tum quia nulla magnitudo ex indivisibilibus componitur, ut in physicis dictum est, & præcipue quia in infinitum dividi non posset, sed bene augeri in infinitum per additionem, quæ sunt falsa; tum 2. quia sensibiles quantitates nequeunt in indivisibili subjectari, nam punctum, si esset grave, esset in partes divisibile, quod est falsum, & si non est grave, neque linea ex punctis constans, neque superficies, neque corpus, impossibile enim est totum esse grave, cujus partes nullam habent gravitatem, cui accedit, quod omne grave, & leve durum est, vel molle, densum vel rarum, quæ omnia arguunt partes in gravi, vel levi, ergo punctum nequit esse grave, aut leve; tum 3. si linea lineæ opposita facit & longum, & latum, si alia supponeretur, faceret etiam profundum, & sic corpus non ex superficiebus, sed ex lineis esset compositum; imo omnia in puncta resolverentur tandem, quia etiam tempus esset in nunc resolubile; & non in tempora, quod implicat.

CAPUT II.

a tex. 18. usque ad 30.

29 NUnc incipit agere de motu elementorum, & primo ait corpora simplicia aliquem naturalem motum habere, tum quia moventur, ergo vel naturaliter, & habetur intentum, vel violenter, ergo alium motum naturalem habebunt, etenim violentus est posterior, & multiplex naturalis est prior, unus, & simplex: tum quia naturaliter quiescunt alicubi, ergo ad illum locum naturaliter moventur. Quapropter falsum est elementa ante mundi constitutionem inordinate sese movisse; quia si talis motus erat naturalis, jam mundus fuisset ante sui productionem, quia tunc naturaliter primum movens movisset gravia deorsum, levia sursum pellendo; si violentus, ergo infinito tempore ante non potuit durare, imo perpetuo durare convenit naturæ, quare esset inordinatio secundum naturam: tum quia quæri posset, an in tali inordinatione potuissent moveri ad temperamentum mixtorum, si sic (quod non videtur impossibile) jam fuisset animalia, plantæ, lapides, &c. antequam fuisset productus mundus.

30 Addit deinde, quod sursum, & deorsum est mobile, grave esse, aut leve, quod probat, quia sequeretur grave, & non grave in æquali tempore moveri deorsum, si enim grave velocius descenderet, quam non grave, posset remitti gravitas eadem proportione, qua tempus motus gravis excedit tempus motus non gravis, & sic ambo æquali tempore moverentur: vel quia inter grave, & non grave nulla est proportio, sequeretur non grave in tempore moveri, vel infinita velocitate. Idcirco concludendum est, & dari motum violentum, & naturalem, hic fit a virtute in mobili existente, ille ab extrinseco, & licet aliquando mobile naturali motu velocius moveatur, quam natura ipsa sit aptum moveri, ut cum lapis deorsum movetur ab extrinseco etiam adjutus, non ob id motus erit præter naturam, qualis est motus lapis sursum, utrique tamen motui aer ut instrumentum inservit, unde si non esset medium corpus, nullus motus sive naturalis, sive violentus fieri posset,

Tandem concludit universum non posse esse totaliter genitum, nisi vacuum admitteretur separatum, si enim universum est factum in loco, ubi fuit facta generatio, nullum fuisset corpus præexistens, & consequenter vacuum; quare generatio non est omnium, sed aliquorum corporum.

CA-

CAPUT III.

a tex 30. usque ad 52.

31 EX definitione elementorum Arist. in hoc cap. numerum ipsorum investigat opiniones veterum examinando; definitio est ista: *Elementum est corpus, in quo cætera corpora dividuntur, in quibus potentia, aut actu ineſt, ipsum vero in specie diversa est indivisibile*, dicit *potentia, aut actu*, quia non adhuc hanc determinavit quæstionem, addidit *ipsum vero*, &c. quia homogeneum corpus est, non ætherogeneum; quapropter certum est dari hujusmodi corpora, & illa erunt, quæ ab aliis segregari poterunt ut ignis, & terra in osse, carne, &c. quæ vero ab aliis segregari nequeunt, elementa non erunt, sic quia ab igne non segregatur caro, non erit caro elementorum ignis, poterit etiam probari dari hujusmodi elementa, sicut enim motus alius est simplex, alius mixtus, ita & corpora.

32 Pergit deinde ad declarandum elementorum numerum, & prius ostendit non esse infinita; & primo contra Anaxagoram ponentem infinita elementa, eo quod omnia similaria putavit elementa, improbat Arist. quia etiam multæ similares partes sunt in alia corpora resolubilia, ut caro, lapis, lignum, &c. elementum vero est *indivisibile*; tum quia & si *homogenea* omnia essent elementa, adhuc non necessario infinita poni deberent, cum per numerum finitum possint generationes salvari, ut fecerunt alii Philosophi, & tandem quia differentiæ, quibus corpora differunt, sunt finitæ, ut dicetur, ergo & corpora. Secundo contra Democritum, & *Leucippum* ponentes infinitas, & primas magnitudines indivisibiles, elementa arguit tum illidem rationibus; tum etiam quia magnitudines ponunt insecabiles, corpora figuris distingui, nec conditiones elementorum omnibus corporibus applicant, sed solum igni, tum quia motus simplices sunt infiniti, ergo & corpora simplicia, seu elementa.

Tandem probat non unum solum esse elementum contra Antiquos ponentes ignem, vel aerem, vel aquam, vel quid medium inter aquam, & aerem, quas opiniones sigillatim refutat pluribus rationibus, quas brevitatis causa omittimus, cum multæ in p. Phys. sint adductæ; ultimo tamen universaliter redatguit omnes unum elementum ponentes, quia sic faciunt omnia corpora ejusdem naturæ, ejusdemque naturalis motus, quod est falsum.

CAPUT IV.

a tex. 52. usque ad 56.

33 INtendit nunc Arist. declarare elementa sempiterna non esse ut inde numerum deducat ipsorum; probat igitur, elementa sempiterna non esse, quia constat elementa destrui, & generari; aut igitur destructio erit finita, itaut aliquando stabit, aut infinita; si secundum, quia res naturalis alio tempore corrumpitur, & alio constituitur, erunt duo tempora infinita; si primum aut id, in quod stabit destructio, erit indivisibile, & hoc non propter rationes supra adductas, aut divisibile, seu incorruptibile, & neque hoc, quia si maior pars est dissolubilis, multo magis pars minor, tum quia aut elementa generantur ex non corpore, aut ex corpore, si primum jam admittitur vacuum, si enim ubi ignis fit, prius non erat aliquod corpus, vacuum erat; si secundum, jam duo corpora simul, scilicet ignis de novo genitus, & corpus præexistens, quod est impossibile, ergo elementa erunt in corpora resolubilia, & ex corporibus generabilia. Tale autem corpus non est aliquod prius, & ab ipsis distinctum, aliter elementorum esset elementum prius, tum quia hoc corpus, si esset grave, vel leve, esset unum ex istis elementis, si nec grave, nec leve, esset *immobile*, & per consequens nec in loco aliquo, quia si in loco esset, vel naturaliter in illo quiesceret, vel violenter, quodcunque detur, semper sequitur motum aliquem naturalem habere, ut sæpe probatum est, quapropter concluditur elementa ex se invicem fieri.

CAPUT V.

a tex. 56. usque ad finem.

34 IN præsenti cap. refutat veterum modos, quibus asserebant elementorum generationem ex se invicem fieri. Primus modus fuit Democriti, & Empedoclis generationem ponentium per segregationem unius ex alio, in quo manebat occultatum; confutat, quia solum apparentem generationem ponunt, non veram; tum quia aer majorem locum occupat, quam aqua, & tamen ponunt esse in aqua, quæ minus est corpus; tum quia segregatio ista non esset perpetua, quia tandem finitum per ablationem finiti consumitur, aut magnitudo finita *infinitam* magnitudinem contineret. Secundus fuit asserentium generationem fieri per transfigurationem, sicut ex eadem cera transfiguratione fit circulus, & cubus, reprobat, quia sic elementa indivisibilia erunt sicut figuræ pyramidis; pyramis enim non semper in aliam pyramidem est divisibilis, tum quia, sicut partes circuli non sunt circulus, ita partes terræ non erunt terra, nec partes *ignis* erunt ignis, cum non habeant figuram eandem cum toto igne. Tertius fuit docentium elementa ex se invicem generari per corruptionem superficierum, hunc pluribus confutat, præcipue quia generationem faciunt ex non corpore, scilicet ex superficie; tum quia coguntur asserere non omne corpus divisibile esse: item quod partes ignis non essent ignis, ut supra. Tandem fuse contra Platonicos disputat non esse elementis adaptandas figuras determinatas nec per figuras ipsa distingui debere, accidit enim elementis hanc, vel illam figuram habere maxime in aqua, & aere propter figuram *continentis* corporis; tum quia elementa contrariantur ad invicem, ergo contrarias debent habare figuras, & tamen figuræ nihil est contrarium, melius ergo erit distinctionem sumere a propriis passionibus, operibus, & virtutibus, ut in sequenti libro.

LIBER QUARTUS.

De Cœlo.

In quo eandem de elementis tractationem prosequitur Aristoteles.

CAPUT I.

a tex. 1 usque ad 21.

35 DE elementis, ut gravia, & levia sunt, prosequitur sermonem Arist. & in hoc primo cap. postquam probavit considerationem de gravi, & levi ad Philosophum pertinere, tum ex comuni veterum consensu, tum quia ut sic principia sunt motus, dividit grave, & leve, quod aliud est simpliciter grave, aut leve, & aliud est grave, vel leve ad alterum, seu relate, quod ut explicet, advertit dari sursum, & deorsum, non quidem in ordine ad nos, ut dicebant aliqui putantes cœli partem supra non existentem sursum dici, quicquid autem sub pedibus subest, deorsum, imo negabant alteram cœli partem occultam; eorum igitur, quæ moventur, alia a medio, & sursum semper feruntur, & dicuntur levia, alia ad medium, & deorsum, & dicuntur gravia; grave tamen simpliciter est, quod ad medium simpliciter fertur, leve simpliciter, quod simpliciter sursum movetur, & ad extremum; grave, & leve ad alterum sunt, quibus & ferri sursum, & deorsum convenit, sed respectu diversorum, ut aqua respectu terræ sursum fertur, respectu aeris deorsum, aer respectu ignis tendit deorsum, respectu aquæ sursum movetur.

36 Sed antequam fusius explicet hanc doctrinam, impugnat prius Antiquorum opiniones circa gravium, & levium definitiones. Prima fuit Platonis dicentis illud esse gravius, quod ex pluribus partibus ejusdem rationis constat, levius, quod ex paucioribus; hanc improbat, quia nihil determinar de gravi & levi simpliciter; imo major ignis gravior esset minori, quia pluribus partibus constaret, & tardius sursum moverertur, quod est falsum. Alii id esse gravius dixerunt, quod est majus mole: contra, ait, quia non solum in homogeneis *hoc falsum apparet*, ut in pauca terra, & magno igne, modico plumbo, & multa lana, sed etiam compositis, & ætherogeneis, nam partes integrales ejusdem molis essent quoque æqualis gravitatis, ut folia, & truncus. Democritus vero putavit omnia ex athomis, & indivisibilibus corpusculis componi, in quibus vacuum est immixtum, & ubi plus vacui extaret, corpus esse levius, corpus gravius dici; impugnat, quia aut grave constituitur per solidum, scilicet corpuscula illa, & leve per vacuum interceptum, vel grave per minus vacuum, leve per majus, aut per utrumque; non primum, quia in magno igne plus est solidi, quam in pauca terra, & sic multus ignis esset terra pauca gravior; nec secundum, quia in multa terra est plus vacui quam in parvo igne, unde illa levior esset isto igne; neque tertium, quia poteſt esse, quod tanta sit proportio vacui in parvo igne inclusi ad solidæ corpuscula ejusdem, quanta vacui majoris ignis ad solida ejusdem, & sic æqualiter sursum moverentur, quod est falsum, nam major ignis semper velocius sursum fertur: Tum quia vacuum non poteſt esse principium motus localis, cum potius esset locus, neque assignari poteſt ratio, cur si vacuum sursum tendit, solidum deorsum, ad invicem non separentur. Tandem alii dixerunt grave esse, quod plus materiæ *includit*, leve, quod minus, sive una sit omnium materia, sive contrariæ, & diversæ. Hunc etiam refellit, nam si unam constituunt materiam omnium, nihil erit simpliciter grave, aut leve, quia semper contingere posset plus, vel minus materiæ habere, quacunque portione assignata, si diversas faciunt materias, ponunt grave, & leve simpliciter, non vero intermediæ, quæ in rebus ejusdem rationis contingunt.

CAPUT II.

a tex. 21. usque ad 26.

37 UT suam aperiat sententiam de *gravi*, & *levi*, proponit modo quodlibet mobile in proprium locum moveri determinatum, non vero in quemlibet *indeterminatum*, sicut enim in augmentatione, & alteratione *contingit* quolibet non alterari a quolibet, nec augeri ex quolibet, sed a contrario, ita in *locali motu*, *mobile vel sursum natum* est moveri, vel deorsum, si sursum, est leve, si deorsum, est grave, eo quia locus naturalis est veluti forma, & species locati, ipsumque conservat, quare non est quæren dum, cur leve sursum feratur, &

grave

grave deorsum, sicut neque cur sanabile in sanitatem fertur, & non in colorem. Non ergo dicendum est cum aliquibus corpora localiter moveri, quia ad similia tendunt, nam si terra est juxta cœli superficiem, non ideo partes in centro existentes ad ipsam movebuntur, quamvis adsit similitudo. Deinde comparationem facit inter localem motum ex una parte, & augmentum, & alterationem ex alia, dicens, quod differunt, quia mobile localiter, ut gravia, & levia, habet principium motus intrinsecum, alia vero mobilia ab extrinseco moventur, quamvis aliquando ab intrinseco; tum quia mobilia secundum locum habent principia motus propinqua substantiæ, alia vero principia *habent remota, hoc est, quod totaliter mobilia sunt completa*, & perfecta, nec per motum eis quicquam substantiæ additur, vel aufertur; non sic augmentabile, & alterabile, tendunt enim in perfectionem, unde localis motus est absolutorum, id-est complementum assecutorum, & ultimo rebus naturalibus convenit.

CAPUT III.

a tex. 21. usque ad 26.

38 UT numerum elementorum determinet, replicat denuo definitiones gravium, & levium simpliciter, & ad alterum, adnotans, quod grave ad alterum *non oportet, quod*si in uno loco est altero gravius, etiam in alio loco, ut arbor in aere est gravior parvo plumbo, non tamen in aqua, quod evenit, *quia omnia* elementa præter ignem aliquam habent gravitatem, unde quo plus terræ mobile includit, ut plumbum in aqua, gravius est; quo plus aeris, vel lignum in aqua, levius. Quapropter dantur in rerum natura, & grave simpliciter, & leve simpliciter: probatur, quia datur terra, quæ omnibus substat, ubique gravitatem habens, & ignis omnibus superveniens, ubique levitatem retinens; ergo &c. Deinde asserit loca, scilicet medium, & extremum, ad quæ mobilia feruntur, determinata esse, quia non contingit, grave, & leve in infinitum fieri; tum quia gravia descendunt ad angulos pares, & ad invicem occurrunt; tum quia loca gravium, & levium sunt contraria, ergo & determinata, & quia duo sunt contraria simpliciter medium, & extremum, duo erunt mobilia simpliciter secundum gravitatem, & levitatem, media vero naturam extremorum participabunt, & quæ sursum moventur, scilicet levia, sunt perfectiora, quia continent, gravia vero, quia continentur, imperfectiora sunt, continere enim est, contineri materiæ. Concludit igitur quatuor elementa, quia datur simpliciter leve, ut ignis, simpliciter grave, ut terra, leve ad alterum, grave ad alterum, ut aqua, & aer; & quod terra sit simpliciter gravis, & ignis simpliciter levis patet, quia terra per omnia descendit, sicut ignis per omnia ascendit, aer, & aqua habent gravitatem, quia per ignem descendunt, sed plus aqua, quæ per aerem etiam descendit, imo etiam in propriis locis, gravitare videntur (inquit Arist.) nam remota terra, aqua descendit naturaliter, & remota aqua, aer etiam descendit; non sic autem terra ascendit, vel aer, ad remotionem aquæ, vel ignis.

CAPUT IV.

a tex. 42. usque ad finem.

39 DOcet in præsenti Arist. figuram non esse principalem causam motus sursum, aut deorsum, quia talem virtutem movendi non habet, potest tamen esse causa, quod motus tardior, aut velocior existat, quia una est altera aptior ad dividendum medium in motu locali: ex quo solvit unam dubitationem, scilicet cur corpora lata per aquam non descendant, ut rotunda ejusdem materiæ, & cur minuta corpuscula, quale sunt pulveres, per aerem descendunt, corpora vero majora suspensa manent, & relicta responsione Democriti ad multitudinem vaporum ex aqua emergentium reducentis ut ad causam impedientem descensum per aquam, non sic quando est corpus rotundum propter paucitatem vaporum occurrentium, respondet provenire, quia ad motum requiritur scissio medii, & quo majus est medium, difficilius scinditur, corpora autem lata plus medii comprehendunt sub se, quam rotunda, idcirco tardius aut nihil corpora lata moventur, si scilicet gravitas non excedit virtutem scindendi medium.

QUÆSTIO PROŒMIALIS
AD LIBROS DE COELO.

Quodnam sit horum Librorum adæquatum subjectum.

1 POst expositionem principiorum corporis naturalis in genere, ejusque affectionum, in octo lib. Phys. traditam subjungit Arist. primo opus inscriptum. *De cœlo*, & in quatuor libros distributum descendens ad species ipsius naturalis corporis; circa quod opus quærimus, quodnam sit subjectum adæquatum, ut possimus inde distinctiones ordinatim texere. Aliqui subjectum posuerunt mundum ipsum, seu universum, ita Alex. Ruv. hic; Alii corpus mobile ad ubi, ita Tar. & alii Parisienses hic in initio expositionis textus, & alii cœlum ipsum.

2 Dicimus subjectum adæquatum, hujus operis esse corpus simplex, quatenus propriam, & peculiarem habet naturam, tam secundum continentiam virtualem, quam potentialem. Ita Zab. lib. de naturalis scientiæ constit. c. 13. & Amicus. hic, probatur, quia de corpore simplici præsupponitur *quia est*, & *quid est*, ut patet in tex. 7. primi libri, per ejus definitionem demonstrantur passiones, qualis est mobilitas simplex; ad ipsum omnia reducuntur, nam cœlum, & elementa sub ipso corpore continentur, tanquam species sub genere. Tum quia hi *libri primum locum* post Physicam obtinent, ergo primam speciem corporis naturalis considerare debent, quale est corpus simplex ex 1. cœli 7. ubi *corpus in communi primo dividitur in simplex, & mixtum*. Diximus quatenus propriam habet naturam, quia cum philosophia consideret corpus naturale ut sic, quælibet ejus pars speciem corporis aliquam considerare tenetur sub ratione naturalitatis, non quidem in communi, sed coarctatam ad illam speciem; nam ratio formalis non debet excedere subjectum materiale, ex dictis in Logica disp. 12. q. 2. art. 1. Addidimus tam secundum continentiam virtualem, quam potentialem, quia in in his lib. Arist. non considerat tantum corpus simplex in communi, sicut in Physicis consideravit corpus naturale in communi, sed ad species descendit, puta, cœlum, & elementa, ipsorum passiones demonstrando.

3 Secundo probari potest ex confutatione aliarum opinionum. Non *enim* recte ponitur universum, *seu mundus*, quia mundus non significat aliquam rationem per se unam, de qua possint passiones demonstrari, sed dicit aggregationem quandam plurium corporum, estque unum per accidens, ut dicemus disp. 1. q. 2. at subjectum ex disp. 12. Log. q. 2. art. 3. unum per se debet esse. Neque corpus mobile ad ubi, quia non solum cœlum, & elementa, ut localiter mobilia considerantur hic a Philosopho, sed etiam aliæ passiones de ipsis demonstrantur, nam de cœlo ostenditur esse finitum, ingenerabile, incorruptibile, perfectius elementis, &c. ut ipsemet Arist. fatetur 3. cœli tex. 1. de elementis etiam ostendit generabilia, & corruptibilia esse, ut patet in progressu 3. & 4. lib. de cœlo, ergo falso dicitur corpus ut mobile ad ubi esse subjectum: Neque tandem cœlum potest poni subjectum, quia non complectitur omnia considerata in his libris, ut sunt elementa, de quibus non solum in 3. & 4. lib. agit principaliter, ut se declarat 3. cœli tex. 1. verum etiam in primo libro, dum passiones *simplicis corporis*, & ipsius mundi, quatenus dicit quinque simplicia corpora, investigat.

4 Contra arguit ostendendo universum hic esse subjectum. Tum quia de ipso demonstrantur passiones, nam usque ad tex. 5. primi libri ostenditur esse perfectum, & in fine tex. 4. ait Arist. *De ipsius igitur universi natura, sive infinita sit secundum magnitudinem, sive finita sit secundum totam molem, posterius considerandum est*. Quam finitatem demonstrat a tex. 32. usque ad 76. ejusdem libri, & tex. 76. unitatem ostendit usque ad 101. a quo postea incipit agere de mundi perpetuitate. Tum 2. quia de simplicibus corporibus agit Arist. ut partes sunt universi ex tex. 5. p. lib. ergo ipsum universum est subjectum. Tum 3. quia de mundo agendum est in naturali Philosophia, & aptior locus non *invenitur*, quam in *his libris*. Tum 4. ex 1. cœli 91. & alibi cœlum dicitur primum elementum, ergo elementum, & principiatum erit subjectum, tale non est corpus simplex, sed mundus, ergo &c.

5 Resp. ad 1. mundum formaliter dicere aggregationem ordinatam simplicium corporum (nam etsi mixta non essent, adhuc mundus extaret, esset perfectus, quia omnem magnitudinem haberet, omnemque locum repleret) materialiter dicere simplicia corpora, passiones ab Arist. demonstratæ de universo, immediate de ipsis simplicibus corporibus ostenduntur, & de mundo materialiter sumpto, in tantum enim mundus est æternus, finitus, & unus, quia corpora simplicia sunt hujusmodi, nec alia ab ipsis reperiuntur; falsum igitur est de mundo tanquam de per se uno demonstrari passiones ab Arist. sed de corporibus simplicibus simul sumptis, & hoc nomine mundi significatis, & quia subjectum debet unam per se rationem dicere, rectius corpus simplex ponetur subjectum. Per hoc patet ad 2. corpora enim simplicia considerantur, non quidem ut partes essentialiter constituentes mundum per se unum, sed ut partes integrantes accidentaliter, ideoque neg. conseq. Ad 3. de mundo agi debere in Philosophia, non ut est aliquid per se unum, & a partibus distinctum, sed simul cum partibus, quatenus cognitio partium mundi est mundi quoque cognitio, hinc concedimus hic agi de mundo, non tamen ut subjecto. Ad 4. Cœlum dicitur elementum, prout elementum significat corpus simplex, non vero ut *dicit principium per se constitutivum*, nam mundus non est per se unum; neque hic consideratur cœlum ut principium subjecti, sed ut pars subjectiva.

6 Secundo instatur ostendendo *elementa* non considerari ut partes subjectivas adæquati objecti; tum quia de formis ipsorum substantialibus, & alterativis qualitatibus nec verbum quidem facit hic Arist. sed tantum de motivis, gravitate, scilicet, & levitate, quod facere debebat, si essent per se partes subjecti; maxime quia motivæ ab alterativis dependent, sicut secundæ qualitates a primis. Tum 2. quia in 2. de gen. considerantur elementa, ut generabilia ad invicem, & transmutabilia, & ut principia mixtorum; ergo nullo pacto hic agitur de ipsis per se. Tum 3. quia elementum ut sic respicit mixta, quorum est principium, unde in ordine ad mixta definitur 3. cœli 31. ergo elementa considerari debent in illis libris, in quibus mixta considerantur, ut sunt libri de gen. Tum 4. quia hi libri de cœlo inscribuntur, ergo de *elementis in ipsis per se non agit*.

7 Resp. ad 1. elementa dupliciter considerari, & ut corpora quædam naturalia sunt, ut principia mixtorum, primo modo de ipsis agitur in lib. de cœlo 2. modo in libris de gen. qualitates motivæ omnino competunt ipsis secundum se alterativæ, ut calor, frigus &c. conveniunt etiam in ordine ad mixta, quatenus per mutuam ipsorum alterationem, & mixtionem varia generantur mixta, & quia formæ substantiales elementorum sunt nobis ignotæ, in lib. de cœlo ipsos circumscripsit Arist. per motivas qualitates, quia considerabat elementa secundum se, at in lib. de gen. circumscripsit per qualitates alterativas, utpote quia de illis agebat in ordine ad mixta, & hac de causa prius egit de motivis qualitatibus, quam de alterativis, quia cognitio absoluta præcedere debet cognitionem respectivam, & in ordine ad illud, quamvis motivæ ab alterativis dependeant, ut optime notavit Zab. ex quibus non sequitur hic de elementis non agi per se, cum multa de ipsis demonstrentur. Ad 2. dicimus elementa generabilia esse, corruptibilia demonstrari in libris de cœlo, & solum in lib. de gen. declaratur generatio, & corruptio ipsorum actualis, & modus, quo exercetur per qualitates alterativas, poterat quidem Arist. hoc præstare in lib. de cœlo, non tamen hoc fecit, quia nec generationem, & corruptionem declaravit, nec mixtionem, ad quæ talis pertractatio quoque inserviebat, hinc Arist. ad declarandam passionem illam generabilitatis elementorum, non egit de generatione actuali, quæ est accidens per accidens, sicut risus hominis, sed illam reservavit ad 2. de gen. solum sequitur tractatum de elementis in lib. de cœlo compleri totaliter a tractatu in lib. de Gen. Ad 3. concedimus elementum in lib. de cœlo definiri in ordine ad mixta, sed non propter mixta, sed propter seipsa, ut hanc proprietatem etiam de elementis cognoscamus, scilicet ad compositionem mixtorum concurrere. Ad 4. dicimus non semper inscriptionem librorum sumi a subjecto adæquato, *sed quandoque a principaliori*, sic Physicorum libri de natura inscribuntur, & tamen eorum subjectum, est corpus naturale, ita in præsenti. Vel dicendum, quod secundum alios inscribuntur hi libri de cœlo, & mundo. Vel 3. quod cœlum ex 1. cœli 96. sumitur vel pro ultima sphæra, vel pro cœlestibus corporibus, vel pro omnibus contentis ab ultima sphæra, quomodo cum universo convertitur, & in hac ultima significatione sumitur in inscriptione horum librorum.

DISPUTATIO PRIMA.

De Corpore Simplici.

1 *STatuimus subjectum horum librorum corpus simplex tam secundum virtualem continentiam, quam secundum potentialem, idcirco prima disputatio erit de ipso simplici corpore, ejus naturam, quidditatem, & passiones investigando, insuper quæ omnibus simplicibus corporibus conveniunt simul sumptis, quomodo mundum constituunt, ut diximus in proœm. quæst.*

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit corpus simplex, & quotuplex; ubi de Mundi unitate.

2 ALiqui naturam corporis simplicis explicant per carentiam compositionis ex materia, & forma. Alii per carentiam compositionis ex aliis prioribus corporibus. Alii a posteriori ipsam explicant per esse principium simplicis motus, sicut enim corpus naturale in communi est, quod habet naturam in communi, quæ principium est motus in communi, ita corpus simplex ex natura simplici constabit, quæ scilicet principium est simplicis motus.

Differunt tamen in explicatione motus simplicis, nam Zab. lib. 2. de motu gravium, & levium cap. 9. asserit motum simplicem esse, qui super lineam physice simplicem fit, motum mixtum, qui super lineam physice mixtam, linea physice simplex per ipsum est, quæ vel est ad centrum universi, vel a centro ad circumferentiam directe, itaut non declinet ad latera cœli, nec ipsi secundum extremitates correspondeat aliqua pars cœlestis circumferentiæ, vel tandem est circa centrum universi, itaut secundum omnes partes æque distet a centro, e contra linea physice mixta erit quælibet alia; unde motus sagittæ, etsi fieret secundum lineam rectam, quia tamen ista linea aliqualiter declinat ad latera cœli, neque una linea a centro ad circumferentiam transiens per extremitates lineæ motus istius sagittæ dici potest, sed necessario duæ lineæ duci debebunt, quæ non ad idem punctum circumferentiæ terminabuntur, sed ad diversa, erit motus mixtus; Similiter motus sphærarum excentricarum, quæ scilicet aliud centrum habent ab universo, ut explicabimus disp. seq. & Epicyclorum erunt mixti motus, eo quia non fiunt circa medium mundi secundum æqualem partium distantiam.

3 Circa numerum simplicium corporum plures fuerunt Veterum Philosophorum opiniones, ut refert Arist. 3. de cœlo cap. 3. Opinio tamen ipsius est, quod quinque sint simplicia corpora scilicet cœlum, ignis, aer, aqua, & terra, ut patet ex cap. cit. & seq. & 4. de cœlo, ita tamen quod nec de facto, nec de possibili alia possint simplicia corpora reperiri, sive ejusdem, sive diversæ speciei alios mundos constituentia, ita 1. de cœlo cap. 4. & 5. ut vidimus in expositione textus; quam sententiam, referente Vvaldense c. 10. doctrinæ antiquæ fide securi fuit Vviclephus, & Abaylardus hæretici. Communis opinio Catholicorum est de facto unum tantum mundum esse, nec alia simplicia corpora reperiri; de possibili vero posse numero & specie multiplicari. Hanc tamen communem opinionem limitat Ruvius de cœlo tract. de mundo q. 2. dicens, non posse dari alia simplicia corpora sive numero, sive specie diversa, quæ aliam speciem humanam contineant, quia nequit, ait ipse, alius homo specie distinctus ab isto reperiri.

ARTICULUS I.

Ostenditur quidditas corporis simplicis in communi.

4 DIcimus quidditatem simplicis corporis explicari posse a priori, & a posteriori, a priori illud erit corpus simplex, quod non resolvitur in alia propria corpora, quæ in ipso aliquo modo contineantur, & ad sui constitutionem præsupponantur, sicut præexigit corpus mixtum; a posteriori explicatur per habere per se primo naturam simplicem, quæ sit principium simplicis motus: simplex autem motus est, qui sit per lineam simplicem, sive rectam, sive circularem, & a principio intrinseco provenit ad illum motum determinato, & e contra mixtus motus erit, vel qui sit per lineam ex recta, & circulari mixtam, vel a principio intrinseco provenit indeterminato, si de motibus naturalibus simplici, & mixto loquamur. Explicantur, & probantur singula; & primo quod a priori recte explicetur essentia simplicis corporis per non resolvi in alia prióra corpora, &c. habetur ex Arist. multis in locis præcipue 3. cœli a tex. 30. & 2. de gen. a tex. 46. ubi per hoc mixta ab elementis distinguit; & patet, si enim corpus mixtum est illud, quod per mixtionem fit, ad quam concurrunt miscibilia, quæ sunt corpora aliqua adinvicem permixta, & definentia in generatione mixtorum formaliter, sed virtualiter in illis permanentia, ut dicemus in lib. de gen. sequitur, quod corpus simplex mixto oppositum erit, quod per talem mixtionem non fit, neque aliud corpus aliqualiter se continet, sive postea sit ingenerabile, ut est cœlum in sententia Arist. sive generabile per simplicem generationem, ut elementa.

5 Secundum quod a posteriori explicetur recte per habere principium per se primo simplicis motus, est Arist. 1. de cælo tex. 7. & seq. & 3. cæli text. 35. ubi per hoc definit corpus simplex, ipsumque a mixto distinguit, addidimus tamen ly *per se primo*, quia etiam mixto aliquando simplici motu moventur, habentque intrinsecum principium talis motus, ut cum lapis movetur deorsum; non enim est vera Svessani opinio negantis istos motus simplices esse; nam Aristoteles cit. & 4. cæli 28. 29. & a text. 42. expresse concedit gravia, & levia simplici motu moveri, & eodem fere modo lapis, & terra tendunt deorsum. Verum motus iste mixtis corporibus per se primo non convenit, sed propter elementum prædominans, quia v. g. terra in generatione lapidis propter dominium super alia elementa magis sibi assimilat formam lapidis, quæ deinde movet ipsum lapidem simili modo, ac forma terræ; unde Arist. cit. docens motum simplicem elementis convenire, semper subjungit, & si quandoque convenit mixtis, hoc erit secundum prædominans elementum, per quod circumscripsit istam particulam *per se primo*.

6 Tandem quod motus simplex sit ille, qui per lineam simplicem fit, & a principio determinato, nec alias conditiones requirat, probatur, quia motus projecti ideo simplex non est, quia principium illius motus non est intrinsecum, nec motus fulminis, aut animalis erit simplex, quamvis secundum lineam simplicem fieret, quia principium intrinsecum non est solummodo ad talem motum determinatum; at motus gravium deorsum, & levium sursum simplices erunt, quia ad propria loca per lineam rectam, in quantum possunt, feruntur, & si aliquoties ad latera declinant, ut patet in motu fluviorum, hoc est per accidens ratione impedimenti; unde semper ad propria loca tendunt per lineam breviorem, nec habent ad alium motum inclinationem. Similiter cœlum simplici motu movetur, quia linea est circularis, & ex se non est notum motum recto moveri. Nec aliæ conditiones requiruntur, puta quod fiat circa centrum universi, ut dicebat Zab. nam sequeretur motum stellarum, & motum excentricarum sphærarum, ac Epicyclorum (quem dari videbimus in sequ. disp.) mixtum esse, ut etiam ipse concedit, ergo nullo modo cœlo posset convenire quod est falsum. Ista consequ. prob. quia per Arist. sæpe cit. simplex motus corpori simplici convenit, & mixtus mixto, & si mixtus posset simplici convenire, non recte probaret ex simplici motu circulari dari aliud corpus simplex ab elementis, scilicet cœlum.

7 Sed contra prædicta Objic. tum quia Arist. 1. cœli 7. & 8. distinguit corpus in simplex, & mixtum, ex qua divisione colligit aliam motus in simplicem, & mixtum, illum simplici corpori, istum mixto tribuens: & 4. cœli 27. ex numero simplicium motuum colligit numerum quaternarium elementorum, ergo nullo pacto simplex motus poterit mixto corpori convenire. Tum 2. quia si terra sursum moveretur, talis motus est simplex ex Arist. cit. & tamen non est a principio intrinseco determinato, ergo hæc non est conditio necessaria simplicis motus. Tum 3. quia Arist. cit. ait motum simplicem fieri vel a medio, vel ad medium, vel circa medium, per medium intelligit centrum universi, ergo præter assignatas conditiones ad motum simplicem hæc alia requiritur, unde motus excantrici non erunt simplices.

8 Resp. ad 1. Arist. seipsum declarare in illis locis concedendo motum simplicem mixtis posse convenire, sed secundum prævalens elementum, hoc est non per se primo, unde non absolute ex numero simplicium motuum numerum colligit elementorum, sed ex numero motuum simplicium per se primo convenientium corporibus. Ad 2. dicimus conditiones assignatas in concluf. esse motus simplicis naturalis, motus terræ sursum est motus simplex violentus, & dicitur simplex, quatenus fit per lineam simplicem, & motui naturali est directe oppositus. Ad 3. dicimus Arist. non considerare sphæras partiales cœli, quæ diversum habent centrum ab universo, sed totum cœlum, quod circa mundi medium movetur, tum quia istæ sphæræ temporibus Arist. non erant ab Astronomis adinventæ, & in rebus Astronomicis non fuit Arist. multum versatus; ut etiam in progressu hujus operis videbimus: & tandem quia sequeretur motum stellarum, quæ specie a cœlis distinguuntur, ut infra dicemus, non esse simplicem, nisi quando sub æquatore moventur, nam tunc respiciunt centrum mundi, in aliis vero cœli partibus existentes proprium habent centrum, cum solum minores circulos describant, non majores, quod fusius explicabimus disp. seq. quæst. 1.

ARTICULUS II.

Numerus simplicium corporum declaratur.

9 DIcimus de facto quinque esse simplicia corpora hunc mundum constituentia, scilicet cœlum, ignem, aerem, aquam, & terram, nec alia, sive specie, sive numero ab istis reperiri alios mundos componentia, quamvis hæc nequeant naturaliter demonstrari. De possibili vero posse alia specie, & numero distincta a Deo produci, alia mixta specie, & numero ab istis diversa continentia. Quod quinque sint simplicia corpora, probat Aristoteles 1. cœli tex. 7. & seq. ubi existentiam corporis cœlestis ostendit ex motu circulari pluribus rationibus, ut vidimus in expositione tex. primi libri cap. 2. si enim alium motum habet ab elementis connaturalem, alterius erit naturæ; cum quia non solum motus, sed etiam alia accidentia longe diversa habent præcipue vim influendi, & producendi tam varios effectus in hæc inferiora, quam in elementis non experimur. Quod dentur etiam alia quatuor elementa, probat Arist. 4. cœli a tex. 26. ut vidimus in expositione textus, scilicet ex distinctione gravitatis, & levitatis, nam si datur gravitas, & levitas simpliciter, & gravitas, & levitas secundum quid, & consequenter quatuor loca ad medium, & a medio simpliciter, & ad medium, & a medio secundum quid, consequenter quatuor erunt simplicia corpora, quibus hæc omnia convenient; sed in 2. de Gener. a tex. 16. probat dari quatuor elementa ex numero primarum qualitatum; nam dato uno contrario in rerum natura debet alterum dari, si non necessitate simpliciter, saltem propter naturam, & perfectionem universi, sed quatuor sunt primæ qualitates, scilicet calor, frigiditas, & humiditas, & siccitas, ergo quatuor prima corpora, quibus primo infunt tanquam propriæ passiones hujusmodi qualitates. Tum quia elementum est corpus, in quod cætera corpora dividuntur, in quibus potentia, aut actus inest, ipsum vero in specie diversa est indivisibile, sed ista quatuor sunt hujusmodi, nam in quolibet mixto reperiuntur hæc quatuor potentialiter, ut fusius in lib. de Gener. dicemus, ergo &c.

10 Secundo quod alia numero, vel specie diversa de facto non dentur, colligi potest ex Sacra Scriptura ex Gen. 1. ubi post hujus mundi creationem cessasse dicitur Deus ab omni opere, & Matt. ult. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*; tum quia non habemus rationem, vel necessitatem cogentem plures mundos ponere: sicut neque adest ratio convincens mundi unitatem; quod enim unus sit, vel plures, pendet ex divino beneplacito, omnia enim creata libere a Deo producuntur, ut probat Doctor 1. dist. 8. quæst. 5. quod beneplacitum naturaliter neque ex effectibus, neque ex aliquo alio cap. nobis innotescit.

11 Tertio quod de possibili possint esse, prob. quia non repugnat ex parte Dei, qui est in finitæ potentiæ, neque ex parte rerum, nam species potest in plura individua in infinitum multiplicari, ergo potest Deus alios cœlos, & alia elementa numero diversa in illo inani spatio collocare includentia alia mixta ejusdem naturæ cum istis; Similiter species rerum sunt infinitæ sincathegorematice, ergo non est denegandum alios cœlos, aliaque elementa specie ab istis diversa esse possibilia, diverso ordine inter se ordinata, ex quibus alia mixta, & animalia diversæ prorsus naturæ ab istis generentur. Hinc frustra Ruvius addidit limitationem illam, quod nequeant dari alia simplicia corpora, alios homines specie a nobis diversos includentia; vel enim hoc intelligit, quod species humana, sicut modo numero multiplicatur, non possit specie multiplicari in aliis mundis specie ab isto diversis, & sic non solum species humana, sed nec ipsa simplicia corpora possunt specie multiplicari, quia nulla species specialissima in plura specie differentia dividi potest; vel intelligit nullo modo reperiri posse aliquam creaturam corpoream in gradu intellectivo specie a nobis distinctam, & hoc est falsum, nam videmus in eodem gradu essendi substantiæ incorporeæ plures species Angelorum reperiri, & plures alios Angelos specie ab istis productis distinctos posse a Deo produci, ergo sicut possibilia sunt alia elementa ab istis specie diversa, ita ex istis poterit generari aliud corpus organicum specie differens a nostro, quod alia anima intellectiva specie a nostra diversa sit informabile, ex quibus alii homines specifice a nobis distincti componantur. Verum est tamen, non posse nos distincte percipere, quænam, & qualia essent hujusmodi alia corpora, & ipsorum ordo, ac constitutio, quia cum omnis nostra cognitio sit a sensibus, sensu ab istis corporibus tantum moventur, ideo quadam confusa imaginatione hanc diversitatem apprehendimus.

12 Contra primam partem concl. affirmativam, quod dentur ista quinque corpora simplicia, adsunt aliquæ rationes in particulari, quas in propriis locis adducemus; solum instari potest ostendendo non posse alia simplicia corpora sive specie, sive numero diversa ab istis reperiri alios mundos constituentia, ut arguit Arist. 1. de cælo cap. 5. & 6. Tum quia vel ista corpora simplicia essent ejusdem speciei cum istis, vel alterius naturæ; non 2. quia tunc mundus de omnibus illis æquivoce diceretur; & etiam quia motus ipsorum essent vel a medio, vel ad medium, vel circa medium, ut sunt motus istorum corporum, ergo ejusdem essent naturæ cum istis; neque primum, quia tunc terra unius mundi naturaliter ad locum terræ alterius mundi moveretur, & per consequens violenter in proprio loco quie-

sceret, & motus a centro esset illi naturalis, quod implicat. Tum 2. quia unus est primus motor, ergo unum primum mobile, unus primus motus, & unus mundus. Tum 3. quia præter loca hujus mundi non dantur alia loca, ad illa enim simplicia neque violenter tenderent, ergo non sunt alia simplicia corpora possibilia. Tum 4 quia hic mundus omnem materiam possibilem continet, nec alia est dabilis, ergo neque alia corpora simplicia.

13 Resp. ad 1. posse dari alia corpora alterius naturæ ab istis mundum alterius ordinis, & rationis constituentia, de quibus mundis universum, seu mundus æquivoce diceretur, sicut modo mundus de istis æquivoce dicitur, non enim est unum per se, ut dicemus qu. seq. neque hoc implicat; nisi velimus asserere mundum dicere rationem ordinis, quæ esset ratio generica univoca pluribus mundis, sicut ordines illi specie inter se differrent. Neque motus ipsorum essent ejusdem specificæ rationis cum motibus istorum corporum, nam licet essent ad medium, vel a medio, vel circa medium, essent tamen medium, & circumferentia alterius rationis ab istis, sicut & corpora diversa essent, tum quia aliis motibus ab istis possent moveri. Dicimus etiam dari posse alia corpora simplicia numero distincta, & tunc vel non esset necesse terram unius mundi ad centrum alterius moveri, sed quælibet ad proprium naturaliter tenderet, ac si alter mundus non esset; vel se haberet indifferenter, & naturaliter indeterminate ad illud moveretur, propter quam indeterminationem non violenter, sed naturaliter in proprio loco quiesceret. Ad 2. dicimus rationem illam non esse convincentem, sed persuasionem, & congruentiam. Ad 3. si alii essent mundi, propria loca in illis darentur, ad quæ corpora illorum naturaliter secundum proprias inclinationes moverentur; & quamvis de facto non dentur extra mundum loca sumpta pro superficiebus corporum continentium, datur tamen spatium illud inane, in quo plures mundos in infinitum posset Deus procreare. Ad 4. negamus impossibilem esse aliam materiam, juxta dicta in Physicis disp. 2. qu. 4. art. 1. unde ut ait Doct. 2. dist. 2. quæst. 7. in fine, quia nos Theologi non concordamus cum Philosopho in hac propositione, omne corpus sempiternum est ex tota materia illius speciei actuali, & potentiali, ideo non est concordandum cum eo in conclusione.

QUÆSTIO II.

Quem ordinem servent inter se ista corpora simplicia, & an unum per se constituant, & mundum appellatum.

14 CErtum est ista corpora simplicia non confuso, & perturbato ordine reperiri in rerum natura, sed certa, & determinata dispositione disposita, in hoc enim differt chaos a mundo, quod chaos confusionem, & congeriem plurium rerum confuse permixtarum dicit, mundus vero congeriem rerum ordinatarum; hinc Arist. lib. de mundo ad Alexand. cap. 2. definit mundum, quod sit: *Compages e cœlo, terraque coagmentata, atque ex iis naturis, quæ inter ea continentur:* insuper; *est ordo, & digestio universorum, quæ a Deo, & per Deum asservantur*; idcirco hunc ordinem plurimi Philosophi de essentia mundi posuerunt. Quærimus igitur primo, quem ordinem servent ista simplicia corpora inter se, & qualis sit iste universi ordo, & quamvis universum, seu mundus sumi possit, ut non solum simplicia corpora, verum etiam mixta, imo & intelligentias ipsas continet, in præsenti tamen consideramus ipsum secundum potiores, & grandiores partes corporeas, qualia sunt ista corpora simplicia, & præcipue secundum extremas partes cœlum, & terram, nam infra de aliis corporibus loquemur.

Fuit opinio Pythagoreorum, ut refert Arist. 2. cœli a text. 72. ponentium ignem, seu Solem in mundi centro, terram vero tamquam astrum circa Solem circumvolvi, quam opinionem Nicolaus Copernicus superiori sæculo fuse prosequutus est ponens cœlum stellatum immobile in supremo loco, in centro Solem ipsum, supra Solem Mercurium, deinde Venerem, postea terram, quæ simul cum aqua, & aere circa Solem tamquam fidus in sphæra collocatum moveatur per circulum Zodiaci ab Occidente in Orientem spatio unius anni, in qua sphæra etiam Lunam collocavit, deinde alios cœlos planetarum.

15 Circa 2. quæstionis partem, veteres, & maxime Platonici mundum asseruerunt unum per se esse constiturum ex istis corporibus tanquam ex materia, & ex forma universi, quam animam mundi appellarunt, constituentem mundum magnum quoddam animal; alii vero, ut Bassonius libro de nativit. dixerunt, formam hanc esse tenuissimam substantiam per totum diffusam omnia corpora inter se connectentem.

16 Dicimus primo corpora ista sic ordinari ad invicem, quod cœlum cum astris, & Sole sit in supremo loco, in centro terra, cætera corpora medium locum sibi vindicent: ita supponit Doctor in 2. dist. 14. qu. 2. *esque communis* apud Theologos, imo Melchior Incofer *in suo tract.* de Solis motu, & terræ statione putat *esse de fide*, eo quia satis clare ex Sacra Scriptura colligitur, ut *ex Gen. 1. Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem, ac noctem: fecitque Deus duo luminaria magna, & stellas, & posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram*, & Josue 20. post jussum ipsius Josue, ne Sol contra Gabaon moveretur, subjungit Scriptura.

Scetis itaque Sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei; & Isa. 55. *Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris*, & pluries fit hæc comparatio in Scriptura, & a cœli celsitudine ad terræ profunditatem arguitur, tanquam quæ summe distant inter se, ergo nequeunt Sol, Venus, & Mercurius in humiliori loco esse collocati, quam sit terræ locus, in universo. Insuper in Sacra Scriptura, maxime Isa. 14. Luciferum post commissum peccatum dignissimum, & altissimum locum appetentem in pœnam fuisse projectum in profundum abyssi: *Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, dicebas in corde tuo; in cœlum conscendam*, & infra; *verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci*. Ex quo deducitur, infernum esse infimum locum universi, ut pœna proportionata sit superbiæ Luciferi, nec alibi reperiri, nisi subtus terram, unde Christus descendit ad inferiores partes terræ ad Ephes. 4. ergo in centro universi, qui locus tormentorum, & tenebrarum dicitur, nequit Sol reperiri fons totius claritatis, sed potius terra. Est etiam hæc opinio communis apud Philosophos, & Astrologos, nam & rationibus naturalibus, & mathematicis experientiis consonat; tum quia gravitas est principium motus deorsum, nam ut ait Arist. omnia gravia in centrum tendunt facientes angulum, ergo summa gravitas ad locum omnium infimum tendet, sed terra est summe gravis, ergo in centro reperiri debet. Tum 2. quia oporteret ponere terram mobilem, & ad motum proprii orbis, & in seipsa circulariter, quod est falsum, ut ostendemus disp. 4. art. 3. Tum 3. quia si terra non æque distaret a cœlo stellato, & in centro non esset, sed in illo, notabiliter accederet ad unam cœli partem, & sensibiliter ab altera distaret, & sic stellæ fixæ non deberent semper apparere ejusdem magnitudinis a quacunque terræ parte inspiciantur, sicut Planetæ, quia per circulos excentricos circa terram moventur, hoc est non circa idem terræ centrum, modo majores, modo minores videntur. Sequeretur etiam numquam videre nos cœli medietatem, & Orizontem non esse circulum majorem, æqualiter totum cœlum dividentem, sed videre vel minorem partem, si essemus in parte terrestris superficiei ad cœlum accedente, vel majorem, si in remotiori, contra omnes Astrologos asserentes semper nos medietatem cœli videre, & sex signa Zodiaci nobis oriri, & sex occidere. Rursus nunquam nobis æquinoctium contingeret, nam si pars cœli visa esset minor, dies brevior esset, si major, esset longior, quæ omnia sunt falsa.

17 Diximus quod sensibiliter terra accederet ad unam partem: quia modo terra revera non æque distat secundum aliquam sui partem a cœlo, omnes enim Orizontis partes plus a nobis distant, quam pars illa, quæ supra nostrum caput extat, Zenith appellata, & quæ est diametraliter opposita, multo magis distat, nam inter nos, & Orizontem mediant elementa aeris, ignis, & semidiameter terræ, & inter partem Zenith oppositam præter illa elementa totius terræ diameter occluditur, ubi inter nos, & nostrum Zenith solum aer, & ignis interponuntur; attamen hæc distantia non est sensibilis, sicut si quis rem aliquam videret viginti milliariis distantem, si quatuor passibus accederet, nam distinctius, & clarius illam conspiceret, nam tam pauci passus insensibilem conficiunt proportionem, & distantiam. Similiter alius est Orizon apud nos in superficie terræ existens, & alius illius hominis, si in centro existeret, nam centrum nostri Orizontis est punctus terrestris superficiei, ubi habitamus, centrum alterius esset centrum terræ, & mundi, unde inter istos Orizontes pars cœli esset inclusa semidiametro terræ correspondens; attamen respectu nostri visus hæc differentia insensibilis est; & si duo essent homines, unus in superficie terræ, alter in centro, possentque latera cœli conspicere, non videret partem aliquam cœli interclusam inter illos Orizontes, sicut quamvis latera alicujus viæ, vel ædificii æque distent inter se, propinquiores tamen apparent in fine, quam in principio. Verum si terra tam longe, quantum distat a Sole, extra mundi centrum collocaretur, notabiliter, & sensibiliter accederet ad unam circumferentiæ partem, & sic omnia enumerata absurda evenirent.

18 Dices, Sol in omnia influit, omnia gubernat, conservatque, ergo in medio collocari debet ab omnibus æque distans, & circumdatus. Tum 2. ex positione terræ in centro mundi non salvantur omnes appariciones, & phænomena a Mathematicis observata. Tum 3. quia etiam sensu remotius apparet cœlum juxta Orizontem, quam supra nostrum Zenith, ergo non æque terra distat a cœlo.

Resp. ad 1. *ex ipso* Arist. *cit.* potius sequi Solem in cœlo collocari debere, tanquam in nobiliori, & digniori loco, & Intelligentiis propinquiori, e quo deinde influat in omnia; aliter si centrum est nobilissimus locus, Dæmon in digniori loco reside ret, quam Beati. Ad 2. melius erat apparentias illas noviter deprehensas per alios excentricos circulos, & Epiciclos salvare, ut fecerunt alii Astrologi, quam totius mundi ordinem invertere, & in majores difficultates incidere. Ad 3. concedimus revera partes Orizontis magis distare, ut diximus, negamus tamen consequentiam, quia aliud est loqui de tota terra, & de parte terræ; pars non æque distat a cœlo, sed tota terra, tum quia falsum est, talem distantiam sensibilem esse, quamvis primo aspectu ita videatur, provenit tamen, quia sensus distantiam per corpora interjecta metitur, quæ non videt inter nos, & nostrum Zenith, ut versus Orizontem, terræ, & aquæ molem prospiciens, hinc falso judicat partem illam remotius apparere; at instrumentis nulla apparet differentia,

19 Dicimus 2. corpora ista non constituere unum per se, sed per accidens, scilicet aggregatione, contigitate ordinata, qui mundus vocatur, ita communis, & prob. non datur forma aliqua totalis in universo omnia corpora informans, ergo non datur aliquod per se constitutum ex istis corporibus, antec. prob. talis forma non est anima, quia sic omnia corpora essent animata; tum quia cum omnis anima vegetativam supponat, anima mundi talis etiam esset, unde inveniri debebit nutrimentum mundi, quod vel esset extra mundum, & hoc est falsum, vel in mundo, & sic multa corpora invenirentur in mundo tali anima non informata, ergo etiam alia. Neque hæc forma mundi est inanimata, tum quia nulla est ratio cogens, vel operatio demonstrans talem formam totius, tum quia generabilis esset, & corruptibilis, nam ad destructionem unius corporis, vel partis, puta aquæ, forma illam partem informans desineret esse, tum quia nulla forma reperiri potest, quæ tam diversam materiam, & tam varie dispositam exigat, qualia sunt ista simplicia corpora. Recte igitur Aristot. in princip. mundum dixit esse rerum compaginem dispositam; & ordinatam, solumque supra ista corpora relationem ordinis addere.

20 Sed contra obiic. multis authoritatibus tum Scripturæ, tum Patrum, ex quibus deduci videtur dari quandam formam universalem mundi omnia regentem. Tum 2. quia plures mundi partes sunt animatæ, ergo & ipse mundus, nam totum non est inferioris conditionis suis partibus. Tum 3. quia in rarefactione partes unius corporis distrahuntur, ergo ne detur vacuum, aliqua substantia subingredi debet, quæ erit mundi forma. Tum 4. quia se movere secundum partem, plura servare ordinem in motu, itaut unum etiam contra propriam inclinationem moveatur propter conservationem totius, constare ex partibus ætherogeneis unitis, habere determinatam figuram, & positionum differentias, sunt proprietates viventis, ut patet consideranti singula, at mundo hæc omnia conveniunt, ut etiam est clarum, ergo &c.

21 Resp. loca illa non esse in rigore accipienda pro forma informante, sed large pro forma assistente, quatenus Deus ipse tanquam omnium prima causa, ubique diffusus per essentiam, præsentiam, & potentiam omnia regit, & conservat. Ad 2. assumptum valere de toto per se, non de toto per accidens, & per aggregationem, quod etiam erit suis partibus perfectius, quatenus suo modo perfectionem non solum aliquarum, sed omnium partium continet. Ad 3. potius ista substantia ubique diffusa esset aliud corpus simplex ab aliis distinctum, quam forma mundi omnia informans, quia si inter cujusvis corporis rarefacti partes de novo subingrederetur, non informaret illud corpus, sed seipsa existeret, quare nec mundus esset unum per se, sed quid aggregatum ex ista substantia, & corporibus simplicibus. Sed neque ex tam levi motivo talis substantia est invehenda, nam rarefactio non fit per scissionem partium corporis rarefacti, sed per occupationem majoris spatii, & situs, ut ipsius in lib. de gen. dicemus. Ad 4. illa omnia non convenire proprie mundo, ut totum est per se a partibus distinctum, sed vel improprie, vel ratione suarum partium, nam etiam reipublicæ aliqua competunt ex suis partibus, quatenus est moraliter quoddam totum.

QUÆSTIO III.

An mundus habuerit esse a se, vel ab alio.

22 MUndum, ut supra diximus, accipimus non quidem ut Intelligentias comprehendit, quærere enim a quo Intelligentiæ accipiunt esse, Metaphysici munus est, sed prout ex rebus corporeis aggregatus maxime ex simplicibus. Et omissa veterum opinione, mundum ponentium casu extitisse ex fortuito concursu, & vehementi agitatione atomorum, ex quibus chaos constabat, absque ulla primæ causæ providentia, sed multis ex ipsis diversimode collectis totam hanc rerum varietatem evenisse, ex gravioribus atomis sublunaria, & levioribus cœlestia. Contra quos disputat Arist. 1. Phys. impugnans atomorum positionem; tum quia omnia casu evenirent, nec ullum foret ens necessarium; tum quia est naturaliter notum dari primum efficiens, ut probat Doctor 1. d. 2. qu. 2. H. ut videbimus in Met. Notum est etiam generabilia, & corruptibilia non habere esse a se, sed ab alio, nullum enim potest seipsum producere, ut ostendimus in Phys. disp. 8. qu. 2. art. 1. Solum ergo dubitari poterit de incorruptibilibus, ut sunt cœli, & materia prima.

Aliqui putarunt in sent. Philosophi cœlos, & materiam primam independentes esse a prima causa, atque ideo mundum quoad incorruptibilia esse improductum, licet secundum veritatem oppositum fateantur dicendum, ita Perer. lib. 5. c. 7. Hurt. disp. 2. Met. sect. 12. Acerbus lib. 4. qu. Peripath qu. 35. & alii, Moris. vero in lib. de cœlo disp. 1. dub. 2. ancipitem fecit Arist.

23 Dicimus non solum secundum veritatem, verum etiam secundum Arist. mundum quoad incorruptibilia pendere a Deo in esse. Ita Doctor. cit. quol. 7. T. & 1. dist. 8. qu. 8. qu. 5. & 2. distinct. 1. qu. 2. quem sequitur Aversa qu. 31. Phil. sect. 6. citans Cavellum in lib. de mundi creatione. Amicus de cœlo tract. 2. quæst. 2. dub. 2. Regul. disp. 7. & alii infra citandi. Quod secundum veritatem cœli, & materia pendeant a Deo, fuse in Met. prob. pro nunc ostenditur, quia sunt entia limitata, & finita, & omnis limitatio superius agens arguit; tum quia cœlum in operari pendet a Deo, ergo etiam in esse, quia operatio indicat entitatem; tum quia esse a se est maxima perfectio, per quam cæteræ perfectiones ostenduntur a Deo a Theologis, ergo nequit entibus finitis convenire, maximæ materiæ, quæ est ens omnium imperfectissimum, pura potentia ac prope nihil.

24 Deinde quod secundum Arist. hoc sit verum, probat. multis ipsius locis, nam 12. Met. 38. loquens de Deo ait, *A tali ergo principio tum cœlum, tum natura dependet*; & tex. 52. ait ad ipsum omnia ordinata esse, si autem est causa finalis ultima, erit etiam efficiens, quia finis ultimus, & efficiens primum coincidunt, ut probat Doct. 1. d. 2. q. 2. & 1. cœli 100. ait Deum esse summum ens, & primum, a quo alia accipiunt esse, quædam obscurius: & tex. 32. volens probare motui circulari Cœlorum non esse alium motum circularem contrarium, confirmat, quia si forent contrarii, mutuo se impedirent, & sic alter eorum, vel uterque esset frustra, quod est falsum, quia, inquit, *Deus, & natura nihil faciunt frustra*, ergo supponit cœlestia corpora facta fuisse a Deo; & non solum in conservari, & in actu 2. pendere, nam independens in productione est semper independens.

25 Contra arguunt Adversarii; si in sententia Philosophi cœlum, & materia prima a Deo penderent in esse, jam fuissent a Deo per veram creationem producta, sed hoc est falsum; tum quia firmissimum axioma apud Philosophos est ex nihilo nihil fieri. Tum 2. quia creatio est productio rei de non esse ad esse, sed non esse cœli, & materiæ nunquam præcessit, quia sunt æterna secundum ipsum, ingenerabilia, & incorruptibilia. Tum 3. quia potentia quælibet activa per Arist. definitur in ordine ad passivam, potentia creans nullam passivam potentiam præsupponit, ergo secundum Arist. non datur. Tum 4. quia per ipsum efficiens est principium motus, creatio non est motus, ergo secundum Arist. non datur causa efficiens creativa; unde nullibi de hac activa potentia mentionem fecit. Tum 5. quia creatio exposcit infinitam virtutem, quam Arist. in Deo non cognovit.

26 Resp. concedendo etiam in sententia Philosophi cœlum, & materiam primam per veram creationem a Deo fuisse productam, non temporalem, sed æternam; ad primam probationem dicimus propositionem illam valere apud Arist. de actionibus creaturarum, & noviter factis, non enim admittit Arist. temporaneam creationem, ut faciunt Theologi, non de actionibus Dei, & æternis. Ad 2. ex Scot. 2. d. 1. q. 2. non esse materiæ, & cœli præcessit non quidem tempore, sed natura juxta dicta in Phys. disp. 14. qu. 1. art. 1. suntque ingenerabilia generatione proprie dicta subjectum præsupponente. Ad 3. potentia creans præsupponit potentiam passivam Logicam, quæ dicit non repugnantiam, quod sufficit; quamvis Arist. de potentia activa per novam actionem agente sit locutus. Ad 4. jam diximus in Phys. disp. 7. quæst. 1. ibi Arist. non definire causam creantem, sed physicam per motum causantem: & licet expresse de potentia creante non sit locutus, colligitur tamen ex suis principiis, ut patet ex probatione conclus. possemus etiam dicere de potentia creante mentionem feciſſe 9. Met. cap. 1. dum ait, dari aliam potentiam activam ab ea, quæ est per motum, Ad 5. dicimus petere aliam difficultatem, an Deus secundum Arist. sit infinitæ virtutis, de qua in Met. & infra aliqua dicemus, pro nunc respondemus cum Scot. quol. 7. ad 1. princ. Deum esse infiniti vigoris secundum Arist. non quidem quod sit omnipotens sua omnipotentia, quam Deo Theologi tribuunt, quæ est vis efficiendi quodcunque factibile, etiam immediate sine causis secundis; nam posuit Arist. necessariam connexionem causæ secundæ cum prima, & primæ cum secundis, sed talem omnipotentiam tribuit, quæ ex se infinita sit, in efficiendo vero sit causa secundis alligata.

27 Secundo ex 1. Metheor. sum. 1. cap. 1. & sum. 3. cap. 1. cœlum ponitur ab Arist. prima causa, & primum efficiens, ergo non est causatum ab alio, aliter non esset primum. Tum 2. ait 2. Metaph. 4. principia eorum, quæ semper sunt, nullam habere causam, & 8. Phys. 15. idem habetur, cœlum autem, & materia sunt principia æterna; & 10. Eth. cap. 8. negat a Deo omnem actionem; alias authoritates congerunt Adversarii. Tum 3. causa efficiens dicit imperfectionem, quia a fine movetur, & dependet, ergo nequit tribui Deo, qui etiam secundum Arist. est perfectissimus. Tum 4. quia sic posset Deus aliam materiam numero, alioſque cœlos numero diversos ab istis producere, & consequenter produxisset, nam in sententia Aristotel. Deus necessario agit ad extra, & quicquid potuit producere, produxit ab æterno. Tum 5. quia cœlum, & materia prima secundum Aristot. sunt entia necessaria, ergo a Deo independentia, quia dependens est ens possibile, necessarium autem, & possibile repugnant, ergo etiam necessarium, & dependens.

28 Resp. ad 1. ibi Arist. loqui de primo principio in genere entium productorum, non simpliciter, qualis est Deus. Ad 2. per principia Arist. intelligere principia demonstrationis, per quæ passiones de rebus demonstrantur per proprias quidditates, ut clare deducitur 8. Phys. cit. In 10. vero Eth. negat a Deo actionem moralem, eo quia non agit juxta regulam alterius superioris præcipientis, non effectivam. Ad 3. assumptum posse concedi, quando finis est ab efficiente distinctus, at Deus agit propter seipsum. Ad 4. neg. seq. etenim in sententia Arist. cum Deus sit agens necessarium, quicquid potuit producere, produxit, & quia in æternis secundum ipsum idem sit esse, & posse, valet arguere, quod si non sunt alii cœli, nec alia materia, nec etiam possibiles erunt; ideoque tantummodo ista entia produxit, & immediate per æternam creationem, quia hæc sola ab aliis causis secundis non pendent in productione, cæterа, quia ab aliis secundis causis pendent, nequeunt a

Deo per ipsum immediate produci, cum potuerit necessarium ordinem inter primam, & secundas causas. Ad 5. neg. conseq. quia ut ait Doctor 1. d. 2. q. 7. I. & quol. 7. potest aliquid esse ex se formaliter necessarium, & ab alio accipere esse in genere causæ efficientis; quod tamen dicetur possibile, non quidem physicum, scilicet cui potest competere non esse, quo sensu necessario repugnat, sed Logicum, cui non repugnat esse, quod est cum necessario compossibile. De mente Arist. in hac re fuse agunt expositores ipsius, præcipue P. Faber Theor. 56. Illustriss. Contarenus in suis quæst. de rebus naturalibus q. 16. & nuper exacte noster Ferchius in suis Peripatheticis vestigationibus vestig. 2.

QUÆSTIO IV.

De figura, & perfectione mundi.

29 SUpponimus in præsenti ex Phys. disp. 10. & in exposit. tex. 1. de cœlo qua. 4. universum infinitum non esse, sed terminatum, & finitum, ideoque figuratum, non solum ut cœlos naturaliter notos, sed etiam ut Empyreum Beatorum sedem continet, quam figuram alii dixerunt esse ad instar testudinis, & tentorii, ita multi ex Sanctis Patribus, moti ex eo, quod in Sacra Scriptura cœlum tabernaculum appellatur, ergo cœlum ultimum erit concameratæ figuræ. Alii ovalem figuram tribuerunt. Alii concesserunt mundo, ut ab Empyreo præscindit, figuram circularem, sed discrepant in assignanda figura ipsius Empyrei, nam Conimb. 2. de Cœlo c. 5. q. 2. art. 1. quadratam esse dixerunt, juxta illud Apocal. 21 Civitas in quadro posita est, per quæ verba Beatorum sedes describitur, ac etiam propter majorem proportionem istius figuræ cum perpetuitate, & firmitate ipsius Empyrei. Aversa vero q. 31. sect. 4. orbicularem figuram assignavit propter majorem uniformitatem, simplicitatem istius figuræ, & ne una facies solummodo istius cœli ponatur Beatorum sedes.

30 Sed est res facilis negotii, si enim loquimur de mundo, ut ab Empyreo distinguitur, sic sphæricæ erit figuræ, ut omnes modo concedunt, quod non tantum ex Script. colligitur cœlum orbem appellante, motumque circularem illi tribuente, præcipue Eccl. 24. *Gyrum cœli circuivi sola*, sed etiam ex Arist. 2. cæli a tex. 22. quod multis rationibus confirmat, ut in exposit. tex. cit. cap. 4. vidimus. Verba autem illa Scripturæ sacræ cœlum tabernaculum vocantis, tantummodo officium cælestis corporis explicant, non figuram, nam sicut tentorium, & tabernaculum operit, & continet omnes in illo contentos, ita cœlum omnia ista continet inferiora; vel non intelliguntur de totali figura sed de partiali, illius scilicet partis, quæ videtur a nobis. Quænam autem sit figura cujuslibet simplicis corporis in particulari, dicetur in propriis locis.

31 Cæterum si de universo, ut Empyreum comprehendit, loquamur, nihil determinatum possumus asserere, an sphæricæ sit, vel quadratæ figuræ, eo quia naturaliter non comprobatur ejus existentia, imo neque ex Scripturis secundum aliquos, ergo neque ejus figura, unde allata motiva Conimb. & Aversæ sunt congruentiæ quædam; nam verba Apoc. spiritualiter interpretari possunt ad significandam permanentiam, & tranquillitatem gloriæ cælestis, & utraque figura tam sphærica, quam quadrata habet cum gloria proportionem aliquam, quare utraque potest convenire. Quod addit Aversa, quæ scilicet facies istius quadrati corporis esset Beatorum sedes, non urget, sive enim in una tantum facie, sive in omnibus Beati collocarentur, nullum sequitur absurdum, sed posito; quod sphæricum sit, nihil falsi deducitur, si tantum in uno semiorbe, vel in toto cœlestis gloria ponatur

32 Quoad alteram quæst. partem de duplici perfectione possumus loqui, actuali scilicet, & possibili, quam de potentia Dei absoluta posset habere. Et quidem quoad actualem perfectionem mundus perfectus dici debet, non quidem simpliciter, & absolute, quomodo Deus solus est perfectus, cui scilicet nihil perfectionis deest, nec aliquam imperfectionem admittit, sed in genere, quod probatur (omissis rationibus Aristot. in p. cœli cap. 1. quæ potius congruentiæ quædam sunt) Tum ex Gen. 1. ubi postquam de singulis creaturis dictum fuerat, quod essent bona, de omnibus simul inter se connexis, & ordinatis subjungitur. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Tum quia in mundo omnes modi essendi rerum excogitabiles reperiuntur, ex quibus decem prædicamenta coalescunt, nec datur aliqua series rerum collocabilium in aliquo prædicamento de quibus nihil existat in mundo; item singulorum modorum diversæ species, & harum specierum multa sunt individua, quæ omnia in suo genere perfecta sunt; præter hæc adest admirabilis ordo, quo res omnes varie inter se disponuntur, ut ex discordi concordia istarum rerum resultet *hujus* mundi eximia pulchritudo.

33 Dices, Deus cum mundo non est quid perfectius, quam Deus solus, aliter Deus aliqua perfectione careret, ergo mundus nullam continet perfectionem. Tum quia mundo multa desunt, ut sunt plures species, & individua possibilia, imo plures in eo defectus reperiuntur, ut sunt monstra, & peccata, ergo perfectus non erit, nam bonum, seu perfectum est ex integra causa, malum, sive imperfectum ex quocunque defectu. Resp. Deum cum mundo non esse quid perfectius intensive, nam quælibet perfectio creaturæ eminenter continetur in Deo, est tamen quid perfectius extensive, quia sunt plura perfecta. Ad 2. carentia rerum possibilium non officit perfectio.

fectioni in genere, sed perfectioni simpliciter, aliter nulla creatura esset in se perfecta, quia nulla in se continet omnem perfectionem; peccata pertinent ad esse morale, non ad esse naturale, quo sensu in præsenti loquimur: monstra etiam aliquo pacto ad ornatum universi pertinent, quatenus magis aliarum rerum elucescit pulchritudo; & solum excludunt perfectionem simpliciter.

34 Quoad perfectionem possibilem plura congeruntur a Doctoribus, breviter tamen dicimus posse a Deo alios mundos in infinitum essentialiter perfectiores produci juxta dicta in Phys. disp. 10. de infinito q. 2. art. 2. Deinde mundus iste non poterat quoad perfectionem essentialem rerum perfectior fieri; quia species, & quidditates rerum in indivisibili consistunt, & in aliquo variato, totam rei essentiam mutari necesse est: nec perfectior reddi poterat quoad ordinem, quem formaliter dicit, nam variato isto rerum ordine, non esset amplius idem mundus formaliter; tum quia sapientis est ordinare, ergo summe sapientis, summe ordinare, ergo res istas Deus ita ordinavit, quod melius nequeant ordinari. Hinc sequitur etiam non posse mundum istum accidentaliter perfici in aliqua specie, qua posita tota rerum universitas, & ordo perturbaretur, ut si aer esset rarior igne, unum elementum tantæ activitatis, ut omnia consumeret, sol tantæ influentiæ, ut cæteras influentias superaret omnino; ratio est, quia universum est quasi quoddam pulcherrimum carmen, quod secundum debitos pedes, rectamque arithmeticam decurrit, unde si aliqua pars principalis notabiliter variaretur, dissolveretur etiam tota rerum consonantia. Poterit tamen perfici quoad aliquam speciem, ut notat Dost. in report. 1. d. 44. q. 2. ad cujus positionem non variatur harmonia mundi, ut aliqua species animalis, vel plantæ, aut alteratio mixti novam acquireret proprietatem, virtutem, & perfectionem.

35 Dices ex D. Aug. 3. de lib. arb. cap. 5. dicente: *Quicquid recta ratione melius tibi occurrerit, sciat feciſſe Deum tamquam bonorum omnium conditorem*, ergo secundum Aug. mundus perfici non potest. Resp. Dost. cit. quod ly *melius* vel cadit supra res, quomodo id melius diceretur, quod non est melius factibile a parte rei, & ita non intelligitur Aug. vel cadit supra rectam rationem, & sic id dicitur melius, quod de facto est volitum a Deo, quia divina voluntas est prima regula contingentium, ut fuse docet Dost. 1. d. 38. & 39. ideoque id secundum rectam rationem melius judicandum est, quod est a Deo volitum, & ita intelligitur Aug. Neque ex hoc, quod majorem perfectionem poterat Deus mundo communicare, & non communicavit, debemus invidiam, vel parcitatem ipsi tribuere; nam Deus nullis tenetur legibus, est Dominus omnium, & potius benignitati, ac liberalitati ipsius tribuendum est, quod mundum istum crearit.

QUÆSTIO V.

De incœptione, & desitione mundi.

36 ARist. 8. Phys. c. 1. & 2. 1. Cœli c. 9. & 12. & Met. c. 6. sustinet mundum de facto non fuisse productum in tempore, imo nec potuisse produci, sed ab æterno fuisse cum hac rerum serie, & successione, ac modo reperitur. Non defuerunt autem qui Arist. reducere conati sunt ad bonam frugem, asserentes eum non sensisse mundi æternitatem, sed attulisse solum probabiles rationes, & ad hominem adversus antiquos, qui absurdo quodam modo mundum factum esse dicebant; vel si hanc æternitatem docuit, non Philosophice, sed populariter esse locutum; horum meminit Perer. in procem. lib. 15. & Fasol. 1. p. to. 3. q. 46. art. 1. quos sequitur Ferchius vestig. 1. c. 9. & 17. probant illi, quia 1. Top. c. 9. ait problema esse dialecticum, num mundus sit æternus, & semper adducit testimonia veterum; probat iste, nam 8. Phys. 75. habetur perfectum, & incorruptibile esse prius natura, tempore, & ratione imperfecto, & incorruptibili, Deus est ens simpliciter perfectum, omnia alia sunt entia imperfecta, ergo Deus est prior tempore, ergo mundus non est Deo coævus.

37 Verum communis Peripatheticorum sententia mundi æternitatem asserit esse dogma Aristotelicum ex professo loc. cit. distincte, & pro viribus ab Arist. multis rationibus firmatum, ut patet legenti textum, nec alibi aliter docuit, neque aliquid intactum reliquit, ut hanc æternitatem ostenderet; hoc autem non est populariter loqui, sed Philosophice, & serie; Philosophi enim munus est sua dicta validis rationibus firmare, & opposita asserta firmis impugnationibus evertere, quod accurate observat Arist. in hac re. Et quamvis in 1. Top. adducatur mundi æternitas ut problema dialecticum, hoc est, quia de illa multi dubitarunt. Ratio Ferchii nil valet, propositio enim illa Arist. est universalis de quolibet perfecto, quare concluderet, non solum Deum tempore præcessisse omnia alia entia, sed etiam intelligentias priores tempore fuisse omnibus entibus materialibus, animata corporibus cœlestibus, & sic de aliis, quod est falsum; sensus igitur illius propositionis est, quem in simili tradit Dost. in 2. d. 1. q. 5. §. *contra istud*, & d. 3. q. 4. §. *ex secunda via*, & susius 7. Met. q. 2. docens enim Arist. 7. Met. 4. substantiam esse priorem omni accidente tempore, ait Doctor hanc prioritatem sic intelligi debere, quatenus substantia ut sic non implicat esse sine accidente, cum non dependeat ab illo, licet si necessario causaret illud, ex hoc capite implicaret esse sine illo; imo ad 1. princ. ait motum æternum esse posteriorem tempore ipso motore, quia a motore dependet, non e contra, hinc non implicat motorem esse sine motu ex hoc capite; quatenus, scilicet independens a motu quamvis quia motor necessario causat motum in sententia Arist. implicet dari motorem sine motu; quæ doctrina applicari potest propositioni ex 8. Phys. desumptæ, perfectum scilicet esse prius tempore imperfecto, non quod actu necessario existere debeat sine imperfecto, sed quoniam, quantum est ex se, non dependet ab imperfecto, & ex hoc capite potest esse sine illo.

38 Sententia ergo Arist. est quod mundus a b æterno fuerit productus. Communis autem Catholicorum opinio asserit mundum potuisse in tempore produci, & de facto taliter productum, licet discrepent deinde &, de tempore, an mense Julio, an in verno, vel autumnali æquinoctio inceperit, & etiam de modo, an scilicet in eodem instanti omnia inceperit, ut asserunt D. Aug. 4. super Gen. ad lit. cap. 22. & Cajet. in c. 1. Gen. an vero spatio sex dierum, sicut sacra narrat historia, ut omnes fere Sancti Patres, & Scholastici in 2. d. 12. sustinent.

Quoad desitionem est Arist. mundum ponens in æternum duraturum eodem modo, quo nunc est, e contra Mol. 1. p. tr. de oper. sex die. disp. 3. Hurt. disp. 3. de cœlo sect. 7. Morif. disp. 1. dub. 6. asserunt de facto corpora ista, tam cœlestia, quam sublunaria fore igne comburenda in die judicii, & postea novum alium mundum specie ab isto diversum, quasi phœnicem ex cineribus exusti mundi reficiendum, novos cœlos, novaque elementa continentem.

ARTICULUS II.

Ostenditur incœptio mundi temporanea.

39. DIcimus, mundum, quamvis quoad entia permanentia potuerit esse ab æterno: licet non quoad successiva, potuisse tamen, & de facto in tempore fuisse a Deo productum verno æquinoctio, & spatio sex dierum. Quod ab æterno entia permanentia potuerint existere, fuse ostensum est in Phys. disp. 14. qu. 1. Quod autem entia ista permanentia potuerint in tempore incipere; probari potest ex his, quæ habet Dost. in 2. d. 1. qu. 2. §. *Sed contra istud*, nam Deus est unum ens infinitum, æternum, a quo omnes creaturæ participant totum esse, quod habent, agens ad extra per intellectum, & voluntatem, & per consequens libere se communicans creaturis, ut idem Dost. demonstrat in 1. d. 2. q. 2. & d. 8. q. 5. & nos in Metaphys. ostendemus; ergo in tempore eas potuit producere, nam si libere crear, quando, & quomodo ei placuerit, potuerit creare.

40 Secundo quod de facto in tempore fuerit productus mundus habetur ex cap. 1. Gen. estque definitum in Conc. Later. & in cap. *Firmiter* de sum. Trinit. solentque probari ex hoc, quod mundus paulatim deficit, & hebetatur, & omnia in ipso contenta juxta illud 4. Esdræ cap. 5. *Considera ergo & tu, quoniam minori statura estis præ his qui ante vos, & qui post vos minori, quam vos, quasi jam senescentes creaturæ, & fortitudinem juventutis prætereuntes*. Unde si ab æterno fuisset, jam in infinitum declinasset a primæva sua perfectione. Sed hoc esset (stante ista ratione) inextricabiles assumere cum doctissimo viro D. Secundo Lancelloto Abbate Olivetano erudite satis ostendente in suo libro Italice inscripto *Hoggidi* mundum fere semper in eodem statu permansisse perfectionibus, & imperfectionibus permixtum, juxta illud Eccles. 7. *Ne dicas, quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt? stulta enim est hujusce modi interrogatio*. Dicique potest, quod certo tempore perpetua cœlorum conversione quædam imminuuntur vicissim, quædam augentur. Solet insuper probari ex historiis, eo quia de paucis habemus memoriam, imo de primis artium inventoribus, ideoque mundus ab æterno non fuit, aliter tot annorum spatiis mundus artibus, & scientiis caruisset. Sed posset responderi cum script. Eccles. c. 1. *Quid est, quod fuit? ipsum, quod futurum est. Quid est, quod factum est? ipsum, quod faciendum est, nihil sub Sole novum, non est priorum memoria, sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in noviſſimo*.

41 Rectius ergo prob. ex implicantia motus, & generationum ab æterno, ut ostendimus disp. 14. Phys. qu. 1. art. 2. præcipue quia infinitæ horæ, infiniti dies, menses, & anni fuissent pertransiti, quarum infinitatum una esset major altera, quod implicare ostendimus d. 10. Phys. qu. 1. art. 2. & qu. 3. Tum quia si fuissent duo mobilia circulariter ab æterno, unum tamen duplo velocius altero, jam modo eum infinitate circulationum tardioris fuissent duæ infinitates circulationum velocioris, quia motus istius est duplo velocior, quarum una fuisset post aliam, ergo secunda infinitas circulationum haberet terminum, non solum ex ea parte, qua finita est, scilicet hodiernam circulationem, sed etiam ex illa anteriori, unde ponitur infinita, qui terminus erit prima infinitas circulationem præcedens, nam hæ duæ infinitates sunt impermixtæ, & una succedit alteri absque inclusione, cum res sic succedentes totaliter distinguantur, & propria duratione durent distincta, infinito autem repugnat claudi terminis, tum quia numerus circulationum tardioris correspondens secundæ infinitati circulationum velocioris, nequit esse infinitus, aliter duæ infinitates darentur circulationum tardioris, ergo erit finitus, & cum sit medietas totius numeri circulationum tardioris, totus erit finitus, vel finitum æquipararetur infinito, quod implicat. Tum quia si ab æterno fuissent infiniti homines successive geniti, quorum singuli vixissent centum annis, jam æquivaleret solum infinitis centenariis annorum, sed infiniti solum centenarii annorum nequeunt adæquate implere infinitum tempus a parte ante, quia necessario debuissent præcedere infiniti millenarii, & milliones annorum, ergo nec infiniti illi homines potuissent adæquate implere idem tempus, quare non fuissent generationes ab æterno. Quibus rationibus ita convincitur Fasolus 1. p. tom. 3. q. 46. art. 1. dub. 5. ut fateatur eas solvere non posse, quamvis acerrimus sit propugnator infiniti, & generationum ab æterno. Adsunt aliæ rationes a nobis deductæ in Phys. disp. 14. q. 1. ar. 2. estque communis hæc opinio, quam præter authores ibi cit. sustinent etiam Joan. de S. Thom. q. 24. Phys. Amicus de cœlo tract. 2. q. 3. dub. 6. & 7. Arriaga disp. 17. Phys. & Manca 8. Phys. q. un. qui modo ad manus pervenere. Si ergo nullus motus potuit esse ab æterno, sed solum erat aliquod permanens ab æterno, potuit produci, quod per infinitum tempus in eodem omnino statu permansisset, potius erit dicendum Deum in tempore, non ab æterno materiam primam, cœlos, & cætera permanentia produxisse, aliter per infinitum tempus otiosa, & inutiliter extitissent, quamvis illa potuerit ab æterno creare.

42 Tertio quod verno æquinoctio fuerit productus, suaderi potest, eo quia statim terram herbam virentem incepit germinare, ut habetur 1. Gen. quod fit in tali tempore; tum quia hoc tempus adolescentiæ assimilatur, nam aptius est ad generationem rerum, & quolibet anno quasi renovatur mundus; æquinoctium autumnale comparatur senectuti, quia tunc ad corruptionem omnia tendunt, ergo verosimilius est in illo, quam in isto tempore fuisse productum. Hoc autem est intelligendum respectu regionis illius, quam primi homines incoluerunt, nam idem tempus dici potest hyems, ver, æstas, & autumnus respectu diversarum regionum. Et quamvis in ipsa mundi productione fructus fuerint maturi, hoc Dei virtute factum fuit ad hominum, & animalium sustentationem. Quamvis insuper initium anni apud Hebr. fuerit novilunium prope æquinoctium autumnale ante legem; ex præcepto tamen Dei Exod. 12. fuit mensis Martii, quia tunc fuit conditus mundus, ut exponunt Patres, unde tunc quoque divinum Verbum carnem assumpsit, & passionem subiit, imo eodem die, ex sententia multorum Patrum, quo peccavit Adam, ut renovatio tunc fieret, quando fuerat facta productio.

Demum quod spatio sex dierum, & non totus simul fuerit productus, habetur expresse Gen. 1. & Exod. 20. est enim regula apud Theologos, nunquam Scripturæ Sacræ accommodandum Metaphoricum sensum destruentem litteralem, quando iste facile accommodatur, maxime si est historica narratio. Si esset in instanti productus, non potuisset terra inanis existere, & vacua, aquis operta, & simul ab aquis liberata, herbisque adornata; nec tenebræ, & lux simul super faciem abyssi, ut narrat Scriptura.

43 Contra istam conclus. adsunt primo rationes illæ, quibus ostenditur nullum ens permanens posse esse ab æterno, inter quas solum duæ ingerunt difficultates; Prima est; quoniam ex hoc, quod ens permanens esset ab æterno, sequitur dari etiam successivum ens ab æterno, quod implicare diximus: sequela patet; quia duratio dicit quid successivum a re durante realiter distinctum, vel in sensu formali, ut vult Arriag. cit. & Aresc. de gen. disp. 5. qu. 44. sect. 2. vel saltem connotative, ut docuimus disp. 13. Phys. respectu scilicet ad tempus imaginarium. Cujus argumenti vim tanti facit Arriag. ut insolubilem putet pro stans isto, & solutionis notitiam in divinæ essentiæ evidenti cognitione habendam reservet. Sed pro viribus disp. 14. qu. 1. art. 2. in fine satisfecimus huic rationi, respectus enim ille coexistentiæ ad tempus imaginarium non est realis simpliciter, sed secundum quid; nec est ens reale realiter productum, ex dictis in Log. disp. 8. fatemur autem hoc argumentum maxime urgere asserentes durationem formaliter quid successivum realiter a re durante distinctum dicere, quod esse falsum ostendimus disp. 13. Phys. & rationes, quas adducunt Aresc. cit. & Arriag. disp. 15. Phys. contra nostram opinionem de duratione, facile ex ibi dictis diluuntur.

44 Alterum argumentum est, quod sequeretur ens illud permanens per infinitum tempus durare necessario, ut nec per divinam potentiam posset destrui. Cui occurrimus disp. 14. Phys. q. 1. art. 1. ad 5. quod talis necessitas esset secundum quid, & ex suppositione dependenter scilicet a divino decreto, non simpliciter, & absolute. Hanc tamen resp. fuse impugnat Aresc. cit. Tum quia nequit aliqua creatura produci, quam Deus necessario conservare teneatur per totam æternitatem a parte post, ergo nequit dari creatura necessario existens per æternitatem a parte ante. Tum 2. necessitas ex suppositione est duplex, altera de præsenti, ut dum Petrus currit, necessario movetur, & hæc non tollit libertatem: altera ex præcedenti suppositione, ut quod Petrus heri concurrerit, necessario hodie moveatur; & hæc tollit libertatem: at Deum necessario conservare nunc aliquam rem, eo quod ab æterno eam crearit, est necessitas ex suppositione antec. ergo tolleret Dei potentiam, & libertatem. Tum 3. necessitas illa non pugnat cum omnipotentia, quæ oritur ex divino decreto; quæ vero oritur ex ipsa creatura, repugnat divinæ potentiæ; talis esset hæc necessitas.

45 Sed istæ objectiones facile solvuntur, nam ad 1. dicitur suppositio decreto divino, quod creatura aliqua duret per æternitatem a parte post, necessario ex suppositione durabit; est tamen disparitas inter creaturam per æternitatem a parte post duraturam, & creaturam in æternitate a parte ante productam, quod illa in sensu diviso in quolibet instanti potest annihilari, quia decretum cadit supra durationem accipiendam, & futuram, ista tamen non posset annihilari, nisi post infinitum tempus, quia decretum cadit supra durationem non accipiendam post pro-

Mayrii, & Belluti. De Cœlo, & Meth. Tom. III.

ductionem rei, sed quæ est cum productione; adhuc vero contingenter simpliciter existit, quia potuit Deus se non determinare ad productionem æternam creaturæ. Ad secundum dicimus tunc necessitatem ex suppositione antec. tollere libertatem, quando suppositio illa non est in potestate agentis, modo decretum producendi creaturam ab æterno sit in potestate Dei, ideoque licet hoc supposito necessario creatura duraret per infinitum tempus, simpliciter tamen contingenter duraret, quia potuit non produci; rum quia post infinitum tempus transactum nunquam erit verum dicere, Deum nunc necessario conservare creaturam ab æterno productam, imo in quolibet instanti potest illam annihilare. Ad tertium negatur minor, quamvis enim productio æterna ex propria ratione habeat, quod res per ipsam producta per infinitum tempus necessario debeat durare, non tamen ex se habet, quod detur de facto, sed hoc oritur a divina voluntate.

46 Secundo arguitur ex Arist. cit. quod mundus non potuerit incipere in tempore. Tum quia si motus incœpit, præsupponebatur movens, & mobile, quæ in tempore quoque incœperunt, ergo per alium motum, & sic in infinitum; stab æterno fuerunt: ergo propter aliquod impedimentum quievissent, etiam si agentia libera fuissent, quod debuissent auferri, ut primum motus inciperet, sed non potuisset auferri nisi per motum, ergo dabitur alius prior motus, & sic in infinitum. Tum secundo, quia tempus secundum omnes Philosophos est ingenitum, & æternum, ergo & motus, qui est simul cum tempore. Tum tertio, quia si prius non erat, postea fuit, daretur tempus ante istum motum, quia prius, & posterius sunt temporis differentiæ, ergo etiam motus. Tum 4. si in aliquo instanti habuit esse, cum instans omne sit continuativum præteriti, & futuri temporis, ante istud instans fuisset tempus. Tum 5. in æternum durabit; ergo etiam ab æterno fuit, quia quod est incorruptibile, est etiam ingenitum.

47 Resp. ad 1. non esse necesse mobile, quod motui præsupponitur, incipere per motum, sed per veram creationem temporaneam, nec si agens liberum non agit; evenit semper propter aliquod impedimenta, sed potest esse beneplacitum suæ voluntatis, sic Deus ab æterno non produxit materiam, & cœlos, quia noluit, non quia non potuerit. Ad secundum negamus tempus reale æternum esse, concedimus imaginarium. Ad tertium illud prius, & posterius sunt differentiæ temporis imaginarii, non temporis realis. Ad 4. neg. instans illud, cui coexistit mundi inceptio, fuisse instans temporis realis, sed temporis imaginarii, de isto tempore reali, & imaginario plura diximus in Phys. Ad 5. neg. consequ. anima enim rationalis in tempore creatur, semperque durabit.

48 Tertio ad idem. Deus semper facit, quod melius est, at melius est mundum esse, quam non esse, ergo quia potuit esse ab æterno, fuit. Tum secundo, quia sic otiosus per infinitum tempus permansisset, sine proprio loco, quod est cœlum. Tum tertio, quia sic potuisset Deus nunquam creare mundum, quod est contra ipsius bonitatem, quæ est sui communicativa, & diffusiva creaturis. Tum 4. quia mutaretur, nam quando de novo aliquid producitur, datur id, quod aliter se habet nunc, quam prius, sed tale non est productum, quia non præfuit, ergo agens.

49 Resp. ad primum concedendo Deum, quando agit, semper agere, quod melius est, idest quod non est malum, non tamen teneri ad agendum actu, quod est melius, quia libere, & non necessario agit ad extra. Ad secundum fuit semper in se ipso beatus, ideo non otiosus; nec indiget cœlo ad inhabitandum, sed est ubique diffusus juxta dicta in Phys. disp. 11. q. 6. Ad tertium actualis communicatio creaturis non est de perfectione Dei, quia nullam ab illis recipit perfectionem, sufficit enim quod perfectissime divina essentia communicetur divinis personis. Ad quartum negatur sequela cum probatione; in causis enim liberis, ut ait Dost. d. 1. q. 2. ad prim. princ. quale est Deus, potest esse novitas in effectu absque novitate in causa, nam potest Deus velle volitione æterna aliquod creatum non pro æterno, sed pro tempore, & in creatione nulla reperitur propria mutatio. Dicas, sicut se habet volitio nova ad actionem novam, ita volitio antiqua, ergo per regulas a commutata proportione sic se habebit volitio nova ad actionem antiquam, sicut volitio antiqua ad actionem novam, & e contra, ergo sicut est impossibile a volitione nova prodire actionem antiquam, ita a volitione antiqua actionem novam. Resp. ex Scoto 1. dist. 36. H. & 4. dist. 34. q. 3. F. quod modus iste arguendi valet in terminis convertibilibus; tum quia in tali modo arguendi debent accipi quatuor termini in antecedenti componendo primum cum secundo, & tertium cum 4. deinde in transmutatione terminorum primus debet cum tertio comparari, & 2. cum 4. non sic fit in hoc argumento. Posset etiam instari probando Deum necessario agere ad extra; sed non est præsentis negotii; videatur Scot. 1. dist. 8. qu. 4. ubi exacte convincit positionem Philosophorum, & eorum argumenta dissolvit.

50 Quarto quod simul totus mundus fuerit creatus, probatur tum ex Script. Gen. 2. *Iste sunt generationes cœli, & terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram*; & Eccl. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*; Et Job. 40. *Ecce Beemoth*, idest diabolus, *quem feci tecum*, ergo si fuit simul cum homine productus & diabolus, in primo instanti fuit creatus etiam homo: idem habetur in Conc. Lateran. sub Innocent. III. Tum 2. quia majoris potentiæ est omnia simul producere, quam successive, magisque manifestatur potentia agentis, ergo ita Deus condidit mundum. Tum 2. quia sic multa ex

præjacente materia produxisset, & sic non per creationem, & tamen 1. Gen. habetur Deum omnia creasse etiam animalia.

51 Resp. authoritates illas circumscribere totum tempus, totamque moram continuam sine interpolatione creationis mundi, ut explicat D. Bonavent. in 2. d. 12. Ad 2. magis manifestaretur potentia, si plures mundos, & perfectiores produxisset Deus, & tamen non produxit, quia omnia, quæcunque voluit, fecit, & eo modo, quo voluit. Ad 3. proprie non omnia Deus per veram creationem produxit, ut habet Doct. in 2. d. 17. ad 1. prin. ubi hoc de Adamo concedit, omnia tamen dicuntur creata creatione large sumpta, quatenus omnia saltem mediate fuerunt a Deo ex nihilo producta, nam subjectum præsuppositum generationi, scilicet materia, fuit per veram creationem productum a Deo.

ARTICULUS II.

Mundi destitio declaratur.

52 DIcimus, mundum, quamvis posset in æternum durare cum iisdem qualitatibus, speciebus, rerum serie, & successione, posseteque a Deo totaliter annihilari de facto, tamen quoad substantiam in æternum duraturum, licet quoad accidentia erit innovandus. Quod posset in æternum durare, probatur, quia cœli sunt incorruptibiles naturaliter, elementa sunt ita proportionata inter se quoad actionem, & passionem, ut nunquam possint totaliter destrui. Tum quia agens naturale corrumpendo generat, generando corrumpit, non enim potest materiam nudam relinquere; quapropter si una res deficit, altera resurgat est necesse, ergo naturaliter mundus semper conservari posset cum eodem rerum ordine, quem modo habet. Posset etiam a Deo annihilari, eo quia est in essentiali dependentia a Deo, a quo libere accepit esse, ergo poterit Deus suum concursum subtrahere.

53 Deinde, quod secundum substantiam sit permansurus, colligitur ex Doct. 4. d. 47. q. 2. & d. 48. q. 2. ubi quandocunque loquitur de innovatione, & purgatione mundi per ignem in die judicii conficienda, semper supponit elementa, & cœlos permanere, talemque purgationem asserit usque ad sphæram ignis non fore perventuram, estq; communior apud Patres, & Theologos; ut est videre apud Tannerum disp. 6. de creat. q. 4. dub. 5. & probatur ex Script. Psal. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt, statuit ea in æternum, & in seculum seculi*, & Eccles. 1. *Terra in æternum stat*, & cap. 3. *Omnia opera, quæ fecit Deus perseverant in perpetuum*. Tum quia cœli permanebunt, terra etiam, cum debeat in æternum in centrum continere damnatos, ergo etiam alia elementa. Tum quia supposito, quod talis innovatio erit per ignem, non videtur, quod possint cœli comburi, nec elementum ignis, quare dici poterit aerem, aquam, & terram corrumpi debere, sed neque hoc apparet necessarium, sed satis erit, si quodammodo renoventur, & perficiantur, maximam enim mutationem patietur mundus, & diversimode secundum diversas partes, ut colligitur ex Scripturis in objectionibus citandis, quod quomodo contingat, non est præsentis negotii, vide Doct. cit. & D. Bon. 4. dist. 47. art. 3. q. 3.

54 Contra arguitur, quod mundus iste totaliter sit corrumpendus ex Sacra Script. primus locus sumitur ex Apoc. 21. *Vidi cœlum novum, & terram novam*, secundus ex Isa. 65. *Ego creo cœlos novos, & terram novam*; tertius ex Psal. 101. *Ipsi peribunt, & sicut vestimentum veterascent, & velut opertorium mutabis eos, & mutabuntur*, quartus ex Isa. 34. *Tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet*, quintus ex cap. 51. *Cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur*, sextus ex Eccles. 17. *Quid lucidius Sole? & hic deficiet*, septimus ex Matth. 24. *Stellæ cadent de cœlo, & Sol obscurabitur*, &c. octavus ex Matth. 24. *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*; nonus tandem ex 2. Petri cap. 3. *Cœli, qui nunc sunt, & terra reservati sunt in die judicii*, & infra: *Cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur*: & iterum, *Cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent*, & Job. 14. *Donec cœlum atteretur*, &c. Tum quia si isti cœli, & ista elementa permanerent post diem judicii, adhuc essent generationes mutuæ, & cœlorum influentiæ, imo quia cœli quiescent, erit in illa parte terræ a Sole illuminata maximus calor, & immoderata actio, ergo potius dicendum foret alios cœlos, aliaque elementa absq; contrariis, & activis qualitatibus. Tum 3. quia lux est passio formæ cœli, sed post judicium cœli habebunt lucem septuplo majorem, ergo non erunt iidem cœli.

55 Resp. tres primas author. intelligi debere non de creatione propria substantiali; sed de innovatione accidentali, quæ dici potest creatio, quia est actio supernaturalis a Deo facta, ut explicat D. Hier. super Psal. cit. quinque sequentes loquuntur de operationibus cœlorum, & de lucis ostensione, nam Judicii tempore stellæ obscurabuntur, sed postea majori luce erunt præditæ, juxta illud Isa. 30. *Erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter*. Ultima maxime urget, dicimus tamen cum D. Bon. cit. & Scot. 4. dist. 43. q. 1. ad 2. prin. per cœlos intelligi debere aereas regiones, juxta illud Psal. 8. *Volucres cœli*, &c. quæ expositio, præterquam quod est Augustini & Hieron. colligitur ex ipso contextu, nam habet supra D. Petrus hæc verba: *Latet enim hoc volentes, quod cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit*, certum est autem, quod per aquas diluvii non fuit cœlum inundatum, sed solum tali purgatione fuerunt purgata elementa terræ, & aeris; quando vero sequitur cœlos, & terram igni servatos esse, non loquitur de totali combustione, sed de purgatione imperfectionum; similiter cum ait elementa calore solventur, non intelligit omnia quatuor elementa, ut putat Hurt. aliter ignis seipsum destrueret, sed aquam, aerem, terram; ad illud Job ait Scot. cit. quod, & si cœlum nunquam atteretur quantum ad substantiam, tamen atteretur quantum ad efficaciam, vel influentiam in ista. inferiora generando, & corrumpendo, quia post judicium cessabit ista influentia, & sic etiam explicat illud Corinth. 7. *Præterit figura hujus mundi*; vel inquit intelligi debere de cœlo elementari, ut allegata authoritas D. Petri. Ad 2. resp. Doct. cit. pro conclus. vel quod cœli ita erunt dispositi, ut influxus unius altri attemperetur ab influxu alterius: vel quod Deus omnem concursum quoad istas actiones suspendet. Ad 3. lux non est vera passio cœli, sed forma

ad circumferentiam sunt æquales, punctum illud in medio dicitur centrum sphæræ: linea recta transiens per centrum sphæræ applicans suas extremitates ad circumferentiam ex utraque parte dicitur diameter, & dividit sphæram in duas partes æquales, sive mobilis sit ad motum sphæræ, sive immobilis; sed si immobilis erit, utpote, quia sphæra circa illa circumvolvitur, tunc axis dicetur, sumpta metaphora ab axe ligneo in rota, puncta tamen terminantia axem dicuntur poli sphæræ, in qualibet enim sphæra duo sunt poli, sicut duæ sunt extremitates axis, quod nomen provenit a *Poleo*, græce, quod est verto, quia circa illa tota sphæra vertitur, unde cardines, & vertices sphæræ dicuntur.

4 Cum igitur mundus iste sit circularis figuræ, erit quædam sphæra centrum habens, quod est punctum medium; habebit etiam axem, quæ est linea quædam per medium transiens, quiescens, & immobilis concepta, circa quam tota hæc cælestis sphæra circumvolvitur, puncta terminantia istam lineam in superficie connexa; ultimi cœli dicuntur poli mundi, & cœlestis regionis, quorum unus dicitur Arcticus a signo quodam cœlesti, quod *Arctos*, græce, idest ursa dicitur, circa istum polum situata, idem polus borealis, seu septentrionalis, vel quia borealis ventus illinc oritur, vel a septem stellis circa ipsum polum existentibus, a multis *Nort*, ab Italis *Tramontana* vocatur, & iste polus semper a nobis videtur; alter dicitur Antarcticus, quia est per diametrum oppositus arctico, qui & meridionalis, vel australis etiam appellatur a vento australi.

5 In superficie ultimi cœli quamvis plures circuli ab Astronomis assignentur, decem tamen sunt primarii, quorum alii sunt majores, alii minores: primi sunt, qui idem centrum habent cum sphæra, ipsamque dividunt in duas partes æquales, & sunt sex, æquinoctialis, Meridianus, Orizon, Zodiacus, Colurus solstitiorum, & Colurus æquinoctiorum; minores sunt, qui diversum centrum habent a sphæra, & dividunt ipsam in partes inæquales, & sunt quatuor, Tropicus cancri, seu æstivalis, Tropicus capricorni, sive hyemalis, Circulus arcticus, & Circulus antarcticus.

6 Æquinoctialis est circulus major æque distans secundum omnem sui partem a polis mundi; dicitur æquinoctialis, sive æquator diei, & noctis, quia quando Sol pervenit ad hunc circulum, fit æquinoctium in universa terra, saltem in locis a polis distantibus, quod bis in anno contingit, in principio Arietis die 21. Martii, & in principio Libræ die 24. Septembris.

7 Meridianus est circulus major transiens per polos mundi, & per Zenith capitis nostri; est autem Zenith punctum verticale, quod scilicet signatur in cœlo directe supra capita nostra, sicut punctum diametraliter oppositum nostro Zenith, Nadir appellatur, quod respectu habitantium ibi dicitur Zenith, & nostrum Zenith respectu illorum dicetur Nadir; per ista puncta transit iste circulus, dicitur Meridianus, quia habet dividere diem, & noctem in duas partes æquales, quando enim Sol est in illo circulo, & in parte, quam videmus, tunc est medius dies, quando est in parte diametraliter opposita, est media nox. Hinc non est unus omnium Meridianus, sicut neq; unicum est Zenith, & quamvis si geometrice loqui velimus, tot sint Meridiani in cœlo, quot puncta concipi possunt verticalia in infinitum, tamen a Cosmographis, & Astrologis numerantur ista puncta secundum apparitionem nostri sensus, & secundum variationem graduum æquatoris, & quoniam gradus isti sunt 360. ut dicemus, tot erunt puncta verticalia, & qui Meridianus transit per duos gradus oppositos diametraliter, quorum unus erit Zenith, alter Nadir, circuli Meridiani 180. assignantur in sphæra.

8 Orizon est circulus major dividens inferius Emisphærium a superiori, Emisphærium est medietas sphæræ, tamen peculiariter sumitur pro medietate cœli a nobis visa: provenit hoc tamen ab *Orizonte* Græce, idest determino, quia iste circulus terminat nostrum visum, & variatur geometrice juxta quamlibet variationem loci etiam minimam, sed astronomice, juxta sensibilem variationem nostri sensus, unde quot Meridiani ponuntur in sphæra, tot erunt Orizontes, scilicet 180. Poli istius circuli sunt Zenith, & Nadir, quia Orizon secundum omnem sui partem æque distat ab istis duobus punctis.

9 Zodiacus est circulus major, cujus una medietas declinat versus Boream, altera versus Austrum, intersecat, ac intersecatur ab æquinoctiali in duas partes æquales ad angulos obliquos sphærales, unde alii sunt poli mundi sive æquinoctialis circuli, & alii poli Zodiaci; dicitur Zodiacus, vel a Zoi Græce, quod est vita, quia Planetæ dum per hunc circulum moventur motu proprio, vitam causant, totque diversos effectus in his inferioribus, ut dicemus; vel a *Zodion*, quod est animal, quia in duodecim signa dividitur, quorum quodlibet uno dempto nomen habet alicujus animalis, vel propter aliquam proprietatem communem illi signo, & animali, vel quia stellæ in illis partibus fixæ figuram referunt illius animalis, quæ signa in his versibus continentur. *Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraque, Scorpius, Architenens, Caper, Amphora, Pisces*: quæ in primo versu continentur, quia versus Septemtrionem declinant, septentrionalia dicuntur, quæ in secundo versu, meridionalis, quia versus meridiem flectunt; istorum signorum tria sunt colerica, & ignea, ut Aries, Leo, & Sagittarius, tria aerea, & sanguinea, ut Gemini, Libra, Caper, tria aquea, & flegmatica, ut Cancer, Scorpius, Pisces, & tria terrea, & melancholica, ut Taurus, Virgo, Aquarius.

10 Ista signa ab Astronomis in 360. gradus dividuntur, itaut quodlibet signum habeat 30. gradus; est autem gradus pars aliquota determinata cœli, sicut palmus est pars certa ulnæ, ab Astronomis assignata, eo quia Sol, ut integrum signum pertranseat motu naturali 30. fere dies consumit, unde in 30. partes quodlibet signum dividitur, tribuendo cuilibet parti, quantum Sol in uno naturali die proprio motu versus Orientem progreditur, quæ partes dicuntur gradus, quasi gressus Solis, & quia signa sunt 12. omnes gradus erunt 360. secundum quam divisionem non solum Zodiacus, sed omnes alii circuli, sive majores, sive minores in tot partes dividuntur; quilibet gradus etiam dividitur in 60. minuta, seu prima, quodlibet minutum in 60. secunda, quodlibet secundum in 60. tertia; & sic deinceps usque ad decem, ut melius assignarentur cœlestes motus, & eorum tarditas, & velocitas.

11 Insuper advertendum, quod omnes alii circuli in cœlo concipiuntur sicut linea quædam circularis absque latitudine, Zodiacus vero imaginatur in cœlo sicut quædam Zona, & fascia latitudinem habens 12. graduum, & hoc, ut motus planetarum exprimi possint, nam ipsi semper sub Zodiaco moventur, ita tamen ut nunc ad austrum, nunc ad boream declinent, & quia non excedunt spatium 12. graduum, Zodiacus formatur in cœlo cum tali latitudine. In medio istius est linea dividens ipsum in circuitu sex gradus relinquens ex una parte, & sex ex altera, sub qua Sol semper movetur, ubi reliqui Planetæ declinant, ut diximus, quapropter hæc linea via Solis appellatur; dicitur etiam Ecliptica, quia nunquam contingit Eclypsis Solis, vel Lunæ, nisi Luna sub ista linea moveatur, ut suo loco dicemus. Sol igitur motu proprio, qui per annum completur ab Occidente in Orientem, sub ista linea movetur singula signa pertranseundo: ingreditur principium arietis die 22. Martii, principium Tauri die 21. Aprilis, principium Gemini die 21. Maii, principium Cancri die 21. Junii, principium Leonis die 24. Julii, principium Virginis die 24. Augusti, principium Libræ die 24. Septembris, principium Scorpionis die 24. Octobris, principium Sagittarii die 23. Novembris, principium Capricorni die 22. Decembris, principium Aquarii die 21. Januarii, & tandem principium Piscium die 19. Februarii, quamvis aliquando propter varietatem punctorum in quibus determinate ingreditur quodlibet signum, contingat ad summum uno die aberrare, non est tamen notabilis error, hinc patet plus temporis Solem consumere pertranseundo signa borealia, quam australia, scilicet octo fere dies, secundum alios sex.

12 Colurus Solstitiorum est circulus major transiens per polos mundi, & per polos Zodiaci, & maximas Solis declinationes, dividens Solstitia inter se. Pro quo sciendum, quod Sol movendo se sub Zodiaco proprio motu propter Zodiaci obliquitatem nunc ad æquatorem accedit, nunc recedit, accessus dicitur ascensus, recessus dicitur declinatio Solis; Solstitium est declinatio maxima Solis ab æquatore, & fit vel quando a nobis maxime distat, vel maxime nobis accedit; unde duplex est, hyemale, & est ille dies, in quo Sol a nobis maxime distat, & contingit, quando est in principio Capricorni; & æstivale, qui est ille dies, in quo Sol nobis est propior, cum scilicet est in principio Cancri; Colurus ergo iste denotat nobis loca Solstitiorum. Colurus æquinoctiorum est circulus major transiens per polos mundi, designans loca æquinoctiorum, quæ sunt principium Arietis, & Libræ, tunc enim accidunt æquinoctia veris, & autumni, vocantur isti circuli Coluri, idest *mutili*, seu imperfecti, quia a nobis habitantibus in sphæra obliqua nunquam totaliter conspiciuntur, neque simul, neque successive.

13 Tropicus Cancri, seu æstivalis est circulus minor a Sole descriptus motu diurno, cum est in principio Cancri, in quo Solstitium æstivale contingit: Sol enim motu diurno ab Oriente in Occidentem describit multos circulos circa mundi axem, & sunt fere 182. nam tot dies fere consumit in accessu ab una parte Zodiaci ad alteram remotiorem, circulis igitur descriptus a Sole, cum est in principio Cancri, dicitur Tropicus Cancri, seu Solstitii æstivalis. E contra Tropicus Capricorni est circulus minor descriptus a Sole motu diurno, quando est in principio Capricorni, in quo evenit hyemale Solstitium. Dicuntur Tropici a tropis Græce, quod est conversio, quia tunc incipit Sol ad æquatorem se convertere, dicuntur minores, quia non dividunt sphæram in partes æquales, & sunt veluti limites totius spatii, per quod Sol vagatur.

14 Circulus arcticus est circulus minor descriptus a polo Zodiaci circa polum arcticum motu diurno, etenim cum poli Zodiaci distent a polis mundi, super quos fit motus diurnus, moventur ad motum proprii orbis circa mundi polos; sic circulus antarcticus est circulus minor descriptus a polo Zodiaci circa polum antarcticum.

15 Tandem accipiendum, quod cum quatuor minores circuli secundum omnes partes æque distent inter se, & consequenter sint paralelli, quinque zonas seu fascias in cœlo describunt, prima Zona continetur inter duos tropicos, & ab æquatore per medium dividitur, & dicitur torrida propter nimium calorem Solis per illam decurrentis, secunda, & tertia temperatæ dicuntur, & sunt illæ cæli partes contentæ inter tropicum Cancri, & circulum arcticum, & inter tropicum *Capricorni*, & circulum antarcticum; dicuntur temperatæ, quia nec nimis distant a Sole, nec nimis appropinquant Soli, unde neo nimis calidæ erunt, nec nimis frigidæ, quarta & quinta frigidæ dicuntur propter maximam a Sole distantiam, & sunt partes illæ contentæ inter circulum, & polum arcticum, & inter circulum, & polum antarcticum. Hæc omnia clarius percipientur, si sphæram materialem quisque consideravit.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Corpore Cœlesti.

1 *PRæcipua, & prima simplicis corporis species est corpus cœleste, tum propter ipsius nobilitatem supra cætera istihæc inferiora, tum quia est omnium aliorum causa, ideo prius de ipso agendum est, quam de aliis, & maxime quia notitia cœlestis corporis confert ad cognitionem sublunarium, non e contra. Dicitur cœlum a cœlando, vel quia cœlestem beatitudinem occultat, vel quia omnia sublunaria continet. Quod detur istud corpus simplex a cæteris distinctum præter rationes Arist. 1. cœli cap. 2. est Scriptura sacra frequenter ipsum nominans. Cœlum multipliciter sumitur, ut notavit Arist. 1. cœli 96. in præsenti ipsum capimus, ut supponit pro omni corpore supra hanc elementarem regionem existente, quomodo astra quoque comprehendit, pressius sumi solet pro illo corpore sidera in se continente, & si quod aliud supra stellas reperitur.*

QUÆSTIO PRIMA.

De structura, & numero cœlestium corporum.

2 Ræsens quæstio magna ex parte pendet ab Astronomia; quamvis enim & structuram, & numerum cœlorum investigare pertineat ad Philosophum ex principiis Philosophicis, attamen certius examinatur ex observationibus astronomicis, quibus debent se submittere Philosophi, cum experientia sit omnium magistra: est tamen hæc quæstio valde necessaria ad præsentem disputationem, quæ non minorem etiam affinitatem habet cum Astronomia; idcirco ne limites Philosophicos transgrediamur, non disputando, sed potius narrando ea, quæ communiter a præstantioribus Astrologis admittuntur, in decisione hujus quæstionis progrediemur, secuti Doctorem ipsum, qui in secundo dist. 15. q. 2. hanc discutiendo quæstionem, folummodo placita præcipuorum Astrologorum illius temporis adducendo, ex eorum observationibus, ac experientiis illam determinavit; prius igitur de structura cœlestis sphæræ, deinde de numero cœlorum agemus.

ARTICULUS I.

Structura cœlestis sphæræ declaratur.

3 SUpponendum ex dicendis infra reperiri proprie astra a cœlis distincta, quorum alia fixa dicuntur, quæ scilicet inter se semper eandem servant distantiam, situm, & figuram, & consequenter in eodem cœlo simul collocata; alia errantia, seu Planetæ, & sunt, quæ non eandem distantiam, situm, & figuram servant inter se, & a stellis fixis, & communiter septem enumerantur, Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna. Hoc supposito.

Sphæra definiri solet, quod sit corpus unica superficie contentum, in cujus medio punctum est, a quo omnes lineæ rectæ ductæ ad cir-

ARTICULUS II.

Numerus cælorum proponitur.

16 CErtum est primo dari cœlum Empyreum, quod sedes est, & domus Beatorum, quamvis naturaliter non cognoscatur, attamen est communior sensus Theologorum, & Patrum interpretantium plurima sacræ Scripturæ loca, in quibus cœlum nominatur, de cœlo Empyreo; ut videre est in tract. de oper. sex dier. apud Theologos, quibus etiam relinquimus determinandum exactius de isto cœlo, an sit solidum, vel fluidum, an aliquas exerceat operationes in hæc inferiora, & similia. Certum est etiam dari unum cœlum naturaliter notum, in quo reperiantur astra fixa, ad motum cujus etiam astra moventur; ostendimus enim infra astra corpora esse per se immobilia, & distincta ab ipsis cœlis. Cæterum ad investigandum cœlorum numerum, videndum est, num supra hoc cœlum firmamentum vocatum, eo quod stellæ firmiter ipsi adhærent, vel stellatum ex multitudine siderum in ipso recepta, dentur alii cœli medii inter istud cœlum, & Empyreum, deinde an sub isto cœlo stellato sint alii cœli pro planetis, & stellis erraptibus.

18 Circa priorem partem quæsiti viguit apud Antiquos temporibus Platonis, & Arist. opinio negans aliud cœlum supra stellatum, sed hoc esse primum mobile affirmabat, quam modo sequuntur Ruvius 2. de cœlo cap. 5. q. 2. Hurt. de cœlo disp. 1. sect. 1. Arriaga disp. un. sect. 4. Cremon. lib. de motu cœli sect. 2. c. 13. Aversa qu. 32. Phil. sect. 4. in hanc quoque inclinat Amicus, tract. 4. de cœlo q. 5. dub. 2.

19 Ptolemæus vero, & quamplurimi alii aliud cœlum supra sidereum posuerunt, eo quia observarunt cœlum stellarum ultra motum diurnum alium motum habere ab Occidente in Orientem, super polos Zodiaci, sicut & alii Planetæ, tardissimum tamen; cum centum fere annis unum gradum pertranseat, unde totum suum cursum triginta sex millibus annis, vel secundum alios 49. millibus annis conficit, ideoque aliud cælum dari debet, cui motus diurnus conveniat, quod erit primum mobile, virtute cujus omnes alii inferiores cœli etiam stellatum tali motu moventur. Et consequenter duo dantur Zodiaci in cœlis, unus in isto primo mobili, quem Astrologi intelligunt, cum de Zodiaco loquuntur, constans ex 12. signis; alter in cœlo stellato priori directe suppositus, cum eisdem signis quibusdam astris figuratis; primus dicitur immobilis, nam quamvis ad motum sui orbis moveatur, tamen ejus signa eodem semper modo se habent ad æquinoctialem, quia unico motu moventur, & uniformi, ut semper principium libræ, & arietis in quibus punctis æquinoctium contingit, simul sit in æquinoctiali circulo. Secundus dicitur mobilis, quia movetur paulatim versus Orientem, unde principium arietis hujus Zodiaci modo non reperitur sub principio arietis prioris Zodiaci, & sub æquinoctiali, sed sub signo fere Tauri, eo quia ad ortum movetur. Hæc opinio temporibus Scoti communis erat apud Astrologos, idcirco illam amplexus est in 2. d. 14. & 12. Met. tex. com. 44. & seq.

20 Deinde Thebit. Alfonsus, & moderni Astrologi in cælo stellato præter duos motus prædictos alium observarunt, trepidationis dictum, sive accessus, & recessus. Diximus enim recessum Solis ab æquatore declinationem Solis appellari, & Solstitium esse maximam Solis declinationem ab æquatore, modo deprehensum est hanc declinationem Solis, seu Solstitium diversimode contigisse variis temporibus, nam aliquando contigit in puncto Coluri Solstitiorum distante ab æquatore gradibus 23 min. 30. aliquando grad. 23. min. 38. unde ut notavit Copernicus hæc declinatio regulari motu decrevit usque ad grad. 23. min. 28. & inde incepit crescere usque ad grad. 25. min. 52. & sic tota differentia inter ista Solstitia est min. 24. nam Solstitium ad minus fit secundum distantiam grad. 23. min. 28. ab æquatore, & ad plurimum fit secundum distantiam grad. 23. min. 52. Iste motus trepidationis dicitur, quia videtur cælum quasi trepidare, & modo ad unum polum, modo ad alterum accedere, dicitur etiam motus librationis, processus Solstitiorum, & absolvitur annis 3431. & diebus 239. Non est tamen uniformis, sed ad partes medias velocissimus, ad extremas vero tardissimus. Propter hanc igitur variationem declinationis Solaris, ultra alias sphæras ponitur altera librationis dicta ab austro in Septentrionem, & a Septentrione in austrum per 24. min. ab aliis dicitur cœlum crystallinum. Tandem Maginus in theor. planet. lib. 1. cap. 2. & 3. aliud assignat cœlum crystallinum, & librationis, propter æquinoctiorum ab occasu in ortum, & ab ortu in occasum per decem minuta, quia motus absolvitur annis 1715. & diebus 302.

21 Circa alteram quæsiti partem, an sub cœlo stellato alii cœli reperiantur, celebris opinio fuit, tum apud veteres, tum apud Recentiores dari septem cœlos juxta numerum Planetarum, cum enim quilibet proprio motu moveatur, impossibile erit in cœlo reperiri, ita Doct. in 2. cit. Sed ulterius quamlibet sphæram planetarum in plures alias partiales diviserunt propter variationem in motibus planetarum repertam. Etenim triplex differentia in motu Solis, & illorum planetarum comperta est; prima est secundum latitudinem, secunda secundum longitudinem, tertia secundum elevationem, & depressionem: adest prima, quia unus Planeta aliquando magis accedit ad unum polum, & aliquando magis ab ipso recedit; adest secunda, nam præcipue in Sole observatum est, velocius unum signum Zodiaci, scilicet Aquarium, quam Leonem pertransire, unde videmus Solem, cum pertransit partem Zodiaci Septentrionalem, quod evenit in æstate, plus consumere, scilicet octo fere dies, ut innuimus art. præc. dum ingressum in quolibet signo assignavimus, adest tertia, nam videmus unum Planetam quandoque ad terram accedere, quandoque recedere, tum quia Sol in æstivo Solstitio, & si tunc sit nostro Zenith maxime propinquus, minoris tamen quantitatis apparet, quam in hyemali Solstitio, quamvis maxime tunc distet a nobis; ergo in Solstitio æstivo maxime distat a terra; in hyemali maxime accedit; tum quia exploratum est, aliquando Eclypsim diutius durare, & si Sol in eodem puncto reperiatur, quod esse non potest, nisi quia Luna quandoque plus accedit ad terram, & consequenter magis intrat in umbram terræ, diutiusque ipsa morabitur, quam quando distat a terra. Ad salvandam primam differentiam Astrologi posuerunt orbes istos non moveri super polos mundi, & primi mobilis, sed super polos Zodiaci, ideoque quando Planeta est in parte Zodiaci boreali, magis accedit ad polum articum, ac quando est in parte Zodiaci australi; ad salvandas vero secundam, & tertiam differentiam posuerunt alias sphæras partiales, quas vocant excentricas, pro quarum intelligentia.

22 Observandum; quod in tres ad minus partiales sphæras quodlibet planetarum cœlum diviserunt, quarum duæ extremæ concentricæ, & excentricæ secundum quid dicuntur, media vero simpliciter excentrica; concentrica sphæra illa dicitur, cujus centrum est idem cum centro terræ; excentrica vero, cujus centrum est extra centrum terræ, ita ergo composuerunt quodlibet Planetarum cœlum, ut duæ extremæ sphæræ inter se inæquales essent, & excentricæ secundum quid, idest secundum unam superficiem, scilicet concavam, si de superiori, & convexa, si de inferiori loquamur, concentricæ vero secundum alias superficies, ita ut una medietas illarum sit crassior, altera subtilior, quæ semper sit sub spissiori alterius partialis sphæræ, sicut pars crassior sub parte subtiliori; media vero sphæra est excentrica simpliciter secundum ambas superficies concavam, & convexam, & ista defert astrum, seu Planetam, cæteræ vero dicuntur deferentes orbem excentricum; in motu vero hic ordo servatur, quod prima, & tertia moventur motu diurno ad motum primi mobilis; & secundum aliquos etiam ad motum firmamenti ab occasu in ortum, solum media movetur proprio motu in Orientem juxta periodum motus cujuslibet Planetæ, quando Planeta superponitur spissiori parti inferioris sphæræ, & supponitur minus profundæ superioris dicitur esse in auge, e contra quando superponitur tenuissimæ inferioris, & supponitur spissiori superioris sphæræ, dicitur esse in opposito augis.

23 Ex quibus clare deducitur ratio tertiæ differentiæ in motu planetarum, quare scilicet Planeta aliquando vicinior terræ videatur, aliquando remotior, nam cum Sol est in auge, tunc maxime distat a terra, quod contingit, quando est in Cancro, vel in Leone, quando vero est in opposito augis in Capricorno maxime ad terram accedit; non ob id tamen major calor esse debet in mense Decembris propter istum accessum ad terram, ac in mense Julii propter recessum, quia Sol calorem producit non propter accessum ad centrum terræ, sed ad nostrum Zenith, quod facit in mense Julii, quamvis supposito hoc accessu, etiam alter magis auget calorem, unde calidior æstas evenit in parte australi propter utrunque Solis accessum, quam in boreali. Simliter patet ratio secundæ differentiæ, quare Planeta tardius unum signum pertransit, quam aliud, scilicet quia major pars sphæræ deferentis astrum correspondet uni signo, quam alteri, sicut enim lineæ facientes angulum in centro, quo magis distant a centro, eo magis inter se distant, ita major pars sphæræ correspondebit uni signo, quo magis Planeta a centro recedit, & quia in æstate Planeta est a terra remotior, tardius pertransit borealia signa, quam australia, unde diameter mundi sphæram excentricam non æqualiter dividit, non enim transit per centrum ipsius sphæræ, & si non ponerentur tales orbes excentrici, non possent hæc omnia phænomena, & apparentiæ salvari, nisi scissio admitteretur in sphæris: quapropter quilibet orbis Planetæ in tres partiales sphæras dividitur, & adhuc orbis Lunæ, & Mercurii in plures alias partiales sphæras propter alias variationes in motu repertas.

24 Sed observarunt adhuc Astronomi, Solem eodem modo semper se habere, idest in æquali distantia, ejusdemque magnitudinis apparere, quando est in auge, & uniformiter illa signa percurrere, & idem evenire, quando est in opposito augis, at reliquos Planetas in auge propriorum excentricorum existentes nunc majores, & propinquiores, nunc minores, & remotiores apparere, nunc velocius, nunc tardius signa eadem transire, & idem in opposito augis, & in reliquis excentrici partibus evenire; hinc Sole existente in eodem puncto excentricis duas Eclypses Lunares non æquali tempore duratas considerarunt, sed unam diutius, alteram brevius perstitisse, quæ varietates ex positione tantum excentricorum nequeunt salvari, aliter in Sole deberent etiam experiri, neque Luna modo plus, modo minus mareret Eclypsata; nam si Sol in duabus Eclypsibus Lunaribus extitit in eodem puncto sui excentrici, itaut in utraque Eclypsi eandem distantiam habuerit a terra, atque adeo eandem umbram terræ projecerit, & tamen inæqualis fuit duratio utriusque Eclypsis, sequitur Lunam in una propinquiorem, in altera remotiorem fuisse a terra, quia major, vel minor duratio Eclypsis accidit ob ingressum Lunæ in majorem, vel minorem umbram

terræ,

terræ, quæ umbra, quo propinquior fuerit terræ, eo latior, quo remotior, eo angustior erit, & minus lata; porrigitur enim in conum, quia terra minor est Sole: quare ad salvandas istas apparentias posuerunt Astronomi, præterquam in Sole, alias sphærulas, quas Epiciclos appellarunt.

25 Est autem Epiciclus sphærula solida intra crassitiem simpliciter excentrici immersa, itaut circa proprium centrum circum volvi possit, in cujus parte affixus est Planeta: movetur autem iste Epiciclus, & ad motum excentrici, & proprio motu circa proprium centrum, circa quod etiam Planeta movetur ad motum Epicicli, qui motus fit ab occasu in ortum, sicut motus excentrici, præter Epiciclum Lunæ, qui ab ortu in occasum movetur. Rursus, quia semper eamdem medietatem Lunæ videmus, ut patet ex maculis, quæ eodem modo semper conspiciuntur, quod non eveniret, si solum ad motum Epicicli moveretur, nam quando esset in superiori parte Epicicli, videretur una medietas, quando esset in inferiori, altera medietas, ideo posuerunt Lunam, non tantum ad motum Epicicli moveri, verum etiam in Epiciclo proprium habere motum contrarium ab occasu in ortum, vel in se ipsa, vel in alio Epiciclo in priori existente, ut possit Luna semper eamdem maculatam faciem nobis ostendere, quod in aliis Planetis non admittitur.

26 Istum Epiciclum in quatuor partes dividunt, concipiunt enim duas lineas a centro terræ continentes, & tangentes Epiciclum ex Oriente, & Occidente, puncta illa contactus istarum linearum dicuntur stationes, punctum Orientale statio prima, punctum Occidentale statio secunda, & Planeta in uno horum punctorum existens dicitur stationarius, quia videtur nobis in suo Epiciclo quodammodo stare, & non mutare locum, nam ascendit, vel descendit; arcus vero Epicicli superior dicitur directio Planetæ, & Planeta ibi existens dicitur directus, quia tunc ab occasu in ortum movetur secundum ordinem signorum, scilicet ab ariete in taurum &c. dicitur etiam velox, quia motus quasi geminatur ab occasu in ortum propter motum Epicicli, & motum excentrici; arcus inferior dicitur retrogradatio, & Planeta in eo constitutus vocatur retrogradus, quia incedit ordine retrogrado ab ortu in occasum, & ab ariete in pisces, a piscibus in aquarium, &c. appellatur etiam tardus, quia movetur motu contrario motui excentrici. Verum est tamen Lunam in parte superiori esse retrogradam, & tardam, in parte inferiori directam, & velocem, quia Epiciclus ipsius movetur, ut diximus ab ortu in occasum, licet quia velocius movetur ad motum excentrici, quam ad motum Epicicli, non ita clare appareant istæ stationes, directiones, & retrogradationes in Luna; neque in Sole, cum non habeat Epiciclum quamvis ab aliquibus recentioribus etiam in Sole admittatur Epiciclus. Ex quibus patet quomodo reddi possit ratio illarum varietatum, nam licet Luna (quod de aliis etiam Planetis est intelligendum) sit in auge, potest tamen adhuc esse remotior a terra, & per consequens minor apparere, tardius signum Zodiaci pertransire, citiusque ex umbra terræ exire, si esset in parte Epicicli remotiori a terra, potest etiam esse propinquior, & consequenter major conspici, citius Zodiaci signum percurrere, & tardius ab umbra terræ se liberare, si erit in parte Epicicli propinquiori terræ. Hanc opinionem adamussim exposuimus, tum ob sui celebritatem inter cæteras; tum quia ipsam fuse declarat Doct. cit. Non defuerunt tamen aliqui, qui omnem excentricum, & Epiciclum orbem negarunt, & quemlibet concentricum posuerunt, sed in majori numero.

27 Recentiores Astrologi cælum Veneris, & Mercurii negarunt, eo quia exploratum est, hos Planetas non circa terram circumvolvi, sed circa Solem tamquam circa proprium centrum, unde in cœlo Solis collocarunt duos orbes excentricos, unum pro Venere, & alium pro Mercurio, itaut sint modo inferiores Sole, modo superiores.

28 Rursus Tico observavit, quod quamvis Mars circa terram moveatur, & in suo gyro terram includat cum Sole, (quod in Venere, & Mercurio non contingit, quia numquam isti Planetæ in suo gyro claudunt terram) attamen aliquando infra Solem magis terræ vicinus visus est, aliquando supra Solem, quod stante distinctione cælum fieri non posset absque scissione cælorum, vel penetratione; idcirco aliqui Recentiones omne aliud cælum sub firmamento negarunt, sed ut varietates motuum Planetarum salvarent, vel posuerunt cælum fluidum, ac permeabile (quod probabilius putat Arriaga disp. un. c. de cælo sect. 3. & 4.) in quo stellæ vel ex se ipsis, vel ab Intelligentiis moverentur, sicut pisces in mari, & aves in aere; vel posuerunt cælum solidum non undequaque plenum, sed quibusdam canalibus perforatum, qui vel fluido aliquo corpore sint pleni, vel vacui, per quos Planetæ proprio motu moventur, ita Hurt. de cœlo disp. 2. sect. 1. quæ opiniones fuerunt quorumdam Antiquorum.

Aversa tamen q. 2. sect. 6. & 7. secutus Andream Cisalq. l. 3. peripath. qq. qu. 4. (quam opinionem tetigit etiam Keplerus in suo Marte apud Tannerum p. 1. disp. 6. qu. 3. dist. 3. n. 78.) ne fluxibilitatem aliquam, vel vacuitatem admitteret in cælis, concordat cum iis ponendo cælum stellatum, sed solidum, & continuum, in quo sint omnia sydera tam fixa, quam errantia, fixa in superiori parte ultius cæli, errantia vero in profunditate ipsius, non quod seipsis moveantur, sed ad motum quarumdam Zonarum; ponit enim in hac profunditate sub Zodiaci circulo septem zonas, seu anulos inter se certo modo consertos, sicut septem sunt Planetæ, debitam latitudinem, & profunditatem habentes, quantum erit necesse ad molem, & motum Planetæ in qualibet zona infixi, secundum longitudinem circularem totum cælum ambientes, saltem aliquas, nam cum Venus, & Mercurius circa Solem tamquam circa proprium centrum moveantur, zonæ istorum Planetarum non includent terram, nec totum ambitum cœli percurrent, sed tantum erunt quidam circuli Solem circumdantes. Quæ zonæ proprio motu feruntur ab Occidente in Orientem determinatis temporibus per circulum zodiaci, ita tamen quod zona Solis semper sub Ecliptica moveatur, aliæ vero ab Ecliptica declinent juxta observationes Astrologorum, & ad salvandas differentias in motu Planetarum supra adductas ipsas ponit excentricas, non concentricas, & si vera est Ticonis observatio de Marte, zonam Martis in profunditate cæli ita collocat, ut per majorem sui partem sit superior, quam zona Solis, in aliqua autem parte inferior, & tandem admittit Epicyclos intra istas zonas immersos, ut salvet cæteras apparentias in Planetis exploratas, ac alias zonas deferentes istas; hanc sententiam videtur etiam docere Ægid. in Hexam. part. 2. cap. 33.

30 In hac tam magna opinionum varietate dicimus, quoad pertinet ad primam quæst. partem supra cælum stellatum probabilius esse asserere dari unum tantum cælum primum mobile dictum, cui motus diurnus conveniat, quoad alteram partem ultimam opinionem ab Aversa explicatam esse cæteris probabiliorem. Quod supra stellatum detur aliud cælum, probari solet experientia, eo quia cælum stellatum etiam super polos zodiaci movetur, sicut Planetæ, nec perfecte vigintiquatuor horis complet circulum, unde alter zodiacus immobilis assignatur ab Astronomis, de quo loquuntur, cum dicunt aliquem Planetam esse sub tali, vel tali signo zodiaci; ergo aliud cælum supra stellatum debet admitti.

Negant Ruvius, & Hurt. experientias istas. Aversa, Amicus, & Arriaga concedunt, sed negant ex hoc inferri dari aliud cælum, sed idem motus, ajunt, potest esse cum illis variationibus, v. gr. cælum stellatum, quando motu diurno movetur ab ortu in occasum, non complet perfecte per spatium 24. horarum circulum, sed parum retro remanet cum aliqua inflexione ad polos.

31 Sed jam ab Astrologis fanioris mentis acceptæ sunt observationes illæ, nam apparet æquinoctia non contingere, quando Sol est in principio Arietis, vel Libræ cœli stellati, sic etiam solstitia non evenire quando Sol est in principio Cancri, vel Capricorni ejusdem cœli, sed prius, & tamen ab antiquis Astronomis in his punctis cœli stellati assignabantur, ergo vere cælum stellatum processit Orientem versus super polos zodiaci alterius cœli superioris præterquam quod credendum est in arte peritis. Contra Aversam est, quod ponit tempus non solum pro formali, verum etiam pro materiali (quomodo dicit motum primi cœli invariabilem) esse quid imaginarium, & ab anima dependens; cum enim motus primi mobilis sit cæterorum mensura, & mensura debeat esse omnium certissima, uniformis, & invariabilis, nequit esse motus cæli stellati, qui variabilis est, nec perfecte complet per spatium 24. horarum circulationem diurnam, quæ circulatio ab omnibus accipitur pro mensura omnium motuum, ergo si alius motus non assignabitur superioris cœli semper eodem modo se habens, nec pro materiali tempus erit quid reale existens, sed imaginarium. Tum quia secundum omnes Astrologos Sol varios causat effectus in his inferioribus, eo quia sub diversis signis zodiaci reperitur, itaut varietas signorum concurrat ad variationem effectuum, non est tamen zodiacus cœli stellati, nam quando est sub signo Cancri hujus zodiaci, non dicitur esse sub Cancro, sed sub Leone, & effectus istos signo proportionato causat, ergo aliter zodiacus realis assignari debet, qui ad talem varietatem effectuum concurrat, talis erit zodiacus cœli superioris.

32 Secundo quod unum tantum cœlum supra stellatum sit ponendum, & non alii, qui trepidationes illas causent, potest suaderi; tum quia stante ista experientia oportebit negare Solem semper sub Ecliptica moveri, nam Eclypticam zodiacus primi mobilis in eodem puncto semper intersecat, & intersecatur a Coluro solstitiorum, & a Coluro æquinoctiorum, & æquatore, ergo si Sol recedit ab illis punctis per istum librationis, seu trepidationis motum, ab Eclyptica quoque recedet. Tum quia deberet iste motus velocior apparere in cælis superioribus, quam in inferioribus, ut patet de motu diurno quod forte non experitur tam clare. Tum 3. quia velocior est motus proprius Saturni v. gr. quam iste motus trepidationis, nam ille absolvitur 30. annis, & totum cœli circulum perficit, iste longe pluribus annis, nec unum gradum complet, & tamen Saturnus non rapit Jovem, ut eodem modo sub zodiaco moveatur Jupiter, ac Saturnus ipse, sed propriis quasi itineribus unusquisque incedit, ergo multo minus motus ille trepidationis, ergo non erit sufficiens signum, quod alii sint superiores cæli talem motum in inferioribus causantes, sed potius quod idem cælum tali modificato motu moveatur, ut tales apparentias causet, sicut dicebat Aversa de motu cæli stellati.

33 Tandem quod probabilior sit opinio ultima non plures cœlos totales, sed plures zonas excentricas distinguens in crassitie stellati cœli immersas cum suis Epiciclis, probatur, eo quia prima, & secunda opinio multiplicans cælos ad numerum planetarum, imo & illos dividens in plures partiales orbes, nequit sustineri propter observationes motuum Veneris, Mercurii, & Martis supra adductas, tum quia secunda multiplicat entia absque necessitate, cum possint omnia salvari sine tot partialibus orbibus: adducit etiam contra istam opinionem Aversa aliquas rationes Physicas, quas solvit Amicus

eus eit. Sententia ponens Planetas per se mobiles non est ita probabilis, nam ut deberet vacuum admittere in Cœlis, ut asserit Hurt. quod tamen maximopere abhorret natura in his inferioribus, ergo multo magis in cœlis. Tum quia non possent astra superiora æqualiter suos influxus immittere, lucem, & species visibiles; nam si inter Solem vel aliquem alium Planetam, & nos intercederet vacuitas canalis Lunæ, quia ista vacuitas majoris esset spatii, quam occupet ipsa Luna, eo quia non solum Luna, sed Epiciclus Lunæ per ipsam moveretur, in quo fixa manet Luna, contingeret Eclypsis solaris, vel alterius Planetæ absque Lunæ interpositione inter nos, & Planetam, non posset enim nunc per vacuum radios lucis ad terram immittere, cum hæc sit actio a medio dependens. Tum quia etiam in Epiciclis deberet istas vacuitates admittere; imo de facto non possent videri Planetæ, quia secundum ipsos in vacuo reperiuntur, & cum sint sphæricæ figuræ nonnisi in puncto, vel exigua parte essent cum cœlo contigui, & per consequens hæc exigua pars tantum videretur. Vel deberet ista opinio fluxibilitatem aliquam ponere, aut in istis canalibus solum, aut in toto cœlo, quod improbatur, quia si etiam in Epiciclis reperiretur, multiplicarentur motores, quot astra sunt in cœlo, nec videtur posse sidera, & via lactea tam ordinato motu perpetuo moveri, neque tandem posset negari sonum aliquem conflci ex motu cœlorum, nam sonus formatur ex collisione corporum in aliquo corpore fluido, ut est aer ex 2. de anim. 79. nec satis probabiliter negat hanc consequent. Arriaga saltem in via Arist. Obstat etiam authoritas Script. Job 37. ubi cœli *solidissimi quasi ære fusi* dicuntur esse, Psalm. 34. *Verbo Domini cœli firmati sunt*, Prov. 3. *Stabilivit cœlos:* obstant etiam multi Sancti Patres asserentes, cœlum a Deo velut crystallum, vel glaciem esse consolidatum; præcipue D. Petrus apud Clem. lib. recognit. num. 5. Hieronym. Epist. ad Ocea. & quamplures alii asserunt astra, & Planetas ab orbibus deferri, ut Ambros. 2. exam. cap. 2. & Dam. 2. de fide cap. 6. ubi clarissime ultimam insinuat opinionem: *Septem etiam ferunt esse cœli zonas, circulosque & in unoquoque circulo unum esse Planetam*, quas tamen authoritates nititur explicare Arriaga cit. ex his omnibus deducitur ultimam opinionem esse probabiliorem omnibus aliis, cum omnia salventur Phænomena, & apparentiæ, nec ullum sequatur incommodum ex assignatis, ut fuse ostendit Aversa citat. Quapropter tres erunt cœli totales, scilicet cœlum stellatum cum zonis, & circulis planetarum, primum mobile, seu crystallinum, & Empyreum Beatorum sedes; huc spectat dictum D. Pauli 2. ad Corinth. 12. dum se raptum fuisse, ait, usque ad tertium cœlum, quod multi Sancti Patres Empyreum interpretantur.

34 Sed contra instatur multis authorit. Patrum unum tantum cœlum ponentium præter Empyreum, eo quia Scriptura sacra cœlum in singulari nominat, & præcipue S. Clemens Papa l. 2. recogn. in fine, qui præsens fuit disputationi D. Petri cum Simone Mago, refert ex D. Petro duos esse cœlos, unum Empyræum, & perpetuum, alterum visibile in consummatione sæculi resolvendum. Tum 2. si esset aliud cœlum stellato superius, debet esse densius, ut raperet ipsum, & per consequens lucidum per totum, sicut astra, & visibile, quod est falsum. Tum 3. adest authoritas Arist. octo cœlos ponentis, & primum mobile stellatum. Scotus etiam novem posuit cœlos in 2. cit. Tum quia oporteret ponere tot motores, quot excentricos, & Epiciclos ponimus, imo qui moveantur cum Epiciclis, nam ad causandum motum perpetuum, & uniformem debet motor esse cum mobile conjunctus.

35 Resp. ad 1. non convenire Patres inter se circa numerum cœlorum, nam alii unum, alii duos, alii tres, alii plures posuerunt cœlos; imo Scriptura ipsa non solum in singulari, verum etiam in plurali numero loquitur de cœlis. D. Petrus per primum cœlum intellexit omnem sphæram cœlestem cum Empyreo, per secundum vero aereum cœlum, vel per primum intellexit Empyreum, per secundum omne interjectum inter terram, & Empyreum. Ad 2. negatur sequela, sufficit enim æqualis densitas, sicut neque stellarum ex hoc, quod secundum Arist. est primum mobile, cæteroque rapiat cœlos, est densius illis. Ad 3. dicimus authoritatem Arist. in hoc parum urgere, etenim ut ait Doctor in Met. cit. Arist. parum fuit in Astronomica versatus, nec de hac materia fuit sibi constans, nam in 12. Met. 47. & seq. posuit secundum aliqua placita Astronomorum illius temporis 55. vel 57. sphæras, at in procem. Met. solum novem assignavit juxta placita Pithagoreorum. Doctor noster ibi, ut notavimus in principio hujus quæst. non procedit disputative, sed solum referendo placita Ptolomæi, Alpetragii, & aliorum Astronomorum illius temporis, unde semper ibi se refert dictis ipsorum. Ad 4. dicimus eumdem motorem posse excentricum, & Epiciclum movere, licet contrariis motibus, & si essent distincti motores, non implicaret, sicut quod neque motor Epicicli moveatur cum illo, unde infra qu. 4. art. 4.

36 Deinde probari potest, cœlos fluidos esse, non solidos, nam in sacra Scriptura habetur in cœlis aquas reperiri, ut Gen. 1. Psal. 148. *aquæ omnes, quæ super cœlos sunt*, quod nequit intelligi, nisi quia cœli fluidi sunt; Tum quia corpus quodlibet naturale simplex eo est naturæ tenuioris, subtilioris, & liquidioris, quo est excellentioris naturæ, & sublimiorem locum in universo sibi vindicat, sic aqua tenuitate, & subtilitate superat terram, aer aquam, ignis aerem, ergo cœli ignem. Tum 3. si cœlum esset solidum, cum infra ipsum sit ignis rarissimus, jam radii visuales stellarum frangerentur, deinde quando ad aerem pervenirent, denuo refrangerentur, quoties enim variatur medium, quoad densitatem, & raritatem, toties refranguntur radii visuales, ut fusius dicemus quæst. quinta; at quæ refracte videntur, apparent majora, vel minora, & extra proprium locum, ut patet cum objectum perspicillis cernimus; vel in aqua, & sic tota certitudo astronomicæ scientiæ labefactaretur, ut una tantum sensibilis refractio appareat propter infimi aeris impuritatem.

37 Resp. varios esse sensus Patrum, & Scholasticorum circa loca illa, nam quidam existimant debere intelligi de aquis elementaribus, maxime si litteralis sensus attendatur, quidam de vapore aqueo; quidam de substantia cœlesti fluida instar aquæ; communior opinio docet per aquam intelligi omne corpus simplex diaphanum, sive fluidum, sive solidum, quo pacto, & primo mobili supra firmamentum existenti, & igni, & aeri, & aquæ convenit, neque hoc est æquivocatione uti, nam aqua est nomen genericum primo impositum ad significandum omne corpus diaphanum, deinde speciali acceptione restrictum fuit ad aquam elementarem significandam, quæ est species corporis. Ad 2. neg. assumptum esse universaliter verum, ac necessarium, imo quia cœlum est incorruptibile, convenienter erit illi soliditas, quam fluxibilitas; hinc qu. seq. art. 3. negamus a cœlis raritatem, licet igitur sit verum in sublunaribus corporibus simplicibus propter primas qualitates causantes majorem, vel minorem raritatem; non tamen in cœlis carentibus omnino primis qualitatibus. Ad 3. dicimus eamdem difficultatem fieri posse in oculo, nam species visibiles, ut causetur visio, debent meare ad pupillam per tria media, seu per tres unicas diversæ rationis, & diversos humores, ut dicemus in lib. de Anim. quare advertendum radiorum refractionem in tantum fieri ad variationem mediorum quo ad raritatem, & densitatem, quatenus major, vel minor raritas causat majorem, vel minorem diaphaneitatem, & perspicuitatem, attamen potest esse, quod corpus densius sit magis diaphanum, & perspicuum, quam rarum, ut dicemus qu. seq. art. 3. & tunc nulla fit refractio, vel exigua; sic quamvis vitrum sit æqualis densitatis cum alio, potest tamen esse magis diaphanum, & minorem causare refractionem, ut patet experientia in perspicillis, quorum aliqui nullam, vel exiguam causant refractionem, & consequenter non variant notabiliter visionem per illos factam, ac si ne illis; hinc dicere possumus cœlos quamvis solidos, esse tamen ejusdem, vel majoris diaphaneitatis, & perspicuitatis, quam sint ignis, & aer, ideoque non nisi unicam fieri sensibilem refractionem ab aeris impuritate causatam. Tum quia ut notat Aversa qu. 32. sect. 6. & si radii visuales ob cœli densitatem frangerentur, non possumus tamen hanc fractionem experiri, quia oporteret observare sydera quandoque per medium solius aeris, quandoque per medium solius cœli, ut comprehendamus diversitatem refractionis, si adesset, at quoniam semper videmus astra per medium aeris, & cœli, semper est eadem refractio, vide q. 4. art. 1. concl. 2.

38 Nota vero, quod valde probabilis est etiam quorumdam Recentiorum sententia ponens cœlum stellatum solidum, in quo fixa existant astra ad motum cœli mobilia, deinde cœlum aliud fluidum, in quo Planetæ moveantur ab intelligentiis, certo, regularique motu nunc impellendo, nunc retardando, nunc retrahendo, nunc elevando, nunc deprimendo; tandem aliud cœlum solidum statuens prope ignem cœlum Planetarum fluidum continens: opinio tamen asserens cœlorum soliditatem communior est apud antiquos tum Philosophos, tum Astronomos.

QUÆSTIO II.

De essentia, & natura cœlestium corporum.

39 OMittimus Veterum placita, imo & multorum Sanctorum Patrum asserentium cœlum ex elementari natura constare, quorum alii igneum, alii aereum, alii aqueum, & alii terreum esse dixerunt, vel ex pluribus elementis constitutum, patet enim cœlum cujusdam naturæ superioris esse, ac diversæ ab elementis, unde & quinta essentia fuit appellatum, nam si igneum esset, omnia combureret, si aereum, aqueum, terreum, vel ex his compositum, violenter detineretur sursum, neque naturaliter circulariter moveretur; tum quia tam diversos producit effectus, ut nequeat de hoc dubitari, & licet aliqui Patres contrarium sentiant, hoc est, quia in variis Philosophorum doctrinis fuerunt eruditi, & quamvis etiam cœli, & astra videantur habere qualitates contrarias convenientes elementis, ut Sol calorem, Saturnus frigiditatem, Mars siccitatem, Luna humiditatem, has tamen non habent formaliter, ut elementa, sed virtualiter, quatenus virtutem habent producendi has qualitates in his inferioribus, aliter Saturnus deberet esse terræ naturæ, vel aqueæ, & consequenter infimum locum haberet inter Planetas, quod est falsum, cum sit omnium supremus, ut infra. Hoc igitur supposito tamquam claro, ut istam cœlicam naturam cognoscamus, primo videndum erit, an constet ex materia, & forma, sicut cætera corpora, & si constet, an hæc materia sit eiusdem rationis cum sublunari; deinde an forma ipsius sit anima: insuper quid sint astra, & tandem quomodo inter se differant.

ARTICULUS I.

An corpus cœleste sit ex materia, & forma compositum.

40 AVerroistæ, & cum ipsis veriores Peripatetici, ac sæculares Philosophi passim, ut incorruptibilitatem cœli salvarent, negarunt ab ipso compositionem istam ex materia, & forma, Thomistæ, & Neotherici recentiores, ut Gianninus de natura cœli 1. p. c. 21. Conimbr. 1. cœli c. 4. qu. 4. Ruvius q. 5. Suar. disp. 13. Met. sect. 10. Hurt. disp. 1. de cœlo sect. 1. Morif. disp. 2. de cœlo dub. 2. Amicus tract. 4. qu. 2. dub. 2. & alii affirmant, Zerbius 8. Met. qu. 3. Arriaga disp. 2. Phys. sect. 11. & Aversa qu. 33. sect 5. utramque opinionem probabilem putant; addit Aversa verisimiliorem sistendo lumini naturali, & probabiliorem esse partem affirmativam.

41 Dicimus in principiis Arist. cœlum non esse compositum ex materia, & forma, imo hoc potius asserendum esse secundum lumen naturæ; at secundum Theologos constare ex materia, & forma, ita Doctor in 2. dist. 14. qu. 1. & prob. primo, quod secundum Arist. cœlum tali compositione sit expers, quia secundum ipsum 1. cœli 20. 21. cœlum est æternum, & incorruptibile, at materia est principium, & radix corruptionis, eo quia est in potentia contradictionis ad formam, & privationem formæ ex 9. Met. 17. & ostendimus in Phys. disp. 2. qu. 8. art. 3. Hinc Arist. loc. cit. omnem a cœlo compositionem substantialem ex actu, & potentia excludit, & 8. Met. 14. materiam solum admittit, ubi adest generatio, & transmutatio substantialis, & tex. 12. in cœlis solum materiam secundum locum mobilem ponit, quæ non est pars compositi, aliter in Angelis reperiretur, idem reperit 12. Met. 10. & 38.

42 Multipliciter respondent, nam aliqui ut Arriaga, negant materiam esse causam corruptionis, nisi qualitatibus contrariis sit affecta, quomodo in cœlo non reperitur. Alii, quod materia est in potentia contradictionis in compositis, quorum non esse tempore præcedit. Alii dicunt materiam in cœlis non habere potentiam ad alias formas, eo quia forma cœli fatiat totum materiæ appetitum. Alii, quod Arist. negat in cœlis materiam istam sublunarem, quæ est ad alias formas in potentia, & ideo principium corruptibilitatis, non vero negat materiam diversæ rationis respicientem solum formam cœlestem, qua ratione (inquit Amicus) dicitur receptiva formæ, non vere in potentia contradictionis ad illam, quia nequit esse sub alia forma specie distincta, & quamvis respiciant aliam formam numero, hoc non officit incorruptibilitati cœlorum, quia natura non destruit unum individuum, ut alterum ejusdem speciei immediate producat; tum quia actio est inter dissimilia, individua ejusdem speciei sunt similia. Sic etiam cœli sunt receptivi propriorum accidentium, non tamen sunt in potentia ad illa, quia nequeunt separari, qua ratione ait Arist. 9. Met. 17. cœlum non esse in potentia ad ea, quæ semper habuit, ut est motus, quantitas &c. Addunt alii, quod forma cœli indissolubiliter unitur materiæ, ideoque quamvis materia sit in potentia, non ob id cœlum erit corruptibile. Alii, quod optime potest dari compositum ex materia, & forma naturaliter ab agente naturali indissolubile, sicut est unio inter naturam, & subsistentiam, imo ex subjecto, & aliqua connaturali forma accidentali.

43 Sed primam responsionem impugnavimus in Phys. loc. cit. præcipue ex Arist. de longit. & brevit. vitæ cap. 2. ubi ait impossibile esse materiam habenti non existere aliqualiter contrarium, unde materia, & contrarietas mutuo se inferunt, & per consequens si in cœlo est materia, erit etiam contrarietas, & si hæc removetur, etiam illa removeri debet. Nec valet, quod ait Ruvius, in cœlis non esse contraria dispondentia ad corruptionem, ut sunt calor, & frigus, humidum, & siccum, sed alia; nam est rarum, & densum, lucidum, & tenebrosum, tarde, & velociter moveri, quæ sufficiunt ad inferendam materiam. Non valet, quia ut patet legenti textum, loquitur Arist. de contrariis dispondentibus ad corruptionem, intentum enim ipsius est ostendere, quod non detur aliquid, quod corrumpatur, & non habeat contrarium, nam omne, quod corrumpitur, ex suo contrario corrumpitur. Secunda ruit, quia materia etiam in æternis esset potentiale ens, cujus est respicere extrema contradictionis. Tertiam responsionem urget Doctor, quia nulla forma potest satiare appetitum materiæ respectu alterius formæ, nisi det actum oppositum privationi illius formæ, modo cœli forma non potest tribuere materiæ actum oppositum privationi cujuscumque formæ; tum quia anima, maxime rationalis, est nobilior forma cœli ut infra, & tamen non potest satiare appetitum materiæ totaliter; de quo diximus in Phys. disput. 2. qu. 6. art. 2. circa finem.

44 Quartam resp. improbat Doctor; quia, etsi detur ista diversa materia, de quo art. seq. non salvatur adhuc incorruptibilitas cœlorum, nam ista materia est indifferens secundum ipsos ad plures formas numero distinctas cœlorum, & de facto materia Orientalis potest recipere partem Occidentalem cœlestis formæ, ergo habet privationem istius, ergo vere erit in potentia contradictionis ad formam cœli; quod vero non detur naturaliter transmutatio de uno individuo ad aliud ejusdem speciei hoc non salvat incorruptibilitatem ab intrinseco, sed ab extrinseco, scilicet ob defectum agentis, intrinsece tamen vere datur radix corruptibilitatis: quæ ratio multo magis urget, si materia Lunæ ponatur in potentia ad formam Solis, neque Arist. ibi negat cœlum esse in potentia ad motum, & alia accidentia, sic enim ait. *Nec igitur motus, si quis æternus est, neque si quid, quod movetur æternum, non secundum potentiam movetur, nisi unde quo; hujus autem materiam nihil prohibet esse*; quando vero negat motum esse circa contradictionis potentiam, non loquitur de cœlis, sed de intelligentiis moventibus, assignans enim rationem hujus ait, non enim fatigantur, nec laborosa est ipsis motus continuatio, cum sint entia omnino in actu; tum quia falsum est, materiam ideo esse in potentia contradictionis respectu unius formæ, quia est in potentia ad alias formas, sed quia est indifferens ad formam, & privationem illius ex 9. Met. 17. hoc enim significat contradictio; unde in creatione ab æterno non esse formæ dicitur prius natura præcedere in materia, quam forma, non quia materia esset sub alia forma, sed quia vere ipsi privatio conveniret, si forma non ineset. Ex quo impugnatur, quod ab aliis additur, nam licet forma, inquit Doctor, indissolubiliter uniatur materiæ, non tamen materia totaliter ex parte sua unitetur formæ, & sic habitudo ista inter formam, & materiam non esset necessaria ex parte utriusque extremi, & per consequens non esset cœlum simpliciter incorruptibile, & necesse esse, ut ajebat Arist. sic in sublunaribus videmus formas aliquas inseparabiles esse naturaliter a materia, talis videtur esse adamantis forma, vel alterius pretiosi lapidis, quibus tamen convenit adhuc corruptibilitas propter potentialitatem materiæ. Tandem apparet vanitas alterius dicti, non enim res aliqua corruptibilis dicitur, quia adest aliquod agens naturale potens illam corrumpere, sed quia intrinsece includit principium potentiale, & indifferens ad formam, & privationem formæ; tum quia cuicumque potentiæ passivæ correspondere debet activa 3. de anima 17. & 5. Met. 17.

45 Deinde clara concl. pars, quod probabilius sit, etiam secundum lumen naturæ, cœlum ponere corpus simplex, prob. quia insistendo lumini naturali verosimilius est asserere corpora cœlestia incorruptibilia esse, ut etiam ipse Aversa concedit qu. 33. sect. 2. cum qua passione nequit stare compositio ex materia, & forma; tum quia ut ait Doctor in 2. d. 12. q. 1. in fine, via inveniendi materiam est generatio substantialis, nam si quid aliud esset, profecto esset accidentalis mutatio sensibilis, ut asserunt Conimb. quod est falsum, nam hæc solum arguit materiam secundum locum mobilem, sicut colligitur 12. Met. usque ad tex. 22. in cœlo autem nulla apparet substantialis generatio secundum lumen naturæ.

46 Tandem quod secundum Theologos potius sit asserendum cœlum ex materia, & forma compositum, probat Doctor ex Gen. 1. nam illud chaos, quod a Theologis ponitur artigisse usque ad Empyreum, erat materia omnium creabilium, & specialiter de cœlo dicitur ibi ex aquæ materia fuisse productum, *fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*, non enim per ly *fiat* intelligitur vera creatio, itaut totaliter aqua fuerit destructa tam secundum formam, quam secundum materiam, sed intelligitur vera generatio ex materia aqua præsupposita, vera enim creatio significatur, cum dicitur: *In principio creavit Deus cœlum, & terram*, ubi per cœlum communites intelligunt Patres Empyreum, & Sap. 11. dicitur Deum creasse orbem terrarum ex invisa materia.

47 Circa obiic. ostendendo cœlum ex materia, & forma constare, primo quamplurimis Arist. authoritatibus. Prima desumitur ex 12. Met. 22. ubi habet omnium sensibilium corporum eadem esse principia, scilicet materiam, formam, & privationem. Secunda sumitur ex 8. Met. 3. ubi habet: *Sensibiles vero cunctæ substantiæ materiam habent*, Tertia ex tex. 7. ibidem, dicens, substantia, cujus contingit definitionem esse, sive sensibilis, sive intellectualis erit composita ex aliquo, ut ex materia, & aliquo, ut ex forma; quarta ex 22. Meth. 12. necesse est intelligere materiam in his, quæ moventur; quinta ex 2. de gen. 51. ubi clare ait materiam, & formam rebus etiam æternis convenire; sexta ex 3. cœli idest quo in loco videtur Arist. innuere cœlum non solum ex materia constare, sed etiam naturæ elementaris esse, numerans enim quæ ex elementis componuntur, ait, *Et quæcunque ex his* idest ex elementis, *velsuti & totum cœlum, & partes ejus, & rursus animalia, plantas:* idem habet 7. Met. 5. *Substantias esse dicimus naturalia corpora, ut ignem, aquam, & terram, cæterorum quoque singula, & quæcumque aut horum partes, aut ex his sunt, aut partibus, aut hominibus, ut cœlum, & ejus partes, Sidera, Luna, & Sol.* Ultima sumitur ex 1. cœli 92. ubi Arist. ait cœlum singulare esse, & omne singulare in materia existere: & subjungit cœlum dicere formam, hoc est, cœlum dicere formam in materia; imo ex hoc probat non posse reperiri aliud cœlum, quia illud constat ex tota materia possibili, & in tex. 64. affert exemplum de materia partis scilicet de materia hominis.

48 Resp. ad primum ibi Arist. loqui de principiis, prout locutus fuerat 1. Phys. ut scilicet communia sunt ad mutationem substantialem, & accidentalem juxta dicta in Phys. disp 1. q. 2. concl. 3. Ad 2. ibi loqui de substantiis corruptibilibus, ut patet ex illis verbis. *Tertium vero, quod ex his est, cujus generatio solius, & corruptio est*; & ne quis suspicaretur ipsum loqui de cœlo, subjungit in tex. 4. quod etsi habens materiam partis sit mobile secundum quatuor mutationes, non tamen e contra, quod habet materiam secundum locum mobilem, quale est cœlum, habet materiam, quæ est generationis, & corruptionis subjectum. Ad 3. dicimus ibi de materia metaphysica, quod est genus, esse sermonem, & de forma, quæ est differentia. Ad 4. dicimus, ut ad primam. Ad 5. intentum ipsius ibi esse probare ad generationem tria requiri, materiam, formam, & agens, quod probat a simili, quia cum principia cœli, & corruptibilium sint eadem secundum actionem genericam, ut diximus, & in mutatione accidentali cœli requirantur hæc tria, materia, quæ est essentia cœli, forma quæ est ubi, & agens movens, quæ est intelligentia, idem de generatione substantiali dicendum; aliter si non esset hic sensus cœlum generabile esse, & corruptibile.

49 Ad 6. respondemus per id, quod habet Arist. 1. cœli 96.

cœlum

cœlum scilicet sumi vel pro ultima sphæra, vel pro aggregatione ex cœlestibus corporibus, vel pro toto universo, hoc modo sumitur ibi, dum ait cœlum ex omnibus simplicibus corporibus constare : at in 7. Met. cit. vere loquitur de corpore cœlesti ; sed respondemus adhuc ex Scoto super illum textum, quod substantia quadrupliciter sumitur, primo ut dicitur de elementis, secundo de mixtis inanimatis, tertio de animatis, quarto de corporibus cœlestibus, unde sensus erit iste ; quare plantas, & animalia dicimus substantiam, idest tertio modo, item substantiam *dicimus primo modo dictam*, ut ignem, aquam, aerem, item substantiam secundo modo dictam quæcumque aut horum partes, aut ex his sunt, aut partibus, aut omnibus, ut sunt mixta inanimata, iterum substantiam dicimus quarto modo, ut cœlum, & ejus partes, sidera, Luna, & Sol ; & quare in explicatione cujuscumque particulæ debemus addere *dico autem substantiam* ; unde Argyropolus non legit, *ut cœlum, & partes ejus, sed cœlum insuper, ac partes ipsius* ; quæ expositio poterit etiam accommodari 3. cœli 1.

Ad ultimam communiter omnes Scotistæ respondent ex Scot. 2. d. 3. qu. 6. O. quod per ly materiam Arist. intelligit non materiam partis, sed totius, qualis est differentia individualis contrahens quidditatem in communi ad esse individui.

50 Sed contra hanc responsion. adest maxima difficultas in principiis Doctoris, ait enim in 2. dist. 3. q. 7. ad 1. princ. & quol. 2. N. quod Aristot. entia æterna posuit formaliter necesse esse absque ulla potentialiter substantiali, & ratio ipsius erat, quia cum omne contrahibile, quantum ex se, possit reperiri in infinitis individuis, si æterna constarent ex natura contrahibili, & materia, seu differentia individuali contrahente, natura illa posset ex se in pluribus, imo in infinitis individuis reperiri, & consequenter quia in æternis secundum Arist. 9. Meth. 17. idem est esse, ac posse, reperirentur actu infinita individua in cœlis, idcirco omnia æterna posuit Arist. formaliter necessaria, & de se hæc, ergo non datur ista materia totius in cœlis secundum Arist. tum quia Doctor cit. clarissime docet carentiam materiæ partis in aliquo arguere in eodem secundum Arist. carentiam materiæ totius.

51 Dicimus ergo non esse clarum, an ibi vere de corpore cœlesti loquatur Arist. an de universo (quod cœlum quoque appellari posse docet tex. 96.) cujus unitatem investigat ibi, & hoc est probabilius. Vel dicimus quod ibi loquitur in sententia Antiquorum, quorum rationem adducit contra mundi vanitatem, ut diximus in exposit. textus. Vel tandem cum Zabarel. & aliis dicimus, quod in quolibet sensibili duo esse possunt ; considerare, vel esse intelligibile ; & est quidditas ipsius, vel esse sensibile, & est quidditas quibusdam accidentibus affecta. Primum esse Arist. vocat formam, sicut multoties quidditas ab ipso appellatur forma, secundum esse vocat materiam, vult ergo dicere, quod quando dicitur cœlum, datur intelligi esse intelligibile, seu quidditas cœli de se hæc, cum dicitur hoc cœlum, datur intelligi quidditas cum sensibilibus accidentibus ; primæ responsiones sunt veriores, & expeditiores. Doctor vero non curavit germanum sensum hujus textus adducere, sed tantum ipsum explicare, quomodo in sententia Arist. materia partis non possit dici individualis differentia, unde dubitat postea, an in sententia Arist. carentia materiæ partis inferat carentiam materiæ totius, quod quæst. 7. ad 1. affirmative resolvit, & quando Doctor ait, ideo Arist. unicum solem posuisse, quia putavit solem ex tota materia illius speciei constare, tam actuali, quam potentiali, non loquitur de materia partis, vel totius, sed in confuso de ea, quam admisit Arist. in cœlis, scilicet vel materiam, secundum locum mobilem, vel esse sensibile.

52 Secundo arguit rationibus ex principiis Aristot. desumptis. Tum quia cælum est corpus habens naturam, quæ 2. Phys. 4. dividitur in materiam, & formam. Tum 2. quia cælum est substantia, quæ 2. de anim. 2. dividitur in materiam, formam, & compositum, cælum non est primum, nec secundum, ergo tertium. Tum 3. quia quantitas est passio materiæ, nam ex eo probatur intelligentias incapaces quantitatis esse, quia materia carent, & sunt formæ subsistentes & 2. de gen. 37. habetur, quæ conveniunt in quantitate, habere eamdem materiam, sed quantitas est in cælo, ergo & materia, idem ostenditur per rarum, & densum quæ per materiam definiuntur, nam rarum illud dicitur, quod habet parum materiæ sub magna quantitate, densum, quod habet multum materiæ sub parva quantitate, quæ accidentia communiter admittuntur in cælis. Tum 4. quia sic esset materiale, quia corporeum, & quantum, & esset immateriale, quia cæreret materia, quod implicat.

53 Resp. ad 1. ex dictis in Phys. disp. 5. qu. 1. naturam vere in tex. 10. dividi in materiam, formam, & quidditatem, quomodo convenit cœlo. Ad 2. dicimus, ibi dividi substantiam corruptibilem, non in communi, quæ in 12. Met. 5. dividitur in substantiam sensibilem corruptibilem, ut sublunaria, sensibilem incorruptibilem, ut cælum ; & insensibilem incorruptibilem, ut Angeli. Ad 3. negatur, quantitatem sequi tamquam passionem ipsam materiam, potius enim sequitur ut diximus in Physic. disp. 2. qu. 8. art. 2. corpus in communi, neque recte ex carentia materiæ in Angelis infertur incapacitas quantitatis, sed potius ex spiritualitate ipsorum, vel resp. ut infra ad 4. Arist. vero solum asserit inter ea quæ ad invicem proportionantur in dimensionibus, actione, passione, & quibusdam accidentibus, dari commune subjectum : rarum vero, & densum definiuntur non per materiam partis, sed per materiam, quæ potest esse aliquo modo subiectum accidentium habens partes entitativas, nam in Sacramento Altaris adest raritas, & densitas in speciebus, non materia partis. Ad 4. aliquid dicitur materiale, vel quia constat ex materia partis, vel quia corpus est habens partes entitativas, cælum est materiale secundo modo, non primo modo, & potest dici immateriale, ut opponitur materiali primo modo, non tamen est spirituale, quia solum illud immateriale cum spirituali convertitur, quod nullo modo est materiale, nam corpus a spiritu differt per habere partes entitativas, & integrales, ut in libr. de anim. dicemus.

54 Tertio ad idem, dari nequit substantia creata incapax formæ accidentalis, ergo nec substantia creata corporea incapax formæ substantialis. Tum 2. dari nequit compositum ex materia, & forma, cui non conveniat quantitas, ergo e contra dari nequit substantia, cui conveniat quantitas, & non sit ex materia, & forma composita. Tum 3. quia si cælum esset corpus simplex, nullam haberet operationem ; non jenim immanentem, quia non est animatum, nec transeuntem, quia hoc excederet rationem naturalis agentis. Tum 4. sequeretur, quod esset intelligens, nam illa est perfectior essentia, quæ magis abstrahit a materia, talis esset essentia cæli, sed perfectiori essentiæ perfectior debetur operatio, qualis est intellectio, ergo &c. Tum 5. in cœlo reperiuntur compositiones ex partibus quantitativis, & ex subjecto, & *accidente*, quæ *imperfectiores sunt compositione ex materia*, & forma, ergo si illæ non repugnant perfectioni cælorum, nec ista. Tum 6. vel cælum est pura potentia, vel purus actus, vel ex utroque compositum, non primum, quia non est materia, non secundum, quia esset Intelligentia, ergo tertium.

55 Resp. ad primum concedendo antec. quia talis substantia esset per se immutabilis, negatur tamen conseq. aliter Angeli ex materia quoque constarent, nec adest ratio paritatis. Ad secundum negatur consequentia, nam ut diximus, quantitas non sequitur materiam, sed in plus se habet : Ad tertium negatur totum argumentum. Ad quartum negatur cælum perfectius esse viventibus, ut infra. Ad quintum si valeret, concluderet etiam de Angelis ; hinc dicimus non propter perfectionem simpliciter repugnare *cælo compositionem ex materia*, & forma, sed propter aliquam perfectionem in genere, scilicet propter incorruptibilitatem, cui repugnat compositio ex materia, & forma, non aliæ compositiones. Ad sextum dicimus secundum Arist. cælum esse purum actum substantialiter, cum potentia tamen ad aliquas accidentales formas, quam potentiam intelligentiæ non habent secundum ipsum, sed sunt omnino purissimi actus ; vide Illustrissim. Contarenum in suis quæst. de rebus naturalibus tom. 1. quæst. 18. nostram defendentem sententiam satis erudite.

ARTICULUS II.

An materia cœli sit ejusdem rationis cum sublunaribus, & ejus forma sit anima.

Determinavimus art. præc. secundum veritatem cœlum constare ex materia, & forma, hinc quærimus modo, an hæc materia sit ejusdem rationis cum materia sublunarium, vel alterius speciei & an hæc forma sit anima.

56 Circa primam partem quæsiti prima opinio est D. Bon. & Scot. 2. dist. 14. dicentium esse ejusdem omnino rationis, opposita est Thomist. quos sequuntur Suarez, Ruvius, Aversa, Amic. Giannin. cit. art. præc. sustinens materiam illam esse omnino diversæ rationis a materia sublunarium, Zeb. vero, Arriaga, Conimbr. & Hurtad. utramque opinionem putant probabilem. Quoad 2. partem quamplurimi antiqui dixerunt, formam cæli esse animam intellectivam, ita Platonici, Pithagorici, & Mercur. Trismegist. in Primandro cap. 9. quam opinionem ex Peripatheticis sequuti sunt Alex. Philop. Averr. in locis Arist. adducendis, Achill. lib. 3. de Orbibus dub. 2. Villalp. lib. 2. de cœlo cap. 2. Cremon. disp. de nat. cœli sect. 5. Gianninus cit. cap. 8. & seq. qui tamen inter se divisi sunt, quidam enim per hanc *animam* intelligunt Intelligentiam *motricem*, quidam vero formam aliam ab Intelligentia distinctam ; hanc eamdem sent. multi Patres sunt sequuti, præcipue Orig. lib. 1. in Joan. & lib. 5. & 8. contra Celsum, & tamquam dubii citantur Hier. in id Eccli. *Illustrans omnia per circuitum*, & Aug. 2. de Gen. ad litt. cap. 14. & 18. Alii verò tribuerunt cœlis animam sensitivam, vel quoad sensus internos, scilicet imaginationem, & phantasiam, ut Avic. 9. Met. cap. 2. 3. & 4. vel quoad externos, qui etiam discrepant, nam Academici solum visum, & auditum posuerunt, alii tactum addiderunt. Pavesius disp. 5. Met. omnes externos sensus cœlis adscribit. Non defuerunt tandem, qui animam quoque vegetativam agnoverunt in cœlis, unde nutriri dixerunt humoribus aqueis, & terrestribus exhalationibus, ita Stoici apud Cicer. 2. de nat. Deor.

57 Dicimus primo, materiam cæli esse ejusdem rationis cum sublunari, ita Scot. 4. dist. 14. qu. 1. quem sequuntur Mol. 1. part. tract. de oper. sex dier. disp. 4. Morisc. disp. 2. de cœlo dub. 3. Angelst. lib. 1. de propriet. Mat. propriet. 9. estque communior apud Patres; probari solet ex Sacra Scrip. nam materia prima tota simul fuit prima die creata, itaut quicquid postea Deus produxit, non creavit, sed ex præjacente materia formavit, at cæli fuerunt secunda die producti ex aquis, cum dixit Deus fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis ex Gen. cap. 1. ubi per firmamentum intelligi debet cœlum, quia in eodem cap. habetur Deum fecisse luminaria idest Solem, & Lunam, illaque posuisse in firmamento, idest in cœlo. Verum tam variæ sunt expositiones, quæ his authoritatibus tradi solent, tamque diversi Patres, ut quot extant capita, tot etiam sint sententiæ, ut est videre apud Scholasticos in tract. de oper. sex dierum ; unde nil certi ex his deduci potest, quamvis prima facie authoritates sint

sint pro nobis. Unicum igitur fundamentum nostræ sententiæ est, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ratio vero, ob quam talem materiam fingunt adversarii, est, ut salvetur cælorum incorruptibilitas, unde non unam materiam, sed tot *specie* diversas, quot sunt corpora cœlestia distincta specie multiplicant ; at non ob id ommimoda, & intrinseca incorruptibilitas salvatur, nam daretur potentia contradictionis, quia posset Deus istam materiam separare a forma cœli, ergo vere est indifferens ad esse, & non ad esse formæ, neque hæc est omnino necessaria, sed sufficit incorruptibilitas extrinseca, ut mox dicemus, ergo non est, cur astruamus hanc materiarum diversitatem, non enim negamus postibilitatem hujus materiæ specie diversæ, sed factum, cum ratio non suppetat in contrarium, & authoritates sint potius pro nobis, vide qu. seq. concl. 1.

58 In oppos. obiiciunt adversarii quædam Arist. loca art. præc. adducta, & explicata, quatenus intelligi debent non de materia partis, sed secundum locum mobilem, arguunt etiam ratione. Tum quia sequeretur, cœlum esse intrinsece corruptibile, nam materia prima sublunarium est radix corruptibilitatis contra multas authoritates Scrip. in quibus cœli firmissimi, & solidi dicantur 2. Paral. 6. Job 37. Psal. 18. *Statuit ea in æternum*. Tum 2. sequeretur ignem v. gr. posse agere in cœlum proprias dispositiones introducendo, & consequenter propriam formam substantialem, quæ enim communicant in materia, sunt ad invicem transmutabilia, ex 1. de gen. 53. & 54. nec virtus resistens formæ cœlestis est infinita, quin possit ab aliquo agente naturali superari ; vel si nullum detur agens naturale tantæ activitatis, saltem a Deo ut authore naturæ supplente vices causarum secundarum posset corrumpi, ut facit in generatione viventium præsertim hominis, quia enim nullum est agens creatum poteps producere animam rationalem ; statim ac materia est disposita ad receptionem animæ, infundit illam, sic statim ac ignis introducit dispositiones propriæ formæ, si nequit propriam formam producere in materia cœlorum propter resistentiam cœlestis formæ, Dei erit hanc impotentiam supplere, ut est author naturæ, & sic cœli naturaliter essent corruptibiles, etiam ab extrinseco, non enim potest assignari ratio, cur cœli nequeant has qualitates recipere. Tum 3. saltem cœli si specie differunt, possent ad invicem agere, ac etiam in hæc inferiora proprias formas, & dispositiones introducendo, sicut multos alios, & admirabiles producunt effectus.

59 Resp. ad primum conced. sequelam, nec authoritates innuunt in cœlis incorruptibilitatem intrinsecam, sed extrinsecam, quatenus nequeunt ab agente naturali corrumpi, imo nec generari. Ad secundum negamus, ignem posse agere in cœlum ; nec Arist. ait, quæ in eadem materia communicant, esse adinvicem transmutabilia, sed facit propositionem negativam, quæ non habent eamdem materiam, esse impossibilia, ex quo non licet inferre propositionem oppositam affirmativam, imo in his sublunaribus hoc ipsum experimur, nam adamas, lapis amianthus ex lino albestino, & aurum ipsum nec ab igne possunt corrumpi, fertur quoque multa animalia in igne nutriri, si ergo in his mixtis ex elementis constantibus formæ aliquæ dantur ita tenaciter unitæ materiæ, ut ab igne destrui nequeant, multo magis, de forma cœlesti id erit astruendum, ut omnino impediat omnem aliam peregrinam qualitatem, quamvis materia sit de se capax, & maxime in nostra sententia sustinente subjectum accidentium esse totum compositum, non materiam primam ; tum quia Beati post judicium per dotem impassibilitatis, quæ secundum aliquos est qualitas quædam, nec etiam poterunt ab igne calefieri, ergo dici poterit formæ cœlesti competere dispositiones quasdam impedientes quamlibet aliam corruptivam qualitatem. Et quamvis hæc resistentia sit finita, non ob id sequitur vinci posse ab agente naturali, nam idem de adamante esset dicendum ; quantitas etiam impedit penetrationem alterius quantitatis resistentia finita, non infinita, & si materia cœli esset alterius rationis, cuilibet agenti naturali resisteret, ne expellatur forma, & destruatur resistentia finita, & tamen nullum agens creatum reperitur potens resistentias istas superare, ut notat Arriag. ratio est, quia ad impediendum effectum aliquem non requiritur resistentia infinita, sed incapacitas quædam naturalis ; cum igitur agens creatum nequeat cœlum disponere ad propriam formam recipiendam, non sequitur, Deum ut authorem naturæ debere formam illam introducere. Ad tertium ait Doctor, cœlos non esse inter se contrarios, & ideo unum cœlum non posse aliud corrumpere, imo sicut formæ, & dispositiones cœlestes nequeunt naturaliter destrui, sic nec etiam produci ; posset que retorqueri de adamante, nam licet nequeat ab igne destrui, non idcirco sequitur posse ignem in seipsum convertere, ut enim diximus in Physicis d. 7. qu. 6. art. 2. ex Scot. 1. dist. 7. V. non quodlibet est sui ipsius communicativum, & sibi similis productivum, licet sit perfectissimum, formæ enim elementorum sunt productivæ formarum sibi ipsis similium, non tamen omnes formæ mixtorum, quamvis sint perfectiores ; Angeli sunt perfectissimæ substantiæ, sed nequeunt alios Angelos producere, sic quamvis formæ cœlestes sint sublunaribus inanimatis perfectiores, multosque substantiales effectus producant, nequit deinde necessario inferri, posse alias cœlestes formas generare.

60 Secundo materia, & forma debent inter se proportionari, ergo si cœli forma est talis naturæ, ut nequeat a materia expelli, etiam materia talis esse debebit, ut nequeat ab illa forma separari, sicut enim improportionatum esset formam separabilem collocari in materia aliarum formarum non receptiva, pariformiter valde improportionatum effet, formam a materia inseparabilem induci in materiam aliarum formarum capacem. Tum 2. formæ viventium sunt cœlestibus perfectiores, & tamen nequeunt cohibere materiam, quin alias suscipiat formas, ergo multo minus formæ cœlestes. Tum 3. materia totum suum esse accipit a forma, vel saltem ordinem dicit essentialem ad formam, sed forma cœlestis specie differt a sublunari etiam in ratione actuali, quia illa inamissibiliter, hæc amissibiliter actuat, ergo, &c. Tum 4. si materia cœli haberet potentiam ad omnes formas, quia numquam reduceretur ad actum, frustraretur. Tandem Arist. 1. cœli 124. probat contra Platonem falso asseri, cœlum esse corruptibile, & ab alio perpetuari, quia, inquit, nequit aliquid esse corruptibile, & possibile ab alio perpetuari.

61 Resp hæc omnia probare etiam multas gemmas naturaliter posse corrumpi, quod tamen falsum esse experimur, quapropter dicimus ad 1. ex dictis in Phys. disp. 2. qu. 4. art. 1. non esse de ratione materiæ respicere formam inamissibiliter, imo esse contra ipsius rationem, cum illas respiciat ut quid potentiale, de cujus ratione est, quod sit indifferens ad esse, & non ad esse formæ, ut diximus art. præc. bene tamen inamissibilitas potest se tenere ex parte formæ respectu materiæ, quia *respicit* illam in ratione actus, de cujus ratione est determinatio, & actuatio, neque proportio inter ipsas requisita debet attendi penes hoc, quod est amissibiliter recipere, & recipi, vel inamissibiliter, imo potius hæc esset improportio, cum materia sit in potentia, & indifferens ad formam, sed penes hoc, quod materia sit per se potentia actuabilis a forma, hæc vero per se actus, & informativa materiæ ; unde improportionatum esset formam amissibilem recipi in materia incapaci aliarum formarum, vel saltem privationis illius, quia destrueretur ratio potentiæ, non vero est improportionatum formam inamissibilem recipi in subjecto capaci aliarum. Ad 2. formæ viventium in entitate sunt perfectiores cœlestibus, & simpliciter, at secundum quid quoad durationem sunt imperfectiores, ut infra dicemus, ideo possunt istæ perpetuo durare, non illæ, quod apparet quoque in quibusdam mixtis, quæ corruptioni minime, vel saltem non ita subjacent, ut viventia. Ad 3. quantum est ex parte materiæ ab omnibus formis dissolubiliter actuatur, nec illa diversitas formarum arguit diversitatem materiæ, cum per accidens se habeat respectu materiæ, ut diximus in Physic. loc. cit. Ad 4. neg. seq. potentia enim materiæ, ut non sit forma ex Scot. 4. dist. 49. qu. 10. §. *Ad 1. arg. prin.* non debet in qualibet materiæ portione quælibet forma introduci, sed sufficit, ut in aliqua portione actuetur, sic satis est materiæ cœli, quod eadem specie materia sit actuata forma terrea in terra, ignea in igne, &c. Ad 4. rationem Arist. valere, quia putavit omne sempiternum esse ex se necessarium ex 9. Met. 17. insuper Deum agere ad extra necessario, ideoque necessario perpetuare cœlum, cum quibus est impossibilis corruptibilitas, quod enim repugnat necessario, est impossibile, vide Scot. 4. dist. 49. qu. 13. ad 4. princ.

62 Dicimus 2. formam cœli non esse de genere animatorum, sed inanimatorum, tam secundum veritatem, quam secundum Arist. ita colligitur ex Scot. 2. dist. 14. qu. 1. estque communis tum apud Patres, & Scholasticos Doctores, tum apud Peripatheticos, quos longum esset recensere ; videri possunt apud Amic. & Aversam ; & quidem quod in sent. Arist forma cœli non sit anima, probatum manet art. præced. si enim est corpus simplex, non compositum ex materia, & forma, nequit habere aliquam animam informantem corpus, seu cœlestem materiam ; sed adhuc universaliter, & absolute probatur, & primo, quod talis forma non sit Intelligentia : nam ut docet Doctor quol. 9. quod est simpliciter, & per se subsistens, hoc est, quod habet actualitatem ultimam, & non est per se ordinabile ad aliud esse per se, non potest esse per se forma materiæ, nam forma substantialis ordinatur ad esse totius, intelligentia est hujusmodi, quia est perfectum ens in specie perfecta, imo perfectiori, quam sit aliqua species substantiæ materialis, & aliqua materialis substantia est ita in actu ultimo, ut non sit ordinabilis ad aliud esse per se, alioquin daretur processus in infinitum in substantiis materialibus, ut quælibet possit esse pars alterius, ergo multo magis Angelus erit ita per se subsistens, quod non poterit esse forma alterius. Tum quia Arist. 8. Phys. 40. & 41. ait intelligentiam uniri cœlo contactu virtutis ; & tex. 48. in certa parte cœli constituit, at forma uniri debet unione substantiali, & in toto compositi reperiri ; & tex. 51. & 52. negat, motorem esse in cœlo, quia moveretur per accidens, non posset æterno tempore movere, nam motis nobis, moventur omnia, quæ sunt in nobis, unde tex. 78. & 79. deducit nullam virtutem in magnitudine existentem posse in æternum movere ; & 12. Met. 30. clare docet, intelligentias esse æternas, quia carent materia, tandem quia sic ad Physicum pertinerent, cujus est, omnes formas materiæ immersas considerare ex 2. Phys. 22. contra ipsum Arist. tex. 26. 71. & 73. & 6. Met. cap. 1. & alibi docentem intelligentias ad Met. spectare utpote a materia separatas, quare intelligentia non erit forma informans cœlum, sed assistens, sicut nauta navi.

63 Secundo quod hæc forma non sit anima rationalis, probatur, nam hæc anima non posset esse ejusdem rationis cum nostra, quæ est corporis mixti, & caduci informativa, cœlum autem est corpus simplex, & æternum, tum quia viventia habent determinatum terminum magnitudinis, ergo si anima nostra esset ex se informativa corporis tam vastæ molis, ut est cœlum, non posset assignari ratio, cur homines tam exiguæ sint magnitudinis, neque posset esse alterius rationis, nam nulla ratio urget, ut videbimus in solut. argum. tum quia exercet operationem, & intellectionem independenter a corpore, & sic non erit forma corporis, nam ut notat Doctor 2. cit. corpus est propter animam,

mam, non e contra, ergo si exercet absque corpore suas operationes, non est, cur corpori uniatur; vel dependenter a corpore, ergo in illo præsupponit sensus, qui absque qualitatibus primis non reperiuntur, quæ tamen absunt a cælo. Tum quia sive ejusdem, sive alterius rationis esset, cum sit intellectualis, esset quoque libera, & consequenter mereri posset, & demereri, præmio affici, vel pœna, quod est erroneum; hinc refert Niceph. l. 17. c. 28. & Liberatus in Breviar. c. 23. hunc errorem fuisse damnatum in 2. Syn. Constantin. quæ dicitur quinta generalis; & in c. *firmiter* de Summ. Trin. non agnoscitur alia intellectualis natura præter Angelicam & humanam.

64 Tertio quod hæc forma non sit anima sensitiva, prob. nam sensus externi requirunt sensibiles qualitates, & elementares in organis, quæ corruptionem inducunt, nec potest dari sensitivum sine sensu tactus ex 2. de anim. 68. in cælo autem non sunt tangibiles qualitates, ut notat Doct. 4. d. 49. qu. 13. ad 1. si ergo in cælo non sunt sensus externi, nec interni debent admitti, qui absque externis nequeunt operari, illis enim mediis recipiunt species objectorum; neque tandem erit anima sentiens ut loco motiva, nam motiva virtus animalis subordinatur virtuti cognitivæ, & appetitivæ ejusdem, moventur enim ex aliquo bono apprehenso, & appetito, at in cælo nulla est sensitiva cognitio.

65 Quarto tandem quod hæc forma non sit anima vegetativa, patet, quia nulla operatio hujus animæ apparet in cœlis, hæ enim sunt generatio, & nutritio, quæ nequeunt sine aliqua corruptione fieri; tum quia non posset assignari alimentum sufficiens, vapores enim aquei non transcendunt secundam aeris regionem, ubi in pluviam, rorem, & pruinam converti revertuntur ad terram, & si transcenderent, non forent ad unius astri pabulum sufficientes. Quare concludendum est hanc formam non esse de genere animatorum, quia nulla vitalis operatio experitur in cœlis, nec organa, cum cœlum sit simplex corpus, & omogeneum; fingere autem ut viderur facere Arriag. aliud genus animæ, novas operationes, novaque instrumenta, & organa exigens ab his, quæ nobis sunt nota, est voluntarie, & sine ratione philosophari. Cui accedit, quod in cœlis tres sunt operationes, motus, illuminatio, & influentiæ, ad quas non exigitur necessario principium vitale, de duobus ultimis patet, de motu ostendemus infra, eo quia mere passive se habet, non active.

66 In oppos. arg. 1. auth. tum Sacræ Script. Psal. 135. *Qui fecit cælos in intellectu*, idest intellectu prædictos, Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*; Psal. 148. *Laudate eum Sol, & Luna, &c.* Job 38. *Cum me laudarent astra matutina*; Deut. 32. *Audite cæli, quæ loquor*; Isa. 45. *Manus meæ totenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandavi*; ex quibus patet cœlis attribui operationes vitales, ut locutionem, auditum, &c. imo Sol, spiritus vocatur, Eccl. 4. *In circuitu pergit spiritus*. Tum 2. ex Patribus, nam Orig. cit. ex professo hoc afferit, Hier. & August. dubii fuerunt; unde Scotus in 2. cit. in fine docet, esse mere creditam hanc cœli inanimationem, non vero ratione probari secundum veritatem. Tum 3. ex Arist. qui 2. de Anim. 29. 2. cœli 13. & 61. ait cœlos animatos esse, & 12. Met. 35. & 36. docet primum motorem movere cœlum tamquam finem amatum, ergo cœlum movetur ab anima diligente Deum.

67 Resp. ly *in intellectu* idem sonat, ac cum intellectu, & summa sapientia; invitantur ad laudandum, & audiendum, quatenus excitant nos in laudem, & admirationem omnipotentiæ divinæ, unde idem elementis, & aliis inanimatis rebus tribuitur in Script. vel sumuntur cæli pro habitatoribus cœlorum, quales sunt Angeli, ut explicat Damasc. Sol dicitur quoque spiritus propter motus velocitatem, qua ratione etiam venti appellantur spiritus. Ad 2. Orig. lib. 1. in Job cap. 38. & in Dialog. veræ fid. Aug. lib. retr. cap. 5. & lib. 2. cap. 7. & Hier. in cap. 1. & 45. Isa. & in epist ad Avitum clare oppositum docuere; Scotus vero non est intelligendus de anima ejusdem rationis cum sublunari, & in principiis Arist. sed de anima alterius omnino rationis, quæ non nisi ex principiis fidei impugnari potest, scilicet quia essent in statu merendi, & demerendi, cæterum si quis proterve sustineret, animas cœli non indigere organis, nec elementaribus qualitatibus, & similibus, ut docebant Academici, & modo ostendit Arriaga disp. de cælo sect. 2. non satis evidenter posset impugnari, nec rationibus demonstrativis; sed solum quod absque fundamento firmo multiplicant entia animata. Ad Arist. dicimus non loqui de vera animatione, quæ fit per substantialem informationem, sed de animatione per assistentiam, quatenus intelligentia perpetuo, & necessario in ipsius sententia assistit cœlo, illudque movet, unde major est unio intelligentiæ cum cælo, quam nautæ cum navi, hæc enim est libera, & voluntaria, illa necessaria; hinc non proprie navis dicitur anima ex assistentia nautæ, sicut cœlum ex intelligentia assistente, in 12. Met. dicitur primum movens movere ut finis, non quidem in ordine ad cœlos, sed ad intelligentias motrices, a quibus amatur, & appetitur, ut infra.

68 Secundo arguitur rationibus. Tum quia nobilioris corporis nobilior est forma, cœlum est nobilius sublunaribus, ergo nobiliorem habet formam, talis est anima, min. patet, quia cœlum influit in hæc inferiora, est causa universalis concurrens ad omnia etiam ad generationem hominis, nam Sol, & homo generant hominem; regit, & gubernat inferiorem mundum ex 1. Metheor. cap. 2. Tum 2. cœlum naturaliter movetur 2. cœli 3. ergo principium motus, qualis est intelligentia, erit intrinsecum cœlo; nec sufficit dicere ab extrinseco moveri; quia cœlum a seipso movetur ex 8. Phys. a tex. 34. nam cœlum est primum mobile, prius autem est, quod a seipso movetur, quam quod ab alio; imo tex. 40. ait cœlum moveri per aliquam sui partem immobilem. Tum 3. omnem compositionem accidentalem præcedere debet substantialis compositio, hæc enim est per se, illa per accidens, in cœlo est accidentalis ex cœlo, & motu, ergo præcedere debet substantialis ex mobili, & movente, qualis est anima. Tum 4. dans actum secundum scilicet operari, dat etiam actum primum, & esse, intelligentia dat cælo operari, ergo & esse, nam in genere causæ efficientis, ut patet, ergo causæ formalis. Tum 5. proprium animatorum est moveri in proprio loco ex 2. cœli 13. & 61. cæli moventur in proprio loco.

69 Resp. ex dicendis cœlum ignobilius esse quocumque animato, nobilius inanimato, ideo sufficit, quod habeat formam quacumque alia inanimata perfectiorem; dicitur concurrere ad generationem viventium, quatenus concurrit ad deductionem formæ corporeitatis, quæ est dispositio ad animam, nec est causa totalis, sed partialis, cum concurrit cum sublunaribus, neque regit inferiorem mundum ut agens principale, & suppositum dirigens, sed ut instrumentum intelligentiæ, quod aggregatum ex cælo, & intelligentia vocatur ab Arist. cit. mundus superior. Ad 2. cœlum naturaliter movetur penes principium passivum, non activum; dicitur autem cœlum a seipso moveri, si sumatur ut quid aggregatum ex orbe, & intelligentia, ita tamen quod hæc sit movens immobile tam per se, quam per accidens; neque Arist. probat cœlum a seipso moveri, sed non moveri ab alio, quod iursus ab alio moveatur, sed vel deveniendum ad primum mobile, quod a seipso movetur, vel ad primum movens immobile, deinde ostendit hoc movens esse a materia sejunctum. Ad 3. sufficit, quod præcedat aliquod ens substantiale completum, quale est cælum in sent. Arist. vel compositum ex materia, & forma inanimata, ut sentiunt Theologi. Ad 4. majo. valere, quando actus secundus ab intrinseco convenit rei, non quando ab extrinseco advenit, ut est motus cæli, qui connaturalis solum dicitur in ordine ad principium passivum, quod est cælo intrinsecum. Ad 5. assumptum esse verum de se moventibus ab intrinseco; vel est proprium animatorum tum animatione per informationem, quam per assistentiam, quo pacto cœlum dicitur animatum.

70 Tertio quod est intelligentiis secundum situm propinquum, debet esse etiam secundum perfectionem, aliter non recte partes universi essent dispositæ, cœlum est propinquius secundum situm, ergo secundum perfectionem, tale autem non esset, si careret anima. Tum 2. quicquid perfectionis est in inferioribus, debet superioribus tribui, gradus vitæ est in his inferioribus perfectior, ergo &c. Tum 3. cælum habet infinitas circulationes singulares, quæ a motore cognosci debent, aliter non moveretur regulari motu, sed hæ nequeunt cognosci a motore intellectivo, quia intellectus est universalium, ergo dari debet in cælis virtus sentitiva, cujus est singularia cognoscere; hinc 3. de Anim. 61. habetur, quod non potest aliquod corpus mobile habere intellectum absque sensu, *sive illud sit generabile, sive ingenerabile*. Tum 4. forma, finis, & efficiens coincidunt 2. Phys. 70. intelligentia est finis, & efficiens, seu movens cœli, ergo etiam forma. Tum 5. ex 2. de cœlo 13. ubi cœlum dicitur habere motus principium ad differentiam inanimatorum, quæ ab extrinseco moventur scilicet a generante, ergo principium activum erit intrinsecum cœlo, ut in viventibus.

71 Resp. ad 1. ex propinquitate situs colligi tantum debet perfectio requisita ad recipiendam actionem, scilicet motum, talis autem est incorruptibilitas, non vita. Ad 2. per inferiora intelligi debent imperfectiora, non quæ deorsum in mundo collocantur, & per superiora perfectiora, non quæ sursum existunt, aliter ignis, quia est superior, deberet esse animatus, modo cœlum non est perfectius animatis, ut infra; quicquid sit de majori. Ad 3. intellectum etiam conjunctum intelligere singularia, ut in libr. de Anim. dicemus, dicitur vero universalium cognitione abstractiva, ita quod intelligentia cognoscit singulares circulationes immediate, eo vel maxime, quod in sent. Arist. non contingenter, sed necessario eveniunt; nec authoritas 3. de anim. urget, imo est ad oppos. ait enim, quod corpus generabile mobile nequit habere intellectum, quin habeat sensum, neque ingenerabile habebit sensum; & rationem assignat, quia nec est propter bonum animæ, nam intelligentia non indiget sensu, nec propter bonum corporis, quia cum sit incorruptibile, non indiget sensu, ut custodiatur, unde poterit intelligentia ei assistere absque sensu. Ad 4. est forma assistens, non informans, nec illa propositio est universalis, sed indefinita. Ad 5. etiam inanimata habent intrinsecum principium activum motus, ut dicemus disp. seq. quare solum ait Arist. cœlos ut animata moveri, quatenus habent principium motus per cognitionem naturaliter, & necessario connexum, non per informationem, sed per assistentiam; etenim in genere mobilium cœlum est primum mobile, at in genere se moventium cœlum non est primum movens, imo in hoc cedit non solum animatis, quæ se movent per principium intrinsecum, & essentiale, sed etiam multis inanimatis.

72 Quarto nequit intelligentia immediate movere cælum, ergo media aliqua anima. Antec. prob. omne, quod alteri in actione unitur, debet esse cum illo in eodem genere univoco, & affine, ut patet in his inferioribus, in quibus est mutua actio propter communicationem in eadem materia, at intelligentia, & cœlum non sunt hujusmodi, accedit, quod sequeretur intellectionem intelligentiæ, quia esset ad opus directiva, practicam esse, contra Arist. 12. Met. asserentem esse speculativam. Tum 2. cælum est instrumentum intelligentiæ, quo omnes sublunares effectus attingit, tam animatos, quam inanimatos, ergo ut possit

sit animatos effectus edere, instrumentum, *scilicet cœlum*, debet esse proportionatum, & animatum. Tum 3. cœlum est corpus organicum, ergo animatum, nam anima est actus corporis organici. Antec. prob. ex 2. de cælo 9. & 13. ubi Arist. tribuit cœlo sex differentias positionum, scilicet ante, retro, sursum, deorsum, dextrum, & sinistrum, quæ sunt organa, & partes viventium; Accedit quod Arist. 2. de part. Anim. cap. 1. quærens, quomodo cor possit esse sedes animæ, & principium motus, & sensus, cum sit quid similare, ait adhuc organicum esse, quia propriam, & determinatam habet figuram, ergo si propriam habere figuram est esse organicum, quia habet suam propriam figuram sphæricam, poterit dici corpus organicum, hinc videmus in cœlis partes aliquo modo dissimilares, quædam enim non moventur, aliquæ tarde, ut poli, & quæ illis sunt propinquiores, quædam velocius, ut partes in medio cœli sitæ, quædam sunt Orientales, quædam Occidentales, quædam rariores, ut partes cæli, quædam densiores, ut astra.

73 Resp. ad 1. major. esse veram in his, quæ agunt, & ad invicem patiuntur, aliter cœlum non posset agere in hæc inferiora; ad aliam probat, non sequi intellectionem esse practicam, quia ad hoc, ut sit directiva ad opus, requiritur, ut illud opus aliquo pacto libere fiat, non naturaliter, ex dictis in Log. disp. 12. qu. 5. art. 1. modo in sent. Arist. intelligentia naturali necessitate movet cælum, ideo ipsius intellectio non erit directiva, seu simpliciter ostensiva. Ad 2. dicimus de ratione instrumenti non esse attingere effectum principalis agentis, ut diximus in Phys. disp. 7. qu. 5. ideo cœlum potest esse instrumentum respectu viventium, quamvis non sit vivens. Ad 3. dicimus in cœlo non esse organa, nam differentiæ positionum impropriæ, & relate conveniunt cœlo, non proprie, & absolute, ut infra, neque habere determinatam figuram est esse corpus organicum, sed requiritur partium substantialis dissimilitudo; quam in corde Arist. cit. ex propria figura colligit. Denique partes illæ accidentaliter solum differunt, nec sunt intrinsece dissimilares, imo eadem pars est simul Oriens, & Occidens in ordine ad diversas regiones, astra specie quidem a cælis differunt, sed non eadem anima informarentur, etiamsi cœlum esset animatum, quare hæc ætherogeneitas partium non infert cœlum esse corpus organicum, accedit, quod licet cælum sit ex partibus dissimilaribus, de quo infra, non idcirco debemus deducere animatum esse, quamvis enim omne animatum sit ætherogeneum, non tamen e contra.

ARTICULUS III.

De Astris, ubi de via lactea, maculis Solis, & Lunæ.

74 SUpponimus ex dictis astra non esse elementaris naturæ, ut multi veteres adstruebant, sed alterius omnino naturæ simplicis secundum Arist. secundum vero Theologos compositæ ex materia & forma, sicut diximus de ipsis cælis: Deinde hæc astra vere in cœlis reperiri commune est proloquium, non enim est vera sententia illa affirmans dari aliquod supremum cœlum totum perlucidum, & quiescens, sub quo aliud sit cœlum semper mobile ab Oriente in Occidentem, quædam tamen inæqualia foramina continens, per quæ transpareant quædam lucidæ partes superioris cæli, quæ partes astra vocentur, non est vera, quia contradicit Scripturæ, quæ Gen. 1. formatione m cælorum ut distinctam nominat a productione siderum, contradicit experientiæ nam ex hac positione non posset salvari diversitas motus planetarum, aspectus, recessus, & accessus ad terram, quam qu. 1. explicuimus, incrementum, & decrementum Lunæ, & similia, quapropter concludendum dari quædam corpora lucida in cælis posita, quibus cælum picturavit Deus, & de his quærimus quid sint. Communiter dicitur stellas esse partes cæli densiores, reliquas vero partes esse rariores.

75 Not. densum illud dici, quod habet multum materiæ in parva quantitate, & ratio opponitur, quod parum habet materiæ in magna quantitate; opacum vero illud dicitur, quod ex se non transmittit lumen, ac radios visuales, & pervio, seu perspicuo, & diaphano opponitur, quod ex se transparens est, lumen transmittit, radiosque visuales, quod opacum est, densum est, non tamen e contra, ut patet in crystallo, *quod densivo* est ligno, & tamen perlucidum, nec diaphanum est, verum est tamen, quod aliquando densum sumitur pro opaco, ita intelligi debet Scotus 4. d. 49. qu. 15. ad 1. cum ait ex Avicen. 6. nat. susceptivum lucis esse opacum, & densum, susceptivum vero luminis esse pervium, unde subjungit densiorem partem orbis esse lucidam, ut stellam, quod probat, quia non potest per eam videri, quod post eam est, imo eclypsat illud, vel aliam stellam, aliæ autem partes orbis sunt luminosæ, & perspicuæ, ex quibus patet densum ibi sumi, prout perspicuo opponitur, & cum opaco convertitur, non autem prout raro contrariatur, non enim ait stellam esse lucidam, quia plures partes habet materiæ in parva quantitate, sed quia nequit videri existens post eam, quod est esse opacum, patet etiam in sent. Doctoris differentiam inter stellas, & cæteras orbis partes non sumi penes rarum, & densum, sed penes opacum, & diaphanum; hinc

76 Dicimus astra omnia non *necessario ex densiori materia* constare, quam sunt cœli, imo ejusdem densitatis, sed differre penes opacitatem, & diaphaneitatem, itaut astra sint partes cœli opacæ, orbes vero sint omnino diaphani, ita Doctor cit. quem sequuntur Mor. disp. 2. de cœlo dub. 5. & Aversa q. 34. Phil. sec. 2. suaderi potest, quia in tantum ponitur ab adversariis cœlum rarius astris, quia astra lucescunt, apparent, terminantque radios visuales, non sic cœlum, sed densitas non est causa hujus opacitatis, aliter ubi esset major opacitas, major quoque densitas adesset, quod esse falsum ostendimus exemplo crystalli, & ligni. Tum quia cœli solidi sunt ex dictis, quasi ære fusi, ergo densi, non rari extant; non enim videtur compossibilis raritas cum solliditate, hinc Doctor dist. cit. qu. 16. §. *contra fidem tenemus*, ait rarefactionem, & condensationem esse disconvenientes corpori impassibili, eo quia rarefactio videtur dispositio quædam ad corruptionem; quomodo autem inter se, & a cœlis distinguantur, dicemus art. seq.

77 Omnia ista lucida corpora in duas classes dividuntur ab Astronomis, alia dicuntur fixa, alia errantia, quæ Planetæ etiam appellantur, fixa illa dicuntur ut notat Scotus 2. dist. 14. qu. 2. A. quæ inter se eamdem distantiam, eumdem situm, & figuram servant, eumdemque motum, errantia vero, quæ inter se non semper æque distant, nec a stellis fixis; sidera fixa superiora sunt Planetis omnibus, quia per Planetas aliqua fixa occultantur, nullus tamen Planeta a fixis absconditur, idcirco fixa in cœlo superiori omnibus Planetis collocantur *firmamentum*, seu *cælum stellatum* dicto, & quia eumdem ordinem semper inter se retinent, non ponuntur in cælis distinctis, sed omnia in unico cœlo, ad cujus motum moventur, secus de Planetis dicendum propter motus diversitatem, nam quilibet propriam zonam habet, ut notavimus quæstione prima articulo secundo; an vero omnia fixa sint æqualis distantiæ a terra, an vero unum superius, alterum inferius in profunditate cœli sint collocata, nihil certum statui potest; prius igitur de stellis in firmamento existentibus loquemur, deinde de Planetis.

78 Astra fixa vulgo innumerabilia, ac pœne infinita judicantur, ut innuit Arist. 1. Metheor. cap. 8. & habetur ex Sacra Scriptura Gen. 15. dixit Deus ad Abraham: *Suspice cælum, & numera stellas, si potes*, Jerem. 33. *Sicut enumerari non possunt stellæ cæli, & metiri arenæ maris, sic multiplicabo semen David*; quod non debet intelligi de stellis, quæ apparent, istæ enim numeratæ sunt ab Astronomis, ut dicemus, sed de omnibus in cœlo existentibus, quamplurimæ enim non videntur a nobis, quod colligitur ex eo, quod recentiores Astronomi majoribus, & melioribus utentes instrumentis novas stellas adinvenere antiquis ignotas, nam Tyco-Brahæ lib. 1. Progymnasm. cap. 2. & 3. in Asterismo Cassiopejæ tresdecim stellas adinvenit, Galilæus in nuncio sidereo §. *Adnotatione dignum* circa ensem, & cingulum Orionis alias octoginta adnotavit, imo diversis in locis plusquam quingentas, & stellæ nebulosæ dictæ, ac via lactea aliud non sunt, quam cumulus minutissimarum stellularum. Loquendo igitur de stellis fixis, quæ magis visibiles sunt, & notabilis apparentiæ, maxime hyemali tempore quo plures apparent propter aeris puritatem ab exhalationibus, majoremque Solis depressionem infra Orizontem, eæ non plures numerantur ab Astronomis, quam mille, & viginti duæ in sex magnitudinum classes distributæ; prima continet stellas 15. secunda 45. tertia 208. quarta 474. quinta 217. sexta 49. quibus si addantur quinque stellæ dictæ nebulosæ, & novem obscuræ, dictus numerus resultabit. Quælibet stella primæ magnitudinis continet in se terræ magnitudinem centies speties, stellæ secundæ magnitudinis nonagesies, tertiæ septuagesies bis, quartæ quinquagesies quater, quintæ trigesies septies, sextæ deces octies. Hæ stellæ ab Astrologis divisæ sunt in 48. asterismos, sive constellationes, & imagines, & in singulis certus stellarum numerus distribuitur; inter alias constellationes *illustria sunt illa* duodecim zodiaci signa, de quibus quæst. 1. art. 1. sunt autem istæ imagines in cœlo figuratæ, vel ob similitudinem aliquam cum rebus figuratis, ut Corona, & Triangulus, vel ob aliquem effectum, vel ob quasdam Antiquorum fabulas, qui homines aliquos, vel res in cœlum transtulerunt, ut Argo navis, Perseus, Orpheus, Crater, & quæ divisio est antiquissima, cum illius fiat mentio in scripturis, in libro enim Job nominantur Arcturus, Plejades, Orion, & cætera.

79 Cernitur quoque inter stellas fixas zona quædam inæqualis in latitudine, variisque modis obliquata, & intersecta totum cœlum ambiens, ideoque circulus maximus ab Arist. appellata, & propter candorem, quem retinet, via lactea dici solet, græce autem Galaxia, incipiens a pedibus Geminorum, & regyrans in Geminos per principium Sagittarii, pluresque asterismos complectitur, & per multas imagines extenditur, scilicet Cassiopejam, Cycnum, Aquilam, Scorpionem, &c. quandoque duplicatur, sed semper invariata omnino permansit, nec a stellis fixis umquam mutavit aspectum, quarum plures ibi reperiuntur, quam in alia cœli parte; movetur tamen ad motum cæli stellati absque ulla diversitate. Istius circuli natura est investiganda.

80 Prima opinio fuit Pitagh. quod illa dealbatio fuerit a Sole facta per adustionem, dum olim per viam illam moveretur, terrestre enim combustione fit album, ut patet in calce. Secunda fuit Democr. & Anax. dicentium Solem propter interpositionem terræ non posse stellas ex oppositio existentes illuminare, sed alias, a quibus diffunditur lumen quoddam secundarium *in illis stellis Solis oppositis*, quod lumen est Galaxia. *Tertia fuit* aliorum docentium, quod sicut species visibiles incidentes in speculum tersum, aut aliud simile corpus reflectuntur in ipsum objectum, *sic lumen stellarum porrigitur in aerem humidum* sub ipsis existentem, qui iterum reflectit lumen *in orbem* stellarum. Has tres opiniones adducit Arist. 1. Metheor. sum. 2. c. 5. & confutat, deinde cap. 6. suam explicat sententiam dicens hanc viam esse rem Metheorologicam *in suprema aeris regione* existentem, ac provenire ex magna congerie terrestrium halituum vi siderum illic existentium attractorum, qui ex cœli motu accensi albescere consciuntur.

81 Primæ tres opiniones *facile impugnantur*; prima enim supponit cælum corruptibile, terrestre, Solem non semper eadem

via.

via, regularique motu incedere, quæ omnia sunt falsa, tum quia hanc adustionem modo sub zodiaco causare deberet. Secunda supponit umbram terræ usque ad cælum stellatum pervenire; cum tamen non attingat orbem Mercurii; tum quia moveri deberet, & variari hæc lactea via ad motum Solis, sicut umbra ad motum luminosi movetur, nec posset circulariter totum cælum ambire, oppositum tamen experimur. Tertia, radius reflexus movetur tam ad motum luminosi, quam ad motum corporis reflectentis, ergo hoc lumen secundarium moveri deberet ad motum aeris reflectentis, & ad motum stellarum, quod non apparet.

82 Nec minoris improbabilitatis est Arist. sentent. quamvis multi suspicentur textum fuisse corruptum, unde fere ab omnibus derelinquitur, defenditur tamen ab Anton. Polo in Digress. de Circulo Lacteo; Cremon. in Apol. de via Lactea, Antonio Rocco 1. Metheor. qu. 4. & ab Amic. tract. 4. qu. 7. dub. 4. Sed primo refellitur ex invariabilitate quoad locum, figuram, & dispositionem, quam incessanter retinet, nam si res Metheorologica esset, cur diversimode non fit, sicut in aliis similibus impressionibus videmus evenire, non enim eodem modo, & in eadem parte gignuntur Cometæ, & cum eadem figura; nec semper est idem cæli aspectus sed continue variatur, unde in uno tempore siccitas viget, in alio humiditas, & consequenter deberet modo magis, modo minus hæc halituum materia abundare, ac aliqualem mutationem in hoc circulo causare; quam non videmus? Nec refert negare cum Amic. hanc invariabilitatem non adverti tamen a nobis propter corporis magnitudinem, & parvitatem mutationis in tanta distantia: non refert, quia alias mutationes siderum minus apparentes, quia raro, & in majori distantia, observarunt Astrologi, ergo multo magis istam advertere debebant. Nec valet, quod addit causam hujus invarianionis esse locum, scilicet supremam aeris regionem non valde mutationi obnoxium propter ignis propinquitatem, aeris calorem, & illius halitus siccitatem, & calorem, quæ est materia nonnisi ad combustionem obnoxia, & propter identitatem efficientis scilicet siderum attrahentium; adest quoque differentia, inquit, inter hunc circulum, & alias impressiones, istæ enim cum fiant in una tantum regione, variantur, quia variatur materia, & aspectus efficientis, at ille, quia fit in toto cœlo, non variatur, quia defectus materiæ unius regionis suppletur per excessum materiæ alterius regionis. Non valet, quia negari nequit, quin possit adesse mutatio quoad quantitatem materiæ, tum quia videmus in una parte cæli paucas reperiri stellas, in alia quamplurimas, & tamen sub illis reperitur Galaxia, non sub istis, nec potest assignari ratio, cur solum in determinata parte fiat istorum halituum accensio, & non potius in toto cælo, nec differentia assignata aliquid valet, nam licet impressio universalis non patiatur secundum se totam mutationem, deberet tamen variari secundum partes, utpote quia in hac regione modo est magna halituum copia propter calidi, & sicci dominium, non illa, ubi humidum, & frigidum regnant, deberet in hac circulus iste augeri, in illa diminui, cur namque halitus hujus regionis in suprema aeris regione jam attracti hic non accenduntur, sed potius pergere debent, & conjungi cum halitibus illius regionis, & ibi succendi, ut perpetuam, eamdemque figuram circuli conservent?

83 Deinde tardior est quilibet motus inferioris corporis, quam motus cœli stellati, & quo magis corpus elongatur a stellis, & ad terram accedit, eo magis retrocedit versus ortum, ut patet de Luna, quæ cum sit omnium Planetarum infima, citius proprium motum perficit semper versus ortum retrocedendo, ergo quia iste circulus est Luna inferior, magis retrocedere debebit, & non pari velocitate cum stellis fixis moveri; & tamen videmus easdem circuli partes iisdem semper stellis correspondere, nec minimum quoddam variare, signum evidens in eodem loco simul reperiri, scilicet in cœlo stellato. Respondet causam esse, quia halitus illi sunt in circulum dispersi, ideo semper apparent cum eisdem stellis conjuncti, & quamquam continue varientur, dicuntur iidem per æquivalentiam. Sed quamvis hæc solutio posset habere locum, si circulus iste esset ejusdem figuræ, attamen quia varius est, si pars illa scilicet existens sub Cycno, in qua dividitur, & duplicatur, retrocedit, non deberet apparere semper sub eodem signo, sed sub aliis, licet sub Cycno alia quoque videatur.

84 Tandem si circulus iste esset in aere, deberet aliquantulum Planetas obtenebrare, quod est falsum, quia eodem modo lucidiores apparent in isto circulo, ac extra ipsum. Nec salvat ratio ab Amic. assignata, scilicet hoc non evenire propter raritatem materiæ. Nam certum est aliquam habere densitatem, & majorem, quam aer, aliter videri non posset, ergo aliqualem differentiam quoad splendorem experiri debemus, cum Planeta est in hoc circulo, & cum per aerem videtur, quantum scilicet circulus in densitate, & opacitate aerem excedit. Præterea quando unum corpus mediat inter oculum, & aliud corpus cum aliquali distantia, non potest conspici eodem tempore e diversis locis a pluribus correspondere eidem parti alterius corporis, sed diversis partibus, nec ab eodem oculo, diversis tamen temporibus, & locis. Exemplum habes, inquit Keplerus, in tuo naso, quem si oculo sinistro aspicis dextro clauso, vel e contra, alii atque alii pavimenti loco videbis correspondere, cum tamen si tui imaginem pavimento imprimeres, medium locum inter apparentia illa loca nasus sibi vindicaretur. Aliud exemplum magis ad propositum adduci solet, si inter quempiam, & parietem aliquem mediaret linteum distans, ille existens in uno loco videbit linteum determinatæ parti parietis correspondere, si vero ascenderet, videtur linteum, quasi descendere, & parti inferiori correspondere, si descenderet, conspiceret linteum ascendere, partique superiori correspondere, & quo magis distat, major fit diversitas hujus correspondentiæ, quo minus distat, minor apparet diversitas, & si essent omnino conjuncta, nulla appareret diversitas, sed semper linteum eidem parti parietis correspondere inspiceretur, idem contingeret si duo eodem tempore in diversis locis aspicerent linteum illud, & hæc diversitas aspectus vocatur a Græcis parallaxis, qua Astronomi metiuntur distantias Planetarum a stellis fixis, nam Planeta existens in Orizonte prope unum astrum fixum, cum est in puncto verticali, seu in medio cœli non apparebit in eadem propinquitate respectu illius astri, sed in majori distantia, & eo majori, quo magis est nobis propinquus, & a stellis fixis remotus, nec ista distantia æqualis apparet existentibus in diversis locis, sed varia, de qua re vide Averr. qu. 32. sect. 3. Si ergo circulus iste esset in aere, maximam deberet parallaxim causare, & tamen e diversis regionibus eodem tempore semper iisdem stellis fixis correspondere videtur, nec minima aspectus diversitas animadvertitur, signum evidens esse simul cum stellis fixis in cœlo.

85 Resp. assumptum esse verum, quando ambo illa corpora habent proprios aspectus, at via lactea, cum sit apparentia ex lumine stellarum fracto in exhalationem accensam, non habet proprium aspectum, nec propriam speciem, sed videtur per speciem illius partis cœlestis, per quam terminatur, ideoque non apparet in aere, sed in cœlo; quo pacto color cæruleus aeris videtur existere in cœlo supra sidera. Sed non solvit, quia via lactea aliquam habet opacitatem, cum non sit omnino transparens, & diaphana, ergo propriam habebit speciem, & aspectum, sicut albedo in nube ex fractione radiorum causata proprio videtur aspectu; falsum quoque est non habere propriam speciem, sed per speciem cœlestem videri, cœlum enim propter diaphaneitatem non immittat oculum, solum stella immittit speciem, ergo si per speciem stellæ videretur, solummodo ubi sunt stellæ appareret, in illa vero parte, in qua nulla conspicitur stella, nec via lactea videretur, quod est falsum.

86 Quapropter Cottun. 1. Metheor. lect. 34. duplicem assignat Galaxiam in sent. Arist. cœlestem, & metheorologicam, quam exacte sub illa constituit, eo quia cœlestis Galaxia est naturaliter vaporum attractiva, qui sublunarem Galaxiam constituunt, ergo quia nequit dari causa naturalis non impedita sine suo effectu, sub cœlesti semper alia metheorologica existet. Sed quicquid sit de sensu Arist. certe non videtur tam necessaria connexio, non enim sublunaris Galaxia est circulus ille albicans, quia sic redeunt omnia argum. adducta, & ipsemet hoc concedit, cum virtute Telescopii inspiciatur esse stellarum congeriem, ergo non apparet, quænam sit ista sublunaris Galaxia, vapores enim non solum a cœlesti Galaxia attrahuntur, sed etiam ab aliis stellis, unde totus aer in circuitu est vaporibus repletus, unde non magis asseri deberet dari sublunarem Galaxiam, ac Zodiacum sublunarem, & quodlibet aliud signum, nam stellæ semper elevant vapores. Tum quia multi effectus astrorum impediuntur propter varios aspectus, ergo non est ratio, cur aliquoties hæc sublunaris Galaxia non definet esse, saltem secundum partem.

87 Idcirco dicimus viam lacteam in cœlo stellato reperiri, aliudque non esse, quam congeriem quamdam stellularum, quarum singulæ per se ob parvitatem non discernuntur, sed omnes simul congregatæ ob maximam a nobis distantiam continuæ apparent, illamque cœli partem albicantem reddunt; quibus accedit, quod cœlum in illis partibus magis quam in aliis, est opacum, magisque aptum ad refundendum lumen; quæ opinio ab omnibus amplectitur, tum quia nullam patitur difficultatem, tum ob experientiam; tubo enim optico compertum est, in illis partibus maximam minutissimarum stellarum congeriem extare; quod etiam est observatum de stellis nebulosis dictis, quæ tamquam guttæ lactis, & maculæ albæ apparent, esse scilicet cumulum quemdam stellularum, dicuntur tamen nebulosæ respectu fulgidarum stellarum, re tamen vera sunt applicantes.

88 Dices maculæ Lunæ non sunt albi coloris, sed potius nigri, & tamen est pars aliquantulum densior. Tum quia materia cœli non in longum, ut est via lactea, sed in globum concurrit. Et tandem cum per totum cælum percurrat, videtur proportionem cœli in motu tollere, quatenus plus materiæ sit in una parte, quam in alia maxime quia est inæqualis magnitudinis. Resp. ex Averr. hic maculas Lunæ in corpore lucido extare, ideoque non conspiciuntur albicare, sicut si essent ex se, ut patet cum Luna est diminuta, tunc enim pars non lucida alba videtur, imo Mercurius ipse tempore conjunctionis cum Sole, ad modum maculæ nigræ in Sole visus est. Nec est necesse partem aliquam cœli confluere in globum, ut patet de ipsis maculis Lunæ, imo & de Planetis secundum aliquos, ut dicemus. Tandem nullam pati potest jacturam proportio illa motus cœlestis ex hoc circulo, non enim gravitat, aut levitat, nec intelligentiæ in movendo fatigantur.

89 Planetæ vero, seu errantia sidera septem communiter enumerantur, scilicet Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna: quorum primus post cælum stellatum est Saturnus, succedit Jupiter, deinde Mars, modo declarato qu. 1. art. 2. ultima est Luna, inter hanc, & Martem mediant Sol, Venus, & Mercurius, de quorum ordine magna fuit inter Astronomos altercatio; communiter modo conceditur, Venerem, & Mercurium non circa terram, sed circa Solem tamquam circa proprium centrum moveri, unde modo sunt Sole superiores, modo inferiores, Mercurius tamen propinquior est Soli, quia solum per triginta gradus recedit a Sole, at Venus per quinquaginta, hinc major est circulus Veneris, quam Mercurii; hic ordo sumitur vel ex Eclypsi, nam Planeta inferior aliquando superiorem abscondit; vel ex majori, & minori parallaxi, Luna enim maximam causat parallaxim, Saturnus minimam, scilicet per tertiam minuti partem, qua ratione ab antiquis non fuerat observata; vel tandem ex tarditate motus naturalis ab occasu in ortum, qui motus tardior est in superioribus sphæris, quam in inferioribus, utpote quia magis a primo mobili rapiuntur ab ortu in occasum, unde Saturnus suum circuitum complet 30. fere annis, Jupiter 12. annis, Mars duobus annis, Sol 365. diebus, & horis quinque, quod tempus anni Solaris nuncupatur; Luna denique percurrit diebus 27. cum horis fere 8. licet postea, ut denuo cum Sole conjungatur, consumat duos dies, & hinc est, quod ab una conjunctione ad alteram intercipitur spatium 29. dierum, & 12. horarum, qui mensis Lunaris appellatur; an autem præter hæc errantia sidera alia dentur Cometæ appellata, dicemus disp. ult.

90 Est tamen advertendum, quod Saturnus non est una tantum stella, sed duas alias habet hinc inde conjunctas, & proximas, Satellites Saturni dictas, itaut aliquando ab illo sejunctæ videantur, aliquando conjunctæ & reddunt Saturnum in figuram ovalem, & aliquando occultantur. Verum Franciscus Fontana Neapolitanus his temporibus novum condidit Tubum opticum longitudinis 14. palmorum in perfectione alios hucusque fabricatos longe excedentem, quo cœlestia sidera clarius, & distinctius inspiciuntur, & alia nebulosa de novo cernuntur, hoc instrumento anno elapso 1683, observatum est satellites Saturni non esse sphærica corpora, sed semicirculos quosdam luminosos seu figuræ corniculariis ad modum Lunæ de recenti apparentis, quorum cornua Saturnum tangunt in extremitatibus infima, & suprema, itaut inter Saturnum, & partes latiores horum semicirculorum intercipiatur cœlum medium. Totum hoc testatur Joannes Camillus Gloriosus in quadam epistola manuscripta data Neap. sub die 11. Septembris 1638. Jupiter etiam quatuor Planetas socios habet *stellæ Mediceæ* a Galileo nuncupatos, qui circa ipsum propriis circulis moventur, & aliquando omnes videntur, aliquando unum, aliquando tres, moventur autem circa Jovem ab occasu in ortum, quando ascendunt, e contra vero quando descendunt; ille, qui est Jovi propinquus, absolvit periodum sui motus uno die, horis decem, & octo cum dimidio, secundus magis remotus diebus tribus horis 12. tertius diebus septem horis quatuor, quartus tandem diebus 16. horis 18.

91 Verum pro completa Planetarum cognitione aliqua videnda sunt de maculis Solis, & Lunæ, & primo de maculis Solis, quamvis enim Sol nitidissimus sit, fonsque totius luminis, adhuc tamen quibusdam maculis respersus apparet tanquam nubeculis, sunt enim exiguæ magnitudinis, dissimilis omnino figuræ, & inæquales, augentur, & diminuuntur, modo pauciores sunt, modo plures; moventur sub Sole ab extrema parte Orientali ad aliam diametraliter oppositam, & Occidentalem, quem motum absolvunt fere 14. diebus, & varie quasi motu irregulari, nam aliquando multæ in unum unjuntur, quandoque una dispergitur in plures, & quod mirabilius est, interdum aliqua in Solis medio consurgit, vel evanescit, & quæ semel apparuit, nunquam iterum redire visa est. Quæ omnia a pluribus peritissimis Astrologis variis in locis eodem, & diverso tempore sunt observata, & illusioni oculorum, vel defectui eorum attribuere non licet, non enim est verisimile in omnibus simile, & idem vitium reperiri. Quamvis autem doctissimus Claramontius in suo libro Italice inscripto *Difesa dell'Antiticone* part. quart. capit. 21. & seq. sustineat esse corpora sublunaria inter nos, & Solem in aere intercepta, quod etiam docet eruditissimus Cottunius 1. Metheor. lect. 31. Supponimus tamen cum communiori ex carentia parallaxis proxime circa Solem existere, & consequenter non esse halitus elementares illuc virtute Solis attractos, ut asserunt quidam, non enim cœlum est capax peregrinarum impressionum. Quo supposito non possumus dicere salva cœli incorruptibilitate esse vapores cœlestes ex ipso Sole exeuntes, ut terrestres halitus e terra educuntur, ob quos halitus Sol quandoque multo tempore offuscatus apparuit. Nam sic asserere oporteret, ne Sol tandem deficiat, ex aliis cœli partibus ali, in propriamque substantiam convertere, quod est facere cœlum, & Solem corruptibilem, offuscatio autem illa potuit utique ex magna vaporum, & halituum congerie in aere existente contingere propter peculiarem aspectum stellarum, aliter crebro tales offuscationes cernerentur.

92 Variæ extant Doctorum opiniones in hac tam admirabili apparentia, ut est videre apud Averr. quæst. 34. sect. 9. & Tannerum parte 1. disputat. 6. de creatione quæst. 3. dub. 3. nos eam, quæ cæteris videtur probabilior, referemus, est enim potius res imperscrutabilis. Potest igitur asseri salva cœlorum incorruptibilitate, & soliditate circa Solem multos Epiciclos reperiri, non multum a Sole sejunctos, ut faciant sensibilem distantiam, & parallaxim, in quibus plurimi circuli, & sphærulæ quædam sint intrusæ, quædam opaca corpuscula, seu stellulas variæ, & irregularis figuræ continentes, ad motum Epiciclorum, & sphærularum motus, qui motus diversimode fiat a quolibet Epiciclo, & sphærula, unde evenit, quod sæpe multa illa corpora in unum coglutinari cernantur; deinde passim sejungi; & quia cum Solari corpore ex Orientali parte exeunt, aliquando sint separata, & solum in medio conjungantur, hinc est, quod a principio non videntur propter exiguitatem, in

medio postea incipiunt apparere, quasi de novo generata; rursus quoniam non eodem regulari motu moventur, potest esse ratio, cur redire eadem non cernantur, propter variam scilicet conjunctionem, & diversam, unde varia quoque, & diversa resultat figura, potest etiam poni non semper eadem velocitate, eodemque modo moveri, sed statutis quibusdam temporibus variare motum, unde & figuras multum variare est necesse, & probabilius est hanc aliqualem irregularitatem, sed determinato ordine admittere in cœlo, quam ponere Solem fluidum instar metalli ferventis, in quo partes quædam opacæ reperiantur, quæ virtute motus Solis, vel ebullitionis ad externas partes deducantur, & deinde ad interna reducantur; Aut virtute cœlestium causarum partes aliquæ Solares opacæ reddantur, & mutationem istam accidentalem patiantur, ac reddant maculatum Solem, ut asserit Averr; nulla enim posset assignari ratio, cur omnes moveantur a parte Orientali ad diametraliter oppositam, & non potius e contra, neque cur aliquando omnes simul illæ partes in extrema superficie Solis non existant, & totum Solem, aut saltem ex majori parte non obnubilent; idemque dicendum de mutatione illa accidentali secundum opacitatem, Diximus has maculas esse stellulas quasdam veluti Solis assecias perpetuo Planetarum principem comitantes, & ut ministros pro diversorum effectuum generatione inservientes, nam quamvis subobscuræ videantur, non est illis lumen aliquod denegandum, quando enim minus luminosum cum majori luminoso conjungitur, non ut luminosum, sed ut aliquod obscurum conspicitur.

93 Tandem in lunari corpore quædam maculæ humanam faciem configurantes ab omnibus ubique existentibus, & quovis tempore conspiciuntur, quapropter non est dicendum extrinsecas esse Lunæ, sed intrinsecas ipsi inexistentes, non enim ex imbecillitate nostri visus apparent, quia ob omnibus uniformiter cernuntur, nec ex aliquo corpore interjecto inter Lunam, & nos, vel Solem, quia si tale corpus esset vapor, jam aliquo pacto variarentur, similiter si quodlibet aliud poneretur, semper enim umbra variatur ad motum vel luminosi, vel illuminati, vel impedientis corporis; cum igitur sint intrinsecæ, causa assignari debet ex parte ipsius Lunæ, & quidam recentiores, ut Galilæus, Keplerus, Blancanus, & alii (opinionem fere Pythagoreorum renovantes ponentium Lunam esse alteram terram maribus, fluminibus, montibus, vallibus, & habitatoribus repletam) dixerunt hanc luminis inæqualitatem in Luna contingere propter Lunaris corporis scabrositatem, & partium inæqualitatem, unde quædam quasi guttæ lucis ab aliis lucidis corporis Lunaris partibus avulsæ cernuntur, hæ non possunt esse, nisi eminentiæ quædam, & montes, qui prius illuminantur, quam valles Lunares, sicut in montibus, & vallibus terrestribus accidit; quæ montuositas, & anfractuosa, ac tortuosa inæqualitas conspicue cernitur in figura Lunæ a Fontana suo Telescopio observata, & postea delineata, & figurata. Sed hæc opinio sustineri nequit posita soliditate cœli, & motu Lunæ circa proprium centrum, ut possit semper eandem maculatam faciem nobis præbere juxta dicta quæst. 1. articul. 2. nam vel deberet admitti vacuum, vel corporum penetrationem, vel fluxilem aliquem humorem in illis vallibus. Tum quia non apparet ob quem finem corpus istud Lunare fuerit a Deo productum tam difforme, & asperum; si omnia possunt salvari sine istis asperitatibus, ut dicemus. Alii causam assignant penes raritatis, & densitatis partium varietatem, vel quod rariores sint luminosæ, obscuræ, densiores, vel e contra.

94 Dicimus tamen juxta superius dicta de stellis maculas Lunæ esse partes minus opacas, & magis perspicuas, quam sint cæteræ partes, & consequenter minus aptas ad reflectendum, & refundendum lumen, ex qua diversitate recipiendi lumen, & refundendi oritur in Luna montium, vallium, & antrorum apparentia, nam quæ magis illuminantur, eminere videntur quasi montes, & colles, quæ minus illuminantur, vallibus, & antris assimilantur, quod manifestari potest in pictura, ubi propter colorum varietatem montes, & valles representantur, quamvis tabula si tota æqualis, & plana.

95 Dices cum Galileo, experientia comperiri montuositates in Luna non solum citius, & magis illuminari a Sole, sed etiam umbras projicere ad partes Soli oppositas, modo majores, modo minores juxta majorem, vel minorem propinquitatem cum Sole, itaut quando Luna est prope Solem in Occidente, ingentes projiciuntur umbræ versus ortum, quæ diminuuntur, quo magis elongantur a Sole, & in oppositionem non amplius videntur, illæ scilicet, quæ a montibus illis causantur, quando vero incipit accedere ad Solem versus ortum, umbræ projiciuntur versus occasum, quod est evidens signum asperitatis, & inæqualitatis. Tum 2. si esset corpus terssum, & politum, non posset undequaque lumen reflectere, sed solum in una, & minima parte, ideo enim sphæra crystallina minus reflectit lumen quia est tersa; superficies vero parietis magis reflectit, propter asperitatem figuræ, & multitudinem angulorum. Tum 3. Luna est corpus simplex, ergo similes partes habere debet. Tandem vel illa perspicuitas penetrat totam profunditatem Lunæ, & hoc est falsum, quia numquam Sole eclypsaretur, nam ad nos transmitteret radios per partes istas perspicuas, quod est contra experientiam, vel non totaliter penetrat, sed aliquæ partes sunt opacæ in profunditate existentes, & penetrationem radiorum impedientes, ergo istæ ad nos reflecterent lumen, & sic Luna totaliter illuminata videretur.

96 Respond. ad primum, si observationes illæ verificantur,

posset concedi asperitas ista in Luna, dummodo non admittatur vacuum, vel corporum penetratio, sed solum corpus fluidum replens cavitates illas. Sed adhuc hæc omnia salvari possunt penes opacitatem, & diaphaneitatem; videmus enim lapides quosdam, ut alabastrum, & conchilia, quamvis perfectæ sint lenitatis, varie tamen illuminari juxta varietatem aspectus ad corpus lucidum, itaut una pars obscura modo appareat, modo luminosa, diversique coloris. Ad secundum commodius dicemus quæst. 5. cum de Lunari lumine agemus. Ad tertium si hæc diversitas non arguit specificam distinctionem, Luna dicitur corpus simplex substantialiter, non accidentaliter, si infert illam, Luna esset corpus quoddam etherogeneum, dicereturque corpus simplex, quatenus non est ex elementis conflatum. Ad quartum vel non sunt ita perspicuæ omnes illæ partes, ut sint omnino perfecte transparentes, & diaphanæ, ut est aqua marina, quæ licet sit perspicua, attamen nequit fundum discerni, hinc in Eclypsi non possumus radios Solis conspicere, vel si profunditas Lunæ est opaca, non ob id radius Solaris ad nos reflectitur propter imperfectam perspicuitatem, & opacitatem illarum partium, e quibus radius receptus non reflectitur, sed potius manet absolutus in illis, vel si reflectitur, non fit eadem ratione adeo magna reflexio, ut ad nos pertingat. Vel expeditius dicendum partes obscuras dici opacitate, ut notat Aversa, qua corpus aliquod minus est aptum ad reflectendum lumen, ut minus reflectit lignum, quam aurum, vel argentum, quamvis utrumque in superficie illuminetur.

Nota, quod nuper a Fontana suo Telescopio hæ cavitates etiam in Jove, & in Marte observatæ sunt; imo in Martis centro eminentia quædam videtur ad modum coni valde nigri, circa quam zona quædam luminosa, & mobilis apparet.

ARTICULUS IV.

Quo pacto cœlestia corpora inter se differant.

97 TRiplex fieri potest comparatio, prima inter cœlos adinvicem. Secunda inter astra. Tertia inter cœlos, & astra. Cœlos omnes essentialiter inter se distingui sentiunt Thomistæ fere omnes, insuper Tatar. 2. cœli in fine, Angest. de propr. form. propriet. 6. Hurt. disput. 1. de cœlo sect. 3. Ruv. de cœlo cap. 5. quæstion. 4. Conimbr. & alii. Quidam vero solo numero differre asserunt, ita ex recentior. Aversa quæst. 33. sect. 8. Moris. disput. 2. dub. 6. Arriaga, & probabiliorem putat Amic. tractat. 4. quæst. 7. dub. 1. Astra omnia ejusdem speciei posuerunt veteres quidam, dum illa asseverabant esse lapides quosdam ignitos; communis sentent. illa specifice distinguit. Tandem astra esse specie a suis orbibus diversa docuerunt omnes citat. pro distinctione cœlorum, insuper Aversa, Moris. Arriag. Amic. & alii oppositam protulerunt, Alb. 2. cœli tract. 3. cap. 4. Major quæst. 8. Achill. 1. de orb. disp. 2. Tanner. 1. p. disp. 6. qu. 4. d. 4.

98 Dicimus in sentent. Aristot. omnes cœlos, omniaque sidera specie inter se differre, imo esse de se singularia, & necesse esse, ut nequeant numero multiplicari, ac secundum veritatem cœlos inter se numero differre, ab astris vero specie, at astra aliqua specifice inter se distingui, & si non necessario omnia, quin aliqua sint ejusdem speciei. Prima pars de Arist. sent. est Scoti 2. dist. 3. q. 7. in fine, & patet ex his, quæ diximus art. 1. si enim specifice non differrent, & immultiplicabiles numero non essent, haberent naturam communem contractam per individuales differentias, sed quodlibet communicabile, quantum est ex se, potest esse in pluribus, imo in infinitis individuis, ergo etiam ista cœlestis natura, at in æternis secundum Arist. idem est esse, & posse 9. Metaph. 17. ergo actu esset infinitis communicata, quod patet esse falsum.

99 Deinde quod secundum veritatem numero differant inter se, probari potest ex eo, quod non sunt entia multiplicanda sine necessitate, nulla autem necessitas apparet ponendi hanc specificam distinctionem, ut patebit ex solutione argum. non ob id negamus potuisse Deum plures cœlos construere specie distinctos, si ita voluisset; sed nullum signum habemus hujus divinæ volitionis. Ab astris vero specie differunt, quia multas proprietates experimur in astris, non in cœlis; astra enim influunt in hæc inferiora, causantque peculiares effectus, non cœli; nam cœli semper sunt super terram, ergo semper influerent, eosdemque effectus causarent, si talem virtutem haberent, & tamen videmus peculiares quosdam effectus non nisi ex ortu, conjunctione, & dominio astrorum provenire, tum quia astra specie differunt inter se, ergo etiam a cœlis, nequit enim unum, & idem cum pluribus essentialiter distinctis identificari.

100 Tandem quod astra specie differant, patet de Planetis, nam diversa accidentia specie proprietates, & effectus arguunt diversam specie naturam, Planetæ diversos effectus, & contrarios producunt, Saturnus enim est frigidus, & siccus, idemque temperamentum causat in nato, unde Saturnini sunt melancolici, cogitabundi, timidi, pauci sermonis, graves, solitarii, avari, & laborioſi, jucunda fugientes. Jupiter est calidus, & humidus temperate, unde optimum temperamentum causat in nato, hinc Joviales dicuntur ad honesta, & justa propensi, fraudes, & insidias detestantes, optimi ingenii, magnarum rerum amatores, liberales, fortunati, &c. Mars est calidus, & siccus, & Martiales efficit colericos, contentiosos, audaces, commotores, inconstantes; Sol est Planetarum nobilissimus, & dux, plurimasque virtutes in se continet; adeout quæ dispersa in cæteris inveniuntur, in uno Sole reperiuntur unita, suo accessu est causa generationis rerum sublunarium, recessu causa corruptionis, & quando dominium habet in homines, causat temperamentum calidum, & siccum, ideo solares sunt superbi, ambitioſi, splendidi, generoſi, &c. Venus causat temperamentum calidum, & humidum, unde venerei sunt luxurioſi, quieti, amatores virtutis, hilares. Mercurius facit homines Mercuriales intellectu acutos, memoria fœlices, studioſos, oratores. Luna est frigida, & humida, ad bonos mores disponit, quare lunares sunt quieti, morigerati, mutabiles, flegmatici, timidi, debiles, &c. Saturnus dominium habet, dum infans est in utero, primo Mense, Jupiter secundo, Mars tertio, Sol quarto, Venus quinto, Mercurius sexto, & Luna septimo, deinde in octavo iterum Saturnus susçipit dominium, qua ratione puer natus octavo mense moritur, non sic natus in septimo, quia Saturnus est Planeta malevolus, Luna bonus; diversa quoque dominia habent super metalla, Saturnus supra stamnum, Jupiter supra plumbum, Mars supra ferrum, Sol supra aurum, Mercurius supra argentum vivum, Luna supra argentum solidum, alioſque varios, & contrarios effectus causant quoad infirmitates, tempestates, temporum mutationes, de quibus fuse Astrologi, ut impossibile sit hæc omnia ab agentibus ejusdem speciei, & naturæ provenire.

101 Idem quoque de astris fixis dicendum, nam videmus Planetas ex varia conjunctione cum stellis fixis varios, & contrarios causare effectus, quod etiam probabiliter dici poterit de quibusdam cœlorum partibus, præcipue primi mobilis, quamvis inter se quoad opacitatem, & diaphaneitatem non differant, sicut astra, & cœli, & hoc, quia Sol quando est in signo Zodiaci primi mobilis, diversa producit, ac cum est in alio signo, quod nequit provenire a signis Zodiaci firmamenti, quia modo ista per triginta fere gradus progressus est versus ortum, ut diximus quæst. 1. artic. 2. Non est autem necesse omnes, & singulas stellas fixas specie differre, nam videmus multas pluviam, alias ventos, alias siccitates generare, de quibus asserri poterit ejusdem esse classis, & speciei, quæ nimirum producunt similes effectus.

102 In oppos. arguitur contra 1. partem, eo quia cœli etiam ex ipsius sententia Aristot. sunt in prædicamento, ergo compositi erunt ex ipsius sententia ex genere, & differentia, & compositione Metaphysica, non igitur erunt de se singulares, & numero immultiplicabiles. Tum 2. Aristotel. 1. cœli corpus simplex divisit in quinque corpora, quatuor scilicet elementa, & cœlum, ergo per ipsum non sunt plura specie corpora cœlestia, aliter plura specie corpora simplicia debebat assignare, quam quinque. Tum 3. ideo Aristotel. cœlum ab elementis distinxit, quia motum ab illis specie distinctum habebat, scilicet circularem, sed omnia corpora cœlestia eundem specie motum habent, ergo omnia sunt ejusdem speciei, sicut enim diversitas arguit distinctionem, ita unitas identitatem.

103 Resp. ex dictis in Logic. disput. 7. quæst. 1. utique supremum genus prædicam. substantiæ secundum Aristot. comprehendere cœlos, & consequenter ex hoc capite deduci in sent. ipsius cœlos Metaphysice compositos esse; at ex alia parte quia putavit Deum ad extra necessario agere, & quicquid potuit immediate producere, ab æterno produxisse, coactus fuit omnia æterna, quales per ipsum sunt cœli, asserere necesse esse, & de se hæc, ne in infinitum procederetur in productione æternorum; unde admisit latentes contradictiones, nec est mirum propter carentiam luminis fidei. Ad 2. dicimus intentum Aristot. in illa divisione solum fuisse cœlestes orbes ab elementis secernere, & ideo quinque simplicia corpora assignavit, non ut doceret omnes cœlos ejusdem esse speciei, sed non esse elementaris naturæ. Ad 3. bene infertur ex diversitate motuum naturalium diversitas naturarum, non tamen e contra, quia potest unum accidens esse pluribus commune specie distinctis, & probatio valet de affectionibus propriis, non de communibus, istæ enim cum sint genericæ, solum genericam identitatem possunt inferre.

104 Secundo quod etiam secundum varietatem cœli specie differant; Prob. nam unum cœlum est majus alio, continet aliud, diversum occupat locum, diverso motu movetur, diversa quoque continet astra, ergo diversam habebunt naturam. Resp. hæc non convincere, nam duo circuli lignei possunt *omnibus istis modis differre*, quod unus sit major altero, in diverso existat loco, contineat alium, & unus possit esse auro ornatus, alter argento, quæ omnia solum accidentalem inferunt differentiam, verum est tamen, quod si hæc omnia cœli ex seipsis exposcerent, itaut determinatas haberent inclinationes ad illa, essent specifice distincti; sed hæc determinatio nobis non constat.

105 Tertio contra distinctionem siderum arguitur. Tum quia diversitas effectuum non semper arguit distinctionem in causis, ut patet in hominis corpore, cujus partes varias habent passiones, una terra virtutem habet quædam generandi, non alia terra, unus magnes attrahit ferrum versus Septentrionem, alter versus Austrum, vel a se repellit, & tamen specie non distinguuntur. Tum quia secundo cœlum esset corpus quoddam etherogeneum, discontinuum, nam diversa specie nequeunt continuari, quod ejus simplicitati repugnat, nec esset ratio, cur organicum nequeat dici. Tandem Aristoteles 2. cœli 41. omne astrum ponit ejusdem naturæ cum orbe.

106 Respondeo, productionem actualem non semper inferre distinctionem, sed productionem aptitudinalem, hinc si aliqua possunt eundem effectum producere, ab extrinseco tamen vel propter diversitatem qualitatum de foris advenientium, vel aspectuum cœlorum non producunt eundem effectum, certe specifice non differunt,

runt, sic accidit terræ; at si ex propriis naturis haberent determinatas, & contrarias aptitudines, non erunt ejusdem speciei, ideoque partes corporis, & magnetes illi specie distinguuntur. Ad secundum non esse absurdum cœlos etherogeneos, ut ex orbibus, & stellis aggregantur, & discontinuos ponere, dicitur enim corpus simplex, ut opponitur mixto, non ob id tamen erit organicum, quia partes istæ dissimilares non sunt apta instrumenta ad exercendas vitales operationes. Ad 3. Aristotel. loqui de generica natura communi ad omnia cœlestia corpora, intendebat enim ostendere, astra ignea non esse, ut asserebant antiqui.

QUÆSTIO III.

De incorruptibilitate, & perfectione cœlestium corporum.

107 QUod primam partem quæstionis solutio fere patet ex dictis quæst. præced. articul. 1. & 2. qui enim materiam omnino negarunt in cœlis, vel illam alterius rationis posuerunt, consequenter cœlum simpliciter incorruptibile tam ab extrinseco quam ab intrinseco docuerunt; qui vero materiam ejusdem rationis cum sublunari admiserunt in cœlis, divisi sunt, quidam enim dicunt esse non solum intrinsece corruptibile propter materiam, quæ radix est corruptionis; sed etiam extrinsece, de facto enim concedunt aliquas substantiales generationes & corruptiones inter cœlestia corpora, ita recentiores Astrologi secuti sententiam antiquorum constituentium cœlum ex elementari natura, quam etiam multi Patres docuerunt, alii vero media gradiuntur via, concedunt enim cœlum intrinsece corruptibile, *non tamen extrinsece ab agente naturali*, & hanc amplexi sumus quæst. citat.

108 Quoad secundam partem quæstionis quia Aristoteles posuit cœlos specie distinctos, consequenter differre in perfectione debuit concedere, & quo altiores sunt, eo perfectiores esse, ut clare docet primo Cœli 16. *Tanto*, inquit, *honorabiliorem habens naturam, quanto plus distat ab his quæ hic sunt.* 12. Metaphysic. 43. assignat cuicunque sphæræ ex sua natura propria intelligentiam motricem, at intelligentia, quo superior est, & primo motori propinquior, eo est perfectior, ergo mobile correspondens perfectius erit, cum intense proportionentur, hæc tamen ratio est probabilis, non enim concludit de astris, nam clare patet, Solem omnium esse perfectissimum, & tamen non obtinere *supremum locum*, quare facta comparatione cœlestium corporum inter se, nulla potest assignari certa regula secundum Aristotelem, nam in 1. cœli non comparat cœlos inter se, sed cum sublunaribus, & idem dicendum secundum veritatem de astris, quoad secundum varias virtutes, & actiones dici possunt aliæ aliis præstantiores, & e contra, at cœli, quia numero solo differunt, ponendi sunt ejusdem essentialis perfectionis.

109 At comparando cœlum cum sublunaribus, certum est apud omnes cœlestia corpora essentialiter esse perfectiora omnibus inanimatis, cum sint incorruptibilia, saltem naturaliter, & *causæ illorum; item imperfectiora esse simpliciter homine*, qui anima incorruptibili, spirituali, & intellectuali est præditus, dubium est de animatis anima sensitiva, & vegetativa; circa quod certum est cœlum *excedere animata*, si fiat comparatio quoad perfectionem incorruptibilitatis, & e contra excedi ab ipsis quoad gradum vitæ, sed remanet inquirendum, quodnam ex his dici debeat simpliciter perfectius, seu quænam sit major perfectio incorruptibilitas cœlorum, an gradus vitæ vegetativæ & sensitivæ. Major pars Thomist. insuper Valent. 1. tom. disp. 1. q. 3. punct. 6. Perer. lib. 2. Phil. c. 6. Zumel. 1. p. q. 3. art. 1. Averr. qu. 33. sect. 7. Moris. disp. 2. de cœlo dub. 7. & alii sustinent, cœlum esse nobilius.

110 Dicimus primo supposita substantiali compositione cœli ex materia, & forma, cœlum esse incorruptibile extrinsece, quatenus nullum agens naturale reperitur potens ipsum corrumpere, non autem intrinsece, ita Scot. 2. d. 14. quæst. 1. Prima pars, quod *naturaliter* nequeat cœlum corrumpi, probari potest experientia, si enim cœli qualitatibus contrariis essent præditi ad corruptionem, & generationem disponentibus, ut asserunt adversarii, multo plures mutationes substantiales experiri deberemus quotidie in cœlis, quam sint mutationes horum sublunarium, si enim Sol suo maximo calore, suaque potenti virtute in his inferioribus longe ab ipso distantibus tot mutationes causat, ut tota hæc sublunarium congeries in continua variatione reperiatur, quanto magis in illis corporibus, ubi maxime viget propter propinquitatem, varias, & continuas perturbationes, ac *generationes causabit?* Neque dicas cum Galilæo hoc provenire ex vastitate molis stellarum, eo quod stella quælibet major est terra, quare sicut nunquam tota terra corrumpetur, licet sit *corruptioni obnoxia*, multo minus stella aliqua corrumpi debebit, vel raro. Non valet, quia licet stella sit vastæ molis, si esset corruptibilis, adhuc de facto corrumperetur quia non minoris magnitudinis esset agens *contrarium scilicet stella* opposita, unde esset debita proportio quoad actionem, & passionem, saltem secundum partes; eo vel maxime, quod ipse ponit quamlibet Solis maculam Asiæ, vel Africæ æquari in magnitudine, & tamen actu corrumpi; quamvis in terrestri globo nunquam contigat tam ingens destructio: cum ergo tot sæculorum spatiis cœlestia corpora adhuc invariata persistant, & nonnisi rarissimæ mutationes visæ sint, signum evidens mutationes illas non esse substantiales, sed potius accidentales, & quoad substantiam ei, ut vix percipi possit, cum ergo motus sit causa caloris, & quo velocior, eo majorem calorem producit, jam cœli, si essent qualitatum contrariarum receptivi, intensissimum, ac pœne im-

mensum calorem præter naturalem ab extrinseco reciperent, & consequenter, non solum ipsi, sed hæc quoque inferiora jam essent adusta, & omnino consummata. Tum quia cœlum habet hæc inferiora conservare, ut in tanta harum rerum varietate servetur invariabilis ordo, & pulchritudo universi, est etiam mensura, & regula sublunarium, ut patet ex Gen. 1. *ut sint in signa, & tempora, & dies, & annos*, ergo naturaliter erit incorruptibile. Prob consequ. quia natura rei debet esse fini proportionata, at si cœlum esset naturaliter corruptibile, non posset ordinem universi invariabilem conservare, invariabile enim a variabili nequit provenire; nec esset perpetua, & uniformis mensura. Tandem quod sit possibile produci a Deo cœlum naturaliter incorruptibile, nemo ambigit, quod autem de facto hujusmodi cœlum produxerit, præter rationes adductas suadet authoritas Scripturæ, præcipue Psalm. 88. *Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis*, ubi æternitas beatitudinis comparatur æternitati Solis, multi quoque Patres id asserunt, maxime Hieron. in capitul. 51. Isa. & Gregor. 17. Mor. capitul. 16. ubi cœlos perpetuos ponunt secundum substantiam, solamque mutationem accidentalem in fine mundi subituros.

111 Secundas pars, quod sit intrinsece corruptibile suppositæ compositione ex materia, & forma, manet probata ex dictis quæst. præc. articul. 2. & 3. ut adhuc probat. quia cœlum est intrinsece-generabile, ergo est etiam intrinsece corruptibile. Consequ. patet ex Arist. 1. cœli a text. 101. fuse ostendente omne generabile esse quoque corruptibile. Anteced. *prob.* id proprie generabile dicitur intrinsece, quod est producibile ex præexistente materia, saltem natura, & maxime si ejus forma simul de potentia materiæ educitur, ut disp. de gener. dicemus, hæc omnia fuerunt in productione cœlorum, materia enim præcessit natura, imo tempore, forma fuit de potentia materiæ educta, ut ostendimus disp. 2. Phys. qu. 7. art. 3. ergo fuerunt geniti, & consequenter sunt intrinsece generabiles; Dices cum Amic. ad veram generationem, & eductionem requiri, quod fiat non de quocunque subjecto, sed privato, & quia subjectum existens sub privatione unius formæ generabilis, necessario est sub alia forma, hinc illud subjectum proprie dicitur capax privationis, quod est plurium formarum capax; modo materia cœlestis, cum sit alterius rationis, est solum receptiva formæ cœli, ideo non potest dici unquam tali forma privata, & per consequens nec forma cœli dicitur educi de materia. Sed hæc responsio falsum assumit, privatio enim est carentia formæ in subjecto apto recipere illam, & de formali dicit negationem, de connotato dicit capacitatem subjecti respectu illius formæ, non alterius, hoc enim est de per accidens, ergo quia materia cœlestis, etsi ad unam formam sit determinata, posset divinitus ab illa separari (si enim potest hæc materia sublunarium, etiam illa) jam careret forma cœli, haberetque potentiam receptivam illius, ergo esse privata, etsi aliam formam non posset recipere. Quod autem nequeat hoc fieri ab agente naturali, solum ostendit cœlum non esse ab isto generabile, seu extrinsece, non vero simpliciter, & extrinsece, & hoc certe voluerunt innuere Patres, cum cœlum corruptibile posuerunt.

112 Contra 1. partem argui solet quibusdam Sacræ Scriptur. *authoritatibus*, quas adduximus, & *explicavimus disp. præc. quæst. 5. art. 2.* arguitur tamen quibusdam astronomicis observationibus, quibus Recentiores nituntur ostendere de facto in cœlis dari aliquam mutationem substantialem, & primo refert D. Aug. lib. 21. de civit. Dei cap. 8. ex Varrone stellam Veneris tempore Ogygis regis colorem, magnitudinem, figuram, & cursum mutasse. Arist. 1. Metheor. sum. 2. cap. 3. earum stellarum, quæ sunt in femore Canis, unam testatur se vidisse comatam; Spica Virginis olim inter stellas fixas erat fere maxima, nunc ad oculum imminutior apparet; ætate Patrum nostrorum 1572. sub Pio Quinto nova stella in signo Cassiopejæ orta est, tantæ magnitudinis, & splendoris, ut Veneris sidus æquarit, paularim deinde decrescens tandem post biennium evanuit; postea 1596. alia nova stella apparuit in Cœlo, & 1600. tempore Clementis octavi alia in pectore Cygni, & 1604. mense Octobris alia in pede Serpentarii sub genu Sagittarii visa est, item An. 1602. alia in Pisce conspecta est. Idem quoque ostenditur de cometis noviter apparentibus, quos in cœlis existere fuse ostendunt recentiores Mathematici, præsertim Tyco Brahæ lib. 2. Progymnasmatum; quæ omnia mutationem indicant substantialem, nec est dubitandum de his apparitionibus; quamvis enim non in omnibus est credendum Astronomis, præcipue quando inter se valde discrepant, nihilo tamen minus cum omnes, vel major pars ipsorum conveniunt in aliqua re, signum erit non illusione, fed veritate compulsos in illam sent. devenisse; modo fere omnes admittunt, apparitionem stellæ Cassiopejæ & Cygni, quamvis de cometis dissentiant.

113 In hac tam perardua difficultate varii sunt modi *dicendi*, ut est videre apud Averr. quæst 33. sect. 3. & fusius apud Tannerum 1. p. disp. 6. quæst. 3. d. 3. nec mirum, quia ex utraque parte obstat experientia, si enim corruptionem in cœlis admiseris, convinceris experientia, quoniam in dies animadvertere deberemus has mutationes in cœlis, imo totalem fere ipsorum combustionem, si incorruptibiles astruis, urgebunt te nova ista phænomena, & apparitiones stellarum, quia tamen difficilius primæ, quam secundæ experientiæ satisfieri potest, idcirco incorruptibilitatem sumus amplexi, non erit autem nostrum in his difficultatibus diluendis omnes dicendi modos reprobare, videri possunt apud Doctores citat. solum, qui magis ad possibilitatem accedit, referemus, dicente Arist. 1. Metheor. sum. 2.

c. 4. *Quoniam autem, de immanifestis sensui putamus sufficienter demonstrasse secundum rationem, si ad possibile reduxerimus, ex iis, quæ nunc dicuntur, existimabit utique aliquis sic de his maxime accidere.* Et quidem non negamus has omnes apparitiones potuisse fieri a Deo supernaturaliter ob finem ipsi motum, imo aliquas de facto effecisse, ut legitur in Sacra Script. de quiete immota Solis tempore Josue, & ejusdem retrocessione tempore Ezechiæ, & Eclypsi tempore Dominicæ passionis, & aliis temporibus similia portenta conspecta sunt, ut passim apud Historicos habetur; quam rationem in proposito adducunt Clavius in cap. 1. sphæræ, Conimbr. 1. cœli cap. 3. quæst. 1. articul. 4. Ruv. Hurtad. Morif. & alii. Attamen axioma est theologicum non esse concedenda miracula, ubi non adest necessitas, atqui nulla est necessitas inducendi tot miracula, quot novæ stellæ fuere; tum quia omnia miracula a Deo facta sunt nobis manifestata, ob quem finem edita fuerint, cur ergo hoc prodigium est nobis occultum? tum quia etsi poterat hoc dici de stella Cassiopejæ, tamen postquam aliæ stellæ fuerunt de novo visæ, non videtur recte assertum, cum non appareat causa, & finis tot miraculorum.

114 Dicimus ergo cum Averr. Amic. & aliis, quod attinet ad stellas illas quoad magnitudinem, & figuram mutatas, istas apparentias contigisse propter vaporum, & halituum interpositionem, quod sæpe circa alias stellas evenit, si vero stella Veneris motum quoque variavit, ad miraculum potest adscribi, nisi velimus dicere, hoc ideo Varronem asseruisse, quia antiquitus existimabatur hanc stellam circa terram moveri, hujus tamen oppositum modo compertum est, quia circa Solem volvitur, & hanc variationem motus nunc adnotasse, unde & motum variasse dixerunt. Ad stellas noviter visas dicimus contigisse ex mutatione aliqua accidentali in cœlo facta ex concursu aliquo astrorum nobis ignoto quoad opacitatem, & diaphaneitatem, ut quæ pars erat prius diaphana, evaserit opaca, unde potuit ad nos lumen reflectere, & conspici, nec est necessarium has stellas in firmamento ponere in æquali altitudine a terra cum stellis fixis, sufficit nisi æquali altitudine cum Sole fuerint in cœlis; hinc deducitur non esse tantæ magnitudinis, quantæ extant stellæ fixæ, nec obstat, quod nulla causetur parallaxis, nam parallaxis, ut communiter conceditur, Solem non transcendit saltem notabilis, & apparens propter nimiam distantiam. De cometis dicimus non fieri in cœlo, sed infra cœlum, ut suo loco videmus.

115 Dices, si hæc esset ratio harum apparitionum, certe non solum nostris istis temporibus, sed multo tempore ante conspici debebant aliæ novæ stellæ. Respond. non esse necessarium sæpius contingere, quia nec eadem revolutio cœlorum sæpius fit, nec est negandum in aliis temporibus novas stellas fuisse; nam Plinius lib. 2. natur. hist. cap. 6. refert Hipparcum insignem Matematichum, qui floruit 125. annis ante nativitatem Domini, novam quandam stellam observasse in cœlis, idem contigisse temporibus Adriani, & Othonis primi Imperatorum referunt historici, similę quid a Democrito visum fuisse testatur Arist. 1. Meth. sum. 2. cap. 3. hoc quoque reduci posset, quod de stellis, quæ Plejades vocantur, solet referri, nam antiquitus septem numerabantur, quarum una evanuisse dicitur circa excidium Trojæ, hæc enim forsan non erat vera stella, sed apparens ex nova opacitate causata; nec est mirum si plures hujusmodi narrationes non recensentur ab antiquis, non enim erant tam diligentes rerum cœlestium scrutatores, ut nostri temporis Astrologi, qui novis, & perfectioribus utuntur instrumentis.

116 Secundo ad idem arg. ad durandum tantum temporis requiritur tanta virtus, ad majus major virtus, ergo ad durandum infinitum tempus exigitur virtus infinita, cœlum est finitæ virtutis, ergo tandem corrumpetur. Tum 2. ex 7. Physic. 52. quod per accidens movetur, est corruptibile, forma cœli per accidens movetur scilicet ad motum totius, ergo &c. Respond. assumptum valere de rebus habentibus contrarium destructivum, sic enim deberent habere infinitam virtutem ad resistendum, cum omne agens repatiatur in agendo, non tamen de rebus tali contrario carentibus, ut est cœlum, aliter concluderetur Angelos, & materiam primam esse infinitæ virtutis. Ad 2. Arist. loqui de motore per accidens moto, non de quocunque moto per accidens, aliter materia prima, quæ ad motum totius movetur, esset corruptibilis, ratio hujus est, quia omne movens seipsum per organa est animatum, & consequenter corruptibile; forma autem cœli non movet cœlum, sed movetur ab intelligentia ad motum cœli.

117 Tertio contra 2. partem præter argum. adducta qu. præced. artic. 2. adhuc instatur, quia implicat dari compositum ex forma, & elementari materia, & tamen contrariis carere, ergo si cœlum per nos constat ex materia elementari, qua ratione est intrinsece corruptibile, habebit etiam contraria, & erit extrinsece corruptibile. Antecedo, probat. in tantum dispositiones formarum, ut dispositiones sunt, dicuntur contrariæ, quia formæ substantiales, quarum sunt dispositiones, sunt in eadem materia incompossibiles, si enim essent compossibiles, qualitates non essent contrariæ, ut sunt dispositiones, sed non solum sublunares inter se comparatæ, sed etiam formæ cœlestes sunt cum sublunaribus formis incompossibiles, ergo dispositiones harum formarum erunt contrariæ, ergo habens materiam capacem plurium formarum, ut est elementaris, habebit etiam contrarias dispositiones. Tum 2. materia Lunæ est capax formæ, & dispositionum ignis, qui potens est producere dispositiones, & formam propriam in subjecto capaci, ergo quia est debite approximatus orbi Lunæ, causabit propriam formam. Si dicas subjectum reddi incapax a forma; Contra, quia in sublunaribus formæ nequeunt impedire actionem agentium naturalium, etiam si dispositiones sint illis contrariæ, & hoc propter commune subjectum, ergo multo minus poterit forma cœlestis impedire, cui dispositiones illæ a nobis non ponuntur contrariæ, sed neutræ, unde potius ex carentia contrarii debebant inferre materiam cœlorum non esse elementarem, sed alterius omnino rationis, ut fecit Arist. 1. cœli 20. & seq. ubi cœli incorruptibilitatem ex carentia contrariorum deducit, ex quo etiam infert non habere materiam elementarem.

118 Respond vel per habere contrarias dispositiones intelligitur habere dispositiones incompossibiles, & in hoc sensu concedimus formam cœli habere contrarias dispositiones, vel intelligitur habere dispositiones vere contrarias, de ratione quarum est mutuo ab eodem subjecto se expellere, & in hoc sensu negamus habere contrarias dispositiones, quia cum sit omnino alterius naturæ a sublunaribus, non est peregrinarum qualitatum receptiva, redditque materiam proxime incapacem harum dispositionum, quamvis remote sit capax, quod nil refert, cum proximum subjectum accidentium non sit materia prima, sed totum compositum. Per quod patet ad 2. Ad impugnat. negatur paritas, quamvis enim forma aquæ v. g. dicat violentiam, & contrarietatem ad summum calorem, non tamen dicit incapacitatem, sed habet capacitatem cum violentia, at forma cœli dicit incapacitatem ad peregrinas impressiones, ex quo non est necesse inferre materiam alterius rationis, quia non ob id intrinseca incorruptibilitas cœlorum salvaretur, cum semper adesset subjectum potentiale, quod est radix omnis corruptionis. Arist. autem probavit incorruptibilitatem cœli non solum ex carentia contrarii, sed etiam ex carentia materiæ, ut diximus disp. 2. Phys. quæst. 8. artic. 3. in fine, in cujus sentent. carentia contrarii infert non solum carentiam materiæ elementaris, sed cujuscumque alterius subjecti, utitur autem sæpius hoc medio, quod contrariis caret, tamquam notiori.

119 Dicimus 2. viventia esse simpliciter perfectiora cœlestibus corporibus; ita Scot. 2. dist. 18. qu. un. & 4. dist. 12. quæst. 2. E. quem sequuntur Conimb. 2. cœli cap. 1. q. 2. Ruv. ibid. Sanc. 12. Met. q. 12. Cremon. lib. de nat. cœli cap. 38. Amic. tract. 6. quæst. 8. d. 6. art. 3. Centar. q. de animat. cœli in fine, estque communis apud Schoiast. Bassol. Ocham, Gabr. Ric. Argent. in 2. d. 14. estque D. Aug. in lib. de vera relig. c. 29. & 11. de civit. cap. 16. & favet huic sent. Arist. in proœm. lib. de An. dum ait, scientiam de anima dignitate excellere cæteris partibus Philosophiæ, & 2. Phys. 24. ait, hominem omnium rerum esse quodammodo finem, finis vero est perfectior ordinatis ad ipsum, Prob. a Scot. in tantum aliquid dicitur altero perfectius, quia est propinquius primo enti perfectissimo, & similius; at quando aliqua duo sunt propinquiora, & similiora in duabus perfectionibus summo enti, illud dicitur simpliciter perfectius, quod est similius, & propinquius secundum nobiliorem perfectionem, & perfectius attributum, sed in Deo vita habet rationem magis perfecti, quam æternitas, & incorruptibilitas (eo modo intelligendo magis, ibi quo est possibile) nam vita est de quiditate Dei, æternitas vero attributum, ergo animata, quæ sunt Deo propinquiora in gradu vitæ, quam cœlum, quod est similius *in incorruptibilitate*, erunt simpliciter perfectiora, cœli vero secundum quid perfectiora; major est Arist. 3. Top. cap. 2. ubi hoc adducit exemplum; Simia similior est homini, qui est perfectissimum animal, in ridiculosioribus, & effigie, quam equus, qui similior est homini in magnanimitate, disciplina, &c. per hoc autem non sequitur simiam esse simpliciter perfectiorem equo, imo totum e contra.

120 Resp. concedendo viventia quoad gradum genericum esse simpliciter perfectiora cœlestibus corporibus quoad gradum etiam genericum considerati; attamen quoad differentias specificas cœli excedunt simpliciter animata, saltem vegetantia, nam vitalitas in plantis oritur ex imperfectione corruptibilitatis, ideo enim plantæ nutriuntur, ut restaurent deperditum; at cœlum ex vi differentiæ specificæ excludit corruptibilitatem, quare perfectior erit differentia cœli, quam differentia vegetantium, & quia perfectio ex differentia desumpta est major, quam perfectio ex genere, idcirco cœlum erit simpliciter perfectius vegetante, exemplum adducunt de gratia, quæ ratione generis scilicet accidentis est imperfectior quacunque substantia, at ratione differentiæ supernaturalitatis est perfectior.

121 Sed contra, differentia adveniens generi licet illi semper addat aliquam perfectionem, per quam illud elevat ad gradum majoris perfectionis, nunquam tamen potest elevare ad talem gradum, ut superet, quæ ipsum excedunt a toto genere. Probatur, inter genus, & differentiam est talis proportio, ut determinata differentia nonnisi determinato generi advenire possit, & non cuilibet, ex dictis in Logica disp. 6. qu. ult. qua ratione differentiæ licet non includant formaliter genus, sunt tamen aliquitates illius generis, ergo sicut unum genus excedit alterum in perfectione, ita differentiæ unius generis debent excedere differentias alterius generis, aliter non essent inter se proportionata; hinc ex nobilitate formæ cœlestis quidam arguunt nobilitatem materiæ supra materiam sublunarem, & Scotus 3. dist. 13. qu. 2. ad 3. negat gratiam ratione supernaturalitatis esse perfectiorem substantiis, quia infimum supremi generis est, perfectius supremo inferioris generis. Tum quia differentia vegetantium licet includat ordinem ad corruptibilitatem naturæ, adhuc tamen dicit ordinem ad gradum vitæ, sicut differentia cœlorum dicit ordinem ad incorruptibilitatem, & ad gradum inanimati, ergo differentia vegetantis est non solum quid corruptibile, sed etiam quid vitale, & differentia cœli erit quid incorruptibile, & quid mortuum, & inanime, ergo etiam de istis urget principale argum, quod adhuc simpli-

plicite perfectior sit differentia vegetantium, utpote similior suo modo in majori perfectione primo enti.

122 Objiciunt in oppos. adversarii Arist. qui 2. Phys. 45. 6. Eth. cap. 7. & 1. de part. An. c. 1. cœlum facit nobilius etiam homine, & 2. de cœlo 2. cœlum constituit finem omnium, & tex. 17. ait cœlum quod etiam Deum appellat, immortalem ducere optimamque vitam, quod etiam dixit 8. Phys. 64. & 1. de cœlo 100. & 2. de An. 29. docet quibusdam inesse animam intellectivam, ut homini, & si quid aliud eo honorabilius est, per quod cœlum intelligit. Tum quia cœlum est causa universalissima, habet virtutem producendi omnia inferiora, in omnia influit etiam in generationem hominis. Sol enim, & homo generant hominem ex 2. Phys. 26. omnia sublunaria gubernat ex 1. Meth. sum. 1. c. 2. ubi ait: *Est autem ex necessitate continuus quod ammodo iste superioribus lationibus, ut omnis ipsius virtus inde gubernetur, unde enim motus principium omnibus inest, illam causam putandam primam*; tandem nimis durum videtur muscam, pulicem, & quamlibet plantulam perfectiorem esse simpliciter ipso cœlo, etiam empyreo.

123 Resp, Arist. in illis locis loqui de cœlo, vel ut est quid ex corpore cœlesti, & intelligentia aggregatum, quatenus cœlum est instrumentum ipsius Dei, quicquid enim Deus agit ad extra in his inferioribus, producit cum concursu cœlorum in sent. Arist. quibus utitur tamquam instrumentis; in 2. de An. loquitur conditionaliter. Ad 2. patet ex dictis vocat enim Arist. cœlum primam causam, quatenus est instrumentum primæ causæ, & quia est causa universalis concurrens etiam ad productionem viventium, non quidem quoad animam, sed quoad corpus, quo pacto sunt ingnibiliora *ipso* cœlo, nec ex activitate infertur semper perfectio major in essentia, aliter Angeli multo ignobiles essent; cum solum motum localem possint in his inferioribuis causare, sed perfectio major simpliciter attendi debet penes majorem similitudinem in præstantiori perfectione cum primo ente; quare concedendum ut absolute verum, muscam, pulicem & plantam esse cœlo nobiliores simpliciter.

QUÆSTIO IV.

De motu locali cœlorum.

124 CUm cœlum sit corpus natura constans, consequenter principium internum habebit motus, cujus species sunt generatio, & corruptio, augmentatio, & diminutio, alteratio, & latio, ex dictis in Phys. & primam, & secundam speciem motus non reperiri in cœlis vidimus q. præced. dum incorruptibiles posuimus expertes contrariis qualitatibus, sine quibus nec generatio, nec augmentatio fieri potest, tertia species, quæ est alteratio, si presse sumatur, scilicet prout est ad qualitates generationi, & corruptioni rerum inservientes aut has comitantes; utque talis motus non reperitur in cœlis, quod etiam docet Aristot. 1. cœli 20. si vero communiter accipiatur pro acquisitione cujuscunque qualitatis, hæc denegari non debet in cœlis, vere enim de novo illuminantur, & ut qu. præced. diximus aliquando novam opacitatem, & diaphaneitatem acquirunt, & deperdunt; sed de hac specie motus nil aliud occurrit dicendum; motum localem cœlo convenire, est *omnibus notum, non* quidem rectum, sed circularem, cum cœlum non sit grave, aut leve, ut fuse probat. Arist. in tex. & de hoc aliqua sunt inquirenda.

ARTICULUS I.

Quænam cœlestia corpora, & quot motibus moveantur.

125 CIrca primum fuit Pythagoreorum opinio, quam his temporibus suscitarunt Copern. lib. de revol. orb. cœlest. Didac. Astunica in Job, & alii, asserentes cœlum immobile esse, terram vero circulariter moveri, qui tamen sunt diversi, nam quidam omnem motum negarunt cœlis, quidam vero posuerunt firmamentum immobile, Planetas mobiles quidem, sed non motu diurno, hunc enim terræ tribuerunt. Secunda opinio omnem motum concedit corporibus cœlestibus, sed adhuc est dissidium, nam aliqui nolunt orbes moveri, sed solum sidera, vel ut aves *in aere*, & *pisces in aqua*, vel per quosdam canales, vel vacuos, vel plenos fluida materia, quod dictum quidam restringunt ad errantia, non ad fixa. Alii vero concedunt orbes moveri, sed adhuc astruunt sidera in se ipsis circa proprium centrum volutari, quem motum vocant Tropicum, quia conversivus secundum perfectam circulationem, ut salvetur stellas non tantum per accidens ad motum orbis, vel epicicli moveri, sed etiam per se proprio motu, & hunc motum asserunt causare scintillationem illam, quam videmus in stellis.

126 Circa secundum adnotavimus quæst. 1. art. 2. in cœlis plures motus reperiri, unum ab ortu in occasum virtute primi mobilis, qui in sphæris inferioribus motus raptus dicitur, quia primum mobile sua velocitate secum defert omnes alias sphæras, alterum ab occasu in ortum in aliis a primo mobili deprehensum, qui proprius, & naturalis dicitur, & varie absolvitur, ut ibi notavimus, & quæst. 2. articul. 3. dum de Planetis disseruimus, relinquimus motum trepidationis, quia non est ita evidens, an detur, de quo tamen idem judicium faciendum erit (si datur) ac de primis duobus, quod etiam de aliis motibus cuicunque Planetæ peculiariter ascriptis erit asserendum; cum igitur tot motus experiantur in cœlis, quærimus, an isti motus sint reales, & veri, ita ut quilibet orbis inferior primo mobili duplici reali motu moveatur, an unico tantum; & quidem apud veteres, & Astrologos viguit opinio illa, quod possit idem mobile duplici reali motu moveri, & contrariis, uno per se, altero per accidens ad motum alterius, adducunt exemplum de existente in navi, qui ad motum navis, & per accidens movetur v. g. versus ortum, attamen si a prora ad puppim accederet, per se moveretur motu contrario; idem dicunt de cœlis inferioribus. Oppositum docuit Alpetragius lib. de qualit. mot. cœlor. quem fere omnes recentiores sequuntur.

127 Dicimus 1. cœlos localiter in gyrum moveri. Hæc conclusio communis est, & a Scoto docetur 3. d. 14. quæst. 2. quę partim probata manet ex disp. 1. quæst. 2. dum ostendimus terram in centro universi existere, solem vero in cœlis; qui enim solem ponunt immobilem, in centro universi illum collocant, sed firmius probatur ex dicendis disp. 4. qu. 4. ubi ostendemus terram penitus immobilem extare in medio; ex hoc namque principio statim sequitur cœlos circulariter moveri.

128 Dicimus 2. sidera tam fixa, quam errantia moveri ad motum orbium, & epiciclorum, an vero etiam circa proprium centrum volutentur, solum de Luna est manifestum. Hæc conclusio supponit soliditatem cœlorum, de qua locuti sumus q. 1. art. 2. de fixis; prob. ex uniformi distantia, quam semper servant inter se, idem patet de via lactea, quæ apparentiæ facilius salvantur, si astra firmamento confixa astruantur, quia sic sufficit unum tantum motorem assignare, at si seipsis moverentur, oporteret multiplicare motores; vel si una tantum intelligentia poneretur nimia attentione & cura esset detenta, ut tot astrorum millia *tam ordinato, & vario motu moveret, non enim* eadem velocitate omnia moventur, sed quæ circa æquinoctialem existunt, velocissime moventur, quæ circa polum tardissime, omnia enim simul 24. horis complent unam circulationem. De Planetis idem suadetur, quia si libere per materiam illam fluidam vagarentur, non videtur, quomodo idem Planeta modo sit retrogradus, modo elevatior, modo propinquior terræ, ac pluribus quasi motibus simul moveri, quod ut explicent ipsi adversarii, varios Epiciclos, & circulos affingunt, ergo probabilius erit a parte rei hæc omnia reperiri, tandem de Luna diximus quæst. 1. art. 2. in se ipsa circumvolvi, præter motum sui Epicicli, cum semper eandem faciem nobis demonstret maculatam, & aliis nihil certum determinari potest, nam scintillatio, quæ in stellis apparet, non est medium sufficiens, ut dicemus q. seq.

129 Dicimus 3. quamliber inferiorem sphæram primo mobili unico tantum vero, & reali motu moveri ab ortu in occasum attemperato tamen, tardiori, & super polos zodiaci. Hæc conclusio docetur a Scoto 2. d. 14. quæst. 2. ubi §. *De secundo* adducit opinionem Alpetragi conantis salvare differentias cœlestium motuum secundum longitudinem, & latitudinem ex hoc, quod inferiores cœli unico motu moveantur tardiori, & super diversos polos & subinfert hanc opinionem satis convenire cum principiis naturalibus, sed esse insufficientem, quia non salvatur adhuc differentia elevationis, & depressionis, unde postea cum Ptolem. excentricos, & Epicielos in cœlis admisit; quapropter secundum Scotum, quod cœli inferiores unico motu moveantur, est consonum naturalibus principiis; & recte quidem, nam *illud* mobile unico locali motu movetur, quod unum ubi acquiritur ut terminum ad quem, aliud deperdendum ut terminum a quo, *illud duplici motu movetur, quod duo acquirit ubi, & duo amittit*, motus enim fit inter duos terminos oppositos, & nonnisi ad multiplicationem terminorum multiplicatur motus ex dictis disp. 15. Phys. sed implicat naturaliter unum mobile duo ubi acquirere, ergo & duobus motibus simul moveri. Nec refert unum motum per se convenire, alterum per accidens, ut respondent adversarii, vel quod assumptum sit verum, quando movetur motibus contrariis, & motus fit ab uno motore; modo motus cœlestes non sunt contrarii, nec ab unico motore causantur, sed a duobus, scilicet a primo mobili rapiente secum omnes inferiores sphæras, & a propriis intelligentiis in aliam partem impellentibus. Non refert, quia implicat idem reperiri in duobus locis adæquatis, sive per se sive per accidens, sive illa loca sint vere contraria, sive disparata, sive ab uno moveatur, sive a pluribus, quantumcumque enim multiplicentur motores, nunquam poterint mobile collocare in pluribus locis simul, ergo omnino naturaliter implicat idem moveri simul pluribus motibus quocumque modo acceptis. Dices mobile esse in uno loco, qui tamen duobus motibus acquiratur, quod non implicat. Contra, vel mobile antequam pervenerit ad terminum adæquatum, & dum erat in via, habebat duo ubi vel unicum tantum; non primum, quia implicat; si secundum, ergo non movebatur duplici motu locali, sed unico, nam ad multiplicationem motuum requiritur multiplicatio formarum, & terminorum; hanc sententiam ex nostris docet Mayr. 2. d. 14. q. 3.

130 Moventur itaque cœli inferiores unico motu ab ortu in occasum, ut primum mobile, cum hac tamen differentia, quod non moventur eadem velocitate, nam primum *mobile complet* perfecte circulum in 24. horis, cæteri vero cœli aliquanto minus, & diversimode, nam firmamentum adeo parum retardat, ut *in 36000. vel 49000. aut secundum alios 23760.* una duntaxat revolutione a primo mobili excedatur, Saturnus autem, quia longe plus moratur, minori quoque temporis spatio indiget, ut unica revolutione excedatur a primo *mobili*, scilicet annis 30. Jupiter in 12. annis in una revolutione superatur a primo mobili, Sol, Venus, & Mercurius in uno anno, Luna vero quia est tardior cæteris, in 27. diebus, in quibus solum 26. conficit resolutiones, ubi primum *mobile* 27. circulationes absolvit; ex qua tarditate apparet cœlos inferiores veluti retrocedere ab occasu in ortum, & ad signa orientalia remeare, motuque contrario moveri.

Deinde not. quod cœli inferiores non moventur ab ortu in occasum per lineam perfecte circularem, itaut sit ab uno puncto ad idem punctum, ut est motus primi mobilis, sed moventur super polos zodiaci per lineam gyrativam, seu per quasdam lineas spirales, pars enim illa, quæ hodie fuit in uno puncto orizontis, cras non correspondebit eidem puncto, sed alteri propinquo; unde fit, ut Planetæ plures circulos describant super axim zodiaci quasi parallelos, eo quia non sunt perfecti, & modo ad unam partem accedunt, modo ad alteram, modo sunt juxta æquatorem, modo ultra, citraque, quæ est differentia secundum latitudinem, ut diximus q. 1. art. 2. uno igitur motu taliter attemperato moventur cœli inferiores, ex qua modificatione scilicet ex tarditate varia Planetarum, & ex lineis illis spiralibus circa axim zodiaci descriptis, secundum quas moventur, oritur hæc variatio, ut Planeta modo cum uno, modo cum alio conjungatur; nec eundem situm semper servet sub zodiaco.

131 Potest optimum exemplum adduci, sint tres equi versus occasum currentes, quorum primus sit velocior aliis duobus, secundus velocior tertio, nec super idem omnino spatium moveantur, sed unus aliquantum ad latus deflectens, clarum est, si incipiant moveri, qui tardius movetur, potius alicui procul aspicienti apparebit retrocedere versus ortum, quam ad occasum pergere, & tamen omnes versus eandem partem moventur, nec ista retrocessio apparebit fieri per eandem lineam, sed cum aliqua inflexione, quæ retrocessio posset dici motus apparens, quamvis motu vero, & reali ad occasum tendant; idem pariformiter de cœlis dicendum, quod etiam asseri debet de aliis motibus epicyclorum, & sphærularum, trepidationis, & liberationis, ut semper uno reali motu Planetæ moveantur, apparenter vero eo pluribus motibus dicantur moveri quo plures motores interveniunt, vel plures impetus impressi, nam quo plures concurrunt, eo magis motum quendam attemperatum, & variatum causabunt, quod potest confirmari ex his, quæ docet Scotus 4. dist. 10. qu. 2. L. scilicet eidem passo duo approximarentur agentia contraria, agent ad effectum medium, & motum quendam causarent proportionarum huic effectui, ut innuimus disp. 11. Phys. quæst. 3. art. 2. quinam vero sint isti motores, dicemus art. 4.

132 Contra 2. conclus. sunt primo authoritates quædam Sacræ Scripturæ in quibus motus numquam cœlis, sed Planetis tribuitur, præcipue Soli. Tum 2. omni corpori naturali debetur proprius motus, ut ostendit Arist. 1. cœli capitul. 2. stellæ sunt corpora naturalia specie a cœlis distincta. Tum 3. non est credibile ob unius stellæ motum fuisse a Deo tam vastum fabricatum orbem. Respond. Sacram Scriptur. de motu astrorum præcipue loqui, quia est conspicuus, & quia astra sunt quid principalius in cœlis, qui stellarum quasi vehicula sunt, unde vulgariter Petrus, non equus Petri dicitur iter facere. Ad 2. sufficit, ut aliquo pacto conveniat aliquis motus, licet non solitarie, sed ad motum continentis moveatur; si enim solitarie existeret, circulariter ex sua natura posset moveri. Ad 3. urgere ponentes plures cœlos Planetarum (licet nec istos totaliter convincat, cum totum pendeat a Dei beneplacito) non autem ponentes Zonas.

133 Tandem contra 3. conclus. instatur tum author. Aristotel. docentis plures motus necessario in cœlis propter generationum sublunarium varietatem, ab uno enim motu non nisi unicus effectus causatur, ita 2. de Gen. 56. Tum 2. experientia, Planetæ enim & motu diurno super polis mundi moventur, & motu declinationis ad latera super polis Zodiaci, ut patet de Luna, quæ nunquam ab eodem orientis puncto ascendere videtur, nam si hodie prima noctis hora oriatur in nostro Orizonte, die sequenti non nisi post aliam fere horam oritur, & in alio Orizontis puncto, ut ad latera declinata videatur, adsunt etiam aliæ varietates secundum elevationem, & depressionem, qua ratione Astrologi & motus, & circulos multiplicarunt. Tum 3. nequit mobile unico motu moveri per duas lineas distinctas, Planetæ moventur & per æquatorem super polos mundi motu diurno, & per circulum zodiaci super polos ipsius, ergo &c. Tum 4. homo existens in navi movetur ad motum navis licet quiesceret, at si a prora ad puppim pergeret, novo motu moveretur, nam propria virtute movetur, unde de fatigatur, nec ob id cessat moveri motu navis, quia adhuc est in navi, & navis movetur, cum ergo sint duæ virtutes motrices intrinseca in homine, & extrinseca, scilicet impulsus navis, duos motus causabunt. Tum 5. videmus duo agentia contraria, ut calorem, & frigus ambo agere, licet unum sit majoris virtutis, calor enim a frigore reparitur, quamvis etiam destruat frigus, ergo idem de virtuibus motivis dicendum, quod scilicet fortior impellit in unam partem, & si altera debilior applicaretur, impelleret simul in aliam partem retardando actionem prioris.

134 Resp. ad 1. motus factus ab ortu ad occasum per circulum Zodiaci est quidam motus obliquus, quia fit per lineas spirales, unde apparenter est multiplex, & virtualiter, quatenus æquivalet moveri facto ad occidens, & ad Boream, vel Austrum; cum Arist. ait ad generationes rerum non sufficere unicum motum, sed plures requiri, loquitur de motu virtualiter multiplici, de quo fit mentio, ac si esset formaliter multiplex claritatis gratia, quo modo etiam nos hucusque locuti sumus, & loquemur cum ipsis Astrologis; & certe nil aliud asserere intendunt, cum docent, Planetas pluribus motibus simul moveri, nisi quod moventur motu totaliter temperato propter multitudinem moventium, ac si quodlibet movens proprium motum producat in mobili. Ad 2. patet ex dictis in probat. conclus. quomodo motu circulari per lineas spirales cum aliqua tarditate salventur apparentiæ omnes. Ad 3. negat. min. nam implicat idem mobile esse in duobus locis, sed moventur per lineas spirales, & gyrativas, quæ duabus lineis correspondent, & æquivalent, scilicet lineæ ab ortu in occasum, & lineæ a Borea ad Astrum, qua ratione ille motus solum apparenter, & virtualiter est multiplex, non vere, & formaliter. Ad 4. per idem movetur homo duobus motibus apparenter, & extrinsece propter pluralitatem motorum, non vere, & intrinsece, illæ enim virtutes agent ad effectuum medium. Ad 5. quando duo agentia sunt productiva effectum aliqualiter compossibilium, ut in exemplo adducto de calore, & frigore in gradibus remissis, possunt agere simul, at quando effectus sunt simul omnino incompossibiles, ut sunt duo ubi in eodem corpore naturaliter loquendo, nequeunt ambo proprium effectum causare, sed vel unum solum aget, vel ambo ad effectum medium concurrent; sic primum mobile movet cœlos inferiores ab ortu in occasum, & quia virtus in corpore distanti minus efficaciter diffunditur, hinc impetus a primo mobili impressus non causat in cœlis inferioribus perfectam circulationem, sed cum aliquali retardatione propriæ intelligentiæ impellunt orbes ad latera, ex quibus virtutibus resultat motus quidam modificatus ab ortu in occasum per lineas spirales.

ARTICULUS II.

An motus cœli sit naturalis.

135 Si loquamur de motu circulari, quo cœlum in proprio loco movetur, nihil in præsenti occurrit dicendum, fuse enim de hac re egimus in Phys. disp. 6. q. 2. art. 1. quæst. 3. ostendendo cœlum habere naturam, etiam in ordine ad localem motum, non quod sit principium determinatum ad motum, sed indifferens ex se ad motum, & quietem, quæ indeterminatio quandam arguit neutralitatem, unde & naturalis dici potest & neuter; non quidem ut ait P. Faber theor. 64. naturalem scilicet dici in ordine ad principium passivum, & inclinationem naturalem, neutrum vero in ordine ad terminum, quia cœlum nullum ubi determinate respicit, sed indifferenter se habet. Hic namque dicendi modus repugnantiam involvit, nam si dicitur naturalis ratione principii, itaut in cœlo sit aptitudo intrinseca naturalis, necessario talis aptitudo terminum aliquem debet respicere, ad quem dicit relationem transcendentalem, non enim dari potest aptitudo respiciens aliquid tamquam terminum, & nulla res, quæ a tali aptitudine respiciatur, illamque terminet; quare si in cœlo erit naturalis aptitudo ad motum circularem, qua ratione motus dicitur naturalis, dari quoque debet terminus hujus aptitudinis, a quo motus dici debet naturalis, hoc enim significat motum esse naturalem ratione termini, ac terminari ad rem aliquam, ad quam mobile inclinatur.

136 Dices aptitudinem cœli non esse ad aliquod ubi, sed ad ipsum motum, qui terminus dicitur hujus aptitudinis, motus vero habet pro termino ubi, ad quod non datur naturalis inclinatio in cœlo. Contra motus non est propter se appetibilis, cum intrinsecè sit via ad terminum, a quo habet perfectionem ergo aptitudo nequit primo terminari ad motum, sed ad terminum ipsius, ideo enim frigefactio naturaliter ab aqua respicitur, quia aqua habet naturalem aptitudinem ad frigus, si enim motus esset terminus primo, & per se intentus, jam per alium motum acquireretur quod est falsum, nec cœlum primo, & per se intendit motum circularem, sed quatenus per ipsum continuo acquirit illa ubi diversa, ut possit huic, vel illi parti mundi sublunaris proprios influxus communicare, quare vel motus cœli erit naturalis ratione principii, & termini, vel neuter ratione utriusque. Dicitur ergo naturalis, quatenus motus est ratio, seu conditio, non quidem acquirendi cœlo perfectionem aliquam intrinsecam, sed extrinsecam, ut possit se effective communicare inferioribus, illaque conservare propter bonum universi; neuter vero dicitur, quia hæc aptitudo in cœlo est indifferens, non determinata, qui est minimus gradus naturalitatis, ut ibi fuse declaravimus.

Dubium tamen in præsenti esse potest, an cœlo possit esse naturalis aliquis motus rectus, si verb. g. per divinam potentiam a loco, ubi nunc reperitur, extraheretur, vel si pars aliqua cœli abscissa in hoc inferiori mundo collocaretur, an talis motus esset naturalis, vel violentus, aut neuter, quod etiam quæri potest de motu, quo ad propriam sedem moveretur, de quo late disputat Ruv. 1. cœli cap. 2. quæst. 3.

137 Breviter tamen dicimus, cœlum non habere inclinationem determinatam ad aliquem locum, nisi quatenus est pars quædam universi, cui ut sic congruit esse in supremo loco supra omnia corruptibilia, & ut possit in omnia influere, cæterum locum illum proprie ex se non respicit ut naturalem, locus enim naturalis est conservativus locati, qua ratione locatum extra proprium locum est extra statum naturalem, & corruptioni subjacet, ac cœlum est incorruptibile, & consequenter ubicunque locetur, nunquam potest dici violenter existere, nec indiget conservativo extrinseco. Ex quo sequitur, motum illum, quo a propria sede cœlum, vel pars ejus extraheretur, non fore violentum, quia motus localis rectus violentus dicitur, cum terminatur ad locum mobile violentum, at locus ille non est cœlo violentus ex propria natura. Rursus si pas illa cœli in his inferioribus locata sursum iterum moveretur, vel ab Angelo, vel quia elementa ex seipsis petant inter se connecti absque ulla interruptione, unde partem illam sursum impellerent (quod non videtur satis probabiliter dictum, non enim cœlum a sublunaribus pati potest, nec sublunaria agere in cœlum impulsum, aut qualitatem aliquam imprimendo) motus ille naturalis non esset, quia non terminaretur ad locum naturalem, & conservativum locati: Tum quia si motus iste esset naturalis, oppositus esset violentus, nec

cœlum a sublunaribus differre ex motus diversitate recte argueret Aristot. nec tandem negari posset levitas in cœlo, quæ est principium motus sursum; erit igitur motus iste simpliciter neuter.

Dices, motus circularis cœlo est naturalis, ergo quies, quam in his inferioribus possideret pars illa, esset violenta, ergo & motus ad illam terminatus erit violentus, & per consequens oppositus motus habens pro termino a quo illam quietem erit naturalis. Respond. motum circularem esse cœlo naturalem naturalitate indeterminata, itaut etiam naturaliter quietem respiciat, ut diximus in Phys. disp. cit. ideo neg. conseq.

ARTICULUS III.

An cœlum a principio intrinseco, vel extrinseco moveatur.

PRima opinio docet, cœlum a propria forma moveri circulariter, absque ullo extrinseco principio activo, citantur pro hac sentent. Major. 2. cœli cap. 5. & Alb. de Saxo 8. Phys. qu. ult. secunda extrema asserit solum ab extrinseco principio moveri, cœlum vero passive tantum concurrere, ita communis Theologorum, & Philosophorum, imo quidam, ut Ruv. 2. cœli cap. 5. quæst. 8. Averr. qu. 34. sect. 7. oppositum judicant impossibile. Tertia media concedit ab extrinseco moveri, sed cum hoc asserit quoque concurrere formam cœlestem partialiter, ita Valles. contr. 11. Phys.

138 Dicimus primo, cœlos ab extrinseco moveri, non ab intrinseco, ita Scot. 2. dist. 2. quæst. 5. & dist. 14. quæst. 1. & 4. dist. 48. quæst. 2 N. estque conformis Sacræ Script. & Patribus, nam loca illa Matt. 24 *Virtutes cœlorum movebuntur*, Job. 9. *sub quo curvantur, qui portant orbem*, Job. 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus* &c. 38. *Cum mel audaveri astya matutina, & jubilarent omnes filii Dei*, multi Patres de Angelis moventibus cœlos exponunt, est etiam Arist. 8. Phys. a tex 52. 9. Met. 17. & 12. Met. 34. Prob. primo, quod totaliter ab intrinseco non moveatur, vel forma cœli poneretur principium determinatum ad talem motum, & ad omnes circumstantias, scilicet cum tanta velocitate, tarditate, in tali, vel tali parte spatii, &c. vel ponitur principium indeterminatum ad motum, & quietem, ad hanc, vel illam velocitatem, ad hanc, vel illam partem spatii; si primum, ergo forma cœli non esset in toto cœlo ejusdem rationis, sed specie secundum partes diversa, quod est falsum. Probat. seq. nam quælibet pars cœli non movetur æquali velocitate cum alia, sed diversa, quo enim partes magis ab æquatore recedunt, eo tardius moventur, ergo si ex seipsis, & ab intrinseco essent ad hanc tarditatem determinatæ, jam specie differrent inter se, diversæ enim, & oppositæ proprietates inferunt diversitatem specificam; falsitas patet, nam non posset assignari pars aliqua ejusdem speciei, quælibet enim cum sit divisibilis in partes alias, quarum una magis ad polos accedit, altera magis recedit, una tardius, quæ scilicet est magis polaris, movetur, alia velocius, nec possent aliter moveri propter intrinsecam determinationem, ergo specie differrent. Si asseratur 2. ergo quia omne indeterminatum, ut exeat in actum, debet ab alio determinari, maxime si est agens naturale, debebit cœlum ab extrinseco determinari ad talem, vel talem motum, ad hanc, vel illam partem spatii, ergo totaliter ab intrinseco non movetur.

139 Secundo quod partialiter ab intrinseco non se moveat, probatur, ex hoc, quod optime salvatur per motorem extrinsecum totaliter, absque eo, quod tot agentia multiplicentur. Tum quia videmus res ab intrinseco localiter moveri propter acquisitionem alicujus perfectionis intrinsece illas perficientis, sic gravia, & levia solum ut propria loca naturalia consequantur, localiter moventur; animata, ut cibos, & alia necessaria perquirant, semper enim finis localis motus est utilitas, & bonum intrinsecum mobilis, sed cœlum nullam perfectionem intrinsecam accipit per motum localem, ut dictum est artic. præced. & disp. 6. Phys. q. 2. art. 1. ergo non debemus admittere formam cœlestem active cum intelligentia concurrere ad motum localem. Tum quia se movere in proprio loco proprium est animalium, cœli non sunt animati.

140 Ex quibus patet quid sit dicendum de possibili, non enim potest assignari ratio aliqua demonstrans cœlos a seipsis moveri implicantiam involvere, cum enim thesauri infinitæ sapientiæ, & omnipotentiæ Dei sint infiniti, posset excogitari corpus aliquod talis naturæ ut seipsum circulariter moveat ab intrinseco, sive partialiter, sive totaliter, præsertim si astruatur cœlos esse animatos animatione alterius rationis a nostra, ut defendit Arriaga, unde dici posset animam illam esse tantæ virtutis, ut absque fatigatione, & sine ulla resistentia moveat cœlum, sicut de anima beata movente corpus asserunt Theologi: rationes enim quæ possent ex principiis naturalibus, & Peripatheticis adduci, non convincerent, nam solum probarent implicare, stante rerum ordine, ut modo sunt, cæterum non concludunt de possibili, & variato ordine universi; difficile ergo erit hanc possibilitatem impugnare.

141 Dicimus 2. hunc extrinsecum motorem non esse corporeum, & materialem, sed incorporeum, & spiritualem per cognitionem operantem; qualis est intelligentia, est communis, & prob. quia nequit ab aliquo sublunari moveri, ut patet, nec ab aliquo corporeo in cœlo existente, quia cœli sunt contigui, ergo inter illos mediare nequit aliquod corporeum sine penetratione. Tum quia naturaliter non apparet corporeum aliquod esse tantæ virtutis, ut infinito tempore posset tam vastam cœli molem circumvolvere, tamque velociter, erit igitur aliquod immateriale, & quia debet determinare cœlum, ut tali modo moveatur, & regulariter ob bonum universi, debet esse cognoscitivum finis, & mediorum ad finem, talis est intelligentia; an vero sit prima, vel secunda, dicemus art. seq. non ob id tamen negamus primum mobile cæteros inferiores cœlos movere, corpus enim solidum alia corpora perfecte continens, quibus sit contiguum, si velocissime moveatur, rapiet secum corpora inclusa, & maxime si illa sunt etiam solida, quia magis apta ad recipiendum impulsum, quod exemplo comprobari potest de corpore fluido, de quo minus videtur, utpote non ita capax impulsus; fit enim catinum aliquod politissimum circa centrum, suumque axem constitutum, si concitatissime circumvolvitur, ad ejus motum rotabitur quoque aer inclusus, quod manifestum fiet, si candela accensa admoveatur catino, vel lamina aliqua, aut papyrus tenuissimo filo suspendatur, ut sit proxima superficiei concavæ catini, flamma enim videbitur flecti in eandem partem, in quam flectitur catinum, lamina illa ad motum catini circumducetur, signum evidens aerem inclusum etiam circumvolvi; quanto magis id erit de cœlis asserendum? Moventur igitur inferiores cœli raptu primi mobilis per impetum impressum, hic tamen non sufficit, nam solum talis impetus causare posset motum ab ortu in occasum, licet ob distantiam cum aliqua retardatione, quare requiritur *intelligentia immediate movens* cœlos inferiores per lineas spirales, ut diximus art. 1.

142 Contra hanc determinationem posset instari rationibus illis, quibus ostenditur cœlum animatum esse, nam proprium est animatorum active in propriis locis moveri, quas solvimus q. 2. art. 2. sed adhuc instatur, quia cœlum est corpus naturale, de cujus ratione est ut habeat principium motus internum, motus enim, qui provenit ab extrinseco, est violentus. Tum 2. movere se est perfectio, & reperitur in sublunaribus, ergo non est denegandum cœlis superioribus. Tum 3. quia forma cœli esset otiosa, nam proprio motu, & operatione careret. Resp. faciliter, naturam in cœlis habere solum rationem principii passivi in ordine ad localem motum, & ut sic est internum principium, denominatque motum naturalem. Ad 2. non necessario omnes perfectiones, quæ in inferioribus inveniuntur, reperiri debent in superioribus formaliter, sed sufficit virtualiter, vel eminenter, quatenus perfectio superioris longe superat perfectionem inferioris, tum quia movere se in non viventibus est perfectio supplens imperfectionem, ideo enim tale habent principium, quia a proprio, & connaturali loco extrahi possunt ad locum contrarium, ibique pati violentiam a contrariis, hinc natura, quia non deficit in necessariis, tale dedit principium, ut possint ad propria loca redire; cœli vero non habent contraria, unde indigent conservante, nec si tale principium haberent, esset ad propositum; nam loquimur de prinsipio activo movente in proprio loco, quale non est in non viventibus; Animata vero, quamvis habeant hanc perfectionem, ut in propriis locis ex se ipsis moveantur, non urget, etiam si hæc esset perfectio non supplens imperfectionem, nam quæst. præced. posuimus viventia cœlis perfectiora. Ad 3. negat. seq. nam habet in hæc sublunaria influere secundum variam actionem, ut infra.

ARTICULUS IV.

Numerus motorum orbium statuitur.

QUæstum hoc potest exagitari tam secundum veritatem, quam secundum Arist. Prima sent. unicam tantum posuit motricem intelligentiam omnium cœlorum, vel creatam, ut Fracast. de homog. c. 1. sect. 1. vel increatam, ut Less. 1. p. de perfect. div. lib. 11. c. 8. secunda opinio tot multiplicavit motrices intelligentias, quot orbes sunt moti, sed difficilium adhuc est, nam quidam asserunt, inter has numerari quoque debere Deum ipsum in sent. Arist. tanquam immediatum motorem primi mobilis, ita fere recentiores omnes, ut Conimb. Ruv. Aversa, Amic. Piccol. Ragus. Pedas, cum Greg. 2. dist. 1. q. 1. art. 1. alii vero negant secundum Arist. Deum immediate, hoc est solitarie absque alia intelligentia movere primum mobile, sed huic aliam propriam tribuunt: ita veriores Thomistæ cum D. Th. 1. contra gentes c. 12. cujus etiam opin. est Scotus 1. dist. 2. q. 1. ad ult. princ. & d. 8 q. 5. V. & quol. 7. L. sequitur Suarez disp. 35. Met. sect. 1. nu. 20. Contar. in hac quæst. Jand. 12. Met. q. 17. imo addidit Abul. quæst. 5. in cap. 23. Exod. etiam secundum veritatem, impossibile omnino esse Deum aliquod corpus immediate movere posse.

143 Dicimus primo secundum veritatem Deum de facto se solo non movere cœlum, posse tamen movere, at secundum Arist. nec de facto, nec de possibili posse immediate movere cœlum; est Scoti cit. prima pars, quod secundum veritatem non moveat, possit tamen movere, prob. authoritatibus Sacræ Scripturæ adductis art. præced. concl. quas Patres de Angelis exponunt cœlos moventibus, & universaliter de omnibus cœlis loquuntur, ita præsertim Gregor. 4. Dialog. cap. 4. Aug. lib. 8. super Gen. cap. 24. & 3. de Trin. cap. 4. Dion. de div. nom. cap. 4. & de cœlest. Hierar. cap. 5. Tum quia commune est axioma apud Theologos, quicquid potest a causis secundis perfici, Deum per illa producere concurrendo, ut universalem causam cum illis ad actionem, sic enim magis relucet divina bonitas, & omnipotentia, dum tam liberaliter communicat activas virtutes creaturis, at motus cœli potest ab Angelis provenire, & causari Deinde quod possit Deus cœlum movere, patet, quia Deus potest supplere concursum cujuscumque efficientis causæ, & quicquid producit mediis causis secundis potest se solo producere; nec aliquod sequitur absurdum,

dum, quod enim ait Abulens. sequi Deum in instanti movere cœlum, quia est infiniti vigoris, non urget, nam libere agit ad extra, unde non producit, quicquid potest producere. Nec etiam refert, quod addit, stante nostra opinione, sequi Deum habere imperfectam actionem, qualis est motus, quia producere imperfectum, dummodo adsit potentia productiva perfectorum, non arguit imperfectionem in producente, sed in producto, sic Deus immediate creavit materiam primam in genere substantiæ omnium imperfectissimam, imperfectio igitur in casu non proveniret ab imperfecta Dei potentia, hæc enim est perfectissima, sed a natura ipsius motus talem conditionem exigente.

144 Secunda pars, quod secundum Aristot. immediate non moveat, probat. ex duobus ipsius principiis, primum est Deum ad extra necessario agere, de quo diximus in Physic. disp. 8. quæst. 1. art. 2. alterum est Deum esse infiniti vigoris intensive, ut dicemus in Metaph. ex quibus sequitur, Deum non posse movere cœlum immediate, aliter illud moveret in instanti, vel virtus finita æquari posset, & proportionari virtuti infinitæ, quæ sunt absurda: primum patet, quia cum agat necessario, aget quantum potest, & cum sit infinitæ virtutis, movebit motu infinitæ velocitatis, & consequenter in instanti, vel si in tempore movebit ob aliquod impedimentum, tunc virtus finita æquari posset infinitæ virtuti, quod erat aliud absurdum, prob. moveat infinita mobile, verbi graria per diem, finita vero in mille diebus, itaut inter ista tempora sit proportio millecupla, jam per additionem virtutis motivæ secundum proportionem millecuplam illi motori finito, minueretur tempus, ut in uno die moveret, sicut virtus infinita. Qui discursus est ipsius Arist. 8. Physicor. 78. 79. Solet etiam assumptum probari ex 12. Met. 36. ubi ait primum motorem movere ut amabilem, & appetibilem, quatenus scilicet intelligentia contemplans summam bonitatem, & perfectionem primi motoris excitatur ad illius amorem, unde appetit illi, in quantum potest, assimilari, & quia primus motor, cum sit summe bonus, est sui ipsius communicativus producendo intelligentias, ita quoque intelligentia quærit illi assimilari in communicatione entitatis, quam non potest assequi nisi per motum cœli, cum immediate nil producat ad extra, & hæc fuit ratio perpetuitatis motus cœlestis ab Arist. tradita, quia scilicet intelligentia semper amat primum motorem, ideoque semper apperit similitudinem illius in communicatione bonitatis producendo ista inferiora per influentias cœlorum regulate movendo, & applicando cœlos, & hoc est, quod dici solet, primum motorem movere, ut amatum, & desideratum, & in genere causæ finalis, non ob id tamen negatur primum motorem causam esse effectivam, nam ostendimus disput. 8. Phys. q. 1. art. 2. Deum etiam in sent. Arist. immediate concurrere cum omnibus causis secundis ad productionem effectuum, unde & cum omnibus intelligentiis concurrit effective ad motus cœlestes, sed solum dicimus in sent. Arist. non movere immediate, hoc est de se solo sine aliqua intelligentia, primum mobile.

145 Multa adducere solent adversarii, ut ostendant Arist. sensisse Deum esse primum motorem immediatum, primo enim negant aliquod ex illis duobus principiis adductis, vel ambo, deinde varia loca adducunt, ex quibus deducunt Aris. mentem, nam 12. Metaphysic. 43. ex numero orbium colligit numerum intelligentiarum, & ait tot esse intelligentias, quot orbes, ergo non dabitur intelligentia prima non movens immediate, non enim numerus esset æqualis, imo text. 38. clarissime habet primum mobile a prima intelligentia moveri; deinde 8. Phys. ex motu terno investigat existentiam primi motoris, & addit, quod si primus motor esset in magnitudine, illam moveret in instanti, unde supponit primum motorem magnitudinem movere.

146 Attamen non est nostri instituti recte mentem Aristotel. ex obscurissimis verbis investigare, dicere possemus in his, quæ ad primum motorem, & substantias abstractas pertinent, Aristot. varie esse locutum ex carentia luminis fidei, unde sæpe latenter admisit contradictiones, ut diximus disp. 8. Phys. citat. & recte in proposito notat Suarez, quod si verba Aristot. tantum perpendimus, videtur immediatam motionem affirmasse, si vero sensum rationum, & vim discursus perscrutamur, videtur illam negasse, hoc enim necessario sequitur ex illis duobus principiis, an vero sint de mente Aristot. non est præsentis negotii rimari. Dicimus tamen ad illa loca, Aristotel. in text. 43. assignasse numerum intelligentiarum, quarum singulæ sunt particulares, & proprii motores orbium, præter istas autem assignavit primum motorem communem omnibus, de quo locutus fuerat in text. 30. dum dixit movere ut amatum, & desideratum, in tex. vero 38. accepit primum mobile pro aggregato ex orbe, & intelligentia, nam supra dixerat primum motorem movere ut amatum, ergo nequit intelligi de primo orbe tantum, non enim orbis movetur ad amorem, sed de orbe, & intelligentia, dicitur autem specialiter, & appropriate primum mobile movere, quamvis ut sic concurrat ad alios orbes, quia motus primi mobilis est primus, causa, regula, & mensura aliorum motuum. In 8. Phys. recte ex motu investigat Arist. existentiam primi motoris, quia est primum movens immobile, non tamen docet ibi esse immediatum motorem, nec absolute supponit primum motorem movere magnitudinem immediate, sed id sequitur ex hoc, quod in magnitudine ponatur, tunc enim immediate deberet illam movere; imo si ratio hæc concludit, quod magnitudine careat, quia moveret in non tempore, quia idem sequitur absurdum, si immediate moveret, quamvis a magnitudine separatus, debemus secundum Arist. principia hanc immediatam motionem negare, quicquid enim responderur huic rationi, debilitat etiam rationem Arist. qua probat primum motorem carere magnitudine, quæ tamen ab Adversariis æstimatur demonstratio.

147 Dicimus secundo cœlos non moveri ab unica intelligentia, sed quodlibet cœlum suum proprium motorem assistentem habere, quod etiam de zonis Planerarum est dicendum, an autem multiplicentur ad multiplicationem Epiciclorum est incertum, ita communis, & probat. ex Sacra Scriptura, quæ de motibus cœlorum in plurali loquitur; ita etiam docet Aristotel. 12. Metaphysic. 48. suadet etiam ratio, quia Angeli virtus est limitata, & finita, non videtur autem omnes cœlos posse esse adæquatam sphæram activitatis unius Angeli propter ingentem magnitudinem, insuper propter motuum varietatem. Tum quia docent communiter Theologi, præsertim Albertinus in lib. de Angelo Custode, singulis hominibus, singulis provinciis, & urbibus, imo Templis, atque Altaribus præpositos esse singulos Custodes Angelos, & assistentes, ergo multo magis id erit asserendum de cœlis tanto majoribus, non una solum provincia, & regno, sed tota terra, neque pro bono unius civitatis, sed totius orbis commodo procurando, qua ratione etiam multiplicari possent Angeli ad multiplicationem Epiciclorum; verum quia ex altera parte dici posset zonam unius Planetæ non esse improportionatum mobile cum suo Epiciclo respectu Angeli, idcirco sub dubio relinquimus quoad hanc partem.

Quæri tamen adhuc posset, quo pacto talis motus causetur ab Angelis, an scilicet per potentiam aliquam executivam ab intellectu, & voluntate distinctam, an vero per ipsammet voluntatem. Rursus an causando impulsum in cœlis, an immediate motum; Insuper quæri posset an Angelus in toto cœlo existat, an in aliqua determinata parte resideat, & tandem quanta sit velocitas hujus motus.

148 Ad hæc dubia breviter dicimus, nam exacta solutio spectat ad Theologum, Angelos movere per potentiam formaliter distinctam ab intellectu, & voluntate, supposita distinctione potentiarum ab essentia, & hoc propter diversitatem proprietatum harum potentiarum, intellectus enim & voluntas agunt actione immanenti, cujus terminus non producitur in esse reali, sed intentionali, non requirunt propinquitatem objecti localem, nec ab altero Angelo possunt impediri præcipue voluntas, ne exeat in proprias operationes, potentia autem executiva agit actione transeunte, producit terminum in esse reali, requirit passum approximatum, potestque ab alia Angelo superioris virtutis impediri, quæ diversitas conditionum aliquam arguit distinctionem, & hæc potentia dicitur intellectualis, non quia pertineat ad gradum intellectivum, sed quia consequitur intellectualem naturam, unde etiam in anima rationali reperitur, licet pro statu isto, quia est corpori alligata, solum organice moveat; non ob id tamen negamus intellectum, & voluntatem concurrere ad hunc motum, nam sunt principium directivum, & imperativum, quomodo intelligendus est Arist. cum istis potentiis adscripsit motum tamquam principio, ita colligitur ex Scot. 1. dist. 45. A. ubi hanc potentiam ideo in Deo non distinguit a divina voluntate propter summam perfectionem voluntatis divinæ, quæ ratio non militat in Angelis, & in 4. dist. 10. quæst. 7. C. & D hanc potentiam admittit in anima, & Angelo ejusdem rationis. Similiter ad 2. utrumque est probabile, vel scilicet quod Angelus immediate in suum cœlum producat motum, ut facit Sol illuminando immediate totum aerem, & cœlos omnes, quia hæc omnia in sphæra propria adæquata continentur, vel quod in una partes immediate producat motum, in cæteris vero impulsum, primus tamen modus dicendi est expeditior, quia si omnes partes cœli sunt intra sphæram Angeli, ut possit in illis causare impulsum, & absolutam qualitatem, multo magis motum localem; sufficit enim, ut sit uni parti immediate unitus. Ex quo patet ad 3. non enim Angelus est per totum orbem diffusus tamquam in loco, sed uni tantum parti, illi scilicet quæ velocius movetur, qualis est pars æquatori propinqua, & si zonis Planetarum unus Angelus tantum assistit, erit in illa parte, in qua immersus reperitur Epiciclus, unde & moveri circulariter ad motum zonæ est necesse, & quamvis Scotus 2. dist. 2. quæst. 5. hoc habeat pro convenienti, loquitur tamen de moventibus cœlos totales, ad quem motum non requiritur circulatio Angeli, sed sufficit, ut uni tantum parti sit præsens, at quia Epiciclus circulariter movetur, & Angelus præsens debet illi esse, cum diversum motum imprimat a motu zonæ, necessario cum illo cietur. Velocitas tandem motus incomprehensibilis est, maxime si de primo mobili loquamur, colligi tamen potest confuse ex hoc, quod Sol, qui multo minus velociter movetur, quam primum mobile, singulis horis plus quam undecim centena millia milliarium peragat, stella octavæ sphæræ circa æquinoctialem existens una hora percurrit supra 42. milliones milliarium, & stella polaris, quæ vix locum videtur mutare, dicunt Astronomi, quod circulum describit, cujus diameter multo major est, quam diameter totius cœli Solis, adeo ut tota sphæra Solaris intra illum circulum collocata, eum non tangeret.

149 Dices, ex ista molis cœlestis vastitate, motusque inæstimabili velocitate videtur potius Deum immediate movere cœlos, quam Angelos, non enim virtus angelica videtur proportionata, præsertim quia per motum primi mobilis causatur impetus non solum in cœlis inferioribus, sed etiam in ignem, & aerem, qui ab illo rapi dicuntur, & Angelus sua vi nequit unum elementum totaliter movere. Tum quia Deus ut causa universalis immediate gubernat universum, motus autem cœli spectat ad bonum regimen universi; hinc Job. 36. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* Ex alia parte unicus Angelus sufficere videtur ad omnes

omnes motus cœlestes, nam cœlum nullo modo intelligentiæ resistit, ergo quælibet minima virtus posset movere, qua ratione mori quidam dixerunt, parvulum digito posse movere cœlum, imo si una formica super cœlum incederet, circumvolveret illud. Tum quia anima rationalis est imperfectior Angelo, & tamen varias, ac diversas exercet operationes in corpore, quæ magis distinguuntur, quam cœlestes motus. Et tandem quia ad hoc munus obeundum sufficit aliqua finita potentia, cum effectus sit finitus, ergo dari poterit Angelus tantæ virtutis, ut proportionetur tali effectui.

150 Respond. non obstare vastitatem, nec velocitatem motus propter maximam Angeli perfectionem omnia corporalia excedentem, qua ratione posset etiam unum elementum totaliter a proprio loco divellere; nisi divinum decretum obstaret, denegat enim Deus suum concursum ad actiones totius universi ordinem perturbantes, ut de vacuo diximus in Physicor. disput. 12. quæst. 1. Ad aliud gubernatio duo dicit, unum directionem, seu ordinationem universalem rerum in fines proprios, & hoc spectat solum ad Deum, alterum executionem talis directionis, & hoc potest aliis maxime Angelis demandari, ut patet de custodia hominum, & regnorum. Ad rationes pro altera parte dicimus, quod quamvis non adsit resistentia ex parte mobilis in oppositum inclinantis, ut cum lapis resistit proiicienti sursum propter gravitatem deorsum impellentis, adest tamen resistentia improportionis, quæ consistit in finitudine potentiæ motivæ, & magnitudine molis, hinc disput. 7. Physicor. quæst. 4. art. 3. diximus agens non posse agere in quacunque distantia, ut patet de luminoso, quod quamvis nullam reperiat contrarietatem in medio, tamen determinatam sphæram habet suæ actionis, idcirco non sufficit unus Angelus ad omnes motus cœlorum exercendos. Nec paritas de anima rationali valet, nam omnes illas operationes exercet per varias potentias, respectu quarum singulæ operationes sunt proportionatæ, at Angelus per eandem potentiam motivam deberet tot varios motus producere. Vel quicquid sit de possibili, & de virtute angelica in actu primo, negamus de facto omnes cœlos ab uno Angelo moveri, cum oppositum colligatur ex Sacra Script. sic unus Angelus sufficeret ad custodiam plurium civitatum, sicut alter sufficit ad protegendam integram provinciam, & tamen Deus sua infinita providentia cuilibet civitati, & oppido proprium assignavit Angelum in custodiam.

QUÆSTIO V.

Quid sint lux, & lumen, & quibus conveniunt in cœlis; ubi de scintillatione, & Eclypsi.

151 PRo notitia primæ partis quæsiti notar. ex Scot. 2. dist. 13. quæst. unic. quod *lux*, & *lumen* differunt inter se, quamvis ab aliquibus pro eodem sumantur; lux est illa forma, quæ reperitur in corpore lucido, ut lux in Sole, vel in igne, lumen vero est illa forma, seu radius ille, qui in medio reperitur, sine subjecto, quod a se illum non habet, sed ab alio recipit, ut lumen in aere a luce alicujus corporis causatum; & iste radius est triplex, rectus, reflexus, & fractus: radius rectus est, qui causatur a luce in medio ejusdem diaphaneitatis, ut vel in aqua solum, vel in aere, & sine obstaculo recta via pergit, quantum durat virtus lucidi corporis, ut est lumen causatum a luce candelæ in aperto aere positæ; reflexus est ille radius, qui occurrente corpore opaco antequam terminetur virtus lucidi diffunditur, & reflectitur in partem oppositam; ratio hujus est, quia agens naturale agit in directum, quantum potest, & si impeditur, agit in obliquum. Hoc autem dupliciter potest fieri, vel enim reflectitur a corpore polito, & terso, ut est speculum, argentum, aurum, &c. quod directe Soli verbi gratia, oppositum causat in obliquo alium solarem radium, & hic immediate causatur a luce Solis, vel reflectitur ab aliquo corpore non terso, ut est illud lumen secundarium, quod reperitur, ubi est umbra, & hoc lumen causatur a lumine primario, quod est scilicet immediate a luce productum, unde in hoc umbra a tenebra differt, quod tenebra negat tam lumen primarium, quam secundarium, umbra vero solum primarium. Radius fractus est, qui occurrente medio alterius diaphaneitatis, non tamen opaco, multiplicatur in illo medio, sed non secundum lineam rectam, *sed incidit ibi angulus, non enim eodem modo radii illi se diffundunt* per medium densum, & rarum, quod dupliciter contingere potest, vel ad perpendicularem, vel a perpendiculari; radius perpendicularis, ut explicat Gratianus 2. disputatione 13. est, qui directe procedit a luce in medium, & dicitur centralis, at si in progressu invenit medium densius, scilicet aquam, tunc in superficie aquæ franguntur laterales radii, qui non habent tantam vim, ut possint se in aquam diffundere, sicut perpendicularis, ideoque perpendiculari uniuntur, & simul cum illo se per aquam diffundunt, & hoc est frangi ad perpendicularem, hoc est radios in superficie aquæ fractos angulum causare versus perpendicularem; si vero medium, quod de novo occurrit, est rarius, ut si in aqua est aliquod lucidum, puta argentum, dum radii sunt in aqua perpendiculariter tendunt, & directe, at cum perveniunt ad ultimam superficiem aquæ, franguntur, & hemisphærice se diffundunt, ac dilatantur, & hoc est frangi a perpendiculari, idest disjungi, & quasi a perpendiculari discedere; hinc est, quod argenteus nummus si est in catino vacuo, & ita ab oculo elongetur, ut nequeat videri, si deinde catinum aqua impleretur, statim nummus conspicitur quia radii illi franguntur a perpendiculari, & se multiplicant versus oculum, & in indirectum tendunt. Hoc præ notato quidam ex antiquis, quos sequi videtur Bassonus 2. de cœlos intent. 2. dixerunt lucem, & lumen esse corpora quædam, aut saltem formas substantiales.

152 Dicendum est tamen, nec lucem, nec lumen esse corpus, aut formam substantialem, sed esse accidentales formas qualitativas, *ita Scot. cit.* estque communis. Prob. ab ipso, quia corpus est cum altero corpore impenetrabile, lumen est simul cum aere, nam si aer in adventu luminis recederet, non experiremur respirationem aeris, substantia non intenditur, nec remittitur, nec est per se sensibilis, lux, & lumen intenduntur, & remittuntur, etiam de cœlestibus loquendo, juxta illud Isa. 30. *Et erit lux Lunæ sicut lux Solis, & Lux Solis erit septempliciter*, suntque per se sensibilia. Tum quia lux in igne, & lumen in aere sunt accidentia, ergo non sunt formæ substantiales, quod enim vere est substantia, nulli potest accidere. Antec. de luce prob. quia non est forma substantialis ignis ultima, aliter omnia corpora lucida essent ejusdem speciei, nec est forma non ultima, ut est forma corporeitatis in vivente, nam esset imperfectior forma ignis, & sic non posset in cœlis reperiri, in quibus non adest forma substantialis imperfectior elementari, de lumine prob. quia aer tam est perfectus substantialiter, quando est illuminatus, ac quando est tenebrosus, & in ipso lumen adest, & abest præter subjecti corruptionem. Quare erunt qualitates quædam; non enim possunt ad prædic. quantitatis reduci. Vide Cottunium 1. Metheor. lect. 24. An vero lumen sit species intentionalis lucis, & habeat esse tantum intentionale, an vero simul habeat esse reale, spectat ad libros de Anima.

153 Dices, ex 1. Genes. habetur, quod lux fuit facta, ergo quid substantiale est, non enim accidentia tunc fuerunt producta sine subjecto, quæ etiam fuit opinio Div. August. 3. de liber. arb. cap. 5. & 7. super Gen. ad lit. cap. 25. Theod. quæst. 7. super Genes. Arist. etiam 5. Top. capit. 3. & section. 11. problem. 33. reddens rationem, cur melius in nocte formetur auditus, quam in die, air, aerem in die propter lucem, & radios esse densiorem. Tum 2. lumen gignit ignem, ut pater de speculo concavo ad Solem exposito, quod per radiorum reflexionem comburit stuppam; radii solis incidentes in aditum camini impediunt, ne fumus tam cito egrediatur, lumen etiam dicitur frangi, reflecti. Localiter movetur ab ortu ad occasum, est trine dimensum, quæ omnia sunt munia substantialis corporis, non formæ accidentalis. Tum 3. omne accidens sensibile habet contrarium, non transit de subjecto in subjectum, ad motum subjecti movetur, nec duo accidentia numero differentia in eodem subjecto existunt, at lux, & lumen carent contrario, lumen transit ab una parte in aliam, quandoque immotum manet moto aere & in reflexione duo lumina simul sunt in aere, ergo *accidens non erit*.

154 Resp. a Scot. ibi non sumi lucem pro formali, ideest pro illa forma accidentali, sed pro connotato, seu corpore lucido, quod denominatur a luce tanquam a potiori, & notiori, sic exponunt etiam Patres, nisi velimus dicere locutos fuisse ut Platonicos, sic quoque intelligitur Aristot. in 5. Top. in loco vero prob. illam rationem dubitative attulit, sed aliam deinde addidit, quia scilicet in nocte anima non est ad plura distracta, ut in die, nec tot strepitus fiunt. Ad 2. ignis ille a Sole immediate producitur, nam a lumine ex dictis disp. 7. Phys. quæst. 4. art. 3. radii solares si egressum sumi impediunt, non est quia sint corporea, sed quia ob reflexionem rarefacientes aerem impellunt in aditum camini, ad quem diriguntur, nec lumen proprie dicitur frangi, & reflecti ad modum corporis, sed solum metaphorice, quatenus sicut baculus, cum frangitur, & pila, cum resilit, causant angulum, sic etiam lumen, cum reflectitur, cum hac tamen differentia, quod baculus, & pila ad alteram partem declinant, at radius rectus manet in suo subjecto, in quo postea a lucido causatur reflexus, nec movetur localiter, nam aliud, & aliud lumen generatur de novo, nec tandem est trine dimensum quantitative, sed entitative ad modum cujuscunque materialis formæ, quæ dimensio non facit corpus de prædicamento substantiæ, sed requiritur, ut sit subjectum aptum recipere corpus de prædicam. quantitatis. Ad 3. neg. accidens omne sensibile habere contrarium, nisi de primis qualitatibus, & iktas consequentibus esset sermo, at lux est qualitas superioris ordinis; falsum est etiam lumen de subjecto in subjectum migrare, quia continuo renovatur; falsum etiam est lumen ad motum aeris non moveri, moventur enim species objectorum in aere, non ob id tamen impeditur visio, quia ut dicemus in lib. de Anim. objectum continue multiplicat speciem in medio, & in instanti, quare licet species in illo aere subjectaræ transeant ad motum aeris, semper tamen de novo aliæ producuntur; tandem duo accidentia numero distincta, possunt esse in eodem subjecto, si ad diversa munera requirantur, ut patet de speciebus visibilibus, vel si de illis duobus unum fiat per intensionem, sic in proposito vel dicimus esse duo lumina, quia sunt species intentionales duorum lucidorum, vel fieri unum lumen intensius.

155 Dices etiam, experimur lumen corporibus opacis insidere, & remoto lucido in illis conservari, ergo falsum est, lumen esse speciem lucis. Anteced. probat. exemplo lapidis Bononiensis, ab aliis *Spongia solis, vel lucis* appellati, qui in monte Paterno prope Bononiam invenitur, cujus proprietas est, quod si calcinatus, & igni præ paratus paulisper solaribus radiis, vel flammæ splendori, ac etiam ipsis matutinis crepusculis exponeretur, ac deinde in cubiculo tenebroso collocaretur, emittit lucem, & splendorem, non secus ac carbones accensi; licet paulatim splendor ille remittatur, & tandem penitus evanescat; at si denuo luci exponeretur, iterum splendorem, & lumen concipiet. Hujus rei nos certiores fecit eruditissimus Fortunius Licetus experientia ipsa; adsunt quoque alii lapides, qui absque alia calcinatione eundem pariunt effectum, sive

hoc

hoc ex majori puritate materiæ proveniat, sive ex diversa specifice quidditate.

156 Resp. effectum istum provenire ex materia aliqualiter perspicua versus superficiem, gypsea, sulphurea, nitrosa, sandarachina, arsenalica, vel *simili*, qua ratione facile a luminosis radiis alteratur, & quia est etiam viscosa tum ex se, tum ex præparatione chymica, ac albuminis ovi linimento, idcirco poterit *conceptum lumen* aliquantum retinere, etiam transacta illuminatione. Cæterum dubitari posset, an splendor iste sit lux, vel lumen; quod sit lux, suadetur, quia lumen est actus diaphani, secundum quod diaphanum est 2. de Anim. 69. pendetque a luce in fieri, & conservari, sicut quælibet alia visibilis species a proprio pendet objecto, at lapis iste est corpus opacum, & remoto lucido conservat splendorem. Verius tamen dicetur non esse proprie lucem, sed lumen; quia lux est lumine perfectior, & splendor ille non solum a luce, sed etiam a lumine causatur, ut cum lapis in aere a lumine secundario illuminato detinetur, tunc enim nequit lux solis aliam lucem gignere, quia splendor lapideus a lumine aeris attingitur, ut a causa principali, nam instrumentum non potest attingere terminum principalis agentis ex dictis disp. 7. Phys. quæst. 5. cum igitur a lumine principaliter gignatur, & imperfectius nequeat esse causa perfectioris ex dictis ibidem, sequitur, splendorem illum esse lumen, non lucem, quæ est forma perfectior. Nec urget Arist. definitio, nam ut notat Cotunius 1. Metheor. section. 24. definivit Aristot. lumen in suo statu naturali, & ut in plurimum. Nec est *omnino* verum species visibiles a moto objecto statim evanescere, nam si actione aliqua pervalida imprimerentur oculo ab objecto, paululum adhuc in oculo adservantur in absentia objecti, ut patet intuenti Solem, nivem, aut alium colorem vehementer immutantem oculum, omnia enim objecta illo colore respersa conspicier per aliquod tempus. Si quis autem de hoc lapide pleniorem notitiam cupit habere, perlegat opus Clariss. Liceti singulari eruditione refertum, cujus titulus est Litheosophorus, sive de lapide Bononiensi.

157 In altera parte quæsiti quæritur, quibus corporibus cœlestibus conveniat lux. An scilicet omnes cœli, & astra habeant lucem, an solum astra, & istorum an omnia, an vero quædam tantum; & quidem de Empyreo cœlo non est dubitandum esse ex se totum lucidum, juxta illud Apoc. 21. *Civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea, quoniam claritas Dei illuminavit eam*, a nobis autem non videtur, quia ex parte concavæ superficiei est opacum, & quasi cortina quadam coopertum in arca fœderis figuratum, quæ pellibus caprinis erat contecta, & in Sancta Sanctorum, quod serico velo tegebatur. De aliis cœlis quidam dixerunt ex se intrinsece aliquid lucis habere, illuminari adhuc a Sole, & aliis astris, quidam hoc negarunt, de astris aliqui absolute concedunt ex se ipsis esse lucida, etiam Lunam quoad medietatem; putant enim Lunam duas medietates habere differentes, unam ab intrinseco lucidam, alteram tenebrosam, & obscuram, & quia successive movetur, vel in seipsa, vel ad motum Epicicli præter motum orbis, hinc successive quoque partem illam lucidam abscondit, & ad nos paulatim vertit tali ordine, ut in oppositione cum Sole tota pars lucida conspicitur, in conjunctione contegitur, citatur pro hac sent. Berossus quidam, & Albergottus in suo dialog. vel ut quidam dixerunt exigua quadam luce pellucidam secundum omnes partes esse. Alii e contra tantum Solem lucidum extare putarunt, reliqua vero sidera vel saltem planetas lumen a Sole recipere, tandem alii solam Lunam luce expertem posuerunt, & a Sole illuminari, reliqua vero propriam lucem possidere.

158 In hac re certum esse debet, cœlos ex seipsis nullam habere lucem, sed lumen a Sole, & cæteris astris mutuare; quod patet experientia, quia si lucem aliquam haberent, transmitterent ad nos species visibiles, & mundum illuminarent, nec valet dicere idcirco non videri, quia rarissimi sunt, sicut ignis in sphæra propter sui raritatem non conspicitur; non valet, quia in nostra sent. raritas non reperitur in cœlis, sed omnes densissimi sunt, sicut stellæ, quapropter si aliquam lucem possiderent, conspicerentur, ut via lactea, & aliæ stellæ, tum quia 1. Genes. dicitur, *fiant luminaria in firmamento cœli: feceique Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, & stellas, & posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram*, quibus verbis innuitur lucem solum stellis convenire, aliter etiam cœli lucerent super terram. Quod autem a Sole, & astris illuminentur, patet, quia sunt diaphani, & per consequens capaces luminis etiam in tota profunditate.

159 Deinde certum esse debet Lunam majori ex parte lumen a Sole recipere, quod innuit Doctor, dum 2. dist. 13. docuit hanc accidentalem formam in Luna non esse lucem, sed lumen, hoc est, Lunam ex se non esse lucidam, sed ab extrinseco illuminari, scilicet a Sole, & probari potest ex variatione luminis quoad nos, quam habet juxta accessum, vel recessum a Sole, nam quando est prope Solem, totaliter pars illa versus nos lumine privatur, cum incipit recedere, incipit quoque clarescere, & primo corniculata apparet, habens cornua versus ortum, & post Solem oritur, & occidit, & sic paulatim recedendo illuminatur, donec est in oppositione cum Sole, & tunc tota facies illuminata cernitur, at quia denuo ad Solem accedit, incipit decrescere cornibus respiciens occasum, & oritur, & occidit ante Solem, ex quibus patet Lunare corpus non esse totum lucidum, quia solum medietas illuminata aspicitur, quæ scilicet est ad Solem conversa, nec illa medietas est ex se lucida, ut dicebat Alberg. aliter nunquam contingeret Eclypsis Lunæ, quæ provenit propter terræ interpositionem inter Solem, & Lunam, ut dicemus. An vero ex se habeat aliquam exiguam lucem, est dubium, pars affirmativa suadetur, quia in Eclypsi Lunari non totaliter Luna obscuratur, sed aliqualem retinet ruborem, & quando est cornuta, pars a Sole non illuminata albicans apparet. Oppositum ab aliis probat. quia deberet Luna majorem lucem in se continere, & secundum omnes partes æqualem, si ab intrinseco esset lucida; tum quia esset aliquo pacto diaphana, & lumini pervia, unde non posset Eclypsim solarem causare, hinc ad experientiam illam *multipliciter* respondent præcipue Galilæus, quod sit per reflexionem luminis terræ a Sole illuminatæ; sed probabilior dicendi modus est, quem asserunt Aversa quæst. 35. sect. 2. Licetus lib. de Lap. Bon. cap. 50. Scheiner disp. 37. Tannerus 1. disp. 6. quæst. 7. & alii lumen illud esse quoddam lumen secundarium proveniens a partibus cœli *propinquioribus* a Sole illuminatis, & a stellis proximis, cujus rei signum erit, quod Luna magis illuminata apparet in extremitatibus, quam in medio, utpote quia propinquius existunt partibus illis cœlestibus. Tum quia radii solares per reflexionem a terra non transcendunt secundam aeris regionem, aliter hæc esset calida.

160 Tandem de aliis astris dicendum probabiliter videtur, non solum a Sole illuminari, sed etiam propriam lucem habere majorem, quam sit albicatio illa Lunæ, prima pars patet; nam observarunt Astronomi superiores Planetas magis lucidos apparere, dum Sol est in auge, quia scilicet illi propinquor, quam dum est in opposito augis, & remotior, imo Venerem, & Mercurium tubo optico compertum est variari, & cornua habere ad modum Lunæ (quod etiam fertur de Marte inspecto cum Telescopio Fontanæ, dum esset in quadratura cum Sole,) quia scilicet magnum lumen a Sole recipiunt. Secunda pars, quod etiam sint astra ex se ipsis lucida, potest suaderi, non quidem ex hoc, quod alia astra non eclypsantur, ut Luna, nam umbra terræ sphæram Mercurii non transcendit, unde nec potest in illis Eclypsim causare, nec inter Mercurium, & Solem potest mediare terra, cum Mercurius a Sole non multum elongetur, nec circa terram moveatur, sed circa Solem; probari igitur potest ex hoc, quod omnia alia astra sunt diaphana, ut dicemus, ergo si lucida non essent, non viderentur, vel saltem non tam lucida conspicerentur, sicut nec cœli cernuntur propter diaphaneitatem; tum quia ex hoc capite salvatur probabilius scintillatio, ut infra; & tandem, quia Planetæ, de quibus minus videtur, apparent diversi coloris, quod indicat in luce differre, & tamen si a Sole tantum illuminarentur, deberet lumen in omnibus esse ejusdem rationis; ex quibus patet, quomodo Sol in genere lucidorum sit primum metrum, & mensura cæterorum, & fons lucis, nam cætera excedit, communicat omnibus lumen, dicique potest quasi solus lucens, quia comparatione ipsius cætera tenebrosa æstimari possunt; an vero hæc lux sit æque in omnibus astris intensa, negative respondendum, quia nulla apparet necessitas hujus æqualitatis, maxime quia sunt specie distincta.

161 Sed circa hanc reflexionem luminis in Luna a Solis radiis causatam est gravis difficultas, nam reflexio duo habet, quando fit ex corpore polito, & terso, primum, quod radius reflexus immediate causatur a corpore lucido, illudque repræsentat, ut patet de reflexione radii solaris facta in speculo, per quam Sol inspicitur in speculo, secundum est, quod hæc reflexio non fit per totum medium, sed ad certam & determinatam partem spatii, ut patet in eodem exemplo, sed Luna est corpus tersum, & politum, nam si esset asperum, & inæquale, admitteret in se concavitates, quas q. 2. art. 3. respuimus agendo de maculis Lunæ, ergo si esset luminosa, terramque illuminaret propter reflexionem radiorum solarium ad nos, deberemus in Luna Solem aspicere, ut in speculo, imo in nocte radius solaris, ut in die pervenire debebit ad terram; deinde non posset ex omni terræ parte Luna videri luminosa, sed tantum ex illa, ad quam fieret reflexio, quæ omnia sunt contra experientiam.

162 Huic difficultati duplex est modus occurrendi, primus est Angesti de prop. form. pag. nobis 40. quem sequitur Amic. tract. 6. quæst. 5. dub. 1. & 3. reflexionem radiorum in Luna non fieri in superficie Lunæ, sed in profunditate, vult enim quod sit aliquantum diaphana, licet non secundum totam profunditatem, unde Luna non illuminat proprie per radium reflexum, sed per radium absorptum in profunditate, hinc est, quod non inspicitur Sol, nec ad unam partem tantum fit reflexio, illi vero duo effectus assignati causantur a reflexione facta in superficie corporis politi, vel prope superficiem, ut evenit speculo. Secundus modus, & magis expeditus est aliorum, quos sequitur Aversa quæst. 34. sect. 2. dicentium lumen Solis recipi tantum in superficie Lunæ, reflexionem tamen esse duplicem; unam propriam, qua multiplicatur radius corporis lucidi secundum conditiones assignatas, & a nobis cum Scoto dicitur radius reflexus, & lumen primarium: alteram impropriam qua multiplicantur radii a corpore prius illuminato ab alio lucido, qui radii dicuntur lumen secundarium, & ad hanc non exiguntur illæ conditiones, ut patet de pariete a Sole illuminato, qui adhuc totam aulam illuminat causando lumen secundarium, nec fit ad determinatam partem spatii, sed ubique diffunditur, maxime si reflectens est sphæricum, nec per ipsam inspicitur Sol, & hujus generis est reflectio facta in Luna, ut patet experientia. Unde autem proveniat, quod in Luna non fiat propria reflexio, dici potest contingere, quia Luna, licet sit corpus politum, & leve, non asperum, tamen non est ita perfecte tersum, ut possit reflexionem propriam, & rigorosam causare. Vel quamvis concedamus fieri hanc reflexionem propriam, non ob id cogeremur asserere illam usque ad terram

ad terram provenire, & hoc propter magnam distantiam, videmus enim reflexionem radiorum Solis a terra non pertingere secundam aeris regionem, nam reflexio non diffunditur ad quæmcunque distantiam propter imbecillitatem specierum, sic reflexio e speculo non fit in quacunque distantia, & multum juvat reflexioni, ut longius protrahatur, corpus reflectens esse magis tersum; vide quæstionem secundam, artic. 3. in fine.

163 Cæterum pro completa cognitione hujus proprietatis astrorum duo debemus adhuc declarare, scintillationem scilicet, & Eclypsim, quæ duo connexionem habent cum luce, primum enim est effectus ipsius, secundum est quædam privatio luminis, & oppositorum eadem est disciplina.

Quoad primum, conspicuum est, stellas rutilare, & scintillare, ac veluti tremulas apparere, & quidem omnibus fixis hæc scintillatio convenit; antiquitus Planetis denegabatur, imo tanquam differentia præcipua assignabatur, stellas scilicet fixas scintillare, Planetas minime; deinde tamen compertum fuit etiam Mercurium scintillare, Solem quoque ad instar ferventis metalli ebullire, & totum commoveri, tandem Simon Marius in præfat. Mundi Jovialis fatetur se comperisse omnes Planetas præter Lunam rutilare, qui tremor non est in omnibus æqualis, nam etiam in stellis fixis quædam minores plus scintillare majoribus videntur, & e contra quædam majores valde rutilant, ut est stella in ore Canis, quapropter Philosophi conati sunt causam hujus effectus investigare.

164 Arist. 2. cœli 48. videtur asserere, stellas re ipsa non scintillare, sed nobis ita videri ob imbecillitatem visivæ potentiæ, & distantiam specierum stellarum fixarum, species enim visibiles objecti, quo longius protrahuntur, eo magis elanguescunt, unde nequeunt juvare potentiam, ut faciliter eliciat perfectam visionem, ideoque requiritur *major conatus potentiæ*, ad quem exigitur major copia spirituum vitalium, qui spiritus valde mobiles sunt, unde efficiunt, ut species receptæ in potentia moveantur, ut objectum mobile repræsentent, sicut existenti in navi terram moveri apparet ex hoc, quod species mobiliter recipiuntur in potentia, & quia Planetæ sunt prope nos, non adest hæc debilitas specierum; quæ ratio a Peripatheticis approbatur, præcipue a Coimbr. 2. de cœlo cap. 8. quæst. 1. Amic. tract. 5. q. 7. dub. 3. & aliis Scheiner. tamen dist. 18. 33. & 34. Blancanus p. 3. sphæræ tract. 12. Vitellio lib. 10. optic. prop. 55. & Tyco lib. 1. Progymnas. cap. 6. aliam extrinsecam causam assignarunt, scilicet agitationem medii, vel cœlestis in sententia illorum potentium cœlum fluidum, & a motu siderum continue agitatum, vel sublunaris ex continua ventorum, vaporumque transmeatione, unde & species moveri necesse est ex hac varia medii infractione, sicut patet in aquis, quæ dum commoventur, transmittunt species rerum in fundo existentium tremulas. Alii vero tribuunt rapidissimo cœlorum motui, ex quo fit, ut species fractæ, & tremulæ proiiciantur.

165 Nulla ex his rationibus est sufficiens, non prima, quia Mercurius minus distat, quam Saturnus, & tamen magis rutilat; tum quia stellæ æque distantes diversimode scintillant; tum quia major difficultas experitur in visione alicujus objecti sublunaris distantis, quam in visione stellarum, imo facillime videntur propter lucem, ergo non requiritur tam ingens spirituum concursus. Secunda, & tertia deficiunt, quia sunt rationes universales, & æqualiter de omnibus concludunt, nec demonstrant, cur quædam magis, quædam minus, quædam minime scintillant, & præcipue tertia, nam citius movetur Saturnus, quam Mercurius, ergo magis scintillare deberet. Lunam quoque aliquo pacto scintillantem apparere oporteret.

166 Aquilonius lib. 5. propos. 81. aliam assignavit causam a Platone desumptam, satis quidem probabilem, scilicet stellas ideo scintillare, quia circulariter circa proprium centrum singulæ moventur, & quoniam non æquali motu circumaguntur, hinc est, quod una magis altera minus appareat scintillare, & quia Luna tardissimo motu in seipsa movetur, scilicet in eodem tempore cum motu sui Epicicli, idcirco non videtur rutilans: quæ ratio, licet videatur ab Arist. cit. reprobari (nisi exponamus ipsum loqui de motu notorio, & diurno, ut facit Aversa q. 34. sect. 3.) tamen habet probabilitatem, nam si hunc motum tribuimus Lunæ, quia semper eandem maculatam faciem ad nos vertit, ita ut hæc uniformitas faciei sit sufficiens ratio positionis hujus motus, cur scintillatio non poterit esse probabile motivum concedendi motum hunc omnibus astris rutilantibus? hinc recte approbatur ab Aversa, qui tamen aliam quoque assignat rationem non minus probabilem, putat enim omnes stellas non esse penitus diaphana corpora, ut sunt cœli, nec omnino opaca, ut in extima tantum superficie habeant lucem, sed quandam diaphaneitatem cum opacitate admixtam habere, & in partibus interioribus lucidas esse, idcirco Lunam ponit perfecte opacam, & externa earum superficie illuminatam, ex quo quoniam partes inferiores visus aliqualiter sese offerunt non libere, & expedite, sequitur rutilationem illam causare majorem, vel minorem, juxta majorem, vel minorem diaphaneitatem, & quia Luna est totaliter opaca, nullum idcirco tremorem cerni in ipsa.

167 Quoad 2. de Eclypsi nor. est ex perspectiva; quod quando luminosum aliquod illuminat opacum minoris magnitudinis, præcipue si sint sphærica, illuminat plusquam medietatem illius, & quo magis sunt inter se propinqua, eo majorem partem illuminat, proiicitque umbram in partem diametraliter oppositam ad modum Pyramidis, cujus basis in opaco, & conus in termino umbræ, quæ tandem finitur; ratio hujus est, quia radii corporis luminosi, propter majorem molem ipsius attingunt puncta opaci ultra mediatatem, & plus ultra attingunt, quo sunt propinquiora; si vero luminosum est æquale cum opaco, solam medietatem illuminat, proiicitque umbram ad modum cylindri, seu columnæ, nec unquam talis umbra terminatur, ratio est, quia propter æqualitatem corporum radii attingunt opacum in medietate, nec possunt amplius post opacum simul occurrere in eadem parte spatii, ut faciunt radii majores luminosi; si tandem luminosum est minus, illuminat minus, quam medietatem opaci, & eo minus, quo sunt viciniora, quia radii attingunt opacum circa medietatem, proiicirque umbram *averse* Pyramidis, *conus* enim est in ipso opaco, & basis in infinitum extenditur secundum augmentum latitudinis. Ex quibus sequitur, quod cum Sol sit major terra, illuminat plus quam medietatem terræ, & plus in hyeme, quam in æstate, quia in hyeme est terræ propinquior, cum sit in opposito augis, in æstate est remotior, quia est in auge; ut diximus qu. 1. art. 1. & per consequens major est umbra terræ a Sole in oppositam partem projecta, quam in hyeme.

168 Insuper not. ex dictis q. 1. art. 1. Solem per Zodiacum semper sub Ecliptica moveri, alios Planetas hinc inde vagari, & præsertim Lunam proprio motu intersecat Ecliptica in duobus punctis, quæ puncta dicuntur caput, & cauda draconis propter figuram draconis, quam conficiunt, scilicet arctiorem in extremis, *latiorem in medio*, caput est punctum illud, in quo linea Lunæ transit ab austro ad aquilonem, cauda aliud punctum, in quo transit ab aquilone ad austrum, puncta illa, in quibus linea Lunæ maxime ab Ecliptica elongatur, dicuntur venter draconis. His notatis prius de Eclypsi Lunari agemus.

169 Eclypsis Lunæ definitur, quod sit *privatio luminis solaris* in Luna propter interpositionem terræ inter Solem, & Lunam; explicatur, Sol, quia semper sub Ecliptica movetur, proiicit umbram terræ ad parrem Ecliptiæ diametraliter Soli oppositam, ut ergo eclypsetur Luna, oportet, ut umbram terræ ingrediatur, per quam impediatur, ne illuminetur a Sole, quare requiritur, ut existat sub Ecliptica, in quam umbra terræ est projecta, & consequenter quod sit Soli opposita diametraliter, & quia solum in plenilunio est maxime Soli opposita, & non est diametraliter perfecte opposita nisi sit sub Ecliptica, neque est sub Ecliptica, nisi quando est in capite, vel cauda draconis, aut circa, sequitur, Eclypsim Lunæ contingere, quando Sol, & Luna existunt in capite, vel cauda draconis; quoniam vero plenilunia non semper sunt in capite, vel cauda draconis, sed ut plurimum in parte proprii excentrici declinant ab Ecliptica, idcirco non fit Eclypsis in quolibet plenilunio, sed solum cum ad Eclypticam accedit, & diversimode fit, nam Luna existens in plenilunio distans a capite, vel cauda draconis per 12. gradus non eclypsatur, distans infra sex gradus, tota eclypsatur, distans intra 12. & sex, eclypsatur in parte, quia secundum ingreditur umbram terræ, & quo plus Luna in umbra moratur, eo magis durat Eclypsis, unde *longior* est Eclypsis in æstate, quam in hyeme cæteris paribus, quia umbra terræ in æstate est major, quoniam Sol magis distat, cum sit in auge.

170 Eclypsis Solis est privatio luminis Solis in terra propter interpositionem Lunæ inter nos, & Solem, ex quo sequitur duo requiri ad hanc Eclypsim, & quod Luna sit cum Sole conjuncta, ut in novilunio, & quod simul sint in capite, vel cauda draconis, aut prope, aliter umbra Lunæ non proiiceretur diametraliter ad terram, sed lateraliter, potestque magis, vel minus durare, & major, vel minor pars Solis nobis obscurari secundum majorem, vel minorem propinquitatem Lunæ ad illa puncta Eclypticæ, & ad Solem, & quia non in quolibet novilunio Luna est in capite, vel cauda draconis, hinc non semper in novilunio fit Eclypsis solaris. Nec mirum, quod Luna quamvis minor obscuret Solem majoris molis; nam manus oculis propius admota montem maximum obtegit, sic Luna parva, & vicina Solem maximum occultat. Differunt autem istæ duo Eclypses, quod Eclypsis Lunæ sit per veram privationem luminis in Luna, omnibus in eodem instanti accidit, est universalis in tota terra, & æquali tempore durat apud omnes, quia hæc Eclypsis est quædam luminis corruptio, quod non corrumpitur comparative huic, vel illi parti orbis, sed absolute destruitur, ergo quamdiu Luna manet privata, apud omnes, & in toto tempore dicetur privata, at Eclypsis Solis non est vera privatio luminis in Sole, sed solum radiorum in hac terra existentium, unde contingere potest prius uni parti quam alteri, quia Luna potest prius interponi inter unius regionis habitatores, & Solem, quam inter habitatores alterius regionis, & Solem, potest quoque diutius durare quibusdam, quam aliis, nec est universalis in universa terra, quia hæc pender ex nostro aspectu, ideoque ad variationem aspectus variatur Eclypsis solaris. Hinc collige, Eclypsim Solis in passione Domini fuisse miraculosam; quia in universa terra, & in oppositione Lunæ, seu in plenilunio contigit. Alia sidera non possunt eclypsari propter interpositionem terræ, nam umbra terræ *projecta non transcendit* supra sphæram Solis; Venus, & Mercurius nunquam a Sole tam longe recedunt, ut inter ipsos terra intercipi possit, Venus enim circiter 60. gradibus, Mercurius 30. elongatur a Sole. Possunt tamen eclypsari, si inter nos, & alia sidera Luna, vel aliquis alius Planeta inferior interponeretur, sed *quoniam* per hanc eclypsim non fit sensibilis obscuratio, idcirco communiter solum de Eclypsi Solis, & Lunæ fit mentio.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De quibusdam aliis accidentibus cœlorum, & an specie a sublunaribus differant.

171 SUpponendum est, primo cœlos nullo modo præditos esse formaliter primis qualitatibus, scilicet calore, frigore, humiditate, & siccitate, nam istæ qualitates propriæ sunt elementorum, vel ex iis constitutivum, & propter contrarietatem maxime ad generationem, & corruptionem disponunt, cœli sunt alterius, & superioris naturæ ab elementis, & omnino naturaliter incorruptibiles ex dictis qu. 2. & 3, quamvis autem qualitates istæ ab astris producantur in his inferioribus, non tamen actione univoca, sed æquivoca, quæ solum infert, qualitates istas in astris virtualiter, non formaliter contineri. Ex quo etiam deducitur non dari in cœlis qualitates secundas a mixtione primarum provenientes, ut sunt sapores, odores, colores, &c. Etenim licet astra aliqualiter appareant colorata, ut Saturnus plumbeus, Jupiter flavus, Mars rubeus, Sol aureus, Venus etiam flava, Mercurius similis argento vivo, & Luna argentea, unde Astronomi ex coloribus deducunt alias stellas esse Saturninas, alias materiales, joviales, &c. Imo totum cœlum cæruleum, seu Zaphyrinum cernitur, hi tamen non sunt veri colores, ut putarunt Platonici, sed apparentes, hæc enim est differentia inter verum colorem, & apparentem, quod verus color est extremitas perspicui in corpore terminato, seu opaco, & ex mixtione primarum qualitatum insurgit, apparens est qualitas per se immutativa visus, unde lux, & lumen 2. de An. 69. dicuntur colores, & variis modis fiunt, ut notat Amic. tract. 6. quæst. 5. dub. 4. vel miscendo colorem colori, ut conficiunt pictores colores medios per mixtionem albi, & nigri, vel miscendo res parvulas varie coloratas, ex quibus distinctus color insurgit, ut in pannis evenit; vel ex concursu radiorum solarium cum opaco, & sic ad diversitatem opaci diversi apparent colores. In proposito quia color cæruleus est propter mixtionem lucis cum opaco, non erit verus color in cœlo existens, cum sit diaphanum, sed apparens, & in aere, sicut color in aqua, iride, & in collo columbæ est apparens, non verus; simpliciter diversitas colorum in stellis provenit ex varia dispositione diaphanitatis, & opacitatis ipsarum. Attamen si quis vellet sustinere colorem verum non distingui per hoc ab apparenti, quod ille a primis qualitatibus proveniat, non iste, sed ex hoc, quod verus color habeat causam intrinsecam, cur insit subjecto permanenter absque respectu ad aspectum nostrum extrinsecum, unde ab omnibus eodem modo videtur: apparens vero, qui non habeat intrinsecam causam, sed potius ab extrinseco dependet, & non eodem modo videtur ab omnibus in diversis locis existentibus, ut est in collo columbæ, cujus colores variantur ad variationem nostri aspectus, & in iride, quod erit evidens signum colores illos non esse veros, sed apparentes; Posset quoque iste talis sustinere in cœlis esse veros colores, eo quia causa intrinseca in illis reperitur, quæ erit varia illa mixtio diaphanitatis, & opacitatis in stellis, unde ex omni mundi parte taliter coloratæ ab omnibus cernuntur, quamvis non adsint primæ qualitates, nec forte a veritate recedet. Negare quoque debemus a Cœlis levitatem, & gravitatem, hæc enim sunt principia motus sursum, & deorsum, qui cœlis non competunt, cum unus motus simplex uni corpori simplici conveniat ex dictis in textu, tum quia hæ qualitates datæ sunt sublunaribus, ut possint ad propria loca tendere, cœlum a propria sede extrahi nequit, ergo in ipsis essent frustra.

172 Suppon. 2. est ex Arist. 2. cœli 52. ex motibus cœlorum nullum sonum causari, ut asserebant Pithagorici, qui cœlestem harmoniam taliter componebant, ut sonus acutus fieret a cœlo stellato propter maximam velocitatem, gravis a Luna propter ipsius tarditatem, medii ab aliis cœlis intermediis. Prob. autem assumptum primo experientia, nullus enim cœlorum sonus auditur a nobis. Non satisfit dicendo non audiri ob assuetudinem ab ortu absque interruptione silentii, vel propter distantiam, vel quia sit alterius rationis, cum enim proveniat a corporibus diversis ab elementis, nequit audiri sensu elementari, & medio elementaribus qualitatibus affecto. Non satisfit, nam talis sonus interrumperetur ex somno, aurium obturatione per multum tempus, & surditate, si quis scilicet post surditatem naturaliter, vel ex miraculo recuperaret auditum; tum quia assuefactio faceret, ut alii soni minores non perciperentur a nobis, ut contingit in aliis sensibus, in quibus vehemens sensibile impedit alias sensationes; videns enim Solem nequit alia visibilia perfecte videre, gustans cibum valde saporosum, non sentit minores sappores, idem de tactu, olfactu, & auditu dicendum. Nec obstat distantia; nam parva corpora efficiunt sonos in magna distantia; ergo cœli, cum sint ingentis magnitudinis, ut tota terra ad instar puncti se habeat, possent ad nos transmittere species soni, sicut alias actiones efficiunt; tum quia absque motivo fingeretur. Nec tandem valet diversitas alterius rationis, nam etiam lux cœli est qualitas conveniens substantiæ alterius rationis ab elementis, & tamen a potentia elementari sensitiva, & per medium sublunare videtur, tum quia hoc est voluntarie Philosophari. Accedit secundo quod sonus sit ex collisione duorum corporum, inter quæ intercipiatur aer, vel aliquod aliud corpus subtile, quod frangatur, ut in libro de Anima dicemus, & alium sonum assignare alterius rationis est quædam potius divinatio, & arbitraria fictio, quam recta ratiocinatio, in cœlis non adest tale corpus subtile medium, hinc negatur ex motu cœlorum causari sonum, quamvis se tangant, & velocissime moveantur. Nec urget authoritas Job 38. *Concentum cœli quis dormire facit?* ut enim exponit D. Hieronym. ibi, non est sermo de sono corporali, sed de ordinatissima cœlorum, & rerum dispositione, quæ concentus dici potest, quatenus excitat ad laudandum Deum, juxta illud Psalm. *Laudate Dominum de cœlis.*

173 Similiter negari debet a cœlis omnem tangibilem qualitatem, hæc enim, vel est prima qualitas, vel a primis dependet; unde ut notat Scot. 4. dist. 49. qu. 13. ad 1. princ. si quis superius ascendendo pertingeret cœlum, vere impediretur a cœlo, ne ultra ascenderet, experitur enim *se non posse ulterius* progredi propter resistentiam alicujus corporis, non tamen adesset verus tactus, nec cœlum actione intentionali immutaret sensum per qualitatem sensibilem a sensu tactus, nec cognosceret cœlum esse calidum, vel frigidum, durum, vel molle, &c. nisi quis asserere vellet suo arbitratu solam quantitatem ad tactum sufficere, quod est voluntarie dictum.

174 His igitur visis, quæ removentur a cœlis, explicanda sunt aliqua accidentia, quæ illis conveniunt, & primo in cœlis reperiri quantitatem certum est, an vero sit ejusdem rationis cum quantitate sublunarium, dicemus infra; hanc quantitatem insequitur tanquam passio quantitatis molis, quam declarare proprie spectat ad Mathematicam, cujus est mensurare quantitatem, vide Clavium in cap. 1. sphæræ. Deinde omnis res quanta est etiam figurata, itaut figura passio quantitatis ponitur, si cœlestia corpora sunt figurata, non quidem figura trilatera, quatrilatera, vel multilatera, sed rotunda, non ovali, aut lenticulari, sed perfecte sphærica, prob. de cœlis, nam si perfecte sphærici non essent, sed rudes, & quasi per quosdam angulos inter se concatenati, sequeretur vel ipsorum penetratio, vel vacuum in cœlis, quia cœli moventur quasi diversis motibus oppositis, vel ergo superficies convexa unius, & concava alterius secundum omnes partes se tangunt, & sic in motu daretur scissura, vel penetratio, aut non se tangunt, ergo inter illas esset vacuum, hæc ratio concludit de cœlis intermediis, de primo mobili quoad concavam superficiem, & de cœlo Lunæ quoad convexam, suadetur tamen de omnibus, quia non est ponenda differentia, ubi non urget ratio, aut experientia, ut est in casu; tum quia cœlo tribuenda est perfectissima figura, simplicissima, & quæ est accomodatior, ad continenda sublunaria corpora, ad motum circularem, & ad influendum, quæ sunt munera cœlorum, figura sphærica est perfectissima, quia nequit ipsi fieri additio, estque prior omnibus aliis, est simplicissima, quia unica continetur linea, est magis apta ad continendum, nam licet si consideretur quoad loci occupationem, & passivam continentiam sit omnium minima, ut docet Archim. lib. de ysoperimetris, tamen quoad concavitatem, & continentiam activam est omnium capacissima, nam illa est capacior figura, cujus perimeter, seu circumferentia in pluribus partibus recedit a medio, sphærica vero secundum omnes partes æque recedit, est aprior ad motum circularem ut diximus; & tandem est aptior ad influendum, quia sphæricum fortius agit secundum omnes partes propter illarum propinquitatem mutuo se juvantium, pars enim angularis cæteris paribus non ita fortiter influit, cum destituatur auxilio aliarum partium, a quibus distat, unde facilius corrumpitur.

175 Idem etiam de astris erit dicendum propter easdem rationes, tum quia Luna est sphæricæ figuræ, ergo etiam cætera sidera, cum ratio, vel experientia de aliis oppositum non suadeant. Antec. patet ex augmento, & decremento secundum portiones arcuales, si enim esset plana, statim ac a Sole paulum recederet, tota illuminaretur, & cum fit eclypsis solaris apparet circularis propter sphæricitatem Lunæ. Tum quia Planetæ in suis epiciclis moventur, imo probabile est secundum aliquos omnia astra in seipsis circumferri, ergo sphæricæ figuræ erunt, nam si essent plana, quando per motum verterent ad nos latera, exiguæ parvitatis apparerent, nec rotunda, quod est falsum; verum talis globositas non videtur a nobis propter distantiam. Hæc autem figura non debet poni substantialis cœlestibus corporibus, ut putavit Cremon. quia formaliter non dicit, nisi respectum partium ex dictis in Log. dist. 7. quæst. 3. nullius autem respectus est substantialis alicui, solum in sententia Aristot. poni posset accidens inseparabile, quia posuit cœlos necesse esse,

176 Ad quantitatem etiam sequitur raritas, & densitas, opacitas, & diaphaneitas: in cœlis reperiri densitatem, & non raritatem sæpius supra asseruimus ut qu. 2. art. 3. Diaphaneitas perfecta competit cœlis, quia nullo modo impediunt visionem astrorum. De stellis est dubium, maxime de Luna, & quidem diaphana nequit esse, aliter non contegeret Solem in eclypsi, videmus enim quamlibet parvam nubem solares radios occultare, an vero sit totaliter opaca, ut in superficie solum recipiat lumen, vel aliqualiter diaphana, ut etiam in profunditate aliquantum illuminetur, & reflectat ad nos lumen per radios absorptos, est incertum, cum non adsint urgentes rationes pro altera parte, ut innuimus q. præc. probabilius erit primum asserere, ut notat Aversa qu. 34. sect. 2. præcipue, quia in Luna semiplena non ita perfecte separarentur partes luminosæ a tenebrosis, istæ enim etiam aliqualiter illuminatæ apparerent, si lumen profunditatem attingeret, nisi velimus dicere non multum lumen immergi in corpore Lunari, nec videri partes illuminatas propter fulgorem aliarum, ad præsentiam enim luminis majoris minus

minus lumen absconditur. Alia astra non sunt perfecte diaphana, ut nullo pacto terminent visionem, nec perfecte opaca censeri debent, ut solum in extima superficie sint lucida, sed in profunditate quoque lucida poni debent, qua ratione etiam partes interiores nostro visui sese offerunt, ex quo provenire diximus præced. scintillationem, participant autem hanc diaphaneitatem, & opacitatem secundum magis, & minus, unde quædam magis lucida, quædam minus, quædam magis vel minus rutilantia conspiciuntur.

Tandem ad rem quantam consequitur esse in loco circumscriptive, quæ proprietas etiam cœlestibus corporibus convenit, & in præsenti solum est videndum an cœlo conveniant differentiæ positionum localium, cætera autem ad locum spectantia declarata sunt in Phys. d. 11.

177 Pro notitia hujus difficultatis not. quod sex sunt differentiæ positionum localium, scilicet sursum, & deorsum; ante, & retro, dextrum, & sinistrum, quæ differentiæ proprie in viventibus reperiuntur, licet non in omnibus, in non viventibus vero reperiuntur per quandam analogiam, & similitudinem; triplex enim potentia reperitur in viventibus, scilicet vegetativa, cujus operatio est augmentatio, sensitiva, quæ efficit sensationem, & loco motiva, quæ causat motum localem; A prima porentia sumuntur duæ differentiæ secundum longitudinem, scilicet sursum, & deorsum, sursum illa pars dicitur, a qua incipit nutrimentum, deorsum, ad quam nutrimentum ultimo terminatur, sic caput in animali, & radix in planta dicuntur p rs sursum, pedes vero, & rami pars deorsum. A potentia sensitiva sumuntur aliæ duæ differentiæ secundum profunditatem, scilicet ante, & retro, pars anterior illa erit, in qua sensus vigent, ut facies in animali, pars retro est alia opposita, & hoc est sumi secundum profunditatem, nam profunditas animalis attenditur a pectore ad dorsum. A potentia loco motiva sumuntur duæ differentiæ secundum latitudinem dextrum, & sinistrum, pars dextera est illa, a qua incipit motus, seu quæ fortior, & vigorosior est ad agendum propter majorem influxum cordis, & epatis propinquitatem, sinistra est pars opposita. In non viventibus vero non reperiuntur istæ differentiæ ex natura rei, quia non habent principia operationum viralium, sed solum similitudinem per habitudinem ad viventia, solum primæ differentiæ quodammodo ex natura rei videntur in universo reperiri, nam pars sursum est, quæ propinquior est cœlo, deorsum, quæ remotior, unde radix in planta respectu universi erit pars deorsum, at respectu plantæ erit pars sursum.

178 Dicendum igitur cœlo per se non convenire has differentias, sed extrinsece, & similitudinarie, ita Scot. 2. d. 2. qu. 5. A. Prob. ab ipso, quia cœlum non est animatum, tum quia cœlum est sphæricæ figuræ, nec aliqua pars erit, quæ talem habeat differentiam ex se, quælibet enim pars cœli non est magis capax virtutis motivæ, quam altera, poterat namque cœlum moveri super aliis polis, & aliter motus cœli ordinari, licet ob bonum universi, & influxuum cœlestium proportionem rectius fuit hoc ordine moveri, attamen hoc est extrinsecum cœlo, ex quo patet non sequi cœlum casu fuisse compactum, & totaliter motum, ut deducebat Cremon. Tum quia etsi ab intrinseco peteret hoc pacto moveri, non ob id proprie erunt istæ differentiæ in cœlo, quia solum adest localis motus, nec adest pars, a qua primo incipiat, & absolute motus, ut dicemus: extrinsece igitur, & per quandam analogiam tribuuntur cœlo, nec Arist. oppositum docuit 2. cœli 13. nam vel locutus est conditionate, supposito, quod dentur, ut asserebat Pythag. vel si absolute hoc asseruit, non determinavit tamen, an ex natura rei, vel analogice convenirent.

179 Modus igitur ponendi has differentias in cœlo est iste. Pars cœli dextera loquendo de primo mobili, & respectu nostri erit pars Orientalis, quia ab hoc respectu nostri incipit motus, sinistra vero erit occidentalis, pars anterior punctum meridiei, quia motus ab ortu tendit per meridiem in occasum, sicut motus animalis a dextro in sinistrum fit per partem anteriorem, punctum vero oppositum, qui dicitur angulus noctis, erit pars retro; sursum, & deorsum sumuntur secundum polos arcticum, & antarcticum, inter quos licet non cadat longitudo, possunt adhuc sumi istæ differentiæ, non enim asserimus reperiri ex natura rei, pars igitur superior erit polus antarcticus, tum quia sicut pars hominis superior est nobilior, sic iste polus est nobilior ob plures, perfectioresque influentias siderum, tum quia si constituatur homo cum dextera ad Orientem, & cum facie versus partem cœli supra nostrum caput existentem, jam caput habebit versus polum antarcticum, pedes versus arcticum, unde Antipodes superiores dici debent, nos vero inferiores. Diximus, si de primo mobili loquamur, quia si de aliis cœlis sit sermo, quatenus diverso motu apparenti ab occasu ad ortum moventur, res e contra se habet, nam pars dextera erit occidens, sinistra erit oriens, pars superior erit polus arcticus, inferior antarcticus, licet eadem sit pars anterior, & posterior. Diximus etiam respectu nostri, nam ut notat Scot. citat. eadem pars cœli poterit dici oriens, & occidens, oriens erit nobis, occidens antipodis, ideo quæ pars nobis est dextera, antipodis est sinistra, quæ nobis est anterior, antipodis est posterior, liceet polus antarcticus semper sit superior quoad istum motum.

180 Dices secundum Astronomos longitudo civitatum, & climatum attenditur ab ortu in occasum, latitudo vero ab uno polo ad alterum, ergo pars superior erit oriens, pars dextera, & sinistra erunt poli. Respondeo alia ratione sumi longitudinem, & latitudinem ab Astronomis, & a Philosophis, astronomi enim considerant motum astrorum per signa Zodiaci, qui motus major est ab ortu in occasum, quia fit per 360. gradus, quam a septentrione in austrum, qui non excedit 47. gradus, solemus autem majorem distantiam longitudinem vocare, minorem vero latitudinem, hinc ex hoc capite longitudo penes ortum, & occasum attenditur, latitudo penes polos, ar Philosophi assignando has differentias, solum considerant partem illam, unde incipit motus, quæ est oriens, & per hanc analogiam ad animalia assignant differentias istas, non penes longitudinem, & latitudinem, quæ vere in cœlis non adsunt, cum sint perfecte sphærici.

181 Remanet inquirendum in hac materia, an accidentia communia corporibus cælestibus tam inter se, quam cum sublunaribus comparatis sint ejusdem speciei, talia sunt quantitas, lux, densitas, opacitas, & diaphaneitas; quamvis negativa pars ab aliquibus probabiliter sustineatur, communior tamen opinio probabilius docet esse ejusdem speciei, sic colligitur ex Scot. 2. dist. 15. q. 1. A. ubi de quantitate docet consequi tamquam passionem substantiam corpoream, quæ communis est corporibus cælestibus, & sublunaribus, & dist. 13. q. 1. A. supponit idem specie lumen esse in igne, & in cælo. Fundamentum est, quia nulla apparet ratio distinctionis, ut patebit solvendo rationes in oppos. imo potius identitatis, nam idem effectus formalis reperitur in quantitate cælesti, & sublunari, nam sive formalis effectus quantitatis sit extendere partes in ordine ad se, sive in ordine ad locum impenetrabiliter, sive divisibilitas, sive ratio mensuræ, eodem modo hic, & ibi reperiuntur, similiter quælibet lux habet illuminare, quælibet densitas habet reddere corpus secundum partes valde in se unitum, & condensatum, quælibet opacitas reddere corpus impervium lumini, diaphaneitas tandem reddere corpus perspicuum, & transparens, licet secundum magis, & minus, quæ non variant speciem.

182 Dices ex 19. Met. 12. illa genere differunt, quorum non est communis materia, ita se habent accidentia cælestia, & sublunaria i e sent. Aristotel. Tum quia quantitas sublunaris est contrariorum susceptiva, est divisibilis in partes, est corruptibilis, cælestis vero oppositas habet conditiones. Neque dicas cælestem ita se habere non ex propria ratione, sed ex substantia, cui inhæret. Nec valet, quia hæc munera quantitas independenter a substantia, & ex propria natura habet, ergo cuicunque substantiæ inhæreat, semper erit ejusdem rationis, nec poterit a substantia impediri, tum quia potentia quantitatis cælestis ad hæc omnia esset frustra, nec ita perpetuo duraret, nullum enim per accidens est æternum. Tum 3. lux est nobilissima proprietas naturas rerum lucidarum insequens, ergo ad eorum distinctionem distinguitur, unum lumen aliud extinguit, & obscurat, ut lumen Solis cætera obscurat; item in diversis astris diversa producit, nam lux in Sole calefacit, & exsiccat, in Luna humefacit, &c. unum est purissimum, aliud habet admixtum aliquid palloris, aliud rubedinis. Tum quarto densitas in sublunaribus est qualitas secunda proveniens ex mixtione primarum qualitatum ex 2. de gen. cap. 2. est causa duritiei, & gravitatis, sicut raritas est causa mollitiei, & lenitatis, quæ nequeunt convenire cælesti densitati.

183 Resp. Aristot. ibi non loqui de materia, quatenus est subjectum, sed ut est pars intrinseca, & illa, quæ non habent communem materiam tamquam partem constituentem, differunt genere, aliter accidentia in diversis specie subjectis existentia, ut albedo nivis, & cygni differrent specie, quia non haberent communem materiam, seu subjectum. Ad aliud de quantitate dicimus ut ibi quantitatem esse ex se subjectum accidentium, &c. sed dependenter a substantia, quæ est subjectum ultimatum, omne enim munus, quod exercet, ultimate a substantia recognoscit, & sic poterit a substantia impediri, ne scilicet dividatur, corrumpatur, & contraria recipiat, si hæc substantiæ repugnent, nec ob id potentia quantitatis esset frustra, quia sufficit, ut in alia portione quantitatis, scilicet sublunaris, actuetur, per accidens autem licet ex sua ratione non possit esse æternum, ab extrinseco tamen, & ratione tertii posset perpetuari, sic licet per accidens sit, quod cælestis quantitas non dividatur, poterit tamen perpetuo durare ratione substantiæ cælestis, sicut videmus evenire in adamante. Ad 3. lux non est proprietas specifica, sed generica, sicut albedo in lacte, nive, &c. falsum etiam est unum lumen aliud destruere, nam existens in profundo puteo adhuc in meridie videret astra, respectu tamen nostri apparet minus lumen obscurari, quia objectum sensibile si fit longe intensius alio, totam potentiam ad se rapit, ut patet de majori sono impediente auditum, ne minorem percipiat; imo posset retorqueri, quia unum lumen ab alio videtur intendi, ut patet experientia, at accidentia diversæ speciei adinvicem non intenduntur; falsum quoque est, lucem in diversis astris producere diversos effectus, ut dicemus qu. seq. nec tandem diversitas illa colorum infert specificam distinctionem, quia non sunt veri colores, vel quia proveniunt ex majori, vel minori opacitate, vel diaphaneitate subjecti, unde radii solares debiles in opaco denso nigredinem causantes, & in opaco tenui causantes medios colores, non differunt specie. Ad 4. densitas sua natura non petit necessario a primis qualitatibus produci, nec illos effectus causare, sed indifferenter se habet, ex varia dispositione formæ substantialis, cui advenit, cæterum diversitas causarum efficientium non infert distinctionem specificam, ut patet de calore producto a sole, & ab igne.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De cœlestium corporum actionibus in sublunaria.

184 QUod cœlestia corpora agant, & influant in hæc inferiora, *clarum* est apud *omnes*, ita Scot. 2. dist. 14. quæst. 3. & hoc non tantum ut causæ universales concurrendo cum causis sublunaribus, e quibus multi effectus non producerentur, nisi virtus cœlestis accederet, nam per solis accessum omnia ad generandum fiunt vegetiora, & fortiora, ut patet in æstivo tempore, per recessum vero imbecillia, ut in hyeme, hinc 2. Physic. 26. dicitur solem, & hominem generare hominem; verum etiam agunt ut causæ speciales, & totales, contra Giennium de cœlo 2. p. c. 15. quamplurimi enim effectus non nisi a cœlestibus corporibus queunt provenire, ut illuminatio, vaporum attractio, pluviæ, &c. ut fusius patebit in progressu quæstionis, de istis igitur actionibus erit ultimo loco disputandum.

ARTICULUS I.

Quæ cœlestia corpora agant in hæc inferiora.

COmmunis opinio astris omnibus tribuit actionem in hæc sublunaria, dubium est, an etiam cœli efficiant aliquid, & non defuerunt, qui partem affirmativam sustinuerint, imo alii dixerunt cœlum empyreum etiam in his inferioribus influere, ita D. Thom. 1. p. quæst. 66. art. 3. Mayr. Dur. Riccar. Argent. 2. dist. 14. Clavius in sphær. cap. 1. Suarez lib. 1. de oper. sex die. cap. 5. Conimb. 2. cœli cap. 3. quæst. 2. Morif. disput. 4. dub. 5. Amic. tract. 6. qu. 3.

185 Dicendum est, omnia sidera tam fixa, quam errantia in hæc inferiora influere influxu diverso pro diversitate effectuum ab ipsis pendentium, inter cœlos mobiles solum primum mobile influere, non quidem secundum totum, sed secundum partes illas etherogeneas circulum Zodiaci formantes, at empyreum propter propriæ lucis productionem, & convexæ superficiei primi mobilis illuminationem, nullam aliam actionem habere in hæc inferiora, ita colligi potest ex Scot. 2. dist. 14. qu. 3. ubi loquens de influentiis cœlorum de stellis facit mentionem, & Prob. primo de astris, de Planetis quidem est manifestum, experimur enim multos, & varios effectus ab ipsis generari, ut innuimus qu. 2. art. 2. item de fixis; Canis enim causat calorem, Arturus frigus producit, Orion pluviam affert, & arcticus polus in magnetem influit. Deinde cœli primo mobili inferiores nullam habent actionem, quia cum sint homogenei, si aliquam influentiam haberent, jam per omnes mundi partes æqualiter influerent, eosdemque effectus causarent, quod patet esse falsum; solum posset illis attribui effectus a motibus cœlorum provenientes, de quibus art. 3. At primum mobile, quia continet alium zodiacum ab illo, qui in cœlo stellato existit, ut diximus qu. 1. art. 2. secundum istas partes etherogeneas influit in sublunaria. eo quia Sol diversos effectus causat, quando est sub signo Tauri, ac quando est sub signo Leonis, & sic de aliis, ut observarunt Astronomi, quibus est adhibenda fides, quod nequit intelligi de zodiaco cœli stellari, ut ibi notavimus, ergo de zodiaco primi mobilis, qui necessario erit ex partibus diversæ rationis constitutus propter diversitatem effectuum, quos causant, quod etiam est dicendum de aliis cœlis, si etherogenei ponerentur.

186 Tandem de Empyreo prob. nam quod detur hoc cœlum solum, est communis consensus Patrum, & Scholasticorum ex Sacra Scriptura deductus, non ex aliqua naturali ratione, estque immobile omni substantiali compositione ex materia, & forma carens, nam illud chaos, per quod materiam primam multi Patres intelligunt, ponitur in Script. attigisse usque ad cœlum exclusive, per cœlum autem intelligitur Empyreum, ut notat Doctor d. cit. qu. 1. insuper ponitur ex tribus partibus constare duabus eximis solidis, unaque media liquida ad modum auræ cujusdam cœlestis, ut advertit Lessius de sum. bono. lib. 3. cap. 8. infima pars est solida, cui Beati insistunt, quæ etiam analogice terra viventium dicitur, suprema iterum solida coercens mediam fluidam, & hoc quia in cœlo debet esse sonus, & cantus, ut neque mens, neque lingua in Sanctis vacent a divina laude, ad quem necessarius est alicujus corporis refractio, quod enim aliqui dicunt cum Suar. cit. cap. 8. Beatos habituros pulmonem, stomachum, & hipocondria aere plena, quem hinc secum deferent, & quem, cum volent loqui, & canere, sursum attrahant, atque palato allidant, ita tamen ut nihil foras emittant, sed per corporis poros, & demensionum penetrationem assiduo quodam circulo ad priores cavitates redire faciant, parum credibile, & decens videtur, melius erit ponere ipsum cœlum fluidum (de quo forte explicari possent loca illa Scriptur. ponentia aquas super omnes cœlos) totumque immensa luce respersum, qua vel illuminat connexam primi mobilis superficiem, vel & probabilius illuminat, quia concavam habet opacam, non lucidam, & hac ratione non videtur a nobis; In illo igitur felicitatis contubernio recreabuntur aures sono, & vocali musica, oculi splendore, & intuitu Beatorum, & præcipue Christi Domini, ac Beatissimæ Matris; nares suam habebunt voluptatem in suavitate odoris, quem corpora Beatorum, & fortasse ipse locus diffundet; florebunt enim Sancti sicut lilium, & sicut odor balsami ante Dominum, ut tandem nihil sit in Sanctis, quod jucunditate, & lætitia non abundet. Ex quibus omnibus apparet finis, propter quem empyreum fuit conditum a Deo, scilicet ut esset sedes, & domicilium Beatorum, & si homines non ordinasset ad vitam æternam, illud non produxisset, nihil enim commune videtur habere cum his inferioribus, & totaliter ad aliam vitam, & statum attinet. Tum quia usque modo compertum non est aliquam peculiarem influentiam habere, nec aliqua ratio oppositum demonstrat, ut patebit solvendo illas.

187 In oppos. arg. quod astra non agant ex Damasc. 2. de fid. cap. 6. ubi negat cœlestia corpora esse causas generationis, & corruptionis rerum, sed has ad sublunaria pertinere. Tum 2. quia agens, & passum debent communicare in eadem materia 1. de Gener. 87. debent esse simul 7. Physic. 8. omne agens assimilat sibi passum 1. de Gener. 51. in agendo reparitur ibidem 43. quæ omnia nequeunt cœlis convenire respectu sublunarium. Tum 3. sequeretur nullum effectum contingenter evenire, nam propter maximam ipsorum activitatem omnes causæ sublunares raperentur ab ipsis, & omnes necessario causarent. Tum 4. quod primum mobile non agat, ostendit Aversa, quia & si daretur, non ob id partes illas etherogeneas cogimur admittere, nam diversitas effectum signis zodiaci attributa salvari posset, vel per diversum accessum, & recessum Solis, vel per diversum aspectum plurium Planetarum inter se ex motu, quem habent in zodiacum, vel per diversum situm Solis ad stellas fixas.

188 Resp. ad 1. Dam. negare cœlos esse primam causam, & a Deo independentem, ut admittebant illi, contra quos disputabat. Ad 2. propositionem illam ex 1. de Gener. 51. valere de agente univoco, non æquivoco, sicut est Deus, & cœlum, ut notat Scot. 4. d. 12. quæst. 3. DD. quamvis nec etiam de univoco sit universaliter vera secundum veritatem, nisi intelligatur de communicatione aptitudinali, non actuali, ut patet in accidentibus Eucharistiæ, simultas agentis, & passi non necessario debet esse localis, sed sufficit virtualis, ut scilicet sint simul per contactum virtutis, vel quod agens aliqua actione agat in medium, sive eadem, sive diversa ab illa, qua agit in extremum, parum refert, de quo fuse diximus disputat. 7. Physic. quæst. 4. artic. 3. rursus agens univocum assimilat sibi passum formaliter, at æquivocum solum virtualiter, quatenus producit in passo formam illam, quam virtualiter effective in se continet, & hoc modo astra sibi assimilat inferiora, tandem repassio in agente tunc evenit, quando agit per activas & contrarias qualitates, ut sunt calor, frigus, &c. de quo agente ibi loquebatur Aristot. non de quocunque universaliter. Ad 3. ait Doctor in 2. citat. quod circumscripto omni libero arbitrio humano, angelico, & divino, omnes causæ necessario, & naturaliter causarent, attamen quia cœli nullam habent influentiam in liberum arbitrium, ut dicemus art. seq. ideo neg. assumptum. Ad 4. non solum Planetæ causant varios effectus propter variationem accessus, aspectus, & situs ad stellas fixas, sed per variam conjunctionem cum signis Zodiaci, unde quilibet Planeta ponitur ab Astronomis habere duo signa Zodiaci pro domo propria, præter Solem, & Lunam, qui unam tantum domum habent, Leo enim est domus Solis, Cancer domus Lunæ; Virgo, & Gemini sunt domus Mercurii; Veneris Libra, & Taurus; Martis Scorpius, & Aries; Jovis Sagittarius, & Pisces; & tandem Saturni Capricornus, & Aquarius, in quibus Planetæ magnam habent virtutem, & signum primo loco positum dicitur domus principalis, quia tunc maximam habent virtutem, aliud dicitur domus minus principalis, e contra signum ex diametro oppositum domui alicujus Planetæ dicitur detrimentum Planetæ, unum signum dicitur exaltatio Planetæ, oppositum dicitur casus, & ex varia configuratione signorum inter se, varii quoque causantur aspectus, vel benefici, qualis est sexangularis, & triangularis, vel malefici, ut oppositus, & quadrangularis, ut fuse docent Astronomi: Philosophi enim munus est supponere Astronomorum dicta, & causas deinde investigare; cum ergo hæc omnia de zodiaco stellati cœli non verificentur, sed primi mobilis, necesse est primum mobile ex partibus etherogeneis constare.

189 Secondo argu. quod cœlum empyreum influat in hæc inferiora. Tum quia est omnium cœlorum perfectissimum, ergo perfectiorem debet habere actionem, aliter esset substantia quædam otiosa. Tum 2. empyreum est pars universi, partes autem inter se uniuntur, eo quia superior agit in inferiorem, ut inferior regatur, & conservetur a superiori. Tum 3. quia multi effectus fiunt semper, & uniformiter in diversis partibus terræ, etiam ejusdem paralelli, qui non nisi ad aliquam causam immobilem debent referri, qualis est empyreum. Antec. prob. nam homines unius regionis semper habent easdem inclinationes; in Hungaria, & Tartaria equi generantur pernicissimi ad cursum, in Mauritania innumeræ simiæ gignuntur, idem de arboribus, & metallis experimur, quæ uniformis diversitas non debet totaliter terræ ascribi varie dispositæ, sed etiam cœlo, a quo dispositiones illæ proveniunt, nec alicui cœlo mobilier, aliter quæ fiunt in una regione, deberent fieri in omni alia sub eodem paralello existente, quia per motum pars cœli illius paralelli pertransit omnes illas regiones, ergo debet alicui cœlo immobili adscribi. Tum 4. secundum Astronomos Planetæ majorem habent virtutem existentes in Oriente, quam in elevatione supra Orizontem, vel in occasu, quod nequit provenire ab illa parte cœli mobilis, quia hæc etiam movetur simul cum Planeta, neque ex vario modo proiiciendi radios, quia fortiores deberent esse in meridie, cum fortiores tunc radios proiiciant, ergo ex parte alicujus cœli immobilis ibi semper existente. Tandem

dem arguit Morif. Aspectus pixis nauticæ in Septentrionem debet habere aliquam causam immobilem, sicut aspectus ille est semper idem, at nulla alia immobilis causa datur in cœlis præter empyreum; si quæ enim alia assignari posset, esset polus, hic autem nequit esse, quia ut experientia compertum est, pixis numquam directe aspicit polum, nisi sub meridiano insularum Fortunatarum, a quibus si recedatur Occidentem versus ad Americam, pixis quoque a polo recedit per novem gradus, si versus Orientem; & pixis etiam versus Orientem a polo recedit per novem itidem gradus, ergo polus nequit esse causa talis aspectus, aliter semper illum aspiceret.

190 Resp. ad 1. sæpe dictum est perfectionem in substantia non semper arguere perfectiorem operationem, ut diximus disp. 7. Phys. quæst. 6. art. 2. & patet in Angelis, qui nullam possunt elicere actionem substantialem, sufficit ergo, ut Empyreum inserviat Beatis ad inhabitandum, propriam lucem producat, & munera illa exerceat in probat. conclus. assignata, ne dicatur otiosum. Ad 2. Empyreum propter nos est pars universi, quatenus dicit aggregatum quid ex rebus naturalibus, non enim inservir alicui rei naturali, sed supernaturali; scilicet beatitudini, sed quicquid sit de hoc, unitas universi sufficienter per continentiam, & contiguitatem corporum constituitur. Ad 3. ipsemet Suarez concedit non concludere, potest enim pro causa assignari terra tanquam causa materialis, quæ propter varias dispositiones, & rerum semina ab initio illi insita, ut air Aversa, varios, & diversos producit effectus, & quia semper remanent illæ dispositiones, nec in omnibus regionibus reperiuntur, idcirco poterit produci peculiaris effectus in una regione, non in alia, non enim est necesse, ut terra sub eodem paralello existens tota sit ejusdem rationis, causa quoque erit diversitas aspectuum astrorum, & conjunctionum adinvicem, quamvis enim pars illa cœli semper eodem modo se habeat respectu totius terræ sub eodem paralello existens, non tamen quamlibet illius terræ partem in eodem aspectu cum aliis stellis aspicit, sed in hac parte habet talem conjunctionem cum aliis stellis, tam fixis, quam errantibus, in alia parte habebit aliam conjunctionem, & aspectum: dicunt enim Astrologi sidera peculiaria quodam aspectu regiones quasdam aspicere, & dominari, tam fixa, quam errantia, cum igitur varientur causæ efficientes, & materiales, mirum non est si quidam effectus gignantur in una regione, & non in alia. Ad 4. si valeret, concluderet etiam sidera in omni puncto cœli habere eandem efficaciam, cum enim quodlibet punctum sit Oriens, & Occidens, licet respectu diversarum terræ partium, ex alio capite Planeta in Oriente habeat peculiarem vim, & hoc universaliter, sequitur hanc vim ubique habere, quia semper Oriens dici potest respectu alterius, & alterius regionis, quare cœlum immobile deberet esse uniforme secundum omnes partes, non ergo hæc vis proveniet in ipso propter aliquam partem Orientalem cœli immobilis: hæc enim est ejusdem rationis cum meridiana, quare etiam in meridie idem causaret, sed potius ex vario aspectu, quem habent Planetæ in Oriente, quem non habent in meridie, vel in Occasu; cur autem aspectus ille sit magis causativus illius virtutis, & non alius, non possum reddere forte rationem a priori, nisi quia hoc est hoc, illud est illud, sufficit nobis, quod ex hoc capite non inferatur aliqua causa immobilis. Ad 5. supposita veritate illius observationis dicendum erit, neque polum solum, neque partem aliquam cœli juxta polum esse causam illius aspectus, sed tota pars illa cœli polum per novem gradus hinc inde circumdans, quæ licet mobilis sit, tamen cum uni parti altera succedat ejusdem rationis, & activitatis respectu magnetis, sive postea differant inter se, sive non, bene cum mobilitate cœli stare poterit immobilitas hujus aspectus, nam etiam secundum ipsum non pars aliqua exigua in cœlo empyreo causabit aspectum istum, sed tota illa pars circumstans per novem gradus, ergo idem dicere possemus de parte illa primi mobilis. Adverte, quod si hæc argum. valerent, concluderent existentiam Empyrei naturaliter cognosci debere, vel saltem quod Philosophi, & Astronomi aliquod cœlum immobile statuere debebant, quod nullus hucusque asseruit.

ARTICULUS II.

Quinam effectus producantur ab astris.

191 AD quatuor genera omnes effectus producibiles a cœlestibus corporibus reducere possumus, claritatis gratia, primum genus accidentia constituent, secundum corpora quædam inanimata, ut elementa, mixta, &c. tertium omnia animata vegetabili anima, ac sensitiva, quartum tandem, quæ constant anima rationali, quoad primum Averr. 2. cœli com. 42. Achill. 4. de orb. dist. ultim. Jand. Zim. & alii Averroistæ, Picus etiam lib. 13. de evers. ingu. cert. sect. 2. putarunt, astra præter lumen, calorem, siccitatem, & motum localem nullum aliud accidens causare in his inferioribus, aut saltem non causare frigus, & humiditatem per se, sed solum per accidens.

192 Veritas tamen ab omnibus concessa est, astra etiam frigiditatem, & humiditatem per se causare in istis inferioribus, ita Scot. 2. dist. 14. quæst. 3. A. & prob. nam experientia docet causare lumen, calorem, & siccitatem, de motu locali prob. cœli enim propter maximam motus velocitatem non tantum ignem secum rapiunt, sed etiam aeris supremam regionem, nam cometæ, & aliæ hujusmodi impressiones in aere genitæ circulariter moventur ad motum astrorum, a quibus fuerunt productæ; Luna in aqua causat motum localem, qui fluxus, & refluxus dicitur, ut dicemus disp. 4. q. 4. art. 4.

193 Deinde quod etiam frigus causent, & humiditatem, prob. ex Job. 37. *Ab interioribus orietur tempestas, & ab Arturo frigus*; probat. etiam experientia, nam observarunt Astronomi, dominante Saturno, sive per annum, sive per mensem, magnum frigus generari in his sublunaribus, similiter regnante Luna maximam humiditatem, unde dormiens expositus radiis lunaribus efficitur paralyticus, quia infrigidantur, & humectantur membra. Nec valet, quod asserunt, hoc per accidens evenire propter absentiam, & recessum Planetæ, sicut nautæ sua præsentia est causa conservationis navis, sua absentia naufragii, vel quia hæc sidera modicum habent calorem, idcirco videntur refrigerare, & humectare. Non valet, quia tale frigus, vel humiditas non generantur in absentia Saturni, aut Lunæ, sed cum præsentes sunt, habentque dominium in hæc inferiora, & cum in nostro Orizonte apparent, expertum enim est ex concursu Saturni maximum frigus de novo evenisse, cum antea dies maxime calidus fuerit, ex quo impugnatur, quod additur, etenim modicus ille calor potius debebat augere, quam mitigare, & retundere calorem illius diei. Tum quia astra mutuo se impediunt in actionibus, & hoc, quia agunt actionibus contrariis, aliter nullum esset impedimentum, ergo positive, & per se causant frigus, non per accidens, ut sic enim potius adinvicem se adjuvarent, quam obstarent. Tum quia tenentur assignare causam per se illius frigoris, & tandem non solum calor, sed etiam frigus per se intenditur a natura, ambo enim sunt dispositiones necessariæ ad generationem sublunarium, vel simul, ut in mixtis, vel separatim, ut in elementis, ergo sicut formæ substantiales sublunarium per se a cœlis efficiuntur, dispositiones quoque erunt per se intentæ, & causatæ ab astris.

194 Dices: videmus ex absentia Solis in nocte statim frigus, & humiditatem fieri, item elementa dantur ex se frigida, & humida, ergo non est necesse ponere aliud agens cœleste per se productivum frigoris, unde Aristot. 25. sect. probl. 21. negat stellas frigidas esse, nam se habent, inquit, ut cor, quod in membra solum calorem influit. Resp. videmus quoque ex præsentia quorundam astrorum generari frigus, igitur dari debet aliqua causa per se productiva illius, tum quia cum per se sit intentum a natura, non sufficit, quod per accidens generetur. Aristot. vero negat stellas formaliter esse frigidas, non autem virtualiter; vel negat omnes stellas frigidas esse, ut dicebant antiqui, non aliquas.

195 Quoad 2. corpora inanimata alia sunt simplicia, ut elementa, alia sunt mixta imperfecta, ut pluviæ, nubes, nix, alia tandem sunt mixta perfecta, ut metalla, lapides, gemmæ, respectu istorum omnium astra duplicem habere possunt actionem, alterativam, seu dispositivam unam, generativam alteram; primam omnes admittunt, clarum enim est in omnia ista influere, producendo primas qualitates, de secunda est dubium: Contarenus enim qu. de orig. form. negat a cœlis formam aliquam substantialem produci, sed omnem formam, ait, reperiri in seminario formarum, quod est essentia quædam spiritualis a Deo creata simul cum materia, & in materia, quæ in se distincta sit, & indeterminata, in sui autem gremio quamplures gradus essentiales contineat, qui sunt formæ determinatæ rerum, & ad dispositionem propriam materiæ unus gradus exurgit, & fulget, ubi prius latens, & consopitus manebat, adveniente autem alia dispositione, prior gradus iterum absconditur in seminario, & alter novus egreditur, sicut in tragœdiis, & repræsentationibus ad variationem scenarum mutantur interlocutores; alii vero asserunt produci ab intelligentia. Ex opposito Raguf. disp. 16. & Fernel. lib. de abditis rerum causis cap. 5. & seq. putant omnem formam substantialem a cœlis produci. Tandem Soncin. 12. Met. q. 13. concedit formas substantiales a cœlis produci, non quidem principaliter, sed instrumentaliter, quatenus assistens intelligentia utitur cœlis ad generationes rerum.

196 Media via incedendum, falsum scilicet esse, astra omnes formas substantiales posse producere, falsum quoque nullas posse producere, & quidem, quod nequeant omnes formas producere, patebit ex dicendis infra, nullam enim animam possunt generare; quod vero aliquas producant, probat Doctor cit. nam elementa, etsi non semper ab astris generentur, ignis enim potest producere ignem, & aqua aquam, licet tunc concurrant astra ut causæ universales, aliquando tamen totaliter producuntur ab astris, accedente enim Sole ad Zenith unius regionis, elementa superiora, & calida, scilicet ignis, & aer augentur, & inferiora frigida terra, & aqua minuuntur, in regione vero opposita aqua, & terra augentur, ignis, & aer decrescunt proportionaliter, accedentibus stellis effective frigidis; sic quoque si æstivo tempore exponatur soli speculum concavum, & ubi sit reflexio radiorum sit esca, statim ignis generatur. Mixta imperfecta totaliter a cœlestibus causantur, nam materia illorum sunt vapores, qui virtute stellarum ad locum generationis elevantur. Idem dicendum de mixtis perfectis, hæc enim non producuntur univoce ab aliis similibus corporibus, nec ab aliis mixtis, in quibus virtute contineantur, ut patet, nec ab elementis, quia sunt imperfectiora (hoc autem intellige effective, non materialiter, nam sic aqua, & terra, vel saltem vapor terreus aliquo modo concurrit) ergo a cœlestibus corporibus remanet, quod producantur, non quidem, ut sunt instrumenta intelligentiæ, sed ut causæ principales, nam astra sunt istis

perfe-

perfectiora, & sunt de genere activorum, cum disponant materiam ad recipiendam formam subſtantialem, quare non erit deneganda ab ipſis productiva virtus; Seminarium illud ex parte refutatum eſt diſput. 2. Phyſ. quæſt. 7. art. 1. ſed fuſius in lib. de gen. diſp. 5. quæſt. 6.

197 Dices: aut ſtellæ ante lapſum Adæ habebant vires excitandarum tempeſtatum, aut poſt lapſum a Deo receperunt, non primum, quia fruſtra fuiſſent, nam aſtra nullum talem effectum produxiſſent, fuiſſet enim injuria hominem nimboſis, pluvialibus, & fulminibus exponere; nec 2. quia magna cœlo fuiſſet illata mutatio, ſi poſt lapſum novas habuiſſet virtutes. Reſp. concedendo virtutes has ab initio ante lapſum Adæ inditas fuiſſe, an *vero eoſdem effectus* produxiſſent, quos nunc cauſant, utraque pars eſt probabilis, affirmativa probabilior, nullum tamen nocumentum hominibus attuliſſent; ſi vero negativa aſſeratur, ex diſpoſitione divina, ſicut erit poſt diem Judicii, adhuc nullum ſequitur inconveniens, quia omnia perfecte divinæ *obediunt voluntati*.

198 Quoad tertium genus duplex dubium oriri poteſt, cum enim in quolibet vivente reperiatur anima, & forma corporeitatis, videndum eſt, an aſtra poſſint omnem animam vegetativam, & ſenſitivam producere, an ſaltem omnem formam corporeitatis, tam plantarum, quam brutorum. Sed not. quod animata alia dicuntur perfecta, alia imperfecta, perfecta dicuntur illa, quæ nonniſi virtute ſeminis generari poſſunt, imperfecta vero, quæ ex putrida materia generantur, quamvis etiam aliqua ex his vi ſeminis producantur, ſic plantæ quædam ex putri, & ex ſemine gignuntur, quædam ſolum ex ſemine idem in animalibus conſpicitur, apes enim ſolum ex putri generantur, mures ex putri, & ex ſemine, leones ſolum ex ſemine, hinc iſta perfectio, & *imperfectio non debet attendi penes gradus eſſentiales*, nam quodlibet brutum ex putri genitum perfectius eſt qualibet planta perfecta in gradu eſſentiali, ſed attenditur penes modos generationis: hoc præcepto.

199 Quantum pertinet ad animam, qui poſuerunt cœlos perfectiores rebus animatis habent concedere poſſe quoque illa producere, quamvis plures ex iſtis reſtringant ſuam ſententiam ad viventia imperfecta, & negent perfecta a cœlis eſſe producibilia; Qui vero ponunt cœlos imperfectiores concedunt etiam nullum vivens poſſe cauſari ab aſtris principaliter, ſed inſtrumentaliter, & in virtute intelligentiæ vel motricis, & inferioris ordinis, ut Themiſt. Aviceu. & Alphar. apud Conimb. 2. cœli cap. 3. qu. 6. nec multum diſtant Cap. Sonc. & Ferrar. vel *primæ*, ut *reliqui omnes*, ſolum Gabr. concedit cœlos imperfectiores, & ſimul cauſas horum viventium; iſta autem virtus, vel fuit ab initio cœlis indita, ut Ruv. aſſerit, vel in tempore communicata, ut cum Dur. docent Conimbr. qua volunt cœlos attingere animam viventis, ex hoc quod inſtrumentum quodlibet putant ut elevatum attingere terminum principalis agentis, vel ſine immediato concurſu agentis principalis, ut Conimbr. Ruv. vel cum tali immediato concurſu, ut Suarez diſp. 18. Met. ſect. 2. num. 38. Amic. tract. 6. quæſt. 8. dub. 6. & alii. De forma corporeitatis eſt opinio Avicen. tract. de diluv. quam videtur ſequi Alb. 8. Phyſic. tract. 2. cap. 10. poſſe cœlos formam corporeitatis inducere in materia tam imperfectorum viventium, quam perfectorum, etiam hominis, itaut in ſent. iſtorum fœmina non *eſt ſimpliciter neceſſaria* ad *formationem corporis*, ſed tantum ad bene eſſe, raro enim invenitur in elementis locus aptus ad generationem viventium perfectorum propter continuam variationem, ideo natura providit de cerro, & determinato loco, qui eſt matrix fœminæ; communis ſent. ſolum hoc concedit viventibus imperfectis.

200 Dicimus primo, ſtellas nullo pacto attingere productionem cujuſcunque animæ ſive vegetativæ, ſive ſenſitivæ, tam perfectorum, quam imperfectorum, nec *principaliter*, nec inſtrumentaliter, ſed quando nequit aſſignari vivens aliquod pro cauſa, ut in viviparis, immediate a Deo produci, ut authore naturæ. Concluſio colligitur ex Scot. 2. diſt. 8. qu. un. diſt. 14. qu. 3. & diſt. 18. probantur ſingula, quod aſtra principaliter non producant animam ullam, quia ex dictis qu. 3. ſunt *imperfectiora* viventibus, nullum autem imperfectius poteſt producere perfectius, ut fuſe probavimus diſp. 7. Phyſ. quæſt. 6. art. 2. Deinde, quod nec inſtrumentaliter, patet ex dictis diſp. cit. Phyſ. quæſt. 5. ubi oſtendimus de ratione inſtrumentalis cauſæ non eſſe attingere terminum principalis agentis, nec virtute propria, nec virtute ab agente de novo recepta; tum quia cœlum, ut elevatum quocunque modo ſemper eſt imperfectius quolibet vivente, quia *per elevationem non conſtituitur in genere viventium*, ergo ut ſic nequit attingere productionem animæ. Quapropter productio animæ (præter quam in viviparis, in quibus agens poteſt aſſignari fœmina, ut dicimus in lib. de gen.) ſuperiori agenti aſcribi debebit, tale autem non eſt intelligentia aliqua creata, quia hæc immediate nequit producere in corporibus formam aliquam abſolutam, ut innuimus diſput. 7. Phyſic. qu. 6. art. 2. ſed ſolum motum localem, & ſecundum aliquos impulſum ad *talem motum*, cætera vero *producit* mediante motu cœli applicando activa paſſivis, ut communiter docent omnes Theologi, quare non erit agens principale, ſed applicativum agentis principalis, ſicut ſe habet approximans ignem ſtuppæ, cœlum autem, nec in ſe, ut diximus, nec per motum habet talem virtutem producendi viventia, ut dicemus art. 4. imo nec formam aliquam abſolutam, ergo remanet, quod ſolus Deus ſit immediate animarum productivus, neque hoc eſt ad miraculum confugere, ut *ait* Averſa, & vilificare Dei concurſum, quod effectuum tam ordinariorum productionem ſibi reſervaſſet, cum aliorum effectuum perfectiorum cauſas creatas ſufficientes conſtituiſſet; etenim Dei eſt ſupplere imperfectionem cauſarum ſecundarum, quando non adeſt ſufficiens cauſa, ut in propoſito, quod *in aliis multis omnes concedunt* cum Scot. 4. diſp. 12. q. 3. imo ex hoc magis apparet divina omnipotentia, & magis providentia Dei redditur conſpicua.

201 Dicimus 2. ſtellas poſſe *formam corporis imperfectorum* viventium totaliter producere, perfectorum tamen ſolum coadjuvando ſemen, & fœminam in actionibus, non totaliter, ita collig. ex Scot. 2. diſt. 8. & 18. prima pars prob. viventia imperfecta, quia non habent partes multum diſſimilares, nec indigent *concurſu plurium requiſitorum* ad generationem, unde breviſſimo tempore fiunt, nec ad conſervationem, & perfectionem, poterunt quoad corpus a cœlis produci, nam poterunt aſtra alterare elementa ad diſpoſitionem formæ *corporeitatis*, quæ *cum* non excedant in perfectione ipſa aſtra, non eſt denegandus ab *ipſis* concurſus *productivus*; hinc experientia videmus plantas aliquas, & animalia, ut vermes, ſerpentes, piſces aliquos, ranas, mures, talpas, & ſimilia generari ſine commixtione ſexuum, & ubi prius non fuerant, eo quia ex *materia putrida* generantur. Viventia vero perfecta, quia partibus conſtant multum *diſſimilaribus*, plures requirunt alterationes, & mutationes prævias, antequam introducatur forma corporis, nec ſufficit agens univerſale, & indeterminatum, ſed exigitur agens determinatum, & particulare a natura deſtinatum ad talem effectum, quale eſt ſemen, & virtus matricis fœminæ. Tum quia propter hanc partium etherogeneitatem non ſtatim corpus generatur, ſed multum temporis conſumitur, ut patet de homine, cujus corpus ſpatio 40. dierum, ſi eſt vir, vel 60. ſi eſt fœmina, efformatur in ventre, in quo tempore partes generantur diverſæ omnino virtutis, ſtomaco enim ineſt virtus chilifica, epati virtus ſanguifica, teſticulis virtus prolifica, cor eſt calidum, cerebrum frigidum, &c. impoſſibile autem videtur tot dierum ſpatio in cœlis eandem conſtellationem, & aſpectum durare, ut ad has contrarias mutationes ſimul concurrant, cum ſint in continuo motu, & variatione. Tum quia hæc animalia perfecta non ſolum plura exigunt ad generationem, ſed multo plura ad conſervationem, & ut ad ſtatum perfectum perveniant, & præcipue indigent nutrimento, cura, & ſollicitudine parentum, a quibus ſi eſſent derelicti, ſtatim interirent, ut patet experientia, hac enim ratione natura, quæ *in neceſſariis non deficit*, fœminæ dedit matricem tanquam locum proportionatum, in quo fœtus poſt generationem conſervari, nutriri, & ad ſtatum perfectum pervenire poſſit, conceſſit etiam lac, ut poſt partum poſſit adhuc fœtus nutriri, donec ope non egeret aliena, quibus omnibus eſſet deſtitutum animal, ſi a cœlis quoad corpus poſſet in loco aliquo elementorum produci, ut patet, & ſtatim interiret; ergo quia natura non deficit in neceſſariis, aſſeri debet, cœlos non habere hanc productivam virtutem, aliter & nutritivam, ac conſervativam debuiſſent habere. Hinc Ariſt. ſect. 10. probl. 13. de hac re loquens ait. *Quamobrem hujus etiam ſæculi mutationes ſemen animantium minutorum generi ſatis contrahere poſſunt, quod ſæpius uſu evenit, tum enim maxime oriuntur, cum mutationes temporum inceſſerunt; majorum autem genus mutationem quoque pro ſui magnitudine deſiderat ampliorem.* Tandem accedit experientia, nunquam enim expertum eſt, hæc animalia ex putri generari, cum tamen & ſi non tam frequenter ut imperfecta, non tamen tam raro deberent produci. Solum igitur concurrit cœlum, ut cauſa univerſalis, quatenus calore proprio fovet calorem vitalem ſeminis, & matricis, ut facilius diſponant materiam, juxta illud 2. Phyſic. 26. *Sol, & homo generant hominem*.

202 Contra 1. concl. arg. quod cœlum poſſit eſſe cauſa immediata, vel principalis, vel inſtrumentalis viventium imperfectorum agens potens *inducere in materia diſpoſitiones* ſufficientes pro aliqua ſubſtantiali forma poteſt eam educere de ejus potentia, vel principaliter, ſi non excedit vires ipſius agentis, vel inſtrumentaliter virtute agentis principalis, ſi excedit, ratio eſt, quia forma ſubſtantialis naturali ſequela conſequitur ſufficientes diſpoſitiones, ergo potens inducere tales diſpoſitiones, educet formam, aliter materia eſſet ſine forma, ſed cœlum poteſt inducere formam corporeitatis ſaltim imperfectorum, quæ eſt ſufficiens diſpoſitio ad animam, ergo &c. hinc Scot. in diſt. 18. E. videtur concedere ranas a cœlo produci. Tum 2. quod producantur ab intelligentia, prob. quia Angeli ſunt capaces hujus virtutis productivæ, ergo illam habent, nam Deus creavit ſpecies rerum perfectas in proprio genere, Antec. prob. quia hæc virtus eſt finita, & *inferioris* gradus, cum etiam perfectis animalibus competat, quæ in perfectione exceduntur ab Angelis, quod autem poteſt virtus inferior, poteſt etiam ſuperior; unde Dæmones a Magis conſtricti multoties hæc animalia cauſarunt, ut legitur in Sacra Scriptura de Magis Ægyptiis, incantationibus ranas, & alia animalia produxiſſe. Tum 3. quod non producantur immediate a Deo, quia vel eſſet cauſa univerſalis, vel particularis; non primum, quia hæc requirit cauſam particularem ſimul agentem, qualis eſſet cœlum *in caſu*, quo *negatur*; non 2. quia tunc eſſet perpetuum miraculum, dum ageret ſine cauſa naturali, ac etiam quia multo magis animalia perfecta exigerent a Deo produci immediate, & tamen ab aliis ejuſdem ſpeciei generantur.

203 Reſp. ad 1. quando *forma* excedit in perfectione agens diſponens, neg. aſſumptum, & probat. vel per ly naturali ſequela conſequi intelligitur, quod ſtatim ac ab agente introducuntur *diſpoſitiones*, *producitur forma vitalis cauſalitatis* & ſic eſt falſum, quia

quia hæc cauſalitas, ſemper eſt inſtrumentalis, numquam principalis cauſæ, vel eſt ſenſus, quod prima cauſa, quia regulariter ſupplet imperfectionem naturæ, idcirco ad diſpoſitiones formæ excedentis vires naturæ ſtatim inducit formam, & ſic *eſt verum*, *ſed nil contra nos*. Scotus vero ideo ambigue ibi loquitur, quia non adhuc determinaverat quamlibet animam eſſe perfectiorem cœleſtibus corporibus, ut fecit poſtea in 4. diſt. 12. qu. 2. E. vel ait a cœlis produci tamquam ab inducentibus ultimam diſpoſitionem animæ, quæ eſt forma corporis, ſicut homo hac ratione dicitur generare hominem. Ad 2. neg. Ant. ad prob. dicimus finitatem virtutis, & perfectionem naturæ non eſſe ſignum ſufficiens, quod reperiatur aliqua virtus activa *in aliquo* perfectiori, aliter homo poſſet generare aurum, plantas, & animalia ſenſitiva, ſed requiritur, ut perfectus in ſe contineat virtutem activam imperfecti, *licet eminentius*, hæc autem continentia arguitur a poſteriori ab effectibus producibilibus a perfectiori; cum ergo Angeli ſint naturæ intellectuales, *cujus* potentiæ ſunt intellectus, & voluntas, & ſecundum aliquos potentia executiva, & motiva, quarum nulla eſt productiva ſubſtantiæ, hinc negamus in Angelis hanc virtutem, ut diximus diſp. 7. Phyſ. qu. 6. art. 2. cit. ſed hoc proprie ſpectat ad tract. de Angelis. Negatur quoque, Dæmones propria virtute ranas illas produxiſſe, ſed ſolum applicaſſe cauſas naturales potentes alterare materiam ad diſpoſitiones neceſſarias, norunt enim proportionem miſcendorum, & virtutes, unde quoad motum localem, omnia corpora obediunt Dæmonibus, poſſunt ipſi conjungere activa paſſivis, & directe applicare cœleſtibus influentiis, ut notat D. Auguſt. 3. de Trin. c. 8. tum quia multa animalia ex illis fuerunt, vel apparentia, vel aliunde translata. Ad 3. ſi valeret, concluderet Deum in productione animæ rationalis, miraculoſe ſemper agere; quare concurrit ut cauſa univerſalis, quatenus eſt omnium gubernator, & rector, cujus eſt ſupplere defectus creaturarum; poteſt etiam dici cauſa particularis, ſcilicet ſolitaria, quia non habet cauſam ſecundam coagentem, non ob id tamen ſupernaturaliter agit, quia non eſt actio extraordinaria, & indebita naturæ, ſed ordinaria, & debita propter defectum agentis; nec paritas de perfectis animalibus valet, quia hic adeſt agens æque perfectum, & approximatum, non ibi.

204 Contra 2. concl. arg. oſtendendo cœlos poſſe formam corporeitatis perfectorum generare. Tum quia hæc forma introducitur in materia diſpoſita, quæ diſpoſitio conſiſtit in quodam temperamento primarum qualitatum, at hoc totum poſſunt cœli præſtare, ut patet in metallis, quorum materiam alterant, & diſponunt, & in viventibus imperfectis, in quibus non tolum eſt diſpoſitio materiæ, ſed etiam etherogeneitatis partium. Tum 2. quia ſemen eſt imperfectius cœlis, forma corporeitatis perfectorum eſt etiam imperfectior, ergo poterit a cœlis produci, aliter non recte, nec ſufficienter probaremus formam corporis imperfectorum poſſe a cœlis produci. Tum 3. ex multis experientiis; prima eſt de Ogyge, & Inacho, quos e terra genitos fuiſſe referunt Juſtin. Martyr. in procem. Euſeb. lib. 7. de præp. Evang. cap. 7. Philo Judæus in lib. de Mundi incorrupt. Diod. Siculus lib. 1. rerum antiq. cap. 1, & 2. & de Julio Camillo refertur diſpoſitiones fere humani corporis produxiſſe, certa quadam proportione calorem igneum fornacis attemperante. Secunda ex Plin. lib. 8. nat. hiſt. c. 24. Solin. in polyhiſt. cap. 36. equæ in Luſitania Favonio flante concipiunt, idem contingere in Cappadocia referunt Sol. *in deſcript. Cappad.* & Div. Aug. lib. 1. de civ. Dei cap. 5. & de Vulture idem refert D. Amb. Tertia eſt de Phœnice, quæ avis unica in mundo reperitur, & propter ſui perfectionem non eſt inter imperfecta animalia computanda, imo viderur omnium perfectiſſima, & tamen non vi ſeminis, ſed ex cinere demortui quot annis reſurgit, & renovatur. Quarta eſt de vitulo e cœlis ad terram inter imbres dejecto, teſte Avic. lib. de diluv. qui *nonniſi in nubibus* fuit productus. Quinta eſt de beſtiis efferatis, quæ in inſulis a continenti remotiſſimis inveniuntur, iſtæ enim ob ferocitatem ab hominibus illuc non fuerunt delatæ, nec ex ſeipſis pervenerunt, ob maximam diſtantiam, nec ab initio creatæ, & per generationem procreatæ, cum diluvii tempore paucis exceptis omnia interierint animalia, ergo a cœlis remanet fuiſſe productas; quod etiam de hominibus Americam habitantibus poſſet dici. Sexta ex Cardano, Munſtero, & aliis apud Morif. *hic dicentibus in Hybernia* anates ex lignis putridis in mari jacentibus procreari, & ibidem arbor quædam reperitur, intra cujus fructus aviculæ continentur, ac ſi nucleo eſſent incluſæ, aves autem ſunt animalia perfecta. Septima ex monſtris, ſæpe enim videmus ex brutis oriri animal cum capite humano, *imo* refert Angelus lib. 1. de propr. cauſ. prop. 15. in Italia ex muliere, & urſo hominem generatum probæ vitæ, a quo nobilis progenies eſt derivata, ſimiles caſus adducit Roccus 2. Phyſ. 9. ergo nec ſemen, nec matrix animalis ejuſdem ſpeciei ſunt neceſſaria inſtrumenta ad generationem animalium perfectorum, in his enim caſibus nonniſi virtute ſtellarum generatur figura unius animalis in matrice alterius diverſæ ſpeciei, quibus accedit, quod quædam ſtellæ reperiuntur talis virtutis, quod vel *omnino impediunt* generationem, quantumcumque matrix, & ſemen ſint efficacia, & diſpoſita ad concipiendum, vel monſtruoſos partus efformant, ergo ex oppoſito quædam erunt ad generandum ſufficientes, unde in quibuſdam lapidibus conſpicitur figura quædam maſculini, & fœminini ſexus, ſignum evidens hujus generativæ virtutis in cœlis.

205 Reſp. ad 1. non poſſe a cœlis produci formam corporeitatis perfectorum, quia ut diximus multa requiruntur tam in generatione, quam in conſervatione, nutritione, &c. quæ non exiguntur ad formam imperfectorum. Ad 2. imperfectio ſeminis, & matricis non inter virtutem ipſorum reperiri in cœlis perfectioribus, ſicut neque infert, quod talis *virtus* reperiatur in Angelis, ratio a poſteriori erit, quia ad generationem perfectorum non ſufficit agens aliquod univerſale, & indeterminatum, ſed requiritur agens particulare determinatum, quod poſſit durare, quantum eſt neceſſe ad generationem corporis, & deinde ſit potens illud fovere, nutrire, & conſervare; quæ nequeunt a cœlis præſtari; ideo natura ad hæc munera ſemen, & matricem inſtituit.

206 Ad experientias illas dicimus, primam, & ſecundam fabulas eſſe, & *inventiones vulgi*, nec authores illi de viſu comprobant, ſed ſolum traditione, præcipue tamen equæ concipere dicuntur flante Zephyro; quia forte iſte ventus magis aptus eſt ad conceptionem. Tertia non minus fabuloſa dici debet, ut recte adnotant Conimbr. non enim eſt certa unitas Phœnicis, non certa vitæ duratio, nec certum genus *mortis*, unde nullus author teſtatur, hæc omnia viſu obſervaſſe, ſed ſolum in fide parentum: hæc omnia referunt de Phœnice, imo multis ex adverſo plures Phœnices reperiri experientia teſtantur, unde Ariſt. quamvis auxilio Alexandri magni totius Orientis Monarchiæ adjutus, nec verbum quidem de hac *hiſtoria fecit*; & *licet* multi Patres hoc aſſerant, imo ut medio utantur ad oſtendendam poſſibilitatem reſurrectionis, non urget, quia argumenta ſumpſerunt ex conceſſis a Gentilibus, ſed quicquid ſit de hoc, dicimus perfectionem viventis in præſenti non ſumi ex perfectione eſſentiali, ſed ex modo generationis, ut diximus, quare Phœnix inter imperfecta animalia computari poſſet, quatenus ex ſua natura non petit ex conjunctione ſeminum produci, unde primo non eſt efformatus ad *modum avis*, *ſed potius* vermiculi, qui ex putri ſolet generari. Ad 4. dicitur communiter, vel fabulam eſſe, vel dæmonis ope, aut magna ventorum vi eo delatum, & poſtea in terram fuiſſe dejectum. Ad quintum quidam dicunt diluvium operatum univerſam terram tunc ab hominibus habitatam, nam finis fuit punitio peccatorum, ergo terra non adhuc peccatis corrupta, ut erant tunc iſtæ inſulæ, non debebat deleri, & hac ratione Scot. 2. diſt. 17. qu. 2. negat Paradiſum terreſtrem a diluvio deſtructum fuiſſe, & in hoc ſenſu explicat Script. cum univerſaliter de tota terra loquitur, ſcilicet de tota, & omni habitata; at melius ait D. Aug. 16. de civ. 7. poſt diluvium, vel Angelorum miniſterio, vel hominum ope perveniſſe, vel enatando; tum quia ait Amic. ex Luſitanorum navigatione haberi multas, & *maximas* inſulas reperiri ſine ullo perfecto animali, ſi quis autem aſſereret quoſdam homines illuc appuliſſe cum illis animalibus, ad habitandum, vel venandum, vel fortuna dejectos, quamvis memoria, & certa traditio non habeatur, non facile refelli poſſet, quotidie enim videmus naves e longinquo animalia etiam efferata conducere; quomodo neceſſe eſt aſſerere de hominibus in Indiis occidentalibus repertis, ſcilicet aliquando illuc perveniſſe ex magna ventorum tempeſtate; vel quod non ſatis adhuc conſtat Americam inſulam eſſe, an vero continenti conjunctam. Ad 6. dicimus ut ad 3. Ad 7. concedimus cœlos concurrere cum ſemine ad generationem *monſtri*, quia poteſt conſtellatio aliqua pervertere, & corrumpere partem aliquam in ſemine, vel impedire, ſi non totaliter ſaltem partialiter activitatem *ſeminum*, & deinde monſtra generari, natura enim univerſalis vivens ob imperfectionem activitatis ſeminis non poſſe perfectum animal generari, nec materiam *diſponi* ad figuram v. gr. hominis, ne illa fruſtrata remaneat, eo modo quo poteſt, aliquid producit, & monſtra contingunt, & quando ſemina ſunt alterius *rationis* agunt ad effectum medium, hinc in Africa ſemper aliquod novum animal fit, imo hoc totum præſtare poteſt vis imaginativa, vide Roccum cit. cauſas monſtrorum aſſignantem, non ob id tamen id eſt concedendum aſtris ſe ſolis confideratis, ratio eſt quia in priori caſu concurrunt vis ſeminis formativa partium etherogenearum, matrix fovens, & conſervans, non in poſteriori, nec agens partiale, ſi cum alio coagente poteſt aliquid cauſare, ſequitur poſſe etiam ſe ſolo, *licet* ſit magis principale, quando illa agentia ſunt alterius rationis. Et nota, quod ratio fundamentalis noſtræ concl. ſumitur maxime ab experientia, quod numquam videmus hæc animalia perfecta ex putri provenire.

207 Tandem circa homines clarum eſt, non poſſe aſtra in ipſorum generationem totaliter influere, poſſunt tamen partialiter concurrere alterando materiam cauſamque ſecundam adjuvando in ſuis operationibus, ut de animalibus perfectis dictum eſt. Poſſunt quoque cœleſtia corpora per ſe; & directe influere in corpus ſenſuſque humanos inducendo diſpoſitiones aliquas convenientes, vel diſconvenientes, unde & corrumpere, & lædere poſſunt organa ſenſuum, ut patet in phræneticis, & lunaticis; poſſunt enim intendere, & mittere corporeas qualitates, quare etiam infirmitates inducere queunt, ita Scot. ſæpe cit. Ratio eſt, quia humana corpora ſunt quædam mixta materialia, ergo ut ſic ſubjiciuntur cœlorum influxibus. Dubium eſt, an etiam influant in animam rationalem, ejuſque potentias, intellectum, & voluntatem. Quidam antiqui, & Priſcillianiſtæ Hæretici affirmativam partem docuerunt, ut *omnia fatali* quadam neceſſitate hominibus contingerent, ex ſiderum activitate, & influentia directe, & per ſe in animam terminata. Pro quo not. quod agere directe, & per ſe *in aliud* eſt, quando agens reſpicit illud aliud tamquam proprium; paſſum inducendo formam aliquam, ut cum ignis calefacit aquam; agere indirecte, & per *accidens* eſt, quando agens non producit immediate ſuum effectum in illud aliud, ut in proprium paſſum, ſed in aliquod illi conjunctum, ex qua conjunctione provenit in illo aliquis effectus, ut

proiiciens sagittam in incertum, si casu aliquem vulnerat, vulneratio dicitur indirecte, & per accidens a proiiciente provenire; hoc tamen dupliciter contingere potest vel necessario, & naturaliter, si illa duo sunt naturali vinculo conjuncta; vel libere, si ex voluntatis arbitrio solum uniuntur in actione.

208 Dicimus sidera directe, & per se non influere in intellectum, & voluntatem, sed solum indirecte, & per accidens; in intellectum quidem necessario, in voluntatem contingenter; prima pars est communis Catholicorum, estque definita in Concil. Bracar. 1. c. 9. & 10. adsunt etiam decreta quamplurima Summorum Pontificum præcipue Sixti quinti, & Urbani octavi, & prob. agens directe in aliud debet virtualiter continere effectum, cujus subjectum est capax; ergo si cœli agerent directe in intellectum, & voluntatem, deberent virtualiter continere formam, cujus illæ potentiæ sunt capaces, quod est falsum, quia talis forma necessario esset spiritualis; nam materialis non posset recipi in illis potentiis, quæ sunt spirituales, nullum autem spirituale potest a materiali causari. Tum quia si in voluntatem agerent, cum naturaliter agant, voluntas non posset non recipere talem formam, & si hæc formam ad actionem impelleret, propter subordinationem essentialem inferioris causæ ad superiorem, non posset voluntas non agere, ergo necessario, & non libere operaretur, quod est contra fidem, & veram Philosophiam.

209 Secunda pars prob. quia pro statu isto intellectus, & voluntas nostra a sensibus dependent in operari, ergo si directe cœli influere possunt in humanos sensus, indirecte dici possunt in intellectum, & voluntatem influere, unde videmus eos, qui ob aliquam influentiam deordinatum habent organum sensus, & perturbatum, ut amentes, non recte per intellectum operari; videmus insuper, qui a cœlis appetitum habent sensitivum magis ad unum objectum inclinatum, quam ad aliud, difficulter ab illo abstineri, cum pro statu isto voluntas nostra nata sit condelectari appetitui sensitivo, juxta illud; *Ducimur in vetitum semper, cupimusque negatum*, cum hoc tamen discrimine, quod intellectus, quia est potentia naturalis, movetur indirecte, & necessario a cœlis; repræsentatis enim speciebus, & perturbatis phantasmatibus, necessario intellectus exit in actum juxta ordinem potentiarum; ut voluntas, cum sit potentia libera, nec necessario repræsentato objecto exit in actum, sed adhuc potest suspendere actionem, movetur ab astris indirecte, & contingenter, quia licet quoad entitatem potentiæ animæ sensitivæ, & voluntas sint naturaliter radicatæ in eadem anima, non tamen quoad operari, sed potest voluntas non agere, imo suspendere actiones potentiarum sensitivarum, ut ipsius imperio subiiciuntur.

210 Contra 1. partem arguitur, quia potest corpus agere in spiritum, ergo cœli in animam. Ant. prob. tum ratione; quia spiritus agit in corpus, ut patet de Angelo movente cœlum, & anima informante corpus, non enim magis improportionatum est spiritus corpori, quod non possit ab illo pati, quam e contra; Prob. etiam experientia, nam dæmones secundum quosdam cœlorum aspectus, ac Lunæ variationem vexant obsessos, maleficis citius accurrunt, & quibusdam herbis, vel lapidibus constringuntur, & alliciuntur; tum quia ex vario siderum aspectu *homines quoad ingenium, mores*, & *scientias* valde inter se differunt, tandem patet ex prædictionibus astrologorum etiam quoad eventus ex nostra voluntate pendentes. Refert enim Svetonius in vita Augusti, quod nato Augusto Publius Nigidius nobilis astrologus inspectis cœlorum aspectibus in puncto nativitatis, exclamavit Dominum terrarum orbi natum, & de Nerone etiam asseritur quemdam astrologum pronunciasse natum Imperatorem, fore, qui Matrem esset necaturus, quod cum mater Agrippina audisset, exclamavit, *occidat, modo imperet*, & multa alia exempla in dies occurrunt.

211 Resp. negatur assumptum, ad 1. prob. neg. paritas, nam Angelus quoad motum, & anima quoad informationem, sunt virtualiter divisibiles, quamvis formaliter indivisibiles, nullum autem corpus potest esse virtualiter indivisibile, aliter produceret effectum nobiliorem, nobilius enim est formaliter indivisibile, quam virtualiter solum, quæ ratio non militat de Angelo, & anima. Ad primam experientiam dicimus, dæmones ideo determinatis temporibus magis vexant obsessos, quia cum agant per applicationem activi passivo, sciunt illis temporibus humores magis perturbari, qua ratione tunc magis præsto sunt maleficis, quia facilius mandata exequuntur in homines; herbis, verbis, vel lapidibus alliciuntur, non quidem physice, sed moraliter ex pacto cum maleficis inito; arcentur quoque exorcismis moraliter virtute divina, & Angelorum ministerio, sicut de jecore illius piscis legitur in libr. Tobiæ; quapropter nullum corpus potest physice, & naturaliter agere in Dæmones. Ad 2. experientiam *dicimus solum* probare 2. partem concl. diversitas enim acuminis intellectus in una materia, & non in alia indirecte provenit a cœlis, quatenus disponunt sensus internos, & inclinationes in unum objectum, & non in aliud, complexiones enim naturales sunt diversæ, diversasque habent proportiones cum rebus, unde quispiam magis delectatur in una re, quam in alia, hinc intellectus perfectius operatur circa rem illam. Ad 3. dicimus ideo prædictiones illas aliquando evenire, quia voluntas nata est condelectari appetitui sensitivo, cogitationes enim hominum pronæ sunt ad malum Gen. 8. & perversi difficile corriguntur Eccl. 1. hac ratione ut plurimum operatur juxta inclinationem sensuum; ita notat Doctor sæpe cit. sed ut evidentius hæc difficultas intelligatur, sequentem art. examinare debemus.

ARTICULUS III.

Quid possint Astrologi ex siderum observatione præcognoscere.

212 Præcognitio futurorum, de qua loquimur in præsenti, est illa, quæ ex cognitione rerum naturalium habetur, ideoque physica appellata; si ergo ex cognitione alicujus rei præcognoscatur aliquis eventus habens cum illa re connexionem aliquam naturalem, puta quia est effectus illius, vel mediate, vel immediate, tunc bona erit præcognitio, nec superstitiosa, at si motivum enunciandi eventum aliquem erit res aliqua nullo pacto connexa naturaliter cum illo, suspecta, & superstitiosa erit præscientia; qua ratione omnis præcognitio Necromantia dicta, quæ fit vel cum evocatione umbræ mortuorum, vel cum ossibus cadaverum, imaginibus, inspectione puerorum, vel fœminarum prægnantium in speculo ab annulis; item Geomantia, quæ fit punctatione in terra, vel charta, divinatio per numeros, qua utebantur Pytagorici, Pyromantia ab igne, Aeromantia ab aere, Hydromantia ab aqua, & aliæ hujusmodi sunt prorsus vanæ, superstitiosæ, & nonnisi ope Dæmonum haberi possunt, nullum enim vinculum ex natura rei habent hæc omnia cum re enunciata: attamen Physionomia, quæ ex effigie corporis habetur & pars illa Metoscopia, quæ lineas frontis contemplatur, & Chiromantia, quæ lineas volæ manus *considerat*, supposito, quod dicunt Astrologi, has lineas esse effectus siderum, possent admitti, quia procederent ad indagandos effectus siderum, cum quibus naturalem connexionem haberent, eo quia ab eadem communi causa procederent; num tamen hoc suppositum sit verum, ostendant Astrologi, Hyppolitus Obic. in sua apol. pro veritate Astrologiæ pro firmo habet lineas illas vere a stellis causari, & ad variationem aspectus cœlorum variari, imo testatur ex inspectione harum linearum facillime deveniri in cognitionem horoscopi, seu puncti nativitatis cujuscumque, figuramque genituræ effomari, quod experientia se multoties comperisse confitetur; si hoc esset verum, non posset negari naturalis nexus inter has lineas, & astra, & consequenter ex hoc capite non essent hæ scientiæ suspectæ; absolute tantum Chyromantia est damnata ex Constitut. Sixti V.

213 Deinde not. quod hæc præscientia habita ex siderum observatione (qua ratione *Astrologia* dicitur, & professores *Astrologi*, seu Planetarii nuncupantur; & Genethliaci ex perscrutatione puncti nativitatis) maximam habet difficultatem annexam ex multiplici capite provenientem, nam in primis mira reperitur inter Astrologos dissensio, non solum in dogmatibus, sed etiam in principiis, numero, & motu cœlorum, & siderum, rationes quoque quibus utuntur non aliæ sunt, quam experientia, quæ difficulter potest haberi; requiritur enim multum tempus, & quod res eodem modo se habeant, brevis est autem hominum vita, & numquam est eadem cœlis facies, habitudo, & dispositio, unde nec usque modo aliquid certum, firmumque habetur de motibus cœlorum, ipsorumque effectuum, cum unusquisque propriam fere sibi conficiat astrologiam, prout sibi videtur experiri; idcirco Hali peritissimus astrologus, scientia, inquit, stellarum ex te, & ex illis est; idem quoque habet Ptolemeus Astrologorum princeps. Quibus accedit, quod quamplurimi effectus non tantum ab astris causantur, sed etiam ab astris sublunaribus dependent, difficile autem est, & moraliter impossibile cognoscere omnes astrorum virtutes, maxime, quod in firmamento multæ stellæ reperiuntur, quæ non videntur, vel raro apparent, & tamen proprias habent influentias, unde nequimus scire, an virtus unius astri, quam non perfecte cognoscimus, sit superatura, vel impeditura virtutem alterius; difficile etiam est omnes virtutes simul componere, & considerare, quid singula astra in tali statu, & situ constituta possint efficere; impossibile etiam est cognoscere qualitates individuales regionum, causarum materialium, scilicet vaporum, exhalationum, &c. an hæc omnia elevabuntur, & quanam quantitate. Ex hac tamen difficultate non debet inferri absolute impossibilitas hujus scientiæ, si enim astra possunt habere determinatos effectus ex ipsorum cognitione possunt deduci effectus illi, quamvis a nobis non cognoscantur; hinc Scotus 2. d. 14. qu. 3. ait solum Dæmones, & Angelos perfecte hanc scientiam possidere, quia attingunt omnes causas, circumstantias, & conditiones; cum ergo ex cognitione astrorum sint ex natura rei aliqui effectus præcognoscibiles, videndum est primo, quid potest inferre Astrologia in se ex siderum observatione, deinde quid possit nostra Astrologia.

214 Prima opinio asserit, ex siderum perfecta observatione prævideri posse non solum omnes effectus naturales, & necessarios, sed etiam liberos, & casuales, vel quia astra cogunt nostram voluntatem, vel si non cogunt, saltem inclinant naturali quadam propensione, vel tandem si non influunt, sunt tamen signa, quæ denotant, & significant instar litterarum, quibus inspectis certo, & infallibiliter præsciuntur omnes eventus. Imo aliqui ita delirarunt, ut putarint ex sideribus potuisse prævideri diluvium, Incarnationem Christi, passionem, & quæ a Prophetis sunt prænunciata, diversitatem quoque legum stellis attribuerunt; unde originem legis Hebræorum Saturno dederunt, & quia Saturnus est Planeta infortunatus, dux prophetiæ, & revelationum, & Saturninos facit pertinaces, duros, & aversos; hinc Hebræi semper fuerunt multis ærumnis vexati, multas habuerunt prophetias; suntque aversi, & pertinaces, qua ratione, inquiunt, sabbatum observant Saturno dicatum. Saracenorum lex Venerem habet pro causa, unde Saraceni maxime luxuriis sunt dediti, diemque Veneris sanctificant. Eadem quoque insania discurrunt de lege Christiana, quam aliqui tribuunt Soli, unde *diem dominicum Soli adscriptum* Christiani celebrant, & Ca-

put scilicet summus Pontifex in urbe residet solari, quæ est Roma. Secunda extrema opinio negat ex perfecta siderum cognitione præscirí posse eventus aliquos nisi forte, qui in ipsis cœlis causantur, ut sunt aspectus, & conjunctiones. Media admittit cognosci effectus naturales in his sublunaribus, negat liberos, nisi in universali quoad quasdam inclinationes; ita communis Theologorum sensus, & Philosophorum.

215 Dixmus 1. ex siderum observatione perfecte habita certo præcognosci possunt etiam in particulari effectus ad statum cœli pertinentes, qui scilicet a solo motu cœlesti dependent, ut sunt ortus, occasus, aspectus, conjunctiones siderum, eclypses, &c. at effectus naturales ab aliis causis etiam provenientes certo præcognoscuntur omnibus causis prævisis, tales sunt morbi, tempestates, pluviæ, siccitates, sterilitates, &c. ita Scot. cit. & prob. quæ necessariam, & determinatam causam habent in rerum natura, possunt cognita causa cognosci, & si causa potest præcognosci, ipsi quoque effectus etiam in particulari poterunt præsciri; sed effectus enumerati habent causas determinatas, ergo istis præcognitis poterunt præcognosci, ergo Astrologia in se poterit hos effectus prævidere, cum hoc tamen discrimine, quod ad præcognoscendos effectus primi generis certo sufficit cognitio motuum cœlestium, quia solum ab ipsis dependent, at effectus secundi generis, quia præter astra diversimode mota respiciunt alias causas, sive efficientes, sive materiales, ut præscíantur certitudinaliter, & necessario omnes istæ causæ prævideri debent, nam quælibet sufficit ad impediendum, ne sequantur effectus illi. Hinc etiam tempus mortis naturalis alicui præsciri potest, licet enim non possit prædici Petrum v. g. usque ad illum diem victurum, nam mors multo ante *aliis de causis potest contingere*, attamen cognosci potest tali die tam contrarios influxus astrorum adesse, tamque notabiliter alterare temperamentum Petri, ut industria Medicorum, humanæque vires nequeant resistere. Hæc autem conclusio est vera, si ordo rerum naturalium consideretur, at si habeatur respectus ad omnipotentiam divinam, a qua cunctæ creaturæ dependent, sic poterit ordo rerum aliter disponi, ut patet de stratione Solis tempore Josue, de ejusdem retrocessione tempore Ezechiæ, & eclypsi in passione Domini.

216 Dicimus 2. ex siderum præcognitione, & aliarum concausarum possunt certo præcognosci, & conjectari inclinationes hominis, temperamentum, complexiones, & naturales aptitudines ad bene, vel male operandum circa determinata rerum genera, *non solum* ut in principio sunt *inditæ homini*, sed etiam pro quoddam certo, & determinato vitæ tempore, idcirco certitudine quadam morali ex hac cognitione inferri poterit hominem fore felicem, vel infœlicem ratione quadam universali. Prob. singula, certum est hominis temperamentum, complexionem, inclinationes, ut quod sit pronus ad iram, ad studia, ad libertatem, ad justitiam, & universaliter ad bene, vel male agendum, pendere quidem ex conditione parentum, seminis, alimenti, quo aluntur infantes tum in utero quam extra, & ex eductione, attamen principaliter ab astris pendere, ergo cognitis perfecte istis omnibus causis, perfecte prævideri possunt hominis inclinationes. Et quia cœli non solum habent influere in nativitate producendo in homine has, vel illas qualitates, sed etiam in progressu vitæ, ut patet *in fanitate*, quæ aliquoties vi siderum deperditur, utpote quia alterantur humores, sic etiam dici poterit, hominem in uno tempore esse magis inclinatum ad certum genus rerum, quam in alio tempore (oppositum docet Aversa qu. 35. sec. 10.) quia tunc possunt ab astris illæ qualitates intendi, in alio remitti, hinc experimur aliquando fere ineptos esse ad speculandum, vel aliquid aliud agendum, aliquando vero promptiores, cujus ratio assignari potest varius cœlorum aspectus in diversis temporibus. Rursus quia optimæ inclinationes sunt causæ probitatis morum, si adsit operatio voluntatis conformis, quæ reddit hominem gratum aliis, & amabilem, quod sæpe in causa est, ut talis indolis homines cumulentur bonis fortunæ, & honoribus, malæ vero inclinationes inducunt malos mores, qui reddunt hominem odibilem, unde & ab *omnibus* contemnitur, & infelix evadit, sequitur ex præcognitione harum inclinationum, moraliter præfagiri posse quodammodo bonam, vel malam fortunam in negotiis peragendis, unde dicebat D. Thom. 3. contra Gent. c. 92. ut refert Amic. hic bonam fortunam convenire ex Deo dirigente, Angelo custodiente, & cœlo *inclinationem* præbente. Diximus certitudine quaddam morali, quia voluntas ut in plurimum operatur juxta naturales inclinationes, simpliciter tamen, cum sit libera, potest oppositum velle, hinc non inferur certitudo physica, sed moralis.

217 Dicimus 3. nullo pacto ex præcognitione siderum, quantumcumque perfecta possunt præcognosci certitudinaliter, vel probabiliter effectus omnino a nostra voluntate dependenter, & in particulari, nec effectus fortuiti, & casuales, etiam necessarii. Conclusio est omnium Theologorum, & prob. ex Sacra Script. Lev. c. 10. Deut. 18. Isa 41. & 47. Jer. 10. & quamplurimis aliis in locis hæc præscientia damnatur a Deo; item ex Concil. Bracar. 1. c. 9. & 10. Tol. cap. 1. ex 2. p. Decr. per primas quinque quæst. Alex. III. in cap. *ex tuarum* de Sacrileg. Sixtus V. & Urbanus VIII. celebres ediderunt constit. contra astrologos judiciarios, etiamsi hos effectus se non certo, sed probabiliter asserere affirmarent; Patres *unanimiter contra hos* Astrologos insurgunt; leges quoque civiles, ut in C. de malef. & Mathem. per totum, ut est videre apud Salas p. 2. tract. 5. disp. 2. Prob. quoque ratione, effectus isti nullam habent connexionem cum stellis naturalem, ex prævisione siderum nequeunt præcognosci, Prob. Antec. non habent connexionem tamquam cum suis causis, quia effectus liberi totaliter a voluntate pendent; ut quod certus ducet Paulam in uxorem, deambulet, &c. (non enim loquimur de istis effectibus, ad quos sidera indirecte, & per accidens concurrunt, de istis namque diximus concl. præc.) effectus quoque fortuiti, ut sunt inventio thesauri, læsio capitis ex casu tegulæ, &c. nullam habent causam determinatam, certam, & per se præter primam, unde & effectus per accidens dicuntur, ergo nec certo, nec probabiliter possunt præsagiri ex observatione siderum, in quibus *nullo* pacto virtualiter continentur.

218 Neque habent connexionem tamquam ad signa repræsentantia hos effectus, quia omne signum *vel* est voluntarium, ut ramus est signum vendicionis vini, & sacramenta dicuntur signa efficacia gratiæ ex voluntate divina, vel est naturale, si scilicet est causa, vel effectus signati, *vel coeffectus cum illo*, quando ambo ab eadem causa procedunt; non primum, quia solum a Deo possent institui ut signa, de qua determinatione nobis nihil constat in Sacra Scriptura, imo oppositum colligitur; nec 2. quia effectus isti, ut diximus, a stellis non proveniunt, non sunt causæ aspectuum stellarum, nec ambo ab *eadem causa procedunt sed* a diversis, ut patet, unde nec mutuo se possunt indicare. Tum quia vel sunt signa certa, ut non possint fieri falsa, & sic tollitur *libertas*, vel possunt esse falsa, & sic ut deceptoria. Tandem Astrologia in se perfecte reperitur in Angelis, & tamen Angeli non possunt cognoscere regulariter loquendo cordium secreta ex communi Theologorum consensu, solus enim Deus scrutator cordium.

219 *Dicimus 4. ex siderum observatione*, quam pro statu isto possumus habere, solum effectus illi prævideri possunt aliqualiter, & imperfecte, quorum præcognitio haberi potest ex Astrologia in se, non tamen certo, sed probabiliter, conclusio sequitur ex dictis; nam si effectus fortuiti, & omnino liberi nequeunt ab Angelis præsciri, multo minus a *nobis*, *qui vero possunt* prævideri propter aliquam naturalem connexionem, etiam a nobis poterunt præcognosci, nam pro statu isto habemus aliqualem cognitionem motuum, aspectuum, & virtutum stellarum, ex quibus aliquam præcognitionem, & conjecturam possumus elicere, & quamvis non habeamus cognitionem omnium causarum, non ob id imprudens cognitio judicari debet, aliter omnis medica cognitio, quæ reperitur in nobis, omnino spernenda esset, cum perfecte omnes causas assequi non possimus: sufficit enim præcognoscere causas præcipuas, & potentiores, quales sunt cœlestes influentiæ; hinc Summi Pontifices concedunt posse Astrologos uti hac arte in agricultura, in nautica, & medica arte, solum sequitur hanc prævisionem in nobis numquam esse certam, sed probabilem tum ex difficultate *hujus scientiæ*, ut *diximus initio* art. Tum quia in illis effectibus, qui a causis sublunaribus dependent, potest impediri cœlorum influxus, vel quia causæ particulares sunt omnino impotentes, vel quia ad oppositum influunt, licet enim sidera sint causæ validiores ut plurimum, potest tamen accidere, ut causæ inferiores superent, & vincant activitatem astrorum, & multiplicarentur, aut ab astris contrariis essent adjutæ, & hæc est ratio, cur Astrologi in his casibus nec semper aberrant, *nec semper verum prædicunt*, & *eo magis* difficultas augetur, & periculum errandi, quo magis ad particularia descendunt, quia facilius cognoscuntur causæ universales, quam particulares.

220 Contra allaram doctrinam instari potest *primo*, ostendendo nullam cognitionem ex siderum observatione haberi posse de effectibus sublunarium. Tum quia *cœlum est causa universalis*, & indeterminata; ergo ex ipsius cognitione non habetur cognitio determinati effectus. Tum 2. quia videmus natos in eodem puncto habere *diversas* inclinationes, complexiones, & ingenia, etiam si ab eisdem parentibus sint geniti, ut patet de Jacob, & Esau, nec qui in bello eodem moriuntur, aut naufragio, sub eadem constellatione omnes nati sunt. Tum 3. potius ex instanti conceptionis sumi deberet præscientia inclinationum, quam ex tempore nativitatis, nam tunc temporis infans est tenerior, & stellæ possunt in utero matris influere, cum agant in viscera terræ, nec quia conceptionis hora est Astrologis ignota, ob id stellæ suspendunt proprias influentias, ergo ex constellatione nativitatis nihil certum, aut probabile potest colligi. Tum 4. quia etiam Horoscopus, seu punctum nativitatis difficulter haberi potest, potest enim contingere error in horologio, & aliis instrumentis, & modica hujus rei variatio maximam infert diversitatem. Tum 5. si probabiliter cognosci posset felicitas, vel infœlicitas in negotiando, ergo deberent attendi constellationes illorum omnium, cum quibus negotiari occurrerit, non enim constellatio unius influit in alterum, quod scire videtur impossibile. Tum 6. si concl. 2. esset vera, posset præsciri victoria alicujus regis, dignitas, ut quod *tali* tempore quispiam erit Pontifex, Rex, & bona, vel mala fortuna alicujus, &c. quæ sunt falsa. Tandem exclamant Patres totaliter hanc præscientiam reprobantes.

221 Resp. si hæc argumenta universaliter concluderent, sequeretur non solum illicitum, & falsum esse judicium *de rebus liberis*, sed etiam de rebus naturalibus, & tamen videmus hanc scientiam multum conducere agriculturæ, nauticæ, & medicæ arti, quare ad 1. *dicimus cœlos esse causas universales*, *non* quia nullum effectum se solis, & determinate producant, *sed* quia habent virtutem quasi illimitatam ad plures effectus, *sed cum influunt*, determinate causant, & certos producunt effectus juxta diversitatem applicationis. Ad 2. jam diximus ad temperamentum, & inclinationes multum conferre causas *secundas inferiores*, ex quarum varietate possunt quoque complexiones variari; potest etiam accidere plures sub eadem constellatione natos eadem complexiones, & constellationes *habere quoad actum primum*, non tamen quoad actum secundum, quia ex libertate voluntatis potest unus contra illas incli-

clinationes frequenter oppositos actus elidere, habitumque contrarium acquirere (ut de Socrate refertur, cui cum objiceretur, quod in Venerea multum effusus esset, respondit dignam Philosopho sententiam, *talis fuissem, nisi Philosophiæ me coercuisset*) alter vero sequi connaturales inclinationes, vel quia ex defectu natalium, loci, paupertatis, &c. impeditur, ut verbi gratia, non possit aptitudinem erga studia exercere: ad id de gemellis respondet Hippol. Obic. cit. exemplum de Jacob. & Esau non urgere, quia hoc fuit ex divina dispositione, cujus imperio omnia creata agenti subduntur, unde idem etiam in aliis potest evenire; addit quandoque tempus medians inter nativitatem unius, & alterius infantis notabiliter variare cœlorum aspectus, quandoque vero non multum immutare, quamvis enim cœli rapidissimo motu volvantur, itaut quolibet minuto totalis varietur aspectus in se, attamen quoad influentiam aliquando idem aspectus perseverat, etiam per medietatem horæ, aliquando minus; hinc evenit quandoque gemellos figura, complexione, temperamento esse valde similes, quandoque valde dissimiles, & adducit ad hoc aliqua exempla curiosa; Quod tandem de occisis in bello subjungitur, dicimus falsam omnino esse opinionem illorum, omnia ab astris causari, unde mors præcipue violenta ab aliis capitibus potest accidere, qua ratione multi effectus casuales dici debent in ordine ad cœlos, quia multi eveniunt, ad quos cœli non influebant, imo potius ad oppositos, ex fortiori activate causarum sublunarium, præcipue nostræ voluntatis. Ad tertium, difficium est inter Astrologos, an figura constellationis sumi debeat a conceptione, an a nativitate, communior opinio docet a nativitate esse sumendam, cujus præcipua ratio est experientia, nam ex dominio astrorum in Horoscopo ut plurimum effectus futuri recte prævidentur; non negatur tamen, quin conceptio etiam valde conferat, sed in nativitate stellas fortiores experimur, forte quia infans tunc est a matre divisus, extra uterum est magis expositus influentiis ex aeris attractione, & respiratione cor refrigerante, quod est principium, & radix totius fabricæ corporis humani secundum Aristot. ubi prius erat matri conjunctus, & eadem cum matre influentia gaudebat, verum sive a nativitate, sive a conceptione (de quo videant Astrologi) sumenda sit constellatio, numquam infertur, stellas nullo pacto influere quoad inclinationes, & complexiones. Ad quartum solum concludit difficultatem nostræ Astrologiæ, non impossibilitatem, nam hæc difficultas superari potest ex directionibus, & eventibus peculiariter advenientibus, ut sunt infirmitates, e quibus devenitur a posteriori in cognitionem constellationis nativitatis, & figura deinde regulatur.

222 Ad 5. non est necesse omnium constellationes cognosci, non enim dicimus præsciri posse exitus felices, vel infelices cujuslibet tractatus in particulari, nam hi pendent ex multis circumstantiis, & occasionibus, quæ difficillime prævideri possunt, imo impossibile est hæc omnia attingere, sed solum dicimus in generali, quempiam virtute astrorum tales propensiones habere posse, & mores, ut reddatur gratus, & amabilis hominibus ut in plurimum, quod patet experientia, aliquis enim statim ac quempiam viderit, naturali quadam sympatia, vel antipatia erga illum amore, vel odio afficitur, quod multi Philosophi occultis siderum influentiis adscribunt, quatenus conveniunt, vel disconveniunt in constellationibus, & quia astra modo magis, modo minus influunt, hinc posset dici, hominem aliquem modo magis amabilem reddi, modo minus, & consequenter facilius, vel difficilius sua negotia peragere, vim siderum attendendo, licet ex multis aliis capitibus, præcipue ex divina providentia, nostraque libertate oppositum sæpe eveniat. Ad sextum negamus, victoriam regis præsciri posse, cum hæc ab astris non dependeat, see ex aliis causis, unde minima occasio aliquando causa est, quod amittatur, vel acquiratur victoria, negamus quoque dignitates ex electione provenientes prævideri, cum hæc pendeant ex multorum arbitrio, & privatis electorum finibus, & utilitatibus, ac ex morte præcedentis Pontificis, negamus tandem bonam, & malam fortunam alicujus posse præcognosci, proprie loquendo de fortuna quatenus, scilicet dicit eventum quorumdam effectuum casualium præter intentionem, & præcisionem, ut est inventio thesauri, hi enim sunt omnino per accidens, at improprie loquendo de fortuna, ut significat assecutionem finium, & effectuum aliquo modo prævisorum, & cum intentione, seu ut dicit felicitatem, vel infelicitatem in negotiando, hæc potest prævideri, ut diximus in 2. conclus. Tandem Patres, Summi Pontifices, Concilia, & Sacra Scriptura loquuntur contra prænunciantes effectus omnino liberos, & casuales divinantes certo, vel probabiliter, vel non solum vi siderum, sed alia superstitione, & modo divinationis suspecto propter pactum implicitum, vel explicitum cum dæmone; & tandem contra eos, qui virtutes quasdam astris attribuunt omnino fictitias, imo supra Deum ipsum, unde Albumasar ausus est affirmare, quem sequutus est Petrus Aponensis, in conjunctione Lunæ cum Jove in capite Draconis a Deo impetrari, quicquid petierimus.

223 Ex opposito probari potest ex siderum aspectu omnia præsagiri. Tum auth. Script. Gen. 1. ubi astra dicuntur a Deo condita ut signa; & Deut. 6. & 11. postquam Deus legem, & præcepta dedit Hebræis, subjunxit: *Suspendite ea pro signo in manibus*, Job 37. *In manu hominum signat, ut noverint singuli opera sua*, quibus datur intelligi lineas manuum esse signa actionum humanarum, & Isa. 37. habetur, *Complicabuntur sicut liber cœli*, & Apoc. 6 *Cœlum recessit sicut liber involutus*, ergo cœlum est liber, in quo veluti legantur, & appareant humani eventus, sic demum in quodam volumine inscripto Narratio Josephi refertur patriarcham Jac ob dixisse filiis suis, *legi in tabulis cœli, quæcunque eventura sunt vobis, & filiis vestris*, ubi est sermo etiam de effectibus fortuitis, & liberis. Aug. quoq. 2. de Gen. c. contra Manich. c. 21. docet corporibus cœlestibus non incognitas esse cogitationes, ut nobis contingit. Tum 2. astra habent inclinare non solum in mores quosdam, sed etiam in effectus quosdam fortuitos, ut in homicidium, naufragium, vulnus, dignitates, hæreditatem, & similia, ergo licet non possint hæc omnia certo sciri propter libertatem voluntatis, saltem probabiliter ex inclinatione, ut de complexionibus diximus, & moribus; Antec. patet ex regulis Astronomorum tot experientiis comprobatis, quarum licet nesciamus causam assignare, non ob id negare illas debemus, sicut neque scimus causam, cur stella polaris attrahat magnetem, Sol helitropium, Luna mare, & tot admirabilium effectuum; hinc Dæmones multa futura prædicebant Gentilibus. Tandem cometæ communiter dicuntur esse signa alicujus universalis calamitatis, imo quasi semper denotare mortem alicujus Principis.

224 Resp. illis authoritatibus solum deduci astra esse signa aliquorum effectuum naturalium, non liberorum; & eodem sensu possunt vocari libri, de lignis manuum supposita veritate Chiromantiæ in sensu supra explicato, quam videtur etiam comprobare Arist. 10. prob. 49. ubi ait: *Vola est carnosa scissuris, vitæ indicibus distincta*, &c. dicimus lineas esse signa effectuum naturalium, & inclinationum, quamvis sensus Scripturæ sit spiritualis, per manus enim in Scriptura denotantur opera, quæ in signum possunt inservire ad indagandum præmium, vel pœnam in altera vita infligendam, authoritas ex Jacobo non urget, quia volumen illud non recipitur ab Ecclesia tamquam canonicum. August. vero per corpora cœlestia intelligit Beatos, quibus notæ erunt cordium cogitationes. Ad secundum dicimus, si verum esset Antec. verum quoque esse consequens, nec aliquid sequeretur contra fidem, nam sicut præscientia inclinationum non est contra Scriptur, & Pontificum decreta, quia sunt effectus naturales, nec libertatem lædunt; ita posset de istis asseri, sed an verum sit Antec. hoc opus, hic labor, ratio enim contrarium probat, quia non videtur, astra posse sufficere, & inclinare in effectum fortuitum, & casualem, qui pendet a multis circumstantiis, & conditionibus omnimode per accidens annexis, ut patet de inventione thesauri; deberent enim astra inclinare hominem ad fodiendum hic, & nunc, & ad hunc finem, imo debebant prius inclinare hominem illum, qui thesaurum abscondit, ut ibi, & non alibi occulteret, aliter vana esset prædictio inventionis thesauri, vel enim astra solum inclinarent ad fossionem terræ in hoc determinato loco, & tempore, sive thesaurus ibi adsit, sive non, & tunc ex ista inclinatione non habetur prævisio inventionis thesauri, nec certo, nec probabiliter, cum per accidens se habeat effectus iste ad fossionem terræ; vel inclinarent ad fossionem, & inventionem simul, ergo quia ad hanc inventionem non sufficit fossio terræ, sed requiritur depositio thesauri in illo loco, astra debebant etiam influere in hominem tot centuriis annorum jam elapsis ibi thesaurum reponentem, quod est ridiculum, neque dicas inclinare ad inventionem thesauri in communi, quia cum sint causæ singulares, & determinatæ, debent inclinare ad actiones in particulari, & determinatas, tum quia idem argumentum fieri potest de fossione terræ, & occultatione thesauri in communi; idem de aliis effectibus liberis dicendum, de quibus locuti sumus concl. 3.

225 Nec valet, quod istæ regulæ Astronomorum sint tot experientiis comprobatæ, quia potius ex pluribus experientiis in oppositum redditæ sunt vanæ, & mendaces: nec mirum est, si aliquando Astrologi vera prænunciant; cum enim multa dicunt, possunt interdum aliquam veritatem attingere; Vel 2. evenire potest, ut ait D. Aug. 4. confess. c. 3. ex Dei occulto instinctu ob aliquem bonum finem nobis ignotum cœcas hominum mentes illuminantis ad veritatem proferendam, ut antiquitus fecit non solum ex ore illius pseudo prophetæ Balaam, sed etiam asinæ, qua ferebatur. Vel 3. hoc accidit ex eodem Aug. 4. de civ. c. 7. ope dæmonum, non quod dæmones futura ista cognoscant, nam oracula olim ambigua, & obscura reddebant, sed quia sunt maxime perspicaces, & diuturnam habent rerum experientiam, unde facile ex minima conjectura colligunt animum hominum; adde, quod ipsi quoque possunt esse causa, ut tales eventus contingant per maximam suggestionem, ut deinde rebus gravioribus homines decipiant, ita Deo permittente ad punitionem vanæ hominum curiositatis. Vel tandem hoc evenit ex hominum industria, nam quibus prospera enunciantur, spe elati conantur illa assequi, contra vero quibus nunciantur adversa, timidi, & animo dejecti a bonorum consecutione desistunt. Nec est par ratio de effectibus ibi enumeratis; cum enim sint naturales, per se, & determinati possunt in stellas tamquam in causas refundi, licet nesciamus modum, quo ab illis causantur, at nos loquimur de effectibus omnino a voluntate pendentibus, & fortuitis. Tandem cometæ non sunt naturalia signa effectus liberi, imo nec universaliter semper sunt signa sterilitatum, pestis, mortis Principum &c. nam ist hæc omnia eveniunt aliquando nulla prævia cometa, & sæpe exortæ sunt cometæ, & tamen non contigerunt effectus illi, vel saltem non plus quam aliis temporibus; dicuntur tamen signa naturalia sterilitatum, & infirmitatum, quia proveniunt ex multarum exhalationum copia in aere, a quibus humores hominum alterantur, dicuntur vero signa mortis Principis, quia quandoque a divina providenta assumuntur ad monendos homines, & futuram aliquam calamitatem prænunciandam, ut homines ad pœnitentiam revocet, & quia Princeps est persona communis, & ex ejus morte facile oritur perturbatio regni, ideo appropriate dicuntur cometæ mortem Principibus enunciare, vide disp. 4. qu. 2. art. 3.

ARTICULUS IV.

Quibus instrumentis cœli influant in hæc inferiora.

226 Sensus quæsiti non est, an cœlestia corpora, quando concurrunt tamquam causæ principales ad productiones rerum substantialium, agant per lucem, aut aliqua alia virtute, nam in sententia Scoti clarum est, astra neque per lucem, nec per aliud instrumentum, sed per proprias formas substantiales producere immediate sublunares substantias, quia per ipsum nullum instrumentum attingere potest terminum principalis agentis, de quo egimus disp. 7. Phys. qu. 5. & 6. sed quærimus, quando astra concurrunt ad productionem accidentium, & alterationes requisitas ad generationem substantialem, quibus utantur instrumentis, & virtutibus activis. Tria vero possunt enumerari instrumenta, scilicet motus, & lumen, & occulta qualitas, influentiæ communiter appellata.

227 De motu est opinio Arist. 1. cœli 42. & 1. Metheor. c. 4. dicentis tantum Solem per motum localem tamquam per rationem agendi producere lumen, & calorem in istis inferioribus; quomodo causet lumen, non explicat, sed quomodo producat calorem, ait enim corpus tunc aerem calefacere, quando est solidum, prope ipsum aerem, & velocissime movetur, hæ conditiones solum reperiuntur in Sole, nam Luna proxima quidem est inferiori mundo, sed tarde movetur, loquendo de motu diurno, cætera vero astra licet velocissime moveantur, maxime tamen distant, sed Sol est satis propinquus (in sent. enim Arist. Sol immediate supra Lunam constituitur) & velocius movetur motu diurno, ideo Sol per proprium motum causa erit caloris in istis inferioribus. Averroes tamen & Zab. lib. de calore cœlesti propter maximas difficultates sententiam Arist. urgentes e contra putarunt, non Solem tantum, sed totum corpus cœleste, & præcipue sphæram Lunæ tamquam propinquiorem per motum calorem producere, & in hoc fere sensu Cottunius 1. Metheor. lect. 22. explicat Arist. D. Thom. qu. 5. de pot. art. 8. & 2. d. 2. q. 3. art. 3. negat motum esse cœlo rationem agendi, sed bene conditionem, sine qua non operentur cœlestia corpora, cessante enim motu cessarent cœli ab operationibus quibuscumque præter illuminationem, & specierum visibilium diffusionem, imo addit, quod cessant actiones omnes causarum sublunarium; cum eo sentiunt veriores Thomistæ, & Gianninus de cœlo 2. p. cap. 12. licet Soncin. 12. Met. qu. 13. dicat D. Thom. negare solum cœlum absque motu producere posse formas substantiales, non accidentales, eo quia virtutem illarum productivam recipit ab intelligentia motu mediante.

228 De luce est communis opinio, non solum lumen in his inferioribus producere, sed etiam medio lumine producere calorem. Dur. vero 2. d. 14. qu. 1. & Aversa qu. 35. sect. 7. docent Solem per lucem tantum illuminare, per aliam vero distinctam virtutem calefacere.

De influentiis Aver. Jand. Zim. Gianninus, Achill. Medin. Agricol. Contar. Julius Sirenus, Zab. & alii negant tales influentias, sed omnia ajunt per lucem tamquam per activam virtutem medio lumine produci, vel saltem calore per lumen producto, qui nequit duci instrumentum a lumine distinctum, cum a lumine causetur, per motum vero vel tamquam rationem agendi, vel tamquam rationem applicativam agentis ad passum. Ex opposito Argent. Gab. Riccar. Alb. & omnes recentiores, & præcipue Cottunius 1. Meth. sect. 8. & seq. cum Astrologis admittunt in astris qualitates alias activas præter lucem, per quas varios effectus producunt, ac concurrunt ad multas substantiales generationes, quos effectus non causant lumine tamquam instrumento medio, sed actionibus immediate procedentibus ab illis virtutibus. Inter hos mediant P. Faber Theor. 100. & pro se citat Piccol. & Scotum, concedit enim astra habere has virtutes a luce distinctas, per istas tamen non agere immediate, nisi medio lumine, itaut si astra v. gr. causant frigiditatem in hæc inferiora, causabunt tamquam per rationem agendi per propriam virtutem, sed per lumen tamquam per instrumentum.

229 Dicimus 1. motum cœlestem, nec Soli, nec Lunæ, nec aliis corporibus esse rationem agendi, aut conditionem, sine qua corpora cœlestia, vel sublunaria non agerent, sed tantum esse conditionem necessario requisitam, ut astra ordinate per varias mundi partes diversos producant effectus. Concluso colligitur ex Scot. 2. d. 14. qu. 3. ad 5. & 4. d. 1. qu. 4. D. & d. 48. qu. 2. I. & d. 49. qu. 13. C. & qu. 14. M. Prob. primo, quod non sit Soli ratio productiva caloris, & luminis, ut dicebat Arist. (qui ab omnibus fere in hac re derelinquitur, quamvis multi in alium sensum trahere quærant) & de lumine patet, quia quantumcumcumque attenuatur aer, numquam lux producetur, nisi prius accendatur ignis, & sic potius ignis illuminat, quam motus, tum quia etiam in nocte aer circulariter movetur, non tamen est luminosus. De calore prob. tum quia Sol immediate non est supra Lunam in sententia distinguentium plures cœlos totales, sed quartum sibi vindicat locum; tum quia corpus illud calefacit aerem per motum, quod per aerem movetur, vel ipsum tangit, vel est valde remotus ab aere, quia saltem intermediat Luna, unde potius Luna suo motu deberet dici causa caloris, non Sol. Nec impedit tarditas Lunæ in motu diurno, nam hæc est insidica velocitatis differentia, & poterit æquivalere major Lunæ propinquitas; imo si per Arist. fagitta per aerem emissa calefacit aerem, cur non Luna, quæ longe majori velocitate movetur? Tum quia aer ad motum Lunæ movetur, quia motum circularem absolvit in 25. horis, ut Luna, non in 24. ut Sol, ergo si per motum calor in aere producitur, debet Lunæ attribui tamquam causæ, non Soli, ipsa enim est causa motus immediata.

230 Secundo quod nec etiam Lunæ, vel alteri corpori sit ratio productiva caloris, prob. quia motus localis ex sua ratione formali non est productivus caloris, nam quandoque est causa frigoris, ut dicemus; tum quia ait Doctor, nulla forma respectiva potest esse activa virtus alicujus absoluti; respectus enim non est de genere activorum, cum ens imperfectissimum sit, & non possit aliud virtualiter continere, sed tam motus localis, quam terminus ejus, quod est ubi, sunt formæ respectivæ ex dictis in Phys. disp. 11. & 15. Tum quia 2. de gen. 55. motus nil aliud facit, nisi quod adducit generans, idest per ipsum fit approximatio agentis ad passum, & præsentia localis acquiritur, quæ non est vis activa, & tandem nullus motus localis in his inferioribus est ratio agendi, ergo neque in cœlo, quia quoad hoc sunt ejusdem rationis.

231 Tertio quod non sit conditio sine qua non prob. nam in primis astra quiescentia possent agere, quia perfecte haberent activam virtutem producendi tam substantialia, quam accidentalia (nam art. 2. ostendimus virtutem productivam substantiæ non accipere cœlos ab intelligentia) passum esset debite approximatum, nec aliud ad actionem requiritur, motus enim solum inservit approximationi ex Arist. cit. tum quia hæc inferiora, dum sunt in esse quieto, adhuc agunt, ergo multo magis cœlestia, quæ perfectiorem habent potentiam activam. Deinde cœlis immotis adhuc inferiora agere possent, ut expresse Aug. 11. confess. c. 23. ait, quod stante cœlo adhuc rota figuli moveretur; adest quoque art. Paris. oppositum damnans tamquam falsum. Tum quia sublunaria non dependent a cœlis in esse, & conservari, itaut si cœli destruerentur, necessario omnia in nihilum reduci deberent, ergo neque in operari. Antec. patet, quia hæc essentialis dependentia solum est in ordine ad Deum. Tum quia si ignis contiguus stuppæ extra mundum existeret, vel combureret stuppam, vel non; si primum, ergo etiam combureret, si esset in mundo. & motus cœli cessaret, eodem enim modo se haberet quoad hoc; si secundum, vel hoc esset, quia non haberet sufficientem virtutem, sed compleri deberet a cœlo, vel quia aliquid aliud requireret; si secundum, ergo saltem non dependet a cœli motu; si primum, præterquam quod est falsum, quia in igne adest sufficiens virtus, nec est causa partialis, sed totalis, admisso tamen, vel deberet compleri a cœlo media aliqua influentia, vel medio motu, non secundum, quia ut probavimus, motus non est cœli ratio, nec conditio agendi, si primum, ergo cum cœlum quiescens adhuc influat, poterit hanc virtutem quiescens igni communicare. Tum quia motus circularis cœli non est ratio, cur elementa motu recto moveantur, homo deambulet, vel respiret, aqua ab igne calefiat, &c. ergo sine hoc motu darentur actiones sublunarium. Tandem Sol jussu Josue quievit, & simul Luna, & omnia alia sidera, aliter, inquit Doctor, nimia irregularitas fuisset in motibus cœlorum, & tamen Sol calefaciebat, alterabat, & disponebat ad corruptionem, homines quoque movebantur, & interficiebantur, cum tota die fuerit commissum prælium, in qua actione miraculum fuit factum circa Solis quietem, non circa alterationem in hæc inferiora, nec circa homines, nam Josue solum postulavit quietem solis, aliter Deus miraculose concurrisset cum hostibus, ut cum Hebræis pugnarent; imo infinita fuissent tunc patrata miracula, quia stante hac opinione quælibet minima actio inferiorum causarum in toto universo miraculose contigisset, quod est multiplicare miracula sine necessitate.

232 Quarto quod requiratur, ut astra ordinate agant, prob. nam agens naturale manens idem, in eodem loco, & eodem modo applicatum natum est producere idem, ut ergo diversa agat, & in diversis locis, necesse est, ut moveatur, & diversimode applicetur, sic si Sol semper in uno emisphario quiesceret, non illuminaret omnem mundi partem, nec influeret, nisi in una parte, & eodem modo, unde non daretur rerum vicissitudo, in una enim regione semper æstatem causaret, in altera hyemem; imo & ordo universi perturbaretur, quia in his partibus totum mixtorum temperamentum corrumperetur, si enim modo quamvis moveatur, tam intensum Sol producit calorem, quid faceret, si semper in eadem parte permaneret? jam regiones illæ inhabitabiles forent, licet regiones mediæ possent habitari, nam redderentur temperatæ ex nimio calore, ubi esset Sol, & ex nimio frigore partis oppositæ.

233 Contra allatam doctrinam arg. ex Arist. 2. Met. 4. docente primum in unoquoque genere esse causam, & mensuram cæterorum, & tex. 6. tali non existente destrui omne posterius, sed motus cœli est causa omnium aliorum motuum ex 8. Phys. 75. & 2. de Gen. 56. ergo, &c. Tum 2. motus cœli respectu inferiorum comparatur motui cordis in animalibus respectu cæterorum membrorum, unde Arist. 8. Phys. 1. & 1. Metheor. cap. 2. ait motum cœlestem esse quasi vitam cæteris corporibus in natura existentibus, at corde non moto cætera membra non moventur. Tum 3. Arist. 3. Phys. 56. ut probet motum *localem* esse cæteris motibus priorem, affert plures prioritatis modos, & ante alios hunc modum prius dicit, quo *non* existente non erunt alia, illud vero sine reliquis; & deinde subdit motum cœlestem esse hoc modo primum. Tum 4. agentia inferiora sunt subordinata essentialiter cœlestibus corporibus, illa enim se habent ut causæ particulares, ista ut causæ universales, hinc videmus accedente Sole omnia renasci, recedente omnia destrui, ergo cœlis immotis nil agent. Tum 5. nullum corpus movet, nisi motum ab alio, ergo nisi cœli essent ab intelligentiis moti, non influerent in hæc inferiora. Tandem motus localis in istis inferioribus est causa caloris, ergo & in cœlis, cum ille sit perfectissimus, ac velocissimus, Antec. patet experientia, homo

enim ambulando incalescit, molæ farinariæ motu ignem concipiunt, idem patet de silice, & calybe.

234 Resp. ad 1. ex Scot. in 4. cit. major. intelligi debere de prima primitate causalitatis, & quod est mensura rerum in esse quiditativo, qualis est Deus, non de prima primitate uniformitatis, & velocitatis, & de mensura accidentali, quæ per applicationem, vel coextensionem mensurat, sicut ulna mensurat pannum, motus vero cœli non est per se, & simpliciter causa cæterorum, sed per accidens, quatenus est conditio requisita ad generationem, & corruptionem vicissitudinem, & ut ordinate fiant; quo sensu posset concedi cessante cœli motu, cessare quoque actiones inferiorum, quia omnia paulatim interirent, ut diximus. Ad 2. inter motum cœli, & motum cordis est aliqua similitudo; sicut enim cor omnibus corporis partibus spiritus vitales dispensat ad varias operationes exercendas, estque causa, quod serventur ordo in membris, ita cœlum suo motu vim rebus inferioribus confert, & fovet ad generationum diversitatem, ut sæpe dictum est, & hoc modo intelligitur Aristoteles, non tamen est omnimoda similitudo: nam corde immoto, cætera quiescunt, quia homo est mortuus, ac proinde destruitur virtus ad agendum, cœlo autem immoto adhuc virtus agendi remanet in cœlo, & in his inferioribus. Ad 3. cessarent motus inferiores non simpliciter, sed quoad ordinatam vicissitudinem, & hac ratione motus cœli dicitur primus. Ad 4. neg. Antec. dicitur enim cœlum causa universalis, non quia concursus ipsius sit necessarius ad omnes effectus inferiorum, talis enim est solus Deus, sed quia ad plures effectus ignis, quod est contra experientiam. Nec urget, quod objicit, est illimitatus, quam sint inferiora, & quia influxus cœlestis conservat universum, quod dicit aggregationem corporum ordinatam; & tandem quia necessarius est, ad quamplures effectus agentium inferiorum, præcipue viventium; nam cœlum suo calore fovet, & adjuvat virtutem seminalem viventium; deinde falsa est conseq. nam adhuc admissa subordinatione, cœli immoti etiam influerent, & concurrerent. Ad 5. Antec. non est verum universaliter de motu locali, sed de motu, ut cum mutatione convertitur, quomodo quælibet secunda causa movere dicitur, ut mota a prima, quatenus a prima recipit relationem illam causæ, per quam aliter se habet nunc, quam prius, de quo alibi.

235 Ad 6. omnes unanimiter distinguunt antec. motum scilicet in his inferioribus esse tantum causam per accidens, non per se, tum quia est forma respectiva; tum quia si per se esset causa, quilibet localis motus calefaceret, quod est falsum, nam motus tardus non generat calorem, homo existens in navi, etsi velocissime moveretur, non calefit, aer vento huc illuc impulsus non calefcit, aqua calida agitata frigescit, ut ipse Aristoteles docet sect. 25. problem. 19. vinum in nive, quo citius movetur, citius frigescit, aer flabello commotus refrigerat, non igitur motus ex se calefacit, sed per accidens, ratione scilicet quarumdam conditionum, quæ interveniunt aliquando. Discordant tamen Philosophi in explicatione, quomodo causa dicatur per accidens, & in assignanda per se causa caloris, & hoc in non viventibus, nam in viventibus est manifestum, accidit enim, quia cum facultas motrix utatur ministerio spirituum vitalium ad exequendam motionem, ambulante animali transeunt spiritus ab internis partibus ad externas, sicut & sanguis, idcirco ex magno sanguinis, ac spirituum concursu, qui ex se sunt calidissimi, externæ animalis partes incalescunt, ideoque causa per se caloris sunt sanguis, & spiritus vitales, motus vero dicitur causa per accidens, quia est causa, ut spiritus ad exteriores partes accedant.

236 In non viventibus dissidium est, breviter tamen dicimus, relictis pluribus sententiis, quæ videri possunt apud Amic. tract. 7. qu. 6. dub. 3. Motum tunc esse causam caloris, quando duo corpora inter se conteruntur (dummodo unum non sit formaliter frigidum, ut patet de vino, & nive, quamvis etiam in hoc casu motus dici possit causa caloris, quia nix tandem deficit, & destruitur) nam tunc aer interceptus, vel qui est in poris, purificatur, hoc est, segregantur, & expelluntur partes ipsius crassiores, & adventitiæ, terreæ, scilicet, & aqueæ, itaut per eorum affrictum aer rarescit; & quia ex sua natura calidus est prope summum, statim ac ab adventitiis impressionibus, quæ proptiam caliditatem impediebant, est depuratus, per naturalem quamdam emanationem sequitur calor, & consequenter in corporibus propinquioribus diffunditur, sicut etiam sequitur ad raritatem tamquam ad dispositionem convenientem, itaut causa per se sit ipsemet aer, causa dispositiva sit raritas, & motus sit causa per accidens, quatenus per motum partem aeris segregantur ab invicem, raritas enim in nostra sententia non est qualitas, sed motus quidam quantitatis de genere situs, & rarefactio est motus quidam localis partium; ut dicemus in libro de Generatione, unde optime poterit a motu locali provenire, quia aliqua sunt corpora, quæ ob ingenitam duritiem, & angulorum distinctionem aptiora sunt ad talem attritionem aeris, & segregationem sicut calybs, & silex, hinc aliquando fit, ut aer ita rarefiat, ut aptus reddatur ad introductionem formæ ignis, quæ ab agente universali introducetur, si non adsit aliud agens, non enim datur aliud corpus præter ignem, quod rarius sit aere.

237 Ex qua doctrina colligitur 1. cum Moris. disp 4. dub. 2. motum non calefacere, aut saltem non ita sensibiliter, & intense, nisi ubi intervenit corporum solidorum affrictus, non enim per quamlibet separationem aer calefit, ut quando sagitta per aerem emittitur, nam magis aer discinditur a vento, quam a sagitta, & tamen non calefit: præterquam quod hoc nequit experiri, nam licet calescat aer, non tamen sagitta, quia continuo novum aerem subit, & priorem jam rarefactum deserit, & quamvis Arist. 2. cœli 42. hoc exemplum afferat, possumus dicere secundum vulgarem sententiam locutum fuisse: Aliud exemplum quoque solet adduci scilicet de arbore navis, quæ in tempestate propter velocitatem motus aeris accenditur, sed non est dicendum ex motu aeris tantum provenire, aliter tota navis ureretur, sed accidere, quia arbor funibus, & aliis lignis conteritur ex vi motus aeris. Quare cum aer a cœlo motus non rarescat attritu corporum solidorum, non calefit ex hoc capite, sed quia propter motum ignis, & aeris partes utriusque contiguæ commiscentur ad invicem (quam rationem tetigit etiam Aristoteles loco cit.) imo partes aliquæ igneæ vi pelluntur deorsum, & calorem causant in aerem illum, quæ commixtio improprie dicetur confricatio, & attritio, non tamen apparet, quomodo hic calor ad nos proveniat, ut dicebat Aristoteles, cum aer sic motus sit tantum ultima regio, & media sit frigidissima, alia ergo causa assignari debebit caloris in his inferioribus a cœlo producti, quam motus cœli,

238 Rursus collig. contra Ruvium 2. cœli cap. 7. qu. 2. rarefactionem præcedere non subsequi calorem, nam etiam secundum ipsum prior est segregatio partium in aere, quam productio caloris, segregatio autem vel est rarefactio formaliter, vel proxima rarefactionis dispositio; tum quia si calor ab aeris natura producitur, & ab isto raritas, numquam ex affrictu duorum corporum aer in ignem converti posset, quia aer non potest producere, nisi convenientem sibi calorem, qui etiam debitam solum raritatem causabit, itaut numquam tanta raritas, & calor generarentur, ut possint esse dispositiones sufficientes ad formam ignis, quod est contra experientiam. Nec urget, quod objicit, raritatem scilicet esse qualitatem secundam, & caloris effectum, unde subsequi debet, & per se causari ab aliqua causa, quæ non est, nisi calor. Non valet, quia raritas non est qualitas, & si esset qualitas, non necessario a calore semper debet produci, præcipue si modo quodam violento gignitur, cujus causa erit soliditas corporum causans segregationem partium.

293 Dicimus 2. quamvis probabilis sit opinio docens lumen esse causam caloris, probabilior tamen videtur opposita; itaut per aliam virtutem Sol calefaciat, & per aliam illuminet, scilicet per lucem, prob. lux est ejusdem speciei in omnibus luminosis, ut diximus qu. præc. sed multa sunt luminosa, quæ non calefaciunt, ut gemmæ, animalia quædam, & ipsemet ignis non per lucem calefacit, sed per calorem formalem, ergo nec astra per lucem calefacient; neque dicas modicum calorem, & pene insensibilem ab istis generari: quia tantum abest, quod aliquis calor gignatur, ut potius frigus intensum sentiatur, ut patet in gemmis. Tum quia si stellæ per lucem calefaciunt, ergo quæ æqualem habent lucem, æqualem producent calorem, quod tamen est falsum, nam stella canis maximum inducit calorem, & tamen in luce non excedit stellas primæ magnitudinis. Tum quia majus lumen reperitur in montibus, & in secunda regione aeris, quam in planitie terræ, & tamen major calor est hic, quam ibi. Neque recurras ad reflexionem radiorum; Nam quamvis ibi non sit reflexio luminis, compensatur tamen ex propinquitate majori ad luminosum, cujus est agere uniformiter, idest intensius in partes propinquas, remissius in remotas, neque lumen causatum hic propter radios directos, & reflexos excedit lumen secundæ regionis eadem proportione, qua calor infimæ excedit calorem mediæ regionis, aliter parum, aut nihil de lumine ibi adesset, cum nihil caloris ibi reperiatur. Neque dicas cum Zabarel. hoc provenire, quia ex reflexione radiorum attenuatur, & rarefit aer, idcirco major calor producitur, ut contingit in motu. Non valet, quia ut notat Angestus de propriet. formæ pag. 41. fractio, & extenuatio fit ratione incompossibilitatis dimensionum, ut patet in motu duorum corporum, accidens autem ut lumen in aere est penetrabile cum suo subjecto. Tum quia accidit quandoque minorem fieri reflexionem luminis, sed majorem calorem generari, ut tempore nubiloso, & caliginoso, tunc enim non fit magna radiorum reflexio, ut patet, & tamen ingens, & fere intolerabilis generatur calor, ergo non evenit ex reflexu radiorum.

249 Accedit principaliter, quod sequeretur idem simul, & semel esse causam oppositorum, quod est falsum, sequela prob. quia Saturnus frigefacit, & ratione lucis calefaceret, falsitas prob. nam hæ virtutes sunt quædam potentiæ a principio activo, & intrinseco fluentes, sed nequeunt ab eadem essentia duo principia fluere inter se contraria, nam si unum est naturale, alterum erit violentum, idem enim manens, idem natum, idem producere, unde si aqua frigefacit, & humectat, non calefacit, nec exsiccat, & quod de principiis formalibus dicitur, idem videtur dicendum de principiis virtualibus; hæc tamen ratio posset quoquomodo dissolvi.

241 Contra arg. ex Arist. 4. de part. Anim. cap. 5. dicente noctes plenilunii tepidiores esse propter intensiorem lucem, & 4. de gen. Anim. c. 2. tempus mensis decrescentis esse frigidius, & humidius propter Lunæ decrementum, unde in plenilunio ostrea, conchilia, & similia sunt pleniora propter majorem calorem Lunarem. Tum 2. oppositio lumine generatur calor, remoto lumine destruitur, & si specula concava Soli exponantur, & ubi fit reflexio radiorum reperiatur aliquod combustibile, statim accendetur: hinc ratione hujus reflexionis radiorum in infima regione aeris generatur calor, ut notat Scot. p. d. 2. qu. 7. S. Signum evidens lumen esse productivum caloris. Tandem ex Cottunio lumen reddit aerem actu diaphanum, cum sit hujus actus, ergo actu rarum, ad raritatem consequitur calor.

242 Resp. Arist. intelligi debere tantum per concomitantiam, non enim major illa tepiditas necessario refundi debet in lucem, sed potius in aliquam aliam occultam virtutem Lunæ provenientem ex tali

tali aspectu Solis, quem non habet aliis temporibus, ita Aversa citat. sed re vera Arist. videtur favere opinioni oppositæ, & non per concomitantiam, sed effective ex reflexu radiorum docet provenire, & hoc propter probabilitatem oppositæ sententiæ, quomodo etiam locutus est Doctor cit. nam ibi non ex professo hoc docet, sed exemplum adducit ab omnibus admissum. Ad 2. neg. assumptum, nam in Saturno est lux, non calor, in canicula est intensa vis calefactiva, non intensa lux, ad exemplum dicimus non reflexionem luminis, sed caloris causare incendium in puncto reflexionis: ut de reflexione radiorum dicunt Adversarii, ratio vero, cur in hac infima aeris regione causatur calor intensior, est propter majorem densitatem, & impuritatem hujus aeris, at aer mediæ regionis est purior, & rarior, majorem autem impressionem calor gignit in materia crassiori, quam in rara, ut patet experientia, hinc intensior calor fit, tempore nubiloso, quam claro, & sereno, vide disp. qu. 3. art. 1. Ad 3. lumen non reddere aerem actu diaphanum sed illum præsupponere diaphanum, dicitur autem actus, quia informat illum; deinde negamus ad diaphaneitatem necessario sequi raritatem, ut patet in crystallo.

243 Dicimus 3. præter motum, & lumen admitti debent in cœlis influentiæ, quibus cœli agant in hæc inferiora, non quidem per motum, & lumen tamquam instrumentis; sed per proprias, ac distinctas actiones, Colligitur ex Scot. 2. dist. 14. qu. 3. ad 1. docet aliam esse potentiam, & distinctam actionem, qua astra agunt in medium, & qua in extremum, & in terræ viscera, in medio autem agunt per lucem: idem colligitur ex p. disp. 37. & Prob. nam qui cœlo negant influentias, concedunt illas postea motui, & lumini, nam dant lumini, & motui virtutes aliquid efficiendi, scilicet alterandi, & generandi, quæ non sunt nec motus, nec lumen; ergo æque facile dici poterat dari has influentias distinctas, jam enim concedunt motum, & lumen eminenter continere plures effectus. Tum quia ex præc. concl. astra calefacinnt per potentiam distinctam, & ex art. 2. astra habent potentiam refrigerandi; tum ex aliis experientiis, nam ex dictis ibi, & qu. 2. art. 3. Planetæ multos, ac contrarios effectus gignunt in hæc inferiora; quos negare est contra experientiam, acus attritu magnetis confricata trahitur a cœli partibus polo vicinis, quæ attractio fit etiam in tenebroso loco; celenites lapis imaginem Lunæ continet in se, ejusque incrementa, & decrementa quotidiana repræsentat, etiamsi a luce lunari non attingatur; Heliotropium flos continue respicit Solem, pulegium, quamvis aridum, certis tamen anni temporibus, & diebus efloresci, cæpæ sub tecto existentes diebus hiberni solstitii germinant, diebus canicularibus majores experimur calores, quam in solstitio æstivali, quo tempore dies longiores sunt, & Sol est nobis propinquior, Luna in novilunio, etsi non illuminet terram, majores tamen fluxus, & refluxus causat in mari, & tamen motus, & lumen fere semper eodem modo se habent. Tandem metalla ab astris generantur in visceribus terræ, & licet metallorum substantia immediate a formis substantialibus astrorum generetur, dispositiones tamen, & præviæ alterationes ab aliqua accidentali virtute provenient a luce distincta, nam lux per lumen tamquam per instrumentum solum extimas terræ partes attingit.

244 Multipliciter respondent, primo neg. experientias, vel si admitterentur, negant ab astris provenire, sed potius a qualitatibus occultis in his inferioribus existentibus, v. g. magnes non attrahitur per virtutem occultam cœlorum; sed respicit polum per quamdam qualitatem ipsi intrinsecam. Secundo concedunt omnes istos effectus ab astris produci sed medio calore, qui perfectioris est naturæ, & omnes illas qualitates continet eminenter, nec alicui illarum contrariatur. Tertio quod lux in quantum est virtus unius Planetæ, causat calorem, in quantum virtus alterius, causat frigiditatem. Quarto alii, ut P. Faber, concedunt tales effectus ab astris propriis virtutibus produci, sed lumine uti tamquam instrumento, cui quodlibet astrum qualitatem imprimit, qua mediante proportionatum producit effectum, quando vero producunt metalla, &c. hoc faciunt virtute caloris a lumine producti, qui intimas terræ partes pervadit, & ideo non debet æstimari instrumentum a lumine distinctum.

245 Nulla ex his responsi, satisfacit, nam negantes experientiam, non nisi experientia ipsa refelli possunt, ascribere hos effectus qualitatibus in his inferioribus existentibus tamquam causis, est vilificare corpora cœlestia, & virtutem universalem causandi ab illis auferre; nam totum, quod habent hæc mixta, seu lapides, a cœlo effective accipiunt. Tum quia si multiplicandæ sunt qualitates, potius cœlis debent ascribi, quia videmus hos effectus cum dependentia ad motus, & aspectus cœlorum causari, ergo concurrere debent saltem ut causæ partiales. Secunda responsio non valet; nam calor cœlestis est ejusdem rationis cum elementari, cum ad invicem se intendant, tum quia lux est calore perfectior, quia illum producit in sent. ipsorum ut causa æquivoca, ergo si lux non potest primas qualitates continere virtualiter; neque calor cælestis. Tum quia astra diversam habent naturam, diversasque actiones, ergo virtutes, & instrumenta debent esse distincta, & alterius speciei. Tertia responsio debilis est, nam per lucem non attingunt astra terræ viscera, nec loca tenebricosa; tum quia vel simul cum luce immediate alia virtute distincta agunt, vel per lucem tamquam per rationem agendi solum tam varios producunt effectus, non secundum quia si hoc, quod est esse virtutem hujus Planetæ, nihil addit entitati lucis, nisi solum respectum extrinse-

cum, sicut in sua entitate considerata nequit illos effectus gignere, nec ut virtus talis Planetæ poterit illos causare, ut in disp. 7. Phys. qu. 6. art. 2. de accidente, ut est virtus substantiæ, arguebamus; si primum, jam admittuntur influentiæ. Nec tandem ultima resp. satisfacit, tum ex dictis; tum quia instrumentum debet esse proportionatum tum activæ virtuti, tum etiam effectui, jamque patet esse impossibile unum, tamque simplex instrumentum, quale est lumen, tam variis, & contrariis effectibus, tamque diversis virtutibus activis proportionatum esse. Tum quia instrumenta non attingunt terminum principalis agentis, ut disp. cit. qu. 5. ostendimus in sent. Scoti, sed dispositiones prævias, ergo si lumen est instrumentum harum virtutum, quarum termini sunt accidentia disponentia ad formas substantiales, jam lumen non attinget hæc accidentia, sed dispositiones ad illa, & sic darentur dispositiones dispositionum. Tum quia frequenter hæ virtutes impediuntur, vel minuuntur, ut vis frigefactiva aliquando impeditur, vel minuitur, & tamen non impeditur illuminatio, ergo illuminatio est actio distincta ab actione influentiarum. Tandem quod addunt de calore penetrante terræ viscera, adest experientia in contrarium, nam ut diximus disp. Phys. cit. qu. 6. art. 2. etiam tempore caniculæ subterranea loca superficiei terræ propinqua sunt frigidissima; sive hoc ab antiperistasi causetur, sive non, parum refert, ergo multo minus calor solis a lumine productus poterit tam vastam terræ molem pervadere: accedit, quod numquam tam ingens calor a lumine causatur, ut fit a fornace, ergo non poterit calor solis magis intimas terræ partes permeare, quam faciat calor fornacis, qui tamen non admodum profunde intus terram penetrat, ut patebit, si quis sub fornaci foderet.

246 Dantur igitur in cœlis qualitates quædam, & virtutes, quæ influentiæ occultæ appellari solent, quatenus in se ipsis, & a priori sunt nobis ignotæ, quamvis notissimæ sint a posteriori, & ab effectibus, Suntque qualitates dimensionatæ quidem, & per medium extensæ, sed spiritualiores elementaribus qualitatibus, quia non ita impediuntur per grossitiem obstaculi, ut elementares, imo ut ipsum lumen, nam penetrant profunda terræ; & ad distinctionem specificam astrorum specie quoque multiplicantur; unde definiri possunt, quod sint *qualitates insensibiles in cœlis existentes, per quas effectus proveniunt, quorum non potest reddi ratio ex causis per sensum notis.*

247 In oppos. arg. tum ex Arist. qui numquam de hujusmodi influentiis fecit mentionem, & ex Scot. 2. d. 13. qu. 1. A. dicente nullam qualitatem consequi formam substantialem corporis cœlestis, quam lucem. Tum 2. quia omnes effectus per lumen possent effici, quatenus est instrumentum diversorum siderum, ut videmus in animali, in quo idem naturalis calor diversa producit in corpore juxta diversitatem potentiarum. Tum 3. sequeretur has qualitates perfectiores esse ipsa luce; quia proprietas consequens naturam specificam, quales essent istæ influentiæ, perfectior est proprietate generica, ut est lux, sicut perfectior est species genere, hoc autem est falsum, quia lux dici solet primi corporis præstantissimus effectus, unde & lumen producit, quod est perfectius qualitatibus elementaribus ab influentiis producibilibus. Tum 4. ex P. Fabro, quo agentia sunt nobiliora, eo paucioribus utuntur instrumentis, sed astra sunt elementis nobiliora, ergo quia elementa duo habent instrumenta, scilicet duas primas qualitates, astra unum tantum habebunt, quod erit lumen. Tum 5. ex eodem omnis actio Physica fit per contactum corporalem ex Arist. 7. Phys. sed cœlestia non tangunt hæc inferiora, nisi per lumen, ergo, &c.

248 Resp. ad 1. argui ab authoritate negativa: tum quia quis hanc sanxivit legem, ut nihil sciamus, nisi quæ antiqui tradiderunt? essent enim de medio tollendi excentrici, epycicli, & multa ad medicinam, cosmographiam, & alias facultates pertinentia, nam ut inquit Poeta: *Non omnia possumus omnes*. Adde, quod Arist. 1. Metheor. sum. 2. cap. 4. & 6. dum certis stellis virtutem attribuit generandi cometas, & viam lacteam, & non omnibus, quamvis lumen, & motum vel eumdem, vel similem habeant, & lib. de element. causis, dum maris æstum refert ad Lunam, non obscure has occultas influentias insinuavit. Scotus vero ibi loquitur de qualitatibus sensibilibus, non de insensibilibus, de quibus postea locutus est dist. seq. Ad 2. neg. assumptum ut patet ex dictis, neque exemplum urget, nam potentiæ corporis animalis non utuntur solo calore ut instrumento, sed pluribus aliis virtutibus viralibus, quamvis calor multum conferat ad actiones illas. Ad 3. posset concedi sequela, & negari falsitas; lux enim est præstantissimus effectus inter sensibiles qualitates, deinde posset negari sequela, non enim necessario proprietates servitutes activæ naturæ perfectioris debent esse perfectiores virtutibus activis naturæ imperfectioris, ut patet de Angelo, cujus activa potentia est ad accidens, corporalia vero habent virtutem producendi substantiam, ut sæpe dictum est. Ad 4. major non est necessario universaliter vera, quando agentia perfectiora sunt ordinata ad plures functiones exercendas diversas, & fere contrarias, ut pater in homine, qui plura habet instrumenta quam cætera viventia. Ad 4. si valeret, oporteret negare actionem in distans, quare dicimus sufficere contactum virtualem, ut fusius disp. 7. Phys. qu. 4. art. 3. Alias rationes adducit Aversa ex Giannino, sed vel levioris sunt momenti, vel ex dictis remanent solutæ.

Hæc sufficiant de corporibus cœlestibus; quod si aliquid asseruimus minus consonum veritati, non est mirum, veniamque meremur, habetur enim Sap. 9. *Difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu nostro sunt, invenimus cum labore; quæ autem in cœlo sunt, quis in vestigabit?* & Job 38. *Quis cognovit cœlorum rationes?*

DISPUTATIO TERTIA.

De gravibus, & levibus.

HActenus de prima specie simplicis corporis, ad alias est descendendum, scilicet ad elementa, quorum formas substantiales descripsit hic Arist. per qualitates motivas gravitatem, & levitatem; & quoniam hæ qualitates per se secundo conveniunt etiam mixtis, ut diximus disp. 1. qu. 1. art. 1. cum quodlibet moveatur secundum prævalens elementum, idcirco disputationem hanc, quæ est de elementis in communi, inscribimus de gravibus, & levibus, ut aliquo pacto idem judicium fieri possit de mixtis, ut gravia, & levia sunt, quod etiam observavit Aristoteles.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sint gravitas, & levitas, & num quælibet sit una species.

1 SUpponimus in præsenti cum Arist. 1. cœli 89. gravitatem, & levitatem esse formas positivas contra quosdam antiquos asserentes levitatem non esse formam realem positivam, sed quamdam privationem gravitatis, dicebant enim omnia corpora esse gravia, sed differre secundum magis, & minus, ideoque unum corpus ferri sursum, non quod sursum ascendens propellatur a virtute intrinseca, sed quasi per accidens, & ab extrinseco, quatenus gravius minus gravibus se supponere contendit. Hæc opinio est falsa, quia alii dicere possent e contra gravitatem esse privationem levitatis, & corpora omnia esse magis, vel minus levia, & in tantum aliqua deorsum moveri, quatenus magis levia minus levibus supereminere nituntur. Tum quia corpus quodlibet ex se petit proprium, & determinatum locum, aliter corpora confuse, & indistincte existerent in universo, quod est contra rationem universi, quod ex corporibus ordinate dispositis integratur, ergo non per accidens, sed per se, & ab intrinseco debet ad proprium locum tendere; unde videmus, quæ sursum tendunt, velocius in fine, quam in principio moveri, quod signum est motus naturalis, & ab intrinseco; patet de utre aere pleno, & de igne in subterraneis incluso, qui tam magno impetu sursum tendit, ut etiam corpora ingentis molis secum deferat, signum non a gravibus, sed a seipso per levitatem intrinsecam moveri.

2 Dantur igitur hæc duo principia motus sursum, & deorsum, scilicet gravitas, & levitas, gravitas est principium motus, & quietis deorsum, & si est ad locum infimum erit gravitas simpliciter, & definitur ab Arist. 4. cœli 30. & seq. in concreto, grave simpliciter est, quod ad medium movetur, & omnibus aliis naturaliter subest, si vero movetur ad locum deorsum non infimum, erit gravitas secundum quid, & comparate, qua corpus natum est esse supra unum, & infra aliud, & in ordine ad grave simpliciter potest dici leve, levitas est principium motus, & quietis sursum, & si est ad locum sursum medium, erit levitas secundum quid, & relate, si ad locum supremum, erit levitas simpliciter, & definitur in concreto: leve simpliciter est, quod a medio movetur, & omnibus aliis supereminet, ubi not. quod hæc definitio non convenit cœlo, ut putavit Philop. nam cœlum non est natum moveri a medio, nec proprie dicitur omnibus supereminere, quasi quiescat in loco supremo, aliud enim est esse locum sursum, & esse *in loco* sursum, cœlum est locus sursum, at ignis, qui est simpliciter levis, est in loco sursum, & de hac supereminentia intelligenda est illa definitio, quæ scilicet est terminus motus sursum, quomodo non competit cœlo. His suppositis quærimus, quidnam sint istæ formæ, an scilicet substantiales, an accidentales, deinde an omnes gravitates sint ejusdem speciei, similiter & levitates, an vero quælibet sit alterius speciei; itaut alia specie sit gravitas terræ a gravitate aquæ, & levitas ignis a levitate aeris, an vero differant secundum magis, & minus.

Quoad primum Rubion. 2. d. 14. qu. 3. & Averroistæ putarunt has formas esse substantiales, ita præcipue Achill. 3. de elem. disp. 1. & nuper Arriag. disp. 4. de gen. sect. 5. Alii vero, licet accidentales connumerent, confunduntur tamen illas cum raritate, & densitate, ut gravitas sit densitas, & crassities rei, levitas sit raritas. Communis docet esse qualitates a densitate, & raritate distinctas. Quoad 2. Nyph. 2. de gen. com. 28. qu. 5. Ven. sum. de cœlo c. 2. Georg. 4. cœli qu. 1. d. 3. Ruvius qu. 1. Moris. disp. 5. de cœlo qu. 5. Scheiner disp. 15. consect. 4. Aresi. 2. de gen. qu. 20. & alii asserunt omnes gravitates esse ejusdem speciei, similiter & omnes levitates, at Achill. cit. disp. 12. Mars. 2. de gen. qu. 7. Tol. cap 4. qu. 7. Conimb. 4. cœli c. 6. qu. 1. Hurt. disp. 3. cœli §. 37. Dandin. 2. de Anim. digress. 20. Aversa qu. 40. sect. 3. Amic. tract. 7. qu. 4. d. 2. & alii oppositum sustinent.

3 Dicimus 1. gravitatem, & levitatem esse qualitates a raritate, & densitate realiter distinctas, ita colligitur ex Scot. 2. disp. 2. qu. 10. & d. 15. ad 2. & 3. princ. quod non sint substantiæ, solet probari ex hoc, quod substantia non habet contrarium, non est per se sensibilis, gravitas, & levitas contrariantur, sunt per se sensibiles sensu tactus. Tum quia in Sacramento altaris gravitates panis, & vini remanent, ergo sunt accidentia. Sed his facile respondet Arriag. inter gravitatem, & levitatem adesse solum illam contrarietatem, quæ est inter duas formas substantiales, nec gravitas est per se sensibilis, aliter quando lapis existens in terra tangeretur non elevando illum, perciperetur gravitas, sicut percipitur semper albedo, calor, &c. solum igitur percipitur effectus gravitatis, qui est impulsus ad motum deorsum, & sic in Sacramento altaris non est gravitas, sed effectus, scilicet impulsus a Deo productus, ut occultaretur miraculum.

4 Melius probari potest ex hoc, quod gravitas intenditur, & remittitur, non solum per accidens, quatenus ab aliquo gravi expellitur aliquod corpus grave, ut in pomo exsiccato, vel inducitur aliud in corpus, ut in charta humectata, sed etiam per se, nam vapores aquei, & exhalationes omnem prorsus gravitatem amittunt, & supra aerem ascendunt, & tamen retinent proprias formas substantiales secundum communiorem opinionem, & ne exemplum in dubium adducamus, idem experimur in humoribus herbarum, qui virtute caloris levitatem acquirunt retenta propria substantiali forma, ut patet ex proprietatibus, ut odore, & virtualibus qualitatibus, quas conservant, & in operculo orificium ollæ cooperiente apparent guttæ aquæ sursum elevatæ ex levitate recepta ab igne. Respondet, formam aquæ, ad hoc ut exeat in actum secundum motus deorsum, indigere multis aliis dispositionibus, quibus si privetur, ut in casibus adductis, non potest actu gravitare, hinc sursum pellitur ab aliqua aqua habente omnia requisita, ut maneat inferius. Contra vapores illi sursum non ascendunt ab extrinseco, sed ab intrinseco, unde non solum supra aquam, sed etiam supra aerem tendunt, & consequenter a levitate in illis existente, quæ nequit esse substantialis forma, sed accidentalis, nam adest, & abest, ut patet, cum denuo vapores infrigidati convertuntur in aquam, & descendunt, ergo nec gravitas erit substantia, nam levitas, & gravitas sub eodem genere principii loco motivi continentur. Cum ergo non sint substantia; neque sit quantitas, quia hæc indifferens ad utramque, imo sine ipsis reperiti potest, ut in cœlo, non est activa, ut sunt gravitas, & levitas, quæ sunt principia motuum, remanet, quod sint qualitates.

5 Quod autem a raritate, & densitate realiter distinguantur, in nostra sent. faciliter prob. eo quia raritas, & densitas non sunt qualitates, sed positiones quædam quantitatis de prædicam. situs, ut dicemus in lib. de Gener. Tum quia esto essent qualitates, adhuc distinguerentur, quamvis enim ut plurimum, & regulariter ubi est densitas, ibi sit gravitas, & ubi est raritas, ibi sit levitas, qua ratione Arist. 4. Phys. 85. & 86. & 8. Phys. 55. & 3. cœli 10. densitatem cum gravitate, & raritatem cum levitate videtur confundere ex hoc, quod sese plurimum comitantur ad invicem, attamen quandoque separantur, nam fumus, & nubes sunt densiores, & leviores aere, lignum est densius, & levius aqua, plumbum est rarius, & gravius ferro, & ne dicatur ista differre non penes raritatem, & densitatem, sed vel penes opacitatem, & diaphaneitatem, ut fumus, & aer, vel penes duritiem, & mollitiem, ut lignum, & aqua, plumbum, & ferrum, præter quam quod gratis assumitur, præcipue de nube, & aere, nam aer nubilosus non solum opacior ab omnibus judicatur, sed etiam grossior aere purificato; adest exemplum manifestissimum de glacie, oleo etiam frigore condensato, & aqua, glacies enim densior est aqua, ut patet, similiter oleum ex c. 4. de sens. & sens. & tamen sunt leviora, quia supernatant, non ergo sunt omnino idem; & consequenter nec se habebunt ut causæ, & effectus, sicut aliqui dixerunt, saltem non se habebunt ut causæ totales, sed ad summum erunt dispositiones partiales; nam raritas videtur dispositio ad levitatem, sicut densitas ad gravitatem, hinc Arist. 2. de Gener. 8. & 7. Phys. 11. expresse gravitatem, & levitatem a densitate, & raritate distinxit.

6 In oppos. instatur, quod sint formæ substantiales elementorum. Tum quia sunt natura, cum sint principia motus, & quietis ejus, in quo est, ergo vel materia, vel forma; non materia, ergo forma. Tum 2. si daretur terra in aere absque omni accidente realiter distincto, vel sisteret ibi, vel descenderet, si secundum, ergo gravitatem, quæ est principium motus deorsum, & sic gravitas est de substantia terræ, si primum, ergo ibi naturaliter quiesceret, quod est contra terræ naturam. Tum 3. aqua per propriam formam substantialem se reducit ad pristinam frigiditatem, quia frigiditas est *ipsi* connaturalis, ergo quid locus deorsum est etiam aquæ connaturalis, se ipsa ad illum movebitur, & non per accidens distinctum, ergo gravitas non est quid a forma substantiali. Tum 4. Arist. in 4. de cœlo de gravitate, & levitate disputavit, postea in lib. de Gener. de primis quatuor qualitatibus, gravissime autem esset reprehendendus, nisi gravitatem, & levitatem tamquam formas elementorum accepisset, quoniam secundas prius, quam primas explicasset. Tandem omnis qualitas vel est prima, vel secunda, gravitas, & levitas non sunt primæ qualitates, hæ enim sunt illæ quatuor calor, & frigus, humiditas, & siccitas, nec sunt secundæ, quia omnis qualitas secunda causatur a primis, gravitas, & levitas non causantur a primis, ergo erunt substantiæ.

7 Resp.

7 Resp. ad 1. neg. esse naturam, quia non sunt principium ejus in quo est primo, & per se, sed extrinsece, & accidentaliter. Ad 2. texta ibi sisteret violenter, non naturaliter, non moveretur autem deorsum, quia careret principio ad hoc sibi a natura communicato, non enim forma substantialis est immediatum principium motus deorsum, ut dicemus in seq. q. Ad 3. sæpe dictum est unam formam esse productivam hujus, vel illius effectus, non dignosci nisi a posteriori, cum igitur non appareat aliud principium productivum frigoris in aqua, adsit tamen principium productivum motus deorsum, arguimus, aquam in se producere frigiditatem, non autem motum, aliter frustra esset gravitas in aqua. Ad 4. patet ex dictis quæst. procem. qualiter Arist. prius debebat agere de elementis, ut gravia, & levia sunt, quia hæ qualitates competunt ipsis secundum se, & ut corpora naturalia universum integrantia, quam secundum primas qualitates.

8 Ulrimum arg. petit solutionem illius difficultatis, a quo scilicet causentur istæ qualitates, an a formis substantialibus, an a primis qualitatibus. Quidam enim putant non a qualitatibus primis, sed a substantialibus formis provenire, quia maxime proprium est formæ esse in loco connaturali, ergo si ex se immediate nequit motum causare, saltem deberet causare mediate producendo principium motus, tum quia si levitas summa in igne proveniret a calore, & siccitate, ergo quia qualitates istæ sunt in ferro candenti, & terra calefacta, debebunt summam levitatem causare, quod est falsum; tum etiam, quia ex opposito frigiditas, & humiditas deberent causare summam gravitatem in aqua, & in aere mediæ regionis gravitatem similem gravitati aquæ, quæ sunt falsa, nam terra est gravior aqua, & aer infimæ regionis est gravior, vel saltem æque levis cum aere mediæ regionis, quamvis sit calidior. Tum quia tenacius adhærent formæ hæ qualitates, quam primæ, ut patet in aqua calefacta, & aere frigefacto; Tum quia ex gravitate, & levitate in mixtis arguimus dominium formæ elementaris, non temperiem primarum qualitatum. Alii vero docent immediate a primis oriri, nam manente eadem forma substantiali; sed variatis primis qualitatibus variantur istæ qualitates, ut in vapore, humoribus herbarum, & exhalatione, in quibus adest levitas propter variationem frigoris; tum quia hæ qualitates sunt dispositiones præsuppositæ ad introductionem formæ substantialis, ergo præsupponuntur in materia, & consequenter non a formis substantialibus, sed ab alio agente causantur, scilicet a primis qualitatibus, quod docuit Arist. 2. de Gen. 10.

9 Possumus tamen mediare utramque opinionem simul amplectendo, & quod a forma substantiali causentur, non se sola, sed primis qualitatibus etiam concurrentibus, aliisque requisitis tamquam dispositionibus, scilicet raritate, vel densitate, non enim aliquid certum in hac re determinari potest, cum experientiæ urgeant hinc inde: quapropter non sufficit quandoque variatio primarum qualitatum, nisi adsit raritas in subjecto, ut patet in ferro, & aqua calefacta; quandoque & si æque densa, vel rara sint corpora, & primæ qualitates variatæ, adhuc remanet levitas, ut in aere infimæ, & mediæ regionis, sunt enim æque rari, ille est calidus, iste frigidissimus, & tamen non est gravior, quod non adscribi poterit formæ substantiali, quandoque vero variatur totaliter gravitas, licet non varietur forma substantialis, ut in vapores, quia vis conservativa formæ substantialis superatur ab agente extrinseco scilicet Sole, vel igne calefaciente, rarefaciente aquam, & levitatem imprimente: Hinc ad arg. dicimus gravitatem, & levitatem esse qualitates secundas, quia a primis dependent, & causantur, licet non totaliter, vide rationes contra 1. conclus. seq. quæst.

10 Dicimus 2. gravitates ad diversa loca tendentes esse diversæ speciei, idem de levitatibus dicendum. Prob. primo ex Arist. 4. Cœli 26. & 27. ubi ex quaternario numero harum qualitatum colligit numerum quaternarium elementorum, quæ ratio magis urget, si dicatur has singulas virtutes specie differre. Tum quia si duæ gravitates, non specifice, sed secundum magis, & minus differrent, ergo corpus, quod est majoris ponderis, & consequenter majoris gravitatis deberet magis ad centrum tendere, quam quod est minoris ponderis, & gravitatis, sicut si calor ut duo potest aliquem effectum causare, multo magis calor ut tria, sed lapis unius libræ est minoris ponderis, quam lignum centum librarum, & tamen in aquis lapis demergitur, lignum vero supernatat, ergo illæ gravitates non sunt ejusdem speciei, idem posset argui de pauca terra, & multa aqua.

11 Resp. hoc provenire, quia lignum habet in poris inclusum aerem, cujus levitas gravitati ligni resistit, ne ad profundum petat, sicut etiam evenit in pumice in aquis supernatante propter aerem inclusum. Vel 2. resp. provenire, quia lapis intensive est gravior, licet lignum extensive sit gravius, quemadmodum calidum ut duo, & si non ita extensum, potest producere calorem ut duo, & calidum ut unum, quantumcunque extendatur, solum calorem ut unum poterit causare.

12 Prima responsio est vana, quia si utrumque statera perpendes, gravius apparebit lignum, quam lapis, ergo sicut hic levitas aeris non impedit, quin gravitas ligni præponderet, nec etiam in aqua. Tum quia, non potest esse tanta levitas aeris inclusi, ut æquipolleat quo prævaleat tantæ ligni gravitati, ergo sicut si alicui gravi sit annexum aliquod leve non potens vincere illius gravitatem, moveretur ad motum gravis, ita quoque accideret in ligno, & aere incluso; exemplum de pumice non est ad propositum, nam verum est propter aerem inclusum levitare, attamen si in pulvere reduceretur, statim in profundum tenderet, quod in ligno non contingit. Secunda responsio est pro nobis, nam etiam quoad intensionem gravitatis adest discrimen inter lignum, & lapidem; quantumcunque enim intendatur gravitas ligni, & remittatur gravitas lapidis (datur enim unum lignum gravius altero, sicut, unus lapis altero gravior) nunquam lignum subsidebit aquis, nec lapis supra aquas, signum evidens has gravitates esse omnino alterius rationis; nam remissio qualitatis solum facit, quod effectus non producatur ita intensus, vel tam velociter, sicut a qualitate intensa, non tamen quod nullo modo causetur, ergo gravitas remissior ligni solum esset in causa, quod lignum non tam velociter ad profundum petat, sicut lapis, non autem, quod nullo pacto descendat sub aquis.

13 Secunda, loca ad quæ hæ gravitates tendunt, ut sunt termini istorum motuum, specie differunt, ergo motus erunt specie distincti, ergo & gravitates, prima conseq. patet, quia motus specificantur a terminis ex dictis disp. 15. Phys. 2. Conseq. etiam patet, quia ab eodem principio nonnisi idem motus specie potest provenire; Antec. vero prob. loca, ad quæ moventur elementa, non solum habent rationem loci, sed etiam loci naturalis, quo pacto non dicunt solum superficiem continentis, vel situm universi, sed etiam virtutes, & qualitates corporis locantis, ut sunt connaturales, & conservativæ locati, ut docet Scot. 2. disp. 2. q. 6. H quapropter *licet in priori sensu* omnia ubi sint ejusdem speciei ut diximus in Phys. disp. cit. & 11. attamen in posteriori sensu differunt specie, sicut corporea continentia, & qualitates *ipsorum specie differunt*, hac enim ratione dicuntur naturalia, & termini motus naturalis. Hinc locus naturalis terræ non est centrum sub ratione centri (nisi velimus dicere esse locum terminativum, quia motus terræ tandem ad centrum terminabitur) aliter terra nunc existens in superficie terrestris globi violenter quiesceret, & si totum spatium inter cœlum, & centrum esset plenum terra, quælibet pars terræ etiam prope orbem Lunæ existens naturaliter quiesceret, sed dicitur centrum, quatenus terra petit esse sub omnibus corporibus, itaut locus naturalis terræ contentivus erit superficies elementi minus gravis, sic aqua non petit naturaliter ad centrum, aliter, si in centro existeret, quamvis sub terra, naturaliter quiesceret, quod est falsum, quia videmus aquam supra terram ascendere, quia ascensus non fit ab extrinseco, ex hoc, quod terra petit esse sub aqua, unde aquam ab inferiori loco expellit, ut falso putavit Aresius, sed ab intrinseco, & virtute aquæ, nam videmus, aquam cum e terra ascendit sursum, minutas terræ particulas secum deferre, quod non eveniret, si solum vi terræ sursum moveretur, qua ratione probamus aerem propria vi supra aquas ascendere, quia secum defert aquam in altum, ut apparet in Bullis; locus igitur naturalis aquæ erit superficies convexa elementi gravioris, & concava levioris. Rursus locus naturalis ignis proprie non est orbis Lunæ, quia si totum spatium esset igne repletum, æque naturaliter ignis in centro existeret, ac in circumferentia, sed erit superficies convexa cujuscunque alterius corporis, & concava cœli, & tandem locus naturalis erit superficies convexa elementi gravioris, & concava ignis.

14 Tandem probari potest, quia data hac sentent. posset defendi omnia elementa esse gravia, vel omnia levia, & solum differre secundum magis, & minus, quod supra refutavimus initio qu. seq. Prob. quia non minus aqua differt a terra, quam aer differat ab aqua, nam sicut aqua ascendit supra terram, & terra descendit sub aqua, ita aer ascendit supra aquam, & aqua descendit sub aere, ergo si terra differt ab aqua in gravitate secundum magis, & minus, etiam aqua ab aere, & consequenter etiam ab igne, qui ponitur habere principium motivum ejusdem rationis cum aere, quicquid autem huic rationi dicetur, ut salvetur specifica distinctio inter principia motiva aeris, & aquæ, retorqueri poterit, & valebit de principiis aquæ, & terræ.

15 Contra arg. Tum ex Aristot. qui 4. Cœli 26. & sequ. elementa media vocat gravia, & levia, & principia appellat quasi mixta ex levitate, & gravitate, ut tepiditas ex calore, & frigore, ergo gravitas aquæ non est specie distincta a gravitate terræ, nec levitas aeris a levitate ignis. Tum 2. gravitates aquæ, & terræ eodem modo movent deorsum, nam si esset foramen aliquod usque ad centrum, eodem modo aqua tenderet per suam gravitatem ad centrum, & per eandem lineam, ac efficeret terra, solum esset quædam differentia in velocitate, & quando ambo per aerem descenderent, *nullum* discrimen posset assignari inter principia horum motuum, ergo &c. Tum 3. qualitas inferioris ordinis nunquam potest intendere, aut superare qualitatem *superioris ordinis*, sed gravitas aquæ intendit gravitatem terræ, ut cum vas repletur aqua, quandoque etiam superat, nam gravior est multa aqua, quam paululum terræ, ergo &c. Major patet, quia quando majus, & minus proveniunt ex naturis specificis, nequit ordo *inverti*, ut inferius excedat superius. Tum 4. caliditates *aeris*, & ignis sunt ejusdem speciei, ergo & levitates. Tum 5. innumeræ multiplicandæ erunt species gravitatis, & levitatis in mixtis, ut alia sit gravitas auri, alia plumbi, &c. quod est multiplicare entia sine necessitate.

16 Resp. ad primum dici gravia, & levia *non formaliter*, quasi motivum principium ex gravitate, & levitate integretur, sed æquivalenter, metaphorice, & relate respectu diversorum, quatenus videntur aliquo pacto cum *extremis convenire*, ut diximus. Ad secundum n. aquam & terram ob eundem finem tendere deorsum, nam terra tendit, ut sit sub omnibus corporibus; aqua, ut sit sub aere, & igne, sed supra terram, unde si per illud foramen aqua, & ter-

& terra simul projicerentur, ambo tenderent deorsum, quia ambo petunt esse sub aere in illo foramine existente, sed terra usque ad centrum descenderet, non aqua, & quia motus specificantur a terminis ultimis, hinc quamvis in descensu per aerem nullum appareat discrimen, non ideo identitatem specificam principiorum debemus arguere, quia ad diversa specie loca tendunt. Ad tertium major, & minor intensio vel excessus gravitatis attendi debet, non quidem quod majus, vel minus pondus causatur, hoc enim est de per accidens, & potius ab extensione gravitatis provenit, sed ex hoc, quod unum grave ponderat in pluribus corporibus, quam aliud, & illud erit simpliciter gravius, cum ergo paululum terræ nunquam excedatur a multa aqua, vel ingenti ligno; nam lignum, & terra gravitant in aere, sed terra etiam in aqua, non autem lignum, hinc nunquam gravitas aquæ, aut ligni proprie possunt intendere, aut excedere gravitatem terræ, sed *semper* erunt alterius rationis, licet quoad ponderis causationem possint excedere, sed hic excessus arguit majoritatem extensivam, cum sit effectus æquivocus a qualibet gravitate causabilis. Ad quartum neg. paritas, quia caliditates habent eundem effectum specie causare, non sic levitates. Ad quintum concedimus seq. tot esse gravitates specie distinctas, quot sunt corpora, quæ determinate postulant loca omnino diversa.

17 Secundo ad idem; omnia gravia definiuntur, per hoc quod est tendere ad medium, omnia levia per moveri a medio, ergo sunt ejusdem rationis. Tum 2. impulsus est ejusdem rationis, quocunque pergant projecta, virtus media loco motiva est ejusdem rationis, quamvis causet ascensum, & descensum, cui specie differunt, ut levitas aeris in aqua, & in igne, ergo *etiam omnes* gravitates, quamvis diversimode impellant. Tum 3. loca omnia inter se accidentaliter differunt, nam naturale, & violentum sunt differentiæ accidentales loco, ergo non inferunt essentialem distinctionem inter motus ad illa. Tum 4. duæ sunt species motus simplicis recti, scilicet a medio, & ad medium, ergo duo principia specie distincta. Tum 5. levitas aeris est contraria gravitati terræ, sicut levitas ignis, ergo sunt ejusdem speciei, quia uni unum est contrarium ex 1. Cœli 10. & 10. Met. 10. Tum 6. utraque levitas ex iisdem principiis provenit, scilicet calore, & raritate, ergo sunt ejusdem rationis,

18 Resp. ad 1. definitiones illas esse graves, & levis in communi, non in speciali. Ad 2. paritatem de impulsu non valere, quia ex se est indeterminatus ad quemcunque locum, & a projiciente dirigitur, at gravitates illæ sunt ex se ipsis ad peculiaria loca determinatæ, ut vero motiva media causat illos motus, qui specie non differunt, cum sit idem terminus ad quem formalis, nec motus specificantur essentialiter a terminis a quibus. Ad 3. neg. seq. nam differentia accidentalis, si ad illam est aliqua potentia determinata, sufficiens est ad inferendam essentialem differentiam in potentiis, sic formæ substantiales diversæ petunt diversa temperamenta primarum qualitatum, quæ solum differunt secundum magis, & minus, & tamen a posteriori sufficienter inferunt distinctionem specificam formarum, propter naturales determinationes formarum ad illa. Ad 4. species illæ sunt subalternæ, non specialissimæ. Ad 5. neg. conseq. & ad prob. patet ex dictis in Log. *disp.* 9. q. 1. art. 1. propositionem illam intelligi de *contrariis perfectis*, & *adæquatis*, ut sunt extrema, non de mediis, & imperfectis, sicut patet in coloribus, nam albedo unum contrarium habet perfectum, a quo maxime distat, tale est nigredo, habet tamen alia contraria imperfecta, a quibus non maxime distat, ut sunt medii colores. Ad 6. jam diximus ad levitates illas non solum concurrere primas qualitates, sed etiam formas substantiales.

19 Tertio quando ex aere fit ignis, & paulatim rarescit materia, debet in illa materia introduci levitas ignis, sicut introducuntur aliæ dispositiones, ergo si hæc levitas esset specie distincta a levitate aeris, jam aer haberet simul duas levitates, & una corrumperet aliam, quod videtur fictitium, nam una non contrariatur alteri. Tum 2. quando calore Solis aliquid rarescit, quænam levitas inducitur aeris, an ignis? non enim videtur ratio, cur Sol unam inducat potius levitatem, quam aliam. Tum 3. sequeretur, quod nunquam ex aqua posset ignis immediate generari, nam ignis requirit igneam levitatem in materia, quæ nunquam posset introduci in aqua, quia aqua ex se est humida, at ad calorem cum humiditate non consequitur levitas ignis, sed aerea, & si prius aqua verteretur in aerem, quam in ignem. Tum 4. ex hoc quod ignis ascendit supra aerem, & terra *descendit* sub aqua, non recte infertur specifica distinctio motuum, ergo nec principiorum. Antec. prob. nam vapor, cum sit calidus, & humidus, habet levitatem aeream, & tamen supra aerem movetur; cadaver prius infra aquam descendit, non tamen pervenit ad profundum maris, deinde supernatat, & tamen, cum ibi sit gravitas terræ, deberet ad ima descendere, ova in aqua dulci demerguntur, in aqua maris, & salsa supernatant; plumbum, argentum vivum, & aurum sunt graviora ipsa terra, & tamen non debemus dicere hæc metalla infra terram descendere, quia sunt mixta quædam, & consequenter petunt esse supra terram propter participationem aliorum elementorum; lapis Thyrreus ex Plin. lib. 2. nat. hist. c. 103. & quædam insulæ ex eodem ibid. c. 95. in aquis innatare apparent; quidam lacus reperiuntur, in quibus *omnia*, quantumvis ponderosa fluitant.

20 Resp. ad 1. concedendo in aere tunc esse duas levitates specie distinctas, non in gradibus intensis, sed remissis, quorum una corrumpit alteram propter oppositionem contrariam formalem, quam habent, sicut albedo corrumpere dicitur rubedinem. Ad 2. dicimus in casu introduci a Sole levitatem proportionatam naturæ rarefacti, ut possit ad locum destinatum pergere, sic in vapore introducitur a sole, non levitas aeris, quia non moveretur in aere, elementa enim in proprio loco non moventur, nec levitas ignis, quia non pervenit ad locum ignis, sed levitas quasi mixta ex aerea, & ignea levitate. Ad 3. difficultas non solum urget de levitate, sed etiam de primis qualitatibus, ut dicemus in lib. de Gen. pro nunc resp. quod sicut in aqua introducitur ab igne aliquid siccitatis, sic etiam aliquid igneæ leviratis, non enim levitas præcise sequitur primas qualitates, sed etiam formas substantiales, quare ignis per propriam formam introducendo proprias qualitates introducit etiam propriam levitatem. Ad 4. non ex quocunque ascensu, & descensu supra, vel infra aliquod corpus debemus arguere distinctionem specificam gravitatis, vel levitatis, nam potest esse, quod ab extrinseco, & per admixtionem alterius corpus aliquod ascendat, cum tamen ex sua natura descenderet, quare debemus res considerare in puritate propriæ naturæ; & tunc recte arguimus distinctionem specificam virtutum loco motivarum, hinc ad illa exempla resp. & Primo ad illud de vapore jam diximus non habere levitatem aeream, nec temperamentum primarum qualitatum hoc convincit, ut sæpe dictum est; cadaver non descendit ad ima, quia non est ita grave, sicut terra, sed partes aereæ sunt in illo inclusæ, quæ impediunt descensum; nam cum homo submergitur in aquis, calor naturalis non refrigeratur aspiratione, ideoque accenditur, & omnes humiditates corporis alterat, & resolvit in vapores aereos, qui propter antiperistasim nequeunt a corpore in principio exire, unde impediunt descensum, imo cadaver elevat super aquas; tum quia cum subsidet, secernitur interim materia terrea; aqua quandoque cum materia terrea valde miscetur, unde gravior, grossior, & facilis ad sustentandum corpora evadit, sic grossior est aqua maris, quam fontium, & facilius in illa, quæm in ista natatur, & *hac ratione* ova supereminent in aqua salsa, & alia gravia in illis lacubus, qui propter magnam bituminis copiam, aliarumque terrestrium exhalationum aquam habent crassiorem, & valde limosam, metalla illa possunt dici graviora terra, quæ apud nos est, propter impuritatem, non enim est elementum purum, ac etiam propter densitatem majorem, quam habent metalla, non tamen erunt graviora terra pura, hec infra istam descendent; tamen lapides illi sunt ad modum spongiæ, multumque aereæ materiæ continent, & si fabulosum non est, quod de insulis illis narratur, dicitur evenire, eo quia a fundo sunt avulsæ, super magnas arborum radices fundatæ, unde terram in aquis suspensam retinent, vel quia terra constat aluminosa, lapidosus spongiosis, & porosis.

QUÆSTIO II.

A quo gravia, & levia moveantur ad propria loca.

21 Ut certa a dubiis secernamus, primo certum est, gravia deorsum, & levia sursum non moveri a medio, ut diximus initio qu. præced. dum ostendimus gravitatem, & levitatem esse entia positiva, & vere in gravibus, & levibus existere, quibus etiam ostenditur medium non esse causam motus gravis deorsum, & levis sursum, quatenus sic liceret cederet mobili, ut sursum, vel deorsum pergat; tum quia idem aer cedendo gravi causaret motum deorsum, cedendo levi causaret motum sursum, & sic esset contrariorum causa, tum quia deberet aer saltem prius natura seipsum movere cedendo v. g. lapidi, quam moveatur lapis, secundum enim istos nisi aer cederet, nunquam lapis moveretur, quo supposito quæritur, a quo moveatur aer, non a medio, quia non datur medium medii, ergo ab aliquo alio, vel a seipso, idcirco non satisfit complete quæsito. Deinde certum est etiam removens prohibens solum per accidens esse causam motus, ut removens lignum, vel columnam, supra quam adest statua, erit per accidens causa motus deorsum statuæ, sicut applicans ignem domui est causa per accidens combustionis, ita Arist. 8. Phys. 32.

22 Rursus nec Cœlum poterit esse causa effectiva horum motuum, ut dicebat Emped. quatenus scilicet propter suam maximam perfectionem cæterorum corporum commercium quasi abhorret, & dedignatur, unde vi quadam ex suo velocissimo motu proveniente a se propellit, & eo longius, quo existunt graviora, hinc terra omnium gravissima ad centrum detruditur, deinde aqua minus gravis, sequitur postea aer, tandem ignis omnium levissimus, & quia motus Cœli uniformis est, & perpetuus, idcirco ajebat Emped. ista corpora semper eundem postulant locum. Quæ sententia est falsa, & meriro rejicitur ab Arist. 2. de Cœlo in fintum quia violenter moverentur, pulsio enim inter violentos motus connumeratur, tum quia non moverentur velocius in fine, sed tardius, *ut contingit in quolibet* motu projectorum; tum quia non posset Cœlum movere levia sursum, nam expulsione non trahitur corpus a motore ad se, sed a se removetur. Tandem nequeunt a loco moveri ob quandam convenientiam, & sympathiam, quam habeant cum loco, in quo virtus quædam adsit attrahendi ad se locatum, quomodo magnes attrahit ferrum, ut aliqui asserunt. Tum quia aut esset spatium illud a corpore repletum, aut corpus replens; v. g. si centrum *vim* habet attrahendi grave, aut esset illud spatium, seu punctum mathematicum, aut terra illud ambiens; non terra, quia ipsa quoque est mobilis ad centrum, ergo nequit attrahere alia corpora; tum quia si annihilaretur, vel removeretur, adhuc gravia ad centrum tenderent; nec primum, quia illud non est de genere activorum; accedit, quod gravia ad centrum moventur in quacunque distantia, ergo nequit a virtute centri motus iste causari, nam virtus creata, cum sit limitata, non potest agere in quacunque distantia.

23 Hæc omnia ut ab omnibus fere concessa supponimus cum Scoto

Scot. 9. Met. q. 14. & 2. d. 2. q. 10. aliud ergo principium assignari debet, a quo naturaliter moveantur gravia deorsum, & levia sursum; non loquimur autem de principio passivo, nam *hoc clarum est esse quidditatem gravis*, vel levis moti juxta inclinationem illius; nec de principio finali, in quo tendunt suis motibus, hoc enim erit locus naturalis, ut sic, sed de principio effectivo, quod duplex esse potest, vel *quod*, vel *quo*, primum est. illud, quod immediate, & per se dicitur causare motum, secundum est ratio formalis, qua mediante principium *quod* movet; de hoc igitur duplici principio est sermo in præsenti; quamvis hæc quæstio maneat soluta ex dictis in Phys. disp. 7. q. 4. art. 2. & disp. 15. q. 8. art. 2.

De principio *quo* est una opinio, quod sit forma substantialis gravis, vel levis, gravitatem vero, & levitatem esse principia instrumentalia; ita Zab. lib. 1. de motu grav. & lev. c. 11. & 12. Contar. in hac qu. quam fuse probat Rubion. 2. d. 14. q. 3. alii *vero docent principium quo formale*, proximum, & principale esse gravitatem, levitatem, at formam substantialem esse principium remotum; tandem Raguf. disp. 9. cap. 19. & 20. asserit hoc principium nec esse formas substantiales gravium, & levium, nec gravitatem, & levitatem, sed virtutem quandam in ipsis gravibus, & levibus existentem, veluti passionem fluentem a quidditatibus gravium, & levium. De principio *quod* non est minor dissensio, nam Thomistæ omnes sustinent gravia, & levia a seipsis non moveri, sed a generante producente virtutem motivam in illis. Ita D. Th. 1. p. q. 18. art. 1. ubi Cajet. Ferrar. 8. Phys. q. 9. Javell, ib. Conimb. c. 4. q. 1. Rust. q. 2. Complut. disp. 28. q. 2. Jo. de S. Th. q. 23. art. 1. Manea 7. Phys. q. un. dub. 2. Tol. 2. Phys. q. 2. Fons. 5. Met. c. 4. q. 2. sect. 7. Suar. disp. 18. Met. sect. 7. n. 21. & alii. Ex adverso Scot. cit & 2. d. 25. I. & d. 14. q. 1. C. & 4. d. 12. q. 3. AA. & d. 49. q 14. F. quibus in locis docet idem posse in seipsum agere, sustinet, principium *quod* horum motuum esse ipsum grave, vel leve, non generans, vel aliud extrinsecum; sequuntur præter Scotistas, Nominales, Greg. 2. d. 6. q. 1. Zab. Contar. & Raguf. cit. Aversa q. 14. sect. 3. Aresi. 1. de Gen. disp. 5. q. 42. sect. 2. Amic. de Cœlo tract. 7. q. 7. dub. 1. Ferer. lib. 7. c. 16. Achill. lib. 3. de elem. q. 3. Morif. de Cœlo disp. 5. dub. 7. Hurt. disp. 9. Phys. sect. 8. Arriag. disp. 3. de Gen. sect. 10. Vasq. p. 2. disp. 38. Dan. 2. de An, digr. 20. Murcia 2. Phys. d. 1. q. 6. & quicunque negant necessariam semper esse distinctionem agentis a passo.

24 Dicimus primo, principia *quibus* proxima, & immediata motuum gravium, & levium sunt gravitas, & levitas, non potentia ista innominata a Raguf. inventa, formæ vero substantiales sunt principia remota, quatenus concurrunt ad productionem gravitatis, & levitatis; Conclus. est Scot. cit. prob. ex Arist. 4. Phys. 85. & 86. ubi tales qualitates principia ponit motuum sursum, & deorsum, ut notat Scot. 2. d. 2. c. 10. & 4. Cœli 2. docet gravia, & levia suscitamenta quædam motus in se habere, hoc est fomites, & incitamenta, per hæc autem non nisi gravitatem, & levitatem intellexit; idem colligitur ex aliis locis infra adducendis. Tum quia, ut ait Doctor, illud, quod non movet aliquid, nisi prius naturaliter ab alio motum ab eodem habet, quod moveat, & moveatur, sed grave, cui alligatum est leve, cujus levitas non excedit gravitatem ejus, movet illud leve deorsum, & hoc per gravitatem, nam si gravitas non excederet, non fieret motus, ergo &c. Tum quia si aliquod grave esset impeditum a motu, removeret impedimentum per propriam gravitatem, si posset vincere virtutem impedientis, ut patet si superponatur alicui ligno, quod propter gravitatem gravis frangatur, sed non frangit lignum, nec tale removet prohibens, nisi quia tendit ad centrum, ergo principium *quo* grave tendit ad centrum, est gravitas. Tum quia posita gravitate, omni alio ablato, ponitur motus deorsum, ut patet in Hostia consecrata, ablata gravitate, omni alio posito tollitur motus deorsum, ut patet in vaporibus, & exhalationibus, ergo gravitas est principium *quo* proximum, & immediatum motus deorsum; idem de levitate dicendum. Hinc patet superfluam esse potentiam illam Raguf, a gravitate distinctam, maxime, quia nulla ratio, nullumque signum adest *cogens nos* ad multiplicationem tot principiorum, ut videbimus, nec recte Arist. definiret grave per tendere deorsum, & leve sursum. Tandem quod forma substantialis sit solum remotum principium non influens proxime ad motum, prob. ex dictis disp. 7. Phys. q. 6. art. 3. quamvis enim forma substantialis concurrat etiam cum propriis accidentibus ad productionem alterius accidentis similis in subjecto distincto, ut forma ignis producit calorem in seipsa, & cum illo concurrit ad calefactionem ligni; attamen non debemus universaliter concedere formam concurrere ad quemlibet effectum propriorum accidentium, maxime si æquivoce producantur, non enim potens producere rem aliquam, necessario etiam virtualiter continet effectum æquivocum illius rei immediate, ut quantitas est causa impenetrationis, forma est causa quantitatis, non tamen se sola potest causare impenetrationem, sic gravitas est causa æquivoca motus deorsum, forma est causa gravitatis, non tamen ex hoc debemus necessario concludere motum deorsum immediate contineri virtualiter in forma substantiali, aliter frustra esset concessa virtus ista motiva ipsi formæ, hinc hæ virtutes dici debent principales causæ, non instrumentales, nam instrumentum non attingit terminum principalis agentis ex disp. 7. Phys. q. 5.

25 Contra objic. ex Arist. 8. Phys. 32. ubi loquens de gravibus, & levibus, ut sic, ait habere principium motus non faciendi, sed patiendi, & 2. de Gen. 8. docet gravitatem, & levitatem nec esse principia agendi, nec patiendi. Tum 2. forma est natura, ergo debet esse principium activum motus, qualis est natura. Tum 3. ex Raguf. sicut se habet projiciens, & vis ab ipso impressa gravi sursum projecto, ita se habet generans, & vis ab ipso impressa gravi deorsum naturaliter moto, sed vis a projiciente impressa est proximum principium motus violenti; ergo vis a generante impressa erit proximum principium motus naturalis, ergo non gravitas, vel forma substantialis. Tum 4. ex eodem, fingamus unum locum, qui sit centrum, ad quem gravia moveantur, & alterum, qui sit concavum Lunæ, ad quem levia tendant, tunc si levitas esset principium motus sursum, ergo aer, cum sit corpus leve, debet sursum ascendere, quousque ad concavum Lunæ perveniat, at propriam regionem non transcendit, ergo eo non movetur levitate, sed propria vi motrice a levitate distincta. Tandem si pars aliqua aeris esset in igne, descenderet, quod a levitate non esset, sed a qualitate distincta, quia propriorum est levis *sursum ascendere*.

26 Resp. ad 1. in 8. Phys. ait Doct. non loqui Arist. de principio effectivo motus, sed de illo, a quo naturalis denominatur, quale est passivum, juxta dicta in Phys. disp. 6. q. 1. art. 1. in 2. de Gen. ait idem, loqui de gravitate, & levitate in ordine ad formam absolutam generationi deservientem, cujus non sunt rationes agendi, nec patiendi, non enim per gravitatem aliquod agens producit formam talem absolutam, nec per gravitatem passum paritur ab aliquo agente correspondente tali actioni, aliter sibi contradiceret, ponens in aliis loc. cit. has qualitates principia activa, & passiva respectu ubi localis. Ad 2. sufficit, quod forma sit principium activum aliorum motuum, respectu vero localis sit principium activum remotum, & passivum primum, & per se, nam hæ virtutes *movent juxta innatam inclinationem formæ*. Ad 3. admittatur paritas, negat. tamen ultima conseq. vim scilicet a generante impressam esse distinctam a gravitate, quod probare debebat. Ad 4. patet ex qu. præced. levitatem aeris, cum sit specie distincta a levitate ignis, non movere ad locum simpliciter sursum, sed tantum secundum quid, ut scilicet sit supra terram, & aquam, sed infra ignem; imo ex hoc argum. jam ostenditur in igne principium motivum esse levitatem; per hoc pater ad ult.

27 Secundo ex Rubione, si forma substantialis non moveret immediate, sequeretur grave, & leve non moveri naturaliter, prob. sicut quod per se non est album, non per se disgregat visum, sic quod per se non est principium activum motus, sed per aliud, non per se movetur, & consequenter non naturaliter, quia natura est principium per se, at si forma gravis moveret solum per gravitatem, per aliud moveret, nec ex se esset magis ad unum motum determinata, quam ad alium, nam quod ex se potest esse determinatum ad aliquid, non oportet ipsum determinari ad illud per aliquid ab ipso distinctum. Tum 2. posse movere est perfectio, posse moveri est imperfectio, quia dicit passibilitatem, sed quod est perfectio, debet attribui perfectiori, nisi appareat repugnantia, ergo forma erit motrix, cum sit perfectior qualitate. Tum 3. sicut se habet mobile indeterminatum ad diversos motus sibi naturaliter possibiles, ita se habet mobile determinatum, ad certum motum sibi naturaliter possibilem, sed primum seipso movet, & movetur, non per quid distinctum realiter, ut patet *in Angelo*; qui *seipso movet* se & corpus, & in anima, quæ exercet actus vitales, non per quid realiter distinctum, ergo etiam idem erit dicendum de gravi, & levi respectu motus localis. Tum 4. si forma gravis naturaliter deorsum moveretur a gravitate, non a seipsa, ergo adhuc naturaliter moveretur spoliata gravitate, & ab Angelo deorsum mota, quod est inconveniens, quia tunc indifferenter se haberet ad omnem locum. Tum 5. quando ordinatum ad finem *immediatius attingit finem*, tanto majoris est nobilitatis, sed gravia, & levia ordinantur ad propria loca, ut ad fines ipsorum naturales, ergo quanto immediatius attingunt hos fines, tanto erunt nobiliora, naturæ enim sunt potius dignificandæ, quam vilificandæ, sed hoc erit, si seipsis immediate, non medio accidente distincto operentur; quo pacto probat Doct. in 2. d. 16. potentias ab anima non distingui realiter. Tandem sunt alii motus locales in gravibus, & levibus, qui non nisi a forma substantiali causantur, ergo si forma substantialis potest producere aliquem motum localem, etiam erit immediate productiva motuum sursum, & deorsum; Antec. prob. cum aqua infunditur in pulvere, aut in alia re non madefacta, aut in foliis brassicæ, & similium herbarum, conglobatur, qui motus non est a gravitate, quia non est motus deorsum, & partes aquæ *conglobantur* intra ipsum aerem, ut illi supereminent; item si pars ligni inferior apponatur igni, humor aqueus ad superiorem partem refugit; flamma candelæ deorsum inclinat, si ferrum valde frigidum offenderit, & universaliter motus fugæ, seu resultus a contrario non fit ab istis qualitatibus, quia multories est illi oppositus, ergo naturaliter a forma substantiali provenit, nam non minus confert ad conservationem propriam quies in proprio loco, quam fuga a *contrario*, ergo ad *utramque* est naturalis *propensio*.

28 Resp. ad 1. si valeret, concluderet non dari *principium* naturale mere passivum, imo nullam virtutem *activam distinctam*; quare dicimus formam ex se, & ab intrinseco petere deorsum moveri, & ex se esse determinatam passive ad talem motum, at non se movet active immediate, *sed* per distinctam virtutem. Ad 2. non ex quacunque *perfectione* debemus augere activitatem rerum, nam sic concluderetur perfectius posse producere quemlibet effectum ab *imperfectiori* producibilem, sed solum a posteriori, & ab experientia, cum ergo videamus gravia, cum habent gravitatem, deorsum moveri, cum carent illa, & si forma adsit, non moveri, dicere debemus solum mediate formam concurrere. Ad 3. nec major est omnino vera, nec minor, nam *quantitas* est indifferens ad hanc, vel illam figu-

figuram, materia ad hanc, vel illam formam, & tamen mere passive se habent; nec exemplum de Angelo, & de anima urget, idcirco namque in his non ponimus virtutem motivam realiter distinctam, quia non sunt multiplicanda entia sine urgenti ratione, nullum autem signum habemus realis distinctionis hujus virtutis ab anima, imo contrarium videmus, nam recedente anima, non movetur corpus amplius progressive, secus evenit in gravibus, & levibus, ut diximus. Ad 4. neg. falsitas, cum ejus probatione, quamvis connaturalius sit gravi a priore virtute moveri, quam ab extrinseco. Ad 5. patet ex dictis talem modum arguendi non universaliter teneri.

29 Ultimum arg. magis urget, redditque opinionem oppositam probabilem, scilicet quod forma immediate cum his qualitatibus concurrat ad modum, pro solutione tamen dicimus, tales motus esse naturales, quamvis aliquo pacto contra inclinationem, natura enim quandoque intendens sibi subvenire, & conservare, ad evitandum aliquod magnum nocumentum de per accidens seipsam lædit, causatque aliquid detrimentum in se, & quasi de duobus malis minus exigit, quod alias evitaret, sic ad subveniendum parti vulneratæ magnam spirituum copiam subministrat, quæ tamen sæpe inflammationis est causa, & ad conservandas nobiliores partes corporis humores noxios ad ignobiliores partes propellit, illasque lædi permittit, sic in proposito, quia societas, & approximatio contrarii, scilicet siccitatis pulveris, nocet aquæ, ad hoc nocumentum evitandum se conglobat, elevatque supra aerem secundum partes, quia hoc est minus detrimentum, quam *illud*, & consequenter est motus quidam naturalis juxta appetitum se conservandi in connaturali statu cuicunque rei inditum. Sed dubium est, a quo causetur, *posset primo dici* causari ab ipsis contrariis, quatenus propter approximationem singula proprias vires coadunant, & in seipsis magis constipantur, ut fortius ad bellum pergant, magisque resistant, ut evenit in antiperistasi, unde & si accidentia essent sine subjecto, adhuc isti motus causarentur, ut in speciebus consecratis; posset etiam dici causari ab aliqua virtute omnibus indita; cujus munus sit conservare rem in proprio esse, quæ moveat juxta exigentiam, & applicationem contrariorum, *eo modo*, quo Conimb. 4. Phys. de vacuo docent in omnibus corporibus reperiri virtutem quandam, qua moveantur corpora ad impediendum vacuum. Vel tandem concedi posset immediate fieri a forma substantiali; neg. tamen paritas, quia videmus fieri motum sursum in vapore, quamvis adsit forma substantialis aquæ, quod est signum, motum deorsum a sola gravitate provenire; & ratio disparitatis assignari posset, eo quia intrinsus convenit formæ motus ille resolutus a contrario propter præsentiam contrarii corrumpentis, quam motus deorsum, nam extra proprium locum potest aliquantum persistere, non tamen ad præsentiam contrarii, quin patiatur, & tendat ad corruptionem.

30 Dicimus 2. principium *quod* immediatum, & per se non est generans, sed ipsum grave, & leve, ita Doctor cit. quam probat ex 8. Phys. 32. ubi Arist. declarans, a quo leve moveatur sursum, ait, quod grave quandoque est in potentia essentiali ad leve, ut quando ex aqua fit aer, cum autem est jam leve, ut cum est actu aer, tunc est in actu primo, & in potentia accidentali, *& mox*, inquit *operabitur, nisi impediatur, actus autem levis est alicubi esse, & sursum*, ecce quomodo secundum Arist. principium operativum motus sursum est leve, quod nequit intelligi nisi de principio *quod*, imo ibi comparat operationem hanc levis ad ignitionem ignis non impediti ad contemplationem scientis, & ad alterationem qualitatis non impeditæ, sed istæ actiones non proveniunt a generante, ut patet; ergo nec motus localis gravium, & levium; idem habet 4. de Cœlo 24. Ratione etiam prob. & primo, quod non sit generans; nam ut ait Doctor, effectus, qui actu causatur, requirit causam actu causantem 2. Post. 11 & 2. Phys. 27. & 5. Met. 3. quia quod non est, nihil producit, ex dictis disp. 7. Phys. qu. 4. art. 1. sed cum grave movetur, potest generans esse corrup tum, vel valde distans, ergo &c.

Respondent aliqui glossando opin. D. Thom. generans solum esse causam illius motus, quo grave movetur immediate, postquam genitum est; tunc enim grave mere passive se habet, & causa illius motus est generans, sed postea non amplius a generante movebitur, sed a seipso. Communis tamen sensus Thomist. est motum semper tribui generanti tanquam causæ; & ad arg. unanimiter resp. cum Cajet. generans dupliciter esse posse præsens, vel secundum se, & hoc modo negant esse causam motus, vel secundum suam virtutem, & ut sic concedunt, quomodo semper maneat, quamdiu in gravi manet gravitas, quæ idcirco dicitur virtus generantis, quia generans debet producere grave in esse naturali, & sibi proportionato, idest cum omnibus passionibus naturaliter *convenientibus*, quæ licet a forma proveniant, tamen hoc fit per quandam emanationem, & consequenter a generante formam causantur actione generativa, & quia *passio debita* gravibus est quies in proprio loco, ubi viventia debent in motu consistere, hinc generantis munus erit producere grave in esse quieto, & in proprio loco; quia tamen quandoque ab illo loco extrahi potest, idcirco debet gravi virtutem tribuere, qua in proprium locum possit redire, & hac ratione gravitas dicitur virtus generantis, & gravia a generante moveri, non tamen viventia, quia motus viventium, ut sic, non est debitus ex vi generationis, quia generantur, ut se moveant ab intrinseco, in quo consistit ratio vitæ.

31 Neutra solvit arg. non prima, quia potest esse, quod generans destruatur, antequam grave quiescat, & tunc deberet assignari causa illius motus. Nec secunda, nam potius consistit in verbis, & reducunt difficultatem ad quæstionem de nomine, quærimus enim causam physicam per se influentem in effectum, & assignant pro causa generans, quatenus tribuit virtutem motricem gravi, sicut Rex dicitur victorias obtinere, quia suis sumptibus a militibus bellum geritur. Tum quia actio generativa generantis, cum sit substantialis, non per se terminatur ad accidentia realiter a forma gravis distincta, ut est gravitas, ergo nullo pacto gravitas dici debet virtus generantis. Anteced. prob. unius actionis unus est terminus, & diversorum terminorum diversæ sunt actiones, forma gravis, & omnia accidentia connaturalia realiter distinguuntur, ergo diversis actionibus debent produci, quod autem resultet, hoc solum denotat necessariam connexionem, non negat distinctam actionem, ut diximus disput. 7. Physic. quæst. 2. Tum quia ad ista accidentia forma dicitur concurrere active, sicut active postea concurrit, si amitteret illa, ut cum aqua redit ad pristinam frigiditatem (quamvis in sent. Thom. hoc facit aqua ut virtus generantis) ergo si eadem actione fieret forma, & accidentia, forma concurreret aliquo pacto effective ad propriam actionem.

Accedit, quod etiamsi concedamus gravitatem a generante immediate produci, non ob id g nerans dicetur movere, aliter si filius ab aliquo ligno sustentaretur, quod propter illius gravitatem frangeretur, & filius propter præcipitium moreretur, pater esset causa mortis filii, quod est ridiculum. Nec valet, quod ait Ruv. talem motum ab extrinseco provenire scilicet ab impulsu impresso; non valet, quia non ponimus casum, quod filius ab alio deorsum pellatur, sed ex fractione ligni; quo casu nullus motus violentus intervenirer, sed solum gravitas filii, ut ad centrum tenderet, removeret lignum impediens, qua ratione per ipsos ageret ut virtus generantis, ergo pater esset causa hujus motus. Tum quia quando duo sunt ejusdem speciei, quod est uni connaturale, & proprium, est etiam alteri, si ex ratione specifica convenit, sed grave ab alio gravi genitum sunt ejusdem speciei, & gravitas est accidens connaturale insequens rationem specificam gravis, ergo non minus erit virtus propria generantis, quam geniti. Tum quia non minus debetur locus deorsum gravi ex vi generationis, quam sanitas, & optimum temperamentum viventi, ergo si gravitas dicitur virtus generantis, quia conducit, & conservat grave in proprio loco, & quiete; ita virtutes viventis, præcipue nutritiva; quia habent conservare, vel recuperare sanitatem, si fuisset amissa, ac temperamentum connaturale dici deberent virtutes generantis, & generans tribuere sanitatem, conservare, & nutrire ipsum vivens, quod est contra ipsos. Tum quia ad effectum non sufficit concursus causæ instrumentalis, sed exigitur quoque influxus actualis causæ principalis, qui distinctus est, & nobilior illo, sicut causa principalis est distincta, & nobilior instrumentali, ergo quia gravitas per ipsos est instrumentum generantis, præter influxum gravitatis, requiretur influxus generantis ab illo distinctus, & magis impugnabitur ex probat. alterius partis.

32 Secundo quod grave sit principium *quod*, prob. ex illo communi dicto *actiones sunt suppositorum*, vel saltem ut glossa Scot. 4. disp. 12. cit. alicujus habentis modum suppositi, & tale erit, quod ultimate agere denominatur propter principium *quo* in illo existens, sed grave est hujusmodi, gravitas enim est in ipso, ergo &c. Tum quia forma est ratio formalis agendi illius, cui inexistit, si est accidentalis, vel quod constituit, si est substantialis, causalitas enim formalis exercetur per exhibitionem propriæ entitatis, sed gravitas in gravi existit, ergo est ratio *formalis agendi ipsius gravis*, ergo grave erit principium *quod*. Tum quia, ut tangit Doctor, quando leve movetur deorsum, quia gravi est unitum, principium *quod* motus levis non est generans, quia tunc gravitas non agit ut virtus generantis, & etiam quia ideo posset generanti attribui motus ille, quatenus gravitas fuit a generante producta, & illius est actus, cujus est potentia, at sic omnis actio geniti esset a generante, quia omnis potentia geniti fuit a generante, quod nec ipsi concedunt, ergo principium erit ipsum grave, ergo ipsum quoque erit principium *quod* proprii motus deorsum, prob. ista conseq. in tantum leve gravi alligatum movetur deorsum, quia grave movetur, ergo eadem est causa utriusque motus; tum quia quando aliquid habet potentiam activam respectu alicujus formæ, potest *illam causare in quocunque passo proportionato*, sed grave potest in levi conjuncto causare ubi deorsum, & ipsum grave est subjectum capax, & proportionatum talis ubi, ergo &c. Tum quia magis propria est gravi gravitas, quam calor aquæ, sed cum aqua calore calefacit, principium *quod* hujus calefactionis est aqua, & hoc quia calor, qui est principium *quo*, inhæret aquæ, ergo idem de gravi dicendum. Tandem ut notat Aref. quandoque grave movetur deorsum, & non a generante, ergo a seipso. Antec. patet ex Arist. 8. Phys. 33. gravia moventur vel a generante, vel a removente prohibens, propositio autem disjunctiva non debet verificari quoad utramque partem, ut dicitur in Log. ergo quando gravia moventur a removente prohibens, non moventur a generante, conseq. prob. quia removens prohibens est principium per accidens, ergo assignari debet principium per se movens, quod aliud nequit esse, quam ipsum grave a sufficienti divisione. Ex quibus etiam deducitur grave non esse *principium per accidens*, quatenus *scilicet* impellit medium, & removet impedimentum, ut dicunt Averroistæ, sed esse principium per se, quia prius seipsum movet, & deinde movet medium, ut dicebamus.

33 Con-

33 *Contra* istam conclus. adsunt multæ rationes, quas diluimus in Phys. disp. 7. q. 4. art. 2. & disp. 15. q. 8. art. 2. ubi fuse declaravimus mentem Philosophi in illis propositionibus, *omne quod movetur, ab alio moveri, dividi debere in partem per se movens, & per se motam, non posse se primo moveri &c.* Sed adhuc potest instari. Tum quia quod reducit potentiam ad actum, ad quem est illa potentia ordinata, movet illud, quod est sub tali potentia, generans reducit potentiam gravis ad motum ex 8. Phys. 28. & seq. Tum 2. projecta a projiciente dicuntur moveri, & si non adsit, solum quia dedit impulsum ad motum, pater dicitur generare, quia decidit semen, quod se habet ut virtus, & vices gerens patris, ergo idem dicendum de generante gravium, & levium. Tum 3. movere se est proprium viventium, unde *res inanimatæ semper motæ*, quarum motorem vulgus nescit, per similitudinem vivæ nuncupantur, ut argentum vivum, ergo &c. Tum 4. arguit Joan. de S. Thom. q. 22. art. 1. existens in actu virtuali, ut exeat in actum secundum, & reducat id, quod est in potentia, non sufficit habere virtutem in actu primo, quia hæc est in differens, & indeterminata, sed requiritur, ut sit mota; & habeat aliquid de motu in actu, ratione cujus moveat id, quod est in potentia, nam motus est de quodam in quidam, & actus entis in potentia, idest habens aliquid de actu, & transiens ad id, quod est in potentia; hoc autem non potest a se primo habere, sed per alium motum, quia debet se reducere de potentia ad actum, aliter moveret independenter, & a seipso, quod proprium est primi moventis, *ergo omne*, quod *movetur*, *ab alio necesse est moveri*, ergo grave non movet seipsum.

34 Resp. ad 1. ex Arist. 8. Phys. 32. generans habet reducere potentiam essentialem, quæ est ad formam substantialem, ut cum aqua fit aer, non autem accidentalem potentiam ad motum. Ad 2. projiciens est causa motus, & pater causa filii remote, non proxime, quatenus projiciens produxit impulsum, & pater produxit semen, quod improprie dicitur instrumentalis virtus, nec pater habet aliam actionem respect. filii postquam decidit semen, unde nec filius postea fundat relationem realem ad patrem, ut diximus in Logica disp. 8. q. 10. art. 2. explicando 2. modum relativorum. Ad 3. movere se post quietem in proprio loco est proprium viventium, & organice, at gravia, & levia postquam sunt in proprio loco, non amplius movent se, nisi prius ab alio extrahantur ab illo loco; hinc quia argentum vivum videtur ex se etiam post quietem moveri, vivum appellatur. Ad 4. si toto illo verborum apparatu intendat probare prædeterminationes Physicas, quas Thomistæ ponunt in causa, priusquam agat, transeat, non enim est præsentis negotii, si vero intendat probare omne, quod movetur, necesse est ab alio moveri, & perfici quoad virtutem, neg. assumptum, quando causa est adæquata, quæ, licet sit indifferens, determinatur tamen ad agendum ex concursu aliarum causarum; nec ad motum requiritur, ut movens sit partim in actu, idest quod aliquem actum habeat formalem, antequam moveat, sed sufficit, ut habeat virtutem sufficientem productivam termini motus, & sit sub privatione illius, vide *expositionem definitionis* motus disp. 15. Phys. q. 4.

35 Secundo data hac sent. sequeretur primo, falsum esse principium illud ex 3. de An. 4. & 19. quod *recipiens debet esse denudatum a natura recepti*, ex quo inferri solet, oculum nullum in se habere colorem, aliter non posset recipere speciem aliquam coloris, quod non esset verum, quia cum color sit agens æquivocum speciei, sicut ponitur grave respectu motus deorsum, si haberet aliquem colorem, adhuc posset producere in se speciem illius. Secundo falsum esse *nihil posse habere oppositas dispositiones*, nam movens habet oppositas dispositiones a mobili, cum sit in actu, non solum virtuali, sed etiam in potentia activa formali, mobile vero in potentia formali. Tertio falsum esse, *actionem semper debere esse a proportione majoris inæqualitatis*, nam excessus significatus per istam inæqualitatem est excessus virtutis activæ supra resistentiam passi, at idem non potest sibi ipsi resistere, nec habere excessum, & defectum.

Resp. neg. primam seq. non enim dicimus omne agens æquivocum posse agere in se, sed aliquod, non enim quod est in actu virtuali, semper est in potentia formali respectu ejusdem, ut cum Scoto notavimus disp. cit. Phys. hinc quamvis color sit agens æquivocum speciei, nequit tamen recipere speciem in se, nec oculus, si esset coloratus, posset alterius objecti perfectam visionem elicere, ut fusius in lib. de An. Neg. etiam 2. seq. non enim opponuntur actus virtualis. & potentia passiva formalis, ut ibi diximus, qui actus dici potest utique potentia activa formalis, quatenus dicit activitatem quandam formaliter inexistentem moveri, non tamen opponitur potentiæ passivæ formali, quia non est ejusdem speciei cum actu formali, ad quem est potentia passiva. Et nor. quod hæc ratio urget etiam Thomistas, nam ipsi concedunt in gravi esse principium activum motus, & consequenter debet concedere idem habere potentiam formalem, & actum virtualem respectu ejusdem rei, sive hic actus sit principalis, sive instrumentalis, parum refert. Neg. tandem 3. seq. quia movens se ipsum, & si non habeat resistentiam ab intrinseco, potest tamen eam habere ab extrinseco, vel a medio, vel ab impediente, vel a contrario inhærente, & aliis.

36 Tandem adverte, mixta inanimata moveri ad propria loca etiam a propria gravitate, vel levitate; & quamvis communiter dicatur moveri ab elemento prædominante, hoc tamen caute est intelligendum, non enim elementa formaliter manent in mixto, ut suo *loco* dicemus, sed virtualiter, ideoque non est sensus moveri ab elemento excedente in mixto, sed a prædominante elemento dicuntur moveri, quatenus gravitas mixti magis assimilatur gravitati terræ, vel aquæ, quæ gravitas est simplex quædam forma, non composita ex pluribus gradibus qualitatum motricium elementorum. Per quod facil ter evades ambages illas, quibus premuntur Averroistæ in assignando principium motus mixti, cum ponant elementa formaliter in mixto manere, & motivam qualitatem ex *elementaribus* integrari, unde necessitantur variare principia motus ejusdem mixti, nam dum est in aere, qualitas aerea non movet deorsum (inquiunt) nec resistit, ignea resistit, aquea, & terrea movent, dum pervenit ad aquam, sola terrea movet, aquea nec movet, nec resistit, reliquæ resistunt; quæ omnia procedunt ex falsa opinione de compositione mixtorum ex elementis, unde vel ex hoc ipso capite refelli meretur.

QUÆSTIO III.

Explicantur proprietates quædam motus naturalis gravium, & levium, præcipue quoad velocitatem.

37 PRima proprietas naturalis motus gravium, & levium ad propria loca est, quod fiat per lineas rectas, nisi ab ali. quo *extrinsecus* ad latera *impellatur*, ut apparet in pluvia, & grandine a vento impulsis, & hujus ratio est, quia ut docet Scotus 1. dist. 1. q. 4. in cujus potestate non est agere, & non agere, nec modus agendi, quare agens naturale non impeditum agit secundum ultimum suæ potentiæ, & quantum est ex se, quamprimum nititur propriam acquirere perfectionem, ergo gravia, & levia acquirent propria loca, quæ sunt naturales perfectiones ipsorum per breviores motus, quos unquam possunt producere, quod erit, si per lineam rectam, quæ est omnium brevissima, moveantur; unde si moverentur in vacuo, non oblique, sed recte moverentur, & cum oblique ab extrinseco compelluntur moveri, nituntur semper per minorem curvitatem descendere, vel ascendere, ut citius pertingant terminum ad quem.

Dices, si hoc esset, ergo terra descendens per aquam impediretur ab aqua, & e contra, unde non fieret motus, seq. prob. nam sicut terra, quia petit esse sub aqua, descendit per lineam rectam, ita quia aqua non minus petit esse supra terram, per lineam rectam ascendet, & sic vel per eandem lineam fieret simul ascensus, & descensus, vel nullus fieret motus, quæ omnia sunt falsa, ergo oblique habent moveri. Tum quia si terra destrueretur, & constitueretur circa centrum globus quidam ignis aere ambiente circumdatus, per quam lineam ascendet talis ignis ad propriam sphæram? etenim quia possent duci infinitæ lineæ a centro ad circumferentiam, & ignis etiam est divisibilis in infinitas partes, non apparet ratio, cur potius per unam lineam ascenderet, quam per aliam, & cur potius in istas partes ascendendo divideretur, quam in illas.

38 Resp. ad 1. neg. seq. quia aqua propter fluxibilitatem cederet terræ, & ad latera moveretur, at si ambo essent fluida, ut cum aqua per aerem descendit, vel aer per aquam ascendit, semper cedit, & oblique movebitur, quod est in proprio loco, quam alterum, quia aer propter obsessionem contrarii proprias vires adunat, & non solum nititur tendere ad proprium locum, sed etiam ut partes ejus unitæ conserventur, & non scindantur, nisi aliunde oppositum eveniat, sufficit enim ut sperans, & fortius recte moveatur. Ad 2. ait Aversa q. 40. sec. 2. in tali casu Deus determinaret ignem, per quam viam ascendere deberet, aliter immobilis permaneret propter indifferentiam, ad Deum enim tanquam ad authorem naturæ spectat causas secundas naturales determinare ad productionem peculiaris effectus, quando ex se, & cum omnibus circumstantiis indifferentes remanent, sicut dici solet de filo in omnibus partibus uniformi, si frangi debeat, ac disrumpi.

39 Secunda proprietas est ad motum valde conferre mobilis figuram, itaut non solum figura prosit ad majorem, vel minorem celeritatem, sed etiam aliquando impediat totaliter motum; rationem adducit Arist. 4. Cœli 45. nam quæ habent latitudinem, quia multum comprehendunt, non facile dividunt medium, idcirco supereminent, vel non tam velocius moventur, at quæ strictiorem habent figuram, quia parum comprehendunt, facile dividunt, & celerius feruntur deorsum, & in aere *multo magis*, sicut facilius dividitur, quam aqua, *medium enim multipliciter* resistit ad motum, & si fluidum sit, nam primo resistit, ne multum ejus partes condensentur (quamvis aliquando condensationem *facile recipiant*) ut patet in vesica, in qua aer incluso resistit comprimenti, ut illam potius disrumpat, quam restringatur, secundo resistit, ne partes nimis rarefiant, ut in fistula cernitur, qua aqua sursum trahitur, quod non fieret, si aer patereturr multum rarefieri, tandem habet vim resistitivam, ne scindatur, & dividatur, suamque continuationem amittat, unde facilius scinditur medium non magnum, quam adeo ingens, hinc patet experientia, navigium in fluvio non valde profundo demergi, at in fluvio valde alto supereminere.

40 Prob. etiam experientiis, sit vas *cylindricum* seu columnaris figuræ ex materia aliqua compactum, quæ non sit tam gravius, ut in aqua non emergat, nec adeo leviis, ut vix possit immergi, sed aliqua proportio servetur, saltem propter aerem inclusum, si vas istud *vi aliqua* in profundum aquæ immergatur, emerget, & non emerget; si enim collocabitur erectum, & stans in fundo aquæ, non emerget, sed hærebit fundo, & *multo minus*, si esset superior pars acutior, at si late-

rali-

raliter, & quasi procumbens poneretur vel pars acutior esset inferior, emerget, ratio est, quia aequa sua natura sublevat corpus sibi impositum, quando est aliquantulum levis, ad quod requiritur, ut possit complecti partes vasis, & illud sublevare, quando ergo vas illud est erectum, vel ex parte latiori conjungitur fundo, aqua non facile complectitur latera vasis, ut complectitur, quando pars acutior tangit fundum, ant si procumbat, nam aqua hoc pacto totum fere vas circumdat, & solum partem tangentem fundum, quæ est minima, non amplectitur. Rursus, sit metallum unius libræ in modum pilæ formatum, si immergatur in aquam, descendet, si tamen idem metallum extenuaretur in tenuissimam laminam, & ex ea fieret sphæra intus vacua, non descendet: ratio est, quia pondus levius nequit per descensum attollere aliud pondus gravius, ut patet in trutina, una enim ponderis libra in una lance constituta nequit per proprium descensum attollere decem libras ponderis positas in altera lance, ad hoc autem ut corpus gravius immergatur in aquam, debet attollere tantum aquæ, quantum continebat spatium illud, quod deinde a corpore graviori occupatur, quæ aquæ portio debet esse proportionata gravitati corporis immersi, & minus gravis, ut possit extolli, quia nequit grave attollere aquam duplo graviorem se, cum igitur gravitas illius metalli ex se possit solum attollere unam libram aquæ, si sphæra solida ex illo conficeretur immergetur in aquam, quia pars aquæ elata est levior gravitati metalli; at si esset in laminam extensum, & deinde in sphæram vacuam redactum, multo majorem locum occupabit, quam prius, hinc non immergetur, quia deberet attollere tantum aquæ, quantum continetur in spatio, quod ab illo corpore occuparetur, quæ v. g. erit decem librarum, & consequenter excedat gravitatem corporis; ecce quomodo figura est causa majoris, & minoris velocitatis motus, & quandoque impedit totaliter motum.

Dices in hoc casu provenire a levitate aeris *inclusi in* illa sphæra, quod non immergatur in aquam, non a variatione figuræ. Contra, quia idem eveniret, si aer ille destrueretur a Deo, & sphæra esset vacua, tunc enim non daretur levitas sursum pellens; idem eveniret, si sphæra esset materia levi plena, quæ tamen sit apta in aquam demergi, & non excedat gravitatem aquæ, quæ deberet elevari: & tandem sive a levitate aeris proveniant, sive non, negari nequit, quin figura concava concurrat ad hanc emendationem, cum sit causa, quod fiat conflatum aliquod ex metallo, & aere. Et quamvis Arist. 4. Cœli 45. dicat figuram non conferre ad simpliciter movendum, sed ad sic, vel sic movendum; debet tamen intelligi ut in plurimum, ex quo sufficienter impugnantur Antiqui dicentes, figuram esse causam motus principalem.

41 Tertia proprietas est, quod motus naturalis gravium, & levium velocior in fine, quam in principio, & quo ex altiori loco grave deorsum movetur, eo celerius descendit, quam proprietatem assignavit Arist. 5. Phys. 76. 1. Cœli 88. estque communis omnium consensus, solum Simpl. 1. Cœli 88. videtur de illa dubitare, & nuper Arriag. dis. 4. de Ge. sect. 5. sub sect. 3. expresse illam negat; ait enim mobile, sive sursum, sive deorsum naturaliter moveatur, æquali semper velocitate moveri, idcirco *prius* hanc proprietatem realiter naturali motui convenire ostendemus, deinde causam investigabimus.

Prob. igitur multis experientiis; Prima ex aqua desumitur, quæ quo altius cadit, magis attenuatur, & deinde in minutiores partes discernitur, & patet in pluvia, quod nequit commode referri, nisi ad majorem celeritatem motus, quatenus aqua descendens velocius movetur, quam pars superior, hinc primo fit subtilior, & figuræ pyramidalis, *deinde dividitur*; *sed hoc* exemplum non valde convincit, quia idem accidit, cum aqua in fonte sursum movetur. Secunda est aeris in aqua inconclusi, qui per bullas exit, & sensibiliter apparet cum citato infunditur aqua, bullam velocius moveri, quo altius ascendit, unde in fine secum aquam attollit. Tertia est lapidis, qui ut notat Ar. q. 19. Mechanica, eo *majorem* incutit ictum, quo altius cadit, ergo quo altius movetur, eo magis intenditur velocitas motus. Nec valet, quod ait Arriag. ex hac divertitate inferri solum diversitatem impulsus, non velocitatis motus. Non valet, quia impulsus non causatur solum ex altiori distantia, a qua lapis movetur, sed ex celeritate motus, nam si quis lento motu feriat fecuri lignum, parum, vel nihil proficiet, si veloci, multum, similiter si lapis leniter super caput, vel vitrum imponatur, non comminuet, nec franget illa corpora, ut efficeret, si celeri motu descenderet; tum quia sibilus, & commotio aeris causatur ex velocitate motus, ex quo velocior est motus, *major* quoque sibilus, & commotio aeris, sed quo lapis ex altiori loco descendit, eo major sentitur sibilus, majoremque experimur ventum, ergo velocius movebitur, faciet quoque contra hanc opin. ratio, quam infra adducemus explicando causam majoris velocitatis.

Dices, motus sursum est fumo naturalis, qui tamen non est in fine velocior. Tum quia ut ait Arrig. cadant pila coriacea, & lapis ex turri, quamvis eadem velocitate moveantur, tamen pila nullum infert damnum, lapis confringet caput, ergo ea diversitas non erit a majori velocitate motus, sed a vehementiori impulsu: imo quamvis lapis velocius moveretur, hæc tamen major velocitas nullam proportionem haberet cum excessu damni a lapide causati, pila enim nec minimum dolorem causavit, ubi lapis comminuit caput. Tum quia velocius movetur avis rapidissime volans, quam lapis decidens, & tamen lapis caput infringet, avis vero non nocebit, etsi aliquem tetigerit.

42 Resp. ad 1. partes fumi subtiliores celerius moventur sursum, graviores tardius moventur, quia propter aerem amb*ientem, & segregationem ab illis accessoribus retrigerantur, & graviores evadunt. Ad 2. non valet paritas, non enim dicimus ex velocitate motus præcise causari majorem impulsum, sed *in mobili* requiri adhuc gravitatem, *ut infra magis explicabimus*, & una sine altera non valet, unde major impetus imprimitur in lapide, quam in levi pluma a projiciente; imo resistentia moderata in mobili juvat ad motum, hinc plus læditur projiciens plumam, quam lapidem, nam impetus brachio impressus a virtute motiva, non repressus a resistentia plumæ, excutit violenter brachium, quasi ipsum e corpore evellens. Aliud exemplum non urget, imo ipse quoque tenetur solvere, dicimus ergo avem non tam vehementem impetum imprimere, quia lapis est durior, gravior, & agit toto conatu in corpus externum, at avis tum propter plumas, & mollitiem carnis, tum quia, cum sit vivens, seipsum sustentet in aere, toto impetu gravitatis non imprimit in externum corpus impulsum; unde gladiator solis manibus non confringet caput adversarii, quamvis magno impetu certaret, at si aliquod ferrum, vel lapidem haberet in manibus, etiamsi minorem conatum adhiberet, propter duritiem lapidis caput collideret.

43 Hac igitur veritate supposita indaganda est causa hujus proprietatis. Quidam dicunt provenire a loco naturali propter naturalem sympathiam, quam habet cum locato, unde fortius trahit e propinquo, quam e remoto. Alii dixerunt a medio provenire, quatenus lapis terræ propinquus minus aeris habet scindere, quam motus initio, vel ut ait Durand. quia aer, quo propinquior est terræ, eo crassior est, minusque levis, & consequenter minus resistit ascendendo, imo potius cum lapide descendit. Alii ex hoc, quod grave sursum existens aliquas acquirit *qualitates* motui *deorsum* resistentes, vel si fuit in altum elatum, habet adhuc de impulsu a projiciente impresso, quas tamen qualitates in progressu superat, unde velocior evadit motus.

44 Sed contra hos dicendi modos instari solet, quia sequeretur lapidem eadem velocitate moveri, eundemque impetum causare a turri descendentem, ac lapidem decidentem ex uno palmo distantiæ a terra, nam dum est in illo palmo distantiæ, esset eadem sympathia, eadem moles, & crassities aeris, eodemque modo esset a qualitatibus depuratus. Sed contra primum specialiter adest arg. factum in præced. q. ex Scoto desumptum, quo probavimus in centro non esse vim attractivam locati. Contra 3. quia si grave in altum esset genitum, & statim absque aliquo impedimento deorsum peteret, non esset peregrinis qualitatibus imbutum, & tamen velocius moveretur in fine.

45 Thomistæ respondent cum D. Thom. 1. de Cœlo sect. 17. accidere, quia grave quanto *magis* descendit, tanto *magis* confortatur gravitas ejus propter propinquitatem ad proprium locum. Neque inferas, inquiunt Manca, & Joan. de S. Thom. in qu. præced. cit. ex hoc sequi eodem modo moveri e propinquo, & remoto loco; nam velocitas major non sumitur ex propinquitate loci ad locum, hoc enim est de per accidens, sed ex propinquitate emanationis ad quietem, motus enim localis emanatio quædam est propriæ passionis, & ad quiescendum, & quando incipit emanatio ad quiescendum, & prolongatur, quanto magis appropinquat, tanto est velocior. Hæc tamen responsio non diluit objectionem factam; est enim quidam apparatus verborum, nec causam assignat, quid enim intelligunt per istam emanationem? non nisi motum localem naturalem; quid etiam per quietem? acquisitionem loci naturalis, & per prolongationem solum durationem motus, quare idem est dicere, emanationem ad quiescendum prolongatam, quanto magis appropinquat, tanto esse velociorem, ac dicere motum naturalem deorsum ab alto incipientem, quanto magis proprior est terræ, tanto magis esse velociorem, ecce quod respondetur per id, quod quæritur; vel si per emanationem intelligunt gravitatem, præter quam quod est falsum, nam eadem gravitas est ante, & post motum in lapide, cum non sit facta alteratio quoad primas qualitates; adhuc tamen admisso, debebant assignare causam hujus intensionis gravitatis, non enim est centrum, ut diximus, nec ipsum grave, quia nullum agens seipsum univoce intendit, si quid aliud assignetur.

46 Feder. Bonav. lib. de causa motus ventorum *majorem* hanc celeritatem refert in aerem per additionem potentiæ motivæ in ipso mobili, quæ additio fit, quia aer propter suam facilem mutabilitatem, & tenuitatem aggregat se mobili, faciq; cum illo unum corpus, & cum ascendit cum levi, fit levior propter calorem, quem ex loco sursum acquirit, hinc velocius ascendit, at quando descendit cum gravi, fit gravior propter frigus loci deorsum, velociusque descendit. Contra hunc modum adest instantia de duobus lapidibus supra posita; tum quia aer in aqua ascendit, & velocius in fine ut pater in bullis, cujus ratio non erit aqua, nequit enim cum aere conjungi, & fieri levior. Tum quia motus ignis per secundam aeris regionem esset tardior, quam per infimam, & motus lapidis per hanc esset tardior, per illam velocior propter frigiditatem mediæ regionis, & caliditatem infimæ.

47 Alius tamen dicendi modus satis communis est, causam referens *in ipsum aerem*, *sed alia via procedit*, nam aer antecedens lapidem, cum sit a lapide motus deorsum, possit aerem inferiorem, & hic alium inferiorem, & quia velocius mobile movetur per medium ad eandem partem commotum, quam si esset quiescens, ut patet de navi in flumine, quæ velocius movetur secundo flumine, quam in aqua stagnante, hinc lapis, quamvis initio tarde moveatur propter aerem quiescentem, postea tamen velocius movetur, quia reperit aerem commotum deorsum, unde magis comprimit, commovetque illum, & sic etiam velocius deinde movetur usque ad finem, aer etiam subsequens lapidem concurrit ad majorem hanc velocitatem; nam per motum lapidis dividitur, & deinde a tergo lapidis unitur ad impediendum vacuum, & lapidem propellit, & quoniam eo magis, & majori impetu propellit lapidem, quo celerius ad impediendum lapidem accurrit & e contra, quo lapis celerius movetur, eo celerius occurrit aer, hinc fit, ut magis crescat velocitas motus; signum hujus impulsus ab aere a tergo causati erit ille quasi ventus, qui prope lapidem descendentem sentitur, & qui in aere, vel aqua manum rapide deprimit, aut elevat, sentiet post manum veluti ictum aeris accurrentis, ita Perer. lib. 14. cap. 2. & apud eum Burl. & Contar. Zab. lib. 1. de motu grav. Achil. lib. de elem. Bassonus lib. de motu intent. 1. art. 1. Tol. 8. Phys. in expos. tex. 76. Dand. 2. de An. digres. 23. Aversa qu. 40. sect. 2. & alii, quamvis inter se aliqualiter etiam discrepent.

48 Sed ista opinio, quamvis vera, non tamen causam sufficientem hujus majoris velocitatis, & impetus assignat, concedimus enim aerem impellere, & adjuvare, quod etiam videtur insinuare Ar. 3. Cœli 28. non tamen tantam vim habere, nam impetus iste causa est, cur lapis decidens caput frangat, quod non faceret, si leniter caderet, & clarum est, magis impelli lapidem supra caput positum, majoremque in eo impetum causari *a valido vento*, quam ab aere *lapidis tergo occurrente*, *major* enim aeris commotio fit a vento, quam a motu lapidis, & tamen nullum causat nocumentum, ergo aer commotus, & a tergo accurrens non est sufficiens causa, ut intensum adeo impetum causet in lapide; idem apparet de securi posita super lignum flante vento. Tum quia si super lapidem alligetur moliter lana, in descensu lapidis non detruderetur, quod tamen deberet evenire propter occursum aeris sic fortiter a tergo impellentis lapidem, ut notat Saxon. 8. Phys. q. ult. Nec satisfacit Aversa, causam hujus assignans, quia multas habet cavitates, intra quas se insinuat aer, ac proinde eam sublevat, & attollit. Non valet, quia impetus iste ab aere causatus est in causa, quod lapis multa comminuat, & securis durum dividat lignum; ergo multo magis debebit lanam illam comprimere, nam si minori etiam impetu corpus aliud super lapidem deciderat, utique lana detruderetur, ergo idem efficere deberet major ille impetus ab aere causatus.

49 Pro resolutione not. ex dicendis infra qu. 5. quod sicut in nobis virtus motiva imprimit in projecta impulsum quendam, qui est qualitas causativa motus indifferenter, prout a projiciente dirigitur, & determinatur, sic etiam gravitas, & levitas, cum sint virtutes motivæ, vim habent producendi impulsum in externa corpora, quod patet experientia; reflexio enim pilæ, fractio duorum corporum invicem occurrentium, &c. sunt effectus impulsus, nam gravitas, cum sit ad motum deorsum determinata, nequit motus illos causare; & sicut in nobis vis motiva non solum causat impulsum in extrinseca corpora, sed etiam in nobis ipsis, pariformiter de gravitate, & levitate dicendum, quod non solum in extrinseca corpora causent impulsum, sed etiam in ipsis gravibus, & levibus; *quod poterit prob. ex* his, quæ determinavimus disp. 7. Phys. q. 4. art. 2. & q. 6. art. 3. nam si gravitas est productiva impulsus, & grave est capax hujus impulsus, si potest in corpora externa causare, multo magis in ipso gravi, forma enim productiva alicujus actione transeunte poterit idem causare actione immanenti, si compositum est illius capax, & tandem sicut non causatur iste impulsus a nostra motiva virtute tam in nobis, quam in externis corporibus, nisi medio motu, & quo motus est velocior, eo intensior est impulsus, nam cum volumus saltare, prius retrocedimus aliquantulum; & currendo pervenimus ad locum saltus, ut ex illo motu major impetus ad saltum nobis imprimatur, & qui cum vehementia in scamnum permittit se cadere, franget scamnum, a quo absolute loquendo posset sustineri, si leniter sederet; ita quoque gravitas producet impulsum in gravi medio motu, & quo velocior est motus, eo magis augetur impulsus, sic dum in trutina explorare volumus æqualitatem ponderum, expectandum erit, quousque quiescat trutina, nam non raro contingit, ut levius pondus impositum cum motu in una lance trutinæ, superet gravius positum in alia, non ratione gravitatis, ut patet, sed ratione motus; item si quis manum supponeret aquæ ab alto cadenti, quo longius cecidit aqua, majorem quoque sentiet impetum; rursus si aliquod magnum pondus manu sustineremus, & *deinde incipiat devolvi*, tunc jam cæptum moveri nulla ratione possumus amplius sustinere, eo quia per motum causavit in se impulsum, & majorem habuit gravitatem.

Hic igitur impulsus est qualitas quædam a gravitate, & levitate specie distincta, de facili corruptibilis, causativa motus, prout ab agente determinatur; quare autem causetur medio motu, & non in statu quieris, nulla potest assignari ratio, nisi experientia, non quod motus sit ratio causandi, sed solum conditio, sine qua non produceretur, se habet enim ac si esset applicatio causæ; iste impulsus ab aliquibus gravitas, & levitas accidentalis dicitur, ab aliis gravitatio, & levitatio.

50 Ex his patet, cur gravia, & levia moventur velocius in fine, quam in principio; quamvis enim aer sit causa impellendo v. g. lapidem a tergo, & quia in fine propter parvitatem molis facilius scinditur, attamen causa principalior est impulsus a gravitate causatus in lapide, dum movetur, & quia ad augmentum impulsus acceleratur motus, & ex motu celeriori intenditur magis impulsus, hinc quo grave longius movetur, eo motu velociori movebitur, si unde daretur foramen transiens per centrum terræ, si lapis per illud descenderet, non quiesceret statim in centro, sed ulterius pergeret ad alteram partem ascendendo, & deinde rediret ad centrum, hujus causa esset impetus ille a gravitate productus, qui non tendit ad centrum ex se, sed solum a gravitate determinatur ad illam partem, quæ determinatio non tolleretur a centro. Hic dicendi modus docetur a præclaro Scotista Hieron. Angesto de propr. form. pag. 66. & sequuntur Conimb. 2. Cœli c. 6. q. 1. art. 2. Vasq. 1. 2. disp. 81. n. 18. Lessius lib. 3. de summo bono c. 6. n. 77. Murcia 8. Phys. disp. & qu. ult. Aresius cit. & potest colligi ex Scot. 2. d. 2. q. 10. D. ubi volens probare gravia ab intrinseco moveri, ait, *motus naturalis intenditur in fine secundum Arist. cujus difficile esset assignare causam, si effectivum istius motus esset aliquod extrinsecum*, quibus verbis innuit causam majoris velocitatis in motu gravium esse ipsammet gravitatem, non aliquod extrinsecum, & prob. ex Arist. 1. Cœli 88. & q. 19. Mechan. ubi omnia corpora vehementius agere in motu docet, & grave, quo plus movetur, eo plus gravitatis acquirere, ex quo fit, inquit Arist. ut securim altius attollamus, dum volumus ligna vehementius scindere, quæ verba, cum non possint intelligi de gravitate in actu primo, patet etiam securim post motum non esse graviorem, quam ante, accipi debent de impulsu, seu gravitate accidentali. Tum quia grave, quo velocius, & longius movetur, eo majorem ictum, & impulsum causat in subjecta corpora, quem non causarer, *si leviter moveretur*, ergo aliqua causa a gravitate distincta debet assignari, talis non est motus, quia cum causatur impetus in corpus subjectum, motus transit, non adest, ergo erit impulsus a gravitate motus causatus in gravi; aliud nequit assignari. Non enim probabile videtur, quod ait Arriag. impetum causari solum in fine ex præexistenti motu tanquam conditione prærequisita, sicut fuisse in loco vicino est conditio, ut aliquis locus acquiratur. Non valet, quia hic est ordo necessarius, non enim potest fieri transitus de extremo ad extremum, non transeundo medium, at motus non se habet ut medium prius necessario acquisibile a gravitate, ut impulsum producat; sed simul incipit cum ipso, & cum eo augetur; cum igitur detur novus impulsus in lapide, dum movetur, patet contra Arriag. quod etiam velocius docet moveri in progressu motus, quam in initio. Nec juvat negare, impulsum non augere motum naturalem, sed violentum. Nam impulsus est ex se indeterminatus ad quemcunque motum, unde si projiciens pellat lapidem deorsum, impulsus impressus intendet motum naturalem lapidis, ergo etiam impulsus a gravitate causatus, non enim est major ratio de uno, quam de alio, cum sint ejusdem rationis.

51 Dices, iste impulsus non est secundum naturam gravis, quia quodlibet petit determinatam gravitatem, nec major illa velocitas est juxta propriam inclinationem, quia sicut petit determinatam gravitatem, ita quoque determinatum motum, & velocitatem, ergo non debet ab intrinseco provenire in gravi, sed ab extrinseco, puta ab aere. Resp. neg. consequentiam, sufficit enim quod non causetur a principiis intrinsecis necessario, sed aliquo extrinseco accedente, scilicet motu. Dices etiam, si velocitas hæc major non est gravi naturalis, quomodo verificatur, quod *esse velociorem in fine* sit passio quædam motus naturalis, & non violenti. Resp. dictum illud intelligi debet specificative, non reduplicative quatenus naturalis est; ista enim major velocitas potius erit neutra, quam naturalis; cur autem non conveniat violento dicemus qu. 5.

Urgebis adhuc, data hac sent. sequitur quamlibet gravitatem esse virtutis infinitæ, quod est falsum. Prob. seq. nam si grave, quo plus descendit, eo velocius movetur, majorque causatur impetus a gravitate, si in infinitum descenderet, finitum in infinitum causabit impetum, ergo esset infinitæ virtutis, vel si negetur augere in infinitum impetum, necessario negari deberet motum naturalem esse velociorem semper in fine, quam in principio, vel alia causa deberet assignari hujus majoris celeritatis. Resp. revera si motus protenderetur in infinitum, non intenderetur proportionaliter in velocitate; tum quia gravitas est limitatæ virtutis; tum quia impulsus non multum durat, sed labitur, licet diutius cum motu conservetur, quam sine motu, hic enim est velut fomentum conservans impulsum; quare licet semper de novo generetur impulsus a gravitate, & ab aere, tamen si multum temporis motus duraret, de priori impulsu aliquid deberet deperdi, & sic fere esset compensatio; dictum igitur istud, quod motus naturalis sit velocior in fine, quam in principio, intelligi debet rebus sic stantibus, in hac enim rerum serie, quia gravia non tendunt deorsum in infinitum, nec levia sursum, sed per determinatum spatium moventur non excedens propriam virtutem; idcirco absolute dicitur motum naturalem esse velociorem in fine, quam *in principio*; cui accedit, *quod* aer accurrens suppler aliquo modo defectum gravitatis, illamque coadjuvat.

52 Quarta tandem proprietas, quæ solet assignari communiter a Peripatheticis, est proportio quædam quoad velocitatem inter motus diversorum corporum, & virtutum motricium ipsorum; Arist. nu. 4. Phys. 46. 1. de Cœlo 89. & 2. de Cœlo 46. 77. 70. 85. & 3. de Cœlo 26. 51. & 4. de Cœlo q. 26. & aliis in locis docet eandem esse proportionem velocitatis ad velocitatem, quæ est gravitatis ad gravitatem, adeo ut si corpus uno est duplo gravius altero, duplo celerius movebitur, estque communis sent. Philosophorum; quem loquendi modum ut verum supponit etiam Scotus cum cæteris 2. d. 2. qu. 10. D. ex Arist. 1. de Cœlo 89. Verum Them. tract. de propor. motuum, & Nyphus 4. de Cœlo 26. apud Amic. tract. 7. qu. 4. dub. 2. art. 1. limitant hoc dictum de majori quantitate intensiva, non extensiva, unde concedunt

cedunt velocius moveri exiguum lapidem, quam lignum magnum, quia gravitas lapidis est intensior gravitate ligni, æqualiter tamen moveri, ajunt, exiguum, & ingentem lapidem. Alii censent, etiam quæ differunt quoad gravitatis intensionem, dummodo sint ejusdem figuræ, æque velociter moveri. Tandem Arriag. disp. 4. de Gen. sect. 5. universaliter sensit omnia gravia, sive ejusdem, sive diversæ specie gravitatis, sive ejusdem, sive inæqualis magnitudinis, & figuræ æque velociter moveri deorsum, idque expertum esse fatetur pluries in uno sicco cortice panis duorum digitorum, cum saxo ingenti, quod vix manibus sustinere poterat, & in calamo, quo hanc quæst. scribebat cum magno lapide, queriturque, & rationabiliter in re tam facili nullum unquam Philosophorum experientia comprobasse, sed omnes fere in fide parentum permansisse.

Ut autem hæc veritas ipsis sensibus appareat, hæc sunt observanda; primo, ut medium sit utrique corpori proportionatum, unde aqua non est medium omnibus proportionatum, quædam enim in illa descendunt, quædam supernatant, lignum vel manet medium intra aquam, vel totum demersum pro diversa ligni qualitate, & mixtione; secundo aer, etsi medium omnibus gravibus proportionatum sit, ab extrinseco tamen potest aliquibus esse improportionatum, si scilicet vento agitaretur, tunc enim minus gravia, ut pagina, laneus lobus, &c. non possunt recte deorsum descendere, quia nec tantæ agitationi resistere, quin huc, illucque deferantur; tertio alii requirunt æqualem magnitudinem, eandemque figuram, ut cætera sint paria, verum hoc non est necesse, ut patebit experientia comprobanti, attamen ne detur occasio altercationis, accipiantur duo globi, unus ferreus, alter ligneus, æqualisque magnitudinis, si ex alto simul caderent simul etiam ad terram pervenirent, non unus prius altero, idem quoque accidit, si exiguus, & ingens lapis ex alta turri deciderent. Neque dicas, adesse quidem diversitatem celeritatis in his motibus, sed exiguam, & imperceptibilem ab oculis; Nam ut recte advertit Arriag. si acciperentur duo gravia, & gravitas unius centuplo excederet alterius gravitatem, motus istius deberet esse centuplo tardior altero, quæ differentia est valde perceptibilis.

53 Valde tamen difficile est, hujus experientiæ assignare rationem, pro quo not. quod excessus gravitatis, ut innuimus q. 1. alter est intensivus, alter extensivus, intensivus non debet sumi quoad majorem ponderationem, nam exigua terra minus ponderat, quam ingens aqua, sed quoad majorem propinquitatem ad locum deorsum, & centrum, seu quoad subjici pluribus corporibus, hinc plumbum gravius est ligno intensive, quia non solum aeri, sed etiam aquæ subjicitur, magisque ad centrum appropinquat, quam lignum; excessus extensivus attenditur penes habere plures partes gravitatis, magisque ponderare, ut lignum magnum excedit modicum plumbum extensive, quia plus ponderat, & magis comprehenditur excessus iste in rebus ejusdem rationis, ut magnum, & parvum saxum; hoc supposito, ut rationem assignemus hujus experientiæ, prius videbimus, cur res ejusdem rationis æqualiter moveantur deorsum, quamvis adsit extensivus excessus gravitatis, ut cur exiguus, & magnus lapis æque velociter descendant; deinde cur adsit hæc æqualis velocitas etiam in rebus diversæ gravitatis specificæ, & excessum intensivum habentibus.

Ratio primi desumi potest ex eo, quod docet Arist. 7. Phys. 35. si scilicet aliqua virtus movet aliquam magnitudinem in certo tempore, & per aliquod spatium, dimidia virtus movebit medietatem illius magnitudinis in eodem tempore, & per idem spatium, ratio est, quia eadem proportio reperitur inter virtutem totalem, & magnitudinem totalem, & inter virtutem partialem, & magnitudinem partialem quoad idem tempus, & spatium, unde posset fieri argumentum a commutata proportione. Confirm. excessus extensivus non est causa effectus intensioris, sed solum extensioris, ut calor ut duo sive extendatur per magnam, sive per parvam quantitatem, nunquam potest producere, nisi calorem ut duo, solum si erit in magna quantitate, sequitur posse agere in majori distantia, & extensius, sed inter magnum, & parvum lapidem est solum excessus extensivus gravitatis, non intensivus, ergo non causabitur motus intensior in velocitate sed extensior, quatenus plures partes graves deorsum moventur in magno lapide, quam in parvo. Tum quia si lapis major divideretur in tot partes æquales lapidi minori, certe omnes æque velociter moverentur, ac minor lapis, ergo quando sunt unitæ, & unum totum integrant, æquali celeritate movebuntur; patet consequentia quia ex majori extensione non augetur intensio, ut diximus; tum quia ex unione non magis juvantur partes adinvicem, quia una pars non agit in aliam.

54 Dices Arist. cit. solvens argum. Zenonis, quo probabat granum milli edere parvum sonum ex hoc, quod modium milii edit magnum sonum, negat consequ. quia partes milii unitæ se juvant ad edendum sonum, quod non accidit, si sint divisa, idem ergo dici poterit in præsenti. Non valet, aliud enim est dicere quamliber partem quamvis minimam habere proportionem cum qualibet minima parte effectus, ut asserebat Zeno, & aliud est dicere aliquam partem proportionari cum parte effectus, concedimus enim hanc proportionem inter partem virtutis, & partem effectus non posse in infinitum fieri versus minimum, quia tandem devenietur ad aliquam partem ita minorem, ut nequeat vincere resistentiam contrarii, ut docet Scot. 4 d. 44. q. 1. & susius dicemus in lib. de Gen. attamen non ob id negare debemus quamlibet proportionem inter totum, & partes, itaut omnino sit falsa ista propositio, sicut se habet totum ad totum, ita pars ad partem, esset enim contra Arist. cit. & contra experientiam, esset tamen falsa, si partes unitæ se juvarent ad invicem. Tum quia una pars non agit in aliam, cum quælibet sit ejusdem rationis, nec esset major ratio, cur potius ista agat in illam, quam e contra. Tum quia si aliquis traheretur ab alio, non sentit sibi nullum impetum fieri ab illo, si æqualiter cum illo currit, ergo quia omnes partes æque velociter natæ sunt moveri, una non pellit aliam.

Quapropter dicendum æqualiter moveri majorem, & minorem lapidem, quia etsi multum gravitatis sit in majori, adest quoque multum materiæ; non quod materia illa deprimenda resistat gravitati, ideoque sit æqualis hinc inde compensatio, & quoad excessum gravitatis, & quoad excessum resistentiæ ad motum deorsum, ut aliqui asserere videntur; hoc enim est falsum, quia substantia lapidis non resistit, imo est inclinata ad motum deorsum, sed ratio erit, quia quælibet pars gravitatis est occupata circa propriam partem lapideæ substantiæ ad movendam illam deorsum juxta propriam inclinationem, nec una pars gravitatis pellit, & agit in partem lapideam alterius gravitatis, sed se habent, ac si essent diviſæ, & eadem proportio est inter unum agens, & unum passum, ac inter decem agentia, & decem passa cæteris paribus.

55 Deinde prob. duo gravia diversa quoad intensionem gravitatis ex hoc capite non moveri, nisi æquali celeritate, major intensio gravitatis non est causa majoris velocitatis motus, ergo ex hoc capite gravius intensive non velocius movebitur, conseq. patet, Antec. prob. ex dictis, intensio qualitatis non attenditur penes magis, vel minus ponderare; sed penes magis, vel minus subjici corporibus, & centro appropinquari; hinc gravia in ordine ad medium, sub quo petunt esse, se habent, ac si essent ejusdem specificæ gravitatis, quia ambo petunt per illud descendere, & ex hoc descensu nequit argui specifica distinctio gravitatum, & quamvis quando gravia sunt æqualis magnitudinis, si tamen differant adhuc quoad pondus gravitatis, posset argui diversitas in intensione, ut gravius habeat gravitatem intensiorem, ut patet in æqualibus globis ferreo, & ligneo, non tamen semper est verum, quia duo ligna æqualis magnitudinis possunt differre quoad pondus, ambo tamen in aqua supernatant; & duo lapides æqualis magnitudinis, sed inæqualis gravitatis immerguntur in aqua, ergo major ponderatio cum æquali magnitudine non est signum sufficiens diversæ gravitatis specificæ. Tum quia pondus est effectus æquivocus a quacunque gravitate producibilis, etiam specie diversa, & magis, & minus in pondere non variant speciem ponderis, ergo ex hoc, quod una gravitas magis ponderet, non recte infertur ab alia minus ponderante distingui; idcirco nil refert major gravitatis intensio ad majorem velocitatem motus in medio, per quod gravia comparata nata sunt descendere. Totum hoc clarius apparebit ex solutione objectionum.

Contra hanc veritatem primo arg. ratione, ubi est major vis effectiva, ibi est major effectus, in graviori est major vis effectiva, & effectus gravitatis est motus deorsum, ergo major gravitas efficit majorem motum, hæc majoritas motus non consistit nisi in majori celeritate, ergo &c. Tum 2. quando est major impulsus ab extrinseco, motus est celerior, cæteris paribus, ergo quando major est impulsus ab extrinseco, etiam motus erit celerior, sed in motu gravioris non solum est major gravitas, sed etiam major impulsus ab illa gravitate productus, ut diximus explicando præc. propriet. qua ratione motus in progressu velocitatur, ergo motus celerius fit in graviori: hæ rationes fundantur in illa regula topica, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum. Tum 3. gravius majorem impulsum causat in corporibus subjectis, quam minus grave, ergo illud velocius movetur, patet conseq. major ictus arguit majorem velocitatem motus, qua ratione conclusimus, gravia velocius moveri in fine, quam in principio, quia eo majorem causant ictum, quo ab altiori loco descendunt.

56 Respond. ad 1. eo modo, quo vis est major arguit eandem majoritatem effectus, in graviori est major gravitas extensive, non intensive, ut vidimus (nam quamvis differant in intensione, hæc per accidens se habet respectu medii, per quod ambo gravia habent descendere) hinc solum majorem motum extensive causabit, non intensive, quatenus plures partes medii scinduntur, & plures partes mobilis feruntur deorsum, sed æquali velocitate. Ad 2. concedimus majorem impulsum augere velocitatem motus, quando majoritas ista est intensiva, ut evenit in impulsu ab extrinseco causato, & etiam ab intrinseco, nam hoc augmentum fit in eadem parte lapidis, hinc velocius in fine movetur, quam in principio; at quando majoritas est solum extensiva, negamus fieri velociorem motum, hæc majoritas reperitur in graviori respectu minus gravis, nam si gravius excedit decuplo aliud, certe in decima parte gravioris in toto progressu erit æqualis impulsus, ac in minus gravi, quare æque velociter movebitur, sicut minus grave, & utrumque intendet proprium motum proportionaliter ad intensionem proprii impulsus, ergo etiam totum gravius æqualiter movebitur cum minus gravi, nam illud extensive solum excedit, & hoc est valde not. in quo deceptus est Arriag. diversa enim est comparatio impulsus ejusdem partis in principio motus cum impulsu ejusdem in fine, & comparatio impulsus totius gravioris cum impulsu totali gravis, illa enim est comparatio quoad intensionem, hæc vero quoad extensionem; quod non advertens Arriag. negavit non solum gravius velocius moveri minus gravi, sed etiam idem velocius in fine moveri,

veri, quam in principio motus. Ad 3. neg. conf. major enim ictus non debet attendi solum ex motus celeritate, sed etiam ex majori gravitate impellentis corporis, ut supra diximus; hinc cum mobile deorsum descendit, omnino invariatum manens quoad gravitatem, & cætera absoluta, solum variata celeritate motus, modo magis, modo minus impellit, recte ex majori impetu arguimus majorem motus velocitatem; at quandoque cum eadem velocitate motus stat diversitas ictus, quia etiam a duritie, & gravitate corporum dependet; idcirco dicimus magis grave intensiorem ictum causare in corpora subjecta, quam minus grave, quia major duricies, & gravitas adest in illo. Ratio vero, cur impulsus partium ad invicem non causant velociorem motum, at respectu corporum subjectorum causant majorem ictum, ac faceret quilibet seorsim, alia assignari nequit, nisi quia una pars non agit in aliam, aliter ad invicem nimis condensarentur, imo etiam frangerentur, ut sit cum aliud corpus illidunt, sed quælibet pars gravitatis respicit proprium subjectum, ideoque determinatum impulsum, determinatamque velocitatem motus producit, at respectu corporis subjecti non una pars, sed omnes simul agunt, idcirco major fit ictus; quod patet exemplo, nam eodem modo faciet impetum aliquod corpus ferreum 30. librarum, ac triginta ferrea corpora simul ligata, quorum quodlibet sit unius libræ, & eadem difficultate feretur illud, ac ista, & tamen in celeritate essent æqualia tam conjunctim, quam divisim, ut patet experientia, quæ est unicum fundamentum hujus nostræ assertionis; eo vel maxime, quod non repugnat simile agere in simile in agentibus æquivocis, ut dicemus in lib. de Gen.

57 Secundo arg. experientia; videtur impossibile, & contra sensum pari velocitate moveri deorsum chartam, vel plumam, & ferreum globum. Tum quia si sagitta, quæ ex una parte est ferrea, ex altera lignea, demitteretur ex alta turri lateraliter, non caderet æqualiter, sed pars ferrea citius tanget terram, quam lignea, cujus ratio nonnisi in majorem gravitatem ferri ascribi potest, ergo &c.

Resp. ad 1. exemplum: jam diximus aerem non esse medium proportionatum in his casibus, quia cum semper saltem aliquantulum agitetur, charta propter suam tenuitatem, & figuram facile potest impediri, ne descendat, sed ad diversa loca deferretur, & in se verteretur; idem de pluma dicendum, a qua tamen, inquit Arriaga, si tollerentur alulæ, eadem celeritate movebitur per aerem quietum, sicut quodlibet ingens pondus. Magis urget exemplum de sagitta, negamus tamen majorem illam celeritatem provenire ex majori gravitate unius partis, sed ex communi resistentia, quam habent circa centrum librationis, nam agens minoris virtutis concurrens cum agente majoris virtutis ad aliquid superandum, cedit ut impulsivæ agentis fortioris, ratione cujus cessionis patitur aliquam moram in suo cursu, imo aliquando totaliter impeditur, declaratur exemplis; sint duo equi sine alligati inter se, quandiu nulla est resistentia communis utrique, æqualiter current, at si in cursu implicetur funis, equus validior fortius superabit hanc communem resistentiam, cogetq; alium retrocedere; clarius, sint duo pondera inæqualis gravitatis posita in utraque lance trutinæ, non descendunt æqualiter, quia nimirum dum pondus gravius superat resistentiam utrique communem ad descendendum, quæ resistentia consistit in centro librationis trutinæ, cogit minus grave ascendere; quod si contingeret, dum librantur, frangi brachia trutinæ, statim utrumque pondus tenderet deorsum. Pariformiter de sagitta dicendum, quod dum extremæ partes intendunt superare resistentiam communem in centro librationis sagittæ, quod est centrum gravitatis, pars ferrea vehementius superat, & retardat, imo impedit totaliter vim partis ligneæ, cogitq; ascendere, quod ex propria natura illi non convenit, si enim essent separatæ, ambo æqualiter descenderent.

ARTICULUS IV.

An gravia, & levia in propriis locis gravitent, & levitent.

58 Gravitas, & levitas sumi possunt, vel in actu primo, vel in actu secundo, primo modo dicunt qualitates motrices, secundo modo dicunt actus, & actiones ipsarum, quæ communiter sunt motus sursum, & deorsum, attamen dantur aliæ actiones gravitatis, & levitatis quasi antecedentes hos motus, & dicuntur gravitatio, & levitatio, quæ sunt quidam quasi conatus ascendendi, & descendendi; de quibus videtur loqui Ar. 4. Cæli 2. & si tunc proprio nomine carerent, ait enim gravis, & levis actibus adhuc nomen non esse impositum, quod certe nequit intelligi de motu sursum, & deorsum, de his namque pluries antea fuerat locutus, sed de actibus antecedentibus, quos ibi fomenta, vel suscitamenta motus vocavit; qua ratione Ar. sæpe ipsam gravitatem, & levitatem pro gravitatione, & levitatione desumpsit.

59 Hæc igitur gravitatio, vel levitatio rectius nequit explicari, quam per similitudinem ad animalia, animal enim ut notat Amic. tract. 7. quæstion. 6. dub. 4. quando propria vir tute seipsum in se continet, & conatur, ne corpus super alterum insideat, & ab illo sustententur, dicitur non gravitare, at quando quasi relaxat se, & suam virtutem, & finit totum suum corpus alteri insidere, & secundum totum pondus ab illo sustentari, dicitur gravitare, sic grave non gravitare est secundum suam virtutem in proprio loco se continere absque eo, quod pondus aliquod imprimat in corpus inferius, gravitare vero est secundum totum pondus obluctari corpus sustentanti, & impedienti, ne deorsum descendat; hæc tamen differentia intervenit inter animal, & grave, quod continentia in animali fit per quem-

dam conatum, & actionem virtutis motivæ, cum sit contra inclinationem particularem corporis, idcirco sentitur defatigatio, quia non gravitatio est quædam actio in eo, at in gravi sit per quandam quietem in proprio loco, & tunc agere dicitur, quando gravitat, ideoque tunc imprimit pondus, ubi animal, quando gravitat, non concipitur agere, ut animal est, & per virtutem motivam vitalem, hæc enim potius cessat agere, sed solum secundum gravitatem: idem proportionaliter de levitate dicendum. Quare tunc corpus gravitare intelligitur, quando sustentatur, & impeditur ab aliquo corpore, ne ulterius descendat deorsum, ad quod habet inclinationem, & solum gravitare dicitur respectu corporis sustentantis, non simpliciter tangentis, ut si lapis fune suspensus maneret in aere, non dicitur gravitare respectu aeris, quamvis ab illo tangatur, quia illi non insidet, nec ab illo sustentatur, sed respectu funis, & trabis, quibus imprimit pondus; & e contra tunc leve dicitur levitare, quando illi insidet aliquod grave actualiter in ipsum leve gravitando, hinc aer in speluncis, & domibus, quarum fornices, & tecta ab aere non sustentantur, sed a lateribus speluncæ, vel domus, non dicitur levitare, quia nec recta, nec fornices dicuntur gravitare in ordine ad aerem. Ex quibus patet diuturnitate temporis resistentiam alicujus passi paulatim frangi etiam in non viventibus, trabes jamdiu ferentes aliquod pondus paulatim fatiscunt, & incurvantur; ferrum ponderosum, & longum stipiti, vel muro per extremitatem infixum ad libellam, suo solo pondere paulatim incurvatur, marmora etiam tali modo pendula nonnunquam franguntur, & hoc quia diuturna illa libratio, & conatus, qui gravitatio dicitur, vincit, & superat resistendi facultatem; hoc supposito.

Quærimus in præsenti, an quando elementa, & gravia, ac levia existunt in propriis locis, in quibus naturaliter quiescunt, nec ab illis naturaliter discedere valent, nisi ab extrinseco moveantur, dicantur tamen adhuc gravitare, & levitare, hoc est, nitantur adhuc, & contendant in alium inferiorem locum, vel superiorem pervenire, itaut corpus ipsis subjectum premant, si de gravibus loquamur, vel superpositum impellant, si de levibus. Arist. 4 cœli 29. & 30. docet omnia gravia, & levia præter ignem in propriis locis gravitare, citantur pro hac sent. Averr. Villalp. Barrius, & Conciliator. Communis tamen Peripateticorum, & Mathematicorum sensus negat, itaut in hac re Arist. ab omnibus fere derelinquatur, licet aliqui conentur ipsum explicare, & ad verum sensum reducere. Aref. 2. de Gen. q. 21. mediat, ait enim elementa in propria sphæra respectu corporis inferioris gravitare, partes vero elementorum inter se nec gravitare, nec levitare.

60 Dicendum est gravia, & levia in propriis locis neque secundum totum, neque secundum partes gravitare, vel levitare, ita colligitur ex Scor. d. 2. q. 10. D. ubi ait gravitatem in gravi esse principium quietis in loco naturali, & tunc quærit grave se movere, quando extra illum est a motu impeditum, unde per gravitatem conatur vincere resistentiam impedientis, quod est gravitare, ergo per Scotum gravia extra proprium locum gravitant, in proprio loco quiescunt; & prob. primo, quod elementa secundum totum non gravitent ratione tacta a Scot. cit. gravitas, & levitas dictæ sunt elementis, ut se reducant ad propria loca naturalia, ad quæ habent inclinationem, ergo quando sunt adepta hæc loca, non amplius agent actione harum qualitatum, ob-teuto enim fine, cessat actio, propter quem ea suscepta est. Nec valet responsio Aresii, has virtutes datas esse elementis, non ut aliquem locum determinatum obtineant, sed ut debitum ordinem inter se conservent, ut gravius sit infra levius, quare aqua semper gravitat, ut descendat, quantum potest, & semper descendet, quousque inveniat corpus gravius se, Non valet, nam potius confirmat nostram rationem, quia enim aqua non determinat sibi centrum tanquam locum, sed solum superficiem convexam corporis gravioris, hac nacta, debet quiescere, nec ulterius agere, jam enim est consecuta suum finem, quem intendebat. Tum quia vel elementa ideo gravitant, quia naturaliter petunt esse in centro, vel quia petunt esse sub corpore leviori, & supra gravius; si 2. ergo quando sunt ita disposita, non amplius gravitabunt; si primum, ergo quando sunt extra centrum, essent extra proprium locum, & consequenter in statu violento, quod est falsum. Tum quia cum centrum sit indivisibile, nulla pars posset naturaliter locari in ipso, & maxime hoc patet de aere, qui inter elementa levia computatur.

61 Deinde, quod secundum partes non gravitent, aut levitent, prob. quia partes sunt ejusdem rationis (non enim loquimur de elementis impuris, sed secundum proprias rationes) ergo non est major ratio, cur una pars potius petat esse supra, vel infra, & si omnes hoc postularent, jam elementa secundum totum gravitarent. Tum quia si aer secundum partes gravitaret, deberemus sentire supra caput aeris pondus, nec possemus in trutina aliquid juste ponderare, quia aer in una lance existens gravitaret; idem patet de aqua, natantes enim nullum sentiunt aquæ pondus; vas in aqua non ponderat, extra illam statim gravitat. Tum quia partes aquæ inferiores deberent esse densissimæ propter continuam gravitationem superiorum, at experimur esse rariores, & dulciores, seu minus salsas.

In oppos. arg. quibusdam experientiis. Utres aere pleni, ait Ar. graviores sunt, velociusque moventur quam vacui. Lignum centum librarii ex eodem loco velocius descendit per aerem, quam plumbum unius libræ, quod tam velocius per aquam descendit, eo quia aer in ligni poris inclusus gravitat, & velocius in aere pellit lignum, at in aqua sustentat. Si quis ex alto loquatur, facile auditur ab existentibus in inferiori loco, non e contra, ratio est, quia aer descendit, non

ascendit. Aqua supra terram existens eam penetrat, & pervadit, ergo supra terram gravitat. Aqua in vase testaceo existens gravitat supra caput hominis, & tamen est in proprio loco naturali, quia terra est gravior aqua. Si aliqua pars terræ auferatur, facillime, ac velociter aqua, vel aer descendit, cum tamen difficulter sursum attrahantur. Terra in fornicibus cavernarum existens gravitat, ita ut aliquando coincidant omnia, & tamen a lateribus sustentatur, ergo una pars gravitat supra aliam. Vasa tandiu in aquis supereminent, quamdiu aquis non replentur, at statim ac aquis sunt plena, immerguntur, etiamsi essent lignea, quæ ex propria natura sunt aquis leviora, ergo aqua gravitat. Qui ex aqua emergunt, videntur maximum pondus deponere & respirant, quod est propter aquæ gravitatem. Si quis vellet partem terræ evellere, sentiet difficultatem, ergo terra in proprio loco existens gravitat. Lignum naturaliter supra aquam existit, & tamen, cum est in aqua per tertiam fere partem immergitur, quæ tertia pars, si secetur, adhuc per aliam tertiam partem infunditur, ergo grave in proprio loco adhuc gravitat.

62 Resp. exemplum de utre est incertum, & a Them. negatur, sed facta suppositione dicimus gravitare propter compensationem aeris, valde enim aer ille est in utre constiparus; tum quia inflatur humido halitu, & aere crasso, velocius vero movetur propter rotunditatis figuram, Lignum non velocius movetur in aere plumbo minori, ut diximus qu. præced. quo adhuc admisso, accidere dicimus, quia gravitas ligni specie distinguitur a gravitate plumbi, & aquæ, ut ostendimus qu. 1. unde ambo per aerem descendunt, non tamen per aquam, quia lignum petit esse supra aquam. Vox quandoque ascendit, ut in locis acclusis, facilius enim loquens in inferiori cubiculo auditur ab eo, qui est in superiori, quam ab existente in infima parte domus, quandoque vero descendit, ut in casu posito, idcirco nequit hoc provenire ab aeris natura, sed ab extrinseco, scilicet si aer egressus ab ore est crassior, & impurior, quam externus, tunc semper sonus descendit, quando est purior, ascendit. Aqua non ideo penetrat terram, quia gravitat, sed ut aerem in poris terræ inclusum expellat, & illi se submittat. Aqua in vase gravitat, quia est supra aerem circundantem, tunc enim aqua, & vas se habent, ac si essent unum corpus solidum, & continuum. Aqua facilius descendit, quam ascendat, quia quando descendit, movetur & ad pellendum aerem, & ad impediendum vacuum, unde motus iste est naturalis, cum petat aqua ex sua natura humiliorem locum, quam aer, at quando ascendit, solum movetur ad replendum vacuum, quare motus iste est illi violentus, & ab extrinseco, aer vero movetur tam sursum, quam deorsum non cum tanta difficultate propter subtilitatem, & levitatem. Terra in subterraneis, quamvis a lateribus sustentetur, gravitat tamen, quia est ab aliis partibus separata, in quo spatio intercipitur aliquod corpus levius scilicet aqua, vel aer, infra quod terra vult esse. Vasa aquis plena immerguntur, quia aqua, cum sit fluida, quærit perfecte secundum omnes partes æqualiter a centro distare, unde si vas aquis plenum supernataret, aqua existeret supra aerem circundantem, quapropter videmus, si vasa sunt linea, solum demergi usque ad extimam superficiem aquæ, non vero in profundum. Nantes respirant ab aquis exeuntes, quia diu continuerunt spiritum, & aliquam difficultatem habuerunt scindendo medium. Scindens terram sentit difficultatem, & quia resistit scissioni, ut diximus qu. præced. explicando 2. propriet. & quia resistit elevationi, quæ fit per scissionem. Lignum tandem aliquatenus immergitur, quia continet in se aqueos humores, qui deorsum pellunt, unde quo lignum est magis viride, eo magis demergitur; non tamen totaliter sub aquis existit, quia partes ligneæ, quæ sunt aqua leviores, resistunt; tum quia lignum, dum est in aqua, humectatur, & intra poros aqua subintrat, hinc semper aliqualiter habet demergi,

QUÆSTIO V.

A quo moveantur violentur projecta.

63 OPpositorum eandem esse disciplinam pluries docuit Arist. quamobrem pro complemento hujus disp. aliqua determinare debemus de motu violento gravium, & levium, ut lucidius naturalis ipsorum motus cognoscatur, primo igitur quærimus, a quo principio immediate moveantur violenter; deinde in seq. q. an detur quies in puncto reflexionis.

Quoad 1. motus violentus dividitur ab Arist. 7. Phys. 10. in pulsionem, tractionem, volutationem, & *vectionem*; pulsio est, qua movens a se pellit mobile, & si insequitur ipsum mobile, dicitur impulsio, si non insequitur, dicitur expulsio; Tractio est, qua movens ad se trahit mobile; Volutatio est, qua mobile in gyrum volvitur a movente; Vectio est, qua unum corpus super aliud fertur, ut cum homines equo, navi, vel curru feruntur, & hæc ad illas tres reduci potest; quia omnis vectio fit vel pellendo, vel trahendo, vel volutando; quapropter de his tribus loquemur investigando principium proximum, & immediatum, & præcipue difficultas est de expulsione, seu projectione, de aliis inter disputandum determinabimus; quærimus autem immediatum, & proximum principium, quia remotum est ipsum proiiciens, hoc autem non sufficit, quia movens, & motum debent esse simul, & si motus est in actu, etiam movens debet actualiter existere, contingit autem projecta moveri remota a proiiciente, imo potest ipsum proiiciens post projectionem statim destrui, ideoque alia causa proxima, & actualis assignanda erit.

64 Prætermissa autem opinione Scaligeri exerc. 28. asserente motum projectorum fieri immediate a proiiciente, sed media parte priori, motus ut secunda fit media prima, tertia media secunda, &c. & etiam illorum docentium fieri a gravitate, vel levitate projectorum modificatis tamen a proiiciente; Nam prima opinio est falsa, cum enim secunda pars motus fit, potest non esse proiiciens, nec prima pars motus existit, cum sit successiva, quare alia causa assignari debet. Secunda etiam est falsa, quia ut docet Scot. 3. d. 27. §. *istæ rationes*, ab eadem forma nequeunt provenire duo effectus oppositi, motus sursum repugnat gravitati, quæ ad motum deorsum est inclinata; tum quia modificatio non destruit naturam gravitatis, ergo non erit causa, ut gravitas sursum tendat, sed solum, quod non ita velociter petat deorsum, sicut peteret, si non esset modificata; & tandem explicari debet, quid sit ista modificatio, a quo fiat, & quo modo. His igitur relictis, duæ sunt famosæ opiniones, prima est Ar. 4. Phys. 68. & 8. Phys. 82. 3. Cœli 28. sect. 11. probl. quæst. 6. & in lib. Mechan. qq. q. 33. medium assignans pro causa immediata hujus motus, sequuntur antiquiores Peripathetici Averr. Simpl. Them. Burl. item Mayr. 2. d. 14 q. 7. Perer. lib. 14. cap. 4. & 5. Dand. 1. de An. digress. 40. & pauci alii; idem videtur sentire Scot. 4. d. 6. q. 6. versus finem, licet discrepent in modo, quo medium exerceat talem motum, ut videbimus. Secunda sent. est omnium fere Recentiorum asserentium hunc motum causari a virtute quadam motiva a *proiiciente impressa mobili*, ideoque impulsus, seu impetus communiter appellatur.

65 Dicemus, motum projectorum principaliter a medio non provenire, sed ab impulsu impresso a proiiciente. Hæc conclusio, quamvis expresse non habeatur a Scoto, quod videremus, conformis est tamen his, quæ docet in 2.d.2. p.9. in fin. ubi concedit posse fieri in vacuo motum successivum, nam medium, inquit, sua subtilitate habet promovere, idest juvare, & sua densitate habet retardare mobile, non vero causare successionem essentialem motus, cum igitur loquatur ibi doctor universaliter, debemus dicere medium non esse causam immediatam motus projectorum, & principalem, aliter hic motus non posset fieri in vacuo propter carentiam medii, & consequenter alia virtus assignari deber, quæ sit principalis causa hujus motus, scilicet impetus impressus, idem docet Tatar. 8. Phys. ult. §. *Quarto sciendum*.

Prob. autem 1. refutando modos, quibus adversarii explicant motum fieri a medio. Primo enim ut refert Arist. 8. Phys. 82. dicebant Antiqui fieri per quandam antiperistasim, hoc est, cum lapis a proiiciente proiicitur, in locum lapidis succedit aer circumdans, ne detur vacuum, lapis vero succedit in locum alterius aeris, & rursus ille aer in locum alterius, qui succedebat in locum lapidis, itaut fieret quasi quidam circulus, ut expellens succederet in locum expulsi, & expulsum in locum expellentis. Sed hic modus reiicitur ab eodem Arist. sufficit pro nunc, quod non habet locum in motu violento circumlationis sphærici corporis, non enim aer succedit in locum mobilis. Secundo dicunt alii partem aeris motam immediate a proiiciente simul cum projecto moveri, illudque vehere. Non valet, quia quærimus, a quo hæc aeris pars immediate moveatur, non a seipsa, cum sit in proprio loco, & violenter moveatur, vel saltem neutraliter, non a proiiciente, quia distat, & potest deficere, si ab impulsu, idem de lapide facilius potest dici. Tertio alii dicunt, medium immediate pulsum a proiiciente moveri ante mobile, & movere aliam partem, quæ etiam movet aliam, minori tamen vi, in quorum omnia loca necesse est subire lapidem. Non valet, quia sic lapis moveretur a medio, sed moveret se in locum medii ad replendum vacuum, nec expelleretur, sed potius a medio traheretur. Quarto alii dicunt, quod proiiciens lapidem simul movet aerem, qui velociori motu, & vehementiori, quam sit motus lapidis deorsum, concurrit ad terga lapidis, & impedit, ne deficendat, imo ultra propellit in locum alterius, qui succedendo in locum lapidis, illum etiam impellit, quia tamen prima pars aeris movetur quamvis distet a proiiciente, hinc docent aerem a proiiciente recipere virtutem quandam *motivam*. Sed isti transferunt difficultatem impulsus mobili impressi ad impulsum in medio receptum, cum tamen facilius salventur proprietates istius motus per impulsum in mobili receptum, quam in medio, ut videbimus; tum quia adest difficultas motus circumlationis.

66 Alii vero, ut Ægid. Burlæus, &c. asserunt a proiiciente lapidem simul aerem moveri, qui necessario condensatur, aliter sequitur in omni, vel minimo motu universum aerem fere commoveri, ac fluctuare, quæ condensatio est præternaturalis medio, ut aeri, & aquæ, & hinc fit, ut statim aer, & aqua magno impetu se rarefaciant, & sic ut occupent majorem locum, quam condensata occupabant, propellunt projectum, a quo alius aer, vel aqua movetur, quæ etiam condensatur, & postea rarefit, & ita successive impellunt projectum, donec fuerit major vis medii impellentis, quam virtus motiva naturalis lapidis, quæ deorsum inclinat, & quia variis modis potest medium condensari, & rarefieri, hinc varios motus violentos causabit medium, quatenus scilicet aer densatur in una, vel altera parte, versus quam a proiiciente producitur intra tantum, vel tantum spatium prout fuerit violentia proiicientis.

Sed contra hunc modum, qui familiaris est quibusdam Recentioribus, instatur primo, quia ponit aerem ex motu condensari, & tamen Ar. 2. Cœli 42. ait per motum calefieri, & atteri, & consequenter rarefieri; tum quia ponit condensationem, & rarefactionem, qui sunt motus contrarii, immediate, & sine quiete media fieri, si enim ad condensationem non statim sequitur rarefactio, sed tempus medium

dium detur, in quo aer condensatus maneat, tunc lapis projectus non moveretur, nam ponitur moveri, & propelli, quia rarefit aer, quod tamen est contra Arist. 8. Phys. 62. docentem nullos motus contrarios continuari posse, sed necessario, ut tangemus q. seq. quiete interrumpi debere. Tum quia ponit hæc sent. aerem condensari, ne ad quemlibet minimum motum fluctuet aer universus, sed non ob id tollitur hoc inconveniens, nam si condensatur aer, ergo minorem occupat locum, & ne detur vacuum, alter aer occurrere debet, qui priorem deferet locum, in quem alter succedet, & sic deinceps; quod si dicatur, aerem proximum rarefieri, majoremque occupare locum; sequitur, cum aer condensatus deinde ad pristinam raritatem se reducit, & lapidem propellit in proximum aerem jam rarefactum, ut occupet locum a condensato derelictum, hunc aerem non condensari supra propriam naturam, imo ad convenientem densitatem reduci, quare statim cessabit motus projecti. Tum quia aer non solum reperitur extra statum naturalem, quando est nimis condensatus, sed etiam quando est frigidus, item aqua, dum est calefacta, & tamen videmus non tam cito se reducere ad pristinum statum, ergo idem dicendum de aere condensato; præsertim quia in sent. Adver. densitas est qualitas positiva raritati *contraria*; accedunt sequentes experientiæ.

67 Secundo plurimis experientiis, quæ nequeunt salvari per simplicem motum a medio provenientem. Prima, & omnium evidentissima est de phyala vitrea aqua plena, quæ si in gyrum vehementer circumferatur, & deinde relinquatur, aqua intus existens adhuc movetur, & aliquando versus finem motus etiam in contrariam partem, quam in illam, versus quam mota fuit phyala; hic motus non potest tribui medio, quia non adest, cum supponamus totam phyalam plenam aqua, vel si parum aeris fuerit inclusus, non sufficiet ad movendam aquam, quia non circumobfidet illam, nec ulla condensatio aquæ fit, aliter daretur vacuum, si scilicet aer non posset subingredi.

Alia experientia est de rota, quæ & si motor discedat, adhuc movetur per aliquod tempus circulariter, imo in fine movetur in contrariam partem, & clarius de trochis, qui a pueris funiculis circumvolutis farciuntur, & sæpe quamvis proximi in contrarias partes volutantur, quo casu aer intermedius nequit causare diversos motus, & eo magis urgentur; quia a pueris sæpe attolluntur in volas manuum, & fervantes adhuc circularem motum transferuntur in aerem quiescentem. Neque dicas, trochos illos secum deferre aerem, qui propter condensationem a funiculorum attritione factam jam illis adhæserat, & eodem ordine, cum funiculi dissolvuntur, rarefit, & secum rapit trochos illos. Non valet, tum quia attritione aer non condensatur, sed atteritur, & rarefit, ut in percussione silicis cum chalybe contingit; tum quia aer ille est exiguus, quare, si tam velociter redit ad pristinam densitatem non multum temporis consumit, & tamen motus illi diu durant; tum quia aer ille se rarefaciendo potius elongatur a trocho, quam adhæreat, quare si postquam fuit trochus aliquantulum motus, manu alibi deferretur, non necessario aer comitari debet.

68 Tertia experientia; jaciatur adverso vento pervalido lapis, sagitta, globus bombardæ, tunc aer nequit insequi projectum, quia vento fertur in contrarium. Ajunt, sæpe ab adverso vento motum illorum projectorum minui, sæpe totaliter impediri, & in contrarium propelli, ut ex historiis constat evenisse, sagittas validis turbinibus reflantibus retortas fuisse in ipsos jaculatores, Theodosio Augusto Imperatore adversus Barbaros pugnante, unde cecinit Claudianus, *Omnium dilecte Deo, cui militat æther, Et conjurati veniunt ad classica venti*, globos autem bombardæ moveri, quia in corporibus fluidis dari possunt duo motus, alter fere totalis, alter quasi partialis, & contrarius, præsertim si fit motus convolutionis, agglomerationis, ut in fumo cernitur, qui licet totus pellatur in Orientem, tamen videmus aliquos ejus globos sursum, & deorsum, & in contrariam partem intra ipsum totum fumum moveri, idem in aqua fluviorum accidit, sic in aere a vento commoto evenit, quamvis enim totus aer videatur a vento impelli, multæ tamen partes per motum projicientis vehementius applicari mobili, quam ut a vento inde divelli possint; circum, & post projectum volvuntur, iliudque contra ventum pellunt. Sed istæ sunt prorsus fictiones, ut enim not. Averr. 2. de Gen. q. 22. si globus ille, vel jaculum per tabulas transirer, parvum relinqueret foramen, ut vix parum aeris poterit comitari, videtur autem impossibile, tam exiguum aerem posse adhuc continuare motum projectum. Tum quia quando ventus est pervalidus, totus fumus movetur, & nulla pars retrocedit, ergo multo magis aer debet ad motum *venti propelli*. Tum quia si *in aula* fieret magna aeris *commotio* tum follibus, tum pannis, & similibus, statim ac cessaret motus follium, vel pannorum, aer tam valide commotus quiesceret, itaut si adferretur candela accensa, flamma nec parum quidem agitaretur, ergo multo minus projiciens poterit tam valide aerem movere, ut longiori tractu possit projecta deferre.

69 Tandem medium velocius movet levius, quam gravius, festucam scilicet quam lapidem, & tamen difficilius projicitur illa, quam iste; item nunquam venti, vel raro possunt lapidem movere in longinquum, ut fit a projiciente, ergo non a medio, sed ab impulsu moveri debent projecta. Nec satisfacit dicere cum Peror. ex Arist. q. 34. Mechan. ad hoc, ut aliquid moveatur ab aere, debere esse aliquod resistens, & non cedens aeri, alioquin non impelleret aerem, ut cogat illum condensari, & consequenter rarefieri; debetque vi produci a pellente, & non tamen poni in aere, facilius enim movetur res actualiter mota extra proprium locum, quam in proprio loco quiescens, nam vel uno digito magnum pondus in aere suspensum exagitamus, quod positum humi maximo conatu non moveremus. Non salvat, nam si per adversarios major est commotio aeris facta a projiciente, quam venti commotio, cum illa superet istam, cur aer a *projiciente maxima vi* commotus non movet festucam, ut facit, cum agitatur a vento? ex hoc autem, quod propter levitatem non possit longius pelli, sequitur potius debere in ipsum projectum virtutem aliquam imprimi a projiciente, cujus non est ita capax leve, sicut grave. Deinde deberet ventus saltem lapidem in aere existentem, vel descendentem impellere semper in contrariam partem, major enim est vis impulsiva venti, quam brachii projicientis, cum naves magna celeritate *moveat*, ergo quia non semper movetur, signum erit, medium, quantumcunque ex occursu cum lapide condensatum, non habere vim impulsivam sufficientem, sed requiri *virtutem* impressam a proiiciente, vide Ares. cit.

70 Diximus in conclus. hunc motum a medio principaliter non provenire, quia non negamus absolute medium concurrere ad hunc motum, ut facit Ares. concedimus enim medium juvare tum impellendo a tergo, ut vacuum impediat; tum quia quando est ab agente commotum aliquo pacto defert mobile, ut videmus in plumis, & aliis levibus, non enim est tanta aeris resistentia ad scissionem, quantum ex alia parte est auxilium, & fulcimentum ab ipso proveniens, negari namque nequit, quin aer a tergo imprimat, imo ex hoc provenit major velocitas violenti *motus in medio*, quam in exordio motus, ut dicemus. Cæterum quæ spectant ad explicationem hujus motivæ qualitatis, facilius percipientur ex solutione objectionum.

Solvuntur objectiones.

71 PRimo igitur objic. contra hanc virtutem motivam, quod non detur; Tum ex Arist. cit. qui nunquam hujus virtutis fecit mentionem, quamvis ex professo hanc quæstionem exagitarit in illis locis, sed semper ad medium recurrit; & præsertim 4. Phys. 68. negavit in vacuo fieri posse motum projectorum propter carentiam medii, cui accedit authoritas Scot. in 4. d. 6. q. 6. in fin. ubi contra Ricard. negat imprimi a voluntate virtutem motivam in potentiis externis, quæ paulatim deficiat, & addit primum circulum aquæ causare secundum projecto lapide, & sic deinceps, quamvis primus circulus non maneat quamdiu cæteri existunt; & in motu projectorum prius cessare partem motori propinquiorem quam remotiorem. Tum 2. hæc virtus esset, & non esset *specie distincta a gravitate*, & levitate; nam ex eo, quod deorsum v. g. moveret, esset ejusdem rationis cum gravitate, ex eo, quod esset mobili violenta, esset alterius rationis. Tum 3. deberent impulsus isti specie multiplicari pro diversitate motuum, nam motus; isti specie differunt, & omne agens naturale est ad unum determinatum, quare movens deorsum esset specie distinctus a movente sursum, vel ad latera, similiter movens circulariter, quod est multiplicare entia sine necessitate; non enim posset explicari, quo pacto idem agens nunc unum, tunc alium specie distinctum producat impulsum, præsertim, quia idem mobile una, & eadem quandoque projectione movetur sursum, deorsum, & ad latera, quomodo enim tunc de novo generantur impulsus diversi?

72 Resp. ad 1. locum ab *authoritate* negativa *non* urgere, nunquam enim asserunt solum aerem concurrere, hanc autem causam assignavit, quia frequens erat apud Antiquos licet in modo explicandi differat ab ipsis, & præsertim in 2. Phys. loquitur ad mentem Antiquorum, & ex concessis ab illis arguit ad negandum motum in vacuo. Vel dicendum, quod ibi negavit in vacuo projecta moveri posse in eo sensu quo absolute negavit omnem motum possibilem in vacuo, scilicet successione proveniente ex parte medii, & accidentali; Vel tandem, quod ut homo conditionem humanam scilicet in multis deficere passus est. Scotus vero non expresse negat hanc virtutem, imo tacite admittit, cum enim dicat, primum circulum causare aliis, & non extare, debet aliqua virtus motiva concedi tamquam causa actualis, ut ipsemet arguit de gravibus, & levibus in 2. d. 2. qu. 10. tum quia non loquitur de motu projectorum, sed de motu medii per projectionem facto, cujus medii pars motori propinquior prius quiescit; negat etiam a voluntate produci virtutem motivam, non tamen ob id omnem aliam motricem vim reprobat. Ad 2. dicimus esse a gravitate, & levitate specie distinctum, nam istæ sunt qualitates determinatæ ad motum sursum, & deorsum ab intrinseco gravi, & levi convenientes, & diu permanent, impulsus vero est *indifferens ad quemcumque* motum, & ab extrinseco mobili adveniens. Hinc ad 3. negamus hos impulsus specie distingui, sicut docebant Antiqui, ut Tat. Angest. Saxon. & alii, sed omnes esse ejusdem speciei astruimus, solum enim impulsus est determinatus ad movere mobile, five sursum postea, sive deorsum, sive circulariter, hoc *provenit* ex directione impellentis; nec illi motus differunt, nisi specie accidentali, & quamvis essentialiter differrent, adhuc impulsus essent ejusdem speciei, nam pellens sursum *non* respiceret hunc motum tamquam propriam, & adæquatam rationem, sed inadæquatam, ratio vero adæquata esset *motus localis* in communi, potest enim una potentia, & virtus plura specie distincta inadæquate respicere, exemplum est in virtute motiva animæ, quæ una est specie, quamvis respiciat motum sursum, deorsum, ad latera, &c. & virtus magnetis est ferri attractiva, quocumque modo attrahatur ferrum.

73 Secundo instatur ex parte productionis, nam imprimis nequit assignari, quando generetur hæc virtus, vel enim producitur, antequam relinquatur projectum a projiciente, & desinat illud tangere, & hoc non, quia sequeretur, quod motus projecti fieret, antequam esset, vel certe niteretur ad suum motum, nam quando virtus motiva est in subjecto, movet, vel si prohibetur ab aliquo, obnititur prohibenti; primum non fit, secundum non experimur; vel producitur dum relinquit, ideſt dum primo non tangit, & hoc non, quia tunc est separatum projiciens a projecto, & multo minus fieri potest tempore sequenti hoc instans, propter eandem rationem. Tum 2. vel producitur *in instanti*, vel *in tempore*; non primum, quia habet contrarium in subjecto, nam impulsus est contra inclinationem naturalem mobilis, cum moveat motu opposito, unde dum volumus ingentem lapidem propellere, experimur resistentiam magnam in lapide ex gravitate provenientem; cum igitur gravitas sit qualitas contraria, *non poterit in instanti* produci impulsus, sicut frigus propter caloris contrarietatem non introducitur instantanee: neque secundum, quia tunc prius esset in una parte, quam in alia, & tamen omnes partes moventur, ergo si una poterit absque impulsu moveri, etiam omnes partes poterunt moveri. Tum 3. nequit assignari quo *instrumento* producatur, vel enim producitur medio motu locali, & hoc non, quia per motum localem non producitur aliqua qualitas ex 8. Phys. 59. neque *alteratione*, quia hæc non fit, nisi positis quibusdam conditionibus in subjecto, cum non fiat semper, ergo deberet assignari principium proximum hujus alterationis, *cur tunc*, & *non prius* fiat, Si dicas, requiri motum localem tanquam conditionem necessariam; contra est, quia rediret primum argumentum, quia sequeretur, quo diutius movebitur projectum a motore, eo intensiorem impulsum produci, quod est contra experientiam, nam si quis una hora moveat *projectum*, *antequam projiciat*, & deinde illud propellat, non vehementius projiciet, quam si uno solum momento cæteris paribus illud moviſſet; videmus etiam bombardam, si certam longitudinem excedat, minorem habere in ictu vehementiam, cum tamen quo longior est bombarda, pila diutius impellatur. Tum 4. nequit assignari subjectum, in quo introducatur, nam non educitur de potentia subjecti, requireretur enim prævia alteratio, estque contra ipsius inclinationem. Deinde vel introducitur *solum in partibus* a projiciente tactis, vel in toto mobili; non primum, quia partes tactæ sunt partes superficiei, ergo istæ solum moverentur, non aliæ; vel si aliæ moverentur per accidens ad motum istarum, possent resistere virtuti impressæ, cum sint multo plures, & consequenter posset projectum non moveri, quod est contra experientiam, & præsertim si daretur perfecte sphæricum quod planum tangeret solum in puncto; neque secundum, quia vel producitur uniformiter, & hoc non, quia omne agens agit uniformiter difformiter in sua sphæra, etiam luminosum, quamvis lumen producat in instanti, ergo non est major ratio de projiciente, quod uniformiter agat; vel producitur uniformiter difformiter, ergo partes viciniores projicienti velocius moveri deberent, & sic continuum dirumpi in qualibet projectione, vel si propter continuitatem æque moventur, jam daretur pars impulsus otiosa, illa scilicet excedens impulsum in remotioribus productum; tum quia sagitta nunquam posset determinatum scopum attingere secundum partem remotiorem, quia cum impulsus sit intensior in parte propinquiori, deberet saltem inverti, ut pars habens intensiorem impulsum citius attingat suum scopum, & idem est de quocunque mobili, scilicet quod pars propinquior projicienti in motu deberet semper antecedere.

74 Respond. ad 1, ex dictis qu. 3. explicando 3. propriet. quod impulsus causatur, dum a projiciente applicatur virtus activa motrix, hæc autem applicatio fit per motum localem, ut patet ex exemplis ibi adductis, quare cum agens non in eodem instanti, in quo applicat virtutem, desinat tangere mobile, sed paululum moveat illud tangendo, in hoc tempore imprimitur impulsus, nec requiritur, quod simul fiat projectio, sed sufficit, ut immediate post incipiat, nam impulsus est qualitas aliquantum durans, ideo potest habere suum effectum post productionem, quia eo tempore est a virtute projicientis veluti impedita, & detenta: non enim repugnat quandoque esse sine motu, ut dicemus quæst. seq. quod si impetus causatus est valde intensus, ut cum lapis magnus projicitur, experimur renitentiam mobilis, difficilius enim sustentamus lapidem, postquam jam incœpit moveri, & est in motu, quam dum quiescit in manu; si vero mobile est exiguum, non obnititur propter parvitatem impulsus, attamen semper verum est, majorem diligentiam, & vim debere nos applicare, ut lapidem retineamus in manu, dum illum movemus, & quasi projicere tentamus, quam dum sine motu in manu habemus; tum quia quando actu non projicimus, non ita vehementer applicamus virtutem motivam, ut fit in actu projectionis. Ad 2. dicimus, impulsum ex propria natura esse instantanee producibilem, quia non habet contrarium in subjecto, non enim gravitas contrariatur, quia ab ipsa quoque est producibilis, ut diximus qu. 3. cit. solum virtualiter potest dici oppositus, quatenus est indifferens ad omnem motum, unde si a projiciente, vel ab alio extrinseco determinaretur ad motum sursum, tunc gravitas obsisteret, non quidem propriæ productioni impulsus, sed determinationi illi ad motum sursum, & hac ratione difficulter pondera elevamus in altum; hinc falso quidam docent per *impulsum minui gravitatem*, *vel levitatem*; non enim adest vera contrarietas, cum impulsus non sit ex sua natura determinatus ad unum motum, & ejusdem ponderis, intrinsece est grave cum impulsu, ac sine impulsu. Per accidens tamen est successive producibilis ratione motus localis necessario requisiti ad projectionem, quia pellens pellendo movetur, attamen si virtus motiva posset applicari absque motu, in se, ut est in magnete respectu ferri, & forte in virtute expulsiva, & *in spiritualibus*, tunc in *instanti* produceretur, quod esset ultimum non esse motus ab impulsu provenientis, sed illud autem, quod additur, tunc scilicet prius in una parte, quam in alia introduci, constabit ex dicendis ad 4. Ad 3. dicimus proprie fieri per motum alterationis, cujus principium est virtus motiva projicientis approximata, & applicata, requiritur etiam motus localis ut conditio, ut diximus ad 1. & verum est, projectum moveri velocius a motore, si aliquantulum prius fuerit motum, nam ex illo motu augetur vis impulsiva ut explicuimus exemplis quæst. 3. citat. non tamen ex hoc sequitur velocius moveri quo diutius etiam per horam agitabitur a motore, ratio est, quia impulsus est talis naturæ, ut dicemus, ut non diu duret, sed post aliquantulum temporis labatur; quapropter si diu moveretur, solum per restaurationem conservaretur impulsus in eadem intensione, imo remitteretur, eo quia virtus motiva desatigaretur, & consequenter non produceret amplius impulsum in eadem intensione, & hac ratione bombarda, si in longitudine excederet, non causaret tam vehementem *ictum*; *ignis* enim non multum durat *in his* inferioribus, quapropter adhuc inclusus in bombarda, posset destrui secundum aliquam partem ab aere subsequente ex foramine, *in quo primo* accenditur ignis, de quo fuse Florentius Ribaldus lib. 1. de elem. bombard. theor. 21.

75 Ad 4. dicimus recipi in omnibus partibus subjecti, sive simul quoad extensionem, & successive quoad intensionem tantum, sive successive quoad utrumque, parum refert, dummodo ante projectionem omnes partes mobilis proprium habeant pulsum, de quarum potentia educitur, non enim ad quamlibet eductionem requiritur prævia alteratio, aliter daretur processus in infinitum, cum in qualibet alteratione aliqua forma de novo educatur, nec etiam requiritur inclinatio naturalis in subjecto ad formam eductam, sed sufficit mera capacitas ex dictis disputat. 2. Physic. quæstion. 7. articul. 2. dum quæritur, an in subjecto uniformiter existat, vel uniformiter *difformiter*, *sive primum*, sive 2. asseratur, nullum requiritur inconveniens, nam primo, ut aliqui docent, non necessario agens semper debet agere uniformiter difformiter, saltem in fine actionis, quia in aliqua parte subjectum uniformiter totum disponat, & alteret, & sic quamvis in exordio *actionis movens introduxerit uniformiter difformiter* impulsus, in fine tamen, quod est ultimum non esse motus projectionis, uniformiter introduxit impulsum in toto mobili; habemus exemplum in magnete uniformiter trahente ferrum per virtutem impressam, & exemplum de lumine non urget, quia secundum nos lumen est species lucis, species autem, cum sit quoddam intentionale, est alterius rationis, & ordinis ab impulsu, & cæteris qualitatibus, de quo fusius *suo loco*. *Si* vero dicatur uniformiter difformiter inroduci, adhuc nullum urget inconveniens, nam non sequitur partes viciniores velocius moveri propter continuitatem partium, quæ continuitas si sit duritie affecta, resistit, ne partes discontinuentur inter se, si vero non valide sunt inter se connexæ *illæ* partes, in motu dissolvuntur, quod patet evenire, non solum in rebus fluidis, in quibus, si non discontinuantur partes, saltem mutatur figura partium in motu, sed etiam in rebus non valde solidis idem accidit, sæpe enim projicimus aliquem lapidem, qui inter movendum frangitur, quod si quietus permansisset, nunquam fuisset disruptus; nec refert, quod daretur virtus otiosa, quia impeditur, & quandoque habet suum effectum, ut in fractione mobilis, ut mox dicemus; absurdum esset, si non impedita adhuc otiosa maneret; tandem quando virtus in extrema parte sagittæ non est tam intensa, contingit sagittæ inversio, ut patet experientia sæpe enim quia non tam vehementer projicitur sagitta, vel baculus, lateraliter, & non directe pertingit destinatum scopum, quia *scilicet* pars posterior vincit, & magis impellit; at quando virtus in parte anteriori est potens movere cum vehementia illam partem, non sequitur inversio, quia resistit, ad inversionem *enim* requiritur quædam retrocessio partis interioris, quæ nequit fieri, nisi impediatur activitas impulsus ulterius impellentis, & hæc nequit impediri, si sufficientem habet intensionem.

76 Tertio arguitur ex difficultatibus ex conservatione talis impulsus provenientibus, non enim videtur adhuc sufficiens causa motus projectorum: Tum quia motus projectorum vel citer est in medio, quam in principio, vel in fine, ut colligitur ex Arist. 2. Cœli 35. quamvis ibi loquatur specialiter de motu animali, attamen hoc esse verum, non solum in animalibus, velociores enim sumus in medio cursus, quam in principio, vel in fine, sed etiam in aliis præcipue projectis docet experientia, vehementior enim est ictus sagittæ, lapidis, aut globi e tormento bellico explosi in proportionata quadam distantia, quam in principio, vel in fine, quod est signum majoris incrementi motus projectorum quoad velocitatem; hujus autem causa nequit esse impulsus; nam si dicatur cum Tat. 8. Phys. qu. 3. §. 4. *sciendum*, quem sequitur Ruv. ibid. trac.

ctac. 2. 4. 6. rationem esse, quia motor 2 principio imprimit impulsum in partibus propinquioribus mobilis, qui postea diffunditur in omnes alias partes, & hinc acceleratur motus propter intensiorem impetum, in fine vero, quia consumitur impulsus ille, deficit etiam velocitas motus. Non valet, quia ut in præced. arg. confir. 4. diximus, in omnes partes mobilis diffusus reperiri debet impulsus (si datur) quia omnes æque velociter moventur, tum quia si mobile, statim ac proiicitur, frangatur, omnes illæ partes adhuc moventur motu projectionis, ergo in omnibus aderat impulsus; tum quia impulsus non est univoce producibilis, sed æquivoce, & si univoce produceretur, adhuc impulsus in mobili existens non posset seipsum intendere, quia nulla qualitas agit in seipsam actione univoca, ut dicemus in lib. de Gen. Per quod impugnatur etiam dictum Arest. 2. de Gen. qu. 25. sect. 2. concedentis in toto mobili ab initio produci impulsum, sed deinde seipsum totum intendere in progressu motus; quamvis ex alio motivo moveatur, quia scilicet putat gradus qualitatis esse ætherogeneos, præterquam in hoc impulsu, cujus gradus concedit esse homogeneos, sed de hoc fusius loc. cit. Si vero dicatur non impulsum, sed medium esse causam hujus majoris velocitatis cum Averr. Conimbr. & aliis, ergo idem de toto motu dicendum causari scilicet a medio absque alia qualitate superaddita.

77 Tum 2. ad idem, dum pila proiicitur ad parietem, & quasi ab eo repercussa retrocedit, motus ille retrocessionis (qui etiam resilientiæ, seu resultus dicitur) non potest provenire ab aliquo impulsu, quod prob. quia primo dici nequit provenire ab impulsu impresso a motore: parietem vero per accidens se habere, ut asserunt Tol. Conimb. Ruv. Hurtad. & alii, quia ab una, & per se causa non possunt causari duo contrarii effectus, quales *sunt motus* rectus, & reflexus; tum quia pila ex propria gravitate deorsum tendens resilit, iste motus nequit esse a gravitate, cum illi opponatur, & quandoque est celerior motu recto. Neque potest provenire a corpore occurrente, ut aliqui asserunt apud Ruv. quia sæpe dictum est motorem debere moveri, ut impulsum imprimat, paries non movetur, tum quia nihil reperitur in pariete, quod possit talem impulsum causare, nam ut in similia arguit Scot. 4. d. 1. q. 4. F. vel esset quantitas, vel durities illa, per quam pilæ resistit, nec cedit: non primum, quia quantitas non est de genere activorum, aliter Mathematicus considerando quantitatem non abstraheret a motu: non 2. nam si Deus per potentiam absolutam conservaret aliquod molle in eadem quantitate, & figura, æque pilæ resisteret, ut paries, & æque motus reflexus causaretur absque duritie, ergo durities non est causa activa alicujus impulsus.

78 Resp. ad 1. velocitatem illam majorem provenire ab intensiori impulsu causato, non quidem ab impulsu a motore impresso seipsum intendente, sed a medio accurrente, ut impediat vacuum, in fine vero, quia prior impulsus incipit languescere, ut dicemus, non ita velociter movet projectum, nec ita celeriter accurrit aer, a quo per consequens non tam vehemens causatur impulsus, ita ut tandem omnino cesset, & hoc vult innuere Arist. dum 8. Phys. 82. ait, *motum projectorum non esse* continuum, sed contiguum, quatenus scilicet motor projectorum non est unus, & idem semper manens, sed diversi, diversus enim est aer movens, & impetus impellens modo augetur, modo minuitur, qui impulsus non est sufficiens ad movendum simpliciter mobile, sed alius requiritur a *proiiciente* causatus. In animalibus vero est alia ratio, quia per motum calefiunt membra per concursum sanguinis, & spirituum vitalium, & per consequens, vigorantur, intensiorque impetus causatur, unde velociter currens nequit statim se sistere, sed imperu prorrahitur ulterius, at tandem hæc virtus languescit, nam propter fatigationem exhalantur spiritus illi, nec est tanta vis producendi impulsum, unde facile continetur animal a motu.

79 Ad 2. dicimus motum illum resilientiæ a proiiciente causari medio impulsu ab ipso producto, ut expresse docet Arist. 8. Phys. 32. non a pariete, nam ut habet Scot. 2. d. 13. q. un. in fin. virtus activa, dum non potest in directum agere, agit in obliquum, & reflectit, modo impulsus a proiiciente impressus potens erat deferre pilam longiori motu, nisi fuisset a pariete impedita, propter quod impedimentum non cessat, quare suum habebit adhuc effectum, cum sit causa naturalis; & alius motus non datur, nisi reflexus, quapropter ad 1. impugnat. contra hoc assertum dicimus assumptum esse unum, quando causa est ad unum determinata, at quando est indifferens, & indeterminata, & adsunt diversæ determinationes, possunt diversi quoque motus prodire, sic impulsus ille per determinationem proiicientis causat motum rectum, per determinationem tamen corporis occurrentis causat reflexum; ad aliam, patet ex dictis q. 3. sæpe cit. motum illum causari ab impulsu a gravitate, & aere producto in motu deorsum, & si vehemens est, quandoque causat motum reflexum velociorem; *juvat* quoque ad illum motum orbicularis figura, & materia lanea, ex qua compacta est pila, lana enim ex collisione ad pavimentum comprimitur, unde quærit statim ad proprium, & connaturalem statum redire, tum propter aerem inclusum, hinc causatur reflexio illa celerior, in quo genere sunt insignes quædam pilæ, quæ ex Indiis afferuntur, & alte resiliunt, ac difficillime conquiescunt.

80 Quarto urgetur hæc virtus ex desitione, nequit enim assignari modus, quo corrumpatur; omne enim quod destruitur, desinit, vel per subtractionem causæ conservantis, & hæc non datur, nam sic deberet impulsus cessare, statim ac mobile recessit a projiciente; vel desinit per actionem contrarii, & hoc non, quia supra dictum est in respons. ad 2. confir. 2. arg. princ. non habere *contrarium*; tum quia si Angelus non moveret amplius cœlum, impulsus desineret, non tamen per actionem contrarii; tum quia omnis actio contrarii destructiva est quoque alterius contrarii productiva, in mobili post cessationem impulsus nulla apparet nova qualitas inducta illi contraria; etiamsi verum esset, quod ait Vasquez 1. 2. dis. 81. num. 18. & seq. grave dum sursum detinetur, producere in se impulsum quemdam, quo deorsum conatur descendere, nam hæc qualitas non contrariatur impulsui proiicientis, cum sit ejusdem rationis; tum quia hoc dictum non habet locum in motu volutationis, præsertim cœlorum. Neque dicas definere per subtractionem concursus causæ primæ, quia Deus non solet subtrahere concursum in iiis, quæ non pendent a causa conservante, nisi cum id exigit actio contrarii.

Resp. faciliter definere per subtractionem divini concursus, non quod Deus voluntarie illum corrumpat, sed quia impulsus talis est naturæ, ut non patiatur diuturniorem durationem, *talis conditionis* est etiam sonus in aere, & a quibusdam etiam ponitur habitus, qui si actuum frequentia non fovetur, paulatim dilabitur, ideoque quia Deus se accomodat naturis rerum illas conservando, solum pro parvo illo tempore tribuit concursum impulsui.

81 Sexto arg. quibusdam experientiis, nam pilulæ, dum per fistulam pelluntur, non nisi ab aere moventur. Projecto lapide in aqua, circuli quidam fiunt, quibus potest aliquid impelli, idem experimur in undis *marinis*, quarum una aliam gignit, per quas potest aliquid ad ictus impelli. Navis movetur nullum recipiendo impulsum, sed solum remigantibus moventibus fluctus. In tractione fit motus absque productione alicujus impulsus, unde statim ac cessat tractio, res tracta non amplius movetur, & dum movetur, sufficit, ut motus recipiatur in una parte mobilis immediate. Campana semel attracta, & sibi postmodum relicta non solum suo pondere redit ad perpendiculum, sed ex se deinde ex altera rursus parte elevatur; idem cernitur in fune extenso, & versus unam partem moto, sibi enim relictus in oppositas sæpe partes flectitur.

82 Resp. pilulas illas ab aere contiguo pelli, recipereque virtutem impulsivam, nam aer nequit in toto motu illas comitari, sed statim ac e fistula insufflatione egreditur, diffluit in diversas partes, idcirco est necessaria virtus impressa, quod patet ex hoc, quod si aer non esset inclusus in fistula, non propelleret pilulas, idem de igne bombardæ proiiciente pilam dicendum. Concedimus quoque aliquid ad motum medii moveri posse, ut patet de paleis, aliisque similibus rebus ad littus maris pervenientibus qui motus proprie esset vectio, non tamen motu projectionis, quod patet in eodem exemplo lapidis allato, nam lapis motu projectionis movetur deorsum, circuli vero aquei moventur ad latus, hinc si aqua nequit movere *lapidem* motu projectionis, multo minus aer. Navis movetur ab impetu causato a remigantibus per triremes, nam si remigantes essent extra navim, quantumcumque cierent aquam, nunquam navim impellerent, vel non tam velociter, quod est signum impulsus impressi. In tractione, si fit cum vehementia, utique imprimitur impulsus; & quamvis cessante tractione quandoque cesset motus, hoc est, quia molle per medium movetur durum, non fluidum, ut in curru contingit, ad quem motum requiritur magna virtus motiva, cum sit in loco naturali, quandoque vero adhuc durat, ut patet, cum lignum trahitur per aquas, & postea derelinquitur, nam tunc aliquantulum adhuc movetur; si vero tractio fit leniter, aut nullus imprimitur impulsus, quia *judicatur* fere idem corpus cum trahente, aut valde exiguus. Campana ad perpendiculum redit a propria gravitate, & quia in tali motu producitur impulsus ab ipsa gravitate, & ab aere, propellitur sursum ad partem oppositam; juxta dicta q. 3. cit. idem dicendum de fune extento, cui a movente imprimitur impetus, & quia propter impedimentum nequit ultra progredi, in oppositas partes fluctuat.

83 Sexto possunt omnia salvari per motum medii, ergo non est ponenda ista qualitas, Antec. prob. quasi a priori duobus principiis naturaliter notis, primum est: Duo corpora nequeunt esse simul in eodem loco; sed unum expellit aliud, alterum est; Quicquid est innaturaliter condensabile per comprehensionem, si non sit formale. 1. ut definit Arist. 4. Metheor. sum. 3. cap. 2. si non est aptum retinere figuram, ad quam redigitur per compressionem, ut sunt lana, spongia, &c. statim redit ad priorem statum, nisi quid obstet suis viribus improportionatum, ex quibus deducitur ista major, omne rarefactibile, & condensabile innaturaliter per alienam compressionem est pulsivum, & vectivum alterius corporis sibi *proportionati*, patet, quia si rarefit, cum nequeant duo corpora esse simul, rarefactum expellit corpus contiguum, illiusque occupat locum, ideo enim pila a pulvere excluditur *e tormento* bellico, quia per accensionem rarefit, quærit occupare locum pilæ, si autem condensatur, reducendo se ad pristinum statum, pellit etiam corpus contiguum, quia se dilatat ad priorem locum, ut patet in aere in utre occluso, qui si pede comprimitur condensatur, sed statim ac *relinquitur* se reducit ad priorem locum, sed omne medium est hujusmodi, & in motu projecto-

rum rarefit, vel condenſatur, ut patet inductione, ergo projectum ſufficienter a medio propellitur, abſque alia ſuperaddita qualitate.

84 Reſp. hac ratione ſolum probari unum corpus expellere aliud, non tamen oſtendi, expellere abſque impulſus impreſſione; concedimus itaque corpus ſe rarefaciens ultro impellere projectum, ſed imprimendo impulſum, quia medium propter fluxibilitatem diſpergitur, unde non neceſſario comitatur projectum; tum quia non videtur habere tantam vim, ut maximum pondus ſuſtineat, & ſimul promoveat extra proprium locum; tum quia cum iſta condenſatio fiat ſphærice, ſimulque rarefactio, non eſt major ratio cur aer v. gr. debeat lapidem pellere in latera, & non deorſum, quo motu ipſe lapis conatur etiam moveri; tum quia non ſemper fit iſta medii condenſatio, ut diximus impugnando hanc opinionem, tum quia projicitur projectum in locum, in quem corpus rarefactum non pervenit, ut patet de igne, & pila in bombarda, nec ſufficit aer occurrens ad replendum locum ignis, & pilæ, ut tam certa directione, tam vehementi ictu, tantaque velocitate moveatur pila, aliud igitur principium talis motus erit aſſignandum præter medium.

85 Tandem ſi daretur hæc virtus motiva, quia eſſet accidens abſolutum a loco independens, ſi mobile in duobus locis exiſteret, deberet replicari ad corporis replicationem; Non eſt enim verum quorundam aſſertum, impulſum non replicari, quia licet in ſe ipſo non dependeat eſſentialiter ab *hoc loco*, tamen ordinatur ad producendam unicam præſentiam localem, non plures; ideoque non replicatur, *aliter in aliis locis* eſſet fruſtra. Non eſt verum, quia *potentia motiva* ad unam præſentiam localem *producendam ordinatur*, non plures ſimul, & tamen *replicatur*, ergo idem de impulſu dici deberet; tunc quæritur, *an ſimul moveret in duobus locis*, an in uno tantum; non primum, quia ſic omnia inanimata, quæ ſolum per impulſum a propriis locis extrahuntur, ſi moverentur hic, moverentur etiam ibi, contra Scotum docentem non neceſſario mobile utrobique moveri; tum quia potentia motiva replicata non neceſſario utrobique movet, cum motus dependeat a loco, ergo nec impulſus debet neceſſario utrobique movere. Nec ſecundum; nam gratis hoc dicitur, quia cum in alio loco reperiatur, & ſit cauſa naturalis non impedita, deberet ubique ſuum effectum, ſcilicet motum cauſare, ſicut albedo replicata utrobique diſgregaret viſum, & calor replicatus utrobique calefaceret; eo vel maxime quod impulſus iſte non eſt determinatus ad unum peculiarem locum, ſed ad omnia loca indifferens ponitur, ſive ſurſum, ſive deorſum, aliter ſicut de gravitatibus arguebamus ſupra n. 10. & ſeq. impulſus ſpecie differrent, quod ſupradictis opponitur; præſtat igitur, hanc virtutem negare.

Reſp. juxta dicta diſp. 11. Phyſic. impulſum, dato caſu, utrobique replicari; attamen quia impulſus, ut moveat, indiget directione agentis, & ſi aliquod corpus occurreret, impediretur a motu jam cœpto, & in alteram partem impelleret mobile, hinc eſt, quod non neceſſario utrobique moveret, quia in uno loco poſſet impediri ab aliquo corpore, & hoc voluit Scotus, dum conceſſit mobile replicatum in uno loco moveri, & non in altero, ſi tamen eſſet abſque impedimento utrobique cauſaret motum *in* utroque loco, non autem eundem motum, ſed *diverſum* propter ſpatii diverſitatem; nec eſt eadem ratio de potentia motiva, quia hæc ſubditur appetitus imperio, a quo applicatur, unde potentia appetitiva poterit in uno loco excitare motivam ad motum, & non in altero, vide ſeq. qu. arg. 1. quod poteſt confici contra hanc ſententiam.

86 Quæres, unde proveniat, quod unum projectum velocius altero moveatur? Reſp. provenire primo ex parte medii, ſi unum medium ſit altero craſſius, *impedit* velocitatem, ſimiliter ſi medium moveatur ad contrariam partem eſt cauſa tarditatis motus; major etiam quantitas medii juvat ad velocitatem, ſicut minor quantitas *impedit*, unde multa pondera ſuſtinentur in aqua profundiori, meliuſque moventur, quam in minus profunda. Secundo ex parte mobilis provenire poteſt major, vel minor celeritas motus, nam ſi mobile magis reſiſtit moventi, tardius movetur, ſimiliter ſi minime reſiſtit, tardius projicitur, ut patet in palea, eo quia ad motum projectionis exigitur aliqua reſiſtentia ex parte mobilis, ut diximus ſupra; diverſitas quoque figuræ eſſe poteſt cauſa minoris, vel majoris velocitatis, ut explicuimus qu. 3. facilius denique, & celerius mobile movetur, ſi eſt in motu, quam dum quieſcit, & magis ſi moveatur motu ejuſdem rationis, quia in motu recipit vim quandam motricem adjuvantem potentiam motoris; hinc facilius res movetur exiſtens *in* alieno, quam in proprio loco quieſcens, quia in primo ſtatu concurrit propria potentia ad motum, in 2. ſtatu reſiſtit. Quandoque vero ſi mobile movetur motu contrario, velocius impellitur in oppoſitam partem, quam ſi moveretur verſus eandem partem, quia ſcilicet mobili ex hoc intenſior impetus imprimitur a motore, ſi mobile ſit facilis reſilientiæ ad partem oppoſitam, ſic qui ludunt magna pila, ſeu folli pugillatorio, ut vehementius jaciant, ſolent aliquem conſtituere, qui eam contra ipſos impellant.

87 Tertio tandem major, vel minor velocitas cauſari poteſt ab ipſo motore, non ſolum ex majori, vel minori conatu, quo movet, ſed etiam ſi ſit ejuſdem virtutis, & eodem conatu moveat, magis tamen applicet vim propter diverſum ſe habendi modum ad mobile, quo enim virtus movens magis diſtat (proportionate tamen) vel a mobili, vel ab eo, quod in motu mobilis habet rationem centri, eo facilius, & velocius movet illud mobile, nam quo linea *eſt* longior, eo velocius, & facilius ab eadem vi movetur, quam brevior, eodem namque tempore deſcribit majorem circulum, at quo virtus movens eſt remotior, eo linea eſt major, quia magis diſtat a centro. Ex qua doctrina Ariſt. in qq. Mechan. multa reſolvit quæſita, nam primo multa pondera vectis auxilio moventur, quæ aut nullo modo, aut difficillime ſine vecte moveri poſſunt, quamvis vectis pondus addatur, ratio eſt, quia id, cui vectis innititur, eſt tanquam centrum, vectis partes ſunt lineæ a centro egredientes, circulumque ex motu corporum deſcribentes, quæ duo ſunt, alterum id, quod debet attolli, alterum virtus movens, quo vero magis linea diſtat a centro, eo velocius eadem vi movetur, & facilius auxilio vectis multa moventur, quam ſine vecte. 2. lignum æqualis magnitudinis facilius frangitur ad genu, ſi æque deductis manibus extrema comprehendantur, quam ſi prope genu, nam genu eſt velut centrum, partes ligni ſunt veluti lineæ. 3. ſi duo ferant aliquod pondus ſuper lignum, non æqualiter premuntur, ſi pondus non exiſtat in medio, magis enim laborat ille, cui pondus eſt vicinius, nam lignum habet rationem duorum vectium, pondus rationem centri. 4. antenna, quo ſublimior eſt, iiſdem velis eodem modo expanſis, eodemque flante vento cauſa eſt, ut navis velocius moveatur, malus enim navis *eſt* ut vectis, & linea a *centro* egrediens, *centrum eſt mali ſedes*, pondus *eſt navigium*, *movens* ventus, qui, quo antenna eſt ſublimior, eo magis diſtat a centro, & longiorem lineam movet; idem eſt funda velocius pellente lapidem, quam manus, & aliis ſimilibus dicendum.

QUÆSTIO VI.

An detur quies in puncto reflexionis.

88 PRo notitia hujus difficultatis not. quod motus *eſt* duplex, directus, & reflexus, directus eſt, qui ad eandem terminum tendit, reflexus, qui poſtquam tetendit in unum terminum, ex illo *incipit tendere in* oppoſitum, & licet hæc reflexio dari poſſit in omnibus ſpeciebus motus, hic tamen expreſſe loquimur de motu locali, quæ adhuc duplex eſt, alia propria, quæ ſcilicet fit per eandem lineam, per quam prius fuit factus motus rectus, ſive id accidat in motu circulari, ut cum movetur digitus ſuper globum, & deinde eadem via retrahitur, ſive in motu recto lapidis ſurſum, cum redit deorſum per eandem omnino lineam; alia eſt reflexio impropria, quæ non fit per eandem omnino lineam, ut cum lapis deorſum redit per aliam lineam propter aliquam inflexionem, & circulationem factam in fine motus recti, & de iſta non loquimur, patet enim quandoque nullam intercipi quietem intermediam, nam mobile quando in latus veluti in gyrum reflectitur, in priori circuli medietate ſurſum movetur, licet cum aliqua declinatione vel ab aeris agitatione, vel a modificatione virtutis impreſſæ cauſata, in qua medietate non quieſcit, aliter directe tenderet deorſum, nec amplius poſſet in gyrum deſcendere, in poſteriori vero medietate circuli deorſum tendit propter gravitatem prævalentem, donec impulſus penitus deſtruatur, tunc enim poſtea directe deorſum movet, & neque in hac medietate quieſcit, quia gravitas eſt cauſa illius motus, nec eſt impedita, ergo continue movebit; loquimur igitur de reflexione propria. Quatrupliciter autem poſſunt hi motus provenire, vel ambo, ſcilicet directus, & reflexus ab intrinſeco, ut eſt motus dilationis, & reſtrictionis cordis; vel ab ambo extrinſeco, ut cum pila ad parietem impellitur, & deinde reflectit, vel dum exiguus lapis ſurſum projicitur, ſed in medio motu occurrit mobile majoris ponderis pellens illum deorſum, hi enim motus ab extrinſeco proveniunt; de pila patet, cauſa enim eſt impetus a projiciente impreſſus, ut diximus qu. præced. ad 3. de parvo lapide patet, nam motus reflexus, quamvis ſit aliquo pacto juxta inclinationem, attamen quod tanta celeritate fiat, eſt ab extrinſeco impellente; vel rectus erit ab intrinſeco, reflexus ab extrinſeco, ut dum grave deorſum movetur, & deinde reflectitur ex impetu acquiſito in motu recto; vel tandem rectus erit ab intrinſeco, reflexus ab extrinſeco, ut cum lapis ſurſum projicitur, & ceſſante impetu deinde ex propria natura revertitur deorſum per eandem lineam. Inſuper quies eſt duplex, negativa, & privativa ex dictis diſp. 14. Phyſ. qu. 7. art. 2. illa reperitur in quolibet inſtanti, hæc vero in tempore, quia motus, cui privative opponitur, ſolum in tempore exiſtit, & de iſta loquimur.

89 Prima extrema opinio videtur Ariſt. 8. Phyſic. 62. & ſeq. aſſerens de ratione motus recti, & reflexi eſſe, quod interponatur neceſſario quies privativa, itaut in nullo caſu motus iſti ſint continui, ita ſentiunt etiam multi Peripathetici, & ex recentioribus videtur ſequi Manca 5. Phyſ. qu. 1. dub. 3. ac Joan. de Mag. 8. Phyſic. qu. 5. Orbellus 8. Phyſ. in fine; Ruſt. etiam ibid. admittunt neceſſariam quietem præter quam cum mobile deorſum redit ex occurſu majoris ponderis, quo caſu per accidens mobile movetur. Alia extrema opinio videtur eſſe Mayr. 2. d. 14. quæſt. 8. negans in aliquo caſu intercipi inter hos motus, quietem, & nuper ſequutus eſt Areſ. 2. de Gen. qu. 24. Media eſt omnium fere recentiorum docentium de ratione horum motuum nec eſſe interruptionem per quietem, ut aliquando continuari nequeant, nec continuitatem, ut quandoque nequeant interrumpi, eſt quoque Tatar. 5. Phyſ. in fine, quamvis diſcrepent poſtea in caſibus ſpecialibus.

90 Dici-

90 Dicimus veram eſſe ſententiam mediam, & colligitur ex Scot. quol. 12. art. 3. ubi ponderans rationes Ariſt. probantes motus oppoſitos non poſſe continuari, ait, ſolum concludere, non poſſe continuari, itaut ſint una mutatio, non tamen oſtendere unam *mutationem non eſſe conſequi aliam oppoſitam*; hinc ibi ſuſtinet ens aliquod poſſe per inſtans durare, difficilius autem videtur generationem, & corruptionem eſſe immediatas, quam duos motus locales contrarios. Prob. vero concluſ. quod non ſit de ratione motus recti, & reflexi diſruptio per quietem intermediam, nam ut ait Mayr. quandocunque eſt aliquod mobile, quod in aliquo mutato eſſe eſt indifferens ad contrarios motus, poteſt agens liberum ad alterum iſtorum movere, ſed cœlum v. g. vel rota eſt indifferens ſecundum ſe in quolibet mutato eſſe ad motum ante, & retro, nam ſicut in principio erat ſic indifferens, ita etiam in quolibet alio inſtanti, in quo eſt in eadem diſpoſitione, ſicut tunc, ergo agens liberum poterit ad oppoſitum morum movere, ergo *non* eſt repugnantia, quod duo motus oppoſiti immediate ſe habeant, unde poterunt cauſari ab agentibus naturalibus in aliquo caſu, nam quod intrinſece repugnat, nec ab agente naturali, nec libero unquam fieri poteſt.

91 Deinde prob. deſcendendo ad ſpeciales caſus, & primo quando motus illi ſunt ambo ab intrinſeco, poſſunt fieri, & cum quiete, & ſine quiete intermedia; poteſt enim quis movere manum ſurſum; & deorſum utroque modo (qui motus ſunt naturales, ut movens eſt animal.) Cor, licet forte in quibuſdam caſibus continue abſque interruptione *dilatetur*, & reſtringatur ſcilicet vel ob *febrim*, *vel ob ſubitaneum timorem*, regulariter tamen fit cum aliqua *intermedia quiete*, ut eſt *communis* Philoſ. & *Medicorum conſenſus*, & male ab Areſ. neg. nam talis motus cordis eſt gratia alicujus boni, quo fruitur in termino motus, ergo oportet, ut in illo quieſcat, & eo perficiatur; tum quia valde laborioſum eſſet naturæ, nunquam a tali motu deſiſtere, quamvis enim ille motus ſit naturalis, quia tamen exercetur mediis organis, nequit negari, quin adeſſet aliqua fatigatio.

92 Secundo quando ambo motus ſunt ab extrinſeco, non neceſſario intercipitur quies tam in primo, quam in ſecundo caſu, nam pila ſi quieſceret in pariete, tunc vel impetus impreſſus a proficiente evanuit, ergo non poſſet reflectere, ſed ad terram laberetur, quia ut *vidimus* q. præced. paries non eſt cauſa reflexi *motus*, vel adhuc permaneret, ergo cum ſit cauſa naturalis non impedita, cauſabit motum, cujus eſt naturaliter productivus, & ſic non quieſceret: item ſi lapis exiguus ſurſum projectus ad occurſum magnæ molis deſcendentis impingit, moles ſuperveniens moveretur utique, quia non eſſet impedita, ergo premeret deorſum corpus ſibi ſubjectum, ergo iſtud non quieſceret. Et parum valet, quod hoc per accidens eveniat; nam ſic tenentur adverſarii ſolvere rationes Ariſt. quibus abſolute probat, idem non poſſe motibus contrariis ſine quiete media moveri, eodem enim modo concludunt, ſive per ſe, ſive per accidens moveatur, ut conſideranti patebit. Nec valet, quod dicunt aliqui, etiam *in hoc* caſu dari *mediam* quietem, non privativam, ſed negativam, quatenus in inſtanti mobile nec aſcendit, nec deſcendit. Non valet; quia ſic nullus motus eſſet continuus, quia hæc quies datur in quolibet mutato eſſe. Prævidit hoc Manca ex Tol. ideo addidit, ad quietem negativam non ſufficere unum indiviſibile, ſed duo, itaut unum ſit finis unius motus, alterum ſit principium alterius. Sed in hac reſponſ. non videtur Manca percipere terminos, nam vel per duo indiviſibilia intelligit duo inſtantia, & hoc eſt falſum, quia quies privativa eſt, quæ tempore menſuratur, negativa, quæ eſt in inſtanti, modo inter duo *inſtantia*, & *indiviſibilia* mediat tempus diviſibile, *non enim ſunt immediata*, ergo ſi ad quietem negativam requiruntur duo indiviſibilia, jam eſſet in tempore, & conſeq. privativa, quam tamen ibi negat intercipi. At ſi per indivibilia intelligit non duo inſtantia temporis, ſed duo indiviſibilia formarum oppoſitarum, deberet admittere corpus ſimul, & in eodem inſtanti habere duo loca adæquata, & duas ſuperficies; Tandem ſi intelligit idem indiviſibile formæ, quod poteſt dici finis prioris motus, & initium ſequentis, hoc etiam convenit cuicunque mutato eſſe, omne enim indiviſibile continuativum eſt finis unius partis, & principium alterius. Minus valet reſp. Arriag. diſp. 3. de Gen. num. 156. lapidem quieſcere, quatenus in puncto reflexionis adhæret molæ, ſive hæc moveatur, ſive non. Non valet, nam lapis adhærendo deſcendit propter deſcenſum molæ, ergo proprie non quieſcit.

93 Tertio ſi motus rectus eſt ab intrinſeco, reflexus ab extrinſeco, adhuc nulla intercipitur quies, ut de pila ad parietem oſtendimus, ſi vero motus rectus eſt ab extrinſeco, reflexus ab intrinſeco, tunc naturaliter neceſſario dabitur quies, quod prob. quia principia horum motuum ſunt impulſus, & gravitas, & in tantum impulſus elevat ſurſum, in quantum ſuperat reſiſtentiam gravitatis, quando non ſuperat, non movet; ſignetur igitur inſtans terminativum motus ſurſum, in hoc inſtanti impulſus excedit gravitatem lapidis, quia ſi non excederet, non poſſet lapis acquirere aliquam ſuperficiem ſuperioris loci, quia ex dicendis in lib. de Gen. omnis actio fit exceſſu agentis ſupra paſſum, & ſecundum proportionem majoris inæqualitatis; ut autem deorſum deſcendat, debet gravitas propter eandem rationem excedere impulſum, quod nequit ſuperare in tempore immediate ſequenti, quia prius debet eſſe æqualis, antequam ſuperet, hoc autem fit ſucceſſive, ergo per aliquod tempus lapis ſurſum quieſcet, quia ambo principia illorum motuum ſunt quaſi impedita, & ad invicem colligata, ne in proprias exeant actiones.

Reſp. Areſ. ſtatim ac impulſus non movet, ceſſat etiam eſſe & totus deſtruitur, hinc gravitas in tempore immediate ſequenti movebit deorſum. Sed hoc gratis aſſumitur, nam ſi v. g. ad ſuperandam gravitatem requiratur ad minimum impulſus ut tria, & lapis per impulſum ut quatuor moveretur ſurſum, quartus gradus paulatim deficiet, & in tempore, ut ipſemet concedit, cur ergo tres illi gradus remanentes debent ſimul deſinere, & non paulatim, ut quartus? Dices, quia agens diſtinctum ſcilicet gravitas impedit ejus effectum *ſcilicet motum*. Contra ad deſtructionem poſterioris non ſequitur deſtructio prioris, niſi actio deſtructiva terminetur ad ipſum prius, hoc enim non dependet a poſteriori, ſed potius e contra, ergo licet gravitas impediat motum ſurſum, quia tamen non agit in impulſum; & impulſus natus eſt paulatim deficere, non debet ad ceſſationem motus totaliter deſinere. Tum quia de facto datur per aliquod tempus impulſus ſine motu, dum enim quis pondus aliquod ſert, ſentit impulſum ponderis, non tamen deorſum truditur, licet namque aliquæ partes corporis initio comprimantur, adhuc tamen ſentitur impulſus, idem *experimur* in rota celeriter mota, quæ ſi per occurſum alicujus *corporis* per aliquam moram detineretur, ſtatim ac relinquitur, proſequitur *in motu circulari licet non tam* velociter. Nulla ergo quies, vel *continuatio eſt* de ratione motus recti, & reflexi.

94 *In oppoſ.* arg. 1. ex Areſ. quod in nullo caſu detur intermedia quies; Tum 1. quia cor naturaliter movetur, nec eſt impeditum, ergo ſemper movetur, & nunquam quieſcit, aliter non poſſet aſſignari ratio, cur tanto tempore quieſcat, & non longiori, vel breviori. Tum 2. ſtatim ac lapis ceſſat ſurſum moveri, totaliter deſinit impulſus, quod prob. aliter *homo* poſſet movere lapidem excedentem propriam virtutem, nam ſi ad hunc motum requireretur impulſus, ut ſex, & virtus hominis illius ſit productiva impulſus ut duo, poſſet ter *vicibus*, & conatibus producere impulſum ſufficientem ad motum lapidis, & ſic quilibet ingens lapis poſſet ab homine quantumvis imbecilli moveri; eo vel maxime, quod agens æquivocum poteſt effectum adæquatum ſuæ virtuti intendere, ut dicemus in lib. de Gen. diſput. 2. Tum etiam ſequeretur, lapidem ab alto demiſſum velocius moveri, quam lapis ſurſum projectus deſcenderet, hic enim haberet virtutem aliquam impedientem, ille vero eſſet ab omni reſiſtente liber. Sequeretur etiam grave in fine aſcenſus ob impreſſam virtutem minus gravitare. Sequeretur inſuper, quod ſi in principio motus occurreret corpus impediens aſcenſum, & ſtatim auferretur, deberet adhuc grave pergere in aſcenſu, eo quia maneret adhuc impulſus, quæ omnia ſunt contra experientiam. Tandem nulla conſpicitur intermedia quies inter iſtos motus, ergo &c.

95 Reſp. ad 1. quod ſicut cor, quamvis ſit agens naturale, adhuc tamen non ſemper æquali velocitate movetur, ſed modo magis, modo minus celeriter, ſic etiam poſſumus dicere, naturam motum illum inſtituiſſe ad levamen, ut in tali, vel tali tempore fiat. Ad 2. negamus aſſumptum; & ad 1. ſequel. ſi dicimus, impetum eſſe talis naturæ, ut per motum, quaſi per quoddam fomentum conſervetur, at ſi ceſſat motus licet non totaliter ſtatim deſinit, non tamen ita *diutius* permanet, *idcirco* concedimus, quandoque ſecundo, vel tertio conatu hominem movere poſſe aliquem lapidem, quem *negtibat primo* conatu elevare, & *hoc quia iteratis vicibus* applicando *virtutem* adauget *impulſum*, quod *quotidiana* experientia docet, non tamen ob id poterit quemlibet lapidem movere, quia licet pluries applicet virtutem, impetus tamen non diu conſervatur. Ad 2. ſi concedatur totum, nullum ſequitur inconveniens; neg. tamen ſeq. nam tantum abeſt, quod virtus relicta impediat motum, quod potius juvet, nam ut ipſe quoque ſuſtinet, impulſus eſt indifferens ad motum ſurſum, & deorſum, & cum a gravitate determinatur ad motum deorſum, ad illum concurret, juxta dicta qu. 3. Ad 3. dicimus per motum ſurſum non diminui gravitatem, nec tandiu durare impulſum, ut poſſit ſentiri. Ad 4. non iterum ſurſum pergere, quia impulſus ille cauſatur propter obſtaculum impediens motum in partem oppoſitam, ut diximus q. præced. de motu reſilientis corporis. Experientia potius eſt ad oppoſitum, videmus enim lapidem ſurſum projectum, vel ſi fune ſit ſuſpenſus, huc illucque agitatum in puncto reflexionis aliquantulum hærere, & ſiſtere.

96 Secundo obiic. cum Ariſt. prob. neceſſariam quietem intermediam. Tum quia impoſſibile eſt contraria, & ſpecie diſtincta ut ſunt iſti motus, continuari. Tum 2. quia ſic in inſtanti continuativo mobile ſimul accederet, & recederet ab eodem loco, & duobus contrariis motibus moveretur. Tum 3. quod movetur motu aliquo continuo, in principio hujus motus valet dicere, *hoc* mobile movetur ad terminum ad quem ultimatum, ut *cum grave* deſcendit, valet dicere, grave incipit moveri ad *centrum*, ergo ſi motus iſti eſſent continui, *in principio*, *quando ſcilicet* pila ad parietem *projicitur*, *valebit* dicere, pila *movetur* ad terminum ad quem *ultimatum iſtius motus*, ſed talis eſt *locus*, in quo exiſtit projiciens, & a quo tunc pila recedit, quare tunc erit verum dicere, pila nunc accedit, & recedit ab eodem loco. Tum 4. quilibet motus fit a quiete, tanquam a termino a quo, ergo motus reflexus, cum ſpecie diſtinguatur a recto, præſupponet quietem oppoſitam, ergo datur quies intermedia. Tum 5. quicquid deſignat actu punctum quieſcit in illo per tempus, omne mobile in reflexione deſignat

actu punctum lineæ, in quo reflectitur, ergo &c. minor patet, designare enim terminum alicujus quantitatis est facere advertere, quantitatem illam ulterius non progredi, quod facit mobile, dum reflectitur; maj. prob. ideo mobile in medio motus non designat punctum actu, quia non quiescit in eo, sed ulterius protenditur, ergo quia in puncto reflexionis designat actu, debet quiescere. Tandem si duo æquali velocitate moveantur, alter semper recta ambulatione, alter vero motu reciproco, semper in fine alicujus temporis collatis spatiis ab utroque confectis, sensu constabit, multo majus spatium esse confectum ab eo, qui directe ambulavit, quod non videtur posse referri, nisi ad quietem captam in puncto reflexionis.

97 Resp. hæc omnia argumenta absolute ostendere, nunquam hos motus nec per accidens continuari posse, quod tamen non concederent adversarii. Quare ad 1. dicimus specie diversa non posse continuari, itaut punctum continuativum sit ejusdem rationis cum partibus continuatis; absolute etiam posset assumptum negari juxta dicta disp. 7. Phys. quæst. 2. artic. 5. ad 4. & paret de virga partim viridi, partim sicca. Ad 2. dicimus in illo instanti mobile proprie non movetur, nec surſum, nec deorſum, nam motus fit in tempore, nec ob id dicitur quiescere, nisi negative. Ad 3. si valeret, urgeret contra motum circularem, per quem mobile tandem accedit ad locum, a quo prius recesserat, quapropter concedimus totum; non enim implicat, quia non accedit, & recedit simul, & per eundem motum, sed diverso motu, & tempore distincto. Ad 4. motus isti solum accidentaliter differunt, non essentialiter, quamvis enim se impediant, & incompossibiles sint, parum refert, nam etiam duæ quantitates se impediunt ab eodem loco, attamen numero differunt; sed quicquid sit de hoc, sufficit, quod unus motus præsupponat in mobili carentiam loci per ipsum acquirendi, & termini ad quem, quo pacto lapis descendens non habet locum, quem acquirit per motum deorsum, non tamen requiritur, ut omnino quiescat, ut patet de qualibet parte motus, quælibet enim præsupponit suum terminum a quo partialem, in quo mobile est per modum transeuntis. Ad 5. ad designationem actualem sufficit, ut mobile ulterius non pergat, sive hoc faciat quiescendo, sive retrocedendo. Ad 6. concedimus in illo casu intervenire ut plurimum quietem, verum non debet fieri universalis inductio.

98 Tertio ex Ruv. corpora quando se tangunt (dummodo unum non sit perfecte sphæricum, & alterum perfecte planum, tunc enim in puncto se tangerent) necessario se tangunt inpartibus divisibilibus, inter quas non mediat aer, aliter non se tangerent, ergo necessario debet mobile quiescere in puncto reflexionis, prob. conseq. non possent illa corpora ab invicem separari, nisi aer occurreret ad replendum vacuum, sed nequit aer simul ingredi ad totum spatium occupandum, sed prius ad medietatem successive, & in tempore, ergo si in instanti separarentur, pro aliquo tempore dabitur vacuum, vel motus instantaneus, quæ sunt absurda, ergo debet necessario quiescere; Tum quia si pila colore aliquo illita ad parietem, vel pavimentum proiiceretur, relinquet in illo notabilem orbem, ergo multæ partes compressæ sunt in contactu puncti reflexionis; at illa compressio necessario fuit facta per motum aliquem localem, qui fit in tempore, ergo partes, quæ prius tetigerunt, quieverunt ibi plus quam in instanti.

Resp. hoc argum. proprie urgere contactum corporis duri cum duro, non vero subitaneam reflexionem, difficultas enim est tam in accessu ad parietem, quam in recessu, sive parum quiescat, sive non; nam si duo corpora æqualiter se tangunt, aer intermedius debet recedere, & qui est in medio, nonnisi per extremitates exire debet, quare dum aer exit, corpora in extremitatibus non se tangunt, nec in medio, quia supponimus secundum omnes partes superficiei se tangere simul, ergo dabitur vacuum in medio, vel motus instantaneus localis. Similiter postquam pila quievit, ne detur vacuum, debet aer accurrere, & occupare spatium divisibile, ergo ut arguebat Ruv. vel daretur vacuum, vel motus localis instantaneus. Tetigimus hoc dubium in Phys. disp. 12. quæst. 1. & ibi quantum sat erat, cum communi solvimus; attamen quia est magni momenti, obiter hic, & seorsim examinare decrevimus.

Dubium appendix.

An duo corpora dura possint immediate se tangere,

99 RAtio difficultatis est jam adducta, nam vacuum naturaliter repugnat, motus localis instantaneus includens totam realitatem motus, ideſt, quod mole percurrat totum spatium in instanti, non solum naturaliter, sed etiam supernaturaliter implicat ex dictis disp. 15. Phys. qu. 6. art. 5. & tamen si duo corpora dura se tangent in aliquo divisibili immediate, unum istorum necesse est sequi, vel quod nequeant separari nisi per compressionem lateralem unius ab alio, imo non possent conjungi, & se tangere per superpositionem unius supra aliud, sed per quandam lateralem applicationem, quæ omnia sunt contra experientiam.

Circa quod primo refellendæ sunt duæ responſ. tanquam falsæ, & non satisfacientes; una est eorum, qui dicunt, in corpore duro esse multos poros aere, aut alio fluido corpore repletos, quod, cum elevantur, superficies illorum corporum rarefit, & exit replendo locum derelictum. Secunda est eorum, qui tenent in elevatione illorum corporum alterum eorum incurvari insensibiliter, & sic non oportet fieri vacuum, quia successive partes elevantur, prius extremæ, postea mediæ. Prima non salvat in corporibus perfecte planis; tum quia inter illos poros, cum non sint continui, est medium divisibile, ergo redit argum. princ. vel enim aer in poris existens instantanee ingreditur locum illum, & sic esset motus localis in instanti, vel successive prius partes extremas, quam medias, & sic in his esset vacuum. Secunda est falsa, vix enim percipi potest, quod omnia corpora duriſſima in elevatione flectantur, etiam adamantes, tum quia crystallus potius frangitur, quam flectatur, unde dicitur corpus frangibile, non flexibile; tum quia elevato uno corpore plano, si super illud verſaretur aqua, non celerius aqua currit versus extremitates, quam antea, quod tamen deberet contingere, si fieret talis incurvatio; tum quia non possent deinde amplius illa corpora æqualiter se tangere, sed solum in puncto illo medio incurvationis; quod est contra experientiam.

100 Aliter responderi solet ex Arist. 2. de An. 113. & seq. pro qua resp. citari solent Averr. D. Tho. Cajet. Marſ. & alii, quod scilicet nunquam duo corpora dura ita immediate se tangant, quin aer, aqua, vel aliud fluxile corpus mediet attenuatum, & compressum, sicut si cum tenui pellicula superposita digito tangimus reliqua corpora, revera digitus immediate non se habet ad illud corpus, & tamen nobis apparet sentire, & tangere; hinc consequenter ajunt, quod si columna ad perpendiculum supponatur basi, adhuc aer mediaret tenuiſſimus, qui sustinebit columnam, non secundum se, sed prout facit unum cum basi conjunctum; idem esset, si inter columnam, & basim mediaret pluma, vel charta; non quod aer ille non sit ex se divisibilis, sed quia Author naturæ ita conservat, ne detur vacuum, magis autem est potens natura universalis, quam particularis, hinc consequenter dicunt securim immediate non scindere lignum, sed cum aere medio solide se habente ab authore naturæ, grave numquam immediate attingere terram, lapides quamvis in principio tangant calcem mollem, post indurationem tamen aerem mediare, & similia paradoxa, quæ difficulter impugnantur, cum omnia reducantur in naturam universalem, ex quo deinde respondent non sequi vacuum, aut motum localem instantaneum, quia in elevatione duorum corporum aer medius attenuatur, donec alius subintret, & hæc est causa difficultatis, quæ sentitur in sejunctione duorum planorum, quia scilicet aer difficulter attenuatur.

101 Hæc opinio refutatur a Scoto qu. 3. de Anim. & 8. Met. qu. 3. in fine addit. & ab omnibus fere recentioribus. Tum quia sentimus siccitatem, & duritiem corporis, ergo tunc non mediat corpus fluxile, & molle, sicut si mediaret corpus frigidum, non possemus per ipsum sentire calidum. Tum quia ponit omnia gravia esse continuo in statu violento, cum semper sint supra aerem; & esset imprudentia Authoris naturæ res in tali ordine constituere; imo ut arguit Angest. de propr. for. pag. 202. causa prima in agendo, si debet unum inconveniens de duobus admitti, quærit juxta regulam prudentiæ vitare majus, & permittere minus, majus autem absurdum est ponere omnia corpora violenter fere existere, aerem ita durum, ut lignum scindat, &c. quam si dicatur, corpora in elevatione aliquatenus incurvari, & mutare figuram, vel sensibiliter, ut sunt flexibilia, vel insensibiliter, ut inflexibilia, sicut dicebat secunda opinio, ergo potius hoc debebat admittere, quam illud. Tum quia sequeretur, vinum numquam posse contineri in dolio, quia asseres non ita conjungerentur, quin aer mediaret, ideoque ex illo spatio posset exire, vel si dicatur vinum esse grossius, saltem si fieret subtus dolium foramen, quantumcunque obstruatur dolium, ne aer ingrediatur, adhuc tamen verſaretur vinum, quia posset aer per spatium inter asseres subintrare. Tum quia imperceptibile est, attramentum induratum non tangere chartam, nec aurum super argentum deauratum hærere, sed ab aere sustentari, & tamen tam tenaciter inter se conglutinari, cum aer sit fluxibilis, & faciliter huc illuc moveatur, mirum etiam est, quo pacto lapis quidam acuat gladium, quidam non, si semper mediaret aer, & tandem nulla esset ratio, cur quædam fortiter uniantur, quædam non, si aer semper interciperetur.

102 Dices hoc aperte ab Arist. cit. doceri, & patet experientia, si quis enim aspergeret incudem, & malleum aqua, putabit utique se immediate malleo tangere incudem, quod tamen non fiet, quia neque incus, neque malleus post percussionem advertuntur exsiccari, ergo idem dicendum de aere, quando non mediat aqua, Resp. mirabile quidem est, asserere, nunquam malleum incudem, vel parietem, nec globum ferreum e tormento bellico emissum immediate tangere parietem, quamvis a globo funditus destruatur; idcirco recentiores ajunt Arist. ibi dubitative locutum, non assertive, quod colligitur ex illis verbis *Dubitabit autem aliquis*, de quo in lib. de An. non ob id tamen negamus, quin aliquando mediet aqua ut notat Scot. cit. nam corpus udum est maximæ adhærentiæ, hinc difficulter exprimitur, & difficilius aqua, quam aer, cum sit crassior, attamen si diu se tangant, ut propter caliditatem corporum, vel attritionem consumant humidum interjectum, vel si fortiter applicarentur ad invicem, omne corpus intermedium expellerent, & immediate se tangerent, hinc videmus, quod si inter lignum,

lignum, & securim mediaret membrana subtiliſſima, quæ propter flexibilitatem absque aere intermedio tangeret corpora dura adhuc tamen frangi, & disrumpi in scissione ligni, signum evidens securim immediate dividere lignum, & non aere intermedio.

Alii concedunt, duo plana immediate se tangere, & æqualiter separari posse secundum omnes partes, negant tamen vacuum, vel motum instantaneum sequi, & ad arg. dicunt, ingressum, vel egressum aeris fieri in tempore, & extrinsece incipere, itaut sit verum dicere immediate post hoc aer ingredietur, & tamen erit adhuc verum, nullus aer immediate post hoc ingredietur, quia non est assignabilis pars aliqua aeris determinata, quæ primo ingrediatur, sed qualibet data, semper erit dabilis alia prior, & minor, sicut non est dabile primum spatium, per quod primo fiat motus localis. Sed hæc responsio consistit in verbis, nam consideremus aerem illum, qui in medio plani post separationem reperitur, vel ibi subito provenit ab extremitatibus, & sic mutatio localis instantanea, vel successive, prius in extremitate & in parte propinquiori extremitati, quam in medio, sicut licet non possit assignari prima pars spatii pertransita in principio motus a mobili, attamen signando locum aliquem determinatum, ad quem pervenerit, semper erit verum dicere, mobile prius fuit in parte præcedenti, quam in hoc loco.

103 Dicimus igitur, quod quando corpora dura ita se tangunt, ut mediet aqua, vel aliquid aliud fluxile, tunc, & sic essent perfecte plana, nulla erit difficultas, quia medium illud attenuatur, si opus erit, donec subintret aer; Si vero nullum mediat corpus fluidum, & dura sint adhuc flexibilia, tum separantur per aliqualem incurvationem superficierum & prius secundum unam partem, quam secundum aliam inchoando separationem a partibus extremis versus medium causando curvationem, si perpendiculariter elevetur superius planum, sic patet experientia, cum tabula existens in aqua æqualiter elevatur, aqua enim subsequitur, & prius discontinuari incipit ab extremitatibus faciendo gibbositatem, seu pyramidationem quamdam versus medium; idem accidit in contactu, & divisione partium continui, in contactu enim partes illæ comprimuntur, itaut in aliquo puncto incipiant tangi, & paulatim se comprimendo expellunt aerem medium, in divisione quoque non simul discontinuantur partes, aliter vel vacuum fieret, vel motus instantaneus aeris occurrentis, sed incipiunt discontinuari ab extremitatibus cum aliquali incurvatione; sic quando dividitur lignum, partes ligni tenues curvatæ decidunt in terram. Si autem corpora sunt inflexibilia, si adhuc partes sunt aliquo modo tarefactibiles, in discontinuatione, vel separatione partes illæ aliqualiter rarefiunt, donec ingrediatur aer, quod apparet in quibusdam ad sensum ex quodam quasi pulvere, qui videtur ex hujusmodi corporibus exire, dum scinduntur, ex quo fit conjectura, idem evenire in iis, in quibus non apparet sensus, & præcipue in divisione hoc est asserendum, quia fit cum aliqua violentia, quæ sicut determinat divisionem in hac linea fieri, sic etiam est in causa, ut illæ partes tantisper extenuentur, & rarefiant.

104 Tota difficultas consistit in corporibus influxibilibus & non rarefactibilibus, quomodo fiat contactus, & separatio; idcirco dicimus impossibile naturaliter esse, ut hæc corpora primo, & æqualiter se tangant, vel separentur secundum aliquam partem divisibilem, ratio est sæpe tacta, quia aer in medio existens deberet ingredi vel egredi simul cum aere existente in extremitatibus, quare vel vacuum, vel motus localis instantaneus daretur. Ut igitur se tangant, debent applicari non perpendiculariter, sed quasi lateraliter cum aliquali inclinatione ad latera secundum aliquam lineam, & deinde successive secundum alias partes, ut detur aeri locus exeundi, sic etiam in separatione non directe, & tota simul pars illa recedit, sed transversaliter, & tantisper oblique, & quoniam hæc obliquatio non est magna propter celeritatem, & subtilitatem aeris subintrantis, hinc sensu non conspicitur, est tamen major, quo corpora sunt planiora absque poris, & concavitatibus, nam in corporibus porosis aer in illis existens facilius, & celerius accurrit, & si corpora essent perfecte plana, solum possent applicari incipiendo ab una extremitate corporis subjecti deducendo deinde super illud corpus aliud, donec secundum omnes partes se tangerent: hinc falsa est quorumdam imaginatio, scilicet quod sufficiat ad separationem, si corpora perfecte secundum unam partem eleventur, & remaneant in extremitate opposita conjuncta; falsa est, quia cum non sint flexibilia, statim ac ab una extremitate elevantur, secundum omnes partes etiam distarent usque ad aliam extremitatem, & sic rediret arg. princ. Cui modus iste dicendi non placet, uti posset præced. resp. nam illis terminis de parte determinata, & indeterminata aeris, & quod non detur primum esse sub ingressu aeris, & similibus, possent deludi omnia argum. licet cum quadam cavillatione.

Ex his ad argum. ultimo positum in qu. præced. ad 1. neg. conseq. ad probat. dicimus, si partes pilæ comprimuntur, utique pars primo tangens per tempus tangit parietem, non tamen sequitur pilam quiescere, quia tota adhuc localiter ad parietem accedit per partium successivam compressionem, & pars ultimo tangens statim incipit recedere in tempore seq. a pariete, & reflectit pila reducentibus se partibus successive ad pristinam figuram; si vero projectum non est compressibile, sic eodem modo recedit, sicut accessit ad parietem, illumque tetigit, scilicet prius secundum unam partem, quam secundum aliam non directe, & perpendiculariter, sed oblique, & transversaliter, ut dictum est. Per idem patet ad 2. sicut enim contactus ille fit quasi successive, & lateraliter per partes, ita quoque fieret coloratio parietis, nunquam tamen mobile totaliter ante reflexionem quiescet in pariete.

DISPUTATIO QUARTA.

De elementis in particulari, ubi etiam de Metheoris.

EGimus hucusque de elementis sub quadam communi ratione gravium, & levium, in qua cum mixtis aliqualiter conveniunt; pro complemento hujus operis ipsa elementa secundum peculiares rationes considerare debemus; hac occasione desumpta non erit totaliter abs re quædam de Metheorologicis impressionibus subjungere; quamvis enim in his libris ab Arist. non considerentur, habent tamen cum ipsis elementis particularem quandam affinitatem, quatenus circa ignem aerem, aquam, & terram contingunt, & eveniunt.

QUÆSTIO I.

Quædam elementis communia declarantur.

1 Lementum ex vi vocabuli significat omne id, ex quo aliquid componitur, & in quod tandem resolvitur, hinc principiis generationis, litteris, & aliis similibus accommodari solet. Pressius sumitur pro corporibus illis principialioribus mundi machinam integrantibus, ut sunt cœlum, ignis, aer, aqua & terra, & adhuc in strictiori significatione sumitur pro corporibus illis concurrentibus ad generationem mixtorum, ut sunt illa quatuor, & multipliciter definiuntur ab Aristot. sed præcipue 3. Cœli 31. elementum est *illud corpus, in quod alia corpora dividuntur, quod ineſt potentia aut actu, ipsumque est indivisibile diversa specie*, quæ definitio non competit ipsis in ordine ad constitutionem universi, sed in ordine ad generationes mixtorum, nam elementum, ut notat Aresc. 2. de Gen. quæst. 1. est nomen officii, non naturæ, quatenus habet concurrere ad generationem mixti, & si nulla adessent mixta, hæc corpora non essent actu elementa, idcirco quia secundum hanc acceptionem non pertinent ad lib. de cœlo, sed ad lib. de Gen. ut diximus in qu. procem. confideratione hujus definitionis ad lib. de Gen. remittimus; hic enim ut gravia, & levia sunt, & ut naturam simplicem habent, & contemplantur.

2 Numerus elementorum, quamvis varius fuerit apud Antiquos, ut dicitur in Physic. communiter, tamen censetur esse quaternarius; verum est tamen, quod non datur ratio aliqua evidenter demonstrans elementa non esse plura, nec pauciora, & præsertim rationes Arist. sunt probabiles quædam congruentiæ; ex duplici enim capite hoc probat, primo loc. cit. & 4. Cœli a tex. 31. ex numero motuum simplicium scilicet ad medium simpliciter, & ad medium secundum quid, a medio simpliciter, & a medio secundum quid, unde quatuor dari debent principia horum motuum, scilicet gravitas simpliciter, & gravitas secundum quid, levitas simpliciter, & levitas secundum quid, & consequenter quatuor prima corpora. Secundo in 2. lib. de Gen. 16. probavit ex combinatione primarum qualitatum, quatuor enim sunt primæ qualitates, calor, frigus, humidum, & siccum, nam dato uno contrariorum in rerum natura debet aliud dari, ne materiæ potentia frustretur, at hæ qualitates non nisi sex modis combinari possunt, hæc enim est regula combinationum, ut accipiatur numerus proxime minor, & per hunc multiplicetur numerus rerum, quæ combinari debent, & medietas numeri resultantis ex hac multiplicatione erit numerus combinationum, sic quatuor sunt primæ qualitates, numerus proxime minor est ternarius, per hunc multipliciter quaternarius, resultat duodenarius, cujus medietas est senarius, & est numerus combinationum illarum qualitatum, ex quibus duæ sunt innaturales scilicet calor, & frigus, humidum, & siccum, ergo quatuor remanent combinationes, & sic quatuor elementa, quorum unicuique duæ ex primis qualitatibus conveniunt.

3 Hæ rationes sunt probabiles; nam primo dici poterit ad 1. numerum elementorum sumi ex numero locorum simpliciter, non secundum quid, hæ enim competunt mixtis, & sic duo elementa grave, & leve, quo pacto ipse Arist. 1. Cœli 91. & 3. Cœli 5. duo assignavit elementa grave, & leve, licet postea subdiviserit quodlibet illorum, tum quia sicut motus ad medium dividitur in simpliciter, & secundum quid, ita motus ad medium secundum quid posset ulterius dividi secundum magis, & minus juxta diversitatem specificam gravitatum, & levitatum, ut diximus disp. præced. quæst. 1. Nec 2. ratio urget, quia non necessario ad positionem unius contrarii infertur alterius existentia, sed solum quadam Physica necessitate, & congruentia propter perfectionem universi; sed de hoc fusius agit Aresc. cit. qu. 2. Posset etiam hic numerus ostendi ex hoc, quod ista corpora non præsupponunt alia in generatione tanquam componentia, & existentia vel formaliter, aut virtualiter, nisi ut ex termino a quo, at omnia alia præsupponunt hæc quatuor, quæ deinde saltem virtualiter in illis existunt, ideoque hæc corpora simplicia vocantur, illa vero mixta; aer enim non fit ex aqua nisi ut ex termino a quo, nec deinde aqua dicitur in aere manere formaliter, vel virtualiter; sed hoc spectat ad lib. de Gen. supponatur igitur hic numerus tamquam rationabilis, & congruus constitutioni universi, solum in speciali dubitari posset de igne, sed hoc qu. seq. examinabimus.

4 De istis elementis solet quæri, an sint pura, ideſt an reperiantur in proprio statu connaturali absque aliquo extraneo admixto, & res est facilis solutionis, nam si loquimur de puritate quoad substantiam, sic omnia pura dici possunt, tam secundum totum; quam secundum partes, quodlibet enim ex propria materia, & propria forma constat, licet Aresc. doceat ignem semper habere aliam formam substantialem annexam, de quo in q. seq. si vero loquamur de puritate quoad accidentia, sic licet omnia elementa ea parte, qua alteri conjunguntur elemento, habeant permixtionem aliquarum qualitatum extranearum, cum fere totus aer, & tota aqua sint impura, aer enim vaporibus, & exhalationibus variis, aqua vero multis humoribus terrestribus, & crassis est affecta, probabile tamen est, partem illam terræ versus centrum, & partem ignis juxta concavum orbem Lunæ existentem (si datur ut infra) puras, & a qualitatibus peregrinis liberas esse.

5 Deinde investigari solet dignitas horum corporum, quodnam scilicet sit dignius, & præstantius, ad quod breviter dicimus, quod si attendamus nobilitatem penes majorem, vel minorem utilitatem, quam afferunt, sic terra, & aqua essent perferenda, terra enim omnia necessaria ad victum, & vestitum subministrat, est materia metallorum, gemmarum, & plantarum; accedit aqua irrigans, & quasi fæcundans ipsam terram, est locus naturalis pisium; aer quoque suam confert nobis utilitatem tum ad respirationem, tum ad refrigerationem temperando affatu calorem, tum ad navigationem &c. nec ignis est prorsus inutilis, nam calorem maxime viventibus necessarium conservat, & fovet; attamem terra est utilior, unde videmus mixta fere omnia prædominari a terra, eo quia plus subministrat terræ elementa; tum quia concursus aliorum elementorum aliquo modo potest suppleri a cœlo, scilicet humectatio, siccatio, calefactio, & frigidatio, ac concursus terræ scilicet substentatio, corpulentia mixtorum, nequit a cœlo suppleri. Verum si dignitatem, & præstantiam consideremus in gradu essendi, non debet attendi ex proprietatibus infervientibus aliis corporibus, ex hoc enim capite potius argui debet servitus quædam, & ratio ministerialis, & consequenter ignobilitas quædam absolute loquendo, sicut ignobilius est, quod pluribus infervit, quam quod uni, vel nulli; quare attendi debet ex proprietatibus perfectioribus in se consideratis, modo ignis est summe calidus, calor autem est nobiliſſima omnium primarum qualitas, quia activior tam intensive, quam extensive, maxime si annexam habet siccitatem, hic ignis sua activitate omnia destruit, ac devorat, qua ratione proxime ad perfectionem cœlestem accedit, & supra omnia sublunaria collocatur in sublimi loco.

6 Rursus contemplanda quoque venit figura horum elementorum, & quidem antiqui docebant unumquodque elementum propriam habere figuram, & diversam a figura alterius, de quibus Arist. agit 3. Cœli versus finem, sed his prætermissis, dicimus omnia elementa esse sphæricæ figuræ, de terra, & aqua quatenus unum globum constituunt, dicemus q. 4. de igne, supposito quod detur, paret etiam, nam usque ad cœlum extenditur, cœlum autem est orbicularis figuræ, idem quoque de aere dicendum, cum mediet inter corpora sphærica, & ratio physica, hujus est, nam omnia gravia petunt esse in centro, & subtus levia secundum omnes partes, omnia levia petunt ad circumferentiam, & supra gravia, ergo sphæricam petunt figuram, nam secundum hanc figuram corpora æqualiter accedunt, vel recedunt a centro, secundum autem alias figuras angulares tunc inæqualiter distarent, elementa vero, vel sunt gravia, vel levia. Verum est tamen, solum ignem secundum convexam superficiem perfecte sphæricum esse, nam secundum illam cœlo perfecte sphærico conjungitur, at secundum concavam non est ita perfecte sphæricus, sicut nec alia elementa, nam ut notat Scot. 2. d. 14. q. 3. in partibus Soli propinquioribus, puta sub æquinoctiali, propter maximum Solis calorem plus aeris in ignem convertitur, in remotioribus scilicet sub polis e contra plus ignis in aerem commutatur, & quamvis aliqui dicant, partes aeris excedentes sub polis statim accurrere ad loca Soli propinqua, & partes ignis hic generari ad loca remota, ut æqualiter secundum omnes partes distent a centro, & leviora sint supra minus levia, attamen ut notat Angest. de propr. form. pag. 72. adhuc cum tali partium fluxu, & refluxu nequit servari continuo figura perfecta sphærica, sed semper quod ad superficiem concavam ignis, & convexam aeris erit inæqualitas partium; de aqua, & terra pater propter tot montium, & vallium inæqualitates.

Cæterum quidam ex Peripatheticis docent, hanc figuram convenire elementis ab extrinseco, ratione continentis, ita videtur affirmare Arist. 3. Cœli 66. & 67. non a propria natura ipsorum; alii vero asserunt ex propria natura hanc figuram postulare, quia gravia, & levia ab intrinseco petunt æqualiter ad medium accedere, & recedere a medio, & consequenter ab intrinseco petunt orbiculariter constitui, & locari. Utrumque possumus amplecti; si enim elementa in seipsis considerentur, nullam sibi determinant figuram, unde si existeret pars aliqua elementi in vacuo, haberet propriam naturam, & qualitates, nullam tamen determinaret sibi figuram; at si considerantur, ut sunt partes universi, illudque ordinate componunt, quo pacto gravia petunt esse sub levibus, & levia supra gravia, sic concedendum exposcere orbicularem figuram.

7 Tandem dubitari solet de magnitudine elementorum, an detur inter illa proportio aliqua, itaut continens excedat contentum proportione aliqua determinata, non est autem dubium de superficie concava continentis, nec de convexa, illa enim est æqualis cum convexa contenti, hæc excedit, sed de profunditate. Quidam ajunt elementum continens debere excedere contentum in decupla proportione, itaut si terra esset unius milliarii, aqua deberet esse decem, aer centum, & ignis mille milliariorum; occasionem sumpserunt ex Arist. 2. de Gen. 37. & 1. Metheor. sum. 1. c. 3. hic enim docet dari debere proportionem aliquam inter elementa, ibi vero docet esse decuplam.

Verum nec Arist. tam clare est locutus, nec tam certa est experientia, ut ex uno v. g. terræ palmo decem aquæ generentur, solum enim docuit aliquam reperiri proportionem, sed qualem exemplo quodam indeterminato, & incerto explicavit, non certo; sed quicquid sit de hoc, an scilicet ex una parte elementi crassioris decem generentur rarioris, de facto constat unum elementum non excedi ab alio in decupla proportione, nam globus terræ secundum recentiores est ambitus 19080. milliariorum, & quia diameter est tertia pars circuli, & quid amplius, hinc diameter totius terræ assignatur 6070. milliariorum, semidiameter 3035. quamvis autem hæc commensuratio sit totius globi ex aqua, & terra compacti, nec certo scire possimus, an aqua excedat, vel excedatur a terra (quamvis hoc sit probabilius, ut dicemus q. 4.) certum est tamen, aquam non excedere in decupla proportione terram. Aer deinde a Mathematicis ponitur semidiametrum habere 52. milliariorum; reliquum spatium elemento ignis ascribunt, quod erit 120578. milliariorum; quæ opinio, si esset vera, ostendit evidenter hanc decuplam proportionem non adesse inter elementa. Attamen neque hoc erit certe asserendum, non enim probabile videtur, ignem omnium elementorum activiorem tam improportionabiliter excedere cætera; elementa omnia enim combureret, aut saltem valde alteraret; sicut arguebat Arist. contra ponentes astra esse igneæ naturæ, cum tamen remotius existant astra, quam ignis; præcipue quia nulla apparet ratio comprobans talem excessum.

8 Moventur autem Mathematici illi, quia experientiis compertum est vapores, & crepusculos, & ignitas impressiones non amplius ascendere, quam per 52. milliaria, & signum evidens aeris regionem non ultra protendi, aliter non esset ratio, cur istæ impressiones altius non elevarentur; & Arist. 1. Metheor. cap. 4. ait, elementum transcendens ascensum vaporum esse calidum, & siccum, ideſt ignem. Hæc tamen ratio non probat intentum, supposita enim tali elevatione dicere possumus, non amplius ascendere, quia non sunt aere supremo leviores, sed crassiores, unde non omnes impressiones pari altitudine elevantur; hinc quamplurimæ fiunt in media regione aeris; Arist. autem non accepit ignem in propria significatione, nam in ipsius sententia datur tertia regio aeris, quare pro igne, seu pro corpore calido, & sicco intellexit totum id, quod supra mediam regionem existit, sive sit ignis, sive aer, dicitur tamen aer ille calidus, & siccus, propter propinquitatem, quam habet cum igne, & quia caret humido adventitio ex vaporibus, quod habet aer primæ, & secundæ regionis. Quod eo vel maxime esset asserendum, si veritatem haberet, quod referunt Conimb. 3. Cœli cap. 5. qu. 3. montem Teneriffem ascendere ad altitudinem 60. milliariorum, jam enim pertingeret sphæram ignis, ab illoque consumeretur, nec impedire debebit raritas ipsius ignis, nam hæc compensaretur a continua applicatione, perfectione, & vicinia ejusdem.

Quapropter hoc solum pro certo habere possumus de profunditate elementorum; semidiametrum scilicet globi terrestris ex aqua, & terra constituti continere 3035. milliaria, semidiametrum aeris, quæ potuit crepusculis comprehendi, continere 52. milliaria, quantum vero excedat totalis semidiameter aeris hunc numerum, insuper quantæ profunditatis sit semidiameter ignis, esse incertum, debere tamen esse libratas elementorum vires, ne ex unius excessu cætera corrumpantur: vide Claramontium lib. 3. de tribus novis stellis c. 26. Mathematice hoc differentem.

Dices, inter elementa reperitur proportio quoad qualitates tam activas, quam motivas, & quoad locum, ergo etiam quoad magnitudinem adesse debet. Resp. proportionem debitam elementis in magnitudine non debere ipsa corpora respicere, sed bonum universi, & mixtorum, & animantium conserva-

tionem. & hoc pacto dicimus cuilibet elemento tributam fuisse debitam quantitatem, quantum sat est, ut mixta, & viventia generentur, ac conserventur, licet ignoretur quanta sit talis magnitudo.

QUÆSTIO II.

De igne, & Metheoris igneis.

TRactationem de elementis in particulari inchoamus ab igne utpote nobiliori inter cætera elementa, & summum obtinente locum in hac regione elementari secundum communiorem, & consequenter agemus de variis quibusdam accidentibus, quæ circa hoc elementum contingunt, & græco vocabulo Metheora ignita appellari consueverunt, ut vero distinctius procedamus, in varios articulos quæstionem totam distribuimus.

ARTICULUS I.

An vere detur elementum Ignis, & extet sub concavo Lunæ.

9 REceptissima sententia fuit, & usque ad Cardani tempora indubitata, præsertim inter Peripateticos, elementum ignis eximiæ magnitudinis situm esse proxime sub concavo orbis Lunæ supra aerem; Cardanus autem lib. 2. de subtilit. negare cœpit ibi ignem reperiri, affirmans totum intervallum a terra usque ad concavum Lunæ protractum esse elemento aeris repletum, & occupatum, in qua opinione plures invenit asseclas, quam Aristot. in opposita, nam præter recentiores Astronomos, qui unanimiter in hanc consenserunt, ut Tyco. Brahæ lib. 1. progymnas. c. 1. Camillus Gloriosus lib. 4. de Cometis cap. 3. & 4. Keplerus lib. 1. epitom. part. 3. sub initio, Cassinus lib. 3. de Mundo cap. 14. non desunt quam plures insignes Philosophiæ professores Vallesc. de Sacra Philosophia cap. 1. Franc. Patritius tom. 4. disquis. peripat. lib. 7. Martin del Rio lib. 4. disquis. Mag. cap. 2. qu. 2. Scipio Capitius lib. 2. de principiis, Aresius lib. 2. de Gen. qu. 3. Alex. Tassonius qu. variis, quas scripsit Italice qu. 1. & nuper Arriag. probabiliorem putat disp. 4 de Gen. qu. 4. & alii innumeri, qui postea de fede, & loco ignis inter se non conveniunt, quidam enim ut Tassonius illum in Cœlis statuit quatenus asserit Solem, Lunam, Planetas, & alia sidera esse ignea; seu ignem ipsum elementarem in illa corpora distributum, unde negat ignem apud nos existentem esse verum elementum ignis, ait enim esse potius mixtum quoddam, & fumum accensum; alii vero, ut Vallesius, inquiunt ignem infra Cœlum reperiri in regione elementari, at ei non assignant certam sedem, & locum, sed ajunt esse hinc inde dispersam ad utilitatem viventium, & aliorum mixtorum.

10 Dicendum est cum vereri, & Peripatetica sententia, ignis elementum in concavo Lunæ velut in propria sede sibi in hoc universo competente residere. Ita docuit Aristot. passim 4. Phys. 46. 1. Cœli cap. 2. & 3. & 2. Cœli cap. 3. ubi illi tribuit summam levitatem, & locum superiorem omnibus elementis, 4. Cœli 32. & 34. p. Metheor. cap. 3. & 3. de Gen. animal. cap. 11. est etiam communis Astronomorum antiquorum, & S. S. Patres ubique hanc supponere videntur, Boet. lib. 1. Astronomorum, August. lib. 22. de Civit. cap. 11. Basil. homil. 3. examer. Hier. Epist. 128. ad Fabiolam, Clemen. Alexan. lib. 1. Stromatum, Origen. homil. 13. in Exod. hanc denique supponit Doctor 2. d. 17. qu. 2. & 4. d. 47. qu. 2. & alibi cum cæteris Peripateticis, solet concluſio pluribus firmari rationibus, & octo præsertim ad hoc affert Contar. tom. 1. quæst. peripat. quæst. de sphæra ignis, quæ omnes una, vel altera excepta probant solum dari debere in rerum natura elementum ignis, quod Adversarii non negant, at non probant in concavo lunæ confitum esse, quod hic disquiritur, non igitur hic sunt multiplicandæ rationes, quia ut plurimum non concludunt, sed illa sufficere debet, quæ a posteriori deducitur ex motu ignis sursum, & adducitur a Scoto in 2. loc. cit. innuiturque ab Arist. 4. Cœli 32. est enim adeo efficax, ut ipsa sola valeat pro mille, & omnibus præponderet, quas congerunt Adversarii pro parte oppositæ; supponendo ergo ex dictis quatuor esse elementa, & unicuique proprium correspondere locum, sic argumentari licebit, ille est locus naturalis corporum simplicium, ad quem naturaliter illa feruntur, eorumque partes, sed partes ignis feruntur supra aerem, ergo ejus locus naturalis est supra illum. in concavo Lunæ; major est certa, & minor patet experientia sensuum, videmus enim ignem hic apud nos accensum quiescere non posse, sed semper sursum tendere, & ascendere.

11 Respondet Valles neg. min. quia ignis de se non magis petit ascendere, quam descendere, quia sicut ignis flamma ascendit, e contra ignis, carbo, & ferrum ignitum descendit; imo videmus frequenter flammas e sublimi decidere, & alias in subterraneis specubus consistere, nec sursum ferri. Sed illa minor probatione non eget, ut diximus, cum sensibus pateat, nec illæ instantiæ valent, quia ferrum, & carbo non sunt substantialiter ignis, atque ideo rara, & levia, ut ascendere possint, flammæ quoque deorsum labuntur, quia materiæ gravi, ac terreæ adhærescunt, & eadem de causa in locis subterraneis consistunt, imo semper ibi violenter detinentur, unde frequen-

quentius ingenti impetu foras erumpunt, ut constat de ignibus Ætnæ in Sicilia, & Vesuvii in Campania, unde potius ex hoc capite deducitur oppositum, si enim ignis nititur semper ascendere, & impedimenta repellere, sane si perpetuo hic infra aerem detineretur secundum totam speciem, ne supra aerem ascenderet, tota species suo fine frustrata erit, & perpetuam patietur violentiam. Nec satisfacit, quod ait Aresius, hoc nullum fore inconveniens, ob universi enim bonum decet partem aliquid incommodi pati, sicut etiam ob eundem finem videmus non exacte reliquorum elementorum loca servari, nam aqua, quæ totam terræ superficiem operire deberet in partem quandam est compulsa, terra ipsa etiam cacuminibus montium aeri non modico supereminet & aer etiam ipse in cavernis montium sæpe latitat. Non satisfacit, esto enim interdum necesse sit partem aliquid incommodi pati ob bonum totius universi, ut bene ostendunt instantiæ illæ, tamen congruum non videtur, ponere totum unum elementum perpetuam violentiam pati, *alioquin male* ab Auctore naturæ ordinatum fuisset universum, potius ergo dicendum, quod sicut cæteris elementis proprius assignatus est locus in universo, esto secundum aliquas partes extra illum reperiantur ob bonum totius universi, ita quoque de igne dicendum erit, quod proprius ejus locus est supra aerem, tamen secundum aliquas partes in his inferioribus reperitur dispersus ob eundem finem, unde paritas assumpta ab Aresio de cæteris elementis jugulat ipsum, non salvat.

12 At dices contra solutionem allatam, licet lignum, & ferrum ignitum non sint substantialiter ignis, tamen in poris continent plures particulas ignis, ergo ab his sublevari deberent, sicut liguum demersum in aqua sursum contendit virtute aeris inclusi, vel saltem illæ ipsæ particulæ ignis puri sursum evolare deberent, cum forma *ignis ibi discontinuata* sit ab aliis partibus ligni, & ferri, cum ergo neutrum appareat, dicendum est non esse proprium ignis sursum ascendere, sed ei per accidens convenire ratione materiæ levis, in qua reperitur. Ob id negaverunt aliqui ignem revera reperiri in ferro, & ligno ignito, contendentes ibi tantum adesse accidentia ignis, unde dicunt nostrum non esse verum ignem, sed fumum accensum. Verum cum in carbonibus sit maxima siccitas, & caliditas, non est cur negemus in ejus poris, & cavitatibus quasdam reperiri particulas ignis, velut in poris spongiæ aqua vel aer continetur, quod infra adhuc magis probabitur; illæ autem particulæ non sursum elevant lignum, vel ferrum, quia earum levitas sufficiens non est tantum elevare pondus, & bene videmus, quod quando aliqua ligni particula non adeo gravis est, ut superari nequeat, sursum trahitur a levitate ignis, ut constat de scintillis sursum evolantibus, lignum vero aquis immersum *sursum vehitur* propria potius levitate, quam aeris inclusi. De particulis ignis in poris inclusis est major difficultas, cur non sursum ascendant, & qua vi in eis detineantur; sed hæc difficultas urget etiam de particulis aeris in poris ligni inclusis, unde per id æque bene probaretur, aerem non sursum ascendere, absolute idcirco negandum est aliquas particulas ignis a ligno non separari, & sursum ascendere, ut constat de scintillis, quia tamen multæ continentur inter cavitates, & anfractus igniti corporis, impediuntur ab illis, ne recte possint tendere sursum, & cum exire nequeant, nisi per motum lateralem, hac de causa interdum ibi deliteſcunt, & etiam *ne detur* vacuum; sicut ad hoc vitandum e contra aqua sursum ascendit, & detinetur.

13 Respondent *proinde* alii, ut Tassonius cit. ignem utique sursum moveri, non tamen sphærice, sed pyramidaliter, quod indicat non moveri sursum, quasi quærat sphæram ignis, ut suum locum naturalem, cum enim hæc statuatur a nobis circa concavum orbis Lunæ in circuitu, flamma surgens dilatari deberet, & sphærice elevari, non autem pyramidaliter, ut melius undequaque suo principio uniretur, cum ergo surgat in pyramidem acutam, inditium est alia de causa sursum ita moveri, nimirum quia illa figura aptior est ad findendum aerem, & quia movetur ad stellam sibi perpendicularem, & tandem quia fugit terram, & aquam, elementa frigida, ac sibi contraria per motum brevissimum, qui est per lineam rectam; Hæc solutio potius nobis favet, quam noceat, cur enim intendit flamma findere velocius aerem, nisi ut citius supra aerem ascendat; dicere autem, quod id facit, ut ascendat ad stellam sibi perpendicularem, est prorsus voluntarie dictum, quam enim connexionem, & affinitatem habet cum stella potius perpendiculari, quam cum aliis? tandem si terram refugit, & aquam, fugit etiam aerem, ut patet sensibus, ergo superiorem petit locum, & quia unumquodque proprium locum petit per lineam brevissimam, qualis est recta, hinc est, quod flamma sursum ascendens non sphærice dilatatur, sed in pyramidem unitur.

Respondent alii, talem motum non convenire flammæ, ratione formæ ignis, sed ratione materiæ fumosæ, in qua est flamma, quæ materia, quia levis est, secum trahit flammam; quam *solutionem* approbat Aresius, & addit, quod si ex hoc motu probatur sphæra ignis sub Cœlo, deberet inde etiam concludi dari sphæram fumi, cum etiam ipse sursum moveatur, unde tamen *ipse* ut probabilius concludit, principium istius motus esse calorem, atque ita & ignem, & fumum moveri a calore secum ferente levitatem. Hæc quoque responsio ex omni parte labilis est, falsum enim in primis est ignem sursum moveri ratione materiæ fumi, quæ levis est, quia potius res e contra se habet, quod flamma trahit fumum, non fumus flammam, nam ut patet ad sensum, flamma sursum ascendit celerius fumo, & tanto impetu, ut interdum grave secum ferat, quod non facit fumus, tum quia principium motus sursum ipsius fumi quodnam erit? certe calor esse non potest, ut ait Aresius, cum hic non sit virtus motiva, ergo conveniet fumo ratione alicujus elementi predominantis in eo, quod profecto, vel aer erit, vel ignis, at esse non potest, quia in proprio loco non levitat naturaliter, ergo erit ignis; tum quia etiam flamma in materia gravi accensa sursum movetur, ut patet cum accensa in pulvere tormentario, quæ est materia terrea, & sulphurea, foras erumpit e bombarda, licet enim ab initio, cum primo exploditur, ob impetum impressum recta feratur ad scopum, sicut & pila plumbea, eo tamen cessante, videmus in fumosa exhalatione sursum vehi, & ideo non bene deducit Aresius, ex hoc motu fumi sursum concludi posse aliam sphæram fumi, quia fumus non sursum movetur, nisi virtute ignis.

14 Respondet tamen Aresius, concedendum esse Anteced. ignem tendere sursum, sed negandum esse conseq. quod tendat, ut suam sphæram pertingat, quia semper frustraretur suo fine, quod in motibus naturalibus non est concedendum, cum nunquam totum aerem transcendere valeat, subdit ex gravitate, vel levitate elementorum non semper licere eorum naturalem locum colligere, nam locus naturalis aquæ, si levitatem speciemus, est supra totam terram, & tamen plurimi montes sunt, quos nunquam aqua superat, & maxima pars terræ aquis non est operta. Sed neque hæc solutio valet, quia ut ait Doctor. in 2. loc citat. si parvus ignis non potest ascendere super aerem usque ad sphæram ignis, hoc est per accidens, & ob ejus modicam virtutem non potentem resistere corrumpentibus; tum quia exhalationes calidæ eo usque perveniunt, & in suprema aeris regione acceduntur; tum quia etamsi eousque non pervenirent, non hinc recte negaretur, illum adhuc esse ejus locum naturalem, sicut non bene negaretur, centrum esse locum terræ, quia aliqua ejus particula ad illud non pervenit in descensu impedita; connaturaliter etiam debebat aqua terræ supereminere, & illam totam circumambire, tamen ob animalium habitationem maxima pars discooperta est, quod factum est juxta naturæ universalis exigentiam, cujus bonum naturæ particularis bono præferendum est, sed non propterea particularis natura aquæ violentiam patitur in tota specie, quia majori ex parte est supra terram.

15 In oppos. obiiciunt primo, quod si hic ignis daretur in concavo Lunæ in tanta copia, utique lucere deberet, ac nostu conspici, sicut nitent, & conspiciuntur sidera cœli, quæ remotiora sunt, atque circa terram ignes in montibus rutilantes. Resp. primo negando cum Averroe 4. Cœli 32. & D. Thom. p. 1. q. 66. art. 1. ad 2. ignem in statu suæ puritatis lucere, ac ex natura sua lucidum esse quoad actum secundum, adeoue visionem terminare possit, nam ignis noster lucet in eo gradu, ut videri possit, ob humorem illi admixtum, quod experimur in flamma candelæ, quæ quanto magis sursum evolat, & ab eo humore depuratur, difficilius visionem terminat, adeo quod acumen flammæ vix videtur; cum igitur ignis in propria sphæra *sit hujus humoris penitus expers*, vel absolute non lucet, vel non in eo gradu, ut visionem terminare possit. Deinde admittendo ignem ex sua natura lucere, adhuc dicendum erit, ignem in sua sphæra ad eum gradum non lucere, ut terminet visionem ob nimiam suam raritatem, ac transparentiam, quod experimur in cœlo, quod maximum plane recipit a Sole lumen, & tamen ob maximam ejus perspicuitatem visum nostrum non terminat, etiamsi solidum sit, ac densum; unde concludendum est, quod resplendere visibiliter est proprium corporum, quæ lumen habent cum quadam opacitate partium, ac densitate conjunctum; quæ solutio confirmari potest ex eo, quod communiter docetur, elementa pura non esse colorata, ut patet in aere, qui non videtur. Nec obstat, quod radii lucis sint tenuiores igne, & aere, & tamen videantur, quia licet tenuitas impediat, tamen cum sint in subjecto densо videri possunt, ut etiam ignis in materia densa. Nec minus obstat huic solutioni, quod ait Tassonius, ignem in principiis Aristot. densum poni debere, quia sicci proprium, qualis est ignis, est esse densum 4. de Gen. cap. 2. nam quicquid sit de hoc, sola perspicuitas sufficeret in igne, ne terminet visionem, ut constat in cœlis. Tandem negari posset, ignem non utcunque videri, quidam enim dicunt cæruleum illum colorem sub concavo Lunæ apparentem esse ignis colorem, quæ solutio ex eo confirmari potest, quia ignis excitatus ex re aliqua admodum ignea, ac subtili refert colorem cæruleum, ut patet in flamma aquæ ardentis, ac etiam nostu supra fornacem, ubi ligatur minerale ferri, item in cuspide flammæ candelæ, quando illa puro igne ardet, & lycnus est tenuis, neque ita longus.

Secundo si daretur elementum ignis tantæ molis, deberet hæc omnia inferiora comburere, cum natura sua sit activissimus, & voracissimus, qua ratione negavit Aristot. 1. Metheor. cap. 3. corpora cœlestia esse ignea, & tamen sunt valde remotiora; Nec dicas raritatem esse in causa, cur ignis elementaris parum calefaciat, quia ritatem esse in causa, cur ignis elementaris parum calefaciat, quia ignis etiam valde rarus multum calefacit, ut patet in partibus flammæ superioribus, quæ cum rarissimæ sint omnium, maxime urunt, & ignis inter prunas, & carnes interpositus est rarissimus, & tamen carnes assantur; tum quia non recte natura, ait Cardanus, & tamen carnes assantur in activissimam in subjecto adeo raro collocasset. calorem qualitatem activissimam in subjecto adeo raro collocasset. Nec etiam dicas a media regione aeris, quæ est frigidissima, retundi. Nec etiam dicas a media regione aeris, quæ est frigidissima, retundi. Hoc enim est, virtutem illius, & nimium calorem temperari. Hoc enim est, quod

quod directe improbat argumentum, nam ignis proximus regionem *illam* quantumvis frigidam hactenus calefeciſſet, unde apud nos numquam foret hyems, sed continua æstas inquiunt Aresius, & Arriaga. Quod adhuc confirmat Aresius; tum quia Sol non est magis virtualiter calidus, quam ignis ille formaliter, cum habeat caliditatem in summo, si ergo Sol suum nobis diffundit calorem, nec a media aeris regione impeditur, tanto magis id faciet ignis, cum sit nobis propinquior; tum quia experientia constat, dum fiunt cometæ maximos gigni in aere calores, ergo id magis contingeret, si ignis esset sub concavo Lunæ in tanta magnitudine, quæ improportionabiliter excederet cometæ magnitudinem.

16 Resp. revera raritatem esse potissimam causam, cur ignis elementaris non ita calefaciat, sicut ejus natura postularet, ut enim densitas *materiæ* valde *juvat* ejus activitatem, ita raritas valde impedit, ut constat de flamma aquæ ardentis, quod autem partes flammæ superiores magis calefaciant inferioribus, est, quia non habent admixtos tot vapores frigidos, & humidos, quot habent partes flammæ inferiores, & hinc est, quod calor magis in illis percipitur, quam in iſtis, si autem cætera sint paria, magis semper complent partes igneæ densæ, quam raræ; nec carnes tam assantur ab aere inter craticulas, & prunas interposito, quam ab igne existente in prunis per aerem diffundente suam actionem, unde remotis prunis calor aereus nullo modo, vel parum assaret. Accedit, quod ignis elementaris non est tantæ magnitudinis, ut eum ponunt quamplures; elementa namque distributa fuerunt ab Auctore naturæ tam in magnitudine, quam *in virtute activa*, & *resistitiva* in tali proportione, quanta sufficit, ne unum absorbeat aliud, ac totaliter destruat, ut diximus qu. præc. unde quamvis in igne *sit excessus caloris, non tamen* cætera consumere potest; tum quia obsistunt ei cætera elementa, quibus excessus aliarum qualitatum ipsius summo calori resistentiam ineſt, tum quia raritas suæ materiæ valde remittit actionem ejus, in quo maxime provida fuit natura collocans qualitatem activissimam in tali materia, in qua cæteris non noceret, tum tandem quia obstat virtus regitiva universi, quæ continuis Cœlorum influxibus conservat elementa in suis locis temperando actionem contrariorum; ut ait Scot. 4. d. 48. qu. 2. in corp. vers. *Sed hæc omnia*. Concedimus tamen cum Scoto 2. d. 17. superiorem aeris partem igne vicino multum inflammari, non ita tamen mediam regionem, tum ob intensum, atque perpetuum frigus, quod ibi numquam deficit ob frigida metheora, quæ ibi continuo generantur, tum ob notabilem distantiam a sphæra ignis, quia superior illa regio aeris se sola major est duabus aliis simul sumptis; ex quibus patet, non sequi, nullum esse debere hyemem apud nos; quia præfatis de causis scilicet ob distantiam, raritatem, & secundæ regionis obicem, non potest actio ignis ad nos pervenire. Nec urget instantia de Sole, quia Sol est causa æquivoca caloris, ac proinde nobilior, quam ignis, & efficacior, esto sit ille formaliter calidus, & in summo, atque ideo vehementius in nos suum diffundit calorem absque obstaculo secundæ regionis, a qua tamen negandum non est multum remitti, & hic postea rursus intendi ex reflexione radiorum; & in sententia statuente Solem producere calorem medio lumine adhuc minus urget, quia Sol non producit calorem immediate, sed per lumen, quod *cum careat contrario*, ad magnam distantiam diffunditur, & ex ejus reflexis radiis hic apud nos producitur calor. Nec quoque instantia de cometis convincit, quia non ab ipso cometa tantus calor excitatur, & diffunditur, nam in ipsius ortu, & occasu nullam experimur caloris differentiam, sed calor ille, sicut & ipse Cometas, causatur præsertim ex influentiis Cœlorum calidis, & multis similibus exhalationibus apud nos excitatis. Nec denique tenet paritas in argumento principali assumpta ex Arist. 1. Metheor. cap. 3. nam ideo Cœlum, si igneum foret, reliqua omnia combureret, quia ob maximum quantitatis, & molis excessum super hæc inferiora, & maximam astrorum densitatem vehementissime ageret, cumque in agendo nil repateretur ob sui incorruptibilitatem, plane omnia hactenus combussisset.

17 Tertio experientia constat, ignem sine alimento non conservari, unde flamma deficit oleo deficiente, & prunæ converso *in* cineres ligno, cum ergo sub Lunæ concavo nullum extet ignis pabulum, non potuit ibi per tot sæcula conservari. Nec dicas, nostrum ignem pabulo indigere, non illum, quia hic habet contraria, quæ prævalent ipso deficiente, at ibi non habet. Nam in fornace undique bene clausa, & constipata nullum patitur ignis contrarium, & tamen deficiente materia statim evanescit, ergo non propter actionem contrarii, sed ex ejus natura pabulo indiget. Nec etiam dicas pabulum ibi esse aerem circumfusum; quia tandem ignis totum in se converteret aerem. Resp. utique contrarietatem non esse præcisam causam, cur noster ignis continuo indigeat fomento ad sui conservationem, non autem in sua sphæra, sed præcipua causa est, quam Doctor adducit 4. d. 47. cit. qu. 2. §. *de secundo* ex Arist. lib. de juvent. & senec. quia ignis non manet extra suam sphæram, nisi in continua generatione, ac veluti fluvius, qui tandem deficit, si aquæ non succedant aquis, quod itaque hic sit opus pabulo ad retinendum ignem, oritur ex eo, quod cum ignis ex natura sua perpetuo tendat sursum, & simul excitatus idem numero nec concludi, nec retineri possit, necessarium fit, ut si illum in his inferioribus retinere velimus, continuum ei præbeatur alimentum, & per novam, ac novam generationem si non idem numero, saltem idem specie continuo nobis adsit; id autem non habet locum in concavo Lunæ, cum ignis ibi quiescat, ut in sua propria sphæra, nec sursum amplius tendat. Dices, si recludatur candela accensa intra vas, non potest flamma sursum evolare, nec foras exire, & tamen adhuc cito extinguitur; ergo illa non est causa indigentiæ fomenti, sed propria ignis natura, alioquin in tali casu non deberet extingui, cum ignis sursum non evolet. Resp. ignem in tali casu deficere, & suffocari, quia in materia exardescente sunt multi vapores frigidi, & humidi, qui in partes subtiliores, & puriores agunt, easque penitus destruunt, qui vapores non item ignem corrumpunt, si operculo non occludatur, quia ipsis non bene ignis applicatur undequaque ut *possit superari*, præsertim cum evolet in sublime; nihil autem horum est in concavo Lunæ, ubi etiam nulli sunt carbones, nullus fumus, similiaque excrementa, hæc namque in communi igne videntur, quia multæ partes pabuli sunt valde indispositæ, ac resistentes, ut non possint in ignem totaliter converti.

18 Quarto ille locus debetur elemento ignis, in quo potest habere usum in ordine ad bonum universi, alioquin non recte eum natura dispositset, sed ibi nullum potest habere usum, nam non potest habere usum, ut materia mixtorum, cum sit distans ab inferioribus, nec est modus huc accedendi; nec ut efficiens, eadem de causa, & quia sufficit ignis inferior, & calor solaris, ergo &c. Resp. ob generationem, mixtorum naturam in his inferioribus multas partes constituisse ignis elementaris hinc inde dispersas, hinc tamen non infertur carere loco proprio, & connaturali, in quo reliquum totum elementum *ignis* conservetur, sicut a pari *licet* quoque ad generationem mixtorum, & utilitatem viventium multas aquæ portiones in universo disperseri in flumina, fontes, & rivulos, adhuc tamen locum constituit, in quo magnum aquæ elementum, ut in propria sede commoratur ab aliis segregatum; idem igitur de ignis elemento dicendum est, quod neque adhuc in propria sphæra manebit otiosus, quia sic pertinet ad integritatem perfectionis, & ordinis universi, ibi enim degens replet cum aere interstitium a terra ad cœlum usque protensum, ibi etiam temperat secundæ regionis frigiditatem, & frigidissimos aliquorum Planetarum influxus, qui non æque bene possunt a Solis calore temperari, præsertim si calor Solis ponatur ex reflexione luminis ejus, quæ apud nos fit, oriri, causat quoque ex illo loco *impressiones* ignitas in suprema aeris regione, quarum utique generatio omnino impediretur a rigore mediæ regionis, si ignis non obstaret, & tandem orbem reliquum inferiorem, ac præsertim aerem ambiens adjuvante virtute cælesti ipsum a quamplurimis vaporibus, infectionibus, ac depravationibus expurgat, & præservat.

19 Quinto si ignis ibi esset, utique moveretur in orbem ad motum orbis Lunæ, atque adeo frigesceret, nam fluida motu frigescunt, ut solida incalescunt, & constat experientia ex ventis, & fluviis, hæc enim est causa, cur æstivo tempore spirante vento, & adducente partes aeris a loco etiam calidiore, vultus tamen hominum refrigerentur; & hoc ipsum Arist. docuit probl. 19. sect. 25. dicens, *quod motus frigus ciere potest, cujus inditium est, quod calida, cum moventur, refrigerantur*. Resp. imo potius ex hoc motu Angest. lib. 2. de formæ propriet. pag. nobis 58. Contaren. cit. Cornunius de Metheor. sect. 19. & *alii* deducunt oppositum, & ex hoc efficacissime prætendunt concludere, ignem dari debere immediate sub Cœlo, cum enim per suum motum calorem in his inferioribus producat, motus si quidem est causa caloris 2. Cœli 42. sane verisimile est in corpore, quod una cum Cœlo rapidissime convolvitur, tantum generari calorem, ut tandem igniscat & sic concludunt, corpus, quod est immediate sub Cœlo, ignem esse. Cæterum hæc ratio pro neutra parte concludit, quia motus per se, & ex natura sua nec est causa caloris, neque frigoris, sed tantum per accidens eo modo, quo explicatum est disp. 2. de Cœlo qu. 7. art. 4. concl. 1. non ergo concludit, corpus Cœlo contiguum incalescere ex illo motu, quia ut ibi dictum est, calor non generatur, nisi ex affrictu corporum solidorum, quale non est illud corpus Cœlo contiguum in omni sententia; nec etiam frigescere, quia si corpora fluida interdum motu frigescunt, hoc est omnino per accidens, vel nimirum quia per motum partes calidiores exhalant remanentibus minus calidis, ut contingit in aqua calida, quæ agitata frigescit, vel per remotionem partium calidarum, & adductionem frigidarum, quo modo aer flabello commotus refrigerat, nam aer circa faciem circumfusus calefit per tenuissimos *halitus* ab ea prodeuntes, qui flabello expellitur, & novus succedit minus calidus, tamen ex alia parte fluida quoque interdum per motum incalescunt, quandoque enim aqua stagnans frigidior est currente, & tempore æstivo, cum spirat ventus Auster, magis incalescit aer, quam si non omnino spiraret; alias rationes minoris momenti omittimus, quia facile diluuntur ex *dictis*.

20 Sexto urgent authoritates etiam ipsius Arist. nam 1. Metheor. cap. 4. ait, *superiores distantiæ planæ sunt corpore aliquo, & igne quidem impossibile, quia exsiccarentur utique alia omnia*, & ibidem subdit, supra aquam esse aerem, & id, quod quamvis ignem consuevimus appellare, ignis tamen haudquaquam est, & corpus, quod est sub Cœlo, dicit esse potentia calidum, & frigidum, non potuit igitur putare corpus illud esse ignem, qui necessario actu calidus est. Deinde Hippocrat. lib. de flatibus ait, spatium a terra ad Cœlum esse aere plenum, quam veluti communem opinionem docuit Senec. lib. 2. natur. qq. cap. 4. & Plinius lib. 2. natural. hist. cap. 38. Tandem id con-

confirmat Aresius ex Scriptura, & S. S. Patribus, nam Genes. 1. ubi omnium creatio narratur, nulla fit mentio ignis, atque ita loqui videntur D. Hier. Epist. ad Fabiolam, & Augustin. de Genes. ad litt. cap. 3. ubi affirmant aerem a Cœlo ad terram usque diffundi, Raban. & Strabus apud Magistrum dixerunt Paradisum terrestrem usque ad Cœlum fuisse elevatum, quod profecto fieri non potuisset, si ignis ibi adesset.

Resp. Arist. ibi intelligere totum spatium a terra usque ad Cœlum non esse igne repletum, quia omnia hæc inferiora combureret, non idcirco dixit esse repletum solo aere, sed aere simul, & igne, ut cap. 3. expresserat; corpus autem Lunæ contiguum ignem ait appellandum non esse, ut exponunt omnes, quia ignis vocabulum videtur ab hominibus impositum ad significandum hunc nostrum ignem mixtum qui constat ex materia densa, & est valde combustivus; corpus autem Lunæ contiguum non est hujusmodi, ac proinde non est ille ignis, quem homines intelligunt vulgari nomine ignis; inferius tandem nomine corporis, quod est sub Cœlo, significat totum mundum sublunarem, qui est secundum varias sui partes potentia calidus, & frigidus, non enim potest intelligere solum aerem, quem Arist. facit actu calidum. De Hippocr. & Senec. parum curamus, quid senserint, verisimile tamen est noluisse negare elementum ignis, quia præsertim Hippocr. non dixit totum illud spatium esse aere plenum, sed spiritu, & substantia tenui, sub qua comprehenditur aer, & ignis, ut notant ex græco Conimb. 3. de Cœlo cap. 5. quæst. 1. art. 3. & eodem modo explicari debent S. S. Patres, si interdum in modum loquendi favent adversæ opinioni; in Genes. vero nomine terræ significata sunt omnia quatuor elementa, & nomine Cœli omnes orbes mobiles, ac immobiles, ut Basil. & Beda in exameron exponunt; opinionem demum illorum Rabinorum, de Paradiso terrestri, quod usque ad globum Lunare pertingeret, ea ipsa de causa reiicit Doctor 2. cit. & ait vel esse falsam, vel hyperbolice intelligendam ad significandam altitudinem, & eminentiam illius loci.

21 Postremo fatentur Astrologi quidam, allegatas rationes, & authoritates esse facilis solutionis, nec oppositum assertionis nostræ posse urgentius probari, quam ex argumento optico, quod ita erigit Keplerus loc. cit. lib. 1. epitom. part. 3. si sphæra ignis esset in concavo Lunæ, cum ipse sit tenuior aere, & Cœlum utroque tenuius, sequeretur, quod si radiis stellarum esset transitus per tot media densitate differentia, & ex obliquo interjecta, sæpius refrangerentur, priusquam ad oculum pervenirent, atque ita stellæ valde extra propria loca viderentur, quia quo major sit refractio, eo magis res extra proprium locum videtur, & apparet, id autem est contra experientiam; ergo &c. At hoc Astronomicum argumentum si bene examinetur, falsam continet doctrinam, & denique nihil concludit, falsum enim est, quod videtur in argumento supponi, refractionem majorem, vel minorem semper ex majori, vel minori densitate medii procedere; potest enim etiam procedere ex majori vel minori opacitate mediorum stante eadem densitate, ut dictum est disp. 2. qu. 1. art. 2. ac etiam esto verum sit, majorem fieri refractionem, cum radius transit prius per medium densius, deinde rarius, ut prius per aquam, deinde per aerem, non tamen fit tanta refractio, cum transit prius per medium rarius, deinde minus rarum, ut esset in proposito de igne, & aere; tandem nihil concludit, quia ad deprehendendam refractionis diversitatem, & majoritatem cernere prius oportere sidera per medium solius Cœli, & aeris, deinde per illa tria media simul Cœlum, ignem, & aerem, quod fieri non potest, unde dicimus refractionem, quæ modo intervenit, ex illis tribus mediis procedere, quæ autem ex solo Cœlo, & aere procederet, nos de facto experiri non posse.

ARTICULUS II.

De motu ignis in orbem sub concavo Lunæ.

22 Communis est Peripatheticorum sententia ignem sub concavo Lunæ existentem ad ejus motum circulari motu cieri, imo non solum ignem, sed & majorem aeris portionem regionis superioris, ita enim docet Arist. 1. Metheor. quod & ex eo probat, quia Cometæ, qui secundum ipsum in elementari regione ignis, vel aeris gignuntur, & divagantur, in orbem duci cernuntur; quod quidem dogma, licet nonnulli Recentiores Astronomi inficientur, ratione tamen solidissima stabilitur, nam primum mobile secundum communiorem etiam Astrologorum omnes cœlestes orbes inferiores suo motu diurno raptat ab ortu in occasum, etiamsi motu naturali conentur in contrarium scilicet ab occasu in ortum, ergo tanto magis imprimetur hæc vehementia motus etiam in ignem cœlis immediate subjectum, qui in contrarium motum minime nititur; Dices, non esse eamdem rationem de cœlis primo mobili subjectis, & igne, ac aere, nam cœli sunt corpora solida, quæ cum inclusa sint intra concavam primi mobilis superficiem, facile ejus impetum recipiunt, & ejus motui obsequuntur, secus est de igne, & aere, cum enim sint corpora tenuia, & fluida, facile cedunt, neque sequuntur vertiginem ambientis corporis. Hoc nihil obstat, videmus enim etiam corpora fluida posse talem impetum utcumque recipere, unde si vas aqua plenum v. gr. dolium circumvolvatur, experimur, & aquam inclusam paulatim eamdem susçipere vertiginem, adeo ut una pars aliam trudat in gyrum, quod experimur etiam in vorticibus aquæ; fluiditas ergo ignis, & aeris solum obstare potest, ne ita prompte susçipiant vertiginem cœlestem, ac facerent, si solida forent, non tamen efficit, quin ullo modo susçipiant.

23 At Galilæus lib. Italice inscripto *il Saggiatore*, hoc Peripatheticum dogma labefactare satagit tum ratione, tum experientia; ratione quidem, quia cum concava orbis Lunæ superficies ponatur a Peripatheticis planissima, ac certissima, non videtur, quomodo possit suo motu secum rapere corpus fluidum ignis sibi immediate subjectum, non enim potest aliquid trahi, & circumduci, nisi partes tracti intrent partes trahentis, atque ita propter ejus asperitatem, ac inæqualitatem trahatur; ad hoc etiam adducit experimentum, nam si sumatur aliquod vas, illudque circa suum axem citissime circumducatur, aer intra ipsum inclusus non movetur, sed quiescit, quod ex 60 deprehenditur, quia si intra vas candela ponatur accensa, non extinguitur, nec ejus flamma ad hanc, vel illam partem inclinatur, oppositum autem contingeret, si aer intra vas moveretur.

Ad hæc tamen facilis est occursus; falsum namque est corpus, aliud ambiens, & circumdans non posse illud rapere motu suo, & circumducere, nisi in suis partibus extremis sit asperum, & inæquale, ratione cujus asperitatis queat corpus inclusum rapere, & secum ducere, corpus enim inclusum sufficienter rapitur, & comprehenditur ab ambiente per concavam ejus superficiem, quantum sufficit, ut ejus motum sequatur, ut constat de ipsis cœlestibus orbibus, qui a primo mobili circumaguntur, etiamsi concava ejus superficies terssissima sit, ac plane lævigata; & quando id necessarium foret, tunc præstaret ponere Lunæ faciem, quæ terram despectat, esse montibus, ac concavitatibus asperam, ut ipse asserit Galilæus, quam negare motum ætheris in orbem. Nec etiam experimentum illud putamus verum, esto concedatur a Liceto lib. 4. de novis astris cap. 9. ad oculum enim cernimus, quod si phyala vitrea aqua plena circumducatur, etiam & aqua inclusa ad ejus motum circumagitur, unde & idem de aere intra vas motum incluso est asserendum; ad illud de flamma candelæ dicendum est, etiam experientiam esse ad oppositum, nisi enim flamma multum distet a superficie concava vasis rotati, videmus ipsam flecti ad motum vasis, ac illum quodammodo sequi, signum evidens aerem conclusum quoque rotari, quod etiam alia experientia de catino supra demonstravimus disp. 2. qu. 4. art. 3.

24 Supposita ergo communi Peripatheticorum opinione de motu ignis in orbem, ut vera, duplex emergit difficultas; nam primo dubitatur, num motus iste simplex sit, vel mixtus; deinde an naturalis, vel violentus; Quoad primum dubium Philoponus, & alii hunc motum dixerunt esse simplicem; alii e contra statuunt eum mixtum, ut Gianninus de Cœli natura part. 1. cap. 14. Solutio hujus dubii pendet ex declaratione divisionis præallegatæ motus in simplicem, & mixtum, de qua satis diximus supra disp. 1. qu. 1. art. 1. quare cum ibi dictum sit, illum esse simplicem motum, qui fit super lineam rectam; illum vero esse mixtum, qui fit super lineam ex recta, & circulari compositam, si ignis motus in orbem conficit, & describit solam circularem lineam, ponendus erit motus simplex; si vero igne vi Cœli in orbem acto quædam ipsius partes ascendunt, quædam descendunt, & aliæ ad dexteram, aliæ ad sinistram moventur, variisque aliis modis agitantur, tunc talis motus non erit simplex, sed mixtus, quia fiet super lineam ex recta, & circulari mixtam, quæ autem contra hanc determinationem possent obiici, diluuntur ex dictis loc. cit.

Major est alia dubitatio, an motus ille sit naturalis, vel violentus; Gianninus enim cap. cit. seq. & Zabarel. lib. de motu ignis in orbem varias, & plures memorant, ac refellunt opiniones, ex quibus famosiores adducemus, & probabiliorem statuemus; potissima autem ratio dubitandi est, quia cum ille motus non sit naturalis igni, ut de se constat, videtur ponendus esse violentus, at ex alia parte nullum tale perpetuari potest, ut Arist. docuit 1. de Cœlo 15. & lib. 2. 17. ex quibus locis vulgata propositio desumpta est, *nullum violentum durabile*, quomodo ergo ignis in orbem movetur semper?

25 In hac difficultate concesserunt quamplures hunc motum esse igni violentum, & contra ejus naturam, qua moveri recte natus est, non circulariter, & explicare contendunt, quomodo intelligatur, quod nullum violentum sit durabile; ita Conciliator, & Zimara apud Zab. cit. qui optime refellit eorum glossas ad eam propositionem inductas, velut prorsus ineptas; sequitur Gianninus cit. cap. 17. ubi ad finem inquit huic asserto non repugnare Arist. cum ait nullum violentum esse durabile, quia ejus sensus est, nullum motum perpetuum, qui sit unus, & continuus esse contra naturam, & violentum, at motum ignis in orbem non est continuus, quia ad motus continuitatem requiritur unitas, & identitas mobilis, id autem non cadit in motum ignis circularem, quoniam non perpetuo idem numero ignis subicitur huic motui, continuo enim aliæ partes corrumpuntur, & aliæ de novo generantur. Hic dicendi modus est abiiciendus, quia falsum est, motum circularem motui a medio opponi; nam motui sursum opponitur motus deorsum, & ad medium, non autem circularis, & circa medium; imo id Arist. docet ex professo 1. de Cœlo 14. ubi ex eo probat, motum circularem ignis non esse ejus naturæ adversum, quia uni multa essent contraria, unum autem

non nisi uni contrariatur 10 Met. 14. neque dicas motum circularem opponi naturæ ignis, quia hic natus est moveri motu recto, qui circulari contrariatur, nam Arist. 1. de Cœlo fuse ostendit motui circulari nullum motum esse contrarium.

26 Alii proinde dixerunt, illum motum in orbem potius esse igni naturalem, quam violentum, quod adhuc diverso modo declarant. Zabarel. cap. 8. inquit, quod licet motus ignis in orbem non sit naturalis, sumendo motum naturalem pro eo quod fit ab interno principio, potest tamen dici naturalis, quatenus habet vim fovendi, & conservandi ipsum, quod probat ex Arist. 1. Metheor. cap. 4. ubi dicit elementa calida esse calida a motu Cœli, & ab eodem conservari in suo naturali calore, motus enim rapidissimus vim habet dissipandi, attenuandi, & rarefaciendi, ac consequenter calefaciendi, hac igitur de causa motus ille non debet dici naturæ ignis violentus, quia non lædit ipsam, sed valde conservat. Neque hic modus dicendi idoneus est, nam falsum est ignem in sua propria sphæra ea ratione a motu Cœli in proprio calore foveri, & conservari, quia ut diximus supra, motus non est causa caloris per attritionem, nisi inter corpora solida, in quibus solum attritio, & affrictus contingit, quia unum non facile alteri cedit, aer autem, & ignis sunt corpora fluida, quæ proinde facile cedunt, & motum Cœli sequuntur absque attritione; imo, ut supra retulimus, tantum abest, ut per illum motum raptus ignis incalescat, aut in suo nativo calore conservetur, ut potius aliqui velint frigescere, quia fluida per motum frigescunt, sicut solida per eumdem incalescunt; ignis ergo ibi conservatur, quia est in suo loco naturali, ubi caret contrario, & aliis cœlorum influxibus fovetur, non tamen a motu, unde non magis ibi conservaretur, quam si nullo prorsus motu agitaretur, sed omnino quiesceret.

27 Piccolomineus in gradu 2. Philosophiæ moralis cap. 15. inquit, quod licet motus non sit naturalis igni secundum propensionem, & instinctum naturæ particularis ipsius ignis, est tamen illi naturalis secundum proclivitatem naturæ universalis, quæ totius universi bonum procurat, & promovet, unde concludit, quod si ignis consideretur, ut est quædam pars totius universi, hoc modo aptum esse cieri motu totius universi, qui est motus in orbem ab ortu in occasum. Sed præterquam quod ex hac doctrina probaretur quoque motum circularem convenire terræ, & aquæ, nam & hæc etiam elementa sunt partes mundi, adhuc responsio ista difficultatem non tollit, cum enim inquit Arist. nullum violentum esse durabile, ac perpetuari posse, loquitur de violento, quod est contra naturam, *non solum universalem*, sed etiam particularem rei, ut colligitur ex ratione, quam adducit ad probationem illius dicti, quæ erat, quia violentum est contrarium naturæ, contraria vero inter se pugnant, seque mutuo interimere nituntur, hæc autem pugna nequit perpetuo durare, quia tandem unum deiicit aliud, nam vel violentum destruit rei naturam, vel natura a se violentiam depellit, constat autem hanc rationem æque militare de natura universali, & particulari, imo Arist. ibi speciatim loquitur de violentia illata naturæ particulari.

Itaque in hoc dubio a communi sententia recedendum non est, quam Zab. refert cap. 3. & tandem ipse quoque amplexatur, quod motus ignis in orbem revera nec naturalis est, nec violentus, sed neuter, quia nec est secundum naturam mobilis, neque contra naturam ejusdem, ac proinde dici solet præter naturam, seu innaturalis, & talem motum in perpetuum durare nullum est inconveniens, quia de eo non militat ratio, quæ de violento urgebat, ut patet consideranti, & hæc fuit opinio Averrois 3. de Cœlo Com. 20. & 2. Metheor. cap. 2. Simplicii in lib. de Cœlo, D. Th. 1. de Cœlo tex. 10. Angest. lib. 2. de form. propriet. pag. 71. quam nos quoque jam pridem secuti sumus disp. 6. Phys. qu. 3. ubi ostendimus omnino admitti debere motum neutrum, & medium inter naturalem, & violentum per abnegationem extremorum, & talem præsertim esse motum ignis in orbem, ac sufficienter diluimus quæcumque obiicit Zimar. contra hanc neutralitatem ex diversis Arist. locis, in quibus nullum alium motum agnoscere videtur præter naturalem, & violentum, diximus enim cum Zabarel. Philosophum ibi sumere violentiam large, ut scilicet comprehendit, vel carentiam naturalitatis, vel repugnantiam, quomodo inter ista non datur medium, quia motus neuter *continetur sub violento*, præter naturam.

28 Conatur Gianninus cit. cap. 14. hanc solutionem evertere ex 1. de Cœlo 14. ubi statuit Arist. omnem motum aut esse secundum naturam, aut præter naturam, ubi per ly *præter naturam* significat, quod est naturæ adversum, & inimicum, nam postquam assumpsit motum omnem esse aut secundum naturam, aut præter naturam, continuo adjungit motum eum, qui inest alicui præter naturam, alii ineste secundum naturam, atque id explicando inquit, hoc cerni in illis motibus, quibus sursum, & deorsum itur, nam horum illum, quo sursum petitur, quia terræ inest præter naturam, igni ineste secundum naturam, & illum, quo itur deorsum, quia igni datus est præter naturam, terræ fuisse datum secundum naturam, in quo exemplo liquet per motum præter naturam illum intelligi, qui directe adversatur naturæ. Resp. Zab. cit. cap. 5. in fine Arist. toto primo lib. de Cœlo de Solis motibus simplicibus loqui, & ex illis solis sumere argumenta ad unitatem mundi probandam, & subdit utique simplicem motum esse necessario vel simpliciter naturalem, vel violentum, at motus ignis in orbem *non est* simplex, sed mixtus, quare ex illis locis 1. de Cœlo non bene evertitur motus neuter inter naturalem, & violentum absolute loquendo, mixtus enim motus potest esse neuter; sed quicquid sit de hac Zab. doctrina, quæ trutina indigeret, negari potest assumptum. Ad probationem dicimus, quod licet in exemplum advexerit *motum* sursum, & deorsum, quorum unus est naturalis terræ, & contrarius igni, non utique hoc eo consilio fecit, quia per motum *præter naturam* præcise significaverit, qui naturæ adversatur, & eam destruit, sed quia cum per motum *præter naturam* utrumque intellexerit, tam qui positive, quam qui negative adversatur naturæ, de positive repugnanti exemplum afferre voluit, quod ei pro occasione oblata sufficiebat, & magis rem explicabat.

ARTICULUS III.

An ignis inferior sit verus ignis, & ejusdem speciei cum superiori.

29 Cardanus supracit. negat ignem apud nos existentem esse vere elementum, asserens esse potius quoddam mixtum, in quo prædominatur ignis, idque passim supponit Taffonius putans ignem hunc inferiorem aliud non esse, quam ipsum Solis calorem in materia combustibili accensum; Aresius 2. de Gen. disp. 1. de elementis qu. 2. sec. 3. concedit cum communi ignem apud nos existentem esse vere ignem elementarem, imo nullum alium ignem elementarem præter istum agnoscit, ut vidimus art. præced. addit tamen non inveniri ignem per se ab aliis corporibus substantialiter segregatum, sed inveniri tantum in aliquo alio corpore permixtum, ut in eadem materia simul sit forma ignis cum aliqua alia forma v. gr. ligni in carbone, fumi in flamma, hancque esse conditionem peculiarem ipsius ignis.

Dicendum breviter est, apud nos extare verum ignem elementarem ejusdem speciei cum superiori, ita existentem in materia, ut nullam secum admittat substantialem formam; ita Doctor 4. d. 47. qu. 2. §. *de secundo*, ubi dicit, quod *ignis potest esse extra suam sphæram in materia aliena, utpote in corpore ignito, vel flamma, non quod ibi sit in partibus solidis vere forma ignis, nisi ponatur, formas specificas distinctas simul perficere eamdem materiam, quod videtur inconveniens*, &c. item 4. d. 49. qu. 16. §. *alius est intellectus*, & quoad singulas partes probatur. Primo quidem, quod non sit purum accidens, ut Taffonius velle videtur, nempe calor accensus in materia combustibili, exinde probatur, quia calor quantumcumque intensus numquam comburit, sed calefacit, numquam aliam destruit substantiam, sed bene disponit ad ejus corruptionem, ut enim in Phys. dictum est disp. 7. qu. 6. art. 2. accidens non habet vim generandi, vel corrumpendi substantiam, sed ignis noster non tantum calefacit, sed comburit, & generat, sed destruit aliam substantiam, ergo non est accidens, sed substantia; tum quia si iste summus calor, seu caloris excessus existens in Sole, & astris arguit illas esse substantias igneas secundum Taffonium, *ita nos quoque dicemus* in substantiis corruptibilibus, in quibus ipse reperitur. Secundo, quod neque sit corpus quoddam mixtum, in quo prædominetur ignis, ut ajebat Cardanus, ita ostenditur, quia ignis noster est calidus, & siccus in summo, quia caret omni frigiditate, ut patet, caret etiam omni humiditate, ut constat de cinere, quo nil siccius excogitari potest, ergo non est aliquod mixtum, quia continet virtutes unius elementi tantum. Tertio, quod non existat in aliena materia simul cum alia forma, ut dicebat Aresius, constat ex eo, quod plures formæ substantiales specificæ, & disparatæ sunt in eadem materia prorsus incompossibiles, ut diximus disp. 5. Phys. qu. 6. art. 2. in ordine ad potentiam saltem naturalem, quia naturaliter formæ diversæ, & disparatæ diversas requirunt dispositiones, & incompossibiles, ratione quarum verum est dicere, generationem unius esse corruptionem alterius, & e contra, licet ergo plures formæ subordinatæ possint esse simul, quia dispositiones unius inserviunt dispositionibus alterius, disparatæ tamen, nequaquam ob allatam rationem.

30 Respondet Aresius, hinc sequi tantum, ut pacifice nequeant simul commorari forma ignis, & alia forma, sed in pugna semper, itaut altera alterius *machinetur interitum*, subditque formam ignis ob suam voracitatem necessario semper esse debere alteri formæ conjunctam, ut eam depascat, & cum ea pariter interire, & tandem concludit, inconveniens non esse, quod idem secundum diversas formas sit in diversis speciebus, puta simul ignis, & ferrum, vel lignum, nam potest *etiam* esse in diversis prædicamentis, homo enim albus, ut *homo* est in prædicamento substantiæ, ut albus in prædicamento qualitatis. Hæc tota solutio in falso posita est, quia *cum* una forma privationem alterius secum deferat, sequitur nec in pace, nec in bello posse simul consistere, alioquin forma, & privatio possent pro aliquo instanti simul consistere, quod est impossibile prorsus ex dictis disp. 4. Physic. qu. 4. tum quia pugna formarum est formalis, non *effectiva* ex dictis disp. 5. Physic. qu. 3. art. 3. & infra dicendis in lib. de Gen. ergo si semel possunt esse simul, nec una suo adventu alteram excludit, itaut primum esse unius sit primum non esse alterius, semper deinceps poterunt esse simul; hinc etiam deducitur alterius

terius dicti falsitas, quod forma ignis semper depascit, & vorat formam aliam rei sociam in eadem materia, petendum enim est, in quo genere causæ id præstat forma ignis, non in genere causæ efficientis, quia forma formam non destruit, nisi per incompossibilitatem formalem, ut dictum est; si in genere causæ formalis per supradictam incompossibilitatem, ergo pro nullo instanti possunt esse simul, quia formalis incompossibilitas tollit compossibilitatem pro quocumque instanti, non enim quia unum destruit aliud, ideo incompossibilia dicuntur, nam aqua destruit calorem sibi inhærentem, nec idcirco hic est incompossibilis illi, tandem quod concludit est irrationabile prorsus, nimirum ex eo quod idem suppositum potest simul esse in diversis speciebus accidentalibus per diversas formas accidentales, sic pariter esse posse in diversis essentialibus per diversas substantiales, nam præterquam quod id probaret, non solum de forma ignis, quod esse possit cum alia forma, sed de quacumque indifferenter, quis non videt manifestam disparitatem? res per formam substantialem constituitur in specie essentiali, non per accidentalem, quæ non dat, nisi esse secundarium, & adventitium, ergo sicut nequit esse, nisi in unica specie essentiali, nequit enim idem suppositum esse simul ignis, & ferrum, ita nequit constitui, nisi per unicam formam ultimam, & specificam, & id certius est, quam egeat probatione.

31 Denique prob. quoad aliam partem, quod hic ignis inferior sit ejusdem speciei cum superiori, nam licet differant secundum varia accidentia, ut secundum raritatem, & densitatem, & admixtionem aliorum corporum, vel puritatem, & alia accidentia, quæ se tenent ex parte materiæ, in qua ignis reperitur, tamen in accidentibus ex parte formæ se tenentibus non differunt, scilicet in qualitatibus tam activis, quam motivis, utrique enim convenit calor, & motus sursum, ut colligitur 1. Cœli 19. & lib. 2. 92. & 102. & lib. 4. 22. cum igitur ex his qualitatibus colligenda sit identitas essentiæ, quia se tenent ex parte formæ, non materiæ, consequenter concludendum est, quod sint ejusdem rationis, & speciei.

In oppositum objicitur probando primo, quod sint diversæ speciei, quia ignis noster est principium lucis, non elementaris; hic indiget alimento, non ille; hic habet excrementa scilicet cinerem, & carbones, non ita ille; & aliæ differentiæ notari possunt, quæ diversitatem specificam certissime concludunt. Accedit auctoritas Arist. 5. Top. loc. 54. ubi docet, quod *non est una specie ignis, nam diversum est carbo, & flamma, & lux specie*; idem habet 3. de Gen. animal. c. 11. ubi ignem appellat genus; & lib. de admirand. audit. commiscitur ignes naturarum valde diversarum in diversis Orbis partibus. Tandem ait Averroes 4. Cœli 32. ignem nostrum non generare, sed corrumpere animalia, elementarem utique, ergo non sunt ejusdem speciei.

32 Resp. neg. ex illa accidentium varietate diversitatem specificam colligi, quia illa omnia non accidunt ex natura hujus, & illius ignis, & ratione formæ, sed per accidens, & ratione materiæ, vel loci, in quibus ignis reperitur, & ut ad singula occurramus, uterque ignis est principium lucis, sed elementaris non videtur ob ejus raritatem, non enim lux terminat visum, nisi in materia densa, & opaca, ut constat de aere illuminato, qui non videtur ob ejus raritatem, noster indiget pabulo, quia non est in proprio loco, & semper sursum evolat, ut declaratum est art. præc. hic habet excrementa, non ille, quia hic est in materia aliena, non in propria, & quia cum est in terra v. gr. in carbone, pars magis terrea non convertitur in ignem, hinc remanent cinis, & alia excrementa; constat itaque hanc accidentium varietatem, quia non sumitur ex parte formæ, sed materiæ vel alio capite adventitio, non posse inducere diversitatem specificam inter ignem superiorem & inferiorem. Ad 2. non magis concludit diversitatem specificam inter ignem superiorem, & inferiorem, quam inter inferiores ipsos; loquitur ergo Arist. de diversitate specifica accidentali, non essentiali, nam illæ differentiæ se tenent ex parte materiæ, nam ignis, qui est carbo, fit ex materia, flamma ex aerea, & ignis lux, quando ab omni extraneo separatur; & sic explicandus est in aliis locis. Ad 3. potius inde probaretur calores ipsos specie distingui, quam ipsas ignium substantias, sed de utrisque negandum est specie distingui; & vel dictum illud Averrois falsum est, quia uterque ignis ad generationem aptus est, & corruptionem secundum quod moderate applicatur, vel immoderate, vel si concedatur, non inducet ad summum, nisi diversitatem accidentalem, nam illa diversitas in agendo non ex ipsius specificæ naturæ varietate procedet, sed ex variis accidentibus conjunctis cum natura specifica.

Objicitur secundo ex Aresio probante formam ignis in materia semper esse conjunctam cum alia forma, quam depascit, nam flamma nil aliud est, quam fumus accensus 2. de Gen. 28. ergo forma ignis est simul cum forma fumi; item in ferro, & ligno est substantialiter ignis, & omnino ignis absque aliquo hujusmodi subjecto reperiri non potest. Et quia communiter respondetur, ignem non reperiri in partibus solidis illorum corporum, sed tantum in poris, ut docet Doctor loc. cit. hanc responsionem conatur multis Aresius evertere. Primo quia flamma est continua, ergo non tantum est in poris, nec enim apparet qui pori esse queant in fumo. Secundo quia substantia densior payciores habet poros, ergo minus haberet de igne, cujus oppositum experimur. Tertio si ignis potest conservari in poris, cum intra poros non sit alia substantia, quam aer, posset ignis conservari etiam extra poros in aere; quod si potest in solo aere, posset absolute extra aliud corpus quod est contra experientiam. Quarto quando ignis paulatim consumit lignum, negari non potest, quin pervadat substantiam ipsius ligni, dum ergo transit de uno poro ad alium, cum non agat immediate in distans, debet omnino transire per corpus solidum, ut ipsis sensibus patet. Quinto tandem si in poris reperitur ignis, ergo ascendet, & relinquet ferrum, quid enim excogitari poterit a quo retineatur? figmentum igitur est ignem esse in poris, non vero in ipsa rei substantia.

33 Resp. concedendo ignem ob suam maximam activitatem, nedum in propria, sed in aliena quoque materia existere posse, negatur tamen, cum in ea existit, stare simul cum alia forma; & cum probatur, dicimus, flammam esse fumum accensum, non quia in eadem materia simul maneat forma fumi, & ignis, sed quatenus fumus convertitur in ignem per transitum materiæ a forma fumi ad formam ignis; non ita vero lignum, & ferrum ignitum sunt ex toto substantialiter ignis, sed verus ignis asservatur tantum in eorum poris, in cæteris vero partibus tantum adhærent qualitates ignis in gradu valde intenso; ita notavit Doctor loc. cit. Nec impugnationes ad hanc solutionem allatæ multum urgent. Ad primam gratis concedimus in fumo non esse poros, & dum inflammantur, torum verti substantialiter in ignem. Ad 2. gratis etiam concedimus in substantia densiori cæteris paribus minus de igne reperiri, quia est minus porosa, v. gr. in ferro minus de igne reperitur, quam in ligno, videtur tamen esse ibi in majori copia ob majorem activitatem, quam habet ratione majoris densitatis actionem adjuvantis. Ad 3. neg. in poris ferri, vel ligni, ubi ignis asservatur, aerem reperiri. Ad 4. negatur ignem eo modo substantiam ligni v. gr. pervadere igniendo, quia minime opus est agens transire secundum realem præsentiam per subjectum, in quod agit, sed particulæ ignis in poris ligni existentes, & calor intensius cæteris partibus adhærentes paulatim alias, & alias ligni partes convertunt in ignem, & quæ converti non possunt, utpote terrestriores, resolvuntur in cinerem. Ad 5. patet ex dictis art. præc. in probanda conclusione.

ARTICULUS IV.

Ubi de Cometis.

34 QUia inter ignea Metheora Cometæ principalem obtinent locum, atque diutius permanent, placet ab ipsis exordium sumere; & quidem Cometarum natura, & conditio adeo abdita est, & arcana, ut nedum inter veteres Philosophos lites extiterint immortales; sed acrius adhuc digladiantur nostri temporis Astrologi, quorum plurimi, & magis conspicui integra de Cometis edidere volumina; nos breviter omnia, quantum fieri potest, sin hoc articulo perstringemus, exactiorem tractationem Astrologis relinquendo.

Primo itaque dubitatur de substantia, & materia Cometarum, an scilicet sint ex materia sublunari concreti, vel potius cœlesti: esse ex cœlesti materia veteres quidam Philosophi dixerunt relati ab Arist. 1. Metheor. cap. 6. putantes esse astra cœlestia, quæ tamen non semper a nobis videantur, & de numero stellarum errantium, quam opinionem vario modo explicabant; quidam enim ajebant cometam quemlibet esse unam stellam certis temporibus apparentem, ut Æschilus, & Hippocrates Pythagorici; alii vero dicebant non esse unam sed combinationem potius plurium, quæ propter propinquitatem, & luminis confusionem una stella apparet major, ac longior, ut Anaxagoras, & Democritus, & hanc de cometis sententiam secutus est Seneca lib. 7. naturalium qu. cap. 1. nec longe distat Cardanus lib. 4. de subtil. ubi ait cometas esse quædam secundaria astra in orbibus Planetarum, non ita firma sicut alia, & tunc apparere, cum illustrantur a Sole.

35 Sed hoc veterum placitum Arist. ex professo loc. cit. refellit; imprimis cometam non esse unam erraticam stellam, ex eo constat, inquit Arist. quod eodem tempore plures simul cometæ sunt conspecti, idque suis temporibus accidisse testatur Scaliger exercit. 70. Cardanum, at si esset unica stella, numquam duo cometæ simul videri possent; tum quia cum Cœlum sit diaphanum, & translucidum, difficile explicatur, cur cometa modo appareat, modo non, præsertim cum hac nostra tempestate Telescopii, seu Tubi optici ministerio minutæ etiam stellulæ in Cœlo perlustrentur. Dices tale sidus, qui dicitur Cometa, tunc solum apparere, quando ad nos descendit, & in imum cursus sui pervenit, abscondi autem a nostris obtutibus, cum in ipsam Cœlorum profunditatem sursum evehitur in magno aliquo epicyclo, ut in ipsis Planetis experimur, quia perigæi lucidiores sunt, & magis conspiciuntur quam apogæi, unde Mars interdum ita a Terris recedit, ut vix oculis deprehendi possit. At hoc ipso ista solutio ruit nam sicut Planetæ, secundum quod in suis epicyclis magi ad nos accedunt, vel recedunt, modo majores, modo minores conspiciuntur, nec uniformiter difformiter eorum magnitudo crescit, vel decrescit aspectui nostro, sic etiam Cometa, cum in suo epicyclo ex ipsa Cœli profunditate versus terram incipit descendere, deberet primo minor appare re, deinde major, ac tandem maximus, & sic etiam paul

tim

tim decrescere, quod tamen est contra experientiam, nam regulariter cum primo apparent, totam suam exhibent magnitudinem, & deinceps nulla analogia, aut proportione servata diminuuntur.

Sed neque esse posse plurium stellarum errantium simphasim, seu combinationem, ut ajebat Democritus, probatur ex eodem Arist. nam hæ stellæ erraticæ, vel essent illæ ædem, quas nunc Planetas appellamus, vel aliæ ab eis diversæ, ut probabilius putat Cottunius de Methor. sect. 30. explicans opinionem Democriti; non primum, tum quia cometa cernitur separatus ab unoquoque Planeta, & interdum Planetarum conjunctio contingit, nec ullus cernitur cometa; tum quia Planetæ sub Zodiaco solum conjunguntur, cum sub ipso suos repugnat motus, cometæ vero frequentius extra Zodiacum apparent: neque secundum, tum quia si ex tali congressu cometa coalesceret, prius videri deberet dimidium cometæ, & postea totus, tam si plures stellulæ deberent coadunari ad constituendum cometam, prius utique duo, vel tres coibunt, quam decem, vel viginti, cum hæc conjunctio paulatim fieri debeat ex motu cœli, hoc autem est contra experientiam, ut diximus; tum quia secundum hanc viam alternis diebus videri deberet cometa notabiliter immutatus, nam cœlorum motus, ex quibus ea conjunctio dependet, semper variantur, quare si una nocte ex cœli motu conjunctæ sunt sex, vel septem stellæ, altera nocte debebunt esse paululum disjunctæ, & sic deinceps, unde neque cometa duraret per mensem & annum, ut sæpe visum est, sed paucis diebus dissolveretur totus.

36 Hinc ergo cum Arist. concludendum est, cometam non esse ex materia cœlesti compactum, sed sublunari, quia materia cœlestis ex superius dictis incorruptibilis est, & invariabilis at cometæ quandoque subito comparent, & disparent, interdum magni fiunt, interdum evadunt minimi, ergo eorum materia sublunaris erit, non cœlestis; tum quia ut postea dicemus Astronomi insignes instrumentis Mathematicis deprehenderunt cometas esse Luna inferiores, ergo ex hac materia conficitur; docet autem Arist. materiam cometæ esse exhalationem (quid sit exhalatio dicemus qu. 4. art. ult.) siccam, & calidam, pinguem, crassam, viscosam, atque ideo ex partibus bene coagmentatis constantem, talis enim materia facile incenditur, & diu inflammationem retinet ob ejus pinguedinem, & viscositatem, talem autem esse cometarum materiam inde probat Philosophus, quia communiter tempore generationis cometæ fiunt magni venti, & hoc est signum, quod elevantur multæ exhalationes calidæ, & siccæ, magna item contingit siccitas ob magnam copiam exhalationum aerem occupantium, quod experientiis, & exemplis quibusdam probat cap. 7. quæ circa sua tempora acciderunt; & hæc fuit sententia omnium Astronomorum antiquorum, & ut testatur Angest. lib. 2. de form. propriet. pag.

Contra instat Camill. Glorios. lib. 1. de Comet. c. 3. 34. Tum quia halitus terrestres non elevantur a terra ultra milliaria quinquaginta duo, ut demonstrarunt Vitellio, & Petrus Nonius, & forte minus, ut deducit ipse Gloriosus lib. 2. cap. 2. & probari potest ratione naturali, non elevantur nisi a calore, & levitate eis extrinsecus impressa a Sole, & aliis astris elevantibus, ergo eousque ascendunt, quousque acquisita caliditas manet, sed ista dissipatur ab intenso frigore secundæ regionis, at cometæ multo altius effulgent, ergo terrestres halitus non sunt idonea eorum materia. Tum etiamsi superent mediam aeris regionem, cum tertia regio calidissima sit, præsertim in superiori plaga, halitus terrestres, quantumvis bene compacti, & addensati ex nimio calore dissolverentur ob viciniam ignis, vel saltem non eandem semper retinerent figuram, præsertim cum ponantur a cœli motu celerrime rapi, non enim sunt tantæ consistentiæ, ut ejus impetum diu patiantur. Tum 3. si ponatur exhalatio crassa, pinguis, uliginosa, & acriter compacta, utique etiam gravitatem haberet tali materiæ connaturalem, atque ideo deorsum laberetur, præsertim cum cometa sit ingentis magnitudinis. Tum 4. si hæc materia continuo depascitur ab igne, & inflammatione concepta, indigebit pabulo cometæ, ut diu duret, & si dicatur hoc esse novos halitus continuo ascendentes, qui eidem junguntur, & agglutinantur, hoc certe videtur merum figmentum, nam cometæ vagantur per omnes mundi regiones situ, & temperie differentes, in quibus incredibile est præsto, ac adeo in promptu reperiri exhalationes ad alendum cometam, quod si adsint, mirabile etiam est quare cum pervenerint ad regionem illam aeris calidissimam non illico accendantur, cum sint valde ad accensionem proclives, sed prius cum cometa aggregentur, antequam accendantur. Tum tandem quia tanta interdum est cometarum moles, ut si totus terrestris globus resolvatur in halitus, non sufficeret pro tanta mole constituenda, & tanto minus longo tempore sustentanda.

37 Resp. terrestres exhalationes, quæ magis spirituosæ sunt, & vigorosæ, multo altius ascendere, ut docent Cardanus, Scotellus, Tannerus, & alii, & eo magis, quo major erit vis attractiva astri, a quo etiam in ipsis foveatur calor, & levitas, dum per secundam regionem aeris transvolant ad superiorem. Ad 2. cum tales halitus multum habeant unctuosæ pinguedinis de facili invicem occursantes, in unum globum, & massam detinentur, & conglutinantur, & semel constipati non facile a motu cœli disperguntur, quia ille uniformis est, non tumultuarius, & quodammodo lentus ob distantiam a prima sphæra; cumque aqueo vapore sint permixtæ, habent unde calori il-

lius regionis obsistere valeant, imo ardorem semel conceptum diutius tolerare pro qualitate suæ complexionis. Ad 3. non descendit, quia sustentatur tum a levitate ignis in ipsa concepti, tum a virtute attractiva astri, a quo elevata est. Ad 4. supera illa regio exhalationibus semper referta est, quæ in magna copia longo temporis tractu ibi congregantur, ex his ergo, & illis, quæ paulatim ascendunt, potest alia cometa, (si diu durat, alioqui novo non egeret alimento) quæ quidem nova materia non illico ardet, ut attigerit regionem supremam, quia adhuc in ea viget unus vapor ex transitu per mediam regionem acquisitus, sicut videmus pulverem bellicum ad ardorem valde propensum flammam non concipere, cum in loco humido exiterit. Evenit tamen interdum, ut exhalatio celerrime transeat per mediam regionem, atque ideo parum humiditatis acquirat, unde ad superam regionem delata exusta statim humiditate illico intendatur, & fiat stella discurrens. Ad ult. ut infra dicemus, minime opus est cometam tantæ molis esse in profunditate, quantæ est in latitudine, sed potest se habere instar nubium, quæ in aere non tam in altum, & profundum crassescunt, quantum in latitudinem extenduntur, ut recte notavit Aversa qu. 33. sect. 4. ad 8. Demum hæc argumenta concludunt sustinendo cometam esse halitum accensum, & ignitum, nam si diceremus, ut valde probabile est, esse solum radiis solaribus illustratum, minus officerent: & adhuc minus concluderent, si cum quibusdam asseratur, non quemcumque cometam ex halitibus coalescere, sed interdum ex quadam aeris, vel ignis portione certa siderum vitali densitate, & opacitate affecti, ut lumen ad nos reflectere possit, ut probabiliter ostendit Licetus lib. 3. de novis astris, & cometis cap. 8. & sequent.

38 Secundo dubitatur de loco, ubi existant, & generentur cometæ. Recentiores Astronomi, quibus præsertim Tyco-Brahæ præivit lib. 2. progymnas. affirmant incunctanter gigni, & existere in cœlo, non autem sub cœlo in suprema aeris regione; ut Arist. universaliter docuit idque tot observationibus comprobarunt, ut ab Arist. sententia etiam nonnullos abduxerint Peripatheticos etiam ex illis, qui cum eodem sustinent cometas formari ex halitibus terrestribus a terra elevatis, inquiunt enim hos halitus ad cœlestem usque regionem ascendere, ibique condensari, & illustrari, atque hunc in modum nobis apparere, ita Aversius 2. de Gen. qu. 4. cap. 2. & ex Astrologis Galilæus lib. Italice inscripto *il Saggiatore*, & Guiduccius lib. de cometis, & alii, quamvis istorum nonnulli concedant aliquos interdum cometas etiam sub cœlo gigni, & existere, ita Keplerus lib. de Cometis, & Rothmanus tract. de Cometa, qui apparuit anno 1585. eandem tuetur sententiam Licetus opere cit. de novis astris, & cometis, lib. 5. & quod mirabilius est, eam defendit ad mentem Arist. contendens, & ipsum agnovisse cometas quamplures in regione cœlesti, quod nullus Peripathericorum hactenus asseruit, firmiter arbitrantium secundum Arist. omnes prorsus cometas sub cœlo fieri, & spatiari.

39 Dicendum tamen est, cometas omnes, saltem qui naturaliter fiunt, gigni, & existere in regione sublimari, non cœlesti; ita docent Peripathetici omnes (uno Liceto excepto) & ex professo docuit Arist. 1. Metheor. sum. 2. cap. 4. ex communi interpretum consensu, adeo ut ad hæc usque tempora nefas fere fuerit de hoc dubitare in Peripatho; item Astronomi omnes, qui ante Tyconem scripserunt, præsertim vero Regiomontanus, & Vogelius solertissimi viri in observationibus Mathematicis; imo insignes quoque Mathematici Vinnenses, & Græcienses Bartholomæus Sculterus, Thomas Erastris, Andreas Nolthius, Thaddæus Hagærius, & alii, quos refert Aversa, illum eundem cometam, qui apparuit 1577. ansamque scribendi Tyconi præbuit, diligenti indagine sublunarem ostenderunt; exactissime vero inter alios hanc veritatem stabilivit Claramontius vir in omni disciplinarum genere consummatus, sed præsertim in Mathematicis, in suo Antitycone, & lib. de tribus novis stellis, & rursus in Apologia contra Keplerum, ac demum libro Italice inscripto *Difesa dell' Antiticone*, omnes isti clarissimi Mathematici contra Tyconem, & Tyconistas incunctanter monstrarunt, & illum Cometam 1577. & alios esse sublunares, non cœlestes.

Probatur vero hæc sent. primo ex lumine Cometæ, nam sive illud excipiamus per tubum opticum, sive per liberum intuitum, non apparet ita vividum, clarum, & solidum, ut lumen stellarum, sed potius languidum, obtusum, & fere obscurum, vel albescens. Tum ex effectibus, & frequenti variatione cometæ, nam repente visi sunt crescere, & decrescere; interdum scindi, & dissecari, & aliæ mutationes in eis observatæ sunt, quæ plane demonstrant non esse naturæ cœlestis, neque in ea regione, a quo mutationes exulant. Tum quia major parallaxis, quæ circa cometas potuerit deprehendi, est sex graduum, ut refert Tannerus p. p. disp. 6. q. 3. d. 3. num. 43. & seq. ex Regiomontani observationibus, & aliorum, & *hinc* sequitur secundum calculum Astronomicum cometam *esse* Luna inferiorem, ut fuse ostendit Tannerus ibidem. Tum quia inter eos, qui cometas supra Lunam evehunt, non modicum adhuc est dissidium de altitudine cometæ, ut constat ex litteris Tyconis ad Rottomand. datis 1588. ergo si tubus opticus eos de tali altitudine certificare nequit, forte etiam certificare non potuit, quod hæc altitudo Lunam superet, unde nec mirum esset, si in hoc decepti fuissent, nam colores ipsi, circa quos oculus fertur tanquam circa proprium objectum, sæpe apparentes sunt, non veri, ergo multo magis circa cometas poterit decipi, nec talis deceptio poterit sufficienter

per tubum opticum corrigi, quia per hunc solum fit, ut clarius, & majus aliquod objectum appareat, non verius, unde per ipsum non minus conspicerentur colores Iridis, quia sunt apparentes, & non veri: Tum quia cum cometæ per totum cœlum libere discurrere visi sint, oporteret illud ponere fluidum, quod supra renuimus. Tum tandem id ipsum ostenditur physica, & efficaci ratione, nam Tychonistæ nunquam sufficienter explicabunt, qualiter cometæ gigni possint, ac effformari in Cœlo; quam difficultatem bene Tyco eorum magister subodoratus est, sed callide evasit alio libro promittens se id ostensurum, quem nunquam edidit, interim suis sectatoribus hoc onus relinquens, qui proinde ut meliores Mathematici, quam Physici, in centum impingunt ineptias pro solutione hujus argumenti.

40 Keplerus, & Camillus Glorioſus, ille in epitom. Astronom. iste lib. 5. de cometis cap. 1. ajunt cometas formari in cœlis ex quibusdam exhalationibus, & vaporibus ex corpore Solis, & Planetarum egredientibus, & has simul collectas, & constipatas luminis impressionem recipere, & spectabiles se præbere. Hæc responsio fuse, & solide rejicitur a Cottunio sect. 31. & 32. ut omnino repugnans veræ Philosophiæ de cœlestibus corporibus, & quidem ex hoc colligitur, ut dicebamus, hos Tychonistas meliores esse Mathematicos, quam Physicos, discurrunt enim de corporibus cœlestibus, ut de sublunaribus, a quibus, quia vident egredi vapores, & exhalationes, idem quoque de cœlestibus autumant, non considerantes id in his inferioribus contingere ratione qualitatum elementarium, quatum cœlestia corpora sunt penitus expertia. At inquiunt, id certis observationibus deprehendisse. Mirum est sane nostri temporis Astronomorum ingenium, qui cum aliquod rationi naturali reluctans (quod non semel eis contingit) afferunt, statim ad suas observationes recurrunt, & illis omnimodam volunt a nobis fidem adhiberi debere, si ipsi rationibus naturalibus parum credunt, cur nos eorum observationibus tantam fidem adhibere debemus, in quibus nec ipsi inter se conveniunt?

Alii concedunt cometas ex terrestribus formari exhalationibus, sed inquiunt virtute attractiva astrorum, sub quibus fiunt, usque ad regionem cœlestem elevari, ibique condensari & illustrari, & in hunc modum se nobis præbere spectabiles, ita Aresius, Guiduccius, & Galilæus cit. At hanc quoque solutionem infringit optime Cottunius cit. sect. 32. & sane, ut verum fateamur, neque isti meliori Philosophia imbuti sunt; quia coguntur & ipsi ponere cœlum prorsus fluidum, & generationi, & corruptioni obnoxium, ac peregrinarum qualitatum receptivum, quia condensatio, in quantum nos scire possumus, fit potissimum virtute frigoris; si ergo terrestres exhalationes in cœlesti regione condensantur, ibi frigus esse oportebit, tum quia non apparet, nec credibile est, terrestres vapores ad tantam altitudinem elevari, nec in itinere dissipari, & dissolvi; tum tandem, quia sic dicendo coguntur cometas ponere vastitatis immensæ propter maximam a nobis distantiam, quibus proinde non sufficeret terrestris exhalatio.

41 Idcirco nonnulli recentiores Tychonistæ dixerunt, cometas ex halitibus minime generari, sive terrestribus, sive cœlestibus, sed resultare ex conjunctione variorum corporum lucidorum, quæ sunt in ipsis cœlis, quæque seorsim videri non possunt, vario autem motu cœlorum, dum ad se accedunt, faciunt cometam visibilem. Hanc responsionem refert Arriag. disp. un. de cœlo num. 21. cum qua coincidit illa, quam quarto loco refert Aversa cit. eorum, qui dicunt cometas formari in cœlo per coincidentiam quandam radiorum ex ipsis astris. Sed hæc quoque solutio minime subsistit, quia redit, & recidit in opinionem illorum Antiquorum, qui dicebant cometam esse collectionem plurium astrorum invicem incidentium, quam supra cum Aristot. confutavimus.

Consulto autem diximus illos cometas, qui naturaliter fiunt, esse sublunares, quia bene potest Deus juxta ordinem providentiæ suæ etiam in cœlesti regione cometam exponere ad futurum aliquid præsignandum, & si historiis fides est adhibenda, non semel id exhibuit, narrat namque Josephus lib. 7. de bello Judaico inter alia prodigia, quæ Hierosolymitanum excidium præmonstrarunt, integro anno antea pependisse cometam supra civitatem, ad instar gladii effformatum, cometam similem narrat Cornelius Gemma lib. 1. de divinis naturæ characterismis cap. 8. in ditione Palatinatus visum esse anno 1527. die 11. Decembr. post quem irrupit Turca potenti exercitu, & Roma a Borbonio capta est, & similia leguntur in historiis passim; cum ergo apparuisse leguntur cometæ forma, & magnitudine admodum prodigiosi, & exorbitantes, aut infra Lunam, aut supra, id speciali Dei providentia factum esse credendum est, ut daret nimirum metuentibus se significationem, & certe cometæ quidam interdum visuntur, qui nullatenus in causarum naturalium vires rationabiliter possunt reduci; tale fuit, quod referunt Conimb. cit. apparuisse Attalo regnante, ingentis enim adeo erat magnitudinis, ut totam viam lacteam occuparet, sane si hæc historia vera est, Deus O. M. fuit illius cometes immediatus artifex, non natura; si totus namque terrestris globus in halitus fuisset resolutus, adhuc non sufficeret tantam molem constituere, & novam materiam illi submistrare toto, quo duravit, tempore, ex quo sequitur fidem adhiberi posse Astronomis; quod interdum cometas conspexerint supra Lunam, erunt enim de illorum numero, qui aliquod portendunt magni momenti in orbe eventum ex divino decreto, sicut e contra nullatenus est eis credendum, si id asserere velint de quocunque cometa etiam naturaliter evenire, quilibet enim talis nonnisi infra Lunam fit, & conspicitur.

42 Hæc tamen doctrina non debemus abuti, ut facit Arriag. cit. num. 24. ubi ad evitandas difficultates de loco cometarum, ac eorum altitudine, ait, nullum fere cometam esse naturalem, sed a Deo specialiter ut plurimum produci, vel in cœlo, vel infra cœlum ad ejus libitum, movetur, quia semper portendunt aliquid futurum liberum pendens a voluntate hominum, vel bella gravissima, vel seditiones, vel violentas regum, & Principum cædes, &c. & vix in historiis invenietur unquam cometa, qui aliquid simile non portenderit; quomodo autem quis sibi persuadere poterit cometas hoc portendentes naturaliter fieri, & tunc solum quando talia sunt eventura, quasi ipsæ stellæ, aut exhalationes id divinassent, & prænovissent? Sed sane quamvis verum sit, ut diximus, miraculose interdum a Deo produci cometas ob prædictos fines, ut etiam D. Damascenus testatur 2. de fide cap. 27. minus tamen recte hanc doctrinam extendit Arriag. fere ad omnes; tum quia cometæ ut plurimum naturaliter contingunt; tum quia plerumque accidunt absque illis effectibus, & frequenter tales eveniunt effectus absque ullo præcedente cometa, & sane hisce temporibus bella æstuant implacabilia inter Hispanos, & Gallos, inter Svecos, & Germanos, adeout, ni Dei ope Sveciæ Rex Gustavus tormento bellico sublatus esset, Romanum Imperium absque dubio exspirabat, & tamen nec hujus belli, nec cædis tanti Regis ullus præcessit cometa præcursor, & prodromus, ultimus enim Cometa, qui effulsit, apparuit anno 1618. nunc autem currimus annum 1640. non solent autem infausti Cometarum influxus ad tantam temporis longitudinem extendi, sed post paucos menses, vel annos sequuntur effectus indicati per ipsos, ut constat ex historiis allatis de Hierosolymitano excidio, & cum Roma a Borbonio capta direpta est; unde factum est, ut quamplura a majoribus nostris tradita de prædictionibus, & præsagiis Cometarum non acceptentur a Modernis, ut vera, & infallibilia, nisi circa quosdam effectus a causis naturalibus pendentes, ut tempestates maris in aqua, agitationes ventorum in aere, concussiones, & terræ motus in terra, & alios, qui connexionem habere possunt cum exhalationibus calidis, & siccis, ut sunt etiam morbi, ac infirmitates quædam ab illis causatæ, quæ quia non magis mortem inferunt vulgari, quam nobili, subdito, quam Principi, ideo vana quoque est credulitas, quod Cometa suopte ingenio plus mortem portendat Principum, quam aliorum, sed hoc interdum contingit ex divino decreto, idque credi potest de duobus præsertim Cometis, qui apparuerunt 1558. & 1559. nam tunc temporis mortui sunt Carolus V. Imperat. Paulus IV. Pontif. Rex Franciæ, Rex Angliæ, Rex Lusitaniæ, Rex Daniæ, Reginæ Poloniæ, Angliæ, Ungariæ, Franciæ, Dux Venet. & Ferrariæ, & quindecim Cardinales, ut refert Zanard. par. 3. univers. element. qu. 8. Tenendum itaque est Cometas ut plurimum naturaliter contingere, cum Sol scilicet, & astra materiam illam viscosam, & pinguem e terra elevant ad supremam aeris regionem, ibique inflammari, vel illuminari, adeo ut spectabilis reddatur; nec esse signum mortis Regum, nisi ex divino jussu, ut docet Orbell. p. Metheor. c. 3. ex D. Bon.

43 Sed contra statutam conclusionem, Primo Arguit Lichetus ostendens Aristotel. agnovisse etiam cometas cœlestes supra Lunam existentes, nam primo Metheor. sum. 1. capitulo 1. loquens de loco cometarum ait, illos fieri, & generari *circa locum maxime propinquum lationi astrorum*, latio autem astrorum est octava sphæra, & cœlum ei propinquum est orbis Planetarum, ergo in regione Planetarum fiunt aliqui Cometæ secundum Aristotel. deinde capitulo 3. testatur se vidisse Cometam in semore canis illis verbis, *earum enim quæ sunt in semore canis stella quædam habuit Comam*. Tandem capitulo 4. suam declarans sententiam duplex constituit cometarum genus, elementarium nimirum, & cœlestium, & singulas declarat, quomodo fiant, dicens, *quando igitur in ipso inferiori loco principium consistentiæ fuerit, per se apparet Cometes*; ecce elementarem Cometam in inferiori elementari regione genitum; *quando autem sub astrorum aliquo, aut non errantium aut errantium a motu constiterit exhalatio, tunc Cometes fit horum aliquis*, ecce cometam cœlestem non amplius in loco inferiori mundi, sed supra in regione cœlesti sub aliquo astro, quod adhuc magis declarans inquit, *quando igitur juxta stellam facta fuerit talis concretio, eadem necesse est apparere latione, & moveri Cometem, qua quidem fertur stella*, ecce cometam cœlestem, qui si sit juxta stellam, sane sit supra Lunam. *Cum autem constiterit per se tunc tardantes videntur, talis est enim latio mundi, qui circa terram*, ecce subcœlestem, quæ, quia per se consistit in elementario mundo a stellis dissita, nequit assequi motum, & velocitatem superni sideris; ita ingeniose discurrit Licetus de mente Arist. lib. 5. c. 42. 44. & 45.

Respond. aliam esse intelligentiam illorum locorum. Ad 1. ex capitulo Metheor. per lationem astrorum, non intelligit octavam sphæram, quia non in ea omnia astra feruntur, sed intelligit totam regionem cœlestem, & per locum maxime illi propinquum intelligit regionem elementarem illi contiguam, sive igne replera sit, sive aere, in qua dicit apparere cometas; Ad alia loca dicimus inibi non esse mentem Aristot. ultra cometas elementares, qui in regione elementari generantur ex exhalatione calida, & ficca, alios constituere cœlestes, sed solum docet interdum

terdum comam appendi (ut postea dicemus) alicui ex stellis nobis notis fixæ, vel erranti, ita tamen ut coma, vel cauda, non quidem in ipso cœlo existat, ubi est astrum, sed in regione elementari; & perpendiculariter suppositæ; & quod hæc sit Aristotel. intentio, ex eo constat, quia declarans modum, quo generetur talis cometa factus ex assumptione comæ, utitur exemplo Halonis, sive areæ, quæ fit circa Solem, & Lunam, quam compertum est non in eodem plano cum eis consistere, sed in aere supposito, etiamsi ad oculum eis contigua videatur; unde inquit, *non enim apud ipsa astra Coma fit; sed quemadmum areæ circa Solem, & Lunam apparent*, & in hoc sensu dixit stellam in femore canis vidisse comatam; cum ergo ait Aristotel. concretionem sive comam fieri *sub astro*, vel *juxta stellam*, aut *secundum stellam*, ut alii legunt, non utique significare voluit ciniam comæ, & concretionis ad astrum, quasi consistat in eodem plano cum astro, vel saltem sit supra Lunam, nam manifeste habet, quod coma non sit apud ipsa astra, sed intelligit situm, & positionem cometæ, seu comæ in regione elementari sub astro illam assumente perpendiculariter, quo sensu area dicitur esse sub Sole, & juxta Solem, cum tamen valde ab ea distet: quamvis autem hac in re singularem habuerit Licetus de mente Aristot. opinionem, dignus tamen est, qui videatur, nam inter omnes, qui de cometis, & novis astris scripserunt, copiosissimus est, adeo ut lib. 2. quinque supra viginti opiniones de natura cometarum ubere tractet.

44 Deinde multipliciter arguit Camill. Glorios. lib. 3. c. 3. Tum quia constat Cometas diurnam conversionem ita perficere, ut omnia astra Cœli, & cum illis simul oriri, & occidere, quod assequi non possent, si in suprema aeris regione reponantur, quia aer, ut valde distans a cœlo, adeo velociter circumduci nequit, quare opus esset cometam per aliquod spatium retro, & versus ortum relinqui. Tum 2. si moverentur motu diurno, & existerent in suprema aeris regione, adeo velociter transirent ab oriente in occidentem, ut potius fulgura viderentur, quam stellæ quædam, & hoc propter propinquitatem illius regionis, quod tamen est contra experientiam, nam motus diurnus cometarum a nobis velocior non percipitur, quam aliorum astrorum. Tum 3. quia tunc nec fere per spatium unius horæ super Orizontem apparerent, quia portio circulationis diurnæ, quam in regione aeris describeret, parva esset ob nimiam propinquitatem ad terram, sed cometæ commorantur supra Orizontem tot horis, quot stellæ fixæ, cum quibus oriuntur, ergo &c. Tum 4. si sic, non conspicerentur a quampluribus regionibus invicem dissitis, & distantibus ob propinquitatem ad terram, nam globositas terræ posset ex una parte aspectum impedire, sed certum est cometas in uno, & eodem tempore distantissimis regionibus esse conspicuos, quod probat. præsertim de cometa anni 1618. ex P. Blancano, qui a suæ Societatis Patribus 1620. Goa Indiæ Orientalis litteras accepit continentes observationes circa illum cometam Goæ habitas quæ omnino consentiunt cum his, quæ Romæ, Parmæ, atque Antuerpiæ habitæ fuerunt. Tum 5. quia totum aeris elementum non plus attollitur, quam quinquaginta circiter milliaria secundum communem Peripatheticorum, ergo non in eo cometæ effulgent, alioquin maximam parallaxim subire deberent, & plusquam 76. graduum, ut ipse Glorioſus demonstrat lib. 2. cap. 9. quod est prorsus falsum, quia ut Tannero diximus, maior parallaxis, quæ deprehendi potuerit, est sex graduum. Tum tandem si ita vicinus esset, universam terram incenderet, ac inflammaret.

45 Resp. concedendo cometas ob aeris fluxibilitatem non assequi velocitatem cœli, & sic aliquantum quotidie retrocedere, ut dicimus in fine artic. loquendo de motu cometæ, sed quamvis aer ob talem fluxibilitatem, & a cœlo distantiam ejus velocitatem non adamussim sequatur, hinc tamen non sequitur cometas conversionem diurnam non esse completuros, ut omnia astra cœli, nam etiam Planetas versus ortum derelinqui videmus a primo motu plus, & minus secundum majorem, vel minorem a primo cœlo distantiam, & tamen singuli perficiunt diurnam conversionem, imo ut postea dicemus, contingit interdum ex vi attractiva alicujus sideris comam assumentis modo jam explicato cometam adamussim illius motum assequi. Ad 2. neg. conseq. tum quia ut *mox dicemus*, aeris elementum multo altius attolli debet, quam quidam faciant; tum quia aer non adeo velociter sequitur cœli motum, his duabus de causis diurnus cometarum motus tardus deprehenditur, ut astrorum motus, nec ita cito disparent ab Orizonte, per quod patet ad 3. Ad 4. si multo amplius attollatur aer quam communiter fiat a Peripatheticis, vel secundum alios fiat interdum cometes prope confinia Lunæ, non obstante ignis elemento, aut quia ibi vere non reperiatur, aut ob modicam ejus activitatem, tunc utique poterit eodem tempore simul a duobus, & pluribus locis cerni, etiam maxime distantibus, nec opus erit illum supra Lunam evehere. Ad 5. attenta necessitate parallaxis cometicæ, aut cometę intra sphæram ignis collocandus est (quod tamen saltem de his, qui diu durant, non videtur probabile,) aut certe plus attollendum est aeris elementum, quantum nimirum exigit parallaxium observatio, quæ non excedit, ut diximus, distantiam sex graduum, & rursus non eadem altitudo omnibus cometis tribuenda est, sed unicuique juxta suæ parallaxis indigentiam, & hoc totum bene notavit Claramontius lib. 3. de tribus stellis cap. 26. & Aversa q. 42. sect. 1. & quidem magis expedit elementum aeris valde attollere, quam cometas in cœlestem regionem detrudere, quia ex primo nullum sequitur inconveniens, quamplura tamen ex secundo. Ad ultimum jam ex dictis constat, nec cometam esse adeo immensæ magnitudinis, nec adeo terræ proximum, cum multum versus cœlum aeris elementum extollatur, ac etiam sæpius contingere non per exhalationis accensionem, sed per simplicem illustrationem a radiis solaribus factam est valde probabile, ut mox dicemus; quæ cum ita se habeant nullum huic inferiori mundo timendum est incendium, vel inconmodum.

46 Rursus arguit Tyco, quo sidera magis distant a terra, & octavæ sphæræ propria sunt, tardius moventur propriis lationibus ex ipsomet Aristot. 2. Cœli 58. at cometa suo proprio motu tardius movetur, quam Luna, nam Luna etiam cum lentissima est, suo tamen motu percurrit una die saltem decem gradus ab occasu in ortum, cometa vero ille anni 1577. etiam cum velocissimus fuit, nunquam tantum spatium cucurrit, ergo ad minus erat supra Lunam. Conf. experientia Telescopii, cujus conditio est, res distantes referre longe majores, quam simplici conspiciantur oculorum intuitu, hac tamen lege, ut res nimis distantes nullum, vel modicum recipiant incrementum, unde experimur, Lunam, & alia objecta infra ipsam Telescopio conspecta notabiliter excrescere, sed stellas fixas ob maximam distantiam nullum suscipere incrementum, sed cometa Telescopio conspectus aut nullum, aut valde modicum suscipit incrementum, ergo non intra Lunam, sed supra statuendus est.

Resp. non bene deduci elationem cometæ supra Lunam ex velocitate, vel tarditate motus proprii, quia ille irregularis est, nam non defuerunt cometæ Luna velociores in proprio motu peragendo. Pontanus cometam observavit, qui uno die 30. gradus emensus est. Regiomontanus alterum, qui 40. Regula ergo illa Aristot. ad summum valet de astris, nam quo superior fuerit Planeta, velocius rapitur a motu primi mobilis, non ita de cometis, quorum motus tarditas, vel velocitas ex alio potius capite desumenda est, nimirum ex majori, vel minori ejus corpulentia, & crassitie, qua magis, vel minus remittur ad motum, item ex majori, vel minori vi attractiva alicujus astri, aliisque circumstantiis. Ad Conf. dicimus Tychonistas quoque illos ad solutionem teneri, qui non supra Solem cometam statuerunt, & tamen per tubum inspectus nunquam excrescere visus est, quantum Sol excrescit in eadem distantia; non ergo ex majori, vel minori distantia hoc incrementum in objectis tubo optico conspectis attendendum est; sed potius ex majori, vel minori objecti splendore, & claritate in se cæteris paribus: nam experimento patet ad effectum tubi multum conferre splendorem vividum objecti, ubi e contra subobscura, & minus rutilantia, non ita bene a tubo exprimuntur, quia ergo cometæ lumen non est ita vividum, clarum, & purum, sicut Lunæ lumen, & aliorum astrorum, hinc est, quod in sua distantia non ita notabiliter aspectui crescit, sicut Luna in eadem ac etiam in majori distantia, quod incrementum in Lunæ aspectu per tubum minus recte negarunt aliqui, ut huic Tyconis argumento occurrerent, si enim instrumentum non est exiguum valde, ac debile, Luna suscipit in tubo notabile incrementum aspectui nostro, ut quisque experiri potest.

47 Demum arguit præcipue ex parallaxi, quam sæpius observavit circa illum cometam anni 1577. ait namque cometam longe minorem exhibuisse parallaxim, & aspectus diversitatem, quam si fuisset sub orbe Lunæ, quod probat pluribus observationibus a seipso factis. Verum argumento ex parallaxi deducto in vestiganda cometarum altitudine non multum est fidendum, etiam si in aliis astris sit aptissimum; ratio est, quia tunc vera, & legitima parallaxis invenitur, quando non obstat refractionum diversitas, aut motus irregularitas; at hoc impedimentum sæpius impingitur in cometis, cujus motus non est in omni tempore ita regularis sicut ad inquirendam veram parallaxim opus esset; unde hæc res diligenti indiget observatione, exquisitis instrumentis, & excellenti judicio ad colligendam veritatem ex illis apparentiis, & mille erroribus exposita est ob fallacias, quæ occurrunt in calculo, argumentandi modo, & aliis, quæ hujusmodi observationes comitantur, ut fatetur Glorioſus lib. 4. cap. 8. Et hinc oritur Astronomorum *dissidium*, Tyco namque facit parallaxim cometæ Lunari longe minorem, cum tamen Lunaris unum gradum non excedat secundum Astronomos. Regiomontanus, & Vogelius in hac arte Tyconi minime inferiores in Cometis ab ipsis observatis notarunt e contra parallaxim Lunari valde majorem, ajunt enim fuisse sex graduum circiter; imo Viennenses, & Gracienses Astronomi jam citati eundem illum Tyconis cometam observarunt, & pariter invenerunt parallaxim Lunari longe majorem; ex quo patet multa argumenta Tyconis, quæ ex parallaxi deducit, non multum concludere, qui, tamen eorum exactam solutionem, & subtile examen optaret, consulat Claramontium lib. 2. cap. 15. & 17. Cottun. sect. 33. & Aversa q. 33. cit. sect. 4. ubi breviter, ac dilucide *omnia solvit*; nos alia non addimus, quia res est potius ad *Mathematicum* pertinens, vel *Astronomum*, quam ad *Philosophum*; interim dicimus ob dissidium Astronomorum *non multum* eis fidendum in hac materia.

48 Restat itaque ut cometarum locus, in quo gignuntur, ac existunt, sit regio elementaris, & verosimilius est, quod gignantur, & existant in elemento aeris, quam ignis, cum enim doceat Aristot. 1. Metheor. cap. 6. cometas fere semper contingere extra

Tropicos solstitiales sub cœli plagis ad polos vergentibus sive ad Austrum, sive ad Septentrionem, quoniam Sol multum calefacit partes intra Tropicos inclusas, unde nimio calore materiam cometæ cito dissolvit, tanto magis eadem ratione negandum erit gigni, & conservari posse intra sphæram ignis; giguntur itaque in sphæra aeris, non quidem in infima, aut media ejus regione, ut constat ex eorum altitudine hactenus assignata, & ex motu rapto ab Oriente in Occasum, quo una cum aere volvuntur, qui motus secundum communem mediam regionem non pertingit; tum quia hæc regio frigidissima est, unde non patitur moram ignitæ impressionis, sicut eam ducunt cometæ; effulgent itaque in superiori aeris plaga, nunc in sublimiori, nunc in depressiori ejusdem tractu, dum enim exhalatio crassa, & viscosa ad hanc supremam pervenerit regionem a frigore regionis secundæ adhuc magis condensata ibi accenditur, & inflammatur, & juxta variam exhalationis figuram varias figuras refert ipse cometa, diversasque sortitur denominationes: quandoque enim exhalatio est circularis figuræ, densior in medio, subtilior, & rarior in extremitatibus, circumquaque in medio majorem recipit inflammationem, in extremitatibus minorem, tunc apparet ad modum stellæ undique comas spargentis, & dicitur cometa crinitus, vel comatus: quandoque vero exhalatio protenditur in longum, & tunc apparet habere caudam dicitурque cometa caudatus: quandoque vero inferius exhalatio habet partes quasi discontinuatas, subtiles, ac lucidas, & tunc dicitur Cometa barbatus; interdum etiam visus est cometa absque omni coma ad instar simplicis stellæ, ac etiam sub aliis figuris, sed assignatæ frequentiores sunt. Neque hic prætereundum est, quod Aristot. notavit primo Metheor. sum. 2. cap. 3. & 4. interdum comam appendi alicui ex stellis nobis notis, vel fixæ, vel erranti, sicut interdum fiunt quædam areæ lucidæ circa Solem, & Lunam, imo quod mirabilius est, moveri eadem latione, qua fertur stella illa ex peculiare attractione sideris secum illam ferentis, quod quomodo contingat, eleganter declarat Cottunius sect. 31. quo casu stella illa speciem refert cometæ supra Lunam, ac in ipsa regione cœlesti apparentis, (quod forte aliquos Mathematicos decepit, ut inde asserarent, cometas in cœlesti regione generari, & existere) caput enim, vel corpus ipsius cometæ exhibet ipsa stella, reliquum vero coma, vel cauda ei perpendiculariter supposita in regione elementari, ita tamen ut eam nobis non regat, quæ quidem coma esto distet a stella per immensum fere spatium, adhuc tamen nobis apparet contigua cum illa, quia est sub ea in eadem linea recta cum oculo, est enim regula apud Perspectivos, quod duo, vel plura corpora inæqualiter distantia ab oculo, si in eadem linea recta cum oculo sint situata, ab eo judicentur conjuncta, quia oculus non judicat aliqua corpora inter se distare, nisi vis corporibus interjacentibus. Nihilominus quando talis apparentia contingit, potius erit ejusdem generis cum area, seu halone, quam de genere cometarum, ut bene notavit Aversa, & ratio est, quia talis cometa, non de novo generatur ex toto, sed tantum stella præexistens comam assumit, unde potius est cometa in apparentia, quam in existentia; Cottunius tamen cit. contendit esse verum cometam alterius rationis ab aliis, quos communes appellat, & vulgares, quæ est quæstio de nomine. Refert quoque cometa diversos colores secundum diversam materiæ dispositionem, quando enim ejus materia subtilis est, ac rara, apparet albi coloris, sicut flamma rarior apud nos candidum refert colorem; quando vero est adeo densa, & grossa, ut non perfecte inflammetur, igniatur tamen, apparet rubeus, sicut ignitus carbo, vel ferrum; quando tandem materia est multum viscosa, ut nec inflammari, nec igniri possit, vel saltem ob nimiam materiæ fumositatem ignis occultetur, refert colorem fumidum, & nigrum valde tristem. Demum verisimile est, cometam non esse tantæ molis in profunditate, quantæ apparet *in latitudine*, sed se habere instar nubium, quæ in aere magis expanduntur in latum quam in profundum.

49 Tertio principaliter occurit difficultas; num vere exhalatio terrestris ad supremam aeris regionem evecta ibi accendatur, & inflammetur, aut solum cœlesti lumine, radiisque solaribus sit illustrata, adeo ut a nobis spectabilis reddatur. Non esse vere accensam, & ignitam, sed tantum præfato modo illustratam opinantur Scaliger exercit. 79. in Carden. Galilæus lib. Italice inscripto *il Saggiatore*, Guiduccius lib. de cometis, Cardan. Telesi. Tassonus, & probabile arbitratur Aversa qu. 42. sect. 1. imo caudam saltem, aut barbam cometæ non esse ignem in se ardentem, nec esse terrestrem halitum, veluti pro certo habet, sed solum esse impressionem quandam lucis ibi factam in halitu per effluxum radiorum solarium corpus cometæ generantium, sicut cum apud nos exponitur phiala vitrea radiis solaribus, quod ex eo præsertim colligit esse verisimile; cum quia cometæ cauda semper tendit in partem Soli adversam, ita ut caput cometæ mediet inter Solem, & suam caudam, (ex quo interim explosa manet quorundam opinio, qui imaginantur caudam cometarum flammam esse, quæ sursum exporrigeretur, si cometæ persisterent immoti, ut flammis nostratibus experimur, sed quia moventur motu Cœli, ideo caudam tanquam partem rationem a tergo gerunt, & trahunt, quemadmodum faces, ac tædæ, cum velociter moventur fusos a tergo radios diffipant; Sane si hæc opinio vera foret, nunquam crinitus cometa appareret, sed semper caudatus, & rursus cauda semper versus ortum dirigeretur, nullo habito respectu ad Solem, cum cœli motus cometam ad occasum trahat, quæ omnia sunt contra quotidianum experimentum) ut non solum vulgares, sed etiam periti Astronomi; tum quia cometa, quo longius a Sole distat, Solique opponitur, eo breviorem, ac interdum nullam caudam proiicit, quo autem est Soli propinquior, eo longiorem, signum evidens caudam cometæ fieri per effluxum radiorum Solarium. Hic dicendi modus potest dupliciter intelligi, primo itaut cauda cometæ non sit nisi trajectio radiorum Solis per corpus cometæ, ut præfati Auctores loqui videntur, & in hoc sensu sustineri non potest, quia sicut lumen Solis in aere, vel æthere puro neutiquam apparet, eadem ratione per effluxum radiorum nequibit in puro æthere caudam visibilem exhibere cometæ, sed illi caudæ opus erit aliquam subesse materiam, quare in alio sensu potest intelligi, quod cauda cometæ fiat per effluxum radiorum, quatenus effluxus ille reperit materiam substratam, quam eum in modum illustrat, ut speciem caudæ præbeat. Et in hoc sensu intellecta eo opinio est satis probabilis, & quod obiiciunt Conimbr. Zanard. Jo: de Sanct. Thom. & alii, quod si hoc esset verum, debuisset interdum contingere eclypsis cometæ per *interpositionem terræ*, sicut *contingit* in Luna, quia recipit a Sole lumen, parum convincit, nam ut Arist. docuit, cometæ plurimum extra Tropicos divagantur, ut autem obscurarentur a terra, non solum inter Tropicos deberent esse, sed sub Zodiaco directe, immo sub ecliptica, per quam Sol incedit. Solum instari posset, quod interdum etiam intra Tropicos visi sunt, unde saltem in eo situ aliquando eclypsim pati potuissent; quod tamen nunquam contigisse legitur. Sed occurri potest, quod ut ex historiis constat, si eis fides adhibenda est, paucissimi visi sunt cometæ in eo situ, & si interdum aliquis emicavit, statim evanuit, sic enim ait Aristot. in eo situ contigisse Nicomaco regnante, sed paucis effulsisse diebus ob causam superius allatam, unde non tamdiu durant, ut possint incidere in oppositionem directam cum Sole; quod si contingeret, *cometam* durare usque ad illud punctum oppositionis Solaris, & interpositionis terræ, tunc consequenter dicendum esset cometam eclypsari debere; hic ergo modus constituendi cometam per simplicem illustrationem terrestris halitus per radios Solares factam, & præcipue caudam, vel barbam cometæ modo declarato per effluxionem radiorum admitti potest, non tamen ut universaliter verus recipi debet, quasi semper ita constituatur cauda cometæ, quia ut bene arguit Glorios. lib. 3. de comet. cap. 8. tunc semper in conum desinerent caudæ cometarum: nam cum Sol major sit, quam caput cometæ, traiiciendo radios per illud, semper cauda contraheretur in mucronem versus partes extremas, quod tamen est contra experientiam, quandoque enim magis, ac magis dilatatur, potiusque servat formam scopæ, & calati, quam coni sive metæ, non ergo cauda cometæ semper constituі potest per effluxum, & trajectionem radiorum solarium. Insuper cum densitate, & viscositate materiæ exhalationis potest interdum tanta opacitas reperiri, ut corpus cometæ non sit facile pervium *lumini*, radiisque solaribus, quo casu cometa neque quoad caput, neque quoad caudam per simplicem illustrationem constitui poterit, sed per veram accensionem, & *inflammationem* exhalationis.

50 Sed quæres, quomodo hæc inflammatio contingere possit, & rursus quo pacto secundum hanc viam salvari possit, quod cauda cometæ semper in adversam Soli partem protendatur. Conimbr. ajunt hanc incensionem posse diversis modis contingere, nimirum vel motu velocissimo, quo aer supremæ regionis rotatur cum igne, vel flammulis ex elemento ignis deorsum decidentibus ejusdem motus impulsu, vel interdum etiam vibrato ex aliqua nube in altiorem aerem fulmine, non enim ima tantum pars coruscantis nubis, sed nonnunquam summa aperitur, & erumpenti ignis aditum præbet. Sed quicquid sit de hoc, dicendum est breviter cum Orbel. incensionem regulariter fieri in suprema regione ob ejus æstuantem calorem ex ignis propinquitate, & quia exhalatio est ad incendium valde dispositа, utpote calida, & sicca, & interdum inflammationem adjuvari ab astro, sub quo elevatur. Causam vero præcipuam, cur cometæ cauda protendatur in adversam Soli partem, inquit Cottunius esse sect. 33. quia materia barbæ, aut caudæ, utpote tenuis, rara, & exilis, reddit lumen debile, & exiguum, quod quidem nisi in obscuro, atque in umbra videri non potest, atque ideo ex ea parte, qua cometa Solem respicit, licet adsit exhalatio tenuis, tamen non exhibetur spectabilis, quia nimis illustratur ab ejus lumine, pars autem Soli opposita propter opacitatem cometæ non illustratur, atque ideo in tali umbra apparet splendor raræ, ac tenuis illius materiæ, quæ præbet speciem caudæ. Verum hac ratione cometa nunquam crinitus appareret radiis circumquaque *diffusis*, nam ex ea parte, qua Solem respicit, umbram non proiiceret, in qua eorum radiorum fulgor appareret. Immo nec etiam satis certum est, ut ibi supponit, cometam ex alia parte Soli adversa umbram proiicere ob sui densitatem, & opacitatem, quia cometa, etiamsi dicatur esse corpus densum, & opacum, adhuc tamen supponitur incensum, & illustratum, quæ illuminatio umbræ projectionem impedire videtur. Potius ergo id contingere dicendum est, quia exhalatio regulariter *densior est in medio*, in extremitatibus subtilior, & rarior, unde & in medio majorem recipit inflammationem, & in extremitatibus minorem, ex ea ergo parte, qua magis Soli exponitur, & ab ejus radiis percutitur, minus aut nihil rutilat, quia ejus splendor exiguus ab ingenti Solis splendore absorbetur, non ita ex alia parte Soli adversa; atque ideo ex illa semper cauda apparet, vel barba; cum vero exhalatio etiam partes extimas habeat notabili densitate compactas, nec ita e regione Soli opponitur,

nitur, tunc etiam ex ea parte, qua Solem respicit, radios emittit, & crinita apparet, quia cum sit *maxime inflammata*, etiam in ea parte non ita facile fulgor ejus absorbetur a Sole, adhuc tamen ob rationem allatam cæteris paribus crines cometæ ex alia parte Soli adversa aliquantulum longiores apparebunt; diximus *cæteris paribus*, quia si ex ea parte, qua Solem respicit, densior esset, quam exhalia, utrinque æqualiter comas expanderet.

51 Quarto tandem, & ultimo de motu, & tempore quo generatur, & durat cometa, *non* est magna difficultas; quocunque anni tempore ajunt gigni posse, autumnale tamen cæteris aptius esse, quia in præcedenti æstate exhalatio illa viscosa genita est in bona copia, potestque facile tunc temporis elevari, quia non adeo viget calor in ambiente, qui eam dissipet, & resolvat; in hyeme autem, & vere frigus, & *humiditas* siccitatem, & calorem exhalationis impedire solent; Non habet certam periodum suæ durationis, sed magis, vel minus durat secundum quod plus, vel minus exhalationis ei pro pabulo suggeritur, vel ignis illam depascens fortior, vel lentior est, & hoc juxta opinionem, quæ constituit cometam per incensionem, & inflammationem; nam juxta aliam quæ illum constituit per simplicem illustrationem, dicendum est magis, vel minus durare, secundum quod materia vilius copiosior est, vel densior, & difficilior ad resolutionem; quam alterius, atque magis, vel minus distat a sphæra ignis, nam qui minus distat, citius resolvitur, quam alter; quidam cometæ duraverunt per annum, sed pauci, nam regulariter nunquam tempus transcendunt sex Mensium. Motus demum cometæ varius est, *movetur enim* ab Oriente in Occidentem per motum raptus ad motum aeris circumvecti, cui insidet ut vehiculo, quia vero ob suam molem, & crassitiem raptui illi aliquantulum renititur, inde est, quod tardius movetur, quam ipsum Cœlum, quod ex eo colligitur, quia cometam, qui proxima nocte sydus Aplanis supra se habebat, parvos post dies eadem hora videmus ab eo distare aliquantulum versus Orientem, qua de causa quidam ei tribuerunt motum ab Occidente in Orientem; sed minus recte, quia ut notarunt Conimb. hic non tam est novus motus, quam prioris retardatio; movetur etiam a Septentrione ad Austrum, & e contra, item sursum, & deorsum, vel quia ex hac, aut illa parte suppeditatur ei nova materia exhalationis, ad quam ignis serpit, ut ad pabulum, juxta priorem opinionem, vel certius ob virtutem alicujus sideris illuc cometam attrahentis, ut magnes trahit ferrum, in utraque opinione, plura adhuc curiosa de cometis vide apud Angest. cit.

ARTICULUS V.

De reliquis impressionibus ignitis.

ALiæ quamplures ignitæ impressiones contingunt in aliis regionibus, aeris medii nimirum, & infima, fulgura nempe, fulmina, tonitrua, &c. quibus est eadem communis materia cum cometis, exhalatio scilicet terrestris ad accensionem idonea, & omnes comprehendemus in hoc articulo.

52 Primo videndum est, quid sit tonitru, & quomodo fiat, quænam scilicet sit causa fragoris illius, quem tonitrum appellamus. Arist. loc. cit. assignavit pro causa exhalationem siccam, & calidam in ventre nubis inclusam; dum per antiperistasim rarefacta quærit exitum; pro quo notat exhalationem illam sæpius cum vaporibus aqueis sursum elevari conglomeratam, qui *vapores in media regione* convertuntur in nubes adhuc intra se claudentes exhalationem illam siccam, & calidam, hæc vero per antiperistasim ex nubis ambientis frigore causam incalescit, ac rarefit, & locum ampliorem quærens hinc inde discurrit magno impetu concutiens latera nubis, quæ cum sit densa, & crassa edit fragorem illum, & grave quoddam murmur per modum tumultuationis, cujus causa est, quod exhalatio, & spiritus in concavis partibus nubis discurrens, non tanto agitur impetu, ut nubem scindat, quia vel est nimis densa, vel non ad sufficientiam incaluit, & ideo edit raucum sonum; ex quo patet, tonitrum fieri sæpe sine fractione nubis, cum vero impetus discurrentis spiritus intra nubem sufficiens est ad scissionem, tunc in egressu efficit majorem, atque clariorem, & *magis apertum* sonitum ob ipsius nubis scissionem eo modo, quo castanea ad ignem posita incalescente spiritu intus existente cum strepitu frangitur, dum quærit ampliorem locum, & in hoc casu tonitrus contingit cum fractione nubis, sed sine coruscatione, vel fulgure, & juxta varium modum scindendi nubem sonus editur diversus, nam si uno ictu *continuo* tota frangitur nubes, successive edit sonum similem illi, quo magno conatu scinditur membrana, & pannus bene compactus; si vero pluribus actibus frangitur, & quasi discrete, fit sonus similis crepitui, quem edit laurus in ignem conjectus; Si vero exhalatio tum ex forti antiperistasi, tum ex magno impetu, quo intra nubem agitur, & volutatur, ignem concipiat, sed adhuc latera nubis ob ejus densitatem disrumpere non valeat, fiet tonitrus cum coruscatione, subobscura tamen, & debili, quia non foris scintillat ignita exhalatio, sed solum transparet per latera nubis, & micat quidam fulgor, si tandem exhalatio intra nubem discurrens ignem conceperit, & impetu sufficienti a nubis scissione, & spiritus inflammanti coruscatione, magnoque boatu: quæ omnia luculenter prosequitur Angest. cit. *fol. 76.*

53 Sed adhuc aliis modis dicendum est, posse tonitrum contingere, etiam absque exhalatione eruptionum, & conflictu cum nube, ex *sola nimirum*, ac vehementi ipsarum nubium adinvicem collisione, quem modum docuerunt Senec. lib. 2. natural. qq. cap. 17. & Lucretius *lib. 6.* sui poematis, & velut probabilem recipiunt Conimbr. in lib. Metheor tract. 2. *cap. 3.* Jo. de S. Tho. tract. 3. cap. 3. & alii, nec dissentit Cottunius sect. 27. probatur, tum quia ex collisione aquarum immanis fluctuum resonat fremitus, etiamsi aquæ non sint corpora adeo dura, ergo idem dici de nubibus poterit, ac debebit, cum & ipsæ suam crassitiem habeant, ac densitatem ad recipiendum, & reddendum ictum, tum quia crassior est nubes, & densior, quam ipsa exhalatio intra nubem discurrens; ergo si ipsa exhalationis collisio cum nube sufficit ad edendum tonitrum, tanto magis ad id sufficiens erit collisio unius nubis cum alia; quod vero cum in *montes impingunt*, sonum non edant, provenit ex eo, ait Seneca, quod mons proprie non scindit nubem, nec ei resistit, sed potius eam sibi circumfundit, & gremio recipit, aut quia nubes non quocunque modo impulsæ tonant; nos itaque hunc modum generandi tonitrua libenter admittimus, putamus tamen ex hoc non magnum generari tonitrum, sed potius fragorem, & sibilum; Insuper Tatar. & Orbellus lib. 2. Metheor. in fine approbant posse etiam tonitrum contingere per extinctionem ignis *in nube*, *non quidem eo modo*, quo dicebat Anaxagoras, ignem descendere de sphæra ignis in nubem, & ibi cum strepitu, & murmure extingui, ut contingit de ferro ignito in aquam demerso, nam in hoc sensu refellitur ab Arist. loc. cit. sed in hoc sensu inquiunt posse illo modo tonitrum generari, quia exhalatio ignita per aerem *discurrens potest in nubem* multum aquosam impingere, & ibi extingui, in qua extinctione causatur sonus. Demum Conimb. cit. cum quibusdam antiquis satis probabile autumant, etiam sine exhalatione, e nubibus posse in aere tonitrua edi, quod probant experimento Montis Ætnæ, Vesuvii, & aliorum montium ignem eructantium, nam in illa eruptione tonitrua audiuntur Cœlo sereno; re tamen vera in his casibus non est dicendum, aerem tonare, quia bombus ille *non fit in aere*, sed potius intra voraginem ex collisione saxorum ejaculatorum ad seinvicem, vel ad latera montis, ex fremitu venti in visceribus cavernæ discurrentis, & aliis similibus, fit etiam tonitrus ille in ipsa violenta eruptione exhalationis ignitæ cum arena, & cineribus ex cavernæ latibulis eo modo, quo generatur *in eruptione pilæ ex bellico tormento*.

Ex his constat tonitrum esse sonum factum in nubibus ex violenta percussione calidæ, & siccæ exhalationis cum illis, vel ipsarum adinvicem, ex quo deducit Tatar. cit. tonitrum non esse formaliter impressionem, quia sonus non est impressio, vel Metheorum; sed solum connotative, quatenus non quilibet sonus dicitur tonitrus, sed ille dumtaxat, qui fit mediis impressionibus.

54 Secundo declaranda venit natura fulguris, docet itaque Arist. loc. cit. explosa prius Anaxagoræ opinione, qui ajebat esse flammam ab æthere distillantem, fulgur aliud non esse quam exhalationem accensam in nube, & fulgur dicitur a fulgore micante, quem exhibet; potest tamen quoque dari fulgur & coruscatio sine nubibus, & ita est cum nocte serena, Cœlo-que *stellato ex æstuante ambientis calore accenduntur in æstate* exhalationes, & in alto coruscant interpolatim flammæ; fulgur est plerumque cum tonitru connexum, sed quandoque etiam fulgurat sine tonitru, & tonat sine fulgure; tunc fulgurat sine tonitru, cum nubes est tenuis, & ideo facile scinditur, & leviter dissipatur, vel *halitus adeo prope* eximam *nubis* superficiem invenitur, ut illico absque strepitu erumpat; tunc vero sine fulgure tonat, cum exhalatio per concava nubis volutatur, & interdum erumpit nondum accensa, vel si accensa est, nostrum tamen non ferit intuitum, quia nimirum vel ex parte superiori versus Cœlum nubem disrumpit, vel si eam dirimit ex parte inferiori versus nos, inter nubem fractam, & nostrum obtutum alia nubes intercedit, quæ nobis eripit aspectum fulguris, cujus rei signum est, quod cum talia *contingunt tonitrua* sine fulgure, non vehementem exhibent sonum, quia nimirum exhalatio, quia adhuc non est ignita, non magno impetu nubem contundit, vel si valide eam impetit, disrumpit ex parte superiori versus Cœlum a nobis valde remota. Quando autem exhalatio est ignita, ideo ut plurimum cum tonitru connectitur: igitur quia ignis potius inferius, quam superius, vel ad latus nubem disrumpit, esto suopte ingenio ad superiora propellatur; *hujus rei rationem* reddit Angestus cit. *pag. 76.* & Orbellus loc. cit. & seq. Cottunius lect. 27. quia aer supra nubem frigidior est, quam infra, & ideo ex parte superiori magis nubem condensat, & conspissat, quare exhalatio intus inclusa difficilius partem superiorem penetrat, quam inferiorem, plus etiam *frigoris* abundat *in latere*, quam *in infimo*, & *sic* etiam faciliorem habet exitum subter, quam per latera, quare repercussa a superiori parte nubis descendit dividens *inferiorem*, *minus fortem*, & resistentem.

55 Rursus docet Arist. quod licet fulgur prius *nobis* feriat visum, quam tonitru auditum, eo quia viso citius fit, quam auditio ob rationem in lib. de Anim. reddendam, tamen a parte rei tonitrus coruscationem præcedit, ubi notat Ang. hoc dictum non esse universaliter verum, quod scilicet *tonitrus* coruscationem *generatione* præcedat, nam quandoque præcedit, quandoque subsequitur, quandoque simul sunt; quando enim prius movetur exhalatio impetuose per latera nubis, quam inflammetur, tunc tonitrus coruscationem præcedit; quando prius inflammatur exhalatio calore per antiperistasim fortificato, quam moveatur per latera nubis, eamque disrumpat, tunc coruscatio præcedit tonitrum, quando tandem

dem simul fiunt motus concussivus nobis, & inflammatio, nunc etiam simul fiunt tonitru, & coruscatio, *sed tamen adhuc prius* percipitur fulgur, quam tonitrus *ob rationem allatam*, non ergo vult Aristot. tonitru *semper* generatione præcedere fulgur, sed solum vult innuere, quod quando simul fiunt, adhuc tamen prius videtur fulgur, quam tonitrus audiatur, unde non est idem simul fieri, simulque percipi,

56 Demum docet, exhalationem incendi ex motu, & collisione ejus ad nubem, aliquando per antiperistasim circum obsistentis frigoris nubis, regulariter vero per utrumque, quod indubitanter ab omnibus recipitur, cum tamen res difficultate non vacet, nam motus nequit esse causa caloris, nisi sit inter corpora solida ex dictis disput. 2. quæst. 7. art. 4. qualia certe non sunt nubes, & spiritus inclusus, antiperistasis etiam nequit esse in causa, ut res intendatur ultra suum connaturalem gradum, ut inferius dicemus in lib. de Gen. quia nihil potest in se agere actione univoca, non ergo videtur, qua ratione exhalationes in media regione existentes, quæ est frigidissima, possint inflammari, ignemque concipere. Hinc aliqui putarunt, exhalationes illas non vere inflammari, & ignem concipere, sed potius a radiis solaribus, aliisque astris illustrari, lumenque recipere. Sed perperam prorsus, nam fulgor ille micat quoque nocturno tempore, cum Sol a nostro exulat emisphærio, nec radiis pertingere potest nubes supra nos existentes, & etiam quando Luna non lucet, non possunt autem alia astra tantum effundere fulgorem, Fatendum igitur est, exhalationes illas vere inflammatas esse, ac inardescere, sed inflammatio non est referenda *in solam* antiperistasim, solamque motus earum *concitationem*, & *collisionem* cum nube, sed etiam in astrorum virtutem, quæ exhalationibus illius prædominantur, si enim hoc asseri solet de Cometa, quod ejus inflammatio ab astro ei prædominante coadjuvetur, etiamsi hoc adminiculo minus videatur indigere, quia generantur in suprema aeris regione, quæ calidissima est, plane id magis asserendum videtur de exhalationibus, quæ in media aeris regione accenduntur quæ frigidissima est.

57 Tertio fulmen est exhalatio ignita e nube magno impetu excussa, ut docet idem Arist. tertio Metheor. cap. 1. unde eadem est materia fulminis, & fulguris, cum hac solum differentia, quod materia fulguris est magis rara, minusque consistens, & minori vehementia e nube *vibrata*, unde per aerem dissipatur, & *refolvitur*, nec ad terram pervenit, at materia fulminis crassior est, & magis consistens, & magno impetu e nube excussa, ideoque non dissipatur in aere sed ad terram descendit, hinc dicebat Seneca, fulgur nil aliud esse, quam flammam futuram fulmen, si plus virium habuisset. Ex diversa autem dispositione materiæ magis, vel minus densæ, terrestris, & viscosæ, ex qua componitur, diversa sunt genera fulminum, quæ & diversos effectus causant, quandoque enim est materia tenuis, quæ descendens corpora lambit, & ad summum denigrat, non adurit propter debilitatem virtutis, ac etiam distantiam nubis, unde excussa est, secundum enim majorem, vel minorem distantiam nubis, a qua erumpit magis, vel minus conflagrat, cæteris paribus, sicut cum quis vicinius est *tormento bellico*, non tantum feritur, sed etiam aduritur, quandoque est *materia* spissa, bene compacta, & fortiter inflammata, quæ cadens destruit domos, & comburit quæcunque obviam invenit; quandoque est multa, spissa, atque conglutinosa, cum qua contingit cadere lapidem, qui cuneus fulminis appellatur, & exhalatione viscosa, & terrestri generatur decoctione caloris ad modum lateris, hic lapis scindit trabes, penetrat muros, & res fortissimas dissipat actione virtutis sulphureæ inflammatæ cum eo motæ, & ipsum propellentis eo modo, quo globus e bombarda emissus pulvere tormentario incenso pellitur, & agitatur, & hic lapis fulmine ejaculatus, dicitur fagitta; non autem absolute *fulmen*, quia fulmen est nomen genericum, & sæpius contingit fulmen sine lapide, & hac ratione negavit Aristot. cit. lapidem ejaculatum debere dici fulmen, & ait esse potius dicendum fulminis cuneum, Hinc postea fulminum quoddam dicitur terebrans, quoddam dissipans, quoddam urens? primum subtilem habet flammam, ideo per angusta foramina, & poros transit; dissipans vero est conglobatum, & ideo non perforat, ut primum, sed rumpit, frangit, & terit; tertium tandem habet multum grossi terrei, & magis est igneum, quam flammeum ad modum carbonis, & ideo rebus percussis relinquit magnas ignium notas, ita Angest. loc. cit.

58 Effectus fulminis adeo varii, ac prodigiosi sunt, ut naturam superare videantur, in primis regulariter alta petit, ut turres, campanilia, arbores proceras, montes, colles, & magna ædificia, juxta illud Horat. lib. 2. ode 10. *Feriuntque summos fulmina montes*, & est communis omnium sensus, cujus rationem afferunt omnes esse, quia motus fulminis valde irregularis est hinc inde serpens ob impetum spiritus, & flatus qui illum furens, & conglobatus præcedit, & sequitur in magna copia, quo agitatum in varias partes resilit, ut docet Arist. cit. unde a Poetis *obliquum fulmen* dicitur, & a Job 26. *Coluber tortuosus*, quia ad instar colubri serpit, cum ergo ut plurimum ita moveatur, quod primo fit ei obvium, ut sunt excelsa, prius quoque ferit, & dissipat. Sed non obstante communi omnium sensu P. Secundus Lancellotus Abbas Olivetanus vir eruditissimus, ac nostrum amantissimus ob necessitudinem Perusiæ contractam, non dubitavit libro suo Italice inscripto *Farfalloni degli antichi Istoriti* Farfall. 68. hunc fulminis effectum inter nugas, & fabulas recensere simul cum *illo alio*, qui etiam vulgariter ei adscribitur non lædendi laurum, hyacintum, corallium, vitulum marinum, & Aquilam, cujus Auctor fuit Plinius lib. 2. cap. 55. & lib. 37. cap. 10. ait enim indifferenter alta, & ima petere, nec re vera majorem esse numerum ædificiorum sublimium a fulmine læsorum, quam tuguriorum, & casarum humilium, videri tamen majorem, quia alta ædificia, & turres aspectui cunctorum sunt obvia, atque ideo frequentius in eis notantur fulminis ictus; tamen si notari possent ubicunque fulminis ictus, non plures percussisse turres, & palatia, quam tuguria, non pluries colles, & *montes*, quam imas valles videretur. Verum pace tanti amici experientia in contrarium adest, & ratio naturalis allata id apertissime suadet, quam ipse non dissolvit, idest concedimus equidem quod ipse in contrarium urget plures esse casas fulmine tactas, quam palatia, quia major est illarum numerus, quam illorum, at si æqualis utrorumque numerus, sane ex conditione motus fulminis sæpius in palatia, & turres impingeret, quam in humiles casas, quamvis ergo libenter ei concedamus fabulam esse, quam narravit Plinius de lauro, corallio, hyacinto, &c. quia contrarium experti sunt Vicomercatus 3. Metheor. cap. 10. & Scaliger. exercit. 113. in Cardan. ut referunt Conimbr. cit. cap. 6. tamen quod fulmen ex conditione sui motus non facilius in excelsa impingat, quam in humilia, & depressa *loca*, non est puga, & fabula, sed veritas naturali ratione comprobata, ut Licetus adnotavit libello, quem edidit de natura fulminum pag. 8.

Rursus sunt quædam loca tam in eminenti, quam in imo situ alias ictui fulminis exposita magis, & obnoxia, ita ut creberrime a fulmine tangantur, quod referri nequit, nisi in virtutem alicujus sideris illuc fulmen propellentis, notus etiam effectus est fulminis, & ab Arist. infinuatus, quod mollia, & minus resistentia sine læsione pertranst, dura vero, & bene compacta constringit, ac dissipat, unde frangit gladium, crus, pedem, liquat pecuniam salva vagina, carne, calceo, & crumena, ratio hujus affignatur ab Angest. cit. quia fulmen, ut diximus, solet esse subtilis exhalationis, bene tamen unitas, & coadhærentes habens partes, hinc est, quod si corpora non ita dura deprehendat, facile illa pervadit, & penetrat per partes porosas subtilitate, & parvam moram ducit in illis, quia non resistunt, solidiora autem corpora, quia illud per poros transmittere non possunt, ideo ab eo labefactantur, & comminuntur ob longam moram, quam ducit in eis, ut eorum superet contumaciam; sed interdum etiam facit effectum oppositum, dura, & solida non lædit, mollida, & fluida absumit; exuit enim quandoque vestes, caligas, & calceos, nec nocumentum infert alicui parti corporis; imo interdum pilos *ipsos* absumit, & carnem intactam relinquit, hoc autem provenit, quia exhalatio non est interdum bene coagulata, & compacta, sed tenuis est, & debilis, & ideo contumaciam rei resistentis vincere nequit, unde vim suam in rebus minoris resistentiæ impendit, & in earum consummatione exhauritur tota ejus virtus,

59 Alios denique effectus adhuc mirabiliores recenset Angestus cit. eorum causas assignans, nam fulmen corpus venenatum purgat, & purgatum venenat, cujus causa est diversitas dispositionis materiæ, sicut Sol ceram liquat, & lutum indurat, contingit enim venena mutuo se corrumpere, & post corruptionem qualitatis venenosæ exhalationem fulmineam evolare, & evanescere, Item fulmine percussus dormiens moritur oculis apertis, percussus vigilans moritur oculis clausis, causa est repentina occisio, qua primus ictu aperiens oculos occisus est priusquam iterum eos clauderet, secundus vero timore claudens oculos occisus est, priusquam iterum eos aperiret. Rursus visum est etiam aliquando fulmen percussisse dolium vini, fractisque tabulis, & asseribus, vinum ipsum stetisse concretum, neque effundi ut refert Albert. Magn. tract. de tonitru, cap. 22. aliquando e contra, ut refert Lucretius, inventum est fulmen totum consumpsisse vinum, dolio intacto; causa primi est, quia dolium est corpus solidum, quod fulmini resistit, dum igitur fulmen circa dolium volutatur, pellicula quædam per totam concavam vasis superficiem extenta, qualis videtur in ovo, manet illæsa consumpto ligno, & in ipsa vinum per aliquod temporis spatium detinetur; si vero dolium sit ex ligno dulci compactum, non robusto, fulmen autem *robustum sit*, ac penetrativum, tunc fulmen penetrat dolium per poros, & ob nimium calorem, & siccitatem vinum consumit, dolio incolumi manente, sic eisdem de causis interdum accidit, ut prægnans mulier fulmine icta illæsa evaserit exanimato fœtu, quem gestabat in utero, ut de Martia Romana refert Plinius lib. 2. cap. 51. & interdum e contra, ut prægnans necata fuerit fœtu incolumi, ut de Semele dixerunt Poetæ Bacchum in utero gestante, alia plura de fulmine mirabilia leguntur apud Majol. lib. dier. canic. colloq. 1. & Licetum, qui loco cit. copiose differit de natura fulminum. Demum Vere, & Autumno potissimum tonitrua, & fulmina contingunt, quia nimirum tunc maxima copia duorum halituum invicem pugnantium in aere vagatur, & invicem miscentur, atque pugnant, secus hyeme, & æstate, dum enim æstatis ardor viget, *nimio* calore absumitur vapor, dum vero hyemis frigus riget, exigua gignitur exhalatio.

60 Quarto, Metheora alia minoris momenti sunt breviter percurrenda, quæ fiunt in eadem media, ac etiam infima aeris regione, & in primis occurrit *Sydus discurrens*, quod tunc contingit, cum exhalatio longa, & parum lata sensim, & ordinatim acceditur, extinctis partibus primo accensis, sicut videmus per tramitem tormentarii pulveris ignem successive, & ordinate progredi, vel cum exhalatio

halatio tota, perinde ac si vibrata esset, mutat locum, & de uno ad alium excurrit, & hoc Metheorum sæpe conspicitur, præsertim nocte stellata, ac cœlo sereno, si deorsum descendit dicitur stella cadens, si tendat sursum stella volans, si ad latus, stella discurrens; movetur sursum a levitate innata, movetur deorsum pulsa a frigiditate secundæ regionis, vel alicujus nubis, si cœlum non est perfecte serenum, ad latus vero, cum nec levitas sursum ferens prævalet frigori deorsum trudenti, neque e contra. Notat autem Cottunius lec. 28. ex Aristot. hoc Metheorum non tantum nocturno tempore, sed etiam interdiu quandoque contingere, & per aerem transcurrere, non tamen semper conspici ob diurni luminis fulgorem; sed & quoque interdum videri, cum exhalatio est in magna copia, & vehementer inflammata; unde & Seneca lib. 1. natural. q. cap. 1. refert tales diurnas faces ab Oriente in Occidentem discurrentes, vel e contra non semel visas esse suo sæculo, imo quidpiam simile vidisse quondam, cum ruri maneret levandi animi gratia, testatur Cottunius ipse loc. cit. apud quem alia complura de hoc Metheoro legi possunt. Secundo, *Capra saltans* est exhalatio accensa, quæ ex inconstantia motus, & varietate figuræ nobis speciem exhibet Capræ saltantis, ad hanc impressionem requiritur, ut exhalatio non simul, sed successive, non continue, sed interpolatim, ac sine ordine hinc, & inde accendatur, ut contigerer si hinc inde dispositus pulvis tormentarius quasi per saltum accenderetur. Tertio, *Lancea* est exhalatio longa, & minus lata, fortitur etiam nomen trabis, jaculi, columnæ, pyramidis &c. pro majori, vel minori longitudine, & latitudine, & hæc impressio non discurrit per aerem, sed videtur immobilis stare. Quarto, *Ignis fatuus* est exhalatio viscosa accensa in infima aeris regione, agentes iter noctu, vel præcedit, vel comitatur; cujus ratio est, quia agitato aere facile propellitur, vel attrahitur; apparet sæpius in cæmeteriis, & circa patibula, ait Angestus, atque etiam *in locis* palustribus propter viscosas materias, quæ in istis resident *locis*; unde vulgus *opinatur* esse animas, & vetulæ garrulant esse animas infantium ante baptismum decedentium; idque probant, quia inquiunt earum audiri gemitum; sed si id verum est, oritur ex nova inflammatione vicinæ exhalationis; quæ fit cum aliquo stridore, dicitur autem *fatuus*, quia inconstans est ipsius motus, accedit enim, recedit, movetur ad latus, saltat, inclinatur pro diversa aeris agitatione, dicitur etiam deducere ad præcipitia, forte quia materia illa, cum sit viscosa, & densa, ac proinde gravitans, paulatim loca decliviora petit. Quinto, *Ignis lambens* constat exhalatione subtili, & rara; dicitur *lambens*, quia plerumque in capillis hominum, & animalium calidiorum, quasi eos lamberet, accenditur, eo quia animalia ista spiritus exhalant pingues, qui in capillis, & pilis sæpe detinentur. Sexto, *Draco volans* est exhalatio densa, & non uniformiter accensa, longa, & vasta, dicitur *draco*, quia ex una parte habet tenuiorem exhalationem conjunctam, quæ per modum scintillarum accenditur, unde refert os Draconis ignem vomentis; habet figuram curvam, & in fine referentem caudam propter impressionem variam nubium frigidarum. Septimo, tandem *Castor*, & *Pollux* est exhalatio pinguis accensa in infima aeris regione, quando est divisa, dicitur Castor, & Pollux, quando est conjuncta, dicitur *Helena*, si discurrit per aerem, est inditium commoti aeris, si quiescat, ut plerumque contingit, circa *malos*, & antennas navium, sedatum indicant aerem, unde nautis cum circa antennas hærent, serenitatem indicare dicuntur in tempestatibus, & ab eis *ignis sanctus* dicitur, alii dicunt, quod cum hæc exhalatio apparet unus ignis, ac indivisus, imminentem indicat tempestatem, cum vero geminus conspicitur, ac veluti divisus, significat sedationem tempestatis, cujus variæ significationis rationem physicam investigat. Cottunius lect. 28. carpens Conimb. tract. 2. cap. 2. dicentes hujus rei nullam physicam rationem afferri posse, ea autem est, quia cum apparet solitarius Helenæ ignis, significat adesse in aere multam, crassam, densam, ac bene compactam exhalationem, quæ si omnino resolvenda est, vehementiores excitabit ventos; cæterum cum geminatus emicat, significat exhalationem esse fere dissipatam, ac dissolutam, ac proinde cito defecturam.

61 Solet quæri unde, & quomodo exhalationes hujusmodi concipiant ignem, ac inflammentur, Cottunius, loc. cit. ab initio tres causas assignant ignitionis exhalationum in universum, quas deducit ex Arist. 1. Metheor. cap. 4. & passim recipiunt Peripathetici, prima est celer, & concitatus exhalationis motus quem participat a superno cœlorum motu velocissimæ illam circumagente in superiori aeris regione, quæ tota circumvolvitur; altera est propinquitas ad sphæram ignis, qui non modo superiorem partem mediæ regionis calefacit, sed etiam ex aliquo intervallo fertur in exhalationem, ut pote ad materiam valde dispositam, ut inflammetur, sicut contingere videmus, cum duæ lucernæ (quod est exemplum Aristot.) quarum una superior accensa, altera inferior recens extincta juxta se disponuntur, fumus enim istius violenter arripit etiam in aliqua distantia illius flammam; tandem accenditur, quia supra oppositus ignis spargitur in aerem inferiorem motu frequenter, & fertur violentia deorsum. Etiamsi hæc responsio de exhalationibus, quæ in supremam aeris regionem accenduntur, ut sunt Cometæ posset admitti, tamen in proxime relatis, quæ fiunt in media, & infima regione, locum nullatenus habere potest, ut per singulas allatas causas discurrenti patebit, ob nimiam distantiam a cœlo, & sphæra ignis, potius ergo recurrendum est ad speciales astrorum influxus, sub quibus tales exhalationes elevantur, nam horum adminiculo coadjuvante quoque motu, quo per aera agitantur, ignem concipiunt, & inflammantur, cum exhalatio sit materia suopte ingenio facile accensibilis.

62 Quinto tandem nedum in regionibus aeris ignes gigni, & ardere contingit, sed in ipsius quoque terræ viscenibus, qui proinde dicuntur ignes subterranei, *hoc* indubitate testantur fumi, & flammæ e terra variis in locis erumpentes, sicut ex camino, vel fornace, inter quos celeberrimi sunt Ætna Siciliæ mons sæpius nedum flammas evomens, sed & igneos torrentes, & Vesuvius in Campania prope Neapolim, qui & ipse non semel flammas, & ignes magno impetu eructavit; sed inter omnes ejus conflagrationes, quæ contingit anno 1631. mense Decembr. die 16. sicut omnium novissima fuit, ita fuit, & omnium maxima, & portentosa, nam in hac eruptione dedit ille mons ingentes adeo, ac horribiles boatus, & mugitus, ut Spoleti, & Perusiæ illa eadem die auditi fuerint; ignem vero, & flammas tanto impetu ejaculatus est, ut cinis ad plura, & dissita loca etiam extra Italiam delatus fuerit. Ragusium enim pervenit, & Aseruvium, vulgo Catharum, Dalmatiæ Urbem. Refert hæc omnia P. Gregorius Caraffa in opusculo de novissima Vesuvii conflagratione; & probat testimoniis fide dignis, & quidem quoad illud, quod asserit de bombo, & fragore etiam ad remotiora loca perveniſſe, nos ipsi testes sumus; tunc enim temporis Perusiæ degentes die illa 16. Decembr. fremitus illos audivimus tormentorum bellicorum ictibus similes veræ originis ignari.

63 Causa materialis harum conflagrationum, ut docet Angest. lib. citat. pagina 75. est terra sulphurea, & bituminosa, quæ valde idonea est ad concipiendum ignem, permixta cum napta unctuosa; causa autem efficiens est exhalatio unctuosa commora intra terræ viscera inclusa exitum perens, & per concussionem inflammata, & allisionem ad latera cavernarum, & igne *Ætnæum*; in hunc modum incendi tradit Antonius Philotæus in Typographia Ætnæ, potest etiam, ait Angest. alio modo incendi prædicta materia in viscribus terræ, quam per concussionem, calore nimirum aucto, vel per antiperistasim, vel virtute alicujus astri cœlestis, cui etiam tribui solet metallorum generatio in eisdem terræ latibulis; frequentius autem ista loca ignem evomentia secus mare reperiuntur, ut constat de Vesuvio, Ætna, Lypara, &c. & causa est clausio pororum terræ per aquam maris; quare citius materia illa accenditur; frequentius item irrumpunt ignes ex montibus, quam ex vallibus, & locis planis, tum quia bituminosa, & sulphurea materia plus abundat in montibus, quam in vallibus; tum quia montes plures habent cavitates, quam ima, in quibus recluduntur spiritus crassi, & pingues, qui sunt pabulum ignis; tum quia ventorum flatibus magis sunt expositi montes, quam valles, unde in cavitatibus montium recluſi illam materiam agitant, & ad incendium disponunt. Et secundum durabilitatem materiæ, & efficientis durant tales ignes, & deficiente materia extinguuntur, prout videre est in multis locis, a quibus alii tales erumpebant ignes, & nunc amplius non apparent, durant autem in quibusdam *locis diutissime*, ut in Ætna, tum quia magna adest *copia materiæ*; *tum* quia *continui halitus in eis continuam semper materiam* suppeditant, nam ipsorum actione, adjuncto ignis calore cum cæteris requisitis, terrestris materia convertitur in bitumen, & sulphur; licet autem ignis in sulphure non diu duret, quia facile illud absumit, in bitumine tamen diu durat, quia est corpus magis tenax, & viscosum, hinc ergo procedit diuturnitas ignis in quibusdam locis, licet ex Patribus non desint, qui ea putaverint esse fumariola quædam gehennalis incendii constituta ad nostram eruditionem. Hinc etiam deduci potest, cur ignium subterraneorum statutis temporibus fiat eruptio, ut de Lypareo igne refert Aristot. de admirand. aud. num. 35. quod interdum anno sextodecimo deficit, & postea decimoseptimo redit, quia nimirum interdum deficit materia, & ita extinguitur ignis, nec rursus accendi potest, quousque nova generetur, & aggregetur materia.

64 Sed longe difficilius est assignare causam diuturnitatis quarundam lucernarum ardentium, quæ in vetustissimis quibusdam sepulchris subtus terram sæpius inventæ sunt, sane mirandum est, quo modo, quave ratione potuerit per tot annorum centurias flamma in illis semel accensa conservari, refert enim Vives in cap. 6. lib. 21. de Civit. S. Augustin. erutum esse sepulchrum, in quo ardebat Lucerna condita ibi, ut ex inscriptione apparebat, supra millesimum, & quingentesimum annum, eamque totam extemplo, ut contrectari cæpta est, in tenuissimum abiisse pulverem, quod & Solinus tradidit cap. 12. & 24. dicens in Britannia in Minervæ delubro perpetuos ignes fuisse, de qua re plurima ex historiis exempla affert eruditissimus Fortunius Licetus in suo opere de Lucernis Antiquorum. Variæ, ac minus idoneæ responsiones ad hoc excogitatæ sunt, quas omnes refert, & copiose refellit Licet. lib. 2. Communior, & verisimilior responsio, quam recipit Aversa qu. 42. sect. 2. & ipse Licet. est, paratum fuisse in illis lucernis talem oleum, & talem lychnum, ut tamdiu ardere posset, ratio est, quia quædam terrestria corpora inveniuntur, quæ semel inflammata diutissime flammam retinent ob materiæ pinguedinem, ac viscositatem, ut jam de bitumine diximus, sed & adhuc exant alii lapides tenacioris naturæ, ut de Amianto præsertim referunt, & Arbestio, qui flammam semel conceptam adeo constanter retinent, ut nec aqua extingui valeant, & Petrus Messias in silv. p. 5. cap. 26. tradit juxta

Urubam in novo orbe esse lignum quoddam, quod semel igne accensum ad longissima tempora accensum viget; poterit ergo arte chymica tale oleum ex his *lapidibus*, & *mixtis* distillari, ut igne invictum semper ardeat; simile quoddam oleum commemorat Ælianus de hist. animal. lib. 5. cap. 3. & Vives cit. testatur se vidisse Parisiis lychnos quosdam, qui incensi nunquam absumebantur: ex tali ergo oleo Lucernæ illæ antiquorum parari potuerunt, & ita significant Solinus *loco* cit. & Albertus Magnus lib. 2. mineral. tract. 2. cap. 1.

At tota hujus rei difficultas consistit in declarando, qua ratione ulla materia queat ignem tamdiu retinere, ejusque voracitati resistere tanto tempore; diximus enim supra art. 1. idest ignem extra suam sphæram continuo indigere pabulo, quia semper sursum ascendit, unde ignis, qui ab initio accenditur, non idem numero permanet, sed novus semper succedit; unde dicebat Arist. de Juventute, & Senect. *ignis perseverat semper fiens, ac fluens, sicut fluvius*, quia ergo ex hac continua sursum evolatione ignis tandem deficit, si nova materia non additur, inquit Licet. lib. 3. cap. 20. posse reperiri materiam adeo unctuosam, & viscidam, ut ascensum ignis cohibeat, & multo tempore impediat, & sic ignis toto illius temporis decursu in ea materia conservabitur, donec tandem virtute sua impedimentum illud superans a tali vinculo exolutus ascendat; Aversa vero inqui, parari posse materiam, ex qua flamma quædam adeo crassa accenderetur, ut non ultra aerem levitaret, non enim difficile apparet, fieri posse ignem aere non leviorem, talis enim est ignis carbo, quem videmus aeri subsidere; cum ergo illa flamma ob sui crassitiem ascendere non contendat, & aliunde ab aliis contrariis remota sit, poterit in sua Lucerna, in qua semel fuit accensa, diutissime perdurare.

65 Hæc tamen omnia facile refutantur, non enim dari potest materia, quantumvis unctuosa, & viscida, quæ vim habeat alligandi flammam, ne sursum evolet, etiam pauca temporis mora, nam flamma continuo sursum ascendit, & perdurat, sicuti fluvius, ut ajebat Philosophus, qui tandem deficit, si aquæ non succedant aquis, & quidem etiam in ipso bitumine experimur, quod tamen materiam habet viscidam, & pinguem, nec ullo quidem momento flammam quiescere a motu sursum, non ergo viscositas, & pinguedo valet hunc effectum præstare cohibendi nempe levitatem ignis, ne sursum ascendat, sed tantum voracitati resistere, ne tam cito absumatur. Nec etiam subsistit, quod ajebat Aversa, tum quia licet ignis carbo non leviter ultra aerem ob materiæ gravitatem, in qua forma ignis reperitur, quam nequit ejus levitas superare, ut tollat in altum, tamen ignis flamma, quantumvis crassa, & pinguis, semper ultra aerem levitat, quia levitas ignis semper prævalet gravitati materiæ sumi, ex qua coalescit flamma: tum quia si ex hoc capite potest tamdiu flamma illa durare, poterit etiam quilibet carbo, si in loco ponatur a contrariis tuto, servare tamdiu ignem semel conceptum, quia *ignis* carbo semper est crassior, & gravior flamma, atque ideo sursum evolare non contendit, quare concedimus viribus naturæ parari non posse ignem tamdiu durantem in eadem materia, & hoc manifeste deducitur ex modo, quo docuit Arist. cit. ignem apud nos conservari, veluti scilicet fluvium continuo fluentem, & novo pabulo indigentem, & ideo vel dicendum historias illas de Lucernis Antiquorum esse fabulosas, ut demonstrant Aresius in opere Italico inscripto: *Impreſe Sacre lib. 2. impres. 7.* Flavius Querencus in lib. item Italico: *Delle Lucerne de' ſepolcri antichi*, & alii, vel si vere Lucernæ illæ ardentes inventæ sunt, & non extinctæ, dicendum cum Jacob. Guther. lib. 2. de jure Manium, non semper illas arsisse, sed tunc primum, cum effossa terra apertus est locus, accensum fuisse ignem in Lucerna externi aeris afflatu, aut alio modo; vel tandem si verum est, ab initio accensas fuisse, & deinceps arsisse semper; hoc referendum est ad *operam Dæmonis* in Antiquorum sepulchris, & Templis, ut innuit D. Aug. cit. lib. 21. de civit. cap. 6. vel ad divinum miraculum, ut pie credi potest de Lucerna quadam ante Imaginem Christi, quam commemorat Majol. cit. Colloq. 23. post quingentos annos inventam fuisse accensam intra quendam parietem.

QUÆSTIO III.

De aere, ac Metheoris aeris.

IN hac regione elementari post magnum ignis elementum sequitur immediate *elementum* aeris, quod in varia fecerniur regione, ut supra innuimus, & nunc ex professo explicare tentamus, in quo elemento etiam propria inveniuntur Metheora *consideratione* digna, atque ideo nec non sub silentio prætermittenda, ideo opus erit hinc pariter quæstionem in articulos dissecare ad majorem rei claritatem.

ARTICULUS I.

De regionibus aeris.

66 ARistot. 1. Metheor. cap. 4. totum aeris elementum in tres distribuit regiones, vel Zonas, supremam, mediam, & infimam terræ, & aquæ conterminam, hæc infima regio nobis proxima designatur a superficie terræ, & aquæ usque ad certum terminum altitudinis, ad quem perveniat notabilis reflexio solarium radiorum, & supra quem cogantur nubes, & pluviæ gignantur, itaque ubi extinguitur vis reflexionis caloris, & luminis solaris, ibi desinit tractus infimæ regionis, media regio designatur ab hoc termino usque ad *alium*, intra quos coguntur nubes, & generantur pluviæ. Totum denique aeris residuum, quod supra jam designatam mediam aeris regionem extollitur, & usque ad concavam ignis superficiem porrigitur, constituit supremam aeris regionem; termini vero, & limites, penes quos prædictas aeris regiones distribuere solemus, non sunt immobiles, & fixi, nam pro temporum diversitate variantur, & quidem hoc patet de media, & infima regione, æstivo enim tempore infima regio major est, quam in hyeme, quia reflexio caloris, & luminis Solaris potentior est, & altius ascendit, quia cum Sol tunc temporis puncto nostro verticali propinquior incedat, terram percutit ad angulos rectos, vel rectis propinquiores, proinde vehementius eam verberat, fitque major reflexio caloris, & reverberatio; e contra vero in hyeme minor est ob oppositam rationem, quia a puncto nostro verticali recedendo oblique terram percutit per angulos obtusiores, & acutiores, atque ideo longe minor fit reflexio, quia per tales angulos debilis fit verberatio; Porro supremam regionem asserit Zab. lib. de regionibus aeris cap. 1. eandem semper, & immutabilem servare dimensionem, eo quia putat totam primæ, & secundæ regionis altitudinem usque ad altissima montium cacumina pervenire, totum vero aerem, qui super *illa* porrigitur usque ad locum ignis, ad supremam regionem pertinere, unde initium supremæ regionis a montium summitatibus desumit, & sequitur Cottun. lec. 19. cujus rationes esse videtur, quia superior aeris regio tota a motu cœlesti circumagitur; per talem enim motum calida conservatur, at cacumina montium impediunt, ne aer infra ipsa contentus moveatur, ergo totus ille aer inclusive ad mediam spectabit regionem, non ad supremam.

67 Cæterum *valde communis opinio est, quorundam montium* cacumina secundam regionem transcendere, & tertiam occupare, quod præsertim asseri solet de monte Olympo, qui in Thessalia, & Athone, qui in Macedonia, in quorum cacumine ferunt cineres relictas toto anno nec ventis differi, aut dissipari, nec imbribus elui, quod quidem de monte Olympo non tantum Solinus testatum reliquit c. 4. sed etiam D. August. 3. de Genes. ad lit. cap. 2. confirmat, & addit perhiberi in vertice Olympi aerem esse adeo tenuem, ut aprus ad respirandum non sit, ideoque homines illuc ascendentes secum spongias deferre aqua perfusas, quibus ori oppositis aer quidem crassior efficiatur, ac ita respirationi inserviat; Verum est Franciscum Philelphum in quadam epistola apud Jacob. Mazzonium lib. Italice inscripto: *Difeſa della Commedia di Dante*, lib. 4. cap. 12. id fabulosum reputare, inquit enim se apicem Olympi montis ascendisse; ibique ventos, & pluvias, & aves volantes reperisse. Sed forte in æquivocatione montis Olympi deceptio contingere potest, quatuor enim sunt Olympi, ut Strabo, Bocatius, Manutius, & *alii* tradunt, & Olympus ita sublimis est in Thessalia, ut referunt Conimb. tract. 1. Metheor. c. 2. si ergo huic opinioni passim receptæ standum est, non bene initium tertiæ regionis sumitur a summitatibus montium, nec ratio, quam Zabarel. insinuat, id convincit, quia necesse non erit totum aerem ad illam regionem spectantem moveri a cœlesti vertigine, vel saltem æquali velocitate secundum omnes partes, imo partes conterminæ aeri secundæ regionis, sicut sunt minus calidæ, ita vel nihil, vel leviter attinguntur a cœlesti motu, neque ex hoc ullum sequitur inconveniens, suprema ergo regio inter cavum ignis, & paulo infra altissimorum montium fastigia intercepta est.

68 Insuper regiones istæ aeris nedum distinguuntur secundum locorum differentiam, & situm, sed etiam secundum accidentales quasdam affectiones, ut etiam Arist. docuit loc. cit. quoniam supera regio ob ignis viciniam plusquam ejus natura postulet, calida est, & sicca, & etiam quia attingitur a cœlesti vertigine in ea præsertim sententia, quæ motum cœlestem statuit causam caloris; infera regio partim calida est, partim frigida, frigida quidem ex propinquitate terræ, & aquæ, nam extremæ regiones naturas elementorum vicinorum sapiunt, calida vero ob *reflexionem caloris*, & luminis solaris, media autem regio absolute frigida est, ut constat ex jugis alpium, in quibus nix per totum annum manet, & in eo frigore perpetuo durat; sed ardua difficultas est, unde mediæ regioni obveniat tanta, adeoque diutuina frigiditas, cum tamen proximior sit igni, atque cœlorum motui, quam infima regio, & e contra remotior illa a terra, & aqua frigidis elementis; ad cujus dubii solutionem multæ excogitatæ sunt viæ, ut plurimum minus idoneæ. Pererius lib. 1. in Genes. cap. 1. inquit, initio mundi fuisse inditum a divina providentia illud frigus aeris secundæ regionis ob universi commoditatem, ut nempe ibi vapores concrescerent in nubes, & pluvias ad fecundandam terram. Hæc non est ad rem, quia contendimus hic vestigare naturalem rationem illius frigoris, si assignari potest. Parisienses, ut Tatar. 1. Metheor. qu. 1. notab. 4. assignant pro causa cœli influxum, qui in eam plagam directus illuc frigiditatem imprimit; Hæc etiam non sufficit, quia urget Angelus pag. 61. quod ille influxus etiam supremam aeris regionem, & ipsum quoque ignem refrigerare deberet, & magis quam mediam, quia est ei propinquior, actio autem in propinquum vehementior. Alii assignant pro causa distantiam mediæ regionis ab igne, & a cœlesti motu, itemque a reflexione caloris, & *luminis ſolis facta in Terra, cum enim hæ sint*

causa

causa caloris in aliis duabus regionibus, quia aer mediæ regionis est utraque causa destitutus, ideo maneat perpetuo frigus; & hoc innuitur ab ipso Arist. loc. cit. Hanc tamen confutat Zabar. cit. cap. 2. quia effectus positivus causam debet habere positivam, *non privativam tantum*, sed frigus non est mera privatio caloris, sed qualitas positiva, quare causam aliquam positivam habere debet, quam illi non assignant; tum quia defectus illarum causarum ad summum relinquet mediam regionem non calidam, sed insuper opus est ostendere causam, a qua reddatur etiam frigida. Zab. cit. cap. 6. & seq. ait motum cœlestem esse causam caloris in elementis, quæ autem non pertingit, relinquere frigida, ut constat de terra, & aqua, quia ergo aer fecundæ regionis non attingitur a *motu* cœlesti, vel saltem valde debiliter, ideo frigidus remanet. Sed hæc solutio eandem patitur difficultatem, quam ipse urgebat contra præcedentem, quia effectus positivi assignat tantum causam privativam; tum quia non præcise cœlestis motus est causa caloris in his inferioribus, ut *suo loco probavimus*, & experientia constat ignem apud nos esse calidissimum, quamvis sit a cœlo remotissimus, nec ejus motu agitetur. Aresius 2. de Gener. disput. 2. q. 10. sect. 2. tenens aerem esse suapte natura frigidum, inquit in media regione, ubi est magis a contrariis liber quam in aliis, ex sua natura ad propriam redire frigiditatem. At hoc ejus fundamentum esse penitus falsum patebit in lib. de Gen. ubi ostendemus cum Arist. aerem esse suapte natura calidum.

69 Itaque cum *Scoto 2. d. 17. q. 2. dicendum* est illius frigoris duplicem esse causam; una est positiva, quoniam scilicet vapores aquei frigore præditi, ex quibus nubes, & pluviæ fiunt, bi aliquandiu manere solent, unde fuum frigus continuo illi parti aeris impertiendo eam cæteris frigidiorem reddunt; altera privativa, quæ duplex est, *distantia nimirum* ab ignis fervore, & cœlesti motu ex parte superiori, & distantia a reflexione caloris, & luminis solaris ex parte inferiori, quibus insuper annectitur antiperistasis, quia aer ex prædictis causis refrigeratus, cum ex utraque parte superiori, & inferiori calido obsideatur, per antiperistasim adhuc magis algescit, & hæc est communis responsio Peripatheticorum ad hoc dubium, quam adhuc magis declarat Angest. cit. in hunc modum, hæc duo elementa inferiora terra, & aqua sunt ambo frigida, Sole autem occidente magna eorum virtus frigefactiva pervenit usque ad mediam aeris regionem inclusive infrigidans eam usque ad ortum Solis, oriente autem Sole quoniam reflexio Solaris ad eam partem non pervenit, purgata solum hac infima regione a frigiditate nocte præcedenti contacta, remanet illa superior in priori frigiditate, atque humiditate, quæ clausa duobus extremis calidis adhuc per antiperistasim validius fortificatur, vapores enim sursum elevati prohibentur contrarietate supremæ regionis ultra transire, pariter ex reflexione Solis pelluntur ab infima regione, & ascendere coguntur ultra illam reflexionem ac mediam aeris regionem, quare vapores illi a contrariis hinc inde obsessi faciunt frigoris augmentum. Posset quoque addi cum Parisiensibus *influxus peculiaris cœlestis*, qui in ea aeris parte continuam frigiditatem imprimeret, & foveret; nec obstabit instantia Angest. allata, quod etiam superiorem regionem, atque ipsum ignem refrigerate deberet, quia sunt propinquiora, nam gratis concedemus talem influxum valde remittere activitatem ignis, & cohibere, ne hæc inferiora, & præsertim supremam aeris regionem ei contiguam nimium calefaciat, unde ex hoc capite potius necessarius erit talis cœlorum influxus, & maxime universo proficuus, ut innuimus q. præc. art. 1. & has omnes causas assignat Jo. de Mag. 1. Metheor. q. 4. §. *primo sciendum*.

70 In oppos. obiicitur. Primo probando mediam aeris regionem non adeo frigere, tum quia vapores ascendunt illuc calidi actu, caloris enim vi sublevantur, & ex alia parte aer suapte natura calidus est, ergo calore suo obslabit, ne vapores ad nativum frigus redeant, ac eum refrigerent. Tum 2. si ea regio adeo frigeret, aer illius gravior esset illo, qui nos ambit, cum frigiditas addenser, ac gravitatem inducat, hoc autem falsum est, quia gravior aer subsidet. Tum 3. Zab. cit. cap. 8. probat regionem illam non esse adeo frigidam, ut jactari solet experientia a se facta, inquit enim, æstivo tempore in montem dictum Veneris ascendisse tantæ altitudinis, ut infra se nubes reliquerit, ibique *commemorando* vix aliquod advertisse diserimen frigiditatis ab inferiori aeris regione. Tum 4. quia nullum violentum, seu contra naturam perpetuum est 1. Cœli 18. ergo si ignis suapte natura calidus est, nequit perpetuo sub tanto frigore perdurare. Demum in altissimis montibus liquefiunt nives, ergo interdum est ibi calor.

Resp. aerem mediæ regionis frigidum esse, non tamen adeo frigidum, ut cesset esse aer, sed in eo gradu, quantum sufficit, ut sit locus aptus ad generationem nubium, & pluviarum, qui certe intensior est, quam petat naturalis conditio, & status perfectius ipsius aeris, sed quia illa argumenta quid amplius probare videtur, ideo ad singula respondere præstabit. Ad 1. verum est, vapores ascendere actu calidos calore eis impresso a Sole, vel alio astro elevante, ac etiam aerem esse suapte natura calidum, at illi vapores, cum sint substantialiter aqua, virtute propria nativam frigiditatem acquirunt, nec aer mediæ regionis valet illam dimanationem impedire, quia vires suas habet valde refractas, cum frigefactus reperiatur per prævios vapores, unde potius confert ad infrigidandum alios illuc successive ascendentes. Ad 2. neg. consequ. quia sicut non eo ipso, quod corpus aliquod calefit, ut v. gr. aqua, statim rarescit, & levitat, ita neque statim ac vapores frigere incipiunt, addensantur, & gravitant, verum tamen est, quod cum ad eum frigoris gradum *pervenerunt*, qui densitatem, & gravitatem inducit, tunc in aquam resolvuntur, ac decidunt. Ad 3. multi dubitat unde illa Zab. experientia, nam oppositum cernimus in summitate aliorum montium secundam regionem attingentium, in quibus per totum annum nives rigent; Livius lib. 40. ait Philippum Macedoniæ Regem *in vertice montis Ætnæ* canicularis ortu frigora reperisse similia brumalibus, idemque testatur Antonius Philotæus in descriptione montis Ætnæ, & nos sacrum Alverniæ montem in æstatis fervore conscedentes aquas vidimus gelu constrictas, & rigentes; & nos quoque in agro Patavino videmus montem Veneris non tantæ *celsitudinis*, ut jactat quod infra se nubes relinquat, nam oculis a planities conspiciebamus, nubes super ejus verticem evolare; potest tamen esse, ut intra amplitudinem mediæ regionis in vertice alicujus montis vapores addensentur, ac ita paulatim gravitando descendat ad partem ejus inferiorem, quæ interim ob nubium propinquitatem frigidior fit, quam pars superior.

71 Ad 4. fatemur aerem mediæ regionis non manere perpetuo sub eo frigore quoad omnes suas partes, successive enim resolvuntur in aquam, postquam sufficienti frigore fuerint condensatæ, & aliæ denuo generantur, & hoc sufficit ad salvandum Arist. dictum, quia ratio illius dicti est, ut ibi ab Arist. innotur, quia pugna inter contraria nequit perpetuo durare, unde tandem unum aliud dejicit: labefactaretur vero, si diceremus eundem numero aerem perpetuo manere sub illo frigore, idque notavit ipse Zab. cit. cap. 8. Accedit propter bonum universi posse fieri, ut *elementa* semper habeant aliquid innaturale, dummodo non destructivum totius, ut patet in aqua, & terra quæ ex assidua verberatione Solis incalescunt, plusquam earum privata natura requirat, & tunc idipsum dici potest naturale, quia est conforme naturæ totius universi, si non privatæ naturæ illius elementi, quia natura *totius universi magis* est *principium* naturalitatis, quam natura particularis, & sic notavit Doctor 4. dist. 49. qu. 13. ad 3. princ. qua solutione utuntur Conimbr. cit. *esto* etiam primam innuant, & Jo. de Mag. loc. cit. ad 1. princip. Ad ultimum ait Joan. de Mag. ibidem non esse inconveniens secundam aeris regionem interdum calefieri in eo gradu, qualis sufficit ad liquidas nives; verum tamen est, montes, in quibus tempore veris liquantur nives, secundam regionem verticibus *non* penetrare, vel eam solum attingere in infima parte, quam cum possit eo tempore aliquantulum reflexio caloris, & luminis Solis pervenire, potest quoque hac de causa talem participare calorem, qualis sufficit ad liquationem nivium ibi existentium, alioqui in altissimis montibus qui verticem attollunt ad secundam regionem, nives perdurare videmus per totum annum, nec unquam liquefieri.

Secundo impugnatur causa assignata frigoris secundæ regionis, quod nempe refrigeretur a vaporibus illuc continuo ascendentibus, & semper ibi degentibus, hoc impugnat Zab. cit. cap. 3. Tum quia Arist. 1. Metheor. cap. de nube docet, vapores illuc pervenientes refrigerari a loco, seu aere ibi existente, ergo reperiunt aerem illum frigidum, non faciunt, imo cum calidi actu ascendant, ab eo aere ipsi refrigerantur, non autem illum refrigerant; Tum etiam evenit interdum, ut aer maneat serenus ad tres, vel quatuor menses absque aliqua nube; ergo saltem eo tempore nequit dici illum aerem frigefieri a vaporibus illuc ascendentibus; nec ibi commorantibus, nam omnes dissoluti sunt; Tum tandem, quia illa regio est purior, & serenior, quam in infima, unde testantur omnes in locis altissimis aerem esse puriorem, & fere vaporibus expertem, idque experrum se esse inquit Zab. in fastigio præfati montis Veneris.

72 Resp. nullum esse inconveniens, quod vapores aquei, & terrestres secundum diversos status refrigerent illum aerem, & vicissim ab eo refrigerentur, id experimur in vino generoso, quo recipitur in ventriculo actu frigidum, & accipit ab eo calorem, quo quidem recepto, ac veluti excitatum fit calidius ventriculo, eique majorem retribuit calorem, quam ab eo acceperit, sic enim aqua calida ab igne remota; tunc primum ab ambiente refrigeratur, sed posteaquam ab eo hujusmodi incitamentum suscepit, deinde viribus propriis utens reducit se ad pristinam frigiditatem, majusque frigus injicit ambienti, quam ab ipso receperit; sic in proposito dum primo vapores aquei ad secundam regionem perveniunt actu calidi virtute Solis, vel alterius astri elevantis, tunc ab ipso aere frigefacto per præcedentes vapores refrigerantur, & in hoc sensu loquitur Arist. loc. cit. quia aerem tunc primum reperiunt seipsis frigidiorem, inde postea excitati virtute propria ad nativum frigus redeunt, quod deinceps aeri communicant in majori gradu, quam ab ipso acceperint. Ad 2. fatemur tali tempore non adeo illam regionem frigescere, friget tamen aliis de causis jam assignatis, ac etiam nivibus in vertice montium illam regionem attingentium jugiter permanentibus, ac etiam servat frigus antea conceptum ex vaporibus jam dissolutis. Ad 3. neg. assumptum, nam certum est apud omnes nubes, & *pluvias in media* regione gigni, non in infima, imo per hoc unam ab altera fecerni, quare si in quorundam montium fastigiis aer inveniatur purus, & serenus, dicendum est, *illos montes* secundam transcendere regionem, vel etiam contingere potest, quod in montibus ad secundam regionem attinentibus aer sit purior, & serenior in vertice, quam ad *medium*, quia nubes, quo magis addensantur, gravitant, & descendunt, ut diximus ad experientiam Zab.

Tertio impugnat ulterius cap. 4. quod nequeat secunda regio

gio refrigerari per antiperistasim, quia antiperistasis auget qualitatem, non producit, ergo oportet aerem illum prius esse frigidum, sic enim postea per circumobsistentiam contrarii frigidior redderetur, si ergo ante antiperistasim aer est frigidus, nequit antiperistasis adduci pro causa absolutæ frigiditatis, sed majoris frigiditatis. Addit Aresius cit. hanc infimam regionem, non semper esse calidam, & figmentum esse, supremam regionem esse calidam ob ignis vicinitatem, quia ibi non datur, nulla ergo antiperistasis contingere potest in secunda regione. Resp. neque nos adducere antiperistasim pro causa primaria frigoris secundæ regionis, sed solum pro causa secundaria concurrere ad augmentum ejus, & conservationem. Ad Conf. ex Aresio certum est supremam regionem semper esse calidam ex propinquitate ignis, quam ibi dari qu. præced. demonstravimus; infima quoque regio, esto non semper calida sit notabiliter, tamen ob reflexionem caloris, & luminis solaris semper majorem participat calorem, quam media, quare semper, vel ut in plurimum datur locus antiperistasi in media regione.

ARTICULUS II.

Ubi de Ventis.

RErum omnium naturalium abditissima est ventorum natura, eorumque causa tum materialis tum efficiens, adeo ut in sacro eloquio habeamus ventorum rationem in thesauro divinæ sapientiæ conditum esse, ut Jer 10. & Psal. 134. *qui producit ventos de thesauris suis*, enitendum tamen adhuc est rationem naturalem vestigare.

73 Primo itaque vestiganda venit materialis causa ventorum, de qua variæ fuerunt opiniones; celebris fuit, fatisque vetusta sententia ab Arist. relata 2. Metheor. sum. 2. cap. 1. ventum nil aliud esse, quam aerem agitatione commotum, atque ideo aerem asserens ventorum materiam, quæ non paucos habuit, & habet sectatores, eam namque docuit ex professo Stoicorum Schola Senec. lib. 1. natural. qq. cap. 1. Hippocrat. lib. de flatibus, Vitruvius lib. 1. architec. cap. 6. ex modernis Cardan. lect. 4. super. lib. Hippoc. Jo. Pap. Porta lib. 1. de transmutationibus aeris cap. 6. & alii Astrolog. passim, Aresius 2. de Gen. qu. 10. sect. 2. quibus suffragantur D. Damasc. lib. 2. de fide cap. 8. & D. Isidor. lib. 13. ethimolog. Alia sententia asserit, materiam venti esse vaporem aqueum ejusdem quidem rationis cum illo, ex quo fiunt pluviæ, & nives, sed tamen in hoc genere tenuiorem, & subtiliorem, ita Bernardinus Telesius novæ doctrinæ inventor lib. de his, quæ fiunt in aere cap. 4. & sequuntur Telesiani passim. Tertia demum, atque communis opinio Peripat. quam docuit Arist. dit. negat materiam ventorum esse aerem, aut vaporem aqueum, sed inquit esse habitum terrestrem, seu exhalationem calidam, & siccam, e terra scilicet eductam, in aerem elatam, & ibi lateraliter motam, hinc Arist. 2. Metheor. cap. 4. definit ventum quod sit *multitudo quædam siccæ ex terra exhalationis meta circa terram*; Non desunt tamen ex Peripat. qui vocant illam exhalationem frigidam, ut Alb. Magn. lib. 3. tract. 1. cap. 6. & 7. cum eo Javell. in Metheor. & Petrus de Albano in com. problem. 36. partic. 5.

74 Dicendum est materiam venti esse posse aerem commotum, vaporem aqueum, & halitum terrestrem indifferenter, ita inclytus Scotista Angestus lib. 2. pag. 82. quæ sententia modo recipitur ab omnibus Conimb. enim tract. 6. Metheor. cap. 2. concedunt vapores etiam esse materiam pro ventis idoneam, & Jo. de S. Thom. tract. 4. Metheor. cap. 1. & Averſa q. 42. sect. 4. addit quoque aerem; non dissentit Cottunius sect. 27. Probatur ab eo in hunc modum, ventus non est, nisi corpus tenue, & rarum primario commotum, ita quod a tali motu primario sumitur denominatio venti, sed contingere potest primarium lateraliter motum circa terram esse aerem, contingere etiam potest esse subtilem vaporem; aut etiam exhalationem, ergo non est limitanda, & restringenda ventorum generatio ad unam tantum illarum materiarum, sed indifferenter ad omnes extendenda; majorem sic probat, & declarat, quoniam si exhalatio primario lateraliter mota reperiret aerem, aut vaporem, quem secum raperet, talis materia rapta non dicenda esset ventus; parirer ubi vapor, vel aer primario lateraliter motus inveniens exhalationem aliquam raperet eam, tunc talis exhalatio mota non esset ventus dicenda, quod si æque primo a causa ventante fieret omnium illorum motus lateralis, sic totum aggregatum ex eis esset ventus. Minorem vero ita nos probamus figillatim de unoquoque illorum; dum enim fiabello aerem ciemus ad calorem e facie pellendum, utique ventum excitare dicimur, sic etiam cum folles comprimuntur, ventum emittere dicuntur, sed in his casibus nil aliud primo movetur lateraliter, nisi aer, ergo aer ita commotus erit ventus; Negant nonnulli, ut Tatar. 2. Metheor. quæst. 2. §. *primo sciendum*, & Conimb. cit. aerem ita follibus, vel flabello commotum esse ventum. Sed qua ratione nescimus, quia si quantitatis non habeatur ratio, quæ parum ad hoc confert, nil prorsus a magnis ventis ipsum differre asserimus; Tum quia aer sæpius calefit, & rarescit, & rarefactus majorem locum quærit lateraliter motus, quo casu ventus spirat, unde æstivo tempore in Solis ortu experimur hac de causa auram ab Oriente spirare, ergo aer se solo est sufficiens materia venti. Tum tandem quia id etiam Aristot. ipse concedit sect. 26. problem.

Deinde probatur hoc ipsum de vaporibus, quia in mari præcipue regnant venti, non solum Mediterraneo, sed longe magis in Oceano, & quidem non nisi ex vaporibus e mari elatis gigni potuerunt. Dicunt aliqui ventos e terra in mare transire. At hoc non est universaliter verum, quia tunc sequeretur, quo quis in mari magis a terra distaret, minori vento concuti, cujus tamen oppositum sæpius accidere videmus. Ajunt alii etiam exhalationes e mari consurgere propter ejus salsedinem, & terrenæ concretionis admixtionem. Hoc etiam parum juvat: quia hoc quoque admisso, illæ non erunt puræ exhalationes, sed multis vaporibus permixtæ, unde venti e mari exorti humidi esse solent, & sæpe pluvias generant, ac nubes congregant, ergo materia illorum ventorum aut sunt soli vapores, seu exhalationes saltem vaporibus permixtæ, quod etiam concessit Arist. ipse cap. 1. de ventis, ut bene notavit Aversa cit. Tum etiam quia secus flumina frequentissime spirant venti, utique non nisi ex vaporibus inde surgentibus geniti, si enim ex puris exhalationibus geniti essent, non esset major ratio cur secus flumina frequentius spirarent, quam alibi. Tum tandem, quia vapores ad mediam regionem delati possunt inde pelli, ut exhalationes ipsæ, & sic flatum edere.

Demum probatur ipsum de terrestribus halitibus ex Arist. loc. cit. tum quia dum magna abundat exhalationum copia, ut Vere, & Autumno, tunc frequentiores sunt venti, tum quia in solis ortu sæpius venti cientur, & excitantur, quia ejus virtute multa exhalatio ascendit a terra; tum quia ut plurimum venti exsiccant, non nisi quia ex calida, & sicca materia coalescunt; tum tandem, quia pluvia facit cessare ventum, ut experientia docet, quia infrigidat, & humectat siccam illam, & calidam exhalationem, quæ erat ejus materia, & e contra sæpius cessante pluvia, surgit ventus, quia ex terra madefacta multus exhalat spiritus, sicut cum in vas cineris infunditur aqua, subtiliores cineris partes exhalant, ergo &c.

75 In oppos. objicies. Primo ventum esse non posse aerem concitatum. Tum quia potest aer cieri multis modis nullo spirante vento, cum enim ingenti ruina turres decidunt, & bellicum tormentum plumbeam ejaculatur pilam, magna fit aeris commotio, & nullus adest ventus. Tum quia neque per halitus, neque per vapores potest ventus excitari, quia aer commoveatur, nam semper ipsi halitus, vel vapores secum ferunt, & propellunt aerem. Deinde probatur materiam venti non posse esse vaporem. Tum 1. quia materia venti debet esse aere levior, cum ascendat per aerem ad mediam regionem, a qua reflectitur, sed vapor non esset hujusmodi, ergo &c. Tum 2. quando plus abundat exhalatio sicca, & calida, fiunt anni ventosi, quando vapores, fiunt anni pluviosi, ergo sola exhalatio est materia venti, non vapor. Tum 3. quia ut diximus pluvia facit cessare ventos, sed si vapor esset idonea venti materia, ventus deberet augeri, quia descensu pluviæ multiplicatur vapor humidus. Tum 4. quia impressiones genere differentes differunt in causa materiali, & radice prima, sed pluviæ, & cæteræ impressiones humidæ genere differunt a ventis, & impressionum humidarum materia est vapor, ergo &c. Tum tandem, quia venti exsiccant, alioquin ab impressionibus humidis specie differrent.

Resp. ad hæc omnia ex Angest. Ad 1. possumus admittere illam aeris commotionem esse ventum, nam ventum etiam appellat Aristot. commotionem aeris, quam facit sulmen descendens, vel si non est ventus, ideo erit, quia illis casibus non aer primo movetur, sed ad motum alterius. Ad 2. patet per idem, quia non quæcumque aeris commotio est ventus, sed ita cieri debet, ut sit primo lateraliter mota, & non præcise ad motum alterius, ut innuimus in conclusione probanda. Ad argumenta contra vapores non minori facilitate occurritur. Ad 1. neg. minor, quia sicut ab extrinseco recipit calorem, ita recipere potest levitatem, nempe a Sole ipsum attenuante, ac subtilizante, & de facto videmus vapores, unde generantur pluviæ, ad mediam usque aeris regionem attolli. Ad 2. ideo ita evenit, quia promptior, atque paratior ad ventum est exhalatio, quam vapor, non tamen ex hoc sequitur, nunquam vaporem esse venti materiam. Ad 3. ideo pluvia facit cessare ventos potius, quam augeat, quia materia venti requirit certam subtilitatem, ac levitatem propriam, vel extraneam, hæc autem per pluviam non acquiritur, sed potius amittitur, quia per ipsam vapores addensantur, & ingravescunt; atque ideo fiunt minus apti ad venti generationem. Ad 4. quicquid sit de minori, de qua mox, neg. major universaliter intellecta, venti enim, & impressiones ignitæ differunt genere, & nihilominus habent communem materiam scilicet exhalationes, & quidem aliis compositis etiam specie valde diversis constat, materiam esse ejusdem rationis, quia ipsa non est principium distinctionis. Ad ult. neg. assumptum esse universaliter verum, quia multi sunt humidi, quos etiam probabile est accidentaliter solum a nubibus distingui, quia ut notat Tat. cit. potest impressio constitui in tali esse per formam accidentalem.

76 Secundo principaliter inquirenda est causa effectiva motus venti; cur scilicet & a quo moveatur semper lateraliter, in obliquum, & per transversum, cum exhalatio, & vapor calidus potius sursum tendere deberet; cur etiam, & a quo magis ad unum latus moveatur, quam ad aliud, cur denique tanto impetu, ut tenuis exhalatio valeat arbores eradicare, domos evertere, &c. Ad primum quæsitum respondet Arist. 2. Metheor. cap. motum venti in obliquum circa terram producere ex motu raptus, & cœli vertigine his verbis, *latio autem ipsorum obliqua est, circa terram enim stant, quia omnis, qui in circuitu est aer,*

aer, consequitur lationem; & sequuntur D. Th. 2. Metheor. lect. 8. Buccafer. lect. 42. Burid. & alii; Sed hæc solutio adeo frivola est, ut Alex. Aphrodis. licissimus Arist. latere eam relinquere sit coactus, quia cum motus Cœli sit uniformis, semperque ab Oriente in Occidentem, semper etiam unus, & idem ventus spiraret, ac eodem modo scilicet ab Oriente in Occidente, ut bene arguit Jo: de Mag. 2. Metheor. q. 3. §. *Primo sciendum*. Ideo Arist. melius consultus problem. 50. sect. 26. aliam dat solutionem, quod scilicet motus ille procedit a duplici causa, scilicet a levitate exhalationis, & a frigiditate mediæ regionis, levitas enim exhalationis eam sursum elevat, & frigiditas illius regionis per antiperistasim reverberat eam deorsum, & repellit, quare hinc, & inde repulsa non potens ascendere, nec potens descendere, movetur medio modo scilicet lateraliter, & hanc recipiunt Peripathetici passim Conimbr. & Tatar. cit. Albert. Algazel. Thiennes. Svessan. Cottunius lect. 27. & alii, in quem recidit solutio Theophrasti in lib. de ventis, ubi exhalationem ventosam ideo in obliquum moveri, quia cum per se sicca sit, & levis, habet tamen admixtas partes humidas, & graviores, & sic aliis partibus contendentibus sursum, & aliis deorsum, veluti medio motu in obliquum agitur. At neque solutio satisfacit, quia nulla apparet ratio, cur exhalatio ad mediam regionem perveniens tanto impetu ab ejus frigiditate repellatur, cum frigiditas talem vim motivam non possideat, quod si dicatur, exhalationem suapte ingenio frigiditatem refugere, quia calida est; non juvat, quia videmus vapores alioqui calidos in ea regione recipi, & diversari. Tum quia si motus exhalationis sursum impeditur a frigore secundæ regionis, & reditus deorsum a suamet levitate, vel aliis exhalationibus sursum ascendentibus, ut inquit Tatar. ex hoc non sequitur debere in obliquum ferri, sed potius in medio quiescere, ut dicitur de lapide sursum projecto in puncto reflexionis ob eandem rationem, per quod convincitur etiam solutio Theophrasti; tum quia etiam si ex hoc deberet in obliquum ferri, adhuc tamen non redditur ratio, cur in hanc partem potius cierentur venti, quam in illam, connaturaliter enim deberet huc, & illuc indifferenter, ut evenit de fumo, cum foras e camino non exit, sed a ventis deorsum truditur, quod etiam asseri non potest, quia sic nunquam contingeret unum spirare ventum, sed semper plures, cujus oppositum experimur. Tum tandem quia omnes venti prope mediam regionem aeris, ubi obicem invenit exhalatio, gignerentur; nullus prope terram, omnes etiam essent frigidi ex frigore impresso a secunda regione exhalationes ventosas repellente.

Telesius cit. ait, halitum, vel vaporem ventosum ex se, suaque virtute in obliquum moveri, quando scilicet in magna copia collectus fuerit, tunc enim non patiens se in angustum cogi, diffluit, & majorem sibi locum quærens magno impetu ruit, & diffunditur. Hæc etiam solutio vana est, & multa falsa continet, falsum enim est, vapores collectos, & condensatos majorem locum petere, nam quanto magis condensantur, eo minorem petunt locum; falsum item est, vapores collectos, & condensatos esse ventos, sunt enim nubes, & pluviæ; tum tandem quia non est ratio, cur petens majorem locum potius illum petat ad unum latus, quam ad aliud, imo hac ratione potius undequaque fundi deberet, ut dicebamus de fumo.

77 Ad aliud quæsitum, quænam scilicet sit causa exhalationem ventosam determinans, ut moveat ad unum latus potius, quam ad aliud, non respondet in terminis. Arist. & Peripathetici conantur eandem accommodare responsionem, quam attulit ad primum quæsitum; inquiunt ergo, ut refert Angest. quod hujus causa est frigiditas non recte sursum, nec deorsum existens, sed ad latus, si itaque frigiditas fuerit fortior a Septentrione, pellit exhalationem versus Meridiem, vel e contra, si fortior fuerit in meridie, & sic pariter dicendum de Oriente, & Occidente, si vero ex nulla parte fuerit frigiditas notabilis, & dominans, tunc exhalatio remanebit in aere quieta; contingit enim quandoque, tempore æstuoso aerem esse exhalationibus fumosis plenum, & non fieri ventum. Hanc quoque solutionem adhibet Tatar. cit. sed bene ejus insufficientiam vidit, quia inquit aliam quoque debere addi causam, quam tamen ipse non exprimit, quia illa frigiditas solum deberet pellere deorsum, ut supra dicebat Aristot. de frigiditate secundæ regionis. Hæc igitur responsio est insufficiens, tum ob rationem, quam innuit Tatar. tum ob rationes etiam ante adductas contra solutionem ad primum quæsitum, nam pariter hanc convincunt, si bene considerentur; tum tandem quia experimur a Tropico æstivo flare ad nos ventum Australem, & tamen non est illic frigiditas exhalationem versus nos pellens, quinimo excessivus calor.

78 Ad ultimum tandem quæsitum eandem adhibent responsionem dicentes, exhalationem illum impetum recipere a frigiditate secundæ regionis eam repellente majori, vel minori impetu juxta variam dispositionem, & addidit Tatar. bene posse exhalationem raram, & subtilem, postquam illum semel suscepit impetum, illas excitare ruinas, quia corpus subtile velociori motu, & impetuosiori modo movetur, quam aliud corpus. Sed insufficientiam etiam istius responsionis ex dictis facile deducitur, & quidem frigiditas, quæ est mortua quædam, ac iners qualitas, non videtur posse adeo ingentem impetum imprimere in ventis, qualis interdum accidit, & hoc facilius pronunciatur, quam probetur.

Tassonius etiam qu. variis Italice conscriptis conatus est his quæstis satisfacere, quare l. 4. quæst. 8. inquit exhalationem, & vaporem originaliter esse frigida, & solum ab extrinseco calida calore eis impresso a Sole elevante; ideoque suapte natura semper gravitare deorsum, ut suo principio uniatur, & reniti calori sursum elevanti, quia vero nequit ab eodem loco a terra sursum attolli, & in eundem redire, cum sint duo motus contrarii opposita loca exigentes, hinc est, quod in oriente attollitur, non etiam ibi subsidet, & suo principio unitur, sed meat ad occidentem, ibique subsidet, & e contra, si in occidente surgit, ad orientem divertit, ut ibi subsideat; hæc igitur est ratio, cur ventus oblique moveatur, & in locum oppositum illi, in quo surgit. Hæc etiam ratio nihil prorsus valet, quia si ratione suæ naturalis originis petit exhalatio, vel vapor circa terram, vel aquam subsidere, renititurque calori eam attollenti, potius ad eundem locum redire deberet, & per eandem lineam motu reflexo, quam ad latus cum tanta inflexione, sicut cernimus in lapide sursum projecto, quod ad eundem locum regreditur, & per eandem lineam, & licet illi motus sint contrarii sc. sursum, & deorsum, possunt bene fieri super idem spatium, dummodo terminus ad quem unius sit terminus a quo alterius, & e contra, ut patet in præfato motu lapidis, aliunde ergo petenda est hæc obliquitas, & inflexio motus exhalationis ventosæ. Approbamus tamen aliam rationem, quasi moralem, quam ibi Tassonius subjungit, naturam scilicet talem motum ventis indidisse, qui cum Universo deserviant, veluti scopæ illud purgantes, & emundantes ab infectionibus, & sordibus, quas aer, & aqua ex diuturna quiete contrahere solent, motus ille aptissimus est ad hoc munus, sic enim facilius eas dispergit, & dissipat; Accedit alia, hunc motum valde navigationibus deservire ad commercium hominum servandum; qui enim Occidentem versus vult iter accipere, vento utitur Orientali, & e contra, sed hæ congruentiæ attinent potius ad causam finalem, quam ad efficientem, quæ nunc a nobis vestigatur.

79 Dicimus ergo quæcumque sit materia venti, sive simplex aer, sive halitus, & vapores, præcipuam causam commotionis, & agitationis, quam ventus exercet in aere, esse cœlum per sua sidera, ac influentias occultas, diximus *præcipuam causam*, quia causas ab aliis adductas præsertim ab Aristot. putamus quidem concurrere, sed se solis non sufficere ad tot, adeoque mirabiles effectus, ita Angest. pag. 83. §. *his præmissis*, quam tenet Aversa loc. cit. Jo. de S. Thom. & Conimb. approbant, eamque docuit Albert. ab Angest. cit. & est communis apud Astronomos, quibus satis est familiare mirabiles effectus in siderum dominantium vim, & aspectum referre hinc, & volunt speciales ventos a specialibus astris cieri & concitari, unde v. g. ajunt Jovem aquilonares ventos suscitare, Martem australes, Solem orientales, & Lunam occidentales; Persuaderi autem potest, tum quia experientia compertum est certa siderum combinatione, ortu, & aspectu maximos cieri ventos; tum quia sicut ex impressione Solis, & Lunæ, mare fluit & refluit, ita ex impressione ejus consimili, ac aliorum astrorum dici potest aer fluere, & refluere, & exhalatio ventosa huc, & illuc trudi, & agitari, item magnes trahit ferrum, ergo & astra virtutem possunt habere trahendi halitus, & vapores sublevandi, & impellendi in hanc, vel illam partem juxta diversum eorum situm, & aspectum, tum tandem quia cum effectus ventorum per causas inferiores salvari nequeant, ut constat ex prædictis, opus est ad cœlorum influxus recurrere; poterunt itaque varii astrorum aspectus, & situs diversos excitare ventos, vel impellendo ad motum exhalationem, & vaporem, aut ipsum immediate aerem determinate in hanc, vel illam partem, vel etiam rarefaciendo aerem in una parte, qui majorem locum exquirens excurrit in aliam, & alium aerem propellendo generat ventum; & hac via facile satisfit illis tribus quæstis de causa effectiva ventorum simul, & semel; & hinc etiam facile colligi potest causa cessationis ventorum, ventus enim sedatur vel ex defectu materiæ, puta ventosæ exhalationis, quæ paulatim resolvitur, & dissipatur, vel etiam ex defectu cœlestis influentiæ, ac etiam aliarum causarum ad generationem venti concurrentium; idipsum concedit etiam Cottunius loc. cit. ac etiam lect. 9. & 10.

80 Tertio de numero ventorum agendum est, & quidem numerus ventorum designari solet pro varietate locorum, & in primis a quatuor mundi partibus Oriente, Occidente, Aquilone, & Austro quatuor signantur venti cardinales, & principales, & sumptis inde nominibus vulgariter appellantur ventus orientalis, occidentalis, aquilonaris, & australis, singulos istorum inquit Arist. habere suos collaterales, itaut duodenos facit ventos quos accurate recenset, eorumque figuram adducit Orbellus 2. Metheor. c. 2. At hydrographi ad majoris artis nauticæ commoditatem diligentius ventos distinxerunt, duos, & triginta ventos constituentes, secant enim Orizontem in octo partes æquales, a quibus flant venti, & in his octo principes ventos statuunt; deinde octo illas partes rursus subdividunt in totidem alias, & sic totidem intermedios ventos describunt, demum has sexdecim partes iterum duplicant, ac subdividunt, & sic triginta duos ventos ab illis flantes constituunt; & quidem ut ait Aversa, potuit hæc divisio in infinitum duci prosequendo divisionem per partes proportionales, tamen prædictus numerus sufficiens est, ac idoneus pro directione artis nauticæ, illorum autem sexdecim nomina habent imposita, quæ videri possunt apud Conimb. cit. c. 4. alia autem non, adverrendum tamen est apud nos modo omnium fere ventorum nomina esse permutata, & eorum consueta nobis nomina videri possunt apud Zanard. par. 3. universal. element. q. 24. unde ne error contingat ex ignorantia nominum accipiendo unum ventum pro alio, satius erit ventum designare; & notificare certa parte Orizontis, a qua spirat,

sat, præstabitque saltem octo principalium nomina mente retinere, quæ sunt Levans, qui antiquitus dicebatur Subsolanus, Ponens, qui dicebatur Zephirus, vel Favonius, Tramontana, qui Septentrio, seu Boreas vocabatur, & Auster, qui spirat a meridie, & adhuc idem retinet nomen; deinde qui inter Levantem, & Tramontanam designatur dicitur Græcus, qui inter Tramontanam, & Ponentem, Magister, qui inter Ponentem, & Austrum, Libicus, vel Garbinus, qui denique inter Austrum, & Levantem statuitur dicitur Siroeus.

81 Quarto circa ventorum proprietates, vel possumus illas considerare, quæ illis ex propria complexione conveniunt, ac intrinseca natura, vel illas, quæ competunt illis ab extrinseco, nempe ratione locorum, a quibus spirant, vel virtute astrorum, a quibus excitantur; in primo sensu ventus, cujus materia est exhalatio, erit siccus, & frigidus, quia talis est exhalatio suapte natura; cujus vero materia est vapor, erit frigidus, & humidus, qui tamen mixtus erit ex halitu, & vapore, complexionem habebit mixtam, in altero sensu diversas induunt affectiones, & qualitates adventitias, juxta diversam dispositionem locorum, & regionum, per quas ad nos traiiciunt, & siderum, a quibus excitantur, hinc venti Septentrionales frigidissimi sunt, & sicci, quia per loca nivosa, & frigida migrant, unde & serenitatem inducunt, quia sua frigiditate, & siccitate nubes dissipant, & earum humiditatem. Australes contra sunt calidi, & humidi, quia per mare, & loca calida, & humentia ad nos traiiciunt, unde & nubes cogunt, & pluvias inducunt: Orientales sunt calidi, & sicci propter Solis præsentiam, ac prædominium in eis regionibus; Occidentales e contra sunt frigidi, & humidi oppositæ de causa; ex his qualitatibus sequitur quosdam ventos esse salubres, ut frigidos, & siccos, alios noxios, ac insalubres, ut calidi, & humidi, quia corpora dissolvunt, & putrefaciunt, cum calidum, & humidum sit putredinis origo; Hinc deducit Orbellus *cit.* pulchram quandam consonantiam inter quatuor universi partes, quatuor ventos cardinales, quatuor elementa, quatuor humani corporis humores, & quatuor ætates; inquit enim, quod regio Orientalis cum suis ventis calida, & sicca convenit cum colera, cum ætate, cum juventute, & cum igne in qualitatibus hujusmodi, quia omnia ista sunt calida, & sicca: Regio autem occidentalis cum suis ventis frigida, & humida convenit cum aqua, cum flegmate, cum hieme, & cum senectute. Septentrionalis regio cum suis ventis frigida, & sicca convenit cum Autumno, cum terra, cum melancolia, & cum senio, seu ultima ætate; Australis tandem regio cum ventis suis calida, & humida, convenit cum sanguine, cum vere, cum aere, & cum adolescentia, qui vero curiosus est de ventorum proprietatibus in speciali Angest. perlegat pag. 62. ubi fuse de hac re, & Zanard. loc. cit.

82 Quinto tandem de turbinibus agit Arist. initio tertii Metheor. & sunt tres cæteris omnibus magis periculosi, ac formidabiles ob nimium eorum impetum, ac violentiam, & dicuntur *Ecnephyas*, *Typhon*, & *Præster*. Primus turbo contingit, cum multa exhalatio densa, & spissa intra nubem cogitur, & per antiperistasim ob circumstantem nubis frigiditatem incalescit, tunc enim quærens ampliorem locum ad instar fulminis magno impetu e nube exploditur, ac deorsum impellitur ingenti violentia, ac velocitate, & recta descendit. Alter turbo contingit, cum eadem exhalatio ex eadem causa deorsum truditur non recta, sed in gyrum contorta, quod evenit ex pugna diversarum nubium, vel partium ejusdem nubis adinvicem, tunc enim conglobantur inter se, & impinguntur, & flatus hinc inde generati retorquentur inter se, quia unus alteri non cedit, & sic vortice concitato e nubibus descendunt, & collidentes se circulum faciunt, ac similem effectum producunt, qualem videmus in angiportis, & angustis viis, dum pulvis rotatur a vento; soletque esse hic turbo admodum nautis formidolosus, quia tanta vehementia ruit, ut suo gyro, & rota absorbeat quicquid ei fit obviam, saxa, arbores, & integra navilia, eaque in altum rapiat, ac inde præcipitet, quare hic turbo a primo differre non videtur, nisi quia ille recta descendit, hic autem in gyrum. *Præster* tandem contingit, cum flatus, & halitus illi vel ex antiperistasi, vel allisione adinvicem, aut ad nubes aliquantulum inflammantur, qua de causa non tantum sternit, & frangit quicquid ei fit obvium, sed etiam incendit, & comburit, unde non differt ab aliis turbinibus enumeratis, nisi ex sola inflammatione, nec a fulmine, nisi inquantum fulmen plus habet flammæ, quam flatus, Præster e contra plus flatus habet, quam flammæ, ac etiam materia fulminis subtilior est, quam Præsteris.

ARTICULUS III.

De Iride, aliisque imaginibus in aere apparentibus.

83 QUamplures sunt imagines, quæ ex vario aspectu, & incursu lucis, & radiorum Solis solent in aere apparere, pulchrior tamen, & quæ majorem excitat inter alias admirationem, est Iris, quamvis si aliis frequentior, adeo ut non desint, qui judicent non esse naturale opus, sed ostentum quoddam divinæ omnipotentiæ, talem sententiam ferunt nonnulli Sacræ Scripturæ interpretes ex eo moti, quia ut habetur Gen. 9. cœlestis arcus fuit a Deo constitutus pro signo fœderis cum humano genere, ut non amplius velit Universum diluvio submergere; cæterum esse naturale opus, & ex naturalibus causis contingere constabit ex de motu dicendis, prius ergo agemus de Iride, postmodum de aliis, omnes autem sub hoc articulo ad quæstionem de aere pertinente comprehendimus, non quia vere sint impressiones aereæ, idest in ipso aere subjective existentes, potius enim formantur in alio quoddam subjecto per aerem vagante, ut postea dicemus, quod magis est de substantia aquæ, sed quia ita in aere apparent, illumque locum sibi determinant, ut prorsus aereæ impressiones videantur. Solet itaque Iris definiri ex Arist. 3. Metheor. quod sit *arcus discolor apparens ex receptione, & reflexione luminis solaris in nube rorida*, quam definitionem examinando, & per singulas particulas discurrendo exactam Iridis cognitionem assequemur.

84 Primo dicitur *arcus*, quia figura circularis per modum arcus est de ratione Iridis, & per hoc distinguitur ab alia imagine in aere apparente cum ejusdem coloribus; sed in directum porrecta, non in arcum curvata, & ideo appellatur *Virga*, de qua postea, docet autem Arist. lib. 3. cap. 5. & ruesus Perspectivi demonstrant Iridem, nedum circulum integrum posse efficere, sed neque semirculum posse excedere, bene tamen posse, ac interdum solere esse semicirculo minorem, quæ quidem ad sensum patent, sed ratio, qua id demonstrant, est valde difficilis, quia multa ex perspectiva supponit, ut videre est apud Maurolic. problem. 21. de Iride, hoc tamen potest ex his, quæ habet Angest. pag. 79. §. *tertium punctum de Iride* sic declarari, non generatur Iris, nisi per reflexionem luminis Solaris, atque ideo semper formatur directe e regione Solis, cum ergo circulus Iridalis in imaginatione completus circulo Solari directe opponatur, ita quod centrum unius correspondeat centro alterius, hinc manifeste deducitur, Iridem in tota sua magnitudine nunquam semicirculum excedere posse, quia cum directe Soli opponatur, alter semicirculus semper incidet in profunditatem terræ. Hinc deducit Arist. loc. cit. Sole existente in ortu, vel occasu idem apparere magnitudinis semicirculi; Sole autem elevato super Orizontem semicirculo minorem apparere, & ratio hujus est, quia quo Sol magis ab Orizonte elevatur, eo profundius e regione Solis centrum Iridale sub Orizonte reconditur, & deprimitur, & hinc etiam inquiunt Perspectivi altam effici Iridem demisso Sole, & demissam alto, hinc tandem varia corollaria deducit Angest. ibidem, & cum eo Zanardus cit. q. 14 quæ omnia vera sunt, & sequuntur ex præjacto fundamento, præter id, quod ibi inquit posse quempiam supra montem, aut alio modo totaliter elevari, quod videretur ab eo integer circulus; profecto hoc omnino repugnat ob rationem allatam, potest quidem Sol super Orizontem adeo exaltare ut nulla portio Iridis videatur, nemo tamen potest adeo supra Orizontem in montibus extolli, ut integer circulus ei obiiciatur, imo nec arcus major semicirculo, ut convincitur per allatam rationem, & evidenter Perspectivi demonstrant, & ipsa experientia docet, nam etiam ex altissimis montibus non conspicitur Iris semicirculo major; videatur Orbellus 3. Metheor. cap. de Irid. ubi bene demonstrat, quod nunquam centrum Iridis elevatur ultra circulum Orizontis, alioquin oporteret Solem deprimi sub Orizonte, si centrum Iridis ei e regione opponitur, ut supponimus, & est doctrina Arist. loc. cit.

85 Secundo dicitur *discolor*, quia Iris, quæ a Sole efficitur, semper diversis apparet mixta coloribus, sunt autem præcipue tres, qui totum arcum in tres distinguunt, veluti regiones, puniceus, qui in parte exteriori, & superiori arcus apparet, viridis, qui in medio semicirculo totius arcus cernitur, & purpureus in infima parte interiori. Dicunt autem communiter hanc colorum diversitatem oriri ex varia commixtione lucis cum nube, universaliter enim varii in aere colores ex tali commixtione lucis confurgunt cum vaporibus, & exhalationibus, non autem ex varia commixtione primarum qualitatum, ut contingit in mixtis perfectis; cum ergo colores medii ex commixtione extremorum confurgant, sane *oportebit* in Iride aliquod assignare supplens vicem coloris albi, & aliquid supplens vicem nigri, ut ejus colores ex tali commixtione confurgant; hæc autem erunt lumen Solis in nube receptum, & opacitas, vel densitas ipsius nubis, illud enim ob nimiam claritatem vergit ad albedinem, hæc autem ob suam obscuritatem ad nigredinem, ubi ergo magis lux abundabit, & dominium habebit super obscuritatem nubis, ibi color apparebit, tendens ad albedinem scilicet puniceus; ubi obscuritas abundabit, & dominium habebit supra lumen Solis, ibi color erit magis tendens ad nigredinem, qualis est purpureus, vel viridis (ut verius putamus, quia minus disgregar purpureo) secundum varias opiniones; ubi tandem nec lumen obscuritati prævalet nec e contra, sed veluti in æquali portione miscentur, color apparebit æqualiter tendens ad albedinem, & nigredinem, qualis est purpureus, vel viridis secundum alios, ita hanc rem declarant Jo. de Mag. 3. Metheor. qu. 2. dub. 2. & Tatar. eodem lib. in fine.

86 Sed dubium est, unde proveniat superabundantia lucis magis in una parte nubis, quam in alia, & communiter ajunt procedere ex diversis densitatis, & opacitatis gradibus, si enim lux incidit in nubem valde densam, & opacam, apparet veluti umbrosus, & niger color, magis vel minus juxta majorem, vel minorem ejus densitatem, & opacitatem, quia non valet lux illam perfecte pervadere, & penetrare, & sic resultat viridis, vel purpureus color; si vero incidit in partem nubis tenuem, & magis raram, tunc eam facile pervadit, eamque imbibit colore magis ad albedinem tendente, causatur enim candor in nube ex multitudine lucis in ea receptæ, quæ omnia constant in nube inter nos, & Solem interposita, nam quo est magis, vel minus densa, & opaca, & radiis Solis obvia, magis, vel minus albescit, aut nigrescit. Hinc itaque concludunt colorem partis superioris, & exterioris Iridis esse puniceum, quia pars illa est cæteris subtilior, & minus opaca, in aliis vero apparere viridem, & purpureum, quia majorem densitatem, & opacitatem participant. Verum in hac re omnes hallucinantur, quia licet verum sit, colores medios in aere fieri ex varia mixtione lucis cum

cum nube, tamen hæc mixtio fieri potest per refractionem, vel per reflexionem lucis in nube, quæ quia valde differunt, ut diximus disp. 2. q. 5. ideo etiam vario modo generantur colores per hanc, & illam, si enim mixtio lucis cum nube fiat per refractionem, ut contingit in nube inter nos, & Solem interposita, utique colores in nube modo illo consurgunt, quod nimirum luce incidente in densam nubem, & valde opacam consurgit color ad nigredinem tendens, quia fit valida radiorum refractio in nube, at incidente in nubem tenuem, & minus opacam fit color tendens ad albedinem, quia fit minor refractio radiorum, at quando mixtio lucis fit per reflexionem, res potius e contra se habet, quia ea pars magis illustratur, in qua fit major reflexio, at major reflexio fit in parte magis densa, & opaca, quam in rariori, & magis perspicua, quia ut inquiunt Perspectivi, quanto corpus est magis perspicuum, & tenue, tanto minus reflectit radios, eos namque sua perspicuitate absorbet; cum ergo in proposito colores Iridis fiant per reflexionem lucis Solaris ad nubem e regione oppositam, non vero per refractionem, consequenter in parte nubis magis densa, & opaca fiet major reflexio, & color apparebit ad albedinem tendens, quia ubi fit major lucis reflexio, ibi lux prædominatur obscuritati nubis, & in parte minus densa, & opaca fiet reflexio minor, & color apparebit ad nigredinem tendens, cum ergo in parte superiori, & exteriori arcus appareat puniceus color magis ad albedinem tendens, in aliis vero viridis, & purpureus magis ad nigredinem tendentes, consequenter pars superior arcus opacior erit cæteris, quia magis reflectit, & quidem hoc modo Arist. ipse diversitatem illam colorum in Iride vestigavit dicens, quod ubi est fortior reflexio, ibi apparet color puniceus, ubi est debilior, cernitur alurgus, & ubi est medio modo apparet viridis.

Cæterum est rursus hic advertendum ex Jo. de Mag. cit. ibi quod cum Iris dicitur *tricolor*, id intelligitur de coloribus apparentibus virtute reflexionis Solaris, sic enim apparent tantum illi tres prædeclarati (licet ille, qui regulariter viridis est, interdum cæruleus appareat ob nimiam humiditatem nubis cum densitate mixtam) nam virtute juxtapositionis eorundem colorum quartus etiam resultat in Iride color, qui ab Arist. dicitur græce *xantus*, vel *sanchos*, latine flavus, & italice *cangiante*, qui in texturis, & variegaturis apparet ait Arist. ex conjunctione filorum diversorum colorum. Imo notat Tatar. hoc totum debere intelligi regulariter, & secundum communem naturæ cursum, quia absolute loquendo, possibile est, Iridem habere tantum duos colores, vel etiam tantum unum, quia possibile est, nubem duas tantum habere partes in opacitate, & densitate diversas, imo totam nubem quoad hoc esse uniformem in omni parte, quibus casibus unum, vel duos colores haberet, quia reflexio luminis fieret tantum duobus modis, vel uno dumtaxat.

87 Tertio *apparens* dicitur, quia re vera colores Iridis non sunt veri, sed tantum apparentes; ratio est, quia de veritate colorum duplex est opinio, ut in lib. de Anim. dicemus, & supra innuimus disp. 2. q. 6. una asserit, quod provenit ex varia mixtione primarum qualitatum, & secundum hanc viam certum est colores Iridis non esse veros, ut bene hic probant Jo. de Mag. & Tatar. quia in ea talis qualitatum mixtio non reperitur, unde oriantur illi diversi colores: alia asserit provenire ex varia mixtione lucis cum opaco independenter a proportione ad aspectum nostrum, ita quod verus color per hoc secernitur ab apparenti, quod ille habet causam intrinsecam in subjecto independenter ab aspectu nostro, unde ab omnibus eodem modo videtur, apparens vero non habet causam intrinsecam, saltem integram, & completam, sed pendet a proportione aspectus nostri, & ideo non eodem modo videtur ab omnibus in diversis locis existentibus, ut se habent colores in collo columbæ, & adhuc secundum hanc viam non sunt veri, sed apparentes, quia nubes rorida, licet habeat variam mixtionem diaphanicitatis, & opacitatis, tamen illa non sufficit ad inducendam varietatem illam colorum ex vario incursu lucis, nam ad hoc requiritur etiam certa proportio aspectus nostri, nam generantur illi colores ex reflexione luminis in nube rorida ad nostrum aspectum terminata, ira quod fiunt ex certo aspectu, & in cursu lucis, eo prorsus modo, quo fiunt colores in collo columbæ, qui variantur ad variationem nostri aspectus; hanc autem variationem subire Iridem probat Maurolic. tam in theorematibus, quam problemate 21. ubi ostendit, quod & ipsa experientia docet Iridem a diversis aspectam non apparere in eodem loco, sicut dum plures imaginem aliquam in magno speculo, vel Solem in magno lacu ex diversis locis aspiciunt, diversis etiam in locis ea repræsentata cernunt; & eadem de causa dicit Arist. nunquam duos homines eandem Iridem videre, Iris enim non nisi per reflexionem apparet, at ad alium, & alium hominem alius, & alius radius reflectitur, quia per diversum diametrum, ideo est alia, & alia Iris, quam plures homines vident, omnes tamen capiuntur pro eadem Iride per æquivalentiam, ut ait Jo: de Mag.

88 Dices, sensus circa proprium sensibile non decipitur 2. de An. 63. & 141. ergo visus non decipitur circa colorem, sed in Iride percipit revera varios colores, ergo erunt veri colores, non apparentes. Resp. Tatar. colorem non esse objectum adæquatum visus, sed qualitatem sensibilem communem ad lucem, & colorem, ideo non oportere omne illud, quod videtur esse colorem, vel coloratum, quia lux, & lumen possunt videri, & sic est in proposito, quod id, quod in Iride videtur, non est color, sed lumen tali modo reflexum, sicut evenit cum phiala aqua plena radiis Solaribus opponitur, similes colores in terra videmus, qui non sunt veri colores, sed lumen reflexum; atque ita sensus non potest errare circa suum sensibile in communi, quia non potest ferri extra suum objectum, sed bene circa sensibile proprium in particulari. Accedit aliud esse dicere, quod non sint veri colores, aliud quod non mirrant veras species talium colorum ad visum nostrum; primum asserimus, non secundum, quia lumen ita reflexum ita per species immutat visum nostrum, ac si essent veri colores, atque ita visus non decipietur circa objectum, nec errat, quia illud percipit, ut sibi per species repræsentatur, sicut cum parietem album per vitrum viride videmus, & viridis apparet ob immutationem specierum, quæ per tale medium ad oculos deferuntur, non ideo oculus errat, quia videt objectum, ut sibi repræsentatur, & a parte rei ita sibi repræsentatur scilicet viride, licet ita non sit a parte rei, hinc dicebamus disp. 3. Log. q. 4. art. 1. ad 1. princ. colores Iridis esse vere a parte rei, & non tantum objective in oculo, non quidem secundum esse reale, & subjectivum in Iride, sed secundum esse repræsentabile per species.

89 Quarto dicitur *ex reflexione luminis Solaris*, ut insinuetur ejus causa effectiva, nam Iris sic multicolor est solis effectus, quamvis enim & Luna Iridem suam causare possit, ut docuit Arist. 3. Metheor. sum. 2. cap. 3. non tamen tali variegate distinctam, sed uno tantum colore, eoque albicante ob debilitatem reflexi luminis; quia vero ut diximus, non efficiatur ab eo, nisi per reflexionem luminis in nube rorida ad nostrum intuitum, hinc ad formationem Iridis necesse est Solem esse in oppositu situ e regione ad nubem irroratam, ut radiis possit eam directe ferire, & sic lumen ad nos reflecti, quod non contingeret, si nubes esset sub Sole directe, eamque perpendiculariter irradiaret; & rursus ut Iris a nobis videatur, opus est, nos esse constitutos in spatio medio inter Solem irradiantem, & nubem irradiatam, quia si nubes esset inter nos, & Solem, non illustraretur, nisi ex ea parte, qua Solem respicit, atque ideo Iridem nobis non exhiberet, nam ex parte nos respicientre obscura maneret, & Sol esset inter nos, & nubem, nimis distaret a nobis Iris, ut videretur, distaret enim a nobis per 18. gradus, ut Perspectivi demonstrant, & tamen Iris non cernitur, nisi in distantia ad tria milliaria ad summum, & tandem hoc experientia ipsa constat, quia si Iris ante meridiem apparet, cernitur ad occasum, si post meridiem, ad Ortum vel Aquilonem versus, quibus temporibus sumus inter Iridem, & Solem; imo hæc est causa, cur Iris nunquam a nobis conspiciatur Meridiem versus, cum in hoc climate sit impossibile, ut versus eam partem maneamus inter Solem & nubem, adeo ut nubes sit versus Meridiem, & Sol versus Aquilonem ultra nostrum verticem.

90 Hinc facile deducitur, quot Irides possint simul a Sole causari, & a nobis conspici, nam in eodem situ idest ad occasum, vel ortum potest causare duas unam infra aliam, quod frequenter accidit ac etiam interdum tertiam, quod raro, unde Arist. duas tantum commemorat, & Tatar. ait non legi, quod unquam tres apparuerint Irides, at re vera visæ sunt, & interdum etiam de facto contingunt, sed tertia non advertitur, quia colores habet multum debiles, & statim evanescentes; rationem hujus reddunt, quia duæ nubes roridæ, ac etiam interdum tres possunt esse in eodem Cœli situ v. g. in Occidente una supra aliam, & discontinuæ, dum ergo Sol illustrat Iridem inferiorem, ipsa cum sit quasi speculum, remittit colorum species ad nubem superiorem, & sic in eam impingentes, ut speculum, reflectuntur, & novam Iridem causant, & sic de tertia dicendum, quæ tamen ex debilitate reflexionis valde tenuis erit, & exigua, & sic volunt in istis casibus unam Iridem ab alia causari, nimirum ex ejus reflexione, non autem immediate a Sole, quod ex eo deducunt, tum quia una semper apparet alia debilior; tum quia colores in illis contrario modo ordinantur, ut nimirum externus sit purpureus, internus puniceus, quod est manifestum inditium Iridem secundam fieri ex reflexione primæ, sic enim redduntur quæcunque imagines ex speculo concavo, ut nimirum pars dextera appareat sinistra, & e contra. Sed licet hoc totum verum sit, & ita regulariter accidit, tamen negari nequit, quin plures similiter possint a Sole causari immediate, una inferior, & altera superior, quia sic etiam duæ nubes roridæ in ea dispositione possunt immediate ambæ irradiari a Sole, & Iridem exhibere, coloresque vibrate eodem modo intensos, ac eodem ordine inter se dispositos, quod erit indicium manifestum, eo casu non unam Iridem causari ex alterius reflexione, sed singulas ex reflexione Solaris luminis directe, & immediate. Immo ita de facto contigisse Iridem narrat Aver. q. 42. sec. 5. ubi inquit, *contingit etiam mihi, cum hæc forte scriberem, videre Iridem duplicatam absque ulla distantia, sive dicam potius, unam Iridem in sex regiones distributam cum iisdem tribus coloribus replicatis, non quidem inverso ordine, sed eodem ordine repetito, quod mihi, & aliis adstantibus singulare, ac insolitum visum fuit*, duas ergo Irides vidit Averroes causatas a Sole immediate eo modo, quo diximus, quas judicavit continuatas ob minimam distantiam unius ab alia, unde miramur, cur hic Auctor cum aliis velit ibi multiplicationem præfatam Iridum semper primo modo contingere per reflexionem unius ad aliam, cum viderit, & experientia comprobaverit, posse etiam alio modo contingere.

Potest etiam Sol in diversis sitibus plures causare Irides directe, & immediate, ut v. g. si Sol sit in meridie, & duas habeat nubes in oppositum, unam scilicet ad orientem, alteram ad occidentem, duas causabit Irides, si uttamque radiis ferire valeat, imo si rursus alia ei opponatur nubes versus Aquilonem, potebit & in ea simul causare aliam Iridem, & sic tres Irides apparerent a Sole directe causatæ, ut bene notavit Zanard. loc. cit.

sit. quo casu dato ti rursus illæ Irides alias efficerent per reflexionem modo prædeclarato, possent contingere in eodem tempore sex Irides, septem, octo, & novem juxta plures, vel pauciores reflexiones, duæ nempe, vel tres ex unaquaque illarum mundi partium, & licet hoc non adhuc visum sit, posset tamen contingere, si vires inspiciamus causarum naturalium; & quidem Cornelius Gemma lib. 1. de divinis naturæ Characterism. c. 8. narrat anno 1551. prima die Martii visos fuisse septem Irides, casu autem, quo contingerent plures Irides, semper opus erit, ut cadant sub aspectum nostrum, quod simus inter solem, & nubes irroratas, ut supra dictum est.

91 Quinto dicitur *in nube rorida*, per quam particulam causa materialis exprimitur, seu subjectum, in quo formatur imago Iridis, hoc enim a Peripatheticis passim statuitur nubes, non quæcunque sed rorida, talis nimirum, quæ in aquam stillicidiis dissolvi incipiat, ac taliter dispositæ, quod ex anteriori parte, qua nos respicit, sit concava; ut sub tali figura facilius radios Solares excipiat, sitque perspicua, ut facilius lumen imbibat, ex parte vero posteriori scilicet a tergo sit opaca; ut more speculi lumen repercutiat, & reflectat, quod totum Arist. docuit loc. cit. Verum cum dicitur Iridem in nube rorida efformari, velut in subjecto, hoc non debet ita intelligi, quasi in ipsa nubis substantia imprimatur, sed in ipsis guttulis levi aspergine ex ea stillantibus, ita notavit D. Tho. 3. Metheor. lect. 3. digression. de Iride, & Jo. de Mag. cit. q. 2. dub. 3. & Arist. ipse docuit loc. cit. expressis, & sæpius repetitis verbis, quod probat Philosophus, quia plus valet aqua lumen reflectere, illosque colores visui nostro exhibere, si in minutas stillas concidatur, quam nubes ipsa, probat hoc Arist. experientia circa remos navigantium, aqua enim vi remorum agitata in minutas stillas rigans, & rorans excipit radios Solis, nobisque exhibet eosdem colores, quos Iris, & aliæ quamplures suppetunt experientiæ consimiles, nam eadem de causa apparent Irides supra rotas illas, quibus aguntur molæ ab aqua, ac etiam quando quis aquam ore exceptam artificiose proicit in auram, itaut certa proportione radios Solis excipiat; tum quia sæpe videmus arcum Iridis cornibus hinc inde terram contingere; signum evidens colores illos non esse in ipsa nubis substantia impressos, quia non ita prope terram solet subsidere nubes, sed in ipsis stillulis, & guttulis ex nube levi aspergine rotantibus. Tum tandem quia feriente Sole phialam aqua plenam, ut supra dicimus, ex altera parte colores in terram proiiciuntur, velut Iridis, ergo aqua præsertim rorans sufficit ad reflectendum lumen, & suscipiendos Iridis colores.

92 Sexto tandem ex dictis deducitur, Iridem etiam ante diluvium effulsisse, quia habet causas naturales scilicet Solem, ac nubem roridam, quæ utique ante diluvium extiterunt, ita docent Lippomanus, Abulensis, Eugubinus, Carthusianus, D. Tho. & alii, neque oppositum ullo modo ex Gen. 9. deducitur, ait enim ibi Deus ad Noe, *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram, cumque obduxero nubibus Cœlum apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum*, & rursus repetit ibi, *eritque arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni* &c. fane ex his verbis nequaquam deducitur Iridem ante diluvium non fuisse, sed solum non fuisse ut signum non futuri diluvii, sicut postea fuit, & est post diluvium ex divino instituto, neque fuisse, ut signum recordationis initi fœderis, ut postea fuit; unde neque absolute dixit Deus se ostensurum arcum in nubibus, quasi antea non apparuerit, sed illum deinceps ostendendum esse in signum initi fœderis, & non amplius futuri diluvii, quod antea non portendebat. Dubium tamen est, an Iris ad hæc significanda fuerit mere assumpta ex divino beneplacito, itaut sit signum mere significans illa ex divina institutione, an potius cum aliquo fundamento a parte rei, ac innata proprietate, quam habeat. Res est exigui momenti; nam quocunque modo dicatur, nullum sequitur inconveniens. Potest tamen dici utrumque significare cum aliqua proportione, significat fœdus nobiscum initum, & divinam indulgentiam, quia est arcus sine sagitta, unde insinuat divinam iram esse sedatam, Deumque nobis conciliatum; significat etiam cum aliqua proportione securitatem a diluvio, quia Iris, vel serenitatem prænunciat, ut vespertina, & quæ post pluviam apparet, tunc enim significat completam esse nubium resolutionem, nec nisi stillicidia remanere, vel certe modicam pluviam, & levem irrorationem, si matutina sit, & ante pluviam appareat, ratio est, quia magnus aquarum imber solum contingit, cum nubes sunt valde turgidæ, & gravidæ vaporum, in qua dispositione non sunt aptæ ad reflectendos radios Solares, & Iridem exhibendam, si ergo Iris naturaliter denotat non futuram proxime magnam aquarum inundationem, quia non formatur in nubibus adeo turgidis, potest bene nobis cum fundamento in re promittere securitatem a diluvio, non quia denotet diluvium, nec proxime futurum, nec deinceps, quia non adeo ultra extenditur naturalis ejus significatio; sed in hoc sensu, quod cum apparens nos reddit naturaliter securos a diluvio proxime futuro, reddit etiam tutos a futuro deinceps, ex divina institutione, quia quoties apparet, toties Deo suggerit initum pactum juxta scripturam citatam, *apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum*, ita hanc rem explicasse videtur Abulensis, Burgens. & Cajet. in eum Genes. locum, & D. Th. quol. 3. ar. 30.

93 Quoad alteram quæsiti partem de cæteris scilicet imaginibus in aere apparentibus breviter dicemus; *Parelius* est imago Solis expressa in nube collaterali, veluti in aqua limpida cernitur alicujus imago; ut vero nubes expressam referat Solis imaginem, debet esse situata, non infra Solem versus terram, nec e regione, sed ad latera scilicet vel ad Austrum, vel ad Aquilonem in conveniente distantia; debet item esse rorida, & versus Solem perspicua, & ex altera parte opaca, & terminata, ut Solis imaginem in parte anteriori receptam reflectere valeat, si quæ contingat Solem ex utroque latere nubes habere in consimili dispositione, & situ tres apparebunt Soles, unus realis, & verus in suo orbe, qui nempe existit in medio, alii in nubibus vicinis, & de facto tres Soles sæpius visi sunt, ut Historici referunt; sed prodigioso quodam modo ajunt, se illos vidisse Cardanus, & Aversa cit. Cardanus enim inquit, tres Soles vidisse tantæ claritatis, ut difficile esset discernere verum Solem ab apparentibus, prodigiosum sane hoc est, quia quando duo contingunt Parelii, observatum est regulariter unum illustrius, aliud obscurius apparere, unde deduxerunt: unum fieri per reflexionem ab alio, & non immediate ab ipso Sole, at in casu Cardani dicere opus est ambos parelios immediate ab ipso Sole fuisse impressos in nubibus collateralibus. Aversa vero inquit Romæ anno 1622. die Februarii undecima in ipso meridie totidem vidisse Soles, & per duas fere horas post meridiem parelios perdurasse, quod identidem peregrinum est, refert enim Arist. id accidisse in Bosphoro, regulariter enim fiunt oriente, vel occidente Sole. Testatur autem Plinius lib. 2. natural. histor. cap. 1. nunquam plures tribus Soles fuisse visos; alii tamen sex aliquando apparuisse commemorant apud Conimb. tract. 4. cap. 5. suppresso Auctorum nomine; narrat quoque cap. 32. tres interdum visas quoque fuisse Lunas, ita quod Luna etiam suos efficiat parelios, idem etiam affirmat Surius contigisse anno 1514. in Ratrocil. inquiunt tamen rarius in Luna contingere parelios, quam in Sole, forte inquit Cardanus, quia splendente Luna plerumque homines dormiunt, unde contingere potest, ut sæpe fiat parelius Lunæ, & nemo illum advertat.

94 Deinde *Virgæ* sunt radii Solares penetrantes nubem difformiter densam, & raram in terram recta protensi, qui quandoque diversos colores referunt propter variam nubis dispositionem, & possunt fieri dupliciter, ut videre est apud Jo: de Mag. q. cit. §. *tertio sciendum*, & quia plures simul apparere solent, ut notavit Arist. cit. cap. 5. ideo plurali nomine dicuntur *Virgæ*. *Halo*, sive *Corona*, est circulus quidam apparens circa Solem, Lunam, aliaque astra, fit cum nubes æquali densitate circa astrum spartitur, quare cum radiis, quos astrum diffundit, nequeat recta in terram progredi in nobis densitatem incidentes, diffunduntur circa extremitates orbiculares ejus, ideoque varii colores in ea resultant, quibus astrum cingi videtur, & ideo *Corona* dicitur a latinis, ac etiam appellatur *Area*. Frequentius autem fit sub Luna, quam sub Sole, quia fervore Solis halitus ille circumfusus faciliter dissipatur; si densus sit ille circulus, & aliquantulum subniger prænunciat pluvias, si rubeus ventos, si candidus serenitatem. *Hiatus*, & *Vorago* apparent in aere, quando adunati fuut halitus, seu vapores in gyrum sic distributi, ut in medio sint magis atri, & obscuri, in circumferentia magis clari, & albicantes, ex tali enim colorum dispositione apparet in medio profunditas quædam, ut experientia constat in antris, & puteis in tabula plana a Pictoribus repræsentatis; cujus ratio est, quia obscurum, cum minus feriat visum, remotius apparet, e contra vero clarum, & albicans color: si profunditas in aere apparens ex tali dispositione nubis, vel exhalationis est parva, dicitur hiatus, si magna, dicitur vorago; Tyco inquit modo apparere hiatum eo in loco, in quo apparuit stella illa in Cassiopeja circa annum 1572. cujus rei veritatem expertis in arte relinquimus; nos ei hac in re, sicut in aliis multis fidem non præstamus, quia ut notat Angest. pag. 78. §. *istis præmissis*, hiatus, & vorago non sunt in Cœlo, ubi illa stella apparuit, sed in media aeris regione contingunt.

Dices, nocte existente serena apparent quandoque hiatus, & voragines, & tamen non est in aere illa materia scilicet nubes, & vapor, alioqui non esset serenitas, ergo hiatus illi erunt in cœlo. Resp. Angest quod serenitas non est totalis privatio nubium, sed multarum, & magnarum, quemadmodum tranquillitas non dicit omnimodam privationem ventorum, sed magnorum, & magis ferocium; cum serenitate igitur potest esse in aere exhalatio, cum aliquibus nubibus sufficiens ad illas impressiones; Ex quo etiam solvit aliud duoium satis curiosum, unde scilicet proveniat, quod interdum existente serenitate videantur inflammationes, quandoque audiatur sonus, tanquam tonitrui, vel tubæ, vel fractionis arborum, quandoque sicut voces hominum, vel bestiarum? Resp. enim ex eadem doctrina causam talium sonorum esse collisionem exhalationis cum vapore, quatenus nempe exhalatio subtilis inclusa in vapore subtili compressa petit exitum, & violenta eruptio fit cum illo sonitus; alias autem prodigiosas imagines, ac portentosas in aere apparuisse refert Aversa cit. sed quia potius opera fuerunt divinæ omnipotentiæ, & providentiæ, quam naturæ, missas facimus. Interim videatur hic Auctor, ac etiam, si placet, Cottunius lec. 27. ub: alia mirabilia ostenta in Cœlo visa commemorat ex Majolo, & Aldrovando.

QUÆSTIO IV.

De aqua, & terra, eorumque Metheoris.

95 SImul instituimus quæstionem de aqua, & terra, quia etiam unitæ reperiuntur conficientes unum globum, & non se habent ut continens, & contentum perfecte, sicut aer continetur ab igne. Quamvis enim aqua ex propria natura petat esse supra terram, illamque circundare, cum sit minoris gravitatis, & ita fuerit ab initio creata, ut deducitur ex 1. Gen. *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas*, scilicet abyssus aquarum tenebrosus cooperiebat terram, & spiritus aeris circumdabat aquam; attamen propter viventium habitationem fuit facta segregatio aquarum a terra per congregationem aquarum in unum locum, & ex duobus illis corporibus unus globus totalis fuit compactus, ut habetur loc. cit. *Dixit Deus, congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, & appareat arida*. Ex quibus est dubium, nam si aqua prius totam terram cooperiebat, certe non exigua erat tota quantitas aquæ, sed ingens valde, quo pacto ergo potuit in unum locum terræ reduci, & veluti restringi? maxime quia modo quantitas terræ notabiliter excedit quantitatem aquæ, quamvis enim considerando amplitudinem, & superficiem utriusque in globo artificioso, mare ac terram repræsentante videamus aquam vel nihil, vel parum excedere terram; nihilo tamen minus si spectetur profunditas aquæ, certe longe major est terra, nam semidiameter, seu profunditas terræ continet milliaria 3035. secundum Recentiores, semidiameter autem aquæ regulariter non excedit dimidium unius milliarii, & ad summum in quibusdam locis ad duo, vel tria milliaria provenit, præter quam circa littora Svevica fundus adhuc explorari non potuit propter nimiam profunditatem, quomodo ergo ex aqua, & terra potuit unus globus componi?

96 Multipliciter respondent Theologi in tract. de oper. sex dierum, vel quod aqua prius fuerit nimis rara, & per congregationem illam fuerit postea condensata; vel quod per illam segregationem fuerit aqua ex una parte supra terram elevata, & in loco altiori, sed de hoc infra; vel quod magna aquæ pars fuerit vento exsiccata, vel in aliud corpus conversa. Dicimus autem aquam ab initio non excessisse terræ magnitudinem; quamvis totam circumtegeret, sicut modo quidam docent de aere, cujus semidiametrum, ajunt, continere solum 52. milliaria, & ideo facile potuit in unum locum reduci. Accedit, quod quantitas aquæ non adeo exceditur a quantitate terræ, non enim aqua solum est in mari, sed passim fluunt multa, & ingentia flumina, item extant putei, lacus, quæ omnia simul conjuncta magnam aquæ copiam, & colluviem integrarent, terra quoque cum sit naturaliter sicca, fieri potuit, imo de facto ita contingit, ut maximam aquæ portionem absraxerit; unde si aquis exprimeretur, & suæ soliditati, & densitati restitueretur, aqua mirum in modum excresceret, terra vero multo minor appareret; tum quia Geometræ quando semidiametrum terræ cum semidiametro aquæ conferunt, accipiunt semidiametrum totius globi ex terra, & aqua conflati, ad deprehendendam autem alterius majoritatem deberet fieri comparatio inter terram, & aquam seorsim acceptas, & non ut unum corpus includit aliud, tum quia in aquis non reperiuntur cavitates, ut in terra, & maxime subterranea loca inferni, purgatorii, & limbi puerorum; quapropter, si recte hæc omnia perpendantur, non erit tam ingens excessus terræ super aquam.

97 Globus igitur iste terrestris in medio mundi existit, ut ostendimus disp. 1. q. 2. estque sphæricæ figuræ, quamvis non perfectæ undequaque; solet probari a Mathem. nam signa prius oriuntur orientalibus populis sive in terra, sive in insulis, sive in navibus existant, quam occidentalibus, ergo globus iste est rotundus ab oriente in occidentem, nam si esset planus, statim ac signum aliquod oriretur, ab omnibus simul cerneretur, sive orientalibus, sive occidentalibus; hinc Eclypsis Lunæ, si nobis contingit prima noctis hora, orientalibus populis accidet tertia noctis hora v. gr. quia prius tempore nox accidit, & occidit Sol orientalibus populis, quam occidentalibus, idipsum ostendit iter hisce temporibus valde familiare Hispanis, & Lusitanis, circumeunt enim terram, ut ab occidente in orientem tendant; eadem ratione prob. globum istum esse sphæricum ab Austro in Septentrionem, nam quo magis tendimus ad Septentrionem terra, marique, eo magis elevatur polus arcticus, & deprimuntur signa Australia, & e contra quo magis accedimus ad Austrum, magis deprimitur polus arcticus, & elevatur antarcticus, quod nequit provenire, nisi ex tumore hujus globi. Accedit ratio Philosophica, quia omnia gravia tendunt deorsum, & quærunt semper, si non sunt impedita, æqualiter a centro distare, ergo cum terra, & aqua sint corpora gravia, quærunt circa centrum in unum conglobari; quamvis propter vastitatem, & irregularitatem hujus molis non percipiatur tam sensibiliter hæc gibbositas, imo multis in locis appareat terra plana, & hac de causa Sol apparet in oriente, vel occidente a terra secari per lineam rectam, quamvis sphærice, & circulariter revera secetur.

98 Ex hac rotunditate hujus globi Mathematici multa deducunt scitu digna. Primo duos homines magis distare secundum capita, quam secundum pedes: duos parietes unius turris ad perpendiculum erectos plus inter se distare in cacumine, quam in fundamento, ratio est, quia gravia descendunt ad centrum per lineas rectas, non parallelas, sed angulum facientes in centro, quarum natura est, quod eo plus inter se distant, quo magis a centro recedunt, quia majorem circuli peripheriam intercipiunt, & in tantum gravia sustentantur, in quantum centrum respiciunt per lineam rectam, itaut si auferretur impedimentum, statim descenderent ad centrum, cum ergo homines, ac parietes illi per istas lineas respiciant centrum, quæ magis inter se distant, quo plus a centro recedunt, major erit peripheria circules versus summitatem, & caput, quam versus imum, & pejus spatium conficere ambulando, velociusque moveri secundum caput, quam secundum pedes, quia majorem circulum designat circa centrum per caput, quam per pedes, quia magis caput recedit. Tertium idem vas plus aquæ continere positum in ima valle, quam in altissimo jugo montis, eo quia aqua, quamtumcunque appareat plana, semper tamen aliquem tumorem admittit in medio, aliter non æqualiter a centro distaret, nam linea recta plus distat a centro in extremitate, quam in medio, ergo si aqua recte extaret in vase, plus secundum partes extremas recederet a centro, quam secundum medias, & consequenter secundum illas violenter quiesceret, quare conatur se reducere ad æqualem distantiam per intumescentiam aliquam in medio, hoc modo quilibet humor est talis naturæ, ut pars minus pressa a magis pressa expellatur, ideoq; quia pars aquæ existens in lateribus magis premit partem subrus existentem propter majorem distantiam a centro, expellit partem in medio existentem, facitque illam aliqualiter elevare, & intumescere; & quoniam cuo res est in humiliori loco, eo minorem circulum potest describere circa centrum, & quo in sublimiori, eo majorem, circumferentia autem circuli quo est major, eo est minus curva, quia magis accedit ad rectitudinem, & quo minor eo magis curva, sequitur majorem curvitatem, & intumescentiam habere aquam in valle, quam in jugis montium, & consequenter vas plus aquæ in valle, quam in monte, licet propter exiguum excessum non appareat.

99 Quartum si essent duæ naves, quæ prima die v. g. Januarii 1639. a loco aliquo incipiant simul moveri æquali velocitate, una orientem versus, altera versus occidentem, idemque spatium percurrant, itaut prima die Januarii 1640. ad eundem locum simul perveniant, adhuc tamen navis ad ortum pergens plures dies enumerat, quam pergens ad occasum, licet eadem velocitate idem spatium eodem tempore percurrant, quod tamen videtur paradoxum, ratio autem est, quia navis orientalis movetur contra motum Solis, occidentalis vero juxta Solis motum, quapropter prima die citius occidet Sol navi orientali, quam occidentali, citiusque existens in orientali incipiunt numerare primum diem elapsum, quam alii, sit v. gr. hæc differentia 10. minut. secundo die citius oritur Sol orientali, quam occidentali, citiusque occidit illi, quam isti, quare cum existentes in orientali navi numerant secundum diem elapsum, alii habebunt adhuc tertiam partem horæ secundi diei, (quælibet enim hora continet 60. minuta) & sic successive spatio quatuor, vel quinque mensium existentes in navi occidentali unum diem minus numerabunt, alii existentes in orientali unum diem plus absolvent. Alia quoque corollaria inferunt Mathematici, ut videre est apud Clavium in c. 1. sphæræ, sed hæc sufficiant.

Cæterum ut clarius percipiatur structura hujus globi, primo ipsum considerabimus secundum totum, deinde secundum partes, declarando singula Metheora, tam aquæ, quam terræ contingentia.

ARTICULUS I.

An Terra sit altior Mari.

SEnsus quæsiti est, an in eorum separatione in principio facta Deus Angelorum ministerio magnam terræ partem extulerit in aliud latus, & in illam intercapedinem totam aquam immiserit, itaut terra detecta sit altior mari, an vero globum aquæ in alium locum collocarit ex una parte relinquendo terram discooperta juxta priorem statum; itaut altior sit aqua, quam terra.

Prima opinio asserit terram esse aqua depressiorem, ita D. Th. 1. p. q. 69. art. 1. Bannes, Zumel, Canus ibid. Cather. in cap. 1. Gen. Zanard. de univ. elem. par. 3. q. 43. Joan. de S. Thom. tract. 7. de Metheor. c. 1. & Arriag. disp. 4. de Gen. sect. 4. & desumitur ex Patribus, ut Basil. hom. 4. in exam. Ambros. lib. 3. c. 2. Nanz. & Olimpiod. in Catena Patrum in Gen. Opposita est communior, & sequuntur Contar. lib. 2. de elem. Conimb. 2. Cœli c. 14. qu. 4. Ruv. lib. 3. c. 8. q. 3. Aversa qu. 36. sect. 4. Hurt. disp. 3. de Cœlo §. 84. Amic. de Cœlo tract. 8. q. 4. dub. 3. ex Theologis Mol. tract. de oper. sex dier. disp. 11. Val. ibid. qu. 3. punct. 3. Suarez lib. 2. c. 6. Ægid. lib. 2. Exam. Vulpes 2. p. to. 2. disp. 36. ar. 2. & quamplures expositores Gen. Patres etiam quamplurimi hanc amplectuntur sent. ut Chrysost. hom. 9. ad pop. Antio. Hieron. super Psal. 32. Aug. super Ps. 135. & lib. 1. in Gen. ad lit. c. 12. Dam. 2. fid. cap. 9. & 10. & alii apud. Aversam cit.

100 Dicimus terram secundum planam superficiem non esse depressiorem aqua, sed saltem æqualem, at secundum montes esse altiorem; ita colligi potest ex Scot. 2. d. 17. q. 2. ubi non obscure insinuavit hanc opinionem, dum dixit aquas diluvii miraculose ascendisse in montes ad punitionem peccatorum, non naturaliter, ergo supposuit montes esse altiores aqua; nec obscure colligitur ex Sacra Scriptura Psal. 23. *Ipse super maria fundavit eum*, Psalm. 32. *Congregans sicut in utre aquas maris*, utrem appellat cavitatem, & intercapedinem illam; Psal. 106. *Qui descendunt mare in navibus*, si enim homines descendunt, mare non erit altius terra; Job. 38. *Quis conclusit ostiis mare?* &c. *Circumdedi illum terminis meis, & posui vectem, & ostia*, prob. autem ratione, quia aqua ex propria natura deorsum tendit, & æqualiter secundum omnes partes quærit a centro distare, ergo si aqua secundum aliquam partem esset altior terra, debebit se super terram diffundere, illamque operire, non enim probabile censetur dictum illorum asserentium aquam sursum a Deo detineri propter bonum universi, nec ob id violenter quiescere, quia hæc detentio est conformis *inclinationi* naturæ universalis, quæ magis intendit bonum *commune*, quam particulare. Non valet, quia jam admitteretur continuum miraculum, absque necessitate, cum potuisset Deus alio medio consequi suum finem, pro-

propter quem voluit terram detegere aquis, & videtur esse contra D. Aug. 7. de civit. c. 10. docentem Deum sic administrare omnia, quæ creavit, ut ipsa propriis motus exercere, & agere sinat, tum quia in sententr. Aristot. hæc resp. non habet locum, dicentis Deum agere cum causis secundis juxta proprias naturas; tum quia non salvat adhuc naturalitatem quamvis esset hæc quies juxta naturam universalem, vere enim aqua violenter quiesceret, juxta dicta in Phys. disp. 12. q. 2.

Resp. Arriag. proprium aquæ esse gravitare recta linea ad centrum, non ad latera, ideoque etiam si sit in modum globi, non diffunditur per latera, quod patet in poculo, in quo aqua elevatior est in medio, quam versus latera, addunt alii connaturale esse aquæ sphærice conglobari, ut patet in guttis aquæ, vel in pulvere profusis, vel e tegulis imminentibus, ideoque non diffunditur ad cooperiendam terram. Alii, quod detineatur cursum, & coerceatur siccitate terræ, & arenæ.

101 Sed prima resp. non satisfacit, non enim solummodo proprium est gravium ad centrum tendere directe, sed etiam circa centrum se conglobare, & specialiter hoc convenit fluidis, quæ secundum omnes partes æqualiter quærunt a centro distare; ratio est, quia si aqua in una parte ita tumesceret, ut longius in medio extaret a centro, quam in lateribus, jam esset superior aere secundum illam partem, sicut dicimus, montes esse elevatiores aere in vallibus existentes, ergo si posset, se reduceret subtus aerem; nullum autem impedimentum adest, cum sit corpus fluidum, & faciliter una pars aliam potest impellere, ut diximus in princ. 9. Tum quia sic possemus dicere, omnem aquam alicujus laci, vel paludis posse in unum quasi acervum conglobari, absque eo quod ad latera decurrat, & naturaliter sic contineri, quia linea recta tendit ad centrum, quod tamen est falsum, quia videmus, quo plus augetur aqua, eo magis profundi ad latera, & expandi; unde exempla adducta potius contrarium ostendunt, quando enim aqua est in exigua quantitate, potest utique conglobari, vel ad fugiendum contrarium, ut in pulvere, vel ne partes illæ discontinuentur, ut in guttis e tegulis pendentibus experitur, at quando est ingens aquarum copia, tunc per totum dilabitur, & quærit æqualiter a centro distare. Per hæc reprob. 2. resp. tum quia admittit perpetuam violentiam; tum quia progressu temporis hæc siccitas superaretur a tam magna aquarum humiditate, & successive deberet terra ab aqua contegi.

102 Accedunt experientiæ, nam si aqua esset altior terra, hoc esset maxime in Oceano, & tamen ibi multæ elatæ insulæ conspiciuntur supra aquas, ergo universaliter terra est altior mari. Flumina per imas valles ut plurimum prono, & naturali motu decurrunt ad mare, & multa intrant in mare etiam per spatium 40. milliarium, si autem mare esset altius terra, non descenderent, sed ascenderent. Naves etiam cæteris paribus non velocius ad terram perveniunt, quam e terra discedant, & tamen si aqua esset altior quocunque monte, deberent tunc naves difficillime ad locum illum accedere, & facillime recedere; cum enim hæc major aquæ altitudo non sit exigua, sed nimis excedens, quia superaret omnem montium altitudinem, non efficeret differentiam pæne insensibilem, ut inquiunt Thomistæ, sed valde sensibilem; qua ratione permotus Joan. de S. Thom. concessit, aquam depressiorem esse altissimis montibus, verum idem quoque de aliis terræ partibus fassus esset, nisi fuisset authoritate D. Thom. constrictus. Et maxime nostram sentent. explicant, & comprobant verba D. August. lib. 2. cit. *Numquid tam in altum congregatæ sunt aquæ, sicut fit cum ad ventilandum in area messis trita surrigitur, & congesta in aggerem nudat locum, quem diffusa contexerat? Quis hoc dixerit? Cum videat usquequaque campos maris æqualiter fusos, qui etiam cum aquæ fluctuantis quidam velut montes eriguntur, sedatis rursus tempestatibus complanantur.* Cum igitur ex terra, & aqua unus conficiatur globus circa centrum, sequitur, quod aqua ex se æqualiter secundum omnes partes distet a centro (nisi ab extrinseco aliter eveniret, ut in tempestatibus; & in fluxu, & refluxu, ut dicemus infra) & consequenter, quia terra in planitie, quantum potest, hoc pacto se conglomerat circa centrum, hinc quoad has partes possunt aqua, & terra æquales fere dici in altitudine, & excessus potius erit in terra, quam in aqua, saltem ut plurimum, non enim negamus posse aliquam terræ partem inveniri, quæ sit depressior aqua, & per quendam arginem, vel naturalem, vel artificialem contineatur aqua, ne obruat terram illam; at in montibus est altior, unde absolute terra dici debet elevatior, aqua humilior.

103 Obiic. 1. ex Sacra Script. Psal. 68. *Veni in altitudinem maris*; & Lucæ 2. *Duc in altum*; item Ps. 103. *Super montes stabunt aquæ*, & infra. *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram*; rursus Job 38. *Dixi, usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*, & Prov. 8. *Quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*, Jer. 5. *Posui arenam terminum mari præceptum sempiternum, quod non præteribit.*

Resp. per altitudinem vel intelligi profunditatem maris juxta figuram grammaticorum, vel pro recessu non quidem a centro, sed a littore. Ly *stabunt* ut notat Ruv. sumitur pro *stabant*, loquitur enim ibi Vates de constitutione primæva elementorum, quando aqua terram cooperiebat, unde sequitur *Ab increpatione tua fugient*, idest a jussu divino, cum dixit *Congregentur aquæ in locum unum*; neque hoc est mirum, quia hæc temporum transmutatio, teste Eugubino, familiaris est apud Hæbreos. Aliæ authoritates explicari solent de excavitatibus, & foveis a Deo factis, in quibus aqua recluditur, itaut terra, sive arena sit terminus aquarum, & in hoc laudatur divina potentia.

Secundo, Basil. cit. refert, mare rubrum altius extare compertum esse, unde ad littus pergentes nautæ terram infra mare jacere conspiciunt, quod etiam apparet in aliis locis, nam in littore existentes videmus mare velut in globum assurgere, at in alto mari morantes solum cacumina montium cernimus, non planitiem terræ. Tum 2. naturale est aquæ supra terram existere, cum sit levior. Tum 3. grave est talis naturæ, quod petit esse circa centrum æqualiter quoad pondus, ut si ex una parte est gravius, ex altera levius, secundum partes graviores petit esse propinquius centro, quam secundum leviores, sed globus iste est levior ex parte aquea, gravior ex parte terrea, ergo secundum partem aqueam magis distat a centro, ergo aqua est altior terra. Tum 4. *Omnia flumina intrant in mare, & ad locum, unde exeunt, revertuntur.* Eccl. 1. flumina autem ut plurimum ex altissimis montium jugis emanant, ergo mare erit altius, quam montes. Prob. quia aqua naturaliter descendit, & si ascendit, hoc est, quia prius descendit, ergo si in montes per occultos meatus ascendit, prius a mare descendit, quare mare erit elatius omni monte.

104 Resp. ad 1. jam concessimus partes aliquas terræ esse mari depressiores, & sic erit de mari rubro, quod etiam in Zelandia experiri testatur Jo. de S. Th. non ob id tamen deduci debet conclusio universalis; apparentia illa diversa, quæ conspicitur a nobis in littore vel in alto mari existentibus, non minus urget adversarios, si enim a littore recedimus intus terram, quæ sit plana, paulatim mare absconditur, & solum pars a littore aliqualiter distans cernitur, donec totum omnino celatur, quod non deberet accidere, si mare esset altius terra, totum enim conspici deberet, dum manemus in terra, & totum littus deberemus etiam videre, dum sumus in alto mari, nam si montem aliquem ascendimus, tantum abest, quod non videamus inferiorem planitiem, quod potius distinctius omnia nobis repræsentantur; quapropter causa hujus diversitatis aliunde petenda est; & proprie evenit ex terræ, & aquæ gibbositate, ac rotunditate, hoc enim argumento Joan. de Sacrobosco probat, globum terrestrem esse sphæricum. Addunt Conimb. ideo navigantibus terra humilior apparet, quia sensus decipitur ex hoc, quod terra comparatione aquæ acra esse videtur, qui color juxta candidiore positus profundior, & depressior apparet, ob quod pictores vallis, aut alterius rei profunditatem atro colore dipingunt circumposito clariori. Ad 2. naturale est aquæ esse supra terram, & a terra sustentari, quomodo mare existit, quod vero alia terra sit altior, dummodo ab aquis non sustentetur, utrumque elementum naturaliter existit. Tertium petit solutionem seq. difficultatis quam solvemus ar. 4.

ARTICULUS II.

An iste globus ex terra, & aqua constitutus habeat idem centrum cum universo, ubi de motu trepidationis.

105 Duplex centrum distingui solet in corpore sphærico gravi, scilicet magnitudinis, & gravitatis, primum est punctum illud, a quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam, sunt æqualis magnitudinis; secundum est punctum aliquod alicujus lineæ, in quo si fiat divisio, partes erunt æqualis ponderis, & gravitatis, v. g. detur aliquod corpus sphæricum, dividatur saltem imaginatione in duas partes æquales, rursus designetur punctum, dividens superficiem in duas partes æquales, & tandem designetur punctum, dividens lineam in duas medietates, punctum illud erit centrum illius corporis sphærici, unde ut conspiciatur hoc centrum, oporteret dividere sphæricum in octo partes æquales, & si istæ partes essent æquales, non solum in gravitate, sed etiam in magnitudine ut in sphæra plumbea, tunc idem erit centrum magnitudinis, & gravitatis; si vero essent æquales solum in magnitudine, ut si esset sphæra ex medietatibus plumbea, & lignea integrata, & divideretur medietate in plumbeam, & in ligneam, centrum diceretur magnitudinis non gravitatis; tandem si essent æquales solum in gravitate, ut si parti lineæ tantum de plumbea adderetur, ut æquaretur in pondere alteri parti, centrum diceretur gravitatis, non magnitudinis.

106 Dupliciter autem potest utrumque centrum assignari in aliqua sphæra, vel Physice, vel Mathematice; primo modo in centro magnitudinis fit, cum lineæ ductæ ad circumferentiam licet simpliciter non sint æquales, vulgari tamen, ac rudi modo censentur æquales propter modicam differentiam in illis repertam, ut si daretur globus ex lapide rudi, vel pumice, lineæ essent inæquales non tamen notabiliter, similiter in centro gravitatis fit, cum partes licet inæquales in pondere, non faciunt tamen notabilem, & sensibilem differentiam, secundo modo fit, cum tam lineæ sunt simpliciter æquales, quam partes æqualiter omnino ponderosæ.

107 Deinde not. quod globus iste dupliciter potest considerari, vel in primæva sui constitutione, quando scilicet terra erat omnino infima undequaque aquis cooperta, & hoc pacto faciliter poterat assignari centrum magnitudinis, & gravitatis, etiam Mathematice, quod erat idem cum centro universi, quia probabile est, & ita congruum erat, Deum in principio formasse terram æqualiter per totum, & in eadem dispositione, hinc nec magis gravitabat ex una parte, aut magis elevabatur a centro, quam ex alia; secundo potest considerari post segregationem aquarum a Deo tertia die factam, per quam terra inæqualis evasit quod externas partes propter montes, & valles, maxime propter cavitates illas, in quas fuerunt aquæ reductæ, & ut sic adhuc dupliciter potest sumi, vel ut cum unum

ut ab

ut ab aqua præscindit, & in hac secunda consideratione clarum est, quod nequit assignari centrum magnitudinis Mathematicæ in terra, sive se sola, sive aquæ unita propter inæqualitatem externarum partium, poterit tamen assignari Physice, nec recte negat hoc Ruv. 3. Cœli c. 8. q. 2. si enim tota ista magnitudo terræ respectu universi non officit, quin centrum universi Physice dicatur, quatenus in ordine ad universum moles terræ pro nihilo reputatur, cur inæqualitas montium notabile discrimen causare poterit respectu universæ terræ? verum est tamen, ut notat Aversa qu. 36. sect. 5. melius assignabitur in terra aquæ conjuncta, quam ut separata considerata, quia minorem admittit cum aqua inæqualitatem; centrum vero gravitatis tam Physice, quam Mathematice, tam in sola terra quam aquæ admixta poterit assignari contra Salas p. 2. tr. 10. disp. 6. sect. 3. in fin. quodlibet enim corpus quantumvis rude, & inæquale potest dividi in duas partes æque ponderantes, & saltem a Deo partes istæ in terra cognoscerentur, & consequenter vere datur a parte rei, quamvis nostram fugiat cognitionem.

Dubium ergo est, an globus iste ita in medio sistat universi, ut centrum ipsius tam magnitudinis, quam gravitatis sit cum centro universi compenetratum, an vero ab isto aliqualiter distet, & quidem Vasq. p. 2. disp. 81. a n. 18. Aversa qu. 36. sect. 5. & 6. & Cottunius 1. Metheor. lect. 17. asserunt centrum gravitatis terræ *necessario*, & *semper* compenetrari debere Mathematice cum centro universi, itaut si tantisper mutaretur centrum gravitatis terræ, tota terra moveretur, donec æqualiter secundum omnes partes distaret a centro, fieretque centrorum penetratio, qui motus trepidationis, vel agitationis fuit appellatus; & quoniam ad *variationem* cujuslibet ponderis, quantumvis minimi, Mathematice variatur terminus gravitatis terræ, consequenter ait Vasq. non solum si mons aliquis tolleretur, vel adderetur alicui parti terræ, totam terram motam iri, sed etiam si quis lapidem in terram projiceret, per illum impulsum totam terram aliquantulum premi extra centrum, addunt Cottun. & Aversa hunc motum esse Physice imperceptibilem propter vastitatem terræ. De centro magnitudinis, inquit Aversa, quod non est necesse cum centro universi penetrari, *sed sufficere*, quod non distet notabiliter, loquitur tamen ipse de terra ut aqua unita. Conimb. 2. Cœli c. 14. q. 3. art. 2. concedunt centrum gravitatis, & magnitudinis terræ esse idem cum centro universi, non tamen inferunt deinde terram trepidare, imo implicite potius qu. 5. immobilem omnino ponunt, loquuntur autem de terra ut ab aquis separata. Ruv. 3. Cœli c. 8. qu. 2. considerans terram etiam ex se sola, contendit habere centrum gravitatis Mathematice cum centro universi *compenetratum*, negat tamen idem de centro magnitudinis dicendum, & qu. 4. expresse negat motum trepidationis terræ. Communior opinio negat necessitatem hujus compenetrationis centrorum terræ, & universi, & consequenter motum trepidationis, ita Salas cit. Hurt. de Cœlo disp. 3. sec. 5. subsect. 2. Arriag. disp. 4. de Gen. sect. 5. subs. 7. Amic. tr. 8. q. 4. dub. 2. & dub. 6. art. 3.

108 Dicimus absolute non adesse istam necessitatem compenetrationis Mathematicæ; & consequenter nec terram umquam trepidare, licet Physice concedi possit hujusmodi centra universi, & globi ex terra, & aqua constituti esse compenetrata. Prima pars, quod absolute non exigatur hæc Mathematica compenetratio centri gravitatis cum centro universi, prob. quia sequeretur ad quamlibet etiam minimam variationem hujus centri totam terram moveri, & quasi fluitare, ut æqualiter se ponat circa centrum, quod est falsum, sequela conceditur a Vasq. & Aversa, licet non admittatur a Ruv. Patet tamen, quia centrum gravitatis Mathematicum est illud, in quo si fieret divisio, *omnes* partes essent ejusdem omnino gravitatis, sed qualibet additione facta in aliqua parte, revera augeretur a parte rei gravitas illius partis, etiamsi esset exiguus lapis, ergo &c. si enim dicant, parvam illam quantitatem non variare notabiliter, jam negant hanc penetrationem Mathematicam, & concedunt Physicam. Falsitas prob. non adesset agens tantæ virtutis impellens machinam totius terræ, nam non esset exiguus ille lapis, quia nequit producere tam magnum impulsum, nec tota terra, quia sequeretur motum illum, quo semiglobus terræ inferior recederet a centro, ut superior excedens æqualiter distaret a centro, & accedat esse naturale, quod est falsum, nam violenter grave a centro recedit, & sursum petit, esset autem naturalis, quia proveniret a principio intrinseco totius terræ, *cujus inclinatio* secundum ipsos esset æqualiter a centro distare, neque dicas esse violentum illis partibus, naturalem toti terræ; quia tota terra non est quid distinctum a partibus, cum sit totum integrale, nec habet aliam distinctam essentiam a partibus, ergo nequit habere contrariam inclinationem inclinationi partium.

109 Neque poterit poni principium hujus motus medietas superior terræ, itaut una pars impellat aliam, quod asserunt adversarii; tum quia ex dictis disp. præc. q. 3. explicando 4. propr. & qu. 4. *elementa in suis locis non gravitant*, nec levitant, neque secundum totum, neque secundum partes, nec una pars aliam impellit. Tum quia gravia, ideo tendunt ad centrum, non quod possint aliquam perfectionem ab illo recipere, cum sit prorsus indivisibile, in quo nulla pars divisibilis potest locari, sed ut sint sub elemento leviori ex dictis disp. cit. qu. 1. ergo quia partes istæ nullum habent levius sub se, erunt in loco naturali, & parum refert, quod magis, vel minus distent a centro. Tum quia etiamsi agerent, adhuc non possent movere, actio enim procedit ex proportione majoris inæqualitatis, itaut agens debeat superare resistentiam passi, & si resistentia passi adæquat,

vel superat activitatem agentis, nulla sequitur actio; modo non solum semiglobus inferior deberet removeri a centro, sed etiam pars illa semiglobi superioris, quæ circa centrum existit, ut ambo semiglobi æqualiter distent a centro, quare agens impellens solum erit semiglobus æqualis alteri, qui erit passum motum, si ergo agens, & passum sunt æqualis gravitatis, jam resistentia unius æquaret activitatem alterius, & sic impediret actionem; non enim poni potest semiglobum superiorem etiam impellere secundam illam partem, qua alium excedit; quia pars ipsius existens in centro non impelleret, sed impelleretur, ut fiat æquatio. Tum quia antequam lapis esset in hac parte, omnes aliæ partes terræ quiescebant naturaliter circa centrum, ergo licet huic parti fieret additio lapidis, reliquæ partes adhuc deberent naturaliter quiescere, prob. nam de per accidens est aliis partibus, quod hæc pars modo magis recedat a centro, sicut de per accidens est illis, quod una pars violenter existat; & tandem in cavernis pars terræ superior non solum magis distat a centro, sed etiam sub se habet aerem, & tamen non pellit inferiorem, quando sufficienter sustentatur ab illa. Item si quælibet pars terræ premeret semiglobum inferiorem, ut omnes partes se æquarent circa centrum, nullus mons daretur, quia facilius est partem montis superiorem pellere inferiorem, ut omnes se æquarent in superficie terræ, quam totum semiglobum trudere. Hæ rationes ostendunt nec motum insensibilem fieri posse; eo quia ad hunc motum requireretur impulsus aliquis, quamvis insensibilis, qui esset causa hujus motus, omnis enim effectus etiam minimæ exiguitatis propriam causam, a qua producatur, expoſcit, motus iste Mathematice etiam consideratus haberet suam entitatem, quæ ab aliqua causa de novo produci deberet, hæc autem nequit esse, nisi impulsus quidam in toto semiglobo terræ impressus.

110 Secunda pars, quod ista centra possint dici Physice compenetrata, prob. quia in segregatione illa aquarum non fuit tota terra in unum latus solum delata; & in aliud latus aqua totaliter reducta, sed in diversis partibus aqua simul, & terra permixta fuit, ideoque punctum illud terræ, quod prius tamquam centrum erat compenetratum cum centro universi, adhuc deinde dici poterat centrum gravitatis totius globi saltem Physice, quia respectu totius globi non adest notabilis diversitas in gravitate; tum quia terra detecta quamvis propter majorem altitudinem magis deberet gravitare, quam terra aquæ unita, compensatur tamen hic excessus ex eo, quod a Sole valde deficcatur, adsunt etiam in montibus cavernæ aquis, vel aere plenæ; ubi terra, quæ sub aquis existit, quia semper humida ab aquis redditur, plus gravitat. Idem dicendum de centro magnitudinis, ut diximus in principio. Rectius autem loquimur de centro totius globi ex terra, & aqua constituti, quam solius terræ, quia nequit negari in minorem inæqualitatem tam quoad gravitatem, quam quoad magnitudinem habere totum globum, quam solam terram, non enim gravitas, & moles aquæ est tam exigua, quin possit aliquam notabilem, & sensibilem diversitatem causare.

In oppos. arg. quia terra ex se est gravissimum corpus, ergo obtinere debet exquisite locum infimum, quem non obtinebit, nisi centrum gravitatis terræ indissolubiliter uniretur cum centro universi Mathematice. Tum 2. si non deberent hæc centra omnino compenetrari, jam sufficeret, si secundum extremam superficiem, aut secundum aliquam partem *illi* proximam pertingeret centrum mundi, quod est falsum, quia sic in altum suspensa maneret, nec esset omnium infima. Tum 3. omnia gravia petunt æqualiter secundum omnes partes circa centrum manere, qua ratione supra diximus, aquam in vase causare tumorem in medio, ut æqualis distantia a centro sit in medio, & in partibus extremis; item docent Mathematici nullum pavimentum esse complanatum perfecte, sed quodlibet admittere aliquam curvitatem, ergo etiam terra ex sua natura quæret æque a centro secundum omnes partes distare. Tandem terra dicitur immobilis in medio mundi quiescere ponderibus librata suis, hinc Isa. 40. habetur: *Quis librauit in pondere montes*, ergo terra stat in medio, ut in æquilibrio, ergo necessario medium gravitatis debet coincidere Mathematice cum centro universi, nam ad quemlibet excessum ponderis *movebitur*, ut videmus in bilanci.

111 Resp. infimum locum obtinebit terra, si nullum levius habebit sub se, & quod physice sit centrum ipsius unitum cum centro universi, quod sufficit. Ad 2. neg. seq. nam in hoc casu vere terra altior esset aere fere secundum se totam, & vere gravitaret, nec esset Physice in centro universi; unde non negamus, quin debeat terra valde accedere ad medium mundi, aliter non esset omnium infima; quod displicet, est illa tam exacta centrorum coincidentia. Ad 3. si gravia sunt corpora consistentia, sufficit, ut æqualitate Physica distent a centro secundum partes; si vero sunt fluida, posset concedi etiam Mathematica æqualitate distare, ratio est, quia fluida facile cedunt, & pelluntur, non sic consistentia, & dura, *hinc* in aquis non adsunt cavernæ; ut in terra, qua ratione non facile admittimus dictum illud Mathematicorum de *pavimento*, si *enim* solida, & dura possunt diversimode figurari, illamque figuram diu retinere, cur non etiam figuram planam? Ad 4. non rigorose accipiendum esse illud librare, nec Mathematice, sed quod nequeat fieri notabilis additio Physice, sicut in bilanci pulvis, & athomi non causant impulsum propter exiguam *molem*, & gravitatem.

Ex his patet solutio arg. præc. art. quamvis enim globus iste fit levior in parte aquea, non ob id debet esse elevatior parte terrea, tum quia idem omnino *permansit centrum* gravitatis post segregationem, ac prius, tum quia non est notabilis excessus propter compensationem exsiccationis solaris, & cavernarum, ut diximus.

AR-

ARTICULUS III.

An globus iste ex terra, & aqua compactus moveatur circulariter.

112 CErtum est, globum istum non moveri circulariter ab Austro in Septemtrionem, vel e contra, aliter manentibus nobis in eodem loco, polus modo magis, modo minus elevaretur, quo enim magis versus polum accedimus, magis elevatur polus, tum quia polus antarcticus non esset nobis semper occultus; dubium est an circulariter moveatur ab occasu in ortum. Pythagorici olim asserebant terram in seipsa circa proprium centrum circulariter moveri ab occasu in ortum spatio 24. horarum, seu motu diurno, quam opinionem e tenebris suscitavit Nicolaus Copernicus, item Gulielmus Gilbertus lib. 6. de Magnete, ubi docet, terram esse magnetem natura mobilem in gyrum, & nuper late defendit Galilæus in suo opere Italice *Dialogo di Galileo Galilei*, & ratione hujus motus astra quamvis immobilia, tamen circulariter ab ortu in occasum apparent moveri spatio 24. horarum, sicut existentibus in navi littus, arbores, & similia moveri apparent. Andreas vero Cæsalpinus lib. 3. Peripath. qq. qu. 4. quem sequi videtur Bassonus lib. 1. de Cœlo intent. 3. art. 6. tribuit utique motum diurnum cœlestibus sphæris, ac terræ concessit motum illum tardissimum ab ortu in occasum, quem Ptolemæus in octava sphæra animadvertit ab occasu in ortum.

113 Dicendum est terrestrem globum neque motu diurno, neque motu illo tardissimo moveri ab occasu in ortum, sed immobiliter in medio universi consistere, ita colligitur ex Scoto 2. d. 14. qu. 2. estque communis tum apud Theologos, tum apud Philosophos, ac etiam Mathematicos sanioris mentis, & prob. prima pars, quod non moveatur motu diurno. Primo ex Sacra Scriptura, nam terræ tribuitur immobilitas 1. Paralip. 16. *Fundavit orbem immobilem*, Psal. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi*, motus vero tribuitur Cœlis, & astris Psal. 18. de Sole dicitur, *Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus*. Josue 10. *Sol contra Gabaon ne moveatis, & Luna contra vallem Ajalon; Steterunt Sol, & Luna*; Eccl. 1. *Terra in æternum stat; oritur Sol, & occidit, & ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem lustrans universa, in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur*, & 4. Reg. 20. habetur Solem retrocessisse decem gradibus, qui motus non terræ, sed Soli tribuitur. Isa. 38. *En diebus ipsius* (1. Ezechiæ) *retro vadit Sol, & addidit regi vitam*: idem est communis Patrum sensus; hinc opposita opinio damnatur a Sacra Card. Congreg. ad indicem librorum deputata; vide Inchofer. lib. de motu Solis, & terræ statione.

Secundo probari solet quibusdam experientiis, nam si terra motu diurno circulariter in se ipsa moveretur, sequerentur multa absurda; etenim si quis sagittam arcu sursum projiceret, vel lapidem balista, non posset sagitta, vel lapis ad pedes ipsius descendere, sed post ipsum versus occasum, quia ad motum terræ projiciens multum progrederetur, sicut evenit, si projiciens existeret in navi, tunc enim sagitta extra navim in mari caderet, & tamen motus terræ velocior esset motu navis. Aves quocumque celerrimo volatu ex occasu venientes numquam possent ad nos pervenire, imo semper retrocedere apparerent, quia motus avium tardior esset motu terræ. Pila e bambarda versus occasum emissa majorem causaret ictum, quam ortum versus, eo quia versus occasum veluti duplicaretur impetus, & ex vi ignis impellentis pilam, & ex occursu parietis illius, qui propter motum terræ iret obviam pilæ, ubi versus ortum veluti aufugeret. Si aer simul cum terra moveretur circulariter, numquam nubes possent ad occasum moveri contra aeris motum, nec ventus aliquis orientalis sentiretur, nec aves æquali facilitate ad occasum pergerent, & velocitate contra aerem, ac ad ortum. Si vero non moveretur aer, sic numquam nubes quiescere cerneremus, sed ad occasum moveri, sicut dicunt de astris, & continuo ingentem ventum orientalem experiremur, sicut sentimus, cum movemur concitato cursu. Accedit, quod qualibet hora sub æquinoctiali existentes, ubi velocior esset motus, conficerent fere 800. milliaria Astronomica, quolibet quadrante 200. milliaria, & quolibet minuto plusquam 12. milliaria, ex quo impossibile apparet, hunc motum esse a nobis imperceptibilem, imo vertigines, horumque agitationes in nobis non causari.

114 Resp. Galil. non sequi ista absurda, eo quia non solum terra circulariter moveretur circa centrum ab intrinseco, sed etiam omnia corpora in hoc elementari universo existentia, sive animata, sive inanimata, sive unita terræ, sive separata habent hunc motum perpetuum innatum ab intrinseco, ut simul cum terra circa centrum hujus mundi elementaris moveantur; & quia hic motus est omnibus communis, non est a nobis perceptibilis, nisi in ordine ad stellas fixas, quibus non convenit. Adfert exemplum de existentibus in navi, sit enim navis habens intus spatiosam aulam, in qua incluso delineantur homines, muscæ, vas plenum aqua, & pisciculis, & alia similia; certum est eodem modo homines moveri hinc inde, muscas volitare, pisces natare, lapides, & aquam deorsum tendere, sive navis moveatur, sive quiescat, nec ulla percipitur differentia in his motibus, (dummodo navis uniformiter moveatur, & non fluctuet) ratio est, quia motus navis est omnibus communis, idcirco non percipitur, nisi in ordine ad littus, cui non convenit.

Ex hoc exemplo respondet ad illa absurda; sicut enim existens in aula navis si projiceret sursum lapidem, lapis ille deorsum descenderet ad pedes ipsius, quia ambo ad motum navis moventur, nec lapis vere perpendiculariter descenderet, sed per lineam transversalem, & motu mixto ex recto deorsum, & ex motu navis; sic sagitta sursum projecta poterit ad pedes projicientis decidere, quamvis iste motu terræ moveatur, quia etiam sagitta hoc eodem motu movetur quamvis neget experientiam illam de sagitta sursum projecta ab existente in navi, quod extra navim decidat, inquit enim se expertum multoties esse lapidem projectum a summitate mali navis semper ad pedem mali concidisse, numquam in mari, sive navis quiesceret, sive velocissime moveretur) & sicut muscæ existentes in parte occidentali illius aulæ possent ad nos pervenire existentes in parte orientali, licet ad motum navis versus ortum moveremur, quia hoc motu etiam muscæ moventur, quarum motus est duplicatus constans ex motu navis, & motu proprio muscarum, eadem ratione aves ab occasu venientes possent nos pertransire, quia duplici motu moverentur versus ortum scilicet proprio, & totius mundi elementaris, nos vero ad motum totius solum. Insuper sicut lapis projectus versus occidentalem partem aulæ navis non causaret majorem ictum, quam versus orientalem, eo quia pars occidentalis vere non occurrit obviam lapidi, cum motus in ortum sit utrique communis, & lapis duplici motu contrario moveatur, ab intrinseco versus ortum cum navi, ab extrinseco versus occasum, idem de pila e tormento bellico emissa dicendum. Sicut etiam existentes in alia aula conspicerent muscas modo quasi fixas tecto, modo versus ortum, aut occasum, vel Boream æquali facilitate moveri; aerem quoque sentirent quietum, quandoque motum experirentur, quamvis semper versus ortum ad motum navis moverentur tam muscæ, quam aer; pariformiter æquali facilitate aves illuc moventur, quia motus aeris diurnus est etiam avibus communis; posset etiam ventus orientalis percipi, & nubes ad occasum moveri, si aer ab extrinseco versus occidentem pelleretur. Tandem sicut motus navis quantumcumque celerrimus numquam sentiretur ab inclusis in illa aula, dum navis regulari, uniformique motu movetur, nisi respiciatur littus, in quo apparet motus, non in navi; sic motus diurnus nequit a nobis percipi conspiciendo isthæc sublunaria hunc motum participantia, sed solum in ordine ad stellas fixas, quibus proprie non convenit motus diurnus. Quapropter concludit, hunc motum terræ implicantem nobis apparere, quia prius concepimus terram immobilem, & ex hac suppositione, quæ deberet esse conclusio probata, procedimus ad inferenda multa absurda, ex quibus tandem deducimus terræ immobilitatem, probando a primo ad ultimum idem per idem.

115 Optima quidem foret hæc responsio, aptissimumque adductum exemplum ad explicandos istos motus, si stabili inniterentur fundamento; sed sicut tota responsio fundatur in motu terræ, & omnium corporum sublunarium, qui nulla ratione probatur, idcirco tamquam ruinosa labefactatur, & destruitur. Etenim quo pacto omnia sublunaria possunt habere hanc aptitudinem ad motum circularem, circa centrum ab intrinseco, si specie, & genere a terra sunt diversa? Neque dicas cœlos omnes quamvis specie differentes secundum Arist. moveri circulariter. Non valet, quia motus iste ab extrinseco convenit cœlis, non a propria natura efficienter, ex dictis disp. 2. qu. 4. art. 3. at hæc sublunaria, ait Galil. a seipsis active moveri circulariter. Tum quia natura, quæ est ad aliquem motum determinata, est etiam determinata ad eumdem modum, & easdem circumstantias illius motus, sic grave, quia tendit determinate deorsum, ex se etiam est determinatum, ut tanta velocitate descendat, nec potest ab intrinseco modo velocius, modo tardius moveri cæteris paribus; at si lapis v. gr. ab intrinseco perit circa centrum circulariter moveri, erit quoque ab intrinseco determinatus, ut tanta moveatur velocitate, si enim esset indifferens, jam deberet ab extrinseco determinari, aliter non posset exire in actum; hæc autem determinatio non adest, nam si lapis esset sub æquinoctiali, deberet velocissime moveri, & quo magis elongaretur ab æquinoctiali versus polos, eo tardius moveretur, itaut si esset sub polis solum in seipso volveretur circulariter, ut spatio 24. horarum absolveret motum diurnum simul cum tota terra; ergo deberet assignari aliquod extrinsecum determinans lapidem ad hanc, vel illam velocitatem motus, præcipue dum projectus sursum a terra sejunctus existit in aere; tale autem vel esset Angelus, & hoc esset inconveniens, nam deberent Angeli per totum orbem reperiri, ut essent parati ad movendum lapidem velocitate proportionata motui totali stellarum ac esset sursum projectus, Vel esset locus ipse, quatenus quo plus distat ab æquatore, eo minorem describit circulum circa axem mundi, & hoc non, quia solum esset causa, quod lapis citius absolvat istum circulum, non autem, quod tardius moveatur, Vel esset natura totius inclinans, ut omnia in 24. horis unicam revolutionem tantum absolvat; idcirco modo tardius, modo citius moveat. Sed hoc est voluntarie dictum, non enim esset tanta connexio in sublunaribus, ut omnia simul complerent circulatione, cum possent aliis motibus, tam versus occasum, quam versus ortum moveri, quo casu hæc mobilia non complerent simul cum terra circulationem, sed vel citius absolverent circulationem, si versus ortum, vel tardius, si versus occasum moverentur; tum quia hæc natura deberet esse agens per cognitionem, ut possit apprehendere tantitatem velocitatis motus requi-

sequisitam in hoc, vel illo loco ad complendum simul cum terra motum diurnum. Vel tandem esset aer, & hoc non, quia nequit aer movere circulariter grave ingentis molis, quin saltem retardetur, ut non moveatur æqualiter cum terra, non enim æque movetur corpus rapiens, & raptum; unde rediret instantia de projectione, & casu lapidis, falso igitur, & gratis assumitur motus iste circularis innatus in sublunaribus.

116 Sed præcipue circa hanc resp. advertendum, quod illud exemplum de lapide ex arbore navis projecto, & ad ipedem ejusdem arboris decidente secundum Galil. aliter a Cotrunio 1. Metheor. lect. 16. refertur, testatur enim ipse data opera non semel expertum esse alligata ad malum navis balista laxum in altum projectum, non in navi, sed in aquis versus puppim recidisse. De hac re nos fatemur non posse esse oculatos testes; ratio vero ostendit lapidem in aquis casurum; nam etiam si circulariter cum terra moveretur, si navis pergeret ad ortum moveretur duplici motu versus ortum, & motu communi cum terra, & motu ab impulsu venti, vel remorum causato, ubi lapis per aerem versus ortum ferretur solum motu communi, quamvis motu recto tenderet deorsum, quare non posset ad pedem mali decidere, si vero navis tenderet ad occasum, propter hunc motum contrarium motus communis ad ortum quasi retardaretur, lapis autem per aerem decidens esset ab hoc impedimento liber, citius ergo versus ortum moveretur motu communi, & per consequens semper in aquis recideret.

117 Accedit principaliter experientia adducta ab Alexandro Tassono, cui exemplum navis Galilæi certe non suffragatur. Si quis in puteo, aut alta fovea existeret, & ex imo stellam aliquam fixam prospiceret, statim, & in ictu oculi deberet illa stella ab oculis evanescere, si terra moveretur circulariter, quia cum os putei sit v. gr. unius ulnæ, in instanti fere deberet terra spatium illud pertransire, & tamen videmus oppositum, scilicet nonnisi post multum temporis stellam illam amplius non videri, signum evidens non terram, sed cœlum circulariter moveri: Prob. hæc sequela, nam quia pars cœli per os putei apparens non est longitudinis unius ulnæ, sed quasi absque proportione excedit, lineæ enim facientes angulum (sicut essent visuales illæ a Cœlo per os putei ad oculum concurrentes) quo longius protrahuntur, eo magis a se invicem elongantur; hinc est, quod plus temporis consumit stella perquirendo spatium illud Cœli, quam consumeret terra pertranseundo ulnam propriæ circumferentiæ, si circulariter moveretur. Tandem hic motus circularis non posset terræ competere, nisi extra centrum universi collocaretur, ut docent Adversarii, hoc autem esse falsum ostendimus disp. 1. qu. 2. nullus igitur diurnus motus circularis convenit terrestri globo; & consequenter nec motus annuus super polos Zodiaci in orbe magno, ut asserebat Copernicus, uno enim negato, alterum quoque negare necesse est. Hinc satis lepide Joannes Ovven. lib. 1. Epigr. 14. deludit Gilbertum dicens:

Stare negas terram? nobis miracula narras.
Hæc cum scribebas, in rate forsan eras.

118 Deinde, quod globus iste non moveatur motu illo tardissimo in Cœlo stellato observato a Tolom. contra Andream Cæsalp. Prob. Tum quia iste dicendi modus obstare videtur etiam Sacræ Scripturæ aliquo pacto, quæ omnem circularem motum tribuit Cœlis, oppositam vero quietem terræ. Tum quia hic motus nequit terræ convenire ab intrinseco, & ex propria natura, ut probatum est, eadem enim ratio urget de hoc, & illo motu, nec ab extrinseco, cum nequeat talis motor assignari: vel enim esset cœlum rapiens secum ignem, aetem, & terram, quæ ob sui resistentiam tardissime moveretur, vel vapor, & aer in visceribus terræ inclusus; non primum quia raptus Cœli non pervenit ad hanc infimam aeris regionem, saltem intra montes, & valles concluſan, propter hunc motum contrarium motus communis ad ortum quasi retardaretur, lapis autem per aerem decidens esset ab hoc impedimento liber, citius ergo versus ortum moveretur motu communi, & per consequens semper in aquis recideret.

Accedit ratio Astronomica; nam si terra hoc tardissimo motu moveretur, & non firmamentum, stellæ fixæ æqualiter nunc distarent a polis mundi, ac prius distabant, quod est falsum: quia Cynosura, seu stella polaris, quæ est in cauda Ursæ minoris, tempore Hipparchi distabat a nostro polo 12. gradibus, minutis 24. at modo distat gradibus 2. minutis circiter 37. quia secundum Jo: Cristmanum quolibet anno hæc stella accedit ad polum 20. secundis; propter quem motum futurum est, inquiunt Astronomi, ut stella ista recedat a polo mundi gradibus 47. & eo amplius pro qualitate semidiametri illius circuli paralelli, quem circa polum Zodiaci describit, quod accidet juxta tabulas Prutenicas anno Domini 1500. quo tempore toti Italiæ, & magnæ parti Germaniæ, & Galliæ occidet, nec poterit amplius navigantibus inservire, quam observationem non advertit Cæsalp. idcirco ex hac inadvertentia fundamentum sumpsit tribuendi terræ hunc tardissimum motum.

Cum igitur globus iste nullo locali motu moveatur secundum totum, afferendum immobilem in medio universi existere, non quia ex altera parte sit infinite profundus, ut putavit Xenophon; quia daretur infinitum in actu, Cœlum non posset circulariter moveri, & experientia oppositum demonstrat, nec quia terra aquis supernatat, & ab illis sustentatur, ne decidat, ut putavit Thales Milesius, nam aqua est levior, terra gravior, ergo nequit terram sustentare, imo terra sub aquis invenitur, & transferetur difficultas de terra ad aquam, quo scilicet pacto aqua sustentaretur in medio. Nec provenit propter terræ planitiem, qua ita comprimat aerem, ut ab illo sustineatur, quia terra est rotunda; Sed causa est graviras ipsius terræ, quæ ad centrum tendit, & sub aliis omnibus levioribus corporibus petit esse, unde si a centro discederet, ascenderet, non descenderet; vide expositionem textus nu. 25.

119 In oppos. arg. quia nobilior est quies, quam motus, illa enim est finis istius, ergo cœlo, quod est nobilius terra, debet convenire quies, terræ vero motus. Tum 2. ignis, & aer circulariter moventur, ergo etiam globus terræ, qui est sphæricæ figuræ, maxime quia exigua est, in medio librata, & suspensa manens. Tum 3. si cœlum moveretur, ob ingentem magnitudinem motus ille esset immensæ velocitatis, nam stella fixa prope æquatorem deberet in una hora plusquam 42. millionos milliarium peragere, & primum mobile deinde longe majori velocitate deberet moveri, quod videtur imperceptibile, hoc autem inconveniens non sequitur admisso motu terræ diurno, in una enim hora propter molis parvitatem solum conficeret 800. circiter milliaria, eodem autem modo salvarentur omnia, si terra poneretur mobilis motu diurno, ergo quia natura semper agit per pauciora, quantum est possibile, dicendum est potius terram moveri, quam cœlum; præterquam quod non multiplicarentur motus in quolibet cœlo, sed quilibet Planeta solo motu proprio moveretur, non autem motu raptus. Tum 4. cœlum est locus communis omnium corporum, quia claudit, & continet omnia, at locus est ultima superficies corporis continentis immobilis 4. Phys. 42. Tandem extra cœlum nil est, ergo nequit ultimum cœlum circulariter moveri, nam mobile per totum acquirit locum ambientem extrinsecum.

Resp. quietem naturalem terminantem motum ad naturalem locum esse motu perfectiorem, nam dum mobile movetur ad locum naturalem, supponitur esse extra illum, ideoque in statu violento: at motus, qui non ordinatur ad quietem mobilis in proprio loco, sed ad communicandam virtutem ipsius inferioribus, potius est perfectior quiete, talis est cœli motus, movetur enim cœlum propter bonum universi. Ad 2. ignis, & aer circulariter moventur ab impetu impresso e cœlis, cujus non est capax terra propter distantiam, summam gravitatem, & soliditatem, si enim cœli deberent rapere terram, hoc efficeret mediis aere, & aqua, & ut corpus fluidum nequit solidum impellere, & movere, sed e contra solidum rapit fluidum; nec figura sphærica solum convenit alicui corpori propter motum circularem, sed etiam ut secundum omnes partes æqualiter existat in proprio loco, qua ratione convenit terræ. Ad 3. non negamus potuisse hunc motum convenire terræ, sed negamus factum, & ex tam intensa velocitate motus primi mobilis magis potius relucet divina omnipotentia, quam aliquod sequatur absurdum, tum quia ex positione Copernicana deberent in infinitum fere multiplicari motores extrinseci, ut moverent lapides sursum projectos, & alia corpora regulari motu cum terra, ut vidimus, idcirco melius fuit multiplicare motus in Planetis, quam in his inferioribus tam diversæ naturæ, & unum motum generalem ab intrinseco in gyrum illis tribuere; connaturalius enim videtur motum perpetuum localem competere corpori incorruptibili, quam caduco, hoc enim potius destrueretur per talem motum, quam conservaretur, præcipue animalia; videmus enim homines per motus navis, vel currus maxime conturbari. Neque dicas hoc esse; quia motus generalis circularis per motum navis, vel currus intenditur, & propter hanc majorem velocitatem, quæ non est naturalis, conturbationem in hominibus causari. Non valet, quia si Italus sub æquatore existeret in Æthiopia, longe velocius moveretur solo motu isto circulari communi, quam nunc in Italia iter faciens in navi, vel curru; quia hic motus circularis esset tardior quam in Æthiopia, ut dicimus; tum quia si moveretur hic versus occasum in navi, vel in curru, tunc potius motus generalis retardaretur, quam intenderetur, & tamen adhuc fieret agitatio, & commotio. Ad 4. immobilitas loci non arguit superficiem ambientem prorsus localiter immobilem, sed immobilis dicitur in ordine ad partes virtuales divinæ substantiæ, ut dictum est in Phys. disp. 11. qu. 2. art. 2. vel secundum Arist. ex determinato ordine ad partes fixas universi. Ad ult. patet ex disp. cit. qu. 4. art. 1. ad 2. quod ultimum cœlum moveatur quoad locare.

120 Secundo ex immobilitate terræ multa sequuntur absurda. Primum, quod Planetæ moverentur simul motibus contrariis ab ortu in occasum vi primi mobilis, & ab occasu in ortum propria virtute, & tamen Arist. 1. Cœli 20. a cœlis omnem excludit contrarietatem. Secundum Cœlos irregulariter, & improportionate moveri; nam sphæræ minores citius proprias absolvunt circulationes, majores tardius, cujus oppositum eveniret ex immobilitate terræ; nam Saturnus proprium motum absolvit 30. annis, deinde stellatum, si non ponitur primum mobile, complet in 36000. annis, postea primum mobile longe cæteras sphæras excedens in mole perficit in 23. horis, ecce improportionem; at si motus diurnus tribueretur terræ, nunc Cœlum stellatum esset immobile, Saturnus in 30. annis moveretur circulariter, Jupiter in 12. Mars in duobus, Luna in mense. Terra, quæ est omnium minima in 24. horis, qui est ordo magis proportionatus. Adesset alia irregularitas, nam stellæ fixæ describerent quædam majores, quædam minores circulos juxta propinquitatem, & distantiam ab æquatore, immo quia stellæ fixæ pronuntur etiam ab occasu in ortum moveri, jam quæ prius erat prope æquatorem, modo distat, & consequenter quæ prius describebat majorem circulum, modo describeret minorem; hæc

autem variatio, & irregularitas motus auferetur per motum terræ.

Resp. neg. seq. ad 1. prob. dicimus, revera Planetas non moveri duobus motibus contrariis, *sed* uno attemperato, & æquivalenti duobus ex dictis disp. 2. qu. 4. art. 1. Ad 2. proportio ordinata motuum non debet attendi penes majorem, vel minorem molem sphærarum, *sed* penes causationem effectuum inferiorum, motus enim non convenit sphæris propter seipsas, *sed* ut ordinate possint influere in hæc inferiora, diversosque effectus causare, quod præstatur ex tam multiplici motuum diversitate, quare hæc, quæ apparet difformitas, irregularitas, & improportio est maxima, & admirabilis proportio, & uniformitas in qua pulchritudo universi consistit, & tamen not. quod si hæc motuum variatio haberur ab Adversariis tamquam deordinatio in natura; certe major deordinatio ab ipsis admittitur; nam primo ponunt cælum stellatum, deinde Saturnum, Jovem, & Martem, postea Lunam, & *elementarem mundum in quodam* orbe magno, tandem Solem assistentibus Mercurio, & Venere; in hac positione corpora ista non essent recte disposita, nam corruptibilia, & imperfectiora media ponuntur inter incorruptibilia, & perfectiora, puta inter Solem, Mercurium, & Venerem ex una parte, & alios Planetas ex alia, at in nostro sistemate prius collocantur omnia corpora cælestia, deinde elementa, quorum primum est ignis utpote magis activus, perfectior, & leviissimus, deinde aer minus levis, sequitur aqua gravis, ultimo terra omnium graviissima, quare etsi nostrum sistema involveret aliquam difformitatem in motu, qui est accidens; in sistemate Copernicano adest difformitas in ipsis corporibus subsiantialibus, quæ est major, vide expositionem textus num. 23. & 24.

121 Tertio, arg. quibusdam experientiis probantibus motum ab ortu in occasum in elementis, & aliis rebus; nam primo aut circulariter hoc pacto movetur, etenim in Oceano maxime Æthyopico sub æquatore percipitur ventus quidam ab ortu proveniens, qui pro sui perpetuitate, & uniformitate generalis dicitur, quamvis intra terram in continenti non sentiatur hic ventus, quia multæ aliæ adsunt causæ ventorum perturbantes hunc aeris motum; qui nequit esse a cœlo, sed potius a terra, facilius enim corpus scabrosum, & cavitatibus plenum rapit secum corpus fluidum circumstans, quam corpus politum, sicut est Cælum, rapiat corpus fluidum intra se contentum; erit igitur hic aeris motus causatus ab intrinseco, & a motu terræ. Secundo mare motu diurno movetur, ut omnes fatentur; & fluxus, refluxusque maris nonnisi ad motum terræ circularem tribui potest, quod late explicat Galil. dial. 4. Tertio suspendatur in parvo, ac clauso cubiculo æneo filo ferrea lamina ad æquilibrium, itaut extremitatum pars altera vergat ad ortum, altera ad occasum, nec ex ambientis aeris impulsu aliquis possit adesse motus, reperiemus extremitates devolutas ad Septentrionem, & Austrum; si vero hæc ad telluris motum non referimus, causas alii exquirant. Quarto fibræ omnes, rimæque, ac venulæ in mineris metallorum versus ortum tendunt; cujus sola ratio tribui potest, quod tellus perpetuo motu ad illas plagas moveiur. Tandem quæ non agitantur, ad corruptionem trahuntur, inficitur enim aer ventis non commotus, in stagnis aquæ non motæ putrescunt, metalla quiescentia ferrugine lædunrur, ergo ne terra mater omnium, nascentiumque nutrix tenderet in interitum, in seipsa moveri necesse est, eo vel maxime, quod licet gravia possint in aere moveri, non tamen ibi diu quiescere cessante motu, sed in terram decidunt, ut patet de lapide projecto; sic aves, cessante agitatione alarum, ipsæ etiam concidunt, ergo terra, cum sit graviissimum corpus, non posset pendere in aere sine motu, sed assidua agitatione ibi persistit. Cui accedit, quod terra haber in se animam, qua poterit seipsam movere, quantum est necesse ad perficiendam diurnam circulationem juxta exigentiam diversarum partium; assumptum ostendunt subterraneus calor sensibilis, ac perpetuus (materiæ enim proprium est frigus) generatio metallorum, mineralium, fossilium, quorum aliqua facultates habent virtualiter calidas; transexsudatio vaporum, unde ortus fluminum, & fontium, transmissio exhalationum; & tandem quia omnes aliæ mundi partes anima sunt præditæ.

Resp. potius has experientias esse pro nobis; nam si aer ad motum terræ quotidie moveretur, fortius hunc motum experiremur in *continenti*, quam in Oceano, hic enim est liber, ibi autem est intra valles, & concava montium inclusus, unde necessario moveri deberet ad motum terræ, & majori violentia, quam *in mari*, quamvis autem aliquando ex variis accidentibus impediretur, numquam tamen deberemus sentire aerem omnino quietum; quod si dicant tunc aerem moveri ab ortu in occasum, non percipi tamen hunc motum, quia communis est etiam nobis, ergo nec in Oceano experiri deberemus, cum motus ille sit omnibus communis; quare ex hoc manifeste deducitur, motum illum aeris a Cælo causari, ibique potius, quam alibi percipi propter liberiorem, & expeditiorem campum non impeditum tot vallibus, & montibus terræ. Mare etiam movetur a Cælo, non a terra; quomodo autem causetur fluxus, & refluxus maris dicemus art. 5. contra tamen modum a Galilæo inventum defluxus maris copiose scripsit Claudius Berigardus. Alia experientia de lamina ferrea non urget; multoties enim ipsi Adversarii dicunt, motum hunc propter universalitatem experiri non posse, nec aliquam variationem causare, unde ergo deducitur, motum terræ causam esse motus laminæ; nam si motus terræ esset causa agitationis illius, continuo, & velocissime deberet illa lamina moveri; dicimus igitur motum illum provenire, vel ex non perfecta, & omnimoda æquilibratione; hinc quia plus in una parte, quam in alia gravitat, aliquo pacto movetur, cum nequeat deorsum tendere, vel ex ipso aere, nam quamvis aula illa sit omnino clausa, aer tamen, saltem ab influentiis cælorum, aliqualiter commovetur, & agitatur. Defluxus venarum mineralium versus ortum, si a motu terræ causaretur, omnia flumina deberent in ortum tendere, cum sint magis fluida; ideoque si experientia est vera, potius dicendum est provenire ab aspectu Solis illuminantis prius orientales partes, quam occidentales, sicut vineæ sunt magis fructiferæ ad ortum expositæ, [quam ad occasum]. Corruptio denique quiescentium dat intelligere quietem terræ, numquam enim aqua stagnans putresceret, si tam *velociter continuo moveretur*, idcirco dicimus, non omnia quiescentia putrescere, sed quæ sunt facile alterabilia; tum quia necesse est, terram secundum partes putrescere, quia tot generationibus inservit, corruptio enim unius est alterius generatio, non ob id tamen totaliter destruetur, quia nec totaliter alterabitur. Quiescit deinde in medio universi, non propter continuum motum in seipsa, sed quia est in infimo loco, ut diximus num. 118. nec exempla de lapide projecto, & avibus sunt ad propositum, quia sunt extra connaturalem locum. Falsum tandem est terram esse animatam; tum quia calor, qui est principium vitæ, ab extrinseco, & violenter convenit terræ, ipsi enim connaturale est frigus, ab extrinseco etiam e terra tot entia generantur, nec quælibet actio arguit *animam*, *sed solum formam subsiantialem*, aliter quia fere omnia corpora habent aliquam actionem, omnia essent animata; Tum quia falsum est alias mundi partes animatas esse, ut disp. 1. qu. 2. & disp. 2. qu. 2. art. 2. diximus. Tum quia etsi terra esset animata, non idcirco principium activum sufficiens esset hujus motus, nam requirereiur agens quoddam per cognitionem, ut sciret quanta velocitate in hac mundi parte portiones terræ moveri debeant, ut simul cum aliis partibus compleat hunc motum diurnum, & quanta velocitate in alia parte, anima autem terræ certe non esset cognitiva; tum quia non posset informare lapides, & cætera corpora in aere existentia, ergo ista ab extrinseco deberent moveri diurno motu, ut arguebamus contra Galil. Antec. patet, quia anima non informat partes a toto avulsas.

122 Postremo nonnullas inducunt congruentias pro motu terræ, & Solis statione, sane ridiculas, quibus proinde communem sententiam potius irridere velle videntur, quam suam stabilire. Primo Copernicus, ut ostendat Pithagoricum sistema rationabilius dispositum esse, quam Peripatheticum, urget, quod ad illustrandam aulam non ponitur lucerna in angulo ejus, *sed* in medio, sic enim aptius radios circumquaque diffundit, & lumen singulis aulæ partibus uniformiter impertitur, cum ergo Sol sit veluti totius universi lucerna, utique ad suum munus obeundum statuetur opportunius in medio universi cum Pythagoricis, quam veluti in angulo cum Peripatheticis. Deinde ait Keplerus, dum carnes verubus igne torrentur, equidem *non ignis circa carnes* versatur, & volutatur, *sed* veru versatur ad ignem, & ignis immobilis existit, cum ergo Sol sit veluti ignis terram calefaciens, ut ejus calore tota ferax reddatur, & fecunda, plane verisimilius erit ad hunc calorem participandum terrestrem globum ad Solem immobiliter fixum in hoc, & illud latus verti, ut successive modo ex una, modo ex alia parte calefiat, quam e contra, quod Sol circa terram volutetur. Demum instat Galilæus, si quis altam ascenderet speculam, ut inde totam lustraret civitatem, ut autem hoc assequeretur, postularet totam sibi ante oculos obversari civitatem, ad evitandum laborem movendi caput, & contorquendi collum nunc versus hanc partem, modo versus illam, nonne foret cachinno dignus? at non minus, imo magis irridendi essemus nos mortales, si hic in terris degentes, ut admirabilem cœlorum machinam cernamus, & contemplemur, volumus totam hanc molem continuo oculis nostris obversari, & *non potius nosmet circa illam moveri*, & successive illam perlustrare?

Resp. has congruentias fortasse persuadere posse vilem plebeculam, sed non cordatum virum. Prima congruentia Copernici ipsum potius jugulat, terra namque cum sit figuræ sphæricæ, simul tota illuminari non potest a Sole, sed tantum ejus medietas; unde potius assimilatur palatio varium cubiculorum ordinem habenti super, & subter, quam unicæ aulæ, sicut ergo ad hujusmodi palatium illuminandum successive, singulaque ejus cubicula, non utique domus tota convertitur, lucerna in medio immota manente, sed potius lucerna *ipsa* movetur, & huc, & illuc asportatur, suoque successivo motu singulas palatii partes illuminat, ita quoque de Sole dicendum, quod *in hunc modum* terram illuminet circumquaque. Alterum Kepleri argumeutum plane plus sapit culinæ, quam scholæ, ob pulchram similitudinem; si terra ad Solem versa, ut inde calorem concipiat, asso comparatur, cur non & intelligentiam globi terrestris motricem (si quæ illi assignatur) coco, vel ejus famulo veru rotante comparare licebit; numquid non æque bene assantur carnes in æstuanti clibano clausæ, & immotæ, ac ad ignem verubus circulatæ; cur ergo hoc potius modo debet Terra a Sole calefieri, quam illo? valeat quæso Keplerus cum hoc suo culinari argumento. Denique etiam Galilæi congruentia in ipsum reflectitur, potius enim Sol ipse est oculus Universi, ut non solum cecinerunt Poetæ, sed etiam Scriptura ipsa Sacra manifeste insinuat loco cit. Eccl. 1. dum de Sole inquit, quod *lustrans universa in circuitu pergit*, si res ergo ita se habet, ipsemet suo motu successive cuncta perlustrare debebit, non autem terra successive se illi ostendere immobiliter fixo. Etsi quodammodo theatrum est cœlum, & homines tamquam spectatores a Deo sint positi, æquius putandum est cœlum mutari, quam terram; in tragediis enim non homines, sed scænas mutare consuetum est.

123 Contra Galilæum hac tempestate scripsit Italico sermone doctissimus Scipio Claramontius librum inscriptum *Difesa all' Antitycone*, procedens plurimum, ut ejus moris est, Mathematicis rationibus; scripserunt etiam eodem idiomate Antonius Roccus, & novissime Joannes Barenghus, at non satis plausibiliter, eo quia præcipua Galilæi fundamenta, & valde apparentes ejus solutiones ad absurda, quæ contra motum terræ solent obiici, sub silentio præterierunt, vel dissimulant, & solum leviora tangunt, a quibus nec etiam satis candide sese extricant; Nos ex professo hoc munus non suscepimus, sed quantum opus erat ad nostrum institutum, unde ea, quæ potuimus, brevitate physicis rationibus agendo (quæ præsertim ad nos attinent) Galilæi imaginationem labefactavimus, vel saltem labefactare conati sumus, & forte non sine magno in Philosophia fundamento, si æquo animo rationes allatæ perpendantur, eas igitur perpendas, precamur, antequam parvipendas, nec te sinas cum quibusdam a sola rei novitate moveri, & allici, qui hoc ipso ostendunt seipsos valde mobiles, & ea agitari vertigine, quam ipsis incutereet perennis terræ circumvolutio, si daretur. Ut etiam nobis relatum est satis eleganter contra Galilæum calamum strinxit Libertus Fromundus Lovanii Lector, at codicem, quia nondum est Italiæ recusus, esto sollicite perquisitum, habere non potuimus.

ARTICULUS IV.

Ubi de Aquis.

124 Elementum aquæ in duas præcipuas partes secari potest, scilicet in aquam marinam, quæ totam terram circumdat, & dividit, & in aquam fluvialem, & fontalem, quæ ex cavernis terræ foras erumpit, utraque examinanda venit.

De mari multæ fuerunt opiniones, unde traxerit originem, præsertim apud antiquos, ut refert Arist. 2. Metheor. cap. 1. & 2. quidam enim dixerunt, mare aliud non esse, quam fudorem terræ, nam quondam terra ita fuit a Sole, & astris calefacta, ut fudorem in magna copia fuderit, ex quo mare fuit factum, unde aqua maris est salsa, sicut fudor. Sed hæc opinio videtur potius fabulosa, quam aliquid veritatis contineat. Alii dixerunt, in centro terræ fontes reperiri, e quibus sursum emergit mare, qui fontes a Platone Tartari nomine vocabantur; & hic modus dicendi videtur habere fundamentum in Sacra Script. nam Psal. 21. dicitur. *Ipse super maria fundavit eum, & super flumina præparavit eum*, & Gen. 2. *Fons ascendebat de terra rigans universam superficiem terræ*, quibus verbis significatur mare totam ambiens terram. Hæc opinio quoque est falsa, quia terra est gravior aqua, per aquam descendit, ergo nequit ab aquis sustentari; tum quia continue fluitaret, nec Script. hoc intendit, in primo enim loco significat altitudinem elevatiorem, quam haber terra super aquas in globo ex terra, & aqua compacto; in secundo per fontem quidam intelligunt vaporem ex aqua ascendentem, & deinde in pluviam conversum irrigantem superficiem terræ, alii intelligunt fontes, & flumina, quæ, si peccatum *non fuisset*, debebant ex alveis propriis exeuntia singula suas portiones terræ irrigare, hoc certum est non posse intelligi mare, nam Scriptura loquitur de irrigatione requisita ad fertilitatem terræ ad quam ineptissimum est mare. Arist. vero, quia posuit mundum ab æterno, & elementa secundum totum ingenerabilia, & solum secundum partes corruptibilia, admisit etiam mare ab æterno extitisse cum aliis elementis. Hæc opinio fuit reprobata disp. 1. qu. 5. art. 1. Alii docuerunt, terram olim tectam aquis fuisse, sed per calorem Solis, & aliorum corporum paulatim deficcatam. Hæc sent. est utique falsa, quia sequeretur aliquando mare totaliter deficcatum iri per actionem continuam solarem; tum quia tot fœculis non videtur facta notabilis variatio in exsiccatione maris, imo fere eodem modo persistit mare; attamen obumbrat veritatem descriptam in 1. Gen. cum in principio terra tota operiebatur aquis, sed divino jussu omnes in unum fuerunt redactæ, & hoc vere fuit initium, & origo maris, ut diximus art. 1.

125 Tota hæc aquarum congregatio in quinque maria distribui solet, scilicet in Oceanum, Mediterraneum, Rubrum, Persicum, & Caspium; primum locum ob vastitatem super alia obtinet mare Oceanum, quod extra columnas Herculeas totam fere terram circumdat, unde diversimode denominatur juxta varia regionum nomina; Mediterraneum mare ab Oceano ducit originem per Abylam Mauritaniæ, & Calpem Hispaniæ promontoria transiens, Africam ab Europa, & Europam ab Asia dividit, in quas intime penetrans diversa littora, promontoria, & insulas, a quibus varia *tortitur* vocabula, abluit, & usque ad paludem Mæotidam pervenit. Mare rubrum etiam ab Oceano diffluit incipiens ab Insula Socotora circa Æthiopiam inter Aphricam, & Asiam ingrediens, versus Septentrionem terminatur ad oppidum Sues prope Palæstinam in confinibus Ægypti; dicitur rubrum, vel a rege Erithra, idest rubro, vel rectius ob quemdam colorem rubrum, quem retinet ab arenis ejusdem coloris, & coralliorum copia provenientem, aqua enim illa in se est pellucida, sicut cæteræ aquæ; ita retulerunt Lusitani, qui navigationibus hoc mare permearunt. Mare Perficum initium quoque ab Oceano agnoscit, & Persidis partem ambit. Tandem mare Caspium, seu Hircanus (quamvis Arist. hæc duo 2. Metheor. c. 1. videatur ut distincta enumerare) a Caspiis, & Hircanis montibus, qui-

bus cingitur, appellatum, nullum aditum patentem habet cum alio mari, sed undequaque circumdatur terra, ac veluti palus ex multis fluminibus stagnans, nisi occulte per subterraneos meatus cum mari Euxino, sicut quibusdam placuit, communicet, est tamen salsum ut cætera maria: hæc breviter, quoniam exactior tractatio pertinet ad Cosmographos.

Circa fontes, & fluvios e latebris terræ exeuntes præcipue occurrunt examinandæ causæ *materialis*, & efficiens; duo enim sunt in fontibus, & fluminibus, scilicet aqua, quæ est materia, & motus, seu eruptio supra terram ex inferioribus cavernis; quærimus igitur *primo*, unde proveniat tam *ingens* aquarum copia in visceribus terræ; deinde, quæ sit causa efficiens, seu attrahens aquam illam supra terram, cum proprium sit aquæ deorsum defcendere.

126 Quoad primam, variæ extant sententiæ, veræ quidem si causam, quam assignant, docent esse inadæquatam; falsæ tamen, si ut adæquatam astruunt. Prima ergo opinio docet, aquas fluviales ex pluvia tamquam ex materia generari, eo quia in terræ sinu quædam cavitates, & alvei reperiuntur, in quibus hyemis tempore pluviæ congregantur, ut successive postea ex orificiis fontium scaturiant. Hæc causa utique sufficiens est, non tamen adæquata; sufficiens quidem, nam torrentes nonnisi ex pluviis fiunt, imo flumina ipsa ex imbrium copia magnum sumunt *incrementum*; *non ideo* adæquata erit; tum quia madefactio terræ ex pluviis ut plurimum profunditatem decem pedum non excedit, & tamen si quantitas aquæ fluvialis consideratur, & continuitas non solum in hyeme, sed etiam in æstate, impossibile videtur solum ex pluvia provenire; tum quia antequam pluvia fuisset in mundo, flumina extabant, ut habetur Gen. 1. ergo materia aliunde quærenda est. Tum quia fontes, & amnes aliqui e locis saxosis profiliunt, quæ pluviæ nequeunt pervadere.

Secunda sent. est Arist. 1. Metheor. sum. ult. c. 1. docentis fontes otiri ex aere terræ specubus incluso, & ex frigore per permutationem subsiantialem in aquam densato, & quia montes sunt cavernosi, hinc videmus fluvios e montibus, non ex planitie ortum ducere. Hæc etiam causa est sufficiens, nam vere in cavernis subterraneis reperitur aer, aliter daretur vacuum, & ex frigore ibi existente vere potest condensari, & in vaporem, ac in aquam guttatim converti, quæ deinde collecta materiam fluminibus subministrat. Attamen est etiam inadæquata, quia adeo ingentes inveniuntur fluvii, tamque perenniter fluunt, ut vix tanta aquarum generatio, tamquam subito fieri poterit; tum quia aer guttatim vertitur in aquam, & ex magna aeris copia cum debeat addensari, modica aquæ quantitas generatur, unde non videtur sufficiens causa respectu fluminum copiose fluentium, ut tam uniformiter, & regulariter tantam præbeat materiam. Quod addit, flumina omnia idcirco a montibus effluere, est contra experientiam, quam plurimi enim fluvii etiam ingentis magnitudinis initium habent in planitie, ut copiose multis authoritatibus demonstrat noster Ferch. in suo opusc. de orig. Danubii.

127 Quapropter alia communis, & universalis causa assignari solet, præsertim a Patribus, ut testantur Conimb. tr. 9. in Metheor. c. 3. mare scilicet per subterraneos terræ cuniculos se intrudens copiosam fluminibus materiam præstare; quæ opinio prob. eo quia nisi adesset inter mare, & flumina hæc mutua aquarum communicatio, certe mare *nimis* excrescerer, cum tot flumina in illud se exonerent; nec valet, quod ajunt, *vi Solis* aquas maris exsiccari, & in vapores converti; non valet, quia sicut pluviæ omnes nequeunt esse causæ sufficientes pro tot, tantisque fluviis, sic neque poterunt compensare maris augmentum a fluviis proveniens; quin in dies super terram erumperet, tum quia experientia id docet, nam ut refert Nicol. Dam. tempore belli Mithridatici repente apud Amapæam Phrygiæ urbem novi lacus, fontes, & paludes defluxerunt, & in his fluvius salsus magnam ostrearum copiam, & marinorum piscium secum deferens, signum evidens mare per subterraneas vias totam terram permeare. Addunt Conimb. cit. c. 4. & recte, ab initio Deum in segregatione illa aquarum partem unam aquæ per subterraneos meatus distribuisse, partem aliam *in cavitate illa terræ*, *ubi modo* reperitur mare collocasse, idcirco ab initio flumina sumpserunt originem ab illa aqua, postea aqua maris in ejus locum successive se se insinuavit. Ex quibus patet, quomodo sit verum dictum Eccles. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant*; omnia enim flumina a mari originantur, sive mediate, quatenus ex mari attrahuntur vapores, qui in pluviam conversi caufant torrentes, fontes, adaugent fluvios, & terra e mari aquas in suis visceribus sugit tamquam spongia; sive immediate, cum in subterraneis specubus se intrudit.

128 Dices, quando non pluit, omnia flumina, & fontes exsiccantur, ergo materia horum est pluvialis aqua, non marina, antec. patet ex 3. Reg. c. 17. nam tempore Eliæ propter nimiam siccitatem omnes fontes aruerant, *nec alia ibi redditur* ratio, *nisi quia tribus* annis non pluerat super faciem terræ. Neque dicas ex *illa* nimia siccitate exsiccari fontes, quia antequam aqua in terræ viscera *exis*tens pervadat usque ad *superficiem terræ*, *tota* imbibitur ab arena sicca, vel quod partes aliquæ terræ ex *siccitate* decidunt, impediuntque vias, & meatus illos. Non valet, quia si materia aquæ est tam copiosa, non poterit totaliter ab arena sicca imbibi, quin etiam foras erumpat; neque semper impeditur via aquæ fluvialis, nam videmus accedente pluvia eosdem fontes iterum scaturire, ergo causa adæquata fluviorum est pluvia. Tum 2. si mare præberet materiam fontibus, ergo aquæ *fontales*, & fluviales falsæ essent, sicut marinæ, cum enim *falsedo* accidat mari ex halitibus terræstribus, ut dicemus art. seq. ergo quo magis aqua in viscera terræ

continetur, eo majorem falsedinem deberet attrahere. Tandem faceret motum violentum, cum mare sit terra depressius.

Resp. ad 1. non totaliter omnia flumina exsiccari, quando non pluit, nisi quæ ex aquis pluvialibus, vel ex aere in vaporem mutato ortum ducunt, ut patet experientia, nec oppositum ex Sacra Script. ibi colligitur; præter quam quod specialis siccitas fuit illa a Deo in pœnam peccatorum Israelitici populi inflicta; tum quia licet quandoque causæ in responsi allatæ non habeant locum, ex aliis quoque capitibus poterit exsiccatio fontium etiam e mari scaturientium provenire, nam propter nimiam aridtatem, & calorem aquæ subterraneæ non attrahuntur ad superficiem terræ, quodlibet enim contrarium suum refugit oppositum; tum propter duritiem terræ ex siccitate contractam, quæ constringit, & præcludit viam aquis, & exitum; & si ratio valeret, jam omnes fluvii exsiccari deberent, quod patet esse falsum. Ad 2. dicimus aquas maris a terra fugente attractas per illos meatus attenuari, & partes subtiliores a grossioribus depurari, hinc salsedinem illam amittere, salsedo enim nonnisi ex adustis exhalationibus terræ provenit, quæ non reperiuntur in quacumque parte terræ ut dicemus art. seq. Ad 3. mox satisfacimus.

129 Quoad causam effectivam, & attrahentem sursum aquas usque ad terræ superficiem, varii sunt modi dicendi. Quidam ajunt aquam sursum ascendere propter periculum vacui. Non placet, quia ut sit periculum vacui, debet esse aliqua vis trahens corpus contiguum, modo nulla vis attrahit foras ex illis cavitatibus aerem, vel terram aquæ ibi existenti contiguam. Alii dicunt aquas ascendere motu æquilibrationis, nam aqua ex sua natura movetur ad æqualitatem suæ originis; & æquilibrare principium, & finem sub elemento aeris, ut patet, cum aquæ fontis ex alto loco per fistulas descendentes, per alia deinde ascendunt ad altitudinem suæ originis, & quia mare est altius terra, & summis montium, idcirco descendens aqua per cavitates terræ iterum per alias ascendit ad altissima montium juga. Hic tamen modus fundatur in falsa illa elatiori altitudine maris supra terram art. 1. reprobatam, ideoque nit; tum quia deberet explicari, unde postea haberet aqua, quod versus mare ascenderet decurrendo per alveum fluminis, potest tamen ad bonum sensum reduci, ut infra.

130 Alii igitur modi satis probabiles assignari solent licet non in omnibus quidlibet verificetur, sufficit tamen, ut in aliquibus locum habeant. Primo ergo causa attrahens sursum aquam *poni potest* ipsa terra sicca; terra enim, & omne corpus bibulum superius trahit corpora humidiora, si non sunt nimis densa, *vel* per viam attractivam, vel potius per contactum, dum enim corpus siccum humida tangit, fit humidum, qua parte tangit, quæ pars deinde viciniorem humectat, & sic de cæteris, donec aqua omnino sursum ascendat (dummodo per excedentiam siccitatis, vel caloris non impediatur actio) hæc aqua a terra imbibita cum sit gravis, & nequeat se contineri sursum, distillat in quosdam meatus, & cavitates prope superficiem terræ, hinc foras erumpit, unde videmus fluvios, & fontes ut plurimum ad radices, vel ad latera montium exire. Habemus similem experientiam, si enim oblonga panni particula in vas ex una parte immitteretur, per ascensum ab aqua totaliter madefieret, & si *phiala igni calefacta ponereturr* supra vas aquæ frigidæ, aer inclusus ob *frigus* aquæ condensatur, & aquam sursum attollit.

131 Secundo ponitur causa calor Solis, nam cum terra in medio sit veluti spongia aquis imbuta, quæ percolatione quadam dulces evaserunt, has aquas ardor Solis, & astrorum etiam attenuando sursum trahit, & rationabiliter ab auctore naturæ hæc virtus fuit astris communicata, ita exigente bono universi; sicut enim in animalibus ab officina sanguinis, quæ est in medio corpore, nulla habita ratione gravitatis, sanguis dispergitur huc illuc, sursum, deorsum per venas a virtute attractiva providente omnibus partibus corporis de sufficienti alimento, ita terra multis canalibus aqua plenis est prædita tamquam venis, & aqua per virtutem cœlestem, quæ se habet ut gubernatrix horum inferiorum, nullo respectu habito gravitatis aquæ, sursum attrahitur; & per varia loca in superficie terræ dispergitur, propter mixtorum conservationem præsertim viventium.

132 Tertio assignatur pro causa vapor, & subterraneus ventus in specubus subterraneis inclusus, quandoque etiam ignis in cavernis terræ existens; hi enim omnes valde agitant aquas intus terram existentes, unde sursum pellunt, & foras faciunt emergere; hinc aquæ fontium in orificio ebullire videntur, signum illius agitationis a ventis, quod potest comprobari, quod aliquando ex terræ motibus, (qui ex vaporibus istis causantur, ut infra) novi, ingentesque formantur fluvii.

133 Quarto, potest pro causa assignari præsertim in fluviis in planis scaturientibus, motus ille æquilibrationis aquæ; diximus enim art. 1. mare non esse altius terra absolute, at respectu alicujus partis planæ potest dici altius, vel saltem æquale, ergo potest esse, quod in terra quidam reperiantur meatus, & cuniculi, in quos se maris aqua detrudat in imum, & deinde per quandam incurvationem per alios meatus sursum emergat ad altitudinem æqualem suo principio, hinc irrigat superficiem planam terræ; si vero flumina e montibus scaturiunt, certum est, aquas e mari prodeuntes usque ad planiciem terræ per illos aquæductus subterraneos pervenire, quare paululum elevari debebant, quantum scilicet scaturigines fontium elevatiores sunt ipso mari; hinc motus iste æquilibrationis in his fluminibus multum juvat; nam ex isto motu aliqualis impulsus imprimitur aquæ antecedenti a subsequenti, ut non solum ad æquilibrationes cum suo principio, sed ulterius sursum pellatur, præsertim quia orificia, & scaturigines montium angustiores sunt, quam subterranei meatus; quod etiam quotidie experimur per artificiosos aquæductus.

ARTICULUS V.

De Metheoris aqueis.

134 EX omnibus aquis sive marinis, sive fluvialibus vapor extrahitur virtute Solis, & siderum. Est autem vapor halitus quidam subtilis, rarus, humidus, & calidus, sicut videmus in olla ferventi, e qua vi caloris partes aquæ subtiliores per modum fumi ascendunt; de quo dubitari solet, an specie differat ab aqua, & quamvis affirmativa pars non careat probabilitate; negativa tamen est probabilior; tum quia vapores herbarum in distillatorio vase excepti per modum fumi prius exhalant virtute caloris, deinde frigore condensati in superiori parte per modum humoris, & aquæ excipiuntur in alio vase, & tamen ut plurimum non distinguuntur specie ab illis herbis, cum eadem retineant proprietates, & virtuales qualitates, ergo multo magis vapores aquei erunt cum aqua ejusdem speciei, nam eodem modo extrahuntur, & quod magis urget, statim ad pristinam aquæ formam *se reducunt*, quod *non experimur in succis herbarum*; idem apparet in argento vivo, cujus fumus ab igne causatus statim in argentum vivum deinde concrescit. Tum quia tam subito vapor extrahitur, tamque facile deinde in aquâ convertitur, ut vix hę mutationes credi possint substantiales, neque ratio aliqua convincit oppositi.

135 Quod autem ajunt alii, vaporem essentialiter distingui ab aqua (quod præcipue docuit Tar. 1. Metheor. q. 1. §. *Dubitatur primo*) eo quia Arist. 2. de Gen. 28. docet fumum esse ex aere, & terra, & tex. 16. probat aerem esse calidum, quia vapor calidus est, ergo magis accedit vapor ad naturam aeris; tum quia aqua est frigida, densa, & gravis, vapor calidus, rarus, & levis, ex diversitate autem affectionum dignoscimus diversitatem formarum substantialium, unde sæpe dici solet, vaporem in aquam *converti*, & *e contra*, *idem autem non vertitur in seipsum*. Hæc non sunt motiva sufficientia, nam Arist. in 1. loco loquitur de fumo flammæ admixto, qui dicitur ex aqua, & terra propter similitudinem *cum illis*, in 2. loco arguit a minori ad majus, ut notant Conimbr. tr. 1. Metheor. c. 1. nam si vapor, ex quo proxime generatur aer, est calidus, multo magis aer ipse. Nec illa accidentia ab intrinseco conveniunt vapori, sed ab extrinseco vi siderum, unde statim ad pristinam frigiditatem, gravitatem, & densitatem quærit se reducere, & propter hanc accidentium variationem aqua dicitur in vaporem converti, & e contra, quæ conversio est accidentalis, non substantialis.

Dices, Arist. sect. 23. probl. 39. docet vaporem maris esse calidum, & siccum; male ergo dicimus vaporem esse humidum. Resp. Arist. comparative loqui in ordine ad vapores ex *locis* paludosis, & stagnantibus extractos, qui multum humiditatis continent, qua ratione in his locis ut plurimum densissimæ nebulæ, aliique grossi *vapores* cernuntur, unde quo aqua est purior, subtiliores, & minus humidi vapores extrahuntur; quod autem vapor sit humidus, confirmari potest experientia, nam Austro flante, qui ex se est valde humidus, & caliqus, omnia humida, præcipue saxa marmorea, conspicimus, quia vapores tunc circa terram in locis imis, & cupis congregantur, & nequeunt marmorea saxa penetrare, ut faciunt in aliis porosis corporibus, idcirco saxis adhærent, & ex eorum frigiditate condensantur, & in guttas aquæ veluti sudores convertuntur. Ex his vaporibus igitur fiunt nubes, nebulæ, pluvia, ros, nix, grando, & alia hujusmodi, quorum singula explicare debemus.

Nubes est vapor in secunda regione aeris condensatus tum a frigore aereo, tum a propria forma substantiali aquæ, & maxime actione siderum, hæc *nubes* si erit ex vapore subtiliori, & minus humido, facile convertetur in aerem, si autem vapor erit crassior, & humidior, convertetur in pluviam; unde pluvia est nubes in aquam resoluta, si minutissimis guttis decidit, vocatur imber, si grandioribus guttis, & cum impetu, vocatur nimbus, si guttis mediocribus cum mediocri impetu, dicitur simpliciter pluvia. Diversitas illa guttarum oritur præcipue ex majori propinquitate, vel distantia nubis cadentis, quo enim elevatior est nubes, eo in minutiores fecatur partes propter diuturnam aeris divisionem; patet experientia, si quis situlam effunderet in terram ex humiliori, vel altiori loco, provenit etiam ex majori, vel minori parte nubis, quæ in aquam convertitur, non enim tota nubes simul resolvitur in aquam, sed per partes, & quo pauciores sunt, eo minores, guttas causabunt, quo plures, eo grandiores. Diluvium particulare poterit utique accidere naturaliter ex peculiari quodam astrorum concursu magnam vaporum copiam attrahentium; *at diluvium universale nonnisi ex* ordinatione Dei provenire potest, quamvis enim ab authore naturæ potuissent corpora cœlestia produci tantæ activitatis, ut in tali aspectu possent hanc universalem inundationem terræ causare, non tamen videtur consonum divinæ providentiæ, ut agentia ad gubernationem universi constituta, qualia sunt corpora cœlestia, ipsius ruinam, & totalem destructionem moliantur. Tandem de pluvia not, quod quandoque refertur lac, & sanguinem decidisse, quod est intelligendum, non vero lacte, & sanguine, sed solum quoad colorem, & hoc contingere potuit, vel quia terra, e qua vapores a Sole fuerunt extracti, erat his liquoribus imbibita, vel quia ex siderum peculiari actione, & varia exhalationum permixtione colores illi fuerunt producti; quandoque ferrum, & lapides, quod etiam influxibus astrorum asscribi solet, propter admixtionem terrestrium halitum cum vaporibus, vel vento ex aliis locis in altum elatos, & deinde alibi delatos in terram decidisse; quandoque ranas, mures, & pisciculos, non solum quia vi turbinis, & ventorum potuerunt a terra in altum attolli, sed etiam quia in

in nubibus poterant generari virtute Solis, cum sint animalia ex putri generabilia, tandem quandoque carnes, & animalia perfecta, quod solum vel vi dæmonum, vel ventorum accidere potuit, non enim influentiæ cœlestes possunt animalia perfecta generare, ut diximus disp. 2. qu. 7. art. 2. vide Cottunium 1. Metheor. lect. 35. & Licetum lib. de lapide Bonon. c. 9. 10. & 11. De signis prædicentibus pluviam, *vide* Conimbr. tr. 7. c. 7.

137 Nebula, seu caligo differt a nube, quod nubes in aere existit, caligo circa terram insidet, & ab Arist. 1. Metheor. sum. 3. c. 1. dici solet superfluitas nubis in aquam resolutæ, sterilis, & aquæ infæcunda, & tandem reliquiæ nubium, in nube enim aliæ partes sunt rariores, aliæ densiores; istæ, quia crassiores, convertuntur in aquam, illæ ob majorem subtilitatem deberent in aerem converti, a frigore tamen noctis constrictæ descendunt, & caliginem causant, at accedente Sole, si ascendunt, minantur pluviam, quia convertuntur in nubes, si descendunt, sunt signum serenitatis, nam a Sole dissipantur; ita communiter solet Arist. explicari, alii vero dicunt nebulam esse partem crassiorem nubis.

Hic tamen dicendi modus aliquam habet difficultatem, nam ut notat Aversa qu. 42. sect. 6. reliquiæ istæ nubium, si propter tenuitatem non poterant in aquam converti, sed potius in aerem debebant abire, cur postea condensatæ a frigore noctis, non versantur in pluviam, cum jam sint crassæ ut nubes, sed potius ad terram descendunt? si vero sunt partes crassiores, non videtur ratio, cur in aquam non vertantur, crassities enim potius juvat, quam impediat.

Quare dicendum dupliciter posse nebulam fieri, vel ex superfluitate nubium, quatenus scilicet partes sunt in nube minus humidæ propter aliqualem mixtionem siccitatis, & minus aptæ ad mutationem in aquam, quæ postea frigore addensatæ, & graves redditæ ad terram decidunt, regulariter tamen fieri solet, quando vapores extracti sunt crassiores, & graviores, præcipue in locis aquosis, & paludosis, ideoque cum sint aere graviores, & terra leviores, circa terram persistunt, donec Sole adveniente, vel ascendunt, vel descendunt; si sunt tenuiores, & magis ad naturam vaporis accedentes, ascendunt, si sunt crassiores, & magis pluviæ persimiles, descendunt, & de ista nebula proprie verificatur dictum illud, quod ascensu promittit pluviam, descensu vero serenitatem, quam tamen Arist. non assignavit.

138 Ros est vapor subtilis, non procul a terra elevatus nocturno sed modico frigore constrictus in aquam, dicitur vapor subtilis ad differentiam crassi vaporis, ex quo pluviæ, nubes, nix, & grando generantur, dicitur non procul a terra elevatus, quia ros in infima aeris regione fit, unde solum in planis decidit, non in montibus, hinc non est vera sententia Alberti docentis rorem versus supremam regionem generari, si enim ibi fieret, necessario transeundo frigidissimam aeris regionem mediam, condensaretur in nivem, vel in pluviam; dicitur modico frigore, &c. nam si calor excederet, ut in æstate, cum vapor sit subtilis, facile consumeretur, si frigus est ingens, congelaret in pruinam, ut dicemus, quapropter in vere, & in autumno condensatur ros, quia sunt temperati, in æstate vero solum in locis frigidis, & humidis, & in majori copia in plenilunio propter majorem vaporum copiam, unde Poetæ Rorem Deam posuerunt filiam Jovis, & Lunæ, ex quibus sequitur rorem esse temperatæ naturæ, quia tali tempore decidit, esseque serenitatis signum, nam nebulosi tempore non fit ros, quia non vapor subtilis, sed crassus tunc attrahitur, nec tempore ventoso, quia vapor ille dispergitur.

139 Ex isto rore multa mixta generantur in aere, ut mel, nam si vapori rorifico miscetur halitus quidam terrestris, & subtilis accedente calore cœlesti, & speciali quorumdam siderum influentia, nec non temperato noctis frigore, mixtum illud *pinguescit*, & ut ros fluens, & aliquantulum viscosus decidit supra flores, & herbas, a quibus quasdam accipit qualitates, unde mel in Sardinia est amarus, quia apes illud colligunt ex floribus absinthii: hinc apes colligunt, non conficiunt mel, requiritur cœlestis influxus, quia non quocumque tempore colligitur, nam apes post autumnum non amplius mel e floribus seligunt: vide Conimbr. tr. 7. c. 9. Quandoque vero exhalatio vapori admixta est multum sicca, & viscosa, unde humiditate absumpta instar saccari plantis adhæresit, ut aduste appareant; hinc rubigo dicitur, & ut plurimum in meridie, & flante Austro decidit, estque valde fructibus noxia. Manna quoque ex rore fit, dum scilicet vapori illi halitus terrestris adjungitur, & ex decoctione illius vaporis a calore cœlesti manat halitus cum modica humiditate, tunc conficitur liquor quidam candidus, & melliti saporis; exigitur quoque cœleste clima, & specialis terræ proprietas, unde non decidit universaliter in quocumque loco. An autem hujus speciei fuerit manna a Deo Hebræis in desertum concessum, affirmant Conimb. & Jo: de S. Tho. rectius negat Aversa, nam diversitas figuræ, saporis, & aliarum circumstantiarum tum in productione, tum in conservatione, certe specificam infert distinctionem. Inter hæc mixta quidam numerant saccarum, sed differunt, nam quidam dicunt aliud a nostro esse saccarum e cœlo fluens, de quo mentionem faciunt Plin. lib. 12. c. 8. Dioscor. lib. 2. cap. 75. quia hoc in arundinibus diffluit e cœlo, est candidum, & dentibus friabile, ut sal; alii vero esse volunt ejusdem rationis cum nostro, sed quicquid sit de hoc, certum est, nostrum saccarum a cœlo non provenire in arundinibus, sed esse humorem quemdam virtute illarum plantarum in illis productum.

140 Pruina est fere ejusdem *rationis cum rore*, differt so-

lum, quod pruina est ros congelatus, quia non a temperato, sed vehementi frigore causatur; unde solum decidit hyemali tempore, & serenis, ac tranquillis noctibus propter easdem rationes, pro rore adductas.

141 Nix generatur ex nube, quæ priusquam in aquam resolvatur, constringitur frigore mediæ regionis aeris. Nix est siccior pluvia, quia plus exhalationis videtur continere, & minus de humido, quam pluvia. Color ipsius est albus, non quidem apparens, ut dicebant Alb. & Lavan. sed verus, quia ubique & ab omnibus semper idem videtur, non enim est necesse, ut colores semper a mixtione omnium primarum qualitatum generentur, sed sufficit, ut aliquæ intercedant. Causa potissima hujus candoris est frigus intensum, sicut enim calor est causa nigredinis, ita frigus est causa albedinis, hinc habitantes nivosa loca sunt candidi, habitantes sub zona torrida sunt nigri, animalia, quæ in locis temperatis sunt nigra, in locis frigidis sunt alba, vinum rubrum, dum acescit, & amittit colorem, *etiam* albescit, e contra mustum album ebulliendo ad ignem rubescit; cum igitur nix ex materia frigida generetur, fit alba; hinc nubes, antequam in nivem convertatur, est alba, & candida; accedit etiam, quod nix multas partes aereas includit, unde spumosa videtur, & spuma ab Arist. 2. de Gen. An. c. 2. vocatur, spuma autem ex se est alba. Dicitur autem nivem vetustate rubescere, & in Armenia decidere rubeas nives; primum provenit, quia partes aereæ consumuntur; secundum, quia vapores extrahuntur ex terra rubea. Deinde nix est mollis ad modum lanæ, & bombacis, & lata, quia vapor est tenuis, subtilis, & habet multum de humido aereo, non crassus: idcirco solum in hyeme fiunt nives, quia tunc propter frigus intensum non elevantur vapores grossi, & densi, non sic evenit in pruina, quæ ex materia crassiori fit, & multo magis in grandine, ut dicemus, ideo magis rigescit.

142 Grando est *nubes in pluviam concreta*, qua antequam terra contingat, congelatur. Dicitur autem ista congelatio fieri, vel per antiperistasim, quatenus aer ambiens suo calore aquam decidentem constringit, quæ ut fortius possit calori extrinseco resistere, adunat proprias vires, & frigescit, ut tandem congeletur, vel fit ex intenso frigore ambientis aeris, nam sic præter nativum frigus aquæ accedit frigus extrinsecum, & ex utroque generatur grando; nec est mirum, si tam brevi spatio congelatur pluvia, inquit Arist. 1. Metheor. sum. 4. quia aqua calida facilius glaciatur, quia calore attenuatur, & rarefit, ideoque magis patitur ab agente extrinseco, pluvia autem fit ex vapore calido, & humido.

Sed istæ causæ, non videntur sufficientes; non enim primo calor ambientis aeris per antiperistasim potest esse causa istius congelationis; nam sic aqua prius *calefacta*, *sed reducta* ad pristinam frigiditatem, imo nive frigefacta si in loco calido poneretur, sicut est aer ambiens nubem, vel Soli exponeretur, nec brevi, nec longiori tempore congelabitur; tum quia aqua ex se nequit intendere frigus ultra proprias vires, unde per antiperistasim non fit major qualitas intensive, sed solum, quæ erat diffusa, adunatur, & unitur, ut dicemus in l. de Gen. ergo si frigiditas naturalis aquæ non est sufficiens ad congelationes, neque cum a contrario calore circumcingitur potest esse causa congelationis; tum quia in æstate aer semper est calidus, & magis quam in vere, & autumno, ergo pluvia magis in æstate, & semper deberet congelari in grandinem. Neque poterit effici grando ex frigore ambientis aeris, hoc enim longe remissius est in æstate, quam in hyeme, ut patet, & tamen in hyeme non fiunt grandines, vel raro. Potius autem pro causa deberet assignari frigus ambientis, quam calor, nam experimur grandinem, antequam cadat, a ventis frigidis præcedi refrigerantibus rerum ambientem, & aquam non nisi ex excedenti frigore in hyeme congelari.

143 Causa igitur congelationis pluviæ in grandinem duplex assignari potest, materialis, & efficiens, materialis erit vapor aqueus ex natura sua frigidus, & humidus, sed cum admixtione aliqua terrestrium halituum, qui valde conferunt ad *soliditatem*, & duritiem corporum, unde videmus nivem sale aspersam congelari, eo quia sal propter siccitatem confert ad congelationem, convertuntur enim hi halitus in quemdam humorem, siccum, qui se habet veluti coagulum, & gluten; & quod terrestris iste halitus sit in nube grandinosa, ex eo patet, quod fere semper cum grandine fulgura, & tonitrua eveniunt, quæ ex exhalatione terrestri fiunt; & quia in hyeme terrestris halitus non ita frequenter extrahitur, idcirco nec sæpe grando contingit, sed pluvia, vel nix, quamvis vigeat frigus; frequentius etiam decidit grando in vallibus, & planis arboribus plenis, quam in *montibus*, & planis carentibus arboribus, quia illa loca sunt magis humida, & frigida propter arborum umbras, ista magis sicca, quia magis, exposita radiis solaribus, idcirco minus apta ad subministrandam materiam grandinis, quæ debet esse vapor aqueus scilicet humidus, & frigidus. Causa vero efficiens erit frigus extrinsecum ambientis, & quia in æstate non ita sæpe accidunt venti frigidi, ut in vere, & autumno, hac ratione frequentius fiunt grandines in fine veris, & in autumno, quam in ferventi æstate; cui accedit influxus cœlestis quorumdam astrorum, hæc enim sicut excitant ventos illos frigidos, sic etiam asserere debemus in pluviam cadentem intendere frigus, & congelationem cansare.

144 Generatur autem grando in *media* aeris regione, & etiam in infima, unde videmus in grandine pallicalas inclusas, quæ prope terram attolluntur; si aqua *congelatur*, *statim* ac *nubes* in pluviam fuit conversa, tunc quia partes aquæ sunt grandiores, & non ita dispersæ, grandines quoque sunt grossiores, si vero congelatur, postquam in *minutissimas* guttas aqua jam fuit discreta, grandi-

nes erunt minores, etiamsi prope terram fuerint congelati; potest etiam contingere, ut ait Arist. cit. quod grando in altiori loco generetur, & in majori mole, sed motu, & aqua ambiente minuatur, & ad terram veluti coriandrum exiguum decidat. Quando est parva, habet figuram rotundam, quia eamdem habet guttam aquæ, at quando est pergrandis, multos angulos continet, & est aspera, sicut pars illa aquæ, cum sit major, non necessario habet talem figuram; imo quandoque plures grandines simul decidunt conglutinatæ, & una intra aliam, quia scilicet postquam sunt congelatæ, aquis circumdantur, quæ etiam glaciscunt, & in unum coeunt majoris molis; visæ sunt quoque grandines ad magnitudinem humani capitis pervenientes.

145 Grandini similis est glacies, solum differt, quod grando dicitur aqua in aere congelata, glacies vero fit in stagnis, paludibus, fluviis, & etiam in mari secundum communiorem; referunt enim recentiores reperiri sub polo mare glaciatum, quamvis alii dicant, hoc contingere propter magnam aquæ fluvialis copiam, congelatur itaque aqua propter nimium frigoris excessum, nec hoc sufficit, aliter cum aqua naturaliter sit summe frigida, congelatio esset illi connaturalis, quod est falsum, quia petit esse fluida; quare requiritur quoque, ut sit commixta terrestri exhalationi, ut de grandine diximus; requiritur etiam aliquid caloris decoquens humidum; qua ratione quamvis densior, aqua supernatat, tum quia multum aeris, vel de humido aereo includitur in glacie, dum congelatur.

Egimus jam de Metheoris provenientibus ab aquis, sive marinis, sive fluvialibus, debemus modo aliqua explicare contingentia marinis aquis, deinde alia fluvialibus convenientia. Marinis aquis duo præcipue conveniunt, scilicet salsedo, & motus.

146 Salsedo non est intrinseca marinæ aquæ, quia variis modis haberi potest e mari aqua duleis, si colatur aqua maris per arenam, si vas cereum bene occlusum in mari immergitur, per poros ceræ percolatur aqua, & dulcis excipitur; idem evenit in fluviis a mari trahentibus originem, insuper velleribus appensis ad malos, & antennas exprimitur aqua dulcis, quæ fit ex vaporibus ascendentibus a mari; similiter si olla aquis marinis plena opponeretur igni, & vapores fumantes spongia exciperentur, compressi dulces evadunt; & tandem patet de pluvia, cujus materia, scilicet vapores, magna ex parte excipitur e mari, ergo dicendum, salsedinem aquæ marinæ competere ab extrinseco, & esse quidpiam eis adventitium crassius, & corpulentius, nam partes extractæ subtiliores sunt, quæ remanent, sunt grossiores, iliæ sunt dulces, istæ amaræ, & salsæ; hinc aquæ maris sunt grossiores, quam fluviales propter salsedinem.

147 Causa ab aliquibus assignatur continua Solis actio aquas amaris exsiccans, & adurens, sed non sufficit, nam eadem ratione, lacus, paludes, & fluvii haberent salsedinem, cum radiis Solis sint expositi, nec impedit continuus motus, quia etiam mare continuo movetur motu velociori; tum quia Sol extrahit a lacubus, & fluviis vapores, non obstante motu, ergo etiam salsedinem deberet causare. Quare addendum est in mari reperiri multas terreas exhalationes siccas, & adustas, sed per modum cujusdam liquoris, seu salis liquefacti cum aquis permixtas, hujusmodi vero exhalationes salsedinem causant, ut probat Arist. 2. Metheor. cap. 3. multis exemplis, ut sudore, lixivio, urina, &c. hæc enim omnia habent permixtum quid a calore desiccatum adustum, non decoctum, tum quia experimur ab aquis marinis virtute Solis extrahi sal, quæ est materia sicca, & adusta; unde vero proveniat in mari tam magna harum exhalationum copia, alia nequit reddi ratio, nisi quia subtus magnæ sunt salis mineræ ab authore naturæ ab initio ibi positæ ob bonum universi, multis enim de causis data est salsedo mari, scilicet pro piscibus, ut salubriores sint, ne putrescat aqua, propter navigationem, nam salsedine aqua fit densior, & ita aptior ad ferendas naves, vel quia ex permixtione terræ taliter dispositæ accedente Solis calore generatur illa exhalatio; certum enim est actionem Solis maxime conferre ad salsedinem maris, qua ratione aqua maris in fundo dulcior dicitur esse, quam in superiori parte, & multi fontes, & lacus salsi reperiuntur, quia scilicet terræ, per quas diffluunt, his dispositionibus, & mineris sunt præditæ; imo quælibet aqua habet hanc materiam admixtam, licet secundum magis, & minus, nam quælibet aqua igni sæpius calefacta saporem salsum videtur contrahere, & Honor. Augustod. lib. 3. de Mundi Philos. ait, *Certum est aquam per ebullitionem transire in salem*; idem docet Arist. sect. 24. probl. 18. quamvis an tea illam non sentiamus propter exiguam exhalationum copiam, & excedentem aquei humoris quantitatem, hinc etiam aqua marina in diversis locis est magis, vel minus salsa. Nec irrationabiliter recurrimus ad authorem naturæ, quia quando una qualitas ab extrinseco convenit toti elemento, non videtur causa aliqua creata reperiri potens illam inducere, sed divinæ providentiæ tribuendum ob finem aliquem universalem, sicut diximus de segregatione facta in principio aquæ a terra, quamvis aquæ naturaliter conveniat totam terram contegere, ita Jo. de S. Th. tract. 7. de Metheor. c. 3.

148 Alterum, quod convenit aquæ maris, est motus, non loquimur autem de motu deorsum, quo per innatam gravitatem tendit ad centrum, de isto enim jam egimus disp. præc. nec de motu agitationis a ventis causato, hic enim varius est pro variatione ventorum diversis temporibus dominantium, sed de quibusdam motibus peculiariter mari convenientibus, & regulariter,

Primo movetur mare tam Mediterraneum, quam Oceanum a Septemtrione ad Austrum, in Mediterraneo enim Meotis palus defluit in Pontum Euxinum per Bosphorum Cymmerium; Euxinus per Bosphorum Thracium in Ægæum, & hic in Siculum decurrit; idem cernitur in Oceano Septentrionali, & magis prope polum. Rationem hujus duplicem assignat Arist. 2. Metheor. cap. 1. prima est, quia versus Septentrionem ingentia flumina fluunt in mari, ideoque quotidie augetur notabiliter aqua, & hac de causa in alia maria decurrit; assumptum patet, nam in Meothidem paludem defluit Tanais, in Euxino Danubius, & Boristhenes; quibus accedit modica profunditas illius maris, & hæc ratio facit pro motu Mediterranei. Secunda pro motu Oceani est, quia terra sub polo arctico elatior est, idcirco aqua decurrens ad ima irruit versus Austrum; tum quia inquit Albert. sub polo propter excessum frigoris magna aquæ copia generatur, quapropter versus Austrum decurrit, ut æqualiter circa centrum consistat, quæ ratio non urget de polo antarctico, quia ibi non reperitur aqua, sed terra, ut est videre in Mappis geographicis, vel si est adhuc mare, concedi poterit, ibi mare ab Austro ad æquinoctialem fluere, ubi aqua ob excessum caloris in aerem convertitur: Arist. autem locutus est solum de polo arctico, quia nobis est notus.

149 Secundo, movetur mare ab ortu in occasum, tam mediterraneum, quam oceanum, eo quia tardius ex Hispania in Palæstinam, & in alias orientales partes pergitur, citius ex illis partibus in Hispaniam, tardius quoque ex America in Hispaniam conficitur iter spatio circiter trium mensium, citius ex Hispania in Americam in uno scilicet mense, tardius quoque experitur iter absolvi, cum transacto promontorio Bonæ spei versus Indias orientales itur, quam e contra, cujus diversitatis ratio esse nequit, nisi quia versus ortum itur adversis aquis, versus occasum aquis secundis pergitur. Occasione hujus motus accidit, quod mare in quibusdam finibus motu quodam in orbem moveatur, dum enim ex orientali littore movetur ad occidentale, quia ibi impingit, nec ulterius progredi potest, cogitur revertere, & sinuosa quadam inflexione ad ortum revertitur, sic notavit evenire in Adriatico mari Contar. lib. 2. de elem. ubi mare a littoræ Dalmatiæ ad littus Italiæ pergit, sed deinde flectit versus Apuliam ad ortum Solis, idem ad littora Hispaniæ, & Africæ accidit, & in sinu Mexicano, aliisque locis. Causa hujus motus assignatur cœlum, eo quod rapiat suo motu diurno mare, peculiari quadam influentia astrorum, præsertim Solis, & Lunæ, vel secundum alios vi diurni motus, præcipue in oceano, ubi aer infimus etiam taliter movetur ex art. 2.

150 Tertio peculiariter movetur mare fluxu, & refluxu, & communi nomine æstu, quandoque accedit ad terram, & tunc fluit, quandoque recedit, & quasi in se revertitur, & tunc refluit, hic motus præcipue deprehenditur in oceano, ubi mare ad multa milliaria intra terram fluendo se insinuat, ut plurimum fluxus sex horis durat, totidem refluxus, hinc in uno die bis mare fluit, & bis refluit, si loca sunt angusta, ut est pars illa dividens Siciliam ab Italia, motus est rapidus, & velocissimus, quibusdam vero locis plus durat fluxus, in aliis plus refluxus, & quandoque fluxus, & reflexus est major, quandoque minor. Hujus motus conantur Philosophi causam, & modum, quo fiat, investigare, sed re vera post multa recte concludit Scaliger exerc. c. 52. *Quis non dicat in hac materia Philosophiam ipsam balbutire?* unde quamplurimi Philosophi propriam in hac re fatentur ignorantiam, idcirco solum videbimus, quisnam dicendi modus magis accedat ad probabilitatem, relictis fabulosis veterum opinionibus, quæ videri possunt apud Conimb. tr. 7. c. 5.

151 Quidam igitur non distinguunt hunc motum a secundo, sed eundem esse asserunt, causari vero hunc æstum propter varium situm terræ, marisque, & ex actione Solis calore resolventis aquas maris, ita Pandulfus Sfond. in lib. de causa æstus maris. Non satisfacit, quia vere experimur hunc motum distinctum esse, nam motus in occasum ex variatione situum poterit solum causare inflexionem illam in gyrum quam diximus fieri in Adriatico mari, non vero hunc fluxum, & refluxum, quo videmus statutis temporibus mare crescere, deinde decrescere; tum quia si ideo accurrit mare, ut supplear de defectui provenienti ex actione Solis consumantis aquas, & ut in æquilibrio sit circa centrum, sicut dicebat Sfondr. semel tantum fieret in uno die fluxus, & refluxus, nam refluxus fieret, dum Sol exsiccat partes aquæ ipsi perpendiculariter suppositas, fluxus, dum deinde aqua accurrit, in nocte autem nequit Sol exsiccare aquam in nostro Emisphærio existentem, exsiccatio enim fit actione caloris. Alii dicunt, causam esse terrestres halitus in fundo maris excitatos quibusdam horis a stellis, ut in homine statutis temporibus excitatur febris, dum sursum tendunt, attollunt mare, & faciunt intumescere, postquam exierunt, mare decrescit, & videtur refluere; ita Giamin. de Cœlo 2. p. cap. 10. Nec satisfacit, quia isti halitus potius causarent maximam agitationem in mari, & veluti quandam ebullitionem, ut evenit, cum venti subtus mare existunt, & tamen mare fluit, etiamsi placatum, & quietum existat, tum quia assignari deberet causa attrahens istos halitus cum determinata regula, ut certis temporibus, & horis simul congregentur, & deinde sursum simul evolent, quæ causa facilius dicetur immediate causare æstum maris absque tot halituum multiplicatione. Alii docent, hunc motum fieri ex resilentia aquæ ex uno littore, ad quod prius recurrit, ut pater in agitatione alicujus vasis, in quo aqua hinc inde ad latera fluitat, & hoc quia fundum maris est inæquale, modo altius, modo humilius. Sed verum esset hoc dictum, si mare in uno littore flueret, & in opposito reflueret, attamen videmus simul in utroque littore fluere, & simul refluere.

152 Idcirco communior sententia cum Scot. 2. distinct. 14. q. 3. refert hunc effectum in causam cœlestem, & præcipue Lunam; tum quia ait Doct. Luna humidis præest, unde conchilia, & humores in compore augentur, & minuuntur juxta varias con-

conjunctiones, & oppositiones Lunares; tum quia æstus iste variatur juxta Lunæ motum, nam sicut Luna circularem motum explet spatio vigintiquinque horarum, ita æstus non incipit denuo, nisi post 25. horas; & sicut lunaris motus dividitur in quatuor partes juxta quatuor cœli quadraturas, prima est a puncto Orientis nostri Orizontis usque ad punctum meridiei, secunda a puncto meridiei usque ad punctum occasus, tertia ab hoc puncto usque ad punctum mediæ noctis, & quarta a puncto mediæ noctis usque ad punctum Orizontis Orientalis, pari passu procedit æstus, nam dum Luna est prima quadratura, incipit fluxus maris apud nos, & in parte illa terræ, quæ est huic opposita, correspondente tertiæ quadraturæ, & sit refluxus in partibus mediis; dum est in secunda quadratura, incipit tunc fluxus in parte illi correspondente, & alia opposita, & in nostra, ac alia huic opposita incipit fluxus: sic dum est in tertia quadratura, in illa parte supposita, & in nostra, quæ est illi opposita, fit fluxus, in aliis duabus refluxus; tandem dum est in quarta quadratura, fluxus fit in quarta, & secunda parte terræ, & refluxus in prima, & in tertia; si ergo juxta variationem motus Lunæ regulatur, & variatur æstus, signum erit a Luna causari, hinc apud Sinas lacus adest, qui in novilunio, & plenilunio more maris patitur fluxum, & refluxum, teste Trigautio lib. 3. cap. 9. de expedit. Christiana ad Sinas. Verum est tamen, quod Sol adhuc concurrit, nam juxta diversum aspectum Lunæ ad Solem varie fit æstus, nam major æstus contingit, dum Luna est in oppositione, vel conjunctione cum Sole, ut in plenilunio, & novilunio, ac in quadraturis mediis; imo quidam dixerunt, Solem quoque æstum causare, & quia in novilunio, & plenilunio Sol, & Luna agunt in easdem partes globi terrestris, ideo majores tunc æstus accidere, ac cum in aliis quadraturis Cœli existunt; quia licet Luna attolleret aquas, Sol e contra ad se trahendo deprimeret, & sic fere nullus æstus causaretur, quia se invicem ab attractione impedirent.

153 Major difficultas est in explicatione modi, quo a Luna æstus iste causatur, nam dum Luna est in nostro Emisphærio, mare fluit, & refluit, sed potius videtur, quod semper deberet vel fluere, vel refluere, cum eadem Luna in nostro Emisphærio maneat toto die, ergo eundem effectum causare deberet. Tum quia non videtur posse causare fluxum, & refluxum in alio Emisphærio, ubi non est præsens; quare duo examinare debemus, primum est modus, quo Luna absolute causat fluxum, & refluxum, secundum, quo pacto hunc æstum causat in alio Emisphærio, dum supra nostrum existit.

Quoad 1. est unus dicendi modus apud vetereS frequens, & sequuntur Contar. cit. c. 19. & Averr. q. 42. sect. 7. Lunam causare hunc æstum per rarefactionem, & condensationem, cum rarefacit aquam, tunc mare fluit, cum condensat, refluit.

Sed hæc opinio patitur difficultatem; quamvis enim vere hoc modo Luna alteret aquas, imo per verum augmentum, & decrementum etiam possit causare hunc æstum, in hyeme namque, & in novilunio major fit æstus, quia plus de aqua generatur, non tamen videtur sufficiens ad tam magnum æstum causandum, tamque velociter, etenim in littore Cambajæ ad fauces Indi fluvii adeo vehemens, & velox fit æstus, ut mare fluendo duabus horis triginta leucas intra terram contegit, & aliis duabus totidem refluendum detegit; quare valde sensibiliter aqua rarefieret, & condensaretur, & tamen semper aqua est ejusdem ponderis, & rationis, tum quia rarefactio, & condensatio in his sublunaribus fit per variationem primarum qualitatum, hæc prævia alteratio non intervenit in aqua; tum quia non explicat, quo pacto possit Luna has alterationes causare in Emisphærio.

154 Probabilius ergo dici potest, præter argumentum aquæ, tum per novam generationem ex aere, tum per rarefactionem causari a Luna æstum per motum localem, ita docet Scot. cit. Sequuntur Conimb. & Jo. de S. Th. hic, nam super quamcumque regionem elevatur Luna, aqua maris ascendit directe tanquam versus causam, itaut, inquit Doct. aqua maris ascendit directe supposito centro Lunæ est altior, quam in quocunque alio loco; qui locus habetur per lineam ductam a centro terræ ad orbem Lunæ, illa enim linea necessario transibit per locum illum, qui est eminentior, & vocatur tumor aquæ, fit autem hic tumor per attractionem quandam a Luna, sicut magnes trahit ferrum, & quia in illo loco accurrunt aquæ ab aliis partibus, idcirco in illis fit refluxus; quando postea recedit Luna ab isto loco, etiam tumor cessat hic, & fit in alio loco supposito Lunæ, hic vero contingit refluxus; & sic concedimus aquam non manere æquilibratam circa centrum, neque hoc est inconveniens, ut arguit Aver. cum sit ab extrinseco, non a natura aquæ, sicut ferrum a magnete attractum suspensum manet in aere. Nec dicimus mare in littoribus crescere, in medio vero esse concavum, ut ipse imponit Conimbricens. sed tam in medio, quam in littore tumescere in illa quadratura, in alia vero decrescere.

155 De secundo assert Doct. opinionem Albumasar lib. 2. Majoris introduct. in Astron. quod Luna habet effectum consimilem in quadraturis oppositis diametraliter, ut sunt prima, & tertia, secunda, & quarta, & quia dum est in puncto Orientis, causat fluxum in prima quadratura, & refluxum in secunda, idcirco in tertia, quæ est primæ opposita, causabit etiam fluxum, in quarta refluxum. Quare autem Luna habeat consimilem effectum in quadraturis oppositis, non explicat Album. sed Doct. adducit rationem ex aliorum sent. radii enim Lunæ non possunt penetrare terram totam, ideo dum Luna est in prima quadratura, immittit radios ad terram rectos, & etiam illos multiplicat usque ad firmamentum, a quo reflectuntur ad tertiam quadraturam, & per radios reflexos ibi causat eundem effectum fluxus. Hæc opinio multas patitur difficultetes, nam primo fundatur in eo, quod Luna per radios rarefaciendo, & generando vapores causat fluxum, & refluxum vero resolvendo illos in aerem, quod improbavimus; tum quia tumor aquæ semper directe est ad oppositum Lunæ, ergo in illam partem Luna habet majorem actionem, quare non sit fluxus ex debilitate radiorum commoventium vapores, & non resolventium, refluxus vero ex majori fortitudine radiorum resolventium vapores. Alii hoc referunt ad occultas virtutes, nam Planetæ diversos producunt effectus juxta diversitatem aspectuum, & domorum, in quibus reperiuntur.

156 Clarius poterit dici, quod causa fluxus, ubi est Luna, sit ipsamet Luna, in parte opposita principalior causa sit aqua, sua gravitate tendens ad locum humiliorem, qui modus dicendi innuitur a Doct. cit. §. *Prima opinio* explicatur, & comprobatur simul, dum Luna in quadratura Orientali causat fluxum, trahit ad se aquas secundæ quadraturæ, hinc minuuntur aquæ in ista, & augentur in prima, unde in prima fit fluxus, in secunda refluxus, & quia antea causavit tumorem in quarta quadratura, & consequenter trahebat aquas primæ, & tertiæ, qua ratione in his fiebat reflexus, dum Luna accedit ad primam, quarta destituitur aspectu Lunæ, & consequenter aqua tumescens in quarta, quia gravis est, partim sequitur Lunam in prima quadratura, partim defluit in tertia, in qua aqua prius erat humilior, quapropter in ista fiet fluxus, sicut in prima; deinde accedente Luna ad secundam, aquæ tumescentes in prima, & tertia partim attrahuntur a Luna in secunda, partim defluunt in quarta, & sic semper in quadraturis oppositis fit fluxus, & refluxus bis in die. Concurrunt etiam situs maris, depressio, vel altitudo littorum, & fundi maris, concursus, & aspectus aliorum siderum, venti soliti magis in una parte, & regione perflare, quam in alia; quæ omnia non solum juvant, sed etiam sunt in causa, quod æstus, vel una vice tantum fiat in die, vel quod tardius fiat fluxus, quam refluxus, vel e contra, & quandoque mare aliquod non fluit, quia taliter potest aqua illa esse dispositа, ut non sit apta ad recipiendam impressionem Lunæ, non enim quodlibet agit in quodlibet; quandoque etiam non bis, sed pluries in die fit fluxus, & refluxus, præcipue in locis cavernosis, & insulis planis, ubi mare multipliciter frangitur, & redundat, unde plurimos vortices, & fluxus ex tam varia agitatione causat, & hæc potest reddi pro causa, cur Euripus, seu fretum inter Aulidem, & Eubæam insulam septies in die fluat, & refluat. Hæc sufficiant in hac re tam occulta, & perdifficili, sat enim est in similibus rationem aliquam probabiliter attingere, & in universali pro statu isto, in quo noster intellectus ignorantiæ caligine obtenebratur, nec potens est omnium causas in particulari assignare.

157 Tandem pro complemento hujus art. restat, ut de aquis fluvialibus aliqua dicamus, & quidem multæ qualitates admirabiles reperiuntur in his aquis, quibus varii effectus producuntur; quidam enim fontes sunt dulces, quidam salsi, quidam pestiferi; & mortiferi, quidam proficui, & medicinales, quidam frigidissimi, quidam tepidi, quidam ferventes, ut est videre apud Tar. 2. Meth. q. 2. §. *Dubitatur opinio*, & Conimb. tract. 9. cap. 7. de quibus alia nequit reddi ratio, nisi diversitas terræ, & influentiarum cœlestium, aqua enim in visceribus terræ commorando, & per cuniculos illos pertranseundo afficitur qualitatibus, & dispositionibus terreis, sicut lixivium, quia est aqua colata per cineres, trahit amaritudinem cinerum, & præcipue frigus intensum provenire potest, vel quia venæ profunda ducuntur origine, vel quia intra saxa, & loca conglaciata fertur aqua, miscenturque nix, & glacies, vel quia per venam Mercurii, seu argenti vivi pertransit, aut halinitri. Calor autem provenit a subterraneis ignibus, qui per varios terrarum tractus, & quandoque longissimos permeant, unde & aquas calefaciunt, modo magis, modo minus juxta distantiam interceptam; quibus accedit materia bituminosa, & sulphurea, quæ tanquam fomes, & alimentum ignibus illis infervit.

Specialis tamen difficultas est de motu fluxus, & refluxus, nam lacus, & fluvii non videntur refluere, quidam fontes, & putei æstuant, & quidam eodem tempore cum mari, alii vero e contra, cum mare refluit, fluunt, cum fluit, refluunt. Ad hoc breviter dicimus cum Conimb. tract. 8. cap. 7. in lacubus non fieri æstum ex occulta quadam proprietate aquæ dulcis, vel propter parvitatem materiæ non fieri æstum sensibilem, & apparentem; fontes vero, qui originem e mari ducunt, & faciliter aqua ipsis communicatur, fluunt, & refluunt simul cum mari, at si difficulter aqua pervenit ad fontes, utpote quia per longiores meatus, & tortuose inflexos, fluunt, cum refluit mare, quia aqua exuberans per fluxum maris communicata, antequam perveniat ad fontes, diu in itinere moratur, ut jam mare incipiat refluere.

ARTICULUS VI.

Ubi de Terra.

MUltiplicitер potest dividi terra, primo in zonas, secundo in climata, tertio in varias regiones, quarto in montes, planitiem, & insulas; duæ ultimæ divisiones proprie conveniunt terræ, ut ab aquis est detecta, primæ duæ competunt terræ, ut cum aqua unum globum constituit; attamen specialius traduntur solum de terra, quia explicari solent in ordine ad habitationem viventium, ideo breviter hæ divisiones sunt declarandæ.

158 Circa primam divisionem not. quod sicut in cœlis dantur quinque zonæ, ut explicuimus disp. 2. q. 1. art. 1. totidem aliæ dantur in terra correspondentes, & directe sub illis suppositæ, unde datur zona torrida correspondens zonæ cœlesti inclusæ intra duos tropicos, dantur duæ zonæ temperatæ, & duæ frigidæ; ex his antiquitus solum temperata putabatur habitabilis, & illa, quæ est inter tropicum cancri, & circulum arcticum, quæ est pars terræ a nobis habitata, eo quia licet alia zona temperata esset habitabilis, quia tamen illuc perveniri non potest, nisi pertransiretur zona torrida, quæ prorsus inepta censebatur pro conservatione viventium, idcirco negabatur, ibi homines reperiri, & consequenter antipodes extare, ita Arist. 2. Meth. c. 5. Scot. 2. d. 17. q. 2. D. Th. 1. p. q. 112. art. 2. & 4. specialiter antipodes tanquam fabulosos negarunt Lact. 3. div. inst. c. 23. D. Aug. 16. de civ. cap. 9. Beda lib. de ration. temp. cap. 32. & alii.

159 Attamen omnes zonas habitabiles esse experientia docet, nam ex navigationibus Lusitanorum præcipuè compertum est zonam torridam habitari, & in ea reperiri regiones valde temperatas, imo & frigidas omni fructuum, & frugum copia abundantes, homines quoque varii coloris, quosdam albos, quosdam nigros, quosdam medio colore, diversorum quoque morum juxta climatum varietatem; zonas temperatas non est denegandum ambas esse habitabiles, sicut enim nostra apta est ad sustentanda, & conservanda viventia, ita & illa alia, cum in eadem distantia sint in ordine ad polos & æquinoctialem; zona frigida circa polum arcticum est etiam habitabilis, nam ultra circulum arcticum Nicolaus Germanus addidit tabulis Ptolemæi ad Boream Gottiam insulam Ventilandiam, Engronelandiam, & Islandiam; idem affirmat Olaus Magnus lib. 1. de par. Septentr. quod si hæc zona est habitata, idem dicendum de zona frigida circa polum antarcticum, eadem enim ratio urget hic, & ibi, quamvis a nobis non sit adhuc explorata, & saltem est ex se habitabilis.

160 Ex quibus non solum sequitur dari posse antipodes, sed de facto dari, illos scilicet qui terram adversis ad nos vestigiis premunt, unde dicti sunt Antictones, quia terram contrariam colunt, & Antigones idest contrario nati; isti autem sunt in duplici differentia, quidam dicuntur Antæci, quia ex parte australi habitant sub eodem meridiano secundum eandem longitudinem, & latitudinem, ac nos, unde non habent similia tempora, sed cum nobis est æstas, illis est hyems cum pari duratione, ut quantum apud nos durat æstas, tantum apud illos duret hyems, & cum dies est nobis, illis est nox; & hi in rigore dicuntur antipodes; alii vocantur Periæci, & sunt, qui in eodem emisphærio Australi, & Boreali habitant, sub eodem paralello, latitudine, & meridiano, qua ratione cum v. g. nobis est æstas, etiam illis, sed cum hac differentia, quod cum oritur nobis Sol, & fit dies, illis occidit, & fit nox; ambos igitur dari hac nostra tempestate navigationibus, & peregrinationibus est notum.

Imo hujus veritatis aliqualis fuit cognitio apud antiquos; nam Alexander, devicta India Orientali, Oresicrito classis Præfecto præcepit, ut insulam Traprobanam viseret, & terminos orbis intelligeret, illuc autem non potuisse pervenire, nisi ultra æquatorem multis gradibus peragrasset; Plin. lib. 2. nat. hist. cap. 67. refert Eudoxium quendam, ut iram Ptolemæi Lathiri Regis Ægypti effugeret, e sinu arabico per oceanum ad Gades usque attigisse; & dum Carthaginensium regnum persisteret, aliquot ex illis ab Herculeo freto ad Arabicum navigasse; ipsemet Arist. 1 Meth. sum. 4. c. 1. ait Nilum originem trahere e monte Argyro, latine Argento, qui mons juxta Joan. Boterum lib. 3. pag. 161. duodecim gradibus ultra æquinoctialem existit, ergo de illis regionibus etiam temporibus Arist. aliquis licet non distincta habebatur cognitio. Rursus quamplures Theologi affirmarunt Paradisum terrestre esse sub æquinoctiali, eo quia regionem illam dicebant esse valde temperatam; & alii opinantur regionem illam in 3. Reg. c. 9. Ophir appellatam, e qua classis Salomonis quadringenta viginti talenta auream eidem detulit, aliam non esse, quam partem novi orbis nunc Perù nuncupatam, vel insulam Hispaniolam a Columbo repertam, vel auream Chersonesum, ubi oppidum Malacha nunc est, quod magis placet Conimb. 2. de Cœlo c. 14. q. 1. art. 4. saltem certum est regionem aliquam fuisse ultra æquinoctialem, cum e littoribus rubri maris classis illa inchoaverit iter.

Dices, propinquitate Solis maximus generatur calor, itaut si continuo in nostra regione esset æstas, certum est inhabitabilem fore, sed in zona torrida, inuuit Scot. cit. Sol est semper propinquus, itaut sub æquinoctiali existente in maxima hyeme habeant Solem distantem per 24. circiter gradus, qua, imo fere majori distantiam distat a nobis in maxima æstate, quare frigidissima hyems illorum erit, sicut nostra calidissima æstas, ergo prorsus est inhabitabilis zona torrida, e contra zonæ frigidæ propter magnam a Sole distantiam nihil habent caloris ad vitam conservandam tam necessarii; privantur quoque per sex menses lumine, sunt aquis tectæ, nec ullus unquam ex ibi habitantibus ad nos pervenit. Tum 2. instatur contra antipodes, quia homines, arbores, ædificia, & alia hujusmodi ibi penderent, nam pedes, radices, & fundamenta essent sursum, pluvia quoque sursum tenderet; nec videtur, quo pacto ibi homines potuerint pervenire, tum propter Oceani vastitatem, & difficultatem navigandi, præsertim illis temporibus, in quibus non erat adhuc usus artis nauticæ, & calamitæ. Accedit, quod tempore Apostolorum non erant noti antipodes, nec ad illos ullus Apostolorum appulit, & tamen. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Psal. 18.

161 Resp. utique concedimus, si habetur respectus ad Solem, zonam torridam esse inhabitabilem, propter nimium caloris excessum, & in hoc sensu locutus est Arist. & Scosus, ut patet ex ratione, quam adducunt, attamen ex aliis capitibus poterit contemperari calor ille, ut patet experientia, quæ non tam exacte tunc temporis erat comprobata, sicut ipsemet Scotus ibi ait de zona frigida sub polo arctico, quæ ratione Solis est utique inhabitabilis, at secundum Plin. 2. natur. cap. 7. & Martianum in descript. mundi est accidentaliter temperata, quapropter excessivus calor Solis jam sentitur contemperatus in zona torrida; causæ vero plures possunt assignari scilicet quia dies non multum excedunt noctes, sed fere sunt noctibus æquales, idcirco Sol non diu calefacit, & contemperatur calor a frigore noctis, æqualis insuper frequentia imbrium, major terræ elevatio versus secundam regionem, propinquitas Oceani, a quo venti perflant valde mitigantes æstum regionis, industria hominum quæ loca subterranea, & umbrosa invenit; sed præcipue aspectus cœli, & dispositio regionum; unde conspicitur in eadem zona loca reperiri frigida, quædam temperata, ut regio Peruana; quædam fervida, ut apud Monomotapam, insulas Moluchas, & regna Pretiosi Joannis (vulgo Pretegianni) qua ratione habitatores maxime inter se differunt, tum in colore, effigie, disciplina, moribus, capillis, & aliis. Eadem ratione dicimus zonas frigidas posse reddi temperatas, tum ex hominum industria, qua quærunt se a frigore defendere; tum ex aspectu cœlorum, non enim totaliter illa regio destituitur calore, cum multa mixta, & viventia ibi generentur, quæ nequeunt produci sine calore; tum ex consuetudine, non enim ita patiuntur a frigore ibi commorantes propter assuefactionem, quam exteri, & advenæ, consuetudo namque convertitur in naturam; & quamvis umbram habeant per sex menses, adhuc aliquod lumen habent in crepusculis; nec est verum partem illam aquis esse contectam, & experientia docet Islandiam esse habitatam, & commercium habere cum aliis populis Septentrionalibus.

162 Ad 2. de antipodis, si valeret, concluderet etiam de terra, & aqua; quare negamus omnia ibi pendere, sed vere gravia deorsum tendere versus centrum, & levia sursum versus cœlum, sursum enim non attenditur in ordine ad nos, sed in ordine ad centrum, sicut nec pars illa cœli alterius emisphærii dicitur esse deorsum; quare eadem ratio de nobis currit, ac antipodis. Pervenerunt autem illuc, vel ministerio Angelorum, vel navigatione, sive data opera, sive tempestatis vi, difficultas enim navigandi Oceanum præsertim ante usum artis nauticæ solum fuit causa, ut tale iter non fuerit apud antiquos visitatum, non vero arguit impossibilitatem, quod nunquam fuerit talis navigatio confecta, ut jam ostendimus exemplis. Tandem dictum Psal. vel intelligitur de regionibus tunc temporis cognitis, vel ut alii dicunt ly *exivit* stat pro exibit, alii exponunt *exivit*, vel actualiter, vel virtualiter, & mediate, quatenus modo prædicatores virtute Apostolicæ prædicationis annuntiant hominibus illis Evangelium Christi.

103 Quoniam igitur tertam totam habitabilem fecimus, operæ pretium erit quasdam proprietates habitationum terræ explicare, de quibus late desseritur in c. 3. sphæræ Jo. de Sacro Bosco. Prima habitatio est sub æquinoctiali, cujus proprietates sunt sex, prima, quod Sol bis in anno transit super capita habitantium ibi in primo puncto Arietis, & in primo Libræ. Secundo habent duo alta Solstitia, & duo ima (Solstitium fit, quando Sol incipit accedere, vel recedere a nobis) alta fiunt in principio Arietis, & Libræ, nam tunc Sol est supra eorum capita, & incipit recedere, ima fiunt in principio Cancri, & Capricorni, & dicuntur ima, quia Sol maxime receffit ab eorum capitibus, & incipit accedere. Tertio habent perpetuum æquinoctium, nam circuli paralelli descripti a Sole quolibet die motu raptus firmamenti per totum zodiacum circa axem mundi intersecantur ab orizonte commorantium sub æquinoctiali in partes æquales, quia habent isti sphæram rectam, idest eosdem polos cum mundo, & quia pars superior circulorum supra orizontem dicitur dies artificialis, quia describitur a motu Solis ab ortu in occasum, pars inferior sub orizonte dicitur nox artificialis, & describitur a motu Solis ab occasu in ortum per Emisphærium inferius, (totus vero circulus dicitur dies naturalis constans 24. horis) sequitur, quod hujusmodi habitatores semper habent æquinoctium. Quarto habent duas æstates, & duas hyemes, duplex ver, & duplicem dutumnum, Sol enim bis in anno est super capita eorum, ecce duplex æstas, bis etiam maxime recedit, ecce duplex hyems, & consequenter est duplex ver, & autumnus, quia bis incipit Sol accedere ad zenith, & bis recedere, cum accedit, est ver, cum recedit, est autumnus; verum est tamen, quod habito respectu ad Solem quælibet illorum hyems est calidior nostra æstate, licet aliunde temperetur, ut diximus. Quinto omnia signa, & astra illius oriuntur, & occidunt, videntenim utrumque polum, & spatio 24. horarum totum cœlum illius apparet, dum successive movetur. Sexto tandem habent quinque umbras, prima (quæ improprie dicitur umbra) dicitur perpendicularis, quando scilicet est in principio Arietis, & Libræ in meridie, nam tunc Sol facit umbram circa illorum pedes, non in partem distantem, Secunda est Occidentalis, quando Sol est in Oriente, nam umbra jacitur versus occasum, Tertia est Orientalis, cum sol est in occasu, Quarta est australis, cum Sol est in signis Septentrionalibus, Quinta est Septentrionalis, cum Sol percurrit signa Australia.

164 Secunda habitatio est inter æquinoctialem, & tropicum Cancri, & ibi habitantes habent Solem bis in anno supra caput, duas

duas æstates, & duas hyemes, sed unam altera longiorem, & frigidiorem, habent quatuor Solstitia duo alta, & duo ima, habent quinque umbras, non tamen vident omnia astra, quia habent sphæram obliquam scilicet quia unum tantum polum cernunt, nec habent perpetuum æquinoctium, sed solum bis in anno, quia circuli dierum naturalium intersecantur ab istorum orizonte in partes inæquales; hinc dies artificiales erunt inæquales noctibus. Tertia habitatio est sub tropico Cancri, cujus habitatores semel in anno habent Solem super caput, habent duo Solstitia altum in Cancro, imum in Capricorno, unam æstatem, & unam hyemem, non habent umbram australem, quia nunquam Sol transit ultra illorum zenith versus Boream. Quarta est inter tropicum, & circulum arcticum, qualis est nostra, & nunquam habemus Solem supra caput, habemus tres umbras versus ortum, & occasum, & Boream, duo Solstitia, bis æquinoctium, unam æstatem, & unam hyemem, & sphæram obliquam. Quinta est habitantium sub circulo arctico, & hi propter accidentia communia scilicet tres umbras, duo Solstitia, &c. peculiariter habent, quod semel in die polus zodiaci fit ipsorum zenith, & tunc zodiacus est orizon, seu melius linea eclyptica, hinc repente sex signa ipsis oriuntur, & occidunt, habent quoque quod tropicus Cancri totus est supra orizontem, ideoque cum Sol est in principio Cancri, habent diem 24. horarum, e contra tropicus Capricorni totus est sub orizonte, unde existente Sole in principio Capricorni, habent noctem 24. horarum. Sexta est habitantium inter circulum arcticum, & polum, & hi peculiariter habent, quod pars zodiaci perpetuo sit supra orizontem, & pars aliqua perpetuo sub orizonte, & per consequens cum Sol est in illa parte habent diem constantem ex tot diebus naturalibus quot sunt gradus illius partis zodiaci, nam ut diximus disp. 2. q. 1. art. 1. Sol motu naturali per Eclypticam spatio 24. horarum conficit unum gradum, & hæc pars est major, quo plus ad polum accedit, idem de nocte dicendum, cum Sol percurrit oppositam partem. Septima est eorum, qui sub polo degunt (si tamen aliquis ibi existit) & hi habent, quod æquinoctialis est orizon, quapropter sex signa habent semper supra orizontem, & sex infra, hinc per sex menses habent diem, per sex alios noctem, sed non est nox obscura, sed se habet veluti Aurora, nisi adesset impedimentum nubium, ratio est, quia Sol nunquam ab illorum orizonte distat plus, quam 23. gradibus, & semis, quantum Sol ab æquatore declinat, Sol autem percurrit qualibet hora fere quindecim gradus, quare nox obscurior esset sicut aurora apud nos. Eadem hæc loca habitantium concipienda sunt in altera medietate cœli versus austrum, verum quæ in his dicta sunt de signis borealibus, in illis sunt intelligenda de signis australibus, & e contra.

165 Secunda divisio terræ fit per climata; pro cujus intelligentia not, quod in sphæra obliqua, quando unus dumtaxat polus apparet, eo majores sunt dies æstivi, quo magis ad polum acceditur, unde eadem dies, quæ in una regione est v. g. horarum 13. in alia erit horarum 16. propter majorem propinquitatem ad polum, & majorem obliquitatem sphæræ, clima ergo est spatium terræ inclusum inter duos paralellos ab æquinoctiali, in quo spatio accidit varietas notabilis, & sensibilis per semihoram diei. Quodlibet clima in tres dividitur partes, in principium, medium, & finem, principium erit primus paralellus versus æquinoctialem, in quo maximus dies habebit v. g. horas 14. medium erit parallelus, in quo dies continebit horas 14. & quadrantem, finis erit alter parallelus, in quo dies maximus habebit horas 14. & semis eritque principium sequentis climatis, & quia ad hoc ut dies accipiat incrementum semihoræ, minus spatium terræ requiritur versus polum, quam versus æquinoctialem, ut ostendunt Mathematici, idcirco primum clima majus spatium terræ occupat, quam secundum, & secundum plus, quam tertium, & sic deinceps. Numerus climatum a Joan. de Sacrobosco septenarius ponitur, quia putavit partem aliquam quartæ partis terræ esse habitabilem; Recentiores vero 23. climata assignant, incipiendo secundum declinationem ab æquatore versus boream graduum 12. min. 45. & totidem secundum elevationem poli arctici, quod erat initium primi climatis ab antiquis assignatum, & totidem ex alia parte versus austrum, & polum antarcticum designat, ut est videre in tabulis climatum. Roma ab ipsis ponitur in medio quinti climatis. Venetiæ, & Mediolanum in medio sexti, & sic deinceps usq; ad polum. Spatium climatis versus polum appellatur latitudo climatis, spatium versus ortum, & occasum dicitur longitudo, nam secundum Cosmographos longitudo terræ est distantia ab ortu in occasum, latitudo est distantia ab æquatore ad polum, ratio est, quia longior est motus astrorum ab ortu in occasum, quam a Septentrione in austrum per circulum zodiaci, ille enim motus fit per 360. gradus, iste non excedit 47. gradus, solemus autem majorem distantiam longitudinem vocare, minorem vero latitudinem; quare primum clima erit latius, & longius, quam secundum, latius, quia majus spatium terræ occupat versus polum, ut diximus, longius, quia cum terra versus polum constringatur, ut patet in circulis paralellis, qui minores sunt versus polum, quam versus æquatorem, jam majus erit primum quoad longitudinem.

166 Tertia divisio terræ fit in partes integrales, & principales unde antiquitus in tres partes primo dividebatur Asiam, Africam, & Europam, & quælibet harum in diversas provincias; post annum 1492. addita fuit America continens Indias Occidentales; nec aliud occurrit dicendum circa hanc divisionem.

Tandem terra dividitur in planitiem, montes, & insulas; quæri potest, quando fuit hæc divisio facta, & primo de montibus; quidam enim originem montium adscribunt influxibus cœlorum, quidam aquis diluvii, alii ventis, & terræ motibus.

167 Dicendum tamen est cum D. Damasc. 2. de fid. c. 9. & 10 quem sequuntur Conimb. in problem. sect 1. Amic. tract. 8. q. 4. dub. 8. Averr. q. 42. sect. 9. & alii communiter, montes ante diluvium extitisse, quia non est verisimile tot sæculis diluviura præcedentibus terram sine montibus fuisse, cum montes valde conferant tum ad ornatum, tum ad commoditatem viventium, montes enim præcipua flumina producunt, coercent ventorum, & aquarum vim, in ipsis mineralia generantur, tum quia Psal. 89. significatur, montes ab initio extitisse. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis*, &c. idem colligitur Prov. 8. *Necdum montes gravi mole constiterant, & ante omnes colles ego parturiebar*; & Gen. 8. dicitur arca post diluvium quievisse super montes Armeniæ. Deinde non videtur, omnes montes e causis naturalibus fuisse productos, nam adhuc in dies de novo generarentur, si cœli, vel aliquid aliud vim habuissent producendi illos, quare ab initio a Deo fuerunt formati; & quamvis D. Basil. 4. Exam. Janf. & Euseb. in Psal. 103. doceant fuisse simul cum terra, & eadem die creatos, fundati in illo Psal. *Super montes stabunt aquæ*, quo loco est sermo de aquis in principio cooperientibus terram, unde deducunt tunc fuisse montes: attamen D. Dam. cit. asserit terram ab initio fuisse perfecte sphæricam sub aquis, quia verisimile est tunc Deum creasse elementa in statu connaturali; at tertia die, quando aquas a terra segregavit illas in locum unum recludendo, tunc cavernas, & valles effodiendo, in quibus nunc existunt aquæ, terram, quam abstulit, in unum latus aggeravit Angelorum ministerio, & ex illa formati sunt montes. Nec authoritas Psal. urget, per montes enim intelligitur terrestris globus, qui in medio universi apparet uti mons: alii explicant de aquis diluvii, vel pluvialibus.

168 Præterea ab aliis causis etiam fuerunt formati montes; aquæ enim plures montes pariunt, nam torrentes primo terram mollem perlunt, deinde rapiunt duriorem, tum saxa quoque devolvunt, atque sic paucis annis excavant Planitiem terræ, & ingentem efficiunt eminentiam qui mons dicitur, & ima loca valles, venti quoque efficiunt montes, vel cum soluti, ac liberi arenas vehementer movent, & agitant, quæ arenæ concrescunt aquis, & in molem assurgunt, quomodo plures in Mauritania extitisse montes memorant Arabes & tempore Caroli quinti in Syria juxta Tripolim mons fuit aggeratus; vel si in latebris, & visceribus terræ reperiuntur accluſi, conantur terræ motibus erumpere, & terram attollere, quod refertur de quodam colle prope Puteolos in Campania, industria quoque hominum potest aliquis collis exurgere, ut testantur de Monte testaceo Romæ, qui ex fragmentis vasorum in eum locum projectis fuit compactus.

169 Figura montium est pyramidalis, vel ad istam accedit, ratio est, quia gravia quærunt, quantum possunt, circa centrum secundum suas partes se constituere, ut patet de aqua; terra vero, quia est consistens, & solida, licet secundum aliquas partes attollatur, quærit tamen quantum potest, se æquilibrare circa centrum, idcirco semper mons est latior in radice, strictior in summitate. Tum quia pluvialis aqua, & venti quandoque montium juga abradunt, & terram ad planitiem deducunt. Tum quia ut notat Dand. 2. de An. digress. 17. halitus humidus ab imo ascendens adveniente halitu terreo lapidescit in montem, & levia ascendunt sursum pyramidaliter, & ideo petrificata pyramidis figuram detinent.

170 Altitudo montium varie assignatur ab historiographis, verum dupliciter possumus considerare hanc altitudinem, vel perpendiculariter, contemplando scilicet lineam perpendicularem a summitate montis ad planitiem terræ, vel secundum ascensum magis, vel minus acclivem; hoc secundo modo considerando altitudinem, fertur, montes aliquos valde sursum extolli, de Pelioro dicitur altitudinem habere 50. milliar. Teneriffem altum 68. milliar. & Olans Magn, li. 2, c. 2. asserit in Norvegia montes adeo altos inveniri, ut solum quatriduo scandi possint, de montibus mari glaciali adjacentibus *Cingulum terræ* appellaris, ab antiquis vero *Ryphæi*, vel *Hyperborei* referunt Maginus pag. 224. & Sigismundus liber Baro pag. 169. apud P. Ferchium de ortu Diluvii l. 1. c. 1. ult. spatio decem, & septem dierum eorum altitudinem non posse superari. In primo tamen sensu communiter dicitur quemlibet altissimum montem parum, ut nihil excedere dicatur altitudinem unius milliarii; hoc autem non videtur posse consistere cum tam acclivi ascensu prædicto; tum quia refert Solin. c. 37. in Seleucia montem Casium prope Antiochiam eminentem adeo esse, ut ex ejus vertice quarta vigilia, hoc est versus finem noctis, conspici Sol possit, de Monte Olympo fama est ad tantam altitudinem pervenire, ut in ipsius cacumine nec nubes, nec venti, aut nix unquam extiterint, signum evidens regionem secundam aeris, in qua hæc omnia gignuntur, transcendere, cujus altitudo est longe supra milliare.

171 Cæterum Blancanus lib. 4. c. 4. docet, superficiem terræ quamvis montibus asperam, in dies jam a mundi exordio paulatim reduci ad perfectam sphæricitatem, montesque paulatim deficere, itaut aliquando naturaliter necesse futurum sit, terram a mari inundari, & ininhabilitatem reddi, nisi dies judicii præveniret. Movetur, quia montes quotidie decrescunt, planities elevantur, decrescunt montes ventis, & aquis pluvialibus, unde fit, ut antiqua in montibus ædificia fundamentis eorum paulatim detectis non admodum diuturna evadant, sicut videmus, inquit, in fundamentis Romani Capitolii, quæ modo tota super terram extant, at olim alte sub terram descendebant.

elevan-

elevantur planities, quoniam aquæ deponunt terram in planis, & altis declivioribus locis, quam secum ex montanis detrahunt, maxime vero illam deportant in fundum maris, quod cum sit terrestri superficie depressius, & flumina omnia se exonerent in mare, secumque magnam terræ, ac arenæ copiam inferant, fiunt intra mare maximæ coacervationes, quibus littora in mare promoventur, & ipsum impletur, donec tandem alveo deficiente terram inundet; quod posset multis exemplis comprobari.

Sed hoc dictum, quamvis in aliqua speciali parte possit habere fundamentum, universaliter tamen intellectum de tota terra potius redolet timiditatem, quam probabilitatem; montes enim non solum possunt de novo fieri, sed qui existunt, possunt conservari in eadem mole, imo & crescere, causæ namque assignatæ nunquam deficient, quia semper aquæ possunt terram excavare, venti arenas conglobare, quæ per accessum aquæ possunt in saxa converti, terræmotus sæpe accidunt, halitus humidi, & terrestres quotidie ascendunt arbores, quibus plerique montes abundant, vel vi ventorum, aut turbinis extractæ, vel tempore jam senescentes corruunt, & putrescentes convertuntur in terram, & quibusdam locis lapidescunt, cujus rei indicium est, quod arbores altius sub terra latere reperiantur, tum putridæ, tum in saxa conversæ, herbæ quoque atque arborum, & fruticum folia putrescentia convertuntur in terram, & montibus adduntur, accedit etiam continua inter elementa transmutatio, quia poterit terra alia elementa in seipsam commutare, & tandem experientia id docet, tot enim annorum sæculis nec unus quidem mons fere defecit, quibusdam collibus exceptis, de quibus, si fieret comparatio cum numero illorum, qui de novo emergunt, certe illorum numerus excederet.

172 De insulis tandem dicendum, quod licet tota terra diei possit insula, quatenus tota est aquis circumdata, proprie tamen insulæ dicuntur partes quædam terræ avulsæ a continenti, & aquis circumseptæ; quarum aliquæ potuerunt quidem progressu temporis etiam post diluvium casu aliquo fieri, puta terremotu, inundatione, arte, itaut ubi prius erant peninsulæ, idest ex aliqua parte continenti conjunctæ, deinde separatæ, & insulæ evaserint, sicut aliquæ, quæ prius erant segregatæ, postea unitæ, ut refert Plin. lib. 2. c. 89. universaliter tamen ab initio fuerunt a Deo factæ in illa segregatione aquarum, non enim cavitates illas ubique æquales Deus effodit, sed montes, rupes, valles, planities in illa intercapedine confecit, qua ratione fundum maris est multum inæquale, unde vadosa loca, & insulæ non sunt, nisi excelsi montes, vel prope superficiem maris, vel ultra superficiem e fundo emergentes; imo quædam insulæ dicuntur de novo in mari surrexisse, quod quidem contingere potuit vi cujusdam terræmotus, ut dicemus art. seq. Cæterum de illis insulis, quæ fluitare, & enatare conspiciuntur in mari, jam diximus disp. præc. q. 1. in fine causam esse, quia in terra spongiosa, & ingentibus arborum radicibus possunt esse fundatæ, qua ratione sunt a fundo avulsæ, sed adhuc supra aquas sustinentur, & ad maris, ac ventorum impetus aliqualiter commoventur; quandoque vero perfecte cum fundo conjunguntur, nec amplius fluitant, ut de insula Deli refertur, nisi hanc narrationem, ut omnino fabulosam reiicere velimus cum Lancelloto in lib. sæpe cit. *Farfalloni de gli antichi Istorici*. Farfal. 32.

ARTICULUS VII.

De Metheoris Terreis.

173 Sicut ex aqua vapores extrahuntur, ejusdem speciei quidem cum aqua, sed accidentaliter differentes, cum sint ab extrinseco calidi, & leves, ex quibus Metheora humida generantur; ita ex terra virtute astrorum extrahuntur exhalationes quædam ejusdem speciei essentialis cum terra, sed accidentaliter differentes, præter enim siccitatem habent ab extrinseco caliditatem, & levitatem; quare exhalatio est halitus terrestris calidus, & siccus e terra attractus; estque duplex, nam si terra est crassa, & pinguis, educitur exhalatio facile combustibilis propter materiæ tenacitatem, ob quam actio Solis intensius recipitur, unde sursum evolant, estque materia Metheororum ignitorum; nec est mirum, si tam alte ascendant, & si a terra, quæ gravissima est, deducantur, nam propter siccitatem magis calori amicam calor fortius in illis agit, sursumque attollit; si vero terra fit arida, nec habeat partes inter se multum hærentes, fit exhalatio non tam facile combustibilis, nec tam alte evolans; & hæc est materia ventorum.

174 Secundo sæpesæpius contingunt in terra motus quidam tremoris, communiter Terræmotus vocati, quandoque enim terra agitatur modo ad dexteram, modo ad sinistram, quandoque dividitur in duas partes, vel in plura foramina perforatur, quandoque præcipitatur in profundum, & e contra quandoque sursum pellitur, & elevatur.

Causa horum motuum præcipua est exhalationum terrestrium ingens copia in cavernis, & visceribus terræ inclusarum, & foras exire contendentium; & comprobari potest ex hoc, quod major est vis exhalationis inclusæ terræ visceribus cum violenter ibi detineatur, quam sit vis ejus, quæ serpit per terram, ut sunt venti, & tamen venti tantæ sunt vehementiæ, ut domos, turresque evertant, ergo multo magis halitus subterranei possunt terram concutere, quando illis præcluditur egressus, quod si halitus isti non sunt tantæ fortitudinis, causabunt tremorem, & agitationem; si vim habent magnam, & cum per diversas cavernas sunt dispersi, perforabunt terram in diversis partibus juxta majorem, vel minorem resistentiam partium terræ, si vero sunt in uno loco congregati simul, & possunt vincere resistentiam terræ, ut illam scindant, & erumpant, tunc causabunt ruinam, scissionem, & submersionem, itaut civitates, & montes ipsi fuerint absorpti in profundum, quandoque montes avulsi e radicibus invicem occurrentes valles medias cum villis, & habitatoribus operuerunt, ut contigisse narrat Plin. lib. 2. c. 83. in agro Murinensi, si tamen nequeunt terram disrumpere, tunc ipsam attollunt, & in terra mons aliquis fit, in mari nova insula exurgit, quæ mons quidam est, nam halitus in terra viscosa inclusus non potens propter tenacitatem partes dividere, extumescentiam facit; quo pacto multæ ex insulis Cycladum consurrexisse tradunt Historici. Hac etiam ratione halitus isti maximam solent commotionem in aquis causare, itaut mare in mira eminentia intumescens, intra terram deinde diffunditur, unde aliquando in altis montibus vestigia navium inventa sunt, quæ nonnisi hujusmodi impetu illuc fuerunt asportatæ, aliquando e contra mirum in modum e littore recedit; flumina quoque retrocedere, & varie moveri hac de causa visa sunt, de quibus multa afferunt exempla Conimb. tract. 11. & Zanard. de mund. elem. par. 3. qu. 49. Non solum autem venti in subterraneis generati possunt causare terræmotus, sed etiam ab extrinseco ingressi per occulta foramina intra terram, & si ab aqua, vel a frigore occludantur illæ porositates, poterunt terram ab imis commovere.

175 Deinde non solum exhalationes istæ sunt causa terræ motuum, sed quandoque ignis, aer etiam, & aqua ingentes commotiones subtus terram efficiunt: De igne prob. quia possunt exhalationes terreæ, crassæ, & bituminosæ accendi, vel ab ignibus subterraneis, vel ab astris, & tunc rarefactæ, quia petunt majorem locum, terram vi erumpunt, fluviique igniti foras scaturiunt. Aer etiam potens est agitare terram, si nimis excrescere, vel rarefieri. Aqua quoque potest concurrere, si v. g. in cavernis subterraneis valde a ventis impelleretur, itaut fornices cavernarum excuteret, tunc enim decideret pars terræ superior, & foris aquæ flumen exiret, vel si taliter agitaretur, ut in illis locis non haberet sufficiens spatium, posset impetuose foras erumpere.

176 Explicatis causis, quædam accidentia terræ motuum consideranda sunt, & primum est mugitus ille, & sonus, nam ex collisione corporum generatur sonus, in terræ motu fit maxima corporum collisio, qui sonus est multiplex, & varius juxta varietatem corporum, & cavernarum, ut enim experimur in voce, quæ diversitatem subit ex diversitate gutturis, & aeris emissi, sic in sonu terræmotus; si enim meatus sunt angusti, tenuis sonus causatur & veluti articulara vox, si ampli fiunt magni soni, sed ut plurimum hic sonus similis est mugitibus bovum, & quandoque causatur sonus absque terræmotu; quandoque vero halitus isti e terra cum vapore crasso admixti, & conglomerati erumpentes varias hominum, monstrorumque imagines efformant. Secundum accidens est locus, qui non debet esse nimis calidus, quia halitus facile ibi exhalant, & consumuntur a calore, nec nimis frigidus, quia in hoc paucæ exhalationes gignuntur, debet igitur esse temperatus, ut subjaceat plurimum terræ motibus, nam in his locis facile gignuntur exhalationes, sed non faciliter resolvuntur. Item cavernosa loca magis infestantur, quia faciliter in illis specubus congregantur aquæ, halitus, & venti; hinc montes, & insulæ pluribus terræ motibus quatiuntur propter specus, & cavernas, quas intus retinent, quam planities, & terra a mari distans. Tertium est tempus, quod similiter debet esse temperamentum, ut est ver, & autumnus propter eandem rationem; imo observat Alexander Tassonius lib. 2. q. 13. ingentes terræmotus fere semper mense Septembris contigisse, quod multis exemplis comprobatur. De duratione, & dilatatione terræmotus nihil certum statui potest, pendet enim ex duratione, & quantitate materiæ, ac dispositione loci, hoc est verum naturaliter non esse possibile terræmotum in universa terra simul evenire, quamvis aliquando vastæ regiones simul fuerint conquassatæ, ratio est, quia non apparet verisimile, imo moraliter impossibile videtur, totam terram simul affici exhalationibus siccis, aspectumque cœlorum ubique similem extare; quapropter terræmotus universalis in universa terra in morte Christi Domini fuit miraculosus.

Tandem signa præsagentia terræmotus multa assignantur, verora sunt, si aquæ puteales turbidæ fiant, vel ebulliant, & ascendant, ac certum odorem effient, nam dantur intelligi halitus multi inclusi in visceribus terræ ima convolventes; item intempestiva tranquillitas, & siccitas aeris denotat halitus omnes, & ventos intra terræ sinum inclusos esse, similiter si post Solis occasum nubecula appareat linealis, & tenuis diu persistens, significat ventos nullos in aere efflare, cometa quoque siccus, & adustus, quia indicat exhalationum copiam, inter hæc signa connumeratur: vide Conimb. tract. 10. cap. 5.

177 Tertio inter Metheora terrea connumerari solent lapides, quamvis enim sint mixta perfecta, attamen quia in visceribus terræ fiunt, & cum ipsa unum corpus integrare videntur, & de eadem materia conficiuntur, ac alia Metheora, idcirco Arist. de lapidibus egit 3. Meth. c. ult. qua ratione tractavit etiam de metallis, & fossilibus. De lapidibus igitur tria sunt videnda, causa materialis, causa efficiens, & proprietates.

Materia lapidum ut plurimum est quid mixtum ex vapore aqueo, & halitu terreo, cum enim lapis sit quoddam corpus solidum, non sufficit aqueus vapor, qui ex se fluidus est, nec exhalatio terrea,

terrea, hæc enim cum sit siccа, potius reduceretur in pulverem, quam in lapidem condensaretur, requiritur igitur vapor humidus, ut conglutinet, & coadunet siccum, ne dissipetur in pulverem, quare debet esse viscosus, & glutinosus, & halitus siccus, ut contineat, & frænet humidum vaporem, ne labatur, & hæc mixtura dicitur materia proxime dispositа ad recipiendam formam lapidis, vocaturque succus lapideus, qui duplex est, vel enim in ipso prædominatur halitus terreus, in cujus partes est vapor humidus diffusus, & ex isto generantur lapides terræ similes, qui scilicet non sunt multum similares, nec perspicui, sed opaci, vel in ipso prædominatur humor aqueus succum terreum subtile continens, & ex isto generantur lapides aquæ similes, & perspicui ad instar glaciei, quamvis ex propria forma substantiali habeant etiam multas proprietates aquæ contrarias, scilicet duritiem, friabilitatem, &c.

178 Dubium tamen est, an aliquid aliud possit esse materia lapidum. Affirmat Aversa q. 44. sect. 4. quod probat experientia, & primo aqua pura potest in lapidem converti, nam aqua fontis Cepusii in Dacia, si in vase reponatur, spatio unius noctis secundum partem convertitur in lapidem, in Gothia guttæ aquæ cujusdam fontis, ut narrat Alb. lib 1. tract. 1. c. 7. in terram sparsæ convertuntur in lapides ejusdem quantitatis guttarum; imo fons ille virtutem habet convertendi omnia, quæ immerguntur in ipso, in lapides; ligna quoque, & cadavera videmus quandoque in lapides conversa, & in viscеribus animalium ex cibo indecocto generantur lapides, ergo non est necesse ut lapides generentur ex succo illo lapideo; cujus ratio fundamentalis est, quia ad generationem mixtorum non necessario plura elementa secundum substantiam concurrere debent, sed sufficit unum tantum elementum, dummodo alteretur dispositionibus requisitis ad formam mixti.

179 Quamvis hæc opinio sit probabilis, negativa tamen est communior, & magis Peripathetica, quam fuse probat Georgius Agric. lib. 4. de ortu, & causis subterran. quia nunquam aliquid convertitur in lapidem, nisi sit in loco, in quo possit misceri, & recipere succum lapideum; sic in aquis illis reperitur admixtus succus terreus, & subtilis, neque est novum in aquis reperiri aliquid de substantia terræ, nam in aquis mineralibus a lambico extrahuntur quædam partes subtiliores mineralium, per quæ pertranseunt, ex quibus deveniunt medici in cognitionem proprietatum balneorum, sic ligna, cadavera, & similia lapidescunt, quando succo lapideo imbibuntur. Et quamvis non necessario debeant elementa secundum substantiam concurrere ad omnia mixta, dici poterit ad aliqua esse necessaria; nec sufficit dispositio in unico elemento introducta, dantur enim quædam mixta, quæ nequeunt ex quolibet generari, sed ex determinato ente, ut acetum ex vino, animal ex semine &c. quamvis formæ præcedentes non remaneant in genito. Idcirco neutra istarum opinionum sufficienter impugnari potest, & utraque est probabilis, primæ maxime favet experientia lapidis in ruinis animalium generari.

180 Causa effectiva lapidum ab aliquibus ponitur forma lapidis, ab aliis elementa, a quibusdam primæ qualitates, præcipue calidum, igneum, vel Solare. Alb. vero cit. quam sequitur Angest. de propr. form. pag. 86. causam principalem ait esse virtutem quandam mineralem lapidificam a cœlis communicatam, instrumentalem vero esse calidum digestivum, & extractivum humidi inducens coagulationem ad formam lapidis, & frigidum constrictivum, & expressivum humidi, itaut tanta fiat humidi expressio, quod nonnisi ad continuationem, & coagulationem remaneat, qua ratione nequeunt lapides liquefieri, addit Aversa cit. hanc virtutem potius dici causam instrumentalem cœlorum, qui causæ principales erunt, licet mediate.

181 Verum ex dictis disp. 7. Phys. quod causa principalis nequeat esse imperfectior effectu, & quod nulla causa instrumentalis possit attingere effectum principalis agentis, etiam ut est virtus causæ principalis, sequitur, nec primas qualitates, nec elementa, nec virtutem illam lapidicam posse esse causam principalem, aut saltem attingere generationem lapidis, nam tam elementa, quam primæ qualitates sunt entia imperfectiora, virtus illa non potest esse, nisi accidens, & consequenter nec poterit attingere, si autem poneretur substantia, videtur superflua, nam si astra possunt producere hanc substantialem virtutem immediate, cur non etiam lapides? maxime quia ista virtus esset causæ æquivoca, & per consequens esset perfectior. Lapis quoque non videtur habere vim productivam alterius lapidis, rara enim sunt mixta inanimata, quæ possunt alia univoce producere, ut dicemus in lib. de Gen. Nec inter mixta aliud videtur poni posse principaliter productivum lapidum, præterquam in animali, quod dici poterit generare lapidem in renibus, seu potius humores illos in renibus, qui sunt quædam corpora mixta. Quare recurrendum erit ad fidera, ut sæpe facere solent Philosophi in similibus, quodnam autem ex astris sit productivum lapidum, non potest a nobis dignosci, præcipue quia multæ species lapidum inveniuntur. Causæ vero instrumentales erunt utique primæ qualitates, & probabile est intervenire alia accidentia occulta ab astris producta diversimode disponentia materiam pro diversitate specifica lapidum, nam solæ primæ qualitates non videntur sufficientes ad tam varias dispositiones constituendas; tum quia primæ qualitates ubique reperiuntur, & tamen nequeunt lapides ubique generari, præsertim gemmæ, marmor, &c. imo in quibusdam montibus Pyrenæis aqua pluvialis in illis susa lapidescit, quod alibi non evenit, in quibusdam aquis, & maribus ligna convertuntur in lapides, & quædam plantæ sunt adeo formæ lapidis propinquæ, quod parum in aere exsiccatæ lapides fiunt ut patet de corallo; idem demonstrat exemplum fontis Gothiæ, supra adductum, ergo dicendum est ad certas species lapidum requiri quasdam dispositiones peculiares præter primas qualitates, qua ratione quidam lapides generantur in uno loco, & non in alio.

182 Inter proprietates lapidum primo loco sese offerunt virtutes quædam lapidum, nam quidam morbos inducunt, quidam vero e contra expellunt morbos, de quibus late Alb. lib. 2. de Min. & Plin. lib. 37. quarum immediata causa poni debet propria substantialis forma cujuscumque lapidis, nam a forma fluunt omnes passiones, & qualitates connaturales, hæ virtutes sunt quædam virtuales qualitates connaturales lapidibus; causa vero mediata erit causa producens formam illam, puta Cœlum. Deinde pro passione refertur quoque figura, nam quidam lapides figurati inveniuntur repræsentantes animalia, vel aliquid aliud, quæ figura quandoque est quasi depicta quibusdam lineamentis, & e coloribus, quandoque videtur quasi sculpta, & incisa in lapidibus; unde quidam lapides reperti sunt habentes figuram animalium tam intra, quam extra, nam non solum externam habent effigiem, sed etiam intus habent figuras intestinorum. De his ait Avicen. idcirco talem figuram habere, quia animalia mortua quandoque vertuntur in lapides, hinc eandem omnino retinent figuram; at de aliis dicendum, quod si regulariter omnes lapides ejusdem specei sunt ejusdem figuræ, ut præsertim apparet in petra Solari, in qua depicta videtur imago Solis, vel cujusdam stellæ, tunc iste effectus censendus erit per se, & tanquam passio consequens formam substantialem, ut de qualitatibus virtualibus diximus, si vero lapides illi irregulariter habent modo hanc, modo illam figuram, tunc se habebit ut effectus per accidens, cujus non est assignabilis una per se causa, sed varia; nam ex varietate materiæ, & diversa agentium applicatione varia insurgit figuratio, calidi enim est movere partes materiæ ad circumferentiam, frigidi illas impellere ad centrum, quare varia existente materia, & varia agentium applicatione, insurgunt diversa partium materiæ elevatio, & contractio, & quasi sculptio, sicut ex diversa mixtione primarum qualitatum in materia varii insurgunt colores in partibus istius, quibus diversimode conjunctis a calido, & frigido, evenit diversa coloratio, & pictura.

183 Alia proprietas lapidum assignatur ab Arist. 3. Metheor. cap. ult. quod lapides non liquefiunt, nec malleo distenduntur, sed potius franguntur, friantur, & in pulverem reducuntur, quod frangantur, & redigantur in pulverem, patet experientia, nam etiam adamas saltem hircino sanguine frangitur; de liquefactione etiam experimur, attamen experientia quoque docet, quamplures lapides liquefieri, quod etiam notavit Arist. 4. Metheor. 38 & 52. & in Ætnæo igne manifeste apparet, saxa enim illa, quibus Catanenses agri scatent, dum ab Ætna evomuntur, liquefacta ad modum igniti metalli cernuntur, at deinde ab aere, & ventis frigefacta in teterrimos lapides congelantur, juxta illud Poetæ Georg. 1. *Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam, flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa*, quare vel dicendum, ut notat Aversa q. 44. sect. 1. hanc non esse universalem proprietatem, vel illa saxa non esse vere lapides, sed mixti generis cum metallis propter admixtionem alicujus liquoris metallici, & sulphurei, saltem dum in initio eructantur ab Ætna; nam postea compertum est saxa illa, quamvis maximo igni apposita, nunquam colliquefieri. Ratio hujus proprietatis est, quia siccum valde abundat in lapidibus, non enim solum est humidi constrictivum, ut in metallis, sed etiam expressivum. & solum retinetur humidum, quantum ad continuationem inservit, ideoque nequeunt lapides a calido sicco, quale est igneum, liquefieri, prout metalla liquantur, in quibus humidum solum fuit constrictum, non expressum.

184 Quarto eadem ratione, qua lapides inter Metheora numerantur, etiam metalla computantur, cujus materialis causa scilicet mixtura illa, quæ immediate convertitur in metella, varie assignatur a DD. Quidam enim ut Aversa q. 44. sect. 5. ajunt materiam esse mixturam aquæ, & terræ, in majori tamen portione aquæ, Arist. autem 3. Metheor. cap. ult. & lib. 4. tex. 38. & 52. docet materiam metallorum esse vaporem humidum exhalationi admixtum, seu mixturam vaporis, & exhalationis, quæ dici poterit succus metallicus, ut exponunt Conimb. tract. 13. cap. 1. ita tamen, quod plus abundet de vapore, ad differentiam lapidum, in quorum materia exhalatio excedit, hanc opinionem late declarat Alb. lib. 3. Miner. tract. 1. ait enim humidum aqueum passum a terrestri sicco esse materiam metallorum, nam omne liquefactibile, & ductibile est aqueum, metalla sunt liquefactibilia, & malleis distenduntur, ergo erunt ex humido aqueo, hoc autem humidum debet esse unctuosum, & viscosum, non quidem cremabile, & adustibile, quale est illud olei, & pinguedinis, quod est causa adustionis rei, cui inest, propter fæculentiam admixtam, sed incremabile, subtile, & ab omni fæculentia depuratum, quod igni resistit, ne comburatur; siccum vero admixtum debet perfecte misceri cum humido, ut ipsum perfecte terminando, & glutinando, non sinat metallum etiam liquefactum humectare corpus tangens, aut illi adhærere, quod siccum terreum præservatur ab humido, ne ab igne liquante comburatur, quod si humidum deficeret, siccum combureretur, & efficeretur scabrosum.

185 Alia opinio satis communis inter Chymicos asserit, materiam proximam metallorum esse sulphur, ut semen patris, & argentum vivum, ut menstruum matris; sicut enim semen patris coagulat menstruum matris, & in embrionem efformat,

sic

sic sulphur coagulat, & restringit argentum vivum, illudque disponit ad speciem metalli diversam pro diversa mixtione, & proportione ipsorum; si enim sulphur sit rubrum, & citrinum, superetque in quantitate argentum vivum, & ambo sint pura, & perfecte fixa, fit aurum; si vero sulphur sit album, & superet argentum vivum in quantitate, sintque perfecte pura, & fixa, licet non tanta fixione, ut in auro, fit argentum, at quando sunt impura, grossa, ac terreæ lividati commixta, sed argentum vivum plene fixum, sulphur vero in majori parte fixum, & sit rubrum, si sunt æqualia in quantitate, fit æs, si sulphur excedit, fit ferrum; rursus si argentum vivum sit impurum, lividum, ac terreum, sed fixum, & sulphur ab ipso excedatur, quod quidem sit impurum, & modice fixum, fit stamnum, tandem si argentum vivum excedens sulphur sit impurum, & terreum, male fixum, sulphur quoque immundum, lividum, & pauciſſime fixum, fit plumbum, hoc enim parum videtur differre ab argento vivo, unde liquefactum valde illi assimilatur. Alii Alchimistæ volunt esse materiam metallorum cinerem aqua persusum; Alii tandem lixivium, & calcem.

186 Quælibet harum opinionum habet suam probabilitatem, nec satis confutari potest, nam prima fundatur in experientia, quia in matricibus metallorum reperiuntur aqua, & terra simul admixta. Secunda fundatur, quia quandoque in aere generantur metalla, nam ut referunt Conimb. cit. aliquando e cœlo defluxerunt ad terram, ut constat in aere omnia Metheora fieri ex vapore, & exhalatione, ergo in mineris hæc erit in materia metallorum. Experientia quoque fulciuntur opiniones Chymicorum, nam ex illis materiis varia conficiunt metalla, & quia in venis metallorum reperiuntur sulphur, & argentum vivum. Quare suppositis his experientiis dicendum erit, quamlibet esse sufficientem materiam, at in visceribus terræ maxime generari ex humore aqueo cum subtili terreo perfecte mixto, ut dicebat Arist. & explicavit Albertus.

187 Causa effectiva principalis, ut de lapidibus diximus, erit cœlestis, magis enim urget de metallis ratio ibi adducta, solum enim de plumbo asseritur ex pluvia, & aliis similibus augeri, quasi ab intrinseco, sed de hoc dicemus in lib. de Gen. Verum est tamen, quod non satis probatur distributio quorundam Astrologorum, scilicet quod quilibet Planeta ex peculiari dominio supra unam metalli speciem sit illius causa effectiva; videtur enim quod stellæ fixæ etiam concurrant; sed quicquid sit de hoc, quod totum est incertum, sufficit, quod causa principalis activa sit cœlestis. Instrumentalis ab Arist. videtur poni frigus condensans aqueum vapotem, a Chymicis ponitur calor concoquens, & commiscens humidum aqueum cum sicco terreo. Communiter autem sustinetur, omnes primas qualitates concurrere, sicut universaliter concurrunt ad generationem cujuslibet mixti, probabile quoque est concurrere qualitatem aliquam virtualem a cœlis productam in materiam sic dispositam per primas qualitates.

188. Dubitari tamen potest, an per artem Chymicam possint effici metella, præcipue aurum; non est autem sensus, quod ars Chymica sit principalis causa effectiva, hoc enim ab omnibus negatur, sed solum, an possit esse causa directiva docens applicare activa passivis, ut deinde in materia sic disposita a formis cœlorum introducatur forma auri. Multi sunt Doctores pro utraque parte, quos refert Aversa cit. probabilior est pars affirmativa absolute loquendo, quam fuse probat Delrius lib. 1. disquisit. Magic. cap. 5. qu. 1. sect. 7. Fumdamentum est, quia non satis ostenditur hujus rei implicantia, non enim repugnat ex parte materiæ, quia hæc est indifferens ad omnem formam, nec ex parte modi, nam modus hujus artis est per decoctionem naturalem ignis, qui modus decoctionem naturalem Solis proxime imitatur, neque probari potest non posse calorem Solis suppleri efficientia ignis, nam multa fiunt, tam calore Solis, quam ignis, ut patet præcipue de pullis in Ægypto igneo calore ab ovis excusis, & de bombicum generatione, qui nascuntur, tam si calore verno relinquantur sponte nasci, quam si in cubiculo calidiori ab igne, vel mamillis mulierum confoveri permittantur. Neque repugnat ex parte loci, quod scilicet exposcant in viscetibus terræ gigni; tum quia in aere gigni posse metalla, testantur quamplures; tum quia locus Mathematicus non necessario requiritur, locus Physicus scilicet spatium illud his, vel illis dispositionibus affectum ubique posset arte præstari; tum quia asserunt, ad generationem metallorum requiri locum cavernosum, ut vapor elevatus possit præfocatus ab impedimento superius existente in se reflecti, unde reperitur quandoque aurum in lapidibus genaratum; si scilicet spatium illud, in quo succus aureus reflectitur, sit lapidibus porosis circumseptus, in quibus poris se insinuat, & fit aurum; sed totum hoc potest ab arte effici, nam etiam argentum vivum in fumum evaporatum denuo excipitur, nec videtur tam necessaria hæc reflexio, nisi ut vapor contineatur in tali calore, & dispositionibus ibi existentibus, hoc autem non videtur excedere vires artis, quin a peritis hæc omnia possint disponi, & applicari. His accedunt experientiæ, quarum aliquas fuisse veras credibile est; illustris est illa Arnoldi Villænovæ, qui aurum sua arte perfectum aulæ Pontificiæ Romanæ præbuit examinandum, & illa Raymundi Lulli, qui apud Anglos in arce Londinensi probatissimum aurum confecit, quo in cudenda moneta usi fuerunt, & usque in hanc diem extat nobilis rosa vulgo appellata.

189 Dices, non conveniunt Alchimistæ in materia, ex qua fieri debet aurum, alii enim assumunt scoriam ferri, alii salem, alii ovorum putamina, alii arsenicum, alii capillos, & sanguinem humanum, unde innumeri Alchimistæ tentarunt aurum producere, & cum suis facultatibus ætatem frustra consumpserunt. Tum quia quæ sunt in suo genere perfectissima, petunt solum produci ab agente proprio naturali, ut patet in animalibus, & plantis, aurum in genere metallorum est perfectissimum. Tum 3. ad generationem metallorum requiritur specialis influentia siderum, hæc autem non habetur, nisi in determinatis locis, non enim astra eundem habent aspectum ad quamlibet regionem. Tum 4. aurum chymicum non resistit igni, facile amittit colorem, & non est ductile in minutissimas laminas, ergo non est verum aurum. Tandem a Joann. 22. in extrav. *Spondent* damnatur hæc ars, & venditio auri, quæ est sententia plurium Theologorum.

Resp. aliud esse loqui absolute, an possit dari hæc ars, aliud, an de facto detur, ut in simili diximus de Astrologia disp. 2. qu. 7. art. 4. verum quidem est, hanc artem esse perdifficilem, & pauciſſimi attingunt illam, quia difficile est invenire certam mediocritatem in iis, quæ ab activitate ignis pendent, eo quod illa sit maxima, & celerrima; tum quia necessarius est aspectus cœlorum, qui non semper, nec ubique habetur, aliqui tamen illam habuerunt, & quandoque verum aurum perfecerunt, saltem Dæmon, qui sicut est perfectissimus Astrologus, ita etiam erit perfectissimus Alchimista, quapropter licet Chymici discrepent inter se de materia, hoc solum concludit difficultatem artis in nobis, non in se, peritiores tamen conveniunt in sulphure, & argento vivo. Ad 2. etiam in hac arte aurum produceretur ab eodem agente naturali scilicet a cœlo, ars enim solum applicaret activa passivis, nec satis prob. in perfectissimis alicujus generis materiam non posse ab arte disponi, nam Exod. 7. Magi contendentes cum Moyse serpentes produxerunt, Joan. Bapt. Porta lib. 4. Magiæ nat. c. 4. testatur se produxisse perfectissimas anguillas; Thomas Garzonius in Foro universali discur. 41. ait a quodam suo amico artis stillatoriæ peritissimo productum fuisse in vitro Soli expositio per aliquot dies puerum carneum, cui etiam anima, sed per unum instans fuerit indita, & id aliqua arte fieri posse sibi persuasit Julius Camillus apud Delrium lib. 1. cap. 5. q. 4. & idem memorat Mariana lib. 14. rerum Hisp. c. 9. de Arnoldo Villanova, sed quicquid sit de homine, de auro tamen non videtur tanta difficultas. Ad 3. convincit difficultatem hujus artis in nobis, non absolute, nam certum est aspectus cœlorum adesse aliquando, ergo si tunc applicaretur materia dispositia, jam fieret aurum; hac ratione forsan quidam apud Joan. Picum lib. 3. c. 8. cum argentum, & aurum circiter quindecies per artem effecisset, deinde amisit artem, quia scilicet non habebat eumdem siderum aspectum ex mutatione temporis, & loci. Ad 4. etiam probat imperfectionem hujus artis in nobis, si enim potest produci aurum imperfectum, poterit etiam, si perfectius applicarentur activa passivis, produci perfectissimum aurum, quod fecerunt pauci quidam in hac arte peritissimi, tum quia perfectum, & imperfectum non variant speciem. Ad 5. rationabiliter damnatur hæc ars; tum quia non facile habetur, & ob curiositatem, vel desperationem facile homo recurreret ad Dæmonis opem; tum quia vulgares Alchimistæ non efficiunt perfectum aurum, & turpis lucri gratia, ut marsupia Principium emungant, multos adhibent dolos. Hinc Marcus quidam Granadilus Ingolstadii suarum fraudum pœnam capite luit, hic enim homo (fertur) ut artem, quam non habebat, ostentaret, carbones habebat perforatos plenos auri ramentis, quibus ignitis, cum jam sciret aurum esse liquatum, inspergebat pulverem quendam ad omnia ineptissimum, quem lapidem philosophicum appellabat, atque ex illo pulvere aurum fuisse factum, unde pecuniam sibi, & æstimationem comparabat; tum quia in maximum est detrimentum Reipublicæ, dum multi avaritia moti, ingenia, ætatem, facultatesq; consumunt inutiliter; qua de causa Diocletianus Imperator omnes libros hac de re conscriptos jusserit exuri.

190 Proprietas metallorum in communi sunt, quod liquefiant & sint malleis ductilia ad differentiam lapidum; cujus causa est humidum unctuosum excedens perfecte mixtum cum sicco terreo subtili, & depurato, & quia humidum istud cum sicco reperitur in auro perfectissime mixtum, & ab omni grossitie depuratum, hinc aurum est ductibile in subtilissimas laminas, quam alia metalla, reliqua magis, & minus sunt ductilia, prout magis, vel minus participant de perfecta puritate, & mixtione.

191 Cæterum species metallorum communiter septem assignantur, autum, argentum, æs, stamnum, ferrum, plumbum, & argentum vivum, nam & argentum vivum suum habet succum metallicum ex humido, & sicco compactum, & sulphur album, & subtile sibi perfectissime commixtum; qua ratione humiditas viscosa adeo tenet terrestrem siccitatem, ut quando vaporat, totum secum defetat; quamvis ab aliquibus argentum vivum non numeretur inter metalla propter fluxibilitatem. Quod autem hæ sint species essentiales, patet ex tam magna accidentium dissimilitudine, non enim probabilis est opinio quorundam apud Alb. negantium hæc omnia essentialiter distingui, sed esse ejusdem speciei, & differre sicut perfectum, & imperfectum, seu ut animal sanum, & ægrum, aurum est perfectum metallum sanum, reliqua imperfecta, & ægra secundum magis, & minus, unde sicut medici depurando animal ab impuritatibus per medicamina, reducunt ipsum ad perfectum statum, sic Chymici depurando per artem metalla ab impuris partibus, tandem purum aurum perficiunt, Hæc opinio est falsa, nam hæc conversio est substantialis, non accidentalis,

talis, aliter omnia mixta essent ejusdem speciei, quia fere omnia possunt adinvicem transmutari; nec exemplum de medicina valet, nam illa est accidentalis mutatio, unde animal sanum denuo redit ad ægritudinem, non sic aurum redit ad argentum vivum; verum est, quod aliquod imperfectum metallum poterit perfici igne, sic purgatur aurum ab artifice. Solent autem multiplicari species metallorum ex istorum mixtione, vel cum alio minerali, sic ex ære, & stamno conficitur æs personans, ex quo campanæ funduntur, ex ære, & cadmia lapidosa, quæ est minerale quoddam, ex quo fit auricalchum, &c,

192 Quinto tandem inter terrea Metheora numerari solent quædam alia mineralia, quæ Arist. fossilia nominavit, & sub lapidibus constituit; Alb. vero vocavit mineralia media, eo quia participant de natura lapidis, & metalli, nam quædam simul conteruntur, & liquantur, ut sal in aqua liquescit, in igne pulverizatur, & malleo conteritur, sulphur conteritur, & liquatur ad ignem, sic cadmia lapidosa; quædam vero licet non liquefiant, ut metalla, tamen ex metallis fiunt, ut scoria cadmia, quæ in æratiis officinis invenitur; quædam, & si non liquefiunt, non tamen sunt consistentia, ut lapides, sed facillime in pulverem dissolvuntur, ut Sandaraca, ochra, minium, & alii colorati pulveres, vel levioribus ictibus friantur, ut alumen, scoria, marchesita, arsenicum; quædam vero sunt mollia, & tractabilia, ut bitumen, quare multipliciter possunt mediare, & a lapidibus, & metallis deficere, non enim potest quoddam commune genus assignari, de his autem fuse agit Alb. sæpe cit. sed nunc satis.

Suprema huic operi de Cœlo, & Metheoris erat imposita manus, jamque impressori transmissum, cum ingens Scoti operum corpus recens Lugduni cusum in lucem prodiit Logicum, Philosophicum, Metaphysicum, ac Theologicum, in quo etiam tractatus quidam in lib. Metheor. velut ejusdem Doctoris subtilis insertus est. Verum quia tot illa voluminа revolvendo in Physicam impegimus, quam jampridiem ediderat P. Franciscus Aretinus sub nomine Scoti, & esse supposititicium, ac spuriam adeo clarum est, ut ipsemet P. Vvading. qui hæc opera imprimi curavit, id negare non audeat ibidem in epist. liminari ad octo libr. Physic. jure in suspicionem venimus tractatum illum de Metheoris, & alios quosdam ibidem insertos non esse Scoti genuinos; hac igitur de causa, & quia sero nimis ad manus pervenit, opus illud Metheorologicum Scoto nuper adscriptum sedulo perlegere nec curavimus, nec potuimus; poteris tu lector nostram supplere negligentiam, vel impotentiam, illud accurate perlustrando; quod si Stoicam tibi videbitur redolere doctrinam, & acutiem, si quid in hac materia reperies a nobis dictum ab ea dissonum, inde corrigere valebis, & si quid mancum inde complere.

FINIS.